

COMMENTARIORVM PARAPHRASVM CONCEPTVVMQ. PRAEDICABILIVM AC DISPVTATIONVM


In mysteriosam Ioannis Archiprophetæ, Apostoli, & Euangelistæ Apocalypsim.

PRIOR TOMVS.

IN QVO DE MILITANTE ECCLESIA SPONSA CHRISTI mira apprimè diluuntur, ac pleraque diligenter explanantur arcana, Theologis, tùm expositiuis, tùm scholasticis, & maximè Diuini verbi seminatoribus mirum in modum necessaria, commoda, & perutilia.

AVCTORE A. R. P. F. ANTIOCHO BRONDO, SARDO, CALARITANO,
Artium, ac sacræ Theologiæ Magistro, Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Monasterijq. B. Virginis Mariæ Boniaeris, Ciuitatis & Castri Calaris, Regni Sardiniæ, eiusdem Ordinis Commendatore.

AD PHILIPPVM III. CATHOLICVM AC INVICTISSIMVM Hispaniarum, & totius Occidui, Nouiq. Orbis dignissimum Regem, ac eiusdem Ecclesiæ Dei acerrimum defensorem.


ROMAE, Ex Typographia Aegidij Spadæ. 1612

SVPERIORVM PERMISSV.

Argumentum huius primi Tomi.

Prima, & præcipua Ioannis viſio tribus prioribus capitibus digeſta ac contenta, in hocce primo Tomo adamuſſim explanatur. Totum enim hoc Apocalypſeos opus, in ſeptem principaliores ſectatur viſiones, quarum prima & excellentior à capite exorditur primo, & vſque ad finem tertij, ſuos felices, vberes, ac omnino pulcherrimos, infinitis voluptatis fructibus affatim plenos, protendit ramos.

Ordinis Facultas huius libri imprimendi.

NOS Frater Philippus à Guimera Valentinus, Sacræ Theologiæ Professor, vniuersique Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia humilis Generalis Magister, & seruus. Iniuncti nobis muneris ratio exposcit, nos in spiritualibus incrementis ita insudare debere, vt & religionis nostræ, & vniuersæ Reipublicæ, fratrum nostrorum lucubrationibus, quæ studiosis vsui esse possint, litterarum in dies propagetur studium. Cum itaque Pater Fr. Antiochus Brondo Sardus, nostræ Prouinciæ Aragoniæ in Theologia Magister, summis vigilijs, haud exiguoque labore, tùm ad plurimum posteritatis emolumenti, tùm ad maximè iuuandam Rempublicam Christianam, quemdam scholasticum, ac expositiuum conscripserit librum, cui titulum præfixit: [*Commentariorum, Paraphrasum, Conceptuumq. prædicabilium, ac disputationum in mysteriosam Ioannis Archiprophetæ, Apostoli, & Euangelistæ Apocalypsim, prior Tomus, in quo de militanti Ecclesia, &c. Auctore A.R.P.F. Antiocho Brondo, &c.*] copiam, & facultatem impartimur, vt huiusmodi opus in communem totius Ecclesiæ Sanctæ Dei, typis mandetur, & typographiæ excudendum vtique committatur. Et quantocitiùs fiet, tanto gratiùs nobis futurum planè erit: dummodo illud prius censuræ, & approbationi Admodum R.P.Fr. Stephani Muniera in sacra Theologia Magistri, totius Italiæ, ac vtriusque Siciliæ Vicarii, ac in alma Vrbe apud summum Pontificem nostri Procuratoris Generalis, omnino subiaceat; cui totum dicti operis, speciali mediante commissione nostra in scriptis, committimus præuium examen, quo peracto, iuxta nostrarum Constitutionum statuta, & sacrosancti Concilij Tridentini decreta circa sacrorum librorum editionem sess. 4. prælo mox tradatur, vt prædictum est. In quorum omnium, & singulorum fidem, ijs manu propria subscripsimus, sigillo minori nostri officii munitis. Datis in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ de Mercede Ciuitatis Madriti, die 26. Octobris 1610.

Fr. Philippus Magister Generalis.

Locus † sigilli.

De mandato Reuerendiss. P.N. Magistri Generalis,
Magister Fr. Nicolaus Valero, secretarius.

FR. Stephanus Muniera, sacræ Theologiæ Magister, in alma Vrbe apud summum Pontificem Generalis Procurator, ac totius Italiæ, & vtriusque Siciliæ Vicarius Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum. Iuxta commissionem nostri Reuerendiss. Patris Fr. Philippi à Guimera totius nostri Ordinis Redemptorum de Mercede Generalis Magistri, mihi in scriptis traditam, legi, & qua potui diligentia, & cura examinaui librum hunc, cui titulus est: *Commentariorum, Paraphrasum, Conceptuumq. prædicabiliũ, ac Disputationũ in mysteriosã Ioannis Archiprophetæ, Apostoli, & Euangelistæ Apocalypsim, prior Tomus, in quo de militanti Ecclesia, &c. Auctore A.R.P.F. Antiocho Brondo Sardo, Calaritano, artium, & sacræ Theologiæ Magistro, Ord. S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Monasterijq. B. Mariæ Virginis Boniaeris, Castri Calaris, Insulæ Sardiniæ, eiusdem Ordinis Commendatore.* & in eo nihil reperi Fidei orthodoxæ, bonisuè moribus, vel Ecclesiasticæ doctrinæ aduersum. Quin potius censeo opus pium, eruditum, maximè vtile, dignumq. profectò quod in lucem emittatur, iis cum primis profuturum qui vtrique Theologiæ scholasticæ nimirum, & expositiuæ apprimè incumbunt, & præcipuè ijs qui verbum Dei populo fideli, hoc nostro sæculo annunciant. In quorum fidẽ præsentibus manu propria subscripsi, Romæ in Conuentu S. Adriani Ordinis nostri, die 24. mensis Februarii 1612.

Fr. Stephanus Muniera Vicarius, & Procurator Generalis.

De mandato adm. R. Patris nostri Vicarij Generalis.
Fr. Ioannes de Busto Magister, & Secret.

Imprimatur si videbitur R. P. M. Sacri Palatij Apostolici
Cæsar Fidelis Vicesgerens.

EX commissione Reuerendissimi Patris Fratris Ludouici Ystella Sacri Palatij Apostolici Magistri, ego Artemius Vannineus Senensis Theologorũ minimus, Opus hoc inscriptum, Commentariorum, Paraphrasum, &c. R. P. Magistri Antiochi Brondo Calaritani, accuratè perlegi, nihilque contra fidem Catholicam, ac bonos mores deprehendi, ea propter typis dari posse in vtilitatem fidelium censeo. In quorum fidem manu propria subscripsi xix. Kal. Nouembris MDCXI.

Ego Artemius Vannineus qui supra.

Imprimatur,

Fr. Damianus à Fonseca Magister, & socius Reuerendissimi Patris Fr. Ludouici Ystella, Sacri, & Apostolici Palatij Magistri Ordinis Prædicatorum.

PHILIPPO TERTIO HISPANIARVM

INVICTISSIMO ET CATHOLICO REGI ac felicissimo Monarchæ, Orthodoxæq. Fidei acerrimo Propugnatori, necnon diligentissimo defensori.

F. ANTIOCHVS BRONDO SARDVS CALARITANVS Philosophiæ, & sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Diuæ Virginis Redemptoriæ, Conuentusque Sanctæ Mariæ Boniaeris, Castri Calaris Insulæ Sardiniæ, eiusdem instituti Commendatarius, Nestoreos annos, æternamq. felicitatem iugiter deprecatur.



D Maiestatis tuæ Regios pedes, veluti ad sacram anchoram, quinimmo tamquam ad proprium nidum iustè se conuolant, ac merito se confugiunt (Inclyte REX) hæc mea, quæ in sacram Ioannis Apostoli, & Euangeliographi Apocalypsim, ex vtraque Theologia, scholastica, nimirum, & expositiua, diligenter compegi, laborioseq. cōtexui, ac diuino spiritu afflante orditus fui Commentaria, vt sic de me etiam indigno seruo tuo illud tritum Psalmographi verificetur elogium, quo dicitur: *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos*. Ps.83. Solent equidem ab æuo antiquo, qui suas lucubrationes, & ingeniorum suorum vigilias, ac fœtus, prælo mandare cupiunt, gesta, & acta Principum, procerumvè, quibus illa deuouent, consecrant, ac destinãt, primò enarrare. Idq. præstando eorum plerique haùd exiguum hucusque in suis voluminibus consumpsere tempus. Verumenimuero non sum ego tam profundi sensus, neq; adeò perspicacis ingenii, nec tantę audaciæ capax (PHILIPPE inuictissime Rex) vt tecum, ferè totius Orbis potentissimo Monarcha, circa tua gesta, & acta numquam satis laudata, sermonem connectere posse excogitem. Non enim me latet, & tuus, & tuorum inclytorum Progenitorum, tū maiestatis, tum nobilitatis maximus splendor. Cuius plane si tam longum moliri, texereq. aliquantula cura, attentauero indicem; quamuis mihi ferrea vox, linguæq. centum, oraq. essent centū, ante diem clauso cōponeret vesper Olympo, quam tantorum annalium patula via, apertumq. vltro, citroq. occurrens mihi sese offerret ostiū. Ea siquidem adeò magnifica, ampla, sublimia, perspicua, ac prorsus ineffabilia degent in hac tua Austriæ, inferiorisq. Germaniæ regali progenie, sanctitatis, maiestatisq. ac nobilitatis pignora, & encomia, vt vel alterum Titum Liuium, lacteo fonte manantem; vel alterum sanè Periclem in concionibus tonantem, fulminaq. cientem meritò postulet, ac omnino exquirat eorum enarratio. Quamobrem cum tantarum regalium laudum ingentem strepitum, ac eximium rumorem vndique serpere intuear, è vestigio planè animum pulsat meum illud Mosaicum epithalamium: *Impe-* Exo.4.

ditioris, & tardioris linguæ ſum. Quinimmo vndequaque me circuit ineffa-
Ier.1. bile illud Ieremiæ vaticinium: *Neſcio loqui*. Omitto mehercle alia permul-
ta (quæ iuſtè me terrent) repagula, quæ ſanè hìc oppegere licebat, quæ aliàs
ſilentio inuoluere meritò fas eſſe duxi. Offero itaque auguſtiſſimo nomi-
ni tuo (Potentiſſime Rex) hanc meorum ſtudiorum, ac lucubrationũ, in Di-
ſcipulum illũ, qui priuilegio amoris præcipui, & cæteris altiùs à Domino ho-
norari, & in cœna conuiua ſupra Dominicum pectus recumbere meruit, pro-
ximã fœturam, Maieſtati tuæ iure optimo debitã. Crebrò enim mihi cogitãti
cui, huiùs noſtri ſæculi Principum, Procerumvè hoc meum conſecrare valuiſ-
ſem opus, vt hominũ calumnias, inſidias, morſus, atq. dolos, quibus expoſitus
ſemper fuit hic Scriptorum labor (ex quibus tãquam, immo pluſquã, lernæis
& ſtygijs fontibus manat omniũ quotquot in mũdo conſpiciuntur, lerna ma-
lorum) tutè cauere quiuiſſem, eoſdemq. nullatenus pauerem, perhorreſcerẽvè
aut in aliquo pertimeſcerem, mox planè, Deo quaſi ex alto dante cælo, nihil
promptiùs, gratiùs, iucundiuſq. profectò obuium adfuit, quã ſub vmbra cul-
Gen.19 minis tui, nimirum, te Patrono, tuoq. tanti nominis ſuffragio, protectione, ac
patrocinio, hoc meum cõmendatum opus in lucem prodiret, ipſumq. æneis
typis excuſſum poſteritati inſeruiret. Illud namq. hederæ aſſimilare placuit,
quę niſi alicui ſublimi arbori, murovè adhæreat alto, numquã aliquò aſcende-
re valet, quò ab omnibus latè, apertè, ſpatioſèq. intueatur, quinimmò dẽtibus
morſibuſq. beſtiarum vndequaq. expoſita, humi ſemper ſerpit. Hùc inſuper
ſpectat, quod in hoc opere, & de Eccleſia Dei militãti, & de Fidei noſtræ dog
matibus, pleraq. panduntur, adamuſſimq. explanantur arcana, quæ tua planè
regalis ſtirps (ex qua exortus præclarè refulges) tũ gladio, tum vſq; ad ſangui-
nis effuſionem, bello, à ſæculo Rodolphi Comitis Aſpurg, ſucceſſorumque
eius Auſtriæ *Archiducum*, *Inferiorisq* Germaniæ Principum, vſque ad hæc
noſtra caliginoſa ſæcula, aduersùs vafros, & ſicophantas eorumdem hoſtes,
ſemper immaculata, pura, integra, ac omninò ſincera & conſeruauit, & diuino
afflante ſpiritu vtiq. propagauit. Addo etiam, quia ſacer hic, ac virgineus Or-
do noſter Redemptorum à primæua ſua origine, nimirum ab aureo illo ſæ-
culo inclyti Iacobi Aragonum Regis, qui Virgine ipſa reuelante, eum Bar-
chinonæ fundauit, ita extitit conſecratus, dicatus, ſubiectuſq. tam illi, quàm
ſuperſtitibus ſuis Aragonum, & Caſtellæ potentiſſimis Regibus, qui eundem
ſacrum Virginis ordinem, ferè, non ſolùm per totam Europam, verumetiam
per vniuerſum nouum orbem & erexerunt, & ſuo fauore, ope, auxilioq. am-
plificauit, vt illis, & tibi eorumdem inclyto ſuperſtiti, ita in ſempiternum om-
nimoda obſeruantia aſtringitur, vt profeſſores illius propediem immortales
& habere, & agere teneantur gratias, & quidquid illi ſunt, vobis omninò de-
beatur, meritoq. vnicuique veſtrum attribuatur. Iam poſtremam hìc appono
rationem: Quoniam ſi in ſacro eloquio commendàbilis eſt locus, in quo ali-
Geneſ. quid boni peragitur, vt liquet de loco ſacrificij Abrahæ, ac etiam de loco vi-
22. ſionis Iacob, rationi planè conſentaneum per conſequens erit, tibi Inuictiſſi-
Geneſ. mo Regi, commendare ſacrum locum, in quo hæc, quæ Maieſtati tuæ conſe-
28. cro à me deſcripta fuere. Quæ planè, Deo auxiliante, deſcripſi in celeberrimo
Cœ-


Cœnobio S.Mariæ Boniaeris nostri Ordinis(in quô eiusdem Redemptorum instituti,ab ineunte ætate sumpsi togam,cui etiam nunc indignè præsum) Ciuitatis Calaris Insulæ Sardiniæ; in qua, quemadmodum in alijs tum Hispaniarum,tum Indiarum Regnis,& sedes in puppi,& clauum vtiq. tenes. Et est planè cur istius S.Domus B.Virginis perpetuam obtineas curam.Erectum siquidem fuit magnum istud sanctuarium ad honorem Virginis Mariæ in expugnatione huius tui Castri Calaris à Pisis, traditumq. extitit Ordini nostro Redemptorum à Rege inclyto Petro, inuictissimi Alphonsi filio. Et quod magis vrget,adest in illo sacra quædam Dei genitricis Mariæ,Dominę,& patronæ nostræ,imago,olim per mare,arca quadam,(quæ vsque in hodiernum diem honesto apud nos illic asseruatur loco)miraculosè euecta, quæ ex tunc vsque nunc,mari,terra,pace,& bello ferè infinitis coruscat,ac omninò pollet miraculis.In cuius porrò cōspectu(inter aliā miraculorum molem,quam fideles afflicti in gratiarum actionem,in eius Basilicæ parietibus affigunt)appensa adest quędam nauicula eburnea,prora sua ita ventorum pelagi,scilicet, Subsolani,Vulturni,Euri,Certii,Fauonii,Zephyri,Aquilonis,Boreæ,Chori,Noti, Austri,Africiq. varietatem,motu imperceptibili, semper die, ac nocte signans, ac prædemonstrans, vt omnium fidelium sua eorumdem ventorum pelagi signa intuentium animos facilè in admirationem rapiat. His igitur rationibus,Christianissime Rex, quasi quibusdam diuinæ inspirationis mirum in modum inflammatus;ac omninò succensus faculis,motus fui supplex, flexisq. genibus obnixè exorare,vt hosce exigui ingenii mei fructus sub tua regali,& protegas,& suscipias vmbra.Accipe ergo (PHILIPPE potentissime, simulq. benignissime Rex) quod tot iustis titulis, tuum est, nimirum, venationem hanc,quam debili arcu suo,fragiliq. mentis suæ sagitta, tuus iste filius Iacob in vtriusque Theologiæ, Scholasticæ nimirùm,& expositiuæ, silua confod.t, surge,& comede,vt benedicens mihi anima tua,super me annūciet illud: *Det tibi Deus de rore cali,& de pinguedine terræ abundantiam frumenti,& vini,&c.qui maledixerit tibi,sit ille maledictus;& qui benedixerit tibi,benedictionibus repleatur*. Quod si ingenti animo,hilariq. fronte feceris, nullatenus proculdubio erit,cur in posterum inuidia conflagrar, Peripateticorum Coryphæum, ac facilè principem Aristotelem,sub Alexandri Magni; diuinum Platonem, & Euripidem, sub Dionysij Siracusani;Possidonium,sub Pompei; Virgilium, sub Octauiani; Ennium, sub Scipionis Africani; Silium Italum,sub Domitiani Imperatoris; Homerum sub Mitridatis; Dionem,sub Traiani; Oppianum, sub Vespasiani vmbra illos validissimos suorum ingeniorum fœtus, testantibus Budęo, Beraldo, Antonio lib. 9. dinosoph. Seruio lib. 7. & Plinio lib. 7. cap.30.nat.hist. prælo olim mandauerint. Quinimmo pro tua incolumitate, regnorumq. incremento,quamdiu Spiritus hosce meos reget artus,ad Deum Optimum Maximum,qui bonorum,ac regnorum omnium fons est,& origo, quotidie preces effundere vtique spondeo. Vale diu felix, & salue, Regnaq. tua ab omni incommodo,detrimento,molestiavè,sincera,& integra in mediis armis,quamdiutissimè conseruet Deus.

Phil.2. lib.Meteor.

Genes. 27.

AVCTOR AD PIVM LECTOREM.





ADSVNT tibi à me(candide lector)quas in sacram Ioannis Apostoli, & Euangelistæ Domini,subinde ex vtroque, scholastico videlicet, & expositiuo Theologico fonte, iuxta talentum quod accepi à Domino, & exhausi,& potaui; concepiq. & nunc nimio dolore pario lucubrationes. Lubuit planè eas tibi nullatenus abscondere, quoniam conceptum sermonem quis tenere poterit? Scio tamen,& verè scio, te eas pro modulo tuo, vberiores,extensiores,ac diffusiores,quam fas esset,fortè iudicaturum. Præcipuè cum iam præcesserint Iustini, Irenæi, Hippolyti, Methodij, Melitonis, Victorini, Dionysij Alexandrini,Basilij Magni, Gregorii Nazianzeni, Tyconij, Primasij, Gennadij, Cyrilli Alexandrini,Cassiodori, Andreæ Cæsariensis, Arethæ, D.Augustini, D.Ambrosij, Bedæ, Richardi,Ioachimi,Cælipannoni, Lyrani,Aureoli,& aliorum doctissimorum virorum in hunc librum Apocalypseos commentaria validissima. Enimuero si rem non populari trutina,sed doctissimorum virorum statera diligenter examinaueris, angustiores, breuioresq.quã subiecta postulet materia fortè te reputaturũ fore existimo. Cunctæ res difficiles,ait Sap. Eccl. 1. nequit eas homo breui explicare sermone.Vnde ipsemet postea pleno ore in hæc irruit verba: [Arenam maris,& pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapientiam Dei præcedentẽ omnia quis inuestigauit?] Non te prætereat rogo,Isaac alios profundiores fodisse puteos, quam serui patris sui Abrahæ foderint,vt aquam viuam inuenire posset,vt planè indicat illud Gen.26. [Foderunt in torrente,& repererunt aquam,&c. Et profectus inde fodit alium puteum.] Nec minus,obnixè quæso, te lateat huiusce reuelationis obscuritas, altitudo, latitudo,& profunditas,quæ tanta quidem est,vt vix in illa dictio reperiatur aliqua à mysterio aliena. Cum in vnaquaque huiusce Apocalypseos clausula enodanda, iam vsque ad talos, iam vsque ad genua, iam vsque ad renes, iam tandem vsque ad palpebras redundent aquæ, quæ ob id aliquando nequeunt transuadari: quoniam intumescunt,veluti aquæ illæ redundantes,descendentes in latus templi dextrum ad meridiem altaris,vt prodit vates *Ezechiel in 47.cap.* quæ planè nequibant tranari,eo quod intumuerat profundus torrens,qui minimè poterat pertransiri. Memento insuper breuitatis Irenęi, Iustini Martyris,D. Augustini,D.Ambrosij,Primasij,Arethæ,Melitonis, Haymonis, Elinandi,Alberti, Gilberti, Berengarii, Ioachimi,reliquorumq.(quos dudũ memoraui)veterũ Patrũ, hoc sacrũ Ioannis opus explanantiũ:quam recentiores verbi diuini præcones,& si non intensiuè,saltem extensiuè æmulari tenentur: quum ingenia huiusce nostri sæculi hominũ cuncta pulchra,trita,parata,purgata,& miruminmodum adamussim dolata,varietateque omnino imbuta nunc inter concionandum ita expostulent, vt maximè vigeat illud Quintiliani lib. 1. inst. rheth. cap.9. [Gaudent res varietate.] & cap. 12. [Reficit animos varietas.] Quapropter Sixtus Senensis lib.4.Bibliothecæ, existimans 18. homilias in Apocalypsim,quæ sunt in ix. tom. operum S.Augustini, nullatenus esse B. Augustini, sic ait: [Sed non est verisimile B.Augustinum, de rebus tam obscuris,tam breuiter ad populum dixisse.] Quibus omnibus,sedula, decisis, meditatione, arbitror sanè, te hosce meos labores nullatenus inaneos,aut frustraneos æstimaturum. Eos itaque lectites exoro, & inter legendum ora pro me. Vale manum osculatus.

HVGONIS RAMEL
BISVNTINI BVRGVNDI I. V. D.
Anagrammata nominum Auctoris.

ANAGRAMMA PRIMVM.

ANTIOCHVS BRONDO.
BONVS HONOR DICAT.

PHILIPPO TERTIO
HISPANIARVM ET INDIARVM, &c.
REGI POTENTISSIMO,

Militantis Ecclesiæ columnæ firmissimæ, pro huius operis dedicatione, ex eodem Anagrammate Epigramma.

SVME PHILIPPE teres Fidei, fortisque column a
Hac, quibus ANTIOCHVS BRONDO redarmat eam.
Es decus atquè suum: tibi Mercenarius ergo
Hac, Mercedis HONOR, qui est, DICAT, ipse BONVS.

ANAGRAMMA SECVNDVM.

Frater Antiochus Brondo.
Coronandus ferit Thabor.

Epigramma in illud.

EX quo in monte Thabor Christo mutata figura est,
Cum tanto Deitas lumine fulsit ibi:
Mons diuinorum tum conscius arcanorum
Factus, vt aduentus nomina lucis habet.
Hinc, qui sacra volunt reserare arcana, necesse est
Hunc subeant, index lumen & inde ferant.
Hunc Fratrem Antiochum Brondo *subijsse, labore*
Hoc, & qua lustrat luce secreta patet:
Sed quo præ reliquis merito ? sua nomina signant,
Cerne, Coronandus *hic* ferit *athra*, Thabor.

ANAGRAMMA TERTIVM.
h, in s, mutato.

Frater Antiochus Brondo Mercenarius.
I? rerum rectori dona sancta fers bonus.

Epigramma in idem.

VSQVE adeòne aliquem stimulabit sæua Megara,
Vt fratrem cupiat lædere, si bonus est?
Aut quis conducto mercedem deneget illi,
Qui Domino, insolito dona labore parat?
Quisve cachinnetur, quæ fiunt dona ferentis,
Aut si mensuram suscipientis habent?

Causas,

Causas, ne scurram timeas, momumve, sed auctam
Mercedem speres; nomen & omen habent.
Es Frater *cunctis*, & Mercenarius *uni*
Ex voto Christo, quod tua facta probant.
Quis primi iunctum dat cætera nominis omen,
Arte quod illius littera versa notat.
Namque ait I? Rerum Rectori sancta, *laborem*
Præter promissum, fers *benè* dona bonus.

ANAGRAMMA QVARTVM.

addito a.

Frater Antiochus Brondo Præsentatus.
Natura fastus, doctrina honores præbet.

In ipsum Epigramma.

QVOD *mercedis honor tantis tua scripta columnis*
Dicasti ex solo nomine, id omen erat:
Sciuiet vnde tuos peterent tua nomina honores,
Ex his, quos studijs contulit ordo tuis.
Nam Præsentati doctrina *hos* præbet honores,
Natura *at* fastus, *gignere sæpe solet.*

ANAGRAMMA QVINTVM.

Frater Antiochus Brondo Mercenarius Præsentatus.
Doctrina præstans, verbo tonans thure feraci remus.

Epigramma in illud.

QVIS *Præsentato Vatis secreta reclusit*
Doctiùs arcani? si disputat, acriter vrget;
Ascendit quoties sacra pulpita non nisi ...
Vitia qui carpens quatit intima corda scelestum:
Sed mage deuotus quisnam conceptibus illo
Cernitur? vberior vel quis reperitur in illis?
Vnde velut remo, Brondi, qui scripta sequatur,
Qua remus puppe est, appellat saluus ad oram.
Mira loquor, sed vera loquor, cælatáq. fato
Nominibus Reuerende, *tuis, ex quo ordo recepit,*
Et P*ræsentati merito tibi cessit honores*
Exin namque simul reddunt anagrammate, Præstans
Doctrina, verbò*que* tonans, & thure feraci
Remus. *Tam rebus quis dixerit illa referri?*
Natura, ingenio, pietati, debita sorti
Omnia namque tua; cum te natalia Brondo
De tonitru dicant; aliena cura salutis
Incumbat, pietas, quem fecit adire, cucullo;
Sorte, resistentis sacro in baptismate nomen
Antiochi tuleris, studiorum tam apta labori
Omina, vt ingenij fructus seges amplior esset.
Ergo quod verbo signabant omnia, factis
Magnanimus proprijs, summoq. labore parasti.

PHI-

PHILIBERTI GIROD
DE LA GISSIERE BVRGVNDI,

Ad R. P. F. Antiochum Brondo Mercenarium Præsentatum, & vnum ex Ordinis sui duodecim Prouinciæ Aragoniæ Magistris.

ACROSTICHON.

F inxerunt veteres, flamma olim Palladis arte
R apta de cælo, pœnas soluisse Prometheum,
A ffixus summo Scythici dum vertice montis
T undentem immortale iecur, fœcundaq. pœnis
E xta, Iouis probauit auem, quo Iuppiter vsque
R eddidit huic tandem melioris flamina vitæ:
A t pœnas non ille tulit: sed fabula rapta
N acta locum flammæ, vinclorum in monte, Aquilaq.
T undentis pectus, penetrans quòd sydera, cælos,
I ntrarit secreta Deûm, queis captus, in alto
O mnia despiciens, sola hæc meditatus amarit,
C lauserit extremos donec felicior annos,
H isce potiturus, quorum dumtaxat amore,
V iscera continuo dederat pascenda labori.
S cilicet actorum sunt symbola vera tuorum
B rondo, speiq. tuæ. Nam postquam sacra Sophiæ
R imasti secreta probè, quando inde tulisti
O rdo vtramque solet, quam tum concedere laurum;
N on, vt ait Paulus, scire hos ratus esse rapinam,
D iuidis id vulgo flammam velut ille Prometheus,
O mnibus auxilium flagrans præbere salutis:
M ox terrena super, velut alto vertice montis
E latus diuina sapis, nil cætera curans:
R estitutis primum tabulis pertentia Diuæ
C hristi perpetuis matris monumenta Mariæ;
E ffigiem; Calari, quæ nunc & visitur, olim
N auita de Latys qui vexerit inscius oris,
A rcano clausam, cui sculpta insignia ligno
R elligionis erant Mercedis, quique coactus
I pse gubernator nauis minitante procella
V ile ratus iactarit onus, cessantibus Austris
S ecreta nauim, quod vi detorsit ad vrbem;
P ost hæc mira docens, eadem quæ patrat imago;
R eddis & hinc luci Confratribus ordinis, olim
Æternum veniæ culparum indulta suarum;
S ermonumq. frequens per pulpita munus, & actu
E xercens, quod verba docent. Quid plura? supremâ
N usquam desistis meditari, quærere, amare.
T e vero in reliquis similem nunc vnde Promethæo?
A ccipere dum tanto secresti arcana labore,
T exerat ambigue quæ de pugnante sacratus
V ates Christiadum turmæ; conceptibus aptans
S acris, sacra Dei sedem iecur ales amoris
M ultùm num rosit? sed id immortale, renascens
A d pia post isthæc in eo tua vota sequendum
G rata Deo, superûm queis pandes ritè triumphos
I nclusos paribus nodis; hæc vt iecur ales
S ic eadem (dum te similis labor occupet) vsque
T undat; quo tandem post tradita singula scriptis,
E xtremos felix plusquam ille, quiete labore,
R edditus, æterna claudas, quo tendis, olympo.

FR-

F. ANTIOCHI SOLER, CALARITANI, eiusdem Ordinis Mercedis, ad Superiorem suum R. P. M. F. Antiochum Brondo.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

O Magnum patriæ, Brondo, decus tua,
Virtutes manibus cui Deus obtulit
Largis, donaq. plura,
Scriptis quæ pateant tuis.
Hinc hinc eliciens nominibus tuis,
Quæ secreta operum præscius omina
His clausit Deus, arte
Præpollens anagrammatum
Burgundus, latio doctus & in metro,
Laudes inde tuas digerit, ordinis,
Seu natalitij nil,
Seu gradus reliqui sinens:
Isti compatrius te studio pari,
Te musaq. pari prosequitur canens
Illa carminis arte,
Quæ dicuntur acrosticha.
Immensum pelagus, quod tenuis mea
Certè musa pauens ingredier, tacet,
Ne pœnas luat ausus
Huius tam temerarij.
Id tantum referam, cui sum ego particeps,
Ordo, & patria: Tu, nomen, & hæc tua
Scripta, illisque, mihique,
O quantum estis & huic decus!

F. ANTIOCHI BONCOR, CALARITANI, eiusdem Ordinis ad eumdem, Epigramma.

QVid tentas noti fama super æthera Brondo
Conscripto laudes musa referre metro?
Est cupijsse satis, subiectum vbi supperat artem,
Qui se posse negat, laudat & ille magis.

MARCI RICHARDI RHODY BVRGVNDI

Decretorum Doctoris, Metropolitanæ Ecclesiæ Bisuntinæ Canonici, de miraculo Nauiculæ eburneæ Diuæ Virginis Boni aëris in Ecclesia conuentus Calaritani, Ordinis eiusdem Virginis de Mercede, redemptionis captiuorum appensæ, pelagi ventos aduersa prora significantis, & ad id imperceptibiliter se mouentis, de qua tractatum alibi instituit R. P. M. F. Antiochus Brondo, ad eamdem D. Virginem, Epigramma.

VEnturos ebori sacro quisnam indicat Austros,
Quiue vagos fluctus per mare ventus agat?
Dum nautas immota docet, quo tramite merces
Institor extremo portet ab vrbe suas;
Quis motus acie spectantum subtrahit illos,
Dum pro mutatis voluitur ipsa notis?
Non facit hoc ratis hæc, oculis quæ prostat eburna:
Sed tu Virgo facis, quæ regis alma ratem.
Virgo quæ cælum, tempestatesq. serenas,
Aere de puro nomen adepta tuum.
Hanc velut ergo ratem, nautasq. per æquora flectis
Et caua securum per freta pandis iter:
Sic miseram infausto dum ducimus aëre vitam,
Diua regas nostra vela, ratemq. via.

INDEX DISPVTATIONVM ET QVAESTIONVM

Quæ in hoc primo Tomo Commentariorum M.F. Antiochi Brondo in Apocalypsim Ioannis diuentilantur, Theologis scholasticis, & expositiuis apprimè vtilis.

An

INDEX CONCEPTVVM

PRAEDICABILIVM

Qui in hoc primo Tomo Commentariorum M. Fr. Antiochi Brondo in Apocalypsim continentur Praeconibus verbi Diuini maximè necessarius.



Quod

Quod



F. ANTIOCHI BRONDO SARDI CALARITANI

ARTIVM AC SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI
Monasterijque B. Mariæ Boniaeris, Ordinis de Mercede Redemptionis Captiuorum, Commendatoris,

IN CAP. PRIMVM MYSTERIOSAE APOCALYPSEOS Ioannis Archipropheta, Apostoli, & Euangelista, Commentarij, Paraphrasibus, Conceptibus prædicabilibus, ac Disputationibus, satis perpulchrè, & eruditè illustrati, diu feliciter incipiunt.

CAPVT PRIMVM.



Argumentum primi Capitis.



NIVERSVM Diuinus Vates hoc suum commendat opus, nomen suum præmittit: septem Ecclesias quibus verba facturus est, salutat; aduentum Filij Dei obiter attingit, locum relegationis suæ pro Christo explicat; primamque ex septem, quibus totum hoc opus clauditur, hic narrat visionem, in qua similem Filio hominis, podere vestitum, septemque in dextera sua, ac in medio septem candelabrorum aureorum præ se gerentem stellas; fatetur se intuitum fuisse: quorum septem candelabrorum aureorum, septemque stellarum enodationem ab Angelo Dei acceptam, eisdem septem Ecclesiis postremò & describit, & aperit.

Textus 1.



POCALYPSIS Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito, & significauit, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit.

COMMENTARIVS.

Explanatio commentus. §. 1.



ATICINIVM hoc satis nobile, & nimis insigne, ac egregium inter cętera Dei Vatum monumenta, proprio Apocalypsis nomine diuinitus consecratum, opus nimio suaui odore, plura haud dubie redolens, emittens, ac

D eructans mysteria, arcana, & sacramenta, quam verba, nullatenus aliunde auspicari voluit sanctissimus Euangelista, & maximus Vates Ioannes Apostolus, quam à sanctissimo, augustissimoque Iesu Christi nomine, & meritò planè. Quoniam opus tam pręclarum ac insigne, iure optimo mare magnum ac spatiosum, liber hinc inde signatus, inter ceteras diuinas Scripturas intellectu difficilior, vox exultationis & salutis iustorum, flagellum paganorum, supplicium impiorum, malleus hęreticorum, baculus senescentis Ecclesię, solatium spiritualis vitę, spes haud exigua

E vltimorum electorum, fons secretorum Dei, hortus haud exigua mirabilium cęlestium multitudine, quasi flagrantibus rosis, lilijsque conclusus; memoriale Dei & hominum, notabiliora facta Ecclesię, quę acciderunt à morte Saluatoris, & quę accident vsque ad finem sęculi, continens; velamentum siue vaticinium noui testamenti, vniuersalis Ecclesię statum à primo sui exordio vsque ad sęculi finem affatim amplectens; regni cęlestis hic in terris habitatio, & firma mansio,

Apocalypsis est opus nobile, egregium, & insigne.
Varia epith. Apocalypsis.
Apocalypsis est mare magnum.
Liber signatus.
Vox
Flagellum.
Supplicium.
Malleus.
Baculus.
Solatium.
Spes.
Fons.
Hortus.
Memoriale.
Velamētum.
Mansio.

Sylua. Abyssus. Pelagus. Radix. Fundamentũ. Neruus. Murale. Antemurale. Thesaurus. Sanctum opus.

sylua mysteriorum, sub parua quantitate infinita claudens arcana cęlestia, abyssus allegoriarum, pelagus difficultatum, radix fidei, fundamentum salutis ęternę, neruus nostrę fortitudinis, murale, & antemurale inter diuinas Scripturas noui testamenti vltimo loco diuinitus reseruatum; scripturarum, omniumq; documentorum salutarium in agro militantis Ecclesię absconditus thesaurus; sanctum denique ex omni parte opus iure, inquam, optimo appellatum; qui, rogo, aliter exordiri quiuerat, quam per benedictum summisq;encomijs ad sidera vsque extollendum, Iesu Christi Saluatoris nostri nomen? dixi, Iure optimo;quoniam mysteriosissimum nomen Iesu Christi, mysteriosissimi operis Apocalypsis caput esse decuit. Hoc enim est egregium illud opus, de quo Hieronymus maximus Doctor in prologo Bibliorum inquit: [Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi: pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentię:] Et sanè pulchrè alloquutus fuit sanctus Doctor, eo quod in enodatione huius operis alius quidam reuera requiritur Centimanus Briareus. Quoniam exponentibus illud ob maximam suam obstrusitatem, & obscuritatem ita difficillima ex eo futura est emersio, vt vnusquisque eorum illud, quod de Cretico labyrintho scripsit Poeta, decantare queat:

Nomen Iesu Christi est caput totius operis Apocalypsis. D.Hieron.

Centimanus Briareus. Home. 1 Ilia. Apocalypsis comparatur labyrintho.

Virg. 5. Aen.

Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille vijs habuisse dolum, quà signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Labyrinthus quid sit.

Quot enim sunt in labyrintho itinera varia, occursus & recursus, ac etiam viarum ambages, tot quippe sunt in hoc opere admirabilia mysteria, & secreta cęlestia; quę plane D. Augustini, D. Ambrosij, Iustini, Irenei, Atethę, Primasij, & reliquorum tam Gręcorum, quam Latinorum Patrum, ac sapientissimorum hominum, illa explanantium, non tam exercuerunt, quam fatigarunt ingenia. Tot siquidem in hoc sacrosancto opere reperies sacramenta, quot verba; quinimmo, & quot characteres. Ioannes itaque noster Euangelij aquila, qui recubuit in cœna supra pectus Domini, sui insigne hoc, magnisq; opacatum arcanis opus apocalypsis exordiens, aquilina illa sua ingenij acie; quale caput, supplex exoro, tam pręclaro operi apponere valuit, vt dixi, nisi egregium augustissimumq; Iesu Christi nomen? Non enim me latet, hoc nomen venerandum tantę virtutis esse, & maiestatis, vt illi omne genu succumbat, dicente Apostolo: [In nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.] Nomen planè benedictum in sęcula, & permanens ante Solem, in quo, testante Paulo, elegit nos Deus pater ante mundi constitutionem, vt essemus sancti,& immaculati in conspectu eius in charitate. Porro ex eiusdem Apostoli sententia,in hoc nomine sumus ad brauium supernę vocationis conuocati,Deo patri reconciliati,vt saluationem consequamur; vnde ad Ephes. 2. dictum est: [Ipse enim est pax nostra,qui facit vtraque vnum.] Quid plura? Quicquid,vt vnico verbo multa concludam,ad nostram pertinet redemptionem, adoptionem, sanctificationem, iustificationem, gratiarum augmentationem, exultationem, conseruationem, dulcedinem, consolationem spiritualem,& cęlestium bonorum opulentiam; id plane omne per virtutem huius sanctiss.nominis Iesu Christi nobis collatum quippe est: & id propterea totũ eidem egregio nomini est proculdubio acceptum referendum. Quoniam in nomine Iesu Christi redempti sumus. [Christus assistens pontifex; (dicitur ad Heb. 9.) futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum,id est,non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per

Difficultates maximę Apocalypsis.

Doctores qui in Apocalypsim explanandam multum insudarunt.

Ioannis Laus

Nominis Iesu Christi varij fructus. Philip. 2.

Nomini Iesu Christi humilitas debetur. Nominis Iesu Christi benedictio. Eph. 1.

Eph. 2.

Pleraq; bona per Iesu Christi nomẽ impetrata.

Redemptio per Christum.

F proprium sanguinem introiuit semel in sancta, ęterna redemptione inuēta.] In nomine Iesu à lege,a peccato, & à morte salui facti sumus. [Ipse enim saluum facit populum suum (dicitur Lucę 1.) à peccatis eorum] In nomine Iesu Christi filij Dei, nominamur, & sumus. [Qui prędestinauit nos (ait Apostolus ad Ephes. 1.) in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum.] In nomine Iesu Christi, Dei gratiam reportamus, [per quem accepimus gratiam, & Apostolarum, (dicitur ad Rom. 1.) ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati Iesu Christi.] In nomine Iesu Christi illuminati fuimus: [Qui illuminat omnem hominem (dicitur Ioan. 1.) venientem in hunc mundum.] Iam postremò in admirabili nomine Iesu Christi regenerationem accepimus.[Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, (dicitur ad Tim.3.)quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.] En vides varios pæneq; infinitos augustissimi nominis Iesu Christi fructus, quos ab eodem humanum genus abundanter reportauit. Est igitur hoc egregium nomen Iesu Christi ad hoc pręclarum opus, difficillimumq; Apocalypseos codicem intelligendum, eximium excellensq; lumen, quo ex tot tantisq; eius variarum ambagibus occursibusq; ac recursibus, facilis vnicuique explanantium futura sit emersio. Quod magni ponderis & momenti plane est, eo quod si in rebus naturalibus indagandis, & enodandis tam difficilis est exitus, vt dicat Poeta:

Salus per Iesum Christũ.

Prædestinatio per Iesũ Christum.

Gratia per Iesum Christum

Illuminatio p Iesum Christũ

Regeneratio per Iesum Christum.

G

Apocalypsis difficile obtinet exitum.

Res naturales difficiles intellectu.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metas omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

Poeta.

H

Quid fiet quęso in rerum tam diuinarum,quales sunt hę, quę in Apocalypsi hac continentur,inuestigatione? Tu igitur ò bone Iesu Christe, qui es Alpha, & Omega, mihi, Theologorum, hoc tuum diuinissimum opus exponentium,minimo,longe meis humeris imparem prouinciam suscipienti, & cęleste lumen, & clauem illam Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit & nemo aperit, impartiri digneris per tuam immensam bonitatem atque clementiam, vt hoc pręsidio apprime munitus seruus tuus hic, quidquid hoc tuum sacrosanctum opus continet obstrusum, ac obscurum, iuxta germanum, & verum sensum, sanctęque matris Ecclesię, veritatis firmissimę columnę, salutaria dogmata attingere, elucidare, enodareq; queat. Dicit igitur:

Res supranaturales,& diuinæ difficiliores sunt intellectu, quã naturales. Oratio auctoris ob difficultatem operis. Apoc. 1. Apoc. 3.

I

Apocalypsis Iesu Christi. Exorditur à nobili, & pręstanti principio; quod pulcherrimè singularis, ac admirabilis operis maiestatem demonstrat. Illud namq; est principium libri, & quasi totius huius operis titulus.Quoniam per hęc prima initialiaq; verba declaratur apprimè id omne, de quo in toto hoc opere tractatur. Nobilis plane titulus, admirabile lemma, suaue initium, iucundum exordium, singulareq; totius huius egregij operis principium. Asseuerat namq; per hęc initialia verba Prophetarum Propheta Ioannes, assumptum huius libri, siue obiectum, circa quod versatur totum hoc opus, reuelationem esse Iesu Christi, siue ab ipso Christo Iesu annunciatam,vel de eodem Domino Iesu Christo prolatam, atque completam. Quamobrem liquido constat, materiam subiectam huius libri, vel substantiam totius operis, quam Phylosophi obiectum circa quod, vel materiam circa quam,appellare solent; reuelationem Iesu Christi esse vocandam. Ideirco docemur hoc in loco, quanta cum veneratione,& animi submissione,ad tanti operis explanationem sit nobis accedendum. Tam grandi namq; titulo, nempe reuelatio Iesu Christi, magni cuiuslibet commentatoris comprimitur audacia, fugatur ignorantia, ablegatur pręsumptio, conatus retardatur. Caius Iulius Cęsar, capris aliquibus, post venationem ceruis catenam auream imponere solebat,in qua scribere iubebat: [Noli me tangere,quia Cęsaris sum:] hoc idem fecisse

§ 2. Contextus explanatio. Titulus libri Apocalypsis.

Laus tituli libri Apocal.

Substantia libri Apocal.

K

Reuelatio est obiectũ circa quod in opere Apocalyp. Humilitate explananda est Apocal.

Plutarchus in vita Cęs. Ceruus Cęsaris qualiter venebantur.

A fecisse videtur ſupremus Imperator Deus, inſpirando Ioanni, vt hunc titulum ſuæ Apocalypſi pręfigeret: [Apocalipſis Ieſu Chriſti.] Inſcriptio namq; hæc eſt, veluti torques aureus operi impoſitus, propter quem ab omnibus non poteſt non magni fieri, nec ſine formidine tangi. Poteſt igitur melius dicere, quam Cæſaris ceruus: Noli me tangere, quia Ieſu Chriſti ſum.

Apocalyp. eſt veneranda ob Ieſu Chriſti nomen.

§. 3.

Prophetarum diuerſitas circa ſua vatic.

Ceterum animaduertere fas eſt, antiquos omnes Propheras varie ſuas prophetias inchoaſſe: Quidam enim à viſionis vocabulo initium ſumpſerunt, vt Euangelicus Propheta Iſaias: [Viſio Iſaiæ.] & Ezechiel: [Vidi viſiones Dei.] Nonnulli vero eas verba nuncuparunt, vt Hieremias: [Verba Hieremiæ,] & Oſeas: [Verbum, quod factum eſt ad Oſeam.] Alij tandem onus ſuas appellarunt prophetias, quemadmodum Nahum, [Onus Niniuæ;] & Abacuch, [Onus, quod vidit Abacuch.] Cuius veritatis ratio B reddi poterit, quod Prophetia ad tria referri poteſt, nimirum vel ad eum, qui eam reuelat, vel ad Prophetam, qui eam recipit, vel denique ad populum, cui facta eſt. Si itaque ad primum referatur, cum communiter à Deo, aut per ænigmata, aut per verba fiat, iure optimo tunc Prophetia Verbum Domini dicitur, vt apud Hieremiam, & Oſeam habetur. Si vero ad Prophetam recipientem dirigatur, cum vates Videntes appellentur recte tunc Prophetia ipſa viſio vocatur, vt liquet ex Iſaia, & Exechiele. Si denique ad populum ordinetur, cum crebro aliquod ſupplicium ex parte Dei alicui populo propter præcedentia delicta per illam minetur; bene tunc Prophetia, Onus nuncupatur, vt videre licet in Nahum, & Abacuch. Noſter autem Archipropheta Ioannes, hanc ſuam noui Teſtamenti prophetiam, noluit viſionem cum Iſaia, & Ezechiele, neque Onus cum C Nahum, & Abacuch, neque verbum Domini cum Hieremia, & Oſea appellare, eo quod, antequam Deus fieret homo, ita populos ob eorum delicta mulctabat, vt dicere ſoleret Pſalmiſta: [Deus vltionum Dominus: Deus vltionum.] Porro olim, vt Paulus habet, per ora prophetarum loquebatur iuxta illud ad Hebr. 1. [Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis:] Et tandem longe, proculque à nobis diſtabat, quinimmo nos, vt verius loquar, per peccatum ab ipſo elongati fueramus, vt in illa parabola Lucæ 17. continetur, dum dicitur: [Abijt in regionem longinquam.] Quare tunc Prophetiæ, & onera, & verba, etiam viſiones vocari quiuerant. Aſt, poſtquam Dei filius noſtram mortalitatem aſſumere non eſt dedignatus, ita clementiſſime cum hominibus ſe gerere cœpit, vt Prophetia hæc Archiprophetæ Ioannis, quæ eſt noui teſtamenti, nequeat dici D Onus, cum Paulus ad Timot. 3. dicat: [Apparuit benignitas, & humanitas ſaluatoris noſtri Dei, &c.] Nec minus verbum alicuius Prophetæ, cum Deus ipſe loquutus ſit nobis in filio, dicente Apoſt. ad Heb. 1. [Nouiſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.] qui, vt dicitur Matth. 5. [Aperiens os ſuum, docebat eos.] Nec denique talis Prophetia viſio dici poteſt; eo quod viſio abſque diſtantia eſſe nequit; quoniam ad hoc, vt aliquid videatur, oportet ex Phyloſophi ſententia interuallum, & proportionem inter potentiam viſiuam, & obiectum mediare, eo quod, vt ait ipſe, [Senſibile ſupra ſenſum non facit ſenſationem.] Enim uero poſtquam Deus mortales induit artus, ita nobis coniunctior eſt factus, vt iam non viſionem, prophetiam noui Teſtamenti audeat Aquila Euangelij Ioannes Archipropheta appellare, ſed Apocalypſim, hoc E eſt Reuelationem, eoquod reuelatio in animo abſque locorum fit differentia; eſt enim iam nobiſcum Deus, quoniam filium Virginis Ieſum, Iſaias in cap. 7. vocat Emmanuel, qui interpretatur nobiſcum Deus, quaſi nobis continuo aſſiſtens per internam ſui reuelationem. Quamobrem 2. Cor. 13. dicitur: [An experimentum eius quæritur, qui in me loquitur Chriſtus:] vbi illud [in me] perinde ſonat ac diceret, [non extra me.] Iam ſiquidem effectum eſt, vt qui adhæret Deo, vt

Prophet. trina conſideratio.

Proph. quare verbũ Dñi, dicatur. Hierem. 1. Oſe. 1.

Proph. quare viſio appellatur. Iſa. 1. Ezech. 1.

Proph. quare onus vocetur. Nahum. 1. Abac. 1.

Proph. Apoc. maxima excellentia.

Pſal. 93.

Excellẽtia noui Teſtam. & legis gratiæ.

Phil. 2. lib. de anima. Viſio requirit proportionẽ.

Vnio Dei nobiſcũ ſingularis in nouo teſtamento.

A dicitur 1. Cor. 14. Fiat vnus ſpiritus cum eo.] Ad hoc quippe ſpectat illud Ioan. 6. [In me manet, & ego in eo:] & Ioan. 15. [Sine me nihil poteſtis facere;] & paulo poſt: [Sic nec vos, niſi in me manſeritis.] Ex eo namque, quod Deus noſtram aſſumpſerit humanitatem, ita vniti ac conglutinati illi fuimus, vt liceat afferre per ſimilitudinem illud Principis Ionathæ erga Dauid. 1. Reg. 18. [Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid; & dilexit eum Ionathas, quaſi animam ſuam.] Chriſtus namque nos diligere verbis monſtrauit, & factis; quoniam ſicut Ionathas, vt ait ſcriptura, expoliauit ſe tunica, qua erat indutus, & dedit Dauid, & reliqua veſtimenta ſua vſque ad gladium, & arcum ſuum, & etiam vſque ad baltheum (non exigui amoris argumentum;) ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſui nobis diuini amoris erga nos ſigna reliquit illuſtriſſima, nempe, ſuæ paſſionis inſtrumenta, ſuum nimium B pretioſſimum corpus in altaris ſacrificio, crucem inſuper, clauos, flagella, columnam, & cætera inſtrumenta, ſeparata paſſionis ſuæ, quæ in varijs orbis terrarum Eccleſijs religioſiſſime conſeruantur. Confirmat hanc eandem vnionem noſtram cum Chriſto illud Ioan. 15. [Vnus militum lancea latus eius aperuit.] Quod expendens D. Auguſtinus ait: [Non percuſſit, non vulnerauit, ſed aperuit, vt aperienti liberum eſſet ingredi per oſtia, quæ patefecit, quæ pro nobis aperta ſunt, & aperta in cælo reſeruantur.] Vbi ſanctiſſimus doctor indicare videtur, nos iam in ipſum Chriſti pectus ingredi poſſe; quaſi in aliud nouum, & admirabile ſanctum ſanctorum, vt illic Dei arcana præcognoſcere poſſimus, propter vnionem noſtram cum illo: quod plane ſanctis illis antiquis patribus prophetis olim nullatenus accidit. Cum igitur filius Dei; noſtra aſſumpta mortalitate, legem nobis dederit ſuauem, C & adeo ſuauem, vt onus cum ſit, non graue, ſed leue ab eodem appelletur, iuxta illud Matth. 11. [Iugum enim meum ſuaue eſt; & vnus meum leue:] & inſuper adeo miſericors, & clemens nobiſcum ſit, vt dicat: [Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.] & etiam cum tandem nobis ita propinquus permaneat, vt ampliorem, & valde maiorem nobis, quam patribus antiquis ſui cognitionem tribuere dicant Apoſtoli: [Manus noſtræ contractauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt;] id propterea noſter euangelicus Propheta Ioannes, hanc ſuam noui teſtamenti Prophetiam, nec, onus, nec verbum, nec minus viſionem appellare voluit, ſed Apocalypſim, nimirum, Reuelationem, hoc eſt manifeſtationem ſacramentorum Dei altiſſimi, quæ in animo fit abſque locorum differentia.

Vnio cauſata p incarnationẽ verbi Dei. Amor Chriſti erga nos.

Paſſ. Chriſti inſtrumenta.

D. Aug. in Io.

Exod. 30. Leuit. 16. Ad Rom. 9.

§. 4.

Stylus Prophetarũ, & Euãg. in ſuis diuinis hiſtorijs inchoandis.

Et vt aliorum Prophetarum, ac etiam Euangeli- D ſtarum veſtigia inſectaretur, exorſus eſt abſolute dicens: [Apocalypſis Ieſu Chriſti.] Solent namque Prophetæ, & Dei Euangeliſtæ ſuas diuinas hiſtorias abſolute inchoare; ob idque in pleriſque ſacræ Scripturæ locis nonnulla initialia verba abſolutorio modo, & ſolitarie dicta reperies, vti [Viſio Iſaiæ, [Verba Amos, [Verbum Domini, quod factum eſt ad Iohe;] Liber generationis Ieſu Chriſti,] & reliqua. Quod quidem præſtare ſolent Dei vates, & Euangeliſtæ, vt diuinæ hiſtoriæ excellentiam, quam texere intendunt, apprime percipiatur, & à quouis, nullo mediante rhetorirum ſtylo, perfecte intelligatur. Sacra namque Scriptura ob altitudinem, profunditatem excellentiamque ſuam, inanes rhetorirum circumloquutiones, lepidum ſermonem, verborumq; pompam & penitus abhorret, & omnino reſpuit; cum hæc hominum mentes animoſque deuotos potius diſtrahant, quam ædificent: Quo- E niam ſermo, coloribus rhetoricis ornatus, quamuis aures humanas aliquando demulceat; tamen ſæpe ſæpius deuotionem, animum, ſpiritumq; à fidelibus prorſus arcet. Neque hinc vellem exiſtimes, Chriſti Euangeliſtas ſubtili arte, & ſtylo rhetorico carere. Quamobrem Euangeliſtam Lucam, in veſtibulo ſuæ diuinæ hiſtoriæ dicentem audias: [Anno autem quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo

Iſa. 1. Amos 1. Iohel. Matth. 1.

Sacra Script. rhetoricas circũlocutiones abhorret.

Euãgeliſtæ artẽ rhetoricã callebant, ea tamẽ nõ vtebantur. Lucæ 3.

A 2 autem

autem fratre eius tetrarcha Ituraæ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est Verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto.] Vides iam hic stylum rhetoricum: nonne hic apparet bene dicendi ars? numquid desunt circumlocutiones? haudquaquam sane: vt narraret siquidem prædicationis Baptistæ tempus, tanta verborum pompa per circumstantiam diuisionis sacerdotij Hebræorum, & Imperij Romani, tale mirifice adduxit regimen, vt rhetoricos, ac historicos mundanos scriptores Iustinum, & Plutarchum tacite reprehendere videatur. Iustinus etenim in vestibulo suorum operum hæc apposuit magnifica verba: [Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat.] Et etiam Plutarchus Græcorum, & Romanorum vitas sic rhetorice est exorsus: [Quemadmodum in orbis terræ situ describendo historici solent, vt ad quæ ipsi cognitione aspirare non possunt, extremis tabularum partibus supprimentes, quosdam adijciunt locos esse vastos, arenosos, & cælo terraque penuriam aquarum, aut limum insuperabilem, aut montem Scythicum, aut astrictum frigore pontum; ita & nobis in hac virorum collatione, &c.] Hos itaque humanos historicos scriptores, aut alios his similes hic tacite profligare videtur Euangelista Lucas, dum ait: [Anno quintodecimo, &c.] Perinde enim sonant præallegata verba, ac diceret Dei Euangelista: Ne existimes, Iustine, qui Trogi Pompei historias, nimio verborum apparatu auspicaris, ne itidem putes, Plutarche, qui Græcorum Romanorumque illustrium virorum vitas, haud exigua verborum pompa, exordiris: nec denique arbitremini vos omnes historici, qui nimio sermonum applausu in vestris scripturis, & enarrationibus vti soletis; nos Euangelistas Christi, arte, & rhetoricorum stylo indigere. Ecce etenim me rhetoricorum hic semel sustinere personam, vt prædicationis Ioannis initium enarrarem: etsi in hac re ego Euangelistarum minimus, tot rhetoricis coloribus vsus fui, quid quæso futuros esse existimatis alios meos commilitones, Euangelistas nimirum, & Apostolos in miracula magistri nostri Christi scribendo? ilic sane viua rethoricorum ars, elegans benedicendi stylus mirum in modum appareret, nisi quia nostra sacra pagina coloribus rhetoricis nullatenus indiget, cum à se pondus auctoritatis, & maiestatis præ se gerat, quo suapte natura audientium animos apprime alliciat. Confirmat hoc illud. 1. Corinth. 2. [Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi; non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.] Scandalum illud crucis de quo idem Apostolus ait: [Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.] reputat Paulus suam scientiam, dum ait. [Non enim iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum,] vt inde discamus omnes sacram Scripturam coloribus rhetoricis haudquaquam indigere, cum à se auctoritatis pondus per Christum crucifixum ad animos pios demulcendos obtineat. Alphonsus Tostatus aliam assignat causam, ob quam sacra Scriptura nimia verborum pompa haudquaquam vtatur; hinc est, quod super Genesim sic scribat: [Quod sacra Scriptura lepido, & ornato sermone composita non sit, causa est vitium interpretum, sed hæc causa non est valde efficax; quia etiam in Hebræo scripta est rudi stylo; vel ideo vt rusticam plebem facilius instruerent, quia rustici magis erudiuntur verbis planis; vel vt in vna, & eadem sententia aliter sentiret doctus, & aliter indoctus:] ita Tostatus. Idcirco noster Euangelicus Propheta Ioannes antiquum, & satis veterem

Rhetoris personã Euang. Lucas semel sustinuit.

Rethoris taci ta reprehẽsio

Iustinus histo ricus lib. 1.

Plutarchus lib. 1. de vitis illust. viror. in vit. Thesei.

Sacræ Script. vis, & auctori as.

Scãdalũ crucis est scientia Pauli.

Abulen.

Duplex causa quare sac. scriptura non sit cõposita orna to sermone.

F Prophetarum, ac etiam Euangelistarum morem omnino sequutus, per hæc dumtaxat verba: [Apocalypsis Iesu Christi,] sacram hanc suam, & satis mysteriosam historiam, Reuelationem, ac prophetiam absolute, & solitarie auspicatus, & exorditus fuit.

§. 5. Suplemẽtum ad textum.

Est nihilominus hic supplendum, [Hæc est;] ita vt legamus sic: [Hæc est Apocalypsis Iesu Christi.] Quoniam apud Hebræos communiter talis suppletio diuinis historijs adhiberi vtique solet, vt intueri maxime licet in Prophetis, Isaia, Hieremia, Abdia, Osea, Iohele, Iona, & Michæa. Quandoquidem vbi nostra vulgata absolute præfatur: [Visio Isaiæ filij Amos,] vel [Verbum Domini, quod factum est ad Oseam.] ipsi Hebræi addere solent vnum ex tribus hisce vocabulis, nimirum, [Hæc est] vel [Hoc est] vel [Sunt quæ sequuntur] vt sic lecta Prophetarum vaticinia, & oracula diuina a rudi
G plebe facilius & intelligantur, & percipiantur. Et plane nullatenus displicet talis mos, & consuetudo; quoniam diuinæ Scripturæ expositores, ac explanatores, (cum ipsa sit intellectu difficilis; eo quod non rationis humanæ præsidijs, & naturalis contemplationis viribus, sed diuino plane instinctu, & afflatu peruenit, & ob id illa, non vt hominum iuuentio, dogmaque philosophicum, sed tanquam diuinum placitum atque decretum accipienda venit) oportet dicant cum Apostolo: [Sapientibus, & insipientibus debitor sum] quamobrem, vt dixi, in hisce, & alijs quam plerisque locis sacri eloquij semper addendum est vnum ex tribus, nimirum, [Hoc est,] vel [Hæc est] vel [Sunt, quæ sequuntur] Quemadmodum in hoc textu, [Verba Hieremiæ] apparere quippe potest. Bifarie namq; legi potest, pri-
H mo vtique, dicendo: [Hæc sunt verba Hieremiæ] secundo vero, dicendo: [Verba Hieremiæ filij Helciæ, sunt, quæ sequuntur.] & idem prorsus dicimus de titulo huius libri Apocalypsis. Quod tamen cum grano salis intelligas, oportet, quandoquidem intentio nostra non est in maledictionem illam in fine Apocalypsis à Deo optimo maximo fixam, ac constitutam aliquo modo incidere. Deus enim id à nobis auertat. In vltimo namque capite huius libri Apocalypseos sic scribitur: [Contestor enim omni audienti verba Prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; & si quis diminuerit de verbis prophetiæ huius, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de ciuitate sancta.] Quæ quidem maledictio ad hæreticos fidei veritates corrumpentes, & ad sacram Scripturam addentes, & ab ea-
I dem diminuentes, ad suum beneplacitum errorem apponentes, fulminata plane est. Nos vero si talem suppletionem vel additionem officij, (vt mox in prima disputatione patebit,) faciendam esse dicimus, istud tantum affirmamus, primo ad hunc, deinde vero, ad reliquos Prophetarum libros facilius & clarius intelligendos: quod plane haudquaquam meretur pœnam, sed præmium. Id propterea, cum istud sit lemma, & titulus totius sequentis historiæ; ita intelligetur, & legetur, [*Hæc est Apocalypsis Iesu Christi*:] ly, autem [*Iesu Christi*,] subiungitur, vt à quo hanc suam diuinam acceperit historiam, indicet Dei Archipropheta, vt sic auctoritatem historiæ, quam aggreditur verbis suis conciliet. Quanti etenim facienda sit hæc historia, ex eo apparet, quod sibi à Iesu Christo factam
K esse asserat: quasi dicat: Admirabilia proponere vobis intendo, quæ satis difficilia quippe sunt, tum propter rei magnitudinem, quoniam reuelationes sunt: tum denique propter reuelantis auctoritatem, eo quod à Iesu Christo reuelata fuere, qui est Dei virtus & Dei sapientia. Hinc est, vt dixi, quod ly [*Iesu Christi*,] vsus sit maximus Vates ad auctoritatem, & fidem suis dictis conciliandam, quam satis abunde sibi conciliauisse existimauit, affirmando, Prophetiam & historiam suam, esse Iesu Christi, qui verus

Additiones ad Prophetarum libros.

Esa. 1. Hierem. 1. Abd. 1. Ose. 1. Iohel. 1. Ion. 1. Mich. 1.

Consuetudo Hebræorum.

Probatur mos Hebræor. circa explanat. sacræ paginæ.

Prophet. Vaticinia non hominum inuẽtiones sunt, sed Dei placita, & decreta.

gemina lectio multor. titulorũ Prophetarũ

Cautè hic legas oportet.

Apoc. 22. Male dict. Dei in corrũpẽtes verba Apoc.

Hæretici corrũpẽtes sacrã Scripturã sũt maledicti à Deo.

Additio officij ad tit. libri Apocalypsis.

Tituli lib. Apoc. sensus.

Vide S. Th. in cap. 1. Apoc.

Totius contex tus connexio.

rus

Deus nô potest mentiri.

rus Deus, & homo cum sit, mentiri nullatenus potest, cum ipse dicat Ioannes 15. [Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] & alibi: [Ego sum via, veritas & vita.] Et vt inseparabile Patris, & Filij, ac etiam Spiritus sancti opus omne ad extra, vt tenent Theologi, probetur, mox subiungit: [*Quam dedit illi Deus*] illi, nimirum Iesu Christo, in quantum homo, vel in forma serui. Et ad quid talia illi data fuerint, protinus addit, [*palam facere*,] id est, vt reuelaret, sicuti Lucæ cap. 1. dicitur: [Ad faciendam misericordiam,] nimirum, vt faceret misericordiam [*seruis suis*,] hoc est, non sapientibus secundum carnem, non nobilibus, non philosophis, non Iudæis incredulis. [Sanctum enim, vt dicitur Matthæi capite 7. non est dandum canibus; sed humilibus, ac fidelibus Christianis, qui in animi simplicitate, vt columbæ, ac mentis puritate, & deuotione mandatis suis obtemperant. Et vt certa, necessaria, & ineffabilia esse ea, quæ docturus, ac prædicturus erat, ostenderet, addit de sua Prophetia: [*Quæ oportet fieri cito*.] Et vt alios imitaretur vates, qui in initio locutionis & historiæ, quam aggrediuntur, vt auctoritatem verbis suis concilient, & nomen suum; & illius, à quo Prophetiam acceperint, & ad quos ipsi vaticinaturi sint, apprime indicant, subiungit: [*Et significauit*,] hoc est, ostendit, vt exponit Diuus Augustinus Homil. 1. in Apocalypsis: [*Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit*.] Hinc ipsemet 1. Ioan. 1. ait: [Quod vidimus & audiuimus, hoc annuntiamus vobis.] Textum tamen paraphrasibus minutim ac diffusim perillustremus.

In forma serui accepit Christus a Patre æterno Apocalypsim. Ad quid Christus, in quātū homo, hæc accepit à Patre apocalypsim.

P A R A P H R A S I S
Prima.

Par. 1. Dilucidatio textus.
§. 1. Apoc. quid sit Lyranus in Prolog. biblię
Alphons. Tostatus tom. 1. sup. Genesim.

Apocalypsis, ait. Acriori indagine verba huius primi textus membratim, ac diuisim decorticanda, diuentilandaque sunt. Apocalypsis igitur, vox Græca planè est, quæ Latine sonat, reuelatio; componitur namque vox Apocalypsis, (teste Lyrano,) ab apo, quod est re, & calypsis, quod est velamentum, quasi reuelamentum, vel reuelatio: vel si mauis, teste Abulense, Apocalypsis dicitur apo, quod est re & calyptin, quod est velare, quasi reuelare, quia omnia illa, quæ in isto libro continentur, reuelata fuerunt Dominica die, cum esset Ioannes relegatus in insula Pathmos ex mandato Domitiani Imperatoris. Hinc factum est, vt congrue hæc vox Græca, [Apocalypsis,] pro titulo Græco istius libri reuelationum Dei, apud nos remaneret in proprio idiomate Græco, cuius rei causam Primasius discipulus Beati Augustini, hanc assignat dicens: [Cum enim singulos quosque libros diuersis constet vocabulis titulari ἐπιγραφὴν, huius est superscriptionem Apocalypsis decuit appellare. Inter Græcos enim positus, licet Hebræus, tenorem libri proprietate Græci sermonis expressit; ἀποκαλύψις enim interpretatur reuelatio.] sic ille. Verumenimuero Rupertus Abbas aliam subiungit huius Græci tituli libri huius causam, dicens: [Cum tota libri series Græce conscripta fuerit, & de Græco fonte in Latinæ linguæ amnem cucurrerit, sola eiusdem appellatio intacta permansit, vt apud Latinos diceretur Apocalypsis, quod nomen poterat in Reuelationem transferri, videlicet ob excellentiam rerum Mysteriorum, quæ hæc scripta comprehendit, sic Alleluia, sic Amen, Hebræa vocabula ob dignitatem sensuum, in Græcis, & Latinis litteris permanserunt: sic Euangelium in Lati-

Vera huius Græcæ vocis Apocalypsis interpretatio.
Primasius in proiog. super Apoc.
Tit. Græcum hunc it. Ioan. Apostolo.impositus, licet esset natione Hebræus. Rupert. Abb. sup. Apoc.
Alleluia, & amē quare in ling. in proprio idiomate

A nis codicibus de Græco reseruatum est; quo sermone omnes præter Matthæum Euangelistæ conscripserunt.] Hucusque Rupertus. Ceterum siue hæc vox Apocalypsis apud nos in proprio idiomate Græco, ob tenorem libri, & proprietatem Græci sermonis, vt vult Primasius; siue ob dignitatem mysteriorum & tenorum, vt existimat Rupertus, remanserit; tamen, vt dixi, Apocalypsis vox quidem est Græca, qua Latine sonat, Reuelatio: verbum autem ipsum, à quo reuelatio deriuatur, nempe, Reuelo, proprium est scripturarum, vt inquit Diuus Hieronymus, & à nullo sapientum sęculi apud Græcos vsurpatum. Quoniam quemadmodum in alijs verbis, quæ de Hebræo in Græcum septuaginta interpretes transtulerunt, ita & in hoc verbo, Reuelo, magnopere sunt conati proprietatem peregrini sermonis exprimere; noua nouis rebus verba B fingentes, vt plane sonaret, cum quid tectum & velatum, ablato desuper operimento, ostenditur, & profertur in lucem. Et annota, quod licet Diuus Hieronymus tam de verbo, Reuelo, quam de nomine ab illo deducto, nempe, Reuelatio, loquatur; tamen præcipue intelligit de nomine ab illo deducto, scilicet Reuelatio: Quoniam verbum Reuelo, in libris Ethnicorum aliquando, licet raro, inuenitur, vt apparet apud Ouid. lib. 9. fast. cum dicitur

Hebræo permanent. Apoc. est reuelatio.
Reuelo verbū proprium est scripturarū. D.Hierun. in 1.ca. ad Gal.
Mens D.Hie.
Reuelo verbū apud Ethnicos aliquando inuenitur. Ouid. lib. 9. fast.
Reuel nomen apud Ethnicos minime reperitur.

Ore reuelato, cum primum luce patebit;

Tamen nomen ab hoc verbo deductum, nempe, Reuelatio nullibi apud Ethninos reperitur. Quapropter reuelatio est illud, quod à nullo sapientum sæculi apud Græcos fuit vsurpatum, eo quod nomen hoc, Reuelatio, apud Ethnicos in vsu non fuit. Quemadmodum Beare omnes ante Ciceronem dicebant C & Beatus: Cicero autem nomen hoc scilicet, Beatitudo, dicere ausus est, quod aut nemo antea dixit, aut tunc dici plane cœpit; sic ante septuaginta interpretes permulti Ethnici scriptores dicebant, Reuelare, & Reuelatus: septuaginta autem, Reuelatio, dicere ausi sunt, noua nouis rebus verba fingentes. Apocalypsis ergo idem est, quod reuelatio, & hac eadem voce Apocalypsi, pro reuelatione, vsus fuit Apostolus 1. ad Corinthios cap. 14. dicens: [Quid ergo est, fratres, cum conuenitis? vnusquisque vestrum psalmum habet? doctrinam habet? apocalypsim habet? linguam habet? interpretationem habet? omnia ad ædificationem fiant.] Quo loco per Apocalypsim Paulus Apostolus, testantibus Lyrano, Primasio, Francisco Titelmāno, & alijs plerisq; occultorum reuelationem intelligit.

Comparatio. Beatitudo à quo pri. dicta
Primasius Titelmannus, & Lyranus in Epis. Pauli ad Corinth.

§. 2. Reuelare qd sit.

D Reuelare autem nihil aliud est, quam secretum suum alicui declarare. Quamobrem illud dicitur reuelare, quod quasi retro velabatur, & postea alicui omnino patesit. Hinc, cum Deus arcana & secreta sua alicui declarat, dicitur tunc reuelare, iuxta illud Matthæi capite 11. [Confiteor tibi, Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.] Deus etenim est, quemadmodum Rex, qui secrete cum domesticis Principibus, ac consiliarijs tractat de regimine Regni sui, & tandem id, quod ordinarum secrete fuerat, diuersis diuersimode publicat & reuelat. Deus siquidem in secreto thalamo suæ occultæ prouidentiæ primo disponit omnia, quæ facit, ipsaque postea domesticis suis, nimirum Angelis ostendit, & deinde secretarijs regni sui, videlicet, Prophetis & Apostolis ea declarat, vt sic finaliter per ipsos ceteris E omnibus illa publicent & denuntient. Quemadmodum de secreto suæ beatæ incarnationis, & de secreto suę prouidentiæ, & mundi gubernatione, ac etiam de vltimo iudicio vtique præstitit. Reuelatio vero, iuxta Vgonem in tractatu de scientia animę Christi, nihil aliud est, quam [Inspiratio cognitionis, illuminantis animam in ignotis.] Et quia Deus inspirat veram cognitionem rationali animæ, ideo ab ipso vere, proprie, & perfecte est reuelatio. Ipse etenim reue-

Comparatio.
ordo quo Deus sua arcana creaturis reuelat.
Reuelatio qd sit. Vgo.
Reuelationes sunt vere & propterea solo Deo.

 lat

Reuel. diuinę factæ Apost. Ioanni circa mysteria Apocalypsis.

lat mysteria, iuxta illud Daniel. 2. [Est Deus in cælo, reuelans mysteria.] Quocirca Deus ipse Archiprophetæ Ioanni tribulationes, desolationes, constantiam Martyrum, & tolerantiam passionum reuelauit, quæ omnia abscondita erant apud Deum in thesauro suæ sapientiæ, quæ plane erant ventura vltimis temporibus Ecclesiæ, de quibus dicitur Deuteronomij cap. 34. [Nonne hæc abscondita sunt apud me, & signata in thesauris meis ?] Semper namque Deus reuelationem secretorum suæ diuinæ voluntatis magis consueuit elargiri ac concedere simplicibus, quam sapientibus, vt nuper retulimus; magis humilibus, quam sublimibus; magis pauperibus, quam diuitibus. Quemadmodum liquido cernimus in alijs Prophetis, & Apostolis, qui fuerunt de valde modico statu, id est, de humili plebe. Amos enim fuit Pastor, Petrus Piscator, Paulus persecutor, &c. Spiritus etenim, vbi vult, spirat. Sicut enim Sol solet secundum diuersitatem nubium se diuersimode reuelare; & inde est, quod secundum quod nubes magis est rara vel clara; densa, vel spissa, Sol clarius vel turbulentius in ea reuelatur; perinde plane, secundum quod Deus inuenit mentem humanam dispositam, ita sibi per reuelationes, & inspirationes amplius intimatur. Oleum insuper infusum in profundum maris, clarificat totum mare, ibique facit reuelari, & apparere illa, quæ primitus latitabant; & haud secus gratia Dei infusa in profundo cordis, ibidem reuelat & manifestat illa, quæ pertinent ad salutem. Quamobrem de Deo dicitur, Danielis cap. 2. [Spiritus reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.] Quod quidem est contra illos, qui reuelationes, & occultorum manifestationes ab alijs, quam à Deo quærunt; sicut sunt augures, magi, diuini, sortilegi, & dæmonum consultores; cum tamen solus Deus sit ille, à quo omnis spiritualis reuelatio procedit, iuxta illud ad Ephesios cap. 1. [Deus det nobis spiritum reuelationis in agnitionem eius.] Cum igitur inter hos humiles, simplices, & pauperes, Aquila Euangelij Ioannes Archipropheta primum locum obtineat; placuit Deo Optimo Maximo, illi arcana, inobfuscabilia obstrusaque suæ diuinæ mentis secreta, quæ futura erant Ecclesiæ vltimis temporibus reuelare; ipse vero Prophetarum Propheta hoc opus suum, Apocalypsim Græce merito appellauit, quod plane apud Latinos Reuelatio vtique dicitur diuina.

Humilib. Deus reuelat sua mysteria. Matth. 1.

Nota bene. Apost. & Prophetæ fuerūt de humili plebe.

Simile.

Simile.

Gratię Deivis & fortitudo.

Reuel. falsę & damnabiles.

§. 3. Reuelationū liber est Apocalypsis.

Quamobrem ex dictis perspicuum, ac planum euadit, Aquilam Euangelij Ioannem hic velle omnium diuinarum reuelationum, quas à Deo in exilio insulæ Pathmos obtinuit, conficere librum, illique titulum apponere, [Apocalypsis,] hoc est, [Reuelatio.] Quemadmodum namque Moyses librum composuit, in quo Angelorum, Mundi, Stellarum, Solis, Lunæ, Terræ, Auium, Piscium, Herbarum, Plantarum, Animalium, Hominumque narrauit originem, quem, [Genesim,] appellauit, id est, generationis librum: & quemadmodum etiam Salomon librum condidit, in quo sponsæ ad suum sponsum, & è conuerso, amor & dilectio exprimitur, cui affixit titulum, [Cantica Canticorum,] id est, omnium canticorum flos, & cui omnia subijciuntur cantica: & veluti præterea Isaias librum in lucem edidit, in quo Dei ira, indignatioque erga populum Hebræorum, olla succensa, & vigilanti virga ostenderetur, qui ab omnibus, [Visio Isaiæ,] appellatur: & tandem, sicuti Euangelista Matthæus, genealogiæ Saluatoris librum condidit, cui lemma & titulum imposuit talem, [Liber generationis, Iesu Christi,] id est, noui mundi, nouæ creaturæ, nouę Ecclesiæ, nouæ legis, noui Pontificis, nouorum Apostolorum, ac nouarum etiam virtutum liber; perinde etiam Archipropheta Ioannes hoc in loco omnium mysteriorum & reuelationum & secretorum Dei, quæ plane vidit in insula

Comparatio.

Tituli aliquorū librorū sacræ Scrip.

Reuel. tribulationū vltimarū Ecclesię est liber Apocalypsis.

F Pathmos, circa labores, quos sancta mater Ecclesia in finali iudicio per prophetas falsos, falsa perpetrantes miracula, est passura, confecit librum, cui lemma & titulus Græce est, [Apocalypsis,] id est, Reuelatio, in qua tribulationes, angustiæ, labores, afflictiones, doloresque acerrimi, quos sancta mater Ecclesia vltimis diebus est passura, apprime continentur. Nihil enim à tempore Ioannis vsque ad mundi finem factum, vel futurum esse creditur, quod hæc diuina Apocalypsis non prædicet. Hic Romani Imperij successus & ruina, hic tyrannorum persequutiones, hic hæreses Ecclesiam oppugnantes, hic Turcarum Imperium & crudelitas, hic denique Antichristi facta & finis, vltimique iudicij admirabilis dispositio diuinitus reuelantur, & scribuntur.

Apocalypsis librimateria.

G

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod reuelatio velamen remoueat, & plus vltra iure dicatur.

REVELATIO diuina ita prorsus remouet velamen, vt iure optimo, [Plus vltra,] eam appellari queamus. Ad quod intelligendum annota Inuictissimum Carolum, eius nominis, Quintum Imperatorem hunc titulum præfecisse suis stemmatibus, [Plus vltra;] quia vltra valuas Herculeas plus, quam sui progenitores Indos debellans, ditionem, & imperium suum extendit, eo quod Herculem super illos duos excelsos montes, Abylam nempe, & Calpem, duas imposuisse columnas affirmant Stephanus Bizantius, Dionysius Afer, & alij plerique grauissimi adstipulatores, eisque hoc lemma, titulumque istum affixisse, [Non plus vltra:] quasi illic potentia, regnum, ditioque, ac imperium suum finiretur. Et quia Carolus Quintus inuictissimus Imperator, imperium ac regnum suum vltra Calpem & Abylam dilatauit, vsque ad Indos perueniens; ideo ipse stemmatibus suis, hunc titulum merito imposuit, [Plus vltra;] quia, vt dixi, vltra valuas Herculeas, plus, quam sui progenitores, ditionem & imperium suum extendit. Deinde adhuc annotabis, apud Hebræos velamen esse quoddam, quo illi adhuc permulta Dei arcana nullatenus callent. [Posuit velamen, (dicitur Exod. 34.) super faciem suam] nempe Moyses, eo quod filij Israel propter gloriam vultus Moysi, ex consortio sermonis Domini, in faciem illius intendere minime poterant; ex quo plane pleraque alia velamina originem trahunt, veluti, velamen obscuritatis, de quo dicitur. 1. ad Corinthios 3. [Vsque in hodiernum diem ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur.] Velamen incredulitatis, de quo 1. ad Corinthios 3. dicitur: [Vsque in hodiernum diem Moyses velamen posuit super caput Iudæorum,] & alia his similia. Quæ quidem omnia & singula velamina prorsus remouet reuelatio. Quoniam velamen, quoduis illud sit, est veluti alterum, [Non plus vltra,] Reuelatio vero est veluti alterum, Plus vltra; per velamen namque absconditur res, per reuelationem autem discooperitur & ostenditur. Quamobrem reuelatio frangit ac prorsus scindit velamen incredulitatis, & omnia alia Hebræorum velamina. [Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, (dicitur Matthæi cap. 6.) quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.] Addo, quod olim Hebræi excogitarunt de Deo vnum, Non plus vltra, dicentes: [Notus in Iudea Deus, in Israel magnum nomen eius] quasi Deus in Iudæa tantum cognosceretur, ac laudaretur in Israel dumtaxat. Attamen superuenit diuina reuelatio, quasi dicens: Quid non plus vltra Iudæam & Israel? [Plus vltra, plus vltra,] cognoscatur, & laudetur Deus in toto mundo. [Ite in vniuersum mundum, (dicitur Marci cap. 2.) prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.] Antea Deus erat in vete-

Carolus V. Imperator.

Steph. Bizātius. Dionys. Afer. Plinius. Ptolomæus.

H

Non plus vl.

Extēsio Reg. Hispaniæ. plus vltra.

Velamē Heb.

I

Velamina multa.

Reuel. remouet velamina.

Hebræorum imaginatio. Deus olim tātum in Iudæa erat notus. Deus nūc per totū orbē est reuelatus, & notus.

K

Deus olim absconditus subter Cherubin.

Deus nunc reuelatus extra alas cherubin.

Deus olim velatus in circumcisione.

Deus nunc reuelatus in Baptismo.

Sententia veterũ Philosophorum. Virgo nõ potest cõcipere.

Virgo potuit concipere. Reuelatur potẽtia Dei circa cõceptionẽ & partũ Virg.

veteri testamento, quasi velatus subter alas Cherubin, id propterea dixit vates Isaias: [Vere tu es Deus absconditus.] verumtamen deinde superuenit reuelatio, quasi dicens, quid? maneat ne Deus absconditus, quasi non plus vltra Cherubinos, & eorum alas? Plus vltra, plus vltra: [Et in terris visus est (dicitur Baruch. 3.) & cum hominibus conuersatus est.] Et 1. Ioan. 1. [Manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ, & vita manifestata est.] Olim Deus erat velatus, & quasi absconditus sub circumcisione, & ob id Gen. cap. 17. dicitur: [Infans octo dierum circumcidetur in vobis:] & paulo post. [Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c.] Superueniente tamen diuina reuelatione, mox insonuit per orbem: Quid circumcisio? numquid Deus erit absconditus, & velatus sub circumcisione, quasi non plus vltra? Plus vltra, plus vltra. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto (dicitur Ioann. 3.) non potest introire in Regnum Dei.] Denique priscis temporibus Ethnici philosophi Virginem concipere & parere posse, minime vmquam existimabant, quasi Deus extra leges Philosophicas non se extendisset. Superuenit vero diuina reuelatio, quasi dicens: Quid? Virgo virtute diuina nec concipere, nec parere potest? numquid non Deus vltra leges naturales? Plus vltra, plus vltra. [Ecce Virgo concipiet, dicitur Isa. cap. 7. & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.] En igitur vides, qualiter reuelatio est veluti alterum, Plus vltra.

Conceptus 2. Quod reuelatio diuina est triplex. Deus se nobis manifestauit.

REVELATIO diuina trina gaudet acceptione, quædam namque est inæstimabilis amoris, & est illa, qua Deus ipse per carnis assumptionem se hominibus reuelauit, socium & vicinum illis se faciens. [Reuelabitur gloria Domini (dicitur Isa. cap. 40.) & videbit omnis caro pariter salutare Dei.] Sicut enim Sol aliquando diu latet in nubilo, qui tandem clare hominibus reuelatur; sic Deus, qui ab origine mundi latuerat à visionibus hominum, fuit in incarnatione publicè reuelatus. Idcirco Lucæ cap. 4. dicitur: [Viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.] Quæ quidem reuelatio dicitur amoris inæstimabilis; amor namque inæstimabilis indicatur, quod Rex iuxta pauperem velit sedere, & socium, & vicinum suum velit fieri, & multo fortius, quod Deus voluerit per incarnationem, iuxta homines, socius, vicinus, homo scilicet corporeus apparere, itaut dicat Psalmista: [Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.] & Deus ipse per Isaiam in cap. 56. [Iuxta est salus mea, vt veniat & iustitia mea, vt reueletur.] Alia vero est reuelatio diuina incomparabilis valoris, & est illa, qua Deus se reuelat animabus, quæ sunt in Paradiso, se eis per visionem beatificam intimando, & salutem perpetuam influendo. De qua plane reuelatione 2. ad Corinthios 3. dicitur: [Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, transformamur à claritate in claritatem.] Alia tandem est reuelatio intemperabilis rigoris, estque illa, qua Deus reuelabit in iudicio abscondita & occulta hominum fallacium & præcipue hypocritarum, qui iure optimo Testudini, quam Hispani [Galapago, ò Tortuga] appellant, assimilantur. Quemadmodum enim Testudo infra testam suam taliter se occultat, vt nihil de ipsa videatur penitus, præter testam; quando tamen super illam aqua calidissima casu infunditur, tunc ostendit & manus & pedes, & sic quidquid sub testa latuerat, reuelatur: sic vere & multi sunt ita inuoluti in hac vita, in testa cuiusdam exterioris fictæ conuersationis, & hypocrisis, quod malefacta ipsorum nequeant inspici neque cognosci. Verumtamen in die iudicij, quando in aqua calida æternæ miseriæ bullient, quando extemplo veniet ira Dei in illos, tunc omnia, quæ ipsis latuerant, reuelabuntur, & tunc caput suæ malę intentionis, pedesq; suæ affectionis, omnibus intuentibus monstrabuntur, & patefient, iuxta verbum Saluatoris Matth. cap. 10. [Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur.] Tunc enim omnis vsurariorum contractus falsus reuelabitur. Tunc facies coloribus depicta meretricum, aliarumque malarum mulierum oculi proni ad malum, manus promptæ ad rapinam, siue furta, ex secum fornicantium Crumenis, aut Sudarijs: Cor mille spurcitijs opacatum, ita manifestabitur, vt impleatur illud Ezech. 16. [Propterea meretrix audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum, & reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis: Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes, quos dilexisti cum vniuersis, quos oderas: & congregabo eos super te vndique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.] Tunc hypocritarum falsa intentio manifestabitur, & quidquid in conscientia latuerat, quod non per confessionem, vel contritionem deletum fuerit, ibi coram cunctis viuentibus ostendetur. Ideo sapiens Ecclesiast. cap. 1. optime consulit, dicens: [Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, ne forte cadas, & reuelet Deus absconsa tua in medio synagogæ.] Ad quod alludit Apostolus. 1. ad Corinthios capite 3. per hæc verba: [Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.] Hinc regius vates in hæc verba prorumpit: [In conspectu Gentium reuelabit iustitiam suam.

Simile.

Reuelatio pertinẽs ad ligamen amoris.

Comparatio.

Deus p incarnationẽ vicinum se nobis fecit.

Reuelatio valoris incomparabilis.

Reuelatio timoris extremi iudicij. Testudinis natura. Cõparatio satis accommodata.

Hypocritarũ correptio.

Reuelabũtur peccata in iudicio extremo & clare tũc patebunt.

Conceptus 3. Quod reuelatio est necessaria ad Deũ cognoscẽdum & intelligendum. Difficultas circa reuelationem.

REVELATIONE proculdubio indigemus ad Deum optimum maximum cognoscendum, intelligendumq; dicente Domino, Matthæi cap. 11. [Nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.] Verumenimuero perpendenda maxime veniunt verba Apostoli, qui ad Rom. 1. sic ait: [Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius & diuinitas.] Vbi aperte fatetur Diuus Paulus ad Deum cognoscendum reuelationem nullatenus necessariam esse, cum ex creaturis intellectis, eum cognosci posse, ac conspici à nobis affirmet. Quid ergo est hoc quod Veritas affirmat, discipulus Veritatis negat? Valde etenim inter se diuersa videntur: Deus cognoscitur diuina reuelatione; & Deus cognoscitur per creaturas intellectas, quæ intelligi possunt proculdubio naturali lumine, de quo dicit Regius vates: [Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;] nimirum absque reuelatione aliqua. Quemadmodum videre licet in phylosophis, qui de Deo pleraque absque reuelatione, sed solo dumtaxat naturali lumine ducti alloquuti fuere. Quomodo igitur discipulus veritatis est Paulus, si eiusdem veritatis magistri sermonibus concors non est? Sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc, quod inter se contrarium sonat, quomodo contrarium non sit, inuenietur. Dupliciter namque potest Deus cognosci. Primo videlicet, cognoscendo, quia est; secundo vero, cognoscendo, quid est: vel, vt aliter dicam, cognoscendo illum absolute, aut vero, vt est Pater, Filius, Spiritus sanctus. Primo igitur modo, vtpote cognoscendo de Deo, quia est, siue cognoscendo Deum absolute, omnes cognoscunt eum, & nemo potest ignorare Deum esse, nisi sit omnino insipiens, iuxta illud Psalmographi: [Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.] Quandoquidem Deum esse, est de eorum

In quo videtur stare discordia inter verba Xpi. & verba Pauli Apostoli.

Componũtur verba Xpi, & Pauli.

Duplex modꝰ cognoscendi Deum.

Dissoluitur difficultas. Reuelatio nõ est necessaria ad cognoscẽdũ Deum absolute. psal. 13. & 52.

rum numero, quæ per se nota dicuntur: ideo Deum esse ita manifestum est, vt non nisi insipientes id negare queant. Et in hoc sensu explanandus venit Apostolus, dum ait ad Rom. cap. 1. [Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius & diuinitas:] id est, Deus qui est inuisibilis cognoscitur a nobis per ea, quæ facta sunt, hoc est, per creaturas, & sic cognoscitur Deus absolute, vel tantum, quia est. Secundo vero modo, nimirum cognoscendo, quid est Deus, aut cognoscendo illum, vt est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; nullatenus potest lumine naturali cognosci, nisi mediante reuelatione. Et in hoc sensu intelligendus venit Saluator noster, dum Matth. cap. 11. ait: [Nemo nouit filium, nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.] Constat siquidem, plane reuelationem filij Dei, Trinitatem personarũ diuinarum; (quamquam philosophi quidam dixerint, [Monas gignit diadem,) non posse naturaliter sciri. Hi nãq; miseuerunt legalia phisicis, vt & quidam philosophus dixit, vel forte alio tendebant, verbis illis, quam ad personas diuinas asseuerandas. Quamobrem, Vas electionis, verbis sui magistri Christi, contrarius nullatenus est. Aliter etiam dilui potest difficultas, eo quod cognoscere, quid sit Deus, adhuc stat dupliciter, nimirum vel cognoscere apprehendendo naturam eius, vel cognoscere illum totaliter comprehendendo limitibus cognitionis suæ. Primo modo nemo nouit filium, nisi Pater, nec patrem, nisi filius. Quia cognoscere, quid Deus sit, excedit naturam intellectus creati, & ideo illum nemo vmquam cognouit, iuxta illud Ioan. cap. 1. [Deum nemo vidit vmquam.] Potest tamen cognoscere homo, quid sit Deus, scilicet quid sit pater, & quid filius, & hoc per reuelationem, & sic dicitur, [& cui voluerit filius reuelare.] Cognoscere autem Deum secundo modo, vt pote comprehendendo, nemo potest, nec etiam per reuelationem alicui concedi potest. Quia hoc esset facere intellectum nostrum increatum, quod includit contradictionem, vnde 1. Timot. 6. dicitur: [Deus habitat lucem inaccessibilem, quem nemo vidit vmquam, sed nec videre potest,] videlicet comprehendendo eum. Et tunc verum est, quod nemo nouit filium, nisi pater, nec patrem nouit quis, nisi filius: quia ipsi se comprehendunt. Vterque enim est infinitus: & intellectus infinitus adæquatur essentiæ infinitæ cognoscibili, & sic se comprehendunt. Hinc Diuus Chrysostomus ait: Cum dicitur, nec patrem aliquis cognoscit, nisi filius, non hoc ait; quoniam eum omnino ignorent, sed quoniam cognitione, qua ipse eum nouit, nullus eum scit; quod & de filio dicendum est, scilicet, quod nemo nouit filium, nisi pater, in ea nimirum cognitione, qua pater eum nouit. Postremo super præfata verba Matth. cap. 11. sic eleganter scribit quidam Neotericus doctor: [Certe per naturam cognoscitur Deus, & etiam per legem, sed per naturam cognoscitur cum mille erroribus, & per legem cum mille figuris & vmbris: qui igitur certo & aperte reuelat, solus filius est. Docuerunt phylosophi Deum, sed vide quam fallaciter; docuit lex, sed vide quam figurate: dices, An non & Spiritus sanctus reuelat patrem, & filium! plane. sed spiritus nihil aliud docet, quam quod filius reuelauit: suggeret enim quæcumque dixero vobis. ea enim omnia, quæ Spiritus sanctus in Concilijs definiuit ex his, quæ in Euangelio Christus reuelauit, robur suum ostendunt. Venite igitur ad me omnes, qui naturaliter scire desideratis, & ego vobis reuelabo patrem, & eius filium.] sic ille.

Reuelatio est necessaria ad cognoscendũ quid sit Deus. — *Lapsus Philosophorum.* — *Deus quid sit dupliciter cognoscitur. Alph. Tost. t. 3. sup. Matth. q. 60.* — *Cognoscere apprehẽdẽdo* — *Cognoscere cõprehẽdẽdo* — *Chrysost. sup. Matth.* — *Deus qualiter cognoscatur per naturam. Paulus de palatio Granaten. sup. Mat.* — *Deus qualiter p reuelationẽ cognoscitur. Ioan. 4.*

PARAPHRASIS
Secunda.

Iesu Christi, (dicit) Benedictum ac mellificum plane nomen. Verumenim vero primo aduertas oportet, Aquilam Euangelij Ioannem, hoc in loco nullatenus dixisse, [mea,] ita vt diceret [Apocalypsis mea;] nequaquam. Quinimmo ore pleno ait, [Apocalypsis Iesu Christi.] quo loquendi stylo prophetas falsos mendacia de corde suo prophetantes tacite reprehendit, de quibus Hier. 14. dicitur: [Nolite audire verba prophetarum, qui vobis prophetant, & decipiunt; vobis visionem cordis loquuntur, non de ore Domini.] & Ezech. 13. [Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.] Vt igitur noster Archipropheta se à talibus prophetis separet, minime dixit, [Apocalypsis mea,] sed, [Apocalypsis Iesu Christi;] vt his verbis omnimodam fugaret inanem gloriam, quæ crebro cum hominibus, vt alter Iacob cum Angelo, vt eos in terram succumbat, propediem luctatur. Quamobrem Marcus Tullius Cicero de illa primo lib. off. sic scribit: [Vix inuenitur, qui non quasi mercedem rerum gestarum gloriam desideret:] Indetestabile plane malum est inanis gloria: est quippe veluti tinea, quæ meliora & nobiliora corrodit indumenta. De hac proculdubio intelligitur illud 1. Matth. 2. [A verbis viri peccatoris ne timueris, quia gloria eius stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur.] Et illud etiam Eccles. cap. 27. [Stultus vt luna mutatur.] Quæ plane verba à D. Bernardo sic interpretantur: [Quia enim splendet luna sine feruore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur; mutuatum siquidem lumen numquam in eodem permanet statu: sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur & penitus non comparet; sic sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare.] Sic ille. Hanc itaq; inanem gloriam à se procul arcens, & profligans noster Prophetarum Propheta, istam Apocalypsim siue reuelationem, non suam, sed Iesu Christi hic declarat esse, nomen suum supprimendo, & nomen magistri sui Iesu Christi clare exprimendo. Cui proprium est reuelare, eo quod quamuis reuelare aliquid non competat vni personæ diuinæ sine alia: quoniam actus notionales competunt & denominant distincte personas, actus vero essentiales omnibus personis diuinis simul competunt: at quod ad extra fit, pertinet ad actus essentiales, & competit simul tribus personis, & sic vna persona non creat, non iustificat sine alia, & per consequens, nec vna reuelat aliquid, cum reuelare non sit actus notionalis, sed actus essentialis, sine alia; tamen ex ratione atributi magis competit reuelare aliquid filio, quam patri & Spiritui sancto, quia filius est sapientia, imagno, & ars. Et in his aliquid manifestatur, & potissime quia filius verbum est, & verbum est manifestatiuum. Sicut etenim verbum vocale manifestat mentale, & ipsum concipientem; ita & filio, qui est verbum, competit tota diuina notificatio & reuelatio. Hinc factum est, vt filius non solum reuelet & notificet omnia, quæ sunt extra Deitatem, verumetiam reuelet & manifestet ipsum met Patrem æternum iuxta illud Matt. 11. [Nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.] Idcirco filio potius conuenit ex atributione reuelare, quam alteri personæ diuinæ, vt recte tribus rationibus probat Alphonsus Tostatus super cap. 11. Matth. quæst. 62. nimirum, propter breuitatem, propter proprietatem filij, & quia semper probatio & notificatio fit per manifestiora, & filius est magis notus nunc inter homines, quam altera persona diuina; quoniam ipse nostram assumpsit humanitatem. Hac igitur de causa diuinus vates dicit hoc in loco, hanc Apocalypsim sine

Par. 2. §. 1. Enodatio Textus. — *Prophetas falsos tacite reprehẽduntur ab Archip. Ioan.* — *Gloria inanis est fugienda.* — *Gloria inanis appetitur ab hominibus. Simile. Gloria inanis reprehẽditur.* — *D. Bern. se. de D. Io. Baptist. Comparatio. Lunæ varietas & mutatio.* — *Reuelare est proprium Iesu Christi. Differẽtia inter actus notionales, & essentiales. Commune est toti trinitati reuelare. Reuel. nõ est actus notion. sed essentialis. Reuel. cõpetit Xpo p atributionem.* — *Simile.* — *Reuelat filius oia etiã & patrem* — *Explicatur optime locus Matth. 11.* — *Abulen. to. 3. sup. Mat. q. 62* — *Filius est magis notus nobis q̃ pater, & Spiritus sanc.*

fiue reuelationem esse Iesu Christi, nimirum, quia reuelare illi proprium quippe est. A

§ 2. Dup. natura in vno supposito. Nomen Iesu Xpi mysteriũ incarnationis exprimitur.

Per hoc autem nomen, [Iesu Christi] geminam naturam, diuinam nimirum, & humanam in vno supposito existere plane intelligimus. Iesus namque, vt mox patebit, est nomen personæ; Christus vero præter id, quod sit nomen dignitatis, siue gratiæ, vt etiam dicemus, est nomen naturæ, id propterea dicendo, [Iesu Christi,] humanam & diuinam naturam in vno supposito existere affatim demonstrat Aquila Euangelij, vt alibi clarius præstitit, dicendo: [Verbum caro factum est.] Quo loco naturam verbi diuinam, & naturam humanam, vnitas vnione hypostatica hoc vnico sermone apprime demonstrat. Verbum autem caro factum, Iesus Christus ab eodem hic est appellatus. Continet namque hoc diuinum nomen, [Iesus Christus] altissimum & ineffabile incarnationis arcanum, cum Iesus sit nomen personæ, Christus vero naturæ nomen vtique sit.

Ioan. 1. Vnio duarum naturarum in vno supposito. Iesu Xpi nome cõtinet Incarnationis mysterium.

§. 3. Consectaria duo. Subiectũ totius noui testam. est Iesus Christus. Ioan. de Turrec. Damascenus.

Hinc plane duo colligere fas est. Primum quidem, quod Iesus Christus Deus & homo, prout scilicet vtramque naturam per hypostasim in supposito dicit, est subiectum totius noui testamenti, & ex consequenti istius etiam libri Apocalypsis. Secundum vero, quod, vt ait Cardinalis de Turrecremata, & Damascenus in 3. aliqua dicuntur de Iesu Christo dupliciter: vno modo secundum proprietatem naturæ, & hypostaticam vnionem, vt cum dicitur factus homo, & pro nobis passus. Alio modo secundum proprietatem personalem, & habitualem, prout scilicet aliqua dicuntur de Iesu Christo in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt. Sicut cum corpus Christi, qui est caput, & Ecclesia, quæ sunt eius membra, vna persona æstimantur, & secundum hoc Iesus Christus ex persona suorum membrorum dicit illud Psalm. 21. [Verba delictorum meorum:] non quod in ipso capite fuerint delicta; quoniam erat impeccabilis per naturam, vt dispungunt Doctores in 3. lib. Sententiarum cum Magistro & in 3. parte cum Sancto Thoma, ac etiam expositores illorum verborum: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] sed in membris. Et in hoc sensu accipiendæ veniunt permultæ auctoritates sacræ Scripturæ, videlicet. 1. ad Corinthios cap. 5. [Eum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit,] id est, hostia pro peccato, & Isaiæ cap. 53. [Deus posuit in eum iniquitates omnium nostrorum, &c.] Porro in hoc etiam sensu accipitur illa regula prima Tyconij, quam abunde, & satis docte explanat Petrus Antonius Beuter Valentinus, suis ad sacram Scripturam annotationibus de clauibus sacræ Scripturæ annot. 8. de Christo Domino, & eius corpore mystico. Nam per vnionem illam felicissimam, qua Dominus suæ vnitur, per charitatem, Ecclesiæ, efficitur, vt quasi propria assumpta sint à Iesu Christo Ecclesiæ negotia, & ea, quæ peculiaria sunt Domini, communia sint cum Ecclesia, sic ad eam adaptantur, & è contra. Quemadmodum Princeps ea, quæ intersunt principatus sui, propria sua dicit, suaque omnino interesse. Hæc igitur duo ex illo egregio, ac venerando nomine Iesu Christi colliguntur.

Caute legẽda veniũt aliqua loca sac. scripturæ. Christus impeccabilis per naturam. Ioan. 8. Tyconij reg. de Xpo Dño, & eius corpore mystico. Anton. Beuter. Negotia Ecclesiæ vt propria accepit Christus. Comparatio.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod Iesus Xps est oẽ bonum nostrum.

De nomine Iesu Christi solebat diuinus Cytharædus mirabilia magna decantare, pleno ore dicens: [Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?] Et optime quidem. Etenim omnia simul cum illo nobis donauit Deus Pater. Ipse namque Iesus Christus filius dilectus, est omne bonum nostrum. Quoniam, si tuis plagis mederi desideras, ipse est medicus: [Non est opus valentibus, sed male habentibus:] si febres, & dolores sitim tibi causant, ipse est fons aquæ salientis in vitam æternam: [Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.] & iterum: [Aquam, quam ego dedero, fiet, &c.] si aliquis tibi iniuriam facit, ipse est vera iustitia: [Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum;] si subueniri desideras, ipse est virtus & fortitudo ipsa: [Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio;] si mortem times, ipse est vita: [Ego sum resurrectio & vita.] si aliquibus complicaris tenebris, ipse est vera lux: [Erat lux vera, quæ illuminat, &c.] Si ad cælum tendere cupis, ipse est via: [Ego sum via, veritas & vita;] si esuris, ipse est verus cibus: [Caro mea vere est cibus.] Porro ipse Iesus Christus est refugium nostrum in tribulationibus, robur nostræ infirmitatis, firmamentum stabilitatis, adiutorium salutis, exemplum conuersationis, vestimentum decoris, lux sanctitatis, vmbraculum caloris, temperamentum doloris, incendium amoris, merces & finis omnis consummationis nostræ, socius peregrinationis nostræ, sol illuminationis nostræ, lux directionis, aqua ablutionis, pretium redemptionis, propugnator contra hostes, liberator de inimicis, præmiator nostri laboris, & corona nostri certaminis. Ecce igitur quam satis perbelle alloqutus fuit Dei Vates, dum dixit: [Domine dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?] Hinc D. Ambrosius lib. de virginitate sic ait: [Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus, si vulnera curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si auxilio indiges, & virtus est; si mortem times vita est; si cælum desideras, via est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, panis est, quid plura? Charissimi, est omnibus omnia, quia isto habito, omnia habentur, & sine ipso, nihil est, quidquid est.] sic ille. Quamobrem omnia nomina conueniunt Iesu Christo. Nam cum ipse sit omnia nobis, est plane aqua illa, de qua dicitur: [Aqua sapientiæ potauit eos;] est terra, de qua dicitur: [Terra nostra dabit fructum suum;] est aer: [Accipite Spiritum sanctum;] est ignis: [Ignem veni mittere in terram:] est lapis: [Lapidem, quem reprobauerunt ędificantes:] est mons: [Mons coagulatus, mons pinguis;] est aurum: [Suadeo tibi emere à me aurum ignitum:] est argentum: [Argentum igne examinatum;] est granum: [Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit;] est leo: [Vicit leo de tribu Iuda;] est agnus: [Ecce Agnus Dei;] est ostium: [Qui non intrat per ostium;] est panis: [Ego sum panis viuus;] est vestimentum: [Induimini Dominum Iesum Christum;] est liber: [In libro tuo omnes scribentur;] est via, veritas & vita: [Ego sum via, veritas & vita;] est tabernaculum: [Tabernaculum non manu factum;] est arca: [Hæc arca fœderis;] est sacerdos: [Tu es sacerdos in æternum;] est hostia: [O vere digna hostia;] est cælum: [Cælum cæli Domino;] est lux: [Ego sum lux mundi;] est sol: [Sol iustitiæ;] est oriens: [Oriens nomen eius.] Hinc proculdubio est, quod omnia relinquere teneamur pro Christo, vt Apostoli fecerunt, dum Matthæi dicitur: [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.] Cum ipse sit

Explicatur optime locus psal. 8. Iesus Xps est oẽ bonum. Iesus Xps est Medicus, Fons, Iustitia, Virtus. Fortitudo, Vita, Lux, Via. Veritas, Cibus, Refugium. Robur, Firmamentũ, Adiutorium, Exemplum, Vestimentũ, Lux, Vmbraculũ, Tẽperamẽtũ, Incendium, Merces, Finis, Sol, Aqua, pretium, propugnator, Liberator, præmiator, Iesus Xps est omnia nobis.

D. Amb. lib. de virginitate

Iesu Xpo oĩa nomina cõueniunt. psal. 84. psal. 67. Apo. 3. psal. 11. Ioan. 12. Apoc. 5. Ioan. 8. Ioan. 1. Ioan. 10. Ioan 6. Rom. 13. psal. 118. Ioan. 14. Heb 9. 1. Reg. 4. psal. 109. psal. 113. Ioan. 8. Mal. 4. Zach 6. Mar. 15. Hymnus.

Relinquenda sunt oĩa propter Christũ. comparatio.

sit nobis omnia: sicut etenim videmus, quod vnus homo magis diligit vnum bonum, & pingue beneficium, quam multa modica; etiam in domo vnum magnum lumen magis illuminat, quam multa minutula; vnus fons magis iuuat, quam multa stillicidia; sic Iesus Christus vere est vnus, in quo est fontalis redundantia omnium bonorum, dicente ipsomet, Ioan. 8. [Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum;] id est. Ego ero hominibus fontalis redundantia omnium bonorum: & idcirco ipse melius cor humanum iuuat, & satiat, quam omnia alia. Quapropter omnia relinquere tenemur pro Iesu Christo. Dimittamus igitur stillicidia mundi delitiarum, & habeamus solum vnicum Dominum Iesum Christum, qui solus sufficit, & ad ipsum perueniamus, qui numquam deficit. Idcirco Diuus Hieronymus ad Paulinum sic scribit: [Christus omnibus omnia est, qui igitur propter ipsum omnia relinquit, habebit vnum pro omnibus,] ita ille.

Res magna minutulis præstat rebus.

Epilogus. Mūdi oia bona sunt sicut aquæ guttulæ, Xps vero est fons vberrimus.

Xps sufficit nobis ad omnia D. Hieron.

De hoc sanctissimo nomine [Iesu Christi] sponsa alloquuta est, Cantic. cap. 1. dicens: [Oleum effusum nomen tuum.] Pulchra sane, & satis perbella similitudo; est namque Iesus Christus oleum simul effusum, & infusum; infusum quidem in ipsa æternitate; effusum in temporis plenitudine: infusum ad intra in operibus interioribus; effusum ad extra in operibus exterioribus: infusum in Patre æterno; effusum in Virginali vtero matris & Virginis Mariæ: infusum in diuina generatione; effusum in humana natiuitate: infusum, vt Deus; effusum vt homo: infusum in cælo; effusum in terris: infusum in Angelis; effusum in hominibus. O vere oleum infusum & effusum nomen Iesu Christi: infusum plane, dicente Euangelista Ioanne: capite 1. de illo: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum;] effusum vero, dicente de eodem, ipsemet Euangelista; [Et verbum caro factum est.] Metaphora sane profundissima est ista olei effusi; ipsam tamen enodare oportet. Duo quippe hic dicit sponsa de suo sponso Iesu Christo, primum nimirum, quod nomen eius [Iesus Christus,] sit oleum: secundum, quod sit effusum. Dicamus igitur primo de oleo, & postea de effusione eiusdem olei erit noster sermo. Oleum ergo inter liquores permultas obtinet proprietates, quæ omnes Iesu Christo optime adaptantur. Oleum etenim mollificat, & Iesus Christus corda hominum adamantina & liquefacit & mollificat: oleum inter liquores ita liberale reputatur, vt, exigua illius gutta in vestem albam cadente, tota euestigio inficiatur; & Iesus Christus ita est liberalissimus, vt gutta vel parua deuotionis particula à suo sanctissimo nomine dimanata, & ornata, ita cor nostrum liberale, & ad labores paratum, ac promptum reddit, vt dicamus cum Apostolo: [Omnia possum per eum, qui me confortat:] oleum insuper fluctus maris aspersum tempestatem pacat; & Iesus Christus tentationum nostrarum exortas tempestates, victoriæ nobis palmam reportans, pacificat: oleum antris & obscuris locis claritatem tribuit; & ob id natatores ore ad profundum gurgitis deferre solent, vt illic ex ore effuso, bona perdita, & illic abscondita inuenire queant; & Iesus Christus, nomen plane sanctissimum, sola oris nostri pronuntiatione deuota, ignorantiæ tenebras expellit, intellectuique nostro eximiam tribuit claritatem, qua voluntatem nostram ad Deum optimum maximum recto tramite dirigere possimus: oleum non adhæret rei madefactæ, vel aqua inspersæ; pari etiam modo, hoc sacratissimum nomen Iesu Christi non imprimitur in corde, quod aqua desideriorum & voluptatum carnalium madefactum est: oleum natura sua lucet, cibat, & vngit; & Iesus Christus est lumen cæcis, cibus ieiunis, & vnctio morbis: oleum tandem pro pacis hie-

Conceptus 2. Quod nomen Iesu Xpi est oleū effusum. Iesu Xpi est oleū effusū & infusum.

Explicatur optime locus Cant. 1.

Metaphora de oleo effuso explanatur.

Iesu Xpi nomē est oleū. Olei variæ proprietates, Iesu Xpo applicatæ.

F roglihpico apud poetas accipitur, qui quidem oleæ ramum in manu Mercurij positum, ad pacis significatum referri censent; & Iesus Christus proculdubio est ramus ille oliuæ, quam ad Noe detulit illa columba, de qua Genesis capite 8. dicitur: [Rursum dimisit columbam ex Arca, & illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo; intellexit ergo Noe, quod cessassent aquæ super terram.] Columba namque est Virgo maria, ramus vero Iesus Christus filius eius, quem ipsa Deo Patri in templo præsentauit, dum Lucæ capite 2. dicitur: [Postquam completi sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysis, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino,] in signum pacis. Quamobrem de Iesu Christo optime ait Apostolus ad Roman. capite 8. [Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.] Hinc Angeli in G sua natiuitate decantarunt: [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.] Et Lucæ capite 4. ipsemet Iesus Christus dixit: [Pax vobis, ego sum, nolite timere.] Dicamus modo de secundo, nimirum, de huius olei effusione, hoc est, de nominis Iesu Christi per totum orbem extensione. Nomen namque Iesu Christi ita effusum est, vt ipsemet Iesus Christus dicat Ananiæ de Saulo, Actorum capite 9. [Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & filijs Israel.] Quod plane protinus præstitit Apostolus post suam conuersionem, ablens ex Damasco in Ierusalem, inde Tharsum, Ciciliæ Metropolim, Antiochiam, Phrygiam, Galatiam, Troiam, Macedoniam, Athenas, Corinthum, Ephesum, Miletum, Conodum, insulas Acaiæ, & Græciæ, vlteriusque proficiscens, peruenit ad Arabes, hinc venit in Italiam, & Romam, vbi- H que per omnes has satrapias, regiones, & ciuitates Orbis, nomen Iesu Christi vt oleum effundens, ac aspergens, hoc est maxima celebritate prædicando. Porro Iesu Christi nomen diffusum fuit ad Herculeas vsque columnas, & postea ad Indos, quasi ad nouos mundos: tum per voces Apostolorum, de quibus dicitur: [In omnem terram exiuit sonus eorum:] Tum per ora Martyrum, Confessorum, Virginum, Prædicatorumque peruenit. Ante Christi aduentum, sponsi nomen, vt oleum plane optimum, erat veluti in vase clauso & obsignato, & ob id non mittebat odorem, nisi vni duntaxat populo Hebræorum, iuxta illud Psalmi 75. [Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.] At vero post aduentum sponsi Iesu Christi, nomen eiusdem veluti oleum de vase in vas effusum per vniuersum orbem, ita diffusum fuit, I vt vbique terrarum nominis Iesu Christi suauitatis odor maxime reperiatur. Hinc Apostolus dixit: [Christi bonus odor sumus in omni loco.] Ecce igitur qualiter nomen sponsi Iesu Christi hinc inde per vniuersum orbem est effusum. Verumenimuero animaduertas oportet, Gilbertum Genebrardum in suis Commentarijs in Cantica, sequutum Rabbinos, per nomen sponsi non intelligere proprie nomen hoc, nempe, [Iesum Christum,] sed huiusmet nominis Iesu Christi famam, vtique diffusam, iuxta illud Ecclesiast. capite 7. [Melius est nomen bonum, id est, fama, quam vnguenta pretiosa.] Verumtamen Diuus Dionysius lib. 4. de Ecclesiast. hier. Clemens Alexandrinus libro 2. pædagogi, Diuus Hieronymus in capite 27. Ezechielis, Origenes, Theophylactus, Diuus Gregorius, Diuus Hieronymus, Diuus Bernardus, Diuus Anselmus, Venerabilis Beda, & K Diuus Thomas, Haymon, Rupertus Abbas, & omnes sancti Patres in suis Commentarijs in Cantica, ac etiam ex neotericis Prosperus Rosetus per nomen sponsi, proprie nomen hoc, scilicet, [Iesum Christum,] exoluunt, ac vnanimi consensu interpretantur. Denique animaduertas adhuc etiam conuenit, nonnullos esse, qui oleum propter eius viriditatem perpetuam ac pinguedinem, spei simulacrum esse affirment, & hac de causa dicant, Iouem oliua coronari solitum fuisse; quoniam, vt fingunt poetæ,

Hieroglyphicū pacis. Poetæ.

comparatio.

Vig. Maria est colūba portās ramū oliuæ in signum pacis.

Pax p Iesum Christum.

Lucæ 1.

Iesu Xpi nominis extēsio, ac dilatatio.

Pauli prædicatio p varias orbis prouincias, & satrapias.

Prædicatio nominis Iesu Xpi peruenit ad Indos.

Simile.

Nota. 1. Genebrar. in Cātica nō tenetur ab auctore circa nomē Iesu Xpi.

D. Dionys. D. Hieron. Clem. Alex. Origenes. Theophilat. D. Greg. D. Bern. D. Ansel. Beda. S. Tho. Haymon. Ruper. Abb. Prosp. Roset.

Nota. 2. Oleū spē designat, quidē etiā nomē Iesu Xpi maxime demōstrat

Iupiter oliua coronabatur.

poetę, ipſe Iupiter bonorum omnium auctor erat & largitor. Quod plane vere, & propric non de Ioue, ſed de ſolo Ieſu Chriſto catholice intelligendum venit; ipſe enim eſt proculdubio bonorum omnium verus auctor, & largitor. Hinc ſponſa eum metaphoricè oleum effuſum appellat, dicens: [Oleum effuſum nomen tuum;]per inde ac dicat:O mi dulciſſime ſponſe, non te Deum iudicij, Deum vltionum, Deum vindictę, Deum exercituum amplius nuncupabo, ſed oleum effuſum, hoc eſt, Verbum caro factum in terris, in vtero Virginis, & oliua miſericordiæ, vt auctorem omnium bonorum, ac maximum eorumdem largitorem, coronatum firmiter ſpero.

Ieſus Chriſtus vere largitor & auctor omnium bonoru.



HOc ſanctum nomen, [Ieſus Chriſtus,] oportet principiũ, & finis ſit omnium noſtrorũ operum. Hinc noſter Archipropheta Ioannes hoc ſuũ pręclarũ, ac myſterioſũ opus à benedicto nomine Ieſu Chriſti incipit, dicens: [Apocalypſis Ieſu Chriſti]& hoc idẽ opus ab eodẽ ſancto nomine etiã perficit, & abſoluit, cum in calce vltimi capitis ita ſcribat: [Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cũ omnibus vobis. Amen.]Quo plane ſcribendi ſtylo, docet nos proculdubio id, quod indicaui, nimirum, quod hoc ſanctum nomen Ieſus Chriſtus, oportet, principium, & finis ſit omnium noſtrorum operum. Eſtote quæſo attentiſſimi. Euangeliſta Ioannes, loquens de Chriſto, cap. 1. ait: [In principio erat verbum,] & ipſemet Chriſtus, loquens de ſeipſo ſub nomine principij, ait:] Ego principium, qui & loquor vobis. [Moyſes denique, loquens de eodem principio, nimirum de verbo diuino tunc incarnando, ait: [In principio (id eſt, in verbo, vt explicat D. Auguſtinus, D. Hieronymus, Origenes, Tertullianus, & D. Thomas)creauit Deus cælum, & terram.] Ex quibus omnibus perſpicuum, ac planum euadit, Verbum incarnatum, nempe, Ieſus Chriſtus, redemptor noſter, principium eſſe. Paulus ex aduerſo, loquens de eodem Ieſu Chriſto, ait: [Finis legis Chriſtus eſt.] Modo quęro, ſi Chriſtus per Ioannem, & Moyſem, eſt principium; quomodo, rogo, per Paulum erit finis? Nam ſi finis, quomodo principium? & ſi principium, quomodo finis erit? Myſterium quippe haud exiguum eſt hoc. Eſt igitur Ieſus Chriſtus proculdubio principium, & finis: [Ego (inquit ipſemet Apoc. 1.) ſum Alpha, & Omega, principium, & finis.] Ad hoc pulchre intelligendum notes, oportet, quod illud dicitur principium, iuxta Philoſophum, a quo cetera producuntur, quemadmodum ignis dicitur principium caloris, quia calor producitur ab igne: Sol dicitur principium ſplendoris, quia ſplendor producitur à ſole: Adam dicitur principium humanæ generationis, quia omnis caro originem ab Adamo traxit. Cum autem cælum, & terra, & omnes creaturæ à Ieſu Chriſto procedant, iuxta illud Ioan. 1. [Omnia per ipſum facta ſunt,] hinc ex conſequenti factum eſt, vt Chriſtus Dominus principium exemplar vniuerſi orbis ſit. Finis verò illud dicitur, iuxta Philoſophum, quod eſt quidpiam vltimum, & extremum, & ad quod omnia referuntur, & cuius gratia cetera fiunt, vt eſt ſanitas in medicina, contemplatio in metaphyſica, & numerus in arithmetica: vnde cum omnia opera noſtra ad Chriſtum referri debeant, recte dicitur finis. Ecce igitur qualiter Ieſus Chriſtus eſt principium, & finis, & ex conſequenti ad ipſum omnia opera noſtra, actiones, & cogitationes in ipſo, & per ipſum inchoari, & terminari debent. Quapropter Apoſtolus ad Coloſ. 3. ait: [Omnia, quæcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite.] Et ad hoc ipſum plane pertinet illud ſponſę ad ſponſum epithalamium: [Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum,] quaſi dicat ſponſa: Hoc ſanctiſſimum nomen Ieſu Chriſti debet eſſe meta & ſcopus, ad quem omnia verba noſtra, opera, cogitationes, conſiliaque noſtra tendere debent. Vah. quot cogitationes, quot conſilia, quot prælaturæ, & quot principatus perierunt, & in dies penitus diſſipantur, ex eo quod nec principium, nec finem in Ieſu Chriſto ſortiantur. Sit igitur hoc dulciſſimum nomen Ieſu

Conceptus 3. quod Ieſus Chriſtus oportet ſit principium, & finis omniũ noſtrorum operum.

Principiũ eſt Ieſus Chriſtus Ioan. 8.

Gen. 1. Aug. in ope imperf. & l. 2. cõf. Orig. Tertuli & D. Th. ſup. Geneſim.

Finis eſt Ieſus Chriſtus.

Ieſus Chriſtus eſt prin. ſimul & finis.

Principium quid ſit.

Finis quid ſit

Cant. 8. omnia opera noſtra, ac etiã cogitationes noſtræ debẽt referri omnino ad Ieſum Chriſtum.

Chriſti ſignaculum ſuper cor noſtrum, vt ad illud omnia opera noſtra, verba, cogitationes, conſiliaq; ſemper dirigantur. Quo fiet, vt quemadmodum vitam hanc præſentem cum illo per baptiſmum incæpimus, in hora etiam obitus noſtri, cum eodem, per ſacramentum extremæ vnctionis, diem feliciter claudamus extremũ, vt ſic in illa hora vltima vitæ noſtræ, hoc ſanctiſſimum nomen Ieſu Chriſti in ore, corde, anima, ac etiam in auribus noſtris ita ſit fixum, vt eo audito, protinus poteſtates infernales & timeant, & aufugiant, & animas noſtras fideles ad gloriam æternam feliciter tranſuolare ſinant. Hoc ipſum plane indicauit Matthæus, cum illud celebre Euangelium natiuitatis Beatæ Virginis Mariæ per Ieſum Chriſtum inchoauit, dicens: [Liber generationis Ieſu Chriſti:] & per eumdem terminauit, dicens: [De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.] Initium rei cuiuſlibet, totius virtus eſt, finis vero conſummatio. Iure ergo in cuiuſcumq; ſiue magni, ſiue parui operis principio, & fine, Ioannis exemplo, Ieſu Chriſti nomen agnoſcendum eſt.

Matth. 1.

Oportet ẽt ã par uũ q̃ magnũ debe: exordiri, & finiri per Ieſu Chriſtu.

PARAPHRASIS Tertia.

Ieſu, dicit. Adhuc plane myſteria ingentia in hoc ſancto nomine [Ieſu Chriſti] apparent, ſi illud in ſuas duas partes diuidamus. Ponuntur quippe hic ab Archipropheta Ioanne duo nomina eiuſdem perſonæ. Primum quidem eſt, [Ieſus] quod eſt nomen perſonale. Secundum vero eſt, [Chriſtus.] Quod eſt nomen dignitatis. Dicamus igitur aliquid de vtroque nomine, ſeorſum, ac ſeparatim per ſe ſumpto: primo tamen hic de Ieſu loquamur.

Par. 3. §. 1. Eliminatio textus.

Ieſus itaque nomen proprium eſt perſonæ ex Hebręa lingua non integre deductum. Quoniam qui Hebraicè dicitur [Ieſuach.] Græce vero, [Ἰησοῦς,] Latine dicitur, [Ieſus.] Hinc Gabriel Angelus, Lucæ 1. Virgini Mariæ dixit: [Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.] Quapropter poſtea Angelus apparens Ioſeph, præcepit, dicens, Matth. 1. [Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum.] & Lucæ 2. dicitur: [Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.] Nomen autem Ieſus communiter ſignat Dominum ſaluatorem noſtrum; quoniam Ieſus, Angelo teſtante, interpretatur Saluator. [Ipſe enim, dicitur Lucæ 1. ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum;] & paulo poſt: [Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator.]Et hoc plane ortum habet, quod quamuis hoc nomen [Ieſus] poſſit diuerſimode applicari, ſicut alia nomina; non decet tamen, quod ad ſignificandum aliquid aliud tranſmutetur, eo quod ad ſignificandum perſonam ſaluatoris ſingulariter eſt aſſumptum. Eſt igitur filius Virginis Mariæ, Ieſus, id eſt, Saluator, Et quamuis filio Virginis Mariæ alia pleraq; nomina conuenire certum ſit; quoniam proculdubio poterat ipſe vocari [Heloy] quemadmodum in paſſione ipſemet dixit: [Heloy lamazabatani] poterat etiam vocari, [Ego ſum, qui ſum;] quoniam Deus tali gaudet nomine, in Exodo c. 9. poterat adhuc appellari, [Melech] vel[Adonay;]quoniam erat rex ſupremus: poterat porro nuncupari[Iehoua,]vel [Tetragrammaton;]quod eſt ineffabile, quia de illo dicitur: [Hic erit magnus;] attamen ipſe filius Mariæ Virginis nullo eorum nominum appellari voluit, ſed tantum dici, & vocari [Ieſus] iuxta illud Lucæ 1. [Et vocabis nomen eius Ieſum;] quod in Iſaia cap. 7. aliter dicitur ſic:[Et vocabitur nomen eius Emmanuel;]quod plane ſonat [nobiſcũ Deus.] Et eſt proculdubio mirum; quoniam Gabriel interpretatur fortitudo Dei, Raphael vero, medicina Dei, & ſic de alis nominibus; quæ omnia Deũ connotant in obliquo; at vero Emmanuel in recto dicitur Deus, nimirum [nobiſcum Deus,] ex eo quod Meſſias, ſiue Filius Virginis

§. 2. Ieſus eſt nomẽ perſonale.

Ieſus interpretatur ſaluator

Nomina antiqua filij Dei.

Luc. 1.

Ieſus, & Emmanuel idem videntur eſſe.

Meſſias futurus erat Deus & homo.

ginis Mariæ, verus Deus, & homo futurus erat. Quod plane mysterium hoc nomen, Iesus, maxime indicat cum, Iesus, idem sit, quod Emmanuel, & Emmanuel apprime interpretetur [nobiscum Deus.] Hinc reuera est, quod apud fideles, maioris reuerentiæ sit hoc nomen, Iesus, quam istud nomen, Deus. De qua plane re Alphonsus Tostatus tom. 1. Exod. cap. 20. q. 7. quatuor assignat causas; quarum prima est, quia Christo hoc priuilegium datum est à tota Trinitate, propter duram obedientiam, quam compleuit, vt patet ad Philip. 2. cum dicitur: [Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.] Secunda ratio est, quia istud nomen, Iesus, est solum nomen, in quo saluamur, vt patet Act. 3. cum dicitur: [Nec est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu.] Nam istud nomen, Deus, licet nomen magnum sit, non est tamen nomen, in quo saluamur, vt patet; quia multi inuocant Deum, tamen pereunt, vt Sarraceni, Iudæi, & ceteræ quoque Gentes. Nam solis Christianis salus exorta est, inuocantibus nomen istud Iesu. Tertia Ratio est, quia istud nomen, Deus, importat nobis Deum, per modum creatoris; at vero istud nomen, Iesus, importat nobis Deum, cum sit nomen suppositi diuini, quantum ad opus redemptionis. Et licet secundum se maius beneficium sit, creatos fuisse à Deo, quam redemptos; quia per creare communicatur esse, per redemptionem communicatur bene esse: esse autem causa est prima, & maxima perfectio, & omnium perfectionum fundamentum; tamen quantum ad nostram opinionem & velle, maius beneficium est, redemptos esse, quam creatos; quia vt ait Gregorius in Pastorali, & recitatur in benedictione cerei Paschalis: [Nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset.] Perinde ac dicat: Omnia, quæ propter nos Deus egerat, inutilia forent, siue creatio, siue natiuitas, siue prædicatio, & sic de ceteris; nisi fuisset redemptio subsequuta. Quarta Ratio est, quia illud nomen honorabilius Dei est, quod signat Deum sub pluribus perfectionibus. Sed sic est, quod istud nomen, Iesus, signat Deum sub pluribus perfectionibus, quam istud nomen Deus; ergo honorabilius est. Antecedens patet: nam istud nomen, Deus signat diuinam essentiam absolute, & istud nomen, Iesus, signat Deum, quia est nomen personæ diuinæ, & & tam perfecta est vna persona diuina, quam aliæ duæ, vel tamquam tota essentia diuina. Et si dicas, quod istud nomen, Deus, dicit creationem; respondetur, quod non dicit illam de suo signato primario, cum sit nomen significans in Deo aliquam perfectionem atributalem, vel per modum atributorum; sed signat solam diuinam essentiam de se. Si autem dicas, quod significat creationem, hoc intelligendum plane est secundario, vel ex consequenti; quia signat Deum, & Deus est creator, & isto modo cum Iesus, sit nomen suppositi diuini, vel, personæ, & illa est creator, cum tota Trinitas sit vnus creator, etiam istud nomen Iesus significabit creatorem, & sic significabit totum, quod significat istud nomen, Deus. Signat autem insuper hoc nomen, Iesus, quamdam aliam perfectionem, nimirum esse redemptorem, quod à nobis iudicatur, vt maximum bonum; igitur, venerabilius est nomen istud, Iesus, quam istud nomen, Deus. Sunt itaque ista duo nomina, respectu diuinarum perfectionum, sicut duo specula, quorum vnum imaginem perfecte, & lucide repræsentat, aliud vero illam obfuscate reddit. In nomine etenim Iesu, omnes diuinæ perfectiones perfecte, & lucide repræsentantur, & insuper etiam nostra redemptio, quæ sane in hoc nomine, Deus, nullatenus perfecte, & lucide exprimuntur. Artifex siquidem, qui vult aliquod conficere speculum, primo accipit vitrum clarum, & nitidum, illudque postea plumbo, vel corpori alicui alteri opaco artificiose coniungit, & sic tandem speculum efformatur, vt congruentius in vultu intuentis siue videntis, decor, deformitas ue ostendatur, & videatur. Ita plane fecit summus ille vitriarius, Deus Pater. Iesum namq; nitidum

Reuerentia nominis Iesu. Tostatus. Nomen Iesus magis veneratur q̃ hoc nomẽ Deus propter quatuor Rationes.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.
Iesus est nomen suppositi diuini. Deus est nomẽ Creatoris, Iesus, vero, Redẽptoris.
4 Ratio.
Nomen Iesus signat Deum sub pluribus perfectionibus.
Obiectio. Solutio.
Iesus est nomen Redemptoris.
Comparatio.
Iesus nomen oẽs perfectiones diuinas clare, & perfecte repræsentat Nomẽ, Deus, offuscate oẽs perfectiones diuinas repræsentat. Cõparatio de vitriario.

F speculum nobis efformauit, in cuius plane efformatione, quæ fuit in virginali vtero, Spiritu sancto superueniente, operata, candorem illum lucis æternæ accepit, de quo dicitur 1. Heb. 1. [Cum sit splendor, & figura substantiæ eius:] nimirum, diuinitatem & illam lucidam, & fulgentem, vt clarum vitrum, corpori opaco, & solido, vt pote, humanitati nostræ, artificiose, hoc est mediante vnione hypostatica, coniungit, & sic factum plane fuit speculũ illud sine macula, de quo Sap. 7. dicitur: [Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius,] videlicet, Iesus, speculũ quidem, in quo vno solo, & redemptionem nostram tam abunde, & copiose apud Deũ factam, & maculas peccatorum nostrorum proculdubio aperte, & clare intueri possumus, illasque prorsus tergere, ac penitus mundare, iuxta illud ad Heb. 1. [Verbo virtutis suæ purgationem peccatorum faciens:] Et
G sic in hoc nitido ac mundo speculo, Iesu, videbit omnis caro salutare Dei nostri. Quamobrem hoc sanctissimum nomem, Iesu, omnes humiliter ac deuote venerari tenemur, & ad illud, tamquam ad robur & fortitunem nostram crebro currere, vt fragilitas & labor, ac necessitas nostra omnino propediem iuuentur. Omne namq; debile, & fragile, quod per se nequit stare, indiget aliquo forti & solido, cui sua fragilitas innitatur. Quapropter cernimus, debiles & infirmos indigere aliquo magno, & forti, cui possint inniti, & per quem portentur & sustineantur. Aquæ etiam naturaliter indigent terrena firmitate inferius, vt per illam earum fluxibilitas portetur. Vineæ insuper, quæ sunt debiles, indigent aliqua alia firmitate, & ideo palis fixis & solidis solent alligari earum vites, vt earum possit fragilitas sustentari. Nos sumus plane fragiles, lutea
H vasa portantes, & ideo ne facile labamur, ad Iesum, robur & fortitudinem nostram recurrere tenemur, vt infirmitas nostra illo fortiter fulciatur; quia ipse proculdubio est ita solidus atque firmus, vt facile possit nostram fragilitatem portare, & nostram labilitatem sustinere, ac denique nostram flexibilitatem firmiter corroborare.

Speculi efformatio. Iesus est speculum.
Iesus est robur, & fortitudo nostra. Simile.

Conceptus Prædicabiles in textum.



NON habemus profecto infra autuè extra cælum dulcius aliquod aliud nomen, quam hoc benedictũ nomen, Iesus, & quod plane corda nostra magis alliciat, ac omnino penetret.
I D. Bernardus hoc sanctum nomen Iesu ita nimio amore prosequutus fuit, vt de illo sic dicat: [Si scribas, non sapit mihi, nisi legere Iesum, si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi ibi sonuerit Iesus.] Et paulo post: [Iesus mel in ore, melos in aure, & in corde iubilus:] Et mox subiungit: [Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor eius Iesus: labitur quis in crimen? currat ad Iesum.] D. etiam Augustinus in meditationibus cap. 36. sic ait: [Iesu Domine, Iesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra.] & c. 17. sic exclamat: [Tu Iesu Christe, es Deus meus viuus, & verus, Pater meus sanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, Pastor meus bonus, Magister meus vnus, adiutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus viuus, Sacerdos meus in æternum, &c.] Sic ille. D. Paulus ad Philipp. 2. sic ait: [In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confitea-
K tur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.] Hinc Ireneus lib. 4. contra hæreses, cap. 36. sic scribit: [Nomen Iesu per vniuersum mundum glorificatur in Ecclesia.] Et merito quidem. Quoniam nomen, Iesus, denuntiatum est ab Angelo, impositum a parentibus, celebratum ab hominibus, positum da monibus in terrorem, & omnibus in salutem. Quoniam in Seraphinis inflammat, in Cherubinis splendet, in Potestatibus arcet, in Thronis quiescit, in Dominationibus imperat, in Virtutibus agit, in Principatibus admi-

Conceptus 1. Quod nomen Iesus est suaue, & nimis dulce.
D. Bernard. Sine Iesu nihil sapit bene.
D. Aug.
Meditatio.
Ireneus.
Nominis Iesu effectus. Iesus in cælo & in terra, ac in omnibus creaturis reperitur.

A administrat, in Archangelis mysteria sacra reuelat, in Angelis custodit homines, & in hominibus tandē omnia operatur. Nā in Apostolis varijs loquitur linguis, in Euangelistis veritate fulget, in Doctoribus doctrina micat, pœnitentibus veniam præstat, iustos gratia replet, in martyribus fortitudine nitet, in virginibus pudicitia splendet, & deniq; indigētibus omnimodū prębet auxilium, ô dulce nomen, ô suaue nomen Iesus. Dicit de illo in spiritu Dauid: [Dulcis & rectus Dominus.] Et iterum: [Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.] Et alibi: [Suauis est Dominus vniuersis.] Et tandem: [Dilectus quemadmodum filius vnicorniū.] Vnicornis namq; est hoc in loco Iesus. Quoniā vnicornis, iuxta Plinium, & Aristotelem, qui eum & vnicornem, & etiam rhinocerotem appellant; ac etiam iuxta Isidorum lib. 12. & Petrū Berchorium lib. 10. reductorij moralis cap. 75. nascitur in India, & inter varias illius proprietates hæc recēsetur vt admirabilis à scriptoribus, nimirum, quod serpentium, draconum, & aliorum venenatorum animaliū tanta est illic copia, & multitudo, vt omnes fontes, & piscinæ veneno sint infectæ. Quoniam hęc venenata animalia, dum potum, à fontibus capiunt, venenum in aquas aspurgunt; vnde aues cæli, & alia animalia veneno carentia, nequeunt in fontibus bibere ob venenū illud aspersum, & sic sitientes mirum in modum aduētum vnicornis desiderant & expectant. Quoniam, illo adueniente, aquasq; illas gustante, venenum illud vim suam amittit, & aquæ illæ, quæ antea erant venenatæ, & mortiferę, mox veneno deposito, dulces, suaues, & gustabiles fiunt. Tunc enim accedunt ad bibendū absq; periculo aues cæli, & cetera animalia veneo carentia. Ita prorsus præstitit Iesus diuinus ille Vnicornis, & filius dilectus patris æterni. Nam ante aduētū eius omnia erant mortifera, quia lachrymæ, ieiunia dolores,
C paupertas, fames, sitis, asperitas, nuditas, tribulationes, &c. ita à longe terrebant homines, vt ipsi, hæc omnia pœnalia quasi veneno infecta omnino reputarēt. Hinc nullus hominū erat, qui exiret ad desertum, qui castitatem, virginitatemue seruaret. Quamobrem aues cæli & animalia non venenata, nimirum Prophetæ, & sancti Patres, aduentum istius diuini Vnicornis, Iesus, mirum in modum expectabant, & totis viribus petebant. Hoc namq; denotat illud: [Emitte agnum Domine dominatorē terræ.] Et illud: [Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorē;] & illud: [O radix Iesse, &c. veni ad liberaadum nos, iam noli tardare;] & tandem illud: [O Emmanuel, Rex, & legifer noster, expectatio gentium, & saluator earum, veni ad saluandum nos, Domine Deus noster.] Erat enim ante aduētū Iesus, mundus totus in maligno
D positus, mortiferus plane & veneno infectus. Quoniā ex venenato & maledicto illo cibo Euę, à diabolo propinato, Gen. 3. & patres nostri & nostra humana natura & etiā nos omnes cum illa, ita inficiati fuere, vt ex tunc vim veneni, nimirū, nuditatem, sudorem, paupertatem, afflictionē, dolores, & labores sentire ac gustare cœperint. Quas omnes pœnalitates & effectus peccati naturaliter homines mirū in modum horrebant & fugiebāt. Aduenit autē Iesus illasq; gustauit; sitiuit enim esuriuit, fatigatus fuit, lachrymatus, &c. quia in quātū homo omnes pœnalitates voluit experiri, ac per nobis gustare & pati: & sic venenū ex eis fugauit. Quamobrē quod ante aduentū Iesu, erat venenum, & mortiferum, modo, post ipsius aduentum, est suaue ac salutiferum. Idcirco modo Iesus, ieiunium, orationes, lachrymas, paupertatem, castitatem, obedientiam, dulcia, ac omnino suauia facit. Ecce qualiter Iesus est dilectus, quem-
E admodum filius vnicornis. Hinc Gentiles optime petebant, cum Philippo dixerunt Ioan. 12. [Volumus Iesum videre;] quasi dicerent, Volumus videre illum, qui dulcia & suauia reddit omnia. Quandoquidem ipse dixit Matth. 11. [Iugum meum suaue est, & onus meum leue;] de quo etiam Isa. 26. dicitur: [Nomen tuum in desiderio animæ meæ.]

psal. 24.
psal. 51.
psal. 144.
psal. 16.
Vnicornis natura.
Plinius.
Aristot.
Isidor.
Pet. Berchor.

Vnicornij adventū ad fōtē desiderant animalia.

Iesus oia amara dulcuit

Desideria Patrū antiquorū circa aduētū Iesus.

Mundus erat venenatus ante aduentum Iesu.

Iesus oēs pœnalitates gustare voluit, vt ab illis venenū profligaret.
Iesus oēs tribulationes, acpęnalitates suaues reddit
Pœnalitates modo sunt suaues dulces.
Desideriū Gētiliū videndi Iesum.

IGNITATES infinitas benedicti nominis Iesu, opera pretium erit hic describere. Isaias namq; de Iesu filio virginis Marię in c. 9. sic exclamat: [Vocabitur nomen eius, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis.] Quibus verbis eius dignitates plane cōtinētur. Primo itaq; ait: [Vocabitur, nomē eius, Admirabilis;] quia Iesus erat Princeps Dominusq; ille, deferens Imperiū suum super humerum eius: & clarū nomen, & celebris fama, quæ in hominū laude & admiratione versatur; magnam Principi auctoritatem, & maiestatē afferunt. Tum addit: [Consiliarius:] hæc est secunda dignitas, quasi diceret, vsque ad eo non eget consilio cuiusquā, & in tantum superest illi prudentia, vt alijs consiliarius esse possit & debeat. Consilio autē & prudentia, regna stabiliri, & nobilitari docuit Salomon in prouerbijs. Postea subditur: [Deus fortis,]
B nimirum ad debellandum omnes hostes, sibiq; subiectos validissime defendendos & custodiendos. Hęc est tertia dignitas, ad quā intelligendam nominatur Deus, ex quo apparet, nequaquā timendū esse, ne monarchia Iesu, nimirū, Ecclesia, cuius conditor & rector est ipse ac defensor, vllo tēpore deficiat. Porro quartam attingens dignitatem ait: [Pater futuri sæculi:] Regnum nāq; Iesu inchoatur in hoc sæculo, sed in altero perfectū & omnibus numeris absolutum est, cum cęterorū regnorum idem qui huius sæculi terminus, & finis futurus sit. Postremo dicitur de Iesu: [Princeps pacis,] id est, Pacificus, vt ipsemet dixit Io. 14. [Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.] Præterea, vt alias permultas filij Virginis Mariæ dignitates, & varia attributa ostēdamus, estote rogo, attentissimi. Iesus nāq; Verbū nuncupatur, quia semper in patre, & de patre, & nihil sine eo pater iussit aut fecit. Iesus virtus dicitur, quia
C proprie de Deo est, & omnis virtus & potestas patris in ipso consistit: Iesus sapientia appellatur, quoniā non aliunde quam de patre veniens, credentibus arcana cælestia reserauit. Iesus dextera nuncupatur, ex eo quod per eū omnia diuina opera perfecta sunt. Iesus brachiū dicitur, quia ab ipso omnia continētur. Iesus margarita appellatur, quoniam illo pretiosius nihil reperitur. Iesus thesaurus dicitur, quia in ipso omnes opes, ac diuitię regnorum cælestium reconditæ cognoscuntur. Iesus retia vocatur, quia per ipsum, & in ipso, de mari sæculi diuersa gentium multitudo more piscium per baptismum in Ecclesia congregatur, vbi bonorū malorumq: discrimen agnoscitur. Iesus aratrum appellatur, quoniā signo crucis eius dura pectora subiugātur, vt necessario semini præparentur. Iesus fons aquæ viuæ appellatur, nā ex eo sapientiū corda cælestis aquæ gratia irrigantur. Iesus petra nūcupatur, quia credentibus fortitudinē, incredulis duritiem pręstat. Iesus lapis angularis dicitur, quia vtrosq; parietes noui & veteris Testamenti ipse vnus, & mediator, in semetipso continens copulauit. Iesus agnus vocatur, quoniam & innocens fuit; & totius mūdi peccata tulit. Iesus homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Iesus vitulus appellatur, quia propter nostrā salutē immolari sustinuit. Iesus aquila dicitur, quia per venerabilē eius resurrectionē, vt regalis aquila, volatū suū ad patris direxit dextrā. Iesus leo est dictus, quoniā ipse est rex regum, quia mortem ac diabolū virtutis suæ potestate cōminuit. Iesus via dicitur, & est quia per ipsum ad patrem accessus est. Iesus veritas est, quia mendacium nescit. Iesus tandem vita est, quia ipse dat vitam, & ipsum hæc vniuersa significant. Vides igitur infinitas dignitates nominis Iesu. Ex his ergo omnibus antiquis filij Dei nominibus, hoc vnum
E nomen, [Iesus,] conflatur, quemadmodum ex varijs metallis cymbalum. Quando enim aliquis artifex cymbalum aliquod efformare intendit, primo stannum, æs, argentum, aurum, aliaque pleraque metalla in ignis fornace imponit, ibique illa liquefacit, & conflat; postea vero ea in typum, argilla constructum, siue in proplastitem colat, & sic tandem fit cymbalum sonans & tinniens, cuius vox longe auditur. Ad eumdem plane modum omnia nomina antiqua

Conceptus 2.
Quod nomen Iesus multas obtinet dignitates.
Nomina antiquorū filij Dei Iesus est Princeps.

Iesus est Cōsiliarius.

Iesus est Deus fortis.

Iesus est pater futuri sæculi.

Iesus est Princeps pacis.
Iesu varia attributa & Epitheta.
Ipse est.
Verbum.
Virtus.
Sapientia,
Dextera,
Brachium,
Margarita,
Thesaurus,
Retia,
Aratrum,
Fons,
Petra,
Lapis,
Agnus,
Homo,
Vitulus,
Leo,
Via,
Veritas, &
Vita.

Comparatio.

Cymbali efformatio.

filij Dei in vtero Virginali Mariæ semper virginis, veluti in diuina fornace imposita fuere, & omnibus ibi, diuino flate amoris spiritu, conflatis & liquefactis, & in typũ, siue in proplasticem, nempe, in nostram humanitate colatis, hoc benedictum nomen Iesus, vti diuinum consurrexit cymbalum. Et amplius adhuc est animaduertendum, nimirum, quod ante cymbali efformationē, aurum appellatur aurũ; æs vocatur æs, stannum dicitur stannũ, & argentum argenti nomine circũfertur; at vero cymbalo iam efformato, aurũ amplius non dicitur aurum, neq; æs amplius æs appellatur, nec minus stannum de cetero stannũ nuncupatur, sed omnia metalla simul cymbalũ dicuntur, aut cymbali metallũ; quoniam æs, stannum, argentum, & aurũ vlterius iã nõ apparent, & pari etiam modo illa nomina antiqua filij Dei, nempe, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis: agnus insuper, leo, vitulus, &c. hoc nomine, [Iesus,] à Deo inuento, ab Angelo pronũtiato, & à Virgine eius filio imposito, amplius iã minime apparent. Hoc plane erat in figura apud Zachariam Prophetam, in c. 14. dicētē; [In illa die erit nomen eius vnum:] quasi dicat filij Dei erit vnicũ dumtaxat nomen, nempe, [Iesus] omnes dignitates & atributa, ac etiam excellentias antiquorũ nominũ filij Dei secum omnino includens, quēadmodum diplomata & regales litteræ, in quibus Catholicus Rex noster Philippus primo dicitur Rex Leonis, Castellę, Aragonię, Nauarrę, Murcię, Sardinię, &c. & vltimo loco dicitur Hispaniarum Rex. Quo vnico verbo omnia Regis Philippi complectuntur Regna: ita proculdubio omnes excellentiæ, dignitates, attributa, ac proprietates illorum antiquorum filij Dei nominum, in hoc sanctissimo dũtaxat nomine, [Iesus,] & comprehenduntur & continentur.

Nota bene.

Nomina antiqua filij Dei modo fere nõ apparent.

Iesus cõtinet eia nomina filij Dei.

Conceptus 3. Quod nomen Iesus solus pater æternus illud excogitauit.

BEATISSIMVM hoc nomen [Iesus] nullus excogitauit mortalium, sed à solo Deo, filio virginis Marię inuentum excogitatũq; fuit: [Vocatũ est nomen eius, Iesus, (dicitur Lucæ 2.) quod vocatum est ab Angelo, prius quam in vtero conciperetur.] Perinde ac dicat: Non nos, sed Deus Pater æternus de cælo illi nomen imposuit. Narratur in c. 2. Genes. parentem Protoplastum Adamum nomina omnibus rebus imposuisse, sic etenim dicitur ibi: [Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cęli, adduxit ea ad Adã, vt videret quid vocaret ea: omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.] Super quæ verba Patres Theologi D. Basilius, D. Ambrosius, D. Chrysostomus, Beda, Theodoretus, D. Augustinus, Alphonsus Tostatus, Caietanus, & alij pleriq; affirmant, Adamũ omnium rerum naturaliũ scientia ab initio à Deo instructissimum ornatissimumq; factũ fuisse, alioquin imponere nomina conuenientissima, naturis singulorum animalium nequaquam potuisset. Quæ omnia proculdubio vera esse, manifestum plane est. Et ob id præclare Plato in Cratylo, eum, qui primus omnium mortalium nomina rebus imposuit, sapientissimum fuisse affirmat. Ceterum percontor, nũquid Adam sibi ipsi nomen imposuit? minime gentium, Deus enim illi nomen imposuit, quoniã ipse Dominus, nomen quinque rebus imposuit, nimirum, diei, nocti, mari, terræ, & homini, vt patet Gen. 1. c. & ex consequenti, Adæ nomen Deus imposuit in signum, quod ab ipso semen erat futurum, cui nomen à solo Deo erat imponendum, & ab Angelis pronũtiandum, quod plane factum fuit in filio Virginis Mariæ, de cuius sancto nomine dicitur Lucæ 2. [Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur;] vt apparet Lucæ 1. dum dicitur ab Angelo Gabriele: [Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum;] quia filius Virginis Mariæ erat semē Adæ, & ob id à solo Deo illi erat nomen imponendum, & ab Angelis promulgandum. Genes. c. 3. dicitur: [Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius.] Semen autem

Adã, nomina rebus omnib' imposuit.

D. Basilius. D. Ambros. D. Chrysost. Beda. Theodoret. D. August. Tostatus. Caiet. in Gen.

Plato.

Difficultas quare Adam sibi ipsi non imposuit nomen.

Quinq; rebus dũtaxat nomina imposuit Deus.

Iesu & Adamo Deus nomen imposuit.

Iesus est semē mulieris.

F mulieris, & per consequens Adæ, Iesus plane est, qui solus inter homines in terra perfectas cum diabolo inimicitias exercuit. Hinc Rupertus Abbas lib. 3. de Trinitate, & operibus eius, sic egregie scribit: [Proinde cũ dixisset inimicitias ponã inter te, & mulierē, continuo subiungit: Et semen tuũ, & semen illius: quo enim de semine hic dicitur, nisi de vno, qui est Christus? ipse nãq; solus ita semen mulieris est, vt non etiam viri semen sit: quare recta additio est, cum dictũ sit à Domino Deo, Inimicitias ponã inter te, & mulierē, & semen tuũ & semen illius, subauditur, Christus: nam hic plane cũ illo antiquo serpente fortiter sese exercuit, nec vmquã illi in aliquo cõsentiens fuit: vnde & liberior & expeditior fuit, accinctus gladio super femur suũ, potētissimus, speciosus, & pulcher intendit, prospere processit & regnauit, iuxta Psalmistã dicētē: Tu humiliasti sicut vulneratũ superbũ, in virtute brachij tui. Tunc adim-
G pletum est mulieri in isto semine suo, quod hic fuerat prædictũ: Ipsa conteret caput tuũ, vnde & in alio psal. Propheta dicit: Tu cõtribulasti capita draconũ in aquis: tu cõfregisti capita draconis.] hucusq; Rupertus, & satis perbelle sane. Nã ad hoc vt Iesus diabolũ deuinceret, de illo dicitur Mat. 4. [Ductus est Iesus in desertũ à spiritu, vt tētaretur a diabolo.] Super quę verba (vt inimicitiæ inter Iesum & antiquũ hostē clare appareãt,) dicere possumus, quod tũc Iesus erat vnicornis, diabolus vero erat elephãs. Hæc nãq; duo animalia cornibus plane pugnant, quēadmodũ homines sagittis, apri dentibus, & aues vnguibus pugnare solent. Ceterũ elephãs non habet vera cornua, vt alia animalia, sed dētes eius duos magnos, ac satis terribiles ac fortes cornua Plinius vocat, dũ li. 8. hist. nat. c. 3. de elephante sic scribit: [Prædã ipsi in se expetendã, sciunt solam esse in armis suis, quę Iuba cornua appellat, Herodotus tanto antiquior, & cõsuetudo, melius dētes.] At vero vnicornis,
H quẽ alij rhinocerotē vel monocerotē appellant, vnũ dũtaxat habet cornu in frõte quatuor pedũ, ita acutũ, vt illo percutiat, perforet & vētilet omnia, sibi apposita. Et dũ ista duo animalia ad pugnam perueniunt, primo vnicornis ad saxa cornu limat, iuxta illud Plinij lib. 8. c. 20. [Ijsdem ludis, & rhinoceros vnius in nare cornu, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephanto, cornu ad saxa limato præparat se pugnæ.] Elephãs vero cornua sua, siue dētes primo etiã limat ad arbores, iuxta illud Plin. li. 8. hist. na. c. 1. [Atq; cũ in arbore exacuãt, limentq; cornua elephãti & saxa rhinocerotes:] Sic diabolus ante hanc pugnam cornua sua ad arbores limabat, hoc est in naturali sua scientia cõfidebat, quæ licet aliquas habeat radices, tamen sua nimia malitia, huc & illuc vēto vanę gloriæ facile agitatur, inclinatur ac flectitur. At Iesus diuinus vnicornis ad saxa fir-
I ma, hoc est, ad suam firmã & habitualem scientiã, responsiones suas ad tres illas dęmonis tentationes futuras limabat, ideo victus permansit dæmon. Et merito sane Iesus vnicornis dicitur; quoniam (pręter id, quod animal istud ita sit fortissimum, vt nullo ingenio possit capi, & nihilominus puella virgo in deserto illi veniēti proponitur, teste Isidoro li. 12. & ei sinum aperit, & tũc animal, omni feritate deposita, in eius gremiũ se inclinat, ac si ibi vellet dormire; & ibi à venatoribus deprehēditur, quod plane verificatur de Virgine gloriosa, & Verbo diuino circa incarnationis mysterium;) de Iesu ad litteram verificatur illud Psalmistæ: [Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi;] hoc est, potestas Christi exaltabitur, teste doctore incognito; quæ in Christo erit vnita, quia erit vnicornis, id est, vnus Monarcha,
K cui totus orbis subijcietur. Et quamuis hoc iam sit adimpletũ, quia Christi dominium fuit dilatatum, tamen vberius apparebit in fine mũdi, quãdo Christus spiritu oris sui interficiet Antichristũ. Tunc enim in senectute, nimirum, in nouissimo Ecclesiæ, vberius apparebit potestas Christi. Verumtamen quo egressi fuimus, redire fas iã est. Huic ergo mulieris semini, sicuti & primo homini, Deus ipse nomen imponere voluit, filium Virginis nunc, Iesum, quemadmodum olim primum hominem, Adam vocando.

Iesus solus inter homines perfectas cum diabolo exercuit inimicitias.

Rupert. Abb. li. 3. de Trin. & operibus eius cap. 19.

Comparatio.

Notabilis pugna inter Vnicornē, & Elephantem.

Elephãtũ cornua qualia. Plinius.

Vnicornis limat ad saxa cornu. Plinius.

Elephans limat ad arbores cornua. Plinius.

Vnicornis animal virgine capitur.

Incognitus super psalm. Iesus est vnus solus Monarcha Vnicorni assimilatus.

Psal. 91.

IESVS

Conceptus 4. Quod Iesus est salus totius mundi.

Iesus salutare Dei dicitur.

Lyranus, & Caiet. in c. 3. Lucæ.

ESVS idem est, quod salutare Dei: nam Iesus diuinam mundo salutem attulit: [Videbit omnis caro (dicitur Lucæ, 3.) salutare Dei.] nimirum, Iesum, qui salutare Dei est, vt Lyranus, & Caietanus super Lucam dispungunt. Fuit etenim Iesus figuratus in vua illa, qua filij Israel in vecte quadam asportauerunt, ita namq; legitur Numer. 13. [Pergentesq; vsq; ad torrentem Botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt cum vecte duo viri.] Ista igitur vua Iesum figurabat; vua namque in torculari ponitur, ibiq; calcatur & exprimitur, vt vndecumque mustum effundat; ita proculdubio Iesus positus fuit in Caluario, quasi in torculari, & ibi veluti calcatus & expressus, vt ita dicam, vndecumque nostram effundebat salutem. Per os etenim remissionem peccatorum effundebat, per oculos lachrymas ob nostrum remedium distillabat; per manus vero, per pedes, per caput, ac per latus liquorem illum sanctissimum nostræ redemptionis, nimirum sanguinē suum pretiosissimum abunde emittebat, & denique per omnes partes illius sacratissimi corporis salus nostra affatim scaturiebat. Quamobrem senex ille Simeon viso Iesu, optime cecinit, Lucæ 2. dicens: [Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum.] En igitur, qualiter Iesus fuit, veluti vua pro nobis expressa in cruce & pro salute & remedio nostro in Caluario monte quasi in quodam torculari, dire ac crudeliter à Iudæis & Gentilibus calcata. Et ex illo patiendi actu sacramenta, quasi stagna, gratia & sanctificatione repleta obtinemus nunc, quæ plane gratia & sanctificatio ab illa diuina vua Iesu, quasi ex diuino quodam fonte apprime emanarunt. Et nos, proh dolor, infundi, mundari & dealbari in illis diuinis plagis, quasi in quibusdam dulcissimis fontibus minime curamus. O magna hominum nostri temporis confusio, qui cum iam hoc summum bonum, & Dei salutare præ manibus habeamus, & in dies illo perfrui commode possimus, tam paruum è contrario ex tanta opportunitate eliciamus cōmodum, quinimmo ita immundi ac spiritualiter sordidi propediem incedimus, quasi remedia & lauatoria nullatenus habuissemus. Audite quæso prophetā Ieremiā: [Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare nō est obducta cicatrix populi mei?] Medici sunt sacerdotes, Galaad est Ecclesia, resina sūt sacramēta, cicatrices sūt peccata. Quare ergo peccata ac scelera vestra, ò peccatores, non remittuntur? nūquid nō est Ecclesia? numquid inter vos non sunt sacerdotes confessores? numquid non sunt sacramenta? minime gentium, quare igitur non est curata cicatrix populi mei? forsasse in causa erit, quod vos numquam crimina perpetratis? Nequaquam profecto: in dies etenim nihil aliud operamini: [Si dixerimus, ait Ioannes Apostolus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.] O miseri ac cæci mortales. Audite insuper, rogo, quid vobis dicat Iesus: [Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus, & non planxistis.] Querela proculdubio haud exigua est ista Christi, & suorum concionatorum contra populum Christianū. Verum quippe est, quod circa præfata verba extat inter Lyranum, & Tostatum maxima controuersia. Lyranus siquidem existimat Christum in his verbis contra Pharisæos ponere quemdam ludum, quo se exercebāt pueri Iudæorum. Nam in foro, vbi erat locus publicus, conueniebant pueri multi, & diuidebantur in duas partes æquales, & illi, qui erant in vna parte, canebāt carmen lætitiæ, & alij ex opposito canebant carmen lugubre, & deinde exprobrabant sibi mutuo. Nam exultantes dicebant: Quare non congaudetis nobis? & lugentes dicebant exultantibus: Quare non compatimini nobis? Et hoc fiebat ad ostendendam varietatem humani status, quia in eadem vrbe vel loco quibusdam accidunt prospera, & gaudent; alijs vero tristia, & lugent: Et isti non consonant inter se; quia nec gaudentes compatiuntur tristibus, cōmunicantes eisdem bonū suum, aut transumentes aliquid de malo eorum; nec tristes cōgaudent lætantibus: & istæ sunt mutuæ que-

Iesus vua terræ promissionis.

Comparatio. Vuæ natura. Iesus est vua. Vndecūq; Xps in sua pass. salutē nostram effundebat.

Comparatio.

Sacramēta cōparantur stagnis.

Locus Ieremiæ 8. explicatur.

Explicatur locus Matt. 11. Querimonia Xpi contra peccatores.

Lyran. in c. 11 Matth.

Puerorū Hebræorū ludedi in foro stylus.

A relæ inter homines de diuersitate status eorum, sicut dicit Cyrillus, quē sequitur Lyranus. At vero Alphonsus Tostatus aliter exponit dicēs, quod pueri Hebræorum conueniebant ad gaudendum pueriliter in foro, & quidam eorum, qui erant magis ad iocos apti, incipiebant cantare, vt alij cantarent cum eis, & saltarent ad consonantia eorum cantus, & socij sui nolebant cantare nec respondere ad cāticulum lætitiæ; & quia forte nolebant illi respondere ad canticum, quod esset de genere lætitiæ; dicebant canticulum lugubre, vt saltē sic responderent sibi; quia qui non est dispositus ad lætitiā, est saltem dispositus ad tristitiam. Et quia nec sic respondebant alij pueri, conquerebantur scilicet illi, qui cātauerant, dicentes: Cecinimus & non saltastis, & postea lamentauimus, & non planxistis, quare hoc fecistis? quia in aliquo eorum saltem nobis respondere debuissetis. Vtraque expositio, ni fallor, textui consona

B est, cum textus totus sic se habeat contra Pharisæos. [Cui autē similē æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro; qui clamantes coæqualibus dicunt, Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentauimus & non planxistis. Venit enim Ioannes, neq; manducans neq; bibens; & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorū, & peccatorū amicus: & iustificata est sapientia à filijs suis.] Cæterū ego dico, hæc verba, [Cecinimus vobis, & nō saltastis; lamentauimus, & nō planxistis,] querelā maximam esse Iesu, & suorū Prædicatorū contra Christianismū, proh dolor; quia prędicatores in dies summis vocibus contra Christianos acclamant in suis concionibus, aliquando importune, aliquādo arguendo, vt alter Timotheus, iussu sui magistri Pauli; aliquādo obsecrādo, aliquando increpando in omni patientia & doctrina, ali-

C quando vero auribus pruriendo; vt si forte sic à sceleribus ac criminibus suis resipiscerent ac resilirent; & tamen semper dicere possunt Prædicatores verbi Dei, ad Christianismū: [Cecinimus vobis, & nō saltastis; lamentauimus, & non planxistis.] eo quod adest proculdubio tempus cum sanā doctrinam non sustinent perfidi, ac duri Christiani, quinimmo ad fabulas vnusquisq; eorum conuersus est. Quoniam hic est latro, hic homicida, hic adulterus, hic hypocrita, hic habet cōcubinā, hic est vsurarius, hic est linguosus, hic vero tandē mille sceleribus est irretitus, & quod peius est, ex vno anno ad alterum annum, nimirum ex vna quadragesima, vsq; ad alteram quadragesimam ad sacramentū pœnitentiæ peruenire nolunt, & tunc, si illam excusare potuissent confessionē, maxime illam excusarent. [Quare, quare non est curata cicatrix populi mei?] O miseri scelerati peccatores: [Cecinimus vobis, & non saltastis;

D lamentauimus, & non plāxistis.] Audite duri Christiani, ac pessimi peccatores, quid vobis dicat Deus ipse per prædicatorem suum Ieremiam in c. 51. [Cecidit Babylon & contrita est.] Ecce lapsus vester peccatores, modo vt curemini, Deus ait ad prædicatores: [Vlulate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur.] Id est, prædicate Verbū Dei incarnatū propter peccatores, si forte verebuntur filium meum: si forte sanguinem eius pretiosum pro illis effusum timebunt: si forte deniq; ob eius plagas & spinarum coronam, ac flagella dimittent peccata. Et prædicatores post conciones suas, visa duritie peccatorum maxima, respondent Deo: [Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam, quoniam peruenit vsq; ad cælos iudiciū eius, & eleuatum est vsque ad nubes; Protulit Dominus iustitias nostras, venite, & narremus in Sion opus Do-

E mini Dei nostri.] Quiescite igitur inique agere, ò peccatores, & discite bene facere. Et quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarū, ita desideret Iesū vuā sācīā pro vobis in Caluario quasi in torculari calcatā, fonteq; aquæ viuæ anima vestra. Alioquin prædicatores Euāgelici ibūt ad Indos & relinquetur domus vestra deserta, & tūc adimplebitur in vobis etiā illud, quod Dominus Hebræis, Mat. 21. olim dixit: [Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gēti facienti fructum eius.]

Cyrillus. Abulen. in c. 11. Matth.

Auctor sequitur Lyran. & Abulen.

Verborū Dñi Matt. 11. auctoris alia explicatio.

2. ad Tim. 4.

Stylus cōcionatorū in cōuertēdis peccatoribus.

Peccata hominū quotidiana.

Explicatur locus Ierem. 51

Matth. 21.

Pęna maxima peccatorum.

PARAPHRASIS
Quarta.

Par. 4. §. 1. Christus est nomẽ dignitatis. Reges, & Sacerdotes olim dumtaxat vngebantur.

Christi, inquit. Alterum nomen filij Mariæ Virginis est, Christus; quod non est nomen personæ, sed dignitatis, siue gratiæ, eo quod signat Regem, quoniam vnctus interpretatur. Reges siquidem & sacerdotes dumtaxat in veteri Testamento vngebãtur, vt patet 1. Paralyp. 29. vbi dicitur, quod vnxerunt Salomonem in Regẽ, & Sadoch in Pontificem. Ex quibus verbis perspicuum ac planum omnino fit, Reges populi Hebræorum, & sacerdotes dumtaxat Christos appellari. Quamobrem Deus per Psalmographũ sic ait: [Nolite tãgere Christos meos,] id est Reges, & Sacerdotes. Et Dauid abscissa ora chlamidis Saul, silẽter dixit ad viros suos: [Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rẽ Domino meo Christo Domini, (hoc est, Regi Saul,) vt mittã manũ meã in eũ, quia Christus Domini est;] id est, Rex. Est igitur hoc nomen Christus, nomen dignitatis siue gratiæ, Christus etenim Hæbraice dicitur, [Messias,] Græce, [Christos,] Latine vero [vnctus] interpretatur, ab vnctione olei seu vnguenti pretiosi, quo summi sacerdotes & Reges, vt nuper retulimus, in populo Hebræo vngebantur, vt inter alios plerosq; patet de Aron, de quo dicit Psalmista: [Sicut vnguentũ in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.] per quod liquido apparet vnctio sacerdotum. Vnctio vero Regum fit etiã manifesta in libris Regum per vnctionem Dauidis, Saulis, & Salomonis Regum Israel. Competit autem filio Virginis Mariæ hoc nomẽ, Christus, multis de causis. Primo siquidẽ, quia ipse erat Rex & sedere debebat super solium Dauid patris sui, vt dicitur Ierem. 23. Secundo, Quia hoc nomen, Christus, signat Messiam, vt est dictum. Filius autem Virginis Mariæ Iesus, est verus Messias, iuxta illud Ioan. 1. [Inuenit Andreas fratrem suum Simonem, & dixit ei: [Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus,] & Ioan. 7. [Vere cognouerunt Principes, quia hic est Christus,] id est, Messias, vt dispungunt ibi doctores. Et Ioa. 4. [Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus,] Et Iesus Filius Mariæ respondit: [Ego sum, qui loquor tecum.] Et licet filius Virginis Mariæ esset Rex; tamen non vocatur Christus, in quantum Rex, sed in quantum Messias, quia hoc erat proprijssimum ei, quia ipse erat, qui ad saluandum nos missus erat. Tertio tandem, quia Christus interpretatur vnctus, & filius Virginis Mariæ Iesus fuit vnctus oleo lętitię prę participibus suis, de illo dicẽte diuino Cytharędo: [Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.]

Xps est Messias, & vnct⁹.
Sacerdotum vnctio.
Regũ vnctio, Xpi nomẽ multis de causis cõpetit Iesu Nazar. filio Virg. Mariæ. 1. causa. 2. causa. Xps est Messias.
3. causa. Xps interpretatur vnctus.

§. 2. Vnctio dupl. Xps dupliciter vnctus. Explicatur optime loc. Psal. 44. Vnctio gratiæ

Super autẽ prælibata verba Psalmographi animaduertas oportet geminam Christi vnctionem. Iesus nãq; Virginis Mariæ filius dupliciter vnctus fuit. Primo siquidem vnctione gratiæ, quando nimirum, in primo incarnationis instanti, habuit tantã gratiam, quantam illi Deus elargiri potuit. Quoniam: [Non est ei datus, (vt dicitur Ioa. 3.) spiritus ad mensuram.] & in hoc sẽsu, ly [Propterea] notat causam, non quidem, quod quia dilexit iustitiam & odit iniquitatem, ideo fuit vnctus per gratiam; quia non prius dilexit iustitiam, quam habuerit gratiam; sed magis ẽ cõuerso, vt sit sensus: Propterea scilicet, vt diligeres iustitiam, & odires iniquitatem; vnxit te Deus oleo lætitiæ; & sic ideo dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, quia a Deo fuisti vnctus per gratiam: & in hoc sensu ly [Vnctio] est causa dilectionis iustitiæ. Secundo Iesus filius Virginis Mariæ fuit vnctus, quando scilicet Regni sui possessionẽ accepit. Reges etenim, vt nuper distulimus, quando possessionem sui regni accipiebant, tunc vngebantur: filius autẽ Virginis Mariæ Iesus, sui regni æterni, iuxta illud Luc. 1. [Et dabit illi Dominus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis,] possessionẽ accepit post resurrectionem suam, quando nimirum, ipse dixit Matth. vlt. [Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra, & sic accepta littera Psalmistæ, est sensus talis: Ideo te Christe, Deus pater vnxit in regem, dando tibi possessionem; quia tu dilexisti iustitiam, & pro illa seruanda, & iniquitate destruenda mori voluisti, iuxta illud Apostoli ad Philipp. 2. [Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.] Ecce igitur qualiter Iesus filius Virginis Mariæ dupliciter fuit vnctus: & in vtraque vnctione, vnctus quippe fuit præ consortibus suis, id est, præ omnibus Apostolis, & alijs omnibus sanctis. Nam quoad primam vnctionem, vnctus vtique fuit Christus præ consortibus suis, quia maiorem gratiam habuit, quam Apostoli, & reliqui sancti habere vmquam potuerint. Quantum vero ad secundam vnctionem, etiam vnctus fuit præ consortibus suis, quoniam maiorem dignitatem, & potestatem obtinuit, quam quiuis obtinere vmquam potuerit, iuxta illud Dan. cap. 7. [Potestas eius, potestas æterna; & quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.] Et de vtraque vnctione intelligitur proculdubio, illud Act. cap. 10. [Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute?]

Vnctio in Xpo est causa dilectionis iustitiæ. Vnctio possessionis regni.
F Dilectio iustitiæ in Xpo est causa vnctionis eius in Regem.
Gratia Christi maior quã gratia aliorũ.
G Dignitas Xpi maior quam aliorũ dignitates.

§. 3. Christus idẽ est quod vnctus. Simile.

Porro Christus Grĝce idem est, quod vnctus Latine, vbi annota, quod res vncta præ alijs est lenis, mitis, & suauis, vt patet de pannis, qui in fullonica ponuntur, qui solent inungi, vt sint suauiores, de ficubus, & dactilis, qui quantę plus habent vnctuositatis, tanto sunt dulciores, vt etiam patet de tumoribus; quando sunt oleo & vnguento vncti, ad scissuram fiunt aptiores, & meliores: rota insuper quadrigæ, nũquam sine stridore onus suum portaret, si ipsam auriga aliquando nõ vngeret, & tandem patet de pelle vncta, quæ suauis est, quando tangitur, & plicatur, quo volueris, quando im pellitur. Ex quibus omnibus liquet, quod res vncta est lenior, alijs non vnctis, & suauior ac etiam mitior. Ita Christus, cum sit vnctus, lenior, mitior, ac suauior est ceteris, dicente Psalmista: [Suauis est Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.] Idcirco ipsemet discipulis suis ait: [Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.] Est igitur Iesus filius Virginis Marię suauis, dulcis, & benignus, eo quod ipse est Christus, & Christus Græce, Latine vnctus dicitur. Christus itaque est tabernaculum illud, quod Moyses vnxit. Sic etenim scribitur, Num. 7. [Compleuit Moyses tabernaculum, & erexit illud, vnxitque illud & sanctificauit.] Hinc plane est, quod in dies tanta nobiscum vtitur misericordia.

H Xps est suauis & mitius.
Matth. 11.
Typus siue figura mãsuetudinis Xpi.

I

Conceptus Prædicabiles in textum.



SPECVLVM patientiæ Iob, alloquens de Christo in spiritu, dixit, c. 29. [Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me?] Percontor Propheta Dei, quod, rogo, felix tempus est istud, quod dicis? Respondet ipsemet: [Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.] Et quæ petra, quæso, ò vir Dei, erat ista tam felix, quæ tibi tantum prestabat bonum? Christus, proculdubio responderet ipse sanctus Iob, si nunc inter nos præsens reperiretur. Nam Christus est petra, iuxta illud: [Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus.] & Matt. 21. [Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,] Hinc Christus dicitur: [Lapis angularis, qui facit ex vtraque vnum:] ipse namq; Christus est lapis ille, de quo Dan. 2. Abscissus est lapis de mõte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.] Christus igitur est petra illa, de qua ait Iob. [Petra fundebat mihi riuos olei.] De Christo namque quasi de petra, riui olei scatu-

Conceptus 1. Quod in Xpo lauam. abluimur, & sanctificamur.
Petra oleum emanauit.
K Xps est petra

Libri Euangelistarum & Prophe. originē habet a Xpo. Riui olei sūt, huius ipsi tarū Euangelia.

scaturiūt, quid etenim est liber Matthęi? quid liber Marci? quid liber Lucę? quid liber Ioannis? quid, quęso, sunt alij libri Petri, Pauli, Iacobi, & reliquorum Apostolorum? nihil aliud profecto, nisi quidam riuuli olei, qui ex hac petra Christo, abunde emanarunt. Quoniam in illis Spiritus sanctus nihil aliud intendit, quam oleum diuinæ misericordiæ Christi, quasi riuulum copiosum per vniuersum orbē diffundere. Riga, igitur, tu ò peccator, & laua pedes tuos, hoc oleo diuinæ misericordiæ, tergendo affectiones mundanas à corde tuo, ambulando semper in spe suæ diuinæ misericordiæ, quoniam ipsemet Christus Ioan. 13. ait: [Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet,] hoc est affectiones siue passiones animi lauet. Nam pedes hic affectus signant mentis, vt dispūgūt Lyranus, Caietanus, Io. Ferus, & alij plerīq; doctores in c. 13. Ioan. Et est sensus: Qui iā est per baptismum lotus, & post susceptionem baptismi, sordibus iterum de nouo adhæret, ad hoc vt iste talis sit mundus totus, non indiget, nisi vt pedes lauet, id est tales affectiones, & passiones mentis per confessionem abluat. Ad quod optime intelligendum, nota, quod hic Christus non loquitur de his, qui semper baptismalem innocentiam conseruant. Nam certum est, vt recte prodant Lyranus, & Rupertus Abbas, quod si aliquis baptizatus statim moriatur, mox ad patriam euolat. Sed tantum loquitur de his, qui à susceptione baptismi supervivunt. Qui etiam si sancte viuant, indigent lotione spiritualium affectuum mentis, qui hic per pedes signantur. Nam sicut in omnibus negotijs pedibus terram conculcamus, sic sine affectibus, mortalitas nostra nō viuit. Affectus enim in omnibus negotijs se interserunt adeo, vt si quis vos ablutione & purgatione negaret indigere, plane seipsum falleret. [Si dixerimus, (dicitur Ioan. 1.) quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. [Quā quidem lotionem nobis necessariam esse fatemur, cum orando dicimus illud Matth. 6. [Dimitte nobis debita nostra.] Quamobrem cum Christus dicit: [Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet;] ex æterna ablutione, internam, & spiritualem vult significare ablutionem. Quemadmodum etenim qui corporaliter lotus est, vt dicit Caietanus, non opus habet, nisi vt pedes lauet, quos gradiendo oportet immunditiam contrahere; ita similiter qui lotus est spiritualiter, non opus habet, nisi vt infirmas partes animi, quibus terrenis se oportet immiscere officijs, cibi, potus, rei familiaris & similium, lauet. Hinc Rupertus Abbas super hunc locum sic eleganter scribit: [Qui lotus est, inquit, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus; ac si dicat: Qui semel in morte, quæ nunc adest, baptizatus est, non est opus amplius, vt præterita ante baptismum peccata, siue originalia, siue actualia lauet, sed totus mundus est: tantummodo pedes lauet, id est, quotidiana vel communia, sine quibus humana vita transigi non potest, commissa quotidianis remedijs expurget, sicut is, qui solos ex itinere sordidatos habet pedes, & in reliquo corpore à sordibus liber est, vadēs cubitum, non indiget, nisi vt pedes lauet.] ita ille. Ecce igitur, qualiter pedes sunt affectiones nostræ, de quibus ait regius Psaltes, Ps. 121. [Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem.] eius etenim amor, desiderium, & affectio in cælesti Ierosolyma versabantur, & si forte in aliquo terram attingunt, hoc plane oportet fit per transennam obiter [de puntillas] vt Hispani dicunt, & veluti cum duo corpora rotunda & sphærica, se tangunt, quæ cum rotunda ambo sint, in puncto dūtaxat se tangere queunt, & hoc est plane, quod ly: [Stātes erāt pedes nostri,] demonstrat. Hos igitur pedes, id est, has affectiones abluere oportet, ne scelere aliquo polluantur, & si forte eas in aliquo inquinauerimus, oportet statim ad diuinum lauacrum, hoc est, ad confessionem properare. Quoniam illic Christus, vt petra illa Iob, riuos olei misericordiæ abunde nobis effundet, vt optime hi pedes nostri, id est affectiones nostræ lauentur, vt sic optime loti, ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum accedere libere possimus. Quoniam Christus Dominus ex illa hostia consecrata nostros

Pedes significant affectiones.
Lyranus.
Caietanus.
Ioan. Ferus.

Baptismi vis, & effectus.
Lyranus.
Rupert. Abb.
Peccata etiā venialia sunt delenda per confessionē.
Ioan. Ferus in Ioan.

Comparatio.

Ruper. Abb. In Ioan.

Nota bene.

Simile.

Confessionis vis, & effectus

Ad sac. Eucharistiā oportet accedere mūdos.
Oculorū Xpi vis.

A prorsus penetrat affectus, ac cogitationes, & lotis dūtaxat suam præbet gratiā, immundis vero ac sordidis, nullatenus. Quoniam de illo scriptum est Is. 7. [Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.] Qui etenim melioribus nutriūtur cibis, acutioris ingenij, & minus impeditos in operationibus phantasticis necesse est eos esse. Et sic est de melle & butyro. Nam cum ista temperate & conuenienti sumātur tempore, valde mundificant, & phantasticum organum maxime disponunt; ideo ad acumen ingenij satis conuenientia sunt, & quia ista ad hanc ingenij bonam cooperantur dispositionem, dicimus de eis, qui viuaces sunt, mel, & butyrum cōmedisse, vt si arguatur prius ex posteriori aut causa aliqua in effectu. In Christo igitur non sunt accipienda verba ista: [Butyrum & mel, &c.] ita vt dicatur, Christū commedisse butyrum, & mel, vt inde sciret reprobare malum, & eligere bonum; quia

B tunc videretur, quod Christus indigeret aliquibus dispositionibus naturalibus ad hoc, quod haberet ingenium acutius ad intelligendum, quod falsum est. Nam Christus Deus erat, & nihil vnquam addiscere poterat, cum omnia sciret, quibus additur, quod in quantū homo, in primo instanti suæ conceptionis omnem plenitudinem gratiarum absq; mensura plane habuit. Ex quibus omnibus liquido apparet, butyro & melle Christum ad cognoscendum falsum nullatenus indigere. Quamobrem dicendum est, quod, cum Christus magis intelligens omnibus esset, cū verus Deus esset; ideo videbatur mel & butyrum cōmedisse, id est, à longe iustum, & peccatorem facile cognoscit, quemadmodum is, qui semper bibit aquam, vinum, quod maxime abhorret, à longe facile olfacit, & is, qui semper dulcia comedit, facile procul ex mille leucis, vt dicunt, amarum agnoscit. Ita Christus ex illa hostia consecrata, iu-

C stum & peccatorem ad illam sumendam properantem, facile à longe cognoscit: ob idque oportet in Deo misericordiæ, quod de hac petra Iob, hoc est de ipsomet Christo, in confessione, veluti ex fonte suo emanāte, pedes nostros, hoc est affectus nostros, diligenter, vt alter Iob, lauare. O petra fœlix. Visum quippe iam est petrā miraculose aquam emanare, vt legitur Exod. 17. Moysi accidisse, & etiam S. Clementi orāti idipsum euenisse, & alijs plerisque sanctis viris. At vero petrā oleū emanasse, nullibi nisi vnico dumtaxat Iob, legitur accidisse. Vere petra hæc erat Christus totus & vbiq; misericordia emanans: laua, laua, tu, ò peccator in his olei riuis, qui de hac petra scaturiūt, pedes, nimirū affectus tuos, vt lotus corā Deo appareas in sācto altari, vt alter Iob, oleo ex petra omnino lotus. Oleum autē misericordiam indicare nemini dubium plane est, quinimmo lippis & tonsoribus, vt dicunt, liquet.

D

Locus Isaiæ explicatur.
Ingeniū iuuatur cibis.

Abulensis in comment. in c. 7. Isa. illud reperies in paradox. post opusculum de Trinitate.
Viuaces sunt qui ingenio polleāt, ac præualent.

Sensus legitimus verborū Isa. 7. butyrū, & mel, &c.

Comparatio.

Eucharist. sumenda est cū reuerētia maxima.

Petra oleū emanare singularem miraculū est.
Moralitas.

Oleū misericordiæ symbolum.

CHRISTVS pulchritudinem maximam secum plane importat. Diuinus namq; Cytharædus, Ps. 44. de illo ait. [Speciosus forma præ filijs hominum.] Super quæ verba D. Augustinus loquens de Christi pulchritudine, sic scribit: [Credentibus sponsus Christus pulcher vbiq; est. Pulcher Deus verbū apud Deum, pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit diuinitatē, & sumpsit humanitatem: pulcher natus infans verbū, quia cum esset infans, cum sugeret, cū manibus portaretur, cęli loquuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos direxit stella, adoratus est in presepio; pulcher ergo in cęlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parētum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vi-

E tā, pulcher curans mortē, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cælo, & pulcher in intellectu.] Ita Augustinus. Verumenimuero quanquam Christus nō tantū præ omnibus hominibus, verum et à præ omnibus Angelis, speciosior sit, teste Apostolo ad Heb. 1. tamen Psalmographus mentionem hic solummodo facit de hominibus, dicens: [Præ filijs hominum.] Quo stylo loquendi plane demonstrat, Christū verū hominē esse, & nō Angelicā naturā. Idcirco de Xpo proculdubio

Conceptus 2. Quod Xps est pulcherrimus

D. August.

Christi pulcritudo.

Pulcher est Xps vbique.

Pulcritudo Xpi præ filijs hominū quid demonstrat.
Xps est petra Iob.

intelliguntur in figura verba illa, Genes. cap. 49. [Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.] Quemadmodum namque filiæ desiderantes videre pulchritudinem Ioseph, ascendebant per murum, sic multi prophetæ,& Reges,perspectam habentes Christi pulchritudinem spiritu prophetico voluerunt ipsummet Christum videre, iuxta illud Lucæ cap.10. [Multi Prophetę,& Reges voluerunt videre, quæ vos videtis.] Hinc plane est illud Ioan. 8. [Abraham pater vester exultauit,vt videret diem meum, vidit & gauisus est.] Et illud etiam Ecclesi. c.43. [Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valde speciosus est in splendore, vel (vt alij vertunt)in decore suo.]Quibus verbis nomine arcus cælestis pulchritudo Christi proculdubio describitur.

Comparatio. · alia translatio.

DISPVT. I.

In caput primum Apocalypseos de additionibus ad sacram Scripturam.

Vnica Quæstione contenta, super illa verba: *Hæc est*, quæ ad titulum huius libri Apocalypsis adiunximus.

Prologus disputationis.



ASSERVIMVS supra ad hęc verba, Apocalypsis Iesu Christi, addendum esse, [Hæc est:]quoniam ipsa,lēma,totiusq; huius operis titulum esse apud expositores certum ac exploratum vtique est. ob idque legendum esse: [Hæc est Apocalypsis Iesu Christi.] Quoniam pleraque alia reliquorum librorum sacræ Scripturæ titula, eodem prorsus modo legenda quippe veniunt. Et quamuis plerique expositores hanc camdem teneant viam; tamen quia circa difficilia magis præstat argumentis probare, quam simpliciter dumtaxat asserere,ideo hanc nostram expositionem probandam hic duximus.

Gilbertus Pictauiensis in prologo sup Apocal.

Quæstio vnica. An ad sacram Scripturam, & ad librum Apocalypsis possit fieri additio.

Additio ad sac. Scrip. an possit fieri.



DIFFICILIS plane est hæc quæstio & satis inter Theologos,& sanctos Patres profligata. Quod tamen talis additio nequeat fieri, probari potest. Tùm quia in tertia synodo generali Ephesina à sanctis Patribus sancitum ac statutum est, ne Symbolo Nicęno aliquid adderetur;igitur neque sacrę Scripturæ licebit aliquid addere, cum ipsa sit fere maioris auctoritatis. Tum quia in cap. 4. Deuteron. Præcepit Dominus, vt nihil adderetur, aut detraheretur scripturæ Dei, sic enim dicitur ibi: [Non addatis ad verbum, quod vobis loquor, aut auferatis ex eo.] quibus verbis D. Augustinus lib. 17. contra Faustum Manichęum probat, nihil addendum esse sacræ Scripturę. Tum tertio, & postremo, quia Apo. 22. sic ait Dominus: [Si quis apposuerit ad hæc,apponet Deus super illum plagas scriptas in libro vitæ, & si quis diminuerit de verbis Prophetiæ huius, auferet Deus partem illius de libro vitæ, & de ciuitate sancta:] ergo,&c.

1. argum. · 2. argum. · 3. argum.

Pro decisione præmitto, Primo, quod de hac re duæ extant sanctorum Patrum sententiæ: vna quidem est negans,quam profitentur D.Augustinus lib.17.contra Faustum Manichæum, & plerique sancti Patres Græci, vt videre est in Concilio Florentino, & in Synodo generali Calcedonensi. Altera vero est affirmans, quam tenent D. Ioannes Chrysostomus, homil. 12. in cap. 30. Lucę, Magister sententiarum in prologo 1. lib. sent.citans illa verba Lucæ 10. [Et quodcumque super erogaueris, reddam tibi.] super quæ verba fundat Magister suum prologum, dicens: [Cupientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in Gazophylatium mittere, &c.] Diuus Thom. S.Bonauentura, & alij scholastici doctores,exponentes Magistri prologum, hanc eamdem tenent omnes sancti Patres Latini, vt videre licet in eodem Concilio Florentino, & in eadem Synodo generali Ephesina, & Calcedonensi.

1. fundam. · D. August. · Conc. Florēt. Cōc. Calced. & Ephesin. · D. Chrysost. · Mag. sentent. · D. Thom. · S. Bonauent.

Præmitto secundo,triplicē esse additionem,quarum prima est,quando id,quod additur, est cōtrarium scripturæ,cui additur: & tunc talis additio est manifestus error, vt si quis dicat, Patrem esse genitum. Et error stat in hoc, nimirum, quia Pater à nullo est factus,(vt ait Athanasius in suo symbolo,) nec creatus nec genitus. Secunda additio est, quando id, quod additur,est alienum & impertinens, vt si quis diceret, credo omnes agricolas esse mathematicos, & tunc talis additio esset ridicula, & præter institutum,& veritatem, ac etiam præter omnem scripturam tam sacram, quam profanam. Tertia additio est, quando id additur,quod continebatur impliciter in tali scriptura, & ex illa aperte deduci potest, & talis additio est laudanda, iuxta doctrinam Diui Thomæ, & Diui Bonauenturæ in prologo Magistri. Verba autem D. Thom. in prolog. Mag. talia sunt: [Est apponere duplex, vel aliquid,quod est contrarium vel diuersum, & hoc est erroneum, vel præsumptuosum, vel quod continetur implicite exponendo, & hoc est laudabile.] Sic ille.

2. fundam. Additio triplex. · S.Thom. · D. Bonauent.

Præmitto tertio, D.Ioannem Chrysostomum aliam diuisionem modi addendi aliquid ad sacram Scripturam afferre, nimirum, additionem rei, & additionem officij, quæ quidem diuisio à superiori nullatenus est diuersa. Etenim per additionem rei, illam,in qua aliquid contrarium vel diuersum additur, intelligimus;per additionem vero officij illam,in qua aliquid, quod continetur implicite in tali scriptura, additur, existimamus esse.

3. fundam. D. Chrysost. Additio rei, & additio officij.

Præmitto quarto,additionem & expositionem multum inter se differre; quoniam additio est rei externæ, vt apparet in alimento rei, quoniam apud philosophos & medicos ad hoc, vt fiat accrescio, aliquid externum additur. Expositio vero est rei internæ,& latens, vt conclusiones in quibusuis scientijs dicuntur additiones & expositiones, quia latebant & continebantur in ipsis principijs.

4. fundam. Additio, & expositio differunt.

Præmitto quinto, hoc esse proprium vtrique testamento, vt, cum vnum & eumdem habeant auctorem, & ad vnum & idem finem tendant, ac etiam de eodem Christo agant; vnum in altero contineatur, ita vt in veteri sit occultatio noui, & in nouo manifestatio veteris, vt Diuus Augustinus lib. de cathechizandis rudibus, cap. 4. scribit,& idem repetit Diuus Gregorius homil.6.in cap.1. Ezech. super illa verba, [Rota in medio Rotæ,] vbi sic ait: [Quid hoc est, nisi, quod in testamento veteri latet nouum per allegoriam?] quid, quod ex illis verbis Matth. 5. [Non veni soluere legem sed adimplere;] aperte liquet, nouum testamētum nihil aliud esse, quam veteris adimpletio?

5. fundam. Testam. vetus & nouum habent multa communia. · D. Aug. · D. Greg. · Testam. vetus cōtinet nouū per allegoriā

Præ-

6. fundam. Doctores in Ecclesia Dei semper necessarij sunt.

Præmitto sexto, & postremo, necessarium esse semper in Ecclesia Dei reperiri Doctores & expositores, qui suis doctrinis & expositionibus res fidei interpretari & declarare possint, & interpretando & declarando conatibus hæreticorum se opponere. Alioquin maxime periclitaretur Ecclesia Dei; quoniam si nullus Catholicorum se hæreticis opponeret, hæretici cum suis erroribus, ac doctrinis falsis maxime præualerent; & per consequens Ecclesia Dei maxime periclitaretur, & firma atque illæsa eius fides conseruari difficile posset. Idcirco Paulus 1. Corin. 12. ait: [Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, &c.] Et paulo post: [Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias, &c.] Et tandem: [Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? &c.] ob idque expositiones, & explanationes Catholicorum Doctorum numquam in Ecclesia Dei prohibitę fuere, quinimmo in Concilio Florentino, & in omnibus alijs Concilijs, vsque ad Concilium Tridentinum maxime approbantur.

Gratiarũ diuisio. Annotationes & expositiones Doctorũ in libros sacræ Scrip. semper admittit Ecclesia. Concil. Trid. sess. 4. in dec. de editione, & vsu sacrorũ librorum.

1. assertio. Additio rei nequit fieri ad sac. Scrip.

Prima conclusio. Additio rei vel additio, in qua id, quod additur, est contrarium, vel diuersum, nullo modo fieri potest ad sacram Scripturam, & præcipue ad Euangelia, & per consequens nec fieri poterit ad fidei Symbolum. Probatur quidem illis tribus argumentis in principio positis: Tum etiam ex illis verbis Apocal. cap. 22. [Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super, &c.] Quoniam si non licet quidquam addere super illud, quod iam scriptum est in libro Apocalypsis, nec de illo quidquam diminuere; à fortiori minus licebit Euangelijs quidquam addere, nec ab illis quidquam diminuere. Consequentia patet; quoniam Euangelia sunt magis de necessitate salutis, quam Apocalypsis, cum in Apocalypsi nihil ponatur, nisi reuelatio quorumdam accidentium futurorum in Ecclesia, sine quibus etiam est perfecta salus, quæ non esset, sublatis libris Euangeliorum. Illud denique de Symbolo probatur; quoniam in 3. Synodo generali Ephesina, & in Synodo Calcedonensi, & sanctis Patribus tam Græcis, quam Latinis sancte statutum fuit, ne fierent additiones nouæ fidei, quod plane sancitum fuit contra Nestorianos, noua Symbola sibi confingentes.

1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio. Symbol. Ephes. Synod. Calc.
Nestoriani reprobantur.

2. assertio. Conclus. trimembris. Additio officij fieri potest ad sacrã Scripturam.
1. Ratio.

Secunda conclusio. Additio, in qua id, quod additur, continetur implicite in sacra Scriptura, quæ aliter dicitur additio officij, vel expositio; fieri potest ad ipsam sacram Scripturam tam ad vetus, quam ad nouum testamentum, & ad Symbolum fidei. Probatur; quia, vt nuper retulimus in quinto fundamento, in veteri testamento est occultatio noui, & in nouo est manifestatio veteris. Quamobrem Christus Matth. 5. dixit: [Non veni soluere legem, sed adimplere.] Super quæ verba Diuus Augustinus lib. 17. contra Faustum Manichæum cap. 5. & 6. tenet, præfata verba non esse intelligenda de additione verborum, & accessione, vt falso intelligebat Manichæus, sed de adimpletione & manifestatione, quæ in prophetis continebatur. [Venit (inquit D. Augustinus) Iesus Christus legem, & prophetas adimplere, non vt legi adderet, quæ deerant, sed vt manifesta fierent, quæ scripta erant.] Et idem videntur dicere Chrysostomus, & Abulensis super Matthæum. Porro probatur; quia in Ecclesia Dei ex instituto diuino sunt doctores, quorum officium est ea, quæ implicite in vtroque testamento continentur, & eorum difficultates explanare, enodare, declarare, exponere, & populo manifestare, vt supra in vltimo fundamento ex Apostolo 1. ad Corinthios cap. 12. asseruimus. Dicta autem horum Catholicorum doctorum non sunt additiones rei, vt est manifestum, eo quod si nouum testamentum non est additio rei ad vetus, vt ex superioribus patet, sed eius explanatio, adimpletio, & manifestatio, multo minus interpretationes, & declarationes

D. August.
Testam. nouũ est adimpletio veteris.
D. Chrysost. Abulen.
2. Ratio. Additio officij ad vtrũq; testamentum fieri potest.

A doctorum Catholicorum in nouo testamento vocandæ erunt additiones rei ad ipsum nouum testamentũ: igitur à sufficienti diuisione erunt expositiones, siue additiones officij. Quibus additur, quod dicta horum doctorum scholastice, ac etiam, positiue nouum testamentum, ac etiam vetus exponentium, sunt interna, & implicite contenta in vtroq; testamento, ob idq; appellanda erunt expositiones, & additiones officij, & non additiones rei, cũ additio rei sit extrinseca & externa rei, vt patet in quarto fundamẽto. Rursus illud etiã de Symbolo patet: Tum quia Papa potest condere Symbolum, & condito aliquos apponere articulos, secundum quod requirit temporis congruitas, & Ecclesiæ necessitas, vt tenet Sanctus Thomas 2.2. quęst. 1. art. 1. Præterea Papa potest sub articulo ponere ea, quæ nos beatos faciunt, quæ quidem ab hominibus nullatenus possunt naturaliter cognosci. Item potuit
B Papa, dicente Symbolo Apostolorum: [Credo in Deum Patrem omnipotentem,] addere, [Credo in vnum Deum, &c.] vt apparet in Nicæno Symbolo, quod Symbolum Patrum dicitur. Ad ipsum insuper Papam spectat, modum credendi in Trinitate, & modũ distinctionis personarũ, ac etiam modum vnitatis earũdem determinare: & contrarium asserere pertinaciter, hæresim sapit, vt videre est apud Augustinũ de Ancona, in sua summa de Ecclesiastica potestate, quæst. 11. Hæc autem omnia tantum sunt dubiorum interpretationes, & nullo modo additiones rei: nam [illegible] sic essent externa fidei, (quod asseuerare hæresim maximam redolet) quæ sunt internæ & intrinsecæ fidei, vt patet ex superioribus. Igitur ad Symbolum fidei potest fieri additio officij, vel expositio. Tum quinto, & postremo probatur intentio: quoniam in Synodo 3. generali Ephesina additum fuit Nicęno Symbolo, ly [Filioque:]
C tantum namque antea in Symbolo sanctorum Patrum, nimirum in Symbolo Nicæno dicebatur: [Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre procedit.] In Synodo vero generali tertia Ephesina sancte sancitum fuit dicere: [Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex patre filioque procedit:] quod quidem factum fuit ad clare ostendendum Spiritum sanctum à Patre, & à Filio procedere. Talis autem additio non fuit rei, sed officij; quæ vere & proprie expositio dicitur, vt aperte indicant sancti Patres in Concilio Florentino, in cuius vnionis litteris ita sancitum reperitur: [Definimus insuper expositionem illorum verborum, *Filioque*, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.] Hucusque Concilium. Igitur ad Symbolum fidei potest fieri additio officij, siue expositio.

3. Ratio.
4. Ratio. Additio officij potest fieri ad symbolum fidei. Papa potest condere symbolum. S. Thom.
Symbolũ Nicænum. Potestas Papæ.
Aug. de Ancona.
5. Ratio. Additio ad Symbolũ Nicænum.
Conc. Florẽt. Decr. Conc. Florẽ. super illa verba, Filioque.

D Ex his patet reconciliatio illarum duarum sententiarum sanctorum Patrum, quas supra proposuimus: Nam prima negans, quæ est Græcorum, intelligenda venit de additione rei, quæ non potest fieri ad sacram Scripturam, vt tenet nostra prima conclusio. Secunda vero affirmans, quæ est Latinorum, accipienda plane est de additione officij, siue expositione, quæ fieri quidem potest ad sacram Scripturam, vt secunda nostra tenet conclusio. Et per hoc apparet, sanctos Patres, Græcos nimirum, & Latinos inter sese, nullatenus esse repugnantes.

Auctor reconciliat duas sententias sanctorum Patrum.

Tertia conclusio. Titulo libri Apocalypseos, qui plane est [Apocalypsis Iesu Christi] addere proculdubio possumus ly [Hæc est:] ita vt legamus: [Hæc est
E Apocalypsis Iesu Christi.] Quæ quidem additio non est rei, sed officij, quæ vere proprie expositio vocatur. Probatur. Tum quia talis additio non repugnat huic Scripturæ sacræ, nec sensui à Spiritu sancto intentõ, neque sanctæ Matris Ecclesiæ dogmatibus. Ergo potest fieri à doctoribus, cum doctores ad hoc sint in Ecclesia Dei, & ex superioribus liquet. Tum quia Ecclesiast. 25. dicitur: [Quam magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam.] & Matth. 9. [Scrutamini

3. assertio. Additio officij potest fieri ad librum Apocalypsis.
1. Ratio.
2. Ratio.

ni scripturas, quia ipsę testimonium perhibent de me.] Et Matth. cap. 10. [Quæ dixi vobis in tenebris, prædicate in lumine;] quod perinde est ac diceret; Quod per allegorias, & ænigmata ac etiam comparationes dixi, aperte & dilucide vos explanate. Ita D. Gregorius. Ergo &c. Tum quia illa appellatur additio officij, siue expositio, quæ est interna & intrinseca alicui scripturæ, cui adiungitur, aut additur, & quæ præterea in tali scriptura, latenter, occulte, & implicite continetur. At in hoc titulo [Apocalypsis Iesu Christi,] eminenter, & virtualiter continetur ly [Hæc est:] ita vt legamus sic: [Hæc est Apocalypsis Iesu Christi;] alioquin lectio prælibati tituli truncata remaneret: igitur talis additio est officij, siue expositio; & per consequens secunda huius conclusionis pars manifesta remanet. Et idem prorsus de alijs titulis aliorum prophetarum librorum, Isaię nimirum, Amos, &c. dicendum proculdubio est, vt in explanatione textus indicauimus.

3. Ratio.

4. assertio. A ditiones seu officij siue adnotat. aut exp. sit. sacrorũ librorũ potest Papa cognoscere, & examinare.

Quarta conclusio. Examinare, & determinare, an hæc nostra additio officij, vel expositio, quam ad titulum libri Apocalypsis adiunximus; & an etiam omnes aliæ sanctorum patrum additiones officij, siue expositiones ad sacram Scripturam; sint consonæ, legitimæ, rectæ tam sensui, à Spiritu sancto intento quam sanctæ Ecclesiæ dogmatibus, necne, spectat ad summum Pontificem, qui est caput totius Ecclesiæ militantis. Probatur; quoniam ad Papam spectat determinare vel interpretari ea, quę sunt fidei, & quid sit hæresis, & quis sit hæreticus, vt tenent omnes Theologi Catholici, inter quos est Augustinus de Ancona, in sua summa de Ecclesiastica potestate, quæst. 28. Ioannes de Turrecremata, in quatuor libris de Ecclesia, Caietanus in suis Opusculis, Paludanus in tractatu de Potestate Papæ. Magister, Cano lib. 3. de locis, Magister Victoria in relationibus, de Potestate Ecclesię, Sandarus de Monarchia Ecclesiastica, Albertus Pyghius Campensis, in 6. lib. de Hierarchia, Stapletonius in primis Controuersijs aduersus hæreticos. Robertus Bellarminius, tom. 1. suarum controuersiarum, & Magister Blasius Nauarro Valentinus, lib. de potestate Ecclesiæ. At præfata omnia sæpenumero accidunt, dicendo aliqua contra articulos fidei, vel contra Conciliorum sanctorumque Patrum determinationem, vel asseuerando aliquid contra sacræ Scripturæ approbatam expositionem, eo quod hęreticus est quicumq; aliter intelligit sacrã Scripturam, quã Spiritus sancti efflagitat sensus ac intentio. Igitur ad summum Pontificem spectabit cognoscere, an præfatæ additiones officij, siue expositiones doctorum sint accomodatæ, necne. Maior, præter id, quod sit tantorum doctorum, probatur, eo quod ad illum spectat determinare, quæ sint fidei, & quid sit hæresis, quidue sit hæreticus: qui est caput totius Ecclesiæ. At iste solus est summus Pontifex Romanus Vicarius Christi ac successor Petri, pro cuius fide rogauit ipsemet Christus dicens, Lucæ 22. [Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Igitur captiuare debemus intellectum nostrum in obsequium Christi in his, quę Papa legitimus Episcopus orbis, & vrbis determinat, vel circa fidem interpretatur.

1. Ratio. Aug. de Ancona. Turrecrem. Caietan. Paludan. Cano, Victoria. Sandarus. Albert. Pygh. Stapleton. Bellarminus. Blas. Nauarro

Consectariũ satis vtile.

Ex dictis autem colligere licet, opus scholasticum Magistri sententiarum, & omnia opera D. Thomæ, & quoduis aliud opus scholasticum, siue positiuũ quorũ libet doctorum, non esse ipsam scientiam, quam sacram Scripturam appellamus, sed expositiones siue additiones officij ad ipsam sacram scripturam; circa quas Papa in dies potest cognoscere, an tale opus à sacra Scriptura, & à dogmatibus Ecclesiæ, & à fide orthodoxa, ac etiam à sanctorum Patrum, qui Spiritu sancto inspirati fuere, expositionibus deuiet, necne.

DISPVT. II.

In Cap. primum Apocalypseos de Reuelatione.

In quatuor Quæstiones distributa super illa verba, *Apocalypsis Iesu Christi.*

Prologus Disputationis.



VIA totum hoc opus est de Reuelationibus, Archiprophetę Ioanni à Deo factis, idcirco ratio ipsa postulare videtur hic à prima fronte aliquid de reuelationibus pertractare. Circa eas igitur quatuor inquiro. Primum. An Apocalypsis Ioannis sit diuina reuelatio. Secundum, An D. Ioannes possit esse certus, quod à Deo fuerint reuelationes, quas in Apocalypsi habuit. Tertium, An Apocalypsis sit communis & Catholica reuelatio, an vero priuata. Quartum, & postremum, An Apocalypsis cadat sub habitu fidei.

Quæstio prima. Vtrum Apocalypsis Diui Ioannis sit diuina Reuelatio?



RO parte negante sunt hæc argumenta: P. Illam appellamus diuinã reuelationem, in qua reuelans est Deus. At nullibi constat Deum locutũ fuisse D. Ioanni. Etenim nullus purus homo vidit Deum; iuxta illud Ioan. 1. [Deum nemo vidit vmquam] & per consequens nullus purus homo habuit vmquam reuelationem aliquam immediatã à Deo; ergo Apocalypsis Ioannis nõ est diuina reuelatio. Secundum. Si Apocalypsis Ioannis esset diuina reuelatio, maxime colligeretur ex eo, quod est diffusa per orbẽ, & à multis recepta. Sed hæc ratio est nulla; quoniam secta Mahometica dimidiam partem orbis vniuersi fere nunc occupat, nullis miraculis corroborata; & tamen constat à dæmone dictatam fuisse Mahometo: ergo, &c. Tertium. Psalmographus Psal. 115. sic ait: [Omnis homo mendax,] id est omnis homo potest mendacium proferre, vel falsum dicere. Atqui D. Ioannes fuit homo, ergo potuit in hac Apocalypsi mendacium aliquod nobis proponere. Quartum & postremum argumentum. Reuelatio, & visio vnum & idem sunt: at visio fit in somnijs iuxta illud Genes. 37. [Vidi per somnium quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare me:] & Genes. cap. 41. [Post duos annos vidit Pharao somnium: putabat se stare super fluuium, &c.] ergo reuelatio fiet etiam in somnijs. Sed sic est, quod somnia semper sunt falsa, vt tenent omnes Epicurei, affirmantes omnia somnia esse vana; ergo omnis etiam reuelatio, erit vana, & nulla dabitur reuelatio diuina.

Apocal. sit ne diuina reuelatio
1. argum.
2. argum.
3. argum.
4. argum.

Pro decisione præmitto Primo, quod reuelatio est manifestatio alicuius veritatis, mediante aliquo lumine. Etenim ex Philosopho habemus intellectum nostrum esse veluti tabulam rasam, in qua nihil est depictum, & per consequens quamcumque formam recipere posse. Et alibi nullum hominem esse natura sapien-

1. fundam. Reuelationis diffinitio. Aristoteles 3. lib. de anima. 1. lib meth. c. 1. & 6. & Eth. c. 11. & 3 lib. de anima c. 5

fapientem: & præterea, homines malorum partem vitæ ducere in errore. Quamobrem cum homo ad aliquas veritates capeſſendas accedit, dicimus, tunc tales veritates ſibi manifeſtatas fuiſſe à ſuo præceptore, & per conſequens ſibi reuelatas ab illo magiſtro. Quamobrem; reuelare, idem prorſus eſt, quod manifeſtare id, quod opertum, tectum, vel clauſum eſt. Et quia quemadmodum viſus abſque lumine non poteſt percipere colores, vt tenet Philoſophus, quæ ſunt obiecta; ita etiam intellectus noſter non poteſt intelligibilia percipere, nec veritates aliquas intelligere abſque aliquo lumine, quod etiam Philoſophus probat in naturalibus de lumine naturali. Ideo recte dictum fuit in definitione propoſita, reuelationem eſſe manifeſtationem alicuius veritatis cum aliquo lumine. Hinc plane eſt, quod cum præter lumen naturale detur lumen ſupranaturale, de quo dicit Propheta: [Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui;] diuidatur per conſequens reuelatio in naturalem, & ſupranaturalem; vel, vt aliter dicam, in diuinam, & humanam. Etenim homo ad profunda, operta, tecta, obſcura, & clauſa intelligenda, dupliciter promoueri poteſt, nimirũ, doctrina Magiſtri, & raptu Dei. Phyſicales namque, ac naturales veritates intelligit homo doctrina magiſtri, & lumine naturali: ſupranaturales vero veritates intelligit homo raptu Dei, & lumine ſupranaturali. Ideo actus ille, quo magiſter, vel præceptor docet hominem veritates naturales, bene poteſt, communiter loquendo, appellari reuelatio, & manifeſtatio: attamen vere, & proprie dicitur eruditio. Idcirco homo dicitur bene vel male eruditus à ſuo præceptore. Actus vero ille, quo homini in raptu à Deo manifeſtantur abſcondita, & tecta, quæ omnino exuperant eius intellectum, communiter loquendo, poteſt quidem eruditio appellari, quia in illo actu Deus ſe habet veluti magiſter, & præceptor docens, ac proponens; veruntamen vere, & proprie reuelatio nuncupatur. In qua quidem reuelatione Deus ſemper eſt proponens, iuxta illud Dan. 2. [Eſt Deus in cælo reuelans myſteria.] & Iſa. 40. [Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum eſt.] & 1. Cor. 2. [Vobis reuelabit Deus per Spiritum ſuum.] & 1. Cor. 14. [Spiritu loquitur myſteria.] & Dan. 2. [Vere Deus noſter Deus deorum eſt, & Dominus regum, & reuelans myſteria.] & Amos 3. [Non facit Dominus verbum, niſi reuelauerit ſecretũ ſuũ ad ſeruos ſuos Prophetas.] Hinc quippe eſt, quod cum Chriſtus multa Apoſtolis reuelauerit, ipſe Magiſter dicatur, iuxta illud Ioan. 3. [Scimus, quia à Deo veniſti Magiſter.] Vnde Concilium Tridentinum de Chriſto ſic ait: [Si quis dixerit Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt Legiſlatorem cui obediant, anathema ſit.] Quæ verba Iſaias prædixit, dicens in cap. 55. [Teſtem populis dedi eum, Ducem, & Præceptorem Gentibus.] Præceptor autem idem eſt, quod docens, ſiue proponens. Quamobrem reuelatio, proprie loquendo, eſt opus Dei: eruditio vero eſt opus magiſtri. Nihilominus tamen diuiditur reuelatio in diuinam, & humanam, quarum diuina definitur, manifeſtatio alicuius veritatis ſupranaturalis, vel naturalis, mediante lumine ſupranaturali. Vtraſque namque veritates, nimirũ, naturales, & ſupranaturales, Deus poteſt hominibus extemplo manifeſtare lumine ſupranaturali. De ſupranaturalibus nulli eſt dubium, cum eæ ab auctore ſupranaturali dumtaxat reuelari queant, iuxta illud: [Quis nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?] De naturalibus vero docet Apoſtolus ad Ro. 1. [Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, (id eſt Philoſophis) Deus enim illis manifeſtauit.] Et vt intelligeremus, hanc manifeſtationem eſſe veritatum naturalium, illico ſubiungit: [Inuiſibilia enim Dei, per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi, intellecta conſpiciuntur.] Quo loco paſſim animaduertas oportet, Deum aliter reuelare veritates naturales, & aliter veritates ſupranaturales; quoniam naturales tantum reuelat infuſione luminis ſupranaturalis, non autem ſua propoſitione, aut doctrina. At vero veritates ſupranaturales reuelat Deus, non tantum infuſione noui luminis, verum etiam doctrina, & magiſterio. Etenim tunc ſe habet Deus, vt ſuper diſtulimus, tamquam magiſter proponens: & in hoc ſenſu intelligitur illud Ioan. 6. [Omnis, qui audit, & didicit à Patre meo, venit ad me.] Reuelatio vero humana definitur, manifeſtatio alicuius veritatis naturalis, mediante lumine naturali.

Reuelare idem eſt quod manifeſtare. — *Comparatio.* — *Reuelationis diuiſio.* — *Veritates dupliciter intelligunt homines.* — *Eruditio quid ſit vere, & proprie.* — *Reuelatio quid ſit vere, & proprie.* — *Reuelatio diuina habet Deum proponentem.* — *Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 21.* — *Reuelatio eſt opus Dei. Eruditio eſt opus magiſtri.* — *Reuelatio diuina quid ſit.* — *Reuelat Deus veritates tã ſupranaturales, quam naturales.* — *Iſa. 40. 1. Cor. 2.* — *Reuelat Deus veritates ſupranaturales & naturales diuerſimode.* — *Reuelatio humana quid ſit.*

Præmitto ſecundo, quod innumeri ſunt hæretici, ſacram Scripturam, vel partem eius damnantes, vt patet in libris D. Auguſtini, & D. Damaſceni de hæreſibus. Quidam enim illorum, nihil de ſacra recipiunt Scriptura: quidam vero vetus teſtamentum nullatenus recipiunt, vt Manichæi, aſſeuerantes vetus Teſtamentũ eſſe à malo principio: quidam tandem illorum, vetus, ac nouum admittunt Teſtamentum; verum non tantum nouum integrum, ſed ſecundum aliquas ſuas partes, in quibus adhuc male pleraſque intelligunt auctoritates, vt perſpicuum, ac planum fit ex illo ad Roman. 14. [Qui infirmus eſt, olera manducet:] & ex illo Matt. 6. [Non quod intrat in os, coinquinat hominem:] ac etiã ex illo Iacob. 5. [Confitemini alterutrum peccata veſtra.] Quoniam ex his, & etiam ex alijs innumeris noui Teſtamenti locis circa ieiunia, confeſſiones, & ſacramenta, miſeri hæretici errarunt. Porrò Iudæi non admittunt nouum Teſtamentum, nec in integrum, nec ſecundum aliquam ſui partem. Sarraceni tandem aliquid vtriuſque Teſtamenti recipiunt: quoniam immũdus Mahometus ex vtroque Teſtamento, male intellecto, innumeras immunditias ſuis immiſcuit ſequacibus.

2. Fundamentum. Hæretici nõ recipiunt totam ſacram Scripturam. D. Aug. D. Damaſc. Hæreticorum errores circa ſacræ Scripturæ receptionem. — *Iudæorum error.* — *Sarracenorũ error.*

Præmitto tertio, quod quemadmodum in quauis ſcientia, & arte, dantur prima principia, contra quæ negantes non eſt arguendum, veluti ſi quis negaret hoc primum principium naturale: [Omne totum eſt maius ſua parte,] vel hoc aliud: [Si ab æqualibus æqualia demas, quæ ſuperſunt, ſunt æqualia;] contra illum non eſſet arguendum; quoniam ſcientiæ non argumentantur ad ſua principia probanda, ſed ex ipſis principijs argumentantur ad aliquid oſtendendum in ipſis ſcientijs. Quamobrem in quauis earum nulla argumentatio adhibetur aduerſus principia illarum negantes; quinimmo intacta argumentatione probationem ſuorum principiorum relinquunt ſuperiori ſcientiæ, nimirum, Metaphyſicæ, cuius ſolius intereſt principia aliarum ſcientiarum argumentis probare, cum ipſa ſit earum omnium regina. Pari etiam modo in Theologia (quæ nobilitate, & excellentia, ceteras mirum in modum excellit ſcientias, quarum omnium, reſpectu de illa dici poteſt illud Iſai. 55. [Sicut exaltãtur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris;] prima principia, quæ ſunt articuli fidei, ad quos probandos non argumentantur Theologi, ſed ex eis procedunt ad aliquid oſtendendum. Quemadmodum Apoſtolus 1. Cor. 6. ex reſurrectione Chriſti, ad noſtrã reſurrectionem probandam argumentatur. Hinc quippe eſt, quod, ſicut dum Metaphyſica contra negantes ſuarum ſcientiarum pediſſequarum principia argumẽtatur, & non abſolute, ſed cum diſtinctione. Nam ſi aduerſarius aliquid de præfatis principijs concedit, diſputat; ſi vero nihil de illis admittit principijs, nequit cum eo diſputare, ſed tantum ſoluere rationes ipſius aduerſarij, vt recte innuit D. Th. 1. p. q. 1. a. 8. dicens: [Si aliquis infidelis aliquid concedit de fidei articulis, vel ex his, quæ habentur per reuelationem, poteſt Theologus contra eum argumentari, ſicuti per auctoritates ſacræ Scripturæ argumentamur contra Iudæos; & ex vno articulo, contra negantes alium, inſiſtimus. Ceterum ſi aduerſarius nihil admittat de articulis fidei, nec minus credat aliquid ex diuinitus reuelatis, Theologò nullatenus remanet amplius via ad probandum reuelata, ſacram Scripturam, nec minus articulos fidei.] Sic ille.

3. Fundamentum. Prima principia ſcientiarum. Contra negãtes prima principia nõ eſt arguendum. — *Comparatio.* — *Theologia alias excellit ſcientias.* — *Articuli fidei ſunt prima principia Theologiæ.* — *Nota bene.* — *S. Thom.* — *Articulus vnus eſt via ad probationẽ alterius.*

1. Assertio. Reuelationes diuinæ factæ sanctis Patribus.

Prima assertio. Permultæ, ac pæne infinitæ reuelationes diuinæ, Patribus, & Prophetis veteris Testamenti, ac legis Moysi factæ fuerunt, quibus Deus sua arcana reuelauit. Hæc est de fide, & probatur: Tum quia Nabuchodonosor vidit somnium, vt habetur Dan. 2. quod cum discessisset ab illo, ipsummet somnium cũ sua interpretatione Danieli reuelatum fuit, ita vt Nabuchodonosor prorsus admiraretur. Tum quia Pharao per somnium septem boues, ac septem spicas vidit, cuius visionis interpretatio reuelata fuit Iosepho, vt legitur Genes. 41. Quamobrem Pharao Iosepho dixit: [Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ loquutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, &c.] Tum præterea, quia Deus Dauidi incarnationem Verbi reuelauit, dicens, Psalm. 9. [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.] Abrahæ etiam Gen. 22. sub his verbis: [In semine tuo benedicentur omnes Gentes, quia obedisti voci meæ.] Patriarchæ etiam Iacob Gen. 49. per hæc verba: [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.] Tum denique quia Moysi multa reuelauit Deus. Quoniam per totum Exodum, Leuiticum, Deuteronomium, & etiam per Numeros, sæpissime, ac passim habentur hæc verba: [Loquutus est Dominus ad Moysen.] & hæc alia: [Sic dices filijs Israel.] & mox: [Qui est, misit me ad vos.] & iterum: [Ego sum, qui sum.] & paulo post: [Vade ad Pharaonem.] ac etiam: [Vade ad populum.] & pleraque alia his similia; igitur manifestum est, Patribus veteris testamenti reuelationes diuinas a Deo factas extitisse.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4 Ratio.

2. Assertio. Reuelationes diuinæ factæ Apostolis.

Secunda assertio. Euangelistis, Apostolisque noui Testamenti, reuelationes diuinæ à Deo in natura assumpta, facta fuere permultæ. Hæc est de fide, & constat ex illo ad Heb. 1. [Multifariam, multisque modis olim Deus, loquens Patribus in Prophetis, nouissime autem diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.] & ex illo Matth. 12. [Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis,] nimirum Apostolis, & Euangelistis, Patribus futuræ prolis Christianæ; & etiam ex illo, 1. Cor. 2. [Nobis (nempe Apostolis, & Euangelistis) reuelauit Deus per spiritum suum.] ac etiam ex illo Lucæ 12. [Nihil opertum, quod non reueletur.] Constat porro ex futuris, quæ Deus, nimirum Verbum incarnatum, Apostolis, & Euãgelistis prædixit per hæc verba, Luc. 21. [Erunt signa in sole, & luna, & stellis.] & Matth. 12. [Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.] & Act. 1. [Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.] Quibus plane verbis Christus Dominus Apostolis, & Euangelistis suis, futurum iudicium, illorum beatitudinem, cõuersionem orbis, ac etiam eorum futuram prædicationem prædixit. Igitur assertio proposita, & vera, & de fide est.

3. Assertio. Sacra Scriptura innititur Deo reuelanti.

Tertia assertio. Tota sacra Scriptura tam veteris, quam noui Testamenti sub reuelatione diuina stat, Deo reuelanti innitens. Hæc est etiam de fide, & nihilominus probatur his rationibus.

1. Ratio.

Prima ratio. Lucæ 1. Zacharias sic est affatus: [Sicut loquutus est (nimirum Dominus Deus Israel) per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius.] Et Virgo Maria in hæc verba prorupit: [Sicut loquutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sæcula.] Tum etiam 2. Pet. 1. sic habetur: [Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.] & Matth. 10. [Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.] & Luc. 12. [Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri.] & Ioann. 14. [Paraclitus autem, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] & Ioan. 15. [Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] & Isai. 54. [Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino.] & 1. Cor. 2. [Quæ enim Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei: nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.] Hinc proculdubio est, quod Prophetæ omnes, ac etiam Euangelistæ, & Apostoli in suis scripturis sacris, ac canonicis sic communiter loquuntur: [Hæc dicit Dominus Deus.] & iterum: [Loquutus est Dominus ad, &c.] ac etiam: [Verbum Domini, quod factum est ad, &c.] Quo loquendi stylo, apparet, Dominum per eorum ora loquutum fuisse. Quamobrem in symbolo Nicæno dicitur: [Credo in Spiritum sanctum, &c.] & paulo post: [Qui loquutus est per Prophetas.] & in septima generali Synodo, cap. 1. sancitur, ne quis ad Episcopatum promoueatur, quin prius interrogetur, an noui, & veteris Testamenti vnum & eumdem credat auctorem Deum. Et in Conc. Trid. sess. 4. sic statuitur: [Vtriusque Testamenti Deus est auctor.] Igitur tota sacra Scriptura proculdubio veteris, & noui Testamenti stat sub reuelatione diuina, Deo reuelanti innitens.

Symbolum Nicænum.

Concil. Trid.

2. Ratio. Testis falsus nequit esse Deus.

Secunda ratio. Deus non potest esse testis falsus, cũ sit ipsamet veritas. At Patres veteris, & noui Testamẽti, prædicando sacram Scripturam, semper inuocabãt Deum, & Deus sic inuocatus ab illis, vt ostenderet eorum doctrinam esse veram, pleraque patrauit opera sibi propria, nimirum miracula, vt patet in mortuis ab Elia, Eliseo, Petro, & alijs Apostolis resuscitatis; claudis, cæcis, mutis, & surdis ad sanitatem ab ipsismet Apostolis extemplo restitutis; per quæ plane miracula testificatus est Deus, verum esse, quod isti prædicabant. Igitur clare habetur intentum. Hinc Richardus 1. lib. de Trinitate c. 2. sic scribit: [Domine, si est error, à te decepti sumus; nam tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri possint; tu enim es Deus, qui facis mirabilia.] Quod si negetur, in prædicatione sacræ Scripturæ miracula nullatenus fuisse facta; contra istud argumentatur D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 5. per hæc verba: [Si ista miracula facta esse non creduntur, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quod iam terrarum orbis sine vllis miraculis credit.] Multa insuper alia ibi scribit Augustinus notatu digna, circa conuersionem Orbis per Apostolos, homines ignobiles, infimos, pauciss mos, ac imperitos, quod plane miraculum fuisse maximum, nemo, nisi insipiens, negare potest.

Miracula operata p sanctos Patres.

Richardus.

D. August.

Miraculum ingens.

4. Assertio. Apocalypsis est diuina reuelatio.

Quarta assertio. Apocalypsis est reuelatio diuina. Hæc directe satisfacit quæstioni, & etiam est de fide. Quamobrem, licet per ea, quæ tribus superioribus assertionibus dicta fuere, probari queat; corroboratur tamen adhuc his rationibus.

1. Ratio.

Primò quidem, quia reuelatio diuina illa nuncupatur, in qua reuelans, & proponens, est Deus, vt ex primo nostro fundamento liquet. At in tota Apocalypsi Deus est reuelans, & proponens D. Ioanni; igitur Apocalypsis erit diuina reuelatio. Minor probatur: quoniam futura contingentia nullatenus possunt certitudinaliter præuideri, sciri, ostendi, declarari, notificariue alicui, nisi à solo Deo, iuxta illud: [Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quod dij estis vos.] Idcirco Glossa super illa verba Dan. 2. [Est Deus in cælo reuelans mysteria;] aperte tenet, solum Deum habere scientiam futurorum contingentium. Accedit, quod Theologi scholastici intrepide tenent, solam scientiam diuinam cognoscere futura contingentia, non solum prout sunt in suis causis, verumetiam prout vnumquodque eorum est actu in seipso, vt videre licet apud Sanctum Thomam 1. p. q. 14. a. 13. Ferrariensem 1. contra Gentes cap. 67. D. Bonauenturam 1. sent. dist. 35. quæst. 39. art. 2. Alexand. Alensem 1. p. summæ quæst. 28. memb. 3. art. 4. Scotum 1. sent. dist. 38. Mayronem 1. lib. sentent. dist. 38. Petrum de Palude 1. sent. dist.

Isa 41.

Gloss. ordin.

Futura contingentia solus Deus cognoscit.

S. Thom. Ferrarien. D. Bonauent. Alex. Alen. Scotus. Mayro. Pet. de Palu.

Caietan. Franc. Zumel Dom. Bañes.

dist. 38. Caietanum, Franciscum Zumel, & Dominicum Bannes in Commentarijs in p.p. D. Tho. At Ioannes in Apocalypsi à primo capite, vsque ad vltimum semper narrat & prædicit ea, quæ futura sunt vltimis temporibus, & animabus beatis, ac etiam beandis, vt videre licet in cap. 5. vbi dicitur: [Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus:] Et cap. 3. [Qui vicerit, faciam illum columnā in templo Dei mei.] Et, vt vnico verbo dicā, à primo capite vsq: ad postremū semper narrat & prædicit vates Ioānes, maiori ex parte ea quæ futura sunt Ecclesiæ Dei, vt fiet perspicuum, & planum, singula capita Apocalypseos inspicienti. Igitur solus Deus, de quo psal. 118. dicitur: [Principium verborum tuorum veritas,] potuit illum instruere, & ex consequenti habetur intentum.

2. Ratio. S. Thom.

Præterea, habetur ex sancto Thoma 3. par. quæst. 55. art. 1. quod ea, quæ cognoscuntur, quædam cognoscuntur communi lege naturæ, quædam autem (B) cognoscuntur ex speciali munere gratiæ. Insuper, ex primo nostro fundamento satis constat, ad ea, quæ naturaliter exuperant captum nostrum, non posse nos naturaliter peruenire, nisi, mediante raptu Dei, & virtute diuina. Ea autem, quę continentur, & narrantur in tota Apocalypsi, ita exuperant omnem sensum humanum & captum nostrum, vt D. Ioanni dicere possimus illud Eccles. 3. [Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi;] quoniam in Apocalypsi Aquila Euangelij Ioannes eleuauit se supra se; igitur Apocalypsis est opus Dei & diuina reuelatio.

3. Ratio. Conc. Trid.

Porro Apocalypsis continetur inter reliquos libros canonicos noui Testamenti, vt patet in Concilio Tridentino sess. 4. quod nos etiam infra probabimus. Tum etiam Angelus Dei immediate proposuit D. Ioanni (C) hæc mysteria Apocalypsis, vt etiam infra patebit. At Deus est auctor omnium librorum Canonicorum, vt nuper retulimus, tam noui, quam veteris Testamenti, & insuper reuelationes diuinæ hominibus per Angelos deferuntur, vt tenet S. Thom. 2. 2. quæst. 172. & 3. par. quæst. 55. art. 2. Igitur diuina reuelatio erit Apocalypsis.

S. Thom.

4. Ratio.

Rursus reuelatio illa, in qua veritas reuelata exuperat ac excedit intellectum nostrum, diuina proculdubio est. At omnes veritates reuelatæ in Apocalypsi Ioannis, mirum in modum exuperant, & transcendunt mentem nostram, & ad illas capessendas, intelligendasq; intellectus noster solo lumine naturali nullatenus potest peruenire, nisi diuino adiuuetur lumine; igitur Apocalypsis est diuina reuelatio. (D)

Difficultas.

Sed dices, Esto quod Apocalypsis sit Ioannis Apostoli & Euangelistæ, liberque sit noui Testamenti. Ne immoremur in his; sermo namque erit infra, An hæc Apocalypsis sit Ioannis Apostoli: sit ne insuper liber Canonicus noui Testamenti. Verumtamen modo supposita fide, vnde constat Deum loquutum fuisse D. Ioanni ad hoc, vt, supposita fide, asserere possimus, D. Ioannem, diuina reuelatione loquutum fuisse in hoc suo opere? Similis quidem difficultas de alijs quibusuis Prophetis, nimirum Moyse, Elia, Iosue, Dauide, Salomone, Isaia, Ezechiele, & reliquis efformari plane potest ac etiam de alijs Euangelistis, quęrendo de illis omnibus, vnde constat loquutos fuisse diuina reuelatione?

Prophetæ loquuti sint ne diuina reuel. Nota bene.

Reuelat. diuina loquuti sunt Prophetę

Respondeo tamen afferendo, oportere, quod auctoritati eorum, nimirum tam Ioannis Apostoli, quam (E) aliorum Prophetarum & Euangelistarum; quibus reuelatio facta est, credatur. Quoniam ipsimet suo stylo loquendi, communiter in suis scriptis Deum statuunt proponentem, vel eius Angelum; quoniam Ioannes in hoc opere sic est affatus: [Mittens per Angelum suum, seruo suo Ioanni.] Alij vero Prophetæ sic communiter loquuntur: [Hæc dicit Dominus,] vel, [Loquutus est Dominus ad me, dicens;] vt apparet supra in hac quæst. assert. 3. ratione 1. Hinc plane est, quod tam D. Ioannes, quam alij Prophetæ, & Apostoli pleraque patrarunt signa & miracula, omnem potestatem naturalem excedentia, in testimonium eorum, quæ dicebantur & prædicabantur ab ipsis ex parte & iussu Dei. Quibus proculdubio manifeste apparebat, Deum esse auctorem talium verborum, cum vniuersa natura, & etiam Angeli nullatenus vires habeant ad mortuos resuscitandos, ad futuraque prædicenda, vt videre est apud D. Augustinum lib. de Doctrina Christiana, & 22. de Ciuitate Dei, cap. 5. & 6. & lib. 12. de Ciuitate etiam Dei cap. 5. & apud S. Thom. p. contra gentes cap. 6. & alibi, & nos etiam supra in hac eadem quæstione, assert. 3. ratione 2. asseruimus. Quamobrem cum Ethnici suis facile credant erroribus, & Deus insuper noster adeo verus sit, vt testis falsus nullatenus esse possit; sequitur, oportere illis, vt auctoritati tam Ioannis, quam aliorum Prophetarum, & Euangelistarum, quibus reuelatio facta est, credant. Hinc D. Augustinus loco citato, sic ait: [Profecto, qui historijs rerum non credit, indignus est, qui inter homines viuat; si enim Græcorum, & Romanorum historijs fides habetur, quæ sunt sæpe ab improbis viris conscriptę; quanto magis debemus fidem adhibere historijs hominum, vitæ sanctitate insignium, quales sunt Prophetæ, & Euangelistæ? præcipue tamen cum eadem plures eodem prorsus modo narrent:] & paulo post: [Sed age (inquit Augustinus,) si sine vlla miraculorum exhibitione, Apostoli fidem Catholicam prædicarunt, quale miraculū est, homines pauperes, omni humano præsidio destitutos, simplices, illitteratos, & ignotos, totum fere orbem terrarum breui temporis spatio ad se traxisse, & præcipue cum ea prædicarent, quæ supra omnem captum erant? Hoc sane, inquit, miraculum maximum fuit.] sic ille.

Deus est auctor verborū Prophetarum. Natura nequit resuscitare mortuos. D. August. S. Thom.

D. August.

Fides maior est adhibēda Prophetis & Euange. quā cuilibet aliæ historiæ humanæ.

Miraculū maximum.

Solutiones ad Argum. contrariorum. Deus dupliciter loquitur, immediate, & mediate.

Ad primum vero Argumentum respondetur, Deum loqui, dupliciter posse accipi, nimirum, immediate, & mediate. Cum namque per semet loquitur, immediate loquitur, dum vero per Angelos suos loquitur, mediate loquitur; quemadmodum Rex aliquando ore proprio, aliquando vero per ministros suos populo sibi commisso loquitur. Primo igitur modo, nimirum immediate, nulli puro homini est vmquam alloquutus, vt probat argumentum; at vero secundo modo, nimirum mediate per Angelos, omnibus est loquutus Prophetis, & etiam D. Ioanni. Et hoc sufficit ad illuminationem, & diuinam reuelationem, vt tenet S. Tho. 2 2. q. 172. & 3. p. q. 55. art. 2.

S. Thom.

Apoc. quare dicatur diuina reuelatio,

Ad secundum dicitur, quod Apocalypsis non appellatur diuina reuelatio ex eo, quod sit diffusa per orbem, sed ex eo, quod sit reuelata à Deo. Et hinc est, quod sit diffusa per orbem. Ad illud vero quod subiungitur de Mahometo, dico, quod homines, cum carni potius, quam spiritui obediant, facillime quæ carnis sunt, amplecti. Cum autem leges Mahometi carnales sint omnino, hinc facilius, ad eas amplectendas & obseruandas, alliciuntur, & excitantur, tamquam eorum libidini consentaneas. Sacra autem Scriptura ea, quæ carni & sanguini maxime fauent, omnino prohibet, vt recte annotauit S. Tho. 1. contra Gentes. cap. 6. Et quamuis maledictus Mahometus aliqua in sua secta ex vtroque immiscuerit testamento, tamen ea secundum carnem & sanguinem prorsus intelligit, vt nuper retulimus in nostro secundo fundamento.

Mahometi leges sunt carnales.

S. Thom.

Explicatur optime locus psal. 115. D. Greg.

Ad tertium plana & facilis est solutio, asserendo, Psalmographum minime intellexisse, omnem hominē, absolute loquendo, mendacem esse, alioquin recte inferretur illud D. Gregorij sophisma, qui in lib. 22. moralium, cap. 15. contra Psalmistam sic ait: [Si omnis homo mendax, ergo & tu, & ex consequenti erit falsa sententia, quam ipse mendax protulit, dicens: Om-

Mendax non est ois homo.

Mēdax est ois homo in se confidens.

Incognitus. Iansen. Iacob. de Valentia. Genebrard. Raynet.

Omnis homo mendax, si vero ipse sit non mendax, vera iam sententia non erit, quia dum tu verax es, non omnis homo cognoscitur mendax.] Sic ille. Intelligit itaq; Psalmista de omni homine in se confidente, ita vt sit sensus: [Omnis homo de se confidens mendax est:] Ita dispungunt Incognitus, Iansenius, Iacobus de Valentia, Genebrardus, Raynerius, Snougoudanus, & alij grauissimi adstipulatores in Psalmos. Omnem hominem de se confidentem esse mendacem, asserit Apostolus ad Galat. 6. sub his verbis: [Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.] Ex illo igitur principio eiusdem Psalmistæ, dicentis de Deo: [Principium verborum tuorum veritas;] probari facile potest aduersus infideles, vt dicitur in tertio nostro fundamento, Ioannem, aliosque Prophetas, & Euangelistas veraces semper fuisse, cum ipse sit testis eorum, quæ ab ipsis prædicabantur, ac narrabantur, cui soli ipse Ioannes, & alij Prophetæ, & Apostoli nihil de se præsumentes, omnia attribuebant: quiuis namque eorum dicebat illud Apostoli [Gratia Dei sum id, quod sum:] Et alibi: [Omnia possum per eum, qui me confortat;] & illud Iacobi 1. [Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.] Prædicabant namque Apostoli totis viribus aduersus inanem gloriam. Id propterea nihil de se præsumere poterant, nec minus aliquod nobis mendacium proponere.

Deus dat ol bonum.

Epicureorum sentētia falsa circa somnia.

D. Greg. Somniorū sex causæ.

Ad quartum dicimus, perspicuum esse, falsam & erroneam fuisse Epicureorum sententiam, asseuerantiū omnia somnia vana esse. Quamobrem ex Doctrina D. Greg. 4. li. Dial. tenentis somnia, aut ex plenitudine, vel inanitate corporis, aut ex antecedētibus diurnis cogitationibus, & curis, aut ex illusione dæmonis, aut ex reuelatione Dei, aut ex cogitatione hominis simul, & reuelatione Dei, existere: hanc exhaurio distinctionem somniorū, qua somnium in diuinum & naturale diuido, vt etiam diuisit Hypocrates lib. de Insomnijs. Ex quibus naturale semper est vanum, & de illo intelligitur illud Eccles. cap. 5. [Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates.] At vero diuinum, quod nimirum immittitur à Deo, & habetur per diuinam reuelationem, est semper verissimum, & plerisq; ac pæne infinitis mysterijs plenum, vt apparet in somnijs Abrahæ, Iacob, Ioseph, Pharaonis, Salomonis, & Danielis. Et de his intelligitur illud 3. Reg. 3. [Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo illi in visione, aut per somnium loquar ad eum.] Accedit ad hæc, quod Ioannes vigilando, hanc habuit à Deo reuelationem, quoniam illam obtinuit Dominica die, vt sermo erit infra.

Sōniorū diuisio.

Sōniū sup. naturale & diuinū semper verum.

Quæstio Secunda. Vtrum D. Ioannes possit esse certus, quod reuelationes, quas habuit in Apocalypsi fuerint à Deo?

Ioannes, fuit ne certus, q sua Apocalypsis fuerit à Deo?

1. argum.



ARS negans corroborari potest: Tum quia Propheta aliquando loquitur per spiritum proprium, aliquando vero per spiritum prophetiæ. At D. Ioannes, in hac Apocalypsi, Prophetæ nomen sortitur, iuxta illud Apoc. cap. 1. [Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ huius, &c.] Igitur ipse etiam in hoc suo opere aliquando loquetur per spiritum proprium, aliquando vero per spiritum propheticum. Sed, qui sic loquitur, non potest discernere semper, quid dicat per spiritum proprium, & quid per spiritum propheticum; ergo, minus poterit esse certus,

2. argum.

F quod reuelationes, quas habuit, sint à Deo. Tum quia ea, quæ sunt à Deo, semper sunt vera, cum Deus sit ipsamet veritas; sed sic est, quod in his reuelationibus, quas habuit Ioannes; potest esse falsum: igitur non potest esse certus, quod sint a Deo. Minor probatur; quoniam D. Ioannes in Apocalypsi annuntiat ea, quæ futura sunt sanctæ matri Ecclesiæ futuris temporibus Iudicij extremi, vt est manifestum. & sic est Apocalypsis prophetia de futuris contingentibus. At futura contingentia possunt non euenire; alioquin ex necessitate contingerent, quod aperte est falsum: igitur, &c. Tum denique quia si D. Ioannes posset esse certus, quod præfatæ suæ reuelationes essent à Deo, ex eo esset, quia tales reuelationes fuissent terminatæ in lætitia mentis suæ; atqui hæc ratio non inducit certitudinem, sed probabilitatem dumtaxat, quod sic ostendo. Diabolus sæpe fingit se angelum lucis, vt
G patet per Apostolum; ergo potest diabolus seducendo imprimere talem lætitiam in phantasia alicuius, ergo prælibatam lætitiam esse à Deo non est certum; sed dumtaxat, probabile, cum possit esse à dæmone hominem in errorem inducente.

3. argum.

1. fundam.

Reuelationē habēs quomodo possit habere cōiecturā, an illa sit à spiritu bono vel malo.

S. Anton. S. Thom. S. Catharina Senen.

Reuel. bonæ signum.

Reuel. malæ signum.

Pro decisione tamen, ad veritatem facilius indagandam, præmoneo, Primo. Illum, cui fit aliqua reuelatio occultorum per visionem corporalem, vel imaginariam, aut intellectualem, posse de eius auctoritate, an sit spiritus bonus, aut malus, coniecturam obtinere; per hoc, nimirum, si talis reuelatio in lætitia, aut in tristitia mentali terminetur. Quoniam à S. Antonio, à S. Thoma, à S. Catherina Senensi in dialogo edocta per Christum de hac re, & etiam à plerisque alijs Sanctis idipsum adhibetur signum.
H Asserunt namque hi sancti viri, quod si in lætitia mentali, talis reuelatio terminatur, ab Angelo bono esse, si vero talis reuelatio in tristitia mentali desinit, ab Angelo malo illam fuisse. Quoniam diabolus sæpe fingit se Angelum lucis, & mouendo phantasiam hominis aliquid in illa imprimit, vel, vt aliter dicam, aliquid illi reuelat. Verumenimuero eius reuelatio semper terminatur in tristitia mentali, licet incipiat à lætitia. Quamobrem inter Angelum malum, & Angelum bonum hoc grassatur discrimen, nimirum, quia in reuelando, Angelus bonus, incipit cum timore, & tamdem desinit in lætitia mentali. Quoniam apparitio Angelica, est nobis horrida, & illam veremur, sicut alia animalia verētur communiter hominē, eo quod natura inferior ad præsentiam superioris timet. Et hinc est, quod Angelus bonus in sua reuelatione à timore inchoat, quia rei natura hoc exigit; &
I quia vult ipse bonus Angelus hominem eleuare, & attentiorem reddere: ad quod talis perturbatio valet, statim confortat lumen intellectus illius, & sic talis reuelatio desinit in lætitia. Angelus autem malus incipit in reuelando, in lætitia, & suam reuelationem terminat cum timore: quoniam malus Angelus, supposito suo fine deprauato, mentem hominis per inanem gloriam intendit eleuare: & sic incipit à lætitia, vtpote qua hominem facile in errorem ducat. Et hoc fine acquisito, cessat eius actio in mentali tristitia, eo quod ipse Angelus malus in tali illusione, lumen intellectus hominis nullatenus confortat. Nam licet absolute loquendo, diabolus in reuelando possit lumē intellectus hominis confortare, tamen id numquam præstat; quoniam diabolus in tali reuelatione hominem fallere, illumq; in errorem inducere intendit, & sic illius intentioni, & proposito fini repugnat tunc
K mentem illius hominis confortare. Nam si lumen intellectus illius hominis confortaret, eius illusio dæmoniaca illico cognosceretur. Quamobrem desinit in tristitia, mouendo phantasma hominis lumine fortiori, quam sit naturale, vt inde ipsemet homo, melius sciat dubitare ea, quæ ipse diabolus illi proponit, faciens, vt illa dijudicare nesciat. Ex dictis itaque facile apparet, qualiter ille, cui fit reuelatio coniecturam habere queat, an illa sit ab Angelo bono, maloue.

Reuel. bona incipit cū timore, & finit cum lætitia.

Reuel. mala incipit cū lætitia, & finit cum timore.

Diabolus nūquā cōfortat lumen intellectus.

Præ-

2. fundam. Probabile quid sit. Certum quid sit.

Præmoneo secundo, quod probabile apud Phylosophum difinitur id, quod potest esse & non esse: certum autem dicitur illud, quod aliter non se potest habere. Quamobrem ille, qui habet probabilitatem de aliqua re, ineuidentiam circa illam obtinet, ille vero, qui habet certitudinem, euidentiam plane possidet, nisi fuerit certitudo fidei, quæ proculdubio est de non visis, & ex consequenti, de ineuidentibus. Hinc ortum habet discrimen inter prophetiam & fidem. Quoniam fides est cognitio certa ineuidens, prophetia vero dicitur, cognitio certa euidens, vt perspicuũ & planum apparet apud S. Tho. 2.2.q 171.ar.5.& q.133.ar.4.& q.1.art.1. Ex quibus omnibus liquet certitudinem propheticam esse certitudinem euidentiæ ad ipsum Prophetam. Locum insuper hic habet illa Theologorum diuisio, qua certitudo diuiditur per certitudinem euidentię, & per certitudinem adhæsionis per fidem.

Prophetia differt à fide. S. Thom. Certitudo Prophetica est certitudo euidentiæ. Certitudinis diuisio.

B

3. fundam. Prophetã dupliciter instruuntur à Deo.

Præmoneo tertio & postremo, Prophetas dupliciter à Deo instrui, nimirum per expressam reuelationem, & per quemdã instinctum, quem interdum humanę mentes nescientes patiuntur, vt produnt D. August. 2. super Genes. ad litteram, & D.Th.2.2.q.171.ar.5. Quam plane distinctionem exactissime annotat, & explicat Dominus Card. Caietanus 2.2.q.171.art.6. ponens differentiam inter huius distinctionis membra.

Caietan.

1. concl. Lætitia mentalis est probabile signũ in reuelationibus.

Prima assertio. Si reuelatio terminetur in lætitia mentali dumtaxat, sistendo nimirum in tali gaudio, & vlterius non progrediendo, tũc temporis ille, cui facta est talis reuelatio, solum habebit signũ probabile, quod talis reuelatio à Deo sibi facta sit. Probatur.

1. Ratio.

Primo, quia probabile dicitur illud, quod potest esse & non esse, vt apparet in secundo fundamento. At illa lætitia in mente illius, cui fit reuelatio, potest esse & non esse à Deo, Igitur per talem lætitiam mentalem ille, cui fit reuelatio, tantummodo habebit probabilitatem, quod talis reuelatio sit à Deo. Minor fit manifesta per hoc, quod talis lætitia mentalis causari etiam potest à dæmone, vt patet ex primo fundamento; sæpe namq; satanas transformat se in Angelum lucis; & ad hoc, vt fallat hominem, illumq; deceptum, in errorem, & in suum prauum peruersumq; finem inducat; mouet mentem eius ad talem lætitiam.

2. Ratio.

Secundo patet; quoniam diabolus potest mouere & ordinare phantasmata hominis in somnijs, vt patet per Theologos. Ergo ex phantasmatibus lætis speciem lætitiæ deducere potest, illamq; repræsentare intellectui hominis, & per consequens mentalis lætitia relicta post aliquam reuelationem, signum probabile dumtaxat erit, quod illa reuelatio sit à Deo, cum lætitia mentalis post aliquam reuelationem à Deo, & à dæmone possit causari. Quoniam aliquando expertum est, talem lætitiam mentalem esse fallacem, vt patet in illo Gen.3. [Serpens decepit me.]

3. Ratio.

Tertio confirmatur. Nam dæmon imprimere potest intellectui humano speciem elationis, superbiæ, iræ, & inanis gloriæ, vt de facto in Adamo & Eua, Genes. 3. compertum exploratumq; cernimus. Igitur imprimere etiam potest homini, cui ille aliqua reuelat, lætitiæ mentalis speciem. Et per consequens sola lætitia mentalis in reuelationibus, signum dumtaxat probabile erit, quod talis reuelatio sit à Deo.

2. concl. Lætitia mẽtalis est signum certitudinis in reuelationibus.

Secunda assertio. Si Reuelatio terminatur in lætitia mentali, mouente illum, cui fit reuelatio, ad amorem virtutis, tunc temporis talis homo, cui fit reuelatio, signum aliquod certitudinis obtinebit, quod talis reuelatio sibi facta, sit à Deo. Confirmatur.

1. Ratio.

Tum quia talis lætitia mentalis ad amorem virtutis mouens, nullatenus potest in homine causari à dæmone, ergo necessario erit à Deo, cum non appareat, à quo alio causari possit. Antecedens probatur. Nullus potest velle ea, quæ scit repugnare suo volito principali, nimirum suo fini, ergo quamuis diabolus multa absolute præstare possit, tamen illud, quod suo principali volito, nimirum suo fini repugnat, directe præstare nullatenus poterit ex suppositione, nimirum quia repugnat suo fini & principali volito. Modo sic argumentor: diabolus præstare minime potest ea, quæ ex suppositione repugnant directe suo principali volito & fini: atqui diabolus semper intendit auertere hominem à Deo, & a virtutibus, ac etiam à displicentia peccatorum, in quantum sunt Dei offensa. Quę plane omnia in illis verbis Petri maxime continentur, nempe 1 [Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.] Igitur diabolus, ex suppositione sui finis peruersi, nullatenus præstare potest ea, per quæ homo perueniat aut promoueatur ad Deum, & ad virtutes amplectendas, ac etiam ad peccatorum displicentiam, in quantum Dei offensa sunt. Sed sic est, quod per talem lætitiam mentalem, mouentem ad virtutis amorem, homo promouetur ad Deum, ad virtutis opera, & etiam ad displicentiam de peccatis, in quãtum sunt Dei offensa. Ergo ex suppositione sui principalis voliti ac finis, diabolus non potest talem lætitiam mentalem, mouentem ad virtutis amorem, causare in homine. Quamobrem illa certe erit à Deo.

Diabolus ex suppositione nõ potest causare lætitiam mẽtalẽ in fine reuelationum.

2. Ratio. S.Cath. Sen. D. Aug.

C

Præterea probatur, quoniam B.Catharina Senensis in dialogo edocta per Christum, sic ait: [Mens post visionem sentit se amore virtutis ampliori succensam] Hoc est, infallibili signo, quod anima à suo sponso visitata sit. Et D.August.6.lib.confess.affirmat, matrem suam dixisse se discernere, quodam sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter Deum reuelantem, & inter animam suam somniantẽ: Ergo si reuelatio terminatur in lætitia mentali, mouente ad amorem virtutis ille, cui fit reuelatio, habebit signum aliquod certitudinis, quod talis reuelatio sibi facta fuerit à Deo.

3. concl. Propheta certe scit suã reuelationẽ esse à Deo.

Tertia assertio. In reuelatione prophetica propheta maximam certitudinem habet, & pro certo tenet, reuelationes sibi factas esse à Deo, & ea, quæ sibi sunt reuelata, fuisse & esse sibi diuinitus reuelata. Hanc profitentur S. Thom. 2.2.q.171. art.5. Caietanus in Commentarijs eiusdem loci, & Ferrariensis 3. contra Gentes cap. 154. & probamus insuper illam his rationibus.

S. Thom. Caietan. Ferrarien.

D

1. argum. Fidei obiectũ formale, veritas prima. S. Thom.

Prima. Obiectum formale fidei nostræ est veritas prima reuelans; quoniam nihil potest cadere sub fide, nisi in quantum stat sub veritate prima reuelante; vt satis abunde constat ex S.Thoma 2.2. q.1. art.1. & 3. At sub veritate prima nullum potest stare falsum, quẽadmodum nec sub ente potest stare non ens, aut sub bonitate, malum, ergo, neque fidei poterit subesse falsum, iuxta illud: [Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.] Sed fides nostra Catholica nititur prophetarum dictis, vt prodit ipsemet Angelicus Magister 2.2.quæst.177.art.5. Igitur oportet, quod prophetę habeant certitudinem, quod ea, quæ habent per expressam reuelationem propheticam, sibi diuinitus sint reuelata, alioquin fides, quæ dictis prophetarum innititur, certa nõ esset, quod nullatenus est asserendum.

S. Thom.

E

2. argum. Immolatio Isac diuinitꝰ Abrahæ patri reuelata.

Secunda ratio. Abraham admonitus in prophetica reuelatione, qua illi dictum à Domino fuit, Genes. cap. 22. [Tolle filium tuum, &c.] ad filium vnigenitum Isaac immolãdum mox se præparauit: quod nullatenus fecisset, nisi de diuina reuelatione fuisset certus. Et Ieremias Propheta coram Israelitis, cap. 26. dixit: [In veritate misit me Dominus ad vos, vt loquerer in aures vestras omnia verba hæc.] vbi illud [In veritate] certitudinem proculdubio dicit. Ergo

C certe

certe sciunt prophetæ suas reuelationes esse à Deo.

3. argum. Tertia ratio. Maior est certitudo, quæ habetur per diuinum lumen, quam illa, quæ est per lumen rationis naturalis. At, qui habet scientiam naturalem pro certo scit, se talem scientiam naturalem habere; Ergo ille, qui habet prophetiam per lumen diuinum, multo magis certus erit se talem prophetiam à Deo per lumen diuinum & reuelationem habere.

4. concl. Archip. Ioã. fuit cert° suã Apocalypsim fuisse à Deo. Quarta assertio. Archipropheta Ioannes fuit certus, quod reuelationes sibi factæ in Apocalypsi, a Deo fuerunt. Hæc assertio directe satisfacit quæsito. Et præter id, quod ex dictis fit satis manifesta, probatur hæc vnica duntaxat ratione.

D. Ioannes in his, quæ narrat in Apocalypsi, fuit instructus per expressam reuelationem. Tum quia Apocalypsis est prophetia, iuxta illud Apoc. 1. [Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ huius, &c.] Tum quia ipsemet Archipropheta in singulis capitibus sic inquit: [Vidi, vidi.] Idq; crebro ac passim repetit. Videre autem ad expressam reuelationem spectat. At de his quę expresse per spiritum prophetię, propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, quod illa sunt ei diuinitus reuelata, vt ex superiori assertione nostra id probatum remanet cum S. Thoma, Caietano, & Ferrariense: ergo fuit certus D. Ioannes se reuelationes Apocalypsis à Deo accepisse.

5 concl. Certitudinẽ euidẽtiæ habuit D. Ioan. circa quod sua Apoc. esset à Deo. Quinta assertio. Certitudo prophetica, quam Archipropheta Ioannes habuit, circa quod ipse esset à Deo in sua Apocalypsi instructus, est certitudo euidentiæ. Probatur. Tum quia per certitudinem propheticã quã habuit Ioannes, ipse clarè sciebat, quod Deus illa sibi reuelauit, quemadmodum sciens, scit se scire. At sciẽs,

1. argum. vel habens scientiam, pro certo scit se scire & habere scientiam, certitudine euidentiæ per lumen rationis naturalis, ergo Archipropheta Ioãnes, clare sciuit, & pro certo habuit, quod Deus in Apocalypsi illum instruxit certitudine euidentiæ per diuinũ lumen. Consequentia

Diuinũ lumẽ exuperat lumẽ naturale. est aperta; quia maior est certitudo illa, quę est per diuinum lumen rationis naturalis. Tum, quia finis Apo-

2. argum. calypsis, & cuiuslibet alius Prophetiæ, est manifestatio

Prophetiarũ finis & scopus. veritatis super hominem existentis. Ad hoc quippe ordinatur qualibet prophetica reuelatio, vt veritas reuelatorum manifestetur prophetæ, vt tenet S. Thomas 2. 2. q. 174. ar. 3. At sine euidentia veritas non est manifesta, vt patet, ergo, &c. Tum deniq; quia fides & pro-

3. argum. Prophetiæ, & fidei discrimen. phetia in hoc differũt, nimirum, quia fides non dat cognitionem eorum, quæ sunt fidei; sed assensum dumtaxat ad illa, quæ sunt cognita ab alijs, saltem scilicet à personis diuinis. Prophetia vero dat cognitionem. Ista autem cognitio nequit esse nisi certitudo euidentiæ. Igitur, &c.

6 concl. Euidẽtia duplex erat in D. Ioan. circa Apocal. Sexta assertio. Archipropheta Ioannes habebat euidẽtiam quoad duo, nimirum, quoad ipsam reuelationẽ cognoscẽdo illã Apocalypsim esse à Deo, & quoad ipsa reuelata, cognoscendo vera & certa esse. Probatur.

1. Ratio. Tum, quia maius est lumen prophetiæ, quam lumẽ naturalis rationis. Atqui quicũq; habens scientiam lumine naturali, nõ ignorat ea, quæ scit: Ergo quicumq; lumine prophetico aliqua annũciat, non potest ea ignorare. Et ex cõsequenti, propheta habet certitudinẽ euidentiæ, per quam cognoscit, & Deum sibi reuelare, &

2. Ratio. ipsa reuelata. Sed sic est, quod D. Ioannes est Propheta, vt mox apparebit: Igitur &c. Tum, quia non minus certus erat Ioannes, nec minus videbat, quod Deus tunc Apocalypsim illi reuelabat, quã nos simus modo certi, & videamus nos scire prima principia, per lumẽ naturale. At nos lumine naturali vidimus prima principia & conclusiones in eis, & ex eis. Ergo similiter Archipropheta Ioannes in lumine diuinitus menti suæ

3. Ratio. infuso, videbat ea, quæ illi reuelabantur, & Deum illi reuelare. Tum, quia lumen propheticum, quod obtinebat Ioannes non solum erat in se certum, quia erat

F diuinum, veluti lumen fidei, verumetiam erat certissimum, ex parte ipsius Ioannis. Ergo faciebat in illo euidentiam tam eorum, quæ illi reuelabantur, quã ipsius reuelationis, quod esset à Deo. Tum, quia nos præstamus fidem ijs reuelatis qua cognoscebantur à D. Ioanne, quemadmodum communiter omnes nos fidem exhibemus ijs reuelatis, quæ cognoscuntur à prophetis, vt videre est apud S. Tho. 1. p. q. 1. ar. 8. & 2. 2. q. 174. ar. 3. Sed quicumq; fidem præstans cognitis ab alio, supponit in illo cognitionem euidentiæ; alioquin daretur progressus in infinitum circa credibilia, quod non est asserendum: Ergo D. Ioannes in hac Apocalypsi habebat euidentiam, tam circa Deum reuelãtem, quam circa ipsa reuelata. Minor patet. Nam fides licet det certitudinẽ adhæsionis, non tamen dat cognitionem eorũ, quæ creduntur. Quapropter oportet, quod quicumque fidem præstat cognitis ab alio, supponat in illo cogni-

G tionem euidentiæ, ne sequatur progressus in infinitum. Tum deniq; quia per lumen manifestantur & cognoscuntur colores. At Ioannes Archipropheta habuit hanc Apocalypsim, per lumen diuinum. Ergo per illud lumẽ aliqua manifestabãtur illi. Sed sic est, quod istud nequit esse aliud, quã cognoscere reuelata esse à Deo, cognitione euidenti. Ergo clare sciebat, quæ illi reuelabantur: & clare itidem cognoscebat, quod Deus illi ea reuelabat.

4. Ratio. S. Thom. 5. Ratio.

Solut. argum. aduersariorũ. sol. 1. Prophetæ bifarie instruũtur à Deo. Iam solutio ad primum contrariorum est prompta, & perspicua, eo quod Prophetę dupliciter instruuntur à Deo, nimirum, per instinctum, & per expressam reuelationem, vt videre licet in tertio nostro fundamẽto. Inter quos duos modos hoc plane grassatur discrimen, nimirum, quia quando loquuntur per instinctum non possunt discernere, quid dicant per spiritum diui-

H num, & quid per spiritum proprium. Et sic intelligendum venit illud D. Gregorij, qui super Ezechielem sic

D. Greg. scribit: [Prophetæ sancti, dum aliquando consulunt, ex magno vsu prophetandi, quadam ex spiritu suo prophetarunt, & se hoc ex spiritu prophetiæ dicere suspicantur.] Et idipsum corroborari potest in Nathan qui consulente Dauid, an fabricare deberet templum Domini, dixit, quod sic, quia Dominus cum eo erat, vt patet 1. Paralip. 14. & tamen postea monitus à Deo reuocauit. Quando vero prophetæ Dei loquuntur per expressam Dei reuelationem, semper sunt certi loqui

S. Thom. spiritu diuino, vt tenet S. Th. 2. 2. q. 17. ar. 5. in corpore. Et in hoc sensu venit intelligẽdum illud Ierem. 23. [Propheta qui habet somnium meum, loquatur sermonem meum vere.] Istud namq; præceptum Dei est, vt tenet Hieron. Quamobrem si tunc propheta nõ posset discernere quid per spiritum proprium, & quid per

I spiritum prophetiæ haberet, Deus in tali præcepto præciperet aliquod impossibile, quod non est asserendum; vnde liquet, quod quando Prophetæ loquuntur per expressam Dei reuelationem, semper sunt certi loqui spiritu diuino, D. autem Ioannes in hac sua Apocalypsi, non fuit instructus per instinctum, sed per expressam Dei reuelationem, & sic semper fuit certus loqui diuino spiritu.

sol. 2. Contingẽtia possunt aliter euenire respectu nostri nõ auté respectu Dei. Nec valet aliquid illud de contingentibus, quoniam contingentia possunt aliter euenire respectu nostri, nõ autem respectu Dei, qui habet scientiam futurorum, quæ sunt, & quæ non sunt, & quæ possunt esse, & non esse. D. autem Ioannes, in hac sua Apocalypsi, (& quilibet alius propheta) futura contingentia annunciat, sicut sunt in mente diuina, cui nihil potest subesse fal-

K sum, vt patet, nec per consequens reuelatis à Ioanne, vel à quolibet alio propheta falsum subesse poterit, cum veritas cognitionis propheticæ sit eadem in propheta, & in Deo docente prophetam.

sol. 3. Illud de lætitia mentali soluitur ex eo, quod lætitia mentalis mouens ad amorem virtutis, nullatenus potest causari à dæmone ex suppositione sui status, vt est probatum in secunda assertione nostra,

In

Nota. In calce huius quæstionis animaduertas oportet, circa illas duas assertiones de euidentia, nimirum, quod Archipropheta Ioannes, ac etiam alij Prophetæ veteris testamenti, habuerũt euidentiam circa mysteria nostræ fidei, nempe, Trinitatis, &c. non quantum ad quæstionem, quid est, nam diuinam essentiam nullatenus viderunt; sed quantum ad quæstionem, an est, seu quia est. Et in hoc sensu, visa sunt ab illis nostræ fidei mysteria, sub lumine infuso eisdem, quamobrem non Trinitatem; sed Trinitatem esse, viderunt, & sic de reliquis: quemadmodum nos naturali lumine Deum esse æternumque, ac immobilem esse videmus, quamuis ipsum Deum minime intueamur, nec minus eius æternitatem.

Quæstio Tertia. Vtrum Apocalypsis sit communis, & Catholica reuelatio, an vero priuata?

Apoc. sit ne communis reuelatio?

1. argum.



ET arguitur, quod sit priuata. Tum, quia illam appellamus priuatam reuelationem, quæ facta est priuatę personę, nimirum, huic, vel alteri viro dumtaxat. At Apocalypsis tantum D. Ioanni reuelata fuit, & non alteri Prophetæ, seu Euangelistæ. Igitur erit priuata reuelatio. 2. argum. Tum, quia hæc reuelatio, quam Apocalypsim vocamus, sic facta fuit D. Ioanni, quemadmodum facta fuit Apostolis reuelatio illa, qua Deus illis reuelauit, futuros esse beatos, dicens Matth. 5. [Gaudete, & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis.] & quemadmodum etiam facta fuit B. Virgini, reuelatio illa, qua Deus illi reuelauit plenitudinem gratiæ, dicẽs Luc. 1. [Aue Maria gratia plena.] At tã reuelatio Apostolorum de beatitudine consequenda, quam reuelatio B. Virginis de plenitudine gratiæ, sunt reuelationes priuatæ, vt omnis Theologorum schola ingenue fatetur; Igitur & Apocalypsis erit etiam priuata reuelatio: 3. argum. Tũ, quia ita Deus reuelauit D. Ioanni mysteria Apocalypsis, quemadmodum si ipsemet Deus reuelaret alicui pluuiam futuram cras, hora tertia, vel nona, & finiẽda meridie, ac etiam cum alijs circumstantijs. Atqui talis reuelatio de pluuia futura esset priuata, & non communis, & Catholica; Igitur & hæc etiam. Aut danda est maior ratio. 4. argum. Tum tandem, quia accidens inhærens subiecto particulari & priuato, particulare ac priuatum est, & non commune; quoniam accidentia indiuiduantur per subiecta, quibus inhęrent: sed sic est, quod hæc reuelatio Apocalypsis tantum subiectata fuit in D. Ioanne, quoniam reuelatio est accidens & non substãtia. Igitur erit accidens priuatum, & per consequens priuata reuelatio.

1. fundam. Nomen Catholicũ qd sit Isidorus. Pro decisione. Præmitto primo, quod hoc nomen Catholicum (quod vocabulum Græcũ plane est) idem significat, quod vniuersale, commune, & generale, vt tenet Isidorus lib. 8. Etymolog. Quapropter cum in titulo quęstionis quęritur, an Apocalypsis sit Catholica, Sensus quæstionis. & communis, idem est, ac si quæramus, an Apocalypsis sit generalis & vniuersalis reuelatio, ad vtilitatem totius Ecclesiæ, & in ordine ad vitam æternam fidelibus necessaria.

2. fundam. Veritates reuelatæ bifarie accipiũtur. Præmitto secundo, quod veritates reuelatæ sunt in duplici differentia: quædam videlicet, quæ toti Ecclesiæ credendæ proponuntur, & cedunt in communem vtilitatem fidelium, quæ Catholicæ, communes, generales, vniuersalesque reuelationes appellantur. Quædam vero sunt, quæ tantum sunt huic, vel alteri personæ, quæ non proponuntur credendæ omnibus fidelibus, neque afferunt aliquod emolumentum, & vtilitatem communem fidelibus, vt sunt reuelationes factæ Sanctæ Catherinæ Senensi, & Beatæ Brigidæ, vel qualis esset illa reuelatio, vt pote, qua Deus alicui personæ reuelaret futuram pluuiam, vel tempestatem, vel maris, aut inimicorum tranquillitatem, vel se esse in gratia; tales dicuntur reuelationes priuatæ. Idcirco inter has duas species reuelationis nonnulla occurrunt discrimina. Quoniam reuelatio communis, & Catholica est ad totam Ecclesiam, & in ordine ad vitam æternam, vt videre licet in illis, quæ continentur in sacris litteris, & in Symbolo fidei. Reuelat. cõis quid sit. Priuata vero reuelatio de particulari bono dumtaxat est. Reuel. priuata quid sit. Porro quamuis vtraque reuelatio, quantum ad sui originem, facta sit priuatæ personæ, vt videre licet in reuelationibus factis Moysi, in Genesi, Exodo, & Numeris, Dauidi, in Psalmis, & libris Regum, Salomoni, in Prouerbijs, Canticis canticorum, Ecclesiastæ, & Ecclesiastico, &c. Reuelat. cõis & priuatæ, cõuenientia, & discrimen. Moyses namque Dauid, Salomon, Hieremias, Ezechiel, Isaia, Daniel, &c. priuatæ fuerunt personæ. Vnde quamuis reuelationes, quę continentur in huiusmodi libris, sint Catholicę, & vniuersales, tamen quoad sui originem, factæ fuerunt priuatæ personæ, nimirum, Moysi, Dauidi, Salomoni, &c. Dico igitur, quod licet vtraque reuelatio, quantum ad originem, facta sit priuatæ personę, tamen, reuelatio, quæ modo est communis, & de bono vniuersali, numquam de cetero potest reddi priuata, aut de bono particulari. Attamen reuelatio, quæ modo est priuata, & de bono particulari, fieri potest, vt in aliquo tempore Catholica fiat, communis, vniuersalis, & de bono communi, eo quod Reuel. priuata potest fieri communis. ista reuelatio: [Gaudete, & exultate, &c.] in præterito tempore, nimirum olim, priuata erat: quia præter id, quod facta fuerat priuatæ personæ, nimirum Apostolis, erat de bono particulari, vtpote de beatitudine Apostolorum, quę, vt liquet, bonum plane particulare est. Apostolorum beatitudo reuelata. Et hæc altera reuelatio: [Aue Maria, gratia plena.] priuata olim fuit: Nam plenitudo gratiæ Beatæ Virginis Mariæ bonum particulare eius dumtaxat fuit. Mariæ Virginis plenitudo gratiæ reuelata. Ceterum modo sunt Catholicæ, communes, & vniuersales, bonum commune attingentes, & ad salutem omnium fidelium necessario pertinentes, quoniam sancta mater Ecclesia modo eas credendas toti populo proponit. Ecclesiæ potestas maxima. Et hoc ipsum ius obtinet sancta mater Ecclesia, semper & quando, quinimmo toties, quoties ipsa vult, secundum quod credentium, ac fidelium necessitas exigit & vrget. Et cum sancta mater Ecclesia Catholica has reuelationes priuatas toti populo proponit credendas, tunc temporis per fidem infusam, & Catholicam tenemur illis assensum præbere, vt patet de prælibatis reuelationibus, nimirum plenitudinis gratię Beatæ Virginis, & beatitudinis Apostolorum, quæ licet priuatæ, tamen modo ex fide Catholica eas esse veras tenemur credere, quia continentur in sacris litteris, quæ Spiritu sancto dictante, exaratę sunt. Quamobrem cum sancta mater Ecclesia Catholica, quæ regitur ab eodem Spiritu sancto, non habeat minorem auctoritatem, Nota bene. quam habeant sanctæ litteræ, sequitur aperte, quod semper & quando, ac toties, quoties ipsa aliquam priuatam reuelationem toti populo proponit credendam, per habitum fidei Catholicæ tenemur illi assentiri. Ob idque modo nos de nouo assentimur per fidem Catholicam, aliquibus veritatibus definitis in Concilijs sanctorum Patrum, quibus veritatibus Catholici olim minime sic assentiebantur. Veritatibus definitis in Conc. SS. PP. assentimur ex habitu fidei Bonum cõe. quid sit. Per bonum tandem commune intelligimus materiam communem, siue sit pertinens ad salutem omnium, siue ad nocumẽtum, aut ad malorum, vel bonorum comminationem. Modo descendo ad rem.

Sit verissima conclusio. Apocalypsis Archipropheta Ioannis communis, & Catholica reuelatio est. Probatur his rationibus. 1. concl. Apoc. est cõis & catholica reuelatio.

1. Ratio. Apoc. proponitur credenda toti populo. Cōc. Cartag. Concil. Trid.

Prima quidem, quia reuelatio, quæ ab Ecclesia toti populo credenda proponitur, & in communem vtilitatem fidelium cedit, communis, & catholica plane est: vt ex nostro fundamento liquet. At Apocalypsis Ioannis ab Ecclesia toti populo proponitur credenda, vt perspicuum, ac planum fit in Concilio Carthaginiensi 3. cap. 47. & in Concilio Trident. sess. 4. & prętereа est in communem vtilitatem fidelium. Reuelat namque Deus in illa Ecclesiæ Prælatis, ac fidelibus, pleraq; mirabilia ac mysteria nouissimis diebus futura, quę proculdubio, ad communem vtilitatem ac communicationem spectāt. Igitur Apocalypsis Catholica, & communis reuelatio plane est.

2. Ratio. Reuel. supernorū olim factæ priuatis personis. Apoc. est reuelatio de bono cōmuni. Apoc. pertinet ad vniuersalē Ecclesiā.

Porro quemadmodū reuelatio supernorum, & secretorū Dei facta fuit Moysi, Dauidi, Salomoni, Ieremiæ, Isaiæ, alijsq; Prophetis, sic facta etiam est D. Ioanni hęc reuelatio, quam Apocalypsim appellamus. Sicuti nāq; illi, priuatæ erant personæ, sic etiam & Ioannes. Et insuper sicuti illę reuelationes erant de bono communi, sic & hęc, vt apparet per totum opus. Et præcipue c. 1. cū dicitur: [Scribe septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.] vbi nomine septem Ecclesiarum, vniuersalem Ecclesia intelligunt communiter Doctores, & sancti Patres, & etiam c. 14. cum dicitur: [Beati mortui qui in Domino moriuntur.] vbi de omnibus fidelibus loquitur, sed sic est, quod illę reuelationes factę Moysi, Dauidi, Salomoni, & reliquis Prophetis, quamuis factæ sint priuatis personis; tamen quia sunt de bono communi, & continent fidelium salutem, sunt communes & Catholicæ: Ergo & etiam hæc Apocalypsis erit Catholica, & communis.

3. Ratio. Innoc. Papa. ep. 41. Apoc. recepta à tota Ecclesia.

Accedit ad hæc, quod in quadam epistola decretali Innoc. Papę 41. huius nominis ad Exuperium Tolesanū Antistitem, c. 27. Apocalypsis proponitur toti Ecclesiæ credenda. Hinc est, quod hoc nostro sæculo Apocalypsis per omnes gentes, & populos, suos extendit ramos. Nulla nāq; est fidelis natio, quæ illam non recipiat, & admittat. Et sic est iam difusa & extensa per totum orbem, & duratura etiam est vsq; ad finem sęculi. Ex quo etenim reuelata fuit Ioanni, propediem multa ex illa completa sunt, complentur, ac etiam complebuntur. Obtinet namque omnem temporis differentiam, vt patebit infra.

Sol. argum. aduersariorū sol. ad. 1.

Ad primum tamen dico, quod priuata reuelatio preter id, quod facta fuerit priuatæ personæ, est etiam de bono particulari: at vero Apocalypsis est de bono cōmuni & vniuersali totius Ecclesiæ.

Reuel. priuata potest fieri communis. 2. sol.

Secundum nequit subsistere, eo quod reuelatio priuata de bono particulari potest fieri Catholica, & vniuersalis, si ab Ecclesia toti populo credenda proponatur, vt apparet ex nostro fundamento proposito. Quāobrem illæ reuelationes de plenitudine gratiæ B. Virginis Mariæ, & de beatitudine Apostolorum, priuatæ sunt ex suo genere, quoniā sunt de bono particulari: at vero ex propositione Ecclesiæ, & Catholicę, & vniuersales sunt, quoniam sancta mater Ecclesia, ex eo quod contineantur in sacris litteris, illas toti populo proponit credendas, & sic tenemur illis assensum præbere per habitum fidei infusæ, itaut si quis illas negaret, esset proculdubio hęreticus, quia negaret id, quod in sacra Scriptura aperte continetur. Sed age, esto, pręfatas duas reuelationes, (quamuis proponantur ab Ecclesia toti populo credendæ) non esse vniuersales, vt probat argumentum, sed dumtaxat particulares, quoniam sunt de bono particulari, nimirum de plenitudine gratię B. Virginis, & de beatitudine Apostolorum, & quamuis priuatæ, præbemus illis ascensum per fidem, quoniam fides infusa inclinat intellectum ad assensum omnium reuelationum tam communium, quam priuatarum, propositarum ab Ecclesia toti populo, vt in sequenti quæstione erit sermo. Nihilominus tamen argumentum non concludit, eo quod ly [quemadmodum] transit ex re ad modum rei. Quamobrem, si propositio intelligatur de modo reuelationis, vera est, quoniam in vtraque reuelatione, reuelans est Deus, vel per Angelum, vel per humanitatē assumptam: si autem illa accipiatur de re reuelata, falsa est propositio. Quoniam in illis duabus reuelationibus, res reuelata est particularis, nimirum, plenitudo gratię B. Virginis, & beatitudo Apostolorum. At vero in Apocalypsi res reuelata est communis, & vniuersalis, spectans ad bonum commune totius Ecclesiæ, vt est dictum.

Nota bene.

Duæ hæreses ex diuersa causa circa reuelationes nō credēdas. Duo hæretici ex diuersa causa circa reuelationes.

Ex dictis addo, quod si per hypotesim damus aliquos negantes has duas reuelationes, nimirum Apocalypsim, & reuelationem de plenitudine B. Virginis, isti negantes, ambo proculdubio essent hæretici, ceterum ex diuersa ratione: Quoniam negans Apocalypsim, esset hæreticus, quia negaret vniuersalem & Catholicam reuelationem, toti populo propositam ab Ecclesia: negans vero reuelationem de plenitudine gratiæ B. Virginis Mariæ, esses hæreticus, non quia negaret communem, & vniuersalē reuelationem, sed quia negaret id, quod Ecclesia Catholica proponit toti populo credendum, cui assentiri debebat per habitum fidei infusæ. Et idem prorsus indicium est de qualibet alia reuelatione priuata, dummodo illa toti populo credenda ab Ecclesia sit proposita.

fol. 3.

Ad tertium facilis est solutio. Quoniam talis pluuia reuelata, cum suis circumstantijs est de bono particulari. At vero reuelatio facta D. Ioanni in Apocalypsi, est de bono vniuersali, quamobrem loquendo de re reuelata, maior est falsa.

fol. 4. Comparatio. Fides est in intellectu tāquā in subiecto particulari, licet illa sit cōmunis. Accidēti duplex consideratio.

Illud tandē de accidente non tenet, eo quod quemadmodum accidens commune, quod constituit quintū prædicabile, inhæret subiecto particulari, vt est certū apud Phylosophum, & Porphyrium & tamen dicitur commune; ita etiam fides, qua ego credo mysteria nostræ fidei, est in meo intellectu, tamquam in subiecto particulari, & tamen est fides Catholica, communis, & generalis, iuxta illud Apostoli: [Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.] de qua re, vide plura apud Magistrū 3. lib. sent. dist. 23. ar. 2. Dico igitur modo ad rem, quod accidens potest duobus modis considerari, nimirum in ratione accidentis, & in sua ratione formali, ac etiam peculiari. Primo modo dicit inhærentiam in subiecto, qua mediante indiuiduatur, quoniam sic dicit esse in subiecto. Secundo vero modo, nimirum in sua ratione formali, ac etiam peculiari, includit varias naturas ac formalitates, nempe, quod sit quantitas, qualitas, relatio, actio, ac passio, &c. Prima igitur consideratio accidentis conuenit necessario omni accidenti, secunda vero minime; quoniam qualitas non est quantitas, nec minus relatio est passio, nec è conuerso, quamuis ambo in substantia prima inhæreant, id propterea verum est dicere: Quantitas inhæret, & indiuiduatur per subiectum, & qualitas etiam: & falsum erit dicere: Quantitas est qualitas, aut relatio est passio, quia alia est formalitas qualitatis, alia quantitatis, alia relationis & alia passionis. Quamobrem qualitas v. g. habet, quod sit accidens & tale accidens inhæret & indiuiduatur per subiectum. In eo vero, quod sit tale accidens, habet, quod sit habitus vel priuatio; forma, vel figura; naturalis vis vel imbecillitas, vel genus, vel species à sua formalitate. Proinde verum est dicere, Apocalypsis est priuatum accidens, quia fuit in D. Ioanne, tamquam in subiecto, quoniam reuelatio accidens est, & non substantia. Falsum vero erit dicere, Apocalypsis est reuelatio priuata; quia vt reuelatio est, habet aliam formalitatem peculiarem distinctam à consideratione accidentis, & sic in præallegato argumēto, committitur fallacia, quæ apud Phylosophos nūcupatur: [Quodammodo & omnino,] quę committitur cum quis sic argumentatur. Simon est sutor, & est bonus. At bonus sutor bonas caligas facit. Igitur Simon bonas caligas facit. [Eodem prorsus pede claudicat superius argumentum, quod plane contra quam-

Categoriarū accidētiū distinctio. Categoriarū accidētia diuersa ratio formalis. Apoc. duplex consideratio. Fallax argumentū à quodammodo, & omnino explicatur.

quamlibet aliam reuelationem, Moysi, Dauidis, Salomonis, Danielis, &c. efformari etiam potest. Quoniam reuelationes quælibet Prophetarum, accidentia proculdubio sunt, & inhæret illi, cui fit reuelatio, quæ nihilominus non priuatæ, sed communes, & vniuersales reuelationes nuncupantur.

Quæstio Quarta. Vtrum Apocalypsis sit reuelatio cadens sub habitu fidei Catholicæ?

Cadit ne Apoc. sub habitu fidei?



DVAS plane reperio fidelium Theologorum sententias, circa ea, ad quæ inclinat habitus fidei Catholicæ. Prima est eorum, qui asseuerant habitum fidei Catholicæ inclinare intellectum nostrum ad assensum omnium reuelationum, tam communium, quam priuatarum. Hanc profitentur Andreas à Vega 9. lib. in Conc. Trident. cap. 3. Ambrosius Catharinus, in Apologia de Certitudine gratiæ, & alij plerique Thomistæ in suis Comentarijs super 2. 2. S. Th. Secuda vero sententia est eorum, qui intrepide fatentur habitũ fidei Catholicæ dumtaxat inclinare intellectum nostrum ad assensum reuelationum communium, ac vniuersalium; & nullatenus ad reuelationes priuatas, & particulares. Hanc profitentur Magister Soto l. 3. de Natura, cap. 11. Magister Cano, lib. 12. de Locis, cap. 5. Caietanus in suis Commentarijs in 2. 2. S. Thom. quæst. 1. art. 1. Gabriel in 4. sentent. dist. 13. quæst. 2. Corduba lib. 1. quæst. Theologicarum, quæst. 17. Occam in 1. & 2. part. suorum Dialogorum. Videndo igitur, quæ reuelationes cadant sub habitu fidei, & controuersia horum doctorum profligata, & etiam titulus huius nostræ quæstionis explanatus remanebit.

Andr. à Vega Ambros. Catharinus.

Soto. Cano. Caietan. Gabriel. Corduba. Occam.

1. conclus. Reuel. priuatæ nõ cadunt sub habitu fidei.

Prima assertio. Reuelationes priuatæ, quæ fiunt hominibus particularibus, nimirum Beatæ Brigidæ, Sanctæ Catherinæ Senensi, aut si cui Deus reuelaret pluuiam, vel tempestatem futuram, non cadunt sub habitu fidei: probatur.

1. Ratio. Tum quia si quis præfatas reuelationes priuatas nullatenus admitteret, & quamuis illi proponerentur credendæ, minime consentiret, nec minus illis assensum præberet, non esset iste talis infidelis, aut hæreticus; ergo cum fides Catholica tantum inclinet ad illa credibilia, quæ per hæresim excluduntur, non inclinabit ad assensum harum reuelationum priuatarum:

2. Ratio. Tum, quia apud omnes fideles est vna & eadem fides Catholica, & sic omnes fideles ex habitu fidei Catholicæ inclinantur ad eadem credibilia, iuxta illud Apostoli ad Ephes. cap. 4. [Vnus Dominus, vnas fides, vnum baptisma.] Hæ autem priuatæ reuelationes à multis fidelibus non creduntur. Igitur non cadunt sub habitu fidei.

3. Ratio. Tum tamdem, quia quilibet habitus tantum se potest extendere ad illa, quæ participant rationem formalem sui obiecti. At ratio formalis habitus fidei Catholicæ non participatur ab his reuelationibus priuatis; ergo, &c. Minor patet, eo quod obiectum formale habitus fidei Catholicæ est veritas prima, reuelans, & proponens, & non qualitercumque, sed dumtaxat, vt ab Ecclesia Catholica proponitur, quæ in proponendo est regula infallibilis. Sed sic est, quod Ecclesia Catholica, non proponit has priuatas reuelationes sequendas credendasue, aut tamquam reuelatas à prima veritate; Igitur, &c.

Ecclesia regula infallibilis in proponendo.

A

Sol. Andreę a Vega, & Ambros. Catharini circa reuelationes priuatas.

Andreas à Vega lib. 9. in Conc. Trident. & Ambrosius Catharinus in Apologia de Certitudine gratiæ, vt his præfatis satisfaciant argumentis, ponunt in habitu fidei infusæ duas rationes formales, vnam nimirum, vt est fides infusa in communi, alteram vero contractiorem, nempe, vt fides Catholica. Et dicunt primam illam rationem formalem fidei infusæ respicere omnia reuelata à Deo, quouis modo reuelentur: alteram vero dumtaxat respicere ea, quæ sunt reuelata toti Ecclesiæ in ordine ad vitam æternam. Quamobrem, ex hoc fundamento asseuerant habitum fidei infusæ, non quidem sub ratione fidei Catholicæ, sed sub ratione fidei infusæ in communi, inclinare intellectum ad reuelationes priuatas.

Fides infusa habet duas rõesformales

B

Refelluntur Andr. a Vega & Ambrosius Catharinus. Magister. D. Aug.

Verumenimuero hæc potius est euasio, (ni dicam Chimæra,) quam solutio: illamque sic destruo. Qui habet fidem infusam, fidelis nuncupatur; & qui illam non habet, infidelis appellatur, vt satis perdocte explicat Magister in 3. sent. dist. 23. cum S. August. lib. de Trinitate, per hac verba: [Fides (quam qui habent, fideles vocantur, & qui non habet, infideles) communis est omnibus fidelibus, sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, &c.] Quo loco certum est apud Theologos, Magistrum de fide infusa agere, ista siquidem est vna apud omnes, de qua inquit Apostolus ad Ephes. cap. 4. [Vnus Dominus, vna fides.] At permulti fideles, in quibus est fides infusa, non credunt his reuelationibus factis B. Brigidæ, aut S. Catherinæ Senensi, nec minus de illis in aliquo curant. Quinimmo demus aliquem pertinaciter neque has, neque minus quamlibet aliam reuelationem, siue de pluuia, tempestateue futura nolle credere, iste talis nullatenus esset hereticus, immo fidelis, cum habeat fidem infusam. Ergo fides infusa, quæ est in illo, quamuis consideretur in communi, non inclinat intellectũ ad præfata credibilia particularia. Consequentia est aperta: quoniam vbicumque est forma, ibi oportet sit effectus formæ. Vnde cum iste habeat fidem infusam, & non credat has reuelationes priuatas, non erit effectus fidei infusæ, inclinare intellectum ad assensum harum reuelationum priuatarum.

C

Fides est habitus infusus

Ad maiorem huius assertionis euidentiam, hic animaduertas, oportet, fidem, quæ virtus est, habitum esse in nobis infusum à Deo. Quoniam charitas est habitus infusus, iuxta illud ad Roman. cap. 5. [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Fides autem Charitati connumeratur & ex consequenti aperte concluditur, fidem habitum infusum esse. Et infunditur plane, non quin sine ea infusa possimus aliquod credere verum supernaturale, teste Durando in 3. sent. dist. 23. quęst. 6. sed quia non ita prompte, & faciliter Hinc est, quod ipsemet in 2. sent. dist. 28. quæst. 1. sic scribat: [Si autem loquamur de cognitione, quæ est qualiscumque assensus ex coniectura, vel ex auctoritate dicentis; sic videtur esse dicendum, quod sine quocumque habitu supernaturali potest intellectus noster veritatibus supernaturalibus, & etiam veritati articulorum assentiri, ex apparentia sola signorum, absque aliquo habitu infuso.] sic ille. Eiusdem sententiæ est Scotus 3. sent. dist. 27. Caietanus part. 2. quæst. 105. art. 4. Gabriel. dist. 3. quæst. 2. can. 2. Almaynus quæst. 3. conc. 4. Capreol. in 3. dist. 25. q. 1. Paludanus in 4. dist. 2. quæst. 14. & Soto de Natura; & gratia lib. 2. cap. 8. Quamobrem ex dictis colligo duo.

D

Fides ad quid infunditur. Durand. in 2. sent. dist. 28. q. 1.

Scotus, Caietan. Gabriel. Almaynus. Capreolus. Paludan. Soto.

E

Primum quidem est, quod ille, cui Deus immediate proponit has reuelationes priuatas, tenetur illis assensum præbere non per habitum aliquem infusum, sed ex sola apparentia signorum. Et probatur: Tum quia dæmones credunt, Christum esse Deum, iuxta illud: [Dæmones credunt & contremiscunt.] Et quamuis de facto homines hoc non cognouerint, tamen potuerunt cognoscere, vt sermo erit infra. Addo, quod dæmones pleraque mysteria gratiæ & multa superna-

Reuel. priuatas habẽs immediate a Deo tenetur illis assensum ex sola apparentia signorum. 1. argum.

pernaturalia ab effectis cognoscunt. Sed omnes Doctores, quotquot sunt, negant in dæmonibus habitum fidei infusæ: ergo præfatis supernaturalibus assentiuntur dæmones ex sola apparentia signorum. Et ex consequenti, pari etiam modo, potest ille, cui immediate fit reuelatio priuata à Deo, credere, & assentiri, absq; habitu fidei infusæ, sed ex sola signorum apparentia. Tum quia potest homo viribus liberi arbitrij cum solo concursu generali assentiri omnibus rebus fidei, actu mere naturali, vt tenent omnes antiqui Theologi in 2. sent. dist. 25. & p. 2. quæst. 109. art. 1. non tamen, sicut oportet, vt etiam dispungunt ijdem doctores. Ergo is, cui fit reuelatio priuata, poterit illi assentiri actu mere naturali absq; aliquo habitu infuso: aut danda est maior ratio. Tum quia credere est assentiri alicui vero, non propter se, sed propter auctoritatem dicentis. Atqui ad hoc non videtur necessarius habitus, eo quod, tu credis pluuiam futurã, quia ita dicit Astrologus. Igitur ille cui fit reuelatio priuata, poterit illi assentiri, absq; habitu infuso, ex sola auctoritate Dei dicentis, aut Angeli. Tum tandem, quia hæreticus credens omnes articulos, discredens tamen solum vnum, non habet fidem infusam, & tamen credit ceteros articulos. Ergo potest quis credere verum supernaturale absq; habitu infuso. Et ex consequenti habetur intentum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

Ex hoc ruit opinio Andreæ à Vega, Ambrosij Catharini, locis citatis, ac etiam sententia Magistri Bañez 2.2. quæst. 1. con. 3. tenentis debere assentiri per habitum propheticum, & itidem opinio Soti, in Apologia de Certitudine gratiæ aduersus Catharinum, cap. 2. existimantis debere assentiri per habitum fidei infusæ distinctum ab habitu fidei Catholicæ.

Corollarium Andr. à Vega Amb. Cath. Bañes & Soto non tenetur.

Secundum vero, quod ex dictis colligo, est, quod alij, quibus hæ reuelationes priuatæ credendæ proponuntur, tantum fide humana, & per donum consilij, ac etiam per prudentiam tenentur adhibere fidem ipsis, & nullo modo sub pœna peccati læthalis; patet. Tum quia ea, quæ spectant ad salutem animæ, sufficienter traduntur per reuelationes effectas in lege, in Prophetis, & in Apostolis, iuxta illud Lucæ cap. 6. [Moysem habent, & Prophetas, audiant illos.] & paulo post: [Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.] Huiusmodi autem reuelationes priuatæ, neq; in lege, neq; in psalmis, neq; in prophetis continentur. Igitur non tenetur ille cui narrantur, credere sub pœna peccati mortalis, sed tantum fide humana & per donum consilij, nimirum si vult credat, & si non vult, non credat. Tum præterea, quia tales reuelationes priuatę, possunt proculdubio esse falsæ, sæpe namq; sathanas se transformat in Angelum lucis. Tum etiam, quia Apostolus ait: [Etiam si Angelus de cælo euangelizauerit vobis præter id, quod euangelizatum est, nolite credere.] Tum denique, quia Christus Dominus loquendo de falsis prophetis in die iudicijs surrecturis, dixit Matth. cap. 23. [Tunc si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, &c.] Sed sic est, quod nobis non constat aperte, & clare, talem narrantem, & proponentem nobis has reuelationes priuatas habuisse sermonem cum Deo, igitur non tenemur sub pœna peccati læthalis illi credere, sed fide dumtaxat humana, & per donum consilij.

Reuelationes priuatas habens tenetur, ex fide humana dumtaxat illis assentiri & nullo modo sub pœna peccati mortalis.
1. argum.
2. argum.
3. argum.
4. argum.

Secunda assertio. Cum Ecclesia proponit toti populo has reuelationes priuatas credendas, tenemur tunc fidem adhibere, & illis assensum præbere ex habitu fidei Catholicæ: probatur, Primo, eo quod Ecclesia regitur ab Spiritu sancto, & habet infallibilitatem in proponendo; & sic dicitur columna & firmamentum veritatis, vt videre est apud Apostolum 1. ad

2. concl. Reuel. priuatis propositis ab Ecclesia est assentiendũ, ex habitu fidei.
1. Ratio.

F Tim. 3. Quapropter ab illa propositis ad credendum, ex habitu fidei infusæ & Catholicę, tenemur assensum præbere. Secundo, quia reuelatio de plenitudine gratiæ B. Virginis Mariæ, & reuelatio de beatitudine Apostolorum, sunt reuelationes priuatę, & nihilominus assentimur illis ex habitu fidei Catholicę, eo quod sancta mater Ecclesia illas nobis proponit credendas. Tertio tandem, quia sancta mater Ecclesia potest multa determinare circa fidem, circa sacramenta, & etiam circa quascumque consuetudines, ac mores. At determinatis sic ab Ecclesia assentimur ex habitu fidei Catholicæ. Ergo à simili, si illa proponit aliquam reuelationem priuatam toti populo credendam, tenemur illi assensum præbere ex habitu fidei Catholicæ.

2. Ratio.
3. Ratio.

G Tertia assertio. Habitus fidei Catholicæ inclinat ad veritates reuelatas communiter, quæ nimirum toti Ecclesiæ credendæ proponuntur, & sunt ad salutem omnium fidelium, quales sunt illæ, quæ in sacris litteris traduntur, & quæ in Symbolo Apostolorum, & in Decretis, Ecclesiæ credendæ explicantur. Hæc assertio est D. Augustini in enchiridion, cap. 9. tom. 3. & lib. 2. quæstionum super Euangelia cap. 39. & itidem Magistri sententiarum in 3. dist. 23. cap. 2. Et probatur hac vnica ratione, nimirum, quia habitus fidei Catholicæ inclinat ad illa, quæ spe nos assequuturos speramus, & ad media ad huiusmodi finem assequendum accomodata, vt Apostolus ad Heb. cap. 11. ait sub his verbis: [Fides est substantia rerum sperandarum.] Sed sic est, quod per spem nobis infusam, speramus veritates reuelatas Apostolis, & Prophetis, quæ sunt vtilia ad salutem, & communia toti Ecclesiæ; quoniam
H speramus beatitudinem, remissionem peccatorum, gratiam, dona Spiritus sancti, & alia, quæ ad salutem animæ spectant. Igitur habitus fidei Catholicæ inclinat ad veritates communiter reuelatas toti Ecclesię ad salutem omnium fidelium. Idipsum plane patet ex illo Psalm. 86. [Fundamenta eius (id est fidei Catholicæ) in montibus sanctis.] (id est in reuelationibus Apostolorum, & Prophetarum,) & paulo post: [Dominus narrabit in scripturibus populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.] & ex illo Apostoli ad Ephes. 4. [Quosdam quidem dedit Apostolos, &c.] & etiam ex illo 1. Petri 1. [Reportantes fructum fidei vestræ, salutem animarum vestrarum, &c.] Et ex alijs locis pæne infinitis sacræ Scripturæ.

3. concl. Fides Catholica inclinat ad veritates reuelatas communiter toti Ecclesiæ.
D. Aug.
Mag. Senten.
S. Thom.
1. Ratio.
2. Ratio.

I Quarta & postrema assertio. Apocalypsis est reuelatio cadens sub habitu fidei Catholicæ. Probatur. Tum quia habitus fidei Catholicæ, inclinat ad veritates communes & catholicas totius Ecclesiæ. Apocalypsis autem, communis & catholica reuelatio est, & per consequens liquet intentum. Tum tandem, quia sancta mater Ecclesia numquam damnat aliquos anathemate, nisi negent ea, quæ sub habitu fidei Catholicæ continentur. At Ecclesia, si quis negaret Apocalypsim librum esse canonicum, illum mox anathemate damnaret; quoniam in Concilio Tridentino sess. 4. inter libros Canonicos recensetur liber Apocalypsis per hæc verba: [Testamenti noui quattuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, &c.] & paulo post: [Et Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem, libros istos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris
K & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.] Igitur Apocalypsis cadit sub habitu fidei Chatholicæ.

4. concl. Apoc. cadit sub habitu fidei Cathol.
1. Ratio.
2. Ratio. Ecclesia cur aliquos feriat anathemate.
Concil. Trid.

PARA-

PARAPHRASIS
Quinta.

Par. 5. Dilucidatio textus. §. 1.

Quam dedit (dicit præterea) illi Deus, Gemina eſt huius loci lectio. Altera videlicet eſt intrepide tenentium, ly [Quam] nullatenus eſſe mutandum, quinimmo permanendum in accuſatiuo, loco perſonæ patientis. Vnde legunt, vt noſtra habet vulgata, nimirum [Quam dedit illi Deus.] ita D. Ambroſ. D. Auguſt. Tyconius, Primaſius, Arethas, Strabus, Anſelmus, Laudunenſis, Ansbertus, Pannonius, D. Thom. Ioachim Abbas, Petrus Aureolus Cardinalis minorita, Petrus Caponſachius de Pantaneto Aretinus, Berchorius Pictauienſis, Hugo Cardinalis, Hugo de ſancto Victore, D. Dionyſius Carthuſianus, Doctor Incognitus, Franciſcus Ribera, Blaſius Viegas, Benedictus Pererius, & Iacobus Suarez à S. Maria in hiſce ſuis Commentarijs.

Duplex lectio huius textus. Lectio communior, & certior.

§. 2. Lectio peculiaris. Ruper. Abb. in commen. Antiptoſis figura quid ſit. Virg. Tropus ſacræ Scrip. quam pro, qua.

Altera vero eſt, lectio Ruperti Abbatis, qui exiſtimat apertius quidem fuiſſe, ſi dixiſſet [Qua] & non [Quam] iuxta quam lectionem, ly [Quam] noſtræ vulgatæ mutandum proculdubio eſſet in ablatiuum inſtrumenti, & ſic committeretur hic figura, quam antiptoſim rhetorici nũcupant, ob idq; ita legendum eſſet, [Qua dedit illi Deus palam facere, &c.] vnde vſurparetur hic accuſatiuus [Quam] pro ablatiuo [Qua] Et cum caſus pro caſu vſurpatur, fit antiptoſis figura iuxta illud Virgilij [Vrbem, quam ſtatuo, veſtra eſt,] & illud etiam Terentij [Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit: it cælo clamor, hæret pede pes] vbi accuſatiuus accipitur pro recto caſu, hoc eſt, [Vrbem] pro [Vrbs] & [Eunuchum] pro [Eunuchus,] & pari etiam modo in præſenti [Quam] acciperetur pro [Qua] idq; aliquando accidit in ſacro eloquio, vt liquet in illo Apoſtoli 2. Tim. 4. [Bonum certamen certaui:] quo loco accuſatiuus pro ablatiuo vſurpatur, ita enim ſonant verba Apoſtoli: [Bono certamine certaui] ex quo fieret proculdubio quod legendo [Qua dedit illi Deus] ly [Qua] poneretur pro reuelatione. Et cum arcana, reuelatione, cuique aperiantur, ita ſonarent verba huius textus. [Reuelatione] nimirum, hac Apocalypſi, [Deus dedit] hoc eſt reuelauit [illi] videlicet humanitati Chriſti ea, quæ ſeruis ſuis palam facere, tamquam cito futura, oportebat. Quę quidem Ruperti lectio mihi minime diſplicet, ſed prima magis arridet, & textui germanior plane videtur, & in Græcis codicibus expreſſe reperitur.

§. 3. Apoc. accepit Xps in quãtũ homo, à Patre æterno.

Ceterum hanc reuelationem à Deo patre accepiſſe Ieſum Chriſtum in quantum hominem, vel ſecundum formam ſeruilem, haudquaquam mirum, arduumue alicui eſſe debet. Quoniam ſi Chriſtus, in quantum Deus, dicitur accipere aliquid à Patre ęterno, eo quod filius in diuinis per æternalem generationem eſſe, & deitatem à patre æterno dicitur accepiſſe, cum ab ipſo ſit æternaliter genitus, vt tenet fides Catholica, & extoluunt Doctores in 1. lib. ſent. cum Magiſtro & p. 1. cum doctore Angelico, multo magis ipſemet Chriſtus, cum Deus & homo ſit, in quantum homo, vel in forma ſerui, dicetur merito hanc reuelationem, ſiue Apocalypſim, vel ea, quæ Deus illi hac reuelatione reuelauit, à Patre æterno accepiſſe, cum ipſe Chriſtus, in quantum homo, ſit heres vniuerſorum, & per quem (teſte Apoſtolo ad Rom. 1.) facta ſunt ſæcula. Hinc Strabus in ſua gloſſa ordinaria ſic ſcribit: [Secundum hominem accepit eam à Patre, & verbo ſibi cognito, & Spiritu ſancto.] Primaſius etiam Epiſcopus Vticenſis, ſuper eumdem locum ſic dicit: [Reuelatio eſt Ieſu Chriſti, quam propterea Deus Pater ei dediſſe dicitur, cum inſeparabile patris, & filij opus omne probetur; immo etiam Spiritus ſancti,

Doctores in 1. lib. ſent. & p. p. D. Tho. Arg. à maiori ad minus.

Strabus.

Primaſius.

A cuius hic nomen frequenter inſinuat, eo quod etiam in forma ſerui, vnus idemq; & à Patre accipiat, & cum patre concedat.] Sic ille. Et Iacobus Suarez à ſancta Maria, ſuper hunc locum, in hæc irruit verba: [Ad iſtius reuelationis fontem, & originem nos conducere volens, dicit eam factam fuiſſe Chriſto homini.] Et denique Rupertus Abbas ſuper hunc eumdem textum ſic ſcribit: [Quid enim habet, nempe Deus pater, quod non acceperit in vnigenito etiam filio noſtra natura? Quid porro non accepit, aut quid non datum eſt ei, pro eo quod obediuit vſque ad mortem, mortem autem crucis? Nihil illi non ſubiectum reliquit Deus, cum Pſalmiſta dicat: Omnia ſubieciſti ſub pedibus, eius; ſed & ipſe de ſeipſo dicit: Obedientia iã conſummata, data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: in iſto quoque libro, dicit: Et fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo B claues mortis & inferni, verum de rerum omnium poteſtate dicta ſint, illam; de qua nunc ſermo eſt, ſcilicet reuelandi cęleſtia ſacramenta ſeruis ſuis poteſtatem humanitas dono accepit, quemadmodum in hoc libro ſignificatum eſt, vbi Agnus ſignatum de dextera ſedentis in throno, librum accepit, & aperuit; de qua poteſtate itidem ſpiritus dicit Eccleſijs: Hæc dicit ſanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Itaque humanitati quidem Ieſu Chriſti, nihil eſt, quod datum non ſit, aut quod non acceperit: diuinitati vero nihil datum eſt in poteſtatem, quod ante non habuerit.] Hucuſque Rupertus. Ex quibus omnibus plane liquido conſtat, hic de homine Chriſto verba fieri. Ei namque quatenus Deus eſt, reuelatio fieri nullatenus poteſt: quoniam ſic & Verbum Patris, & æterna ſapientia eſt, à quo omnis ſapientia plane deriuatur. C Quamobrem relinquitur exploratum, illi (in quantum homo eſt) hanc reuelationem à Deo patre factam fuiſſe. Quoniam ſic de illo Paulus ad Coll. 2. ait: [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.] Et paulo poſt: [In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.] Quibus verbis docet Apoſtolus, Chriſtum ſecundum humanitatem, omnem plenitudinem diuinæ virtutis in ſe habere inhabitantem, cum in ipſo inhabitet diuinitas ipſa ſine menſura, ad omnem plenitudinem humanitati counita in vnitate perſonę, per quam poteſt etiam illa, quæ longe virtutem naturæ ſuperexcedunt: [Vidimus eum (dicitur Ioan. 1.) plenum gratia, & veritate.] Cum igitur cuncta, quæ fecit Deus, ac etiam vniuerſa, quæ ſub ſole geruntur in Chriſto ſecundum humanitatem, tamquam in ſuo centro recondita ſint, ſecundum D quam omnium rerum, tam cæleſtium, quam terreſtriũ, legitimus abſolutuſque Dominus eſt, noluit ex conſequenti Deus pater, filium ſuum Ieſum Chriſtum hac Apocalypſi, ſiue reuelatione carere. Quinimmo illi eam, ſecundum humanam naturam, (inter alia) affatim; iugiter, abundanterq; elargitus fuit. Ac proinde dicimus, quod licet Chriſtus, vt Deus, vel vt habens naturam diuinam, hanc Apocalypſim ſiue reuelationem copioſe, & æqualiter cum Patre, & Spiritu ſancto ab æterno intellexerit; tamen, vt homo, vel vt habens naturam humanam, ſiue in forma ſerui, illam ab eodem Patre æterno in tempore accepit.

Iacobus Suarez à S. Maria.

Rup. Abb. Deus Pater dedit illio ſuo Ieſu Xpo quid quid habet.

Xpo quatenus Deus eſt reuelatio fieri non poteſt.

Chriſtus plenus gratia.

Porro à primo inſtanti ſuæ incarnationis hanc habuiſſe Chriſtum per reuelationem pro certo habe. Quoniam Mag. in 3. ſent. diſt. 13. aperte affirmat, Chriſtum, ſecundum humanitatem, ab ipſa conceptione, gratiæ plenitudinem recepiſſe. Et idem docet S. E Thom. in 3. ſent. diſt. 13. & 3. p. quæſt. 9. Caietanus etiam, Scotus, Durandus, & omnis Theologorum chorus. In qua plane gratiarum plenitudine collocanda, ac reponenda etiam venit hæc Apocalypſis ſiue reuelatio, alioquin in illo primo inſtanti, non eſſet in illo omnium gratiarum plenitudo. Cum igitur hęc Apocalypſis, vt patet, in illo numero gratiarum includatur, de quo Apoſtolus dicit: [Diuiſiones gratiarum ſunt.] (eſt enim Apocalypſis Prophetia, & per con-

§. 4. Apocal. obtinuit Xps à primo inſtanti conceptionis Mag. ſenten. Caietanus Scotus. Durand. Plenitudinẽ gratiarũ obtinuit Xps à primo inſtãti conceptionis Apoc. ſpectat ad plenitudinẽ gratiarũ.

consequens & inter gratiarum plenitudinem, ac etiam inter ea, quæ Christo à primo instanti suæ conceptionis, necessario conueniunt, reponenda, venit,) ab illo primo instanti incarnationis sciuit anima Christi, omnia, quæ Deus scit, absque eo, quod aliquid ignoraret eorum, quæ Deus scit. Quoniam ab illo instanti dedit Deus animæ Christi tantam scientiam infusam, vt in scientia æqualis Deo fieret, sciens per gratiam omnia, quæ Deus, per naturam, scit. Verba autem Magistri, loco citato talia sunt, & pulchra sane: [Præterea (inquit) sciendum est, Christum, secundum hominem, ab ipsa conceptione, gratiæ plenitudinem recepisse, cui spiritus datus est non ad mensuram, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Ita vero habitat, vt ait Augustinus ad Dardanum, quod omni gratia plenus est. Non ita habitat in sanctis, vt in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non quantum in capite, vbi enim & visus est, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus, in ceteris autem solus est tactus. Ita in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis, quia ille est caput, in quo sunt omnes sensus, in sanctis vero quasi solus est tactus; quibus datus est spiritus ad mensuram, cum de illius plenitudine acceperunt. Acceperunt autem de illius plenitudine, non secundum essentiam, sed secundum similitudinem, quia numquam illam eamdem essentialiter, sed similem acceperunt gratiam. Puer ergo ille plenus sapientia, & gratia fuit ab ipsa conceptione. Vnde Hiere. recte dicit: [Nouum faciet Dominus super terram: mulier circumdabit virum, quia in vtero Virginis perfectus vir extitit: non solum propter animam, & carnem, sed etiam propter sapientiam & gratiam, qua plenus erat.] Hucusque Magister. Fuit igitur Christus plenus gratia, & sapientia ab ipsa conceptione. Quocirca animæ Christi ab illo primo instanti conceptionis data fuit à Deo tanta plenitudo gratiæ infusę, vt ex tunc sciret Christus omnia, quæ pro nobis passurus erat, nimirum, quod pro nobis erat venundandus, flagellandus, coronandus, crucifigendus, & tertia die resurrecturus. Insuper ab illo primo instanti incarnationis, habuit tãtum scientiæ creatæ, vt ex tũc sciret, & intelligeret magis & supra omnes, qui hactenus ab orbe condito aliquid sciuerunt, vel intellexerũt. Quãobrem ab illo primo instanti cõceptionis, fuit Christus magnus Theologus, eximius Phylosophus, celebris Medicus, perfectus Musicus, subtilis Arithmeticus, sũmus Pictor, diuinus Sculptor, ingeniosus Faber lignarius, artificiosus Argentarius, maximus Architector, & denique eximius in quauis scientia & arte, cum ipse à principio suæ incarnationis habuerit omnes perfectos habitus scientiarum, & virtutum intellectualiũ, cum speciebus ad earum vsus necessarijs, vt recte dispungunt D. D. cum S. Thoma in 3. p. quęst. 14. art. 4. ad 2. Tunc etenim, teste Isaia, super eum requieuit spiritus sapientiæ, & intellectus. Quamobrem à primo instanti suæ conceptionis, sciuit anima Christi hanc Apocalypsim, illamque inter alia omnia tunc iugiter, & abunde cognouit. Hinc S. Thomas in hisce Commentarijs super hunc locum sic scribit: [Quomodo Pater hæc reuelauit Christo homini, cum ipse etiam secundum humanitatem omnia sciuerit ab instanti cõceptionis secundum Gregorium? Respondeo, quod non vult dicere, quod de nouo reuelauerit ei, & ante ignoraret, sed ab instanti conceptionis horum notitiã, sicut & aliorum dedit ei secundum humanitatem, sed ideo dicit, dedit, vt ostendat, quod non habuerit Christus homo hæc ex natura, sed ex gratia.] ita S. Thomas. Pari etiam modo intelligitur illud Ioan. cap. 5. [Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.] Eiusdem sententiæ est D. Dionysius Carthusianus in hunc locum.

Mag. in sent. dist. 13. — Incarnatio ordinatur ad nostrã redéptionẽ quãtũ ad plenitudinẽ gratiæ, & sapiẽtiæ simul. — Plenitudo diuinitatis habitat in Xpo & quomodo. — Comparatio. — Sancti de plenitudine Xpi acceperũt, & quomodo. — Hiere. 31. — Nota bene. — Perfectiones oĩum rerũ obtinuit Xps à primo instãti cõceptionis. — S. Thom. — S. Th. in cõm. — D. Dion. Carthus. in c. 1. Apoc.

§. 5. *Difficultas in textum.*

Sed dices: si Christus hãc Apocalypsim, & quidquid de sua sponsa Ecclesia erat futurum, à primo instanti suæ conceptionis, per suam diuinam scientiam clare sciuit, & omni scientia, sapientia, fortitudine, potentiaque plenus ab illo instanti fuit, quomodo post resurrectionem, & in cælos ascensionem D. Ioannes hic dicit Deum Iesu Christo hanc Apocalypsim dedisse? si ergo Christus hanc reuelationem post passionem habuit à Deo patre æterno, non apparet, quomodo illam à primo instanti incarnationis habuerit. Ad quod optime intelligendum, scias oportet, tropum esse creberrimum in sacro eloquio, quo res dicuntur fieri, quando innotescunt, de quo quidem tropo verba facit Magister in 3. sententiarum distinct. 15. ac etiam S. Thomas p. 1. quæst. 24. art. 3. sub his verbis: [Quidam dicunt, quod de libro vitæ nullus potest deleri secundum rei veritatem; potest tamen aliquis deleri, secundum hominum opinionem. Est enim consuetum in sacra Scriptura, vt aliquid dicatur fieri, quando innotescit, & secundum hoc aliqui dicuntur scripti in libro vitæ, in quantum homines opinantur eos ibi scriptos, propter præsentem iustitiam, quam in eis vident, sed quando apparet vel in hoc sæculo, vel in futuro, quod ab hac iustitia exciderunt, dicũtur inde deleti.] Hucusque S. Thomas. Et super illa verba Pauli ad Ro. cap. 1. [Qui prædestinatus est filius Dei in virtute:] idem Angelicus Doctor 3. p. quæst. 24. art. 1. ad 3. recensita iam super hoc Originis opinione, sic ait: [Alij vero ante cessionem, quę designatur in hoc participio prædestinatus, referunt non ad id, quod est esse filium Dei, sed ad eius manifestationem secundum illum consuetum modum loquendi in scripturis, quod res dicuntur fieri, quando innotescunt, vt sit sensus, quod Christus prædestinatus est manifestari filius Dei.] Ita S. Thomas. Est igitur tropus iste frequentissimus in sacra pagina, iuxta quem D. Ioannes hoc in loco ait, Deum hanc Apocalypsim dedisse Iesu Christo, non quod post resurrectionem & in cælos ascensionem facta fuerit illi nouiter, (cum sic sequeretur illam antea ignorasse, quod ex diametro dictis opponitur, & est hæresis,) sed quod tunc, post resurrectionem & ascensionem populo illam manifestare oporteret, & cũ res manifestatur, dicuntur fieri, iuxta præfatum tropum. Et pari prorsus modo explicari solet à Doctoribus illud Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] & etiam illud ad Philipp. 2. [Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem tem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.] Quoniam hæc omnia Christus à primo instanti incarnationis plane obtinebat. Et quamuis Christum illa omnia à primo instanti suæ conceptionis obtinere, ante passionem & resurrectionem, populo esset ineuidens, tamen post passionem, & resurrectionem, populo est manifestatum, factumque fuit euidens. Et per consequens tunc fieri dicitur, iuxta prælibatum tropum, loquendique phrasim. Et quamuis hæc omnia ante resurrectionem innotuerint Angelis, post resurrectionem tamen, vt ait Remigius, omnibus innotuerunt hominibus.

Tropus sacræ Scripturæ. — Res dicuntur fieri cũ innotescunt. — Magister, S. Thom. — S. Thom. — Apocal. manifestatio. — Remigius in Math.

§. 6. *Manifestatio nõ destruit in Xpo rationẽ meriti. — Mereri potest eadẽ res multifarie multiq; modis. — Mag. Sent.*

Hæc præterea manifestatio, siue istud, quod est, res dici fieri cum innotescit, non destruit in Christo rationem meriti. Potest etenim eadem res, bis, ter, & multoties mereri, non multiplicata tamen efficacia meriti, sed numero dumtaxat meritorum: Quamobrem apparet, Christum immortalitem, impassibilitatem, clarificationem, & nomen super omne nomen, &c. tum à primo instanti incarnationis, tum etiam per passionem, tormentorumq; tolerantiam meruisse, ita vt vnũ & idem semel in conceptione, & iterum in passione meruerit. Ad quod facilius clariusque intelligendum, audias quæso Magistrum in 3. sent. dist. 18. sic scribentem: [Nec solum hoc meruit Christus, quando patri obediens crucem subijt, sed etiam ab ipsa conceptione, ex quo homo factus est, per charitatem, & iustitiam, & alias virtutes, in quarum plenitudine fuit secundum hominem conditus: sibi tantum meruit, quantum post per martyrij tolerantiam. Tanta enim plenitudo spiritualium charismatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit, &c.] & paulo post: [Nec tantum gloriam impassibilitatis, & immortalitatis meruit,

meruit, sed etiam donari sibi nomen, quod est super omne nomen, id est honorificentiam, quod vocatur Deus, hoc tamen ante mortem habuit. Habuit enim hoc nomen Dei filius, in quantum Deus est ab æterno, per naturam, in quantum vero homo factus est, habuit ex tempore per gratiam. Verûtamen Aug. dicit homini donatũ esse illud nomen, nõ Deo quia illud nomen habuit, cũ in forma Dei tãtum erat, sed cum dicitur: Propter quod illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomẽ; satis apparet propter, quid exaltauerit: id est propter obedientiã, & in qua exaltatus sit. In qua enim forma crucifixus est, in ea exaltatus est, &c.] Hucusque Magister, ex quibus omnibus aperte infertur, hanc Apocalypsim siue reuelationem, Christum, (cum ad eius scientiam infusam spectare certum sit) à primo instanti suæ conceptionis, & iterum etiam post eius resurrectionem meruisse, quemadmodum de alijs, quæ Christo homini, conuenire videntur, dictum est. Meruit itaque Christus post suam resurrectionem & in cęlo gloriosam ascensionem, huius Apocalypsis per os Archiprophetæ Ioannis manifestationem. Quæ quidem manifestatio nihil de nouo in Christo, sed dũtaxat in nobis ponit, vt plane hoc exemplo manifestũ fiet. Accipis namque tu modo existens in Sardinia Epistolam quamdam cuiusdam amici tui ex Hispania, in qua plane continetur Regem Philippum illi amico tuo Episcopatum elargitum fuisse Toletanum: hoc autem modo pænes te nouum, ac recens vtrique est, ceterum penes illum amicum tuum inueterata quidem res est, & sic te legente illam epistolam, nihil de nouo aduenit Episcopo amico tuo, sed tibi dumtaxat. Quia tu per illam Epistolam scis modo aliquid, quod antea nesciebas, & tibi innotescit, & manifestatur, quod antea prorsus ignorabas. Perinde prorsus manifestatio huius Apocalypsis, per os Ioannis nihil de nouo ponit in Christo, sed in nobis dumtaxat. Et cum Christus à primo instanti incarnationis meruerit hanc Apocalypsim, siue reuelationem, & etiam post eius resurrectionem, & in cælos gloriosam ascensionem, eiusdem meruerit manifestationem, sequitur Christum Dominum hanc Apocalypsim siue reuelationem, (sicut cetera alia quæ sibi meruit,) multifariam multisque modis meruisse. Quemadmodum cum miles, aut comes aliquis ob varias res ab ipso bellicose gestas propter honorem regis, semel defendendo atria, semel custodiendo turres, semel castella debellando, semel inimicum deuincendo, & semel sanguinem suum spargendo, propter quæ omnia tandem, vt quiete & in pace in posterum viuat, Crucem sancti Iacobi, aut crucem Calatrauæ, siue Alcantaræ, vel commendam aliquam S. Ioannis, Montetæ, Iesu Christi, &c. reportat à Rege in præmium laborum suorum. Quamobrem miles, aut Comes iste præfatam Crucem Commendamue multifariam, multisque modis meruit, eo quod per quemlibet actum ex præmissis illam merebat, ac etiam per omnes simul. Et quanto plus fecit, ac gessit, tanto magis dignus coram Rege ad illam accipiendam repertus fuit. Pari etiam modo hanc Apocalypsim, siue reuelationem & cetera omnia, quæ Christus in quantum homo sibi, & nobis meruit: meruit plane, tum per conceptionem, tum per passionem, tum per resurrectionem, tum etiam per gloriosam ad cælos ascensionem. Et sic vnam, & eamdem rem multifarie moltisque modis meruit. Vnus etenim merendi modus fuit charitas conceptionis, alius iustitia, alius plenitudo gratiarum, alius Crux, alius tormenta, alius sanctissima eius passio, alius eius mors, alius eius resurrectio, alius tandem merendi modus fuit eius ascensio. Verumenimuero in his diuersis merendi modis augeri in aliquo, aut in gratia cumulatior, siue in beatitudine beatior fieri nullatenus potuit Christus. Nec minus plus mereri sibi per crucis patibulum potuit, quam à conceptione per gratiam virtutum meruerit. Quamobrem anima Christi nequit augeri, quoad meriti efficaciam, sed quoad meritorum numerum, merendo nimirum vnam & eamdem rem multis varijsque modis. Et quamuis D. Paulus totam rationem meriti Christi, eius passioni & morti attribuere videatur, dum ad Philipp. 2. dicit: [Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.] tamen negandum haudquaquam est Iesum Christum à primo instanti incarnationis immortalitatem, impassibilitatem exaltationem, glorificationem, clarificationem, nomen super omne nomen, & hác etiam Apocalypsim, minime habuisse alioquin sequeretur animam Christi in illo primo instanti conceptionis, quædam meruisse & habuisse, & quædam minime meruisse, nec habuisse: ex quo concluderetur animam Christi, in illo primo instanti plenitudinem gratiarum minime meruisse nec habuisse, quod, & inconueniens quidem est, & hæresim plane sapit, cum Ioa. 1. dicatur de illo: [Vidimus eum plenum gratia & veritate.] Ob idque non meritorum efficaciam, sed meritorum numerum auxit Christus, vnam, & eamdem rem multis modis merendo. Meruit autem Christus, in quantum viator, non vero in quantum comprehensor. Fuit enim Christus simul comprehensor, & viator. Et. ratio meriti ex primo instanti conceptionis suę: quoniam ex tunc & mereri, & frui cœpit, se tenet ex parte viatoris, & non ex parte comprehensoris, vt Theologi dispungũt in 3. lib. sent. dist. 18. cum Magistro, & in 3. p. q. cum S. Thoma.

Apoc. multis modis meruit Christus.

Comparatio.

Simile.

Merẽdi varij modi in Xpo.

Xpus aliquo nõ potuit augeri quoad efficaciã meriti, bene tamẽ quoad numerũ meritorum.

Meruit Xpus in quãtũ viator non vero in quantũ comprehensor.

Conceptus Prædicabiles in textum.



THESAVRARIVM huius etiam Apocalypsis placuit Deo patri Iesum Christum filium suum constituere; quoniam in eius manus vniuersa sunt posita, iuxta illud Ioa. cap. 13. [Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus.] Non enim decens erat thesaurarium illum nobilissimum, de quo Apostolus ad Collos. 2. ait: [In quo sunt omnes thesauri, sapientię, & scientiæ absconditi;] hac Apocalypsi siue reuelatione carere. Ideo in textu optime dicitur: [Quam dedit illi Deus.] Thesaurarius namque iste, nempe, Iesus Christus, bifariam accipi potest, nimirum, secundum quod Deus, & secundum quod homo est. Si etenim secundum quod Deus est accipiatur, fides docet, Patrem æternum omnia dedisse illi in manus, secundum diuinitatem, illum ab æterno, Deum de Deo, lumen de lumine, omnipotentem, eique consubstantialem, coæqualemq; generando. Si autem, secundum quod homo est, sumatur, sic eadem fides Catholica indicat Patrem ęternum omnia dedisse illi in manus, secundum humanitatem, illum ab æterno, omni gratuito dono condecorando, De eius namque humanitate intelligitur illud Eccles. 24. [Ab initio & ante sæcula creata sum.] Et paulo post: [Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.] Et non quomodocumque, sed omni dono gratuito ornatam. Humanitati igitur, quam in mysterio incarnationis, verbum diuinum in tempore, hypostatice assumpsit, Deus Pater ab æterno omnia gratuita dona copiose donauit. Quamobrem hic circa hanc reuelationem Archipropheta ait: [Quam dedit illi Deus.] Et circa omnem aliam rem idem Christus Ioa. 13. ait: [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.] Omnia bona paterna debet filius, & præcipue si primogenitus fuerit, iure hæreditare, vt leges disponunt. Christus autem, & naturalis Dei filius, & eius primogenitus, ac vnigenitus est, & cum in eius diuinæ personæ vnitate, duplex reperiatur natura, diuina nimirum, & humana, iuxta vtramque omnia bona æterni patris, iure hæreditauit. Iuxta namque diuinam naturam hæreditauit, id est, dedit illi pater æternus, per modum naturalis emanationis, omnia, quæ ipsæ æternus obtinet pater, scilicet deitatem, æternitatem, omnipotentiam, infinitatem, immortalitatem, impassibilitatemq;

Conceptus 1. Quod Xps secundũ humanitatẽ thesaurariusnõ solũ oiũm reuelationum verũ etiã rerũ omnium est.

Xps dupliciter cõsideratur.

Humanitas in Xpi ab æterno erat in mẽte diuina.

Explicatur optime locus Ioa. 13.

Comparatio. Xps oĩa bona paterna iure hereditauit.

Nota bene.

Ac proinde Christus est Deus æternus, omnipotens, infinitus, immortalis, & impassibilis, sicut ipsemet æternus pater. Quamobrem in his, quæ ad esse Dei pertinent, nihil illi plane deest, quinimmo omnia attributa diuina, & quidquid in patre est, quemadmodum ipse pater, sic & ille (absque eo quod ex perfectionibus diuinis illi aut deficiat, aut supersit aliqua) obtinet. Verū quippe est, quod illam perfectionē diuinam, quę est in patre, quæ scilicet est, esse pater, minime obtinet. Quoniam illa filio nullatenus potest communicari, attamen loco illius aliam præ se gerit, quæ est esse filius, quæ plane tam diuina perfectio est in filio, quemadmodum, esse Pater, est in patre. Quoniam perfectio, quæ est in patre, esse pater, est etiam in filio, esse filius. Ob idque non est filius in aliquo minus perfectus, quam sit Pater, immo in omnibus, & per omnia est illi coæqualis. Iuxta vero humanam naturam hæreditauit, hoc est dedit Iesu Christo Deus pater, ratione vnionis hypostaticæ omnia creata. Etenim cum humanitas illa sancta Iesu Christi esse diuinum verbi æterni acceperit per illam vnionem hypostaticam, simul ex consequenti humanitas in verbo, accepit in se omnia bona verbi diuini. Et hoc necessario fatendum plane est; quoniam accipiendo humanitas esse hypostaticum, omnia, quæ Deus possidebat, recipere ab illo necessario debebat in se: quemadmodum dum virgo se matrimonio iungit, omnium bonorum sponsi sui necessario, & iure fit domina & particeps, vel quemadmodum dum nos per gratiam esse Dei accipimus, simul etiam, suo modo, omnia bona Dei accipimus, & qui insuper recipit esse diuinum per gloriam simul etiam omnia bona gloriæ recipit, sicuti ex aduerso qui amittit esse Dei gratificum, propter mortale peccatū, amittit simul ex consequenti omnia bona, & recipit in se omnes Tartari pœnas. Accipiendo itaque illa sancta humanitas Iesu Christi esse Dei hypostaticè, simul etiā ex consequenti in se recepit omnia, quæ possidebat Deus. Vnde cum omnia creata sint sub imperio Dei, omnium creaturarum, illa sancta humanitas ex consequenti accepit dominium, & huius etiam Apocalypsis siue reuelationis, de qua hic dicitur: [Quam dedit illi Deus.] ac omnium etiam reuelationum. Quamobrem, iuxta humanitatem, dedit æternus Pater Iesu Christo dominium, ac imperium omnium creaturarū, & ob id recte dicimus, Iesum Christum omnium rerum, tam cælestium, quam terrestrium, ac etiam cunctarum creaturarum legitimum, ac absolutissimum thesaurarium esse, quod plane dictum puta, (vt aperte intelligas) quod si tu desideras gloriam, remissionem peccatorum, gratiam, salutem, diuitias; & denique quæuis bona tam cælestia, quam terrestria, ab ipso postulare debes, vt illa impetrare valeas. Hinc ipsemet Christus Ioa. cap. 16. ait: [Petite, & accipietis,] Quoniam Pater æternus omnia tum cælestia, tum terrestria in manus meas posuit.

Paternitas nō est in filio nec filiatio in patre.

Filius in diuinis est, tam perfectus quā sit pater.

Oīa bona paterna sunt in Xpo per illā vnionem hypostaticam.

Comparatio.

Nota bene.

Conceptus 2. Quod manus Xpi sunt liberales.



DIXI cum Euangelista Ioanne: [In manus:] quoniam dum ipse in cap. 13. de Christo ait: [Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus,] mirum in modum notanda venit specificatio illa: [In manus.] magnam namque amoris emphasim præ se gerit. Denotat etenim Iesum Christum omnia diuina bona, prompta, & parata obtinere, ad iuste petentibus distribuendum. Cum filius frustrum panis à matre, vel nummos aliquot à patre postulat, si eius mater panem in arca clausum obtinet, & eius Pater nummos in crumena, vel saccis absconditos habet, difficile filius ille à parentibus suis mox impetrare valet id, quod postulat, quamuis parentes illi placere velint, qui pro tunc non habent in promptu id, quod filius postulat. Verumenimuero, si filio petente, pater nummos in manu habet, & mater

Bona oīa prōpta, & parata obtinet Xps.

Comparatio.

F etiam manibus tunc panem frangit, statim filius postulata impetrat, eo quod paternus, maternusq; amor nullatenus permittit filium diu affligi. Ad eumdem plane modum, vt nos homines facile intelligeremus, quam prompta, & parata nobis filijs suis, recte petentibus, Iesus Christus diuina bona obtineat, addita siquidem est ab Euangelista specificatio illa [In manus;] perinde, ac dicat: Non habet Christus diuina bona in arca aliqua clausa, aut in latibulo aliquo abscondita, sed in manu prompta & parata, ad iuste petentibus distribuenda libere; & vt magis petentes ad se alliceret, voluit clauibus perforatas suas habere manus, vt inde aperte scirent homines, quod quamuis aliquando propter aliquod facinus nostrum, ipse ira incensus, manus suas in pugna comprimat, hoc est sua nobis deneget bona, tamen reuera tunc tali diuino thesauro cælestium, terrestriumq; bonorum, nullatenus carere existimemus. Quoniam per illa sancta manuum

G suarum foramina, cælestia, terrestriaque bona, quæ in manu reposita habet, ad nos adhuc peruenire nullatenus cessabunt, ob idque cum ipse apud nos adhuc in mundo esset, quocumq; introibat per vicos per villas, & per ciuitates, thesauros suorum bonorum, nimirum gratiam, gloriam, salutem, misericordiam, & remissionem peccatorum, per illa sancta manuum suarum foramina vbiq; diffundebat, ac aspergebat, relinquebatque. Hinc plane est, quod in monte Caluario sanctæ matri Ecclesiæ septem reliquit sacramenta ex pretiosissimo illo fonte benedicti lateris sui perforati dimanantia. In cruce itidem Dimæ latroni, Paradisum clargitus fuit: in porta etiam Ciuitatis Naym, filio viduæ vitam restituit: in conuiuio porro Pharisei, Mariæ Magdalenæ, remissionem cunctorum suorum peccatorum abunde concessit: in piscina insuper Paraly-

H tico, triginta & octo annorum mox salutem præstitit: in fonte etiam Iacob, haudquaquam illi defuit quid mulieri Samaritanæ daret: in partibus tandem Tyri, & Sydonis mulieri Cananeæ, quod totis viribus, ac vicibus postulabat, tandem concessit. Vides igitur, qualiter manus Iesu Christi, & per illa sancta foramina, vbique diffundere diuina bona nullatenus cessant? Recte proculdubio ipsemet de suis manibus ait Cant. 2. [Manus meæ distillauerunt myrrham:] distillant namque vbique manus Christi myrrheum liquorem, hoc est diuina bona, cælestiaq; beneficia. Restat dumtaxat, vt nos iuste petentes orationibus, ieiunijs, &c. illa (veluti filii Israel Manhu, Exod. 16.) diligenter post illum ambulando, colligere curemus. O benedictæ manus Iesu. Attendite, & notate quæso, si placet: [Ecce. (dixit Deus Adę, & Euæ, nostris primis parenparentibus,) dedi vobis omnem herbam afferentem

I semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escā.] Quasi illis diceret: In manus vestras, pisces maris, aues cali, animalia & bestias terræ, arbores, herbas, vniuersosque fructus terræ, simul cum omnibus creaturis, quas ego creaui, repono & horum omnium vos dominos constituo, ita vt omnia creata voluntati, & imperio vestro prorsus subiaceant. Porro cum Ioseph gratiam in conspectu Regis Pharaonis in Ægypto adinuenit, mox ab ipso Rege audire meruit: [Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti.] quinimmo in textu ita subiungitur: [Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manus eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem aureum circumposuit, fecitq; ascendere eum super currum suum secundum, clamante præcone, & vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ

K Ægypti.] Post quos omnes honores ait illi Pharao: [Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.] & tandem illi nomen mutauit lingua Ægypriaca, eum vocando: [Saluatorem mundi.] Si igitur Deus omnes creaturas in manus primorum parentum commendauit, & insuper Rex Pharao omnia sua bona in manu Ioseph reposuit, illum adeo honorans, vt saluatorem mundi eum appellaret, quid quæso mirum est, si pater

ter

ManusXpi ad quid forat ę.

Miracula & plurima operata per Xpm.

Nota bene duas sequētis figuras. Gen. 1.

Gen. 38.

A ter æternus omnia tam cælestia, quam terrestria bona in manus Domini nostri Iesu Christi dederit? Omnia igitur, & inter ea, hanc Apocalypsim in manus suas obtinet Iesus Christus, eo, quod ipse proculdubio est nouus Adam, & verus Ioseph, saluator mundi. Quamobrem sicuti accipiente Ioseph à Pharaone claues gubernationis Ægypti, tanta sup ruenit Ægypto tritici abundantia, vt dicat textus: [Tanta fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet;] ita pariter, Christo accipiente à Patre æterno claues gubernationis totius orbis, tanta mundo superuenit gratiarum omnium abundantia, vt hic mortuos resuscitatos videamus, illic cæcos illuminatos, leprososq; mundatos circumspiciamus; hic infirmos curatos, claudos ambulantes, & pauperes euangelizatos: illic quinque millia hominum, quinque dumtaxat panibus, & duobus piscibus, refectos, illic aqua in vinum mutatam, hic dæmoniacos fere

Abundantia gratiarũ per Christum.

B infinitos omnino liberatos, illic vero peccatores contritos à suis sceleribus absolutos: hic tandem panem in carnem, & vinum in sanguinem in vltima cæna conuersum: illic etiam animas sanctorum Patrum ex lymbo ad cælum cum Christo conscendentes intueamur. Vides igitur gratiarum omnium per Christum in vniuerso orbe abundantiam? non fuit profecto in Ægypto, tempore gubernationis Ioseph tanta tritici abundantia, quanta fuit in vniuersa terra tempore vitæ gubernationis, hoc est prædicationis, Iesu Christi, gratiarum omnium abundantia. Si igitur tu, ô Christiane, vis modo aliquid horum bonorum à Christo impetrare, perpende primo humilitatem qua fratres Ioseph, triticum in Ægypto ab ipso postulabant. Sic etenim dicebant, ait sacer textus: [Serui tui venerunt, vt emerent cibos;] quibus verbis humilitas, qua gratiam, & gloriam à Christo postulare debemus, aperte

Orare debemus cũ humilitate.

C indicatur. Hinc ipsemet Christus dixit Marc. cap. 11. [Omnia quæcumque orantes, (id est humiliter,) petitis, credite, quia accipietis & euenient vobis:] Et deinde considera attente misericordiam, mansuetudinem, & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, quã plane contemplare poteris ex ipsamet historia Ioseph; nimirum, cum ipse filijs Iacob dixit: [Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægyptum;] quod plane verbum filios Iacob, tanta cumulauit lætitia & gaudio inenarrabili, vt dicat textus: [Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.] ac si tacendo dicerent intra se: Iste, qui tantum in Ægypto apud regem Pharaonem præualet, est frater noster? à Domino factũ est istud, & est mirabile in oculis nostris: si itaq; iste est Ioseph frater noster, quamuis nos illum Ismaelitis venundati fuimus, propitius erit nobis; vt frater noster, & nimia benignitate & misericordia, facinoris,

Misericordia benignitas & mansuetudo Xpi est attente consideranda.

D malitiæ, & iniquitatis nostræ oblitus, triticum, ac bona, quæ postulamus, abunde proculdubio nobis elargiturus est, caro enim, & frater noster est. Pari etiam modo cum tu Christiane bona aliqua, tum cælestia, tum terrestria à Christo postulas, eius infinitam perpendere debes clementiam, ac benignitatem, eo quod, licet pro nobis venundatus, flagellatus, sputus, coronatus, ac crucifixus fuerit, tamen iniquitates nostras, aliquando placatus, nullatenus respicit, caro enim & frater noster est, nimirum filius hominis, hoc est filius Adæ, vt nos, vel filius Virginis, quoniam Verbum caro factum est. Tu igitur Christiane, qui aliquid à Christo redemptore nostro in tempore tribulationis & necessitatis tuæ postulas, dic illi humiliter illud Ieremiæ cap. 14. [Si iniquitates nostræ contenderint contra nos, Domine, fac propter nomen tuũ, quoniam multę sũt auersiones nostrę, &c.]

E Et sic humiliter orando, ab illo benigne exaudieris, quia caro, & frater noster est.

tribulationis & necessitatis tempore ad Xpm est humiliter recurrendum.



NON solum hanc Apocalypsim, verum etiam omnimodam potestatem Pater æternus dedit Iesu Christo. Idcirco ipsemet Christus, Matth. c. 28 ait: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, euntes ergo baptizate omnes gentes in nomine Patris &, Filij, & Spiritus sancti.] Perinde ac dicat: Ego sum ille, de quo scriptum est: [Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.] Ego sum ille cuius ordinatione, teste Dauid, perseuerat dies. Ego sum ille de quo dicitur: [Omnia seruiunt tibi.] Ego sum ille, de quo affirmatur illud Iob. 9. [Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit, quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris: qui fecit Arcturum, & Oriona, & Hyadas & interiora Austri; qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.] Est ne in vniuerso orbe alia huic æqualis potestas? minime gentium. Ego ergo sum ille, de quo canitur: [Qui respicit terram, & facit eam tremere.] Ego sum ille, de quo cecinit Dauid dicens: [Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.] Ego denique sum ille, de cuius monarchia & potestate dicitur: [Potestas eius, potestas æterna.] Dan. 7. &: [Sedes tua Deus in sæculum sæculi,] Psal. 44. &: [Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Lucæ 1. Quamobrem: [Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.] Ideo vobis discipulis meis dico: [Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] Quasi diceret, ite, ite, docete, docete, ite non solum ad suscitandas tribus Iacob, (vt dicitur Isa. 49.) & fæces Israel conuertendas, verum etiam docere & estote salus mea, vt dicitur Isa. 43. vsque ad extremum terræ. Ite & [Ab Oriente adducite semen meum, & ab Occidente congregate illud: dicite Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere.] Ite & afferte filios meos de longinquo & filias meas ab extremis terræ.] Ite ad gentem, quæ nescit me, & quæ non inuocat nomen meum ad gentes in mare, in Africam, & Lybiam tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam. Ite in Raab & Babylonem ad alienigenas, in Tyrum, ad populos Æthyopum, ite, ite per omnes orbis partes & inuenietis homines vili sanguini idololatriæ apprime deditos, quosdam solem adorantes, quosdam vero lunam & stellas colentes, alios Bacchum, Venerem, Iouem, Dianam, alios tauros, capras, cocodrillos, alios petras, arbores, truncos, alios etiam statuas aureas, argenteas, ferreas, ac marmoreas tamquam eorum deos deuote venerãtes, & quod deterius est, videbitis, quod Reges, & Imperatores mundi eximia potestate & imperio, hunc intrepide defendunt errorem. Ceterum vos, hoc nullatenus obstante, ite per vniuersum orbẽ, & eorum idola obmutescere, oracula conticescere, templa ruere, altaria cadere facite, eorum deos conculcate, eorum errores euellite, ac dissipate, destruite, ac disperdite, eorumque mores reformate, & eos verum Dei cultum benigne docete. Et quod magis interest, magisque oportet, Romam pertransite, quę caput totius orbis quidem est, illamque totius impietatis & idololatriæ compendium ac epilogum reperietis redactam. Quamobrem mox spiritualiter illam debellate, & quamuis discalceati sedem meam in illa plantantes, Romanum Imperium subiugate. Facite insuper, vt Romani Imperatores proprijs humeris terram ad Ecclesias meas construendas deferant, Regesque, ac Monarchæ proni, genibusque flexis, cineres ad sepulchra meorum seruorum & lambant, & adorent. Porro facite, vt matrem meam, & mulierem, & Virginem sempiternam credant, teneant, ac defendant, meque Deum & hominem mortuum, crucifixum, resuscitatum, immortalem, impassibilemque confiteantur. Patibulum præterea, siue crucem meam,

quæ

Conceptus 1. Quod Xps secundũ humanitatẽ habuit oẽm potestatem.

Explicatur optime locus Math. 28.

Potestas Xpi.

Orbis cõuersio p Apostolos Christi.

Idolorũ euersio per Apostolos Xpi.

Romæ cõuersio ad Xpm p Apostolorum prædicationẽ.

Apostoli q prædicabant per orbem.

quæ Iudæis est scandalum, ac Gentibus stultitia, gloriose ac intrepide prædicate, illamque apud Gentes & Iudæos gloriosam, dulcem, ac venerandam reddite, ita vt Regum, Imperatorum, ac Principum corona, sceptrum, decus, ac ornamentum reputetur. Ite ergo discipuli mei, quia: [Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,] non est plane visa alia huic similis potestas in vniuerso orbe. Quid etenim potuerunt præstare Romani? hoc dumtaxat plane, nimirum, in Occidente Hispaniam, & Lusitaniam, in Oriente Euphratem & Taurum, ac Armeniam, à Septentrione vero Rhenum, ac Danubiū, & ab Australi tandem parte Ethyopiam pro sui magnitudinis imperij terminos ac fines habere, ac constituere. Attamen potestas Christi omnia ambit, & absque distinctione aliqua occupat faciem vniuersæ terræ, & omnes linguæ, tribus, populi, & nationes illi genua curuant, quoniam omnia potest in cælo & in terra. Et nihil prorsus est extra, aut intra cælum, quod eius potestati non subiaceat; quemadmodum in domo alicuius diuitis, nihil prorsus est, quod dispensatoris, œconomi, siue procuratoris potestati non subijciatur. Hinc plane est, quod Deus Pater & hanc Apocalypsim, & omnimodam potestatem Iesu Christo dederit. Ideo D. Dionysius Carthusianus in hunc locum sic scribit: [Filius etiam secundum diuinam naturam omnia habet à Patre, sicque à Patre habet virtutem & sapientiam qua reuelat.] sic ille.

[Margin: Potestati Xpi nulla alia æqualis. — Acta Roman. — Acta Christi. — Simile. — D. Dion. Carthus. in cap. 1 Apoc.]

DISPVT. III.

In caput primum Apocalypseos de gratiæ, & scientiæ plenitudine animæ Christi.

In quinque Quæstiones partita, super illa verba: *Quam dedit illi Deus.*

Prologus Disputationis.



EX his verbis: [Quam dedit illi Deus,] ansam & occasionem arripere quispiam poterat existimandi, Patrem aliquam cognitionem, reuelationemue, filio nouam dedisse ac reuelasse, filiumque aliquid de nouo, quod antea ignoraret, à Patre tunc accepisse, quando hæc Apocalypsis Archiprophetæ Ioanni in insula Pathmos reuelata fuit. Idcirco supra prælibata verba: [Quam dedit illi Deus,] de plenitudine gratiæ & scientiæ, quæ fuit in Christo, merito hic breuiter disputandum duximus. De qua re agunt Doctores cum Magistro in 3. sent. dist. 13. & 14. & cum Sancto Thoma 3. par. quæst. 7. art. 9. Hanc & ego hic pertracto, aduersus Arium, Lutherum, Caluinum, Zuinglium, aliosque maledictos hæreticos, qui hunc, & alia pleraque sacræ Scripturæ loca, male intelligentes, tribuunt Christo multarum rerum ignorantiam, quas prius non cognouit, & postea paulatim, dicunt, didicit.

[Margin: Mag. in 3. S. Tho. 3. p. Impugnantur in hac disputatione hæretici. Arius. Lutherus. Caluinus. Zuinglius.]

Quæstio I.

An Deus dederit humanitati Christi gratiam?



PRIMA Conclusio. De fide est Deum dedisse Christo vt homini gratiam. Probatur ex illo Psalm. 44. [Diffusa est gratia in labijs tuis:] & paulo post: [Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,] & etiam ex illo Psalm. 132. [Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron.] Quæ plane loca ad litteram de gratia Christi, quatenus homo est, exponunt communiter Doctores.

[Margin: 1. concl. Gratiam habuit Xps vt homo.]

Secunda conclusio. Gratia vnionis fuit in Christo. Hæc est Magistri, D. Thom. S. Bonauenturæ, Scoti, Richardi, & Durandi in 3. dist. 2. quam etiam tenet idem S. Thomas 3. par. quæst. 2. art. 2. & 6. quæst. 7. art. 10. & probatur. Quoniam humana natura indigebat Dei voluntate ad hoc, quod eleuaretur in Deū per esse personale: cum hoc esset supra facultatem ipsius naturæ humanæ. Quamobrem ipsum gratuitum Dei donum, nimirum ipsum, quod est humanam naturam esse vnitam personæ diuinæ, dicitur apud Theologos quædam gratia, nimirum gratia vnionis, & gratiæ nomen sortitur in quantum nullis præcedentibus meritis, hoc est factum. Et hoc plane est, quod Theologi fateri intendunt, dum in 3. sent. cum Magistro, & in 3. part. cum S. Thoma inquirunt, verum vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam, & dicunt, quod sic.

[Margin: 2. concl. Gratia vnionis fuit in Christo. Magister. S. Thom. S. Bonau. Scotus. Richardus. Durandus. — Vnio duarum naturarū facta est p gratiam.]

Et si quæratur, quæ sit ista gratia vnionis, ex dictis patere poterit. Accedit, quod apud Durandum in 3. dist. 4. quæst. 3. sic reperitur: [Gratia vnionis nihil aliud est, quam ipsa vnio gratis à Deo facta.] Et clarius apud S. Thom. 3. part. quæst. 6. art. 6. sic: [Gratia vnionis est ipsummet esse personale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturę in persona verbi quod quidem est terminus assumptionis.] Et quæst. 7. art. 11. ita: [Gratia vnionis est ipsum vniri personaliter filio Dei, quod est gratis concessum humanæ naturę.] Itaque hæc gratia vnionis non est aliquod accidens, nam sic esset finitum & quidpiam creatum, sed est ipsamet gratuita Dei voluntas, non vtcumque operans, vt recte Franciscus Suarez 3. par. quæst. 2. art. 1. sed vt eleuans naturam supra totum debitum & meritum suum, sub qua ratione illa voluntas gratia vocatur increata. Et in hoc sensu vnio illa facta fuit per gratiam increatam.

[Margin: Durandus. Gratia vnionis quid sit. S. Thom. — Fräc. Suarez.]

Tertia conclusio. In Christo fuit gratia gratum faciens, vel iustificans, quæ aliter dicitur gratia habitualis, perficiens animam eius: patet. Tum, quia sicuti anima est perfectio corporis, ita gratia habitualis est perfectio animæ: quamobrem illa indigemus ad sanctificationem, vt recte docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. can. 11. At Christus non minus debuit habere animam perfectam, & sanctam, quam corpus perfectum & sanctum; cum de illo dicatur Lucæ cap. 1. [Quod enim nascetur ex te sanctum.] Ergo sicuti assumpsit corpus cum anima, ita assumere debuit animam cum gratia habituali. Tum quia meritum non est sine gratia. At Christus venit in mundum ad merendum nobis, vt dispungunt Theologi in 3. dist. 18. Ergo fuit in illo gratia, quæ est principium merendi. Tum,

[Margin: 3. concl. Gratia habitualis fuit in Christo. 1 Ratio. — Conc. Trid. — 2. Ratio. Meritū nō est sine gratia.]

3. Ratio. Intellectus, & voluntas proportionatur.

Tum, intellectus, & voluntas proportionantur. Quamobrem, si intellectus eleuaretur non eleuata voluntate, non remaneret proportio: sed in Christo fuit intellectus eleuatus per gloriam, vt dicunt Theologi in 3. dist. 14. Ergo eius voluntas fuit eleuata per gratiam. A

4. Ratio. Actus perfectus est a potentia perfecta.

Tum denique, quia non est actus perfectus, nisi sit a potentia perfecta, sed sic est quod perfectio voluntatis est gratia; ergo ad hoc, quod actus voluntatis Christi esset perfectus, oportuit, quod voluntas eius esset perfecta per gratiam. Et si quæratur, quæ sit ista gratia in Christo? dicetur esse donum Dei creatum, & per consequens accidens inhærens proxime in substantia animæ Christi ad debitam illius animæ pulchritudinem. Et vt ex Richardo in 3. d. 13. ar. 1. q. 2. & ex Caietano, 3. p. q. 7. art. 2. ad 3. deducitur. Ista autem gratia est accidens eiusdem speciei, & rationis essentialis, cum illa, quæ est in omnibus alijs hominibus iustis ac Sanctis, in quibus oportet ponere gratiam habitualem formaliter eos gratificantem. B

4. concl. Gratia gratis data fuit in Christo.

Quarta conclusio. Gratia gratis data ponenda est in Christo: Patet, quoniam cui competit docere de nouo illa quæ rationi naturali sunt incognita nec ex aliquibus per se notis possunt esse deducta, ei competit habere signa doctrinę manifestatiua, & confirmatiua. Sed talis fuit præcipue Christus, ergo decuit, quod haberet gratiam faciendi miracula, & huiusmodi quæ pertinebant ad confirmationem suæ doctrinæ. Illud autem pertinet ad gratias: gratis datas. Sicut enim gratia gratum faciens ordinatur ad actus meritorios, sic gratiæ gratis datæ ordinantur ad confirmationem fidei, & doctrinæ: ergo in Christo fuerunt gratiæ gratis datæ.

5. concl. Nulla gratia fuit in Xpo naturalis vere & proprie.

Quinta conclusio. Nulla gratia, nimirum neque gratia vnionis, neque gratia habitualis, neque gratia gratis data, fuit in Christo naturalis vere, & proprie, bene tamen naturalis similitudinarie, per quamdam adaptationem, quam quidam vocant connaturalem. C Hæc conclusio constat duplici parte, quarum prima probatur sic:

3. Ratio.

Illud est proprie naturale alicui, quod sequitur ad naturam, seu ad principia naturæ, & naturaliter, sicuti naturale est leui ferri sursum. Sed neutra gratia, scilicet vnionis, habitualis, & gratis data sequitur naturaliter ad aliquam naturam existentem in Christo, ergo neutra gratia est proprie Christo naturalis. Maior patet. Minor probatur; quia gratia vnionis non consequitur naturaliter ad naturam humanam in Christo: eo quod in natura humana non est aliqua naturalis habitudo ad vnionem cum persona diuina, & ob id tantum sequitur ad naturam diuinam, non naturaliter immo merè gratuito seu voluntarie, similiter gratia habitualis, & gratia gratis data non sequitur naturaliter ad naturam humanam; alioquin non esset gratia, quoniam nihil debitum naturalibus est gratuitum, sed tantum sequitur ad naturam diuinam, non naturaliter, sed gratuito, quemadmodum dictum est de gratia vnionis. Quare &c. D

Gratię fuerũt in Xpo naturales p similitudinem

Secunda autem, & postrema pars conclusionis patet sic. Illud, quod inest rei a principio suæ entitatis, & ab intrinseco, est naturale per similitudinem, eò quod naturalia proprie dicta, sequuntur principia intrinseca, & statim, nisi sit aliquod prohibens, sicut apparet in motu sursum, & deorsum in grauibus, & leuibus, quia quantum dat generans de natura, & de forma, tantum dat de motu ad locum. At gratia vtraque fuit in Christo à principio suæ conceptionis, vt mox patebit, & a principio intrinseco, scilicet, a natura Diuina. E Quare poterit aliqualiter dici naturalis, saltem similitudinarie, vel connaturaliter.

Corrolarium; Facilis interpretatio. D. August. & D. Thom.

Ex dictis in hac vltima conclusione apparet, qualiter sit interpretandus S. Augustinus, in Enchiridion, c. 40. tom. 3. & etiam S. Tho. 3. p. q. 7. art. 13. in solutione ad 2. dum dicunt, quod gratia est quodam modo Christo homini naturalis.

Quæstio. II.

An Deus dederit animæ Christi. Scientiam?



PRIMA Conclusio. In Christo est scientia increata, & diuina. Hæc est de fide, & probatur; quoniam Christus est perfectus, & verus Deus; quamobrem oportet fateri, & per communicationem idiomatum, vere affirmare, & dicere, hunc hominem omnia scire per diuinam & increatam scientiam. Hinc est quod S. Tho. 3. p. q. 10. art. 1. ad 3. dicit, quod iuxta gratiam vnionis omnia, quæ dicuntur de filio dei secundum diuinam naturam, dicuntur de filio hominis propter identitatem suppositi: per quem etiam modum potest dici, quod filius hominis est creator.

Sciẽtiãne habuit Christus 1. concl. Sciẽtia increata & diuina fuit in Xpo. S. Thom.

Secunda conclusio. In Christo est scientia beata. Probatur; quoniam Christus est, alijs beatitudinis causa, Ergo multo magis habuit ipse scientiam, quam habent beati, & comprehensores. Hinc plane est, quod anima Christi perfectius viderit, diuinam essentiam, vt recte dispungunt doctores in 3. dist. 14. cum Magistro. & 3. p. q. 10. art. 4. cum S. Thoma; quam quæcumque alia creatura, licet Angelica.

2. concl. Scientia beata fuit in Xpo. Mag. in 3. S. Th. in 3. p.

Tertia conclusio. In Christo est scientia indita, & infusa. Probatur, quoniam ad Coloss. 2. dicitur sic: [In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.] Porro probatur; quia intellectus Christi est in potentia ad species intelligibiles, ergo vt esset perfectus, debuit habere actum. Ita S. Tho. 3. p. q. 9. a. 6.

3. concl. Scientia indita & infusa fuit in Xpo. 1. Ratio. 2. Ratio. S. Thom.

Quarta conclusio. In Christo fuit scientia acquisita, quam experimentalem siue connaturalem quidam nominant. Probatur, quonia ad Heb. 6. de Christo sic dicitur: [Cum esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est obedientiam.] hoc est expertus est. Ergo fuit in Christo aliqua experimentalis scientia, quę est scientia acquisita. Quæ plane ponenda est in anima Christi, vt ait S. Tho. 3. p. q. 9. art. 4. ne intellectus agens in Christo fuerit otiosus. Ceterum animaduertas, oportet, hanc conclusionem veram esse, dato dumtaxat, quod omnis scientia infusa sit alterius rationis à scientia acquisita. Nam concedẽdo, quod scientia infusa & acquisita sint eiusdem rationis & maxime eiusdem obiecti, tunc non fuit in Christo aliqua scientia, modo naturali acquisita, vt recte probat Durand. in 3. sen. d. 14. q. 4. tribus validissimis rationibus. Circa tamen hanc scientiam acquisitam, siue connaturalem, & circa illa, in quibus consistit, vide Franciscum Suarez 3. par. q. 7. ar. 4. disp. 25. sect. 2. & Cabreram.

4. concl. Scientia acquisita fuit in Xpo, quæ experimentalis à quibusdã appellatur. S. Thom. Sciẽtia acquisita & experimentalis cur ponitur in Christo. Opinio auctoris circa sciẽtia experimẽtalem Xpi. Durandus. Frãc. Zuarez. Cabrera.

Quæstio. III.

An Deus dederit Christo, quatenus homo est, gratiæ & scientiæ plenitudinem?

Sciẽtia plenitudo fuerit ne in Christo.



PRIMA assertio. Gratia vnionis in Christo est infinita. Hæc est D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 1. & probatur; quoniam gratia vnionis est ipsum vniri personaliter filio Dei, quod est gratis concessum humanæ naturæ. Sed sic est, quod ipsa persona verbi est infinita; ergo & ipsa gratia vnionis. Legas oportet

1. concl. Gratia vnionis est infinita S. Thom.

Nota bene. S.Thom.in 3. sent.dist.13.q.3.art.1.quærentem,an gratia vnionis sit creata necne?

2. concl. Gratia habitualis Xpi secũdũquid dũtaxat est infinita. S. Thom. Gratia habitualis Xpi est ens Physicũ.

Secunda assertio. Gratia habitualis Christi,licet simpliciter non sit infinita, tamen secundum quid est infinita. Prima pars huius assertionis est D.Th.3.p.q.9.ar.11.Et probatur; quoniam sic est quoddam ens physicũ & creatum. Atqui apud philosophum nullum datur infinitum actu: Ergo,&c. Maior probatur; quia gratia habitualis est in anima Christi, tamquam in subiecto. Ergo est ens physicum creatũ & finitum. Patet sequela, quia non excedit suum subiectum, quod est finitæ capacitatis; quoniam creatura quædam est.

Caietan. Durandus. Medina. Suarez. Cabrera.

Secunda vero & postrema pars est etiam eiusdem S. Thomę,vbi supra,& communiter omnium Theologorum,probaturq; quoniã animæ Christi confertur gratia veluti cuidam generali, vniuersalique principio gratificationis in humana natura, ergo gratia animæ Christi est infinita secundum rationem gratiæ, nimirũ secundum quid. Antecedens probatur ex illo ad Ep. 1. [Gratificauit nos in dilecto filio suo.

Lux solis infinita secũdũ quid.

Experiri plane potest hæc infinitas gratiæ habitualis Christi in luce solis,quam quidem infinitam appellare possumus,nõ quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis; quia habet qudiquid ad rationem lucis pertinere potest.Pari etiam modo gratia habitualis Christi habet quidquid pertinet ad bonum vsum & operationem gratiæ, cum se extendat ad omnes effectus gratiæ. Quamobrem licet,vt ens,sit finita; tamen vt tale ens,nimirũ,vt gratia, est infinita, & per consequens non est infinita simpliciter, sed secundum quid.

3. concl. Plenitudo gratię vnionis fuit in Christo.

Tertia assertio.Plenitudo gratię vnionis fuit in Christo.Probatur; quoniam gratia vnionis fuit perfectissima in Christo,quæ perfectior esse non potest,eo quod digniori nequit creaturæ vniri quam supposito diuino. Ergo gratia vnionis fuit plene in illo.

4.concl. Plenitudo gratię habitualis fuit in Xpo. 1. Ratio. 2. Ratio. Mag. sent. 3.Ratio. Maior gratia fuit in Xpo q̃ in quolibet alio homine. 4. Ratio. Si[ritus] sãct⁹ habitat in homine per gratiam. 5.Ratio. Xps habuit gratiam in summo. 6.Ratio. Xps habuit gratiã quantũ ad omnes effectus gratię.

Quarta assertio.In Christo fuit plenitudo gratię habitualis.Hæc est de fide,& probatur. Tum ex illo Io.1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre,plenum gratię & veritatis,]& paulo post: [De plenitudine eius omnes accepimus.]Tũ quia Christo spiritus datus est non ad mensurã, in quo plenitudo corporaliter,vt ait Magister in 3. dist. 13. inhabitat.Tum quia maior gratia fuit in Christo, quam in aliquo alio homine. At de quibusdã alijs legitur,quod fuerunt gratia pleni,sicut de B.Virgine,B.Stephano, & de S.Ioane Baptista.Ergo multo magis Christus habuit gratiæ plenitudinem. Tum,quia Spiritus sanctus in homine dicitur inhabitare per gratiam. At Lucæ 4. dicitur, quod Christus plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane.Ergo ipse habuit gratiæ plenitudinem. Tum quia Christus habuit gratiam in summo. Ergo fuit gratia plenus. Consequẽtia est aperta.Antecedens vero probatur.Nam quãto aliquid receptiuum est propinquius causæ influenti,tanto magis participat de influentia ipsius. Sed sic est,quod influxus gratiæ est à Deo iuxta illud:[Gratiam & gloriã dabit Dominus:]Ergo illud, quod erit propinquius Deo, habebit gratiã in summo. Atqui anima Christi fuit propinquior Deo inter omnes creaturas rationales, quia ipsa personaliter fuit coniuncta verbo diuino. Ergo habuit gratiam in summo. Tum denique quia Christus habuit gratiam ad omnes operationes vel effectus gratiæ. Ergo habuit plenitudinem gratiæ. Consequentia est aperta.Antecedẽs vero probatur; quoniam Christus habuit gratiam, vt vniuersale principium in genere habentium gratiam. Ergo habuit illum ad omnes effectus gratiæ.Patet consequentia, eo quod virtus primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, vt patet de sole, respectu generationis.

5.concl. Quinta assertio. Plenitudo gratiæ, gratis datæ fuit

F in Christo.Hec est de fide. Et probatur ex illo Isa. 11. [Requiescet super eum spiritus Dñi,spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus concilij & fortitudinis, spiritus scientię & pietatis,& replebit eũ spiritus timoris Domini.]Atqui hę omnes sũt gratię gratis datæ:Ergo illis fuit repletus Christus.

Plenitudo gratię gratis datæ fuit in Christo. 1. Ratio.

2. Ratio. Præterea probatur ex illo ad Collos.1.[In eo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, vt sit ipse in omnibus primatũ tenens:]Ergo inter dona gratiæ spiritus sancti, quæ dicũtur gratiæ gratis datæ, ac etiã in gratia iustificã e, & d niq; in omnibus virtutibus primatũ tenet Christus, tãquã plenus gratijs gratis datis. Quamobrem ipse dicitur dilectus Patris æterni,iuxta illud: [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui,ipsum audite.] Perinde ac dicat Pater æternus:Plenũ gratia gratis data, illum vobis Magistrum, Ducem, ac Præceptorem do. Hinc quippe est, quod Ioannes de illo ait, super eum Spiritum sanctum singulariter descendisse. *Matth.17. Matth. 3. Lucæ 3. Marc.1.*

3.Ratio. Postremo confirmatur assertio. Quoniã Christus est caput totius Ecclesiæ tũ militantis, tũ triumphantis,vt dispungunt Theologi in 3.cum Mag. & in 3.p. cum S. Tho. At nullus actus vitæ est in corpore, qui non sit in capite. Ergo nullus actus gratiæ gratis datæ est in tota Ecclesia,ad quã se nõ extendat gratia gratis data Christi.Et hoc quippe est, quod B. Aug. Dardano dixit, nimirum,quod sicut in capite sunt omnes sensus,sic in Christo fuerũt omnes gratiæ.Et ita in Christo fuit plenitudo gratię intensiue, & extensiue, vt mox dicemus. *D. Aug.*

6. concl. Plenitudo sapiẽtiæ & sciẽtiæ fuit in Christo.

Sexta assertio. Plenitudo sapiẽtiæ & scientiæ fuit in Christo.Probatur ex superioribus.Quoniã sapientia & scientia collocantur inter dona Spiritus sancti,quibus Christus fuit repletus,vt dicitur Is.11.Tum quia Apostolus ad Collos.2. ait: [In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.]Quod plene secundum plenitudinem venit intelligendum, cum ipse sit totius Ecclesiæ caput.

7. concl. Plenitudo gratiarũ Christi qd significat. 1.Ratio. S. Aug. 2.Ratio. S. Thom. 3.Ratio. D. Damasc.

Septima assertio. Plenitudo omnium gratiarũ Christi in hoc stat,nimirũ,quia ipse erat plenus Spiritu sãcto.Probatur Tũ ex D.Aug.qui li. 15. de Ciuitate c.16. aperte tenet,Christum dictum esse plenum gratia,quia plenus erat Spiritu sãcto.Tũ ex D.Th.in 3.sen.d.13.q.1 ar.2.vbi sic scribit:[Christo data est gratia perficiẽs ipsum,non solũ quantum ad omnes vsus virtutũ,& quãtum ad omnes effectus gratiæ gratis datæ, & iterũ ad omnis peccati remotionem,nõ solum actualis,sed etiã originalis,& potentiæ peccandi, & hæc est plenitudo Christi singularis,secundũ rationem causæ formalis.] sic ille.Tũ denique probatur ex D.Damasceno qui li. 3. de fide c.22.sic scribit: [Ditata est illa humanitas propter vnionem ad verbum omni sapientia & gratia:] Ergo ex dictis liquet, quod Christus ideo dicitur plenus gratia,quasi plenus Spiritu sancto.

Quæstio IV.

An à primo instanti conceptionis dederit Deus animæ Christi hanc plenitudinem gratiæ & scientię?

1. concl. Gręa habitualis plenitudo data est Christo à primo instanti incarnationis. 1. Ratio.



RIMA conclusio.Plenitudo gratiæ habitualis data est animæ Christi à primo instanti conceptionis. Hæc est cõmunis omnium Theologorũ in 3. dist. 13. & probatur. Quoniam gratia habitualis data est Christo ratione vnionis personalis, vt communiter Theologi cum Magistro, & S. Thoma intrepide tenent. Ergo

A Ergo habuit illam simul cum ipsa vnione. At vnio personalis fuit à primo instanti incarnationis. Ergo & ab illo primo instanti conceptionis fuit in illo plenitudo gratiæ habitualis. Porro anima Christi ab instanti suæ creationis fuit beata. Ergo necessario ponenda est in illa ab eodem instanti gratia consummata. Tandem probatur, quia omnis perfectio gratiæ tribuenda est animæ Christi etiam in illo primo instāti conceptionis siue incarnationis. Quoniam, vt ait S. Tho. 3. p. q. 7. art. 12. Christus secundum quod homo, à primo instanti suæ conceptionis fuit verus & plenus comprehensor. At inter omnes gratiæ perfectiones hæc est sane magna, nimirum, habere à principio totam gratiam. Ergo, &c.

2. Ratio. Anima Xpi fuit beata à primo instāti conceptionis. 3 Ratio. S. Thom.

2. concl. Gratiæ gratis datæ plenitudo data est Xpo à primo instanti conceptionis.

Secunda conclusio. Plenitudo gratiæ gratis datæ fuit in Christo à primo instanti incarnationis. B Hanc etiam omnes Catholici fateri debent. Quoniam colligitur ex illo Isa. 11. [Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.] Id est in eodem momento, quo B. Virgo floruit, hoc est, superuenit in illam, nimirum super sanguinem eius purissimum, Spiritus sāctus, iuxta illud Luc. 1. [Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.] concipiendo filium, in eodem prorsus instanti requieuit super filium idem Spiritus sanctus cum suis donis, ac etiam gratijs gratis datis. Ergo, &c.

3. concl. Scietiarū plenitudo data est animę Xpi à primo instāti incarnationis. 1. Ratio. Vnio personalis in Christo quando fuit.

Tertia conclusio. Plenitudinem scientiæ, tum beatæ, tum inditæ, ac infusæ, tum cōnaturalis, tum deniq; acquisitæ; dummodo asseramus acquisitam esse alterius rationis cum infusa, vt supra dicebamus cum Durando; fuit in Christo à primo instanti conceptionis. Probatur, quia quælibet scientia ex his data fuit Christo C ratione vnionis personalis. Sed sic est, quod vnio personalis fuit à primo instanti conceptionis. Ergo ab illo instanti habuit anima Christi omnem scientiam.

2. Ratio.

Ad probationem etiam istius conclusionis faciunt hæc loca, nimirum, Ioan. 1. [Deum nemo vidit vmquā, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.] Et Lucę 2. [Sedentem in medio doctorum audiētem illos, & interrogātem eos: stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis eius.] Et Ioan. 7. [Vnde hic litteras scit, cum non didicerit?] Quæ quidem omnia loca de scientia Christi à primo incarnationis instanti intelliguntur; & præcipue de scientia beata, quia Christus a primo instāti conceptionis fuit perfecte beatus, iuxta illud Ps. 21. [In te proiectus sum ex vtero.] Et per scientiam beatam & connaturalem D potuit habere anima Christi (vt quidam tenent Theologi) omnem cognitionem & perfectionem, quæ vel ex scripturis vel ex captiuitate intellectus humani, vel ex quouis alio inditio vel signo colligi potest. Habet enim per illas duas cognitiones perfectionem naturæ debitam & gratiæ: & consequenter habet actum respondentem capacitati naturali intellectus & obedientiali. Habet cognitionem rerum omnium naturalium & supernaturalium contingentium & liberarum. Ceterum, quia Christus redemptor noster à primo illo instanti incarnationis non solum fuit comprehensor, verum etiam viator; hinc est, quod quemadmodum in illo ponimus omnia, quę pertinent ad perfectū statum comprehensoris: ita pariter in illo ponenda veniunt omnia, quæ ad perfectum statum viatoris pertinere videntur. Scientię autem, indita, infusa, acquisita, & cōnaturalis, ad statum viatoris proculdubio attinent. Et E ex consequenti à primo instanti conceptionis, in illo esse, & reperiri fatendum sane est. Et non absq; causa plane. Nam in Angelis a suę creationis primo instanti, fuit scientia infusa & connaturalis, & licet de Christo dicatur: [Minuisti eum paulo minus ab Angelis.] tamen ipse maior est quocumque Angelo, cum sit eorum omnium caput & de illo dicat Apostolus: [Cui enim Angelorum dixit filius meus es tu, ego hodie genui te?]

Sciētia beata & cōnaturalis Xpi quę & quāta fuerit.

Perfectus cōprehensor & viator fuit Christus a primo instanti conceptionis.

Quæstio V.

An Christus in aliquo tempore ignorauerit aliquid & illud postea paulatim didicerit?



CATHOLICI Doctores in 3. di. 13. 14. & 15. cum Magistro. & in 3. p. q. 7. ar. 12. cum S. Tho. alio titulo hanc proponunt quęstionem, nimirum, [Vtrum gratia Christi potuerit augeri?] vel [Vtrū gratia Christi fuerit tam intensa, & perfecta, vt non possit fieri intensior & perfectior.] vel [Vtrum gratia fuerit in Christo intensiue & extensiue,] vel [Vtrum Christus aliquid ignoraret?] vel [Vtrum gratiæ Christi potuerit fieri additio?] vel tandem [Vtrum Christus sapientia & gratia profecerit?] Qui omnes tituli eumdem reddunt sensum ac noster, nimirum: [An Christus in aliquo tempore ignorauerit aliquid, & illud postea paulatim didicerit?] cuius plane difficultatis affirmatiuam partem tenent, Arius, Luterus, Caluinus, Zuinglius, & alij permulti hæretici, ac etiam Rabbi Salomon, Rabbi Dauid Kimhi, & alij plerią; Hebręi, moti ex his argumentis. *Rab. Salomō, & Rab. Dauid Kimhi.*

Quoniam Isaiæ 7. sic dicitur de Christo: [Butyrū & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.] Ergo in tenera ætate, dum Christus lac dumtaxat sumebat, & nec butyrum nec mel adhuc comedere poterat; non sciebat tunc reprobare malum, nec minus eligere bonum. Quamobrem inferunt Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid Kimhi super Isaiam Prophetam, puerum istum Christum comesturum fuisse in aliquo tempore butyrum & mel, quæ quamdam causant in homine dispositionem ad sciendum, vt haberet ingenium conuenienter dispositum ad intelligendum, aut prophetiam istam non esse intelligendam de Christo, sed de aliquo filio Achaz. *1. argum. Rab. Salomō, & Rab. Dauid Kimhi.*

Præterea Isa. 8. de Christo sic dicitur: [Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem, auferetur fortitudo Damasci:] Ergo videtur, quod aliquod tempus erat, in quo iste puer nasciturus, nesciret, vocare patrem & matrem, & post istud tempus vocaret patrem suum & matrem. *2. argum.*

Porro Luc. 2. sic dicitur de Christo: [Puer Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ergo, &c. *3. argum.*

Rursus Matth. 24. ita habetur: [De die iudicij nemo scit, neque filius.] ergo in Christo fuit aliqua ignorantia. *4. argum.*

Item, Christus per intellectum creatum multa ignorauit, &c. Antecedens patet ex Damasceno lib. 3. de fide cap. 21. dicente. Verbum assumpsisse naturam ignorantem. Et Diuus Ambrosius lib. 2. de fide videtur tribuere Christo dubitationem ex ignorantia, exortam propter verba illa Matth. cap. 26. [Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.] & idem significat Diuus Augustinus, exponens verba illa Psalm. 26. [Quare me dereliquisti, &c.] ergo Christus per intellectum creatum multa ignorauit. Accedit ad hæc illud Apostoli, dicentis de Christo; [Didicit ex his, quæ passus est.] Ergo tempore passionis didicit, quæ alio tempore ignorabat. *5. argum. ad Heb. 5.*

6. argum.

Postremo. Gratia habitualis Christi, licet secundum quid sit infinita, tamen simpliciter loquendo, & vt ens est, finita est, vt ex superioribus liquet. At omni finito potest fieri additio. Ergo & gratiæ habituali Christi, & præcipue cũ de gratia dicat Apostolus 2. ad Cor. 9. [Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.] & virtus diuina cum sit infinita, nullo termino coarctatur.

1. assertio. Gratia & sciẽtia fuit in Xpo perfecte intẽsiue & extensiue.
1. Ratio.

Pro decisione tamen, his argumentis nihil obstantibus, sit verissima conclusio. Christus intensiue, & extensiue habuit omnem plenitudinem gratiæ & sciẽtiæ à primo instanti incarnationis, ita vt nihil vmquam ab illo primo instanti ignoraret, quinimmo omnia ex tunc perfecte sciret & intelligeret. Probatur; quoniam, quando duo se habent, sicut prius & posterius, ex perfectione vnius pōtest probabiliter concludi perfectio alterius. Atqui gratia vnionis & omnes aliæ gratiæ & scientiæ Christi se habuerunt in ipso, sicut prius & posterius: nam ad gratiam vnionis sequuta est quæuis gratia, & scientia, quę modo est in Christo redemptore nostro, aut cedo quam non? Ergo ex perfectione & conditione gratiæ vnionis potest concludi perfectio, & conditio cuiusuis alterius gratiæ & scientiæ Christi. Sed gratia vnionis in Christo fuit perfectissima ab illo primo instanti incarnationis, quæ perfectior esse non potest, eo quod digniori non potest creatura vniri, quam supposito diuino: Ergo quæuis gratia & scientia Christi consequens ad illam fuit in illo perfectissima, ita vt perfectior, intensior, aut extensior esse nequeat. Vide circa hanc assertionem & eius probationem S. Tho. 3. p. q. 7. ar. 12. & Durandum in 3. dist. 13. q. 1.

S. Thom. Durand.

Frãc. Suarez. Nota bene. dubium apud Doctores catholicos scholasticos circa augmẽtũ gratiæ Xpi de potẽtia Dei absoluta.

Franciscus Suarez 3. p. q. 7. art. 12. disp. 21. sect. 1. tractat dubium, quoddam, nimirum an gratia Christi de potentia saltem absoluta, potuerit esse intensior, loquendo de qualitate ipsa, & de esse physico & reali eius, & affert ad hoc quatuor opiniones Scholasticorum catholicorum Doctorum, suamque illis subiungit. Verumenimuero quia nos hic hanc quæstionem aduersus dumtaxat Lutherum, aliosq; hæreticos proposuimus, qui nihil de hac re cum catholicis credunt, ideo, hac Scholasticorum nostrorum Doctorum opinione prætermissa, ad argumenta hęreticorum & Hebręorum dissoluenda nos conuertimus.

Solutiones argumentorum sol. 1.
Butyrũ & mel potest negari & cõcedi cõmedisse Xpm.

Ad primum igitur respondetur supponendo duo. Primum quidem, quod oportet ex littera illius prophetiæ concedere, Christum sæpe comedisse butyrum & mel: quod & negare etiam possumus, cum hæc prophetia & secundum corticem siue litteralem sensum, & etiam secundum parabolicum sensum intelligi possit. Et dato quod comederit præfatum butyrum & mel, nihil de Christi perfectione diminuit, nec minus videtur aliquod magnum, quod butyrum & mel commederit, cum panem, agnum paschalem, & alia comestibilia sæpissime in terris vitam agens, sumeret. Secundum vero, quod suppono est, quod cum

Acumẽ ingenij ex quibus causatur.

Aristoteles 3. lib. de Anima dicat: [Oportet intelligentem circa phantasmata speculari.] & cũ insuper in organis phãtasticis & interioribus requiratur dispositio, quādā magis necessariā requiri dispositionē in phātasia, quam in ceteris organis; quoniam cetera organa ad specierum susceptionem, operantur, phantasia autem prodest ad actum intelligendi, & quando cerebrũ

Disputatio ad bene intelligendum.

alicuius est bene dispositum, ita vt phantasticum organum bene se habeat; dicitur iste bene totaliter dispositus ad intelligendum, & tales homines sunt valde naturaliter ingeniosi ad speculabilia, secundum gradum maioris, vel minoris dispositionis organi phantastici. Vnde si Deus alicui vult dare donum naturalis ingenij, vt excellentius intelligat super alios homines, dat ei organum phantasticum valde bene dispositum, & hoc sufficit. Et quia istud organum phantasticum est corporeum, disponitur bene vel male per aliqua naturalia agentia, scilicet, secun-

Organũ phãtasticum.

F dum paternum & maternum seminẽ, secundum quod sũt temperata, vel distemperata; quoniam ex his causatur. Disponitur etiam ex qualitate loci generationis. Ideo homines nati in quibusdam terris sunt acutiores ingenio alijs, sicut declarat Aristoteles 7. Politicorum. Disponit etiam ad hoc qualitas temporis, & aspectus astrorum, tempore generationis, & natiuitatis. Multum namque differt in tali, vel tali tempore, natum esse. Disponit etiam ad hoc ciborum qualitas, & hoc multum agit: quoniam immutat qualitas ciborum, corporis nutriti qualitatem, & consequenter ipsum phantasticum organum, cum corporeum sit. Ob hoc, ceteris paribus, necesse est eos qui melioribus nutriuntur cibis, acutioris esse ingenij, & minus impeditos in operationibus phantasticis. Et sic est de melle & butyro. Quoniam cum ista temperate & conuenienti sumantur tempore, valde mundificant, phantasticumque

Cibus disponit ad intellectionem.

Butyrũ & mel iuuāt ad viuacitatẽ ingenij

G organum maxime disponunt. Quamobrem ad acumen ingenij satis conuenientia sunt. Et quia ista ad hanc ingenij bonam cooperantur dispositionem, dicimus de eis, qui viuaces sunt, mel & butyrum comedisse, vt si arguatur prius ex posteriori, aut causa aliquali in effectu. Ceterum non est sic in Christo redemptore nostro, qui nullis indigebat dispositionibus naturalibus ad hoc, vt haberet ingenium acutius ad intelligendum. Nam Christus Deus erat, & nihil vmquam addiscere poterat, cum omnia sciret. Quamobrem non est sensus in præallegata prophetia de Christo, quod ipse Christus butyrum, & mel comedere potuisset, vt sciret reprobare malum, & eligdre bonum. Sed prophetia aliud alterum importat. Pro quo sciendum est, quod sensus prophetæ est, quod Christus, de quo littera ista intelligitur, esset

Viuaces qui sint.

Butyri ratio & mellis nõ militat in Xpo.

Xps nihil vmquã didicit.

Sẽsus prophetiæ Isa. circa butyrũ & mel

H nimis intelligens, & differenter ab omnibus alijs, quia alij erant puri homines, & ipse Deus & homo erat; quod designat [Emmanuel.] Et quemadmodum Deus omnia nouit: ita etiam Emmanuel omnia cognosciturus erat. Et vt hoc signaret, posita fuerunt de eo quædam signa secundum quæ alij homines ad sciendum disponuntur, scilicet, comedere mel & butyrum, ita vt intelligitur: [Butyrum & mel comedat, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.] id est, valde erit sciens eligere bonum & reprobare malum, ac si comedisset multum de melle & butyro. Quoniam in Christo sic erat, quod ipse erat magis intelligens omnibus, cum verus Deus esset. Et ob id videbatur mel & butyrum comedisse propter eius ingenij acumen.

Emmanuel oia nouit.

Xps valde sciẽs eligere bonũ & reprobare malum.

I Ad secundum dicitur primo cum Magistro qui in 3. dist. 13. reiecta circa pręfata verba Isaiæ cap. 8. expositione Diui Ambrosij, asserit quantum ad visum hominum, & sui sensus ostensionem, Christum patrem & matrem dici ignorasse in infantia; quia ita se habebat & gerebat, ac si agnitionis expers esset. Secundo etiam dicitur, quod quamquam Christus, secundum quod Deus ab æterno esset, tamen non fuit homo ab ęterno, quia in tempore assumpsit humanitatem. Et quia, antequam ipse assumpsisset carnem nostram, destructa fuit Damascus, scilicet, non multis temporibus, postquam dicta fuerunt ista ad Regem Achaz, verum est, quod antequam sciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci: & non solum antequam sciret vocare, immo antequam esset ille puer, id est, in natura humana assumpta & vocaret patrem & ma-

sol. 2. Mag. sent. Xps quãtũ ad visũ hominũ patrẽ & matrẽ ignorauit
2 ad sol. 2. Xps licet fuerit Deus ab æterno nõ tamen homo.

K trem. Dicimus igitur, non esse inconueniens, eo quod cum fuerit aliquod tempus, in quo Christus, in quantum homo, nondum erat, & nec mater sua, nullatenus erat impossibile, quod nesciret vocare patrem & matrem. Tertio tandem respondetur, quod adhuc, postquam Christus homo natus est de Virgine, non semper sciuit vocare patrem & matrem, prout scire quamdam experientiam vocat. Nam quamuis anima Christi, ab instanti incarnationis plana esset omnis sapientiæ & sciret formare quas-

Xps in quadã homo in aliquo tempore nõdum erat.

3. sol. ad 2. Xps in quantũ homo nõ sẽp sciuit vocare patrẽ & matrẽ, quoad experientiam.

cumq;

A cumq; voces; tamen Christus aliquo in tempore fuit, in quo voces non formauit, scilicet quod quamquam sciret loqui, tamen non loquutus fuit immediate, vt natus est, sed eo tempore, quo alij solent loqui. Et hoc fuit propter duo. Primo quia ad hoc, vt aliquis loquatur, oportet, quod sit aliqua conceptio in intellectu, quam per vocem exprimere velit mediante potentia interpretatiua: Oportet etiam esse alterum, scilicet, quod in organis loquutionis sit conueniens dispositio ad formandam vocem. In Christo autem à principio quamquam vnum eorum esset, ambo tamen perfecta non erant, sicut pater intuenti. Secundum, propter quod Christus à principio suæ natiuitatis loqui non debuit, (dato quod potuisset) fuit; quia secundum naturæ conditionem, nemo à principio loquitur, articulata verba depromens, quamquam prolatum emittat: quæ vox articulata iter est omnium vocamentorum prouenientium ex ipsa conditione B mortalitatis. Ad formandum autem articulatam vocem, aliqua determinata conceptio requiritur, & non solum dispositio in organis vocalibus, sed etiam dispositio in organis phantasticis, vt sint ibi conceptiones specierum, per quas, tamquam per quædam media incorporalia, prompte & pure specierum deriuetur conceptio intellectus nostri in vocem. Ad hoc autem, tempus aliquantum requiritur, vnde a principio nullus potest habere organa phantastica disposita, ita vt voces formare possit: ideo vires naturæ excedit, aliquem hominem loqui posse, quando natus est, sed vsque ad aliquantum tempus. Quod quidem non est valde paruum, vt satis apparet: in quibusdam autem prius, quam in alijs est secundum varietatem dispositionis organorum phantasticorum, & secundum communicationem aliquorum, qui infantulum ad formandas voces magis, aut minus erudiant. Verumenimuero Christo non conueniebat, vt à primordio C natiuitatis suæ loqueretur. Nam cum hoc esset supra vires, aut præter communem modum aliorum naturaliter agentium; Iudæi videntes hoc, existimassent, Christum aliquid monstruosum esse, & deuitassent eum semper, concepta de eo mala opinione, quod non conueniebat. Et hac de causa, licet à primo instanti conceptionis sciret loqui, tamen a principio non loquutus fuit immediate, vt natus est, sed suo conuenienti tempore, vt solent alij infantuli & pueri loqui, ac voces efformare.

Xps mox vt natus fuit nō fuit loquutus sed eo tēpore quo alij pueri solēt loqui.

Puer quando & quomodo incipit loqui.

Vox articulata requirit determinatā conceptionem.

Organa phātastica nō potest habere dispositaquer recenter natus.

Xps non erat decēs loqui a primordio natiuitatis suę.

Xps puer sciuit loqui, & tamē nō fuit loquutus.

Ad tertium respondetur primo cum Magistro in 3. dist. 13. dicendo, quod illud ly [proficiebat,] intelligitur & accipitur, quantum ad visum hominum & sui sensus ostensionem: proficiebat ergo humanus sensus in eo secundum ostensionem, & aliorum hominum D opinionem. Quamobrem dicimus, quod proficere accipitur dupliciter, nimirum aut quantum ad realitatem, aut quantum ad apparentiam: quantum ad apparentiam quidem dicendum est, quod Christus proficiebat in sapientia, quia à primordijs ætatis suæ, vsque ad maturam ætatem, in qua prædicare cœpit, semper visum est, quod proficeret in sapientia: vnde Euāgelista non tantum dicit: [Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia.] verum etiam mox subiungit: [Apud Deum & homines.] Quasi diceret hominum sensus proficiebant in eo: quoniam Iesus videbatur proficere in omnibus illis nimirum in sapientia, ætate, & gratia; quia quotidie ibat per continuos successus, scilicet quantum de ætate accipiebat, tantum & de virtute. Quantum vero ad realitatem, non proficiebat Iesus in sapientia, & gratia; quoniam plenitudi-E nem gratiæ & scientiæ in primo instanti conceptionis anima eius sanctissima sortita est à Deo, prout supra dictum est. Secundo respondetur cum Sancto Thoma 3. part. quæst. 7. art. 12. ad 3. illud [proficiebat,] intelligendum esse non de augmento ipsius gratiæ in se, sed in ostensione & manifestatione sua: ita etiam exponunt præfata verba Lucæ 2. omnes Sancti Patres, Athanasius orat. 4. contra Arium, Cyrillus 1. in Ioannem cap. 17. D. Hieronymus in cap. 7, Isaiæ, D. Bernardus homil. 2. super Missus, Beda homil. 1. post Epiphaniam tom 7. Hugo de Sancto Victore de Incar. Ver. cap. 6. & Damascenus lib. 3. de fide cap. 22.

fol. 3. Mag. sent. Proficere accipitur quātū ad visum hominum.

Proficere accipitur dupliciter.

Xps proficiebat quātū ad apparentiā & nō quantū ad realitatem.

3. fol. 3. S. Thom. Proficere accipitur nō in augmento sed in manifestatione.

Sed obijcies. Ita dicitur de Christo creuisse in gratia & sapientia, sicut in ætate. At in ætate non solum ostendit augmentum, verum etiam illud comparauit: Ergo pari modo dicendum erit de gratia, & sapientia.

Obiectio.

Respondetur negando propositionem. Disparitas autem stat in hoc, nimirum, quia à primo instanti conceptionis non habuit æqualiter ætatem & gratiam, & sapientiam; quoniam ab illo primo instanti gratiam & sapientiam habuit plane & consummate. At vero in illo primo instanti non habuit (vt experientia docuit) ætatem plenam, consummatam ac maturam, quę spatio triginta trium annorum erat complenda. Ex hac igitur disparitate ortum habet, quod nō ita dicat Euangelista Christum creuisse & profecisse in gratia, sicut in ætate; quoniam in ætate creuit, & ostendit augmētum, illudque comparauit spatio triginta trium annorum. At totam gratiam & sapientiam plane & consummate in vno instanti, nimirum conceptionis suæ habuit, & ob id tantum dicitur profecisse, & creuisse in effectibus gratiæ, & sapientiæ, faciendo apud homines paulatim excellentiora & perfectiora opera his, quæ fiebant ab alijs hominibus eiusdem maiorisue ætatis. Ob id illud [proficere] non æqualiter & synonimos dicitur de ætate, gratia & sapientia, Christi, sed inæqualiter & omonimos, siue æquiuoce.

Solutio.

Xps in primo instāti cōceptionis habuit gratiā plene & consūmate non tamē ætatē maturam. Proficere accipitur æquiuoce.

Ad quartum respondetur cum Caietano super cap. 24. Matthæi, dicendo, quod ibi est sermo de notitia naturali; & licet ex Marco clare appareat, quod dictio illa exclusiua in hoc textu excludit à filio, non tamen secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, & est sermo de notitia naturali. Solus enim Deus nouit ex sua naturali notitia tempora, & momenta, quæ posuit in sua potestate: nullus siquidem naturali notitia nouit consilium Dei, nisi spiritus Dei. Cum hac tamen veritate stat, quod Iesus etiam secundum quod homo, sciat notitia supernaturali diem illum. Nec est dubitandum, quod sciat illum, & sciuerit illum ab instanti, quo conceptus est materno in vtero, quoniam fuit perfecte beatus secūdum partem superiorem animę, & vidit in diuina essentia, omnia & singula, quæ sunt, erunt & fuerunt. Addo, quod Paulus de Palatio super cap. 24. Matth. affert sex solutiones huius loci, & Alphonsus Tostatus super idem cap. Matth. 24. cum Hilario sic hunc locum expedit, dicens: [Quod Christus vere hoc sciebat, sicut cetera futura, dixit tamen se nescire, quia ad reuelandum non sciebat, scilicet, quia ita taceret verbum illud, ac si nesciret, & ideo reuelare non posset.] vide plura circa hoc apud Alphonsum Tostatum in cap. 24. Matt. tom. 9. q. 209. circa finem, lege etiam S. Th. 3. p. q. 10. ar. 2.

fol. 4. Caietan.

Dies Iudicij solus Deus scit notitia naturali.

Xps perfecte beatus fuit à primo instāti conceptionis

Paul de Palatio in cap. 24 Matth.

Hilarius.

Alph. Tost. S. Thom.

Ad quintum dicitur, verborum Damasceni hunc esse sensum, nimirum Christum naturā assumpsisse, quæ de se ignorans esset, nisi in assumptione ipsa impleta esset sapientia, vt ipse postea exponit ibidem, & optime lib. 3. de fide cap. 22. D. Ambrosium insuper non dixisse, Christum dubitasse vel ignorasse, sed ita se gessisse, ac si dubitaret, vel ignoraret. Et eodem modo potest exponi D. Augustinus, quamuis ipse addat, Christum ibi loquutum esse in persona suorum membrorum. Porro ad locum D. Pauli ad Heb. 5. [Didicit ex his, quæ passus est,] dicimus, quamdam esse scientiam in intelligentia, secundum quod per intellectum aliquid cognoscimus; quamdam vero esse scientiam in experientia. Quamobrem accipiendo scientiam in intelligentia, Christus nihil vnquam didicit, quia ab instanti conceptionis fuit perfectus in omnibus, quę postea intellexit. Propter quod Iudæi admiratione repleti, dicebant: [Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit.] Accipiendo vero scientiam in experientia,

fol. 5. Sensus verus verborū Damasceni.

Sensus verus verborum D. Ambrosij.

Sensus verus verborum D. Augustini.

Scietia in intelligentia. Scietia in experientia.

Xps didicit scientiā tiam in experientia.

rientia, Christus vere addiscebat. Quoniam quamquam ipse cognosceret, quantus futurus esset labor, aut dolor in eis, quæ passurus erat, tamen quantum ad experientiam nesciebat, quantus dolor esset: quia nullum vnquam laborem, aut dolorem passus fuerat:& quia quotidiani ei labores, atque dolores eueniebant, necessarium erat, vt quotidie plura sciret, quoad experientiam laborum & dolorum, & sic, cum Dei filius esset, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam.

Xps passus est dolores & labores.

Ad sextum & postremum respondetur,quod loquēdo de quantitatibus Mathematicis, cuilibet finitę quātitati potest fieri additio, quia ex parte quantitatis finitæ,non est aliquid,quod repugnet additioni;loquendo vero de quantitate naturali,sic potest esse repugnātia ex parte formę, cui debetur determinata quantitas, sicut & alia accidentia determinata. Vnde Philosophus 2. lib. de anima,tex. 41. tom.2.dicit,quod omnium natura constantium est terminus & ratio magnitudinis & augmenti; & inde est, quod quantitati totius cæli non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus, vltra quem non progrediuntur: & propter hoc non oportet, quod gratię Christi possit fieri aditio; quamuis sit finita secundum sui essentiam: ita S. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 12. ad 1. Ad illud porro Apostoli: [Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere, &c.] respondet idem Angelicus Doctor ibidem, in solutione ad 2.quod virtus diuina,licet possit facere aliquid maius & melius, quam sit habitualis gratia Christi; non tamen potest facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam sit vnio personalis ad filium vnigenitum à patre. Cui vnioni sufficienter correspōdet talis mensura gratiæ secundum definitionem diuinæ sapientiæ.

fol. 6. Quātitati mathematicę semper potest fieri additio. Quātitati naturali nō sēp potest addi ex parte formæ. Aristot. S. Thom.

Ex dictis itaque,tam in explanatione contextus,quā etiam in hac disputatione liquet,quod Christus à principio incarnationis perfecte hanc Apocalypsim sciret, quemadmodum & omnia alia ex tunc & sciebat, & perfecte intelligebat, cum ex tunc esset perfecte beatus secundum partem superiorem animæ, videns ex tunc in diuina essentia omnia singula, quæ sunt, erunt, & fuerunt. Vnde cum illam ipse post mortem, & in cælos gloriosam ascensionem Archiprophetæ Ioanni, in insula Pathmos per Angelum suum reuelauit, nihil ipse sciuit de nouo, cum hæc ostensio, siue manifestatio tantum esset respectu Christi.

Nota bene. circa Apoc.

PARAPHRASIS Sexta.

Par. 6. Enucleatio textus. §. 1. Sensus verus verborū loci.

Deus, (ait.) Quid porro hoc in loco nomen [Deus] indicet, explanandum duxi. Totam quippe Trinitatem hoc nomine [Deus] designari existimo, ita vt horum verborum: [Quam dedit illi Deus,] sit sensus, tota Trinitas, nempe, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus humanitati Christi à primo instanti incarnationis hanc Apocalypsim dedit. Quod autem ly [Deus] totam importet Trinitatem, apparet ex eo, quod nomina, quæ de Deo dicuntur in triplici sunt differētia. Quædā enim sunt essentialia,vt Creator, bonus, æternus, immensus, & alia huiusmodi, Quædam vero sunt personalia, vt Pater, filius, & Spiritus sanctus. Quędam tandem sunt nomina notionalia, vt paternitas, filiatio, innascibilitas, & reliqua: ex quibus nominibus sola nomina essentialia, de tota simul prædicantur Trinitate, inter quæ nomina procul dubio recensendum est hoc nomen [Deus,] sicut illud aliud, Creator, bonus, æternus, &c. Præterea opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & in diuinis omnia sunt vnum, nisi vbi obuiat oppositio relatiua, vt exploratum est apud Theologos. Quamobrem in primo instanti conceptionis Christi, nequiuerat Pater hanc Apocalypsim dare, & reuelare humanitati Christi, quin simul ad talem donationem, siue reuelationem, Filius, & Spiritus sanctus simul cum illo concurrerent. Hinc plane est, quod Primasius super hunc locum sic eleganter scribat: [Quam propterea Deus pater ei dedisse dicitur, cum inseparabile patris, & filij opus omne probetur, immo etiam Spiritus sancti, cuius hic nomen frequenter insinuat, eo quod etiam in forma serui, vnus, & idem & à patre accipiat, & cum patre concedat.] sic ille. Et cum ly [Deus] de tota dicatur Trinitate, Vates Moyses ad demonstrandum illi populo rudi Hebræorum, orbem à tota Trinitate creatum fuisse, visus fuit his verbis: [In principio creauit Deus cælum & terram.] Super quæ verba. Magister in 1. lib. sent. dist. 2. talem primus mouet quæstionem. [Pro eo, quod apud nos Deus dicitur, Hebraica veritas habet Heloym, quod est plurale huius singularis, quod est Hel. Quod ergo non est dictum Hel, quod est Deus, sed Heloym,quod interpretari potest Dij, siue Iudices, ad pluralitatem personarum refertur.] Hæc Magister, & ex dictis infert sic ipsemet: [Dicens Moyses, in principio Heloym, nempe,Dij, pluralitatem, personarum ostendit: dicens vero Creauit, vnitatem essentiæ demonstrat.] Et recte quidem infert Magister. Nam aliter mirum plane esset,& difficultatem magnam parerę,Moysem doctissimum, hanc vocem [Heloym]cum verbo[Bara] coniunxisse. Quod quidem verbum [Bara] apud Hebræos numeri est singularis, quemadmodum si Latine dicatur: [Dij creauit.] Et sic Moyses contra leges grammaticales loquutus fuit, nomen pluralis numeri cum verbo singularis numeri coniungendo. Accedit ad hæc quod [Heloym] apud Hebræos plurale habet etiam apud eosdem singularem numerum [Hel] aut [Heloha] quod est [Deus.] Et certum est, Moysem omnium Prophetarum eximium,hęc nullatenus ignorasse. Quamobrem posset aliquis percontari, dicens, Cur si [Heloym] habet singulare [Heloha] Moyses non dixit [Heloha bara,] coniungendo nomen singulare cum verbo singulari, ac si Latine diceret [Deus creauit] sed dixit [Heloym bara] coniungendo plurale nomen cum verbo singulari, ac si Latine diceret [Dij creauit!] cur quæso hæc grammaticalis discordia? & si voce [Heloym] vti volebat, nonne erat dicendum [Heloym bareu] id est [Dij creauerunt.] Cui plane difficultati Lyranus, Petrus Galatinus, Augustinus Eugubinus, Ambrosius Catharinus,Paulus Burgensis, & omnes Doctores in cap. 1. Pentateuci respondent, dicentes, Moysem eo in loco mysterium sanctissimæ Trinitatis voluisse exprimere, quandoquidem per nomen [Heloym] multitudinem personarum, & per[Bara] numeri singularis vnitatem diuinæ essentiæ insinuare intendit. Ecce igitur qualiter hoc nomen [Deus] de tota dicat Trinitate. In vnitate namq; naturæ, tres sunt personæ in diuinis, quarum prima est à nulla, secunda est per generationē à sola prima, tertia vero est per communem spirationem à prima & à secunda. Quod quidem ineffabile mysterium hoc solo nomine [Deus] clare continetur. Quoniam Trinitas personarum non excludit ab essentia vnitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, & incommutabilitatem; quæ omnia hoc solo nomine [Deus] continentur. Et prædictorum ratio per hoc patet, eo quod qui crederet, Deum non posse se communicare, negaret in eo potentiam, qui vero crederet, eum posse hoc, sed nescire, negaret in eo sapientiam; qui autem crederet eum hoc posse & scire, sed nolle, iste talis negaret in Deo bonitatem: quæ omnia cum sint absurda, oportet dicere, Deum potuisse, sciuisse, & voluisse se summe communicare. Quod cum æternaliter fecerit, scilicet habendo dilectionem & dilectū, hoc est Filium, & Spiritum sanctum, relinquitur, Deum esse Patrem, Deum esse Filium, & Deum esse Spiritum sanctum æternaliter. Et quia in vnitate naturæ sunt hæ tres diuinæ personæ; ideo non tres Dij, sed vnus est Deus. Et ex consequenti recte

Deus totā Trinitatē dicit. Nomina Dei essentialia & notionalia. Deus est nomē essētiale. Opera sāctiss. Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Primasius. Gen. 1. Mag. sen. Heloym nomē antiquum Dei. corroboratur ratio Magistri. Obiectio. Solutio. Lyranus. Petr. Gala. Aug. Eugub. Ambr. Cath. Paul. Burg. Nomen hoc Deus vnitatē psonarū indiuinis demonstrat. Trinitas psonarū nō excludit ab essētia vnitatem simplicitatē,&c. Deus ab æterno potuit sciuit & voluit se summe communicare.

ti recte hoc nomine [Deus] tota Trinitas demonstratur.

§. 2. Deus est vnus

De vnitate autem, nempe, quod Deus sit vnus, extant sacræ Scripturæ pleraque testimonia. Nam Deut. cap. 32. sic dicitur: [Videte, quod ego sim solus & non sit alius Deus præter me.] & Deut. 6. [Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.] & Exod. 30. [Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non erunt tibi alij Dij præter me.] & Exod. 3. [Ego sum qui sum,] & Exod. 15. [Dominus omnipotens nomen eius.] & ad Eph. 4. [Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.] omitto alia pæne infinita loca.

§. 3. Deus est trinus.

De Trinitate vero, nempe quod Deus sit trinus, extant etiam alia permulta sacræ Scripturę loca. Quoniam Isa. 6. sic dicitur: [Sanctus, sanctus, sanctus.] Et Ieremiæ 1. [A, à, à Domine Deus, nescio loqui.] Trina autem hæc repetitio Trinitatem, proculdubio significat. Et genes. 1. [Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.] & ad Roman. 11. [Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula.] & Matth. 25. [Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] & 1. Io. 5. [Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.] & Io. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.]

§. 4. Trinitatis arcanũ enodatur per figuras veteris Test.

Hoc porro mysterium figuris quamplurimis sacræ Scripturæ demonstratur. Quoniam tres amici Iob, tres Angeli, quos Abraham hospitio recepit, quando tres vidit, & vnum adorauit, tres digiti, quibus appenditur moles vniuersæ terræ, tres ciuitates illæ refugij, æquali spatio à se distinctæ, tria difficilia ad inuestigandum, & tres etiam ciuitates, quas vidit Ezechiel, mysterium hoc sanctissimæ Trinitatis plane demonstrant.

§. 5. Trinitatis mysteriũ in creaturis relucet.

Relucet quoque in creaturis vestigium sanctissimę Trinitatis; cognoscitur namque in magnitudine creaturarum: potentia patris, in dispositione, sapientia filij, in ornatu, bonitas Spiritus sancti. Item, in quolibet indiuiduo inuenies virtutem, speciem, & vtilitatem, quorum primum conuenit patri, secundum filio, tertium vero Spiritui sancto: præterea in sole vide essentiam, splendorem & calorem, in quibus Patrem & Filium, & Spiritum sanctum plane cognosces. In anima etiam nostra rationali secundum memoriam, intellectum & voluntatem, considera tum personarũ Trinitatem, tum etiam substantiæ vnitatem. Porro in Hierarchia cælesti superiori Deus est in Thronis vt maiestas; in Cherubin, vt veritas; in Seraphim, vt charitas, per quæ notatur personarum Trinitas. Adhuc in virtutibus Theologicis, scilicet, Fide, Spe, & Charitate idem intellige: & tandem in tribus dotibus animæ, nimirum cognitione, comprehensione, & delectatione, hoc profundissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium contemplare poteris. De hoc plane mysterio hoc nomen [Deus] apprime dicit.

In indiuiduo. In sole. In anima. In hierarchia cęlesti. In virtutibus Theologicis. In dotib. animæ.

Conceptus Prædicabiles.

Conceptus 1. Quod hoc nomẽ Deus oĩa noĩa Dei cõprehendit. Deus oĩa noĩa Dei cõtinet.



HOC nomen [Deus] omnia nomina Dei in se subtili stylo admirabilique artificio amplectitur. Simplicissima namque illa diuina essentia, quam nos Deum appellamus, varijs nominibus apud varias vniuersi orbis nationes gaudet. Omnia tamen Deum ipsum exprimunt, & hanc vocem [Deum] indicant. Hispa-

A ni etenim illam [Dios] vocant, Lusitani, [Deus] Itali [Dio] Gręci [Theos] Sarraceni & Agareni [Alla] Galli [Dieu] Teutones vero [Goth] & Cathalani, Valentini, Sardi, ac Maioricenses illum [Deu] appellant. Porro apud Hebræos decem nomina reperiuntur, magnificentiam illius simplicissimæ diuinæ essentiæ patefacientia. Quod plane inde oritur, quia scilicet lingua Hebræa mater & fons omnium linguarum est. Horum autem diuinorum nominum primum quippe est [Hel] quod plane nomen Deum, iuxta versionem septuaginta interpretum, & fortem, iuxta versionem Aquilæ, significat. Secundum est [Heloy] quod nomen, Iudices, significat. Tertium est [Heloe.] Quartum vero est [Isabbaoth,] quod Deum virtutum, vox exercituum significat. Quintum est [Heloym] quod nos excelsum dicimus. Sextum autem est [Hesherhihe.] Quod plane nomen habetur Exod. 3. & significat, qui

Dei decẽ noĩa apud Hebræos. Deus apud Hebræos dicitur Hel, Heloy, Heloe. Isabbaoth, Heloym, Esherhchihe. Adonay, Ya, Yehoua, Yadahy.

B est. Præterea septimum nomen est [Adonay] quod nomen Dominum sonat. Octauum est [Ya] quod nomen in Deo tantum ponitur, & in extrema syllaba in Alleluia. Nonum nomen est [Yehoua] quod significat fontem totius esse; & est nomen ineffabile. Decimum & vltimum nomen Dei apud Hebræos est [Yadahy] quod significat fortem & sufficientem ad omnia: quod nomen habetur passim in Ezechiele, & in Psal. 19. qui incipit: [Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.] quo loco, pro ly, [Dei] in Hebræo [Yadahy] habetur. Hæc omnia decem Dei nomina Hebræorum ponit ac citat D. Hieronymus in epistola ad Marcellam de nominibus diuinis. Quæ omnes decem Hebrææ voces, Latine [Deum] sonant. Sunt denique per orbem aliæ infinitæ nationes alijs quamplurimis nominibus Deũ ob suas eximias, ac varias excellentias nuncupantes.

D. Hier. epist. ad Marcel. de nom. diu.

Dei varia nomina.

C Quidam namque illum appellant, Patrem, quia creator est; quidam Spiritum, quia simplicissimus & absq; compositione aliqua est; alij vero Fontem propter abundantem gratiam, quam nobis tribuit: alij Ignem ardentẽ, propter nimiam charitatem, qua quotidie nos diligit: alij autem eum appellant Solem, propter suam eximiam liberalitatem: Alij Æternum, quia est abique principio, & fine: alij Sapientem, quia ordinatione & gubernatione eius perseuerat dies. Nonnulli illum vocant Omnipotentem à suo valore infinito: nonnulli Iustum propter reos & malefactores: nonnulli vero Misericordem propter peccatores: nonnulli Clementem dicunt propter pœnitentes: nonnulli tandem Infinitum vocant, propter eius æternitatem. Quæ quidem omnia nomina, vt dixi, ad hoc nomen [Deus] plane reducuntur, sub quo ambæ tres diuinę personę sanctissimæ Trinitatis comprehenduntur ac intelliguntur, eo quod, Pater, quamuis pater, Deus est, filius

Deus est Pater, Spiritus, Fons. Ignis, Sol, Aeternus, Sapiens, Omnipotens, Iustus, Misericors, Clemens, Infinitus.

D etiam quamuis filius, Deus est, & Spiritus sanctus, quamuis Spiritus sanctus, Deus etiam est. Ob idque ambæ tres diuinæ personæ sub ista voce [Deus] comprehenduntur. Quæ quidem vox [Deus,] vt dixi, omnia nomina Dei in se subtili stylo, admirabiliq; artificio amplectitur. Quod plane animaduertens sanctissimus ac eximius ille Rex Dauid, sceleris sui cum pulchra Bersabe Vriæ vxore commissi, veniam impetrare cupiens, illam non à solo patre, neque à solo filio, nec minus à solo Spiritu sãcto efflagitatus fuit, sed ab omnibus tribus personis simul impetrare intendens, ait: [Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam:] optime siquidem callebat ipse vnam personam diuinam absque alia sibi auxilium, misericordiam, & remedium præstare nullatenus posse.

Deus nomen summum est.

Explicatur optime locus psal. 55.


E Quoniam vna operare ad extra nequit, quin alia simul operetur, cum opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sint indiuisa, quamobrẽ ly [Deus] apud Latinos, & Græcos, non est nomen personæ, sed nomem maiestatis, & magnificentiæ. Et quemadmodum Hebræi ad demonstrandam illius simplicissimæ diuinæ essentiæ ineffabilitatem, vtuntur nomine [Iehoua] vel [Adonay,] & Græci nomine [Tetragrammaton] quod nomen est ab essendo desumptum, & illo Deum intelligunt esse, rerum omnium esse; sic nos Latini, ac etiam Græci

Deus est nomen maiestatis.

Tetragrammaton. quod nomen sit.

Græci per istud nomen[Deus] summum nomen intelligimus, & summam essentiam, tres personas, nempe Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum continentem, ad quod omnia diuina nomina miro artificio reducuntur.

Conceptus 1. Quod Deus est vnus.



EVM esse vnum fide quidem tenendum est, iuxta illud Deut. 6. [Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est.] Et licet Scholastici Doctores idem intrepide teneant cũ Magistro in 1. sent. dist. & cum S. Thoma par. 1. quæst. 11. ar. 3. & 4. tamen S. Thomas vbi supra, triplici ratione probat Deum esse vnum: quarum prima, ex eius simplicitate, secunda ex infinitate eius perfectionis, tertia tandem ab vnitate mundi deprompta est. Et ar. 4. ex eo quod Deus sit maxime ens, concludit, & recte, esse maxime vnum. Sed vt singula attingamus, non est tacendum aliquos fuisse, existimantes, Deos esse multos. Quamobrem probarunt, immo crediderunt, planetas aliasque plerasque stellas esse Deos: sed hoc vanitas vanitatum quippe est, ac etiam idololatrarum eximius error; quia Deus vnus est, & si fortasse, quod est impossibile proculdubio, illud, quod est Deus, non esset vnus solus Deus, profecto non esset Deus. Et ob id, qui multos colunt Deos, sunt, & plane remanent, absque Deo. Hanc veritatem naturali ratione inuestigarunt philosophi sapientes; quoniam Trimagister sic ait: [Vnus est mundus, vnus est Deus.] Plato etiam sic dicit: [Vnius Dei probata diuinitas.] & Socrates: [Non datur deorum pluralitas.] Tum etiam & Boetius: [Deus, si dici licet, vnissimus est.] & tandem Aristoteles sic ait: [Sic ergo vnus dominator & vnus Princeps omniũ.] Id porro & ego his demonstro rationibus. Audias rogo. Deus nonne est summum ens? ita sane: Modo sic. Summum ens, nonne est illud, cui nihil æquiualet, & quod nihil exuperat aut excedit! ita quidem. Quomodo igitur summus Deus alium maiorem, aut æqualem Deum habere poterit? Porro Deus nonne est omnipotens? ita sane. Modo sic. Igitur poterit quamlibet aliam potentiam à se annihilare, & per consequens potentiam alterius Dei. Deus autem ille, qui impotens fieri potest, quomodo Deus erit? Præterea, Deus nonne est infinitus? maxime quidem. Modo sic: igitur dum Deus vnus erit per totum mundum, alter Deus vbi erit? dices fortasse tu. Habebunt loca huius mundi inter seipsos diuisa. Sed ego concludo dicens. Igitur ambo sunt finiti, & nullus eorum per consequens erit Deus. Intellectus item Dei, nonne est infinitus? ita plane: modo quæro, Deus vnus cognoscet ne alium secundum aut tertium Deum? dicendum necesse, quod sic: alioquin non esset Deus. Modo sic ego argumentor. Deus iste cognoscens alium Deum, vel illum cognoscit per essentiam suam, vel per essentiam alterius? Si dicis, per essentiam suam, vel in essentia sua propria, igitur illum cognoscet sublimiori modo cognoscendi, & per consequens erit eius Deus. Si autem dicis illum cognoscere per essentiam, vel in essentia alterius, igitur cognitio erit posterior cognito, & per consequens cognitus erit Deus cognoscentis, & sic vnus erit Deus alterius Dei. Vlterius adhuc. Voluntas Dei nonne rectissima & beata in seipsa est? sane quidem. Modo sic: igitur Deus vnus amabit alium tantum, quantum aliquid amari potest; si autem amore infinito illum non adamauerit, eius voluntas non erit recta: si vero amore infinito illum amauerit, erit Deus iste amans alium beatus in alio, quod Deo nullo modo conuenire potest. Porro nonne Deus perfectus est ex omni parte, ita vt nullo modo sit aut defectiuus, aut superfluus? ita mehercle: igitur, duo Dij erunt ne similes, an non? si similes dicas, erit vnus solus: si vero dissimiles esse asseras; necesse est asfirmes aliquid habere vnum, quod alius minime habet, & in illo esse

Mag. sent. S. Thom. Deus est vnus

Deos esse multos aliqui existimarunt.

Qui multos colunt Deos sunt absq; Deo

Deũ esse vnũ 7. rationibus probatur. 1. Ratio. Deus est summum ens.

2. Ratio. Deus est omnipotens.

3. Ratio. Deus est infinitus.

4. Ratio. Intellectus Dei est infinitus.

5. Ratio. Dei voluntas, & recta & beata est.

6. Ratio. Deus perfectus est & omnipotens.

F dissimiles. sed ego sic infero. Illud, quo caret iste Deus, vel est necessarium, vel non: si non est necessarium, erit igitur superfluum, & per consequens, iste non est Deus. Si vero necessarium est, cum alius illo careat & indigeat, non erit ille Deus. Denique, Deus nonne est perpetuus motor? maxime quidem: igitur dum iste Deus gubernat & regit, ille alius, quid quæso agit? Dices fortasse alium in gubernando adiuuat, sed ego concludo: igitur iste, quem alius adiuuat, non est Deus. Si vero dicis non adiuuare, ego etiam adhuc concludam, illum otiosum non esse Deum. Fide igitur Catholica tenendum est, vnum esse Deum, & quamuis intelligas nominare potentiam Dei, vel sapientiam, bonitatem, aut alia illius attributa, tamen non te numerus nominum decipiat, quoniam in Deo omnia huiuscemodi nomina & attributa sunt vnum.

G Quemadmodum mare vnum quidem est, & licet dentur illius diuersæ partes, situs, siue anguli, veluti cum dicimus Pelagum, Sinum, mare Oceanum, mare Mediterraneum, mare Sardoum, Pamphilium, Creticum, Ionium, mare Adriaticum, Siculum, Parthenopeum, Tirrhenum, Ligusticum, mare Narbonense, Balearium, Hispanicum, &c. attamen vnum dumtaxat est mare. Sic in Deo intellectus, voluntas, potentia, sapientia, bonitas, maiestas, cognitio, gubernatio, prouidentia, sanctitas, duratio, æternitas, veritas, vita, gloria, misericordia, iustitia &c. omnia hæc attributa secundum rem, vnum sunt, & vnus solus Deus. Vna ergo summa indiuiduaq; vnitas, & non duæ, vna summa & maxime bonitas, veritas, iustitia, misericordia, sanctitas, & maiestas, & non duæ: vnus certe, & solus Deus, per omnia se diffundens & suum singulis suæ vnitatis, & singularitatis imprimens vestigium, & non duo.

7. Ratio. Deus perpetuus motor.

Dei oĩa attributa sunt vnũ Comparatio.

H

P A R A P H R A S I S
Septima.

Palam facere (dicit amplius) seruis suis.

Ad quid, & ad quos hæc Apocalypsis siue reuelatio dirigatur, Aquila Euangelij Ioannes plane hic indicat, nimirum ad illam seruis Christi aperiendam. D. Augustinus homil. 1. in Apoc. per [palam facere] exponit manifestare: sic etenim ibi scripsit ipse[Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, id est manifestare.] sic ille. Cuius explanationem sequutus est Lyranus, & D. Dionysius Carthusianus.

I At vero S. Tho. in hisce commentarijs per [palam facere] exponit reuelare. Quæ duæ expositiones plane simul stare queunt, dummodo ly [manifestare] vel [reuelare] accipiatur verbo & exemplo, vt exoluit Laudunensis in sua interlineari glossa. Et hoc plane per Ioannis Archiprophetæ ministerium. Facta siquidem fuit hæc reuelatio à Deo Christo homini, (vt dicunt expositores, & præcipue Iacobus Suarez à S. Maria serm. 1. in Apocalyp.) vt eam ipse pro temporis oportunitate secundum Ecclesiæ statum (sicut & cetera alia, quæ à primo instanti conceptionis plane sciuit, discursu temporis paulatim Ecclesiæ, sicut opportunitas, & necessitas exigebat, proponebat;) seruis suis in Ecclesia per Ioannis ministerium, & reuelaret & manifestaret.

Par. 7. Eliminatio textus.

§. 1. D. Aug. Palam facere id est manifestare & aperire. Lyranus. D. Dion. Car. S. Thom. Palam facere est reuelare. Auctor concordat. D. Aug. & D. Thom. Laudunen.

Iac. Suarez à S. Maria.

K Porro ly [palam] idem est, quod publice, vel aperte, iuxta illud Ioan 7. [Ecce palam loquitur & nihil ei dicunt] & Ioan. 16. [Palam de Patre meo annuntiabo vobis.] & Ioan. 18. [Ego palam loquutus sum in mundo, & in occulto loquutus sum nihil.] & Ioan. 6. [Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.] & Ioan. 11. [Christus autem iam non palam ambulabat:] & Ioan. 7. [Nemo palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.] His namque locis ly [palam] idem est, quod publice, vel aperte. Christus namq;

§. 2. Palã idem est quod publice

Comparatio. Officiũ optimi Doctoris. namq; tempore suæ prædicationis stylum optimi Doctoris sequutus fuit, cuius plane est suam optimam scientiam, & doctrinam palam nimirum, publice, & aperte docere, & prædicare debere, vt ipsa ab hominibus commodius addiscatur, iuxta illud Eccles. cap. 29. Xpũs est Doct. & mag. noster [Ipse palam faciet disciplinã doctrinę suæ.] Sic Christus cum esset Doctor, & Magister noster publice, & aperte semper docuit, & prædicauit. Quamobrem modo etiam post mortem, & gloriosam ad cælos ascensionem, quod alte, & plene biberat in secreto primi instantis conceptionis suæ, propter pręsentem Ecclesiæ statum, publice & aperte eructare cœpit, illud palam faciendo per Ioannis ministerium seruis suis dilectis.

§. 3. Facere pro, ad faciendũ. Accipitur præterea hic ly [facere] pro ad faciendum, iuxta Græcorum, & Latinorum creberrimam phrasim, & sic [palam facere] perinde est, ac diceret, vt palam faceret, vel ad palam faciendum, quemadmodum Lucæ 1. dicitur: [Ad faciendam misericordiam.] id est, vt faceret misericordiam, vel ad faciendam misericordiam. Vnde est illud Poetæ.

Non nos aut ferro Lybicos populare Penates.

Virg. 1. Aen. *Venimus: aut raptas ad littora vertere prædas.*

Ita hic palam facere sonat, ad palam faciendum. Et per eamdem per vulgatam phrasim exoluitur procuidubio illud Matth. 5. [Nolite putare quoniam veni soluere legem: non veni soluere sed adimplere.

§. 4. Apoc. post ascensionẽ Xpi iusso reuelatur Ioanni. Primasius. Ceterum decuit ac omnino oportuit, postquam Christus supra sidera scandit hanc Apocalypsim populo Christiano reuelare, vt sic humiles Christiani tribulationes tyrannos, & pseudoprophetas facile profligarent. Hinc est, quod Primasius B. Augustini discipulus sic eleganter, ac perdocte scribat, dicens: [Omnis res, quæ temporaliter geritur, habet exordium, & cursum, & terminum. Post exortum autem Ecclesiæ, quæ iam fuerat Apostolorum prædicatione fundata, sæculari oportuit, qualiter fuisset latius propaganda, vel quali etiam fine contenta, vt prædicato- Christianorũ fortitudo pro Ecclesia Dei. res veritatis, huius cognitionis fiducia freti, indubitanter aggrederentur pauci multos, inermes armatos, humiles superbos, infimi nobiles, viui tamen spiritualiter mortuos.] Ita Prrimasius. Ad quod plane alludunt verba Christi ad Simonem Petrum, Ecclesiæ caput, cui Lucæ 22. in persona totius Ecclesiæ sic dixit: [Ecce satanas expetiuit vos vt cribraret, sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides Hæreses contra Dei Eccl. nuq̃ præualebunt. tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Cum autem Christus pro sua reuerentia, vt ait Apostolus, semper exauditus sit, hinc factum plane est, vt portæ inferi aduersus Ecclesiam Dei nullatenus præualere queant. Quamobrem mirum minime est, si humiles Christiani, quamuis pauci, inermes, ac infimi, procul pellant ac profligant gentiles, Agarenos, Sarracenos, Hæreticos, ac infideles multos armatos, superbos, ac nobiles, eosque omnes, signo dumtaxat crucis sępe sæpius deuincant, iuxta illud Psalmistæ: [Inimicos eius induam confusione.] quod plane de inimicis Christi & eius sanctissimæ Crucis omnes quotquot sunt Simile. Iudicum 15. expositores exoluunt. Crux namque Christi est illa vera mandibula, qua verus Sanson, mille Phylisteos, intrepide interfecit.

Conceptus Prædicabiles in textum.



Conceptus 1. Quod Xpus est sũ, & summũ bonum. SIMPIR Christus Dei arcana mundo palam fecit, est siquidem ipse, veluti sol, qui luce sua, suisq; radijs ea, quæ abscondita sunt hominibus, palam facit, id est, patefacit & manifestat. Quoniam Xpus est sũmũ bonum. Christus, cum sit summum bonum, & bonum ex sua natura sit communicabile, nequit seruis suis aliquid abscondere, immo omnia illis summo amore ostendit, annuntiat, ac manifestat. Vnde satis apte, & commode ipsemet de seipso ait Ioa. 8. [Ego sum lux mundi.] Ad quod plane alludit illud Ioan. 1. [Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum:] Et illud Isa. 9. [Populus, qui ambulabant in tenebris, vidit lucem magnam habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.] Hinc etiam est, quod Zacharias Propheta causam aduentus eius annuntians, ait: [Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.] Sed dices. Quare Christus vocatur lux? Xpus est lux & cur? Respondetur, ita appellari multis de causis, quarum prima est, quia Christus lucet in tenebris, sicut lux. Officium namq; lucis est in tenebrosis antris, obscu- Comparatio. risque locis lucere. Vis tu in aliquam basilicam, thalamum, concauitatem, locumue clausũ, & obscurum introire? indiges lumine; quoniam, vt recto tramite incedere valeas, oportet vt candelam aliquam accen- Lucis proprietates. das, illamque in manibus, vel ante, vel coram te deferas. De Christo autem dicitur Ioan. 1. [Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.] Quia Christus semper lucet, & nos illuminat. [In lu- Psal. 35. mine tuo, inquit de illo Dauid, videbimus lumen.] Secunda causa est, quia illi omnes lucis proprietates conueniunt. Quoniam, si lumen in regione hac nostra elementali nimirum, in terra, vel in aliquo alio elemento consideretur, semper lux elementalis consumit se, vt te illuminet, vt est manifestum in candela aliqua accensa, quæ paulatim ceram & gossipium consumit vt te illuminet; ita Christus consumpsit se, vt ita dicam, ac vitam suam, vt te illuminaret. Ad quid, Ioan. 4. rogo, fatigatus ex itinere sedebat supra fontem? ad nihil aliud sane, nisi ad illuminandam mulierem illam Samaritanam peccatricem, quæ in tenebris & vmbra mortis sedebat. Ad quid, quæso, baiulans sibi crucem, in eum, qui dicitur Caluariæ, locum exibat? ad nihil aliud proculdubio, nisi ad omnes peccatores illuminandos, &c. Si vero lux in regione æthera contempletur, adhuc etiam Christum lumen verum reperie- Sol variis ob tinet proprietates. Soli cõparatur Christus. mus. Accipiamus igitur maius lumen regionis ætheræ, nempe, solem, qui est fons luminis, a quo, teste Philosopho, cetera astra lumen accipiunt: & tunc videbimus clare Christum veram lucem mundi esse. Sol etenim est planetarum omnium medius, & temporum dispensator. Et Christus cum sit verbum patris, est medius inter Patrem & Spiritum sanctum, & est largitor omnium bonorum. Sol aduentu suo diem; recessu vero noctem efficit, & Christus in animabus nostris aduentu suo diem, nimirum, vitam spiritualem, recessu vero noctem, nempe mortem spiritualem efficit. Ob idque Martha illi dixit Ioa. 5. [Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.] Sol sic ap- Sol est solus. pellatur, eo quod sit quasi solus, quoniam vnus dumtaxat est, & non dantur multi soles, & Christus, tam vt Christus, quam vt Deus solus est. Vt Christus: [Sicuti anima rationalis & caro vnus est homo, teste Athanas. in suo Symbolo Athanasio in suo Symbolo, ita Deus & homo vnus est Christus.] Vt Deus: [Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus; teste eodem Athanasio, & tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.] Sol nescit abscondere ra-

re radios suos, quinimmo illo omnibus tam bonis, quã malis communicat, iuxta illud Matth. 5. [Solem suum oriri facit super bonos & malos.] & Christus merita sanctissimæ passionis suæ nemini abscondit immo omnibus illa communicat, cum ab origine mundi in fide Christi saluétur Patres nimirum antiqui in fide Christi venturi; nos vero Christiani in fide Christi iam aduenti. Sol in communicatione suorum radiorum nullam tenet acceptionem, immo tam diuiti, quam pauperi, loco etiam immundo, ac mundo radios suos æqualiter spargit, omnibus namque æqualiter oritur, & Christus non est acceptator personarum, quinimmo omnes vult saluos facere, tam pauperes, quam diuites, tam monachos, quam laicos, tam moniales, quam matrimonio deditos omnibus namque media ad salutem æqualiter proponit absque acceptione aliqua, & si aliqui reprobantur, & condemnantur, hoc non est ex parte Dei, sed ex parte nostra iuxta illud. [Peccatum ex te:] Manifestum quippe apparet, solem nullam habere culpam, eo quod domum tuam non ingreditur, te ostium pessulo claudente: ita prorsus Christus nullatenus est culpabilis, si tu minime saluus fias, te cor tuum minime præparante, animamque tuam ad radios suæ diuinæ gratiæ recipiendos nullatenus disponente. Sol tantam claritatem solus obtinet, vt eo solo exorto, ceteris adhuc obscuratis astris omnibus, mundus totus illuminetur, & illustretur: Et Christus tantam plenitudinem gratiarum solus obtinet inter prophetas, vt ipsis iam non apparentibus, vniuersus orbis sua doctrina, & miraculis mirum in modum illustretur ac illuminetur: [Propheta magnus, dicitur de illo surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.] Sol ortu & aurora sua totum mundum gaudio & lætitia replet: & Christus gaudium & lætitiam animabus nostris maximam causat. Quamobrem recte dicitur Christus sol, & lux mundi. Hinc proculdubio est, quod radios suæ sapientiæ hic seruis suis palã facere intendit, ac curat.

Christus non est acceptator personarũ.

Oseæ 13.
Simile.

Luc. 7.

Conceptus 2. Quod Xps multipliciter se palã ostendit ac manifestauit mundo. Explicatur optime locus Ioan. 7.

NIMIO desiderio ardebãt cognati Christi, nimirum, parentes eius secundum carnem, vt se mundo palam faceret ac manifestaret. Quamobrem, vt habetur Ioa. 7. illi dicebant: [Transi hinc & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera tua, quę facis: nemo quippe in occulto quidquam facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta teipsum mundo.] Ex quibus verbis infero Christum, quædam fecisse, prædicasse, ac etiam dixisse clam & in occulto, quædam vero palam & in manifesto. Hinc quippe est, quod in Euangelio de illo aliquando legatur sic: [Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo: Iesus autem fugit ipse in monte solus. Iesus iam non in palam ambulabat apud Iudæos: Modicum & videbitis me. Quæretis me, & non inuenietis. Tum & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.] aliquando vero sic legitur: [Ego palam loquutus sum in mundo. Ego semper docui in Synagoga & in templo. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: Palam de Patre meo annuntiabo vobis.] Et hoc merito plane. Quoniam quædam sunt aliquando palam tacenda, & non propalandã, quædam vero sunt aliquando palam facienda, & publice manifestanda. Vtile etenim & necessarium est quandoque, quod homo ab oculis hominum se abscondat, & quod palam non inueniatur, nec publice se ostendat, & quod aliquando in publicum exeat, & coram hominibus appareat, secundum quod congruitas temporis exigere videtur, quemadmodum de illo legitur flore, qui dicitur scapulissus, qui de nocte se occultat & profundat in aqua; & à media nocte incipit reascendere, & sic in ortu solis palam se ostendit, & solet omnibus apparere: sic etiam inter homines oportet sit tempus se occultandi, tempus palam apparendi, tempus loquen-

Palã & occulte operauit Christus.

Ioã. 7.

Ioan. 18.
Ioa. 6.
Ioa. 6.

Simile.

F di, tempus docendi, ac etiam tempus operandi. Sic Christus redemptor noster aliquando se occultabat, iuxta illud: [Christus autem iam non in palam ambulabat.] & iterum: [Nemo palam loquebatur de illo.] quandoque se palam ostendebat suamque doctrinam mundo palam prædicabat. Et hinc est, quod hanc Apocalypsim Deus illi dederit à primo instanti conceptionis suę, vt illam tempore opportuno seruis suis palam faceret. Ceterum quia parentes & cognati Christi nimio ardebant desiderio, vt Christus se mundo palam faceret, ac manifestaret, audite, qualiter & & quoties Christus mundo palam factus, ac manifestatus fuit. In baptismo & in transfiguratione palam audita fuit Patris æterni vox dicentis: [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.] In oratione dixit ipse patri æterno: [Pater, clarifica filium tuum.] & mox audita est vox dicens:
G [Et clarificaui & iterum clarificabo.] Quid quæso est hoc, nisi Christum se mundo palam facere? Post resurrectionem etiam Christus se palam fecit & manifestauit Magdalenæ iuxta sepulchrum, Marijs à sepulchro redeuntibus, Petro ad sepulchrum cum Ioanne currenti, discipulis euntibus in castellum Emaus, Apostolis etiam in cœnaculo. Porro Christus palam factus fuit mundo, ac etiam manifestatus aduentu Spiritus sancti, iuxta illud: [Cum venerit autem ille, testimonium perhibebit de me.] Prædicatione etiam Apostolorum, iuxta illud: [Ite in vniuersum mundum, prædicate Euangelium.] & itidem iuxta illud: [Vade, quia vas electionis est mihi, vt portet nomen meũ coram Regibus, & filijs Israel.] Et adhuc in dies nobis palam fit ac manifestatur per sacerdotes, confessarios, prædicatores, viros sanctos, colloquia sancta, libros spirituales, ac etiam per opera bona, ac pœna-
H lia, quæ indies fiunt à nobis, quibus Christo spiritualiter adhuc in terris fruitur. [Gustate (ait diuinus Cytharædus,) & videte, quam suauis est Dominus.] Qui igitur se nobis spiritualiter, benigne, & suauiter in dies palam facit, hanc etiam Apocalypsim seruis suis palam fecit post suam resurrectionem. Ita igitur Christus se mundo palam fecit, ac manifestauit, vt de illo dicat Apostolus Ioannes: [Manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est.] Deus itaque ille, qui olim ita erat occultus ac inuisibilis, vt de illo dicatur Exod. 9. [Ostende mihi faciem tuam.] & iterum: [Posteriora mea videbit.] & Ioa. cap. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum.] ita se in tempore palam fecit ac manifestauit, vt de eo dicatur: [Et in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] Et Ioan. 1.
I [Et verbum caro factum est:] in cuius rei testimonium dixit ipse post resurrectionem suam Thomæ: [Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latum meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.] & discipulis suis: [Palpate & videte.] Videant igitur fratres, id est parentes Christi secundum carnem, dicentes: [Manifesta teipsum mundo.] Iam desiderium eorum adimpletum, cum ipse postea toties se mundo menifestauerit.

Ioan. 11.
Ioa. 7.

Desideriũ affiniũ Xpi fecit dũ carnem.

Matth. 17.

Ioa. 12.

Palam multa operatus est Christus.
Apparitiones Xpi quinque post resurrectionem.

1. Ioa. 1.
Deus olim occultus nũc vero manifestatus est.

Ioa. 20.

NEC tacenda, aut occultanda quippe est maxima differẽtia, quæ inter Christum, & discipulos suos, & inter Hebræos, hæreticos, ac infideles vtrinq; grassatur. Hebræi etenim arcana
K Dei rudi populo semper abscondunt. [Posuit velamen (dicitur Exod. 34. de Moyse) super faciem suam.] Quod sane velamen vsque in hodiernum diem inter Hebræos permanet, mysteria & arcana Dei, rudi populo caute abscondentes. Et si forte rudis populus aliquid de Dei arcanis percipit, illico dicunt illud Exod. 2. [Quomodo palam factum est verbum istud? & idem prorsus pręstant hęretici, qui prædicant non palam, sed occulte in latibulis & cauernis: [Omnis enim qui male agit, vt dicitur

Conceptus 3. Quod circa mysteria declaranda est maxima differẽtia, inter Xpm & Hebræos, hæreticos, ac infideles.

Hebræi & hęretici abscõdũt Dei arcana populo rudi.

tur Ioan. 3.) odit lucem.] & sic de istis intelligitur illud Eccles. 38. [In Ecclesiam non transilient: super sellam Iudicis non sedebunt, & testamentum iudicij non intelligent, neque palam facient disciplinam & iudicium.] Quamobrem Deus de illis ait: [Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.] Ecce qualiter Hebræi, hæretici, ac infideles amici & amatores obscuritatis sunt. At vero Christus Dominus, & Redemptor noster omnia clare aperteque & ipse prædicauit, iuxta illud Ioan. 8. [Ego palam loquutus sum mundo, & in occulto loquutus sum nihil.] & discipulis suis prædicare etiam præcepit, iuxta illud Matth. 10. [Quod vobis dico in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.] Perinde ac dicat: Vos à me facti estis soles ac vera mundi lumina, nec non vera luminaria, verbum vitæ continentia: Quocirca Principes huius mūdi inde occasionem arripere fortasse possent vos infamandi, si occulta & secreta quæ vos docui, vellem illos aut latere, aut præterire. Quamobrem vobis iniungo præceptum dicendi palam in lumine, & in manifesto ea, quæ vobis in tenebris, in mysterijs, & parabolis prædixi: [Quod igitur vobis dixi in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.] Sed dices, Quid est predicare super tecta? Dico quod vocabulum istud [tecta] Latine sumptū duo significat, nimirum, rem absconditam, & cacumen alicuius domus. Etenim [tectum] potest sumi adiectiue, nempe, vt deriuatur à verbo, tego, cuius participium passiuum est tectus, tecta, tectum, idem significans, quod opertus: in quo sensu accipitur illud Poetæ 17. Met.

Explicatur locus Matt. 10.

Difficultas.

Satisfactio difficultatis.

Ouid. lib. 17. metamorph.

Arboribus tecto discumbere iusserat antra.

Potest etiam accipi substantiue, in quo sensu, tectum summam domus partem, qua cetera eiusdem domus partes teguntur, significat, & sic intelligitur illud eiusdem Poetæ.

Ouid. lib. 12. metam.

Non secus hic resilit quam tecti à culmine grando.

Cicero.

Ac etiam illud M. T. C. de cla. orat. [Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domicilijs habere, quam Mineruæ signum ex ebore pulcherrimum.] Quapropter dicimus, quod si ly [tecta] substantiue sumatur, nimirum, vt superiorem domus partem, qua ceteræ aliæ teguntur, significat, tunc prædicare super tecta, denotat Euangelicam prædicationē, super omnia humana, quæ tectis tegi solent, esse ac illa exsuperare, tum etiam demonstrat veritatem Euāgelij esse apertam & claram, veluti est res super tecta exposita. Indicat porro prædicationem euangelij Angelos inuitare, vt audiant, & vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Rursus etiam significat prædicationem euāngelicam publicam, vel palam factam coram omnibus, testem habere Deum iuxta illud Apost. 2. Cor. 2. [Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbū Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.] Tandem prædicare super tecta denotat concursum, & frequentiam tantam audientium sacrum euangelium, vt eis nisi super tecta non liceret prædicatoribus euangelicis prædicare. Si autem ly [tecta] adiectiue accipiatur, nempe, vt rem opertam significat, mysterio magno minime caret. Sic etenim significat etiam prædicatores euangelicos super scelera tecta, super peccata operta, super facinora occulta, super iniquitates absconditas prædicare debere. Sunt etenim plerique mortales vtriusque sexus, qui immunditias, & iniquitates suas, veluti altera Rachel idola patris sui, abscondant ac tegunt; dicitur namque Genes. cap. 31. quod re-

Prędicare super tecta qd significat.

Prædicatio euangelica ad se audiendum inuitat Angelos. ad Eph. 3.

Prædicatio euangelica testē habet Deū ipsum.

Scelera tecta oportet manifestare.

Comparatio.

A eunte Iacob ex Mesopotamia, ad terram Canaam, Rachel vxor illius, idola patris sui Laban furata fuit, quod cum sciuisset Laban, & eos consequutus fuisset, dixit ad Iacob: [Quare ita egisti, vt clam abigeres filias meas, &c.] & deinde subiungit dicens: [Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus es Deos meos?] & post hæc ingressus est tentorium Rachaelis ad Deos suos quærendos, qué videns Rachel festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper, & patri suo scrutanti omne tentorium, & nihil inuenienti, dixit Rachel: [Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.] Et sic delusa solicitudo quærentis est. Pari etiam modo nunc sunt plerique mortales vtriusque sexus, idola nempe, peccata, iniquitates, ac scelera sua cooperientes, & vt altera Rachel occul- B tantes, & abscondentes; & quod peius est semel malitiose, semel ob verecundiam, semel vero ob timorem in confessione coram Deo, & confessario suo, facinora sua tegunt, cooperiunt, & abscondunt. Sunt etenim in orbe plerique, tum honore, tum nobilitate, tum litteris, &c. ornati, & alioquin furtum, adulterium, tactus, osculaque lasciua cum consanguinea, in quinto, quarto, tertio, (& quod Deus auertat) in secundo, ac primo gradu perpetrarunt, & positi coram confessario, alia leuia peccata recitant, hæc & alia peiora scelera dierum multorum inueterata, nec non multorum annorum putrida tacentes. Isti ergo abscondunt cum Rachel idola, aliquando ob verecundiam, aliquando vero ob malitiam, & super ista tecta est prædicatoribus palam vociferandum, vt nuper retulimus.

Homines multa scelera aliquando abscōdūt in cōfessione quæ necesse est manifestari.

DVBIVM nullatenus alicui esse debet, hæc verba: [Palam facere,] haud exiguam hic emphasim præ se gerere. Etenim Christo in terris vitam agente, dixit Ioa. 18. [Ego palam loquutus sum mundo, & in occulto loquutus sum nihil.] & modo post suam resurrectionem suus eximius vates Ioannes de illo ait datam fuisse illi à Deo hanc Apocalypsim, vt illam palam faceret seruis suis. Proculdubio latet anguis in herba. Mysterium igitur stat in hoc maximum: [Sapientia (dicitur Prou. 8.) clamitat in plateis.] Vnde cum Christus sit ipsamet sapientia, & ea, quæ discipulis suis viuens in terris prædicauit, & ea, quę post mortem & resurrectionem per dies quadraginta eisdem, (vt dicitur Act. 1.) docuit, ac etiam ea, quæ ad labores sanctæ matris Ecclesię futuros spectant, vult publica esse, & omnibus nota ac manifesta fieri, ne quis se ab earum ignorantia excusare valeat, vt sic omnes Christiani palam intelligant nostra orthodoxę fidei mysteria, dogmata, & arcana nullatenus esse occulta, aut abscondita, quin immo omnia aperta, clara, & manifesta fieri, tamquam pura, nitida, & aliena prorsus à quauis contagione. Quamobrem cuncta publice, palam ac patenter prædicare nullatenus vereamur. Ideo circa istam puritatem dicimus, quod lex nostra euangelica & catholica à Paganorum, & à Gentilium legibus, in puritate ac munditia mirum in modum differt. Etenim in lege euangelica omnia ita nitida, pura, clara, sancta, & ab omni sorde labeque mūdissima reperiuntur, vt nihil in ea sit, quod aliquem inficiari queat, aut quod veritatem deroget. Paganorum autem ac hæreticorum sectæ adeo nequissimæ sunt, vt innumera, ac pæne infinita non tantum obscena, verum etiam nequissima in se contineant. Quoniam infidelium sine lege lex innumeros admittit Deos. Alchoranus Mahometicus, in quo credunt Saraceni infinitos continet errores, cum beatitudinem consistere prædicet in fluuio mellis, & in delitiarum affluentia: ex quo sequitur, pecudes esse beatas, quod est ridiculum. Talmud Iudæorum multa à vero rationis trami-

Conceptus 4. Quod lex nostra euāgelica tāquā præ ceteris legibus nitidior & purior, est palā prædicanda.

Sapiētia clamās in plateis est Christus.

Lex Euāgelica pura & nitida.

Error infidelium.

Lex infidelium quid cōtineat.

Error Saracenorum.

Alchoranus Mahom. quid contineat.

Error Hebræorum.

tramite exorbitãtia refert, cum ad verum sacræ Scripturæ veteris Testamenti intellectum sinistras, ac falsissimas subiungat expositiones. Secta hæreticorum, nimirum Arij, Lutheri, Caluini, Bezæ, & aliorum huius farinæ, praua infinita, ac erronea circa sacramenta absque numero continet. Antiqui porro illi legislatores, vt suis legibus maior fides adhiberetur, eisque populus libenter obtemperaret, leges suas, quas populis prædicabant, ac credendas proponebant, ab aliqua ex suis falsis deitatibus sibi traditas esse affirmare solebant. Quoniam Zoroastes Bactriensium, Persarumque legislator, Hormodo suas tribuit leges, Trismegistus, qui Ægyptijs leges dedit, Mercurio, Zelmosis, qui Scythis, Vestæ: Chorondas, qui Calcidis, Saturno; Minos, qui Cretensibus, Ioui: Numa Pompilius, qui Romanis Egeriæ; leges quas tradebant consecrarunt. Quid, quod Pythagoras aquilam ita domesticam reddit, vt ipsi sæpe quasi eum alloquens, descenderet ex alto, & sic sibi diuinitus, quam populo suo dabat bene viuendi normam, reuelatam dicebat. Quod & Sartorius Lusitanorum sequutus, ceruam albam familiarem sibi fuisse tradidit. Hoc autem hi legislatores antiqui præstabant, putantes tunc homines leges suas libentissimo animo amplexaturos esse, cum eos diuinitus edoctos fuisse crederent. At lex nostra euangelica his dementijs, ac falsis deitatibus nullatenus subiacet, cum ipsamet vera Deitas Christus, nimirum redemptor noster ore proprio illam nos docuerit: [Aperiens os suum (dicitur Matth. cap. 5.) docebat eos.] Hinc Paulus qui predicationi Christi minime interfuit, Apostolus, ac Gentium prædicator cum iam electus esset, ad Galat. 1. ait: [Ego non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, notum vobis facio euangelium, quod euangelizatum est à me, non secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, sed per reuelationẽ Iesu Christi.] Hinc proculdubio est, quod sola lex euangelica, sancta, purgata, nitida, pura, & immaculata inter ceteras leges reperiatur. Quamobrem Diuinus Cytharædus Psalm. 15. de illa sic ait: [Lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.] Quibus verbis sane quatuor excellentiæ notabiles legis euangelicæ indicantur. Quarum prima est eius puritas, quam indicat ly [immaculata:] quod plane ideo dicitur, quod sancta dumtaxat & munda docet, iuxta illud Matth. cap. 5. [Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.] Idcirco vbi nos legimus [Lex Domini immaculata] alia littera habet [Lex Domini irreprehensibilis.] Quoniam antiqua lex carnis spurcities tantum comprimit reprimitque: at vero lex euangelica mentis immunditias purgat, ac mundat, & hoc plane solo Christi verbo iuxta illud Ioan. cap. 15. [Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis] Secunda est eius vis, quam indicat ly [Conuertens animas.] Quia lex euangelica, sua eximia vi, ex prætioso sanguine Christi profluente, animas à peccatis arcet & reuocat. Ideo per legem euangelicam, Petrus animas peccatrices ad Deum reducebat, dicens Act. 3. [Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.] Tertia vero est eius veracitas & adimpletio promissorum, quam denotant illa verba: [Testimonium Domini fidele.] Quoniam quod Christus in lege promittit punctaliter & perficit & persoluit, iuxta illud Matth. 24. [Cælum & terra transibunt verba autem mea non præteribunt. [Ad quod quippe spectat illud 1. Thess. 5. [Fidelis Deus qui vocauit nos & faciet.] Quarta tandem excellentia nobilis legis euangelicæ est eius illuminatio, quam indicant illa verba: [Sapientiam præstans paruulis.] Ipsa namq; lex nostra euangelica, humiles illuminat paruulisque intellectum dat, iuxta illud Matth. 11. [Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.] Et tunc nobis sapientiam dat, quando, sua illuminatione, nos peccata, ac scelera, iniquitatesq; nostras cognoscimus, ea detestando, & bona superna desiderãdo. Sic enim Apostolis suis ac nobis Christus promisit

Secta hæreticorũ quid cõtineat. Error antiquorum legislatorum. Leges gẽtium quid cõtineãt. Zoroaste legislator. Trismeg. leg. Zelmosis leg. Choroad. leg. Minos legisl. Numa Pŏpilius legisl. Pythagoras. Sartorius Dux Lusitanorũ. Legis Euãgelicæ excellẽtia maxima. Legis Euãgelicæ quatuor excellentiæ notabiles. Lex Euãgelica immaculata. Lex Xpi irreprehensibilis. Lex euãgelica conuertit animas. Lex euãgelica illuminat.

F dicens Lucæ 21. [Dabo vobis os & sapientiam, &c.] Lex namque peccatum manifestat, dicente Apostolo ad Rom. cap. 37. [Per legem enim cognitio peccati, & concupiscentiam nesciebam, nisi lex mihi diceret, [Non concupisces.] Quapropter isdem regius Vates Psalm. 11. legem euangelicam argentum igne purgatum appellat, dicens: [Eloquia Domini eloquia casta, argentium igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.] vbi vides qualiter Diuinus Cytharædus legem euangelicam, non solum argentum quodcumq; verum etiam multo sudore, industria, multoq; ignis calore & fusione ab artifice septuplum purgatum, & emundatum argentum nuncupat. Quapropter recte asseruimus legem nostram euangelicam palam prædicandam esse, & seruis Christi palam faciendam. Eo quod purior ac nitidior præ ceteris legibus, proculdubio sit.

Lex peccatũ manifestat. Lex euãgelica est argẽtũ igne examinatum. Palam est prędicanda lex euangelica.

G

DISPVT. IV.

In Cap. primum Apocalypseos de doctrinis, ac diuinis, Canonicisque scripturis, Christiano populo palam faciendis post Christi mortem.

In quattuor Quæstiones distributa super illa verba: *Palam facere.*

H

Prologus Disputationis.



NCEPS quis esse poterat, quærendo, an post Christi redemptoris nostri mortem Archiprohpetæ Ioãni licuerit hãc Apocalypsim siue reuelationẽ populo Dei manifestare, ostendere, ac proponere, cum Dominus solummodo dixerit discipulis suis, Marci 16. [Ite, prędicate euangelium omni creaturæ.] & Apocalypsis, vt constat, non sit Euangelium. Idcirco hanc disputationem hoc in loco astruere duxi, in qua quattuor

I dispunguntur. Primum siquidem, an præter aut post euangelium oportuerit aliam scripturam mundo palam facere. Secundum, an inter scripturas canonicas, quæ non sunt euangelia, Apocalypsis Ioannis sit mundo palam facienda. Tertium, an præter euangelicas, canonicas & Apostolicas scripturas, aliæ scripturæ non sacræ sint mundo manifestandæ. Quartum, an Deus his seruis suis Asianis, iuste permiserit, mysteria hæc Apocalypsis, & fidei orthodoxæ vsque ad exilium prędicationemq; Archiprophetæ Ioannis minime palam facta fuisse. De hac re sermonem habent Innocentius 1. in epistol. 3. ad Exuperium cap. vlt. Gelasius 1. in decreto de libris sacris, Concilium Laodicenum can. 59. Concilium Carthaginiense 3. c. 47. Concilium Florentinum, in Institut. Armenorum. Concil. Trident. sess. 4. Eusebius lib. 3. hist. cap. 25. Athanasius in Synopsi Greg. Nazianzenus in lib. de

K genuinis scripturis, Epiphanius in lib. de mensuris, & ponderibus, & etiam aduersus hæresim Armenorum, Cyrillus Hierosolymitanus Catechisi 4. Ioãnes Damascenus lib. 4. de fide, cap. 18. D. Hieronymus in prologo Galeato, & etiam in epist. ad Paulinum de studio sanctarum scripturarum, Ruffinus in explicatione symboli, D. Auguuinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. Isidorus lib. 6. Etymologiarum cap. 1. Titelmannus in duobus lib. contra notata ab Erasmo. Ioannes

Apoc. non est euangelium. Innocentius. Gelasius. Cõc. Laodic. Conc. Carth. Conc. Floren. Conc. Trid. Athanasius. Greg. Naziã. Epiphanius. Cyrillus. Io. Damasc. D. Hieron. Ruffinus. D. Aug. Isidorus. Titelman.

Io. Driedo. Cano. Sixt. Senensis Petr. Ant. Beu. Rob. Bellar.

nes Driedo lib. 1. de Ecclesi.dogm. Cano lib. de locis cap. 9. Sixtus Senensis lib. 7. Bibliothecæ sanctæ Petrus Antonius Beuter Valentinus in decem annotationibus ad sacram Scripturam annot. 2. & Robertus Bellarminus tom. 1. controuersiarum, cont. 1. de verbo Dei lib. 1. cap. 19.

Quæstio I.

Vtrum præter, aut post euangelium oportuerit aliam scripturam mundo palam facere.

1. argum. Ioa. 15.



PARS negans roborari potest. Tum quia Christus, dum in terris conuersaretur, dixit discipulis suis: [Omnia, quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis.] Quæ plane sunt euangelia, vt de fide tenendum est. At Apostolus ait: [Si aliquis etiam Angelus de cælo euangelizauerit vobis aliquid præter id quod euangelizatum est, anathema sit.] Sequitur ergo, quod nulla doctrina, siue scriptura præter, aut post euangelium sit populo proponenda, aut palam facienda. Tum quia talis doctrina esset maxime ad beate sancteq; viuendum. At in euangelijs est doctrinæ perfectio omnimoda, cum euangelium sit legis supplementum, exemplum, ac præceptum bene viuendi, ac regula, & confirmatio integra honestorum morum. Ergo post euangelium talis scriptura nullatenus oportuit mundo palam facere.

2. argum.

1. fundam. Conc. Carth. Conc. Trid.

Pro decisione primo supponere oportet decretum Concilij 3. Carthaginiensis, & etiam Conc. Trid. sess. 4. circa doctrinam diuinam, Apostolicam & canonicam: cui addo, quod euangelium ab epistolis, scripturisq; Apostolorum in multis & præcipue in hoc differt, puta, quia euangelium nos perducit ad salutem, quam suo salutari effectu in nobis operatur: at vero epistolæ, seu scripta Apostolorum, siue eorum lecturæ solum ad id, quod euangelium prędicat, nos dirigunt: quo supposito,

1. concl. Euāgeliū est fons salutis.

Sit Prima assertio. Euangelia sunt supplementum legis & fons salutis. Hæc est de fide, & continetur in Conc. Trid. sess. 4. Quapropter euangelio tanta reuerentia à fidelibus præstatur; legitur namq; alta voce, in sinistra altaris parte, capite discooperto, thuris fumigatione, erecta cruce, candelis accensis, & alia permulta sollemnitate.

2. concl. Euāgeliū non fuit scriptū a Xpo Domino nostro. S. Thom. Caietan. 1. Ratio.

Secunda assertio. Christus Dominus de euangelio nihil scripsit, nec minus aliquam aliam scripturam suis proprijs manibus scriptam reliquit, nec talia scripta relinquere conueniens fuit. Hæc est D. Thom. 3. p. q. 42. art. 4. & Caietani ibidem. Et probatur. Tum ob ipsius dignitatem; quoniam excellentiori doctori excellentior modus doctrinæ debetur. Sed Christus fuit excellentissimus, ac eminentissimus inter omnes doctores: ergo illi competebat modus doctrinæ, quo auditorum cordibus illum dumtaxat imprimeret, dimissis procul scriptis. Quamobrem inter Gentiles, Pythagoras, & Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nil scribere voluerunt. Tum ob excellentiam doctrinæ Christi, quæ litteris, scriptisue quibusuis comprehendi nullatenus potest, iuxta illud Ioan. vlt. [Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse.] Tum tandem ob ordinem. Decebat enim, vt ordine quodam ab ipso doctrina ad nos perueniret. At discipuli post mortem suam alios verbo, & scripto docuerunt, ergo ipse eosdem immediate, & absque scripto aliquo (vt sane docuit) docere decebat.

Pythagoras & Socrates suis proprijs manibus scripsere nil. 2. Ratio. 3. Ratio.

3. concl. Aduētus Spiritus sancti necessarius. 1. Ratio.

Tertia assertio. Post mortem Christi, & ad cęlos gloriosam ascensionem eius, necessarius erat Spiritus sancti aduentus, super discipulorum corda. Hæc est de fide, & probatur ex illo Ioan. 16. [Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] & ex illo Ioan. 17. [Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quęcūq; dixero vobis.] vbi ly [suggeret,] satis aperte indicat plurium fuisse Apostolos oblitos rerum, pluraque non recte intellexisse, atque etiam plura illis obscure Christum dixisse: ex quibus omnibus facile poterant Apostoli, si Spiritus sanctus in illos non superuenisset, in falsum trahi sensum. Ergo necessarius erat eius aduentus, vt oblita in eorum memoriam reuocaret, & obscura illis patefaceret.

4. concl. Scriptura sacra & canonica est prędicanda palam. D. Hieron. Lyranus. 1. Ratio.

Quarta assertio. Oportuit præter, aut post euangelium, aliam Scripturam sacram, & canonicam mundo palam facere. Hæc est de fide: quam plane attingunt D. Hieronymus, & Lyranus, in prolog. epist. ad Rom. illamq; probo. Tum quia omnes epistolæ D. Pauli, D. Petri, D. Iacobi, & reliquorum Apostolorum, non sunt euangelia, & tamen omnia Concilia & præcipue Carthaginiense 8. cap. 45. & Tridentinum sess. 4. præcipiunt eas tamquam canonicas, & sacras populo palam facere; Ergo, &c. Quas omnes Apostolicas epistolas, teste D. Hieronymo loco citato, Apostoli ad singulas Ecclesias destinare voluerunt, vt scilicet initia nascentis Ecclesiæ, nouis causis existentibus, præuenirent, & vt præsentia ac futura resecarent vitia, ac quęstiones. Tum quia id, quod Spiritus sanctus suo aduentu suggerebat Apostolis, oportebat mundo palam facere, quamuis non esset euangelium, iuxta verbum Christi, dicentis Ioan. 16. [Adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modo, cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Huc alludit illud Tobiæ: [Opera Dei reuelare honorificum est.] Tum quia Apostolica doctrina, quam per suas Epistolas docuerunt Apostoli, est certa, stabilis, & firmissima regula fidei, iuxta mentem Ecclesiæ Catholicæ à temporibus Apostolorum vsque ad Concilium Tridentinum. At regula Catholicę fidei nota esse debet; nam si nota non sit, regula nobis non erit, igitur, &c. Tum denique probatur; quia quemadmodum Prophetię post legem, sic epistolæ & scripta Apostolica post euangelium sunt necessaria, & vtilia. Quamuis etenim in lege fuerit perfecta doctrina, nec aliud in prophetis, quam in lege contineatur secundum rem, quædam tamen illic erant sub velamine dicta, quæ in prophetis apertius dilucidantur & quodam modo exponuntur. Et id ipsum scripta Apostolorum, respectu euangelij, procuidubio præstant. Igitur, &c.

2. Ratio. Ioa. 16. Tobiæ 12. 3 Ratio. 4. Ratio.

Sol. ad arg.

Ad duo proposita argumenta ex dictis facilis est solutio. Quanto magis solutio primi in hac sequenti quæstione clare apparebit? in qua verba Ioan. cap. 15. [Omnia quæcumque, &c.] adamussim explanabuntur.



Quæstio. II.

Vtrum inter Scripturas sacras & canonicas, quę non sunt Euangelia, Apocalypsis Ioannis & habeat locum, & illa mundo sit palam manifestanda, ita vt omnes illam recipere teneant?



PVLCHERRIMA, & satis vtilis est hæc quæstio. Quamobrem, dimissis alijs Apostolicis epistolis, quas hæretici oppugnant, de Apocalypsi dumtaxat hic disputabimus. In cuius sane explanatione multa notatu digna attingemus. Quoniam multi hæretici de auctore Apocalypsis dubitant: alij vero inter libros sacros & canonicos Apocalypsim minime reponunt, contra quos intrepide insurgunt plerique ex nostris Catholici doctores, inter quos est Titelmannus, in duobus libris contra adnotata ab Erasmo, Ioannes Driedo lib. 1. de Eccles. dogm. cap. 1. & 2. p. 3. Magister Cano lib. de locis c. 9. concl. 5. & cap. 10. in vltimo argumento, & cap. 11. Sixtus Senensis lib. 7. Bibliothecæ sanctę hæres. 10. Petrus Antonius Beuter annot. 2. & Robertus Bellarminus cont. 1. de verbo Dei lib. 1. cap. 19.
Titelman. Driedo. Cano. Sixtus senen. Pet. Ant. Beu. Rob. Bellar.

1. argum. Titulus tamen huius nostrę quęstionis circa partem negantem potest probari. Tum quia in inuestigandis libris canonicis, recurrendum est ad Ecclesiasticas sanctiones sanctæ matris Ecclesiæ secundum decreta Synodalia & Pontificalia. Atqui in Ecclesiasticis sanctionibus & decretis, nempe in libro, qui inscribitur [Canones Apostolorum.] non recensetur liber Apocalypsis inter canonicos libros qui illic recitantur. Quoniam in can. 84. illius libri sic legitur: [Sunt omnibus vobis clericis simul & laicis veneradi, ac sacri libri veteris quidem Testamenti Moysis quinque, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iesu filij Naue vnus, Iudicum vnus, Ruth vnus, Regum quatuor, &c. noui vero testamenti, Euangelia quattuor, nempe, Euangelium Matthæi, Euangelium Marci, Euangelium Lucæ, & Euangelium Ioannis, Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim, Petri Apostoli duę, Ioannis Apostoli tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis Epistolæ duę, & præceptiones, quæ vobis Episcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ sunt, quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in se continent, & actiones nostras Apostolorum.] Hæc ibi, & nulla sit mentio Apocalypsis.
Canones Apostolorum.

2. argum. Tum etiam quia in Laodicena Synodo, quæ in Phrigia paccatiua, circiter annum Domini 350. celebrata fuit, nulla adhuc sit mentio Apocalypsis inter libros canonicos receptos ab Ecclesia, qui illic connumerantur can. 56. sub his verbis: [Non oportet ab idiotis psalmos compositos, & vulgares in Ecclesijs dici, neq; libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos noui & veteris Testamenti: qui autem opporteat legi & in auctoritatem recipi, hi sunt veteris Testamenti, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Regum libri quattuor, &c. Noui vero Testamenti, Euangelium secundum Matthæum, Euangelium secundum Marcum, Euangelium secundum Lucam, & Euangelium secundum Ioannem, Actus Apostolorum, canonicę epistolę septem, Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, Iudæ vna, Pauli epistolæ quatuordecim.] Ita
Synod. Laodicena.

A Synodus Laodicena, vbi Apocalypsis minime recensetur.

Tum præterea, quia longe distant libri Apochriphi, & libri canonici, vt est manifestum: liber autem Apocalypsis est Apochriphus, quod probatur, eo quod liber, qui veritatem continet, & eius auctor ignoratur, Apochriphus appellatur: Apocalypsis autem quamuis veritatem contineat, eius auctor ignoratur apud quosdam Alexandrinos Episcopos, vt videre est apud Eusebium lib. 8. hist. Eccles. cap. 23. Quæ circa multi hæretici reijciunt Apocalypsim, vt antiqui hæretici Marcionistæ, vt refert Tertulianus lib. 4. contra Marcionem: Allogiani, & Theodosiani, vt refert Epiphanius lib. 2. hæres. 51. & Philastrius lib. de hæresibus: Lutherani etiam auctorem Apocalypsim, non Ioannē Apostolum, sed Ioannem quendam præsbyterum Asię B statuunt. Et tandem Erasmus in annotationibus sæpe de auctore Apocalypsis dubitat, & ad extremum multa contra eiusdem libri Apocalypsis auctoritatem obijcit. Nec defuerunt etiam olim Catholici, qui de huius libri auctoritate & auctore maxime ambigerēt. Quoniam Caius quidam vetustus auctor librum hunc Corintho hæretico adscribebat, vt prodit Euseb. li. 3. hist. cap. 28. & vt refert idem Eusebius lib. 7. hist. c. 23. Dionysius Alexandrinus hanc opinionem Cai oppugnando, librum diuinum & canonicum esse asseueranter tenet, verumtamen dubitat, sit ne Ioannis Apostoli, an alterius Ioannis. Accedit quod D. Hieronymus in epist. ad Dardanum testatur, ita Græcos de Apocalypsi dubitasse contra communem consensum Latinorum, quemadmodum Latini de epistola ad Hebræos, contra communem Græcorum sententiam dubitabant. 3. argum.

C

Tum porro esto, quod Ioannes Apostolus sit auctor libri Apocalypsis, tamen Ioannes Apostolus prius scripsit hanc Apocalypsim, quam Euangelium suum; quoniam, teste Eusebio, Ioannes Apostolus scripsit Apocalypsim in insula Pathmos, sub Domitiano, anno 100. ab orbe redempto, euangelium autem scripsit sub Traiano, anno 101. ab orbe redempto, & tamen videmus, Euangelium Ioannis poni ab Ecclesia primo loco, & Apocalypsis vltimo loco; signum ergo est, Apocalypsim non esse canonicum librum aut, si canonicus est, primo loco ponendus venit, cum sit prior tempore euangelio. 4. argum.

Tum insuper, quia ille oportet sit auctor huius reuelationis, qui illam reuelauit. At Angelus est, qui illam Ioanni reuelauit, iuxta illud Apoc. 1. [Mittens D per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Ergo, &c. 5. argum.

Tum denique quia, si Apocalypsis esset populo ostendenda & prædicanda, esset proculdubio ex genere earum scripturarum, de quibus dixit Christus viuens in terra, Ioan 15. [Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis.] Atque Ecclesia accepit Apocalypsim post mortem Christi, cum Ioannes esset relegatus in insula Pathmos; ergo neque est ex earum genere scripturarum, nec minus palàm & publice populo proponenda aut prædicanda. 6. argum.

Pro decisione præmitto primo Apocalypsim Ioannis respui ab antiquis hæreticis Marcionistis, & Theodosianis, vt produnt Tertulianus lib. 4. E contra Marcionem. Et Epiphanius, hæres. 51. & 54. Quinimmo Lutherus in prologo dicit, se aliquid in Apocalypsi desiderare, cum Apocalypsis asserat fore beatos, qui seruant ea, quæ in ea scripta sunt, cum tamen nemo intelligat, quæ illa sint. In præfatione vero antiquiore Testamenti noui ait, se Apocalypsim neque pro prophetico, neque pro Apostolico libro recipere, sed similem iudicare lib. 4. Esdræ. Brentius insuper, & hem- 1. fundam.

& Kemnitius Luthero se subscribunt. Magdebudgenses autem cont.1.lib.2.c.4.col.56. à Luthero deficiūt, (vt prodit Robertus Bellarminus to.1.controuersiarū cont.1.lib.1.c.19.) ad Caluinum currentes, & cum eo acriter pugnant pro Apocalypsi, aduersus alios Lutheranos. Erasmus tandem in fine annotationum in Apocalypsim, varias coniecturas anxie quærit, vnde probat hunc librum non esse Ioannis Apostoli.

Bellarminus.

2. fundam. Libri sacri & canonici qui sint.

Præmitto secundo, quod libri sacri, & canonici illi dicūtur, quos ab Ecclesia approbatos & custoditos accepimus, qui sic plane differūt ab alijs, vt nulla scriptura sit, quam oporteat sic haberi, vt puram & immaculatam absq; vlla suspicione commixtæ falsitatis, sicuti ipsi, de quibus nullo modo licet dubitare, sicut licet de alijs scripturis. Qui autem vult scire qui sint isti libri canonici & sacri, & ab Ecclesia probati, recurrere debet ad Ecclesiasticas sanctiones, & summorum Pontificum decreta.

3. fundam. Librorum sacrorū triplex differentia.

Præmitto tertio, quod librorum Ecclesiasticorum triplex est differentia. Quidam enim sunt reprobati tāquam falsi, & hæretici, in Concilijs generalibus explosi & aboliti, quos legere, aut tenere, vel doctrinas, ac dogmata eorum publice, vel priuatim asseuerare nullatenus licet propter periculum. Quoniā qui amat periculum, peribit in illo. Alij autem sunt libri Apochriphi, qui diuiduntur in eos, quorum auctor ignoratur, & vera cōtinent, quos numerat D. Hieronymus in prologo librorum Regū, & tales recipit Ecclesia, non ad fidei approbationem, sed ad morum institutionem: & etiam in eos, quorum auctor ignoratur, & de fide eorum, quæ in illis continentur, dubitatur, vt est liber de infantia saluatoris & alij eiusdem farinæ, de quibus extat mentio in Can. [Quidam autem hæretici] & in Can. [Sancta Romana Ecclesia.] & tales non recipit Ecclesia, nec habēt aliquam auctoritatis dignitatem, si tamen legantur, vel à quocumque narrentur, an illis credendum, vel non credēdum sit, legentis vel audientis iudicio relinquitur: legere namq; & credere ea, quæ non sunt contra fidem, in his libris non est prohibitum, tamen ea in prædicatione proponere, vel annuntiare nullatenus licet: quia cum dubia sint, diminuunt de fide & de veritate prædicationis. Alij tandem sunt libri approbati ab Ecclesia, & huiusmodi sunt libri Bibliæ, qui omnes nouissime in Conc. Trid. tamquam Catholici recitantur.

D. Hieron.

Liber de infantia saluatoris.

Libri approbati.

4. fundam. Ecclesia res fidei paulatim determinauit.

Præmitto quinto, quod sancta mater Ecclesia non omnia immmobili obseruantia seruanda ab initio determinauit, tam circa fidem, quam circa sacramenta, vel alias quascumque consuetudines. Quamuis enim semel decreta circa materiam fidei numquam irrita fuerint, tamen ea, quæ nondum erant decreta, quandoque postea declarauit esse decretanda & credenda. De fide in primis patet; quoniam sancta mater Ecclesia modo, si ei placuerit, potest articulum quempiam hæreticum damnare, & contra illum alium Catholicum & fidei infallibilis, & indubiæ erigere ac astruere. Porro certum est licuisse antiquis ante determinationem Nicænæ Synodi dubitare de hac voce [homousion] patrisne filius dicendus esset, cum in toto sacro textu talis distinctio non reperiatur. Post quam vero in Concilio præfato decretum fuit id, quod tenendum esset, nefas fuit id amplius ambigere. De sacramentis etiam patet, nam ante declarationes, in diuersis Synodis, & Concilijs declaratas, fuerunt dubia fere infinita, tum de baptismo, vtrum scilicet pueris esset exhibendus; vtrum alia forma ab ea, quam in vsu habet Ecclesia, esset conficiendus. Tum de confirmatione, an scilicet esset sacramentum, an à solis Episcopis esset conferenda. Tum de pœnitentia, vtrum scilicet sit de iure diuino, vtrum vera sit pœnitentia post lapsum. Tum de communione, an scilicet omnibus baptizatis sit exhibenda, (quod plane ferme tempore D. Augustini, Innocentij, & ac Zozimi habuit in vsu Ecclesia Africana, infantulis post baptismum ministrans communionem etiam sub vtraque specie, vti videre licet in libris D. Augustini: maxime aduersus Iulianum, & in epistolis, ac libris ad Bonifacium:) an sub vtraq; specie obligentur omnes fideles illam sumere. Tum de ordine, vtrum scilicet Episcopatus ordo esset à ceteris distinctus. Tum de matrimonio, an scilicet esset sacramentum. Tum de extrema vnctione, vtrum scilicet à Christo Domino esset instituta, an Apostolica auctoritate fundata. Tum denique de consuetudinibus Ecclesię liquet; quoniam circa ieiunia festorum obseruantiam, decimarū pensum, ritum quoque & celebritatem sacrorum infinita dubia declarata, ac decretata fuere. Quamobrem perspicuum, ac planum fit multa pro temporum varietate, quæ antea non fuerunt declarata, diligentius re discussa, proposita nunc esse tamquam firmissima fide tenenda. Ac proinde scripturæ sacræ & consuetudines Ecclesię, non omnes simul, sed paulatim fuerunt declaratæ & per sanctos patres sibi inuicem succedentes receptæ. Spiritus namque sanctus non omnia reuelauit, sicut nec Christus, quia non erat istud necessarium; nec minus portare potuisset fideles. Idcirco paulatim secundum exigentiam temporum, hominumq; capacitatem, ac dispositionem reuelata fuere. Quoniam labente tempore, difficultates huiusmodi diligentius discussæ fuerunt, & summus Pontifex, Cardinales, ac doctores Ecclesiæ sacram Scripturam magis intrinsece scrutarunt, iuxta illud: [Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me.] Et sic dictante Spiritu sancto, veritatem indagarunt, & quid tenendum esset de fide, inuenerunt. Quamobrem Ecclesia vno tempore magis quam alio, veritatem indagatam & inuentam, dictante Spiritu sancto, sanciuit, ac decretauit tenenda esse de fide, quæ plane antea sub fide minime cadebant. Et hoc factum fuisse ab Ecclesia absq; errore aliquo, firmiter tenendum est, cum ipsa errare nullatenus possit, veritatis columna cum sit firmissima, & spiritum sanctum habeat gubernatorem, qui nullo modo potest esse auctor mendacij, aut Ecclesiam suam in aliquem errorem labi permittere.

Dubiū circa vocē homousion.

Dubiū de sacramentis.

D. Aug.

Dubiū de cōsuetudinibus Ecclesiæ.

1. concl. Impugnantur antiqui hæretici respuētes Apocal. 1. Ratio. Cōc. Carthag.

Prima conclusio. Apocalypsis est liber canonicus & sacer. Hæc est cōtra antiquos hæreticos Marcionistas, Alogianos, Theodosianos, & alios in 1. nostro fundamento citatos: & est de fide probaturq; Primo; quia in Conc. Cartag. 3. sancitum est Apocalypsim librum esse canonicum: nam in cap. 47. sic legitur: [Item placuit vt præter scripturas canonicas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum litterarum; sunt autem canonicæ scripturæ, id est, 1. Genesis. 2. Exodus. 3. Leuiticus. 4. Numerus. 5. Deuteronomiū. 6. Iesu Naue. 7. Iudicum. 8. Ruth, &c. Noui autem Testamenti euangeliorū libri quattuor, Actuum Apostolorū lib. vnus. Pauli Apostoli epistolę 13. eiusdem ad Hebræos vna, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iudæ Apostoli vna, & Iacobi vna, Apocalypsis Ioannis vnus: qui sunt viginti septem.] Hucusq; Cōcilium. Idem habetur in Cōcilio Romano, sub Gelasio 1. & in Conc. Toletano 4. can. 16. & in alijs plerisq; Cōcilijs, in quibus inter sacros, & canonicos libros annumeratur Apocalypsis. Secūdo probatur; quoniā Innocentius 1. huius nominis qui fuit 41. summus Pontifex post Petrum, qui Ecclesiā gubernauit, ante Conc. 3. Carthag. in quadam epistola decretali ad Exuperium Tholosanum Antistitē, quę habetur inter decreta Innocentij c. 27. sic scribit: [Hæc sunt, quæ desiderata voce monere voluisti, Moysis libri quinque, id est Genesis, Exodus, Leuiticus, Deuteronomium, Numerorum, necnon Iesu Naue, & Iudicū, & Regum, &c. Item noui testamenti euangeliorum libri quattuor, Apostoli Pauli libri 14. Apostoli Ioannis tres, epistolæ Petri duæ, epistola Iudæ, epistola Iacobi, actus Apostolorum, & Apocalypsis Ioannis.] ita Innocentius. Et idem tenet Innocentius 3. epist. 3. c. vlt. Gelasius 1. in decreto de libris canonicis, & alij pleriq; summi Pontifices. Tertio tandem probatur, quia, dēpta Synodo Laodicena, in omnibus alijs Synodis & Cōcilijs

2. Ratio. Innoc. 1.

Libri canonici ex Innocentio 1.

3. Ratio.

Ecclesiæ legitime congregatis, in quibus fit mentio librorum Canonicorum, semper Apocalypsis locū obtinuit, inter libros sacros, & canonicos noui Testamenti. Quamobrem in Conc. Trid. sess. 4. sic statuitur: [Sacrosācta œcumenica, & generalis Trid. Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, &c. sacrorum librorū indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur: sunt vero infrascripti Testamēti veteris quinq; Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, &c. Testamenti noui quatuor euangelia, secundum Matthæū, Marcum, Lucam, Ioannem, conscripta. Quatuordecim epistolæ Pauli, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apost. tres, Iacobi Apost. vna, Iudę Apost. vna, et Apocalypsis Ioānis Apostoli.] Ita Concilium Trid. Vnde cum in inquirendis libris sacris, & canonicis recurrendum sit ad Ecclesiasticas sanctiones, vt dictum est in primo fundamento, sequitur de fide esse, Apocalypsim librum esse sacrum & canonicum. Etsi hæretici, qui negant Apocalypsim esse librum canonicum, ad nostra hæc tria argumenta vnico verbo respondent, dicendo, se huiusmodi Ecclesiasticas sanctiones, & concilia Patrū orthodoxorum nullatenus recipere, nec minus credere. Nos itidem Catholici, vnico etiam verbo, eorum positionem infringimus, dicendo, quod quemadmodū perfricata fronte negant, Apocalypsim canonicum librum esse, negare etiam posse quemlibet alium librū, tam veteris, quam noui Testamenti canonicum dici, & esse. Quoniam eadem est ratio de vno & de alio, & ita nullus esset liber canonicus, quod est ridiculum. Accedit, quod Theophylus Antiochenus, Melito Sardensis, & Dionysius Alexandrinus, Episcopi Græci antiquissimi, Apocalypsim, vt diuinitus scriptam receperunt, vt prodit Eusebius li. 4. c. 24. & li. 7. c. 12. Quinimmo Sulpitius li. 2. sacr. hist. addit, Apocalypsim Ioannis à nonnullis aut stulte, aut vero impie minime recipi.

Conc. Trid. — Nota bene. — Obiectio. — Solutio. — 4. Ratio. — Eusebius. Sulpitius.

Secunda conclusio, Ioannes Apostolus, & Euāgelista, est auctor instrumentalis Apocalypsis, sicuti Moyses, Isaias, Tobia, Iob, Dauid, & Salomon, in veteri testamēto, & Matthæus, Marcus, Lucas, ipsemet Ioannes, Paulus, Petrus, & Iacobus in nouo Testamento, suarū sacrarum scripturarum, quæ eorum nomine circumferūtur, sunt auctores instrumentales. Hæc est contra Dionysium Alexandrinum, in libris de repromissionibus, ac etiā contra plerosq; Episcopos Alexandrinos, contra Allogianos, contra Lutherum, & Erasmum, & est de fide, & probatur. Tum quia in Concilio Ancyrano ante MCC. annos can. vlt. citatur Apocalypsis nomine Ioānis, & sic etiam recitatur in omnibus alijs Concilijs, legitime in Spiritu sancto congregatis, vsq; ad Concil. Triden. in quibus omnibus inter canonicos libros recensetur Apocalypsis, sub nomine Ioannis Apostoli & Euangelistæ. Tum quia hoc ipsum intrepide tenēt omnes sancti Patres, tam Græci, quam Latini, quoniā Origenes tom. 1. in Ioā. & lib. 5. super Ioā. & lib. 1. comm. in Matth. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. Abdias Episcopus Babylonis lib. 5. hist. Apostolicę, Eusebius lib. 6. Eccles. hist. Nicephorus lib. 2. c. 24. & li. 3. cap. 9. Damascenus lib. 4. cap. 18. & in libro de centum hæresibus. hæres. 51. Epiphanius lib. 2. hæres. 51. D. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 21. D. Hieronymus in Catalogo scripturarum, D. Augustinus in libello de hęresibus cap. 30. aperte fatentur Apocalypsis auctorē fuisse Ioannem Apostolum & Euangelistam: Ireneus etiam lib. 14. cap. 37. & 50. aperte testatur Apocalypsim esse Ioannis Apostoli, discipuli Domini, & paulo post in eodem cap. 37. Ioannem eum esse indicat, qui in sinu Domini in cœna recubuit, & D. Dionysius in li. de Eccles. Hierarch. cap. 3. de Apocalypsi & eius auctore, sic ait: [Arcanam illam, ac mysticam omninò visionem dilecti discipuli.] Et tandem Tertullianus lib. 4. contra Marcionem sic scribit: [Habemus & Ioānis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsim eius respuit Marcion, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem.] sic ille. Er-

2. concl. Apoc. auctor instrumētalis est Euangelista Ioannes. — 1. Ratio. Conc. Ancir. — 2. Ratio. Origenes. Iustinus. Abdias. Eusebius. Nicephor. Damascen. Epiphan. D. Ambros. D. Hieron. D. Aug. — Ireneus. — D. Dionys. de Eccl. hierar. — Tertulian.

F go, &c. Idem docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagogi cap. 12. Athanasius in Synopsi, D. Chrisostomus homil. 3. in psalm. 19. Damascenus lib. 4. cap. 18. D. Cyprianus de exhortatione martyrij cap. 3. 8. 10. 11. & 12. D. Hilarius præfatione in psalmos, D. Ambrosius in psalm. 40. Innocentius 1. in epist. ad Exuperium, Ruffinus in expositione Symboli, Isidorus lib. 6. Etymologiarum, & alij plerique sancti patres, tam Græci, quam Latini, Apocalypsim & vt sacram, & vt Iannis Apostoli & Euangelistę inconstanter agnoscunt.

Sed aduersus hanc Conclusionem se opponūt Marcion, Dionysius Alexandrinus, Alogiani, Lutherus, & Erasmus, dicentes. Primo, quod Ioannes in Euangelio numquam nomen suum posuit, neque in epistolis illud vmquam expressit: at vero in Apocalypsi sæpe
G illud inculcat & recitat dicens: [Ego Ioannes.] Ego Ioannes, perinde (inquit Erasmus) quasi syngrapham scriberet, non librum. Ergo non est opus eius, sicuti est euangelium, & epistolæ. Secundo, quod euangelium & prima epistola, quę semper sine controuersia Ioanni euangelistæ tributa est, simile fere habent initium, & in multis consentiunt de vita, de luce, de tenebris, de sanguine Christi, de remissione peccatorum, &c. Apocalypsis autem nihil habet huiuscemodi, quo ab eodem auctore scripta credatur, nec syllabam quidē communem cum illis habet. Tertio, quod magna est styli, & locutionis diuersitas, quoniam Euangeliū & epistolę, exquisitis & egregijs verbis Græce scripta sunt. Apocalypsis autem sermonem habet incultum, & rusticis barbarismis, & solœcismis alicubi vtitur. Quarto tandem, quod fuit alius Ioannes præter
H Ioannem Euangelistam in Asia qui fuit presbyter, & senior appellatus, quem multi scriptores, inter quos est Papias Episcopus Hierapolitanus, inter discipulos Domini reponunt. Ergo difficile cognosci potest, cuius Ioannis, præsbyteri, an discipuli Domini, ex his duobus sit opus istud.

Hęresum cōtrouersia circa auctorem Apoc. Obiect. 1. — Obiect. 2. — Obiect. 3. — Obiect. 4.

Ad horum primum dicimus, quod inter euangelium & prophetiam, hoc est inter alia, discrimen, nimirum quod in corpore euangelii nomen alicuius auctoris nullatenus exprimi potest, at vero in prophetia maxime, vt apparet in prophetia Ecclesiastes, in qua dicitur: [Ego Ecclesiastes fui Rex.] & in prophetia Danielis, in qua crebro legitur: [Ego Daniel.] & in alijs Prophetijs Isaiæ, Ieremiæ, &c. in quibus multoties exprimitur nomen auctoris. Apo-
I calypsis autem prophetia est iuxta illud: [Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ huius.] Ac proinde Ioannes eius auctor, nomen suum sæpe in illa inculcat & recitat.

sol. 1. Euangelij & Propheticæ discrimen.

Ad secundum respondetur, quod diuersitas, quæ debet reperiri inter euangelium & prophetiam, est causa, ob quam, cum diuersæ sint hystoriæ, diuersæ res & non eędem in vtraq; tractentur ab eodem vtriusque auctore: si etenim eadem de vita, luce, tenebris, sanguine Christi, de remissione peccatorum, quæ proposuit in euangelio, iterum in hac proponeret prophetia, & esset repetitio eiusdem vocis, & prophetia sua ab euangelio suo minime distaret; nihilominus tamen qui in euangelio Ioannis in c. 15. sic legerit: [Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.] & in c. 21. [Hic est discipulus ille, qui testi-
K moniū perhibet de his, & scripsit hæc. Et verum est testimonium eius.] & postea in c. 1. Apoc. sic legat: [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioāni, qui testimoniū perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit;] postea responsum præstare poterit, an in euangelio Ioānis, & in Apocalypsi inuenerit aliquam syllabam communem, cum hæc tria loca fere sint eadem, & eumdem auctorem Ioannem Euangelistā maxime ostendant, ac prędicent. Et idem iudicium est pror-

2. sol. Euangelii diuersa res est à propheta. — Euangelium Ioānis multa continet cōmunia cum Apoc.

est prorsus de epistola & Apocalypsi, cum in 1.Ioa.1. sic legatur: [Et sanguis Iesu Christi filij eius, emundat nos ab omni peccato.] Et in cap. Apoc. ita etiam de Christo dicatur: [Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.]

Sol. 3. Apoc. nō cōtinet barbarismos, vt dicebat Erasmus.

Ad tertium respondetur, in Apocalypsi nec barbarismos, nec solœcismos esse, aut illos assignent, & si fortasse aliqui reperiantur, animaduertant hæretici, quam facile Scriptores, & Typographi vnum pro alio ponant characterem. Et dato quod ipsi ab ipso auctore ita scriptum esse asseuerent, non inde inferri potest, non esse eumdem huius libri & euangelij auctorem. Quoniam solœcismi & barbarismi, nihil mutant de vero auctoris sensu. Addo, quod Euangelistæ lepidum sermonem in suis operibus, prorsus abhorrent, vt nos nuper retulimus in explanatione huiusmet textus §.4. fol. 3. & 4.

Sol. 4. *Ioānes duo.*

Ad quartum dicitur verum esse, iuxta doctrinam D. Hieronymi in Catalogo script. Nicephori lib. 6. cap. 22. & 23. Et Eusebij lib. 7. hist. Eccles. cap. 23. duos fuisse in Asia minori Ioannes, vtrosq; presbyteros, theologos, & discipulos Domini: ceterum non tamen ambos euangelistas ac dilectos à Christo. Opus autem istud Apocalypsis intitulatur Ioannis Apostoli & Euangelistæ, qui fuit filius Zebedæi & frater Iacobi, quod nullatenus erat ille alius Iannes senior. Et sic facile dignoscitur, cuius Ioannis presbyteri ac discipuli Domini sit hoc opus Apocalypsis Ioannis.

3. concl. Apoc. auctor præcipuus, est Spiritus sanctus.

Tertia conclusio. Primus ac principalis auctor huius libri Apocalypsis fuit Spiritus sanctus. Hæc est de fide, nec illam negat Dionysius Alexandrinus in libris de repromissionibus, cum ibi, teste Eusebio lib. 7. hist. Eccles. cap. 23. sic scribat de Apocalypsi: [Sancti alicuius est, & sine vlla dubitatione, per Dei spiritum scripta, etiam si non sit ille Apostolus Ioannes filius Zebedæi, frater Iacobi, &c.] Probatur tamen nostra conclusio. Tum quia certum est, Ioannem Euangelistam, qui est auctor instrumentalis, & organicus huius operis, extitisse discipulum Domini eiusque Apostolū, cum de vocatione sua ad Apostolatum constet Matth. cap. 4. [Vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naue cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos: illi autem statim relictis retibus & patre sequuti sunt eum.] Et idem habetur Lucæ 4. Atqui de fide Catholica est Spiritum sanctum fuisse primum, & principalem auctorem eorum, quæ dixerunt Apostoli in scripturis suis sanctis, vt apparet 2. Petri 1. [Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt homines Dei:] & 2. Tim. 10. [Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum,] & Matth. 10. [Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] & Lucæ 12. [Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri.] & Ioa. 14. [Paraclitus, quem mittet vobis pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.] & tandem Ioan. 15. [Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.] Ergo de fide Catholica erit, Spiritum sanctum fuisse primum & principalem auctorem eorum, quæ dixit Ioannes Apostolus & Euangelista in hac sua Apocalypsi.

1. Ratio. Ioannis Apostoli vocatio. *Apostolorum scripta & dicta sunt de fide.*

2. Ratio. Tum probatur; quia in cap. 1 Apocalypsis sic habetur: [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] At Angelus iste, qui loquebatur Ioanni, est Spiritus sanctus, iuxta verba, quæ ipsemet protulit dicens: [Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.] Quæ plane verba alicui creaturæ minime competunt, sed soli Deo. Ergo, &c.

3. Ratio. Auctor totius est auctor partis. Simile. Tum tandem patet, quia idem est auctor partis, & totius; quoniam auctor est veluti anima, quæ informando totum, informat quamlibet partem, cum tota sit in toto, & tota in qualibet parte. Sed sic est, quod auctor primus & principalis totius sacræ Scripturæ, tam veteris, quam noui testamenti, est Spiritus sanctus, iuxta illud Concil. Trid. sess. 4. [Vtriusque testamenti Deus est auctor;] igitur ipsemet Spiritus sanctus erit auctor cuiuslibet partis sacræ Scripturæ, tam noui, quam veteris testamenti. Sed Apocalypsis est pars sacræ Scripturæ, & noui testamenti, vt constat ex omnibus Concilijs, & præcipue Trid. sess. 4. Ergo Spiritus sanctus erit primus, & principalis auctor libri Apocalypsis.

4. concl. Apoc. est palā prædicanda.

Quarta conclusio. Apocalypsis est mundo manifestanda, & palam facienda, ac prædicanda, ac etiam recipienda, & admittenda. Hæc est de fide & probatur. *1. Ratio.* Tum quia Concilium 4. Toletanum cap. 16. Concil. Carthaginien. 3. cap. 14. Concilium Florentinum, & Concilium Tridentinum sess. 4. nobis Apocalypsim credendam, tamquam sacram, & canonicam Scripturam proponunt. *2. Ratio.* Tum quia Ecclesia Christi post exordium eius reuelari oportuit, qualiter fuisset latius propaganda vsque ad finem sæculi, & istud apprime continetur in Apocalypsi. Ergo est palam mundo ostendenda, & manifestanda, vt huius Apocalypsis cognitione freti homines fideles, ac prædicatores veritatis, indubitanter aggrediantur pauci multos, inermes, armatos, humiles, superbos, infimi, nobiles, viui tamen spiritualiter, mortuos, serui fideles, reges superbos. *3. Ratio. Apoc. infinita futurorum, mysteria cōtinet.* Tum denique quia multa sunt in Apocalypsi reuelata, quæ explicant loca obscura Euangelij, vt est illud, de Iudicio finali, de Antichristo, de Aduentu Eliæ, de beatitudine, de animabus purgatorij, de resurrectione, & de Prælatis, & Pastoribus Ecclesiæ, quæ omnia: & alia quamplurima ad fidem nostram Catholicam, & ad sacrosanctum Euangelium Christi concernentia apprime, (vt nihil vltra desiderari possit,) in Apocalypsi narrantur, vt suis locis videbitur. Ergo, &c.

5. concl. Apocal. liber est recipiēdus integer.

Quinta conclusio. Si quis librum Apocalypsis integrum cum omnibus suis partibus, & capitibus, quæ numero 22. comprehenduntur, à prima syllaba vsque ad vltimam, tamquam sacrum, & canonicum non receperit; anathemate damnandus est. Hæc est etiam de fide, & probatur ex Conc. Trid. in cuius sess. 4. sic sancitum est: [Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur pro sacris, & canonicis non susceperit, anathema sit.] Sed sic est, quod à Concilio 3. Carthaginiense vsq; ad Concil. Trid. Apocalypsis proponitur nobis ab Ecclesia pro sacro, & canonico libro, vt planum fit ex superioribus. Ergo si quis ipsum librum integrum cum omnibus suis partibus, & capitibus tāquam sacrum & canonicum non receperit, anathemate puniendus proculdubio est, vt tenet conclusio nostra. Pro qua etiam faciunt verba Domini vlt. cap. huius operis apposita, tenoris sequentis: [Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de Ciuitate sancta.] *Apoc. 22.*

Sol. ad arg. contrariorū Sol. satis notabilis ad 1. & ad 2.

Ad primum, & secundum argumentum, vnica solutione respondetur dicendo, verum esse, editos fuisse canones illos Apostolorum (quamuis id negare possimus, cum in Scripturis sacris nullatenus legamus, post Concilium illud, de quo extat mentio Act. 15. in quo tres tantum canones editi fuere, nempe de suffocato, sanguine, ac fornicatione, Apostolos fuisse congregatos.) & in illis nullam mentionem fecisse Clementem Papam de Apocalypsi Ioannis. *Apoc. non est recēsita inter libros sacros apud canones Apostolicos, & quare.* Tum etiam verum esse in Laodicana Synodo nullam mentionem factam extitisse de eadem Apocalypsi Ioānis. Ceterum postea à Concilio 3. Carthaginiense, vsque ad Concilium Tridentinum, Apocalypsis Ioannis semper inter sacros & canonicos libros Ecclesiæ reponitur & collocatur. Et hoc sufficit, vt pro sacra, & canonica Apocalypsis nunc habeatur & recipiatur, vt facile ex 3. nostro fundamento probari etiam potest. Quod autem sancta

Apoc. libri vera historia.

mater Ecclesia temporibus antiquioribus Clementis 1. canonum Apostolorum, ac Synodi Laodicenæ Apocalypsim inter libros sacros & canonicos non collocauerit, postea vero temporibus recentioribus Concilij 3. Carthag. & aliorum Conciliorum id præstiterit; assigno causam, nimirum quia, quando Ioannes Apocalypsim suã in Pathmos insula scripsit, fuerunt plerique Tyranni, & præcipue Domitianus; qui omnes Ecclesiam Dei maxime persequebantur. Quamobrem tunc Christianis minime licebat suos publicare libros; quoniam tunc capitale erat Christum profiteri. Proinde facultas multiplicandi librum hunc recenter natum, pro tunc minime fuit, sed clam furtimq; à scribis transcribebatur, vt poterat secretius fieri. Accedit ad hæc, quod cum mundus adhuc nullatenus nouisset maximum illud beneficium artis Impressoriæ, ita copiosum, vt modo, ita multiplicari codices, vt ad plures Ecclesias peruenirent, nullatenus potuerunt. Idcirco temporibus Clementis primi, canonum Apostolorum, Synodi etiam Laodicenæ, nondum plane discussum fuerat de libro isto, vtrum nimirum, liber, qui circumferebatur à plerisque sub nomine Apocalypsis Ioannis, esset ne germanus & primogenitus veræ Apocalypsis Ioannis absque errore aliquo scribarum. Quoniam sub Diocletiano & Herculeo Maximiano facta fuit instantissime librorum Christianorum inquisitio, ita maxima, vt alia similis facta nullatenus fuerit in persequutionibus retroactis temporibus Traiani, Adriani, Antonini Pij, & aliorum, qui persequuti fuere Ecclesiam Dei ante Diocletianum, & Maximianum, & in hac persequutione Diocletiani, & Maximiani, potissime facta fuit inquisitio libri Apocalypsis propter prophetias ibi contentas de futuro statu Christianę religionis, & sic liber Apocalypsis & alia multa sanctorum commentaria, ac volumina propemodum interiere. Hæc autem persequutio Diocletiani, & Maximiani fuit ante Laodicęnam Synodum, cum hi Imperatores regnauerint anno 288. & Laodicęna Synodus congregata fuerit anno 350. Quapropter illa subsequente noluit de re non comprobata ad plenum præfata Synodus definire codicem, qui pro tunc circumferebatur à plerisque sub nomine Apocalypsis scriptus à scribis, germanum & genuinum esse vere Apocalypsis Ioannis Apostoli & Euangelistę. Verumtamen per commentaria Iustini Martyris, & Irenei, quæ super Apocalypsim ab ipsis facta fuere, recomprobata ac comperta, & ex ambiguo tracta, definiuit Catholica sancta mater Ecclesia in Concilio 3. Carthaginense, in quo interfuit D. Augustinus (aut eius commentaria in Apocalypsim visa fuere) & in omnibus alijs Synodis & Concilijs hunc ipsum librum Apocalypsis proprium ac germanum Ioãnis Apostoli & Euãgelistæ, & canonicum esse & inter diuinas Scripturas noui Testamenti de cetero esse recensendum.

(Margin notes: Apocal. libri perditio. — Ars Impressoria non erat tẽpore Apostolorum. — Nota bene. — Apoc. maxima inquisitio. — Apocal libri restauratio. — Conc. Carth. interfuit D. Augu.)

fol. 3. Apoc. non est apocryphus liber.

Ad tertium dicitur Apocalypsim non esse Apocryphum, sed sacrum & canonicum librum, Ioannemque Apostolum, & Euangelistam filium Zebedæi, fratrem Iacobi habere verum auctorem instrumentalem, vt aduersus Marcionem, Dionysium Alexandrinum, Allogianos, Lutherum & Erasmum in secunda conclusione nostra est satis exploratum, & ad illorum obiectiones apprime responsum; nec minus olim dubium fuit circa verum auctorem, sed circa codices, qui circumferebantur, an essent germani veræ Apocalypsis Ioannis, vt dicitur in 3. fundamento.

fol. 4. Euãgeliũ Io. primo loco ponitur ante Apoc. & quare?

Ad quartum respondetur euangelium Ioannis inter libros sacros & canonicos noui Testamenti, primo loco poni ab Ecclesia, quam eiusdem Ioannis Apocalypsim. Tum propter auctoritatem, quia euangelium auctoritate ceteras mirum in modum antecessit scripturas. Tum quia euangelium Ioannis primo receptum fuit ab Ecclesia, quam eiusdem Apocalypsis; quoniam de euangelio non fuerunt tot clades & persequutiones, vt nuper distulimus de Apocalypsi. Hinc autem non infertur Apocalypsim non esse canonicum librũ, quoniam si sancta mater Ecclesia primo declarauit euangelium Ioannis esse canonicum; ipsamet postea Apocalypsim eiusdem Ioannis canonicam esse statuit. Spiritus namq; sanctus non omnia simul reuelauit, sed paulatim & vt temporis opportunitas postulabat, vt in 3. fundamento retulimus.

fol. 5. Missus nõ est auctor annũtiationis.

Ad quintum dicitur, propositionem falsam esse, & nullatenus necessariam. Auctor enim istius reuelationis, non est missus; sed mittens, qui est Deus, qui misit Angelum suum ad Ioannem, vt suo loco dicetur. Quinimmo nullus missus auctor est annuntiationis, quam ex mandato mittentis annuntiat, vt patet in Gabriele Angelo, qui arcanum incarnationis verbi Dei ex mandato diuino annuntiauit.

fol. 6. Tẽpus præteritum accipitur ꝑ futuro.

Ad sextum respondetur, Christum in illis verbis Ioan. 15. [Omnia, quæ audiui à Patre, nota feci vobis;] accepisse præteritum tempus pro futuro propter certitudinem: idque frequens etiam est in prophetarum scripturis, vt patet in illo Isaiæ: [Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.] Vbi diuinus Vates præteritum pro futuro accipit, cum longo tempore post suum vaticinium illa vulneratio & attritio contigerit. Pari etiam modo hic Christus illa mysteria, quæ Apostolis suis per dies quadraginta, vt dicitur Act. 1. loquutus fuit, & illa etiam, quæ Spiritus sanctus suo aduentu eisdem discipulis erat aperturus, & suggesturus, & hanc etiam Apocalypsim, quæ à primo instanti conceptionis (tãquam legatus, vt inquit Caietanus,) audiuit à Patre dixit se nota fecisse Apostolis suis ipso viuente, accipiendo præteritum tempus pro futuro, propter certitudinem, vt perdocte scribit Ioannes Ferus super illa verba: (Adhuc habeo multa vobis dicere, &c.) Et ob hoc oportuit, post ad cælos ascensionem hanc Apocalypsim mundo palam facere.

(Margin notes: Caietan. in c. 15. Ioan. — Ioan. Ferus in c. 16. Ioan.)

Quæstio III.

Vtrum præter scripturas canonicas, & Apostolicas, aliæ scripturæ sint mundo manifestandæ, ostendendæ & palam faciendæ?

1. concl. Reuelata ab Spiritus sãcto sunt palam prædicanda.

PRIMA assertio. Quidquid Spiritus sanctus reuelauit, reuelat, & vsque ad finem sæculi reuelabit suæ sponsæ Ecclesiæ in Concilijs Patrum, est mundo manifestandum & à quouis recipiendum. Probatur. Tum quia istud profluit ab auctore veritatis & sacræ Scripturæ. Tum quia ipse nobiscum est vsque ad consummationem sæculi. Tum quia Christus rogauit pro Ecclesia vt non deficeret fides sua. Tum quia ea, quæ reuelat spiritus, profluunt ex euangelio, tamquam ex suo fonte: & ad declarationem difficultatum euangelij, vt patet de illa voce Nicęnæ Synodi contra Arium [Homousion] quæ ęquiualet huic alteri quæ reperitur in euangelio, [Ego & Pater vnum sumus.] Tum denique quia Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. sic statuit. [Præcipit igitur sancta Synodus Patriarchis, &c. ea omnia & singula quæ ab hac sancta Synodo definita, & statuta sunt palam recipiant, &c.

(Margin notes: 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. — Homousion quid significat. 5. Ratio.)

2. concl. Decreta summorũ Pontif. sunt palam prædicanda.

Secunda assertio. Decreta, vel decretales summorum Pontificum, sunt mundo palam ostendenda, & manifestanda. Probatur. Tum quia sunt doctrina Vicarij

carij Christi. Tum quia tota scientia iuris canonici est de ordine ministrorum, ac negotiorum Ecclesiasticorum, prout pertinent ad cultum Dei. Tum quia omnia, quæ tractantur in Theologia, tractantur in iure canonico, & quæ respuuntur a Theologia respuuntur etiam à iure canonico. Tum quia scientia iuris canonici videtur esse quædam practica Theologica. Tum quia in iure canonico multæ quæstiones determinantur per leges & iura ciuilia.

3. concl. Dicta sāctorū sunt manifestanda.

Tertia assertio. Dicta sanctorum Doctorum sunt mundo ostendenda & manifestanda. Probatur. Tum quia Doctores sancti sancto spiritu fuerunt spirati. Tum quia dicta sanctorum per Ecclesiam sunt examinata, & recepta, ac etiam approbata. Tum quia dicta sanctorum sacram Scripturam & illius obscuritates & difficilia loca declarant, & ad bonos mores ad beateq; viuendum fideles inuitant, ac alliciunt.

4. concl. Dicta doctorū Catholicorū sunt idiotis manifestanda.

Quarta assertio. Doctorum & dicta omnium virorum illustrium Ecclesiasticorum, tam Scholasticorum, quam expositiuorum oportet in dies rudi populo, ac etiam idiotis patefacere & manifestare. Probatur. Tum quia ista iuuant ad fidem corroborandam & ad virtutes augendas. Tum quia Ecclesia Dei nullam veritatem reprobat, nec minus aliqua n falsitatem admittit. Tum quia opus Magistri in quatuor libros sententiarum approbatur ab Ecclesia, vt patet [extra de fide Catholica.] Tum quia summa D. Thomæ à plerisque Pontificibus est approbata & recepta. Tum quia lectio sacræ Scripturæ in Ecclesia Dei, est necessaria, iuxta decretum Concilij Trident. sess. 5. vbi interpretationes sacræ Scripturæ in Ecclesijs Metropolitanis Cathedralibus, ac etiam collegiatis astruere præcipit, ac etiam prædicationes in dies fieri, vt patet sess. 5. cap. 2.

5. concl. Doctrina Catholica prorsus est abolenda.

Quinta & postrema assertio. Doctrina non sana, nec Catholica, nec minus ad bonos mores inuitans, qualis est falsa & hæretica, prorsus est abolenda à mūdo, & à fidelibus arcenda. Probatur. Tum ex illo Matth. 7. [Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos, &c.] Tum ex illo Ioan. 15. [In viam Gentium ne abieritis.] Ex illo etiam Ierem. 23. [Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiūt vos.] ac etiam ex illo Apostoli: [Neque cibum cum eo sumatis.] Tum quia hanc doctrinam anathematizat summus Pontifex, ad quem spectat determinare res fidei, & quid sit hæresis. Tum quia etiam eamdem anathematizat Conc. Trid. sess. 25. c. 2.

Quæstio IV.

Vtrum hæc mysteria Apocalypsis iuste permiserit Deus seruis suis Asianis abscondita fuisse vsque ad exilium & prædicationem Ioannis Euangelistæ?

1. argum.



PRO parte negante potest argumentari. Tum quia sicuti obiectum iustitiæ est aliquid æquale in rebus exterioribus; ita etiam obiectum iniustitiæ est aliquid inæquale, prout scilicet tribuitur alicui plus, vel minus, quam sibi competat, vt tenet S. Tho. 2. 2. quæst. 59. art. 2. At Asianis plus pœnæ tribuitur, mysteria hæc Apocalypsis & arcana fidei dilatando, & palam illis non faciendo, à prædicatione, & Resurrectione Christi, vsque ad exilium Ioannis Euangelistæ in insula Pathmos, quam illis competat; quoniā ignoranter peccarunt, & talis ignorantia diminuit peccatum. Ergo iniusta videtur talis permissio. Tum quia iniustum videtur iustum punire & affligere. Atqui inter Asianos fuerunt aliqui iusti, veluti Loth inter Sodomitas. Ergo cum ista permissio sit pœna, videtur iniusta, saltem quoad iustos.

2. argum.

1. concl. Apoc. fuit iuste abscondita vsq; ad exilium Ioānis. 1. Ratio.

Pro decisione tamen sit verissima conclusio. Iuste permisit Deus seruis suis Asianis abscondita fuisse hæc mysteria Apocalypsis, a prædicatione & resurrectione Christi, vsque ad exilium Ioannis Euangelistæ in insula Pathmos. Probatur. Tum ex illo ps. 53. [Iustus Dominus & rectum iudiciū tuum.] & ex illo psalm. 24. [Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.] & ex illo: [Deus iudex iustus] ac etiam ex illo ps. 10. [Omnes viæ Domini misericordia & veritas.] Ergo, &c.

Explicatur conclusio.

Explicatur tamen melius conclusio per hoc, nimirum, quod permissio, proprie loquendo, semper est malorum: verum ipsa est bona, iusta, & a Deo, & in hoc sensu conceditur a Theologis. Ceterum est multiplex. Alia siquidem est permissio generalis, qua scilicet generaliter & communiter Deus permittit ab hominibus mala fieri: malum siquidem est ab hominibus, & ab illis volitum, dicente Propheta: [Perditio tua ex te Israel,] & talis permissio generalis est ad omnes homines. Alia est permissio, qua Deus electos suos flagellari permittit, vt feruentius hoc flagello à peccatis resipiscant, ac resurgant, & erubescentiam peccatorum habentes, vehementius illa detestentur, & cautius ambulantes deuitent. Sic Paulum, Dauid, Augustinum, Magdalenam, Petrum, plerosque pios, ac iustos flagellari sæpe sæpius permisit, vt scilicet feruentiori impetu peccata detestarentur & virtutes amplecterentur. Solemus etenim somno sopitis, quos vocibus excitare nequimus, capillos euellere, malique aliquid eis inferre, vt sic citius, eleuentur, ac a somno consurgant. Alia est tandem permissio, qua Deus malos peccare permittit, qua permissione tantum ab est, vt emendentur, quin potius indurentur, vt est apertum de Pharaone, Rege Antiocho, & Iuda proditore, de quibus omnibus permissionibus ait S. Thom. 2. 2. q. 10. art 11. [Deus autem, quamuis sit omnipotens, & summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere posset, ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur.] Ceterum quæuis permissio, (vt nuper retulimus) est iusta & bona moraliter. Quoniam si esset mala, non conueniret Deo, nec vlla intentione posset bene fieri, vt tenet Caietanus 2. 2. quæst. 10. art. 11. Est itaque permissio bona moraliter, vtpote rationi consona. Causa autem rationabilis ponitur ex parte boni, nimirum, ne bonum impediatur iuxta Domini sententiam: [Sinite, ne forte simul eradiceris & triticum:] & ex parte mali, ne fiat, iuxta sententiam D. Augustini lib. 2 de ord. cap. 4. tom. 1. [Aufer meretrices de rebus humanis, & turbaueris omnia libidinibus.] Modo autem ad rem dicimus, Deum iuste a prædicatione & resurrectione Christi, vsque ad exilium Ioannis in insula Pathmos, Asianis, & quibusuis alijs seruis suis, siue bonis, siue malis, hæc mysteria Apocalypsis, in quibus infinita fidei nostræ degunt arcana, minime reuelasse, & æqua & laudabiliter minime palam fecisse. Tum propter eorum scelera. Tum quia sic ipse voluit, cum omnia, quæcumque vult faciat. Et quod huic reuelet, alteri vero non, & quod huic mysteria gratiæ, alteri minime ostendat, & quod huic hodie, alteri vero cras hæc, & hæc permittat, vel non permittat; originem habet ex eo, quod libere agit. Ideo Apostolus exclamat, dicens: [O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.] Quamobrem, quemadmodum ab Adæ peccato vsque ad plenitudine temporis,

Mali aliquando resurgunt ad maiorem gratiam.

Simile.

S. Thom.

Nota bene.

Caietan.

D. Aug.

Apoc. quare nō fuit manifestata vsque ad exilium Ioannis.

poris, in qua misit filium suum, mysteria gratiæ & fidei toti mundo iuste minime palam fecit, donec per filium suum id præstaret, permittens, homines, tanti temporis intercapedine tenebris succumbere, sic etiã iuste Asianis à prædicatione & resurrectione eiusdem Filij sui Domini nostri Iesu Christi, vsque ad exilium Ioannis, in Pathmos insula, mysteria hæc Apocalypsis occultari permisit.

Sol. ad arg. fol. Ignorãtia qua ratione diminuit peccatũ.

Ad primum respondetur, ignorantiam tantum diminuere peccatum, in quãtum diminuit voluntarium. Quoniam si ignorantia voluntarium nõ diminuat, nullo modo diminuet peccatum. Nec insuper Asianis, circa præfatam permissionem tribuitur plus pœnæ, quam illis competat. Quoniam cuilibet peccato mortali non solum correspondet pœna æterna, verum etiam temporalis. Et ob id in quantum, peccatum lethale causat reatum pœnæ æternæ, numquam peccatoribus pro mortalibus plus pœnæ, quam illis cõpetat, tribuitur, immo semper est minor, quia annihilandi erant pro lethali peccato. Quamobrem talis permissio bona & iusta semper extitit, cum in illa, licet procedat ex diuina iustitia, semper fuerit misericordia, quia: [Omnes viæ Domini, misericordia & veritas.

Sol. 2. Iusti puniuntur aliquãdo cum malis.

Ad secundum dicitur quod in hoc, quod iusti puniuntur in hoc mundo simul cum malis, apparet iustitia, & misericordia Dei, in quantum per huiuscemodi afflictiones, flagella, & tribulationes, aliqua leuia ab eis purgantur, & ab affectu terrenorum in Deum magis eriguntur, secundum illud D. Gregorij: [Mala, quæ in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire compellunt.] Idcirco nullatenus mirum est, si iusti Asiani per talem diuinam permissionem affligantur simul cum malis.

D. Greg.

PARAPHRASIS
Octaua.

Par. 8. Enucleatio textus. §. 1. Laudunensis. Serui Iesu Xpi qui sint.

Seruis suis. (ait.) Qui sint porro isti serui Iesu Christi, hic etiam minutim explicandum duxi, affirmando cum Anselmo Laudunensi in sua interlineari glossa, hos seruos Iesu Christi non esse Iudæos, nec minus huius mundi philosophos, quin immo humiles ac fideles Christianos, iuxta illud Pauli 1. Cor. 1. [Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, vt ea quæ non sint, & ea quę sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.] Hoc autem non inde originem habet, quod Christus redemptor noster non plures in lege doctos discipulos habuerit, minime gentium. Quoniam habuit Nicodemum, magistrum in Israel, Nathanaelem, Paulum, alioique plerosque, sed hinc plane ortũ habet quod hi viri docti ac periti qui ex Hebraismo, aut ex gentilitate ad legé euangelicam peruenerunt, mysteria gratiæ nullatenus agnouerunt, donec animum præterita opinione & præsumptione Hebræorum, ac gentium omnino spoliarunt. Et sic acquisita scientia, nihil errorum Hebræorum gentiumue, in eis germinare quiuit. Quamobrem maiores nostri geminam merito statuere Theologiã, speculatiuam nimirum, quæ in gymnasijs perlegitur, & mysticam seu effectiuam, cuius Doctor est Diuinus spiritus. In speculatiua intellectus illuminat voluntatem, vt Dei amore capiatur. In mystica vero, Deo illuminante, voluntas intellectum erudit, qui tamquam exterius splendidior manet præ voluntatis gustu, diuina probitate gaudẽtis, quod sane Dauid mirifice indicauit, dicens: [Gustate & videte, quam suauis est

Docti permulti exhebraismo, crediderunt Xpo.

Theologia duplex.

Dominus.] Prius siquidem consulit, vt gustemus, & postea, vt videamus, quoniam ex gustu voluntatis maiorem ac lucidiorem diuinæ bonitatis cognitionem assequimur. Hinc illud, quod in prouerbijs dicitur: [Mens iusti meditabitur obedientiam,] alia translatio vertit: [Meditabitur sapientiam:] quasi significans obedientiam esse verum, ac certissimum iter ad sapientiã. Et D. Basilius affirmat illa verba Christi Matt. 5. [Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,] intelligenda esse de ea visione, quæ in hoc mundo debetur animo simplici, humili, & Deo seruienti. Hoc sane indicauit sapiens dicens: [In maleuolam animam non introibit sapientia Domini.] & iterum: [Fili, concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi.] Hinc est proculdubio, quod Patres sancti, ac Ecclesiæ Dei columnæ plus pietate, oratione, ardenteq; in Deum fide diuinorum arcanorum sunt assequuti, quam vllo ingenij acumine, aut exercitationis magnitudine. Quia: [Spiritualis (teste Apostolo 1. Cor. 2.) iudicat omnia.] Sunt itaque serui Christi humiles Christiani, qui in animi simplicitate, ac mentis deuotione mandatis suis obtemperant. Seruus namq; dicitur ille, qui non est sui iuris, sed qui potius est subditus alienæ voluntati, & mandatis alterius obtemperare tenetur. Quoniam seruus dicitur a seruiendo vel etiam à seruando. Illi namque qui in bello capiuntur, cum occidi possint, a morte seruantur, & ideo serui victorum efficiuntur, & potestati, ac mandatis ipsorum subijciuntur. Pari etiam modo cum Christus nos à morte æterna præseruauerit, & in bello crucis acquisierit, ei obedire, voluntatemq; nostrã, voluntati ipsius totaliter supponere tenemur, iuxta illud Iosue 23. [Timete Dominum & seruite ei corde perfecto.] vt sic nobis illud Apoc. 22. adueniat: [Serui eius seruient ei, & videbunt faciem eius.] Quamobrem cum de illo dicat Apostolus ad Phylipp. 2. [Semetipsũ exinaniuit, formam serui accipiens:] quod plane verbum eximię humilitatis est, sic quilibet Christianus illi humiliter dicat cum Psalmographo: [Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.] His itaque humilibus Christianis, tamquam peculiari gregi suo, ac signatis seruis suis, Deus sua propediem docet ac reuelat mysteria. [Super senes intellexi (ait Regius vates ps. 118.) quia mandata tua quæsiui:] perinde ac dicat. Etsi rusticus & ignarus pastor, tamen supra omnes antiquos legis doctores, mysteria cognoui, quia mandata tua adimplenda super omnia curaui. Quod & Dominus ipse testatur, dicens Matth. 11. [Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.] Neq; hæc nostra explanatio expositiones D. Thomæ, Lyrani, ac Ruperti Abbatis abhorret, quoniam hæc verba, [seruis suis] S. Thomas sic vertit: [Seruis non peccati, non diaboli, sed seruis suis, non philosophis, non Iudæis animis incredulis, Matth. cap. 8. Nolite sanctum dare canibus.] & Lyranus sic: [Seruis suis, id est, deuotis, fidelibus, & studiosis.] Et idem Rupertus ita exoluit dicens: [Seruis suis, illis vtiq; quos pro ipsa manifestatione iam amicos dicit, ita loquens sub ipsa apertione libri signati, id est, sub articulo suę passionis, qua scripturas implendo intelligibiles fecit: [Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos quia omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis.] sic Rupertus. Has itaq; expositiones nullatenus abhorret nostra, quoniam fideles, ac humiles Christiani, tum non serui peccati, nec minus diaboli, tum deuoti, fideles, ac studiosi, tum denique amici Christi merito appellantur. Hi vtique sunt serui illi, de quibus dicitur Matth. 25. [Homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.] & Marci 13. [Sicut homo, qui peregre profectus, reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiuscumque operis.] & Lucæ 19. [Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: [Negotiamini, dum venio.] & Lucæ 12. [Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.] Seruus namque debet esse & vigilans, & dili-

Prou. 15. Obedientia & verũ iter ad Sapientiam. D. Basilius.

Sap. 1.

Serui Iesu Xpi sunt humiles Christiani. Seruus quid sit.

Comparatio.

Psa. 115. Christianis in dies Deus reuelat sua arcana.

Auctor conciliat antiquos Doctores. S. Tho. in c. 1. Apoc.

Lyran. in c. 1. Apoc. Rup. Abb. in c. 1 Apoc.

Ioan. 15.

Seruus oportet sit vigilans

diligens, hoc attentus, expositus, ac paratus ad seruiendum, & obtemperandum magistro suo: serui etenim officium est seruire, quia alias seruus proprie non diceretur, si seruire non dignaretur: quamobrem humiles Christiani, oportet sint seduli in seruiendo, & in labore pœnitentiæ sustinendo, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 9. [Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.]

§. 2. Seruitus Christiana est libertas euangelica.

Sumus autem omnes nos Christicolæ humiles Iesu Christi, tum creatione, tum redemptione serui. Creatione quidem, quoniam scriptum est Genes. cap. 1. [In principio (id est in verbo) creauit Deus cælum & terram.] & paulo post: [Fecit Deus hominem.] Redemptione etiam, quia de Christo ad litteram expeditur illud Apoc. 4. [Redemisti nos Deus in sanguine tuo.] Quamobrem serui Christi creatione, & redemptione omnes nos Christiani appellamur, cui seruire regnare est, cuius etiam seruitus vera libertas appellatur, dicente Apost. 1. Cor. 7. [Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini.] Per Christũ enim libertas euangelica datur, iuxta illud Iacobi 8. [Si ergo vos filius liberauit, vere liberi eritis.] De primis Italiæ cultoribus Aboriginibus scribunt Iustinus, & Solinus, per Regem Saturnum libertatem obtinuisse, sub quo seruitus nulla vmquam fuit. Verba autem Iustini loquentis de vrbe, quæ caput totius Italię & orbis est, & de Romani Imperij initio tractantis, lib. 43. talia sunt. [Italiæ cultores primi Aborigines fuere, quorum Rex Saturnus tantę Iustitiæ fuisse traditur, vt neque seruierit sub illo quisquam, neq; quidquam priuatæ rei habuerit, sed omnia communia, & indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum estvt Saturnalibus, exæquato omnium iure, passim in conuiuijs serui cum dominis recumberent.] Hucusque Iustinus. Quocirca & ærarium Romæ volebant esse in templo Saturni, & Saturno regnante, ætatem auream fuisse, terramq; sua sponte expertem vomeris, & aratri peperisse fruges communes, & nullis designatas limitibus agrorum possessiones fuisse aliqui affirmant scriptores. Qui vero fuerint homines illi primi Italiæ cultores vocati Aborigines declarat Solinus in principio sui libri sub his verbis: [Aborigines, qui sic appellati fuerunt, quod errantes conuenerunt in agro, qui nunc est populi Romani, quorũ Rex primus fuit Saturnus.] sic ille. Et licet sint alij plerique scriptores, putantes hos Aborigines sic dici Græco nomine, quod montes incoluerunt, tamen per hos primo Italiæ cultores Aborigines, Apostolos primos Ecclesiæ Dei cultores intelligo, per Regem vero Saturnum, Christum redemptorem nostrum, (qui Regum, & Dominus dominantium est) verto. Per quem Apostoli primi Ecclesiæ Dei cultores in nouo Testamento, veram libertatem, (& nos cum illis) obtinuere: quo regnante in domo Iacob, iuxta illud Luc. 1. [Et regnabit in domo Iacob in ęternum, & regni eius non erit finis.] nos liberi illius serui in conuiuio illo gloriæ cum ipso Domino recumbemus. Et etiam ærarium cæli in suo templo, nimirum in Ecclesia est, cum Ecclesia Regnum cælorum multoties in euangelio dicatur. Et tandem ætas aurea terraq; (vtpote Ecclesia) sua sponte expers vomeris & aratri, fruges communes, videlicet, sacramenta, parit. Nulla igitur seruitus corporalis, dæmonisue aut peccati, sub Rege Christo est, cum illius seruitus sit vera à peccato & dæmone libertas. Numquam sane ita cupidus in liberandis Græcis fuit Titus Quintus Flaminius ille Romanorum Imperator Consul, qui vt refert Plutarchus in sua vita tom. 1. vita 28. cum Romani (quorum ipse tunc erat Imperator & Consul) Græcos in seruitutem & captiuitatem redegissent, illeq; Græcos libertati tradere solicitus esset, summam gloriam ex Græcorum libertate reportare desiderans, voce præconis, Græcorum libertatem acclamare fecit. Idcirco, iusso per tubæ sonum silentio, processit in medium

Iustinus historicus lib. 43. Italiæ primi cultores. Saturnus Rex Italiæ.

Solinus. Aborigines qui fuerunt.

Cultores primi Ecclesiæ.

Comparatio.

Aetas aurea. Fertilitas Ecclesiæ.

Libertas Græcorum. Titus V. Flaminius. Plutarch. de vitis Græcorũ Romanorũq. illustriũ to. 1. vita 28.

A præco ita proclamans: [Senatus Populusq; Romanus, ac Titus Quintus Imperator & Consul, Rege Philippo, & Macedonibus debellatis, sine custodijs liberos, immunes, suo iure viuentes fore permittunt, Corinthios, Lochros, Phocenses, Euboicos, Achæos, Phthiotas, Magnesios, Thessalos, Perrhæbos.] Cum vero præconis vox principio non ad omnes peruenisset aperte, ingens ortus fuit in Theatro fremitus mirantium inter se hominum, dictaq; sciscitantium, & pronuntiari rursus orantium, quocirca sedato iam tumultu, pręco ea clara iterum pronuntiauit voce, vt ad vniuersos eius præconij clamor facile peruenerit. Ob cuius rei claritatem immensus quidam & incredibilis strepitus ad mare vsq; dilatatus fuit. Tunc Titus Imperator totus lætus, ac hilaris Gręcorum illam libertatem, argenteis clypeis, suaq; parmæ, quam Delphis affixit, ita iussit inscribi.

Græci liberati à seruitute Romanorum.

B

Clara Iouis soboles, studium quam mulcet equorum,
Sparthani Reges, Tyndareumque genus.
Hoc Titus Aeneades summo vos munere donat,
Quo Duce, libertas moenia Græca tenet.

Appollini quoque auream imponens coronam, in hunc modum scripsit.

C

Hæc tibi Latona, stirps ò præclara, corona
Aurea Cæsariem contegat ambrosiam:
Quam Titus Aeneadum Dux ingens attulit ipsi,
Da pharetra te viro fortia gesta cani.

Populus autem Titum Imperatorem Græca libertate ita gloriantem videns, cuncti assurgentes, Titique dexteram amplexantes, ipsum Gręcię saluatorem, ac defensorem salutabant. Quod si Imperator iste, circa libertatem vnius populi Græcorum, ita solicitudine agebatur, quid, quæso, dicendum erit de Imperatore D nostro Iesu Christo, circa libertatem totius humani generis? vix plane, aut ne vix quidem illius curam, desiderium, diligentiamque circa humani populi libertatem verbis, explanare possumus: hoc plane indicat illud: [Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.] Hanc itaq; populi Christiani libertatem denotant verba textus, dum Aquila euangelij Ioannes nos seruos Iesu Christi nominat, cuius serui, liberi proculdubio sunt. Nam cum dæmonis & peccati serui essemus, Iesus Christus nos liberauit seruos suos, liberos in perpetuum nos redigens.

Saluator, & defensor Gręcię Titus.

Libertas à peccato per Xpm.

Conceptus Prædicabiles in textum.

E


VATVOR genera seruitutis adinuenio in sacro eloquio. Quarum prima est seruitus peccati, quâ homo seruit diabolo & peccato, de qua intelligitur illud Iud. 2. [Fecerunt filij Israel malum in conspectu Domini, & serui erunt Baalim & Astaroth.] In hac plane seruitute vili fuit seruiens filius ille prodigus,

Conceptus 1. Quod quatuor genera seruitutis reperiuntur. Seruitus vilis peccati.

Filius prodigus fuit seruꝰ peccati.

gus, de quo Lucæ 15. dicitur: [Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de filiquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.] Quid quæso sunt porci, nisi peccata, ac diaboli, qui in campo, nimirum in anima huius vilis serui peccatoris pro tunc pascebantur? detestabilis seruitus. iste est plane seruus ille, de quo in eodem cap. 15. Lucæ, dixit Pater misericors filio maiori: [Frater tuus hic mortuus erat.] iste est seruus, de quo Lucæ 10. dicitur: [Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt, semiuiuo relicto.] Quoniam vilis seruitus peccati hæc omnia in nobis operatur mala. Primo siquidem mentis fœditatem inducit, quia sicuti luto piceue vestes, ac corpora fœdantur, sic anima & mens peccato maculatur. Secundo ad culpæ pronitatem inuitat. Quoniam, vt ait Dauid: [Abyssus abyssum inuocat.] Tertio mentis cæcitatem importat. Quamobrem de peccatoribus potest intelligi illud: [Cæci sunt, & duces cæcorum.] Quoniam diabolus oculos dextros eruit peccatoribus, vt fecit Rex Naas Israelitis; sic enim dicitur 1. Reg. 11. [In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.] Quarto seruitus peccati cor hominibus aufert, iuxta illud Oseæ 4. [Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.] Super quæ verba optime sic scribit quidam egregius Doctor Neotericus: [Quemadmodum arborem videntes aridam fructu, folijsque destitutam, oculos statim conijcimus in radicem, dicimusque causam esse ariditatis in ea, puta vermem corrodentem illam, aut aliquod aliud noxium, ita cum homo præceps fertur, vt non cognoscat Deum, vel peccati amplectatur voluptatem, recurrat ad fontem cæcitatis tantæ, & proculdubio peccatum esse inueniet; hic verum conscientiæ abstulit cor, ne agnosceret peccati fœditatem.] sic ille. Quinto, ista vilis seruitus corruptionem boni naturæ importat, vt recte docet S. Tho. 1.2. q. 85. ar. 2. Et tandem quattuor vulnera infligit animæ, vt auctor est Beda super citata verba Lucæ 10. [Homo quidam descendebat ab Hierusalem, &c.] & illa tangit S. Thom. 1.2. q. 85. ar. 3. Secunda vero seruitus dicitur damnationis, & est illa, qua reprobi sunt in inferno subiecti, & ipsi tormentibus & dæmonibus subiugati, de qua miserabili seruitute intelligitur illud Ieremiæ 5. [Seruietis ibi (nimirum, in Babylone, hoc est, in inferno) dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte.] Vah miserabilis seruitus damnatorum. Et nota, quod ex prima seruitute, nimirum ex seruitute peccati, deuenitur tandem ad hanc miserabilem seruitutem damnatorum. Ideo de diuite Epulone dicitur Lucæ 15. [Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.] quasi dicat: Qui viuens seruiebat epulis, nimirum peccatis, mortuus, factus est seruus damnatorum, nimirum dæmonum, & iste talis seruus illic quam quæso requiem obtinere poterit? dicat istud Iob, qui in cap. 24. de Inferno sic scribit: [Ad calorem nimium transibunt, ab aquis niuium.] & c. 10 [Vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.] Nicolaus de Nissa in lib. 3. nouissimorum cons. 8. de pœnis reproborum, dicit, quod quidam nomine Vdo quasi quotidie inebriebatur, & voluptuose viuebat, vtens cibis, & potibus delicatis, attamen quandoque aliqua bona opera fecit, propter quæ Deus ad eum misit Angelum, qui eum semel & bis monuit de emendatione vitæ, quia nisi se corrigeret, nullo modo saluari posset, & tertio monuit eum Angelus dicens: Si te non emendaueris, in breui mala morte morieris, & sic disparuit. Ipse tamen Vdo non se emendauit. Vna igitur die, cum ebrius dormiens esset, mortuus est. Et quidam eius famulus, qui bonus erat, vidit animã eius à dæmonibus trahi, & in infernum deduci. Et Princeps dæmonum surgens obuiam illi iuit, & collocari eum fecit super sedem ignitam, & iussit ei dari potum sulphure & igne mixtum, in quo ille miser balneatus est. Et dixit ei

[Margin notes: Seruitutis pec cati damna. — Simile. — Hieron. Gua dalupensis in c. 4. Oseæ ad morũ cõpositionẽ. fo. 491. — S. Thom. — Beda. — S. Thom. — Seruitus damnationis. — Damnati non habẽt requiẽ — Mag. Nicolaus de Nissa. — Inferni pœnæ & dolores.]

F princeps: Hoc balneum tuum erit; quia balneando & deliciose viuendo sæpius creatorem tuum offendisti. Tertio fecit sibi parari lectum, & tunc fuit proiectus in profundam foueam plenam igne, fumo, & fœtore, & tunc dixit ei: Numquid legisti & audisti, quod Dominus per Prophetam Amos dicit: Væ qui dormitis in lectis eburneis & lasciuitis in stratis vestris, hæc ergo erit requies tua in sæculum sæculi. Miserabilis plane seruitus. Tertia porro seruitus est perfectionis, & ista est, qua in hoc mundo boni seruiunt diligenter Deo, de qua seruitute accipitur illud Lucæ 1. [Seruiamus Domino in sãctitate & iustitia coram ipso.] Quãobrem qui in hac perfecta seruitute se subscribere voluerit, oportet se ad virtutes omnes amplectendas disponere. Ad magnum namque Dominum pertinet, quod habeat seruos dispositos, ornatos in vestibus & moribus, ac proinde de Rege Salomone 3. Reg. 10. legimus, quod ministri eius erant ita bene dispositi &

G ordinati, vt Regina Sabba super hoc admiratione haud exigua repleta, diceret sic: [Beati viri tui, beati serui tui hi, qui stant coram te semper & audiunt sapientiã tuam.] Sic Deus qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, vult, quod serui sui sint in moribus bene dispositi, & gratijs & virtutibus ornati, itaut de illis dici queat illud Apoc. 7. [Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione & lauerunt stolas suas in sanguine agni, & dealbauerunt eas, ideo sunt ante Thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte.] Quamobrem oportet, vt hi serui Dei in terris sint ad disciplinas, ieiunia, orationes, &c. parati nocte ac die, ad illasque accedant læti per spiritualem iucunditatem, iuxta illud: [Seruus autem tuus lætabitur.] Hilaris namque Dominus numquam diligit seruum tristem, & ideo oportet, vt viri iusti ad disciplinas, ieiunia, oratio-

H nes, &c. læti ac hilares accedant, vt sic & Dominus dicat illud Esa. 65. [Serui mei laudabunt cum exultatione.] & serui etiam Domino dicamus illud Gen. 47. [Salus nostra in manu tua est, respiciat tamen nos Dominus noster, & læti seruiemus Regi.] Oportet insuper, vt hi serui Dei semper incedant mundi, ac loti spiritualiter. Mundus namque Dominus immundum seruum vehementer perhorrescit. Tota aberras via, carnalis homo, si existimas disciplina, ieiunijs, oratione, ac eleemosina Deo, ac Domino tuo placere, cum nihilominus animam iacentem, ac fœtidam in peccatis habeas, & erubescas illã Deo & confessario tuo reuelare. [Nemo potest (dicitur Lucæ 13.) duobus Dominis seruire, Deo, & Mammonę.] Audi Dauid post perpetratum peccatum cum Barsabe, quæ fuit Vriæ, qualiter exclamat: [Tibi soli peccaui, & malum coram te feci,] quasi dicat: Immundus sum Domine,

I & nullatenus possũ tibi Domino meo mundissimo seruire, ideo: [Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.] quia tu Dominus meus mundus es, & seruum immundum vehementer abhorres. Porro debent hi serui Dei semper accincti esse per abstinentiam. Cum enim homo cingitur, venter eius stringitur, sic veri serui Dei, habeant zonam, oportet, nimirum abstinentiam & illa ventrem suum per parcitatẽ stringant & arctent. Et in hoc sensu potest intelligi illud Eccles. 33. [Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo.] Debent præterea serui Dei se succingere, seruitores etenim solent vestes suas succingere, vt ad obsequia possint liberius currere & circuire, sic veri serui Dei debent esse parati ad obediendum, & ad obsequia discurrendum, iuxta illud Eccles. 4. [Qui seruiunt ei, obsequentes erunt sancto: & eos, qui diligunt illam, diligit Deus.]

K Tandem oportet, vt sint hi serui Dei humiles, verecũdi, ac timidi. Ad seruum namque pertinet, quod sit humilis, verecundus, reuerens, & timidus, iuxta illud Dan. 13. [Erubuerunt serui vehementer.] seruo autem Dei dicitur illud Deuter. 6. [Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies.] & illud etiam Lucæ cap. 12. [Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus eius, inuenerit vigilantem.] tibi igitur seruo Christi & Dei, dico illud Apoc. 3. [Collyrio inunge oculos

[Margin notes: Seruitus perfectionis. — Serui perfecti proprietates. — Seruus debet esse hilaris. — Ps. 108. — Serui oportet sint mundi. — Serui debent esse abstinẽtes. — Serui Dei parati ad obediendum. — Serui Dei humiles.]

inunge oculos tuos, vt videas.] Dic igitur Domino Iesu Christo cum Psalmista: [Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum, vt discam mandata tua.] Quarta tandem seruitus est gaudij, & est illa, in qua Dominus noster Iesus Christus seruis suis ministrat, iuxta illud Lucę cap. 12. [Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.] quibus verbis æternum conuiuium, in quo discumbunt electi, indicatur. Quamobrem Cardinalis Caietanus super illa verba: [Quod pręcinget se, &c.] sic scribit: [Rationem beatitudinis assignat, quia Dominus eorum pręcinget se, pręparando seipsum ad ministrandum illis, & faciet illos discũbere tamquam Dominos.] & super illa alia verba: [Et transiens ministrabit illis;] sic etiam habet: [Quãtum ad parabolam spectat, ministrare transeundo dicitur ad differentiam fixorum ad ministrandum. Describitur enim Dominus, tamquam superintendens ministerio, quod fit transeundo de mensa ad mensam, ne aliquid alicui desit. Quantum vero ad sensum intentum, significatur æternum conuiuium, in quo discumbent electi, ad quod ipse Iesus se præcinxit immortalitatis corporalis gloria, & superintendens ministrat omnibus beatitudinem.] sic ille. Ceterum animaduertas opus est, quod quemadmodum ex illa vili seruitute peccati, quę est à nobis primo loco proposita, deuenitur ad seruitutem damnatorum, quam secundo proposuimus loco: sic ex virtute perfectorum seruorum Dei, quam tertio loco narrauimus, deuenitur proculdubio ad hoc ęternum conuiuium, siue seruitutem gaudij, quam quarto attigimus loco, iuxta illud: [Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.] Ideo attendite, & videte, quid agendum sit.

Seruitus gaudij.

Beati subditi sunt Deo.

Caiet. in c. 12 Lucæ.

Nota bene.

OMNES quippe homines in hac ingenti huius mundi domo, serui Dei appellantur, verumenimuero Christiani speciali prærogatiua serui Christi merito nuncupantur. Ad quod optime intelligendum, animaduertas, oportet, seruitutem esse multiplicem. Alia siquidem est seruitus naturalis, quæ iuxta Philosophum lib. 1. politicorum, est, qua ille, qui non est naturaliter potens seipsum regere, propter defectum prudentię subditur alteri, vt ipsum regat, & imperet ei. Alia vero est seruitus de iure Gentium, quæ introducitur per bella, in quibus hostes qui capiuntur, efficiuntur serui, vt patet Instit. de Iur. person. §. seruitus. Vbi dicitur: Seruitus est constitutio iuris Gentium, in qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. Istæ duæ seruitutes non sunt ad omnes, & ob id sunt duæ seruitutes generales & ad omnes; quarum prima dicitur seruitus Dei. Et hæc est generalis ad omnes; quoniã omnes creaturæ rationales seruire Deo creatori nostro tenemur, eo quod licet creatura rationalis sit libera, tamen Deus illam creauit, & ordinauit ad beatitudinem, ad quam etiam hominem ordinauit ipsa natura. Et quia beatitudo est ipsemet Deus, qui creauit omnia; hinc est, quod omnia sint propter Deum, iuxta illud Pro. 16. [Omnia propter seipsum operatus est Dominus:] & etiam hominem ipsum. Quapropter homo vere est seruus Dei, & illi seruire tenetur, & sic omnis homo est seruus Dei, cuiuscumque status sit & professionis, sectæ, vel religionis; quoniam Domini est terra, & plenitudo eius, & ipse fecit nos & possedit nos; & per consequens nemo potest sic excipi, quin sit seruus Dei. Alia tandem est seruitus Christiana, qua omnes Christicolæ, serui Christi appellantur. Et hęc est etiam ad omnes; quoniam homo per peccatum perijt, non solum ita vt illam beatitudinem habere nullatenus posset, verumetiã morti æternæ obligatus esset, à qua per Christum liberatus est: ideo homo fa-

Conceptus 2. Quod Xpani speciali prærogatiua serui Xpi dicuntur.

Seruitus naturalis.

Seruitus violenta.

Seruitus Dei.

Creatura rationalis ordinata ad gloriam?

Serui Dei sũt omnes hõines p creationẽ.

Seruitus Christiana.

F ctus est seruus Christi speciali prærogatiua. Quandoquidem eius seruus factus est non solum in quantũ Deus, verumetiam in quantum homo est. Quia sicuti ille, qui emitur ab alio, proprie seruus eius est, ita cũ Christus nos emerit per sanguinem suum, omnes serui eius effecti sumus. Ideo Act. 20. dicitur: [Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Hos plane seruos Christi figurabat seruus ille Hebræus, de quo Exod. 21. dicitur: [Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo autem egredietur liber gratis, cum quali veste intrauerit, cum tali exeat, si habens vxorem, & vxor egrediatur simul.] Et paulo post: [Sin autem Dominus dederit illi vxorẽ, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt: Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo:] & subiungitur inferius: [Quod si

Seruitus Christianę optima figura.

Seruus Hebræus ad tempus.

G dixerit seruus, Diligo dominum meum, & vxorem, & liberos, nõ egrediar liber, auferet eum Dominus Dijs, & applicabitur ad hostium, & postes & erit seruus in sæculum.] Seruus itaque iste Hebræus fidelem Christianum proculdubio repræsentat, cuius aures in signũ suæ libertatis, fide, in baptismo perforantur, quo fideli foramine aurium Dei arcana, & abscondita mysteria gratiæ, cor suum penetrant. Et ita seruus Christi & Dei, non solum vsque ad annum Iubilei (vt ibi exponit glossa) verumetiam in sæculis sempiternis fit, illi, amore, ac libertate, necnon spontanea voluntate subijciendo & seruiendo. Optima quidem subula est fides, ad aures Christianorum perforandas, cum de illa dicat Apostolus ad Rom. 10. [Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.] Sunt itaque Christiani speciali prærogatiua serui Christi, quos ipse emit non auro, neque argento, sed pretioso sanguine

Seruus Hebræus in sæculum.

Christianus aures fide perforatas obtinet.

H suo, delens per mortem & passionem suam Chirographum nostræ damnationis, & captiuitatis, quod apud satanam requiescebat, illudque in frustra secans nos à fauce tartari eruit & liberauit. Et nihilominus homines (proh dolor) tanto Domino inseruire nolunt, quem de iure die, ac nocte, ieiunijs, disciplinis, orationibus, eleemosinisque inseruire tenemur: vos autem, ò insensati, vitijs quamplurimis, deditis, missum, ac oblitũ omnino facitis. Vultis ò scelerati peccatores errorem vestrum intueri aperte? estote quæso attentissimi. Sit vnus homo in medio alicuius plateæ, & diabolus, caro, & mundus sint in circuitu hominis istius, & etiam Christus, & omnes sigillatim clament ad hunc hominem, illum ad se vocantes, præmiumq; suæ vocationis illi ostendentes; dicatque illi caro: [Serui mihi & ego te inficiam.] dicat illi præterea mundus: [Serui mihi, & ego tibi deficiam.] dicat in-

Comparatio.

Caro, mundus & diabolus inuitant homines ad malũ. Promissiones diaboli, mũdi, & carnis.

I super diabolus: [Serui mihi, & ego te decipiam.] dicat illi tandem Christus: [Serui mihi, & ego te reficiam.] iuxta illud: [Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos;] Videbitis profecto aliquando (licet non semper) hominem cæcum, excæcatum, cordeq; durum, relicta voce, ac vocatione dulcissimi Creatoris, ac Redemptoris sui, inseruire mundo, diabolo, & carni. O demens & cæcus peccator; & de his proculdubio intelligitur illud ad Roman. cap. 1. [Seruierunt potius creaturæ, quam creatori, propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum.] Quorum plane exemplum, ac typus fuerunt filij Israel; de quibus dicitur psal. 105. [Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.] & paulo post: [Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, &c.] O crude-

Christus inuitat homines ad bonum. Promissiones Christi.

Peccator demens, ac cæcus.

K litas inaudita: si enim magnæ crudelitatis est scienter spargere sanguinem innoxium, quantumcumque alienum, multo maioris crudelitatis est, innocentem sanguinem suarum filiarum, & filiorum spargere; cum non sit aliquod animal tam ferum, ac crudele, quod non conseruet, quantum potest, filiorum suorum vitam. Quam crudelitatem auget motiuum pessimum, quia nimirum illos idolis Cananæorum sacrificauerunt. Et sic sequitur: [Et infecta est terra in sanguinibus,

Crudelitas Hebræorum in filios.

nibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis.] Quasi dicat: Polluta atque corrupta est terra in sanguinibus & parricidijs filiorum, & contaminata in operibus eorum, per prædictas immolationes, & fornicati sunt, idolis seruiendo, & adinuentionibus suis. Videtisne modo errorem peccatorum, mundum, dæmonem, & carnem sequentium, eorumque voces hilariter audientium, Christo, ac Deo, vocibusque prædicatorum spretis? Numquid quæso isti impune euadent à tanto suo scelere? nequaquam. Audite quæso, quid sequatur in eodem psalmo: [Quapropter iratus est in furore Dominus, &c.] melius proculdubio est vobis peccatoribus, vocem Christi, qua vos refecturum se promittit, audire.

Conceptus 3. Quod serui Christi oportet sint mūdi à peccato, vt secreta Dei & sac. Scrip. clare percipiāt.



MAGNA siquidem Christianorum dignitas, seruorum Christi nomen obtinere. Mirum in modum filij Iacob gloriabantur se seruos Ioseph vocari. [Serui tui (dicebant ipsimet Gen. cap. 42.) venerunt, vt emeret cibos.] Porro Paulus vehementer etiam gloriabatur, cum se seruum omnium hominum in Christo appellabat, dicens 1. Cor. 9. [Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.] Multo magis profecto nobis & gaudendum, & gloriandum est, eo quod serui Christi nominamur & sumus, præcipue cū ipse de quolibet humili seruo suo, illi ieiunijs, orationibus, disciplinis seruiente, dicat glorianter satanæ: [Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo?] videtisne bonitatem, ac benignitatem Domini nostri Iesu Christi erga seruos suos? Hoc dumtaxat corda nostra ad perpetuam illius seruitutem & allicere & conuincere omnino debebat. Quærit etenim Christus seruos suos ieiunijs, orationibus, disciplinisque per angulos cœnobiorum, & domorum mundi in suo seruitio latitantes, vt eos mundo & satanæ manifestet, & vt nobis etiam in suo seruitio frigidis sint in exemplum. Quid quod de seruis Christi, illud 3. Reg. 10. in spiritu intelligitur, nimirum: [Beati serui tui, beati viri tui, qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam.] Quibus verbis sacrarum Scripturarum intelligentiam dare aperte indicatur, vt recte deduci potest ex illo: [Et audiunt sapientiam tuam.] si etenim serui tui audiunt sapientiam tuam, recte sequitur, Ergo tu Domine doces eos. Et ita plane est. Hinc & Diuinus Cytharædus dixit psalm. 118. [Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.] Ceterum vt hoc fiat, nimia animæ & mentis puritas in seruo requiritur, eo quod cum ipsa sacra Scriptura sit diuinitus inspirata, & eius sensus sit penes auctorem Deum, non immerito ad eum cordis munditia, cum timore & tremore, & reiecta omni præsumptione accedere oportet. Ostensus est liber clausus Ioanni nostro (vt dicitur Apoc. 5.) flebatque multum, quod nemo posset eum aperire: vnus autem inuentus est agnus, qui eum aperuit, habens clauem Dauid, vt eum aperiat & claudat, veluti ipsi placuerit. Agnum humilitate, ac mansuetudine, ac mentis & animæ puritate esse oportet, qui talia mysteria intelligere, & clauem Dauid habere debet. Et merito plane, quia si ex Deo proprie discere debemus, quæ ipse loquutus est, quis tam temerarius erit, vt Dei lege & voluntate contempta, putet sibi diligentiam industriamq; propriam suam ad sacrarum Scripturarum intelligentiam sufficere? Forrasse hoc intellexit serpens ille antiquus, qui nulla alia sagaciori via mulierem decipi posse existimauit, quam si eam ad diuina mysteria proprio sensu speculanda induceret. [Cur (inquit ipse Genes. cap. 3.) præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?] videte, quid statim sequutum

Iob. 1.

Seruos suos quęrit Xps p angulos mūdi

Seruos suos docet Christus.

Seruorū Dei mētes oportet sint puræ & mundæ.

Dæmonis sagacitas.

F sit: iam enim, quasi in tentationem elapsa prima illa mater nostra respondit: [De fructibus, qui sunt in Paradiso vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.] vbi nota, quod Deus tantum esum ligni prohibuit: Eua vero, quæ iam penes se causam inquirebat, tactum adiecit, quem Deus non prohibuit. Hinc & transgressio & peccatum & omnium maledictio; quoniam a Deo, qui præceptum dederat, causa inquirenda erat humiliter, si aliqua necessitas forte vrgebat illam intelligere. Neque enim nisi super humilem, ac trementem sermonis eius spiritus intelligentiæ requiescere consueuit: sine spiritu autem spiritus arcana quærere nihil aliud esse arbitror, quam sine luce videre velle. Quare non soli heretici, qui ex ipsis scripturis scripturæ spiritum oppugnant, cæci sunt, & turpissime errant, iuxta illud;

Euæ seductio.

Euæ mēdaciū

Matth. 15. Doctores qui sacrā exponūt Scrip. nō debent esse carnales. Dan. 1. Genes. 39. Exod. 30.

G [Cæci sunt & duces cęcorum;] verumetiam non pauci Catholici scientia sua inflati, quamuis non ita labentur, vt pereant; tamen corticem sæpe mordentes, spiritus medullam non assequuntur. Itaq; omnes fere infinitos, sapientia diuinarum litterarum æque castos, temperatos, atque ab omni rerum terrestrium fæce purgatos nouimus. Quod de Daniele, Ioseph, & Moyse testatur. Inter noui Testamenti Patres, Apostolos Paulum, & Ioannem sapientiæ spiritu ampliori donatos constat, quos ad mentis puritatem etiam corporis integritatem adiunxisse communis sententia est. Non ergo qui carnem diligit, qui suæ industriæ confidit, qui ipsi legi prius non obtemperat, eam aliquo modo intelligere poterit: quod ipse Deus omnipotens in verbis illis Exod. c. 19. significauit præcipiens, ne iumentum ascenderet in montem Sinai, vbi lege datur us erat: ac etiam in illis verbis Gen. 22. [Expectate hic cum asino. Ego autem & puer illuc vsque

Exod. 19. Genes. 22.

H properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.] Qui enim iumenti figuram gerit, carni indulgendo, & appetitus carnales insequendo, inhabilis omnino est, vt ad hæc mysteria accedat, quæ solis seruis suis Deus reuelat.

QVEMADMODVM Christus suos obtinet seruos, sic etiam & Belial, nimirum, diabolus. Hinc Elias 3. Reg. 18. Israelitis dixit: [Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.] Hoc plane certum & exploratum est, dæmonem, scilicet, suos obtinere sicuti Christum suos habere diximus seruos. Ceterum tu ò peccator, ex quibus seruis es? Christi ne?

Conceptus 4. Quod sicuti dantur serui Xpi, sic etiam reperiuntur serui dæmonis.

Serui Dei, & dæmonis.

I an vero dæmonis? vis istud aliquantulum experiri? Mitte manum tuam, (vt alter Moyses Exod. cap. 4.) in sinum tuum, nimirum mitte manum considerationis tuę in conscientiam tuam, illamq; diligenter scruta huc & illuc: & si illam leprosam protuleris instar niuis, hoc est, conscientiam vitijs, ac sceleribus oneratam inueneris: dæmonis seruus proculdubio es, & nisi pœnitiam egeris, peribis cito cum illis, qui Sap. 1. dicunt: [Lassati sumus in via iniquitatis, &c.] Quoniam lepra peccatorum ad hæc cito perducit barathra, dicente Psalmista: [Abyssus abyssum inuocat.] Si autem manum tuam à lepra mundam, & reliquæ carni similem protuleris, videlicet, si conscientiam tuam sceleribus minime grauatam repereris, ex seruis Christi proculdubio es, & da gratias ingentes Deo. Et quamuis Sapiens dicat: [Nescit homo, verum amore, vel odio dignus sit:] tamen Christus

Eccles. 9. Saluationis incertitudo.

K Dominus dicit: [Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.] Seruus Dei audit verbum Dei Domini sui: non seruus non audit verbum Dei; quia non est ex seruis Dei. [Oues meę vocem meam audiunt, (dixit Christus Ioan. 10.) & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.] & paulo supra: [Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.] Hinc exhauries tamquam ex suo fonte argumentum,

Saluationis indicium.

Opera bona sęper sunt facienda.

mentum, quo plane scies, quam optimum, ac piumne. ieiunare, dare eleemosinam, orare deuote, audire rem sacram, visitare infirmos, & alia misericordiæ opera propediem operare. Quoniam quemadmodum auem per plumam, leonem per vnguem, arboremque per fructum agnoscimus, sic seruus bonus, & seruus nequam, per opera bona, vel mala facile dignoscitur. O terq; quaterq; beati, & diu felices illi, qui totis diebus pijs, ac sanctis operibus, Deo inseruiunt. Redemit etenim nos Christus: [Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, (vt habetur Lucæ 1.) seruiamus illi:] Dices tamen: Quomodo ei seruiendum est? Audi: [In sanctitate & iustitia corã ipso omnibus diebus nostris.] Dices tu modo: Durus est hic sermo. Quoniam quomodo possum ego miser, qui Christi seruus sum, coram ipso in sanctitate & iustitia in hoc mundo inseruire, cum in hac carne humana infinitis circumscribar propediem periculis? sunt etenim tot pericula iam in visu, iam in auditu, iam in ore, iam in lingua, iam in corde, iam in incessu, iam in statu, iam in desiderio, vt vix vno superato, aliud euadere, euitareue queam: [Periculis (inquit Apostolus) in terra, periculis in mare, periculis in itinere, periculis in ciuitate, &c.] qui forte de fouea se eximit, In laqueum statim incidit. [In prçsenti vita, (ait D. Gregorius) quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident.] Quod cum ita sit, (vt sane est) qui possum ego miserabilis in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus meis inseruire? Audias Psalmographum dicentem: [Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem in humilitate mea.] Meditatio igitur legis Domini, facit seruum suum in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus suis ambulare, etiam dum tribulatur & affligitur; quoniam illud: [In humilitate mea,] D. Ambrosius vertit, [In tribulatione & afflictione mea.] Ita vt sit sensus, [Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem in tribulatione & afflictione mea.] Quis, quæso, Iosepho talem indidit intellectum ac sanctum propositũ castitatis, vt mulieri Phutiphar ei dicenti: [Dormi mecum] mox responderet: [Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?] & relicto in manu eius pallio fugeret, nisi meditatio legis Domini? quis porro Susannæ talem carnis dedit munditiam, vt senibus propositis, ac iudicibus in Babylone, illam ad coeundum cum illis, clauso pomarij hostio, inuitantibus, sub his verbis: [Assentire nobis, & commiscere nobiscum, nam nos in concupiscentia tui sumus;] mox responderet: [Si hoc egero, mors mihi est: melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini:] nisi meditatio legis Domini? Quis denique Iobo talem inter tot aduersa, & pericula genuit patientiam, vt mox exclamaret: [Dominus dedit, Dominus abstulit, ita factum est, sic domino placuit, sit nomen Domini benedictum:] nisi legis Domini meditatio? Dicat igitur noster Dauid: [Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem in humilitate mea.] Quoniam legis meditatio mirum in modum iuuat ad sanctę beateq; viuendum, & vt in sanctitate & iustitia coram Domino nostro, omnibus diebus nostris libere seruiamus. Quoniam seruorum suorum seruitia, officia, humilitates, & opera omnia vult Dominus noster Iesus Christus libera, ac omnino spontanea esse. Etenim seruitus Dei est amoris & dilectionis seruitus. Hinc Regius Psaltes psalm. 118. ait: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.] Vbi Dei vates de lege euangelica in spiritu loquitur, cuius euangelicus seruus, iam non est seruus, sed liber amicus, iuxta illud Ioan. 15. [Iam non dicam vos seruos, sed amicos.] Quamobrem huius serui euangelici est lex dilectionis, & amoris, vt est apertum. Qui autem diligit, ex voluntate facit ea, quæ sibi sunt imperata. Nam inter liberum amicum, & coactum seruum pleraque interiacent discrimina. Quoniam seruorum est cogi terrore, potestate, & im-

Marginalia: Seruire Xpo qualiter debemus. — Obiectio peccatorum. — D. Greg. ho. 21. in Euang. — Solutio iustorum. Psalm. 118. — D. Ambros. in psalm. 118. — Gen. 39. Seruus Xpi nõ audet facere malum. — Dan. 13. — Reuelat Deus seruis suis, qualiter euitent mala. — Iob. 1. — Legis Dei meditatio iuuat ad fugienda mala. — Seruus euãgelicus liber.

A perio, vt agant id, quod suis dominis placet: at vero liberorum amicorum est amore & dilectione amico suo inseruire. Prçterea seruus est, qui est gratia alterius, liber vero qui sui causa est. Liberorum porro est in hilaritate seruire, quoniam natura quisque gaudet libertate: at vero seruorum est, vt alteri, & non sibi placeat. Quapropter Dominus noster Iesus Christus, à seruis suis seruitia libera & spontanea, & nullatenus coacta exigit. Et vt vnico verbo dicam, vult Christus, vt serui sui libere, & non vi, ieiunent, orent, disciplinas recipiant, eleemosinas dent, rem sacram audiant, & vt etiam ad pedes confessarij libere, & non vi excommunicationis annualis Episcoporum accedant. Te igitur sic hæc & alia similia bona opera faciente, & manum absque lepra ex sinu tuo (vt alter Moyses) proferes, & signum tuæ prædestinationis, & futuræ beatitudinis habere poteris, cognoscendo aliquo modo, te ex Baal seruis nullatenus esse, sed fideli

B gregi Dñi nostri Iesu Christi sociatum fuisse, & inter seruos eius nomẽ & locum obtinere, & hilaris decãta cum Psalmista: [Ecce quam bonum, & quã iucundum, habitare fratres in vnum.] Et iterum: [In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.]

Marginalia: Seruorum liberorũ & seruorũ coactorũ differẽtia. — Seruitia spõtanea placẽt Deo. — Psalm. 118.

DISPVT. V.

In Cap. primum Apocalypseos. De seruitute Christiana.

C In sex Quæstiones distributa super illa verba: *Seruis suis.*

Prologus Disputationis.

SVPPOSITA Dei, hominis, & peccati seruitute, tantum hic disputatur de Christiana seruitute. Quoniam quamuis illæ tres priores dentur seruitutes, & vberrime de illis Theologi, in 2. sentent. distinct. 1. cum Magi-

D stro, & in 1. par. cum Sancto Thoma, & alibi agant, tamen textus iste [Seruis suis] de seruitute Christiana præcipue à Doctoribus intelligitur & accipitur.

Marginalia: Seruitus Xpiana diuersa ab aliis.

Quæstio. I.

An detur seruitus Christiana, quæ alio nomine seruitus Christi appellatur?

E PRIMA conclusio. In hominibus datur seruitus Christiana, siue seruitus Christi. Hæc est de fide, & probatur, Tum auctoritatibus noui Testamenti. Etenim 2. Petr. 1. sic habetur: [Simon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi.] & ad Roman. 1. [Paulus & Timotheus serui Iesu Christi.] & Iudæ 1. [Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi.] & ad Col.

F 2. [Do-

Marginalia: 1. assertio. Seruitus Christiana reperitur in hominibus.

3. [Domino Christo seruite.]& 1.Cor.4.[Sic nos existimet homo,vt ministros Christi.]& ad Eph. 6. [Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes,sed vt serui Christi.] Tum patet, quia iuxta Philosophum lib.1.Metaph. c. de relatione,Dominus dicit relatione ad seruum.Atqui Christus est Dominus & rex noster, vt habetur Apoc.5.6.14.17.& 19.cap. Et etiam aperte deducitur ex illo ps.2.[Postula à me,& dabo tibi gentes:hereditatem tuã,& possessionẽ tuam terminos terræ.Reges eos in virga ferrea,&c.]& etiam ex illo ps. 6.[Omnia subiecisti sub pedibus eius,]ex illo ad Col. 2.[Estis in illo repleti,qui est caput omnis principatus & potestatis.] Ergo debet dicere ad nos relationẽ dominij,& nos adipsum relationem,&respectũ seruitutis præ nos gerere tenemur. In cuius etiam dominij signo, Christus appellatur Pastor noster, vt habetur Matth.26.Mar.14.Ioan.10.ad Heb. 13.& 1.Pet.2.

2. Ratio.

2. assertio. Seruitus Dei & Xpi simul se cõpatiuntur.

Secunda conclusio. In hominibus seruitus Dei, & seruitus Christi simul se compatiuntur, tamquam non repugnantes, quinimmo seruitus Dei per seruitutem Christi,tãquã per nouum titulum redemptionis omnino illustratur.Hæc est etiam de fide, & probatur. Tum quia Christus simul est Deus, & Redemptor noster, & ex consequẽti simul nos & illum respicere, & illi subiectionem,ac obediẽtiam præstare debemus, quatenus Deus, & Redemptor noster est.Tum quia Iac.1.sic habetur.[Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus,&c.] Quibus verbis ambæ duę seruitutes Dei nimirum,&Christi apparent.Tum quia seruitus Dei originem habet à creatione:ex eo namq;quod Deus omnia creauit,erigitur Dei seruitus. Atqui per Christum vniuersa etiam sunt creata,vt patet Ioa.1.[Omnia per ipsum facta sunt.]& ad Eph.3.[Mihi enim(ait Apostolus)omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramẽti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit,vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei,secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.]& ad Coll.1. [In quo habemus redemptionem per sanguinem eius,remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis,& in terra, visibilia & inuisibilia,siue Throni, & Dominationes,siue Principatus,siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.]& ad Heb.1.[Per quẽ fecit & sæcula.] Ergo non repugnant seruitus Dei & Christi inter se.] Tum deniq; probatur, quia creatio, quæ ob Adæ peccatũ aliquantulũ obscurata fuerat redemptionis nouo titulo mirum in modum illustratur.

Seruitus Dei per nouũ titulum redẽptionis illustratur.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio.

Quæstio. II.

An redemptio sit causa & origo seruitutis Christi in hominibus?

1. argum.



PARS negans potest roborari.Tum quia charitas, fides, & gratia constituunt hominem seruum Christi. Ergo redemptio non est causa, neq; origo seruitutis Christi.Antecedens probatur; quia sine fide, & charitate impossibile est placere Deo,teste Apostolo.Tum quia character baptismalis efficit seruum Christi.Ergo,&c,Antecedens probatur, quia Græci baptizant sub hac forma:[Baptizetur seruus Christi.]Tum quia Gentiles & reprobi non sunt serui Christi, atq; hi sunt redempti

2. argum. 3. argum.

F quoniam Christus pro omnibus mortuus est, ergo redemptio non est causa & origo seruitutis Christi in hominibus.

1. fundam. Passio Christi qualiter operata fuit nostram salutẽ. Mag. sent. S. Thom.

Pro decisione præmitto, primo, quod passio Christi operata est nostram salutem non solum per modum meriti, satisfactionis, & sacrificij; verũetiam per modum redemptionis, vt tenent Theologi cum Magistro in 3.sen.dist. 20.& cũ S.Tho. 3.p.q.47.Hinc ad Gal. 3. dicitur[Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, offerens sanguinẽ suum in pretiũ nostræ redemptionis Deo patri.] Et cum ad actum alicuius redemptionis requiratur actus solutionis, & pretium solutum, quod sit proprium; pretium autem nostræ redẽptionis fuerit sanguis ille immaculati Agni Christi,vel vita eius corporalis,quæ est in sanguine; hinc factum est,vt dicat S.Th.3.p.q.48.art.5. quod
G licet actus solutionis, & pretium solutum ad totã Trinitatem, sicut ad causam primam & remotã pertineat; tamen ad Christum, in quantum homo, pertinere immediate certum sit. Et quamuis redemptio nostra toti Trinitati attribui possit, sicut primæ causæ;tamen esse Redemptorem immediate ad Christum pertinet,cuius erat illa vita, & pretiosus sanguis in pretium nostræ redemptionis Deo patri oblatus. Quoniam si aliquis soluat pro redemptione alicuius pretium, quod nõ est suum, sed alterius;ipse talis soluens,non dicetur principaliter redimere,sed magis ille, cuius est pretium.

Actus redemptionis requiris actum solutionis.

S. Thom.

2. fundam. Redẽptio Xpi consideratur quoad efficaciã & quoad sufficientiã.

Præmitto secundo Redemptionem Christi dupliciter posse a nobis considerari,nẽpe secundum sufficientiam & secundum efficaciam. Ad quod intelligendum animaduertere oportet differentiam inter sufficientiã & efficaciam: etenim sufficientia tantum dicit respe-
H ctum rei ad se; at vero efficacia dicit respectum ad rẽ applicatam dispositam, veluti si medicinale medicamentũ consideretur tantum in se sufficiens ad salutem ęgroto prestanda:si vero tale medicamentum medicinale consideretur, vt applicatur, & vulneri imponitur cum optima dispositione; tunc fit efficax ad salutem ęgroto elargiendam. Ad eumdem modum si redemptio Christi consideretur in se, tantum dicitur sufficiens ad salutem animarum dandam; si autem consideretur, vt applicatur huic, vel alteri peccatori per sumptionem sacramentorum,dicitur efficax remedium animarum nostrarum.Hoc itaq; explicato, dicimus.Christum totum humanum genus redemptione sufficiẽte redemisse tam iustos quam peccatores,tam Hebræos,quã Gẽtiles, tam reprobos, quam prædestinatos. At vero redemptione efficaci fideles prædestinatos, & eius, qui
I sunt de eius corpore, nimirum Ecclesiæ, dumtaxat,redemisse,quod plane innuit Apostolus,cũ ad Eph.1.ait: [Christus Iesus est Saluator omnium,maxime vero fidelium.] Quæ sane verba sic accipienda veniũt: Christus Iesus est Saluator omnium secundum sufficientiam maxime vero fidelium secundum efficaciam. Nõ enim omnes ad recipiendam gratiam Christi, quę in sacramentis,tãquam in vasibus continetur, se disponunt, ac præparant. Opitulantur adamussim huic nostro fundamento ea omnia, quę perdocte,& perelegantet scribit speculum illud Religionis nostræ Mag.Franciscus Zumel in illo suo aureo opere tripertito de Auxilijs to.3 ad p.1.& ad p.2.D.Tho.disp.3. sect.2.concl.3. & 4. de auxilio sufficienti,& de auxilio efficaci.

Redẽpti sunt oẽs homines sufficienter.

Saluator omnium Xps qualiter.

Mag. Zumel. de auxilijs.

3. fundam. Sãguinis Xpi fructus.

Præmitto tertio, quod per sanguinem Christi (qui pretium erat redẽptionis nostrę,)ac per passionẽ eius liberati fuimus à peccato,à potestate diaboli,ac à pœ
K na peccati, tũ ẽt reconciliati fuimus Deo ac etiã cæli ianua nobis aperta fuit,vt optime probãt Doctores cũ Mag.in 3.sen.dist.2.& cum S.Thom.3.p.q.49. & ob id Apostolus ad Col.2. ait:[Delens, quod aduersum nos erat chirographum decreti,quod erat contrarium nobis.] ac etiam Mag.cum D.August.in 3. sen. dist.20.sic ait:[Chirographa deleta sunt.]Quibus verbis animaduertendum est, D.Paulum dixisse in singulari: [Delens Chirographũ decreti,]eo quod loquebatur de memoriale

Mag. sent. D. Thom. Chirographũ decreti.

riale transgressionis primi parêti. D. autem August. dixisse in plurali, [Chirographa deleta sunt.] quoniā de remissione omniū peccatorū loquebatur, quantum ad reatum, vt perfecte passionis effectus exprimerentur.

1. concl. Seruitutis Xpi vt Deus est origo dicitur creatio.

Prima assertio. Si Christus consideretur, vt Deus, causa & origo seruitutis Christi erit creatio. Hæc est de fide & probatur. Quoniam Christus, vt Deus, Creator noster est, & per consequens noster Dominus.

2. concl. Seruitutis Xpi vt hō est redēptio dicitur causa & origo. 1. Ratio.

Secunda assertio. Si Christus consideretur, vt homo, causa & origo seruitutis Christi est redemptio. Hæc etiā est de fide, & probatur. Tum ex illo Apoc. 5. [Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.] Quibus verbis Christus Dominus noster, dignus honore vocatur, quia redemit nos. Tum etiam ex illo Psal. 18. [Domine adiutor meus & Redemptor meus,] & ex illo Ps. 129. [Quia apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio.] Quibus in locis immediate fit sermo de Christo; quoniam licet redemptio remote pertineat ad totā Trinitatem, tamen immediate pertinet ad Christum, in quātū homo est, vt habetur clare in primo nostro fundamento. Quoniam pretium redemptionis nostræ Deo patri solutum fuit, proprium Christi hominis, nimirum, sanguis suus pretiosissimus. Hinc S. Th. 3. p. q. 47. ar. 5. ad. 1. aperte tenet, Christum, quatenus homo est, immediate esse redēptorem nostrum: ac etiam Strabus in sua gloss. ordin. illa verba Ps. 30. [Redemisti nos Domine Deus veritatis,] sic exponit: [Tu Domine Deus veritatis, redemisti me in Christo clamante, In manus tuas Domine commendo spiritū meum.] ex quibus omnibus deducitur, quod licet redemptio pertineat ad Deum, tamen immediate ad Christum, quatenus homo est, pertinet; quoniam ipse immediate ex proprijs pro nobis Deo patri soluit. Tum tandem probatur; quia vbi est specialis ratio dominij, ibi oportet sit spacialis ratio seruitutis, vt tenet S. Tho. 2. 2. q. 81. art. 1. & 2. 2. q. 104. art. 5. Atqui in redemptione est specialis ratio dominij, quoniam Christus, Dominus noster est, specialiter per redemptionem, iuxta illud Apostoli ad Timot. 2. [Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.] Ergo oportet vt eadem redemptio sit in nobis specialis ratio seruitutis, & ex consequenti, &c.

2. Ratio. S. Thom. Strabus. 3. Ratio. Redēptio est causa & origo seruitutis Xpianę.

3. concl.

Tertia assertio. Humanitas Christi in signum huius seruitutis est adoranda à nobis adoratione & seruitute latriæ, loquendo de humanitate Christi, quatenus est verbo diuino coniuncta, & vnita. Probatur. Tum, quia ratione creationis Deo debetur latria, ergo ratione redemptionis illi etiā debetur latria. Consequētia patet, quia beneficium redemptionis est multo excellentius, quam beneficium creationis, iuxta illud D. Gregorij: [Quid enim profuit nasci nisi redemi profuisset?] Tum quia titulus redemptionis includit magnam excellentiam & singularia virtutis opera, ac etiā singularia ac specialia beneficia hominibus facta, propter quæ omnia aliquis singularis honor & seruitus Christo Redemptori nostro debetur: sed sic est, quod talis honor non potest esse, nisi latria, quoniam adoratio debetur hypostasi, & in Christo redemptore nostro verbum incarnatum per se subsistit, & est hypostasis, & non ipsa natura humana. Ergo, &c.

1. Ratio. Adoratio latrię cui debetur. D. Greg. 2. Ratio.

Nota bene.

Et nota, quod Christo licet ratione humanitatis debeatur illi alia adoratio, nempe hyperdulia, (vt optime S. Thom. 3. part. quæst. 25. art. 2.) tamen sancta mater Ecclesia numquam solita est hanc adorationem hyperduliæ (quæ est minor adoratione latriç) Christo exhibere, dicendo: [Christe ora pro nobis,] sed semper illi exhibuit latriæ adorationem, dicendo: [Christe fili Dei viui miserere nobis,] ne aliquo pacto videatur fauere Arianis, asseuerantibus, Christum nō esse consubstantialem Patri. Et licet Durandus in 3. sentent. dist. 9. quæst. 2. teneat, humanitatem Christi solum per accidens adorari latria, tamen eius exemplum de purpura regis nihil valet, cum ipsa per accidens vniatur corpori regio, & vnitas diuinitatis & humanitatis fuerit per se; sicuti per se, & non per accidens anima rationalis cum corpore vnitur, & per consequens sicuti Deus per se latria adoratur, sic etiam & humanitas quatenus verbo diuino vnita consideratur, & sic ex dictis falsam reputo Durandi opinionem. Quibus decretum sacri Concilij Tridentini sess. 13. cap. 5. subiungo, vbi præcipitur carnem, & sanguinem Christi in sanctissimo sacramento altaris, adoratione latriæ, à nobis adorari debere.

Lapsus Durādi. Soluitur Durandus. Conc. Trid.

Ad primum tamen argumentum dicitur, redemptionem esse duplicem, efficacem nimirum, & sufficientem, vt est dictum in secundo nostro fundamento: per fidem autem, spem, & charitatem, quæ sunt virtutes Theologales, quæ infunduntur in baptismo, & per sumptionem aliorum sacramentorum fit quis seruus Christi efficaciter, ita vt si de cetero non peccet, proculdubio saluabitur; attamen dato quod peccet, vel fidem, spem, & charitatem amittat, vel adhuc sanctum minime receperit baptismum, est adhuc seruus Christi, velit nolit per redemptionem sufficientem; quoniam Christus pro omnibus mortuus est, & per mortem & passionem suam sanctissimam (quæ nostram salutem non tantum per modum meriti, satisfactionis, & sacrificij, verumetiam per modum redemptionis, operata est, vt liquet in primo nostro fundamento) & Dominus omnium factus est & omnes homines seruos suos sanguine suo emptos nos redegit.

Sol. argum. fol. 1. Redēptio duplex. Peccator etiā est seruus Xpi

Ad secundum respondetur eodem modo; quoniam omnes non baptizati sunt serui Christi per redemptionem sufficientem, vt satis pulchre præfata baptismi Græcorum forma demonstrat: Etenim illa hunc reddit sensum, nimirum: Iste qui seruus Christi est, per sufficientem redemptionem, fiat vi, & applicatione baptismi & illius characteris efficaciter redemptus, seruusque eius efficax. Quamobrem si baptizatus in posterum innocentiam semper seruat, vitam æternam absq; dubio possidebit; quoniam iam illi virtus passionis Christi applicata fuit, per illam beptismi susceptionem.

fol. 2. Baptismi Grecorum forma explicatur.

Ad tertium respondetur, Gentiles, Iudæos, Paganos, Hæreticos, & omne reprobos, seruos Christi esse redemptione sufficienti; quoniam Christus pro omnibus mortuus est, & sic lux gentium & totius mundi dicitur, vt videre est apud Isaiam cap. 2. 6. 9. Matthæum cap. 4. Lucam cap. 2. Ioan. cap. 1. 19. Acta cap. 13. & Apocalypsim cap. 5. Quapropter Diuus Leo Papa, sermone 1. de Natiuitate Christi sic exclamat: [Nullus ab huius alacritatis participatione secernitur: vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit; ita pro liberandis omnibus venit: exultet sanctus, quia propinquat ad palmam, gaudeat peccator; quia inuitatur ad veniam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.] sic ille.

fol. 3. S. Leo PP. ser. 1. de Natiuit. Domini.

Quæstio III.

An Iudæi sint isti serui Christi, de quibus fit mentio in contextu?

1. argum.
2. argum.



PARS affirmatiua potest probari: Tum quia ipsemet Christus Matthæi cap. 15. dixit: [Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.] Tum quia ly [Seruus Christi,] & ly [Seruus Dei] stat pro eadem re. Atqui Iudæi inter omnes gentes sunt serui Dei, ita vt olim nulla gens esset subiecta Deo, nisi soli Iudæi: quamobrem inter Iudæos nullus eorum vendebatur in seruum vsq; in æternum, sed vsq; ad annum Iubilęi, vt dicunt Theologi super illa verba Leuitici 25. [Non veneant conditione seruorum.] Ergo, &c.

1. concl. Iudæi nūc nō sunt veri serui Dei nec Iesu Xpi.

Ceterum pars negatiua verior est, quam profitentur Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari, Diuus Thomas, Ioachimus Abbas, Lyranus, Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, Diuus Dionysius Chartusianus, Iacobus Suarez à Sancta Maria, Franciscus Ribera, & communiter omnes Doctores in hisce commentarijs; quam etiam & ego libenter amplector, illamque probo hac vnica ratione. Quoniam cum Christus Matth. cap. 11. dicat. [Confiteor tibi Pater Domine cęli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis,] & alibi, [Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei, &c,] & ea, quæ continentur in hac Apocalypsi, sint mysteria gratiæ, quæ nullatenus adhuc callent Iudæi litteræ Moysaicæ implicati, sequitur aperte, quod per seruos Christi nullatenus hinc intelligantur Iudæi. Accedit quod hæc mysteria gratiæ, quæ in hac continentur Apocalypsi, tum per ministerium Ioannis Apostoli & Euangelistæ, tum per ora concionatorum, seruis Christi iam patent, Iudæis vero minime. Quamobrem nomine seruorum Christi, hi dumtaxat, qui ex Iudaismo vel ex gentilitate ad Christianismum humiliter, per baptismi susceptionem peruenerunt, intelliguntur, vt est satis explanatum in contextus enodatione.

Iudæi nō intelligūt mysteria gratię.

Sol. ad arg. in oppositione. fol. 1.

Ad primum dico cum B. Vincentio Ferrario Valentino, quod de aduentu Christi possumus loqui dupliciter, vno modo quoad visitationem corporalem, videlicet, quoad prædicationem & ad miracula personaliter & visibiliter facienda. Alio modo, quantum ad redemptionem vniuersalem. Primo igitur modo non venit, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, nimirum, nisi ad Hebręos; quoniam ad terram promissionis corporaliter visitandam tantum erat venturus. Quamobrem Apostolus sic ait: [Dico enim, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deū, sicut scriptū est: [Propterea cōfitebor tibi in gentibus, &c.] Secundo vero modo, vniuersaliter ad omnes venit, & missus est; quia pretium pro omnibus soluit, quia omnes sunt redempti, (licet non omnes saluati, quia nolunt caste, sancte, pieq; omnes viuere:] & sic pro omnibus venit, vt patet, tum ex veteri testamento, Isa. cap. 49. [Parum est, vt sit mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque

Explicatur optime locus Matth. 15.

ad Rom. 15.

F ad extremum terræ.] tum ex nouo Testamento 1. ad Tim. 2. [Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire.]

Ad secundum respondetur Iudæos olim solos inter omnes nationes seruos Dei fuisse, quoniam ipsi primo erant in seruitute Pharaonis, & Deus in virtute multa & signis atque prodigijs eos redemit de manu Ægyptiorum, deletis Ægyptijs in mari rubro: & per hoc fecit eos proprie sibi seruos, quemadmodum si pecunia eos redemisset. De alijs autem Gentibus non erat sic: Nam quamquam Deus illas creasset, & quotidie gubernasset, tamen non redemit eas de manu alicuius, tenentis eas in seruitute, sicut redemit Iudæos, iuxta id, quod in eodem cap. 25. Leuitici sequitur: [Et ego eduxi eos de terra Ægypti.] quibus verbis, teste Abulense,
G ponitur, modus quomodo Israelitæ essent serui Dei, nimirum quia eos redemerat sibi iure bellico, de manu aliorum dominorum, nempe Ægyptiorum prementium; & non ponitur hic ista eductio de terra Ægypti, tamquam expressiua diuini beneficij, vt etiam alias poni solet; sed tamquam significatiua obligationis & iuris, quod Deus habet in Iudęis, scilicet quia sunt serui eius ab eo pure redempti. Quamobrem nolebat Deus, vt Iudæi conditione seruorum venderentur, vt indicant citata verba: [Non veneant conditione seruorum.] quoniam sic venderentur in ęternum, cum conditio seruorum sit, vt semper serui sint, cum semel serui effecti fuerint, & Deus nolebat, vt Iudæi tantum affligentur: nam sic facile inducerentur, vt se ad gentilitatem conuerterent; verumtamen ad subleuandas necessitates eorum permittebat Deus, quod Iudæi, vendere
H se possent in seruitutem vsque ad Iubilęum, amplius tamen nequaquam. Ceterum modo hæc omnia ad vocem illam Christi: [Consummatum est,] expleta iam sunt: quoniam Iudæi iam non sunt Iudęi, sed Synagoga satanæ: adimpletum siquidem est illud: [Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.] Quamobrem serui Dei & Christi modo illi dumtaxat appellantur, (loquendo de seruitute efficaci, de qua directe loquitur contextus,) qui baptismo Christi, siue ex Iudaismo siue ex gentilitate venerint, insigniti fuerint. Quoniam omnibus, qui Catholicæ fidei humiliter se subijciunt, reuelat Deus (vt ait S. Th. in hisce comment.) per spiritum, vel verbum prædicantium, & hæc & alia. Quapropter licet olim Iudęi serui Dei essent, tamen modo serui Christi nequeunt dici (loquendo de seruitute efficaci) donec ad sanctum perueniant baptismum.
I

fol. 2. Iudæi soli serui Dei erant olim.

Iudæi redēpti olim à Deo.

Alph. Tost. in c. 25. Leuitici q 25. Iudęi redēpti à Deo iure bellico.

Explicatur optime locus Leuit. 25.

Deus noluit Iudæos multum affligi.

Iudæi vendere se poterāt in seruitute vsq; ad annū Iubilei.

S. Thom. in comment.

Quæstio IV.

An soli prædestinati sint isti serui Christi, de quibus dicitur in textu: *Seruis suis*?

1. argum.



VIDETVR, quod sic, & probatur. Tum quia seruus Christi, & membrum Christi idem videntur esse. Atqui soli prędestinati sunt appellandi Christi membra; quoniam
K membra Christi hi dūtaxat dicuntur, qui partes sunt Ecclesiæ, quæ plane ex solis prædestinatis tantū constat. Ergo, &c. Tum quia serui Christi hi solummodo sunt, qui Christo intra corpus Ecclesiæ per gratiā credunt & seruiunt, & tandem salui fiunt: sed sic est, quod hi solum sunt prædestinati. Ergo, &c.

Pro decisione dico, quod olim (teste Stapletonio 1. lib. con-

lib. controuersiarum c. 4.) fuit quædam hæresis Ioannis Hus, & Vvicleff, asseuerantium, Ecclesiã tantũ conflatam fuisse ex solis prædestinatis, & nullo modo ex præscitis: quãquidem hæresim condemnatam legimus in Conc. Constantiense, quam etiam obliuioni traditã, suscitarunt postea maledictus Caluinus, Beza & alij pleriq; hæretici, vt recte tradit Osius lib. 5. qui est de Ecclesia aduersus prolegomena Brensia; quoniam eidẽ hæresi se subscripsit Brensius. Quam tandem hæresim intrepide impugnarunt ex Catholicis, Ioannes Turrecremata lib. 1. de Ecclesi. c. 55. Cano li. 4. de Ecclesi. c. 3. Petrus à Soto, & Osius aduersus prolegomena Brensij Vualdensis, to. 1. doctrinalis fidei antiquę li. 2. ar. 2. c. 8. & 9. Stapletonius li. 1. controu. c. 4. Michael a Medina li. 7. de recta in Deum fide c. 22. & 23. Robertus Bellarminus to. 1. controuersiarum, contr. 4. lib. 3. c. 7. & alij plerique Theologi, qui omnes & asserunt, & probant, hæresim esse, solos prædestinatos, & non præscitos esse partes Ecclesiæ & membra Christi. Et hanc eamdem catholicam veritatem infra nos dispungemus. Verumtamen modo ad quæsitum dicimus, quod ly, [Seruus Christi] latius se extendit, quam ly [membra Christi:] huius rei ratio patet, quia membrum Christi tantum ille dicitur, qui influxum à capite Christo recipit; etenim potissima ratio membri est, vt recipiat influxum ab anima, vel à capite. Quamobrem membra Christi, tantum dicuntur ij, qui sunt de eius corpore, nempe Ecclesia, cuius ipse est caput. Atvero hoc nomẽ [Seruus Christi,] cum origo seruituris Christi sit redemptio, vt ex superioribus patet; transcendit etiam ad eos, qui membra Ecclesiæ, aut Christi non sunt, nempe ad Iudæos, Gentiles, Paganos, &c. quoniam pro omnibus illis Christus etiam mortuus est, quoad sufficientiam, cum tam pro originali peccato, quam pro alijs vniuersis omnium hominum sceleribus sufficienter satisfecerit iuxta illud Apoc. 5. [Redemisti nos Deo in sanguine tuo.] & Tren. 2. [Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.] & ad Heb. 9. [Christus assistens Pontifex, &c.] & Ps. 68. [Quæ non rapui, tunc exsoluebam.] & Ps. 2. [Postula a me, & dabo tibi Gentes: hereditatem tuam, & possessionem tuã terminos terrę.] Quamobrem omnes sunt, quoad sufficientiam, redempti ac empti, & per consequens serui Christi facti, per generalem redemptionem eius, qua omnes sanguine suo proprio emit. Et cum in contextu dumtaxat sit sermo de seruis Christi, qui ad sanctum peruenerunt baptismum, qui plane communiter sunt in duplici differentia: quoniam dantur serui boni, qui scilicet baptismalem innocentiam & puritatem semper conseruarunt; & serui nequam ac mali, qui baptismalem munditiam & innocentiam propediem amittunt, mundo, diabolo, & carni post susceptum baptismum inseruiendo. De quorum primis accipitur illud Lucæ 19. [Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.] & illud etiam Matt. 25. [Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.] De secundis illud Matth. 25. [Serue male & piger; sciebas quia meto, vbi non semino, & congrego, vbi non sparsi; &c.] & paulo post: [Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.] Vbi per seruos malos proculdubio intelliguntur reprobi, & præsciti, qui secundum sufficientiam sunt redempti; per seruos vero bonos, intelliguntur prædestinati, qui efficaciter sunt redempti, Deo donante vtrisq; bonis nimirum, ac malis seruis simul sua talenta, ac dona; sequitur aperte, quod hęc misteria Apocalypsis, quæ sunt mysteria gratiæ, ipse Christus per ministerium Ioannis Euangelistæ, & per ora concionatorum in dies, tam prædestinatis, quam reprobis seruis etiam reuelet, ac manifestet. Quoniam sæpesæpius vnus dumtaxat Christianus nequam, ac malus, de arcanis occultis, & secretis sapientiæ Dei, ac etiam de mysterijs gratiæ, magis intelligit, explanat ac ænodat, tam per scripta, quam per voces, prædicando, docendo, vel legendo,

Caluinus. Beza. Osius li. 5. aduersus Brentius.

Refertur hæreses Hus, & Vvicleff. Turrecrem. Cano, Soto, Osius, Vvaldensis, Stapletonius Medina, Bellarminus.

Prædestinati, & præsciti qui ad sãctũ peruenerunt baptismũ sũt serui Christi.

Seruus bonus

Seruus malus

Xpiani mali aliquando prosunt Ecclesiæ

A quàm decem millia Iudæi, Gentiles & Pagani, qui ad huc ad sanctum minime peruenerunt baptismum. Ex dictis autem facile est duo superiora argumenta dissoluere.

Quæstio V.

An seruitus Christiana sit vera libertas à peccato?



B AFFIRMATIVA pars est de fide tenenda; quoniam 2. Cor. 3. sic scribitur: [Vbi spiritus Domini, ibi libertas.] & ad Gal. 5. [Vos in libertate vocati estis fratres, tantũ ne libertatem in occasionem detis carnis.] & Iacobi 1. [Qui autẽ perspexit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea.] & 1. Cor. 7. [Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini.] & ad Ro. 6. [Liberati autẽ à peccato, serui facti sumus iustitiæ.] & Iac. 2. [Sic loquimini, sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.] & 1. Pet. 2. [Tamquam liberi, & non veluti velamen habentes malitiæ libertatem, sed tamquam serui Dei.] Istud etiam patet ex S. Th. 3. p. q. 49. ar. 1. & 2. & 2. 2. q. 184. a. 4. vbi probat sãctus Doctor nos per passionem Christi, à peccato, & à potestate diaboli liberatos fuisse, & seruitutem Dei C esse libertatem à peccato. Christianus igitur & seruus Christi, & seruus liber, & nullatenus coactus appellatur.

1. concl. Seruitus Xpiana est vera libertas a peccato. 1. Ratio.

2. Ratio. S. Thom. Passio Xpi liberauit nos à

Hoc autem loco animaduertas oportet, quod libertas à peccato etiam attenditur, cum aliquis ab inclinatione peccati non superatur: quæ quidem libertas fit per charitatem, quę diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, vt dicitur ad Rom. 5.

Appendix.

Quæstio VI.

An Christiani, & serui Christi, & filij Dei nuncupari queant?



D ILLI Serui, de quibus dicitur Isaiæ cap. 65. [Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis: Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, &c.] proculdubio sunt Christiani, vt tenent gloss. ordinar. gloss. interlin. & Lyranus. Et sane patet ex eadem littera in illis ver- E bis: [Et seruos suos vocabit nomine alio,] hoc est nomine Christiano. Et hi etiam Christiani filij Dei in sacra Scriptura passim nominantur, iuxta illud Ioan. 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.] Et hęc duo nomina, nimirum filiorum Dei, & seruorum Christi simul stare queunt in Christianis, quoniam iuxta doctrina Diui Thomæ 3. part. quæst. 46. art. 3. ad

1. concl. Xpiani & serui Xpi & filij Dei merito appellantur. Gloss. interl. Lyranus.

S. Thom.

Debitū homi-nū redemptorum.

3. ad 3. & quæst. 48. artic. 4. ad 2. & quęst. 49. art. 2. duo in nobis considerari possunt, vnum scilicet ex parte nostra, quod est debitum ex beneficio recepto à Christo: & sic serui Christi dicimur, quia ab ipso per proprium sanguinem redempti fuimus. Aliud vero ex parte Dei, nempe beneficium suæ gratię nobis collatū gratis, quo nos in filios adoptauit; & sic filij Dei dicimur, secundum quas duas considerationes crebro & serui Christi, & filij Dei Christiani in sacro eloquio appellantur.

Beneficiū diuinū erga redemptos.

PARAPHRASIS
Nona.

Quæ oportet (dicit præterea) fieri cito.

Par. 9. dilucidatatio textus.

§. 1. Prophetia est certa.

Propter certitudinem prophetiæ veritatis hoc in loco dicit Euangelicus vates: [Quæ oportet fieri citò.] Quoniam ly [oportet] idem est, quod necesse, & ly; [cito] vbicumque reperitur, semper significat celeritatem, mobilitatem, festinantiam, & velocitatem. Quamobrem præfata verba: [Quę oportet fieri cito.] hunc sensū reddunt, teste Anselmo Laudunen. in breui, quę continentur in hac reuelatione siue Apocalypsi, necesse est adimpleantur; ob idque ineuitabile est, quin fiant. Et idem prorsus tenent Strabus in sua glossa ordinaria, Primasius, S. Thomas, Lyranus, Auctor incognitus, Haymo, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Frācīscus Ribera. Strabus tamen hæc subiungit verba: [Cito, dicit, vt se parent, ne sit graue pati; cito finiendi sunt labores, & præmia danda, breuis labor, festinata gloria.] sic ille. Certa itaq; & infallibilia sunt, quæ docet ipsa diuina sapientia, & infallibiliter euenient, quæ hic prædicit Archipropheta. Quoniam illa procedunt ex diuina ordinatione, quæ non potest frustrari. Quamobrem non sit molestum pati; quia finietur labor, & sequetur præmium.

Sensus verus.

Strabus in sua gloss. ordin.

Apoc. est certa.

§. 2. Apoc. continet tria tempora.

Verumenimuero ex hoc loco: [Quæ oportet fieri cito,] haudquaquam est inferendum, Apocalypsim Ioannis futura dumtaxat continere. Nam præterita, præsentia, & futura, sane vnà & simul continet, ob idq; Ioanni dicitur infra sic: [Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.] Quibus verbis satis aperte liquet in hac Apocalypsi omnes tres temporum differentiæ, præteriti nempe, pręsentis, & futuri contineri. Verumtamen quia in exordio cuiuslibet operis attentio ab auditoribus postulatur, vt ea, quæ sunt futura, placide ac hilariter, necnon satis attente à quouis percipiantur, dum narrantur, antequam fiant, vt apparet in Psalmista dicente: [Audite hæc omnes gentes, &c. os meum loquetur sapientiam, &c.] ideo Archipropheta in exordio sui operis, de futuris petens attentionem ait: [Quæ oportet fieri cito.] Hinc Rupertus Abbas super hunc locū sic scribit: [Quod autem ait, quę oportet fieri cito, non ita intelligendum est, tamquam ea sola contineantur in hac Apocalypsi, quæ futura erant, & non ea quæ iam tunc erant, vel ea, quæ antea facta fuerant. Nam postmodum Ioanni dicitur; Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.] Verum quia circa illa, quæ cito futura erant, summa intentionis est, & propter illa maxime texunt pręterita siue præsentia; idcirco recte in exordio contentus fuit dicere: [Quæ oportet fieri cito,] Sic & Iacob Patriarcha in benedictionibus suis, non omnino taciturus erat de præsentibus, pręteritis, siue futuris; & tamen in exordio solummodo futurorum mentionem fecit, ita dicens: [Congregamini filij Iacob, vt annuntiem, quę futura sunt diebus nouissimis,

Futura placide audiūtur.

Psalm. 48.

Rup. Abb. in c. 1. Apoc.

Genes. 49.

F Scire porro hoc loco oportet, quod ly [cito] quadrupliciter à doctoribus exoluitur. Primo namque accipitur de die iudicij, ita vt asseramus hic Archiprophetam diem iudicij cito venturum prædixisse, ad illumque Ecclesias Asiæ sibi commissas, nosque cum illis ita comparasse, vt tamquam breui omnium rerum caducarum interitum spectaturi, summoque Deo vitæ rationem redditurі, hęc vana contemnere, ac prorsus spernere, & ad illa æterna cælestiaq; gaudia aspirantes, fidem moresque integros custodire curaremus. Necnon sobrie iuste, ac pie vitam in terris agentes (vt ait Apostolus ad Tim. 2.) beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, tamquam cito venturi, expectaremus. Et sic accipiendo ly [cito] asserere ex consequenti oportet, hoc loco voluisse Archiprophetam homines sic disponere, veluti quotidie ea mala visuri essent, quæ Ecclesiæ ventura denuntiat.

§. 3. Cito quadrupliciter accipitur.

Iudicij dies prope est.

G Quod plane communiter præstare propediem solent sancti Patres, inter quos est Cyprianus Martyr, qui de die Iudicij lib. 4. epist. 6. sic scripsit: [Scire debetis, & pro certo credere & tenere pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi, & Antichristi tempus appropinquasse, vt parati omnes ad prælium simus.] Secundo accipitur ly [cito] pro toto tempore præsentis vitæ. Quoniam totum nostrę vitæ tempus æternitati comparatū, veluti momentum vnum quippe est, eo quod ea prorsus, quæ grassatur inter astrologumē, & geometram reperitur etiam inter Sanctos & mundanos homines differentia. Nam geometra terram maximam esse describere solet, illam in regna, oppida, satrapias, prouincias, & ciuitates & castella diuidendo, vt videre est apud Ptolomæum, ac Pliniū; & ratio est, quia geometra de terra, tāquā de suę scientiæ obiecto agit. At vero astrologus, qui cælum meditatur, & eius astra pro obiecto habet, affirmat minimam stellam, quę est in firmamento, vniuersam terram magnitudine superare. Pari etiam modo mundani, reprobi, ac mali, qui de temporali dumtaxat vita semper loquuntur, eam in sæcula, regna, ætates, annos, menses, hebdomadas, diesq; diuidunt. At vero spirituales sancti, pij, ac iusti homines qui, æternitatem gloriæ in dies contemplantur, momentum & horam eam appellant. Quamobrem 1. Ioan. 2. dicitur: [Filij, nouissima hora est.] Et ob id Redemptor noster in Euāgelio operariorū vineæ suæ Matt. 20. totū præsens tempus, ab orbe condito (vt exponit Gregorius) vsq; ad finem mundi, horæ vnius spatio comparauit, conuentionem cum hominibus ad laborandum in vinea sua faciendo. Hanc expositionem tenent Haymo, dum ly [cito] sic exoluit, nempe, cito, id est in præsenti tempore; omne etenim tempus præsentis vitæ comparatū æternitati, quasi vnius horæ paruissimum est momentum. Ac etiam Primasius Episcopus Vticensis, cum in hoc capite super hæc verba: [Quę oportet fieri cito,] sic scribit: [In breui sane apud Deum dicitur, quantūcumque in hac vita morulis aliqui proteletur, cui propheta, Quoniam mille anni ante oculos tuos (inquit) tamquam dies hesterna, quę præterijt.] Quam quidem explanationē sequentes, oportet asserere, Archiprophetam nostrum sub his verbis; [Quæ oportet fieri cito,] tempus nostrum breuitati obnoxium semper extitisse indicare, cum illud æternitati comparatur; quoniam, vt ait D. Augustinus, Breue est, quidquid fine clauditur; & ob id cito oportere fieri ea, quæ per totum Ecclesiæ militātis regnum ipse iussu Dei facienda prædicabat. Tertio accipitur ly, [cito] quasi iam inceptū fuerit, quod ipse prædicabat. Cito namq; aliquid fieri dicitur, cum cito fieri incipit, quamuis cito finiendum minime sit, quemadmodum communiter dicimus, Crastina die vadam Romam, quia incipio illuc iter arripere, nec finiam, quoad vsq; perueniam; quia igitur huius reuelationis initium fuit etiam eorum, quæ in ea continentur, exordium, & continuo fiunt, nec vsque ad finem mundi fieri cessabunt; ideo dicit, cito fieri, quoniam tunc temporis Martyres persequutionem subiebant, & Ecclesia Dei iam graues persequutiones patiebatur, quæ nusquam

Cypr. Mar. l. 4. epist. 4.

Cito transit præsens vita.

Vita præsens diuersimode accipitur. Simile.

H Ptolom. in tabulis Europę, Asiæ & Africæ. Plin. l. de hist. nat.

Matth. 20. D. Greg. ho. 19 in euang.

Haymo.

I Primas. lib. 1. Apoc. c. 1.

Psalm. 89.

D. Aug.

K Comparatio.

quam non passura est. Visitata siquidem sacræ paginæ phrasis est, rem cito fieri dici, cum cito fieri incipit, vt sane liquide deduci potest ex his locis, Apc. 3. [Ecce venio cito.] Isa. 5. [Festinet & veniat cito opus eius.] Psalm. 87. [Cito anticipet nos misericordia tua; quia pauperes facti summus nimis.] Sap. 6. [Horrende & cito apparebit vobis.] Isa. 51. [Cito veniet Dominus, gradiens ad aperiendum.] & Lucæ 18. [Deus cito faciet vindictam.] Quarto tandem accipitur ly, [cito] in sua vi, proprioq; vigore, nimirum, vt opponitur aduerbijs, sero, &, tarde: quæ sunt aduerbia tarditatem indicantia; quoniam aduerbium, cito, in se dumtaxat sumptum, celeritatem, festinantiam, ac velocitatem dicit, iuxta illud: [Impij quasi fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.] Et in hoc sensu labores sanctæ matris Ecclesiæ, quos Archipropheta annuntiat, velociter, mature, ac festinanter inchoandi tunc proculdubio erant. Et sane sic factum fuit; quoniam cito, ac festinanter adfuerunt Neronis, Domitiani, Traiani, Antonini, Seueri, Decij, Valeriani, Aureliani, & Diocletiani crudeles persequutiones, & Ecclesiæ tribulationes, in quibus plerique Martyres Christi passi fuere. Et quælibet ex his quatuor aduerbij, cito, explanationibus sensum nostrum supra propositum nullatenus perhorrescit.

Phrasis sacræ Scripturæ.

Cito dicit festinatem.

Psa. 39.

Tyrāni persecutores Ecclesiæ & Martyrum Christi.

Præterea ly [oportet] in sacra pagina crebrius necessitatem quamdam secum adfert, ita vt ineuitabile sit, quin fiat id, quod dicitur: patet 1. Cor. 15. [Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.] Et Luc. 18. [Oportet semper orare & non deficere.] & Ioan. 12. [Oportet exaltari filium hominis.] & Matth. cap. 26. [Quomodo ergo implebuntur scripturæ; quia sic oportet fieri?] & ad Heb. 11. [Credere oportet accedentem ad Deum] & Lucæ 24. [Oportuit pati Christum.] Act. 14. [Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.] & Ioan. 13. [Illum oportet crescere, me autem minui.] & ad Tim. 1. [Oportet Episcopum sine crimine esse.] & alibi plures, in quibus locis ly, oportet, non significat expedire, vt aliquid fiat; sed necesse esse vt fiat, aut non posse non fieri: quo plane loquendi stylo, quanta sit diuini consilij stabilitas & firmitudo indicatur; quoniam, quę diuino consilio prædestinata sunt, immutari prorsus nequeunt, iuxta illud Matth. 24. [Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.] & Isa. cap. 46. [Concilium meum stabit, &c.] & Malachiæ 3. [Ego Deus & non mutor.] Est etenim Deus, veluti torrens inundans, qui retrocedere nequit, iuxta illud Iacobi 1. [Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.] Hinc maxima oritur pijs consolatio, nimirum vt Deus ea, quæ prædicit, siue sint mala, siue bona, mox absq; vllo dubio adimpleat. Promisit Deus se Abrahæ semen multiplicaturum, & fructum ventris Dauid super solium suum positurum. Abrahæ enim dixit Genes. 22. [Multiplicabo semen tuum, &c.] & Dauid ps. 131. [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam;] & promissa opere completa fuisse narrat Matthæus, dum in cap. 1. ait: [Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.] Ecce proculdubio Salomon (immo plusquam Salomon hic) in solio Dauid patris sui sedens in ęternum. Ecce insuper Isac filius & semen Abrahæ, quasi stellæ cęli, arenæque maris multiplicatus; quoniam de Christo filio Dauid, & Abrahæ intelligitur illud Isaiæ: [Generationem eius quis enarrabit?] & Apoc. cap. 6. [Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.] Excedit proculdio & cælorum stellas, & maris arenas numerus, & turba Christianorum. Promisit tandem Deus filijs Israel promissionis terram, dum illis dixit: [Dabo vobis terram fluentem lac & mel.] & mox promissum adimplens subiunxit: [Mitte viros, qui considerent terram Chanaan.] Et ad hæc sanctus Moyses quasi ex parte Dei exploratoribus viris dixit: [Considerate terram, qualis sit, & populus qui habitator est eius, vtrum fortis sit, vel infirmus; pauci numero, vel plures.] quasi dicat: Videte, si nunc adimpléda virtute Dei, promissis ab ipso olim nobis factis, omnino quadrent, vt sic eius clare fidelitatem intelligatis. Optime proculdubio, dicitur num, 33. [Non est Deus, sicut homo, vt mutetur, aut sicut filius hominis, vt mentiatur] Hinc Abraham eadem spe firmus, & certitudine confirmatus, filium, in quo genus suum multiplicandum audierat, sacrificare iussu Dei intendit, sciens, teste Apostolo, quia potens esset Deus illum à mortuis suscitare. Ad hoc ipsum plane spectat illud, quod promisit Christus discipulis suis, dicens: [Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo.] Quod plane opere compleuit, dum Matth. 17. dicitur: [Post sex dies assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos,] vt sic promissis satisfaceret, ostendens illis gloriam, in qua, teste Chrysostomo, postea venturus est.

§. 4. Oportere idē est quod necesse.

Deus nō mutatur.

Simile. Mutatio non est in Deo. Promissa adimplet Deus.

Promissiones Dei.

Isaiæ. 53.


Num. 13. terra Chanaā est promissionis terra.

ad Heb. 11.

Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9. Matth. 17.

D. Chrys. in Matth.

Conceptus Prædicabiles in textum.



NIMIS cito aliquando Deus ea, quę ad iram, iustitiam indignationemque suam attinent, operatur. Statim siquidem post primorum parentum peccatum, cum illis rixatus est Deus, illosque mox de Paradiso voluptatis expulit. Quamobrem Genes. 3. dicitur: [Eiecit Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitę.] eisdemque maledicens, Euę dixit: [Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; in dolore paries filios tuos.] serpenti etiam ait: [Maledictus erit inter omnia animantia, & bestias terrę.] ac etiam Adæ alloquutus fuit, dicens: [In sudore vultus tui vesceris pane tuo.] Rursus etiam post effusionem sanguinis iusti Abel, mox dixit Deus Caino: [Vagus & profugus eris super terram.] Item, infra quadraginta dies vniuersum orbem temporibus Noe, magno aquarum impetu repleuit; [Factum est diluuiū (dicitur Gen. 7.) quadraginta diebus & quadraginta noctibus.] Infra etiam quadraginta dies ciuitatem illam Niniuitarum, tot annorum, ac denariorum numero fabricatam, minatus est subuersurum sub his verbis: [Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.] Porro aurora adhuc rutilare inchoante, duæ illæ Sodomorum, & Gomorhęorum tot titulis illustratæ ciuitates, igne & sulphure iussu Dei, ignitæ & penitus subuersæ apparuerunt. [Sol egressus est super terram (dicitur Gen. 19.) & Dominus pluit super Sodomam & Gomorham sulphur & ignem de cælo.] Cui facto simile aliud narrat Philosophus, 1. lib. de cælo & mundo, circa illas duas Achaiæ vrbes, nempe Burin & Elicen olim aquis obrutas, de quibus cecinit Ouidius dicens.

Conceptus 1. Quod Deus cito ad iracūdiam peccatis hominum prouocatur eosq; cito punit.

Ira Dei.

Peccatores cito punit Deus.

Ioan. 4.

Arist. 1. lib. de cælo.

Si quæras Elicen & Burin Achaidas vrbes.
Inuenias sub aquis, & adhuc ostendere nautæ.
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Ouidius.

Præterea infra horam vnam, populum suum eduxit Deus de Ægypto, primogenitis Ægyptiorum ab homine vsq; ad pecus occisis. [Media nocte (dicitur Exod. 11.) ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum á primogenito Pharaonis, qui sedet in

solio

solio eius, vsq; ad primogenitum ancillæ.] Hora insuper vna durum Pharaonem, & exercitum eius in mari rubro submersit. [Interfecit exercitum eorum (dicitur Exod. 14.) & submersit rotas curruum.] Morula quadam, vnico siue instanti, dæmonem è cælo in ignem æternum eiecit. [Vide satan (dicitur Isa. cap. 4.) sicut fulgur descendentem de cælo.] Vides igitur, quā cito Deus ea, quæ ad iram suam sanctissimam attinēt, prompte operatur? Optime quidem de ira Dei, ait Salomon Sap. 6. [Horrende & cito apparebit vobis.] Ira namque Dei homines nequam propter eorum scelera cito perierunt, ac propediem, tamquam puluis, qui disperditur cito a procella, tamquam arena vento cito disiecta, tamquam ros matutinus, tamquam sibilus sagittæ emissæ, tamquam ictus tonitrui, & tamquam coruscatio cito perstringens. Et quemadmodum terr ficum atq; nimis horrendum est nauem videre onerariam medio in freto hinc inde a ventis impeti, agitari, marisq; fluctibus operiri, ingemiscere, rimisq; fatiscere, ac suo modo nautarum alloqui metu, exanimatorum implorare subsidium: sic etiam, teste Fulgentio, horrendum, immo horribilius esset spectaculum, si humani cerni posset oculis, cum Deus improborum corda multorum conscia, suo vehementi spiritu in medio ipso vanitatis atque ambitionis pelago & æstu exagitare ea perit. Vidistisne apud Euangelistas, qualiter Christus pro nobis patiens in cruce citissime, nimirum spatio trium horarum solem obscurauerit, terram tremere, lapides se inuicem collidere, monumenta adaperire fecerit, Iudam & latronem nequam ad infernum miserit? quod plane proinde factum esse putare debetis, nimirum quod si Christum vitijs, ac sceleribus hodie & cras hinc & illinc, mane & meridie offenderitis, citissime ira eius vobiscum vtiq; aderit, & proculdubio mox peribitis, & ab ira Dei fugiendi locus vobis nullatenus erit; quinimmo quemadmodum dolor, quo mulier parturiens afficitur, eam, vbicumq; euenerit, detinet, nec effugiendi locus ei est: sic scelerati, ac pessimi peccatores, vbicumq; sint, cum Deo visum fuerit, diuinam vltionem experientur, omnisq; fugiendi adimetur potestas. [Si ascendero in cælum, tu illic es; (dicit Psalmista) si descendero in infernum ades.] Idcirco videte, quid faciendum sit: quoniam indignatio diuina nec tardat, nec minus differtur, etsi fortasse differtur, non tamen aufertur. [Memento iræ Dei: (dicit Sapiens Eccl. 7.) quoniam non tardabit.] & Paulus etiam ait ad Rom. 1. [Reuelatur enim ira Dei de cęlo, super omnem impietatem, & iniustitiam hominum.] & alibi: [Ira & indignatio, tribulatio, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum.] & ad Heb. 10. [Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.] Cito itaque ac nimis cito Deus res suas operatur: hinc nullatenus mirum esse debet, si Iudæis dicit Christus Ioan. cap. 2. [Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.]

Simile. — Comparatio. — Fulgentius in Psalm. 48. — Solutio. — Psal. 138.

Conceptus 2. Quod mors cito aduenit & mūdana cito transeunt.



DVO ista verba, oportet, nempe, &, cito, Imperium dominiumq; haud exiguum sane important. Solent etenim Domini, Reges, Principes, Imperatores, Comites, Marchiones, Prælati, & Superiores ore suo semper circumferre hos duos loquendi terminos, oportet, &, cito, & præcipue circa sibi subditos, quibus passim dicunt: [Oportet hoc, quod ego dico, cito fieri.] Quapropter supremus ille Dominus & Rex Regum Deus passim in sacro eloquio his duobus terminis, oportet, &, cito; crebro vtitur. Quoniam si Deus in sacra pagina de morte loquatur nostra, mox sequitur: [Quæ oportet fieri cito.] si autem sermonem habet de mundi vanitate, mox subiungitur: [Oportet vt cito transeat:] si tandem de tribulationibus agit, mox etiam additur: [Quæ oportet fieri cito.] Quocirca nullatenus negandū est hos duos terminos, oportet, &, cito, ad varios sensus & conceptus omnino applicabiles esse. Estote quæso attentissimi si placet. Quid enim citius oportet fieri, quam mors? nihil plane: [Nescitis diem (dicit Christus) neque horam.] Nonne mirabile est hoc, nimirum, mortem esse adeo certā, vt eam euitare minime possimus, & alioquin hac suppposita certitudine diem aut horam eius prorsus ignoremus? O dij immortales, quæ quæso est huius mortis incertitudinis causa? nulla alia profecto, nisi quia oportet fieri cito. Et, si quam cito fieri oportet intueri desideras, audias, rogo, ita citissime oportet fieri, vt vnico dūtaxat aquæ frigidæ calice, vnico ardenti lateris dolore, vnica febricula, &c. mox hęc delicata nostra corpora sepulchris subiaceant, optime quidem Apostolus cum de fragilitate, & caducitate præsentis vitæ verba fecerit, ait: [Habemus thesaurum nostrum in vasis fictilibus.] Quid etenim corpore nostro fictilius? Profecto amphora illa egrediens, quam Zacharias c. 5. vidit non erat corpore nostro fragilior. Porro, quid oportet citius transire, quam gaudia, lætitiæ, deliciæ, ceteraq; huius vitæ delectamenta, ac oblectamenta? nihil sane: [Omnis caro fœnum, (dicitur Isa. 40.) & omnis gloria eius, quasi flos agri: exsiccatum est fœnum & cecidit flos.] Iob etiam hoc ipsum ostendens, ait: [Gaudium hypocritæ & instar puncti.] & alibi: [Velocius transierunt dies mei, quam a texente tela succiditur, & cōsumpti sunt absq; vlla spe.] Quocirca optime cecinit Ouidius dicens:

Mors cito venit. — Matth. 24. — Mortis incertitudo. — Gaudia mūdi cito finiuntur. — Iob. 27. — Iob. 7.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas.
Omnia destruitis, vitiataque dentibus æui.
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Ouidius.

Et ne longius abeam, audistisne diuitem illum secum gloriantem & dicentem Lucæ cap. 12. [Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.] Et mox illi dictum fuit è cælo: [Stulte hac nocte repetent a te animam tuam: quę autem parasti cuius erunt?] vides, quam cito bona huius mundi transeunt? sunt plane veluti serpentes & anguillæ, quæ quanto fortius manibus astringuntur, tanto citius a manibus ipsis euadunt, quinimmo aliquando venena vbique spumant. Vultis scire, quam inanis & vana sit gloria huius sæculi, & omnes diuitiæ mundi caducæ? Audite quæso. Matthæus in cap. 4. narrat, quod tentator ostendit Christo omnia bona mundi, sic enim ait: [Et ostendit ei omnia Regna mundi & gloriam eorum.] & hæc omnia regna & gloria hominum, si bene inspiciris Euangelium, in solo ictu occuli mox euanuerunt. Quoniam omnia phantastico artificio astructa fuere à tentatore.

Simile.



D I-

DISPVT. VI.

In Cap. primum Apocalypseos, de quibusdam difficultatibus contra textum.

In tres Quæstiones distributa super illa verba : *Quæ oportet fieri cito.*


Prologus disputationis.



T textus facilior reddatur, tria hic indagare duxi. Primo, quomodo ista, quæ hoc loco narrantur, cito eacienda, nondum facta sint. Secundo, quomodo cito fient ea, quæ in hac Apocalypsi narrantur, cum eorum maxima pars ad consummationem sæculi & ad Antichristi tempora pertineat. Tertio, quomodo ista necessario fienda non tollant liberi arbitrij libertatem ?

Quæstio. I.

Quomodo ista quæ hic narrantur cito fienda, nondum facta sint ?



D enodationem præfatæ difficultatis multum iuuat illud Act. 1. [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate;] nihilominus tamen dicimus multa, quæ hic narrantur iam esse completa, vt sunt Ecclesiæ decem Tyrannorum Imperatorũ, nimirum, Neronis, Diocletiani, &c. persequutiones, & Apostolorum, ac Martyrum passio. Alia autem, quæ fienda adhuc supersunt, fient cito ac breuiter ad placitum Dei, & non ad nostram voluntatem; quoniam hæc verba: [Quæ oportet fieri cito,] ad mentem diuinam & ad beneplacitum Dei referenda proculdubio veniunt, & nullatenus in ordine ad nos. Et quando Deus operatur, cito plane operatur, cum operetur in instanti, nos autem dum operamur, tarde operamur, cum in tempore operemur. Hinc est, quod licet Deus per suum Archiprophetam loquatur; tamen more suo loquitur, quo ea, quæ hominibus longissima, ac prolixa videntur, illi vera, & semper eadem sunt, & cum ipse vult, in instanti fiunt, & habent esse coram hominibus. Accipienda itaque sunt præfata verba : [Quæ oportet fieri cito,] perinde vt nos loqui solemus, dum pollicemur aliquid cito facturi, non vt ille intelligit, cui loquimur, sed vt nos intelligimus, qui loquimur. Quamobrem, quod illi sero & tarde factum fuisse, mihi nimis cito factum esse, videtur; & sic in presenti. Huic affine accidit in illo celebri euangelio nuptiarum Canæ Galileæ, Ioan. 2. cum

Apoc. ex ñi parte quare adhuc nõ est completa.

Apoc. ex aliqua parte iã est completa

Cito accipitur quoad Deum. Deus operatur in instãti.

Comparatio.

A Maria Virgo dixit filio suo Iesu Christo : [Vinum non habent.] quibus verbis proculdubio apparet Virginem gloriosam mirum in modum desiderare, vt illic aliquod miraculum filius suus adoperaretur coram omnibus inuitatis, cui respondit filius : [Quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea.] perinde ac diceret : Cito Mater mea videbis miraculum, verumtamen hoc erit, cum aderit hora mea: quapropter hora Christi iam adueniente, mox sequitur: [Haurite nunc, & ferte Architriclino.] pollicitus igitur fuit Christus Matri suæ se primum miraculum in Cana Galileæ cito facturum; verumtamen, non vt illa, & quando illa intelligebat, & volebat, sed quando ipsi expedire magis videretur. Pari etiam modo ista cito fienda, (quæ adhuc fieri cito supersunt) fient cito plane, verum ad beneplacitum Dei, & cum illi magis expediens visum fuerit. Et idcirco ista nondum facta
B sunt, quia ipse adhuc ea opere adimplere noluit.

Horas suas habet ad operandum.

Quæstio. II.

Quomodo cito fient ea, quæ in hac Apocalypsi narrantur, cum eorum maxima pars ad consummationem sæculi, & ad Antichristi tempora pertineant ?

C



RIMASIVS Episcopus Vticensis huic difficultati satisfacit dicens: [In breui sane apud Deum dicitur, quantiscumque in hac vita morulis protelletur, cui Propheta : quoniam mille anni ante oculos tuos, inquit, tamquam dies hesternus qui preterijt.] sic ille. Et optime quidem. Verumenimuero, nos alijs duobus modis quæsito respondebimus, quorum primus est. Iudicium Dei cito futurum esse, etsi tibi more humano prolixum (quoad omnes generaliter) videtur, subiunge tu, cito fiet; quia cito eueniet tibi. Hinc Diuus Hieronymus ait : [Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper illa vox
D auribus meis insonare videtur : O vos mortui surgite ad Iudicium.] Secundus respondendi modus est, iudicium Dei iam in parte incœptum esse; quoniam ad iudicium Dei expectant seditiones, prælia, & alia his similia, iuxta illud Lucæ cap. 21. [Cum audieritis prælia & seditiones, nolite terreri; oportet primum fieri, sed nondum statim finis.] At nunc ad oculum intuemur pleraq; prelia, seditiones, fames hæreses per orbem vniuersum, inchoatasq; haud exiguas Tyrannorum persequutiones, & vt tenet commune axioma id quod incipit, iam fit, & cito fit, etiamsi cito non sit finiendum : quare iudicium Dei iam exparte incœptum vtique est. Hoc eodem loquendi stylo vti solet aliquando sacra pagina, vt apparet in illo psalm. 2. [Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersum Dominum & aduersus Christum eius.] Quod plane fiebat cum Herodes,
E & Pilatus insurrexerunt aduersus Dominum Iesum, vt Apostoli docent Actor. 4. quia tunc cœpit impleri illa prophetia, quæ tamen vsque ad hęc tempora, & vsq; ad finem sęculi extenditur.

Primasius in comment. Breue est apud Deum qui libet longum tempus. Psalm. 89.

Iudiciũ Dei cito futurum.

D. Hieron.

Iudiciũ Dei iam in parte est incœptum

Persequutiones per orbẽ.

Quæ-

Quæstio III.

Quomodo ista necessario fienda, vt dicit ly, *oportet*, non tollant libertatem nostri liberi arbitrij?

Theod. Beza. Lutherus. Vvicleff.



HANC difficultatem moueo hic contra Theodorum Beza hæreticum, necnon contra Lutherum, qui in assertione suorum articulorum, art. 36. opinionem Vvicleff condemnatam in Concilio Constant. sess. 8. sequutus, tenet omnia euenire ex pura necessitate in operibus humanis, & etiam contra Caluinum lib. 1. inst. cap. 15. & lib. 2. cap. 2. negantem, post peccatum Adæ in homine liberum remansisse arbitrium, immo illud necessitati omnimodę subiectum facit, ac tandem contra Stoicos, & Ciceronem, quos refutat D. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 9. ex eo vtiq; quia & præscientiæ Dei & certitudini eiusdem directe aduersantur.

Conc. Const. — Caluinus. — Stoicos. D. Aug.

1. assertio. Sit verissima assertio. Ea, de quibus dicitur in textu: [Quæ oportet fieri cito,] fient, non absoluta necessitate, (cum ex se futura sint contingentia, quæ non sine magno impiorum scelere implebuntur) sed necessitate conditionata, & ex hypotesi suppositioneque consequentiæ, & non consequentis. Probatur. Tum quia diuina prouidentia rebus mutabilibus necessitatem nullatenus imprimit, nec hominibus libertatem tollit. Tum quia illa, quæ à Deo præuisa sunt, & ab eius sapientia ad electorum profectum sunt ordinata, non possunt secundum assignatam rationem non euenire. Tum quia D. Chrysostomus super cap. 18. Matthæi sic scribit: [Non his verbis arbitrij tollit libertatem, neque necessitatem aliquam & violentiam vitæ imponit, sed quod ob prauam hominum mentem futurum erat, prædixit, ob eorum, qui curari non poterant, voluntatem. Non enim quod hæc prędixerit, idcirco hæc facta sunt, sed cum proculdubio futura essent, ideo prædixit.] sic ille. Cui sane fauet D. Augustinus li. 5. de Ciuitate Dei, cap. 10. sic scribēs: [Non ergo propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc præsciuit, nihil pręsciuit. Porro si ille, qui præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid præsciuit; profecto & illo præsciente est aliquid in nostra voluntate.] & rursus de libero arbitrio lib. 3. cap. 4. [Non est consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarum, nihil fit in nostræ voluntatis arbitrio: & ipse quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est ordo. Atque ita qui omnium rerum causas præsciuit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præsciuit.] Quibus etiam sane opitulatur D. Anselmus, lib. de Concordia præscientię, & libero arbitrio cap. 1. sic scribens: [Si aliquid est futurum sine necessitate, hoc ipsum præsciuit Deus, qui præscit omnia futura. Quod autem præscit Deus, necessitate futurum est, sicut præscitur: necesse est itaque aliquid esse futurū sine necessitate.] & paulo post: [Non debes dicere præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum, sed præscit me Deus peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum. Et ita sequitur, quod siue peccaueris, siue non peccaueris, vtrumque sine necessitate erit.] sic Anselmus. Ex quibus Sanctorum Patrum dictis sequitur aperte, quod præscientia non tollit rerum futurarum contingentiam, quatenus est causa efficax illarum, neque tollit etiam illam, vt est certa pręcognitio earumdem rerum futurarum. Quoniam ipsa certitudo diuinæ præscientiæ, terminata fuit obiectiue ad contingentiam quoque eorumdem effectuum, videndo nimirum illos euenturos esse à causis eiusmodi, quæ possent etiam secus facere; & sic certitudo præscientiæ non tollit contingentiam effectuum.

2. Ratio. Prouidētia diuina nō tollit libertatē. — 2. Ratio. 3. Ratio. D. Chrys. — D. Aug. — S. Aug. — D. Anselm. — Liberū arbit. saluatur. — Præsciētia diuina nō tollit cōtingētiā effectuum.

F G H I K

Nota bene. Verumtamen quia locus iste: [Quæ oportet fieri cito,] dicit necessitatem consequentiæ, quam etiam dicunt pleraque sacræ Scripturæ loca, vt videre est Matth. cap. 18. dum dicitur: [Necesse est, vt veniant scandala,] & Lucæ 17. [Impossibile est, vt non veniant scandala,] & 1. Cor. 11. [Oportet hæreses esse,] operæ pretium erit explicare hic, quæ sit ista necessitas consequentiæ; ad quod intelligendum nota, quod duplex est necessitas; quædam nimirum absoluta, quæ aliter vocatur necessitas consequentis, secundum quam, necessarium est Deum esse, hominem esse rationalem, lapidem esse non sentientem, & animal sentire. Alia vero est necessitas conditionata, quæ vocatur necessitas consequentiæ, secundum quam necessarium est, si homo currit, quod moueatur, & tamen absolute, neque necessarium est, quod currat, neque moueatur, quinimmo vtrumq; est contingens. Quamobrem S. Thom. 4. sent. dist. 38. dicit, quod ista necessitas conditionata, ex tribus oriri solet, nimirum ex Dei prædestinatione. sicut dicimus, Necesse est hoc esse, si illud Deus præuidit. Secundo ex inclinatione fomitis, sicut etiam dicimus, quod necesse est peccare venialiter, quamuis sit possibile, quod singula peccata venialia vitemus. Tertio ex vtilitate consequente, quam Deus de aliquo malo, puta scandalo, elicit, & sic omnia dicuntur necessaria. Et ista necessitas conditionata, siue consequentiæ libertatem arbitrij nullatenus destruit; quinimmo secum se compatiuntur. Et testantibus D. Chrysostomo, Theophylacto, & Abulense super cap. 18. Matth. necessitas ista conditionata siue consequentiæ, ex libero arbitrio sortitur originem. Quamobrem sic explicant hæc verba: [Necesse est, vt veniant scandala,] dicunt siquidem, quod ly, necesse, necessitatem conditionatam siue consequentiæ dicit; quoniam quilibet vult viuere secundū libitum suum. Inclinatio autem hominis est naturaliter ad malum secundum statum naturæ lapsę, iuxta illud Genes. 8. [Omnis ætas ab adolescentia sua, prona est ad malum.] Et licet raro possit emendari, coercendo desideria affectus nostri; tamen tolli omnino ista desideria est impossibile ex conditione naturæ. Quamobrem, si homines volunt viuere secundum ista desideria, necesse est, quod veniant scandala, quia secundum talia desideria concupiscit quis quod malum est, ideo necesse est venire scandala. Quod autem homines viuant secundum passionis affectus, voluntarium est, dato tamen quod velint sic viuere, necessarium est scandala venire, & tamen sic volunt viuere: ergo necesse est, quod veniant scandala, & necessitas ista ex libero arbitrio sortitur originem. Quoniam videns Dominus, qualiter homines in itunt malo, neque pronum aliquid boni, dixit, quod quantum est est consequentia eorum, quę videntur, necesse est contingere scandala. Sicut medicus videns quemquam mala dięta vtentem, dicit necesse est hunc ægrotare: quamobrem illud [necesse] dicit necessitatem conditionatam, & certitudinem, quæ simul stat cum libertate arbitrij; quoniam ad certitudinem præscientiæ Dei satis est, quod alterum tantum appositorum sit futurum, nec requiritur, quod aliter simpliciter non possit esse. Quare id, quod Deus futurum præscit, & suppositione præscientiæ necessario futurum est; hoc est considerando eam simul cum effectibus eius, quod dicitur in sensu composito. Id propterea merito ea, quæ hic præscita esse proponuntur, oportere, vt eueniant sub his verbis: [Quæ oportet fieri cito,] sacra affir-

Necessitas est duplex. Necessitas propria & absoluta quę sit. — S. Thom. Necessitas conditionata tripliciter capitur. — D. Chrys. Theophyl. Abulens. — Scandalū vnde oriatur. — Simile. — Præscita à Deo necessario eueniunt.

affirmat pagina, intelligendo de necessitate conditionata siue consequentiæ, aut ex hypotesi, vt tenet assertio nostra. Si enim curro, necesse est me moueri, ceterum absolute non est necesse me moueri, quia non necessario curro. Et eodem pacto si amo, necesse est me habere actum amandi, verum non necessario amo, quia possum cessare ab opere amandi. Et si disputo, necesse est me loqui, non tamen necessario loquor, quia non necessario disputo. Vnde huiusmodi necessitas nó est absoluta, sed conditionalis. Necesse namq; est has esse veras conditionales, Si amo, habeo actum amandi, si disputo, loquor, si curro moueor, ceterum neque consequens, neque antecedens est absolute necessarium. Et ita in his, vt docet noster Mag. Zumel in 1. par. S.Thom. q. 14. art. 13. disp. 3. in sol. ad 1. est necessitas consequentiæ & non consequentis.

Mag. Zumel.

Dissoluitur lapsus hæreticorum.

Et ex dictis facile soluitur error & lapsus Lutheri, Beza, Caluini, & aliorum hæreticorum, liberum negantium arbitrium, cum necessitas ista ex suppositione consequentiæ simul stare queat, (vt sane stat) cum libertate arbitrij. Copulatur enim infallibilitas scientiæ diuinæ, & prouidentiæ, & coniungitur simul cum contingentia rerum, & libertate liberi arbitrij, vt docet S. Thom. 3. contra gentes cap. 94. & p. 1. q. 22. art. ad. 1. In qua plane copulatione & coniunctione Deus, vt perdocte tenet noster Magister Zumel in suis comment. in 1.p.D.Thom. q. 14. ar. 13. disp. 6. concl. 2. & 3. modificat omnes causas & omnem concursum in genere causæ efficientis, tamquam prima & efficacissima omnium causa; at vero causa secunda secundum modum, quem in se habet, modificat in genere causæ materialis. Quod plane explicat ipse doctissimus vir duobus hisce exemplis. Pictor siquidem eligit penicillum, & disponit atq; modificat pro voluntate sua ad depingendam imaginem; nihilominus penicillo ipso iam modificato, ipse in se habet talem aptitudinem formaliter, taliter est dispositus, vt quando actualiter mouetur artificiose à pictore secundum modum, quem habet, sequatur effectus. Scriptor insuper modificat calamum ad litteras taliter exarãdas, & quamuis modus ipsius calami fuerit sub electione scriptoris, & ab ipso processerit efficienter; nihilominus cum actu scriptor scribit concursus eius materialiter modificatur à calamo secundum modum, quem scriptor præfixit & elegit. Pari etiam modo quamuis omnia fiant, sicut Deus voluit, & disposuit omnia modificando, nihilominus tamen quoniam causæ secundæ in seipsis habent formaliter, & actualiter diuersos modos causandi, recipiunt quidem influxum, & motum secundum modos sibi proprios.

S. Thom. — Mag. Zumel. — Comparatio. — Comparatio.

PARAPHRASIS
Decima.

Par. 10. Enodatio textus. §. 1.

Et significauit (ait) **mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.** Ad arcana, & futurorum cælestia mysteria hic hoc verbo [Significauit] Archipropheta noster nos ducit. Ob idque Primasius super hunc locum ita acute sane scribit: [Dicendo significauit aliquid etiam futurorum, & mysteriorum ostendit, nec superficie litteræ nos voluit remanere cõtentos, quos ad mysteria altius perscrutandã significationis verbo fecit intentos.] sic ille. Itaque Iesus Christus significauit, hoc est per signum intelligibile ostendit, hanc visionem siue reuelationẽ, seruo suo Ioanni, mittens per Angelum, cui ipsemet Christus primo reuelauit, tamquã digniori, vt ipse Angelus postea ab eo missus seruo suo Ioanni, tamquam eius secretiori amico annuntiaret, illum ita instrueret, vt postea ipsemet Ioannes conseruis suis, nempe fidelibus de Ecclesia sancta Dei camdem sanctam reuelationem affatim manifestaret.

Primasius in c. 1. Apoc. — Apoc. reuelata fuit ordine quodam.

§. 2. Significo verbũ est frequẽtissimũ in sac. pagina.

Et singula seorsum percurrendo verba contexus dico, quod verbum [significo] crebro, ac frequenter in sacra pagina reperitur. Etenim Ioan. 19. dicitur: [Hoc autem dixit significans, qua morte esset clarificaturus Deum.] & cap. 12. & 18. [Significans, qua morte esset moriturus,] & Act. 25. [Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.] & 1. Cor. 1. [Significatum est mihi de vobis ab ijs, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.] & ad Heb. 9. [Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam.] In quibus omnibus locis [Significare] idem est, quod aliquid per signum vel per verba obscura, ac ænigmata ostendere, indicare, manifestare, declarare, notum facere, demonstrare, aut denuntiare: quamobrem hoc in loco, verbum [significo] accipitur pro aliquid verbis obscuris, ac ænigmatibus vel signis imaginarijs mediantibus ostendere, vt recte exponunt glossa ordinaria, glossa interlinearis, S. Thomas, Lyranus, Beda, Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, Iacobus Suarez à Sancta Maria, & communiter omnes Doctores, vno dempto Francisco Ribera, qui super hunc locum existimat [significare] idem esse, quod absolute, & absque signo aliquo manifestare: quid quod tacite insurgit contra S.Thomam vertentem sic? [Et significauit, id est, sub signo siue sygillo figurarum ostendit, vt patet Daniel. 12. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.] ac etiam contra Rupertum Abbatem sic exponentem: [Significauit, hoc loco idem est, ac si diceret: Signauit, id est, quibusdam imaginum sigillis clausit atque obfirmauit, vt non cunctis, sed tantum diligentibus paterent atque studiosis.] Contra quos, inquam, insurgit Ribera tacite dicens, contrarios suæ opinionis confundere, & miscere absque aliqua differentia verbum [signo] cum verbo [significo,] quod vitium est apud Græcos, apud quos tenet ipse nusquam poni verbum [signo] pro verbo [significo] licet apud Latinos id sæpe fiat. Sed quidquid sit de hac opinione Riberæ, infra in sequenti disputatione apparebit; hic tamen modo restet certum, significare idem esse, quod per signa ostendere, vt supra enodatum est; quoniam noster Prophetarum Propheta Ioannes, habuit hic hanc reuelationem per imaginarias visiones, intuendo, vt crebro ac frequenter ipse ait, Candelabra, Dracones, Enses, Mulieres, &c. Et præterea quid talia significarent, intellexit: imaginariæ autem visiones nequaquã fieri possunt absq; signis, ob idq; recte enodatur textus [& significauit] sic exponendo, id est signo manifestauit.

Significare est ostendere per signa. — Gloss. ord. Gloss. interl. S. Thom. Lyranus. Beda. Rup. Abb. Auctor Incog. Iac. Suarez à S. Maria. — Controuersia — Ribera nõ tenetur ab auctore.

§. 3. Signũ aliquãdo idẽ est q miraculum.

Signum autem in sacra Pagina sæpe significat miraculum, iuxta illud Psalm. 104. [Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius.] & sic non accipitur hic à nobis, sed quatenus signum est tantum ad significandum à Deo institutum, iuxta illud Psalm. 73. [Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt sicut in exitu super sũmum.] Vbi loquitur Psalmographus de Romanis, & Babylonijs, qui capta ciuitate sancta Ierusalem in signum victoriæ posuerunt vexilla in locis altis, & in portis. Quamobrem dicit: [Posuerunt signa sua] id est vexilla, dracones, & aquilas, quibus in prælio vtebantur, & replicat [signa] in indicium doloris, vt sic ad celerem vindictam prouocaret iudicem, ostendens, quod suis viribus victoriam adscriberent, & non Deo. Et in hoc sensu signũ quadrupliciter accipitur apud Theologos & sanctos Patres. Primo namque accipitur signum, pro eo quo signatur id, quod actu fit, qualis est septuplex lotio Naaman Syri in Iordanẽ 4. Re. 5. Quæ quidem lotiones significabant emundationem à lepra, quam tunc diuina virtus in illo homine operabatur: in quo plane genere signorum reponenda veniũt nouæ legis sacramenta, quæ faciunt id, quod significant, & sic dicuntur signa. Secundo accipitur signum pro eo, quod significatur, non tantum id, quod fit, verum etiam aliud multo præstantius olim futurum, exempli causa,

Signũ quadrupliciter accipitur. — Signi secunda significatio.

causa,

causa, Iosuæ cap. 6. Iussit Deus ad euertendos muros Ierico sacerdotes septies muros circumire tubis clãgentes, quod non tantum destructionem illius vrbis significabat, verumetiam, omnem idololatriæ potentia per Euangelij prædicationem omnino se destructũ ire prætendebat. Ad hoc etiam genus signorum pertinet serpens ille æneus, Num. 21. in deserto erectus à Moyse, quem aspicientes sanabantur à morsibus serpentium. Ille namque serpens non tantum signum fuit illius corporalis, ac temporariæ sanitatis, quam spiritualis, & æternæ salutis, quam Deus per crucem filij sui humano generi daturus erat, sicuti ipsemet Christus cap. 3. Ioan. interpretatus fuit. Tertio insuper accipitur signum pro eo, quo signantur res, quę sunt ad aliquem certum vsum comparatæ, & præterea ad aliud quidpiam significandum erat constitutum à Deo. Huius generis signorum fuere Moysaicæ cærimoniæ ab Hebræis ita custoditæ, tũ propter Dei cultum antiquum, tum propter significationem mysteriorum nouæ legis à Deo institutę. Quarto tandem accipitur signum pro eo, quod ad significandum aliquid dumtaxat à Deo institutum est, qualia sunt signa omnia, quæ à prophetis, vel dormientibus per somnia, vel vigilantibus per imaginarias similitudines siue in raptu, siue in extasi dabantur. Et in hoc quarto genere signorum accipitur signũ à nobis, dum dicimus, significare, idem esse, quod signo aliquid ostendere. Quoniam noster Vates hanc suam Apocalypsim, visionem, siue reuelationem habuit à Deo, intuendo candelabra, stellas, dracones, enses, phialas, mulieres, & alia pleraque signa imaginaria, vt ipse passim narrat se vidisse. Quæ quidem signa proculdubio à Deo instituta fuere ad significandum. Et reuera quæ futura sunt semper hoc modo, nimirum sub quibusdam signis, significare dicuntur in sacra pagina. Quoniam si manifesta & absque velamine aliquo omnium oculis paterent, ac præsentarentur, fieri plane posset, vt Dei arcana, & diuina secreta ab hominibus paruipenderentur, & vt fas est, & decet, nullatenus æstimarentur: ne igitur vilescerent diuina mysteria, Deus Ecclesiæ suę, prophetisque suis futura, sub quibusdam signis, reuelare semper contentus fuit. Quinimmo temporibus gratiæ, in nouo nimirum Testamento plerasque proposuit Christus Redemptor noster parabolas, iuxta illud Matth. 13, [Et sine parabolis non loquebatur eis.] quasi sua arcana, parabolis, id est, obscuris similitudinibus, & quasi velamentis ita tegeret, vt videntes, non viderent, & audientes, nullatenus intelligerent, vt sic Doctores omnes multum in ea discenda industriæ laborisque ponerent, verba ponderando & multa disputando, vt vnusquisque secundum talentum acceptum à Domino negotiandi, ac lucrandi, solicitus veram intelligentiam consequi curaret. Tritum quidem est prouerbium: [Omne commune vile.] Quamobrem etiam sagax natura non solum terræ venis aurum, argentum, & ea, quæ pretiosa sunt, abdidit, verum etiam lapides pretiosiores quasi quibusdam squammis mire cooperuit, vt in adamante apparet, qui nisi à perito lapidario elaboretur, & ictibus quamplurimis malleoli fortiter tundatur, valorem suum nullatenus ostendit: sic Deus arcana sua signis quibusdam significare semper voluit, vt in illis sic obscuritate tectis elaborandis, hoc est explicandis, ac declarandis, multum insudarent Doctores Ecclesiæ. Ideo ipsemet Christus ait: [Scrutamini scripturas, quià ipsæ testimonium perhibent de me.] & Diuinus Citharœdus sic est affatus: [Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea.] & iterum: [Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.] vbi ly [scrutamini, exercebor, scrutabor] solicitudinem, ac magnitudinem studij & laboris tamquam in rebus sublimibus, & difficilibus indagandis manifeste indicant. Idcirco 1. Pet. 1. dicitur: [De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus, significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt

Signi tertia significatio.

Signi quarta significatio.

Futura sub signis sẽper reuelauit Deus Ecclesiæ, ac Prophetis.

Parabolę quare propositę fuerũt à Xpo in Euangelio

Cõmune est vile scit.

Comparatio.

Ioa. 5.

Psal. 118.

F passiones & posteriores glorias.] Hac etiam industria, ac artificio diuino pleraque voluit Deus nobis, & secreta & abscondita semper fore, vt est status gratiæ, & salus nostra, de qua dicitur: [Nescit homo, verum odio, vel amore dignus sit.] Dies etiam mortis nostræ, de quo plane dicitur: [Nescitis diem neque horam.] & randem extremum iudicium, de quo dicitur: [De die, & hora Iudicij nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.] Nobis itaque abscondita sunt hæc omnia, ne illa scientes, ac clare intelligentes, ea vilipenderemus, & vt etiam illa ignorantes nos à vitijs quamplurimis caueremus. Hinc S. Thomas in hisce commentarijs, super hunc locum sic eleganter sane scribit: [Quęritur quare scriptura edita est sub tanta obscuritate? quæ vtilius videretur, si aperte intelligeretur? Respondeo, ad hæc prædicta intelligendum, quod sapientissime condita est scriptura, ita quod
G in quibusdam locis est aperta, ne omnino clausa videatur, & inde diffidentia intelligendi generetur, & vt simplices aliquid inde capiant, & vt per ea, quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum. In quibusdam vero locis est occulta & velata, & hoc triplici ratione, scilicet propter indignos, ne sit eis locus peruertendi, vt dicit gloss. vnde Amb. Non propter seruos fideles, sed propter fures diuitiæ sub sigillo clauduntur. Item propter fastidiosos; quia multa fastidirent, & contemnerent: nunc autem gratius, & pretiosius, & sapidius, est cum inuestigatur, & hoc exigit reuerentia diuinæ virtutis: hæc duplex ratio habetur in gloss. Item propter diuersos exponendi modos, ex obscuritate enim verbi, habetur via ad multiplicẽ modum exponendi veraciter. Vnde Augustinus li. 3. de doctrina Christiana: Quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus prouideri, quam vt
H eadem verba pluribus intelligantur modis?] Hucusq; S. Thomas. Dico itaq; quod hic ly [significauit] idem est, quod signo ostendit, id est, obscure sub signis, sigillis, verbis obscuris, sub figuris, ænigmatibus, vel sub similitudinibus imaginatijs indicare, ac manifestare. Quoniam sub signis candelabrorum, stellarum, ensium, phyalarum, ac mulierum, hæc Dei arcana Apocalypseos nostro Archiprophetæ ostensa plane fuere, vt ipse crebro, ac frequenter narrat. Quæ quidem signa & eorum significationes apprime callebat ipse Dei vates; quoniam ad prophetam verum spectat reuelata intelligere, vt in disputatione de prophetia mox dicemus.

Nihilominus tamen modo ex ly [significauit,] & etiam ex illis verbis [palam facere seruis suis,] duo genera credentium colligimus, nimirum, perfectissimorum, qui clare & aperte absque aliquo signo, vel
I parabola Dei arcana intelligunt, de quibus dicit Dominus Matth. 13. [Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.] Et non ita perfectorum, qui arcana Dei nequeunt intelligere, nisi mediantibus signis, parabolis, ænigmatibus, & similitudinibus, de quibus Dominus dicit Matth. 13. [Ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligãt.] Et hoc est, quod S. Thomas hoc in loco ait sub his verbis: [Scriptura impijs clauditur, fidelibus aperitur.] de fidelibus ac pijs viris intelligitur illud: [Palam facere seruis suis,] id est, absq; signis & parabolis manifestare seruis suis, circa quos plane nullum est velamen; quinimmo veritas ita clare & aperte reuelatur vt dicere queant, cum Apostolo 2. Cor. 3. [Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes.] De
K impijs vero, ac nequam viris, potest intelligi istud [significauit] id est, signis, parabolis, ænigmatibus, ac similitudinibus ostendit; quoniam circa ipsos impios, est veluti velata sacra Scriptura, & veritas eius ipsis ita clausa, vt dicere queant isti cum Apostolo 1. Cor. 13. [Videmus nunc per speculum in ænigmate.] Ideo Rupertus Abbas super hunc locum sic scribit: [Nec vero illud præcedenti repugnat dictioni, qua dixit [Palam facere seruis suis. Nam alij sunt, quibus palam fecit quælibet, & dixit, Vobis datum est nosse mysteria

Occulta multa.

Eccl. 9.
Matth. 25.
Matth. 24.

S. Tho. in c. 1. Apoc.

Obscuritatis sac. Scrip. triplex causa.

Mysteria & reuelationes Apoc. intelligebat Ioãnes

§. 4.
Credẽtes sunt in duplici differentia.

S. Tho. in commen.

Sacra Scrip. clausa impijs

Rup. Abb. in commen.

mysteria regni Dei. Alij vero, quibus significauit, de quibus item continuo subiungit: Ceteris autem in paparabolis. Denique sancti Apostoli, quibus datum est in tempore suo nosse mysteria Regni Dei, scilicet, quando Spiritus sanctus super eos venit, colq; visibiliter docuit ipsi sunt illi eatenus quidem serui, sed ex tunc amici, quibus ista palam fecit. Ii autem, qui pro qualitate sensus nesciunt reuereri, aut amare cælestia, nisi sub nominibus, aut imaginibus rerum, quæ formidabiles, aut venerabiles esse solent sensibus carnis, ipsi sunt, quibus eadem significauit.] sic ille. Quamobrem ly [significauit] potest referri ad Ioannem, ita vt sit sensus: [Et significauit Ioanni mittens per Angelum, &c.] Affirmando Ioannem præfata signa sibi ostensa perfecte intellexisse; quoniam erat Propheta, cui incumbit reuelata intelligere. Potest insuper ly [significauit] ad malos, & ad hostes Ecclesiæ referri, qui præfata signa nullatenus intelligebant, sed illa proposita eis fuisse ad terrorem dumtaxat. Quoniam ly [significauit,] quod hic absolute ponitur, est veluti mina ad malos & nequam terrendum, sub illis signis candelabrorum stellarum, ensium phyalarum, ac mulierum. Quæ omnia signa Vati nostro fuerunt hic reuelata ad significandum malis aliquid futurum, quæ Vates Dei, clare, aperte, ac dillucide intelligebat absque aliquo ænigmate, quoniam erat verus Propheta, vt mox dicemus, & Apostolus ac Euangelista, vt sæpe iam est dictum, cui simul cum alijs Apostolis Christus dixit Matthæi 13. [Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.] & alibi: [Omnia, quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.] Quod autem hæc nostra explanatio stare queat, apparet hac similitudine. Lex etenim eodem actu terret impium, & docet iudicem; quoniam, dum iudex in lege pœnas impiorum perlegit coram impio, simul & eodem actu talis lex pœnalis docet illum iudicem legentem, & terret impium pœnas sibi debitas audientem ex ore legentis. Pari etiam modo Deus per signa proposita, simul & eodem actu, & docebat Archiprophetam nostrum, & terrebat impios nequam, ac improbos viros, suæ sanctę Ecclesiæ crudeles persecutores.

Nota bene verū sensum litteræ text⁹, & significauit, quoniam est difficilis intellectu.

Significare est mina cōtra malos & nequam.

Ioan. 15. Auctoris explanatio probatur. Lex simul docet & terret.

§. 5. Mitto frequētissimū verbū est in sacra pagina.

Porro ly [mittens] magnam prædicat auctoritatem, ad quam apprime indagandam sciendum tamen primo est, quod verbum [mitto] passim in vsu est in sacra pagina; quoniam Ierem. cap. 1. dicitur: [Ad omnia, quæ mittam te, ibis.] & Psalm. 104. [Misit Moysem, & Aaron seruum suum.] Matth. cap. 20. [Misit eos in vineam suam.] 2. Thess. 2. [Mittet illis Deus operatorem erroris.] Psalm. 17. [Misit sagittas suas & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.] & Psalm. 56. [Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam.] Ioan. cap. 21. [Mittite in dexteram nauigij rete.] Iohel. cap. 2. [Mittam vobis frumentum, vinum & oleum.] ps. 147. [Mittit Chrystallum suam, sicut buccellas.] & Lucæ cap. 10. [Misit illos binos ante faciem suam.] Verum enimuero mittere semper pertinet ad superiorem; mitti vero ad inferiorem. [Quamobrem sicuti mitti signum est humilitatis, sic etiam mittere est signum auctoritatis. Idcirco hic ly [mittens] haud exiguam, vt dixi, prædicat auctoritatem. Quoniam per hæc verba: [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni,] excellentia huius reuelationis proculdubio ostenditur. Hinc quippe est quod Gilbertus Pictauiensis, in prologo super Apocalypsim asseueret, quod ad confirmandam auctoritatem huius reuelationis, concurrit hic auctoritas mittentis, deferentis, & accipientis. Mittentis, scilicet Trinitatis, deferentis, Angeli, & accipientis Ioannis. Hanc eamdem auctoritatem ex his verbis deducit Lyranus, dum hic sic scribit: [Ex his habet auctoritatem liber iste, quia Trinitas, ea, quæ ibi dicuntur, reuelauit, & reuelationes Angelus asportauit, & Ioannes Apostolus eas Ecclesiæ nuntiauit: ijs tribus testibus credendum est, quia in ore duorum, vel trium stabit omne verbum, vt dicitur Deuteronom. 19.

Mittēs maxima dicit auctoritatem. Apoc. excellentia. Gilb. Pictau.

Apoc. auctoritas. Lyranus.

A & Matth. cap. 18.] sic ille. Strabus etiam in sua glossa ordinaria, in prologo super Apocalypsim, excellentiam huius reuelationis nititur ostendere, dicens sic. [Sicut Euangelium legis obseruantias; sic ista prophetia excedit veteres, à longe perspicientes venturas prophetias. Ad cuius roborandam firmitatem occurrit etiam auctoritas mittentis, deferentis, ac accipientis. Hanc enim Deus, id est, tota Trinitas misit. Nam de Patre dicitur. Mittens per Angelum suum: filius autem dicit. Ego Iesus misi Angelum: sed & de Spiritu sancto hoc scriptum est, Dominus Deus omnipotens. Sciendum itaque, quod cum sine additamento spiritus ponitur, tota Trinitas, frequentius intelligitur, vnde est, spiritus est Deus, &, Qui habet aurem audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs. Et quamquam Angelus, solius verbi incarnati personam gesserit, tota tamen Trinitas in Angelo operata est.] Hucusque Strabus. Ecce qualiter ly, [mittens] magna hic prædicat auctoritatem huius reuelationis, quandoquidem eximiæ proculdubio est auctoritatis, ac maiestatis signum, totam Trinitatem hanc reuelationem vati nostro Ioanni misisse. quoniam qui olim loquutus fuit per Prophetas, hic per Ioannem nostrum etiam nobis loqui dignatus est. Primus discendi ardor (teste Diuo Ambrosio) nobilitas est Magistri, quid insuper nobilius Trinitate? nonne ab ipsa, tamquam à perenni fonte omnis nostra permanat nobilitas? Sileant reges, taceant principes, obmutescant philosophi, fugiant Cæsares, non appareant Augusti, & abscondant se Imperatores coram Sanctissima Trinitate, cuius auctoritas diuina est. Regum autem, Imperatorum, Cæsarum, Augustorum, ac Principum auctoritas humana quippe est, & quæ sępe fallit. Quocirca D. Augustinus inter diuinam & humanam auctoritatem discrimina assignans, sic ait: [Illa auctoritas diuina dicenda est, quæ non solum in sensibilibus signis transcendit omnem humanam facultatem, sed & ipsum hominem agens, ostendit ei, quousque se propter ipsum depresserit, & non teneri sensibus corporis, quibus videntur illa miranda, sed ad intellectum iubet euolare, simul demonstrans, & quanta hic possit, & cur hæc faciat, & quam paruipendat. Doceat, oportet, & factis potestatem suam, & humilitate clementiam, & pręceptione naturam, quæ omnia sacris, quibus initiamur, secretius firmiusque traduntur, in quibus facillime bonorum vita, non disputationum ambagibus, sed mysteriorum auctoritate purgatur; humana vero auctoritas plerumque fallit.] Ita Diuus Augustinus. Quamobrem cum tota Trinitas sit hic magistra, mittens, proponens, & reuelans, ob tam diuinam auctoritatem, ac maiestatem; proculdubio tenemur nos attente & deuote audire, & didicere, quæ hoc in libro reuelantur, ac continentur. Ob idque infra haud immerito dicitur: [Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.] Quod reuera ideo dicitur, quia tota Thrinitas est hic reuelans, proponens, ac mittens, cuius nobilitas est diuina, cuius splendor illuminat mundum, cuius maiestas est infinita, cuius bonitas, est immensa, cuius gloria est inexhaustum pelagus, cuius tandem dicta sunt attente, & deuote audienda, ac de fide tenenda.

Strabus.

B Trinitas tota in Angelo Apocalypsis operata fuit.

D. Amb. li. 1. de virginibus

C D. August. de ord. li. 2. c. 9. Auctoritas diuina quæ sit.

D Trinitas tota fuit magistra Ioannis.

Apo. 1.

Trinitatis laus & encomium.

§. 6. Angelorū ministerio vtitur Deus & cur? 1. Ratio.

E Vtitur rursus Deus hoc in loco Angelorum ministerio, dum dicitur: [Per Angelum suum.] Et merito sane. Tum quia tali ministerio crebro Deus vsus est, in sacra pagina, vt apparet, dum Genes. 25. dicitur: [Angelus ancillæ Saræ in deserto fontem ostendit.] & 3. Reg. cap. 20. [Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit surge, comede,] & paulo post: [Reuersusque est Angelus Domini secundo.] & Dan. cap. 6. [Deus meus, quem colo, misit Angelum suum, & conclusit ora leonum. Tum quia

1 Ratio. Angeli, Dei ministri, ac nuntij.

Angeli sunt Dei ministri, ac nuntij, iuxta illud Dan. cap. 7. [Millia millium ministrabant ei.] & ad Hebr. cap. 1. [Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi,] & Psal. 90. [Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis,] & Lucæ cap. 1. [Missus ast Angelus Gabriel a Deo,] & tandem iuxta illud ad Heb. 1. [Qui facit Angelos suos spiritus.] vbi nota ex Incognito super Psal. 103. Quod Angelus est nomen officij, non naturæ, & spiritus est nomen naturæ, non officij. Vnde Angelus idem est, quod nuntius: nam substantiæ separatæ intellectuales, semper sunt spiritus sed non semper Angeli, vt Michael semper est spiritus, sed non Angelus, nisi quando à Deo ad aliquod ministerium mittitur vnde eo quod est, spiritus est, ex eo autem quod agit, Angelus est. Idem aperte asserit Diuus Gregorius, dicens: [Quod Angelorum vocabulum nomen est officij, non naturæ. Nam sancti (inquit ipse) illi cælestis patriæ spiritus semper quidem spiritus sunt, sed semper Angeli vocari nequaquam possunt. Tunc enim solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur.] Idipsum tandem docet Diuus Augustinus, dum super Psalm. 104. sic ait: [Spiritus autem Angeli sunt, & cum spiritus sunt non sunt Angeli, cum vero mittuntur, fiunt Angeli: Angelus enim officij nomen est, non naturæ: quæris nomen eius naturæ? spiritus est: quæris officium? Angelus est ex eo, quod spiritus est: ex eo, quod agit, Angelus est, vide illud in homine nomen naturæ, homo, officij, miles.] Ita Diuus Augustinus. Illos igitur beatos spiritus ad libitum Deus facit Angelos, cum ipsos ad aliqua officia, siue mynisteria mittit. Hinc est, quod Angeli communiter alati pinguntur (velut Dionysius affirmat) vt agilitatem in exequendis diuinis præceptis demonstrent. Solent namque Reges, & Proreges, ac etiam Iudices suos habere nuntios, quos Hispanice [Aguaziles,] vel [Corchetes] appellamus, quos semper ad sua gerenda negotia mittere solent. Sic etiam Deus illos spiritus cælestes ad sua gerenda mittit negotia, eos Angelos, hoc est nuntios faciens. Tum denique Angelorum ministerio recte hic vtitur Deus. Quoniam Angeli multum de salute Ecclesiæ & fidelium gaudent, iuxta illud: [Gaudium est in cælo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Incognitus super ps. 103.

D. Greg. ho. 34. in euangelia.

D. August. est sup. ps. 104. Angelus est nomẽ officij & nõ naturæ

D. Dionys. de cæles. hierar. Angeli cur alati depinguntur.

Comparatio.

3. Ratio. Angeli gaudent de salute Ecclesiæ. Luc. 15.

§. 7.

Christus misit Angelum Apoc. D. Ambros. in Apoc.

Certum præterea est, Christum Dominum hunc misisse Angelum nostro Archiprophetæ Ioanni; quoniam in hoc opere sic habetur: [Ego Iesus, misi Angelum,] & Diuus Ambrosius in hoc capite sic ait: [Dominus Iesus Angelum suum misit, & per eundem Angelum seruo suo Ioanni manifestauit, quæ oportet fieri cito.] Verumenimuero cum Christus Iesus Deus sit, & homo, vt tenet fides Catholica, iuxta illud Ioan. cap. 1. [Verbum caro factum est.] Hinc ortum habet, quod plerique existiment, Christum, vt Deum, hunc misisse Angelum; & Ioannem hic diuinam proponere naturam Christi, dum eum Angelos mittere ostendit. Hanc viam tenent Arethas, Haymo, & Franciscus Ribera, innixi illis verbis Psalm. 103. [Qui facit Angelos suos spiritus.] At vero ex aduerso Primasius, Iacobus Suarez à Sancta Maria, & alij plerique existimant, Christum Iesum vt hominem, hunc misisse Angelum, & Ioannem hic humanam proponere naturam Christi, dum eum Angelos mittere ostendit vt homo; quoniam sic caput totius Ecclesiæ est tam triumphantis, quam militantis; vnde de eo intelligitur illud Heb. cap. 1. [Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.] & illud 1. Petri 3. [Subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.] & illud etiam Psalm. 8. [Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.] Quibus addit Suarez, Christum Dominum, in quantum ho-

Controuersia

Arethas. Haymo. Fra. Ribera. Primasius, & Iac. Suarez.

F minem, Ecclesiam suam instruere, & illuminare, vt dicunt Theologi cum Dionysio 7. cap. cælest. hierarch. Primasius insuper sic scribit dicens: [Recte sane adiecit, per Angelum suum à Christo fuisse discipulo demonstrata, cum per assumptam creaturam, non per diuinitatis essentiam, Christum semper clareat apparuisse mortalibus, & ante incarnationem, & post ascẽsionem.] Verumtamen cum actiones sint suppositorum, vt tenet philosophus, & natura humana diuino supposit etur supposito, vt dicunt Theologi cum Magistro in 3. & cum S. Tho. in 3. p. sequitur, Christum Deum hunc misisse Angelum Ioanni. Patet ex illo Apoc. 21. [Et Dominus Deus spiritum prophetarum misit Angelum suum ostendere seruis suis, quæ oportet fieri cito.] & cum ly [Deus] totam dicat Trinitatem, placuit supra asserere cum Gilberto Pictauiense, Lyrano, ac Strabone, totam Trinitatem misisse hunc G Angelum Ioanni, quod etiam infra mox probabitur.

Primasius in comment.

§. 8. Ioãnes nomẽ hic primo ponitur in hoc opere ob aliquas causas. 1. causa.

Nomen suum tandem hic exprimit noster Vates dicens: [Seruo suo Ioanni,] & sane merito. Tum quia in eius vnius persona, tota vniuersalis intelligitur Ecclesia Dei. Omni etenim Ecclesiæ Deus in vno reuelari voluit, quam in vnitate fundauit, quapropter supra dictum est, palam facere seruis suis, quasi diceret, non solum vni ex multis, sed per vnum potius vniuersis. Quemadmodum enim Regni cælorum claues, solus Petrus accepit, vt habetur Matth. cap. 16. vbi dicitur Petro: [Tibi dabo claues regni cælorum.] qua tamen potestate, omnis & vniuersalis Ecclesia, vti sublimata promeruit; pari etiam modo cum hic dicitur: [Seruo suo Ioanni,] omni Ecclesiæ in vno Deum hanc reuelationem ostendere ac tradere voluisse demonstratur. Ex quo plane inferri quidem poH test, quod quemadmodum illic vnius Petri, sic hic vnius Euangelistæ Ioannis summæ laudis ingentisque gloriæ signum à Deo accepimus. Tum præterea merito hic vates noster nomen suum subiungit; quoniam prophetarum more hic loquitur, qui nomina sua Prophetarum initijs affixere, ac intro etiam crebro retulere, ac auctoritatem his indicijs adderent vaticinijs suis. vt apparet in Daniele qui nomen suum plusquam octies inculcat & exprimit. Tum porro quia nomina iustorum scribuntur in sacris litteris, ex eo quod scripta sint in libro vitæ, quamobrem Christus Dominus discipulis suis dixit Lucæ 10. [Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.] & D. Paulus ad Phil. 4. ait: [Quorum nomina sunt in libro vitæ.] Ex eo itaque, quod noster prophetarum Propheta, nomen suum, & in cælis, & in libro vitæ scriptum sane obtinuerit, merito hic illud expressit. I Tum insuper quia Apocalypsis, primum quidem opus est, quod noster Archipropheta Ioannes scripsit; quoniam cum ipse mundo pepererit opus triplex, nimirũ Apocalypsim, Euangelium, & Epistolas; liber tamen Apocalypseos primogenituram ab ipso plane sortitus fuit, vt tradunt Diuus Augustinus, Diuus Hieronymus, Eusebius, Ireneus, & alij plerique Doctores Theologi, quos supra Paraph. 7. disp. 4. quæst. 2. retulimus. Et istud etiam liquet tam ex genere inscriptionis operis, quia scilicet prophetia est, quæ ex suo genere Euangelium, ac etiam epistolas canonicas præcedere solet; quam ex tempore efformationis, cõpositionis, siue inscriptionis vtriusq; operis, vt iam loco supra citato attigimus, & adhuc etiam pertractabitur infra. Quapropter nomen suum particulariter huic operi, affigere diuinus prædicator Ioannes debuit, cum eorum omnium, quę scripserit primum sane fuerit. Tum denique iuste huic operi nomen suum hic imposuit Dei vates; quoniam cum K ceteri euangelistæ, sui commilitones, nimirum Mattheus, Marcus, & Lucas, eorum nomina suis Euangelijs, Deo sic reuelante, imponere nullatenus intendebant, vt ita totus honor, laus, & gloria suo auctori Iesu Christo iuste tribueretur; nec minus putabat aquila Euangelij Ioannes, se nomen suum euangelio suo, propter eamdem causam impositurum; Ideo modo

Simile.

Ecclesia indicatur in vna persona.

Ioãnis Euangelistæ laus. 2. causa. Prophetæ nominatua, suis prophetijs ãponunt.

3. causa. Iusti habent nomẽ in sacra scriptura

4. causa.

Apocalypsis, est opus primogenitum Ioan. Euang. D. Aug. D. Hieron. Eusebius. Ireneus.

Nomẽ Ioãnis peculiariter debebatur operi suo Apocalypsis. 5. causa.

modo in hoc opere, antequam Euangelistarum officiũ exerceret prophetarum persona & onere inductus, placuit illi nomen suum in corpore huius diuinæ reuelationis mundo patefacere. Et cum insuper ipse esset virgo, illud inter duos alios virgines, Christum nimirum, & Angelum collocauit, vt hic omnes aperte intelligerent, Christum virginem Ioanni virgini Angelum virginem misisse. Quemadmodum etiam in cruce huic affine accidit, dum Christus virgo Ioanni etiam virgini matrem suam Virginem Mariam merito commendauit. Ex his igitur causis merito noster Archipropheta hic nomen suum primo exprimit dicens. [Seruo suo Ioanni,] vt ex hoc clare iam cognito, postea in toto hoc opere crebro queat illud recitare, & frequenter inculcare, vt tanti viri Dei, & Euangelistæ Christi nomen facile agnoscat mundus. Hæc quippe, quæ hic de nomine Ioannis Euangelistæ dicta fuere, mirum in modum proculdubio iuuant ad Lutheri, Marcionis, Dionysij Alexandrini, Alogianorum, Erasmi, & aliorum hæreticorum errorem procul pellendum. Quandoquidem hi omnes Ioannem Euangelistã auctorem fuisse Apocalypsis negant, quorum rationes ac falsum dogma supra Par. 7. disp. 4. q. 2. conc. 2. iam dissoluimus.

Virgo erat Ioannes. Virginũ contrapositio in opere Apoc. Virginũ contrapositio in cruce.

Hæretici refutantur.

§. 9. *Humilitas Ioannis.*

Et nullatenus est hic humilitas nostri Archiprophetæ reticenda. Nam dum ait: [seruo suo Ioanni,] mirum in modum se humiliauit; quoniam ly [seruus] haud exiguam redolet humilitatem, vbicumq; reperiatur. Solẽt namq; iusti viri, dum ad alicuius dignitatis & officij fastigium promouentur, humilitatis signum, hoc nomine seruorum, illico indicare. Hinc Virgo Maria ad maternitatis gratiam diuinitus promota, mox dixit: [Ecce ancilla Domini,] & Regius Psaltes sic ait: [Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum. Sicut oculi ancillę in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.] Pari etiam modo hoc in loco Ioannes noster, ad gratiam & numerum Prophetarum à Deo promotus, se seruum Christi vtiq; nuncupat.

Comparatio. *Lucę 1. Psal. 122.*

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod vtitur dupeccatorum genera, obduratorũ scilicet, & pœnitentium.

MAXIMAM sane emphasim hic indicat ly [significauit] opponitur plane, ex diametro illis verbis Christi Matth. cap. 21. [Malos male perdet;] quoniam licet vtraque auctoritas impios, ac peccatores respiciat, tamen ly [significauit] de illis exponitur peccatoribus, de quibus aliqua expectatur futura pœnitentia. At vero verba illa: [Malos male perdet,] de illis proculdubio explanantur, scleratis, de quibus nullus vmquam expectatur fructus pœnitentiæ. Ad quod clare intelligendum notes oportet, duo esse peccatorum genera per orbem vniuersum, quorum primum genus est ita obduratum, vt illo duriorem lapidem vix reperias. Aliud vero est ita molle & blandum, vt nullam ceram blandiorem inuenire queas. Primi generis sunt Pharao, Caim, Rex Anthiochus, Herodes, & ex Gentilibus, Domitianus, Titus, Vespasianus, Nero, Diocletianus, Maximianus, & plerique alij olim Romanorum Imperatores. Quid enim Pharaone durius? Quid Nerone crudelius? Secundi generis sunt Dauid, Abraham, Magdalena, Matthæus & alij plerique tam ex veteri quam ex nouo Testamento. Quid enim Dauide blandius? Quid Magdalena mitius? Primis igitur peccatoribus dicitur illud: [Malos male perdet.] Quoniam, vt isti resiliant à peccatis, nec valent voces concionatorum, confessariorum, nec minæ, nec terrores, nec flagella, quinimmo oportet hos malos male perdere, hoc est eos extemplo, repentina & insperata morte ad infernum proijcere. Nonne quæso audis Deum ex vna parte misericordia motum erga Caim, illique blande dicentem: [Vbi est Abel frater tuus?] Quasi diceret, volo, si vis pœnitere, de scelere commisso tibi indulgere; & Caim induratum, ex alia parte respondentem: [Numquid custos fratris mei sum ego?] perinde ac diceret: Nec pœnitere intendo, nec indulgentiam tuam quæro? Numquid non consideras Moysem dicentem Pharaoni: [Dimitte populum,] veluti diceret: desine peccare: & Pharaonem ex alio latere respondentem: [Non dimittã,] ac diceret, non desinam peccare? Quamobrem recte subiungitur: [Induratum est cor Pharaonis. [Fortasse non intueris Nabuchodonosor post varias Danielis interpretationes, ac reprehẽsiones, mittentem tres illos pueros Sidrach, Misach, & Abdenago, in fornacem igne ardenti accensam, illisq; dicẽtem sic: [Et quis est Deus, qui possit eripere vos de manu mea?] Istis igitur & alijs eis similibus peccatoribus quid quæso facturus erat Deus nisi: Malos male perdere? quandoquidem nec voces, nec terrores, nec minæ, necue flagella proderant, vt peccare desinerent. Idcirco proculdubio eorum vera reprehensio est, dira & crudelis repentina mors. Et vera eorum correptio est ardens ignis inferni. Quæ enim maior castigatio, ac pœna maledicto Caino reperiri potuit, quam dira sagittarum mors? quę accommodatior reprehensio crudeli Iezabeli, quam eius carnes à canibus vesci, ita vt de illa diceretur: [Hęc ne est illa Iezabel?] Quæ minæ perfectiores inueniri poterant Pharaoni, quam submersio aquarum in mari rubro? quod flagellum aptius sodomitis, quam ignis, & sulphur de cælo? Duros igitur & malos male perdet Dominus. At vero secundos peccatores, qui cito à peccatis resipiscunt, ita vt audita voce concionatoris, cõfessarij, aut sancta Dei interna inspiratione, mox dicunt: [Filij Dauid miserere mei,] hos misericorditer tractat Deus, & quasi cum istis ly [significauit] dumtaxat vtitur, hoc est suam iram, & indignationem erga eos voce prædicatoris, signo confessariorum, minis Iudicij significare solet. Dauidi namque, qui illico commisso scelere cum Bersabe Vriæ, dicturus erat, [peccaui,] & iterum [miserere mei Deus] sufficiebat illud [significauit] hoc est, illud signum à Propheta Nathan adhibitum sub illo ænigmate & verbis obscuris. [Duo viri erant in Ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper, &c.] Magdalenæ etiam, quæ post tot commissa crimina, cito pedes Iesu lacrymis rigatura erat, satis fuit illud [significauit] hoc est, [Remittuntur tibi peccata tua.] Signum plane magnæ misericordiæ. Petro præterea, qui post tot negationes cito flere debebat amare, non opportuit aliud nisi illud [significauit,] nimirum galli cantus, & visus Christi dum Lucæ 22. dicitur: [Et conuersus Dominus respexit Petrum.] Saulo insuper qui è vestigio cadens in terram erat dicturus: [Domine quid me vis facere?] superfuit illud [significauit,] nimirum illud: [circumfulsit eum lux de cęlo.] Et deniq; illis peccatoribus, quorum vnus protinus erat dicturus: [Domine, si vis potes me mundare,] alter vero: [Domine, hominem non habeo,] vnus insuper: [Domine da mihi hanc aquam,] & alius: [Credo Domine,] istis, inquã sufficiebat illud dumtaxat [signicauit,] nimirum, illa signa diuinæ voluntatis, & misericordiæ, nempe, volo, mundare, surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Mulier da mihi bibere. [Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit, vade, laua in Natatorio Siloe.] Hæc itaque diuina signa dumtaxat hos peccatores à peccatis suis statim resurgere fecerunt. Timidis namque peccatoribus sufficiunt diuina signa, nimirum, vox prædicatoris, vox confessarij, admonitio prælati, diuina inspiratio interna, parua contritio, sibilus pastoris, minutulaque doloris scintilla ad peccata fugienda. Quinimmo sæpe ij, vix à Deo signo facto, statim timore correpti, & aliquando diuino accensi timore, scelera detestantur, occasiones fugiunt, delectamenta fugant, pœnitentiam am-

Crudelitas, & impietas antiquorum. *Mansuetudo, & pietas antiquorum.* *Obdurati peccatores.*

Gen. 4. *Exod. 5.* *Dan. 3.* *Obduratos iuste punit Deus.* *Gen. 4. Pœna quadrat culpæ. 4. Reg. 9.* *Gen. 19. Pœnitentibus iuste miseretur Deus.* *Matth. 15.* *Psalm. 50. Misericordia quadrat pœnitentiæ.* *2. Reg. 12.* *Lucę 17.* *Act. 9.* *Matth. 18. Ioan. 4. Ioan. 9.* *Signa diuinæ misericordiæ* *Iustus cito resurgit à peccato.*

plectuntur totis viribus sectantur. Et de istis proculdubio intelligitur illud Ioa. 10. [Oues meę vocem meam audiunt.] Verumenimuero non sic impij, non sic impij, non sic obdurati Pharaones, non sic crudeles Nerones. Quamobrem ij duo peccatorum genera coruo, & columbæ egressis de arca Noe optime

Comparatio.

comparantur. Coruus namque de quo dicitur: [Dimisit coruum, qui egrediebatur & non reuertebatur,] indicat obstinatos & obduratos peccatores,

Gen. 8.

qui semel egressi è manibus Noe, nimirum ex præsentia Dei, per lethale commissum, numquam reuertuntur, id est numquam pœnitent. Columba, autem de qua dicitur: [Et dimisit Columbam ex arca, at illa venit ad eum ad vesperum portans ramum oliuæ, virentibus folijs in ore eius,] demonstrat peccatores pœnitentes, qui post peccata sua, quæ signis diuinis prorsus detestantur, redeunt ad Noe, scilicet ad Patrem, veluti filius ille prodigus

Luc. 15.

in se reuersus, nimirum ad Deum, cum ramo pœnitentiæ, ieiunij, disciplinæ, eleemosinæ, orationis, &c. in ore suo. Et hi per pœnitentiam, & per præfata virentia folia rami contritionis efficiuntur albi,

Psalm. 67.

vt columba, iuxta illud: [Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatę, & posteriora dorsi eius in pallore auri.] & alibi: [Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.]

Conceptus 2. Quod Angeli obtinent primatum inter oes celestes, & terrestres creaturas.



SATIS apte, ac maxima de causa motus Deus, hunc Angelum ad Ioannem nostrum cum hac reuelatione mittit. Ad quam quidem conuenientiam optime intelligendam, attentos vos esse vellem. Cum etenim Deus omnes spiritus illos beatificos, ac cælestes propediem faciat Angelos, iuxta illud: [Qui facit Angelos suos spiritus;] & insuper naturam Angelicam,

Psalm. 103. ad Heb. 1.

iuxta doctrinam Diui Dionysij, & Diui Gregorij in nouem ordines distribuatur, nimirum in Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes, Cherubin, & Seraphin. Et adhuc hi nouem Angelorum ordines in tres dumtaxat perstringantur hierarchias, quæ his inferioribus communiter assimilantur regnis, ac eorum regiminibus.

Angelorum noue ordines.

Angelorum tres hierarchiæ.

Nam omnes ordines primæ hierarchiæ assimilantur ministris Regis circa suam personam, nempe cubicularijs, consiliarijs, & deauratarum clauium principibus. Omnes vero ordines secundæ hierarchiæ comparantur officialibus regni in communi vtrique dominis curiæ principibus, militiæ, ac iudicibus curiæ. Omnes tandem ordines tertiæ hierarchiæ assimilantur deputatis ad certas regni partes, videlicet, præpositis, proregibus, gubernatoribus, & his similibus. Et sic ad primam hierarchiam spectat finis consideratio, ad secundam de agendis vniuersalis dispositio, ad tertiam vero operis exequutio.

Ad singulas hierarchias qua pertineant.

Modo ad rem veniendo dicimus, quod cum Deus Angelis suis quodlibet ex his committit officium, satis apte, vt dixi, & maxima de causa motus, id proculdubio præstat. Quoniam Angeli inter ceteras omnes tam cælestes, quam terrestres creaturas principatum, ac primum obtinent sane locum, vt videre est apud Sanctum Thomam Angelorum nobilem naturam, ostendentem à quæst. 50. vsq; ad q. 66. par. 1. suæ summæ.

Angelorũ antiquitas.

Etenim si Angelorum originem, & antiquitatem spectes, primos omniũ, aut in primis creatos esse illic inueniens. Si vitæ & durationis longitudinem eorum contempleris, eos incorruptibiles inuenies. Si naturæ gradum & conditionem circumspectes, eos illic inuenies plane incorporeos, nec mortis necessitati subiectos, nec frigori, calori, siti, morbo, vlliue alteri lassitudini, aut molestiæ obnoxios, nec minus eos vlla re corporali indigentes reperies. Si eorum agilitatem consideres, nullam ceruorum, pardorum, tigrium, vel aquilarum pernicitatem,

F vel orbium cælestium velocitatem reperies, quæ eorum celeritati adæquari possit. Si dignitatem intellectus, & mentis eorum nobilitatem intuearis, eos sane perpetuo inuenies sine discursu intelligere, &

Angelorũ intellectus & mens.

omnium, quæ naturaliter sciri possunt, ex quo sunt conditi, plenam & consummatam habere scientiam. Si vim & constantiam velocitatis eorum animaduertas, eos efficacissime velle cernes, & quod volunt immobiliter eligere.

Angelorũ voluntas electio, & constantia.

Si firmitatem memoriæ notes, nullam vnquam illis subrepere obliuionem inuenies, immo quod semel perceperunt omni æuo conseruare experieris. Si illorum potentiam intuearis, illam plane inuenies incomparabilem, cuius vel vnum illud satis manifestum est argumentum, quod vnus Angelus nullo labore, immo maxima facilitate primum cælum, cuius comparatione, vniuersæ terræ, & aquæ moles vnius ferme puncti

Angelorum firma memoria.

Angelorum potentia.

G instar obtinet, tot annorum millia sine intermissione tanta vi, & celeritate conseruat. Si Angelorum numerum computes, illum innumerabilem reperies. Si eorum dispositionem & ordinem considerés, eos inuenies ordinatissimos per nouem ordines, & tres hierarchias, vt supra dixi, distributos, numquam ea distinctione & ordine, aut variato, aut variando; quoniam numquam cupido inferiores incessit ascendendi ad locum superiorem, nec superiores, ne deturbentur ad locum inferiorem, metus vllus solicitat, aut tangit.

Angelorum numerus.

Angelorum ordo & dispositio.

Si illorum varietatem inspicias, nullum eorum reperies, qui ab alio specie non differat. Quod plane mirum est, & præcipue cum tanta sit Angelorum copia & multitudo. Ex quo sane licet eorum pulchritudinem colligere, quandoquidem eorum infimus, tam perfectus est, quam supremus in suo gradu & statu, quod sane admiratione & visu dignum est; quasi si aliquis esset

Angelorum varietas in specie.

H hortus innumerabilibus floribus consitus, circumdatus, refertus, ac omnino plenus, inter quos flores, duos simile, & eiusdem coloris, ac speciei reperiri nequeas; quinimmo quemlibet inuenires & pulcherrimum in se, & specie, & pulchritudine ab alio differentem, quo plane quid possit cerni pulchrius; quidue spectari mirabilius? Nihil mehercle. Sic vnusquisque Angelus, & pulcherrimus in se est, & specie ab alio differt.

Simile.

Si ad eorum exercitationem & munus inspicias, eos reperies in cælo, vnum hoc potissimum perpetuo agere, omni nempe vi, & contentione sua Deum laudare, nec vmquam ab hoc suauissimo concentu vacare, de quo intelligi plane potest illud Iob. cap. 38. [Concentum cæli quis dormire faciat?] Si ad eorum ministeria animum accommodaueris, eorum varia, ac pæne infinita reperies

Angelorum exercitium & munus.

Angelorum ministeria.

I munera, quoniam diuina prouidentia eos per vniuersum orbem in regendo & gubernando ministros constituit. Quamobrem in sacra pagina vocantur milites Dei, exercitus Dei, principes prouinciarum, præsides populorum, hominum custodes, magistri, apud Deum internuntij, & inuentores. Quamobrem apud Iob cap. 9. & 16. dicuntur portare orbem, & cęli columnę esse. Si insuper ad eorum excellentiam supernaturalis gratiæ, quam illis Deus abundanter elargitus est, oculos tuos accommodaueris; plane in omnibus illis comperies innocentiæ gratiam, qua numquam denudati aut spoliati fuere, nec minus vlla vnquam vel leuissima peccati labe inquinati extitere: quinimmo gratiam inuenies semper conseruasse, in qua ab initio à Deo creati fuerunt.

Angelorum gratia.

Iam tandem si in medio istorum donorum Angelo-

K rum, eorum humilitatem animaduertas, illam profundissimam comperies, cum eximia pietate & reuerentia Dei: [Coram eo (dicitur Iob. 6. & 29.) incuruantur, qui portant orbem.] & Apoc. c. 7. Vidit Ioannes Angelos cadentes in faciem suam adorare Deum, & Psalm. 102. dicitur: [Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.] Nec denique Dei minima & abiectissima ministeria de-

Angelorum humilitas erga Deum.

ria de-

lia detractant subire Angeli, quinimmo ea cupidissime suscipiunt, & diligentissime obeunt, vt Dei voluntati obsequantur, & hominum saluti consulant. Ad hoc plane spectat in veteri Testamento Angelum luctari cum Iacob, famulari iuniori Tobiæ, & vatem Abacuc capillo ex Iudæa traducere Babylonem, vt prandium Danieli ferret. Et in nouo Testamento Angelum mitti ad Virginem Mariam, dum Lucæ cap. 1. dicitur: [Missus est Angelus Gabriel, &c.] Ad Ioseph, Virginis Mariæ sponsum, dum Matth. 1. dicitur: [Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicés: [Ioseph, fili David noli timere accipere Mariam, &c.] & c. 2. [Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, &c.] & ad pastores in nocte natiuitatis, dum Lucæ cap. 2. dicitur: [Angelus Domini stetit iuxta illos, & & claritas Dei, &c.] & paulo post: [Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, &c.] & tandem ad Ioannem nostrum, dum hic dicitur: [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Quę quidem omnia officia & munera, circa humanum genus Angelis cómittit Deus, quoniam illi tot ac tantis, vt dixi, virtutibus ac donis apprime pollent.

Angeli salutē hominum cupiunt.

DISPVT. VII.

In Cap. primum Apocalypseos circa Reuelationes per signa Ioanni Archiprophetæ per Angelum Domini exhibitas.

In duas diuisa Quæstiones, super illa verba: *& significauit.*

Prologus disputationis.

Ne paruus error in principio fit maximus in fine, hic vnum, & in medio operis aliud, (vt cuidam exponenti hoc opus accidit) disendendo, videndum est hoc in loco, quomodo D. Ioánes se habuit in hisce reuelationibus circa signa, quæ ipse crebro asserit se vidisse, vt sic cum ad ipsa deuentum fuerit signa, hoc verbo [significo,] nullum nobis impedimentum pariat.

Fräc. Ribera.

Quæstio. I.

Vtrum verbum, significo, hoc in loco idem sit, quod aliquid per signa ostendere?

1. argum. Adversa pars potest probari. Tú quia, verbum, significo, hoc in loco, simpliciter accipitur pro eo, quod est manifestare. Et probatur; quoniam D. Ioannes omnia hoc loco reuelata optime intellexit. At verò per signa ostendere est aliquid cum obscuritate figurarum indicare, & sic oportet asserere, quod hoc loco

A significare, est absq; signis & obscuritate manifestare. Tum quia D. Ambrosius exponens hunc locum sic ait: [Dominus Iesus Angelum suum misit, & per eumdem Angelum seruo suo Ioanni manifestauit, quæ oportet fieri cito.] vbi sanctus Doctor nullam de signis, aut ænigmatibus mentionem facit. Tum quia interpres qui ex Græco in Latinum vertit, sæpe pro manifestare solet vertere, significare, vt patet 1. Cor. 1. vbi dicitur: [Significatum (id est manifestatum est) mihi de vobis, fratres mei, ab his, qui sunt Cloes, quia contentiones sunt inter vos.] & ad Heb. c. 9. vbi dicitur: [Hoc significante (id est demonstrante) Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam.] Tum quia Apocalypsis Græco idiomate à Ioanne fuit conscripta: Atqui licet apud Latinos posset quis dicere in Græco originali hic non poni verbum, quod apud Latinos dicitur, [significo] sed verbum, quod apud ipsos dicitur, [signo] quod est ambiguum, forsans, sigillauit, & indicauit; tamen apud Græcos non potest talia quis dicere: quoniam apud ipsos nulla est ambiguitas nec corruptio, aut mixtio horum duorum verborum [significo, & [signo.] Nam in sacra Scriptura apud Græcos vbicumq; aliquid sigillo signare dicitur, ponitur verbum [signo.] vt videre est Apoc. 22. [Ne signaueris verba Prophetiæ libri huius.] & cap. 20. [Et clausit & signauit super illum.] & cap. 10. [signa, quæ loquuta sunt septem tonitrua.] & cap. 7. [Quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frótibus eorum.] & paulo post: [Duodecim millia signati.] & cap. 5. [Vidi in dextera sedentis in Throno librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.] & Dan. cap. 12. [Claude sermones & signa librum vsque ad tempus statutum.] & vbi è contra dicitur aliquid indicari vel declarari, ponitur verbum, [significo] vt patet ex illo Ioan. c. 18. [significans, qua morte esset moriturus.] & cap. 19. [Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.] & Act. cap. 11. [Significabat per Spiritum sanctum famem magnam.] & cap. 25. [Sine ratione enim hoc mihi videtur mittere vinctum, & causas eius non significare.] Ergo hoc, in loco ly [significauit] iuxta Græcorum stylum accipitur pro simpliciter manifestare, & non per signa indicare.

2. argum. 3. argum. 4. argum.

B

C

Pro decisione dico. Quod hæc quęstio hic à nobis exagitatur, respectu Bedæ, & Francisci Riberæ. Quoniam hoc in loco Ribera insurgit aduersus Bedam, dicens: [Non placet quorumdam interpretatio, significauit, id est, signis, & obscuritate figurarum ostendit, sed simpliciter accipitur pro eo, quod est manifestauit.] Et paulo post: [Si quis sequi malit expositionem, quam reieci modo, quoniam Beda exponit in hunc modum, & significauit, mysticis eamdem Apocalypsim dictis innexuit, &c.] sic ille. Et hinc quatuor superiora argumenta aduersus Bedam & nos astruit. Verumenimuero, quia Franciscus Ribera non se explicat, quid aduersus Bedam & nos velit, nimirum, an disputet de sola proprietate, & vi, ac etiam natura verbi [significo] an vero neget Archiprophetam Ioánem hanc reuelationem mediantibus signis habuisse; ideo antequam nostras hic astruamus assertiones, animaduertimus, quod hæc quæstio potest reddere triplicem sensum. Primus quidem est an ly [significauit,] dicat relationem ad Ioannem, ita vt sit sensus: [Significauit Ioanni.] Secundus est. An Ioannes hanc Apocalypsim siue reuelationem habuerit non repræsentatis signis, imaginibus & speciebus rerum, vt Dauid, Salomon, Tobias, Oseas, & Amos; qui prophetantes intellexerunt occulta & arcana Dei, quin viderent imagines, & formas rerum. Tertius tandem sensus est, an Ioannes hanc Apocalypsim & reuelationem habuerit repræsentatis signis, imaginibus & speciebus rerum, vt Daniel, qui fatetur se vidisse in visione sua quattuor bestias, ascendentes de mari hircos, arietes, Angelum, hominem, portas Vlay, &c. & etiam Ieremias, qui ollam succensam, & virgam vigilantem vidit. Et Ezechiel, qui rotam in medio rotæ aspexit,

Beda. Fräc. Ribera in c. 1. Apoc. vers. 1. fo. 20.

D

Triplex sensus huius quæstionis.

E

Dan. 7. & 8. Ierem. 1. Ezech. 1.

& Iacob scalam, ac etiam Ioseph solem, lunam, stellas, & manipulos se intuitum fuisse affirmat. Ex hoc plane triplici capite exploratum sane remanebit, an hoc in loco verbum, [significo,] vt dicit titulus quæstionis idem sit, quod aliquid per signa ostendere.

1. concl. Significauit refertur ad solum Ioãné.

Prima assertio. Ly, [significauit] ad Ioannem dumtaxat refertur, ita vt sit sensus, significauit seruo suo Ioanni. Probatur ex varijs sanctorum patrum expositionibus. Quoniam D. Augustinus hom. 1. in Apoc. sic scribit: [Significans, hoc est ostendens seruo suo Ioanni.] & D. Ambrosius sic: [Dominus Iesus Angelum suum misit & per eumdem Angelum seruo suo Ianni manifestauit, quæ oportet fieri cito.] & Primasius ita: [Significauit nuncianda per Angelum seruo suo Ioanni, qui prædicauit verbum Dei,] & Strabus in sua glossa ordinaria: [Et significauit Deus Pater filio, & filius Ioanni, &c.]

D. Aug. D. Amb. Primasius. Strabus.

Dubium auctoris.

Significauit: potest nõ referri ad Ioãnem.

Verumenimuero, ne quis existimet hanc assertionem hic à nobis absque causa erigi, sciendum est eius oppositum teneri posse; affirmando ly [significauit,] nullatenus referri posse ad Ioannem, ita vt sit sensus, [significauit Ioanni:] sed ad solam Ecclesiam & ad eius persecutores, ita vt sit sensus: [Significauit Ecclesiæ, vel persecutoribus eius, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Hoc autem dico propter hęc argumenta, quæ excogitauit quorum primum petitur ex vsu sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ab antiquo tempore in festo sancti Michaelis Archangeli, & aliorum Angelorum ad capitulum sic solet canere: [Significauit Deus, quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium, &c.] vbi ly [loquens] refertur ad Ioannem & non ly [significauit.] Et merito, quoniam hæc est perfecta oratio per se: [Significauit Deus, quæ oportet fieri cito.] distincta in genere orationis ab hac alia, [Loquens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Quamobrem non est, cur ly [Ioanni seruo suo,] se intromittat in illis verbis primæ orationis, in qua est ly [significauit.] Secundum depromitur ex dialectico vitio; quoniam si sic legeremus, [Significauit seruo suo Ioanni,] committeretur in his paucis verbis nugatio, nimirum, inutilis repetitio, eiusdem vocis, quod plane apud dialecticos vitiosum valde est: bis namque nomen Ioannis repeteretur. Redderet etenim tunc temporis illa oratio hunc sensum, [Et significauit Ioanni, mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Tertium depromitur ex astructione textus. Nam verba textus male inter sese connecterentur; quoniam adimendo ly [seruo suo Ioanni,] ex ly [mittens,] & illud coniungendo cum ly [significauit seruo suo Ioanni, mittens per Angelũ suũ qui testimoniũ perhibuit verbo Dei, &c.] tunc (vt apparet) hæc sequentia verba, nempe: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei, &c.] non possent (nisi nimis dure; & regulas grammaticales corrumpendo) ad Ioannem referri. Ergo, &c. Propter itaq; hæc argumenta oppositum huius assertionis sustentabile videtur. Ceterum, quia sacra Scriptura est exponenda iuxta sanctorum patrum veram interpretationem, nolui dictis sanctorum patrum, in præfata assertione citatis, in aliquo obuiare; verumtamen hæc à nobis hic proposita argumenta maneant absque solutione nostra, vt illa quis soluere ad libitum queat. Hoc ipsum dubium attingit Blasius Viegas, asserens illud; [Seruo suo Ioanni] posse & ad [significauit] & ad [mittens] referri, vt sit sensus, Christus hanc Apocalypsim significasse Ioanni, misso ad illum Angelo, qui eam illi indicaret, aut hanc Apocalypsim significasse, misso Angelo ad Ioannem. Ceterum eodem dubio omnino laboramus nihil mutantes de vero sensu contextus.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

Explicatio SS. PP. sẽper est sequẽda.

Blasius Viega in comment.

2. concl. Apoc. reuelata est cum signis & imaginibus.

Secunda assertio. Archipropheta Ioannes habuit hanc Apocalypsim, siue reuelationem, mediantibus signis, imaginibus, ac speciebus rerum, vt Daniel, Ieremias, Ezechiel, & Iacob. Hanc tenent Gilbertus

F Pictauiensis in prolog. Apoc. Lyranus, in prolog. Gilberti, Strabus in sua gloss. ord. in prothemate in Apoc. D. Thomas, Haymo, D. Dionysius Carthusianus in 4. cap. Apoc. & plerique alij Doctores, & probatur ex hoc eodem opere. Quoniam in 1. cap. dicitur: [Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, &c.] & cap. 4. [Vidi & ecce ostium apertum in cælo,] & cap. 5. [Vidi librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.] & cap. 7. [Vidi quatuor Angelos, super quatuor angulos terræ.] & c. 12. [Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta sole, & luna, &c.] & cap. 17. [Vidi bestiã de mari ascendentem,] & cap. 21. [Vidi cælum nouum, & terram nouam,] & paulo post: [Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, &c.] hęc autem omnia, & signa, & imagines rerum plane sunt. Igitur, &c.

G

3. concl. Apoc. imagines & signa quid significarent intellexit Ioãnes. Dan. 1.

Tertia assertio. Noster diuinus vates Ioannes, aperte intellexit, quid significarent illę rerum species, imagines, & signa, quæ vidit & audiuit. Hanc communiter tenent Doctores & confirmatur. Tum quia intelligentia opus est, seu principale in visione prophetica, prout in Daniele legitur. Tum ex doctrina quam 2. 2. q. 171. ar. 4. & 5. tradit S. Thomas. Tum ex illo quod nos supra text. 1. par. 4. disp. 2. q. 2. diximus. Tum quia D. Augustinus super Genesim ad litteram aperte tenet, ad verum prophetam tria spectare, nimirum, quod aliquas habeat visiones, quod illas intelligat, & quod illas manifestare, ac declarare sciat. At noster Ioannes (vt iam est dictum, & vt adhuc etiã dicimus) propheta fuit igitur, &c. Enimuero hęc assertio infra in hoc eodem cap. 1. tex. 2. abundantius copiosiusque à nobis fulcietur ac pertractabitur.

H

4. concl.

Quarta assertio. Ly [significauit] hoc in loco idem est, quod signis & sigillis, imaginibus & rerum speciebus ostendit. Hæc est directe contra Franciscum Riberam in hisce suis commentarijs, & probatur. Tum auctoritate exponentium; quoniam Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari sic exponit, [& significauit, id est per signum ostendit.] Strabus in sua glossa ordinaria sic expendit, [& significauit Deus Pater filio, & filius Ioanni, sub sigillo, id est sub scripto, ne locus sit furibus peruertendi, & vt gratius sit fidelibus, si cum exercitio consequatur.] Beda vero sic explanat: [Et significauit, hoc est mysticis eamdem Apocalypsim dictis innexuit, ne cunctis manifesta vilesceret, &c.] D. Thomas etiam ita exoluit: [Et significauit, id est sub signo, siue sigillo figurarum ostendit vt patet infra Dan. 12. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsq; ad tempus statutum.] Porro Rupertus Abbas hoc modo enodat: [Significauit, hoc loco idem est, ac si diceret signauit, id est quibusdam imaginum sigillis clausit atque obfirmauit, vt nõ cunctis, sed tantum diligentibus pateret atque studiosis.] Eamdem exponendi viam sequuntur D. Dionysius Carthusianus, Auctor Incognitus, Iacobus Suarez à sancta Maria, & plerique alij, quos innumerum esset omnes nominatim hic recensere. Tum præterea patet vi & significatione verbi; quoniam verbum, significo, apud Latinos, teste Ambrosio Calepino in suo dictionario, & etiam Didaco Ximenez Arias in suo lexicone Ecclesiastico, suã per se habet significationem & vim, quæ quidem est per signa aliquid ostendere, indicare, manifestare, declarare, vel notum facere; licet talia signa sint epistolæ, nutus capitis, vexilla, ramus, tuba, ictus oculorum, imagines & alia huius generis, quæ sunt ab hominibus imposita ad significandum, vt docere solent philosophi super primum librum de interpretatione. Quamobrem apud Latinos verbum, significo, semper signa supponit, per quæ ipsum suam vim significandi, hoc est ostendendi, & indicandi obtinet; quoniam, vbi non sunt signa, nulla est significatio. Tum demum quia eodem actu quo Deus hæc mysteria, siue hanc reuelationem (Apocalypsim Græce appellatam) Ioanni proposuit, eodem actu

1. Ratio. Laudunen. Strabus.

Beda.

S. Thom.

I

Rup. Abb.

D. Dion. Car. Auct. Incog. Iac. Suarez à S. Maria.

2. Ratio. Ambr. Calep. in diction. ly significo. Lexicõ Eccles. Didaci Ximenez.

K

3. Ratio.

actu significauit. At in illo actu proposita sunt hæc mysteria per signa & imagines rerum, vt est probatum in secunda assertione nostra; igitur tunc Deus per signa illa significauit.

Appendix.

Hinc etiam liquet, quod [significauit] non est idem quod obsignauit, vel abscondit, quasi qui epistolam sigillo claudit, & abscondit, vt pleriq; alij expositores existimarunt. Rupertus .n. & Ansbertus, [significauit,] pro [signauit] hoc est abscōdit, vel sigillo obsignauit & clausit, vertentes, postea ancipites, & perplexi circa nexum contextus ambigebant, hoc argumento omnino fluctuantes. Si paulo ante, aiebant, dictum fuit: [Palā facere seruis suis,] quomodo hic, [significauit] nimirum, obsignauit, hoc est abscōdit, vel sigillo clausit, dictum est? Scrupulus itaque iste hinc omnino adimitur, asserendo, (vt hæc nostra tenet assertio) quod [significauit] idem est, quod indicauit, ostendit, & declarauit per signa.

Rup. Abb. & Ansbertus in Apoc.

Primum tamen oppositorum non tenet, eo quod verbum, significo, hoc in loco accipitur non pro absolute & absq; signis indicare, & manifestare, sed pro indicare, & manifestare per signa, imagines, & species rerum; quoniam hanc prophetiam habuit Ioannes repræsentatis signis, imaginibus, & speciebus rerum, vt Daniel, Ieremias, & Iacob, vt supra distulimus. Illud vero, quod infertur, nimirum, quod manifestare per signa, est aliquid cum obscuritate figurarum indicare, facile etiam dissoluitur. Quoniam si istud accipiatur respectu Prophetæ, est omnino falsū; quoniam de ratione veri prophetæ est intelligere reuelata, quocūque modo reuelentur, vt ex tertia assertione nostra patet; alioquin non esset propheta, vt liquet de Pharaone spicas, & boues vidente & quid significarent, minime intelligente. Si autem istud accipiatur respectu nostri, qui ea, quæ sunt reuelata Prophetæ Ioanni olim, & nunc audimus; verum est: quoniam propter nos sunt velata illis rerum imaginibus, ac repræsentationibus, veruntamen sic non est ad propositum.

Sol. argum. in oppositū. fol. 1. Significo verbū, in Apoc. nō accipitur pro absolute manifestare.

Nec minus tenet id, quod obijcitur in secundo. Nam, quemadmodum D. Ambrosius hunc locum sic vertit. [Dominus Iesus Angelum suum misit, & per eumdem Angelum seruo suo Ioanni manifestauit, quæ oportet fieri cito.] Sic etiam D. Augustinus eumdem locum ita exponit: [significans, hoc est, ostendens seruo suo Ioanni.] & in vtroque Doctore, tam manifestare, quam ostendere intelligitur per signa; quoniā cum manifestare & ostendere exponant verbum significo, illud oportet exponant iuxta suam proprietatem & vim, quæ est semper per signa indicare, vt tenent Ambrosius Calepinus, Lexicon Ecclesiasticum, Antonius Nebrisensis, & alij Latini grammatici, & præcipue hic, in quo est sermo significare per repræsentationes & imagines rerum, iuxta consuetum prophetarum morem.

fol. 2. D. Ambros. in Apoc.

D. August. in Apoc. Conciliātur D. Amb. & D. Aug. circa verbū significo.

Tertium argumētum nullatenus etiam subsistit; quia nos aliquando etiam per signa manifestamus aliquid, vt cum per signa manifesto tibi voluntatem meam, vel cor meum, vtpote cum tu quæris a me, an te diligam, vel pro te velim Romam petere, & ego per eleuationem manus, vel per inclinationem capitis tacendo, tibi manifesto, quid circa præfata omnia & in corde, & in voluntate habeam, nimirum an velim, an vero nolim. Et hoc, quod est apud nos, est etiam apud Græcos, cum nos & Græci in naturalibus, hoc est in his inclinationibus naturæ, æquales simus. Quamobrem cum apud Græcos aliquid manifestatur per signa, rectè vertit interpres ex Græco in Latinum significare; quoniam apud Latinos, significare est aliquid per signa indicare. Cum vero apud Græcos manifestatur aliquid absque signis, tunc interpres pro manifestare non vertit significare, sed indicare, vel declarare. In duabus autem prææallegatis auctoritatibus erat apud

fol. 3. Manifestam aliquid dupliciter, absolute & absq; signis, & cū signis.

Naturalia sunt eadē in omnibus nationibus.

A Græcos manifestare per signa, & sic interpres in vtraque pro manifestare vertit significare. Patet de prima auctoritate 1. Cor. 1. nempe: [Significatum est enim mihi de vobis, &c.] super quæ verba sic scribit Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari. [Hoc ideo dico, quia litteris significatum est mihi de vobis, &c.] & Lyranus super illa verba: [Ab his, qui sunt Cloes,] sic scribit: [Sosthenes erat in illa societate, à qua fuit missus ex bono zelo hoc denuntiare Apostolo.] & Franciscus Titelmannus sic expendit: [Quod autem in ipso statim initio epistolæ vobis scribam, hæc est ratio nam indicarunt mihi, qui sunt de familię Cloes, exoriri atque exortas esse inter vos contentiones odiosas.] & tandem Primasius ita pręfata verba enodat: [Significatum est mihi, &c. Quo modo Apostolus credit de absentibus, cum scriptum sit, non credas auditui vano, & cetera multa? sed hanc gratiam
B habebat, vt sciret, quid absentes agerent, sicut ad Collossenses ait. Et si corpore absens, spiritu præsens, gaudens, & videns ordinem vestrum.] Ex quibus omnibus liquet, prælibatas rixas, ac contentiones, iam per signa, hoc est, vel per verba, vel per litteras, vel per nuntios, vel spirationem diuinam Apostolo manifestatas fuisse; & sic interpres ex Græco in Latinū optime vertit: [Significatum est mihi de vobis, &c.] hoc est demonstratum, siue indicatum est mihi per signa de vobis, &c. De secunda etiam auctoritate ad Heb. 9. nimirum: [Hoc significante Spiritu sancto, &c.] patet etiam, (& manifestius;) quoniam per illa duo tabernacula Exod 25. 26. & 36. & per illos sacerdotum introitus ad offerendum sacrificia, vt recitat ibi Apostolus in principio cap. citati, cum illa distinctione, nimirum in priori tabernaculo semper; vt habetur Exod. 25. in secundo vero semel in anno, vt habetur
C Exod. 30. & Leuit. 16. Spiritus sanctus per has vmbras & figuras, manifestabat Moysi nondum venisse Christum, qui semel cum sanguine passionis suæ ingrederetur cælorum secreta. Quamobrem rectè interpres per verbum, significo, hanc auctoritatem Apostoli ex Græco in Latinum vertit dicens: [Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam.] Quasi diceret Apostolus, teste Primasio: Ideo solus Pontifex cum sanguine introibat semel in sancta sanctorum, vt discamus, quia cæleste Regnum inaccessibile erat adhuc mortalibus quoadusque veniret Christus, qui expleta passione aperiret nobis ianuam patriæ cælestis, reserato velo, id est, cælo; nondum enim erat manifesta sanctorum via ingrediendi ad patriam cælestem, siue non manifestata intelligentia, quia ignorabant homines, quid significarent illa mysteria. Ecce igitur qualiter noster interpres iuxta
D naturam, vim, & proprietatem verbi, significo, pro manifestare per signa vertit ex Græco in Latinum significo, & non aliter, quidquid dicat Ribera.

Ansel. Laud.

Lyranus. Sosthenes fuit missus ad D. Paulum.

Frāc. Titelm. in epist. Pauli ad Corinth.

Prim. in epist. Pauli ad Cor.

Paulus sciebat quid absentes agerēt

tabernacula duo veteris testamenti.

Prim. sup. ep. Pauli ad Heb. cap. 9.

Ad quartum respondetur, apud Latinos hæc duo verba, nempe [significo,] & [signo] magno esse affecta discrimine. Quoniam [signo] idem est, quod imprimere: & ob id dicimus signare epistolam, id est, sigillo, vel annulo signum in epistola imponere. Idque clarius liquet ex illo Ioan. 6. [Hunc enim pater signauit Deus,] vbi [signauit] pro sigillauit, vel obsignauit ponitur. Perinde ac dicat, me Pater, suo testimonio velut sigillo confirmauit in filium suum dilectissimum. Verbum autem [significo] idem est, quod aliquid per signa ostendere, indicare, manifestare, declarare, vel notum facere. Quamobrem Ambrosius Calepinus in suo dictionario, Didacus Ximenez in suo lexicone Ec-
E clesiastico, ac etiam Antonius Nebrissensis in suo vocabulario per se, & seorsum agunt de his duobus verbis. Primo namque agunt de verbo [significo] & hoc peracto, mox seorsum etiam agunt de verbo, [signo] tamquam duo verba apud Latinos, vi & proprietate, ac natura verborum distincta. Male igitur Ribera infert apud Latinos verbum [significo] crebro involui cūm verbo [signo,] eo quod posset dicere aliquis apud Latinos, vt ipse ait, verbum [significo] ambiguum esse

fol. 4. Significo, & signo maxime differunt apud Latinos.

Amb. Calep. Didacus Ximenez Antonius Nebrissensis.

esse, atque idcirco duplicem habere sensum, nempe, sigillare, & indicare. Nullus plane est Latinorum, nec minus Doctorum, hunc iuxta nostram viam exponentium locum, qui audeat dicere verbum [significo] apud Latinos ambiguum esse, vel duplicem habere sensum, nempe, sigillare, & indicare. Omnes namq; quotquot sunt Latini, & Doctores hunc exponentes locum, dicunt, verbum, [significo] vniuocum esse, vnam dumtaxat habens significationem, vim, & proprietatem, quæ est per signa indicare, manifestare, declarare, vel notum facere. Nec minus est aliquis, qui dicat hic in Græco fonte reperiri verbum, quod Latini dicunt, [signo,] vt ipse Ribera concludit contra Bedam dicens: [Si quis autem ambiguum esse verbum, ἐσήμανεν, quod hic legitur, dicat, atq; idcirco duplicẽ esse sensum, id est, sigillauit, & indicauit, & sequi malit expositionem. quam reieci modo, quoniam Beda exposuit in hunc modum: Et significauit, mysticis eamdem Apocalypsim dictis innexuit, ne cunctis manifestã vilesceret &c. Sciat imposuisse illi, & alijs verbum signo, quod apud Latinos ambiguum est, vel indicare significet, vel sigillo obsignare siue claudere.] sic ille. Nec minus apud Latinos verbum [signo] significat, vt ait ipse, indicare absolute, sed dumtaxat indicare per signa, vt tenet Didacus Ximenez in suo lexicone Ecclesiastico, & Ambrosius Calepinus, in suo dictionario dicens: [Interdum signare significat ostendere, indicare signo.] Omnes namque hunc locum enodantes, tenent hic in Græco fonte reperiri verbũ, quod apud Latinos dicitur, [significo] hoc est, per signum ostendo. Quoniam hęc reuelatio facta fuit Ioãni per signa, quæ ipse optime intelligebat, vt nuper distulimus: & per hoc apparet, quod Ribera non recte insurgit contra Bedã cum illis auctoritatibus 5. 7. 10. 20. & 22. cap. Apoc. quas Bedã pro se adduxit. Quoniam omnes illæ non spectant ad verbum [significo] de quo hic disputamus, sed ad verbum [signo] quod ex hoc loco procul pellimus. Beda autem non adduxit illas auctoritates ad probandum verbum [significo] hic sonare per signa ostendere, quoniam verbum [significo] apud Latinos iam sonat, & significat hoc ex natura sua. Illas igitur dumtaxat adduxit pro se ad demonstrandum, hanc reuelationem Ioanni esse factam per signa & per mysticas rerum species, quas ipse intelligebat, illud colligente Beda ex dictis capitibus huius operis.

Significo est verbũ vniuocum.

Signo verbũ non ponitur apud Græcos in Apoc. vbi nos legimus significauit.

Verbũ signo, nõ significat apud Latinos significare absolute absque signis. Amb. Calep. Didac. Ximenez.

Intẽtio Bedæ mutatur à Ribera.

Intẽtio vera Bedæ.

Et quoniam Ribera pro sua tuenda falsa enodatione huius loci, ait sic: [At in Græco nulla est ambiguitas, nusquam enim in sacra Scriptura verbum, &c.] Dico & ego, quod nulla etiam est apud Latinos ambiguitas circa hoc. Quod etenim sonant apud Græcos hæc duo verba, nempe [significo] & [signo] idipsum etiã sonant apud Latinos, & e conuerso. Quoniam sunt voces significantes ad placitum, & ex hominum instituto, quæ licet differant terminatione, tamen res significatæ per tales voces, eædem sunt & apud Græcos, & apud Latinos. Etenim res animiq; perceptiones, vt tenent philosophi super caput primum de interpretatione, natura constare, & easdem esse apud omnes nationes affirmant; licet Græci, & Latini, Romani, & Indij, Ægyptij, & Arabes diuersis vtantur vocibus. Quamobrem, quemadmodum circa rem significatam, & animi perceptionem horum duorum verborum apud Græcos, nulla est ambiguitas, vt dicit Ribera, nec minus erit apud Latinos. Et quemadmodum hæc duo verba [significo,] & [signo] apud Græcos non confunduntur, nec minus apud Latinos. Et sic quemadmodum dici potest, Mutus, vel aliquis alius per signa loquitur, per signa emit, per signa amat, per signa currit, &c. non confundendo verbum [signo] cum verbo amo, emo, loquor, curro, &c. sic cum Latini dicunt per signa ostendere, non confundunt verbum [signo] quod apud ipsos est ambiguum, & sonat vel signo indicare, vel sigillo obsignare, siue claudere, cum verbo [significo] quod dumtaxat sonat per signa indicare, vel ostendere, & sic duplex significatio ver-

Res significatæ per voces eędẽ sũt apud oẽs nationes. Arist. 1. li. de interp. c. 1.

F

bi [signo,] aut altera earum, nimirum indicare signo, non se miscet cum verbo significo, nec minus eius naturã destruit synonimiã vel vniuocatio verbi, quæ est semper per signa indicare, manifestare, declarare, vel notum facere. Quod autem in fonte Græco verbum [significauit] quo vtitur hoc loco noster vates, & noster vulgatus, nullatenus vsurpetur pro [signauit] clare ostendit quidam confrater Riberæ, qui alias illum defendere tenebatur, per hæc verba: [Et vero nos inficiari haud possumus verbum Græcum σημαίνω, quo vtitur hoc loco Ioannes, est enim Græce pro, Significauit, ἐσήμανεν, tantum pro significare, sed etiã pro sigillo obsignare, vsurpari: quamquam enim Grece σφραγίζω, & σφραγίζομαι, proprie sit signare, & sigillo obsignare, vnde σφραγὶς. sigillum dicitur & σημαίνω, communiter sit significare, tamen sæpe σημαίνω, idem est quod σφραγίζω, sic namque vsurpauit Pausa-

Verbũ signo nõ inuenitur in Apoc.

Blasius Viegas in Com.

G

nias in Laconicis, vbi agens de Rege Polydoro, Regis Alcamenis filio, sic ait: ὃν ἐς τοσοῦτο τιμῆς προήχασιν, ὥστε οἱ τὰς ἀρχὰς ἔχοντες, ὁπόσα δεῖ σημαίνεσθαι, τῷ Πολυδώρου σημαίνονται εἰκόνι, hoc est, quem tanto honore Lacedæmonij præ alijs regibus affecerunt, vt magistratus quæcumque obsignare est necesse, Polydori imagine obsignent: qua eadem significatione affine verbum σημειόω, in sacris etiam litteris vsurpatur, veluti Psalmo 4. [Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, habent 70. ἐσημειώθη ἐφ' ἡμᾶς τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου Κύριε. Ceterum addimus σημαίνω, hoc loco non esse sigillo obsignare, sed significare, vt recte vertit interpres; quoniam licet apud Pausaniam iam citatum, aliosque prophanos auctores, pro obsignare interdũ ponatur, nusquam tamen, quod sciam, in sacris litteris, in ea significatione acceptum reperitur: non est autem aliquid, quod nos cogat, hoc tantum loco pre-

H

ter scripturæ consuetudinem, pro obsignare, positum esse, confiteri: quare significauit, idem est, atque indicauit, ostendit, declarauit.] Sic ille.

Nec minus altera pars distinctionis Riberę, quæ talis est: [Contra: vbi ponitur verbum significo, quod est indico, declaro, solet sæpe poni verbum σημαίνω vt Ioan. 12. & 18. significans qua morte esset moriturus, &c.] vllo modo subsistere potest. Quoniam verbum [significo] cuius natura est indicare, vel declarare per signa, potest accipi dupliciter, primo siquidem mysteriose & diuine, & sic spectat ad prophetas, vel ad eorum dicta, & diuinitus prophetata, siue de præterito, siue de præsenti, siue de futuro loquuti fuerint Dei vates: Secundo vero potest accipi humane & politice, siue ciuiliter loquendo, nimirum, vt communiter inter homines absque mysterio aliquo loqui solemus. Et cum primo modo accipitur, opor-

Significo accipitur aliquando mysteriose & aliquando humane.

I

tet, vt semper supponat aliqua signa vel præterita, vel præsentia, vel futura, per quæ Dei vates mysteriose ac diuine alloquuti fuere, diuino afflante spiritu. Cum vero accipitur secundo modo, non est necesse, vt semper interueniant signa aliqua; quoniam tunc nullum interest mysterium, nec aliquid diuine indicatur. In prima igitur auctoritate adducta à Ribera ex cap. 12. Ioan. quæ talis est: [Significans, qua morte esset moriturus;] & in secunda cap. 18. quæ sic se habet: [Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans, qua morte esset moriturus,] & in tertia cap. 19. Ioa. nempe: [Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum:] constat aperte in his tribus locis, Christum loquutum fuisse iuxta præcedentia signa, & figuras prophetarum, quas quidem prophetarum figuras ipse adimplere debebat. Quamobrem Cardinalis Caietanus super illa verba Ioa. 12. nempe: [Significans, qua morte esset moriturus,] sic scribit: [Hinc apparet, quod illa verba, scilicet exaltari à terra, apud

Significauit Xps mysteriose iuxta signa prophetarũ. Caiet. in c. 12 Ioan.

K

Hebræos illius ætatis significabant non mori, sed mori in cruce: speciem enim mortis indicat relatiuum, qua morte, & constat, speciem mortis fuisse mortem crucis. Congruit autem modus moriendi exaltationi à terra: nam crucifixi exaltati erant à terra. Et erat sensus verborum tunc in communi notitia: alioquin turba non statim intellexisset & opposuisset. Re-

spondit

spondit ei turba: Nos audiuimus. Recte loquuntur; quia ipsi non legerant.] Sic ille. Et præter id, quod ait Caietanus, constat, cum Dominus dixit Ioan. 12. [Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum;] alludi ad illud signum Num. 21.] Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo.] Extat vtique illud: [Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.] Quamobrem necesse est fateri, Dominum loquutum fuisse mysteriose, tangentē signa præcedentia mortis suæ ignominiosæ per crucem, prout indicat Euangelista Ioannes statim in sequentibus verbis: [Significans, qua morte esset moriturus.] Et idem iudicium est in duabus sequentibus auctoritatibus eiusdem Euangelistæ; quoniam in vtraque loquitur Christus, mysteriose & diuine alludens ad mortis suæ signa prophetarum præcedentia.

Ioan. 3.

Signa Prophetarū de morte Christi.

Illud vero, quod ex Actor. 11. citat Ribera, nempe: [Significabat per spiritum famem magnam,] à suo principali instituto auulsum omnino vtique est. Magis enim stat pro nobis, quam pro se, quoniam ex eodem cap. 11. Act. constat Agabum prophetam fuisse illum, qui significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, & hunc esse illummet prophetam, de quo Act. 21. dicitur sic: [Et cum moraremur per dies aliquot, superuenit quidam à Iudæa propheta nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.] Quamobrem cum iste, qui per spiritum significabat famem magnam, esset Dei vates, ex consequenti necesse est fateri loquutum fuisse mysteriose & diuine, vt indicat ly [per spiritum.] Et licet iste Agabus propheta illam famem futuram diuinitus & mysteriose sciret, cum signis, vel absque signis, vt commune est Prophetis, prout nuper retulimus in exordio huius quæstionis, tamen cum in eodem cap. Act. 11. mox sequatur: [Quæ facta est sub Claudio,] futura dominatio Claudij futurum signum erat illius famis magnæ superuenturæ in vniuerso orbe terrarū. Vnde cum propheta Agabus ibi prophetice loqueretur per spiritum, recte interpres noster ex Græco in Latinum vertit: [Significabat per spiritum famem magnam.] Quoniam prophetice loquebatur ibi vates Agabus, & ad signa futura prophetarum spectat verbum [significo,] sicuti ad præterita siue præsentia.

Agabus Propheta.

Fames futura in vniuerso orbe terrarū.

Vltimum tandem, quod subiungit Ribera in cap. 25. Act. nempe: [Sine ratione mihi videtur mittere vinctum & causas eius non significare,] non est mysteriosum nec diuinum, aliquam supponens figuram, cum aperte constet ibi sermonem esse modo humano, politico, siue ciuili. Quamobrem cum illic sit quæstio, siue sermo de rebus humanis, non immoror in explicando, an ly [& causas non significare] sit idem, quod causas simpliciter non declarare; quoniam dum in textu dicitur: [& significauit, mittens, &c.] ly [significauit] accipitur mysteriose & diuine, vt semper solet accipi inter prophetas, quorum est per signa indicare, vel declarare, ac etiam reuelationes à Deo accipere.

Oportet igitur, vt Franciscus Ribera se explicet, quid noui decantare velit, defendendo hic ly [significauit] accipi debere pro simpliciter manifestare, & non per signa ostendere, nimirum, an velit asserere, Ioannem non habuisse hanc reuelationem à Deo per signa, & imagines rerum, (& hoc nequit stare, vt tenet 2. assertio) vel velit tueri hic ly [significauit,] non accipi mysteriose & diuine, sed modo humano, nimirum, cum de rebus humanis est quæstio (& hoc etiam nullam habet subsistentiam: quoniam Ioannes fuit verus Propheta, intelligens mysteria sibi reuelata à Deo, per illas imagines rerum, quas vidit, & audiuit,

Cōsectarium cōtra Franc. Ribera.

A vt tenet 3. assertio,) vel tandem velit in sententiam Ruperti Abbatis, & Ansbertis irruere, asserendo, significare, idem esse, quod sigillo ob signare, abscondere, & claudere: quam falsam, & superiori textui, [Palam facere] omnino aduersam ijdem Rupertus & Ansbertus adinuenerunt, vt in 4. assertione nostra fuse distulimus.

Dicet postremo aliquis: Quidquid reuelatur, indicatur, ostenditur, vel manifestatur alicui per signa, semper est obscurum, & sub dubio degens. At Apocalypsis ostenditur, indicatur, vel manifestatur per signa, igitur erit obscura. Distinguenda vtique venit maior; quoniam si intelligatur respectu illius, cui immediate talis manifestatio fit, falsa omnino est. Si vero accipiatur in ordine ad alios, ad quos mediate talis manifestatio deuoluitur, vera aliquando est, si illa

B signa quis forte ignoret; quoniam re principali ignorata, ignorantur ex consequenti signa, eamdem rem principalem indicantia. Quamobrem si Apocalypsis manifestata per signa, accipiatur respectu Prophetæ Ioannis, cui immediate est manifestata: Maior illa falsa omnino inuenitur in 3. assertione nostra, si autem accipiatur in ordine ad nos, ad quos mediate est deuoluta per Ioannem, fatemur libenter obscurissimam esse Apocalypsim, vt suo loco dicetur, vbi causas suæ obscuritatis ostendemus. Idque plane ostendere voluit venerabilis Beda, dum dixit: [Et significauit, mysticis eamdem Apocalypsim dictis innexuit, ne cunctis manifesta vilesceret,] cum quo plane venerabili Doctore quadrat D. Dionysius Carthusianus, dum in exordio cap. 4. Apoc. ita scribit: [Est autem totus hic liber mirabiliter difficilis & obscurus etiam præ cunctis libris propheticis. Nam per imaginarias visio-

C nes ac species est descriptus; ita quod sensus litteralis ipsius est, qui per similitudinem & res, non qui per voces signatur. Vnde & expositores varijs modis hunc librum exponunt, nec aliquis eum plane intelligit. Ita quod expositiones huiuscemodi pro magna parte sunt infra certitudinem, nec aliquid certum intuentur in his, nisi vt secundum fidem sint.] Ita Carthusianus.

Cap. 1. tex. 2. par. 4.

Beda.

Carthusian.

Quæstio. II.

D Vtrum mysteria hæc diuina Apocalypsis fuerint nostro beatissimo Archiprophetæ Ioanni significata per Angelum, mediantibus signis sensitiuis, in visione sensitiua, siue imaginaria, vel intellectiua?



QVOD hæc reuelatio facta fuerit Ioanni, medijs signis sensitiuis, & visione sensitiua, vel saltē visione imaginaria, probari potest. Tum quia Ioanne in hac sua Apocalypsi passim fatetur, se vidisse multas species, & effigies rerum, nempe candelabra, stellas, gla-

E dios, enses, Angelos, catenas, dracones, bestias, ostia, falces, & pleraq; alia his similia, quemadmodum Balthasar cap. 5. Danielis, vidit scripturam depictam in pariete dicentem; [Mane, thecel, Phares.] ac etiam articulos cuiusdam manus illam scripturam in pariete scribentem. At visio Balthasaris fuit per signa sensitiua & per visionem sensitiuam, quæ fieri solet, ordinando species acceptas à sensibus, præsente obiecto sensato, sic enim fieri solet visio rerum materialium,

1. argum.

1. Argum. lium, vt dicunt communiter Philosophi. Ergo, &c. Tum quia hæc mysteria significata sunt Ioanni per signa, vt aperte deducitur ex præcedenti enodatione, ly [significauit.] Atqui significare aliquid per signa, est aliquid ostendere per signa in visione imaginaria, quoniam nos videntes aliquod signum, è vestigio imaginamur aliquid, quod significari potest per tale signũ, vt videntes ramum in domo aliqua, illico imaginamur in tali domo vendere vinum, vel videntes vexilla erecta, futurum cito bellum imaginantur. Igitur, &c.

Gilb. Pictau. Ans. Laudun. Strabus. Lyranus. S. Thom. Auct. Incog.

Pro decisione dico, quod hanc quęstionem attingunt Gilbertus Pictauiensis, Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari, Strabus in sua glossa ordinaria, S. Thomas, Lyranus, Auctor Incognitus, & alij plerique in prologo super Apocalypsim. Ceterum illam ad hunc locum directe spectare puto, in quo est sermo, qualiter Deus Ioanni significauit hæc mysteria per Angelum suum.

1. fundam. Visio triplex.

Præmitto tamen primo, quod triplex est visio; quædam enim est corporalis, quæ est, quando videmus corpora, vel aliqua alia materialia corporalibus oculis. Nostra etenim cognitio à sensu incipit, cum nihil sit in intellectu, quin primo fuerit in sensu, vt dicit philosophus. Quamobrem ista visio ceteris anteponitur, tamquam omnium visionum primaria, & quando sensus visus aliquid corporaliter cernit, tunc visus plures differentias concernit rerum, quam aliquis alius particularis sensus, iuxta philosophum 1. Meth. & magis sensus visus, quam auditus. (Aristoteles.) Alia vero est visio spiritualis, siue imaginaria, quæ fit, cum videlicet dormientes, vel vigilantes, imagines, vel species rerum imaginatione deprehendimus, intuemur, ac cernimus, quibus aliquid significatur, vt Pharao spicas, & boues dormiendo, & Moyses rubum ardentem vigilando vidit, vel quemadmodum si tu modo euigilans, vel dormiens, imaginares duos arietes cornutos ventillantes cornibus in aere, vel duos homines luctantes in medio mari, vel aliquid aliud huic affine. (Comparatio.) Alia tandem est visio intellectualis, quæ fit, quando videlicet videmus Spiritu sancto reuelante intra mentis iudicium veritatem mysteriorum, & vt ipsa est, ita concipimus illam, & hoc sine imaginibus, aut rerum speciebus in imaginatione formatis, vt Dauidi, Salomoni & alijs plerisque accidit prophetis, qui prophetizando visionem intellectualem plane obtinerunt mysteriorum Dei, nullis imaginibus, rerum speciebus intercedentibus. (Visio intellectualis.) Hanc visionum distinctionem etiam adducunt Riccardus, ac Dionysius in sua cælesti hierarchia, licet alijs verbis, quoniam dicunt, visionum genera esse quatuor, quarum duas corporales, reliquas vero duas spirituales nominant, ex quibus vna visio corporalis est, quando res exteriores videntur visu corporali absque significatione mystica, quemadmodum oculus noster communiter colores in parietibus videt. (Riccardus. Dionysio. Vissio quadruplex.) Alia vero visio corporalis est, quando aliqua videntur corporaliter, in quibus latet significatio mystica, quemadmodum Moyses rubum ardentem Exod. 3. & Ieremias ollam succensam & virgam vigilantem vidit. Vna itidem è conuerso visio spiritualis est, quando animus per Spiritum sanctum non oculis carnalibus, sed oculis cordis illuminatur rerum visibilium speciebus, similitudinibus, ac imaginibus ad visionis cognitionem repræsentatis. Alia tandem visio spiritualis (vt dicunt isti D.D.) est, quando animus noster per Spiritumsanctum illuminatur per internam inspirationem suam, nullis mediantibus rerum visibilium similitudinibus, sed solo illius afflatu diuino ad cælestem contemplationẽ erigitur, vt Dauidi accidit.

2. fundam. Visio naturalis quomodo fiat.

Præmitto secundo, quod visio naturalis tam sensitiua, quam intellectiua, fit hoc modo: præsente namq; potentia videndi educitur ab obiecto interposito species sensilis, quam sensus noster exterior à sensibili exteriori in se recipit, in qua quidem specie sensibili, obiectum præsens, siue sensibile exterius F repræsentatur. Ista autem species sensilis ex sensu exteriori ad imaginationem siue ad phantasiam transmittitur, deinde existens in phantasmate illustratur per lumen intellectus agentis, ex qua illustratione efformatur species intelligibilis, quæ offertur intellectui passibili, per quam intellectus noster intelligit. (Species sensilis. Species intelligibilis.) Ecce qualiter fiat visio naturalis, tam sensitiua quam intellectiua. Quoniam illa, quæ fit per speciem sensilem, sensitiua, illa vero, quæ per speciem intelligibilem fit, intellectiua dicitur: (Visio sensitiua quid sit. Visio intellectiua quid sit.) & nota, quod species rerum sensibilium in phantasia siue imaginatione existẽtes secundum ordinem, quo percipiuntur à sensu exteriori, non solum possunt immutare intellectum passibilem, sed etiam prout existunt in phantasia, transmutantur. Quod quidem dupliciter contingere solet, vel per corporalem transmutationem, & accidit in dormientibus & furiosis, vel vt disponunt & ordinantur per imperium rationis ad id, quod intelligendum G est: & sic secundum diuersam ordinationem phantasmatum resultant in intellectu passibili diuersæ species & repræsentationes, diuersaq; iudicia secundum virtutem intellectus agentis, hoc est intellectualis luminis. (Phantasia quid sit.) Et ad maiorem intellectionem eorum, quæ hic dicta sunt, animaduertas etiam oportet phantasiam sic definiri à philosophis: facultas animi interna, quæ recipit in se species sensiles à sensu communi, & eas coniungit & componit inter sese. (Vis imaginatiua quid sit.) Præterea vim imaginatiuam sic etiam describi: facultas animi interna, quæ recipit, & conseruat in se imagines rerum obiectarum, nempe indiuiduarum. Tandem vim existimatiuam ita philosophi definiunt, facultas animi interna, quæ recipit in se species non sensiles, siue non sensatas, eductas à speciebus sensibilibus in phantasia contentis. (Vis existimatiua quid sit.)

H

3. fundam. Cognitio Prophetica quomodo fiat.

Præmitto tertio, quod prophetica cognitio fit hoc modo: nimirum quando Spiritus sanctus mouet aliquem ad prophetiam, ad prophetizandumue, siue ad aliquam cognitionem occultorum, quę naturali lumine cognosci nequeunt, tunc ipsemet Spiritus sanctus imprimit superadditque intellectui agenti illius hominis maius lumen spirituale per modum transeuntis, quod non mouet neq; illuminat, nisi quandiu prophetica visio durat, & mediante lumine superaddito immutat intellectum Prophetę Spiritus sanctus, aliquãdo species acceptas à sensibilibus, ordinando & illustrando, & aliquando species non sensatas imprimendo, quemadmodum si modo in phantasia alicuius cæci nati imprimeret species colorum: (Comparatio.) & vterq; modus dupliciter plane euenire potest, nimirum dormiendo, & vigilando, primus quidem modus accidit Iosepho I iuxta illud Genes. 37. [Vidi per somnium quasi solem & lunam, &c.] in quo plane casu certus remanet propheta post tale somnium, quod iudicium sequens illam specierum ordinationem, certe & infallibiliter est à Deo iuxta illud Ierem. 12. [In veritate misit me Dominus ad vos.] (Prophetę quo modo cognoscant.) & per hanc certitudinem, quæ manet in vigilia, discernunt prophetæ Dei propheticam cognitionem ab alijs somnijs. Secundus vero modus accidit eidem Iosepho, dum in vigilia Spiritu sancto reuelante exposuit, ac declarauit somnium, quod Rex Pharao: Gen. 3. [somniauit circa illos septem boues ac septem spicas iuxta ripam Nili,] ac Dauidi, & Salomoni, quibus Deus in vigilia aperuit sensum, vt occulta intelligerent, iuxta illud: [Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.] (Psalm. 50.) Et iste modus est perfectior, quoniam arguit impressionem, siue influxum maioris luminis, cum in vigilia sit maior occupatio virium animæ. K Perfectio autem istius modi colligitur ex eo, quod spiritus in vigilia operatur diuersimode: nam aliquando operatur, ordinando species acceptas à sensibus, præsente obiecto sensato, vt accidit Danieli, [qui vidit in pariete illam scripturam: [Mane Thecel Phares.] (Dan. 5.) Aliquando vero operatur, non videndo exterius obiecta specierum ordinatarum in phantasia, vt euenit Ieremiæ, qui vidit ollam succensam, & virgam vigilantem à parte Aquilonis. (Ierem. 1.) Aliquando in

do insuper operatur Spiritus sanctus, imprimendo species intelligibiles intellectui passibili sine phantasmate, vt plane operatus fuit cum Dauide, & Salomone. Aliquando tandem operatur, imprimendo lumen intelligibile cum speciebus requisitis ad iudicandum ea, quæ alijs visa fuerunt, vt videre licet in Ioseph, qui declarauit somnium Pharaonis, & duorum seruorum eiusdem Pharaonis in carcere, ac etiam in Apostolis, quibus Christus aperuit sensum, vt intelligerent scripturas: ad quod plane pertinet illud donum Spiritus sancti, quod interpretatio sermonum appellatur, quod est species prophetiæ.

Gen. 40. & 41.

Lucæ 24.

4. fundam. Signi gemina acceptio.

Præmitto tandem signa esse in duplici differentia. Quædam etenim sunt signa sensibilia, quæ sensu aliquo siue interno, siue externo percipiuntur, media specie sensili. Alia vero sunt signa interiora quæ habentur, mediante virtute diuina, nulla concurrente specie sensili, vt sunt tactus cordis, eleuatio mentis, illuminatio intellectus, siue in raptu, siue in extasi. Prima itaq; signa, nempe, sensibilia, ad visionem imaginariã, secunda vero signa, vtique interiora ad visionem intellectiuam in prophetis, pertinent.

1. concl. Visio qua Ioannes vidit mysteria Apoc. nõ est sensitiua, nec imaginaria naturalis. 1. Ratio.

Prima assertio. Visio, qua noster Archipropheta Ioannes vidit hæc mysteria Apocalypsis, non est visio sensitiua naturalis, quæ fit oculis corporeis, præsente potentia & obiecto proportionato; aut visio imaginaria naturalis, quæ fit ad arbitrium; nec minus fuit naturalis visio intellectiua. Probatur: Tum quia visio, qua noster Archipropheta Ioannes vidit hæc mysteria Apocalypsis, est vere & proprie prophetica, eo quod Ioannes noster (vt infra patebit) fuit vere & proprie propheta. Atqui naturales visiones tam sensitiuæ, quam imaginatiuæ, & etiam intellectiuæ, excluduntur à cognitione prophetica; Igitur, &c. Tum quia ad cognitionem propheticam requiritur lumen supranaturale, illustrans intellectum nostrum in occultis & absconditis, quæ naturaliter percipi nequeunt. At visio sensitiua naturalis fit solo lumine naturali, illustrante colores præsente obiecto, & potentia visiua, & itidem imaginatio naturalis fit toties, quoties vult homo, ad arbitrium namque hominis est imaginari, quando vult; & tandem visio intellectiua naturalis fit, mediante dumtaxat naturali lumine intellectus agentis, illustrantis phantasmata. Tum prætérea quia Prophetæ raro inueniuntur, cum prophetare sit gratia gratis data, quæ aliquibus dumtaxat & non omnibus datur, iuxta illud Apost. 1. Cor. 12. [Diuisiones gratiarum sunt: alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c.] sed sic est, quod præfatæ visiones naturales crebro, ac frequenter fiunt ab omnibus mortalibus; quoniam homines propediem & vident, & imaginantur, ac etiam intelligunt. Ergo cum prophetæ raro inueniantur, præfatæ visiones à visione prophetica procul pelluntur, & ex consequenti habetur intentum.

2. Ratio. Cognitio prophetica requirit lumen supranaturale.

3. Ratio. Prophetæ raro inueniuntur.

2. concl. Visio qua Ioãnes vidit mysteria Apoc. est spiritualis intellectiua, & etiã imaginatiua. 1. Ratio. 2. Ratio.

Secunda assertio. Visio qua noster Archipropheta vidit, hęc mysteria Apocalypsis, est spiritualis visio intellectiua, ac etiam imaginaria. Hæc est Magistri Gilberti Pictauiensis, D. Dionysij Carthusiani in exordio cap. 4. Apoc. & aliorum. Probaturq; Tum quia infra sic dicitur: [Fui in spiritu Dominica die.] Atqui esse in spiritu nihil aliud est, quam contemplari spiritualiter per imaginatiuam, vel intellectiuam cognitionem, mediante lumine Spiritus sancti; ergo, &c. Tum quia Dan. 10. dicitur: [Intelligentia opus est in visione] & ibi oportet sit sermo de intelligentia, quæ habetur lumine supranaturali. Tum denique quia illa dicitur visio spiritualis intellectiua ac etiam imaginatiua, qua, Spiritu sancto reuelante, & imaginamur & intelligimus veritatem mysteriorum Dei, vt patet in 3. fundamento nostro. At noster Archipropheta Ioannes veritatem mysteriorum Dei intra mentis iudicium, Spiritu sancto reuelante, intellexit, & præterea ei adhibitæ fuerant imagines, & species rerum, nempe dracones, falces, candelabra, &c. Ergo fuit visio spiritualis intellectiua, & imaginaria secundum diuersos respectus.

3. Ratio.

3. concl.

Tertia assertio. Noster vates in hac sua intellectiua & imaginaria visione, quam habuit circa hęc Apocalypsis mysteria, non vidit exterius obiecta talium specierum, formarum, & imaginum, quæ signa sensibilia dicuntur, hoc est, non vidit realiter candelabra aurea, enses, dracones, & alia, quæ fatetur se vidisse corpora, sed Spiritus sanctus, vel Angelus ad eum missus ordinauit in phantasia Ioannis species sensiles, vel species acceptas à sensilibus speciebus, quæ illic degebant, illasq; illustrauit, ita vt repræsentarent intellectui suo omnia prædicta mysteria. Hæc est Strabi in sua glossa ordinaria in prolog. D. Hieronymi super Apoc. & probatur. Tum quia videre exterius obiecta, pertinet ad visionem sensitiuam, vt patet, & visio sensitiua excluditur à cognitione prophetica; ergo oportet asserere Spiritum sanctum, vel Angelum ordinasse species sensiles, vel acceptas à sensilibus, quæ illic erant congregatæ, illasq; illustrasse, ita vt repræsentarent intellectui suo illa omnia mysteria, quæ vidit. Tum quia similitudines rerum possunt configurari ratione effectus, vel alicuius proprietatis, vt experientia docet. Atqui signa, nempe, candelabra, dracones, enses, bestias, &c. quæ Ioannes spiritualiter vidit per illam imaginariam, & intellectiuam visionẽ, erant conuenientia signa passionum designatiua intellectui suo. Ergo dicendum est Spiritum sanctum, vel Angelum illa configurasse in phantasia spiritualia & interiora, & nullatenus corporalia & sensibilia: &, vt vno verbo dicam, erant imagines corporum, & non ipsa corpora realiter, veluti si imago Cæsaris depicta in pariete miraculose existeret per se in aere, sic non ipsa corpora, sed imagines corporum in phantasia Ioannis, siue in vi imaginatiua diuinitus configuratæ fuerunt.

1. Ratio.

2. Ratio.

Simile. Nota bene.

Ad maiorem autem enodationem huius quęstionis apponam hic fideliter verba, & resolutionem Gilberti Pictauiensis circa hanc materiam, quam desumpsi ex sua præfatione in Apocalypsim, vbi sic scribit: [Cũ autẽ Ioanni hęc in visione fuerint reuelata, & sint tria genera visionum, sub quo genere contineatur videndum est, visio enim alia corporalis; quando videlicet corporalibus oculis aliquid videmus. Alia spiritualis seu imaginaria, cum videlicet dormientes, vel etiam vigilantes imagines rerum cernimus, quibus aliquid aliud significatur. Sicut vidit Pharao spicas, & Moyses rubum ardere: ille dormiens, iste vigilans. Alia intellectualis, quando videlicet Spiritu sancto reuelante, intellectu mentis, veritatem mysteriorum, sicut est, capimus; quomodo vidit Ioannes, quæ in hoc libro referuntur. Non enim figuras tantum vidit spiritu: sed & earum significata mente intellexit.] Hucusque Gilbertus. Verumenimuero cum S. Thomas in suo proemio super Apocalypsim præfationem Gilberti Pictauiensis magna ex parte interpretatus sit, verba & interpretationem D. Thomæ horum verborum Gilberti, hic etiam ad maiorem huius quæstionis intelligentiam apponam, suntque sequentia: [Cum autem Ioanni, &c. corporalibus oculis, sicut diuino munere vidit Heliseus currus igneos, 4. Reg. 6. & Balthasar manum scribentem, Dan. 5. Alia spiritualis, spiritus hic dicitur non pars superior rationis, sed virtus imaginatiua. Probatio. Gen. 41. Moyses, Exod. 3. Sed obijcitur de vltimo exemplo, quia Moyses vidit oculis corporeis, ergo visio corporalis, non imaginaria. Item dicit Glos. super 2. Cor. 12. quod visio spiritualis seu imaginaria est, quando aliquis in extasi, vel somno videt, non corpora, sed imagines rerum. Respondeo. Referendo visionem illam ad id, quod corporale erat & corporaliter videbatur, erat visio corporalis. Referendo autem ad signatum præ id, quod sic videbatur, imaginaria dici potest. Vnde super 2. Cor. 12. dicit Augustinus, quod visione corporali vidit Balthasar manum, sed Daniel signatum

Gilbertus Pictauiensis in præfatione super Apoc.

S. Th. in proemio sup. Apocalypsim.

tum intellexit & aperuit, & ideo potius dicendus est Propheta, quam ille. Ex quo patet, quod illud, quod fuit Danieli visio spiritualis, fuit Balthasari corporalis. Balthasar enim vidit manum corporalem & motum corporalem, & non intellexit signatum. Daniel autem intellexit, vel forte, vt quidam dicunt, videbatur ignis, qui reuera non fuit ignis. Visio autem Petri, quando positus in extasi vidit quadrupedia & serpentia, fuit visio imaginaria, Act. 10. Ad aliud dicendum, quod non dixit gloss. quod aliter non contingat fieri visionem imaginariam: quia, vt dictum est, existẽte visione corporali, in quantum spiritus negotiatur circa significatum conceptum ex visione illa, imaginaria vel spiritualis dici potest. Sicut Iosepho spicas, id est spicarum imagines. Intellectu mentis; quæ est pars superior mysteriorum, id est, secretorum. Quomodo? scilicet intellectuali visione. Sed contra, quia ipse vidit imagines, sicut in libro infra habetur de candelabris, & alijs multis; ergo vidit imagines. Respondetur. Vidit visione imaginaria & intellectuali secundum diuersos respectus, imaginaria in quatnum vidit imaginem; intellectuali, in quantum illuminato intellectu intellexit, quæ videbat.] Hucusque S.Thomas.

Ad primum respondetur similitudinem esse falsam; quoniam Balthasar vidit illam visionem, visione corporali; at vero D. Ioannes vidit has rerum imagines, visione spirituali.

Obiectio. Sed obijcies: Daniel simul aderat cum Balthasar Rege Chaldæis, & aruspicibus, atque Balthasar Chaldæi, & aruspices visione corporali videbant illam scripturam. Ergo & etiam Daniel. Atque Daniel de illa prophetauit; ergo non est, cur visionem sensitiuam à cognitione prophetica excludamus.

Solutio. Respondeo, quod aliud est videre scripturam illam depictam in pariete, & aliud est circa illam prophetare. Primum siquidem fit solo lumine naturali, præsente potentia & obiecto proportionato. Aliud vero fit lumine supranaturali superaddito intellectui. Ideo ex primo non dicitur Daniel propheta Dei, sed ex secundo.

Ad secundum respondetur, quod licet visio imaginaria non sit formaliter intellectiua, tamen eadem visio diuersa ratione potest dici imaginaria & intellectiua, quemadmodum idem motus diuersa ratione formali, est actio, & passio apud dialecticos, quatenus etenim est influxus immissus ab agente, dicitur actio, quatenus vero recipitur in passo, dicitur passio. Pari etiam modo eadem visio spiritualis, quatenus fit mediantibus imaginibus, dicitur formaliter imaginaria; quatenus vero significata harum imaginum Ioanes intellexit, dicitur formaliter intellectiua.

Sed obijcies. Visio intellectiua est rerum immaterialium, quæ nullas gerunt corporum similitudines, vt patet in specie intelligibili, in qua sola dumtaxat veritas repræsentatur, & quidquid in illa continetur immateriale, & expers cuiusuis materię sane est. At huiusmodi imagines rerum, quæ erant in phantasia Ioannis & signa rerum sensibilia erant materialia & corporea; quoniam erant imagines & similitudines corporum, quæ quamuis nõ sint realiter ipsa corpora; oportet, vt sint corporea & materialia, vt videre est imagine Cæsaris in pariete depicta, quæquidẽ & materialis est, & corporea, cũ visu percipiatur & manibus tangatur. Ergo nullo modo potest esse hęc visio intellectiua.

Solutio. Respondeo, quod ex huiusmodi imaginibus, existentibus in phantasia, educta fuit species intelligibilis, qua mediante, intellectus Ioannis diuiuo illustratus lumine præfata intelligeret mysteria, modo immateriali & incorporeo, sicuti communiter lumine naturali intellectus intelligit alia modo incorporeo & immateriali, quamuis à parte rei sint materialia.

DISPVT. VIII.

In Cap. primum Apocalypseos, de Angelo Apocalypsis ad nostrum Archiprophetam Ioannem misso.

In quinque Quæstiones distributa super illa verba: *Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.*

Prologus Disputationis.



DE fide proculdubio est Iesum Christum hunc Angelum Archiprophetæ Ioanni misisse, iuxta illud Apoc. cap. 22. [Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs.] Et cum Angelus per se mysteria gratiæ nullatenus intelligat naturaliter, relinquitur aperte ipsummet Iesum Christum hunc Angelũ illuminasse, ac repleuisse, vt ipse Angelus postea Archiprophetã Ioannẽ circa omnes reuelationes huius operis apprime instrueret, ac doceret. Verumtamen cum in Christo sit natura diuina & humana, quidam tenent Christum, vt Deum, hunc misisse Angelum ad ostendendam diuinam naturam Christi. Alij vero defendunt, Christũ vt hominem, hunc misisse Angelum ad ostendendam humanã naturã Christi. Et vtrumq; sane simul & absq; errore aliquo teneri potest; quoniã Christus, vt homo, est caput hominũ & Angelorum, & sic de illo dicitur illud Ps. 8. [Gloria & honore coronasti eũ, & constituisti eũ super opera manuum tuarum.] Et cũ post resurrectionem data ei fuerit illa omnimoda potestas in cælo & in terra, vt habetur Matt. 28. potuit proculdubio post resurrectionem suam hunc Angelum ipse vt homo mittere ad ostendendã suam humanitatem glorificatam & exaltatam super omnia creata. Et cũ præterea de Christo, vt Deo intelligatur illud Ps. 103. [Qui facit Angelos suos spiritus,] potuit vt sic proculdubio hũc mittere Angelum ad suã diuinam naturam patefaciẽdã, & in hoc sensu potest teneri, totam Trinitatẽ (vt tenent Gilbertus, Strabus, & Lyranus) hũc misisse Angelũ; quoniam cum vna diuina persona ad extra operatur, tota simul Trinitas dicitur operari. Tũ quia opera ad extra conueniunt Deo secundũ suum esse, quod est eius essentia, quæ tribus personis est cõmunis. Tum quia opera sanctissimæ Trinitatis ad extra, sũt indiuisa & sic omne, quod facit pater, facit filius, & Spiritus sãctus. Quamobrẽ D. Aug. in ench. c. 45. sic ait. [Ad omnia simul pater, & filius, amborum spiritus pariter & concorditer operãtur.] Tũ quia Mag. in 3. sen. dis. 1. sic ait: [Nihil operatur filius sine Patre, & Spiritu sancto, sed vna est horũ trium operatio indiuisa & indissimilis.] Tũ deniq; quia in diuinis omnia sunt vnũ (vt tenet illa maxima Theologorũ,) nisi vbi obuiat oppositio relatiua: atq; mittere siue reuelare, neq; est processio, neq; est oppositio aliqua relatiua, vt est manifestũ. Ergo potest fieri, quod mittere hunc Angelum, siue illum illuminaoptime tere & replere, vt post ea ipse instrueret Archiprophetam Ioannem, sit opus totius Trinitatis. Ceterum de hoc Apocalypsis Angelo sequentes indagare quæstiones fas quidem est.

Iesus Xps misit Angelum Apoc.

Haymo Arethas & Frãc. Ribera in hũc comment. Primasius & Iac. Suarez. Opinio vera auctoris. Xps vt homo misit Angelũ Apocalypsis.

Xps vt Deus misit Angelũ Apoc.

Gilb. Pictau. Strabus, & Lyranus in 1. Apoc. Tota Trinitas misit Angelum apoc. ad Ioannem.

Quæ-

Quæstio. I.

An Angelus Apocalypsis fuerit aliquis ex cælestibus spiritibus creatis necne?

1. argum.



PARS negans roborari potest. Tum quia Angelus iste ad Ioannem missus, loquitur in persona Christi, vt videre est in cap. 1. Apoc. cum dicit: [Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis,] & paulo post: [Ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.]

2. argum.

Tum quia Angelus iste illuminat mentem Ioannis ad hæc mysteria intelligenda, vt est manifestum per totam Apocalypsim. Atqui solus Deus illuminat mentem humanam, & sic de Christo dicitur Ioan. 1. [Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Super quæ verba ait D. Augustinus, quod sola lux æterna, & increata illuminat mentem nostram. (D. August. in Ioannem.)

3. argum.

Tum denique quia plerique doctores tenent Angelum istum ad Ioannem missum, fuisse Spiritum sanctum. Ergo Angelus Apocalypsis non est aliquis ex cælestibus spiritibus creatis.

1. assertio. Angelus Apocalypsis non est Spiritus sanctus.

Pro decisione tamen sit prima assertio. Angelus Apocalypsis ad Ioannem missus, fuit aliquis ex cælestibus spiritibus creatis. Hæc est contra Auctorem Incogniti in hisce comment. sic scribentem: [Et nota quod Angelus iste, qui missus est ad Ioannem, fuit Spiritus sanctus.] Et etiam contra alios plerosq; doctores, quos indicare videtur Rupertus Abbas c. 1. Apoc. fol. 18. ab illis verbis: [Prolixa quæstio ab Angelo Ioannis,] vsq; ad illud: [Sed in isto loco,] & probatur. (Rupert. Abb.)

1. Ratio.

Tum ex verbis contextus: [Mittens per Angelum suum;] Vbi Christus, simul cum tota Trinitate est mittens, vt patuit in prologo huius disputationis, & per consequens id, quod mittitur, debet esse aliquis creatus spiritus cælestis; qui cum mittuntur, Angeli dicuntur.

2. Ratio.

Tum patet ex c. 22. Apo. vbi sic dicitur: [Vide, ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum,] & paulo post: [Ego Iesus misi Angelum meum.]

3. Ratio.

Tum probatur, quia ad ministeria exteriora Deus cælestes spiritus mittere solet ex imperio; & sicut Dominus suos mittit seruos, vt creatura corporalis per cælestes spiritus administretur, iuxta illud, quod canit Ecclesia, dicens: [Deus, qui miro ordine, Angelorum ministeria hominibus dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab ijs in terra vita nostra muniatur.]

Nota bene.

Vbi nota passim, quod licet actio, qua Angelus ad nos cælestia defert, procedat à Deo, tanquam à primo principio, cuius nutu, & auctoritate Angeli operantur, & in Deum reducatur, tanquam in vltimũ finem; tamen id, quod præstat & exercet Angelus, illud ratione ministerij præstat & exercet, etenim minister est, sicut instrumentum intelligens. Instrumentum autem ab alio mouetur, & eius actio ad aliud ordinatur; vnde actiones Angelorum, ministeria vocãtur, & sic dicuntur cælestes spiritus in ministerium mitti. (Angelorum actiones dicũtur ministeria.)

4. Ratio. Diuina deferri debent ad homines per Angelos. S. Thom. Ordo reuelationis diuinæ.

Tum probatur, quia regula generalis est D. Dionysij in c. 4. Cælest. Hierar. assignata, quod diuina debent deferri ad homines, mediantibus Angelis: quam sequens D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 6. sic ait: [Reuelatio diuina ordine quodam ad inferiores peruenit per superiores, sicuti ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores, vt patet per Dionysium in Cælesti Hierarchia, & ideo

A pari ratione explicatio fidei oportet, quod perueniat ad inferiores homines per maiores, &c.] & 3. p. q. 55. ar. 1. probans, Resurrectionem Christi debuisse omnibus manifestari, ita scribit: [Sicuti ea, quę diuinitus reuelantur, quorum quidem, vt dicit Dionysius in lib. Cælest. Hierar. hæc est lex diuinitus instituta, vt a Deo immediate superioribus reuelentur, quibus mediantibus deferantur ad inferiores; sicut patet in ordinatione cælestium spirituum, &c.] & p. 2. q. 89. affirmans, legem veterem datam fuisse Moysi per Angelos, eandẽ regulam generalem D. Dionysij recitat. Ergo iuxta hanc regulam generalem D. Dionysij, & D. Tho. textui & rationi magis conueniens est affirmare, hoc in loco per ly [Angelum suum,] intelligendum esse Angelum Dei, nempe, spiritum cælestem creatum, quam Spiritũ sanctum. (S. Thom. — S. Thom.)

5. Ratio.

Tum quia Christus Dominus secundum humanam naturam, in donis gratiæ, (& maxime quantum

B ad gratiam vnionis, & ad gloriam fruitionis, quam in instanti suę conceptionis plenissime habuit) maior est quacunq; creatura. Atqui ad confortandum Christum Dominum in passione, non fuit missus Spiritus sanctus, sed dumtaxat Angelus, iuxta illud Lucæ 22. [Angelus Domini descendit de cælo confortans eum.] Ergo ad cõfortandũ suum discipulum Ioannem in exilio Pathmos, simulq; ei ad reuelanda hæc mysteria, non oportebat mittere Spiritum sanctum, sed dumtaxat Angelũ. Consequentia patet; quia non est discipulus supra magistrum.

6. Ratio. Ordo diuinæ prouidentiæ.

Tum denique quia homines communiter illuminantur per Angelos. Quoniam iuxta S. Th. p. p. q. 111. ar. 1. diuinæ prouidentiæ ordo habet, vt actionibus superiorum subdantur inferiora, & sicuti Angeli superiores illuminant inferiores, & inferiores illuminantur per superiores; ita homines, cum sint Angelis inferiores, debent per ipsos Angelos illuminari. Quapropter

C D. Dionysius c. 4. Cælest. Hierar. dicit, quod reuelationes perueniunt ad homines, mediantibus Angelis. Ergo tutius, ac congruentius est affirmare, Angelum Ioanni missum fuisse aliquem creatum spiritum cælestẽ, quam Spiritum sanctum.

2. assertio. Nullus mortaliũ immediatã reuelationem habuit à Deo. D. Dionys. D. Aug. D. Greg. D. Thom. Lyranus. Burgensis.

Secunda assertio. Nullus vnquam purus homo immediate habuit reuelationem à Deo, nisi mediantibus Angelis. Hæc est D. Dionysij cap. 4. Cælest. Hierarchiæ, D. Augustini in diuersis locis, D. Gregorij in præfatione in Iob. cap. 2. D. Thomæ p. p. q. 98. art. 8. & 3. p. q. 55. Lyrani, & Burgensis super Exod. cap. 3. & alibi passim, probaturq;.

1. Ratio.

Tum quia si aliquis purus homo aliquando immediate à Deo reuelationem habuisset, maxime esset vates Moyses, dum legem veterem à Deo accipiebat Exod. 33. vbi dicitur: [Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut loqui solet amicus ad amicum.]

D vel in rubo illo ardenti Exod. 3. vbi hanc vocem audiuit Moyses: [Ego sum Deus patris tui Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,] vel in cap. 20. Exod, vbi sic dicitur: [Loquutus est Dominus sermones hos,] & postea subditur: [Ego enim sum Dominus Deus tuus.] Atqui in nullo ex præfatis locis Deus immediate loquutus fuit Moysi, sed mediantibus Angelis; quoniam Exod. 33. accepit Moyses legem veterem per Angelos, iuxta illud ad Gal. 3. [Lex data est per Angelos in manus mediatoris,] & Act. c. 7. [Accepistis legem in dispositione Angelorum.] Hinc S. Thom. p. 2. quæst. 89. art. 3. sic ait: [Quare legem veterem per Angelos dari oportuit.] Et præterea Exod. c. 3. & 20. omnes quotquot sunt interpretes tenent, Angelum Domini loquutum fuisse Moysi. (Lex immediate data per Angelorum ministeria.)

Lyr. in Exod.

Vnde Lyranus super illa verba: [Ego Deus patris tui.] sic ait: [Apparuitque ei Dominus, in Hebręo habetur, Apparuit ei Angelus Domini. Angelus enim ille apparebat & in persona Dei, & ideo

E aliquando Angelus, aliquando Dominus nominatur, secundum quod dicit B. Gregorius, sicut Isaiæ. 6. Angelus, qui purgauit labia Isaiæ cum calculo ardenti, vocatur Seraphim ratione inflammationis, licet non esset de ordine Seraphico,] sic Lyranus. Ergo, &c.

2. Ratio.

Tum quia si aliquando puri homines, reuelationes immediate habuissent à Deo, maxime profecto essent

H eximij

eximij illi Vates veteris Testamenti, nimirum, David, Salomon, Samuel, Isaias, Ezechiel, Daniel, &c. Sed sic est, quod prophetæ omnes veteris Testamenti per Angelos fuerunt instructi, vt tenet D. Dionysius cap. 4. Cælest. Hierarch. Ergo, &c.

1. appendix. Hinc Primasius super hunc locum sic optime scribit: [Recte sane adjicit, per Angelum suum à Christo fuisse discipulo suo demonstrata, cum per assumptam creaturam non per diuinitatis essentiam Christum semper clare apparuisse mortalibus, & ante incarnationem, & post ascensionem.] Sic Ille.

2. appendix. Nota tamen, hanc secundam assertionem nostram intelligendam esse extra raptum. Quoniam S.Tho. 2.2. q. 175. & alijs in locis affirmat prophetam Moysem, & D. Paulum raptu mentis, diuinam vidisse essentiam, quod cum ita sit, fieri etiam potest, quod, quemadmodum isti sancti viri immediate viderint diuinam essentiam, etiam in tali visione immediate à Deo reuelationem aliquam acceperint. Quamobrem assertio nostra intelligitur, communiter loquendo, excludendo à raptu mentis, in quo diuina essentia immediate videtur. Accedit, quod iuxta Hebræos Moyses numquam vidit diuinam essentiam, secundum quod dictum fuit illud Exod. cap. 33. [Non videbit me homo & viuet.] Etsi S.Thom. 2.2. quæst. 174. artic. 3. tenet cum D. Augustino 12. super Genesim, ad litteram, Moysem vidisse in præsenti vita, diuinam essentiam; tamen hoc est intelligendum semel, dumtaxat, nimirum, Exo. 33. vbi ex speciali prærogatiua potuit Moyses per modum transeuntis videre diuinam essentiam, & immediate à Deo habere aliquam reuelationem, quoniam illic introducitur Moyses loquens Deo, & Deus loquens Moysi, veluti in dialogo quodam, & sic dici potest hoc illa vice dumtaxat Moysi accidisse ex speciali quadam prærogatiua, & non semper. At vero assertio nostra & extra raptum, & communiter loquendo intelligenda venit.

Nota bene.

Diuinā essentiā non vidit Moyses. S. Thom.

Sol. ad arg. proposita, fol. 1. Ad primum respondetur, actionem, quam exercebat Angelus iste Apocalypseos, debere referri principaliter ad Christum, tamquam ad primum principium, vt nuper retulimus; quamobrem potuit Angelus iste loqui aliquando in persona Christi sicuti nuntius deferens verba alicuius principis, qui aliquando loquitur in persona Domini, aliquando vero in persona propria, vt dicere solent Theologi super illa verba: [Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.] Hinc est quod Angelus iste Apocalypsis aliquando loquutus fuit in persona Domini, nempe, cum dixit: [Ego sum Alpha, & Omega,] & paulo post: [Ego sum primus, & nouissimus.] & aliquando in persona propria, vt cum dixit Apocalypsis cap. 22. [Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.] Laudando, scilicet, Deum, illique seruitute latriæ propter creationem seruiendo tecum, ceterum, tu in via, & ego in patria cum alijs cælestibus spiritibus creatis.

Ioan. 7.

fol. 2. Ad secundum dico, Angelos posse secundario, & ministerialiter illuminare intellectum humanum, licet solus Deus sit, qui principaliter mentem humanam, & Angelicam illuminare queat.

fol. 3. Ad tertium respondetur hos Doctores aberrasse, id asserendo ex proprio marte.

Obiectio. Sed obijcies. Spiritus sanctus est, qui loquitur communiter per prophetas. Quamobrem in symbolo Nicæno de Spiritu sancto sic dicitur: [Qui loquutus est per prophetas.] At hæc Apocalypsis est prophetia, iuxta illud: [Beatus qui legit, & audit verba prophetæ huius, &c.] Et præterea cap. 2. & 3. Apoc. sic passim habetur: [Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesijs.] Ergo Spiritus sanctus est, qui reuelabat mysteria Ioanni, & non Angelus, nempe spiritus cælestis creatus.

Respondetur, Spiritum sanctum prophetis loquutū fuisse, verumenimuero nō immediate, sed mediantibus Angelis. Prophetæ namq; medijs Angelis, teste D. Dionysio c. 4. Cælest. Hierar. instruebantur.

Solutio. Spiritus sanctus quomodo loquutus est per Prophetas.

Quæstio II.

An Christus simul cum tota Trinitate hunc Angelum Apocalypsis ad Ioannem missum, illuminauerit, & quomodo?

SIT verissima assertio. Christus loquendo huic Angelo Apocalypsis in cælo, illum mox illuminauit. Probatur. Tum quia omnis loquutio Dei ad Angelos est eorum illuminatio. Hinc S.Tho. p.p.q. 107. artic. 2. ad 3. sic ait: [Omnis Dei loquutio ad Angelos est illuminatio, quia cum voluntas Dei sit regula veritatis, etiam scire, quid Deus velit, pertinet ad perfectionem, & illuminationem mentis creaturæ.] Tum ex D. Gregorio, qui 2. lib. Moralium cap. 5. ait, quod Deus ad Angelos loquitur eo ipso, quod eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostendit; quod nihil aliud est, quā ipsos illuminare. Christus autem simul cum tota Trinitate alloquutus est Angelo suo ad seruum suum Ioannem mittendo. Angelus igitur iste, qui ad Ioannem, & à Christo, & à tota Trinitate mittendus erat, primo ab ipso Christo, & à tota Trinitate illuminatus fuit circa ista mysteria, Ioanni ostendenda. Quod quidem tunc factum fuit, cum scilicet primo Christus cum tota Trinitate illi alloquutus fuit, occulta & inuisibilia hæc mysteria Apocalypsis ei primo reuelando, quemadmodum etiam accidit nuntio siue paranimpho Angelo Gabrieli, dum ad Virginem (vt dicitur Lucæ cap. 1.) missus fuit, cui primo mysterium incarnationis Verbi diuini reuelauit Deus, illum illuminando & alloquendo, vt postea ipse Angelus Virgini Mariæ palam hoc diuinum annuntiaret mysterium.

1. assertio. Angelus Apocalypsis illuminatur à Xpo & à tota Trinitate. 1. Ratio.

2. Ratio.

Et ad facilius intelligendum stylum & modum, quo Deus Angelis suis loqui consueuit, aliqua sanctorum Patrum hic subiungo dicta.

Deus Angelis suis quo stylo loquatur.

D. Aug. Diuus itaq; Augustinus, lib. 16. de Ciuitate Dei c. 6. sic ait: [Nec sic loquitur Angelis Deus, quomodo nos inuicem loquimur nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, siue per illos nobis Deus, sed ineffabili suo modo: nobis autem hoc indicatur nostro modo: Dei quippe sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti immutabilis est ratio, qua non habet sonum strepentem, atq; transeuntem, sed vim sempiterne manentem, & temporaliter operantem. Hac loquitur Deus Angelis sanctis, nobis autem aliter longe positis. Quando autem etiam nos aliquis tale locutionis interioribus auribus capimus, Angelis propinquamus. Non itaq; mihi assidue reddēda est ratio in hoc opere de locutionibus Dei. Aut enim veritas incommutabilis per seipsa ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritualibus imaginibus nostro spiritui, siue corporalibus vocibus corporis sensui.] Sic D. Augustinus.

D. Greg. Porro D. Gregorius lib. 2. Moralium super illa verba: [Vnde venis?] ita scribit: [Dum naturę inuisibili natura incomprehensibilis loquitur, dignum est, vt mens nostra qualitatem corporeę locutionis excedēs, ad su-

ad sublimes atq; incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Nos enim, vt ea, quę sentimus intrinsecus, extrinsecus exprimamus, ea per organum gutturis, per sonum vocis eijcimus, alienis quippe oculis intra secretum mentis, quasi post parietem corporis stamus: sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuã egredimur, vt quales sumus intrinsecus, ostẽdamus. Spiritualis autem natura, quæ ex mente & corpore composita non est, nequaquam talis est: nam quia spirituali naturæ ex corporea appositione nihil obstat, loquitur Deus ad Angelos sanctos, eo ipso quo eorum cordibus occulta sua inuisibilia ostẽdit, vt quid quid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant, vt velut quædam pręcepta vocis sint, ipsa gaudia contemplationis. Quasi enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur. Vnde cum eorũ cordibus Deus contra humanam superbiam animaduersionẽ vltionis impenderet, dixit: Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Dicitur eis qui aderant: Venite, quia nimirum, hoc ipsum numquam à diuina contemplatione decrescere, in diuina contemplatione semper accrescere: & numquam inde recedere, quasi quodam stabili motu est semper venire. Quibus & dicit, Descendamus, & confundamus linguam eorum. Ascendunt Angeli in eo, quod creatorem conspiciũt: descendunt Angeli in eo, quod creaturã sese in illicitis erigentem, examine districtionis premunt. Dicere ergo Dei, Descendamus, & confundamus eorum linguam. Est in seipso eis hoc quod rectè agatur ostendere, & per vim internæ visionis eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inspirare.] Hactenus D. Gregorius. Idem prorsus videntur dicere de locutione Dei ad Angelos, Rabanus, Rupertus, Phylo, Abulensis, Caietanus, Benedictus, Pererius, & alij Theologi super cap. 11. Geneseos.

Rabanus. Ruper. Phylo. Abulens. Caietanus. Pererius.

Auctor explicat quomodo Xps loquutus fuerit ad Angelum Apoc.

Ex quorum patrum dictis aperte habetur, Deũ Angelis loqui, nihil aliud esse, quam suæ volũtatis decretũ illis reuelare, & hoc ipsum esse illos illuminare. Et sic liquet stylus & modus ineffabilis, quo Christus Dñs simul cum tota Trinitate huic Angelo Apocalypsis est alloquutus, illum primo illuminando, hoc est decretũ suæ voluntatis diuinæ aperiendo, circa hæc mysteria Apocalypsis, vt postea ille hæc eadem mysteria Ioãni Archiprophetæ reuelaret, patefaceret, ac doceret. Cũ autem hæc mysteria Apocalypsis sint mysteria gratiæ, & insuper mysteria gratiæ non cognoscatur ab Angelis naturaliter, nisi media cognitione beatifica, vt auctor est S. Thom. p. p. q. 57. ar. 5. existimo hunc Angelũ Apocalypsis, cognitionem horum mysteriorũ habuisse à Christo Domino, mediante visione beatifica. Quoniam Angeli mediante supranaturali reuelatione, quã nos cognitionem beatificam appellamus, mysteria gratię intelligũt, & secreta detegunt, non tantum Archiprophetæ nostro Ioanni, verumenimuero omnibus alijs Prophetis veteris Testamenti, nimirum Moysi, Dauidi, Danieli, Ezechieli, &c. Ceterum de hac re sermo plane erit infra.

Angelus Apocalypsis cognouit illa mysteria eiusdem Apoc. cognitione beatifica.

q. 5. huius met disputationis.

Quæstio III.

Vtrum Angelus Apocalypsis ad Ioannem missus, speciem visibilem in tali mynisterio assumpserit?

1. argum.



IDETVR, quod sic, & probatur. Tum quia Angeli dum extra mittuntur, assumunt corpora, vt videre est in Angelo Raphaele, ducente Tobiam, & in Angelo subuertente Sodomam, & in Angelis, quos vidit Abraham, qui omnes corporibus assumptis suum ministerium circa creaturam corpoream exercebant. At Angelus Apocalypsis extra in ministerium Ecclesiarum Asiæ & Ioannis Archiprophetæ missus fuit, ergo corpus visibile assumpsit. Tum quia Angelus Apocalypsis dedit Ioanni vocem magnam, iuxta illud Apocalypsis cap. 1. [Et audiui post me vocem magnam tamquam tubæ, &c.] Atqui vox, (vt dicunt Philosophi,) est ictus duorum corporum solidorum. Ergo, &c. Tum denique quia Angelus Apocalypsis loquebatur Ioanni iuxta illud Apocalypsis cap. 21. [Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem, &c.] Sed locutio fit per aliquod signum sensibile, & visibile. Ergo, &c.]

2. argum.

3. argum.

Pro decisione tamen sit prima assertio. Angeli in ministerium missi, aliquando assumunt corpora, aliquando vero non. Hæc est contra Rabbi Moysen, illamque profitentur Magister in 2. lib. sent. distinct. 8. Sanctus Thomas ibi, & 1 par. quæst. 51. artic. 1. Caietanus, Bannes, & Magister Zumel, in suis Comment. 1. par. D. Thom. Et probatur. Tum ex veteri Testamento. Nam Genes. cap. 18. Abraham vidit Angelos in forma virorum visibili, stantes prope eum, eisque cibos obtulit existimans eos homines esse. Genes. cap. 32. Iacob luctabatur cum viro (nempe cum Angelo in specie visibili viri) vsque mane. Tob. cap. 5. Iunior Tobias inuenit iuuenem splendidum (nempe Angelum in visibi forma iuuenis,) stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, qui quidem iuuenis, peracto iam ministerio Tobiæ, dixit: [Ego sum Angelus Raphael vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.] Ergo, &c. Quod si huic argumento respondeat Rabbi Moyses, talia & alia ijs similia, quæ in sacra Scriptura leguntur, de Angelorum apparitionibus contigisse in visione prophetica, hoc est secundum imaginationem; Respondetur ex Sancto Thoma 1. par. quæst. 51. art. 1. quod hoc asseuerare repugnat intentioni sacræ Scripturæ; quoniam illud, quod in imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis, & sic non videtur indifferenter ab omnibus, & scriptura diuina, in præfatis locis, sic introducit Angelos apparentes, vt communiter ab omnibus videantur, sicuti Angeli apparentes Abrahæ, visi sunt ab eo, & à Sara, & à tota familia eius. Angelus insuper subuertens ciuitatem Sodomorum, & similiter Angelus qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur. Ergo, &c. Tum tandem Lucæ cap. 1. habetur sic: [In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel, &c.] Quem Angelum speciem visibilem sumpsisse viri iuuenis affirmant, Riccardus, Albertus Magnus, Diuus Bernardus, Diuus Gregorius, Diuus Augustinus, Sanctus Thomas, & omnes sancti Patres communiter super [missus.] Et idem prorsus tenendum est de Angelo ad pastores misso Lucæ cap. 1. Et præterea Lucæ cap. 22. dicitur: [Angelus Domini descendit de cælo confortans eum.] Super quæ verba, Lyranus tenet hunc Angelum apparuisse Christo in specie corporali. Insuper Marci cap. 16. sic habetur: [Et introeuntes viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt,] & tandem Act. cap. 1. sic dicitur: [Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri (id est duo Angeli in specie visibili virorum) astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, &c.] Ergo habetur intentum, quia substantia, quæ non est corpus, nec minus ex se habet corpus vnitum, cum videtur visione sensitiua & corporali, oportet vt corpora assumat, & sic est de Angelis in exemplis propositis.

1. assertio. Angeli dum mittũtur a Deo aliquã ĩo corpora assumũt, aliquãdo vero non.

Rabbi Moysẽ impugnatur. Mag. sent. S. Thom. Caietan. Bannes. Zumel.

Sol. ineuasibilẽ Rab. Moysi

2. Ratio.

Lyranus sup. Lucam.

Et passim nota, quod cũm Angeli assumunt speciem visibilem siue corpora, illa sumere non ex terra, neque ex aqua, nec minus ex igne, sed ex solo aere condensato, quoniam, vt dicit S. Thom. p. p. quæst. 51. art. 2.

Angeli desumunt corpora ex solo aere condensato.

art. 2. licet aer in sua raritate manens non retineat figuram neque colorem, tamen quando condensatur, & colorari, & figurari potest, sicut patet in nubibus, & sic Angeli assumunt corpora ex aere, ipsum virtute diuina condensando, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.

2. assertio.

Secunda assertio. Angeli in corporibus voluntarie assumptis, non vniuntur illis in vnitate personæ, sed in vnitate motoris repræsentati; nec minus in tali corpore voluntarie assumpto, vere & proprie opera vitæ exercere queunt.

Prima pars huius assertionis probatur. Angelus ex se, & ex natura sua est substantia completa: ergo non potest vniri corpori voluntarie assumpto in vnitate personæ. Consequentiam probo: nam sicuti competit accidenti in alio esse, & ei repugnat per se esse, sic substantiæ completæ naturaliter competit esse per se, & ei repugnat in alio esse. Atqui nulla virtute creata fieri potest, quod accidens per se subsistat, cum hoc tantum fiat in sacramento altaris diuina virtute, vbi quantitas, & qualitas sunt absque subiecto inhæsionis miraculose per se existentes: ergo nulla virtute nisi diuina fieri potest, quod substantia completa, vt Angelus, in alio subsistat, & per consequens non potest Angelus vniri corpori voluntarie assumpto in vnitate personæ.

Durand. 2. li. sen. dist. 8. q. 1.

Hoc autem tantum miraculose factum est à Deo in humanitate Christi, cum qua verbum in vnitate personæ fuit vnitum. Causam autem huius rei assignat Durandus 2. lib. sentent. distinct. 8. quæst. 1. dicens, quia proprium modum essendi naturæ vnitæ non potest immutare, nisi auctor naturæ, cum secundum cursum naturæ vnum sequatur de necessitate ad alterum. Cum igitur corpus assumptibile sit natum per se subsistere, patet, quod Angelus non potest ipsum sibi vnire, in vnitate personæ.

Secunda vero pars assertionis, videlicet, posse Angelum vniri corpori voluntarie assumpto vnitate motoris repræsentati, probatur. Quoniam natura corporea obedit Angelis ad nutum. Ergo possunt Angeli determinata actiua coniungere ad determinata passiue, & sic formare, qualia volunt corpora.

Tertia tãdem assertionis pars, nempe Angeli in corporibus assumptis non exercere opera vitæ vere, & proprie probatur. Nam quamuis Angelus sit viuens, & dicat principium viuens & opera, quæ exercet tale corpus Angelo vnitum, sint effectiue ab illo tamquam à principio viuente; tamen non vnitur vt forma, & per consequens in tali corpore assumpto ab Angelo, non est actus primus vitæ; quia ei nulla substantia viuens vnitur vt forma, & per consequens in eo vere, & proprie non sunt opera aliqua vitæ, nimirum opera subiecti viuentis, eo quod actus secundus supponit actum primum. Quamobrem cum nihil possit habere opus vitæ, quin habeat vitam, (quæ est potentiale principium talis actionis; etenim cuius est potentia, eius est actio, vt dicit Philosophus,) & insuper cum ille talis spiritus non vniatur intrinsece corpori assumpto, sed extrinsece, sequitur intentum; quoniam actus primus vitæ est intrinsecus, nempe, coniunctio formæ materiæ, siue vnio, quę ita intrinseca est, vt nihil magis intrinsecum reperiatur.

3. assertio. Angelus Apocalypsis apparuit Ioãni sub specie humana.

Tertia assertio. Angelus Apocalypsis ad Ioannem missus, apparuit illi in specie humana. Hæc est communis omnium interpretum huius operis. Et probatur. Tum quia Ioannes non adoraret illum Angelum, iuxta illud Apoc. cap. 22. [Cecidi, vt adorarem, ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat,] nisi illi apparuisset in specie humana. Tum (1. Ratio.) (2. Ratio.)

F quia dum Angeli apparuerunt Abrahæ, Lot, Tobiæ, & alijs patribus noui & veteris Testamenti, semper sub specie humana illis apparuerunt. Tum quia inter omnes naturas nulla est specie humana propinquior, ac similior Angelo. Tum quia si quid appareret Ioanni præ se ferens intellectum, & humano vtens sermone sub alia figura & specie, quam humana, valde ipsi Ioanni monstruosum quiddam & horrendum videretur. Tum quia sub specie humana Angelus iste Apocalypsis, significabat se Ioannem diligere, & cupere vicissim ab illo diligi. Tum denique quia Verbum diuinum, speciem humanam in tempore assumpsit, in virginali vtero Virginis, & sic Angeli omnes, speciem & figuram humanam mirum in modum honorant, ac venerantur. Ergo, &c. (3. Ratio.) (4. Ratio.) (5. Ratio.) (6. Ratio.)

4. assertio. Figura angeli Apocal. erat spiritualis, & imaginaria. 1. Ratio. Haymo.

G Quarta assertio. Species & figura humana, sub qua Angelus Apocalypsis apparuit Ioanni, non erat sensilis nec corporea, sed spiritualis, & imaginaria, probatur. Tum quia Haymo super illa verba Apoc. cap. 1. [Et andiui post me vocem magnam tamquam tubæ, &c.] sic ait: [Sicuti in spiritu positus beatus Ioannes spiritualia vidit, sic ea, quam audiuit, vox spiritualis fuit.] ita ille. Atqui vox spiritualis non est à subiecto sensili, visibili aut corporeo, quinimmo à subiecto spirituali, quemadmodum vox corporalis non potest esse à spiritu, sed à corpore, ergo species illa humana Angeli Apocalypsis non fuit visibilis & corporalis & imaginaria. Tum quia visio, qua Ioannes vidit hæc mysteria Apocalypsis, est imaginaria & intellectualis, vt ex superioribus patet. Atqui in visione spirituali, qualis est imaginaria & intellectualis, nihil videtur sensile, ac corporeum cum istud tantum pateat oculis corporeis: ergo illa species & figura humana Angeli Apocalypsis non erat sensilis, neque corporea, sed spiritualis, & imaginaria. Tum quia cum Angeli apparent in specie visibili & corporea communiter & indifferenter videntur ab omnibus, sicuti Angeli apparentes Abrahæ visi sunt ab eo, & à tota familia eius. Angelus qui apparuit Loth, visus fuit ab ipso & à ciuibus Sodomorum, & similiter Angelus qui apparuit Tobiæ ab omnibus videbatur, vt recte annotat Sanctus Thomas p. p. quæst. 51. art. 1. Atqui Angelus Apocalypsis à nemine visus est, nisi à solo Archipropheta Ioanne in illa spirituali visione; ergo non est necesse asserere, speciem & figuram illam humanam, quam assumpsit in tali ministerio, esse sensilem & corpoream. Tum quia noster Archipropheta Angelo Apocalypsis hæc mysteria reuelante erat in raptu, & in extasi, vt ipsemet fatetur Apoc. cap. 1. dicens: [Ego Ioannes fui in spiritu in Dominica die.] Sed sic est, quod ij, qui sunt in extasi, & in spiritu, siue in raptu, nihil percipiunt corporeum, sensile, aut visibile. Ergo, &c. Tum denique, quia Sanctus Thomas in hisce commentarijs sic scribit: [Mittens per Angelum suum apparentem in similitudine hominis.] Atqui similitudo tantum dicit imaginem imaginariam, & nullatenus corpus sensibile oculis corporeis; ergo ex sententia D. Thomæ humana species, sub qua Angelus Apocalypsis apparuit Ioanni, non erat sensibilis nec corporea, sed spiritualis dumtaxat. (H) (2. Ratio.) (3. Ratio.) (I) (4. Ratio.) (5. Ratio. S. Tho. in c. 1. Apoc.)

5. assertio. Angelus Apocalypsis gerebat Xpi personam. Laudunensis. 1. Ratio.

Quinta assertio. Angelus Apocalypsis in illo ministerio, nimirum, in reuelando Ioanni hæc mysteria, gerebat personam Christi. Hæc est Anselmi Laudunensis in sua interlineari glossa, & probatur; quoniam multoties in persona Christi loquebatur, nimirum cum dixit: [Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis,] & paulo post: [Fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum,] & alibi: [Ego sum genus, & radix Dauid, stella splendida, & matutina,] Quæ omnia immediate de Christo intelliguntur. Ergo, &c. (K)

Sol. ad arg. oppositorum. sol. 1.

Ad primum respondetur, quod Angeli, dũ extra mittuntur in ministerium, aliquando assumunt corpora, aliquan-

aliquando vero non, vt accidit in visionibus siue reuelationibus imaginarijs quorumdam prophetarum.

fol. 2. Ad secundum dico, vocem illam magnam non esse exteriorem, sed interiorem, quod vero dicunt philosophi de voce, est intelligendum de voce exteriori, & nullatenus de voce interiori, qualis erat illa vox magna huius Angeli Apocalypsis.

fol. 3. Locutio interior, & exterior. Ad tertium respondetur. Locutionem esse duplicem, interiorem nimirum, & exteriorem, ex quibus locutio exterior dicitur illa, per quam aliquis loquitur alteri, manifestans illi suæ mentis conceptus per aliquod signum sensibile, puta vocem, nutum: vel per aliquod corporis membrum, vtpote, linguam, labia, digitum, quę quidem signa, siue voces exteriores sunt nobis necessariæ, propter obstaculum corporis; locutio vero interior dicitur illa, per quam aliquid sibi ipsi intra seipsum loquitur, & in hac signa sensibilia nullatenus sunt necessaria, vt experientia ipsa docet: locutio autem Angelica numquam est exterior, sed semper interior. Etenim, vt ait S.Tho.p.p.q.107.art.1. locutio Angelorum nihil aliud est, quam manifestatio mentis conceptus alteri, sed de hoc infra plane erit vberrimus sermo. Locutio Angelica sẽper est interior.

Quæstio IV.

An Angelus Apocalypsis ad Ioannem missus fuerit de suprema, an vero de infima hierarchia?



1. argum. QVOD fuerit de suprema, probatur. Tum quia hæc Prophetia Apocalypsis non regulariter, quinimmo dispensatiue est in Ecclesia Dei, eo quod regulariter loquendo, omnis prophetia tantum fuit vsque ad tempus Ioannis Baptistæ iuxta illud Matth. 11. [Omnis lex & prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam.] & ob id Christus in cruce dixit Ioan. vlt. [Consummatum est,] hoc est, omnes prophetiæ adimpletæ, & consummatæ sunt, cum suo veteri Testamento. Quapropter cum in nouo Testamento Apocalypsis prophetiæ nomen obtineat, asserendum est talem prophetiam non regulariter, sed dispensatiue esse in Ecclesia Dei. At Angelus supremę hierarchiæ solent administrare, & reuelare dispensatiue; ergo iste Angelus, qui reuelauit Ioanni hanc Apocalypsim, de suprema fuit hierarchia. 2. argum. Tum quia maiorem curam habet Deus in reuelandis mysterijs Ecclesiæ suæ, quam in custodiendo Paradiso terrestri. Atqui ad custodiendum Paradisum terrestrem misit Deus olim Cherubim, vt dicitur Genes. cap. 3. qui est Angelus de suprema hierarchia; ergo pie etiam credendum, ac tenendum est, hunc Angelum Ecclesijs Asiæ & Ioanni missum, de suprema etiam fuisse hierarchia, cum per has septem Ecclesias, vniuersalis intelligatur Ecclesia, vt infra probabitur.

Pro decisione dico, quod nos non ita nouimus adhuc Angelos, vt sciamus aperte, & clare de illo, qui aliqua mysteria annuntiat vel reuelat, si est supremus, vel medius, vel infimus. Nec minus vtilitas missionis, aut reuelationis illius stat in hoc, vt sciamus de Angelo, qui annuntiat vel reuelat mysteria, si est supremus, medius, aut infimus, cum talis missionis, siue reuelationis vtilitas in hoc dumtaxat consistat, nimirum vt mysteria gratiæ siue illa reuelatio seu annuntiatio Angelica, siue diuina debito ordine optimaque methodo proponatur, & reueletur, & congruenter & ordinate expleatur, quod plane præstare sufficiens est tam inferior quam medius & superior Angelus. Vtilitas reuelationis Angelicæ in quo consistat.

A

Quo supposito ad quæsitum dicimus, certissimũ esse, Deum aliquos propediem mittere Angelos in ministerium hominum, vt tenent communiter doctores cum Magistro in 2.lib.sent.dist.10.& cum S. Tho. p.p. q.112.art.1.illosq; esse tam superiores, quam inferiores, loquendo de missione tam interiori, quam exteriori, ad quas quidem missiones Deus eos omnes in ministerium hominum mittit, aliquando mediate, aliquando vero immediate, vt profitetur Magist. & cum illo S.Tho.in 2.lib.sent dist.10.q.1.ar.2.ad 3. & p.p.q. 112.ar.2.ad 1. Caietanus, & Zumel ibidem, Scotus 2. lib.sent.dist.10.q.1.D.Bonauentura, & Stephanus Brulefer in 2.sen.dist.10.q.1.& Lyranus varijs in locis & præcipue ad Heb.1.& super c.6.Isaiæ. Deus plerosq; angelos quotidie ad nos mittit. Mag. sent. D. Thom. Angelos tam superiores quam inferiores mittit Deus ad homines. Mag. S. Thom. Caietan. Zumel. Bañez. D. Bonaut. Brulefer. Lyranus.

B

Dixi de missione tam interiori, quam exteriori, eo quod si loquamur de sola missione exterior Angelorũ, sic Angeli inferiores dumtaxat mittuntur à Deo de lege communi, & nullatenus superiores, vt tenet, D. Gregorius hom.34. de centum ouibus, & D.Thom.2. lib. sent.dist.10.q.1.ar.2.& p.p.q.112. & probatur sane hęc positio nostra. Tum quia Dan.7.dicitur: [Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei,] qui locus, vt tenent omnes expositores, intelligitur ad litteram de Angelis, & licet Tertulianus, & Theodoretus, & alij pleriq; Doctores circa numerũ Angelorum aliter legant; tamen torrens Theologorum ex hoc loco illam celebrem distinctionem Angelorum petit, qua distribuunt Angelos in assistentes & ministrantes. Quamobrem D. Dionysius existimat, quattuor superiores ordines, hoc est, Seraphim, Cherubim, Thronos, & Dominationes esse assistentium Angelorum, reliquos vero inferiores esse ministrantium. Et D.Gregorius lib.17.Moralium cap. 9. ex hoc loco Danielis probat, plures esse ministrantes Angelos, quam assistẽtes, quam etiam distinctionem approbant Rupertus, Theodoretus, Tertulianus, & alij pæne infiniti Theologi. Atqui Angelos assistere nihil aliud est, quam soli contemplationi diuinæ vacare: ministrare vero nihil aliud est, quam officium nuntiorum circa homines exercere. Ergo cum inferiores dumtaxat ministrent, inferiores ex consequenti de lege communi ad nos mittuntur à Deo. Tum quia, sicuti in actionibus corporalibus requiritur proportio inter agens, & patiens, siue recipiens, vt est manifestum, præcipue in sensibus, qui ab excellenti sensibili corrumpuntur, ita etiam in intellectualibus, vnde intellectus hebes ad subtilissimas veritates non pertingit. sed sic est, quod inter nos, & Angelos inferiores est proportio in intelligendo; quoniam lumen intellectuale in supremis Angelis est simplicissimum & vniuersalissimum, ac proinde improportionatum intellectui nostro, qui est in vltimo gradu intellectualium substantiarum, & donec contrahatur & determinetur in ipsis inferioribus, qui sunt minoris simplicitatis; nõ proportionatur intellectui nostro. Ergo communiter & de lege inter nos & inferiores Angelos est intellectio circa ministeria Angelorum, & ex consequenti habetur intentum. Angeli inferiores quãdo regulariter mittuntur ad homines. D. Greg. S. Thom. 1. Ratio. Tertulian. Theodoret. D. Dion. D. Greg. Rupert. Theodoret. Tertulian. 2. Ratio.

C

D

Et ex dictis concluditur, Angelum Apocalypsis ad Ioannem missum, fuisse de infima hierarchia, ac etiam de infimis Angelorum ordinibus, qui communiter & de lege ad ministeria hominum mitti solent à Deo, quem Christus Dominus per beatificam visionem illuminauit, vt supra actum est, Ioanni simul lumen diuinum communicando, quo imbecillis humanus intellectus Ioannis, perspicaciori intellectui Angelico proportionaretur. Quoniam intellectus humanus ex se non solum intellectui superiorum Angelorum, verum etiam inferiorum improportionatur, ad quorum singulorum proportionẽ cælesti indiget lumine, quod plane etiam communicatum fuit proculdubio cuicum- Angelus Apocalypsis fuit de infima hierarchia. Intellectus angelorum & hominum improportionatur.

E

H

cuicumque alteri Prophetæ, vel sancto viro per Angelos, tam in veteri, quam in nouo Testamento reuelationem habenti, vt sic inter agens & recipiens esset proportio.

Sol. ad arg. in exordio quæstionis posita. fol. 1.

Ad primum respondetur, quod licet Scotus, D. Bonauentura, Durandus, & Stephanus Brulefer in 2. sent. dist. 10. quæst. 1. teneant Angelos superioris hierarchiæ aliquando dispensatiue à Deo mitti in ministerium hominum; tamen D. Dionysius de cælesti hierarchia cap. 11. 12. & 13. Mag. in 2. lib. sent. dist. 10. & S. Tho. ibidem, & 1. par. quæst. 112. art. 2. D. Gregorius. ho. 34. de centum ouibus, Lyranus varijs in locis, & præcipue super cap. 7. Danielis, & 63. Isaiæ, aperte fatentur, superiores Angelos etiam ex particulari dispensatione numquam mitti à Deo extra in ministeriũ hominũ; quoniam ij dumtaxat assistunt, & inferiores ministrãt. Et hęc vltima Theologorum opinio mihi plane magis arridet,

fol. 2. Lyranus super Genesim.

Ad secundum dico, quod Cherubim in cap. 3. Gen. significat, teste Lyrano, super Genesim, Angelicam custodiam, per quam tota natura corporea administratur, & maxime motus orbium. Quamobrem iuxta hanc explanationem licet nomen Cherubim proprie tribuatur octauo Angelorum ordini, tamen hic extenditur, vt ait Benedictus Pererius tom. 1. super Genesim lib. 6. q. 7. ad omnes ordines Angelorum. Et vt melius intelligatur solutio argumenti propositi, apponam hoc in loco verba Benedicti Pererij, quę pro nobis mirum in modum circa hanc nostram opinionem de Angelo Apocalypsis faciunt, suntque tenoris sequentis: [Cherubim igitur significat plenitudinem scientiæ, quæ per excellentiam est in octauo ordine, per participationem autem communicatur cum inferioribus ordinibus; itaque hoc loco nomen Cherubim non significat spiritus cęlestes octaui ordinis, sed inferiorum ordinum Angelos, supremę enim hierarchię spiritus non mittuntur à Deo ad externa ministeria. Angeli porro, quibus custodia Paradisi assignata est, rite nominati sunt Cherubim, ex abundantia scientiæ: vt ex eo intelligeretur vigilantissimum, & sapientissimum Paradisi custodem esse à Deo positum, quem scilicet nemo aut dolis fallens, aut viribus vincens in paradisum intrare posset.] Hucusque Benedictus Pererius.

Benedictus Pererius super Gen. c. 6. q. 6.

Quæstio V.

An Angelus Apocalypsis ex illuminatione, quam per cognitionem beatificam habuit, à Christo Domino, & à tota Trinitate, sciret & intelligeret pręcognosceretque conuenienter, ac congrue omnia hæc mysteria, quæ per totam Apocalypsim reuelabat & proponebat Ioanni?



CVM hæc mysteria, quæ Angelus iste per totam Apocalypsim reuelabat, ac immediate proponebat Ioanni Archiprophetæ, sint mysteria gratiæ, quæ considerari possunt, (vt tenent Scotus 4. lib. sent. dist. 10. q. 8. Gabriel & nominales) dupliciter, nimirum antequam fiant, & deinde postquam iam facta sunt. Quæ porro iuxta S. Thomam 2. lib. sent. dist. 11. q. 1. art. 4. adhuc

Mysteriorum gratiæ duplex consideratio. Scot. Gabriel.

F etiam gemina gaudeant consideratione, quarum prima est, quantum ad substantiam facti: secunda vero, quantum ad modum, conditiones circunstantiasq; facti: hinc factum est, quod non solum iste Angelus Apocalypsis, verumetiam omnes, quotquot sunt Angeli, mysteria gratię, antequam in effectu posita essent, cognitione naturali tam intuitiue quam abstractiue prorsus ignorarent, cognitione vero beatifica à principio suæ beatitudinis, illa (saltem præcipua, veluti est incarnatio & redemptio,) præcognouerunt, quantum ad substantiam facti, non vero quantum ad modum facti, vt tenent S. Thom. 2. lib. sent. dist. 11. q. 1. art. 4. conciliando tres sanctos Patres, nimirum, D. Hieronymum, D. Augustinum, & D. Dionysium & p. p. quæst. 57. art. 5. dum asserit Angelos a principio (adde quantum ad substantiam facti) cognouisse mysteria gratiæ. Postquam vero ista mysteria gratiæ iam in effectu posita fuerunt, adhuc nullus Angelorum cognitione naturali illa intuitiue cognoscere potest, quidquid dicat Scotus in 4. sent. dist. 10. quæst. 8. quoniam contra illum stat Apostolus 1. Cor. 2. dicens: [Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.] & ad Eph. 3. [Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia euangelizare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi, vt innotescat Principibus, & Potestatibus, &c.] ac etiam D. Iustinus martyr affirmans in die ascensionis, Angelos ex ignorantia dixisse: [Quis est iste Rex gloriæ.] Et idem docent D. Dionysius, D. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, D. Dionysius Carthusianus, Origenes, Pamphilius, & alij plerique doctores existimantes Christum, vt homo erat, docuisse multa Angelos in die ascensionis suæ eorum, quæ pro nobis passus fuit, quæ illi ignorabant, & sic statuunt eos ex vna parte illa die dicentes illud Is. 63. [Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, &c.] & Christum ex altera parte respondentem: [Ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad soluendum, torcular calcaui solus, &c.

Angelus Apocalypsis, & oẽs alij angeli myste ria gratiæ ante quã facta essent naturaliter ignorabãt.

G Mysteria gratiæ ia posita in effectu angeli nõ intelligũt naturali cognitione. Scotus non tenetur.

Iustinus mar. in prologo cũ Tryphone aduersus Iudæos.

H

Verumenimuero quia Scotus dictis sanctorum Patrum satisfacere potest, dicendo, verum esse circunstantias incarnationis, & aliqua mysteria gratiæ Angelos ignorasse, postquam iam facta fuere; verum hoc non prouenisse ex eo, quod Angeli viribus naturalibus minime cognoscere potuissent, sed ex eo tantum quia videlicet prohibiti fuerunt a Deo, ne tales circumstantias, & mysteria gratiæ iam gesta cognoscerent.

Euasio Scoti.

I Contra illum sic argumentor. Ea tantum possunt intelligere Angeli per facultatem naturalem, ad quæ se potest extendere lumen naturale in ipsis intelligẽdis. Atqui lumen naturale intelligendi in Angelis non se potest extendere ad mysteria gratiæ intelligenda, aut cognoscenda, etiam postquam gesta sunt. Quoniam, vt sic, sunt entia supernaturalia, & inter naturalia, & supernaturalia nulla est proportio, vt est manifestum. Ergo cum ad intellectionem, & cognitionem necessario requiratur proportio, & inter lumen naturale intelligendi Angelorum, & mysteria gratiæ executioni iam mandata, nulla sit proportio ex natura rei, sequitur aperte, quod Angeli per sua naturalia, mysteria gratiæ intuitiue, etiam postquam gesta sunt, nullatenus possint cognoscere.

Reffellitur Scotus. 1. argum.

K Præterea sicuti se habet res ad esse, ita etiam ad cognosci, vt docet philosophus. At mysteria gratiæ sunt a sola virtute diuina producibilia, suo modo producendi, & suapte natura ita omnem creatam excedunt facultatem, vt à nulla virtute inferiori pullulari queant. Ergo à nullo intellectu creato, etiam postquam iam gesta sunt, naturaliter cognoscentur.

2. argum.

Dicet tamen Scotus, futurum contingens positum iam in actu, cognoscit Angelus, per sua naturalia. Sed sic est, quod mysteria gratiæ, quæ sunt per se entia supernaturalia, antequam fiant, sunt de numero futuro-

Obiectio Scoti stat.

turorum contingentium, licet à sola virtute diuina sint producibilia. Ergo postquam talia mysteria gratiæ sunt iam effecta poterit Angelus per sua naturalia intuitiue cognoscere.

Solutio. Huic obiectioni dicimus, quod Angelus tantum potest cognoscere futurum contingens positum in actu, cuius effectus est ens naturale: at vero futurum contingens positum in actu, cuius effectus est ens supranaturale, nullatenus potest Angelus naturaliter cognoscere intuitiue, eo quod inter intellectum Angelicum, & tale futurum contingens positum iam in actu, est maxima improportio ex natura rei, & sic est de mysterijs gratiæ positis in actu; quoniam, vt sic, sunt entia supernaturalia per se & ex sua natura.

Angelus Apoc. quomodo cognosceret mysteria quę proponebat. Et ex dictis sequitur, quod cum iste Angelus Apocalypsis mysteria gratię, quę per totam Apocalypsim, nostro Archiprophetæ Ioanni immediate reuelabat, ac proponebat, nullatenus intelligeret, ac cognosceret naturali cognitione, illa præcognouisse beatifica cognitione, hoc est per particularem reuelationem à Christo Domino, & à tota Trinitate sibi factã; quoniam eodem modo, omnia mysteria gratiæ, omnes alij Angeli, quotquot sunt beati, sic cognoscunt antequam executione gaudeant, illa solummodo cognoscendo quoad substantiam facti. Et cum insuper modo ad nostrum Archiprophetam à Christo Domino, & à tota Trinitate, Angelus iste mittatur, dũ mittebatur, reuelata quidem fuerunt illi ab ipsismet hæc eadem mysteria omnia Apocalypsis, quo ad modum facti, hoc est, quantum ad conditiones loci, temporis, & personæ, & quantum ad reliquas dictorum mysteriorum circunstantias; quoniam omnes alij Angeli beati cõplementa & expletiones mysteriorum gratiæ (antequam ipsa mysteria opere complerentur,) & eorum conditiones, & circunstantias, quantum ad modum facti nullatenus cognouerunt. Nec minus illas per homines, siue militantem Ecclesiam, nempe, per Apostolos & prædicatores verbi Dei, (vt nonnulli volunt, contra quos est S. Thom. 2. sent. dist. 11. quæst. 1. art. 4. & D. Dionysius cap. 4. Cælestis hierarch.) cognouerunt. Quinimmo illas omnes etiam cognitione beatifica, & Deo reuelante plane agnouerunt. Qui non omnes prælibatas circunstantias, circa modum facti omnibus Angelis beatis simul reuelauit, sed quasdam in vno tempore, quasdam vero in alio, vt sibi bene visum fuit, teste D. Thoma p. p. quæst. 57. art. 5. in corpore & in solutione ad 1. Quaobrem hic eodem modo circa hũc Angelum Apocalypsis licet nobis philosophari. Præcognouit itaque (vt dixi) Angelus iste, hæc omnia mysteria Apocalypsis, quantum ad substãtiam facti, antequam mitteretur, & hoc cognitione beatifica: quantum vero ad modum facti, tunc nimirũ, cum missus fuit, intellexit illa, per particularem reuelationem à Christo Domino, & à tota Trinitate sibi factam: quoniam tunc verbi incarnatio, Agni occisio, redemptio humani generis, astructio siue fundatio Ecclesiæ eiusq; gubernatio sacramentis illustrata, ianuæ cæli apertio, & alia pleraq; mysteria gratiæ, quæ ipse Angelus hic per totum hoc opus Ioanni annunciat, iam erant executioni tradita.

Mysteria gratię fuerũt reuelata angelo Apoc. quãtũ ad modũ facti postquam in effectu posita fuere.

D. Hiero. to. 9. sup. Eph. c. 5.
S. Thom.
D. Dionys.

S. Thom.

PARAPHRASIS
Vndecima.

Par. 11.

Qui testimonium (ait deniq;) **perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit.** Aquila Euangelij Ioannes, qui suis plusquam lynceis oculis fidei, Deum Magistrum, Ducem, ac præceptorem visibilem in homine suscepto nouerat, inuisibili verbo hic testimonium perhibet. Et ne verbum dumtaxat sentiendum quis-

Enucleatio textus, §. 1.

Testimoniũ Ioannis quale fuit.

A quam putaret, nomen rursus Iesu Christi, protinus subtexuit, quod ad suscepti hominis formam pertinere, apprime exploratum quidem est. Hoc autem maxime iuuat, vt clare intelligamus, Iesum Christum esse Deum, nimirũ verbum, filiumque Dei. Et per consequens eamdem esse fidem in Deum, & fidem in Iesum Christum. Sequutus hic est noster vates stylum loquendi sui Magistri, Iesu Christi Domini nostri, qui discipulis suis Ioan. cap. 14. dixit: [Creditis in Deum, & in me credite:] super quæ verba sic scribit Cardinalis Caietanus: [Anceps est vtrobique ad indicatiuũ, vel imperatiuum, ad creditis, vel credite. Potest enim legi, vt moneatur vtrumque, ita quod ratio non turbandi corde apponatur fides in Deum, & fides in ipsum: monendo credite in Deum, & credite in me. Potest quoque legi alterum indicatiue, & alterum imperatiue, scilicet, creditis in Deum & in me credite:
B significando quod fides in Deum sit ratio credendi in Iesum: & intelligamus, non esse duas fides (alteram in Deum, alteram in Iesum) sed eadem ratione, qua credimus in Deum, credendum esse in Iesum, vbi implicite significat, se esse Deum: ex eo enim, quod credere in Deum, infert credere in Iesum, manifeste sequitur, Iesum esse Deum. Nam non dicit, creditis Deo, credite & mihi, sed creditis in Deum, credite & in me: eodem vinculo exigens credere in se, quo creditur in Deum.] Hucusque Caietanus. Pari etiam modo discipulus Ioannes dilectus, eodem testimonio, simul de Dei Verbo, & de Iesu Christo testificatur, vt clare intelligatur eadem ratione, qua credimus in Verbum Dei, eademmet credendum esse in Iesum Christum. Idcirco Athanasius in suo symbolo ait: [Sed necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter cre-
C dat. Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est.] Ideo Christus Ioan. cap. 5. ait: [Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum.] & Ioan. 11. [Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.] Quamobrem S. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. quærens, an explicite credere mysterium incarnationis Christi, sit de necessitate salutis apud omnes, sic scribit: [Post tempus autem gratiæ reuelatæ, tam maiores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysterijs Christi præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & publice proponuntur, sicut sunt articuli incarnationis,] sic ille. Cum itaque eadem fides sit, fides in Dei Verbum, & fides in Iesum Christum, Ioannes noster idem testimonium vtrique simul exhibet, dicens: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu
D Christi, quæcumque vidit.] Et quid quæso vidit? certe Verbum caro factum, hoc est, carni vnitum, carne natum, carne velatum, in carne passum, & in carne crucifixum: de quibus omnibus integrum fecit Ioannes testimonium. Cum etenim dixit: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Testimonium perhibuit verbo Dei, quod videlicet esset naturalis filius Dei ab æterno. Cum vero dixit: [Et verbum caro factum est,] testimonium perhibuit Iesu Christo, quod esset verus Deus, & verus homo. Ecce igitur integrum & verum testimonium vnius solius fidei, Dei nimirum, & Iesu Christi. Idcirco non sunt duæ fides, altera in Deum, & altera in Iesum, sed eadem ratione, qua credimus in Deum, credendum est in Iesum, & per consequens, vno & eodem testimonio credendi, Ioannes noster, vtrique, nimirum verbo Dei, & Iesu Christo, hic optime satis-
E facit. Et ne quis existimaret, quod tantum de auditu, & non de visu esset eius testimoniũ, mox addit: [Quæcumque vidit.] vidit primo oculis carnis, per spatium trium annorum in Apostolatu Christi, vitam cum alijs Apostolis agens: vidit deinde mente, dum recumberet in cœna, supra pectus Domini; vidit tandem speciali prærogatiua, dum in cruce à Christo Domino, matris suæ Virginis Mariæ custos factus fuit. In prima siquidem visione vidit omnia Christi miracula; quoniam

Ioannes sequutus est stylũ loquẽdi Iesu Xpi. Caieta. sup. Ioãnẽ c. 14.

Athanasius.

S. Thom.

Testimoniũ Ioãnis simul de verbo Dei & de Xpo. Ioãnes quid vidit?

Ioan. 1.

Ioãnis testimoniũ integrum.

Ioãnes de auditu & visu testificatur circa Xpm. Tres visiones Ioãnis.

niam omnibus interfuit, quinimmo aliquibus adfuit, in quibus pleriq; Apostoli minime interfuerunt, vt fuit Transfiguratio, &c. In Secunda vero vidit cælestia secreta quamplurima, quoniam fluenta Euangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit. Hinc quid non sublime, non excellens, non rarissimum, non in maximam rapiens admirationem ab illius aureo ore prodire quiuisset, qui in ipso Iesu pectore, in quo erant omnes thesauri diuinæ sapientiæ reconditi, in postrema illa admirabili cœna recubuit, indeq; altissimam diuino beneficio cognitionem exhausit? Tunc, nimirum supereminentem, diuinæ scientiæ celsitudinem diuinitus illustrata mente concepit, cum in sacro sancto mysticę cœnę conuiuio supra pectus recubuit Redemptoris. Et quia in pectore Iesu sunt omnes thesauri diuinæ sapientiæ, & scientię reconditi, ex illo calesti Gazophylatio summam traxit, vnde nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditauit: ex illo, inquam, nobis ærario diuitiarum copias attulit, & in communem totius mundi salutem bene prodigus erogauit. Quinimmo super fontem perennis vitæ recubuit, vt ipse tunc semper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis postmodū præfixo certi temporis articulo propinaret. Magnus videlicet paradisi fluuius, qui ex principali sui fontis origine profluens, & vberiori cælestium charismatum inundatione procedens, squallentia deserta humanarū mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum, tamquam nouarum frugum germina, vberrima fertilitate fœcundat. In tertia deniq; visione vidit se supra ceteros Apostolos diligi a Domino, cum ex eiusmet ore audire meruerit illud: [Ecce mater tua.] Quapropter pie tueri potest Ioanni tātum (immo maius) onus fuisse commissum, quam Petro, cui dictum fuit: [Tibi dabo claues regni cælorum.] quibus verbis illi Ecclesia curanda à Domino elargita fuit. Ex quo plane factum est, vt ipsa Virgo Apostolum Ioannem, tamquam custodem suum sequuta semper fuerit, & eū in Ephesum commitata esset, vt habetur in epistola quadam Concilij Ephesini, tom. 2. cap. 26. vbi sic legitur: [Quare & Nestorius impie hæreticos auctor in Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes Theologus, & sacra Virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt.] Quamobrem proculdubio affirmare possumus, Ioannem nostrum à Deipara Virgine multa didicisse circa sanctæ matris Ecclesię statum. Vnde D. Ambrosius affirmare (inter alios plerosq; Doctores) etiam est ausus, non mirum fuisse, quod tam mira secreta scripserit Ioannes, tali magistra edoctus: [Quid mirum (ait) quod talia tantaq; noscat, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum?] Vbi per aulam cęlestium sacramentorum, intelligit sanctus Doctor Virginem Mariam Dominam nostram. Hæc igitur omnia se vidisse intrepide testatur Ioannes, cum hoc in loco ait: [Et testimonium Iesu Christi quæcumque vidit.] Ob hoc plane Origenes Ioannem Apostolum in hac parte Petro, & Paulo anteponit, dicēs: [Petrus alte volauit, Deum, & hominem confitens, ex tempore factum, sed Ioannes altius clamat, cum Deum de Deo genitum dicit. Paulus audiuit arcana, quæ non licet homini loqui, sed Ioannes, quod verbum audiuit, ei loqui licuit.] Ita ille. Sed dices: Quæ sunt ista, quæ Ioannes vidit, audiuit, & quæ ei loqui licuit? Respondetur. Hæc proculdubio fuisse, nimirum quod verbum Dei esset essentialiter increatum, & singulariter reuelatum, de quibus omnibus ipse firmum ac validissimum protulit testimonium, dicens Ioan. cap. 21. [Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius.]

Petrus Damianus ser. 1. de excellētia Io. Euangelistæ.

Pectus Christi gazophylatiū Ioannis. Pectus Xpi cęleste ærarium Ioannis.

Ioānes Paradisi fluuius.

Xps Ioanni matrē comēdauit suam.

Ioānes custos Virginis.

D. Ambr.

Virgo Maria est aula cęlestiū sacramētorum.

Origenes.

Mira quæ Io. & vidit, & audiuit.

§. 2.

D. Ambrosius ac etiam D. Thomas huiusmodi testimonium, de quo noster Archipropheta nunc loquitur dicens: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei,] referunt ad illud, quod in Euangelio postea scripsit, cū dixit: [In principio erat verbum.] Beda vero idem testimonium, refert ad illud cum dixit: [Et vidimus gloriam eius.] Alij tandem interpretes in dubium vertūt,

D. Ambros. & D. Th. in hisce comment.

Ioan. 1.

F quid hic per verbum Dei intelligatur, doctrina ne siue prædicatio Euangelij, an vero ipse filius Dei qui verbum Dei nuncupatur? Nos vero ad quæsitum breuiter respondentes dicimus, quod Verbum Dei absolute loquendo pro vtroque accipi potest, nimirum, pro prædicatione Euangelij, & pro ipso filio Dei. Etenim Euangelij doctrina, verbum Dei vtiq; dicitur, iuxta illud Lucæ 8. [Semen est verbum Dei,] filius itidem Dei, Verbum Dei etiam nuncupatur, secundum illud Ioan. c. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] At vero hoc loco verbum Dei pro ipso solummodo filio Dei accipiendum venit. Quoniam noster vates, postquam protulit; [Qui testimonium perhibuit verbo Dei,] explicans seipsum mox subtexuit: [& testimonium Iesu Christi quæcumque vidit.] Perinde ac diceret: Testimonium, quod ego Ioannes perhibui verbo Dei, est
G testimonium Iesu Christi, eo quod idem est verbum, qui & Iesus Christus, & idem est Iesus Christus, quod & Verbum Dei. Id propterea quæcumque de verbo Dei dixit, de Iesu Christo vtique intellexit, & intelligi voluit. Vnde Strabus in sua glossa ordinaria hunc locum sic exponit: [Verbo Dei, filius vocatur Verbum Dei, quia per eum manifestatus est in mundo Pater.] Et Lyranus super hæc eadem verba ita scribit: [Testimonium perhibuit verbo Dei, id est, in principio Euangelij sui, quantum ad emanationem eius æternam, dicens in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: & quantum ad eius incarnationem temporalem dicens, & Verbum caro factum est.] Hucusque Lyranus. Quamobrem iuxta prædicta, totum hoc testimonium Ioānis, ad duo proculdubio refferri potest, nimirum ad ea, quæ in hoc
H libro ab ipso dicuntur, quoniam prius librum hunc, quam Euangelium, litteris mandauit, & etiam ad illa, quæ postea in Euangelio, ac etiam in epistolis suis fidelibus scripsit, ac prædicauit; quoniam vtrobique de ijs, quæ ad personam Christi pertinent, in quantum Deus & homo, apprime scripsit. Eiusdem fere sententiæ videntur Franciscus Ribera, hic, & Iacobus Suarez à sancta Maria, sermon. 2. in Apoc. fol. 35. Subiungit tamen Ribera hoc in loco, duo, circa veram lectionem, & legitimum horū verborum sensum, primo siquidem sic ait: [Sed sciendum est, tam verbum Dei, quam sequentia, apud Græcos accusatiui casus esse, & cum coniunctione legi in hunc modum, qui testificatus est verbum Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit, sed sensus est idem in nostra trāslatione.] Quod quidem & ego laudo; deinde ait Ribera sic: [In quibusdam codicibus Græcis additus, vt annotat Arethas, & quæcumque audiuit, & quæ opor-
I tet fieri post hæc, sed redundare hæc videntur.] Quod & ego itidem redundare affirmo, quātum ad illa verba dumtaxat: [Et quæcumque oportet fieri post hęc,] (quoniam nostra translatio ab his verbis supercedit illa præcindendo, ac è medio tollendo) non tamen quantum ad illa altera verba, nempe: [Et quæcumque audiuit.] Quamobrem poterit plane locus iste ita legi: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit, & quæcumque audiuit.] Quoniā 1. Ioan. 1. sic dicitur: [Quod vidimus & audiuimus, hoc annuntiamus vobis.]

Verbū Dei solo filio Dei accipitur in Apoc.

Strabus in sua gloss. ord.

Lyranus in comment.

Vera auctoris sententia.

Frāc. Riber & Iac. Suarez.

Frāc. Ribera in c. 1. Apoc.

Arethas, & Ribera ob tenētur ab auctore, in totu, sed in partē circa lectionē Gręcā huiusloci.

Ceterum cum nostra translatio tantum legat: [quæcumque vidit,] dicimus Ioannem nostrum hic prophetarum stylum sequutum fuisse, qui suas reuelationes visiones appellant, vt videre est, Isa. 1. [Visio Isaiæ filij Amos, & Genes. 15. [Factus est sermo ad Abraham per visionem dicens,] & 1. Reg. 3. [Non erat visio ma-
K nifesta.] Vnde & ipsi Prophetæ videntes nominantur: quocūq; modo ex supradictis à nobis tex. 1. par. 10. dis. 7. q. 2. fiat reuelatio siue cognitio prophetica. Cū igitur noster Ioannes oculis (vt ait hic S. Thomas) carnis & mentis hanc obtinuerit à Deo visionem, recte hic alios sequutus Prophetas, ait: [Quæcumque vidit.] cum reuelationes factæ Prophetis, visiones dicantur. Dicit igitur: [Quæcumque vidit,] ac si dicat.

§. 3. Ioānes sequutus est Prophetarū stylum. Prophetæ suā visionē appellando.

Ea

Ioannes testis fidelis circa verbum Dei.

Ea quæ vidit de miraculis & operibus eius, eamet docuit,& nō est testificatus de eo ea,quæ ab alijs accepit aut incerto rumore cognouit, similiter alloquutus fuit, cum dixit Ioan. 19. [Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.] Quamobrem noster Archipropheta, testificatus est hoc in loco de verbo Dei , & de Iesu Christo saluatore nostro ea, quæ non ab alio accepit, sed ipse vidit. Idcirco cum inter alia pæne infinita Dei arcana, quæ ipse vidit,arcanum vtique ineffabile efformationis sacramentorū Ecclesiæ, siue ipsammet Christi sponsam ecclesiam sacramentis nouiter illustratam in cruce viderit ; ipsius etiam proculdubio hic testimonium se perhibere aperte fatetur.Dum enim Ionnes noster iuxta crucem stare , latusque Christi lancea apertum contemplaretur, cernens sanguinem & aquam egredientem, de illo aperto latere dextro , mox vxorem , ac sponsam Agni , nempe Ecclesiam , sacramentis illustratam , & ornatam ab illo promanare , ac oriri intuitus fuit, alludens ad illam Euæ , ex latere & costa dormientis Adæ formationem , de qua Gen. 2. dicitur : [Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea . Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.] Quod plane, figura typusque Ecclesiæ Christi fuit, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 5. [Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.]Et ob id merito hic dicimus, Ioannem Christi,& Ecclesię suę simul testimonium perhibuisse dicendo : [Quęcumque vidit,] affirmans, eamdem esse Christi fidem & Ecclesiæ,eademq; mysteria , & neminem posse in verbum Dei , vel in Iesum Christum credere , vel eius doctrinam intelligere , quin Ecclesiæ gremio aggregatus fuerit , eique liceat de præfatis agere per Ecclesiæ iudicium.Quamobrem Apostolus ad Gal. 2. aperte fatetur, se Deo inspirante , Ierosolimam ascendisse, vbi erat Petrus Ecclesiæ caput & pastor , ne in vanum cucurrisset, cum quo contulit Euangelium,quod Gentibus prædicabat. Plurimum namque & ad fideles,& ad Ecclesiam,& ad populum Dei, & ad omnem posteritatem referebat,vt a Principe Apostolorum , & ab Apostolica Ecclesia Paulina doctrina approbaretur, vt & Petrus datam sibi cælitus sapientiam suis dictis confirmaret.

Ioannes, in cruce vidit Ecclesiam à latere Xpi promanare.

Formatio sacramētorū siue Ecclesiæ illustratæ sacramentis.

Euę formatio ex latere Adę dormientis.

Ioannes, Xpi & Ecclesię testimoniū perhibuit.

Pauli doctrina ab Apost. Petro approbata.

Conceptus Prædicabiles in textum .

Conceptus 1. De circunstātijs & cōditionibus veri testis quas quidē habuit noster Ioannes.



Estimonium alicui perhibere, dare, reddere, aut alicui testē esse, significat pro eo testificari, siue in fauorē eius testimoniū dicere, iuxta illud Lu.4.[Et omnes illi testimoniū dabant.] id est,ita esse confirmabant, ad quod alludit illud Ioan.1. [Hic venit in testimonium , vt testimonium perhiberet de lumine.] hoc est,vt de Christo testificaretur ea , quæ vera esse cognouerat . Ad quod etiam spectat illud Ioan.5. [Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati,] & illud etiam Act.1. [Eritis mihi testes in Ierusalem,&c.] Testis tamen ad hoc; vt verum in fauorem alicuius testimoniū perhibeat, tres vtique debet conditiones , & circumstantias obtinere. Quarum prima est, vt cognitionem certam eorum, quæ testificaturus est, habeat. Secunda vero, vt in testificatis à se, firmus ac constans semper permaneat,& nullo timore perterritus,aut victus, veritatem, quam cognoscit, & scit, abscondat. Tertia tandem est,vt nullis muneribus, aut precibus corrumpatur.Quas omnes tres veri testis circunstantias cōditioneſq; noster Diuinus vates apprime obtinuit . Veram namq; habuit de Christo cognitionem , eo quod corporeis oculis illum vidit, Verbum caro factum, à quo cælestem doctrinam propediem audire meruit . Quoniam Matth. 5. dicitur : [Aperiens os suum docebat eos dicens,Beati,&c.] vidit iridem ipsum transfiguratum in monte Thabor, multiplicantem manibus suis quinque panes ordeaceos, & duos pisces, aquam in vinum, in nuptijs Canæ Galileæ conuertentem, visum cæcis restituentem , vitam mortuis dantem, salutem infirmis elargientem , peccatores conuertentem, peccata remittentem . Vidit porro ipsum flagellatum, crucifixum , mortuum in cruce , resuscitatum à mortuis & in cælos ascendentem; & ob id certam & euidentem eorum, quæ testificaturus erat de Christo cognitionem habebat , quod quidem ad veri testis conditionem plane pertinet . Obtinuit præterea firmitatem circa illa, quæ de Christo testificabatur , & nulla vi aut metu veritatem abscondere aut tacere vmquā cogitauit. Etenim, vt produnt D.Hieronymus,& Tertullianus , Romæ Diuus Ioannes missus fuit pro fide Christi confitēda, ac prædicanda in feruentis olei dolium, à quo purior & vegetior exiuit, quam ingressus fuisset. Quod plane ad secundam veri testis conditionem spectare certum est , & ideo noster Ioannes vere testis dicitur,quoniā testis Græce μάρτυρ,hoc est martyr,appellatur,è cuius martyrio,omnibus alijs fortitudo vis,ac constantia prouenit ,è cuius etiam testimonio omnes alij fideles veri testes reperiuntur . Habuit tandem noster Archipropheta tertiam veri testis circūstantiam, quia aduentu Spiritus sancti ipse,ac etiam alij omnes Apostoli ita fortes facti in bello fuere, vt aliquo, quamuis leui , vel minutissimo modulo circa veritatem de Christo prædicandam corrumpi nequiuerint. Quapropter ad vocem Magistri dicentis:[Eritis mihi testes in Ierusalem , & in omni Iudæa & Samaria , & vsque ad vltimum terræ ,] mox sequitur : [Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.] Et sic noster beatissimus vates testis verus & fidelis prorsus est appellandus . Non erat siquidem noster vates, sicuti testes illi, de quibus disputat S. Tho. 2.2.q.70. art.3. quorum videlicet testimonium potest reddi inefficax , casu quo aliquid probabilitatem adferat in contrarium . Nec minus erat, quemadmodum testes illi falsi,quos Hebræi ad negandam resurrectionem Iesu Christi ex mortuis adhibere intendebant: de quibus Matth.28. ita legitur : [Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus , dicentes , Dicite , quia discipuli eius nocte venerunt , & furati sunt eum , nobis dormientibus . Et si hoc auditum fuerit à Præside nos suadebimus ei , & securos vos faciemus.] O generatio incredula , dormientes testes adhibes ? dicite quæso Hebræi , dormiens cum non videat nec audiat pro tunc , quod testimonium præstare poterit ? non aliud profecto nisi falsum , Vah, quot sunt in hoc nostro sæculo viri his Hebræis similes,illos imitantes,ac prorsus eorum vestigia sequentes . Quærunt siquidem plerique improbi & mali falsos aliquos testes,vt virū probum, ac iustum , sanctum , ac pium , in discrimen, ac maximam confusionem adducant , & vt etiam mulierem castam, honestam, ac virtuosam prorsus inhonorent:ò scelus nefandum, ac grauissimum peccatum. Neque hoc absque causa plango; etenim hodierna die innumeros reperio per orbem tales viles homines, qui pecunia data falsos illico inueniunt testes, qui ea, quæ numquam nec audierunt, nec intellexerunt, nec minus viderunt, testificari attentant, vt sic sanctos, fideles, pios ac iustos ex vtroque sexu ab illorum diu probata sanctitate , & iustitia cito deijciant , ac penitus præcipitent , vt præstare conabantur duo illi falsi testes, ac inueterati dierum malorum senes aduersus sanctam & castam Susannam . Quamobrem quemadmodum ij manus Domini nullatenus effugere potuerunt : sic & isti,qui propter datam pecuniam aut propter inuidiam, aut odium, falsa sunt testificaturi,illius magni iudicis Dei , de quo dicitur : [Deus iudex iustus,] manus tandem minime effugere quibunt . Ideo dum ad testimonium ferendum conuenitis,vera, & iusta narrare, & visa, & audita à vobis æquo animo testificamini, vt hoc in loco noster præstat Ioannes , testifi-

Testificantis proprietates, & circunstātiæ.

Miracula Xpi

Passio Xpi. Resurrectio & ascensio Xpi.

D.Hieron. Tertullian.

Testis idē est quod martyr.

Act. 1.

Act. 5. Apostolorum fortitudo , & gaudium in martyrio pro Christo .

S. Thom.

D.Aug. in ps. 63. vers.7.

Grauissimum peccatū crebro per orbē sedē habens.

Sāctitas iustorū aliquando læditur per falsos testes.

Testis qualis oportet sit Christianus.

stificans de verbo Dei Iesu Christo Domino nostro: [Quæcumque vidit,] & sic ipsemet Dominus Iesus Christus vobiscum, dum ad testificandum acceditis, vel vocamini, vbiq; & omnino aderit.

Conceptus 2. Quod Xpi varia obtinet testimonia testificantia quod ipse sit verus Deus & verus homo. Psalm. 118. Turrec. super Ioannem.



INFINITA proculdubio obtinet Iesus Christus testimonia testificantia, & probantia illum mundi saluatorem, verumque Deum & hominem esse, de quibus infinitis testimonijs, & de eorum veritate ait diuinus Citharœdus: [Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.] Dominus Cardinalis de Turrecremata super illa verba Ioan. c. 15. [Cum venerit paraclytus, &c. ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.] quærit, an Christus habuerit testimonium diuinitatis, & à quo illud habuerit? Præterea Theologi diligenter inquirunt, An duorum, vel trium testimonium sufficiat? & dicunt cum S. Thoma 2.2. quæst. 70. art. 2. quod sic. Porro Hebræi dixerunt Christo, vt habetur Ioan. 8. [Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum verum non est.] Quibus optime respondit Christus, affirmans testimonium suum verum esse, dicẽdo: [Non sum ego solus.] Perinde ac ita argumentaretur. In lege vestra Deut. 19. scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est: sed sic est, quod in perhibendo testimonio de me, non sum ego solus, cum simul simus ego, & qui misit me Pater, quoniam ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, (ecce vna persona) & testimonium perhibebit de me, qui misit me pater, (ecce alia persona) igitur cum iuxta legem vestram testimonium stet in duabus personis, verum, & firmum erit testimonium meum. Quamobrem dico, quod, quamuis hæc tria vera sint; primum, nimirum, quod ex lege communi vni testi non est credendum, licet magnæ auctoritatis sit, & ideo Plutarchus de Catone eximia auctoritate, & honore apud Romanos pollente, dixit: [Ex hoc magna erat Catonis apud ciues Romanos auctoritas, vt etiam orator quidam in dicendo, cum vni testi non esse credendum, diceret, Nec si Cato, inquit, is foret.] Secundum, quod nullus potest ferre testimonium de seipso, habens firmitatem, dato, quod esset verum in se; huius rei ratio est, quod testimonium debet habere firmitatem & veritatem, ex certitudine cognitionis, & ob id hominis testimonium de se nequit esse firmum, eo quod etsi cognoscat se, tamen frequenter inordinate afficitur ad seipsum. Tertium tandem, quod Lyranus ait, videlicet, dum Iudæi sic contra Christum argumentantur: [Tu de teipso testimonium perhibes? ergo testimonium tuum verum non est.] Consequentiam hanc Iudæorum falsam esse, & nullatenus ex præmissis inferri quoniam Christus erat homo & Deus, Deus autem se & alios perfecte cognoscit, & ideo testimonium illius de seipso firmum fuisse, cum in ipso nec deffectus cognitionis, nec inordinatio affectionis, (sicuti in hominibus quotidie est,) aut in diuina natura, aut in humana esse poterat. Quamuis igitur, vt dixi, hæc tria vera sint, (vt sane vera sunt.) tamen testimonium Iesu Christi, verum & firmissimum proculdubio est, quoniam non est ipse solus, qui de diuinitate sua testificatur, eo quod, vt dixi, infinita obtinet Iesus Christus testimonia, testificantia, & probantia, illum mundi saluatorem verumque Deum, & hominem esse. Estote, rogo, attentissimi. In vtroque namque testamento obtinet Christus diuinitatis suæ infinita testimonia. In veteri siquidem firmum habet testimonium in omnibus prophetis & psalmis, & præcipue in Moyse dicente, Deuter. 18. [Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus,] ac etiam in Sybillis, quæ apprime de Christo, & eius diuinitate prophetarunt apud Gentiles. In nouo vero Testamento audite illud 1. Ioan. 5. [Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, pater, verbum, & spi-

Ioan. 8.

Plutarchus in vita Catonis Vticensis.

Nicolaus de Lyra sup. c. 8. Ioan.

Testimonia fere infinita de Xpo redẽptore nostro.

Explicatur optime locus 1. Ioan. 5.

F ritus sanctus, & ij tres vnum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & ij tres vnum sunt.] Ecce duplex ternarius testium, ternarius, nimirum cælestis in cælo, & ternarius terrestris in terra: [Funiculus triplex, (dicitur Eccles. 4.) difficile rumpitur.] Dicamus tamen primo, de ternario cælesti. Pater itaque, Verbum, & Spiritus sanctus desuper in cælestibus diuinitatem Christi confirmarunt, testimonioque illustrarunt. Pater siquidem æternus in baptismo, & in transfiguratione, voce de cælo demissa super Christum dixit: [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.] Verbum insuper filius Dei patris substantiæ suæ æqualitatem cum substantia æterni patris ostendens, dixit: [Ego & Pater vnum sumus.] Et iterum: [Qui videt me, videt & Patrem meum:] & mox: [Ego in patre, & pater in me est.] Præterea ipsemet Christus varia
G de se tradit testimonia. Quid etenim miracula illa infinita a Christo Domino operata in salutem animarum significant? Ad quid quæso illa conuersio aquæ in vinũ in nuptijs Canæ Galileæ? Ad quid resurrectio tot mortuorum? Ad quid cæcorum illuminatio? Ad quid leprosorum cura, ac medicamen? Ad quid claudorum, aridorum, paralyticorum, mutorum, surdorumq; repentina curatio? Ad quid porro illa quinque millia hominum quinque panibus, & duobus piscibus copiosa saturatio? ad nihil aliud sane, nisi ad ostendendum Hebræis, ac gentibus Christum Iesum verum filium Dei esse: [Nemo enim potest hæc signa facere, dixit Nicodemus ad Iesum,) quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.] Hinc & ipsemet Christus Iudæis dixit: [Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me,] & alibi: [Si mihi non creditis, operibus credite,] & alio in loco: [Si non facio opera pa-
H tris mei, nolite credere mihi.] Tandem Spiritus sanctus in columbæ in baptismo, in nubis vero in transfiguratione, & in ignis tandem specie in cænaculo descendens, manifestum huius veritatis testimonium perhibuit. Ideo Christus Dominus loquens de hoc testimonio Spiritus sancti, ait Ioan. 16. [Et cum venerit ille; arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me, de iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me, de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.] Vides igitur personam Patris, personam Filij, & personam Spiritus sancti, desuper in cælo testificantes de Christo, quod ipse sit verus filius Dei, & verus saluator mundi? sed audias; rogo, quod sequitur: [Et ij tres vnum sunt,] tam substantia, quam testimonio. Quoniam vnanimiter, & concorditer testimonium huius veritatis perhibent:
I multum namque interest ad efficax testimonium concordia testium. Quoniam, vt S. Thom. ait 2.2. quæst. 70. art. 2. ad 2. discordia testium in aliquibus principalibus circunstantijs, quæ variant substantiam facti, puta in tempore, vel in loco, vel in personis, de quibus principaliter agitur, aufert efficaciam testimonij, quia si discordant in talibus, videntur singulares esse in suis testimonijs, & de diuersis loqui, puta si vnus dicat, hoc factum esse in tali tempore, vel loco, alius alio tẽpore, vel loco, non videntur de eodem facto loqui. Dicamus præterea nunc de alio ternario terrestri: [Tres (inquit) sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.] Spiritus Christi, videlicet, anima illa sanctissima, quam ipsemet Christus pendẽs in cruce magna voce Patri commendauit æterno, dicens: [In manus tuas commendo spiritum meum.] Sanguis, & aqua, quæ nimirum de latere eius profluxe-
K runt, cum Ioan. 15. dicitur: [Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua.] Ista sane tria & verum Deum & verum hominem Iesum Christum esse apprime testantur. Et mox etiam subtexuit idem Euangelista: [Et ij tres vnum sunt.] Propter eamdem rationem nuper citatam cum S. Thoma, circa efficax testimonium. Non enim sunt huiusmodi testimonia, quemadmodum illa seniorum malorum Susannæ, Dan. 13. qui substantiam facti

Pater æternus testis Xpi. Matth. 17.

Ioan. 14.

Miracula Xpi eius testimonia.

Ioan. 5. Opera Xpi testimonia eius Ioan. 5. Spiritus sanctus testis Xpi Ioan. 10.

Testis cælestiũ Xpi concordantia, & vnanimitas.

Spiritus, id est anima Xpi testis ipsiusmet Christi. Luc. 23.

Testimonia contra Susannam quare falsa. facti variantes, dixit eorum vnus: [sub schino,] alter vero ait: [sub prino,] & sic variantes locum, eorum testimonium inefficax reputatum fuit à Daniele, & à iudicibus: ij vero autem tres, nimirum, spiritus, aqua, & sanguis, vnum quidem sunt, hoc est, concorditer, & vnanimiter testificantur Iesum Christum, verum Deum, & hominem esse iuxta illud Athanasij: [Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens: [Et reuera talis nobis necessarius erat Saluator, qui vt verus homo pro peccatis nostris mori posset, & vt verus Deus a mortuis resurgere, remissionemque peccatorum, Spiritum sanctum, vitam, iustitiam & animarum nostrarum salutem conferre posset. Ideo Ieremias in spiritu dixit de Christo, Threnorum 4. [Vere langores nostro ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.] Solus ergo Christus hæc tam ingentia, sollemnia, & fide digna testimonia obtinet. Et ob id solus ipse verus saluator noster est, & in ipso solo, ex consequenti, salus nostra omnino deget: [Non enim est (vt dicitur Act. cap. 4.) aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri,] nisi in nomine Iesu Christi. Recte porro dixit Pharisæis Christus: [Non sum ego solus.] Quoniam his dimissis, in diuinis non est solitudo, cum pater sit in filio, & è conuerso filius sit in Patre, tum ratione substantiç, tum ratione relationis, tum denique ratione originis, vt docet S. Thom. p. p. quæst. 52. art. 5. ideo ipsemet Christus Ioan. 14. Philippo dicenti: [Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis,] respondit: [Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est?] Accedit, quod Angeli Christum verum Deum & hominem testantur, annuntiando pastoribus in die natiuitatis suæ ipsum esse saluatorem mundi. Magi etiam huiusmet rei testimonium dant, cum ex Oriente venientes, natum iam esse Regem Iudæorum, nouæ stellç miraculo confirmarunt. Simeon senex, Anna, Zacharias, Elisabeth, & alij pleriq; iustitia, pietate, ac sanctitate insignes viri, qui tempore, quo Christus in terris natus est, & cum hominibus conuersatus est, floruerunt, haud exiguum de hac re testimonium perhibent. Ioannes Baptista, cui Hebræi maximam præstabant reuerentiam ob suam sanctitatem, vitæq; austeritatem, maximum reliquit de diuinitate Christi testimonium, cum aperto ore exclamauit, dicens: [Ecce Agnus Dei.] Moyses etiam, & Elias, qui in transfiguratione apparentes, ipsum esse Messiam docuerunt, hoc ipsum testificati sunt. Nicodemus Iudæorum, ac Pharisçorum princeps, id ipsum fatetur dicens de Christo: [Scimus, quia à Deo venisti magister nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.] Turba insuper Iudçorum suum etiam subiunxit diuinitatis Christi testimonium, dicens de illo: [Osanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini, ò Rex Israel.] Et tandem suorum miraculorum multitudo, de quibus etiam sui inimici acclamabant: [Numquid Christus, quando veniet, plura signa faciet, quam hic facit?] suæ diuinitatis maximum reddunt testimonium. Quibus insuper adiungo nostri Archiprophetç Ioannis validissimum diuinitatis & humanitatis Christi testimonium, dum hic dixit: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit.] Rursus scrutamini totum vetus Testamentum, euoluite prophetas antiquos, contemplamini Patriarchas; omnes denique attendite, & videte diuinas creaturas, & mox vberrimum diuinitatis, & humanitatis Christi exhaurietis testimonium. [Hæc est victoria, quæ vincit mundum (dicitur 1. Ioan. 5.) fides nostra.] & paulo post: [Et quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius Dei?] Et non mirum plane; quoniam cum noster Archipropheta inter eos adfuerit, quibus Christus dixit Act. 1. [Et eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria & vsque ad vltimum terræ,] & alibi: [Vos testimonium perhibebitis de me,

Margin notes: Xps nõ est solus in testificando suam diuinitatem. — Testimonia fere infinita de diuinitate Christi. — Ioan. 1. — Ioan. 3. — Ioan. 6. — Ioan. 7. — Scriptura diuina tota fere est diuinitatis Xpi testimonijs. — Act. 1. — Ioan. 15.

A quia ab initio mecũ estis.] Hic exclamat dicens: [Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcumque vidit,] vt sic inter tot diuinitatis Christi fideles testes, insignem sibi vindicet locum Euangelij Aquila nostra Ioannes, testimonium hic de verbo incarnato perhibendo. Vnde cum iuxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 2. duorum vel trium testium testimoniũ sufficiat, profecto tot, ac tantorũ virorum testimonia magis sufficient, & præcipue tantorum notariorum legalitate, autoritateque apprime in sæculis sempiternis illustrata, corroborata, ac omnino approbata?

B BEATVS, qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.

Textus 2.

COMMENTARIVS.

BEATISSIMVS Euangelista, & Apostolus Ioannes, qui priuilegio amoris præcipui, ceteris altius à Domino meruit honorari, maximam huius suæ reuelationis hic patefacit vtilitatem, & copiosos, ac vberrimos eiusdem reuelationis omnino demõstrat fructus, vocando legentes, audientes, illamque seruantes beatos, hoc est felices.
C Quibus plane verbis hominum voluntates ad amorem huius suæ Prophetiæ mirum in modum attrahit, ac allicit. Allicere siquidem aliquem tunc dicimus, cum eius alienam voluntatem ad nostram, blanditijs nimirum, & promissionibus attrahimus, vti fecit Deus cum Abrahamo, cui Genes. 12. dixit: [Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.] Ecce voluntas Dei, ad quam faciendam allexit protinus ipse Abrahamum subiungens: [Faciamq; te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, &c.] Ecce blandimenta, hoc est promissiones. Sic etiam fecit cum Hebræis, quibus vtique dixit: [Dabo vobis terram fluentem lac & mel,] & alibi: [O Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.] Hinc
D & Dauid hilaris exclamat, dicens: [Inclinaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.] Pari etiam modo Ioannes hoc in loco homines nomine beato, videlicet felici, ad legendam, audiendam, seruandaq; hanc suam Prophetiam prouocat, & inuitat, quasi per, ly [*Beatus*] proponat illis præmium, vocando eos felices. Et merito quidem, etenim in hoc opere permultas iustorum promissiones, malorũq; pœnas & supplicia proponit Deus, sic vtique infra scribitur: [Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,] & paulo post: [Vincenti dabo manna absconditum,] & deinde: [Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei,] & paulo infra; [Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.] Hæ plane sunt bonorum, promissiones. De malorum vero supplicijs, sic etiam dicitur: [Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.] Et deinceps: [Veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris
E mei.] & dudum: [Veniam tibi, tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te.] Hinc noster Euangelicus vates alta mente contemplans ex vna parte iustorum præmia, ex altera vero malorum flagella, sub his verbis: *Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.* Felicem illum appellat, qui arcana huius Prophetiæ, & legendo, & audiẽdo in animo seruat, & magno in pretio

Margin notes: Explanatio 6 textus. §. 1. — Allicere quid sit. — Abrahamum promissionib. allexit Deus — Exod. 3. Psalm. 80. Psalm. 118. — Comparatio. — Promissiones iustorum. Apoc. 2. Apoc. 3. — Pœnæ malorum. — Felix & beatus quid sit.

custodientis legem Domini præmia.

Deus iratus quo modo olim placabatur.

Abulens. in cap. 33. Deut. 9.

Sacerdotes, & Leuitæ thymiamate olim placabant Deum iratum.

Leuit. 3. & 4. cap.

Thymiama in naribus Dei quando olim ponebatur.

tio, tamquam pretiosas margaritas ea vtique præ se gerit. Idcirco totam vtilitatem huius operis, & reuelationis in eius custodia, & obseruantia plane reponit. Quamobrem de hanc prophetiam seruantibus intelligi etiam potest illud Deuter. 33. [Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, seruauerunt iudicia tua o Iacob, & legem tuam o Israel, ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum,] vel vt legunt Hebræi: [Ponent thymiama in naribus tuis, & holocaustum super altare tuū.] Secundum quam litteram Hebraicam teste Abulense est sensus, Sacerdotes, & Leuitæ qui custodierunt legem tuam, Deus, cum iratus fueris ad auertendū furorem tuum a populo, tibi sacrificium cum thymiamate offerent. Ritus siquidē Hebræorum erat, vt cum aliqua persona, vel totus populus peccaret per ignorantiam vel negligentiam, oblato pro eis sacrificio, cum thymiamate, auferebatur furor Domini a populo, & sic Leuitæ ponebant thymiama in naribus Dei, id est, valde redolens Deo, quia de istis sacrificijs sæpissime dicitur: [holocaustum odoris suauissimi Domino,] vt patet cap. 1. Leuit: vnde pingitur Deus quasi nares habens, quibus odorem sacrificiorum recipiat.

§. 2.

Tria necessaria ad beatitudinem.

Magist. in 4. dist. 49. & S. Thom. ibidē & 1. 2. q. 1.

beatitudinē asserebant antiqui consistere in affluentia.

Beatitudinē sitam essē in honore dicebant Pharisæi.

Matt. 23.

Beatitudinē quidam collocabant in gloria humana.

Beatitudinē in epularum abundantiam statuunt Saraceni.

Beatitudinis errores antiquorum reprobantur.

Mortales cū multus indigeāt nequeūt beati vocari.

Homo a plerisque superatur animalibus.

Anima rationalis capax boni infiniti.

Beatum facit finis boni.

D. August.

beatitudines omnes vnico verbo compilauit Ioā. beatorum varia genera

Tria tamen hic Christiano viro ad salutem, felicitatem, beatitudinemque comparandam necessaria a nostro Archipropheta annuntiantur, nimirum legere, audire, & verba prophetiæ huius, videlicet, legem Dei obseruare: quibus plane verbis, noster vates, errores Ethnicorum circa beatitudinem, & felicitatem penitus euertit. Beatus etenim a beatitudine tamquam paronimum a sua forma (vt dicunt logici & dialectici) vtique deriuatur. De beatitudine autem iuxta magistri sententiarum, & D. Thomæ dogmata variæ extitere opiniones. Quidam enim beatitudinem in affluentia, & possessione diuitiarum consistere tenebant. Quam etiam opinionem vsque ad hæc tempora filij huius sæculi tenent, dicente Psalmista: [Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.] Alij beatitudinē in honore, & reuerentia, quæ ab alijs exhibetur constituebant, quam opinionem amplectebantur Pharisæi, qui teste Christo Domino nostro amabant primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. Alij porro beatitudinem in fama, & gloria humana collocabant. Quidam vero beatitudinem in potestate imperandi sitam esse asseuerabant. Quidem autem in bonis corporis, vt in fortitudine, pulchritudine, salute, & his similibus illam collocabant. Quidem tandem beatitudinem in ciborum opulentia positam esse asserebant, & adhuc, diabolo suadente, intrepide asserunt, & hic est Saracenorum maledictus error. Ex quo plane sequitur pecudes esse beatas, quod est ridiculum. Contra hos omnes itaq. hic insurgit noster Archipropheta dicens: *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt*: Et merito proculdubio hic beatus circumfertur. Etenim cum Aristoteles. 1. Eth. dicat: [Ille bonum habet, cui nihil deest;] & insuper habentibus diuitias, honorem, famam, & imperium multa deficiant: quomodo isti deficientes, & omnino indigentes beati appellari queunt? Porro cum homo fortitudine a leone superetur, diuturnitate vitæ ab elephante, pulchritudine ab auro, agilitate a delphino, & velocitate ab aquila, & ceruo facile deuincatur, qui beatus quæso erit, cum illi tot corporis bona desint? Et denique cum anima nostra rationalis, immortalis sit, & infiniti boni capax, qui supplex exoro, beatitudinem suam in bonis creatis obtinere poterit? Merito igitur solus is, qui legit, audit, seruat legem, & verba Dei, teste nostro Archipropheta, beatus nuncupatur. Etenim finis boni beatum facit hominem; quoniam nulla est causa philosophandi, teste D. Augustino lib. 9. de ciuitate Dei, nisi finis boni. Attende quæso, Dauid vocat beatum virum illum, qui in consilio impiorum non abiit. [Beatus (inquit) vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in F via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.] Salomon etiam beatum facit illum, qui post aurum non abijt: [Beatus (inquit) vir qui post aurum non abijt, nec sperabit in pecuniæ thesauris.] Porro D. Iacobus beatum appellat illum, qui tentationes sustinet: [Beatus (ait) vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.] Christus tandem Redemptor noster pauperes spiritu, lugentes, mites persecutionesque patientes affirmat beatos esse, vnde de illis per Lucam, & Matthaeum dicit. [Beati paupares spiritu, beati mites, beati, qui lugent, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.] quas omnes beatitudines proculdubio nostra euangelij Aquila ijs verbis concludit, dicens: *Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt.* Quasi dicat: Beatus qui legit, audit, & seruat legem Dei, quod plane idem prorsus est cū illo Lucae 11. G [Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.] Hoc autem hic attentaui asserere, quoniam in hoc textu tot sane continentur mysteria, quot verba eo quod ea omnia, quæ Dei vates per larga volumina in veteri testamento tum aperte, tum perplexe circa beatudinem, & felicitatem protulerunt; hæc eadem hic in summa, & Epilogo satis breui noster Archipropheta diuinitus coarctauit, dicendo quippe: *Beatus qui legit*] litteratos, & doctores catholicos demonstrat esse felices. Dicendo vero, *& audit* laicos, & addiscentes sacram paginam, nempe discipulos studiosos sacræ scripturæ veteris vtique, & noui testamenti, indicat beatos. Dicendo tandem; *& seruat ea, quæ in ea scripta sunt*; seruantibus, ac custodientibus repromittit beatitudinem, quæ legenti, audienti, & seruanti legem Dei plane datur, cum vtrisque, legenti H nempe, & audienti, seruare competat, dicente Apostolo ac Rom. 2. [Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

Matt. 5. Luc. 6.

Beatitudines oēs ad vnam reuocat Ioannes.

Beati Doctores

Beati laici

Beati custodientes legē Dei.

§. 3.

Lectio geminæ huius textus.

Lectio quorundam Græcorum.

Felix idem quod beatus.

Lectio Latinorum.

Verumtamen huius textus duæ sunt lectiones, quarum vna de plurali numero procedit. In quibusdam etenim Græcorum codicibus sic scriptum reperitur: *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & seruant ea, quæ in ea scripta sunt*, quam lectionem, videtur amplecti Primasius, hunc locum sic vertens: *Felix, qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & custodiunt ea, quæ in ea scripta sunt*: Felix autem idem est, quod beatus, vt communiter tenent doctores in 4. sent. cum Magistro dist. 49. loquentes de beatitudine. Altera vero lectio loquitur in singulari numero, quam lectionem tenet noster vulgatus legendo sic: I *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt*: quæ quidem duæ lectiones inter se, re nullatenus differunt; etenim, quod nostra vulgata affirmat de singulari, non negat de plurali numero.

PARAPHRASIS
Prima.

Para. 1.

Enunciatio beatus.

§. 1.

Beatitudo duplex vna nimirum in re & altera in spe.

Philosophus.

Pueri qua ratione beati appellentur.

S. Thom.

Beatus, (ait,) De beatitudine in spe hic proculdubio est sermo. Beatitudo siquidem dupliciter accipitur, vno nimirum modo prout habetur in re, videlicet, prout vere possidetur, & sicut erit in patria. Alio vero modo solum in spe, & sic habetur in via a viribus excellētibus in virtute, qui propter excellentiam virtutis videntur vitam humanam transcendere, K & quodam modo ipsi beatitudini appropinquare. Et tales dicuntur quodam modo beati, quia quod parum distat, nihil distare reputatur, vt dicitur 2. lib. phys. Et hoc modo dicuntur pueri felices in spe, non quod exerceant actum virtutum, in quibus est felicitas, sed quia habent ad hoc bonam dispositionem. De hac beatitudine in spe loquitur S. Thom. dum p. 2. q. 69. art. 1. sic scribit: [Beatitudo est vltimus finis humanæ vitæ; dicitur enim aliquis iam finem habere pro-

peter

Beatus dicitur aliquis in spe

pter spem finis obtinendi, vnde & Philosophus dicit in 1. Eth. cap. 9. quod pueri dicuntur beati propter spem, & Apostolus dicit ad Rom. cap. 8. [Spe enim salui facti sumus.] Spes autem de fine consequendo consurgit ex hoc, quod aliquis conuenienter mouetur ad finem, & appropinquat ad ipsum, quod quidem fit per aliquam actionem, &c.] Et de hac eadem beatitudine in spe, loquitur idem Angelicus Doctor, dum p. 2. quæst. 5. artic. 3. ad 1. dicit: [Beati dicuntur aliqui in hac vita, vel propter spem beatitudinis adipiscendæ in futura vita, secundum illud ad Rom. cap. 8. Spe enim salui facti sumus; vel propter aliquam participationem beatitudinis secundum aliqualem summi boni fruitionem.] Hucusq; S. Thom. Hinc beatitudo in generali potest definiri cum Philosopho 1. Eth. [Beatitudo, vel felicitas est operatio secundum optimam virtutem in vita perfecta.] vel vt alij volunt: [Beatitudo est summum bonum,] vel tandem cum Abulense super Matthæum tom. 2. cap. 5. quæst. 12. [Beatitudo est maximum bonum naturæ rationalis.] Quia, vt ait Boetius de consolatione lib. 2. prosa 4. Beatitudo est summum bonum naturæ rationе degentis, id est, viuentis. Huiusmodi autem duæ beatitudines, in re videlicet, & in spe, assimilantur illis duabus sororibus Marthæ nimirum, & Magdalenæ, per quas vita actiua, & contemplatiua plane intelliguntur; de quibus D. Augustinus serm. 27. de verbis Domini, sic scribit: [Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat Dominum, in duabus feminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles, vna laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, quam cauere debet laboriosa, nulla desidiosa, quam cauere debet otiosa, ergo in illa domo istæ duæ vitæ, & ipse fons vitæ; in Martha erat imago præsentium, in Maria futurorũ, quod agebat Martha, ibi sumus, quod agebat Maria, hoc speramus; hoc agamus bene, vt illud habeamus plene.] Ecce qualiter beatitudo in re indicatur per Magdalenam, & vitam contemplatiuam: beatitudo vero in spe demonstratur per Martham, & vitam actiuam, eo quod quemadmodum quis per vitam actiuam nauigat, teste D. Augustino serm. 27. de verbis Domini, per vitam vero contemplatiuam alius est in portu, sic per beatitudinem in spe, viatores videntur adhuc in dies laboriose nauigare, laborantes in remigando propter ventos contrarios, vt erant Apostoli, dum de illis Marc. cap. 6. dicitur: [Vidit discipulos suos laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis.] per beatitudinem vero in re, comprehensores iam quiete sunt in patria, quasi in tuto portu, procellis nullatenus amplius obnoxij. Verumenimuero dum hic noster Euangelicus Propheta dicit, [Beatus] de beatitudine in spe proculdubio intelligitur, vt beatitudinem in re respicit.

Beatitudo in generali quid sit. Arist. 1. eth.

Tostatus. Boetius.

D. Aug.

Magdalena significat beatitudinem in re. Martha significat beatitudinem in spe. Comparatio.

Beatitudo in spe respicit beatitudinẽ in re.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod homines in hac vita debent sæpe contemplari cælum, ac paradisum cælestem.

BEATVS in spe, & in via tenetur proculdubio crebro, ac frequenter in dies beatitudinem in re, nimirum patriam nostram felicem, ac cælestem aspicere, quasi ad illam anhelans; quoniam in cælesti Paradiso est Deus cum omnibus caris nostris. Hinc beatis in spe loquitur D. Cyprianus lib. de mortalitate sic: [Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidus optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita: ad horum conspectum & complexum venire quanta & illis, & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium Regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam summa & perpetua felicitas? Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis continentiæ robore subegerunt. Remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiæ opera fecerunt, qui dominica præcepta seruantes ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus & cum his cito esse, vt cito ad Christum venire contingat, optemus.] Hactenus Diuus Cyprianus. Oportet igitur, vt beati in spe, & in via, respiciant propediem cælum, in quo est vera beatitudo, & felicitas nostra, & non ad terram, in qua est damnatio nostra: [Quoniam videbo cælos tuos (ait Dauid) opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti.] Quod plane sanctus vir Dei ideo dicit, vt animas nostras alliciat ad crebro cælum contemplandum. Ex eo etenim, quod Beatus Stephanus cælos in medio tormentorum suorum aspexit, meruit plane, & illos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei videre. Fecit siquidem nobiscum Deus, (vt frequenter aspiciamus cælum,) sicut pelliparius, vel coriarius, qui pellem pulchram coram emptore extendit & exponit, vt ipsum ad emendum alliciat: sic Deus cælum sideribus depictum coram nobis extendit, iuxta illud: [Extendens cælum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius,] vt animas nostras alliciat, & ad desiderandum cælum empyreum, (quod est valde pulchrius, & ceteris mirabilius, in quo est beatitudo, & felicitas nostra æterna,) & etiam ad prouocandum nostrum affectum, vt ad patriã nostram frequenter anhelemus, vnde Ouidius lib. 1. Metamorph. dicit.

D. Cyp. li. de mortalit. in fine.

Comparatio.

Anhelare in dies debemus ad cælum.

Salus nostra in cælo. Dãnatio nostra in terra. Psalm. 8.

Act. 7.

Simile.

Coriarius cũ vendit pelles eas extendit. Psalm. 103.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram
Os homini sublime dedit, cælumq. videre.
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ouid. lib. 1. metha.

Et hoc ad quid quæso? vt patriam plane sæpe contemplemur nostram. Percontaberis forte, cur Deus hominem post lapsum eiecit de paradiso voluptatis, illum mittendo, vt dicitur Genes. cap. 3. super faciem terræ, vt eam operaretur? Ad nihil aliud puto, nisi, vt vexatio daret illi intellectum, & vt ex laboribus, & tribulationibus, quæ sunt in terra ad cognitionem gloriæ æternæ tandem perueniret, terram ipsam, & infernum, qui est in ipsa, prorsus contemnendo, ac detestando. Quoniam in terra, puta, in hoc mundo est aliquid cæli, & aliquid inferni. Vis istud clare intueri? Audias rogo. Reduc primo tu in memoriam illud Psalmistæ: [Inclinauit ex hoc in hoc,] deinde cogita tecum tria vasa, vel tres amphoras vitreas, aut tres calices, quorum vnus sit mello plenus, alter vero sit felle refertus, tertius tandem sit omnino vacuus, nihil in se habens. Magno quidem constat experimento, calicem melle plenum esse omnino per se dulcem, quoniam mel, quod continet per se, & ex se dulce quidem est: calicem vero felle refertum, esse omnino per se amarum, eo quod, fel quod continet, per se & ex se amarum vtique est. Modo inclina tu [ex hoc in hoc] nimirum infunde, & inclina aliquid ex hoc primo calice mellis, & aliquid etiam ex hoc secundo calice fellis, in hoc tertio calice vacuo, profecto tunc in simili euentu iste tertius calix vacuus, proculdubio replebitur: enimuero ipse partim erit dulcis, partim vero amarus, quoniam tunc haberet simul aliquid mellis, & aliquid fellis mixtum in se. Modo ad rem. Esto quaso exten-

Homo cur aspiciat calũ.

Nota bene.

Mũdus habet aliquid gloriæ, & aliquid inferni. Psalm. 74.

calix mellis.

calix fellis.

Calix melle & felle mixtus.

Cœlũ est calix mellis.

attentissimus. Quid est in cælo? In cælo est vita absque morte omnes enim beati illic viuunt æternaliter, & nullus eorum est morti obnoxius. Vides calicem mellis? Quid ex aduerso est in inferno? In inferno est mors absq; vita. Omnes enim damnati sunt illic in morte ęterna. Hinc adest illud: [Libera me Domine de morte æterna,] vides calicem fellis? Quid vero est in mundo? In hoc mundo est simul mors, & vita. Vnus enim homo viuit hodie, alter vero moritur cras. Vides ne calicem simul melle, & felle mixtum? Amplius. Quid est in cælo? In cælo est sanitas absque morbo. Quid ex aduerso est in inferno? In inferno est infirmitas absq; sanitate. Quid vero est in hoc mundo? In hoc mundo simul est sanitas, & infirmitas. Vtrumq; enim viget in eo. Porro, quid est in cælo? In cælo est cibus absque fame. Quid ex aduerso est in inferno? In inferno est famis absque cibo. Quid vero est in hoc mundo? In hoc mundo est simul famis, & cibus, alius enim mortalium in hoc mundo fame præmitur, vt alter Lazarus mendicus, alius vero epulatur quotidie splendide, vt alter diues epulonus: vides ne calicem melle, & felle simul mixtum? Præterea, quid est in cælo? In cælo est diuitia, absque paupertate. Quid ex aduerso est in inferno? in inferno est summa paupertas absque aliqua diuitia. Quid vero est in hoc mundo? In hoc mundo est simul diuitia, & paupertas, vnus enim est pauper, alter diues. Rursus. Quid est in cælo? In cælo est gloria, absque miseria. Quid ex aduerso est in inferno? In inferno est summa miseria, absque gloria. Quid vero est in mundo? In mundo est simul gloria, & miseria. In illo enim vtrumque inuenitur. Item. Quid est in cælo? In cælo est pax absq; bello. Quid ex aduerso est in inferno? In inferno est bellum sine pace. Quid vero est in hoc mũdo? In hoc mundo est plane simul bellũ, & pax, aliqui enim mortalium summa pro nunc gaudent pace; alij mille efficiuntur procellis. Postremo. Quid est in cęlo? In cęlo sũt omnia bona, absq; aliquo malo. Quid exaduerso est in inferno? In inferno sunt omnia mala, absq; aliquo bono, dictum siquidem est de eo: [Vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.] Quid vero est in hoc mundo? In hoc mũdo sunt simul bona, & mala, vtrumq; enim in eo regnat. Vides igitur, quomodo inclinauit Deus [ex hoc] calice mellis cælestis glorię, & [ex hoc] calice fellis inferni, [in hoc] mundo illum replendo melle, simul cum felle? Videat igitur homo ad quid Deus illum, inter alia animalia in terra constituerit: ex hac namque contemplatione aperte liquet, Deum hominem super terrã quę medium est inter cælum, & infernum, constituisse, non certe, vt pronus veluti bestia, & sicuti equus, & mulus, in quibus non est intellectus, terram aspiciat, & absq; mysterio in illa propediem calicem, melle, & felle, puta, tribulatione simul, & consolatione repletum bibat; sed vt ex ipsa tribulatione, & consolatione mundana, suos ad patriam nostram, nempe cælum, erigat oculos cordis & mentis, & Paradisum cælestem, attente propediem contempletur, vt sic vase, & calice fellis: inferni omnino spreto, cæleste illud vas, calicemque illum felicem mellis dulcissimi gloriæ æternæ degustare queat. Quoniam propter hoc Deus inclinauit ex hoc in hoc, vt sic tu beatus reuera fias, & veram illam beatitudinem acquirere valeas, de qua Christus Redemptor noster Ioan. 14. dixit: [In domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum,] quibus in verbis maxime ad nostrum institutum notandum est illud: [Si quo minus dixissem vobis.] Docet enim, Christus per hunc loquendi stylum ad illam felicem domum patris sui, nempe ad veram beatitudinem æternam nullatenus perueniendum esse, nisi per præfatum à nobis potum tertij calicis melle, & felle huius mundi mixtum, nimirum per magnos labores, tribulationes, & dolores huius sæculi. Hinc illa verba psalm. 86. [Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te.] Quidam doctissimus vir sic vertit: [Sicut parturientium omnium nostrum habitatio est in te.] Perinde ac diceret: Nullus mortaliũ ad gaudia, & bona felicis patriæ peruenire potest, nisi per magnos labores, & dolores, quemadmodũ nulla mulier ad suum optatum partum peruenire, potest, nisi per dolores: scriptum si quidem est de femina Gen. 3. [In dolores paries filios tuos.] Licet enim feminę inter sese diuitijs, nobilitate generis, aut pulchritudine differãt, tamẽ omnes quotquot sunt (vna dũtaxat dempta Virgine gloriosa) in dolore partus apprime cõueniunt. Sic proculdubio omnes viatores, qui ad cęlestem patriam peruenire curant, ad illam cum maximo tribulationum, angustiarum, afflictionumq; dolore tandem peruenient.

Infernus est calix fellis.

Mũdus est calix melle, & felle mixtus.

Petrus Lombardus.

A



BEATORVM in spe, & in via geminatum genus connumerat Dauid in suis Psalmis. Psalmi siquidem sunt, in quibus Dauid propositiones Dei clare peccatoribus proponit, iuxta illud: [Aperiam in Psalterio propositionem meam.] Audiamus igitur, quid de beatis in spe dicat Diuinus Citharœdus in suo psalterio. De primis igitur beatis ait: [Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini,] de secundis vero sic exclamat: [Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.] Estote quæso paulisper attentissimi. Duo siquidem genera beatorum in spe hic recensentur à Dauide. Primi vtique sunt quidam homines ita felices, qui vitam hanc præsentem, in qua tot per horas se offerunt peccandi occasiones, absque peccato, præcipue læthali transeunt, Deum semper, & proximum suum, sicut seipsum diligendo, & malum numquam cogitando, veluti alter Iob, qui cap. 31. dixit: [Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem aliquid de Virgine.] & hos, immaculatos, hoc est, absque macula, appellat Dauid, dum ait: [Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.] Sed in his non immoror, quoniam sunt vere beati, tantum illis dico, vt orent pro me, eo quod raro in hac vita, horum vnum de mille reperies, iuxta illud: [Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est.] Quibus verbis adiungo illud Eccles. cap. 31. [Beatus vir, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris, quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.] Et reuera mirabile proculdubio est, homines vitam hanc præsentem peragere immaculatos, hoc est, sine mortalis peccati macula. Et in hoc sensu plane intelligo, accipienda esse verba illa Salomonis Eccles. cap. 7. [Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.] Et licet plurimi, vel pauci sint ij virtuosi, & fortes in bello, eos tamen & beatos, & immaculatos vocat Dauid, cum ait: [Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.] Felices plane homines. Quis enim potest viam longam, ac prolixam luto, pice, & resina, (vt est proculdubio vita hæc nostra præsens,) ac alijs pæne infinitis immunditijs prorsus circunfertam, ac circumdatam absq; macula transire? si aliqui fortasse sunt, digni plane sunt laude, quoniam de his dicit Christus Apoc. cap. 2. [Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.] Sunt etenim beati in spe, etsi non adhuc in re. Secundum vero genus beatorum in spe sunt quidam viri, qui pleraque commiserunt crimina, fornicationes, furta, adulteria, ebrietates falsa testimonia, iudicia temeraria, homicidia, & his similia: sed per pœnitentiam omnia præfata scelera, illis remissa fuere, & de his loquitur Dauid cum ait: [Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.] Perinde ac dicat: Beati pœnitentes in hac vita, felices illi, qui dum viuunt, curam habent de cilicio, ieiunio, disciplina, eleemosyna, oratione, & de alijs pijs operibus, pro peccatis suis olim commissis, & sic actualia scelera & perpe-

Conceptus 2. quod beati in spe, & in via sunt in duplici differentia.

psalm. 48.

Peccatori Dauid in psalterio explicat propositiones Dei.

Psalm. 118.

Psalm. 31.

G

H

Beati immaculati in via raro reperiuntur.

1. Ioan. 1.

I

Vita præsens vitijs plena.

Beati pœnitẽtes.

K

Peccata remissa per pœnitentiam dicuntur tecta.

perpetrata facinora tegere, & cooperire valeat. Tecta enim dicuntur peccata remissa, id est, cooperta, vt non videantur. Res enim cooperta non videtur. Vocantur autem peccata remissa tecta Deo, quę non vult videre, vt puniat, id est, quæ ad æternam punitionem non reseruat, sed ijs per pœnitentiam in vita præsenti libenter ignoscit. Quamobrem nos peccata nostra tegimus, dum illis bona opera, ieiunia nimirum, cilicia, orationes, eleemosinas superponimus. Quoniã qui priora mala deserit, & bona posterius facit, per hoc, quod addit, transactam nequitiam tegit, cui boni operis merita superducit. Dum igitur, charissimi fratres, mentes animasque nostras peccatis, vitijs, ac sceleribus onustas reperimus, faciamus illud, quod de Rachele Gen. 31. dicitur, vbi sic legitur: [Rachel furata est idola patris mei.] Quam cum persecutus esset pater eius, mox sequitur in textu: [Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper; scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti ait: Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi: sic delusa solitudo quærentis est.] Magnum plane remedium est, peccata, quæ sunt veluti idola, cilicio, ieiunio, disciplinis, eleemosynisque, cooperire, ac tegere, quoniam sic: [Deluditur solitudo quærentis.] Satanas siquidem in dies quærit hominum peccata, licet minutissima, & hoc nimia plane diligentia, ac cura, iuxta illud: [Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret,] & cum tu peccata tua ponis subter stramenta, hoc est, illa cilicio, disciplina, ieiunioq; cooperis, ac tegis, deluditur proculdubio tunc solitudo satanæ quærentis; quoniam quod est coopertum, minime cernitur: pœnitentia autem ita cooperit, & tegit peccata, & vt amplius non appareant, & sic satanas, peccatis pœnitentia coopertis, ac tectis, numquam fit obuius. Ad hoc plane alludere videtur illud Psalm. 67. [Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: vt posteriora dorsi eius in pallore auri.] Qui plane locus, alijs pæne infinitis dimissis expositionibus, iuxta institutum nostrum sic sonat. Si vos, ò pennæ, id est, pœnitentes dormiatis inter medios cleros, id est, requieueritis inter duas sortes, nimirum in contemptu terrenorum, & spe cælestium, remissionem peccatorum per gratiam accipientes, certe dealbabimini, vt ex pennis corui, (quod sane antea eratis per peccata vestra) pennæ columbæ, tunc fiatis, & non cuiuscumque columbæ, sed columbæ deargentatę, nimirum Ecclesiæ, tam triumphantis, quam militantis, cuius dorsi posteriora nimirum cogitationes sunt in pallore auri, id est, splendent sicuti aurum. Cogitationes etenim pœnitentis, qui vsque in finem perseuerat in contemptu terrenorum, & spe cælestium, tamquam inter duos cleros, semper splendent in specie auri; sunt etenim ita nitidæ & puræ, vt merito hic argēto, & illic auro, & comparentur pennæ columbæ deargentatæ & eius aureum collum hic appellentur. Perinde est itaque, ac si summatim diceret, vidæ, ò peccator, quod si in dies pœnitentiam vsque in finem amplectaris ex nigro coruo alba, pulchra, argentata, & aureata fies proculdubio columba, ex impio namque iustus, ac sanctus veluti altera Magdalena, & Petrus eudes. Hinc Dauid exclamat; [Lauabis me, (adde per pœnitentiam,) & super niuem dealbabor.] Curam igitur habete, ò nigri corui, ò peccatores scelerati de pœnitentia, ad hoc, vt albæ, deargentatæ, & aureatæ columbæ fiatis, & ex tanta nigredine ad tantam pulchritudinem peruenire valeatis. Et sic eritis beati in spe, & in via ad patriam vestram iam appropinquantes, de quibus ait Dauid: [Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.] Itaque peccatores, si super vos non cecidit sors illorum beatorum in spe, de quibus dicit Regius Vates: [Beati immaculati in via,] curam habete, vt super vos cadat altera sors illorum beatorum etiam in spe, de quibus

Rachel furata idola patris sui.

Peccata sunt veluti idola & debent abscondi subter pænitentiam.

1. Petr. 5.

Peccatores sunt pennæ. Pœnitentes sunt albi, vt columbæ.

Cogitationes pœnitentium nitidæ, & puræ.

Peccator niger quomodo alba fiat columba.

Psalm. 50.

A ipsemet diuinus Citharœdus ait: [Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.] quod plane per veram, & finalem pœnitentiam facile impetrabitis.

P A R A P H R A S I S
Secunda.

Par. 2. Dilucidatio textus.

§. 1. Lectio sacræ paginę valde vtilis.

Qui legit. (dicit). Huius diuinæ reuelationis lectorem, beatum vtique prædicat Euangelicus Vates, lectio namque sacræ Scripturæ adeo vtilis est, vt doctores, qui propediem in illa diligenter versantur, beatos proculdubio faciat, iuxta illud Eccles. cap. 24. [Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.] Et non solum eos, qui legunt, & alios docent, verumetiam eos qui dumtaxat illam legunt & meditantur, beatos etiam annuntiat, iuxta illud Deuteronom. cap. 6. (Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Et ligabis ea, quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ.] Hinc Alphonsus Tostatus super cap. 7. Exodi, quæst. 20. sic scribit: [Scriptura sacra non fastidiosum lectorem exigit, sed solertem.]

Abulensis.

§. 2. Legens Apoc. erat beatus. Apoc. in primitiua Eccl. legebatur publice, & palã, & cur?

Lectorem tamen Apocalypsis huius beatum prædicat noster Vates, eo quod Apocalypsis magis difficilis est intellectu, quam sit alia quæuis sacræ Scripturæ pars, & necessario erat in primitiua Ecclesia coram populo publice legenda. Quoniam ex eo quod olim Deus legem suam antiquam Moysi in monte Sinai datam, iussit toti populo legi publice de septennio in septennium in anno remissionis, quando congregabantur omnes in loco sanctuarij in festo tabernaculorum, vt apparet per illa verba Deuteronom. cap. 31. [Præcepitque eis dicens, post septem annis remissionis in sollemnitate tabernaculorum conuenientibus cunctis filijs Israel, appareant, in conspectu Domini in loco, quem elegerit: leges verba legis huius coram omni Israel, audientibus eis, tam viris, quam mulieribus.] Ex hac, inquam, antiqua Synagogæ consuetudine mos quidam remansit in primitiua Ecclesia, vt quas Apostoli dabant epistolas, publice, ac palam; inter missarum sollemnia, præsbyteri legendas fore curarent, quemadmodum D Apostolus ad Coloss. cap. 4. faciendum admonet sub his verbis: [Et cum lecta fuerit apud vos epistola, facite, vt & in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.] Et 1. Thessalonicen. cap. 5. dum sic ait: [Adiuro vos per Dominum, vt legatur hæc omnibus sanctis.] Hunc etiam antiquum primitiuæ Ecclesiæ morem legendi epistolas Apostolorum inter missarum sollemnia recitant; Tertulianus in Apologia cap. 39. Nicephorus lib. 5. cap. 8. Damasus Papa epistola secunda ad Hieronymum, Sanctus Clemen lib. 2. Constit. Apostolicarum, cap. 57. Diuus Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Anastasius lib. quæstionum in scripturam quæst. 90. & alij plerique sancti Patres. Et ob hoc S. Iustinus Martyr in Apolog. 2. sic ait: [Die, qui solis dicitur, omnes, qui in oppidis vel agris morantur, E vnum in locum conueniunt, commētariaq; Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur.] Sanctus quoq; August. ser. 33. de verbis Domini hanc veterem primitiuæ Ecclesię consuetudinem recitat sub his verbis: [Lectiones sanctæ propositæ sunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid sermonis, adiuuante Domino, proferamus. In lectione Apostolica, gratiæ Deo aguntur de fide Gentium, in Euangelio ad cœnam vocati sumus.] Ita D. Aug. Cum itaq; consue-

Eccl. primitiuæ consuetudo erat lectionẽ epist. Apostolorum.

Legere epist. sua, coram omnibus in Eccl. præcepit Paulus.

Tertulian. Nicephor. Damas. S. Clem. D. Dion. Anastas. Iustin. martyr.

D. Aug.

tudo

tudo tunc esset primitiuæ Ecclesiæ, epistolas Apostolorum publice coram populo legere, necesse hinc erat, & Apocalypsim legere. Et sic illam legentem, hic beatum annuntiat Apostolus Ioannes eius auctor: & hoc plane ob causam iam à nobis supra assignatam, nimirum quia Apocalypsis ceteris quibusuis diuinis scripturis difficilior est intellectu, iuxta illud D.Hieronymi epist. ad Paulinum: [Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti litteras, vt legat, respondebit tibi: Non possum: signatus est enim.] Super quæ verba sic scribit Alphonsus Tostatus: [Et ponitur hic in speciali de libro Apocalypsis quia nulla scriptura ita difficilis est intellectu, nec aliquo modo intelligi posset, nisi ponerentur in textu quædam particulæ declaratiuæ, & quædam pars eius vsque hodie quibusdam ignota permanet.] Quamobrem ob eius obscuritatem, lectorem eius beatum dicit Archipropheta Dei, quoniam de Ioannis Apocalypsi, & de eius quotidiana lectione possumus plane dicere illud Iosue 1. [Non recedat volumen legis huius de ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias ea, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.] Lectio namque & cogitatio assidua huius diuinæ reuelationis, sicuti etiam lectio totius diuinæ scripturę & sacrorum librorum ad meliorem vitę nostrę informationem mirum in modū prodest, cum inde nos illam memoria retinentes, haud exigua sumamus documēta. Idcirco Anastasius Episcopus Nicænus lib. quæstionum in scripturam q.90. sic ait: [Quæ fiunt lectiones, diuinam significant voluntatem, in qua oportet nos erudire & ex ea vitam agere & conuersari.] Et Abulensis in commentarijs in librum Iosue cap. 1. quæst.29. inquirens, ad quid prodest cogitatio assidua legis & sanctarum scripturarum, sic scribit: [Et dicitur ista consideratio esse dupliciter ad custodiendum, & faciendum omnia, quæ in lege scripta sunt. Primo modo tollendo ignorantiam; nam si quis ignoraret, quid lege iubeatur, aut quid caueatur, nesciet, quid agendum, aut quid fugiendum sit, nec faciat. Cum vero meditationem assiduam in lege habuerit, non poterit ignorare quid lege iubeatur, vel caueatur. Alio modo proficiebat meditatio quasi continua ad faciendum ea, quæ in lege continentur. Nam quando aliquis plene nosceret, quid in lege vetaretur, aut iuberetur, si non illud consideraret actualiter, sed solum cognosceret secundum habitum, bene posset facere contrarium, quia habitus non repugnat actui, sed actus actum impedit, & ei repugnat. Et quando aliquis cognoscat bonum secundum habitum, potest iudicare malum actualiter; si tamen bonum cogitauerit, & iudicauerit, nequibit malum iudicare.] Ecce ad quid lectio Apocalypsis, & totius sacræ Scripturæ assidua meditatio nobis in dies necessaria plane sit.

Apoc. cunctis diuinis litteris difficilior intellectione.

Abulen. super Gen. in epist. D.Hieronymi com.c.5.

Anastas. lib. quæst. q.90.

Abulen. to. in Iosue cap. 1. q.29.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod lectio sac. Scrip. est magna vtilitatis.



TILITATEM haud exiguam, immo sane maximam, ex lectione sacræ Scripturæ exhauriunt homines. Audite quęso. Narratur Act.8. quod quidam Æthiops Eunuchus super omnes gazas Reginæ Cādacis præpositus, legens Isaiam Prophetā conuersus fuit ad Dominum ex Gentilitate ad Christianismum, & ad sanctum peruenit baptismum, his verbis: [Credo filium Dei esse Iesum Christum.] Peruenit siquidem Æthiops iste Ethnicus adorare in Ierusalem, & in regressu sedebat super currum & legebat Isaiam Prophetam in illo loco: [Tamquam ouis ad occisionem ductus est, &c.] Et accedente ad eum diuinitus Philippo, locumque illum exponente de Christo, protinus exclamauit Eunuchus: [Credo filium Dei esse Iesum Christum.] Et sic ex incredulo ita factus fuit fidelis, vt baptismo suscepto ab ipso Apostolo Philippo, gaudens perueniret ad domum suam. Porro Act. 13. sic dicitur: [Post lectionem legis Prophetarum miserunt Principes Synagogæ ad eos, (scilicet ad Paulum, & Barnabam) dicentes. Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens ait. Viri Israelitæ, &c.] Et Apostolo prædicante, pæne vniuersa ciuitas venit audire verbum Dei, & mox sequitur in textu: [Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.] En videtis post lectionem legis, & prophetarum hæc accidisse, vt inde clare intelligat populus Christianus, quam vtile & necessarium sit ad salutem animarum nostrarum sanctos legere libros. Sanctos inquam, libros legere, non cantilenas, non gesta Gaypheri, non fabulas Æsopi, non acta Herouum, ac procerum antiquorum Iulij Cæsaris, Caroli Magni, Alexandri Magni, & alia mundana carmina, quæ potius deliramenta sunt, quam veritates: nec minus Iustinum, Ouidium, Virgilium, & Homerum; quia horum librorum lectio magis animum distrahit quam ædificet. Legite igitur, legite sacram Scripturam, conciones Doctorum, vitas Patrum, quas scripsit Diuus Hieronymus, Acta Sanctorum, gesta Martyrum, meditationes Diui Augustini, contemptum mundi Ioannis Gersonis, partes orationis Diui Bernardi, institutiones humanæ vitæ Diui Vincentij, & alios tandem similes libros morales Dionysij Carthusiani, Ludouici Granatensis, & aliorum Catholicorum Doctorum; & sic lectione horum Sanctorum librorum beati eritis in via, cum spe firma & certa tendendi ad caram patriam, Paradisum nimirum cælestem. Quid, quod ex hac lectione sanctorum librorum sæpe consurgit, vt non solum sanctus, alium doceat sanctum; iustus alium instruat iustum; doctus alium erudiat doctum; verumetiam vt ignorans, & idiota siue rusticus alium ad virtutes sectandas, & amplectendas prouocet, ac moueat ignorantem, idiotam, ac rusticum: [Dies diei eructat verbum, (ait Psalmista) & nox nocti indicat scientiam.] Qui plane locus iuxta institutum nostrum, alijs plerisque dimissis expositionibus Doctorum, ac Sanctorum Patrum, sic exponi potest. [Dies,] id est, sanctus, iustus, & doctus, [diei,] id est, alij sancto, iusto, ac docto viro ex lectione sanctorum librorum, [eructat verbum,] mysteria edocet, [& nox] id est, ignorans, idiota & rusticus [nocti,] id est, alij ignoranti, idiotæ & rustico viro ex eadem lectione sanctorum librorum, [indicat scientiam,] id est, virtutes, quas debet sectare, & amplecti. Istud sane his nostris temporibus crebro accidit per orbem. Sancti igitur libri mane, meridie, sero, ante prandium, & post prandium, ante cænam, & post cænam, ante cubitum, & post surrectionem matutinam; & denique semper, & vbique sunt attente legendi. De Virgine Maria Domina, & patrona nostra dicunt Diuus Bernardus, Anselmus, Alexander de Ales, Albertus Magnus, & alij plerique Doctores, quod illa legente, circa mediam noctem locum illum Isaiæ: [Ecce virgo concipiet, & pariet filium:] completum plane fuit mysterium illud annuntiationis Angelicæ, quod narrat Lucas in cap. 1. per hæc verba: [Missus est Angelus Gabriel, &c.] Ad quod plane alludit D. Augustinus lib. 3. de mirabilibus sacræ Scripturæ scribens sic: [Mater Domini orans, verbo Angeli annuntians, sine vllo incredulitatis, aut inobedientiæ obice consensit.] Sic ille.

Post lectionē legis & Prophetarum sub secuta olim fuit magna animarum cōuersio.

Lectio librorū profanorum detestanda & fugienda.

Legere qd debent Xpiani. Libri spirituales sanctorum Patrum.

psalm. 18.

Libri sancti semper attētē & deuote legendi.

D. Bernard. Anselm. Alex. Alenſ. Alb. Mag.

Isa.9.

D. August.

VERE

Conceptus 2. Quod sacros debemus legere libros eo quod Spiritus sanctus eorum est mellifluus auctor.



VERE felix ille est, qui legit verba prophetiæ huius, aut aliquam aliam sacræ Scripturæ partem. In qua quæcumque scripta sunt (vt testatur Apostolus ad Roman. cap. 15.) ad nostram doctrinam scripta sunt, cuius auctor est Spiritus sanctus, cuius verba sunt dulcia vt mel, iuxta illud Dauid Psalm. 118. [Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel, & fauum ori meo.] De quibus etiam verbis, ait sponsa Cantic. cap. 4. [Fauus distillans labia tua.] Est namque Spiritus sanctus, qui est auctor sacræ Scripturæ, apes illa argumentosa, ad quam nos transmittit Salomon, dum Prouerb. cap. 6. ait: [Vade ad apem.] Spiritus etenim sanctus veluti argumentosa apes sacram mellificauit nobis Scripturam, quamobrem tota sacra Scriptura ob suam dulcedinem est veluti terra illa, de qua Deuteron. cap. 3. dicitur, quod lacte, & melle fluit. Hinc plane est, quod de sacra Scriptura merito intelligatur illud Ecclesiastici cap. 24. [Hereditas mea super mel, & fauum,] mel siquidem est vetus Testamentum, mel est nouum Testamentum, mel est lex Dei, mel sunt Prophetæ, mel sunt Euangelistæ, mel sunt Apostoli, mel sunt præcepta decalogi, mel est iugum Christi, & mel tandem est ipsemet Christus Redemptor noster, cuius os immediate & Apostolos, & Euangelistas edocuit, de quo Isaiæ cap. 7. dicitur: [Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.] Idcirco plane dici potest, quod Apostoli post resurrectionem, Christo fauum mellis merito asportarunt, iuxta illud Lucæ cap. 10. [At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.] Mel namque istud in ore Christi erat veluti illud alter fauus mellis, quem Sanson in ore Leonis olim reperit. Quoniam Christus in sua resurrectione leoni merito comparatur, & quidquid tunc discipulis prædicabat mellitum proculdubio, & nimis dulce erat. Quamobrem Diuus Paulus se solam sacram Scripturam, & solum Christum crucifixum scire confitebatur dum 1. Corinth. cap. 2. dicebat: [Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum Christum crucifixum.] Perinde ac diceret. Ex quo mel Spiritus sancti in lectione noui Testamenti degustaui; nolui aliam Academiam nisi Ierusalem, nolui aliam scholam nisi Caluarium montem, nolui aliam cathedram nisi crucem, nolui alium Doctorem legentem nisi crucifixum, nolui alios caracteres, nisi cicatrices, nolui alias virgulas, nisi vulnera, nolui alia puncta nisi clauos Christi, nolui denique alium librum legere nisi sacram Scripturam, in qua tota principalis mentio est de Passione Christi: hæc est lectio mea, hoc est studium meum: & hoc etiam ô Christiane, studium tuum, & assidua lectio & meditatio tua oportet sit.

Spiritus sanc. est apes argumentosa.

Sac. Scrip. est mel & fauum.

Mel quare deportarũt Apostoli corã Xpo resuscitato.

Scientia Apostoli Pauli.

Passio Christi mellisiua Apost. Paul.

Conceptus 3. Quod lectio sacrorũ librorũ reuerentiã postulat.



LECTIO sacræ Scripturæ, ac sanctorum librorum magnam plane prærequirit reuerentiam, orationem & humilitatem, vt sic lectores illam apprime intelligant, & percipere valeant. [Introduxit me Rex (ait sponsa Cantic. cap. 1.) in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum, recti diligunt te.] Super quæ verba sic scribit Diuus Gregorius: [Quid per huius sponsi, qui Rex est, cellaria intelligemus, nisi sanctæ Scripturæ arcana, quæ rimamur, nisi sanctæ contemplationis mysteria, quorum delicijs si reficimur, mox conualescimus?] Rupertus quoque Abbas super eumdem locum sic scribit: [Quæ sunt illa cellaria Regis Dei? sacra mysteria quæcumque, quæ continentur in Scripturis sacris. Nam ista cellaA ria pretiosiora sunt, & meliora cellis aromatum, argenti, auri, & odoramentorum.] En vides sponsi cubicula siue cellaria, arcana sacræ Scripturæ esse, quæ rimari non licet, nisi illi, qui mundana prurius perhorruit, & sponso Christo toto adhæsit affectu. Dimittere igitur oportet superbiam, malignitatem, & arrogantiam, vt sic humilitate ad lectionem sacræ Scripturæ properare valeamus. Et credite sane mihi, quod non est tam necessarium ingenium acutum ad sacram Scripturam intelligendam, quam necessaria sit mens peccatis purgata, & orationi & humilitati dedita. In vita siquidem Sancti Thomæ de Aquino sic scribitur: [Numquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacræ Scripturæ ad orationem ieiunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam diuinitus traditum accepisse.] Et aliquando lectioni adiungenda est meditatio, vt sic mens solidetur, consoletur, ac fœcundetur. Ideo quidam viri spirituales dicunt, quod fructuosa lectio debet esse veluti gallinæ potus: Gallina namque in bibendo hunc ordinem seruat, videlicet, quod ad singulas sorbitiunculas aquæ, mox oculos sublimes ad cælos eleuat. Ita plane nos legendo sacram Scripturam, ad cælos meditatione, & oratione oculos cordis dirigere & attollere aliquando debemus, vt supra retulimus. Quoniam sic legendo in dies non solum ex lectione sacræ Scripturæ, & sanctorum librorum, verumetiam ex lectione librorum humanorum, ac etiam ex fabulis poetarum, magnam ane vtilitatem & emolumentum forte exhaurietis. Nam ex vnaquaque fabula moraliter sumpta, moralitatem & allegoriam animabus vestris facile recipietis: fabula siquidem Gigantium te admonet, vtile minime esse cum Deo præliari. Potio Circes ex infectis fontibus sumpta, te admonet, voluptatem carnalem homines in bestias transformare, eosque in marinos monstruos commutare. Sitis perpetua Tantali, te docet, auarum animum, flammis diuitiarum semper accensum esse. Saxum Sysiphi te docet ambitionem illam laboriosam esse, cuius non est aliquis finis. Herculis labores te docent cælum gloriamque æternam studijs, laboribus, vigilijs, honestate, ac maxima industria consequendam esse. Fiducia tandem alarum Icari, te docet, rem vltra vires tuas minime subeundam esse. Vides qualiter meditatione, & oratione legendo, sugeres mel de petra, & oleum de saxo durissimo. Quinimmo sic propediem libros legendo, tam humanos, quam diuinos, ex eorum lectione talia ab inimicis animæ spolia forte reportares, vt in honorem tanti trophæi, more Romanorum triumphantium iuste cum Virgilio lib. 2. caneres.

D. Greg.

Rupert. Abb.

Humilitate intelligenda sac. Scrip.

Lectio meditationi cõiugenda.

Comparatio Gallinæ natura in bibendo.

Cic. de natur. Deorum. Virg. lib. 7. æneid. Hom. ho. 19. Cic. li. 3. de nat. Deorum. Strab. lib 5. Orat. lib. 1. Ouid. lib. 4. metam. Virg. 6. æneid. Ouid. 3. Trist.

Deut. 32.

Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens, aptat rotundas sanguine cristas
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistre
Subligat, atque ensem collo suspendit eburneum.

Virg.

Modo mihi sic plano licet inferre. Si vtique ex attenta lectione librorum humanorum talem exhaurit homo animæ suæ vtilitatem, quam, quæso, exhauriet, si sacros oratione & humilitate assidue legat libros? Vah nullus est, qui illam ita magnam, & copiosam, vti est, exprimere, ac enodare queat. Ex hoc sane oritur, quod concionibus plurimorum prædicatorum tot in Ecclesia Dei fiant progressus; & contrarium faciendo, prædicatores suis concionibus, nulli audientium spiritualiter, & in Christo prosint. Quoniam sicuti candela, quæ accensa non est, aliam accen-

Comparatio.

accendere nequaquam potest;sic prædicator,aut confessarius, qui charitatis, & orationis flamma non ardet,quomodo alios ad eam inflammabit? Ideo merito de confessarijs, ac etiam de concionatoribus verbi Dei affirmare possumus illud, quod sponsus de oculis suæ sponsæ in spiritu dicebat,scilicet: [Oculi eius sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lotæ,& resident iuxta fluenta plenissima.] Oculorum namque nomine prædicatores, & confessarios intelligunt plerique SS. Patres: idcirco isti quasi contemplantes dicuntur. Hi ergo, vt columbæ in simplicitate esse debent, quæ lotæ sunt, id est omnino mundæ, verum non lotæ aqua, sed lacte, quoniam lac si in vas infunditur, vt cum ipso lauetur, illud albedine sua affectum relinquit. Hoc est ergo, quod vult, vt lacte doctrinæ, quo alios purificare intendunt prædicatores,se ipsos etiam lauent,& mundent. Quamobrem Apostolus 1.Tim. 4.sic ait: [Attende tibi, & doctrinæ insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies,& eos,qui te audiunt:] vbi prius ait Apostolus, [tibi,] & postea [doctrinæ,] vt ex hoc, sciant prædicatores, qui veluti columbæ resident super riuos aquarum,& fluenta plenissima, quod ex aquis diuinæ Scripturæ per assiduam lectionem omnibus euangelizando potum præbere debent, quoniam ex riuulis, simplici populo, & ex fluentis Doctoribus satisfacere eos oportet, dicente Paulo: [Sapientibus, & insipientibus debitor sum.] Iuxta hos riuulos, ac fluenta residere debent verbi Dei seminatores,legem Domini oratione,& humilitate meditantes,tamquam lotæ columbæ. Nam vt quidam Doctor ait: [Solicitudo,& mentis mundanæ studium, ad summam prouehit sapientiam.]

Prædicatores sunt oculi sponsæ. Cant 5. Locus cantic. eorum explicatur optime. Confessarius oportet sit vt columba oculus. Confessores, & Prædicatores oportet sint mundi,vt columbæ oculi.

Verbi Dei præconum obligatio. Prædicator euangelicus sapientibus, & insipientibus debitor. Rom. 1. Ephrem.

PARAPHRASIS
Tertia.

Et audit, (ait) verba prophetiæ huius. Post doctorem legentem hanc reuelationem,mox populum eamdem audientem reuelationem beatum vtique prædicat noster vates. Doctor siquidem catholicus ea, quæ in sacra Scriptura in dies legit, populo Dei nequit abscondere,iuxta illud: [Sed conceptum sermonem quis tenere poterit?] Ideo audientes illam beati hic appellantur,quoniam tota fidelium salus stat in auditu legis Dei,& ob id D. Gregorius sic ait: [Tutius veritas auditur, quam prædicatur; quoniam cum auditur, cordis humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subripit cuiquam homini quantulacumque iactantia, in qua vtique pedes affectionis, vel intentionis aliquantulum inquinantur.] sic ille, & D.Iacobus cap. 1. [Sit autem omnis homo velox ad audiendum,tardus ad loquendum.] Quæ verba sic explicantur a D. Augustino: [Vidit Apostolus in audiendo facillime seruare humilitatem,quæ difficilis est in docendo; quoniam necesse est vt doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere,ne subrepat elatio. [Quamobrem tota fidelium salus non stat in prædicatione, sed in auditu legis; quoniam vno prædicante, multi audiunt,& sic in quibusdam codicibus Græcis, (vt supra dixi) textus iste ita legitur: [Beatus,qui legit, & qui audiunt verba, &c.] Lector siquidem est in singulari, auditores vero in plurali numero, eo quod communiter vno legem Dei prædicante multi fideles audiunt. Et idcirco tota fidelium salus ab auditu petitur; quoniam auditus necessarius est ad fidem iuxta illud Apostoli ad Roman. cap. 10. [Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.] Et mox addit: [Quomodo inuocabunt inquem non crediderunt? aut quomodo credent ei,quem non audierunt? Quomodo autem audient, sine prædicante?] Ecce igitur qualiter ex Apostolo impossibile est credere absque auditu. Huius rei ratio est, quoniam teste eodem Apostolo: [Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi:] Vnde cum iuxta eumdem Apostolum impossibile sit placere Deo sine fide,a primo ad vltimum tota fidelium salus stat in auditu. Ideo Apostolus Petrus incredulo Malcho pontificis discipulo in horto auriculam vtique abscidit,eo quod illam in proprium finem suum, qui est audire, nullatenus dirigere voluit, vt sic audiendo crederet. Et ad hoc ipsum plane tendit Apostolus,dum ad Rom. 10. ait: [Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.]

Par. 3. Eliminatio textus. §. 1. Iob. 4. Litteratorum conditio. Salus fidelium consistit in auditu. D. Greg. in Ezech.

S. Aug. Prædicatores ab elatione vix se eximere possunt.

Pulchre dictum.

Auditus requiritur ad fidem.

ad Heb. 11.

Petrus auriculam Malcho abscidit.

Sed dices. Quare fides est ex auditu, & non ex visu? Audias rogo. Aristoteles necessitatem sensuum describens, asserit inter omnes sensus corporales auditum, & visum esse magis necessarios prudentibus,nimirum scientiam volentibus addiscere, eo quod isti duo sensus plures rerum differentias nobis ostendunt, quam alij sensus;&ob id magis valent ad secernēdum verum a falso in contemplatione, & bonum a malo in operatione. Verumtamen visus propter suam simplicitatem, & subtilitatem citius, & velocius immutatur ab obiecto suo, quam auditus,vt dicit idem Philosophus 3. lib. meth. vt est manifestum de vidente, & audiente a remotis hominem cædentem ligna, quia citius videbit actum scindendi ligna, quam auditus percipiat sonum, & idem experientia ipsa edocet in fulgure, & tonitruo,& in instrumento bellico ignis, in cuius crepitatione, siue resolutione prius a longe aspicitur ignis, quam audiatur strepitus, siue crepitus. Et sic sensus auditus est imperfectior visu. Ex his itaque dico,fidem esse ex auditu, & non ex visu. Quoniam cum nostra cognitio incipiat ab imperfecto tendens ad perfectum, sequitur plane, quod volens Christi fidem percipere, prius se disponere debet humiliter ad audiendum, quam ad videndum ea, quæ sunt fidei. Quapropter dicitur in Psalmo 43. [Audi filia, & vide:] perinde ac diceret,prius audi, quæ sunt fidei,& postea illa videbis in patria iuxta illud: [Sicuti audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei nostri.] Ideo noster euangelicus Propheta beatum dicit illum, qui audit verba prophetiæ huius, ac si aperte dicat: Vsque modo exaudistis mundum, carnem, & dæmonem, o homines, & eorum consilia sequuti fuistis, eorumque præceptis obtemperastis; modo autem audite verba prophetiæ huius, quæ vos veritatem docebunt, & ex hominibus in Angelos transformabunt faciéntque vos ex terrenis cælestes, ex mortalibus immortales,& gloriæ æternæ participes.


§. 2. Fides quare sit ex auditu, non ex visu. Philosophus lib. de sensu, & sensili.

Philosoph. 3. lib. meth.

Nota bene.

Audire primo oportet credibilia, quā illa cernere. Psal. 47.

Conceptus Prædicabiles in textum.



AVDITVS diuinæ legis, Verbiq; Dei eximias,ac paene incredibiles nobis vtique adfert vtilitates. Primo siquidem dat criminis victoriam;eo quod illam ex infidelitate ad fidem adducit; vnde act. 4. dicitur: [Multi eorum, qui audierunt verbum Dei,crediderunt.] Secundo dat diuinam iustitiam: Quæ enim est vera iustitia, nisi ex Deo nasci per veram fidem,& Christi imitationem? [Qui ex Deo est, (dicitur Ioan. 8.) verba Dei audit.] Tertio dat roboris potentiam, quia nos fortes contra diabolum facit, ne confundamur ab eo: ideo eccles. 24. dicitur: [Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt:] & prou. 1. [Qui autē audierit me absque terrore requiescet,& abundantia perfruetur, malorum timore sublato.] Quarto, dat in opere constantiam, & patientiam in aduersis, necnon in bonis perseuerantiam. Ideo Lucæ 8. dicitur: [Hi sunt, qui corde bono, & optimo verbū audientes retinent, & fructum afferunt

in pa-

Conceptus 1. quod audire verbum Dei sit valde vtile fidelibus.

Auditio verbi Dei plena quatuor ad fert emolumenta.

in patientia.] Quinto, dat luminis scientiam, quia videlicet, mentem veritate illuminat: id propterea Iob 34. dicitur: [Audite sapientes verba mea, & audite, & ausculate.] & prou. 1. [Audiens sapiens sapientior erit.] Sexto, dat felicitatis gloriam. [Qui audit verbum, &c. (dicitur Ioan. 5.) habet vitam æternam.] Propter hæc igitur emolumenta, & alias fere infinitas vtilitates, quas nobis auditus diuinæ legis, & verbi Dei importat, ipsam legem, & verbum Dei attente cordis aure audire debemus. Et reuera quid nobis prodest tot concionibus doctissimorum, & sanctissimorum prædicatorum interesse, si mente non retinemus ea, quæ nobis ibidem dicuntur, prædicantur, & docentur quibus eruditi secundũ diuinã voluntaté, mores & vitam postea in melius componamus? Quapropter maxime laborat diabolus, vt nil prædicationis prorsus memoriæ retineamus. Quod plane Dñs nobis indicat, Marci 4. dicens: [Hi sunt, qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satan, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.] vbi ly [confestim] significat diligentiam, quam diabolus adhibet, ne tanti boni semen apud nos diu perseueret. Quemadmodum in nostris primis parentibus præstitit, quibus plane, (vbi primum Dei gratiam receperunt, statim veniens ad eos,) nec vna die illud diuinum semen conseruare permisit felicitatem eorum in obedientia pati minime valens; fecit vtique diabolus veluti in castris Principum fieri solet, vbi summum studium ex vtraque parte adhibetur, vt commeatus, qui ad inimici castra aduehitur, eripiatur, vt sic tamen patientes facile vincantur: ita diabolus cum verum animæ nostræ nutrimentum diuinum verbum esse cognoscat, omnes adhibet vires, vt eo nos priuet, ac in famelicam rabiem nos inducat, vt sic facilius suæ nos submittat ditioni. Vnde colligere debetis, quod ad maiorem pœnam ipsemet inimicus procurat, vt verbum Dei crebro audiatis, quod opere adimplere minime debetis, immo obliuioni cito mandare curabitis. sic cum vellet Euam decipere in mentem reuocauit dominicum præceptum dicens: [Cur præcepit vobis Dominus, &c.] Quæ plane fecit, ne postea ignorantiam obliuione prætenderet. Quare id nobis maxime curandum est, vt quod foris audimus; interius mente retineamus iuxta illud, Psalm. 118. [In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.] Quod enim valde amamus, in corde locamus, vt ibi repositum, haud facile obliuioni tradatur: quod de diuinis eloquijs præstare etiam tenemur. Hinc Paulus de quibusdam fidelibus 2. Cor. 3. dicebat: [Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis.] & hoc plane non sane ob aliud, nisi quia quæ de Domino audierant, alta mente retinebant. Optimi etenim Christicolæ, qui gregi Dominico copulantur, verba Dei non solum auribus corporeis, sed & mentis affectu, & operis executione audire debent, eo quod ceteri scelerati, qui verbum Dei (externis tantum auribus audiendo) nec menti infigunt, nec minus illud ad opus accommodant: profecto nec verbi Dei auditores, nec minus fructum aliquem referentes appellari queunt. Sunt etenim ij veluti semen, quod secus viam cadit, quod plane nullum adfert vmquam fructum, eo quod aut conculcatur, aut volucres cæli, vt dicitur Lucæ 8. illud comedunt. Immo hi sunt, de quibus ait Apostolus 1. ad Tim. 4. [Cauterizatas habentes conscientiam, hoc est, vt dicunt Hispani: [Gente que tiene cauterizada la consciencia con munchos botones de fuego, y por auer sufrido tantos cauterios, tiene, ya hechos callos en peccar y no sienten las reprehenciones del predicador.] Idcirco obdurantur veluti alter Pharao. Narratur siquidem Exod. 8. quod Moyses iussu Dei coram Pharaone, vt dimitteret populum Israeliticum ad sacrificandum Deo in deserto, virgam conuertit diuinitus in colubrum, ex quo in admirationem aliquantulum raptus fuit Pharao. Ceterum mox Magi, & malefici per incantationes Aegyptiacas fecerunt diabolice similiter. Et tunc induratum est cor Pharaonis. Rursus Moyses eduxit ranas miraculose super totam terram Aegypti, ex quo timuit aliquantulum Pharao: enimuero malefici statim per incantationes suas eduxerunt etiam ranas super terram Ægypti; & tunc induratum est cor Pharaonis. Haud secus plane accidit in dies per orbem. Prædicator populo annuntiat, vt dimittat vsuras, rapinas, &c. ex quo aliquis vsurarius, & raptor cœpit contineri, & ad pœnitentiam se præparare. Ceterũ falsi amici; adulatores, & hypocrytæ mox huic contrarium prædicant, affirmantes illi, talem actionem nullatenus esse vsurariam, & illicitam. Et tunc induratur peccator ille, & diabolus tollit illud verbum, & propositum sanctum de eius corde. Præterea concionator ait, concubinam esse dimittendam, ex quo concubinarius incipit colere. At statim adulator, & maleficus contrarium illi proponit dicens: Quomodo tunc hanc mulierem ita pulchram, quæ ita te amat, quam qui maxime, dimittere, & obliuisci poteris? Ex quo induratur concubinarius ille. Et sic satan tollit verbum de corde suo. Postremo præco Euangelicus euãgelizat, cauẽdas esse murmurationes, eo quod sint veluti ranæ: ex quo aliquis illas incipit euitare. At maligni amici, huic contrarium proponunt, nouas excitantes murmurationes aduersus priores murmuratores, quæ sunt veluti aliæ ranæ magorum Ægyptiorũ, & sic hi murmuratores cõtra alios murmuratores murmurationibus pugnant, veluti ranæ Moysis contrario cantu cum ranis magorum Ægyptiorum; ex quo induratur peccator, & diabolus tollit verbum de eius corde, ne credens peccator saluus fiat. Hinc de simili peccatore intelligitur illud Ecclesiast. cap. 3. [Cor durum male habebit in nouissimo.] Quamobrẽ tales magos, maleficos, hypocritas, falsosq; amicos cauere omnino debet vir iustus, ac timens Deum; quoniam vas electionis falsorum amicorum pericula 2. Cor. 11. manifeste ostendit dicens: [Periculis in falsis fratribus.] Hæc fortassis sunt illa infernalia pericula, de quibus ait Regius vates: [Pericula inferni inuenerunt me.]

Prædicationes non prosunt nobis ni si ea quæ prædicantur mente retineamus.

Verbi Dei diligens latro est satanas.

Comparatio.

Castrametandi notabilis stylus.

Comparatio.

Auditio verbi Dei mẽte, & corde.

Comparatio.

cor induratũ peccatoris.

Nota bene.

Indurati corde assimilãtur Pharaoni Aegypti plagis; itẽ cõparantur incurationi cordis peccatorum.

Prædicatores euangelij assimilãtur Moysi.

Comparatio.

Adulatores cõparãtur magis, & maleficis Aegyptiorum.

Prædicãtium verba sunt veluti propositiones Moysis ad Pharaonẽ.

Adulationes sunt veluti incantationes Aegyptiorũ.

Murmuratores assimulantur Aegyptijs.

Adulatores euitandi.

Falsus frater quis sit.

Adulatores sunt inferni pericula.



AVDIENS verba prophetiæ huius id est, audiens verbum Dei, attentionem prædicatori præstare sane debet, vt audiendo beatus fiat. Auditus siquidem, vt suum optime & perfecte recipiat obiectum, attentionẽ, & silentium vtique requirit. Quod plane secus se habet in alijs sensibus, qui cum rumore ac strepitu suum percipiunt obiectum. Idcirco D. Paulus cupiens ad plebem exhortationis sermonem habere, primo manu silentium indicauit, & postea, alta voce, (vt dicitur Act. 13.) dixit: [Viri Israelitæ, &c.] & Lucæ 10. dicitur: [Maria etiam, sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.] vbi ly [sedens,] indicat, quod silenter & tacite audiebat Magdalena, vt sic corde perciperet verba dicentis Magistri, & melius contemplationi vacaret. Quapropter de ea D. August. serm. 27. de verbis Domini ait: Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat.] Et Dauid ostendens mundi amatores cum sua gloria inani, & vacua cito perituros, Psalm. 48. ait: [Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbẽ.] Audite (ait,) & percipite auribus, quoniam non sufficit audire verba Dei, nisi adsit percipere, idest, perfecte capere, & intelligere. Ille autem audit, qui verbum solum capit; cum auditio ex Aristoteles sit quædam in audiente facta passio. Ille vero auribus percipit, qui quod dicitur perfecte, & attento corde intelligit. Ideo Regius Citharœdus exclamauit, dicens: [Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam,] perinde, ac diceret, me te attente audiente, auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, hoc est, lætabor ego

Conceptus 2. quod ad recte audiendũ verbũ Dei requiritur attẽtio.

Auditus in quo differat ab alijs sensibus.

Attentionis necessitas magna audiẽdi aliquid.

Attentio Magdalenæ ante pedes Domini sedentis.

D. Aug.

Amatores mũdi ruinæ, & interitui proximi.

Verba Dei quomodo audienda.

Philosophus de sensu & sensato.

Attẽtio quid sit.

Psalm. 50.

super

Gaudiū, & lętitiā quando consurgū ex auditu.
Auditus in sacra Scriptura significat obedientiam.
Audire accipitur pro obedire.
Prædicationes sunt audiendæ cum attētione maxima.
Paulum multi Hebræi desiderabant audire prædicantē de resurrectione.
Spes conuersionis peccatorū audientiū cōciones.
Conc. Triden. sess. 22.

super eloquia tua, (vt alibi etiam dixit) sicut qui inuenit spolia multa. Dictis etiam fauet, quod auditus nomine in sacro eloquio crebro obedientia designatur; quoniam de obedientia accipitur illud. 4. Reg. 17. [Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo:] vbi plane ponitur audire pro obedire. Ex eo enim quod quis attente verbum Dei in prædicationibus audiat, frequenter sequitur illud Iob, cap. 42. [Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te: Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.] Hinc vtique est quod plerique dicebant, Paulo prædicante de resurrectione act. 17. [Audiemus te de hoc iterum.] Et prædicante Petro act. 10. dicitur: [Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum illius:] eo quod attente, & deuote illum plane audiebant. Cum etenim attente auditur prædicator, mox plane sequitur illud, quod de Deo ait Dauid Psalm. 147. [Qui emittit eloquiū suum terræ, velociter currit sermo eius, &c.] vsque ad [emittet verbum suum, & liquefaciet ea, (nempe, corda hominum frigida.) Flabit spiritus eius, & fluent aquæ.] adde, lachrymarum. Quia de prædicatoribus dicitur: [Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.] Attente igitur audite conciones, quæ in dies in Ecclesia Dei fiunt. Ideo sancte in Concilio Tridentino sess. 22. definitum fuit, vt strepitus & rumor ab Ecclesia arceatur. Quod sane tempore prædicationis præcipue obseruandum venit, vt sic audientes fructum capiant, & beati fieri valeant. Quoniam, teste Ioanne nostro hic beati vocantur, qui attente audiunt verbum Dei.

Strepitus ab ecclesiis tempore prædicationis arcendus.

PARAPHRASIS
Quarta.

Par. 4. dilucidallo textus.
§. 1.
Propheticus sermo est obscurus.
Prophetarum obscuritatis causa sex.

Verba, (ait) prophetiæ huius. En procul dubio tota ratio difficultatis, obscuritatisque Apocalypsis Ioannis nimirum quia prophetia est. Sermo namque propheticus, & obscurus, & impeditus plane est; tum ob figuratas locutiones, quibus frequenter Dei vates vtuntur. Tum propter facile transitum vnius personæ ad aliam, vniusq; rei in alteram, quem crebro facere solent prophetiæ? Tum ob breuis sermonis ambitum, quo populi vitia, & prauos mores reprehendunt Prophetæ, veluti tamquam notissima his, ad quos verba faciunt, non tamen nobis, quibus immediate minime loquuntur. Ex quo plane fit, vt illorū verborū intelligētiam adipisci desideremus. Tum quia interdū Prophetæ admiscent barbara nomina illarum prouinciarum, vbi res aguntur, vt docet D. Hieronymus in comment. super Abdiam: Tum propter phrases, & vulgares quosdam dicendi modos, mores, prouerbia, & his similia, à nobis remota, & apud Hebræos, communia, vt sunt hæc: [Manda, remanda, manda, remanda, expecta, & reexpecta, expecta, & reexpecta, modicū ibi, modicū ibi:] & iterū: [Patres nostri comederunt vuam acerbā, & dentes filiorum obstupescūt,] & alia huius generis infinita. Tum denique quia Deus est latens absconditusque in sacris Prophetarum Scripturis, vt significare vtique voluit ipsemet Deus, cum veniens ad Moysem legem daturus, montem Horebum nube cooperuit densa, & Moysi faciem velo obtexuit, Salomonicumque templum obscura impleuit nebula, ac arcam fœderis, velo iussit cooperiri. Ex quo factum quippe est, vt nullum tam acutum ingenium, nullaque mentis acies ita perspicax reperiatur, quæ per se Deum in diuina Prophetarum scriptura latentē vel percipere, vel sublimia eius arcana penetrare valeat. Ex his itaque, & alijs quamplurimis de causis ortum, originemque habet Prophetarum in suis prophetijs obscuritas, & difficultas. Est enim sermo Dei in scripturis prophetarum sicuti tenebrosa aqua in nubibus aeris. Quoniam sicuti aqua in nu-

D. Hier.
Hebræor. stylus loquendi.
Exod. 19.
Exod. 34.
2. Cor. 3.
3. Reg. 8.
Exod. 40.
Ad Hebræ. 1.
Sermo Prophetic⁹ & obscurus, & difficilis.

F bibus est difficile recondita, sic doctrina Dei in prophetijs prophetarum. Et hinc plane innata remanet difficultas, & obscuritas in prophetico sermone. Quapropter D. Hieronymus explanationem Ezechielis aggrediens, sic scribit: [Aggrediar Ezechielem Prophetam, cuius difficultatem Hebræorum probat traditio. Nam nisi quis apud eos ætatem sacerdotalis ministerij, idest, trigesimum annum impleuerit, nec principiū Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec huius voluminis exordium, finem legere permittitur, vt ad perfectam scientiam, & mysticos intellectus plenum humanæ naturæ tempus accedat.] Idem prorsus repetit in proemio hom. 4. super Cant. & cap. 44. super Ezechiel. Et illic paulo post sic ait: [Hoc mihi dictum sit, vt lector prudens intelligat, quam habeat sententiam in explanatione templi Dei in Ezechiele; de quo scriptum est, Nubes, & caligo sub pedibus G eius, & rursus, Tenebræ latibulum eius, vnde & Moyses nubem ingressus est, & caliginem, vt posset Domini mysteria contemplari, quæ populus longe positus, & deorsum manens, videre non poterat.] Hactenus D. Hieronymus.

D. Hier.

§. 2.
Apocalipsis est obscura, & difficilis.
Apocalypsis Oceano comparatur.
Apocalypsis haud exiguas passim habet sententias.
Labor Doctorum explanātium accurate Apoc Ioan.
Labor Auctoris in explanatione Apocalypsis.

Cum igitur omnes prophetiæ obscuræ, & difficiles ita sint, vt vix, aut ne vix quidem, à nobis comprehendi, penetrarique queant, & insuper sermo propheticus communiter obscurus, & impeditus sit ob generalem innatam in Prophetis omnibus difficultatem: & obscuritatem. Hinc plane factum est, vt Apocalypsis Ioannis, quæ prophetia quædam est, vt hic dicitur, ita omnium prophetiarum obscurissima, & difficillima sit, vt merito eam Oceanum scripturarum, mysteriorum Dei labyrinthum, (vt in exordio huius primi capitis diximus) mareque magnum spatiosumq; H plenum procellis, & tempestatibus ob suā nimiam obscuritatem merito nuncupemus. Nullum etenim verbum in hac prophetia Apocalypsis Ioannis reperitur, quod suam singularem, & obstrusam sententiam non obtineat. Et quid dico sententiam? quin imo varias sententias, & quod admirabilius plane est in illo explanando doctoris ætas, & sapiētia (nisi Deus adsit) facile profecto deuoratur, ac consumitur. Mihi tamen explanantium omnium aperte minimo crebro hanc singulorum verborum Apocalypseos obscuritatem passim in hoc opere indaganti, sane occurrit, vt Deo decantem illud Prudentij.

Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua:
Tu lux Eoi sideris,
Vultu sereno illumina.

Auctoris consolatio maxima inter explanandum Apocalypsim.

I Gratia namque Dei passim per hoc opus mihi vtique opus est, oportet siquidem in singulis horis, tam diurnis, quam nocturnis, inter enodandum hanc prophetiam cum Regio vate dicam: [Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? volabo, & requiescā.] Verumtamen hoc vnum plane inter tot huius operis angustias, & obscuritates, maximum remedium, solatiumq; haud exiguum mihi est, nimirū quod Spiritus sanctus, qui hanc Apocalypsim, omnesque alias prophetias vel argumentosa apis attruit, numquam eam, aut quamlibet aliam, aut scribi, aut interpretari, aut typis mandari vellet, nisi intelligi aliquando vellet: [Nihil enim occultum, quod non reueletur, (dicitur Matth. 10.) & nil absconditum, quod non sciatur.]

§. 3.
Apocalypsis quo obscurior eo excellentior.
Apocalypsis nobilitas, & excellentia comprobatur.

K Ceterum hæc obscuritas nimiam huius prophetiæ excellentiam eructat. Nam iuxta Philosophum, quo res difficiliores sunt, & digniores, eo magis ad earū intelligentiam peruenire volunt. Maximus namque, vt ait ipse, pauca scire de diuinis etiam obscure, quam plura de mathematicis per certitudinem. Excellentia tamen huius prophetiæ constat; Tum quia omnis prophetia de vno dumtaxat tempore loquitur. Nam licet triplex inueniatur prophetia, vna nimirum, de præterito, vt est illa Gen. 1. [In principio creauit

Deus

Prophetiæ tripartitum genus.

Deus cælum,& terram:] Altera vero de futuro, vt est illa Isaiæ 9. [Ecce virgo concipiet & pariet filium :] Et alia etiam de præsenti occulto, vt est illa Ioan. 1. [Ecce Agnus Dei :] tamen quælibet prophetia in se est vnitaria, hoc est, loquitur de vno tempore, nimirum vel de præsenti, vel de præterito, vel de futuro. At vero Apocalypsis est prophetia tripertita; loquitur namque de tribus temporibus simul. Omnes siquidem tres temporum differentias præteriti videlicet præsentis,& futuri ambijt. Declarat etenim occulta præteriti temporis, explicat etiam simul abscondita præsentis temporis,& tandem obstrusa, & latentia futuri temporis, nimirum extremi iudicij apprime patefacit: Tum porro huius prophetię nobilitas apparet ex modo reuelationis propheticæ; quoniam, vt dicunt Strabus in sua glos. ordinaria in Prolog. super Psalmos, Auctor Incognitus ibidem, Petrus Ant. Beuter lib. de decem annotationibus ad sacram Scripturam annot. 3. fol. 38. Figuerola p. p. contra Iudæos & alij plerique Doctores, gradus prophetiæ fiunt vel per operationes hominum, vt fuit Area Noe, sacrificiũ Abrahæ,& transitus maris rubri; vel per natiuitates, vt Iacob,& Esau, qui futura significabant, vel per loquentes Angelos, sicuti, locuti sunt Abrahæ Loth, & alijs, vel per visiones, sicut Isaiæ, Ezechieli, & ceteris, vel per somnia sicut Salomoni, Iosepho,& Danieli; vel per nubem,& vocem de cælo, vt Moysi, vel adhuc per alios modos. Secundum quos diuersos gradus prophetiæ, diuersi etiam apud Hebræos, Prophetæ reperiuntur. Archipropheta vero noster Ioannes nullo istorum modorum prophetauit, sed per vocem interiorem auditam cum apparitione spirituali specierum mysticarum, circa quas facta fuit interrogatio, & responsio. Qui quidem prophetandi modus, & nobilior ceteris est,& soli Archiprophetæ Ioanni debitus, ac iuste reseruatus in hac sua Apocalypsi. Nam licet Samuel 1. Reg. 3. vocem audierit, eum alloquentem, nullam tamen effigiem vidit: at vero noster Vates Ioannes in hac sua Apocalypsi, & voces spirituales audiuit,& species mysticas spiritualiter vidit, vt candelabra, enses, dracones. &c. circa quas vtique interrogatio,& responsio quippe erat. Et tandẽ licet Moyses vocem Domini cum interrogatione, & respõsione audire soleret, itaut interrogationibus, & responsionibus negotiorũ qualitatẽ apertius perciperet,& nõ oporteret eũ a figuris,& circunstantijs visionũ mẽdicare rerũ significationẽ nec minus oporteret eũ laborare per discursũ intellectus sui, vel ad declarationẽ docentis circa rei visę significationem; tamẽ noster Archipropheta Ioannes in hac sua Apocalypsi mirum in modum Moysem excellit, eo quod per vocem interiorem, & per raptum, ac etiam per species mysticas, cum interrogatione & responsione hanc habuerit a Deo reuelationem, & hunc Prophetiæ gradum, aperte intelligens negotiorum qualitatem, quin ab ipsis spiritualibus figuris & speciebus rerum significationem mendicaret. Nec minus oportebat eum laborare per discursum intellectus sui, vel ad declarationem docentis Angeli, circa rei visæ significationem. Qui plane modus accipiendi diuinam reuelationẽ, ceteris procuIdubio mirum in modum præstat. Præterea dignitas & excellentia huius Prophetiæ aperte colligitur ex eo dumtaxat, quia, nimirum, ipsa vnica & sola noui Testamenti Prophetia est: in quo quidquid reperitur maioris dignitatis, & excellentiæ est in sua specie, illo, quod in veteri reperitur Testamento, quandoquidem ea, quæ ad vetus spectant Testamentũ, omnia sunt dispositiones & figuræ noui Testamenti. Quapropter quo excellentior est finis medijs, quæ sunt ad ipsum, eo perfectius & excellentius est nouum Testamentum veteri. Nouum etenim testamentum complementum & finis est veteris Testamenti. Hinc plane est, quod quamuis Dauid appellemus Prophetarum eximium, ob suam regalem dignitatem,& etiam propter illud, quod ei Dominus promisit dicens: [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.] Moysem quoque Prophetis præstantiorem vocemus, propter

[Marginal notes: 2. Ratio. — Aut. Incogn. Ant. Beuter. Figuerola. — Prophetię gradus diuersi. 1. gradus. 2. gradus. 3. gradus. 4. gradus. 5. gradus. 6. gradus. — Apoc. quem prophetię gradum obtinuit — Prophetandi modus Moysi — Ioannes in prophetādo Moysem excelluit. — 3. Ratio. — Apoc. noui Testamenti prophetia. — Prophetarum prærogatiuæ quædam. — Psalm. 131.]

familiaritatem, quam cum Deo habuit, à quo legem accepit. Eliam denique Prophetarum maximum ob austeritatem vitæ appellemus: tamen nihil horum plane obstat, quin Ioannes noster inter omnes Prophetas nobilissimus nuncupetur. Ita namque nobilitate & excellentia, hæc sua Prophetia Apocalypsis pollet, vt facile ceteros, quotquot sunt, veteris Testamenti prophetas, longe antecellat. Est etenim Ioannes noster cum Euangelistis Euangelista, cum Apostolis Apostolus,& cum Prophetis Propheta. Scripsit siquidem Euangelium, Epistolas, & hanc Prophetiam Apocalypsim. Quamobrem in Euangelio, fuit Euangelista, in Epistolis, fuit Apostolus; & in Prophetia hac Apocalypsi fuit Propheta. In Euangelio nos in fide instruit, in Epistolis nobis charitatem commendat, & in Apocalypsi tandem nobis spem rerum æternarũ apprime elargitur. Et ob id merito illum inter Prophetas omnes Archiprophetam appellamus, tamquam ceteris Prophetis omnibus nobiliorem, digniorem, ac valde excellentiorem. Tum denique nobilitas & nimia huius Prophetiæ Apocalypseos excellentia, ex eo apparet, quod quidquid ceteri Prophetæ per larga volumina & prophetauerunt, & scripserunt, id omne plane noster Archipropheta Ioannes admirabili sane stylo in hac sua Prophetia Apocalypsi epilogauit. En vides qualiter in hac prophetia Apocalypsi, obscuritas, & nimia excellentia simul stent.

[Marginal notes: Exod. 33. 4. Reg. 1. — Ioannis prærogatiua & eminentia. — 4. Ratio. Apoc. ceteras amplectitur prophetias. — Apoc. simul obscura & excellens.]

DISPVT. IX.

In Cap. primum Apocalypseos. De Prophetijs, & de scripturis prophetalibus noui Testamenti.

In octo Quæstiones partita, super illa verba: *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius.*

Prologus Disputationis.

DIVVS Augustinus lib. 17. de Ciuitate Dei cap. 1. & 3. vnde incipiat,& finiatur Prophetarum tempus apud Hebræos, acuto dispungit. Et Alphonsus Tostatus in deffensorio trium conclusionum p. 2. cap. 55. aperte fatetur inter Iudęos ante aduentum Christi cessasse Prophetas, aliosque modos consulendi Dominum, tum propter peccata Iudæorum; tum vero quia appropinquabat tempus perfectionis, in quo Christus venturus erat; ideo de prophetijs, & scripturis prophetalibus veteris Testamenti, hic nullatenus curamus, sed de prophetijs & scripturis prophetalibus noui Testamenti sequentes indagamus quæstiones, quas valde per vtiles, & mirum in modum Theologis, tum scholasticis, tum expositiuis, necessarias fore, vtique existimamus.

[Marginal notes: S. Aug. — Tostatus. — Prophetiarũ veteris Testamenti finis. — Prophetiarũ noui Testam. exordium.]



QVÆ-

Quæstio. I.

Vtrum in primitiua Ecclesia, & in nouo Testamento fuerint aliqui Prophetæ?



1. concl. PRIMA Conclusio. In primitiua Ecclesia fuerunt pleriq; Prophetę. Hæc est de fide & probatur. Tum quia Act. 11. sic legitur: [Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ, discipuli Christiani. In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolimis Prophetæ Antiochiam, & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe, quæ facta est sub Claudio.] & Act. 13. sic scribitur: [Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores.] & Act. 21. [Et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.] & paulo post: [Superuenit quidam vir à Iudæa Propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & ligans sibi pedes & manus dixit; Hæc dicit Spiritus sanctus, Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.] Tum denique quia Apostolus explicans multos fuisse Prophetas in primitiua Ecclesia sic 1. Cor. 14. scribit: [Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia, magis autem vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo: nemo enim audit: spiritus autem loquitur mysteria. nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat, &c.] Quibus plane verbis aperte fatetur Apostolus, quod multi erant prophetæ in primitiua Ecclesia, & quod etiam tunc commune erat inter fideles prophetare. Legito de hoc S. Thom. 2. 2. q. 171. art. 1. ad 3.

Margin: 1. Ratio. — Agabus noui Testam. propheta. — Zona Pauli alligauit se Agabus. — 2. Ratio.

2. concl. Secunda conclusio. Plures fuerunt Prophetæ in Testamento nouo, & in Ecclesia primitiua, quam in veteri Testamento. Hæc est Abulensis tom. 2. super Matth. cap. 23. q. 144. & probatur. Tum quia in veteri Testamento prophetæ erant rari, sicuti dicitur 1. Reg. 3. quod erat sermo Domini pretiosus, id est, rarus, quando reuelauit se Samueli. Tum quia temporibus Dauid dicitur in Psalm. 73. [Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.] Tum quia in veteri Testamento, prophetę non fuerunt simul, quinimmo vno tempore surrexit Moyses, alio Dauid, alio Ezechiel, & sic de cæteris: at vero in Ecclesia primitiua erant multi simul, nam in qualibet Ecclesia prophetę erant, vt dicitur de prophetis Ecclesiæ Ierusalem, Act. 13. & ipsi erant simul in eadem Ecclesia, vt interdum se adinuicem impedirent. Quamobrem Apostolus eis imposuit regulam, vt apparet 1. Cor. 14. quomodo loqui deberent. Igitur plures fuerunt prophetę in nouo Testamento quam in veteri. Tum denique quia gratia abundantior & locupletior est in nouo Testamento, quã in veteri. At prophetię donum est gratia gratis data. Ergo tale donum abundantius est in nouo Testamento.

Margin: Prophetæ noui Testam. plures fuerunt q̃ prophetæ veteris Testam. — 1. Ratio. — 2. Ratio. — 3. Ratio. — 4. Ratio.

Sed aduertas hic oportet, hos prophetas Ecclesiam primitiuam habuisse, propter eius teneritatem, & nouitatem fidelium, seu cessauerunt postquam Ecclesia

Margin: Corollarium. Prophetas cur obtinuit primitiua Ecclesia.

F fuit iam radicata. Verumtamen potest in dies Iesus Christus Dominus noster alios quamplurimos Prophetas, etiam idiotas & simplices homines, ad optimam suæ Ecclesiæ gubernationem, Spiritu sancto vngere. Quinimmo cum Prophetia nihil aliud sit, quam annuntiatio de distantibus secundum intellectum, vel vt vult Cassiodorus, inspiratio diuina rerum euentus immobili veritate denuntians, possumus asserere, quod Iesus Christus post radicationem Ecclesiæ prophetiam suscitat prophetas. Quoniam hodierna die reperiuntur per orbem apud Christianos quam plurimæ prophetiæ vulgares, quæ circumferuntur nomine Isidori, S. Brigidæ, S. Catharinæ Senensis, Abbatis Ioachimi, Reynardi Lolhardi heremitæ, S. Vincentij Ferrer Ordinis Prædicatorum, Petri eremitæ, vulgo apud Valentinos [El Scudero] appellati, Ioannis Lichtemburgensis, qui composuit librum, qui anno Domini 1505.

Margin: Cassiodorus. — Prophetiæ vulgatæ, siue prognostica. Isidori. S. Brigidæ. S. Cathar. Sen. Ioachimi. Petri erem. Io. Lichtẽbur.

G fuit typis mandatus; in quo multa prædicit ventura de Maximiano Imperatore. Inter quæ prædicit terram Brandemburgensem Iudaizaturam ab anno Domini 1502. quod sane accidit per hæresim Lutheri: prædicit insuper, quod exercitus Imperialis erat Romam expugnaturus, ac multa mala in eam patraturus, torquendo & occidendo potentes, quæ omnia per hæc verba scribit in cap. 35. [Præterea circa annum Domini 1504. vel vltra, maior & sublimior Princeps Rex totius Occidentis mirabiliter fugabitur & deducetur in prælio, ac fere totus nobilis eius exercitus mirabiliter occidetur, & potissimum erit turpissima strages & lamentabilis prostratio, & occisio multorum magnorum dominorum, ac potentium. Ita quod non remanebit propter hoc negotium; quinimmo antequã in Gallis sit pax talis, vel peior priore euentus turpissime & mirabiliter per plures vices eueniet. Quarum

Margin: Prophetia, siue prognostic. Ioã Lichtẽb. — Frãcisc. Regis Frã. in captiuitas prędicitur.

H in vna idem Princeps nobilissimus captiuabitur à suis inimicis euentu lamentabili, & affligetur dolore propter suos. Aquila volabit per mundum, & subijciet sibi multas nationes, quod circa annum Domini 1517. vel vltra tribus coronis in signum victoriæ & virtutis coronabitur, &c.] Accedit, quod Petrus Antonius Beuter Valentinus Protonotarius Apostolicus, in libro annotationum ad sacram Scripturam sic scribit, in fine annotat. 5. [Vidi ego Valentiæ quemdam rusticum dictum Petrum sanctum, qui venit ad Ecclesiam matricẽ Valentiæ die Ramorum, & obtulit in offertorio sacerdoti duas candelas, alteram albam, & alteram rubeam, versus autem post hoc Gubernatori Ciuitatis & Regni, qui aderat officio missæ, dixit: gladium nudum, dicens alta voce à multis clare audita: Fac Iudex iustitiam, obmurmurauit aliud nescio quid: deinde versus ad eum, qui apud nos iustitia criminum

Margin: Caroli V. Imperatoris prædicitur coronatio. — P. Ant. Beuter Valentinus. — Prophetia siue prognostica, quam Valentiæ edidit vulgò Chilẽ.

I dicitur, dedit ei tunicam suam, dicens alta voce: Accipe & tu, Pallium meum. Pronuntiauitq; grande scandalum super Ciuitatem, ac Regnum venturum, & his actis abijt, & numquam post hoc comparuit. Euenit autem punctualiter ita, ac ille dixerat sex annis ante prænuntians: quorum omnium ego testis præsens. Quis autem nesciat effusum sanguinem vsque ad pectus, dum in miserandis cladibus coniurationis plebeiæ annis Domini 1521. 2. 3. &c. Sic itidem referuntur ea, quę postea subsecuta fuerunt, interque hæc, hæc refertur. Ante annos multos citra hominum memoriam, erat commune dictum Saguncti, quæ nunc murus vetus dicitur, quod ex quodam arcis canali ad expellendas pluuias tecti superioris cuiusdam turris posito, manaturus erat sanguis humanus, quandoque excrucidatis illic hominibus in eius turris tecto, &

Margin: Prophetia apud Saguntum qui nunc murus vetus.

K tandem in coniuratione plebeia ita euenit anno Domini 1520. & nunc vsq; conspiciuntur sanguinis illius parietes exteriores illius turris; res mira visu.] Hucusq; Beuter. Postremo refert D. Augustinus Theodosium Augustum ad Ioannem in Ægypti eremo constitutum, quem prophetandi spiritus præditum, fama crebrescente, didicerat, misisse, à quo nuntium victoriæ certissimum accepit.] Ecce qualiter Christus ad suæ Ecclesiæ gubernationem etiam nunc in dies, vngat spiritu prophetas, tam litteratos, & sanctos, quam idiotas

Margin: D. Aug. l. 5. de Ciu. Dei c. 26. — Appendix. 2.

idiotas & simplices. Deus etenim, qui olim in veteri Testamento tot hominibus, propheticum elargitus fuit spiritum, potest etiam & nunc in nouo Testamento, & vsq; ad finem sæculi alios consurgere facere prophetas. Quoniam non est abbreuiata manus Domini. Et quando huiusmodi eleuantur, ac consurgunt Prophetæ, non consurgunt plane ad nouam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directioné, vt recte tenent D. Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei c. 26. & S.Th. 2.2.q. 175. ar. 5. ad 2. Quam autem fidem his reuelationibus priuatis teneamur adhibere, abunde explicuimus tex. 1. Par. 4. disp. 2. q. 4.

Nota bene. *Prophetas nunc facit Xps ad humanorum actuu directionem.* *D. Aug.* *D. Thom.* *Appendix 2.*

Quæstio. II.

Vtrum Apocalypsis inter reliquos sacros noui Testamenti libros prophetiæ nomen habeat; & an Ioannes Apostolus, & Euangelista eius auctor instrumentalis, Propheta appellari queat, necne?

1. argum.

Pars negatiua potest confirmari, tũ quia D. Augustinus contra Faustũ sic ait: [Ille dicitur Propheta, qui vltra humanas coniecturas, futura prænuntiat.] At in Apocalypsi narrantur præterita, nimirum mors, & passio Christi, & alia pleraque iam diu elapsa, ergo, &c. Tum quia libri aliorum Euangelistarum, & Apostolorum non dicuntur prophetiæ. Tum deniqs quia Matth. 11. dicitur, quod omnis lex, & prophetæ vsque ad Ioannem, nimirum Baptistam; Apocalypsis autem, & scripta, & reuelata fuit ecclesiæ post aduentum Ioannis Baptistæ, vt est manifestum, & ex consequenti nequit esse prophetia.

2. argum. *3. argum.*

1. fundam.

Pro decisione dico, quod hæc quæstio, ac etiam præcedens, facilius, quibusdam præmissis intelligetur. [Præmitto igitur primo, quod prophetia idem sonat, quod visio, siue cognitio earum rerum, quæ procul sunt ab hominum cognitione. Etenim propheta teste D. Thom. 3. p. q. 7. art. 8. dicitur, quasi procul phans, idest, procul videns, in quantum cognoscit, vel loquitur ea, quæ sunt procul a communi hominum consensu, cum quibus conuersatur, & communicat in via. Ideo eius nominis interpretatio deducitur a (pro) quod est, procul, & (phanos) quod est apparitio, eo quod Prophetis aliqua abscondita procul apparent. Vnde Prophetæ in veteri Testamento, videntes appellabantur. Cum itaque prophetia sit de his, quæ sunt procul, aduertas oportet tripliciter aliqua esse procul ab humana cognitione. Primo siquidem aliqua sunt procul propter conditionem rei cognitæ, vel cognoscendæ, quæ distat a nobis propter suam eminentiam, siue profunditatem, vt sunt mysteria gratiæ, nimirum Trinitatis, Incarnationis, &c. Et quando quis habet notitiam horum mysteriorum, quæ sunt inscrutabilia per humanam rationem, dicitur esse talis Propheta. Secundo modo distant res a cognoscente secundum cognitionem cognoscentis, eo scilicet, quod cognoscens habet defectum aliquem, puta quia cæcus, hebes, &c. & quando iste talis cognoscit tales res a se distantes, dicitur propheta quemadmodum 3. Reg. 14. dicitur de Ahila Silonite, qui cæcus cum esset, cognouit vxorem Hieroboam, intrante illa (dissimulato habitu) limen domus eius, quin aliquis de illa verbum aliquod ei fecisset. Tertio tandem modo distant res a cognoscente, secundum modum cognoscendi, videlicet infusum, vt Salomon 3. Reg. 4. qui notitiam animalium & plantarum habuit, non per exercitium studij, sed per inspirationem. Et quicumque cognoscit res per modum cognoscendi infusum; is propheta absque dubio appellabitur.

Propheta, quis sit. *Prophetæ nominis Ethimologia.* *Prophetæ videntes nuncupantur, & cur?* *Procul possunt esse aliqua tribus modis.* *Triplex distantia rerũ a sẽsibus hominum.*

2. fundam. Propheta quot modis dicatur aliquis.

Præmitto secundo, quod hoc nomen propheta multipliciter accipitur in sacris litteris. Primo siquidem accipitur pro illo, qui annuntiat, legit, vel cantat, dicta Prophetarum, & hoc modo accipitur 1. Reg. 19. cum dicitur: [Num Saul inter prophetas?] Quo etiam modo clerici legentes, vel fratres cantantes Prophetarum dicta, possunt dici Prophetæ, sed valde large. Secundo accipitur Propheta pro illo, qui habet intellectuale lumen, etiam ad explanandas visiones imaginarias, siue sibi, siue alteri factas, vel ad exponenda dicta Prophetarum, vel scripturas Apostolorum, & hoc modo Propheta dici potest omnis, qui interpretatur, vel exponit scripturas sacras, eo quod eodem spiritu interpretantur, quo editæ sunt. Sic Ioseph Pharaonis, & Daniel Nabuchodonosor somnia interpretantes, & exponentes, Prophetæ, dicuntur, & eodẽ modo doctores nostrates, qui in dies sincere, orthodoxe, & Catholice sacram interpretantur scripturam prophetæ dici possunt, iuxta illud ad Eph. 4. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationẽ Sanctorum.] Et in hoc sensu venit etiam intelligendum illud. 1. Cor. 4. [Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem, vt prophetetis.] Tertio accipitur Propheta pro illo, qui cognoscit, vel pronuntiat mysteria Incarnationis, & sic accipitur, illud Matth. 11. [Omnis lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem.] Quarto tandem accipitur Propheta stricte, & proprie pro illo, qui præcognoscit, intelligit, ac pronuntiat futura contingentia, seu ea, quæ soli Deo nota sunt, & ad eorum confirmationem, miracula operatur, & sic intelligitur illud Deut. 34. [Non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses.] Et sic Elias, Eliseus, & alij plerique fuerunt Dei Prophetæ.

Propheta vere, & proprie quid sit.

3. fundam. Propheta Dei quatuor debet habere.

Præmitto tertio, quod ad hoc, vt aliquis sit vere, & proprie propheta, quatuor requiruntur, quorum primum est cognitio vera, & infallibilis, ænigmatica tamen, futurorum contingentium, siue eorum, quæ soli Deo nota sunt, siue sit per imaginationem, siue per intellectum. Hanc conditionem primam tangit D. Thomas 2.2.q. 164. art. 5. in Argumento, sed contra, comparans sermonem Propheticum lucernæ lucenti in caliginoso loco. Et ex hac prima conditione sequitur, Christum Dominum secundum partem superiorem non fuisse Prophetam, eo quod secundum istam superiorem partem omnia clare vidit in verbo, & in persona propria, licet secundum partem inferiorem, & in quantum viator dictus fuerit Propheta, vt sæpe apparet in nouo Testamento. Sequitur etiam in beatis, & in Angelis nõ posse esse Prophetam, nimirũ in beatis, propter coniunctionem; in Angelis vero propter claram cognitionem, vt docet ipsemet Angelicus Doctor 2.2.q. 174. Secundum vero, quod requiritur ad hoc, vt aliquis sit vere Propheta, est lumen intellectuale, siue intellectio. Quamobrem in Dan. 10. dicitur: [Intelligentia opus est in visione.] Ex quo sequitur, quod neque Pharao, neque Nabuchodonosor Prophetæ dici debeant, quamuis futura contingentia prædixerint; eadem ratione, nec Cayphas (licet Ioan. 11. prophetasse dicatur) Propheta appellandus est, quoniam non intelligebat, quæ dicebat, & ideo de illo sic scribitur? [Hoc a semetipso non dicit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit:] quamobrem ly [prophetauit] accipitur, materialiter dumtaxat, & nullatenus formaliter, operabatur siquidem in Caypha, & in alijs præallegatis ille qui os asinæ Balaam, num. 22. aperuit. Tertium porro, quod requiritur est, audacia, & facultas pronuntiandi ea, quæ re-

Christus non fuit Propheta absolute, loquẽdo, sed in quantum viator. *Nota sequelã primam.* *Nota sequelam secundã Beati, & Angeli nequeũt esse Prophetæ.*

Nota sequelam tertiam. Qui excluduntur a prophetarum numero, & cœtu.

uelan-

Deus quare sua arcana prophetis reuelat. Nota sequelam quartã. Muti neque unt prophetare. 4. Appen. Astrologi qui futura prædicunt nõ sunt Prophetæ.

uelantur a Deo. Ad hoc namque Deus reuelauit aliqua, vt alijs denuntientur, Quamobrem Hierem. 1. dicitur: [Ecce dedi verba mea in ore tuo, &c.] Ex hoc sequitur, quod prophetiæ donum, mutis nullatenus competat. Quartum tandem requisitum est, vt ea, quæ dicit, dicat, & sciat per solam diuinam reuelationem, ministerio bonorum Angelorum factam, & non per exercitium studiorum. Ex quo plane sequitur Astrologos, qui per studium sciunt, & dicunt aliqua de astris, & de naturalibus effectibus, seu rerum contingentijs, secundum orbium cælestium influxum, licet ita eueniant, vti ipsi dicunt; non esse Prophetas appellandos, eo quod huiusmodi cognitio non est de excedentibus facultatem humani intellectus, cum constet, multa de naturalibus futuris contingentibus prædici posse per astrologiam. Verumtamen si Deus alicui astrologo reuelaret aliquod pronosticum, & ipse intelligeret, ac diceret illud omnibus, quin aspiceret astra, & orbis signa, talis esset procul dubio propheta, quamuis non in quantum astrologus, sed in quantum Deus ei reuelauit tale pronosticum; quoniam tunc temporis sic Deus reuelaret illi astrologo, quemadmodum Petro, vel alicuius homini in dies reuelare potest. D. tamen Augustinus super Genesim, ad litteram annotat, quod ad hoc, vt aliquis sit vere, & proprie propheta, prærequiritur, quod aliquas habeat visiones, & quod ipsas intelligat, & tandem, quod ipsas manifestare sciat. Quæ quidem requisita, sub ea quę nos in hac obseruatione diximus, plane cõtinẽtur.

Astrologus quando fieri potest Propheta. *D. Aug. sup. gen.*

Prima assertio. Apocalypsis inter reliquos sacros & canonicos noui Testamenti libros prophetia est, Quamobrem Ioannes, qui eã scripsit, Propheta Domini vere, & proprie appellandus est. Hæc est de fide, & probatur? Tum quia Apocalypsis in sacra pagina prophetia appellatur, quandoquidẽ Apocalyp. 1. dicitur: [Beatus qui legit, & audit verba prophetię huius:] & Apoc. 22. [Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet, &c.] Tum, quia, quemadmodũ Moyses, Elias, Eliseus, Dauid, Isaias, & alij plerique viri Dei in veteri Testamento, futura, & ea, quæ captum nostrum naturaliter superant, reuelatione diuina, prædixerunt; Sic etiam Ioannes noster in nouo Testamento, & in hac sua Apocalypsi, futura de vltimo statu ecclesiæ vsque ad finem sæculi, ac etiam ea, quæ captum nostrum superant, vt est illud de phyalis Angelorũ, de Imperio Babylonis, de purpurata meretrice, de caractere bestiæ, de Antechristo, de futura gloria, Deo reuelante, prædicit. At illi in veteri Testamento sunt vere, & proprie prophetæ appellati. Igitur, & Ioannes etiam in nouo propter hanc suam Apocalypsim propheta vere, & proprie erit appellandus. Tum quia torrens Doctorum, ac sanctorum Patrum, & etiam communis consensus totius Ecclesiæ in suis Concilijs a 3. Carthaginien. vsque ad Tridentinum, Apocalypsis, nomine prophetiæ circumfertur, tamquam res distincta ab Euangelio, & ab Epistolis eiusdem Ioannis Euangelistæ, & Apostoli: quamobrem S. Thom. 2. 2. q. 175. art. 6. ad 2. sic scribit: [Ioannes etiam librum propheticum scripsit, de fine Ecclesiæ.] Idem etiam profitentur omnes expositores, Strabus, Laudunensis, D. Ambrosius, D. Augustinus, S. Thomas, Lyranus, Rupertus Abbas, & alij, multitudine pæne infinita, hunc enodantes locum. Tum denique, quia, gratia Dei non est in vacuum recipienda iuxta illud. 1. Cor. 5. [Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.] In vacuum autẽ gratiam Dei recipere est, cum gratia Dei nihil laborare aut operari: Atqui omnes Apostoli habebant donum prophetiæ, quoniam Spiritus sanctus in die Pentecostes descendit super eos omnes, suis donis illos replens, iuxta illud act. 2. [Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.] Inter quę plane dona, prophetiæ donũ reponitur, vt liquet ex Apostolo. 1. Cor. 12. Et non apparet ratio, ob quam acceperint donum linguarum, interpretationem sermonum, discretionem spirituum, miraculorumque donum, & non donum prophetiæ:

1. Assertio. Apoc. vere, & proprie est prophetia noui Testamẽti. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. S. Thom. Strabus. Laudunen. D. Aug. S. Thom. Lyranus. Rupert. Abb. in commenti. 4. Ratio. Prophetiæ donũ habebant oẽs Apostoli.

F ergo saltẽ vnus eorum aliquam condere debebat prophetiam, ne donum prophetale inter eos omnes in vacuum esset receptum, Ista autem prophetia alicuius Apostoli nulla alia plane reperitur, nisi hæc Apocalypsis Ioannis; quoniam, vt omnes tenent sancti Patres, & Doctores, (& illud etiam tangit Abulensis tom. 1. sup. Matth. q. 4. in præfationem) in toto nouo Testamento non est nisi vnicus liber prophetalis, scilicet, Apocalypsis Ioannis, in quo ponuntur reuelationes factæ beato Ioanni de statu vniuersalis Ecclesiæ a principio sui, vsque ad finem sæculi, quantum ad aliquas res præcipuas, quæ in ea acciderunt, ac etiam ad aliquas alias, quæ euenturæ creduntur. Igitur, &c.

Abulens.

G Secunda assertio. Adeptus fuit a Deo Ioannes in hac Apocalypsi lumen propheticum. Hæc est aperta, & oritur ex superiori, tamquam riuulus ex suo fonte; probaturque ex eo dumtaxat: quoniam lumine prophetico Deus suos vere, & proprie prophetas illustrare solet, & illud illis (vti oportet ad suas prophetias, & veritates reuelatas cognoscendas) communicare.

2. Assertio. Propheticum lumen obtinuit Ioan. in Apocalypsi.

Dimittamus hæc tamquam aperta, & certa apud Theologos; & explicemus hic duo, nimirum, quid sit lumen propheticum, & quomodo cognoscatur. Lumen igitur propheticum est cognitio prophetiæ, quæ est vt plurimum de futuris contingentibus, & est gratis data per reuelationem, quemadmodum lumen fidei & est gratis datũ per reuelationem, & etiam est ipsa cognitio de rebus quæ creduntur, inquantum per quamlibet cognitionem illuminatur intellectus: quæ quidẽ duo lumina, prophetiæ nimirum, & fidei, non est necesse, quod sint gratiæ gratos faciẽtes, cum fidem quis habere possit, & etiã prophetiã sine charitate, vt patet. 1. Cor. 13. Cognoscitur porro prophetã loqui lumine H prophetico multipliciter; nã cũ propheta loquitur, & innuit se loqui ex parte Dei, & quod prædicit, euenit, est signum, quod ei Deus loquutus est, ipsumque locutum fuisse lumine prophetico. Præterea cum propheta prænuntians aliquod futurum, subiungit aliquod miraculum; quemadmodum si propheta dicat sic: ego prænuntio vobis tale, vel tale futurum ex parte Dei, & in signum huius dico vobis, quod tale, vel tale miraculum videbitis statim, & ita euenit; tunc signum est, lumen propheticum esse in tali viro. Ista regula colligitur ex cap. 13 Deuter. In quo Samuel ita per miraculum ostendit veritatem sua prophetiæ dicens: I [Valde peccastis petendo Regem super vos, & in signum huius, dico vobis, quod statim venient tonitrua, & pluuiæ;] & sic euenit, licet esset tempus æstatis, vt apparet 1. Reg. 12. Tandem cum dicta prophetarum proponuntur nobis credenda ab ecclesia, certissimum est ea lumine prophetico fuisse prophetata, & Deo inspirante fuisse dictata. Fundatur hæc regula in illo 2. Petri. 1. [Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.] Et ista regula est quasi ceteris certior; vnde dicta, quæ nomine prophetarum circumferuntur, ac circumferri possunt, & non continentur in sacris libris ab Ecclesia K approbatis: nec lumine prophetico dictata, nec Spiritu sancto auctore excogitata fuisse tenemur credere.

Propheticum lumẽ quid sit & quomodo cognoscatur. Luminis prophetiæ descriptio. Lumen fidei, quid sit. Lumen propheticum, & lumen fidei necessario nõ sunt gratiæ gratũ facientes. Lumen propheticum, vel Spiritus propheticus cognoscitur per aliqua signa. Propheta verus quomodo cognoscatur a nobis. Regula certa ad dicta prophetarum cognoscenda. Nota bene.

Tertia assertio. Archipropheta Ioannes in hac Apocalypsi prophetia, habuit lumen propheticum per modum transeuntis, & non per modũ habitus. Probatur: Tum quia Spiritus prophetiæ in alijs prophetis nõ est gratia continuata, quinimmo gratia ad tẽpus, secundũ quod Deus varijs temporibus tangit corda prophetarum, & quando Deus actualiter non tangit eos, non magis sciunt, quam alij homines; ergo eodem modo se habebit lumen propheticũ in Archipropheta Ioanne, circa hanc suam Apocalypsim prophetiam. Consequentia est aperta: quoniam non est maior ratio de vno, quam de alio propheta, in ratione prophetæ. Antecedens vero probatur. Quoniam de Eliseo 4. Reg. 4. dici-

3. Assertio. Lumen propheticum obtinuit Ioannes per modũ transeuntis. 1. Ratio. Prophetiæ spiritus non est gratia continuata.

4. dicitur quod cum venisset, & iacuisset mulier quædam ad pedes eius, non cognouit ad quem venerat, & dixit ad Giezi: [Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit a me, nec indicauit mihi.] Quamobrem cum iterum Eliseus quæreretur, vt prophetaret, & nesciret, quid diceret, mandauit adduci cantorem, & cum cecinisset, facta est manus Domini super eum, id est, spiritus prophetiæ, & prophetauit, vt patet 4. Reg. 3. De Nathan etiam propheta dicitur 2. Reg. 7. quod cum quadam die staret cum Dauid, & diceret Dauid, quod vellet construere templum Domino, respondit Nathan: [Omne, quod est in corde tuo, vade, & fac, quia Dominus tecum est.] In eadem nocte locutus fuit Dominus ad Nathan, vt loqueretur ad Dauid, quod non ædificaret ipsum domum Domino, sed filius, qui nasceretur ex eo. Et tandem Isaac, Gen. 27. Benedicens Iacob, illum Esau appellauit dicens: [Tu es filius meus Esau?] Et sic quamuis esset propheta, non cognouit tunc venientem ad benedictionem suam: cuius facti causam assignant Doctores, eo scilicet, quod anima Isaac, tunc actualiter non tangebatur spiritu prophetico, & ideo non cognouisse venientem ad eum, & hoc fecisse Deum, vt crederet se Isaac benedixisse Esau, ne impediretur benedictio Iacob. Igitur lumen propheticum non est in prophetis per modum permanentis, & habitus; sed per modum transeuntis, & actus. Tum quia si lumen propheticum esset aliquid impressum per modum habitus, quandocumque propheta vellet, posset prophetare; quia habitus est, per quem faciliter, & delectabiliter operamur, cum volumus habentes illum. Atqui non potest propheta quandocumque voluerit, talem cognitionem habere, vt patet de propheta Iacob, qui Gen. 42. statum filij sui Ioseph, venditi in Ægypto a fratribus suis ignorauit, cum dixit: [Descendam in infernum lugens.] Quid, quod, 2. Petri 1. dicitur: [Non enim aliquando voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu dictante locuti sunt sancti Dei homines.] Quibus verbis habetur aperte, spiritum propheticum non dari cuilibet, quando vult, sed quando Deus gratis communicare vult. Igitur lumen propheticum non est per modum habitus, sed per modum transeuntis. Animaduertas tamen hic oportet, quod licet cognitio prophetica, siue lumen propheticum sit in Archipropheta Ioanne, & in quolibet alio propheta, per modum luminis transeuntis; tamen facit in memoria ipsius prophetæ talem impressionem, vt non deleatur, donec ipsum, quod diuinitus assecutus fuerit, eis, quibus nuntiandum fuerit, annuntiet: sic patet de Hieremia, cuius librum, cum ministri Regis, & ipse Rex principaliter cōbussissent, Hieremia iterum scripsit. Quamobrem licet lumen propheticum sit quadam impressio luminosa cito transiens, tamen dum manet illa impressio, propheta intelligit multa futura, & prædicit illa. Et dum cessat spiritus prophetiæ, nimirum, illa illuminatio transiens, non potest homo vlterius prophetare, etiamsi per vocem humanam conetur intelligere, nihil tamen intelligit, sicut cum aliquis homo vertit intellectum suum circa aliquod altissimum difficillimumque obiectum, non potest quidquam intelligere, etiamsi conetur. Intelligibile autem nullum difficilius est, quam propheticum, cum sit pure diuinum, id propterea propheta desertus ab illa illuminatione diuina intelligere nihil potest de diuinis mysterijs.

2. Ratio.

Propheta nō semper cum vult prophetat.

Lumen propheticū qualē impressionē facit in memoria prophetarū.

Hier. prophetica memoria.

Propheta quando nescit prophetare etiam rogatus, simile.

Quarta assertio. Finis, & obiectum Archiprophetæ Ioannis in hac sua prophetia Apocalypseos, est illud, quod est in cognitione diuina supra facultatem humanam. Patet, quoniam S. Thomas 2. 2. q. 174. art. 2. id commune fatetur esse in quolibet alio propheta, dicens sic; [Finis autem prophetiæ est manifestatio alicuius veritatis, supra hominem existentis.]

4. assertio. Prophetæ Apocalypsis finis quis sit. S. Thom.

Quinta assertio. Apocalypsim prophetiam accepit Archipropheta Ioannes immediate per Angelū, patet:

5. assertio. Prophetiam:

A Tū ex his, quæ dicta sunt supra tex. p. 10. disp. 8. q. 1. 2. 3. 4. & 5. Tum ex his, quæ docet Angelicus Doctor. 2. 2. q. 173. a. 2. tenens propheticā reuelationē fieri cōmuniter per Angelos.

Apocalyps. ab Angelo immediate accepit Ioānes.

1. Ratio.
2. Ratio.

Quod autem dicebat D. Augustinus, soluitur ex eo, quod, teste D. Gregorio, Prophetia non solum est, quia prædicit futura, sed etiam quia prodit, & reuelat occulta, & ea, quæ distant a nobis; quod etiam facile liquet ex 1. & 2. fundamento nostro, Quamobrem licet in Apocalypsi multa præterita narrentur, vt sunt illa de passione Domini, & alia huiusmodi; quia tamen in ea, tum futura, tum occulta, & distantia a nobis continentur, merito prophetiæ nomen obtinet.

Solutiones ad argumenta in oppositum sol. ad 1.

Illud vero de libris aliorum Euangelistarū, & Apostolorum non obstat; quoniam isti, vitam Christi eiusque miracula continent. At vero Apocalypsis, inter
B alia futura de statu Ecclesiæ vsque ad finem sæculi cōtinet: quamobrem ex diuerso procedendi stylo, prophetia, & non Euangelium, aut epistola Apocalypsis in nouo Testamento appellatur.

sol. ad 2.

Cum denique dicitur, quod lex, & prophetæ vsque ad Ioannem. Respondetur, quod non intelligitur, quod post Ioannem Baptistam nullus propheta esset, quandoquidem supersunt noui Testamenti plerique prophetæ, vt in prima quæstione huius disputationis dicebamus; sed accipitur de illis prophetis, quia aliquid scripserunt in veteri Testamento, ita vt sit sensus, omnia, quæ lex, & prophetæ prædixerunt, complentur tēpore Ioannis Baptistæ: quia tunc Christus venit, in quo omnia consummata sunt, & sic non se extendebāt lex, & prophetia scripta ad vlteriora tempora: nō tamen inde negatur apud Matthæum, quin postea in no-
C uo Testamento fuerint prophetæ reuelantes futura, vt est dictum.

sol. ad 3.

Et eodem prorsus modo responderi, potest ad vocē illam Domini dicentis in cruce: [Consummatum est.] Quandoquidem tunc verum est, quod consummatum fuit peccatum, iuxta prophetiam Daniel. 9. dicentem: [vt finem accipiat peccatum.] Consummata insuper fuit Redemptio humani generis, & omnia, quæ scripta erant in psalmis, & prophetis, de Christo, quantum ad passionem, & mortem suam sanctissimam. At vero tunc non fuerunt absolute consummatæ omnes prophetiæ veteris Testamenti, (quandoquidem earum plures intelliguntur in sensu litterali de figuris euenientibus in die iudicij adhuc non sunt consummatæ, vt patet,) sed consummabuntur, cum dies illa magna, & amara valde aduenerit. Quamobrem cum Apocalypsis Ioannis pleraque de futuris in extremo tempore vsque ad finem
D sæculi contineat, iuste in nouo Testamento prophetiæ nomen præ se gerit.

Soluitur obiectio. quæ fieri etiam potest.

Dices tamen. Ad hoc, vt aliquis sit vere, & proprie propheta, tria requiruntur, vt dicit S. Tho. 2. 2. q. 171. art. 1. Primum est cognitio. Secundum est annuntiatio eorum, quæ sibi reuelata sunt. Tertium tandem est, operatio miraculorum. Atqui Ioannis in confirmationem veritatum huius suæ Apocalypsis, nullum fecit miraculū. Igitur nec Apocalypsis est vere, & ꝓprie prophetia, nec minus Ioānes erit vere, & ꝓprie propheta.

Obiectio. ad prophetiam tria requiruntur.

Soluitur obiectio ista. Tū quia S. Tho. ibi circa miraculorū donum loquitur de prophetis veteris Testamēti dumtaxat, non autē de prophetis noui Testamenti,
E vt est Archipropheta Ioannes; quod autē hoc sit verū apparet, eo, quod Ioānes Baptista fuit vere, & proprie propheta noui Testamenti, & etiam plusquam propheta, vt constat Matth. 11. & tamen nullū fecit miraculum. Tum quia Archipropheta Ioannes multa fecit miracula, refert namque Tertullianus, teste D. Hieronymo, lib. 1. contra Iouinianū, quod Romę missus D. Ioannes in feruentis olei doliū, purior, & vegetior exierit, quam intrauerat. Sed an hæc passus sit ob veritates sibi reuelatas in Apocalypsi confirmandas, omittamus, sufficit, vt fuerint in confirmationem fidei, quæ

Solutio prima ad obiectionem.

2. sol.

quæ in Apocalypsi etiam continebatur, sicuti in suo Euangelio, ac etiam in Epistolis. Tum quia miraculorum operatio non requiritur simpliciter ad esse prophetam, eo quod multi prophetæ fuerunt, quos numquam legimus fecisse miracula, vt patet de prophetis maioribus Hieremia, Ezechiele, & Daniele, siquidem nō inuenitur in libris suis, nec in libris historicis, quod aliqua miracula ipsi fecerint. Patet etiā de duodecim prophetis minoribus, quorum libros habemus in canone. Nam nulla miracula eorum sunt, rari autē sunt prophetæ, qui leguntur ea fecisse, vt Moyses, & Elias, & Eliseus: & sic liquet, quod miracula non pertinent simpliciter, & per se ad prophetiam, sed per accidens, nimirum in quantum sibi, non creditur, quia tunc præmittendo aliqua miracula, creditur, quod ille à Deo missus est, & ita res eueniet, sicut ille prædixerit. Qui voluerit circa hoc copiosiorem habere notitiam, videat Abulensem tom. 1. super Matth. cap. 1. quæst. 57. Tum denique soluitur obiectio proposita quandoquidem illa dicta prophetarum, quæ ecclesia in sacris libris habet, certissimè credenda sunt esse dicta, Deo inspirante, concurrat, vel non concurrat miraculum; ea vero, quæ inter sacras Scripturas non inueniuntur, nullam auctoritatem habent; neque credimus, illa prophetas à Deo inspiratos dixisse, iuxta illud 2. Petri 1. [Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit, &c.] Quæ quidem verba sic sonant: Omnia dicta prophetica, quæ scripta sunt in sacra Scriptura, non fiunt propria interpretatione id est, ex ingenio loquentis, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt prophetæ omnia illa, quæ in sacra Scriptura sunt. Quo plane concesso, non oportet quærere aliquod signum; sed absolute dicendum, quod quidquid inter sacras Scripturas in canone recipitur ab ecclesia vniuersali, est dictum a prophetis, inspirante Spiritu sancto. Apocalypsis autem Ioannis sub nomine prophetiæ ab vniuersali Ecclesia in canone recipitur.

4. Sol. miraculorum operatio non est necessaria simpliciter ad prophetiam.

4. Sol.

Lubet hic animaduertere hanc obiectionem mirum in modum iuuare ad confirmandum Ioannem fuisse prophetam. Quandoquidem per illam Alphonsus Tostatus, tom. 1. in Matth. cap. 1. quæst. 57. probat Ioseph, posse dici prophetam. Istæ autem tres assignatæ prophetantium conditiones reperiuntur etiam in Ioanne nostro. Quoniam ipse in Apocalypsi, & habuit reuelationem à Deo, & illam intellexit, & tandem talis reuelatio fuit de rebus vtilibus toti ecclesiæ vniuersali, illamque vti sibi reuelatam alijs plane annuntiauit; quæ sane omnia ad verum, & proprium spectant prophetam.

Nota bene. *Abulens.*

Quæstio. III.

An vates noster Ioannes Euangelista iuste Archipropheta, Prophetarumque Princeps, & Euangelij aquila nuncupari queat?

Ioānes sit ne Archipropheta nuncupandus?



NON est plane aliquis prophetarum, quem pro parte negante adducere in medium queam, nisi Ioannes Baptista, de quo dixit Christus Matth. 11. [Quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam.] Et paulo post: [Amen dico vobis, nō surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista.] Ex quibus sane argui potest Ioannem Baptistam appellandum fore Archiprophetam, & non Ioannem nostrum Euangelistam.

F Pro decisione tamen præmitto primo, quod Archipropheta idem est, quod princeps prophetarum vel principalis propheta; deducitur enim ex Græco fonte, ab (ἀρχὴ) quod est Princeps, & (προφήτης) hoc est, Propheta, nimirum ille, qui futura pronuntiat a se primum intellecta. Idcirco Archipropheta, idem est, vt dixi, quod prophetarum princeps, vel principalis propheta, idest, qui primum locum inter prophetas ob maius lumen propheticum, vel ratione personæ, vel ex modo reuelationis, vel tandem ex ipsis rebus reuelatis, sibi vendicat. Qua plane nominis etymologia cōmuniter vtuntur Latini, dum maiorem: vel honoratiorem gradum in aliqua dignitate scientia, vel arte indicare volunt: & liquet, dum dicitur ab ipsis Archiepiscopus, Archidiaconus, Archipresbyter, Architectus, Architectura, &c.

1. fundam. Archipropheta quid sit. Archipropheta Princeps Prophetarum est. Archos Græce, latine Princeps dicitur.

Archiepiscopus Princeps Episcoporum est.

G Præmitto secundo, quod ad hoc, vt aliquis dicatur alio maior, vel dignior, consideranda plane venit inæqualitas inter eosdem, quantum ad statum, vel quantum ad actum alicuius specialis virtutis: & quidem non quantum ad actum interiorem, sed quantum ad actum exteriorem. Quoniam loquendo de interiori bonitate, quæ attenditur ex perfectione charitatis, secundum quam homo est dignus maiori, vel minori gradu in vita æterna, nemo nouit quis sit maior altero: Quoniam hoc inter viuentes iudicare nescimus. Et sic etiam inter prophetas vtriusque Testamenti, ac etiam inter Apostolos, & reliquos fideles noui Testamenti, est inæqualitas, & forte numquam est vnus homo alteri æqualis, quin saltem per aliquam rem minimam sit differentia. Quamobrem ad hoc, vt inter aliquos inæqualitas considerari queat, loquendum plane est, quantum ad statum, vel quantum ad actum exteriorem alicuius specialis virtutis, vt si quis comparet Petrum Paulo in auctoritate vitæ, Petrus maior est Paulo, cum Petrus ante Paulum, nimirum Christo prædicante, vitam inchoauerit Apostolicam, quam tunc non inchoauit Paulus, cum tunc sub Moysi lege degeret. In prædicatione tamen Gentium Paulus maior est Petro, cum ipse Paulus dicat: [Plus omnibus laboraui,] hoc est, in prædicatione Gentium prædicator per antonomasiam ab ecclesia Paulus appellatur.

2. fundam. Inæqualitas aliqua requiritur ad maioritatem. Actus exterior alicuius specialis virtutis prærequiritur ad maioritatem. Bonitas interna hominis difficile cognoscitur. Inæqualitas inter Prophetas, & Apostolos. Inæqualitas inter aliquos quomodo considerari debeat. Petrus quomodo sit Paulo maior, & dignior.

Præmitto tertio, nouum Testamentum excellere vetus in multis, & præcipue in dignitate, & auctoritate. Dicamus autem de primo, nimirum de dignitate. Quæ sane attenditur ex parte auctoris immediati, noui, & veteris Testamenti. Quoniam licet auctor mediatus sit Deus, qui vtrobique loquebatur (& in hoc nullatenus differunt) fuerunt tamen auctores immediati in Testamento veteri prophetæ, per quos Deus loquebatur; in nouo autem fuit Christus, qui nō solum, in quantum Deus, verumetiam in quantum homo, excellebat omnes homines simul sumptos sine vlla comparatione. Idcirco Apostolus ad hanc dignitatem noui Testamenti super vetus significandam tetigit apprime istam differentiam ad Heb. 1. dicens [Multifarie multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouissime his diebus locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum per quem fecit, & sæcula]. Et ad magis significandam istam differentiam, probauit ibidem Apostolus, non solum Christum esse excellentiorem omnibus hominibus, quinimmo esse maiorem omnibus Angelis, dum dixit: [Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te?] Affert Apostolus ibi alias ad hoc demonstrandū probationes: & hoc ipsum præstat ad Heb. 3. cōparando Christum hominē ad Moysē. Est igitur maior dignitas noui Testamenti, quā veteris, quantū ad immediatum auctorem vtpote Christū hominē filium Dei, quia Christus in quantum Deus, non solum est auctor noui Testamenti, sed etiā veteris. Dicamus insuper de secun-

3. fundam. Testamenti noui excellentia. Status noui Testamēti est potentior, & perfectior statu veteris Testamenti. Deus auctor mediatus vtriusque Testamenti. Prophetæ sunt immediati Auctores veteris Testamēti. Xps Autor immediatus noui Testamēti. Excellentia Christi super Angelos.

Noui Testamenti dignitas super vetus.

Auctoritas noui Testamenti supra vetus. Apost. ministri delegati siue commissarij noui Testamenti. Prima auctoritas Apostolorum supra prophetas veteris Testamenti.

de secundo, videlicet de auctoritate. Excellit namque nouum Testamentum ad vetus in auctoritate, quantum ad alios ministros delegatos, vel commissarios, non in tradendo, sed in publicando, qui fuerunt Apostoli, qui comparati prophetis antiquis, maiores illis sunt. Quoniam isti fuerunt prophetæ, quemadmodum & illi, vt probauit B. Petrus auctoritate Ioelis contra Iudæos dicentes, Apostolos esse ebrios, vt habetur Act. 2. Primo enim excellebant eos in modo prophetiæ, quia Deus erat promptior ad loquendum per Apostolos, & alios ministros noui Testamenti, quam per prophetas veteris Testamenti, in tantum, quod non oportebat Apostolos cogitare quid loquerentur, sed Spiritus sanctus immediate loquebatur per eos, vt vberrime habetur Matth. 10. & Lucæ 21. per hæc verba: [Dum steteritis ante Reges, & præsides nolite cogitare, quid loquimini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] Quod plane nullatenus alicui prophetarum veteris Testamenti vmquam accidit. Quoniam quando illi volebant aliquid cognoscere, Deum promptum minime habebant, quemadmodum indicauit Eliseus de Sunamite 4. Reg. 4. per hæc verba: [Dimitte illam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit a me, nec indicauit.] Quid mihi quod prophetæ interdum petebant a Domino instante responsum de aliqua re, & non respondebat eis vsque post decem dies, quemadmodum fuit de vate Hieremia, qui vt legitur Hierem. 42. petebant an Israelitæ descenderent in Ægyptum. Interdum autem non respondebat vsque ad tres hebdomadas, etiamsi propheta ieiunijs, & orationibus se affligeret, vt Deus ei reuelaret quemadmodum legitur de Daniele, qui tribus diebus panem desiderabilem non comedit, & tunc ei, vt legitur Dan. 10. responsum est. At vero Spiritus sanctus ad Apostolos veniebat etiam non vocatus. Quamobrem erat excellentia istorum valde magna super illos. Rursus excellebant eos ex parte rerum reuelatarum, quoniam altiora valde reuelata sunt Apostolis, quam reuelarentur prophetis. Porro Apostoli erant excellentiores ex parte miraculorum, eo quod stupenda faciebant miracula, non solum tanta, quanta Christus, verumetiam maiora, quemadmodum dixerat eis: [maiora horum facietis.] Quoniam de Petro legitur, quod cum transiturus esset per vicos in Hierusalem, ponebantur ægri in grabatis in vico, vt transeunte eo, vmbra eius tangeret quemquam, & sanaretur, prout habetur Act. 5. Quod tamen a Christo numquam legimus factum. Petrus insuper suscitauit hominem mortuum a quatuordecim annis: Et B. Andreas suscitauit simul quadraginta viros. Christum tamē numquam legimus talia fecisse, Prophetæ autem multi fuerunt, qui numquam fecerunt miracula, alij autem pauca fecerunt, & quasi cum difficultate, vt colligitur ex locis, in quibus gesta eorum habentur. Quarto, & postremo Apostoli, excellunt prophetas. Quoniam Apostoli, vt liquet Act. 2. loquebantur omnibus linguis, quod de nullo prophetarum legitur in veteri Testamento.

Prophetæ veteris Testamēti non habebant ita promptū prophetiæ donū, vt Prophetæ noui Testamēti.

Secunda auctoritas Apostolorū supra prophetas veteris Testamenti. Tertia auctoritas Apostolorū supra prophetas veteris Testamenti. Apostolorum miracula. Petrus suscitauit mortuū a 14. annis. Abulensis in prolog. super Matth. Prophetæ veteris Testamenti pauca patrarunt miracula. Quarta auctoritas Apostolorū supra prophetas veteris Testamenti.

Præmitto quarto, Prophetas in Ecclesia Dei secundum obtinere gradum, eo quod primum locum Apostoli, secundum vero prophetæ, & tertium Euangelistæ tenent, dicente Paulo ad Ephes. 4. [Et ipse dedit quosdā Apostolos, quosdā autē Prophetas, alios vero Euangelistas.] Quod 1. Cor. 12. repetit idem vas electionis per hæc verba: [Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, &c.

4. fundam. Prophetæ noui Testamenti obtinēt secundum gradum.

Præmitto quinto, & postremo, quod de Ioanne Baptista geminam efformare possumus acceptionem. Cum enim de illo dictum sit Lucæ, cap. decimosexto [Omnes prophetæ, & lex vsq; ad Ioannem.] Hinc quippe ortum habet, quod Ioannes Baptista fuerit finis veteris Testamenti, vt prodit Chrysostomus

5. fundam. Ioannis Baptistæ duplex consideratio.

A serm. decollationis Ioannis Baptistæ, & principium noui, vel finis legis, & principium Euangelij. Quamobrem illum collocare possumus inter prophetas veteris Testamenti, (vt loco citato præstare videtur Chrysostomus) tamquam terminum legis, & prophetarum. Quoniam, durante statu veteris Testamenti, annunciatum est à lege, & prophetis regnum terrenum, opulentia rerum temporalium, quod plane terminauit Ioannes Baptista, prædicando regnum cælorum, per illa verba: [Pœnitentiam agite appropinquauit in vos regnum Dei,] Et demonstrando Messiam præsentem per hæc verba: [Ecce Agnus Dei.] Et quia lex, & prophetæ quantum ad actum

Ioannes Baptista fuit finis legis Moysi, & Principium Euangelij. D. Ioan. Chrysost. serm. de collat. S. Ioānis Baptistæ. Matth. 3. Ioan. 1.

B prophetandi terminantur ad Messiam: non quod taceant futura post aduentum Messiæ, (vt recte annotauit Caietanus in cap. 11. Matth.) Sed quia quæcumque dicunt futura post Messiam, dicunt, vt accidentia, connexa, consequentia, & pendentia, &c. ad Messiam. Ideo Christus protulit illa verba de Ioanne Baptista: [omnes prophetæ, & lex, vsque ad Ioannem.] Quibus verbis Ioannem Baptistam terminum legis, & prophetarum constituit, eo quod cum ita sit, (vt nuper retulimus,) quod intentus terminus legis, & prophetarum sit Messias; placuit ex consequenti Domino nostro Iesu Christo, describere terminum legis, & prophetarum Ioannem Baptistam. Perinde ac per illa verba, Christus Ioannis Baptistæ officium significaret, (vt sane significauit) quod est monstrare præsentem Messiam, & sic Ioannis officium fuit terminare legem, & Prophetas, & Messiam præsentem demonstrare. Et cum terminus dicat

Lex vetus terminatur ad Messiam. Caietan. in Matth. Matt. 11. Terminus legis Messias. Ioannis Baptistæ officiū. Terminus relatiue se habet ad rem terminatam.

C relationem ad rem terminatam (vt dicunt methaphysici) hinc factum est, Ioannem Baptistam, infra prophetas legis veteris, (quos terminat) constituere quemlibet posse: Vnde Abulensis in cap. 11. Matth. quæst. 26. acutissime demonstrat Ioannem Baptistam, reponendum esse inter prophetas veteris Testamenti, vt aperte ostendit in solutione ad tertium. Quo plane sensu, illa verba: Omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem. Veniunt intelligenda inclusiue, & nullatenus exclusiue. Et sic Ioannes Baptista erit propheta, (vt faue est) veteris Testamenti: & hæc est eius prima acceptio. Rursus cum idem Ioannes Baptista, sit principium noui Testamenti, & principium dicat relationem ad principiatum, vt etiam tenēt metaphysici: Idque exprimere possumus in linea, cuius terminus communis, nimirum punctum medians,

Ioannes Baptista Propheta est veteris Testamenti. Principium relatiue se habet ad rē principiatam.

D non tantum dicit relationem ad priorem partem lineæ, quam terminat, verum etiam ad posteriorem partem eiusdem lineæ, quam inchoat. Hinc Ioannes Baptista collocari etiam potest, & debet, inter prophetas noui Testamenti, vt innuere videtur S. Thom. 2. 2. quæst. 174. artic. 4. ad tertium asserens Ioannem Baptistam pertinere ad nouum Testamentum. Quamobrem cum in nouo Testamento sint etiam prophetæ, vt liquet ex cap. 11. Act. & ad Ephes. 4. vnicuique etiam fas erit, Ioannem Baptistam inter prophetas noui Testamenti reponere, & sic notandum erit minister noui Testamenti, vt vult S. Thom. loco citato, verumetiam Propheta noui Testamenti. Et hæc est eius secunda acceptio. Sed pas-

Ioannes Baptista Propheta est noui Testamenti. S. Thom.

Nota bene.

E sim hic annotabis, quod inter prophetas veteris, & noui Testamenti, grassatur differentia; quoniam prophetæ veteris legis, omnes prædicabant, & annuntiabant futurum aduentum Messiæ: Prophetæ vero noui Testamenti prædicant, & annuntiant futura, post aduentum Messiæ: & quæcumque dicunt, futura post Messiam dicunt, vt accidentia, connexa, consequentia, & pendentia ad Messiam, qui iam venit. Venio nunc ad propositam difficultatem.

Prophetarum veteris, & noui Testamenti differentia.

Prima assertio. Reponēdo, Ioannē Baptistā inter prophetas veteris Testamenti, tamquā eorū finem, merito Ioannes noster Euāgelista, Archipropheta appellatur. Probatur: Tum quia nouum Testamentum excellit vetus, & liquet, tam in præcedēti quæstione, quā in tertio supe-

1. assertio. Io. Euangelista Archipropheta dicitur quamuis Ioā nē Baptistam inter Prophetas veteris Testamenti ponamus. 1. Ratio.

superiori fundamento. At ex suppositione Baptista est propheta veteris Testamenti, & Euangelista est propheta noui, & legis Euangelicæ. Igitur merito Euangelista Ioannes Archipropheta nuncupatur: Tum quia postquam Christus dixit: [Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista;] mox de eodem Baptista, subtexuit: [Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.] At per regnum cælorum (inter alias illius significationes) intelligitur ecclesia militans, iuxta illud D. Gregorij homil. 12. in Euangelia: [Sed sciendum nobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit. [Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala.] Idque apertius demonstrant illa verba Redemptoris Matth. 13. [Ideo omnis Scriba doctus in regno cælorum similis est homini Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.] Quo loco per regnum cælorũ ecclesia militans, & maxime in nouo Testamento demonstratur, vt exoluit Abulensis, D. Chrysostomus, Origenes, Lyranus, Caietanus, & Paulus de Palatio in suis commentarijs in Matth. Igitur cum Ioannes Euangelista sit propheta ecclesiæ militantis in nouo Testamento, vt palam ostendimus in præcedenti quæstione, quamuis esset minor inter prophetas noui Testamenti, (quod alias nullatenus est asserendum, cum primatum inter eos teneat; fuit enim Apostolus & dilectus discipulus Christi, (quod de nullo propheta noui Testamenti vmquam dicitur;) adhuc respectu Ioannis Baptistæ merito Archipropheta appellari potest, ex vi illorum verborum Christi: [Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.] Quoniam Anselmus Laudunensis expendens locum istum Matth. de sola ecclesia militanti in sua glossa interlineari sic superscribit. Qui minor (tempore) est in regno cælorum, (in cordibus Apostolorum) maior (dignitate) est illo. Tum quia ministri noui Testamenti, (quilibet illi sint) præferuntur omnibus prophetis veteris Testamenti, & illis sunt excellentiores, vt fateri videtur S. Tho. 2. 2. q. 174. art. 4. ad 3. Vnde Alphonsus Tostatus in præfatione in Euang. ad Matth. q. 6. in hæc verba prosiliuit: [Non solum Apostoli excellebant prophetas, sed etiam quicumque habens ministrationem aliquam in nouo Testamento, excellit omnes, qui sunt in veteri testamento.] Igitur ex suppositione data, nimirum, quod Baptista sit inter prophetas veteris testamenti, cum Euangelista Ioãnes fuerit minister noui Testamẽti, & Apostolus Christi; directe concluditur intentum. Tũ quarto, & postremo probatur; quoniam, cum Ioannes Baptista sit finis legis, & prophetarum, adhuc degerat sub imperfectione pædagogi; & cum Ioannes Euangelista esset in nouo Testamento, erat sub perfectione non subijciendi pædagogo iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. [Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: at vbi venit fides iam non sumus sub pedagogo.] & cap. 4. [Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre, ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege; vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.] Quibus in locis clare docet Apostolus, quod lex Moysi, fuit pædagogus noster in timore, scilicet, quod quamdiu fuimus in veteri Testamento, fuimus sicut pueri imperfecti sub pædagogo. In nouo autem Testamento dicit nos esse viros perfectos sine pædagogo. Igitur cum Ioannes Baptista fuerit propheta veteris Testamenti, & Ioannes Euangelista fuerit propheta noui Testamenti; in ratione prophetæ perfectior erit Ioannes Euangelista, Ioanne Baptista, & ex consequenti perspicuum, & planum nostrum euadit intentum.

2. Ratio. Matth. 11.

Regnũ cælorum Ecclesia militans. D. Gregor.

Abulensis. D. Chrysost. Origenes. Lyranus. Caietanus. Paul. de Palatio.

3. Ratio. Ministrorum noui testamenti excellentia.

S. Th. Abulens.

4. Ratio.

Lex Pædagogus noster.

Secunda assertio. Reponendo Ioannem Baptistam

2. Assertio.

F inter prophetas noui Testamenti, (vt in quinto fundamento retulimus,) adhuc Ioannes noster Euangelista merito Archipropheta nuncupatur. Tum quia Ioannes Baptista solum habebat vitæ austeritatem, quia nec manducabat, nec bibebat ea, quæ alij homines manducare, & bibere solebant, eo quod solum locustas, & mel syluestre sumebat, vt dicitur Matth. 11. Ioannes verò Euangelista erat Apostolus Christi, quauis manducaret, quæ ei apponebantur iuxta præceptum Domini. Lucæ 10. At Apostolus est primus gradus ecclesiæ, vt liquet ex quarto fundamento exhausto ex Paulina scriptura. Igitur cum supra Apostolatum Ioannis Euangelistæ, caderet donum prophetiæ & supra illam vitæ austeritatem caderet etiam donum prophetiæ Ioannis Baptistæ; sequitur, Ioannem Euangelistam, ratione Apostolatus, merito Archiprophetam appellari; cum in illo, donum prophetiæ conne-

G xum esset cum Apostolatu, qui est maximus gradus inter humanos, & primus Ecclesiæ Dei: Tum quia Ioannes Euangelista habuit donum linguarũ ante donum prophetiæ. Quoniam super Ioannem Euangelistam, & alios Apostolos venit Spiritus sanctus in die Pentecostes, vt dicitur act. 2. & sic Ioannes Euangelista simul cum dono prophetiæ loquebatur omnibus linguis, quod numquam legitur de Ioanne Baptista. Igitur potest merito Ioannes Euangelista Archipropheta nuncupari, quamuis Ioannem Baptistam inter prophetas noui Testamenti reponamus. Tum quia Ioannes Baptista in quantum propheta prænuntiauit, & ostendit digito suo Messiam, dicens: [Ecce Agnus Dei!] At Ioannes Euangelista in hoc excellit Ioannem Baptistam. Nam Baptista populo Hebræo dumtaxat ostendit Messiam, Euangelista vero (cum alijs Apostolis) Christum, & Messiam ostendit toti orbi, iuxta

H illud: [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, &c.] Illumque plenius cognouit, audiendo semper doctrinam eius, & cum eo conuersando, super pectus eius in cœna recumbendo, & miraculis eius interueniendo; quæ omnia pertinent ad magnam excellentiam. Vnde Dominus Lucæ 10. Apostolis suis dixit: [Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, multi enim reges, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Adde quod Ioanni Euangelista, & alijs Apostolis ostendit Christus secreta sua iuxta illud Ioan. 15. [Vos amicos dixi, quia omnia, quæ audiui a patre meo, nota feci vobis.] Quæ omnia nullatenus notificauit Christus Ioanni Baptistæ, quia non conuersabatur cum eo; & etiam quia non fuerunt illa necessaria Ioanni Baptistæ; quia numquam prædicauit de illo quid-

I quam. Accedit illud, quod de Apostolis legitur, nimirum: [Manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ & vita manifestata est, &c.] Igitur cum Ioannes Euangelista in ratione prophetica, perfectius ostenderet, sciret, annuntiaret, tangeret, & prædicaret Christum, quam Ioannes Baptista, habetur intentum. Tum quia Spiritus sanctus in suo aduentu illustrauit, ac omnino perfudit Ioannem Euangelistam omnibus charismatibus ad abundantiam, vt dicitur act. 2. quod non legitur de Ioanne Baptista. Quoniam Ioannes Euangelista, & alij Apostoli plura, & maiora facturi erant per totum orbem terrarum, quam Ioannes Baptista, qui solum genti Iudæorum prædicauit; & sic omnes Apostoli in charitate, & spiritualibus donis, Ioanne Baptista maiores fuerunt. Tum quia Ioannes Baptista præter suam prophetiam de Christo nullam aliam habet scripturam in nouo Testamento.

K At Ioannes Euangelista præter suam hanc prophetiam habet Epistolas, & Euangelium. Tum quia Ioannes Euangelista est, & dicitur propheta, & etiam Ioannes Baptista est, & dicitur propheta, igitur in ambobus ista denominatio debet fieri ab aliqua forma, proprietate, vel operatione. Consequentia est aperta ex Philosopho præcipue in 4. lib. metaph. & ex S. Thom. p. p. q. 13. art. 2. ad 2. & 3. p. q. 37. art. 2. At ista proprietas, forma, qualitas, vel gratuitum donum vtrisque di-

Ioannes Euangelista Archipropheta dicitur quauis Ioannem Baptistam inter Prophetas noui Testamenti constituamus.

1. Ratio. Ioannis Baptistæ austeritas.

Apostolus primus gradus Ecclesiæ.

2. Ratio. Ioannes Euangelista habuit linguarũ donum.

3. Ratio.

Ioan. 1.

Psalm. 18.

1. Ioan. 1.

4. Ratio.

Io. Euang. omnibus Spiritus Sãcti charismatibus apprime illustratus.

5. Ratio. Io. Euãg quot scripturas habeat in nouo testamento.

6. Ratio. Io. Euãg. maxima excellentia super omnes Prophetas vtriusque. Testam.

uinitus datum, nequit esse nisi lumen propheticum, vel donũ gratiæ propheticæ, vel proprietas, & operatio prophetandi, vt est manifestum: igitur qui inter hos duos prophetas maius, & excellentius lumen propheticum obtinuerit, merito Archipropheta, & prophetarum princeps appellabitur. Sed sic est, quod lumen propheticum, maius, & excellentius fuit in Ioanne Euangelista, quam in Ioanne Baptista; quoniam lumen propheticum in Ioanne Baptista tantum se extendit ad tempus præsens, eo quod ipse tantum prænuntiauit, & ostendit digito suo Messiam de præsenti: lumen vero propheticum in Ioanne Euangelista, non solum se extendebat ad præsens, verumetiam ad præteritum, & ad futurum tempus Messiæ, vtpote Christi, qui iudicaturus est viuos, & mortuos. Ambijt enim prophetia Apocalypsis, omnes tres temporis differentias. Igitur merito noster propheta Ioannes Euangelista, tam respectu Ioannis Baptistæ, quam reliquorum prophetarum noui Testamenti Archipropheta, & prophetarum princeps nuncupatur a nobis. Istud argumentum videtur efficax, & (ni fallor) ceteris efficacius: quoniam attingit lumen, & cognitionem propheticam, eo quod, si aliquis est maximus propheta, vel Archipropheta, oportet, quod excedat ceteros in genere cognitionis propheticæ. Quoniam esse doctiorem, sanctiorem, vel minus sanctum, alienum est ad esse prophetam, & sic oportet, quod Archipropheta in aliquo pertinenti ad prophetiam, reliquos excedat prophetas. Quod plane argumentum optime confirmat,

3. Assertio. Archipropheta Ioannes Euangelij aquila dicitur. D. Hier. in Prolog. sup. Matth.

Tertia, & postrema assertio. Archipropheta noster Ioannes merito aquila Euangelij a nobis dicitur. Hæc est D. Hieronymi in prologo in Matthæum, vbi describens illa quatuor animalia Ezechielis, sic ait; [Prima hominis facies Matthæum significat, quia &c. secunda Marcum, in quo, &c. Tertia vituli, quæ Euangelistam Lucam a Zacharia, &c. Quarta Ioannem Euangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, & ad altiora festinans, de Verbo Dei disputat.] Est insuper D. Augustini lib. 1. de concordia Euangelistarum, & omnium sanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, ex quo plane probata omnino remanet. Applicatio vero aquilæ ad Ioannem in hoc stat, nimirum quia aquila altius volat, quam omnes aues, & clarius omnia videt: ita Ioannes teste D. Augustino loco citato, ascendit in altum super omnes disputans, idest tractans de verbo Dei. Ideo etiã Ioãnes noster fuit Euangelistarum maximus, quia diuinas personas, & æternam generationem luculentissime scripsit: idem videntur innuere de Ioanne nostro, Gregorius lib. 31. moral. cap. 33. D. Ambrosius de Virg. lib. 3. & 2. de Abra. 8. Accedit quod Alphonsus Tostatus paradox. 5. cap. 3. disputans de aquila, ac probans Christum aquilarum magnam similitudinem gerere in hæc prosiliuit verba: [Ex eodem autem fundamento insurgit, quod Ioannes Euangelista in aquila figuratus est, quæ est vnum de quatuor animalibus, quæ vidit Ezechiel ante Thronum maiestatis Dei. Sic quoque eum figurat ecclesia, cum describit quatuor animalia ante thronum sedentis; quoniam inter omnes, Euangeliorum scriptores, nemo tam profunda indagine Deitatis mysteria perscrutatus est. Ceteri namque circa assumptæ humanitatis conditiones magis peruagati sunt.] Sic ille. En igitur caussa, ob quam aquila Ioannem Euangelistam, tam in sacro eloquio, quam inter diuinos historiographos, significare soleat, nimirum quia ceteris Euangelistis altius volauit, & in ipsam diuinitatem oculos mentis defixit.

D. Aug. lib. 1. de concor. Euangelist. & hom. 1. in Apoc.
Ioan. Euangelist aquila euang. & cur.
Ioan. Euangelista Euãgelistarũ maximus, & cur.
D. Greg.
D. Ambr.
Abulen. paradox. 5. cap.

Solutiones ad argumẽta in oppositũ. Sol. ad 1.

Illud vero, quod dicitur in primo argumento, nimirum Ioannem Baptistam vocari a Christo Domino, non tantum prophetam, verumetiam plusquam prophetam, nihil aduersus nos concludit, eo quod intelligendum venit in ordine ad prophetas veteris Testamenti, respectu quorum, ipse est non tantum propheta, verumetiam plusquam propheta: quoniam habuit excellentiam quandam circa rem prophetatam super illos, quia ceteri prophetæ veteris testamenti prænuntiauerunt, dumtaxat. At vero Ioannes Baptista, & prænuntiauit & ostendit. Prænuntiauit, quidem, dum dixit: [Post me veniet, qui ante me factus est.] Et tunc erat propheta, quia prænuntiabat, sed nesciebat quis esset ille, quem prænuntiabat, iuxta illud Ioan. 1. [Et ego nesciebam eum.] ostendit etiam, dum dixit; [Ecce agnus Dei.] Hoc autem nemo veterum prophetarum fecit. Nemo enim illorum eum videre meruit, quod plane pertinet ad gradum propheticum, consistit enim prophetia in cognitione: perfectius tamen aliquid, cognoscitur, cum sensu percipitur, quam cum solo intellectu apprehenditur. Quamobrem ista visio ad quandam perfectionem pertinebat, dicente Christo: [Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.] Ioannes ergo plusquam propheta est; quoniam eum, quem prophetauerat præcurrendo etiam ostendendo nuntiabat. Insuper, quia Ioannes est maioris dignitatis, quoniam ceteri prophetæ solum prophetauerunt, Baptista vero non solum prophetauit, verum etiam de eo prophetatum est, quod venturus esset, iuxta illud: [Ecce ego mittam Angelum meum, &c.] Præterea Ioannes plusquam propheta dicitur, quia habuit priuilegium, quod Christum baptizauerit, quod prophetarum nulli, datum est. Rursus Ioannes plusquam propheta est, quia concurrit cum Christo, ceteri enim de longe prænuntiauerunt: verumtamen hæc omnia nullatenus impediunt, quin Euangelista Ioannes ratione status noui Testamenti, & etiam ratione gradus Apostolatus, qui fuit in illo annexus cum dono, & gratia prophetiæ, non sit excellentior propheta.

Io. Baptista habuit donũ gratiæ plusquã propheticę in ordine ad prophetas antiquæ legis.
Ioan. 1.
Matt. 3.
Lucæ 3.
Ioan. 1.
Lucæ 10.
Ioan. Baptista quare plusquã propheta dicitur.
Matt. 3.

Sol. ad 2. Ioan. Baptista dicitur maior in ordine ad prætericos veteris Testamẽti.

Nec minus concludit illud, quod dicitur in secundo argumento, eo quod accipiendum etiam venit in ordine ad prophetas veteris Testamenti, quoniam illa particula: [Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista;] relata est non ad omnes homines, sed ad omnes prophetas veteris Testamenti: ita vt sit sensus, inter omnes prophetas natos mulierum non surrexit maior propheta Ioanne Baptista. Quam plane particulam Matthæus tacuit, vt recte annotauit Caietanus. Aliam Abulensis in cap. 11. Matth. q. 30. addit solutionem, admittens, quod loquatur de omnibus hominibus, verumtamen præteritis; ita vt sit sensus: Nullus hominum de iam præteritis fuit maior Ioanne Baptista. Accedit, quod licet, forte, nemo sit maior Ioanne sanctitate, est tamen quilibet maior eo status dignitate. Nam status noui Testamenti est excellentior quolibet statu præterito: Ioannes vero non fuit in eo, sed in veteri Testamento, vel medius amborum, quemadmodum nuper retulimus cum Chrysostomo, asserente, quod fuit finis legis, & principium Euangelij. Quilibet ergo Christianus est maioris status, quam Baptista, iuxta illud: [Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.] quasi dicat, ex eo, quod est in regno cælorum, est maior Ioanne, licet alias non esset maior. Quidquid tamẽ sit ab illis verbis, excludũtur Christus, qui natus fuit ex Virgine ipsa etiã Virgo Maria, quæ in dignitate, & virtute maior fuit Ioanne Baptista, & Apostoli, qui primum gradum obtinent in ecclesia Dei, ex quorũ numero est noster Euangelista Ioãnes.

Caietan. in Matth.
Abulen.

Quæstio IV.

Vtrum Apocalypsis sit prophetia comminationis, vel prædestinationis?

Apo. sit ne cõminationis, vel prędestinationis prophetia.
1. fundam.
Prophetię duplicata species.

STRABVS in sua glossa ordinaria in principio Psalterij duas prophetiæ species adducit, dicens: [Prophetia alia est secundum præscientiã Dei, quam necesse est omnibus modis impleri, vt: Ecce virgo concipiet, &c. aliam secundum comminationem, vt: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] Quas quidem duas prophetiæ species explicans sanctus Thom. 2. 2. quæst. 174. art. 1. ait, quod cum futurum sit in diuina cognitione dupliciter, vno nimirum modo, prout est in sua causa, alio vero modo prout est in se ipso; hinc factum est, quod si res præcognoscantur a Deo, prout sunt in sua causa, sic accipiatur prophetia comminationis, quæ non semper adimpletur, sed per eam pronuntiatur ordo causæ ad effectus, qui quandoque alijs superuenientibus impeditur. Si vero res præcognoscantur a Deo in se ipsis, vel vt fiendæ ab ipso, sic ponitur prophetia prædestinationis, quia secundum Damascenum lib. 2. cap. 30. Deus prædestinat ea, quæ non sunt in nobis, vel vt fienda per liberum arbitrium hominis, & sic est prophetia præscientia, quæ potest esse bonorum, & malorum, quod non contingit de prophetia prædestinationis, quæ est bonorum tantum. Et quia prædestinatio sub præscientia comprehenditur: ideo in glossa in principio Psalterij, ponitur tantum duplex prophetiæ species, scilicet secundum præscientiam, & secundum comminationem.

S. Thom.
Prophetia cõmunicationis quæ sit.
Prophetia prædestinationis quæ sit.
Damas.

Quamobrem ex dictis liquet, quod prophetia comminationis sæpe mutatur, mutatis meritis illorum ad quos dirigitur, prophetia vero prædestinationis nunquam mutatur. Ad quod facilius intelligendum notabis ex Abulense in Commen. super cap. 18. Deuter. q. 7. quod ea, quæ dicunt prophetæ, vel quæ Deus dicit, aliquando complentur, aliquando vero non complentur: eo quod Deus ita res dicit, vt cognoscit? Aliquando autem Deus dicit aliqua, quæ secundum sui alti consilij determinationem, nouit futura, & ista, quia a causa immutabili emanant; sic erunt, nec vllo modo mutabuntur, & istæ vocantur prophetiæ prædestinationis. Alio vero modo Deus dicit aliqua euentura esse per prophetas, secundum quod cognoscit ea dependere ex suis causis particularibus, licet aliter sit in intellectu diuino. Nec in hoc est aliqua fictio, vel falsitas, quamuis non dicat secundũ quod est in intellectu suo determinatum; dicit tamen secundum quod est in intellectu cognitum a causa particulari dependere, dato, quod ipse præcognoscat futuram causæ mutationem, ideo non sequitur idem ordo efficiendi. Et vocatur ista prophetia comminationis, quia non sic fiet, sed sic fiturum Deus comminatur. Et de hac dicitur communiter: [Si tu noueris mutare vitam, nouit Deus mutare sententiam.]

2. fundam.
Prophetia comminationis mutatur aliquando.
Prophetia prædestinationis nunquam mutatur.
Abulens.
Quare ea, quæ Deus, vel Propheta dicit, aliquando cõplentur, aliquando vero non complẽtur.

Aduertas valde oportet, quod modus iste communis loquendi obscurat multum istam materiam, quia videtur aliquo modo ponere aliquam mutabilitatem in Deo, licet hoc non intendat, quia nullo modo sententia Dei, vel id, quod Deus dicit, mutabile est. Sicut enim si aliquis iudex diceret alicui accusato, secundũ tua crimina, quæ hic proponuntur, tu mereris suspendi,

Mutabilitas nullatenus in Deo est.
Comparatio.

F in hoc nihil senteriat, & ideo si ille nõ suspendatur, nõ mutatur aliquid de verbo iudicis: si tamen Iudex dicat: Ego sẽtio te suspẽdi, & sic patibulo te adiudico ista est vera sententia & si hoc nõ cõpleatur, mutatur aliquid de verbo iudicis. Sic est in Deo, si Deus dicat alicui, secundũ tua peccata præsentia, mortẽ mereri temporalẽ, siue subuersionẽ; propter hoc tamen non dici quod subuertetur, vel quod morietur. Si tamen Deus diceret, ego iudico te moriturũ in breui, ista est sententia. Sic enim est de his, quæ Deus dicit nobis, vel comminatur, quia quando Deus aliquid secundum suam determinationem futurum esse cognoscit, & illud prædicit, sententia est Dei; quando autem Deus aliquid secundum connexionem particularium prædicit esse futurum; non sententiat illud futurum, sed dicit, quod sic futurum esse, præsens causarum connexio requirit, & ad istum sensum reducuntur omnes
G istæ propositiones: [Morieris, & non viues:] nam est sensus, tua infirmitas nunc requirit, quod moriaris, & nõ viuas: [Quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] Id est, præsentia peccata Niniuitarum requirunt, quod vsque quadraginta dies subuertatur ciuitas. Si autem Niniue non subuersa fuit, vel Ezechias non fuit mortuus, nihil magis mutatum est in verbo Domini; quam si numquam dixisset; & sic prophetia Ionæ, & Isaiæ non fuit falsa; quoniam verba prophetarum sequuntur eum intellectum, quem Deus intendit, quia Deus per prophetas loqui dicitur; & Deo veritas, vel falsitas alicuius propositionis debet iudicari ad intentionem proferentis: sic verba prophetarum cum a Deo sint, secundum Dei intentionem veritas eorum iudicanda est.

Quomodo verificatur mutę propositiones de futuro.
Deus nõ mutatur.
Veritas, & falsitas alicuius propositionis qualiter accipienda.

Secundum autem hæc omnia, dici sane potest, Apo-
H calypsim ex parte prophetiam prædestinationis, ex parte vero prophetiam comminationis plane esse. Quoniam in Apocalypsi multa dicit Deus per suum prophetam Ioannem, secundum sui alti consilij determinationem, vt est illud: [Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.] & illud: [Ecce faciam illos, vt veniant, & adorent ante pedes tuos, &c.] & illud: [Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri cito post hæc.] & illud: [Absterget Deus omnem lachrymam, &c.] & reliqua, quæ nomen veræ sententiæ Dei obtinent. Alia vero dicit secundum comminationem, vt est illud: [Prima opera fac, sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris:] & illud: [Pœnitentiam age, si quominus veniam tibi, & pugnabo cum illis in gladio oris mei:] & illud: [Et qui machantur cum ea, in tribulatione
I maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.] Et alia multa, quæ per comminationem planè dicta sunt, & a causis particularibus proculdubio dependent, & etiam sub illa regula continentur: [Si noueris mutare vitã, nouit Deus mutare sententiam.] Et sic mutatis moribus, mutatur dictum a propheta, & non eueniret, quod dicitur in prophetia; quarum propositionum veritas iudicanda est plane ex intentione diuina, quoniam verba prophetarum, (vt est dictum) sequuntur eum intellectum, quem Deus intendit.

1. Assertio.
Apoc. est cõminationis, & prædestinationis prophetia.
Apoc. 1.
Apoc. 2.
Apoc. 4.
Apoc. 21.
Apoc. 2.
Apoc. 2.
Verba prophetarũ quẽ sensũ sequantur.

Sed dices, qui fieri potest, vt Apocalypsis simul sit prædestinationis, & comminationis prophetia, cum hæ duæ prophetiæ species ex diametro contrarientũr inter sese?

Obiectio 1.
Sol.
Apoc. est prophetia simul prędestinationis, & comminationis secũdum diuersas partes.

Respondetur, hoc non esse secundum eamdem partem, sed iuxta diuersas partes. Potest namque
K vnus liber prophetalis secundum vnam partem ad prophetiam prædestinationis, & secundum aliam partem ad comminationis prophetiam pertinere, vti liber prophetalis Isaiæ, qui secundum istam partem, nimirum: [Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c.] ad prædestinationis prophetiam spectat. Et secundum hanc alteram partem, nempe: [Morieris, & non

non viues :] ad comminationis plane prophetiam attinet, & sic est de Apocalypsi, vt est dictum.

Obiectio 2. Percontaberis tandem, an Ioannes Archipropheta sciret distinguere in hac Apocalypsi prædestinationem à comminatione?

Sol. propheta nō oportet, vt sē per distinguat inter prædestinationem, & cōminationem. Respondeo, non esse necessarium hoc in Archipropheta nostro. Quoniam quamuis propheta communiter intelligat, quid significent ea, quæ ei reuelantur, & sciat, quod Deus ea reuelat, tamen nescit semper, verū secundū prædistinationem dicantur, an secundum cōminationē, & connexionem causarum particularisī, vt patet Iohelis.2. dum dicitur: [Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Dominus, & relinquat post se benedictionem?] Et ideo contingit, quod aliquando propheta intelligeret, prophetiam, quæ erat secundum prædestinationem, esse secundum connexionem causarum particularium, & aliquando contrario modo. Patet: primum de Moyse, quia Deus protulerat contra eum sententiam, quod non intraret vltra Iordanem, & hoc fuit, secundum Dei prædestinationem, vt patuit in effectu. Sed Moyses putauit contrarium; ideo deprecatus fuit Dominum, vt dimitteret eum transire. Et Dominus ad eum. Non loquaris mihi vltra de hac re; non enim transibis Iordanem istum, vt patet Deut. 3. Secundum etiam patet de Iona, qui putauit Niniuem esse subuertendam, & stabat extra ciuitatem respiciēs, & quando vidit eam non subuerti, doluit. Quamobrem dicimus, nullatenus necessarium esse nostrum vatem Ioannem scire debere, dum ex parte Dei, secundum prædestinationem, & dum secundum comminationem in hac sua Apocalypsi prophetia loquebatur.

Moysis intētio aduersa intentioni Domini.

Ionæ intentio contraria intētioni Dei

Quæstio V.

Vtrum Apocalypsis prophetia inter prophetales gradus reponatur?



IGVEROLA p. p. contra Iudæos, & Petrus Antonius Beuter lib. annot. in sacrā Scripturam, annot. 3. tenent doctores Hebræos, prophetiam distinguere in quinq; gradus. Quorum primus est, quando fit illustratio diuina per abstractionem à sensibus exterioribus, sicut fit in somno, Dan. 7. [Videbam in visione mea, & ecce quatuor venti in mari magno.] Connectit etiam de extasi, gen. 2. [Immisit Dominus soporem in Adam.] Et tandem liquet de raptu. 2. Cor. 11. [Raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.] Secundus gradus prophetiæ est, quando fit in vigilia per imaginariam visionem, & sic tamquam in quodam exemplo contemplatur Dei reuelatio a propheta; patet Eze. h. 1. [Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.] Tertius gradus prophetiæ apud Hebræos est, quando in vigilia apparet Angelus, & docet, patet Dan. 9. [Ecce vir Gabriel.] Quartus insuper gradus est, quando sola mentis illustratione intellectus illuminatur, & leuatur ad notitiam veritatis supernaturalis, vt Dauid habuit, de quo Psal. 118. [Super senes intellexi:] Quintus tandem gradus prophetiæ est, quando additur supradictis modis dignitas specialis in tribus maxime. Primo, quum figura humana, vel alia quapiam loquitur Deus præsentialiter, vt num. 12. [Si quis fuerit propheta Domini inter vos, in visione apparebo ei, &c.] Secundo, quum familiariter sicut amicus cum amico, de quo Exod. 33. [Loquebatur facie ad faciem.] Tertio, quum loquitur Deus ei pro libito voluntatis, quando vult, de quo patet num. 9. [State hic, vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis.]

Figuer. Beuter. Gradus prophetiæ apud Hebræos. Prophetia distinguitur in quinq; gradus. Primus gradus prophetiæ. Secūdus gradus prophetiæ. Tertius gradus prophetiæ. Quartus gradus prophetiæ. Quintus gradus prophetiæ.

Alphonsus tamen Tostatus in Comment cap. 12. numerorum à quæst. 31. vsque ad 36. ponit sex gradus prophetiæ, tres scilicet minores, & tres maiores, ex quibus primus gradus est per visum, vel per auditum, de quo eodem in capite dicitur: [In visione apparebo ei.] Secundus est per somnium, de quo eodem loco dicitur: [Vel per somnium loquar ad illum:] Tertius vero est, quando Deus per solum intellectum sine mutatione exteriori cognoscebatur ab aliquo propheta, vt cognitus sane fuit à Moyse, prout eodem capite his verbis habetur: [Ore enim ad os loquar ei.] Alij vero tres maiores gradus prophetiæ sunt. Primus per extasim. Secundus vero in vigilia per speciem visibilem, vel audibilem in sensibus factam, mediante lumine supernaturali, cognoscendo aliqua occulta, vel per speciem impressam à Deo immediate in imaginatiua, siue exteriori sensatione. Tertius tandem est in eis, qui per solam speciem intelligibilem, in vigilia sine aliqua sensatione in visu, vel auditu, nec per aliquam impressionem speciei in sensibus interioribus fit. Ex quibus tres priores gradus prophetiæ sunt secundum dignitatem potentiarum: reliqui vero tres posteriores sunt ex parte modi, qui se tenet ex fortiori in mutatione potentiæ intellectiuæ, siue propter potentiæ maiorem dispositionem, siue ex fortiori impressione obiecti.

Abulen. Gradus prophetiæ apud Latinos. Prophetiæ gradus minores. Prophetiæ gradus maiores. Nota bene.

Denique S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 3. tres dumtaxat gradus prophetiæ assignat. Primus quidem est, cum aliquis ex interiori instinctu mouetur ad aliqua exterius facienda, sicut de Samsone dicitur Iud 15. quod irruit spiritus Domini in eum, & sicut solent ad ardorem ignis ligna cosumi, ita vincula & quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta. Secundus est, cum aliquis ex interiori lumine illustratur ad cognoscendum aliena, quæ tamen non excedunt limites naturalis cognitionis, sicut dicitur de Salomone 3. Reg. 4. quod loquutus est parabolas, & disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum. Tertius tandem gradus prophetiæ est, in quo intelligibilis veritas, & supernaturalis absque imaginaria visione ostenditur. Ecce tria genera prophetiæ, vel tres generales gradus, ex quibus duo priores gradus sunt prophetiæ impropriè dictæ, quia non attingunt ad supernaturalem veritatem. Tertius vero gradus est prophetiæ propriè dictæ.

S. Thom. Prophetiæ tres generales gradus se cundum S. Thomam.

Cum itaque Apocalypsis reuelata fuerit Archipropheta Ioanni in vigilia, nimirum Dominica die, vt infra disputabitur, ac etiam per visionem simul imaginariam, & intellectiuā, vt supra enodatum fuit, ac denique in tali visione species rerum illi ab Angelo propositæ fuerint, patet clare, Apocalypsim secundum, tertium, & quintum gradum prophetiæ ex assignatis ab Hebræis, iuxta doctrinam Figuerolæ, & Petri Beuter: & primum, & secundum maiorem gradum, ex propositis ab Alphonso Tostato; & tandem secūdum gradū, ex annotatis à S. Thom. obtinere. Vbi nota, quod secūdus gradus prophetiæ assignatus à D. Thom subdiuiditur in alios quatuor gradus, nimirū per somniū, & vigiliam, per signa, si loquens videtur vel non, & secundum dignitatem apparentis, vt recte S. Thom. ibi & p. p. q. 12. art. 11. ad 1. & legendus est attente Caietanus circa hanc rem in comment. 2. 2. q. 174. art. 3 quæquidem subdiuisio secundi gradus, facile Apocalypsi prophetiæ, a quouis applicari plane potest.

Apocalypsis, in quo prophetiæ gradu reponēda sit.

Subdiuisio gradus prophetiæ. S. Thom.

Caietan.

Quæst.

Quæstio VI.

Vtrum Apocalypsis sit prophetia tripertita?

Propheta qd sit.



ROPHETA, vt ex superioribus liquet, dicitur ille, qui cognoscit quædam, quæ sunt procul remota ab hominum cognitione. Quoniam hoc nomen propheta deriuatur à (pro,) quod est procul, & (phanos) quod est apparitio, eo quod aliqua illi apparent, quæ procul sunt. Quamobrem Isidorus 6. lib. Etymol. dicit, quod prophetæ vocabantur in veteri Testamento videntes, nimirum quia videbant quæ ceteri non videbant. Et apud Gentiles isti vocabantur Vates, à vi mentis, scilicet, quia habebant in mente quandam vim cognitiuam ad occulta. Hoc autem originem plane habet ex conditione prophetiæ, quæ fit communiter per lumen diuinum, quo possunt omnia cognosci, tam diuina, quam humana, tam spiritualia, quam corporalia, quemadmodum visio corporalis, quæ fit naturali lumine ad omnes se extendit colores, & cognitio naturalis animæ se extendit ad omnia illa, quæ subduntur lumini intellectus agentis. Ea autem, quæ sunt procul, & remota à nobis, iuxta doctrinam D. Thomæ 2.2. quæst. 171, art. 3. & Lyrani in prologo super psalterium, sunt in triplici gradu. Quorum vnus est, eorum, quæ sunt procul à cognitione huius hominis, siue secundum sensum, siue secundum intellectum, non autem à cognitione omnium hominum, sicut sensu cognoscit aliquis homo, quæ sunt sibi præsentia secundum locum, quæ tamen alius humano sensu, vtpote sibi absentia, non cognoscit, & sic Eliseus prophetice cognouit, quæ Giezi discipulus eius in absentia fecerat, vt habetur 4. Reg. 5. Similiter cogitationes cordis vnius, alteri prophetice manifestantur, vt dicitur 1. Corinth. 14. & per hunc modum ea, quæ vnus scit demonstratiue, alij possunt prophetice reuelari. Secundus autem gradus est eorum, quæ excedunt vniuersaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanæ, sicut mysterium Trinitatis. Vltimus deniq; gradus est eorum, quæ sunt procul ab omnium hominum cognitione, quia in ipsis non sunt cognoscibilia, vt contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Propheta autem potest hæc omnia, quæ procul & remota sunt à nobis, per tres temporis differentias, nimirum, per futurum præsens, & præteritum tempus cognoscere. Si igitur loquatur de præterito, dumtaxat, vel de futuro, vel de præsenti, erit prophetia vnifaria, si vero loquatur simul de duobus temporibus, talis prophetia bifaria appellabitur; si tandem loquatur simul de tribus temporis differentijs, trifaria dicetur talis prophetia.

[Margin: Isidorus. Propheta dicitur, videns. Prophetã Gentiles, vatẽ, appellabant. — Comparatio. — S. Thom. Lyranus. Primus gradus rerũ cognoscibiliũ. — Secũdus gradus rerũ cognoscibilium. — Tert. gradus cognoscibiliũ — Propheta potest cognoscere per tres tẽporũ differẽtias. — Prophetia vnifaria, bifaria, & trifaria qd sit.]

Hinc est, quod Alphonsus Tostatus in comm. c. 11. num. quæst. 54. explicans illa verba: [Auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris, cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt,] sic ait: [Poterat autem manifestari prophetia istorum, siue in præteritis, siue in futuris, siue in præsentibus, quia de quolibet istorum est prophetia, vt ait Gregorius super Ezechielem, Nam quod aliquis enarret veritates præteritarum rerum, quæ nulla historia, aut humana cognitione sciri possunt, propheticum est; in præsenti quoque veritates absconditæ sunt, quæ pertinent ad prophetiam, vt quod aliquis dicat nobis cõceptus nostros; de futuro autem contingenti manifestius est esse prophetiam, &c.] Hucusq; Tostatus. Constat autem, quod Apocalypsis liber est de tribus temporibus: tam secundum diuersa capita, quoniam cap. 2. & 3. loquitur de præsenti, cum ait: [Scio opera tua, &c.] & cap. 19. loquitur de præterito, cum dicit: [Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se.] & cap. 22. loquitur de futuro tempore, quum inquit: [Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.] quam secundum vnum, & idem caput, quoniam in cap. 22. sic dicitur: [Beati qui lauant stolas suas.] Ecce tempus præsens, & paulo post: [Ego Iesus misi Angelum meum, &c.] Ecce tempus præteritum, & dudum: [Et qui sitit, veniat.] Ecce tempus futurum. Tum deniq; Apocalypsis continet simul differentias temporis, secundum eandem orationem, siue periodum, quoniam in c. 1. sic dicitur: [Ecce venit, in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.] vbi [venit] est tempus præsens [videbit,] tempus futurum [pupugerunt] tempus præteritum. Et hoc ipsum examen fieri etiam potest, de hac auctoritate. cap 18. [Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, &c.] & de hac alia cap. 17. [Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam, & desolatam facient illã, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.] Et de alijs plerisque. Ex quo procul dubio patet Apocalypsim prophetiam trifariam esse, cum passim tres temporis differentias amplectatur.

[Margin: Tostatus in num. c. 11. q. 54. — Apoc. est de tribus tẽporibus.]

Quæstio VII.

Vtrum Apocalypsis sit præstantior, & nobilior prophetia alijs prophetijs veteris Testamenti?



ARTEM negantem confirmabit aliquis: Tum quia illa prophetia est excellentior, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundum actualem veritatem quam illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam, ac etiam simul intellectualem visionem, vt tenet S. Thom. 2.2. quæst. 174. art. 2. At in Apocalypsi, Ioannes cõplexus est supernaturales veritates secundum visionem imaginariam, ac etiam simul intellectualem, vt nos supra probauimus tex. 1. par. 10. disp. 7, quæst. 2. & in veteri Testamento fuerunt plerique prophetæ, qui reuelationes habuerunt per solam visionem intellectualem, vt Moyses, & Dauid. Igitur Apocalypsis nec dignior, nec præstãtior prophetia est ceteris prophetijs veteris Testamenti. Tũ quia Moyses ob suam excellentiam dicitur eximius prophetarum; vidit enim diuinam essentiam, per suam cognitionem propheticam, & hoc palam, & non per ænigmata, vt patet, Num. 12. & Exod. 32. & de Moyse dictum fuit illud: [Non surrexit vltra propheta in Israel, sicut Moyses.] Quid, quod Moyses doctrinam suam in terra Ægypti, ac per desertum, quamplurimis confirmauit miraculis, vt patet Exod. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & alijs capitibus. Ergo non est cur dicamus, Apocalypsim nobiliorem esse prophetiam varijs Moysi prophetijs contentis per totam Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium. Tum quia Dauid dicitur Propheta (inter omnes alios prophetas) per antonomasiam, & excellentiam, vt fatetur glossa in principio psalterij. Tum quia maiora miracula facta fuere per veteris Testamenti prophetas, quam per Ioan-

[Margin: 1. argum. — 2. argum. — 3. argum. — 4. argum.]

Ioannem, cuius est Apocalypsis propheria. Quoniam Iosue fecit stare Solem, & Lunam, vt patet Iosue 10. Isaias fecit retrocedere Solem, vt habetur Isa. 38. & Elias, ac Eliseus mortuos suscitarunt ab inferis, igitur prophetiæ istorum erunt nobiliores, & excellentiores Apocalypsi: Tum quia de Ioanne Baptista dicitur Matth. 11. [Inter natos mulierum non surrexit maior.] Atqui Ioannes Baptista fuit Propheta, iuxta illud Matth. 11. [Sed quid existis videre? prophetam? etiam dico vobis plusquam prophetam.] Tum tandem quia præstantia & excellentia prophetiarum, ac etiam omnium historiarum, ex nobiliori materia, quæ in vnaquaque ex illis continetur, præcipue depromitur. At in Apocalypsi tractantur tribulationes futuræ in extremo tempore, & in prophetijs veteris Testamenti tractatur de mysterio sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, de speciebus etiam cærimoniarum, de sacramentorum figuris, de obseruantijs, de hostia pro peccato, de victima, & de alijs, quæ ad cultum Dei, & ad figurandum Christum ordinabantur, quæ omnia proculdubio nobiliora, & in seipsis excellentiora sunt extremi iudicij tribulationibus, quæ continentur in Apocalypsi. Igitur, &c.

5. argum.

6. argum.

1. fundam.

Prophetia qualiter prophetiã aliam præcellat.

Pro decisione præmitto primo, quod cum annuntiatio de distantibus secundum intellectum, constituat rationem prophetiæ vere, & proprie, quanto maior erit notitia rerum prophetaliũ, tanto maior erit prophetia, & quanto clarior, tanto nobilior, quantoq; altiorũ rerum, tanto dignior prophetia dicetur. Hinc est quod vna aliam excedere potest, in pluralitate rerũ, de quibus est, in diuturnitate, siue in distantia rerum dignitatem de quibus agit, vel vt ait Abulensis in comment. 2. lib. Reg. cap. 23. excellentia prophetiæ consistit in duobus, scilicet, vel ex perfectione materiæ reuelatæ, vel ex conditione modi reuelandi. Ceterum huiusmodi omnes considerationes sunt extraneæ, & extrinsecæ ipsi prophetiæ, prout notitia est proprie loquendo, vt recte tenet Antonius Beuter lib. de annotationibus ad sacram Scripturam, annot. 3. fol. 43. Intrinsece vero excellit vna prophetia aliam in sua graduali intentione, quia clarior est. Idcirco Ioannes Baptista Matth. 11. dicitur plusquam propheta, eo quod præsentialiter Christum digito demostrauit, quo nihil clarius inter omnes antecessores prophetas veteris Testament. Quamobrem Alphonsus Tostatus super cap. 11. Matt. quæst. 35. quærens, an Ioannes Baptista sit maior omnibus, sic scribit: [Finis prophetiæ erat Messias, quia lex & Prophetæ ad Messiam ordinabantur, & quanto aliquis propheta plura cognoscebat de Messia, tanto erat excellẽtior, & quanto illa apertius cognoscebat, tãto erat in gradu prophetico maior: cetera autem, vt clades gentium, irruptiones vrbium, & huiusmodi accidentalia erant ad prophetiam, ideo per hæc non iudicabatur vnus propheta maior altero. Ioannes autem apertius cognouit Messiam, quam ceteri, ad quem ordinabatur tota prophetica pronũtiatio, ideo ipse fuit simpliciter maior alijs prophetis.] Ita Abulensis.

Tostatus.

2. fundam.

Præmitto secundo, quod nouum Testamentum præstantius, nobilius, ac excellentius est veteri, eo quod nouum Testamẽtum est lex noua Euangelica, quæ proprie est Spiritus sancti gratia, quæ datur per fidem Christi. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, & vt dicitur Ierem. cap. 13. scribitur in cordibus credentium: lex autem vetus, siue vetus Testamentum dicitur scriptum esse, (vt habetur Exod. 3.) in lapidibus, vel tabulis lapideis. Quamobrem lex noua, siue nouum Testamentum, se habet ad legem veterem, siue ad vetus Testamentum, tamquam perfectum ad imperfectum, iuxta doctrinam D.Tho. 1. 2. quæst. 107. art. 3. Hinc plane est, quod lex noua, siue nouum Testamentum continetur in lege veteri, siue in veteri Testamento non actu, sicut locatum in loco, sed virtute sicut species in genere confuse & implicite, & quemadmodum etiam arbor in semine; quod quidem figuratum

Comparatio.

A fuit Ezech. cap. 1. dum rotam in medio rotæ intuitus fuit Dei vates. Rota namque in medio rotæ, nouum sane est Testamentum, in medio veteris contentum virtualiter & confuse, vt est dictum, ex quibus liquido constat nouum Testamentum præstantius esse veteri, quod & communiter chorus Theologorũ, nemine penitus penitusq; discrepante, fatetur.

Sit verissima assertio. Apocalypsis est præstantior & nobilior prophetia omnibus alijs prophetijs veteris Testamenti. Probatur, Tum quia gradus prophetiæ dignitatem accipiunt à lumine prophetico, vt patet ex superioribus, & ex primo fundamento, ac etiam ex S.Thom. 2. 2. quæst. 174. art. 1. Ergo prophetiæ, quæ darę fuerint sub maiori lumine, erunt appellandæ excellentiores. Atqui Ioannes Apostolus, & Euangelista in hac prophetia Apocalypsi (quemadmodum & in reliquis suis scripturis) habuit maius lumen, quam habuerint omnes reliqui Prophetæ veteris Testamenti, vt facile deducitur ex illo 2. Pet. 1. [Habemus firmiorẽ propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucẽti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.] Ergo prophetia Apocalypsis reliquis prophetijs veteris Testamenti excellentior est. Tum quia perfecti prophetæ appellandi sunt excellentiores, ac nobiliores. Imperfecti vero prophetæ, ignobiliores. Atqui prophetæ noui Testamenti dicuntur perfecti, prophetæ vero veteris Testamenti, comparatione prophetarum, & Euangelistarum noui Testamenti sunt imperfecti. Ergo prophetæ noui Testamenti sunt excellentiores Prophetis veteris Testamenti: minor probatur, quandoquidem vetus Testamentum comparatione ad nouum se habet, tamquam imperfectum ad perfectum, vt liquet in secundo nostro fundamento. Ergo prophetæ omnes veteris Testamenti. Comparatione facta ad Prophetas Testamenti noui, se habebunt tamquam imperfectum ad perfectum, & sic est etiam de omnibus alijs rebus vtriusq; Testamenti: consequentia patet. Quoniam, quanto maior est notitia rerum prophetalium, tanto maior est prophetia, & quanto clarior, tanto nobilior, & tandem quanto altiarum rerum, tanto dignior, vt supra dictum est. Atqui notitia rerum prophetalium, siue lumen propheticum est maius in nouo Testamento, quam in veteri; non tantum in specie, & secundum totum, verumetiam in indiuiduo, & secundum partem. Ergo non tantum prophetæ omnes veteris Testamenti, comparatione facta ad prophetas noui Testamenti, se habebunt tamquam imperfectum ad perfectum, & res etiam omnes vtriusque Testamenti inter sese comparatæ, verumetiã minima notitia de quacumq; re diuina in nouo Testamento, est altior, perfectior, & excellentior quacumque notitia quantumuis maxima rerum veteris Testamenti. Et hoc plane ob dignitatem magnam noui Testamenti. Sed sic est, quod Archipropheta Ioannes est noui Testamenti Propheta, ergo eius prophetia Apocalypsis erit altior, excellentior, ac dignior ceteris prophetijs veteris Testamenti. Quod autem cognitio rerum noui Testamenti sit clarior, altior, ac dignior cognitione rerum veteris Testamenti, liquet ex multis sacræ Scripturæ locis. Nam 1. Cor. 5. dicitur: [Nos vero reuelata facie gloriam Domini speculantes transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.] & ad Eph. 5. [Alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu.] & Lucæ cap. 10. [Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; dico enim vobis, quod multi Prophetę, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.] Sunt & alia pæne infinita loca. Tum quia vna prophetia est excellentior, & præstantior alia, in pluralitate rerum de quibus est, & agit, vt patet in primo fundamento nostro. Atqui omnes prophetiæ veteris Testamenti sunt vnifariæ, nimirum, vnius dumtaxat temporis, Apocalypsis vero est trifaria, nempe, de tribus tempori-

1. assertio. Apoc. antecellit omnes prophetias veteris Testam.

B

1. Ratio.

2. Ratio.

C

D

E

3. Ratio.

poribus, vt supra actum est. Ergo, &c. Tum tandem confirmatur, ex modo, quo Ioannes habuit hanc reuelationem, eo quod illam plane habuit per claras visiones, & per voces auditas, ita vt qualitatem visionum, & reuelationum apertius perspiceret mediantibus interrogationibus, ac responsionibus plerisq; Quamobrem nullatenus indigebat rerũ significationes mendicare, nec minus per discursum intellectus sui laborare. Alij vero plerique veteris Testamenti prophetę sępenumero nõ intelligebãt visiones, reuelationesue sibi factas, vt patet de Daniele, qui (vt habetur Dan. 7.) iurauit se non intelligere visionem sibi factam, & ob id accessisse ad vnum de astantibus, qui dixit illi interpretationem.

Sol. ad arg. in opposita. fol. 1. Primum tamen argumentum ex D. Tho. depromptum soluitur, ex eo quod S. Thomas, ibi tantum disputat, (vt recte exponit Cardinalis Caietanus,) an pro- G phetia habens tantum alteram propheticam visionem scilicet, intellectualem, sit excellentior prophetia, habente vtramq; propheticam visionem, scilicet, intellectualem, & imaginariam? Quibus adde, quod Angelicus Doctor, hoc non quærit ibi in vtroq: Testamento coniunctim, ita vt sit sensus, An prophetia habens alteram tantum propheticam visionem, scilicet, intellectualem in veteri Testamento, sit excellentior prophetia, habente vtramque propheticam visionem, scilicet, intellectualem, & imaginariam in nouo Testamento? Nequaquam. Compararet siquidem sic vetus Testamentum ad nouum. Et certum est minimam notitiam de quacumq; re diuina in nouo Testamento altiorem, & excellentiorem esse quacumque notitia, quantumuis maxima, de rebus veteris Testamenti (vt dudum dicebamus) propter dignitatem magnam noui Testamenti. Quamobrem quod hic quærit Sanctus Thomas in- H fra limites vniuscuiusq; Testamenti, per se dũtaxat, se extendit, ita vt sit sensus, An in nouo quoq; Testamento, per se, & seorsum sumpto, prophetia habens alteram tantum propheticam visionem, scilicet, intellectualem, sit excellentior prophetia, habente vtramq; propheticam visionem, scilicet, intellectualem, & imaginariã; & sic verũ est quod ibi definit sanctus Doctor. Ceterum sic nihil contra nos, quoniã nos hic nouũ ad vetus comparamus Testamentum respectu propheticã visionem, quãobrẽ nihil obstat doctrina D. Tho. quod prophetica visio Ioannis in Apocalypsi, quæ fuit simul intellectualis & imaginaria in nouo Testamento, nõ sit excellentior prophetica visione, intellectuali dũtaxat in veteri Testamento, siue sit Moysi, siue Dauid, vel alterius cuiusuis prophetæ veteris Testamenti.

Sol. ad 2. & 3. Secundum & tertium argumentum nihil itidem ha- I bent roboris, quoniam Moyses dicitur eximius prophetarum, & Dauid propheta, per antonomasiam, & excellentiam, non absolute, & simpliciter, sed secundũ quid, in ordine nimirum, ad vetus dumtaxat, Testamẽtum, & nullatenus in ordine ad nouum, cuius ministri præferuntur etiam ipsi Moysi, & Dauidi, quasi magis reuelatẽ speculantes, vt habetur 2. Co. 3.

Vide S. Tho. 2. 2. q. 174. ar. 4. ad 3.

fol. 4. Quod vero dicitur de miracula non requiruntur simpliciter ad prophetiæ nobilitatem sed ad eius probationem. Excellentia vero prophetiæ consistit duntaxat, vel in perfectione materiæ, de qua est, vel in cõditione modi reuelandi (vt dicunt cõmuniter Theologi,) quæ duo plane sunt in Apocalypsi Ioannis.

fol. 5. Illud itidẽ Ioannis Baptistæ non est contra nos; quo- K niam Baptista nõ propheta veteris Testamenti, sed noui, cum digito Christum, ac Messiam demonstrauerit dicens: Ecce agnus Dei. Nos autem hic nihil disputamus de prophetis noui Testamenti inter sese, sed in ordine ad prophetas veteris Testamenti.

Vide S. Tho. 2. 2. q. 174. ar. 3. ad 3.

fol. 6. Vltimum deniq; argumentum facilis est solutionis, cum in Apocalypsi, non tantum de tribulationibus, futuri iudicij, verumetiam de Trinitate, verbo iam incarnato, de Resurrectione, de Beatitudine, &c. agatur.

Quæstio VIII.

Vtrum Apocalypsi prophetiæ possit subesse falsum?



CVM Apocalypsi, vt prophetia est, conueniat illa ratio communis prophetiæ, quam adducunt Cassiodorus in prologo in psalmos cap. 1. in principio. S. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 6. in argumento, sed contra, & Abulensis tom. 1. in libros Regum, q. 20. nimirum, prophetia est inspiratio, vel reuelatio diuina, rerum euentus, immobili veritate denuntians. Et præterea Apocalypsis, vt prophetia est, rationem obtineat prophetię prædestinationis, & comminationis. Hinc plane est quod circa quæsitum duas has sequentes conclusiones, de reali veritate, & firmitate Apocalypsis, hic astruamus in ordine. *Apoc. qualiter nõ potest subesse falsũ.*

1. concl. Prima conclusio. Apocalypsi, vt est prophetia prędestinationis, nullatenus subesse potest falsum; Patet, quoniam Apocalypsis, vt sic est quædam cognitio intellectui Archiprophetæ Ioannis impressa, ex reuelatione diuina per modum cuiusdam doctrinæ, non quãtum ad discursum, sed quantum ad communicationem, non quod Deus docuerit Ioannem syllogizando, vt magister docet discipulum, ex quodam in quoddam discurrendo; sed quod docuerit illum communicando illi notitiam suam, sicut magister cõmunicat discipulo notitiam, quam habet. Atqui veritas cognitionis est eadem in discipulo, & in docente, vt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 6. in corpore: ergo oportet in Apocalypsi eamdem esse veritatem propheticæ enuntiationis, quæ est & cognitionis diuinæ, & propheticæ cognitionis Ioannis: sed cognitioni diuinæ impossibile est subesse falsum; igitur nec minus propheticæ cognitioni Ioannis poterit subesse falsum, & per consequens, nec Apocalypsi, vt est prædestinationis prophetia.

2. concl. Secunda conclusio. Apocalypsi, vt est prophetia comminationis minime potest subesse falsum. Patet, quoniam Deus in comminationibus aliquando mutat sententiam, verumenimuero numquam mutat consiliũ, certitudo namque diuinæ præscientiæ non excludit contingentiam singularium futurorum, eo quod fertur in ea secundum quod sunt præsentia & iam determinata ad vnum. Quamobrem prophetijs comminationis numquam subest falsum, quoniam illæ semper accipiendæ veniunt, vt inferiorum causarum dispositio siue naturalium, siue humanorum actuum, hoc habet, vt talis effectus eueniat, & secundum hoc intelligendæ sunt omnes comminationes Apocalypsis, quemadmodum etiam & illa Isaiæ, nempe: [Morieris, & non viues,] id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. Et illa altera Ionæ, nempe: [Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur,] id est, hoc merita eius exigunt, vt subuertatur. Et si emendetur delictum, mutat Dominus sententiam, ceterum non consilium, & ob id nulli prophetiæ comminationis, & per consequens Apocalypsi, vt est comminationis, potest falsum subesse, quoniam consilium Dei semper est firmum, iuxta illud: [Consilium meum stabit, &c.] Isaiæ 46.

QV

Quæstio IX.

Vtrum Apocalypsis dicatur liber Prophetalis, eo quod contineat prophetiam, vel eo quod à Propheta scriptus sit?

Liber dici propheticus dupliciter contingit.

Apoc. est lib. propheticus triplici de causa.



VGO de Sancto Victore tenet, quod liber propheticus dicitur dupliciter nimirum, quia editus, vel scriptus est à propheta, vel quia procedit stylo prophetico. Idem prorsus asseuerat cum Hugone Alphonsus Tostatus, in præfatione D. Hieronymi in libros Regum, tom. 1. q. 20. Constat autem Apocalypsim librum, & editum, vel scriptum fuisse à Ioanne propheta Apostolo, ac euangelista, & prophetiam continere, & tandem stylo prophetico procedere, & per consequens patet responsio ad quæsitum, & ad quæstionis titulum.

PARAPHRASIS Quinta.

Par. 5. Dilucidatio textus. §. 1.

Et seruat ea, (dicit tandem) quæ in ea scripta sunt. Seruare ea, quæ in prophetia huius voluminis docentur, iubentur, & prænuntiantur, nihil aliud est, quam eadem memoriter retinere, efficaciter adimplere diligenterq; custodire, vt sic ad vitam peruenire valeamus æternam. Hinc est, quod Strabus in sua glossa ordin. super hunc locum ita scribat: [Illi soli beati (dicuntur) qui audiunt, vt mente recondāt, & mente recondunt, vt opere compleant, vt vitam æternam possideant.] & paulo post: [Qui fidem Christi, & Ecclesiæ non violat, & timet minata, & quærit promissa; vere beatus, quia nec longa mora laboris, & præmia vicina.] Sic ille. Ducunt itaq; ea, quæ in hac prophetia scripta sunt, ad vitam æternam, quandoquidem contenta in isto libro, sunt saluberrima documenta, seriosa præcepta, futuraq; aduersa: quæ omnia apprime ad vitam disponunt æternam, & ob id sedulo, ac diligenter in terris seruanda ab hominibus veniunt. Quoniam Christus Dominus Lucæ 11. ait: [Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.] Quamobrem D. Gregorius homil. 15. in Euangelia sic scribit: [Verba Dei, quæ aure percipitis, mente retinete, cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus, stomacho languente, reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non retinetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur,] ita D. Gregorius. Quæ quidem verba quadrant verbis D. Iacobi, dicentis in c. 4. sic: [Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.] Quamobrem Dauid Psalm. 118. Domino ait: [In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.] perinde ac si diceret. Non sum ego Domine circa eloquia, legem, verbaq; Euangelica tua, sicuti infirmi illi, qui cibum semel acceptum, mox ex stomacho projiciunt, quoniā ego sermones tuos ex ore prædicatorum, confessariorumq; tuorum, semel aure perceptos, quasi animæ meæ alimenta, mirum in modum retineo. Et ad quid Sanctus Vates eloquia Dei in corde tuo, ita diligenter cauteque abscondis? respondit plane ipse: [Vt non peccem tibi.] Suaue ac maximum profecto antidotum est contra peccatum in hora tentationis legem, præcepta, & verba Domini mente retinere, & illa tunc

D. Greg.

Iacob. 4. Psalm. 118.

A ex corde aduersus tentatorem prodire, quemadmodū Dauid lapides ex pera sua, 1. Reg. 17. ad lapidandum Goliath, hoc est, ad dæmonem resistendum. Exemplum plane huius rei habemus in Christo; qui tentatori in deserto Matt. 4. ter auctoritatibus sacræ Scripturæ respondit, suas tentationes intrepide retundens, dicendo: [Scriptum est, Non in solo pane viuit homo,] & iterum: [Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum,] & tandem: [Vade retro satana; scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.] Quo stylo respondendi plane docuit nos, verbo Domini, tentationes dæmonis deuincendas esse; quamobrem cum dæmon te tentat circa quærendas pecunias, tu illum mox lapida illo lapide, dicendo, scriptum est: [Dormierunt somnium suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.] Cū vero te tentat circa officia, dignitates, & honores mūdanos quærendos, tu mox ex corde extrahe hunc lapidem, quasi Dauid ex pera, & illo eum lapida dicendo scriptum est: [Præterit figura huius mundi:] Cum tandem te tentat circa vitia carnis, actusq; Venereos, tu mox aduersus eum ex corde tuo extrahe alium lapidem dicendo, scriptum est: [Momentaneum est, quod delectat, & æternum, quod cruciat.] Ad hoc igitur ait Dauid Domino: [In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.] Quamobrem D. Iacobus inuitans nos, ad verbi Dei custodiam, & ad bona opera facienda ait: [Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos; quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; cōsiderauit enim se, & abijt & statim oblitus est, qualis fuerit.] Ideo de auditoribus, & non factoribus, D. Bernardus super hunc locum ita scribit: [Multi præcepta Dei legunt, vel audiunt, sed nihil eos iuuat, aut in acquirendis terrenis mens eorum dedita est, aut libidine exagitatur, aut proximum exagitat, aut contra prælatum superbit, aut fingit se potentem, vel magnū futurum, aut ceteris vanissimis rebus distenditur: alij diuinas scripturas legunt, & audiūt, vt sapientes egregij apud homines habeantur, & in sæculi prosperitatibus floreant; non vt reprobam corrigant vitam.] Hucusq; D. Bernardus. Oportet igitur custodire eloquia Dei bona opera proximis exhibendo; huius erat imago Cherubinus ille, quem Ezechiel cap. 10. vidit, dum ait: [Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis, subtus pennas eorum.] Actiones etenim piæ quas indicant manus, subijciendæ sunt speculationis & doctrinæ pennis: quod namque intus verbo Dei concepit, exterius operibus indicare debet. Quēadmodum namq; malum granatum decoris repletum granis, ardentissimis in illud solis reuerberantibus radijs medium apperitur, illaq; rubicunda grana demonstrat, sic iustus, ac pius sanctusq; vir ardentissimo Dei amore radiatus, viscera sua aperit, exterioribusq; operibus interiores virtutes, inflammantissimamque charitatem aperte manifestat. Etenim sicut inter omnes fructus malum granatum corona insignatum est; sic vtique ille coronabitur qui interiori exteriorique charitate fulgebit. Et forte hoc Moyses significare voluit, instituens, vt in fimbrijs sacerdotalis indumēti, quando Sancta Sanctorum ingredi debebat, tintinnabula & mala granata essent; quoniam talis in vltimo vitæ fine inueniri debet quisquis cælestes ianuas ingredi conatur, vt attentionem cælestis tintinnabuli diuini verbi se præstitisse, & opera, tamquam fructus ex tali auditione emanantia coram Deo repræsentet, vt sic præmium ex illis reportare valeat. Omnis etenim scriptura omnimodum fructum, ac præmium essentiale, bonis nostris operibus promittit, ac obseruātiæ diuinæ legis elargitur. Verum quidem est, quod ipsa opera nostra per se considerata, tamquam pannis menstruatæ coram Deo apparent, attamen diuina gratia fortificata, ac illustrata æternæ gloriæ meritoria esse proculdubio credimus. Quemadmodum namque ferreum pomum naturaliter tendit deorsum, vi tamen ignis à machina bellica egrediens, sursum eleuatur, sic

Psalm. 75.

1. Cor. 7. 2. Cor. 4. Gloss. ord.

Iacob. 1.

D. Bernard. in cap. 1. Apoc.

Isa. 64.

sic opera nostra, quæ ex defectu naturæ, & peccato, nullius apud Deum sunt ponderis; diuinæ tamen gratię ope & auxilio, ad cælum vsque eleuantur. Ipsa præterea gratia nullatenus meretur, alioquin iam nō esset gratia, sed merces. Gloria autem est, quæ meretur, quoniam merces est operantium, opera vero nostra, antequam gratiam adepti simus, sunt præparatoria & dispositiua ad ipsam gratiam. Post adeptionem vero gratię, quantum ad pœnam, quę remissa culpa remansit, sunt satisfactoria; quantum autem ad gloriam, quo tendimus, sunt meritoria. Quemadmodum etenim nullus parentum meretur, quod anima corpori infundatur, quinimmo, post ipsius organizationem, sequitur ex ordine diuinæ prouidentiæ, animæ infusio; sic nullus primam gratiam ex vi operum meretur, sed post operum dispositionem sequitur necessario gratiæ donatio, & post gratiæ adeptionem ipsis operibus, ex diuino promisso merces æterna debetur. Quamobrem nos, cum Christo, eiusque gratia cooperari in terris debemus, si cum ipso in cælis glorificari desideramus.

Cooperando oportet vt glorificemur.

In cap. 16. Leuitici iubebat lex, vt cum summus sacerdos pro peccatis populi sacrificiū oblaturus esset, animalia sacrificanda, non expensis sacerdotis, sed sumptibus populi adducerentur. Sic enim ait sacer textus: [Suscipiet sacerdos ab vniuersa multitudine filiorum Israel, duos hircos pro peccato.] Sed quid? nonne sacerdos decimas accipiebat? quare ergo hostiam pro vniuerso populo non ministrabit? Voluit quidem in hoc Spiritus sanctus nobis significare, quod sicut sine oblatione sacerdotis hostia grata non erat, sed populus eam offerre debebat; sic absque Christi meritis, & gratia, opera nostra grata esse minime possunt, sed tamen vt offerantur per eius merita, & per virtutem suæ passionis nos ea præstare debemus.

Animalia immolanda, sūptibus populi emenda.

§. 2.

Seruare verba prophetiæ Apocalypsis quid sit.

Quare satis non est de Christi meritis, & sacramētis agere, nisi nos operibus nostris ipsū imitemur, quod ipsemet Christus docuit, & hoc est verba prophetiæ huius seruare. Quoniam nihil profecto prodesset Archiprophetam dixisse beatum legentem, audientemq; verba prophetiæ huius, nisi legentem, & audientem ad obseruantiam illius constringere, cum Dominus Iudæis, Ioan. 7. dicat: [Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?] & Paulus ad Rom. cap. 2. addit; [Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.] Quibus verbis duo tangit Apostolus, nimirum, [auditores legis] & [factores legis,] vbi attente (si placet) nota, quod lex tantum facit auditores legis: gratia vero Dei est illa, quæ facit factores legis: lege etenim fit, vt quid Deus fieri velit, intelligatur, & percipiatur; at vero gratia Dei fit, vt legi obędiatur. Quapropter auditores dumtaxat nos lex facere potest, gratia vero Dei sola factores: [Sine me (inquit Christus, qui est gratiæ auctor,) nihil potestis facere:] & Paulus ipse 1. ad Tim. cap. 1. ait: [Finis legis est charitas de corde puro, & conscientia non ficta.] & ad Rom. 5. [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.] & 1. Cor. 12. [Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.] vnde Dauid, cor purum conscientiamque non fictam petens à Deo ait; [Cor mundum crea in me Deus.] & Paulus ad Heb. 9. ait: [Et mundauit conscientiam nostra ob operibus mortuis.] Constat itaq; (quinimmo apertum est apud Theologos) charitatem, cordis puritatem, conscientiæq; munditiem nullo modo alicui esse ex seipso, nec vmquam id contingere posse, sed omnia hæc Dei munera esse. Ideo propheta ait: [Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea:] Ex quibus omnibus liquido plane constat, legem auditores solummodo facere, gratiā vero factores. Et idcirco Dei munus esse legem seruare; Lex etenim similis est claudo, qui viam transeuntibus demonstrat, qua possint peruenire, quo cupiunt: ipse vero non eos ducit, non tribuit facultatem eundi, sed humi iacet: at vero gratia similis est sano, forti, ac robusto duci, qui non tantum transeuntibus

Explicatur optime locus ad Rom. 2.

Lex & gratia in quo differant.

Ioan. 15.

Auxilij diuini necessitas magna.

Munera Dei sunt charitas puritas cordis, & cōsciētiæ munditia

Psalm. 9.

Seruare legē Dei est ipsius Dei donum. Lex assimilatur claudo.

F indicat viam, verumetiam eis fauet ad cito, quo tendunt perueniendum. Quoniam gratia vires perueniēdi ad cęlestem Ierusalem nobis suppeditat.

§. 3.

Iactantia in bonis operib. detestanda & fugienda.

Dicta fuere hæc, vt tu, qui legem obseruas, nimirum ieiunas, tribuis egenis eleemosynas, dimittis iniurias, visitas templa Dei frequenter, pernoctas in sanctis orationibus, cilicio membra crebro domas, carnis spurcitias disciplinis assiduis fręnas, & alia denique sancta, ac pia opera facis, quæ lex præcipit, non te extollas, nec minus per plateas & vicos tuba canas, quod legem obseruas, nec minus detractes, aut despicias talia non facientes. Etenim si tu talia præstas, & legis factor, obseruatorque venis appellandus, non id prouenit ex teipso, sed ex gratia Dei, tibi ab ipso collata, quæ factores legis sola facere potest, dicente Iac. cap. 1. [Omne datum optimum, & omne donum
G perfectum desursum est, descendēs à patre luminum:] Ecce igitur qualiter Paulus vere ait: [Non auditores legis iusti sunt apud Dominum, sed factores legis iustificabuntur.] Iustificatio quippe opus gratiæ est, & ex consequenti factores esse legis, opus etiam gratiæ oportet sit. Ideo lex auditores facit cum in nostris auribus forinsecus intonat; Gratia vero factores, cum intrinsecus corda nostra dilatat. Hi igitur legis factores iustificationē in hoc sæculo adepti, in cælo iustificabuntur, hoc est, iusti deputabuntur coram Deo, qui quidē legis factores sunt proculdubio ij, qui verba prophetiæ huius ad vnguem seruant, ac custodiunt. Hinc est, quod D. Dionysius Carthusianus super hunc locum Apocalypseos sic scribat: [Itaq; quod ait, beatus, qui legit, audit, & seruat, coniunctim est intelligendum. Non enim sufficit legere vel audire, nisi vt seruentur lecta, vel audita, propter quod ait Saluator,
H Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et Iacob: Scienti bonum & non facienti peccatum est illi. Verumtamen quia non omnes sciunt hæc legere, sufficit audire & obseruare, si tamen quod dicitur legit & audit, intelligatur de lectione, & auditione charitatiua interna attenta (quomodo ait Apostolus, Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto) vtrumq; per se sufficiens erit, quia & tunc virtualiter tertium includunt, seu comprehendunt.] Hucusq; Dionysius Carthusianus. De cura ergo, custodia, & debita prophetiæ huius, legisque Euangelicæ obseruantia, intendit hic agere noster Archipropheta cum ait: [Et seruat ea, quæ in ea scripta sunt.] Quare laborandum mirum in modum nobis est, vt talis beatitudo viæ, hic in nobis per bona opera in gratia facta, incipiat, quoniam, teste D. Thom. quia plures audire possunt vnum legentem, necesse est omnes au-
I dita seruare.

Gratia Dei sumus id quod sumus.

Iustificatio opus gratiæ est.

Legis & gratiæ discrimē.

Iustificari in cælo quid sit. D. Dion. Car. in c. 1. Apoc.

D. Thom. in comment.

Conceptus Prædicabiles in textum.

SPLENDOR totius Christianitatis & maximum dilectionis Dei signum, custodia legis diuinæ & executio bonorum operum est, cum probatio dilectionis, (testante D. Gregorio,) exhibitio sit operis. Ceterum cum maledicti hæretici omnimodum fructum ad bonorum nostrorum operum meritum è medio tollere conentur; ideo ad nostram catholicam veritatem
K corroborandam, quasdam quæ ad pręsens in mentem veniunt, circa bona opera proximis exhibenda, adducam auctoritates sacræ Scripturæ, quibus bonorum operum executio, legisq; custodia, & obseruantia apprime commendatur, Paulus namque ad Gal. 6. sic ait: [Dum tempus habemus operemur bonum.] & ad Rom. 13. [Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.] & 1. Cor. 5. [Nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque

Conceptus 1. Quod bona opera sūt facienda & probatur multis sacræ Scripturæ locis.

ad Gal. 6.

ad Rom. 13.

1. Cor. 5.

prout

1. Cor. 3. Ad Phil. 2. Ad Heb. 13. Matth. 19. Matth. 11. Matth. 3. Matth. 25.

A prout gessit siue bonum, siue malum.]& 1. Corinth. 3. [Vnusquisq; propriá mercedem accipiet,]& ad Phil. 2. [Cum metu & timore salutem vestram operamini,] & ad Rom. 2. [Gloria & honor, & pax omni operanti bonum,] & paulo post: [In Christo Iesu neque circũcisio aliquid vale, neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.] ad Heb. 13. [Fornicatores, auari, adulteri regnum Dei non possidebunt.] Præterea Matt. 19. dicitur: [Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.] & Matth. 11. [Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.] & Matth. 3. [Rectas facite semitas Dei nostri.] & Matt. 25. [Venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c. esuriui, & dedistis mihi bibere, &c.] Et Ioan. 5. [Procedent, qui bona egerunt,] & 2. Petri 1. [Satagite vt per bona opera vestra certam faciatis vocationem.] & Prou. 4. [Omni custodia serua cor tuum,] & Prou. 11. [Seminanti iustitiam merces fidelis] & Sap. 5. [Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.] & Ecclef. 16. [Omni misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.] & Psalm. 118. (Inclinauit cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.] & Ierem. 48. [Custodite animas vestras.] & Leuit. 19. [Sancti estote quia ego sanctus sum.] & Cant. 4 [Aperi mihi.] & Ezech. 18. [Hominis est præparare animam,] & Eccl. 15. [Reliquit hominem in manu con silij sui.] & Gen. 4. [Non ne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit?] Sunt & pleraq; alia ac pæne infinita sacræ paginæ loca id probantia. Verumenimuero inter tot infinita

B

Ioan. 5. 2. Petr. 1. Prou. 4. Prou. 11. Sap. 5. Eccl. 16. Psalm. 118. Ierem. 48. Leuit. 19. Cant. 4. Eccl. 15. Genes. 4.

C loca vnum dumtaxat Dauidicum citabo testimonium qui in Psalmo 1. sic ait: [Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet & omnia quæcumq; faciet prosperabuntur.] Hucusq; Psalmista. O diuinum testimonium, ò conclusio sanctissima. Sex plane proponit Dauid in hoc suo testimonio ad beate viuendum necessaria. Primum est, virum beatum ab omnibus peccatis, tam operis, quam cordis & oris immunem debere esse. Ire etenim in consilio impiorum est peccatum operis, stare in via peccatorum, est peccatum cordis; sedere vero in cathedra pestilentiæ, est peccatum oris; &

Psalm. 1.

Explanatur optime locus Psalm. 1.

Quædam necessaria ad beate viuendum.

Iustus ab õi labe immunis oportet sit.

D hoc est primum necessarium, quod Diuinus Cytharœdus ad beate viuendum proponit. Secundum vero pertinet ad bonam voluntatem: [Sed in lege Domini (ait) voluntas eius.] In lege, non sub lege, qui enim est in lege, secundum legem liberaliter agit. Tertium est meditatio assidua diuinorum eloquiorum: [Et in lege eius meditabitur die ac nocte.] Hoc est sine intermissione (vt inquit Augustinus) vel [die] in tempore lætitiæ & [nocte] in tribulationibus, vt inquit D. Hieronymus; quoniam ad vesperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia. Quartum est bona

Libertas in lege.

Meditatio ostensoria legis diuinæ necessaria.

Operaibonorũ necessitas.

E operatio: [Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.] non solum germen cogitationis, aut florem propositi, foliaque verborum, sed fructum suum in tempore suo. Quoniam Christus Dominus Matth. cap. 8. ait: [Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.] Quintum est sermonum veritas & sanctitas: [& folium eius non defluet,] id est, non deorsum fluet, nullo casu à veritate decidens. Sextum tandem est, perseuerantia: [Et omnia quæcumq; faciet prosperabuntur.] per patientiam, scilicet, quæ omnia aduersa, immania, & sæua, facilia, iucunda, & gratia reddere solet. Ecce igitur (vt dixi) validissimum bonorum operum faciendorum Dauidicum testimonium.

Veritas & sanctitas semper oportet sint in ore iusti. Perseuerantia iustis necessaria.



AD salutem animarum nostrarum necessaria plane est custodia verbi Dei, obseruantia legis, bonorumque operum exequutio: vt his omnibus nostri liberi arbitrij actus circa iustificationem & exprimatur & declaretur. Ad salutem namque, & animarum nostrarum iustificationem, duo plane requiruntur, nimirum gratia Dei, & actus nostri liberi arbitrij. De gratia constat in Concilio Tridentino sess. 6. can. 1. sub his verbis: [Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia, posse iustificari coram Deo, anathema sit.] De libero etiam arbitrio (in adultis loquor) cõstat etiam in eodem Concil. Trident. sess. 6. can. 9. sub his verbis: [Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustifiationis gratiam consequendam cooperaretur, nulla ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.] Quamobrem Paulus hæc duo in iustificatione ostendens, 1. Cor. 15. ait: [Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.] Quibus verbis Apostolus salutem, & iustificationem duobus, nimirum, gratiæ & libero arbitrio, tribuit. Ideo, quæ prius sigillatim distincta protulerat, dicens: [Gratia Dei sum id, quod sum, gratia eius in me vacua non fuit, abundantius laboraui.] In fine sermonis connectit, dicens: [Gratia Dei mecum,] perinde ac diceret: Non ego sine gratia, non gratia sine me, sed gratia Dei mecum. Sunt autem nonnulli qui procul dimissis bonis operibus, quibus actus nostri liberi arbitrij exprimitur, confidentes in sola fide, adducunt illud ad Roman. 8. nimirum: [Christus mortuus est pro nobis, immo & resurrexit, sedet ad dexteram patris, interpellat pro nobis.] Ex quo loco inferunt, nihil esse timendum. Quapropter in solo Deo spem figentes, quærunt auctoritates sacræ Scripturæ, in quibus nulla fit mentio nostri liberi arbitrij, sed solius Dei, quales sunt hæ: [Dominus custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.] Prouerb. 12. [Inclina cor meum Deus in testimonia tua.] Prouerb. 17. [Non est hominis via eius, nec viri, vt ambulet & dirigat gressus suos.] Ecclef. 15. [Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.] Ps. 17. [Elegit nos vt essemus sancti.] ad Phil. 4. [Nemo venit ad me, nisi pater meus qui misit me, traxerit eum.] Ioan. 6. [Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.] Ps. 118. [Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum.] Ier. 10. [Deus operatur velle, & perficere.] Eph. 1. & paulo post: [Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis.] Has igitur & alias plerasq; his similes auctoritates quærunt, in quibus nulla mentio nostri libri arbitrij fit, sed solius Dei. Quocirca spem saluationis & iustificationis eorum in solo Deo ponẽtes, ac figentes, nihil curant de bonis operibus faciẽdis. Sed proh dolor, allucinantur, ac omnino decipiuntur sane miseri homines. Quandoquidem si in his, & alijs similibus auctoritatibus sacræ Scripturæ, liberum arbitrium nostrum tacetur; tamen in illis nullatenus negatur, adest etenim regula illa Augustiniana tenoris sequentis: [Non omnia, quæ tacentur, negantur.] Sunt porro ex aduerso aliæ pęne infinitæ auctoritates sacræ Scripturæ, in quibus salus, & iustificatio nostra omnimoda, nostro dumtaxat libero arbitrio videtur tribui, & nihil gratiæ vel Deo, quales sunt hæ: [Omni custodia serua cor tuum.] Prouerb. 4. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.] Psalm. 118. [Rectas facite semitas Dei nostri.] Matth. cap. 3. [Custodite animas vestras.] Ierem. 48. [Sancti estote.] Leuit. 19. [Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.] Matt. 11.

Conceptus 2. Quod gr̃a, & liberum arbitriũ nostrũ simul concurrere debẽt ad nrã salutẽ, & iustificationẽ.

Salus animarũ nrarũ duo requirit.

Gratia necessaria ad salutem.

Liberũ arbitriũ nrum necessarium ad salutem.

Iustificatio, gratiæ, & libero arbitrio tribuitur.

Heretici adferunt quasdã sac. Pagi. auctoritates ad nrum liberum arbitrium destruendum.

Auctoritates quas citãt heretici ad euertẽdũ liberum arbitrium.

Liberũ arbitriũ nostrum vbi tacetur in sacra pagina nullatenus denegetur.

Auctoritates sac. Script. cõfirmant esse nrũ liberũ arbitrium.

[Facite vobis cor nouum.] Ezech.18.[Nolite obdurare corda veſtra.]Pſ.94. [Poteſtatem habens ſuæ volũtatis.]1.Cor.7.[Aperi mihi.]Cant.5.[Cohibe linguam tuam a malo.]Pro.5. [Hominis eſt præparare animã.] Prou.25.[Reliquit hominẽ in manu conſilij ſui.] Eccl. 15. Vbi hic gratia? Sunt inſuper aliæ infinitæ auctoritates ſacræ paginæ,in quibus, totum opus noſtræ ſalutis & iuſtificationis, libero arbitrio noſtro attribui videtur,in quibus nulla mentio gratiæ fit.Igitur dices tu modo,in illis quia gratia tacetur, negatur? nequaquam, abſit, vt talia quis aſſeueret, tacetur quidem gratia: verumenimuero non ob id negatur. Ita pariter ego dico, quod in illis citatis auctoritatibus, in quibus nulla fit mentio liberi arbitrij, tacetur plane ibi liberum arbitrium, verumtamen nullatenus negatur, quemadmodum in iſtis tacetur gratia, & non negatur. Id autem prouenit vtiq; ex dictis, nimirum, G quia ſalus & iuſtificatio noſtra ex duobus, videlicet, ex gratia Dei, & ex noſtro libro arbitrio, quaſi ex duobus fontibus dimanat. Quamobrem quamuis auctoritates, vtrinque ſiue pro vtraq; parte allegatæ videantur à prima fronte inter ſeſe pugnare, attamen ſi debite accipiantur, nulla inter eas reperietur repugnantia. Etenim quæ pugna eſt iſta? (audias quæſo, conferamus inter ſe has auctoritates vtriuſq; partis,) illi dicunt: [Dominus cuſtodiat (ſua gratia addunt) corda veſtra.] Nos vero dicimus: [Omni cuſtodia ſerua (tuo libro arbitrio intelligimus) cortuum.] Illi dicunt: [Inclina cor meum Deus (tua gratia) in teſtimonia tua.] Nos vero dicimus: [Inclinaui cor meum (meo libero arbitrio) ad faciendas iuſtificationes tuas.] Illi dicunt: [Non eſt hominis (ſed gratiæ Dei) vt dirigat greſſus eius.] Nos vero dicimus: [Rectas facite (veſtro libero arbitrio) ſemitas veſtras.] H Illi dicunt: [Elegit nos (ſua gratia,) vt eſſemus ſancti.]Nos vero dicimus: [Sãcti (veſtro libero arbitrio) eſtote.] Illi tandem dicunt: [Nemo venit ad me, niſi Pater meus (ſua gratia) traxerit eum.]Nos denique dicimus: [Venite (veſtro libero arbitrio) ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.] quæ igitur hic quæſo pugna eſt iſta? Spiritus enim ſanctus pugnantia nullatenus docet, vel ergo altera pars à Spiritu ſancto non eſt, vel certe ambæ partes minime pugnant. Pugnant autem ſi totum das gratiæ, nec conciliari poſſunt. Et etiam ſi totum libero tribuis arbitrio. Aſſerere itaq; oportet, & gratiæ virtutem, & humanæ voluntatis aſſenſum, ad ſalutem & iuſtificationem noſtram, (vt nuper diſtulimus) ſimul concurrere. Ne igitur dicas, ſi ſum prædeſtinatus, quis poterit facere, vt non ſaluer? oportet enim operari ſi vis ſaluari; [Multi (ait Chriſtus Matth. cap. 7.) I dicent mihi in illa die, in nomine tuo dæmonia eiecimus, virtutes fecimus multas. Et ego reſpondebo illis, numquam noui vos, diſcedite a me maledicti, eſuriui, & non dediſtis mihi bibere, &c.] Penitus. Itaque ignoro, (vt verum dicam.) aut vbi, aut quando, electo, vel prædeſtinato viro ociari, vel feriari liceat,cum etiam in Paradiſo terreſtri, Geneſ. cap. 2. primo illi homini prædeſtinatiſſimo Adamo, operari iubeatur.

Hæretici impugnãtur tacite.

Gratia vbi tacetur non negatur.

Auctoritates pro neceſſitate gratiæ, & liberi arbitrij concordantur.

Prædeſtinato bona opera neceſſaria.

Adã laboribus incubuit.

Conceptus 3. Quod homo tenetur bona opera facere exẽplo maiũ creaturarum.

Operari bene tenetur homo tantũ quantũ poteſt.

X eo, quod homo pleraque bona opera in dies faciat: in extremo tempore, nimirum, in hora mortis ſuæ, mox de illo dicitur illud Sapientis Prou. cap. 31. [Laudent eum in portis opera eius.] Quamobrem tenetur K fidelis homo pro modulo ſuo ad omnia opera bona, & ſancta præſtanda, quantum poteſt exemplo omnium creaturarum. Videmus ſiquidem, omnes creaturas inſenſatas, omne bonum quod ex natura ſua poſſunt, præſtare. Sol etenim illuminat mundum tantum quantum poteſt. Luna orbem nocte illuſtrat tantum quantum poteſt. Ignis calefacit, ignitat, & comburit, tantum quantum poteſt. Aqua humectat refrigeratque tantum quantum po- F teſt. Mare tot alit, nutrit, producitque piſces, quot poteſt. Terra tot arbores, plantas, ſemina, metallaque producit quot poteſt. Arbores tot ex ſe producunt fructus quot poſſunt. Animalia inſuper irrationalia generant quotidie tantum quantum poſſunt. Angeli etiam tot erga nos præſtant beneficia, quot poſſunt. Videmuſq; denique Deum pro nobis (de rigore iuſtitiæ, & de lege ordinaria loquendo) tantum feciſſe quantum potuit: fecit ſiquidem nos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, redemit nos, & denique in cruce pro nobis mortuus fuit. Quę plane omnia cum ita ſint, vix, aut nullatenus quidem negare poteſt homo, quod non teneatur ad bona opera præſtanda tantum quantum poteſt, nimirum diligere Deum, tantum quantum ex natura ſua poteſt, videlicet, ex toto corde, ex tota anima, (vt dicitur Lucæ 10.) & ex omni mente. Amare etiam proximum ſuum ſicut G ſeipſum, illique tantum benefacere quantum poteſt. Etenim ſi creaturæ rationis experies, ex ipſamet natura ſua ea præſtant bona quæ poſſunt, homo qui rationis eſt capax, & illarum Dominus, cur non tenebitur ad tot bona (tam erga Deum, quam erga proximum) præſtanda quot poterit? Numquid Sol, Luna, Aſtra, & alia inſenſata homine erunt perfectiora? abſit illa affirmare. Tenetur, tenetur homo tot opera bona proximis præſtare quot poteſt. Hinc Dominus iuxta opera noſtra bona redditurus eſt nobis in extremo tempore præmia, iuxta illud ad Rom. cap. 2. [Qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua,] & ſic in terris quotidie operando, per totius vitæ circulum laudant homines in portis, hoc eſt, in extremo tempore, & in vltima vitæ ſuæ hora, opera eius, vt dicit Sapiens.

Natura, Solis, Lunæ, Ignis, Aquæ, Maris, Terræ, Arborum, Animalium, Angelorum, Dei, Hominis.

Homo ceteris animalibus nobilior.

Homo tenetur ad bona opera præſtãda.

EMPVS enim prope eſt.

Textus 3.

COMMENTARIVS.

XPOSITORES, hunc locum varie diſpungunt; Quidam enim eorum accipiunt tempus hoc in loco abſolute, & abſque aliquo myſterio, nimirum, prout accipitur cõmuniter a Philoſophis apud quos tempus eſt velox, vel tardum I longum, vel breue, vt ipſi, in 4. lib. phiſ. cap. 10. & ſequentibus dicunt, & in hoc ſenſu accepit Lyranus hic tempus, dum ſic exponit: [Tempus enim prope eſt, id eſt, cito tranſiens, quaſi dicat, labor patientiæ breuis eſt, & præmium beatitudinis æternum.] Quaſi hac ſua expoſitione reddat Lyranus rationem quare tribulationes futuræ patienter ſuſtinendæ veniant. Alij vero accipiunt textum iſtum: *Tempus prope eſt*, quemadmodum ſupra accipitur textus ille: *Quæ oportet fieri cito*, vt ſic conſolatio haud exigua iuſtis afferatur, ſcientes, quod omnia, quæ in hoc libro prædicuntur, à diuina dependent prouidentia, quæ tempus & oportunitatem maxime nouit: Sic omnes prophetæ, quæ prædicabant, Deo reuelante, inſtare dicebant, vt Iſa. cap. 14. [Prope eſt, vt veniat tempus eius, & dies K eius non elongabuntur.] Quod etiam Deus prædicit, vt auditores propheciarum, attentiores, & paratiores ad ea, quæ ventura ſunt, reddantur. Quod & auditores huius prophetiæ, etiam facere tenebantur, eo quod ea, quæ in hoc libro prædicuntur cito incipi debebant. Quod & nunc, nos etiam facere debemus, velut continuo Deum expectantes, & in hoc ſenſu exponit hunc textum Iacobus Suarez à S. Maria in ſecunda ſua expoſitione, ſerm. 2. in Apocalypſim, circa finem.

Explanatio contextus. §. 1.

Tempus qualiter accipiatur a Philoſophis.

Lyran. in cõment.

Præſens tempus futuro ſæculo comparatum eſt veluti momentum.

Tempus qualiter accipitur a Prophetis.

Iſa. 14.

Iacobus Suarez a S. Maria in comment.

Verum-

§. 2.
Tẽpus accipitur pro hac vltima mũdi ætate, quæ nouissima hora dicitur.

Verumenimuero cum iuxta hanc expositionem (quæ quidem deprompta est á plerisq; sanctis Patribus) isti duo textus, nimirum: *tempus prope est*, & iste alius: *Quæ oportet fieri cito*, sint eiusdem tenoris, necesse est, vt ambo dicant necessitatem quandam tribulationum Ecclesiæ, quas fideles cito, ac breui tempore passuri erant. Quamobrem animaduertendum est hic, (vt supra etiam iterum indicatum fuit) quod istæ tribulationes futuræ non oportet fieri necessitate absoluta, cum in se sint futura contingentia, non sine magno impiorum peccato implenda: sed eo modo, quo necesse est, vt veniant scandala, & sicut oportet hæreses esse, videlicet, necessitate conditionata, & ex hypothesi consequentiæ, non consequentis. Cum enim a Deo præuisa sint & ab eius sapientia ad electorum profectum sint præordinatæ, non possunt non euenire secundum respectum. Verumtamen prouidentia Dei B mutabilibus necessitatem non imprimit, nec libertatem hominibus tollit. Necessarium est igitur, demum hæ tribulationes Ecclesiæ fieri cito, aut in breui tempore, hoc est in hac vltima mundi ætate, de qua dicitur: [Nouissima hora est.] & ob id: *tempus prope est.*

Vide p. par. 9. disp. 6. q. 3.
Math. 18.
1. Cor. 11.
Necesse est tribulationes ecclesiæ cito fieri.
1. Ioan. 2.

§. 3.
Tẽpus accipitur pro initio tribulationũ ecclesiæ tempore Apostolorum.
Primasius.
Arethas.
Incognit.
Ribera.
Iac. Suarez à S. Maria in comment.
Primasius.

Primasius tamen Episcopus Vticensis, Discipulus Beati Augustini, Arethas, Auctor Incognitus, Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez á Sancta Maria exoluunt textum istum de initio tribulationum Ecclesiæ, temporibus Apostolorum. Eo quod tribulationes Ecclesiæ, quæ in hoc opere narrantur, a tempore Apostolorum in Ecclesia Dei sumpserunt exordium; quamobrem isti Doctores sic textum istum expendunt: *tempus enim prope est*, quantum ad sui initium, non quantum ad sui terminum, quo tribulationes fient, & præ C mia reddentur. Vnde hæc valde notanda sunt Primasij verba, quæ talia sunt: [Quia tempus iam in proximo est, scilicet, vt singula, quæ dicenda sunt impleantur, cum & plantatæ iam Ecclesiæ propagationis incrementa succedant, de qua locuturus, ita præmittit, Ioannes, &c.] Iuxta quam enodationem textus, animaduertas oportet persecutiones, & calamitates, quæ tunc, tempore, scilicet, Apostolorum (& nunc etiam) instabant, & impendebant filijs Ecclesiæ, non tam calamitates contendas esse, quam occasiones & opportunitates quasdam optimas magnorum præmiorum, & æternarum coronarum, quas, si quis elabi sinat, magnis se bonis priuabit, & in magna mala incidet. Quod autem persecutiones & calamitates iustorum sint eis occasio, & opportunitas D multorum meritorum, patet ex illo Psalm. 4. [In tribulatione dilatasti mihi,] seu vt alia habet translatio [dilatasti mihi cor.] Quasi dicat, spe præmij, & consolationibus tuis, quibus tu Deus meus tuos in angustijs consolari soles, in tribulationione mea dilatasti cor meum, paratum, ac promptum illud reddens ad magis, & magis pro te aduersa toleranda. Artis peritus faber ferrarius, iuxta fornacem gelidam acquam habere conatur, nam neque absque igne durum ferrum posset mollificari, nec sine aqua temperari: vtrumque ergo & ignis, & aqua necessarium est; sic homo virtutis studiosus, vt perfectus euadat ab ipso summo artifice, in fornacem mittitur tribulationum, sed iuxta eum non deest aqua consolationis, ab ipso Deo fonte vero, emanans, iuxta illud 1. Corinth. 1. [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,] non in vna tantum, sed [in E omni] inquit. Et sic lætitiam præbet, ac iucunditatem, spe præmij, quod & Beatus Petrus eleganter tractat, dicens: [Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos, ipse perficiat & cõfirmabit, solidabitq;.] vbi apparet, quod Deus nos in gloriam cum Christo vocauit modicum hic propter ipsum passos. Ideo tribulationes nos consolari debent, quæ opportunitates & occasiones sunt merendi. Ex dictis facile intelligi-

Tribulatio & persecutio iustorum est occasio meritorũ.
Explanatur optime locus Psalm. 4.
Simile.
Tribulatos cõsolatur Deus.
1. Petri 5.

A tur Arethas dum sic exponit: *tempus prope est*, id est, tempus, siue opportunitas propinqua est ad beatitudinem.

Arethas explicatur.

§. 4.
Tẽpus accipitur pro morte & finali iudicio.
S. Thom.
D. Dion. Car.
Incogn.

Tandem S. Thomas, D. Dionysius Carthusianus, & Auctor Incognitus in hisce suis commentarijs, textum istum: *tempus enim prope est*, de morte, & de iudicio finali expendunt. Quæ quidem duo vnicuiq; nostrum prope sunt, cum Iacobi 5. dicatur: [Ecce iudex ante ianuã assistit.] Carthusianus tamen inter auctores huius opinionis continuat textum istum ad præcedentem scribens sic: [Cur vero, qui verba libri huius legit, audit, seruat, beatus sit, subditur, tempus enim prope est, id est, dies iudicij particularis singulorũ, immo & vniuersalis, tempus quoq; æternæ retributionis, vnde futuræ vitæ æternitatem attendens, Apostolus dixit, momentaneum, & leue tribulationis nostræ, æternũ gloB riæ põdus operatur in nobis.] Hucusq; Dionysius. Quæ quidem sententia, inter omnes alias citatas (quæ omnes etiam sustentabiles sunt tamquam textui, & veritati consonæ) mihi magis arridet. Quoniam si de morte, aut de particulari iudicio fuerit sermo, ita prope est tempus exoluẽdi mortis debitum, vt nihil propinquius, aut vicinius nobis reperiatur. Nihil enim certius morte, & nihil ex aduerso incertius hora mortis. [Qua hora non putatis (dicitur Math. 25.) filius hominis veniet.] & iterum: [Nescitis diem neq; horam.] Hinc Ouidius de tempore & morte optime ait:

Auctor pbat sententiam & sequitur.

Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas
Omnia destruitis vitiataq. dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Ouidius.

Quam, *prope*, sit moriendi, *tempus*, experientia ipC sa met docet, cum clare intueamur annos breues, dies breues, menses breues, horas breues, minuta, ac puncta vitæ nostræ breuia, & omne tempus felicitatis nostræ terrenæ, (vt vnico verbo dicam) breue. Et omnia hæc sub breuitate cito euolare. [Dies mei (dicitur Iob. 7.) velocius transierunt, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absq; vlla spe.] cui alludit Isa. in c. 38. dicens; [Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.] Perbella sane similitudo; cum enim texens opus suum textrinum, nimirum telam aliquam conficiendam aggreditur, statim componit stamen, varia inter se compingens fila in opere illo textorio, quædam recta, quædam vero obliqua, quædam stabilia, quædam vero mobilia, quædam tandem per pectinem transmissa: quibus alia, quæ subtegmina vocant, intertexũtur, & tunc, omnibus sic compositis, textor sedens, acũ siue radiũ accipiens orD ditur, siue texere incipit, & quanto velocius texit, tela tãto citius fini appropinquat, nimirũ, vt à textorio succidatur, & sæpe sæpius adhuc texãdo (& quod magis est adhuc ordiẽdo) tela à texẽte aliqua alia causa mota, succiditur. Ita prorsus est vita nostra, multis, ac varijs annis, mensibus, hebdomadibus, diebus, horis, minutis, ac punctis, veluti filis telæ, siue staminis, composita & compacta, & quanto velocius præteritum tempus fugit, tanto velocius etiam nos morti appropinquamus, & quãto plus de præterito tempore habemus tanto minus de futuro obtinemus; & sæpe sæpius, iucunde & gloriose adhuc viuendo, tela vitæ nostræ succiditur, id est, nobiscum adest mors; & hoc est illud: [Cũ adhuc ordirer succidit me.] Quod ait Isaias, perinde ac diceret: Cũ adhuc ordirer, hoc est, cum adhuc ædificarem illas magnas domus meas, cum adhuc plantarem illam vineam meam dilectam; cum adhuc E inciperem vxore mea chara iucunde frui, cum adhuc honorem illum meum Papalem, Regalem, Episcopalem degustare inchoassem, cum adhuc deniq; mercaturæ, delitijs, &c. exordium imponerem, confestim texens Deus ex alto cælo mortem succidit me. Gloriabatur secum Diues ille, cui (referente Luca) ager vberes fructus attulit, & cogitabat intra se, dicens: [Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam; destruam

Tẽpus mortis prope est.
Explanatur optime locus Iob. 7. & Isa. cap. 38.
Simile de opere textrino.
Ordiri accipitur varie.
Nota bene.
Diuitis cuiusdã dementia maxima.

horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicã animæ meæ, anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.] & illico audiuit supra se vocem Domini dicentem ei: [Stulte hac nocte animam tuam repetent a te, quæ autem parasti cuius erunt?] Ecce proculdubio quam: *prope est*, mortis nostræ: *tempus*: Ecce, in quam, quam breues diuiti isti, dies, anni, menses hebdomadæque vitæ suæ fuerunt. Prope, prope est tempus mortis nostræ, Breue, breue est tempus vitæ nostræ. Et quod magis vrget est, quod quemadmodum ex eo, quod mel ex propria qualitate, sibi ignata dulce sit, omne ex consequenti, quod tangit dulce etiam est. Pari etiam modo ex eo, quod: *tempus breue est*, omne quod tangit tempus, nimirum gaudia, diuitiæ, opes, cibi, pompa, vicia, dignitates, honores, & cetera omnia humana delectamenta, sub breuitate transeunt, ac è manibus euestigio euolant cum ipsomet homine: [Nescit homo finem suum, (dicit sapiens,) sed sicut aues comprehenduntur laqueo, & pisces hamo, sic comprehenduntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit.] Comprehenduntur autem animalia ista, cum melius, ac commodius cibaria gustant apposita. [Anni nostri (ait Dauid psal. 89.) sicut aranea meditabuntur,] & psalm. 118. [Quot sunt dies serui tui?] & paulo supra: [Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.] & subiungit: [Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret & arescat.] & tandem psal. 38. ait: [Et substantia mea, (id est vita mea) tamquam nihilum ante te.] Alijs quamplurimis auctoritatibus regius vates temporis mortis nostræ propinquitatem, annorumq; nostrorum breuitatem apprime demonstrat. Sed proh dolor; quoniam propinquitas ista mortis, seu breuitas ista vitæ eiusq; memoria debuerat esse peccati remedium, iuxta illud Eccl. 7. [Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.] & nunc contrarium experimur; quoniam ipsamet breuitas vitæ, & propinquitas mortis incentiuum est peccati, vis istud videre? audi illos filios diffidentiæ dicentes: [Non nos prætereat flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nullus sit expers luxuriæ nostræ, vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars, & hæc est sors nostra.] Audi etiã illos alios ijs similes, dicentes: [Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.] vides igitur quomodo breuitas ista temporis, quæ debuerat eis esse remedium peccati, est incentiuum & stimulum ad peccandum? Dolent profecto isti quod eis: *tempus breue est*, quo peccatis & vitijs carnalibus deseruire possint. Sed quæso qui sunt isti, qui sic peccantes, offendunt Deum & proprias lædunt conscientias? sunt profecto quidam insani, ac dementes homines, qui licet breuitatem temporis agnoscant, tamen cum dæmone fœdus, & cum inferno pactum, quod non ibunt alibi, fecerunt: vnde prolongantes eorum iniquitates, pleraque in dies scelera perpetrant, ac peccare quotidie festinant: sunt denique illi de quibus Christus Ioann. 8. dixit: [Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.] Redite, redite præuaricatores ad cor, & audite & videte, quod vobis aquila Euangelij ait, nimirum: *tempus prope est*, & cum tempus moriendi ita prope sit, mortis præsentiam, momentis omnibus, meditamini, locis omnibus expectate, modisque omnibus, aduersa pro Christo in dies tolerate: semper parati estote ad moriendum, semper timete Deum, semper carnes vestras ieiunijs, & abstinentijs, disciplinisque, ac cilicio domate: semper denique attente cogitate breuitatem vitæ, velocitatem reuolutionis, vilitatem corruptionis, abundantiam desolationis, carentiam consolationis, nescientiam peregrinationis, finemq; denique vestræ habitationis; quoniam: *tempus*, moriendi, *prope est*.

Si insuper de iudicio vniuersali textus iste expendatur, haud exigua in eo adsunt etiam prodigia, ac mysteria. *Prope*, siquidem, *est tempus*, illius extremi iudicij magni Dei, in quo vnusquisq; recipiet secundum opera sua: [Ecce Dominus (dicitur Isa. cap. 66.) in igne veniet,] & Apoc. cap. 22. [Ecce venio cito.] & Ezech. cap. 34. [Ecce ego requiram oues meas,] quibus in locis ly: [Ecce] propinquitatem plane dicit. O quam prope æstimabat D. Hieronymus tempus iudicij cum dicebat: [Siue bibam, aut comedam, aut aliquid aliud faciam, semper mihi in auribus insonare videtur ista vox: O vos mortui, surgite ad iudicium, & occurrite ad iudicium Saluatoris, vox, in quam, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, & inferos aperit vincula mortuis disrumpit, & dissoluit, quæ vniuersos mortuos resurgere facit, & ad iudicium venire compellit.] Si igitur nos sumus, in quos sæculorum deuenerunt fines, & in fine sæculorum debet esse iudicium, plane cito venturum illud possumus æstimare. Abbas Elias, (vt narrat D. Hieronymus,) super tria formidabat dicens: [Tria semper super omnia pauesco, vnum est, quando anima de corpore egressura est, secundum est, quando debeo Deo occurrere, tertium quando proferenda est sententia omnium generalis.] Sed illud etiã Augustini non est silentio prætereundum, ait, enim sic: [Dei enim ineffabilis & immensa bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus non extenderet, nec longum faceret, aut æternum, sed breue, & vt ita dicam, momentaneum, vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores, in illa vero, quæ æterna est, corona, & præmia meritorum, vt labores cito finirentur, meritorum vero præmia sine fine durarent, &c.] Sic ille. Ecce igitur qualiter aduerbium: *prope*, vicinitatem iudicij extremi dicit; ideo Regius vates ait: [Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.] Verum enim vero de finali iudicio infra passim erit, Deo gratia, & vita comite, vberrimus sermo.

Mellis natura

Temporis natura.

Eccl. 9.

D. Hieron. & Symmachi versio.

Hominũ dementia maxima.

Sap. 2.

Isa. 22.

Peccatorum lapsus.

Isa. 46. Peccatores vocantur ad pænitentiam. Aureum dictũ & memoratu dignum.

§. 4. Iudicij finalis dies prope est

Propinquitas finalis iudicij probatur.

Perpulchre dictũ D. Hier. circa diẽ extremum.

D. Hier. in vitas patrum.

D. Aug. serm. de ossibus sanctis qui est 39 serm.

Psalm. 118.

IOANNES septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.

Textus 4.

COMMENTARIVS.

Beneuolentiam captat noster mellifluus Archiproph. Ecclesias Asiæ, ad quas verba facturus est, salutãdo. Et quãuis in qualibet salutatione tria necessario requirantur, nimirum qui salutat, qui salutatur, & salus, quæ optatur, tamen hic duo dumtaxat præmittuntur, nimirum persona salutans, ex nomine, cum dicitur: *Ioannes*, & personæ salutatæ, cum dicitur: *septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia*, & nulla mentio fit de salute, quæ optatur; quoniam subintelligitur more communi salutandi Apostolorum, qui Ecclesias ad quas verba facturi erant, in exordio suarum epistolarum solent salutare resensita dumtaxat persona salutante, & persona salutata, nulla habita mentione de salute, quæ optatur, patet 1. Corinth. cap. 1. dum sic scribitur: [Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater: Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi sanctificatis in Christo Iesu, vocatis Sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum, & nostro.] & 2. Cor. 1. [Paulus Apostolus Christi Iesu per voluntatem Dei, & Timothæus frater Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia.] & ad Gal. 1. [Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecum sunt omnes

Explanatio contextus. §. 1. Beneuolentia artificiose captatur. Salutatio requirit tria.

Paulus qualiter scribebat ad ecclesias.

nes fratres, Ecclesijs Galatiæ,] & ad Ephes. 1. [Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu,] & tandem 2. Petri 1. [Simon Petrus seruus, & Apostolus Iesu Christi ijs, qui æqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi.] Quibus in locis nulla fit mentio de salute, quæ optatur; quoniam, vt dixi, subintelligitur.

Petrus qualiter ad ecclesias scribebat.

§. 2. Et aio salutem, quæ optatur hic, subintelligi, quoniam sequentia verba, nimirum [Gratia, & pax, &c.] non sunt huius quarti textus, nec minus coniungenda veniût cû superioribus verbis, cum faciant & astruant quintû textum à superiori distinctû, vt videre licet, tâ in Codicibus Græcis, quâ Latinis & præcipue in sacra Biblia emendata. Et nullatenus reticendus est hic huius reuelationis ordo. Quoniam hanc Apocalypsim siue reuelationem Deus pater, (vt supra retulimus) dedit Christo, quam Christus etiam per Angelum suum reuelauit Ioanni, & per Ioannem, septem Ecclesijs Asiæ, & per consequens toti Ecclesiæ, vt infra clare apparebit.

Ordo in reuelando Apoc.

§. 3. Attamen Sanctus Thomas in hisce suis commentarijs, quærit, quare noster Archipropheta, hic nomen suum expressit, & non in principio Euangelij, & respondet sic: [Propter tria, primo, vt daret auctoritatem huic operi, qua non indigebat euangelium quod a Domino prædicatum fuerat, & ab ipso auctoritatem habebat. Secundo quia huius operis auctor fuit, & scriptor, euangelij autem scriptor tantum, propter quod nullus euangelista nomen suum proposuit euangelio. Tertio, ne alterius esse crederetur, quod facile posset accidere, quia hoc opus scripsit in exilio, euangelium vero ab exilio reuocatus.] Hucusque Sanctus Thomas. Eamdem difficultatem mouet hoc in loco auctor Incognitus, qui fere eisdem verbis D. Thomæ, satisfacit dicens: [Ioannis euangelium fuit à filio Dei prædicatum, & diuulgatum, & ideo nomine suo fuit intitulatum, sed quia Beatus Ioannes scripsit illum librum relegatus in exilio, de facile potuit credi alterius sicut quidam dixerunt, & ideo merito scribens istum librum, caute nomen expressit in exordio istius libri.] Sic ille. Verumenimuero animaduertas hic oportet, nomen Ioannis non esse omissum in Euangelio suo, dum ait. [In prin principio erat verbum, &c.] Quemadmodum alia nomina in Euangelio omittuntur. Solent namque pleraque impiorum nomina in Euangelio prætermitti, vt clare intelligamus peccatum Deo summe displicere. Sic noluit Euangelista Lucas in suo Euangelio Mariam Magdalenam nominare, quinimmo de illa dumtaxat, ait cap. 7. [Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod accubuisset in domo Pharisæi, &c.] & similiter habetur Lucæ cap. 10. dum dicitur: [Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, &c.] & cap. 16. dum dicitur: [Homo quidam erat diues.] Hos itaque & alios his similes peccatores nomine proprio nullatenus nominant Euangelistæ Dei, quoniam de his Psalmographus ait: [Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.] & rursus: [Nec memor ero nominum eorum per labia mea.] Vides, quot mala ex peccato oriantur? merito dicebat ipsemet diuinus Citharœdus: [Ad nihilum redactus sum (propter peccatum,) & nesciui.] Quamobrem nihil cum sint peccatores, merito innominati in Euangelio Dei manent, ex eo quod peccatum illorum summe Deo displiceat. Non sic itaque non sic omissum fuit nomen Ioannis in Euangelio suo dum absolute intonuit: [In principio erat verbum, &c.] Sed prætermissum fuit ob tres assignatas causas à D. Thoma. Hoc tamen loco exprimitur aperte nomen Ioannis, vt vides, dum dicitur: *Ioannes*, & merito quidem; quoniam nomina iustorum scribuntur in sacro eloquio, ex eo quod scripta etiam sunt in libro vitæ, iuxta illud Lucæ 10. [Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.] quasi dicat Christus: Gaudet ille in cibis, gaudet alter in pompis terrenis, gaudet hic in diuitijs, gaudent denique omnes homines in vitijs: Gaudete ergo & vos, ô iusti, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ, & iustorum. Non parum profecto gaudebat Mardochæus, cum se in libro Regis Assueri scriptum esse intellexit, ex quo futurum Regem se existimabat, vt dicitur Ester. cap. 7. Nec minus gaudio careret miles ille, qui post varios pro fide, & Rege superatos labores, tum in bellis, tum in Alemania, tum in Lusitania, &c. e uestigio intelligeret nomen suum in Regio libro contineri, cum spe futuri (pro laboribus suis,) præmij. Magis proculdubio iustis gaudendum est, ex eo quod eorum nomina scripta sint in libro vitæ. Quoniam adueniente morte, vita dabitur eis æterna. Io hoc siquidem gaudendum est, non autem in alijs omnibus huius mundi numeratis rebus. Gaudium etenim in lætitia terrena cito finem attingit; quoniam gaudium in materia conuertibili, mutari necesse est re mutata. Videbis istud aperte, si cereum accendas; quoniam tunc ignem ipsum propria fomenta consumere experies, & deficiente materia, nempe, cera, mox etiam & ignem ipsum, & lumen deficere videbis. Pari etiam modo, deficiente lætitia humana, nempe, re externa gaudium nobis causante deficit etiam mox ipsum gaudium nostrum. Ceterum non ita in gaudijs cælestibus, quia beatitudo, gloria, & cetera bona cælestia, ex fide, immutabilia esse, plane credimus.

Doct. Incog. in comment.

Nota bene. Nomé Ioânis qua de causa in euangelio minime ponatur.

Psalm. 68. Psalm. 15.

Peccator est nihil.

Psalm. 72.

Explicatur optime locus ille Gaudete quia nomina vestra, &c.

Gaudia mundana Gaudia iustorum.

Simile.

Gaudium de rebus terrenis cito finitur.

Simile.

Nota bene.

§. 4. Dices tamen cum Ioannes hoc in loco nomen suum exprimere voluerit quare non se nominauit Apostolum, aut Euangelistam? Augetur difficultas, quoniam Christi Apostoli hunc in Epistolis suis sequuntur stylum. Patet ad Roman. cap. 1. [Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus.] ad Corinth. cap. 1. [Paulus vocatus Apostolus Iesu Christi.] 2. Corinth. cap. 1. [Paulus Apostolus Iesu Christi.] Iacob. cap. 1. [Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus.] 1. Petri 1. [Petrus Apostolus Iesu Christi.] & 2. Petri 1. [Simon Petrus seruus, & Apostolus Iesu Christi.] Quare igitur Ioannes in hoc, suæ prophetiæ exordio non se Apostolum appellauit, vt fecerunt Petrus, & Paulus? Respondeo, quod propter hanc causam quidam dixerunt præsentem prophetiam non esse Ioannis Apostoli, sed alterius presbyteri nomine Ioannis, vt supra plenius actum est. Sed nunc Ecclesia fide firmissima communiter contrarium tenet, quod etiam ex stylo, ac sensu, & similis sermonis charactere satis videtur perspicuum. In salutatione autem epistolarum Apostolorum, proponitur persona salutans ex nomine, cum dicitur [Paulus] vel [Petrus] & officium cum dicitur [Apostolus,] & aliquando etiam ponitur auctoritas officij, cum dicitur: [Per voluntatem Dei, &c.] Quæ omnia, nullatenus licent in salutatione prophetiarum, vt videre licet in prophetijs veteris Testamenti, in quarum exordio, nomen dumtaxat prophetæ ponitur, & non semper, sed raro, nulla habita mentione officij, nec minus auctoritatis officij, vt apparet in Isaia, Ieremiæ, Osea, &c. Cum autem Ioannes in hac sua Apocalypsi sit propheta, sufficit, vt in eius salutatione, siue exordio operis, nomen suum dumtaxat exprimat, nulla habita mentione officij Apostolatus, nec minus auctoritatis officij. Quoniam hic non scribit, vt Apostolus, sed vt Propheta. Nihilominus tamen iste est Ioannes ille, de quo dicitur Matth. cap. 4. [Vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua, & vocauit eos,] & Mar. cap. 1. [Vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui, & statim vocauit illos.] Et Lucæ cap. 6. [Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius

Ioânes quare in Apoc. non se appellauit Apostolum.

Lapsus quorundam hæreticorum.

Impugnantur hæretici.

Ioânes Apost. auctor Apo.

eius, Iacobum, & Ioannem, &c.] & tandem Ioan. cap. 21. [Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus, qui & recubuit in cæna supra pectus eius.] Est igitur Ioannes noster Apostolus, & discipulus tanti magistri Christi. F

§. 5. *Plurimorũ labores in quærendis magistris. D. Hieron. in epist. ad Paulinum. Pythagoras, Plato. Titus Liuius.*

Narrat Diuus Hieronymus in epistola ad Paulinum, grauissimos homines, varios, ac diuersos (vt excellentium magistrorum discipuli fierent,) sumpsisse labores. Cuius rei causa Pythagoram Memphytem Ægypti vrbem petijsse. Platonem etiam cum esset Athenis magister, vt discipulus fieret Architæ, peregrinum in Ægyptum factum magnam Græciam peragrasse, & tandem à pyratis captum fuisse. Ad Titum vero Liuium tamquam ad lactis fontem (inquit ipse) infinitos homines, è finibus Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, egressos, confluisse: & tandem affirmat Appollonium Magnum, siue Magum, vt Gymnosophistarum discipulus fieret, primo Persidem Orientalis Regionis Asiæ petijsse, deinde Caucasum, inde montem editissimum ad septentrionem versus Scythas penetrasse, mox autem Physonem, siue Gangetem Indiarum flumen, à Paradiso Terrestri originem habentem tranasse, ad Brachmanesque gymnosophistas deuenisse, vt Hiarcam in solio aureo sedentem & de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos, de motibus siderum, ac dierum cursu differentem audiret. Et adhuc minime his contentum retro redijsse, & Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinosque visitasse, & Alexandriam versus Æthiopiam petijsse desiderio semper incensum Gymnosophistam aliquem de siderum motu differentem, audiendi. Felix autem Ioannes noster absque his laboribus, Christi (magistrorum magistri) discipulus, & Apostolus, ita fieri dignatus est, vt de illo dicatur: [Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus.

Apollonius Tyanæus Philosophus. Pythagorici ita tradunt. G H

Ioan. 21.

§. 6. *Ad septẽ Ecclesias Asiæ immediate scribit Ioãnes. Tertullian.*

Postremo ex ipsismet verbis istius salutationis nostri mellisflui vatis Ioannis haud exiguo constat experimento ipsum immediate, & præcipue ad hasce septem minoris Asiæ Ecclesias hanc suam describere Apocalypsim: eo quod illas ipse, & sua fundauit prædicatione, & longa temporis intercapedine sancte rexit, ac gubernauit. Hinc Tertullianus lib. 4. cõtra Marcionem refert beatum Ioannem prædicasse in Asia, præcipue vero Ephesi Euangelium Christi seminasse. Cuius etiam rei testes locupletissimi inueniuntur beatus martyr Ignatius in Epistola, quam scripsit ad Ephesios. Iren. lib. 3. contra hæreses. D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Synodica Epistola Concilij Ephesini ad clerum Constantinopolitanum, in qua plane dicitur sanctum Ioannem vna cum beatissima Deipara Virgine incoluisse Ephesum. Quod etiam nos infra diffuse, (quamuis Epiphanius disputans contra heresim septuagesimam octauam, id pro certo minime habeat) pertractabimus. Quamobrem dicimus, quod quamuis Aquilam Euangelij vniuersam, per hanc suam Apocalypsim instruere, & erudire intendat Ecclesiam, (vt mox patebit, in proxima hac sequenti quæstione) nihilominus tamen hanc eamdem suam Apocalypsim his septem Ecclesijs Asiæ immediate proprie dat, vt hæc sua magnifica salutatio adamussim patefacit. Idque præstare Ioannes iussus est à Christo, vt ex hoc aperte colligeretur Christum non minorem curam gessisse Ecclesiæ suæ, quam acquisiuit sanguine suo, quam olim gesserit Deus Synagoge illius Hebraicæ. Quod perdocte sane attingit Benedictus Pererius disp. 4. in Apocalypsim dum sic scribit: [Pertinet autem ad singularem beneuolentiam, qua Deus populum suum complectitur, & ad exactam prouidentiam, qua eum regit, & tuetur, vt insigniora, quæ euentura sunt ei, tam prospera, quam aduersa ante prænunciet, & prædoceat eum: quo videlicet & in secundis rebus modeste, ac pie segerat, metu futurorum malorum; nec in aduersis rebus desperatione frangatur, firmatus, &c. vsq; ad prosperitates.] Sic ille.

D. Ignatius. Irenæus. D. Hieron. Epist. Concil. Ephesinis. Epiphanius. I

Cura maxima Xpi erga sua ecclesiam. K

Benedict. Pererius in Apocalypsim.

DISPVT. X.

In Cap. Primum Apocalypseos de Dei Ecclesia militante.

In decem & septem Quæstiones partita super illa verba: *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.*

Prologus Disputationis.

Ordo diuinus in reuelando Apoc.



IS plane, est huius Apocalypseos siue reuelationis ordo, vt illam Deus, id est, tota Trinitas, (vt supra retulimus) Iesu Christo, in primo incarnationis instanti dederit; quam ipse Christus post suã gloriosam ad cælos ascensionem, Ioanni per Angelum suum reuelauit, vt ipse discipulus dilectus, eam septem Ecclesijs Asiæ, & per consequens toti Ecclesiæ militanti diligenter mitteret. Quamobrem vt scopus, ac finis, & præcipua Dei reuelantis intentio magis, ac magis circa hæc sua Apocalypseos mysteria, & arcana elucescat, merito hic, de Ecclesia militante, contra hæreses huius nostri sæculi, disputandum duximus. De qua re sermonem habuerunt Diuus Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ. Diuus Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, Optatus in sexto lib. contra Parmenianum, Ioannes de Turrecremata in 4. lib. de Ecclesia, Sandarus in 8. lib. de Monarchia Ecclesiastica, Arboreus in sua Theosophia lib. 5. cap. 3. Caietanus in suis opusculis prioribus, Paludanus in tractat. de potestate Papæ. Magister Cano, lib. 4. de locis, Magister Victoria in relectionibus de potestate Ecclesiæ, Thomas Vualdensis tom. 1. lib. 2. doctri. fid. cap. 8. 9. & vlterius Ioannes Driedo de dogma. Ecclesiasticis lib. 4. cap. 2. Albertus Pighius Campensis in 6. lib. de Hierarchia, Stapletonius in primis Controuersijs contra hæreticos, Ioannes Cochleus Philippica 4. Alphonsus à Castro lib. 4. contra hæreseos, Robertus Bellarminus Politianus, 1. tom. Controuersiarum, controuers. 4. lib. 3. Magister meus doctissimus, simulque acutissimus Blasius Nauarro Valentinus in duobus libris de Potestate Ecclesiæ. Quam etiam materiam pertractare solent hoc nostro sæculo plerique Doctores scholastici in suis Commentarijs in 2. 2. Diui Thomæ quæst. 1. art. 10. inter quos est Dominicus Bannes. Agunt itidem de hoc eodem argumento Gregorius de Valentia in sua Analysi fidei Catholicæ par. 6. Ioannes Echius, in initio sui Enchiridij, Ioannes Antonius Delphinus in 3. lib. de Ecclesia, Franciscus Turrianus in 2. lib. de Ecclesia, Petrus à Soto part. 1. defensionis suæ, contra Brentium, Cardinalis Hosius in Confessione in explicatione Symboli, & lib. 5. contra Prolegomena Brentij, Ioannes à Dauentria in confut. 7. art. Confessionis Augustanæ. Ioannes à Louanio in explicatione Symboli, & alij fere multitudine infiniti DD. Theologi.

Apoc. destinatur ad totam Ecclesiam.

D. August. D. Cypr. Optatus. Turrecrem. Sandarus. Arboreus. Caietan. Paludanus. Mag. Cano. Mag. Victoria. Th. Vualden. Driedo. Pyghius. Stapleton. Cochleus. Castro. Bellarminus. Blas. Nauar.

Dom. Bannes. Greg. de Valentia. Echius. Delphinus. Turrianus. Soto. Hosius. Ioan. à Dau. Ioan. à Louanio.

QVÆ

Quæstio. I.

An per has septem ecclesias Asię, ad quas Ioannes, iussu Dei scribit, intelligatur apte vniuersalis ecclesia militans?

Quæstioné de septé ecclesijs Asiæ, cur ceteris quæstionibus de ecclesia militâte prætulit auctor.



QVIA ad hanc celebrem, ineffabilem, ac perillustrem disputationem de Ecclesia militante, hic enodandam, ac iugiter, & copiopiose diuentilandam nos plane impulerit (vt nuper indicauimus,) hæ septem Ecclesiæ Asiæ, ad quas Aquila Euangelij, Ioannes noster mellifluus Archipropheta, ex præcepto Dei scribit. Ideo merito motiuum ad eam pertractandam nos incitans stabiliendum corroborandumque fore in primis, & ante omnia duximus, inquirentes in huius disputationis vestibulo, recte ne per has septem Ecclesias Asiæ, vniuersalis Ecclesia militans intelligatur?

1. concl. Septé ecclesiæ Asiæ vniuersalé ecclesiã militantem indicant.

Pro cuius dubij decisione est conclusio affirmatiua, quam quidem profitentur Diuus Ambrosius, Diuus Augustinus, Ticonius, Diuus Thomas, Beda, Primasius, Arethas, Haymo, Pannonius, Ansbertus, Ioachinus Abbas, Rupertus, Diuus Dionysius Carthusianus, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à Sancta Maria, Blasius Viegas, Petrus Berchorius Pictauiensis, Doctor Incognitus, & alij plerique in hisce suis commentarijs, eamque probo.

1. Ratio. Septenarius numerus ecclesiã Dei demonstrat. D. Ambr. D. Cypr. Hieron. Lau.

Primo, quia numerus septenarius Ecclesiam Dei significat, vt produnt Diuus Ambrosius lib. de Noe 12. D. Cyprianus, de exortat. Martyrij cap. 11. & est communis omnium sanctorum Patrum, iam Græcorum, quam Latinorum interpretatio, vt refert Hieronymus Lauretus in sua sylua allegoriarum, tom. 2. tit. [septem.] & in appendice in syluam de Allegorijs numerorum, tit. [septenarius.] Quamobrem per illas septem mulieres, de quibus extat mentio apud Isaiam per hæc verba: [Apprehenderunt septem mulieres virum vnum.] ac etiam per illos septem fratres Machabæos in martyrio cohærentes, quorum est sermo 2. Machab. cap. 7. Ecclesiam Dei intelligunt expositores; Igitur, &c.

2. Ratio. Septenarius num. vniuersitatem denotat.

Secundo, quia per numerum septenarium crebro in sacro eloquio vniuersalitas, & perfectio figuratur, eo quod ex primo impari, & pari, vtpote ex ternario, & quaternario, tamquam ex diuerso vniuersitas tota conficitur. Hinc Prou. 24. dicitur: [Septies in die cadit iustus, & resurgit.] hoc est sapissime, & quotiescumq; ceciderit non perlbit. Et Psal. 118. [Septies in die laudem dixi tibi.] nimirum, sæpe; quoniam quamuis ad septem horas canonicas, his verbis respexisse regium Citharœdum in Ecclesia Dei propediem concinnendas existiment D. Basilius serm. 11. de institutione Monachorum, & D. Chrysostomus hom. 59. ad populum Antiochenum, nihilominus tamen de ordinaria & vniuersali laude Dei, tam diurna, quam nocturna, Psalmista exoluitur communiter a doctoribus. Ad hanc tandem vniuersalitatem per septenarium numerum importatam alludit illud Eccles. cap. 11. [Da partem septem & octo.] videlicet, esto misericors in multos pauperes, & in multo plures, ac propemodum infinitos, si possis. Hanc namque vim obtinet octonarius numerus, dum septenario adiungitur. Quamobrem in eodem textu ad eleemosynæ fructum exprimendum mox subditur: [Quia post tempora multa inuenies illum.] Quemadmodum enim lignum ali-

Comparatio.

quod in flumine immissum, postea inueniri sane potest in ipso fluminis ostio, per quod se in mare exonerat, ita qui in transeuntes aquas, nimirum in pauperes panem suum in eleemosynam mittit, eam postea inueniet, & recipiet in alia vita, in qua hi fluuij tandem influunt. Igitur, &c.

Eleemosynæ vis & proprietas.

3. Ratio.

Tertio, quoniam septenarius iuxta auctoritatem scripturarum plenitudinem quandam sacri mysterij significat. Ideo in Euangelio dicitur Petro: [Non dico tibi septies, sed vsque ad septuagies septies.] videlicet, semper, & quotiescumq;. Pro quo etiam facit illud Genes. cap. 4. [Septuplum datur vltio de Cain.] Vbi septupla vltio, aut vindicta, plenam & perfectam vltionem, & punitionem indicat, vtpote insolubilem vltionem, vsque ad septimam generationem, vt dicitur Leuitic. cap. 26. Quoniam quemadmodum ipse numerus nequit resolui in partes æquales, nisi in vnitates, sic septenarius in vltione dicit perpetuam, & insolubilem vltionem. Accedit, quod septem plagæ Apocalypseos cap. 15. perfectam indicat punitionem. Et septem dæmonia Matth. cap. 12. & Marci cap. 8. plenam multitudinem vitiorum vtiq; demonstrant. Totus itaq; impar, primus numerus ternarius est, & totus par quaternarius, ex quibus duobus, septenarius constat. Et in sacro eloquio pro pleno mysterio ponitur. Quamobrem Philo lib. primo allegor. & de mundi opificio, ait: [Gaudet natura septenario.] Igitur ex hoc septenario numero Ecclesiarum Asiæ, ad quas verba facit noster vates, recte, & commode plenitudo omnium Ecclesiarum potest intelligi, & accipi.

Septenarij numeri mysterium.

Septenario gaudet natura.

4. Ratio. Septenarius num. sign. oẽ tempus.

Quarto, quia omne tempus quo regitur Ecclesia, septem dierum circulo, apprime terminatur. Tum etiam quia ternarius animæ, scilicet, rationis, memoriæ, & voluntatis, & quaternarius corporis, nempe quattuor Elementorum, Ecclesiam Dei demonstrat. Tum insuper quia in fide Trinitatis, sunt fundatæ omnes Ecclesiæ, & per quattuor mundi partes omnino diffusæ. Igitur, &c.

5. Ratio. Septenarij numeri excellẽtia.

Septenarij numeri variæ figuræ.

Quinto, quia numerus septenarius magnam in sacra pagina præ se gerit excellentiam, & multa in se comprehendit. Familiarius siquidem est Spiritui sancto, & multa per illum explicantur, septem namq; sunt sacramenta Ecclesię, septem sunt dona Spiritus sancti, septem erant Angeli qui habebant septem tubas in Apocalypsi, septem stellæ, septem candelabra aurea, septem cornua, septem oculi, septẽ spiritus Dei, septẽ insuper inueniuntur lapidati in sacra Scriptura. Blasphemus siquidem, Salphat, qui colligebat ligna in sabbato, Archor qui furatus fuerat auream regulã, Aduram, qui erat super tributa, Naboth, qui noluit commutare vineam in hortum olerum, Christus quem voluerunt Iudæi lapidare pro bonis operibus, & Stephanus qui dicebat se videre cælos apertos, septem itidem fuerunt crines Samsonis, septem eius funes, septies Dauid laudem dicebat Domino, septem porro fuerunt anni abundantiæ, & septem anni sterilitatis Ægypti, septem erant aspersiones victimarum, septem circumcisiones circa Iericho, septies petebat Christo Petrus si peccaret in se frater suus, corripiendus, dimittendusque esset. Cui respondit Christus: [Non dico tibi septies, sed vsque ad septuagies septies.] Septem sunt ætates hominum, septem sunt peccata mortalia, septies Christus effudit suum pretiosissimum sanguinem pro peccatoribus, septem spicæ pullulabant in culmo vno, plenæ & formosæ, & septem ex diametro fuerunt alia spicæ tenues, quæ somno apparuerunt Pharaoni, septem boues pulchræ, & crassæ nimis, & aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ cõfectæ q; macie, septem insuper sunt panes, quibus Dominus turbas pauit, septem sunt oculi super lapide

Apoc. 8. Apoc. 1. Apoc. 2. Leuit. 24. Num. 16. Ios. 7. 4 Reg. 21. 3. Reg. 21. Ioan. 10.

Lapidati septé pro sacro eloquio.

Act. 17. Iudicum 16. Psalm. 7. Gen. 41. Leuit. 26. Ioan. 16. Matt. 18. Gen. 12. Math. 15. Genes. 12.

Matth. 12. Zach. 3. Zach. 4.

pidē vnū, feptē erant lucernæ tabernaculi, super vnum candelabrū, & feptem denique fuerunt lotiones Naaman in Iordane: cum igitur feptenarius numerus tot in facra pagina includat in fe myfteria diuina, non mirum, fi inter ea, hoc vnum, maximum, & facrum complectatur in fe arcanum, puta quod per has feptē ecclefias Afiæ vniuerfalis Ecclefia militans demonftretur, ac apprime fignificetur.

6. Ratio. Quod vni ecclefiæ Afiæ dicitur, omnibus Ecclefijs dicitur.

Sexto, quia in hac prima reuelatione, quæ eft de Ecclefia militante, quod vni, ex his feptem Ecclefijs Afiæ dicitur, omnibus dicitur, & quod vni Angelo, nimirum Epifcopo vniufcuiufque Ecclefiæ ex his feptem fcribitur, omnibus Epifcopis Ecclefiæ Dei fcribitur. Quamobrem in fine cuiuflibet Epiftolæ ex his feptē ponitur hęc exhortatio, [Qui habet aures audiat quid fpiritus dicat ecclefijs.] Vt ex hac communi exhortatione, ea quæ in hifce Epiftolis feptē narrantur, perpendant. Et quidquid Epifcopis Afiæ fcriptum eft ad fuam informationem dictum fuiffe putent, quod tamen Epifcopis, & Prælatis fumme incumbit, vt iugiter duobus fequentibus capitibus apparebit.

7. Ratio. Strabus in comment.

Septimo, & poftremo, opinio, & fententia noftra dictis omnium exponentium comprobatur. Quoniam Strabus in fua gloffa ordinaria fuper hunc ipfum locum ita fcribit: [Vel per feptem, vniuerfæ Ecclefiæ, quia feptem vniuerfitatem fignificat, vel quia feptiformi fpiritu illuftrantur.] Et Nicolaus de Lyra: [Per hunc feptenarium intelligitur confequenter vniuerfitas Ecclefiarum in orbe conftitutarum. Vnde dicit Gregor. homil. 25. quia feptem diebus omne tempus comprehenditur, recte feptenario numero, vniuerfitas figuratur.] Et Primafius, B. Auguftini difcipulus ita habet: [Ioannem feptem Ecclefijs, quæ funt in Afia, id eft, vni Ecclefiæ feptiformi, feptenario numero fæpe vniuerfitas figuratur, eo quod ex primo impari, & pari, id eft ternario, & quaternario tamquam ex diuerfo, vniuerfitas tota conficitur. Nam & animæ, corporifque diuerfitas ipfam vnitatem numeri huius complectitur. Ad animam tria pertinent ad corpus quatuor. Dicitur namque diligendus eft Deus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; corporifque autem notas habemus quatuor qualitates, calidam, & frigidam, ficcam, & humidam. Propterea etiam canitur, fepties in die laudem dixi tibi; quid alibi dixit, benedicam Dominum in omni tempore, femper laus eius in ore meo. Et fapientia ædificauit fibi domum, excidit columnas feptem, & cetera, quibus Ecclefia prædicitur orbem poffeffura terrarum, quam ficut vnam poffeffionem in hereditatem, idem Chriftus accepit. Dabo, inquit, tibi gentes hereditatem tuam, & poffeffionem tuam terminos terræ, hinc Catholicum fingulariter obtinet nomen, eo quod fæculum totum fola hereditaria poffideat dignitate. Hæc nunc Ioannem audit, falutationemque perpetuam fperat redempta falutem.] Sic ille, & D. Dionyfius Carthufianus: ita: [Denique vniuerfæ Ecclefiæ funt vna Ecclefia Catholica, quæ per feptem Ecclefias explicatur propter feptem dona Spiritus fancti, quibus illuftrata in mundo refulget.] Et Rupertus Abbas: [Illæ funt feptem mulieres, quæ in Afia iam de caluato vertice filiarum Sion vnum virum apprehendentes dicūtur. Ita dicunt, tantummodo inuocetur fuper nos, &c. id eft, tantum voceris Deus nofter, aut maritus nofter, fic Hierm. 4. Tu autem in nobis es Domine, & nomen fanctum tuum inuocatum eft fuper nos. Hæ igitur Ecclefiæ Chriftum, tamquam virum amplectentes clamant. Non quærimus, vt des nobis regiones alienas pro mercede Euangelij tui, ficut populo illi pro mercede acceptæ legis, regiones feptem gentium dedifti, fcilicet Cananæorum, Amorræorum, Gergezæorum, Iebuzæorum, Ethæorum, Pherefæorum, & Eueorum, fed quærit hæc Ecclefia, panem Euchariftiæ, vbi gratia interna communicatur, & indumenta immortalitatis, in qua pace æterna fruitur.] Ita Rupertus, & tandem Abbas Ioachim hunc locum explicans, illum refert ad eum, qui Deut. 32. habetur per hæc verba: [Conftituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Ifrael.] Ifti autem duodecim populi fuerunt, quibus vniuerfa promiffionis terra Iofue diftribuit; quorum quinque primi (ait Ioachim) præcipuas quinque Ecclefias, præfigurarunt, nimirum Romanam, Hierofolimitanam, Antiochenam, Alexandrinam, & Conftantinopolitanam; reliqui vero feptem, has Afianas obumbrarunt, quibus hic Ioannes nofter peculiariter falutat, dirigens illis, ea quæ ad vniuerfam pertinent Ecclefiam.

Lyran. in comment. — D. Greg. — Primafius in comment. — Deut. 6. — Pfal. 118. — Pfal. 33. — Prou. 9. — Pfal. 118. — Pfal. 23. — Prou. 9. — Pfal. 2. — D. Diony. Carthus. in comment. — Rupert. Abb. in comment. — Ioach. Abb. in comment.

Ecclefiæ præcipuæ orbis.

Append. 1. Ribera, Suarez. Auctoris fententia magis corroboratur.

Ex hoc nullatenus colligere licet Ioannem non proprie fcribere ad feptem Ecclefias, quas hic nominat (quod falfum omnino effet) fed dumtaxat infertur nos & prælibatos auctores affirmare, ea quæ hic feptem Ecclefijs dicuntur conuenire omni Ecclefiæ, & ad omnes poffe accommodari. Hinc Paulus Apoftolus eam doctrinam, quæ ad vniuerfam Dei Ecclefiam nunc pertinet, olim ad Ecclefias, peculiares, nimirum, Romanorum, Corinthiorum, Galatarum, Ephefiorum, Philippenfium, Theffalonicenfiumque fcripfit. Quoniam vt notauit D. Auguftinus, lib. 3. de doctrina Chriftiana, cap. 34. Scriptura fæpe tribuit parti, quæ toti conueniunt, vt Prophetæ Tyro, & Babyloni, quæ omnibus gentibus dicebantur. Idem refert S. Pagninus in Ifago. ad facras litteras, c. 13. Idq; frequenter etiam eft inter Latinos, apud quos crebro, quod partis eft toti tribuitur per figuram fynecdochem, iuxta quē locutionis tropum a parte totum, vel a toto pars intelligitur, vt puppis pro naui, & annus pro hyeme, iuxta illud Virgilij:

Prophetæ attribuebat Babyloni, & Tyro, quod toti gentilitati conueniebat. Sinecdoche figura Latinorum.

Quam multæ gloriantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, &c.

Id eft frigida hyems.

Porro annotabis fecundo, facile effe in facro eloquio plures enumerare Ecclefias particulares diftinctas ratione prouinciæ, aut loci, in quo iacent, aut erectæ fuere. Vel ratione Epifcoporum, & Antiftitum quibus fubijciuntur. Quo plane fenfu accipitur illud Pfalm. 67. [In Ecclefijs benedicite Deo Domino de fontibus Ifrael.] Quamobrem Apoftolus, (vt nuper retulimus) ad Rom. 16. & 1. Cor. 8. & ad Galat. 1. & 1. ad Thef. 2. & crebro in omnibus fuis Epiftolis, plures admittit Ecclefias, quod plane adhuc præftat gloffa fuper illa verba Cant. 4. [Fons hortorum;] & tandem nofter prophetarum propheta in hoc c. 1. 2. & 3. cap. Apocalypfeos feptem commemorando Ecclefias Afiæ, ad quas iuffu Dei fcribit. At omnes illæ funt vna Ecclefia vniuerfalis, quam vt partes componunt. Quoniam nihil plane impedit aliquid fecundum vnam rationem particularem diuidi, & multiplicari, quod fub alia ratione vniuerfali, indiuifum in fe omnino permanet, eo quod omnes hæ particulares, ac peculiares, vel (vt ita dicam) indiuiduales Ecclefiæ, quatenus concurrunt ad vnam vniuerfalem Ecclefiam conftituendam, nullatenus habent, in quo diftinguantur, cum fubijciantur eidem capiti, & eifdem legibus. Quemadmodum in quantum Petrus, & Socrates concurrunt, vt indiuidua ad compofitionem hominis, qui eft fpecies, nullam effentialem differentiam habent, in qua diftinguantur, vt habetur ex logica fcientia, vel perinde, vt in ciuilibus qualibet ciuitas eft quædam particularis communitas: verumenimuero in ratione regni omnes funt vna communitas. Quoniam fub hac ratione nullum obtinent diftinctiuum, in quo diftinguantur, aut vt diftingui queant.

Append. 2. Ecclefias multas annumeramus in facro eloquio ratione Prouinciæ, aut locorum in quibus iacent.

Auctoris opinio de feptē Ecclefijs Afiæ magis explanatur.

Comparatio.

Vniuerfam itaque Ecclefiam aquila Euangelij Ioannes Archipropheta inftruere hic conatur, dum, ad has feptem Ecclefias Afiæ, hanc fuam præcipue deftinat prophetiam, ac reuelationem, illafque proprie inftruit. Quoniam harum feptem Ecclefiarum Afiæ cura

Append. 3. Ioannis intentio in hac prima reuelatione.

Asia demandata Ioanni in diuisione Apostolorum

ra ei in terrarum diuisione tempore prædicationis Apostolorum demandata diuinitus fuit, vt infra cum Nicephoro, Eusebio Cæsariensi & alijs grauissimis adstipulatoribus iugiter ostendemus.

Quæstio II.

An Ecclesia initium duxerit ab Abel, vel à Protoparente Adamo, an vero à Christo Domino.



DISPVTATVR iam de exordio, & prima ua origine ipsius Ecclesię, an videlicet, fuerit ante vel post Christi aduentum instituta, constituta, & ædificata, & quod ante Christi aduentum nulla fuerit Ecclesia, probatur. Tum quia ipse Christus dixit Petro. Matth. 6. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Igitur ante Christi aduentum non erat Ecclesia. Tum quia vera Ecclesia nequit esse absque fide vera. At ante aduentum Christi non fuit vera fides; igitur nec vera Ecclesia. Patet minor ex illo ad Galat. 3. [Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur, at vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.] Quo loco docet Apostolus ante aduentum Christi fidem non esse, & per consequens neque Ecclesiam fuisse concluditur. Tum tertio, & postremo, hoc ipsum de fide vera, probatur ex illo eiusdem Apostoli ad Heb. 11. [Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram.]

(Margin: 1. argum. — 2. argum. — 3. argum.)

1. fundam. Opiniones variæ de origine & primæuo principio Ecclesiæ.

Pro decisione tamen præmonio primo varias de hac re extitisse sanctorum Patrum opiniones; quoniam eorum plerique existimabant Ecclesiam incœpisse ab Angelis. Alij vero tenent ipsam Ecclesiam originem duxisse à primo parente Adamo. Rursus alij defendunt Ecclesiam inchoasse ab Abele, innocente, Iusto, Martyre, & Virgine; & postremo alij asseuerant Ecclesiam incœpisse post Christi aduentum.

2. fundam. Ecclesia est nomen Græcum. Ecclesia significat conuocationem. Beda. D. Hieron. D. August. D. Isid. Ecclesia à Synagoga distinguitur.

Præmoneo secundo hoc nomen [Ecclesia] græcam vocem esse, quæ latine dicit conuentum, cœtum conuocationem, congregationem, seu concionem. Enim vero proprie loquendo Ecclesia significat conuocationem. Quoniam, vt optime produnt venerabilis Beda, & D. Hieronymus super illud prouerb. 5. [In medio Ecclesiæ Synagogæ.] Et D. Augustinus super illud Psalmi 81. [Deus stetit in Synagoga Deorum:] ac etiam D. Isidorus lib. 8. Ethimologiarũ c. 8. hoc nomẽ Ecclesia distinguitur à Synagoga, eo, quod Synagoga quãuis congregationẽ significet, tamẽ indifferenter dicit, vt pote brutorũ, vel rerũ insensibilium. Ideo Gen. 1. vbi nos legimus. [Congregationes aquarum appellauit maria.] Septuaginta vertunt: [Synagoga aquarum.] Ast Ecclesia, proprie loquendo, non quamcumque congregationem, vnionemve ad vnum, quinimmo congregationem hominũ, vel creaturarum rationalium vtique demonstrat, quæ proprie conuocatio appellatur. Conuocari namque est eos vocare, qui ratione non vi, feruntur, & adunantur in vnum, ex quo fas est inferre congregationem, vnionemve fidelium in vnum, Ecclesiam nuncupari. Quoniam fideles sunt in vnam fidem conuocati, non, vi, sed ratione, non proprijs meritis, sed Christi Domini, & beneplacito Dei, iuxta illud 1. Cor. 1. [Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem

(Margin: Ecclesia conuocationem, siue vnionem creaturarum rationalium demonstrat. Conuocatio, quid sit. Congregatio, siue vnio fidelium in vnum Ecclesia nuncupatur.)

fidei eius.] Ecclesia igitur (quatenus de ea nunc agimus) significat congregationem, vel (vt verius loquamur) conuocationem hominum, non quorumcumque, sed fidelium, illorum, nimirum, qui in vnius Dei cultum sub vna fide, sub vno capite, sub vna sacramentorum vnione, ac communione quippe conueniunt. Robertus Bellarminus tomo primo Controuersiarum, cont. 4. lib. 3. annotat Ecclesiam deriuari à verbo græco (ἐκκαλέω) quod est (euoco) & ob hoc asserit Ecclesiam esse euocationem, siue cœtum vocatorum. Attamen in idem prorsus vergitur.

(Margin: Ecclesia vere dicit conuocatio fidelium. — Bellarminus. Ecclesia deriuatur à verbo euoco. Ecclesia est euocatio, siue cœtus vocatorum.)

3. fundam. Respublica Hebræorum Ecclesia aliquando appellata.

Præmoneo tertio, quod licet Hebræorum respublica ad vnam fuerit fidem ex Dei beneplacito adunata, & congregata ad vnius Dei cultum, & cæremoniarum obseruantiam conuocata. Nihilominus tamen aliquando Ecclesia appellabatur, secundum illud num. 20. [Cur eduxisti Ecclesiam Dei in solitudinem.] Ceterum ipsa sæpe sæpius Synagoga nuncupabatur, vt ex varijs locis sacræ Paginæ, plane, ac perspicuum omnino euadit. At Respublica Christiana neque in Euangelio, neque in Concilijs sanctorum Patrum, nec minus in decretis summorum Pontificum, fuit vnquam Synagoga nuncupata. Quinimmo semper Ecclesiæ nomen, ei tribuitur, Cuius plane appellationis D. Hieronymus, vbi supra aliquas adducit non pauci momenti rationes, quarum egregia, ac celebrior est, quæ asserit Iudæorum populum fuisse in misericordia Dei ad vnitatem fidei conuocatum, vt ratione huius aliquando diceretur Ecclesia: Quia tamen imperfecti erant, & rudes, & sicut paruuli sub pædagogo degentes, ideo potius dicebatur more pecudum congregari, quam more hominum perfecta ratione vtentium conuocari. Et ob hoc nomen Synagogæ sæpissime, ac crebrius sortitum olim fuisse, & rarissime Ecclesiam appellatum extitisse: At vero rempublicam Christianam, numquam Synagogam, quinimmo semper, & communiter appellatam fuisse. Quoniam ipsa inter reliquas respublicas orbis perfectionem dicit quamdam qua hominum perfectorum conuocationem semper importat. Hoc autem factum vtique est, eo quod noui Testamenti status excellentior quippe est, quam sit veteris Testamenti status.

(Margin: Respublica Christiana sẽper Ecclesia, & numquam Synagoga nominata. D. Aug. in Psal. 81. super versiculum illum: Deus stetit in synagoga Deorum. — Populus Iudæorum crebro Synagoga, & raro Ecclesia nominatur. — Excellentia nostri status, & legis nouæ supra veterem.)

4. fundam. Ecclesiæ significationes variæ. Ecclesiæ gemina acceptio.

Præmoneo quarto, hoc nomen Ecclesia, vt dicit conuocationem creaturarum ratione vtentium, geminam præ se gerere significationem. Primo namque accipitur late, itaut omnes creaturæ, ad vnius veri Dei cultum congregatæ Ecclesia dicantur. Quo plane sensu, Ecclesia, hominum, & Angelorum congregationem, vtique significat, iuxta illud ad Ephes. cap. 1. [Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam:] id est super omnem hominum, & Angelorum congregationem. Deinde accipitur Ecclesia minus late, ac strictius, nimirum quatenus hominum dumtaxat ad vnius Dei cultum congregationem significat. Qua ratione allocutus fuit Apostolus de Ecclesia, dum ad Ephes. 5. ait: [Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum pro ea.] Quo plane loco agit Apostolus de solis hominibus, quos Christum per suum pretiosissimum sanguinem redemit. Non enim Angelorum fecit redemptionem. Rursus Ecclesia, vt dicit hominum conuocationem, adhuc trifarie consideratur, vt prodit D. Thom. opusc. 6. de explicatione Symboli, Primo, nimirum, vt dicit congregationem hominum existentiũ in cælo, & sic appellatur Ecclesia triumphans: Secundo, vt dicit congregationem hominum existentium in purgatorio, & sic appellatur Ecclesia purgans. Tertio denique, vt dicit congregationem hominum sub fide in hac vita militantium, & sic nuncupatur Ecclesia militans. In qua plane tertia, & postrema significatione nos disputamus hic de Ecclesia, vtpote quatenus dicit congregationem hominum dumtaxat sub vna fide militantiũ in hac vita, & sub lege Euãgelica. Cardinalis de Turrecremata in sua summa cap. 1. sexdecim adducit Ecclesiæ acceptiones, quarum præcipuæ sunt hæ. Prima, nimirum, qua significat Ecclesia, domos

(Margin: Ecclesię significatio. — Ecclesia triumphans. — Ecclesia purgans. Ecclesia militans. — Turrecremata. Ecclesia per multę acceptiones.)

domos materiales, & templa, in quibus fideles conueniunt, eo plane tropo quo continens, sumitur pro cōtento Vnde diuinus Citharœdus Ps. 106. ait: [Exaltent eum in Ecclesia plebis.] Et Apost. 1. Cor. 11. [Numquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, &c.] Quibus in locis sumitur Ecclesia pro sacro loco. Secunda, qua significat Prælatos, & superiores, vnde adest illud Matth. 18. [Si te non audierit, dic Ecclesiæ,] id est Prælatis; & Præpositis. Tertia qua sumitur pro subditis alicuius Antistitis, iuxta illud Act. 9. [Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat ab Ecclesia,] id est, ab inferioribus. Quarta, qua accipitur Ecclesia pro peccatoribus dumtaxat, iuxta illud Psalmographi Psal. 25. [Ecclesia malignantium.] Quæ omnes plane Ecclesiæ acceptiones, vt recte annotat Dominicus Bannes in suis commentarijs in 2.2. D. Th. q. 1. art. 10. deriuantur ab vna, qua Ecclesia sumitur pro congregatione electorum, & respectu huius dicitur de alijs congregationibus analogia proportionis ad vnum finem. Quoniam Prælatus, dicitur Ecclesia, quatenus ordinat alios ad istum finem. Subditi quatenus ad illam ordinantur. Ecclesia militans quatenus consequitur, vel intendit gloriam beatorum. & addit Bannes, quod licet secundum hanc rationem extrinseca denominatione, cetera omnia, præter congregationem beatorum, dicantur Ecclesia, potest tamen dici formaliter Ecclesia, quælibet congregatio, communiter sumpto vocabulo, sed his omnibus acceptionibus omissis, vsu fidelium receptum est, vt non pro quacumque concione, & vniuersitate, sed tantum pro ea, quæ verum Deum agnoscit, vsurpetur. Et hanc solemus nos distinguere in triumphantem beatorum, & militantem viatorum, qui per fidem ambulant, de qua hic disputamus, ita, nimirū, vt sumatur hoc in loco, Ecclesia pro omniū fidelium viuentium cōgregatione.

Bannes. *Ecclesia nomen analogū proportionis.* *Ecclesia triūphans Beatorum. Ecclesia militans viatorū.*

Præmoneo quinto, ecclēsiam militantem adhuc subdiuidi in collegialem, in qua non residet prælatus, & in cathedralem, in qua residet Episcopus. Quæ plane si eius Antistes fuerit Archiepiscopus, appellabitur Ecclesia Metropolitana, vel mater plurium Ecclesiārum. Antiquitus vocabatur ea Ecclesia cui præerat aliquis Patriarcha, Primatus, vt Ecclesia Antiochena, Hierosolimitana, verumtamen hoc nostro sæculo dicitur etiam Primatus Ecclesia illa, in qua residet Primarius Archiepiscopus alicuius nationis, vt in Hispania, Toletana, Tarracon. aut Bracaren. in Asia minori Ecclesia Ephesina, & in Sardinia Ecclesia Calaritana.

5. fundam. Ecclesię militantis subdiuisio. Ecclesiæ collegiatis, & cathedralis discrimen. Primatus qd. sit.

Præmoneo sexto, & postremo Ecclesiam posse sumi quadrifarie. Quoniam cum Ecclesia dicatur congregatio habentium fidem quemadmodum multis modis potest sumi hæc congregatio, ita etiam Ecclesia tot modis accipi potest. Sumitur igitur primo Ecclesia pro congregatione omnium hominum, & Angelorum, qui vel aliquando habuerunt, vel habent, vel habituri sunt fidem Dei. Secundo accipitur Ecclesia pro congregatione dumtaxat hominum fidelium protestantium fidē signo aliquo sensibili, vel exteriori, puta, sacrificio, oblatione, holocausto, vel circumcisione vel tandem aliquo alio ritu, vel ceremonia a Deo optimo maximo ordinata in lege naturæ, vel in lege scripta. Tertio sumitur Ecclesia pro congregatione hominum fidelium protestantium fidem signo aliquo sensibili, vel exteriori sacramento, nimirum Baptismo. Quarto, & postremo accipitur Ecclesia pro congregatione hominum fidelium protestantium fidem per sacramenta, & sacrificia visibilia à Christo Domino instituta. Ex quo plane fundamento conciliari queunt omnes sanctorū Patrū appositæ opiniones in priori fundamento, prout apparere poterit p sequētes assertiones.

6 fundam. Ecclesię quadrifaria acceptio.

Prima assertio, si loquamur de Ecclesia in prima significatione, quatenus scilicet denotat congregationem fidelium, tam hominum, quam Angelorum, qui vel aliquando habuerunt, vel habent, vel habituri sunt fidem, Ecclesia ab Angelis sumpsit exordium, ita vt in conditione, seu creatione Angelorum inceperit, constituta sub vno Pontifice Deo. Hoc videtur sentire prima opinio citata, quam tenet Arboreus in sua Theosophia lib. 5. cap. 3. D. Bernardinus serm. 27. super Cantica. Et videtur expressa sententia D. Augustini Psal. 36. dum asserit, quod ex Angelis, & hominibus fidelibus fit vna ciuitas sub vno Rege, & vna prouincia, sub vno Imperatore, & probatur.

1. assertio. Ecclesia incepit ab Angelis, & quo modo. F *Arboreus. D. Bernar. D. August.*

Primo, quia Angeli in sua creatione habuerunt fidem, & gratiam, vt docet D. Aug. lib. 12. de Ciu. Dei, & D. Tho. 1. p. q. 62. a. 3. creati siquidē fuerunt Angeli cū fide, vt docet D. Thom. & omnes Theologi, quinimmo in via D. Thom. cum gratia gratū facienti creati fuere: At fides est fundamentum Ecclesiæ, vt docet D. Hilarius libro 6. de Trinitate, quoniā Ecclesia est collectio fidelium, igitur incepit Ecclesia ab Angelis.

1. Ratio. D. Aug. S. Thom. D. Hilar. G

Secundo, quia fidem mysterij incarnationis prius habuerunt Angeli, quinimmo ipsorum ministerio mediante, incarnatio, & alia sacramenta fuerunt hominibus reuelata. Igitur. &c.

2. Ratio.

Tertio, & postremo, quia ex hominibus, & Angelis fit vna persona mystica, & vnum corpus Ecclesiæ, vt prodit S. Thom. 3. p. q. 8. art. 4. Igitur tam homines, quam Angeli sunt membra huius Ecclesiæ. At Angeli creati extitere ante primum hominem, ergo ab ipsis Angelis Ecclesia sumpsit exordium.

3. Ratio.

Secunda assertio. Si loquamur de Ecclesia, in eadē prima significatione, prout scilicet denotat congregationem, siue collectionem hominum dumtaxat fideliū ipsa originem obtinuit à primis parentibus, & præcipue ab Adamo. Hoc apparet sentire secunda opinio supra citata, quam sequitur Driedo lib. 4. de dogmatibus cap. 4. Albertus Pighius lib. 1. Hierarchiæ cap. 1. Simanchas lib. de institutionibus, verbo Ecclesia. Michael Medina lib. 5. de recta fide in Deum, lib. 14. Sandarus lib. 1. Monarchiæ cap. 1. quam plane etiam indicat Origenes homil. 2. super Cantica, explicans illa verba Apostoli: [Iam non estis hospites, & aduenæ.] Quo loco putat Origenes inter Prophetas recitatos fuisse Adamum, qui incarnationem Verbi etiam prophetauit, cum dixit: [Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Eandemque tenet D. Augustinus super Leuit. lib. 7. q. 49. illamque probo. Tum quia Adam habuit fidem incarnationis Christi, etiam ante peccatum, vt docet Apostolus ad Ephes. 5. & cōmuniter docent Theologi. Tum quia primi parentes conditi sunt fideles, nimirum, cum fide infusa, & gratia iustificante, vt definitum videtur in Conc. Triden. sess. 5. igitur Adam, & Eua fuerunt primi in Ecclesia.

2. assertio. Ecclesia incepit a primis parentibus, & quo modo. H *Driedo. Albert. Pighius. Simanchus. Medina. Sandarus. Origenes. D. Aug. 1. Ratio. 2. Ratio.* I

Tertia assertio. Si loquamur de Ecclesia quatenus significat congregationem fidelium protestantium fidem signo aliquo sensibili, vel exteriori, puta, sacrificio, sic Ecclesia originem obtinuit in primo parente Adamo, & non in Abele. Hoc videtur sentire eadem secunda opinio dudum recensita, quam amplectuntur Driedo, Albertus Pighius, Sandarus, & Medina locis citatis. Et est contra plerosque Doctores asseuerantes tenentes Ecclesiam sic acceptam initium habuisse in Abele, quos infra citabimus, interim contra illos nostra probatur assertio. Tum quia primus parens obtulit aliquod sacrificium exterius, & visibile quoniam D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. ad 2. affirmat, Adamum obtulisse sacrificium Deo, quamuis huius rei nullam mentionem faciat Ecclesia, & ratio Angelici doctoris est validissima cui suffragatur D. Gregorius affirmans, quod in lege naturæ remittebatur pueris peccatum originis per oblationem sacrificiorum, ex quo concluditur, quod quamprimum Adam habuit filios, debuit pro illis offerre sacrificium, immo, & pro se ipso; Quoniam id quod dicitur Sap. 10. Ille qui primo formatus à Deo, pater orbis terrarum cum solus esset crea-

3. assertio. Ecclesia incepit ab Adamo, & quo modo. Rationes autoris pro Adamo proponuntur. K *1. Ratio. Adam primo obtulit sacrificium. D. Thom. D. Greg. lib. 4 moral. cap. 2.*

creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo;] non est dubium quin debeat intelligi antequam aliquem haberet filium. Tum quia Adam perfecte cognouit legem naturæ, eamque docuit posteris verbo, & exemplo. De lege autem naturæ est oblatio exterior, vt auctor est D. Thom. loco citato. Quare Adam obtulit sacrificium; Rursus Adam fuit protoparens humani generis, quem propterea Deus cumulatissime donis exornauit, vt tamquam hereditario iure illa transiret in posteros, & sic hic honor offerendi sacrificium Deo, defferendus est illi, vt non solum verbo, sed potius exemplo, credamus, eos docuisse filios cultum exhibere Deo, vt ita colligeret in vnum veros fideles, iam interiores per fidem, quam exteriores per signa visibilia, & exteriora, nimirum, sacrificia, & oblationes. Quod plane confirmare videtur Mag. Historiæ Scholasticæ dicens. Adamum docuisse filios suos, offerre decimas, & primitias Deo, quæ duo spectant ad exterius sacrificium. Quod si docuit credendum est, & ipsum primo decimas, & primitias obtulisse. Nec aliquo modo credendum est ipsum minime obtulisse Deo, quæ docuit illi offerre. Quoniam id certe nunquam mihi persuadere potero, virum ita perfectum, cum fructus terræ colligeret, & pro receptis beneficijs gratias Deo redderet non obtulisse Deo, id quod ratione naturali offerendum esse nouerat. Huc pertinet illud quod D. Augustinus ait contra Faustum, tom. 6. nimirum ex quo incepit esse religio, cœperant quoque sacrificia æterna, tamquam symbola religionis. Adam vero eductus a peccato religionem erga Deum obseruauit, & sic reuera obtulit sacrificium. Præterea Abel occisus fuit nulla prætermissa aut relinquente sobole, At ex eo tempore, ex quo sic cœpit Ecclesia, nimirum, offerendo sacrificia, & sensibilia, ac exteriora signa, semper perseuerat. Igitur euidens omino est, Ecclesiam sic acceptam nullatenus incepisse ab Abel, sed ab Adamo, qui post obitum suum plerosque reliquit liberos, bonos, & malos, qui fuit de ratione ecclesiæ militantis. Idem debuit esse initium generis humani, & fidei protestatæ per signa sensibilia, & exteriora, quoniam fides sine operibus mortua est, testante Iacob. Apost. Sed primus parens fuit initium generis humani fuit. Ergo fuit quoq; initium fidei protestatæ per signa sensibilia. Sexto & postremo probatur assertio, quoniam de ratione Ecclesiæ sic acceptæ, est vt sit congregatio multorum fideliũ protestantium fidem per signa sensibilia. At Abel vnus dumtaxat erat; Adam vero multos habebat socios, nimirum vxorem suam Euam, ac filios ab ipso genitos. Igitur ne dicamus Ecclesiam fuisse sub vno præstat affirmare, illam exordium duxisse a patre Adamo, quam à filio Abele.

(Marginalia: 2. Ratio. — 3. Ratio. — Magister Historiæ Scholasticæ. — Obiectio. — Solutio. — D. Aug. — 4. Ratio. — 5. Ratio. — 6. Ratio.)

Verumenimuero aduersarij maxime conantur probare Ecclesiam, quatenus denotat congregationem fidelium protestantium fidem per signa sensibilia, & exteriora, nimirum, per sacrificium, incepisse ab Abele, & nullatenus ab Adamo, idque ostendunt his argumentis.

(Marginalia: Argumenta contrariorum pro Abele proponuntur.)

Primum. Si primus parens aliquod visibile signum obtulisset profecto sacra pagina illius mentionem aliquam fecisset, prout præstitit de Abele de quo Gen. 4. sic dicitur: [Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.] Et ad Heb. 11. [Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo.] At in tota sacra Pagina non legitur primum parentem aliquod visibile signum obtulisse Deo: Igitur signum est Abel primum sacrificium obtulisse Deo, & ex consequenti, qui primus protestatus fuit fidem per signa visibilia, fuit Abel, & non Adam. Secundum argumentum, de fide est Ecclesiam Catholicam, ex quo incepit esse, fuisse sanctam, de fide enim, confitemur Ecclesiam semper sanctam esse. At si origenem traxisset à primis parentibus, nullatenus fuisset sancta, quoniam primi parentes per peccatum ceciderunt, a sanctitate, & iustitia, in qua fuerunt conditi a Deo, vt difinitũ est in Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali, Igitur si ecclesia incepit ab ipsis cum per peccatum amiserint sanctitatem, in illo tempore ecclesia non fuisset sancta. Quamobrem non ab ipsis sed ab Abele traxit originem.

(Marginalia: 1. argum. — 2. argum.)

A

Tertium argumentum, ecclesia debuit fundari primo in aliquo viro iusto, & sancto, vt, sic fundata separaretur ecclesia iustorum, ab ecclesia malorum. At in primo parente non erant segregari boni a malis, quoniam in ipso tamquam in eodem principio, omnes tam boni, quam mali vniti, & confusa ratione continebantur, cuius contrarium experimur in Abele, in quo cum esset iustus, ac sanctus, iam cepit ecclesia sanctorum segregari ab ecclesia malorum. Igitur initium ecclesiæ non fuit in primis parentibus. Sed in Abele. Consequentia corroboratur, quoniam eandem originem debet habere ecclesia bonorum, quam habet ecclesia malorum. Sed sic est, quod ecclesia malorum non habet ortum à primo parente, cum illum habeat à Cain. Ergo ecclesia bonorum non à primo parente, quinimmo ab Abale fratre Cain incepit esse.

(Marginalia: 3. argum.)

B

Quartum argumentum. Ea, quæ conueniunt ecclesiæ nostræ Christianæ, & Catholicæ fuerunt tamquam in imagine delineata in Abele; igitur signum est ab ipso originem traxisse. Confirmatur Antecedens. Quoniam ecclesia Dei, dicitur iusta, sancta, & virgo mente, & fidei integritate iuxta illud 2. Cor. 11. [Dispondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.] Deinde fundata est sanguine martyrũ; Quamobrem in illa tres status continentur puta iustorũ pastorum, virginum, & martyrum. At hæc omnia adumbrata cernimus in Abele, appellatus enim fuit a Domino primus iustus, dum de illo dixit Matth. cap. 23. [Et veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ.] Fuit insuper Abel virgo, representans, sua virginitate, virginitatem ecclesiæ. Et tandem fuit martyr, quoniam Abel occisus fuit à suo fratre Cain. Quamobrem proprio sanguine effuso videtur iecisse fundamenta ecclesiæ. Vnde cum esset virgo, iustus pastor ouium, & martyr referebat tres status ecclesiæ, nimirum, virginum, martyrum, & pastorum iustorum quemadmodum D. Augustinus lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. 3. refert. Et sic ecclesia ab ipso originem traxit.

(Marginalia: 4. argum. — Abel quis fuerit. — Abel tres ecclesiæ status representabat.)

C

D

Quintum, & postremum argumentum. Si ecclesia originem traxisset ab Adamo, vel igitur incepisset ab eo in statu peccati, vel tandem postquam pœnitentiam de peccato peregit. At non apparet quando ab illo incœpit. Igitur, &c.

(Marginalia: 5. argum.)

Primum tamen horum nullatenus tenet. Quoniam Adam primus obtulit sacrificium, & offerre etiam docuit filios suos Abel, & Cain, & optime probant nostra superiora argumenta. Quod si alicubi tam in sacra Pagina, quam apud sanctos Patres reperitur, primum sacrificium fuisse iusti Abel, procul dubio intelligendum venit, eo quod eius, primo; mentioné facit Scriptura, quemadmodum ad Heb. 7. Melchisedec dicitur esse sine patre, sine matre, & sine Genealogia, non quasi ipse propagatus minime fuerit ex stirpe Adæ, sed quia sub nomine Melchisedec non referuntur eius parentes a sacris litteris, vt ibi exponit Cardinalis Caietanus, & Primasius B. Augustini discipulus per hæc verba: [Nec omnino credendum est, quod Melchisedec, sine patre, aut sine matre esset, cum Christus secundum vtramque naturam, & matrem habuerit, & patrem, sed propterea hoc dicitur de illo, quia subito introducitur in diuina Scriptura sicut diximus, & genealogia illius non commemoratur.] Sic ille.

(Marginalia: Argumẽta contrariorum dissoluuntur. — Caiet. in epistola ad Heb. 7. — Primasius in epist. Pauli ad Heb. 7.)

E

Secun-

1. fol. Secundum insuper minime subsistit, eo, quod de sanctitate ecclesiæ loqui plane possumus, prout de eius origine disserimus. Quamobrem si dicamus ecclesiam incepisse in primo parente, postquam pœnitentiam de peccato suo peregit, nullam obtinebit vim argumentum. Qui plane modus dicendi forte probabilior videtur. Quoniam tunc debuit ecclesia incipere, quando habebat caput Homogeneum, & eiusdem rationis, quod posset membris præbere influxum, ne acephala videretur. huiusmodi autem caput est Christus; quare debuit ecclesia incipere in protoparente, post peractam pœnitentiam, vbi iam cœperant merita Christi, & non in tempore innocentiæ, vbi non intelligitur Christus in remedium peccati prædestinatus. Quid, quod. Esto, quod ecclesia inceperit in primo parente in statu innocentiæ, adhuc argumentum minime concludit. Quoniam ecclesia perpetuo fuit sancta, ex quo sanctitatem habuit à Christo, quam plane nullatenus assequutus fuit Adam in statu innocentiæ, quoniam Christus non fuit prædestinatus, nisi in remediū peccati. Quamobrem gratia ex eius meritis collata est, gratia redemptoris, quæ fuit concessa primo parenti post lapsum, & ex tunc, in ipso, vel in aliquo alio semper ecclesia fuit sancta. Accedit insuper ecclesiam semper fuisse sanctam; ex quo habuit integram rationem ecclesiæ. Ratio autem ecclesiæ integra est collectio plurium, non vnius, vel duorum. Itaque ex quo fuerunt plures fideles, perpetuo in aliquo floruit sanctitas. In primis tamen parentibus inchoabatur ecclesia, non tamen adhuc habebat integram rationem, quæ plurium sanctitatem dicit. Postremo dico etiam cum Beauxamo ecclesiam, prout denotat baptizatorum fidelium congregationem, incepisse, fundatamque fuisse in Petro Apostolorum Principe, prout etiam mox dicturi sumus, & nihilominus Petrus in passione peccauit mortaliter negans Christum, atque ita potuit ecclesia fundari in primo parente, quamuis deinde ceciderit à charitate per peccatum mortale. Omitto ecclesiam, quatenus dicit congregationem dumtaxat hominum fidelium incepisse, ab Adamo, vt tenet nostra secunda assertio, & hoc in statu innocentiæ ex illa facile colligi potest. Et tamen subsequens Adæ peccatum nullatenus destruere sanctitatem illius Ecclesiæ, si illa sic accepta sancta dicenda erat in statu innocentiæ Adæ, aut asserendum est illam in illo statu minime sanctam extitisse. Et sic ecclesia sancta non semper esset, ex quo incepit, vt narrat argumentum. Addo quod cum Abel à morte sua nullam reliquerit sobolem, eamdem rationem, & difficultatem sanctitatis militare in illo, quoniam post obitum illius nullatenus apparet, in quo sanctitas ecclesiæ, quæ erat in illo viuente, mox à morte sua conseruaretur. Ex quo inferri potest sanctitatem in terris à morte Abel, per aliquod temporis spatium defecisse quemadmodum etiam defecit in Adamo per peccatum, quoadusque ad pœnitentiam perueniret.

fol. ad 3. Tertium porro argumentum soluitur ex eo, quod in Adamo tres status considerare possumus, videlicet innocentiæ, peccati, & pœnitentiæ. Fuit enim Adam, primo innocens per iustitiam originalem, deinde fuit peccator comedens de cibo vetito, & tandem fuit pœnitens dolēdo de scelere commisso contra Deum, & secundum hos tres status Adæ ratio ecclesiæ militantis, quæ est includere in se bonos, & malos, zizaniam, & triticum, improbos, & probos, ac etiam reprobos, & prædestinatos, facilius, & melius saluatur in Adamo, in quo boni, & mali confusa ratione continebantur tamquam in suo primæuo principio, & fontali origine, quam in Abele, qui iustus dumtaxat fuit, & non peccator, nec pœnitens.

Probi, & improbi omnes in Adamo indistincte tanquam in radice continebantur.

fol. ad 4. Ex hoc patet etiam solutio ad quartum, quoniam si virginitas, sanctitas, pœnitentia, & reliqua sunt de ratione ecclesiæ militantis, primo certe reperta fuere hæc omnia in Adamo, quam in Abele. Creatus enim fuit Adam virgo, innocens, sanctus, & iustus, & F postea fuit peccator, & pœnitens, pœnitentiam autem habita pro peccato, proculdubio est martyrium absque sanguinis effusione.

fol. ad 5. Ad quintum dicimus, Doctores, qui tenent hanc nostram sententiam non omnes conuenire in eodem fundamento. Quidam namque illorum tenent incepisse Ecclesiam in Adam quando adhuc erat in paradiso in statu innocentiæ, in quo constat habuisse fidem & charitatem, & reliquas virtutes, ita docuit Origenes homil. 2. in Cantic. Beauxamis in explicatione Symboli. Quod plane non caret probabilitate. Nam credendum est aliquo signo externo manifestasse Adam suam fidem, siue Deo laudes offerendo, siue cum dixit de coniuge: [Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.] Quibus verbis Christum futurum prophetauit, vt colligunt sancti ex Paulo ad G Ephes. 5. Alij porro dicunt ecclesiā incepisse in Adam tempore, quo pœnitentiam peregit. Quorum fundamentum est, quia licet antea habuerit fidem, non tamen fidem mediatoris Christi Domini, nisi post peccatum, quando egit pœnitentiam. Tunc enim fuit illi reuelatum mysterium incarnationis propter peccatum in remedium illius. Qui plane modus dicendi, etiam probabilis apparet, & mihi magis probatur. Quoniam tunc debuit ecclesia incipere, quando habebat caput homogeneum, & eiusdem rationis, quod posset membris præbere influxum, ne acephala videretur. At huiusmodi, caput est Christus: igitur debuit ecclesia incipere in protoparente post actam pœnitentiam, vbi iam cœperant merita Christi, & non tempore innocentiæ, vbi non intelligitur Christus in remedium peccati prædestinatus. In quo plane statu debuit Adam pro delicto suo, aliquod offerre Deo sacrificium, antequam filios ex Eua haberet, & postquam illos habuit H eosdem pro peccato originis docere sacrificia offerre Deo, quoniam in lege naturæ, vt refert Angelicus Doctor 2.2.q.85.art.1.ad.2. ex D.Greg.lib.4. moraliū cap. 2. remittebatur pueris peccatum Originis, per oblationem, & sacrificium. Sunt tamen, qui dicant primum parentē docuisse quidem filios suos, vt offerrent decimas, & primitias Deo, negant tamen ipsum eas primo obtulisse, quod plane falsum fuisse asserunt peculiari instinctu Spiritus sancti. Ceterum ego nullatenus approbo hanc euasionem; nulli enim nostrum constat quo loco his Doctoribus talis peculiaris instinctus Spiritus sancti reuelatus aliquando fuerit. Sed hæc euasio satis impugnata remanet in argumēto tertio nostræ tertiæ assertionis, Circa hoc nullatenus vlterius progredior.

Ecclesia quo tempore cœpit in Adamo.

Origenes.

Beauxamis.

Ecclesiam incepisse ab Adam in paradiso, & in statu innocentiæ probabile est.

Ecclesiam incohasse ab Adam postquā pœnitentiam peregit probabilius apparet.

S. Thom.

D. Greg.

Euasio aduersariorum.

I Ceterum, quia D. Antoninus in prolog. 3. p. Theol. Cardinalis de Turrecremata p. lib. de ecclesia cap. 25. Alexander Alensis 4. p. Theologiæ, q. 4. membro p. Magister Viguerius in suis institutionibus theologicis, cap. 1. verbo 11. Lyranus super cap. 4. Amos, declarans illa verba: [Suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit.] & super cap. 10. Zachariæ, ac etiam Act. 15. in illa verba: [Cui concordant testimonia Prophetarum.] D. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei, & libro de Cathechizandis rudibus cap. 9. tom. 4. ac etiam in libro de mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. 3. tom. 3. & in commentarijs in Psal. 142. tom. 8. D. Gregorius homil. 20. in Euangelia explicans parabolam de vinea D. Thom. in comment. in Psal. 26. super illa verba: [Iunior fui etenim senui;] & alij grauissimi Theologi, intrepide asseuerant, non Adam, sed Abel primum obtulisse sacrificium, siue oblationem visibiliter, & exterius Deo optimo maximo. Et sic ecclesiam, quatenus dicit congregationem fidelium protestantium fidem K per signa sensibilia, & exteriora, non in Adamo, sed in Abele exordium sumpsisse.

Rationis Auctoritates pro Abelis sententia.

D. Antonin.

Turrecremata.

Alex. Alens.

Viguerius.

Lyranus.

D. Aug.

D. Greg.

D. Thom.

Argumenta nostra illis obuiantia placuit hic etiam dissoluere, sicut & illorum argumenta in nostrā sententiā nuper etiā dissoluimus, vt sic quis problematice defendere valeat hanc opinionem de primæuo exordio, siue de fontali origine ecclesiæ per signa sensibilia, & exteriora.

Problematice defendi potest Ecclesiam incepisse in Adamo, vel in Abele.

Primum

Primum itaque solui potest, dicendo Adamum obtulisse Deo sacrificium interius, non autem exterius: sacrificium autem interius fuit in Adam cordis contritio, per quam deletum fuit eius peccatum, antequã iustus Abel exterius offerret sacrificium, cuius exterius sacrificium primum oportuit esse in ecclesia Dei ex peculiari instinctu Spiritus sancti. Illud autem genus sacrificij interioris obtulit primus Adam tam pro suo peccato, quam pro peccato Originis filiorum suorum, puta Abel, & Cain, quoniam in lege naturæ remitti solebat peccatum Originis per solam fidem interiorem parentum offerentium eos diuinæ Maiestati, vt prodit D. Gregorius 4. lib. Moralium, cap. 2. & habetur de consecratione dist. 4. quoniam hoc quod apud nos valet aqua baptismi, illud ipsum (licet non tam sufficienter, & efficaciter) apud veteres pro paruulis fides parentum, pro adultis, virtus sacrificiorum, & pro his, qui erant ex Abrahæ stirpe futuri, sacramentum circumcisionis peregit.

D. Greg.

Nota bene.

Quod si quis dicat peccatum originale fuisse remissum in lege naturæ non per aliquod sacrificium interius tantum, verum etiam per sacrificium exterius. Quamobrem primi parentes ad remittendum peccatũ Abeli, & Caino ex debito obtulisse sacrificium visibile. Respondetur primo sacrificium exterius in lege naturæ sufficere in voto ad remissionem illius peccati originis sicut & nunc sufficit sacramentum baptismi, non tantum in re verum etiam in voto suo tempore opportuno exhibendum, quemadmodum insuper nunc nos iustificamur per cordis contritionem in re exhibitam, & per sacramentum pœnitentiæ suo tempore suscipiendum, & pari modo primo parenti, filijsque suis peccatum deletum fuisse per sacrificium interius, nimirum per contritionem cordis in re exhibitam, & per sacrificium exterius in voto suo tempore exhibendum. Tunc videlicet quando Abel primus obtulisset Deo tale sacrificium. Secundo dicitur alijs pueris deletum fuisse peccatum originale per sacrificium visibile in re, verumtamen Abele, & Caino per solam fidem parentum fuisse remissum. Quoniam sacrificium visibile ex instinctu Spiritus sancti debuit in Abele exordiri. Tum quia, ne à quo propagandum erat peccatum per totum genus humanum etiam sanctitas ecclesiæ propagaretur. Tum quia non erat decens, vt ille, qui per peccatum abstulerat à Deo honorem, illemet per sacrificia exteriora primus redderet Deo honorem, antequam alius sanctus, & innocens hunc actum religionis exhiberet Deo. Tum tertio, & postremo, quia ecclesia catholica ita debuit fundare in sanctitate, vt in primis fundamentis, ecclesia Sanctorum separaretur ab ecclesia malorum. At in primo parente non erant separati probi ab improbis; omnes enim in illo indistincte, tamquam in radice continebantur. Ob has igitur tres rationes debebat Abel diuino, & peculiari instinctu Spiritus sancti primo offerre Deo sacrificium exterius, antequam eius parens Adam illud obtulisset.

Sol. ad 2.

Porro. Secundum etiam soluitur eo, quod in lege naturæ sufficiebat sacrificium exterius in voto, suo tẽpore in re exhibendum, vt nuper retulimus ex D. Gregorio.

Sol. ad 3.

Rursus tertium argumentum etiam dissolui potest. Quoniam Adam docuit filios suos sacrificium exterius, decimas etiam, & primitias offerre Deo, sed non ipse obtulit antequam Abel iustus eius filius ex particulari instinctu Spiritus sancti primus offerret ob rationes assignatas in superiori solutione.

Præterea ad quartum respondi potest post Abelem propagatam fuisse ecclesiam in primo parente, tunc enim iam poterant offerre Deo primi parentes, sacrificium visibile. Vel dici etiam potest in alijs filijs primorum parentum, tunc propagatam fuisse ecclesiam. Etenim præter Cainũ, & Abelem habuisse quamplures alios filios Adam, & Eua docent grauissimi Doctores, D. Epiphanius lib. 1. aduersus hæreses, heres. 39. D. Methodius, vt citatur à Nauclero in prima ætate Cronographiæ. Magister Histor. c. 25. Gen. Georgius Cædrenus in compendio Historiarum, & alij, plerique vt prodit Mendoza in suis Quodlib. 44. positiua. Et colligitur aperte cap. 4. Genes. Quoniam illico post occisionem Abelis inquit sacer textus cognouisse Cain vxorem suam, quæ proculdubio nequiuerat esse nisi filia; primorum parentum. In his igitur potuit cõtinuari ecclesia, de qua nuc disputamus.

Adam, & Eua præter Abel, & Cain habuerunt alios filios. Epiphanius. Methodius. Georg. Cedre. Mendoza.

Sol. ad 5.

Dissolui etiam potest quintum argumentum. Quoniam ecclesia secundum suum initium fuit in Abele, non tamen secundum absolutam illius rationem; quatenus scilicet significat collectionem multorum. Quemadmodum quando iacimus lapidem intra terram effossam ad erigendam aliquam domum, dicimus ibi esse domũ initiatiue. Quoniam iã positum, ac iactum est primum fundamentum ipsius; non tamen pro tunc dicimus ibi esse domum secundum absolutam eius rationem. Perinde quoque dici potest, quod existente Abele fuit ecclesia initiatiue, quia iactũ erat primum eius fundamentum non tamen completiue.

Sol. ad 6.

Et per hoc patere etiam potest solutio ad sextum argumentum.

4. assertio. Ecclesia fuit ante aduentũ Christi & quo modo.

Quarta assertio, si loquamur de ecclesia quatenus denotat collectionem hominum protestantium fidẽ signis visibilibus, & sacrificijs exterioribus de fide est illam fuisse ante aduentum Christi. Hæc est contra hereticos huius nostri sæculi, illamque profitentur. D. Augustinus super Psal. 118. D. Greg. homil. 17. in Ezechiel. D. Hier. & D. Chrysost. eamque probo. Tum quia fides Christi Domini fuit ante aduentum Christi in multis Patribus, in Adamo, in Abele, in Abrahamo, in Dauide, & in reliquis Prophetis veteris Testamenti. Igitur fuit ecclesia ante Christi aduentum. Consequentia patet, quia ecclesia dicitur congregatio fidelium. Tum quia certa fide tenendum est, sanctos patres per gratiam, & charitatem consequutos fuisse gloriam, & ex consequenti saluatos. At extra ecclesiam non est salus; ergo erat tunc ecclesia. Tum quia fideles, qui extiterunt tẽpore vtriusque legis, videlicet, naturæ, & scriptæ protestati fuerunt suam fidem sacramentis visibilibus, & sacrificijs exterioribus. Quoniã in lege naturæ habemus sacrificium oblatum, primum ab Adamo, vel saltẽ ab Abele, vt nuper distulimus, deinde ab Abrahamo, qui idcirco dicitur pater credentiũ quia primus fuit, qui signum determinatum protestantium fidei à Deo accepit, nimirũ, circumcisionem. Porro in lege Moysi sunt fere innumeræ cærimoniæ, & sacrificia exteriora, quibus populus ille testificabatur fidem Christi venturi; quinimmo, vt inquit eleganter D. Aug. aduersus Faustum Manichæum tom. 6. ex quo incepit esse religio inceperunt quoq; sacrificia exteriora tamquam quædam Symbola religionis, & cultus interioris: Iam igitur ante aduentum Christi fuit congregatio fideliũ protestantium fidem signo aliquo visibili, & ex consequenti fuit ecclesia prout de illa in hac assertione disputamus. Tum quarto, & postremo. Quia hæc est communis doctrina sanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum inter quos adest D. Aug. qui super illa verba Ps. 118. [Initio cognoui de testimonijs tuis.] ita scribit: [Ecclesia loquitur, quæ in terris non defuit ab initio generis humani, cuius primitia fuit sanctus Abel immaculatus.] & addit: [Nam & illud ab initio dictum est, erunt duo in carne vna, quod D. Paulus explicat de Christo, & ecclesia.] Igitur, &c.

D. Aug. D. Greg. D. Hier. D. Chrysost.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

D. Aug.

4. Ratio.

D. Aug.

5. assertio. Ecclesia incepit a Christi aduentu, & quomodo.

Quinta, & postrema assertio, Si loquamur de ecclesia quatenus denotat collectionem fidelium protestantium fidem per sacramenta visibilia instituta à Christo Domino, ecclesia sumpsit exordium post aduentũ Xpi, nimirum, in ipsomet Christo, & per ipsum. Hæc assertio est de fide, vt planum fiet sequenti quæstione, & mo-

M

1. Ratio. & modo breuiter probatur. Tum quia ecclesia sic acce- F
pta dicit sacraméta nouæ legis, & gratiæ. At auctor septem sacramentorum nouæ legis, est Iesus Christus Redemptor noster, qui plane per potestatem excel-
Auctor sacramentorum Christus. lentiæ ea instituit, vt sancte sancitum extat in Concil. Triden. sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. per hæc verba: [Si quis dixerit sacramenta noua legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro insti-
Conc. Trid. tuta, &c. anathema sit.] Igitur auctor ecclesiæ sic acceptæ erit Christus. Tum quia ecclesia in prælibata acceptione, semper appellatur, & est ecclesia Christi, igitur Christus erit eius auctor, vnde & nos qui sumus
2. Ratio. in illa Christiani nuncupamur. Tum quia fundamentũ ecclesiæ sic acceptæ est fides, vt prodit D. Hilarius lib. 6. de Trinitate. At non fuit fides reuelata, & cum gratia donec Christus adueniret, & pro nobis pateretur,
3. Ratio. Fundamentũ ecclesię fides D. Hilar. vt clare indicant illa verba Apostoli ad Gal. 3. [Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur, at vt venit fides iam non sumus sub pædagogo. Igitur ecclesia cum suis sacramentis, sumpsit exordium post aduentum Christi, in ipsomet Christo, & per ipsum. Tum quarto & postremo, quia ipsemet Christus Matth. 16. dixit Petro: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,] vbi per ly,
4. Ratio. [ædificabo] ipsemet seipsum ecclesiæ suæ constituit, & significat auctorem.

In fauorem tamen primæ, secundæ, & tertiæ assertionis, dissoluemus argumenta exordio quæstionis affixa. Quorum primum, nullatenus tenet eo quod ec-
Argumenta aduersariorũ soluuntur. Sol. ad 1. clesia dicitur fundata in confessione Petri, non quasi antea minime fuerit (erat enim iam ædificata super fidem, cum omnes fideles à principio per eandem fidé crediderint Messiam esse venturum, qua nos nunc iam credimus, & experimur venisse.) sed quoad illos, qui deinceps erant in Christum credituri: Quo pacto quotidie ædificatur ecclesia, cum aliqui nouiter conuersi per fidem incorporantur corpori Christi.

Porro secundum itidem dissoluitur, eo quod illud Apostoli: [Quando venit fides,] non intelligitur, quod de nouo aduenerit fides Christi, iam enim erat fides
Sol. ad 2. Christi, vt docet idem Apostolus ad Heb. 11. Quo loco ait omnes quotquot sunt salui facti, saluos factos fuisse per fidem. Quamobrem loco præallegato intelligendus venit Apostolus de aduentu Christi quoad manifestationem eius. Perinde, ac diceret. At vbi fides est manifestata, quæ antea erat in Patribus occulta, iam non sumus sub pædagogo. Ita enodant hunc locũ Apostoli, Primasius, Lyranus, Strabus in sua glossa ordinaria, & Franciscus Titelmannus in suis Commentarijs in epist. Apostoli ad Heb.

Primas. Lyranus, Strabus Titelmannus. Et per hoc soluitur etiam illud, eiusdem Apostoli, ad Heb. 11. asserendo, nimirum, Patres defunctos fuisse iuxta fidem, non quod fidem minime obtinuerint (Paulus enim commendat illorũ fidem,) sed dicuntur fuisse iuxta fidem defunctos, quia habentes fidem comitē, & sociam, defuncti fuere. Quamobrem illud [Iuxta fidem,] sic explanat glossa, id est, adhærentes fidei.

Quæstio. III.

An ecclesia militans recte definiatur per multorũ fidelium congregationem.

De consecratione dist. 1. c. ecclesia. Definitio ecclesiæ militãtis tradita a Nicolao summo pontifice



NICOLAVS Papa, vt refertur, de consecratione dist. 1. descripsit sic militantem ecclesiam: [Fidelium omnium collectio,] & glossa super illud 1. ad Timot. 3. [Quæ est ecclesia Dei] dicit [Ecclesia est conuocatio multorum ad vnius Dei cultum.]

Enimuero si aliquis acriori indagine quid sit ecclesia militans scire desiderat, ex hucusque dictis in præcedenti quæstione, suum adamussim explere poterit desiderium. Si etenim loquamur de ecclesia quatenus originem duxit ab Angelis, & hominibus, vt tenet prima assertio illius præcedentis quæstionis, sic ipsa recte definiri potest: [Ecclesia est congregatio fidelium tam Angelorum, quam hominum, qui, vel aliquando habuerunt, vel habent, vel habituri sunt fidé.] Si vero disputatur de ecclesia quatenus originem duxit a solis hominibus dumtaxat, vt eiusdē præcedentis quæstionis asserit secunda assertio, tunc ipsa optime describitur ita: [Ecclesia est congregatio hominum fidelium dumtaxat, qui, vel aliquando habuerunt, vel habent, vel habituri sunt fidem.] Rursus loquendo de ecclesia quatenus exordium obtinuit ab Adamo, vel ab Abele, vt profitetur tertia assertio eiusdem G præsentis quæstionis, perpulchre tunc ipsa definitur: [Ecclesia est congregatio fidelium protestantium fidé signo aliquo sensibili, vel exteriori, nimirum sacrificio.] Et hucusque dumtaxat se extendit illa definitio Nicolai, quoniam Nicolaus Papa in prælibata sua definitione ecclesiæ militantis tantum, videtur loqui de vniuersitate omnium, qui habuerunt, habent, aut habituri sunt fidem. Quamuis in nullo alio cultu, exteriorique religione conueniant, & adunentur; quo pla-

Definitiones ecclesiæ secundum diuersas eius considerationes.

Definitio ecclesiæ militãtis prout incepit ab Angelis, & hominibus.

Definitio ecclesię militãtis prout inchoauit à solis hominibus fidelibus.

Definitio ecclesiæ militãtis prout exordium accepit ab Adamo vel ab Abele


S. Thom. ne sensu videtur loqui de ecclesia S. Thom. 3. p. q. 8. art. 8. & etiam Doctores asserentes eandem ecclesiam esse modo cum illa, quæ fuit tempore legis naturæ, & Mosayca. Quo itidem sensu etiam accipitur ecclesia, in c. [firmiter de summa Trinitate,] & in extrauaganti [vnam sanctam, [de maioritate, & obedientia, & c. [Ecclesia] de consecratione dist. 4. in quibus locis dicitur extra ecclesiam non patere alicui salutem, aut H remissionem peccatorum. Si denique agimus de ecclesia, quatenus originem traxit a Christo Domino nostro, vt indicat quinta assertio illiusmet præcedentis quæstionis, qua ratione accipitur ecclesia pro collectione viatorum, quos vnit fides, cuius exterior confessio facta est in baptismo; tunc plane sic definienda venit ecclesia militans: [Collectio fidelium baptizatorum] aut si mauis, ita. [Ecclesia est conuocatio, collectio, siue cœtus fidelium baptizatorum, eiusdem orthodoxæ fidei professione, & eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub vno capite Christo in cælis, & eiusdem vicario Romano Pontifice, in terris.]

Definitio ecclesię militãtis prout incepit à Christo

Ex hac postrema definitione ruit sane opinio Vvicleffi, putantis ecclesiam esse dumtaxat prædestinatorum congregationem, quasi soli prædestinati essent I de ecclesia. Corruit insuper opinio Pelagij, existimantis ecclesiam perfectorum solummodo hominum, & nullum peccatum habentium esse multitudinem. Rursus labitur opinio Donatistarum, Nouatianorum, asserentium ecclesiam iustorum tantum, seu potius eorum qui numquam lapsi fuerunt circa confessionem fidei, esse congregationem. Porro ex eadem definitione apparet manifeste falsitas, & error Caluini asserentis ecclesiam constare ex solis iustis prædestinatis. Quas omnes falsas hæreticorum opiniones de ecclesia Christi, late, & iugiter confutat Robertus Bellarminus tom. 1. Controuersiarum, cont. 4. lib. 3. cap. 2. & Dominicus Bannes in suis Commentarijs in 2. 2 D. Thom. quæst. 1. art. 10 quas & nos etiam infra disputando de membris ecclesiæ Christi minutim breuiter, & qua potuerimus eruditione, & diligentia, ac cura impugnabimus.

Appendix. Errores hæreticorum contra definitionem militantis ecclesiæ Christi. Vvicleffi opinio falsa de ecclesia. Pelagij opinio falsa de ecclesia. Nouati opinio falsa de ecclesia. Caluini opinio falsa de ecclesia. Bellarm. Bannes.

K




Quæst.

Quæstio. I V.

An Ecclesia militans Christi Domini nostri fuerit formata ex latere eiusdem Christi mortui in cruce, vel ex ipsomet Christo viuente?

1. sententia. Ecclesia Xpi potius fundata fuit de Xpo uiuente, quā de Xpo mortuo.



LPHONSVS Tostatus, in c. 13. Gen. 352. tenet ecclesiam Christi potius fundatam esse de Christo viuente, quam mortuo: quam plane opinionem attingit, recitando responsiones Magistri, ex lib. 2. de sent. dist. 18. circa soporem Adæ; dum Deus voluit formare feminā de costa viri, tangendo namque tertiam rationem Magistri, quæ est ad signandum sacramentum Christi, & ecclesiæ, tunc negans comparationem illam Magistri; eo quod Adam erat vere dormiens, Christus autem in cruce non erat dormiens, sed mortuus, irruit in præfatam opinionem.

2. Sententia. Ecclesia Xpi formata fuit ex dextro latere Xpi mortui in Cruce.

Ceterum D. Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, D. Anselmus in cap. 5. ad Ephes. Tertullianus lib. 5. aduersus Marcion in epist. ad Laudicenos, & libro de Anima, cap. 4. Cyprianus lib. de monte Sinai, & Sion lib. de Passione Christi, & lib. de Lim. D. Aug. tract. 9. in Ioannem, Beda in cap. 19. Ioan. D. Ioannes Chrysostomus homil. 2. ad Neoph. D. Leo Papa epist. 22. D. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. D. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 26. D. Athanasius lib. 3. in serm. de Passione, & Cruce Domini, D. Thom. p. p. q. 92. art 2. ac etiam D Hieronymus, Cyrillus, & Euthimius, in cap. 49. Isaiæ, & alij plerique grauissimi historiographi, ac diuini adstipulatores intrepide tenent: ecclesiam Christi formatam fuisse ex dextro latere Christi, mortui in cruce.

1. conclus. Ecclesia Dei vna, & eadē est semper.

Pro decisione tamen sit prima conclusio. Vna & eadem est ecclesia omnium fidelium noui, & veteris Testamenti, nec Synagoga fuit concubina, sed vera sponsa, & vxor Christi. Hæc est D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. ad 2. & probatur. Tum quia Christus est caput omnium hominum, & maxime fidelium, quorum plerique fuerunt in Synagoga veteris Testamenti. Tū quia 1. Ioan. 2. dicitur de Christo: [Ipse est propitiatio pro peccatis nostris non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.] Tum quia sancti Patres Synagogæ non insistebāt sacramentis legalibus, tamquam quibusdam rebus, sed sicut imaginibus, & vmbris futurorum. Sed sic est, quod idem est motus in imaginem, in quantum est imago, & in rem, vt prodit Philosophus lib. de memoria, & reminiscentia cap. 2. in medio, tom. 2. Igitur antiqui Patres Synagogæ, seruando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem eamdem, qua & nos in ipsum ferimur. Et ita Patres antiqui pertinebant ad idem corpus ecclesiæ, ad quod nos pertinemus. Tum quarto, & postremo, quia lex noua, in qua est fundata ecclesia Christi, continetur in legi veteri, in qua erat fundata Synagoga, virtualiter, & implicite, vt pote tanquam perfectum in imperfecto, vt refert S. Thom. 1. 2. q. 107. art. 3. Et insuper lex noua implet legem veterem, exhibendo, quod lex vetus promittebat, & figurabat: euacuat tamen eam quoad cærimonialia, vt prodit idem Angelicus doctor 1. 2. q. art. 2. & 2. 1. q. 104. art. 2. ad 2. Igitur habetur intentum.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Consectarium.

Ex hac conclusione collige ecclesiam Christi non fuisse nouam ecclesiam, quo ad substantiam, vel essentiam, (vt ita dicam) sed solum mutationem quandā status ecclesiæ secundum prophetarum prædictiones.

2. concl. Ecclesia Xpi quando incepit. 1. Ratio.

Secunda conclusio. Ecclesia Christi accepit exordium ab ipso Christo viuente, id est, Christus viuens cœpit ædificare, & formare ecclesiam suam. Hæc (ni fallor) est de fide, illamque probo. Tum quia ædificium aliquod tunc dicitur inchoari, & exordiri cum eius iaciuntur fundamenta, vt planum fit ex primis fundamentis templi Salomonis, de quibus 3. Reg. 6. dicitur: [Factum est ergo quadragintesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domini.] Et tunc iacta fuerunt fundamenta illius templi, vt liquet ex superiori capite eiusdem 3. libri Regum, in quo sic dicitur: [Præcepitque Rex vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos: Et etiam ex lib. 2. Paralip. cap. 3. vbi sic habetur. [Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauid, patri eius, &c.] & mox sequitur: [Hæc sunt fundamenta, quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Dei.] At viuente Christo, iacta fuere ab ipsomet, ecclesiæ sponsæ suæ fundamenta; quoniam ipse viuens, suos duodecim elegit Apostolus; prout habetur Lucæ 6. Matth. 10. & Marc. 3. quos fundamenta ecclesiæ vocat Paulus, dicens, ad Ephes. 2. [Iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei superædificati, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo, Iesu.] Et idem habetur Apoc. 21. dum dicitur. [Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.] Ad quod plane alludit illud Ecclesiast. 26. [Fundamenta æterna super solidam petram;] quæ est Christus, & illud etiam Psal. 86. [Fundamenta eius in montibus sanctis:] Quo loco Psalmista non agit ad litteram de ciuitate Ierusalem terrestri, sed de spirituali, quæ est Christi ecclesia: vnde glossa ad hunc Psalmum, sic ait: [Psalmus iste breuis est in verbis, sed magnus pondere sententiarum, quia agit de cælesti Ierusalem, id est, de ecclesia, quæ ciuitas est spiritualis: cuius vna pars militat in terris, altera pars triumphat in cælis, quam iste Psalmus commendat secundum præsentem statum, & futurum.] Quamobrem describens Psalmista, & ostendens stabile ecclesiæ fundamentum ait: [Fundamenta eius in montibus sanctis;] id est in Apostolis, & prophetis; vt ait eadem glossa: vnde istum versiculum tractans D. Gregorius super illud Iob 38. [Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?] Sic ait: In Scriptura sacra, quid aliud fundamenta quam Prædicatores accipimus? quos dum primus Dominus in ecclesia sancta posuit, tota in eis sequentis fabricæ structura surrexit. Vnde & sacerdos legalis cum tabernaculum ingrederetur, duodecim lapides in pectore portare iubebatur; quia videlicet semetipsum pro nobis offerens Pontifex noster Iesus, fortes in ipso prædicatores exhibuit, duodecim lapides sub capite, in prima sui corporis parte portauit. Sunt itaque Apostoli, & pro prima ostensione ornamenti, lapides in pectore; & pro prima soliditate ædificij, in solo fundamenta: Igitur ex quo fuerunt Apostoli, fuerunt fundamenta ecclesiæ sponsæ Christi Agni. Sed sic est, quod Apostoli fuerunt, viuente Christo, vt nuper retulimus; ergo Christus viuens cœpit ædificare, & formare ecclesiam sponsam, & vxorem suam? Tum quia quamuis Christus in omnibus conuersatus sit, secundum præcepta legis veteris, vt innuit S. Thom, 3. p. q. 37. & q. 40. art. 4. in cuius signum voluit circumcidi, præsentari in templo, matrem legem purgationis obseruare, quinimmo ipse, Matth. 5. dixit: [Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas, nō veni soluere, sed adimplere:] tamen dum ipse in terris viueret, & cum hominibus conuersaretur, promulgauit legem nouā gratiæ, & explicuit, in quo lex ipsa noua Christianorum potissimum consisteret. vt liquet Matth. & Luca 6. conuer-

2. Ratio. Christus in omnibus secundum legis præcepta conuersatus est.

Legis nouæ institutio, & promulgatio.

Conuersio animarum ad Christum.

tit animas, plerosque ex gentilitate, & ex Iudaismo ad se adducendo, vt liquet in Samaritana, Magdalena, Cananaea, caeco à natiuitate, paralytico, Lazaro, &c. vt crebro legitur in Euangelio; & tandem confessionē fidei exteriorem praecepit, vt planum, & perspicuum fit ex cap. 10. Matthaei, vbi ipse sic ait: [Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram patre meo, qui in caelis est; qui autem negnauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in caelis est.] Et idem habetur Marc. 8. & Lucae 9. At Ecclesiam Christi maxime splendet in his omnibus, nimirum, in lege gratiae, in conuersione animarum per veram fidem Christi, & in confessione Christi, & eius doctrinae, vt experientia ipsa nunc teste, est euidentissimus; igitur ex quo ista omnia viuente Christo inceperunt, incepit etiam ex consequenti, viuente eodem Christo, ecclesia Christi.

Debemus confiteri Christum & eius doctrinam.

Ratio.

Tum tertio & vltimo, quia ecclesia Christi mirum in modū emicat in suis septem sacramentis gratiae. Sed sic est quod haec septem sacramenta legis nouae instituta fuerunt ab ipso Christo viuente; quoniam baptismum, (qui est ianua omnium sacramentorum) instituit Christus, quando ipse baptizatus fuit in Iordane, vt tenet Beda, D. Thom. Lyranus in capite 1. Ioannis, & assignatur etiam ad hoc ratio, nimirum, quia tunc Christus sanctificans aquas, vim regeneratiuam illis contulit. Quid, quod certissimum est, baptismum institutum fuisse à Christo, ante passionem, quoniam Ioan. 3. expresse habetur, quod Christus baptizabat, & Ioan. 4. declaratur quomodo baptizabat, quamquam Christus non baptizaret, sed discipuli eius baptizabant de mandato ipsius; quia, alias Christus minime diceretur baptizare. Et non est verisimile asserere, quod Christus baptizaret baptismo Ioannis, nec etiam Apostoli, Ioannis baptismo baptizabant, vt dicit D. Hieronymus in epist. ad Seleucianum, & in serm. Epiphaniae; alias inter Pharisaeos non fuisset inuidia, qui dolebant, eo quod plures baptizaret Christus, quam Ioannes. Nam ille baptismus non diceretur Ioannis, sed Christi. Porro confirmationis sacramentum instituit Christus (quidquid de Concilio Meldensi dicant Alexander de Ales. 4. p. q. 23. memb. 1. & 5. Bonauentura in 4. sent. dist. 7.) quando promisit Apostolis Spiritū sanctum, (vt legitur Ioan. 16.) quo confirmaretur virtute ex alto. Eucharistiam insuper instituit Christus in vltima coena, dum dixit: [Hoc est corpus meum.] & [Hic est sanguis meus.] Et (vt vnico verbo dicam) oportet dicere, & intrepide affirmare, omnia sacramenta ecclesiae Christi, instituta fuisse ab ipso Christo viuente. Quoniam cum sacramenta sint instrumenta redemptionis nostrae, & potissima pars ipsiusmet redemptionis, quam ipse incepit viuens; sequitur quod fuerint instituta ab ipso viuente, & ante eius passionem, in qua ipsam perfecit redemptionē nostram. Igitur ex quo inceperunt ista sacramenta instituta ab ipso Christo viuente, exordium plane accepit ecclesia sponsa Christi.

Baptismus quando, & quo loco institutus fuit ab ipso Christo viuente.

Sacramentū confirmationis quādo institutum à Christo viuēte.

Sacramentū confirmationis institutū fuisse à Concilio Meldensi falso tenent quidam Doctores.

Tertia assertio. Ecclesia Christi iam incepta, maximum incrementum accepit ab ipsomet Christo pendente in cruce, adhuc viuente, antequam in ea suum sanctissimum emitteret spiritum. Probatur. Tum quia ecclesia Christi totum suum esse habet ex meritis ipsiusmet Christi: Christus enim non tantum meruit sibi, verumetiam & nobis omnibus membris suis, vt probant DD. Theologi cum Magistro in 3. sent. dist. 18. & cum S. Thom. 3. p. q. 19. At plura, & maiora fuerunt merita Christi in cruce, (vt experientia docet) quam alibi; quoniam tunc plura, & maiora sustinuit opprobria, tormēta, & dolorosa vulnera: quę aggressus quidem fuit voluntarie iuxta illud: [Oblatus est, quia ipse voluit.] Et cum ratio potissima meriti Christi nascatur ex voluntate animae Christi, vt prodit S. Thom. 3. p. q. 59. art. 6. hinc plane est, quod tunc ex actu animae Christi voluntarie se offerentis, plura & maiora fuerint merita Christi in cruce, quam alibi; igitur ecclesia Christi maximum incrementum accepit ab ipsomet Christo, pendente in cruce, antequam animam efflaret.

3. assertio. Ecclesia Christi maximum incrementum accepit à Christo pendente in cruce.

2. Ratio.

Tum quia ecclesia Christi totū suum esse habet ex poenalitatibus, & ex passione sanctissima Christi; Sed sic est, quod potissima ratio poenalitatum, & passionis Christi fuit in cruce, ipso adhuc viuente, antequam spiritum exhalaret; quia postquam mortuus fuit, nihil pati potuit sensitiue, vt recte tradit S. Tho. 3. p. q. 50. art. 6. igitur tunc ecclesia Christi maximū augmentum reportauit.

3. Ratio.

Tum quia sacramenta nouae legis quae tantum illustrant ecclesiam Christi, cum iam esset instituta à Christo, vt nuper retulimus ab ipso Christo pendente in cruce, antequam emitteret spiritum, acceperunt efficaciam. Quoniam vt profitentur communiter Doctores Theologi, omnia sacramenta à Christo instituta efficaciam habuerunt in eius passione. Et sic virtus quae est in sacramentis conferendi gratiam, ex meritis passionis Xpi Iesu emanat; eo quod nulla datur
G gratia, nisi propter merita passionis Xpi, vt tenent idē Doctores theologi. At potior (immo tota) ratio passionis Christi fuit in cruce, antequam exhalaret animam, vt perelegāter, & doctissime docet Angelicus Praeceptor Aquinas 3. p. q. 49. & q. 62. a. 6. quia mors in fieri dicitur vere, & proprie passio, & non mors in facto esse, cum corpus iam mortuum nullam passionem, vel naturalem, vel violentam sentire queat. igitur Christo patiente in cruce maximum incrementum accepit eius ecclesia.

Quarta assertio. Ad vocem illam Christi [Cōsummatum est,] & ad spiritus sanctissimi exhalationē, ecclesia Christi perfecta fuit, quoad meritum eiusdem Christi, & ex omni parte gratia scatens, & abundans, ita vt tunc illa complementum, & finem omnimodum suae aedificationis, siue effirmationis, (hoc est desponsationis suae, cum suo viro Christo) per eius merita vtique
H reportaret. Hanc puto esse de fide, illam tamen probo.

4. assertio. Ecclesia Xpi quando fuit perfecta.

1. Ratio.

Tum quia ad illam vocem, & ad illam spiritus exhalationem cessarunt merita Christi: quoniam meritum Christi nascebatur ex voluntate animae Christi, quae morte finitur, & terminatur, vt clare docet S. Thom. 3. p. q. 62. art. 6. Hinc Christus post mortem non habuit meritum, nec proprie fuit caussa meritoria gratiae nostrae salutis, vt est certissima propositio apud omnes Theologos. At nequibant cessare merita Christi, quin relinquerent ecclesiam Christi in suo esse perfecto meritorum, & consummato gratiae, cum ipsa tota ex meritis, & gratia Christi pendeat; igitur in vltimo instanti exhalationis illius sanctissimi spiritus, perfecta, & completa in esse meritorum remansit ecclesia Christi.

2. Ratio.

Tum quia in illo vltimo instanti temporis, in quo passio Christi finem habuit, nostra redemptio perfecta fuit quoad merita; sacramenta instituta efficaciam acce-
I perunt. Igitur etiam intrepide fatendum est tunc ecclesiam Christi perfectam, & completam remansisse in esse meritorum. Adhiberem profecto alias fere infinitas rationes, nisi rem apertam inter Theologos, diiudicarem ex illo Apostoli ad Heb. 5. [Qui in diebus carnis suae, &c.]

3. Ratio.

Accedit quod ad finem Synagogae debuit sequi principium perfectum ecclesiae, iuxta illud: Generatio vnius est corruptio alterius, At tunc desinit Synagoga, cessaruntque legalia; igitur tunc debuit sequi perfectio in ecclesia.

Quinta assertio. Ecclesiam Christi formatam, aut aedificatam fuisse, vel fluxisse, siue emanasse, ex Christi latere dextero dicunt sancti Patres, non quod tunc per illam sanguinis, & aquae ex Christi latere mortui effu-
K sionem ecclesia Christi inciperet esse quoad merita, sed quod tunc iam perfecta, completa in esse meritorum Christi, & desponsata cum ipsomet suo viro Christo in terris apparuit. Triplici parte constat haec assertio. Quarum prima, (nimirum, sanctos Patres dixisse, ecclesiam Christi formatam, seu aedificatam fuisse, vel fluxisse, siue emanasse ex Christi latere dextro) probatur, propria loca hic adducendo, in quibus idipsum ex professo ipsi asseruit[illegible]

5. assertio. Ecclesia quomodo dicatur fluxisse ex latere dextro Xpi in cruce.

Prima pars assertionis.

D. Ambrosius lib. 10. in Lucam, c. 23. ita scribit: [Ex illo

D. Amb.

A illo incorrupto licet corpore, sed defuncto, omnium vita manabat: aqua enim, & sanguis exiuit, illa, quæ diluat, iste, qui redimat: bibamus ergo pretium nostrũ, vt redimamur.] Et lib. 5. de sacramentis cap. 1. sic habet, [Quare aqua; quare sanguis? aqua vt emundaret, sanguis, vt vi redimeret.

D. Aug.

D. Augustinus tract. 9. in Ioannem in hęc verba prorupit: [Dormit Adam, vt fiat Eua, moritur Christus, vt fiat ecclesia. Dormienti Adæ fit Eua de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, vt profluant sacramenta, quibus formetur ecclesia.] Rursus tract. 15. [Adam, qui erat forma futuri, præbuit nobis magnum indiciũ sacramenti; immo Deus in illo præbuit. Nam & dormiens meruit accipere vxorem, & de costa eius facta est ei vxor. Quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat ecclesia de latere eius, de latere scilicet dormientis, quia de latere in cruce pendentis, lancea percusso sacramenta ecclesiæ profluxerunt.] Et paulo post: [Poterat ad faciendam mulierem, non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significauit? Facta est mulier in costa tamquam fortis, factus est Adam in carne tamquam infirmus: Christus, & ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo.] Et tract. 120. [Non dixit latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit, vt illic quodam modo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur.] Et tandẽ paulo post hæc: [Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materq; viuorum. Magnum quippe significauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. In habitu iacentis, & dormientis. Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormiuit, vt inde ei formaretur coniux, quæ de latere eius efluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt. Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?]

D. Leo Papa.

D. Athanasius lib. 3. serm. de passione, & cruce Domini in hæc verba irruit de Diabolo: [Mactatus est, (nempe diabolus,) non alibi quam in latere ad costas, ex quo efluxit sanguis, & aqua. Et quoniam prius per mulierem e costa formatam profluxerat deceptio, ita nunc per costam secundi Adæ redemptio, & emundatio prioris Adæ dimanaret, & per sanguinem redemptio, per aquam vero mundatio, obtingeret.]

D. Leo Papa epist. 4. cap. 6. sic habet: [Tunc regenerationis pœnitentiam sanxit, quando de latere eius profluxerunt, sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.] & epist. 23. [Erunt duo in carne vna, vtique duo sunt, Deus, & homo, Christus, & ecclesia, quæ de sponsi carne prodijt, quando ex latere crucifixi manante sanguine & aqua, sacramenta redemptionis, & regenerationis accepit.]

D. Ioan. Chrysost.

D. Ioannes Chrysostomus homil. 84. ita inquit: [Ad hæc arcanum mysterium consummatum est. Exiuit enim sanguis, & aqua, non casu, & simpliciter hi fontes scaturiunt; quoniam ex ambobus ecclesia constituta est, sciunt hoc initiati. Per aquam enim regenerati, sanguine, & carne nutriti, hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad mirandum calicem accedis, tamquam ab ipso latere hauriens accedis.]

D. Cyprianus

Diuus Cyprianus lib. de Monte Sinai, & Sion, sic ait: [Lex tua in medio ventris tui, percussus in lateris ventre de lancea, & aqua mixtus profusus fluebat, vnde Ecclesiam sibi sanctam fabricauit, in qua legem passionis consecrabat, dicente ipso, Qui sitit veniat, & bibat, qui credit in me, &c.] Et lib. de passione, ita ait: [De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem, consubstantialique origine, diuisis limitibus, aqua, & sanguis emanant, ad complementum, perfectionemque totius iustitiæ sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius vbertas perenni lapsu vniuersam ecclesiam irrigat, & fœcundat.]

D. Thom. in epist. ad Rom.

A D. Thomas super epist. ad Rom. cap. 5. lect. 4. ita habet: [Adã est forma, id est, figura quadam futuri, id est, Christi, tamen per contrarium. Nam sicut per Adam peccatum, & mors in mundum intrauit, ita per Christũ intrauit iustitia & vita 1. Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo, cælestis. Sunt autem & aliæ similitudines inter Christum & Adam, quod scilicet sicut corpus Adæ formatum fuit sine coitu, ita & corpus Christi de Virgine. Et sicut de latere Adę dormientis sumpta est mulier, ita ex latere Christi dormientis in cruce fluxit sanguis, & aqua, vt dicitur Ioan. 19. quæ significant sacramenta, quibus formata est Ecclesia.]

En qualiter sancti Patres, tam Græci, quam Latini dicant Ecclesiam Christi formatam, aut ædificatam fuisse, vel fluxisse, siue emanasse de latere Christi mortui, siue dormientis in cruce. B Et idem asseuerant omnes Psalmorum expositores super Psalm. 44. in illa verba: [Astitit regina à dextris tuis,] Intelligendo per reginam, ecclesiam, quæ in cruce profluit, & dimanauit ex latere Christi dextro. Quod plane & Apostolus confirmat ad Ephes. cap. 5. dicens: [Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.]

Pars secunda huius assertionis. 5.

Secunda pars eiusdem assertionis, vtpote, quod sancti per hunc loquendi stylum non intelligunt ecclesiam Christi tunc incipere esse quoad merita per illam sanguinis, & aquæ emanationem, liquet ex tribus præcedentibus assertionibus, quibus probatur ecclesiam Christi, quoad merita, incepisse Christo viuente, augmentũ reportasse Christo in cruce pendente, & perfectionẽ, & complementum obtinuisse ad illam vocem: C [Consummatum est,] & ad spiritus exhalationẽ.

Pars tertia huius quintæ assertionis.

Tertia, & postrema pars prælibatæ assertionis (nimirum quod sancti hunc loquendi stylum obseruant, eo quod tunc ecclesia Christi iam perfecta, completa, & desponsata cum suo viro Christo in terris apparuit) probatur; quoniam ille sanguis effusus ex latere fuit signũ gratiæ patratæ salutis nostræ per passionem, vt produnt Doctores theologi, inter quos est Soto, qui in 4. sent. dist. p. q. 3. art. 5. mouendo dubium; quomodo sacramenta ab illo fluxu receperint virtutem conferendi gratiã, cũ ille fluxus nequierit esse meritorius, in hac verba prosilijt: [Post mortẽ fluxus ille non potuit esse meritorius potuit tamẽ esse causa instrumẽtalis gratiæ, vel potius signũ patratę salutis nostræ per passionem. Vbi enim dictum fuit, consummatum est, significatum fuit, illa spiritus exhalatione mysterium D redemptionis perfectum fuisse. In cuius signum fluxit aqua, & sanguis, quasi ex tunc esset apertus fons, ex quo gratiæ sacramentorum emanarent, ac subinde ianua olim cælorum reclusa, aperta modo, quo nos eadem sacramenta perducunt.] Hæc Soto. Et quamuis plerique Doctores teneant contra Sotum, sanguinem illum effusum ex Christi latere dextro, non solũ fuisse signum gratiæ, verum etiam eiusdem gratiæ caussa efficiens instrumẽtalis, quemadmodum sepultura Christi, & dies descensus eius ad inferos fuerũt causa efficiens nostræ salutis, & gratia: (quod & ego maxime credo, & eorum sententiæ melibenter subscribo) tamẽ hoc non obstat, quin sanguis ille sit signum omnium meritorum Christi, gratiæ adeptæ, & salutis nostræ operatæ per passionẽ, & per consequens signum etiam fuisse perfectionis ecclesiæ sponsæ Christi quoad merita Christi, à quibus tota dependet. E Quo etiam tendere quidem possunt verba illa D. Thom. 3. p. q. 62. art. 5. nimirũ: [Similiter etiam per suam passionem initiauit ritum Christianæ religionis, offerens seipsum oblationem, & hostiam Deo, vt dicitur ad Ephes. 5. Vnde manifestum est, quod sacramenta ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, cuius virtus quodam modo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum, in cuius signum de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua, & sanguis, quorum

vnum pertinet ad baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta: [Accedit, quod ipsamet sacramenta septem ecclesiæ (ex quibus ecclesia Christi, teste Durando, recipit influentiam, sicuti mundus à septem planetis) dicuntur tripliciter signa, est enim sacramentum signum trium rerum, vt ostendit S.Thom.3.p.q.50.art.3. per hæc verba:[Sacramentum est, & signum rememoratiuum eius, quod præcessit, scilicet passionis Christi, & demonstratiuũ eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratia, & pronosticum, id est prænuntiatiuum futuræ gloriæ.] Sanguis igitur ille, qui de latere Christi mortui effluxit, & redemptionem nostram, & ecclesiam gratia sacramentorum redundantem per passionem Christi, quæ ad vocem, [Consummatum est,] & ad spiritus exhalationem finita fuit, abunde significat. Quamobrem dico, quod ad illam sanguinis ex latere dextro Christi mortui effusionem, ecclesia iam perfecta, completa, ornata, tamquam sponsa, & iam desponsata cum suo viro Christo per eius passionem, in terris apparuit, & sic interpretandi sunt, ex mea sententia, sancti Patres, dum dicunt locis citatis, & alibi ecclesiam fluxisse, manasse, firmatamque, ac ædificatam fuisse ex latere Christi dormientis in cruce.

Duran.4. sent. dist.1. in præfatione litteræ Magistri. S. Thom. Sacramentum est signum triũ rerum.

Ex hucusque dictis collige, primo explicatu facilè esse Abulensem, dum in cap.13. Gen.q.352. ita scribit. (Ecclesia potius fundata est de Christo viuente, quam mortuo, quia redemptio nostra est ex meritis passionis Christi, in qua passione omnia sacramenta a Christo instituta habent efficaciam: sed passio Christi est in viuo, & non in mortuo, quia mortuus nihil pati potest sensitiue, & ideo sanguis Christi de corpore Christi viuentis, & pœnalitates suæ tunc profuerunt ad redemptionem nostram. Quod autẽ in Christo fuit post mortem, non facit aliquid ad redemptionem nostram effectiue, eo, quod ibi non est aliqua actio meritoria, sed solum ad significationem. Sicut & corpus Domini sepeliri non confert effectiue, aut promeritorie ad redemptionem nostram: & ita sanguis, qui fluxit de mortuo, non redemit nos, sed sanguis, qui de viuo; sed quod de mortuo fluxit redemptionem, & ablutionem significat, sed ipsam non facit. Et ideo sponsa Christi, id est ecclesia, de corpore Christi viuentis, & vigilantis potius sumpta est, quam de corpore mortui, siue dormientis.) Sic ille, vbi illud (potius) verum attingit; quoniam ecclesia Christi, exordium, incrementum; perfectionẽ, complementum satisfactionis meritorum Christi accepit ab ipsomet Christo viuente, vt rectè probat 2. 3. & 4. assertio nostra superior. Porro illud: [Corpus Domini sepeliri non confert effectiue, aut promeritorie ad redemptionem nostram,] quantum ad meritum benè dicit, non tamen quantum ad efficientiam, & causalitatem effectiuam; quoniam quamuis ante separationẽ animæ à corpore Christi, & in vltimo instanti eius fuerit consummatum opus redemptionis nostræ, quantum ad meritum, & redemptionem, non autem quantũ ad efficientiam; quamobrem vulnus lancea illatum post mortem, siue sanguis effusus ex tali vulnere, licet non fuerit causa meritoria nostræ redemptionis, & salutis, ac gratiæ, fuit tamen eiusdem causa efficiens instrumentalis; quia diuinitas, non solum corpori, & animæ coniunctę, & etiam separatæ, verum etiam sanguini egresso e corpore ęque vnita erat, vt prodit S.Tho. 3.p.q.54.art. 5. vnde sanguis ille ex mortuo corpore effluxus ratione diuinitatis, quamuis non haberet meritum, habebat efficientiã, & causalitatem effectiuam & in hoc sensu sepultura etiam Christi operata est efficienter salutem nostram, sicut & mors eius, vt innuere videtur S.Thom.3.p.q.51.art.1.ad 2. & art.4.ad 3. & probari potest ex eo, quod corpori Christi existenti in sepulchro, coniuncta erat personaliter diuinitas, quæ nec corpus mortuum, nec animam ab ipso separatam vnquam dimisit, vnde tamquam organum coniunctum personaliter verbo Dei, instrumentum erat eius ad miracula, & diuinas virtutes faciendas, ex quo verę, & conuenienter dicitur, quod efficiebat, &

Consectarium 1. Abulens.

F causabat gratiã, & salutẽ nostram, ratione diuinitatis, ex qua talis efficientia dependebat. Legito circa hoc D.Tho.3. p.q.56. art.1. ad 4. & q.50. art.6. in corpore, & Caiet. in comment. dictæ q.56. sup. art.1. in resp. ad 3. Iam postremo illud: [Sed quod de mortuo fluxit, redemptionem, & ablutionem significat.] verum est. At vero illud, quod mox sequitur, nimirum: [Sed ipsam non facit.] falsum est, cum ipsa, vt nuper retulimus, in vltimo instanti vitæ Christi, consumata fuerit, quantũ ad meritum, non autem quantum ad efficientiam: & ob hoc fluxus ille sanguinis habebat virtutem remissiuã peccatorum, quantum ad efficientiam, & causalitatem effectiuam, non vero quantum ad meritum, & satisfactionẽ, vt facile quis pro libito deducere potest ex D. Tho. & ex Caietano locis citatis 3.p. Quod si quis dicat cum Abulense: Nihil in Christo potuit esse causa salutis nostræ effectiua, quæ non fuerit eiusdem quoq; G meritoria: sed sic est, quod meritum Christi terminatum fuit in eius morte, nec post mortem Christus vllo pacto meruit, vel actionem meritoriam exercere potuit, cum desierit esse viator, igitur nec sanguis effusus ex latere Christi mortui, nec eius sepultura, nec minus eius descensus ad infernos nequibunt esse caussa effectiua nostræ salutis, aut ecclesiæ. Dico propositionem intelligendã esse dumtaxat dum Christus erat viator; quamobrem vox illa: [Consummatum est;] & spiritus exhalatio excludunt omnino merita Christi, & satisfactionem, quæ tunc moriente Christo cessarunt. Vnde S. Tho. in 3. sent. dist.18.q.1.art.3. sic ait: [Omnis actio tã animæ separatæ, quam corporis, vel etiam ipsiusmet Christi resuscitati, nõ fuit meritoria, nec satisfactoria:] sic ille: non autem excludunt ea, quæ post mortẽ Christi acciderunt, tam in vulnere, quam in descensu à cruce, sepultura, descensu ad inferos, ac etiam in resurre-H ctione, & in Apostolorum prædicatione, vt mox patebit. Nihil enim circa Christum fieri debuit, quod non esset salutiferum nobis, alias superuacaneum reputaretur, quod de Christo post eius mortem narrant Euangelistæ, quod nullatenus est fatendum: vnde S.Tho.3.p. q.50.art.6. in corpore in hæc verba prosilijt: [Nec per mortem diuinitas separata fuit à Christi carne; & ideo quidquid contingit circa carnem Christi, etiam anima separata, fuit nobis salutiferum virtute diuinitatis vnitæ.] Sic ille. Dicimus igitur ad Abulensem, ecclesiam Christi potius esse fundatam de Christo viuente, quam mortuo, non ob rationem, quam ipse adducit, nimirũ: [Quod autem in Christo fuit post mortem, non facit aliquid ad redemptionem nostram effectiue,] quoniam in hoc deceptus est ipse, & Paulus Middelburgo Episcopus Forosemproniensis in libro de passione Domini tenaciter affirmando, sanguinem, qui effluxit e late-I re Christi iam mortui, nihil contulisse ad redemptionẽ humani generis) sed eo quod ecclesia Christi formata fuerit, quantum ad meritum, satisfactionem, & efficientiam, causalitatemque effectiuam de Christo viuente. At vero de Christo mortuo, formata dumtaxat extitit quantum ad plenam efficientiam, causalitatemque effectiuam. Quoniam mortuo iam Christo, cessarunt statim eius merita, & satisfactio, non autem efficientia, siue causalitas effectiua. Idcirco, quamuis ecclesia Christi, & eius sacramẽta, aliqualem, viuente Christo, maximam vero, in eius passione, efficaciam habuerit; tamen effectum, omnimodamque, ac totalem efficaciam habuerunt post passionem in illa lateris perforatione.

Obiectio.

Solutio.

Merita Christi cessarunt in eius morte

Efficacia totalis redemptionis nostrę post passionẽ

Collige secundo Prælibatam sanctorum Patrum locutionem, qua ipsi communiter dicunt, ecclesiã Chri-K sti formatam fuisse ex latere Christi mortui; quemadmodum Eua formata fuit ex latere, hoc est, ex costa Adæ dormientis, sub analogia proportionis plane contineri. Proportio autem inter Euam, & ecclesiam multiplex vtique est. Quemadmodum enim Eua mater viuentium appellatur, iuxta illud Gen.3.[Vocauit enim Adam vxorem suam Euam, eo quod mater esset cunctorum viuentium, ita etiam ecclesia, viuentium mater dicitur, iuxta illud D. Prosperi Aquitani, lib. de promis-

Cõsectariũ 2. Inter ecclesiæ efformationẽ ex latere Xpi mortui, & efformationem Euæ ex costa Adæ, mediat analogia proportionis. Proportio multiplex inter Euam, & Ecclesiam.

promissionibus, & prædictionibus Dei p. p. cap. 1. [Nobis per fidem viuorum significauit futuram Ecclesiam, quam matrem appellauit omnium viuorum. Ea scilicet causa qua ex latere Adæ dormientis formata Eua, ex latere Christi in cruce pendentis, formandam, (vt factum est,) præuidit Ecclesiam, quæ vere est mater omnium viuorum: [Et sic vtraque (nimirum Eua, & Ecclesia) mater viuentium dicitur. Vtraque insuper est à Deo immediatè: quemadmodum enim de formatione Euæ ait Augustinus lib. 9. super Genes. ad litt. cap. 15. [Quæritur quemadmodum sit soporatus Adam, costaque eius sine vllo doloris sensu à corporis compage detracta sit. Hæc fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri, formare autem, vel ædificare costam, vt mulier esset vtique non potuit nisi Deus à quo vniuersa natura subsistit, vt ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim:] Ita pariter de Ecclesia scribit Tertullianus lib. 5. aduersus Marcionem in epistol. ad Laodicenos. [Laborabo & ego nunc eundem Deum probare, masculi, & Christi, mulieris & ecclesiæ, carnis & spiritus, ipso Apostolo sententiam creatoris adhibente, immo & deferente. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.] Porro vtraque est coniux, vt patet ex illo Apostoli: [Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam.] Vtraque ex costa facta est, vtraque ex latere viri consurrexit, vt communiter volunt sancti Patres. Et licet quidam libri Geneseos commentatores attentent asserere Euam formatam fuisse ex sinistro latere Adæ: alij verò putent ab Adam duas, aut plures costas ex duobus lateribus, iuxta alui vacuum Deum detraxisse: tamen an ex sinistro latere Adæ, vel ex dextro fuerit Eua formata, nihil certi ex sacra pagina possumus elicere, in qua Gen. 2. ita solum habetur: [Tulit vnam de costis eius & repleuit carnem pro ea.]

Eua & ecclesia immediate a Deo. D. Aug.

Tertullian.

Coniux est Eua, & ecclesia.

Benedict. Pererius li. 4. in Gen. q. 4.

Oleaster in. obseruat. in Genes.

Sexta, & postrema assertio. Ecclesia Christi dilatata, & extensa fuit per Apostolos, & in dies per eorū propagatur orbem. Hæc est certa & probatur. Tum quia ideo Ecclesia Christi dicitur Apostolica, vt infra patebit. Tum quia Petrus eam Romæ, Ioannes eandem in Asia, & reliqui Apostoli illam per alias orbis partes diuinitus plantarunt. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Tum quia quando Sancti Patres dicunt, Apostolos fundasse Ecclesiam Christi, exponendi vtique veniunt, quoad dilatationem dumtaxat. Et pari etiam modo explananda quippe sunt hæc loca sacræ Scripturæ Psalm. 9. [Vt annuntiem omnes laudiones in portis filiæ Sion [de Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.] & Psalm. 147. [Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.] Et alia pleraque his similia. In quibus per filios Sion intelligimus Ecclesiam, quia ibi nata est, & sic Sion genuit omnes Ecclesias, non quod antea non essent Ecclesiæ per orbem dispersæ & fideles, sed quia ex Sion exeuntes Apostoli, prædicarunt Ecclesiā Christi & eius euangelium per orbem. Et sic dicitur Ecclesiā Christi incepisse à Sion, quoad dilatationem, & extensionem dumtaxat, quia scilicet inde deriuata est Ecclesia Christi in alias nationes, quando Apostoli per vniuersum orbem verbum Dei seminarunt. Idcirco Rupertus Abbas lib. 2. in Genes. cap. 37. ita scribit: [Ceterum in Christo & in Ecclesia sacramentum magnum est hoc, quia sic admisit in se Christus soporem mortis susceptæ, pro voluntate Patris obedientia, & tulit Deus de latere eius sanguinem, & aquam, de latere inquam eius dormientis, id est, iam mortui, sanguinem & aquam per lanceæ vulnus eduxit, vnde ex tunc vsque ad finem sæculi ædificare non desinit, vt gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam exhibeat illi.] Hæc Rupertus.

6. assertio. Ecclesiæ dilatatio per Apostolos, & eorū successores.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.

Authoritates permultæ de Ecclesiæ dilatatione explanantur.

Ecclesia incepit a Sion, & quomodo.

Rup. Abbas.

Iam postremo in calce huius quæstionis animaduertas, oportet, quod nos hic minime curamus de prioritate & antiquitate inter Ecclesiam nostram, quam Caluinus, & alij heretici Papisticam Ecclesiam appellant, & eorumdem hæreticorum sectas. Constat enim Ecclesiam nostram antiquiorem esse omniū Paganorum conuenticulis, vt prodit Tertullianus in Apolog. cap. 19. & 20. & B. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 37. & 38. & latissime probat, euidenti argumento contra hæreticos, Robertus Bellarminus tom. 1. Controuersiarum, controuers. 4. lib. 4. cap. 5.

Ecclesia nostra prior hæreticorum sectis & conuenticulis.

Tertullian. D. Aug.

Bellarminus.

Quæstio IV.

An tota Ecclesia Christi sit vnum eiusdem Christi mysticum corpus per similitudinem ad naturale corpus hominis?



CONCLVSIO affirmatiua est de fide, quam corroborat illud Apostoli ad Rom. 12. [Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundē actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.] & illud etiam eiusdem Apostoli 1. Corinth. 12. [Sicut enim corpus vnum est, & multa habet membra, omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus.] & paulo post hæc: [Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.] At hæc omnia loca Apostoli nequeūt intelligi de corpore Christi naturali. Igitur necessario intelligenda veniunt de corpore Christi mystico. Argumentum plane concludit.

1. concl. Ecclesia vnū corpus per similitudinem ad naturale corpus.

Ad plenam tamen minoris notitiam annotabis, quod Christus, siue corpus Christi, geminam obtinet acceptionem. Accipitur enim primo pro illo homine Christo, qui in se vnctus est, & tunc corpus eius accipitur pro illa parte naturæ humanæ, quam assumpsit de Virgine, digna eius matre: & istud appellamus corpus Christi verum. Rursus dicimus, Christum esse vnum hominem, non quidem vere vnicum, sed vnum ex pluribus, non per modum vniuersalitatis, sed per modum cuiusdam congregationis in vnum. Et tunc dicimus corpus Christi esse corpus mysticum, id est, figuratum, scilicet, figuratiue corpus appellatur, cum non sit vnum corpus naturale. Sed sicut dicimus vniuersitates esse corpora per fictionem iuris, ita totam ecclesiam dicimus esse vnum corpus. Quę quidem appellatio se tenet ex similitudine istius corporis mystici ad corpus verum naturale. Quemadmodum etenim in corpore naturali, quamuis vnum sit, sunt multæ partes diuersorum officiorum, vt in locis præallegatis Apostoli liquet, & istæ diriguntur omnes in vtilitatem totius ipsius corporis, & qualibet etiam procurat vtilitatem alterius, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. [Pro inuicem solicita sunt membra: & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.] Et omnes istæ propter continuationem, quam inter se habent, appellantur vnum corpus. Perinde etiam in corporibus mysticis, vel figuratis fictione iuris, quæ sunt vniuersitates, sunt partes illius vniuersitatis, & habent distincta officia, & actus, siue præsidendi, siue exequendi, siue consulendi, in quantum sunt partes ipsius vniuersitatis, & dirigun-

Minor declaratur. Corporis Xpi bifaria acceptio.

Corpus Xpi verum quale sit.

Corpus Xpi mysticū quale sit.

Comparatio.

Corporis mystici partes dirigũtur ad vnũ finẽ.

Bonum publicũ quomodo contineat partes vniuersitatis.

dirigantur omnes in vnum finem, nimirum in bonum publicum. Et qualibet pars illius vniuersitatis confert ad illud bonum, licet diuersimode conferat secundum actus suos, qualibet etiam confert ad vtilitatem alterius; quoniam nulla pars illarum habet sufficienter in se bonum suum, sed quælibet accipit in omnibus. Et ista est causa potissima, quare conueniant in vnum, vt sint vnum corpus, videlicet, quia nulla pars illius vniuersitatis continet in se perfecte bonum, sed omnes simul continent perfecte vnum bonum, quod est bonum publicum, & etiam est bonum singulorum, in quantum qualibet pars potest accipere ex omnibus alijs quidquid sibi deest ad complementum suum. Quam plane causam innuit Philosophus 3. Politic. asserens, quod adiacet cuique particula boni alterius, id est, quilibet homo habet in se vnam particulam illius boni, quo alius eget. Ideo necesse fuit conuenire multos ad faciendam politiam, vt sic quilibet possit habere ab omnibus alijs, quod sibi deest. Quamobrem tum vniuersitates istam habitudinem, & ordinem teneant, qui ordo est in corporibus naturalibus, quæ sunt vere corpora, vocabuntur iustissime vniuersitates corpora. Sic autem Ecclesia tota dicitur vnum corpus, & illud corpus appellatur corpus Christi. Quod Apostolus ad Colloss. cap. 1. innuit, dum ait: [Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.]

Quilibet homo habet particulã illius boni quo alis indiget.

Vniuersitatis iuste corpora appellantur.

Ecclesia iuste dicitur corpus.

2. concl. D. Aug. Bellarmin.

Secunda conclusio. Ecclesia est corpus mysticum viuum, in quo est anima & corpus. Hæc est Diui Augustini in Breuiculo Collationis, collat. 3. & Roberti Bellarmini tomo primo Controuersiarum, controuers. 4. lib. 3. cap. 2. Et ex eo dumtaxat probatur, quia in Ecclesia inter dona Spiritus sancti sunt fides, spes, & charitas, quæ sunt veluti anima, sunt insuper externa professio fidei, & communicatio sacramentorum, quæ sunt veluti corpus.

Explicatur magis cõclusio. Caietan. Ioan. de Turrecremata.

Pro faciliori huius conclusionis intelligentia, annotabis cum Caietano in opusculo de auctoritate Ecclesiæ, & cum Ioanne de Turrecremata, quod quemadmodum in rebus, & corporibus naturalibus considerant philosophi quattuor causarum genera, perinde plane in corpore mystico Ecclesiæ quattuor causas contemplari debemus, nimirum efficientem, quæ est Deus optimus maximus qui Ieremiæ cap. 2. de Ecclesia ait: [Ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? &c.] & Matth. cap. 11. [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Causam finalem, quæ est beatitudo, ideo extra ecclesiam non est salus. Causam materialem, quam constituunt fideles per externam professionem fidei, & communicationem sacramentorum, per quæ omnia ipsi fideles, tamquam partes integrantes constituunt ipsam Ecclesiam, quemadmodum partes corporis, vnum efficiunt corpus. Et causam formalem, quæ est vera fides accepta in baptismo, cum fide, & charitate, ratione quarum dicuntur fideles viuere, & vniri Christo. Quod autem fides formata gratia, & charitate sit vera forma viuacitatis corporis mystici, Ecclesię, infra patebit disputando de membris Ecclesię.

Causa finalis ecclesiæ beatitudo. Causa materialis ecclesię fideles.

Quæstio V.

An hoc corpus mysticum ecclesia militans obtineat caput, an vero acephalum sine capite sit?

1. concl. Caput inuisibile vniuersalis Ecclesiæ militãtis Xps.

PRIMA Conclusio. Christus caput inuisibile est vniuersalis Ecclesiæ militantis. Hanc admittunt libenter omnes, etiam veteres, &
G recentiores hæretici; est tamen de fide, & probatur ex illo Apostoli ad Ephes. cap. 1. [Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam.] Igitur, & militantis.

Magist. in 3. sent. S. Thom. 3. p. q. 8.

Hanc conclusionem communiter tenent & probant nostri Catholici Doctores Theologi in 3. sent. dist. 13. cum Magistro, & in 3. p. quæst. 8. cum S. Thoma. Affirmantes, quod sicut tota ecclesia dicitur vnum corpus mysticum, per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diuersa membra habet diuersos actus; ita Christus dicitur caput ecclesię secundum similitudinem humani capitis. Quamobrem hæc capitis appellatio metaphorica vtique est. Vnde nequimus de illa sermonem habere, nisi prius constet, quid
H per illam metaphoram significetur. Idcirco rationem capitis in tres conditiones redigere possumus, in quibus hoc caput mysticum naturale caput imitatur, nimirum, vt sit aliquo modo primum in ordine, & excedat perfectione, & in alia membra influat. De quo plane argumento abunde, & pereleganter agit S. Tho. 3. p. quæst. 8. art. 1. Quin immo art. 4. probat Christum esse caput non tantum omnium hominum, & verum etiam Angelorum. Ad quem locum merito remittimus lectorem; quoniam ibi Scholastici Theologi abunde hoc argumentum pertractant cum Sancto Thoma, loquentes semper de capite inuisibili.

Caput tres tinet conditiones.

Caput debet esse primum inter mẽbra.

Caput perfectione debet alia excedere membra.

Caput in alia debet influere membra. S. Thom.

2. concl. Caput esse ecclesiæ meruit Xps per passionem suam.

Secunda conclusio. Christus per passionem suam meruit esse caput ecclesiæ; probatur. Quoniam Christus in quantum homo, est caput istius corporis. Ipse enim in quantum homo per passionem suam meruit,
I vt esset caput omnium hominum, & essent sibi omnes subditi, & hoc est quod ipse dixit Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,] quæ quidem potestas intelligenda est, in quantum homo, quam prout sic non habuit ante passionem (loquendo quoad manifestationem,) eo quod nondum acquisierat eam, quoniam nequibat acquirere eam nisi per sanguinem. Quia sicut ille qui emit aliquem in seruum, per illam emptionem accipit potestatem in eum: perinde Christus homo per suam mortem nos redemit. Et non alio modo: quare nequiuit aliter accipere potestatem super nos. Et sic ipse non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo iuste, & quasi naturaliter effectus est Dominus noster, ita vt nos omnes simus serui illius benedicti hominis Christi, vt in textu primo retulimus. Idipsum innuit Apostolus Act. cap. 20. per hæc verba: [Attendite vobis & vniuerso gregi,
K in quo nos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Idcirco per sanguinem acquisiuit potestatem, quod nos simus serui eius liberati de seruitute tenebrarum.

Potestas Xpi in quantũ homo post resurrectionẽ qualis sit.

Empti sumus per Xpi pass.

Serui Xpi sumus per eius passionem.

Tex. 1 par. 8. disp. 5. q. 1.

3. concl. Papa est caput ecclesiæ vniuersalis.

Tertia conclusio. Papa est caput visibile totius Ecclesię militantis, vt in spiritualibus eam regat. Hæc est de fide contra Ioannem Hus, Lutherum, Caluinum, & omnes hæreticos recentiores, vno ore profitentes, nõ esse

esse constituendum in ecclesia vnum aliquod caput visibile, sed vnum dumtaxat inuisibile, quod est Christus, & tot visibilia, quot sunt priuatæ ecclesiæ, contra quos fidei orthodoxæ hostes, hæc astruitur conclusio, quam quidem probamus. Tum quia adest auctoritas

1. Ratio. Concilij Constantiensis, ante & post electionem Martini Quinti, vt patet in sess. 15. eiusdem, & in Bulla Martini Quinti, vbi damnatur propositio illa Ioannis Hus: [Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ.] & altera, nimirum: [Non est scintilla apparentiæ, quod oportet esse vnum caput in spiritualibus, regens ecclesiam, quod semper cum ipsa militante ecclesia conuersetur.] Hic expresse damnatur, quod Petrus non fuit caput vniuersę ecclesiæ. Catholicum enim idem est, quod vniuersale. Et similiter damnatur, quod non oporteat esse præter Christũ, qui in cælis est, vnum caput, quod regat ecclesiam conuersans cum ea, quod est Papa, vt latius ostendit D. Thomas hanc necessitatem in 4. contra gentes cap. 76. de quo plane argumento legite Caietanum in suis opusculis tract. 1. de auctoritate Papæ, & Concilij, cap. 6. & Ioannem de Turrecremata libr. 2. cap. 4. ac etiam D. Hieronymum in lib. de ortu, & interitu Sanctorum in nouo Testamento, & D. Bernardum lib. 3. de consideratione ad Eugenium. Tum quia in plerisque Concilijs Petrus dicitur caput totius ecclesiæ, Papa insuper successor Petri, caput vniuersalis ecclesiæ appellatur, quo plane titulo vtitur Concilium Calcedonense in epistola ad Leonem: [Quibus tu, velut membris caput præeras, &c.] & Act. 1. eiusdem Concilij dicitur: [Ecclesia Romana caput omnium Ecclesiarum.] Et in Concilio Lugdunense Gregorius Decimus Papam vicarium Iesu Christi, Petri successorem, Rectorem vniuersalis Ecclesiæ, & directorem gregis Dominici vocat. Tum quia Deus in plerisque locis sacræ paginæ aperte promittit se daturum ecclesiæ suæ vnum pastorem, vt liquet Ezech. 34. & 37. Ioel. 1. & 2. Ioan. 10. Qui plane pastor nequit esse nisi Petrus, & eius successor Papa, vt probat S. Th. 4. contra gentes c. 76. per varias rationes quas adducit Dominicus Bañes in suis comment. in 2. 2. D. Tho. q. 1. ar. 10. dubio 4. Tum quia ecclesia dicitur vnum corpus, vna ciuitas, vna hierarchia, vnum ouile, & vna domus visibilis. At vnius corporis, vnum est caput, vnius ciuitatis, vnus est gubernator vnius hierarchiæ, vnus est princeps, vnius ouilis, vnus est pastor, & tandem vnius domus, vnus est paterfamilias; Igitur vniuersa ecclesia visibilis, vnum debet habere caput visibile, quod nequit esse nisi Petrus, & eius successor Papa. Tum quia hæc nostra ecclesia delineata est ad imaginem cælestis Ierusalem, vt docet Apostolus ad Heb. 9. & colligit D. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium, & vt etiam facile habetur ex c. 21. Apoc. Sed sic est, quod in illa datur vnum caput, & vnus gubernator inuisibilis, nimirum Deus, quemadmodum illa est inuisibilis: Igitur cum ecclesia militans sit visibilis, vt infra patebit, obtinebit etiam vnum caput visibile, nimirum, summum Pontificem Petri successorem. Tum quia vetus Testamentum fuit figura noui, vt planum & perspicuum euadit ex Apost. 1. Cor. cap. 10. At in illo semper fuit vnus qui orbi præsideret in his, quæ ad religionem pertinent, vt patet Deuter. 17. & constat ex euangelio hanc summam auctoritatem vsque ad mortem Christi remansisse in ecclesia, igitur idem debet in nostra ecclesia Christi obseruari. Tum postremo quia necesse est, vt omnes fideles idem omnino sentiant in rebus fidei, vt patet ex Apostolo ad Ephes. 4. At vna fides esse non potest, nisi sit vnus supremus iudex, cui omnes acquiescere teneantur, vt experientia ipsa docet in dissentione Lutheranorum, quos videmus diuisos in mille sectas. Cum etenim ab vno descenderint Luthero, neque adeo potuerit fieri, vt vnum cogerent cōcilium, in quo conuenirent omnes, non certe alia de causa nisi quia non est vnus supremus iudex, cui omnes iudicium hoc subijcere teneantur. Accedit, quod in ecclesia crebro suboriuntur graues controuersiæ de religione, A igitur vt maneamus in eodem spiritu fidei debet esse in ecclesia aliquod Tribunal, & aliquis iudex visibilis, qui has lites dirimat, alioquin, si hoc iudicium esset committendum, aut derelinquendum priuatis hominibus, cum illi in tot sectas diuidantur, periclitaretur facile vnitas fidei; est ergo vnum caput visibile constituendum in ecclesia militante.

Caietan. Turrecrem. D. Hieron. D. Bernad.

2. Ratio. Petrus caput ecclesię. Papa caput vniuersalis ecclesiæ. Cõc. Calced.

Ecclesia Romana caput omniũ ecclesiarum. Conc. Lugdu. Dictũ aureum D. Greg. circa Papam.

3. Ratio. Papa pastor totius ecclesiæ. D. Thom. Bannes.

4. Ratio. Vnius corporis vnũ dumtaxat caput.

5. Ratio. Ecclesia militans imago triumphātis. D. Bernard.

6. Ratio. Præsidens totius orbis semper fuit vnus.

7. Ratio.

Lutheranorũ diuersæ diuisiones. Lutheranorũ impotentia.

8. Ratio.

De hac re legito D. Thom. 4. contra gentes cap. 67. Turrecramata lib. 2. de ecclesia cap. 2. Sandarum li. 3. & 4. Monarchiæ, Magistrum nostrum Blasium Nauarro lib. 2. de principatu cap. 1. & Robertum Bellarminum tomo primo Controuersiarum, controuers. 3. lib. 1. cap. 9.

Corolarium. S. Thom. Turrecrem.

Hæretici pleraque (quamuis non omnia) argumenta ex propositis dissoluunt hac vnica dumtaxat B solutione, qua concedunt, verum esse in ecclesia dari, vnũ aliquod caput, illud tamen esse visibile, nimirum Christum, qui cum maximam curam gerat suæ ecclesiæ, superfluum videtur præter ipsum cõstituere aliud caput visibile. Quinimmo Caluinus lib. 4. instit. cap. 7. §. 21. pro sua tuenda falsitate adducit S. Gregorium reprehendentem Ioannem Episcopum Constantinopolitanum in lib. 4. cap. 18. per hæc verba: [Petrus primum membrum sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Iacobus quid aliud, quam singularum plebium sunt capita? omnes tamen sub vno capite membra Ecclesiæ sunt.] Quibus verbis inquit Caluinus, D. Gregorium reprehendisse Ioannem, qui se caput totius ecclesiæ facere volebat, & vtitur hoc argumento. Quia nec Petrus, nec vllus alius Apostolus caput fuit totius ecclesiæ, sed solum capita fuerunt singularium ecclesiarum & membra ecclesię vniuersalis.

Corol. 2. Hæreticorum solutio circa caput visibile ecclesiæ.

Caluini obiectio.

Quorum omnium plane solutionem tamquam futilem & nullius roboris refello, primo quia ecclesia militans, (vt dixi) est visibilis; igitur debet habere vnum aliquod caput visibile. Hoc autem non est Christus, cum ipse sit caput inuisibile, vt nuper retulimus, ergo præter ipsum aliud est constituendum caput visibile. Secundo quia Christus ascensurus ad patrem, commisit Petro vt pasceret oues suas, igitur quamuis ipse curam habeat suarum ouium, non est superfluum constituere aliquod caput, quod Petro in auctoritate pascendi succedat. Tertio quia Christus est qui baptizat interius in spiritu, & qui tollit peccata mundi per sacramentum pœnitentiæ, vt liquet Ioan. 1. Et qui est Episcopus animarum nostrarum, vt patet 1. Pet. 2. At ad omnia hęc interiora, vtitur ipse exteriori ministe- D rio sacerdotum, Episcoporum, ad sacramenta ministranda, & ad animas gubernandas, neque ob hoc dicimus, Sacerdotes, aut Episcopos esse superfluos: igitur pari ratione quamuis ipse præcipue gubernet ecclesiam, tamquam ipsius caput inuisibile, nullatenus erit superfluum aliud caput visibile concedere, (immo intrepide contra hos hæreticos fatendum) cuius ministerio in gubernatione vtatur.

Corol. 3. Refellitur hæreticorũ solutio circa caput visibile ecclesiæ. 1. argum.

2. argum.

3. argum.

Illud vero Caluini dissoluitur optime affirmando, aliquem esse caput totius ecclesiæ, dupliciter intelligi posse. Vno modo, vt ita sit caput, vt ipse solus sit caput, & princeps, & ceteri inferiores non sint capita, nec principes, sed solum eius vicarij. Altero modo, vt ipse quidem sit caput, sed generale, ita vt non tollat inferiora particularia, & vera capita, quomodo causæ vniuersales non tollunt particulares: & quo- E modo in exercitu Imperator non tollit particulares duces legionum, & cohortium. Et quidem primo modo, solus Christus est caput omnium ecclesiarum; siquidem comparati ad Christum, omnes sunt vicarij, & ministri, nec vllus dici potest collega eius, vel coepiscopus, & Petrus hoc modo non est caput nisi Romanæ Ecclesiæ particularis, solum enim huius ecclesiæ est particularis & solus Episcopus, & caput. Ceterarum autem particularia capita sunt ipsarum Episcopi, qui autem

Corol. 4. Bellarm. to. 1. Contr. cõtr. 3. de Rom. Pontifice lib. 2. cap. 31.

sunt veri Principes, & Petri non vicarij, sed collegæ, & coepiscopi, & de hac significatione agit loco prææallegato B. Gregorius. Est etiam Petrus secundo modo caput generale: fuit enim Petrus, & nunc est Romanus Pontifex vere caput omnium ecclesiarum, vt ipse idem Gregorius his verbis docet lib. 11. epist. 24. [Apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur; tunc enim membrorum status integre perseuerat, si caput fidei nulla pulset iniuria.] & epist. 54. [Sedes Apostolica omnium ecclesiarum caput est.] Idem quoq; habet in explicatione quarti psalmi pœnitentialis.

Caput ecclesiæ qua ratione sit Papa, cum Xpo. D. Greg.

Quarta conclusio. Episcopi particulares, sunt particularia capita suarum particularium ecclesiarum, quibus Romanus Pontifex eos præficit, & ad quas per eundem destinantur. Probatur. Tum quia de particularibus Episcopis exoluitur illud Act. 20. [Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Tum quia particulares Episcopi, in Euangelio, & in varijs Concilijs, præcipue in Tridentino, suarum ecclesiarum pastores, Apostolorum successores, rectores animarum, patresfamilias, oeconomi domus Dei, & fideles dispensatores crebro appellantur. Tum quia Episcopus dicitur sponsus ecclesiæ suæ, in cuius signum Episcopus annulum portat ad spirituale matrimonium inter ipsum suamq; ecclesiam significandum. Vnde quemadmodum Papa dicitur sponsus vniuersalis ecclesiæ; vt habetur in cap. [Ecclesia mea] dist. 57. ita Calistus, Episcopum sponsum ecclesiæ suæ appellat, vt habetur in cap. [Sicut alterius vxor] 1. q. 1. Quare conclusio remanet omnino vera. Sed iam de membris & partibus ecclesiæ sermonem habeamus.

4. concl. Epi sunt particularia capita ecclesiarũ quibus ipsi præficiuntur. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. Papa sponsus totius ecclesiæ. Epi sponsus suæ ecclesiæ.

Quæstio VI.

An fides constituat simpliciter, & absolute membrum Christi, & partem Ecclesiæ.

PRIMA sententia est Vvicleffi, Ioannis Hus, Caluini, & aliorum hæreticorum, existimantium, solam gratiam prædestinationis sine fide, scilicet, fidei sacramento, constituere actu membra ecclesiæ. Idcirco asserunt nullum esse prædestinatum qui non sit actu membrum ecclesiæ, quamuis fuerit ille infidelis. Quam plane sententiam tamquam fidei orthodoxæ omnino aduersam refello. Tum quia in Concilio Constantiensi sess. 5. definitum est contra Ioannem Hus, errorem esse, solam gratiam prædestinationis efficere membra ecclesiæ simpliciter, aut viuiri perfecte cum capite Christo. Tum quia si sola gratia prædestinationis sine fide sufficeret ad constituendum membrum actu ecclesiæ, & faceret hominem actu partem corporis Christi, sequeretur Turcas, Iudæos, Gentiles, Hæreticos aliosque infideles, si prædestinati essent, nunc esse de ecclesia membra & partes Christi; & vice versa, quoslibet sanctos, & pios baptizatos, si non essent prædestinati, non esse de ecclesia, neq; de corpore Christi. Sed sic est quod vtrumque est falsissimum ac omnino erroneum, & contra expressas scripturas. Quoniam quod non baptizati non sint de ecclesia, liquet ex illis verbis Christi: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.] Quod vero hæretici, & alij infideles non sint viua membra Christi, patet etiam ex illo ad Rom. 8. [Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius,] nimirum, viuum membrum. Hæretici autem, & alij infideles spiritum Christi non habent, sed spiritum diaboli, vt perspicuum omnino euadit ex eorum operibus. Non enim sunt patientes, casti, &c. quæ sunt opera spiritus, quinimmo sunt adulteri, homicidæ, blasphemi, &c. quæ sunt opera diboli, & carnis, vt planum fit ex Apostolo ad Galat. 6. Et contra, quod omnes pij baptizati sint membra Christi, patet ex illo 1. Cor. 12. [Omnes nos vno spiritu in vnum corpus baptizati sumus.] Tum quia aliquem esse membrum Christi, & partem ecclesiæ, sunt attributa quædam realia, & inhærentia partibus intrinsece. At gratia prædestinationis nihil ponit in prædestinato, sed tantum est in Deo prædestinante, vt est commune dogma Theologorum, in p. p. cum D. Thom. quo loco tenent Doctores Theologi prædestinationem nihil reale ponere in prædestinato, sed solum dicere actum diuini intellectus, ordinantis hominem in beatitudinem, vt illam efficaciter consequatur. Igitur per solam gratiam prædestinationis non efficitur aliquis actu membrum ecclesiæ. Corroboratur consequentia, quoniam licet prædestinatus per gratiam prædestinationis habeat, vt à parte rei, quod tandem debeat saluari, nihilominus absolute loquendo prædestinatus secundum præsentem statum potest non solum carere gratia & charitate, sed etiam fide, & esse extra ecclesiam, & membrum diaboli fieri. Quoniam hoc distinguit prædestinatum à confirmato in gratia, nimirum, quod confirmatus licet venialiter peccet, numquam tamen gratiam amittit; at vero prædestinatus licet actu consequatur gratiam, potest tamen illam consequutam amittere, (licet non finalem) per peccatum mortale, & ex consequenti fieri diaboli membrum. Quare sola prædestinatio diuinæ voluntatis non constituit membrum ecclesiæ, cum esse membrum ecclesiæ seu Christi, aliquid reale, nimirum, realem influxum in ipso membro seu parte ecclesiæ dicat. Tum quarto, & postremo, quia quamuis sit aliquis prædestinatus ad vitam æternam nisi habuerit lumen gloriæ, & alia requisita ad illam non est beatus actu sed potestate: igitur quamuis sit aliquis prædestinatus, vt sit membrum ecclesiæ, non erit membrum secundum actum.

Sententia hæreticorũ circa mẽbra & partes ecclesiæ. Vvicleff. Hus, Caluin. Impugnatur sententia hæreticorũ circa mẽbra & partes ecclesiæ. 1. argum. ex Conc. Const. 2. argum. Sola gratia prædestinationis non facit mẽbra & partes ecclesiæ. Non baptizati non sunt de ecclesia. Hæretici & alij infideles non sunt viua mẽbra ecclesiæ. Spiritũ diaboli hæretici habent. Hæretici immundi. 3. argum. Prædestinatio nihil ponit reale in prædestinatis. Theologi cũ S. Thom. prædestinatus potest carere gratia & charitate. Prædestinatus differt à confirmato in gratia. Prædestinatus potest fieri membrum diaboli. 4. argum.

Secunda sententia est Cardinalis Caietani in suis opusculis tomo 1. tract. 3. cap. 22. Alphonsi de Castro lib. 2. de iusta punitione hæreticorum cap. 14. & Didaci Suñega lib. de vera religione cap. 7. qui omnes tenent, per baptismum fieri quis membrum Christi, & partem ecclesiæ, ita vt character baptismalis, qui est in dilectis, sit potior, & tota ratio membri simpliciter & absolute. Quam quidem sententiam Caietanus loco citato explicat per hæc verba: [Sciendum est quod baptismus quo primum regeneramur & pertinemus ad Iesu Christi corpus mysticum, quod est ecclesia, tres, quantum ad propositum spectat, facit in anima nostra effectus. Primo imprimit characterem indelebilem, secundo, fidem, tertio charitatem. Et de tertio quidem effectu, scilicet, de charitate manifestum est, quod licet constituat membrum viuum Christi, non tamen exigitur ad habendam iurisdictionis, vel ordinis potestatem, oppositum enim spectat ad hæresim pauperum de Lugduno. De secundo autem (de quo est tota quæstio,) quod non exigatur ad potestatem ordinis, etiam clarum est. Quoniam hæretici consecrant verum corpus Christi, & faciunt veros sacerdotes, seruata forma & intentione ecclesiæ hoc faciunt. Ex hoc ipso inchoat splendor veritatis, quod scilicet, licet fides informis constituat membrum Christi secundum quid vt dixit in 3. p. S. Thom. quæst. 8. art. 1. ad 2. quia tamen latitudo datur in membris Christi secundum quid, etiam sine fide informi, ex solo charactere sacramenti fidei constituitur membrum Christi secundum quid remotius à Christo: hæreticus enim, nisi membrum secundum quid, Christi esset, nec corpus Christi, nec ministros consecraret, nec sacramentum confirmationis daret. Hæc enim

Opinio Catholicorum circa membra & partes ecclesiæ. Caietan. Alphons. Cast. Didac. Suñega. Character baptismalis facit membrum & partem ecclesiæ. Caiet. in suis opuscul. to. 1. tract. 3. c. 22. Baptismus tres effectus in anima operatur. Hæretici consecrat verum corpus Xpi, & quando. Hæreticus membrum Xpi secundum quid.

enim à solis Christi membris, non in quibuscumque, sed in magno Sacerdotij, scilicet, vel Episcopatus gradu constitutis, facta tenent, &c. Altius quoque contemplando videbimus, & quod tanta est vis characteris baptismalis, vt etiam fides formata eius vices non suppleat, vt patet ex hoc quod presbyter non baptizatus, reordinatur, vt patet ex presbytero non baptizato cap. si quis presbyter. Et quod ipse character constituit membrum Christi, dicente Innocentio eodé tit. in capitulo veniens. Non solum per sacramentum fidei, sed per fidem sacramenti efficitur quis proculdubio membrum Christi. Constat enim, quod proprius & inseparabilis effectus sacramenti fidei, (quod constat esse baptisma) est solus character, vt patet cum aliquis hæreticus baptizatur secundum formam, & intentionem ecclesiæ, nihil enim aliud recipit quam characterem. Et si altius adhuc mentis oculos eleuauerimus, intuebimur, quod habens solum fidei characterem, est simul fidelis & infidelis, membrum Christi, & ecclesiæ, & extra membra Christi, & ecclesiæ diuersis respectibus, & propterea à Doctoribus diuersa & contraria de eo dicuntur. Habens nãmq; solum characterem fidei, quantum est ex parte sua, infidelis est, & extra membra Christi, & ecclesię, quoniam voluntarie discedit: Ex parte autem Iesu Christi, qui characterem fidei, semel datum indelibilem conseruat est fidelis inuitus, & est membrum Christi & ecclesiæ, velit, nolit ipse, vtpote non volens abdicare, aut abijcere à se susceptum semel, fidei characterem. Propter quod à D.Thom. 2.2. quæst. 10. art. 3. ad 3. computatur talis inter fideles, cũ dicitur, quod pro adulterio grauius punitur fidelis, quam infidelis: propter sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit, & in eiusdem quæstionis art. 5. numeratur inter infideles, dum ponit hæresim, speciem infidelitatis. Differt autem habens solum characterem ab habente etiam fidem informem, quoad officium membri Christi, quia habens characterem, & fidem, suscipit influxum interiorem a Iesu Christo capite, quoad hunc actum vitalem, qui est credere, vt S. Thomas dicit in 3. p. quæst. 8. art. 3. ad 2. habens autem characterem, solum non suscipit influxum alicuius actus vitalis interius, sed tantum, quoad exteriorem operationem. Sicut brachio arido potest vti ad alios percutiendos, vel mouendo aliquid extra. Quia ergo character fidei est primum in compositione membri Christi. Quod patet ex hoc, quod ipse à solo baptismo cũ sit solus inseparabilis ab eo, ac per hoc proprius effectus baptismi, quo efficitur primum mẽbrum Christi & ecclesiæ, oportet quod sit vltimum in resolutione membri Christi & ecclesiæ. Et consequentia quandiu character manet non desinit esse totaliter membrum Christi. Et quia numquam desinet character, ideo semper erit inter latitudinem membrum Christi, etiam cum abscisum totaliter est per damnationem in inferno. Et per hoc differt, à pure infidelibus damnatis, & magis cruciabitur, iuxta sententiam Apostoli ad Heb. 10. Et hæc ratio, vltra tot allata testimonia propria efficacia sufficit. Quia secundum veram Theologiam diuinam, & humanam attributum alicui causæ, vt proprius effectus, intelligitur attribui ei secundum id, quod illi causæ proprium est, vt patet causis naturalibus, moralibus, & ecclesiasticis inductiue, periret enim aliter omnis certitudo moralis. Ex quo ergo attribuitur baptismo, vt proprius effectus, quod faciat membrum Christi, oportet quod intelligatur attributum ei secundum id, quod huic sacramentali causæ, quæ est baptismus, est proprium, quod differt à ceteris, hoc autem est pro quanto est causatiuus characteris fidei. Hoc enim solus, solus habet, hoc solum primo, & ineffabiliter causat solis essentialibus requisitis ad sacramentum concurrentibus.] Hæc Caietanus. Quod si quis dicat baptismum efficere membrum quandiu aliquis non recedit à fide illi professa. Quod si recesserit (quemadmodum recedunt hæretici,) non constituere verum membrum. Contra arguunt illi Doctores, dicentes, si aliquis religiosus fiet apostata, & dimittat habitum suę religionis, & professionis, semper manet pars suæ religionis, propter primam professionem, quam emisit, igitur quamuis hæreticus recedat a fide, quia tamen in baptismo emisit votum, & professus est religionem Christianam propter priorem professionem, erit pars ecclesiæ, & membrum Christi.

Baptismalis characteris vis.

Hæreticus in baptismo recipit characterem.

Fidelis inuitus qui sit.

Adulteri fideles grauius puniuntur, qua adulteri infideles.

Heresis est in fidelitatis species.

Characteré & fidé habẽs suscipit influxũ interiorem a Christo.

Characterem dumtaxat habens quomodo recipiat influxum a Xpo capite.

Character fidei est primò in compositione mẽbri Xpi.

Sol aliquorũ contra prælegatã sententiã Caietani, & aliorum.

Nihilominus tamen, hæc sententia Caietani, Alphonsi à Castro, & Didaci Suñega nullatenus est tenenda. Quoniam si character efficeret membrum ecclesiæ sequeretur inde ecclesiam esse inuisibilem, & incertam, nam character est inuisibilis, & præterea incertum vtique est, qui habeat characterem, eo quod incertum est, an sacerdos habuerit intentionem baptizandi. Accedit quod in hominibus adultis incertum est, verene, an ficte susceperint sacramentum baptismi. Quæ omnia cum sint absurdissima, sequitur characterem non efficere membrum. Rursus dantur plerique characterem habentes, qui non sunt partes ecclesiæ, vt liquet in damnatis qui fuerũt fideles, & modo cruciantur in inferno. Quos quamuis Caietanus loco citato membra ecclesiæ, eo quod sint charactere insigniti, appellet, tamen fallitur (pace tanti Doctoris dicam,) quia in inferno non est ecclesia, & si damnati fideles qui ibi sunt, essent membra ecclesiæ, proculdubio in inferno esset ecclesia, quoniam, vt isti Doctores dicunt, ecclesia est collectio hominũ insignitorum charactere. Igitur character non constituit partem ecclesiæ, & membrum Christi. Addo quod positio Caietani, apertissime pugnat cum D.Th. qui 3.p.quæst.8.art.3 asserit damnatos, ita esse abscissos a membris Christi, vt nec actu, nec potentia, inter membra Christi collocentur. Quod si aliquis dicat, characterem in via constituere partem ecclesiæ, & membrum Christi, non tamen in termino. Idcirco in damnatis, cum sint iam in termino, character nõ efficit ipsos partes ecclesiæ, eo quod character in termino nequit esse principium alicuius actus hierarchici. Quoniam in inferno sacerdotes, neque possunt consecrare, neque Episcopi ordinare. At in via character est principium actus hierarchici, & ideo in via dumtaxat, & non in termino constituet partem ecclesiæ, & membrum Christi. Huic opinioni etiam contrarium omnino me subscribo. Eo quod quamuis hoc de charactere in via adaptari queat, habẽtibus characterẽm ordinis; nequit tamen adaptari habentibus dumtaxat characterem baptismi, quoniam hic character non est principium alicuius actionis: non enim est principium vel potentia actiua, vt character ordinis, sed potentia passiua ad recipienda alia sacramenta. Postremò demus aliquos homines Cathecumenos, qui doleãt de peccatis commissis, cum maximo desiderio recipiendi sacramentum baptismi, mortique subiaceant, cum huiusmodi desiderio. Ij homines mortui sunt intra ecclesiam Catholicam, in qua erant, (potestate saltem,) vt nos infra dicemus quæstione sequenti, vnde & assequentur proculdubio vitam æternam. Etenim baptismus in voto, quando in re nequit suscipi, sufficit ad assequendam vitam æternam, quemadmodum definitum est in cap. [debitũ, de baptismo, & eius effectu,] ab Innocentio Tertio, & in Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. Addo quod cum extra ecclesiam nulli pateat aditus ad salutem, vt definitum est in Concil. Lateranensi, & habetur in cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica, & in cap. vnam sanctam Ecclesiam, in extrauaganti, de maioritate, & obedientia, & in cap. Ecclesia, de consecratione dist. 4. Ij Cathecumeni, viuentes erunt intra ecclesiam Catholicam, & erunt partes illius, saltem potestate, vt sequenti quæstione patebit. Sed sic est, quod huiusmodi Cathecumeni nullatenus insinuuntur aliquo charactere, igitur character non efficit membrum Christi, & partem ecclesiæ, cum possit esse aliquis pars ecclesiæ, & membrum Christi absque charactere.

Impugnatur opinio Caiet. & aliorũ circa characteré baptismalem. 1. argum.

2. argum.

Damnati nequeũt esse ecclesiæ mẽbra

Ecclesia non est in inferno.

3. argum.

Euasio quorumdam.

Soluitur præfata euasio.

4. argum.

Ad illud autem de hæreticis, quod adfert Caietanus dici-

Caiet. dissoluitur.

Bellarmin.

dicimus, cum Roberto Bellarmino, tom. 1. Controuersiarum, controuers. 4. lib. 3. cap. 4. hæreticos retinere extra ecclesiã characteres illos indelebiles, quẽadmodum retinent oues perditę characterem inustum in dorso, & desertores militiæ signa militaria, sed non ob hoc sunt de ecclesia, eo quod non sufficiunt characteres illi, ad constituendum aliquẽ in ecclesia, alioquin etiam in inferno esset ecclesia, quod non est concedendum, vt nuper retulimus. Accedit quod character non proprie vnit hominem cum capite, sed est signum potestatis, & vnionis cuiusdam, & idcirco in inferno, illo signo cognoscentur, qui fuerunt membra Christi. Quod autem non vniat, probat Bellarminus. Quoniam non vnit exterius, cum sit res inuisibilis, nec interius, cum non sit actus, nec habitus operatiuus. Et ideo S. Thom. primam vnionem internam ponit in fide. Ex quibus omnibus concludimus contra hos Doctores characterem baptismalem non constituere simpliciter & absolute partem ecclesiæ & membrum Christi. Dixi simpliciter & absolute. Nam si sermo fuerit de membro imperfecto, & secundum quid, in gratiam Caietani, & Alphonsi à Castro, bene possumus asserere characterem baptismalem, in via dumtaxat, & nullatenus in termino, constituere membrum secundum quid, Christi, vnde different, membrum simpliciter, & membrum secundum quid, in eo, scilicet, quia membrum simpliciter recipit à capite influxum interiorem, & exteriorem. At vero membrum secundum quid, tantum recipit à capite influxum exteriorem, & nullatenus interiorem, veluti brachium aridum, quod potest inseruire, dumtaxat ad alios percutiendos, vel ad aliquid extra mouendum. Idcirco membrum secundum quid, erit membrum imperfectum, & habebit imperfectum influxum, non ex parte dantis, vtpote capitis, sed ex parte recipientis, nimirum, ipsiusmet membri, quod plane respectu capitis influentis se habet, veluti oculus vespertilionis, qui ob suam imbecillitatem nequit in se perfectam solis lucem, ac splendorem recipere, vt dicit Philosophus. Quamobrem ex consequenti inter hæc membra secundum quid, ratione dumtaxat characteris, erit ecclesia secundum quid, nimirum, imperfecta, & hoc ratione characteris in via tantum, & nullatenus in termino, ne inter damnatos fideles, videamur aliquo modo, ecclesiam concedere, quoniam inter hos est character baptismalis in termino, & nullatenus ecclesia, vt crebro significatum extitit.

Character est potestatis, & vnionis signũ.

Character nõ proprie vnit. Vnio prima interna est in fide.

Caiet. in parte tenetur.

Mẽbrũ simpliciter & mẽbrũ secundũ quid in quo differant.

Ecclesia imperfecta constituitur ex membris imperfectis.

Tertia & postrema sententia, est Chatechismi Pij Quinti, in explicatione Symboli, in illa verba: [Credo in sanctam Ecclesiam.] Magistri Cani, lib. 4. de locis cap. 2. Victoriæ in relectione prima de Ecclesia, Soti in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. Nauarri in cap. Ecclesia, de pœnitentia, dist. 1. tom. 1. Beauxamis in declaratione Symboli, in illa verba: [Credo in sanctam Ecclesiam.] Alphonsi Tostati in præfatione in euangelii Matth. quæst. 21. Stapletoni 1. lib. controuersiarum cap. 8. Roberti Bellarmini tomo primo Controuersiarum, controuers. 4. lib. 3. cap. 4. Qui omnes ingenue fatentur, fidem constituere simpliciter, & absolute partem ecclesię, & membrum Christi. Quam plane sententiam tamquam veritati magis consonam, libenter amplector, & admitto. Et antequam illam probem appono hic verba Tostati, qui explanans illud Apost. ad Eph. 4. [Ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificatione corporis Christi.] in hæc verba prorumpit, quæ hanc nostram sententiam maxime enodant, ac declarant, suntq; tenoris sequentis: [Licet autem Christus per passionem acceperit potestatem super omnes homines præsentes & futuros, quia omnes sufficienter redemit sanguine suo, non tamen omnes sunt de corpore eius, sed oportet eos ædificari in corpus ipsius, vt sint de corpore, sic dixit Apostolus in ædificatione corporis Christi. Si tamen eo ipsoquod Christus redemisset homines essent de corpore eius, non oporteret ædificare illos per aliquod ministerium nostrum ædificantur, ergo dupliciter homines in Christo, scilicet, per fidem, &

Opinio 3. Catholicorũ, & verior, circa membra, & partẽs ecclesiæ.
Catec. Pij V.
Can.
Victor.
Sot.
Nauar.
Beauxam.
Tostat.
Staplet.
Bellarm.

Alph. Tostat. in præfatione in euãg. Matthæi q. 21.

Aedificantur homines in Xpo p. fidem, & charitate.

F per charitatem. Per charitatem quidem in quantum per eam homo fruitur Deo 2. Cor. 6. Qui diligit Deum vnus spiritus est cum eo. Non accipimus tamen hic de tali ædificatione quia ista est multum stricte dicta. Nam loquimur de ædificatione per quam construitur corpus Christi, quod est ecclesia 1. Cor. 12. non est tamen homo pars ecclesiæ per charitatem, cum multi sint in ea sine charitate, sed est ædificatio per fidem. Nam nemo est in ecclesia, quę est corpus Christi, nisi credat Christum, & sic suscipiat omnia, quæ credenda sunt, & hoc patet, quia cum per baptismum homo efficiatur Christianus, quia illud est ianua sacramentorum, in illo non petitur nisi fides, ideo minister ecclesiæ, nomine totius ecclesiæ, dicit baptizando. Quid petis ab ecclesia? & ille dicit fidem, & non dicit charitatem, licet etiam charitas non sit nisi intra ecclesiam, cum sit donum infusum vniens nos Deo: fides G ergo est per quam homo incorporatur Christo, id est efficitur de corpore eius mystico, quod est ecclesia. Et quamdiu manet aliquis in fide, manet intra ecclesiam, & est de corpore Christi, etiamsi prauus homo sit. Quia tamen in ædificationibus non solum intelliguntur illa, quæ sunt omnino, de necessitate ædificij, sine quibus illud stare non potest, sed etiam illa, quæ dicunt bonam habitudinem eius, & ad conseruationem pertinent, & faciunt magnam pulchritudinem, erit sic in ædificatione corporis Christi. Quia licet de necessitate illius sit fides, ita quod sine illa non potest effici aliqua pars corporis Christi, quæ prius non erat, & postquam fuerit, desinet esse pars, si fidem perdiderit, charitas tamen pertinet ad quoddam complemẽtum istius ædificij, & conseruationem eius, & pulchritudinem magnam, ita quod non solum homo fit pars cor- H poris Christi, sed etiã fit valde acceptus ei, vt efficiatur vnus spiritus cũ eo. Ideo ista ædificatio corporis Christi requirit etiam charitatem, & sicut Apostolus ad Ephes. 4. cũ prius posuisset ædificationem corporis Christi per fidem, & consistentiam eius, subdidit, quod ædificabamur in eo per charitatem, dicens. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo, qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis, facit in ædificationem sui in charitate. Et sic dixit nos ædificari in Christo per charitatem, & istud est secundum ædificium huius corporis Christi, quod est Ecclesia.] Hæc Abulensis.

Aedificiũ primũ mẽbrorũ Xpi & ecclesiæ.

Baptismus ia nua sacramẽtorum.

Fides petitur in baptismo. Charitas donum intra ecclesiam.

Aedificium secundum mẽbrorũ Xpi & ecclesiæ.

Charitas requiritur ad cõplemẽtum ædificationis mẽbrorũ ecclesiæ.

I Iam sententia nostra probatur. Primo ex illo Matt. cap. 16. [Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.] In qua plane auctoritate D. Hilarius in lib. de Trinitate, D. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. D. Cyrillus lib. 4. de Trinitate, D. Ioannes Chrysostomus homil. 25. in Matthæum, & alij plerique Sancti Patres, tam Græci, quam Latini, nomine Petræ, intelligunt fidem, & egregiam illam confessionem fidei, qua confessus est D. Petrus Christum esse filium Dei viui. Quare ex hac auctoritate constat ecclesiam Christi conditam, fundatam, ac ædificatam fuisse in fide: Secundo probatur ex illo ad Rom. 1. [Iustus ex fide viuit.] & idem habetur Habacuc 2. quod plane intelligendum venit tamquam ex fundamento Christianæ Religionis. Quoniam cum viuere, in viuentibus sit esse, vt prodit Philosophus 2. de anima cap. 1. fides erit esse Christianæ Religionis. Tertio, liquet ex S. Thom. 3. p. quæst. 7. art. 3. quo loco agens de membris K Christi secundum actum, asserit hęc membra esse in tres partes distribuenda; nimirum, in membra perfectissima, vt sunt beati, perfecta, vt sunt viatores habentes charitatem, & imperfecta, vt sunt peccatores fideles, nam fides sola vnit actu cum capite, quamuis imperfecte, quo plane loco nullã mentionem facit characteris, sed solius fidei, sequitur igitur fidem esse (& non character,) quæ constituit simpliciter, & absolute partem ecclesiæ, & membrum Christi. Quarto probatur. Quia fides est forma, siue formalis causa ecclesiæ

Fide cõstituere mẽbrũ & partes ecclesiæ probatur.
1. Ratio.
Fides est petra.
D. Hilar.
D. Ambros.
D. Cyril.
D. Io. Chryſ.

2. Ratio.
Iustus viuit ex fide.

3. Ratio.
S. Thom.
Membrorum ecclesiæ diuisio.

Fides vnit actu.

4. Ratio.

ecclesiæ, vt liquet ex q.4. huiusmet disputationis in qua probauimus, ecclesiam esse corpus nó mortuum, sed viuum per fidé charitate formatam. Quid, quod fidé esse veram ecclesię formam probatur ex illo Ioan. 10. [Ego sum ostium.] Quo loco doctores intelligunt per ostium, fidem Christi, vnde subditur in eodem textu: [Oues meæ vocem meam audiunt, & cognoscunt me meæ.] Quæ plane auditio, & cognitio ad fidem vtique pertinet, & sic fides dicitur prima forma, ratione cuius fideles primo vniuntur Christo, quemadmodum partes ratione formæ dicuntur vniri toti. Quamuis etenim perfecta vnio fit per gratiam, & charitatem, & consummatam per gloriam, & visionem beatificam, nihilominus tamen prima vnio fit per fidem, & secunda, quę est perfecta, fit per gratiam, & charitaté, tertia vero, quæ est perfectissima, fit per gloriam, & visionem beatificam. Quamobrem cum fideles, dicantur Christo, primum vniri per fidem, fides erit forma ecclesiæ, & non character baptismalis. Sed sic est, quod omnis denominatio fiat à forma, vt prodit. Philosophus. Igitur partes ecclesiæ denominari debent a fide, quæ est forma eius, & non à charactere: cum character baptismalis nullatenus sit ecclesia Christi forma.

Fides est ostium.

Vnio prima per fidem.

Phil.

appendix 1. membrú fieri ecclesiæ quid sit.

Ex hac sententia collige primo. Pertinere ad ecclesiam, tamquam eius membrum, & partem nihil aliud esse, quam esse Christo Domino vnitum per fidem veram. Quæ si fuerit sola, scilicet, absq; charitate causabit vnionem imperfectam, erit enim tunc talis fidelis membrum mortuum. Quoniam fides sine operibus, mortua est. Si autem fuerit cum charitate, causabit vnionem perfectam, erit namq; tunc talis fidelis membrum viuum. Quia charitas est omnium virtutum forma. Ad quod facilius intelligendum annotabis passim, quod quemadmodum in corpore naturali reperiuntur varia membra, quæ non participant ab anima eumdé gradum vitæ: quoniam ossa tantum viuunt vita vegetante, alia vero viuunt vita sentiente, vt manus, & caput: & sic anima, quæ influit in corpus vitam, sensum, & motum, non æqualiter, quinimmo diuersimode influit: & ob id membra sana, & perfecta integre recipiunt ipsum influxum, membra vero mortua, vel mortificata, nullum recipiunt motum, & sensum, sed quandam dumtaxat vim vegetatiuam, per quam à corruptione præseruantur, quádiu sunt corpori vnita. Quod plane nullatenus obtinent membra abscissa, cum nihil vitæ recipiant ab anima, quamuis obtineant nomen antiquum membri, ratione connexionis, quam habent ad corpus. Haud secus plane in corpore mystico ecclesiæ membra, non obtinent à Christo, eumdem gradum vitæ. Quoniam quædam tantum obtinent gradum infimum, qui est viuere secundum fidem solam. Verumtamen alia membra, viuunt altiori gradu vitæ, qui est viuere secundum fidem formatam, nimirum cum gratia, & charitate. Et sic sunt duæ vniones inter membra, & caput, quod est Christus. Quarum prima, (& tamquam fundamentum) est vnio per fidem (vt dixi) altera vero est vnio per charitatem, quæ est perfectior vnio. Membra vero abscissa, vt sunt illi, qui amiserunt fidem, nullam habent vnionem, nec minus aliquem recipiunt influxum perfectum, & actualem a capite Christo, cum non recipiant influxum fidei, nec minus influxum charitatis, & ob id tales homines supra appellauimus, membra secundum quid, ob characterem baptismalem in via, & cum sint membra non simpliciter & absolute, sed secundum quid dumtaxat, dicentur æquiuoce membra ratione connexionis pristinæ, quam habuerant antea per fidem in Christo, quam nunc recedendo ab orthodoxę fidei dogmatibus amiserunt.

Charitas virtutum forma.

S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 4.

Membra diuersia in ecclesia.

Mébra æquiuoce infideles.

Collige secundo, quod cum ecclesia sit corpus mysticum viuum, vt nuper retulimus, cum D. Augustino in Breuiculo collationis, collat. 3. cuius anima sunt fides, & charitas; cuius corpus sunt externa professio fidei, & communicatio sacramentorum. Hinc ortum habet, quod quidam sint de anima, & de corpore ecclesiæ, & proinde vniti Christo capiti interius, & exterius; & tales sunt perfectissime de ecclesia, sunt enim quasi membra viua in corpore: quamuis etiam inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent, & aliqui etiam solum initium vitæ habeant, & quasi sensum, sed non motum, vt qui habent solam fidem sine charitate. Porro aliqui sunt de anima, & non de corpore, vt sunt illi, qui fidem, & charitatem habent, absque externa professione sacramentorum. Quod fieri potest, vt apparet in excommunicatis, & Cathecumenis. Et postremo aliqui sunt de corpore, & non de anima, vt qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe, aut timore aliquo temporali, profitentur fidem, & in sacramentis communicant sub regimine pastorum, & tales sunt sicut capilli, aut vngues, aut mali humores in corpore humano.

appendix 2. membrorum ecclesiæ distributio.

Collige tertio, membra corporis mystici ecclesiæ geminam habere acceptionem. Quædam enim sunt membra actu, & quædam potestate. Ad quod recte intelligendum, annotabis verba D. Thomę 3. part. quæst. 8. artic. 3. quæ sunt tenoris sequentis: [Hæc est differentia inter corpus hominis naturale, & corpus ecclesiæ mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturæ, quia corpus ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt à principio mundi, vsque ad finem ipsius. Neque etiam quantum ad esse gratiæ quia eorum (etiam qui sunt in vno tempore,) quidam gratia carent, postmodum habituri, alijs eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia. Quædam tamen sunt in potentia, quæ numquam reducuntur ad actum. Quædam vero sunt, quæ quandoque reducuntur ad actum. Et hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus, per charitatem viæ, tertius, per fruitionem patriæ.] Hæc S. Thomas. Vbi Angelicus Doctor, per membra actu, intelligit non tantum beatos, qui sunt in actu perfectissimo, fruentes clara Dei visione, verumetiam viatores, qui sunt in actu perfecto, habentes charitatem, quæ perfecte nos vnit Christo, ac etiam fideles, qui sola fide vniuntur capiti, qui sunt in actu imperfecto. Per membra vero potestate, quæ aliquando reuocanda est ad actum, intelligit fideles prædestinatos. Per membra insuper potestate, quæ potest reuocari ad actum, non tamen reuocabitur de facto, intelligit infideles præscitos, qui neque habent, neque habebunt fidem, quamuis possint illam habere. Per membra tandem potestate, quæ numquam poterit reuocari ad actum intelligit damnatos in inferno, & pueros in limbo, qui verę, & proprie vlla ratione appellari queunt membra, quia sunt huiusmodi omnino in perpetuum abscissi à corpore Christi.

appendix 3. mébrorú ecclesiæ bina acceptio.

Membra actu, & mébra potestate.

S. Thom.

Explanatur S. Tho. circa actualia, & potentialia mébra ecclesiæ.

Dánati in inferno mébra abscissa.

Pueri in lymbo mébra abscissa.

Collige quarto, & postremo. Quod quemadmodum ad rationem capitis (vt nuper retulimus) requiritur, quod influat sensum, & motum in membra: sic ad hoc, vt aliquid dicatur membrum, duo requiruntur, quorum vnum est, interior influxus vitæ, alterum vero est, quod dicat ordinem ad reliquum corpus. Quoniam membra sunt sibi inuicem membra, & mutuo se iuuant. Vestes enim, & indumenta quibus vtimur, quamuis dicant ordinem ad corpus, non tamen ex hoc membra nuncupantur, quia deest eis influxus vitæ. Cum igitur ista duo requirantur ad membrum proprium, requiruntur ex consequenti eademmet duo ad metaphoricum, & mysticum membrum. Quamobrem membrum Christi siue ecclesiæ, de sua ratione requirit interiorem influxum vitæ, & ordinem ad cetera membra

appendix 4. Mébra mystica, & methaphorica quid requirant.

Vestes corporis quare mébra minime dicantur.

Membra mystici, & metaphorici consideratio.

mēbra. Et quia superius membra actu,& mēbra potestate iā attigimus;nūc obiter dicimus,quod res aliqua eadem permanens à parte rei potest esse in actu, & in potētia respectu diuersorum,vt experimur in embrione. Embrio siquidem, dum informatur anima vegetabili, est in actu, respectu formæ sensitiuæ. Et dum habet formam sensitiuam, respectu illius, est in actu, & respectu formæ rationalis est in potentia. Perinde prorsus in ecclesia philosophandum vtique est, vnus enim, & idem homo habens fidem, & carens charitate,respectu fidei est in actu,& respectu charitatis est in potentia,vnde si consideretur quantum ad fidem, actu est membrum ecclesiæ.& potestate dumtaxat respectu charitatis,vt late prodit S.Tho. 3.p.q.8.art.3.ad 2. Ex capite tamen Christo deriuantur in membra, duo genera actionum vitalium, quarum quædam attinent ad propriam vtilitatem eius qui recipit, vt sunt actiones quibus fides,spes,& charitas communicantur. Aliæ vero sunt, non ad propriam vtilitatem eius qui recipit, sed ad vtilitatem ecclesiæ, vt sunt gratiæ gratis datæ, donum scilicet linguarum, Prophetia. &c.

Embrio est in actu,& in potentia.

S. Thom.

Quæstio. VII.

An Ecclesia habeat multa membra, & partes?



PRIMA Conclusio. Ecclesia cum sit corpus necessario debet habere multa membra, & partes. Hæc directe satisfacit quæsito,& est de fide. Probaturq; Tum ex illo Apostoli ad Rom. 12. [Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi, vnum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra.] Tum tandem ex illo eiusdemmet Apostoli,1.Cor.12. [Sicut enim corpus vnum est,& membra habet multa omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt:ita & Christus.Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus,siue Iudæi,siue Gentiles,siue serui,siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrū,sed multa. Si dixerit pes; quoniā non sum manus,non sum de corpore,num ideo non est de corpore?&c.Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?Nunc autem posuit Deus membra,vnūquodq; eorum in corpore,sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum:vbi corpus?Nunc autem multa quidē membra, vnum autem corpus.Non potest autem dicere oculus manui. Opera tua non indigeo,aut iterū caput pedibus. Non estis mihi necessarij, sed multo magis,quæ videntur membra corporis infirmiora esse,necessariora sunt, & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis,his honorem abundantiorem circumdamus,& quę in honesta sunt nostra,abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent, sed Deus tēperauit corpus,ei,cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, vt non sit schisma in corpore,sed idipsum pro inuicem solicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, siue gloriatur vnum membrum,con gaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.] Igitur obtinet ecclesia multa membra, & partes.

1 concl. Ecclesia obtinet multa mēbra,& plures partes. 1. Ratio.

2. Ratio. Celebris locus Apostoli circa membra, & partes ecclesiæ.

Secunda conclusio.Christus cum sit caput inuisibile ecclesiæ, (vt supra retulimus) nequit proprie esse eiusdem ecclesiæ membrum. Hæc est D. Thom. in 4. sent.dist.49.quæst.4.art.3.ad 4.& probatur. Tum quia membrum proprie dictum, importat partialitatem quandam. At in Christo bonum spirituale non est particulariter, hoc est per particulas, quinimmo est totaliter & integrum, & ob id ipse est totum ecclesiæ bonum, neque est aliquod maius ipso, & alijs quam ipse solus. Igitur nō est proprie membrum. Tum quia ideo in corpore naturali caput dicitur membrum corporis, quia non solum præbet influxum alijs mēbris, verumetiam ab ipsis accipit nutrimentum. Sed sic est quod Christus,ita influit in eos omnes qui spectāt ad ecclesiam supernaturales effectus, vt nihil ab eis penitus accipiat. Igitur, etiam si Christus caput sit (vt sane est)non est proprie membrum.Maior est nota.Nam de ratione membri est,vt participet aliquem influxum,& per consequens, si caput (per impossibile, in corpore naturali,) non reciperet nutrimentum, non posset dici membrum vere,& proprie talis corporis. Minor vero probatur;quoniam Christus ea parte,qua est Deus,nihil à creaturis accipit, ea vero parte qua, scilicet, est homo,tantam obtinet plenitudinem gratiæ, ex vnione hypostatica deriuatam, vt potius omnes de eius plenitudine,tamquam ex vberrimo, & limpidissimo fonte exhauriamus,testante Ioanne in cap.1.quam ei conferre possimus.Igitur Christus etsi caput,non tamē est vere, & proprie membrum ecclesiæ. Tum quia membrum vere,& proprie dictum est pars. At Christus nequit vere,& proprie dici ecclesiæ pars.Quia natura diuina in nulla compositione potest esse pars,eo quod significat imperfectionem. Quapropter D.Thom.3.p. q.2. art.4. docet ineffabilem Christi compositionē, ex duabus naturis,diuina,nimirum,& humana,non esse tamquam ex partibus. Igitur Christus nequit esse pars ecclesiæ,nec minus eius membrum vere, & proprie loquendo, iuxta rationem formalem veri, & proprij membri ecclesiæ.Tum quia quemadmodum vir& mulier,vel sponsus,& sponsa, vnum efficiunt corpus. Ita Christus sponsus, cum sua sponsa ecclesia, vnum etiam efficiunt corpus.(vt nuper retulimus.)Sed sic est,quod vir, cum sit caput mulieris, vel sponsæ suæ,iuxta illud 1. Cor. 11. [Caput mulieris vir,] non sit aliquod eius verum,& proprium mēbrum, vt experientia ipsa edocet,igitur cum Christus sit caput suæ sponsæ ecclesiæ, nequibit vere, & proprie eiusdem ecclesiæ esse membrum.Tum denique,quia vere,& proprie membrum ecclesiæ, debet habere influxum fidei, vt patet ex primo nostro fundamento. At in Christo non est ponenda fides, vt docet Angelicus Doctor 3. p. quæst. 7. art.3. Igitur, &c.

2. concl. Ecclesiæ mēbrū vere, & proprie nō est Xps cū sit eius caput. D. Thom. 1. Ratio.

F Mēbrū importat partialitatem. Bonū spirituale nō est per particulas in Xpo,sed integrum. 2. Ratio.

Mēbrū debet recipere influxum à capite.

G Deus nihil accipit à creatura. Plenitudo gratiæ in Xpo,ex vnione hypostatica.

3. Ratio. Membrum est pars corporis

S. Thom.

H 4. Ratio. Vir, & vxor vnū efficiunt corpus.

5. Ratio. Fides nō fuit in Xpo. S. Thom.

Pro hac difficultate de Christo annotabis, Quod quamuis Christus nequeat dici,vere, & proprie membrum ecclesiæ, improprie tamen potest hoc nomē obtinere secundum quod ecclesia accipitur,quatenus nominat caput,& membrum coniuncta.Nam sic Christus dici potest membrum ecclesiæ, in quantum habet officium distinctum ab omnibus alijs,nimirum, influere alijs vitam, vnde quemadmodum in corpore naturali, caput improprie dicitur membrum, quatenus est toti corpori coniunctum, sic in corpore mystico ecclesiæ, caput eius Christus,improprie etiam dicetur mēbrum. Legito S. Thomam in 4. sent. dist. 49. quæst. 4. art. 3. ad 4. Et in hoc sensu explanandum venit illud Apostoli de Christo 1. Cor. 12. [Vos estis corpus Christi, & membra de membro.] Vbi glossa Christum appellat membrum.Et quamuis explanatio Vatabli, & Caietani, huic nostræ expositioni suffragari queat, tamen aliam etiam eorumdem verborum, hic affigimus ænodationem, negantes, ly [de membro] posse referri ad Christum, sed ad nos ipsos qui sumus ad inuicem mēbra à membro pendentia. Quamobrem iuxta Franciscum Titelmanū,verborū Apostoli:[Vos estis corpus Christi,& mēbra de membro,] talis est sensus! Dico, quod vos (quatenus;per vnitatem fidei, & spiritus simul cū Christo capite,& nobis inuicē vniti)estis corpus Christi,cuius ipse est caput, & singuli mēbra estis per charitatis vinculum proximis mēbris cohærentia, & ab inuicem membrum a mēbro pendentia, sic vt ad inuicem vniamini, inuicemq; deseruiatis.

I Corollarium. Mēbrū improprie est Xps.

S. Thom. Explanatur locus Apostoli de Xpo. Glossa. Vatablus. Caietanus in epist.Pauli ad Corinth.

K Frāc. Titelm. in epist. Pauli ad Corinth.

Tertia

3. concl. Mébra ecclesiæ sunt Apostoli prophetæ, & euangelistę, Pastores etiam & Doctores.

Tertia conclusio. Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, & Doctores sunt partes, & vere, & proprie mébra ecclesiæ. Hæc est de fide, & probatur ex illo Apost. ad Eph. 4. [Et ipse dedit quosdã Apostolos, quosdã autẽ Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autẽ Pastores, & Doctores.] quibus verbis nominat ordine quodã membra, & partes ecclesię Dei. Et idem omnino præstat dñs 1. Cor. 12. ait: [Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primo Apostolos, secũdo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, genera linguarum.] Quæ omnia sunt vere, & proprie membra, & partes ecclesiæ Dei.

4. concl. Papa quãuis sit caput ecclesiæ, est vere, & proprie eius mébrũ. Caietan. Tostatus.

Quarta cõclusio. Summus Pontifex simul est caput, & vere, & proprie mébrum ecclesiæ. Hæc est omnium Theologorum, quos supra citauimus, dum probaremus Papam caput visibile ecclesię esse. Illãq; expresse profitentur, inter illos Caietanus in suis opusculis opusc. 1. tract. 1. c. 22. & Alphonsus Tostatus in præfatione in Euangel. Matth. q. 13. fo. 10. col. 1. post mediũ, & eam probo.

1. Ratio.

Tũ quia de ratione veri, & proprij mébri ecclesiæ est, quod recipiat influxũ à capite. Sed sic est, quod Papa recipit influxũ à Christo capite, & interdũ medijs alijs partibus, vt cũ sacramentaliter absoluitur. Igitur Papa erit vere, & proprie mébrũ ecclesiæ.

Papa recipit influxum à Christo.
2. Ratio. Papa filiũs ecclesiæ vniuersalis.

Tũ quia SS. Pontifex est filius ecclesiæ viniuersalis, sicut quilibet fidelis, in cuius signũ recipit ab ea sacramenta, & in fide illius manet.

3. Ratio. Papa vere & proprie mébrũ ecclesiæ.

Tũ quia Papa antequam assumeretur ad Papatus dignitatem, erat vere, & proprie mébrum ecclesiæ. Alioquin numquã ad talem supremã dignitatem assumeretur. Igitur post assumptionem, adhuc remanet vere, & proprie mébrũ ecclesiæ Dei. Non .n. apparet per quid dignitas illa auferat ab illo rationem veri, & proprij mébri.

4. Ratio. Papa seruus seruorũ Dei.

Tum quia Papa appellatur seruus seruorũ Dei. Igitur erit vere, & proprie mébrum Ecclesię Dei, quẽadmodum, & alij serui Dei.

5. Ratio. Papa vt priuata persona potest errare.

Tum quia Papa, vt priuata persona, potest errare, vt infra patebit. Igitur in simili casu nõ errabit, vt caput, sed vt mébrũ. Et per consequens oportet, vt in ipso simul permaneat ratio capitis, & ratio veri, & proprij mébri.

6. Ratio. Papa hæreticus deponendus per Concilium. Caietanus.

Tum quia Papa per hæresim venit deponendus, per Conciliũ, vt recte annotauit Caietanus in opusculis, opusc. 1. tract. 1. c. 2. quoniam Papa hæreticus ipso facto est depositus iure diuino. At in simili casu (quod Deus auertat) Papa adhuc est intra latitudinem membrorum Xpi, & ecclesię, per charactẽrẽ baptismalem, vt probare videtur idem Dñs Caietanus in suis opusculis, opusc. 1. tract. 1. cap. 2. Quoniã character baptismalis constituit mébrũ Christi, saltem secundum quid, vt nos nuper retulimus: & Papa hæreticus adhuc remanet baptizatus, & habens characterem baptismalem, qui est indelebilis. Igitur in Papa præter rationem capitis, ponenda etiam est ratio veri, & proprij mébri. Cum in simili casu de hæresi nõ sit extra latitudinem membrorum Christi, & ecclesiæ. Addo, quod Papa est ecclesiæ Christi Vicarius. At in Christo saluatur ratio capitis, & mébri, vt liquet in p. nostra conclusio, & eius corollario. Ergo, &c.

5. concl. Prædestinati & præsciti baptizati, & fidem profitẽtes pertinent ad ecclesiã, & sũt actu membra Christi.

Quinta conclusio. Non tantum prædestinati, verum & præsciti, sunt actu membra ecclesiæ, dũmodo ambo sint baptizati, & habeant fidem. Hæc est contra Vvicleffum, Ioannẽ Hus, & Caluinum, tenentes solos prędestinatos pertinere ad ecclesiã. Quam plane hæresim contra Ioannẽ Hus, & Vvicleffum, condemnatam legimus in Concilio. Constantiensi. sess. 13. et in bulla Martini Quinti, affixa eidem Concilio. Illamque iam obliuioni traditam, suscitarunt hoc nostro sæculo Cẽturiatores, Caluinus, & alij, vt prodit Stapletonius lib. 1. controuersiarum, c. 4. & Ioannes Ros de Suna, vt refert Frateolus lib. 9. cap. 27. cui etiam se subscripsit Brentius, vt auctor est Ossius lib. 5. de ecclesia aduersus prolegomena brentia. Profitentur vero hanc nostram conclusionem, contra omnes pręfatos hereticos, Stapletonus, Ossius, & Frateolus, locis citatis. Turrecremata lib. 1. de ecclesia cap. 55. Cano lib. 4. de locis cap. 3. Petrus à Soto, aduersus prolegomena Brentia, Thomas Vvaldensis tom. 1. Doctrinalis Fidei

Stapleton. Ioan. Ros de Suna. Frateolus. Ossius.

F antiquę lib. 2. art. 2. cap. 8. & 9. Michael à Medina lib. 7. de recta in Deum fide cap. 22. Robertus Bellarminus tom. 1. Controuersiarum contr. 4. lib. 3. cap. 7. & pleriq; alij nostrates DD. Catholici, quam etiam, & nos vtiq; probamus.

1. Ratio. Vasa varia in ecclesia Dei.

Tum quia Apost. 1. ad Tim. 2. agens de ecclesia asserit in illa contineri vasa aurea, & argẽtea, lignea, & fictilia, id est prædestinati, & reprobi, sic enim inquit: [In magna domo non tantum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem alia in contumeliam.] Quod autem per hæc diuersa vasa prædestinati, & præsciti intelligantur, ostendit ipsemet Apostolus ad Roman. cap. 9.

2. Ratio. Ecclesia cõtinet bonos, & malos.

Tum quia hoc ipsum ostendit saluator noster in plerisq; parabolis, quibus aperte docuit ecclesiam, ex prædestinatis, & ex præscitis cõflatam esse. Quapropter Matth. 3. comparat ecclesiã Areę in qua simul continentur triticũ, & paleæ, triticũ congregandũ in Orrea, paleæ vero perpetuo igni tradendę ad comburẽdum. G Porro Matth. 13. comparat ecclesiam sagenæ missæ in mare, cõgreganti ex omni genere pisciũ, ex quibus meliores eliguntur, alij vero reijciuntur. Præterea Matt. 25. cõparat ecclesiam cõuiuio nuptiali, ad quod claudi etiã, & debiles, vocati fuere, in quo ille qui inuẽtus fuit veste nuptiali carens, perpetuis cruciatibus traditus vtiq; fuit. Postremo Matt. 25. cõparat Dñs ecclesiam suã, decẽ virginibus, ex quibus quinq; prudentes intrauerunt cum sponso ad nuptias, quinq; vero fatuæ, clausa iam ianua, [nescio vos] audierunt. Idẽ docẽt circa has omnes parabolas Cyprianus lib. 3. Epistolarum, epist. 3. & lib. 4. epist. 2. ac etiam D. Augustinus tract. 45. super Ioannem to. 9.

3. Ratio. Iudas membrum ecclesię fuit in Apostolatu.

Tum quia Iudas cum actu esset in Apostolatu, fuit actu membrum ecclesiæ, quia erat de numero Apostolorum, fuit enim cum alijs Apostolis ordinatus sacerdos, consecratus in H Episcopum, accepit corpus Christi in cœna simul cum alijs Apostolis, vt clare liquet ex illo Ioan. 13. [Post bucellam intrauit satanas in Iudam.] Et vt docet D. Augustinus in expos. tituli Psal. 3. Iudas erat reuera filius Christi, & lib. de vnitate ecclesiæ c. 13. illum collocat in ecclesia, in qua erant ceteri Apostoli. At Iudas erat reprobus, & præscitus. Igitur, &c.

D. Aug. Iudas filius Christi.

4. Ratio.

Tum quarto, & postremo, probatur nostra conclusio, quia ex eius opposito varia sequuntur incommoda, & per absurda in fide.

1. Incõmodũ.

Nam in primis sequeretur ecclesiam esse inuisibilem, & incognitam. Quoniam prædestinati incogniti vtiq; sunt; quamobrem ecclesia in quadam collecta ait: [Deus cui soli cognitus est numerus electorum in æterna felicitate locandus.]

2. Incõmodũ.

Secũdo sequeretur ecclesiam esse incertam, eo quod incerti sunt prædestinati, iuxta illud elogium: [Nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit.] Atque ita quando iubet Christus, vt I incorrigibilem fratrẽ denunciemus ecclesiæ, iuxta illud Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] & paulo post. [Si te non audierit, die ecclesiæ,] incerti vagaremus hũc & illuc hanc ecclesiam inquirentes.

3. Incõmodũ.

Tertio sequeretur, quod Papa præscitus nullam obtineret auctoritatem in ecclesia, nec esset caput eius, nec minus haberet aliquam spiritualem iurisdictionem in ea. Quoniam si est præscitus, non est membrum, (vt tenent ipsi hæretici,) & si non est membrum, non est caput, quod si non fuerit caput, nullam per consequẽs iurisdictionem in ecclesia obtinere poterit.

4. Incõmodũ.

Quarto sequeretur, quod infideles prædestinati essent membra Christi.

5. Incõmodũ.

Quinto sequeretur præscitum, quando est in gratia, & charitate, non esse membrum ecclesię, quamuis sit vnitus capiti, vnione perfecta, quę est per fidem, quinimmo sequeretur etiam prædestinatum infidelẽ, quando est membrum diaboli, esse etiam membrum K Christi.

6. Incõmodũ.

Sexto sequeretur Paulum numquam fuisse membrum diaboli, & Iudam, numquam fuisse membrum Christi.

7. Incõmodũ.

Septimo sequeretur, quia cum nobis non constat Pontificem esse verum Pontificem, non teneremur credere eius definitionibus fidei, aut Conciliorum confirmationibus.

8. Incõmodũ.

Octauo sequeretur, quod non posset constare, qui essent Episcopi, qui Sacerdotes. Quoniam si Episcopus esset præscitus, non posset conferre ordines, quia non esset membrum ecclesiæ,

clesiæ, & sic ab illo ordinati, acquirent legitime absoluere, & sic esset, maxima sacramentorum confusio. Quæ omnia & singula absurdissima, equidem sunt, & condemnata tamquam erronea, in prællegato Concilio Constantiensi sess. 15. Igitur non solum prædestinati baptizati, fidemque profitentes, verumetiam præsciti baptizati, fidemq; habeates, constituendi sunt membra Christi, & partes ecclesiæ. Accedit quod si præscitus baptizatus, fidemque habens, ac existens in gratia non esset membrum Christi, assignandum est corpus, vel caput, cuius erit membrum; quod plane nequit esse diabolus. Quoniam præscitus baptizatus, fidem habens, & in gratia pro nunc existens, est vnitus Christo vnione perfecta. Quamobrem nequit diabolus pro nunc eius caput esse, cum sit ab eo separatus per gratiam. Dixi existens in gratia pro nunc, quoniam prædestinatus, potest reprobari, & reprobus potest prædestinari, in sensu diuiso, vt communiter tenēt DD. Theologi, alioquin inter prædestinatos in sensu diuiso, & inter confirmatos in gratia, nullum grassaretur discrimen, quod etiam est omnino erroneum.

Conc. Const.

Pro hac cōclusione de prædestinatis, collige primo. Prædestinatos non baptizatos, neq; profitentes fidem non semper pertinere ad ecclesiā. Idq; ostendo ex illis verbis Christi Ioan. 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.] Quo loco ad litterā loquitur Christus de conuersione gentium. Et dicit eas non pertinere ad ouile ecclesiæ. At inter gentes pleriq; cōtinebantur prædestinati, quos Christus vocat oues suas, cum dicit: alias oues habeo. Et sic gentes ante conuersionem vocantur oues Christi per creationem, & per redemptionem sufficientem, (vt nuper retulimus de seruis Christi agendo,) vel vt alij dicunt propter prædestinationis gratiam. Igitur prædestinati non baptizati, nec fidem profitentes, non sunt vere, & proprie membra ecclesiæ cum nō sint actu ex ouili Christi. Idem probo ex illo Ioan. 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.] Igitur, vt aliqui dicantur filij Dei actu debent prius credere in nomine Iesu. Sed sic est quod pleriq; prædestinati adhuc non obtinent hanc fidem: ergo nō omnes prædestinati sunt actu de ecclesia. Accedit quod Apost. ad Ephes. 2. sic ait: [Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.] Vbi ad litteram docet Paulus, meritis Christi Domini, ex Iudæis, & Gentibus effectum fuisse vnum populum, & vnam ecclesiam. Et ab hoc populo, vel ab hac ecclesia ostendit Ephesios aliquando fuisse longe, id est, extra. At inter illos nullatenus est dubiū, quin pleriq; essent prædestinati. Igitur, &c. Huc plane pertinet illud 1. Petri 2. [Qui aliquando non populus, nunc autē populus Dei, qui non misericordiam consequuti, nunc autem misericordiam consecuti.] Addo etiam quod Paulus dū persequebatur ecclesiam Dei, non erat eius mēbrū, nec ouis huius ouilis, quinimmo infestissimus lupus rapax, vt prodit D. August. ser. 1. de Conuersione Pauli, & D. Chrysostomus hom. 6. in 2. epist. ad Timoth. & tamē erat prædestinatus. Consequens ergo est, quod non omnes prędestinati sint actu de ecclesia, & membra Christi.

Appendix 1. Prædestinati non sēper pertinent ad ecclesiam.
1. Ratio.
Gentiū notabilis consideratio.
cap. 1. tex. 1. par. 8. disp. 5.
2. Ratio.
Populus vnus ex Iudæis, & Gentilibus.
3. Ratio.
4 Ratio. Saulus quādo erat lupus rapax. D. Aug. D. Chrysost.

Porro collige secundo ex prædestinatis, quædā esse mēbra actu, & hoc vel actu perfectissimo, vt sunt beati in patria, vel actu profecto, vt sunt viatores baptizati existentes in gratia, & charitate, qui si sic obierint vitā ęternam proculdubio consequentur. Quoniā prędestinatus, vt prędestinatus, tandē consecuturus est vitā ęternā, eo quod isti dūtaxat sunt oues illę de quibus Christus Io. 10. dixit: [Oues meæ vocem meā audiunt, & ego vitā ęternam do eis.] Impossibile autē est quod aliquis vitā ęternam consequatur, quin sit intra ecclesiam, vt definitū est in cap. firmiter, de sum. Trin. & fid. Cath. & in extrauaganti, vnam sanctā Catholicam, de maiorit. & obien. & in cap. ecclesia. de Consecr. dist. 4.

Appendix 2. Prædestinati mēbra actu, sed diuersimode.
Extra ecclesiam non est salus.

F quoniam extra ecclesiā nemo saluatur. Quemadmodū nec extra arcam Noe, iuxta illud Conc. Lateran. c. 1. [Vna est fideliū vniuersalis ecclesia, extra quā nullus omnino saluatur.] Intra ecclesiam autem nemo esse potest, nisi per sanctum baptismū iuxta illud: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnū Dei.] Vbi per regnum Dei, non tantū ecclesiā triumphantem, verū, & militantem intelligunt DD. Theologi, vt in præcedenti quęstione abunde retulimus contra Caluinū. Igitur viatores baptizati, & in gratia, & charitate existentes qui sunt membra ecclesiæ secundum actū perfectum, si sic obierint vitā ęternam consequentur. Alia vero, sunt ex prædestinatis, mēbra ecclesiæ actu imperfecto, vt sunt peccatores fideles, & prædestinati, carentes tamen gratia, & charitate, Qui si sic (puta in illo statu peccati) obierint, proculdubio peribunt. Quoniam in cælestem Ierusalē non G intrat aliquod coinquinatum, nec abominationem faciēs. Et tandem ex prædestinatis, quædam sunt mēbra potestate, vt prædestinati qui adhuc sanctū baptismum minime acceperunt: illum tamen aliquando, Deo inspirante, & dante, recipient actu, & tunc fient actualia membra. Ceterum pro nunc tantum sunt in potentia aliquando reuocanda ad actum.

Baptismus collocat baptizatos intra ecclesiam.
Apoc. 21.

Tertio, & postremo collige, non sic esse philosophādum de præscitis baptizatis, quos actu membra ecclesiæ contra Caluinistas, alioq; antiquos hæreticos cōstituimus, & quēadmodū adhuc de prędestinatis baptizatis in superiori appēdice philosophati sumus. Quōniam si præscitus baptizatus (quem etiā constituimus actu mēbrum ecclesiæ) existens in gratia, & charitate, vt sic obierit (per impossibile) iste ex suppositione data, nullo modo erat ex præscitis finaliter, sed secundū H præsentem iustitiam, quinimmo erat ex prædestinatis finaliter secundum æternum Dei propositum. Quoniā, vt super retulimus; quemadmodum nequit prędestinatus, vt prædestinatus, reprobari, sic etiam nequit reprobus, vt reprobus saluari. Quibus omnibus adamussim intellectis facile dissoluuntur hæreticorum argumenta. Quod si in sacro eloquio aliqua epitheta attribuuntur prædestinatis, quæ non attribuuntur prescitis, vel vice versa, vel aliqua comparatio proponitur de vnis, quę non quadrat alijs, non ob id inferendum est præscitos non esse de ecclesia, cum sacra scriptura crebro, quod competit parti tribuat toti, & quod toti, aliquando det parti, vt prodit Tyconius in sua regula. Accedit quod comparatio non est opus quadret in omnibus, de qua re diffusius agit Robertus Bellarminus contr. 4. lib. 3. cap. 7.

Appendix 3. Baptizatorū præscitorum consideratio notabilis.
Nota bene.

I Sexta conclusio. Non tantum iusti gratiam, & charitatem habentes, verumetiam fideles peccatores non perfecti (tam occulti, quam manifesti) nimirum, gratia & charitate orbati, ac carentes, sunt intra ecclesiā tāquam partes eius, ita vt ecclesia non tantum consistat ex solis viris iustis, verumetiā ex peccatoribus constituatur. Hæc continetur plane in præcedenti, nihilominus tamen expresse est contra Pelagianos, qui, vt prodit D. August. lib. de hæresibus hæres. 88. existimarunt ecclesiam ex iustis dūtaxat, (& non ex quibuslibet, sed ex illis tantum qui nulla labe etiam leui, alicuius peccati sunt infecti) constituiā esse. Quam quidē hæresim postea secuti fuere Anabatistæ, quos propter hanc hęresim Caluinistæ, vocant Phanaticos. Est insuper cōtra Nouatianos. Qui, vt refert D. Cyprianus li. 4. Epistolarum, K epist. 2. putabant peccatores, qui leui macula, nimirū, veniali culpa erant infecti, spectare ad ecclesiam at vero peccatores, qui peccato mortali maculantur, nullo modo ad ecclesiam pertinere. Quā etiam hæresim tenuerunt Cathari, vt prodit Epiphanius agens de illorum hæresibus: eamq; postea sequuti fuere Donatistæ, Rogatiani, Protestantes, Centuriatores, Magdaburgēses, Lutherani, Buxerus, Melaton, Musculus & alij plerique huius nostri sæculi, quos refert Stapletonius li. 1. Controu. c. 6. & 7. Hanc eamdē conclusionem expresse videntur profiteri Turrecremata lib. de ecclesia cap. 4.

6. concl. Iustos solos pertinere ad ecclesiā, hæresis est affirmare.
Peccatores etiā sunt intra ecclesiam D. Aug.
Anabatistæ cur Phanatici vocētur. Caluinistæ. D. Cypr.
Epiphanius.
Stapleton. Iusti, & peccatores pertinēt ad ecclesiā. Turrecr.

Driedo, Alb. Pighius, Did. Suñega, Cordoba, Castro, Osius.

cap. 4. & 5. Driedo lib. 4. de Dogmatibus, cap. 2. par. 2. Albertus Pighius lib. 2. hierarchiæ ecclesiasticę cap. 1. Didacus Suñega lib. 1. de vera religione cap. 4. Antonius à Cordaba lib. 4. quæstionum theologicarum, quæst. 1. prop. 11. Castro aduersus hæreses agens de ecclecsa, Osius lib. 1. confess. pollonicæ cap. 21. & alij Doctores Theologi. Illamque probo.

1. Ratio. Parabolæ de iustis, & peccatoribus.

Tum ex illismet euangelicis parabolis, de area, de reti, de conuiuio nuptiali, de decem virginibus, de zizania, & de ouili, quibus in præcedenti conclusione ostendimus præscitos ad ecclesiam pertinere. Quoniam si præsciti sunt membra ecclesiæ, non est cur negemus peccatores esse partes ecclesiæ. Quod plane argumentum adeo fuit efficax contra Donatistas, vt coacti fuerint omnino obmutescere, vt prodit D. Augustinus in Breuiculo collationis, collat. 4.

D. Aug. 2. Ratio. Omnes mortales peccatores.

B Tum quia si non essent in ecclesia ij, qui habēt aliquam imperfectionem, nulla aliquando essent ecclesia militans in terris, quod est absurdissimum, & omnino erroneum fateri. Sequela probatur; quoniam excepto Christo, qui per naturam, & Beata Virgine, quæ per gratiam impeccabiles omnino fuerunt, ac etiam Ioanne Baptista de quo canit ecclesia: [Antra deserti teneris sub annis, &c. ne leui saltē maculare vitā famine posses.] nullus est mortalium (quamuis sanctissimi in hac vita,) qui non habeat aliqua venialia peccata. Quamobrem in Concilio Milleuitano can. 7. & 8. definitum est non esse iustum, quamdiu est in hac vita, qui non trahat aliquam maculam peccati venialis: & auctoritatem illam Matth. 6. [Dimitte nobis debita nostra,] pronunciari à sanctis viris non tantum pro alijs, verumetiam pro seipsis. Et non tantum propter humilitatem, sed etiam veraciter, ita vt vere dicat huiusmodi verba pro se, quilibet iustus. Ad quod plane alludit illud Prouer. 24. [Septies in die cadit iustus, & resurget.] & illud 1. Ioan. 1. [Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimur, & veritas in nobis non est.]

C Iustus crebro cadit.

At Christus Redemptor noster, iam est in cælum assumptus, & sedit a dextris Dei, Virgoque Maria, iam est exaltata super choros Angelorum, & tandem Ioannes Baptista, iam capite truncato spiritum exhalauit. Igitur si peccatores fideles, non essent de ecclesia militante, tamquam eius partes, cadētibus iustis à iustitia sua (dato quod omnes caderēt simul, quod fieri plane potest, cum non implicet contradictionem, iustum suam amittere iustitiam,) non esset ecclesia militans in tali casu in terris, quod est absurdissimum confiteri.

3. Ratio.

Tum quia Matth. cap. 18. dicitur: [Si peccauerit in te frater tuus, &c.] vbi Christus loquitur de sua ecclesia, & sic constat in ea non tantum iusti, verumetiam peccatores, otio, & socordiæ dediti in ea reperiri. Idque etiam indicauit Isa. in cap. 11. dicens: [Acubabit lupus cum agno, & pardus cum edo, &c.] vbi sermo est de futuris iustis, & peccatoribus, simul in ecclesia.

4. Ratio. Necessitas sacramēti pœnitentiæ, & extremæ vnctionis.

Tum quia si peccatores fideles non essent de ecclesia, & eius partes, frustra plane esset sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum extremę vnctionis. Quorum primum est ad delenda peccata, tam mortalia, quam venialia; alterum vero ad venialium, in extremis deletionem; & sic ambo sacramenta instituta fuere à Christo Domino propter peccatores fideles, tollere autem aliquod ex septem sacramentis est aperta hæresis. Igitur, &c.

5. Ratio. Ex vtroq. testamento sal.

Tum quia oppositum huius nostræ conclusionis est repugnans ex diametro, & nouo, & veteri Testamento. Quoniam in vtroque expresse continentur peccatores fideles intra latitudinem, & partes ecclesiæ, nimirum ex Iudæis, fideles in fide Messiæ olim venturi, de quibus intelligitur illud Psal. 31. [Tu remisisti iniquitatem peccati mei, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno.] & 3. Reg. cap. 8. [Nec enim est homo qui non peccet.] Et ex Christianis, fideles in fide Christi, iam pro nobis passi de quibus intelligitur illud Apostoli 1. Corinth. 1. [Contentiones sunt inter vos,] & cap. 5. [Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.] Sunt & aliæ fere multitudine infinitæ auctoritates (his similes) in vtroque testamento, ex quibus liquide constat non tantum iustos, verumetiā peccatores fideles, esse intra latitudinem ecclesiæ, & eius partes.

6. Ratio.

Tum quia quemadmodum milites sunt in exercitu, domestici in domo, & ciues in ciuitate, ita peccatores fideles sunt intra ecclesiam. At illi sunt illic tamquam vere partes, vt liquet. Igitur peccatores fideles sunt intra ecclesiam, tamquam vere, & proprie partes. Accedit quod ecclesia est similis corpori naturali, & Reipublicæ ciuili. At in corpore naturali non tantum sunt boni, sed etiam vitiati humores; & etiam in Republica, non tantum continentur homines probi, & legum obseruatores, verum etiam improbi, & earumdem legum violatores.

Humores boni, & mali cōtinentur in corpore naturali.

7. Ratio. Ecclesiæ Dei diffusio p. orbem.

Tum septimo, & postremo probatur conclusio, quoniam ecclesia Catholica, est longe lateque diffusa per totum genus humanum, quemadmodum indicant verba illa Baruch cap. 3. [O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.] & illa verba Christi: [Ite in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Ad quod etiam alludit illud Psalmistæ de Apostolis: [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] At si tantum iusti essent intra limites ecclesiæ compræhensi, haud dubie esset ecclesia angustissimis finibus circumscripta. Nam multi sunt vocati, pauci vero electi. Igitur oportet, vt ecclesia non tantum componatur ex iustis fidelibus, verumetiam conflettur, ex peccatoribus fidelibus.

7. concl. Peccatores graues sunt membra ecclesiæ. Impugnantur Turrecrem. Can. Cordub. Sot.

Septima conclusio. Graues peccatores fideles, tam occulti, quam manifesti, gratia & charitate dumtaxat orbati, non tantum sunt intra ecclesiam, tamquam partes, verumetiam, tamquam vera, & propria membra. Hæc conclusio exagitatur inter Doctores Catholicos, & est contra Cardinalem de Turrecremata, lib. 1. de Ecclesia, cap. 57. Canum lib. 4. de Locis, cap. vlt. ad 9. Cordubam lib. 4. Quæstionum Theologicarum, quæst. 1. conclus. 11. in solutione secunda primi argumenti, vbi citat Magistrum Canum. Et contra Petrum à Soto, qui omnes tenent (quinimmo Turrecremata probat, ex Alexandro de Ales, Hugone, & S. Thoma,) fideles peccatores graues existentes in mortali peccato, esse vere, & simpliciter in ecclesia, tamquam partes & Christiani, non vero tamquam vera, & propria membra Christi, & ecclesiæ. Neque enim (inquiunt) sola membra sunt in corpore, sed etiam humores, dentes, capilli, & alia quæ non sunt membra.

D Pius V in Catechismo. Conc. Colon. D. Hieron. Alber. Pigh. Vvalden. Medin. Driedo, Castro, Somn. Bellarm.

Ceterum nostra conclusio est Pij Quinti in Catechismo, in explicatione Symboli; Patrum Concilij Coloniensis, in explicatione eiusdem Symboli, Diui Hieronymi in cap. 1. ad Ephes. & 1. Corinth. 12. Alberti Pighij lib. 2. Hierarch. cap. 1. & in Controuersijs, controu. 3. quę est de ecclesia. Vvaldensis lib. 2. de Antiquitate fidei Catholicæ ar. 2. cap. 11. Michaelis à Medina lib. 7. de recta in Deum fide cap. 23. Driedi lib. 4. de Ecclesiasticis Dogmatibus, cap. 2. Castro Verb. Ecclesia hæres. 1. Somnij lib. 2. Demonstrationum tractatu 8. cap. 4. Roberti Bellarmini tomo primo Controuersiarum, controuers. 4. lib. 7. cap. 9. in solut. ad vltimum, & probatur.

1. Ratio.

Tum quia illud appellatur vere, & proprie membrum, quod recipit influxum, & actionem vitæ à capite. At peccatores fideles, tam occulti, quam manifesti recipiunt influxum, & actionem vitæ Christianæ à Christo, quoniam sunt baptizati, appellanturq; Christiani, & insuper habent actum credendi mysteria nostræ fidei, & gratiæ, & ita sunt & dicuntur fideles, & insuper obediunt præceptis ecclesiæ, & prælatorum eius. Igitur peccatore fideles vere & proprie, ac simpliciter, & absolute erunt membra ecclesiæ.

E

2. Ratio.

Tum secundo, quia ex contraria opinione aperte sequeretur summum Pontificem, quandiu est in peccato mortali, non esse vere caput ecclesiæ, quinimmo, & alios pastores, & episcopos quando sunt peccatores, non esse vere capita suarum ecclesiarum

Papa peccator, & pastores in lætha lij existentes sunt vere, & proprie capita ecclesiarum.

Conc. Const.

Caput visibile est mēbrū.

3. Ratio.

Eps. Ephesinus peccator.

siarum neque veros Pastores, quoniam caput non est humor, aut capillus, immo membrum, & non quodcumque, sed præcipuum. Hoc autem tamquam error condemnatum est in Concilio Constantiensi sess. 15. in quo damnatur error 22. Ioannis Hus, quo asserebat pastorem malum esse equiuoce pastorem, & error 30. quo asserebat Prælatum malum non esse vere prælatū. Igitur peccatores erunt vera membra ecclesiæ, sequela vero propositionis probatur. Quoniam de ratione capitis visibilis est, esse membrum. Quinimmo inter membra principem locum sibi vendicat caput. Si ergo aliquis non fuerit membrum, nullo modo poterit esse caput ecclesiæ, quare si Pontifex, & alij Episcopi quandiu sunt in peccato mortali, non sunt vere, & proprie membra ecclesiæ, nequibunt ex consequenti esse vere & proprie capita. Tum tertio, & postremo, quia Episcopus Ephesi erat membrum, & caput ecclesiæ Ephesinæ, quando Deus præcepit Ioanni scribere ad illum, vt liquet in exordio cap. 2. Apoc. dum dicitur: [Et Angelo Ephesi scribe, &c.] At iste erat peccator fidelis, sola dumtaxat gratia, & charitate orbatus, vt ibi clare patet. Igitur peccatores fideles sunt vera, & propria membra ecclesiæ; maior probatur. Quoniam si ille pastor Ephesinæ ecclesiæ, non esset caput, & verum, & proprium membrum illius ecclesiæ, non appararet ad quid illi scribere deberet Ioannes, iussu Dei instante, & vrgente. Idem argumentum efformari potest de reliquis Episcopis, & Antistibus Apocalypsis, de quibus in hoc 1. & tiam 2. & 3. cap. est sermo vberrimus.

8 concl. Peccatores mēbra mortua.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio. Charitas viuificat ecclesiam.

Octaua conclusio. Prælibati peccatores fideles, gratia dumtaxat, & charitate orbati, quamuis sint vere membra ecclesiæ, non tamen viua, sed mortua membra dicuntur. Hæc est de fide, & expresse contenta in Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. per hæc verba: [Fides nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfecte cum Christo, neque corporis eius viuum membrū efficit.] & probatur. Tum ex illo Iacobi 2. [Fides sine operibus mortua est.] Tum ex illo 1. Ioan. 4. [Qui non est in charitate, manet in morte.] Tum ex illo ad Rom. 8. [Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius.] Tum ex illo 1. Ioan. 3. [Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo.] Quibus locis intelligendum est, tales fideles peccatores, non esse Christi, aut Dei, tamquam viua membra. Tum quia spiritus viuificans totam hanc molem corporis ecclesiæ, est charitas spiritus sancti, quæ est diffusa in cordibus nostris. At peccatores fideles existentes in mortali peccato, priuati sunt hac charitate. Igitur sunt membra mortua.

Corollarium. Mēbrū mortuū varie cōsideratur ab aduersarijs.

Ecclesia habet aliquos de numero, et de merito.

Auctor explicat suā, & cōtrariorū opinionē de mēbris mortuis ecclesiæ.

Pro hac conclusione de membris mortuis, nimirum de peccatoribus fidelibus gratia, & charitate spoliatis, animaduertas oportet, quod illud, quod nos membrum mortuum appellamus, aduersarijs ita explicant, asserentes, quod aliqua mēbra duobus modis possunt esse de ecclesia. Vno nimirum, de numero tantum, & non de merito, altero vero modo, simul de numero, & de merito. Fideles igitur (dicunt) qui sunt in peccato mortali, ratione baptismi, & fidei, esse de numero ecclesiæ, alios vero iustos, qui præter fidem ornantur charitate, non tantum esse de numero, verumetiam de merito. Quoniam isti (vt dicunt hi Doctores) habent varia merita, quibus sibi ipsis comparare possunt vitā æternam. Ita prodit Turrecr. li. 1. de ecclesia c. 30. & 5. Ceterum istud, quod ij DD. Catholici, de numero tantum ecclesiæ appellant, mēbrum mortuum, nos nūcupamus. Quoniam quamuis mortuum, tamen vere est membrum Ecclesiæ, eo quod membrum mortificatum animalis, quamuis non recipiat à corpore vitam sensitiuam, quia tamen recipit aliquem gradum vitæ, nimirum vegetantis, verè & proprie dicitur membrum, & pari etiam modo peccatores fideles, ratione baptismi, & fidei membra ecclesiæ dicendi sunt. Accedit quia D. Paulus eodem modo docet Christum esse caput ecclesiæ, quo vir est caput vxoris suæ, sed sic est, quod quamuis vxor adultera sit, semper est subiecta viro, & eius membrum vocari potest. Igitur peccatores fideles membra ecclesiæ dici potuerunt. Quod si isti fideles peccatores, & membra mortua aliquando dicuntur in sacro eloquio, vel a sanctis Patribus membra diaboli, animaduertendum est, quod diuersa ratione, appellantur membra Christi, & membra diaboli, quoniam ratione baptismi, fidei, & religionis, sunt membra Christi. Quoniam quamuis appellantur eius membra mortua, non tamen sunt mortua, morte priuante omnem vitā, sed morte priuante vitā dūtaxat à charitate, & gratia tributam. Et sic obtinent vitam baptismalem, & fidei. Et sunt in potestate ad gratiam & charitatem, & in hoc sensu explicandus venit S. Thomas, quando 3. p. quæst. 8. art. 3. ad 2. inquit peccatores fideles non esse simpliciter membra, sed secundum quid, & solum potestate. Quamobrem huiusmodi peccatores fideles, quos membra mortua appellamus cum sacro Concilio Tridentino, quidam nominant membra etherogenea: sunt etenim in corpore naturali, quædam membra, quæ appellantur omogenea, quæ scilicet habent idem nomen, & eandem rationem, vel formam prioris generis, vt manus in homine, vel pes, & reliqua, & quæ habent formam carnis. Alia vero sunt membra etherogenea, quæ scilicet habent diuersam rationem, & formam totius, vt oculi. Quoniam oculus non habet formā carnis, & cū isti peccatores fideles non habent eandē formā, quam habet totum, nimirū ecclesia, nempe, charitatē, etherogenea membra eos appellant Somnius, & Medina. Robertus vero Berllarminus eos vocat, mēbra verissima in ratione instrumēti, per hæc verba: [Dico igitur episcopum malum, presbyterum malum, doctorē malum, esse mēbra mortua, &c.] vsq; ad [& mortua, &c.]

S. Thom.

Peccatores fideles quomodo membra ecclesię.

Somnius, Medina, Bannez. Bellarm.

9. concl. Peccatores finaliter impœnitentes vē mēbra ecclesiæ, & quomodo.

Beauxamis in explicatione symboli.

1. Ratio.

Iudas vsquequo mēbrum ecclesiæ.

2. Ratio.

Nona conclusio. Peccatores fideles finaliter impœnitentes, quandiu non amittunt fidem, sunt membra ecclesię, sicuti reliqui peccatores fideles, quæ sunt membra mortua. Hæc est contra Beauxamum, qui in declaratione symboli in 2. nota ecclesiæ, quæ est, ipsam esse sanctam, asserit peccatores fideles pœnitentes de ante acta vita, spectare ad ecclesiam, peccatores vero finaliter impœnitentes non pertinere ad ecclesiam. Quoniam, vt inquit ipse, per peccatum impœnitentiæ Christum, & ecclesiam à se relegarunt. Ceterum conclusio aduersus illum confirmatur. Tum quia Iudas peccauit, peccatum finalis impœnitentiæ. At ipse Iudas erat membrum ecclesiæ, & Apostolus electus a Christo, vsquequo laqueo se suspendens, misere vitam finiuit, vt colligitur ex cap. 1. Act. vbi inquit Petrus esse alium eligendum, qui teneret locum, & Episcopatum Iudæ, qui laqueo se suspendens crepuit medius.) Igitur peccatores finaliter impœnitentes, sunt membra ecclesiæ. Tum quia huiusmodi finaliter impœnitentes recipiunt actum vitæ à capite, nimirum actum credendi, obtinent etiam ordinem ad reliquas partes eiusdem corporis; quoniam recognoscunt idem caput visibile Romanum Pontificem, vtuntur ijsdem sacramentis, quibus vtuntur alij fideles; obseruant easdem leges retinent easdem cærimonias & cultum exteriorem. At hæc omnia constituunt membrum ecclesiæ. Igitur ij peccatores finaliter impœnitentes erunt vera membra ecclesiæ.

10. concl.

1. pars concl. Excommunicati fideles mēbra ecclesiæ.

Impugnātur. Bellarmin. Turrecre. Driedo. Vvalden. Somnius. 1. Ratio. S. Aug.

Decima conclusio. Fidelis excommunicati pertinent ad ecclesiam simpliciter, & absolute, tamquam eius membra, & partes; non tamen viua, sed mortua. Prior pars huius conclusionis est, contra Robertum Bellarminum tomo primo Controuersiarum, contr. 4. lib. 3. cap. 6. Turrecremata lib. 1. suæ summæ, cap. 3. Driedum li. 4. scripturis, & ecclesiasticis dogmatibus, d. 2. c. Vvaldensem tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ lib. 2. cap. 9. & Somnium lib. 3. tract. 8. cap. 3. Eam tamen profitentur Dominicus Bañez in suis Commentarijs in 2. 2. D. Thom. quæst. 1. art. 10. dub. 1. Corduba li. 4. quæstionum Theologicarum quęst. 1. prop. 12. & alij grauissimi Doctores illamque probo. Tum quia D. Augustinus lib. contra Donatistas post collationem c. 20. ita

ita scribit: [Neque enim à populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.] Qui plane locus nullatenus est corruptus, aut vitiatus, (vt putat Bellarminus,) quoniam in omnibus originalibus ita legitur. Et etiam per prælibata verba illum refert Marianus Victorius, qui maxima diligentia ad pristinam integritaté opera D. Augustini restituit. Nec minus nomine populi Dei intelligitur numerus Saluandorum, (vt existimat idem Bellarminus.) Nititur enim eo loco D. Augustinus probare contra Donatistas bonos, & malos in vna ecclesia contineri. Et hanc ecclesiam sanctam, vocat ipse populum Dei. Et sic explanatio ista Bellarmini nullatenus quadrat. Quoniam in sacro eloquio, populus Dei non numerus prædestinatorum, sed ecclesiam significat, vt planum fit ex illo. 1. Petri 2. [Vos, qui aliquando non populus Dei, nunc populus Dei.] Vbi per populum intelligenda venit ecclesia, & non tantum congregatio prædestinatorum. Quia prædestinatorum congregatio semper fuit Dei secundum æternam prædestinationem. Nec admittenda aliquo modo est euasio Mariani Victorij putantis sententiam D. Augustini intelligendam esse de excommunicatione minori, quæ non eijcit aliquem ab ecclesia Dei, & non de maiori, quæ separat. Quoniam D. August. loquitur ibi de maximis pœnis ecclesiæ, qualis est degradatio. Et excommunicatio minor non est maxima pœna. Et sic auctoritas D. Augustini intelligenda est de maiori excommunicatione. Tum quia excommunicati fidem, quam mente retinent profitentur signo externo obedium enim Romano Pontifici, & Prælatis suis, admittuntur in ecclesia vt audiant concionem, & eisdem cærimonijs venerantur Deum. At fides constituit simpliciter, & absolute, membrum ecclesiæ, vt perspicuum euadit ex præcedenti quæstione. Igitur excommunicati sunt membra, & partes ecclesiæ.

Bellarm. euasio refellitur. — *Marian. Victorius D. Aug. maximus interpres.* — *Bellarm. explanatio in argum. minime tenetur. Populus Dei in sacra pagina ecclesiam præsignificat.* — *Marianus Victor. non tenetur.* — *1. Argum.* — *2. Argum.*

Pro hac conclusione nota quod ei obuiat illud Matth. 18. [Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.] quod communiter expenditur de excommunicatis. Enimuero illud [sit tibi] nó significat rei veritatem, nimirum, excommunicatos esse vere Ethnicos, & publicanos, sed dumtaxat similitudinem, vt pote, habendos, & reputandos esse tanquam Ethinicos, & Publicanos. Non enim inquit sacer textus. Si ecclesiam non audierit sit Ethnicus, sed [sit tibi,] id est, iudicetur à te, & pertractetur tamquam Ethnicus. Quemadmodum enim audet se commiscere Ethnico, aut habere consortium cum illo, ita quoque cum excommunicato fidele nullus fidelium debet habere consortium, aut externam communicationem. Idque clarius indicant verba, quibus absolui solent excommunicati, nimirum [restituo te sanctis sacramentis ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium.] Restituitur enim excommunicatus sacramentis, communioni, & vnitati fidelium, ea ratione qua erat priuatus, videlicet, quoad exterius commercium, & participationem fidelium ad tempus dumtaxat in quo plane fuit excommunicatus, extra vnitatem fidelium secundum externam communicationem, non autem secundum internam fidei. Quamobrem restituitur secundum illam, & non secundum hanc in qua semper permanet fidelis dum ab ecclesia excommunicatur.

Corollarium. Obiectio. — *Sol.* — *Excommunicatus fidelis est extra vnitatem fideliũ secundum externã communicationem.*

Altera vero pars conclusionis, nimirum, quod excommunicati sint membra mortua, liquet. Quoniam excommunicati sunt gratia, & charitate orbati, eo, quod anathematis mucrone non est quis feriendus, nisi pro mortali contumacia, vt liquido constat ex Conc. Triden. sess. 25. de reformatione, cap. 3. & ex S. Thom. in 4. sent. cap. 18. q. 2. art. 1. q. 3. vbi sic scribit: [Ideo excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit.] Idem docent Franciscus à Victoria in sua summa, verb. excomm. q. 335. Et Martinus ab Azpilcueta in Encherid. verb. de modo & forma excommunicandi §. 1. vbi sic habet: [Nemo

2. pars conclusionis. Excommunicati fideles membra mortua. Excommunicari nequit aliquis nisi pro mortali. Conc. Trid. S. Thom. Victoria. Azpil.

A debet excommunicari maiori excommunicatione: nisi ob contumaciam mortalem, qua persistit in peccato mortali præterito.] At lethale crimen nequit stare simul cum gratia, & charitate, quæ est forma virtutum, & per consequens remanet membrum mortuum.

Excommunicatio nequit fieri nisi in contumaces.

Vndecima conclusio. Hæretici, Apostatæ à fide, & schismatici, qui sunt aliqua hæresi infecti, non sunt simpliciter, & absolute membra ecclesiæ, nec partes eius sed dumtaxat secundum quid, & imperfecte. Hæc conclusio facile probatur ex præcedenti quæstione in qua sancitum est fidem constituere simpliciter, & absolute membrum Christi, & partem ecclesiæ, quam cum non habeat hæretici, neque apostatæ à fide, nec minus schismatici, qui sunt aliqua hæresi infecti, nullatenus erunt ij membra Christi simpliciter, & absolute, & partes ecclesiæ, sed dumtaxat membra, & partes secundum quid, & imperfecte ratione characteris baptismalis in via tantum, vt in eadem præcedenti quæstione retulimus.

11. conclusio. Hæretici, & schismatici, qui a fide apostatarunt, non sunt simpliciter membra Ecclesiæ.

Et quamuis Cardinalis Caietanus lib. de Auctoritate Papæ, & Concilijs tract. 1. cap. 22. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 24. & Didacus Suñega lib. 1. de vera religione cap. 7. teneant hæreticos propter characterem esse membra, & partes ecclesiæ, & alij Doctores distinguant hæreticos in occultos, & manifestos, quorum priores dicant esse intra ecclesiam tamquam eius actualia membra, & partes, posteriores verò nimirum manifestos extra ecclesiam constituant, vt putauit Somnius lib. 2 demonstrationum tract. 8. cap. 5. nihilominus tamen victoria relat. 1. de ecclesia, Soto, in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. can. lib. 4. de locis cap. 2. Bannes in suis commentarijs in 2. 2. D. Thom. q. 1. art. 10. dub. 1. ad 5. & Robertus Bellarminus, tom. 1. Controuersiarum. contr. 4. lib. 3. cap. 4. intrepide tenent omnes hæreticos, tam occultos, quam manifestos, & omnes apostatas baptizatos esse extra ecclesiã Christi simpliciter, & absolute eo quod fide (vt dixi) sint orbati, quos plane potest ecclesia punire ratione fidei susceptæ, quam amiserunt, aut characterem baptismalem, qui indelebiliter in eis remanet, per quem imperfecte, & secundum quid, vt dudum dicebamus, membra dicuntur Christi, & partes ecclesiæ.

Huc etiam pertinet illud D. Augustini lib. quæst. Euang. in Matth. cap. 11. tom. 4. quo loco super illa verba: [Super seminauit zizania ita scribit:] Sed quæritur vtrum hæretici sint, an male viuentes Catholici: Possunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij semine, & Christi nomine procreatis prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur, sed quod dicit eos in medio tritici seminatos quasi videntur illi significari qui vnius communionis sunt, verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum non ecclesiam, sed hunc mundum interpræatus est, bene intelliguntur hæretici, quia non societate vnius ecclesiæ, vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis. At illi, qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania reputantur, quia palea fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa plane sagena, qua concluduntur mali, & boni pisces non absurde mali Catholici intelliguntur, aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat, aliud sagena, quæ vnius fidei, vel vnius ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos, & malos Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non viuunt, itaut credunt.] Hæc D. Augustinus separans hæreticos à membris, & partibus ecclesiæ.

De schismaticis vero existimauit Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 24. Corduba lib. 4. quæstionum Theologicarum q. 1. p. 11. eos esse de ecclesia, ob aliquas rationes, quæ ab ipsis adducuntur. Verumtamen, Thomas Vualden. to. 1. doctrinalis fidei

Difficultas de schismaticis. Castro. Cordub. — *Tho. Vuald.*

Drieno. Cano. Somnius. Turrian. Catechis. Rober. Bella.

F fidei, antiquæ lib. 2. cap. 9. Driedo lib. 4. de Dogmatibus cap. 2. Cano. lib. 4. de locis Theologis, cap. 2. Somnius lib. 3. demonstrationum tract. 8. cap. 3. Turrianus lib. 2. pro epist. decretalibus Pontificum, cap. 7. Catechismus Pij Quinti in illis verbis: [Credo sanctam ecclesiam,] & Robertus Bellarminus tom. 1. Controuersiarum, contr. 4. lib. 2. cap. 5. aperte docent Schismaticos, simpliciter, & absolute non esse membra Christi, & partes ecclesiæ, quoniam scindunt vnitatem ecclesiæ, quæ est vnum ouile, vna Sponsa, vna Columba: Vnde D. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, recte ecclesiam asserit significari per vesté Christi inconsutilem, quæ scissa non fuit. Ego vero rem componam breuiter animaduertendo primo, quod schisma, est illicita diuisio ab vnitate ecclesiæ, & ab eius capite, vt pote, vel à capite vniuersalis ecclesiæ, videlicet Papa, vel à capite particularis ecclesiæ, nimirum, Episcopo, vnde S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. de Schismaticis ita scribit: [Nomen schismatis à scissura animorum vocatum est, scissio autem vnitati opponitur; vnde peccatum schismatis, &c.] vsque ad [communicare recusant,] venio nunc ad rem. Si igitur ista illicita diuisio ab vnitate ecclesiæ, vel vniuersalis, vel particularis, nimirum, vel à Papa, vel ab Episcopo, fuerit cum aliqua hæresi, tunc tales schismatici scissi à capite Papa, vel à capite Episcopo, nullatenus sunt intra ecclesiam ob rationem à nobis allatam in conclusione, & in hoc sensu plane accipiendus vtique est D. Hieronymus, in cap. 3. ad Titum scribens sic: [Inter hæresim, & schisma, hoc interesse arbitramur, quod hæresis peruersum dogma habeat; schisma propter Episcopalem dissensionem ab ecclesia pariter separet.] Si enim Papalis, siue Episcopalis dissensio fuerit cum aliqua hæresi aperta, vel occulta, pariter plane, & hæresis, separat ab ecclesia Dei, & sic etiam intelligendus venit Fulgentius de fide ad Petrum, dum cap. 38. & 39. ait: [Firmissime tene, & nullatenus dubites nō solum paganos, sed etiā Iudæos, hæreticos, & schismaticos, qui extra ecclesiam Catholicam, præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.] Si vero talis illicita diuisio ab vnitate ecclesiæ, vel vniuersalis, vel particularis, vt pote, vel à Papa, vel ab Episcopo, fuerit omnino absque aliqua hæresi, cum tunc non scindatur vnitas fidei, sed dumtaxat vnitas charitatis, arbitramur tales schismaticos esse intra ecclesiam; verumtamen tamquam membra mortua. Quod autem huiusmodi schismaticorum genus sit intra ecclesiam negare nequeo ex his, quæ in præcedenti quæstione de formalitate membri ecclesiæ cum grauissimis Doctoribus teneo. Si etenim isti postremi schismatici, orthodoxam retinent fidem, immo illam protestantur signis exterioribus, & fides constituit simpliciter, & absolute partem, & membrum ecclesiæ, qui negare quibo eos non esse intra ecclesiam, tamquam eius actualia membra? Quod autem sint mortua membra, eo quod talis schisma semper est speciale peccatum mortale, vt disputgit S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. & cum lethale scelus destruat charitatem, quæ est forma virtutum, nullatenus dubium est, quod tales schismatici membra mortua iuxte appellentur. Quare de eis philosophandum erit quemadmodum de fidelibus peccatoribus supra Conc. 6. 7. 8. 9. & 10. dictum fuit; (non enim est minoris efficaciæ fides in illis, quam sit in his) Quoniam ecclesia fidelium, & Catholicorum congregatio vtique est cum influxu, & coaptatione membrorum ad cetera membra, vt supra retulimus, ex Nicolao Papa. Vnde quando non est influxus visibilis capitis ecclesiæ, & coaptatio ad cetera visibilia membra cum hæresi, constituitur infidelis, & extra ecclesiam, vt accidit schismaticis hæresi aliqua infectis: Quando vero non est influxus visibilis capitis, & coaptatio ad cetera visibilia membra absque hæresi remanet talis fidelis intra ecclesiam tamquam membrum mortuum, quem adhuc potest punire caput visibile, nimirum Papa vel Episcopus per cēsuras, & pœnas Ecclesiasticas in iure contentas, & taxatas contra rebelles, & inobedientes ecclesiæ Dei. Et passim annotabis, quod in primo schismaticorum genere sunt Græci, qui hoc nostro sæculo schismate laborant, hæresi infeciati. In secundo vero genere, fuit Benedictus 13. qui multo tempore in schismate vixit, & fuit pure schismaticus, sine hæresi. Enimuero caueant tales pure schismatici, eo quod difficile plane est schismaticum in schismate multo tempore manere, & non pollui aliqua hæresi. Quoniam schisma ad hæresim præparat.

D. Cyprian. Vestis Xpi inconsutilis significat ecclesiam. Opinio vera authoris circa Schismaticos. Schisma quid sit. S. Thom. Schismatici quando sunt extra ecclesiā. D. Hier. S. Fulgent. Schismatici quando sunt intra ecclesiā. Schismatici membra mortua. Schisma peccatum mortale. Rebelles puniendi ab ecclesia. Græci schismatici cum hæresi. Benedictus 13. schismaticus absque hæresi. Schisma præparat ad hæresim. D. Hier. in c. 3. epist ad Titum.

G Duodecima conclusio. Infideles occulti, (nimirum illi qui fide carent interna, nec vllam Christianam virtutem habent, & tamen exterius propter aliquod commodum fidem catholicam signis externis inter Catholicos profitentur, & communione sacramentorū veris fidelibus permiscentur) non pertinent ad ecclesiam simpliciter, & absolute, nec vere, sed ficte, & apparenter. Hæc est contra Robertum Bellarminum to. 1. Controuersiarum, cont. 4. lib. 4. cap. 10. & probatur. Primo quia fides est fundamentum, & forma ecclesiæ, vt ex præcedenti quæstione patet. At mentes istorum infidelium occultorum nullatenus sunt stabilitæ in Christi fide. Igitur tales infideles oculti non erunt intra ecclesiam. Bellarminus respondet huic argumento formam ecclesiæ visibilis non esse fidem internam, sed tantum externam, videlicet confessionem fidei. Quæ plane euasio refellitur ex eo, quod si exterior fidei confessio esset forma ecclesiæ visibilis, certe vniuersa ecclesia constare posset sine fide interna; vbi enim materiam, & formam alicuius rei intelligimus, iam illa res est in sua essentia constituta, Sed homines fideles sunt materia ecclesiæ, confessio fidei externa est forma sufficiens per Bellarminum, Igitur quamuis non sit fides interna certe erit ecclesia, quod plane concedere male olet omnino. Secundo probatur, quia ex hac Bellarmini sententia, & doctrina sequitur dæmonem posse esse veram partem ecclesiæ. Quoniam fieri sane potest, vt dæmon assumpta hominis effigie commoretur nobiscum multo tempore, & multis signis externis simulans se veram fidem profiteri. Dicere autem dæmonem esse partem ecclesiæ nullus audebit attentare. Igitur exterior fidei confessio nullatenus sufficit ad hoc, vt aliquis constituatur intra ecclesiam.

12. conclus. Infideles occulti nō sunt membra ecclesiæ actu, & simpliciter. Bellarminus impugnatur, circa infideles occultos. 1. Ratio. Euasio Bellarmini. Refellitur euasio Bellarmini circa formam ecclesiæ.

I Decimatertia, & postrema conclusio. Cathecumeni non sunt actu, & perfecte membra ecclesiæ Christi sed dumtaxat potestate, & improprie. Hæc est Roberti Bellarmini tom. 1. Controuersiarum cont. 4. lib. 3. c. 3. & Dominici Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 1. ad 8. & probatur. Tum quia Cathecumeni vocantur illi adulti qui instruuntur in fide, vt possint sacramentum baptismi, quod habent in voto, suscipere. At ex Concilio Florentino in instructione Armenorum homines fiunt membra Christi, & de corpore ecclesiæ cum baptizantur, vt etiam indicat illud act. 2. [Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.] Igitur cum Cathecumeni adhuc non sint baptizati, non sunt appositi adhuc vere, & proprie intra ecclesiam Christi, sed potestate, & improprie dumtaxat. Tum quia ecclesia Christi est fidelium congregatio, &c. vt in secunda quæstione retulimus, Sed sic est quod Cathecumeni non dicuntur fideles, vt volunt Gregorius Nazianzenus orat. de sacro lauacro, Chrysost. homil. 24. in Ioannem, Tertullianus lib. de Præscriptionibus, Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 39. & D. Augustinus tract. 4. in Ioannem: Igitur non erunt actu, & proprie partes, & membra ecclesiæ. Tum quia Cathecumeni non habent aliquod ius ad recipienda sacramenta ecclesiæ, nec minus possunt compelli, vt obseruent ecclesiasticas sanctiones (immo si retrocedunt nequit ecclesia eos punire, quoniam isti adhuc non sunt Christianam religionem per baptismum professi. Hoc enim interest discrimen inter hæreticum, & Cathecumenum, quoniam Cathecumenus fidem suscepit, non tamen baptismū; hæreticus vero characterem baptisma-

13. conclusio. Cathecumeni non sunt actu membra ecclesiæ. Bellarm. Banes. 1. Ratio. 2. Ratio. Cathecumeni non sunt fideles. D Greg. Nazianzen. D. Chrysost. Tertul. Cyril. D. Aug. 3. Ratio. Cathecumenos nequit ecclesia punire.

malem habet, non tamen fidem. Quamobrem cum ecclesia non iudicet de interioribus, sed de his, quæ visibilia sunt, potest ecclesia punire hæreticos non tamen Cathecumenos. Quemadmodum qui professi sunt aliquam religionem, & postmodum dimiserunt habitum, vere, & proprie possunt ab illa religione puniri. Igitur non sunt actu, & proprie de ecclesia. Quoniam si essent reuera haberent ius ad ea, quæ sunt communia ecclesiæ, & in eos haberet ecclesia potestatem. Tum quia primum Concilium Bracarense, cap. 35. prohibuit ne communes ecclesiæ preces, sacrificia exterioresq; oblationes pro Cathecumenis defunctis fierent. Et D. Ioannes Chrysostomus hom. 2. in epist. 2. ad Corinth. admonet pro viuis Cathecumenis publicam orationem faciendam esse. Igitur signum euidens est neutros, nimirum nec mortuos nec viuos, Cathecumenos esse actu, & proprie de ecclesia; sed tantum potestate, iuxta quam saluari possunt, si moriantur in eo statu. In hoc plane sufficit ad saluandam illam propositionem Concilij Latheranensis cap. 1. [Vna est fidelium vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.] vnde vt isti saluari queant, sufficit, vt potestate sint in ecclesia, & sic erunt membra in potentia. Quomodo homo conceptus, (ut ait Bellarminus) sed nondum formatus, & natus, non dicitur homo nisi in potentia, vel quemadmodum foetus (vt ait Bañez ex D. August. lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos tom. 9.) etiam perfecte formatus; non est pars secundum actum, sed potentia duntaxat ciuilis Reipublicæ. Duplex enim (inquit) est natiuitas, vna quidem exterior, & visibilis, qua filius procedit ex vtero, alia interior, & occulta, quæ fit conceptio, & animatio foetus. Quæ plane differunt in hoc, nimirum, quod exterius & visibiliter nati, simpliciter, & actu pertinet ad illam Rempublicam, interius vero nati, id est, concepti, non simpliciter, sed secundum quid, & veluti in potentia, & spe. Et perinde in ecclesia, quæ est spiritualis quædam, & supernaturalis Respublica, alij pertinent ad eam, tamquam exterius, & visibiliter nati, qui scilicet exterius professi sunt eius fidem, & sunt fideles baptizati, iuxta illud: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] alij vero pertinent ad eam tamquam interius nati, & concepti, qui nimirum, fidem Dei acceperunt, eam tamen exterius professi non sunt, vt Cathecumeni adulti ad huc non baptizati, quæ plane receptio fidei dicitur generatio, & conceptio, & natiuitas inuisibilis, iuxta illud 1. Cor. 4. [In Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui,] & illud ad Galat. 4. [Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,] & etiam Ioan. 1. [Qui credunt in nomine eius, &c. ex Deo nati sunt.] Ac proinde Cathecumeni (concludit Bañez) non simpliciter, & omnibus modis in ecclesia computantur, sed diminuta quadam ratione, quæ tamen sufficit ad hoc, quod assequantur spiritualem vitam, & salutem: non adhoc, quod ab ecclesia puniri possint seruata eadem proportione, quæ in Republica humana seruatur, & in foetu existente in vtero. Etenim in his, quæ pertinent ad eorum vtilitatem, dicuntur pertinere ad Rempublicam, & gaudere eius priuilegijs, non tamen in his, quæ odiosa, & poenalia sunt.

4 Ratio. Conc. Brac. in cap. 35.

Cathecumeni saluari possunt, & quomodo. Conc. Later.

Bellarmin. Bañes. D. Aug.

Natiuitas duplex.

Ecclesia cõparatur Reipublicæ.

Bannes.

Episcopus tamen Melchior Canus lib. 4. de locis Theologicis, cap. 2. vt saluaret in Cathecumenis illam maximam Concilij Latheranensis cap. 1. quæ dicitur: [Extra ecclesiam nullus omnino saluatur,] asserit Cathecumenos posse saluari, eo quod quamuis ii non sint de ecclesia, quæ proprie dicitur Christiana, sunt tamen de ecclesia, quæ comprehendit omnes fideles ab Abel, vsq; ad mundi consummationem. Verumtamen hæc Cani explanatio, nullatenus mihi probatur. Quoniam de ecclesia Christiana exorta est, hæc disputatio de membris, & partibus ecclesiæ. Et post Christi aduentum nulla est vera ecclesia, nisi Christiana. Quare si Cathecumeni de illa minime

Propositio Cani de salute Cathecumenorum.

Canus impugnatur circa Cathecumenos.

A sunt, (vt vult ille) de nulla sane erunt. Et ob hoc cautius est asserere (vt supra asseruimus) Cathecumenos posse saluari, eo quod potestate sint membra, & partes imperfectæ ecclesiæ, qua ratione continentur, sub capite Christo, qui est caput omnium hominum, non tantum fidelium verumetiam infidelium, vt prodit S. Thomas 3. par. quæst. 8. art. 3. Quoniam infideles, & si non actu, tamen potestate possunt sibi per fidem vniri. Et sic sunt de ecclesia in potentia, licet remota, & non tam proxima, quam Cathecumeni, qui baptismum in voto obtinent, & instruuntur in fide.

S. Thom.

B

Quæstio. VIII.

An huiusmodi membra, & partes Ecclesiæ militantis permanere debeant in ea, vsque ad consummationem sæculi?



C ONCLVSIO est affirmatiua, & probatur ex illo Apost. ad Ephes. 4. [Ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Quibus verbis aperte docet Apostolus præfata membra, & partes ecclesiæ permanere in ea, donec illa omnia fiant, quæ tamen non consumabuntur vsque ad finem sæculi; quoniam illud: [Ad consummationem sanctorum.] Sic sonat, id est, donec consumetur numerus sanctorum.

8. concl. Mẽbra ecclesiæ permanebunt vsq; ad seculi consummationem.

Quæstio IX.

An Ecclesia sit vna?

D



PERACTA iam disputatione de membris, & partibus ecclesiæ militantis, agere sane restat de notis & proprietatibus eiusdem ecclesiæ, quæ in Symbolo Niceno continentur per hæc verba: [Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.] Quibus verbis quatuor notæ, seu proprietates ecclesiæ recensentur. Prima, nimirum, quod sit vna, secunda vero, quod sit sancta, tertia insuper, quod sit catholica, quarta, & postrema, quod sit apostolica. De quibus sigillatim disputare decreuimus. Et primo de vnitate. Et quidem non esse vnam ecclesiam confirmari potest. Tum quia in sacra pagina crebro, & frequenter legimus plures ecclesias, & in psalm. 67. dicitur: [In ecclesijs benedicite Deo Domino.] Et in hoc cap. 1. Apocalyp. connumerantur septem ecclesiæ Asiæ, ac etiam ad Rom. 16. 1. Cor. 3. ad Galat. 1. & 1. Thes. 2. Apostolus sæpe admittit plures ecclesias. Igitur ecclesia non est vna. Tum quia ecclesia diuisa est in triumphantem, & militantem, & adhuc militans ecclesia subdiuiditur in illam, quæ tantum denotat collectionem fidelium, & in illam, quæ denotat hanc fidelium collectionem protestantium fidem signis visibilibus in communi, & signis visibilibus institutis à Christo Redemptore nostro

Symbolũ Nicænum.

Notæ & proprietates eccl.

Ecclesia videtur nõ esse vna. 1. argum.

2. argum. Ecclesia militans, & triũphans. Ecclesiæ militantis diuisio.

E

3. argum.

stro. Accedit quod ecclesia militans diuiditur à glossa in illa verba Cant.4. [Fons hortorum,] in primitiuam quæ erat tempore Apostolorum, & in præsentem in qua nos modo sumus. Iam ergo cum ecclesia sit in tot partes distributa, non erit vna. Tum quia si ecclesia esset vna, ex eo sane esset, quia in illa est vna fides, vt omnes profitentur, At fides nequit constituere vnitatem ecclesiæ. Quoniam fides non est vna, neq; ex parte subiecti, cum sit in multis hominibus, neque ex parte obiecti, cum sint multa credibilia maxime inter se diuisa, quæ fide profitemur. Addo etiam, quia eadẽ est ecclesia beatorũ, & viatorũ, vt prodit D. Aug. in Psal. 36. & fides non efficit vnitatem in ecclesia beatorum. Quoniam ibi nulla est fides. Et insuper damnati, & dæmones in inferno habent fidem, & tamen non sunt de ecclesia, neque de ipsius vnitate. Et denique liquet, eoquod eadem est ecclesia nostra, & veterum patrum, & tamen non est eadem fides apud nos, & apud illos, quoniam illi credebant de futuro, Christum esse venturum, nos autem credimus de præsenti, & præterito iam venisse; ergo fides nequit constituere vnitatem ecclesiæ; & per consequens ecclesia non erit vna. Tum quia si ecclesia esset vna, esset maxime propter vnum caput visibile, vtpote propter vnum summum Pontificem. At ab hoc capite nequit ipsa sortire vnitatem. Primo quia sunt varij summi Pontifices sibi succedentes. Secundo, quia mortuo Pontifice, ecclesia est vna antequam alius eligatur; & tamen in eo tempore nullus est Pontifex, igitur ab vnitate Pontificis nequit vocari ecclesia vna. Tum quia si ecclesia esset vna, haud dubie esset propter vnam charitatem, & vnum spiritum viuificantem: At hæc ratio nulla est, eo quod peccatores fideles sunt intra vnitatem ecclesiæ, qui nullam habent charitatem. Et præterea ex cathecumenis sunt aliqui, qui habent charitatem, qui tamen nondum retinent ecclesiæ vnitatem cum adhuc non sint in ecclesia ingressi. Igitur propter vnitatem charitatis non erit vna ecclesia. Tum sexto, & postremo, quia si ecclesia esset vna, proueniret eius vnitas à sacramentorum, & cærimoniarum vnitate: Sed sic est, quod ab his nequeat vnitas depromi. Quoniam ecclesia veterum Patrum, & nostra est vna, & eadem, & non sunt eadem sacramenta, eo quod alia sacramenta erant ante legem Mosaycam in lege naturæ, & alia in lege Moysi, & alia nunc in lege euangelica. Igitur, &c.

Fides videtur non esse vna.

Fides non est in beatis.

Fides nostra, & fides veterum prophetarum non videtur vna.

4. argum. Pontifices nõ dant ecclesiæ vnitatem.

5. argum. Peccatores nõ habent charitatem.

6. argum. Sacramentorum, & cærimoniarũ vnitas.

1. fundam. Notæ ecclesiæ adem sunt & eius proprietes.

Pro decisione præmoneo primo, notarũ, & proprietatũ ecclesiæ non esse eundẽ numerũ apud scriptores tam nostrates Catholicos, quam hæreticos. Quoniam Lutherus in vltima parte de concilio, & ecclesia, proponit septem notas, nimirum, veram & incorruptam prædicationem Euangelij, legitimam administrationem baptismi, legitimum vsum Eucharistiæ, legitimam electionem ministrorum, qui doceant & sacramenta ministrent, deinde orationem publicam Psalmodiam Catechismum lingua vulgari quæ intelligatur ab omnibus, & tandem mysterium crucis scilicet tribulationes intus, & extra, itaut intersit mœstitia, pusillanimitas, terror, foris autem paupertas, & contemptus. Alij vero hæretici duas dumtaxat notas referunt, in quibus quinque priores Lutheri, nimirum constantia in confessione fidei, & obedientia erga ministros verbi Dei, quatenus verbum istud administrant, continentur. Huiusmodi autem notæ, & proprietates non esse sufficientes, vt nobis manifestent ecclesiam, iugiter ostendit Robertus Bellarminus, tom 1. Controuersiarum contr.4.lib.4.cap. 2. Ast Catholici aduersus hæreticos alias notas, & proprietates constituunt, quibus possit ecclesia dignosci. Quoniam D. Augustinus lib. contr. epist. fundam. cap.4. ponit sex, D. Hieronymus contra Luciferianum in fine assignat duas; & ex recentioribus Driedo lib 4.cap. 2.p.v. & Petrus à Soto p.p. defensionis cap. 44. ostendunt tres. Cardinalis Ossius in explicatione Symboli ponit quatuor. Nicolaus Sanderus lib. 8. de visibili monarchia ecclesiæ, cap. 50. ponit sex. Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide, ponit decem, & lib.7. cap.26. addit vndecimam. Robertus Bellarminus Contr. 4. lib.4. à capite 4. vsque ad cap. 18. ponit sexdecim notas, & fatetur omnes illas ad quatuor posse reuocari, quæ communiter assignantur à recentioribus ex Symbolo Constantinopolitano, quæ nimirum sunt, ecclesiam esse vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam. De quibus nos (vt nuper in exordio quæstionis retulimus) dumtaxat instituimus disputationem. Ex his etenim quatuor proprietatibus siue notis, cuius credibile fieri poterit veram Christi ecclesiam apud nos esse.

Notas ecclesiæ non eodẽ nemero ostendunt hæretici, & fideles. Notæ ecclesiæ apud Lutherum, & alios hæreticos.

Notas hæreticorum impugnat diffuse Bellarminus. Notę, & proprietates ecclesiæ apud Doctores Catholicos.

D. Aug. D. Hier. Driedo. Pet. à Soto. Ossius. Sander.

Medina. Bellarmin. Notę, & proprietates ecclesię quatuor.

Præmoneo secundo, vnitatem constitutam esse in indiuisione. Quoniam vnum illud dicitur quod est indiuisum in se, & distinctum à quolibet alio, vt prodit Philosophus 5. & 10. lib. metaph. Idq; probant Paulus Zonasnas lib. 4. metaph. q. 23. & Didacus Masius lib. 3. transcendentium. Nihilominus tamen notã duo. Primum quidem, compositionem minime repugnare rationi vnius. Quoniam omne ens præter Deum aliquod genus compositionis admittit, & tamen quoduis eorum vnum est: Tribus autem modis constituitur vnum ex pluribus, vt prodit Doctor Angelicus 3. p. q. 2. art. 1. Primum nimirum ex multis rebus integris, perfectis remanentibus, quemadmodum ex lapidibus, & lignis, secundum aliquem ordinem dispositis, & ad certam figuram redactis fit domus. Secundo fit vnum ex pluribus perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum; Tertio fit vnum ex multis non permixtis, vel permutatis, sed imperfectis, sicut ex anima, & corpore fit homo. Secundum vero annota, quod ea, quæ sunt multa respectu vnius generis, possunt habere vnitatem si ad aliud comparentur, sicut decem homines in genere substantiæ differunt inter se numero, & illimet respectu numeri, vnum numerum decennarium efficiunt, qui ex decem vnitatibus coalescit. Porro domus qualibet vna numero est, in genere entium, quæ arte conficiuntur, tamen multa numero, & specie distincta est in genere substantiæ. Complectitur siquidem lapides, ligna, arenam, calcem, &c.

2. fundam. Vnitas constituta est in indiuisibili. Vnum quid sit. Aristoteles. Paulus Zonas. Didac. Masius. Compositio non repugnat rationi vnius. Omne ens præter Deũ admittit compositionem. Vnum ex pluribus tribus modis constituitur. S. Thom.

Multa possunt vnum fieri.

Præmoneo tertio. In omnibus rebus nullatenus esse inquirendum eundem vnitatis gradum. Quemadmodum non habent eundem gradum perfectionis; Deus etenim optimus maximus vnus est, itaut numquam possit admittere mutationem secundum substantia vel secundum accidens. Hunc gradum vnitatis nequaqua attingere queunt intelligentiæ. Quamuis enim eadem perpetuo maneant secundum substantiam, tamen mutationi sunt obnoxiæ, & subiectæ ex parte accedentium. Obtinent siquidem cogitationes, & volitiones liberas.) Illa autem, quæ sunt interitui, & ortui obnoxia (vt hæc inferiora) habent alium gradum vnitatis. Quoniam non tantum mutantur ratione accidentium, verumetiam secundum materiam, quæ pertinet ad eorum substantiam. Conseruant tamen vnitatem, quia forma eadem manet, & cum paulatim deperditur materia, paulatim etiam alia in eius locum subrogatur. Quemadmodum Petrus senex non est alius a se ipso puero, quinimmo vnus, & idem, & tamen non solum non habet accidentia, quæ habebat puer, verumetiam adhuc habet aliam materiam. Quoniam vt Philosophi docent per quamlibet insensile cooperationem effectam vi naturalis caloris, quotidie deperditur aliquid materiæ. Quia tamen paulatim alia in eius locum succedit, & vna numero efficitur cũ ea, quæ permanet, & semper durat eadem forma dicitur Petrus idem numero persistere. Hoc facilius intelligitur in igne. Quoniam vnum ignem vocamus, quando, licet ligna prius apposita sint consumpta, tamen cum paulatim consumerentur, alia paulatim applicantur, in quibus forma præexistens fuit introducta. Idipsum perspicuum, ac planum fit in flumine, aliquo qui vnus perpetuo manet, quamuis semper aqua fluat. Quoniam continuo alia aquæ portio succedit.

3. fundam. Vnitatis idẽ gradus nõ est quærendus in omnibus rebus. Differentia inter Deũ, & intelligẽtias circa vnitatis gradum.

Materia deperditur manente eadem forma. Homo quomodo semper vnus. Petrus senex idem à se ipso puero.

Ignis quomodo semper vnus.

Flumen quomodo semper vnus.

Præmoneo quarto, de hac re tres olim insurrexisse hære-

4. fundam.

Græcorũ hæresis circa vnitatem ecclesiæ

hæreses prima quidem fuit Græcorum constituentium duas ecclesias vnam græcam, & alteram latinam vnã orientalem, & alteram occidentalem, in qua hæresi per varias annorum centurias perstiterunt vsque ad Concilium Florentinum, in quo ecclesia græca fuit vnita cum latina. Verumenimuero paruo tempore perseuerante hac vnione, deinde ad eandem hæresim reuersi fuere, vt canes ad vomitum. Quemadmodum nunc cernimus nullam illos velle habere communionem cum ecclesia Romana. Secunda hæresis fuit Henrici Octaui Anglorum Regis (qui tot Tragedias in orbe Christiano excitauit) asserentis tot esse ecclesias quot erant regna, & quemlibet Regem in suo regno esse summum Pontificem. Quamobrem ipse primus se vocauit regem, & summumPontificem ecclesiæ Angliæ. Tertia tandem hæresis fuit Lutheranorum, qui tot constituunt ecclesias quot sunt oppida. Quoniam negant vnitatem Pontificis, & per consequens vnitatem ecclesiæ Romanæ. Vnde in tot partes diuidunt ecclesiam in quot fieri possunt congregationes diuersæ fidelium, quarum qualibet sit sub suo Pontifice, aut sacerdote.

Græci canes ad vomitum circa ecclesiæ vnitatem.

Henrici Octaui hæresis circa vnitatem ecclesiæ.

Hæresis Lutheri circa ecclesiæ vnitatem.

5 fundam. Ecclesia quomodo accipienda veniat in hac quæstione de eius vnitate.

Præmoneo quinto, & postremo. Nomine ecclesiæ in hac quæstione intelligendam esse congregationem fidelium à primo parente, siue ab Abele iusto, vsque ad vltimum fidelem, de qua quærimus. An huiuscemodi congregatio sit vna, quamuis potissime agendum sit de hac nostra fidelium congregatione, quæ est post aduentum Christi, vt nuper distulimus. His prælibatis venio iam ad rem.

1. conclusio. Ecclesia est vna numero respublica. D. Cypr. D. Aug. Iren. Cyril. Canisius. Petr. à Soto. Turrecrem. Medina. Beauxamis. Pighius. Cano. Somnius. D. Thom. Dom. Bannes. Bellarm.

Prima conclusio. Ecclesia vniuersalis, quæ varios status amplectitur, est vna numero Respublica, & communitas, & hoc nomine est simpliciter, & absolute appellanda. Hæc est de fide, illamque tenent, & explicat D. Cyprianus, lib. de Simplicitate Prælatorum. D. Augustinus libro de Vnitate Ecclesiæ, aduersus Donatistas tom. 7. Irenæus lib. 1. cap. 3. Cyrillus Ierosolymitanus Cothes. 18. Canisius, & Petrus à Soto in suis Catechismis de vnitate ecclesiæ. Cardinalis de Turrecremata lib. 7. de Ecclesia cap. 6. 7. & 8. Medina lib. 5. de recta in Deum fide cap. 13. Beauxamis in explicatione Symboli. Pighius lib. 2. Hierarch. cap. 2. & in Centrouersijs, contr. de ecclesia. Canon. lib. 4. de Locis, cap. vlt. ad 12. Somnius lib. 2. demonstrationum tract. 8. cap. 2. D. Thom. opusculo 7. explicans illa verba Symboli [sanctam ecclesiam] Dominicus Bannes in suis Comentarijs in 2. 2. D. Thom., q. 1. art. 10. comment. 2. dub. 2. conclus. 1. Robertus Bellarminus contr. lib. 4. & communiter omnes Doctores Catholici; eamque nos confirmamus.

1. Ratio. Ecclesia vna.

Primo quidem ex sacris litteris, Quoniam Cant. 6. dicitur: [Vna est columba mea,] & Ioan. 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.] & cap. 11. [Iesus Christus moriturus erat non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum.] & cap. 17. [Pater sancte in nomine tuo serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnum, quẽadmodum & nos sumus vnum.] Et Apost. ad Rom. 12. [Quemadmodum in vno corpore multa membra habemus, ita & multi vnum corpus sumus in Christo.] & 1. Cor. 12. [Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus, etenim in vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus, &c.] Et tandem ad Ephes. 4. [vnum corpus, & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, &c.]

2. Ratio. Conc. Nicæ. Symb. Nicæ.

Præterea probatur ex decretis Conciliorum, in quibus definitum fuit ecclesiam Catholicam esse vnã. Quoniam in Concilio Nicæno in epist. Synodali ad Alexandrinos, ita habetur: [Voluit Christus vnam esse ecclesiam, quamuis eius filij sint per totum orbem terrarum dispersi.] & in Symbolo Nicano, ita confitemur: [Credo vnam sanctam ecclesiam.] Quod plane Symbolum cum hac particula receptum, ac approbatum vtique fuit à Concilio Calcedonensi act. 2. à Conc. Nicæno 2. act. 7. à Conc. Florentino, in instructione Armenorum tradita ab Eugenio 4. & Tandem in Conc. Tridentino sess. 3. & idem prorsus habetur in cap. Firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica. [Vbi ab Innocentio Tertio ita fuit definitum,] Vna est vniuersalis fidelium ecclesia extra quam nullus saluatur, & in cap. [Vnam sanctam ecclesiam, de maioritate, & obedientia.] In communibus extrauagantibus definitum est hoc ipsum, & idipsum, à Bonifacio Octauo confirmatur.

Conc. Calc. Conc. Nicæ. Conc. Floren. Conc. Trid.

Rursus patet quia, quæ multa sunt in vno genere in alio possunt adunari, vt nuper retulimus in secundo nostro fundamento. Quoniam quamuis homines, & Angeli in genere substantiæ, materia differant, tamen in genere cultus Dei possunt conuenire. At cultus veri Dei est de intrinseca ratione ecclesiæ. Ergo status comprehensionis (etsi Angelos contineat) poterit simul cum statu viatorum vnam efficere ecclesiam.

3. Ratio. Status comprehensorum, & viatorum faciunt vnam ecclesiam.

Item probatur. Quoniam mutatio ex parte accidentium non aufert vnitatem rei, vt dudum in tertio nostro fundamento affatim explanatum fuit. At ratio status est accidentaria ecclesiæ, vt est manifestum, & planum. Quoniam admittere varios status, vtpote statum comprehensorum, & viatorum, statum legis naturæ, legis scriptæ, & legis Christi, accidentaria est ecclesię. Accidens enim est quod adest, & abest rei, præter subiecti cui inest corruptionem. Igitur quamuis apud viatores sint varij status ecclesiæ illa tamen potest eadem permanere.

4. Ratio. Status ratio est accidentaria ecclesię.

Porro confirmatur. Quoniam licet si deperdatur aliquid materiæ, dum tamen illi succedat alia pars sub eadem forma non destruitur vnitas rei, vt in tertio fundamento narrauimus. At continua corporum successione alijs fidelibus manentibus, alij in eadem fide consurgunt, igitur ex hac multorum hominum successione nullatenus debet euerti vnitas ecclesiæ.

5. Ratio. Fides semper vna.

Sexto, & postremo probatur. Quia vnum, & indiuisum idem sunt, vt ex nostro fundamento planum omnino fit. At ecclesia ab origine mundi, vsque ad hæc nostra sæcula, quinimmo vsque ad finem mundi, & fuit, & est, & erit indiuisa neque fuit ad alias congregationes, aut cœtus infidelium translata, neque abijt in Synagogam, quinimmo è conuerso, Synagoga, & aliæ congregationes translatæ fuere ad ecclesiam. Iam igitur ecclesia vna erit.

6. Ratio. Ecclesia indiuisa.

Synagoga translata in ecclesiam.

Percontaberis tamen, primo, propter quid est ecclesia Catholica vna? Et dico ob tres vnitates, quarum prima est, propter vnum caput inuisibile nimirum Christum Dominum, quem pater æternus constituit Principem, & caput super vniuersam ecclesiam quæ est corpus eius, vt testatur Apostolus ad Ephes. 1. & etiam vnum caput visibile, nimirum summum Pontificem, qui sedet in cathedra Petri, vtpote in Episcopatu Romano, à qua plane vnitate capitis, ecclesia est vocanda vna. Tum quia Ioelis 1. dicitur: [Cõgregabuntur filij Iuda & Israel, & constituent sibi caput vnum,] & Ioan. 10. [Erit vnum ouile, & vnus pastor.] Tum quia ecclesia Cant. 6. dicitur exercitus, & Daniel. 2. appellatur Regnum. At exercitus, & regnũ habent vnitatem ab vno Imperatore, & regnũ ab vno Rege &c. Secunda vnitas est fidei vnitas, quia omnes Catholici eandem profitemur fidem, neque inter nos est aliqua diuisio circa res fidei Orthodoxæ iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 1. [Obsecro vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata] & sub hac vnitate fidei, stat vnitas spei, charitatis & baptismi, dicente Apostolo, ad Ephes. 4. [Vnus Dominus

Corollariũ 1. Vnitatis ecclesiæ rationes.

Vnitas capitis ecclesię.

Vnitas fidei ecclesiæ.

nus, vna fides, vnum baptisma.] Sub qua vnitate baptismi etiam comprehenduntur omnia sacramenta. Quoniam omnes Catholici eisdem sacramentis vtimur. Tertia & postrema vnitas est finis, nimirum, beatitudinis. Quoniam vnicuique de ecclesia Dei, est vnus atque idem finis propositus, videlicet, vita aeterna, quam omnes speramus. Propter has igitur tres vnitates, ecclesia vna nuncupatur.

Vnitas finis ecclesiae.

Percontaberis secundo, in quo consistat haec ratio numerica ecclesiae? Et dico fieri ex multis hominibus, & Angelis vnam ecclesiam numero, quemadmodum ex multis integris perfectis remanentibus fit vnum, vt nuper distulimus de domo, & amne, siue flumine, & idem prorsus apparet in numeris. Quoniam si modo essent tres vnitates, simul constituerent quidem vnũ ternarium, etsi ab illo deinde auferamus aliquam vnitatem, & illico addamus aliam erit etiam vnus ternarius per illius vnitatis successionem. Idem liquet in aliqua Republica, quae semper est vna quamuis ciues in dies varientur, & mutentur. Cui etiam difficultati adaptari potest exemplum de accrescione. Quoniam in accrescione partes restaurantur, & deperduntur, & tamẽ semper dicitur eadẽ numero caro, vel corpus. Perinde plane quamuis in ecclesia variae partes, nimirum, varij fideles fluxerint, ac refluxerint semper tamen fuit haec fidelium series per successionem absq; illa intermissione continuata. Quoniam a primis hominibus propagata fuit vsque ad Noe à quo, & à filijs eius per successionẽ deuenit vsque ad Abraham, Isaac, & Iacob, & ad alios Patriarchas, per quos fuit etiam propagata vsque ad legem datam, & deinde per Moysem, & alios Prophetas, & fideles Synagogae deriuata fuit vsque ad statum legis Euangelicae, in quo perdurabit vsque ad saeculi consummationem. Quamobrem quamuis ex parte materiae dicimus esse idem flumen, vel amnem, licet partes aquae fluant, & refluant propter hanc successionem fidelium in ecclesia, dicetur illa vna ex parte materiae. Idcirco loquendo de ecclesia ab eius primaeua origine vsque ad saeculi consummationem, partes materiales illius, obtinebunt vnitatem materialem ab vnitate successionis mortalium viatorum. At vero vnitatem formalem obtinebit ecclesia ab vnitate fidei, vnitate gubernationis Spiritus sancti, & vnitate mediatoris inter Deũ, & homines, qui est Christus Iesus. Quamobrem in ecclesia erit duplex vnitas, materialis, nimirum, & formalis, quemadmodum in corpore aliquo naturali haec duplex vnitas reperitur. Quarum, materialis constituta vtique est in successione partium materialium; quoniam quamuis quaedam fluant, & refluant, semper tamen datur haec partium successio. Formalis vero petitur ab vna forma semper in eodem toto persistente. Quae plane in ecclesia, (vt nuper retulimus) est vnitas fidei, eiusdem spiritus, & mediatoris. Quoniam haec tria semper in omni aetate eadem perstiterunt in ecclesia Dei. In qua, licet non semper fuerint eadem sacramenta ante legem, in lege tam scripta, quam Euangelica, nec idem caput visibile nec minus eaedem leges, tamen semper fuit vna, & eadem fides, quae quamuis quo ad claritatem, & maiorem expressionem creuerit successu temporis, fuit tamen vna secundum substantiam: & semper itidem fuit eadem gubernatio Spiritus sancti, qui curam illius semper gessit, & tandem idem est mediator, & fuit apud veteres, & est apud nos. Et cum ab vnitate permanente petenda sit vnitas formae proculdubio ab his tribus, vnitas formae Ecclesiae Catholicę exhaurienda vtique est. Vnde quemadmodũ maxima hominum multitudo, qui sibi mutuo praestant opera in rebus bellicis ordine quodam sub vno militiae duce dispositi, vnum efficiunt numero exercitum: ita omnes intellectuales creaturae quae ratione subiectae sunt creatori omnium, cumque sicut Deum verum colunt, & hunc cultum exterius manifestant, vnam numero componunt ecclesiam. Et sic vnitas ecclesiae est vnitas ordinis, vt eleganter prosequitur

Corollarium 2.
Vnitas ecclesię numerica in quo consistat.
Vnitas ecclesiae numerica explanatur in numero.
Vnitatis ecclesiae exemplum accrescionis.
Ecclesiae aetates.
Vnitas formalis ecclesiae à quo petatur.
Vnitas materialis, & formalis in ecclesia.
Vnitas duplex in ecclesia.
Vnitas ecclesiae est vnitas ordinis.

F Albertus Pighius lib. 3. Hierarch. cap. 2. Et est geminus ordo in ratione huius vnitatis, vtpote partium inter sese, & ad earumdem ad caput. Partes siquidem sunt inter sese ordinatae, quia in ipsis reperitur mutua communicatio in confessione fidei, & in vsu sacramentorum vnus insuper communicat operationibus aliorum iuxta illud Psalm. 118. [Particeps ego sum omnium timentium te,] & illud Apost. [Alter alterius onera portate.] Porro eadem partes dicunt ordinem ad vnum caput, à quo debent regi, & gubernari omnemque influxum recipere. Quamobrem dicitur de ecclesia Cant. 6. [Terribilis, & castrorum acies ordinata.]

Vnitatis ecclesiae ordo duplex.

G Percontaberis tertio, & postremo, quo tempore fuit ecclesia magis vna, tempore, videlicet Christi, an vero ante aduentum eius? Et dico vnitatem ecclesiae magis splendere in lege Euangelica, quam splenduerit in lege Moysi, aut naturae. Tum quia fides maior est, & expressior quam olim fuerit. Tum quia cura Spiritus sancti in gubernanda ecclesia est nunc multo maior, quoniam maiora dona, & multo plura collata sunt in lege euangelica à Spiritu sancto ecclesiae, quam olim fuerint collata iuxta illud: [Eratis aliquando tenebrae, (scilicet in veteri Testamento) nunc autem (nimirum in nouo) lux in Domino.] Tum quia merita vnius mediatoris efficatiora sunt nunc quam fuerint olim apud antiquos Patres. Tum quia nunc est vnum, & idem caput visibile, eadem leges, quibus omnes paremus, & eadem sacramenta, & sacrificia, quae nulla ratione mutabuntur quemadmodum olim mutata fuere. Quare maior vnitas est ecclesiae in lege euangelica, quam olim fuerit. Accedit, quod sacramenta in lege euangelica conferunt gratiam ex opere operato (quam excellentiam nullatenus habuerunt sacrificia legis naturae, aut sacramenta legis scriptae,) inter quae est Eucharistia, quae maximam vnitatem tribuit eis, qui illam recipiunt, habentque eamdem vitam, dicente Domino: [Qui manducat me viuet propter me:] & iterum, [In me manet, & ego in illo.] Quam plane vnitatem respectu ecclesiae explicauit Apostolus 1. Cor. 10. dicens: [Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.] Quibus additur, quod vnitas ecclesiae est vnitas ordinis, & partium inter sese, (vt nuper retulimus,) & respectu capitis. Sed sic est, quod ratione sacramentorum nouae legis sunt fideles magis vniti inter sese, & propter visibile caput, magis collecti sub illo: quoniam sacramenta nouae legis conferunt gratiam, & charitatem, quae maxime vniunt. Igitur maior vnitas est modo quam vmquam fuerit. Quoniam vnitatis ecclesiae Dei quatuor possumus assignare gradus. Quorum primus fuit in lege naturae, qui non erat tam vnus, & perfectus eo quod in lege naturę non erant sacriacia determinata, neque idem ritus, caerimoniae, aut praecepta, vt fideles colerent, & venerarentur Deum, sed vnusquisque prolibito haec omnia praestabat, quamobrem iste primus gradus vnitatis ecclesiae non fuit tam vnus, nec tam perfectus. Secundus fuit in lege scripta. Et iste erat magis vnus, & magis perfectus. Quoniam in lege scripta iam erat vsus sacramentorum, ritus carimoniarum, ac praeceptorum, in quibus omnes fideles legis scriptae erant vnum. Et sic iste gradus vnitatis ecclesiae fuit magis vnus, & magis perfectus. Tertius est in lege euangelica. Et iste est caeteris vnior, & perfectior. Quoniam in lege Euangelica siue in nouo Testamento habemus plures rationes vnitatis perfectionis, vt nuper retulimus, quam haberent in quouis alio statu ab origine mundi, & sic ecclesia in lege Euangelica est magis vna quam fuerit in quouis alio statu saeculi retroacti, vt probant superiores rationes. Quartus & postremus gradus vnitatis ecclesiae est in ecclesia trimphanti, & iste est omnium vnissimus, & perfectissimus. Quoniam

Corollarium 3.
Vnitas ecclesiae quando magis vigui.
Vnitas ecclesiae splendet omnino in lege euangelica.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.
Meritũ mediatoris maxima
4. Ratio.
Stabilitas legum, & sacramentorum ecclesię nostrę.
5. Ratio.
Sacramenta nouę legis, & antiqua sacrificia, in quo differunt.
Eucharistia causat maximã vnitatem.
6. Ratio.
Vnio maxima fidelium.
Vnitatis ecclesiae quatuor gradus.
Gradus primus vnitatis ecclesiae.
Gradus secundus vnitatis ecclesiae.
Gradus tertius vnitatis ecclesiae.
Gradus quartus vnitatis ecclesiae.

niam quo perfectior est status ecclesiæ, tanto in se habet maiorem vnitatem. Nam ad perfectionem ecclesiæ spectat charitas. Quamobrem quo perfectior est status ecclesiæ, tanto in se habet maiorem vnitatem. Eo quod, hoc est peculiare, & proprium charitati, vt faciat vnitatem in illis, qui eam habent. At in comprehensoribus propter status perfectionem, est maxime perfecta charitas, quam in viatoribus. Igitur apud comprehensores in ecclesia triumphanti maior vigebit ecclesię vnitas, quam apud viatores in ecclesia militante. Ex quibus omnibus perspicuum, & planum fit synagogam fuisse magis vnam quam ecclesiam in statu naturæ, & ecclesiam in lege Euangelica, siue ecclesiam noui Testamenti fuisse magis vnam quam synagogam. Et tandem ecclesiam triumphantem, esse magis vnam quam ecclesiam noui Testamenti, & legis Euangelicæ.

Vnitas causatur a charitate.

Argumentum primum aduersariorum nullatenus tenet, eo quod in scripturis annumerantur variæ ecclesiæ partiales, quæ distinguuntur ratione prouinciæ, aut loci in quo sunt, vel ratione particularium Episcoporum, quibus subiunguntur. Nihilominus tamen omnes illæ sunt vna ecclesia vniuersalis. Et vt nuper retulimus, nullum est inconueniens, aliquid, sub vna ratione diuidi, & multiplicari, quod sub alia ratione vniuersaliori manet indiuisum. Quemadmodum qualibet ciuitas in ciuilibus, est quædam peculiaris, ac particularis communitas, & in ratione regni omnes efficiunt vnam numero communitatem, vel vnum numero Regnum.

Sol. ad arg. in oppositum. sol. a. 1.

Nec minus aliquam vim obtinet secundum. Quoniam illa diuisio ecclesiæ in militantem, & triumphantem, est eiusdem ecclesiæ, quę est distributa in has duas partes, tamquam in sua membra, vt prodit Catechismus Pij Quinti, in explanatione Symboli. Quamobrem erit illa diuisio totius integri in partes dissimilares, & eterogeneas, in qua res diuisa est ecclesia, quæ significat collectionem vere cognoscentium Deum. Membra vero diuidentia sunt, collectio cognoscentium Deum, per apertam visionem, & cognoscentium ipsum obscure, & ænigmatice per fidem. Primum illud membrum constituit ecclesiam triumphantem. Alterum vero militantem; quoniam ecclesia triumphans, est collectio beatorum spirituum, qui clare vident Deum. Militans vero est collectio hominum Deum ipsum in ænigmate contemplantium. Deinde aliæ diuisiones propositæ ecclesiæ militantis non constituunt diuersas ecclesias, quia sunt diuisiones subiecti in accidentia, eo quod accidit ecclesiæ militanti protestari fidem, aut non protestari per sacramenta visibilia, aut per hæc, vel illa sacramenta.

sol. ad 2. Ecclesiã diuiditur in triumphantē, & militantē tāquā in duas partes. Ecclesię diuisio in triumphantē, & militantē qualis sit.

Ecclesię triūphās, quæ collectio sit.

Ecclesia militans, quæ collectio sit.

Illud de fide minus subsistere potest. Quoniam quamuis fides non sit vna subiectiue, cum multiplicetur secundum numerum ita vt alia sit fides numero in genere accidentis in Petro, alia in Paulo, tamen est vna obiectiue. Quoniam quamuis credibilia materialiter sint diuersa, nihilominus tamen obiectum formale fidei, quod est veritas prima, est vnum & idem a quo desumit fides vnitatem. Nam quemadmodum qualibet pars numeri, habet suam numero vnitatem in genere quantitatis continuæ. At vero omnes vnitates, vnam numero quantitatis discretæ formam efficiunt. (est enim forma numeri quædam vnitatum compositio.) Perinde etiam omnes habitus fidei numerica ratione distincti, ex parte subiecti, pertinent ad vnam numero formam, & vnitatem ordinis obiectiue, iuxta illud Apostoli: [Vna fides,] de qua re lege Magistrum in 3. sent. dist. 23. Ad illud vero de ecclesia triumphanti, dico quod quamuis fides non sit in ecclesia triumphanti, est tamen illud quod succedit fidei, & quod æquiualet eidem in conferenda vnitate, nimirum, lumen gloriæ, &

sol ad 3. Fides est vna obiectiue.

Fidei obiectū formale est vnum.

Comparatio.

Mag in 3. sēt. dist. 23. c. 2. Fides vna est in eccl. triūphanti.

A clara visio. Nec minus vim aliquam infert illud de damnatis, & dæmonibus, quoniam S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 2. docet in dæmonibus non reperiri fidem, quę est virtus Theologica, quæ constituit membrum, partem, & vnitatem ecclesiæ, quoniam dæmones non credunt ex pia affectione voluntatis, sed coacti, nimirum conuincti euidentia miraculorum. Et idem iudicium est de damnatis; quoniam quamuis in via non amittatur fides nisi per contrarium actum, in termino tamen amittitur. Etsi inter istos, & dæmones est aliquis actus fidei, est fidei coacta, quæ non prouenit ex pia affectione voluntatis, sed ex euidentia miraculorum, per quam non fiunt membra ecclesiæ. Ad illud de differentia temporis præteriti, & futuri, dicimus talem differentiam nullatenus efficere diuersas fides in patribus, & nobis. Quoniam illæ differentiæ temporis non diuidunt fidem secundum se, sed sunt accidentariæ conuenientes illi ex parte subiecti præteriti, vel præsentis, aut subiecti antecedentis incarnationem Christi, & subsequentis eam.

Fidē in patria succedit lumē gloriæ, & clara visio.

Fides vera nō est in dæmonibus, & damnatis.

Fides coacta est in dæmonibus.

Fides non diuiditur per differentias temporum.

B

Dissoluitur etiam illud de capite; quoniam in casu præallegato quamuis sint diuersa capita materialia est tamen vnum, & idem caput formale. Quoniam quamuis sint diuersi Pontifices sibi inuicem succedentes, qui sunt capita materialia, est tamen apud illos vna, & eadem potestas, & Papalis auctoritas, quæ facit vnum caput formale. Et quamuis ecclesia aliquo tempore sit Acephala, nimirum absque Pontifice, ob illius mortem, tamen adhuc tunc temporis ecclesia dicitur vna ab vnitate fidei, & ab vnitate capitis inuisibilis. Neque enim necesse est, vt semper, & in qualibet temporis differentia, ecclesia habeat omnes vnitates, sed satis est, vt habeat præcipuas, & essentiales. Quid, quod, dicimus quod mortuo Pontifice adhuc ecclesia est vna ab vnitate capitis visibilis. Quoniam quamuis non sit actu caput est tamen actu ordo, & habitudo ecclesiæ ad caput mox eligendum. Qui ordo nequit amoueri ab vnitate ecclesiæ catholicæ, vt perdocte prodit Cardinalis de Turrecremata lib. 1. cap. 8. ad vltimum argumentum. Legendus tamen est Caietanus qui 2. 2. q. 39. art. 1. asserit vnitatem hanc petendam esse ab vnitate vnius corporis mystici.

sol. ad 4. Diuersi Pōtifices sibi inuicē succedētes efficiūt vnum caput formale.

Ecclesia Acephala dicitur vna a duabus causis.

C

Ecclesia acephala adhuc dicitur vna ex ordine ad caput visibile proxime eligendum. Turrecrem. Caietan.

Quintum, & postremum argumem, diluitur ex eo, quod vnitas petita a charitate non est essentialis sed accidentaria, vel perfectionis, atque ita quamuis non sit in peccatoribus, non ob id erunt illi extra vnitatem essentialem fidei. Illud de Cathecumenis mox disputabitur sintne intra vnitatem ecclesiæ.

sol. ad 5. Vnitas charitatis, & vnitas fidei quales sint.

D

Quæstio X.

An Ecclesia possit in vno solo conseruari?

ALEXANDER Alensis 3. p. q. 1. memb. 5. in explicatione Symboli Apostolorum, Gulielmus Parisiensis in rationali diuinorum officiorū lib. 6. c. 71. explicans officium feriæ quintæ, in hebdomada sancta, & Card. de Turrecremata lib. 1. de Ecclesia c. 30. & lib. 3. c. 21. tenent affirmantem partem, eamq; probant. Tum quia antequam formaretur Eua, in statu innocentiæ erat ecclesia vere in solo existente Adamo. Quoniam tunc Adam habuit veram fidem, & vbi fides est, ibi est ecclesia Tū quia tēpore Abel iusti, & tempore Enoch, erat in vnoquoq; illorum ecclesia. Quoniam D. Augustinus in psalm. 128. in illa verba: [Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea,] sic scribit: [Aliquando in solo Abele erat ecclesia, & persecutus est illum Cain. Aliquando in solo Enoch, & raptus est ex medio

Ecclesiā posse in vno cōseruari suadetur quibusdā argumentis. Alex. Alens. Guil. Paris. Turrecrem.

E

1. argum.

2. argum.

3. argum.

dio iniquitatum. [Tum quia forma vnita materiæ constituit aliquod totum. Sed sic est quod istud totum nequeat esse aliud quam ecclesia, igitur cum fides possit reperiri in vno; poterit ecclesia in vno conseruari.

4. argum.

Tum quia ad rationem corporis mystici non requiruntur plura membra actu cum sufficiant in potentia & successiue, vt prodit S. Thom. 3. p. q. 8. art. 8. art. 3. Igitur bene poterit ecclesia in vno conseruari. Quoniam si ad corpus mysticum sufficiunt membra in potentia, non requiritur actualis collectio membrorum multorum.

5. argum.

Tum quinto, & postremo, quoniam qui non est in ecclesia nequit salutem consequi, vt habetur in cap. Firmiter, de summa Trinitate. At quando incœpit ecclesia in Adamo, vel in Abele, poterat ij tunc salutem consequi. Igitur tunc in illis erat ecclesia, & ex consequenti potest illa in vno solo conseruari.

1. fundam. Ecclesia obtinet materiã & formam.

Sensus quæstionis proponitur, & explicatur.

G Pro decisione tamen præmitto, in ecclesia (ad instar corporis naturalis) dari materiã, & formam, vel (vt aliter dicam) corpus, & animam. Materia est collectio fidelium, vel ipsi fideles collecti, qui sunt veluti corpus, forma vero est fides. Quoniam hæc est veluti anima vegetans, quæ confert vitam huic corpori mystico ecclesiæ. Quamobrem non est eiusdem indaginis quærere, An fides quæ est forma ecclesiæ possit in vno dumtaxat reperiri fideli, & quærere, an ecclesia possit in vno dumtaxat fideli conseruari. Quoniam alia est speculatio partis, alia vero totius. Quinimmo argumentum affirmatiuum à parte ad totum est nimis fallax apud Philosophum. Venio iam ad propositam difficultatem enodandam.

1. concl. Ecclesia nequit in vno conseruari. Abulens. Bannes. Blas. Nauarr.

Prima conclusio, nequit ecclesia in vno solo conseruari. Hæc est Abulensis in præfatione Euangelij Matthæi, q. 13. Dominici Bannes in Comment. 22. D. H Thom. art. 1. cap. 10. Blasij Nauarro lib. 1. de Principatu Ecclesiæ, & aliorum Theologorum. Et confirmatur.

1. Ratio. Ecclesia est collectio.

Primo, quia ecclesia, (vt in 1. quæst. retulimus) est nomen græcum, & significat congregationem; & quælibet congregatio potest vocari ecclesia: Vnde Aristoteles 2. Politic. cap. de Polit. Calcedoniorum, dicit, quod Calcedonij non faciunt ecclesiam, id est non faciunt congregationem ad determinationem negotiorum publicorum, & ex hoc inductum est, quod congregatio fidelium vocetur ecclesia. Quamobrem ecclesia a Nicolao Papa de Consecratione, dist. 1. cap. [ecclesia] definitur collectio fidelium. At collectio fidelium semper est multitudo, & numquam significat vnum; quoniã in vno nequit esse vlla collectio: Igitur de ratione ecclesiæ est esse multitudinem.

Collectio semper est multitudo.

2. Ratio. Ecclesia est corpus, ciuitas, & regnũ, Ciuitas, & regnum nequeunt in vno consistere.

Præterea ecclesia in sacro eloquio dicitur corpus ciuitas, acies regnum. Sed sic est, quod neque ciuitas, neque corpus, neque acies, nec minus regnum potest conseruari in vno, Quoniam ciuitas est collectio multorum ciuium, & corpus multorum membrorum & acies multorum militum: igitur nequit ecclesia conseruari in vno solo.

3. Ratio. Ecclesia dicit multitudinem partium diuersarũ rationum. Explicatur locus Apostoli de ecclesia. Corpus debet habere multa membra.

Rursus ecclesia dicit multitudinem consistentem ex partibus diuersarum rationum, iuxta illud Apostoli ad Rom. 12. [Sicut enim in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo.] Quo loco docet Apostolus, ecclesiam, multos esse incorporatos Christi; Quoniam hæc sententia, & comparatio Apostolica sic sonat. Quemadmodum in vno corpore naturali sunt multa mẽbra non habentia eundem actum, ita est in ecclesia Christi; vel in corpore Christi, qui nos sumus; quoniam si corpus est; non est vnicum membrum, quinimmo multa, vt ipse docet per prælibata verba. Et etiam 1. Cor. 12. Et quod ista multa membra sint diuersarum rationum, clare patefaciunt illa eius verba: [Non eundem actum habent.] Quamobrem necesse est in corpore Christi, nimirum ecclesia esse multa membra diuersarum rationum. Quoniam cum dixit, [Ita multi vnum corpus sumus in Christo:]

Ecclesia debet habere diuersas donationes Xpi. Rom. 12.

F mox subiungit: [Singuli autem alterius membra habentes donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis differentes.] Quibus verbis vult Apostolus, quod in ecclesia sint diuersæ donationes Christi, & gratiæ, secundum quas constituantur diuersæ partes ecclesiæ pro administratione illarũ gratiarum. Quinimmo declarat istas gratias, dicens: [Siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in administrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando.] Accedit quod idem Apostolus 1. Cor. 12. Latius, & diffusius declarat quomodo omnes nos fideles sumus vnum corpus. Et quomodo sunt in eo diuisiones gratiarum, & ministrationum, nimirum sermo scientiæ, sermo sapientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. Et tandem eodem in capite ponit magis aperte, & clare partes ecclesiæ, quæ sunt membra ipsius, dicendo: [Vos estis corpus Christi, & membra de membro, & quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, deinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes genera linguarum.] Quæ omnia sunt diuersarum rationum. At ista diuersitas membrorum nequit saluari in vno. Quia sicut in corpore naturali, ex eo quod eius membra sint diuersarum rationum implicat idem membrum esse caput, & pes, iecur, & cor: os, & oculus; sic in corpore mystico ecclesiæ implicat, quod idem membrum, nimirum, homo sit præsidens, & subditus, Rex, & regniculus, dominus, & seruus. Præterea omnes illas administrationes, quas dicit Apostolus esse in ecclesia implicat in vno dumtaxat posse consistere fideli. Nullus enim mortalis, & purus homo fuit nec erit, qui diuisiones omnes gratiarum simul obtineat; cum Christo dumtaxat per naturam, & Virgini gloriosæ eius matri per gratiam concessum sit. Deinde quando aliquod corpus, vel aliquod totum constituitur ex partibus diuersarum rationum, impossibile est manere substantiam illius in vnica parte, vel in paucis, vt perspicuum, & planum fit in vniuersitatibus, quæ constant ex partibus diuersarũ rationũ, nimirũ, ex hominibus diuersarũ administrationũ. Qm abla tis illis diuersitatibus, nullatenus manet vniuersitas quãuis maneant multa mẽbra, vtpote, si aliqua politia vel ciuitas cõstet ex rectoribus iudicibus executoribus iustitia, ciuibus, & hominibus plebeis, & ablatis omnibus officijs maneant soli plebei, vel soli ciues, licet multi sint nõ est vniuersitas politica. Quinimmo nõ est vnicus populus, quia deficit ibi formale ad hoc quod sit vnitas politica. Quoniam de necessitate politicæ requiritur aliquod genus principatus, & vnitas siue communitas legis & distributiuum iustitiæ, nimirum, iudex, vt ait Aristoteles 3. polit. cap. 1. Ista autem non manent manentibus solis plebeis in vrbe. Ideo sic manentibus non est vniuersitas, nec ciuitas, nec vnus populus, nec aliquid vnum: a fortiori autem si maneret vnicus homo. Quare cum ecclesia sit vniuersitas, siue corpus constans ex partibus diuersarum rationum impossibile omnino est illam in vnico homine manere.

Corpus vnum omnes fideles.

Ecclesiæ mẽbra multa.

Membrorum diuersitas nequit in vno saluari.

Vnus nequit naturaliter omnes obtinere gratias.

Substantiam totius nequit conseruare vna pars separata ab alia.

Ciuitas quãdo non est vniuersitas politica. Necessitas politica quid requirat.

4. Ratio. Ecclesiæ mẽbra manebũt vsque ad sæculi finem.

Porro quarto, & postremo concluditur intentio. Quoniam quemadmodum Apostolus dixit esse multas partes diuersarum rationum in ecclesia, ita etiam dixit illas mansuras in ea vsque ad finem sæculi, vt indicauit ad Ephes. cap. 4. per hæc verba: [Et ipse dedit quosdam Apostolos quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores K ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Quo loco affirmat Apostolus prælibata officia, & dignitates semper futuras in ecclesia donec adueniat extremus dies, in quo omnes deueniemus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Igitur manebunt istæ partes in ecclesia vsque ad consummationem sæculi, vsque ad quam prælibata compleri nequeunt, & sic impossibile est manere ecclesiam aliquan-

Ecclesia dignitates perpetuæ.

aliquando in vno, quia iam non haberet istas partes. A

2 conclus. fides,quæ est forma ecclesiæ nequit esse in vno solo à temporibus Adę. 1.Ratio. Secunda conclusio, fides qua est forma ecclesiæ, numquam, post Adam (qui solus fuit creatus) fuit in vno solo, nec erit vsque ad finem mundi. Prima pars conclusionis confirmatur. Quia fides in Adamo fuit subiectiue, & initiatiue, cum ipse esset primus fidelis, & solus creatus à Deo cum fide, Et sic in illo solo fuit tunc ecclesia initiatiue. Quod alij dicunt ratione sui initij. Quoniam ecclesia non incœpit in pluribus fidelibus, sed in vno dumtaxat, (vt nuper retulimus) siue ille sit Adam, siue Abel. 2.Ratio. Postrema pars eiusdem conclusionis itidem probatur quoniam nulla extat Scripturæ sacræ, vel sanctorum Patrum auctoritas, quæ id manifeste doceat. Igitur non est cur dicamus in solo vno posse remanere. Consequentia patet, quia in re tam graui, absque Scripturæ sacræ auctoritate, aut sanctorum Patrum sententia loqui nullatenus debemus. 3.Ratio. Tum quia ecclesia ab initio sæculi vsque ad eius finem debet perdurare. At ecclesia in vno solo conseruari non potest, vt nuper distulimus in superiori conclusione. Igitur nec forma essentialis eius, nimirum, fides in vno solo poterit reperiri, & conseruari. Alioquin ecclesia desineret esse. 4.Ratio. Tum quia ecclesia militans duratura est vsque ad finem sæculi. At tunc erunt multi fideles, & electi. Quoniam Matth. cap. 22. dicitur: [Propter electos breuiabuntur dies illi.] & Apost.] Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aerea, & sic cum Domino erimus. Fideles multi in fine sæculi. [Ergo cum tunc multi futuri sint fideles, & electi, ac iusti qui habebunt fidem fides tunc in solo vno non conseruabitur. 5.Ratio. Tum tandem quia fides est forma ecclesiæ, itaut nequat aliquis fieri, vel effici pars corporis Christi mystici nisi per fidem. At ecclesia vsque ad finem sæculi obtinebit semper multas partes. Igitur necesse est, quod multi teneant fidem, eo quod omnes illi, qui fuerint partes ecclesiæ, fideles erunt.

Solutiones ad argumenta in oppositum. fol. ad 1. Ecclesia in Adamo initiatiue, & nō in esse perfecto. Nec argumenta in exordio quæstionis obiecta aliquid concludunt, Quoniam in primis, illud de Adamo, intelligendum vtique est initiatiue, & non in esse perfecto: fuit enim ecclesia in Adamo initiatiue, & non in esse perfecto quatenus modo de illa disputamus, nimirum, vt dicit collectionem fidelium. Principium ciuitatis quis dicatur. Ille etenim, qui primo inhabitat ciuitatem, non dicitur ciuitas, sed principium ciuitatis: & in hoc sensu Adam dicitur principium ecclesiæ, quemadmodum vnitas nó est numerus, sed principium numeri.

Principium ecclesiæ Adā. fol. ad 2. Principium ecclesię Abel. D. Aug. explicatur circa fidem Abelis, & Enoch. Illud de Abele eadem solutione prorsus soluitur, & addo sanctum Augustinum aliosque sanctos Patres asserentes in solo Abele, & Enoch fidem permansisse, intelligendos esse, non quod reuera fides in illis solis permanserit, sed quod Scriptura sacra de nullo alio fideli, autve iusto mentionem faciat. Et argumentum negans ab auctoritate apud Dialecticos nihil concludit.

fol. ad 3. Forma habēs diuersos effectus non omnes simul causat in vnione. Tertium insuper argumentum minus subsistit, eo quod in formis, à quibus proueniunt varij effectus non ex vnione formæ cum materia fieri, quodlibet totum, docet Philosophia humana, sed aliquod genus totius quod fit iuxta propagationem, & dispositionem materiæ, atque ita cum à fide oriantur varij affectus, nimirum esse fidelis, & esse ecclesiæ, si tantum fuerit in vno fideli, orietur hic affectus, qui est esse fidelem, non tamen alius, qui est constituere ecclesiam. Fides habet diuersos effectus. Fides in vno fideli illum constituit fidelem non tamen ecclesiā. Quoniam vnus fidelis non est materia, vt in illa fides producat talem effectum. Quemadmodum ergo ex vnione animæ rationalis cum digito, fit viuens, quia est in digito materia ad hunc effectum accipiendum, non tamen fit animal, quia anima totum cum materia adæquata, quæ est totum corpus organicum constituit animal; ita etiam fides in vno fideli efficit ipsum fidelem, non tamen constituit in so- Vnus fidelis non est totalis materia totius ecclesiæ, sed vna materiæ pars.

lo illo ecclesiam: Quia materia ad hunc effectum recipiendum totalis, & adæquata est multitudo seu collectio fidelium.

fol. ad 4. Ad quartum dico, quod quamuis ecclesia habeat plura membra successiue non tamen ideo in vno conseruabitur, eo quod ecclesia est corpus mysticum constans ex membris diuersarum rationum quale corpus nequit vnico dumtaxat membro constare.

fol. ad 5. Quintum, & postremum argumentum facile etiam dissoluitur ex prædictis, & præcipue ex solutione ad secundum, & ad tertium. Auctoritas vero prællegata in cap. Firmiter, de summa Trinitate, intelligenda quippe venit de ecclesia tam in esse perfecto quam in esse inchoatiuo, nos autem loquimur de illa in esse perfecto, qua ratione oportet habeat plurima membra B diuersarum rationum.

Quæstio. XI.

An in triduo mortis Christi fides in sola Virgine Maria remanserit?



Fidem in triduo mortis Christi in sola Virgine mansisse videtur. Alex. Alens. Guilliel. Paris. Turrecrem. 1. argum. C OCTORES, in exordio præcedentis quæstionis, prællegati, videlicet Alexander Alensis, Gulielmus Parisiensis, & Cardinalis de Turrecremata, locis ibi citatis, & alij etiam grauissimi Theologi asseueranter tenent in illo triduo mortis Christi fidem totam in sola Virgine remansisse, idque probant. Tum quia beatæ Virgini specialem honorem in hebdomada sancta exhibere solet ecclesia ab antiquo tempore circa duo nimirum, in illa cærimonia antiqua ecclesiæ, qua omnes cærei extinguntur, vno dumtaxat remanente, ad significandum Apostolos omnes amisisse fidem, iuxta illud Matth. 26. [Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista.] Et in sola Virgine remansisse. Et etiam in die veneris, & sabbati sancti. Quoniam consueuit ecclesia in die veneris, vsque ad vesperum, & D per totam sabbati diem specialiter colere virginem sempiternam dominam nostram, quasi totum illud sit tempus quo Christus iacuit mortuus, nimirum quasi ab hora vesperorum diei veneris, & per totum sabbatum, vsque ad primam horam dominicæ diei defendunt ex consequenti non esse inconueniens mansisse totam fidem in beata Virgine. 2. argum. Tum quia vniuersitas aliquando saluantur in vno, & ius vniuersitatis conseruatur in vno. Vnde licet ecclesia sit vniuersitas poterat manere in sola Domina nostra.

1. fundam. Fidei articuli quatuordecim. Resurrectionis articulus. Pro decisione tamen præmitto primo fidem nostrā Orthoxam in quatuordecim, vel secundum alios in duodecim distingui articulos, inter quos est articulus de resurrectione Christi, quem symbolo Apostolorum affixit Philippus dicens; [Descendit ad inferos tertia die resurrexit à mortuis.] Quod autem duodecim articuli fidei ponantur conuenienter in Symbolo Apo- E stolorū, probat S.Tho. 2.2.q.1. art. 9. & confirmat hoc ex auctoritate ecclesiæ catholicæ. Vnusquisq; tamen ex his duodecim articulis habet specialem difficultatē circa credibilia, & mysteria gratiæ, & nostræ fidei. Fidei articulorum speciales difficultates circa credibilia. Qm̄ circa diuinitatē alia est difficultas de vnitate Dei alia de Trinitate, & reliqua. Et sic ponuntur septem vel (secundum alios) sex articuli ad diuinitatem pertinentes, vnus quisque articulus suam specialem de diuinitate, continens difficultatem, Circa hæc

Articuli ad humanitatem spectantes.

Christi humanitatem alia itidem est difficultas, de incarnatione verbi, per opus Spiritus sancti in Virginali vtero, alia de passione sua sanctissima, alia de resurrectione, alia de sua gloriosa ad cælos Ascensione, & reliqua. Et sic etiam ponuntur alij septem vel (secundum alios) sex articuli spectantes ad humanitatem Christi. Quamobrem prælibatus articulus de resurrectione Christi, habet in se specialem difficultatem distinctam ab alijs, reliquorum articulorum difficultatibus. Ideo cum ad credendum mysteria nostræ fidei requiratur pia affectio ex parte nostræ voluntatis poterit quis, creditis reliquis articulis, adhærere, vel non adhærere huic articulo de resurrectione Christi: vel alios firmiter credendo, de isto dumtaxat dubitare. Et si non adhæret huic, vel de illo dubitat, habebit in simili casu fidem de alijs articulis, & non de hoc. Et cum iuxta Apostolum, qui in vno peccat factus sit omnium reus, appellabitur tunc iste talis absolute loquendo, infidelis, nihilominus tamen fidem habebit de alijs articulis, quibus firmiter adhæret, quos si negaret esset magis infidelis, & maioris pœnæ reus.

Pia affectio necessaria ad credendum.

Infidelis potest adhuc magis infidelis fieri.

2. fundam. Fidei resurrectionis bina acceptio. Fides implicita resurrectionis.

Præmitto secundo, quod fides resurrectionis potest accipi explicite, vel implicite, quemadmodum de omnibus alijs articulis disputat S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. 6. & 7. Si enim aliquis in illo triduo mortis Christi, vel in quouis alio tempore fidem resurrectionis haberet, eo quod dumtaxat credit omnia, quæ lex, & prophetæ credi voluit, ille haberet fidem implicite resurrectionis. Quoniam in lege, & Prophetis scriptum est de resurrectione Christi post triduum. Et quia iste talis credit illam resurrectionem in quantum dumtaxat in lege, & Prophetis continetur, dicitur habere fidem resurrectionis implicite. At si aliquis haberet in illo triduo mortis Christi, vel in aliquo alio tempore fidem resurrectionis, ita ut crederet, quod Messias mortuus erat, & quod iste qui specialiter mortuus erat, esset Messias, qui post triduum erat resurrecturus, tunc iste talis haberet fidem explicitam resurrectionis. Quamobrem hoc quod est credere resurrectionem explicite potest adhuc dupliciter accipi. Primo quidē quod crederet quis, quod Messias mortuus erat. Secundo vero in particulari, nimirum, quod crederet quis, quod ille homo Christus mortuus post triduum resurrecturus esset. Venio modo iam ad rem.

Fides explicita resurrectionis.

Fidei explicitæ resurrectionis gemina acceptio.

1. conclus. Fidem secundum omnes suos articulos nullatenus amiserūt Apostoli in triduo mortis Christi.

Prima conclusio, loquendo de fide nostra Orthodoxa secundum omnes suos articulos, valde temerarium est affirmare, Petrum, & alios Apostolos amisisse fidem in triduo mortis Christi. Probatur ex illo dumtaxat Lucæ 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Quo plane loco per fidem Petri, intelligitur illa vtique quam ipsimet Petrus confessus fuit dum Matth. 16. dixit: [Tu es Christus filij Dei viui.] vt patet in Concilio Tridentino in acclamationibus Patrum in fine Concilij vbi dicitur:] Hæc est fides Petri,] Id est, quam Petrus confessus est: Igitur fidem Petri (loquendo de illa secundum omnes suos articulos) non defuit in Petro, nec in alijs Apostolis in triduo mortis.

Conc. Trid.

2. conclus. Fides tota in triduo mortis Christi non remansit in sola B. Virgine. 1. Ratio. 2. Ratio.

Secunda conclusio. Tota fides secundum omnes suos articulos non mansit in sola beata Virgine, in illo triduo mortis Christi. Probatur: Tum quia in illo triduo non deficit fides Petri, vt in præcedenti conclusione modo dicebamus. Tum quia si mansisset tota fides in virgine in illo triduo, omnes Iudæi fuissent tunc infideles, & consequenter omnes essent in peccato mortali: At hoc est falsum, & inconueniens, quoniā erant tunc plerique viri boni inter Iudæos, qui credebant omnia illa ad quæ obligabantur, & sic erant fideles. Ergo, &c. Tum quia ad prædicationem Christi multi crediderunt in eum, vt dicitur Ioan. 7. & 8. At isti non discrediderunt per aliquod quod vidissent fieri circa Christum, vt perspicuum, & planum fit, Matth. 27. & Ioan. 19. de Nicodemo, & Iosepho de ciuitate, Arimathæa, qui sepelierunt eum, & erant discipuli eius,

3. Ratio.

F & credebant in eum: Igitur etiam in eis manebat fides. Tum quia Lazarus resuscitatus a monumento, semper in posterum obtinuit fidem Messiæ, & Christi. Magdalena, & Martha etiam quæ dixit: [Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.] Quinimmo Anselmus in dialogo de passione affirmat Magdalenā vouisse se nullatenus negaturam Christum. Et idem dicendum puto de Maria Iacobi, & Maria Salome. Tum quia apud Gentiles erant tunc temporis plerique fideles, & viri iusti, in quibus erat eccl. fia. vt legimus Act. 10. de Cornelio Centurione. Tum quia in sinu Abrahæ erant in triduo mortis Christi, multi viri fideles, nimirum Ioannes G Baptista & omnes Prophetæ, & Patriarchæ. Isti etenim dum viuebant erant fideles, quia alias non poterant esse iusti, cum dicatur iustus, qui ex fide viuit ad Rom. 1. & Abachuc 2. Accedit quia non possent aliter accepti esse Deo, cum sine fide impossibile sit placere Deo, iuxta Apostolū ad Heb. 11. Quāobrē manebat in eis in sinu Abrahæ fides illa quā habuerūt hic in terris cum fides non possit tolli, nisi per hæresim, vel infidelitatem aut per claram visionem, quæ erit in patria, prout habetur. 1. Cor. 13. At isti non habuerunt claram visionem, (nisi dicamus animam Christi eam illis tribuisse cum ad eos descendit in illo triduo,) Quoniam non erant in patria. Igitur adhuc manebat in eis fides, & sic non erat tota in Virgine gloriosa. Tum septimo, & postremo, quia ecclesia beatorum, quæ est corpus Christi per fidem copulata, eadem fuit a principio sæculi, quæ nunc est, & con-H tinuabitur vsque ad finem, & ob id dicimus quod fuit eadem fides antiquorum, & nostra. Igitur erant tunc multæ partes ecclesiæ, quando Christus mortuus est. Quoniam ecclesia nequit consistere in vno, vt nuper in præcedenti quæstione argutum fuit. At quælibet pars ecclesiæ est fidelis, cum per fidem efficiamur membra ecclesiæ. Igitur in illo triduo fuerunt multi fideles, & sic non fuit tota fides in sola beata Virgine.

4. Ratio.

5. Ratio.

6. Ratio.

7. Ratio.

Tertia conclusio. Fidem implicitam de resurrectione Christi, tenuerunt in triduo mortis plerique Iudæi viri boni, & in lege periti, qui tunc in illo triduo reperti fuere. Hæc est Abulensis, in præfatione Euangelij Matthæi, q. 13. & probatur. Quoniam inter Iudæos fuerunt semper validissimi Rabbini, & tempore aduentus Christi pleriq. viri boni, & periti, qui lectioni legis, & prophetarum apprime vacabant, & credebant omnia, & singula quæ lex, & prophetæ credi vo-I lebant, & præcipue circa Messiam, quem putabant totum suum bonum futurum. At in lege, & prophetis, de resurrectione Christi post triduum scriptum erat, vt passim apparet in veteri Testamento, & maxime Psalm. 3. vbi de Messia, & Christo, dicitur; [Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.] Igitur isti omnes credebant illam resurrectionem in illo triduo implicite, videlicet in quantum illa in lege, & prophetis continebatur. Accedit quod quamuis adhuc isti periti Iudæi minime cognoscerent determinate, quod ille homo mortuus esset Christus, & Messias promissus in lege, (quoniam erat circa hoc magna contentio tunc inter Iudæos, quidam enim illorum dicebant, quod ille erat Christus, id est Messias; alij vero quod non, vt habetur Ioan. 7.) tamen isti ex lege, & prophetis sciebant Messiam futurum, esse Deū, & hominem, & moriturum pro peccatis nostris, & K tertia die resurrecturum. Quare in illis nullatenus est neganda in illo triduo, fides, saltem implicita resurrectionis. Addo etiam quod Matth. cap. 27. dicitur, [Altera autem die quæ est post parasceuen conuenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi, ad Pilatum dicentes, Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam; iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi surrexit a mortuis, & erit nouissimus error peior priore.] Igitur signū est inter aliquos peritos, & litteratos hebræorum in illo triduo, fuisse creditam, saltim implicite, resurrectionem post triduum. Quamuis plerique

3. conclus. Fidem implicitam de resurrectione Christi habuerunt aliqui Hebræi in triduo.

Abulens.

Rabbini Hebræorum validissimi tempore Christi Domini.

Resurrectio Christi in lege & prophetis contenta.

1. Ratio.

2. Ratio.

rique eorum potius ex malitia, quam ex pietate erga crucifixum,& resurrecturum recordati fuerint vocibus turbæ, & tumultu populi fere iã credẽtis,excitati.

4. concl. Fides explicita resurrectionis Christi firmiter in triduo mortis erat in beata Virgine.

Quarta conclusio, tota fides explicita resurrectionis Christi in illo triduo erat firmiter,& certissime in beata Virgine gloriosa, itaut ipsa determinate, firmiter, ac certissime crederet filium suum Iesum Christũ Hebræorum Messiam iam mortuum post triduum infallibiliter resurrecturum. Hæc est communis omnium Theologorum, & quamuis nullus reperiatur qui illam audeat negare, Probatur tamen. Tum quia Virgo Maria habuit vsque in finem vitæ fidem viuam, & formam filij sui,secundum omnes articulos tam ad diuinitatem, quam ad humanitatem, à nullo enim illorum cadere poterat,quoniam erat gratia plena, eamque sanctificauit Dominus: iuxta illud Psal. 45. [Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.]quam confirmauit Spiritus sanctus iuxta illup Lucæ 1. [Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi.] Illamque semper custodiuit Angelus Domini,iuxta illud Iudith.[Viuit Dominusquia custodiuit me Angelus eius.] At, qui cadit ab vno articulo fidei peccat mortaliter, & pro tunc neque est sanctus,neque est iustus,neque plenus gratia, neque sanctificatus. Igitur,&c. Tum quia Virgo gloriosa postquam edocta fuit ab Angelo de filio suo per illa verba Lucæ 1. [Hic erit magnus,& filius altissimi vocabitur, &c.] Semper circa res filij sui columna permansit immobilis,itaut à fide subuersis plerisque,qui ipsum puerum dumtaxat credebant, & putabant hominem, ipsa tamen semper filium suum firmiter Deum, & hominem credebat. Vnde de illa dicit Euangelista, [Conseruabat omnia,verba hæc conferens in corde suo.] Quamobrem D. Anselmus de illa in quodam sermone sic ait.] Debet ergo Maria merito laudari, quia ipsa est domus firma quam nec flumina,nec venti, nec imbres,id est varia genera passionum Christi, quæ irruerunt in eam subuertere potuerũt à fide subuersis omnibus alijs, qui ipsum purum hominem crediderunt, cum tot & tanta, tam alacriter pateretur.] Sic ille, & merito plane nam de illa expendi maxime potest illud:[Aque multæ non potuerunt extinguere charitatem.]Igitur conclusio est verissima.

1. Ratio. Fidei virginis Mariæ firmitas.

2. Ratio. Virgo Maria columna immobilis.

Anselm.

5. concl. Fides explicita de resurrectione in quibusdam Apostolis firma in quibusdam vero dubia in triduo.

Quinta conclusio tota fides explicita de resurrectione Christi,in triduo mortis in quibusdam Apostolis erat firma, in alijs vero dubia. Hæc conclusio constat duplici parte. Prior tamen probatur. Quoniam Euangelista Ioannes simul cum beata Virgine secutus fuit Christum ad crucem, & ibi mansit cum ipsa Virgine gloriosa, vt habetur Ioan. 19. & inter fuit sepulchro, & sepulturæ Christi simul cum ipsa Virgine, cucurrit etiam cum Petro ad monumentum Domini,vt dicitur Ioan.20. Item D. Augustinus super Ioannem ait,quod Petrus qui negando Christum fuit mortuus,plorando resurrexit, & reuixit. Porro Maria Magdalena sequuta est Dominum cum alijs mulieribus vsque ad crucem, quæ planæ sanctæ mulieres sepulchro Christi interfuerunt, & postea vnguenta parauerunt,vt vngerent corpus Iesu, & cum ipsis vnguentis perrexerunt ad monumentum, vt habetur Matth.28.Marc.vlt.Luc.24.& Ioan. 20. igitur signum est aliquos discipulos,& aliquos fideles, in triduo mortis Christi habuisse fidem explicitam de resurrectione firmiter & certissime. Præterea de Iacobo Alphei dicunt communiter sancti Patres, & præcipue D. Hieronymus in Cathalogo script.Scholast. quod vouerat se non sumpturum cibum,nisi videret Christum resurrexisse,Igitur certe, & firmiter credebat explicite resurrectionem Christi.

Fidem explicitam de resurrectione habuit Ioannes in triduo.

D. Aug. Fides resurrectionis firma in multis Apostolis,& in alijs pijs hominibus in triduo.

D. Hier. Fidem explicitam resurrectionis habuit Iacobus Alphei in triduo mortis Christi.

Postrema pars huius conclusionis probatur, eo quod plerique Apostoli dubitauerunt de resurrectione. Quoniam postquam surrexit Christus, & apparuerat Mariæ Magdalenæ cum ipsa nuntiasset hoc Apostolis,admirati fuerunt ipsi,& cucurrerunt ad monumentum quinimmo multi eorũ conterriti fuere, vt liquet de discipulis euntibus in Emaus, quibus Xps sub specie Peregrini apparuit, vt dicitur Lucæ 24. & illi dixerunt peregrino: [Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,& non inuento corpore eius, venerunt dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere,]Igitur isti dubitanter credebant resurrectionem. Porro Apostolus Thomas dixit: [Nisi videro,&c.non credam.] Vnde Dominus ait illi Ioan. 20. [Infer digitum tuum hùc,&c. & noli esse incredulus,sed fidelis.] Rursus in cap.28. Matth. sic dicitur [Vndecim discipuli abierunt in Galileam in montem vbi constituerat illis Iesus, & quidam adorauerunt. Alij vero dubitauerunt.] Et Marc. vlt. ita habetur: [Exprobrauit incredulitatem eorum,& duritiam cordis quia his, qui viderant eum resurrexisse à mortuis non crediderunt.] Igitur aliqui discipuli dubitauerunt de resurrectione Christi,& sic inter Apostolos quidam amiserunt fidem resurrectionis quidam vero non.

Fides resurrectionis dubia in multis Apostolis in triduo.

2. Ratio.

3. Ratio.

6. conclus. Fides explicita de resurrectione fuit in sanctis Patribus in sinu Abrahæ existentibus.

Sexta conclusio, tota fides explicita de resurrectione Christi in triduo mortis eius fuit apud sanctos Patres existentes in sinu Abrahæ, qui firmiter & certissime credebant post triduum Christum Iesum Messiam Hebræorum mortuum infallibiliter resurrecturum. Probatur primo, quoniam Ioannes Baptista mortuus erat, & in sinu Abrahæ existens, qui viuens in terra cognouerat Christum esse Messiam, & Deum cum dixit de illo: [Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] Igitur Baptista determinatam cognitionem habebat resurrectionis post triduum. Secundo quia sancti Patriarchæ,& Prophetæ veteris Testamẽti erant in sinu Abrahæ, vt fides docet. At Catholici Doctores asserunt sanctis existentibus in sinu Abrahæ sæpe apparuisse Angelos annuntiantes eis de liberatione sua per mortem Messiæ, & sic verisimile est quod illis reuelatum fuit quando erat futura illa mors Messiæ. Igitur habebant firmiter fidem de explicita resurrectione Christi post triduum. Tertio, quia vt ecclesia asserit anima Christi separata à corpore per mortem mox fuit in sinu Abrahæ vbi erant viri sancti, & fuit ibi vsque ad horam resurrectionis, cum reassumpsit corpus & sic in toto triduo fuit ibi. Igitur cognouerunt illi de sinu Abrahę manifeste resurrectionem Christi futuram post triduum.Consequentia est manifesta cum anima illa sanctissima Christi esset cum eis, & gauderent simul de resurrectione futura post triduum.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio. Anima Xpi mox a corpore separata fuit in sinu Abrahæ.

Omitto hic, quod tunc sancti Patres existentes in sinu Abrahæ videntes animam Christi iam non habebant fidem, quæ secundum se est obscura cognitio, nec potest vna cum altera stare 1.[Cor.13.5. [Cum venerit,quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.] Et loquitur ibi de fide, & visione patriæ. Nam dicit [videmus nunc,]id est in vita ista, per speculum, & in ænigmate,]scilicet, per fidem[tunc autẽ.]id est in patria,[facie ad faciem,]scilicet, clarissime.Et sic fides euacuabitur in patria. Isti tamen sancti existentes in sinu Abrahæ cœperunt esse in patria illico, vt anima Christi fuit cum eis, quia cum iam pretium redemptionis per mortem Christi esset solutum, nihil impediebat quin isti clare viderent Deum. Ideo in limbo, siue in sinu Abrahæ cœpit visio beatorum maxime quia Christus dixit latroni, [Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.] Et tamen Paradisus nihil est,nisi clara Dei visio in qua est tota merces: Ideo die passionis cœperunt sancti esse in Paradiso,& consequenter euacuata est fides ipsorum per claram visionem patriæ,& sic in illo triduo non habebant fidem determinatam de resurrectione immo nec habebant iam fidem de aliquo articulo, sed potius omnia iam videbant quæ prius crediderant.

Sinus Abrahę non obtinuit fidem in triduo & cur. Paradisus est clara Dei visio.

Fides euacuata per clarã visionem.

Septima conclusio. Apostoli qui dubitarunt in illo triduo de resurrectione Christi, nullatenus fuerunt hæretici,probatur.Tum quia contrarium asserere ma-

7. conclus. Apostoli dubitantes de resurrectione Christi nõ fuerunt hæretici.

ximam irrogat iniuriam collegio Apostolorum. Tum quia in Apostolis illis, qui de resurrectione in illo triduo dubitarunt, non fuit proteruia, neque pertinacia, quæ ad hæresim est necessaria. Tum quia nec Alexander de Ales, nec minus Ioannes de Turrecremata, neque alij affirmantes Apostolos in triduo amisisse fidem, dicunt illos fuisse hæreticos. Quare conclusio est vera. Addo quod non omnis amissio fidei constituit hæresim. Est enim duplex amissio fidei vna per actum contrarium, quo quis assentitur rebus contrarijs fidei: alia per priuationem, vt quando quis animo fluctuat, hæretque dubius, non magis ad vnam partem, quam ad alteram inflectens. Ex hac siquidem dubitatione amittitur fides priuatiue, non tamen qui amittit sic fidem est hæreticus. Quoniam hæresis denotat electionem, & qui fluctuat animo, nullam partem elegit. Igitur, &c. Accedit quia hæresis denotat assensum contrarium propositionibus fidei. Sed qui ita animo hæret non habet assensum contrarium, quare neque dicetur hæreticus. Idcirco qui sic amittit fidem erit tantum infidelis, quia non habet fidem, iuxta illud commune dictum Stephani Papæ, in capite primo de hæreticis: [Dubius in fide, infidelis.] Vnde Apostoli qui dubitauerunt fuerunt infideles, quia propter dubitationem dumtaxat, amiserunt fidem, non tamen fuerunt hæretici, quandoquidē non magis ad vnam partem quā ad aliā inclinabantur in illo triduo, erant siquidem tantummodo ancipites.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

4. Ratio. Fidei amissio duplex.

5. Ratio.

Apostoli dubij de resurrectione Christi fuerunt infideles non tamen hæretici.

Illud tamen de beata Virgine circa candelarum cærimoniam non tenet, primo. Quia auctor illius libri nullatenus generat fidem. Nec illius auctoritas est necessario recipienda. Secundo quia auctor docet Cereum qui modo non extinguitur, sed occultatur in primitiua ecclesia etiam extingui. Quamobrem illius argumentum ex illa cærimonia depromptum nullam obtinet efficaciam. Accedit quod Rupertus Abbas lib. 5. de diuinis officijs, cap. 26. asserit intelligendam esse cærimoniam illam de Prophetis veteris legis, qui omnes fuerunt exstincti, ac mortui à Iudæis, occultationem vero illius candelæ accensæ significare Christum, qui cum lucem diuinitatis paruo tempore latuit in sepulchro, postea verò resurrexit. Et ob hoc sabbato sancto magna cum reuerentia dicitur lumen Christi cum candelis accensis.

Solutiones ad argumenta contrariorum. Sol ad 1. Candelarum cærimonia in hebdomada sancta non recte applicatur ad fidem Virginis.

Ad illud insuper de scandalo Apostolorum dicimus Apostolos in illo triduo peccasse dumtaxat peccato confessionis fidei. Quoniam cum tenerentur tunc confiteri Christum, non fuerunt confessi, quinimmò ore ipsum negarunt, vt communiter tenent omnes DD. Theologi in explanatione illorum verborum: [Omnes vos scandalum patiemini, &c.] referentes illa verba Christi ad scandalum confessionis fidei: Quia Apostoli erant exterioribus dumtaxat verbis illum negaturi. Quid, quod, D. Ambrosius lib. 10. super Lucam, & Hilarius canon. 31. & 32. super Matthæum, & Psalm. 25. D. Augustinus contra mendacium, tom. 4. cap. 6. D. Leo Papa serm. de Passione: D. Bernardus de gratia, & libero arbitrio, & alij plerique sancti Patres, quos citat Cano lib. 4. cap. 5. intrepide asserunt explanantes illa verba Lucæ 22. [Ego rogaui pro te Petre, & non deficiat fides tua.] Petrum nullatenus amisisse fidem, & non solum fidem minime amisisse, verumetiam neque peccasse peccato confessionis. Et si aliquis vrgeat dicendo, illa verba: [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.] Intelligenda esse finaliter, qua ratione, neque à Petro, neque ab alijs Apostolis defecit fides, & non ex eo tempore, quo confessus fuit Christum. Quoniam ipse Christus dixit Petro: [Antequam gallus cantet bis, ter me negabis.] Respondent ipsi, illa verba Christi de fide Petri non tantum esse intelligenda finaliter, verumetiam ab eo tempore quo confessus est ipsum esse Christum filium Dei viui. Illam porro negationem dicunt non esse fidei, sed societatis, & amicitiæ. Non enim negauit Christum esse Filium Dei, sed quod non nosceret eum, id est quod non esset ex amicis, & familiaribus illius. Illud tandem quod dicitur in argumento, nimirum, quod propter istam fidem, quam sola tenuit beata Virgo Maria de resurrectione filij sui in illo triduo exhibetur ei honor à vespere sextæ feriæ, & in toto sabbato sancto, dicimus cum Abulense, loco citato, quod non constat nobis euidenter, an ex ista causa, vel ex aliqua alia, laudabilis consuetudo introducta sit. Quoniam non desunt causæ innumerabiles ob quas beatæ Virgini honorem specialem impendere queamus, quinimmo debeamus. Et dato quod ex hac causa sola introductus fuerit ille honor. Dicimus quòd non est propter hoc determinatio ecclesiæ, quod in sola beata Virgine gloriosa manserit fides in illo triduo. Quoniam alias obligaremur omnes credere hoc, sicut quemlibet alium articulum, sub pœna hæresis, vel infidelitatis, cum quælibet determinatio ecclesiæ in pertinentibus ad fidem, sit tantæ necessitatis sicut articulus. Quinimmo ipsa necessitas credendi articulos prouenit solum ex actoritate, sine qua etiam nec credimus Euangelijs. Quare cum concluditur in argumento non esse inconueniens mansisse in illo triduo, totam fidem in beata Virgine, nullatenus est concedendum. Quoniam vt nuper diximus impossibile est manere ecclesia in aliquo tempore post primæuum suum exordium sine multis partibus.

D. Ambr. Hilarius. D. Aug. D. Leo Papa, D. Bernard. Cano.

Scandalū Apostolorum in triduo mortis qualiter accipiendum.

Petrus numquam amisit fidem. Sol. ad obiectionem.

Negatio Petri non fuit negatio fidei, sed negatio societatis, & amicitiæ.

Consuetudo laudandi B. Virginem in sabbato vnde orta.

Beata virgo multis de causis semper a nobis est laudanda. Fidem totam in sola B. Virgine mansisse in illo triduo non est concedendum.

Postremo, ad illud de vniuersitate dicimus, quod quamuis quædam communitates, quæ non præsupponunt partes diuersarum rationum, & actuum, vt est congregatio, vel collegium, in quibus sunt omnia membra similia, possunt manere in vno, & ius vniuersitatis possit conseruari in vno dumtaxat, tamen vniuersitasde cuius essentia est habere partes diuersarum rationum actu, & habitu destructis, ac deperditis illis partibus, neque ius vniuersitatis, nec ipsa vniuersitas in vno manere. Cum autem ecclesia sit vniuersitas habens essentialiter partes diuersarum rationum, & actuum, vt præcedenti quæstione retulimus cum Apostolo ad Ephes. 4. affirmante, quod omnes illæ partes ecclesiæ debeant permanere vsque ad consummationem Sanctorum, quæ non erit vsque ad finem sæculi, nequibit illa vllo tempore in vno dumtaxat conseruari, nec minus eius ius in vno solo reperiri.

Sol ad 2.

In calce tamen huius quæstionis annotanda maximè sunt sequentia verba Abulensis in præfatione Matthæi quæst. 13. [Quidquid autem verum sit, scilicet an sola Domina nostra in illo triduo hanc fidem de resurrectione, determinate, & particulariter habuerit; vel an aliquis alius de viuis, aut mortuis etiam illam habuerit totum sine præiudicio Dominæ nostræ dictū sit. Non enim intendimus Aduocatam nostram offendere. Nam cum eam dignè laudare non possumus, iniustum est vt eius laudes ei aliunde collatas minuamus. Cum tamen dicitur quod propter istam fidem quam tenuit sola in triduo exhibetur ei honor à vespere feriæ sextæ, & in toto sabbato, dicendum quod non constat nobis euidenter an ex ista causa, vel ex aliqua alia, ista laudabilis consuetudo introducta sit, quia non desunt causæ innumerabiles, ex quibus Dominæ nostræ honorem specialem impendere possumus immo debeamus. Sed adhuc concesso quod ex hac causa sola introductus fuerit ille honor, dicendum quod non est propter hoc determinatio ecclesiæ, quod in Domina nostra sola manserit fides in illo triduo, quia alias obligaremur omnes credere sicut quemlibet alium articulum sub pœna hæresis, vel infidelitatis cum quelibet determinatio ecclesiæ in pertinentibus ad fidem, sit tantæ necessitatis, sicut articulus, &c.] Hucusque Abulensis.

Tostatus.

Quæ-

Quæstio. XII.

An Ecclesia sit sancta?



IAM agamus de secunda nota, vel proprietate ecclesiæ, quæ est sanctitas. Quam in ecclesia minime reperiri, potest probari. Tum quia continet peccatores, vt nuper distulimus, dum de eius membris, & partibus ageremus, vnde à denominatione istorum impiorum membrorum, potest dici impia. Quia bonum consurgit ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus. Quare potius debet dici impia propter impios, quam sancta propter pios. Tum quia denominatio debet fieri à maiori parte. Sed sic est, quod maior pars fidelium est peccatis infecta. Igitur debet potius ab illis denominari, quam à iustis. Tum quia Antistites, & Prælati ecclesiæ militantis, laborant auaritia, iniquitate, & peccatorum labe, vnde hoc nostro sæculo Prælati, ac Præsules ecclesiæ, non sunt sancti, vt erant olim in primitiua ecclesia eius Antistites, quinimmo sunt haud exigui peccatores, & scelerati. At isti sunt capita ecclesiæ. Igitur cum isti non sint sancti, neque ipsa ecclesia erit sancta.

1. argum. 2. argum. 3. argum.

1 fundam. Error quorū dā hæreticorū circa sanctitatem ecclesiæ. Turrecrem.

Pro decisione præmoneo primo. Fuisse quosdam hæreticos, vt refert Ioannes de Turrecremata lib. 21, de Ecclesia, cap. 9. in fine, qui dicebant ecclesiam non esse vocandam sanctam, sed potius pollutam, & sceleratam, quod sibi per superiora argumenta falso, & omnino miscere persuaderunt.

2. fundam. Sanctum quid sit. D. Dionys. Sanctitas in creatura est immaculata puritas. Pueri quando sancti. Homines quā do sancti.

Præmoneo secundo. Sanctum idem esse, quod purum, & immaculatum. Hinc Deus benedictus, qui actus purus est secundum essentiam, sanctus secundum essentiam dicitur, & sanctus sanctorum. In creatura autem rationali sanctitas difinitur a D. Dionysio lib. de Diuinis nominibus cap. 12. immaculata puritas perfecta, & libera ab omni macula, seu culpa. Et quia culpa, vel est mortalis, vel venialis, sanctitas dicitur in creatura, vel quando est ab omni peccato libera, quam sanctitatem habent pueri in baptismo, vsque ad vsum rationis, vel quia est solum à peccati mortalis macula, libera, qua ratione dicuntur sancti, homines adulti, charitatem, & gratiam habentes. Non enim possumus in hac vita, absq; Dei priuilegio sine macula peccati venialis viuere.

3. fundam. Sanctum quot habeat acceptiones.

Præmoneo tertio. Sanctum dici varijs modis: Primo namq; significat id quod est, perfecte mundum. Secundo id quod est roboratum aliqua firma lege, & inuiolabili. Tertio, quod est tutum ab aliorum iniurijs. Quarto, quod est Deo dicatum; & consecratum, sicut vasa, vestes, & templa dicuntur sancta, quia Deo sunt consecrata. Quinto significat idem, quod sanguine pictum, Vnde dicebatur antiquitus, populum Iudæorum sanctificari, quia aspergebatur sanguine, hircorum, & taurorum.

1. conclu. Ecclesia vniuersalis dicitur sancta. 1. Ratio.

Prima conclusio. Ecclesia vniuersalis multis de causis vocatur sancta. Probatur primo. Quoniam in ipsa est perfecta munditia. Quod aliter intelligitur in statu patriæ; aliter in statu viæ. In statu enim comprehensorum est perfecta munditia, quæ omnem excludit labem, etiam venialem. In via tamen dicitur ecclesia perfecte munda, quia scilicet, est immunis a sordibus peccatorum mortalium. Secundo patet ex varijs sacræ Scripturæ testimonijs. Canticorum

2. Ratio.

A cap. 4. dicitur de ecclesia: [Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.] & cap. 6. [Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ,] nomine autem columbæ, designatur gratia, & charitas. Auis enim hæc significat pacem, quæ est effectus charitatis: Deinde sæpe in Canticis, dicitur ecclesia amica, & soror Christi, ergo in ipsa semper sunt aliqui sancti, & in gratia, & charitate constituti. Probatur consequentia. Quia nullus est amicus Dei, nisi per charitatem, neque amantur ab eo, nisi per gratiam. De qua re consulendus est Dominicus Bañes, 2.2. quæst. 1. art. 10. dub. 2. vbi varias adducit auctoritates Scripturæ sacræ, quæ id ipsum probant. Cardinalis etiam Caietanus est legendus, in oratione quam habuit in Concilio Lateranensi super illud Apocalypsis 21. [Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem.] Et D. Aug. super ps. 8. [Custodi animam meam,

B quoniam sanctus sum.] Tertio dicitur ecclesia sancta, quia habet caput perfecte mundum, scilicet Christum, regitur, & gubernatur à Spiritu sancto, qui est auctor totius munditiæ, habet leges, quæ præcipiunt sanctitatem, continet sacramenta, quæ sanctitatem tribuunt. Igitur ecclesia sancta est. Quarto patet, quia si sanctum dicitur, quod est roboratum aliqua lege inuiolabili, ecclesia erit sancta, aduersus quam non præualebunt portæ inferi. Quinto sancta est ecclesia, quia munita est, & tuta ab iniurijs aduersariorum, est enim sicut turris Dauid mille clipei pendent ex ea, omnis armatura fortiū, in qua saluator positus est murus, & antemurale. Sexto sancta est ecclesia, quia Deo dicata, & consecrata. In baptismo siquidem fideles renuntiant satanæ, & operibus dæmonum, exuunt veterem hominem, ac nouum, scilicet, Christum, induunt eiq; pollicentur se obtemperare. Septimo, & po-

3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio. 6 Ratio. 7. Ratio.

C stremo, ecclesia dicitur sancta, quia mundata preciosissimo sanguine agni immaculati Iesu Christi Domini nostri. Ergo vera est conclusio. Immo extra ecclesiam non est sanctitas, sicut neq; salus, vt aperte indicat Concilium Lateranense, & habetur cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica.

2. concl. Sanctitas in ecclesia perpetua.

Secunda conclusio. Ex quo cœpit esse ecclesia semper retinuit sanctitatem, quæ perpetuo in ipsa duratura est. Duas habet conclusio partes. Prior tamen si intelligatur de ecclesia Angelorum, necessaria est: sunt enim in gratia creati, statimq; beatitudinem sunt adepti; si autem loquamur de ecclesia, vt solum comprehendit viatores, certa etiam est. Numquam enim in ea ex quo cœpit esse multitudo, defuere viri sanctissimi, vt patet inductione facta per omnes temporum status. Postrema conclusionis pars est de fide,

D & probatur. Tum ex traditione ecclesiæ, communis enim, & antiqua totius ecclesiæ obseruatio perpetuo habuit hanc veritatem tamquam catholicam. Tum quia omnia Scripturæ sacræ testimonia, manifeste indicant huiusmodi sanctitatem esse propriam, quandam affectionem, ab ecclesia omnino inseparabilem.

Sol. ad arg. in oppositum. sol. 1.

Ad argumenta in oppositum respondeo. Ad primum dico in politicis non attendi denominationem, à quibusuis partibus, sed à nobilioribus, quæ ceteras excedunt dignitate, sicut exercitus vocatur fortis, quia habet aliquos robustos viros, quamuis etiam contineat plures imbecilles, ecclesia igitur dicitur, simpliciter sancta propter iustos, quos continet, qui sunt nobiliores partes, & per se intentæ ab

E ecclesia, absolute tamen nequit dici impia etsi contineat multos peccatores, quoniam sunt partes minus præcipuæ.

sol. 2.

Ad secundum dico. Denominationem petendam esse, non à maiori, sed à potiori, & præcipua perseq; intenta parte.

sol. 3.

Ad tertium. Nego consequentiam, licet enim, inter nos sint aliqui Prælati mali, tamen viam Dei in veri-

veritate docent, quod non reperitur inter hæreticos. Vnde Christus Dominus dixit Matth. 23. [Super Cathedrâ Moysi sederunt Scribę, & Pharisæi, omnia ergo quæcumq; dixerint, &c.] Constat ergo ex doctrina Christi Domini in ecclesia esse aliquos malos Prælatos, qui tamen docent veritatem Dei, & illius fidem profitentur. Et ideo propter aliquos non amittit ecclesia sanctitatem.

Quæstio XIII.

An Ecclesia sit Catholica?



ERTIA nota, siue proprietas ecclesiæ est, quod sit Catholica. Sensus tamen quæstionis est. An vera ecclesia Christi, sic toto terrarum orbe diffusa, vel potius contineatur intra angustos limites. Catholicum enim est Græca vox, idem significans, quod apud Latinos vniuersalis. In qua re Hæresiarca Donatus, & eius sequaces, vt constat ex D. Augustino multis in locis, docuerunt ecclesiam Christi in ea tantum Africæ regione inueniri vbi ipsi degebant, persuasi his testimonijs, nam Cantic. 1. dicitur: [Indica mihi vbi pascas, vbi cubes,] quasi ibi sistat interrogatio sponsæ, cui respondet sponsus [In meridie,] & Habuc. 3. [Deus ab Africo veniet.] Sic enim legunt cum D. Augustino lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 32. ergo tantum in meridie, & in Africa est Christus, & ecclesia Christi. Accedit, quod in statu legis Mosaycæ, fuit vera ecclesia, quæ tamen non erat diffusa per totum orbem iuxta illud psalm. 75. [Notus in Iudæa Deus; in Israel magnum nomen eius.] quasi insinuans alibi fuisse ignotum Deum. Item cum Christo fuit mortua synagoga, & orta ecclesia secundum nouum statum quę, (antequam diffunderetur euangelium,) stabat in angustis Iudeæ limitibus inclusa, scilicet, apud Apostolos, & alios pauculos discipulos, qui fidem habebant. Præterea nunc ecclesia intra angustissimos limites includitur. Nam ex tribus orbis partibus, Asia, & Africa misere versantur in caligine infidelitatis. Et nostra Europa, quamplures hæreticos, & alios infideles continet. Si autem velimus de nouo orbe quidpiam dicere, nullus dubitat, multis annorum centurijs vniuersos, qui ibi habitabant in cultu idolorum fuisse versatos, & modo maiorem eorum partem in eadem idololatria contineri, non ergo est proprium ecclesiæ esse Catholicam. Quinto probatur. Euangelium Christi non est adhuc prædicatum in vniuerso orbe, ergo fides non est vbiq; diffusa. Ergo neq; ecclesia. Prima consequentia patet ex illo Pauli: [Quomodo audient sine prędicante,] & [fides ex auditu.] Secunda consequentia est perspicua quia ista secunda consequētia constare non potest absque prima. Probatur antecedens. Statim atque prędicatum fuerit euangelium per totum orbem, sucedet interitus mundi, Matth. 24. [Prædicabitur hoc euangelium regni per totum orbem in testimonium gentibus, & tunc veniet consummatio.] Cum ergo adhuc non sit huiusmodi consumatio, certe non fuit vbique terrarum prædicatum euangelium, præsertim cum apud Indos, quotidie illud magis diffundatur, vbi nec illius fama hactenus fuerat audita.

Error & lapsus Donati hæresiarcæ, circa vniuersalitatem ecclesiæ. — 1. argum. — 2. argum. — 3. argum. — 4. argum. — 5. argum.

Pro decisione tamen sit vera conclusio. Secundum orthodoxam fidem asserendum est veram ecclesiam esse Catholicam, id est, vniuersalem. Hæc est D. Augustini vbicumque cum Donato disputat: D. Thomæ super Boetium de Trinitate q. 3. art. 3. Turrecremata lib. 1. de ecclesia à cap. 13. & deinde per multa capita: Cano de Locis Theologicis capite vltimo, Driedo lib. 4. de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 2. part. 2. & omnium qui Symbolum exponunt. Probatur primo testimonijs sanctarum litterarum. Nam Isa. 2. dicitur de ecclesia: [Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domini, &c. & fluent ad eum omnes gentes,] quæ eadem verba habentur Micheæ 4. & Isa. 11. [Repleta est terra scientia Domini, &c. & leuabit signum in nationes.] Quibus omnibus, iuxta D. Paulum ad Rom. 15. significatur multitudo gentium, quæ introducendæ erant in ecclesia. & cap. 43. [Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni, da, & Austro noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terrę.] & Psalm. 21. [Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.] Item Matth. 8. & Lucæ 13. dicitur: [Venient ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & Austro, & recumbent in regno Dei.] Ergo vera ecclesia ex omnibus gentibus, vbiq; terrarum diffusis constat. Secundo probatur quia sic definitum est in pluribus Concilijs, habetur etiam in Symbolo Niceno, Athanasij, Apostolorum, & in Canone missæ, [quam tibi offerimus pro ecclesia tua sancta Catholica.] Estq; communis fidelium doctrina.

1. concl. Ecclesia, Catholica, & vniuersalis est. D. Aug. S. Thom. Turrecrem. Cano. — Driedo. 1. Ratio. — 2. Ratio.

Ex his omnibus aduerte hanc ecclesiæ vniuersalitatem in duobus potissimum consistere, scilicet, quia diffusa est per totum orbem, nec sibi applicauit aliquam regionem, sicut vetus Synagoga. Tum ex ratione Gentium, & nationum, quia scilicet in omnem populum tribum, & linguam suos extendit ramos. Vincentius Lyrinensis antiquus auctor, in libro contra profanas hæreticorum nouitates, adducit aliam rationem, scilicet, vniuersalitatem temporis, ex quo enim tempore cœpit ecclesia, ab initio mundi, vsque ad eius consummationem, absque vlla intermissione duratura est, ita enim profitemur, iuxta fidem, Ps. 47. [Deus fundauit eam in æternum.] & Matt. vlt. [Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi.] Interpretes D. Thomæ 2.2. quæst. 1. art. 10. aliam adhibent rationem, & sane egregiam; dicunt namque quatuor de causis ecclesiam appellari Catholicam, quarum prima est, quia in vniuersum orbem est prædicanda, secunda, quia vniuersis temporibus fuit, eritq; semper eadem fides, quoad substantiam, licet in dies magis, explicetur; tertia propter præcepta, & leges, quas continet adeo enim huiusmodi leges sunt vniuersales, vt quoduis hominum status comprehendant, Prælatos, Virgines, Vxoratos, & continentes: quarta tandem, ratione veritatis, quam omni ex parte continet: fidei enim non potest subesse falsum, nec aliquando doctrina fidei, admisit secum aliquem errorem. Aliam rationem possumus nos assignare, quare ecclesia, Catholica dicatur, quia fides, quæ est forma ecclesiæ, & de intrinseca eius ratione omnes gentes vbiq; terrarum obligat, & perpetuo in omni statu fuit in præcepto, licet non omnes, fidei religionem obseruauerint. Quemadmodum natura abstracta dicitur multis communis, & vniuersa, quamuis actu non reperiatur in multis, sortitur tamen eam denominationem, quia ex vi abstractionis, nata est multis cōuenire. Pari etiam ratione ecclesia, licet nō semper sit, aut fuerit per vniuersum orbem, fuit tamen semper, & futura eriā est Catholica, quia fides, quę illā constituit, vniuersos, & singulos homines, in quouis angulo orbis constitutos obligat sub reatu peccati mortalis.

Coroll. 1. — Ecclesia, cur Catholica, & vniuersalis. 1. causa. Vinc. Lyrinensis, in aureo libello cōtra profanas hæreticorum nouitates. 2. causa. — 3. causa. Fides, forma ecclesiæ est vniuersalis. — 4. causa. Fides orthodoxa omnes obligat.

Ad primum dico, omnia illa verba adducta à Donato, esse sponsæ, non sponsi, quod probat D. Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ, cap. 14. ex verbis sequentibus: [Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.] Et esto quod sint verba sponsi, tamen per meridiem nequaquam intelligitur Africa, sed feruor charitatis, vel clara Dei cognitio, vt exponit D. Hieronymus in caput 3. Habacuc. Quo loco idem sanctus in alio testimonio adducto pro Donato, nomine Au-stri,

Sol. ad argumenta contraria. Sol. 1. D. Aug. — D. Hier.

stri, vel Africum exponit lucem claram, & perfectam. Alij per Austrū, vel Africum, iuxta sensum litteralem interpretantur Medos, & Persas, quos Deus euocauit ab his Regionibus, quæ sitæ sunt in meridie, ad euertendos Babylonios, & Chaldæos. Agebat enim ibi Diuinus vates de punitione Chaldæorum effecta à Medis, & Persis.

fol. 2. Ad secundum dico, in Synagoga posse considerari, quod erat intrinseci ecclesiæ iuxta naturam, ac præterea ratione status, nimirum, sacramenta, cærimoniarū cultus, & alia legalia, si ecclesia consideretur primo modo, profecto fuit Catholica, propter rationem dictā de præcepto fidei, si tamen sumatur secundo modo, continebatur intra angustos terminos Iudeæ.

fol. 3. Ad illud, quod de initio ecclesiæ, secundum statum nouæ legis subiungitur ex dictis patet solutio, scilicet fuisse, tunc temporis ecclesiam Catholicam, quia vbique terrarum in omnes gentes, ex præcepto Christi diffundenda erat, iuxta illud Marci vlt. [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euāgelium omni creaturæ.] Omnia alia, quæ in argumento adducuntur, ex dictis manent soluta, cum ex præcepto diffundenda sit in vniuersum terrarum orbem.

fol. 4. Ad quartum respondeo, concedendo totum. Non tamen ex eo sequitur ecclesiam non esse Catholicam, quoniam iam diximus ad hoc sufficere, si temporum successu omnes vbiq; terrarum constitutos fideles in sui vnitate contineat.

Quæstio XIV.

An vera Ecclesia debeat vocari Apostolica?



QVARTA, & postrema nota siue proprietas ecclesię, (ex Symbolo) est quod sit Apostolica. Cuius oppositum probo. Tum quia, vt sæpe diximus, eadem est nostra, & veterum ecclesia, sed illa non fuit Apostolica cum Apostolos antecesserit, ergo nec nostra. (1. argum.) Tum quia ideo dicitur Apostolica; quoniam Sancti Apostoli erant eius fundamenta, ergo etiam deberet vocari prophetica, iuxta illud: [Super ædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.] Confirmatur, quia solus Christus est fundamentum ecclesiæ, 1. Cor. 3. [Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus.] (2. argum.) Tum quia doctrina super quam est fundata ecclesia, est euāgelicā, ergo potius ecclesia vocanda est Euangelica, quam Apostolica. (3. argum.)

Pro decisione tamen, sit verissima conclusio. Ecclesia Apostolica debet dici. Probatur primo, quia media prædicatione, vita, & miraculis Apostolorum fundata est, vt patet ad Ephes. 2. [Fundati supra fundamentum Apostolorum,] & Psalm. 87. [Fundamenta eius (scilicet ecclesiæ) in montibus sanctis,] id est, Apostolis, qui dicuntur montes propter altitudinem vitæ, & doctrinæ, vt D. Augustinus, & omnes Patres exponunt, & Apoc. 21. [In duodecim fundamentis ciuitatis, erant scripta nomina Apostolorum, & Agni.] (1. concl. Ecclesia dicitur Apostolica. 1. Ratio.) Secundo quia ecclesia habet eumdem spiritum fidei, quem habuerunt Apostoli, retinet doctrinam Apostolorum, suscepit leges, veneratur eorum traditiones, adeo vt nec latum quidem vnguem ab ea discedere experiamur, quod sane cuiuis erit perspicuum, si aduertat quanta veneratione suscipiat ecclesia canonicas Apostolorum scripturas, & ea quæ ex veterum patrum scriptis nouit ab Apostolis fuisse deriuata. (2. Ratio.) Tertio quia ecclesia habet eandem auctoritatem in vtroque foro, quam habuerunt Apostoli, vt optime ex sacris litteris deducit Dominicus Bañes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. (3. Ratio.)

Secunda conclusio. Ecclesiam esse Apostolicam conuenit illi ratione status, quem habet in nouo Testamento. (Coroll. 2.) Quæ plane conclusio ex eo dumtaxat liquet; quia scilicet ante hunc statum, non fuisse Apostolicam, probat primum argumentum. At in nouo Testamento dicendam esse Apostolicam, habemus ex fide, et liquet ex duobus primis conclusionibus, in Symbolo fundamentum habentibus.

Ad tria omnia argumenta in oppositum, facilis est omnino, ex dictis exitus. Quare non est cur in eorum solutionibus proponendis immoremur. Circa tamen hanc quæstionem, legendus est Cathechismus Romanus Ioan. de Turrecremata lib. 1. cap. 28. Somnius lib. 2. retractationum, cap. 8. Albertus Magnus, & omnes expositores Symboli Nicæni, & Apostolorum. (Solutiones ad argum. in oppositum faciles sunt.)

Quæstio XV.

An Ecclesia sit forma quædam visibilis, necne?



PRÆFATIS quatuor notis, siue proprietatibus ecclesię Christi, quas ex Symbolo, tam Nicæno, quam Apostolorum de fide habemus, addere hanc aliam quintam, nimirum, sit ne ecclesia visibilis? maxime placuit. Extat siquidem de hoc haud exigua controuersia inter Catholicos aduersus hæreticos. Hæretici namque conantur probare: Ecclesiam inuisibilem omnino esse. (Ecclesia inuisibilem appellant hæretici. 1. argum.) Tum quia inter articulos fidei ponitur: [Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.] At fides est de non visis, vt probat S.Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. Igitur ecclesia erit non visa, id est, inuisibilis. Consequentia corroboratur, quia ecclesia dicitur congregatio fidelium ratione fidei, spei, & charitatis, quæ sunt formæ inuisibiles. Tum quia de fide est ecclesiam esse sanctam. At sanctitas est occulta, & inuisibilis: Ergo & ecclesia. (2. argum.) Tum quia ecclesia in sacro eloquio dicitur regnum Dei. Sed sic est quod regnum Dei est inuisibile, vt patet ex illo Lucæ in capite decimo septimo: [Regnum Dei intra vos est.] (3. argum.) Accedit, quod gubernatio huius regni fit legibus inuisibilibus, iuxta illud Ieremiæ 31. [Dabo legem meam in mentibus, & cordibus eorum scriptam.] Additur, quod S. Thomas p. 2. quæst. 106. art. 3. asserit legem euangelicam iustificare, quod proprium est gratiæ inuisibilis. Ergo, &c. Tum quarto, & postremo probatur; quoniam templum est inuisibile, iuxta illud: [Vos estis templum Dei.] (4. argum.) Porro sacrificium est inuisibile, & simul etiam sacerdotium secundum illud 2. Petri 1. [Et ipsi tamquam lapides viui super ædificamini domos spirituales, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.] Ergo & ipsa ecclesia erit inuisibilis. Præterea verus cultus quem exhibent Deo vera membra ecclesiæ, est inuisibilis, iuxta illud Ioan. 4. [Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate.] Igitur ecclesia erit inuisibilis. Consequentia confirmatur, quoniam cultus pertinet ad rationem intrinsecam ecclesiæ.

Pro decisione. Præmoneo primo hæreticos huius nostræ tempestatis libertatem semper amplectentes asse- (1. fundam.)

asseuerãter docuisse, veram ecclesiam esse inuisibilem, ac etiam à solo Deo cognitam: nec nobis constare posse, quanam sit ecclesia in particulari, (dixi in particulari,) quoniam in communi asserunt eos pertinere ad ecclesiam qui habent veram fidem Christi. Ex quo plane corrupto fonte, innumeræ fere promanarunt hæreses, nempe, delendas esse imagines, profananda templa, eradicandum sacrosanctum sacrificium missæ, cærimonias exteriores prorsus extinguendas. Hinc insuper sancta ecclesiæ dogmata de ieiunijs, de abstinentia à carnibus, de soluendis decimis, omnino contempserunt, docentes simul exteriora sacramenta, nullam habere vim iustificandi. Quinimmo docent ad cærimonias Iudaicas reuocare populum esse, cogere illum sacramentis vti. Postremo ex hoc damnato, & putridissimo fonte docent hæretici nullam esse in ecclesia obedientiam, sed in omnibus sequendam esse libertatem, iuxta illud: [Vbi spiritus ibi libertas,] ex quo negata est omnino obedientia Pontifici Romano.

Hæreticorũ demẽtia maxima.

2. fundam. Visibilitas ecclesiæ defenditur à Catholicis aduersus hæreses.

Præmoneo secundo. Aduersus hanc hæreticorum insaniam acerime dimicasse plerosq; Doctores Catholicos, Driedum lib. 4. de Dogmatibus ecclesiasticis cap. 2. Albertum Pighium in Controuersia de ecclesia & lib. de Ecclesiastica Hierarchia, Petrum Soto, & Cardinalem Hosium aduersus prolegomena Brensij lib. 5. Suñega lib. 1. de vera religione, cap. 6. Robertum Bellarminum tom. 1. Controuersiarum, controu. 4. lib. 3. cap. 13. & Dominicum Bañes 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 4.

3. fundam. Dilucidatur status quæstionis.

Præmoneo tertio. In hac quæstione duo esse certa, & vnum in quęstionem proponi. In primis certum est ad ecclesiam pertinere, homines viatores qui habent fidem Christi Domini. Deinde certum est in ecclesia esse virtutes spirituales, & dona Spiritus sancti ad iustificandos homines. Concedunt siquidem Lutherani, sicut & nos, in Ecclesia esse fidem, spem, & charitatem. In controuersiam tamen vertitur, an ecclesia hæc ad quam pertinere diximus homines habentes fidem, & specialia dona, sit certa quædam communitas, seu Respublica, quæ possit digito demonstrari. An scilicet ecclesia sub lege euangelica sit Respublica quædam visibilis, ita vt articulus fidei: [Credo sanctam Ecclesiam,] ad hanc visibilem communitatem seu rempublicam terminetur.

1. concl.

Sit prima conclusio. Data hypothesi, quod voluerit Deus constituere, & debere esse aliquam congregationem fidelium colentium Deum, qui vere colerent Deum lumine naturæ, talis congregatio esset visibilis & conspicua. Probatur primo, quia id expresse docet D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. vbi expresse docet hanc congregationem esse non posse, nisi per signa visibilia. Secundo, quia de ratione societatis humanæ est visibilis hæc congregatio, & lumine naturæ constat congregationem ecclesiæ debere esse visibilem. Antecedens notum est, hæc enim est hominum natura, vt solum intueantur ea, quæ exterius apparent, siquidem solus Deus intuetur cor.

1. Ratio.

2. Ratio.

2. concl. Ecclesia est visibilis congregatio. 1. Ratio.

Secunda conclusio. Certa fide tenendum est ecclesiã esse visibilem congregationem. Probatur primo, quia c. 18. Matt. ait Dominus: [Si te non audierit, dic ecclesiæ.] At si ecclesia esset inuisibilis, præceptũ hoc Dñi esset incõpossibile, immo imprudẽtissimũ, & irrationale. Ergo est visibilis. Secundo, in ecclesia semper fuit aliquod visibile caput, ergo ipsa debet esse visibile corpus. Probatur. Antecedens. Nã Adam, Noë, & Abrahã, qui tunc dicebantur capita, visibiles erant. Insuper Xps Dominus ratione humanitatis visibilis est. Tandem vicarium eius voluit esse in terra visibilem dicens: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.] Tertio probatur inductione, nam in omni statu fuit ecclesia visibilis. In lege enim naturæ filij Melchisedech, qui profitebantur cultum veri Dei, in

2. Ratio. visibile caput semper in ecclesia.

3 Ratio. Visibilitas ecclesiæ in lege naturę.

F quibus stabat ecclesia, manifesti erant Genes. 6. Vocanturq; ibi filij Dei, & separantur à filijs Cain, qui idola colebant filij hominum vocati. Deinde in lege scripta adeo erat ecclesia visibilis, vt in ipsa carne portarent homines, qui ad illam spectabant, visibile signum circumcisionis. Tandem initio nascentis ecclesiæ in lege noua, tota ecclesia erat in Apostolis, & Discipulis Christi, qui adeo visibiles erant, vt super illos visibiliter descenderet Spiritus sanctus in die Pentecostes. Quibus additi sunt visibiliter homines ad tria millia, vel quinque millia per baptismum, & confessionem fidei. Quarto, quia semper in sacra Scriptura, ecclesia vocata fuit congregatio quædam visibilis, Num. 20. [Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem?] Ecclesia vocatur, ille populus notissimus Israel, qui exierat de Ægypto, & 3. Reg. 8. de visibili ecclesia manifeste loquitur Scriptura, cum G ait: [Conuertitq; rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel, omnis enim ecclesia Israel stabat.] & alibi sæpissime.

4. Ratio.

Tertia conclusio. Certa fide tenendum est, hanc visibilem ecclesiam connexionem habere cum aliquo inuisibili. Probatur. Caput ecclesiæ Christus, sacramenta etiam, vt baptismus ratione quorum, dicuntur fideles coadunati in ecclesia, etsi visibilia sint, connexionem habent, cum aliquo inuisibili, quia humanitas Christi, quæ videtur, vnita est inuisibili verbo, ablutio etiam in baptismo, & signa externa aliorum sacramentorum, virtutem habent Spiritus sancti ad gratiam efficiendam, quæ est inuisibilis. Secundo in ecclesia debent esse fides, spes, & charitas. Atqui hæc sunt inuisibilia. Ergo ecclesia, seu fidelium congregatio, connexionem debet habere cum aliquo inuiH sibili.

3. concl. Visibilis ecclesia connexionem habet cũ aliquo inuisibili.

1. Ratio.

2. Ratio.

Quarta conclusio. Articulus fidei, quo confitemur [Vnam sanctam Ecclesiam,] terminatur ad credendũ hanc visibilem congregationem fidelium, continere in se infallibilem assistentiam Spiritus sancti, dona supernaturalia, & virtutes infusas. Probatur. Quia ecclesia est congregatio visibilis; sed congregatio visibilis, coniuncta est inuisibilibus donis Spiritus sancti. Ergo ecclesia nostra, ad hanc congregationem terminatur, & vtrumq; respicit.

4. concl.

Sed dices. Id quod videtur, seu visibile est, credi non potest, igitur non recte dicimus, articulum fidei terminari ad ecclesiam visibilem, cum aliquo inuisibili coniunctam.

Obiectio.

I Respondeo. Id quod videtur ea ratione, qua videtur credi non posse, diuersa tamen ratione optime posse sub fide cadere, iuxta illud: [Quia vidisti me Thoma credidisti,] vbi Doctores docent, quod aliud vidit Thomas, & aliud credit, vidit humanitatem, & credidi, diuinitati coniunctæ humanitati. Similiter Apostoli videbant humanitatem Christi, & experimento probabant, esse veram humanitatem, credebãt tamen hominem illum humanitate vestitum esse Deũ. Perinde plane modo dicimus experimento, nos cognoscere hanc congregationem fidelium visibilem esse, credere nihilominus, huic congregationi esse coniunctam assistentiam Spiritus sancti, & supernaturalia dona, ac ideo dicimus, articulum fidei terminari ad hanc visibilem congregationem, cum assistentia Spiritus sancti coniunctam.

Solutio. Visibile potest credi diuersa ratione.

K Nec argumenta contrariorum aliquid concludunt. Ad primum namque dico, fidem non esse de his, quæ videntur ea ratione, qua videntur modo exposito iam in 4. conclusione. Ad confirmationem dico, ecclesiam non dici visibilem, solum ratione virtutum Theologicarum, existentium in intellectu, & voluntate, sed ratione sacramentorum, cærimoniarum, &c. Ad secundum etiam, nego consequentiam, licet enim sanctitas inuisibilis sit ecclesia, tamen simpliciter est visibilis,
aliud

Sol. ad arg. in oppositum. fol. 1.

fol. 2.

aliud itaq; videmus, aliud credimus. Videmus siquidem membra, & capita, oues, & pastores, & alia huiusmodi, quæ constituunt ecclesiam: credimus vero in hac congregatione, perfectam munditiam latentem inueniri. Sicut de Apostolo Thoma dicebamus, quod aliud vidit, & aliud credidit. Ad tertium neganda est maior. Immo regnum ecclesiæ est inuisibile, habet enim vicarium supremi Regis Christi, visibilem in terris, habet Episcopos, & alios Prælatos etiam visibiles. Leges quibus isti subditos gubernant manifestæ sunt, nec deest quidpiam regno ecclesiæ, ratione cuius sit minus visibile, quam Regnum Sardiniæ. Ad auctoritatem vero adductam, dico cum Beda, ibi Regnum Dei significare, vtrumque aduentum Christi, vel ipsum Christum in vtroque aduentu. Cum enim Pharisæi interrogarent Christum, de aduentu Messiæ, respondit: [Regnum Dei intra vos est.] Id est, Messias quem regnaturum speratis, iam venit. Alterum vero testimonium citatum, spectat ad secundum aduentum, nimirum, ad iudicium; tunc siquidem non veniet cum obseruatione, quoniam de die illa, aut hora nemo scit. Illud vero, quod subiungitur in confirmationem, negandum omnino est, licet enim lex euangelica multa præcipiat, quæ solum spectant ad actus interiores, visibilis tamen est, eo quod pleraque continet, quæ exterius fieri debent. Insuper ad illud Ieremiæ, liquet solutio, quoniam lex euangelica, dicitur scripta in cordibus, quia continet gratiam Spiritus sancti, quæ in cordibus diffunditur. Vltimum denique argumentum minus concludit, eo quod spituale & inuisibile non solum dicitur incorporeum, vt Angelus, verumetiam id, quod quamuis visibile sit, & corporeum, ordinatur ad spirituale. In ecclesia igitur, sacrificia, sacramenta, orationes vocales, ieiunia, & his similia appellantur spiritualia, licet sint res corporeę, eo quod ordinant homines ad spirituale. Quæ omnia nominat D. Petrus: [Spirituales hostias.] Accedit, quod Caietanus, Ientaculo 3. quæst. vltima, existimat D. Petrum locutum fuisse de sacerdotio, non proprie, sed metaphorice. Idque probat ex contextu, & ex præcedentibus. Quoniam metaphorico sermone proponit lapides viuos, & super ædificari in domos spirituales. Et eodem quoque metaphorico sermone subiungit spirituales hostias: & sic metaphorice etiam loquitur de sacerdotio, exhortans fideles, vt accedentes ad Christum, spiritualibus pedibus, tamquam viui lapides, super ædificentur in spirituales domos, & in spirituale sacerdotium, ad offerendum spirituales hostias. Ad illud vero, quod sequitur in eodem argumento dico, verum cultum Dei non tantum consistere in actibus internis, verumetiam requirere signa exteriora, & visibilia, corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Denique ad locum ibi adductum, D. Chrysostomus, & Euthimius, dicunt per illa verba tantum excludi, visibilia signa, quæ apud veteres erant. Omnia enim in figura contingebant illis; in nouo autem testamento existit veritas figurata. Erant siquidem illa, tamquam corpus exanime, spiritus vero illius corporis in Euangelio vtique est: ait igitur Christus: [Adorabunt Patrem in spiritu, & veritate,]-hoc est, non sicut hactenus in Synagoga, sed iuxta spiritum, quem illud corpus indicabat, & veritatem, quam figura continebat. Sed de hoc audias Rupertum Abbatem sic scribentem: [Quid dulcius? quid hac veri adoratoris diffinitione pulchrius? Adorabitis (inquit) patrem, spiritum adoptionis filiorum ab ipso percipientes, & in filij eius vnigeniti membra venientes. Patrem enim in spiritu adorare quid est, nisi spiritum adoptionis filiorum accepisse, in quo clamamus, Abba pater? Quid est adorare patrem in veritate, nisi in filio eius manendo (qui dicit, Ego sum veritas) patrem inuocare? Idem ergo est ac si dixisset: Veri adoratores manifesta ac necessaria distinctione personarum adorabunt vnum Deum, Patrem, & filium, & Spiritum sanctum.] Sic ille. Legito etiam Theophilatum, & D. Thomam in Ioannem.

Fol. 3.

Fol. 4.

Hostiæ spirituales quæ sunt. Card. Caiet. in sua summa Ientaculo 3. q. 3 in solut.

D. Chrys. Euthim.

Rup. Abb. in Ioannem.

Theophil. S. Thom.

Quæstio. XVI. & postrema.

An apud Catholicos, dumtaxat vera Ecclesia Christi contineatur?



LIS hæc inter Catholicos, & hæreticos semper extitit satis controuersa, hæreticis, maxima animi pertinacia acerrime, ac inepte tuentibus, veram Christi ecclesiam extra, quam non est salus, apud ipsos dumtaxat contineri. Ita olim docuerunt Nouatiani, vt prodit D. Cyprianus in Epistola, Iubaianum, Ita etiam prædicarunt Donatistæ, vt refert D. Augustinus, epist. 56. & 166. tomo 2. & in alijs locis, in quibus agit contra Donatistas. Ita porro asseuerarunt quidam qui se Apostolos vocabant, vt tradit D. Bernardus, serm. 66. super Cant. Quibus successerunt pauperes de Lugduno, & Picardia. Et tandem ita tenent omnes Hæretici huius nostri sæculi, vtpote Lutherani, Zuinglini, Caluinistæ, Osiandriani, & plerique alij huius farinæ. Qui omnes putant apud sua conuenticala dumtaxat, reperiri, veram Christi Ecclesiam, nostram autem Ecclesiam Catholicam Romanam, impudentes, & perfricata fronte, veluti per contumeliam appellant Papisticam, Asoticam, meretricem, & Synagogam satanæ.

1. Opinio. Error hereticorũ circa veram ecclesiã Christi.

D. Cyprian. D. Aug. D. Bernard.

Heresum turba.

Verumenimuerõ omnes Catholici vno ore, vnoque consensu, & spiritus sancti afflatu, intrepide docemus, veram ecclesiam Christi, intra Ecclesiam Romanam, dumtaxat, reperiri; nimirum, intra illam, quæ paret vni Pontifici Romano, quem Christus ecclesiæ suæ caput, & pastorem præfecit. Hoc est euidens credibile. Ceterum quia non aliunde innotescere nobis potest alicuius rei natura, quam ex eiusmet rei proprietatibus. Ideo, intentum nostrum ex proprietatibus ecclesiæ supra recensitis (quas & ipsi hæretici admittunt,) vtiq; probo, aduersus eosdem hæreticos.

2. sententia. Veritas Xpianorũ circa verã ecclesiam Christi.

Prima proprietas, veræ ecclesiæ Christi, est, ecclesiam esse vnam. At hęc vnitas nequit reperiri in conuenticulis hæreticorum, sed dumtaxat in nostra ecclesia Catholica. Igitur vera Christi ecclesia apud nos, & non apud illos reperitur. Minor probatur. Quoniam vnitas ecclesiæ petitur ab vnitate fidei, dicente Apostolo: [Vnus Deus, vna fides.] Sed sic est, quod vnitas fidei nullatenus reperitur apud hæreticos. Quandoquidem aliam fidem profitetur Lutherani, aliam Zuinglini, aliam Caluinistæ, aliam Osiandrini. Quoniam Zuinglini negant veritatem corporis Christi, quam profitentur Lutherani. Et Osiandrini existimant hominem fieri iustum per extrinsecam iustitiam, & imputatiuam, quæ est in Christo, quod negant Brensius, & eius alumni, & sequaces. Quinimmo tanta est leuitas hæreticorum, vt singulis diebus videantur suã fidẽ, & diuersam profiteri, vt colligit optime Cocleus in libro qui inscribitur: [Septiceps Lutherus, & Georgius Dux Saxoniæ,] vbi inquit, se quidem scire hodie, quid credant Vitæburgenses, nõ tamen quid essent altera die credituri. Rursus vnitas ecclesiæ, petenda est ab vnitate capitis. At apud Hæreticos non est vnum caput, quinimmo tot sunt capita, quot hæreses. Nam proprium est hæreticorum diuidi in varia capita, & non retinere veritatem. Nostra autem ecclesia fidem, & capitis vnitatem semper seruauit, seruat, & de cetero viq; ad finem mundi seruabit. Igitur hęc nostra, & non hæreticorum erit vera Christi ecclesia.

1. Ratio. Ratio satis efficax contra hereticos, circa veram Xpi ecclesiam. Romanæ ecclesiæ vnitas fidei, & capitis.

Cocleus pius & catholicus vir.

Secunda

2. Ratio. Secunda proprietas est, ecclesiam esse sanctam. At hæc sanctitas nequit conuenticulis hæreticorum conuenire, sed dumtaxat nostræ Catholicæ Ecclesiæ: non ergo apud illos reperietur vera Christi ecclesia. Minor probatur; quoniã sanctitas constituta est, in ordine ad Deum, ad seipsum, & ad alios. Hunc autẽ ordinẽ haud quaquam retinet hæretici. Quoniam respectu Dei auferunt omnem religionem, & cultum exteriorem, quo colimus ipsum; respectu sui ipsius, omnes vacant venereis actibus, comestionibus, & ebrietatibus, & tandem in ordine ad alium, negant bona opera, vel saltem valorem ipsorum bonorum operum, ad assequendam vitam æternam dum putant, solam fidem sufficere.

Hæreticorum ecclesiæ impietas.

3. Ratio. Tertia. Insuper proprietas est, ecclesiam esse Catholicam, nimirum, vniuersalem diffusam per omnes gentes, & per omnia loca. Atqui hæc proprietas tantum nostræ Catholicæ Ecclesiæ, & non conuẽticulis hæreticorum conuenire potest. Igitur, &c. Minor probatur; quoniam nostra Catholica Ecclesia diffusa est per totum orbem terrarum. Quia in Europa, in Asia, & in Africa, ac etiam in quarta parte mundi, quę nouum mũdũ, vel America appellatur, reperitur, quod plane nullatenus est dicendum de hæreticis, cum in Hispania, in Italia, in Asia, in Græcia, in Indijs, & in plerisq; alijs Prouincijs, singulari Dei beneficio nulla hæretica doctrina hactenus viguit, nec minus Deo dãte inposterum viget. Lutheranismus namq; tantum regnat, apud Vitemburgẽses Caluinistæ, insuper sibi Genebram dumtaxat occuparunt, Ecomcompadistæ vero Basiliã, & Seruaciani Transiluaniam. Et his angustissimis finibus conuenticula hæreticorum comprehenduntur. Quare apud ipsos nõ poterit esse vera Christi ecclesia.

Romanæ ecclesiæ vniuersalitas.

4. Ratio. Porro ecclesia dicitur Apostolica, tum quia nititur traditionibus Apostolorum, tum quia in illa reperitur vera successio Apostolorum. At vtrumq; reperitur in nostra ecclesia catholica, & minime in conuenticulis hæreticorum. Quoniam hæretici nec innituntur traditionibus Apostolorum (quinimmo illas conculcant, & execrantur) nec minus apud hæreticos datur vera Apostolorum successio. Ceterũ nostra ecclesia traditiones Apostolorum maxime recipit, & venerat, vt confirmatur ex illo Apostoli ad Cor. 11. [Cetera cum venero disponam] Quæ verba D. Aug. epist. 118. interpretatur de ritu, quem tradit Apostolus toti ecclesiæ obseruandum in sacrificio altaris. Et idem Apost. ad Tessa. 2. ait: [State, & tenete traditiones quas accepistis, siue per epistolam, siue per sermonem.] Et Apost. Ioannes in 2. Canonica: [Multa habens scribere ad vos, nolui per atramentum, & cartam, sperans me cito ad vos venturum, & loqui vobis ore ad os.] Ex quibus locis colligimus multa esse tradita ab Apostolis, quæ non sunt litteris consignata. Ita docent D. Heronymus, Irenæus c. 3. Athanasius li. de decret. Nicenæ Synodi, Hilarius in libro ad Constantinum Augustum, & Theodoretus lib. 1. contra Gentes c. 8. Tum præterea nostra ecclesia catholica, tenet successionẽ Episcoporum non interruptam, quinimmo continuatã, quemadmodum docent idem Irenæus, lib. 3. cap. 63. & Tertullianus de Perscrip. Hæret. & legitimam. Quoniã à D. Petro, vsq; ad Paulum V. (qui nũc feliciter gubernat ecclesiam Dei) semper Romæ stetit Episcopus successor Petri, habens eandem fidem, & auctoritatem, quam ille habuit. Legito de hac re D. Augustinum, contra epist. fundamenti cap. 4. & 6. Hosium li. 5. aduersus Petrum Soto in Confess. Cathol. & aduersus prolegomena Brentij, Medinam li. 2. de Recta in Deum Fidem, Somnium li. 2. Demonstrationum tract. 8. c. 9. 10. & 11. Stapletonum in suis controuersijs, & Robertũ Bellarminum to. 1. Controuersiarum, cont. 4. Igitur, &c.

D. Aug. Romana ecclesia traditiones Apostolorũ firmiter retinet.

D. Hier. Irenæus. Athan. Hilar. Theod.

Iren. Tertullian.

S. Aug. Hosius, Soto, Medina. Somnius. Stapleton. Bellarmin.

5. Ratio. Accedit ad hanc proprietatẽ, ecclesiam vocari Catholicã ratione temporis, eo quod sit perpetuo tẽpore duraturã, quemadmodum indicant illa verba Matt. 16. [Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] & c. 7. comparata fuit à Christo Domino, domui constitutæ supra firmam petram. At vero hanc proprietatẽ nullatenus habent hæreticorum conuenticula. Quoniam si oculos conuertamus ad superiores ætates, hæresis Arij instar rapidissimi fluuij videbatur, fere secum rapere vniuersum orbem terrarum, cum tamẽ nunc neq; nomen Arij; aut secta Arianorum vlla permaneat. Manichæorum hęresis, quæ longe lateq; erat diffusa, iam est omnino extincta. Et idem dicendum est de hæresi Nestorianorum Lutheranorum, &c. quæ fere per septẽ annos, paulo plus, aut minus durarunt, vt Cocleus, & alij pij catholici adstipulatores, perdocte produnt. At nostra Catholica Ecclesia à Christi, & Apostolorum tempore, vsq; in hodiernum diem permanet, & vsq; ad consummationem sæculi perdurabit, quam aquæ multę, & tribulationes variæ, quas perpessa fuit a Tyrannis, & hæreticis, extinguere nullatenus potuerunt. Quare apud nos Catholicos erit dumtaxat vera Christi ecclesia, ad quam noster Archipropheta nomine harum septem ecclesiarum Asiæ, suam hanc diuinam diligenter destinat reuelationem.

Ecclesiæ perpetuitas. Hæreticorum ecclesiæ fluxibilitas. Cocleus.

Corollarium. Et ex eo quod Aquila Euangelij ad vniuersam ecclesiam, sub nomine septem ecclesiarum, scribat colligenda plane venit excellens, quædam eius prerogatiua, nimirum, quod Ioannes noster sit vniuersalis ecclesia Doctor a Deo constitutus, & regius quidam legatus ad vniuersam ecclesiam destinatus. Vt recte obseruauit Petrus Damianus serm. 2. de Excellentia B. Ioannis Euangelistæ, his verbis: [Scripsit Ioannes illam nobilem Apocalypsim, quæ profecto cum septem Asiæ ecclesijs mittitur, omni vniuersali ecclesiæ, quæ sub septiformi Spiritus sancti magisterio regitur destinatur, vnde consequens est, vt omnes ecclesia, per totum orbem terrarum circumfusę, non dubitent B. Ioannem communem se habere Doctorem. Quibus videlicet, tamquam egregius, quidam regalis imperij nuncius ab Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, cælitus destinatus, gratiam simul & pacem ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, attulit, ac multa secreti cælestis mysteria patefecit.] Hæc Petrus Damianus.

Ioãnes Euãg. Doctor, & Regius legatus vniuersalis ecclesiæ.

Petrus Damianus.



GRATIA vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo: ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen. Textus 5.

COMMENTARIVS.



Explanatio contextus. §. 1.

SALVS optata, quam in superiori cõtextu implicite subintelligi prędiximus, nunc iam verbis aureis hic exprimitur, iuxta reliquorum Apostolorum consuetudinem. Qui postquam in suarum epistolarum initio salutem optatam eis, ad quos scribebant generali salutatione, (vt nuper retulimus) implicite indicabant; potius eandem, & desideratum bonum, verbis aperte, & clare proponere curabant, vt videre est in cunctis Apostolorum epistolis. Etenim ad Rom. 1. sic habetur: [Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu

Salus optata in epist. Apostolorum. Apostolorum stylus in suis cõscribendis epistolis. Initiũ epistolarũ Apostolorum.

Iesu Christo,] & ad Corinth. cap. 1. [Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro,] & ad Galat. cap. 1. [Gratia vobis, & pax à Deo patre, & Domino Iesu Christo.] ad Timot. cap. 1. [Gratia & misericordia, & pax,] & 1. Petri 1. [Gratia vobis, & pax multiplicetur,] & 2. Petri 1. [Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, &c.] & tandem in epist. Iudæ Apostoli 1. [Misericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.]

§. 2.
Isa. 9. ad fine. 52.
Redêptio nostra gratis facta per Xpm.
Isa. 32. Pacifice viuimus per merita Xpi.
Luc. vlt. Pacem nobis attulit Xps in sua resurrectione.
Psalm. 4.
Fons gratiæ, & pacis Xps.
Ioan. 1. & 4.
Ioh. 4.
Diuinitas Xpi primo attingitur à Ioãne quam humanitas.
S. Thom.
Xps coæternus patri.
Beneficia mortis, & passionis Xpi altamête debêt semper manere sepolta.
Gratias Xpo agere tenemur pro suis beneficijs nobis exhibitis.

Verumtamen quid noster mellifluus Archipropheta hoc in loco dicat, attente audiamus. Ex eo namque, quod totum humanum genus gratis venundatum, & absque argento iam redemptum fuit, ait primo: *Gratia vobis*. Quoniam testante Apostolo: [Non ex operibus iustitię, quę facimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit,] ob idque, ait primo noster Euangelicus Vates: *Gratia vobis*, commemorans beneficia Dei, & ea optans in nobis integra permanere, quia gratis nobis per illa condonata sunt peccata, & non meritis nostris. Et quia populus Dei iam in pulchritudine pacis, & in requie opulenta per mortem Christi sedit. Ideo mox subiungit: *& pax*. Quandoquidem testante Apostolo: [Deus pacificauit omnia, quæ in cælo, & quæ in terra sunt per sanguinem eius.] Quapropter Christus postquam moriens pro nobis, æterno patri, Adæ debitum soluit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit, die tertia resurgens, pacem nobis attulit, dicendo: [pax vobis.] Reconciliauit enim nos Deo, soluto pariete inimicitiarum, per mortem crucis, & ideo voluit nos inposterum pacificos viuere, vt adimpleatur illud Psalmistæ: [In pace, in idipsum dormiam, & requiescam.] Ceterum quia gratia, & pax dimanant a Iesu Christo filio Dei æterni, tamquam à suo fonte, (quia in hoc charitas Dei in nobis, quoniam filium suum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum, & quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo,) Ideo protinus addit tangendo gratiæ, & pacis fontem, & originem *ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo; &c.* Vt sic mysterium verbi diuini incarnati indicaret. Et quia Iesus Christus Deus, & homo est, primo mentionem Filij Dei æterni fecit sub illis verbis: *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*, eum æternum appellando; quoniam filius Dei æterni, per appropriationem, (vt ait S. Thomas 3. p. q. 59. art. 1.) Indicaturus est. Quamobrem eius coęternitatem cum patre æterno probando ait: *ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Et postea humanitatis assumptæ mentionem faciendo, ait: *& à Iesu Christo, &c.* Quia Apostolorum in salutando stylus est diuinitatis, & humanitatis Christi, mentionem facere. Et primo diuinitatis, (quia caput Christi Deus,) & deinde humanitatis, vt videre licet in omnibus eorum epistolis, in quibus gratiam, & pacem Ecclesijs ad quas scribunt, (in exordio suarum epistolarum) exoptant. Et vt aperte sciremus beneficia à filio Dei incarnato, Iesu Christo Domino nostro, nobis exhibita, menie semper retinenda esse, illa protinus commemorat, dicens: *qui est testis fidelis Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo.* Et vt denique pro tot acceptis beneficijs illi gratias agere discamus finaliter subiungit: *ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum, Amen.*

§. 3.
Apostrophe ad salutationẽ Ioãnis ad septem ecclesias Asiæ.

Vides qualiter magna emphasi nimiaque verborum energia suam salutationem gratiæ, & pacis ad septem Ecclesias Asiæ, & earum nomine ad vniuersalem Ecclesiam noster Archipropheta hic proponat? ò salutationem solemnissimam, ò salutationem auditu dignissimam, ò denique salutationem absolutissimam innumeris bonis refertam, infinita beneficia nobis gratis à Deo exhibita continentem. Plane hic de Ioanne nostro, (vt multa paucis concludam,) verificatur illud Ecclesi. cap. 15. [In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illud spiritus sapientiæ, & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum, iucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum &, nomine æterno hereditabit illum.] Plenus namque spiritu sapientiæ, & intellectus, & stola gloriæ vestitus, necnon iucunditate, & exultatione ornatus, & tandem nomen æternum adeptus, Ioannes hic in medio Ecclesiarum Asiaticarum, & per consequens totius Catholicæ Ecclesiæ aperuit os suum, Dei Arcana, & mysteria nobis affatim declarando, ac patefaciendo.

Eccl. 15.
Ioan. plenus spiritu sãcto aperuit os suu in medio ecclesiarum Asiaticarum.

§. 4.
Gratia antepomitur paci, & cur.
Gratia expellit peccata & deinde sequitur mẽtis trãquillitas.
1. Pet. 1.
2. Pet. 1.

Verumenimuero in hac solemni salutatione, gratia, paci anteponitur, eoquod gratia expellit peccatum. Ad cuius expulsionem sequitur tranquillitas spiritus, quam pax affert, propterea quod sine gratia pax vera esse, haud quaquam potest, iuxta illud Isai. cap. 57. [Non est pax impijs, dicit Dominus.] Hinc Psalmista de Christo, ait: [Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.] & Isaias in cap. 32. [Et erit opus iustitiæ pax.] Accedit, pacem gratia multiplicari, dicente D. Petro: [Gratia, & pax vobis multiplicetur;] & rursus: [Gratia, & pax adimpleatur.] quod idem est.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.
Dilucidatio textus.
§. 1.
Comparatio.

Gratia vobis. (ait.) Radix meriti est gratia. Quamobrem quemadmodum per radicem arbor humorem, & augmentum recipit, sic anima nostra per gratiam Dei in seruitute, & amore eius crescit, & augetur spiritualiter.

§. 2.
Gratia multiplex acceptio.
Enchirid. Xpianæ institu.
Scopus Biblicus.
Gratia fauor, & dilectio.
Gratia donũ.
Gratia recõpensatio beneficiorum.
Gratia, pulchritudo.
Gratia auxilium.
Gratia iustificans.

Verumtamen gratia multipliciter apud Theologos accipitur. Quoniam gratia primo significat, quicquid non præcedentibus aliquorum operum meritis, generaliter datur à Deo. Atque sic accepto vocabulo non inepte, gratia dicitur natura, in qua conditi sumus, vt scilicet essemus homines, & non bruta animantia. Quam plane gratiam quidam appellant naturæ donum, quod sane, tam bonis, quam impijs hominibus, fidelibus, ac infidelibus commune vtique est, de qua legito Enchirid. Christianæ institutionis in Concilio prouinciali Coloniensi æditum fol. 188. de Sacramento pœnitentiæ, & Scopum Biblicum fol. 239. de Iustificatione. Deinde significat gratia, fauorem, vel dilectionem dumtaxat alicuius, vt cum dicimus: [Hic habet gratiam Cæsaris,] id est, Cæsar diligit eum. Deinde sumitur gratia pro dono aliquo gratis elargito, vt cum dicimus: [Facio tibi hanc gratiam.] Accipitur etiam gratia pro recompensatione alicuius beneficij accepti, secundum quod dicimus: [Agere gratiam alicui.] Porro gratia significat pulchritudinem, iuxta illud Prouerb. 3. [Fallax gratia, & vana est pulchritudo.] Sumitur insuper gratia pro Auxilio supranaturali infuso, siue illud sit actuale, siue habituale; externum, siue internum, quod ideo gratia vocatur, quia gratis conceditur, & viribus naturæ illud consequi vllo modo possumus. Quamobrem Paulus ad Roman. cap. 11. ait: [Si gratia non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.] Sexto tandem accipiunt Theologi gratiam, pro gratia iustificante, quæ nos efficit diuinæ consortes naturæ, & heredes regni cælestis. Et sic gratia est quædam occulta Dei misericordia, qua per subministrationem spiritus, sanatur, ac salua fit natura, qua præde-

P stinati

stinari vocamur, iustificamur, sanamur, & glorificamur. Hæc est illa diuina gratia, quæ in sacro eloquio maxime prædicatur, & extollitur, de qua ait Apostolus ad Galat. cap. 2. [Non irritam facio gratiam Dei, nam si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est.] quo plane loco gratiam intelligit illam, qua iustificamur ab iniquitate, & qua seruamur ab infirmitate. Ad quam plane omnes aliæ gratiæ, tamquam ad finem ordinantur. In his duabus autem vltimis significationibus sumitur gratia proprie. Et sic diffinitur habitus supernaturalis menti à Deo per creationem infusus, esse spirituale, & Dei formę, ad promerendam vitam æternam conferens. Hanc habet omnis qui est in statu salutis. Nam sicut charitas, ita & gratia nos perficit teste D. Dionysio Carthusiano hic, sic scribente; [Itaque gratiam non habentibus, optat gratiam dari, habentibus vero appetit perfici.] Sic ille.

Gratia descriptio.

D. Dion. Car. in comment.

§. 2.

Cum itaque gratia apud Theologos sic multiplici gaudeat acceptione, dubium inter eosdem oritur, in qua significatione hoc in loco accipiatur. Quidam eorum existimant, (inter quos est D. Dionysius Carthusianus,) gratiam hoc in loco posse accipi, pro quocumque spirituali dono, ad salutem conferente. Quæquidem sententia sustentabilis, quidem est; quoniam sic accipitur gratia, prout inseruit ad amicitiam cum Deo conseruandam. Quam plane sententiam sequutus est Petrus Bulengerius hoc in loco. Alij vero, inter quos est Laudunensis in sua Interlineari glossa, & Diuus Thom. in hisce suis Commentarijs, ac etiam Iacobus Suarez à Sancta Maria exponunt per gratiam, remissionem peccatorum, quæ gratis datur. Quæ plane sententia mihi magis arridet, eo quod sic specialiter accipitur gratia pro illa occulta Dei misericordia, qua per subministrationem spiritus sanatur, ac salua fit natura, qua prædestinati vocamur, Iustificamur, sanamur, ac glorificamur, prout dudum dicebamus. Accipitur igitur hic gratia vere, & proprie pro peccatorum remissione, quæ gratis datur. Iuxta illud Apostoli: [Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.

D. Dion. Car. in comm.

Petrus Bulengerius in comment.
Laudunen.
S. Thom.
Iac. Suarez à S. Maria.

Gratia accipitur pro peccatorum remissione. ad Tit. 3.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod gratia est radix origo, & principium merendi.



GRATIA Dei meritorum omnium radix est, & principium. Iuxta illud Apostoli 1. Corinth. cap. 5. [Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit,] & ad Roman. cap. 5. [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Ex quibus Apostolicis verbis liquido constat gratiam diuinam, principium, & originem meritorum omnium esse. Non enim nos per naturam, vitam æternam mereri possumus, (quicquid dicat Pelagius) sed per gratiam; quod patet primo, ex eo quod finis animę est summum bonum, & felicitas æterna, secundum Theologos in 2. sent. dist. 1. & in 4. dist. 40. & iuxta S. Thom. p. 2. quæst. 1. vnde Augustinus lib. de Verbis Domini, ait; [Finis noster est summum bonum omnem naturam excedens.] Modo sic argumentor. Finis non potest haberi nisi per medium, vt inquit Philosophus 2. phys. ergo si anima nostra debet finem suum consequi, oportet, vt habeat medium ipsum: At hoc medium non est aliqua res mundana, aut naturalis. Quia, vt ait Philosophus 11. Metaph. ea quæ sunt ad finem debent esse proportionata ipsi fini, quamobrem

Vitã æternam naturaliter non possumus mereri.
Pelagius.
Vitã æternam Dei gratia meremur.
S. Thom.
D. Aug.
1. Ratio.
Philosophus.

F cum finis animæ sit supernaturalis, necesse est, vt & medium ipsum sit supernaturale. Quod plane non potest esse aliquid aliud, nisi gratia creata, quæ est similitudo gloriæ, vt dicit Alexander de Ales in tertia parte suæ Summæ, & S. Thomas p. 2. quæst. 113. & etiam S. Bonauentura in 2. sent. distinct. 28. qui omnes etiam dicunt gratiam habere virtutem supernaturalem, & ideo eleuare potentiam animæ supernaturaliter: ex qua eleuatione anima potest acquirere finem illum supernaturalem. Igitur necessario est concludendum gratiam, & esse principium merendi vitam æternam, & origo, & radix omnium meritorum. Secundo idipsum probo, ex eo quod ad consequutionem alicuius finis, in naturalibus tria requiruntur, nimirum, quod natura sit proportionata fini illi, detur inclinatio naturæ ad illum finem, quæquidem inclinatio naturalis appetitus, & G finis dicitur & est; & tandem, quod interueniat motus ad illum finem. Quæ omnia exemplo vtique comprobantur. Etenim terra natura quædam est cui competit esse in medio mundi, tamquam centrum; quoniam est omnium elementorum grauissima. Hanc naturam sequitur, vel concomitatur inclinatio in locum medium, secundum quam naturaliter illum appetit, etiam cum violenter extra ipsum detinetur, & tandem nullo prohibente semper deorsum mouetur. Vt ergo homo æternæ vitæ finem consequatur, cum ipse ex se non sit natura proportionata, non sat est, quod detur ei inclinatio, & motus ad finem illum; quia inclinatio, & motus in finem, præsupponit naturam proportionatam fini, aliter enim natura non inclinatur, neque mouetur in finem illius sed in alium, cui est proportionata. Omnis enim natura aliquem finem habet sibi à diuina H prouidentia prostitutum. Ante omnia itaque opus est, vt homo fiat proportionatus fini illi, deinde quod inclinetur, & tandem quod moueatur. Id igitur quo homo eleuatur ad tantam dignitatem, vt scilicet, sit proportionatus fini illi supernaturali vitæ æternæ. (Quam nec oculus vidit, neque in cor hominis ascendit,) est diuina gratia. Illud vero secundum, quo hominis inclinatur effectus in talem finem est charitas. Illud tandem tertium, quo mouetur ad attingendum talem finem, (exequendo opera quibus ad illum peruenitur,) sunt aliæ omnes virtutes. Nam quemadmodum in naturalibus, aliud est natura ipsa, & aliud inclinatio naturæ, & eius motus, vel operatio; Ita in gratuitis. Hinc magnus Dionysius libro secundo de Cælestia Hierarchia, sic ait: [Non potest aliquis habere spiritualem operationem, nisi prius esse spiritua- I le accipiat, sicut nec operationem alicuius naturæ sicut, nec prius habeat, esse in natura illa:] Vides igitur qualiter gratia sit radix, & origo merendi, & principium, quod omnes aliæ virtutes necessario sequi debeant. Hanc igitur noster Archipropheta, non habentibus, hoc in loco optat: Habentibus vero appetit perfici. Hanc etiam, & vos ò Christiani, qui ad æternam anhelatis patriam nimia cura, & diligentia à Deo expostulate; quoniam absque ipsa penes Deum, nihil plane mereri possumus. Nec valet dicere homo, apud homines meretur, quamuis eum vix cognoscant, etenim plerique à Regibus, & Cæsaribus munera impetrant, etiamsi in eorum gratiam nondum recepti sint; quod plane fit propter solam virtutem ipsam, & liberalitatem Regum, & Magnatum; K cum ergo Deus longe sit, & pius, & liberalis magis, quam vniuersi Reges, & Principes terræ; cur sine eius gratia penes illum mereri nequaquam possumus? Diluam quidem facile dubitationem istam. Quid enim boni habet homo, quod à Deo non acceperit? Nihil sane. Omne enim datum optimum, (inquit Iacobus,) & omne donum perfectum desursum est. Virtutem igitur à Deo accipis; & non à Rege neque à Principe, per id ergo, quod à Deo habes penes Regem, & Cæsarem mereris. At cum nihil

Alex. Ales.
S. Thom.
D Bonau.

2. Ratio. Ad consecutionem finis tria requiruntur.

Comparatio.

Gratia diuina proportionatur, & eleuatur homo spiritualiter. Gratia, charitas, & virtutes perficiunt hominem spiritualiter.

D. Dion.

Obiectio.

Homo meretur ab aliquo, quin se ad ipsum cognoscant.

Solutio. Homo cur coram Deo neque aliquid mereri absque gratia.

Opera pœnalia sine gratia nihil valent coram Deo.

nihil boni obtineas, nisi Deus tibi dederit penes illum mereri nullatenus poteris, nisi ipse merendi principium tibi elargitus fuerit. Mereri autem principium ipsemet, gratiam esse voluit. Si igitur in Dei gratia non es penes Deum nullatenus mereris, & ob id illam ab eo totis viribus postula, quoniam prorsus necesse est, vt tuis ieiunijs, disciplinis, orationibus, eleemosynis, cilicijs, & reliquis pœnalibus, ac pijs operibus intersit, vt ab illa tamquam à prima radice & origine omnia ista coram Deo virtutem exhauriat, vt virtuosa appellari queant.

Conceptus 2. Quod gratia necessaria est ad vitam æternam consequendam.

Lapsus Pelagij hæretici.



PRÆ manibus habens hoc diuinum, ac omnino cæleste principium, nimirum, gratiam Dei radicem, ac originem esse meriti, non possum non mirari maledictum illum Pelagium asseuerare ausum fuisse nos diuina gratia non egere, vt vitam æternam promereamur. Quod nullus vmquam Theologorum musitare ausus fuit. Verum quippe est, (vt omnia attingamus nostrorum Theologorum dicta) quosdam olim extitisse nostrates Theologos quorum plerique posse hominem sine gratia verum aliquod practicum cognoscere tenuerunt, vt contra Gregorium Ariminensem in 2. distinct. 26. quæst. 1. tenent, Durandus, Scotus, Gabriel, & Maior in 2. distinct. 26. Alij vero posse hominem, supposita Dei reuelatione, per Concionatores assentiri rebus fidei, non tamen veritatibus, & mysterijs fidei absque eo, quod adiuuetur illius potentia, gratia & auxilio Dei speciali asseuerarunt. Inter quos est Almainus in 2. dist. 13. concl. 2. Paludanus in 4. dist. quæst. 14. Capreolus in 3. distinct. 24. quæst. 1. Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 8. & Miranda in Summa Conciliorum post cap. 7. Concil. Arausican. contra quos immerito insurgunt Medina, & Vega de Iustificatione q. 9. Porro alij sine gratia, & speciali eius auxilio, sed solis viribus naturę dixerunt, posse hominem, bonum aliquod morale operari. In qua quidem sententia est Magister in 2. dist. 26. D. Bonauentura eodem in loco, & Vega de Iustificatione lib. 14. contra quos est Gregorius Ariminensis, in 2. dist. 26. quæst. 1. Altisiadorensis lib. 3. tract. 19. Marsilius lib. 1. q. 20. art. 3. & Capreolus in 2. dist. 28. quæst. 1. Qui omnes existimant hominem, post peccatum sine gratia, & speciali Dei auxilio, nullatenus præstare posse, aliquod bonum morale. Alij tandem fuere Theologi, qui disputantes de gratia, mira, & diuersa de ea, & dixerunt, & affirmarunt. At vero nullus vmquam Theologorum, repertus fuit qui ausus fuerit affirmare, nos non egere diuina gratia, ad vitam æternam consequendam, nisi iste maledictus Pelagius, ex magna Brittania oriundus, qui hanc hæresim disseminare attentauit, sub Pontificatu Damasi Hispani, & Cyriaci Romani, ac etiam sub principatu Archadij Imperatoris anno Domini 405. Quamquidem postea sequutus fuit Cælestinus, à quo sequaces, & assertatores eius, Cælestini (quemadmodum à Pelagio, Pelagiani) appellati fuere. Contra quos merito insurgit Diuus Augustinus lib. 3. Hyponosticon, tom. 7. in 3. responsione contra Pelagianos. Et S. Thomas p. 2. quæst. 109. art. 5. Est igitur, (velit nolit impius Pelagius) gratia Dei prima radix meriti, & primum æternæ gloriæ consequendæ fundamentum. Quandoquidem nulla natura inferior ad id, quod est proprium superioris, per se, hoc est, per essentiam illi conuenientem] eleuatur propria virtute, quinimmo eget virtute illius superioris, quæ illam ad se rapiat, quoquo modo, & eleuet euehatque. Luna etenim, quæ ex se opacum corpus est (ita vt dicta sit à sapientibus, terra magis, quam cælum,) non fit lucida virtute sua, sed vi solis eam illuminantis, cui soli ex natura conuenit lucere. Aqua insuper, cui suapte natura inest frigiditas, calorem non suscipit nisi vi ignis, cui ex natura propria id competit, vt sit principium calidarum rerum: Deo autem glorioso, suapte natura competit æterna vita: quoniam est fons vitæ, & in seipso semper sua felicitate potitur, videns seipsum, fruensque seipso, quomodo ergo homo propria vi ad talem tantamque gloriam eleuari poterit, nisi Deus illum sua gratia, diuinoque auxilio ad se rapiat, & assumat? Est igitur gratia prima radix meriti, & vitæ consequendę origo, hinc Dominus ait: [Sine me nihil potestis facere,] & hanc primam operum meritorum radicem, tamquam ad vitam æternam consequendam, necessariam optat noster Vates Ecclesijs Asiaticis, dum illis hic ait: [Gratia vobis.]

Opiniones antiquæ Theologorum. — Greg. Arim. — Verū aliquod practicū cognoscere possumus sine gratia. — Durand. Scotus. Gabriel, Maior. — Rebus fidei potest quis assentiri, nō tamen veritatibus fidei absque gratia. — Almainus. Paludanus. Capreolus. Soto. Miranda. Medina. Vega. — Bonū aliquod morale potest homo operari sine gratia. — Mag. sent. S. bonau. Vega. Altisiadorē. Greg. Arim. Marsilius. Capreolus. — Brittania insula Pelagij Patria. — Pelagius quo tempore suā super seminauit zizaniā. — Cælestini hęretici à quo ducant originem. — S. Aug. S. Thom. — Comparatio. — Luna qua ratione, lucida fiat. — Aqua quomodo calida fiat. — Ioan. 15.

Conceptus 3. De laudibus gratiæ. — S. Thom. — Alex. Ales. — Gratia est habitus à Deo infusus.



DE gratia Dei multi multa dicunt, eam summis laudibus ad sidera, vsque extollentes. Etenim Sanctus Thomas, p. 2. quæst. 113. & Alexander de Ales, 3. parte suæ summę, tractatu de Gratia dicunt, quod gratia est quidam habitus de nihilo à Deo creatus, & in anima infusus, per quem anima fit filia, & amica Dei, & eius sponsa dilecta. D. Bernardus autem in quodam sermone de gratia, ait: [Gratia est quędam lux sole, splendidior animæ iustæ infusa, tamquam radius à sole iustitiæ descendens animam, circumquaque purgans, illustrans, & deificans.] Sanctus Augustinus insuper lib. de Trinitate, dicit. Quod gratia est excellentius Dei donum, quod solum diuidit inter filios Regni æterni, & perditionis æternæ. Et recte quidem. Quoniam sicut militia cuiuslibet Principis distinguitur à militia sui hostis, per solum illius Principis signum: Ita gratia est signum in anima nostra per quod perfecte discernimur, quis sit de militia Regis æterni, vel de militia hostis eius, qui est Rex super omnes filios superbiæ, vt dicit Iob. 41. Rursus alij comparant gratiam luci, quoniam sicut lux est principium vitæ corporalis: Ita gratia est principium vitæ animę spiritualis. Vnde Hugo de Sancto Victore, in lib. de Arra sponsæ, ait: [Scias anima mea, quod gratia est vita tua,] & recte quidem. Quandoquidem anima cum habet gratiam, est quemadmodum carbo ignitus. Carbo enim ignitus habet essentiam, splendorem, & calorem, quod si ponatur aqua super ipsum, statim ab eo recedit calor, & splendor, & remanet simplex essentia carbonis tenebrosa, & tunc appellatur carbo mortuus, & non ignitus, aut viuus. Pari etiam modo, anima habens gratiam obtinet, ex consequenti splendorem ipsius gratiæ, & calorem amoris Diuini, at vero adueniente peccato mortali, recedit totus splendor, & calor charitatis, & remanet sola essentia animæ tenebrosa, & obscura. Et dicitur anima tunc mortua spiritualiter ob defectum gratiæ. Quidam porro dicunt gratiam esse tunicam albam, siue vestem nuptialem animæ, sine qua ingressus fuit ille, ad nuptias, cui dictum fuit: [Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?] Præterea sunt qui dicant gratiam esse animæ vitam. Quoniam sicut anima vitam tribuit corpori; ita gratia, vitam tribuit animæ, & hoc figurari aiunt per illud Ezechielis 1. [Spiritus vitæ erat in rotis.] Quidam insuper gratiam balsamo puro assimilant: propterea quod quemadmodum balsamum purum, etiam requirit vas in quo reponatur, sic gratia pura requirit animam in qua custodiatur. Nonnulli adhuc gratiam assimilant vento refrigeranti. Quia sicut spiritus dat refrigerium ardoris corporis, sic gratia habet refocillare

D. Bernard. — Gratia est lux — D. Aug. — Gratia excellentius Dei donum. — Comparatio. — Gratia est signum distinguēs animas. — Gratia lux, & cur. — Cornel. Mussius Eps Bitontinus in c. 5. ad Rom. — Hugo de S. Victore. — Gratia est vita nostra. — Comparatio — Anima habēs gratiā carboni ignito assimilatur. — Anima quomodo mortua appelletur. — Bernad. de Busto, in Rosario tom. 2. ser. 35. — Gratia vita animæ. — Simile. — Hectorpinti in c. 43. Ezec. — Gratia balsamum. — Comparatio.

ardores mentis, qui sunt secundum concupiscentiam nostram, ne extinguant animam. Item Diuus Chrysostomus, super illa verba: [De plenitudine eius omnes accepimus.] Sic affatur: [Gratia fons est, & bonorum omnium radix, non in seipso bonorum continens diuitias, sed in vniuersos diffundens, & plenus tamen remanens. Quod autem ego fero participabile est, ab alio enim accepi, & exigua pars totius est, & quasi gutta ad immensum abyssum, & ad infinitum pelagus comparata. Sed nec hoc exemplum quidem sufficit, nam si guttam à pelago acceperis, ea tamen pelagus, (etsi visu percipi nequeat,) minuitur. De illo tamen fonte hoc dici nullatenus potest, sed quantumcumque quis hauriat, nihil deficit.] Alterum exemplum afferemus eiusdem Diui Chrysostomi. Constituamus nobis igneum fontem, in quo innumeræ accendantur lucernæ, & totidem, & item totidem. Nonne huiusmodi fons ita plenus est igne, quemadmodum antequam quidquam luminis ex illo sumeretur? Maxime quidem. Ita prorsus dicendum venit de gratia. Quidam vero Eremita nomine Marcus, comparat, gratiam pluuiæ. Quemadmodum enim pluuia terræ infusa, accommodatam qualitatem plantis suppeditat, dulcem quid in dulcibus, amaram vero amaris; sic quoque gratia fidelium cordibus, indeclinabiliter adijciens conuenientibus virtutibus actiones largitur. Et tandem Diuus Hieronymus, super illa verba ad Ephesios cap. 4. [Vnicuique nostrum data est gratia, secundum mensuram donationis Christi.] sic scribit: [Licet Deus Pater super omnia sit, & per omnes, & in omnibus, tamen gratia, iuxta mensuram credentibus datur. Non quod ad mensuram spiritum gratiam tribuat Deus, (magnificentiæ enim eius non est finis,) sed quod iuxta mensuram vasculorum infundat liquorem.] Sic ille.

D. Chrys. ho. 14. in Ioan.

Gratia bonorũ omniũ radix.

Comparatio.

Gratia igneo fonti comparatur.

Gratia comparatur pluuiæ.

Simile.

Gratia nobis a Deo datur iuxta capacitatem nostrã.

D. Hier. in c. 4. ad Ephes.



DEPRECATVR noster Archipropheta Asianis Dei gratiam, dicendo illis: [Gratia vobis,] vt aperte intelligatur, gratiam primam, quamuis de condigno nullo modo, tamen de congruo ab vno posse alteri mereri, vt recte probat S. Thomas p. 2. quæst. 114. artic. 6. Et idem prorsus tenet Ægidius in 2. distinct. 56. quæst. 2. art. 2. Albertus Magnus eodem in loco, Medina, Caietanus, & alij Thomistæ in Commentarijs p. 2. quæst. 114 art. 6. Sic primam gratiam meruit Stephanus, Saulo, Monica, Augustino filio suo, Martha, Magdalenæ sorori suæ, & Moysen, populo Hebræo, cum pro eo orauit ad Dominum, dicendo, Numer. cap. 16. [Aperi eis Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.] Etenim (vt dicitur eodem in loco Numerorum,) obiurgati plane fuerunt filij Israel contra Dominum, dum ad terram promissionis proficiscerentur. Causa autem rixæ, & obiurgationis fuit plane celebris aqua Cades, crebro in sacro eloquio nominata, quæ vt alij plerique expositores tradunt aqua contradictionis appellatur, de qua Psalmista ait: [Probauit te apud aquam contradictionis.] Et patet etiam ibi dum dicitur: [Hæc est aqua contradictionis vbi obiurgati sunt filij Israel, contra Dominum,] & paulo post: [Non sanctificastis me apud aquas contradictionis.] Ecce igitur Hebræorum scelus, propter quod Moyses ira accensus, dixit eis: [Audite rebelles, & increduli; num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?] Et confestim orauit pro eis ad Dominum, dicendo: [Aperi eis Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.] Et impetrata gratia à Domino, mox virga bis silicem percussit, conuertens petram in stagna aquarum, ita vt egressæ essent aquæ largissimæ, vt populus, & iumenta biberent. Deprecatur ergo noster Archipropheta

Conceptus 4. Quod gratia prima ab vno alteri meretur.
Gratia prima potest mereri de cõgruo.
S. Thom.
Ægidius.
Albert. Mag.
Medina,
Caietanus.

Psalm. 105.

Aqua cõtradictionis.

Hebræorum peccatum rebellionis.

F Asiaticis Ecclesijs, (& nobis etiam cum ipsis gratiam Dei, dicendo: [Gratia vobis,] inuitans illos ad beneficia Dei recipienda, quemadmodum Christus Samaritanam mulierem, ad eandem primam gratiam inuitauit, dicendo Ioan. cap. 4. [Mulier da mihi bibere.] Verumtamen cum gratia Dei, aquæ comparetur in sacra pagina, superest plane, vt Asiani, & nos etiam peccatores, cum ipsa Samaritana, Deo dicamus: [Domine da mihi hanc aquam,] nimirum gratiam tuam. Et mox noster vates orando pro nobis, veluti alter Moyses pro populo Israel, Deo dicet: [Aperi eis Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.] Quæ mox fiet in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam.

Comparatio.

Gratia prima a Deo.



G SED dices nos de condigno meremur augmentum gratiæ, vt tenet S. Thom. p. 2. quæst. 114. artic. 8. Igitur pari modo poterimus de condigno primam gratiam mereri? Neganda plane venit illatio. Quemadmodum enim non tenet hæc consequentia. Homo est albus per albedinem, ergo albedo erit alba per albedinem. Pari etiam modo, & eodem pede claudicat omnino hæc altera, videlicet, meremur augmentum gratiæ: ergo primam gratiam. In vtraque namque illatione daretur progressus, in infinitum. Quoniam sicuti albedo est ratio formalis tribuendi esse album, vel albefaciendi, sic gratia prima, est prima radix merendi. Quamobrem augmentum gratiæ meretur, per primam gratiam, prima autem gratia mereri à nobis nullatenus potest, ne
H detur progressus in infinitum. Nequit itaque prima gratia mereri. Quoniam cum ad meritum requiratur gratia, (quia, vt nuper retulimus, ipsa est operum meritorum prima radix,) prima gratia nullatenus potest mereri. Quandoquidem ante primam gratiam non est in nobis gratia, alioquin prima gratia non esset prima. Ad quod recte egregieque capescendum audias oportet differentiam, quæ grassatur inter primam gratiam, & augmentum gratiæ, & inter meritum de congruo, & meritum de condigno. Gratia igitur baptismalis, nimirum, illa quæ datur in baptismo, appellatur à Theologis prima gratia: Gratia vero, quæ post lapsum, siue post læthale scelus commissum, datur per sacramentum pœnitentiæ, nuncupatur ab eisdem Theologis secunda gratia, vel gratia pœnitentialis. Et hæc est illa, quę augetur,
I & augmentatur, quando nos cum illa bene per actus sequentes cooperamur. Verumtamen quia fieri etiam potest, vt quis innocentiam baptismalem, semper conseruet, in simili casu talis gratia baptismalis semel in baptismo accepta, per consequentes actus, potest etiam augeri, & augmentari, nimirum cum illa inposterum semper bene cooperamur. Ecce plane totalem differentiam inter gratiam primam, & augumentum gratiæ. Porro meritum de congruo, & de condigno, sic vtrique differunt. Quoniam, scilicet, ad meritum de condigno requiritur vis motionis diuinæ, ad meritum vero de congruo, requiritur actus nostri liberi arbitrij, in quantum voluntariæ aliquid facimus. Et sic in merito ex condigno reperitur equalitas, & iustitia: in merito vero de congruo, reperitur inæqualitas. Quapropter mereri ex condigno est, mereri sic vt secundum iustitiam sibi debeatur, ita quod iniustum esset non reddi mercedem merito ex condigno. Quia meritum ex condigno no-
K men accipit ab æqua dignitate meriti ad mercedem, & in tali opere attenditur meritum secundum dignitatem gratiæ, quia vt dixi tale meritum ex condigno, procedit vi motionis diuinæ, nimirum gratiæ Spiritus sancti. Mereri vero ex congruo, est mereri sic, vt secundum iustitiam, (quæ requirit æqualitatem) sibi non debeatur. Et ratio est, quia

Conceptus 5. De gratia prima.

Solutio.

Gratia prima radix omniũ meritorum.

Augmẽtũ gratiæ meretur, prima autẽ gratia nõ meretur.

Aenodatur difficultas, proposita de gratia prima.

Gratia prima quid sit, Gra ia secũda quid sit.

Gratia augetur & quando.

Augmentum gratiæ qd sit.

Gratia baptismalis potest etiam augeri.
Meritum de cõgruo, & meritum ex cõdigno in quo differant.
Quid sit meritũ ex condigno.

quia opus tunc consideratur, secundum quod procedit, ex nostro libero arbitrio. Inter nos autem, & Deum, est maxima inæqualitas. Quia in infinitum distamus, & sic non potest esse in tali opere condignitas: sed tantum congruitas. Videtur enim congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Modo ad rem. Cum igitur nobis datur prima gratia, nimirum, gratia baptismalis, (quæ nobis datur dum baptizamur,) nihil cooperatur nostra voluntas, aut nostrum liberum arbitrium (nisi in adultis baptizandis,) & sic vnico Christi merito, qui per mortem, & passionem suam nobis ianuam cęli aperuit, delentur omnia peccata, & per consequens solus Christus meruit nobis, ex condigno hanc primam gratiam baptismalem. Et non tantum hanc primam gratiam baptismalem, verumetiam, secundam pœnitentialem, scilicet, quæ habetur post lapsum in peccatum mortale. Et ratio euidens est, (qua etiam intelligitur illud de baptismo adultorum,) nam quamuis cooperemur nos recipientes baptismum, aut sacramentum pœnitentiæ ad impetrandam de congruo gratiam, quæ in his sacramentis nobis datur, tamen meritum Christi, est totalis causa de condigno, ad illam obtinendam. Et sic prima gratia nobis meretur sine nobis, secunda vero non sine nobis. Et licet Christus interdum nobis mereatur, etiam sine nobis, tamen nos numquam meremur sine Christo. Iuxta illud Isa. cap. 26. [Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.] Vnde cum prima gratia nobis mereatur sine nobis, nullus poterit nobis primam gratiam mereri de condigno, nisi solus Christus. Idcirco Sanctus Thomas p. 2. quæst. 114. artic. 6. in hæc verba prorumpit: [Nullus potest mereri alteri primam gratiam nisi solus Christus, (merito de condigno,) quia vnusquisque nostrum mouetur à Deo, per donum gratiæ, vt ipse ad vitam æternam perueniat, & ideo meritum condigni, vltra hanc motionem non se extendit, sed anima Christi mota est à Deo per gratiam, non solum, vt ipse perueniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam, vt alios in eam adduceret, in quantum est caput ecclesiæ, & auctor salutis humanæ secundum illud ad Hebræos cap. 2. qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis, &c. Sed merito de congruo potest aliquis mereri alteri primam gratiam, quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in saluationem alterius.] Hucusque Sanctus Thomas. Quamobrem noster Prophetarum Antesignanus, desiderans Asianorum iustificationem, illis optat & cupit mereri de congruo, primam gratiam, dicens: [Gratia vobis.] Veluti pater ille qui adinuenit filium suum perditum, & paupertate, & nuditate oppressum, cupiens illum iterum vestibus nouis honorare, dixit seruis suis: [Cito proferte stolam primam.] Gratia enim prima, est stola prima, quæ aliter dicitur gratia præueniens, vel gratia iustificans, vt patet in hac eadem parabola de filio Prodigo. Nam cum ibi, dicitur: [Pater misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum,] ibi denotatur gratia præueniens. Cum vero dicitur: [Proferte stolam primam.] Ibi gratia iustificans demonstratur, quæ est prima gratiarum. Cum autem dicitur: [Date annulum in manu eius.] Ibi gratia cooperans exprimitur. Cum insuper, dicitur: [Date calceamenta in pedibus eius.] Ibi gratia perseuerans ostenditur. Cum tandem dicitur: [Occidite vitulum, &c.] Ibi gloria dignoscitur, quæ omnia primam gratiam sequuntur.

Venitur iam ad propositũ.

Solus Xps meruit nobis primã gratiã ex condigno.

Nota bene.

Prima gratia meretur, sine nobis.

S. Thom.

Ioan. desiderat Asianorũ iustificationẽ

Comparatio.

Luc. 15.

Ioan. desiderat mereri Asianis primã gratiam.

Stola prima, est gratia prima.

Filij Prodigi parabola explicatur opime.

A ASIANIS, noster Vates Ioannes, gratiam Dei exoptat, & nobis etiam, vt illos nosque de cognatione Angelorum faciat. Hęc etenim est gratiæ nobilitas, vt habentem illam Angelorum cõsanguineum faciat. Anima namq; nostra secundum naturam non solum est consanguinea Angelorum, verumetiam eorũdẽ soror. Hoc tamen non est, nisi anima ipsa sit in gratia. Quia tunc ipsa gratia, eiusdem matris, scilicet, supernæ patriæ, nos cum Angelis conciues facit, iuxta illud ad Galat. cap. 4. [Illa quæ sursum est Ierusalem, quæ est mater B nostra.] Quid, quod, gratia facit nos filios Dei. Omnes enim in gratia existentes, (vt ait Apostolus ad Roman. cap. 8.) sunt heredes Dei, coheredes autem Christi, consequenter autem eiusdem filij. Magna sane nobilitas gratiæ. Non enim exigua, (immo ingens,) nobilitas est esse de sanguine Regio, at vero maior nobilitas est, esse de cognatione Angelorum, & filiorum Dei numero. Quapropter Persarum Reges, propter excellentiam suæ nobilitatis, se consanguineos deorum vocabant. Sed hoc est ridiculum. Verumtamen, quod nos mediante gratia, Angelorum consanguinei, & Dei filij efficiamur, certissimum, & de fide est: [Quod si filij, (ait Paulus ad Galat. cap. 4.) igitur heredes per Deum.] Heredıtas namque paterna, primo & principaliter debetur filijs, iuxta illud Ioan. cap. 8. [Seruus non manet in domo, sed filius.] Et adhũc gratiam obtinentem, & bene illa cooperantem Christus matrem, C fratrem, & sororem vocat, dicendo Matthæi cap. 12. [Quicumq; fecerit voluntatem Patris mei qui in cęlis est, ipse meus frater, soror, & mater est.]

Conceptus 6. Quod gratia facit nos Angelorum cõsanguineos, & Dei filios.

Gratię natura.

Persarum nobilitas vana & inanis.

NEQVIVERAT profecto Ioannes noster, Asianis Ecclesijs, (& nobis cum ipsis) pulchriorem rem, quam gratiam Dei deprecari. Nulla enim datur creatura pulchrior gratia diuina. Quatuor enim secundum ordinem decoris, & pulchritudinis admiranda creauit Dominus. Primum est sol ab inferiori, qui omnibus D rebus visibilibus pulchrior est. Secundum est cęlum empireum, quod transcendit solis pulchritudinem, sicut sol pulchritudinem stellarum. Tertium est anima rationalis, quę transcendit pulchritudinẽ cęli empirei. Quartum est natura Angelica, cuius decor, & pulchritudo excedit animam, sicut aurum argentum. His omnibus pulchrior est gratia diuina. Est enim sole pulchrior, quia si oculus noctuæ, (vt ait Philosophus) non potest respicere solem, præter eius claritatem, multo minus oculus noster claritatem, & decorem, quem gratia in anima nostra causat cernere potest. Est etiam gratia cælo empireo pulchrior, quia cælum empireum ornatur animabus gratiam obtinentibus illamque refertis. Est insuper gratia pulchrior anima rationali, etenim anima rationalis sine gratia deformis est, & cum gratia formosissima. Est tandem gratia, Angelica natura pulchrior, quia minimus An-E gelus bonus pulchrior est, quam Lucifer, quod accidit ratione gratiæ, quam bonus Angelus obtinet, malus vero minime, quia illam per peccatum amisit. Quocirca diuisi sunt Angeli mali à bonis, & boni à malis, sicut lux à tenebris. Vnde Bernardus de pulchritudine gratiæ in quodam sermone, ait: [Gratia adeo pulchrificat, & decorat animam, quod si posset anima talis, videri in tali gratia adoraretur ab omni humano genere.] Sic ille.

Conceptus 7. Quod nulla est creatura pulchrior gratia.

Quatuor admirabiles res à Deo creatæ

Gratia exuperat solem, cęlum empireum, animã rationalẽ, & Angelos.

D. Bernard.

Vnde natura Angelica videns Mariam in terris plenā gratia, illam adorauit, dicens Lucæ 1. [Aue Maria gratia plena Dominus tecum,] nequiuerat igitur (vt dixi) pulchriorem rem, Ioannes noster Asianis, quam gratiam deprecari,



Conceptus 4. Quod Asia, & nos sicut terra sicca indigebamus gratia veluti aqua.

ASSVESCVNT Christicolæ, cum terra est arida, & sterilis, ob aquæ defectum, fundere præces coram Deo, vt de cælis super siccam illam terram pluat, vt sic terra, vberes fructus producere queat, & ob hoc, faciunt processiones, eleemosynas, orationes, offeruntque sacrificia. Quapropter videns discipulus præ ceteris dilectus, & Euangelista Ioannes, Asiam minorem spiritualiter aridam, siccam, ac sterilem, fructus Deo placitos producere minime valens (Episcopus enim Ephesi amisit primam charitatem, Episcopus Pergami habebat tenentes doctrinam Nicolaitarum, Episcopus Thyatiræ permittebat muliem Iezabel, (quę se Prophetam dicebat,) docentē fornicari, & manducare de Idolothytis, & sic de reliquis) eleuans oculos suos in cælis ad Deum patrem, ait Asianis: [Gratia vobis,] quasi dicat. Pluat de cælo Deus super te Asia, aquam illam suam cælestem: emittat ex alto super te altissimus, imbrem illum suum diuinum, effundat de throno Maiestatis suæ, rorem illum Deificum, det denique tibi, Asia, Deus, gratiam suam, qua per Spiritum sanctum, large irrigata, fructus sibi placitos in posterum producere queas, & valeas. Hæc est plane illa aqua, de qua dicit Dominus: [Qui sitit veniat ad me, & bibat, &c. flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ,] & alibi: [Qui biberit ex hac aqua non sitiet iterum.] Et merito gratia Dei, aquæ comparatur, fructificat namq; & fæcundat gratia, quemadmodum, & aqua. Sicut enim terra est sterilis nisi irrigetur aqua: ita anima nostra spiritualiter sterilis, & sicca est, nisi roretur gratia. Quidquid enim anima agit sine gratia existens, totum illud sane infructuosum reputatur ad vitam æternam. Quod fit manifestum ore prophetico. Dicit enim Diuinus Citharœdus: [Anima mea sicut terræ sine aqua tibi.] At quando anima habet gratiam, ita fæcunda est, vt singula eius opera sint meritoria, & condigna vitæ æternæ, dicente Apostolo 2. ad Corinth. 11. [Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus omnem sufficientiam habentes abunderis in omne opus bonum,] quod alibi indicauit Christus, dicendo: [Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.] Istā ergo gratiæ abundantiam noster Vates Asianis depræcatur, dum Asiaticis ecclesijs hilaris, ac lętus exclamat, dicens: [Gratia vobis.

Peccata prælatorum Asiæ minoris.

Ioan. 7.

Ioan. 4. Gratia cōdecenter assimilatur aquę.

Comparatio.

Anima nsa. sterilis sine gratia.

Psalm 142. Anima nostra fęcunda cum gratia.

Ioan. 10.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2. Dilucidatio textus. §. 1.

Et pax. (ait) Quicquid est desiderabile in hac vita hisce ecclesijs exoptat mellifluus Archipropheta, addendo in hac sua perillustri salutatione, pacem ad gratiam. Exorat itaque noster Primicerus Vates septem Asiæ ecclesijs gratiam, & pacem. Gratiam (inquam) quæ est peccatorum remissio & amicitia cum Deo: pacem vero quæ est ad futura premia: gratiam quæ est virtutum formatio, pacem quæ est tranquillitas mentis & quies animarum: gratiam denique ex qua est omnis mali ablutio: pacem ex qua est omnis boni adeptio simul desiderat. Merito plane Euangelicus Propheta Asiaticis ecclesijs pacem (inter alia) annuntiauit: quandoquidem Christus Dominus illam tamquam hæreditariam possessionem Apostolis suis, moriens iure hæreditario delegauit,

Pacis, & gratiæ varij effectus

Pacem Xpo delegauit Apostolis.

F dicens: [Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.] Quod sane olim figuratum fuit, dum Esaiæ 26. dicitur: [Domine dabis pacem nobis.] Quamobrem D. Dionysius Carthusianus super hunc locum, sic egregie scribit: [Pax est tranquillitas mentis, & quies eius in Deo, quam maxime habere condecet Christianum. Nam & Christus sic suos salutauit discipulos, Pax vobis, & ascensurus in cælum loquutus est eis passioni iam proximus pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Insuper hanc salutationis formam ipsis præfixit. In quancumque (inquit) domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui. Quam vero desiderabile deificum, ac beatum sit pacem habere ostendit, dicendo: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ideo monet Apostolus. Pax Christi exultet in cordibus vestris. Nullam itaque turbulentiam animi, nullam inquietudinem vitij, aut amaritudinem spiritus admittamus, G sed tranquilla Deo mente vacemus. Itaque gratia disponens ad pacem veram spiritualem, internam, & per consequens illam, insit, detur, & conseruetur vobis.] Hactenus Carthusianus.

Ioan. 4.

D. Dion. Car. in c. 1. Apoc.

Luc. 24. Ioan. 2. Ioan. 14. Luc. 10. Matth. 5.

Coll. 3. Pacis varia epitheta.

Verumtamen hic pax duo præcipue significare potest. Primum vtique tranquillitatem animi, quæ sine gratia esse nullatenus potest, dicente Isaia cap. 57. [Non est pax impijs, dicit Dominus.] Hinc est illud, quod de Christo prænuntiat Psalmographus in Psalm. 71. [Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.] Id est, abundantia tranquillitatis animi, iuxta illud August. lib. de Ciuitate Dei, cap. 13. [Pax omnium rerum tranquillitas, ordinis, cum singulæ partes suum ius obtinent, & affectus obediunt rationi, & ratio diuinæ legi seruit.] Sic ille. Se-H cundum vero, abundantiam bonorum. Quæ plane significari solet in sacra pagina, nomine pacis, iuxta illud Lucæ cap. 2. [Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis,] & Leuit. cap. 26. [Dabo pacem in finibus vestris.] Quibus in locis sumitur pax pro bonorum abundantia. His namque quibus gratia cælestis communicatur omnium vere bonorum abundantia cito adest, dicente Domino, Matth. cap. 6. [Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.] Hinc Isac benedictionem, quam Iacob tribuit à rore cæli incœpit, & ad inferiora bona terre perducit, dicendo, Genes. cap. 27. [Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini,] quod etiam Dominus Abrahamo significare voluit, dicendo illi Genes. cap. 15. [Suspice cælum, & numera stellas eius si potes, sic erit semen tuum.] Perinde ac diceret. I Tui veri filij erunt sicut stellę semper fixæ in cælo, vnde abundantiam expectabunt. Hæc autem abundantia consistit non in multitudine diuitiarum, sed in modico, & in paupertate pro Christo, iuxta illud Psalm 56. [Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.] Iustus etenim magis paupertate contentus viuit, quam Rex suo Imperio. Quemadmodum enim dum ægrotus, magna febri laborat et simul insatiabilem sitim patitur, dupliciter ei satisfieri potest, nimirum, vel aquam ad bibendum porrigendo, vel à febri vnde sitis exoritur, ipsum liberando. Quorum plane posterior modus excellentior vtique est, & in quo expertus medicus de sua scientia periculum facit. Pari etiam modo cum animus noster desiderio diuitiarum, atque bonorum K laborat, profecto longe maius beneficium, ei diuina confert libertas, cui tale omnino desiderium extinguit, quam illi cui diuitias tribuit temporales, quæ sitim numquam extingunt. Quare qui gratiam Dei obtinet, hic equidem ea pace, hoc est, abundantia omnium gaudet bonorum, quæ deficere nullatenus potest.

§. 2. Pacis gemina acceptio.

Pax significat trāquillitatē animi.

D. Aug.

Benedictiones maximæ.

Abundantia Xpiana in quo cōsistat.

Comparatio.

Sitiens dupliciter curari potest.

Diuitię temporales sitim minime extinguunt.

Con-

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. in quo varia pacis attributa recitantur

Pacis varia Epitheta.



ASIANIS, & nobis, pax mirumimmodum necessaria est. Quandoquidem pax, serenitas est mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortiumque charitatis. Pax itidem est, quæ simulatos collegit, bella compescit, lites componit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctisque est placida. Pax insuper instruit amare, non nouit aliquem odire, nescit extolli, nec minime nouit inflari. Hanc itaque singulis de B ecclesia Dei tamquam valde necessariam noster vates nomine septem ecclesiarum Asiæ exoptat. Hanc, nocte illa sanctissima, in qua vera lux de cælo descendit chorus Angelorum hominibus annuntiauit, dicendo: [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus,] ò felix pacis nox. Nox (inquam) in qua saluator noster ortus est: [Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum;] In qua medicus noster apparuit mundo: [Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.] In qua socius noster nobiscum adfuit: [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi.] nox (dicam) in qua merces nostra in terris visa est: [Ego ero merces tua magna nimis.] Nox denique in qua ortus est magister noster: [Vos vocatis me Magister, & Dominus,] spes nostra: [Spes mea ab vberibus matris meæ] fortitudo nostra: [Fortitudo, & laus mea Dominus,] patientia nostra: [Tu es C patientia mea,] virtus, & refugium nostrum: [Deus noster refugium, & virtus,] cibus noster: [Caro mea vere est cibus,] & tandem omne bonum nostrum: [Ostendam tibi omne bonum,] id est, memetipsum. In hac igitur nocte Angeli euangelizabant, dicentes: [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.] Perinde ac dicerent. Gaudere maxime oportet ò homines, quia ac felice pacis nocte conciues, ac conserui nostri facti estis. Paruulus enim iste recenter hac nocte natus gloria, & pace vobis plenus est. Gloria, quia eam ex nunc inposterum impetrare facile poteritis. Pace, quia inter Deum, & Adamum vestrum Protoplaustum parentem, amicitiæ factæ vtique sunt. [Gloria (igitur) in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.] Vides concentum istius Angelicæ cantilena? [Gloria] namque correspondet Deo [pax] vero D correspondet hominibus [In excelsis] correspondet Deo, & tandem [in terra] correspondet hominibus. Gloria itaque & pax, sunt veluti duo riuuli ab vno dumtaxat fonte originem trahentes. Fingite (si placet) mente, riuulos duos, originaliter ab vno fonte simul scaturientes, & vna defluentes, quorum vnus, hortum aliquem nemoribus, floribusque concitum irriget, alter, vero longe se diffundens per montes, saxa, & valles, postremo, per quandam speluncam, seu cauernam ad balneum aliquod temperandum (ad quod infirmi, & putrida membra obtinentes, crebro concurrant) se intromittat. Ita prorsus Gloria, & pax nocte illa sanctissima natalis Domini sese habuerunt. Quandoquidem ex vnomet fonte (nimirum ex ipsamet natiuitate Christi per voces Angelicas, quasi per canales emanantes, & defluentes, vnà & simul quasi duo riuuli E ab eodem origine) gloria irrigat per pulchrum illum cælestem Paradisum in altissimis Deo, qui omnibus nemoribus, & floribus cælestibus circumdatus est. Pax vero quasi per montes, saxa (vt riuulus) in hac valle lachrimarum, nimirum, in terra se præcipitat, in qua non desunt (immo abundant) Balnea (ad quæ infirmi, & putrida membris obtinentes, frequenter concurrant) quæ temperare valeat. Vnde cum gloria sit in excelsis Deo: merito addunt Angeli: [Et in terra pax hominibus.] Qui peccatis, iræ, rixæ, & discordiæ, quo-

Nox felix est nox natalis. Luc. 2.

Apostrophe ad noctẽ natiuitatis Domini.

Phil. 3.

Luc. 15.

Mat. 28.

Gen. 12.

Ioan.

Psal. 21.

Psal. 117.

Psal. 15.

Psal. 45.

Ioan. 6.

Exod. 33.

Luc. 2.

Angelica cantiuncula pacis.

Comparatio.

Pax, & gloria duo riuuli.

Gloria irrigat cæleste Paradisum.

Pax irrigat totam terrã

Balnea infirmorum, sunt in terra, quæ pax temperat

A tidie infecti esse maxime solent. Dixi supra, pacem, & gloriã veluti sorores esse & planũ vtrinq; fit. Propterea quod pax, & gratia videntur filiæ, gloriæ. Etenim sicut hic Angeli pacem cum gloria coniungunt dicentes: [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.] Sic alibi, Diuinus Citharœdus, gratiam cũ gloria coniungit per hæc verba: [Gratiam, & gloriam dabit Dominus.] Hanc denique pacem Christus Redemptor noster moriẽs, iure hereditario discipulis suis delegauit, dicens: [Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.]

Pax, & gratia veluti sorores

Pax, & gratia filiæ sunt gloriæ.

Psal. 83.

Ioan. 14.

Conceptus 2. de pacis necessitate.

Ecclesia sem orat pro pace.



DEPRECATVR Prophetarum Choripheus Ioannes, septem ecclesijs Asiæ pacem, quia pax in ecclesia Dei, inter Reges, & Principes sæculares: & ecclesiasticos: ciues, & pauperes: homines, & mulieres apprime necessaria est. Vnde ecclesia semper orat pro pace, ad Deum, dicens. [Da pacem Domine in diebus nostris. &c.] & postea ait: [Fiat pax in virtute tua.] & deinde addit: [Da seruis tuis illam quam mundus dare non potest pacem.] & in illa oratione pro Papa, Rege, & Populo, quæ incipit: [Et famulos tuos.] idem prope diem repetit dicens: [Pacem, & salutem nostris concede temporibus.] Perinde ac dicat, pacem Regibus, & Principibus ecclesiæ concede, seu nostro sæculo, in quo tot bella, lites, hæreses, rixæ dissentiones, prætentionesque in dies suboriuntur. Et millies sancta mater ecclesia ad pacem hortatur. Nam in cap. 1. de tregua, & pace, & in cap. Præcipimus, 90. dist. sic C dicitur: [Præcipimus, vt Episcopi ad solum Deum & salutem populi respectum habentes omni trepidatione semota, ad pacem firmiter tenendam, mutuum consilium sibi, & auxiliu m impendant. Neque hoc alterius munere, vel odio prætermittant. Quod si quis in hoc opere trepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat.] & in eadem dist, cap. Placuit ita habetur: [Placuit etiam, vt quicumque odio, aut longinqua inter se lite dissenserint ad pacem reuocari diuturna obstinatione nequiuerint a sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur; quod si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de ecclesiæ cœtu, iustissima excommunicatione pellantur;] Hæc ibi, & in cap, Nouit §. licet, dicitur quod procedere potest ecclesia contra eos, qui peccant contra pacem, quæ est vinculum charitatis. Et de consecrat. dist. 2. c. Pacem, Mandat ecclesia pacem dari ante communio- D nem. Preterea sancti ad pacem obtinendam nos crebro inuitant. Etenim D. Augustinus 9. lib. de ciuitate Dei, sic ait: [Tantum est pacis bonum, vt in rebus terrenis, atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil delectabilius contueri, nihil melius inueniri:] Idem videtur dicere in 15. lib. cap. 4. & lib. 19. cap. 2. & 12. ac 13. Et in sermone de Pace, ita ait; [Tempus est hortari charitatem vestram ad pacem amandam, sit ergo pax dilecta, & amica, cum qua sit castum cubile vestrum, cum qua sit fida requies, non amara consortia, cum qua sint dulces amplexus; & inseparabilis amicitia.] & paulo post; [Laudandi sunt qui pacem habent, & amant.] & iterum: [Verus pacis amator inimicorũ est miserator,] Et S. Thom. 2. 2. q. 29, art. 2. [Nemo est qui non appetat quietem, & pacem, & sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem nolit, nam iuxta Phil. 6. Eth. natura semper fugit triste, appetit au- E tem delectabile.] Et D. Dionysius, 11. lib. de Diuinis nominibus, sic ait: [Pax est vnio appetionum, & appetituarum inclinationum.] & D. Basilius ita scribit: [Vt nullum ædificium diu stare, & sustentari potest, vincula vbi substuleris; sic nec ecclesia adaugeri, & ad suum fastigium perduci poterit, nisi pacis, & charitatis vinculo constricta fuerit.] Porro Christus redemptor noster multoties ad pacem nos hortatur. Quoniam Marc. 9. art. [Pacem habete inter vos:] & Ioan. 14.

Ecclesiæ statutum de semper orare pro pace Principum Christianorum.

Pacis statuta multa.

Sancti inuitant nos ad pacem.

D. Aug.

Apostrophe D. Augustini ad pacem.

S. Thom.

D. Dionys.

S. Basilius orat. 1. de amore in Deum.

simile.

Christus crebro ad pacem nos vocat.

[Pacem

[Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.] & Luc. 20. [Pax vobis.] & Luc. 10. [In quăcumque domum intraueritis primum dicite, pax huic domui.] Hinc illud Apost. ad Ephes. 2. [Ipse enim est pax nostra, qui facit vtraque vnum.] & 1. Cor, 7. [In pace vocauit nos Deus.] Ob hoc D. Gregorius in Prologo decretalium appellat Christum, Regem pacificum, ex eo quod nos cum patre suo pacificauit. Et Isai. cap. 9. illum vocat: [Principem pacis.] Et merito quidem. Ostendit enim esse Christũ tripliciter Principẽ pacis. Primo, nascendo, quia nasci voluit, quando totus mundus erat in pace. Hinc Calendarium Gregorianum ait: [Toto orbe in pace composito Christus, &c.] Quæ plane pax durauit duodecim annis tempore Octauiani Imperatoris, vt refert Innocentius Tertius. Secundo viuendo, quia semper (inter alia) pacem prædicabat. Tertio moriendo. Pepercit enim in cruce moriendo crucifixoribus, dicens Lucæ 23. [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] Super quæ verba annotandum passim venit cum D. Bernardo, quod non ait Patri: [Pater examina, vide, considera,] sed [Pater ignosce,] vt nos doceret omnes iniurias obliuioni tradere, & toto corde pace, & charitate, ac pleno ore atque efficaci opere indulgere. Insuper ostendens compassionem super crucifigentes addit: [Quia nesciunt quid faciunt] quasi diceret. Ignorant Dei beneficia erga te, & pœnam, quam ex hoc incurrunt, ac gloriam quam perdunt. Tandem (dimissis Apostolorum auctoritatibus, quæ sunt penè infinitæ) Prophetæ Dei pacem nobis varie commendant. Dauid enim Psal. 118. sic ait: [Pax multa diligentibus legem tuam.] & Psal. 122. [Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.] & Psal. 124. [Pax super Israel.] & Psal. 113. [Delectabuntur in multitudine pacis.] & Psal. 121. [Rogate quæ ad pacẽ sunt Ierusalem.] & Psal. 147. [posuit fines tuos pace.] & Psal. 28. [Dominus benedicat populo suo in pace.] & Psal. 33. [Inquire pacem, & persequere eam.] & Ps. 119. [Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus.] & Psal. 84. [Audiam quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem suam.] & Salomon prou. 12. ait: [Qui pacis ineunt consilia sequetur eos gaudium.] & Isa. cap. 25. dicit: [Quam pulchri sunt pedes euangelizantium, & annunciantium pacem.] & cap. 17. [Veniat tibi pax, & quiescas in cubili tuo.] & Hier. 16. [Abstuli pacem à populo isto, & morientur grandes, & parui.] & cap. 19. [Quærite pacem ciuitatis, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vestra.] & Ezech. 11. [Dabo eis cor vnũ, & animam vnam, &c.] & Baruch. 3. [Si in via Dei Ambulasses, habitasses vtique in pace.] & 2. Machabeor. 1. [Aperiat Dominus cor vestrum, & faciat pacem.] & 3. Reh. 17. [Sit pax domui tuæ, & omnibus quæcumque habes.] & Sap. 3. [Donum, & pax est electus Dei.] & Isa. 13. [Opus iustitiæ pax.] & Aggei. 8. [Veritatem tantum, & pacem dilexi.] & Hester. 13. [Pax optata cunctis mortalibus.] & Zach. 9. [Et loquetur pacem gentibus.] & Esa. 87. [Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longe est, & qui prope est dixit Dominus.] & cap. 23. [Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.] & Iob 6. [Qui restitit ei, & pacem habuit?] & Iob cap. 22. [Habeto pacem, & per hanc habebis fructus optimos.] & Isa. cap. 26. [Seruabis pacem, pacem quia in te sperauimus.] & paulo post: [Domine dabis pacem nobis.] Sunt & aliæ infinitæ auctoritates circa pacem, & tranquillitatem, quas nimium longum esset recensere, ex quibus omnibus pacem in ecclesia necessariam esse aperte colligitur. De apibus dicunt naturales quod quandiu inter eas concordia, & pax est quædam illarũ flores afferunt: aliæ aquam adducunt: aliæ domunculas ædificare contendunt: aliæ mel eliciunt: aliæ fauum componunt: & omnes tandem vnanimiter, & concorditer laborantes miro artificio dulcissimos fabricantur fauos: Verumtamen si diuisio, & discordia inter eas aliquando consurgit non solum mel, fauos, & cera deperditur, verumetiam inuicem aculeis se occidunt, & destruunt. Haud secus. Quan-

Princeps pacis fuit Christus tripliciter.

Explicatur optime locus ille pater ignosce illis, &c. S. Bernard.

Pacem nobis commendant Dei vates. Pacis vtilitates. Pacem diligunt amatores legis. Pax causat abundantiã. Pax delectat. Pax finis noster. Pace benedicitur populus. Pax inquirenda. Pax pacificat nos. Pax loquenda. Pax generat gaudium. Pax euangelizanda. Pax causat requiem. Pacis ablatio causat mortem. Pax causat cor vnum, & animam vnam. In pace habitandum. Pax aperit cor. Pax in domo habenda. Pax donum Dei. Pax, & veritas diligenda. Pax fructum labiorum. Pax causat requiem opulentam. Pax optimos causat fructus. Simile de Alueo apum. Apum concordia. Apicularum artificium ingens.

E do in hoc diuino Alueo, nimirum ecclesia Dei, (quæ receptaculum est in quo apes, nimirum Reges, & Principes christiani mellificare debent,) pax & concordia conseruatur, vnus illorum contra Hæreticos, & eorum hæreses insurgit: alter vitia populi comprimit: alter Agarenos destruere contendit, & omnes vnanimiter laborantes pro Christo, dulcissimos in eius ecclesia faciunt fructus; at vero si diuisio, & discordia inter eos consurgit se inuicem occidunt, & destruunt, vt Apes. Est insuper pax in ecclesia Dei, vel in ciuitate aliqua veluti Harmonia chordarum cõsonanter aptata in musicis fidibus, vel veluti concentus, in tibijs, aut in dissimilarum vocum cantu. Nam si in musicis harmonia cordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit. Si vero sit aliqua in fidibus dissonantia ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: similiter etiam si in cantu
G dissimillimarum vocum, seruatur concentus vocum, aures audientium delectantur, si vero in tali cantu fuerit aliqua vox discors, aut ab alijs vocibus discrepans, audientium aures, id ferre nequeunt; sic & pax in ecclesia Dei, quam discordia destruit. Quapropter Ioannes pacem optat hisce Asianis ecclesijs.

Apum discordia. Ecclesia cõparatur alueo apum. Princeps Christiani pace, & concordia quid faciant. Simile. Cantantium voces oportet sint concordes.



NOTANDA sunt plane verba, nostri euangelici Vatis, non enim dixit Asianis: [Gratia vobis, & concordia.] Quinimmo: [Gratia vobis, & pax.] Huius ratio est, quia pax excedit, & superat concordiã, eo quod pax est tranquillitas quædã cordis, quæ consistit in hoc, vt motus omnes appetitiui qui suapte natura in
H diuersa feruntur in homine conquiescant. Vnde Dionysius ait, quod pax est vnio appetitionum, & appetitiuarum inclinat ionum. Concordia vero est, quæ tollit tantum dissensionem vnius hominis ad alterum. Et idcirco pax excedit concordiam, ex eo quod concordia tantum tollit dissentionem vnius ad alterum. At vero pax omnem tollit dissensionem, & vnius ad alterum, & ipsius ad seipsum. Est enim pax, omnium vnitiua, & consensus operatiua. Quo fit, vt concordiam habere aliqui possent, timore alicuius mali imminentis. Sed vera pax omni repugnat timori. Vbi enim timor est ibi dissentio est, & non pax. Timor namque maxime inquietat corda hominum. Quapropter dicimus, inter aliquos posse esse concordiam, & non pacem, Quos aliquando ex concordia iustitia deducit ad pacem per bellum, iuxta illud Esa. 32. [Et erit opus
I iustitiæ pax.] Nam videmus Principes, qui timore, fœdera inierunt cõcordiæ, & paulo post omnia dissoluere iura, violare pacta, mouereque bella, vt ad pacem peruenirent. In qua nihil eorum voluntati repugnat. Bellamus enim vt in pace degamus. Arbitrantur enim se pace non habere, licet concordiam habeant. Iustitia itaque cuius est iustare, (vt ita dicam) id est, adæquare, remouet ea quibus appetitus sunt inquieti, & perturbati, & ita reddit cor pacatum, & tranquillũ.

Conceptus 3. in quo differat pax à cõcordia. Pax quid sit. Dionysius 11 lib. de diuinis nominib. Concordia quid sit. Pax vnitiua, & operatiua. Timor torquet hominum corda. Iustitia deducit aliquos ad pacẽ per bellum.



CVM D. Ioannes Asianis ecclesijs, (& nobis) pacem à Deo postulat, existimo pacem illam deprecari, de qua Esai. cap. 57. dixit: [Dabo eis pacem super pacem.] Hoc est (secundum septuaginta interpretum translationem) dabo
K eis, & corporis, & mentis pacem. Etenim licet in hac vita pace perfruamur, vt patet ore prophetico: [Pax multa diligentibus legem tuam] nõ tamen perfecta, & integra pax est. Quia corporis, & huius vitæ est. Hinc ecclesia pro altera pace (nimirum mentis, & patriæ æternæ) exorat dicendo: [Da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem;] Quia ista est ex omni parte perfecta, & in hac vita (nisi in patria) habere minime potest. Huius ratio est, quia perfe-

Conceptus 4. de pace mentis, & corporis. Explicatur optime locus Isaię de pace super pacem. Pax super pacem quid sit. Gemina pacis acceptio

Cor noſtrum in via inquietum. D. Aug. in meditationibus.

perfecta,& integra pax dicitur illa qua omnes appetitus quietantur, & ſatiantur. Quod haberi non poteſt in via,cum ſit proprium patriæ. Nam cor, & mens noſtra in via. (dum ſumus in hac vita) inquietatur. [Inquietum eſt cor noſtrum, (ait D. Auguſtinus) donec reuertamur ad te.] & alibi: [Feciſti Domine cor noſtrum ad te,& ideo eſt inquietum donec requieſcat in te.] Mens enim noſtra, & cor, non poteſt quieſcere perfecte,niſi habeat quæcumque vult. Deſiderium autem motus,& deſiderium quietis maxime inter ſeſe aduerſantur, immò ex diametro repugnant, cor vero noſtrum in via eſt inquietum quacumque enim tribulatione exorta, ſtatim huc, atque illuc circumfertur: quomodo igitur perfectam pacem ex omni parte abſolutam (qua omnes appetitus quietantur,& ſatiantur) habere poterimus in hac via? His addo quod licet motus animæ iuſtorum in via aliquantulum in Deo quieſcant,tamen ſunt multa repugnantia intus, & foris,quæ hanc pacem ſpiritualem profligare conantur:[Caro (ait Apoſtolus) concupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem,vt non quæcumque vultis illa faciatis.] Quamuis enim per gratiam iuſtus ſanatus ſit quantum ad mentem,remanet tamen corruptio,& infectio quoad carnē, iuxta Paulinam illam ſententiā ad Rom.7.[Mente ſeruio legi Dei,carne autem legi peccati.] Hæc omnia perfectam pacem tollunt,& diminuunt. Quocirca pax integra,& perfecta,qua omnes appetitus quietentur, & ſatientur nequit haberi, niſi in alia vita. Tunc ſiquidem adimplebitur illud Eſa.32: [Sedebit populus Dei in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.] Hinc Dauid ait: [Poſuit fines tuos pacem.]& alibi:[Satiabor cum apparuerit gloria tua.] Nimirum ſuperna illa Ieruſalem quæ omnino libera eſt, & pacifica. Hanc ſiquidem mentis pacem directe poſtulat à Deo,D.Ioannes eccleſijs Aſiæ. Et quia hæc in hac vita perfecte haberi non poteſt, optat eis indirecte,pacem etiam corporis, vt ex hac,ad illam mentis pacem deuenire queant. Vt ſic nos, & illi, effectum illius diuinæ vocis:[Dabo eis pacem ſuper pacem.]Tandem obtinere valeamus.

Iuſtus in via nequit perfectam obtinere pacem. Gal.5.

Iuſtus qua ratione circa pacem in via

Pacis ſeſſio in patria.

Pſal.147. Pſal.16.

De corporis pace ad mentis quietem deuenitur aliquando.

P A R A P H R A S I S
Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Perſona filij, eſt,erat,& ventura eſt iudicare.

Ab eo (ait) qui eſt,& qui erat, & qui venturus eſt. Ad perſonam dumtaxat filij Dei incarnati quatenus æterna eſt, & viuos, mortuoſque iudicatura, ſuum euangelicus vates, hoc in loco dirigit ſermonem. Filius enim Dei eſt Qui erat iuxta illud Exod. 3. [Ego ſum qui ſum.] Et eſt,iuxta illud Moyſi. [Qui eſt miſit me ad vos.]Et qui venturus eſt iudicare iuxta illud Ioan.5.[Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo,ſic dedit,& filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudiciū facere.] Quam iudiciariam poteſtatem ab æterno ſecundum diuinitatē cum patre ex natura habuit. Quo circa vates noſter hanc æternitatem filij iudicaturi his verbis (quibus æternitas ipſa ſolet exprimi,& intelligi communiter) conatur oſtendere vt ſic Aſiani aperte intelligerent iudicem venturum, de quo mox dicturus eſt: [Ecce venit in nubibus.] illum met eſſe quam paulo ſupra: [Verbum Dei,]appellauit dicendo: [qui teſtimonium perhibuit verbo Dei;]de quo etiam in principio ſui euangelij dicturus erat: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum,& Deus erat verbum.] Et ex conſequenti,iudicem illum, æternum eſſe Deum in tempore hominem factum, vt ſic varias contra æternitatem filij Dei hæreſes futuras vnico dumtaxat verbo comprimeret. Hinc ſalutatio iſta ita ſonare videtur. Gratia,& pax ſit vobis[ab eo,] Qui eſt æternaliter genitus à patre, cuius nomen eſt[qui eſt] æternaliter cum patre,hic refutantur Iudæi aſſeuerantes ipſum ante eſſe, & in paſſione extinctum, ſeu mortuum, [Et

Filius Dei ab æterno obtinuit per naturam iudicatiuam poteſtatem.

Iudex venturus Deus.

Ioan.1.

Hæreſes multorum profligantur.

Lapſus Iudæorum exiſtimātium Chriſtū in paſſione extinctum.

A qui erat]apud patrem inconnumerabiliter. antequam mundus fieret, & hic ruunt Ariani affirmantes ipſum non fuiſſe ante mundi conſtitutionem, [& qui venturus eſt]nimirum, ad iudicandum æquanimiter ſecundum meritum ſuum rediturus, & hic profligantur Manichei,& Saducei, quorum primi iudicium negant finale;alteri vero animas perire vna cum corpore aſſeuerant. Eſt igitur hoc loco ſermo de ſola perſona filij Dei, quatenus æterna eſt, & ad iudicandum ventura.

Lapſus Arianorum putantium chriſtū ex tēpore habuiſſe initiū.

Lapſus manichaorum, & Saduceorum, qui diicreoūt iudicium.

Fauent huic explicationi noſtræ Primaſius, diſcipulus D. Auguſtini, qui ſuper hunc locum ſic ait: [Licet iuxta Apoſtolū, Deus erat in Chriſto,mundū reconcilians ſibi,vel ſicut ipſe teſtatur: Qui me miſit mecum eſt, propter vnitatem vnius eiuſdemque naturæ: Ad B perſonam tamen filij hic proprie redigendus eſt locus. Eſt enim,quia idem permanet, erat, quia cum patre omnia condidit non ex Virgine initium ſumpſit, venturus eſt,ad iudicandum.]Hæc ille. Et gloſſa interlinealis,quæ ſic vertit:[Gratia vobis, & pax ab eo(id eſt à Chriſto)qui erat,& qui eſt,& qui venturus eſt.]Et gloſſa ordinaria,quæ ſic exponit. [Qui eſt,& qui erat, &c. æternaliter, quamuis natus ex tempore, iam immutabilis per humanitatem,& olim corruptibilis: talis venturus eſt; & ſi modo non apparet talis.] Et S. Thom.qui ſic vertit: [Ab eo,ſcilicet Filio Dei, qui eſt immutabilis propter ſingularem dignitatem exiſtentiæ,quia ipſe ſolus vere eſt proprie, alia ad eum comparata,quæ non ſunt, Exod. 3. qui eſt, miſit me ad vos, & qui erat æternaliter, per hoc notatur omnia præceſſiſſe. Erat enim quando mundus non erat, Ioan.1. In principio erat verbum. Et venturus eſt ad iudiciū, C Iſa.3. Dominus ad iudicium veniet cum ſenioribus populi ſui,& ſic oſtenditur eius immutabilitas, & æternitas,& æquitas.]Hæc ille. Hoc ergo loco ſermo vere,& proprie eſt de ſola perſona filij quatenus immutabilis,& æterna eſt,& iudicatura.

§. 2.

Auctoritates pro parte huius expoſitionis.

Primaſius in comment.

Laudunenſis in ſua gloſſa Interl.

Strabus in & à gloſſa ordinaria.

S.Thom in c. 1.Apoc.

Ceterum non me præterit aliquos fuiſſe auctores, qui hunc locum aliter enodare contendant: D. namq; Dionyſius Carthuſianus, & Beda in hoc loco,hæc verba de ſola perſona Patris interpretantur, dicentes: [Deus enim Pater, & venit, & venturus eſt in Filio.] Porro Rupertus Abbas,Franciſcus Ribera, & Iacobus Suarez a ſancta Maria, locum iſtum de tota Trinitate exiſtimant eſſe intelligendum, quia tota Trinitas iudicatura eſt homines in fine ſæculi per Chriſtum.

§. 3.

Expoſitio D. Dionyſij Carthuſiani,& Bedæ.

Expoſitio Ruperti Abbatis Riberę. & Iacobi Suarez.

Verumenimuero horum virorum vtraque expoſitio D textui conſentanea nullatenus eſt. Primo ſiquidem illud Bedæ,& Charthuſiani nō tenet,ex eo,quod in textu eſt ſermo de perſona quæ per ſeipsā iudiciū debet exercere. Conſtat autē perſonā patris per ſeipsā non iudicare quemquā,iuxta illud Ioan. 5. [Neq;enim Pater iudicat quemquam per ſeipſum) ſed omne iudiciū dedit Filio.] Vnde licet Pater venturus ſit in Filio, tamen in textu,vere,& proprie non loquitur de Patre, ſed de ſola perſona Filij, qui per ſeipſum iudicaturus eſt. Nec minus tenet Ruperti Abb. Ribera, & Franciſci Suarez à ſancta Maria expoſitio, ex eo quod licet tota Trinitas ſit:[qui erat,eſt,&c.] tamen locus iſte Apocalypſeos à nemine Theologorum adducitur ad probandam Trinitatem, ſed ad probandam æternitatem, quæ à nobis optime intelligitur per omnes tres temporum differentias. Male igitur conglutinatur, & E coniungitur à Ruperto,Ribera, & Suarez locus iſte: [Qui eſt,& qui erat,&c.]cum hoc alio loco:[Sanctus, Sanctus,Sanctus,&c.] cum hic à Theologis ad Trinitatem probandam adducatur, ille vero cum hoc alio: [Ego ſum Alpha, & Omega, &c.] ad Æternitatem perſonæ cuiuſlibet diuinæ adduci ſoleat. Quoniam cum æternitas ſit nomen ſubſtantiale, vnicuique perſonæ conuenit ſecundum quod erit ſenſus ex antecedentibus,& conſequentibus in alio textu, v.g. in iſto, in quo ex antecedentibus,& conſequentibus ſermo eſt vere,& proprie de Filio Dei æterno, iudicaturo, qui verbum Dei eſt.

§. 4.

Refellitur Beda, & Carthuſiani expoſitio.

Impugnantur Rupertus Ribera, & Suarez.

1.argum.

Porro

2. Argum. Porro talis expositio claudicat ex eo, quod in textu, (vt dixi) est sermo de persona diuina, quae per seipsam iudicium exercere debet, vnde licet iudicium pertineat ad totam Trinitatem, quemadmodum omnipotentia, maiestas, prouidentia, & reliqua nomina substantialia, tamen iudiciariam potestatem ab aeterno filius à Patre, per simplicem quandam emanationem habuit. Et cum ad iudicium requiratur sapientia, & veritas, & Filius sit sapientia genita, & veritas à Patre procedens, hinc concludit S. Thom. 3. p. q. 59. art. 1. in corpore, quod iudicaria potestas, propriè attribuitur Filio Dei. Quapropter in solutione ad primum argumentum eiusdem articuli, sic ait: [Ex illa ratione, (nimirum, iudicare pertinet ad Dominum & esse Dominum creaturarum est commune toti Trinitati,) probatur, quod iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati, quod verum est, sed tamen per quandam appropriationem iudiciaria potestas attribuitur G Filio.] Haec Diuus Thomas. Et sic in hoc textu sermo est proprie de Filio iudicaturo, quatenus aeternus est.

Difficultas. Sed dices, si locus iste Apocalypseos 1 [Ab eo, qui est, &c.] non est intelligendus, de tota Trinitate iudicatura, sed vere, & proprie de sola persona filij iudicatura, quatenus aeterna est, quare igitur mox in textu additur: [Et à Iesu Christo qui est testis, &c.] Vel ergo in textu committitur petitio principij, (quod non est dicendum,) vel talis expositio est nulla.

Solutio difficultatis. Pro decisione dico, nullam in textu petitionem principij esse, immo mysterium magnum. Dicitur enim primo de Filio Dei: [Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, &c.] vt intelligatur, Filium H Dei, in quantum Verbum Dei naturaliter habere potestatem iudicandi. Deinde mox additur: [Et à Iesu Christo, qui est testis, &c.] vt intelligatur, Filium Dei in quantum carnem assumpsit, id est, in quantum homo factus est, eandem potestatem iudiciariam accepisse, iuxta illud Ioan. cap. 5. [Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] Hinc Daniel in cap. 7. vidit quasi filium hominis venientem, cui antiquus dierum dedit regnum, & potestatem. (Nota bene.)

3. argum. Quo refellitur Rup. Abb. Ribera, & Iacobus Suarez à S. Maria. Subiungitur denique tertia ratio. Quoniam Ioannes in hac Apocalypsi, (quemadmodum in Euangelio, & in Epistolis etiam suis,) veritatem diuinitatis Filij Dei incarnati affirmare intendit. Quamobrem, quod alibi per vnam dumtaxat temporis differentiam erat explicaturus, dicendo: [In principio I erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.] hic per tres diuersas temporis differentias explicat, dicendo: [Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est,] ipse enim filius, & est essentialiter aeternus patri, & qui erat etiā cum patre in creatione mundi, & qui venturus est adhuc cum gloria patris in fine mundi. Hinc Apostolus ad Heb. 13. sic de Christo ait: [Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in saecula,] id est, qui fuit ab aeterno, est nunc, & in aeternum permanebit. Intendit igitur hoc loco, noster Archipropheta probare coaeternitatem Filij, cum Patre, & Spiritu sancto. Quoniam Filius Dei cum sit Deus, ipse est qui erat, & qui est, & qui venturus est, & de quo ait Apost. ad Rom. 11. [Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula, Amen.] Quamobrem haec verba: [Ab eo, qui est, & qui K erat, & qui venturus est.] Perinde valent, ac diceret vates Dei. Pacem, & gratiam quam vobis deprecor à Filio Dei incarnato habeatis, qui aeternus est, & iudicare venturus: in quo est summa gratiae plenitudo (vidimus enim eum plenum gratia,) & in quo ita iustitia, & pax osculatae fuere, vt recte de illo dicatur, ore prophetico: [Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis,] fuit enim ipse pacis Princeps. (Ioan. 1. Psalm. 84. Psalm. 71.)

Conceptus Praedicabiles in textum.

Concep. 1. q aeternitas varijs nominib in sacra pagina explicatur. SOLET aeternitas, tum à sacra pagina, tum à Doctoribus, multifarie multisque modis exprimi. Primo siquidem aeternitas significatur per [hodie,] iuxta illud Psal. 2. [Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.] hodie, id est, aeternaliter; quoniam ibi est sermo de aeternali generatione verbi Diuini, & sunt verba aeterni Patris ad filium, ad quam alibi dixit: [Ex vtero, (nimirum ex essentia,) ante Luciferum genui te.] Praeterea aeternitas significatur per has voces: [In saeculum, & in saeculum saeculi,] & [in saecula saeculorum,] nam Psalm. 117. sic dicitur: [Confitemini Domini quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius,] vbi ly, [in saeculum] idem est quod [in aeternum,] iuxta illud Psal. 99. [Laudate nomen eius: quoniam suauis est Dominus, in aeternum misericordia eius,] & Psalm. 44. sic dicitur: [Sedes tua Deus, (siue thronus tuus) in saeculum saeculi,] id est, in aeternum. Nam septuaginta interpretes ad demonstrandam veram aeternitatem, solent geminare illam vocem, [in saeculum,] ita vt dicant: [In saeculum, & saeculum,] & [In saeculum saeculi,] ac etiam [in saecula saeculorum.] Quamuis haec obseruatio non videatur esse perpetua. Propterea, quod in Psalm. 36. sic dicitur: [Iusti hereditabunt terram, & habitabunt in saeculum saculi super eam,] vbi illud [in saeculū saculi,] non significat veram aeternitatem, sed tempus omne praesentis vitae. Porro aeternitas exprimi solet, per hanc vocem; [à saeculo.] Hinc in Psalm. 89. dicitur: [A saeculo vsque in saeculum tu es Deus,] à saeculo, id est, ab aeterno. Sed non semper tenet haec regula. Nam à saeculo, in sacra Scriptura, non semper denotat aeternitatem, cum aliquando denotet longissimum tempus, vel à principio mundi, iuxta illud: [A saeculo nō est auditum, quod quis aperiat oculos caeci nati,] & Genes. 6. [Illi sunt potentes à saeculo viri famosi,] & Ierem. 2. [A saeculo confregisti iugum meum,] vbi [à saeculo] non denotat aeternitatem, sed longum tempus, vel principium mundi. Et eodem modo accipitur illud Luc. 1. [Sicut locutus est per os sanctorum: qui à saeculo sunt prophetarum eius.] Solet insuper aeternitas, ab Hebraeis exprimi per hanc vocem [Holam,] & à Graecis per hanc aliam vocem. [αἰών,] id est, semper existens. Quocirca vbicumque Hebraei ad significandam aeternitatem ponunt. [Holā] Graeci scribunt [αἰών,] Aeternitas adhuc intelligitur per hanc vocem [ab initio.] Vnde Prou. 8. de sapientia diuina sic dicitur: [Ab initio & ante saecula creata sum, &c.] Et Micheae 5. ita scribitur. [Egressus eius ab initio á diebus aeternitatis,] & Ioan. 1. epist. [Quod fuit ab initio, quod vidimus,] quibus locis [ab initio] ponitur pro ab aeterno. Item aeternitas exprimi solet per hanc aliam vocem [in sempiternum.] Hinc Dominus promisit Abrahae, dicens, Genes. 15. [Omnem terram hanc tibi dabo, & semi tuo vsque in sempiternum,] id est, in aeternum. Aliquando etiam duratio infinita, siue vera aeternitas, exprimitur per hanc vocem, [& vltra] vnde Exod. 15. dicitur: [Dominus regnabit in aeternum, & vltra.] Verumtamen hoc prouenit ex voce Hebraea [Holam] quę semper non significat veram aeternitatem, quae principio, & fine caret, vt videre est apud Hebraeos. Quocirca nonnulli post vocem hanc [Holam] apponere solent in suis versionibus, dictionem hanc [vltra] vt vera denotetur aeternitas. Quocirca vbi nos legimus: [Dominus regnabit in aeternum, & vltra.] septuaginta interpretes legunt: [Dominus regnabit in saeculum, & adhuc,] Chaldaeus vero Paraphrastes sic vertit: [Dominus regnabit in saeculum, & in saecula saeculorum.] Quidam vero

Marginal notes (right column): Aeternitas significatur per varias voces. — Aeternitas significatur per hanc vocem, hodie. Psal. 109. — Aeternitas significatur per has voces, in saecula saeculorum, in saeculum saeculi, a saeculo. — Ioan. 9. — Luc. 1. — Aeternitas significatur per hanc vocem Hebraam, Holam. — Aeternitas significatur per hanc vocem ab initio. — Aeternitas significatur per hanc vocem, & vltra. — Diuersae lectiones.

vero alij ex Hebræo sic transferunt: [Dominus regnabit in sæculum, & vsque in perpetuum,] quæ diuersitas originem habet (vt dixi) ex illa voce Hebræa : [Holam.] Verumtamen S.Thom. 1.p.quæst. 10. artic. 3. ad 1. disputans de æternitate, docensq; eam vtrinque esse indeterminabilem, affert præfatum locum Exodi; [Dominus regnabit in æternum, & vltra,] & reddit rationem quare dicatur in Exodo, [in æternum, & vltra.] ita enim scribit: [Quod autem dicitur in Exodo Dominus regnabit in æternum, & vltra, secundum quod æternum accipitur ibi pro sæculo, vt habet alia translatio. Dicitur igitur regnaturus vltra æternum, quia regnum eius durabit vltra quodcumque sæculum, id est, vltra quamcumque propositam durationem: nihil est enim aliud sæculum, quam periodus durationis cuiuslibet rei, vt tradit Aristoteles 1. lib. de Cælo, textu centesimo. Vel aliter intelligi potest regnare Deus vltra æternum, quia etiam si aliquod præter Deum esset æternum, vt quidam Philosophi putarunt motum cæli æternum esse, Deus tamen, vere dici posset regnare vltra æternum, quod regnum eius non modo est interminabile, sed etiam totum simul, hoc autem in motu cæli, quamuis æternus esset neutiquam dici posset.] Hactenus S.Thom. Postremo æternitas exprimitur in sacro eloquio, per hanc vocem [Sedem,] vt fit manifestum apud Matthæum in cap. 26. [Sedebit in sede maiestatis suæ,] quod alij vertunt: [In æternitate maiestatis suæ.] En vides, qualiter æternitas varie in sacra Scriptura exprimatur. Et licet optime, tamen æternitatem nullus vmquam melius exprimit, quam vates noster Ioannes, hoc in loco dicens: [Ab eo qui erat, & qui est, & qui venturus est,] vbi accipit tres temporis differentias, præteriti, scilicet, præsentis, & futuri. Quia diuina æternitas comparatur ad omnia tempora, sicut communis mensura ad proprias rerum mensuras. Quemadmodum enim Deus habet omnia esse in seipso, sic æternitas comprehendit omne tempus, & illius partes omnes in seipsa. Hinc sequitur, vt omnia, quæ sub aliqua differentia temporis continentur, licet sint præsentia, præterita, vel futura, quemadmodum dicuntur esse in illo tempore, sicuti in mensura propria, & adæquata: ita dicantur etiam esse in æternitate, sicuti in mensura inadæquata, & excedente; Sicut aqua, quæ est in vase dicitur contineri ab aëre, vel à cælo. Vas enim est locus proprius, aër vero, vel cælum, est locus communis. Quod autem est in æternitate, per æternitatem mensuratur, sicut quod est in tempore, per tempus mensuratur; Idcirco cum tempus præteritum, præsens, & futurum, omnia insuper præterita, præsentia, & futura, sint in æternitate; omnia æternitate mensurantur. Quapropter Paulus ad Rom. 4. de æterno Deo dicit: [Vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt,] Huius ratio est, quia omnes partes tẽporis, præteriti, & futuri, totæ simul præsentes existunt coram Deo. Ideo Doctor Incognitus, super illud Psal. 2. [Ego hodie genui te,] sic scribit; [Hodie, id est, æternaliter, In æternitate enim nihil transit in præteritum, nec in futurum expectatur, & ideo, æterna verbi generatio conuenienter exprimitur per præsens tempus cum dicitur, hodie.] Sic Incognitus. Et optime quia omnes partes temporis, simul præsentes sunt coram Deo. Verum quia nos intelligimus cum continuo, & tempore, simplicitas æternitatis nequit melius apprehendi à nobis, quam per comparationem ad tempus. Et quia ipsa æternitas assistit omni tẽpori (etiam infinito si esset) ideo D. Ioannes æternitatem, per differentias præteriti temporis, præsentis, & futuri exprimit, dicendo de filio Dei æterno: [Qui erat, & qui est, & qui venturus est.]

D. Thom. — *Regnaturus Xps. in æternũ & vltra quare dicatur.* — *Philos.* — *Aeternitas significatur per hanc vocem, Sedem.* — *Aeternitas significatur per tres temporis differentias.* — *Comparatio.* — *Incognitus in Psalm.* — *Intelligimus nos cũ continuo; & tẽpore.* — *Aeternitas assistit omni tẽpori.*

A



BOETIVS explanando quid æternitas sit, ait: [Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio.] Et pulchre quidẽ. Propterea quod æternitas non habet partes sibi succedentes, vt tempus, sed est tota simul existens; In hoc enim (inter alia) differunt æternitas, & tempus, quia nimirum, tempus habet partes successiuas, æternitas vero nequaquam. Huius ratio est, Quia mensura & mensuratum sunt eiusdem rationis. Et quemadmodum tempus est mensura diuisibilis motus, ita æternitas Dei est mensura indiuisibilis esse Dei. Vnde ex eo quod tempus B sit mensura motus, tempus non potest excedere motum, quia mensura, & mensuratum imparis ambitus esse, (vt dixi) non possunt. Cum autem tempori hoc sit proprium, (iuxta Philosophum) nimirum, vt diuidatur in partes successiuas, quarum vna recedente succedat alia, & vna existente, altera expectetur, hinc originem habet, vt motus (qui aliter tempore mensuratur) in successione positus sit. Et sic esse motus in successione consistit propter rationem assignatã mensuræ, & mensurati. Pari etiam modo cum æternitas Dei sit mensura, (vt ita dicam) esse Dei, & esse Dei, secundum se totum simul sit existens, ac omnino inuariabile, habens se, sicut quoddam nunc, nõ fluens sicut instans temporis, vel mutatum esse in motu, sed semper stans, & semper præsens tamquam quid indiuisibile nullam suscipiens variationem, hinc æternitas indiuisibilis est, non habens partes sibi succedentes, C immo est tota simul existẽns, semper stans, & semper præsens, quia mensura, & mensuratum eiusdem sunt rationis. Vnde æternitas recte diffinitur à Boetio; [Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.] Verumenimuero ad cognitionẽ huius æternitatis Dei, melius deuenimus per tempus. Quia vt dicit S.Thom. p.p.quæst. 10. ar. 1. in corpore, sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis, oportet nos venire per tempus. Hinc noster Euangelista cupiens Asianos (& nos etiam) ad cognitionem æternitatis filij Dei perducere, accipit tempus, per suas tres omnes differentias, præteriti, scilicet, præsentis, & futuri, dicens: [Ab eo, qui erat, & qui est, & qui venturus est,] vt sic æternitatem filij Dei iudicaturi intelligeremus, tempus & suas differentias partium successiuarum transcendere, & filium Dei iudicaturum nullam habere transmuta- D tionem, nec mutabilitatem, iuxta illud Iacobi 1. [Apud quem non est transmutatio.] Quoniam ipse non solum est æternus, sed est sua æternitas. Hinc Christus Iudæis dicentibus: [numquid tu maior es patre nostro Abraham?] Respondit: [Antequam Abraham fieret, ego sum,] est enim filius Dei æternus, & sua æternitas, sicuti pater, æternus, & sua æternitas est. Quia esse diuinum, & deificum indiuisibiliter æternitate mensuratur.

Conceptus 2. Quid sit æternitas. Boetius. Aeternitas nõ habet partes successiuas. — *æternitas Dei est mensura indiuisibilis.* — *Aeternitas indiuisibilis.* — *æternitas melius cognosci tur per tres tẽporis differentias quam perquamcũq; aliam comparationem.* — *Iacob. 1.* — *Ioan. 8.*



PSALMOGRAPHVS de æternitate filij, Psalm. 101. sic exclamat [Tu autẽ permanes, & omnes, sicut vestimentũ veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem E idem ipse es, & anni tui non deficiẽt.] Et optime quidem. Verumtamen percontaberis forte. Quare filium Dei nulla cõficiet, aut consumabit vetustas? En nostri Vatis ratio, Quia ipse est: [qui erat, & qui est, & qui venturus est.] Istos versiculos Dauidis allegat Apostolus de Christo ad Heb. cap. 1. dicendo: [Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, & tu permanebis, & omnes, vt vestimentum vete-

Conceptus 3. Quod Paulus, Dauid, & Ioãnes de æternitate filij Dei fere eodem modo locuti fuerunt.

veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.]Quæ omnia de Christo ad litteram dicta ostendit ibi auctor gloss. ord. dicendo. [Psalmista de filio ad filium, ait: Tu Domine, scilicet, fili Dei in principio terram fundasti, quasi dicat tu,creator,ante creata existis sine illo initio, & opera manuum tuarum sunt cæli. Quod ita dicit, quasi in eis sit specialiter operatus, manus autem eius est virtus iussionis,id est, potentia voluntatis, quæ vt voluit facta sunt omnia.] Hęc gloss. Verumtamen nos, Ioannem nostrum per hæc verba Dauidis, & Pauli explicemus. Ex eo enim, quod Vates noster hoc loco dicat de filio Dei, [qui erat] addunt Dauid,& Paulus de cælis: [Ipsi peribunt (G) tu autem permanebis.] Cæli autem nouissimi propinqui terris, vbi aues habitant, non dubium est quin igne peribunt, licet superiores cæli, an igne perituri sint dubium sit, at vero filius Dei semper permanebit. Ex eo porro, quod Ioannes de filio Dei hic dicat, [& qui est] addunt Dauid, & Paulus, [& omnes sicut vestimentum veterascent,] veterascere autem dicitur illud, quod more vestis paulatim consumitur. Ita caro humana. Tamen dum habet esse,illud habet ab eo,qui est. Tandem ex eo, quod noster Ioannes dicat de filio Dei, [& qui venturus est,] addunt Dauid, & Paulus de cælis: [& sicut opertorium (aut) velut amictum mutabis eos, & mutabuntur,] hoc est, in iudicio finali. Hinc Lucæ 12. dicitur: [Erunt signa in Sole, & Luna,] & 1 Petri 3. [Aduenies autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa (H) sunt opera, exurentur,] quapropter Apoc. 21. dicitur: [Vidi cælum nouum, & terram nouam.] Recte igitur concludunt Dauid, & Paulus cum Ioanne nostro æternitatem filij Dei, dicentes de illo: [Tu autem idem ipse es,& anni tui non deficient.]Perinde ac dicerent. Tu non mutaris, nec deficis, quia tu es ille qui dixisti Malach. 3, [Ego Deus, & non mutor.] Tu tandem es ille qui Moysi dixisti, Exod. 3. [Ego sum qui sum, sic dices filijs Israel,qui est, misit me ad vos,] hoc est, qui semper fuit, qui est, & qui semper erit, cuius sempiternitas, nullis finibus comprehenditur, ille me misit ad vos. Hæc sane æternitas filij Dei, ad Deum ipsum aspirandum crebro nos mouere debet. Si enim nos humana mouent, quorum nulla est tanta vis, qui tempore nõ debilitetur,& penitus cõsummatur, si id quod non est stabile in vita, sed subito frangitur,& perit,aut saltem sensim deflorescit, & vetustatur,& tandem ex(I)tinguitur, nos excitat ad labores magnos subeundos, cur nos ad eos, immo ad multos maiores, non mouebit, aut non exitabit ille, qui semper est, quẽ ipsa æternitas semper intuebitur, qui seipsum summo amore prosequentibus præmia elargitur immortalia, eosque in cælesti beatitudine collocat, & constituit, vbi eo in æternum fruantur? Relinquamus igitur ea, quæ sunt caduca, & mortalia, & studio immortalitatis inflammati Deum ipsum, sempiternam illam pulchritudinem contemplemur, & amore ardentissimo amplectamur.

Cæli peribũt filius autem Dei permanebit.

Cęli veterascent.

Cæli mutabũtur in iudicio per filiũ Dei.

Cõtéplatio illidua æternitatis, ad Deum ipsum diligẽdum prouocare nos debet.

Conceptus 4. In quo referuntur plerique Philosophorum antiquorũ errores de Deo.



Vangelicus Propheta dicẽdo hoc loco de filio Dei,[qui erat,& qui est,& qui venturus est,] proculpellit antiquorũ (K) Philosophorum errores de Deo. Cum enim apud Philosophos esset olim perplexa, inuoluta, ac omnino implicabilis interrogatio [quid sit Deus?] varie per ipsos respondebatur postulato. Quoniam Tales Milesius (qui primo inter mundi sapientes cathedram obtinuit, & primus Geometriam inuenit, primusq; temporum ambitus, ventorum flatus, stellarum motus, tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula, solisq; annua reuerticula obseruauit,) respondit, Deum esse mentem illam, quæ omnia ex aqua faciebat, cum aqua apud ipsum, omnium rerum prin-

(F) cipium esset. Pythagoras, Deum animum quendam esse existimabat, qui rerum naturas pertransibit. Anaxagoras, Deum mentem quendam infinitam esse declarauit, quæ omnia operabatur. At vero modum quo illa ab ipso fiebant minime patefecit. Xenophanes, omne illud quod menti compos erat Deum esse asseuerabat. Parmenides, Deum affirmabat esse coronam quandam, cælum lucis continentem, quæ omnes ambiebat cælos. Prothagoras, omnino negauit, se de Deo loqui scire, quia de illo aliquid dicere se penitus ignorare dicebat. Epicurus, Deum, forma humana omnium rerum pulchriori circundatum esse cogitauit. Plato, Deum esse incorporeum; verum à nobis nullo modo intelligibilem esse affirmabat. Aristoteles,modo menti diuinitatem tribuebat, modo vero, mundum Deum esse dicebat. Zenon, legem naturalem Deum esse existimauit,quia hęc recta præcipit, contraria vero prohibet. Aristus, formam Dei à nemine intelligi posse putabat, quia illam animam esse, necne, dubitabat. Perseus, vtilia & salutaria nomine Dei vocari dicebat. Xenocrates, octo Deos ponebat. Crysippus, turbam deorum incognitorum fingebat. Sed age. Quid Poetæ? alij Solem, alij Lunam, alij Stellas, quidam Bacchum, quidam Venerem, quidam vero Iouem deum esse putabant. Sed de his omnibus dicere plane possumus illud Psalmistæ: [Errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa.] Et perspicuum fit eos ab vtero errauisse. Quia vterus in sacro eloquio, aliquando accipitur pro essentia Dei, iuxta illud Psalm. 109. [Ex vtero ante Luciferum genui te,] vbi [ex vtero] idem est quod [ex essentia,] vt interpretatus est Incognitus. Alij ex eorumdem, Philosophorum antiquorum numero, paulo altius, & sublimius, quid esset Deus explicabant. Empedocles enim sic dicebat: [Deus est sphera incomprehensibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.] Secundus acutissimus Philosophus, Deum vocabat: [Celsitudinem inconceptibilem, & inquisitionem incogitabilem.] Et tandem Athenienses Philosophi, quid esset Deus, penitus ignorantes, illique aram consecrare cupientes, ara iam erecta, illi hoc affixerunt lemnia. [Ignoto Deo.] Quibus cum prædicasset Paulus, dixit: [Viri Athenienses, per omnia, quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inueni, & aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, Deus qui fecit mundum, &c.] Quemadmodum ergo Paulus errorem Atheniensium proculpepulit, verum Deum illis annuntians, sic hoc in loco, noster Euangelicus Propheta Ioannes, omnium Gentium, & Philosophorum errores, circa quid Deus sit, inquirendum profligauit, dicendo: [qui est, & qui erat,& qui venturus est.] Perinde ac diceret: Deus ille tam varie à Philosophis olim definitus, & explicatus, ille vtique est: [qui erat, & qui est, & qui venturus est,] id est, qui æternus, & infinitus est, principio, & fine carens. Qui fuit, est, & erit. Et non potest non esse. Merito sane Ioanni, & alijs Apostolis dixit Christus Matt. 13. [Vobis datum est nosse mysteria regni cęlorũ, &c.] remanet igitur adamussim explicata, vetus illa perplexaq; inter Philosophos interrogatio. [Quid sit Deus?] Cum de illo hic dicat noster Archipropheta: [qui erat, & qui est, & qui venturus est.] Quid enim amplius de Deo in via vultis scire? Sanctus Thomas cupiens explicare: [Quid sit Deus] sic ait p. p. quæst. 3. art. 1. [Cognito de aliquo an sit, inquirendum restat, quomodo sit, vt sciatur de eo quid sit. Sed quia de Deo scire non possumus, quid sit, sed quid non sit, non possumus considerare de Deo, quomodo sit, sed potius quomodo non sit.] Sic ille. Idcirco antequam probet Deum infinitum æternum, omnipotentem esse, ab eo remouet corpus, materiam, formam, accidentiaq; vt intelligamus nos melius posse dicere quid non sit Deus, quam, quid sit Deus. Hinc D. Dionysius Areopagita, 3. lib. Cælest. Hierar. sic ait: [Terra non non est Deus, Mare non est Deus, quidquid est in terra non est Deus; quidquid in cælo splendet non est

Deus

Errores Philosophorum de Deo. Tales Milesij. Pythagoræ. Anaxagoræ. Xenophanis. Parmenidis. Prothagoræ. Epicuri. Platonis. Aristotelis. Zenonis. Aristi. Xenocratis. & Crysippi.

Error Poetarum de Deo.

Doctor Incognitus in Psalm. 109.

Empedocles.

Deus sphera incomprehẽsibilis.

Secundus Philosophus.

Deus celsitudo inconceptibilis.

Athenienses.

Deus incognitus.

Act. 17.

Paulus intrepide in Athenienses insurgit Xp̃m illis prædicans.

S. Thom. Quod Deus cognoscitur per negationem.

D. Dionys. Areopagita. Negationes de Deo.

Deus; omnis Angelicus spiritus non est Deus; omnis res materialis nō est Deus; omnis spiritualis res creata non est Deus.] Hæc ille. Dic tu modo: [Deus est spiritus.] Adhuc omnino necessaria est negatio. Quia non est Deus ex illorum spirituum numero, qui modo sunt, modo non sunt, modo reminiscuntur, modo obliuiscuntur, modo volunt, modo nolunt, qui patiuntur, & pati possunt, qui non sunt, & possunt non esse. Pone igitur tu affirmationem, & dic: [Deus est bonus.] Et ego ponam semper negationem, dicendo [etiam] attamen absque qualitate. Tu dic illum [magnum,] & ego, etiam, attamen absque quantitate. Tu dic illum præsentem esse, ego etiam; attamen absque situ. Tu, continentem, ego absque capacitate. Tu, in omni loco esse, ego etiam, attamen absque loco. Tu in omni tempore. Ego absque tempore, & eius volubilitate. Tu in omni mutatione. Ego absque omni mutatione. Tandem tu affirma semper de illo, ego autem semper negabo. Quia si aliquid scire potest de diuina essentia, hoc fit negando. Nam scire perfecte, quid illa sit affirmando est impossibile. At vero solus noster Euangelicus vates affirmando explicat quid Deus sit, dicendo de illo: [Qui erat, & qui est, & qui venturus est.] Quod plane in epistolis etiam præstitit, dicendo: [Deus charitas est.] Quibus verbis affirmatiue describit Deum ipsum.

Obiectio. *Solutio.* *Solus Ioānes Deū explicat per affirmationem.* *Ioan. 4.*

DISPVT. XI.

In Cap. Primum Apocalypseos, de æternitate Filij Dei.

In tres Quæstiones distributa, super illa verba: *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.*

Prologus Disputationis.



OLVS noster Archipropheta, crebro vtitur, (inter omnes alios Prophetas) his tribus temporum differentijs, nempe: [Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.] Quoniam eadem verba repetit, Apoc. 4. dicendo. [Et requiem nōn habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est,] & cap. 11. dum ait: [Et ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es.] Quæquidem verba toti Trinitati proculdubio adaptantur. Non tamen ita vt singulæ partes diuisim ad singulas pertineant personas, (quod inane plane est,) sed omnes partes ad singulas personas. Pater namque est: [qui est, & qui erat, & qui venturus est,] filius etiam est, [qui est, & qui erat, & qui venturus est,] & etiam Spiritus sanctus est, [qui est, & qui erat, & qui venturus est.] Quemadmodum enim illud Exodi 3, nempe: [Ego sum qui sum, sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos,] toti competit Trinitati, sic etiam istud Apocalypseos, nempe: [Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est,] eidem toti Trinitati conuenire exploratum vtique est. Quoniam vtrobiq; sermo plane est de æternitate, quæ toti Trinitati proculdubio competit, vt dispungunt Doctores cum Magistro in p. lib. sent. dist. 8. & cum S. Thom. p. p. quæst. 10. Et vt etiam Fides Catholica docet, iuxta illud Athanasij in suo Symbolo dicentis: [Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.] Cæterum quia de persona Patris nemo ambigit. Quoniam de Deo Creatore, (vt ait Glossa Ordinaria) nemo temporibus Ioannis adhuc male intellexerat. Ideo nos præfata verba: [Ab eo, qui est, &c.] non de tota Trinitate expendimus, (vti plane expendi possunt) sed de sola persona Filij, de qua, tam tempore Ioannis, quam hoc etiam nostro sæculo, omnes in Ecclesia Dei, nascuntur hæreses. Quapropter hic de sola persona filij Dei, quatenus æterna est, hanc nostram astruimus disputationem.

Quæstio. I.

An in Diuinis detur Filius.



RIMA Conclusio: De Fide Catholica est in diuinis dari generationem, & Filium. Probatur. Primo, quia paternitas, & filiatio sequuntur generationem. At in diuinis est paternitas, & filiatio, vt perspicuum fit. Tum ex veteri Testamento. Quoniam Isa. 66. sic dicitur: [Numquid ego qui alios parere facio ipse non pariam? ego qui generationem cæteris tribuo sterilis ero?] & Psalm. 2. [Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te.] & Isa. cap. 53. [Generationem eius quis enarrabit?] & Psalm. 88. [Ipse inuocabit me pater meus es tu.] Tum ex nouo Testamento. Nam Ioan. 6. dicitur: [Qui videt me, videt & patrem meum, non credis quia ego in patre, & pater in me est?] & Matth. 11. [Nemo nouit filium nisi pater, & patrem nemo nouit nisi filius,] & Ioan. cap. 3. [Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus,] & cap. 15. [Sicut suscitat Pater mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat,] & 1. Io. 5. [Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se.] & ad Heb. 1. [Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime vero his diebus loquutus est nobis in filio.] Igitur in diuinis, & est generatio, & est filius. Secundo fides docet dari in diuinis plures personas. Igitur huiusmodi diuinæ personæ, vel differunt in absolutis, vel relationibus solum. Non in absolutis, quia cum illud absolutum non sit essentia, quæ in diuinis est vna, nec distinguit, nec distinguitur, oporteret, quod esset additum diuinæ essentiæ. At absolutum additum alij absoluto facit compositionem, ergo in diuinis esset compositio, quod est impossibile. Quare impossibile est distinctionem diuinarum personarum fieri per absoluta. Igitur à sufficienti diuisione fiet per relationes. Et quidem per relationes reales. Quoniam relationes rationis non distinguerent nisi secundum rationem. Tales autem relationes reales nequeunt esse nisi relationes originis. Igitur talis distinctio est per relationes originis. Modo sic. Personæ diuinæ distinguntur relationibus originis. Ergo aliqua origo habet in diuinis rationem generationis. Patet consequentia, Illud quod accipit ab alio esse, & naturam, & modum naturæ dicitur ab eo generari. At prima persona producta in diuinis accipit à persona producente esse, & naturam, & modum naturæ. Igitur generatur ab ea, Datur ergo filius in diuinis. Tertio demum probatur ex omnibus Doctoribus Catholicis Scholasticis, qui, omnes cum Magistro in primo lib. sent. distinct. 13. & cum S. Thom. p. p. quæst. 27. art. 2. ponunt generationem in diuinis.

1. concl. Generatio, & filius datur in diuinis. *1. Ratio. Filiū dari in diuinis probatur ex veteri Testam.* *Filiū dari in diuinis pbatur ex nouo Testam.* *2. Ratio.*

Quomodo autem filius producatur in diuinis est duplex Theologorum dicendi modus. Primus quidem est D. Thom.

Corollarium

Q

D. Thom. affirmantis productiones in diuinis esse ipsas actiones immanentes. Idcirco p.p.quæst.27. art.5. disputans an sint plures processiones in diuinis quam duæ, in hæc verba prorumpit: [Dicendum quod processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina, non sunt nisi duæ, scilicet, intelligere, & velle. Nam sentire, &c.] sic ille. Iuxta quam doctrinam, & fundamentum, filius producitur per actum intellectus paterni, vt ibi explicant Angelicum Doctorem, Caietanus, Bannes, Zumel, & reliquus Thomistarum chorus. Secundus vero dicendi modus est Scoti, & Durandi, qui putant productiones in diuinis non esse ipsas actiones immanentes. Et quia in hoc tuendo aduersus Angelicum Doctorem variant Scotus, & Durandus, inter sese, referam propositionem Durandi dumtaxat. Ipse enim in primo senten. distinct. 6. quæst. 2. arguit tacite contra S. Thomam, quod processiones diuinæ non attenduntur penes intelligere, & velle, quia hæc sunt essentialia, communia omnibus personis, & idem realiter. Quamobrem probans ipse processiones diuinas attendi secundum actus naturæ, præcisis intellectu, & voluntate, & omnibus actibus eorum. In hæc verba primo prorumpit: [Ad videndum quomodo filius procedat per modum naturæ, & Spiritus sanctus procedat per modum voluntatis, proceditur sic, quia primo excluditur imaginatio quorumdam non bona circa hoc, & secundum declarabitur veritas quæstionis. Quantum ad primum sciendum, quod quidam imaginatur quod filius producatur per actum intellectus, propter quod dicitur verbum, quod est terminus operationis intellectualiter per ipsam productus. Spiritus autem sanctus per actum diligendi, vnde & amor est. Ex quo statim patet, quare filius dicitur produci per modum intellectus, & Spiritus sanctus per modum voluntatis, quia per actus harum potentiarum producuntur, sed quare filius dicatur procedere per modum naturæ, non autem Spiritus sanctus, dicunt quod hæc est causa, quia id quod procedit ab alio accipiendo naturam, & proprietates naturæ, & modum naturæ, illud procedit per modum naturæ, sed filius procedit a Patre accipiendo naturam, & proprietates naturæ, & modū naturæ, non sic autem per omnia procedit Spiritus sanctus ab vtroque. Ergo, &c. Minor declaratur sic, modus naturalis productionis est producere aliquid per viam assimilationis. Vnde natura dicitur vis insita rebus, ex similibus similia procreans, pater autem producit filium per viam assimilationis, producit enim ipsum per operationem intellectualem de cuius ratione est, quod verbum productum simile sit intellectui informato specie rei. Non sic autem est de Spiritu sancto, quia licet Spiritus sanctus sua processione à Patre, & Filio accipiat naturam, & proprietates naturæ, tamen de ratione processionis suæ non est, quod sit per viam assimilationis qui est modus naturæ; non enim est de ratione eius, quod producitur per voluntatem, quod sit simile producenti, potest enim esse simile, vel dissimile illud, quod per voluntatem producitur, & ideo Spiritus sanctus, cum per actum voluntatis procedit, non procedit per modum naturæ.] Et narrata sibi aduersa opinione. Illam conatur euertere arguendo sic: [Illud autem non videtur bene dictum, quod enim Filius producatur in diuinis per actum intellectus, & Spiritus sanctus per actum voluntatis, non potest intelligi nisi dupliciter, vno modo quod isti actus sint ipse productiones personarum. Alio modo quod sint principia productionum, sicut calor manus dicitur produci ab igne per calorem, & per calefacere, sed per calefacere tamquam per productionem, per calorem vero tamquam per principium productionis. Primum non potest dici, scilicet, quod intelligere, & velle sint actiue productiones personarū propter tria. Primum est quia productiones personarum secundum omnes sunt actus notionales, & non essentiales. Sed intelligere, & velle, sunt actus essentiales, & non notionales, ergo non sunt ipsæ productiones, vtraq; propositionum per se nota est. Secundo quia cuicumq; conuenit actus per quem persona producitur, sibi competit producere personā ad quam actus terminatur, sicut cui competit generare, competit producere filium. Sed intelligere, & velle cōpetunt omnibus personis in diuinis. Ergo si isti actus essent productiones personarū cuilibet personæ competeret producedere Filium, & Spiritui sācto, quod est falsum. Tertio, quia productionel personarū differūt realiter. Sed intelligere, & velle non differunt aliquo modo realiter nec absolute, nec relatiue, ergo non sunt productiones. Quod autē non sint principia productionum patet sic. Illud cuius cōditio est opposita fœcunditati nō potest esse principiū actus quo aliquid producitur, quia omnis productio prouenit ex fœcunditate. Sed conditio actuum intelligendi, & volendi est opposita fœcunditati. Ergo non

G possunt esse principium actuum, quibus personæ producuntur. Maior iam patet, sed minor probatur, quia hæc est conditio actus intelligēdi, vel volendi, quod ex ipsis nihil aliud constituitur, seu consequitur, vt patet 9.metaph. Fœcunditas autem est ex quo natum est alterum sequi, ergo conditio actus intelligendi, & volēdi contraria est fœcunditati, patet ergo, quod intelligere, & velle non sunt productiones personarum, nec principia productionum. Sed exclusis à Deo per intellectum, intellellectu, & voluntate cum omnibus actibus suis, adhuc esset in diuinis generatio Filij, & spiratio Spiritus sancti. Itaquod hæc sunt in diuinis ex fœcunditate naturæ radicaliter, quam fœcunditatem habet ex sua infinitate, & non ex quod est intelligens, & volens.] Suam porro corroborans opinionem, ita argumentatur. [Hoc autem potest persuaderi sic. Secundum idem proportionaliter competit fœcunditas creaturis & Deo. Sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis non ex hoc, quod sunt intelligentes, & volentes, sed per aliquid aliud prius, & communius. Vnde & virtus generādi, per aliud inuenitur in rebus inanimatis carētibus intellectu, & vbi inuenitur in rebus habentibus intellectum, hoc non est per intelligere, & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens, ergo similiter est in Deo, quia licet natura Dei sit in Deo intelligens, & volens, ex hoc tamen nulla fœcunditas inest ei ad producendum quantumcumq; personā, sed sicut calor ignis si esset intelligens causaret caliditatē sibi similem fœcunditate naturæ suæ, sicut nunc facit, nec ad hoc aliquid cooperaretur suum intelligere, aut velle, sic natura diuina licet sit intelligens, & volēs, ex infinitate sua habet fœcunditatem, quod virtute eius persona fit a persona, ad quam tamen nihil intelligere aut velle cooperatur. Item qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundum rationem. Sed vbi natura intellectus, & voluntatis differunt realiter, productio est realiter vi naturæ, & nō intellectus, vel voluntatis, ergo sic est in Deo in quo ista sunt differentia solum secundum rationem. Nec ratio aliorum est sufficiens; quia cum dicunt, quod modus naturalis productionis est producere per viam assimilationis nō est verum vniuersaliter, sed solum in generatione more vniuoca. Esto etiam quod esset vniuersaliter verum illud quod dicitur postea, quod verbum productum simile est intellectui informato specie, falsum est, quia tūc duæ formæ eiusdem speciei essent simul in intellectu, quia similitudo non est differentium secundum speciem, hoc autem est impossibile. Quare, &c. & sic patet primum principale propositum.] Est & aliud argumentum eius paulo supra recitatum tenoris sequentis: [Dicit Hilarius lib. de Synodis, quod omnibus creaturis substātiā Dei voluntas attulit, filio vero natura dedit. Et Aug. li. 15. de Trinitate dicit, Verbum per quod omnia facta sunt, esse filium Dei natura.] Et postremo suam explanans opinionem, ita scribit: [Nunc restat secundum scilicet, quod declaretur veritas quæstionis. Est ergo intelligendum, quod cum quæritur vtrum pater genuerit filium natura; ly natura potest dicere principiū generationis, vel modum, si dicat principiū Gene-

Primus modus dicendi. S. Thom. Filius producitur in diuinis per actū intellectus. Caietan. Zumel. Bannes. Secundus modus dicendi. Scotus. Durandus.

Durandus. Filius procedit (secundū Durand.) per modū naturę.

Durandus insurgit tacite contra S. Th. circa productioné filij in diuinis.

Durand. proponit rationē D. Tho. circa Filij, & Spiritus sancti productionem.

Durand. impugnat S. Th. circa productionem filij.

Durandi primū arg. cōtra S. Thom.

Durandi secū dū arg. cōtra S. Thom.

Durandi prima ratio, pro sua tuēda opinione de modo producēdi filiū in diuinis per modū naturæ.

Durandi secūda ratio.

Solut Thomistarum.

Obiectio Durandi.

Durandi tertia ratio.

Generationis tunc est sensus vtrum pater genuerit filium natura, id est, vtrum essentia diuina, quæ est natura sit principium generationis, vel vtrū hoc sit proprietas relatiua, & sic nō intelligitur ad præsens, quia sic est eadē quæstio cum illa qua quæritur vtrū potentia generandi dicat quid, vel ad aliquid de qua quæritur in sequenti distinctione, sic etiam non haberet locū distinctio, quæ ponitur in terminis quæstionis vtrū pater genuerit filium natura an voluntate, quia natura & voluntas sunt in Deo eadem res absoluta, nec differunt quo ad esse principium nisi propter principiandi modum, quia alius est modus, quo essentia diuina principiat, vt natura, (si tamen aliquid sit principians,) alius quo principiat, vt voluntas. Si autem ly natura, & ly voluntate dicant modum productionis, sic habet locum quæstio, & tunc dicendum est, quod in productione diuinarum personarum, est tria considerare, scilicet habitudinem virtutis productiuæ ad actum producendi, supposita producentia, & ordinem productorum, vel productionum.] Hucusque Durandus. Cuius plane sententiam ideo hic iugiter, & abundanter retuli, quia per illam titulus quæstionis nostræ magis illucescit, & corroboratur contra hæreticos Arianos. Quoniam intuendo geminum modum, quo filius procedere potest à patre, nimirum, per actionē immanentē puta per intellectionem, vt perdocte tenet S.Thomas. Et per naturæ fœcunditatem, vt prodit Durandus (cui in parte adhæret Scotus) tales miseri Ariani (si forte aliquis adhuc extat) facilius ad Fidei orthodoxæ dogmata perueniant. Accedit quod dum ego Valentiæ, in suo nimirum celeberrimo Gymnasio, litteris olim incumberem, hæc Durandi opinio, doctissimo Blasio Nauarro magistro meo, eam publice dictante, mirum in modum apud me inualuit & ita quidem, vt illā crebro (seruata tamen semper illęsa in corde meo D.Tho. firma, & solida sententia) defendere, & pro aris, & focis tueri aggressus fuerim.

Nota bene.

Author sæpe sequutus fuit tutiorē sententiā D. Th. de productione filij per actū intellectus.

Secunda conclusio. Propriū nomen filij Dei est verbum. Hæc est etiam de fide, & probatur. Tum ex illo Ps.44. [Eructauit cor meū verbum bonum,] & Apo. 1. [Qui testimonium perhibuit verbo Dei,] & Apoc. 19. [Et vocabatur nomen eius verbum Dei.] Tum deniq; patet ex communi Theologorum consensu, tenentium cum S.Thom.p.p.quæst.34.art.2. Verbum, proprium nomen filij Dei esse. Addo illud Ioan. 1. [Et verbum caro factum est.]

2. concl. Propriū nomē filij Dei est verbum. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Quæstio II.

Vtrum filius Dei sit coæternus patri?

Error Neotianorū, & Sabellianorum.

Sabelliani potius appellandi sunt Patris passiani quam Sabelliani.

Error Arianorum.

Arianorum duplex arg.



CONTRARIAM partem hæretici dumtaxat profitentur. Nam Neotiani, & Sabelliani asseuerant tantum esse vnicam personam diuinam, quæ modo dicitur Pater, modo Filius, modo vero Spiritus sanctus. Et addunt Sabelliani Patrē esse passum. Quapropter hi potius vocari debent Patris passiani quam Sabelliani. Arius denique tenens Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non esse vnius eiusdemque substantiæ dicit Filium creaturam esse, & Spiritum sanctum creaturam creaturæ. Hoc est ab ipso filio creatum. Quamobrem contra æternitatem filij hoc duplici vtitur argumento. Primum: [Omne quod natum est principium habet. At filius Dei natus est, ergo filius Dei principium habet, & esse cæpit,] Secundum: [Si filius est, natus est, si natus est, non erat quando non erat filius,] sic Arius.

1. argum. 2. argum.

A Sit tamen prima assertio. Filius Dei, siue Verbum Dei, est distincta persona a persona Patris, & a persona Spiritus sancti. Hæc est contra Notianos, & Sabellianos. Et est de fide, probatur. Tum ex illo 1.Ioan.vlt. [Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.] Tum ex illo Athanasij in suo Symbolo, dicentis. [Alia est enim persona patris, alia est persona filij, alia est persona Spiritus sancti.] Tum deniq; probatur ex his, quæ circa relationes subsistentes ad inuicem realiter distinctas in diuinis, dicit S.Thom.p.p.q.30.art.2.

1. concl. Filius est distincta persona a patre, & a Spiritu sancto. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Secunda assertio. Filius Dei, siue Verbum Dei, est coæternus Patri. Hæc est de fide, & probatur. Tum
B ex illo Ioa. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Super quæ verba ita scribit Cyrillus lib. 1. in Ioan. dicendo. [Quæ mens poterit vlla, vltra illud, erat, euolare, aut quomodo illud, erat, ita mente retinebimus, vt cogitationes nostras non antecedat?] Sic ille. Tum probatur, quia filius Dei, est Deus de Deo, iuxta illud Symboli Apostolorum: [Deum de Deo, lumen de lumine Deum verum, de Deo vero, genitum non factum cōsubstantialem Patri, &c.] Atqui Deus est æternus, vt tenet Fides Catholica. Et id probant Theologi cum Magistro in 1. sent.dist. 8. & cum S. Thom. p. p. quæst. 10. Ergo & filius eius erit etiam æternus. Patet coseq. Primo, quia cum pater, & filius sint correlatiua per easdem rationes ostenditur filium esse æternū. Secūdo, quia in diuinis pater generat filium sibi æqualem cui communicat suæ plenitudinem maiestatis, ac
C æternitatis, quoniam est eiusdem essentiæ cum patre. Hinc Athanasius in suo Symbolo, ait de filio Dei: [Æternus filius.] Tum denique probatur. Quoniam Filius Dei, siue Verbum Dei, æternaliter est genitus. Quod patet ex eo quod filius Dei semper genitus est, & semper gignitur nec cessat illa generatio, quia in diuinis nihil transit, nec minus adueniit. Et cum totum esse simul sit, necesse est, vt generatio illa semper maneat non tamquam alia, & alia pars generationis, sed eadem indiuisibilis generatio, quæ ab æterno erat, eadem nunc est. At in quocumque est generatio illud gignitur. Ergo filius Dei, in quo semper generatio est, (quia numquam abijt in præteritum,) semper gignitur. Et ex consequenti filius Dei siue verbum Dei æternaliter est genitus. Quibus additur, quod inter omnes emanationes perfectissima est generatio, quoniam genitus assimilatur suo ge-
D nitori, quod plane emanationes aliæ non faciunt. Accedit quod Deus ab æterno genuit filium. Ergo filius Dei Deus ab æterno debet esse sicut pater eius, consequentia est aperta; quia creare est proprium solius Dei æterni. At in filio Dei creata sunt omnia, iuxta illud Prouerb.8. [Cum eo eram cuncta componens,] & ad Colloss. cap. 1. [In ipso condita sunt vniuersa siue in cælo, siue in terra, &c.] Ergo Deus æternus est filius æterni Dei. Hinc Ioannes de filio Dei in principio sui Euangelij ait: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Verbi enim nomine filium Dei significari nemo est qui nesciat, vbi id quod subinfertur: [Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, &c.] Qui locus de vnigenito filio Dei intelligitur procul-
E dubio. Hic plane est vnigenitus ille, de quo iterum dicitur: [Vnigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit.] Cuius, & Paulus meminit ad Heb. 1. dicendo: [Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.] Neque enim creaturam sed Deum creatorem Angeli adorant, atque venerantur. Deinde eandem consequentiam probo. Ex eo quod nulla creatura, quid sit Deus secundum substantiam demonstrare potest, omnia namq; quæ a Deo sunt condita & creata a Dei perfectione longe deficiunt. At Dei filius est imago inuisibilis Dei, splendor gloriæ,

3 Ratio. Filius Dei æternaliter est genitus.

4. Ratio. Generatio est perfectissima inter omnes emanationes. 5. Ratio.

2. concl. Filius Dei coæternus patri. 1. Ratio.

2. Ratio.

Q 2 & figu-

& figuræ substantiæ eius, testante Apostolo ad Heb. cap. 1. igitur filius Dei, Deus æternus necesse est, sit, hæc enim nulli creaturæ conuenire possunt, sed Creatori tantum.

Argumenta hæreticorum soluuntur. Mag. in p. sen. dist. 9. Solut. D. Aug.

Superiora tamen argumenta hæreticorum contra æternitatem filij Dei facile soluuntur ex his, quæ scribit Mag. In p. lib. sen. dist. 9. quo loco Arianis sic satisfacit cum D. Aug. dicendo, non intelligit Arius natum esse Deum sempiternum, vt sit coæternus Patri filius, nam sicut splendor gignitur ab igne atq; diffunditur, & coæuus est illi, & esset æternus si ignis esset æternus, ita illic in diuinis circa filium æternaliter genitum, siue (vt Arius ait) natum. Secundo, Ario satisfacit cum D. Ambrosio, dicendo: Ego filium esse natum confiteor, quod reliquum est impietatis horresco, scriptum est enim in veteri Testamento (vt vel vnum in pluribus dicam) Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit, Isa. 44. Quis ergo hoc dicit? Pater an filius? si filius ante me inquit non fuit alius Deus. Si pater, post me inquit non erit, hic priorem & ille posteriorem non habet, inuicem enim in se, & pater in filio, & filius in patre cognoscitur. Cum enim patrem dixeris, eius etiā filium designasti, quia nemo ipse pater est sibi, cum vero filium nominas etiam patrem fateris. Quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio, semper ergo pater, semper & filius est.

Simile. Sol. D. Amb.

Quæstio. III.

Vtrum per hunc loquendi stylum, & phrasim: *Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*, apte, & commode æternitas filij Dei demonstretur?

1. concl. Deus non habet præteritū, futurūq; nec præsens eo modo quō nos. 1. Ratio.

SIT, prima assertio. In Deo non est præteritum, nec futurum, nec præsens, eo modo, quo in nobis est. Probatur. Tum quia in Deo quidquid est, idem ipsi Deo est; atqui si in Deo essent præteritum, & futurū cum sine distinctione essentialiter, vel vel secundum speciem, essent diuersæ naturæ deitatis, quod nullatenus asserendū est. Igitur, &c. Tum quia præteritum esse rei iam effluxit, futurum autem nondum euenit, ergo si in Deo daretur præteritum, & futurum, esse diuinum esset defectibile, & tenderet in nihilum, sicut esse nostrum; & tunc non esset ens perfectissimum. Igitur non potest ibi esse præteritum, & futurum. Tum quia si esset in Deo præteritum, & futurū daretur potentialitas, nempe quod Deus esset in potētia ad aliquid. Nā id quod futurū est, nondum est, sed esse potest, ergo esset in potentia ad habendum, & tunc daretur in Deo compositio ex actu, & potentia, & non esset actus purus, quod stare non potest. Tū quia Deus habet totū suum esse simul, ergo si esset ibi præteritum, & futurum non daretur totum esse simul, quia præteritum, & futurum esse dicuntur, & non simul. Tū deniq; probatur; quia si Deus præteritum, & futurum haberet, aut hoc esset quia in eo erat tempus in quo est præteritum, & futurum, vel quia est in eo successio sine motu, & tempore. Nullo enim alio modo datur præteritum, & futurum nec successio aliqua. Atqui nullum horum est in Deo. Igitur, &c. Primum patet quoniam in Deo non est motus, cum non sit ens corporale. Atqui tempus est passio motus, ergo in Deo non erit tempus, passiones enim consequuntur suam substantiam. Secundum etiam probatur

2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio.

F Quia successio illa est in rebus, quæ recipiunt nouiter aliquas perfectiones, & sine motu, sicut Angeli recipiunt nouas intellectiones, quæ in eis sunt sine motibus. At in Deo non est hoc, nam non potest quidquā recipere, sed solum habet id quod secundum naturam suam inest. Ergo non potest in eo esse præteritum, & futurum, sed quicquid est simul est.

Cōsectarium.

Ex quo plane sequitur, quod cum filius Dei habuerit esse ab æterno, cum patre æterno, & fuerit quando creatus est mundus, & nunc, & temporibus Ioannis, & in die Iudicij, eadem prorsus duratio, & esse, est quam ipse filius Dei in omnibus alijs partibus habuit, G & quam nunc habet, velut si eadem esset hora in qua formatus est Adam: in qua filius Dei crucifixus est, & in qua judicabitur sæculum. Et dum vnum fit, reliqua fierent. Et sic in Deo non est præteritum nec futurum, nec præsens quantum ad seipsum, sicut in nobis est. Sed tota duratio Dei, simul est, ita quod non sit alia pars durationis quam habebat quando erat Adam ab ea duratione, quam nunc habet, ab ea quam habebit cum Antichristus erit. In nobis tamen distinguuntur partes durationis. Quia idem homo est qui aliquando est iuuenis aliquando puer, aliquando senex, si tamen tota ista duratio esset simpliciter eadem, & non haberet in partibus suis differentiam aliquam, sequeretur idem esse, iuuentutem hominis, & pueritiam, & senectutem. Et amplius sequeretur, quod quādo homo esset iuuenis esset senex, & puer, quę includunt contradictionem. Differunt ergo in qualibet re partes durationis. In Deo autem tota duratio est eadē H nihil habens distinctum. Veluti si aliquis nostrum deberet viuere sexaginta annis, & haberet simul totam durationem istorum sexaginta annorum, ita vt nunc haberet horam in qua natus est, & secundam horam, & simul cum illa hora haberet totum secundum annum, & tertium, & quartum, & omnes vsque ad vltimam horam anni sexagesimi, & essent simul omnes partes istius durationis, nempe quod hora vltima anni sexagesimi non esset post primam horam in qua iste homo natus est, sed simul essent omnes horę suæ durationis, tamquam vna hora, nec esset ordo prioritatis, & posterioritatis tunc sequeretur, quod cum in partibus diuersis istius temporis nos fecimus diuersos actus, quod illi actus essent simul, cum omnes partes temporis simul sint, & sic quandocumq; maneret homo semper nasceretur, quia non deperderetur aliquid, quod I semel haberet, nec aliquid noui acquireretur. Etsi quis semel comederet semper ille actus comedendi maneret. Quia cum illum hominem esse comedentem sit pars esse hominis, & totum esse illius sit simul, sequitur quod quandocumque homo esset maneret hoc quod est, cum esse comedentem, & semper maneret hoc quod est, eum nasci, ab vtero. Nam cum istud nasci sit quædam pars esse sui, necesse esset, vt semper maneret, alioquin non esset totum suum esse simul.

Durationis Dei, & hominis differētia. Durationis partes in nobis distinguūtur. Duratio in Deo nō habet partes distinctas. Comparatio.

Secunda assertio. Hoc nomen [qui est] nomē maxime proprium Dei est, substantialiter, & positiuum. Hæc est D. Thom. p. p. q. 13. art. 11. & probatur. Tum quia Deus est primum ens, & omnium entium, ens. Tum quia solus Deus est ens, qui nec fuit, nec erit, nec incipit, nec cessabit, teste Eusebio lib. 11. de præparatione euange- K lica. Tum quia, vt ait Damascenus lib. Fidei Orthodoxę cap. 12. D. Hieronymus Epistola ad Damasum, Origines homil. vnica in lib. Reg. Iustinus, oratione Parænetica ad Gentes, Hilarius lib. de Trinitate, Cyrillus lib. 12. Thesauri, & D. Augustinus de Vera Religione, cap. 49. principalius nomen de Deo videtur, [qui est.] Nam est pelagus substantiæ infinitum, quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei, sed hoc nomen, qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes, & ideo nominatur à Damasceno teste D. Tho. pelagus substantiæ infinitum. Tum quia verbum, [esse] est verbum substantiuum, quod signat substantiam,

2. assertio. Nomē, qui est maxime proprium, & principalius nomen Dei est. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio.

tiam,& rationalem existentiam subiectorum. Tum quia S. Thomas p. p. quæst. 13. artic. 2. aperte tenens proprium nomen Dei esse [qui est,] assignat quasdam rationes, quarum vna est Diui Hieronymi ad Marcellam, de Decem Dei nominibus, & Diui Augustini in 5. lib. de Trinitate, quæ quidem ratio talis est,scilicet quia in hoc nomine signatur immutabilitas propria diuini esse, quod non nouit præteritum nec futurum. Cętera enim, quæ mutabilia sunt quasi non sunt, quod enim dicitur fuit, iam non est, & quod dicitur erit nondum est, & ideo de Deo maxime dicitur [qui est,] in præsenti. Tum quia idem Angelicus doctor, p.p.q.3. art.4. probat idem esse in Deo, esse & essentia. Nam quemadmodum illud, quod habet ignem, & non est ignis, est ignitum per participationem, ita illud quod habet esse,& non est esse, est ens per participationem. Deus autem est sua essentia,si igitur non sit suum esse, erit ens per participationem, & non per essentiam, & sic non erit primum ens,quod absurdum est dicere, est igitur Deus suum esse, & non solum sua essentia. Tum quia exploratum est apud Theologos, & etiam Philosophos Deum esse summum in entibus. Quod plane non accipitur aliunde nisi quia Deus est,qui est,quia a seipso, & non ab alio est, & omnia alia ab ipso sunt. Hinc Moysi sibi dicenti Exo.3. [Si dixerint mihi,quod est nomen eius?quid dicam eis?] Respondit Dominus, dicendo: [Ego sum qui sum.] Perinde ac diceret, ego sum qui vere sum, vel cui proprie esse conuenit. Vere enim sum,quia id quod sum ex me sum,& nō ab aliqua alia natura,vel essentia esse recepi.Alię autem res non sunt,quia suum esse non ex se,sed ex Deo habent, ideo quod sunt non sunt, quia id quod sunt, non ex se sunt, sed ab alio,id est à Deo,sunt, & hoc dicit Isa. cap. 41. [Ecce vos estis ex nihilo,& opus vestrum ex eo,quod non est.] Et quamuis nonnulli Theologi teneant Deum Moysi dicentem: [Ego sum qui sum,] loquutum fuisse per irrisionem, quasi tunc Deus irrideret illam interrogationem tanquam superfluam, quia cum ipse sit Deus Abraham,& Isaac, & Iacob,& tam familiaris eis fuerit, non indigebant nomine ad cognoscendum eum, ac proinde dixisse: [Ego sum qui sum.] Id est, ego sum qui sum Deus vester,nec indigetis alio nomine ad cognoscendum me, & tunc tantum valet dicere: [Ego sum qui sum,] sicut [Ego sum ego,] vt est modus respondendi vsitatus in locutionibus vulgaribus. Quia quando aliquis paterfamilias,vel domesticus alicuius domus clamat ad fores, vt sibi aditus concedatur, & quispiam ab intro quærit quis ad nostra ostia clamat? respondet qui ad fores manet [ego] non manifestans nomen suum,quasi per seipsum, & familiaritatem notum. Quæ omnia (inquam) licet stare queant. Verumtamen præstat asserere, Deum pronuntiando: [Ego sum qui sum] nomen proprium suum dixisse. Quoniam illud dumtaxat vere dici potest, quod est, quod quicquid est, à se & non ab alio est, & non illud quod quicquid est, non ex se, sed ab alio habet, Deus autem quicquid est, ex se & non ab alio obtinet. Tum quia essentiæ diuinæ magis competit hoc nomen [ens] quam nomen [Deus] teste Gregorio Nazianzeno orat. 4. Theologiæ, prope finem,& concludit, dicendo: [Nomen, Ego sum, proprium sane est Dei, ac totum, nec priore aliquare, aut posteriore definitum,aut circumscriptum.] Deus autem siue Dominus, Rex, Creator, Gubernator, &c. ex eorum (tenet ipse) esse numero, quæ ad aliquid referuntur, ac proinde asserit proprius conuenire diuinæ essentię nomen [ens] quam nomen [Deus.] Tum deniq; probatur ex verbis Christi crebro dictis in Euangelio suo: [Ego sum] nam ad ostendendam diuinitatem suam supra mare, ait Matt.14. [Ego sum] & discipulis suis in mare Galileę,dixit [Ego sum] in cœnaculo etiam post resurrectionem eisdem discipulis ait [Ego sum,] & idē repetijt in horto Gethsemani, dum turbæ dixit: [Ego sum] quibus in locis tantū valet dicere. [Ego sum] ac si dixisset [Ego sum Deus.] Hinc ipsemet Christus Ioan.14. Pharisæis optime dixit: [Antequam Abraham fieret ego sum,] est igitur, qui est, proprium Dei nomen.

5. Ratio. *6. Ratio.* *Tostatus in c. 3. Exod.* *De⁹ loquutus fuit ad Moysē per irrisionē.* *Comparatio.* *Nomen ppriū suum dixit Deus Moysi.* *Essentię diuinæ magis cōuenit nomen ens,quam nomen,Deus.*

Tertia assertio. Per hunc modum dicendi, nempe [Ab eo,qui est, & qui erat, & qui venturus est,] apte & commode noster Archipropheta æternitatem filij Dei demonstrat. Probatur. Tum primo. Quia per modum istum dicendi,[qui est,& qui erat,& qui venturus est,] maxime notatur immutabilitas Dei in essendo,ergo & æternitas eius. Antecedens patet. Quia Deus est, quod est, quia id, quod est, periturus numquam est, cętera autem non sunt,quæ sunt,aut de se perdere patent, nisi ipse qui esse dedit illud gubernet. Et istū modum loquendi sequitur Philosophus in 6. Eth. vbi incorruptibilia, & æterna, de quibus est sapientia vocat per se entia,& vere entia,cætera autem, quæ mutabilia sunt, non proprie esse dicit, ergo sicut per illum modum dicendi notatur immutabilitas Dei in essendo, sic etiam & eius æternitas. Consequentia est aperta. Quoniam immutabilitas correspondet æternitati. Patet ex diffinitione æternitatis. Nam Boetius in lib. de conso. sic definit æternitatem: [Æternitas est interminabilis vitæ iucunditas tota simul, & perfecta possessio.] Vbi tres ponuntur conditiones, quæ sunt inseparabiles ab æternitate increata,quæ Deus est, nempe,interminabilitas, cum dicitur: [Interminabilis vitæ possessio,] inuariabilitas, dum dicitur: [Tota simul] & simplicitas, dum dicitur: [perfecta] per primam separatur Deus ab omni corporali; per secundam, ab omni variabili; per tertiam vero ab omni composito. Tum secundo probatur, quia omnes differentiæ temporis, æternitati immutabili coexistunt, (Quamuis in Deo non sit præteritum nec futurum, nec præsens, eo modo quo in nobis est, vt prima tenet nostra conclusio) ergo de Deo vere dicitur verbum præteriti, futuri, & præsentis temporis.

3. assertio. Aeternitas filij Dei adamussim describitur à vate nostro Ioāne. 1. Ratio. *Phil. 6. Eth.* *Aeternitatis definitio. Aeternitas tres habet cōditiones inseparabiles.* *2. Ratio.*

Ex hac assertione, & etiam ex suis duabus rationibus annotabis primo. Quod ob hanc causam vbi in Exod. cap.3. D. Hieronymus transtulit: [Ego sum qui sum] in præsenti, Hebraica veritas posuit in futuro, dicendo: [Ego ero qui ero.] Et idem Ioannes, qui (vt Euangelista) exprimere volens æternam, & necessariam verbi diuini generationem vsus est verbo præterito, dicendo: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Ipsemet nunc, (vt Propheta) exprimere volens æternitatem eiusdem verbi, vsus hic est omnibus differentijs temporum, dicendo: [Qui est, qui erat, & qui venturus est.] Quod sane non ex aliunde ortum habet nisi quia (vt dudum dicebamus,) omnes differentiæ temporis æternitati immutabili, & indiuisibili simul sunt, & coexistunt. Secus autem est in creaturis, in quibus nihil est (vt dixi) nisi præsens. Quamobrem nos omnes, esse contingenter, extra Deum, habemus, & ipse solus, ex se, esse necessarium obtinet, & sic omnes nos in perpetua degemus corruptione, ac mutatione, ac proinde Heraclitus dicere solebat nos idem flumen in vno, & eodem loco, bis tranare nullatenus posse, quoniam fluminis aqua,nō est stabilis, immo in perpetuo motu, ac fluxu diuagatur,ac laborat;& ob id in vno, & eodē loco fluminis permanenter eamdem aquam minime tangere possumus propter continuum fluxum, ac motum aquę, solus enim Deus est immutabilis, & idem permanens, iuxta illud: [Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.]

Consect. 1. *Comparatio.* *Psal. 10. ad Heb. 1.*

Annotabis secundo magnam vtiq; grassari controuersiā super illa verba Exo.3. [Ego sum qui sum] inter Nicolaum de Lyra,& Paulū Burgensem,quorum vnus, tēpus præsens melius dici de Deo, alius vero, tempus futurū existimat. Lyranus enim verba illa: [Ego sū qui sū] sic vertit, dicēdo: [In Hebręo habetur, ero qui ero, per vtramq; tamen litterā, nimirum; Ego sum qui sum, in præsenti tēpore, idem significatur, scilicet, necessitas essendi, & æternitas, & immutabilitas per omnem modum, quia est conditio propria, & singularis istius Dei, omnia enim alia, eo ipso quod sunt de nihilo habent principium sui esse, & sunt vertibilia in nihil, quia subtracta manutenentia diuina caderent in non

Consect. 2. *Lyranus.*

in non esse, & ideo non esse conuenit eis quantum est ex se, sed esse habent à Deo secundum quod dicitur Isa. 41. Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est: sic dices filijs Israel, ac si diceret, si quæratur à te quis misit te, respondebis. Qui est misit me, ille qui habet ex se necessitatem essendi, & plenitudinem absque restrinctione, & determinatione aliqua.] Sic Lyranus. Ast Paulus Burgensis in suis additionibus in cap. 3. Exodi, Lyranum impugnat, dicens sic: [Non videtur habere locum (nimirum hæc expositio in præsenti tempore, Ego sum qui sum) secundum Hebraicæ litteræ veritatem vbi sic habetur: Dixit Dominus ad Moysem, ero qui ero, ait, sic dices filijs Israel, qui erit misit me ad vos, ponitur enim in quolibet loco vbi dicitur, ero, hæc dictio, Echie, quæ proprie est verbum substantiuum futuri temporis primæ personæ indicatiui modi, quæ quidem dictio frequentissime ponitur in sacra Scriptura, & nullam aliã significationem, nec æquiuocationem habet, &c.] Et sic concludit contra Lyranum, dicendo: [Vnde iste passus secundum Hebraicæ litteræ veritatem aliter videtur exponendus.] Hæc Burgensis. Quam controuersiam prorsus dirimit noster Archipropheta explicans æternitatem filij Dei, & eius immutabilitatem per tres temporis differentias, dum dixit de illo: quod ipse est, [qui erat, & qui est, & qui venturus est.]

Paulus Burgensis.

Consect. 3. Quod ly, est, denotat æternitatem.

Annotabis tertio, & postremo, ex eo quod verbum [est] tam in præsenti, quam in præterito, ac etiã in futuro tempore, nota, & inditium sit æternitatis, & diuinitatis filij Dei, factũ esse, vt Christo hoc verbũ proferente semper aliquod sequatur mirabile. Hinc ad illam vocem: [Ego sum qui loquor tecum,] mulier illa Samaritana tota mutata, & in alteram omnino conuersa, hydriam suam, & fontem aquæ reliquit, & penitus transformata, sitis oblita, nihil de suæ domus cura, nihilque de suo honore curans, currẽdo per viã veluti stulta, & fatua dicẽdo, & publice cuiuis sibi obuianti prædicãdo se Messiam inuenisse, & suorum peccatorum præteritorum ab illo veniam, & indulgentiã misericorditer impetrasse. Quid hoc quæso, nisi quod illã vox: [Ego sum] cor, mentem, & viscera illius penitus penetrauit? Illa vox, erat certe quæ illam attraxit, transformauit, & supra se eleuauit. [Ego sum] erat vox Dei, erat virtus Dei, erat potentia Dei, & erat nota ipsiusmet diuinitatis. Hinc etiam Christo Iudæis dicente: [Antequam Abraham fieret ego sum,] euestigio Iudæi, [Tulerunt lapides, vt iacerent in eum.] quasi nolentes audire Christum Deum esse. Nam verba Christi [Antequam Abraham fieret ego sum,] ita sonabant. Ego sum ille qui in rubo ardenti Moysi vestro appareas, illi dixi; [Ego sum qui sum, sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos.] Ego sum ille qui ante tempora, & sæcula sum. Ego sum ille de quo dicturus est meus discipulus electus: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Ego sum ille qui destruxi Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro. Ego sum qui traduxi populum Israel per desertum, plui illis manna ad mãducandum, conuerti petram illis in stagna aquarum ad bidendum. Vah, quæ potentia infinita est ista Dei. Ego sum, Ego sum. [Antequam Abraham fieret ego sum.] Idcirco hoc audito, illum lapidare volebant Iudæi. Et discipuli in monte Thabor ad illam vocem Patris, in nube dicentis; [Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,] nõne omnes ceciderũt? [Ceciderunt (inquit Matt. 17.) in facies suas, & timuerunt valde,] hoc est ad vocem illam, [hic est.] Quid, quod, ad vocem illam Christi Iudæis in horto dicentis, [Ego sum] nonne omnes ceciderunt retrorsum? [Abierunt retrorsum (dicitur Ioan. 20.) & ceciderunt in terram.] Videsne modo potentiam, maiestatem, & & virtutem infinitam Dei sub illa voce, [Ego sum?] Sole: sol radijs suis nubes fugare, in aquam conuertere, in niuem transmutare, terram aperire, &c. Solet etiam sagitta, ab arcu egressa, animalia occidere,

Ioan. 10.

Apostrophe ad vocem illã Dei, Ego sum.

Ioan. 19.

Mirabilia Dei

Comparatio.

F hominibus nocere, & infinita præstare mala; solet tandem globus plumbeus, vel ferreus ab instrumentis bellicis (quę Hispani [bombardas, y, culebrinas] vocãt) expulsus, muros & antemuralia prosternere, remos frangere, triremes, & naues submergere, exercitus destruere, & terras, castra, ciuitates, deuincere. Sic (immo multo melius, & fortius) vox illa Christi [Ego sum] nã mox Iudęi in horto: [Abierũt retrorsum, & ceciderunt in terram.] Et vt passim dicam de hoc Iudæorum lapsu in horto; En validissimũ, & inter homines fortissimum Samsonem nostrum, Christum dicentem: [Ego sum] hoc est [In maxilla asini, in mandibula pulli asinorum deleui eos, & percussi mille viros.] Quia audito, [Ego sum] confestim abierunt retrorsum (Iudæi,) & ceciderunt in terram.] En Ionatham nostrum Christum, dicentem: [Ego sum] hoc est, [Accidit quasi miraculum a Deo, ecce multitudo prostrata, & huc,

Iudicum. 15.

G & illuc fugiens:] His ergo visis, & auditis. Quis vmquã de cetero audebit dicere hanc vocem, [Ego sum] non esse omnino Deo condita, & penitus repleta diuinitate? Merito Dauid de hac voce Domini dixit: [Vox Domini confringentis cedros,] & iterum: [Dedit voci suę vocem virtutis,] & psal. 34. [Conuertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.] Et tandem in Euangelio [Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?]

1. Reg. 25.

Psalm. 28. Psalm. 67.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 4.

H Et qui venturus est. (dicit.) Particula hęc, facile indicat, prẹterita verba huiusmet orationis, nempe [ab eo, qui est, & qui erat,] accipienda esse de filio Dei, vt supra nos cũ Primasio, Laudunense, Strabo, D. Tho. & auctore Incognito in hisce suis Commentarijs, exposuimus. Quoniam Filius Dei est, qui sæculum iudicare venturus est, iuxta illud Ioan. 5. [Omne iudicium dedit Filio,] & paulo post: [Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audiẽt vocem Filij Dei.] Quamobrem licet Iudiciaria potestas toti competat Trinitati, vt communiter tenent Theologi cum Magistro in 4. sent. & cum S. Thom. 3. p. quæst. 59. art. 1. tamen per quamdam appropriationem Filio dumtaxat attribuitur. Filio (inquam) siue, vt Filius Dei est, vt vult Chrysostomus hom. 38. in Ioannẽ, siue vt filius hominis est, vt S. Thomas 3. p. quæst. 59. artic. 2. defendit, dicens, ad Christum secundum I humanãm naturam pertinere habere iudiciariam potestatem.

Dilucidatio textus.

§. 1. Filius Dei est venturus ad nos iudicandum.

Et vt diffusius rem attingam dico, quod sola persona Filij Dei apparebit in iudicio, & sola ipsa iudicabit. Huius ratio est; quia decet iudicem ab omnibus iudicandis manifeste videri. Et nulla alia persona diuina videri potest, oculis carneis, nisi persona filij, qui in plenitudine temporis humanam assumpsit naturam. Et sic persona filij per humanam naturam assumptam visibilis erit tunc, a bonis, & a malis, vt infra dicetur, & per consequens, sola persona filij iudicabit. Hinc dicitur Ioan. 5. [Sicut Pater habet vitam in semetipso sic dedit, & Filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis est.] Hoc est, in quantum homo accepit potestatem iudicandi, quam secundum diuinitatem ab æterno cũ Patre ex natura habuit. Accepit ergo hanc potestatem: [Quia filius hominis est,] id est, propter K conuenientiam, quam habet ad exercendum iudicium ex parte humanitatis assumptę. Nam, (vt nuper retulimus) decet Iudicem ab omnibus iudicandis clare intueri, & nullã alia persona diuina oculis carneis videri potest nisi persona filij. Hinc sola persona filij iudicabit, Propterea quod licet vna persona diuina non possit iudicare absque alia, (Quia iudiclarin

§. 2. Persona Filij Dei apparebit in iudicio sola.

ciaria potestas nomen est essentiale, & ad totam Trinitatem pertinens,) tamen Pater, & Spiritus sanctus iudicant per Filium, Filius autem iudicat a Patre, & Pater non iudicat quemquam, per seipsum iudicium exercens, sed omne iudicium dedit Filio, vt per seipsũ iudicium exerceat, habens ratum quidquid ille iudicauerit. Et licet Pater sit in filio, iuxta illud: [Non credis quia ego in Patre, & Patre in me est?] hoc tamen est intelligendum quoad consubstantialitatem nõ autem quoad personalitatem. Essentia enim Patris est in Filio, cum vna diuina essentia indiuisa manens, Patri, Filio, & Spiritui sancto ab æterno sit communis, Personalitas autem patris non est in filio, nam alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Idcirco licet filius non iudicet solus, iuxta illud Ioan. 8. [Et si ego iudico, iudicium meum verum est, quia solus non sum,] (quia pater iudicat per filium) attamen sola persona filij apparebit in iudicio, & per seipsum filius Dei iudicium exercet, quia Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.] Hinc diximus cum S. Tho. iudicium per quandam appropriationem filio conuenire. Quod fiet planum, & manifestum hoc exemplo. Pater poterat carnem assumere, & Spiritus sanctus etiam, verum sola persona Filij, (propter optimas rationes quas afferunt Theologi,) carnem assumpsit, & in illa carne assumpta pater operabatur per filium, & filius operabatur a patre. Tamen actiones per se erant filij, quia actiones sunt suppositorum, & ibi (nimirum in carne assumpta) non erat nisi suppositum, & persona filij. Et sic dicimus vere, & proprie filiũ per seipsum miracula fecisse, nos redemisse, &c. licet Pater, & Spiritus sãctus in miraculis, & in alijs actionibus Christi essent per cõcommitantiam, nimirum, ratione essentiæ, quæ tribus personis diuinis, communis indifferenter est ab æterno. Sic itidem in præsenti licet iudiciaria potestas sit toti Trinitati communis, tamẽ sicut sola persona filij carnem assumpsit, sic sola persona filij per seipsam iudicabit. Et licet in iudicio Filius iudicet a Patre, & Pater, & Spiritus sanctus per filium, tamen actio iudicandi erit vere, & proprie solius suppositi filij Dei, cui pater omne iudicium dedit. Sicut enim in incarnatione pater non assumens carnem mansit in sua inuisibilitate manifestãdo nobis sua arcana visibiliter per filium, qui carnem assumpsit, quem oculariter vidimus in terris hominem factum, sic in iudicio illo extremo pater habitabit in abscondito, & in caligine nubis (cum sint incrutabiles, & inuestigabiles viæ eius,) & sola persona filij visibiliter apparens, & per seipsam iudicium exercens iudicia Patris, & Spiritus sancti nobis manifestabit. Quia in filio Pater manifesta facit sua iudicia, & sic filius Dei per seipsum iudicans, iudicia patris nobis manifestaturus est. Hinc vniuersus chorus Prophetarum Euangelistarum, & Apostolorum, filio Dei iudicium tribuunt.

Ioan. 14.

Nota bene.

§. 3. Superiorum verborum explanatio per hæc sequentia maxime corroboratur.

Quamobrem cum in mysterio sanctissimę Trinitatis solius personæ filij per quamdam appropriationem sit iudicare, hinc plane est, quod de ipsa sola persona filij per quamdam appropriationem intelligatur particula illa superior: [qui est, & qui erat,] quemadmodum etiam per eamdem appropriationem de ipsamet sola persona filij intelligitur hæc alia particula eiusdem orationis nempe: [& qui venturus est,] vt sic oratio fiat, & integra, & perfecta in eodem sensu permanens, Ita plane sunt vera, & aperta ea, quæ hactenus diximus, vt aduersarij, qui tum de sola persona patris, tum de tota Trinitate, hanc orationem: [ab eo qui est, &c.] expendunt, dum ad hanc particulam, nempe, [& qui venturus est,] enodandam accedunt, semper filium introducant iudicare venturum. Quoniam Beda qui præfata verba de Patre interpretatur, ait: [Deus enim Pater, & venit, & venturus est in filio.] Et D. Dionysius Carthusianus, qui etiã de eodem patre exoluit, sic scribit: [Itaque Deus pater nunc incommutabiliter est, & ante omnia erat, & venturus est ad Ecclesiam militantem, ac triumphantem per charitatem, & gratiam, seu gloriam inhabitando, seque suis electis manifestando, ac noua, & mira agendo, non locum mutando, sic nẽpe, ait Christus. Qui diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, venturus est itaque omnium electorum remunerator, & corporum glorificator.] Sic ille. Et Franciscus Ribera, qui de tota Trinitate dispungit, sic videtur exponere. [Pater, & Spiritus sanctus, & venit, & venturus est in filio,] & tandem Iacobus Suarez à Sancta Maria, qui sequutus est Riberam, sic ait: [Quia tota Trinitas iudicatura est humanum genus, ad ipsam namq; pertinet, sed per Christum hominem iudicium exerceetur.] Sic ille.

Oratio oportet sit integra & perfecta.


Beda.

D. Dion. Car.

Ribera.

Iaco. Suarez

Conceptus Prædicabiles in textum.



FILIVM Dei æterni venturum esse in maiestate sua indicant sacrę litteræ crebro, & præcipue Matth. cap. 25. dum dicitur: [Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suę.] At discipuli quęrunt à suo magistro: [Dic nobis Domine quando hæc erunt.] Quę plane interrogatio euidens signum vtiq; est, quod de die iudicij nemo scit nisi pater, & cui voluerit filius reuelare. Hinc discipulis quærentibus: [Quando hæc erunt?] responsum fuit, [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.] Attamen audite quæso qualiter illud, [Tunc] magistri, huic. [Quando] discipulorum correspondeat. Quærunt igitur: [Quando hæc erunt?] Respondetur [Tunc] Quãdo mare quadraginta cubitis supra montes se erigebit stans in loco suo veluti murus. [Quando hæc erunt?] Respondetur [Tunc] quando mare tanto descendet, vt vis videri à nobis possit. [Quando hæc erunt?] [Tunc] Quando marinæ Belluæ apparentes supra mare dabũt rugitus vsque ad cælum. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando ardebit mare, & aqua. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando herbæ, & arbores dabunt sanguineũ rorem. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando ruent ædificia. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando lapides adinuicem collidentur. [Quando hæc erunt?] [Tũc] Quando generalis fiet terræmotus, ita magnus, vt nullus se sustinere valeat, aut possit. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando æquabitur terra, & omnes montes, & colles in puluerem redigentur. [Quando hæc erũt?] [Tunc.] Quando exibunt homines de cauernis, & ibũt lugentes. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando stellæ cadent de cælo. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando morientur viuentes, vt cum mortuis resurgant. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando ardebit cælum, & terra, & fiet cælum nouum, & terra noua. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando erit resurrectio omnium generalis.] Hucusq; sunt signa quæ D. Hieronymus in Annalibus Hebræorum reperit, quæ debent præcedere iudicium filij Dei æterni. Verumtamen addamus, & nos alia signa. [Quando (igitur) hæc erunt?] [Tũc.] Quando aër tonitruis, procellis, imbribus, radijs, coruscationibus, & infinitis exhalationibus, & impressionibus igniris penitus repletus erit. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando mare ita supra montes se eleuabit, vt fere ad cæli cacumen pertingat. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando terra vi terræmotuum vsque ad centrum erit aperta. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando hæ ciuitates mõdo à nobis habitabiles, pardis, leonibus, & vrsis refugium erunt. [Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando sol oscurabitur.

[Quan-

Conceptus 1. Quod filium Dei ad iudicandum venturum possumus pręcognoscere per quędam signa. Matth. 24.

D. Hie. refert se reperisse hæc signa iudicij in Annalibus Hebræorum.

Signa præcedentia iudiciũ ex sacra pagina, & ex SS. Patribus exhausta.

Quando hæc erunt?] [Tunc.] Quando luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. [Quando (tandem) magister hęc erunt?][Tunc.] Quando videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stātem in loco sancto, vt dicitur Matth. 24. tunc sedebit filius hominis in sede maiestatis suæ. Ecce qualiter per signa quędam dignosci, & pręcognosci potest filij Dei æterni aduentus, ad iudicandum nationes, cū ipse filius Dei sit ille, Qui, vt ait Dauid Psalm. 109. [Iudicabit nationes, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.] Idq; plane fiet. Quando ad iudicandum, vt hoc loco dicit noster vates Ioannes, venturus est.

Conceptus 2. Quod horrendus, & tremēdus sit dies iudicij, & probatur varijs auctoritatib' & figuris sacræ scripturæ



HORRENDVM & omnino tremendum proculdubio erit iudiciū filij Dei æterni, qui venturus est: [Non intres in iudicium cum seruo tuo (dicebat Dauid, Psal. 141.) quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.] O iudiciū toto pectore timendum. Iudicium etenim Dei est tribunal illud de quo dixit Paulus 2. Cor. 5. [Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq. prout gessit siue bonum, siue malum.] Sed quæso, perpendite Paulinam hanc [Omnes] (ait) generaliter, & absque exceptione [nos] personaliter, & absque excusatione [oportet] absque dilatione, [manifestari] absq; occultatione [ante tribunal] palam & publice absque compassione [vt] absque appellatione [recipiat vnusquisque] absque distinctione, [prout gessit] in operibus integre pro iuxta retributione [siue bonum] absque diminutione [siue malum,] absque redemptione. O Deum immortalem, ò horrendum iudicium! Hoc est ventilabrum siue scopa illa, quam Christus Dominus ad mundandam, ventilandam, & repurgandam post trituram, aream suam, scilicet, sanctā Ecclesiam, in manu sua gestat, vt sic paleæ repurgatæ igni, grana vero munda Cælo, tamquam Horreo Dei, tradantur, & recludantur, vt fecit Ruth, ventilans, & mundans aream suam, de quo dicitur c. 3. Ruth. [Hac nocte aream hordei ventilat.] Hic est arcus iræ Dei paratus, & promptus malos sagittare, & nocere, bonos vero defendere, de quo dicitur Apoc. 6. [Et qui sedebat super equum habebat arcum.] Hic est gladius ille ex vtraque parte acutus, de quo Apoc. 1. dicitur: [Et de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat.] Hæc est virga D. Pauli contra Corinth. de qua 1. Cor. 4. dicitur [In virga veniam ad vos.] Hic est aries ille fortis qui cornibus suis quatuor mundi partes ventilat, de quo Daniel 8. dicitur: [Postea vidi Arietem ventilantem contra Orientē, Occidentem, Aquilonem, & Meridiē.] Hic est lapis ille, qui statuam Nabuchodonosor in frustra penitus redegit, de quo Daniel 2. dicitur: [De monte abcisus est lapis sine manibus, & cōminuit statuam.] Hic est ventus ille horribilis, & vehemens qui concussit quattuor angulos domus Iob, de quo dicitur Iob 1. [Ventus vehemēs irruit à regione deserti, &c.] Hæc est columna illa nubis, & ignis, quæ Ægyptios spoliauit, & ditauit Hebręos, de qua Exod. 14. dicitur [Et cum eo columna nubis. &c.] Hic est Angelus ille inter cælum, & terram euaginatum obtinens gladium contra Israel, de quo 1. Paralip. 21. dicitur: [Leuans Dauid oculos suos vidit Angelum Domini stantem, &c.] Hæc est virga illa vigilans, & olla succensa, de quibus Ierem. 1. dicitur: [Virgam vigilantem ego video, &c. Ollam succensam ego video.] Hic est ignis ille quem Dominus minatus est, Deuteronom. 32. dicendo: [Ignis succensus est in furore meo, &c.] Hic est gladius ille super femur Christi accinctus, de quo Psalm. 44. dicitur: [Accingere gladuo tuo super femur tuum potentissime.] Hæc est virga illa ferrea Dauidis de qua Psalm. 2. dicitur: [Reges eos in Virga ferrea.] Hic est Angelus ille qui mari, & terræ nocet, de quo Apoc. 7. dicitur: [Et vidi alterum Angelum, &c.] Hic

Exponitur optime locus Pauli. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal, &c.

Apostrophe ad finale iudicium.

F est ille qui habet vas interfectionis in manu ad occidendos homines, de quo Ezech. 9. dicitur: [Vnusquisq; vas interfectionis habet in manu sua.] Hic est Angelus ille in obscura nocte exterminator, de quo Exod. 12. Hic est filius illius antiqui dierū qui potestatē habet iudicādi gentes, de quo Dan. 7. Hic est ille ad cuius imperium Angeli, dicent: [Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.] Apoc. 19. Hic est agricola ille qui eradicat zizaniam, & congregat triticum, Matth. cap. 13. Hic est sponsus ille, qui virginibus fatuis claudit ianuam, prudentibus vero aperit, Matth. 25. Hic est Dominus ille qui seruum suum mittit in carcerem, Matth. 18. Hic est paterfamilias ille qui vineam suam ab agricolis fructum non reddentibus tollit, Matt. 21. Hic est piscator ille qui eligit bonos pisces, malos autem foras mittit, Matth. 13. Hic est Pastor ille qui segregat agnos ab hœdis, Matth. 25. Vah, vah, horrendum iudicium. Horrendum sane tunc erit incidere in manus Dei viuentis.
G

Conceptus 3. Quod Xps in iudicio erit retributionis auctor.



FILIVS Dei æterni venturus est ad iudicandum, vt auctor retributionis. Quoniam cum supra, dictum fuit, de filio Dei: [Qui erat,] ostensum fuit ipsum creationis auctorem fuisse. Et cum de ipsomet annuntiauit Vates, [& qui est,] ostensum fuit ipsum conseruationis auctorem esse; & cum modo de eodem dicitur, [& qui venturus est,] ostenditur clare ipsum retributionis auctorem esse, & fore in iudicio illo magni Dei. Filius enim Dei est iudex ille qui Apoc. 22. ait: [Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua.] Hinc Paulus ad Roman. 14. dicit: [Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.] Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Filius itaque Dei erit tunc Princeps ille retributionis nostræ, qui veniens ad iudicandas gentes, incipiet ponere rationem cum seruis suis, & sedens in sede maiestatis suæ, Angelis huc, & illuc circundatus, vniuerso dabit terrorem, dicendo: [Redde rationem, (serue male, & piger) villicationis tuæ.] Estote quæso attentissimi. Illo enim die Prælatis primo, dicturus est filius Dei æterni, sic: Redde rationem (ò Præsul) gregis tibi commissi, quem dissipasti, & cum te Archiepiscopum, siue Episcopum feci dixi tibi: [Promittis mihi reddere rationem de animabus istis?] Tu autem hilaris, & gaudēs ter dixisti: [Promitto, promitto, promitto.] postea vero in dies, gregem meū dissipasti, & Ecclesias expoliasti, &c. redde, redde, redde igitur nūc (serue nequā) rationē furti, gubernationis malæ, &c. mox dicet alijs sic. Redde rationē: Et tu (ò princeps mundane) infinitarū iniustitiarum, pessimorum consiliorum, malorum iudiciorum, & iniquarum operationum tuarum, &c. Redde rationem: (ò docte & litterate) temporis amissi, paruę religionis, & deuotionis, & exigui fructus spiritualis, &c. Redde rationem, & tu, (ò vir forma præ ceteris speciose) bonorum naturæ, fortunæ gratiæ, corporis, & animi, &c. Redde rationem, (ò mulier) fornicationis, & adulterij commissi, honoris tui spræti, carnis tuæ nummis venditæ, & animæ tuę ita vilipensæ, & gratis inimico traditæ, &c. Redde rationem, tu etiam (ò Religiose) conculcatæ obedientiæ, fractionis silentij, violatæ castitatis, & neglectæ paupertatis, &c. Redde rationem, (ò Prædicator) profanati Euangelij, Scripturæ postpositæ pauci feruoris in reprehendendo, & exigui amoris in populum meum, tuis concionibus animando, &c. Redde (tandem) rationem, (ò homo, siue tu ò mulier) imaginis Dei, (nimirum animæ tuæ) sordidatæ, & à te contaminatæ, legis vilipensæ, præceptorum transgressorum, verborum ociosorum, & amorum profanorum. Redde, redde rationem villicationis tuæ, quomodo, scilicet, in vinea mea. Ecclesia, laborasti, quomodo tot talenta, tibi à me traditæ dissipasti. Quinque enim talenta tradidi tibi, quorum vnum

H, I, K

Xps auctor creationis.

Xps auctor conseruationis.

Xps auctor retributionis.

Matth. 25. Luc. 16.

Præsules iudicandi à Xpo, & reddent rationē illi, de dispensatione gregis illis cōmissi.

Principes iudicandi, & reddent rationē Christo.

Docti, & litterati homines iudicandi, & reddent Xpo rationem.

Fornicarij, & adulteri iudicandi, & reddent Xpo iudici rationem integra villicationis, scilicet carnalitatum.

Religiosus iudicandus, & de quibus reddet tunc rationem.

Prædicatores iudicandi, & reddent etiā rationem.

Peccatores iudicandi, & ad plenū reddēt rationē suorū scelerum.

vnum erat lex naturalis, alterum omnes sensus corporales, tertium intellectus, quartum lex scripta, quintum vero Euangelium meum. Redde igitur rationem serue male, ingrate, & nequam. Non exibis inde, donec reddas rationem vsq; ad nouissimum quadrantem. Videtisne terrorem, & horrorem, timoremque? Merito ait Dauid Psalm. 103. [In increpatione tua fugient à voce tonitrui tui formidabunt.] Verumenimuero fugere nequibunt. Propterea quod sicuti pisces hamo, retibusque capiuntur; & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic homines tunc extemplo comprehendentur, & in stagno ardente conglobatim recludentur. Ideo nunc manus ad arma dum lucem habetis.

Conceptus 4. Quod mūdus homini morienti cōparatur.

VENIENTE filio Dei ad nos iudicandum, mundus fiet cœcus amittens luminaria sua, Solem, nimirum, & Lunam, iuxta illud Matth. cap. 24. [Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum,] & sic fiet tunc mundus cœcus. Quando homo qui ab Aristotele, μικρόκοσμος, id est, michrocosmos, mūdus paruus nuncupatur, senectuti appropinquat primo cœcitate percutitur, lumen oculorum suorum paulatim amittendo: deinde illi cætera mox deficiunt, & commouentur vires. Sic mundus magnus, senectuti, & fini appropinquans primo fiet cœcus. Oculi enim illius sunt Sol, & Luna, de quibus dicit Euangelista: [Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum.] Sed dices cur mundus, homini sub hoc nomine Græco Aristotelico [microcosmos] assimilatur? In promptu quidem est responsio, nimirum quia, quemadmodum homo animal appellatur, sic etiam, & mundus, animal, (& non quodcumque sed ingens.) appellatur à Doctoribus. Hinc Origenes, sic de mundo, ait: [Vniuersum mundum animal quoddam esse immensum opinandum existimo.] Eiusdem opinionis est Eusebius, D. Augustinus, Aristoteles, Theophrastus, Auerroes, Democritus, omnes Stoyci, Hiarca, Plutarchus, & Mercurius Trimagister, & sane perpulchre dictum, Propterea quod, quid est in homine, quod in mundo non reperiatur? nihil proculdubio. Etenim homo habet in capite virtutem intellectiuam, in stomacho virtutem calefectiuam, & paulo inferius virtutem obtinet generatiuam. Mundus itidem iste supra habet, Angelos, Archangelos, Cherubim, & Seraphim. Ecce virtutem intellectiuam. In medio habet Solem, ecce virtutem calefectiuam. Inferius vero infra vltimam sphæram cælorum continuas obtinet rerum generationes; in suprema enim regione aëris generantur constellationes, & impressiones ignitæ, nimirum, capræ saltantes, scintillæ ardentes, columna pyramidalis, candela ardens, ignis fatuus, sidus volans, draco sufflans ignem: de quibus omnibus loquitur Aristoteles lib. 1. Metheor. cap. 6. in medio vero aëris regione generantur aliæ impressiones ignitæ, nimirum, hiatus vorago, cometa, galaxia, siue via lactea, &c. insuper nix, grando, glacies, spiritus procellarum; de quibus omnibus loquitur Aristoteles 1. lib. Meth. cap. 7. & alijs. In vltima vero regione nostra generantur, animantia, scilicet, bos, leo, capra, equus, volatilia, & pisces maris. En vides virtutem generatiuam huius magni animalis mundi. Illud insuper, quod in homine est anima, quæ tota est in toto, & tota in qualibet parte, est in mundo Deus ille, qui dicit: [Cælum & terram ego impleo.] Quid igitur amplius est in homine, quod in mundo non reperiatur? nihil sane. Vis enim carnem? ecce elementa: vis ossa? ecce lapides: vis musculos? ecce arbores: vis capillos? ecce herbas: vis venas? ecce fontes: vis sanguinem? ecce aquam: vis humores? ecce metalla: vis oculos? ecce stellas: vis cor? ecce solem: vis venerem? ecce lunam. Et huiusmodi membra humana mundi diuisio [illegible]

Mundus quādo fiet cœcus.

mundus animal magnus.

Partes mundi assimilantur partibus hominis.

Caput hominis, & caput mundi.

Virtus generatiua hominis, & mūdi.

Anima hominis, & anima mundi.

Partes corporis hominis, & partes mūdi.

no deseruiunt, in mundo quid aliud amplius fit cum tot vidimus sympatias, tot amicitias, tot symbola, tot combinationes, tot colligationes, & tot ligamenta? Quid quæso fit dum archetypus (hoc est originale, & exemplar primum) correspondet Angelico, Angelicus cælesti, cælestis sublunari, sublunaris microcosmo? Dum insuper Seraphim correspondent primo mobili; Cherubim, cælo stellato; Throni, Saturno; Dominationes, Ioui; Principatus, Marti; Potestates, Soli; Angeli, Lunæ? Dum etiam terra conuenit cum Luna, aqua cum Mercurio, & Saturno, aer cum Venere, & Ioue; ignis cum Sole, & Marte? Quid tandem fit dum inter astra relucet sol, inter aues, aquila, inter bruta animantia leo, inter pisces balæna, inter arbores laurus, inter lapides carbunculus, inter prouincias Chaldæa, & inter ciuitates Roma, quæ caput mundi dicitur: ad quid hoc quæso, nisi ad ostendendum quomodo vna pars (animalis magni nimirum) mundi, alteri deseruit, & correspondet, quemadmodum partes corporis microcosmi, scilicet hominis? Quod cum ita sit accurate, à vita hominis signa accipiuntur durationis, & terminationis mundi. Quemadmodum igitur senescente homine lumen oculorum amittit, & fit cœcus, omnibus membris corporis commotis, ita cum videritis solem, & lunam (quæ sunt mundi oculi) lumen suum amittere, & virtutes cælorum commoueri, vt supra diximus cum D. Matthæo, scitote quod mundus iam morti proximus est. Et notate quæso, quod, vt dicunt medici nō omnia signa hominis mortem vno et modo denotant. Nam tribus modis signa hominis solent mortem designare. Quædam siquidem sunt signa, quæ hominem mortalem esse prognosticant: Alia vero dantur signa, quæ hominem moribundum vaticinantur: alia tandem reperiuntur signa, quæ hominem morientem esse prædicant; quoniam ex eo, quod infirmitates, & mala aliqua grauia obtineat homo, prænoscitur mortalem esse. Ex eo vero quod pulsum amittat, vaticinatur moribundum esse, ex eo denique, quod oculos, & spiritus claudat, prædicitur morientem esse. Quamobrem cum omnes sancti Patres, & Prophetæ mundum hunc, finiturum iri dicunt, aliquo ex his tribus modis illius finem vaticinantur, vel etenim illum mortalem, vel moribundum, vel morientem esse dixerunt. Nemo sane Prophetarum Euangelistarum, Doctorum, aut Prædicatorum est, qui finem mundi aliquo ex his tribus modis cito venturum non prædixerit. Nam cum dicunt iniquitatem superabundare, malaque in dies crescere, &c. & ideo finem mundi appropinquare, tunc tantum mortalem esse mundum prædicunt, finemque propter illa ingentia scelera accepturum iri. Cum vero aiunt propter peccata Deum dixisse: [Pœnitet me fecisse hominem,] & diluuium aduenisse, sodomitasque igne combustos fuisse, & iudicium Dei prope esse in ianuis, tunc mundum moribundum prædicarunt. Cum denique Euangelistæ dicunt, & Prædicatores Euangelici in dies acclamant: [Erunt signa in sole, & luna,] mundum illum iam morientem esse vaticinantur. Nam luminis oculorum, & spiritus amissio signum hominis iam morientis est. Quod igitur sol obscuretur, & luna non det lumen suum, & stellæ cadant de cælo, quod itidem pestilentiæ, prælia, fames, terroresque sint, non solum mundi mortalis, & moribundi, verumetiam iam morientis signa erunt.

Membrorum hominis, & mūdi connexio.

Nota bene.

Roma caput mundi.

Signa mortis in homine.

Homo mortalis, moribundus, & moriens.

Homo quādo mortis est propinquus.

Homo quando moribundus.

Homo quādo est moriens.

Mundus mortalis, moribūdus, & moriens

Mundus quādo mortalis.

Mundus quādo moribundus.

Mundus quādo moriens.

Signa dissolutionis mūdi.

DISPVT.

DISPVT. XII.

In Cap. Primum Apocalypseos, de iudiciaria potestate filij Dei æterni.

In tres Quæstiones distributa super illa verba: *Et qui venturus est.*

Prologus disputationis.

CHRISTVM Redemptorem nostrum venturum esse ad iudicandum tota sacra pagina clare testatur, venturumque esse in forma humana dispungunt Doctores cum Magistro in 4. sent. dist. 48. & cum S. Thom. 3. p. q. 59. art. 2. & nos etiam id infra ostendemus. Cæterum cum in Christo considerare possimus geminam naturam, videlicet diuinam, & humanam sub illa felici hypostatica vnione, qua interueniente, Verbum caro factum fuit, videndum duximus modo, qua ratione iudiciaria potestas illi competat. De qua re disputant Doctores cum Magistro, in 4. sent. & cum S. Tho. in 3. p. quæst. 59. art. 2. Tostatus tom. 5. in Matthæum cap. 10. quæst. 193. Iosephus Angles p. 2. Flor. Quæst. Theolog. quæst. de Vniuersali Iudicio, & Franciscus Suarez tom. 2. in 3. partem D. Thom. quæst. 59. artic. 6.

Quæstio. I.

Vtrum iudiciaria potestas toti conueniat Trinitati?

1. concl. Iudicare conuenit Deo auctoritatiue.

PRIMA Conclusio. Iudicare auctoritatiue, vel secundum auctoritatem primariam, hoc est principaliter, primo, & per se, absque commissione, aut delegatione alterius, (quod alij dicunt in iurisdictione ordinaria, vel iudicare principaliter) toti, & soli Trinitati competit. Hæc est communis omnium Theologorum in 4. sent. dist. 48. & probatur. Tum quia solus Deus (qui est beata Trinitas) creauit homines, & legem dedit, per quam viuerent, secundum quam iudicandi sunt tractores legis vel transgressores: & contra ipsum solum est tota offensio transgressionis. Igitur ad ipsum Deum ex seipso pertinebit iudicare auctoritatiue. (1. Ratio.) Tum quia illius solius est iudicare secundum primariam auctoritatem, qui potest efficaciter præmium reddere bonis, & infligere pœnam malis. (2. Ratio.) Atqui sola beata Trinitas (nempe Pater, & Filius, & Spiritus sanctus) potest reddere bonis præmium, scilicet visionem beatam, & malis infligere pœnam damnationis: Quoniam sola virtute diuina potest communicari visio diuinæ essentiæ intellectui creato, & per eam solam potest fieri, quod spiritus à corpore separatus, (vt sunt Angeli) puniatur ab igne inferni, vel quod corpora damnatorum semper affligantur & numquam corrumpantur. Ergo iudicare per modũ primariæ auctoritatis soli Trinitati competit. Tũ quia (3. Ratio.)

E iudicium auctoritatem requirit in iudicante. Atqui auctoritas super viuos, & mortuos est solius Dei principaliter, qui est beata Trinitas, quia ipse solus est principaliter Dominus, & creator omnium. Ergo, &c. Tum quia ad iudicandum requiritur potestas inuincibilis, (4. Ratio.) iuxta illud Eccles. 7. [Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute disrumpere iniquitates.] Atqui virtus inuinsibilis est solius Trinitatis, hinc Dauid loquens cum Deo iudice Ps. 50. ait: [Vt vincas cum iudicaris.] Tũ quia (5. Ratio.) iudicare principaliter, ei soli debet competere cuius intellectus non subordinatur, seu dependet ab alio in iudicando, nec voluntas inefficaciter volendo, & imperando, vt sic ad illud imperium mox sequatur effectus. Atqui solus intellectus diuinus non est subordinatus alicui in dictando, nec eius voluntas in volendo: quoniam sola eius voluntas est omnipotens. Ergo solius Dei erit principaliter iudicare. (6. Ratio.) Tum denique

G probatur ex illo Dan. 7. vbi dicitur: [Aspiciebã donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.] Quo loco Throni (vt Mag. in 4. sen. dist. 48. & D. Dionysius lib. 11. de Diuinis nominibus exoluunt) iudiciariam potestatem designant. Et antiquitas de Deo dicitur ratione æternitatis. (Mag. in 4. D. Dion. li. 11. de Diuin. nomin. c. 10. Deus cur antiquus annorum dicatur.) Deus siquidem dicitur: [Antiquus dierum,] id est, longæuus, & plenus dierum, iuxta illud Iob. 36. [Et numerus annorũ ejus inestimabilis,] vel [antiquus dierum,] dicitur antiquus ante omnes dies, omniaque tempora, (vt auctor, conditorq;) in seipso continens. (æternitatem Dei quo loquendi modo scriptura describat.) Accedit, quod D. Hieron. ait, scilicet, induci Deum sub specie senis à Daniele, vt demonstretur grauitas, maturitas, & trãquillitas animi in iudicando. Quæ omnia frequentius in sene, quam in iuuene insunt; Iuxta illud Iob. 12. [In antiquis est sapientia, & fortitudo, ipse habet consilium, & intelligentiã.] (D. Hieron. in Danielem. Theodor. in Danielem.) Theodoretus vero affirmat quosdã, verba hæc [antiquus dierum,] ita legisse

H [antiquus dies] secundũ quam lectionẽ duo sane significantur, nẽpe, æternitas Dei, qui tempori dat antiquitatẽ, & vetustatẽ. Et eiusdem Dei immutabilitas; cuius comparatione omnia, vel ipsa quoq; tempora senescere, & antiquari dicuntur. Nam quod Psalmographus ps. 101. dixit de cælis, & terra, nempe [Ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent,] & deinde [& anni tui non deficient] idipsum in alia omnia, quæ à Deo sunt condita æque quadrat. Ergo, &c.

(2. concl. Auctoritas prima iudicandi qua iudicabit tota Trinitas est Deo naturalis.) Secunda conclusio. Istã auctoritatem iudicandi principaliter, habet Deus, nẽpe, beata Trinitas, naturaliter. Hæc est aperta, & probatur ex eo dumtaxat, quia Deus talem auctoritatẽ iudicandi primo, per se ab alio nullatenus accepit. Et sic quippe est illi innata, & coæua, sicuti omnipotentia, sapientia, bonitas, æternitas, immobilitas, & reliqua diuina attributa.

I Aduersus tamen primam cõclusionẽ est locus Ioa. 5. (Obiectio 1.) vbi sic dicitur: [Neq; enim pater iudicat quemquã. sed omne iudicium dedit filio,] ex quo loco sic potest aliquis primo argumentari. Pater non iudicat, ergo tota Trinitas principaliter non iudicat, vt est dictum in prima conclusione. Consequentia patet; quoniã pater vna est ex tribus personis sanctissimæ Trinitatis.

(Obiectio 2.) 2. Filius habet omne iudicium, atq; sola persona filij non est tota Trinitas; igitur tota Trinitas nõ iudicabit. Propter veram intelligentiam huius loci Ioa. 5. astruitur hæc sequens quæstio.

K

Quæstio II.

Vtrum iudiciaria potestas sit æqualiter filio Dei attribuenda?

(Iudiciaria potestas quomodo filio Dei conueniat.) DE filio Dei dupliciter vtique loqui possumus nimirum, ab æterno, antequam carnem assumeret, & in tempore postquam homo factus est, si itaque de illo primo modo loquamur, non ei specialiter attribuitur iudiciaria potestas. (Gemina acceptio filij Dei.)

testas. Quoniam cum ista sit secundum auctoritatem primariam,& naturalis,& coeua Deo, æqualiter competit toti Trinitati, & non magis Filio, quam Patri, nec minus magis personæ Spiritus sancti,quam personæ Patris, & Filij. Hinc si per impossibile actus indicandi auctoritatiue ante incarnationem exercendus fuisset, ad illum plane non tantum concurrisset Filius, verumetiam Pater, & Spiritus sanctus. Quoniam esset actus ad extra, quemadmodum creatio,vel gubernatio, ad quem exercendum tota Trinitas simul, & æqualiter concurrere debet,cum ad extra omnia opera sint communia toti Trinitati: Si vero secundo modo loquamur, nimirum postquam filius Dei in tempore homo factus est,sic pertractatur præsens difficultas, an scilicet ei iudiciaria potestas specialiter attribuatur. Ratio autem dubitandi stat in hoc,nimirum, quia licet eadem sit realiter persona, quæ est Deus, & quæ est homo, tamen ei alia competunt, vt Deus, & alia vt homo. Nam vt homo competit ei potuisse mori,& vere passum esse. Secundum vero quod Deus, competit ei, nos ab omnibus peccatis integre lauare, &carnem suam quando voluit animę reunire. Quamobrem cum hæc persona filij concurrere debeat simul cum Patre, & Spiritu sancto ad iudicandum, videndũ est, quæ potestas iudicandi competat huicmet personæ filij ratione diuinitatis, & quæ ratione humanitatis. Quoniam sicuti verus est Deus, sic etiam est verus homo, & sic alia oportet sit in eo potestas iudicandi, vt est Deus,& alia,vt est homo, certa tamen ab incertis primo distinguamus.

Filius Dei vt homo an iudicet p attributionem. Radix,& origo difficultatis explanatur.

Prima assertio. Filio Dei incarnato specialiter attribuitur iudiciaria potestas. Hęc est de fide. Illamq; profitentur Doctores cum Magistro in 4. sent. dist. 45. & cum S.Thom. 3. p. q. 59. art. 1. & probatur. Tum quia Ioan. 5. dicitur: [Et nunc est quando mortui audient vocem filij Dei.] & paulo supra: [Neque enim pater iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicuti honorificant Patrẽ] ergo filio Dei incarnato specialiter attribuitur iudiciaria potestas. Tum quia ad iudicium tria requiruntur, nimirum, potestas subditos coercendi, zelus rectitudinis, & sapientia, vt rectè probat S.Thom. 3. p. quæst. 59. art. 1. Atqui ista omnia apprime reperiuntur in filio Dei incarnato, & præcipue tertium, nimirum, sapientia. Quia filius incarnatus est sapientia genita, & veritas à patre procedens & ipsum perfecte repræsentans. Igitur propriè iudiciaria potestas specialiter attribuitur filio Dei incarnato, maiorem probat S.Thom. auctoritate D. Augustini lib. de vera religione cap. 31.

1. assertio. Filio Dei incarnato specialiter attribuitur potestas iudicãdi. 1. Ratio. 2. Ratio.

Ex hac conclusione sequitur, quod licet iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati, tamen supposita incarnatione, illa talis iudiciaria potestas attribuitur filio, per quandam appropriationem, attamen cum distinctione prout hic sequitur.

Consectariũ.

Secunda assertio. Si filius Dei incarnatus consideretur, vt Deus, sic, iudiciaria potestas, quæ competit ei, est secundum primariam auctoritatem, iudicabit, scilicet auctoritatiue principaliter primo, & per se, absque commissione, aut delegatione alterius. Probatur. Quoniam iudiciaria potestas, quæ competit Deo, talis est, vt est dictum quæstione præcedenti. Filius autem sic consideratus iudicabit cum Patre, & Spiritu sancto, iuxta illud Ioan. 5. [Non potest filius à se facere quidquam nisi, quod viderit patrem facientem,] vbi teste Caietano, sermo est de æqualitate Filij ad Patrem propter tria, primum, scilicet, quia filius concurrit ad omnia opera, quæ facit Pater, siue creando, siue gubernando, &c. secundum, quia Filius incarnatus facit semper naturalia opera in genere humano, scilicet, suscitare mortuos, viuificare animas, iudicare mundum: tertium tandem quia filius incarnatus adorandus est sicut Pater. Igitur si filius consideretur vt Deus, tunc iudicabit auctoritatiue simul, & æqualiter cum Patre & Spiritu sancto.

2. assertio. Filius incarnatus si cõsideretur, vt Deus auctoritatiue iudicabit. 1. Ratio.

Caiet. in c. 5. Ioannis.

Ex hac conclusione sequuntur duo. Primum vtiq; est, quod cum D. Ioannes Chrysostomus hom. 8. in Ioannem tenet iudiciariam potestatem non conuenire Christo secundum quod est homo, sed secundum quod est Deus, loquitur ibi Sanctus Doctor de primaria auctoritate iudicandi primo & per se, absq; commissione, aut delegatione, dumtaxat. Secundum porro est, quod prout sic,non specialiter attribuitur filio iudiciaria potestas;quoniam cum iudicare auctoritatiue sit Deo naturale, non specialiter debet competere filio,immo æqualiter omnibus tribus personis sanctissimæ Trinitatis. Quoniam Filius secundum diuinitatẽ æqualis est Patri,& Spiritui sancto, & ob id æqualiter & simul debet omnibus,& singulis personis Trinitatis illa talis potestas iudiciaria competere.

Consectariũ. D. Chrys. explicatur circa auctoritatem Xpi iudicãdi.

Tertia assertio. Si filius Dei incarnatus consideretur vt homo, illi etiam competit iudiciaria potestas. Hæc est contra Scotum in 4. sen. d. 48. q. 1. & probatur. Tum quia Christus in humanitate gloriosa est in terrã descensurus,vt nos dicemus in hoc eodem cap. 1. super illa verba: [Videbit eum omnis oculus,] ergo habet iudiciariam potestatem in humanitate,& per humanitatem exercendam. Quoniam si per solam diuinitatem iudicaturus esset, non oporteret secundum humanitatem descendere ad iudicandum. Tum quia D. Petrus Act. 10. de Christo vt homine dicit: [Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.] Quod autem ibi sit sermo de Christo,vt homine,planum fit, ex ipso contextu sacro, eo quod immediate ante illa verba docuerat Petrus mysteria passionis, & resurrectionis Christi, & proxime post illa, docet solum ipsum esse mediatorem,per quem peccatorum remissionem consequimur.

3. assertio. Xpo vt homini potestas ad iudicandũ data. 1. Ratio. 2. Ratio.

Quarta assertio. Iudiciaria potestas Christi, vt hominis, est delegata, siue secundaria, & quasi ex diuina commissione data. Hæc est communis omnium Theologorum locis supra in prologo citatis, & probatur. Tum quia humanitas nihil ex se habet, sed totum accipit ab alio,nimirum, à diuinitate,cui competit per auctoritatem iudicare. Tum quia per iudicium boni admittuntur ad regnum, mali vero repelluntur. Atqui admissio bonorum erit meritoria per redemptionis beneficium,quod perceperunt,& retinuerunt, repulsio vero malorum à regno, erit per hoc, quod beneficium redemptionis contempserunt, vel eo abusi sunt. Christus autem est Redemptor ratione humanę naturæ, in qua opus redemptionis exercuit. Ideo secundum eam pertinet secundaria auctoritas iudicandi. Tum quia eodem modo competit alicui legem condere, & secundum eam iudicare. Atqui Christus secundum humanam naturam fuit conditor legis Euãgelicæ, non quidem primaria auctoritate, sed secundaria, & quasi delegata. Ergo eodem modo competit ipsi secundum eam, obseruatores & transgressores iudicare. Tum ex illo Act. 10. [Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum,] vbi illud [Constitutus] delegatam potestatem, siue secundariam, & quasi ex commissione datam,dicit. Tum quia istum ordinem iudicandi per delegationem tangit expresse sacra pagina, dum Dan. 7. dicitur: [Aspiciebam donec throni positi sunt,& antiquus dierum sedit,] vbi per antiquum dierum intelligitur Deus, & maxime Pater, qui est fons totius deitatis, cuius est primaria auctoritas iudicandi. Et quia ab eo deriuatur potestas iudiciaria in filium,non solum ab æterno, & secundum diuinam naturam, sed etiam in tempore secundum humanam, in qua potestatem iudicandi meruit, sed non eandem neque æqualem; ideo subiungitur: [Aspiciebam in visu noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat,& vsq; ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem, & hono-

4. assertio. Filius incarnatus si cõsideretur, vt homo p potestatem secundariã, & delegatã iudicabit. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio.

honorem, & regnum,] in quo innuitur potestas iudiciaria in Christo homine delegata. Tum postremo probatur ex illo Ioan. 5. [Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est,] vbi ly [dedit] potestatem delegatam indicat.

4. Ratio.

Appendix. Mag. sent. Durandus. Scotus. S. Thom. D. Chrys. & D. Tho. conciliātur circa iudiciariā facultatē Xpi.

Hanc assertionem profitentur communiter Theologi cum Magistro in 4. sent. dist. 48. inter quos præcipue videndus est Durandus, quæst. 1. & Scotus quæst. 1. Et (ni fallor) sic vtique etiam intelligendus est S. Thom. dum 3. p. quæst. 59. art. 2. probat contra D. Ioannem Chrysostomum iudiciariam potestatem conuenire Christo secundum humanam naturam. Idcirco facile conciliantur Chrysostomus, & Thomas tamquam non contrarij, cum Chrysostomus loquatur de auctoritate primaria iudicandi, & Thomas de potestate secundaria, & delegata. Nam perspicuum est primam competere Christo ratione diuinitatis, secundam vero ratione humanitatis. Et fere eodem modo videtur conciliare has duas Ecclesiæ Dei columnas Chrysostomum, & Thomam, Franciscus Suarez tom. 2. in 3. par. D. Thom. quæst. 59. artic. 2. in suo commentario.

5. assertio. Iurisdictionē delegatam iudicādi habuit Xps à primo instanti conceptionis. 1. Ratio.

Quinta assertio. Filius Dei incarnatus iudiciariam potestatem delegatam habuit in primo instanti conceptionis. Hæc est aperta & communis omnium Theologorum vbi supra. Probaturque. Tum ex illo Ioan. 5. [Sed omne iudicium dedit filio,] quoniam dare, significat ibi gratuitam collationem factam filio Dei in mysterio incarnationis. Tunc enim Deus dedit filio opus iudicij cum factus est homo, hoc est, tunc constituit iudicem mundi. Tum denique probatur ex his, quæ supra tex. 1. par. 5. disp. 3. retulimus dum de gratiæ, & scientiæ plenitudine Christi disputaremus. Omnia namque, quæ ibi recitata fuere maxime iuuant ad hanc assertionem probandam. Tum quia hæc iudiciaria potestas debetur Christo ratione vnionis, & est ei quasi connaturalis. Quare oportet illam habuisse ab initio incarnationis, quemadmodum de dignitate capitis, & de omni potestate excellentiæ tenent Theologi cum S. Thom. in 3. p. asserentes prælibata omnia habuisse Christum cum ipsa vnione. Et quod attinet ad hanc potestatem iudiciariam non fuit illi necessarium tali carere potestate, & dignitate, quæ ad nostram redemptionem minime spectabat.

2. Ratio.

3 Ratio.

6. assertio. Manifestationē iudiciariæ potestatis meruit Xps in morte, & in resurrectione sua. 1. Ratio. 2. Ratio.

Sexta assertio. Manifestationem huius potestatis delegatæ meruit Christus per suam acerbam passionem, & sanctissimam resurrectionem. Hæc est manifesta, & nulla alia indiget probatione, quam ea, quam nos enodantes illa verba primi cap. [Quam dedit illi Deus;] retulimus. Ibi enim satis argutum fuit de his quæ habuit Christus à primo instanti conceptionis, quorum postea successu temporis manifestationem meruit. Accedit quod Christus non priuauit humanitatem suam vllo bono, vel perfectione debita ratione vnionis, nisi quatenus necessarium, vel conueniens fuit ad redemptionem nostram.

Soluitur duo argumenta in calce superioris quæstionis posita.

Argumentum autem in calce primæ quæstionis propositum facile dissoluitur ex his, quæ hactenus in hac secunda quæstione diximus. Nam [Pater non iudicat quemquam] potestate delegata, bene tamen auctoritatiue; quia omne iudicium per delegatā iurisdictionē dedit filio, nimirum, humanitati Christi per gratuitam collationem in mysterio incarnationis ei factam, per quam dicitur pater iudicare in alio, hoc est per filium, ratum habens quicquid ille iudicauerit. Hinc Rupertus Abbas in cap. 13. Danielis sic scribit: [Igitur Dominus de se dixit Ioannis cap. 5. pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio; hæc prophetica visio, lucido satis defendit testimonio. Sed cur filius debeat potius iudicare? subdit ipse, quoniam filius hominis est, ac si diceret, quia persona filij sese operosius impendit ad reparationem mundi in tantum

Rup. Abbas in lib. suorū cōment. in Daniclē c. 13.

Cur filius potius iudicare debeat quam pater.

F fierit filius hominis, sola enim ipsa incarnata est, & passa pro salute mundi, propterea merito ei debetur potestas iudicandi, vt sola spectetur persona filij secundum formam visibilem hominis, in qua semetipsam sola exinaniuit.] Sic Rupertus. Et Abulensis in cap. 19. Matthæi hoc soluit, dicendo: [Secundo modo istorum iudicat Christus in quantum homo, nam ipse vere efficienter iudicabit omnes homines sententiam formando, & proferendo, eo modo quo ibi erit probatio, & tamen hoc ex delegatione deitatis habebit, cui competit per auctoritatem, sicut dicitur Ioan. cap. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio facere quia filius hominis est, scilicet Christus in quantum est filius hominis non habet potestatem iudicandi, sed pater ei dedit, id est, Trinitas beata, licet Christus non sit filius Trinitatis, sed solius Dei patris, & omne quod per

Alph. Tostat. in c. 19. Matt. q. 193.

G auctoritatem iudicandi habet tota Trinitas contulit Christo per commissionem, vel delegationem. Et ita dicitur de Christo Act. capite decimo, quod constitutus est a Deo patre iudex viuorum, & mortuorum. Istum etiam modus secundum iudicandi nemo habet nisi Christus in quantum homo, quia nulli alteri delegat tota Trinitas per executionem, quod ipsa habet per auctoritatem, quia per talem delegationem acquiritur ipsi delegato quidam honor diuinus; quem non est fas alicui dare nisi Christo, sic dicitur Ioan. cap. 5. Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio facere, vt omnes honorificent filium sicuti honorificant patrem, & tamen honor patris est diuinus qui nulli dandus est, nisi filio qui est Deus, licet non in quantum homo, ideo soli Christo contulit Deus in quantum homini istam potestatem iudicandi.] Hucusque Alphonsus Tostatus. Tandem Ioannes Ferus præfata verba: [Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio,] sic soluit, dicendo: [Ideo Christus aliquando iudicium sibi arrogat, aliquando à se in patrem reijcit, vt ostendat opera eorum communia esse. Pater enim non iudicat quemquam, quia iudicium dedit filio, & filius non iudicat quemquam, quia non est solus, sed vnum cum patre, hoc est alter sine altero non iudicat. Pater non iudicat nisi per filium, filius autem non iudicat nisi à patre. Deinde pater non iudicat quemquam, quia Deum nemo vidit vmquam; habitat enim in abscondito, in caligine nubis, & iudicia eius sunt inscrutabilia, & inuestigabiles viæ eius, omne autem iudicium dedit filio, quia in filio manifesta facit sua iudicia.] & paulo post: [Quod autem hic dicitur, Christo datum esse iudicium, ad humanam naturam refertur;

Honor diuinus soli Xpo, est dandus.

H

Ioan. Ferus in c. 5. Ioannis.

Ioan. 9. 1. Par. 2.

Rom. 11.

I Christus enim in quantum est verbum Dei naturaliter, habet potestatem iudicandi, in quantum autem est homo, eamdem potestatem accipit, hinc Daniel vidit quasi filium hominis venientem cui antiquus dierum dedit regnum, potestatem, &c. Iuste autem filio dedit iudicium, & potestatem, quia idem ex obedientia patris adeo se exinaniuit, vt se iudicandum offerret.] Ita Forus. Ex quibus omnibus clare, & liquido, tum solutio argumenti in calce primæ quæstionis propositi, tum qualiter solus filius Dei est, qui ad iudicandum venturus est, (circa quod suscepta est præsens disputatio) apparet. Qui autem voluerit illius loci Ioannis cap. 5. alias intueri expositiones, legat Cyrillum, lib. 2. in Ioannem cap. 144. Irenæum lib. 4. contra hæreses, cap. 37. & Diuum Augustinum sermone 64. de verbis Domini.

Dan. 7.

D. Cyrillus. Irenæus. D. Aug.

K

Quæst.

Quæstio. III.

Vtrum hæc potestas delegata Christi, sit vere, proprie, & simpliciter iudiciaria?

Potestas Xpi ad iudicandũ secundũ humanitatẽ videtur nõ esse proprie iudiciaria.



PARTEM negatiuam hoc dumtaxat argumento fulciri potest. Quoniam talis potestas, Christo ideo data est, vt sententiam a Deo latam dumtaxat promulget. At promulgare sententiam superioris iudicis non est iudicare, cum solummodo sit alterius iudicium ad aliorum notitiã deferre. Igitur, &c. Propositio corroboratur, eo quod Deus lege sua, ac voluntate statuit retributionem vnicuiq; operi respondentem, vnde fit, vt omni homini in tali statu, & cum talibus operibus decedenti ex definito Dei decreto, ac iudicio, talis, & ac tanta pœna debeatur. Ergo sententia iam est lata diuino iudicio. Nihil igitur superest per humanitatem agendum nisi hoc solum, quod illa sententia promulgetur.

1. concl. Potestas Xpo in humanitate ad iudicãdũ data est vere proprie, ac simpliciter iudiciaria potestas.
1. Ratio.
2. Ratio.

Prima Conclusio. Hæc potestas delegata Christi, vere, propriæ, & simpliciter est iudiciaria. Probatur. Tum quia alioquin Christus, vt homo, non esset vere, & proprie iudex, neq; actus eius esset verum iudiciũ; quæ omnia directe repugnant sacris litteris. Nã Act. 10 dicitur de Christo, vt homine: [Qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.] & Io. 15. [Et potestatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis est.] Ergo, &c. Tum quia Christus, vt homo, est verus Rex, & habet verum, excellensq; dominiũ creaturarũ, quamuis in eo ordine non sit supremus, sed subordinatus regno, & dominio diuinitatis. Habet insuper Xps, vt homo, veram potestatem iurisdictionis ad ferendas leges, & constituenda aliqua media ad salutem necessaria. Quãuis secundum hanc potestatem subordinetur diuinæ voluntati, & beneplacito. Igitur eodem modo non repugnat habere veram potestatem iudiciariam inferiorem diuina, illiq; subordinatam.

2. concl. Iudiciaria potestas in Xpo qualis.
1. Ratio.

Secunda conclusio. Hæc Christi potestas est inferior diuina, eiq; subordinata, & hoc sensu dici potest ministerialis; tamen est suprema inter omnes, quę creaturis cõmunicatæ sunt, & hoc modo vocari potest potestas iudiciaria singularis excellentiæ. Probatur. Tum quia conuenit Christo ratione proprij muneris, & officij, quatenus scilicet est summus sacerdos, ac spiritualis Rex, ratione cuius conuenit illi potestas excellentiæ. Tum quia si considerentur omnia, quæ ad hanc potestatẽ in Christo concurrunt, in omnibus habet singularem excellentiam, ac perfectionem. Hæc autem sunt scientia, rectitudo volũtatis, infallibilis veritas, dominium, seu iurisdictio, potestas, ac efficacia voluntatis.

2. Ratio.

3. concluf. Iudiciũ exerceri p hominẽ est valde necessariũ.
1. Ratio.
2. Ratio.

Tertia conclusio. Quamuis nõ sit simpliciter necessarium hoc iudiciũ extremũ per hominem exerceri, est tamen valde conueniens. Probatur. Tũ ex parte hominum, quibus magis naturale est, vt habeant homogeneũ caput, à quo sensibiliter iudicentur. Tum ex parte Dei, ad cuius liberalitatẽ spectat cõmunicare perfectiones suas cũ creaturis, & efficere per causas secundas, quod per eas cõmode fieri potest. Tum ex parte Verbi incarnati, cui ratione vnionis debetur cõmunicatio diuinarũ perfectionũ in natura assumpta, iuxta capacitatẽ illius. Propter has ergo causas, testãte Franc. Suarez to. 2. in 3. p. D. Th. q. 59. a. 6. d. 53. sect. 1. conueniẽs fuit, hanc potestatẽ cõmunicari hominibus, qua suppositione facta, consequẽter necessariũ fuit, vt Christo cõmunicaretur. Primo quidem, & quasi radicaliter propter

3. Ratio.
Appendix. Fra. Suarez

A dignitatem suppositi, proxime vero, & quasi formaliter, quia in eo conuenerunt omnia necessaria ad hanc potestatem perfectius, & excellentius, quam in pura creatura inueniri possint.

Sol. ad arg. in oppositum. Iudiciaria potestas Xpi cur datur.

Nec argumentũ supra in principio quæstionis positũ tenet, quoniã Christus non tantũ promulgabit sententiã, verũetiam iudicabit homines, iuxta legẽ latam atq; sancitam, iuxta quam retribuet vnicuiq; secundũ opera sua, videlicet bona bonis, mala vero malis, secũdũ quod ratio ęquitatis, iustęq; distributionis postulat, vt crebro in sacro eloquio, & pręcipue Apo. 3. habetur. In actu nãq; iudicandi multa considerari possunt, inter quæ est lex, quæ est veluti regula, ac mensura iudicij ferendi, iudiciumq; antecedit, & in præsenti est diuina B voluntas, quę statuit, vt tali operi, tanta pœna, vel pręmiũ respondeat; & hoc quãuis lege mere diuina, ac æterna stabilitũ sit, tamen hoc non pertinet ad iudiciariam potestatem intrinsece, ac necessario, nisi fortasse illa in suo ordine suprema sit. Aliud .n. est legẽ ferre, aliud vero secundũ legẽ iudicare, quod est, quasi applicare legẽ ad opus secũdum merita causæ. Definire ergo præmiũ, vel pœnam operis ad legislatorẽ spectat. Quamquã ergo Christus secundum humanitatẽ nõ habeat hanc potestatẽ, potest nihilominus habere veram potestatẽ iudicãdi iuxta legẽ à Deo latam, atq; sancitam, & sic non tenet propositionis corroboratio.

Corollarium Sotoni.

Antequam huic disputationi de iudiciaria potestate Christi delegata finem imponamus, placuit verba Dominici Soto disputantis in 4. sen. d. 47. q. 1. a. 2. de hac eadẽ potestate iudiciaria Christi delegata hic apponere, C quæ sunt tenoris sequentis: [Vbi notandũ quod si loquamur de Christo, quatenus Deus est, & iudicio diuino vniuersarum rerũ, non dixisset Christus: Pater non iudicat quẽquã, quia per proprietatẽ idem est iudiciũ omniũ trium personarum, licet per attributionẽ quodã modo competat filio iudicare. Nã etsi ad iudicium requiratur potestas, quæ attribuitur patri, & rectitudo quę attribuitur spiritui sancto, tamẽ quantũ ad formã, qua formatur iudiciũ, requiritur sapientia, iuxta illud Eccl. 10. Iudex sapiens iudicabit populum suũ, sapiẽtia vero attribuitur filio; Christus autem non loquebatur, nec nos loquimur de illo iudicio, sed de generali, quod facturus est in forma humana. De hoc ergo asseruit, quod pater non iudicat quẽquã, sed hanc potestatẽ dedit filio, quia filius hominis est.] Et postquã illorũ verborũ [omne iudiciũ dedit filio,] lectionẽ D. Chrysostomi tãquam aduersam dictis D. Tho. 3. q. q. 58. repulit, in D hac verba struit, illius loci Ioannis verũ assignans sensum: [Est ergo sensus ꝙ in iudicio generali pater non I iudicabit, sed filio hoc dedit; quatenus homo est, tametsi primæua iudicãdi auctoritas in patre ipso resideat. Et ratio est, quia iudiciũ illud futurũ est in forma visibili, vt etiã damnati, qui diuinitatẽ conspicere nequeũt, videant nihilominus ipsũ iudicẽ. Vnde cum pater non sit homo, quia neq; humanitatẽ assumpsit non iudicabit: ait enim Aug. in lib. de Verbis Dñi. Rectum erat, vt iudicandi viderent iudicem, tam boni, quam mali, & ideo formã serui iudex ostendit malis, bonis vero, etiã formã Dei.] & paulò post in hanc altiorẽ prorumpit rationẽ: [Altius tamen ratio huius contemplanda est. Eo enim ꝙ Christus nostram sibi humanitatem vniuit, ratione illius ineffabilis vnionis cõpetit ei esse regẽ regni cælorũ, iuxta illud Luc. 1. Dabit ei Dñs Deus, sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ. Hunc ergo tunc titulũ absq; meritis ratione diuini E suppositi obtinuit. Sed præterea, & quatenus suo nos pretioso sanguine redemit, ius suis meritis acquisiuit, vt esset caput nostrũ, ac subindeiudex. Nẽpe, vt qui pro Dei iustitia pugnauit, & vicit, & in iuste iudicatus est, secundum Dei iustitiã iudex esset. Vnde Iob. 36. Causa tua quasi impij iudicata est: iudicium causãq; recipies. Et Aug. lib. de Verbis Dñi. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice, damnabit vero reos, qui falso factus est reus. Et super auctoritatem quã tractamus Ioan. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, ait:

Soto probat Patrẽ dedisse filio iudiciariam potestatem.

Soto profert verũ sensum illorũ verborũ Pater omne iudiciũ dedit filio.

Soto suum ꝓbat intentum.

Iob. 36.
D. August.

R Non

Non quidem propter conditionem naturæ, alioquin omnes homines eamdem haberent potestatem: sed propter gratiam capitis, quam Christus in humana accepit natura.]Hactenus Soto.

PARAPHRASIS Quarta.

Par. 5. Dilucidatio textus.

§. 1.

Et à septem spiritibus (ait) qui in conspectu throni eius sunt. Hoc est à Spiritu sancto, qui est vnicus in natura, & in effectu multiplex, iuxta illud Sap.7.[Spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex,&c.] Precata namq; pace, & gratia Asiaticijs Ecclesijs à filio Dei,eandem itidē, eisdem præcatur diuinus Vates á Spiritu sancto,cui remissio peccatorum attribuitur.Supposita siquidē Archipropheta patris æterni persona, de qua nullus vmquam, tam in primitiua ecclesia, quā olim in veteri Testamento dubitauit, ostendit hìc Filij, & Spiritus sancti personas, de quibus tota futura erat in ecclesia Dei inter hæreticos controuersia. Spiritū autem sanctum ponit post filium.Quoniam in diuinis, duplex est emanatio,vna nimirum,per modum naturæ. Et hæc est generatio,secundum quam filius est a patre, alia vero est per modū voluntatis,& hæc est processio appropriata,proprie vero appellata spiratio, secundum quam spiritus sanctus est á patre, & filio. Quæ plane emanatio idcirco per modum voluntatis esse dicitur, quia spiritus sanctus amor est, amor autem secundum voluntatem est. Procedit autem spiritus sanctus á patre, mediate, & immediate. Mediate quidem quia filius ipsum spirat, qui hoc habet á patre; immediate vero, quia ipse pater ipsum spirat. Quamobrem post personā filij, mox personæ spiritus sancti hic meminit noster vates, cum spiritus sanctus à patre, & á filio procedat. Qui cum sit simplex vnusq; in natura, & in donis septiformis, ait Dei vates: [Et á septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt,] id est, á spiritu sancto vnico in natura, & multiplici in effectu. Perinde sane,ac diceret. Gratia,& pax sit vobis nō solum á patre,& á filio,verumetiam á spiritu sancto,qui septiformis spiritus est. Cuius septem charismata siue spiritus,de quibus extat mentio apud Isa.c.11. per hæc verba:[Spiritus sapientię,spiritus consilij,spiritus fortitudinis,&c.] ab æterno[in conspectu throni,] id est, iudiciariæ potestatis [eius]hoc est,filij Dei venturi ad iudicandum [sunt.]

Omnes hæreses sūt circa psonā filij & spiritus sancti.

Emanatio in diuinis duplex.

Filius habet priorē locū in Trinitate quā spiritus sanctus.

Processio spiritus S. dicitur amor, & cur.

Spiritus S. simplex in natura,& in donis septiformis.

§. 2. Thronus capitur pro iudiciaria potestate Xpi, vt hominis.

Thronus namq; hic non accipitur,pro sede, aut cathedra, siue tribunal in quo Reges, siue Iudices sedere solent,sed pro iudiciaria potestate filij Dei,de quo dicit Psalmista: [Parauit in iudicio thronum suum,] nimirum,iudiciariam potestatē, qua iudicabit filius Dei. Hinc Apostolus verba illa Ps.44. [sedes tua Deus,] de iudiciaria potestate filij Dei explanat,dicēdo ad Heb. [Ad filium autē,thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui,]vbi per ly [thronum] iudiciariam potestatem filij Dei (cui pater omnimodū dedit iudicium) omnes quotquot sunt doctores intelligunt.Inter quos est Primasius,qui hunc locum Apostoli per hęc verba,egregie explanat:[Thronus(θρόνος) Græce,Latine dicitur sedes regia sicut & solium: per thronum autem vno modo possumus intelligere regnum,per sceptrum autem,quod est virga aurea,potestas intelligitur regni. [Et paulo post: [Aliter thronum siue sedem iudicantium, non incōgrue possumus intelligere iudicium, quod procedit à sede. Istud est iudicium, de quo filius hominis dicit: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, & de quo Psalmista dicit: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Id est,Christo. Thronus ergo Dei in sæculum sæculi manebit, quia iudicium nouissimum, quod dabit electis,dicendo: Venite benedicti patris mei,& reprobis:ite in ignem æternum;æterna discretione stabit inter vtrosque testante Euangelio,& dicente: Tunc ibunt hi in supplicium æternum:

Laudun. Strabus. Primasius in epist. Pauli ad Hebræos.

F iusti autem in vitam æternam.Quodq; sequitur; Virga æquitatis, virga regni tui. Per virgam æquitatis intelligitur rectitudo sententiæ,& iudicij illius,siue potestas regni iusta:quę virga regit iustos iustitia,& percutit impios iuste, & recte sine aliqua personarum acceptione cunctos gubernans,& iudicans.]Hæc Primasius.Pari etiā modo in præsenti thronus,accipitur pro filij Dei iudiciaria potestate, cuius plane rationem supra retulit vates,dicēdo de illo:[Qui erat,&qui est, & qui venturus est,]vt satis clare indicat hoc in loco, ly[eius.] Quoniā necesse est ex vi connexionis textus, vt terminus iste [eius] ad superiora verba relationem dicat,ita vt sit sēsus,[Throni eius]id est,illius qui erat, & qui est, & qui venturus est, nempe, filij Dei, cuius thronus,nimirum,iudiciaria potestas,semper, & ab æterno spiritum sanctum septiformem,hoc est, spiritum sapientiæ,spiritum intelligentiæ,spiritum consilij,&c.
G in conspectu obtinet, quibus orbem terræ in æquitate, & populos in veritate, & iudicat, & iudicauit, & etiam iudicaturus est.

§. 3. Charismata, siue dona spiritus S. accōmodātur eccl. Asiæ seorsū per se separatum.

Et animaduertas valde oportet contrapositionē numeri septenarij ecclesiarū Asiæ,& charismatū,siue spirituū.Supra etenim dixit.[Septem Ecclesijs,quę sunt in Asia,gratia,&c.]modo vero dicit:[Et á septē spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.)Quod plane nō aliter ab Archipropheta factū esse existima, nisi vt intelligas ad vnāquamq; Ecclesiam Asiæ,vnum esse expositum ex his septem,spiritum,tamquā riuulum,& flumen gratię ad illam irrigandam,& etiam omnes simul septē ecclesias Asię in vnū sumptas.Quapropter vnicuiq;ecclēsiæ in c.2.& 3.ait:[Qui habet aurē audiat quid spiritus dicat ecclesijs.]Spiritus igitur sapientię propositus,& accōmodatus est ecclesiæ Ephesi.Cuius Episco-
H pus primam reliquit charitatem.Proponitur autē huic Episcopo spiritus sapientiæ, eo quod ex illa sapiens,aquam haurire debet, qua nūquam Deum obliuioni ita tradat,vt primam illam gratiam baptismalem amittat. Ideo huic Antistiti dicitur: [Memor esto vnde excideris,&c.]quasi dicat,memor esto per sapientiā tuā,quoniam nimis sapiens erat Antistes iste, & oblitus fuit suæ sapientiæ primæ.Spiritus vero intellectus, propositus,& accommodatus ecclesiæ est Smyrnæ,cuius Eps hauriebat quotidię aquā tamquam ex fonte, ex spiritu intelligentiæ.Erat siquidem nimis intelligens.Ideo illi dicitur:[Esto fidelis vsq; ad mortē.] Spiritus præterea consilij, propositus, & accōmodatus est ecclesiæ Pergami. Cuius antistes non exhauriebat aquam á spiritu consilij, quoniā consilio piorum carens, doctrinā Nicolaitarū per suā diœcesim regnare permittebat. Ideo accōmodatur illi spiritus consilij,vt eo inito á suo di-
I strictu aboleat illā,hīc illi dicitur:[Si quo minus veniā tibi cito,& pugnabo cū illis in gladio oris mei,] ideo ergo isti datur spiritus consilij, vt ab eo tāquā a fonte hauriret aquā,nimirum, iustorum fidelium consiliū,ad hæreticos ex sua diœcesi abolendos.]Spiritus fortitunis,propositus,& accōmodatus est ecclesiæ Thyatiræ, cuius Eps, & etiam habitatores deuincebantur a satana, permittentes mulierem Iezabel seducere seruos Dei,fornicari,& comedere de Idolothytis. Ideo datur illis spiritus fortitudinis á quo tamquam ex fonte fortitudinem hauriant ad extirpandam hanc doctrinam, & tenendam viam bonam. Hinc illis dicitur: [Qui vicerit, (nimirū per spiritum fortitudinis)& custodierit vsq; in finem opera mea,dabo illi potestatem super gentes.]Porro spiritus sciētiæ propositus, & accōmodatus est ecclesiæ Sardis,cuius Eps non tantā habebat scientiam, quanta episcopali dignitati decebat,
K & fas erat, & per consequens audire meruit: [Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.]Spiritus pietatis,propositus, & accommodatus est ecclesiæ Philadelphiæ, cuius Eps tantam habebat pietatem; vt mereretur audire:[Tene quod habes,& nemo accipiat coronam tuam.] Postremo spiritus timoris propositus,& accommodatus est ecclesiæ Laodiciæ,cuius Episcopus ex paruo timore Dei, quem habebat, nec erat cali-

Spirit. sapiētiæ, accōmodatur ecclesiæ Ephesi.

Spirit. intellectus accōmodatur ecclesię Smyrnæ.

Spirit. cōsilij accōmodatur ecclesiæ Pergami.

Spirit. fortitudinis accōmodatur ecclesiæ Thyatiræ.

Spiritus sciētiæ accōmodatur ecclesiæ Sardis.

Spiritus pietatis accōmodatur ecclesię Phyladelphiæ.

Spiritus timoris accōmodatur ecclesię Laodicię.

calidus; nec frigidus, sed tepidus veluti hypocrita. Idcirco datur illi spiritus timoris cum illi dicitur: [Vtinam calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus incipiam te euomere ex ore meo, &c.] Ecce igitur septem spiritus distributos, & accommodatos septem Ecclesijs Asiæ singulos ad singulas, vt intelligatur, vnamquamq; Ecclesiam ex his septẽ Asiæ. paratum à Deo habere flumen gratiæ, secundum statum, & conditionem suam, ad illam irrigandam, & vt etiam aperte intelligatur septem gratiarum riuulos, siue charismatum dona, ab vno dimanare fonte, nimirum, à Spiritu sancto, qui natura vnus, & gratiarũ charismatumq; distributione, multiplex vniq; est: [Fluminis impetus (ait Dauid) lætificat ciuitatem Dei.] Hoc est vniuersalem Ecclesiam.

Psalm. 44.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Ad quid septẽ dona S. Spiritus iustis dantur.

Dona S. Spiritus sunt dispositiones animæ nostræ.

SPIRITVS sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & spiritus timoris Domini, ex eo ante thronũ Dei esse dicuntur, vt in sanctos, ac pios viros in dies mittantur, quos Deus ab æterno elegit. Sunt etenim ij septẽ spiritus, siue dona, quædam habituales dispositiones animæ nostræ, quibus est ipsa prompte mobilis ad bonum per Spiritum sanctũ. Idcirco ab hoc spiritu septiformi, gratia, & pax noster Archipropheta Asiaticis ecclesijs postulat. Quoniam vbi Spiritus sanctus est, ibi gratia, & pax, vere adquiruntur. Donum namque intellectus communicatur illi, qui est in gratia, vt res necessarias intelligat ad fidem, & operetur, sed non æqualiter communicatur omnibus fidelibus, quia non æqualiter valent in fide omnes fideles, sed potius vnicuique communicatur id quod illi sufficit secundũ statum suum. Ex quo plane sequitur neminẽ circa fidem errare posse, nisi prius in mortali degens, à gratiæ statu ceciderit. Donũ vero sapientiæ, iusto elargitur, vt res fidei, (quæ omnem superant intellectum) gustet, ac sapiat, iuxta illud: [Gustate, & videte q̃ suauis est Dominus.] Donũ præterea cõsilij, datur vt eo mediante, sanctus vir Dei, media ad vitam æternam magis conuenientia diligenter quærat, ac omnino procuret. Donũ itidẽ fortitudinis, ideo bonis datur, vt omni malitiæ generi resistant, ne à malo vincantur, sed omnes effrænatos animi, & carnis motus superare possint. Donũ porro scientiæ, animabus iustis infertur, vt tam per seipsas, quàm per alias creaturas ad Dei cognitionem, & venerationẽ faciliter deuenire queant. Proinde ait Psalmista. [Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me.] Donũ insuper pietatis, nobis plane datur ad zelandũ Dei honorem, illo affectu, quo filius obediens, rebus paternis attẽdit, vt sic ignominias patris sentiamus, æterni, sceleraq; quibus impij cũ offendunt deploremus; ita vt huic dono illa beatitudo correspondeat, de quo Matt. 5. dicitur: [Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum,] de qua re extat luculentissimũ testimonium apud S. Tho. 2. 2. q. 121. a. 1. & 2. Donum deniq; timoris (non seruilis plane, sed filialis) ideo nobis communicatur, vt nos amore virtutis peccata fugere doceat, & tamquam filij Deo patri inseruire instruat. Ecce igitur qualiter isti septem spiritus, qui ante thronum Dei esse dicuntur, sunt septẽ quædam habituales dispositiones animæ nostræ, quibus est ipsa prompte mobilis à Spiritu sancto. Hinc proculdubio est, quod huiusmodi septẽ dona sancti Spiritus nos semper appetere debeamus, quoniam illa, & necessaria hominibus ad salutem sunt, teste D. Thom. p. 2. q. 68. a. 2. & etiam ex illis, omne bonum nobis prouenit.

Donũ intellectus ad quid.

Nota bene.

Donũ sapientiæ ad quid.

Donũ cõsilij ad quid.

Donũ fortitudinis ad quid.

Donũ sciẽtiæ ad quid.

Donũ pietatis ad quid.

Donũ timoris ad quid.

Dona S. Spiritus necessaria sunt ad salutem.



SPIRITVS sanctus est quemadmodum quidã fluuius magnus, siue vberrimus fons, qui per septem riuulos, id est, per septem dona diuisus fœcundat cor humanum, & totam Dei Ecclesiã. Certum quippe est, hæc septem charismatum dona, in sacro eloquio varijs rebus assimilari, quoniam hi septem spiritus, sunt septem illæ mulieres, virum, vnum apprehendentes, Pro. 19. sunt septem spiritus super florem requiescentes, Isa. 11. sunt septem lucernæ fulgentes in candelabro, Apoc. 1. sunt septem illi oculi super lapidem vnum, Ierem. 2. sunt septem illæ beatitudines de quibus loquitur Christus Matth. 5. sunt septem spicæ pullulantes in culmo vno, Genes. 41. Sunt & aliæ fere infinitæ res quibus hæc septem charismatum dona in sacra pagina comparantur, inter quas comparationes infimum locum nullatenus tenet proposita, qua septem riuuli ab vno vberrimo fonte diffluentes nũcupantur. Quemadmodum enim de vno fonte paradisi, vt dicitur Genes. 2. deriuantur quatuor flumina ad irrigandum ipsum paradisum, ita de Spiritũ sancto tamquam ex fonte, septem deriuantur charismatum dona, nimirum, flumina gratiarum, siue riuuli ad irrigãdam vniuersam Ecclesiam. Et sicut Spiritus sanctus est spiritus, ita etiam vnusquisq; riuulus dicitur spiritus. Et præterea quemadmodum Spiritus sanctus dicitur hic à nobis fons, ita etiam omnia septem flumina, siue omnes septem riuuli fontes plane appellantur: [Haurietis aquas (dicitur Isa. 12.) in gaudio, de fontibus saluatoris.] Hinc Propheta Isaias in cap. 11. loquendo de Messia, sub quadam comparatione cuiusdam virgæ nasciturę ex quadam radice, ait: [Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.] Ecce manalis fons omnium gratiarum, Spiritus enim sanctus est vberrimus fons (vt dixi) a quo omnes gratiæ deriuantur. Et mox addit: [Spiritus sapientiæ, & intellectus.] Ecce duo riuuli dimanantes ab illo fonte originali: [Spiritus consilij, & fortitudinis.] Ecce alia duo flumina ex eodem manali fonte scaturientia: [spiritus scientię, & pietatis.] Ecce reliqua duo gratiarum flumina. Et tandem subiungit, dicendo: [Et repleuit eum spiritus Domini.] Ecce septimum flumen. En vides septem charismatum dona, id est, flumina, siue septem riuulos diuersarum gratiarum ab illo vberrimo fonte, vtpote à Spiritu sancto abunde dimanare ad irrigandum paradisum Dei, nimirum, Ecclesiam Christi sponsam. Semper namque ecclesia Dei irrigata fuit aqua Spiritus sancti. Hinc D. Aug. trac. 12. in Ioan. ait: [A principio mundi semper datus est Spiritus sanctus.] & Athanasius in oratione contra Arianos: [Qui dedit dona in lege noua, dedit etiam in veteri.] A principio itaq; mundi, & à primo exordio Ecclesiæ irrigata fuit ipsamet Ecclesia Dei, aqua Spiritus sancti: olim tamen quo ad sufficientiam, modo vero, quoad plenitudinem, vt satis denotant illa verba: [Effundam de spiritu meo, &c.] hoc est, ad plenitudinem. Vnde in Actis Apost. c. 2. dicitur. [Et factus est repente de cælo sonus, tãquã aduenientis spiritus vehemẽtis.] vbi dicitur: [Spiritus vehementis,] quia antea datus erat ad sufficientiam: et in die Penrecostes datus fuit ecclesiæ Dei ad plenitudinem. Ex his ad rem dicimus, quod quemadmodum hæ septem ecclesiæ Asiæ, licet numero septem sint; tamen vniuersalem ecclesiam Dei significant, quæ vna est, iuxta illud Cant. cap. 6. [Vna est columba mea, &c.] Ita hi septem spiritus, licet in creaturis multiplices numero sint, cum in illis sint accidentia spiritualia, in animabus indiuiduata, tamen in suo fonte, hoc est, in Spiritu sancto, vnus tantum spiritus natura est, & vnus Deus, sicuti, Spiritus sanctus Deus est, & vnus cum Patre, & Filio. Et sic vna ecclesia vniuersalis ab vno regitur, gubernatur, & irrigatur Spiritu sancto, cuius gratia septiformis per consequens est ad septem has etiam Asiæ Ecclesias.

Concep. 2. 7. dona Spiritus sancti deriuantur ab illo, quã riuuli ex suo fonte defluentes.

Figuræ variæ charismatum Spiritus sãcti.

Comparatio.

Spiritus S. est fons manalis.

Dona Spirit. sancti sunt riuuli.

Ecclesia Dei tẽper rigata aqua Spiritus sancti.
D. Aug.
D. Athanas.

Spiritus S. olim datus ad sufficientiam modo vero ad plenitudinẽ.

R 3 A, SPI-

Conceptus 3. Quod Spiritu sancto dictante inuentæ fuere plereq. res, & artes.



A Spiritu septiformi, gratiam septiformem Asiaticis Ecclesijs exorat noster Prophetarum Propheta Ioannes, eo quod absq; Spiritus sancti gratia nihil scribi, fieri, excogitari, aut imaginari potest boni: [Sine tuo numine, (canit Ecclesia) nihil est in homine.] Estote quæso attentissimi. Hoc diuino spiritu dictante, Moyses primus adinuentionem litterarum inter Hebræos docuit, Abraham vero inter Syros, & Chaldæos, Isim Regina Inachi filia inter Ægyptios: & Phœnices primo inter Græcos græcarū litterarū vsum inuenerūt. Vnde Lucanus sic ait: Phœnices primi magno si creditur ausu, Mansuram rudibus vocem signare figuris. Hinc est quod Phœniceo colore librorū capita scribantur. Hoc diuino spiritu dictante Pythagoras primus, y, litteram ad exemplum vitæ humanę efformauit, vnde poeta sic ait. Litera Pythagorę discrimine secta bicorni, &c. Hoc diuino spiritu dante, Dionysius Luntius primo syllabarū nomen, singulasq; formas apertissimas fecit, & ob id statua honoratus est inter Græcos. Hoc diuino spiritu interueniente, Moyses studium carminum, & metrorū inter Hebræos adinuenit primus. Achatesius vero inter Græcos, Alcinon Cretoniēsis fabulas inter Poetas, Dares Phrygius historias inter Gentiles, & Herodotus inter Gręcos adinuenerunt. Hoc diuino spiritu suggerente, Aristoteles, Gorgia, & Ermogora primo rhetoricam adinuenerunt, Archita dialecticam excogitauit, quam postea Aristoteles primo ad regulas quasdam, & argumenta admodum, & formam artis perduxit. Tales vero Milesius, alio nomine Trimagister dictus vnus ex septem illis Græciæ sapientibus primus physicam apud Græcos perscrutatus fuit. Qui etiam primus ante alios cæli causas, atq; viam rerum naturalium, contemplata ratione suspexit, quam postmodum Plato in quatuor definitiones distribuit. Socrates insuper primus Ethicam, ad corrigendos componendosq; mores, atque ad bene viuendi studium instituit. Pythagoras etiam primo Arithmeticam apud Græcos conscripsit. Quam deinde Nichomachus diffusiu disposuit, & postea Apulius, & Boetius in Latinū tra istulerunt. Ægyptij vero primo Geometricā disciplinam inuenerunt, & innundante Nylo in omnibus possessionibus limo obductis, initium terræ diuidendæ per lineas, & mensuras cœpit numerari. Tubal præterea primo musicam reperit ante diluuium, vt Moyses testatur Gen. 4. (licet Græci dicant Pythagoram huius artis inuenisse primordia, ex malleorum sonitu, & chordarum extensarum percussura, quamquam etiam alij dicant Linum Thebæum, & Zetum, & Amphyon in musica arte primos claruisse,) Abraham etiam primus Astronomiam apud Ægyptios instituit, testante Iosepho de antiquitatibus (licet Gręci dicant Athlantem primo hanc artem excogitasse ideoq; dictum esse sustinuisse cælum: Quāquam etiam Græci Ptolomæum Regem Alexandriæ, præcipuum in hac arte habeant,) Apollo etiam primus inter Græcos medicinam adinuenit. Quam postea filius eius Esculapius ampliauit, sed postquam fulminis ictu Esculapius interijt, inter dicta fertur medendi cura, & ars simul cum auctore defecit, latuitque per annos fere quingentos vsq; ad Arthaxersis Persarum Regis tempus. Et tunc eam reuocauit in lucem Hypocrates ab Asclepio patre, genitus in insula Choo. Porro Eusebius Episcopus Cæsariensis, hoc spiritu diuino suggerente primus inter Græcos chronicam edidit. Prętererea hoc diuino spiritu ex alto flante, Moyses primus omnium, gēti Hebraicæ diuinas leges, scriptis litteris, explicauit. Forenæus vero Rex, Græcis, Mercurius Trimagister Ægyptijs, Solon Athenienfibus, Lycurgus Lacedæmonibus, & Numa Pompilius, (qui Romulo successit in regno) Romanis, leges ediderunt. Hoc diuino spiritu præstante, Paulus Æmilius deuicto Perse Rege Macedonum, Copiam librorū primus adinuenit. Græci etiam, & Tusci primum ferro in cera scripserunt. Et chartarum vsum primo Ægyptus ministrauit; inceptum apud Memphitem vrbem Ægypti iuxta illud Lucani.

Primus inuētor litterarum Moyses.

Lucanus.

Primus inuētor litteræ, y, fuit Pythagoras. Virgil. in lib. Epigramm.

Dion. Luntius primus inuētor syllabarū

Primi inuentores carminum.

Primi inuentores historiarū, & fabularum.

Primi inuentores rethoricæ.

Primus inuētor dialecticę Arist. & quomodo.

Primus inuētor physicæ fuit Trimag.

Ethicę inuētor.

Arithmeticæ inuentor.

Geometriæ inuentor.

Musicæ inuētor.

Astronomiæ inuentor.

Medicinæ inuentor.

Legum inuētor.

Librorum inuentor.

G

H

Conficitur bibula, Memphitica charta papiro.

Pergameni etiam reges cum charta indigerent, mēbranas primi excogitarunt. Moyses vero pondera, stantera, & mensuras primus apud Hebræos inuenit. Argiuus autem ponderum rationem primus in Græcia constituit. Hoc diuino spiritu inspirante, Caim, & Noe primo omnium agriculturam apud Hebræos, Hesiodus apud Græcos, apud Romanos vero, & apud totam Italiam Cato, docuerunt. Ceres prima omnium, cœpit vti frugibus in Græcia, & habere segetes, translatis aliunde seminibus, de quo meminit Ouidius dicendo:

Prima dedit fruges alimentaq; mitia terris.

Rursus Noe primus vitis plantationem adinuenit, Gen. 9. (licet Græci inuētorem vitis Liberū appellēt,) Tubalcaim artem ferrariam primus inuenit, & res bellicas exercuit, sculpturasq; operū fabricauit, Ge. 4. (licet Gentiles Vulcanum fabrorum artis auctorē faciant) Dedalus vero primus omnium artem fabricandi domos, parietes, & tecta apud Græcos inuenit. Ægyptij autem picturam primum excogitauerunt, vmbra hominis lineis circumducta. Quidam autem Adolescēs Perdices nomine, primus carpentariam artem, ac serræ circiniq; vsum inuenit. Noema vero soror Tubalcaim inuenit artem variæ texturæ, Apud Gentiles autem Minerua. Romulus insuper primus cerdoniā artē reperit, & Nembroth artem venandi excogitauit, vt dicitur Genes. 10. Hoc tandem diuino spiritu dictante Adam omnibus rebus primus omnium nomina imposuit, Gen. 2 Noe primus fabricauit arcam, qua saluatum est genus humanum, Gen. 6. Descendentes à Noe artem nauigandi primi inuenerunt exemplo ipsius arcæ, quæ ferebatur super aquas, Gen. 7. En vides quomodo Spiritus sanctus est doctor scientiæ, & causa totius virtutis, & bonitatis. Veritas enim à quocumque dicatur, a Spiritu sancto vtiq; est.

Lucanus.

Mensurę stanteræ, & ponderis inuentor.

Agriculturæ inuentores.

Seminum vsus inuentores.

Ouidius.

Vitē plantādi inuentor.

Artis ferrarię inuentor.

Artem fabricandi qui primo inuenit.

Picturæ inuētor.

Artē carpentariam, quis primo inuenit.

Conceptus 4. in quo mirabilia quędam de Spiritu S. recitantur.



PER mirabilium spiritum (quem Hispanicè [spiritu de marauillas] appellamus) noster diuinus vates gratiam elargiendam septiformem, hisce exorat Ecclesijs Asiaticis. Quoniam spiritus septiformis gratiæ, est spiritus ille, de quo Ecclesia cum D. Ambrosio canit, dicendo.

I

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemq; dones protinus,
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.

Spiritus sād' viuificat.

K

Iste est spiritus ille viuificans, de quo dicitur Io. 16. [Spiritus est qui viuificat me,] viuificat siquidem Spiritus sanctus per suam septemplicem gratiam. Iste est spiritus ille, qui super Apostolos apparuit, in linguis igneis, vt ipsi verba ignea proferrēt, & legem igneam prædicarent, scilicet, legē amoris. Vnde D. Bernardus, ait: [Venit Spiritus sanctus in linguis igneis, vt linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent.] Iste est spiritus ille, qui apparuit super Christum baptizatum: [Descendit Spiritus sanctus, (dicitur Lucę capite 12.) corporali specie sicut columba in ipsum.] Prop-

Proprerea quod sicut Noe dum esset in arca emisit columbam, quæ ramum virentis oliuæ ore suo detulit in signum pacis, sic Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum visibiliter apparuit, ad significandam fœcunditatem spiritualem, quæ est in baptismo, quia columba est animal fœcundissimum. Iste est virtus illa, quæ exibat a Christo quando mulier tetigit fimbriam vestimenti eius, vt dicitur Matthæi cap. 9. Iste est digitus ille, de quo Christus Lucæ cap. 9. ait: [Si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.] Et vt ad vetus transeamus Testamentum. Hic est spiritus ille, qui in forma ignis apparuit Moysi in Rubo, quando rubus ardebat, & non comburebatur. Hic est digitus ille, quem professi sunt Magi dicentes.[Digitus Dei est hic.] Hic ignis ille, in quo comburenda sunt residua Agni Paschalis. Hic est ille funis coccineus in fenestra Raab meretricis. Hic est illud oleum de cornu sumptum, quo Dauid Rex vnctus fuit. Hic est illa manus Domini, quæ facta est super Eliam quando currebat ante Achab. Hic est ille spiritus, qui tribuit virtutem serpenti æneo, quem cum aspicerent filij Israel sanabantur a morsibus ignitorum serpentium. Hic est ille spiritus, qui aperuit os Asinæ, cui insidebat Balaam, vt loqueretur ei, & aperirentur oculi eius, vt videret Angelum Domini. Hic est spiritus ille, qui dedit Samsoni fortitudinem in septem capillis, cum dicitur: [Cœpit spiritus Domini esse cum eo.] Hic est spiritus ille, de quo ait Abdias Propheta ad Eliam: [Cum recesserit a te spiritus Domini asportabit te in locum quem ignoro.] Hic est spiritus ille Elisæi, de quo dicitur, quod eius corpus mortuum prophetauit. Hic est spiritus ille, qui Ieremiam in ventre matris sanctificauit, & in pueritia prophetare docuit. Hic est spiritus ille, qui dedit Danieli intelligentiam omnium visionum, & somniorum, ita vt ipsemet dicat: [Est Deus in cælo reuelans mysteria.] Hic demum est spiritus ille, qui omnes prophetas constituit, de quo inquit Diuus Gregorius in sermone Apostolorum: [Libet oculos fidei in virtute opificis huius attollere, atque sparsim patres noui, & veteris Testamenti considerare. Et apertis oculis fidei Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, & Matthæum intueor, ac sanctus iste spiritus, qualis sit Artifex considerare volo. Implet namque Citharœdum puerum, & Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sicomoros vellicantem, & prophetam facit. Impleuit abstinentem puerum, & iudicem suum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persequutorem, & doctorem gentium facit. Implet publicanum, & euangelistam facit.] Hactenus D.Gregorius. Præterea hoc diuino spiritu Adam inspiratus euigilans ab extasi prophetauit, dicendo: [Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea,] per quod intellexit hominum posteritatem cohæredẽ fieri celestis patriæ, vnde Paulus ad Ephes. 5. ait: [Sacramentum hoc dico magnum in Christo, & in Ecclesia,] hoc est, in cœtu fidelium. Hoc spiritu inspiratus Abel obtulit oblationem acceptam Deo, quando respexit Deus ad Abel, & ad munera eius mittens ignẽ qui consumeret hostiam eius. Hoc spiritu inspiratus Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Hoc spiritu diuino inspirata Rebecca vxor Isaac, mandauit Iacob filio suo, vt surriperet benedictionem Esau. Hoc diuino spiritu inspiratus Iacob intellexit visionem scalæ cui innixus erat Dominus, dicendo: [Vere Deus est in loco isto, & ego nesciebam.] Hoc diuino spiritu inspiratus Ioseph, exposuit somnium Pharaonis de vaccis pinguibus, & macris, & de septem spicis. Hoc diuino spiritu inspiratus Caleb, introductus fuit in terram promissionis. Hinc de illo dicitur: [Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu sequutus est me inducam in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam.] Hoc diuino spiritu inspirata Maria soror Aaron canticum Domini cecinit, dicendo: [Cantemus Domino, gloriose enim manificatus est.] Hoc tandem diuino spiritu inspirati Euangelistæ, & Apostoli, euangelizabant, & fidem & euangelium per vniuersum orbem seminabant, dicente Christo: [Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] Porro iste est spiritus ille, de quo dixit Dauid: [Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum,] & iterum: [Ne proijcias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.] Iste est spiritus ille, de quo dixit Salomon: [Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiã habet vocis.] Iste est spiritus ille qui inspirauit Nathã prophetam, vt corriperet Dauid, & prohiberet ei ne domum Domino ædificaret. Iste est spiritus ille, de quo dixit Isaias: [Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.] Iste est spiritus ille, de quo dixit Iob: [Spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.] Iste est spiritus ille, de quo dixit propheta Abdias: [Cum recessero a te, spiritus Domini asportabit te in locum, quem ignoro.] Iste est spiritus ille Eliæ duplicatus in Eliseo. Iste est spiritus ille, de quo dixit Isaias: [Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.] Iste est spiritus ille, de quo dixit Ezechiel: [Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.] Iste est spiritus ille, de quo dixit Ioel: [Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ.] Iste tandem est spiritus ille, de quo dixit Zacharias: [Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & præcum.] Ab hoc igitur mirabilium septiformi spiritu deprecatur gratiam Asianis, noster diuinus vates.

Colũba animal fœcundissimum. — Spiritus eijcit dæmonia. — Exod. 3. — Exod. 3. — Exod. 12. — Iosue 6. — 1. Reg. 16. — 1. Reg. 19. — Num. 21. — Num. 22. — Iudic. 14. — 3. Reg. 18. — Eccl. 48. — Ierem. 1. — Dan. 2. — D. Greg. in serm. Apostolorum. — Gen. 2. — Gen. 11. — Gen. 12. — Gen. 27. — Gen. 28. — Gen. 41. — Num. 14. — Iosue. 14. — Exod. 15. — Matth. 28. — Psalm. 50. — Sap. 1. — 2. Reg. 12. — Isa. 4. — Iob. 32. — 3. Reg. 18. — 4. Reg. 2. — Isa. 44. — Ezech. 36. — Ioel. 2. — Zach. 12.



IRRADIATIONE, Splendore, & luce horum septem spirituum tota scientia, & sapientia veterum Philosophorum penitus corruit. Vis istud clare intueri? audias quæso. Peripatetici Philosophi mundum æternum esse docuerunt, falsum est istud, quia Spiritus sanctus Gen. 1. ait: [In principio creauit Deus cælum, & terram.] Academici virtutem quamdam necessaria (quam ipsi factum appellabãt,) necessarie regula quadã immutabili,) à mundo genitam fuisse dixerunt: idq; in Academijs suis publice edocuerunt: falsum est istud, quia Spiritus sanctus Ps. 113. ait: [Omnia quæcumque voluit dominus fecit in cælo, & in terra.] Epicurei animam nostram mortalem esse dixerunt, falsum est istud; quia Spiritus sanctus Eccl. 12. ait: [Spiritus redibit ad Dominum suum, qui fecit illum.] Dicunt Philosophi communiter, quod à priuatione ad habitum non datur regressus, quapropter nonnulli carnis resurrectionem possibilem esse negant; falsum est istud, quia Spiritus sanctus Iob. 9. ait: [Iterum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meũ.] Poetæ, & Oratores hùc, & illùc (quasi naues absq; gubernaculo) falso circumferuntur de diuinitate loquẽtes: quidam enim illorum salutem Apollini, & Æsculapio attribuunt; sed hoc est falsum, quia Spiritus sanctus Psa. 18. ait: [Domini est salus.] Alij triumphum, & prœliorum victoriam Marti, & Mineruæ concedunt, sed hoc est falsum, quia Spiritus sanctus Ps. 49. ait: [Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.] Alij diuitias, & gazas Herculi attribuunt, sed hoc est falsũ, quia spiritus sanctus Ps. 23. ait de Deo: [Gloria, & diuitiæ in domo eius.] Alij regna, & imperium Saturno dãnt, sed hoc est falsum. Quia Spiritus sanctus ad Ro. 10. ait: [Nõ est potestas nisi à Deo.] Alij bestias, & feras siluarum Fauno elargiuntur; sed hoc est falsum; quia Spiritus sanctus Psalm. 99. ait: [Meæ sunt omnes feræ siluarum.] Alij dominum inferni Plutonem faciunt; sed hoc est falsum; quia Spiritus sanctus Psalm. 138. in persona Dauid, ait de Deo: [Si descendero in infernum ades.]

Conceptus 5. In quo pleriq; errores Philosophorum refutatur. — Error Peripateticorũ probat gatur per Spiritũ sanctum. — Error Academicorũ impugnatur a spiritu sancto. — Error Epicureorum impugnatus. — Error Philosophorum confutatur. — Error Poetarũ omnino tollitur a spiritu sancto.

ades.] Alij Neptunum in mari imperare, & dominari dicunt, sed hoc est falsum, quia Spiritus sanctus de Deo Psal. 64. ait: [Qui conturbas profundum maris.] Alij tandem Oratores, & Poetæ scientiam, & sapientiam in alijs creaturis ponunt. Sed hoc est falsum, quia Spiritus sanctus 1. Cor. 1. ait: [Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.] Ecce igitur qualiter lumine Spiritus sancti: sapientia, & scientia veterum philosophorum, oratorum, & Poetarum veluti altera statua Nabuchodonosor lapidis ictu penitus corruit. Recte igitur de hac claritate, & lumine sancti Spiritus canit Ecclesia.

O lux beatissima,
Reple cordis intima.
Tuorum fidelium.

Error Arij impugnatur per Spiritum sanctum.

Sed age, quid de erroribus, & dementijs hæreticorum dicam? audias si placet. Arius patrem, & filium, & spiritũ sanctũ non esse vnius, & eiusdẽ substantię dixit, sed filium creaturam, & Spiritum sanctum creaturam creaturæ faciebat, hoc est ab ipso filio creatum. At vero Arius impius tota errat via; quia Spiritus sanctus in Symbolo Athanasij, sic ait: [Pater à nullo est factus nec creatus, nec genitus; filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus; spiritus sanctus a patre, & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.] Et Symb. Nicęnum trecentorum, & octo patrum eodem Spiritu sancto dictante, sic statuit: [Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem visibilium, & inuisibilium factorem; & in vnum Iesum Christum Dominum nostrum filium Dei natum de Patre vnigenitum, hoc est, de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine Deum verum de Deo vero, natum non factum vnius substantiæ cum patre, (quod Græci dicunt [ὁμουσίον]) per quem omnia facta sunt, &c.] Cherintus, Paulus Samositanus, Photinus, & alij huius farinæ hæretici, Christum non esse Deum asserebant. Sed hoc à veritate alienum est, quia Spiritus sanctus Ioan. 1. sic ait: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, &c. Et verbum caro factum est.] Manichæi Christum verum hominem esse negabant. Sed hoc nullatenus verum est, quia Spiritus sanctus in Symbolo Apostolorum, sic ait: [Natus ex Maria Virgine, & homo factus est.] Nestorius duas in Christo ponebat personas quemadmodum duæ sunt in illo naturæ. Dicebat namque nequam Nestorius, Christum in vtero Virginis conceptum purum hominem, sed postea Deum homini fuisse permixtum, nec Deum hominem fuisse passum, & sepultum. Volebat siquidem maledictus Nestorius, omne nostrum remedium euacuare, quo verbum Dei sic hominem suscipere dignatus est in vtero Virginis, vt vna persona fieret Dei, & hominis, quæ vna persona solueret pro nobis. Verumenimuero contra Nestorium stat Symbolum Athanasij dicentis: [Qui licet Deus sit, & homo; non duo tamen sed vnus est Christus.] Sed quid dicam de Valentianis, Nicolaitis, Nazaræis, Hebioneis, Basilidianis, Saturnianis, Menandrianis, Simonianis, Marcionistis, alijsq; plerisq; hæreticis? nihil aliud profecto, nisi quia omnes quotquot sunt, vna cum suis hæresibus condemnati (Spiritu sancto semper dictante) in sacris œcumenicis Concilijs, tam generalibus, quam prouincialibus, à sanctis Patribus, tam Græcis, quam Latinis prorsus fuere. Vt igitur errores etiam Arianorum ab eis proculpellentur per Spiritum sanctum, ab eodem, eisdem septiformem gratiam Vates Dei precatur.

Leo Papa ad Leonẽ Imperatorem.

Error Cherinthi Photini, & Pauli Samausitani, tollitur per Spiritũ sanctum.

Error Manichæorum deletur per Spiritũ sanctum.

Error Nestorij proculpellitur per Spiritu sanctum.

Errores omnium hæreticorum gratia Spiritus sancti abolitu, & profligati omnino fuerunt.



DISPVT. XIII.

In Cap. Primum Apocalypseos, circa verum sensum litteræ textus.

In duas Quæstiones distributa super illa verba: *Et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.*

Prologus disputationis.



DONA Spiritus sancti septem esse, est de fide, vt facile deducitur ex cap. 11. Isaiæ, illaque differre à tribus Virtutibus Theologicis, & necessaria esse homini ad salutem, esseque habitus, creaturas, & accidentia, ac etiam perfectissime permanere in patria quantum ad essentiam donorum: Probat T. Thom. p. 2. quæst. 68. art. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Ideo ad hæc indaganda, manum nullatenus amouimus; disputamus tamen hîc solummodo, an interpretatio nostra de Spiritu sancto septiformi, textui consona, germanaq; sit. Spiritus namque sanctus, omnium spirituum est princeps, vt recte innuit Dauid, cum dixit: [Spiritu principali confirma me.]

Dona Spiritus sancti permanẽt in patria

Spiritus sãctus est omniũ spirituum princeps. Vide Genebr. in Psal. 50.

Quæstio. I.

An cum in textu dicitur: *Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* per septem spiritus, recte intelligatur Spiritus sanctus septiformis?



QVATVOR sunt de hac re expositorum opiniones inter se satis diuersæ. Quarum prima, per septem spiritus tenet intelligi septem Angelos, qui Deo particulariter assistunt; quibus Deus potissimam demandauit curam, & prouidentiam hominum. Profitentur hanc sententiam Arethas, & Irenæus in suis Commentarijs, super hunc locum, quibus suffragatur Clemens Alexandrinus lib. 6. strom, dicendo sic: [Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus prouidet.] Sic ille.

1. sententia. Septẽ spiritus sunt septem Angeli particulariter Deo assistentes.

Aretha. Irenæus. Clem. Alex.

Vt autem isti Doctores probent suam sententiam supponunt pro fundamento, nomen spiritus ambiguũ esse, & tam donum Spiritus sancti, quam Angelum significare. Et hoc statuto fundamento probant hoc in loco, nomen spiritus pro septem Angelis quibus demandata est cura totius vniuersi, dumtaxat poni. Idq; ostendunt. Tum quia septem Angeli solummodo in conspectu Dei stare dicuntur in sacra pagina, iuxta illud Tob. 12. [Ego sum Raphael vnus ex septem qui asta-

Spiritus nomẽ est ambiguũ.

Primæ sententiæ confirmatio.

1. Ratio.

astamus ante Dominum.] & Apoc. 8.] Et vidi septem A Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.]Ergo de his septem spiritibus siue Angelis intelligendus est præsens textus. Tum quia septem dumtaxat Angelis demandata est a Domino cura vniuersæ terræ, in cuius rei signum dicitur Zachariæ 4, [Septem isti oculi sunt Domini qui discurrunt in vniuersam terram.] & Apoc. 5. [Et vidi, & ecce in medio Throni & quatuor Animalium, & in medio Seniorum Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.[Ergo. &c.

2. Ratio.

Verum quippe est huius opinionis fundamentum: satisque accommodata sunt sacræ Scripturæ loca citata. Verumenimuero opinio & conclusiones pro illa ex præfatis locis sacræ Paginæ deductæ, minime subsistunt. Quoniam cum omnes Angeli boni stent in B conspectu Throni Dei iuxta illud Dan. 7. [Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.] Auctores huius sententiæ proculdubio patefacere inter alia tenebantur, cur specialiter hi septem Angeli magis quam alij sint in conspectu Throni Dei. Et qui præterea sint hi septem Angeli. Et cur his septem Angelis magis quam alijs cura vniuersæ terræ a Domino demandata sit, cum omnes sint administratorij spiritus, teste Apostolo, in ministerium missi. Quæ omnia cum minime præstent, eorum explanatio non videtur rationabilis.

Prima sententia de septem Angelis refellitur.

Angeli oẽs sunt Dei ministri.

Est & altera opinio aliorum Doctorum (quam citat D. Dionysius Carthusianus) tenentium per septem Angelos, intelligendos esse omnes Angelos sanctos; ita vt per septem vniuersitas Angelorum insinuetur eo C modo quo Tobiæ Raphael loquitur; [Ego sum vnus de septem qui astamus ante Deum.] Stat pro hac sententia (quæ reuera non differt a prima cum sit illius castigatio) Lyranus qui quasi Patronus huius opinionis hunc locum sic vertit, dicens: [Et a septem spiritibus, id est vniuersitate Angelorum qui ministri sunt nostræ salutis.] Subscribunt se huic sententiæ Lyrani, Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez a sancta Maria in hisce suis commentarijs, qui plane pro hac sua tuenda sententia, duo erigunt fundamenta. Primum siquidem, numerum septenarium vniuersitatem in sacra Pagina teste Beda, indicare. Secundum vero est circa quid significet [stare in conspectu Throni.] Quod plane fundamentum diuersificatur apud hos auctores, Quoniam Lyranus, & Franciscus Ribera tenent [stare ante Thronum Dei,] nihil aliud esse quam Angelos promptos & paratos esse ad Dei voluntatem exequendam. At vero D Iacobus Suarez a sancta Maria existimat ly [Thronum] significare hoc in loco, maiestatem, quamobrem sic ipse vertit dicens: [Thronus autem hic dicitur ipsa residentis auctoritas, & maiestas, qua in se ipso esse, & quiescere perhibetur.] Sic ille. Argumenta autem pro hac sua opinione probanda, mendicant hi auctores a superiori opinione.

2. sententia. Septem spiritus sunt oẽs Angeli. D. Dionysius. Carth. in cõment.

Lyranus in comment.

Franciscus Ribera. Iacobus Suarez a sancta Maria. Numerus septenarius vniuersitatem designat. Beda. Auctores huius opinionis secundæ variant in suo fundamento.

Stare in conspectu Dei qd sit.

Cæterum, vtcumque sit, vera prædicant hi Doctores quatenus dicunt numerum septenarium in sacra Pagina vniuersitatem significare, omnesque Angelos promptos esse ac paratos ad Dei voluntatem exequendam. Nam omnes, vt dixi, sunt administratorij spiritus, falsum tamen tenent intelligendo hic per ly, [spiritibus septem] Angelos. Tum quia gratia & pax nullatenus expectatur ab Angelis, neque, ab alia creatura, sed a solo Deo iuxta illud: [Gratiam & gloriam dabit Dominus.] Neque valet solutio Riberæ dicentis, gratiam E expectari posse ab Angelis instrumentaliter. Cui solutioni se subscripsit etiam Iacobus Suarez a sancta Maria, varia & diuersa citans circa ministeria Angelorũ sacræ Scripturæ loca. Dico itaque solutionem istam nullatenus valere: Quoniam licet verum sit, quod gratia expectetur a Deo qui auctor est gratiæ, & deinde a creaturis, quibus Deus vtitur instrumentis sanctificationis nostræ, vt a sacramentis Ecclesiæ suæ sanctæ,

Refellitur secunda sententia.

1. Ratio.

Euasio Riberæ & suarez impugnatur.

& etiam a ministris sacramentorum; tamen hoc in loco dum dicitur: [& a septem spiritibus, &c.] non est sermo de intercessoribus ad gratiam accipiendam, sed de ipso auctore gratiam dante, nimirum de Deo, a quo primum est gratia tamquam a suo creatore. Et probatur ex antecedentibus & consequentibus textus; quoniam ly [&] coniunctio est copulatiua similem eligens casum, & sensum in eadem oratione; Atqui hæc est vnica dumtaxat oratio, nempe: [Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt, & a Iesu Christo qui est testis fidelis, &c.] In qua gratia præcatur per illa prima verba, nempe [ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est,] a Deo vt creatore, vt fatetur ipsemet Ribera & cum eo Iacobus Suarez, tenẽs ibi sermonem esse de tota Trinitate; & per vltima verba, nempe [& a Iesu Christo qui est testis fidelis] gratia præcatur a Deo, vt redemptore, qui per mortem, & passionem suam, veram nobis attulit gratiam, & pacem, & sic vtrobique est sermo de auctore gratiæ: Ergo in his verbis mediantibus in eadem oratione, nẽpe, [& a septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt] sermo etiam debet esse de vero auctore gratiæ, propter coniunctionem illam copulatiuam [&] & non de Angelis intercessoribus ad gratiam: alioquin paucis verbis, & stylum, & sensum eiusdem orationis mutaret noster Archipropheta, quod nequit vllo modo concedi. Argumentum sane concludit (ni fallor) aut danda est a patronis huius opinionis ratio quare in principio huius orationis sermo sit de ipso dantore gratiæ, & itidẽ in fine, & non in medio eiusdẽmet orationis, quæ cum non possit ab ipsis assignari relinquitur hic gratiam expectare a Spiritu sancto creatore. Tum præterea, probatur hic, per septem spiritus minime esse intelligendos Angelos, quoniam honor debetur primo, capiti quam membris. At qui Christus est caput non tantum hominum, verumetiam Angelorum, vt probant Doctores cum Magistro in 3. sent. dist. 13. & cum S. Thom. 3. p. q. 8. art. 4. Ergo honor primo debetur Christo Iesu, quam Angelis, igitur non est concedendum in tam solemni salutatione, nostrum Archiprophetam primo meminisse Angelorum Sanctorum, quam Iesu Christi eorum capitis. Sed sic est, quod in hac solutatione, primo dixit: [& a septẽ spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt,] & postea subiungit: [& a Iesu Christo, qui est testis fidelis] ergo asserendum est; dum dixit, [& a septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt,] Non loqui de Angelis sanctis, sed de Spiritu sancto creatore, quo minor est Christus secundum humanitatem: & ideo post illum mox iuste positus est a Ioanne in eadem oratione.

Auctoris argumentũ validissimũ cõtra Riberam, & Suarez.

2. Ratio.

Nec itidem valet euasio Riberæ dicentis, Christum secundum humanam naturam minorem esse Angelis, iuxta illud Psal. 8. [Minuisti eum paulo minus ab Angelis,] quod ad Christum refert Paulus ad Heb. 2. Dico igitur istud non valere; quoniam Iesus Christus etiam secundum humanam naturam caput est Angelorum, vt probat S. Thom. 3. p. q. 8. art. 4. & sic Angeli (vt dicitur Matth. 4.) accesserunt & ministrabant ei, & idem repetit sanctus Doctor 3. p. q. 59. art. 2. dicens sic: [Christus etiam in natura humana est caput totius Ecclesiæ,] nimirum, militantis, & triumphantis. Et ex consequenti etiam in ratione humanitatis, honor nullatenus est primo dandus Angelis quam Iesu Christo, cum etiam ratione humanitatis sit Angelorum caput. Tum quia cum Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez aperte teneant in illis verbis, nempe, [ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est,] sermonem esse de tota Trinitate, necesse est, vt fateantur in sequentibus verbis, nimirũ, [& a Iesu Christo] sermonem esse de verbo incarnato, & non de sola humanitate Christi, sed de eius diuinitate, & humanitate, prout stant ambæ duæ naturæ sub vnione hypostatica. At qui in textu primo dicitur, [& a septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt] & postea additur, [& a Iesu Christo, &c.] Igitur si cum dicitur, [& a septem spiritibus, &c.] per ly [spiritus] intelli-

Euasio Riberæ & Suarez euertitur.

S. Thom.

S. Thom.

3. Ratio.

intelligimus Angelos, sequitur aperte nostrum Archiprophetam inuertisse ordinem dignitatis absque necessitate aliqua, proponendo Angelos verbo incarnato eorum creatori. Et sic esset ordo præposterus, & absq; aliqua necessitate commutatus. Quod plane esse poterat occasio alicuius hæresis in Ecclesia Dei, cum ex hoc loco possent aliqui impij existimare Angelos, aut non esse creatos per Iesum Christum filium Dei, aut superiores esse suo creatore.

Alia euasio Riberæ profligatur.

Nec minus huic nostro argumento satisfaciunt verba Riberæ dicentis sic: [Altera etiam causa est, quod plura de Christo dicere parabat, qui est testis, & quæ sequuntur, ideo ne repeteret Christum maluit Angelorum mentionem facere, vt postea sine vlla interruptione de eo loqueretur. Ita Hieronymus in cap. 1. Matth. dixit prius dictum esse ab Euangelista, filij Dauid, quam filij Abraham. Quoniam continuo loquutus erat de Abraham, & iterum, cum repetere cogeretur, si dixisset filij Abraham, filij Dauid, ordo (inquit Hieronymus) præposterus, sed necessario commutatus.] Hucusq; Ribera. Cuius plane verba nullatenus (vt dixi) satisfaciunt nostro argumento. Quoniam euangelista multa parabat illic dicere de Dauid simul, & de Abraham, & sic necessario antepositus fuit ordo, vt recte loqueretur de propagine Abrahæ, & postea suo loco generatio Dauid recte, & absq; interruptione aliqua connumeraretur, vt sane fecit, dum postea repetijt Dauid, dicendo: [Iesse autem genuit Dauid Regem, Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea, quę fuit Vriæ, Salomon autem, &c.] At vero noster Archipropheta nihil sane hic de Angelis parat dicere sed solummodo de Iesu Christo, de quo, & de persecutionibus solummodo suæ sponsæ Ecclesiæ, est totum hoc præsens opus, vt facile deducitur ex titulo illius, nempe: [Apocalypsis Iesu Christi] vt supra satis explanatum est, dum de tali titulo ageremus, Et ex consequenti non est cur absq; aliqua causa fit in hac salutatione ordo præposterus. Aut cedo propter quid Dei vates in hac salutatione præponeret iuste Angelos suo creatori Iesu Christo filio Dei? Ipsi enim intercessores dumtaxat sunt ad impetrandam hominibus gratiam. Quocirca sunt veluti instrumenta. At Christus Iesus est dator, & auctor gratiæ, iuxta illud Apostoli: [Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.] Tum denique probatur, ex eo quod nullus Apostolorum in salutatione suarum epistolarum connumerauit vmquam Angelos, sed solum patrem, vel filium, vel totam Trinitatem, & Iesum Christum. Legito (si placet) omnes salutationes epistolarum Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Collossenses, Thessalonicenses, Timotheum, Titum, Philemonem, Hebræos, omnes etiam salutationes epistolarum Petri, Iacobi, Ioannis, & Iudę, & certe in nulla earum Angelos interpositos inter Deum Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, & Iesum Christum reperies: Ergo nec minus tale erit asserendum in hac salutatione Apocalypsis Ioannis Apostoli Prophetarum Prophetæ. Cum ipse in hoc opere, & Prophetarum, & Apostolorum maxime in omnibus, & per omnia sequatur stylum. Quibus addo, quod quemadmodum gratia est instrumentaliter, & intercessorie ab Angelis, sic etiam est instrumentaliter, & intercessorie à reliquis sanctis patriæ cælestis: quoniam in litanijs quemadmodum sancta mater Ecclesia, dicit: [Sancte Michael ora pro nobis, Sancte Raphael ora pro nobis,] qui sunt Angeli, sic etiam dicit: [Sancte Petre ora pro nobis, Sancte Paule ora pro nobis,] qui sunt homines sancti. At in tali salutatione Ioannes nullatenus, connumerauit homines sanctos, licet sint intercessores ad gratiam: Ergo nec erit asserendum illic connumerasse Angelos, (licet libenter concedamus auctoribus huius opinionis, vt sane concedimus, esse intercessores ad gratiam impetrandam hominibus peccatoribus,) quoniam non tam necessarium est ad fidem, homines intelligere Angelos intercessores esse ad gratiam, quam intelligere Iesum Christum, totamq;

Ordo necessario præpositus ab Euangelista Matthæo.

Ioã. in Apoc. nihil parat dicere de Angelis dicere, sed de Christo Iesu.

Nõ est cur Angeli anteponantur Xpo.

Angeli intercessores ad gratiã impetrandam.

Xps gratiæ largitor, & auctor.

4 Ratio. Apostoli nũq̃ intromittunt Angelos in salutationibus suarum epistolarum.

5 Ratio.

Sancti intercessores ad impetrandam gratiam.

F Trinitatem creatorem, & datorem esse gratiæ, quod proculdubio noster Archipropheta principaliter intendebat in hac sua solemni salutatione Ecclesiarum Asiæ patefacere.

Tertia porro sententia est D. Dionysij Carthusiani in hisce suis Commentarijs existimantis per septem spiritus, specialiter illos septẽ Angelicos spiritus denotari qui septem Ecclesijs Asiæ præfuerunt. Probat autem hanc suam opinionem, ex eo dumtaxat quod quidam Angelorum vni priuatæ personæ, quidam vero communitati sunt præsides, & omnes sunt in conspectu throni Dei, ipsi Deo omnipotenti assistunt tamquã obsequi præparati. Nomine vero throni, intelligit auctor iste tertium cælum intellectuale, in quo residet Trinitas adoranda, ad quem secundum quandam expositionem raptus fuit Paulus. Quamobrem G concludit Carthusianus, thronum istum nihil aliud esse, quam ipsa residentis auctoritas, ac maiestas, qui in seipso esse, & quiescere perhibetur. Et tandem Dionisius obiter animaduertit non eodem modo gratiam, & pacem esse a Deo, & ab Angelis eius, quoniam à Deo sunt effectiue, & principaliter, & ab Angelis impetratiue, & instrumentaliter, orant quippe pro nobis & nostra obsequia offerunt Deo.

3. Carthusiani sententia. Septẽ spiritus sunt septẽ Angeli qui septẽ Eccl. Asiæ præfuerunt.

Dan. 10.

Tertiũ cælum significatur nomine throni.

Gr̃a, & pax nõ sunt equaliter à Deo, & ab Angelis eius.

Hæc sententia Carthusiani, licet vera prædicet in eo, quod dicit, nimirum, quia, quidam Angeli vni priuatæ personæ, quidam vero communitati sunt præsidentes, & omnes esse in conspectu throni Dei, tamquam obsequi præparatos, gratiamq; & pacem esse a Deo effectiue, & principaliter, & ab Angelis impetratiue, & instrumentaliter, & omnes orare pro nobis, tamen nullatenus placet. Tum quia per septem H Angelos qui septem Ecclesijs Asiæ præfuerunt non intelliguntur septem spiritus cælestes, sed septem homines particulares Prælati, Præsules, ac Præpositi ipsarum septem Ecclesiarum, nimirum, earum Episcopi, vt tenent Doctores, (& etiam ipsemet Carthusianus) in explicatione illorum verborum, nempe, [Septem stellę Angeli sunt septem Ecclesiarum,] & iterũ: [Et Angelo Ephesi, & Angelo Pergami, & Angelo Smyrnę, &c.] & vt etiam nos illic, Deo dante, argumentis ostendemus. Tum postremo non placet, ex eo quod textus iste neq; de septem Angelis magnis, neq; de vniuersitate Angelorum, nec minus de quibusuis alijs septem Angelis custodibus, intelligi nequit, ob rationes quibus secunda opinio Lyrani, Riberæ, & Suarez supra confutata remanet.

refellitur Carthusianus.

1. Ratio.

Apoc. 1. Apoc. 2. & 3.

2. Ratio.

I Quarta, & postrema sententia est Strabi in sua Glossa Ordinaria, Laudunensis in sua Glossa Interlineari, Diui Augustini homil. 1. in Apocalypsim, D. Thomæ, Primasij, Anselmi, Ioachimi Abb. Ruperti Abbatis, Ambrosij, Bedæ, Victorini Martyris, Haymonis, Ansberti, Auctoris incogniti, & aliorum Doctorum in hisce suis Commentarijs exponentium, per septem spiritus, Spiritum sanctum septiformem propter eius septem charismatum dona, & septiformem gratiam. Quam sententiam tamquam cæteris tutiorem, & veriorem supra in enodatione contextus sequuti fuimus, illamque modo probamus. Tum quia Spiritus sanctus propter eius septenariam operationem passim in sacra pagina septiformis spiritus dicitur, id est, sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Domini, vt habetur Isa. 11. Igitur tunc vnius spiritus dona, & charismata legaliter commendantur, quando à septem K spiritibus, pax, & gratia deuotis, (vt hic) optatur. Tum quia vnicuique ex his septem Ecclesijs dicitur: [Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.] Quæ quidem verba ita vnicuiq; Ecclesiæ Asiæ dicuntur, vt cum septem sint ipsæ, septies dicti sint vices in cap. 2. & 3. & repetantur. Atqui in qualibet vice est sermo de Spiritu sancto: Spiritus enim sanctus, qui loquutus est per Prophetas mundo loquutus etiã est vnicuique ex his septem Ecclesijs Asiæ per Archi-

4. Explanatio Septem spiritus sunt septem charismatum dona.

1. Ratio.

2. Ratio.

pro-

prophetam Ioannem. Ergo exponendus est textus iste,[& a septem spiritibus] de Spiritu sancto septiformi propter eius septiformem gratiam. Tum quia gratia, quæ in hoc loco optatur, est gratia iustificans, & remissio peccatorum, quam Spiritus sanctus elargiri hominibus solet. Tum denique probatur, quia pax, quæ hoc in loco Asiaticis Ecclesijs optatur, est amor, & charitas, vt fatentur omnes expositores cum glossa ordinaria,& etiam aduersarij id negare nullatenus attétabunt: At qui Spiritus sanctus est amor,& charitas, & etiam operatur in nobis effectiue habitum, & motum charitatis, quo diligimus Deum, & quo corpus mysticum Ecclesiæ fit vnum per amorem, & charitatem: quoniam cum nihil creatum fit vnum in diuersis particularibus,oportet,quod membra corporis mystici vniantur vno amore increato, qui est Spiritus sanctus:Igitur vnitas, pax, amor, & charitas ista optatur hic Asiaticis Ecclesijs a Spiritu sancto septiformi. B

3. Ratio. 4. Ratio. Corpus mysticum vnũ per amorem.

Cum vero hæc sententia tot obtineat sequaces, ly [Thronus]ab ipsis varie exponitur. Quoniam Strabus, Laudunensis & S.Thomas, per Thronum,Angelos, Iustos,& sanctos,quos Deus illuminat intelligunt. Quoniam Spiritus sanctus est qui præsentem se ostendit illuminando illos,in quibus filius Dei sedet, & quiescit, & iudicat nunc,& hi sunt Angeli,iusti, & sancti homines. Nam anima iusti (vt dicitur Sap. 7.) sedes est sapientiæ, vt cognoscatur ab eis, & faciat eos cognoscere ea quæ sunt salutis. Alij per thronum exponunt Christi humanitatem;quoniam thronus est sedes iudicis excelsa, & eleuata, & caro Christi est super omnes choros Angelorum exaltata. Hinc in conspectu istius throni dicuntur esse septem spiritus, quia septiformis gratia Spiritus sancti supra Christum corporaliter requieuit. Vel in conspectu throni eius,id est in mente, & intelligentia animæ Christi (cuius humanitas thronus Patris vocatur) sunt dona Spiritus sancti, qui quamuis vnius, & simplex fit in natura, in donis est septiformis. Alij vero existimant septem dona Spiritus sancti, ideo ante thronum Dei esse,vt in sanctos mittantur, quos Deus elegit, quoniam per dona Spiritus sancti nos iustificat. Alij demum per thronum exponunt iudiciariam potestatem filij Dei, vt nos in enodatione textus satis late probauimus. Qualibet ex his explanationibus,ly [Throni] optima est, & textui satis consona,affinis,& germana. C

Thronus varie exponitur. Thronus humanitas Xpi. Thronus mẽs & intelligentia animæ Xpi. Dona Spiritus sancti cur ante thronũ. Thronus iudiciaria potestas Xpi.

Hæc autem nostra sententia infringi plane potest.

Primo quia Spiritus sanctus non est in conspectu throni alicuius, quoniam cum ipse sit Dominus, & Deus, potius erit in throno, quam in conspectu throni alterius.

Explanatio nostra impugnatur. 1. argum.

Secundo, quia esse in conspectu throni, nihil aliud est vere,& proprie, quam ministrare ei, qui sedet in throno, vel illi cuius est thronus. At Spiritus sanctus nulli ministrat, cum ministrare sit proprium seruorum, & Angelorum respectu Dei. D

2. argum.

Tertio, quia persona Spiritus sancti cum sit,vnus Deus,vnus erit spiritus,& non septem.

3. argum.

Quarto, quia dona Spiritus sancti sunt quid creatum,& gratia non expectatur ab aliqua creatura.

4. argum.

Horum primum sane nullatenus tenet. Quoniam thronus hoc in loco non accipitur pro sede, sed pro iudiciaria potestate filij Dei, vt nos supra exposuimus, vel vt alij optime tenent pro humanitate Christi, aut pro eiusdem sanctissima anima, supra quam, a primo instanti conceptionis requieuit spiritus sapientiæ, & intellectus,spiritus consilij,& fortitudinis, &c.

Dissoluuntur argumenta. sol. ad 1.

Secundũ minus tenet: Quia esse in conspectu throni, tunc temporis vere, & proprie significat ministrare, quando thronus accipitur pro sede, & in hoc sensu procedit argumentum. At vero cum thronus hoc in loco non accipiatur pro sede, sed pro iudiciaria potestate filij Dei, vel pro humanitate, aut saltim pro anima Christi, non tenet argumentum. E

sol. ad 2.

Ad tertium itidem patet solutio: Quoniam nemo est, qui dicat Spiritum sanctum esse septem spiritus, sed vnicum esse spiritum in natura, & septemplicem in effectu, propter eius septiformem gratiam. Illud insuper quod in quarto loco adiectum est, minus subsistit. Quoniam licet dona Spiritus sancti, prout sunt habitus, siue dispositiones habituales animæ nostræ sint accidentia, tamen prout accipiuntur in suo originali fonte, nimirum, vt dimanant a Spiritu sancto, non sunt accidentia, sed ipsemet Spiritus sanctus, qui in nobis causat hos effectus. Quidquid enim est in Deo, est ipsemet Deus. Effectus autem consideratus in sua causa adhuc non obtinet propriam effectus rationem. A

sol. ad 3. sol. ad 4.

Quæstio II.

An verum sit illud, quod a nobis, in explicatione textus, dictum est cũ glossa ordinaria, nimirum, Archiprophetam hic non posuisse personam Patris, sed tantum Filij,& Spiritus sancti, quia nemo hæreticorum de Deo creatore male intellexerat?



PARS negatiua potest confirmari. Tum quia quidam hæreticorum (vt Sabelliani) dixerunt Patrem fuisse passum: Tum quia Arius dixit Patrem distinctum a Filio, & a Spiritu sancto per essentiam; quoniam dixit tres potentias esse tres Deos. Tum denique, quia idem Arius dixit vnam tantum esse potentiam, & vnum Deum.

1. argum. 2. argum. 3. argum.

Huic difficultati satisfacit sanctus Thomas in hisce suis commentarijs super hunc locum, scribendo sic: [Nullus hæreticorum de Deo Patre male intellexit, quantum ad notionem innascibilitatis, & actum creationis, quia nullus posuit eum esse ab alio, nec negauit eum esse creatorem,] ita ille. Nullus igitur hæreticorum de Deo Patre male intellexit quantum ad notionem innascibilitatis. Cęterum quantum ad alias notiones, nempe, Paternitatis, filiationis, processionis, & communis spirationis, plerique hæreticorum de Deo Patre male intellexerunt: nos autem loquuti fuimus de Deo Patre quantum ad notionem innascibilitatis, in ordine ad actum creationis.

1. concl. Nullus hæreticorum male intellexit de Deo Patre quantum ad notionem innascibilitatis S. Thom. in comment. Hæretici quo modo male intellexerũt de Deo patre

Sed adhuc dices: per multi philosophi mundum esse ab æterno asseuerarunt, igitur aliqui de Deo patre male intellexerunt circa actum creationis.

Obiectio.

Huic obiectioni etiam facilis est exitus, quoniam error iste philosophorum antiquorum, iam temporibus Ioannis,& primitiuæ Ecclesiæ, erat explosus, per symbolum Apostolorum dicentem: [Credo in vnum Deum patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ.]

solutio.

PARAPHRASIS

Sexta.

Et a Iesu Christo. (ait) Patefacta, & iam ad amussim, ac satis acute ostensa, diuinitate, æternitateq; filij Dei: eiusdem etiam filij Dei humanitatem in tempore mediante vnione hypostatica assumptam exprimere, ac declarare hic conatur noster vates. Cũ eamdem gratiam, quæ a solo Deo dari solet, dicente Psalmista;

Par. 6. Dilucidatio textus. §. 1.

mista: [gratiam,& gloriam dabit Dominus.] eisdem ipse exoptet a Iesu Christo, hoc est, ab humana, in tempore a verbo æterno hypostatice assumpta, natura. Quoniam Iesus Christus, secundum quod homo, & mediator est pacis, & gratiæ causa meritoria instrumentalis, ac secundaria, cum eius humanitas sit instrumentum proprium, coniunctum, animatum, immediatumq; diuinitatis, seu verbi, per quam humanitatem, verbum incarnatum, seu Christus homo, promeruit nobis dona gratiæ, immo & gloriæ: Et precamur ob id virtute, & merito Christi dona spiritualia nobis præstari. Quamobrem Ecclesia omnes suas orationes semper concludit dicendo, [Per Dominum nostrum Iesum Christum;] quoniam gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Hinc plane est, quod hoc duplex nomen, nimirum, [Iesus Christus] frequenter in nouo Testamento replicetur, quia dulce, & inuitans ad spem est, & etiam ad effectum amoris. Vnũ siquidem est nomen salutis; alterum vero nomen vnctionis, & ideo vtrumq; odoriferum, iuxta illud Cant. 1. [Oleum effusum nomen tuum.] Precatus itaque est noster prophetarum Propheta Ioannes gratiam, & pacem Asiaticis Ecclesijs a Iesu Christo, vt aperte intelligatur, Iesum Christum perfectum Deum, & perfectum hominem esse: Et illum insuper verum filium Dei esse, de quo Euangelium, & omnis sacra Pagina vnice disserit, & cui vniuersus prophetarum chorus testimonium perhibet, quod filius Dei viui sit. Qui tandem cum plenitudo temporis aduenisset, vt dicitur ad Galat. 4. & ad Ephes. 2. semetipsum exinaniuit formam serui accipiendo in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo natus ex Maria Virgine de domo, & familia Dauid. Hinc ipsemet Apostolus ad Rom. 1. ait: [Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.] Quamobrem Athanasius de illo in suo symbolo, ait: [Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus.] Vnus igitur est Christus ex eo, quod vna, & eadem persona diuina, vere diuinã, vereque humanam habet in se naturam, hypostatica mediante vnione, & ob id vnus est Christus gratia, & veritate plenus, de cuius plenitudine omnes accepimus. Tria tamen sub his verbis [& a Iesu Christo] tangit noster Archipropheta, nempe, Iesum Christum Deum, & hominem esse; Gratiam dari per Iesum Christum, & Iesum Christum proprium, & directum nomen esse filij Dei. Quæ quidem tria explananda vtique veniunt.

Psal. 83. Humanitas Christi causa instrumentaria gratiæ. Humanitas Xpi instrumẽtum coniunctum diuinitatis.

Ecclesia omnes orationes finit per Xpm.

Nomen dulce & odoriferum est Iesus Xps.

Ioannes cur precauit gratiam a Xpo.

Verbum Dei quando caro factum.

Iesus Xps habens duas naturas diuinã scilicet, & humanam cur vnus.

Nos de plenitudine Xpi gratiam accepimus.

Tria notatu digna attingit vates Ioãnes.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod Iesus Xps Deus sit & homo.



PRIMVM sane (nempe Iesum Christum Deum, & hominem esse) fides Catholica docet quandoquidem hoc gratiæ, nostræque salutis mysterium diuina auctoritate mediante, firmiter confitemur. Dicitur namque Ioan. 1. [Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] & ad Phil. 2. [Cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens:] & ad Galat. 4. [Misit Deus filium suum natum ex muliere.] & idem habetur Ioan. cap. 1. 3. 5. 10. 11. 14. 19. & 20. & Matth. cap. 1. 7. 8. 16. & 17. & Lucæ cap. 1. 3. & Marci cap. 11. & etiam ad Rom. 11. ad Heb. 1. & 2. ad Cor. 13. Præterea Prophetæ id apertissimis verbis docuerunt, Isaias siquidem duas vnius hominis naturas breuissimo sermone complexus est dicendo cap. 9. [Paruulus datus est nobis, & filius natus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis, Consiliarus, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.] Item Micheas cap. 5. inquit: [Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio a diebus æternitatis.] Duplicẽ hisce verbis egressum Messiæ astruit vates Dei, alterum ex Bethlehem, alterum vero a diebus æternitatis. Primus naturam ostendit humanam secundus diuinam, inuincibili argumento declarat. Est & testimonium Baruch, qui in cap. 3. ita ait: [Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ. Et tradit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] Vaticinium quoque illud Isaiæ: [Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.] ostendit duas hasce naturas. Nam non nisi hominem mulier, non nisi Deum virgo concipere potest. Quia partus, & conceptus homo est, quia a Virgine Deus est. Id ipsum habetur Gen. 19. Deut. 18. 1. Reg. 7. Psal. 2. Ecclesiast. 24. Isai. 35. Ierem. 23. Oseæ. 1. Sophinæ 3. Et Dan. 9. Porro sancti Patres tam Græci, quam Latini veram Christi diuinitatem, veramque humanitatem dilucide, & aperte probant. Idque præstat D. Dionysius lib. de diuinis nominibu cap. 1. & lib. de Theologia mystica cap. 4. Origenes hom. 1. super Ioannem. Clemens Alexandrinus 5. lib. Strommatum. Tertullianus lib. de Trinitate, & lib. 4. contra Marcionem. Irenæus lib. 5. aduersus hæreses, Iustinus Martyr in expos. fidei sanctissimæ Trinitatis, D. Ignatius in epist. ad Tarsenses; & ad Philippenses, Epiphanius hæresi 66. 69. & 74. Didimus in libris de Spiritu sancto, D. Athanasius in eius symb. & in lib. de synodis, Arimini, & Seleuciæ, celebratis, D. Basilius Magnus, lib. de Spiritu sancto, & in epist. ad Gregorium fratrem, D. Gregorius Nanzianzenus in Orat. 1. de filio Dei, & in sua tragedia, quæ inscribitur Christus patiens, Gregorius Nissenus lib. de sancta Trinitate aduersus Iudæos, & lib. de sancto Baptismate, Cyrillus Alexandrinus super Ioannem cap. 1. 4. 11. & 20. Ioannes Chrysostomus in orationibus aduersus Iudæos, & hæreticos, Damasus Papa in epist. ad Orientales. Hucusque Patres Græci. Et ex Latinis D. Hieronymus tum. 2. & epist. 22. ad Eustochium virginem, D. Ambrosius lib. de fide contra Arium, & super Lucam, cap. 1. & in epist. 81. ad Syricium Papam. D. Aug. lib. de Trin. & contra Faustum Manichæum lib. 2. cap. 11. D. Greg. hom. natalis Domini, & lib. 10. Epistolarum epist. 55. Cyprianus serm. de Trin. & de sacramento, & de Baptismo. Leo Papa hom. natiuitatis Christi, & epist. 10. ad Flauium, D. Hilarius in libris de Trinitate, lib. 6. D. Bernardus hom. 2. & 3. de laudibus virginis matris, Richardus de sancto Victore, lib. de Trin. Hugo de sancto Victore in summa Sacramentorum tract. 1. D. Anselmus in lib. de excellentia Mariæ Virginis, Innocentius tertius serm. 2. da Assump. Magister sententiarum Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis in 3. lib. sententiar. S. Thom. 3. p. D. Bonauentura in 3. sent. & reliqui omnes scholastici Doctores in 11. & 3. p. summæ D. Thomæ. Præterea omnia sacra, & œcumenica concilia tam generalia, quã prouincialia, Iesum Christum verum Deum, verumque hominem apprime confitentur. Idque habetur in concilio Nicæno, sub Pontificatu S. Siluestri, Constantino Magno Imperatore ex 318. Patribus aduersus Arium congregato: tum etiam in concilio Ephesino regnantibus Cælestino Papa, & Marciano Imperatore cum Patribus 530. aduersus Eutychem celebrato: in Concilio etiam Constantinopolitano secundo, sub Pontificatu Agapiti, & Siluestri, Imperatoribus Iustino, cum Patribus 165. aduersus Anthemium, & Theodorum congregato: insuper in Concilio Lateranensi Magno sub Innocentio Tertio, & Honorio Tertio, Imperatore Alexio in Oriente, & in Occidente Othone, cum Patribus 1285. inter quos erant 430. Episcopi aduersus Valentinum congregato. Et demum in Concilio Antiocheno contra Ebionem: in concilio Coloniensi aduersus

Testimonia deprompta ex nouo Testamento.

Testimonia ex veteri Testamento exhausta quod Christus Deus & homo sit. Isai. 9.

Matt. 2. Mich. 5. Ioan. 7.

Baruch. 3.

Isai. 7.

Nota bene.

Gen. 19. Deut. 18. 1. Reg. 7. Psal. 2. Ecclesi. 24. Isaia. 35. Hierem. 23. Oseæ 1.

Testimonia ex sanctis Patribus græcis accepta. Dionys. Origenes. Clem. Alex. Tertullian. Irenæus. Iustinus. Epiphanius. Didimus. Athanasius. Basilius. Greg. Naz. Greg. Nisse. Cyril. Hier. Cyrillus Alexandr. Ioan. Chysost. Damas. Papa.

Testimonia ex sanctis Patribus latinis deprompta. Hieron. Ambros. August. Greg. Cyprian. Leo Papa. Hylarius. Bernardus. Richard. de S. Victor. Hug. de S. Vict. Anselmus. Innocentius. Mag. sentent. S. Thom. D. Bonauen.

Varia testimonia ex sacris Synodis desumpta. Conc. Nicæn.

Conc. Ephes.

Concil. Constantinopolitanum 2.

Conc. Later.

Conc. Antioc. Conc. Colon. Conc. Tolet. Conc. Constantinop. in 6. Conc. Rom.

uersus eumdem hæreticum: in concilio Toletano quarto, in concilio Constantinopolitano sexto, & in concilio Romano sub Pontificatu Martini. In quibus omnibus synodis vera Christi diuinitas, & humanitas ab innumeris fere Patribus comprobata apprime fuit. Quis igitur hisce testimonijs audeat refragari? Abeant vbi cerui abijciunt cornua (hoc est in malam rem) perfidi, & increduli Hebræi, tum etiam Hebion, Cherintus, Paulus Samositanus, Photinus, atque hæretici, qui grauissime in hac luce sunt allucinati. Quo plane factum est, vt a veritate recedentes, diuersas hæreses, & ipsi condiderint. Hoc igitur dico est nostræ salutis mysterium, Dei nempe filium, hominem factum fuisse. Hoc inter diuina opera maxime rationem excedit. Nihil siquidem mirabilius excogitari potest diuinitus factum, quam quod verus Deus, Deiq; filius, fieret homo verus: ita vt eadem persona vere diuinam, vereque humanam haberet in se ipsa naturam. O magnum, & ineffabile sacramentum. Quid enim hoc sacratius sacramento? Quid sacramenti huius voluptate iucundius? Quæ porro mella dulciora? Hæc est ergo catholica fides, vt credamus hasce duas naturas vnitas esse non accidentali modo, quo pacto homo vnitur vestimento, sed secundum vnam hypostasim, & suppositum vnum, adeo vt nostra susceperit Deus, sed tamen propria non amiserit. In homine hominem renouauit, sed in se ipso immutabiliter perseuerauit: nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem diminuere potuit assumptio. Tam magna nihilominus est vnio, tantumque fœdus vtriusque naturæ, vt totum dicatur Deus, totumque dicatur homo, totum vicissim Deus homo, & totum homo Deus. Ita vt quæ Dei sunt homini illi attribuantur, & Deo, quæ sunt illius hominis; quoniam vnus, & idem est filius Dei, & filius hominis; de quo vtraque dicuntur. At diuina prædicantur secundum diuinam naturam; humana secundum humanam. Quę igitur hoc sacramentum mens comprehendere, quæ hanc gratiam lingua valet enarrare?

Apostrophe ad incarnationis mysterium.

Mysterium vnionis verbi diuini cum humana natura explicatur.

Conceptus 2. Quod gratia nobis datur a Iesu Christo.



GRATIAM vero nobis elargiri per Iesum Christum (quod erat secundum quod hic enodandum proposuimus) planum, ac omnino perspicuum fit ex illo, Ioan. 1. [Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.] Vnde proculdubio est illud Isaiæ in cap. 12. [Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.] Sed qui quæso sunt hi fontes ore prophetico nuncupati Saluatoris? Sunt (teste Lyrano) septem sacramenta nouæ legis a Christo Saluatore nostro instituta, per quæ ipse misericorditer nobis suam confert gratiam. Vel etiam possunt intelligi quinque plagæ, seu vulnera, quæ sunt veluti quinq; fontes, per quos Saluator Christus pro nobis suum preciosum effudit sanguinem. Hi sane sunt fontes illi aquarum (nimirum gratiarum) de quibus dicebat diuinus Psaltes: [Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus:] Ad hos igitur fontes sanguinis, & gratiæ Saluatoris inuitamur ipsiusmet Redemptoris nostri voce, dicentis, Ioan. cap. 7. [Si quis sitit veniat ad me, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.] Et nota hic duo. Primum quidem quod Christus plenus sit gratia, id est omnibus Dei donis: in ipso enim habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. In eo siquidem sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi; neque enim animæ Christi Deus dedit spiritum ad mensuram, sed effudit in eum opulenter, vt diuinus Citharœdus insinuat, dicens: [Diffusa est gratia in labijs tuis, &c.] & Isai. cap. 16. [Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, &c.] Quibus verbis palam diuinitas Christo tribuitur, quia soli Deo competit plenitudo omnis boni. Secundum vero nota quod de plenitudine eius omnes accepimus; quia quidquid vsquam est, quod vel

Sacramenta sunt fôtes Saluatoris. Lyranus sup. 12. c. Isaiæ.

Vulnera Christi sunt fontes Saluatoris. Psal. 41. Vulnera Christi sunt fontes aquarum.

Quid est Christum esse plenum gratia.

Psal. 44.

Plenitudo soli Deo conuenit

A subsistit tantum, vel sentit, viuit, intelligit, hoc ipsum non aliunde, quam de plenitudine Christi habet: omnia enim per ipsum facta sunt; ipse enim aperit manũ suam, & implet omne animal benedictione. Porro omnes de plenitudine eius accipimus; quia dona, quæ communiter boni, & mali habent, quæ sunt sapientia, scientia, intellectus scripturæ, &c. omnia inquam hæc non aliunde, quam ex Christo accipimus. Quid enim habes, (ait Apostolus 1. Cor. 4.) quod non accepisti? Et ad Ephes. 4. [Vnicuique data est gratia iuxta mensuram donationis Christi.] Et 1. Cor. 12. [Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Præterea tandem de plenitudine eius omnes accipimus; quia ex plenitudine Christi omnes credentes in eum, accipimus iustitiam, gratiam, benedictionem, & vitam. Ad quod intelligendum animaduerte, quod sicut in prima natiuitate de plenitudine Adami omnes accepimus; ita B in regeneratione (nimirum, cum sanctum accipimus baptismum) de plenitudine Christi omnes accipimus. Plenitudo autem Adæ, peccatum, ira, maledictio, & mors fuit, & de hac plenitudine eius omnes accipimus. Omnes enim in peccatis nascimur, iuxta illud: [in peccatis concepit me mater mea.] Porro omnes nascimur filij iræ, & maledicto obnoxij, dicente Isaia: [Omnia opera nostra sicut pannus menstruatæ.] Et demum mors, & infernus in nos redundarunt. Parens enim Protoplastus Adam portas mortis, sua inobedientia nobis aperuit; infernique ignem suo delicto accendit. En, hic est thesaurus, hoc est patrimoniũ, hæc hereditas, quã nobis primus parens reliquit. E cõtra autem plenitudo Xpi est iustitia, gratia, benedictio, & vita, & ex hac plenitudine omnes nos credẽtes in ipsum accipimus. Primo enim accipimus iustitiam, ac remissionẽ peccatorũ; iustificamur enim gratis per redemptionẽ C quæ est in Christo, [quem proposuit Deus (dicitur ad Rom. 1.) propitiatorem per fidem in sanguine eius.] Secundo accipimus gratiam, & fauorem Dei, [gratificauit (ait Apostolus) nos in dilecto filio suo.] Tertio accipimus benedictionem, credentibus enim in Christum omnia benedicta sunt: [Diligentibus Deum (ait Paulus ad Rom. 8.) omnia cooperantur in bonum.] Quarto tandẽ, victoriã de plenitudine eius accipimus, quia de plenitudine Christi victoriam, qua omnia mala diuincere, & profligare possumus reportamus. Et propter hæc omnia vnguentum, in figura, vt dicitur, Psal. 132. defluebat a capite in barbam, barbam Aaron, & in vestimentum ipsiusmet. Ipse igitur Iesus Christus gratia, & veritate plenus est, & de plenitudine eius omnes accipimus, vt sua gratia remissionem peccatorũ nostrorum ab ipsomet impetrare possimus. Propterea D quod sicuti per vnius inobedientiam, peccatores facti sumus, sic etiam per vnius iustitiam, iusti constitui valeamus. Sicut enim omnes in Adam moriuntur, sic in Christo Iesu, testante Apostolo, 1. Cor. 15. omnes viuificabuntur.

Quid sit de plenitudine Christi accipere.

De plenitudine Adæ olim accipiebamus nunc vero de plenitudine Christi accipimus. Differentia inter plenitudinem Christi & plenitudinem Adæ. Plenitudo Adæ. Psal. 50. Esai.

Vnguentum quare defluebat in barbã, barbã Aaron.

Conceptus 3. Quod Iesus Christus proprium, & directum nomen sit filij Dei incarnati. Tria nomina principalia filij Dei incarnati.



TERTIO, & postremo loco declarandum decreuimus (vt promissis plene satisfaciamus) Iesum Christum, proprium, & directum nomen esse filij Dei incarnati. Tria siquidem sunt principalia filij Dei incarnati nomina, quæ sparsim in sacro eloquio reperiuntur, [Emmanuel] (nimirum) [Iesus] & [Christus.] Estote quæso attentissimi: Emmanuel inuenitur in Isaia, dum in c. E 7. dicitur: [Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel,] Iesus vero inuenitur primo in Luca, dum in c. 1. Virgini ab Angelo dicitur [Vocabis nomen eius Iesum,] & deinde in Matth. cap. 1. dum Iosepho ab Angelo etiam dicitur: [vocabis nomen eius Iesum,] Christus tandem inuenitur in Ioanne, dum in c. 1. dicitur [: [Inuenimus Messiam, qui vocatur Christus.] At vero inter hæc tria nomina, haud exigua, immo maxima grassatur differentia, propterea

Differentia inter hæc tria nomina Emmanuel, Iesus & Christus.

rea quod Emmanuel est nomen naturæ, Iesus est nomen personę, Christus est nomen officij. Emmanuel enim sonat nobiscum Deus, & nihil aliud significat nisiquod natura diuina,humanaque copulanda, & socianda erat;& ideo Emmanuel naturę nomen est. Hinc S. Matthæus hoc nomen, Emmanuel interpretatus est:

Quid significet Emmanuel.

[Nobiscum Deus] eo quod in nomine isto [Emmanuel] Deus intrat. Et si obijcias [Deum] in alijs etiam nominibus reperiri, vt apparet in hisce nominibus Gabriel, Raphael.

Obiectio.

Hanc difficultatem facile ego diluam, ex eo quod in nullo alio nomine, nisi in isto [Emmanuel] Deus inuenitur in recto casu, sed in obliquo. Gabriel enim [Fortitudo Dei] dicitur: Ecce [Dei] in genitiuo: Raphael [Medicina Dei] interpretatur: Ecce [Dei] in genitiuo.

Solutio.

At vero Emmanuel [nobiscum Deus] exponitur: Ecce [Deus] in nominatiuo, qui est casus rectus. Aliud insuper nomen est, in quo Deus reperitur in nominatiuo, quale est hoc nomen [Michael] quod sonat [quis vt Deus] at vero hoc loco [Deus] quod est nomen, non dicitur de persona nominata, quia dicēdo: Quis, vt Deus, non dicitur, quod ille sit Deus: Emmanuel vero nominat vnum,& dicit, quod ille est nobiscum Deus: Et idcirco hoc nomen solum Emmanuel, inter alia nomina Deum continet in recto casu, quia solus ille, cuius est hoc nomē, est simul homo,& Deus: vnde solus filius Dei incarnatus rationabiliter Emmanuel vocatur; quia ipse solus est homo, & Deus. Iesus

Quid significet Iesus.

autem nomen proprium est (vt dixi) quo filius Dei, & Virginis Mariæ, proprie distinguebatur a quauis alia persona, nimirum, a Moyse, vel Elia, &c. Hinc filius Dei,& Virginis ab omnibus communiter Iesus appellabatur: quia in circumcisione Iesus fuit nuncupatus, iuxta illud Lucæ 1. [Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.] At vero Iesus idem est, quod Saluator: [Ipse enim (dicitur Matth. 1.) saluum faciet populum suum a peccatis eorum.] Iuxta illud Iud. 3. [Suscitauit illis Dominus Saluatorem.] Tandem Christus nomen est of-

Quid significet Christus.

ficij (vt dixi,) nimirum, rei sacræ, vt si dicatur sacerdos, propheta, &c. & significat [vnctum,] nam quod Hebraice dicitur [Messias] Græce dicitur [Christus] Latine vero [vnctus] nuncupatur. Hinc omnes illi,

D. Aug. hom. 3. sup. Ioan.

qui ad aliquam dignitatem, media vnctione promoturi erant, nomen accipiebant a Christo, & ob id Reges,

Messias idem est quod Christus.

Reges dicebantur Christi.

Christi dicebantur, vnde Dauid nolens mittere manum in Saul 1. Reg. 24. reddit rationē dicendo: [Quia Christus Domini est.] Sacerdotes etiam & Pontifices, Christi sunt appellati: vnde Psal. 140. dicit diuinus Psaltes, [nolite tangere Christos meos.] Prophetæ insuper dicuntur Christi, eo quod vncti sunt, & ideo Eliæ dictum fuit 3. Reg. 19. [Eliseum vnge Prophetam pro te,] & denique Messias, quem Iudæi expectabant: [Christus

Christus Rex, Sacerdos, & Propheta.

appellabatur ab ipsis, quia ex sexcentis locis sacræ Scripturæ sciebant, Regem, Sacerdotem,& Prophetam simul fore futurum. Et adhuc ipsimet, eorum sancta lingua Hebræa illum [Messiam] vocabant. Hinc Ioan. 1. dicitur: [Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus.] At vero, Domine, quis ignorat te de stirpe Regia fuisse? [Rex regum (dicitur Apoc. 19) & Dominus dominantium.] Quis insuper ignorat te sacerdotem fuisse? [Tu es sacerdos in æternum (dicitur Psal. 109. secundum ordinem Melchisedech.] Quis tandem ignorat te Prophetam fuisse? [Propheta magnus (dicitur Ioan. 9.) surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.] Et sic Christus nomen est officij sacri. Ecce integra differentia inter hæc tria nomina, scilicet, Emmanuel, Iesus, Christus. Nihilominus tamen

Iesus Christus proprium nomen filij Dei.

Iesus Christus (vt dixi) proprium, & directum nomen est filij Dei incarnati: Nam hoc nomen Iesus, idem est quod Emmanuel, id est, nobiscum Deus, quod patet

1. Ratio.

Iesus Christus proprium, & directum nomen filij Dei incarnati.

primo ex eo quod Iesus idem est, quod Saluator. At vero Iesus Saluator populi Dei, quis debebat esse per emphasim, nisi, ille Emmanuel, ille Christus, ille homo, & Deus, cui vniuersum mundum liberare incumbebat.

2. Ratio.

Rursus patet ex eo quod vbicumque in nouo Testamento reperitur hoc nomen [Iesus] accipitur pro hoc altero Dei nomine veteris Testamenti [Emmanuel] Hinc

F est quod Angelus ad Virginem missus, verbo ad verbum, syllabaque ad syllabam ad Isaiæ verba alludit.

Iesus idem sonat quod Emmanuel.

Isaias enim cap. 7. vaticinatus fuit: [Ecce virgo concipiet,& pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.] Angelus vero Lucæ cap. 1. ad Virginem, sic ait: [Ecce concipies in vtero, & paries filium,& vocabis nomen eius Iesū.] vbi nullo mutato verbo, aut variata syllaba ad inuicem se respiciunt hæc duo loca. Quamobrem si filius Dei, & Virginis illic in Isaia, vocatur [Emmanuel,] hic in Luca [Iesus] dicitur. Igitur signum est hæc duo nomina [Iesus] & [Emmanuel] idē sonare, & pro eadem persona accipi, vel ex vi significati, vel ex vi proprietatis. Demum istud ipsum patet in Matthæo: Etenim ipsemet Euangelista Matthæus,

3. Ratio.

in cap. 1. postquam Angelus dixit, [Vocabis Iesum] reddit rationem, ex eo quod istud prædictum fuerit ab Isaia,& ideo subtexuit: [Vt adimpleretur, quod dictum

G est,&c. Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.] En vides aperte quomodo Iesus, & Emmanuel sunt vnum, & idem: Et qui dicit Iesum, ex consequenti Emmanuel vocat. Porro Christus, idem est, quod Iesus,& Emmanuel; quia cum Messias, & Christus (quem Hebræi expectabant)

Christus, & Messias idem sonat, quod Iesus, & Emmanuel.

venturus esset ad liberandum populum Dei, perspicuū, ac planum omnino fit, quod Messias idem est, quod Saluator. At vero Iesus est ille, de quo dixit Angelus: [Ipse saluum faciet populum suum a peccatis eorum.] Igitur Christus idem est, quod Iesus: Et per consequens Iesus Christus proprium, & directum nomen est filij Dei incarnati, qui Emmanuel dicitur,

Apostrophæ ad Iesu Christi nomen.

hoc est, nobiscum Deus. Nomen plane in quo oportet nos saluuos fieri. Nomen in quo omne genuflectetur cælestium terrestrium,& infernorum. Nomen

Act. 4. Phil. 2. Ioan. 16.

in quo quidquid petierimus patrem, dabit nobis. Nomen

H in quo D. Petrus paralytico ad portam templi, eleemosynas petenti recte dixit. [Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do; In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula;] Nomen

Act. 3. Matth. 16.

in quo eijciuntur dæmonia. Nomen in quo sacerdotes baptizant, & peccata remittunt. Nomen in quo

Iesus Christus est omne bonum nostrum.

ego omne adinuenio bonum. Nomen cui cætera conueniunt nomina, quia Iesus Christus est omnia in nobis: ipse enim est terra illa, de qua dicitur Psal. 66.

Iesus Christus est Terra.

[Terra nostra dabit fructum suum.] Ipse est aqua illa, de qua dicitur Ioan. 7. [Si quis sitit veniat ad me, & bibat.] Ipse est aër ille, de quo dicitur Ioan. 20. [Insufflauit,& dixit accipite Spiritū sanctum.] Ipse est ignis

Aqua. Aer. Ignis. Petra. Mons. Agnus.

ille, de quo Lucæ 20. dicitur: [Ignem veni mittere in terram.] Ipse est petra illa de qua 1. Cor. 18. dicitur: [Petra autem erat Christus.] Ipse est mons ille, de quo dicitur Psal. 44. [Mons coagulatus, mons pinguis.] Ipse

I est Agnus ille, de quo Ioan. 1. dicitur: [Ecce Agnus Dei:] Ipse est leo ille, de quo Apoc. 5. dicitur: [Vicit leo

Leo.

de tribu Iuda:] Ipse est vitis illa, de qua dicitur Ioan.

Vitis. Granum.

15. [Ego sum vitis,& palmites:] Ipse est granum illud, de quo Ioan. 12. dicitur: [Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet:] Ipse est ostium illud, de quo Ioan. 11. dicitur: [Ego sum ostium:] Ipse est panis ille, de quo Ioan. 6. dicitur: [Ego

Ostium. Panis.

sum panis viuus:] Ipse est pastor ille, de quo Ioan. 10.

Pastor. Lux. Sol.

dicitur: [Ego sum pastor bonus:] Ipse est lux illa, de qua Ioan. 8. dicitur: [Ego sum lux mundi:] Ipse tandem est sol ille, de quo Sap. 5. dicitur: [Sol iustitiæ:] Ipse insuper Iesus Christus o Hebræi, est vester Messias, illi namque soli vestrum [Eheie] clare conuenit, quia ipse

Nomina Dei apud Hebræos quæ conueniunt proprie Iesu Christo.

dixit: [Ego sum] illi etiam cōuenit vestrum [Elohim gibbor] Quia ita illum vocat Isaias, illi etiam conuenit vestrum [Iephares:] Quoniā ipse est speciosus for-

K ma præ filijs hominum, illi insuper conuenit vestrum [Vaidabat,] quia in ipso sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, illi etiam conuenit vestrum [Elchai] nam ipse dixit: [Ego sum via, veritas,& vita.] illi præterea conuenit vestrum [Adonay] eo quod ipse est: [Rex regum,& Dominus dominantium.] Illi adhuc conuenit vestrum [Iehoua] quia Ieremias eum vocat [Tetragrammus iustus noster:] Omnia deniq. Dei nomina, quæ reperiuntur apud Hebræos illi conueniunt.

Quamob-

Quamobrem hoc nomen Iesus Christus omnia nomina transcendit, omniaque comprehendit bona. Quoniam [Iod] [Scim] [Vau] hæ tres litteræ hoc componunt nomen [Iesus] ex quibus [Iod] numerus est decenarius [Scim] numerus centenarius [Vau] vero est vnitas ad demonstrandum, ò Arithmetici, quod in ipso vnitas decena, centenaque reperitur, quæ sunt illæ tres res, in quibus totus numerus componitur [Iod] significat diuinitatem, [Vau] arborem vitæ demonstrat [Scim] vero quæ est prima littera nominis [Sabath] significat quietem. Quia ex [Iod] quæ est diuinitas eius, habemus [Vau] nimirum, vitam gratiæ, & habemus etiam [Scim] hoc est; quietem gloriæ.

PARAPHRASIS Septima.

Par. 7.

Qui est (inquit etiam) testis fidelis. Fidelis sane sermo, & omni acceptatione dignus. Vere siquidem testis fidelis est Iesus Christus, cum ipsemet dicat Ioan. 18. [In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] Hinc plane est, quod de Patre æterno ipse verum testimonium semper reddiderit, nimirum, quod ipse verus, & naturalis eius filius sit. Credito enim filio (vt recte hoc in loco ait Primasius) patris quoque notitia nihilominus reuelatur; nam filius non diceretur nisi patrem haberet, neque pater nisi filium habuisset. Alter itaque alterius prædicatione cognoscitur; quia pater in filio, & filius in patre veraciter approbatur: Qui enim non honorificat filium (dicitur Ioan. 5.) non honorificat patrem qui misit illum. Idcirco idem Ioannes in sua epistola prima dicit: [Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, qui non credit filio mendacem facit eum, quoniam non credit in testimonio, quod testificatus est Deus de filio: [Quamobrem ipsemet Christus Ioan. 8. ait: [Et si iudico ego iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.] Proinde ergo in homine suscepto testimonium semper perhibuit Patri æterno, iuxta illud Ioan. 17. [Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam.] Quod Iudæis dudum negatum ostendens dicit: [Et nomen meum Adonai non indicaui eis.] Nomē itaque Patris æterni, ac etiam eius dignitatem, voluntatem, desideriumque salutis hominum, (quemadmodum ab ipsomet patre accepit) mundo fideliter patefecit. Ob hoc ipse patri suo æterno dixit Ioan. 17. [Ego te clarificaui super terram opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam.] & paulo post: [Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.] Quod plane præstitit ipse filius Dei prædicando veritatem cum esset in carne mortali. Tunc etenim ita se testem fidelem præstit, vt in verbis, factis, ac promissis, ita verax esset, ac diceret: [Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt,] Dedit etiam fidele testimonium de patre, dicendo: [Exiui à patre, & veni in mundum,] Dedit præterea fidele testimonium de seipso quia in die iudicij testimonium perhibebit contra reprobos, & pro electis iuxta illud Ieremiæ 14. [Ego sum iudex, & testis,] Denique fidele testimonium perhibuit de euangelica doctrina populo, cum de illo dicat æternus Pater Isa. 15. [Ecce testem populis dedi eum.] & prou. 14. [Liberat animas testis fidelis.] Hinc ipse nec timore mortis, nec quibusuis alijs minis, se filium Dei legitimum, & naturalem esse, vmquam negauit. Quamobrem Marc. 14. dicitur: [Rursus summus sacerdos interrogauit eum, & dixit ei, tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum.] Propter hoc, pulchre ait Salomon. Prou. 14. [Testis Fidelis non mentietur, profert autem mendacium dolosus testis.] Cum igitur Iesus Christus, testis fidelis sit, in verbis, factis, ac in promissis semper verax plane fuit.

Marginalia: Dilucidatio textus. §. 1. Testis fidelis Iesus Xps. — Primasius in c. 1. Apoc. — Pater, & filius sunt relata. — 1. Ioan. 5. — Exod. 6. — Testimonium de patre æterno dedit eius filius Iesus Christus. — Testis veritatis Christus. — Testis fidelis Christus multipliciter appellatur. Ioan. 14. Lucæ 21. Ioan. 16. — Testis verax Christus.

A Appellatur porro Iesus Christus testis fidelis. Tum quia pro veritatis testimonio mortuus est. Tum quia cum reliqui sancti testes esse debeant in iudicio iuxta illud Act. 1. [Eritis mihi testes in Ierusalem.] & paulo post: [Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Iesu Christi;] Oportebat etiam vt & ipse Iesus Christus, qui & hominum & Angelorum caput est, testis etiam esset, & non qualiter, aut quomodocumque sed fidelis, cum de illo prædictum sit Psal. 88. [Et testis in cælo fidelis.] Tum quia nobis miruminmodum oportebat vt in rebus tanti ponderis quales sunt res fidei nostræ Catholicæ, talem, ac tantum veracem haberemus testem, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent. Tum vt maiorem huic, prophetæ fidem habeant, & vtilem futuram esse intelligant suæ saluti; quandoquidem est Iesu Christi, qui semper de Patre verum testimonium reddit, & fideliter
B homines semper docuit id omne quod a patre accepit, vt doceret ad eorum salutem. Tum quia sicut in signum veræ pacis, & concordię testimonium, arcus cęlestis datus est, sic oportebat, vt Christus Dominus fidelis testis nobis daretur in signum reconciliationis per mortem, & passionem eius, factæ. Tum vt bono animo sint homines ad labores, persequutionesque subeundas, & sustinendas, spe futuræ retributionis: cum enim Christus dicat: [Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam:] Et ipse sit testis fidelis patris: Oportet vt vera sit eius promissio. Tum vt intelligatur, Iesum Christum esse testem illum egregium de quo Isa. 51. dicitur; [Ecce testem populis dedi eum ducem, & præceptorem gentibus.] Quoniam nemo fidelis testis Dei esse potest, nisi ex ipso dedicerit, Iuxta illud Ioan. 1. [Deum nemo vidit vmquam vnigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit.] Tum quia, vt per
C hoc, multi ei fidem voluntarie adhibere curent, cū iste fidelis testis iam per se, quam per concionatores suos in dies testimoniū perhibeat, de honoribus, diuitijs, & mundi gloria, quod sint ad salutem consequendam omnino nociua; de corporis etiam voluptatibus illecebris, ac delitijs, quod sint via ad interitum, & de vindictis, blasphemijs, alijsque sceleribus, quod penæ æternæ subiaceant. Tum denique datus nobis fuit hic fidelis testis Iesus Christus, vt nobis vitam æternam lacrymis, vigilijs, ieiunijs, orationibus, disciplinis, laboribus, & abstinentijs quamplurimis, consequendam esse, aperte ostenderet. Ipse etenim est, qui cœpit facere, & docere.

Marginalia: §. 2. Testis fidelis quare Christus dicatur. 1. causa. 2. causa. Act. 4. — 3. causa. — 4. causa. — 5. causa. Gen. 9. — 6. causa. — 7. causa. — 8. causa. — 9. causa.

D
Conceptus Prædicabiles in textum.



QVIA iudicium nullatenus esse solet absque testibus, seu accusatoribus, vt dicitur Leuit. 19. & Exod. 23. cui quadrat illud Act. 25. [Non est mos Romanis damnare hominē priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores.] Ideo cum supra mentionem fecerit noster Archipropheta Iudicij filij Dei, hic recte adiecit fidelem testem, nimirum, Iesum Christum, qui pro mille testibus reputatur, cum de illo vere intelligi possit illud Encomium Dauidis: [Tu autem pro decem millibus reputaris.] Erit igitur in illo iudicio generali Iesus Christus iudex, & testis, vt dicitur Ioan. 9. Hinc
E Laudunensis in sua glossa interlin. hunc locum sic exponit, dicens: [Testis fidelis operum nostrorum in die iudicij, quando dicet vidistis me esurientem, & sitientem, &c. venite benedicti patris mei, &c.] Credite mihi, qui in occulto, & in abscondito, vestra bona operā facitis, iuxta præceptum Domini, dicentis: [Nesciat sinistra tua quid facit dextera,] & iterū: [attendite ne iustitiā vestrā faciatis corā hominibus ꝗ illo die recipietis mercedē vestrā. Propterea ꝗ testis iste fidelis Iesus Chri-

Marginalia: Conceptu. 1. Quod Iesus Christus erit in iudicio generali iudex, & testis. — Christus pro decem millibus testibus reputatur. — Laudunensis. — Qui bona opera propter diem in occulto operantur recipient æternā mercedē in die iudicij.

Christus, tunc vestram iustitiam, eleemosynam, orationes, ieiunia, disciplinas, abstinentias, & alia pleraque opera bona à vobis in abscondito, & in charitate facta, patri æterno (licet à vobis iam obliuioni tradita sint) fideliter repræsentaturus est. De illo etenim intelligitur illud Dauidicum: [Et thronus eius in conspectu meo, & sicut luna perfecta, & testis in cælo fidelis,] eorum nempe, quæ nobis promisit Deus. Fidelis enim testis Iesus Christus illo die iudicij nostri, (tam generalis, quam particularis) in cælo patri æterno, vobisque etiam, in memoriam reducturus est vestra suspiria, ictus pectoris imaginationes, cogitationesque pias, desideria, & proposita sancta, lacrymas, recitationes Rosarij, iniurias, opprobria, iuste, ac pie perpessa propter iustitiam, compassionem etiam pauperum, subuentiones pupillorum, ac viduarum, &c. Quoniam licet vos, horum omnium obliti sitis, ipse tamen testis fidelis Iesus Christus vmquam oblitus erit, donec æterno patri, de hisce bonis operibus vestris fidelem, & sinceram reddat rationem, vt vos ab ipso mercedem copiose de istis præfatis vestris bonis operibus propter eum factis in charitate, impetrare valeatis, & possitis. Erit porro testificaturus in cælo fideliter, illo die iudicij extremi modum, quo Stephanus fuit lapidatus, Laurentius craticula assatus, Andreas cruci affixus, & in ea biduum viuus pendens. Bartholomæus viuus excoriatus, & pelle iam detracta, capite abscisus, Baptista ad puellæ saltantis petitionem capite truncatus, Ioannes in feruentis olei dolium missus, Catharina rotæ crebris, & acutis præfixæ gladijs exposita, Lucia gladio transfixa, Agatha mamilla truncata. Modum igitur quo sancti martyres hæc, & alia quam plurima propter fidem, Ecclesiæq. suæ ędificationem, tormenta passi sunt, fideliter in cælo, & in die iudicij patri æterno testificaturus est testis iste noster fidelissimus Iesus Christus, vt vnusquisque Martyrum, de suo martyrio, pœnaue, aut tormento, inclytam valeat reportare coronam. Hinc in Actis Apostolorum cap. 22. dicitur: [Et cum funderetur sanguis Stephani, testis tui ego astabam.] Nam si de lacrymis est merces & corona in cælo, iuxta illud Iob 30. [Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi (ex quibus omnibus adde) expectabam bona, &c.] Et Matth. 7. & Luc. 7. dicitur: [Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.] Si igitur de lacrymis est merces, & consolatio in cælo, Iesu Christo eas fideliter coram patre æterno testificeante, quid fiet de eleemosynis, de ieiunijs, & de martyrio martyrum? Fidelissime absque dubio est testificaturus coram patre æterno hæc omnia, fidelis ille testis noster Iesus Christus, qui pro decem millibus testibus reputatur, vt à patre æterno in cælis mercedem, & coronam de laboribus tuis valeas reportare.

Xps in iudicio manifestabit nostra bona opera occulta.

Nota bene.

Christus referet Patri æterno omnia Martyrū tormenta.

D. Chrysost. hom. 24. ad populum.

F G H I



OMNIA promissa fideliter adimplet Deus pater per Iesum Christum suum fidelem testem: [Fidelis Dominus (dicit diuinus Citharœdus) in omnibus verbis suis.] Quod autem Deus sit fidelis, & verax, possumus cognoscere ex eius promissis iam impletis, & ex eo etiam quod promissa nondum impleta, impleat. Et ob id sicuti homo volens tenere promissum, de promissis facit instrumentum, ita, & Deus de promissis nobis per eum chirographum dedit, scilicet sacram Scripturam in qua continentur omnia illius promissa, per filium suum Iesum Xpm testem fidelem adimplenda, vt patet de incarnatione, remissione peccatorum, resurrectione mortuorum, de iudicio, præmijs bonorum, & de supplicijs damnatorum, &c. Quid, enim promisit, quod non adimpleuerit per Iesum Christum testem fidelem? Nihil. Si enim Abrahę promisit, dicens: [In semine tuo benedicentur omnes gentes.] & Dauid: [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.] Nonne Matthęus promissum adimpletum per testem fidelem Iesum Christum annunciat, dicens: [Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham?] Si Israelitis agnum esse venturum spopondit, & ideo ipsi, singulis annis in figuram huius promissionis agnum comedebant paschale, vt habetur Exod. 3. nonne Ioannes Baptista adimpletum esse hoc in Christo teste fideli asserit, dum de illo pleno ore ait: [Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?] Si insuper Sion Deus promisit dicens: [Sion noli timere, ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus;] nonne Matthæus ista in Christo, teste fideli adimpleta esse testatur cum ipso Ierosolymis introeunte in pullo, & asino, dicit: [Hoc autem totum factum est vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem, dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. & sedens super asinam, & pullum filium subiugalis?] Porro si populo Hebræo Deus promisit se miracula facturum, dicens: Isaiæ 11. [Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum:] nonne hæc omnia ipsemet testis fidelis Christus in ipsomet adimpleta fuisse testatur, cum dixit: [Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vidēt, claudi ambulant, surdi audiunt, & mortui resurgunt?] Si denique Deus quamplurima se facturum dixit in Psalmis, & Prophetis, futuris tēporibus, nonne ipsemet Iesus Christus, testis fidelis de seipso ait Lucæ 18. [Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis:] Et Lucę 24. nonne ipse dixit: [O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ? nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriā suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.] Quid igitur promisit, & non dedit? Nihil. Est siquidem Deus fidelis, & verax, quia quicquid promittit facit, & obseruat. Et ideo fidelis, quia promissa, & verba eius implentur, & non transeunt in vanum, & ob id ait Christus Matth. 5. [Amen dico vobis donec transeat cælum, & terra, iota vnū, aut vnus apex non prȩteribit à lege donec omnia fiant.] Nec mirum, quoniam, vt ait Chrysostomus super Matthęum: Si enim ingenuus homo in vili mendacio inuentus fuerit, erubescit. & vir sapiens, verbum quod dicit non relinquit in vacuum: quomodo verba diuina sine exitu vacua poterunt remanere? Hinc etiam D. Augustinus super illum versiculum: [Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.] sic ait: [Quid enim promisit, & non dedit? Quædam enim promisit, quæ etsi nondum dedit, sed dabit, credatur illi ex ijs, quæ dedit. Possumus credere ei tantummodo dicenti, sed noluit credi sibi solum dicenti, sed voluit promissiones in scriptis poni, voluit tenere scripturam suam. Quomodo si dicas alicui homini, cui aliquid promittis. Non mihi credis, ecce ego scribo tibi. Etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula credentibus, succedentibusque mortalibus, scriptura Dei manere debuit, quam omnes transeuntes legerent: & quanta sunt, quæ iam reddidit ex isto chirographo? Dubitant homines credere illi de resurrectione mortuorum & de futuro sęculo, quod solum iam restat reddendum computando, quæ iam reddidi, potes credere me redditurum quod promisi. In ipso chirographo habes promissum vnicum filium, cui ego non peperci, sed pro omnibus tradidi illum, ibi lege. Promisi pignus Spiritus sancti me daturum per filium meum computa redditum: Promisi sanguinē, & coronas sanctorū Martyrū computa redditum.] & paulo post: [Promisi regū fidē, dicens in chirographo meo, adorabunt eum oēs Reges terræ, omnes gentes seruient ei, & hoc reddidi in effectu. Ante ergo oculos omniū ponit solutionē debitorū suorū. Quędā reddidit sub maioribus nostris, quæ nos nō vidimus, quędā reddidit tēporibus nostris, quę illi non viderunt. Per oēs generationes reddidit quæ scripta sunt, & de eo, quod restat, nō ei credetur? nūquid propter pauca residua infidelis erit Deus? absit, sed secure credamus, quia fidelis Dñs in omnibus verbis suis.] Hucusq. D. Aug. Ex quo apparet distantia inter obsequia Deo exhibita, & obsequia principibus huius mūdi præ-

Conceptus 3. Quod Deus sit fidelis in omnibus suis promissis. Psal. 144.

Comparatio.

Gen. 15.

Psal. 131.

Fidelitas Dei in promissis olim populo factis.

Ioan. 1.

Matth. 21.

Promissa Dei adimpleta.

Ioan.

Infallibilitas verborū Dei.

D. Chrysost. super Matth.

D. Aug. super Psal. 14.

Rom. 8.

Actuum.

Psal. 71.

Differentia inter obsequia Deo, & Magnatibus mūdanis exhibita.

di præstita, quia hæc sepenumero fidelitate carent, ex eo, quod huius mundi magnates, & principes raro promissis satisfaciant. At vero obsequia Deo exhibita semper fidelitate gaudent, cum eorum testis Iesus Christus fidelis sit, cuius præcepta, & mandata mercede numquam carent, ideo fidelia obsequia, & mandata appellantur, dicente Psalmographo: [Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi: facta in veritate, & æquitate,] vbi nota, quod non dixit, aliqua mandata, sed [omnia mandata,] nec minus dixit iusta, aut optima mandata, sed [fidelia mandata.] Perinde ac diceret mandata Dei sunt eiusdem conditionis cum ipso Deo, qui ea præcipit, & mandat, de quo diuinus Citharœdus dicit: [Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.] Et ita fidelis vt nullus sit regum, aut huius mundi Principũ, qui ita promissioné adimpleat, cuius sanctitas, bonitas, & fidelitas in die iudicij erit tanta, (testante D. Chrysostomo homil. 9. de pœnitentia,) vt illo die ipsemet eleemosynas pauperibus pro se factas, in seipso recipiet, & dicet Angelis suis: [Hic me recepit in domo sua, hic mihi panem elargitus fuit, hic me vestimentis induit, hic alter calicem aquæ frigidæ mihi dedit, hic alter mihi indigenti subuenit, iste alius mille mihi obsequia exhibuit.] Et sic transiturus est per omnes, qui bona nomine suo pauperibus exhibuerunt. Hinc optime Ioan. 12. dicitur: [Mandatum eius vita æterna est,] quasi dicat, ita certum est eius promissum, vt (lege eius diuina optime custodita) illud iuridice ab ipso petere possimus, & ex promisso ita certo, & securo, nos vitæ æternæ possessionem postulare ab ipso posse, qui testis fidelis est.

Psal. 100.

Mandata Dei fidelia cur appellentur.

Psal. 144.

D. Chrysost.



E hoc egregio fideli teste accipienda plane veniunt illa verba Isai. 55. [Ecce testem populis dedi eũ ducem, & præceptorem gẽtibus,] quo loco tria notatu digna de Christo narrantur, nimirum, quod sit testis, dux & præceptor. Est igitur Iesus Christus præceptor noster, id est, magister. Hinc ipsemet, Ioan. 13. ait [Vos vocatis me magister, & dominus, & bene dicitis, sum etenim.] & Matth. 23. [Magister vester vnus est Christus.] Quapropter Concilium Tridentinum sess. 6. can. 21. sic sanciuit: [Si quis dixerit Christum a Deo hominibus datum fuisse, vt Redemptorem cui fidant, non etiam, vt legislatorem cui obediant, anathema sit.] Legislator autem idem est, quod præceptor, & magister. Idcirco Glossa interlinearis hunc locum Isaiæ exponens, sic ait: [Præceptorem, scilicet, legislatorem.] Et Matth. 22. de illo dicitur: [Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.] Est ergo Iesus Christus legislator magister, & præceptor noster in cuius pectore, siue rationali, sunt scripta illa verba Exod. 28. [Doctrina, & veritas.] Et ob id, nobis plenissime multa ad salutem necessaria docuit, nimirum Patris æterni dignitatem, dum dixit Ioan. 13. [Pater maior me est,] patris voluntatem etiam nobis patefecit, cum dixit: [Hæc est autem voluntas patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam.] Patris desiderium salutis hominum, nobis etiam ostendit, cum dixit: [Opus consũmaui quod dedisti mihi, vt faciam.] Viam deniq. salutis nobis aperuit, cum dixit: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] Sunt pleraque alia (& fere infinita) ad salutem necessaria, quæ nobis docuit legislator, magister, & præceptor noster Iesus Christus: ipse enim est ille, de quo Isaiæ 48. dicitur: [Ego dominus Deus tuus docens te vtilia, & gubernas te in via, qua ambulas.] Magna profecto totius religionis Christianæ dignitas est, talem habere legislatorem, magistrum, & præceptorem, qui, nimirum, simul & præceptor sit, & illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, & etiam, qui pleno ore dicat: [Ego sum via, veritas, & vita:] Porro est Iesus Christus dux noster, id est, qui ad gloriam ducit nos. Hinc ipsemet nobis ait: [Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.] & Matth. 16 [Si quis vult post me venire abneget semetipsum.] & Marci 8. [Si quis vult me sequi deneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me.] Quibus dulcissimis verbis Saluator noster ad sui sequelam nos inuitat. Quia ipse dux noster est. Et idcirco ad talem ducem nostrum sequendum nos admonet sacra Scriptura: Nam Paulus ap Heb. 13. sic ait: [Iesus, vt sanctificaret populum suum extra portam passus est; exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.] & Matth. cap. 13. [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.] & Propheta Michæas in cap. 2. sic ait: [Surgite, & ite, quia non habebitis hic requiem.] & Ioan. cap. 13. [Venite post me, & ego reficiam vos.] super quæ verba ait D. Bernardinus: [Mundus clamat, ego deficiam; caro clamat, ego inficiam, diabolus clamat, ego decipiam. Christus vero clamat ego reficiam, & tamen superba mens mea magis vult sequi deficientem, quam reficientem.] Tandem ad sequelam Iesu Christi ducis nostri prouocant nos Doctores sancti. Propterea, quod D. Augustinus lib. de doctrina Christiana, sic ait: [O anima Christiana euigila, & si qua in te sit virtus charitatis, (quæ omnia sustinet) Domini tui imitare vestigia, considera quot millia Martyrum tritam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres Domini, transierunt pueri, & puellæ & adhuc times? docet te ille, qui est via, veritas, & vita: via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens: via in exemplo, veritas in promisso, & vita in præmio.] Et beatus Ioannes Damascenus ad Christi sequelam hac similitudine nos mouet: dicens: [vt ferrum ignitum calefacit, & vrit, & ignis, sic Christi humanitas a verbo assumpta habebat diuinitatis effectus, & miracula ingentia passim edebat, quibus diuinam suam potentiam declarabat, & homines ad se trahebat.] Modus autem quo tantum egregium ducem sequi debemus, talis est: Primo enim debemus per eius mandata currere cum Psalmista, dicente; [Viam mandatorum tuorum cucurri.] Secundo debemus relinquere peccata: nam peccatum est onus graue illud, quod Zachariæ. 5. talento plumbi comparatum est: Et qui onere nimio præmitur, facile ab incepto itinere deficere cogitur; si ergo vis istum supernum, & egregium ducem sequi hoc onus peccati deponere necesse est. Auicenna loquens de regimine itineris tenet, non debere aliquem plenum sanguine iter aliquod arripere, sed prius oportere corpus euaginare, & mundare, & sic iter agere; Ille autem (moraliter loquendo) repletus sanguine dicitur, cuius conscientia peccatis redundat, propterea quod peccatores, viri sanguinum, a regio Psalte dicuntur. Oportet igitur euacuare peccata, vt iter hoc perficere possimus. Tertio deponere debemus omnem concupiscentiam, & carnis ardorem, quæ cor nostrum exæstuat, & exurit. Hinc Auicenna vbi supra, docet iter agẽtes, debere caput tegere a solis ardoribus: sic nos (moraliter) mentem, quæ caput est virtutis tegumentis cooperire debemus ne eam concupiscentiæ ardores exurant. [Per diem sol non vret te (ait Psalmographus) neque luna per noctem.] Quarto debemus crebro ac frequẽter sanctam sumere Eucharistiam (mediante integra confessione) vnde Auicenna loco citato, ait: Iter agentem de nutrimento præcipue debere esse sollicitum: Sancta autem Eucharistia, viaticum appellatur, de quo Ioan. cap. 6. dicitur: [Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ.] Quinto debemus diuitias oẽs huius mundi pro Xpo contẽnere, hinc ipse ait: [vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me,] quas diuitias, Doctores spinis cõparare solent, & merito quidẽ. Nihil nãq. maius impedimentum est cani venatico, quo minus prædam insectari queat, quam si spina pedi eius

Conceptus 3. In quo tria notatu digna de Christo dicuntur: ab Isaia olim annunciata.

Christus est præceptor noster.

Conc. Trid.

Legislator quid sit.

Ioan 6.

Ioan. 17.

Ioan. 3. Christus docuit nobis ea, quæ sunt ad salutem necessaria.

Ioan. 14. Christus est dux noster.

Ioan. 8.

Sequela Xpi.

Sequelã Xpi. præcipit sacra pagina.

D. Bernardus.

Sequelã Xpi præcipiunt nobis Doctores sancti.

D. Aug.

D. Ioan. Damascen.

Comparatio.

Modi sex sequẽdi Xpm. Primus modus sequendi Christum. Psal. 118.

Secundus modus sequendi Christum.

Medicorum methodus itinerandi. Auicenna Catone 1. Psal. 8.

Peccatores viri sanguinum dicuntur.

Peccata purganda.

Tertius modus sequendi Christum. Auicenna.

Psal. 120. Quartus modus sequẽdi Christum. Auicenna.

Quintus modus sequendi Christum.

di eius figatur. Ita plane id quod magis impedit hominé ad sequendũ Christum Ducé, & Saluatorem nostrũ est fixas habere, pedibus animæ suæ, (nimirum affectionibus animæ, quæ sunt veluti pedes eius,) spinas aliquas, id est bona temporalia. Homo enim his bonis caducis deditus, & inuolutus, non est idoneus sequelæ Christi. Magnes virtutem attractiuam obtinet, ferrum ad se attrahendi, nihilominus tamen, si ferrum liquore aliquo aspergas, illum quantumuis ad se approximatum attrahere nequaquam valet. Ita magnes ille Iesus Christus, te aspersum, & inuolutum fœtoribus, & pudoribus mũdanis minime ad se attrahet. Plinius lib. natural. histor. asserit aquilas cautissime attendere, & magna cautela animaduertere, vbi pedes collocent, & cauere, ne illos super lapides figant, ne videlicet vngues earum hebetentur, atque ita hebeti, & contusi, atque confracti prædam capere nequeant. Sic Christianus, qui Iesum Christum sanctissimam prædam capere intendit, maximo studio attendere debet, vbi pedes, videlicet, affectiones suas collocet; quoniam si eos super lapides, hoc est, super creaturas ponat, facillimo negotio obtundentur, atque ita non erunt apti ad cælestem prædam capiendam. Adulterinus accipiter cum ardeam capiendam sequitur, ad pisces, qui ex ore ardeæ cadunt capiendos, volatum suum dirigit: at vero legitimus ac verus accipiter, nihil aliud attendit nisi sequelã ardeæ. Ardea excellens est Iesus Christus ex cuius ore bona temporalia ceciderunt (& cadunt propediem) infinita: Iustus ad hæc bona concupiscenda, oculos suos minime dirigit, cum illius conatus omnino positi sint ad Christum, diuinam ardeam, sequendum, quod peccator minime præstat, cum quasi accipiter adulterinus, hoc est, virtutum inimicus (bonis temporalibus, quasi piscibus, contemptus) quærat, quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi. Sexto denique tantum, & egregium ducem sequi debemus eo modo quo ab Elisæo docemur, cui cum magister eius Elias diceret 4. Reg. 2. [Sede hic quia Dominus misit me vsque Bethel.] Elisæus respondit: [Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te:] & cum iterum Elias diceret ei, [Sede hic quia Dominus misit me in Iericho,] iterum respondit: [Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non dimittam te:] Sic & tertio factum est. Et ob id Elisæus qui magistri sui firmissimo animo, & immobili voluntate sequutus est vestigia, heres duplicis spiritus eius factus fuit. Sic nos, sequentes magistrum nostrum Christum hæredes ipsius, & gloriæ æternæ facti erimus. Iam dicamus qualiter Christus sit testis verax, populis a Patre æterno datus ad veritates a falsitatibus secernendas: [In hoc natus sum (ait ipse Ioan. 8.) & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.] Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro hac enim veritate fortius nostri Martyres aduersus tyrannos, & infideles, quam pro Helena illi Heroes aduersus Troiam, olim dimicarunt, quia tamen veritas Christianorum, est veluti perdix, quæ optimus cibus cum sit non comeditur cruda: nullus enim stomachus est, qui eam possit digerere; sic veritas, quam Christiani profitemur, excellentissimum pabulum vtique est, sed non est proponenda gentibus cruda, sed assa, aut cocta, quinimmo, & sale prudentiæ apprime temperata, & adamussim condita. Nullus etenim est stomachus, qui velit crudam veritatem recipere. Idcirco Christus istius veritatis se testimonium perhibiturum semper profitetur, vt ipso veritatis testimonium perhibente, nos veluti agricolæ, quibus proprium est rosam, quæ in spinis nascitur, citra noxã carpere, veritatem capiamus credentes, veluti illi qui nimio artificio eam, quę in ostreo carne infossa est margaritam inuenit. Omnis sane terra inuocat veritatem, vt in 3. Esd. 4. legitur. Immo etiam impij, & nebulones (etsi mendaces, ac fallaces sint) veritatem tamen aliquando exigunt, nolunt enim falli. Quid enim vtilius, quid iucundius veritate? nihil. Quid insuper nomen veritatis amabilius? Quid nomen veritatis honorabilius? nihil. Cui denique nomen veritatis vmquam detestari licuit? nulli profecto. Hinc semper Christus testimonium perhibuit veritati. Confusio enim falsitatis, est testimonium veritatis. Audias igitur quæso qualiter semper Iesus Christus Saluator noster testimonium veritatis perhibuerit. Errabat mundus in vsu temporalium (quæ enim data erant in vsum tantum, in his etiam homines amorem, & fiduciam ponebant) Christus autem hanc falsitatem arguens, veritati testimonium perhibuit, docendo terrenis rebus præsentibus, tantum vti, cęlestia vero amare. Errabant Iudæi in falsa intelligentia legis, Christus tamen inter eorum Doctores, in templo inuentus fuit eosdem arguendo, & scripturas illis apperiendo. Errabant gentiles in idololatria, Christus autem illam destruxit testimonium veritati perhibens: & sic de cæteris. Congrue igitur dicit se ideo venisse vt testimonium perhibeat veritati. Ecce ergo quomodo Iesus Christus, Saluator noster est testis ille egregius, de quo loquutus fuit Isaias, dicens: [Ecce testem populis dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus.]

Simile. | Aquilarum natura. | Bona omnia a Christo procedunt. | Sextus modus sequendi Christum. | Testis veritatis est Xps. | Historia Græcorum de Helena. | Veritas voluti perdix. Comparatio. | Veritatē crudã nemo quærit, sed assam, & sale conditam. | Simile. | Veritas inuocatur ab omnibus. | Veritatis pulchritudo. | Christus semper testimonium veritatis dedit. | Errores vitiorum circa veritatem quos Christus correxit. | Ioan. 9.



MIRABILE quidem est, quod iste solus vnus testis Iesus Christus in cælo fidelis, sufficiat, & pręcipue cum in cælo tot sint validissima iudicia quotidie, tot coronæ, & palmæ iustis pro laboribus paratæ, & promptæ, tot causæ discernendæ, & tot animæ acclamantes: [Vindica sanguinem nostrum Deus noster.] Accedit quod testimonia debent saltim esse duo, iuxta illud: [in ore duorum, vel trium stat omne verbum.] Nihilominus tamen noster diuinus vates hoc loco solum vnum, testem fidelem, Iesum Christum, in cælo sufficere affirmat. Res sane admiratione digna. Hinc pœnitentiæ speculum Iob in medio laborum suorum alta voce exclamat: [In cælo est testis meus.] Enimuero audiamus qualiter hic vnus testis erit in cælo fidelis. Eius plane fidelitas (inter alia) miruminmodum apparebit in illo extremo iudicio circa carnis resurrectionem, vt sic animæ, & corpori debita tunc retribuatur iudicia, ac prœmia pro vtriusque laboribus. Psalmographus loquendo de hoc admirabili teste, in hac verba prorupit. [Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.] Quibus verbis duo de Christo, ore prophetico narrantur. Primum quidem circa suum regnum, nimirum, quia sicuti sol, & luna in æternum durabunt (quoniam non sunt corpora corruptibilia) sic, & regnum Christi in æternum durabit. Vel quia sicut sol, & luna excedunt omnia alia corpora luminosa: sic regnum Christi, omnia alia regna. Secundum vero circa testimonium eiusdē Christi, in generali illo iudicio, in quo ipse non solum erit iudex, verumetiam. & testis in cælo fidelis coram Deo, & omnibus Angelis, circa ea, quæ propter nos in terris sustinuit. Quamobrem in huius rei testimonium suas, in corpore suo reseruauit vlnerum cicatrices, quas pro testimonio suæ passionis continue, patri æterno, Angelis eius, & omnibus beatis, tunc ostendet. Hinc glossa in prælibatum locum Psalmographi optime affirmat in nullo sic contradici Christianam fidem ab infidelibus, quam in corporum resurrectione & ideo Christum carnem suam resuscitasse cum cicatricibus, vt omni contradicenti tunc, nimirum, in iudicio illo extremo apprime obuiaret Quamobrem, qui poterat membra sua sic sanare, vt eius vulnera nullatenus apparerent, cicatrices suo seruauit in corpore. vt ipsarum testimonio vulnus dubitātis sanaret in corde. Hinc Ecclesia quotidie resurrectionem suorum membrorũ, nempe fideliũ postulat cum suo capite Christo, qui iam surrexit die tertia; ad cuius capitis exēplũ, caro membrorũ suorũ resurrectura plane est in extremo tempore. Cũ igitur Christus in extre-

Conceptus 4. Quod Christus fideliter carnem nostram in extremo tempore resuscitabit. | Deut. 17. Ioan. 8. | Iob 16. | Comparatio. | Nota hanc Resurrectionē corporis Xpi cum cicatricibus.

extremo illo tempore varios, ac pene infinitos carnis nostræ cineres sit fideliter resuscitaturus (qui modo in quatuor elementis separatim, & in eorum naturas conuersi continentur,) iuxta illud: [Ego resuscitabo,] quid mirũ, quod iste solus testis modo sufficiat in cęlo. Ad tot iudicia, tot coronas, tot palmas, iustis pro laboribus suis retribuendum, & ad sanguinem sanctorũ suorum pro ipso diffusum, vindicandum? Haymo super hunc locum, quærit, cur cum tres sint, qui testimonium dant in cælo, magis approprietur filio, quod sit testis fidelis, quam alteri personæ, & respondet ipsemet, filium specialiter testem vocari, quia pro testimonio veritatis vsque ad mortem peruenit carnis. Optima quidem responsio cum qua simul stare potest nostra superior de carnis resurrectione fideli: in qua capillus de capite nostro nullatenus peribit.

Ioan. 6.
Haymo in comment.
Nota difficultatem Haymonis circa testẽ fidelem.

PARAPHRASIS
Octaua.

Par. 8. Dilucidatio textus.
§. 1.

Primogenitus. (inquit præterea) **mortuorum.** Primatum plane in omnibus tenet Christus, iuxta Apost. de ipso dicentem ad col. 1. [Primogenitus omnis creaturæ, [& paulo post:] Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principiũ primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.] Et recte sane Christus, & primogenitus ex mortuis, & in omnibus primatum tenens appellatur. Quoniam Christus varie, & multipliciter hæc duo obtinet. Etenim si Patrem æternum contempleris, ipse Iesus Christus est vnigenitus, & promogenitus eius. Vnigenitus secundum æternalem generationem, primogenitus vero secundum temporalem generationem; de quo vnigenito & primogenito dicitur Ioan. 1. [Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti a patre, plenum gratiæ, & veritatis.] & si sapientiam respicias, ipse Iesus Christus inter sapiẽtes primogenitus est, de quo Eccles. 24. dicitur; [Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.] Si hæroes, & proceres, regesque inspicias, ipse inter eos primogenitus est, de quo ore prophetico, dicitur: [Et ego primo genitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.] Si Mariam semper Virginem ante oculos tuos reponas, ipse Iesus Christus est eius primogenitus, de quo Luc. cap. 2. dicitur: [peperit filium suum primogenitum.] Si prædestinatos aspicias, ipsum Iesum Christum eorum primogenitum reperies, de quo ad Rom. 8. dicitur: [Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.] Si omnes denique super terram vitam agentes intucaris, ipse inter eos omnes plane a te primas repertus erit, cum de illo ad Heb. 1. dicatur: [Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.] Cum igitur Iesus Christus sit tot, tantisque modis primogenitus recte hic a nostro Archipropheta mortuorum etiam primogenitus fuit appellatus, vt sic primatum (vt ait Apostolus) in omnibus teneat. Dicitur tamen hic Iesus Christus primogenitus mortuorum, ratione mortis, & resurrectionis eius quoniam, & mortus est absque peccato (eo quod peccato, siue originali, siue actuali vmquam obnoxius fuit; & tamen mortuus est, quod de nullo alio per naturam potest dici) & resurrexit resurrectione gloriosa, & perfecta ad vitam immortalem, quod etiam de nullo alio ante ipsum per naturam affirmari potest. Et hac duplici de causa hic a nostro Archipropheta mortuorum primogenitus, & ab Apostolo 1. Cor. 15. primitiæ dormientium merito est appellatus.

Christus primogenitus omnis creaturæ.
Primatum, & primogenituram multis titulis tenet Christus.
ad col. 1.
ad Heb. 2.
1. Cor. 15.
Christus primogenitus est patris.
Sapientium.
Regum.
Virginis.
Prædestinatorum.
Omnium viuẽtium.
Mortuorum.
Primogenitus mortuorũ quare dicatur Christus.

§. 2.
Rationes Doctorũ ob quas Christus primogenitus mortuorũ dicatur.

Doctores tamen reddendo rationem quare Christus primogenitus mortuorum sit a Ioanne hic nuncupatus, per solam eius gloriosam resurrectionem vtique respondent. Quamobrem si ab illis diligenter quæras cur Christus appelletur primogenitus mortuorum, cum ante eius aduentum (quinimmo, & post ipsum)

A plerique iam resurrectione potiti fuerint, vt patet de Moyse, Elia, Lazaro, filia Viduæ, filia Archisynagogi, & de alijs multis qui cum eo surrexerunt? mox ad resurrectionem suam gloriosam cõuolant. Quod vt clarius percipies eorum responsiones ad hanc difficultatem, hic diligenter apponam.

Resuscitati plerique ante Christum.
Matt. 27.
ad Heb. 11.

Sanctus enim Thomas hoc in loco, quæsito, satisfacit dicens; quia Lazarus licet prior resuscitatus fuerit non tamen prior glorificatus: quia non fuit resuscitatus resurrectione gloriosa, immo iterum mortuus est. S. Thom. in comment. de primogenito mortuorum.

Lyranus vero respondit, quod licet ante Christum Lazarus, & plures alij fuerint à morte resuscitati hoc tamen fuit ad vitam mortalem, quæ magis dicitur mors quam vita secundum quod dicit B. Gregorius homil. 35. propter quod vera resurrectio fit ad vitam

B immortalem, ad quam Christus resurrexit primus; nam eius resurrectio est causa resurrectionis aliorum. Alij dicunt Christum dici primogenitum mortuorum, quasi ille, qui primus inter homines ea generatione natus sit, quæ vere generatio dicitur. Quamobrem Paulus de resurrectione (dicunt isti) interpretando illud Psalmistæ: [Filius meus es tu ego hodie genui te.] dicit: [Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, suscitans Iesum, sicut & in Psal. 2. scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te.] Et reuera cum principium nascendi (vt etiam dicunt isti) in hac vita, sit porta ad mortem ex sententia per contra nostrã naturam prolata in primo parente p illa verba: [In quocumq; die comederis ex eo morte morieris,] id est, morte subiectus eris. Illa sola dicitur vita in qua immortalitate perfruimur. Quare mor

C tem Sanctorum natalitium vocat Ecclesia, & cum huius immortalitatis Christus primus fuerit auctor per suam resurrectionem; merito primogenitus omnium mortuorum dicitur, quia primus ad hanc vitam æternam iter patefecit.

Lyranus in c. 1. Apoc. quid sentiunt de mortuorũ primogenito.
Resurrectio dicitur natiuitas.
Psal. 2.
Gen. 3.

D. etiam Dionysius Carthusianus aliter respõdit, dicens; quod primogenitus hic pro primo accipitur, sicut primos eos in populo vocamus, non qui ætate, sed honore, & dignitate cæteros antecellunt; & animaduertit hanc esse sententium Berẽgandi, quam ipse asseuerat esse veram, etiamsi per mortuos intelligamus corpore mortuos siue spiritualiter, atque salubriter mortificatos, quales fuerunt, quibus scribit Apostolus p. Cor. 2. dicens: [Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.] Quamobrem ait Car-

D thusianus, Iesum Christum primogenitum mortuorum dici, quoniam est primus, & caput omnium hominum electorum.

D Dionys. Carthus. in c. 1. Apoc. Opinio de mortuorum primogenito.
1. Cor. 2.
Ad Ephes. 2.
Ad Col. 1.
Ad Heb. 2.
Ioan. 17.

Nonnulli etiam tenent Christum dici primogenitũ mortuorum, non ordine temporis, sed ordine veritatis & dicunt D. Ambrosium hanc sententiam confirmare lib. 3. Epistolarum. epist. 22. in qua sic scribit: [Primitiæ dicitur Christus, quia sanctior omnibus fructus, quia etiam cæteros etiam sui fructu sanctificauit.] quamobrem (inquiunt) D. Paulum, Christum, omnis creaturæ primogenitum appellasse, ad Cor. 1. non ordine temporis, quia Christus dicitur vnigenitus, vt Deus, primogenitus vero vt homo, sed ordine dignitatis, & veritatis, nimirum, quia omnes, qui surrexerant dignitate antecedebat. vnde concludunt isti, quod licet plerique ante Christum surrexerint, iuxta illud Matth. 27.

E [Multa corpora Sanctorum surrexerunt,] quamuis isti postea in cineres reuersi nullatenus sint, vt tenent per multi Doctores, inter quos est D. Ambrosius in psalm. 1. & lib. 4. de fide cap. 1. Nyssenus lib. de cognitione Dei, cap. de Christi resurrectione, & Anselmus, tamen, vt Christus inter mortuos primogenitus dicatur, sufficit, quod ipse sit causa resurrectionis omnium, & resurrectionis eius a se ipso sit dependens, reliquorum vero ab ipso Christo, a quo nobis omne bonum.

Plurimorum positio circa primogenitũ mortuorum.

S. Tho. 3. p. q. 45. a. 8. circa mortuorũ primogenitum.

Sanctus vero Thomas 3. p. respondit Christum primogenitum mortuorum dici quia primus vera, & perfecta resurrectione surrexit. Propterea quod, vt ait ipse S. Doctor, resurrectio est reparatio à morte in vita. Et dupliciter quis eripitur à morte, vno modo solum à morte in actu, vt si quis viuere incipiat qualitercumq; postquam mortuus fuerat. Alio modo, vt si aliquis liberetur non solum à morte, sed etiam à necessitate, & quod plus est, à possibilitate moriendi, & hæc est vera, & perfecta resurrectio, quia quandiu aliquis viuit subiectus necessitati moriendi quodam modo mors ei dominatur, & sic illa resurrectio, qua quis eripitur, solum ab actuali morte, est resurrectio imperfecta: illa vero resurrectio qua quis liberatur non solum à morte, sed etiam à necessitate, & quod plus est, à possibilitate moriendi, perfecta, & vera resurrectio est. Loquendo igitur de resurrectione perfecta, Christus est primus resurgentium, quia ipse resurgendo, primo peruenit ad vitam penitus immortalem, secundum illud Rom. 6. [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.] Quamobrem stando in doctrina D. Thomæ, licet Elias, & Elisæus, multos mortuos resuscitauerint in veteri Testamento, & licet ad Hebræos cap. 11. dicatur: [Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos,] & quamuis tandem Christus ante passionem suam tres mortuos suscitauerit tamen ij omnes surrexerunt resurrectione imperfecta, liberati tantum à morte in actu, quod quidem, vt ait S. Thomas loco citato factum est, ad Iesu Christi resurrectionem, quasi in quodam signo præmonstrandum, at vero solus Iesus Christus primus resurgendo, peruenit ad vitam penitus immortalem, liberatus non solum à morte in actu, verumetiam à necessitate, & possibilitate moriendi, & ideo merito est appellatus primogenitus mortuorum, cum ipse inter resurgentes primus, vera, & perfecta resurrectione resurrexerit.

Resurrectio duplex.

Resurrectio imperfecta.

Resurrectio perfecta.

Haymo circa primogenitũ mortuorum.

Haymo vero reddens rationem quare Iesus Christus à D. Ioanne hoc in loco primogenitus mortuorum appelletur, sic ait: [Primogenitus, id est, primus inter mortuos ad immortalitatem resurgens, etsi non tempore, tamen causalitate, & dignitate. Nam etsi quidam ante ipsum suscitati fuerunt à mortuis, non surrexerunt proprie, quia iterum obierunt. Sed Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, &c. vt dicitur ad Rom. 7.

Quorũdã doctorũ expositio de primogenito mortuorum.

Alij expositores adhuc asserunt Christum Iesum primogenitum mortuorum dici, quoniam primus omnium mortuorum resurrexit non moriturus: Itaq; cæteri qui surrexerunt iterum mortui sunt, aut si qui non sunt mortui, post eum resurrexerunt.

Alteri dicunt, quod ideo Iesus Christus dicitur primogenitus mortuorum, quia sua resurrectio est causa nostræ resurrectionis, iuxta illud 1. Cor. 15. [Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.

Multorũ sententia de primogenito mortuorum.

Porro nec desunt qui asseuerent Iesum Christum dictum fuisse, mortuorum primogenitum, quantum ad imitationem patientiæ.

Auctor Incogn. in Psalmos circa primogenitum mortuorum.

Doctor Incognitus super Psalm. 88. explicans hæc verba Apocalypsis, sic ait: [Dicitur primogenitus mortuorum ideo quia primus surrexit à mortuis, scilicet, immortalis; multi enim ante ipsum surrexerunt sed iterum morituri.

Ecce qualiter omnes doctores, dictis satisfaciunt circa resurrectionem tantum. Et cum in hoc mari magno tot nauigent nautæ, nos etiam illud bene poterimus tranare, nostram dictis, addentes interpretationem de eius singulari morte absq; peccato, affirmantes Iesum Christum dictum fuisse ab Archipropheta Ioanne primogenitum mortuorum, quia peccatum non fecit, & tamen mortuus est, quod de nullo alio potest dici. Nam nos quotquot sumus ab illa infeciata massa Ade, originem ducentes, sumus illi, de quibus dicitur: [Si dixerimus, quod peccatum non habemus (Virgine Maria per gratiam Dei dempta) ipsi nos seducimur, & veritas in nobis non est.] Ipse vero Iesus Christus est ille, de quo (per naturam) dicitur: [Qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius] cum ipse solus natura impeccabilis esset, & tamen mortuus fuit. Ideo ergo cum impeccabilis per naturam moriendo meruerit, triumphum de morte ouans reportare, merito viriliter resurgendo primogenitus mortuorum est appellatus.

Auctoris opinio.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod primogenitus multa obtinet prærogatiuas.



PRIMOGENITORVM tam magna sunt iura, vsq; in hodiernum diem, vt in regnis, in dominijs, in honoribus semper primogenita proponantur, atq; aliorum quasi domini videantur. In veteri siquidem Testamento, innumera iura, priuilegia, & prærogatiuæ, primogenitorum commemorantur, quæ ad octo reduci possunt. Primo enim primogeniti erant sacerdotes omnes, & idcirco leuitæ assumpti sunt, vt essent sacerdotes in cultu Dei, loco omnium primogenitorum Israel, vnde in 2. cap. Numerorum de leuitis dicitur: [Leuabitur autem tabernaculum testimonij per officia leuitarum, & turmas eorum.] & paulo post: [Leuitæ autem non sunt numerati inter filios Israel, sic enim præceperat Dominus Moysi.] Secundo primogenitus sedebat primus in mensa, maiorque portio ei dabatur, vnde Gen. 43. sic legitur: [Sederunt coram eo (nimirum Iosepho) primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam, & mirabantur nimis sumptis partibus quas ab eo acceperant, maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.] Tertio primogenitus benedicebat alios fratres, & ipsi submittebant se illi, & adorabant eum. Ideo Genes. 27. Iacobo dicit pater Isaac, [Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, & qui maledixerit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, sit ille benedictus.] Quarto primogenitus habebat imperium & dominium in fratres, quocirca Genes. 22. dicitur: [Esto Dominus fratrum tuorum.] Quinto, primogenitus accipiebat duplices partes paternorum bonorũ, ideo in cap. 21. Deuteronom. dicitur: [Dabit pater primogenito suo de ijs, quæ habuerit, cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.] Sexto, primogeniti redimebantur quinque siclis, alij vero filij minime, tamquam illi specialiter essent Deo consecrati, & additi: hinc Exod. 13. dicitur: [Omne autem primogenitum hominis, de filijs tuis pretio redimes.] Septimo, primogenitus vtebatur singulari quodam vestitus genere, id est, præ cæteris fratribus delicato, & pretioso, quamobrẽ Iacob inductus fuit vestibus Esau: sic enim dicitur Genes. 27.] Et vestibus Esau valde bonis quas apud se habebat domi (Rebecca) induit eum,] scilicet Iacob filium suum, &c. Octauo, & vltimo, primogenitus singulariter, benedicebatur à patre iam morti propinquo, ideo Iacob patri suo Isaac iam moribundo dixit, Gen. 27. [Ego sum primogenitus tuus Esau, feci sicut præcepisti mihi, surge, sede, & comede, de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.] Has igitur omnes prærogatiuas, iura, & priuilegia, habe-

habebant in veteri Teſtamento primogeniti, ex eo quod primogenitus honorabilior, & magis dilectus eſt inter fratres; quia primogenitus fortitudo patris dicitur; ſic enim habetur Geneſ. 49. [Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei.] Vbi nota paſſim, quod Ruben primogenitus Iacob, dicitur fortitudo ipſius Iacob, patris ſui, multis de cauſis. Quarum prima eſt, eo quod cum genuiſſet Iacob cum eſſet valido corpore, & florenti ætate, agens annum circiter octogeſimum quartum, quę ætas florens æſtimari debet, comparatione totius vitæ Iacob, quæ fuit centum quadraginta ſeptem annorum. Secundo dicitur Ruben primogenitus, fortitudo patris, quia in ipſo primum apparuit virile robur, & perfectio patris: nam tunc demum vnumquodque perfectum eſt, cum generare poteſt ſibi ſimile, vt docet Ariſtoteles lib. 4. Meteor. Tertia tandem cauſa eſt quia ipſum maxime decebat eſſe robur, ac firmamentum patris ſui, & quaſi baculum ſenectutis eius. Dicitur etiam Ruben primogenitus Iacob, principium doloris patris ſui, quia Ruben ob inceſtum cum Nouerca ſua commiſſum (vt dicitur Gen. 35.) dolorem patri grauiſſimum incuſſit. Præterea quia ipſe primus attulit laborem, & ſolitudinem patri, vt rebus eius proſpiceret. Genito enim filio mox naturaliter parentibus cura ſuboritur, & ſolicitudo conſulendi ipſi, eiuſque rebus prouidendi. Tum inſuper, vt ait Abulenſis, filius primogenitus dicitur dolor patris, ex eo quod in virginibus primus congreſſus non ſine dolore, & pœnitentia peragitur. Hinc Plinius lib. 10. cap. 63. ſic ait: [Homini tantum primi coitus pœnitentia, augurium, ſcilicet, vitæ à pœnitenda origine.] Verba autem præfata: [Principium doloris mei.] Pagninus ſic vertit: [Principium roboris, vel fortitudinis mei.] Chaldaice vero ita ſonant: [Principium ſeminis mei.] Græce tandem ſic ſcribuntur: [Principium vel caput filiorum meorum,] ideo in cap. 21. Deuteronom. de primogenito ſic ſcribitur: [Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam, & alteram odioſam, genueritq; ex eis liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritq; ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & przferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte eſt enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.] Sed age quomodocumq; ſit filius primogenitus ſemper eſt honorabilior, & magis dilectus inter fratres, ideo Iacob Ruben primogenito ſuo ait Geneſ. 49. [Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.] Et ob id Deus voluit ſibi primogenita conſecrari, cum Leuitici 13. præcepit Moyſi dicendo: [Santifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de hominibus, quam de iumentis, mea ſunt enim omnia.] Vnde cum tot ſint iura, priuilegia, & prærogatiuæ primogenitorum, reprehenditur nimis Eſau, quod viliſſimo lentis edulio tantam primogenituræ dignitatem vendiderit Iacob, dicenti: [Vende mihi primogenita tua.] Cui (vt dicitur Gen. 25.) Eſau reſpondit: [En morior, quid mihi proderunt primogenita?] cui Iacob ait: [Iura ergo mihi,] & iurauit Eſau, & vendidit primogenita: & ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt paruipendens, quod primogenita vendidiſſet. Hinc etiam exprobandus eſt Ruben, ex eo quod per peccatum primogenitur à amiſit. Ideo Paraphraſis Chaldaica de illo dicit: [Tuum erat accipere tres partes præ fratribus tuis, ſacerdotium, primogenituram, & regnum; ſed quia peccaſti data eſt primogenitura Ioſeph, regnum, Iuda; ſacerdotium, Leui.]

Quare fili⁹ ſit patris fortitudo.

Philoſophus.

Primogenitus eſt principiũ doloris paterni.

Homo amittit virginitatem integralẽ cum dolore.

Plin lib. 10. nat. hiſt. c. 63.

F

G

H

I

K



HÆC omnia prælibata primogenitorum iura, priuilegia, & prærogatiuæ copioſe, & abundanter in valde, & nimis dilecto à patre æterno, mortuorum primogenito Ieſu Chriſto reperiuntur. Ad quod optime intelligendum, nota, quod reſurrectio natiuitas quædam eſt, & regeneratio, iuxta illud Matt. cap. 19. [Vos qui ſequuti eſtis me in regeneratione cum ſederit filius.] & ob id, quemadmodum ille qui primus omnium naſcitur ex carne, primogenitus dicitur inter fratres, ſic is qui primo reſurrexit, primogenitus mortuorum appellandus venit, & quia Ieſus Chriſtus primus inter mortuos, ſurrexit ad vitam immortalem, liberatus, non ſolum à morte, verumenimuero, à neceſſitate, & poſſibilitate moriendi, ideo merito ſolus ipſe primogenitus mortuorum dicitur: ideo in die reſurrectionis ſuæ, pater æternus dixit illi: [Ego hodie genui te,] quia reſurrectio eſt iterata generatio, & natiuitas quædam. Hinc Paulus Act. 13. ſic ait: [Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs veſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſ. 2. ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.] Hoc ergo annotato, dico, mortuorum primogenitum Ieſum Chriſtum, omnia iura, priuilegia, & primogenitorum prærogatiuas in die reſurrectionis ſuę à Patre æterno impetraſſe. Habuit ſiquidem primam prærogatiuam, reſurgens ſummus ſacerdos; de illo enim dicitur: [Tu es ſacerdos in æternum ſecundam ordinem Melchiſedec.] Obtinuit etiam ſecundum primogenitorum prærogatiuam, ſedens poſt reſurrectionem ad menſas diſcipulorum, apponendo illi maiorem portionem panis, dum illum cognouerunt in fractione panis, vt dicitur Lucæ 24. & partem piſcis aſſi, & fauum mellis, & ipſe ſumebat reliquias & dabat eis, vt dicitur Lucæ 10. Et cum ille dixit diſcipulis: afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc, & Simon Petrus (vt dicitur Ioan. cap. 21.) aſcendit, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Vides ne Beniamin quinque partibus excedentem? Impetratus etiam fuit tertiam primogenitorum prærogatiuam, reſurgens rex, cum in Pſalm. 2. ipſemet in die reſurrectionis ſuæ dicat: [Ego autem conſtitutus ſum ab eo rex ſuper Sion montem ſanctum eius prædicans præceptũ eius,] & de ipſomet Pſalm. 71. dicatur: [Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.] Habuit inſuper quartam primogenitorum prærogatiuam, reſurgens cum imperio, & dominio ſuper fratres: [Data eſt mihi (ait ipſemet Matth. 28.) omnis poteſtas in cælo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.] Vides ne illud: [Eſto Dominus fratrum tuorum,] quod Iſaac dixit primogenito Iacob? Adeptus præterea fuit quintam primogenitorum prærogatiuam reſurgens, ſpoliando limbum, accipiendo ab illo omnem illam paternam hereditatem, nimirum, animas omnes ſanctorum Patrum, quę ibi detinebantur. Ipſe vero reſurgens prædam ex illis fecit. Hinc Iſa. cap. 8. de illo ait: [Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.] & paulo poſt: [Voca nomen eius Accelera ſpolia detrahæ, feſtina prædari.] Et rurſus: [Auferetur fortitudo Damaſci. Et ſpolia Samariæ, (id eſt limbi, & inferni) coram Rege Aſſyriorum,] id eſt, ſatanæ, principe dæmoniorum. Et ſic ipſe videns, per ſuam ſancta reſurrectionem limbum ſpoliandum, ait Lucæ 11. [Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet, ſed cum fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.] Hinc etiam S. Gregorius contemplans quo-

Conceptus 2. In quo primo genitorũ iura applicantur Chriſto.

Pſalm. 2. Reſurrectio eſt iterata generatio.

Xps ſummus ſacerdos.

Lyran. in Lucam aſſignat cauſam ob q̃ Xpm cognouerunt in fractione panis.

Xps in reſurrectione habuit portionẽ duplicem.

Xps ſurrexit Rex.

D. Greg in benedictione cerei paſchalis.

quomodo Iesus Christus per suam sanctam resurrectionem, paternorum bonorum, quæ erant in limbo, omnem partem a dæmonibus abstulerit, & reportauerit, in benedictione cerei paschalis, sic exclamat: [O vere beata nox, quæ expuliauit Ægyptios, &c.] Sextã etiam primogenitorum prærogatiuam habuit resurgens cum ipsimet quinque plagis, quæ erant veluti quinque sicli, quibus vniuersum redemit humanum genus; ideo dixit Thomæ, vt habetur Ioan. 20. [Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.] ac si diceret. Tange, ò Thoma, quinque siclos primogeniti, quibus ego primogenitus mortuorum mundum redemi. Obtinuit etiam septimam primogenitorum prærogatiuam, resurgens, sumptis vestibus, Esau valde bonis, nimirum, corpore glorioso, quo anima illa sanctissima Christi, tertia die induit ad immortalitatẽ. Quamobrem de Christo in die resurrectionis dicere possumus illud Mardochæi, Ester. 8. [Mardochæus autẽ egressus de Palatio fulgebat vestibus regijs hyacinthinis, & aërijs coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atq; purpureo.] Tandem octauam primogenitorum prærogatiuam adeptus vtique fuit egrediens gloriosus, & immortalis a sepulchro, adepta à patre æterno inclyta omnium benedictione. Ideo Eccles. 44. de illo dicitur: [Benedictionem omniũ gentium dedit illi, & testamentum suum confirmauit super caput eius.] Ecce qualiter omnia iura, priuilegia, & prærogatiuæ primogenitorum, abundanter, & copiose Iesu Christo mortuorum primogenito apprime conueniunt.

Xps resurgens redemit mundum quinque plagis.

Xps resurgẽs indutus fuit vestibus pretiosioribus .s. corpore glorioso.

Xps resurgẽs obtinuit a patre omniũ gẽtiũ benedictionem.



QVI primus omnium inter fratres nascitur is primogenitus appellatur. Quamobrem Christus qui primus inter mortuos, mortuus fuit abiq; peccato, (quod de nullo alio dici potest) & resurrexit ad immortalem vitam, (quod etiam de nemine affirmari licet,) primogenitus mortuorum merito appellatur. De cuius singulari morte sic loquutus fuit Zacharias, cap. 12. & 13. [Et plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti:] de cuius vero gloriosa resurrectione nullus prophetarum est, qui aliqua non vaticinetur: [Incipiens à Moyse (dicitur Lucæ 24.) & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de illo erant.] Sed dices, quas quæso figuras duobus illis discipulis, interpretatus fuit Christus circa resurrectionem, & passionem suam? Estote rogo attentissimi. Ex Moyse in Genesi interpretatus fuit, lucem primam fontem paradisi, lignum vitæ, occisionem Abelis, arcam Noer, arcam fœderis, & pacis, columbam ramum oliuę portantem, sacrificium Melchisedec, iusiurandum super femur Abrahæ, benedictionem gentium in semine. Abrahæ, natiuitatem Isaac, circumcisionem in octauo die, immolationem Isaac, scalam Iacob cælum & terram tangentem, venditionem Ioseph, tunicam talarẽ sanguine aspersam, & sceptrum Iudæ, quod non erat auferendum donec veniret Messias. Quia hæc omnia de Christo sub typo, & figura, in libro Genesis scripta erant. Deinde interpretatus fuit, quæ de ipso erant in Exodo, nimirum, multiplicationem filiorum Israel mortuo Ioseph, natiuitatem Moysi sinagognæ liberatoris, & restauratoris, fiscellam scirpeam aquas fluminis Nili tranantem, rubum incombustum ardentem, prodigia, & miracula contra Pharaonem in Ægypto operata, digitum Dei, virgam potentem, victoriam à Pharaone reportatam, aquas ex amaritudine in dulcedinem, ligno eas attingentes mox conuersas, duodecim fontes, septuaginta palmas, agnum paschalem, agniculum sine macula, cuius sanguis ponebatur super vtrumque postem, & insuper liminaribus domorum, vt filij Israel ab Angelo percutiẽte liberarentur, manhu quod pluit de cælo, petram in stagna aquarum conuersam, montem fumigantem, legem in tabulis lapideis scriptam, transfigurationem Moysi, confœderationem in vitulorum sanguine, ieiunium quadraginta dierum, & denique sacerdotium Aaronis. Quia omnia hæc figuræ Iesu Christi sunt in Exodo. Præterea interpretabatur illis, quæ de ipso erant in Leuitico, & ob id credo illis interpretatum fuisse, portam tabernaculi, in qua placari solebat Deus, panem asimum, holocaustum, ostiam siue oblationem immaculatam, agnum, agniculum sine macula, cineres sacratos, incensum siue thus, hyssopum, sacerdotem, & pontificem semel in sancta sanctorum introeuntem, effusionem sanguinis ad emundationem populi, hyrcum solitarium omnes iniquitates filiorum Israel & vniuersa delicta atque peccata eorum portantem, & tandem duodecim panes similæ purę absque fermento in mensa propositionis. Quia hæc omnia figuræ erant de Iesu Christo in Leuitico. Porro interpretabatur illis; quæ de ipso erant in libro Numerorum, ideoq; asserimus illis interpretatum fuisse, tabernaculum fœderis, candelabrum cum septem lucernis, pallium siue cortinas de bysso rotundas hyacintho coccoque bistincto variatas, opere plumario quibus candelabrum illud tegebatur, virgam Aaronis ex siccitate ad viriditatem floresque peruenientem, mortem pontificis, aquam contradictionis, serpentem æneum, puteum aquarum viuentiũ, stellam Iacob, & profugos, & exules per mortem summi sacerdotis liberatos. Quia ista omnia figuræ erant de Iesu Christo in libro Numeri. Vlterius interpretabatur illis, quæ de ipso erant in Deuteronomio, idcirco existimo illis interpretatum fuisse, altare in monte Ebal, mortem Moysi, terram promissionis, mel de petra, & oleum de saxo durissimo, quia omnia ista figuræ de Iesu Christo sunt in Deuteronomio. Deinceps interpretabatur illis, quæ de ipso erant in libro Iosue. Quapropter illis, dico, interpretatum fuisse, secretum secundæ circumcisionis factæ a Iosue, duodecim principes, duodecim lapides de Alueo Iordanis assumentes, solem stantem, & non se mouentem, & denique clypeum Iosuè sibi a Deo datum contra vrbem Hai: quia omnia ista figuræ sunt de Iesu Christo in libro Iosuè. Præterea illis interpretabatur, quæ de eo erant in libro Iudicum, ideoque asserimus illis interpretatum fuisse, vellum Gedeonis rore coopertum, Barac occidentem Sisara, Iephte principem Israel, & tandem Samsonem tot mira, & prodigia in vita, & in morte operantẽ, quia ista omnia figuræ de Iesu Christo sunt in libro Iudicum. Amplius interpretabatur illis, quæ de ipso erant in libro Ruth, & ob id cogito illis interpretatum fuisse, panem Bethlehem, qui in Iudæa abundantiam, fecit, & panem aceto intinctum, quia ista omnia figuræ erant de Christo in libro Ruth. Paulo post interpretabatur illis, quæ de ipso erant in libris Regum, idcirco fateor illis interpretatum fuisse, arcam captiuatam, cornu olei sancti, quinque lapides torrentis, mortem Goliath, spiritum immundum a Saül expulsum per Dauid, figmentum Absalon contra patrem, tunicam strictam Ioab ad mensuram habitus sui, aquas dulces Bethlehem, templum Salomonis, duas portas, thronum regalem, Reginam Saba audire sapientiam Salomonis venientem, zelantem Prophetam Eliam, cataractes cæli tribus annis clausas, pluuiam salutarem, sal fontes purificans, Eliseum modico pane multitudinem magnam gentium satiantem, quia omnia ista de Iesu Christo figuræ sunt in libris Regum. Rursus interpretabatur illis, quæ de ipso erant in libro Iudith, ideo dicimus illis interpretatum fuisse, caput abscisum Holofernis. Et insuper in libro Ester, nouam lucem, fontem, solem, liberatorem aman. & virgam auream Regis. Porro in libro Esdræ; restaurationem templi. In Tobia, talentum recuperatum à gabelo, chirographum deletum, debitum persolutum, illuminationem cœci, dæmonium catena ligatum. In Iob, lanceam lumbos eius percutientem, veracem resurrectionem, amissam felicitatem iam restauratam, spinas pro hordeo, & victoriam Belial. In Prouerbijs Salomonis, panem illum a longe portatum,

Conceptus 3. In quo variæ figuræ de morte, & resurrectione Xpi referuntur.

Figuræ ex libro Genesis ex cap. 1. 2. 6. 8. 9. 14. 24. 22. 26. 37. 49.

Figuræ, & libro Exodi. ex cap. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 15. 11. 16. 17. 19. 31. 34. 14. 25.

Figuræ in Leuitico. ex cap. 4. 23. 28. 3. 5. 1. 21. 14. 16. 24. 6.

Figuræ ex libro Numeri. ex cap. 7. 8. 4. 17. 15. 27. 31. 24. 35.

Figurę ex Deuteronomio ex c. 27. 35. 8. 32. 33.

Figuræ ex libro Iosue. ex c. 2. 4. 10. 8.

Figuræ in lib. Iudicum. ex cap. 6. 4. 10. 15.

Figurę in lib. Ruth. ex cap. 2. 4. 2.

Figurę in libris Regum. ex c. 1 Reg. 4. 1. Reg. 16. 1. Reg. 17. 1. Reg. 16. 2. Reg. 15. 2. Reg. 20. 2. Reg. 23. 3. Reg. 4. 3. Reg. 5. 3. Reg. 6. 3. Reg. 10. 3. Reg. 67. 4. Reg. 2. 4. Reg. 4.

Figuræ in lib. Iudith. cap. 9.

Figuræ Ester ex cap. 8. 6. 5.

Figurę Esdræ 1. Esdrę c. 1.

Figuræ ex Tobia.

Figurę Iob ex cap. 8. 9. 11. 15. 19. 42. 31. 40.

Figura ex prouerbis. ex cap. 3 1.9. Figura ex Ecclesiaste. cap. 1. Figura Canticorum. cap. 3. 2. 4.5. Figura Sapientiæ. ex cap. 7.5. Figura Ecclesiastici. ex cap. 1. 24. Figura Isaiæ. ex cap. 7. 8.9. 11. 38 63.17. 1.19.18.45.60 Figura Ieremiæ. ex cap. 11. 1. Figura Ezechiel. ex cap. 9. 22. 32.44. Figura Danielis. ex cap 1.22.4 Figura Oseæ. ex cap. 13.6. Figura Ioelis. ex cap. 2. 1. Figura Ionæ. ex cap. 5. Figura Amos. ex cap. 8. Figura Michææ. ex cap. 5. Figura Aggæi ex cap. 1. Figura Zachariæ. ex cap. 1.6. 3. Figura Baruch. ex cap 3. Figura Naum ex cap. Figura Abachuc. cap. 3. Figura Malachiæ. ex cap. 3.

A tum, domum sapientiæ cum septem columnis, & panem & vinum mensæ Salomonis. In Ecclesiaste, solem Orientem, & ad locum suum reuertentem. In Canticis Canticorum, sponsum, florem campi, lilium conuallium, regem coronatum diadema, terram fortissimam, mortem, & vitam in ligno. In libro sapientiæ candorē lucis, speculum sine macula. In Ecclesiastico, fontem sapientiæ, verbum Dei, viam aquilæ in cælo. In Isaia, Emmanuelem, prædatorem, imperium super humerum pueri, virgam Iesse, horologium Achaz cum sole retroconuerso, vuam in terculari calcatam, fontes Saluatoris, stolam regiam, restauratorem mundi, præsepe bouis & asini, nubem leuem, rorem cæli, terram germinantem Saluatorem, lumen Ierusalem. In Ieremia, agnum mansuetum tendentem ad occisionem, virgam vigilantem contra Iudæos, destructionem Ierusalem B deploratam à Ieremia. In Ezechiele, signum thau, hominem lino vestitum, sole nube tectum, portam Dei semper clausam. In Daniele lapidem de monte absq. manibus abscissum, montem vniuersam terram adimplentem, arborem sub cuius ramis vniuersæ cæli aues requiescebant, regem vniuersi orbis potestatem habentem. In Osæa, mortem mortis, morsum inferni, resurrectionem in die tertio. In Ioele, solem obtenebratum, lunam in sanguinem conuersam, signa, & prodigia in cælo, & in terra. In propheta Iona, mansionem trium dierum in ventre cœti, piscem grandem euomentem Ionam in aridam. In Propheta Amos, solem in meridie obtenebratum, & terram sine lumine in die luminis. In Propheta Michea, natiuitatem in Bethlehem, dominatorem vniuersæ terræ. In Propheta Aggeo commotionem cæli & terræ in aduentu desiderati, gloriam templi. In Propheta Zacharia. Virum illum C ascendentem super equum ruffum, & stantem inter myrteta, quæ erant in profundo: virum nominatum orientem, petram super quam erant septem oculi. Iesum sacerdotem magnum. In Propheta Baruch, Deum cum hominibus conuersatum. In Propheta Naum, pedes euangelizantium quam pulchri sint. In Propheta Abacuch, Deum ab austro venientem, & sanctum de monte Pharam. Et tandem in Propheta Malachia interpretatus fuit illis, Angelum testamenti. Quia omnia hæc, figuræ erant de Iesu Christo in Prophetis.

Conceptus 4. In quo proponitur contrapositio quædā noui, & veteris Testamēti, circa resurrectionem Xpi

CONtrapositionem etiam vtriusque Testamenti circa resurrectionem Christi hic etiam afferam. Mementote tamen primo, Iesum Christum iam resurrexisse ex mortuis, esse de fide. Nam Matth. 28. Angelus dixit mulieribus in sepulchro: [Scio, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis non est hic, surrexit enim sicut dixit.] & Marci 16. [Nolite expauescere Iesum quæritis Nazarenū crucifixū, surrexit, non est hic,] & Lu. 24. [Quid quæritis viuentē cū mortuis? nō est hic, sed surrexit,] & Ioan. 20. [Oportebat eum a mortuis resurgere.] Idipsum habetur. Act. 2. 31. 40. 30. 1. ad Rom. 4.8.14. & 1. Cor. 15. 12. & 2. ad Timotheum 2. & per totum nouum Testamentum. Verum tamen contemplamini quæso qualiter nouum testamentum (vt dixi) correspondeat veteri, circa resurrectionē Christi. Vetus enim Testamentum cap. 9. Amos sic ait; [Et erit in die illa dicit Dominus occidet vobis sol in meridie, & tenebrescere faciā terram in die luminis.] Nouum autem Testamentum ad hæc respondet Marci E 15. [Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt super totam terram, vsque in horam nonam.] Vetus Testamentum Isaiæ 11. sic ait: [Et erit sepulchrum eius gloriosum.] Nouum autem Testamentum huic glorioso sepulchro sic respondet Marci 16. [Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes ad sepulchrum, vngerent Iesum.] Vetus Testamentum Eccles. cap. 24. sic ait: [Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino;] Nouum autem Testamentum, hoc iam adimpletum esse affirmat di-

Vetus, & nouū Testamentum mutuo se respiciunt sicut illi duo Cherubim Exodi.

A cendo Matth. 27. [Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt surrexerunt.] Vetus Testamentum apud Zachariam cap. 9. sic dicit: [Tu quoque in sanguine Testamenti educes vinctos de lacu, in quo non est aqua.] Nouum vero Testamentum hoc iam factum esse respondet, dicens ad Ephes. 4. [Captiuam duxit captiuitatem.] Vetus Testamentum in typo dicit Ionę 2. [Et erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus.] Nouum autem Testamentum, iam egressum fuisse Ionam respondet, dicens Marci 16. [Surrexit non est hic.] Perinde ac diceret: iam piscis (nimirum sepulchrum) euomuit Ionam in aridam, quasi mortuorum primogenitum.

B

PARAPHRASIS

Nona. Par. 9.

Dilucidatio textus. §. 1.

Et Princeps (ait) Regum terræ. Post primogenituram, recte, mox inclytus principatus Iesu Christi hic attingitur; quia de illo ... re prophetico dicitur. [Et ego primogenitum p... ... illum excelsum præ regibus terræ.] Principat... enim Iesu Christi nō solum alios excedit principa...s, verum etiam inter eos singularis quidem est, cu... de illo Isaias in c. 9. dicat. [Et factus est princi... ...us super humerum eius:] Et paulo post: [Et vocabi... Deus fortis,] quod de nullo alio Principe di... potest. Et ob id merito regum terræ princeps I...s Christus, a dilecto Apostolo C Euangelista, & Dei v... e Ioanne (qui priuilegio amoris præcipui cæteris ...ius a Domino meruit honorari) appellatur, cum ...se solus regibus totius orbis ita imperet, vt de i... in typo Psalmographus dicat: [Coram illo proci...nt Aethiopes, & inimici eius terram lingent: Re... Tharsis, & insulæ munera offerent. Reges Arab..., & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, & omnes gentes seruient ei.] Et Euange...ta Matthæus annuntians, & euangelizans factum, n...irum adorationem, & subiectionem istam regum t...ræ, huic principi Iesu Christo exhibitam, in cap. 2. sic ait: [Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi (vbi glossa ecce reges) ab Oriente venerunt Ierosolymam dicētes. Vbi est qui natus est Rex Iudæorū?] Et paulo post: [Et procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham.] Hinc Salomon prou. 8. De hoc regum terræ principe Iesu Christo, ita ait: [Per me reges regnant, & legum cōditores iusta decernunt, per me Principes imperāt, & potentes decernunt iustitiam.]

Psal. 88. Primogenitus inclytus. Xps.

Principatus Iesu Christi eminet alios supera principatus.

Psal. 71.

Reges adorauerunt Christum principē regum terræ

Reges regnāt per principē regum terræ Iesum Christum

Conceptus Prædicabiles in textum.

COMPETENS quidem (immo valde necessarium est,) vnum solū esse vniuersalem, & generalem omnium regum terræ principem, qui alios reges, & principes vniuersæ terræ, non solum magnitudine, & maiestate excedat; verum E enimuero illos imperet, & omnia illorum regna diuisa, ac distincta, sua vnitate vniat, coniugat, & copulet, ita vt, [Fiat vnū ouile (vt dicitur Ioan. 10.) & vnus pastor,] quia [omne regnum in se ipsum diuisum (vt dicitur Lucæ 11.) desolabitur, & domus supra domum cadet.] Per vnitatem autem cōcordia designatur. Et insuper de vno. S. Thom. p.p. q. 11. art. 3. sic ait: [Quæ diuersa sunt in vnum ordinem non conuenirent, nisi ab aliquo vno ordinarentur: melius enim multa reducuntur in vnum ordinem per

Conceptus 1 Quod princeps, & Deus vnus sit oportet.

Diuisio regni iniqua.

Vnio in omnibus rebus laudabilis. S. Thom.

vnum

Scæuola: nec tanta viam iã strage volebat
Sed dignum proauo lethum, & sub nomine mortem:
Is postquam frangi res, atque augescere vidit
Exitium breuis hoc vitæ quodcumque relictum
Extendamus ait: Nam virtus futile nomen,
Ni decoris adsint patiendo tempora læti:
Dixit & in medios qua dextra concita peni,
Limitem agit vasto connixus turbine fertur:
Velle, ac nolle ambobus idem sociataque toto.
Mens auo, ac paruis diues concordia rebus.

Regnũ quãdo est optima respublica.

Huius autem magni incommodi, (vtpote desolationis, & discordiæ reipublicæ,) remedium stat in hoc, nimirum, vt in regno Rex, siue eius Prorex societatem, & amicitiam ad suos inferiores habeat, sicuti pater ad filios, & filias, quia teste Aristotele 8. lib. Eth. c. 4. Societas patris ad filios regni perfe fert effigiem filij, nati namq; patri sunt curæ, atq; solicitudini; & sic regnum optima erit respublica. Optimates præterea siue Senatores societatem, amicitiam ad suos inferiores habeant, sicuti vir ad vxorem, quia testante Aristotele vbi supra. Societas viri, & vxoris similis optimatum potestati videtur: pro dignitate namque vir præsidet, & in ijs, quæ virum decent, quæ vero vxori accommodantur, hæc illi tribuit. Populares tandem (siue iurati,) qui de populo ad gubernandam ciuitatem sunt assumpti, societatem & amicitiam ad suos inferiores, (nimirum ad cæteros de populo) habeant sicuti frater ad fratres, quia, vt ait Aristoteles loco citato fratrum societas similis est censupotestati: sunt enim pares præter differentiam ætatis. Quo circa si multum ætatibus differunt, non tamen fraterna amicitia, (qui habet aures audiendi audiat) alioquin testante Domino: [Omne regnum in seipsum diuisum cadet.] Multos itaq; principes esse, bonum non est, quapropter sicuti mundus ab vno gubernatur, testante D. Thom. p. p. quæst. 103. art. 3. sic, testante nostro Prophetarum propheta Ioanne, omnes Reges terræ ab vno solo Principe imperantur, qui licet sit princeps, tamen non abhorruit hos filios suos, vt pater diligere, iuxta illud Ioan. cap. 13. [Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] Quæ quidem dilectio, est patris ad filios, quia hæc est propria principis siue regis ad suum principatum, & regnum, nam teste Seneca, Princeps est pater patriæ.

Amor patris erga filios in regno.

Senatus quãdo est optima respublica. Amor viri erga vxorem in Senatu.

Ciuitas quando est optima respublica. Amor fratris erga alios fratres in ciuitate.

Conceptus 2. In quo Principatus Iesu Xpi multis auctoritatibus sacræ scripturæ confirmatur.



MONARCHA adeo sublimis, & Princeps ita inclytus, ac eximius, qualis iste Regum terræ Princeps IESVS Christus vtique est, quem omnis terra adorat, & psallit, Regno, Principatu, ac Imperio nullatenus carere debet. Præcipue cum iuxta Philosophum, Rex ad regnum, Princeps ad principatum, Imperator ad imperium, & Monarcha ad monarchiam relatiue se habeant. Ideo suum regnum & imperium, hic a nobis paucis quibusdam vtriusq; Testamenti auctoritatibus demonstrandum, firmandumq; venit. In veteri igitur Testamento circa regnum, & principatum huius Regum terræ Principis Iesu Christi, ita inuenimus scriptum Genes. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium,] & iterum 1. Reg. 2. [Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui,] deinde regius Psaltes, sic ait: [Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ,] & rursus [Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Et nunc Reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram,] & alibi: [Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia,] & rursus: [Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium,] & iterum: [Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui,] & deinde: [Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & ad flumine vsque ad terminos orbis terrarum,] & alio in loco: [Dixi Dominus Domino meo sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,] & tandem: [Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.] Præterea Propheta Isaias de hoc regno sic vaticinatus est: [Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius, admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis,] & iterum: [Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &c.] & rursus: [Et habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Charmel sedebit, & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium,] & alibi: [Dic ciuitatibus Iudę: ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur,] & tandem cap. 42. [Ecce seruus meus suscipiam eum electus meus, complacuit sibi in illo anima mea dedit spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.] Porro vates Ieremias sic est allocutus de hoc imperio dicens: [Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.] Item Propheta Ezechiel in c. 34. ita hoc imperium nominat, dicendo: [Iudicabo inter pecus & pecus, & suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, & ipse erit eis in pastorem, ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum,] & rursus cap. 37. [Et seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.] Vates insuper Daniel in cap. 2. huius regni meminit, dicendo: [In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur,] & cap. 4. [Et in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior data est mihi,] & c. 7. [Et dedit ei potestatem, honorem, & regnum.] Tum etiam, Propheta Malachias in cap. 3. ait: [Ecce aduenit dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium.] Propheta tandem Zacharias in cap. 9. hoc regnum proponit, dicendo: [Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus venit tibi, iustus & saluator.] Huius etiam regni in nouo Testamento, frequens extat mentio. Nam Matthæi cap. 13. dicitur: [Simile est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen,] & paulo post: [Simile est regnum cælorum grano sinapis,] & rursus: [Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro,] & iterum: [Simile est regnum cælorum homini negotiatori,] & alibi: [Simile est regnum cælorum decem virginibus.] Item [Simile est regnum cælorum Sagenæ missæ in mare.] Deinde cap. 6. sic ait: [Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius,] & cap. 11. [A diebus autem Ioannis Baptistæ, vsq; nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,] & cap. 8. [Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores,] & cap. 21. [Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regno Dei,] & cap. 20. [Simile est regnum cælorum homini patrifamilias,] & cap. 22. [Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filios suo,] & paulo post: [Intrauit autem Rex, &c.] Præterea de hoc eodem Christi regno

Relatio superiorũ ad inferiores.

Psalm. 2. Psal. 9. Psal. 21. Psal. 24. Psalm. 71. Psalm. 71. Psalm. 109. Psalm. 144. Isa. 9. Isa. 11. Isa. 32. Ierem. 23.

Imperij Iesu Xpi testimonia ex nouo Testam.

Matth. 25.

gno dicitur Lucę 17. [Ecce regnum Dei intra vos est,] & cap. 1. [Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Deniq; Paulus 1. Cor. 4. huius regni Iesu Christi mentionem facit, dicendo: [Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute,] & rursus ad Colos. 1. [Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum,] & iterum 1. Cor. 6. [An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt;] & paulo post: [Neque rapaces regnum Dei possidebunt,] & deinde 1. ad Tim. 1. [Regi autem sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen,] & tandem ad Heb. 1. [Ad filium autem, thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui.] En igitur multitudine quam plurimæ auctoritates vtriusque Testamenti, regnum, & imperium huius principis regum terræ Iesu Christi confirmantes. Ex hoc iam firmiter stabilito fundamento possumus plane responsum adhiberes Pharisęis de Christo interrogantibus: [Quis est hic?] Ita vt intrepide illis respondeamus, dicentes: [Hic est Princeps Regum terræ.] Narrat siquidem Euangelista Matthæus in cap. 11, Iesu Christo Ierosolima gloriose introeunte in die palmarum, commotam fuisse vniuersam ciuitatem, dicentem: [Quis est hic?] & licet populi optime respondissent, dicentes: [Hic est Iesus Propheta à Nazareth, Galileæ.] Tamen melius dico ad animos Pharisæorum torquendos (quiquidem malitiose interrogabant) respondissemus nos dicentes: [Hic est Princeps regum terræ.] Introspiciamus primo mysteriũ huius interrogationis: [Quis est hic?] & postea iuxta prauum sensum Pharisæorum, illis respondebimus cum Ioanne. Solet siquidem homo noster exterior cum Deus ob suam misericordiam in animas nostras, & in hominem interiorem intrat per gratiam, (nimirum remittendo peccata, adnihilando vitia, & scelera, comburendo concupiscentiam, extinguendo amorem proprium, incendendo virtutes, & eleuando corda ad amorem sui & proximi) commouere se totum. Et ob id, cum Christus faciebat miracula intra mare, statim mundus commotus fuit, dicendo: [Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?] cum Deus aperuit os Zachariæ muti, mox admirati sunt vniuersi, dicentes: [Quis est hic?] Cum insuper Christus Magdalenæ dixit: [Remittuntur tibi peccata tua,] euestigio circunstantes, dixerunt: [Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?] Cum etiam fecit, Petrum & alios Apostolos multitudinem piscium piscari, confestim admirati sunt, dicentes: [Quis est hic?] alij [Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?] alij tandem: [Numquam sic læquutus est homo.] Ecce igitur qualiter homo exterior, Deo animas nostras, sua gratia, illustrando, commouetur, & turbatur non intelligens mysterium. Verumenimuero Pharisæi quærentes in diæ palmarum: [Quis est hic?] licet illum agnoscerent Messiam esse, tamen ludibriose, iocose, ac malitiose sunt alloquuti, dicentes: [Quis est hic?] Quamobrem hæc est malitiosa Pharisæorum admiratio. Idcirco illorum animos magis, ac magis torqueret hæc nostra, cum Dei Vate, responsio: [Hic est Princeps regum terræ.] Certum, & indubitatum quidem est, quod si mordaces Pharisæi tunc, Iesu Christo triumphante, dixissent Marthæ: [Quis est hic, qui tanto honore ad nos peruenit, & nescimus quis, aut vnde sit?] Martha tunc illis responderet: [Hic est qui resuscitat mortuos, & dat vitam mundo.] Si autem tunc Centurionem interrogassent, dicentes: [Quis est hic?] Responsurus esset Centurio: [Hic est qui sanat solo verbo languores.] Si insuper cæcum a natiuitate, tunc interrogassent: [Quis est hic?] Responsurus esset: [A sæculo non est auditum, quod quis aperiat oculos cæci nati, vt hic.] Si Nicodæmum essent tunc interrogati, dicentes: [Quis est hic?] Illis respondisset: [Nos scimus quia à Deo venit iste Magister.] Si Angelos perscru-

Optima responsio à Pharisæis, quærentes de Xpo, quis est hic?

Nota bene.

Comparatio.
Matth. 8.

Lucæ. 1.

Lucæ 7.
Ioan. 21.

Ioan.
Ioan.
Ioan.

Pulchre dictum.

Ioan. 11.

Matth. 8.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

F tati fuissent: [Quis est hic?] Illis tunc respondissent: [Annunciamus vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodiè saluator mundi.] Si præterea tunc terram, & alias creaturas essent interrogati, profecto respondissent: [Ipse fecit nos, & non ipsi nos,] Quoniam scriptum est Iob 12. [Interroga iumenta, & docebunt te, volatilia cæli, & indicabunt tibi, loquere terrę, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.] Si denique Pharisæi, tunc Prophetas interrogarent, facile cognoscerent, quis est hic: finis enim legis Christus est. Sed quid diuagamur circa absentes? Si Ioannes, qui pręsens, illi palmarum triumpho aderat, Pharisæis quęrentibus: [Quis est hic?] Respondisset: [Hic est Regum terræ Princeps,] & tunc Petrus, qui illic etiam adfuerat, subiungisset: [Hic est filius Dei viui.] Mirum immodum tũc indignati essent Pharisæi, & forte, ira creparent medius, quia per responsionem G Petri intelligerent triumphantem illum, Deum esse viuum, & per responsionem Ioannis intelligerent Messiam triumphantem ante oculos, tunc iam habere, qui super Reges vniuersæ terræ dominium obtinebat.

Luc. 2.

Psalm. 99.



RINCIPATVS huius regum terræ Iesu Christi Principis, spiritualis omnino est, & gratiæ regum, iuxta illud Lucæ 17. [Regnum Dei intra vos est.] Quod plane regnum desideratum vtiq; fuit in illo quinto regno ita mirifice laudato à Dei Vate Daniele in cap. 7. dum dicitur: [Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad anti- H quum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem æternam, & regnum quod non corrumpetur, & omnes Reges, omnesque populi, tribus, & linguæ seruient, & obedient ei.] Et ex eo quod spirituale sit Christi regnum, cælum, & terram ambijt, circundat, & illustrat, ideo ipsemet Christus, Matth. 28. ait: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,] ad quod plane alludit illud Apoc. 5. [Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ super cælum est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo sunt omnes audiui dicentes, sedenti in throno, & agno benedicto, honor, & gloria, & potestas, in sæcula sæculorum.] Est igitur spirituale, & regnum gratiæ, imperium huius Principi regum terræ Iesu I Christi. Idcirco ipsemet Christus de hoc suo principatu, & regno dixit Pilato: [Regnum meum non est de hoc mundo.] Perinde ac diceret: Pilate fateor, & agnosco me esse regem, hoc nimirum est quod feci, hoc quippe est crimen illud, quod mihi imponitur, verumtamen hoc exacte, & recte intelligas fas vtique est. Rex quidem sum, sed ita, vt nec Cæsaris tui potentiam vsurpem, aut imminuam, nec minus quemquam regum, aut principum à potestate, & dominio suo expellam. Et vt rem ipsam aliquantulum mente capescas, non sum Rex mundanus sed cælestis, in cuius manus sunt etiam omnia iura regnorum, & omniũ regum corda, iuxta illud Prouerb. 8. [Cor regis in manu Dei est, ad quodcumque voluerit vertet illud.] Quantumuis id tibi non videatur: [Regnum meum (id est principatus, vel administratio, vel [regnum] id est, leges, & iura, vel [regnum meum] id est mi- K nistri, & subditi mei) non est de hoc mundo,] id est, non est ab homine, sed à Deo, non est temporale, sed æternum, non consistit in rebus huius mundi, diuitijs, & voluptatibus, & pompis: Quidquid enim, ò Pilate, est in hoc mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, at vero in spirituali meo regno gratiæ, iustitia, pax, & gaudium spiritus sancti est, & sic non est corpoeale, sed spirituale. Idcirco alio modo administratur quam

mun-

Conceptus 2.
Quod principatus Xpi spiritualis sit et gratiæ regnũ

Regnum Xpi spirituale.

Ioan. 8.

1. Ioan. 2.

mundanum regnum, hoc enim administratur gladio materiali, meum autem regnum, non opus habet hoc gladio, nam eius gladius est verbum Dei, mundus dominatur rebus, & corporibus, ego autem cordibus, & conscientijs, mundus dominatur carnali potentia, sed sucumbit spirituali, ego autem carnalem potentiã nihil moror, sed spiritualiter dominor contra peccatum, mortem, & infernum. Ecce qualiter huius principis regum terræ regnum, non est de hoc mundo, quia scilicet spirituale, & gratiæ regnum est. Vis autem intueri manifeste quomodo regnũ huius Principis regum terræ Iesu Christi, spirituale, & regnum gratiæ sit. Audias rogo. Quid quaso in regno Christi regis est, quod non sit spirituale, & opus gratiæ? Nihil sane. Quoniam potestas remittendi peccata, scilicet, potestas ligandi, & absoluendi, opus spirituale, & gratiæ est. Lex Euangelica, Sacramenta, & eorum ministri, opus spirituale, & gratiæ est, prædicationes verbi Dei, quibus vitia reprehenduntur, virtutes vero laudantur, claues ecclesiæ Petro collatæ, quibus censuræ ecclesiasticæ quotidie à presbyteris fulminantur, opus spirituale, & gratiæ est: Obedientia quæ quotidie à regibus, & à principibus, & denique ab omni populo sacerdotibus præstatur, opus spirituale, & gratiæ est. Et sic de cæteris. Sed age quæso: si regnum Christi spirituale est, & opus gratiæ, quare tu Christiane diuitias, & honores huius mundi quæris? In regno siquidem spirituali, & gratiæ, (quale est hoc regnum Regis Iesu Christi) non sunt profecto quærenda nisi ea, quæ spiritualia, & gratiæ sunt. Noli igitur ò Christiane mirari, si tibi tot mundana, & caduca (scilicet honores, & diuitias huius sæculi mundani,) quærenti, tot, & tanta mala in hoc terreno mundo accidant: tota quidem aberras via regnum regis tui Iesu Christi in rebus externis, & elementis mundi, constituendo, cum ipse aperte dicat: [Regnum meum non est de hoc mundo.] & alibi: [Regnum Dei intra vos est.] Quod siquidem eo fine dictum puta, vt regnum tuum, quod totius viribus quærere debes, & in quo es regnaturus in æternum cum tuo rege Christo, non esse hinc, sed in cælo. Quapropter merito discipuli, & turba, Christo in sanctam ciuitatem introeunte: [Strauerunt vestimenta sua,] quod quidem factum est à discipulis, & turba, Spiritu sancto dictante, vt aperte demonstraretur Pharisæis, & Scribis regnum Christi non esse de hoc mundo. Solent enim mundani ciues, cum eorum rex mundanus ad aliquam illorum ciuitatem maiestate, applausuque ingreditur, illum (inter alia) pallio quodam recipere, & sic terra remanente discooperta, cooperiunt cælum, pallio illo, quasi illi tacendo dicant, vide Rex humane, quod potestas tua, super terram hanc, tantum est, & vllo modo ad cælum se extendit, quia: [Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.] At vero discipuli, & turba, Regi sæculorum Iesu Christo, regum terræ Principi introeunti in sanctam ciuitatem Ierusalem, cælo remanente discooperto, cooperiunt illi terram: [Strauerunt vestimenta sua in via,] quasi illi dicant: [Regnum tuum] ò Rex gloriæ [non est de hoc mundo,] non est terrenum, mundanumue, & caducum, sed [Regnum tuum] est alius mundus, [Regnum tuum] est cæleste, spirituale, & æternum regnum [Regnum (denique) tuum,] regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generatione, quia gloriæ, & gratiæ regnum est: [Apparuit gratia Dei (ait Apostolus) Saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.] Ecce quod à nobis Rex noster Christus postulat, nimirum, quod sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, &c.

Regnum Xpi quidquid cõtinet spirituale est.

Matth. 21.

Comparatio.

Psalm. 113.

Tit. 2.



SOLENT Principes terreni, & mundani inquietum semper habere animum cupiditate, & desiderio quodam singulari elaborantem, augendi, & dilatandi suum imperium. Quamobrem, hic illorum, non dormit, ille vigilat, hic suspira emittit, ille inijt consilium, hic parat naues, ille vero triremes armat. Hinc est quod Alexander Magnus dormiens noctu per quietem admirabilem vidit virum, cum canitie plurima, & statura venerandum, hos ille versus recitantem.

Præterea vndi sono quædam iacet insula Ponto.
Quam Pharon appellant Aegyptia littora contra.

Conceptus 4. Quod principes, reges, & imperatores magnã habẽt cupiditatem dilatandi suũ imperium circa mundanorum principum.

Qui confestim è sommo consurgens, Pharon adiuit insulam, & ea inuenta, magnam construxit in illa ciuitatẽ, & turrim ingentẽ. Rursus Ninus primus Rex Assyriorum ita propagandæ dominationis libidine motus fuit, vt cruentam vitam bellis agens omnem fere Asiam suo subiugauerit imperio, vnde accidit, quod regnum Assyriorum monarchiæ obtinuerit principatum in orbe. Porro tandem Iulium Cæsarem in transitu Alpium quoddam barbarorum oppidulum paucis admodum, ac mæstis habitatum incolis prætereuehentem, militibus nobilibus, qui ei comites erant, ioco & risu eum ita percuntantibus: [Num hic aliquas esse putas (ò Cæsar) principatus ambitiones, dignitatumque certamina, & mutuam inter se potentum inuidiã?] serio respondisse fertur: [Mallem equidem inter ipsos primus, quam inter Romanos esse secundus.] Vidésne inquietum animum Iulij Cæsaris imperium suũ augendi? Et adhuc de illo paulo post sic inquit Plutarchus: [Iulius Cæsar cum in Hispania otium nactus res quasdam Alexandri gestas perlegeret, secum diu cogitabundus, de hinc illacrymasse traditur, cuius rei causa admirantibus socijs: Nonne, inquit, (ipse Cæsar) dolendum arbitramini, quod huius ætatis Alexander tot gentes subdidisset imperio, qua nullum adhuc præclarum facinus ipse egerim?] Quamobrem continuo rebus gerendis innitens Calecos in Hispania, & Lusitanos superauit, & cuncta victor ad Oceanum vsque mox perdomuit. Hęc itaq; principum terrenorum cupiditas augendi imperium, minime Principi regum terræ Iesu Christo defuit: [Fatigatus (de Christo ait Ioan. c. 4.) sedebat sic supra fontem.] Quid sic? id est (vt primo ad modum humanarum historiarum loquamur) quasi alter Alexander Magnus somnians Pharon Insulam, [sic] quasi alter Ninus, cruentã vitam bellis agens [sic] quasi alter Iulius Cęsar, primum locum inter barbaros (id est gentiles) quærens [sic] quasi ipsemet Cæsar, res depictas Alexandri, id est, peccata, quæ dæmon in anima illius mulieris depinxit, perlegens, & plangens fatigatus. Fatigatus ex itinere princeps regum terræ, sedebat sic supra fontem, vt animam vnam, suo subiugaret imperio spirituali. Sed age. Qui, sic? id est, (vt ad diuinas perueniamus historias) veluti alter Iacob solus vadum Iaboc transiturus, cogitans fratris sui Esau in se persecutiones [sic] vt alter Dauid qui in seipsum conuersus dicebat: [Cogitauidies antiquos, & annos æternos in mente habui,] [sic] dicens intra se: [Quoties volui (ò Ierusalem) congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios suos sub alas, & noluisti,] [sic] hoc est, illo modo quo sedere solent lassi. De isto porro regni cælorum augmento, & incremento, ac etiam de hac cura, & solicitudine Christi, intelligitur illud eiusdem Christi regum Principis ad Patrem: [Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras,] quod D. Hieronymus sic transtulit: [Propter verbũ labiorum tuorum ego obseruaui vias latronis,] quæ communiter, & laboriosæ, & difficiles esse solent. Et illud Isaiæ cap. 8. [Voca nomen eius accelera, antequam sciat puer vocare patrem suum, &

Iustin. lib. 1.

Plutarch. in vita Caij Cæsaris tom. 2. vita. 38.

Audiũ Cæsaris dictum.

DesideriũXpi circa suũ augendũ imperium spirituale.
Xps quãta diligentia quærat animas nostras.

Henes. 32.

Matth. 23.


Psalm. 16.

matrem suam auferetur fortitudo Damasci. [Et illud etiam Ioan. 19. [Et baiulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum,] necnon illud Lucæ 11. [Cum fortis armatus custodit atrium suũ, in pace sunt omnia, quæ possidet, sed si fortior illo superueniens vicerit eum vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat.] Ita denique auidus fuit Christus, & solicitus de animarũ nostrarum salute, & de ecclesiæ, & regni cælestis sui amplitudine, vt ipse Luc. 8. dicat: [Vulpes foueas habẽt, & volucres cæli nidos, filius autẽ hominis non habet vbi caput suum reclinet.] Quod plane laboriosum opus pertulit Princeps Xps, quærẽdo semper salutem animarum nostrarum, ita solicite, vt de illo intelligatur illud vaticiniũ Ierem. 14. [Quasi colonus futurus in terram, & quasi vir vagus declinãs ad manendum,] vbi ly [declinans] nihil aliud indicat, quã quærens animas ad se conuertendas, iuxta illud Is. 43. [Affer filios meos de lõginquo, & filias meas ab extremis terrę,] & paulo supra: [Noli timere quia ego tecum sum, ab Oriente adducam semen tuũ, & ab Occidente congregabo te, dicam Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere.] Ecce qualiter Christus regum terræ Princeps, per quatuor mundi partes, quærit animas ad se conuertendas, quia mundus, caro, & dæmon, ac etiã mundi principes voluntatem eius impedire queant efficacem. Hinc ipse ait per Isa. 8. [Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ, cõfortamini & vincimini, accingite vos, & vincimini, inite consilium, & dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus.] Cuius voluntas fiet semper in cælo, & in terra. Hanc deniq; salutem animarum nostrarum, & ecclesiæ, & regni cælorum amplitudinẽ indicabat illa vox illius regum terrę Principis Iesu Christi, dicentis in cruce: [Sitio] vt Cyrillus, Didymus, Rup. Abbas, & Ioannes Ferus, in Ioannem exoluunt. Et recte quidem, quoniam testantibus Hypocrate, & Galeno, sitis est vehemens appetitus potus, ex interiori calore causatus. Interior autem ardentissimus calor Christi in patibulo crucis, animarum nostrarum salutis desiderium vtiq; erat.

Animas quærit diligenter Xps per quatuor orbis partes.

Sitis quid sit.

Sitis interior Christi.



E hoc eximio regum terræ Principe, inclytoq; Monarcha explanandũ vtiq; venit illud Dan. 7. [Potestas eius potestas æterna, & regnum eius, quod nõ corrumpetur,] & illud etiam Lucæ 1. [Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Quoniam summus iste Monarcha Christus, totius orbis sceptra, coronas, regna, imperia, & Monarchias funditus est euersurus, vt ecclesiasticam suam, ac omnino spiritualem erigat, & iam erectam fulciat, ac in æternum conseruet Monarchiam, nimirum, ecclesiã Dei. Estote quæso attentissimi, & incipiamus à Monarchijs. Quatuor siquidẽ fuerunt (testantibus Iustino, Eusebio, Beroso, & Simone Metaphraste, alijsq; grauissimis, simulq; acutissimis astipulatoribus) Monarchiæ totius orbis, quas Dei vates Daniel in c. 7. bestijs quatuor comparat, dicens: [Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima bestia quasi leæna, (per quam designatur monarcha Assyriorum) alas habebat aquilæ, &c. Et ecce bestia alia similis vrso (per quam monarchia Medorum designatur) in parte stetit, &c. Post hæc aspiciebam, & ecce alia bestia quasi pardus (per quam Persarum monarchia indicatur) & alas habebat quasi auis, &c. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis (per quam Macedonum monarchia demonstratur,) dentes ferreos habebat, &c.] In his ergo quatuor orbis Monarchijs, varia quippe erant sceptra, regna, coronæ, & imperia, quoniam in monarchia Assyriorum, triginta sex reges cum suis coronis, & sceptris præfuerunt. In monarchia vero Medorum, nouem reges cum sceptris, & coronis permanserunt. Porro monarchia

Conceptus 5. Quod Princeps Iesus Xps oẽs monarchias mundi erat euersurus, vt suã principatum, v[?] ecclesiã, mirã [?]se erigeret.

Quatuor mũdi monarchię. Iustinus. E. seb. Beros. Metaphras.

Prima monarchia mundi fuit Assyriorũ comparata leænæ. Secunda monarch. mundi fuit Medorũ comp. vrso. Tertia monarchia mundi fuit Persarum comp. pardo. Quarta monarch. mundi fuit Macedonum cõparata bestiæ terribili.

F Persarum quatuordecim reges obtinuit. Et tandem Macedonum monarchia, quadraginta quinque reges coronis, & sceptris gaudentes habuit. A quibus omnibus quatuor monarchijs, sceptra omnia, coronas & imperia reportauit Christus regum terræ princeps, vt illis euersis, & funditus destructis suam spiritualem, & ecclesiasticam monarchiam, æternumq; regnum potẽter erigeret, & iam erectum in ęternum conseruarent, vt fieret magnus secundum quod Gabriel Virgini annuntiauit. Quamobrem Iob de hoc summo monarcha in cap. 34. ait: [Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.] Et ad hoc alludendo Daniel in eodem c. 7. ait: [Vidi quoniam interfecta esset bestia & perijsset corpus eius, & traditum esset ad comburẽdum igni, aliarum quoq; bestiarum ablata esset potestas.] Quibus verbis demonstrat clare Dei vates, sceptra Assyriorum, coronas Medorum, regna Persarum, & im-
G peria Macedonum regum funditus perisse, & ex illis Monarchiam ecclesiasticam, erectam vtiq; fuisse. Et ob id subiũgit ipse in eodem capite: [Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. Ecce cũ nubibus cæli filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguę, ipsi seruiunt.] Quod plane idẽ est omnino cũ illo, quod Dñs indicauit, dũ Matt. 31. ait: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quoniam idem Dei vates Daniel, prælibatam visionem de monarchia Christi concludit, dicens: [Potestas eius potestas æterna, quæ non corrumpetur.] Ecce monarchiarum totius orbis euersio, & omnifaria extinctio per regum terræ Principem Christum, (veluti illa deuoratio virgarum magorum Pharaonis per Moysi virgam,) vt ex illis suam ecclesiasticam fundaret, ac erigeret monar-
H chiam, nimirum ecclesiam Dei. Dicamus modo de eiusdem magni Principis Christi gestis, super omnia regũ vniuersæ terræ gesta, & acta, sempiterno memoratu digna, vt aperte completum appareat illud Angelicũ Virgini de filio suo promissum, quo dicitur: [Hic erit magnus.] Audite rogo. Nouem adinuenio ego Principes variarum gentium, & nationum, super alios insignes, & memorabiles, qui ob res gloriosissime gestas, imperium latissime propagatum, ac extensum, super omnes alios reges clari, & nobiles quamqui maxime, omnibus sæculis commendati, & celebrati fuerunt. Primus est Rex Ninus, secundus Semyramis (qui duo apud Assyriosmaxime celebrantur,) tertius est Dauid, quartus Solomon, (qui etiam duo apud Hebræos quãqui maxime commendantur,) quintus est Nabuchodonosor, (qui apud Chaldæos mirificus circũfertur,)
I sextus Cyrus primus rex Persarum, septimus Alexander Magnus (qui apud Græcos mirifice floruit,) octauus Iulius Cæsar, nonus Augustus Cæsar, (qui duo apud Romanos mille titulis honorãtur, & summis laudibus ad sidera vsq; merito extolluntur.) Nihilominus tamen regum terræ Princeps noster Iesus Christus, rebus memorabilibus, & gloriosissime gestis imperioq; latissime prolato, & dilatato, hos omnes reges insignes, & principes eximios in infinitum exuperat, & transuolat. Propterea quod si Assyriorum rex Ninus filius Beli primi Babylonię regis, tanta propogandę dominationis libidine motus fuit, vt primus finitimis bella intulerit, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Lybiæ terminos vsq; perdomuerit, & non solum totius Orientis populos subiecerit, verumetiam ita arma foris extulerit, cruentamq; vitam bellis egerit, vt omnem fere Asiam suo subiecerit dominio: quid dicendum est de summo illo regum omnium Principe Iesu
K Christo, qui vniuersum orbem suo subiugauit imperio? Audias, oro, si placet. Quis fortitudo Damasci, id est, inferni, & spolia Samarię, id est, limbi, corã rege Assyriorũ, id est, Beelzebub principe dæmoniorum, vt dicitur Isa. 8. abstulit? Princeps regum terrę Iesus Christus. Quis insuper superborum, & sublimium colla propria virtute calcauit? Quis incuruauit habitantes in excelso ciuitatem sublimem humiliauit, vt dicitur Isa. 26. & eam sic vsque ad terram, & ad puluerem humi-

Monarchiarũ omniũ mundi extinctio, & euersio per Christum.

Monarch. ecclesiasticæ erectio, & fundatio potens & miraculosa.

Monarchiarũ orbis omnino da euersio, & extinctio per Christum. Exod. 7. Virga Moysi deuorauit virgas magorum Pharaonis.

Gesta, & acta Iesu Xpi super aũa, & gesta regum omniũ orbis.

Principes 9. memorabiles & insignes variarum nationum.

Gesta Regis Nini principis Assyriorũ.

Iustin. lib. 1.

Gesta Principis Iesu Xpi superat gesta principis Nini Assyriorũ.

humiliatam, pedes pauperum, & gressus egenorum imposterum propter eius superbiam conculcare fecit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis principes illos Memphæos (de quibus loquitur Isaias, 19.) emarcescere fecit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis dissipauit terram, & nudauit eam, (vt dicitur Isaiæ cap. 24.) & afflixit faciem eius, & habitatores eius disperdidit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis sceptrum de Iuda, & ducem de femore eius, (vt dicitur Genes. 29.) abstulit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis semen Domini ab Oriente adduxit, (vt dicitur Isaiæ 43.) & ab Occidente illud congregauit, & dixit Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis suscitauit tribus Iacob, & feces Israel, (vt habetur Isa. cap. 49.) conuertit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis denique ad gentes, quæ nesciebant Deum, & quæ non inuocabant nomen eius, ad gentes in mare, (vt dicitur Isa. 66.) in Africam, in Lybiam tenentes sagittas in Italiam, & Græciā, in Raab, & Babylonem ipsum laudabilem, & gloriosum perduxit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Nonne vides illud Angelicum promissum: [Hic erit magnus,] omnino adimpletum? Si præterea Rex Dauid inter Hebræos, caput Phylistæi, (vt dicitur 1. Reg. 17.) præscidit, & Salomon apud Israelitas etiam ita gloriosus fuit, & mirabilia talia, sapientia sua operatus est, vt de illo 3. Reg. 3. dicatur: [Ecce feci secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus similis tui ante te fuerit, nec post te surrecturus,] & 3. Reg. 6. [Ædificare cœpit domum Domino,] & 3. Regum 7. [Perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit, quæ sanctificauerat pater suus Dauid argentum, & aurum, vt vasa reposuitq; in thesauris domus Domini,] & 3. Reg. 9. [Non est visum tale opus super terram,] & 3. Reg. 10. [Regina Saba venit audire sapientiam Salomonis,] & tandem 3. Reg. 10. de illo ita dicatur: [Magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes reges terræ.] Quid hæc omnia commune habent cum gestis, & factis principis regum terræ Iesu Christi? Nihil profecto. Quis enim est semen illius mulieris, inter quam, & dæmon, Deus ab initio, vt dicitur Gen. 3. sub his verbis: [Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius,] odium posuit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis caput serpentis contriuit, (vt dicitur Genes. cap. 3. in virtute brachij sui humiliauit? Quis capita draconum in aquis contribulauit (vt dicitur Psalm. 73.) & capita draconis confregit? Quis super aspidem, & basiliscum ambulauit, & leonem, (vt dicitur Psalm. 90.) conculcauit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis ita gloriosus, & mirabilis fuit in terra, vt omnes inferiores partes terræ penetrans, & omnes dormientes inspiciens, omnes sperantes in Domino, (vt dicitur Ecclesi. cap. 24.) illuminauit: Et præterea, (vt dicitur Zacha. 9.) in sanguine testamenti vinctos de lacu, in quo non erat aqua eduxit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis insuper ita admirabilis, & gloriosus super terrā fuit, vt veniens, & saluandum nos, oculos cæcorum aperuit, & aures surdorum patere fecit, & claudos salire præcepit, (vt dicitur Isaiæ cap. 35.) & linguam mutorum apperuit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis talem Domino Deo cæli construit domum, nimirum, hanc Ecclesiam visibilem, & dixit illius capiti Petro: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,] & deinde: [Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque ligaueris super terram erit ligatum, & in cælis, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cælis.] In qua ecclesia est modo summus Pontifex successor Petri, tot sacramenta, tot mirabilia, tot Cardinales, tot fideles, tot Archiepiscopi, & Episcopi, tot insuper religiosi, & sancti viri? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis est ille, qui ad humilitatem, & sapientiam suam instruendam, dominans à mari, vsque ad terminos orbis

Gesta Regis Dauid Principis Hebræorũ

Gesta Regis Salomonis principis Israel.

Gesta Principis Iesu Xpi super gesta Dauid, & Salomonis regũ Hebræorum eleuantur.

Matth. 16.

A terrarum: Coram illo Æthiopes, & inimicos eius procidentes, terramque lingentes, & reges Tharsis, & Insulæ munera offerentes, ac Reges Arabum, & Saba, dona portantes ad se adducit? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis denique ita magnificatus fuit super reges vniuersæ terræ, vt de illo dicatur: Ecce plusquam Salomon hic? Princeps regum terræ Iesus Christus, de quo annuntiauit Angelus: [Hic erit magnus.] Porro si de primo Persarum rege Cyro, tale extat Encomium, vt proprium nomen diuino Oraculo pronuntiatum sit, promittente Deo, amplissimum, & opulentissimum, gloriosissimumque Imperium se ipsi daturo, vt habetur Isaiæ 44. & 45. vbi sic dicitur: [Qui dico Cyro pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis, qui dico Ierusalem ædificaberis, & templo fundaberis, hæc dicit Dominus Christo meo Cyro cuius apprehendi dexteram, &c. (vsque) dicit Dominus.] Quod cum esset

Lucæ 1.

Gesta Regis Cyri principis Persarum.

B vaticinatum ducentis annis ante ipsius ortum, ipso iam tandem nato, huncque locum Isaiæ legente obstupuit, & incredibili cupiditate vaticinium exequendi diuinitus fuit incensus: Et ob id 1. Esdræ cap. 1. Cyrum ingenuo gratoque animo omnia se mundi regna confessum fuisse à Deo Iudæorum, sub hisce verbis dicitur: [In anno primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum Domini, ex ore Ieremiæ suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, &c.] & paulo post: [Hæc dicit Cyrus Rex Persarum, omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.] Si igitur de Cyro hoc extat Encomium ore prophetico pronuntiatum: Quis est ille de quo Moyses, Salomon, Ieremias, Daniel, Ezechiel, & alij vates Dei, ab initio mundi tot mira prophetarunt? Quis est ille, de quo Dauid in suis psalmis tot vaticinia protulit?

Gesta Principis Iesu Xpi gestis Cyri principis Persarum preponuntur.

C Quis porro est ille, de quo Isaias c. 8. ait: [Vocabitur nomen eius Emmanuel,] quod interpratatur nobiscum Deus? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis est ille, qui per Matthæum in cap. 8. pleno ore ait: [Data est mihi (à patre æterno Domino Deo cæli,) omnis potestas in cælo, & in terra?] Princeps regum terræ Iesus Christus. Videtne illud Angelicum elogium: [Hic erit magnus,] executioni traditum? Quod si demum Alexander Magnus ita inter Græcos, & Macedones præstantissimus fuit, vt (testante Plutarcho) illi de rebus actis [Magni] inditum fuerit cognomen, & in fama, & gloria eius scribenda acutissimi scriptores sint valde occupati, quales sunt Ptolomeus Rex Ægypti, Hechateus, Aristobolus Callistenes, Onesicratus, Diodorus Siculus Iustinus, Q. Curtius, Plutarchus, & alij multitudine quamplurimi, auctoritate grauissimi, & in dicendo disertissimi scriptores:

Gesta Alexãdri Magni Græcorum principis.

Scriptores qui gesta, & acta Alex. Magni scribunt.

D Quis quæso est ille, in cuius solo nomine omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, vt dicitur ad Philip. 2. & omnis lingua, in gloria Dei patris esse confitetur? Princeps regum terræ Iesus Christus. Quis est ille, cuius gesta gloriosa narrant cælestes illi chronistæ, nimirum, Matthæus, & Marcus, Lucas, & Ioannes, tum etiam Petrus, & Paulus, & alij Apostoli, in dicendo à Spiritu sancto illuminati scriptores? Princeps regum terræ Iesus Christus. Dicat igitur libere, & absque dubio aliquo Angelus Gabriel Virgini de filio suo: [Hic erit magnus.] Quoniam promissum prorsus adimpletum experimur, & magis, ac magis gaudemus, ex eo quod regni eius non erit finis.

Gesta principis Iesu Xpi super gesta Alex. Magni eleuantur.

Cæsarum potentia extollitur.

E 

SED de regina mundi Roma, cuius potentiam timebant Hebræi, dicentes: [Et venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem,] quid, (vt sic Iulij etiam Cæsaris reliquorumq; adhuc Romanorum Imperatorum acta, & gesta, paucis vna, & simul comprehendam,) dicam? Nihil aliud profecto nisi quia

Conceptus 4. Quod imperiũ Rom. imperio Xpi miraculose subiectum spiritualiter mõstra fit.

Ioan. 11.

Ioan. 11.

ex vase contumeliæ, iam per huius regum terræ Principis Iesu Christi gratiam, translata vtique sit in gloriæ vas, vt altera Maria Magdalena. Ad quod recte intelligendum audias primo oportet quid olim Romanum Imperium fuerit, & qualiter tunc vas contumeliæ extiterit, & his explicatis aperte, & clare videbis quomodo regina, & caput mundi Roma nunc in vas gloriæ translata est. Imperium igitur Romanum ita olim mirabiliter, & potentissime inter omnia mundi regna vigebat, & elucebat, vt de illo merito explanare queamus illud Danielis 7. quod nuper de Monarchia Macedonum explicauimus, vtpote: [Et ecce bestia quarta, terribilis, & mirabilis, & fortis nimis.] Et quod magis ad institutum attinet est, quod sequitur: [Dentes ferreos habens magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.] Etenim, quæ gens, qui populi, quæ natio fuit vmquam olim ita ferox, ita potens, ita sapiens, ita diuitijs abundans, ita diuisa, ita denique remota, vt ad illam, dentes ferreos huius bestiæ, Romani scilicet Imperij ad illam domandam, comminuendam, & conculcandam approximatos potenter, & ferociter fuisse non inspiciamus? Nulla profecto. Quid enim quæso Hispanis, Germanis, & Gallis ferocius? Nihil: & tamen eos Romani potenter debellarunt. Quid Carthaginensibus potentius? Nihil: & tamen eos Romani ferociter comminuerunt. Quid Græcis sapientius? Nihil: & tamen eos Romani in confusionem adduxerunt. Quid Asiaticis potentius, aut ditius? Nihil: & tamen eos Romani domarunt. Quid Brittannis diuisius? Nihil sane, quia de illis dicitur: [Toto diuisos orbe Brittannos.] Et tamen eos Romani conculcarunt. Quid denique Cappadocijs, Ponticis, Armenijs, Iberijs, Albanijs & Scythijs, remotius? Nihil profecto: & tamen hos omnes deuorauit bellua terribilis, & mirabilis, Romanum scilicet Imperium. Præualuit enim olim Imperium Romanum quadrifarie, nimirum, amplitudine ditionis, potentia bellica tam terrestri, quam nauali, ingenti pecuniæ vi, & copia Imperatorum. Audias oro. Quanta Romani Imperij ditionis amplitudo fuerit, describunt Strabo libro 6. & libro 17. Rex Agrippa apud Iosephum libro secundo de Bello Iudaico, cap. 3. & Appianus in proœmio historiæ libicæ. Qui omnes historici asserunt, Romanum Imperium tribus mundi partibus, (non quidem vsquequaq; sed latissime,) imperasse. Quoniam Imperij Romani terminus Occidentalis, fuit extremitas Hispaniç: Orientalis vero, Euphrates, Taurus, & Armenia; Septentrionalis autem Rhenus, & Danubius; Australis, denique Æthiopia. Præterea Romani dominabantur vniuerso mari Mediterraneo, & omnibus, quæ in eo sunt Insulis. Porro dominabantur in Boreali Oceano ipsi Britanniæ. Quid plura? Non renuit asserere Appianus, Monarchias Assyriorum, Medorum, Persarum, & Græcorum vix dimidiatam Romani Imperij partem possedisse. Hoc ipsum in exordio suæ historiæ confirmat Polybius. Et hæc satis dicta sint de amplitudine Romani Imperij. Dicamus modo de eiusdem Imperij Romani bellica potentia; quæ licet diuersis temporibus modo maior, modo minor fuerit, tamen tempore Adriani Imperatoris, teste Appiano in proœmio historiæ libycę, erant Romano Imperio, ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecenti elephanti bellicosi, tria millia curruum, armorum vero in supplementum trecenta millia: hæc erat bellica potentia Romanorum terrestris. Nec minor erat eorum potentia naualis: habebat enim Romanum Imperium duo millia nauium, mille & quingentas triremes, magnas vero naues proris puppibusque aureis (ad ostentationem Romanæ maiestatis, & vsus Imperatorum,) octoginta. Ad hæc parata erant instrumenta naualia eo numero, vt armandæ duplo maiori, quam quæ dicta est, classi, sufficere posset. Et hæc de potentia bellica Romanorum, terrestri, & nauali. Dicamus insuper tertio loco de Imperij Romani incredibili vi, copiaque pecuniæ in diuersis ærarijs ad vsus bellicos comparatæ, quam scribit Appianus, eam fuisse ad septuaginta quinque millia talentorum Ægyptiorum. Talentum autem Ægyptium sicuti auctoritate Varronis confirmat Plinius lib. 33. cap. 3. pendebat pondo, seu libras octoginta, quocirca singulis libris, aureos centum assignando, vnum talentum Ægyptium idem valebat, quod octo millia nostrorum aureorum, quo fit vt summa illa quinque, & septuaginta millium talentorum Ægyptiorum, secundum nostram computationem, sexcenties dena centena millia aureorum, (& vt nostra lingua Hispanica loquamur: [seys cientos millones]) efficeret. Et hæc de Romani Imperij pecuniæ copia, & vi. Dicamus tandem quarto loco aliqua de copia, & multitudine Romanorum Imperatorum. Habuit siquidem Romanorum Imperium à Romulo, Romæ primo Rege, & eius fundatore, vsque ad hæc nostra tempora, nimirum vsque ad Rodolphum Secundum, qui his nostris temporibus imperat, centum decem, & octo Imperatores, quos omnes nominatim recensere nimis longum esset, qui tamen omnes vnus alio potentior, vnusque alio ditior, Romam mille titulis illustrarunt. En vides potentiam, & ferocitatem Romani Imperij. Dicamus iam modo, qualiter olim Roma erat vas contumeliæ. Erat namque antiquitus Roma caput erroris, magistra iniquitatis, fons superstitionis, & thronus, & sedes idololatriæ. Quid enim existimas decem illa cornua bestiæ magnæ mirabilis, & fortis, de qua Daniel cap. 7. ait: [Et habebat cornua decem,] significasse? Nihil aliud profecto nisi decem Romanorum Imperatorum persecutiones, quas primitiua Ecclesia Dei passura erat, cæteris crudeliores. Quæ enim crudelior, & iniquior persecutio esse potuit, persecutionibus, Neronis, Domitiani, Traiani, Antonini, Seueri, Maximini, Decij, Valeriani, & Iuliani Apostatæ Romanorum Imperatorum? Nulla sane: Nam in his decem Romanorum Imperatorum persecutionibus ecclesię, quæ loca, quod clima, quæ mundi pars, quæ tandem terra remansit, quæ Christianorum sanguinem minime biberit? Nulla quidem. Propterea quod Martyrum sacratus sanguis per totum Tagum, Gangem, per totam Indiam, Mauritaniam, per totum Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem crudeliter ab his decem Romani Imperij Imperatoribus effusus, & sparsus crudeliter fuit. Quis quæso capita Petro, & Paulo amputauit? Roma. Quis ignis, & bestiarum dentibus, vnguibusque Martyres Dei tradidit? Roma. Quis Luciam ad Lupanar, Agnetem ad Scorta, & alias virgines Dei ad violandum tradi imperauit? Roma. Quis solem, lunam, stellas, simulachra, idola, & opera manuum hominum adorabat? Roma. Quis caput idololatriæ, sedes iniquitatis, thronus dæmoniorum, magistra omnium superstitionum, & Babylonia omnium scelerum fuit? Roma. Quis tandem templum Apollini, Dianæ, Iunoni, Fauno, Ioui, alijsque falsis dijs constructum, & erectum habebat? Roma. Ecce igitur qualiter Roma olim vas contumeliæ extitit. Sed age, audias modo quæso qualiter hic regum terræ Princeps Christus illam de vase contumeliæ, in vas gloriæ transtulerit. Cum enim Roma vitijs omnino arderet, cum bestia ferocior esset; cum pars ferrea statuæ durior fieret, cum dentes feræ terribilis, & mirabilis essent rabiosiores: cum deniq; Romanum Imperium maiori vigore, & pulchriori flore gauderet secundo bello Punico iam finito, vniuersa Italia, Hispania, Sardinia, Sicilia, Iam prædominata, Magno Antiocho iam in Asia debellato, Carthagine iā destructa, Numantia iam superata, Corintho iam deuicto, totoq; Oriente ab ipsis Romanorum Imperatoribus penitus iam superato. Tunc abscissus est lapis de monte, & percussit statuam, & illam comminuit. Tunc filius hominis venit, & interfecta est bestia, & susceperunt regnum sancti Dei altissimi. Tunc denique dicente Virgine Maria, (vt habetur Lucæ cap. 1.) [Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum,] lapis

Cæsarũ Impi potentia narratur.

Romani Imperij amplitudo, & potẽtia quanta fuerit.

Amplitudo Romani imperij.

Potentia bellica Romani imper.j.

Romanorum copię militaris, & terrestris.

Romanorũ naualis, & maritima potẽtia.

Rom. imperij pecuniarum multitudo maxima.

Rom. imperatores à Romulo.

Centum decẽ & octo Imperatores hucusque Roma habuit.

Rom. imperij ad fidem cõuersio miraculosa.

F G H I K

pis absque manibus abscissus est de monte, hoc est: [Verbum caro factum est,] & Romam de vase contumeliæ, in vas gloriæ transtulit, hic regum terræ Princeps Iesus Christus, quia tunc suscitauit Deus cæli, regnum quod non dissipabitur. Quoniam [Regni eius (vt dicitur Lucæ 1.) non erit finis.] Quodquidem regnum spirituale est. Et sic regum terræ Principe Iesu Christo adueniente, regnum eius spirituale omnia alia regna penitus extinxit, non quidem corporaliter, hoc est, secundum humanam eorum potentiam, sed spiritualiter funditus destruendo vitia, errores, superstitiones, & idololatriam, quę per omnem orbem mirum in modum tunc vigebat. Et sic ciuitas, quæ plus ardebat cæteris, quæ insuper tot errorum commisit crimina, ab ipsa fauce tartari, tandem, tandem redit ad vitæ limina. Vnde D. Leo Papa sermone primo Natiuitatis Apostolorum Petri, & Pauli, de Roma sic egregie ait: [Beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani Imperij destinatur, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet, cuius autem nationis homines in hac tunc vrbe non essent, aut quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? hic conculcandæ philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi superstitione diligentissima habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo vrbem tu beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ Paulo Apostolo aliarum adhuc ecclesiarum ordinationibus occupato, silnam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum constantior, quam supra mare gradereris ingrederis.] Hactenus D. Leo. O te diu felix Roma nostra, regina mundi, quæ ex tanta tua ferocitate, & crudelitate ad tantam nunc felicitatem gloriose peruenisti. Videsne illos tuos potentes centum deceni, & octo (à Romulo vsq; ad Rodolphnm 2.) Imperatores, in ducentos triginta & sex (à Petro vsq; ad Paulum V.) summos Pontifices, Christiq; Vicarios mirabiliter in te cōuersos, qui oēs alius, alio sanctior, te pie & deuote illustrarūt? O merito, & terq; quaterq; beata, & semper ex omni parte felix Roma. Tu nunc vas gloriæ, tu modo mundi regina, quæ totum orbem spiritualibus donis, cibis, aquisq; gratiæ & pacis, irrigas. Ex te enim modo articulorum fidei firma explanatio, doctrina sana, sanctorum canonizatio, miraculorum approbatio, hæreticorum, & tyrannorum punitio, indulgentiarum concessio, electionis Imperatoris examinatio, omnium Regum summo Pontifici subiectio, casuum reseruatorum dispensatio, priuilegiorum elargitio, religionumq; approbatio, tamquam ex fonte dimanat. Et vt breuiter dicam, merito in te, tamquam mundi regina sedem, & thronum Vicarij Christi filij Dei, voluit ipsemet Deus in perpetuum constituere, & erigere. Durabit porro modo Romanum Imperium spirituale, auctoritate Papæ confirmatum, & auctum, vsq; ad finem mundi, cū sit spiritualiter subiectum ac obediens Imperio huius Regum terræ Principis Iesu Christi: [Cuius regni (affirmante Angelo Gabriele, Lucæ 1.) non erit finis.] Quis igitur sufficiens erat Romam, & eius ferox imperium ita mutare, & eius extincta prorsus idololatria ad verum Deum, & ad viam veritatis conuertere? Nullus sane, nisi regum terræ Princeps iste Iesus Christus, qui per Isa. 60. ait: [Pro ęre afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis, æs, & pro lapidibus ferrum,] quibus verbis conuersio gentium planeindicatur miraculosa. Exclama igitur à Roma, & summis vocibus dic de te ipsa, ex gentilitate ad Christianismum conuersa, illud Isaię, de Ierusalem: [Surge illuminare (Roma) quia venit lumen tuum, & gloria Dñi super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & calligo populos; super te autem orietur Dñs, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerūt tibi, Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuū quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madiam, & Epha, omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.]

D. Leo Papa.

Apostrophe ad vrbem.

Roma fontalis origo omnium bonorum spiritualium.

Conuersio gentilitatis ad fidē Xpi miraculosa.

Apostrophe ad gentilium Romanorum conuersionē.

Isa. 60.

DISPVT. XIV.

In Cap. Primum Apocalypseos, de Principatu Christi super reges vniuersæ terræ.

In tres Quæstiones distributa super illa verba: *Princeps regum terræ.*

Prologus disputationis.

FIDES docet Christum regem esse, vt deducitur ex varijs locis sacræ Scripturæ. Hinc Ecclesia in die natiuitatis Domini, sic canit: [Magnificatus est Rex pacificus, super omnes Reges vniuersæ terræ:] & iidem prorsus acclamat in di palmarum, ad hærens & innixa illis verbis Matth. cap. 21. [Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam, dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.] Est igitur Christus Rex, omnia enim subiecta sunt illi, etiam secundum naturam assumptam, vnde ipse instante passione, dixit ad patrem: [Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.] Et teste Apostolo: [In nomine Iesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.] De quo Daniel ait: [Omnes populi tribus, & linguę seruient ei.] Attamen ea, quæ sequuntur aliquam parere poterant alicui difficultatem, quoniam princeps dicitur, quasi primum caput.

Ioan. 17.

Phi. 2.

Dan 7. Princepsquid sit.

Quæstio. I.

Vtrum Christus sit Princeps omnium regum vniuersæ terræ?

PARS negatiua potest confirmari ex eo quod Christus dumtaxat dicitur Rex Iudæorum, vt habetur apud Matthęum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Rex autē Iudęorum non est omnium regum terræ Rex, aut Princeps vniuersi orbis, vt patet de Dauide, Salomone, Saul, & alijs Iudæorum regibus, qui reges Israel, siue Iudææ solummodo dicti fuere. Ergo, &c.

Primus Rex terræ.

Pro decisione dico, quod reges vniuersæ terræ fuerunt pene infiniti: nam eorum primus fuit Cain, testantibus D. August. lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 19. Augustino de Ancona in Summa Ecclesiastica, quæst. 36. art. 1. ac etiam Abulense super Genesim. Secundus

Reges sex ante diluuium.

eius filius Henoch, & deinde fuerunt alij quatuor reges ante diluuium. Post diluuium vero primus rex fuit Nemrod. Fuerũt deinde reges Israel, reges Iudææ, reges Idumæorum, reges Assyriorum, reges Amorræorum, reges Medorum, reges Ægyptiorum, qui Pharaones nuncupantur, & alij plerіq; reges, qui nec vnus alteri, nec minus omnes simul alicui eorum in terris aliquo modo subijciebantur, sed vnusquisque eorum specialiter curam habebat suæ gentis. Inter quos plane reges connumerandus est Messias, qui vocatur Christus proprie, id est Rex. Nam omnes reges Iudæorum erant Christi, Messias autem erat Rex, & de progenie regis Dauid, & regnaturus dicebatur super sedem Dauid, vt dicitur Ierem. 23. & Isa. 11. & Lucæ 1. Ideo Messias, Christus vocatur, id est Rex: & hoc specialiter habet, quia Messiam appellamus Christum absolute, quasi absolute dicamus eum Regem, non expresso nomine. Et ratio est, quia per excellentiam ipse est Rex, cum perfectius regnaturus esset, quam cæteri: immo deduceret omnia ad perfectionem. De cæteris autem dicitur, quod sint Reges cum additione, vt rex Dauid, rex Salomon; de Messia autem dicimus absolute, quod sit rex, quasi vel solus sit rex, vel excellentior, quam omnes. Et ita vocatur absolute Christus; vnde quando vocamus absolute Christum, non intelligimus nisi Messiam, licet Dauid esset Christus Domini, & Salomon, & cæteri reges Israel. Et quia Messias futurus erat Deus, & homo, ideo Christus absolute dicitur Princeps regum terræ, & Rex regum. Et ratio est, quia Deus vocatur Rex dupliciter. Primo modo specialiter alicuius gentis, vt scilicet habet curã specialem de negotijs illius gẽtis, & efficitur ad eius negotia velut si esset sua. Et hoc modo Christus dicitur, & est specialis Rex Israel, quoniam est, ex semine Dauid secundum carnem. Alio modo Deus vocatur Rex generaliter quantum ad omnia regna terræ, & hoc in quantum Deus est Dominus omnium, etiam in quantum habet prouidentiam omnium, quæ fiunt disponens singula. Hæc enim duo pertinent ad Regem, nempe, dominari, & prouidere: Deus autem in omnibus habet prouidentiam, quia nihil omnino fit sine eius dispositione, etiamsi minimum fit: sic patet Matth. 10. dum dicitur: [Nonne duo passeres asse, væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro, vestri autem capilli numerati sunt.] Vocatur ergo Rex quantum ad omnem gentem quia omnium curam habet, nam solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & peccatores, Matth. 5. & quantum ad hoc, vocatur hoc in loco, Princeps regum terræ, & Apoc. 19. [Rex regum, & Dominus dominantium,] quod de nullo alio rege dici potest.

Primus Rex post diluuiũ.

Xps dicitur Rex absolute

Rex dicitur Deus dupliciter.

Vide Alph. Tostat. 1. Reg. 12. q. 12.

Rex generalis vniuersæ terræ est De⁹ propter suam prouidentiã.

Quæstio II.

An actu Christus Princeps regum terræ dici queat?



ERCONTABERIS fortasse: quomodo actu Princeps regum terræ dici potest Christus, cum tam multi reges ei non actu pareant, immo actu ei rebelles sint? Breuiter dico, Christum omnimodam potestatem super reges vniuersæ terræ actu habuisse a primo incarnationis instanti, manifestationem autem actualem talis plenariæ potestatis super eosdem reges vniuersi orbis, sortitum fuisse per mortem & passionem suam, ipso dicente: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quod si modo plerique reges ei nullatenus pariunt, &

F obediunt, tamen cum sibi placuerit potestatem hanc in eis ostendet. Nobiscum est Carthusianus hoc in loco. Sed de hoc infra in cap. 19. erit vberrimus sermo.

D. Dion. Car. in commen.

Quæstio. III.

An principatus Christi fit temporalis, an vero spiritualis?



G EC itidem decisio huius dubij ita est facilis indaginis, vt a prima fronte videtur apparere. Eo quod olim fuit quorumdam error, qui asseuerabant omnes Principes, & Reges terræ fuisse à Christi conceptione, suis regnis, & dominijs priuatos, ac spoliatos. Et incepisse ex illo tempore administrare, non nisi vt ministros Christi.

Error quorũdã circa Xpi principatum.

Verumenimuero Christus Dominus contrarium edocuit dicens Pilato, Ioan. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Quibus verbis ostendit Christus, teste D. Chrysostomo, & Cyrillo, se nihil in regno temporali prætendisse, prout falso accusabatur à Iudæis, qui etiam ideo tributum Cæsari dandum docuit. Et quidem, tam in vita pauperi, (quam elegit) quam in omnibus dictis, & actibus suis aperte ostendit, nihil temporale in animo habuisse. Quamobrem Ioan. H 6. dicitur: [Iesus autem cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.] Est igitur Christus Princeps, & Rex in quantum homo, per potestatem non politicam, sed spiritualem amplissimam, quam habet in omnes, & super omnes, qua regnum, & principatum modo gubernat, & in fine mundi Deo patri traditurus est, dicente Apostolo: [Deinde finis cum tradiderit regnum Deo, & patri, & euacuauerit omnem principatum, &c.] Hinc Alphonsus Tostatus super illa verba, Num. 24. nempe: [Et consurget virga de Israel,] sic scribit, dicendo: [Et consurget virga de Israel, id est, Christus, qui habuit virgam regni, id est, sceptrum regale, sed non de hoc mundo, Ioan. 18. cap. 5. Regnum meum non est de hoc mundo, immo illud valde fugiebat; quia semel cum pauis-I set in deserto multos viros ex paucis panibus, voluerunt eum rapere, vt facerent regem, ipse autem sciens cogitationes eorum, fugit ab eis priusquam ipsi eum raperent, vt patet Ioan. cap. 6. Prophetæ tamen vocant eum Regem quia erat de semine regali, scilicet de linea Dauid secundum carnem, erat tamen regnaturus spiritualiter, sic patet Ierem. cap. 23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et sequitur. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Habuit autem virgam regni, ad dirigendum in iustitia, sic patet Psalm. 2. qui est de Messia, cum dicitur: Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.] Hucusq: Abulensis. Per quæ plane omnia planum, & perspicuum fit Christi principatum non temporalem, sed spiritualem esse.

Xpi principatus spiritualis.

Chrys. & Cyrillus in Ioãnem.

Abulens. in c. 24. Num.

Xps de semine, & linea regali.

K Habet tamen Princeps iste Iesus Christus potestatem in temporalia, secundario, & ex consequenti, vt possit disponere ex eis, & constituere arbitrio suo, quidquid expedit ad finem spiritualem, quamobrem S. Thom. lib. 3. cap. 13. de Regimine Principum sic scribit: [Satis apparet quod dominium Christi ordinatur ad salutem, & ad spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur eo modo quo ad spiritualia ordi-

Xps Rex habet potestatẽ erga temporalia, & qualiter.

S. Thom.

ordinantur.] Quæ omnia nullatenus obstant, quod Christus regum terræ Princeps, ratione diuinitatis imperia det, ac regna distribuat, prout sibi placet, iuxta illud Prou. 8. [Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam,] & Dan. 2. [Tu es rex regum, & Deus cæli dedit tibi regnum, & imperium.] Enimuero de hac temporali potestate Christi, (quam in Romano pontifice, potestatem coactiuam Iosephus Stephanus Valentinus lib. 1. appellat) fusius nos in cap. 19. Deo dante agemus.

Iosephus Stephanus Valētinus

PARAPHRASIS Nona.

Par. 10. Explanatio contextus. §. 1.

Qui (dicit amplius) dilexit nos. De Christo Redemptore nostro proculdubio sunt etiam intelligenda hæc præfata verba, vt sanè indicat illud relatiuum [qui,] Quod plane necesse est ad Iesum Christum primogenitum mortuorum, & principem regum terræ referri, quæ sunt verba immediate antecedentia in textu.

§. 2. S. Leo pp. ho. 9. de Natiuit. Dom.

Verumenimuero cum inde oriatur difficultas, & copia fandi, teste D. Leone Papa, vnde adest ratio non tacendi: vberiorem sane rationem loquendi hic nacti sumus ob diuini amoris magnitudinem, cuius hoc loco noster mellifluus meminit Archipropheta. In Euangelio namque suo mysterium redemptionis nostræ intonuit Ioannes per amorem, & charitatem, dicendo: [Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam,] modo vero de hac sua reuelatione (idem discipulus qui recubuit in cœna supra pectus Domini) quasi quod in secreto tunc de illo pectore bibit, in manifesto nūc eructans, cōplementum eiusdem redemptionis nostræ annunciat, dicens de eodem filio Dei Iesu Christo Domino nostro, sic, [qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo:] Perinde ac diceret. Gaudendum, & exultandum nobis plane est, quia filius ille obediens, qui de obedientia sua ad suum æternum patrem ait: [Quæcumque placita sunt ei facio semper,] iam adimpleuit præceptum patris sui erga nos, cum ita dilexerit nos, vt iam suo proprio sanguine pretioso lauerit nos à peccatis nostris. Magnum equidem mysterium, & admirabile sacramentum, quod nisi fides credat, sermo nullatenus explicat, & ideo numquam sufficit copia laudatoris. Dilexit (itaque) nos. amore æterno, & increato (vt recte innuit hoc in loco D. Dionysius Carthusianus) secundum quod Deus. Amore quoque creato, & gratuito, ac infuso, immo & naturali amore, tamquam suæ naturæ consortes, & fratres, secundum quod homo, vnde monet Apostolus ad Ephes. 2. dicendo: [Ambulate in dilectione, sicuti & Christus dilexit nos.] Quam perfecte autem dilexerit nos demonstratur Ioan. 15. dum dicitur: [Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.] Si hanc dilectionem voluerimus nobis prodesse obediamus iubenti: [Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.]

Redēptio nostra abamore & dilectione Dei dimanat.

Redēptionis nostræ cōplementum.

Filius obediēs Christus.

Apostrophe ad no'trā redemptionem.

D. Dion. Car. in commen.

Amore increato, & creato dilexit nos Christus.

Ioan. 19.

§. 3. Erasmi versio ex Græco.

Verumtamen quosdam reperio expositores, textum hunc, hùc & illùc sinistris expositionibus circumferētes. Erasmus namque conatur contra ictum fluuij, vt dicitur Eccles. 4. vertens ex Græco hæc verba sic, [ei qui dilexit nos, & lauit nos, &c.] quoniam existimat ipse præfata verba [qui dilexit nos] non dici de Christo, sed de patre æterno, qui nos lauit à peccatis per sanguinem filij sui, vnde totum hunc textum sic ille exponit: [qui est testis fidelis, ei qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius.] Hinc plane est quod quidam moderni hæretici, versionem Erasmi amplectentes ita vertunt: [Diligenti nos, & lauanti nos sanguine suo.] At vero hæc Erasmi, & Neotericorum hæreticorum expositio, nullatenus textui germana esse potest. Debuerat enim Erasmus primo considerare, quod cum supra dicitur: [Qui est testis fidelis] nec additur continuo textui [ei] nec minus continuo subsequitur [qui dilexit nos] cum medient hæc omnia: [Primogenitus mortuorum,] & [Princeps regum terræ;] quoniam totus contextus sic se habet: [Qui est testis fidelis, Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, &c.] Quamobrem cum inter hæc verba [qui est testis fidelis,] & hæc alia, [qui dilexit nos,] medient hæc alia verba [Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ] quæ proculdubio de Christo intelliguntur: sequitur aperte, quod hæc alia verba, quæ mox in textu subijciuntur, nempe, [qui dilexit nos, &c.] de Christo etiam intelligenda veniant. Proinde supra in initio expositionis huius paraphrasis, affirmaui illud relatiuum [qui,] referri ad Christum. Adhuc, debuerat etiam Erasmus animaduertere verba, quæ sequuntur, immediate in textu, nempe: [& fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo.] Propterea quod si ille, qui dilexit nos, & lauit nos, ipsemet fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo, quomodo hæc verba [Dilexit nos, & lauit nos,] ad patrem erunt referenda immediate? Non apparet profecto via; quoniam sic esset in textu petitio principij, nempe, [pater] [patri suo] quæ quidem inutilis repetitio vnius & eiusdem vocis, præter id quod sit maximum vitium apud Philosophos, esset etiam hoc in loco hæresi fragrans. Quoniam pater in diuinis non habet patrem. Pater enim, vt docet fides à nullo est factus, nec creatus, nec genitus, cuius oppositum aperte sequeretur si expositio Erasmi vera esset. Quod cum fides omnino abhorreat firmiter est tenendum versionem Erasmi, & Neotericorum hæreticorum illum sequentium, ex vtroque claudicare pede.

Error Erasmi

Hæreticorum modernorum versio.

Refelluntur Erasmus, & Neoterici hæretici. 1. Ratio.

2. Ratio.

Nota bene.

§. 4. Arethæ expositio ex Græco.

Præterea Arethas hoc in loco existimat hæc verba [Qui dilexit nos,] referri ad ea, quæ sequuntur, nempe, [ipsi gloria, & imperium,] ita vt sit sensus: [Ipsi gloria, & imperium, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris.] Quæ plane expositio, nimis dura est, & violenta cum procedat ordine retrogrado. Nam cum antequam in textu dicatur, [ipsi gloria, & imperium,] antecedant hæc alia verba, [& fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo,] (quorum nullam mentionem facit Arethas,) sequitur aperte, verba posteriora, prioribus anteponi, & mediantia dimitti, quod sane duram, & nimis violentam, (vt nuper dixi) explanationem Arethæ reddit.

Arethas hoc in loco insedit, ordine inuerso. Impugnatur Arethas.

§. 5. Frāc. Rib. opinio circa codices Græcos & Latinos.

Propter has duas Erasmi, scilicet, & Arethæ sinistras versiones ex Græco fonte, existimat Franciscus Ribera in hisce suis commentarijs, codices Græcos vetustiores circa hunc locum vitiatos esse, & multum differre ab exemplaribus etiam Græcis, quæ modo extant. Latinos vero codices, tam prælo mandatos, quam manuscriptos magnum consensum habere. Quod quidem licet verum sit, quantum ad codices Latinos, tamen circa codices Græcos difficultatem aliquam sane parit. Quomodo enim inferri, aut concludi potest, ex eo quod Erasmus, qui vertit ex Græco, aberret, & Arethas, qui vertit ex Græco etiam, aberret. & noster interpres qui etiam ex Græco vertit, recte vertat, ac exponat, quædam esse exemplaria vetera vitiata apud Græcos, & quædam noua & castigata? Non intueor sane talem consequentiam. Quid, quod, esto quod inferri queat, adhuc forte non tenet, cum vitium Erasmi, & error Arethæ possit non attribui codicibus, sed prauo sensui ipsorummet interpretum. Noster autem interpres recte vertit ex eisdem penitus antiquis, ac veteribus Græcis codicibus, quia flante Deo vertit. Porro, audeo hoc vnum hìc asserere, scilicet Franciscum Ribera, coram Origene, Dionysio, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Irenæo, Iustino Ignatio Epipha-

Approbatur Rib. circa codices Latinos

Non tenetur Ribera circa codices Græcos. Obiectio Riberæ. Solutio.

Epiphanio, Athanasio, Basilio magno, Gregorio Nazianzeno, Cyrillo, Chrysostomo, & alijs Patribus Græcis, mirum in modum trepidaturum ire, affirmando ea quæ, nostris temporibus ausus est hic asseuerare circa codices Græcos. Nimis sane durum fore existimo apud hos Græcos antiquos, sanctosque patres audire, exemplaria vetustiora Græca, quæ tam crebro ipsi præ manibus habuerunt vitiata esse, & recentioribus Græcis codicibus nullatenus quadrare, & conuenire, circa textum tam necessarium. Et licet ipse Ribera calluisset magis Axioma Græcũ, quã calluit, tamen Archietypa, & prima exemplaria Græca differre a recentioribus codicibus Græcis, non tam cito ipse ante eos probaret, quam cito ipsemet illi suo operi, hæc hoc nostro sæculo auide inseruit. Quis enim castigauit recentiores codices Græcos? Quis insuper est auctor horum recentiorum codicum Græcorum, qui non non sit auctor etiam antiquorum, ac veterum? Vbi denique constat, talis Ecclesiæ codicum Græcorum castigatio noua? horum omnium (pro parte Græcorum) solutionem expecto.

Nota bene.

§. 6. *Vera expositio.*

Vltima huius loci explanatio iuxta versionem nostri interpretis latini, est quæ tenet præfata verba, nempe. [Qui dilexit nos,] immediate de Christo esse intelligenda, ita vt sit sensus. Iesus Christus est ille, qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Sequuntur hanc expositionem Strabus in sua glossa ordinaria, Laudunensis in sua glossa interlineari, Lyranus, S. Thomas, D. Dionysius Carthusianus, Victorinus Martyr, Primasius, Auctor Incognitus, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez a sancta Maria, & omnes alij expositores in hisce suis cõmentarijs super hunc locum, & etiam S. Thom. 3. p. q 49. art. 1. in argumento, sed contra, & in quolibetis, quol. 5. q. 3. art. 2. Tertullianus etiam diffuse per sua opera, & omnes antiqui Patres, ac etiam Neoterici Theologi expositores aliorum librorum sacræ Scripturæ, videlicet Hector Pinctus super Ezechielem cap. 2. in illa verba [Et statuit me supra pedes meos.] Ioannes Ferus in Ioannem, Didacus Stella super Lucam, Benedictus Pererius in Genesim, Prosperus Rosetus in Cantica, Palatius in Matthæum, & alij plerique, crebro per sua opera. Quam etiam & nos, tamquam verissimam supra sequuti fuimus, dum contextum enodaremus, & statim in principio huius paraphrasis. Quam denique communiter amplecti etiam solet turba concionatorum in suis concionibus, tam typis excussis, quam manu scriptis.

Strab. Laudunen. Lyran. S. Thom. Carthus. Vict. Mart. Primas. Doctor Incognit. Franc. Ribera Suarez. S Thom. Tertullian. Hect. Pinctus. Ioan. Feruſ. Didac. Stella. benedic. Pererius. Prosp. Rosetus Palatius.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod dilectio Chri erga nos fuerit per fecta.



TALI dilectione nos semper prosequutus fuit Christus, vt ipsemet nobis per Ieremiam cap. 31. dicat, [in charitate perfecta dilexi te.] Dilectio siquidem Iesu Christi erga nos merito pꝑetua dici potest, cum de illa Ioan. 13. dicatur: [Cũ dilexisset suos, qui erant in mundo in finem dilexit eos,] hoc est, in perpetuum dilexit eos. Nam verba ista, [in finem dilexit eos,] multa plane significant, quoniam indicant Christum vsque ad mortem non interrupisse dilectionem suam erga nos, quamuis impietate Iudæorum, fuga & abnegatione suorum discipulorum offensus fuisset. Significant etiã Xp̃m, ita nos amasse, vt nec mors, dilectionem suam erga nos terminare potuisset, aut in aliquo diminuere valuisset, iuxta illud Cant. 8. [Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.] Demonstrant porro, Christum perfectissima & summa dilectione, qua maior nequit esse alia, dilexisse nos iuxta illud Ioan. 13. [Maiorem enim charitatem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis,] quod plane Christus

Dilexisse suos Christum vsq. in finem quid sit.

Ioan. Fer. in c. 13. Ioannis. Dilectio Xpi erga nos perpetua.

F pro nobis moriens præstauit. Significant etiam, ad felicitatem, & beatitudinem, ita vt sit sensus: Ad finem dilexit eos, id est, ad felicitatem, & beatitudinem, quæ est illorum finis dilexit eos. Sunt denique aliæ pleræque interpretationes horum verborum, [in finem dilexit eos,] quæ omnes apprime demonstrant, Christum nos perseueranter dilexisse. Quibus additur Lyrani interpretatio, quæ est circa signa specialia dilectionis Christi in hora mortis, mundo per ipsum ostensa, instituendo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, pedes discipulorum lauando, &c. Attamen omnes interpretationes huius loci transcendit illã, quam supra insinuaui, nempe, [in finem,] hoc est, [in perpetuum,] quia Christus in charitate perpetua, (vt nuper distuli) dilexit nos. Quamobrem ipsemet Christus, per Isaiam

Caiet. in cap. 13. Ioan.

Lyranus in c. 13. Ioan.

G cap. 49. nobis ait: [Numquid obliuisci potest mater infantuli sui, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.] Vides perpetuã dilectionem Christi in nos? [In manibus (inquit) meis descripsi te.] Numquid quæso, est aliquis pater, aut aliqua mater ita diligens filiũ suum, vt nomen eius in manibus suis pingere, vel scribere faciat, vt sic die, ac nocte cõtinuã eius memoriam habeat? Minime gentium. Christus tamen Redemptor noster die, ac nocte suis nos scriptos portat manibus, vt semper memoriam nostri habeat. Et quod acriori indagine est cõtemplandũ, illa scriptura nõ fuit calamo, vel atramẽto artificiali, cartave anima lis mortui facta, quinimmo, eius calami, fuerunt acutissimi claui, atramentum, eius sanguis pretiosus, scri-

Scripti sumus in manibus Christi.

Scripti quomodo, & qualiter simus in Xpi manibus.

H ptores, perfidi Iudæi & milites Pilati, carta, ipsius caro delicata in cruce extensa, litteræ minores istius scripturæ, fuerunt flagellorum liuores, & percussuræ; maiores vero litteræ, fuerunt quinque cicatrices manuũ, pedum, laterisque ipsius. Quæ igitur quæso, ista magis perpetua dilectio esse potest? Nulla sane. Dilexit igitur nos Christus pepetua charitate, cum magis dilexerit nos, quam seipsum, diligendo nos magis, quam vitam suam, quam pro nobis ponere nullatenus dubitauit. Narrant sacræ litteræ Gen. 25. Rebeccam duos in vtero filios portasse gemellos, collisisseque paruulos ad inuicem in vtero adhuc inclusos, tempore autem partus appropinquante, minorem egredientem ex vtero matris, plantam fratris maioris tenuisse manu, vocatumque postea fuisse hunc minorem Ia-

Scribendi nouus modus in manibus Xpi.

Dilexit nos magis Xps quam suã dili geret vitam.

Dilectionis diuinæ elegãs Typus. Filij gemelli adhuc in ventre matris reclusi rixantur inter se. Comparatio optima. Dilectio gemina in Christo altera scilicet qua diligebat se, al era, vero qua nos diligebat.

I cob. Pari etiam modo in ventris Virginis Mariæ, non duo erant filij, sed vnus, tamen ex duabus constans naturis, diuina, scilicet, & humana, ibiq. altercatio fuit inter amorem, quo & se prosequebatur, & nos diligebar, & tamen ex mutuo consensu ordinatum fuit, vt maior seruiret minori, hoc est, vt sui oblitus Christus, pro nobis sese in mortem traderet. Ideo minor maioris plantã tenet respiciens vitę finem, [in finem dilexit eos.] In quo planesine, talis amoris maiora signa (vt diximus cũ Lyrano) nobis abundanter ostendit. Maior proculdubio est amor proprius, quam aliorum, ac proximi: & Christus magis dilexit nos quam se, cum vitam suam pro nobis posuerit. Hinc D. Gregorius Nazianzenus super illa verba Apostoli ad Heb. 12. [Aspicientes in

Greg. Nazian.

K auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem,] sic scribit [qui cum sibi liceret paternis frui delitijs, nec mortem gustare, confusione tamen, & ignominia contempta sustinuit crucem propter nos,] sic ille, & hoc plane est illud, [plantam fratris tenebat manu,] & illud etiam, [maior seruiet minori,] hoc est, amor proprias in Christo, inseruire nostro amori, vt plane factum fuit cum sui oblitus, pro nobis sese in mortem traderet amoris, vt sic requiesceret in pace cum nostro perpetuo amore. Quamobrem eius instante morte, Ioannes, de eius dilectione erga nos, dixit, [in finem dilexit eos,] id est, (vt aliam his verbis addam interpretationem) [in requiem amoris.] Quoniam morte eos liberare intendebat, quos viuens, plusquam se dilexit: vnde ly [in finem] merito sonat, vt requiesceret iam ipse amor per mortem eius. Hinc D. Augustinus sic ait: [Amor est dilatatio cordis alicuius in aliquem per desiderium

Finis pro amori requie.

curren-

currens,&per gaudium requiescens, Dum enim aliquē amamus ad ipsum affectu ducimur,& in eius bono gaudemus,& gaudendo requiescimus. Hoc, visio illa Isaię significauit, dum in cap.6. dicitur: [Vidi Dominum super solium excelsum, & eleuatum, &c.] & paulo post: [Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,& duabus volabant.] Sed dices qui fieri poterat, vt starent, velarent caput,& pedes, & simul volarent? Ecce plane amoris vis. Inflammari namque amoris igne Seraphim per desiderium volant, & per gaudium requiescunt sicut flamma ignis in altum volare videtur,& eleuari, & tamen cum igne semper est; sic Christus volabat per amorem,& desiderium,& requiescebat, gaudendo bonis acquisitis per passionem suam.

Simile.



HÆC tam perfecta erga nos Christi dilectio ad ipsum totis viribus diligendum nos inuitat. Hinc Paulus 1. ad Corinth. 16. sic ait: [Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum anathema sit maranatha.[Perinde, ac diceret: Quomodo illis qui eum amant, redemptio venturus est Christus, ita his qui eum non amant anathema illis venit, id est, vt illos abominetur, & perdat. Ad quem plane amorem prouocat quippe nos idem Apostolus varijs in locis. Nam 2. ad Cor. 5. sic ait: [Charitas Christi vrget nos.] & 1 Cor. c. 2. [Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.] & ad Galat. 2. [Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus, Quod autē nunc viuo,&c.]Et ad Ephes.5. [Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationē, & hostiā Deo in odorem suauitatis,] & paulo post: [Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.] Diligendus est proculdubio Christus à nobis, si enim Christus ita dilexit nos, vt suum sanguinem etiam funderet, quo nos à peccatis nostris ablueret, & a perpetua damnatione liberaret, a quum quidem est, vt nos illum ita diligamus, vt pro eius amore,& iam vsque ad sanguinem certemus vt illi, de quibus Ecclesia canit dicendo. [Gaudent in cælo animæ sanctorum qui Xpi vestigia sunt sequuti, & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt ideo cum Christo regnant sine fine. Et nō solum certemus vsque ad sanguinem, verum etiam pro eius amore nullam suppliciorū acerbitatē pertimescamus, vt Apostoli de quibus dicitur: [Ibant Apostoli gaudentes a cōspectu cōsilij, quoniā digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati,] Et etiam vt Martyres, de quibus canit Ecclesia: [Traduntur igni Martyres, & bestiarum dentibus, armata sæuis angulis tortoris insani manus, Nudata pendent viscera, sanguis sacratus funditur, sed permanent immobiles, vitæ perennis gratia:] Idq. facere debemus propter illud, quod dicitur Ioan.4. nempe: [Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.] & cap. 3. [In hoc cognouimus charitatem Dei; quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.] Hanc dilectionem Christi reuocat ad memoriam Bernardus super Cantica, dicens: [Super omnia te reddit mihi amabilē bone Iesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ, hic omnino amorem meum facile vendicat sibi totum, hic, inquam,& nostram dilectionem blandius allicitur, iustius, exigitur, & arctius stringitur, vehementius afficit; hæc est ex qua oritur strenuitas morum, pietas affectionum, sanctitas desideriorum, claritas operum, iucunditas virtutum, subtilitas intellectuum, dignitas meritorum, & vtilitas prœmiorum.] Sic ille. Et vt Christus nos ad hunc amorem suum excitaret, venit ad nos sicuti amore captus ad amansiam suam: Solent namque amatores, (vt vos bene nostis) cum ad amatricem suam descendunt induere se vestibus coloratis, portare corollas floreas in capite, poma aliqua, vel rosas, aut aliquos flores in manibus incedere cantando verba amoris, ostēdere crumenā plenam pecunijs,& apertam, ire gaudēter, portare calceamenta multum bene sculpta, vitta coccinea, vel rubra, aut alba ornata, solent tandem inclinare caput, salutare, & alia signa amoris ostendere. Sic ad nos aduenire voluit Iesus Christus amator diligentissimus quandoquidem ad excitandum nos ad amorem suum voluit vestiri purpureo vestimento, & coronam spineam in capite suo ferre: [Exijt Iesus (dicitur Ioan.13.) portans spineam coronam, & purpureum vestimentum.] Voluit insuper portare rosas in manibus, nimirum cicatrices, verba amoris dicere adeo dulcia, quibus omnia corda ad se attraheret, & mollificaret, dicens in cruce, [sitio,] Super quod verbum ait Bernardus: [Per hoc voluisti ostendere, quod sitiebas nostram salutem, & nostrum profectum, ac nostrum amorē.] Voluit etiam in signum largitatis portare crumenam apertam, vtpote latus apertum, & cor suum omnibus demonstrare: voluit adhuc pro rubris calceamentis habere pedes perforatos, & sanguine rubricatos, voluit tandem Iesus Christus, caput in cruce inclinando salutare nos homines, os claudendo, nos osculari, manus & brachia extendendo, nos amplexari, pedes fixos habendo cum nobis mori; & ex latere sanguinem, & aquam emittendo nobis lauacrū dare. Et ob id ad tanti amoris memoriam crebro habendam nos inuitat ipsemet Christus per Ieremiam Tren.3. dicens: [recordare paupertatis, & transgressionis meæ,] id est amoris transgredientis omnes alias dilectiones. Vnde Augustinus in lib. de Virginitate, sic inquit: [Aspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis,& cicatrices resurgentis,& hæc quanta sint cogita, & in statera cordis tui appende, vt totus tibi figatur in corde, qui totus, pro te fixus fuit in cruce.] Sed proh dolor, quia hodierno die contrarium experimur in nobis,& præcipue in mulieribus nostræ tempestatis. Quæ (Christo ab ipsis fere penitus spreto) pro spinea corona Christi, portant ipsæ cornua, vel aurea serta; pro sputis vultū Christi deturpantibus, ipsæ sibi faciunt fucamenta pro vitta, seu pannis oculorum, portant in fronte formalia: & alia in capite iocalia; pro sanguine per faciē Christi decurrente, habent bellecta, siue alia vnguenta ad carnem dealbandam, & ad capillos arte faciendos; pro clauis manuum, annulos pretiosos; pro clauo pedum calceamenta acuta,& planellas delicatas: pro corda ad collum, vittamcoccineam, vel byssinam, aut torquem,& murenulas argenteas, & aureas; pro veste alba, in qua fuit derisus, pretiosa,& vana vestimenta sensualia ad luxuriandum. O ingratum genus humanum. Hæc ne est tua frequens memoria dilectionis, mortis, & passionis Christi redemptoris tui? Audias, audias illud diuinum præceptum: [Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde to, ex tota anima tua, & ex omni mente tua.] Et sic facile missa facies hæc omnia tua deliramenta. Alioquin. Ecce ex nunc pro tunc annuntio vobis(o infelices mulieres) vaticinium illud Isaiæ executioni vtique mandandum. [Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion,& ambulauerunt extento collo,& nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant. Decaluabit Dominus verticē filiarum Sion,& Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum,& lunulas,& torques, & monilia,& armilla,& mitras, & discriminalia,& periscelidas, & murenulas,& olfactoriola, & inaures,& annulos,& gemmas in fronte pendentes, & mutatoria,& palliola.& linteamina,& acus,& specula,& sindones, & vittas,& theristra. Et erit pro suaui odore fœtor,& pro zona funiculus,& pro crispanti crine caluitium,& pro fascia pectorali cilicium.]

Conceptus 2. Quod Christū diligere tenemur.

Non diligens Christum anathema.

Primasius in epistola ad Cor.

Diligēdus est a nobis Xps super omnia.

Dilectio Xpi cogit nos ad tormenta per Xpū iustinēda

Apostoli pro Christo morientes.

Martyres pro Christo passi.

Dilexit nos prior Xps.

D.Bernardus.

Dilectionis Christi memoria.

Amantiū consuetudo.

Simile.

Christus, vt Amasius venit ad nos.

D.Bernardus

memoria passionis Christi oportet sit frequens.

Dilectionis Christi vis.

D.Aug.

Dilectio Christi omnes alias dilectiones transcendit.

Mulierum dementia.

Lucæ 10.

Isa.3.

Meretricū pœna in die iudicij, & post in inferno æternaliter.

Dc

Conceptus 3. Quod vnus tepide, alius vero calidissime Christum diligit.

Litteralis sensus verborum Apostoli.



De dilectione, quam nos tenemur Christo exhibere, possunt proculdubio intelligi illa verba Pauli 1. Cor. 11. nempe: [Alius quidem esurit alius autem ebrius est.] Certum quidem est D. Paulum his verbis ad litteram diuites reprehendisse, ex eo quod vnusquisque eorum priuatim suam sibi cœnam præsumit manducare, pauperibus nihil impartiendo, atque ita fit, vt paupere esuriente, diues ebrietate, vsque ad crapulam satietur, qui de sua debuerat abundantia pauperum supplere inopiam, vt esset cœna Domini per charitatem & non diaboli per abusum, & pauperem contemptũ. Hic est litteralis sensus verborum Pauli. Verumenimuero illa verba Apostoli, nempe: [Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.] Possunt amatoribus, & diligentibus Christum adaptari: Quoniam alius esurit (in cœna amoris, & dilectionis Christi) tepide, frigideque eum amando, alius autem ebrius est, calidissime excessiueque eumdem diligendo. De qua re periculũ facere possumus inter ipsos Apostolos Christi quoniam Apostoli omnes, nonne diligebant Christum? Maxime quidem. At vero Iudas ita frigide, & tepide Christum dilexit, vt tandem, tandem illum triginta argenteis tradiderit Iudæis. S. Petrus vero ita calidissime & excessiue Christum amauit, vt ad illa verba eiusdẽ Christi: [Omnes scandalum patiemini,] mox responderit: [Etiamsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor,] & paulo post, [& si oportuerit me mori tecum non te negabo. [Quærunt Theologi causam ob quam Petrus multoties in Euangelio dictis, & verbis Christi contrariauerit, nimirum, cum dixit Matth. 16. [Absit hoc à te Domine.] & Ioan. 13. [Non lauabis mihi pedes in æternum.] & Matth. 17. [Faciamus hic tria tabernacula.] & Matth. 26. [Non te negabo.] & Matth. 16. [Non scandalizabor.] Et respondent, ex nimio amore talia dixisse Petrum, ex eo, nimirum, quod anima Petri amore Christi veluti ebria erat. Ita D. Hieronymus in Matt. cap. 16. de Petro sic ait: [Petrus præ nimio amore nimis præsumit.] Et D. Hilarius in can. 30. in Matthæum, de eodẽ Petro, sic est allocutus: [Amor de Xp̃o, Petro impediuit rationem.] Ardebat quidem Petrus amore Christi, & ideo amor, Petrum aliquando impatientem, inconsideratum, fortem, audacem, vehementem, importunumque redegit. Amor sane fuit ille, qui eum impellit ad dicendum: [Absit hoc à te Domine.] Amor fuit ille, qui illum commouit respondere. [Non lauabis mihi pedes in æternum.] Amor fuit ille, qui illum incitauit loqui, dicens: [Faciamus hic tria tabernacula.] Amor fuit ille, qui eum expulit hæc verba proferre: [Non scandalizabor.] Amor denique fuit ille qui eum allexit, in hæc verba prorumpere: [Non te negabo.] Vides igitur Petrum amore Christi veluti ebrium. Numquid talia aliquando dixit Iudas? Minime gentium. Quod proditor iste dixit, fuit: [Quid vultis mihi dare, & ego eũ vobis tradã.] Et venditione facta osculoque pacis caute exhibito: [Aue Rabi,] & tandem Xp̃o iam morti tradito: [Peccaui tradens sanguinem iusti.] Quæ quidem omnia dicta Iudę, si aliquo amore Christi redolere affirmes, illum reuera frigidum, aut tepidum esse oportet dicas. Et sic Iudas amore Christi esuriuit. Ecce qualiter de Iuda, & Petro circa amorem Christi dicere possumus. [Hic quidem esurit, ille vero ebrius est.] Idipsum profecto, ac nostra tempestate inter viuentes clare experimur. Videbis siquidem quosdam (tam virorum, quam mulierum) ita amore Christi veluti inebriatos, vt die, ac nocte, non cessent orare, ieiunare eleemosynas pauperibus elargiri, visitare hospitalia, & Ecclesias, vestire pauperes, & alia infinita bona in charitate præstare: sed proh dolor, videbis aliquos alios, dilectione, & amore Christi ita esurientes, vt numquam orent,

Sensus moralis, & tropologicus verborũ Apostoli.

Iudas tepide diligebat Xp̃m.

Petrus ardentissime diligebat Xp̃m.

Petrus dictis Christi crebro contrariauit & cur.

Petri anima in dilectione christi veluti ebria.

D. Hieron.

D. Hilar.

F nec ieiunent, &c. immo totos se vitijs, & sceleribus forti animo dant: Et si aliquando tandem aliqua bona faciunt, sunt veluti ille Pharisæus, qui Lucæ 18. dixit: [Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri peccatores.] Ieiunant fortasse, aut orant semel dumtaxat in anno & adhuc de illa sola vice perfricata fronte, audent gloriari. Oportet itaque vt vos fideles, amore Christi fideli inebriemini cum Petro, quoniam ipse redemptor noster Christus, supra modum dilexit nos. Nam ipse tripliciter nos amauit, vtpote dulciter sapienter, & fortiter: idcirco D. Bernardus sermone 20. in Cantica sic scribit: [Dilexit autem dulciter, sapienter, fortiter: dulce nempe dixerim, quia carnem induit: cautum quia, culpam cauit: forte, quia mortem sustinuit. Nam quos sane in carne visitauit, carnaliter tamen nequaquam amauit, sed in prudentia spiritus. Spiritus quippe ante faciem nostram

G Christus Dominus: æmulans nos Dei æmulatione, non hominis: & certe saniori quam primus Adam Euam suam: itaque quos in carne quæsiuit, dilexit in spiritu, redemit in virtute. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem. At dum naturam prudenter selegit a culpa; etiam potenter mortem protulit a natura: in carnis assumptione condescendit mihi; in culpæ vitatione consuluit sibi: in mortis susceptione satisfecit Patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis, huic securus me credo qui saluare me velit nouerit possit: quem quæsiuit hunc, & vocauit per gratiam suam, numquid venientem eijciet foras? Sed nec vim, nec fraudem metuo profecto vllam, quæ me, videlicet, de manu eius possit eruere, qui & vincentem omnia vicit mortem, & seductorem vniuersitatis, serpentem arte vtique sanctiore delusit, isto prudentior, illa potentior: carnis

H quidem assumit veritatem, sed peccati similitudinem: dulcem prorsus in illa exhibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis diabolo. Porro vt patri nos reconciliet, mortem fortiter subit, & subigit fundens pretium nostræ redemptionis sanguinem suum: ergo nisi amasset dulciter, non me in carcere requisisset illa maiestas, sed iunxit affectioni sapientiam qua tyrannum deciperet; iunxit & patientiam qua placaret offensum Deum patrem, hi sunt modi quos vobis promiseram, sed promisi eos in Christo, vt commendabiliores haberetis. [Et inuitans nos ad hanc diuinam dilectionem, ita subiungit:] Disce ô Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum: disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter; dulciter ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi in amore Domini auertamur,

I ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris; dulcescat tibi præ his sapientia Christus, ne seducaris spiritu mendacij; & erroris: lucescat tibi veritas Christus: ne aduersitatibus fatigeris; confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflamminet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne forte tria ista tibi, & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.] Hucusque D. Bernardus. Hinc noster Euangelista hoc vnico verbo, [qui dilexit nos,] fontem aperuit, vnde reliqua beneficia emanarunt. Nihil enim nobis communicatum est boni, quod ex diuino amore non procedat, quo nos ab æterno dilexit. Quam ob causam asserere proculdubio possumus dilectionẽ Christi, periodum, finemve in nobis aliquando obtinere minime debere. Vnde Apostolus ad Ephes. 5. dicit

K [Ambulate in dilectione sicut Christus dilexit nos.] Perinde, ac diceret: Nemo quiescat, nullis in vita sit contentus actionibus, sed maiores in dies, progressus in Christi amore facere curet, maiora pro ipso insistinendo. Qui enim nauiget per flumen contra aquæ impetum oportet eum semper, vel velis vento extensis, vel remis laborare in remigando, vt ad ripam queat nauem conducere: alioquin iterum rapietur, & retrograditur. Sic cum amoris Christi exercitium

contra

Christus dilexit nos dulciter, sapienter, & fortiter.

D. Bernard. serm. 20. in Cantica.

Amor Christi est fons omnium beneficiorum Dei.

Comparatio.

Nota bene.

contra nostram naturam, contraque corruptionem eius sit (quæ nos ad delitias, & mala excitat) necesse est semper in eius actibus se exerceat: [Vbi etenim dixisti (ait D. Augustinus) sufficit peristi.] Vbi etenim existimas te satisfecisse circa Christi amorem, ibi incipit perditio tua, eo quod in via Dei non progredi, retrogredi plane est. Eius igitur amor, rogo, nos doceat; qui nullo opere contemptus fuit donec vitam pro salute nostra poneret suam.

D. Aug.

Nota attente.

PARAPHRASIS Vndecima.

Par. 11. Dilucidatio textus. §. 1.

Et lauit nos (ait) à peccatis nostris.

Lauari idem plane est, quod purgari, renouari, iustificari, sanctificari, viuificari, signari, secreari, liberarique per Christum, iuxta illud Apostoli ad Tit. 3. [Secundũ suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrum.

§. 2. Strabus. Laudunensis. Lyranus. S. Thom. D. Dionysius Carthus. in comment. Christus à peccato originali, & actuali nos liberauit. S. Thom. Passio Christi causa remissionis peccatorum.

Acute tamen dictum est, [à peccatis nostris,] quoniam Strabus in sua Glossa ordinaria Laudunensis in sua Glossa interlineari, S. Thomas, Lyranus, & D. Dionysius Carthusianus in hisce comment. præfata verba exponunt, de originali, & actuali peccato. Et merito sane. Propterea quod S. Thom. 3. p. q. 49. art. 1. aperte fatetur nos liberatos fuisse per passionem Christi à peccatis: quoniam Passio Christi est propria causa remissionis peccatorum tripliciter, nimirum, per modum prouocantis charitatem, per quam consequimur veniam peccatorum, secundum illud Lucæ 7. [Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum:] per modum etiam redemptionis, & per modum efficientiæ; in quantum caro (secundum quam Christus passionem sustinuit) est instrumentum diuinitatis, ex quo eius passiones, & actiones operantur virtute diuina ad expellendum peccatum. Quamobrem Caietanus explicando mentem D. Thom. sic ait: [Aduerte quod cum passio Christi, dicitur causa propria remissionis peccatorum, intelligitur ita propria, quod sola ipsa est per quam veniam consequimur peccatorum omnium, &c. sine fide passionis Christi explicite, vel implicite impossibile est secundum potentiam ordinariam hominem remissionem peccatorum consequi:] Sic ille. Liberauit ergo nos Christus per suam passionem non solũ ab originali, verumetiam ab actuali peccato. Ideo merito noster Archipropheta hoc in loco ait: [à peccatis nostris,] & non [à peccato nostro,] cum non solum ab originali, verumetiam ab actuali peccato nos liberauerit Christus. Quamobrem recte S. Thomas loco præallegato in solutione ad 2. sic ait: [Christus sua passione nos à peccatis liberauit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata, quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura; sicuti si medicus faciat medicinam ex qua possint quicumque morbi sanari etiam in futurum.] Hactenus S. Thomas. Si autem quæras, quæ sit ista causa, quam instituit Christus nostræ liberationis? Respondebitur tibi: Baptismum, & alia sacramenta esse. Ideo Angelicus præceptor 3. q. 49. art. 1. in solutione ad 4. sic dicit: [Quia passio Christi præcessit, vt causa quædam vniuersalis remissionis peccatorum necesse est, quod singulis adhibeatur ad deletionem, propriorum peccatorum, hoc autem fit per baptismum, & pœnitentiam, & alia sacramenta, quæ habent virtutem ex passione Christi:] Sic ille. Ideo Doctores in 4. lib. sent. cum Magistro, & in 3. p. q. 69. cum S. Thoma firmiter tenent, non solum originale, verumetiam omnia actualia peccata deleri per baptismum, quod quidem fundatur in verbis Christi, dicentis, Marci 16. [Qui baptizatus fuerit saluus erit.] & Ioan. 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.] & Act. 4. [Baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorũ

Caiet. in comment. 3. p. D. Thoma.

S. Thom.

Peccata omnia delentur per baptismũ.

S. Thom.

Passio Christi est causa vniuersalis remissionis peccatorum.

Baptismus delet omnia peccata.

A vestrorum.] Idque Concilia sanctorum Patrum confirmant. Nam Concilium Florentinum sub Eugenio 4. celebratum, sic sancit: [Baptismi effectus est remotio omnis peccati.] & Conc. Trid. sess. 5. ita ait: [Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, anathema sit.] cuius rei, S. Thom. 3. p. q. 69. art. 1. explicans illa verba Pauli ad Rom. 6. nempe: [Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus.] & paulo post: [Et vos existimate quidem mortuos esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro,] hanc reddit rationem dicens: [Ex quo patet, quod per baptismum homo moritur vetustati peccati, & incipit viuere nouitati gratiæ, omne autem pecatum ad pristinam vetustatem pertinet vnde consequens est, quod omne peccatum per baptismum tollatur.] Sic sanctus Thomas. Vides igitur qualiter baptismus omnia peccata tollit? Est ergo effectus baptismi remotio omnis peccati. Vbi nota, quod licet baptismus omnia tollat peccata, tamen non tollit concupiscentiam, vel fomitem peccati. Ideo Conc. Triden. sess. 5. sic sancte statuit. [Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur, & sentit.] Quod etiam fatetur D. Augustinus dicens: [Iam ne discernis? Iam ne perspicis? Iam ne respicis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorum, & cum baptizatis, quasi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum?]

Conc. Floren.

Conc. Trid.

S. Thom.

B

Baptismus effectus. Baptismi non tollit concupiscentiã, vel fomitem.

D. Aug.

Sed dices fortasse. Quomodo hæc duo stare simul possunt, nempe, omnia peccata deleri, & concupiscentiam, vel fomitem non deleri cum Paulus ad Coloss. 3. appellet concupiscentiam malam, & per consequens peccatum? Ad cuius dubij decesionem, audias primo oportet Concilium Tridentinum statuentem in sess. 5. ita: [Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, si quis autem contrarium senserit, anathema sit.] Hucusque Concilium Tridentinum. Non est igitur peccatum concupiscentia. At vero quia est pœna peccati originalis, & inclinat ad actuale peccatum, ideo, ab Apostolo ad Coloss. 3. & ad Rom. 6. 7. & 8. mala, & peccatum appellatur: Quemadmodum scriptura mea dicitur manus mea, quia à manu mea facta est. Vel quemadmodum mors vocatur pallida, quia pallidos facit, sic ait Concilium Tridentinum concupiscentiam dicit peccatũ, quoniam ex peccato est, & in peccatum tendit, & per consequens cum concupiscentia non sit peccatum, eam non tollit baptismus. At vero tollit baptismus omnia peccata (vt dictum est.) nempe originale, actuale, & veniale, dicente Ecclesia in Symbolo Apostolorum, [Confiteor vnum baptisma in remissionem, peccatorum.] Et Ezechiel 36. [Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,] & Paulus ad Ephes. 5. [Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ.] Si autem post baptismi susceptionem in aliquod lethale, vel veniale scelus lapsus fuerit homo, talia peccata quamuis sint innumerabilia, & nostro modo loquendi infinita (vt summatim perstringam) delentur per sacramẽtum pœnitentiæ. Cuius forma est: [Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] Et hoc non semel, aut bis, sed semper, & vbique iuxta verbum Christi, Matth. 18. [Non dico tibi vsq. septies, sed vsq. septuagies septies,] id est, semper & vbique. Quoniam, testante D. Hieronymo, ibi ponitur numerus determinatus pro indeterminato, vel vt ait Caietanus, numerus finitus pro infinito. Quamobrem pœnitentia à D. Hieronymo appellatur, [Secunda tabula post naufragium.] Delentur igitur peccata commissa, baptismo iam suscepto per sacramentum pœnitentiæ, & per alia sacramenta; quia omnia, &

§. 3. Dubium.

C

Conc. Trid.

Nota bene de terminatione Ecclesiæ super verba Apostoli.

Concupiscentia nõ est peccatum.

Concupiscentia fontalis origo peccatorum.

Comparatio.

D

Mors quare pallida dicatur.

Concupiscentiam quare non tollat baptismus.

Peccata omnia delentur per baptismũ.

E

Post susceptionem baptismi, lauamur pœnitẽtia cũ in aliquod facinus labimur.

D. Hieronym. & Caietan. in Matth.

D. Hier.

nia,& singula virtutem obtinent remittendi,& abluedi peccata ex passione Christi. Hinc proculdubio est quod Iesus Christus Saluator noster ab omnibus peccatis nostris (vt hoc in loco dicitur a nostro Archipropheta) abluit,& lauit nos,tam originali, quam lęthali,ac veniali. Hoc plane indicat illud: [Et plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.Samaritanus autē, &c.] vt recte annotat S.Thomas p. 3. q. 85. art. 1. 2. & 3. Pro quo etiam stat illud: [Ecce Agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi.] Quibus in locis sermo plane est tam de originali, quam de omnibus alijs peccatis, quæ ex illo (tamquam ex fonte) prope diem dimanat. Propter quod videtur sane, in hominem illam Ouidij maledictionem cecidisse, qui in libro de Ibide sic ait:

Lucæ.10. Ioan 1. S.Thom. Ioan. Originale peccatum est fōs omnium peccatorum. Peccat a hominibus mala infinita aspersere solent. Ouid lib. de Ibide.

Terra tibi fruges, mare cunctas deneget vndas
Deneget afflatus ventus auraque suos
Nec tibi sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe,
Destituant oculos sidera clara tuos,
Nec se Vulcanus,nec se tibi præbeat aer,
Nec tibi det tellus,nec tibi pontus iter.
Exul inops erres, alienaque limina lustres.
Exiguumque petas ore tremente cibum
Nec corpus querulo, nec mens vacet egra dolore
Noxque die grauior sit tibi nocte dies.
Sisque miser semper, nec sis miserabilis vlli,
Gaudeat aduersis femina,virque tuis
Accedat lacrymis odium, dignusque puteris
Quot mala commiseris plurima, plura feras.
Sitque quod est rarum, solito defecta fauore
Fortunæ facies inuidiosa tuæ.
Causaque non desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatusque diu, cruciatus spiritus arctus
Deserat,& longa torqueat ante mora.

Ob hæc plane mala, & varia incommoda, quæ ex peccatis suboriuntur, asserere vtique possumus obduratum Cain, audita sententia Domini sibi dicentis: [Vagus,& profugus eris super terram.] In hæc verba (misericordiæ Dei oblatum) irruisse:] Maior est iniquitas mea, quam & veniam merear. Ecce eijcis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis igitur qui inuenerit me,occidet me.]Dictis etiam fauet illud: [Et peccatum meum contra me est semper.] Quamobrem miserator,& misericors Dominus ille noster, qui pro nobis voluntarie pependit in cruce,à peccatis nostris, nos vtique lauit.

Gen.4. Psal.50.

PARAPHRASIS

Duodecima.

Par. 12. Dilucidatio textus. §. 1.

In sanguine suo. (dicit) Diuina virtus instrumenti redeptionis nostræ, nempe, sanguinis Christi,hic attingitur, & ostenditur à nostro Prophetarum omnium coriphæo. Cum enim pretiosissimus sanguis Iesu Christi Domini nostri non esset sanguis puri hominis,sed sanguis veri Dei, & veri hominis (existebat proculdubio in illo diuina virtus redemptionis no-

F stræ)abundanter lauit nos ipse Iesus Xps à peccatis nostris in sanguine suo, id est, merito passionis suæ. Hinc D. Dionysius Carthusianus super hunc locum sic scribit: [Et lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo,id est,merito passionis suæ, & pretio sanguinis sui a peccato originali, & actuali nos emundauit tempore passionis: Et hoc quantum ad sufficientiam, quoniam quantum in se est pro omnibus satisfecit, sed quantum ad efficientiam, seu efficaciam lauat nos à peccatis nostris in sacramento baptismi, & pœnitentiæ,quæ passione Christi efficaciam sortiuntur,sicut & cætera sacramenta, quæ sunt velut vasa medicinalia Dominicæ passionis, virtutem, & gratiam quodammodo continentia.per quæ meritum Christi nobis applicatur. Præterea quandocumque veniam ex toto corde precamur, lauat nos a peccato in sanguine suo. Nam preces nostræ, & omnis nostra operatio,

D. Dionysius Carthus. in c. 1. Apoc. Sanguis Xpi lauit nos quātum ad sufficientiam. Sanguis Christi lauat nos quantum ad efficaciam in baptismo, & in applicatione aliorum sacramentorum.

G per hoc redduntur Deo acceptæ, ac vigorosæ quod Christo capiti nostro per fidem coniungimur, hinc ad Ephesios inducitur,Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret: nam quia dilexit tradidit se,& lauit, non quia digni eramus.] Hucusque Carthusianus. In sanguine igitur suo lauit nos Christus, effundens illum pro nobis in cruce: nam patri illum offerendo, peccata nostra, & abluit,& lauit. Ideo Ioan.19. dicitur: [Vnus militum lancea eius latus aperuit,& continuo exiuit sanguis,& aqua.] Quod plane ideo factum puta, vt sanguine abluendo, simul & aqua lauaret. Hinc quippe est, quod sanguine nos redemit,& aqua nos lauit:[Si enim (inquit Apostolus ad Heb. 9.) sanguis hyrcorum, & taurorum,& cinis vitulæ aspersus, sanctificat, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo, emundauit con-

Sanguis, & aqua fluit ex latere Christi. Sanguis,& aqua cur fluxerunt ex Xpi latere. Sanguinis Xpi & sanguinis hyrcorum, & taurorum differentia.

H scientiam nostram ab operibus mortuis.] Hinc proculdubio est,quod noster Prophetarum Propheta Ioannes,hoc in loco dicat: [In sanguine suo:] perinde ac diceret,lauit nos Christus, non vt olim in sanguine hircorum,aut vitulorum, sed in proprio sanguine suo. Hic plane adimpletum est quod Patriarcha Iacob, Gen. 49. prædixerat, dicendo: [Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.] Vere igitur in pretioso sanguine suo lauit nos Christus à peccatis, cum ipsemet Ioan.6. dicat: [Et sanguis meus vere est potus.] Vera quidem potio est sanguis Christi, cum per ipsum, pacem ipse composuerit inter cælestia, & terrestria; hoc est inter Deum, Angelos, & homines; quos prius peccatum, siue offensa, Dei dissociauerat: [Pacificans (ait Apostolus ad Coloss. cap. 1.) per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris,siue quæ in cælis sunt.]

Sāguinis Xpi vis. Apostrophe ad sanguinem Christi. Sanguis Xpi verus potus.

I

§. 2.

Circa hoc pretiosissimum salutis nostræ instrumentum,nimirum, Christi sanguinem,torquet vehementer animum meum illud quod Euthymius,Theophilactus, Armenij,Lyranus, & alij dicunt,super illa verba Luc. 22: [Et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.] Dicunt namque hi Doctores sudorem illum vere non esse sanguinem. Euthimius siquidem vim faciens in dictione illa[sicut,] intelligit dictum tantummodo fuisse per similitudinem,veluti,ac si diceret Euāgelista, Christum sudorem ita ingrossatum sudasse quemadmodum si essent guttiunculæ sanguinis. Theophilactus vero respiciens prouerbium vsitatum, & parœmiam, ait istum modum esse loquendi ad exprimendum nimium sudorem; Nam quando quis valde ac multum sudat sanguinem: & quando quis amare

Sanguis Christi in horto effusus fuit naturalis sanguis. Sanguis quem sudabat in horto, ubi videbatur non esse verus sanguis. Euthymius. Theophilact.

K & dolorose plangit solemus dicere hiperbolice, & in prouerbio,plangit lacrymas sanguinis. Armenij insuper absolute negant, Christum sanguinem sudasse in horto, vt videre est apud Nicinum epistola de pessimorum Armeniorum pessima religione. Et tandem Nicolaus de Lyra sic ait: [fuit sanguis sudorem tingens.] Torquent igitur(vt dixi)hæc omnia animum meum, quia Iesus Christus Redemptor noster sanguinem eiusdem speciei cum illo quem claui, & lancea ab eius

Armenij. Lyranus.

D. Hieron. Iustinus. Irenæus. Theodoret. D. Bernard. Athanas.

ab eius manibus, pedibus & latere eduxerunt, sudauit, vt recte tenet Hieron. lib. 2. contra Pelagianos, Iustin. martyr in dialogo contra Triforem, Irenæus lib. 3. c. 32. Theodoretus Psal. 54. Bernardus de passione Domini, cap. 37. Athanasius, & alij, & præterea de celebratione missarum cap. [In quantum.] Sic expresse dicitur: [verus extetit sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.] Vbi igitur sunt testimonia fide digna, ad quid quæso sunt, similitudines, comparationes, paragonia, paroemia, prouerbia, hyperboles, figuræ, aut tropi adhibendi? Verus igitur & realis illius loci sensus est Christum Iesum non quasi sanguinem, sed sanguinem eiusdem speciei com illo, qui ex manibus, pedibusque clauis perforatis emanauit, sudasse.

Nota bene.

§. 3. Particulæ [sicut, quasi, tanquam] vere, & proprie aliquando demonstrant.

Ad quod recte intelligendum nota quod hæ particulæ, [Sicut, quasi, tamquam,] vt tenent D. Augustinus super Psalmum 125. D. Hieronymus super c. 5. ad Ephes. D. Ambrosius lib. 7. epist. 47. Chrysost. hom. 11. in Ioan. & D. Greg. lib. 18. Moralium c. 4. & alij multitudine infiniti sancti Patres, licet aliquando similitudinaliter significent, tamen sæpe sæpius, ac frequentius, veritatem, & proprietatem rei demonstrant. Nã Psal. 125. sic dicitur: [facti sumus sicut consolati,] vbi illud [sicut] secure significat, facti sumus cõsolati. Præterea Iacobi, 1. dicitur: [Redarguti à lege quasi transgressores, vbi illud quasi secure significat à lege transgressores. Porro 1. Petr. 2. sic dicitur: [siue regi quasi præcellenti;] & tamen rex vere, & proprie est præcellens. Itẽ ad Philip. 2. sic dicitur: [Et habitu inuentus, vt homo.] Christus autẽ vere, & proprie erat homo. Insuper Ioã. 1. sic dicitur: [Vidimus gloriã eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.] Et tamen quis ignorat Christum Iesum absque similitudine aliqua vere, & proprie vnigenitũ esse patris? Ita igitur dicendum est hoc loco: [Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram,] guttæ sanguinis, quæ vere & proprie erant sanguinis, & sic Euangelista non fuit ibi loquutus per similitudinem, vt voluit Euthymius, sed vere, & proprie. Quia si per similitudinem fuisset alloquutus, reuera illi non defuisset alia magis conueniens similitudo, quã sanguinis similitudo, nec minus, illico subiungeret, [decurrentis in terrã,] nec denique vsus fuisset vocabulo Græco, quod magis sonat [grumi,] quam [guttæ,] quod quidem proculdubio factum est ad demonstrandũ sanguinem fuisse congelatum.

Soluitur Euthymius.

§. 4. Soluitur Theophilact.

Ad illud vero Theophilacti apparet solutio, ex eo, quod non sunt adhibendæ figuræ, aut tropi vbi vis, & robur ipsiusmet litteræ saluatur: verum siquidem est Christum in agonia multum, & copiose sudasse, (vt ipse tenet,) at vero sudauit sanguinem, (quod ipse non est ausus fateri) vt tenent sancti Patres Latini. Illud etiam Armeniorum facile diluitur cum si error pessimus ipsorum, vt est dictum. Nec tandem illa limitatio Lyrani tenet, quia non tantum fuit sanguis sudorem tingens, (vt ipse limitat) sed verus, & proprius sanguis, vt tenent D. Hieronymus, Iustinus, Irenæus, Theodoretus, D. Bernardus, & D. Athanasius, locis supra præallegatis, qui omnes affirmant sanguinem, quem Christus sudauit in horto, eiusdem speciei, & naturæ fuisse cum illo qui ex manuum, pedumque perforatione ob nostram salutem dimanauit, cuius sanguinei sudoris emanatio miraculosa fuit, & voluntaria, licet sanguis esset naturalis. Nam quamuis homo naturaliter possit sanguinem sudare, vt Aristoteles docet, & natura ipsa magna experientia, in venenatis à serpentibus demonstrat, & idem tenent Ludouicus Cælius lib. 5. antiquæ lectionis, cap. 2. & Caietanus super Lucam c. 22. & idipsum non abhorret sancta Scriptura, cum Gen. 30. in virgis Iacob doceat quantam vim, & potentiam obtineat anima supra corpus sibi vnitum: cuius etiam sententiæ fuit D. Augustinus, vt apparet. 11. lib. de Trinit. cap. 4. hoc etiam ipsum ratio ipsa persuadet; quia sicuti natura aliquando in generatione, deficiente semine, ministrat sanguinem; ita cum sudor sit aquositas sanguinis, possibile est vt post totum iam foras emissum sudorem, expellat etiam tandem foras sanguinem ipsum. Et sic dico quod quamuis homo possit naturaliter sanguinem sudare, tamen hoc non valet in Xpo; quia istud cõmuniter accidere solet in debilitatis & exiguæ complexionis hominibus, Christus autem fuit optimæ, & bonæ complexionis. Quod quidem apparet ex eo, quod cum debilitati sanguinem sudant, istud fit in parua, & exigua quãtitate; at vero Christus in tanta quantitate sanguinẽ sudauit, vt dicat Euangelista, [decurrentis in terram.] Et proinde nequit imaginari talem emanationem sanguinis opus esse solius naturæ. Et per consequens tenendum firmiter est sanguinem naturalem esse, emanationem vero supra naturalem, & miraculosam, voluntariamque; sicuti proculdubio sentiendũ est de emanatione sanguinis Xpi, à latere dextro, vi, & ictu lanceæ, quando post mortem exiuit sanguis, & aqua. Verum quidem est, quod passiones aliquando (vt dicunt Philosophi) mutare solent corpus, vi appetitus sensitiui, at vero quod illud sic mutare faciant, vt tantam sanguinis emittat & expellat copiam, vt Xps cuius sanguinis guttæ, vt aiũt Euãgelista, decurrebant in terram, hoc est impossibile. Idcirco dicendum puto, quod timor mortis fecit sudare Christum; at vero quod cum sudore tantam copiam sanguinis emiserit, pertinet ad miraculum, & opus supranaturale; quia Euangelista sic ait: [decurrentis in terram.] Et ob id Caietanus super hæc verba Lucæ cap. 22. nempe, [sanguinis decurrentis in terram.] sic scribit: [Quamuis naturaliter accidere possit sudor sanguineus, & Aristoteles fateatur id etiam accidisse, quia tamen indigesti sanguinis, & minus bonæ complexionis hoc accidens secundum naturam est apud eumdem, Iesus optimæ complexionis sanguineum sudorem emisit, sicuti natura in parte generatiua, deficiente semine ministrat sanguinem: simili namque modo, deficiente aquositate quæ est materia sudoris, nonnihil quoque sanguinis emisit, erat enim corpus Iesu exhaustum, & magnitudo passionum pellens violenter sudorem pepulit simul aliquid sanguinis, deficiente sudoris materia. Et quamuis non describatur sanguis decurrens, describuntur tamen guttæ sanguineæ decurrentes, vt multitudo earum significetur.] Hucusque Caietanus, & optime sane.

Soluitur Armenij. Soluitur Lyranus.

Optima difficultas. Sanguis quẽ Xps in agonia sudauit fuit naturalis, emanatio sanguinis Xpi in agonia ab eius corpore fuit miraculosa, & voluntaria.

Ludouicus Cælius. Aug.

Passiones appetitus sensitiui aliquando immutãt corpus.

Caiet. super Lucam.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1 in quo tractantur varia Epitheta sanguinis Xpi.

DE sanguine, vix, aut nullatenus quidem verba facere possumus in sacra pagina absque mysterio; nam in sanguine agni liberatus fuit populus Israel de Ægypto, vt dicitur Exod. 12. In sanguine fiebat remissio peccatorum, vt dicitur Leuit. 16. Sacerdos insuper absque sanguinis effusione non introibat in Sancta Sanctorum, vt inquit Apostolus ad Heb. 9. Sunt, & aliæ pene infinitæ figuræ veteris Testamenti, in quibus nullo modo possumus de sanguine loqui absque mysterio; quia si de sanguine hircorum, & taurorum nequimus loqui absque mysterio; quomodo de pretioso sanguine agni immaculati Christi absque magno mysterio loqui poterimus? Ideo recte argumentatus est Paulus ad Heb. 9. sic [Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?] O sanguis pretiosissime Redemptoris mei Xpi Iesu. Iste sãguis est argẽtũ, & aurũ illud quibus empti sumus de vana conuersatione, dicente Apost. Petro: [Sciẽtes quod non corruptibilibus auro, vel argẽto redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immacu-

Sãguinis plene mysteria.

Sanguis Xpi supra omnes sanguines mysteriosior.

Apostrophe ad sanguinẽ Christi. Sanguis Xpi valor infinitus.

1. Pet. 1

maculati Christi,& incontaminati.] Ideo 1.Cor.6.dicitur:[Empti enim estis pretio magno,] & ad Heb. 9. [Sanguis filij eius emundat nos ab omni peccato .] & Apoc.cap.5. [Redemisti nos Deo in sanguine tuo.] & ad Ephes. 1. [In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, & remissionem peccatorum.]Sanguis iste est ille sanguis,quem diuina iustitia patris æterni postulabat,cum post Adæ peccatum aperte dicatur:] Sanguis eius (id est Christi) exquiritur.] Hinc Paulus ad Heb.9.ait:[Omnia pene secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.]quasi diceret,sanguine animalium omnia in lege mundabantur ; sed quia talis aspersio sanguinis animalium,neque hominem perfectum reddebat, neque perfecta mundatio erat,ideo perfecta mundatio , & remissio peccatorum in sanguineXpi consistit.Et proinde sine sanguinis Christi effusione nõ fit remissio,id est,nemo redimitur,quasi pater æternus dicat:post Adæ peccatum,effundere poteritis hircorum, & taurorum sanguinem ad abluenda aliqua,leuia peccata: at vero perfecta remissio peccatorum,non erit apud me vsquam; absque filij mei Iesu Christi sanguinis effusione, quo pretioso sanguine erit apud me proculdubio copiosa redemptio , & satisfactio.Sanguis iste est clauis, & sigillum, quo vtrumque Testamentum(nouum scilicet, & vetus) clauditur , & sigillatur ; ne ei aliquid de nouo , aut addi, aut diminui possit,dicente Apostolo:[Etiamsi Angelus de cælo euangelizet vobis aliquid præter id , quod euangelizatum est, anathema sit.] & Apoc.cap.22. [Si quis apposuerit ad hæc,apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto , & si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius auferet Deus partem eius de libro vitæ,& de ciuitate sancta.]Sed quorsum ista?Profecto ad nihil aliud nisi ad ostendendum,quod vtrumque Testamentum iam sanguine Christi clausum,& sigillatum fit.Quapropter si diligenti indagine,tres leges , scilicet, naturæ, Moysis, & gratiæ introspicimus , videbimus clare effusione, & aspersione sanguinis,Deũ semper placatum fuisse.Nam Abel,Noe,& Abraham in lege naturæ sanguinem effuderunt . Aaron autem Melchisedech , Moyses , & sacerdotes in lege scripta sanguinem asperserunt.Et tandem Iesus Christus Redemptor noster suum pretiosum,in lege gratiæ,sanguinem effudit,& sparsit abunde , quo pro omnibus copiose satisfecit,claudens, & sigillans, illo , vtrumque Testamentũ.Et ob id dixit ipse Matth.26.[Bibite ex hoc omnes,Hic est enim sanguis meus noui. Testamenti , qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.]& Mar. 14. [Hic est sanguis meus noui Testamenti , qui pro multis effundetur.]Et Lucæ 22.[Hic est calix nouũ Testamentum in sanguine meo , qui pro vobis fundetur,] Hinc dicit Ecclesia in persona Christi : [Hic est enim calix sanguinis mei, noui , & æterni Testamenti, mysterium fidei,qui pro vobis , & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.] Vides ne in sanguine Christi,clausum & sigillatũ fuisse vtrumq;Testamentũ in æternum,& vltra:Sanguis insuper Christi est ille pretiosus sanguis, quem nimio conatu,totisq. viribus quærebant Pater æternus,nos, & Angeli. Pater namq illum quærebat in oblationem , & hostiam in odorem suauitatis, vt sic apud ipsum copiosa esset redemptio ; nos insuper illũ quærebamus in lauacrum, & ablutionem.vt Paulus vere decantaret : [Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abunde per Iesum Christum Saluatorem nostrũ, &c.] Et Ioannes hoc in loco : [Dilexit & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.] Angeli denique,illũ pretiosum sanguinem quærebant in gaudium, & lætitiam illorum ; quia si gaudium est in cælo coram Angelis Dei,super vnopeccatore pœnitentiam agente , proculdubio maius gaudium fuit Angelis Dei de redemptione totius generis humani in sanguine Christi: ideo dum sanguis iste,per plateas Ierusalẽ crudeliter à Iudæis effundebatur, ab ipsis Angelis phyalis,& calicibus aureis,diligenter colligebatur, & simul deuote adorabatur,& glorificabatur.Sanguis tandem pretiosus Iesu Christi est lapis ille de quo Zachariæ 3. dicitur :

Sã guinis Xpi laudes.
Sanguis Xpi pretiũ magnũ
Sanguis Xpi redemptio nostra.
Gen.42.
Primasius in epist.Pauli ad Heb.9.
Sanguis Xpi est vtriusque Testamenti clauis.
Sãguine Deus semper placatur in ordine ad sanguinem filij sui Iesu Christi.
Sanguis Xpi exquiritur.
Pater æternus cur sanguinẽ filij sui Iesu Christi exquirebat.
Homines cur sanguinẽ Xpi exquirebamus Ad Tit.3.
Angeli cur eũ guinẽ Christi exquirebant.
Sanguis Xpi vale ab Angelis asseruabatur.

F Super lapidem vnum,oculi sunt septem.] Septẽ autem oculi isti,sunt oculi Patris æterni, Angelorum,Patriarcharum,Prophetarum,& omnium hominum.Petra autẽ percutienda,Christus vtique erat, qui lancea militis in cruce percutiendus sane erat;quemadmodum petra deserti à Moyse,Exod. 16. & mox conuertenda in stagna sanguinis,vt illa in aquarũ stagna conuersa plane fuit.Vbi passim nota , quod hæc similitudo nõ quadrat in omnibus,quoniã lancea,tantũ iter præbuit ad egrediendum sanguinem, aperiendo latus Xpi.At vero virga Moysi instrumentaliter operata fuit aquæ eductionem ad ictũ suũ per manus Moysi; & in hoc plane differunt istę duæ percutiones lanceæ videlicet,& virgæ. Verumenimuero, vt dudũ dictũ est,lancea sanguinẽ ex latere Xpi demanare fecit.Hinc plane est quod Xps dixit Ioan.6.[Et sanguis meus vere est potus,]perinde ac diceret, sanguinẽ sititis, sanguinẽ bibite. Bibite igi-
G tur sãguinẽ meũ eo quod,sanguis meus vere est potus: quoniã in sanguine meo,& hostia,& verum sacrificiũ, & odor suauitatis,Patri æterno, & lauacrum & ablutio & copiosa redemptio humano generi ; & tandem gaudiũ lætitiaq;Angelis Dei (qui de salute peccatorũ semper gaudere solent)plane erit.Quapropter sanguis iste tantæ virtutis in sacra pagina diuersis titulis, Epithetisq.ornari solet.Vocatur namq.primo,sanguis redemptionis,quia per ipsum,velut pretiũ facta est redẽptio humani generis . Secundo dicitur sanguis propitiationis, quoniã Deus proposuit(testante D.Paulo ad Rom.3.& ad Ephes.2.)Christũ propitiatorẽ per fidem in sanguine ipsius,& sic nos,q lõge eramus,facti sumus prope in sanguine eius . Tertio dicitur sanguis ablutionis, quoniã sanguis Xpi emundat nos , vt dicitur 1. Ioan.1.ab omni peccato , & nos lauamus conscientias nostras in sanguine ipsius,iuxta illud Apoc.7. [Ij sunt,
H qui venerunt ex magna tribulatione , & lauerunt stolas suas in sanguine Agni.] Quarto dicitur sanguis aspersionis,& sanctificationis,quia per fidẽ veluti aspergimus sanguine oblati agni in sanctificationẽ.. Quinto dicitur sanguis Testamenti,quoniã per sanguinẽ passionis,confirmatũ est testamentũ, quo heredes constituimur in æternã felicitatẽ. Quapropter Matth. 26. dicitur:[Hic est sanguis noui Testamenti,qui pro vobis,& pro multis effundetur.]Vltimo vocatur sãguis pretiosus,ex eo,quod pretium eius excedit omnia ,quæ pretio æstimari possunt,iuxta illud 1.Petri 1. [Scientes, ꝙ non curruptibilibus auro,vel argento,&c.sed pretioso sãguine Xpi agni immaculati.] Quapropter diuinus Citharœdus huius sanguinis Xpi infinitum valorẽ cõsiderans,ait in persona Xpi:[Similis factus sum pelicano solitudinis .] Pelicanus namq; vt dicunt naturales super pullos suos à serpente vulneratos , percusso suo
I pectore ad eos sanandos sanguinẽ suũ effundit,pullisq. ad bibendũ illũ exhibet,quo effuso sanguine ille sic debilitatur,vt pulli ad quærendũ cibum exire,matremq. ad tempus alere cogantur.Illos igitur ex pullis, qui diligenter hoc officium præstant,postquam resumpsit vires tenerrime diligit , & solicite nutrit,illos vero, qui tamquã degeneres,nullam matris curam gesserunt tãquã ingratos ẽ nido deturbat,& suo conuictu nullatenus perfrui permittit.Ita plane Xps, vt nos à serpentis spiritualis morsu sanaret , & viuificaret, sanguinẽ suũ fudit,& gratos,mille beneficijs,ingratos vero,mille pœnis omnino replet.

Sanguis Xpi lapis Zachariæ.
Sanguinẽ Xpi aspiciebãt septem oculi.
Comparatio.
Pectus Christi in stagna sanguinis conuersum.
Lancea Longini, & virga Moysi in quo differant.
Sanguis Xpi verus potus.
Sãguinis Xpi varia Epitheta.
Sanguis Christi est sanguis redemptionis.
Propitiationis.
Ablutionis.
Aspersionis.
Testamenti.
Pretij magni
Psal.101.
Comparatio.
Christus est veluti pelicanus.
Pelicani natura erga filios.

K Ratio plane postulabat,vt sãguis Xpi sãguinẽ mũdi lauare , & mũdare incepisset.Audite rogo.Oseæ 4.dicitur:[Sãguis sanguinẽ tangit.] Vbi Doctores cõmuniter ꝑ lyſ [sanguinẽ]peccata intelligunt;qm̃ cogitationes malas,homicidia,adulteria,sãguinẽ appellamus in sacra pagina,& sic de cæteris peccatis, iuxta illud: [Virũ & sanguinũ,& dolosũ abominabitur Dñs] & in hoc sensu:] Sanguis sanguinem tangit ,] quemadmodũ dicimus Psal.c.41.[Abyssus Abyssũ inuocat,] quia vnũ peccatũ trahit ad aliud, vel culpa oritur à pœna.

Conceptus 2. Quod sanguis Christi tersit peccata hominum.
Psal.5.
Sanguis sanguinem tangit sicut Abyssus abyssum inuocat.

Quo-

Quoniã peccatũ quod mox per pœnitentiã non deletur suo pondere trahit ad aliud, & ita, [sanguis sanguinem tangit,] vel, vt aliter dicam, reliquiæ peccati originalis, scilicet fomes, vel concupiscentia, ad peccatum actuale incitant, & cõmouent, & ideo, [Sanguis sanguinem tãgit.] Sunt & alij sensus illius loci. At vero ad propositum, & institutum nostrum oportebat, vt sanguis sanguinem tangeret, hoc est, oportebat, vt sanguis Christi purgaret, ablueret, mundaretque peccata mea, [Sanguis sanguinem tangit,] id est, sanguis Christi sanguinem meum tetigit, hoc est, peccatum meum lauit, purgauit, & mundauit. Vah, miraculosus sane sanguis, propterea quod alij sanguines coinquinant homines, at vero sanguis iste pretiosus Iesu Christi lauat, & mundat nos. Ideo de alijs sanguinibus ait regius vates Psal. 50. [Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.] Vbi passim nota illud [Deus Deus] quæ quidem repetitio vnius, & eiusdem vocis est magni ponderis, & momenti. Solet namque in sacra Scriptura geminatio vnius, & eiusdem vocis magnam Emphasim præsegerere. Est enim signum, miserentis, dolentisue, vel valde diligentis, quod apparet Matth. 23. [Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas, &c.] Super quę verba ait Chrysostomus, quod illa duplicatio miserentis est, & valde diligentis, idem dicendum est de his locis : [Deus Deus meus respice in me.] Psalm. 21. [Deus Deus meus ad te luce vigilo.] Psal. 62. [Eli, Eli Lamma sabacthani?] hoc est: [Deus meus Deus meus, vt quid dereliquisti me.] Matth. 26. Verum his dimissis ait David : [Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ,] repetens bis illud [Deus Deus] non semel, aut ter sed bis tantum, & ilico adiungit, [salutis meæ] quia non prima, nec tertia persona Trinitatis, sed tantum secunda incarnata fuit, & in suo sanguine salutẽ debebat mundo asportare, & sic merito ait : [Deus Deus salutis meæ.] Sed ecce quod iam balneum, siue medicamentum præparatur diligendo, & lauando nos [sanguine suo,] & hoc est, sanguinem suum tangere sanguinem nostrum, nimirum, sanguinem suum peccata delere nostra.

Sãguinis Xpi inter alios sãguines differentia.

Vocis eiusdẽ geminatio mysteriosa in sacro eloquio.

Chrysost. homil. in Matth.

Nota bene profundũ loquendi stylum psalmistæ geminando vocẽ illam, Deus, Deus salutis meæ.

Sanguis Christi balneum, & medicamentum nostrorũ peccatorum.

IN omnibus rebus seruauit Xp̃s pondus, & mensuram, nisi in effusione sanguinis sui pretiosi, in qua, nec pondus, nec mensuram tenere vllo modo voluit. Septem enim vicibus effudit Christus sanguinem suum sanctissimum. Primo siquidem in circumcisione, de qua dicitur Lucæ 2.] Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer,] quæquidem circumcisio, vllo modo potest esse, absque sanguinis effusione propter præputij carnis abscissionem. Nam Gen. 17. sic dicitur: [Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c.] & paulo supra: [Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & vos.] & Leuit. 12. [Et die octauo circumcidetur infantulus,] id est, circumcidetur caro præputij eius; & per consequens vllo modo poterat esse circumcisio absque sanguinis effusione. Secundo in agonia, siue oratione horti, [Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.] Dicunt Euangelistæ. Tertio in coronatione: [Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.] Quarto in flagellatione: Quinto in crucifixione manuum. Sexto in perforatione, pedum. Et tandem septimo, in apertione, siue perforatione lateris. Sed dices: Quare rogo, Christus tot vicibus, & ita absque pondere, & mensura voluit suum pretiosissimum sanguinem adeo abundanter, & copiose effundere, & aspergere? Decisio dubij stat in hoc, scilicet, quod sanguis Christi erat pretium redemptionis nostræ, & vt esset apud Patrem copiosa redemptio, voluit filius absque pondere, & mensura illum pro nobis peccatoribus effundere, vt clare experiremur nos eius copiosam pro nobis satisfactionem. Et sic effudit suũ sanguinẽ in circumcisione, vt illo, nos lauemur in baptismo. Effudit suum sanguinem in agonia, & in oratione horti, vt illo nos lauemus in confirmatione, siue in sacramento confirmationis. Effudit suum sanguinem in flagellatione, vt ille nos lauemur in extrema vnctione. Effudit suum sanguinẽ in spinarũ coronatione, vt illo, accedentes ad coronã, & ordines sacros lauentur in sacramento ordinis. Effudit suũ sanguinẽ in crucifixione manuum, vt illo, accedentes ad coniugiũ lauẽtur in sacramento matrimonij. Effudit suũ sanguinẽ in perforatione pedũ, vt illo, nos lauemur in confessione & in sacramento pœnitentiæ. Effudit tandem Christus suũ pretiosum sanguinẽ in perforatione lateris, vt illo, nos lauemur in sacramento Eucharistiæ. Et ideo, quia per septẽ sacramẽta nos lauare, & mũdare decreuit septẽ vicibus, suũ sanguinẽ pro nobis effundere statuit, vt aperte intelligeretur, septem sacramenta Ecclesiæ à Christo Domino instituta, à sua passione sanctissima, & à sanguine suo pretioso vim habere remittendi peccata. Vel vt aliter dicam septem vicibus notorie Christus effudit suũ sanguinẽ, vt aperte sciamus nos fideles, suo pretioso sanguine munitos, & armatos, contra septem capitalia peccata certamen inire posse, &c.

A

B

Conceptus 3. Quod Christus sanguinẽ suũ multoties pro nobis effudit.

Sãguinis Xpi septies pro nobis effusus.

Math. 27. Marc. 14 Luc. 22. Ioan. 19.

Difficultas.

Sanguis Christi cur toties effusus.

Solutio.

Sanguinis Xpi septena aspersio.

Sãguinis Christi septena aspersio cur respondet septẽ sacramentis.

Sanguis Christi cur septem vicibus effusus.

MAximũ lauacrum, ac ingens balneum parauit nobis Iesus Christus in sanguine suo, ad nos lauandũ, & mundandũ, quẽ olim vaticinatus fuit diuinus Psaltes, sub his verbis: [Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuẽ dealbabor.] de quo itidẽ alloquutus est Apost. ad Tim. 2. dicens: [Per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quẽ effudit in nos abunde per Iesum Christũ Saluatorẽ nostrũ.] Vtrobiq. etenim de pretioso sanguine Christi sermo est qui omnia peccata, & abstergit, & lauat, ita vt dicat Isa. in c. 1. [Si fuerint peccata vestra, vt coccinũ, quasi nix dealbabũtur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.] Ad hoc tamẽ, vt fiat hoc lauacrũ, siue dealbatio, aut spiritualis renouatio, duo sane requiruntur, vnũ quippe ex parte Dei, alterũ vero ex parte nostra. Ex parte namq. Dei requiritur eius voluntas antecedens, siue eius gratia præueniens. Quæ plane semper, & prompta, & parata est, de qua proculdubio intelligi potest illud, ꝙ Deus ipse ait: [Transiens autẽ per te, vidi te, conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi, cũ esses in sanguine tuo: viue, dixi in quã tibi: in sanguine tuo viue: [Quã quidẽ promptam diligentiã Dei apertius indicauit Apost. ad Ephes. 2. dicẽs: [Deus qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatẽ suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Xp̃o (cuius gratia estis saluati) & conresuscitauit, & cõsedere fecit in cælestibus in Xp̃o Iesu, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundãtes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Xp̃o Iesu. [Quæ omnia beneficia olim etiam indicauit Deus in eodẽ c. 16. Ezech. dicens: [Et laui te aqua, & emundaui sanguinẽ tuum ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornauit te ornamento, &c. (vsq. ad) & egressum est nomen tuũ in gentes propter speciẽ tuã, quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dñs: [Ecce igitur voluntas Dei prõpta, & parata vt satis illud, [transiens per te,] indicat. Porro ex parte nostra requiritur sacramentorũ applicatio. Quemadmodũ. n. oportet quod lignũ, stupaue, igni applicetur, ad hoc vt fiat conbustio, sic necesse est, vt sacramenta animabus nostris applicentur ad hoc, vt fiat hoc lauacrum, siue hæc lotio, aut spiritualis renouatio animarum virtute sanguinis, & passionis Xp̃i. Hanc sacramentorum applicationẽ tangit Apost. dum 2. Cor. 5. ait: [Vt mundemus nos ab omni inquinamẽto carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei:] Nam illud, [nos] diligentiam nostram indicat. Et idem videntur dicere Propheta Isa. in c. 1. dum ait: [Lauamini mundi estote.] Et noster vates Ioannes infra cap. 7. dicendo: [Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni, ideo sunt ante thronum Dei.] Quemadmodũ enim arbores, quæ mori incipiunt

C

D

E

Conceptus 4. Quod sanguis Christi omnia lauat peccata

Sanguis Christi lauacrum, & balneum. Psal. 50.

Sãguinis Christi vis, & efficacia.

Iustificatio peccatoris duo requirit.

Auxilium diuinum in iustificatione peccatorum. Ezech. 16.

Beneficia nobis elargita per Christi sãguinem.


Cooperatio peccatoris requiritur in eius iustificatione.

Applicatio sacramentorum necessaria in iustificatione peccatoris.

(vt refert Plinius,) & ficcantur, si sanguine rigentur humano statim reuiuiscunt,& viriditatem amissam, iterum accipiunt, sic animæ, quæ in peccatis senescunt & in morte degunt spirituali, si hoc Christi sanguine, fide,& sacraméto sibi applicato, quasi irrigatæ fuerint, in vitam resurgunt spiritualem, & Deo viuere incipiunt, quo lauamur à maculis spiritualibus. Et quamuis maledictus Caluinus existimet Christianos saluari sola redemptione semel in cruce facta, quin sacramenta applicentur, tamen eius errorem tota sacra pagina, sanctaque Catholica mater Ecclesia, omnes etiam sancti Patres, tam Græci, quam Latini prorsus abhorrent, & omnino anathematizant, affirmantes, debere ex parte nostra esse, ea media, quibus nobis hic sanguis Christi applicetur,& nos dispositos (ad eius fructus capessendos) dignosque efficiant. Quamobrem optime docet S. Thom. 3. p. q. 49. art. 1. ad 3. Christum nos sua passione a peccato liberasse causaliter; quia scilicet præsidia necessaria saluti hominibus comparauit, instituens causam nostræ liberationis. Quod alibi Theologi dicunt, Christi passionem operatam fuisse peccatorum omnium remissionem quoad sufficientiam, non quoad efficaciam: Quo sane dicendi modo, minime negant passionem Christi efficacem fuisse, vt hominibus peccata remitterentur (prout hæretici calumniantur) sed explicant quatenus id effecerit, nimirum, vt quod in gratiam demum homines recipiantur, ipsisque remittantur omni ex parte peccata, applicetur eis sanguis in passione effusus, certaque sint media diuinitus constituta, sine quibus integra salus, nullatenus acquiritur. His igitur duabus concurrentibus voluntatibus, nimirum, Dei,& nostra, fit hoc lauamen, quo virtute sanguinis Christi omnia peccata delentur, iuxta illud: [Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix deal babuntur,& si fuerint rubra vt vermiculus, quasi lana alba erunt] vbi Dei vates per ly [coccinum] peccata carnalia intelligit: nam in coccino, igneus color est, per quem peccata carnalia designantur: quoniam carnis libido vsque ad perditionem deuorat vt ignis, & omnia virtutum genimina eradicat. Per ly [Vermiculus] peccata homicidij, & cuiuscumque alterius crudelitatis intelligit; quoniam in vermiculo color sanguineus est, per quem crudelitas indicatur. Qualibet igitur peccata per hoc lauacrum regenerationis virtute sanguinis Christi prorsus delentur.

Caluini lapsus. *S. Thom.* *Doctores in 3 sent.* *Error Caluini solutur.* *Voluntates duæ concurrunt ad salutẽ nostram.* *Isai. 1.* *Peccata carnalia designãtur per coccinum.* *Castro in Ps. miserere mei, &c. hom. 10. fol. 82.*

Conceptus 5. Quod sanguis Christi laudes & excellẽtias quam plurimas obtinet.



SVNT fere infinitæ laudes, & encomia pretiosi sanguinis Christi, & pene innumerabiles eiusdem excellentiæ, quarũ prima est, quod eius origo, & manalis fons sint pretiosa illa manuum, & pedum, ac etiam pectoris eiusdẽ Domini nostri Iesu Christi vulnera. Quãdo quis Historiographus, aut Cosmographus descriptionẽ alicuius amnis, vel fluminis aggreditur, non tantum oportet, vt eius magnitudinem, longitudinem, extensionem, altitudinem, beneficiaque sua irrigatione exhibita, narret: verumetiam regnum, montemque ipsum in quo primordia, siue primũ principium, & origo ipsius reperitur, exprimat. Quẽadmodũ præstitit vates Moyses, describens flumen Paradisi Gen. 2. vbi vix se continuit illud vniuersam terram Hauilath, Æthiopiæ, Assyriæque irrigare affirmans, quin ad eius primum principium, & originem perueniret, dicendo, [Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.] Perinde plane, agere de hoc magno mari rubro, nempe de hoc pretioso sanguine Christi (qui fluuius plane est ad vniuersam irrigandam Ecclesiam) parum quippe est, eius qualitates,& circumstantias hic referre, nisi eius fontalem originem exprimamus, qui plane reperitur in foraminibus illius petræ, de qua dicitur: [Petra autem erat Christus.] Quæquidem petra, quinque plane foramina obtinet, nempe illa quinque beatissima manuum, pedum, laterisque ipsius vulnera; ex quibus tamquã ex suo primæuo origine fluuius iste sanguinis pretiosi mirabiliter affluxit, ac miraculose dimanat: (Haurietis aquas (inquit Dei vates) in gaudio de fontibus Saluatoris.] Mons igitur ex quo iste fluuius sanguinis emanat, est mons Galaad, qui, teste D. Hieronymo, aceruus testimonij interpretatur, qui etiã significat Christum, de quo dicitur: [huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.] Quamobrem primum encomium istius pretiosissimi sanguinis, merito in hoc consistit, quod eius fontalis origo in latere, pedibus, manibusque Christi situm, & positionem obtineat, & illinc egrediatur, veluti ex loco voluptatis ad irrigandam Ecclesiam, Paradisum terrestrem simul,& cæleste. Secunda excellentia, siue laus istius pretiosi sanguinis est, quod sit sanguis iste hypostatice verbo diuino vnitus, quemadmodum eidem verbo diuino hypostatice vnita fuit anima,& corpus eiusdem Christi, vt asseueranter tenent Thomistæ 3. p. q. 5. Hinc plane est, quod tantam habuerit vim, & efficaciam vt copiosa fieret per ipsum apud Deũ redemptio humani generis; quoniam erat sanguis Dei: & sic ratione personæ in qua erat, (quæ Deus erat & homo) vim,& dignitatem infinitam continebat. Hinc in ipso erat pretium infiniti valoris; efficacia infinitæ actionis, & etiam efficacia infiniti valoris; & Deo eum acceptando, & respexit ad ipsum sanguinem materialem effusum, & etiam ad personam offerentis, vt sic acceptaret illum prout merebatur, qui offerebat. Nam quemadmodum olim Deus prius respexit ad Abel,& postea ad munera eius, ita in cruce primo respexit ad Christum, tamquam ad filium, in quo sibi bene complacuit, deinde ad hostiam quam obtulit, zelo amoris: nempe vitam, animam, sanguinemque cordis, quod vtique omnibus holocaustomatibus maius est. Tertia porro laus istius pretiosi sanguinis Christi est, quod nihil valeat absque illo: nec vtique valet Ieiunium, nec eleemosyna, nec oratio, nec disciplina, &c. absque huius pretiosissimi sanguinis valore. Hoc plane apprime corroboratur ex minis, quas olim Deus populo proponebat suo, ne sanguinem quis totum comederet [obfirmabo faciem meam (dicebat) contra animam illius,& disperdam eum de populo suo,]& istud bone Deus, quare? [quia anima carnis (inquit) in sanguine est.] Sed audi ô sancte Deus numquid anima non est etiam in carne? Maxime quidem, verumtamen sanguis est vmbra sanguinis Christi: & sic intendit per illa verba Deus significare sanguinem Christi totius humani generis animã esse, itaut quemadmodum, vita, salus,& totum esse hominis, ac omnes illius operationes,& actiones ab anima dependent, ita etiam totum esse Christianum, vitam, salutem spiritualem, & reliqua supernaturalia à pretioso sanguine Christi proculdubio dependentiã prælegerere. Hinc Apostolus ait: [creati in Christo Iesu.]& instrumentum istius creationis est eius pretiosissimus sanguis. Quamobrem protinus subiungit: [Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.] Quoniã quamuis Christus suis lacrymis, colaphis, flagellis, ieiunio quadraginta dierum, oratione, prædicationeque pacẽ causauerit, tamẽ sãguini eius pretioso vera pax, & amicitia inter Deum, & hominem prorsus attribuitur. Quemadmodum quamuis ambæ tres sanctissimæ Trinitatis personæ potentiam, sapientiam, & bonitatẽ obtineant: tamen Patri potentia, Filio sapientia, Spirituique sancto bonitas vtique attribuitur. Quarta laus, & encomium est, quod ex corpore Christi simul egrediebatur iste pretiosus sanguis,& Deus ipse simul cum eorũ, & semel assumpsit numquã dimisit. Quamobrẽ sanguinẽ istũ pretiosum super faciẽ terræ aspersum, per plateasq. Ierusalẽ, & in horto Getsemani, ac etiam in colũna effusum, pedibusq. gentiũ, ac Iudæorum prorsus conculcatũ, Deus vnquã solitariũ reliquit. Quod plane maximo redolet mysterio. Nonne supplex, rogo, magnũ quoddã esset, si rex illum, qui ad eũ visitandũ venerat, peracta visitatione, vsq. ad fores palatij regis personaliter ipsemet concomitaret? Maxime plane. Et quid quæso esset, si per omnes plateas,& vicos, rex illũ asso
ciaret

Historiographorũ,& Cosmographorum antiqua consuetudo. *Sanguis Xpi amnis, vel fluuius Ecclesiæ Dei.* *Vulnera corporis Christi origo,& principium primũ sanguinis eiusdem.*

Isa. 12. *Sãguinis Xpi prima laus.* *Sanguinis Xpi secunda lau.* *Sanguis hypostatice vnitus Verbo.* *Deus Pater in Passione Christi respexit ad sanguinem effusum, & ad personam offerentis.* *Comparatio.* *Gen. 4.* *Matth. 17.* *Sãguinis Christi tertia laus* *Sanguis Christi est valor omnium nostrum operum* *Sanguis in lege est typus sanguinis Xpi* *Sanguis Christi totius humani generis anima.* *Simile.* *ad Ephes. 2. ad Col. 1. ad Heb. 1.* *Sanguis Christi instrumentum nostræ creationis.* *Simile.* *Sãguinis Christi quarta laus* *Sanguis Christi aspersus super terram continebat Deum.* *Comparatio.*

ciaret personaliter? Nonne hoc maioris amoris indiciú esset? Reuera quidem. Hoc ipsum plane in sanguine suo præstitit Deus, illum concomitando, & associando per puluerem, per plateas, & vicos Ierusalem. Quamobrem si Deus, sanguinem illum pretiosum tantum honorat illum semper concomitando, quis rogo nostrum, tam durus erit inposterum, qui illum ex memoria, oculisque suis eum amouere audeat? [Comæ capitis tui (dicitur Canticorum 4.) sicut purpura regis iuncta canalibus,] perinde, ac si dicat Spiritus sanctus, Capilli, hoc est cogitationes Ecclesiæ, Christi sponsæ, oportet sint veluti regis purpura oribus canalium rubri atramenti, nimirum, vulnerum expositæ, ex quibus sanguis à corpore Domini nostri Iesu Christi egreditur. Quando quis febribus vexatur, fontes aquæ frigidissimæ qui sitim suam explere queant, in memoriam reuocat, itaut crebro illi videatur aquam frigidam ex illis exhaurire, & etiam degustare: Sic plane oportet, vt nos, qui peccatorum febribus in dies laboramus semper cogitemus singulis horis diei, & noctis quinq. illos fontes, aquæ viuæ, nimirum, quinque vulnera, & plagas corporis Christi, quæ & sitim nostram explere, & manus, caput, pedes, animam, corpus, cor, mentemq. nostram lauare queunt: [Lauerunt stolas suas (dicitur Apoc. 7.) & dealbauerunt eas in sanguine agni.] Quinta, & vltima laus, & excellentia sanguinis Christi, est quod ipse prouocat nos ad effundendum sanguinem nostrum pro Christo, sicuti ipse Christus illum libenter, & abundanter pro nobis effudit. Solent elephantes ad bella, & ad dimicandum prouocari, cum sanguinem effusum intuentur. Quamobrem 1. Machab. 6. dicitur, quod cum rex Antiochus pugnaret aduersus Israelitas, inter alia bellica portenta, erant illi: [Elephanti triginta duo, docti ad prælium,] & mox sequitur in textu, [Et elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori, ad acuendos eos in prælium, & diuiserunt bestias per legiones,] Sic plane elephantes, id est, fideles Christianos sanguis Christi pro nobis effusus maxime acuit ad pugnam, & in prælium aduersus carnem, mundum, ac dæmonem. Nemo sane Christianorum fidelium est, qui sanguinem pretiosum Christi pro nobis effusum, attente contemplando, non exclamet cum fortissimo milite Vria, dicens: [Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papillionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibã, & dormiam cum vxore mea? Per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem,] hoc est, Dominus meus Iesus Christus, est nudus in colnmna, & in cruce, & ego byssino, & purpura, vestibusque profanis indutus incedam? Dominus meus Iesus Christus, est felle, myrrha, & aceto potatus, & ego splendide bibam, & comedã? Dominus meus Iesus Christus est crudeliter pro me flagellatus, & ego carnibus meis, vermibus comesturis, & in puluerem reuersuris indulgeam? Dominus meus Iesus Christus, per manus, pedes, latus, caput, & per totum corpus abundanter emittit, & effundit sanguinem pro me; & ego pro illo flagellis, ac disciplinis sanguinem meum verebor aspergere, & effundere? Per gloriam æternam quam ab ipso firmiter expecto, non faciam rem hanc.

Sãguinis Xpi effusio minime debet à memoria labi — *Comparatio optima.* — *Sãguinis Xpi laus.* — *Elephãtis natura.* — *2. Reg. 11.* — *Nota bene Christianorũ obligationẽ.* — *Passionis Xpi memoria incitat nos ad delectamenta vitanda.*

P A R A P H R A S I S
Decimatertia.

Par. 13. *Elimination textus.* §. 1.

Et fecit nos, (ait) regnum, & sacerdotes Deo, & patri suo. Quadrant plane hæc verba cum illis 1. Petri 2. [Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,] quæ itidẽ repetit noster Archipropheta infra c. 5. dicendo: [Fecisti nos Deo nostro, regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.] Et vtrobique sermo proculdubio est de regibus, & sacerdotibus spiritualibus, & non de regibus, & sacerdotibus veris, & realibus, quoniam qui fecit nos reges, fecit etiam, & nos sacerdotes,

Reges, & sacerdotes spiritualiter sũt omnes Xpiani

A vt aperte colligitur ex copulatiua illa, [&,] omnes autem non sumus realiter reges, igitur nec minus realiter erimus omnes sacerdotes. Porro realiter nõ sumus omnes sacerdotes, igitur nec minus omnes erimus realiter reges: At in textu sermo est generaliter ad omnes Christicolas, & baptizatos: Igitur hic nõ est sermo, de regibus, & sacerdotibus veris, & realibus, sed dumtaxat de regibus, & sacerdotibus spiritualibus, qui sunt plane omnes fideles prædestinati, ac baptizati. De his namque omnibus explanant hunc locum Strabus in sua Glossa ordinaria, qui sic vertit: [Regnum, potentes vitijs resistere, & pro nobis, & pro fratribus nosmetipsos Deo offerentes;] [Et Lyranus qui sic exoluit:] Et fecit nos regnum, id est, ascribi ciues cælestis regni, & sacerdotes offerentes hostias laudis acceptabiles per ipsum Deo, & toti Trinitati, & patri suo, ad cuius gloriã omnia ordinat,] & S. Thomas in hisce suis cõmen-

B tarijs sic exponens: [Et fecit nos per gratiam suam infusam, merito passionis, regnum, id est, petentes inuicẽ vitia, & sacerdotes, id est aptos, ad facienda bona offerendo nos ipsa, & opera nostra, & hoc Deo, & patri:] Eamdem etiam viam sequuntur Primasius, & D. Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs, D. etiam Ambrosius & omnes etiam sancti Patres huius loci explanatores.

Doctorũ Catholicorũ cõmunis sententia. — *Strabus in sua Glossa ordinaria.* — *Lyranus in comment.* — *S. Thom. in comment.* — *Primasius.* — *D. Dionysius Carthus.*

Quæ plane explanatio, & satis perpulchra, & hæresibus nimis aduersa est. Quæ vt clare à quouis fideli intelligatur (ne aliquis fallax, ignorantibus possit obrepere) acriori indagine, ac profundiori explicatione enodanda quippe venit. Quod vt fiat, est in memoriam reuocandum Ecclesiam Dei in Euangelio frequenter, & regnum cælorum, & regnum Dei vocari: Cum autẽ omne regnũ, & ciues, & habitatores habeat, hinc proculdubio factum est, quod felices ciues, & habitatores

C huius regni cælorum, siue regni Dei (qui plane sunt omnes fideles Christiani, qui ad sanctum peruenere baptismum) & reges, & etiam sacerdotes simul vocentur. Vbi vt vides, tria asseueramus: Primum quippe est Ecclesiam regnum cælorum, siue regnum Dei appellalari. Secundũ, omnes Christianos (nempe fideles baptizatos) reges esse non realiter, sed spiritualiter. Tertium tandem omnes eosdem fideles baptizatos sacerdotes esse, non realiter, sed spiritualiter.

§. 2. Catholicorum sententia circa regnum, & sacerdotium Christianum enodatur. — *Matt. 6. Matt. 13. Luc. 16.* — *Ecclesia Dei regnum cælorum appellatur in sacro eloquio.* — *Regnũ quodlibet ciues, & incolas obtinet.*

Primum igitur patet ex Euangelio, in quo (vt dixi) crebro, & frequenter Ecclesia Dei [regnum cælorum] aut [regnũ Dei] nuncupatur. Nam Matth. 13. dicitur: [Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonũ semen,] & iterũ: [Simile est regnum cælorũ grano sinapis:] & alia vice, [Simile est regnũ cælorũ thesauro abscondito in agro,] iterum, [Simile est regnũ cælorũ homini negotiatori,] & paulo post, [Simile est regnũ

D cælorũ Sagenæ missæ in mare.] & Luc. 17. [Ecce regnũ Dei intra vos est,] & Matth. 6. [Quærite ergo primum regnũ Dei, & cap. 25. [Simile est regnum cælorũ decẽ virginibus,] & alibi passim. Dicitur autẽ Ecclesia Dei, [regnum cælorum,] aliquando etiam [regnum Dei] Tũ quia Christus in ipsa regnauit per fidem, iuxta illud ad Coloss. 1. [Qui nos eripuit de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnũ filij dilectionis, in quo habemus redemptionẽ, & remissionem peccatorũ,] hoc est transtulit nos de gentilitatis caligine tenebrosa, in Ecclesiã Catholicam; quam regnum suum appellat, dicente Apostolo 1. Cor. 15.] Deinde finis, cum tradiderit regnũ Deo, & Patri,] quod D. Augustinus de Ecclesia militante, in qua nunc regnat Christus per fidem exponit. Tũ ratione primi principij quod habuit; quoniã istud fuit de cælo, iuxta illud Apoc. 12. [Vidi ciuitatẽ sanctã Ierusalẽ nouã descendentẽ de cælo.] Tũ ratione conuer-

E sationis, quam oportet habeat; quoniam omnes habitatores eius qui cupiunt Deo placere oportet, vt Angelicã, ac diuinam vitam agant, iuxta illud ad Philip. 3. [nostra autem conuersatio in cælis est.] Tum ratione finis, quoniam hæc Ecclesia militans, & terrestris, Ecclesiã triumphantẽ, ac cælestem semper respicit: dicẽte Apost. [Non habemus hic ciuitatẽ permanentẽ, sed futurã inquirimus:] Tum deniq. appellatur Ecclesia [regnum cælorũ] propter excellentiam, magnificentiamq. eius.

§. 3. Regnum cælorum Ecclesia — *Ecclesia regnum cælorũ dicitur multis de causis. 1. causa. Regnat Christus in Ecclesia per fidem.* — *D. August. 2. causa. Fontalis origo Ecclesiæ fuit de cælo. 3. causa. Conuersatio Christianorũ oportet sit immaculata, & angelica. 4. causa. Christiani Ecclesiam triumphantem anhelare semper debent. 5. causa.*

Consuetudo frequens sanctorum litteratum.

eius. Quoniam ly[cælorum]additur nomini[Regnũ] non propter aliquam significationem, sed ob exagerationem. Solet namque sacra pagina ad ostendendam rem magnificam, raram, singularem, & ex omni parte expeditam excellentissimam, ac perfectissimam, illam appellare cælestialem, siue de cælo. Hinc Apostolus ad Ephes. 1. ait: [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus,] perinde ac diceret, benedictiones illas fuisse maximas, magnificas, raras, summas, celebres, & ex omni parte perfectissimas. Et ad Ephes. 3. [Vt innotescat principatibus, & potestatibus, in cælestibus,] hoc est, cum maiestate, summe, ac magnifice. Et cap. 6. ad Ephes. [Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus,] id est, contra malignitates, & astutias dæmonum, quæ planæ magnæ, acutæ, ac satis vehementes esse solent. Et nos etiam solemus communiter loquendo, rem excellentissimam, raram, ac perfectissimam, cælestem, siue de cælo, aut è cælis missã, appellare. Hinc Cicero pro Pomp. ad Attic. lib. 3. & Philip. 6. sæpe ait: [in cælo esse, de cælo, vel cælitus mitti,] ad significandas res rarissimas, & summæ excellentiæ, & perfectionis; quoniam quælibet res cæli, & magna quippe est, & admiratione digna. Quamobrem quemadmodum in sacro eloquio omne magnum rarum, excellens, ac perfectum appellatur Dei; ita etiã cæli, siue de cælo, in eadem sacra pagina omne excellens, ac perfectum nuncupatur. Proinde plane est, quod Apost. ad Philip. 3. dicat: [Nostra conuersatio in cælis est,] quasi dicat, omnis noster viuendi modus, & sanctus, & ædificatione præpollens quippe est, nostra vita immaculata, singularisque exempli est; quoniam vitam agimus in terra ad modum cæli: Et eodem prorsus modo explanari potest illud Ioan. 3. [nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo,] id est, ille qui vitam sanctam, iustam, & cælo dignam ad imitationem Iesu Christi Domini nostri in terris agit: Et illud Psal. 34. [Inebriatus est in cælo gladius meus, hoc est, gladius meus summa indignatione plenus est: Et illud Psal. 118. [Dies cæli,] id est, dies hilaritate, gaudio solemnitate, iubilationeque pollentes. Et illud Psal. 56. [Misit de cælo, & liberauit me,] hoc est, misit ad me auxilium ingens excellentissimum, & opportunum. Ecce igitur qualiter res magnæ, raræ, excellentes, magnificæ, ac ex omni parte perfectæ appellari soleant in sacris litteris cælestes, de cælo, & de cælo missæ. Quamobrem cum Ecclesia Dei, sit excellens, perfecta, pulchra, vt luna, electa, vt sol, sine macula, magnifica, ac regnum omnia superans regna, hinc plane est, quod crebro in Euangelio[regnum cælorum] nuncupetur, hoc est, regnum celeberrimum, inclytum, excellentissimum, & super omnia regna mundi perfectissimum.

Id quod rarũ & insolitatum est cæleste dicitur in sacro eloquio.

M. T. Cic.

Rem rarã nos etiam nuncupamus cælestem.

Vita immaculata descẽdit è cælo.

Gladium inebriari in cælo quid sit.

Patrocinium, auxiliumque; de cælo semper ingens.

Ecclesia Dei pulchra, & idcirco regnum cælorum appellata.

§. 4.

Reges sunt omnes Christiani spiritualiter, & nullatenus realiter.

Secundum etiam patet, quoniam Ecclesiæ, & regni cælestis caput est Christus iuxta illud Apost. ad Ephes. 1. [Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius,] & cap. 5. [Christus caput Ecclesiæ.] & ad Coloss. 1. [Ipse est caput corporis Ecclesiæ.] Ipse igitur Iesus Christus est caput totius Ecclesiæ, & nos fideles per sanctam baptismatis receptionem illius membra efficimur: vnde est ipse sit huius regni rex, iuxta illud, [Ergo rex es tu? Tu dicis, quia rex sum ego, ego in hoc natus sum,] & illud, [Vbi est qui natus est rex Iudæorum,] Sequitur aperte omnes nos Christianos (cum simus membra eius per fidem, & sanctum baptisma) reges etiam esse spiritualiter loquendo. Quoniam quemadmodum ly [Christus] sonat [vnctus,] sic etiam ly [Christiani] sonat etiam [vncti.] Vnde quemadmodum Christus ratione vnctionis appellatur rex, spiritualiter loquẽdo; sic etiã & Christiani ratione vnctionis, appellandi etiam sunt reges, spiritualiter loquendo. Hanc autem vnctionem accipiunt Christiani in baptismo, in quo oleo sancto in fronte vnguntur, vt cum illo, (quem Deus in regem & ad reges faciendos vnxit, nimirum cum Christo rege) participationem obtineant. Et hæc plane est causa ob quã hic ab Archipropheta nostro, omnes fideles,

Ioan. 18.
Matth. 2.
Christus Rex facit omnes suos regnicolas reges.
Vnctu idẽ est quod Xps.
Christiani dicuntur vncti.
Christiani reges spirituales sunt dicendi.
Christiani quando vnctionẽ regalẽ accipiunt.

F & omnia mẽbra Christi per fidem nuncupantur reges sub his verbis, [& fecit nos regnum,] omnes (inquam) fideles, & omnia membra Christi, vt satis indicat illud pronomẽ [nos.] Quamobrẽ omnes nos, ipsimet Xpo ob tam singulare beneficiũ nobis collatum gratias agendo dicimus illud Apoc. 5. [Fecisti nos Deo nostro regnum,] Et quia omnes Christiani reges sunt, propter supremum regem Christum: ideo ipse Christus vocatur 1. Tim. 6. & Apoc. 17. & 19. [Rex regum, & Dominus dominantium.] Quæ quidem verba non tantũ indicant Christum magnum, potentissimum, ac supremũ regem esse, iuxta communem sacræ Scripturæ frasim loquẽdi, & secundum quod vocatus fuit Nabuchodonosor, cui Daniel dedit titulum istum dicens: [Tu rex regum es] Nec solum significant Christum regem esse, & Dominum dominantium, eo quod est omniũ qui regnant rex, & omnium qui dominantur, & gubernant,

G Dominus, verum etiam indicant, & significant Xpm regem regum esse, & Dominum dominantium, quia omnes subditi, & regnicolæ, quos iste potentissimus rex obtinet, reges vtique sunt, & omnes itidẽ quibus mãdat, ac imperat iste supremus Dominus, domini quippe nuncupantur. Quandoquidem cum omnes isti sint participes in vnctione sua regali, iuxta illud Ps. 44. [Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.] Necesse est consequenter omnes ipsos reges etiam esse. Hoc plane est maxima huius regis nostri excellentia, nimirum, quod non habeat subditos, & regnicolas inter se differentes, nempe, quosdam nobiles, quosdam vero ignobiles, quosdam viles, quosdã vero excellentes, quosdam rusticos, quosdam vero acutos; veluti reliqui reges terræ obtinent: quinimmo omnes obtineat sibi subditos, & regnicolas ex omni parte nobiles, generosos, & omnes eius filios (quos ip-

H se genuit cum regni possessionem acciperet, nempe, in die passionis suæ,) principes, & reges constituit. Quod plane indicare intendit diuinus Citharœdus, dicens: [Tecum principium in die virtutis tuæ,] Quod alij iuxta originale Hebraũ, ita legunt. [Populus tuus principes spontanei in die fortitudinis tuæ.] Perinde ac diceret: in die, in quo Christus ostendit fortitudinem suã in cruce, illo plane die, populum fecit, illumq. genuit constituendo tunc omnes suos regnicolas, & sibi subditos nobiles, principes, reges, ac liberales: quoniã ista indicat hebraicũ originale, in quo legitur, [Nedaboch] ideo istius gentis Christianæ adeo illustris possessio, & hæreditas, in sacro eloquio [regnum] appellatur; quoniam ipsi reges quidem sunt. Idcirco, Christus illis Lucæ 6. ait: [Quoniam vestrum est regnum Dei] quasi dicat, magnificum est regnum vestrum. Et vt habeamus actionem, & ius ad illud, quasi reges eius, præcepit no-

I bis, vt in dies illud, peramus, dicentes: [Adueniat regnũ tuum,] cuius regni, regnicolæ, ciues, & habitatores omnes, & nobiles, & excellentes quippe sunt, gens sancta, gens illustrissima, genitq. ex præclaro genere orta. Hoc itaque est regum regnum, cuius habitatores omnes, reges vtique sunt. De hoc quippe regno, & de eius regnicolis, & ciuibus dicere plane possumus, illud quod de Tyro ciuitate eiusque habitatoribus olim dixit Isaias, cap. 23. sub his verbis. [Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatã, cuius negotiatores principes institores eius inclyti terræ.] Vbi Dei vates Tyrum ciuitatẽ coronatam appellat, & eius habitatores, negotiatores, principes & inclytos nuncupat. Sic hoc regnum cælorum nempe, Ecclesia, regnum quippe coronatum est, & regum ciuitas, cuius ciues, nimirum, fideles, omnes sunt principes, reges, potentes: quoniã summi regis Xpi bonorum vtiq. participes sũt.

K Quinimmo de hoc regno, & de eius ciuibus dicere possumus illud, quod de Roma Cyneas Pyrrhi Epirotarũ regis legatus dixit, de quo Iustinus sic scribit [Cyneas, cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus a Pyrrho qualis Roma esset, respondit regum vrbem sibi visam.] Quod quidem etiam annotat D. Hieronymus in cap. 23. Isaiæ, & ait Cyneam sic respondisse: [vidi ciuitatem regum,] ostendens magnificentiam Romæ stare in hoc, nimirũ, quia

Reges sunt omnes christiani propter supremum regẽ Christum.

Dan. 2.

Christiani cõparticipes vnctionis Xpi.

Equales sunt omnes christi subditi.

Regnicolæ, & subditi Christi omnes nobiles, & generosi.

Omnes nos genuit Christus in cruce.
Psal. 109.
Regnicolæ, & subditi christi principes spontanei appellantur.

Regnum Dei magnificum.

Matth. 6.

Regni Dei habitatores omnes reges.

Regnum cælorum regnũ coronatum.
Christiani omnes coronati.

Iustinus lib. 1. ex trog. Pomp.
D. Hier. in c. 23. Isaiæ
Roma Regum ciuitas.
Romani ciues reges.

quia omnes ciues eius sunt reges. Idipsum quippe asserere possumus de hoc regno Regis Christi, affirmando omnes habitatores eius reges plane esse, eo quod participes sint vnctionis summi Regis Christi de quibus participibus ait diuinus Psaltes: [Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,] & hoc est, quod de fidelibus baptizatis, ait Apostolus ad Ephes. 2. dicendo: [Ergo iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei,] id est, estis nunc nobiles, principes, estis reges, hoc est scientes, ac potentes sensibus vestris prædominare, ac omnino imperare, ac perturbationes animi, vt ait Euthymius, prorsus pacare, vel estis reges in quantum supra ipsa peccata, & vitia maximum obtinetis dominium, vt exponit D. Hieronymus, vel tandem reges estis, eoquod animum inuictum, & vere regalem, sensualitati nullatenus succumbentem obtinetis, vt dicit D. Ambrosius. Hæc etenim omnia sunt quæ quemlibet Christianum regem efficiunt, cũ suas, anima, passiones, sibi subditas, & rationi subregulatas prorsus tunc habeat. Odium igitur malorum, & amor, ac operatio bonorum homines baptizatos reges omnino facit: qui enim recte facit, & non qui dominatur (ait Ausonius poeta) erit Rex. Hinc plane est, quod Strabus in sua glossa ordinaria, hunc locum, sic vertit: [Fecit nos regnum, id est, potentes vitijs resistere,] & Lyranus: [Fecit nos regnum, id est, adscribi ciues cælestis regni,] cum glossa tamen ordinaria, & cum Lyrano, quadrant pleriq; codices Græci, qui hic sic legunt: [Fecit nos reges,] regum siquidem est nulli parere, & per consequens dicendum venit, Christum nos reges fecisse, vt nulli pareremus, sed soli Deo seruiremus, motus illicitos reprimendo: & propter eum pareremus hominibus non omnibus, sed his dumtaxat, quibus nos, ipse, parere voluisset, quod ex eo fieret, quod ipse in nobis regnat. Hinc plane est, quod Arethas in hunc locum sic ait: [Fecit nos regnum Deo, quia ablutis pretioso sanguine peccatis, & diabolo expulso Deus regnat in nobis,] & D. Dionysius Carthusianus: [Fecit nos regnum, quia cælestis regni ciues nos ascripsit, dicente Apostolo: Iam non estis hospites, & aduenę, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei,] & tandem D. Ambrosius: [Regnum ergo Dei ex hominibus Christus fecit, quando eos tales constituit, in quibus ipse cum Patre, & Spiritu sancto inhabitare, & regnare dignaretur, vt iuste, & merito Dominus diceret, regnum Dei intra vos est.]

Psal. 44. — Euthym. in Psalm. 44. — D. Hieron. in c. 23. Isaiæ. — D. Amb. li. 4. de sacra. c. 1. — Ausonius. Strabus. — Lyranus. — Codices Græci. — Reges cur nos fecit Xps. — Arethas in comment. — D. Dion. Car. in comm. — D. Amb. in comment.

§. 5. Bifaria lectio huius loci in tenta ab Spiritu sancto.

Aduertas tamen hic oportet geminam apud codices Græcos esse huius loci lectionem: vna quæ sic legit: [Fecit nos regnum,] altera vero, quæ ita legit: [Fecit nos reges;] & vtramq; lectionem intentam esse hoc in loco à Spiritu sancto, quoniã si legamus: [Fecit nos regnum,] significat nos esse regnum Dei, vt in nobis ipsis regnet Christus, quoniã ablutis pretioso sanguine peccatis, & diabolo expulso, regnat ipse in nobis. Si vero legamus: [Fecit nos reges,] significat nos regnare super mundum, dæmonem, & carnem. Reges enim nos sumus spiritualiter, vt regnemus, eius spiritus efficacia armati super mortem, & infernum, quæ Christus nobis subiecit. Regis est malefactores opprimere, è tyrannide populum liberare, & pacificum in Republica conuictum curare: sic qui in Christum credit, qui eius sanguine mundatus est, regiam exercet dignitatem, dominatur mundo, & eũ velut seruum emptitium dimittit, peccatum occidit, dum eo moritur, & viuit Deo, diabolum, & tyrannidem eius repellit. Nihil enim potest in eum qui Christo tanto victori adhæret. Ecce qualiter omnes fideles baptizati per vnctionem olei sancti in baptismo susceptam, & regnum, & etiam reges spiritualiter loquendo sunt.

Regnamus super morte, & infernum. — Regis munus

§. 6. Xpiani oẽs sacerdotes.

Tertium tandem liquet. Quoniam cum omnes Christiani membra sint Christi, qui caput nostrum est, prout iam dudum explanatum fuit, & Christus non tantum sit Rex, verumetiam, & sacerdos, iuxta illud Psalm. 109. [Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec,] quod de Christo communiter intelligit ecclesia, dicendo: [Sacerdos in æternum Christus Dominus, secundum ordinem Melchisedec, panem & vinum obtulit,] sequitur aperte omnes Christianos, sacerdotes esse, spiritualiter loquendo. Quamobrem cum Christus per illam suam singularem vnctionem, vnctus plane fuerit, vt Rex simul, & sacerdos, sic omnes Christiani in baptismo vnguntur oleo sancto, non tantum vt reges, adeo vt faciat participes vnctionis summi Regis Christi, verumetiam vt sacerdotes, ad hoc etiam, vt fiant summi sacerdotis Christi participes spiritualiter. Sunt igitur generaliter omnes Christiani sacerdotes, non vere, & realiter, (vt hæretici asseuerant, prout dudum dicebamus,) sed spiritualiter, (vt est dictum) nimirum, per similitudinem, proprietatem, & actus quosdam. Quorum primus plane est, quia seipsos offerunt Deo. Secundus, quia corpora sua mortificant per pœnitentiam, quemadmodum Apostolus instruit ad Rom. 12. dicens: [Exhibete corpora vestra hostiam sanctam viuentem Deo placentem.] Tertius, quia per compunctionem æternam animas suas immolant creatori, & regius Psaltes, psalm. 50. ait: [Sacrificium Deo spiritus contribulatus.] Quartus, quia orationes, laudes, & reliqua virtutum exercitia in dies offerunt Deo, quod etiam sacrificium plane est, iuxta illud Psalm. 49. [Immola Deo sacrificium laudis.] Quintus, quia populus Christianus, generaliter est gens sancta, nobilis, clara extirpe orta prout supra iam explanatum est. Quibus additur, quod apud Hebræos ly [Cohem] significat sacerdotem, ducem, principem, ac excellentem, eoquod olim apud Hebræos, & omnes gentium nationes, viri qui in tota republica litteris, nobilitate, ac potentia, magis pollebant erant sacerdotes. Hinc plane est, quod ly [sacerdos,] sæpe in sacro eloquio principalem, ac nobilem gentem significet, quamuis sacerdotes minime sint realiter, & sic accipitur illud Exod. 3. [Moyses pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian.] Vbi sacerdos significat prępositum, aut gubernatorem terræ Madianitarum. Et illud etiam filiorum Dauid, de quibus 2. Reg. 8. dicitur: [Filij autem Dauid sacerdotes erant,] hoc est, principes, nobiles, inclyti, qui & in palatio regis magis præualebant, & in toto regno magis venerabantur. Et patet hoc, quoniam cum filij Dauid essent ex tribu Iuda, nequiuerant esse realiter sacerdotes, quales erant illi de tribu Leui, & tandem illud 2. Reg. 20. [Ira autem sacerdos Dauid,] perinde ac diceret: Erat amicus præcipuus, & intimus Dauid, suus consiliarius, & inter magnates totius regni, magis regis familiaris. Quamobrem Paraphrastes Chaldæus illic sic vertit: [Princeps, & magnus,] quoniam inter magnates principalior plane erat. Hac igitur de causa omnes Christiani appellantur sacerdotes, hoc est, nobilissimi, illustrissimi, magni, & principes, & hoc sane est quod indicare intendit D. Petrus dum ait: [Regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.] Quæ omnia plane epitheta sunt ad excellentiam, & nobilitatẽ Christianorum significandam. Quoniam hi sunt reges, & principes, ex præclaro sanguine originem ducentes, quandoquidem nobilitate, & sanguine Christi sustentantur, qui totius nobilitatis, & excellentiæ vberrimus fons est. Septimus, quia omnes viri iusti vocantur in sacra pagina sacerdotes spirituales, & sic intelligitur illud 1. Pet. 2. [Et ipsi tamquam lapides viui super ædificamini domos spirituales, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias,] & illud etiam Apoc 20. [Sederunt sacerdotes Dei Christi, & regnabunt cum illo mille annis,] vbi plane sermo est de omnibus Christianis, teste D. Augustino lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 10. qui plane hic, & etiam lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 4. & 6. aperte tenet omnes viros iustos, ac pios, esse spiritnales sacerdotes; quorum ara siue altare est cor, in quo offerendo Deo orationes, ac etiam voluntates suas illum placant. Hoc quippe est illud iustitiæ sacrificium, de quo Psalm. 4. & 50. ait Dauid: [Sacrificate sacrificium iustitiæ,] id est, domate

Sacerdos in æternum Xps — Sacerdotes efficiũtur Xpi am per quosdam actus. 1. actus. — 2. actus. — 3. actus. — 4. actus. — 5. actus — 6. actus. — Filij Dauid nobiles. — Filij nequibant esse sacerdotes. — Sacerdotes dicuntur illustrissimi & nobilissimi. 1. Pet. 2. — 7. actus. — D. Aug.

mate passiones, & actus appetitus sensitiui vestri, quia hoc est iustitiæ sacrificium maximum. Quod plane fit corda vestra Deo offerendo per pœnitentiam, quoniam pœnitentia, teste Euthymio sacrificium iustitiæ appellatur. Tum quia per illam, iustitia & sanctitas propter peccatum amissa, recuperatur. Tum quia pœnitentia est pars iustitiæ vindicatiuæ, & ratio postulat, quod qui talia patrauit, talia etiam luat, quod Hispani communiter dicere solent: [Razon es, que quien tal hizo, que tal pague.] Quamobrem verus pœnitens per suam pœnitentiam, actum criminalis iustitiæ contra seipsum exercet, in quo ipsemet contra seipsum & iudex rigurosus, & accusator absque passione aliqua, & scriba non rogatus, & carnifex crudelis, ac etiam reus patiens, & humiliatus plane est. Hinc de Maria Magdalena, Lucæ 7. dicitur: [Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat,] quoniam per hæc omnia instrumenta peccauerat, & per ea, per quæ quis peccat, per hæc, & torquetur, vnde ait Apostolus: [Sicuti exhibuistis membra vestra seruire, &c. (vsq;) in sanctificationem.]

Pœnitentes exercent iustitiæ actū cōtra seipsos rigorosissimum.

§. 7. Strabus in gloss. ordin.

Ex dictis plane facile est intelligere Doctores Catholicos, qui hunc locum de omnibus Christianis vertunt sub varijs epithetis sacerdotum, ac potentum. Quoniam Strabus in sua glossa ordinaria sic vertit: [Et sacerdotes, scilicet pro nobis, & pro fratribus nosmetipsos Deo offerentes,] & Lyranus: [Et sacerdotes scilicet, offerentes hostias laudis acceptabiles per ipsum,] & S. Thomas: [Et sacerdotes, id est, aptos ad facienda bona offerendo nos ipsos, & opera nostra Deo.] Et tandem D. Ambrosius sic exponit, dicendo: [Sacerdotes ergo Dei electi dicuntur, eoquod membra sunt summi sacerdotis, de quo Psalmista loquitur, dicens: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, membra eius eodem munere fugentes, eodem modo regnare studentes.] Sunt igitur omnes Christiani, spiritualiter loquendo, sacerdotes regales, quod & Deus ipse olim Hebræis, Exod. 19. dicebat: [Vos eritis mihi in regnum sacerdotale gens sancta.] Hoc est, regnabo in vobis, tamquam in sacerdotibus, qui sacrificijs, & orationibus inseruiunt. Hoc modo elegit nos Christus, hoc, populo promittebatur sub ly [eritis,] hoc adepti iam sumus quoniam hic dicitur: [Et fecit nos regnum, & sacerdotes.] Quemadmodum enim olim in veteri Testamento, omnes filij Aaron summi sacerdotis, creabantur sacerdotes, sic ratio ipsa postulare videbatur, vt nos filij Dei (effecti per sanctum baptisma, & per summum sacerdotem Christum) sacerdotes nominaremur & simus. Hoc est regnum sacerdotalem, quod prauidit Zacharias, dum in c. 6. ait: [Et sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni,] super quæ verba sic scribit D. Hieronymus: [Imponuntur coronæ, vel corona Iesu filio Iosedech, sacerdoti magno, quia nobis proficientibus, & reuersis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, immo nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in singulis coronam accipit.] Sic ille. Dicit autem coronas, quia regnat vt rex, & sacerdos. Coronæ autem ex auro, & argento fiunt, quia ex charitate, & operibus sanctis à nobis Deo dicatis hæ coronæ fiunt, quas Christus accipit, vt in nobis regnet, & sic sumus nos etiam sacerdotes, & reges Deo, & patri suo. Reges, (inquam) & sacerdotes spirituales, quoniam sicuti Deus spiritus est, ita spiritus nostri sacrificio delectatur. Quamobrem quemadmodum proprium est realibus sacerdotibus, reales, ac visibiles hostias, sacrificiaque Deo offerre, sic proprium etiam est Christianis omnibus, spirituales hostias, ac sacrificia, prout dictum est, Deo patri in dies offerre, & sic omnes Christiani generaliter sacerdotes spirituales in sacra pagina, vt præfati fuimus, nuncupantur.

Lyranus in comment. S. Thom. in comment. D. Ambros. in comment.

D. Hier.

Sacrificio spiritus nostri delectatur Deus qui spiritus vtiq; est.

§. 8.

Per hæc, quæ hucusque dicta sunt de sacerdotio

F Euangelico, facile ruit insania, ac dementia Caluinistarum, ac Lutheranorum, omnes Christianos generaliter sacerdotes vere, & realiter esse asseuerantium, & nullos esse peculiares sacerdotes in nouo Testamēto. Quinimmo omnes fideles communiter auctoritatem obtinere omnia sacrificia realiter, & visibiliter offerendi, & à peccatis absoluendi. Quod plane directe est contra sanctam, & catholicam Ecclesiam, confitentem, & fideliter, ac firmiter tenentem hoc solis sacerdotibus initiatis, consecratis, & ordine sacerdotali ad talia mysteria deputatis (qui presbyteri dicuntur) incumbere; quoniam ij soli sunt realiter, & vere sacerdotes, quibus dumtaxat datum est sacramentum eucharistiæ conficere, & illud populo porrigere, prout canit Ecclesia cum Sancto Thoma in oppusculis dicens.

Propositio hæreticorum fidei orthodoxæ dogmatibus aducrsa circa sacerdotes Euangelicos.

Error Lutheri, & Caluini circa sacerdotes.

S. Thom.

G

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Vt sumant, & dent cæteris.

Verumenimuero contra Caluinum, & Lutherum sermo erit infra vberrimus: interim tamen breuiter dicimus, quod hæc tria loca, nempe, Apoc. 1. [Et fecit nos regnum, & sacerdotes,] & 1. Petri 2. [Vos autem genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,] & Apoc. 5. [Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram,] alludunt directe ad illud Moysi, Exod. cap. 19. [Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum; eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.] Qui plane locus accipi potest bifarie, nimirum, metaphorice, & vere, & proprie: & sic tria illa superiora loca præallegata accipi etiam queunt, tum metaphorice, tum vere, & proprie. Accipiuntur itaque primo metaphorice, quoniam Moyses Exod. 19. per ly [regnum sacerdotale,] non intelligit veros, & reales sacerdotes de tribu Leui, quibus dumtaxat datum erat verum, & reale sacerdotium, iuxta illud Num. 3. [Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito, &c.] & cap. 1. [Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorū cum filijs Israel, sed constitues eos super tabernaculum testimonij, &c.] Ex quibus omnibus (ac etiam ex toto illo 3. cap. Num.) facile habetur, sacerdotes omnes vere, & realiter debere esse necessario inter Hebræos ex tribu Leui. Quam solam pro reliquis tribubus Deus sibi adiudicauit, vt prius in tabernaculo, deinde in templo ministraret, sed solummodum per [regnum sacerdotale,] intelligit Moyses metaphorice regnum maximum, celebre, nobile, ac præclarum vt supra retelimus, dum ly, [sacerdos] interpretaremur. Idcirco Lyranus, locum istum Exod. 19. nempe, [regnum sacerdotale,] sic exponit: [Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, id est, maximum, quia nomine sacerdotij aliquando maioritas intelligitur, sic supra dictum est de Petro 2. cap. & 2. Reg. 8. capite dicitur filij Dauid sacerdotes erant, id est, maiores, & primi post regem.] Sic Lyranus. Et doctissimus Abulensis hunc ipsum locum Exod. 19. sic enodat, dicens: [Si ergo audieritis vocem, positis beneficijs per quæ suadebat eis, vt reciperent legem eius, & custodirent, vel per quæ melius ostendebat eos in generali, obligatos ad quodcumque, quod eis mandasset, hic ponit conclusionem intentam, & procedit rethorice modo persuasiuo. Nam si ille aliquam ad aliquid induceret immediate diceret nullo alio proposito non assentiret audiens, quia animus eius non esset inclinatus. Cum autem præmittuntur aliqua verba in quibus exprimitur obligatio, inclinatur animus audientis ad id quod postea sequitur; sic enim hic prius posita sunt diuina beneficia deinde subiungit, quod verba eius audire debeant, & seruare;] & non longius post prædicta:

H

§. 9. Error hæreticorum circa sacerdotes impugnatur breuiter.

I

Sacerdotes apud Hebræos erant dumtaxat ex tribu Leui.

Tribus Leui dicata Deo pro reliquis tribubus.

Regnū sacerdotale, idest, quod regnum celebre, & nobile

Lyran. in c. 19. Exod.

Alph. Tostat. in c. 19. Exod.

K

Regnum Dei sacerdotale.

cta: [Et vos eritis mihi in regnum, id est, licet tota terra sit mea, non faciam illi, vt vobis, quia vos faciam regnum meum, id est, ita excellentes super alios tamquam vos sitis pertinentes ad regnum, ipsi autem non. Et vocatur istud regnum sacerdotale, quia sacerdos aliquo modo designat principatum, vt patet 2.Reg. 8.cap. cum dicitur filij Dauid sacerdotes erant, constat tamen, quod ibi accipiuntur sacerdotes pro principibus, quia nullus de filijs Dauid ausus fuisset accipere sacerdotium. Nam rex Ozias qui alio nomine vocatur Azarias percussus fuit lepra in fronte, & permansit sic tota vita per annos multos, quia accepit thuribulum, & thura funderet coram Domino, quod ad sacerdotes pertinebat, vt patet 4.Reg. 15. Et non solum qui acciperet officium Sacerdotale, sed etiam si quis acciperet officium Leuitarum, vt patet Num. 1. & 3. cap. dum dicitur: Si quis externus accesserit, morietur, maxime quia Apost. ad Heb. cap. 7. dicit: Nullum fuisse sacerdotem de tribu Iuda. Erant ergo isti, sacerdotes, id est, principes: Sic enim potest hic intelligi, quod Hebræi essent Deo regnum sacerdotale, id est, regnum magni principatus, scilicet, quod ipsi Iudæi principarentur valde, & essent in magna præeminentia. Vel vocari posset regnum sacerdotale, id est, regnum pertinens ad sacerdotes, scilicet, quod vos eritis mihi vt regnum, & vt sacerdotes, quia omnes eritis ita appellati ad cultum meum, respectu aliarum gentium, quod omnes videbimini vt sacerdotes, sicut sacerdotes ad cultum Dei magis applicati sunt, quam cæteri, quia alij intendunt rebus suis, sacerdotes autem pro toto populo constituti sunt vt ministri, & mediatores apud Deum, ideo hoc solum intendere debent.] Hactenus Alphonsus Tostatus. Ecce qualiter Moyses accepit locum istum Exod. 19. metaphorice. Cum autem præfata tria loca, nempe, Apoc. 1. & 1. Petr. 2. & etiam Apoc. 5. directe alludant ad locum Exod. 19. sequitur aperte, illa etiam tria metaphorice accipienda esse, & in hoc sensu explicata sunt a nobis supra, de omnis Christianis, qui propter vnctionem baptismalem, & reges, & etiam sacerdotes sunt spirituales, idest, principes, nobiles, excellẽtes, &c. Porro possunt etiam prælibata tria loca vere, & proprie (ita vt in illis sermo sit de veris, & realibus sacerdotibus) accipi. Cæterum, hoc est, intelligendum cum grano salis, quoniam sic non veniunt intelligenda de omnibus Christianis generaliter, ita vt omnes Christiani communiter & reges sint, & sacerdotes, sed de his dumtaxat ex illo numero Christianorum, quibus datum est esse reges, & sacerdotes initiati. Hinc est quod D. Dionysius Carthusianus, exponens hæc verba Apoc. 1. sic ait: [Et sacerdotes, quod ad sacerdotes ecclesię potest referri, quibus cõpetit corpus Domini consecrare.] Ad hoc recte intelligendum adnotanda primo est doctrina quędam Gregorij de Valentia in 3. p. D. Thom. disp. 6. quæst. 1. §. 13. nimirum, quod sacræ paginæ hæc est antiqua consuetudo, vt sæpe, quod de omnibus dicere videtur non omnibus dicat, sed quibusdam ex illo numero quibus illud conuenit, vt docet D. Augustinus epist. 48. ad Vincentium, & in lib. de Vnitate Ecclesiæ, cap. 12. & lib. contra Donatistas post collationem, c. 20. Hinc est quod illud Gen. 3. nempe: [Crescite, & multiplicamini, & replete terram,] quamuis vere, & proprie dicatur hominibus, tamen nequeat intelligi de omnibus simul, aut de singulis per se sumptis, quoniam religiosi, monachi, clerici, & moniales, & adhuc virgines, & pueri, & etiam naturales eunuchi ex vtero matri sic nati, non tenentur multiplicare, crescere, aut replere terram, iuxta verbum Domini, Matth. 19. [Et sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat.] Porro illud Apostoli 1. Cor. 3. [Cum enim sint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis.] Nequit etiam intelligi de omni illo populo, quoniam plerique erant in illo populo, qui carnales minime erant, quibus idẽ Apostolus in eadem epistola cap. 1. sic alloquitur: [Gratias ago Deo meo sẽper pro vobis in gratia, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & scientia, &c.] Ex quibus verbis liquet, hos saltem non fuisse carnales, quod magis perspicuum, ac planum fit in cap. 5. eiusdem epistolæ Corinthiorum. Et tandem illud Iacobi cap. 5. [Confitemini alterutrum peccata vestra,] nullatenus intelligitur, vt cuiuis peccata confiteantur, sed quibusdam, quibus ex officio incumbit, nempe presbyteris potestatem habentibus, aut sacerdotibus initiatis. Ex his modo ad rem.

Iudæi vocabant regnum Dei sacerdotale, & cur. Sacerdotes filij Dauid. sacerdotes principes. Rex Ozias lepra percussus & cur. Sacerdotes mediatores sũt apud Deũ. Carthusian. c. 1. Apoc. Greg. de Valentia in 3. p. D. Thom. D. Aug. Continentes eunuchi appellantur. Homines oẽs non carnales. Peccata non cuiuis homini confitẽda.

§. 10. Soluitur iam nodus Caluini, & Lutheri.

Cum igitur hoc in loco inquit Archipropheta: [Et fecit nos regnum, & sacerdotes,] & cap. 5. [Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram,] & Apostolus Petrus, 1. Petri 2. [Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c.] Hoc dumtaxat significatur, nempe, quod Deus desinit regnare in incredulis Iudæis, & transtulit ad nos regnum, & sacerdotium, quemadmodum olim ipsemet Deus desinit regnare in gentilibus incredulis, & transtulit ad Iudæos verum, & reale sacerdotium, vt patet Exod. 19. in illis verbis: [Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meũ, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta,] sic modo neque regnat in incredulis Iudæis, neq; in gentilibus Agarenis, nisi in solis nobis Christianis, neque habet in alio populo veros sacerdotes, nisi in populo Christiano, quem vere fecit peculium suum.

Comparatio. Deus iam reliquit Iudæos & gentiles.

§. 11. Refelluntur breuiter Caluinus, & Lutherus. 1. argum.

Ex hoc autem nullatenus licet inferre omnes Christianos esse veros, & reales sacerdotes, claues ecclesiæ obtinentes, potestatem conficiendi corpus Domini nostri Iesu Christi, & absoluendi à peccatis habentes. Quemadmodum si dicamus Romæ esse Cardinales, Athenis esse sapientes, ac doctos, & in vrbe Vallisoleti, siue in oppido Madriti (vbi communiter est regalis aula regiaque curia) esse principes. Nullatenus liceret inde inferre omnes qui sunt Romæ esse Cardinales, & omnes qui sunt Athenis esse sapientes, & Doctos, omnesue qui sunt Vallisoleti, aut Madriti esse principes, quandoquidem liquet clare vtrobique, & ignobiles, & illiterati, ac rudes reperiri quamplurimi, & per hoc breuiter remanet satis explosa, ac omnino expulsa Lutheri, & Caluini opinio, proterue tenẽtium ex his tribus locis, in nouo Testamento nullos esse peculiares sacerdotes, sed omnes Christianos esse vere, & generaliter sacerdotes, & conficere posse corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Quoniam dato quod tria præfata loca de vere, & realiter sacerdotibus intelligantur (vt ipsi Lutherani, & Caluinistæ existimant) tamen non veniunt intelligenda de omnibus Christianis, (vt ipsi male putant) sed de quibusdam tantum, ex illo numero quibus conuenit esse sacerdotes per susceptam consecrationem ab Episcopis iuxta Euangelicam, & Apostolicam traditionem, vt facile deducitur ex præfata doctrina Gregorij de Valentia, fundata in regula D. Augustini. Accedit ad hæc, quod Caluini, & Lutheri explanatio, in præfata tria loca, satis mendosa, & omnino falsa est, cum in eadem sententia, tam cito confundat, & misceat inter se terminos, accipiendo, ly [regnum] metaphorice, & ly [sacerdotes] vere, & proprie, quod plane refellitur clare, per illam coniunctionem copulatiuam [&] quæ mediat inter regnum, & sacerdotes, quæ sicuti elegit similes casus, ita etiam, & similem sensum in eadem oratione. Quamobrem etiam si nos reges fecerit, & sacerdotes etiam fecerit, oportet quod si reges sumus metaphorice, simus etiam, & sacerdotes metaphorice, & si sacerdotes sumus vere, & proprie, oportet etiam ex consequenti, vt reges simus vere, & proprie omnes Christiani, quod est aperte falsum; remanet igitur hic luce clarius, quod præfata tria loca, dato quod intelligantur de veris, & proprijs, ac realibus sacerdotibus euangelicis, vt vult hæreticus, tamen nullatenus esse intelligenda de

Comparatio. 2. argum. Explanatio hæreticorum errore scatẽs.

de omnibus Christianis communiter, & generaliter, vt ipse inepte existimat, sed dumtaxat de illis Christianis, qui peculiariter consecrati sunt, iuxta Euangelicam, & Apostolicam traditionem, & per consecrationem, & sacrum characterem conficiendi sacram Eucharistiam, auctoritatem, ac potestatem plenè acceperunt.

§. 12. Tria dubia notabilia. 1. Dubium. Populus Hebræus explosus à Deo. Sacerdotes Hebræos repulit Deus.

Ad pleniorem, & perfectiorem huius loci intellectionem, tria plane explananda supersunt. Primum vtiq; est vbi constat in sacro eloquio, Deû ita repulisse populum Hebræum, vt in illo, nullatenus regnet, nec munus veros, ac reales in eo amplius obtineat sacerdotes? Ad quod facile respondetur cum vate Osea, qui ex parte Dei in cap. 4. sic ait: [Quia tu scientiam repulisti, repellam te, & ego, ne sacerdotio fungaris mihi,] quæquidem comminatio, & aduersus sacerdotes, (vt exoluunt Vatablus, & Lyranus,) & etiam aduersus decem tribus Israel (vt dispungunt D. Hieronymus Rupertus Abbas, & Hieronymus Guadalupensis) plane facta est. Quamobrem ipsam Synagogam, repellendam esse ab vtroque sacerdotio, nimirum, spirituali secundum munus interius, & reali siue vere, & proprie, secundum exterius ministerium, ait Dei vates, quia oblita est legis Dei, & hæc de primo.

§. 13. 2. Dubium. Vnctus fuit Xps & quando, & qualiter.

Secundû præterea est, quando, & qualiter fuit Christus vnctus, & quæ vnctio fuit illa ad hoc, vt vere dicamus, Christianos, & Reges, & Sacerdotes esse, per vnctionem baptismalem, qua participes fiunt vnctionis Christi, prout supra multoties dictum est. Decisio huius rei, facilis est ex illo Psalm. 44. [Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,] quod de Christo exoluunt omnes Doctores, iuxta illud Dan. 9. [Et vngatur sanctus sanctorum,] quem ibi ipsemet Daniel, Christum appellat, & illud Isa. 61. [Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me.] Quod ipsemet Christus Dominus Lucæ 4. exponit de seipso, dicens: [Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus, misit me, &c.] Hinc quippe est, quod de Christo dicatur Act. 4. [Conuenerunt vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti,] & cap. 10. [Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa, post baptismum, quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.] Quamobrem per excellentiam in sacra pagina appellatur Iesus, Vnctus, Messias, & Christus, quod idem est. Istam autem vnctionem fuisse illam felicissimam hypostaticam vnionem qua Deus naturam humanam ad suam personalitatem assumpsit, fatentur D. Athasius serm. 2. contra Arianos, Damascenus lib. 4. Fid. c. 6. & D. Gregorius lib. 9. Epistolarum epist. 61. Tunc enim diuinitate, vncta plane fuit humanitas illa sancta, à primo, videlicet, instanti conceptionis per plenitudinem gratiarum, quam tunc à Deo accepit, iuxta illud Isa. cap. 61. [Requieuit super eum spiritus Domini, &c.] & illud Act. 10. [Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute,] nimirum, donorum, & gratiarum plenitudine, vt exoluunt D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 8. D. Bernardus serm. 1. in capite Ieiunij, D. Chrysostomus hom. 1. ad Rom. Quamobrem oleum siue vnguentum quo vnctus fuit Christus, non fuit visibile, quinimmo, inuisibile, & spirituale, cum fuerit ipsemet Spiritus sanctus cum suis pretiosissimis donis, & gratijs. Hinc est quod Diuinus Citharœdus vbi supra, illud vocet [oleû lætitiæ,] quod apud Hebræos excellentiæ vnguentum, vel vnguentum singularissimum, oleumque fragrantissimum, ac suauissimum appellatur, hoc est vnguentum vere diuinum, & spirituale, vt vertunt D. Cyprianus, de Vnct. Christi, D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. & versio Campensis. Et hæc spiritualis vnctio Christi est illa gratiarum plenitudo Christi, de qua dicitur Ioan. 1. [Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.] Hæc autem vnctio manifesta fuit in Iordane, cum Christus baptizatus fuit à

Christus sanctus sanctorû.

Iesus appellatur per antonomasiam vnctus. Vnctio Christi qualis fuit. D. Athanas. Damascen. D. Greg.

D. Ambros. D. Bernard. D. Chrys. Xps vnctus fuit oleo inuisibili.

D. Cyprian. D. Ambros. Versio Campensis.

F Ioanne Baptista, & in resurrectione quando datum est illi nomen super omne nomen, quemadmodum dudû distulimus de gratiarum plenitudine per illum sacræ Scripturæ tropum, quo res tunc fieri dicuntur cum innotescunt, & sic interpretandi sunt D. Athanas. orat. 2. contra Arianos, D. August. Psalm. 99. D. Hilarius 4. de Trin. D. Hieron. in Isa. 61. D. Bernard. serm. 1. in capite Ieiunij, Anselm. & Beda, ad Heb. 1. tenentes hanc vnctionem factam fuisse in primo instanti conceptionis, & manifestata in Iordane, siue post resurrectionem, vt de plenitudine gratiarum dictum est, tex. 1. par. 5. disp. 3. q. 4.

Tertium, & postremum est, vnde apparet Christum simul, & Regem, & Sacerdotem esse, vt vere dicamus omnes Christianos; simul & Reges, & Sacerdotes spirituales, esse per vnctionem illam baptismalem, qua, vnctionis Christi fiunt comparticipes, &
G omnes peculiares sacerdotes, (qui vere, & realiter sacerdotes sunt per consecrationem ab Episcopis susceptam) esse simul reges, & sacerdotes. Ad hoc etiam facilis est responsio. Nam patet primo in eius incarnatione, in qua illius potestas regalis fuit ostensa, ex eo quod ex tribu regali traxit originem secundum carnem. Potestas vero sacerdotalis in eadem incarnatione manifestata fuit ex eo quod per Ioannem Baptistam, qui fuit filius sacerdotis, voluit suum aduentum nuntiare. Vnde dicit Augustinus lib. de consensu euangelistarum, quod quia Christus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos ideo diuina prouidentia factum est, vt tres Euangelistæ, qui Christum quantum ad humanam naturam assumptam notificare scripserunt, hoc ordine eorum euangelia inceperunt. Quia Mattheus incipit à semine regali, dicendo: [Liber generationis Iesu Christi fili Dauid,] qui plane fuit
H Rex Israel. Marcus vero à vaticinio prophetali, dicendo: [Initium Euangelij Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia Propheta.] Sed Lucas à sacrificio sacerdotali, dicendo: [Fuit in diebus Herodis sacerdos quidam nomine Zacharias.] Secundo id patet in eius conuersatione. Cum enim illi qui accipiebant didrachma, (vt habetur Matth. 17.) dicerent Petro, quare Magister vester non soluit didrachma? Christus præueniens eum volentem interrogare, dixit: [Quid tibi videtur Petre, reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filijs suis, an ab alienis?] Quo respondente, ab alienis, conclusit: [Ergo liberi sunt filij Regum.] Super quo verbo dicit D. Hieronymus, quod dominus noster, & secundum carnem, & secundum spiritum filius regis erat, quia secundum humanitatem, ex Dauidica stirpe erat generatus: secundum vero diuinitatem omnipotentis patris erat verbum, & ideo tamquam regum filius tributa soluere non debebat. Ter-
I tio id manifestum fuit in eius passione in qua potestatem regalem ostendit, quando intrans Ierusalem, cum diabolo pugnaturus, regalem reuerentiam suscepit ab Ierosolymitanis sternentibus vestimenta, & ramos de arboribus in via. Vnde & testimonium Prophetæ Zachariæ inductum est per Euangelistam Matthæum, dicentem: [Ecce Rex tuus venit mansuetus, sedens super asinam, & pullum eius.] Potestatem vero sacerdotalem ostendit, quando seipsum obtulit in ara crucis: idem enim fuit sacerdos, & oblatio. Idcirco Augustinus 4. de Trinitate, cap. 14. dicit, quod quatuor considerantur in omni sacrificio, scilicet, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Tandem potestas regalis, & sacerdotalis in eius resurrectione est manifestata, in qua primo potestatem regalem ostendit in diaboli spoliatione, quan-
K do multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo, & introierunt in sanctam ciuitatem, in signum victoriæ obtentæ. Sacerdotalem vero omnimodam potentiam ostendit in spiritus sancti elargitione, quando dixit, Ioan. 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.] Ideo Matth. vltimo inquit: [Data est mihi omnis potestas, (népe, sacerdotalis, & regalis) in cælo, & in terra.] Ecce igitur qualiter potestas Christi, fuit simul, & sacerdotalis, & re-

§. 14. Christus Rex & sacerdos simul fuit.

1. Ratio.

D. Aug.

Euangelistarû ordo, & cur.

Euangeliorû diuersum initium.

2. Ratio. Didrachma quare soluere nô tenebatur Christus.

D. Hier. Christus filius Regis duabus de causis.

3. Ratio. Regalem potestatê quâdo patefecit Xps

Matth. 21. Zach. 9. Sacerdotalê potestatem quâdo manifestauit Christus. D. Aug.

Regalis potê tiæ Christi manifestatio.

Victoriæ Xpi signum. Sacerdotalis potentiæ Xpi manifestatio.

Sacerdotium euangelicum regale.

& regalis. Et per consequens sacerdotium nostrum Euangelicum regale debet esse, quum simus membra summi sacerdotis Christi: Et quamuis in nobis inferioribus sacerdotibus euangelicis resplendeat duntaxat auctoritas, & potestas sacerdotalis absque regali, tamen obtinemus summum sacerdotem Vicarium Christi, nimirum, Papam, in quo vtraq; potestas, regalis, vtique, & sacerdotalis simul maxime elucet, ac omnino emicat, quoniam Papa consecratur vt sacerdos, & coronatur vt Rex, & festum coronationis eius omnibus regibus annuntiatur, quod plane inde ortum habet, quia noster summus Pontifex Christus simul, & Rex, & Sacerdos vtique est. Quamobrem D. Augustinus, lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 1. sic scribit: [Firmissime tenendum est carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & regum, scilicet, & sacerdotum in quibus personis apud illum populum Hebræorum, etiam mystica vnctio figurabatur, id est, chrisma, vnde Christi nomen elucet.] Sic ille.

Papa sacerdos, & rex. Papalis coronationis dies festus regibus annunciatur.

D. Aug.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod regnũ Christi spirituale nõ habet finem.



DE regno istius regis (qui nos reges efficit) alloquutus est diuinus Citharœdus Psalm. 144. dicendo: [Regnũ tuum regnũ omnium sæculorum, & dominatio tua, &c.] Perinde ac diceret Christo, Dei vates, regnum tuum, regnum æternum: [Cuius regni (vt canit Ecclesia) non erit finis.] De quo etiam Lucæ 1. dicitur: [Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Trifaria quidem de hoc regno Christi, de quo hic dicitur, [& fecit nos regnũ] fuit olim opinio falsa. Prima quidem fuit parentum, & cõsanguineorum eiusdem Christi, qui putarunt eum debere regnare modo mundano, & carnali affectione, vel carnali propagatione. Audiuerant enim ab Angelo annunciatum fuisse, quod sessurus erat in sede Dauid eius patris, & pro eo regnaturus in domo Iacob, vt dicitur Luc. 1. ideo crediderunt audientes tot mirabilia, ac magnifica de illo in natiuitate sua, & in progressu vitæ, ipsum futurũ esse regẽ ex carnis propagatione, & regnaturũ fore modo mundano, & carnali affectione. Quo errore decepta soror matris Iesu, scilicet, mater filiorũ Zebedæi, auida, petiuit ab eo: [Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram, & alius ad sinistram in regno tuo.] Secunda opinio falsa, fuit gentilium Romanorum; Diffamarunt enim Iudæi Christum apud Romanos, & apud Pilatum, & Herodem, quod regnum vellet inuadere potestate tyrannica, potestate armorum, ac ministrorum, ad quod videbatur dispositus propter mirabilia, quæ faciebat, & propter multitudinem populi, quæ ipsũ sequebatur, vnde in aduentu Magorum annũtiantium regem Iudæorum esse natum, [turbatus est Herodes (vt dicitur Matth. 2.) & omnis Ierosolyma cum illo.] Ex hoc audiuit Pilatus ab ipsis Iudæis accusantibus Christum: [Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari.] Tertia tandem opinio falsa de regno Christi fuit Iudæorum credentium iam in ipsum qui putauerunt Christum regnaturum quadam temporali successione: sciebant enim se esse priuatos regno, & ad gentiles Romanos regnum Iudæorum esse deuolutum: vnde scientes Christum esse natum ex tribu Iuda, de qua consueuerant esse reges, crediderunt videntes eum esse potentem in opere, & sermone (vt dicitur Lucæ 21.) restauraturum regnum Israel, & liberaturum Iudæos de manibus Romanorum. Vnde post mortem eius à duobus discipulis euntibus in castellũ Emaus (conferentem ad inuicem de ipso Christo, quãdo apparuit eis in peregrini specie) dictũ quippe fuit: [Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus

Triplex opinio falsa de regno Xpi. Regni christi falsa parentum opinio.

Matth. 20. Regni Christi falsa Iudæorũ, & gẽtium opinio.

Famam malã de Xpo asperserunt Iudæi circa regnũ.

Ioan 19.

Regni Christi falsa Iudæorum iam baptizatorũ opinio.

Lucæ 24.

A Israel.] Ecce igitur tres falsas opiniones de regno Christi, de quo hic dicitur: [Et fecit nos regnum.] Quas Christus redemptor noster repulit in tribus verbis, quæ loquutus fuit Pilato, vt habetur Ioan. 19. Propterea quod falsam opinionem parentum, & consanguineorum credentium eum regnaturum modo mundano, & carnali propagatione, seu carnis affectione repulit, quando dixit: [Regnum meum non est de hoc mundo.] Mundum enim, dicit Chrysostomus nominauit mũdanam sui generis parentelam, ex qua non contraxit potestatem, & virtutem regnandi, sed potius infirmitatem moriendi, quia ex forma serui crucifixus est, sed regnat ex virtute Dei, vt dicit Apostolus. Opinionem vero gentilium existimantium esse regnaturũ ministrorum, & armorum virtute, & tyrannica dominatione, repulit, quando dixit: [Si enim regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei vtique decertarent, B vt non traderer Iudæis.] Ministros namque vt Chrysostomus dicit, Apostolos, & Angelos appellauit. Quorum auxilio patrociniove noluit vti, vt regnaret, quia Apostolos compescuit, vt gladium conuerterent in vaginam, patrem vero destitit rogare, qui exhabuisset sibi plusquam duodecim legiones Angelorum: [Nonne possum rogare Patrem meum (dicitur Matth. 29.) & exibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.] Tertiam vero, & vltimam opinionem credentium Iudæorum putantium esse regnaturum temporali successione, repulit quando dixit: [Nunc autem regnum meum non est hinc:] Ac si diceret, regnũ meũ non ordino ad temporalem successionem, sed Redempturus sum regnum ad possidendam æternam mansionem: [Venit enim filius hominis (vt dicitur Lucæ 9.) saluum facere, quod perierat.] & sic [regni eius non erit finis,] quia regnum gloriæ est. Vnde Bernardus loC quens de domo Iacob, & de regno Christi super illa verba Lucæ 1. [Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis,] sic ait: [Hic non domum temporalem accipimus, cum sit in illa, quæ æterna est, regnaturus in æternum. Quærenda est ergo domus Iacob æterna, in qua regnet in æternum, cuius regni non erit finis. An non denique domus exasperans est illa domus Iacob, quæ &c. ò quam gloriosum est regnum illud in quo reges congregati conuenerunt in vnum ad collaudandum, & glorificandum eum qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium, de cuius splendidissima contemplatione fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.] Sic Bernardus. Cuius regni ciues, & heredes esse, (vt nos fecit Christus,) nimia diligentia curare nobis oportet, cum sit omniũ sæculorum regnum.

Ioan. 19. D. Chrys. Mundus parentela carnalis.


Ioan. 19. Ministri Xpi Apostoli, & Angeli.

Regnum Xpi ad tẽporalẽ successionem nullatenus de stinatum ab ipsomet Xpo. Ioan. 19.

Bernard. sup missus, ho. 4.

Regni æterni ciues, & domestici Dei sumus per Christum.

D



REX Christus diuerso modo peruenit ad hoc suum regnum, de quo hic dicitur: [Et fecit nos regnum,] quo alij reges ad sua regna peruenire solent. Dicunt namq; Politici, quod quatuor modis potest quis ad regnum peruenire, nempe, per hereditatem, per electionem, per arma, & per donum. De quibus omnibus periculum facere possumus, primo in Salomone qui ad regnum peruenit per hereditatem Dauidis patris sui: sedit enim Salomon in solio, & throno regio Israel, vt apparet 3. Reg. 1. vbi rex Dauid Bethsabee E vxoris suæ dixit: [Salomon filius tuus regnabit post me (adde iure hereditario,) & ipse sedebit super solium meum pro me.] Secundo in Imperatoribus Romanorum, qui post Constantinum Magnum per electorum vota, & electionem ad Imperium perueniunt. Cuius electionis Gregorius Quintus summus Pontifex, septem ex Alemania constituit electores, nempe, Regem Boemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem, qui sunt quatuor electores laici, & Archiepiscopum Maguntinum, Archiepiscopum Coloniensem, & Archiepiscopum Treuerensem, qui sunt alij tres electores clerici, qui omnes

Conceptus 2. Quod Xps noluit peruenire ad suum regnum spirituale alio modo quam per passionem, & crucem sua. Regnum obtinere quis potest quatuor modis.

Aug. de Ancona de Potestate Papæ q. 35. ar. 2. Greg. V. cõstitutio.

omnes simul ex Alemania sunt electores, ad Imperatorem eligendum, & sic ex constitutione Gregorij V. omnes Imperatores Romani perueniunt ad Imperium per electionem septem electorum ex Alemania. Tertio, periculum facere possumus in Dauide qui per donum Dei peruenit ad regnum Israel. Idcirco Ps. 77. de illo dicitur: [De post fœtantes accepit eum,] & 1.Reg.17. dixit Saul: [Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum?] Quarto tandem, peruenire quis potest ad regnum per arma, vt solebant antiqui Romani Reges, & Imperatores, qui in gladio, & lancea, necnon nimia potentia bellica debellare solebant regna. Quapropter eos vehementer timebant Hebræi, dicentes, [Et venient Romani,& tollent locum nostrum,& gentem.] Quod etiam præstitit (ante Romanos) Ninus primus rex Assyriorum, de quo Iustinus postquam lib. 1. dixit: Principium rerum gentium nationumq; imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat, populus nullis legibus, &c.] mox subtexuit: [Hic (id est Ninus) primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Lybiæ terminos vsq; perdomuit, &c.] En igitur quattuor modi ad regnum perueniendi, nimirum hereditate, electione, dono, & armis: & tamen Christus redemptor noster nullo istorum modorum voluit ad hoc regnum suum peruenire. Noluit siquidem hereditate peruenire ad regnum: nam licet originem traxerit à Dauid, & Abraham, quorum filium, illum appellat Matthæus in cap. 1. dicens: [Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.] Dauid, inquam, cui dictum est: [De fructu ventris tui ponam super sedem tuam,] & Abraham cui dictum fuit: [In semine tuo benedicentur omnes gentes,] & per consequens cum horum filius secundum carnem fuerit Christus, iure hereditario poterat peruenire ad regnum: tamen noluit hereditate ad ipsum peruenire. Inde Matthæus in sua genealogia mox subscripsit Ieconiam, dicendo: [Iosias autem genuit Ieconiam, & fratres eius, &c.] De quo Ieconia ita ait Ieremias in cap. 22. [Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.] Nec minus aliquam mentionem fecit Christus de verbis Angeli, dicentis Lucæ cap. 1. [Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum;] quæ omnia signum sunt Christum noluisse per hereditatem ad regnum temporale peruenire, licet potuisset. Quantum autem attinet ad electionem, satis apertum est in sacro eloquio Christum noluisse per electionem peruenire ad regnum, vnde Lucæ 12. dixit: [Homo, quis me iudicem constituit, aut diuisorem super vos?] Quasi dicat: Nemo adhuc me regem, aut imperatorem vestrum elegit. Et Ioan. 6. sic dicitur: [Iesus autem cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem fugit iterum in montem ipse solus.] Nec insuper voluit peruenire ad regnum per vim, & potentiam armorum: & licet in aduentu magorum dicentium: [Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?] Mox addat Matthæus in cap. 3. dicendo: [Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo,] tamen ecclesia modulatis vocibus decantat:

Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Hinc etiam D. Leo Papa in hæc verba irruit de puero Christo recenter nato: [Quis est iste Rex Iudæorum pauper, & diues, humilis, & sublimis, portatur, vt paruulus, adoratur vt Deus: Paruulus in præsepio, immensus in cælo, vilis in pannis, pretiosus in stellis,

Hebræorum timor in Romanos. Ioan. 19.
Ninus Assyriorum magnus debellator. Iustin. lib. 1.
Christus noluit peruenire ad regnũ per hereditatem.
Psal. 131. Gen. 22.
Ieconias rex Israel sterilis.
Christus noluit peruenire ad regnũ p electionem
Sedulius in hym. de vna Christi.
D. Leo Papa ser. 1. de Epiphania.

E quid turbaris Herodes? Rex iste non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare; non natus est, vt tibi succedat, sed vt in eum mundus fideliter credat: Venit non vt pugnet viuus, sed vt triumphet occisus.] Hactenus D. Leo. Quapropter optime quidem de Christo alloquutus fuit senex Simeon, Lucæ 2. dicendo: [Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.] Noluit igitur Christus armorum vi, ad regnum peruenire. Quamobrem tota potentia, & arma bellica Christi, & tota illius vis, directe destinabatur, tendebat, & dirigebatur ad dæmonem spoliandum, ex tyrannide spirituali, quam obtinebat in animas gentium, ob Adæ peccatum. Ideo de Christo dixit Isaias in cap. 41. [In hamo capis Behemot.] Et ob id dæmonia ipsa, Marci 1. acclamabant dicentes: [Iesu Nazarene cur venisti ante tempus

G perdere nos.] Quapropter ipsemet Christus Ioa. 12. dixit: [Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.] Ad hoc igitur fuerunt tota arma bellica Christi directa, ac omnino destinata. Verumtamen de cætero nullum regem, aut principem temporalem, à suo regno, aut principatu armis Christus, aut spoliauit, aut vmquam debellauit. Tum postremo noluit ad aliquod regnum peruenire per donum, noluit enim à Patre æterno regnum aliquod temporale accipere, immo aperte dixit Ioan. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Et ob id tentatori, illi promittenti mundana regna, dono, & dicenti, Matth. 4. [Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me,] mox iratus respondit Christus: [Vade retro satana.] Et tunc timens fugit tentator ille, cum in prima, & in secunda tentatione id minime præstiterit, immo non fuit ausus amplius aliam quartam, quintamue tentationem illi pro-

H ponere (cum credendum sit, satan potuisse etiam aliã, nempe quartam, aut quintam tentationem machinari) in tertia igitur tentatione de regnis dono dandis, aufugit Behemoth, ille, quasi diceret: Iste respuit regna dono data, Deus homo factus est, fugiamus hinc. Nullo ergo istorum quatuor modorum quos politici recensent, voluit Christus ad regnum peruenire. Cuius rei ratio est: quia vtique regnum illius, de quo hic dicitur: [Et fecit nos regnum,] spirituale, & gratiæ regnum erat, vt ipsemet insinuauit Ioan. 18. dicendo: [Regnum Dei intra vos est,] quod quidem multoties apud Matthæum, Marcum, & Lucam, regnum cælorum vocauit: cuius etiam meminit latro pendendo in cruce, Lucæ 23. dicendo: [Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.] Et ideo nolebat, modo temporali, aut potestate corporali, ad illum peruenire sed modo spirituali, & potestate spirituali ad

I illud peruenit. Quapropter ipse post resurrectionem Matth. 28. ait: [Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra.] Quæ quidem potestas non solum est temporalis, quæ tandem desinit esse, sed etiam spiritualis, de qua Daniel. 7. [Potestas eius, potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur,] & regius Psaltes: [Sedes tua Deus in sæculum sæculi,] & Lucæ 1. [Regni eius non erit finis,] & hoc ideo, quia [Filius hominis (vt dicitur Lucę 19.) venit quærere, & saluum facere quod perierat.] Hinc incunctanter asseuerare possumus. Quod vt ostenderet suam potestatem non esse temporalem, adducentibus Pharisæis mulierem deprehensam in adulterio coram ipso, vt dicitur Ioan. 8. noluerit aliud præstare nisi interpretari ius naturæ, dicendo: [Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat,] & ob hoc noluit in partitione duorum fratrum iudicare, vt dicitur

K Lucæ 9. nec minus voluit iudicialiter respondere, vtrum census esset dandus Cæsari an non: Et finaliter nimis aperta demonstratio huius argumenti vtique fuit illa, qua Lucæ 15. iussit Petro pro seipso gabellam soluere. Sic enim illic dicitur: [Et iussit solui didrachma,] & paulo post, [solue pro me, & pro te.] Ex quibus omnibus aperte concluditur potestatem illam, cum dixit: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,] non esse temporalem, sed spiritualem.

Regi Christi præcipuus finis circa suũ regnum.
Reges tẽporales vi armorũ minime debellauit Christus.
Regnum Xpi, regnum gratiæ, & gloriæ
Rex Christus cur ad regnũ suum noluit peruenire, vt cæteri reges ad sua perueniunt regna.
Regia potestas Christi æterna. Psal. 44.
Iudicare noluit Christus & cur.
Matth. 18.

lem. Verum quidem est Christum potuisse etiam temporaliter regnare si voluisset: nam (vt summatim perstringam,) nonne princeps temporalis esse poterat ille, qui dixit Matth. cap. 26. [An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?] poterat sane; verum noluit, quia Maiestas, Imperium, & Regnum temporale, intentioni, & proposito primi aduentus sui repugnabant, ipse namq; in primo aduētu non ad iudicandū condemnandumue venit, sed tantum ad liberandū, saluandum, & redimendū nos: [Non enim misit Deus filium suum in mundum, (dicitur Ioā. cap. 3.) vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.] Quæquidem saluatio, liberatio, & redemptio spiritualis omnino erat, & ideo nec vtilis, necessariaue ad illam erat regalis, aut imperialis potestas. Quod autem reputabat vtile, & necessarium, erat quippe ingens patientiæ, humilitatis, mortificationis, paupertatisque exemplum præbere, quod satis abunde, & copiose præbuit, & præstitit Christus. Quæ omnia regali potentiæ, opibusque, & diuitijs regis, ex diametro apponuntur. Et ideo competens quidem fuit, vt in primo aduentu non veniret ad nos quasi: Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram, vt ipse in semetipso est, & semper fuit, & erit. Quinimmo quod competens fuit, est, vt in illo primo aduentu aduenirет ad nos, ita vt videremus eum despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, quasi leprosum, percussum a Deo, & humiliatum, vt dixit Isaias in cap. 53. hoc sane fuit maxime competens. Et reuera ipse hæc omnia adamussim impleuit ob nostram salutem in primo aduentu. Nam venit ad nos ita infimus, vt merito de illo dicat Apostolus ad Phil. 2. [Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, &c.] vsque ad [factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.] Ita insuper humilis, vt merito de illo dicat Dauid Psal. 21. [Opprobrium hominum, & abiectio plebis.] Ita denique paruipensus, vt merito ipsemet de seipso per Dauid Psalm. 21. dicat: [Ego sum vermis, & non homo.] Proprijssimus quidem vermis, qui ex terra, & aqua oritur: [Nubes pluant iustum (dicitur Isa. cap. 45.) aperiatur terra, & germinet saluatorem,] sapientissimus vermis, qui super hamum diuinitatis voluitur, ad dæmonem capiendum: [In hamo (ait Isa. cap. 41.) capis Behemoth.] Potentissimus vermis, quia vermiculus ligni teterrimus iste, ita lignum crucis rodit, vt merito de illo dicatur: [Regnauit à ligno Deus.] Miserrimus vermis à Iudæis illusus, & spretus, vt non sit qui consoletur illum. Validissimus vermis, in cuius morte sol obscuratus fuit, terræmotus factus fuit, petræ scissæ sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Fortissimus vermis qui educens vinctos de lacu, in quo non erat aqua, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Humillimus denique vermis, qui non solum noluit regem esse, verumetiam ad ostēdendam suam profundissimam humilitatem, vilissimo nomine, ipsemet nominat seipsum, dicendo: [Ego sum vermis, & non homo.]

Redēptio nostra spiritualis.

Psalm. 43.

Xps est vermis. Vermis origo & generatio.

Apostrophe ad vermem. Christus vermis sapientissimus. Potentissimus

Miserrimus. Validissimus. Matth. 28. Fortissimus. ad Ephes. 4. Humillimus.

Conceptus 3. Quod regnum Xpi spirituale inceptū est in hoc mūdo, & perficietur in altero.



EGNVM de quo hic alloquitur Dei Vates, dicendo: [Et fecit nos regnum] inceptum quidem est in hoc mundo, perficietur autem, & omnibus numerís absoluetur in altero. Hinc est quod licet Pater æternus inchoauerit ponere inimicos Christi sub scabello pedum eius, id est, sibi subiectos, verumtamen adhuc non compleuit, quinimmo in dies non cessat illos sub eius pedibus ponere iuxta illud Psalmographi: [Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.] Quæquidem verba Paulus ad Heb. 1. ad litteram de persona Xpi intelligit. Et Rabbi Ionathas (vir magnæ

Psalm. 108.

A auctoritatis apud Hebræos) in translatione sua Chaldaica, vbi nos habemus: [Dixit Dominus Dño meo, sede, &c.] transfert ita: [Dixit Dominus verbo suo, sede, &c.] Ideo gloss. interl. super versiculum. [Donec ponam, &c.] sic ait: [Ponam illos tibi plane subiectos, aut ex voluntate, vt conuersos, aut ex necessitate, vt malos.] Et Incognitus, super hunc psalmum probat, omnia esse Christo homini subiecta hoc argumento. Omnes homines, aut sunt de numero prædestinatorum aut reproborum, sed tam isti, quam illi sunt sub pedibus Christi, quia boni per humilitatem, & deuotionē, mali autem per iudiciariam potestatem illi subijciuntur. Ergo, &c. Et hoc est (ait ipse) quod dixit Christus Matth. 29. [Data est mihi in omnis potestas in cælo, & in terra.] Per cęlum intellige (ait) bonos, sed malos per terram. Verum his, & alijs quamplurimis prætermissis illorum verborū expositionibus, dicimus, quod

Laudunens.

Dcā. Iacegn

B in verbis propositis Psalmographi, duo notorie attinguntur de Christo. Primum quidem est, sedere ad dexteram Dei patris, secundum vero, ponere inimicos illius sibi subiectos. Primum autem istorum, nempe, sedere, &c. Iam est plane adimpletum in ascensione sua, iuxta illud Marc. 16. [Et Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris De.] Secundum vero, nimirum, ponere inimicos illius sub scabello pedum eius, inceptum quidē est (vt dixi) quia fecit nos regnum illius, in quo Gentiles, & Hebræi iam conuersi adorant vestigia pedum eius. Verumeninuero non est illud ex omni parte cōpletum perfectum, & absolutum, ex eoquod non omnes inimici eius, sub scabello pedum eius positi sunt, cum adhuc in dies, multi infideles ad fidem perueniāt. Et hoc est, quod quotidie, (etsi paulatim) peragitur in conuersis, donec Pater æternus inimicos filij sui scabellum pedum eius ponat, quod ita fiet. Nam regnum

Conuersio Iudæorum, & gētium iam incepta oportet adimpleri.

C potentiæ, incipit à Ierusalem, & sic dominatur in medio inimicorum suorum. Quamobrem Pater æternus in dies non cessat (immo nec vnquam cessabit vsq; ad diem iudicij) ponere inimicos Christi sub pedibus illius: [Donec signemus (dicitur Apoc. 7.) seruos Dei nostri in frontibus suis,] & tunc omnibus iam signatis cessabit. Quia tunc adimpletus erit prædestinatorum numerus. Interim vero quotidie paulatim, non cessat ponere inimicos eius, sub scabello pedum illius, & ad hoc fecit nos regnum. Et quod non est reticendum varijs excellentijs hoc regnum suum illustrauit. Primo siquidem fine sempiterno, nam finis istius regni, est homines ad immortalem beatamque vitam perducere. Secudo legum excellentia, quia, vt ait Dauid Psalm. 6. [Lex Domini immaculata, &c.] Tertio, duratione, quia hoc regnum vsque ad consummationem sæculi stabit.] Quarto amplitudine ditionis,

Regnū potentiæ, incipit à Ierusalem.

Excellentiæ 6. quib⁹ regnū Xpi exuperat alia regna mundi.

1. excell.

2. excell.

D quia hoc regnum se extendit per omnes regiones vsq; ad Indos. Quinto vtilitate, quia liberatos à peccato & dæmone nos, amicos Dei, & heredes vitæ æternæ fecit. Sexto tandem vi, & efficacitate, quia aliorum regnorum vis, & potentia ad corpora tantum pertinet: at vero huius regni vis, & potentia, artus viscera, intimosq; animorū recessus penetrat, animabus, mentibusq; dominans. His igitur excellentijs in infinitum exuperat hoc regnum Christi alia regna mundi. Hinc Isa. cap. 9. de Christo redemptore nostro in quantum est huius regni rex, princeps, & caput, sic dicitur: [Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus

3. excell.

4. excell.

5. excell.

6. excell.

E fortis Princeps pacis, Pater futuri sæculi.] Vbi nota quod sapientiores Philosophi (fere omnium Doctorū assensu cum Aristotele, in fine Metaph. & lib. 8. Politic.) asseruerunt, regnum optimum esse genus gubernationis, præsertim quo ad principem, sapientem prudentem, iustum, & potentem. Quapropter de huius nostri regni spiritualis, moderatore, principe, & Rege Christo quo ad eius sapientiam, prudentiam, iustitiam, & potentiam in gubernando super alios principes, & reges vniuersæ terræ, ait Isaias, vbi supra: [Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis

Rex oportet sit sapiēs, prudens, iustus & potens.

X

Regis Christi ꝓprietate, & prærogatiuæ.

bis cuius imperium super humerum eius,] & explicans quasdam illius proprietates protinus subiungit: [Vocabitur nomen eius Admirabilis:] Quasi diceret. Clarum nomen, & celebris fama, quæ in hominum laude, & admiratione versatur, magnam Principi auctoritatem, & maiestatem adferunt, & sic erit in Principe, & Rege Christo. Et mox ait: [Consiliarius] quasi dicat, vllo modo cuiusquam vmquam eget consilio, cum tanta prudentia, & sapientia illi abundanter suppersit, vt aliorum regum, & principum consiliarius esse queat. Tum addit [Deus,] hoc est, vt appareat aperte regnum hoc spirituale, (nimirum Ecclesia Catholica Romana,) cuius conditor, & rector, & defensor Deus est, vllo tempore de futurum fore; ideo statim addit [Fortis,] id est, ad debellandos, deuincendosque hostes, quasi dicat, non erit Deus iste, vt Dij gentium, de quibus Dauid Psalm. 113. ait: [Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt; pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.] Deus autem iste erit Deus fortis, manus habens ad debellandos, trucidandos, deuinciendos, & truculenter prosternendos hostes suos; & vice versa ad subiectos defendendos, tuendos, & custodiendos, & confestim subdit: [Pater futuri sæculi.] Quasi dicat: Regnum Christi inchoabitur in hoc sæculo, at vero in altero perficietur, & omnibus numeris absoluetur cum cæterorum regnorum idem qui huius sæculi terminus, & finis futurus sit, erit igitur rex istius regni, pater, quia regnum Christi non constabit sæuitia tyrannica, nec regali faustu, sed paterna suauitate, charitate, & benignitate, & ita Christus, & potestate Rex omnium erit, & amore, beneuolentia, cura, & charitate, patrem singulorum præseferet ac ostendet. Tandem ait Isaias: [Princeps pacis,] quasi dicat: Erit pacificus rex, veluti alter Salomon, qui multis in rebus similitudinẽ eius prætulit. Desiderabit enim eius vultum vniuersa terra, adeo vt dicat ecclesia: [Magnificatus est rex pacificus super omnes reges vniuersæ terræ.] Quas omnes excellentias, & proprietates Regis Christi intuens Hebræorum turba, viso miraculo illo, cum nimirum, Iesus Christus redemptor noster, quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiauit, voluit cum regem facere, vt dicitur Ioan. 6. per hæc verba: [Venturi erant, vt facerent eum Regem.] Quasi dicerent Hebræi: Iste qui hoc magnum fecit miraculum, nos satiando, & reficiendo futurus est rex, (quantum ad id quod experimur) velint nolint principes nostri. Regnum autem istius tot habebit excellentias super omnia alia regna mundi, quot olim insinuauit Isaias: Ipse vero in semetipso est potens, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, benignus, misericors, & pacificus, & (vt credimus) erit pater noster in futurum. Accipiamus igitur claues sanctuarij, & sancti sanctorum, & illas ei elargiamur, quia hic est vere Propheta qui venturus est in nobis, & faciamus illum regem nostrum. Cum enim sit potens, nihil nobis inposterum deerit. Has igitur excellentias, & prærogatiuas regni Christi, intuitus fuit, noster diuinus Vates, dum hoc in loco ait: [Et fecit nos regnum.] Mille titulis (adde) excellentijs, & prærogatiuis, omnifarie ornatum, & pollens, in quo incepit inimicos regis illius sub pedibus eius subiectos collocare, & vsq; ad consummationem sæculi de cætero nullatenus cessabit.

Rex admirabilis Christus.

Rex Christus consiliarius.

Rex Christus Deus fortis.

Discrimẽ inter Deũ nostrũ & gentium idola.

Rex Christus pacificus.

Conceptus 4. Quod sacerdotes legis euãgelicæ habent potestatem conficiẽdi eucharistiã



PORRO Sacerdotes Euangelici, de quibus hoc in loco dicitur: [Fecit nos regnum, & sacerdotes Deo, & Patri suo,] sunt in quibus dũtaxat per cõsecrationem, auctoritas conficiendi corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi apprime resplendet. In

F omni tempore, vt tenet Concil. Trident. sess. 23. Deus voluit sacerdotes esse in terra, quoniam in omni lege sacerdotes plane extitere. In lege namque naturæ primogeniti erant sacerdotes, vt Gen. 14. fit manifestũ de Melchisedec, in lege vero Mosayca Aarõ, & filij eius constituti fuerunt sacerdotes, vt patet Exod. 40. & denique in lege gratiæ consecrati, ab Episcopo, qui inter Christianos presbyteri dicuntur. Et hi inter reliquos vtriusque legis, nimirum, naturæ, & scriptæ, mirum inmodum præpollent auctoritate, eoquod eucharistiam conficiendi potestatem obtinent a summo sacerdote Christo. Quoniam Christus redemptor noster in vltima cœna, panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum conuertens dixit: [Hoc facite in meam commemorationem.] Quod plane, quamuis immediate Apostolis dictum fuerit, tamen mediate omnibus sacerdotibus initiatis, Apostolorumq; succes-

G soribus, prænunciatum etiam extitit, quod nullis alijs sacerdotibus legis naturæ, & scriptæ, vmquam accidit. Hinc proculdubio sacerdotes Christi sunt illi, quibus dumtaxat auctoritas, & potestas corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi conficiendi data vtique est. Proinde sacerdos euangelicus pro nobis intercedit, quandoquidem pro nobis singulis diebus in sacrificio Missæ in persona Christi, ad patrem æternum, & ad totam Trinitatem alloquitur: bis enim loquitur ad Patrem, & bis ad totam Trinitatem. Primo siquidem ad Patrem æternum, sic dicit: [Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quã ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo, & vero, pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus & negligentijs meis & pro omnibus circumstantibus sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis, atq; de-

H functis, vt mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.] Secundo vero ad eumdem æternum Patrem sic ait: [Te igitur clementissime pater per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices te rogamus, ac petimus, vt accepta habeas, &c.] Ad sanctissimam autem Trinitatem, bis etiam loquitur. Primo, ita: [Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam, passionis, resurrectionis, & ascensionis Iesu Christi Domini nostri, &c.] Postremo in fine missæ ad eamdem sanctam Trinitatatem, sic alloquitur, dicendo: [Placeat tibi sancta Trinitas, obsequium seruitutis meæ, & præsta, vt hoc sacrificium, quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Xpm Dominum nostrum.] Ecce igitur qualiter sacerdos euangelicus, in sacrificio missæ, bis ad æternum Patrẽ, & bis ad totam Trinitatem, pro nobis, in persona Xpi

I loquitur. Quod quidem ideo proculdubio fit, vt aperte intelligamus, quod sicut Christus mediator fuit inter Deum, & hominem, ita sacerdotes euangelicos, inter Deum Patrem æternum, & sanctissimam Trinitatẽ mediatores esse pro nobis peccatoribus, & Deum Patrem, & totam Trinitatem sua oratione, & sacrificio placare. Quod autem sacerdotes euangelici, mediatores sint inter Patrem æternum, & populum, probat S. Thom. 3. p. quæst. 22. art. 1. S. Antoninus in sum. p. 3. tit. 14. & Durandus in rationali, lib. 2. cap. 11. num. 14. Quod vero sacerdotes euangelici, Deum nobis placatum suis precibus reddant, indicat illud Ioelis cap. 2. [Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini dicentes; parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes,] & paulo post: [Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo,

K & respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis, &c.] & Iacob. 5. [Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ, vt orent pro eo.] & Leuitic. cap. 4. [Et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus;] & iterum: [Rogabit pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei,] & Eccl. cap. 44. [Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconsiliatio.] Et ob id Ale-

Conc. Trid.

Lucæ 22.

Sacerdos in persona Xpi loquitur ad Patrem æternum.

Sacerdos in persona Xpi loquitur ad totam Trinitatem.

Xps mediator inter Deũ, & homines. Sacerdos mediator noster

S. Thom. S. Anton. Durandus.

Sacerdotes orãt pro nobis ad Deum.

Alexander Papa dicere ſolebat, quod ſacerdotes ipſi pro populo interpellant,& peccata populi comedunt, quia ſuis precibus, & oblationibus ea delent, atque coſumunt. A

Conceptus 5. Quod ſacerdotes debent habere oés ſẽſus, & motus conſecratos Deo.

Sacerdotes ſancti.



DEO Chriſtus fecit nos ſacerdotes, [Deo, & Patri ſuo,] vt hic dicitur, vt ſciant presbyteri, & ſacerdotes euangelici, ſe totos debere eſſe Deo Patri æterno deditos, ac omninò abdicatos omni tempore. Quamobrem de ſacerdotibus dicitur Leuit. cap. 21. [Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius, incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerent, & ideo ſancti erunt.] & 2. Reg. 2. [Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet, &c.] Hinc plane eſt, quod Concilium Venet. cap. 11. & Concilium Agathen. cap. 39. ſtatuunt, quod presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non eſt, & etiam aliarum nuptiarum euitent conuiuia, ne hic cætibus miſceantur,vbi amatoria cantantur,& turpia aut obſcæni motus corporum, choreis, & ſalutationibus efferuntur, ne auditus, aut obtutus, ſacris myſterijs deputati, turpium ſpeculatorum, atque verborum contagione polluantur: ſi enim ſaltationes,& balla (inquit quidam Doctor,) in laicis ipſis, damnat Laodicen. Concilium, in cap. 53. nihil mirum, ſi horum aſpectum clericis interdicat in canon. ſeq. cap. [Non oportet.] Mors enim intrat per feneſtras, & portas noſtras, hoc eſt, per ſenſus corporeos. Quamobrem Exod. cap. 8. dicitur: [Fecerunt & tunicas byſſinas opere textili Aaron, & filijs eius, & mitras cum coronulis ſuis ex byſſo.] Super quæ verba ita ſcribit Ioſephus: [Super caput geſtat pileum non faſtigiatum, neque totum corpus comprehendentem, ſed paulo pluſquam medium, eſt autem tali paratu, vt videatur linea ſæpe in orbem replicata, & conſuta, quam ſuperne alia tela integit, vſque ad frontem. Deſcendens, & ſuperficiem verticis, ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur accurate, ne inter ſacrificandum delabatur.] Mitra autem idem eſt, quod Tiara, ſiue pileum ſacerdotum, nam quod Hebræi [Miſznepher] hoc Græci [τιάραν,] Latini [Mitram] quidam [Cidarim,] quidam vero [Galerum] vocant. Et eſt genus veſtimentorum, (teſte Diuo Hieronymo,) rotundum, pileoſum, quale pictum in Vlyſſe conſpicimus, quaſi ſphæra media ſit diuiſa, & pars vna ponatur in capite, non habet acumen in ſummo nec totum vſque ad comam caput tegit, ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta conſtrictum eſt, vt non facile labatur ex capite. Et hoc indumento,venerabili Beda teſtante, admonebantur ſacerdotes,omnes capitis ſenſus Deo conſecratos habere, ne vel oculi viderent vanitatem, nec aures audirent opprobrium aduerſus proximum ſuum, vel os abundaret malitia, & lingua concinaret dolum, &c. & ſubiungit Beda: [Mitras cum coronulis ſuis habent ſacerdotes ex byſſo, qui ſic viſum, auditum, guſtum, olfactum, & tactum ſuum in venuſtate caſtimoniæ cuſtodiunt, vt pro eadem cuſtodia, ſe coronam vitæ; quam repromiſit Deus diligentibus ſe, accipere ſperant.] Et Ribera libro tertio de Templo, capite octauo, ſic ait: [Caput quia ſummum membrum eſt, portionem animæ ſuperiorem deſignat, hoc eſt, mentem, ſiue rationem, quæ libera eſſe non debet, vt de rebus diuinis pro arbitrio ſuo iudicet, ſe vitta byſſina, id eſt, abnegatione proprij iudicij conſtringenda eſt, vt captiuus fiat intellectus in obſequium Chriſti.]

Conc. Venet. Côc. Agathen.

Dionyſ. Paulus Lopis in Flos, Clericorum, p.p. nu. 160, mors intrat p feneſtras.

Mitra quid ſit.

Ioſephus.

Mitra idẽ eſt quod Tiara.

D. Hier.

Beda in Exodi cap. 8. pſalmi. 49.

Riber. lib. 3. cap. 8. de Templo.



SACERDOTES Euangelicos à Chriſto redemptore noſtro in illa memoranda ſacratiſſimaque cœna vltima, altiſſimo, & quodam ſpeciali modo, ſub illis verbis: [Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum,]& paulo poſt:[Accipite,& bibite, hic eſt calix ſanguinis mei, &c.] Inſtitutos fuiſſe, fides docet, Matthæi cap. 26. Marci 14. Lucæ 22. & Ioannis 13. Hinc Concil. Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 1. ita habet: [Is igitur Deus, & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipſum in ara crucis morte intercedente Deo patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur,quia B tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, viſibile, ſicuti hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo, cruentum illud, ſemel in cruce peragendum, repræſentaretur, eiuſque memoria, in finem vſque ſæculi permaneret. Atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur, ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus, panis, & vini, Deo patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis,quos tunc noui Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat,vt ſumerent tradidit,& eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcipit per hæc verba, hoc facite in meam commemorationem, vti ſemper Catholica Eccleſia C intellexit, & docuit.] Hucuſque Concilium Tridentinum. Cum igitur ſacerdotij Euangelici inſtitutio fuerit adeò mirabilis in illa ſacratiſſima cœna nouiſſima, hinc factum eſt, quod omnia, quæ in ſacra Scriptura, & alibi reperiri poſſunt, quæ ad honorem & excellentiam ſacerdotum expectant, cuncta procul dubio, ſingulariori, & excellentiori modo procedant, intelligantur, & locum habeant in ſacerdotibus euangelicis noui Teſtamenti, quam in ſacerdotibus veteris Teſtamenti. Quod probatur primo, Sacerdotij leuitici imbecillitate conſiderata; de qua Concilium Tridentinum ſeſſion. 22. cap. 1. ſic ait: [Quoniam ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo ad Hebræos 7. propter ſacerdotij Leuitici imbecillitatem conſummatio non erat, &c.] Secundo pâtet in ſacerdotij tranſlatione, de qua Concilium Tridentinum, ſeſſ. 22. cap. 1. ait: [Oportuit, Deo patre miD ſericordiarum ordinante ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedec ſurgere, &c.] De qua etiam tranſlatione Diuus Paulus, 2.Corinth. 3. ſic inquit eleganter: [Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu,] & ad Heb. 7. [Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt legis tranſlatio fiat.] Tertio tandem iſtud patet ex illis verbis Apoſtoli, 1. Corinth. cap. 3. [Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata, in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?] Ex his ergo, aperte concluditur altaria noſtra maioris auctoritatis eſſe, quam altaria veteris Teſtamenti, & quidquid in veteri Teſtamento, & alibi de ſacerdotum honore, & excellentia reperitur, altiori, & nobiliori modo dici poſſe de ſacerdotibus noui Teſtamenti, vnde illud Exod. cap. 2. [Dijs E non detrahes.] & illud Malachiæ cap. 2. [Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.] & illud 1. Paralipomenon 16. & Pſalm. 104. [Nolite tangere Chriſtos meos.] & illud Zachariæ 2. [Qui vos tetigerit,tangit pupillam oculi mei,]& alia plura, in ipſis noui Teſtamenti ſacerdotibus efficacius verificabuntur, cum de ſacerdotibus ſacra

X 2 illa

Conceptus 6. q in ſacerdotibus euangelicis, cẽs excellentiæ ſacerdotum nobiliori modo reperiuntur q̃ in ſacerdotibus veteris Teſtamenti olim reperirentur.

Conc Tridct. circa inſtitutioné ſacerdotis euangelici.

Conc. Trid.

Altaria Xpianorũ maioris auctoritatis quã Hebræorum altaria.

illa dicta intelligantur ad litteram. Accedit quod Dominus noster Iesus Christus, verus Deus, & homo, specialem quandam affectionem ad euangelicos sacerdotes noui Testamenti semper habuit. Hinc est quod Matth. 10. de sacerdotibus suis dixit: [Qui recipit vos, me recipit,] & Lucæ 10. [Qui vos spernit me spernit,]& Luc. 5.[Vade ostende te sacerdotibus,] & Matth 5. [Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi, &c.] Ex quibus omnibus liquido constat, sacerdotes noui Testamenti digniores, & excellentiores esse quam sacerdotes veteris Testamenti.

Conceptus 1. Quod sacerdotes euangelici, vt reges honorādi sūt



SACERDOS noui Testamenti, simul est sacerdos, & rex, quia vt hic dicitur sacerdotium euangelicum, est regale sacerdotium. Et ob id sacerdos noui Testamenti, etiam vt rex honorandus est. Ad quod intelligendum nota, quod apud antiquos idem erat rex, & sacerdos, vt docet Beatus Isidorus, in cap. Cleros, vers. nam maiorum, distinct. 21. S.Antoninus in summa, p. 1. tit. 1. cap. 2. §. 4. vers. tertium not. Didacus Couarruuias, in præfatione ad Clementinam, si furiosus, de homicid. & Ludouicus Clichthoueus, in tractatu de vita, & moribus sacerdotum cap. 1. & 2. Quamobrem quemadmodum apud antiquos, idem erat rex, & sacerdos, ita etiam Catholica Ecclesia ministros suos sacerdotes quasi in reges erigit, quod per coronam in capite designat, vt sentit S. Hieronymus, dicendo: [Hi namque sunt reges, id est, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc designat corona in capite,] & hoc ipsum plane est, quod intendit hoc in loco noster Prophetarum Propheta Ioannes, dum ait: [Et fecit nos regnum, & sacerdotes,] & tangit etiam istud D.Petrus, inquiens: [Genus electum, regale sacerdotium.] Quamobrem quanta est differentia inter solem, & lunam, tanta est inter Pontifices, & Reges distantia. Quamquidem similitudinem attingit Castro aduersus hæreses, verbo, sacerdotium, hæres. 1. vers. ad fortem. Hinc plane est, quod D.Ambrosius (vt habetur dist. 97. cap. duo quippe) dicat, quod non tam aurum pretiosius est plumbo, quam regia potestate dignior sit ordo sacerdotalis. Et teste Augustino de Ancona, scribitur de Alexandro Imperatore, quod cum veniret ad Iudæam, proposito ipsam destruendi, & exterminandi, in visione habuit, quod Ioiadæ summo sacerdoti obuiam sibi venienti honorem deberet impendere, tamquam superiori digniorique se, quod sane præstitit, nam statim, vt eum vidit pontificalibus vestibus ornatum, & laminam vbi erat nomen Domini inscriptum, secundum legem antiquam in fronte pontificis intuitus fuit, mox ab equo prosiluit, dignissimeque eum veneratus est. Quod in admirationem rapit principes eius, (Gentiles quidem, vt & ipse erat,) comitatum sequentes, quibus respondisse fertur, quod non ipsum adorasset, sed Deum, cuius principatum, & vicem gerebat in terris. Idcirco veniens cum eo Ierusalem, templum Domini maximis donis honorauit, atque barbaram contra Iudæos ferocitatem deponendo, ipsos ab omni tributo exemit, & libertati donauit. Porto in libello Sybillæ Tiburtinæ similiter scribitur, quod cum in die natalis Domini, templum ædificatum à primordio vrbis Romæ corruisset, Cæsar Augustus, intelligens maiorem Dominum ipso, esse in terra natum, prohibuit, ex tunc, vt nequis eum Dominum vocaret. Et cum diligenter perquireret à Tiburtina Sybilla quis esset verus Deus in hoc mundo, illa se oraculo omnino dedita, apparuit circa solem circulus, & in medio circuli Virgo pulcherrima puerum gestans in gremio, tunc Sybillam ad Imperatorem. Respice seorsum, (inquit) Imperator. Cum autem Imperator stuperet ad visionem illam, audiuit vocem de cælo, dicentem: [Hæc est Ara

Isidorus. S. Antoninus. Didac. Cou. Ludou. Clichthoueus.

D.Hier.

1. Petri 2.

Castro cōtra Lutherum. D. Ambros.

Aug. de Ancona in sua summa de ecclesiastica potestate q. 36. ar. 5.

Sacerdos honorandus.

Alexan. Imp. memorabile factū in sacerdotum honorem.

Sacerdotes legis Moysi honorarunt etiam Gentiles reges.

Sybillæ Tiburtinæ historia

F cæli.] Tunc Sybilla ad Imperatorem, dixit: [Hic puer maior te est, ideo ipsum adora.] Quod mox præstitit Imperator, & ex tunc præcepit, ne aliquis eum Dominum vocaret. Propter quod ille locus, vocatur adhuc: [Sancta Maria de Ara cæli,] quem & ego frequenter Romæ visitaui, Virginem ipsam gloriosam enixe inuocando, & laudando. Hęc omnia narrantur ab Augustino de Ancona, vbi supra, disputando an Imperator sit maior Papa in dignitate. Per quæ (inter alia pleraque) recte concludit summum sacerdotem, (nempe Papam) dignitate excellere omnem terrenam potestatem regalem vtique & imperialem, & quamuis aliam orbis. Est igitur sacerdos euangelicus, vt rex, & etiam supra reges, & imperatores omnes, miruminmodum honorandus. Quamobrem de illorum debito honore, & reuerentia, dicitur Psalm. 104. [Nolite tangere

G Christos meos, & in prophetis meis, nolite malignari.] Et Zachariæ cap. 2. [Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.] Nam cum ad ipsos dumtaxat pertineat consecratio corporis Christi, vt probat Lateranensis Concilium, sub Innocentio in cap. 1. [Vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia,] & cap. firmiter. §. [Vna vero, de summa Trinitate.] Ad ipsos etiam consequenter pertinet populum pacificare, & fontes esse concordię, (vt dixit Imperator Theodosius, in epistola ad Ioannem Anthiochenum Episcopum, & habetur in tomo primo Concil.) Mediatores etiam esse inter Deum, & homines, medicos spirituales animarum nostrarum, dubia omnia animæ, & conscientiæ dirimentes, patres omnium, luces, ac duces cœcorum, debent insuper, irreprehensibilem vitam agere, sectando humilitatem, mansuetudinem, modestiam, pœnitentiam, orationem, ieiu-

H nium, &c. Ita vt cum Apostolo dicere queant: [Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus,] & iterum: [Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.] Hæc igitur omnia sacerdotibus conueniunt, vt sic viuentes, & sibi ipsis, & populo Dei etiam proficiant. Hinc plane est, quod sacerdos stomachus ecclesiæ dicitur: nam, vt ait Hieronymus Guadalupensis, in cap. 4. Oseæ super illa verba: [Peccata populi mei comedent.] (sequens doctrinam Diui Chrysostomi,) quemadmodum medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere festinat. Quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est, ita etiam si sacerdotium integrum fuerit, tota floret ecclesia, si autem corruptum fuerit, tota fides marcida est, & infirma. Et sicut stomachus acccipiens

I cibum coquet in seipso; ita tantus esse debet charitatis ardor in sacerdotibus, vt etiam ipsas viperas, & serpentes venenatos peccatorum laniat, & in ventriculum traijciat, & coquat, vt ita vere dicatur de illo: [Peccata populi mei comedent,] & sic post comestionem valeat, dicere cum Psalmographo: [Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.] Quoniam sicut post voratum serpentem maxime sitit ceruus, tantaque est caloris illius virtus, vt in pectore eum coquat, & sitibundus anhelet ad fontes aqua plenos, in eumdem modum sacerdos in immo pectore debet peccata populi reuoluere, & ardore charitatis succensus, recurrere ad Deum fontem aquæ viuæ, summisque ab eo precibus impetrare, vt super peccatores aquam suæ misericordiæ ineffabiliter effundat.

K

Sacerdotalis dignitas maior imperiali & regali.

Sacerdotis solius est corporis Christi cōsecratio.

Imp. Theodosius.

Sacerdos stomachus ecclesiæ Dei. Hier. Guadalupensis. D. Chrys. Medicorū in curandis infirmis consuetudo.

Comparatio.

Psal 41. Ceruorū natura attente notabis, & sacerdotū nostrorū curam clare intelliges.

PARA-

PARAPHRASIS Decimaquarta.

Par. 14. Dilucidatio textus. §. 1. Gratias Deo agere tenemur.

Ipsi gloria, & imperium (inquit) in sæcula sæculorum. Iam hic Christo Domino, pro tot suis in nobis collatis beneficijs, enixe regratiari, ingentesque toto corde gratias exhibere, ac etiam eius beatitudini apprime congratulari, nos docet Prophetarum Propheta Ioannes, gloriam, ac beatitudinem perfectã, summumque imperium illi ex nunc, pro gratiarum actione optando in æternum. Hæc etenim verba: [Ipsi gloria, & imperium,] sonant, vt Christus ab omnibus, & colatur, & honoretur clara cum laude atque in omnibus per fidem, spem, & charitatem, dominium, & imperium summum obtineat, nimirum, vt ipsum vniuersus orbis maxime glorificet, eumq; vt Regem, Principem, Imperatoremque suum recipiat, ac eximio honore summoque amore illum maxime prosequatur: quæ plane omnia iuste noster vates Ioannes hic Christo exorat. Quoniam cum eum, supra, Deum nuncupauerit, sub illis verbis, [qui est, & qui erat, & qui venturus est,] vbi sermo vtique est de verbo Dei (prout supra retulimus) supererat ex consequenti, vt gloriam ipsi Christo nunc attribueret quatenus Deus est. Quoniam soli Deo gloria, & honor competit, dicente Apostolo: [Soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum.]

Christus semper honorandus, & laudandus.

1. Tim. 1.

§. 2. Imperiũ Xpi hoc loco proponitur.

Attingit hic (inter has glorias) noster diligentissimus vates imperium Christi, quoniam cum supra ipsemet eumdem summum Imperatorem appellauerit, illis verbis: [Princeps regum terræ,] oportebat etiam per consequens, vt illi summum imperium ascriberet. Etenim summo Imperatori maxime inter est, & cunctis præcipere, & omnibus imperare, cum illi soli omnes, & obedientiam, & obsequium exhibere teneantur, & hoc plane est, quod indicare intendit de Christo noster Ioannes, per ly, [Imperium.]

§. 3. Desiderium Ioannis de æterno honore Christi.

Coniungit porro hoc in loco noster primicerius inter Prophetas Ioannes gloriosum Christi imperium cum æternitate, vt mirifice patefaciunt illa verba: [Imperium, in sæcula sæculorum.] Quoniam ly: [In sæcula sæculorum,] hic Dei æternitatem significat, iuxta illud Psal. 83. [Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te,] hoc est, æternaliter te laudabunt, vt D. Ambrosius, D. Hieronymus, Lyranus, Iansenius, Incognitus, Iacobus de Valentia, & Gilbertus Genebrardus in Psalmos exoluunt. Verum quippe est, quod [sæculum] in sacro eloquio significat illud tempus, siue spatium, quo vita nostra versatur, & sic intelligitur illud Psalm. 113. [Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, sed nos qui viuimus benedicimus Domino, ex hoc nunc, & vsque in sæculum,] id est, vsq; ad finem vitæ, vbi enimterminatur merendi tempus. Verumtamen hic accipiuntur,[sæcula] pro æternitate, siue pro illo tempore, (vt ita dicam,) quod à fine mundi per æterna tempora procedet. Quoniam sæculum, a sequor dicitur, teste Durando lib. 4. rationalis diuin. offic. cap. 15. eoquod tempora sibi inuicem succedunt. Quamobrem ly, [sæcula sæculorum,] æternitatem significat per omnia æua sibi succedentia, vt nos supra tex. 5. paraph. 3. concepr. 1. abunde retulimus. Hanc viam tenent D. Hieronymus 1. cap. ad Galat. Hugo Cardinalis super Ecclesiasticam hierarchiam in principio, & Lyranus hic, & cap. 1. ad Galat. Quibus locis hi Doctores affirmant dici, [sæcula sæculorum,] sicut [cantica canticorum,] vel [sancta sanctorum,] aut [prouerbia prouerbiorum,] quæ posita plane sunt ad significandum id, quod suo genere est exi-

Durandus.

D. Hier. Hug. Card. Lyranus.

A mium, & longe præstantissimum. Vel ad demonstrandum quemdam gradum, & progressionem in melius, & in hoc sensu intelligitur illud Psalm. 83. [Beati qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te,] hoc est, æternaliter te laudabunt, & illud 1. ad Tim. 1. [Regi sæculorum immortali,& inuisibili soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum,] & illud ad Galat. 1. [Cui est gloria in sæcula sæculorum,] & illud tandem, quod sancta mater Ecclesia in fine cuiuslibet psalmi subiungit, dicendo: [Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio,& nunc,& semper,& in sæcula sæculorum] hoc est, æternaliter. Accipitur itaq; hic ly, [sæcula sæculorum] pro æternaliter, videlicet, pro spatio illo post hanc vitam, quod finem nullatenus obtinebit, in quo quidem Deus futurus est adæquate gloriosus, quoniam tunc glorificabitur in omnibus, nempe in bonis, B in cælo, per manifestationem suæ gloriæ, in damnatis in inferno per executionem suæ iustitiæ, quæ eum non minus quam misericordia commendabilem reddit. Cuius plane contrarium nunc in terris experimur, vbi nos libere agere permittens, propter arbitrij libertatem, quamuis ab vno laudetur, ab altero tamen nostrũ crebro offenditur, se tempus expectante, hunc præmiandi, illumq; puniendi, quamobrem Christus Dominus in alio sæculo, in omnibus gloriosus erit. Hinc Dauid Psal. 103. exclamat dicendo: [Sit gloria Domini in sæculum sæculi, lætabitur Dominus in operibus suis,] quoniam tunc manifestabitur in misericordia, & iustitia. Hinc plane satis clare intelligitur illud Psalmistæ, ps. 89. [A sæculo,& in sæculum tu es Deus,] & ps. 117. [Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius,] scilicet, æternaliter. Soli enim Deo æternitas, tum aparte ante, tum C etiam aparte post affatim competit.

Deus quãdo adæquate in nobis gloriosus.

Deus in terra & laudatur, & offenditur.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus Quod Christus semper sit à nobis glorificandus laudandus, & honorandus.



OST illam solemnem Christi redemptoris nostri humilitatem (cuius extat mentio ad Philip. 2. per hæc verba: [Humiliauit semetipsum Dominus Iesus Christus factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis] restat, vt omnes nos ex intimo cordis affe- D ctu desideremus ipsum redemptorem nostrum vbique regnare, glorificari, honorari, & omnino imperare: [Dignus est Agnus (dicitur Apoc. 5.) qui occisus est, accipere virtutem,& diuinitatem,& sapientiã, & fortitudinem,& honorem,& gloriam,& benedictionem, &c.] ad quod alludit Apostolus loco citato, dicendo, [Propter quod & Deus exaltauit illum,& donauit illi nomen, quod est super omne nomen,] quæ plane verba de Christi humanitate ad litteram intelligenda veniunt, quoniam diuinitas non exaltatur, eo quod nec humiliari potest. Quamobrem exoptat Apostolus, vt omnes simul, humanitatem assumptam à verbo, omnis populus adoret,& omnis lingua confiteatur, quia Dominus omnium gentium,& Angelorum Iesus Christus in gloria est Dei Patris, hoc est, in natura, & gloria E Deitatis, id est, eiusdem est gloriæ,& æqualitatis cum Patre. Gloria itaque debet plane esse semper redemptori nostro Iesu Christo cum ipse in se, (& non secundum merita nostra) gloriam obtineat. [Cui est gloria (ait Apostolus ad Galat. 1.) in sæcula sæculorum,] & ad Philip. 2. [Qui cum sit splendor gloriæ,] & regius Citharœdus, Psalm. 23. [Quis est iste Rex gloriæ?] Ex quibus liquet Christum non secundum merita nostra, sed ex se, & gloriosum esse,& gloriam habere. Ex quo plane fit, vt ipsi soli gloria debeatur, & imperium: eo quod ipse solus omnia possit, dicente Psal-

Psalmista Psalm. 144. [Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis,] & Psal. 146. [Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.] Cum igitur Christus Dominus, gloriam, & imperium ex se obtineat, sequitur aperte Christum redemptorem nostrum, glorificandum, laudandum, magnificandumque semper esse à nobis, tum propter eius magnitudinem, tum propter eius sapientiam, tum etiam propter eius magnificentiam, propter ejus sanctitatem, propter ejus mirabilia eximia, virtutem terribilem, maximam iustitiam, infinitam misericordiam, tum denique propter omnia opera eius; quoniam singula, & pulchra nimis, & satis mirabiliter facta plane fuere, Quamobrem ex eorum laude, ipsius etiam artificis, nempe, creatoris, (quoniam ex nihilo creauit) maxima resultat laus, & encomium. Cum etenim homo videt solem, & considerat quomodo totum mundum illustrat, quomodo oritur, & occidit, quomodo regulato motu procedit, ipsum plane solem laudat, considerat cælum stellis ornatum, sua influentia terram fructificare facientem, ipsum etiam laudat: considerat lunam aquas regentem, & illam laudat; considerat terram, considerat mare, & ista videndo laudat, videt etiam rosam, quam subtiliter factam, & redolentem, & ipsam etiam adhuc laudat; restat plane modo proculdubio, vt horum operum artificem, tam admirabilem, & laudemus, & glorificemus, & ipsismet operibus, miruminmodum eumdemet magnificemus Accedit manifestum debitū nostrum, ex infinitis beneficijs ab ipso acceptis, quibus cum nullatenus plenarie satisfacere possimus, restat vt debitores eius, in futurum nos ostendamus, desiderando, & semper exoptando, vt ipse vtique regnet, colatur, honoretur, imperet, & nomen eius in æternum à cunctis viuentibus summis laudibus, milleque titulis glorificetur. Accedit adhuc, quod qui gloriam Dei prædicat, restat vt & ipse gloriosus fiat, Qui etenim Deo dat gloriam, gloriam etiam ab ipso, & expectat, & accipit. Hinc plane est quod Lucæ 18. dicatur: [Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum, & omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo,] & Lucæ 2. [Reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos,] Hi namq; omnes laudabant, & glorificabant Deum, vt ipsi etiam ab eodem Deo glorificarentur, nempe, vt ab illo gratiam, & remissionem reciperent peccatorum.

Causæ assigatur, ob quas Deus semper sit a nobis honorandus, & laudandus.

Nota bene rerū creatarū contéplationem.

Qui glorificat Deū glorificatur, & ipse a Deo.

Conceptus 2. quod Christus suā gloriā in electis, in reprobis vero suū imperiū demonstrat.



LORIA æterna sane Christo Iesu debetur, eo quod æternaliter glorificat electos ex sua sola misericordia: & imperium itidem æternum eidem debetur eo quod æternaliter condemnat reprobos, ex sua sola iustitia, quia prædestinationis, & reprobationis, secundum totalem effectum nulla datur causa ex parte prædestinati, & reprobi, nisi sola Dei voluntas, secundum quam, sibi ab æterno placitum fuit electos glorificare, vt in illis resplenderet sola sua misericordia, & reprobos condemnare, vt in illis resplenderet suum imperium, & iustitia. Hinc est quod de prædestinatis dicitur, ad Ephes. 1. [Prædestinauit nos Deus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suę in laudem gloriæ gratiæ suæ,] Et ad Titum 3. [Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit,] & de reprobis etiam dicitur ad Rom. 9. [Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ, (id est reprobos) præparata ad interitum.] Quapropter S.Thom. p.p. q. 23. art. 5. probans prædestinationis secundum in-

S. Thom. p.p.

F tegrum effectum non dari causam nisi diuinam voluntatem, in responsione ad 3. sic ait: [Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos quos prædestinat suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos quos reprobat per modum iustitiæ puniendo: & hæc est ratio quare Deus quosdam elegit, & quosdam reprobat, & hanc causam dat Apostolus ad Rom. 9. dicens: Volens Deus ostandere iram, id est, vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit, in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, & 2. ad Tim. 2. dicit: In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam, sed quare hos elegit in gloria, & illos reprobauit, non habet rationem

G nisi diuinam voluntatem, vnde Augustinus dicit super Ioannem: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare si non vis errare, sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio cum prima materia tota sit in se vniformis, quare vna pars eius sit sub forma ignis, & alia sub forma terræ a Deo in principio condita, vt sic sit diuersitas specierum in rebus naturalibus: sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate, sicut ex simplici voluntate artificis dependet quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia, quamuis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, & aliqui in illa.] Hactenus S. Thomas. Hinc est, quod mihi vmquam placuit Chrysostomus Iauellus, affirmans bonum vsum liberi arbitrij moralem antecedentem gratiam, &c. causam esse prædestinationis ex parte prædestinati. Nec minus Scotus, te-

H nens in 1. sent. dist. 41. q. 1. Peccatum finale præuisum causam esse reprobationis ex parte reprobi. Vtraq enim opinio in paruulis, & in adultis in puris naturalibus oblatis fallit. Tamen verum est, quod si prædestinatio, & reprobatio consideretur secundum particulares effectus, (ex quibus integer prædestinationis effectus constat) nihil prohibet vnum esse causa alterius. Et ob id de prædestinatis ait Apostolus ad Rom. 8. [Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit illos, & magnificauit,] quæ quidem verba Apostoli optime explicat Durandus, 1. sent. dist. 41. Et de reprobis etiam optime Caietanus in comment. p.p. S.Thom. q. 24. art. 5. respondens ad Scotum, Herueum, & Aureolum, sic ait: [In reprobatione sunt tria, permissio peccati, ipsum peccatum, & æterna punitio, quorum vnum est causa alterius; quia peccatum siue culpa est

I causa punitionis.] Lege tamen diligenter hic Caietanum ab ijs verbis: [Nec hæc tria sunt effectus reprobationis diuinæ, quemadmodum omne ordinans ad vitam æternam erat effectus prædestinationis,] vsque ad illa verba, [multa in vniuerso rationabiliter fieri expedit, vt patet in exemplis adductis.] Idcirco prædestinationis, & reprobationis, quoad effectus particulares nihil prohibet vnum esse causa alterius. At vero quoad integrum effectum, (vt est dictum) vel secundum totam congeriem effectuum peculiarium, non datur causa ex parte prædestinati, & reprobi, nimirum, quare his sit prædestinatus, ille vero reprobus. Et per consequens, (vt nuper retulimus,) tota ratio sumenda erit ex voluntate Dei, qui electos glorificat æternaliter ex sua sola misericordia. Et reprobos condemnat æternaliter ex solo suo imperio, id est, ex sola sua iustitia, & nullus est, qui illi dicere

K possit, quare sic fecisti? Ideo ad Rom. 9. dicitur: [Si autem volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam pertulit in multa potentia, vasa iræ pręparata ad interitum: & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauerat ad gloriam, &c. Quid ergo dicemus? ò homo tu quis es, qui respondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit quid me fecisti sic?] Quapropter Christus Redemptor noster ostendens sua glo-

Iauellus in suis commēt. p.p.D.Th nō tenetur circa prędestinationis causam. Scotus nō tenetur circa causā reprobationis. Vide Caiet. Mag. Zumel. Molinam, in com. p. p. q. 23. ar. 5.

Durandus.

Caiet. contra Scotum, Herueum, & Aureolum.

gloriam,& misericordiam dixit electis Matth.25.[Venite benedicti patris mei,&c.] & ostendens suum imperium, & iustitiam reprobis ait: [Ite maledicti in ignem aeternum,&c.] Vides ne gloriam, & imperium Christi,nempe,misericordiam eius cum bonis,& illius iustitiam cum malis? Ipsi soli igitur sit gloria,& imperium in saecula saeculorum,quia multi sunt(ab eo) vocati(vt dicitur Matth.20.)pauci vero(ab eodem) electi,& per consequens,resplendeat vt sol,eius gloria cum electis,& eius imperium cum reprobis.

PARAPHRASIS
Decimaquinta.

Par. 15. Elimination textus.

§. 1. Amen est signaculũ quo clauditur aliqua oratio. Amen idioma est Hebraum.

Amen. (dicit tandem.) Signaculum,siue clausula prologi huius operis,salutationisq; est,ly[Amen.] At vero idioma Hebraũ,&vt tenet Glossa interlinearis in principio primi capitis ad Galatas, confirmationis nota,vel vt ait,Caietanus in cap.6.Matth. affirmatiua conclusionis dictio est, Amen. Et hoc in loco, testantibus D.Thoma, & D. Dionysio Carthusiano sonat [fiat] & sic erit hoc in loco[amen] aduerbium optandi. Quod communiter septuaginta per verbum [fiat]ex Hebraeo in Latinum vertunt. Nã illud,[Amen amen,]Hebraeum, quod Psalmo 40.sub his verbis legitur: [Benedictus Dominus Deus Israel à saeculo, & vsque in saeculum,amen,amen.] Septuaginta sic transtulerunt,[fiat,fiat,] & Psal.71:vbi legitur:[replebitur gloria eius vniuersa terra, amen, amen.] Septuaginta sic expendunt,[fiat,fiat,] & illud tandem Deut.27. vbi legitur: [dicet omnis populus, amen.] Septuaginta sic exoluunt,[fiat,]quibus locis dictio Hebraea,[amẽ,] est optantis. Quamobrem dicere noster vates hoc loco,[amen,]perinde proculdubio est, ac diceret, fiat vt omnes Christũ adorent,& colant, & ipse omnibus in aeternum imperet: vel aliter: Amen, hoc est,vtinam ista contingant fiant,& perficiantur,nimirum,vt Christus,in omnibus,per fidem,& charitatem, imperium obtineat,id est, vt ipsum vniuersi glorificent, atque vt regem,ac principem suum recipiant,summoque honore,& amore prosequantur.

Versio septuaginta interpret. Amen, idem est, quod fiat.

Blasius Viegas.

§. 2. Apostolorũ consuetudo, in claudendis epistolis per amen.

Hoc argenteo,aureoque puncto, [Amen,]claudere, & terminare solebant Apostoli omnes suas epistolas, vt videre est apud Petrum,Paulum,Ioannem,Iudam, aliosque Apostolos in suis ad populum epistolis: ideo quamuis vaticinium istud Graeco scriptum fuerit idiomate,ab eodem Ioanne Apostolo,tamen hanc admirabilem salutationem tot mysterijs, & sacramentis adumbratam Hebraea dictione (caeteroquin solita ab Apostolis)concludit dicens,[Amen,]hoc est,fiat.

§. 3. Ecclesiae consuetudo in suis orationibus. Baronius to. 1. anno Xpi, 57. Petri vero 11. Amen vtitur Ecclesia in suis orationibus à temporibus Apostolorum Ecclesia cur permisit, amen,Hebraeũ in Proprio idiomate remanere. 1.Ratio. 2.Ratio. 3 Ratio.

Porro sancta mater Eccclesia eadem dictione Hebraea, [amen,] semper in diuinis officijs vtitur, immo Caesar Baronius probat vsum huius vocis in Ecclesia primitiua à temporibus D. Petri, totius Ecclesiae Dei capitis.Et quod magis est, à tam antiquo tempore vsque ad hanc nostram tempestatem nullatenus passa est Ecclesia Dei hanc vocem Hebraeam[amen,]in aliam verti linguam,cuius rei est in causa,quod[amen,] Hebraeum à nemine translatorum(vt mox dicemus) in linguam Latinam fuit translatum. Quinimmo sicut [Alleluia,] sic [Amen] dictio assertiua, sine alia translatione dimissa fuit, & ad nos cum litteris nostris Latinis in sacra Scriptura transmissa. Tum praeterea vt in hoc in futurum molesta esset haereticis; quoniam dictante Spiritu sancto sciebat iam tunc Ecclesia Dei, futuros fore haereticos qui semper pro[Amen,] ponerent[fiat:] vt in omnibus, Ecclesiae dogmatibus contradicerent. Tum hoc, magno cum mysterio factum est,& ab omni antiquitate obseruatum; quoniam in lege scripta hac voce[amen],crebro,ac saepissime vtebatur,vt patet,Deut.27. & 1.Paralip. 16. vbi Moyse enarrante mandata Dei,populus respondebat[Amen.] & non absque mysterio; quod plane indicat Strabus ibi,sic scribens; [Amen, amen, respondebat populus, id est, fiat, fiat, sicut hodie orantibus sacerdotibus respondetur amen,vt concordet in precibus pia sacerdotum intentio, & populi sana deuotio, secundum illud:[Amen amen dico vobis,quod si duo ex vobis cõsenserint super terram ex omni re quamcumque petierint,fiet illis.]Et idem demonstrat Alphonsus Tostatus per haec verba: [Et dicat omnis populus amen, id est, Leuitae, qui cantarent laudes dicerent, Benedictus Dominus Deus Israel ab aeterno, & vsque in aeternum & totus populus responderet amen, ad significandum desiderium suum, quod Deus est semper benedictus.] Tum quia mos fuit olim apud Antiquos dum ad mensam Domini accedebant in participatione sacramenti respondere [Amen] Hoc namque significare intendit Apostolus,dum p.ad Corinth.14.ait: [Caeterum si benedixeris spiritu quis supplet locum idiotae?quomodo dicet amen super benedictionem tuam?] Tum quia D. Augustinus lib. de doctrina Christiana cap. 11. sic scribit: [Ab initio nascentis Ecclesiae, post recitatas preces,populus respondebat, Amen,] & in epist.106. [Numquid vbi audieris sacerdotem ad eius altare populum hortantem ad orandum nõ respondes amẽ?] Et D.Hieronymus in praefatam epistolam ad Galat.sic etiam ait: Romanae plebis laudatur fides, vbi alibi tãto studio,ac frequentia ad Ecclesias, & ad martyrum sepulchra concurritur,vbi hic ad similitudinem caelestis tonitrus, amen, roborat,& vana idolorum templa quatiuntur?] Et idem videtur prorsus sentire Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 25. Tum vltimo,quia hac nota vtitur semper Ecclesia, tamquam signaculo orationum, & precationis Dominicae. Quamobrem Genebrardus annotauit hanc particulam in singulis psalmorum libris reperiri ad maiorem confirmationem, & inflamandum pios in Deum, & eius laudes, quia Psalmos in quinque libros diuidit Hieronymus, & in fine cuiuslibet libri, vox,Amen,occurrit.

Tostatus in 1. Paralypo. c.16.

4.Ratio. communicãtes dicere solebãt. Amen.

5 Ratio. Ecclesia à suis incunabulis solita est respondere,amen. D.Aug. D.Hieron.

Tertullian.

6.Ratio.

Genebrard. in Psal 41.

Postremo annotandum venit discrimen inter verba magistri, & discipuli. Dominus enim Iesus Christus in principio sermonis posuit[Amen](vt videre est crebro in Euangelio, & praecipue Lucae 21. [Amen dico vobis, quia vidua haec pauper,plus omnibus misit,] & Matth.23. [Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.] & Matth. 26. [Amen dico tibi,quia in hac nocte, &c.])Discipulus vero Ioannes in fine,in quo notatur,quod Dominus est auctor veritatis,cuius nota est, amen, iuxta illud Ioan. 14. [Ego sum via, veritas,& vita.] Ioannes autem, & nos cum illo,discipuli sumus veritatis, dum in eumdem credimus,ipsius documenta sequentes.

§. 4. Differentia inter Xpm,& Ioannem circa amen. S. Thom. in c.1. Apoc.

Conceptus Praedicabiles in textum.

Conceptus 1. In quo recitantur aliquae causae ob quas, amen, non fuerit ex Hebraeo in Graecum,aut in Latinum translatum.

SANCTVS Thomas tenet, Amẽ aliquando esse Graecum, aliquando vero Hebraeum. At vero S.Augustinus aperte fatetur, Amen, semper Hebraeum esse. Horum autem Doctorum diuersitatis hãc possumus assignare causam, nimirum, quia, vllo prorsus interueniente discrimine, Hebraei,Graeci, & Latini equaliter hac dictione, Amen, vtuntur eo quod nullus interpres eam ex Hebraeo in Graecum, Latinumve transferre hucusque attentauit. Sed dices; Quaenam est causa ob quam nec Aquila, nec Septuaginta duo,nec D. Hieronymus,nec sanctes Pagninus,nec tandem aliquis alius interpres transtulit[Amen]Hebraeum in Graecum, siue Latinum? Ad hoc respondeo. Primo hoc factum fuisse propter reuerentiam Christi,qui saepe [Amen] vtebatur: hanc solutionem insinuat S. Thom.super cap. 3. fine

S.Thom. super c.25.Isa. D. Aug. lib. lib.2. de doctrina Christiana.

Ioannis. Secundo quod in translatione Græca, siue Latina, multa verba Hebræa, inter quæ, est [Amen,] in proprio idiomate Hebræo remanserunt absque translatione aliqua, vt sacra Scriptura isto antiquitatis odore redoleret; & sic aperte videretur, ab Hebræis originem traxisse. Hanc solutionem adhibet etiam D. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana. Tertio, quod nonnulla verba Hebræa absque translatione remanserunt, ex eo quod interpretes tam Græci, quam Latini, alia verba Græca, siue Latina Hebræis æquipollentia, & æquiualentia, & illum sensum optime exprimentia, & repræsentantia inuenire minime potuerunt, qualia sunt: [Sabaoth,] & [Adonay] de dictione Hebræa [Sabaoth] fit mentio Isaia 1. & ad Rom. 9. vbi sic dicitur: [Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.] Et in sacrificio missæ ab Ecclesia semper dicitur: [Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.] De dictione vero Hebræa [Adonay] mentio fit Iudic. 16. vbi sic dicitur: [Adonay Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.] His igitur dictionibus Hebræis, interpretes verba æquipollentia apud Græcos, & Latinos indagare nequiuerunt, vt tenet, D. Basilius, lib. 2. contra Eunomium. Alia vero sunt verba Hebræa, quæ absque translatione aliqua remanserunt, ex eo, quod non significabant nisi affectū animi qualia sūt, [Racha,] & [Hosanna,] & apud Græcos, & Latinos non reperiuntur aliquæ similes interiectiones, quæ ita affectum animi ad viuum exprimāt. De dictione Hebræa [Hosanna] mētio fit Matth. 21. vbi sic dicitur: [Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Hosanna in altissimis.] Et Ecclesia ante consecrationem cantat: [Benedictus qui venit in nomine Domini Hosanna in excelsis.] & sic: [Hosanna idem est,] quod [salua] vel, salua in excelsis. De dictione tandem Hebræa [Racha] mentio fit Matth. 5. vbi sic dicitur: [Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consilio,] quo loco illa vox [Racha] significat vacuum, aut pauperem, vt vult Paulus de Palatio: vel Racha, hoc in loco significat indignationem interiectione significatam, quæ maius peccatum, quam ira, & minus quam dicere fatue demonstrat, vt vult Caietanus adhærens D. Hieronymo. His igitur dictionibus Hebræis, ex eo, quod animi affectum ita significant, vt nullo modo apud Græcos, & Latinos alias interiectiones similes adinuenire potuissent interpretes translationem Latinam, aut Græcam minime adhibuerunt; & sic in proprio idiomate Hebræo remanserunt, vt dicit D. Augustinus de doctrina Christiana. Pari etiam modo dicimus [Amen] Hebræum non fuisse translatum ex suo fonte Hebræo, ex eo quod talem affectum animi significat, vt interpretes, aliud apud Græcos, & Latinos illi æquipollens, & æquiualens verbum inuenire nullatenus potuissent. Accedit quod D. Augustinus super Ioannem ait, interpretem Græcum, aut Latinum non ausum fuisse [Amen] Hebræum interpretari, vt honorem haberet velamento secreti, non vt esset ligatū, sed ne vilesceret nudatum. His igitur de causis a discipulo dilecto Ioanne, hæc dictio Hebræa [Amen] hoc in loco collocatur.

D. Aug. Amen Hebræum non translatū eo quod apud Latinos aliud verbum æquipollens minime inueniebatur. Dictiones Hebraicæ in Ecclesia absq. translatione.

Vox Hebræa Sabaoth, & Adonay cur manet apud Latinos, & Græcos.

D. Basil.

Voces Hebraicæ Racha, & Hosāna, cur remāserunt apud Latinos, & Græcos. Vox Hosāna quid significat. Vox Racha quid significat. Paulus de Palatio, & Caietanus in Matth.

Amen Hebræum non fuit translatū ex eo quod talem affectum animi significabat, vt æquipolēs verbū apud Latinos, & Græcos minime reperiretur.



FILII Israel solebant hac dictione Hebræa [Amen] in sensu confirmatiuo, & affirmatiuo vti, ad benedictiones, & maledictiones populorū, vt aperte habetur Deut. 27. Et licet ibi expresse non reperiantur nisi tantum maledictiones, tamen Lyranus affirmat benedictiones ibi intelligi per maledictiones oppositas, & adducit pro sua sententia Rabbi Salomon asserentem, Sacerdotes, & Leuitas ascendisse cum duodecim tribubus Israel ad montem Garizim, & a Sacerdotibus, & Leuitis versis vultibus hinc inde, primo pronunciatas fuisse benedictiones, & deinde maledictiones, in quibus (vt Tostato planum fit) sex tribus stabant in monte Garizim, & aliæ sex tribus stabant in monte Hebal, & Sacerdotes, & Leuitæ stabant in medio duorum montium, & primo vertebant facies suas versus montem Garizim, & pronunciabant vnam benedictionem, & populus existens in vtroq; monte respondebat [Amē,] postea vero vertebant facies suas ad montem Hebal pronunciando maledictionem oppositam, & populus hinc, & inde respondebat [Amen] modus autem benedictionum, & maledictionum talis erat. Vertebant siquidem Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Garizim, & dicebant sic: [Benedictus homo qui non facit sculptile, & conflatile, abominationem Domini opus, manuum artificum, supponitque illud in abscondito, [& omnis populus hinc, & inde ex vtroque mōte respondebat alta voce [Amen.] Tunc Sacerdotes, & Leuitæ vertebant facies suas ad montem Hebal, & dicebant sic: [Maledictus homo qui facit sculptile, & conflatile abominationem Domini, opus manuum artificum, ponitque illud in abscondito:] Et omnis populus hinc, & inde alta voce respondebat [Amen.] Iterum vertebant Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Garizim, & dicebant sic: [Benedictus qui honorat patrem suum, & matrem suam,] & populus ex vtroque monte respondebat alta voce [Amen.] Et statim conuertendo Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Hebal, dicebant sic: [Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem suam.] Et omnis populus summis vocibus ex vtroque monte respondebat [Amen,] Porro iterum vertebant Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Garizim, & pronunciādo benedictionem dicebant sic: [Benedictus qui non transfert terminos proximi sui.] & populus hinc & inde altis vocibus dicebat [Amen.] Et mox versis vultibus ad montem Hebal dicebant Sacerdotes, & Leuitæ sic: [Maledictus qui transfert terminos proximi sui.] Et omnis turba ex vtroque monte respondebat, [Amen.] Præterea conuertebant iterum Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Garizim, & pronunciabant aliam benedictionem dicentes sic; [Benedictus qui non facit errare cæcum in itinere,] & populus ex ambobus montibus acclamabat [Amen.] Et confestim versis vultibus ad montem Hebal pronunciabant maledictionem dicentes sic: [Maledictus qui errare facit cæcum in itinere,] & populus ex vtroque monte respondebat [Amen.] Porro conuertebant iterum Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Garizim, & pronunciando aliam benedictionem dicebant sic: [Benedictus qui non peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduę,] & populus ex vtroque monte respondebat [Amen. E uestigio conuertebant Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montem Hebal, & dicebant: Maledictus, qui peruertit iudicium aduenę, pupilli, & viduæ.] Et populus ex vtroque monte respondebat, [Amen.] Præterea iterum conuertebant Sacerdotes, & Leuitæ vultos suos ad montem Garizim, & pronunciabant aliam benedictionem dicentes sic: [Benedictus qui non dormit cum vxore patris sui, & non reuelat operimentum lectuli eius,] & omnis populus hinc, & hinc respondebat [Amen.] Et protinus conuertebant Sacerdotes, & Leuitæ facies suas ad montē Hebal, & dicebant: [Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius.] Et populus ex vtroque monte respondebat [Amen,] &c. Ecce igitur omnes benedictiones, & maledictiones Hebræorum terminatas hac hebræa dictione, [Amen.]

Conceptus 2. Quod hac voce Hebręa Amen, vtebantur Hebręi ad benedictiones, & maledictiones. Lyranus in Deut. Rabbi Salomon.

Abulensis in Deut.

Modus bene dicendi, & maledicendi populum apud Hebræos.

Benedictiones Hebræorum. Benedictus qui non facit sculptile.

Maledictione Hebræorum. Maledictus qui facit sculptile. Benedictus, qui honorat patrem, & matrem. Maledictus, qui non honorat patrē, & matrem. Benedictus, qui nō transfert terminos proximi.

Benedictus, qui non facit errare cæcum in itinere. Maledictus, qui facit cæcum in itinere.

Benedictus, qui fouet aduenas pupillos, & viduas. Maledictus, qui non fouet aduenas pupillos, & viduas.

Benedictus, qui non dormit cū vxore patris. Maledictus, qui dormit cum vxore patris.



ECce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Textus 6.

COM-

COMMENTARIVS.



Explanatio contextus.
§. 1.
D. Aug. tract. 15. in Ioan.

DIVUS Augustinus super illa verba Ioan. 4.] Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem,] sic scribit, dicens: [Iam incipiunt mysteria : non enim frustra fatigatur per quem fatigati recreantur, &c.] In eadem fere verba hic nobis prorumpere licet: iam etenim huius vaticinij, & reuelationis incipiunt mysteria ; quoniam ab hoc loco profundum obscuritatis pelagus sulcare, ac tranare, laboriosamque adire Corinthum inchoamus : sunt namque sequentia verba vsque ad finem operis, sicut difficultate plena, ita multis mysterijs scaturientia, donec nobis Dominus (qui bonorum omnium fons est, & origo) cæleste lumen, vtpote quo profunda fluuiorum sapientiæ eius scrutari queamus. Recensita igitur breui, ac facili stylo multiplici vtilitate primi aduentus Saluatoris Iesu Christi Domini nostri, aggreditur iam Archipropheta Ioannes materiam subiectam huius operis, nimirum, labores, tribulationesque Ecclesiæ, hoc est, extremum iudicium: quando videlicet, filius hominis (iudex nempe ille fortis, & patiens, cuius meminit Psalmographus,) in maiestate sua venturus est ad iudicandum orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua. Supra namque noster vates obiter insinuauit Dominum cito venturum, dum dixit : [quæ oportet fieri cito,]& paulo post, [tempus prope est:] modo autem præmissis, promissisque abunde, & copiose satisfaciédo ait: *Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*

Arcana, & mysteria huius operis incipiunt.

Obiectum adæquatum vaticinij Apocalypseos sunt tribulationes Ecclesiæ.
Psal. 7.
Psal. 95.

Ratio autem ob quam noster Prophetarum Propheta Ioannes, postquam ea beneficia Christi hucusque commemorauit, quæ nos ad eum diligendum, colendú, magnificandumque, impellere, cómouereque debent, mox hoc in loco extremum exorditur, proponique iudicium, ea assignari plane potest, quæ à quouis textui, affinis, & consona facile iudicabitur. Videlicet vt qui ex amore primi aduentus peccata, adhuc minime dimiserút, saltim ex secundi aduentus timore ab ipsis resilire protinus curent. desinunt namque peccare mali formidine pœnæ. Nec plane deest altera ratio, nimirum, vt non solum misericordiæ, & benignitatis primi aduentus: verumetiam iustitiæ, & indignationis secundi aduentus eiusdem filij Dei memores, semper simus. Vtrumque etenim misericordiam, nimirum, & iustitiam Dei, memoriæ mandare semper, & decet, & oportet: ideo plane materiale manna, cibum è cælo missum, in arca fœderis conseruari (vt dicitur Leuit. cap. 8.) caput Holophernis super muros suspendi, (vt dicitur Iud. 4.) & tandem thuribula quibus rebelles ignem alienum offerre voluerunt contra Dei præceptum, in laminas produci, & altari affigi (vt dicitur Num. 16.) olim iussit Deus : vt non solum eius misericordiæ, verumetiam eius iustitiæ memores in æternum essemus omnes. Quamobrem cum filij Israel cibum illum in arca absconditum in memoriam reuocabant, tanto beneficio ante oculos proposito, & in cælum oculos frequenter eleuabant, & Deum ardenter quærebant, & amabant. Et cum insuper idem filij Israel caput illud suspensum intuebátur, decidebat super eos timor : Et cum tandem rebelles thuribula illa altari affixa aspiciebant, punitionis Chore, & sociorum participes efficiebantur. Superest tandem tertia ratio : quoniam postquam breuiter, ac succincte in illa celebri, egregiaq. salutatione egit de beneficijs nobis iá ab ipso (nullis nostris præcedentibus meritis) collatis, in suo primo aduentu, in quo ipse, iudicatus fuit ab hominibus, supererat procul dubio, vt iam ageret de beneficijs nobis ab ipso adhibendis, nostris interuenientibus (virtute passionis suæ) meritis in secundo suo aduentu, in quo ipse homines ipsos iudicabit.

§. 2.
Ioannes cur agit de finali iudicio.
1. Ratio.

Timor extremi iudicij facit resilire a peccatis.
2. Ratio.

3. Ratio.

A Cum igitur hucusque noster vates de primi aduentus beneficijs prologum suum texuerit, & orditus fuerit, secundum eiusdem Iesu Christi aduentum iam aggreditur, & exorditur, dicendo: [*Ecce venit*,] perinde ac diceret. Certus ac in promptu est eius aduentus ad iudicandum, & cito fiet, qua quidem ideo dicta fuere: tum quia omne tempus, respectu æternitatis breue est; tum quia vt ex eius propinquitate terrorem mortalibus incutiat; tum denique, vt homines ad vigilandum, iuxta illud Matth. 25. [Vigilate, quia nescitis diē neque horam] & ad cito venturum iudicē, bonis operibus expectandum solerter admoneret. Illo etenim aduerbio, [*Ecce*] verbo præsentis temporis, [venit] coniunctio, breuitatem, terrorem, & certitudinem indicat Dei vates. Hinc S. Thom. super hunc locum sic

§. 3.
Iudicium cito venturum & cur.

1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.

B scribit : [Dicit igitur, ecce, quasi dicat debemus eum laudare, & ei obedire, quia ecce, quasi dicat, certum est, vt demonstratio sit nota certitudinis, id est, ecce, quasi dicat, in promptu est, & cito fiet ; quia dictum est, omne tempus respectu æternitatis breue est, supra eodem, tempus enim breue est, venit, de præsenti loquitur, vt terrorem incutiat, quia propinquum est,]sic ille. Porro cum finalis aduentus filij hominis ad iudicandum debeat esse in nubibus, iuxta illud Matth. 26. [Videbitis filiū hominis venientē in nubibus cæli cū potestate, & maiestate, & Matth. 24. [tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus.] & Act. 1. [nubes suscepit eum ab oculis eorum,]& paulo post, [sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum ob id protinus in textu subiungitur[*cum nubibus*]hoc est, in nubibus, vt vertit D. Dionysius Carthusianus. Insu-

S. Thom. in comment.

Iudex venturus in nubibus.

D. Dionys. Carthus. in comment.

C per cū iste aduentus Christi in extremo tēpore ad nos iudicādū futurus sit manifestus, & nullatenus occultus (veniet etenim Christus tunc in corpore suo glorioso vt sicut nos verus homo redemit, sic verus homo manifeste nos iudicet, & verus homo aquouis intueri potest) ideo in textu dicitur. [*videbit eum omnis oculus.*] Et cum denique illa visio tunc electis nimis grata, reprobis vero satis molesta futura sit, id propterea in textu additur, [*& qui eum pupugerunt*,] id est, Iudæi qui eius crucifixionem procurauere, Pilatus qui dedit sententiam, & Gentiles milites, qui illam fuere exequuti. Hi namque omnes fuerunt interfectores Christi, quibus omnibus visio illa specialiter (inter oēs reprobos)erit molestior, confusior, ac pœnosior. Christus etenim cum sit Deus, & homo, & in forma humana (vt mox dicturi sumus) ad iudicandum venturus, in qua quippe, a bonis, & a malis corporaliter cōspicietur, electis, dulcis quidem, & blandus, reprobis

Visio Xpi in iudicio vtriq. manifesta, nimirū, bonis, & malis.
Interfectores & crucifixores Christi qui, & quales.

D vero seuerus, atque terribilis apparebit. At vero crucifixoribus suis seuerior, & terribilior proculdubio videbitur ; quamobrem de illis specialis in contextu mentio in æternum exiat.

PARAPHRASIS.

Prima.

Ecce (ait) venit. More plane prophetico omnino incedit hoc in loco noster Archipropheta. Solent namque Dei vates rei quam vaticinantur, ac prophetant euidentiam, & certam cognitionem obtinere, ita vt quamuis prophetia sit de tribus temporibus futuro, nimirum, præsenti, & præterito, vt docet S.

Par. 1.
Dilucidatio textus.
§. 1.
Prophetarū stylum sequutus est Ioannes noster.
Prophetæ vident ea quæ prophetant.

E Thom. 2. 2. q. 171. art. 3. tamen verus Propheta, cognoscat oportet ea quæ prophetat, vt docet idem S. Doctor 22. q. 171. art. 4. Et hoc plane per lumen propheticum, vt nos supra docuimus, tex. 2. parap. 4. disp. 9. quæst. 1. Quamobrem cum nos rem præsentem quam oculis cernimus, siue sit repentina, improuisa, mira, magna, noua, prompta ve, hac dictione demonstratiua, seu aduerbio demonstrandi, [Ecce] indicare solemus : ideo ipsi Dei vates, ad suam euidentiam certamque rei, quam prophetant (tam de præterito quam de futuro, ac præsenti tempore) cognitionem, indicandam crebro

crebro hac particula demonstratiua [Ecce] cum verbo de præsenti tempore vtuntur. Hinc proculdubio est, quod noster Primicerius inter Prophetas Ioannes ad suam certam cognitionem,& euidentiam,tam circa certitudinem quam circa appropinquationem aduentus filij Dei ad iudicium,patefaciendam,vtitur hic aduerbio demonstrandi [Ecce] cum verbo præsentis temporis [venit,] vt alios in re tam graui imitetur prophetas,vt inde omnes scirent, ac clare intelligerent,se,vt propheta Dei, futurum eiusdem Dei iudicium ante oculos præsens præfegerere, dum hæc Ecclesijs Asiæ annuntiaret. F

Conceptus Prædicabiles in textum.



Conceptus 1 Quod aduerbium ecce, semper redolet mysteriũ.

QVADRVPLICITER in sacro eloquio sumitur aduerbium[Ecce] Primo siquidem admiratiue,nimirum, cum loquuntur Dei vates, de re mira, sicut de Virginis partu, Isa.7. [Ecce Virgo concipiet,& pariet filium,] de re noua,Isa.65. [Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam,] de re magna sicut Luc. 2. [Ecce euangelizo vobis gaudium magnum,quia natus est vobis Saluator mundi.] de re insolita,& incognita, ac ignota,sicut Malach.4. [Ecce mittam vobis Eliam prophetam.] de re prompta sicut Isa.6.[Ecce ego mitte me.] Secundo sumitur demonstratiue,& sic sumitur à Prophetis quando de re certa agunt,& etiam ab Euangelistis vt Psal.133. [Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.& Marci.16.[Ecce locus vbi posuerunt eum.]De re præsenti,seu ostensa.Ioan.1.[Ecce agnusDei,]de re miserabili,seu pia,sicut dicitur Ioan. 19. [Ecce homo,]& Dan.13. [Ecce morior cum nihil horum fecerim.] Tertio sumitur derisiue, & Gen. 4. [Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.] Quarto tandem accipitur despectiue, & sic sumitur à Prophetis quando quis eorum loquitur de re improba,& contempta, sicut in Psal. 97. [Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.] Et communiter vbicumque in sacra pagina, ponitur dictio demonstratiua[Ecce,] semper sequitur magnum mysterium, vt videre plane est, dum Gen. 24. dicitur: [Ecce Rebecca egrediebatur,] & Matth. 2. [Ecce Magi ab Oriente venerunt.] Et Act.6. [Ecce video cælos apertos,& Iesum stantem à dextris virtutis Dei.] & ad Cor.6. [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.] & Luc.18. [Ecce ascendimus Ierosolymam,& filius hominis tradetur.] & Psal. 132. [Ecce quam bonum,& quam iucundum habitare fratres in vnum,] & tandem Matth. 19. [Ecce nos relinquimus omnia, & sequuti sumus te.]Omnia siquidem hæc, & alia pleraque sacræ Scripturæ loca,in quibus aduerbium:[Ecce]reperitur,eximium eructare solent semper mysterium, vt videre plane est in illis aureis verbis virginis Mariæ Luc. 2. quoniam ad vocem Virginis dicentis, [Ecce ancilla Domini,fiat mihi secundum verbum tuum,] mox factum est mysterium illud magnum, de quo Ioan.1. dicitur[Et verbum caro factum est,] Et sic etiam est in præsenti;quoniam hoc in loco aduerbium [Ecce] cum verbo præsentis temporis[venit]ingenti redolet sacramentorum certitudine, veritatem, & appropinquationem aduentus Christi ad nos iudicandũ, indicãdo. Similia verba de iudicij finalis propinquitate,& certitudine affert vates Ezechiel dum in c.7. ait:[Afflictio vna,afflictio ecce venit,finis venit,venit finis, euigilauit aduersũ te,ecce venit,venit contritio super te, qui habitas in terra.Venit tẽpus prope est dies occisionis, & non gloriæ montiũ.Nunc de propinquo effundã irã meam super te,& iudicabo te iuxsta vias tuas, & imponam tibi omnia scelera.] & paulo post: [Ecce dies, ecce venit,egressa est contritio,]

Ecce aduerbium accipitur. Admiratiue.

Demonstratiue.

Derisiue.

Despectiue.

Ecce aduerbium, maximum semper eructat mysterium.

Virginis Mariæ verba mysteriosa.



Concept. 2. Quod iudicij finalis frequens memoria iuuat ad multa.

EX hoc textu, [Ecce venit,] qui nobis propinquum, & quasi præsentem extremum iudicium Dei repræsentat, tenemur, & quasi vinculis quibusdam constringimur crebro, ac frequenter in memoriam reuocare extremum illud iudicium Dei:frequens namque recordatio finalis iudicij saluti animarum nostrarum plurimum prodest. Idcirco Apostolus postquã de aduentu Christi ad Timot.2. inquit: [Apparuit gratia Dei, & Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie,iuste, & pie viuamus in hoc sæculo:] mox de secundo aduentu ad iudicandum, festinus subiungit:

Apostolus vtrumque aduentum Xpi simul adducit.

G [expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei,& Saluatoris nostri Iesu Christi,&c.] Perinde ac discipulo Timotheo, & nobis cum illo diceret: sobrie,iuste,& pie viuendo (ob beneficia in te ex primo aduentu Saluatoris collata)considerare, & expectare semper debes aduentum illum gloriosum secundum, eiusdem Saluatoris ad nos iudicandum, in quo apparebit magnus ille Deus, tamquam omnium iudex, & electorum omnium Saluator Iesus Christus, qui obtulit patri seipsum pro nobis,& inimicorũ manibus pro salute mundi se tradidit. Hoc ipsum sane hic attentat noster vates;quoniam præfata verba:[Ecce venit]perinde sonant, ac si Propheta noster dixisset de vtroque aduentu Christi: sic ille qui venit in primo aduentu tamquam sponsus adcohabitandum,tamquã amicus ad conuescendum,tamquam Saluator ad redimendum, & tamquã agnus ad immolandũ: Modo ecce venit ipse-
H met ad iudicium,tamquam iudex ad condemnandum, tamquam leo ad deripiendum, tamquam rex ad imperandum,& tamquam vltor ad vindicandũ. Quamobrẽ iudiciũ finale Dei,numquã à memoria nostra recedere debet. Prodest siquidem eius frequens recordatio ad multa,& præsertim ad quatuor,ad tollendam,nimirũ, duritiam cordis,illamq.emolliendã;ad agendã pro electis pœnitentiam, ab bonorum operũ diligentiã excitandam,& tandem ad Deum optimum maximũ ex tota mente,ex toto corde,& ex tota anima(vt ipse ait Luc. 10.)diligendum. Hinc proculdubio est,quod Propheta Malachias loquendo ad populum Israeliticum de vtroq.aduentu Christi, eos ingratos appellat,eo quod nec Deo gratias egissent,nec minus eius iudicium futurum crebro aduertissent vnde illis in c.1.ait:[Dilexi vos dicit Dominus,&dixistis,in quo dilexisti nos?[Quæ plane verba per Aposiopesim, siue reticentiam intelli-
I genda veniunt, nimirũ,vt omnia tanto amori deberi, his verbis, significetur,simulq. indicetur quædã tacita Dei quærimonia,hoc sensu,semper, dilexi vos, & vsq. adeo dilexi, tamen vos pro tali dilectione nihil aliud quam peccata rependitis. Et quod quærimoniã verba ista contineant,liquet ex his quæ sequuntur: [Et dixistis,in quo dilexisti nos?]Perinde ac diceret: : tam ingrati estis,vt amorem meum beneficiaq. ex eo abunde dimanantia nullatenus agnoueritis, quin potius dixeritis,in quo dilexisti nos?[Hinc Lyranus super præfata verba Malachiæ,sic scribit: [Arguit omnes simul de ingratitudine in personaDei dicens:Dilexi vos,& hæc ingratitudo patet ex responsione populi cum dicitur, in quo dilexisti nos ? quasi dicant nõ apparet erga nos tua dilectio specialiter præ cæteris:] sic Lyranus. Quemadmodum igitur hanc ingratitudinẽ ex corde filiorum Israel tollere poterat frequens recordatio primi aduentus Christi,sic plane eamdem ingratitudinem ex corde nostro proculpellere potest frequens recordatio secundi aduentus eiusdem Christi ad nos iudicandum, quam hæc verba, [Ecce venit] directe insinuant.

Iudicij finalis frequens memoria proficua,& vtilis.

Finalis iudicij recordatio iuuat ad quatuor.

Aposiopesis, siue reticentia.

Tacita Dei quærimonia.

Lyranus in c.1.Malach.

Ingratitudo populi Israel.

Comparatio.

DISPVT.

DISPVT. XV.

In Cap. Primum Apocalypseos, de certitudine, & veritate finalis iudicij.

In tres Quæstiones distributa, super illa verba: [*Ecce venit.*]

Prologus Disputationis.



VONIAM inter Philosophos fuerunt plerique mundũ ab æterno fuisse asseuerantes, vt apparet apud Platonem in Timæo, Aristotelem in 8.lib.Phys.& in 2.lib. de Generat.& in 1.lib. de Cælo tex. 20.& etiam in 12.lib.Metaph.tex. 30. Proclum in lib. de Æternitate mundi (cuius viginti argumenta pro æternitate mundi confirmanda, optime dissoluit Philopponus refellens Proclum,)& apud Auerroem in 4.lib.Phys. com. 6. & in 8. Phys. com. 4. & multoties in eodem lib.& alibi,& etiam apud alios plerosque Philosophos mũdum,ortu,& interitu carere pugnaciter asseuerantes. Et quoniam etiam inter nostros Theologos fuerunt per multi tenentes mundum potuisse fieri ab æterno,vt placuit Nominalibus, & alij æternitatem repugnare rebus corruptibilibus,non autem incorruptibilibus,vt placuit Durando in 2.sent.dist.1. Alij tandem qui mũdum ab æterno effici potuisse problematice tractant, vt placuit Scoto in 2.sent.dist. 8. Accedit error Albanensium, & quorumdam barbarorum hæreticorum affirmantium vniuersale iudicium iam esse factum, & nullum aliud esse futurum: ideo ad hanc perplexitaté è medio prorsus tollendam libuit hic quid fides nostra Catholica circa rem tam difficilem, & saluti animarũ tam necessariam sentiat, aperire. De qua re disputant Theologi cũ Magist. in 4.sent.dist. 47.Philaster in suo hæreticorum cathalogo, D. Augustinus lib.20.de Ciuit.Dei,cap.5. & lib.de hæresibus. Soto in 4.sent. dist. 37.q.1.art.1.& Franciscus Suarez in suis comment. in 3.p.D.Thom.q.59.art.3.disput.53.sect. 1.

Plato. Arist. Proclus. Auerro. Nominales. Durandus. Scotus. Error Albanensium, & barbarorum hæreticorum. Magister in 4. sent. Philaster. D. Aug. Soto. Suarez.

Quæstio. I.

Vtrum vera, & certa sit dissolutio mundi, expectandumque sit iudicium finale, quo à Christo omnes iudicentur?



ARS negans fulsiri potest. Tum quia Deus in morte cuiuslibet,iudicat de singulis operibus eius,tribuens vnicuique secundum opera sua,Tum quia in primo cap.Naum,dicitur: [Non iudicabit Deus bis in id ipsum.] & alibi:[Non consurget duplex tribulatio.] Ergo non est expectandum tale iudicium, quo post mortem iterum iudicetur homo.

1. argum. 2. argum.

Pro decisione,est conclusio de fide Catholica.Consummatio sæculi est futura, in qua venturus est Christus generali iudicio, iudicaturos viuos, & mortuos. Probatur hæc conclusio his rationibus quæ proculdubio,faciunt rem de fide.

Certa, & infallibilis est extremi iudicij dies, & nulli fidelium de hoc licet ambigere.

A

Prima ratio ex testimonijs prophetarum veteris Testamenti accipitur: Quoniam Deut. 32. sic habetur: [Iudicabit Dominus populum suum.]& Psal. 15. [Parauit in iudicio thronum suũ.]& Ecclesiast.3.[Vidi sub sole in loco iudicij impietatem,& in loco iustitiæ iniquitatem,& dixi in corde meo iustum,& impium iudicabit Dominus,tempus omnis rei tunc erit.]Item Isa. 3. [Dominus ad iudicandum veniet cum senatoribus populi sui,] & cap. 14. [Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationibus plenus iræ, & furoris,] & Ioel 2. [Conturbantur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, & caliginis.] Ergo iuxta Prophetas infallibilis, & certa est extremi iudicij dies.

1. Ratio. Testimonia prophetica circa finale iudicium.

B

Secunda ratio ex testimonio euangelico depromitur, propterea quod Matth. 11. cum Dominus obiurgaret ciuitates in quibus virtutes fecerat, nec tamen crediderant, ait: [Væ tibi Chorosain, ve tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cinere, & cilicio egissent pœnitentiã;verũtamen dico vobis quia Tyro, & Sidoni remissius erit,quã vobis, in die iudicij,] & Matth. 12. [Viri Niniuitæ esurgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,] & Marci 13. [Cum videritis abominationem desolationis, &c.] & subiungit: [Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & gloria,] & Lucę 17. assimilans Christus diem iudicij diluuio Noe, & igni Loth, ait: [Secundum hæc erit,qua die filius hominis reuelabitur.] Ergo secundum Euangelistas omnes, infallibilis, & certa est extremi iudicij dies.

2. Ratio. Testimonia Euangelista rum de vltimo fine mũdi.

C

Tertia ratio ex testimonijs Apostolicis sumitur, eo quod 2. Petri 3. sic dicitur: [Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concientias ambulantes, & dicentes, vbi est promissio,& aduentus eius, &c.] & sequitur: [Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt igni reseruandi in die iudicij, & perditionis impiorum hominum,] & 1. Petri 3. [Reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos,]& ad Rom. 2. [An ignoras quoniam benignitas Dei, te ad pœnitentiam adducit,tu autem secundum duritiẽ cordis tui, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die irę,& reuelationis iusti iudicij Dei qui reddet vnicuique secundum opera sua,] & 2. Cor. 5. [Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gessit, siue bonum, siue malum.] Igitur certum, & expectandum est iudicium finale, quo omnes à Christo iudicentur.

3 Ratio. Testimonia apostolorum circa certitudiné vltimi iudicij.

D

Quarta ratio, ex testimonijs sanctæ matris ecclesiæ exhauritur;nam Romana, & Catholica ecclesia in vtroq.symbolo diem iudicij, incunctanter profitetur. Quoniam in symbolo Apostolorum ita inquit:[Inde venturus est iudicare viuos,& mortuos,]& in symbolo sanctorũ Patrũ ita affirmat: [Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis,] igitur certum est, & spectandum iudicium finale,quo à Christo omnis caro iudicetur.

4. Ratio. Testimonia vtriusq. symboli de certitudine aductus Dei ad iudicandum.

E

Accedit quod omnis ratio bene ordinata dicit,Deum esse summe bonũ ac maximũ,summe iustum,summe sapientem, summe potentem, & summe misericordem, cum igitur sit summe bonus omnia peccata ei summe displicent, in quantum bonus est, & cum sit summe iustus,summe vult ea punire,& cum sit summe sapiens omnia clarissime videt, & omnia vult ad rectum ordinem perducere; & cum sit summe potens, nihil est quod eum possit in his impedire; & cum tandem sit sum-

5. Ratio.

summe misericors, summe vult omnia bona remunerare. Atqui manifestum est, quod in præsenti vita non fit omnium peccatorum punitio, neque omnium bonorum retributio, cum intueamur multos magnos peccatores habere prosperitates, & multos Deo seruientes, multas, & grauissimas aduersitates sustinere. Ergo necesse est, vt alibi fiat iudicium omnium, in quo fiat omnium malorum punitio, & bonorum omnium retributio.

Obiurgatio in incredulos, & negantes diem finalis iudicij

En vidistis, & audistis quot testimonia? Quid ergo dicent amplius increduli, vbi tam validissima, & fide digna de futuro, iudicio adducuntur testimonia? O pertinaces peccatores; ò vermiculi fœditissimi, credite, credite, & attente cogitate, non sunt loquuti Prophetæ, non Apostoli, non denique ipse Christus verba mendacij, qui tantopere veritatem dilexerunt, vt per illam mori non recusarent. O somnolenti, ò pigri, ò carnales homines, recordamini de primo aduentu Domini, de quo per tot annorum millia acclamatum est, veniet. Veniet ad redimendum populum, & ad saluandas gentes; & tandem venit, & quæ prædicta erant de ipso in scripturis plane compleuit. Modo autem de secundo aduentu eius, omnis sacra scriptura proclamat, & loquitur, ideo firmiter est tenendum omnino, quod veniet, veniet (inquam) fortis, & terribilis, excelsus, & gloriosus in maiestate, & gloria ad humiliandos superbos, ad reprobandos luxuriosos, ad arguendos auaros, ad condemnandos tandem æternis cruciatibus in corpore, & anima, incredulos, & mordaces (quales estis vos ò infideles) & quoscumque alios miseros peccatores.

Solutio ad superiora argumenta.

Argumenta tamen in initio posita dissoluta omnino manent, ex eo quod cum quis moritur, verum est quod iudicatur in morte; tamen istud iudicium, quod in morte vniuscuiusque fit, est singulare, scilicet de persona singulari, & est etiam partiale, nempe super vnam partem hominis, scilicet supra animam tantum; vnde iudicium, quod fit in morte est multis ignotum, & ita oportet secundum fidem, quod expectemus aliud iudicium finale, in fine mundi, quod sit generale, & omnibus manifestum, quo omnis caro iudicetur, & sit totale, scilicet, supra animam, & corpus. Oportet enim vt corpus, quod fuit instrumentum animæ, ad peccandum in malis, & ad opera bona operandum in bonis, recipiat prout gessit, cum malis, malum & pœnam; & cũ bonis, bonũ, & gloriam accidentalẽ: oculus enim qui in malis fuit instrumentum ad male videndum feminam, &c. oportet, vt simul condemnetur cum anima, & sic de cæteris corporis partibus. Manus autem, quæ in bonis, instrumenta fuere ad dandam eleemosynam pauperibus, &c. oportet, vt simul glorificetur cum anima, & sic de alijs corporis partibus. Vnde scias oportet, quod animæ iustorum separatæ à corpore, nõ habent perfecte suam beatitudinem, eo quod non habent perfectum naturæ suæ modum, & etiam propter suam naturalem inclinationem ad corpora, similiter, nec animæ reproborum habent suæ damnationis complementum, quandiu sunt separatæ, non ergo iudicabit Deus bis in id ipsum, nec itidem consurget duplex tribulatio; quoniam pœna, quæ animabus ante iam inflicta erat, iterum non infliget, sed quod deerat superaddet. Vide circa hanc solutionem Richard. in 4. d. 47.

Iudicũ particulare, & generale in quo differãt.

Soti quatuor congruentes rationes de finali iudicio

In calce huius quæstionis, scias oportet Dominicum de Soto in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 1. quatuor adferre rationes ad hanc nostram Catholicorum corroborandam sententiam, quæ, vt inquit ille, eam congruenter demonstrant. Prima se tenet ex parte finis rei, qui suo debet congruere principio. Secunda est D. Thom. 3. p. q. 59. art. 5. Tertia sumitur ex legitimo operum pretio. Quarta tandem depromitur ex similitudine sementis & messis. Per quas quatuor rationes, Soto congruenter demonstrat nostram conclusionem præallegatam. Aduertas insuper Franciscum Suarez in suis commentarijs in 3. p. D. Thom. tom. 2. q. 59. art. 6. disput. 53. sect. 1. quinque adducere huius vniuersalis iudicij congruentes rationes, quibus non multum differt à Soto loco citato; validissimæ tamen sunt, & nostrum concludunt intentum.

Franc. Suarez. Francisci Suarez quinque congruẽtiæ rationes circa finale iudicium.

F G H I K

Quæstio II.

Quare cum in contextu dicatur [*Ecce venit*,] adhuc non venerit Dominus ad iudicandum?



RATIO dubitandi est, quia, [Ecce] denotat rem præsentem esse, vel cito futuram: & Christus Dominus loquens de die iudicij inquit: [Vigilate quia nescitis diem, neque horam;] & alio in loco: [Ideo estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet: [Ergo cum hora iudicij sit incerta, non recte loquutus fuit D. Ioannes dicens, [Ecce venit,] & præcipue cum adhuc non venerit.

S. Thom. Propheta descriptio.

Pro decisione huius dubij dico, quod iuxta S. Thom. 3. p. q. 7. art. 8. Propheta dicitur quasi procul fans, aut procul videns, in quantum scilicet cognoscit, & loquitur ea quæ sunt procul ab hominum sensibus; & idem sentit D. Aug. lib. 16. contra Faustum. Vnde prophetæ in sacra Scriptura, Videntes vocantur: vident enim futurum tempus, quasi esset præsens. Quocirca Basilius in præfatione in Isaiam. Et Cyrillus lib. 3. in Isaiam, & in principio, dicunt Prophetas videre futurum tempus, tamquam instans. Dico ergo, quod Propheta ex eo quod rem futuram tamquam præsentem hebeant, sæpe loquantur in sacro eloquio cum aduerbio [Ecce,] & cum verbo præsentis temporis; & sic loquutus fuit Propheta noster D. Ioannes hoc loco. Possumus etiam affirmare huiusmodi verba, dicta fuisse per comminationem, quemadmodum verba Ionæ ad Niniuitas, cum dixit: [Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] & tamen adhuc non est subuersa. Accedit, quod eodem modo loquuti sunt Prophetæ de primo aduentu Christi, cum aduerbio, ecce, & cum verbo præsentis temporis: Isaias enim ait: [Ecce ego facio noua.] cap. 42. & alio in loco: [Ecce ego creo cælos nouos, & terram, nouam, & non erunt in memoria priora.] & Ieremias: [Ecce ego mitto piscatores multos.] & Malachias: [Ecce ego mitto Angelum meum, & præparauit viam ante faciem suam.] Atqui à prophetia istorum prophetarum, vsque ad Verbi incarnationem præcesserunt innumeri anni: Ergo quẽadmodum isti bene prophetarunt de primo aduentu, qui tandem adimpletus est, sic etiam, & Ioannes bene de secundo aduentu ad iudicandum prophetauit, qui tandem futuris temporibus adimplebitur.

D. Aug. D. Basil. Cyrillus. Prophetæ vident futurum tempus quasi præsens.

Ionæ 3. Isa. 45. Hierem. Malach. 3.

Ex his patet solutio ad argumentum in principio positum.

Sed adhuc non quietatur intellectus, vrgebis namq. fortasse dicẽdo. Quidquid dicas non est negandum Ioannẽm his verbis [Ecce venit] significasse cito venturum esse Dominum ad iudicandum, quare ergo inter prophetiam, & diem iudicij tot anni elapsi fuere?

Dissoluitur hæc obiectio ex eo quod tempus quod superest vsque ad diem iudicij, quantumcumque sit, reuera breuissimum esse oportet. Breue enim est quod transit, & finitur, licet nobis non considerantibus immensam illam durationem, quæ illud consequitur longa videatur. Quemadmodum si quis in Indiam proficiscere-

Sol. 1.

ſceretur breue ſpatium indicaret, quod ab vrbe Barchinonia eſt, vſque ad Sardiniam, quod vero longum videtur nihil de India cogitanti. Vnde cum nos,non conſideremus immenſam illam durationem, quæ illud conſequitur, longum videtur iſtud tempus, ſed reuera breue eſt,& cito veniet Chriſtus ad iudicandum humanum genus.

fol. Aliter etiam ſatisfacio cum Apoſtolo Petro qui 2. epiſt.cap.3.ita inquit: [Hoc non lateat vos chariſſimi quia vnus dies apud Dominum,ſicut mille anni,& mille anni,ſicut dies vnus, non tardat Dominus promiſſionem ſuam ſicut quidam exiſtimant: [Quibus verbis ſignificat Petrus, ſpatium temporis inter prophetiam hanc,& diem iudicij, quamuis nobis longum videatur Deo tamen breue eſſe,& æternitati comparatum (quæ poſt illū diem,nobis manet)nullius eſſe momenti.Itaq. cum dicitur in textu [Ecce venit] Deus eſt,qui loquitur per Ioannem: Et quamuis hominibus loquatur, magis tamen more ſuo, quam more hominum loquitur, hoc eſt, non hominum menſura metitur durationem,quibus quæ breuia ſunt longiſſima interdum videntur,ſed ſua menſura, quæ vera, & ſemper eadem eſt. Idem nos aliquando præſtare etiam ſolemus,pollicemur enim aliquando aliquid cito facturos, non vt ille intelligit cui loquimur, ſed vt nos intelligimus, qui loquimur, quod enim mihi cito videtur fieri, illi ſero factum videtur. Vnde recte in textu alloquutus fuit noſter vates in perſona Chriſti,dicens de præſenti [Ecce venit.]

Deus de iudicio finali loquitur more ſuo.

Quæſtio III.

Vtrum homines, vel Angeli diem finalis iudicij præcognoſcere poſſint?



1. argum. PRO parte affirmante argui poteſt. Tum quia homines,& Angeli ſunt capaces,cuiuſcumque ſcientiæ, tam infuſæ,quā acquiſitæ,vt eſt manifeſtum; igitur per ſpecies labore acquiſitas aut ſaltim per ſpecies infuſas à Deo finalis iudicij diem ſcire, & præcognoſcere poterunt. Tum quia Plato aſſeruit poſt ſpatium 30000. annorum omnia quæ corrupta ſunt eodē numero reddiitura. At in finali iudicio corrupta eodem numero reſtaurabuntur: iuxta illud Iob. 19. [In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum]Ergo Plato diē finalis iudicij præcognouit. Tum quia Papias diſcipulus Apoſtolorum aſſeruit labores, & afflictiones Sanctorum in hoc mundo, ab initio eius vſque ad finem, non plus ſex annorum millibus duraturas, quemadmodum fabrica huius mundi ſex diebus effecta,& conſummata eſt,ita vt cuique illorum ſex dierum reſpondeat vnus millenarius annorum, completis autem illis ſex annorum millibus ſuſcitatum ire Deum ex mortuis omnes ſanctos.Et hanc eſſe primam illam reſurrectionem,de qua Ioannes loquitur in Apoc.& exactis alijs mille annis ſolutum iri Sathan,& futurum iri generale iudicium. Cui etiam ſententiæ adhæſit Iuſtinus in dialogo,quem habuit cum Tryphone, & Irenæus lib. 5.aduerſus hæreſes, Tertullianus in lib. de ſpe fidelium, Victorinus in comment.ſup. Apoc. Appollinaris, Lactantius,& alij, ergo poteſt homo finalem diem extremi iudicij præcognoſcere. Tum quia multi ſanctiſſimi viri ex diuino præcepto prædicarunt vicinum,& illico futurum diem iudicij,quemadmodum legimus de ſancto Vincentio Ferrer.de quo habetur, crebro hæc verba prædicaſſe, [timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.] Ergo poterit aliquis conſtituere certam periodum

2. argum.

3. argum.

Iuſtinus. Irenæus. Tertul. Victorin. Appollin. Lactantius.

4. argum.

S. Vincent. Ferrer.

A mundi. Tum quia plerique fuerunt, qui ex reuelatione ſibi facta affirmarunt circa ſua tempora inſtare diem iudicij, vt patet de Iuda ſcriptore Eccleſiaſtico cuius meminit Hieronymus Vuielmius in opere de ſex diebus lib. 6. & Ioannes Coclæus in actis Lutheri, id quibuſdam lutheranis eueniſſe commemorat hac noſtra tempeſtate. Et tandem Petrus Ioannes Biguinarum, & Bergadorum Princeps, affirmare attentauit in ſuis ſcriptis, anno 1335. Antichriſti regnum finem ſuū habiturum. Igitur,&c.

5. argum. Iudas. Hier. Vuiel. Ioan. Cocle. Petrus Ioan. Princeps Biguinarum, & Bergadorū.

Pro deciſione tamen dico, fere innumeras, & propemodum infinitas extare Theologorum ſententias, quas refert diligentiſſime Hieronymus Vuielmius lect. 6. de operibus conditi orbis: verumtamen hic nos,eas quæ apud ſanctos Patres videntur eſſe alicuius momenti dumtaxat proponemus.

Hier. Vuiel.

B Prima igitur opinio circa futuram mundi durationem eſt Irenæi lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 18. Iuſtini Martyris q. 71. ad Orthodoxos, Lactantij Firmiani lib.7. Inſtitutionum diuinarum cap. 14. 15. & 18. D. Hieronymi in quadam epiſt.ad Cyprianum, & in cap. 4. Micheæ D.Ambroſij oratione pro Satyro,D.Gregorij lib.4.Epiſtolarum, epiſt. 38.Abbatis Ioachimi in hunc locum Apoc. Vbertini à Caſali, tractatu de ſeptem ſtatibus Eccleſiæ S. Vincentij Frrer. cuius meminit Antoninus 3. p. art. 23. cap. 18. Nicolai Cuſani Cardinalis lib.de coniecturis,& fere aliorum innumerabilium,qui omnes tenent numerum annorum totius durationis mundi eſſe tantum ſex mille annorum,hiſq; finitis,orbē finem ſuum ac periodum,accepturum.Hos auctores ideo ſequendos eſſe affirmat Franciſcus Georgius Venetus, lib. de Harmon.mundi cant.3.tom.7.c. C 7.quia id per reuelationem habuerunt. Hanc eamdem veterum Rabbinorum Hebræorum fuiſſe ſententiam referunt Picus Mirandulanus in 7.declaratione in primum cap.Gen.cap.4.Galatinus lib. 4. de Arcanis ſanctarum litterarum cap.20. Georgius Venetus in Harmonia mundi cant. 3.tom.7.cap.6. Hi namque Doctores tradunt Rabbinos, iuxta numerum ſex dierum quibus fabricatus eſt mundus arbitraſſe mundum ipſum, ſex millibus annorum dumtaxat duraturum, hiſque finitis,finem quoque accepturum. Idque aſſerunt,Hebræorum Rabbinos tradidiſſe ab oraculo Eliæ quod fertur in Thalmud. tract. Sanhedrim, cap Halec. & in tract.de Idololat.cap. Libne,& in tract.de Sabbato. Attamen hoc non eſſe Eliæ Teſbitis prophetæ, ſed alicuius Rabbini Iudæorum Cabaliſti commentum, Genebrardus initio Chronic.teſtatur. Lactantius deniq. loco ſupra citato tradit, defenſores huius ſententiæ D ſequutos fuiſſe Trimagiſtrum, & pleroſque Ægyptios, ac etiam Sybillas.

Prima opinio de duratione mundi. Irenæus. Iuſtin. Mart. Lactā Firm. D. Hier. D. Ambroſ. D.Greg. Ioach. Abb. Vbertin. S.Vinc. Fer. Antonin. Nicol. Cuſ. Franc.Geor. Venetus. Picus Mirād. Galatin. Georg. Ven. Genebrard. Aegyptiorū, & Trimagiſtri, & Sybillarum opinio de duratione mundi. Lactā. Firm.

Statuunt vero pro hac tuenda opinione,hi Doctores duo fundamenta, quorum primum eſt. Apud Dominum vnum diem eſſe mille annos, & mille annos eſſe vnum diem, vt habetur 2.Pet.3.vbi ſic legitur: [Vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus.] & Pſalm.89. [Apud Dominum mille anni ſicut dies externa,quæ præterijt.]Secundum vero fundamentum eſt, opera creationis, diſtinctionis, & ornatus, quæ ſunt effecta ſex diebus repræſentare ſtatum mundi præcedentem; dies vero ſeptima,quæ eſt dies requiei, & erat ſabbatum apud Iudæos, repræſentare futuram beatitudinem; quoniam quemad- E modum, ſex diebus, Deus operatus eſt mundum, & die ſeptima requieuit ab omni opere, ita nos ſex ætatibus debemus bene operari, & ſeptima requieſcere ab operibus. Demus ergo cuilibet diei creationis mille annos, quia apud Dominum mille anni ſicut dies vnus, cum fuerint ſex dies operis diuini, repræſententque illi præſentem ſtatum Eccleſiæ, ſex millibus annorum ſpatio complebitur ſtatus mundi præſentis, & deinde ſeptima die, id eſt, ſeptima alia ætate,quæ numquā erit interitura,requieſcemus in beatitudine poſt reſurrectionem generalem omnium hominum.

Primum fundamentum huius opinionis. Dies vnus,& mille anni apud Deum, & mille anni dies ſunt. 2. fundam. Creationis opera ſtatum mundi repræſentant.

Corollarium. Irenæus. Ex hac autem sententia intelligitur clare illud Irenæi lib. 5. cap. 18. vbi sic ait; [Si enim dies Domini quasi mille anni, in sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt, manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus est,] & illud etiam Gaudentij Brixiensis Episcopi, qui tract. 10. in Exodum sic ait: [Expectamus etiam illum verum diem sanctum septimi millesimi, qui adueniet, quia post istos sex dies, sex millium videlicet annorum seculi; quibus cõpletis requies erit veræ sanctitatis fideliter credentibus in resurrectione Christi.] (Gaudentius.)

2. Opinio de mundi duratione. Papias Apostolorum discipulus. Secunda sententia est Papiæ Apostolorum discipuli, qui ad superiorem opinionem Rabbinorum Hebræorum, Trimagistri Ægyptiorum, ac Sybillarum addidit alios mille dumtaxat annos, asseuerans labores, & afflictiones Sanctorum in hoc mundo ab initio eius vsque ad finem, non plus sex annorum millibus duraturas, quemadmodum fabrica huius mundi sex diebus effecta, & consummata est; itaut cuique illorum sex dierum respondeat vnus millenarius annorum, prout dictum est in superiori opinione: verum ipse Papias de nouo ad præfatam opinionem veterum Rabbinorum, & Sybillarum subiunxit mille annos: Dixit enim, quod completis illis sex annorum millibus, suscitatum iri omnes sanctos, Christumque descensurum in terras, & in his regnaturum cum sanctis per mille annos, subiecto ipsis omni terrarum orbe cum incredibili gloria, & bonorum omnium abundantia, & tali propemodum felicitate, qualem Poetæ mentiendo illi suo aureo sæculo finxerunt. Sanctos præterea eo tempore cum summa castimonia, & integritate ducturos vxores, & ex his filios alumnos sanctitatis, procreaturos, & nihil eis quod ad summam in terris felicitatem perfruendã pertineat defuturum. Et exactis his mille annis solutum iri Satan, & grauissimam omnium, quæ fuere vnquam per Antichristum aduersus electos Dei persecutionem concitaturum. Postea cunctis mortalibus ad vitam reuocatis futurum generale iudicium atque improbis ad æternas inferni pœnas relegatis, assumpturũ Xpm, sanctos in cælum ad sempiternam felicitatem animo simul & corpore percipiendam. Huius sententiæ auctorem fuisse Papiam testatur D. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Papiæ vero adhęsit Tertullianus in lib. de spe fidelium. Victorinus in comment. super Apoc. Appollinaris, Seuerus Sulpitius in eo dialogo, qui Gallus inscribitur, ac Lactantius Firmianus, qui in septimo institutionum volumine, inter alia hæc scribit: [Terra aperiet fœcunditatem suam & vberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium melle sudabunt, per riuos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt.] (D. Hier. Tertullian. Victorin. Appolin. Seuer. Sulp. Lact. Firm.)

Papiæ opinio refellitur. 1. argum. Verumenimuero hæc sententia omnino abolenda est: Tum quia facit regnum Christi terrenum per mille annos, quod plane est omnino falsum, dicente Christo, [Regnum meum non est de hoc mundo,] ipsumque semper appellauit regnum, vel spirituale, vel cælorum. Tum quia licet hæc sententia Papiæ innitatur loco Apocalypsis 20. de prima, & secunda resurrectione, tamen falsum est, sanctos, siue in prima, siue in secunda resurrectione vxores fore ducturos; quoniam Christus loquens de resurrectione, Matth. 22. ait: [Tũc nec nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei, in cælo.] Tum denique, quia Papias huius sententiæ auctor quamuis esset Apostolorum discipulus, erat tardo, & rudi ingenio præditus, & ideo quæ ab Apostolis sub figuris, & similitudinibus rerum corporaliũ dicebantur, ipse non satis intelligebat spiritualiter, teste Eusebio, qui lib. 3. historiæ Ecclesiast. cap. 33. de Papia sic scribit: [Asserit Papias regnum Christi post humanæ carnis à mortuis resurrectionem, mille annos, humano & corporeo more in terris futurũ; quæquidẽ dogmata credo eum propterea excepisse, quod Apostolicas interpretationes, quæ ab illis essent expositæ sub arcanis figuris, & obscuris parabolis, male intellexisset: Nam homo erat, sicut ex scriptis eius facile licet coniecturam capere, ingenij, per quam tenuis: verumtamen plerisque viris Ecclesiasticis, qui eius hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant, persimilis erroris auctor extitit, vt Irenæo, & si quisquam alius, eadem cum illo sentire videbatur.] Hucusque Eusebius. (2. argum. 3. argum. Euseb. Papiæ ruditatis, & tardi ingenij testimonium citatum ab Eusebio.)

3. Opinio de duratione mundi. Nicol. Cusanus. Tertia opinio est Nicolai Cusani Cardinalis in lib. à se edito, de quatuor nouissimis, quo loco existimat post Christi incarnationem vsque ad finem mundi numerandos esse mille septingentos annos. Statuit siquidem ille, Christum Dominum passum fuisse anno 34. suæ ætatis, & cuilibet ex his annis respondere integrum tempus Iubilei, vnde erunt triginta quatuor tempora Iubilei vsque ad finem mundi, quæ conficiunt numerum prædictum annorum, quamobrem quemadmodum iuxta Phylonem à primo parente Adamo vsque ad innundationem mundi per diluuium Noe transacti fuere triginta, & quatuor Iubilei, mille videlicet, & septingenti anni, ita quoque à secundo Adamo Christo Domino, vsque ad secundam mundi innundationem futuram per ignem purgationis, tot anni erunt numerandi. (Per annos Iubeli narrat Cusanus durationem orbis.)

4. Opinio de duratione mundi. Hier. Carda. Quarta porro sententia est Hieronymi Cardani lib. 2. de rerum varietate cap. 2. quiquidem putat futurum finem mundi anno millesimo, octingentesimo, quo tempore iuxta illius sententiam erit futura maxima mutatio in lege euangelica, idque per Antechristi prædicationem. Huic etiam sententiæ adhęrere videtur Petrus de Ariaco in sua concordia Theologica & Astronomica, docendo futurum mundi finem anno millesimo, septingentesimo octuagesimo nono. (Pet. de Aria.)

5. Opinio de duratione mundi. Quinta, & prostrema sententia est aliorum (quos refert Ioannes Parisiensis in opere de hac re edito,) qui protrahunt mundi finem vsque ad spatium triginta, & sex millia annorum. Dicunt namque isti domini Doctores, quod cum opera Dei, futura sint perfecta prout habetur Deut. cap. 32. & perfectio cælorum sit constituta in perenni motu, non adueniet dies iudicij postquam quiescet omnis orbis, nimirum quo ad vsque nonum mobile absoluat totum motum suum naturalem, qui motus iuxta Astrologos, præsertim vero Ptolomęum, fit per spatium triginta, & sex millia annorum; non adueniet dies Domini quousque pertranseat triginta, & sex millia annorum: verumenimuero his omnibus dimissis conjecturis

1. Assertio. Dies iudicij soli Deo cognitus. Caietan in Matth. Sit prima assertio; dies iudicij finalis nulli creaturæ, sed soli Deo notus est. Probatur ex illo Matth. 24. [De die autem illa nemo scit, neque Angeli cęlorum.] Et ex illo Marci 13. [Neque filius hominis,] nimirum, vt alijs reuelet (vt recte annotat Caietanus ibidem. Quod quidem factum est vt semper parati simus ad talem diem, iuxta illud Lucæ cap. 12. [Ideo estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet.]

2. Assertio. Iudicij diem nesciunt Angeli, nec minus beatorũ animæ. Secunda assertio. Neque Angeli, neque beatorum animę, quando dies illa futura sit, in verbo videre possunt. Hęc est Richardi in 4. dist. 47. art. 5. quæst. 2. & art. 6. quęst. 1. contra quosdam asserentes in proprio genere, id est, per species acquisitas, vel reuelatas, siue infusas ignorare, non tamen in Verbo. Et probatur assertio ex illo dumtaxat Matth. cap. 24. [Neque Angeli sciunt.] vbi negatio illa [neque] vtramq; scientiam in proprio genere, & in verbo includit.

3 Assertio. Iudicij constituere periodum certã, periculũ temerariũ est. Tertia assertio: Periculosum, & temerarium est inter homines, cuiuscumque conditionis sint, constituere certam mundi periodum. Hęc videtur D. Aug. lib. 20. de Ciu. Dei c. 7. & lib. octuaginta triũ quæstionũ quæst. 58. tom. 4. Et confirmatur. Tum ex illo Act. cap. 1. [Non

2. Ratio.

2. [Non est nostrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.] Tum quia, quæ dependent ex sola Dei voluntate, non sunt certe, & diffinite asserenda, nisi vt continentur in sacris litteris, quæ nobis manifestant diuinam voluntatem. At sacræ litteræ non definiunt, neque perscribunt certum, & definitum tempus futuræ durationis mundi: Nō igitur certe, & definite erit illa constituenda. Tum postremo patet ex illo Apost. ad Rom. 11. [O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.]

3. Ratio.

Sol. ad 1.

Ad primum tamen argumentum dicitur, quod licet Angeli, & homines multa sciant de Deo, tamen non implicate contradictionem aliquid ignorare posse de scientia & de incomprehensibilibus iudicijs illius, & ita possunt diem iudicij finalis ignorare, quinimmo certe illum penitus ignorant.

Sol. ad 2.

Ad secundum respondetur, sententiam Platonis esse falsam, & infinitis sacræ Scripturæ testimonijs prorsus repugnare.

Sol. ad 3.

Ad tertium dicitur, Papiam cum suis sequacibus, plurimis scatere erroribus, & omnino errare, dicente Domino, Act. 1. [Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.] Ex quibus verbis Domini facile deducitur, ignotum esse futuri iudicij tempus, vt recte tenet S. Thom. in 4. sent. & in add. ad 3. p. q. 88. art. 3.

Sol. ad 4. Sancti Patres cur vicinum, & cito futurum prædicarunt iudicij diem.

Ad quartum respondetur, sanctos Patres prædicasse quidem non longe abesse diem iudicij, eo quod nos sumus, in quos fines sæculorum (teste Apostolo) deuenerunt: tum etiam quia iuxta parabolam Euangelij nos accessimus ad laborandum in vinea Domini hora vndecima; non tamen sanctos Patres constituisse diffinitam horam, & diem futuri iudicij. Præterea respondetur, sanctos Patres prædicasse cito futurum tempus iudicij per comminationem, hoc est sub conditione, si non egerint pœnitentiam, quamobrem Deus mutauit sententiam, quoniam illi mutarunt vitam. Sæpe etenim Deus comminatur, quæ non infligit, eo quod homines mutant vitam in melius, vt colligitur ex illo Ieremiæ 18. [Loquar aduersus regnum, gentem, & populum, vt euellam dissipem, & disperdam, quod si gens illa egerit pœnitentiam de peccato suo, agam, & ego pœnitentiam de malo quod cogitaui super eos, vt facerem.]

Ier. 3. & 18.

Sol. ad 5.

Ad quintum dicitur, præfatos homines prorsus aberrasse nescientes scripturas; quoniam teste Apostolo 1. Thess. 5. adueniet dies Domini sicut fur in nocte; aduentus autem furis in nocte est omnino incertus; & præcipue prælibatum Principem Bergadorum ex vtroque pede claudicasse, deceptum computatione dierum Danielis: quemadmodum etiam plerosque Rabbinos Hebræorum Thalmudistas aberrasse affirmat Genebrardus, initio suæ Chronographiæ sequutos illas coiecturas, quas commemorat Rabbi Isac in p. cap. Genesis: quarum prima erat; quia primus versus Genesis, sexies, habet litteram [Aleph] quæ littera, mille significat: Secunda quia Deus sex diebus mundum fabricauit, & in septimo requieuit. Ex quibus coniecturis male intellectis, exorta plane fuit superior secunda sententia falsa, quam supra retulimus, quamuis illam sequuti fuerint plerique sancti Patres, Papia iuniores, ac recentiores, nimirum, Irenæus, Tertullianus, & reliqui ibi à nobis citati.

Furis aduentus omnino incertus. Princeps Bergadorum cur aberrauit circa finalis iudicij diem. Thalmudistæ & Rabbini Hebræorum cur aberrarunt circa futurum iudicium.

PARAPHRASIS.
Secunda.

Par. 1. Dilucidatio textus. §. 1.

Cum nubibus. (ait) Vsus sacrarum litterarum est, dum sermo fit de secundo aduentu Christi ad nos

A iudicandum affirmare, quod veniet in nubibus. Et ratio plane est, eo quod post ignem conflagrationis, de quo loquitur Dauid dum dixit: [Ignis ante ipsum præcedet,] & 2. Petri 3. [Cæli autem, &c. repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, &c.] Mox superueniet Christus in nubibus cæli ad iudicandum. Quamobrem Daniel 7. dicitur: [Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat,] & Matth. 24. [Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa,] Et idem habetur apud Ezechielem, Isaiam, Ioelem, aliosque veteris Testamenti Prophetas. Et etiam apud Matthæum, Lucam, Marcum, & Ioannem Euangelistas noui Testamenti in plerisque suarum historiarum capitibus. Hinc ipsemet Dominus, ac Redemptor noster adiuratus à Caypha Iudæorum Pontifice, an ipse

Iudex Xps venturus est in nubibus in iudicio. Psal. 96. Ignis conflagrationis antecedet nubes in iudicio. Nubes iudicij citant Prophetæ, Euangelistæ & etiam Apostoli. Matth. 25.

B esset Christus? Festinus respondit. [Tu dixisti. Verumtamen dico vobis amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli, sedentem à dexteris virtutis Dei.] & Act. 1. dicitur: [Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum hic Iesus q assumptus est à vobis in cælum, sic (hoc est in nubibus) veniet.] sicut ascendit in nube. Quoniam creatura tunc deseruiet suo creatori. Idcirco quemadmodum ascendit in nube, ita & in nubibus veniet, vt hic noster Primicerius inter Prophetas Ioannes ait, idque etiam ostendunt verba sequētia. [Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.] quoniā ly [Quemadmodum] additur illic ad ly [Sic] ad maiorem explicationem, & comparationis certitudinē.

Nubes in iudicio sicut in ascensione.

§. 2 Strabus. Nubes in iudicio significant Dei clementiam.

Per nubes, tamen Strabus in sua Gloss. ordinaria multiplicem Dei clementiam intelligit, in qua veniet ad indicandum, bonis, nimirum, præstans refrigerium,

C & illuminationem; malis vero timorem, & obscuritatem, ac etiam terrorem, & excecationem. Quod planè etiam significatum fuit per nubem, qua, vt dicitur Exod. 13. educti fuere filij Israel de Ægypto.

§. 3. Nubes in iudicio significant sanctos prædicatores

Aliam etiam adducit Auctor Gloss. ordin. huius loci enodationem, qua per nubes intelligit sanctos itavt vertat sic: [Cum nubibus, id est cum sanctis.] Quam quidem interpretationem sequutus est S. Thom. Auctor Incognitus, & Petrus Bulengerius in hisce suis commentarijs. Quam & ego etiam tamquam moralem approbo. Eo quod sancti prædicatores nobis fuerunt per prædicationem, tum compluendo alijs doctrinam, tum miracula faciendo, ac etiam coruscando per scelerum reprehensionē, nec nō eleuando se per mundanorum abdicationem, & denique volando per altam contemplationem. Et reuera hæc explanatio (quam-

Strab. S. Thom. Auct. Incog. Petrus Bulenger.

D uis sit moralis) corroboratur ex eo dumtaxat, quod vt tenet Magister in 4. sent. dist. 27. S. Thom. ibidem q. 1. art. 2. q. 1. Ricchardus art. 1. q. 7. & nos etiam infra in fine capitis 3. abunde probabimus, sancti cum Christo in iudicio, futuri sunt iudices, tamquam assessores: quoniam Apostoli simul cum Christo Iesu, vniuersas iudicabunt gentes, vt docet fides, & habetur Matth. 19. vbi dicitur: [In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.] De alijs vero viris Apostolocis, vt pote religiosis qui vitā Apostolicam, rerum omnium renuntiatione facta, seruarunt, colligitur ex illo Matth. 19. [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Quibus Petri verbis, Christus respondit: [Vos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis

Mag. D. Thom. Ricchard.

Apostoli erunt assessores in iudicio.

E suæ sedebitis, & vos,] Vbi Petrus in persona omnium qui vitam agunt Apostolicam alloquutus fuit, & sic de omnibus illis venit intelligendum illud [Vos] quod Christus respondit. Constat autem viros religiosos, relictis omnibus ad imitationem Apostolorum, sequutos fuisse Christum. Quare ob id iudices erunt futuri, prout S. Thom. loco citato probat specialiter propter tria. Quod plane nullatenus accidet alijs sanctis, vt ipse sanctus Præceptor ibi recte dispungit; nec minus Angelis; quoniam Angeli, vt etiam ipse tenet, iudicabunt non vt assessores, sed vt tamtum approbantes.

Sancti religiosi erunt assesores cū Apostolis in iudicio.

Y 2 Nec

Nec tandem accidit in dæmonibus; quoniam ij sententiam iudicis, vt ipse probat art. 4. dumtaxat exequētur in damnatis. Hoc etiam de viris religiosis proculdubio insinuat Euangelista Matth. dum in cap. 25. ait: [Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.] vbi ly [Angeli,] & cælestes spiritus, & religiosos etiam sanctos, maxime indicat.

§. 4. Caro Christi nubes.

Sunt porro alij expositores qui [dispugendo hunc locum affirmant, Christum in iudicio venturum in carne humana visibili. Quæ caro (aiunt isti) dicitur nubes, in qua tonabit Dominus disceptando, & sententiando, in quo coruscabit occulta cordium manifestando omnibus, & in qua pluet, æterna supplicia infligendo. Hæc etiam est interpretatio moralis, a qua non longe est Procopius, ac etiam Cyrillus Alexandrinus in comment. super Isaiam, necnon D. August. tract. 34. in Ioannem, & Eusebius lib. 1. demonst. Euangel. cap. 4.

Procopius. Cyril. Alex. D. Aug. Euseb.

§. 5. Petrus de Pantaneto, Aretinus. Nubes significat Romanorum manū contra Ierosolymam.

Petrus Caponsachius de Pantaneto Aretinus in suis obseruationibus in Apocalypsim existimat, hic per nubes, intelligendam esse Romanorum manum, vel nubes diuinitus erumpentes fulmina, ignem, gladium, & omne genus tormentorum, quo mortales cruciari possunt. Et ratio huius opinionis est, quoniam iste Auctor (cæteroquin doctissimus simulque validissimus huius Apocalypseos Ioannis Apostoli interpres) putat, hanc primam Ioannis visionem accipiendam esse de destructione Ierosolymæ. Vnde illud 1. cap. [Tempus enim prope est,] per hæc verba explanat: [Tempus enim prope est, propter destructionē Ierosolymæ, quę Ioanne adhuc superstite, ventura erat, vnde sic eum volo manere, donec veniam, sunt enim quidem de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regnum suum, vt in Euangelio habetur. Non transibit ergo generatio ista, &c. sicut ab incendio Ierusalem circa annum Domini LXXIII secuto, optime confirmatum fuit.] sic ille: Quamobrem cum ipse hanc primam Ioannis visionē de destructione Ierosolimæ (vt dixi) intrepretetur, hinc quippe est, quod hic per nubes Romanorum manum, vel nubem erumpentem fulmina, & ignem exponat, dicendo, [Ecce venit cum nubibus. Hæc sunt verba prophetiæ superius propositæ, in qua innuens tempus prope esse destructionis Ierusalem, inquit, ecce venit cum nubibus: vnde & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate, vt in Euangelio dictum fuit. Ecce ergo, vt in Isaia habetur validus, & fortis Dominus sicut impetus grandinis turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam; & erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inūdans in furore meo erit; & lapides, & grādes in ira in consumptionē. A forti enim Romanorum manu, ceu a nube diuinitus erumpent fulmina, ignis, & gladius, & omne genus tormentorum, quo mortales cruciari possunt.] Hucusque Aretinus. Iuxta quam explanationem, iam hæc prophetia Ioannis esset adimpleta, cum Romanorum Imperatores iam Ierosolymam destruxerint anno 73. vt refert iste auctor, vel anno 71. per Titum, vt narrat Cæsar Baronius in suis Annalibus cap. 10. & deinceps. Fauet etiam huic sententię, quod hæc prophetia Apocalypseos tres temporum differentias amplectitur, & sic nihil obstabit, quod hoc iam esset præteritum, Ioanne superstite. Quod verò maxime obstat est, quod cætera quæ sequuntur in hac prima visione nullatenus quadrant Ierosolymę dumtaxat destructioni, sed totius orbis consummationi. Nisi dicamus quod illud quod competit toti, competit etiam partij, & è conuerso, quod parti, toti, infra tamen videbitur hoc melius, & diffusius.

Ierosolyma iā destructa per Romanos imperatores & quo anno Baronius.

§. 6. Franciscus Ribera.

Franciscus Ribera in hisce suis commentarijs aliam moralem affert interpretationem, qua tenet, Dominum in nubibus ascensurum, & venturum fore, vt verus

F Deus & Patri æqualis appareat; quoniam cum Deus communiter hominibus apparet, semper nube tegi solet, vt sic suam in comprehensibilem esse maiestatem, præsignificet.

Nubes in iudicio Christū verum Deum demōstrabūt.

§. 7. Litteralis expositio auctoris; quod nubes in iudicio erunt vere, & reales nubes. Ioachimus Abbas in comment.

Omnes autem propositæ explanationes sunt plane morales, vt clare liquet, cum ad significationes nubium tendant omnes. Vera tamen litteralis explanatio est, quod in iudicio finali, vere, & realiter apparebunt nubes, & caligo, iuxta illud Psalmistæ: [Nubes, & caligo in circuitu eius, iustitia, & iudicium correctio sedis eius,] huius etiam opinionis est Ioachimus Abbas dum hunc locum sic vertit: [Ecce venit cum nubibus &c. Hoc vt dicitur, ita accipiatur. Scriptum est de eo in Actibus Apostolorum, & videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.] sic ille. Quæ autem sint huiusmodi nubes, & vnde, & quomodo orientur, & ad quid inseruient, mox apparebit in disputatione sequenti. Remaneat igitur hic modo
G omnino certum, quod sicuti vera, & realis nubes fuit illa, in qua Xps ascendit in cælum, prout hucusq; dictū est, sic vera, & realis nubes erit illa, in qua Christus venturus est ad iudicandū, vt patet ex illo Act. 1. [Nubes suscepit eum ab oculis eorum.] & mox: [Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.] Quamobrem nubes illæ, erunt veluti thronus seu regalis sedes filij Dei. Hinc D. Chrysostomus de nube ascensionis Christi, sic scribit: [Elias in curru igneo ascendit, Christus in nube, nam quando seruus vocabatur, currus mittebatur, vt veniret: & quando filius ascendebat Dominica sedes occurrebat.] sic ille. Erunt etiam huiusmodi nubes non tantum thronus, & sedes regalis, verum etiā equi, & quadrigæ Saluatoris nostri Christi, de quibus Habacuc 3. dicitur: [Qui ascendit super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.] & Isaiæ 66.
H [Et qualis turbo quadrigæ eius. Recensentur in iudicio huiusmodi equi, & quadrigæ a prophetis, vt veniendo Dominus cum nubibus, quasi præliaturus cum exercitu aduentare intelligatur. Erunt igitur veræ, & reales nubes illæ, in quibus Dominus in iudicio apparebit.

Chrysost. to. 3. in serm de Ascens. Dni.

Nubes in iudició erit thronus, & sedes regalis filij Dei

Nubes in iudicio erū: veluti equi, & quadrigæ.

§. 8. Nubem iudicij præcedēt plurima signa. Signa extremi iudicij recensita, a D. Hieronymo per quindecim dies. S. Thom.

Verumenimuero, antequam Dominus in nubibus appareat, præcedent proculdubio quædam terribilia signa, & inditia illius extremi iudicij Dei. Quæ plane D. Hieronymus, vt prodit S. Thom. in 4. sent. & in add. ad 3. p. q. 73. art. 1. per quindecim dies distribuit. Prima enim die (refet D. Hieronymus) eriget se mare quadraginta cubitis supra altitudinem montium, stans in loco suo vt murus. Secunda die tantum descendet, vt vix possit videri. Tertia die, marinæ belluæ apparentes supra mare dabunt rugitus vsque ad cælum. Quarta die ardebit mare, & aqua. Quinta die herbæ,
I & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexta die ruent ædificia. Septima die ad inuicem collidentur. Octaua die fiet generalis terræmotus, qui adeò erit magnus, vt nullus possit sustinere. Nona die æquabitur terra, & omnes montes, & colles in puluerem redigentur. Decima die, exhibunt homines de cauernis & ibunt lugentes. Vndecima die esurgent ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra. Duodecima die stellæ de cælo cadent. Tertiadecima die morientur viuentes vt cum mortuis resurgant. Decima quarta die ardebit cælum, & terra, & fiet cælum nouum, & terra noua. Decimaquinta die erit resurrectio omnium generalis. Quæ omnia signa iudicium præcedentia, refert D. Hieronymus se in annalibus Hebræorū explicata reperisse. Hæc igitur omnia extremi iudicij signa, aut eorum plurima, nubem in qua Dominus venturus est ad iudicandum proculdubio præcedent vt mox in disputatione sequenti perspicuum omnino fiet.

Conce-

Conceptus Prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod nubes in quibus Dominus vẽturus est ad iudicandum nimiam signi ficant afflictionem.

Nubes in sacra Scriptura, Dei præsentiam desi gnant, & quæ ec.



NIMIAM afflictionem, quæ super vẽtura est vniuerso orbi aut dubie demonstrant nubes istæ, in quibus (vt habetur in textu) Dominus venturus est ad nos iudicandum. Nullatenus profecto est negandum, nubes in sacro eloquio Dei præsentiam crebro demonstrare. Quamobrem ascendenti Moysi in montem Sinai Exod. 19. Dominus dixit: [Veniam ad te in caligine nubis.] & cap. 16. ita habetur: [Ecce gloria Domini apparuit in nube.] & tandem cap. 34. [Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo.] & hoc plane ideo fortasse, vt clare intelligamus nullam mentis aciem esse tam acutam, & perspicacem, quæ illum intueri queat. Nulla enim humana cogitatione, potest eius diuina natura comprahendi. Quì enim fieri potest, vt in carne positi, & in hoc exilio constituti diuinam intueamur essentiam? Id sane significabant nubes, quæ montem Horebum, & Salomonis templum, Deo aduenıente, oppleuerunt. Quocirca Dauid ait: Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.] & paulo post: [Et posuit tenebras latibulum suum.] At vero nubes in quibus Dominus venturus est ad iudicandum non erunt obstaculũ, vt Christus Dominus non videatur ab omnibus, cum in textu subsequatur. [Et videbit eum omnis oculus,] & Matth. 24. dicatur: [Videbunt filium hominis venientem in nubibus.] Quamobrem dico, nubes illas (inter alia earum significata moralia, quæ nuper inter explanandam hanc paraphrasim adduximus) significare nimiam afflictionem, quæ (vt dixi) super ventura est vniuerso orbi. Quo circa vates Ezechiel diem iudicij appellat tempus calamitatis, & diem nubis. Et Propheta Ioel: [Prope est (inquit) dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.] Et idem Ezechiel in eodem cap. 30. in quo exprofesso agit de die iudicij inquit: [Quasi parturiens dolebit Pelucium.] Quo loco per Pelucium, quæ ciuitas est, & robur Ægypti, vniuersus orbis intelligitur, qui ingentibus, & omnino acerbis doloribus maxime prametur, quales esse solent parturientis mulieris dolores. Et paulo post ait: [Nigrescet dies;] hoc est, non erit lux lætitiæ, sed nox luctus, & mœroris, omnia erunt dolorum tenebris circumfusa, nullus apparebit solis splendor, qui tam etiã calamitatum noctem dispellat. Ex quibus omnibus perspicuum euadit quod nubes istæ, in quibus Dominus ad iudicandum nos venturus est, præcipue, & principaliter nimiam afflictionem, quæ super ventura est vniuerso orbi, significant, Tunc proculdubio adimplebitur illud Ezechielis 7: [Afflictio vna, afflictio ecce venit,] & paulo post: [Nunc de propinquo effundã iram meam super te,] & complebo furorem meum in te: [En videtis afflictionem maximam vniuerso orbi in extremo tempore venturam; quam haud incongrue existimo, per has nubes, de quibus est mentio in textu, intelligendam vtique esse.

Psal. 17.

Ezechiel. 30. Ioel. 2.

Concept. 2. Quod sancti religiosi, doctores, & prædicatores euangelici erunt assessores in iudicio extremo cum Apostolis.

Isai. 60. S. Thom. Richard.



EVANGELICVS vates Isaias in cap. 60. Apostolos, Doctores euangelicos, ac etiam sanctos, nubes appellat dicendo: [Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? [Hos autem euangelicos viros, nubes appellat Isaias, eo quod pluant verbis, & miraculis coruscent. Illos vero debere in iudicio apparere cum Christo supremo iudice, asseruimus supra in explicatione huius paraphraseos, idque probauimus cum magistro, in 4. sent. & cum S. Thom. ac etiam cum Richardo. Istudque liquet adhuc ex illo

A Iudæ cap. 1. [Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere impios omnes, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie agerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti sunt cõtra eum peccatores impij;] ac etiam ex illo Zachar. 14. [Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.] & tandem ex illo Isaiæ 3. [Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.] Sed dices: Ad quid quæso aduenient huiusmodi sancti religiosi, doctores, & prædicatores euangelici, cum Christo, vt iudicent nationes simul cum Apostolis? Dico quod propter duo: Quorum primum plane est, vt ipsi simul cum Apostolis voce tenus, vel reuelatione, electis, & damnatis sententiam supremi iudicis Christi manifestent. Quamobrem iudicium Apostolis, & eorũ imitatoribus per solemne votum paupertatis, permissum erit solummodo ministeriale. Vnde sententiam

Difficultas cur sancti religiosi, & prædicatores euangelici assessores erunt in iudicio cum Apostolis?

B illam Christi: [Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.] & iterũ: [Esuriui, & nõ dedistis mihi manducare, &c.] quilibet illorum per se, electis, & reprobis, (qui in hoc mundo, illis panem dederunt, vel non dederut) manifestabunt, ita vt mendicus Lazarus dicat diuiti illi Epuloni: [Esuriui, & non dedisti mihi manducare &c. vade in ignem æternum,] & Elias mulieri viduæ sarepthanæ, quæ dedit ei subcinericiũ panem paruulum: [Esuriui, & dedisti mihi manducare, &c. veni ad beatitudinem æternam.] Et sic de cæteris. Quoniam Christus Matth. 25. dicit: [Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.] Et ob id vnusquisque minimus Christi, vnicuique sibi bona facienti in terris, tunc proferet electorum sententiam, & vnicuique eum in terra affligenti, eique mala facienti proferet reproborum sententiam. Secundo venient huiusmodi prædicatores euangelici, & religiosi sancti in magno illo iudi-

Matth. 25.

Luc. 16.

3. Reg. 17.

C cio ad disceptationem, hoc est, ad peccatores conuincendos, eosque confundendos. Idque lucido probo testimonio Ioelis in cap. 3. dicentis, [Congregabo omnes gentes (inquit Dominus) & deducam eas in vallẽ Iosaphat, & disceptabo cum eis.] Quæ plane disceptatio Dei cum peccatoribus, & præuaricatoribus fiet proculdubio (vt communiter tenent D.D. in 4. sent. & nos infra in fine cap. 3. super illa verba: [Dabo ei sedere mecum in throno meo,] diffuse demonstrabimus, fiet per prædicatores euangelicos, & sanctos religiosos, qui votum paupertatis emisserunt. Illa igitur die quærent peccatores, & præuaricatores excusationes in peccatis; quamobrem excusando excusationes in suis peccatis exient primo Pharisæi, & Rabbini Iudæorum incredulorum, & dicent: Nos noluimus credere in Iesum Nazarenum, quia Messiam nostrum non se ostendit faciendo miracula, obseruando legem no-

Iudicium disceptiuum concessum Apostolis, & religiosis.

Psal. 140.

D stram Moysi; & nos diuites faciendo, vt maiores nostri nobis prædixerunt, &c. Contra hos exient illico sancti Apostoli omnes, & acclamando dicent eis. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ loquuti sunt prophetæ. O progenies viperarum, nonne nos Hebræi sicuti, & vos eramus? nonne, & nos sub lege degentes Moysi, Messiam sperabamus sicuti, & vos? nonne tãdẽ nos intellectũ habuimus sicuti, & vos? plane quidẽ, & tamen Dño isto magno nobis dicente: [Venite post me,] illico ei credidimus, illũq; adorauimus, vt verum Messiã & filiũ Dei, quare, & vos visis tot miraculis nõ credidistis sicuti, & nos? Ite ergo maledicti in ignẽ æternum. Post hos exient infideles gentiles se excusantes dicendo: Nos non habuimus legem nec vaticinia aliqua de Messia, &c. Ideo excusamur, si illum

Excusatio Iudæorum quomodo nõ valebit in iudicio.

Luc. 24. Matth. 3.

Excusatio gẽtiliũ quomodo non valebit in iudicio

Matth. 2.

E minime recepimus, nec adorauimus. Contra hos exient euestigio tres Reges Magi, & dicent, nos gentiles fuimus sicuti, & vos, nihilominus sola vnica singulari stella visa in Oriente gentilitate, & patria nostra, ac etiam regnis, & sceptris dimissis, ac spretis, venimus ab Oriente adorare eum; quare, & vos talia nõ fecistis? Ite ergo nunc in ignem æternum. Post hos insuper esurgent Prælati, Pastores, & Antistites omnes se excusando dicentes, Nos nullatenus potuimus populos nobis commissos perfecte corrigere traditus siquidem nobis fuit populus duræ ceruicis, rebellis,

 indo-

indomitus, ac omnino indocilis, quamobrem excusamur. Aduersus hos illico esurgent quatuor Doctores Ecclesiæ nempe D. Gregorius, D.Hieronymus, D.Ambrosius, & D.Augustinus, dicendo. Discedite a nobis maledicti discedite, quoniam nos, & Papæ, & Cardinales, & Archiepiscopi, & etiam Episcopi sicuti, & vos fuimus, nobisque populos indomitos, rebelles, ac prorsus indociles, quemadmodum, & vobis vtique commisit Deus, & nihilominus eorum curam habuimus maximam, nocte, & die pro illis orando, eorum fragilitatem iuuando, & eorum ferocitatem dure domando, & sicuti nos fecimus sic, & vos præstare etiam potuistis, cæterum cum id minime præstiteritis, quinimmo in vobis adimplectū omnino fuerit illud Ezec. cap. 34. [Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod egrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, &c.] Abite nunc procul a nobis cum vestris tiaris papalibus, pileis, birretisq; rubeis cardinalitijs, ac etiam cum vestris Archiepiscopalibus, & Episcopalibus mitris, ac baculis, Quoniam nostra Pontificalia ornamenta bene olent, quinimmo nostras tiaras, rubeosq; pileos, & birretos, mitras etiam, & baculos pastorales, mille floribus, ac margaritis Angeli nobis hodie, & composuerunt, & ornarunt, vestra autem ornamenta omnia pontificalia, & sulphure, & pice male hodierno die olent. Abite abite ergo procul a nobis ne inquinetis, aut inficiatis nos hodie coram hoc rectissimo iudice. Deinde venient carnales Christiani se excusando per hæc verba, dicentes: Nos nullatenus potuimus ab actis venereis corpora nostra abstinere, quoniam caro, & sanguis in dies ad immunditias nos prouocabant. Contra hos tunc exient festini Ioannes Baptista, Ioannes Euangelista, Elias, Enoch, & reliqui virgines Domini, & dicent, Mentimini, mentimini scelerati peccatores; quoniam nos eramus etiam ex carne, & sanguine sicut vos compositi, & nihilominus à voluptatibus carnalibus prorsus corpora nostra abstinuimus, quemadmodum igitur nos carni, & sanguini non acquieuimus, sic & vos facere poteratis, cum Deus qui hic adest iustus iudex nec nobis, nec vobis vmquam gratiam suam abnegauerit, Exient tunc alij peccatores, & dicent, nos nullatenus in terris potuimus ieiunare, quoniam corpus nostrum erat tenue, ac nimis fragile, & nisi cibus in horis illi apponeremus, essemus mortui ante tempus præfixum à Deo, & sic nostrorum corporum fuissemus homicidæ. Contra hos exient festini Sanctus Bernardus, & Sanctus Bonauentura, & dicent illis, aberratis, aberratis omnino, quoniam nos corpus, ex quatuor elementis compactum sicut, & vos habuimus, tenue, & fragile; nihilominus ieiunauimus, non solum quadragesimas, & vigilias Ecclesiæ Dei, verumetiam aduentus, & alia infinita ieiunia religionis nostræ: tum etiam, & ieiunia deuotionis nostræ intra annum, iam in pane, & aqua, iam absque colatione in sero: Numquid corpus nostrum non erat ex carne, & sanguine sicuti, & vestrum? Maxime quidam, ite, ite igitur in ignem æternum, vt præcipit Deus iudex iustus. Rursus tunc exient alij peccatores, dicentes: Nos nullatenus eleemosynas pauperibus elargiri potuimus, eoquod nos pecunias ipsas nimio labore cōparauimus, & si illas gratis dedissemus, nos pauperibus ipsis miserabiliores cito redacti fuissemus. Contra hos tunc exient Sanctus Dominicus, Sanctus Franciscus, & Sanctissimus pater noster Petrus Nolasco, dicendo eis: Tacete, tacete auari homines, nolite ista amplius loqui coram hoc magno iudice. Excusationes namque in peccatis, hæc omnia proculdubio sunt, quoniam nos eramus diuites sicuti, & vos, & nihilominus omnia bona nostra pauperibus, viduis, orphanis, & etiam captiuis Christianis multoties elargiti fuimus, eos alendo, nostrisq; expensis à manibus Saracenorum redimendo, & cum omnia nostra bona pauperibus, & inter redimendos captiuos Christianos diffuse, & abundanter distribuissemus, ditiores plane

Excusatio diuitum epulonum quomodo non valebit in iudicio

F effecti fuimus nostras has religiones fundando, ex quibus sequaces habuimus pene infinitos, pauperes alentes, & captiuos in dies redimentes, & modo nos, & illi, hac paupertate nostra spiritus, effecti sumus (vt videtis) diuites, & domestici Dei. Ite ergo vos auari in ignem æternum, vt iste iustus præcipit iudex. Postremo exiet tunc turba peccatorum, & dicet se excusando, nos minime portare potuimus iugum euangelicæ legis, quoniam nimis strictum, ac durum erat, vt patet in indulgendo inimicum; in ieiunijs, &c. Contra hos exiet tandem bonorum, & sanctorum monachorum chorus, dicendo. Prorsus decepti estis, & tota omnino aberrastis via, nam iugum Christi adèo suaue fuit, vt nos super illud, alium iugum, nempe, bona consilij, videlicet, regulam, & constitutiones religionis nostræ super imponere curauimus, & illa duo iuga, semper pro Christo redemptore nostro suauiter portauimus. Ite, ite vos, igitur G modo, maledicti in ignem æternum.

Excusatio omnium peccatorum quomodo nō valebit in iudicio.



HAS iudicij extremi nubes de quibus dicitur in textu: [Ecce venit in nubibus,] pleraque illius tremenda diei inditia, & signa vtique præcedent, quæ tum ex D. Gregorio, D.Hieronymo, D.Bernardo, D.Cypriano, ex alijsque sanctis patribus, tum etiam ex Scholasticis Doctoribus, nempe, Magistro in 4. sent. dist. 48. D.Thom. ibidem q. 2. art. 4. quæstiuncula 1. Soto dist.46.quæst.2.art.1. & Francisco Suarez in suis commentarijs in 3.p.D.Thom.quæst.49.art.6. disp.46. H tum denique ex Eusebio Emisseno hom.2.Dominicæ 2. Aduent. Nicolao de Nisce tract.quat. nouiss.2. nouiss. consid. 11. de Finali Iudicio, & ex Auctore Incognito super hunc locum Apocalypseos, diligenter exhausi. Audite enixe rogo, si forte placet. Primum terribile signum illius extremi temporis erit vitiorum, & iniquitatis innundatio, iuxta illud Matth. cap. 24. [Abundauit iniquitas,] huius autem abundantiæ iniquitatis causa erit charitatis infrigidatio, iuxta illud Matth. 24. [Refrigescet charitas multorum,] quemadmodum enim senescente homine, solet calor naturalis diminui, sic hoc mundo caduco appropinquante ad terminum, charitas, quæ est calor vitæ spiritualis refrigescet, & pene deficiet. Ait namque Philosophus quod senium est frigidum, siccum, & morbidū, sic mūdus iam morti, nimirum termino propinquus, frigidus erit per charitatis defectum, & omnino siccus per deuotionis defectum. Secundum terribile est, denigratio, I vel eclipsis solis, & lunæ, quemadmodum enim teste D.Chrysostomo, cum pater familias moritur, tūc tota familia deponit ornamenta lætitiæ, & induit se vestimento lugubri in signum doloris, sic appropinquante mundi termino, omnes creaturæ ostendent signa doloris, iuxta dictum Saluatoris, Lucæ 21. [Erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione, &c.] huius autem admirabilis denigrationis, & eclypsis solis, & lunæ meminit etiam Euangelista Matth. in cap. 24. dicendo: [Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum,] idem docent Ioel in cap. 2. per hæc verba: [Sol, & luna obtenebrati sunt.] Quod plane intelligi potest non per sui luminis priuationem, sed per maioris luminis superuenientem claritatem, nimirum, claritatem corporis Christi, vt dicit Mag. in 4. sent. dist. 48. & Ri- K chardus ibidem, & Alexander Alensis in 3.p.suæ summæ, vel per eclipsim non naturalem plane, sed super naturalem, de quo accipi sane potest illud Ioelis c. 2. [Sol vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam adueniet dies Domini magnus, & horribilis.] Tertium terribile signum erit, mundi conflagratio, vel purgatio, quæ sicut dicit Aug. & probat Soto in 4. sent. dist 48.quæst.1.art.2. ventura creditur ante iudicium. Quam mundi futuram purgationem ostendunt verba

Conceptus 3. Quod nubes iudicij præcedent plurima terribilia signa.

1. signum.

2. signum.

3. signum.

verba Ioan. Apoc. 21. [Vidi cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abijt.] at non abijt per annihilationem substantiæ. Igitur per purgationem, corruptionis, generationis, & alterationis, quæ puritati elementorum nunc obuiant. Quam porro mundi futuram purgationem fieri per ignem patefacit illud 2. Petri 3. [Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati, in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.]

4. signum. Quartum terribile, erit tubæ Auangelicę clangor, & aduocatio, iuxta illud Matth. c. 24. [Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna.] Quamobrem Diuus Hieronymus sic ait: [Ecce de cælo canit, ecce de cælo cum millibus venit debellaturus orbem, Imperator immensus egreditur.]

5. signum. Quintum terribile, erit mortuorum resurrectio. Constat enim per fidem Catholicam, quod in fine omnes resurgent, ostenditur etiam per rationes efficaces, probatur etiā per exempla multa. Si enim contingeret aliquem coram multitudine alicuius ciuitatis resurgere de sepulchro, constat, quod tam terribilis esset huiusmodi resurrectio, quod omnes fugerent, præ timore, quanto magis terribilior erit generalis resurrectio, quando omnes, qui in monumentis sunt, cuiuscumque conditionis sint resurgere oportebit? In cuius timoris figura exterminati sunt custodes, in resurrectione Dominica, vt dicitur Matth. 27.

6. signum. Sextum terribile, erit iudicantis conditio. Non enim flectetur timore, quia omnipotens est, nec munere, quia iustissimus est, nec ratione, quia optimus est, nec errore, quia sapientissimus est, nihil valebunt ibi allegationes aduocatorum, sophismata philosophorum, eloquentia oratorū, nec astutiæ versutorum, secundum Bernardum.

7. signum. Septimum terribile, erit accusantium multitudo, nempe, mens conscia, seu vrens, constituentia propria peccata, cuncta dæmonia, omnis enim creatura tunc armabitur ad vltionem iniquorum.

8. signum. Octauum terribile erit sententię stabilitas, quæ reuocari nullatenus poterit propter iudicantis efficaciam, seu efficientiam, & propter facti euidentiam, & cuilibet alterius certa constituta nota erit.

9. signum. Nonum terribile, erit dies illius descriptio, de quo Soph. 1. Dies illa, dies iræ tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies culpæ, & clangoris, ô quam tremenda dies, propterea tremens Ecclesia cantat frequenter: [Libera me Domine de morte æterna in die illa.]

10. signum. Decimū terribile erit sententiæ expectatio. Et licet omnis sententiæ expectatio sit incussiua timoris illius, tamē illa sētentia est super omnia formidanda, quia potest corpus & animā perdere in gehennam prout dicitur Matth. 1.

11. signum. Vndecimum erit deficientia in adiutorio, quia ibi non erit resistentia virtutis, nec pœnitentiæ locus, nec defensionis tempus, nec fugiendi facultas, nec latendi possibilitas, nec apparendi securitas, nec satisfaciendi vtilitas. Superaddere plane poteramus alia pleraque signa terribilia antecedentia iuditium, quemadmodum est aduentus Antichristi, qui sane, vt dicitur 2. Thess. 2. erit secundum operationem satanæ: [Tunc reuelabitur homo peccati (dicitur illic) filius perditionis, caput omnium iniquorum, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, &c.] tūc etenim tolletur pax de terra: item elementorum terribilis commotio, quæ proculdubio erit terribile signum. Erunt enim tunc terræmotus magni in terra, inundationes insolitæ in mari, epidemiæ pestilentiæ, & infectiones maximæ in aere, & inflammationes insolitæ, in igne, tonitruis, coruscationibus grandinibusque concomitantibus, per aerem. Et illud etiam de stellis cadentibus de cælo, & de virtutibus cælorum mouentibus, quæ omnia plane præcedent aduentum Christi in nubibus, sed hæc adhibita hic signa sufficiant, tum ad excitandam considerationem nostram circa aduentum istum, tum ad magnificentiam venientis iudicis contemplandam, tum denique ad illam tribulationem vltimam, crebro in mentem reuocandam, de qua vltima tribulatione, sic ait D. Gregorius, hom. 35. in Euangelia: [Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur. & per crebra mala, quæ pręueniunt indicantur mala perpetua, quæ subsequuntur, quia multa mala debent præcurrere, vt malum valeant finem nunciare.] Hæc ille. *D. Greg. ho. 35. in euang.*

DISPVT. XVI.

In Cap. Primum Apocalypseos, de nubibus, in quibus Christus Dominus venturus est ad iudicandum humanum genus.

In quinque Quæstiones distributa super illa verba: *Cum nubibus*.

Prologus disputationis.



IN fine, & occasu mundi, venturum ire Dominum nimio applausu, gloria, & maiestate ex illis verbis Matth. 25. [Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.] perspicuum omnino euadit. *Maiestas Xpi in iudicio.* Quæ plane gloria, & maiestas erit exterior, & extrinseca, eoquod hæc non est futura maior, vel minor illo die in anima, vel in corpore Christi, quam nunc est in cælo. Quod planum fit ex eo, quia sicut beatitudo animæ Christi essentialis immutabilis omnino est, perinde etiam immutabiles sunt claritas, agilitas, immortalitas, & subtilitas, quæ sunt dotes gloriæ corporis Christi. Quamobrem qualis ascendit in die ascensionis suæ ad cælos, & qualis nunc ad dexteram Dei patris sedet gloriosus in anima, & corpore, talis omnino illo die descendet ad nos iudicandum, iuxta illud Act. 1. [Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.] Vnde gloria, & maiestas, de qua, loco citato, sermonem habet Euangelista Matthæus, extrinseca, & exterior quippe est, pertinēs ad apparatum, & ad externa signa maiestatis, & gloriæ, quæ in aduentu suo exhibebit. Ad quam plane applausus maiestatem patefaciendam, pertinent proculdubio nubes istæ, in quibus venturum Dominum ad iudicandum noster diuinus Vates hoc in loco affirmat. *Nubes in iudicio ad maiestatem Xpi iudicantis spectabunt.* Idcirco opere pretium plane duximus, quid sint, quomodo fient, & ad quid inseruient huiusmodi nubes hic disquirere, supponendo tamen cum Aristotele, quod vera nubes, est ens metheorologicum, & imperfectum, qui ex exhalationibus, vel vaporibus terræ, aerisue fit, prout ipse testatur lib. 2. Metheor.



Quæ-

Quæstio. I.

An Christus venturus sit in nubibus?



PARS negans fulciri potest. Tum quia Christus non indiget nube, cum ipse per se venire possit, quin vtetur adminiculis, vel vehiculis. Tum quia dato, quod vellet vti illis, non sufficerent nubes ad hoc, quoniam nubes est corpus valde rarum, quod non potest aliquod pondus sustinere.

1. assertio. Christus ad iudicandū est venturus in nubibus. 1. Ratio.

Pro decisione tamen, sit verissima assertio. De fide est, Christum venturum esse in nubibus ad nos iudicandum. Probatur. Tum quia in omnibus quatuor Euangelistis id expresse habetur, & multoties ab ipsis hoc repetitur. Quoniam Matth. 24. sic habetur: [Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate,] & cap. 26. [Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli,] & Lucæ 21. [Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate,] & Marci cap. 13. [Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa, & gloria.] Et tandem noster Euangelista Ioannes hoc in loco dicens: [Ecce venit cum nubibus.] 2. Ratio. Tum quia chorus Prophetarum hoc ipsum, crebro per totum vetus Testamentum vtiq; decantat, vt videre est, (vt alios omittam vates) in Daniele 7. dicente: [Ecce in nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.] 3. Ratio. Tum postremo, quia Angeli hoc ipsum attestari fuere post eiusdem Christi ascensionem; quoniam Act. 1. sic habetur: [Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum,] & mox subiungitur: [Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri, (id est duo Angeli) astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui, & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.]

Sol. ad 1. Aduentus Xpi cur in nubibus.

Solutio tamen primi argumenti facilis est, quoniam Dominus veniet in nubibus, non quod sine nubibus venire nullatenus posset, sed illis tunc vtetur, tum ad ostendendam maiestatem suam, tum ad ostendendum dominium suum, quod plane tunc apparebit inter alia, ex eo quod nubes etiam tunc illi obedient, tamquam vniuersali Domino, tum quia, vt videatur venire quasi iudex, quoniam iudices sedent dum iudicant, tum quia nubes est signum gratiæ, & protectionis diuinæ, iuxta illud Psalm. 104. [Expandit nubem in protectionem eorum,] (Ps. l. 104.) tum denique, quia nubes est typus incomprehensibilitatis naturæ diuinæ, quam non nisi per caliginem, & obscuritatem nubis, in hac vita mortali cognoscere possumus, iuxta illud Exod. 19. [Veniam ad te in caligine nubis.]

Sol. ad 2.

Ad secundum respondetur, Christum venturum in corpore glorioso, & sic posse tunc in medio illarum nubium apparere, quoniam corpora gloriosa non indigent sublevante, aut substentante, quoniam non sunt grauia, nec minus mouentur pondere suo ad centrum, sicut corpora nostra.

Corollarium. Soto inf.

Ad vberiorem huius dubij decisionem, adnotare iuuabit Sotum in 4. de necessitate harum nubium ita scribentem: [Necessitas ergo huiuscemodi nubium F non est sustinere, aut euehere, seu Christi, seu aliorum sanctorum corpora, quippe quæ per dotem agilitatis propria virtute per aerem mouentur: immo virtus Xpi nubes ipsas sustinuit, & sustinet, & sustinebit. Sed in transfiguratione vnum nubis officiū fuit, temperare eminentem corporis Christi splendorem, vt posset mortalibus oculis intueri. At vero in ascensione non dicitur simpliciter, quod nubes suscepit eum, sed quod suscepit eum ab oculis eorum. Videbant enim eum, cum eleuaretur de terra, sed post a longa distantia non videbant nisi lumen splendoris eius, sicuti ex nimio splendore quem sol reliquit, apparet in nocte via lactea in cælo. At vero in die Iudicij oculi gloriosi beatorum non egebunt temperamento nubis ad cernendum Christi corpus, quandoquidem in cælo sine nube illud conspicient; sed reprobi illa indigebunt.] Hactenus Soto.

G

Quæstio II.

An huiusmodi nubes iudicij extremi, præcedere debeat purgationis, & conflagrationis ignis?

1. concl. Mundus purgandus per ignem.



SIT prima conclusio. Mundus purgandus est in extremo tempore per ignem conflagrationis. Hæc est de fide, & probatur ex varijs H locis sacræ Scripturæ. Quoniam 2. Pet. 3. sic habetur: [Cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum,] & paulo post: [Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur,] & rursus: [Cæli ardentes soluentur, at elementa, ignis ardore tabescent.] Ad hoc alludit Isaias in cap. 66. dicendo: [Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus iudicabit,] & Ioel 2. [Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma,] & Daniel 7. [Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus, I rapidusque egrediebatur à facie eius.] & demum Apostolus 1. Cor. 3. [Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.] Sunt, & aliæ pene infinitæ auctoritates in diuino eloquio, quæ ignem conflagrationis apprime patefaciunt.

2. concl. Ignis conflagrationis erit eiusdem speciei cum nostro. S. Thom. Durandus. Ioseph. Ang.

Secunda conclusio. Ignis iste conflagrationis, & purgationis erit eiusdem speciei cum nostro igne, quamobrem erit verus ignis compositus ex materia, & forma. Hæc est D.Thom. in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. & in add. ad 3. p. quæst. 47. art. 3. & Durandi in 4. sent. dist. 47. quæst. 3. ac etiam Iosephi Angles to. 2. Florum Tholog. q. de Iudicio vniuersali, diff. 5. concl. 3. Et antequam probetur, animaduertas passim oportet, ex hac conclusione corruisse quorumdam opinionem existimantium illum ignem non esse verum ignem, sed quãdam ignitionem elementi purgandi, sicut ferrum igni- K tum non recipiens substantialem formam in se, sed vehementem calorem, quæ illum ignitum facit: quorum opinio futilis omnino est, & breuiter impugnatur. 1. Ratio. Tum quia futura purgatio mundi erit per ignem sicut prima fuit per aquam, & hæc corrumpentur ad inuicem, vt dicitur 2. Pet. 3. At aqua illa diluuij fuit eiusdem speciei cum aqua elementari: Igitur & ignis ille, erit eiusdem speciei cum igne nostro. 2. Ratio. Tum quia vt ait D.Thom. in 4. dist. 47. quæst. 2. & Scotus ibidem quæst. 2.

quæst. 2. diuersitas causæ efficientis non mutat specificam rei naturam, nam homo ex propagatione genitus, eiusdem speciei est cum Adam, qui fuit creatus. Atqui sacra pagina aperte testatur ignem esse, & non ignitionem alterius elementi, instrumentum quo tunc mundus purgabitur, igitur in quouis loco, vel à quouis efficiente causetur, generetur, aut creetur, oportet sit eiusdem speciei cum igne nostro; quoniam teste D.Thom. vbi supra, ignis generatus a sole, vel ab inferiore calefaciente, eiusdem est speciei cum igne, qui est in sua sphæra. Quare prælibata purgatio nullatenus erit per ignitionem elementi, nec minus per ignē metaphoricum, quinimmo per verum, & realem ignem eiusdem speciei cum nostro.

3. conclus. Tertia conclusio. Erit proculdubio ignis iste purgationis supernaturaliter genitus, vel creatus. Hæc est Durandi in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. vbi sic scribit: [Qualis autem debet esse ille ignis, aduertendum est, (Durand.) quod si est verus ignis compositus ex materia, & forma, tunc de nouo creabitur, vel exprætacente materia generabitur.] Eiusdem opinionis est Iosephus Angles, tom. 2. Florum Theolog. diffic. 5. concl. 4. quod (Ioseph. Ang.) etiam, & nos corroboramus. Eo quod in diluuio illo generali, pluuia & generationes aquarum fuerunt præter naturalem ordinem, vt communiter tenent Doctores super illud Gen. 7. [Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram.] At ignis purgationis erit similis aquis diluuij, vt patet 2. Pet. 3. Et tantum ascendet ignis iudicij, quantum aquæ diluuij supernaturaliter ascenderunt. Igitur oportet quod ignis iste sit, vel supernaturaliter genitus, vel creatus, vel tandem mirabilem, & supernaturalem virtutem habeat, cum non solum ascendet, quod est igni propriū, verumetiam & descendet, & circumquaque feretur, purgando omnia elementa ab infectionibus quas ex peccatis hominum contraxere, & ab impuritate quæ per actionem, & passionem mutuam in eis accidit, vtpote qua purgatione, sola substantia cum sua forma, & proprietatibus quarto modo, elementorum remaneat, vt tenet S.Thom. in 4. sent. dist. 47. & in add. ad (S.Thom.) 3. p. q. 74. art. 5.

4. concl. Ignis iudicij ad qd futurus sit. Quarta conclusio. Ignis iste inseruiet in illo extremo tempore ad multa. Patet, quoniam primo inseruiet, vt breui interuallo interficiet homines, qui viui tunc reperientur. Secundo, vt purget iustorum maculas, si aliquæ in eis tunc inueniantur. Tertio, vt purificet mundum, Et ad alia multa deseruiet, quæ late affert Franciscus Suarez in suis comment. in 3. p. D.Thom. q. 59. art. 6. disp. 57. sect. 1.

5. concl. Ignis conflagrationis vēturus ante nubes iudicij. Quinta, & postrema conclusio. Credibile est conflagrationis ignem præcedere nubes extremi iudicij. Hæc est Dominici de Soto in 4. sent. dist. 48. q. 1. art. 2. (Soto.) & probatur. Tum quia vbicumque in sacro eloquio (1. Ratio.) fit mentio de igne conflagrationis, & de nubibus, primo recensetur ignis, quam nubes, igitur signum euidens est, primo venturum esse ignem, quam nubes. Tum (2. Ratio.) quia plerique doctores tenent nubes iudicij fieri ex conflagratione istius ignis (vt infra in quæst. vlt. istius met disputationis mox apparebit,) igitur saltem ex sententia horum doctorum credibilitate non caret conclusio. Tum quia Psalm. 96. dicitur: [Ignis ante ipsum præcedet:] At Christus veniet in nube, vt (3. Ratio.) ex superioribus constat: igitur sicuti ignis præcedet Christi aduentum, sic prædedere etiam debet nubes, in quibus veniet tunc Christus. Tum postremo quia (4. Ratio.) resurrectio præcedet aduentum Christi in nubibus, alioquin non videret omnis oculus Christum iudicantem, vt mox dicemus cum nostro Archipropheta. At mundi conflagratio præcedet resurrectionem carnis, quoniam sancti qui resurgent, vt tenet S. Thom. in 4. sent. dist. 47. & in add. ad 3. p. quæst. 74. art. 7. corpora spiritualia, & impassibilia habebunt, ita vt non

A possint purgari per ignem: ergo ille ignis conflagrationis præcedet nubes iudicij.

Aduertas tamen hìc oportet, quod Durandus in 4. sent. dist. 47. quæst. 3. inquirit, quid tandem fiet de illo igne, & mox sibi ipsi satisfaciens ait: [Dicitur quod terminato iudicio inuoluet reprobos, & descendet cū eis in infernum.] Et quamuis hoc illi videatur valde dubium, tamen ex illis verbis Apostoli 2. ad Thess. 1. nempe: [In reuelatione Domini, &c. in flamma ignis dantis vindictam is qui nouerunt Deum, &c.] aperte colligitur, quod iste ignis purgabit electos, quibus aliquid purgandum restabat, & torquebit reprobos, quos cum omnibus mundi sordibus in infernum detrudet. Quæ plane videtur expressa sententia D.Thom. dum in 4. sent. dist. 4. & in add. ad 3. p. quæst. 74. art. 9. quærens an ignis ille inuoluet reprobos, sic scribit: [Ita etiam de illo igne conflagrationis sicut dicit Basilius super illud Psalm. 28. Vox Domini intercidentis flammam ignis, quia quo ad calidum vstiuum, & quantum ad id, quod in igne grossum reperietur, descendet ad infetos ad pœnam damnatorum, quod vero est ibi subtile, & lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum.] Sic ille. Ex quibus omnibus, planū fit huius conflagrationis ignis ante, & post iudicium, munus & officium.

(Appendix. Quid fiet de igne conflagrationis post iudicium.) (S. Thom.) B

Quæstio. III.

C An Christus venturus sit in vna, an vero in pluribus nubibus?



RATIO dubitandi suboritur ex verbis Lucæ, dissimilibus à verbis Matthæi, Marci, & Ioannis. Quoniam Lucas, cap. 21. Dominum affirmat venturum in nube, reliqui vero Euangelistæ, in nubibus. Quamobrem hos sacros conciliādo Euangelistas dico, quod vna dumtaxat erit nubes, quę corpori Christi tunc immediate appropinquabit, & aptabitur ei, & illud circumcinget, & sic in illa venire proprie dicetur: Nihilominus tamen, hanc nubem concomitabunt aliæ pleræque nubes, inter, & desuper quas, erit corpus Christi gloriosum. Et sic verum est dicere, quod Christus veniet in nubibus, hoc est, inter nubes, vel desuper nubes. Vna igitur erit nubes, quæ immediate tanget tunc corpus Christi, & adaptabitur ei, & multæ nubes, tunc erunt circumcirca Christum, & sub pedibus eius, licet vna sit, quæ immediate eum tangat. Et quamuis vna fuerit dumtaxat nubes in qua ascendit, vt habetur Act. 1. tamen multæ nubes erunt cum descendet, ad ostendendum maiorem honorem in descēdendo, quam in ascendendo, quoniam proculdubio maior oportet sit, eoquod tunc ascendit coram paucis, tunc vero descendet coram toto mundo, nam numquam erit totus mundus vna congregatus, nisi tunc.

(Nubes vna dumtaxat erit illa in qua Xps venturus est ad iudicādum.) D (Nota bene.)

Nec plane obstat illud Act. 1. nempe: [Quemadmodum vidistis eum, &c.] nam ly [Quemadmodum] determinat dumtaxat actum ascendendi & descendendi, non autem habitum, aut cæteras dispositiones ascendentis, & descendentis, quamobrem sicuti tunc ascendit visibiliter, & successione morosa, ita descensurus est: non tamen sequitur ex vi, ly, [Quemadmodum,] quod si tunc vnicam nubem habuit, quod etiam habeat vnam cum descendat. Potestque proculdubio talis assignari ratio, quare in descensu debeat vti pluribus nubibus, & in ascensione vnica dumtaxat, nimirum,

(Soluitur difficultas de vnica nube iudicij.) E

rum, quia, quando Christus ascendit, discessit de loco in quo nulla nubes erat, nimirum, de terra, & oportuit, quod descenderet de loco nubium aliqua nubes, in qua iret, & quia sufficiebat vna, fuit vnica; cum vero descendet, veniet de loco nubium nempe transiet per regionem aeream, veniendo de cælo ad valle Iosaphat, & sic necesse erit, quod veniente eo sint nubes sub pedibus eius, ideo dicitur, quod in nubibus descendet.

Quæstio IV.

An nubes in quibus Christus venturus est ad nos iudicandum sint futuræ miraculosæ?

1. assertio.



PRIMA assertio. Nubes in quibus Christus venturus est ad nos iudicandum, erunt nubes vere, & realiter factę ex exhalationibus, vel vaporibus. Hæc est Dominici de Soto in 4. sent. dist. 4. quæst. 2. ar. 2. & Francisci Suarez tom. 2. in 3. p. D. Thom. quæst. 57. art. 6. disp. 57. sect. 3. Estq; contra quosdam Doctores asseuerantes illas nubes nullatenus esse veras nubes, sed quasdam aggregationes, vel densitates lucis resplẽdentis à corpore sancti cuiuslibet, vnde dicunt nubes illas futuri iudicij finalis non esse aliquid in aere, vel de aere, aut de elemẽtis, sed de proprietate corporum beatorum, nimirum, de claritate pertinente ad dotem corporis ipsorum, quæ omnia falsa esse, clare haberi potest per hanc assertionem nostram primam, quæ plane probatur. Tum quia sacra pagina asserit esse nubes, vt dudum retulimus. Tum quia Apostolus 1. Thess. 4. ita ait: [Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.] Quibus verbis docet Apostolus, Sanctos & Iustos etiam esse tunc in nubibus. Quamobrem oportet, vt nubes illæ sint aliquid distinctum à claritate sanctorum.

Lapsus quorũdã doctorum Theologorũ.

1. Ratio. 2. Ratio.

2. assertio. Differẽt ia inter nubẽ Xpi in iudicio, & in ascensione

Secunda assertio. Nubes illa in qua Dominus venturus est ad iudicandum non potest esse eadem numero nubes, cum illa in qua ascendit in die ascensionis. Hæc assertio tantum exagitatur de nube illa, quæ in illa die iudicij erit coniuncta immediate corpori Xpi. Et probatur. Quoniam nubes, est ens imperfectum, cum non pertineat ad determinatam speciem in quantum huiusmodi, nam sic est ens metheorologicum, & inter omnia entia metheorologica, non est aliquod ens pertinens ad speciem perfectam, id est, quod secundum illud esse, quod habet, sit in specie determinata, nisi pluuia, quæ est aqua, quamobrem talia entia sunt paruæ durationis, & statim transeunt ad aliam speciem, sicut nubes soluuntur in aliquid subtilius, vel condensantur in pluuias. Cum igitur nubes illa ascensionis, fuerit iam tot annis, non est verisimile, quod maneat eadem numero nunc, sed iam soluta fuit in aliquid aliud, ne miraculose conseruaretur à Deo tot annorum millibus absq; aliqua vrgente necessitate. Miracula siquidem, non fiunt absque necessitate, & in conseruatione huius nubis, nulla omnino apparet.

3. assertio.

Tertia assertio. Huiusmodi nubes in quibus Christus veniet ad iudicandum, quamuis consurgent ex exhalationibus, & vaporibus, tamen non fient naturaliter neque à causa naturali. Hæc est Dominici de Soto, & Francisci Suarez, loco prædallegato, & probatur. Tum quia tunc cessabit motus cæli: Atqui cessante motu cæli, nihil potest naturaliter gigni, quoniam motus solis in circulo obliquo est causa generationis, & corruptionis omnium, quæ sunt in terra, vt tenet Phil. 1. lib. de Generatione, & Corruptione. Tum quia nubes, quæ naturaliter fiunt, & a causa naturali, habent motum naturalem: Atqui motus harum nubium nullatenus erit naturalis; quod sic probo. Motus naturalis nubis est sursum; quoniam ex vaporibus, aut exhalationibus surgentibus de terra, & aqua, densantur, & efficiuntur nubes naturaliter, & surgunt vsq; ad illam partem aeris in qua manent, inde autem non mouentur naturaliter deorsum neque etiam sursum, sed magis consueuerunt moueri in latera à vento percussa, ad deorsum autem, neque venti impellunt, cum venti non causentur ex superioribus sed ex inferioribus: Atqui nubes illæ in quibus est Dominus venturus ad iudicandum, mouebuntur versus deorsum, sicut Christus, qui descendet, & quia ipse veniet sedens in illis, necesse est, vt & ipsæ etiam descendant, & sic motus harum nubium non erit naturalis. Tum denique quia non apparent causæ naturales, quæ illas possint efficere in tali quantitate, & dispositione, ac figura, qualis necessaria est ad repræsentandam Christi gloriam, & maiestatem exteriorẽ, & applausum, ac admirabilem aspectum.

Suarez. Soto. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Sed insurges, licet cessante motu cæli nihil gignatur, tamen non est necesse, quod eo cessante statim omnia genita corrumpantur, maxime inanimata. Ergo poterunt esse huiusmodi nubes aliquæ ex illis naturalibus, quæ præcesserant cessationem motus cæli. Accedit quod Franciscus Suarez loco prædallegato, asserere videtur contra Sotum, quod tunc fortasse non cessabunt cæli motus.

Obiectio.

Dicimus tamen, quod nulla tunc poterit manere nubes de prius genitis (licet cessent, vel non cessent motus cæli) quoniam in ipsa die iudicij, ante mortem singulorum hominum, mittet Dominus ignem conflagrationis, qui omnia elementa purgabit, & tollet impuritates, & cum nubes sint entia imperfecta, vt dictũ est, non pertinentia ad determinatam speciem, omnia talia consummentur per illum ignem conflagrationis, & sic post illum purgationis ignem, nulla nubes manebit ex naturalibus.

Solutio.

Quarta assertio. Huiusmodi nubes in quibus Dominus venturus est ad iudicandum, fient supranaturaliter, & miraculose, quas quidem tunc Deus miraculose producet pro se, & sanctis. Hæc est Abulensis tom. 7. in Matth. quæst. 332. Soti in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. art. 1. Francisci Suarez tom. 2. in 3. p. D. Thom. quæst. 59. art. 6. dist. 57. sect. 3. Ruperti Abbatis, Iacobi Suarez a S. Maria, & Blasij Viegas in hisce suis comm. Et probatur. Tum quia finis earum nubium pertinet ad ordinem supranaturalem. Tum quia huiusmodi nubes fient cessante motu cæli, at cessante tali motu non apparet qui fieri possint naturaliter, vt patet ex superiori assertione, & per consequens oportet, vt supranaturaliter, & miraculose fiant. Tum quia omnia, quæ fiet post ignem conflagrationis, fient ad ostẽsionem magnitudinis Christi: At si non essent huiusmodi nubes supernaturales, nullam magnitudinem, & maiestatem in eo ostenderent: Ergo cum fient mox post ignem conflagrationis oportet sint supernaturales, & miraculosæ factæ. Tum quia cum cœtus, & conuentus ille supernaturaliter celebrandus sit, cunctaque illic supra naturam per agenda, nubes illas verisimillimum est virtute supernaturali condensandas, vt diuina filij Dei virtus euidentius appareat, & maiori sit, spectantibus admiratione. Tum quia huiusmodi nubes descendent vsque ad vallem Iosaphat, vbi erit iudicium; at descendent supranaturaliter, quoniam nubes naturaliter non descendunt sed ascendunt. Igitur erunt supranaturales. Tum quia huiusmodi nubes non præexistent ante ignem conflagrationis quoniam per istum ignem nubes, & omnia mixta dissoluentur. Ergo oportet quod post ignem conflagrationis fient. Atqui,

4. assertio. Nubes iudicij miraculosę. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio. 6. Ratio.

Atqui, quidquid fiet post talem ignem, fiet miraculose, & supernaturaliter. Igitur, &c.

5. assertio. Quinta assertio. Ministerio Angelorum fient huiusmodi nubes. Hanc assertionem tangunt dumtaxat, Francifcus Suarez, tom.2. in 3. p. D.Thom. quæst.59. art.6. disp. 57. sect. 3. & Iacobus Suarez à S. Maria serm.5. in Apoc. & eam non probant, nos tamen illam confirmamus. Tum quia omnes Angeli sunt administratorij spiritus, & sicut dum mittuntur solent ipsi corpora aerea efformare, sic tunc iussu Dei huiuscemodi nubes efformabunt. Tum quia nubes in qua Dominus apparuit Moysi Exod.16. & Exod.13. & nubes illa lucida transfigurationis, de qua dicitur apud Matthæum: [Nubes lucida obumbrauit eos.] Plerique Sancti Patres asseuerant ministerio Angelorum factas fuisse. Tum quia huiusmodi nubes iudicij finalis mouebuntur à principio extrinseco, mouente voluntarie, cum ab extrinseco mouente naturaliter non possint tunc moueri, vtpote si diceremus eas à vento moueri nam si contingeret, ventum mouere has nubes versus terram non cessaret motus vsquequo nubes allidarentur ad terram, & tamen huiusmodi nubes in aere manebunt, vbi Christus manebit. Ergo neque à vento mouebuntur, sed mouens erit extrinsecum, & voluntarium, nempe Angeli, qui obsequentes Christo, mouebunt huiusmodi nubes in ea velocitate, aut tarditate, qua Christus tunc vellet; & cum Angeli cessauerint eas mouere stabunt illæ, neque oportebit eas tunc tenere, nam non se inclinabunt ad eumdem deorsum, portabūtur itaq; huiusmodi nubes ministerio Angelorum ad iussum Dei. Ergo verisimile est, quod etiam fient ministerio Angelorum.

Fräc Suarez. Iacob. Suarez. 1. Ratio. 2. Ratio.

6. assertio. Sexta assertio. Huiusmodi nubes fient ex exhalationibus, & vaporibus ignis conflagrationis. Hæc assertio est Alphonsi Tostati, dum tom.7. in Matthæum, quæst. 332. loquens de huiuscemodi nubibus sic scribit: [Aliter potest dici, quod seruauit illas Deus, quasi miraculose de illo igne conflagrationis, vt non exurerentur in eo, sed prodessent ad illum actum iudicij.] Et etiam Rupertus Abbas, dum in hunc locum cap. 1. Apoc. sic scribit: [Huiusmodi nubes non erunt quales nunc sępe videmus pluuijs rorantes, terramque refrigerantes, sed procellosæ, ignem spirantes, & fulmina iacientes, iuxta illud Psal. 49. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.] Et probatur conclusio ex eo quod huiusmodi nubes oportet sint vere, & realiter factę ex vaporibus, & exhalationibus, prout supra multoties dictum est: At post ignem conflagrationis non erunt amplius vapores terrę neq; aeris, vt patet, sed tantum vapores, & exhalationes ignitæ huiusmodi ignis conflagrationis: Ergo verisimile est, quod tunc Angeli ex his vaporibus, & exhalationibus ignitis fient ad iussum Dei huiusmodi nubes portatiles.

Abulen. Rupert. Abb.

Appendix. 1. Lapsus Origenis. Ex hac noster assertione ruit primo opinio Origenis, qui super Matthæum asseuerat huiusmodi nubes fieri tunc ex substantia cæli. Quod nullatenus est verum, eo quod substantia cæli non scinditur, neq; diuiditur, neque permiscetur, vt possint nubes aliquæ fieri, nam sic cælum esset corruptibile. Nec eius argumentum valet. Nam licet Matth. cap. 24. dicatur; [Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli,] ibi, ly [cæli] accipitur pro aere, vt sæpe solet sacra Scriptura accipere cælum, vt patet Lucæ cap. 8. [Aues cæli comederunt illud,] id est, aues, quæ sunt in aere, & Psalm. 8. [Volucres cæli, & pisces maris,] id est, volucres, quæ sunt in aere. Et dicitur aer cælū, quia iuxta cælum est: sic huiusmodi nubes, quia fient prope cælum, dicuntur nubes cæli, & non quod sint de substantia cælesti.

Argum. Origenis. Soluitur arg. Origenis.

Appendix. 2. Error Iacobi Suarez à S. Maria. Ruit etiam opinio Iacobi Suarez à S. Maria, dum serm.5. in Apoc. sic scribit: [Ad ostendendam Christi claritatem diuina virtute congregabuntur ex aere crassiori, vel ex vaporibus, aut alijs exhalationibus terræ nubes ita dispositæ, vt ex fulgore, & claritate corporis Christi admirabilis quidam aspectus in eis fiat,] dico ruisse hanc opinionem. Quoniam tunc per ignem conflagrationis non erunt amplius vapores, aut exhalationes terræ, neque aeris, prout est iam dictum.

Denique, fere etiam ruit opinio Blasij Viegas, dum sequens Sotum in 4. sent. dist.47. quæst.2. art.1. in hisce suis comment. exegeticis in Apocalypsim sect. 16. sic scribit: [In ipso resurrectionis articulo motus cæli cessabit, nec amplius erunt vapores, qui possint in nubē concrescere.] Sic ille. Verba quidem sunt Soti. Verumtamen dum dicitur: [Nec amplius erunt vapores,] non tenetur, nisi addatur: [Terrę, vel, aeris,] quoniam quamuis cessante motu cæli, amplius non sint vapores terræ, aut aeris, erunt tamen tunc vapores, & exhalationes illius magni ignis conflagrationis, ex quibus fient, vt dixi, huiusmodi nubes ministerio Angelorum. Appendix. 3. Sotu., & Blasius Viegas sent. non tenēdi

Septima assertio. Hæc nubes, post completum iudicium non amplius manebunt, sed resoluentur in aliquid aliud. Hæc est Abulensis in c.25. Matth. q.332. Et probatur, ex eo quod iam tunc non sunt mansuræ nubes, neq; aliquæ impuritates, nec minus apparet finis ob quem manere possint. 7. assertio. Abulensis.

Quæstio V.

An huiusmodi nubes iudicij finalis futuræ sint horridæ, & tremendæ?



ALPHONSVS Tostatus to. 1. in Exod. cap.14. quæst.4. super illa verba: [Et erat nubes tenebrosa, & illuminans,] sic scribit: [Scilicet contra partem exercitus Ægyptiorum, & illuminans noctem ad partem filiorum Israel, ita illa columna erat laterata, scilicet, quod vnū latus suum erat lucidum, contra Hebræos, & alterum obscurum, ex parte Ægyptiorum.] Sic ille. Ex his verbis Tostati, & ex dictis aliorum doctorum super illum locum Exod. 10. [Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus, nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat, vbicumque autem habitabant filij Israel lux erat.] Verisimile mihi videtur nubes, in quibus Christus vēturus est ad nos iudicandum, horridas, tremendas, ac terrificas reprobis, ac impijs hominibus, & delectabiles, ac iucundas probis, bonis, ac electis Dei, fore. Hæc videtur fuisse sententia Ruperti, super hunc locum, quem sequuti sunt in hac re Iacobus Suarez à S. Maria serm. 5. in Apoc. & Blasius Viegas in suis exegeticis comment. super c.1. Apoc. sect.16. Tostatus in Exodum. Iac. Suarez.

Ex hucusque dictis liquet, nubes in quibus Dominus ad iudicādum est venturus, non ex solo splendore Xpi manare, sed ministerio Angelorū ex exhalationibus, & vaporibus ignis conflagrationis efformandas fore, vt sint quodam modo sedilia, iudicantium honoris gratia & quasi thronus, & quadrigæ, & veluti vehicula eorum, qui assurgent Christo obuiam in aera, quinimmo & ipsiusmet Christi, non vt illis indigeat, vt nuper retulimus, sed solum, vt in eis, melius fulgeat, & splendeat eius claritas. Quamobrem in illis nubibus supremus ille iudex Christus, tamquam in triumphali curru inuectus de cęlo descendet Appendix.

PARA-

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3. Dilucidatio textus. §. 1.

Et videbit (ait) eum omnis oculus. Synecdoche plane est, ponitur namque hìc pars pro toto, & genus pro specie, vt dicunt plerique exponentes, inter quos est D. Dionysius Carthusianus, & Auctor Incognitus in hisce suis commentarijs. Quemadmodum enim in cap. 40. Isa. legitur: [Videbit omnis caro, quod os Domini loquutum est,] & Lucæ 3. [Videbit omnis caro salutare Dei,] in quibus sane locis ponitur per synecdochem, pars pro toto, & genus pro specie, intelligendo nimirum, per omnem carnem, omnem hominem, qui non tantum ex carne, verumetiam ex spiritu plane constat, iuxta illud Gen. cap. 2. [Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & spirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.] Sic etiam hìc per omnem oculum, omnem hominem intelligit noster Vates, quoniam Matt. 25. dicitur: [Congregabuntur ante eum omnes gentes.]

§. 2. Omnis homo intuebitur Xpm iudicãtem.

Veritas hæc ideò sane liquet, quod teste Laudunense in sua glossa interlineari, & S. Thom. in hisce suis commentarijs, omnis homo, tam bonus, quam malus, Christum iudicãtem tunc intuebitur. Apparebit namq; tunc Christus manifeste cum corpore visibili. Quoniã vt dispungunt Theologi in 4. sent. & nos etiam mox discutiemus, in forma serui, nempe in forma visibili humanitatis iudicabit, quemadmodum in humana natura apparens, & nobis legem Euangelij dedit, & pro nobis mortuus est, quamobrem ratione corporis, vel formæ serui, videlicet humanitatis quilibet humanus oculus, tam bonorum, quam malorum hominum, corporaliter poterit illum tunc iudicantem, absque aliquo obstaculo, obice, impedimentoue intueri. Christum autem ab omnibus mortalibus fore videndum prædixit ipsemet sæpe in Euangelio suo, & præcipue Marci 13. dum dicitur: [Et tunc videbunt filium hominis venientem, &c.] vbi in corpore, siue in forma serui, visibili, venturum indicat ly, [Filium hominis,] & oculis corporeis, tam ab electis, quam à reprobis intuendum fore patefacit ly, [videbunt.] Idem prorsus expresse habemus ex illis verbis Matth. 26. [Videbitis filium hominis sedentem, &c.] Et ex illis etiam verbis Zacha. 12. [Aspicient ad me, quem confixerunt.] Quemadmodum enim, locus iste Apocalypseos: [Videbit eum omnis oculus,] de secundo aduentu Christi manifesto, claro, & aperto ad iudicium, (ita vt ab omnibus, tam bonis, quam etiam malis sensibiliter conspici possit) nos intelligi hìc asseueramus, ita Theodoretus, Rupertus, D. Hieronymus, & clarius D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 30. & lib. 1. de Trinit. cap. 13. præallegata verba Matth. & Zachariæ, de eodemmet etiam secundo aduentu sensibili, & manifesto, tam bonis, quam malis vtique interpretantur. Magna quidem visio, & ita plane magna, vt cum Moyse Exod. 3. quilibet mortalium dicere queat: [Vadam, & videbo visionem hanc magnam,] quandoquidem velis nolis, bonus malusuè fueris, illuc remeare, & appropinquare teneris.

Theodoret. Rupert. D. Hier. D. Aug.

§. 3. Visio bonorũ & malorũ in iudicio erit dissimilis. Strabus in sua gloss. ord.

Valde tamen dispar, ac inæqualis erit hæc visio, quandoquidem tunc apparebit Christus dulcis, ac blandus electis, seuerus vero, ac terribilis reprobis, iuxta illud gloss. ord. Boni vt lætentur, mali vt confundantur videbunt, huius autem disparis visionis gemina est causa. Prima plane, ex intuentium conscientijs, ortum obtinet. Quoniam Isidorus lib. 1. de summo bono ita scribit: [Pro diuersitate conscientiæ, & mitis apparebit in iudicio Christus electis, & terribilis reprobis: Nam qualem quisq; conscientiam tulerit, talẽ & iudicem habebit.] Ad quæ plane verba alludit D. Greg. de pauore, horrore, ac reproborum dolore in iudicio, sic dicens: [Horum pauorẽ quis explicet, cum contigerit miseris, culpas suas, & intra se cernere, & ante se iustum iudicem videre.] Vnicuiq; itaq; in iudicio intra conscientiam suam annunciabitur illa vox Isaiæ: [Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum,] & illa etiam altera vox prophetæ Naũ: [Reuelabo pudenda coram facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuã, & regnis ignominiam tuam.] Altera porro causa erit ex ipso iudicis apparatu, quoniam Mag. in 4. sen. dist. 48. ita scribit: [In forma vtiq; serui iudicabit, quæ omnibus in iudicio apparebit.] Quæquidem veritas confirmari potest ex illo Ioa. 25. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est,] quæ sane verba non ideo dicuntur, quia ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quia ipse solus sine Patre, & Spiritu sancto sit iudicium facturus, sed quia ipse solus in forma serui iudicans, à bonis, & malis videbitur. Quamobrem Theophilus super illud Lucæ 21. [Tunc videbunt filium hominis,] ita inquit, [Tam fideles, quam infideles videbunt eum.] Apparebit itaq; Christus in iudicio sub forma serui, quæ plane erit gloriosa, iuxta illud Mag. in 4. dist. 48. [Forma filij humana cunctis in iudicio apparebit, non infirma, sed gloriosa.] Ex hoc igitur iudicis apparatu in electis lætitia, in reprobis vero tristitia orietur; quoniam tunc quamuis supernaturaliter fiet, (vt dispungunt Doctores in 4. sent.) vt virtute diuina, vt damnati formam gloriosam corporis Christi videant, tamen eius diuinitatem nullatenus videbunt, vt tenet ibi Magister innixus Isaiæ in cap. 26. dicenti: [Tollatur impius ne videat gloriam Dei.] Hinc D. Ambrosius in hisce suis commentarijs super hunc locum, sic ait: [Eũ impij ad sinistram in iudicio constituti, in ea forma qua in mundo constitutus ab hominibus videri potuit, sed non in ea qua Deus est, videbunt.] Et Primasius B. Aug. discipulus super hoc cap. ita inquit: [Videbitur ab incredulis carne in qua pati voluit, nõ diuinitate, quę impassibilis, inuisibilisq; permansit.]

F G H — Isa. 47. Naum 3. In forma serui iudicabit Christus. D. Ambros. Primasius.

Fortasse tamen dices, cur impij nullatenus videbunt diuinitatem? Dicendum quod concors est doctorum (tum in 4. sent. tum in hisce suis comment. in hunc locum) sententia, reprobos in iudicio diuinitatem minime fore visuros, ad eorum maiorem confusionem, & pœnam. Hinc plane est, quod S. Isidorus lib. 1. de summo bono, sic scribat: [In iudicio reprobi humanitatem Christi videbunt, vt doleant, diuinitatem vero eius nõ videbunt, ne gaudeant,] & D. Hieronymus, super illa verba: [Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet:] ita etiam dicit de reprobis in iudicio, [Visuri sunt illam formam serui, & hominis, quam dedignatus est suscipere de nostra humanitate, & quantum videbunt ad illorum pœnam videbunt.] & D. August. super Psalmos. [Impij ab illa claritate expellentur sicut morbidi oculi fulgore lucis præclarissimæ obtundentur, vt sit illis pœna, quæ est alijs gloria.] Rursus S. Thomas in hunc locum sic scribit: [Omnes tam boni, quam mali videbunt ipsum in humanitate glorificata, & vt ille aspectus sit bonis ad consolationem, malis ad confusionem, & afflictionem, quia tam dulci amatori, & tam largo remuneratori ingrati fuerunt, vt eius iussa fugerent.] Et tandem D. Dionysius Carthusianus art. 1. in hoc cap. rem prorsus dirimit, dicendo: [Dicunt aliqui, quod terror, & blandities nascetur, non ex videntium conscientijs tantum, sed etiam ex ipso iudicis apparatu, qui iustorum visum tamquam conuenientissimum obiectum immutabit, eosque serenissimo vultu aspiciet, reproborum vero visum, tamquam obiectum valde contrarium, & seipsum eis iratum, ac indignabundum in vultu terrifico exhibebit.] Ex hac igitur duplici de causa Christus in iudicio aliter videbitur à prædestinatis, & electis, aliter vero à reprobis, & impijs. Quoniam ex illo aspectu, & apparatu iudicis boni lætitiam capient, (nam vt tenet Magister in 4 sententiarum distinct. 48. diuinitas sine gaudio videri non potest. Quod Sanctus Thom.

§. 4. Reprobi diuinitatem mini me intuentur in iudicio, & cur? D. Isidorus. D. Hier. I D. Aug. S. Thom. in comment. D. Dion. Car. in comment. K

Impij tristabuntur in iudicio, & cur.

Thom. hic confirmat, dicens, quibus diuitias ostenditur ad gaudium vtique demonstratur,) mali vero tristitia efficientur. Quoniam ad ampliorem eorum confusionem, & desolationem, illud corpus gloriosum perspicient, & sic tristabuntur, gloriam quam oderunt videndo præsentem, à qua erunt protinus repellendi. Cognoscent enim tunc damnati diuinitatem Christi, non per claram visionem, sed per effectus, (vt communiter tenent Doctores in 4. sententiarum.) Quamobrem illa pulchritudo corporis Christi, respectu impiorum erit tunc quemadmodum excellens luminosum erga oculum imbecillem. Excellens namque luminosum, teste Philosopho, corrumpit spissum, & maxime morbidum. Hinc est, quod quamuis assuescat illuminare, & oblectare oculum sanum, tamen infirmum, mirumimmodum grauat, & obscurat: Ita pariter illuminatio, splendor, ac pulchritudo corporis Christi, quamuis tunc delectabilis futura sit electis, obscura tamen & terribilis erit reprobis, ob variam vtriusque dispositionem. Quamobrem dispar erit bonorum, & malorum visio: Cum boni eum tunc tamquam suorum bonorum operum mercedem: mali vero, tamquam pro scele ribus suis æternum supplicium illis dantem: boni eumdem ad maiorem accidentalis gloriæ, gradum: mali vero, ad maiorem infernalium pœnarum damnationem, vtiq; intueantur.

Comparatio. *Philos.*

§. 5. *Alia translatio.*

Reproborum tristitiam attingit Strabus adferens aliam huius loci translationem, qua sic legit: [Videbit eum omnis terra talem,] perinde ac diceret: Talem videbunt, qualem impij venturum non credebant. Præter spem, & omnino inopinate apparebit impijs in iudicio Christus, vt colligitur ex hac translatione, & reuera sic eueniet res. Quis, rogo, vmquam crederet Iosephum venditum à fratribus, & tot mala passum in Ægypto, vltimo saluatorem mundi appellandum fore? Quis, quæso, vmquam imaginaret puerum Dauid pascentem oues, ad regalem dignitatem populi Israelitici, tandem promouendum esse? Quis, denique, vmquam cogitare valuit pauperem Iobum spoliatum, diuitijs bonisque omnibus penitus orbatum, nouissime, omnia in duplum fore recepturum? Nemo plane. Aliud plane huic affine & inopinatum accidet impijs spectaculum, immo præsagium in illo vltimo iudicij finalis tempore, cum talem videbunt Christum iudicantem, qualem ipsi venturum nullatenus credebant. Hinc plane noster interpres ex Græco fonte optime transtulit: [Videbit eum omnis oculus,] vt magis terreret impios, cum eis in hac translatione clare intelligi detur, illos conspectum Christi iudicantis omnem carnem haudquaquam posse effugere, ex quo ampliorem proculdubio afflictionem, pauorem, ac mærorem certe capient impij, & scelerati.

Genes. 41. *1. Reg. 18.* *Iob. 42.*

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod Christus veniet manifeste ad iudicandum.



SALMOGRAPHVS hunc, manifestationis Christi coram omnibus oculis diem, mirumimmodum optans, inquit Deo: [Tu qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse.] Attingit hoc in loco diuinus Citharœdus Hebræorum castrametandi stylum. Modus autem castrametandi apud Israelitas, (vt legitur Num. 2.) erat, quod erecto tabernaculo in deserto per Moysem stabat in medio castrorum tali modo, vt quælibet tribus haberet determinatum locum circa tabernaculum pro custodia eius. Quamobrem ad partem Orientalem tabernaculi ponebantur tres tribus, nempe, Iudas, Issachar,

Castrametandi mod. apud Israelitas.

A & Zabulon, ad Meridiem vero, aliæ tres tribus, scilicet, Ruben, Simeon, & Gad, ad Aquilonem etiam aliæ tres tribus, nimirum, Dan, Aser, & Nephtalim, & tandè ad Occidentem aliæ tres tribus ponebantur, videlicet Ephraim, Beniamin, & Manasses. Et in ista Occidentali parte tabernaculi, erat Arca fœderis, Sanctum sanctorum, & Propitiatorium, in quo diuina dabantur oracula, & responsa, quibus Deus populo voluntatem suam manifestabat. Ex quibus apparet, quod istæ tres tribus, nimirum, Ephraim, Beniamin, & Manasses erant propinquiores cęteris, loco diuinarum responsionum. Quamobrem petit hic regius Psaltes, dum ait: [Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse,] quod Deus, qui istis tribus tribubus vicinius se manifestare solebat, modo per finale iudicium, se omnibus manifestet tribubus, ita vt omnes duodecim tribus, nimirum omnis caro, illum iudicantem, non iam desuper alas Cherubim, sed super nubes B in corpore glorioso, comitantibus illum Angelis, clare, & manifeste intueantur. Ad quod plane noster Archipropheta Ioannes alludit hic dicens: [Videbit eum omnis oculus,] nimirum, omnis homo. Hinc plane est, quod tam Psalmographus, quam noster Vates locis citatis de manifesto aduentu Christi proculdubio alloquantur. Duo quippe inueniuntur in sacra pagina filij Dei in mundum aduentus. Vnus siquidem ad nos redimendum, alterum vero ad nos iudicandum. Primus iā est præteritus, secūdus adhuc est venturus: Primus fuit occultus, secundus vero erit manifestus, clarus, & omnibus patens. De primo intelligendus venit Diuus Paulus, dum ad Ephes. cap. 3. ait: [Mihi omnium sanctorum minimo, data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi C à sæculis in Deo, &c.] & vates etiam Isaias dū in c. 6. de Deo inquit: [Vere tu es Deus absconditus,] in primo namq; aduentu fuit filius Dei absconditus, tum sub illa sancta humanitate assumpta per illam vnionem hypostaticam, tum in virginali vtero, per nouem mensium curriculum, tum in præsepio, tum in lacrymis, tū in pannis, tum fugiens in Ægyptum, vt merito dicatur de illo à propheta: [Vere tu es Deus absconditus.] Quamuis esset verus Deus, nihilominus à Iudæis Samaritanus, habens dæmonium, potator vini, seductor, & amicus publicanorum appellatus fuit. Hinc ipsemet Saluator mundi post transfigurationem discipulis suis dixit: [Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec filius hominis à mortuis resurgat:] perinde ac diceret: Ne aliquid huius admirabilis visionis, diuinitatis, & maiestatis meæ populo nunc annuncietis, D quoniam in isto meo primo aduentu, vere sum Deus ille absconditus, quam in terris futurum prædixit, meus Euangelicus Vates Isaias. At vero secundus aduentus filij Dei, nimirum, cum ad nos iudicandum veniet, nullatenus erit absconditus, quinimmo omnimo manifestus: [Videbit eum omnis oculus.] Iam etenim hic nullus fletus, nec frigus eum reclinatum in præsepio opprimet, iam hic non erit pannis inuolutus, iam non fugiet in Ægyptum, nec minus de illo tunc quæretur. [Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?] Non fugiet de templo, nec se amplius abscondet, ne lapidibus eum Iudæi vlterius affligant, neminem tunc timebit, clare veniet, visibiliter stabit, manifesteque ab omnibus tunc intuebitur: [Videbit eum omnis oculus,] clare, manifeste, & aperte. Sed forte hic quæres: Cum manifestum, & oc- E cultum sint contraria, & ex diametro repugnent, quare filius Dei in primo aduentu venit occultus, in secundo vero veniet manifestus? Ad hoc sane respondet venerabilis Beda, dicendo: [Qui venit occulte iudicandus, tunc veniet manifeste iudicaturus.] Venit itaque Christus in primo aduentu iudicandus, & proinde à Iudæis, & Gentilibus diuersimode iudicatus condemnatusq; extitit. Quoniam Caiphas eum mortis reum iudicauit, Annas eum colaphis cedendum condemnauit, Herodes eum veste alba indutum illusit, ac spreuit, Pilatus flagellis cedendum fore dixit: Mili-

Aduentus filij Dei duo in mundum. *Aduentus primus filij Dei absconditus.* *Matth. 17.* *Aduentus secundus filij Dei omnino manifestus.* *Solutio.* *Beda.* *Ioan. 19.*

Milites coronam spinarum, & purpureum vestimentum cum arundine ei dederunt, Pharisæi cum Barraba latrone nequiorem adiudicarunt, totus populus Hebræorum sanguinem suum summis acclamationibus postularunt, dicendo. [Crucifige, crucifige eum,] & iterum: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] Quamobrem ob tot iudicaturas, & condemnationes cruci affixus fuit inter duos latrones; quoniam in primo aduentu venit iudicari, siue (vt dixi) iudicandus. Veruntamen in isto secundo aduentu nos iudicaturus adueniet, tunc etenim ipse orbem terræ in æquitate, teste Dauid, & populos in veritate sua iudicabit. Iudicabitur proculdubio tunc ab ipso, & Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus, & reliqui, qui eum in primo aduentu toties iudicarunt, ac condemnarunt: Ideo adueniet manifestus in secundo aduentu, quasi neminem timens, & quasi intrepide cuilibet resistens creaturæ, quinimmo tunc armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Quando quis est inferior, aut subditus, omnia iudicia, cunctas cogitationes, & varia opprobria ab alijs sibi indebite inflicta patienter in seipso sustinet, conferens, & conseruans illa in corde suo: At vero cum factus est prælatus, & præpositus, siue cum promouetur ad aliquam aliam dignitatem, quam per longum temporis curriculum, & desiderabat, & quærebat, tunc videns se alios iudicaturum, & imperaturum, incipit abscondita cordis sui palam reuelare, suas cogitationes, iudicia, opprobria, ab aliquibus olim inflicta, alijs absque timore manifestando. Hinc plane est, quod tunc intrepide destruit vetera, ædificat noua, corrigit, reprehendit, mulctat, & alia pleraque ad suum præstat beneplacitum, veluti sanctus Patriarcha Ioseph, qui dum à fratribus suis in cisternam veterem mitteretur, Ismaelitis venundaretur, carcerique in Ægypto obtruderetur, semper tacebat, consilia cordis sui, alta mente secumque perpendens. At vero cum à Pharaone præpositus super vniuersam terram Ægypti constitueretur, vt dicitur Genes. cap. 41. ad beneplacitum distribuebat triticum, & intrepide fratribus suis, dixit: [Ego sum Ioseph, quem vendidistis in Ægypto.] Pati etiam modo Christus in primo aduentu, dum flagellaretur, venundaretur triginta argenteis, & crucifigeretur, semper tacuit, siluit, dissimulauit, quinimmo sicut ouis coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum. At vero cum veniet ad nos iudicandum clare loquetur, dicendo iudæis, & incredulis, teste Diuo Augustino: [Ecce homo, quem crucifixistis Deum, & hominem, in quem credere noluistis, videte vulnera quę infixistis, agnoscite latus, quod pupugistis, quod propter vos apertum est, & introire noluistis.] Quinimmo omnibus nationibus, cunctoque populo, scelera abscondite patrata, & cogitationes eorum manifeste coram omnibus reuelabit, iuxta illud 1. Corinth. cap. 4. [Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,] ita vt vnusquisque peccator, admiratione, ac etiam confusione circumdatus, illud Moysi Exod. cap. 2. dicat: [Quomodo palam factum est verbum istud?] nimirum, quomodo nunc palam factum est peccatum meum, quod in terra in occulto commisi? Hinc proculdubio est, quod Psalmographus hunc extremæ manifestationis diem postulans, dicat: [Tu qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.] & protinus etiam subiungat: [Excita potentiam tuam, & veni,] cui respondet sane noster Prophetarum Propheta Ioannes, dicens hic, veniet plane, & ita manifeste veniet, vt omnis oculus, id est, omnis caro, eum clare, & omnino manifeste videat.

Comparatio. *Patientia Xpi in passione.* *D. Aug lib. de symbolo.*



INGENS plane spectaculum tunc erit videre illam sanctam humanitatem Christi gloriosam, tali, tantaque maiestate, iudicantem omnem humanam carnem: [Tunc sedebit, (dicitur Matth. 25.) super sedem maiestatis suæ.] Ter adinuenio ego in nouo Testamento Christum redemptorem nostrum triumphare voluisse: semel, nimirum, in vita, quando scilicet pueris acclamantibus: [Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini,] sedens super asinam, vt dicitur Matth. cap. 21. ingressus fuit Ierosolymam. Iterum in morte, dum ab inferis, magno resurrexit triumpho, de quo canit ecclesia: [Inferni claustra penetrans, tuos captiuos redimens, victor triumpho nobili, ad dextram patris residens.] Et postremo quando ad nos iudicandum veniet. Quoniam tunc ita ipse sedebit in sede maiestatis suæ, vt manifeste eum omnis oculus videat triumphantem. Vah admirabile spectaculum. Mirum sane erat videre Regem Salomonem sedentem in throno regio ex Ebore, vestitum auro, stantem inter duodecim leones, vt legitur 3. Reg. cap. 11. Admirabile etiam erat intueri Ioseph triumphantem per plateas Ægypti, vestitum stola byssina, sedentem super regium currum, annulum regium in manu gestantem, & torquem auream collo suo circumpositam, obtinentem, eumque ab omni populo saluatorem mundi appellatum, vt dicitur Genes. cap. 41. Visu etiam dignum proculdubio erat Regem Assuerum prospicere regnantem ab India vsque ad Æthiopiam super centum viginti septem prouincias, parantemque conuiuium cunctis Principibus, & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum, vt habetur Ester capite primo: Pulchrum denique, & satis iucundum erat Romanos illos inclytos Imperatores intueri regnantes, ac triumphantes, veste præcinctos, capite fluente lauro coronatos, vt refert Plutarchus in vita Romuli. Verumtamen nullus triumphus æqualis esse potest huic triumpho Saluatoris nostri Iesu Christi ad nos iudicandum venientis. Erit plane tunc Christus verus Salomon sedens inter duodecim leones, nempe Apostolos, quibus dicitur: [Sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.] Erit etiam verus Ioseph, & saluator mundi: Erit porro verus Assuerus, ostendens bonis diuitias gloriæ suæ: Erit tandem verus Imperator totius orbis de hostibus suis triumphans. [Tunc (igitur) sedebit in sede maiestatis suæ.] Hoc est, (teste Caietano,) in sede gloriæ suæ. Quæ plane verba, vt tenent. Diuus Chrysostomus, Remigius, & Abulensis, super capite 25. Matthæi, ponuntur. Tum ad ostendendam excellentiam Christi, quia maiestas, notat apparatum magnum ad ostendendum statum, & dicitur maiestas, quasi maior status: solis enim maioribus competit maiestas, sicut Imperatoribus, & Regibus, minoribus vero non damus maiestatem: Et quia maximus apparatus excellentiæ erit ille cum quo Christus apparebit in iudicio, dicitur venturus in maiestate. Tum ponuntur ad ostendendum, quod humanitas illa, quæ in terris visa fuit infirma, secundum substantiam carnis, esset aliquando in magna gloria, vt discipuli non putarent, quod semper futura esset in eodem statu. Tum ponuntur ad ostendendam veritatem rei, ita enim futurum est, vt in magno honore Christus ad iudicandum veniet. Verisimile namque est, quod ille qui cum tanta potentia veniet, etiam magnum statum ostendet; quamobrem dicitur, quod veniet in maiestate sua. Tum denique ponuntur præfata verba ad dandam confidentiam de beatitudine: nam in iudicio, boni assequentur beatitudinem, & tamen non esset spes, quod illa beatitudo esset aliquid magnum, nisi ille qui

Conceptus 1. De maiestate Christi in iudicio. *Triumphauit Christus ter.* *Spectaculum admirabile.* *Triumphus Ioseph.* *Triumphus Regis Assueri.* *Triumphus Romanorum.* *Plutarchus.* *1. Ratio* *2. Ratio.* *3. Ratio.* *4. Ratio.*

le qui eam daret, aliquid magnum haberet: Ideo igitur dicitur, quod Christus tunc, quando iudicabit & dabit beatitudinem, veniet in maiestate. Et tanta plane erit tunc Christi maiestas, & gloria, vt nullus hominum, quinimmo nullus Angelorum, deerit huic tam solemni spectaculo. Immo si Pater æternus, si etiam Spiritus sanctus locum mutare possent, (vt optime super capite 26. Matthæi tenet Paulus de Palatio,) ad conspiciendum hoc iudicium descenderent. Descenderunt viri tres, (dicitur Genes. 18.) ad spectandum Sodomorum incendium; & ad eorum causam iudicandam: Quanto potius in hoc iudicium descenderent. Veniet igitur Christus Deus, homo, & vt homo sedebit tunc in sede maiestatis, & gloriæ suæ. O benedicta, & sancta humanitas Iesu Christi Domini nostri, vtinam, sicut te triumphantem, & iudicantem in maiestate, & gloria tunc visuri sumus, ita nunc pro tunc mereamur te æternaliter frui. Erit in summa, (vt paucis multa perstringam) illa sancta humanitas Christi tunc ita pulchra, refulgens, ac gloriosa, vt quilibet beatus, illud Cantic. cap. 6. Christo tunc dicere queat: [Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt,] perinde ac dicerent: Ne nos, ò gloriosum Saluatoris nostri Christi corpus, tam crebro respicias: Quoniam oculorum tuorum pulchritudo, nos supra modú gaudere facit, videntes, quod à tanta nunc æternaliter amemur pulchritudine.

Paulus de Palatio.

DISPVT. XVII.

In Cap. Primum Apocalypseos, de generali resurrectione carnis.

In quinque Questiones distributa, super illa verba: *Et videbit eum omnis oculus.*

Prologus Disputationis.



NEQVIBVNT profecto omnes oculi videre Christum iudicantem, nisi omnes homines, (qui oculos habent,) sint in eodem loco, in quo Christus apparebit. Cum autem mortui nullatenus ibi reperiri queant, quin primo resurgant resumendo carnem cum oculis, quæ in cineres conuersa erat, ideo merito hic cum nostro Archipropheta de generali resurrectione carnis hanc erigimus disputationem. De qua plane disputat Magister in 4. sent. distinct. 43. & Sanctus Thom. ibi & in add. ad 3. p. à quæst. 75. vsque ad quæst. 92. Richardus, Soto, Durandus, Scotus, D. Bonauentura, Stephanus Brullifer, & alij Scholastici Doctores, in 4. cum Magistro. D. Ambrosius lib. de Fide Resurrectionis, Abulensis super Matthæum, tom. 6. & Alphonsus à Castro, verb. Resurrect. contra hæreses.

Mag. S. Thom.



Quæstio. I.

Vtrum possibilis sit mortuorum corporum resurrectio?



PRO parte negante arguitur. Primo, quoniam si possibilis esset mortuorum corporum resurrectio, vel igitur resurgeret idem corpus mortuum, vel aliud numero corpus: At neutrum stare potest. Ergo, &c. Minor patet: Nam si dicas resurgere aliud numero corpus, cedo quæ sint ista corpora, & ad quid resurgent, cum non sint nostra, quæ simul cum nostra peccarunt anima. Accedit quod talis resurrectio non esset vera, cum corpusmet nostrum, & hæc eadem caro nostra non resurgeret. Si autem dicas resurgere idemmet numero corpus, implicat contradictionem semel corruptum reproduci, cum à priuatione ad habitum, (teste Philosopho) impossibilis sit regressus. Addo quod cum indiuiduum accipiat esse per motum, & per actionem agentis naturalis, & fieri nequeat, quod reddat idem motus, eademque actio numero, fieri etiam minime poterit vt virtute alicuius agentis, idem numero corruptum reproducatur. *1. argum.*

Secundo, quia plures actiones non videntur posse terminari ad eumdem terminum, atqui generatio hominis, & resurrectio, (si esset possibilis,) sunt diuersæ actiones, vt patet: Igitur nullatenus poterunt ad eumdem terminum terminari: Et per consequens impossibile est, quod homo genitus, & homo resurgens, sint idem homo secundum numerum. *2. argum.*

Tertio, si mortuorum corporum resurrectio esset possibilis, esset maxime naturalis: At nullo modo est asserendum resurrectionem esse naturalem. Tum quia Philosophi eam cognouissent, cuius contrarium experimur. Tum deniq; quia si naturalis esset resurrectio, sequeretur, quod homo genitus, & homo resuscitatus, non essent eiusdem speciei; Quoniam iuxta Philosophos, ea quæ non habent determinatum modum originis non sunt eiusdem speciei; vnde animalia, quæ generantur ex putrefactione, & ex semine, numquam sunt eiusdem speciei, vt dicit Commentator 8. Physic. & naturalis motus, quo homo oritur, est generatio ex simili in specie; qui non esset in resurrectione. Ergo, &c. *3. argum.*

Pro decisione. Præmitto primo, triplicem esse resurrectionem: Quædam enim est spiritualis, qua quis resurgit de peccato ad gratiam, vt Maria Magdalena, quæ post tot commissa crimina, audire meruit: [Remittuntur tibi peccata tua.] Alia quippe est temporalis, qua quis huius sæculi prosperitate amissa, ad eamdem prosperitatem veluti resurgens reddit, vt alter Iob, qui postquam omnia bona sua amisit, duplicia à Domino recepit. Alia tandem est resurrectio corporalis, qua anima rationalis, semel iam à corpore separata ad idem corpus numero iterum reddit, illi se reuniendo. In præsenti igitur quæstione, tantum est sermo de hac corporali resurrectione, an sit possibilis, id est, an supposita fide implicet contradictionem, hoc est, fieri ne possit à Deo per infinitam eius potentiam, necne? aut ordine naturæ? vel (vt aliter dicam,) an agens naturale possit facere resurrectionem mortuorum corporum, an solum possit fieri à Deo: intelligens per agentem naturalem, omne aliud à Deo. *1. fundam. Resurrectio triplex.* *Resurrectio spiritualis.* *Resurrectio temporalis* *Resurrectio corporalis.*

2. fundam. Resurrectio corporalis tria comprehendit.

Præmitto secundo. Quod resurrectio corporalis tria inuoluit, quorum primum vtique est, Reformatio corporum ex pulueribus, & cineribus: Corpus namque nostrum, separata iam rationali anima, conuertitur in puluerem, seu cinerem, iuxta illud: [Puluis es, & in puluerem reuerteris.] Fecit enim Deus hominem [de limo terræ,] & sic in resolutione, in terram, puluerem, & cinerem ibit. Ex quorum collectione formabitur iterum corpus; quæquidem secunda formatio, appellatur reformatio corporum, iuxta illud Apostoli ad philip. cap. 3. dicens: [Reformabit corpus humilitatis nostræ.] Vnde cum dicimus carnis resurrectionem, primo inuoluimus hanc corporum ex pulueribus, & cineribus reformationem. Secundum, quod resurrectio corporalis inuoluit, est ipsi corpori reformato animæ reunio anima enim rationalis tunc reunietur corpori nostro reformato. Tertium tandem est inseparabilis colligatio reunitorum, scilicet corporis, & animæ; quæ in posterum numquam diuidentur, remanens iam corpus nostrum immortale, iuxta illud Apostoli, 1. Corinthiorum cap. 15. [Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.]

Gen. 2. & 3.

3. fundam. Hominis cõpositio ex materia, & forma.

Præmitto tertio. Quod homo componitur ex materia prima, & ex anima rationali, tamquam, ex principijs intrinsecis, ex quibus materia prima, (quæ habuit suum esse per creationem, vt fides docet,) neque generabilis est, neque corruptibilis per se. Et licet per accidens, & secundum quid corrumpatur, (dum amittit vnam formam substantialem,) tamen ipsa adhuc remanet sub alia substantiali forma, vt docent Philosophi in primo libro Physic. cum Aristotele, quoniam generatio vnius, est corruptio alterius, & è conuerso. & sic suo modo materia prima potest dici æterna; cum tantum possit desinere esse, per annihilationem, quia in simili casu nihil illius remaneret. Alterum autem principium, nempe, anima rationalis, immortalis, & æterna est à parte post, vt fides Catholica docet, & patet etiam, quia Aristoteles id existimauit, vt videre est primo libro de Anima capite secundo, & libro tertio de Anima, capite quarto, & quinto. Accedit quia forma, quæ non educitur de potestate materiæ, non corrumpitur, neque generatur, & sic est anima nostra rationalis, quæ non educitur de potestate materiæ, sed creatur à Deo in materia.

Ratio Aristotelica de æternitate animæ rationalis

4. fundam. Trina actio.

Præmitto quarto, Quod motus siue operatio est triplex: Namquidam est motus siue operatio, cuius principium, & terminus est natura, vt patet in motu lapidis deorsum, & iste appellatur motus siue operatio naturalis simpliciter. Quoniam naturale proprie dicitur, quod secundum naturam est, Secundum autem naturam esse dicitur habens naturam, & quæ sequuntur naturam, vt patet in 2. Physicor. tex. 5. & sic motus, siue operatio dicitur simpliciter naturalis, quando eius principium, & terminus est natura. Alius vero est motus siue operatio, cuius terminus est natura, sed non principium, sed quandoque aliquid supra naturam, sicut patet in illuminatione cæci, de quo scribitur Ioan. cap. 9. [Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?] & paulo post: [Vade, laua in natatoria Siloe, (quod interpretatur Missus.) Abijt ergo, & lauit, & venit videns.] In qua illuminatione, vt patet, visus naturalis est, sed illuminationis principium est supranaturam. Quandoque vero aliquid aliud, (vt patet in acceleratione florum, vel fructuum per artificium facta, vel in motu lapidis sursum;) & talis motus siue operatio appellatur naturalis secundum quid, & nullo modo simpliciter: dicitur autem secundum quid naturalis, quia scilicet tantum perducit ad id, quod secundum naturam est, de cætero autem dicitur, vel miraculosa, vel artificialis, vel violenta: Alius tandem motus est, siue operatio, cuius natura, neque est principium, neque terminus, & talis motus quandoque est à principio supranaturam, vt patet de glorificatione corporum; quandoque autem à quouis alio principio, sicut patet de motu violento lapidis, qui terminatur ad quietem violentam, & iste motus nullo modo potest esse naturalis, sed vel est miraculosus, si fit à principio supranaturam, vel violentus, si fit ab alio quocumque principio. Hoc fundamentum, (ad litteram) est Sancti Thom. in 4. sententiarum, distinct. 43. quæst. 1. artic. 3. & in add. ad 3. p. quæst. 75. artic. 3. Motus igitur siue actio aliqua, vel operatio tripliciter se habet ad naturam, nimirum, naturaliter, simpliciter, & naturaliter secundum quid, & tandem nullo modo naturaliter.

Motus naturalis simpliciter quis sit.

Motus miraculosus quis sit.

S. Thom.

5. fundam.

Præmitto quinto, & postremo, quod esse, & essentia alicuius rei, apud Metaphysicos potest accipi bifarie, primo, ita vt esse sit aliquid additum essentiæ; secundo vero ita vt esse sit idem cum essentia. Si igitur esse accipiatur primo modo, tunc esse non competit composito, nisi ratione formæ. Per materiam enim compositum non habet aliquod esse actuale, sed tantum posse, ita vt materia primo recipiat formam, & mediante forma, esse actu, & sic forma est immediatum receptiuum ipsius esse, & ratio recipiendi, ipsa materia. Si autem esse accipiatur secundo modo, nimirum, vt sit idem cum essentia, tunc esse, vel erit idem cum materia, vel cum forma vel cum toto composito; quia essentia consurgit, ex materia, & forma simul vnitis. Et est quæstio apud Phylosophos, an totum, scilicet, compositum distinguatur à suis partibus simul sumptis? His præmissis.

1. assertio.

Sit prima assertio, Virtute diuina, hoc est miraculose, possibilis est mortuorum corporum resurrectio, (quamuis argumentandi gratia fidem resurrectionis supponamus,) & ita possibilis, vt idem numero homo virtute diuina resurgere possit. Hæc statuitur contra Philosophos, fide carentes. Et probatur.

1. Ratio.

Primo, qui potest maius, potest & minus, (in his saltem, in quibus minus includitur in maiori.) At maius est principia hominis de nihilo producere, & producta vnire, quam talia principia supponere producta, & ipsa reunire solum, vt patet: Ergo qui potuit principia hominis de nihilo producere, & producta vnire, poterit etiam principia iam producta solum reunire. Consequentia est aperta, quia hoc secundum includitur in primo. Sed sic est, quod Deus potuit principia essentialia hominis de nihilo producere, & producta vnire, vt fecit in prima rerum creatione, in qua creata fuit materia prima, & anima rationalis Adæ, & Euæ: & quoties in dies animas nostras rationales creat de nihilo, vt dicitur in tertio nostro fundamento, & illas vnit materiæ primæ: Ergo fortiori ratione potest Deus principia essentialia hominis iam producta, & manentia reunire: At quando homo corrumpitur, hoc est moritur, remanet illius materia prima, quia hæc est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt est, dictum in tertio fundamento: Et remanet etiam anima rationalis, quia hæc est immortalis, vt patet in eodem fundamento: Ergo poterit Deus eadem principia essentialia hominis manentia, iterum reunire, & hoc est hominem semel corruptum, iterum reparare. Quare possibilis est mortuorum corporum resurrectio,

Obiectio.

Sed dicens, agens naturale potest producere formam, & producendo vnire, quam tamen productam, & præexistentẽ, (si fortasse talis forma producta præexistens reperietur) non potest vnire materiæ. Nam si aliqua forma substãtialis, vel accidentaria separata à materia virtu-

virtute diuina esset, agens naturale tunc non posset eam vnire materiæ: Ergo dato, quod Deus possit principia essentialia hominis producere de nihilo, & producendo vnire, non sequitur tamen, quod possit ea iam producta, & existentia vnire ad inuicem.

Solutio. Discrimen inter Deum, & agentē naturalem.

Huic obiectioni respondetur, quod non est simile de Deo, & de agente naturali, quia Deus habet virtutem super formam, siue sit in materia, siue sit separata: agens autem naturale nullam habet virtutem super formam separatam à materia, si talis esset per virtutem diuina, (vt supponitur in argumento,) quia omnis actio agentis naturalis circa materiam est; & ob id ad ea, quæ sunt à materia separata, nullo modo attingit, quod patet ex eo, quia nihil potest facere vnionem aliquorum, cuius virtus, & actio non attingit extrema vnionis. Virtus autem, seu actio agentis naturalis non attingit formam à materia separatam, siue sit separata ex natura propria, (vt anima rationalis,) siue virtute diuina, vt aliæ formæ immateriales, aut substantiales, accidentalesue. At virtus, & actio diuina se extendit æqualiter ad formam separatam, & non separatam. Quare virtus diuina poterit vnire formam separatam, non autem virtus naturalis agentis. Propositio autem nostra, nempe: [Maius est producere, & producta vnire, quam solum vnire præexistentia,] intelligitur de agente, cuius virtus se extendit ad formam separatam, sicut ad non separatam: tunc enim vnum includitur in altero sicut minus in maiori.

2. Ratio.

Secundo probatur, supponendo quod non est quærenda alia causa, siue ratio; quare ex materia, & forma fiat vnum præter agens, quod introducit formam in materia, vt dicitur 8. lib. Metheor. quo supposito sic argumentor. Manentibus principijs essentialibus rei corruptæ, (nimirum, materia, & forma eisdem secundum numerum,) & agente quod potest illa vnire, possibile est rem corruptam eamdem numero reparari: Atqui corrupto homine remanent principia essentialia eius, eademque prius, nimirum, materia, & forma, & Deus qui potest illa vnire; igitur homo corruptus potest idem numero reparari. Propositio est manifesta, quia sicuti corruptio compositi, est per separationem suarum partium, (siue post separationem partes remaneant, vel non) ita eius reparatio est per hoc, quod ad inuicem partes eius reuniuntur, quæ sicut prius eadem sint, & compositum, erit idem quod prius. Assumptio vero probatur. Quia corrupto homine remanet materia, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis, vt dicitur in nostro tertio fundamento: Remanet etiam anima rationalis, quæ est forma substantialis hominis, & immortalis, ac etiam incorruptibilis, vt dicitur in eodem tertio fundamento: & tandem remanet Deus, qui illa principia vnire potest, quod patet ex eo quod Deus potest omne id quod non implicat contradictionem: formam autem vniri materiæ non implicat contradictionem, immo habet magnam aptitudinem, cum forma sit de se nata perficere materiam, & materia sit de se nata perfici a forma, ergo homo corruptus, potest idem numero diuina virtute reparari.

3. Ratio. Maius est facere aliquid de nihilo quā facere aliqd de aliquo.

Tertio probatur. Quia minus est facere aliquid de aliquo, quam facere aliquid de nihilo: At Deus potuit facere corpora nostra de nihilo, ergo multo magis poterit eadem ex aliquo, puta ex cineribus, & ex vilissimo puluere resuscitare. Et per consequens mortuorum corporum resurrectio, non est impossibilis, sed possibilis virtute diuina. Hæc tertia ratio nostra fundatur in constitutionibus Apostolicis lib. 5. cap. 8. auctore Clemente Papa, & martyre, vbi Apostoli sic dicunt: [Ille qui prima corpora de nihilo effecit, ex ijsque varias naturas composuit, ita mortuos vita reddita excitabit, qui in vtero hominem de pusillo semine fingit, animamque

Clem Papa.

A illi nondum existentem creat; idem ipse omnes homines excitabit.] Hæc ibi. Ex quibus verbis nos à fortiori cum Apostolis argumentamur. Nam maius est creare, quam mortuos resuscitare: At potuit Deus hominem de nihilo creare: Igitur poterit eumdem numero hominem resuscitare. In præsenti enim quæstione tantum loquimur de possibili: Nam in sequenti sermo erit de facto, obidque super verba Apostolorum, quæ intelliguntur de facto, nos ad institutum nostrum de possibili dumtaxat hic argumentamur.

4. Ratio. Animæ rationalis bina consideratio.

Quarto probatur. Non est difficilius animam intellectiuam reunire corpori, postquam fuit separata, quam si fuisset producta, per se existens ante corpus. Quia non minorem ordinem, nec minorem inclinationem habet ad corpus anima, quæ iam fuit corpori vnita, quàm si numquam fuisset corpori vnita: At Deus potuit animam intellectiuam producere per se existentem antequam fuisset corpori coniuncta, & postea corpori vnire, nam hoc facere minime repugnat diuinæ virtuti, nec minus implicat contradictionem, immo Diuus Augustinus sentit animam rationalem Adæ, primi hominis productam à Deo fuisse in principio cum Angelis, & sexta die in formatione corporis Adæ, corpori vnitam fuisse ab ipsomet Deo: Ergo multo fortius potest Deus animam à corpore separatam, corpori reunire, quod est, hominem corruptum idem numero reparare per resurrectionem, (& quod dictum est de anima rationali hominis, idem dicendum esset, si in homine esset forma corporeitatis ingenerabilis, & incorruptibilis, vt quidam existimarunt,) Ex quibus omnibus patet virtute diuina, hoc est miraculose mortuorum corporum resurrectionem possibilem esse.

D. Aug. Animæ Adæ peculiaris cōsideratio diuersa à nostra.

2. assertio. Resurrectio corporum nequit fieri à natura.

Secunda assertio. Nullum tamen agens naturale potest esse principium, vel facere mortuorum corporum resurrectionem: Et sic nequit aliquid corruptum per naturam, idem numero reparari. Hanc profitentur Sanctus Thom. in 4. sent. distinct. 41. quæst. 1. artic. 1. & in add. ad 3. p. quæst. 75. artic. 3. ac etiam in quolibetica 4. quæst. 4. ad. 3. Durandus in 4. distinct. 43. quæst. 2. & alij pene infiniti Theologi, & videtur esse de mente Aristotelis in 2. lib. de Generat. dicentis, quod illa quorum substantia deperit, non redeunt eadem secundum numerum, quod intelligendum est naturaliter. Probatur tamen assertio.

1. Ratio. Natura principiū motus tā actiui, quā passiui.

Primo, quia natura est principium motus in eo, in quo est, vel actiuum, vel passiuum, vt dicitur in 2. lib. Physic. quoniam in motu leuium, & grauium, & in alterationibus naturalibus animalium, natura est principium actiuum, & in generatione simplicium corporum, est principium passiuum: At in mortuorum corporum resurrectione, natura non potest esse principium, neque actiuum, neque passiuum, ergo mortuorum corporum resurrectio non potest fieri à natura, neque ab aliquo agente naturali, & per consequens non potest esse naturalis, nec minus aliquid corruptum potest per naturam idem numero reparari. Maior est manifesta. Minor vero probatur. Quia principium passiuum naturalis generationis, est potentia passiua naturalis, quę semper habet aliquam potentiam actiuam sibi respondentem in natura, vt ait Aristoteles lib. 9. Meth. capite 10. Nec differt quantum ad hoc siue respondeat passiuo principio actiuum principium in natura, respectu vltimæ perfectionis, scilicet formæ, siue respectu dispositionis, quæ est necessitas ad formam vltimam. Quemadmodum est in generatione hominis secundum positionem fidei, vel etiam, de omnibus alijs secundum opinionem Platonis, & Auicennæ: At nullum principium actiuum resurrectionis est in natura, neque respectu coniunctionis animæ ad

ad corpus, neque respectu compositionis, quæ est necessitas ad talem coniunctionem, quia talis dispositio nequit à natura induci, nisi determinato generationis semine, vt ait S. Thom. in 4. sent. & in add. ad 3. p, q. 75. art. 3. Ergo natura in mortuorum corporum resurrectione nequit esse principium neque actiuum, neq; passiuum.

2. Ratio. Nõ est regressus à priuatione ad habitũ

Præterea, à priuatione ad habitum impossibilis est regressus, secundum naturam: at mors est priuatio vitæ, ergo resurrectio, per quam est reditus de morte ad vitam nequit esse naturalis. Accedit, quod cum indiuiduum accipiat esse per motum, & per actionem agentis naturalis, & fieri minime possit, vt redeat idem motus, eademque numero actio, fieri quoque haud quaquam poterit, vt virtute agentis naturalis, idem numero corruptum reproducatur. Quibus etiam adiungo, quod Aristoteles 2. lib. de generatione, aperte tenet: Illa quorum substantia deperit, non redire eadem secundum numerum, quæquidem verba philosophi intelligenda veniunt, & iuxta virtutem naturæ, & secundum numerum tantum; Nam secundum speciem substantiæ corruptibilis, quotidie reiterantur.

3. Ratio. Origo rerũ.

Præterea ea, quæ non sunt vnius speciei, non habent determinatum modum originis. Vnde animalia, quæ generantur ex putrefactione, & ex semine numquam sunt eiusdem speciei, vt dicit Commentator in 8. phys. Sed naturalis motus, quo homo oritur, est generatio ex simili in specie, quod non est in resurrectione, ergo resurrectio nequibit esse naturalis.

4. Ratio. Naturale, & supranaturale in quo differant.

Preterea, naturale & supranaturale ex diametro opponuntur, vnde naturale, vt sic, nequit esse supranaturale, & è conuerso, supranaturale, vt sic, haudquaquam potest esse naturale. At mortuorum corporum resurrectio est possibilis supranaturaliter, & virtute diuina, siue miraculose, vt patet in superiore assertione, & confirmatur etiam. Primo, quia ex parte potentiæ diuinæ non repugnat, cum Lucæ cap. 1. dicatur: [Non erit impossibile apud Deum omne verbum,] id est, factum, & Matth. cap. 18. [Apud Deum omnia possibilia sunt,] nec minus repugnat ex parte nostra, Quia non implicat contradictionem, quare fieri queat supranaturaliter. Secundo, confirmatur eadem maior, quia, ea tantum sunt supranaturaliter possibilia quorum principium actiuum est supranaturale, & quorum terminus est, etiam supranaturalis, in resurrectione vero mortuorum corporum, Deus tantum erit principium actiuum & terminus resurrectionis, in electis erit glorificatio, & in reprobis, incorruptibilitas, quia omnia nostra corpora erunt tunc incorruptibilia, prout infra patebit, quæ omnia supranaturalia sunt, ergo resurrectio non poterit esse naturalis.

Opinio philosophorum, & maxime Platonicorum.

Cæterum aduersus hanc nostram secundam assertionem, ex diametro stat Plato cum suis sequacibus, qui, vt refert Diuus Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 13. existimat post magnum annum, hoc est, post triginta sex millia annorum, omnia redire eadem, ob idque aduersus hanc nostram secundam assertionem insurget aliquis, his argumentis desumptis, ex Platonis, aliorum Philosophorum opinione.

1. argum.

Primo, quia manente eadem materia, vel subiecto, & eodem agente secundum numerum, oportet effectum eumdem esse vnum, secundum numerum. At idem agens numero, quod prius producit aliquam formam, & idem subiectum numero, quod prius eam recepit, possunt remanere post corruptionem rei, & concurrere ad actionem: Ergo per talem actionem potest idem numero redire. Maior apparet per Philosophum 8. lib. Metaph. qui dicit, quod diuersitas effectus reducitur in

F diuersitate causæ efficientis, vel materiæ: Ergo vbi nulla potest esse diuersitas ex parte materiæ, vel agentis, ibi nulla potest esse diuersitas in effectu. Minor similiter manifesta est, quia lumine causato in aere à sole, & corrupto per oppositionem alicuius opaci, remanet idem sol, & idem aer.

2. argum.

Secundo ponamus aliquem effectum fuisse continue in tribus signis temporis, a, b, c, constat quod idem numero effectus est in a, & in c. At existentia eius tam in a. quam in c. non dependet ab existentia eius in b. Ergo dato, quod fuisset in a, & non in b. adhuc posset idem numero esse in c. hoc autem non esset, nisi corruptum posset idem numero reparari. Ergo, &c.

G

Sol. ad 1.

Ad horum primum respondeo, negando propositionem, nam si vnitas agentis, & materiæ, seu subiecti sufficeret ad vnitatem effectus, tunc sequeretur, quod eadem numero circulatio cæli, quæ fuit heri, esset hodie, & cras, & sic semper; quia idem cælum numero manet, & intelligentia eadem numero mouens, quod est absurdum philosopho affirmare. Nam si appropinquaret ignis, (vt recte tenent Philosophi, & etiam Platonici,) huic ligno, in aliquo instanti generaret hunc ignem, & si in eodem instanti appropinquasset alius ignis eidem ligno, generasset illum eumdem ignem numero. Et sic diuersitas agentium secundum numerum, non causat diuersitatem numeralem effectus, & per consequens, nec identitas causabit identitatem, & sic supposito eodem subiecto eodem agentes secundum numerum, H non est necesse effectum esse eumdem secundum numerum. Quod autem dicit Philisophus octauo libro Metaph. quod diuersitas in effectibus est ex diuersitate agentis, vel materiæ, intelligendum est de diuersitate specifica, vt Philosophus ostendit per exemplum ibi adductum, de arca, & lecto, quæ fiunt ex ligno, propter aliam, & aliam formam existentem in mente artificis, quæ mouet ad vtrumque pluralitas autem numeralis effectuum non cadit sub illa regula.

Sol. ad 2.

Ad secundum respondetur. Quod entitas, & vnitas effectus existentis in tribus signis temporis dependet per se à causa conseruante, & ab actione per quam conseruatur, quæ actio interrumpitur si effectus sit in primo signo, & non in secundo, actio autem interrupta, & maxime naturalis non potest, I per naturam eadem numero redire, quare nec terminus actionis.

Nota bene ex Durando, & ex Scoto in 4. Durand. impugnat funditus Platonicorum opinionem. Ptolomæus in Almagesto.

De qua re vide Durandum in 4. sentent. distinct. 43. quæst. 2. refutantem, & destruentem sententiam Platonicorum, tamquam Philosophię, & veritati contrariam. Vide etiam Scotum in 4. sent distinct. 43. quæst. 3. refellentem, & improbantem fundamentum Platonicorum, & aliorum Philosophorum, depromptum à Ptolomæo in Almagesto, vbi dicit Ptolomæus, quod cælum stellarum mouetur in centum annis vno gradu, contra motum diurnum, & sic complebitur motus ille eius ab Occidente, in Orientem, in sex & triginta millibus annorum, ex quibus verbis concludunt hi Philosophi, tunc post sex supra triginta millia annos, omnia corpora cælestia redire ad eumdem situm, & sic redeunte K causa eadem, redibit idem effectus numero, quod quidem fundamentum Ptolomæi præter id, quod improbetur à Diuo Augustino 12. lib. de Ciuitate Dei, cap. 13. Scotus in 4. sentent. dist. 43. quæst. 2. tribus rationibus validissimis, vna de beatitudine, altera de motu trepidationis octauæ sphæræ, & alia de diminutione, rationes Ptolomæi apprime confutat. Et multa sane dicit, situ, & notatu digna, sunt

Scotus tenetur ab Auctore.

sunt enim valde necessaria defendentibus hanc nostrã secundam assertionem, cum D. Thoma, & præcipuè in omnibus, quæ adducit, pro secunda opinione, quæ est Gotphredi, & Ægidij, ac nostra, est maxime notandus, quinimmo crebro, ac frequenter legendus.

3. assertio. Resurrectio omnino est impossibilis naturaliter.

Tertia assertio; licet ponamus esse aliqua potentia passiua, ex parte corporis, vel inclinatio aliqua, ad animæ coniunctionem, adhuc mortuorum corporum resurrectio nequit esse simpliciter naturalis. Hæc est D. Thomæ in 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 1. & in add. ad 3. p. q. 75. art. 3. & antequam illam probemus: Nota pro capitu faciliori ly, [licet ponamus] quod in corporibus mortuis, siue in cadaueribus, hoc est, in cineribus nulla est inclinatio naturalis ad resurrectionem. Nam circa hanc rem tres fuerunt opiniones. Prima fuit quorumdam dicentium corpus humanum numquam resolui vsque ad elementa: Et ita in cineribus manere aliqua vis addita elementis, quæ facit naturalem inclinationem ad eamdem animam; & hæc opinio est falsa; quia iuxta philosophiam, omnia composita ex contrarijs, possibile est in ea resolui ex quibus componuntur. Altera opinio fuit aliorum Theologorum dicentium, quod illa partes elementorum, in quas humanum corpus resoluitur, retinent plus de luce, ex eo quod, fuerunt animæ humanæ coniunctæ. Ex quo etiam habere quandam inclinationem ad animas. Quæ quidem opinio itidem est friuola; quoniam partes elementorum sunt eiusdem naturæ, & æqualiter habent participationem lucis, & obscuritatis. Tertia tandem opinio fuit D. Thom. in 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 4. & in add. ad 3. p. q. 78. art. 3. affirmãtis in cineribus illis nullam esse inclinationem naturalem ad resurrectionem, sed solum ex diuinæ prouidentiæ ordine, quæ statuit illos cineres iterum animæ coniugi, & ex hoc solum prouenire, quod illæ partes elementorum iterato coniungantur, & non aliæ. Ob hoc igitur in assertione nostra dictum est, [licet ponamus,] quia talis inclinatio naturalis ad animam non est ponenda secundum naturam, sed ex ordine diuinæ prouidentiæ dumtaxat, modo vero probatur assertio.

Opiniones tres de inclinatione cinerum humani corporis ad animam rationalem separatam.

D. Thom.

1. Ratio.

Primo, quia talis inclinatio naturalis (si esset in corporibus mortuis, hoc est in cineribus, ad animas) adhuc esset insufficiens ad causandum motum naturalem, id est naturalem coniunctionem corporis, & animæ: ergo licet ponamus esse aliqua potentia passiua ex parte corporis, vel inclinatio aliqua ad animæ coniunctionem, adhuc mortuorum corporum resurrectio non potest esse simpliciter naturalis. Consequentia est aperta ex quarto fundamento nostro, nam motus simpliciter naturalis dicitur cuius principium, & terminus est natura sufficiens. Antecedens vero probatur: Cuilibet inclinationi naturali correspondet (ad suam sufficientiam) aliquod agens naturale, aliàs natura deficeret in necessarijs: At tali inclinationi naturali (si esset) adhuc deest illi agens naturale ad operandam talem coniunctionem corporis, & animæ; immo nec tale agens reperibile est in natura: & ob id dixit Philosophus, a priuatione ad habitum non dari regressum, naturaliter loquendo: ergo si esset talis inclinatio naturalis, adhuc esset insufficiens ad naturaliter causandam resurrectionem simpliciter: Et ex consequenti resurrectio non potest esse naturalis simpliciter (quãtuis posset esse in simili casu naturalis secundum quid propter naturalem illam inclinationem, quam ex hypotesi poneremus ad animas) quia deest adhuc agens naturale, qui posset naturaliter applicare actiua passiuis, hoc est, qui naturaliter posset vnionem animæ, & corporis causare.

2. Ratio.

Præterea, nulla forma substantialis (naturaliter loquendo) introducitur in materiam indispositam, licet talis materia, inclinationem naturalem habeat ad talem formam. Propterea quod quamuis materia prima inclinationem, & aptitudinem naturalem habeat ad quascumque formas recipiendas: tamen non

A eas recipit quin prius ab agente naturali disponatur. Nam cum ipsa materia prima semper existat sub aliqua forma, necessario disponitur ad formam nouam recipiendam, quia in actioribus naturalibus semper disponitur materia, siue subiectum ad formam recipiendam, vt dicunt Philosophi cum Aristotele in p. lib. Phys. hinc factum est, quod licet iuxta fidem Catholicam Deus creet in materia, animam rationalẽ tamen non illam creat donec materia, in qua est creanda, & producenda sit vltimo disposita per agens naturale, vt dicunt ijdem Philosophi, in libris de Generatione, & in tom. 3. lib. de Anima. At anima rationalis est forma substantialis hominis, quæ iterato debet in resurrectione hominis vniri cineribus, & corporibus hominum resuscitandorum; ergo licet supponamus

Anima rationalis quã do creatur adeo.

B in cineribus, & in corporibus mortuis inclinationem naturalem ad animas, adhuc tales cineres, cadauera, siue corpora mortua debent disponi, & præparari ad vnionem, & introductionem animarum rationalium. Sed sic est, quod licet concedamus agens naturale (quod quidem dari est impossibile) adhuc non apparet qualiter, & per quas dispositiones istud tale agens naturale illos cineres, & corpora mortua, quæ stãtent sub forma cadaueris, disponeret, & præpararet naturaliter ad vnionem, & introductionem animarum rationalium, ergo licet cõcedamus agens naturale (quod quidem dari est impossibile) adhuc resurrectio non posset esse naturalis simpliciter, eo quod adhuc deessent dispositiones, & præparationes in materia ad introductionem formæ substantialis. Maior est manifesta, quia tale agens tunc non posset disponere illos cineres, & cadauera ad introductionem animarum rationalium, nec virtute seminis, nec virtute generatio-

C nis, quia resurrectio, non erit generatio, (in qua seminatur corpus animale,) sed reformatio in qua consurget corpus immortale.

3. Ratio.

Præterea, nullum agens naturale habet virtutem super formam separatam à materia, quia omnis actio agentis naturalis circa materiam est: Quapropter ad ea, quæ sunt à materia separata, nullo modo attingere potest: In hoc quippe differunt, Deus qui est agens supernaturale; & creatura, quæ est agens naturale physicumvè; quia scilicet Deus habet virtutem super formam, siue sit in materia, siue sit separata à materia; agens vero naturale tantum attingit formam coniunctam materiæ, & nullo modo potest attingere formam separatam à materia. At anima rationalis ex se, & ex sua natura propria est separata à materia, quinimmo

Agens supra naturale, & naturale in quo differũt.

D dum separatur a corpore per mortem hominis, existit per se extra materiam, vt tenet fides Catholica; ergo licet concedamus tale agens naturale, & inclinationẽ naturalem in cineribus, & etiam dispositiones, & præparationes in talibus cineribus, & cadaueribus, adhuc tale agens naturale minime posset attingere animam rationalem ad causandum vnionem cum corpore, quia ipsa separata est à materia; & ideo extra virtutem agentis naturalis cuius virtus tantum se extendit ad formas materiæ coniunctas, vt est manifestum.

Impugnatur nostra opinio. 1. argum.

Verumenimuero contra hanc tertiam assertionẽ nostrã insurget aliquis. Primo quia tale desideriũ nõ esset frustra in cineribus, quia desiderium debet aliquando reduci ad actum vt patet de appetitu, & desiderio materiæ primæ ad formas, frustra enim (ait Philosophus) est potentia, quæ non reducitur ad actum. Item ne-

2. argum.

E cessario ponenda est inclinatio naturalis in cineribus ad animas, quod patet, quia si nulla esset inclinatio naturalis in illis cineribus ad animam, eodem modo se haberent illi cineres ad animam, sicuti alij pulueres, & per consequens non appareret differentia, quare ex illis cineribus, & non ex alijs pulueribus reficeretur in resurrectione, corpus animæ coniungendum. Rursus quia maior est dependentia corporis ad animam quam anima ad corpus: anima autem separata à corpore adhuc habet aliquam dependentiam ad corpus, ob idque retardatur eius motus ad Deum propter appetitum

petitum corporis, vt dicit D. Dionysius, lib. de diuinis nominibus cap. 4. p. 1. & per consequens multo fortius corpus separatum ab anima adhuc habere debet naturalem inclinationem ad animam illam.

fol. ad 1. Ad horum primum respondeo, propositionem illam, scilicet, naturale desiderium non posse esse frustra; & ideo ipsum quandoque educendum esse ad actum, non semper verificari in eodem genere. Aliquando namque naturale desiderium reducitur ad actum per aliquod reducens non eiusdem generis, puta naturalis, quemadmodum naturale desiderium beatitudinis hominis reducitur ad actum solummodo mediante gratia diuina, sic, & resurrectio ab agente tantum extra genus naturale, id est Deo, fieri potest. Hoc dicimus ponendo (per hypothesim) inclinationem naturalem in cineribus, quæquidem inclinatio naturalis iuxta doctrinam D. Thomæ, & nostram sententiam in cineribus minime ponenda est.

fol. ad 2. Ad secundum respondetur, in cineribus nullo modo esse inclinationem naturalem ad animas, sed inclinationem quandam ad easdem animas, ex ordine diuinæ prouidentiæ, quæ statuit illos cineres iterum animæ coniungi debere, & ex hoc nascitur quod illæ partes elementorum iterato coniungantur, & non aliæ.

fol. ad 3. Ad tertium dicitur, quod anima separata à corpore manet in eadem natura, quam habebat dum corpori erat coniuncta, quod de corpore non est dicendum, cum post separationem animæ varias accipiat formas successu temporis, & ideo non est simile.

Corollarium primum. Ex dictis, ad plenariam huius quæstionis intelligentiam collige primo; in pulueribus, siue cineribus mortuorum corporum non esse inclinationem naturalem ad animas, sed tantum inclinationem ex diuina prouidentia. Ratio est quia corpus humanum potest resolui tam ad ipsa elementa, quam etiam in carnes aliorum animalium conuerti. Elementa vero sunt homogenea, & similiter caro leonis, & alterius animalis, & per consequens cum in alijs partibus elementorum, vel animalium non sit aliqua inclinatio naturalis ad animam rationalem, nec minus erit in alijs partibus, in quas conuersum est corpus humanum: vide de hac re D. Augustinum in Enchyrid. cap. 88. & S. Thom. in 4. sent. dist. 43.

Cineres corporum mortuorum cur non habeã inclinationẽ ad animam rationalem.

Corollarium 2. Secundo collige, in tota natura haudquaquam reperibile esse agens naturale, qui possit per se resurrectionem mortuorum corporum efficere causando vnionem corporis, & animæ.

Corollarium 3. Tertio collige, nullum agens naturale posse cineres, seu pulueres disponere, & præparare ad vnionem animæ cum corpore in resurrectione.

Corollarium 4. Quarto tandem collige, nullum agens naturale posse attingere animam rationalem ad causandam vnionem cum corpore: nam anima rationalis est ex sua natura à materia separata; agens autem naturale tantum attingere potest formas materiæ coniunctas, & sic per naturam impossibilis est vnio corporis, & animæ rationalis in resurrectione.

Solutiones ad præcipua argumenta. Argumenta autem principalia in exordio quæstionis posita dissoluenda vtique sunt. Dicimus itaque ad primum, quod possibile est resurgere idem numero corruptum supernaturaliter tamen, & miraculose virtute, nempe Dei operante, & nullo modo id fieri posse per naturam, siue per aliquod agens naturale, quia, vt bene argumentum probat, à priuatione enim ad habitum, non est regressus, vt ait Philosophus. Cæterum hoc est intelligendum naturaliter, sed non supranaturaliter; quia Deus per suam omnipotentiam, à priuatione ad habitum potest dare regressum, & sic potest Deus idem numero corruptum reproducere. Ad cætera autem, quæ in eodem argumento sequuntur facilis est exitus; quia Deus in sua actione, & operatione à tempore, a loco, & à motu causæ secundæ, quæ sunt indiuiduales differentiæ haudquaquam dependet, & sic potest sua omnipotentia eumdem motum, eamdemque actionem, per quam indiuiduum incepit esse, reproducere, quid, quod, istud de eodem motu, & de eadem actione non requiritur ad resurrectionem, quæ erit motus supernaturalis.

fol. ad 1. A priuatione ad habitum est regressus supernaturaliter.

fol. ad 2. Durandus in 4. Ad secundum respondetur cum Durando in 4. sent. dist. 43. q. 1. ad 2. quod plures actiones, per quarum quamlibet producitur terminus actionis, ita vt sit, & non solum vt sit in hoc, non possunt terminari ad eũdem terminum numero, sed secundum multiplicationem talium actionum, est multiplicatio terminorum, si autem sint tales actiones, per quarum neutram adquiritur terminus, vt sit, per aliam vero non adquiratur, vt sit, sed solum, vt sit in hoc, vel aliud in ipso, tales actiones possunt esse ad eumdem terminum numero, sicut patet in motibus localibus. Quia enim per motum non adquiritur locus, vt sit, sed solum, vt mobile sit in loco; ideo plures motus possunt esse ad eumdem locum, nunc est ita, quod generatio, & resurrectio sunt tales actiones, quod per generationem adquiritur terminus vt sit, siue complectiue, siue dispositiue; per resurrectionem vero non adquiritur, vt sit, sed solum vt sit in hoc, hoc est vt anima sit in tali materia; & ideo hæ duæ actiones possunt ad eumdem terminum numero terminari.

Resurrectio, & generatio in quo differant.

fol. ad 3. Tertium solutum manet, ex eo quod resurrectio non est possibilis naturaliter, sed supernaturaliter.

Quæstio. II.

Vtrum de facto futura sit mortuorum corporum resurrectio?



PRO decisione sit assertio. De fide tenendum est futuram esse de facto mortuorum corporum resurrectionem. Hæc est contra Saducæos, Albanenses, Seuerianos, Valentinianos, Albigenses, Proclianitas, Antilutheranos, Dauidicos, Samaritanos, & alios hæreticos, carnis resurrectionem negantes; ac etiam contra Pharisæos, resurrectionem habentes, tamquam problema neutrũ, existimantes illã non contineri in lege Dei, ac etiam contra Porphyrium, & Alexandrum Ærarium hæreticum, existimantem carnis resurrectionem iam factam esse, nec aliam corporum expectandam. Et probatur. 1. assertio.

1. Ratio. Primo; quia futura mortuorum corporum de facto resurrectio, expresse continetur in sacra Scriptura. Nam Apostolus 1. Thess. 4. ait: [Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut, & cæteri, qui spem non habent (scilicet resurrectionis) hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos qui viuimus, qui residui sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt; quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.] Et Iob. 19. [Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne

mea

mea videbo Deum Saluatorem meum.] & Isa. 26. [Viuent mortui, interfecti mei resurgent,] & alibi, [Resurgent mortui, & resurgent, qui erunt in sepulchris.] & 4. Esdræ 2. [Dicit Dominus, & resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognoui nomen meum in Israel.] & 4. Esdræ 14. [Iudicium enim per mortem veniet, quando iterum reuiuiscemus, & tunc iustorum nomina parebunt, & impiorum facta ostendentur.] & Ezech. 37. [Ecce ego aperiã tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus, & educam vos in terram Israel.] & 2. Machab. 7. [E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.] & 2. Machab. 12. [Nisi eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.] & etiam Matth. 22. sic dicitur: [De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium.] & Marci 12. [De mortuis, quod resurgant non legistis in libro Moysi.] & Lucæ 20. [Quia resurgant mortui, & Moses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum, Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei.] Sunt & alia pene infinita loca sacræ Scripturæ, tam in veteri quam in nouo Testamento, quæ ad litteram de futura corporum mortuorum resurrectione intelliguntur; ergo de facto talis corporum mortuorũ resurrectio, futura erit de fide.

2. Ratio. Præterea, id quod continetur in Symbolo fidei, tenendum est de fide: quia fidei articulus est; mortuorũ autem corporum futura resurrectio in fidei Symbolo expresse continetur; nam in Symbolo Apostolorum sic dicitur: [Carnis resurrectionem,] & in Symbolo Patrum sic habetur: [Et expecto resurrectionem mortuorum.] & in Symbolo D. Athanasij sic dicitur: [Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cũ corporibus suis] & insuper idem habetur in omnibus Concilijs generalibus sanctæ matris Ecclesiæ, de hac re tractantibus; quoniam in his, quæ sunt fidei nullum Concilium legitimum, discrepat; ergo, &c.

3. Ratio. Rursus, quia ordo naturæ resurrectionem corporum mortuorum postulat: nam non decet auctorem naturæ potissimam inter creaturas relinquere imperfectã, quoad inclinationem naturæ: At anima rationalis est vna de potissimis, & nobilioribus creaturis, vtpote, ad imaginem Dei facta: Ergo non decet eam in perpetuam remanere imperfectam, quoad inclinationem naturæ. Maneret autem imperfecta, si semper esset à corpore separata, cum naturaliter appetat vniri corpori, sicut forma materiæ, ergo decet auctorem naturæ eam corpori reunire, quod fiet in resurrectione.

4. Ratio. Insuper donũ Xpi est maius quam Adæ peccatum, vt patet per Apostolum ad Rom. 5. At mors hominis per peccatum introducta est, quia si peccatum non fuisset mors nulla esset; ergo per donũ Xpi, à morte reparabitur homo ad vitam. Consequentia est aperta, dicente Apostolo: [Sed non sicut delictum ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundabit.] Quibus verbis aperte docet Apostolus futuram esse resurrectionem carnis per donum Christi. Nam si delictum Adæ mortem carnis in omni sua posteritate causauit, (de qua re etiam vide Conc. Trid. sess. 6. decreto de originali peccato) multo magis donum Christi resurrectionem carnis causabit; alioquin delictum magis esset in destruendo, quam donum in construendo, quod est contra mentem Apostoli. Vt ergo donum sit æquale delicto, oportet, quod resurgant homines, vt autem sit maius oportet, quod resurgant in melius commutati, & hoc est verum de omnibus, quantum est ex parte sufficientiæ doni Christi, licet non nisi de aliquibus, id est de bonis, quantum est ex parte, & doni, & recipientium donum; a fortiori igitur concludit Apostolus resurrectionem mortuorum esse futuram per donum Christi, quando dixit, quod donum illud erat maius quam debitum: sufficiebat enim pro resurrectione tantum præcise concludendo dicere, quod donum non erat minus quam delictum sed ipsi æquale.

Porro istud patet ex ordine diuinæ iustitiæ, decet enim diuinam iustitiam, vt ille qui meruit præmietur & qui demeruit puniatur: At qui meritum, & demeritum quamuis principaliter consistant in actibus ipsius animæ, tamen ad hoc operatur totum compositũ; quia actiones sunt suppositorum, ad hoc etiam cooperantur virtutes, quæ sunt totius compositi, vt sensus; & phantasia sine quibus non sunt intelligere, & velle, nec per consequens meritum, nec demeritum, solus etiam status animæ in corpore est status merendi, & demerendi, quia post mortem nullum est meritum, aut demeritum; ergo decet diuinam iustitiam, vt homo præmietur, vel puniatur, non solum in anima, sed etiam in toto composito, quod non potest esse nisi per resurrectionem, quæ erit in beatis in augumentum gloriæ, & in reprobis in augumentum pœnæ. Accedit quod ratio, & perfectio naturæ, quæ consistit in toto composito, non est in altera eius parte, quia perfectio hominis non stat præcise in anima, nec præcise in corpore, sed in illa vnione corporis, & animæ. 5. Ratio.

Amplius, membra debent esse corpori conformia, & præcipue capiti, atqui caput nostrum, quod est Christus, viuit, & in æternum viuet in corpore, & anima, quia, vt dicitur ad Rom. 6. [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur,] ergo homines qui sunt eius membra viuent in corpore, & anima, & sic oportet carnis resurrectionem esse. Hinc ipsemet Apostolus 1. Cor. 15. ait: [Si Christus resurrexerit quomodo quidã dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.] Atqui Christus resurrexit, & resurgens ex mortuis, iam non moritur, egro, &c. 6. Ratio.

Postremo: anima hominis est immortalis, & incorruptibilis, ergo non manebit in æternum extra corpus, cum esset ei violentũ manere extra corpus, atqui redditio illa in corpus est resurrectio, ergo ponenda est resurrectio, quidquid dicant hæretici. 7. Ratio.

Sed contra hanc assertionem insurget aliquis. Primo sit mulier, quæ habeat septem viros defunctos, percontor modo in resurrectione hæc mulier cuius erit vxor? plane non assignabitur ex his septé, quis feminæ istius vir erit. Non enim est maior ratio de vno quàm de alio, cum omnes successiue illam in matrimonium duxerint consummatum, nec minus est affirmandum septem omnium simul esse vxorem, cum vna, vni tradenda semper sit viro ex præcepto Dei, qui vni Adamo vnam solam Euam in vxorem condidit, ergo de facto non erit futura resurrectio. 1. argum.

Secundo sic. Si de facto futura esset resurrectio maxime propter remunerationem bonorum, & punitionem malorum, vt videtur insinuare Apostolus. 1. Cor. 15. dicendo: [Si enim in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus:] atqui absque resurrectione potest esse remuneratio bonorum, & punitio malorum, ergo non oportet propter hoc ponere futuram resurrectionem. Assumptio probatur. Quia eadem ratio videtur de punitione aliquorum malorum, & omnium: atqui quædam mala puniuntur, tantum in anima absque corpore, sicut peccata illorum, qui sunt in purgatorio, vbi sunt animæ sine corporibus; ergo videtur quod illo modo possint omnia mala sufficienter puniri, & bona similiter remunerari. 2. argum.

Item, vltimum rei est perfectissimum in re, quia per illud attingit finem suum, atqui perfectissimus status animæ 3. argum.

animæ est, vt sit à corpore separata; quia in hoc statu conformis est Deo, & Angelis, & magis pura, quasi separata ab omni extranea natura, ergo separatio à corpore est vltimus status eius, & ita ex hoc statu non redit ad corpus, sicut nec ex viro fit puer.

Deniq; mors corporalis in persona hominis est introducta, proxima præuaricatione, vt patet, Gen. 2. sicut & mors spiritualis, quæ est separatio animæ, à Deo est inflicta homini pro peccato mortali: At de morte spirituali numquam redeunt ad vitam post sententiam dānationis acceptam, ergo de morte corporali ad vitam corporalem non erit regressus, & sic resurrectio non erit.

Sol. ad 1. Ad primum istorum respondetur; quod in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt homines sicut Angeli Dei in cælo, & per consequens, talis femina, nullorum erit tunc vxor.

Sol. ad 2. Ad secundum dicitur, quod finalis, & completa remuneratio bonorum, & punitio malorum, non potest esse in anima solum, sed in toto copofito. Ad illud autem quod dicitur de illis, qui in purgatorio, in anima tantum puniuntur; respondetur, quod illi non merentur finalem punitionem, cum non sint damnati simpliciter, sed saluandi, puniuntur tamen secundum quid quatenus sunt debitores alicuius pœnæ citra pœnam finalem damnatorum simpliciter, qui punientur in anima, & corpore. *(Animæ in purgatorio qualiter puniantur.)*

Sol. ad 3. Ad tertium liquet solutio, ex eo quod cæteris paribus perfectior est status animæ in corpore, quam extra corpus, quia est pars totius compositi, & omnis pars integralis, materialis est respectu totius, & quamuis sit Deo conformis secundum quid, non tamen simpliciter; tunc enim simpliciter loquendo est aliquid maxime Deo conforme, quando habet quidquid conditio suæ naturæ requirit; quia perfectionem diuinam tunc maxime imitatur, vnde cor humanum est Deo immobili magis conforme quando mouetur, quam quando quiescit. Quia perfectio cordis est in moueri, & eius quies, est eius destructio. *(Status animæ & corporis qualiter se habeant ad inuicem.)*

Sol. ad 4. Ad quartum respondetur, quod mors corporalis est introducta per peccatum Adæ, quod est, morte Christi deletum, vnde pœna illa non manet in æternum, sed peccatum, quod mortem æternam per impœnitentiam inducit, vltra non expiabitur, & ideo mors illa æterna erit.

S. Thom. Hæ duæ solutiones vltimæ sunt D. Thomæ nullo prorsus discrepante verbo in 4 sent. dist. 43. & in add. ad 3. p. q. 75. art. 1. in solutione ad 4. & ad 5.

2. assertio. Secunda assertio, rationes quibus mortuorum corporum resurrectio probatur futura de fide, non faciunt fidem, nisi habenti fidem. Hæc assertio probatur. *(Rationes concludentes resurrectionem faciunt fidem in habentibus fidem.)*

1. Ratio. Primo, quia forma tantum dat esse materiæ dispositæ, & præparatæ; credere autem non potest, nisi volens quia ad credendum requiritur pia affectio ex parte voluntatis iuxta illud Apost. ad Rom. 11. [Corde creditur ad iustitiam,] vbi nomine cordis, intelligit Apostolus, teste D. Thom. voluntatem. Et sic est sensus: voluntarie credimus ad iustitiam: Et idem habetur ex Isaia, dicente testante Apostolo, [Domine quis credet auditui nostro.] Et paulo post subiungit Propheta, [tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi:] Idem habetur ex cap. 15 Ioan. vbi sic scribitur: [Cum tot signa fecisset in eis, non credebant.] Et id ipsum affirmat D. August. tract. 26. super Ioan. dicendo: [Potest quis in Ecclesiam intrare nolens, & accedere ad altare, credere autem non nisi volens.] Ergo rationes, siue demonstrationes, quibus de fide probamus carnis resurrectionem, de facto futuram, tantum facient fidem in habentibus fidem, & in volentibus credere, quia nisi credant num-

F quam eas intelligent, iuxta illud Isaiæ: [Nisi credideritis non intelligetis.]

Præterea, quælibet demonstratio ex se apta nata est ad scientiam faciendam: atqui demonstratio constans ex principijs mathematicis, tantum mathematico, & demonstratio constans ex principijs physicis, tantum physico, & insuper demonstratio cōstans ex principijs methaphysicis, tantū methaphysico, scientiā faciunt, & generant; igitur demonstrationes, quibus concludimus articulū fidei resurrectionis carnis, tantū facient fidē, habētibus fidē: quia id quod per tales demōstrationes concluditur, fides est, sicut scientia est, quæ per demonstrationes mathematicas, physicas, & methaphysicas concluditur; consequentia est aperta, quia non est maior ratio, de vna demonstratione, vel ratione, quam de alia, obidque, quemadmodum demonstratio, siue G ratio mathematica, physica, logica, aut methaphysica, in rustico non generat scientiam; sic rationes, siue demonstrationes, quibus concludimus articulum fidei, in infideli non facient fidem, sed tantum in credentibus, & fidem habentibus. 2. Ratio.

Ex his colligo, primo: Picum Mirandulanum aberrasse dum in sua Apologia 98. existimat posse intellectum cogi ad assensum articulorum fides, aut propter miracula, aut propter testimonia, aut rationes suadentes; ita vt velit, nolit voluntas, non possit intellectus non assentiri, & idem dico de Occamo in suis Quolibetis, & de Olchoth, in p. q. p. & de Francisco de la Marchia, & de alijs nominalibus, ac etiā Parisiensibus, quos sequutus fuit Picus Mirandulanus in hac sua opinione, vt testis est Petrus Garcia in apologia edita contra Picum Mirandulanum. *(Appendix 1. Error quorundam fidelium circa credendi modum. — Petrus Garcia in Apolog. contra Picum Mirandulanum.)*

H Secundo colligo: Nos Catholicos Christianos, qui fidem Domini nostri Iesu Christi totius mundi redemptoris firmiter profitemur, mortuorum corporum resurrectionem de facto futuram, non tenere eam, vt naturaliter probatam, sed ex fide creditam, cum sit vnus de articulis fidei: Et quamuis Apostoli in constitutionibus Apostolicis, lib. 5. cap. 8. auctore Clemente Papa, & Martyre ita dicant: [Quod si Græci (id est Gentiles) deridentes nos, non credentes nostris scripturis, saltem fidem habeant vati suæ Sybillæ, quæ ad verbum ita inquit. *(Appendix 2. Resurrectionem carnis qualiter teneant Catholici. — Sybilla græca citatur in constitution. Apostolicis.)*

Atque vbi cuncta cinis fuerint, tenuisque fauilla,
I *Atque idem Deus extinguet quem incenderat ignem,*
Ossaque restituet rursum, cineresque sepultos,
Et genus omne hominum (vt fuerant) Deus ipse reponet,
Tunc graue iudicium veniet, quo iudicet orbem,
Ipse iterum Deus, hosque iterum iam terra recondet,
Qui male vitam agere fuerint vbicumque reperti,
Sed quoscumque pios viuos susceperit orbis,
Inspirante Deo flatum, gratumque fauorem.
K *Mittente inter eos traducent suauiter æuū,*
Mutuaque inter se, cumulabunt gaudia læti.

(Carmina Sybillina de carnis resurrectione.)

Hęc ibi.] Non tamen ideo credendum est mortuorum corporum resurrectionem taliter fiendam, quia Sybilla dixit, sed quia fides Catholica docuit: Neque ad hoc principaliter astruendum adduxerunt Sybil-

Sybillam Apostoli, sed ad conuincendum infideles.

Appendix 3. Pharisæi qualiter habeant carnis resurrectionem. Tertio, & postremo colligo. Pharisæos mortuorum corporum resurrectionem habere tamquam problema neutrum, obidque apud Iudæos eam negare, peccato nullatenus imputabatur, quoniam non putabant Hebræi illam contineri in lege Dei, nec minus in sanctis litteris.

Quæstio III.

Vtrum omnes generaliter resurgent?



1. concl. resurgent omnes. 1. Ratio. PRIMA conclusio. De fide est neminem esse in specie humana qui in finali iudicio à cineribus non resurgat. Probatur. Tũ ex hoc textu: [Videbit eum omnis oculus.] Tũ ex illo Matt. 25. [Et congregabuntur ante eum omnes gentes.] Tum etiam ex illo ad Rom. 14. [Omnes stabimus ante tribunal Christi.] & 1. Cor. 15. [Omnes quidem resurgemus,] & idẽ habetur 1. Thess. 4. & Isa. 26. Esdræ 2. & 14. & etiam 2. Machab. 7. & 12.

2. Ratio. Præterea probatur ratione. Quoniam idem iudicium est de resurrectione, & de iudicio cum simul fiant: Atqui ad iudicium omnes pertinent, quoniam nemo est, qui non veniat ad iudicium, igitur nemo etiam erit, qui non resurgat.

3. Ratio. His additur, quod ea quorum ratio sumitur à natura spacifica, oportet similiter esse in his, quæ sunt eiusdem speciei: Atqui resurrectio est huiusmodi; ergo oportet, vt resurrectio sit generalis. Maior est manifesta ex se. Nam ratio spacifica ex æquo debet participari à suis inferioribus tam circa essentiam quam circa proprietates fluentes ab essentia. Minor vero probatur; quoniam resurrectio est ad beatitudinem, consequendã quæ est communis toti speciei humanæ. Vnde sicuti si aliquis (proportionaliter loquendo) non esset capax beatitudinis non esset homo; & per consequens impossibile est, quod aliquis homo resurgat, & non omnes; quoniam tunc conueniret resurrectio homini secundum quod sumitur ex ratione indiuidui, in qua non sunt omnes similes, & non ex ratione speciei, in qua omnes assimilantur.

Nota bene circa generalem resurrectionem. Et passim hic nota, quod aliud est resurrectionem hominis posse ex viribus specificis eius fieri, & aliud est, rationem resurrectionis hominis sumi ex natura specifica. Primum namque est falsissimum; quoniam à priuatione ad habitum (vt tenet Philosophus) non datur regressus. Secundum vero est verissimum, & necessarium iuxta fidem, secundum quam beatitudo æterna, vltimus finis, & perfectio omnium hominum ponitur; quamobrem resurrectio fiet ad hoc, vt anima rationalis non remaneat in perpetuum à corpore separata, & imperfecta in esse incompleto, quod est quædam imperfectio in specie humana; quinimmo resurgens, sit completa in specie: quoniam quamdiu à corpore separata est, tamdiu est in completa secundum speciem. Vult igitur Deus in resurrectione reformare hominem in statu completo, sicuti erat prius quando creatus est, vt sic per Christum Dominum, æqualis reparatio ad destructionem delicti Adæ fiat: Et quia delictum destruxit speciem, per hoc quod animam violenter ex corpore deturbauit, ideo resurrectio fiet ad restaurandam speciem opposito modo destructionis eius à delicto causatæ.

Resurrectio fiet ad speciẽ restaurandã.

4. Ratio. Vltimo eadem veritas probatur; quoniam resurrectio ideo est necessaria, vt resurgentes recipiant pro meritis pœnam, vel præmium: Atqui omnibus debetur præmium, vel pœna, pro merito proprio, vel alieno, igitur omnes resurgent, iuxta illud Ioan. 5. [Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei,] Quaquidem verba stant, tam pro electis, quam pro reprobis; tam pro paruulis, qui cum solo originali discesserunt, quam pro illis, qui ad sanctum baptismum peruenerunt.

2. concl. Secunda conclusio: Omnia corpora, quæ surrexerũt à principio mundi, vsque ad ascensionem Christi: & in die Ascensionis non introierunt in cælum simul cum glorioso corpore Christi, resurgent iterum in die generalis resurrectionis. Probatur. Tum quia generalis resurrectio est perfecta, & ad immortalem vitam absq; necessitate, & possibilitate iterum moriendi; sicuti resurrectio Christi, qui est caput nostrum, de quo ad Rom. 6. dicitur: [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.] Et sic nos in resurrectione generali, perueniemus ad vitam penitus immortalem: Atqui præfata corpora non surrexerunt resurrectione perfecta, vt tenet S. Thom. 3. p. q. 53. art. 3. Quoniam hi licet liberati essent à morte in actu, non tamen fuerunt liberati à necessitate moriendi iterum, quoniam mors illis adhuc dominatur. Tum denique quia manifestum est, quod prædicti resuscitati (qui nimirum, comitatui Christi in die ascensionis cum sola anima adfuerunt) quamuis à sua resurrectione vsque ad ascensionem Christi fuerint cum corpore in delitijs Paradisi, vel alicubi, tamen illo die deposuerunt corpora sua iterum, vt exutis corporibus eorum animæ cum Christo ad cælum ascenderent, vt videtur asseuerare Angelicus doctor 3. p. q. 53. art. 3. in sol. ad 2. & in 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 3. ad 3. citans vtrobique B. Augustinum, & beatum Hieronymum pro se. Quod etiam probatur, Quoniam quamuis multi in veteri Testamento per Eliam, & Eliseum resuscitati fuerint, & licet adhuc in nouo Testamento, Matth. 37. dicatur: [Multa corpora Sanctorum, qui dormierunt surrexerunt.] & ad Heb. 12. [Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos,] tamen pleraque corpora horum resuscitatorum cum corpore Christi non ascenderunt in cælum in die Ascensionis. Quod plane perspicuum fit: nam si aliquod corpus, tunc ascendisset cum corpore Christi, maxime esset corpus Dauid, & tamen de illo Act. 2. dicitur: [Sepulchrum eius apud nos est vsque in hodiernum diem,] At non apparet ad quid in æternum remaneant huiuscemodi corpora absque resurrectione perfecta ad immortalẽ vitã, igitur resurgent iterum in generali resurrectione. Hinc ante oculos habemus Lazarum à Christo ab inferis resuscitatum, qui nihilominus, Massiliæ Galliæ pro fide Christi iterum obijt; cuius corpus adhuc in terris manens, nõ peruenit adhuc ad vitam penitus immortalem, ad quam plane in generali resurrectione perueniet.

1. Ratio. Resurrectio erit ad vitam immortalem.

2. Ratio.

S. Thom. D. Aug. D. Hier.

3. conclus. Corpora resuscitata, quæ simul cum anima iam beatitudine æterna gaudent non iterũ resurgent in iudicio. Tertia conclusio: si aliqua corpora cum Christo in die resurrectionis resurrexerunt resurrectione perfecta, (vt vult Caietanus in suis comment. in 3. p. q. 53. art. 3.) vt beatitudo corporis Christi haberet socios, vel in die ascensionis ascenderunt in cælum, simul cum glorioso corpore Christi ad beatitudinem simul cum sua anima fruendam; vel alio quouis tempore post Christi ascensionem, vt creditur de corpore B. Virginis Mariæ, talia corpora non iterum resurgent in generali resurrectione. Probatur. Tum quia huiusmodi corpora iam resurrexerunt ad vitam penitus immortalẽ, quam semel adeptam, numquam demittere possumus;

1. Ratio.

2. Ratio. Tum denique quia talis resurrectio est iam anticipata ex speciali gratia, ita vt quod facturus est Deus cum omnibus corporibus in generali resurrectione iam fecerit cum tali corpore, vt docet S. Thom. in 4. sent. dist. 43. q. 1. art. 4. in sol. ad 2. & in addit. ad 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. sub his verbis: [Quamuis inter membra sint quædam alijs digniora, & magis capiti conformia

S. Thom.

non

non tamen pertingunt ad rationem capitis, vt sint causæ aliorum,& ideo ex conformitate ad Christum non debetur eis, quod eorum resurrectio præcedat resurrectionem aliorum, quasi exemplar exemplatum, sicut dictum est de resurrectione Christi, sed quod aliquibus sit hoc concessum, quod eorum resurrectio non sit vsque ad communem resurrectioné dilatata, est ex speciali gratiæ priuilegio, non ex debito conformitatis ad Christum.]Sic ille.

Quæstio IV.

An in resurrectione sit distinctio sexus?

1. assertio. D.Aug. S.Thom. Richard. Abulens. Guido.



RIMA assertio est affirmatiua, quam profitentur D. Augustinus lib.22.de ciuit.Dei,c. 27.S.Thom. in 4.dist.44.Richardus ibidem art. 1.q.10. & Abulensis super Matth. tom. 6. & est contra Armenorum errorem, qui (vt refert Guido, & meminit D.Augustinus præallegato loco) existimabant omnes homines resurrecturos esse in sexu virili,nullumque fore post resurrectionem femineum sexum: quem errorem Alphonsus à Castro, tit.Resur.habet pro hæresi. Assertio tamen probatur.

Error Armenorum euertitur.

1.Ratio. Primo quia Deus reparabit in resurrectione, quod in homine fecit in prima conditione; at in prima conditione,vt dicitur Gen.1. [Masculum,& feminam creauit eos,] & Gen.2. [Feminam fecit Deus de costa viri,] ergo ipse, sexum femineum in resurrectione reparabit.

2.Ratio. Præterea,in resurrectione ex mortuis, sexus forma non mutabitur, vt dicitur in Ecclesiasticis dogmatibus, loc. 70. At vir mortuus resurget in forma viri, ergo femina in forma feminæ.

3.Ratio. Item, sicuti considerata natura indiuidui, debetur diuersa quantitas diuersis hominibus;ita considerata natura indiuidui debetur diuersus sexus diuersis hominibus; quæquidem diuersitas competit perfectioni speciei, cuius diuersi gradus implentur per dictam diuersitatem sexus, vel quantitatis: Atqui resurgent homines in diuersis staturis(vt mox patebit)ergo in diuersis sexibus. Hoc argumentum est D.Thom. loco præallegato.

4 Ratio. Porro,resurrectio erit refectio eiusdem rei pristinæ secundum numerum,(vt infra patebit:) Atqui femina est à viro alia numero, ergo femina in suo sexu femineo resurget.

Sed contra hanc assertionem insurget aliquis.Primò quia Scotus existimauit posse esse, quod viri resurgant in sexu feminco,& feminæ in sexu virili, ijdem in numero,ex eo quod vir, & mulier solum accidentaliter distinguntur. Item quia ad Ephes.4.dicitur: donec occurramus omnes in virum perfectum,]ex quo sequitur quod in resurrectione non erit nisi sexus virilis. Item in resurrectione omnes resurgent sine defectu, & deformitate,sed sexus femineus est ex defectu naturæ,& præter eius intentionem,quia iuxta Philosophum.16. de Animalibus,] femina est quasi mas occasionatus,ergo sexus femineus non resurget.

1. argum. 2. argum. 3. argum.

Solutiones ad obiecta argumenta. Sol.ad 1.

Ad horum primum respondeo,quod licet vir,& mulier tantum accidentaliter distinguantur in natura specifica,tamen in natura numerica,& indiuiduali,numero differunt,& cum idem homo numero resurgere debeat, impossibilis est talis permixtio sexus, in resurrectione; & licet femineus sexus sit ex defectu naturæ,& præter eius intentionem, iuxta illud Phil. [Femina est quasi mas occasionatus,] est tamen præter intentionem naturæ particularis,& non vniuersalis.

Philos.lib. 16 de animalibus.

Sol.ad 2. Ad secundum dico, virum perfectum non ibi sumi ab Apostolo propter sexum virilem,sed propter virtutem animi,quæ erit in omnibus,& viris,& mulieribus. Vir enim dicitur à virtute, etiam secundum Ciceronem; & licet ponatur ad significandum mares, ex eo quod in maribus ordinarie apparet maior virtus,seu viuacitas, & fortitudo animi, quam in mulieribus;tamen,ly [vir]vtrumque sexum significat, masculinum scilicet, & femininum. Hinc est, quod de femina Gen. 3. dicitur: [Hæc vocabitur virago,quia de viro sumpta est,] & insuper aliquæ mulieres propter magnitudinem animi, & propter aliqua gesta, dictæ sunt viragines, quasi participantes illud à quo viri de nominatur.

Vir à quo dicatur. Vir vtrumq. sexum indicat. Vir agines dicuntur fortes mulieres.

Sol.ad 3. Ad tertium,plana est solutio,ex eo quod quamuis feminæ generatio sit præter intentionem naturæ particularis,est tamen de intentione naturæ vniuersalis, quæ ad perfectionem humanæ speciei vtrumque sexum requirit,nec ex sexu,vt ait S.Thom.erit ibi aliquis defectus,aut confusio.

Appendix. Et ex dictis apparet, quod ridiculum est opinari, quod aliqua persona resurgat vir, quæ mortua sit mulier.

2. Assertio. In resurrectione non erit generatio,nec libido.

Secunda assertio : In generali resurrectione nulla futura est generatio, nec carnalis copula : quinimmo aberit tunc libido incitans ad naturales, siue turpes actus,ex quibus modo confusio causatur. Et obid pudenda feminarum, tunc ad libidinem minime allicient,nec minus tunc remanebit subiectio mulieris ad virum. Hæc assertio probatur.

1.Ratio. Primo Christus Dominus Matth.22.dixit,[in resurrectione neque nubent,neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo.] At in Angelis non est generatio, nec copula carnalis,nec libido ad actus turpes, siue naturales, nec subiectio aliqua vnius ad alterum; ergo nec minus in hominibus post resurrectionem reperietur aliquod ex his.

2.Ratio. Præterea,modo mulier subditur viro propter imbecillitatem naturæ, & quantum ad vigorem animi, & quantum ad robur corporis: quamobrem mulieri dictum est Gen.3.[sub viri potestate eris.] At post resurrectionem in mulieribus non reperietur imbecillitas naturæ neque pusillanimitas animorum,aut debilitas corporum,aut debilitas,siue infirmitas rationis,& discursus, quia iuxta S.Thom.post resurrectionem non erit differentia in his secundum diuersitatem sexuum, ergo post resurrectionem non erit subiectio feminæ ad virum.

3.Ratio. Porro, status gloriæ nimis melior erit, quam status innocentiæ;quia hic status est viæ,& ille est status termini,& patriæ: At in statu innocentiæ non erat erubescentia nec libido ad actus naturales,siue turpes, quia Gen.2.dicitur,erant autem ambo,scilicet Adam,& Eua nudi,& non erubescebant,id est,ad actus turpes libido eos ob hoc non incitabat, ex quibus confusio causatur:ergo multo magis erit hoc in statu gloriç,& resurrectionis, vbi sunt futuri omnes impeccabiles.

Consectarium valde notandum pro vera intellectione huius quæstionis.

Ex hac assertione colligito, quod licet modo in baptizatis adsit concupiscentia,& fomes,quæ quamuis peccatum non sit,ex peccato est,& ad peccatum, & ad malum inclinat,iuxta Conc.Tridentinum in sess.5. decret.de peccat.origin. sic statuentem: [Manere autem in baptizatis concupiscentiam,vel fomitem,hęc sancta Synodus fatetur,& sentit,]quæ cum ad agonem relicta sit no-

sit nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu Christi gratiam, repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certauerit coronabitur: hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, ad peccatum inclinat; si quis autem contrarium senserit anathema sit] Hucusque Concil. Quamuis igitur modo in baptizatis maneat concupiscentia, & fomes inclinans ad malum, tamen in resurrectione generali, talis concupiscentia, & fomes peccati radicitus auferetur ab electis. Huius rei ratio est, ex eo quod modo motio libidinis, & inclinatio ad malum fit ex fomite, & ex concupiscentia, & sic Gen. 3. habetur, quod post peccatum commissum cognouerunt se esse nudos, id est erubuerunt. Propter quod & fecerunt sibi perizomata, & sic peccatum, & remotio originalis iustitiæ fuit causa totius confusionis, & cuiuslibet motionis ad concupiscentiam, & in electis in generali resurrectione, & in gloria nulla erit inclinatio ad malum neque confusio: Erimus namque sicuti Angeli Dei in cælo; & sic auferenda est, tunc ab electis omnis radix peccati, & per consequens fomes, & concupiscentia, quæ modo inclinat ad malum, tunc in electis minime erit; quapropter tunc inter electos verenda hominis, & pudenda feminarum, ex mutua visione, ad libidinem minime allicient; nec minus tunc ex tali mutua visione aliqua confusio, aut aliqua ad malum titillatio orietur. Hinc S. Thom. in 4 dist. 44 q. 1. art. 3. sic ait: [Et quamuis sit differentia sexuum, deerit tamen confusio mutuæ visionis, quia aberit libido incitans ad turpes actus ex quibus confusio causatur.] Sic ille. Erit igitur tunc, verenda hominis, aut pudenda mulieris videre, ac si manus, vel facies, vel oculus videretur, de quo nunc (vt patet) non erubescimus. Et hoc non solum intelligendum est de electis, verum etiam de reprobis. Sed de his cum grano salis loquendum vtique est, quia licet in istis tunc desit libido incitans ad turpes actus, tamen aderit illis confusio, saltem de peccatis iam commissis in hac vita, iuxta illud Psalmistæ: [Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.] vbi ly [peccator] impium in resurrectione significat, & ly [tabescet] confusionem in ipsis demonstrat, & turbationem, iuxta illud Sapientiæ 5. [Videntes turbabuntur timore horribili, &c.]

Rom. 6. 3. Coloss. 3. — Differentia huius status & status resurrectionis. — Resurrectio erit absque aliqua ad malum inclinatione. — Fomes peccati nō erit in resurrectione. — Pudenda mulierum, & verenda hominum in resurrectione ad libidinem minime allicient. — Titillatio carnis in resurrectione nullatenus hominibus aderit. — Psal. 111. — Sap. 5.

Tertia assertio. Resurget vnusquisque sexus in eodem corpore reformato ex eadem materia, numero, ex qua, tempore quo vixit erat compositus. Hæc est contra Durandum negantem in 4. sent. dist. 43. quæst. 3. idem corpus numero redditurum. Illam tamen tenent S. Thom. in 4. sent. & 4. cont. gentes, cap. 10. & quolib. 11. Richardus in 4. dist. 44. art. 1. Scotus q. 1. Paludanus, Capreolus, & communiter omnes Scholastici Doctores in 4. sent. Probaturque. Tum ex illo Iob 19. [In nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.] At non esset caro mea si non resurget idem corpus meum numero igitur, &c. Tum ex illo Apost. 2. Cor. 5. [Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, &c.] Atqui nō reciperet vnusq. propria corporis prout gessit si nō resurgeret idem numero corpus; quia propria huius corporis prout sic, nequeunt esse propria alterius numero corporis: Quoniam apud Philosophos, ratio formalis vnius prout sic, nequit esse alterius. Tum deniq; quia Christi Domini surrexit idem numero corpus, quod dum vixit habuit, vt fides docet; ergo in vltimo die resurget etiam idem numero corpus, quod vnusquisq; homo habuit dum vixit. Consequentia liquet; quoniam nostra resurrectio debet se conformari resurrectioni Christi, qui est caput nostrum vt fides tenet.

3. Assertio. Idem corpus numero quod vnusquisq; sexus dum vixit habuit resurget. — Durandus improbatur. — S. Thom. — Richard. — Scotus. — Paludanus. — Capreolus. — 1. Ratio. — 2. Ratio. — 3. Ratio.

Circa hanc difficultatem vide Franciscum Suarez tom. 2. in 3. p. D. Thom. q. 53. art. 1. disp. 44. sect. 3. vbi perdocte refutat Durandum, & eius præcipuum fundamentum.

Nota bene. Fran. Suarez.

Quarta assertio. Vtrique sexui tam in electis, quam in reprobis erit plena restitutio membrorum, eorum videlicet, quæ sunt de integritate corporis humani, etiamsi in vita illis caruerint. Hæc est D. August. in Enchyrid. cap. 22. & quantum ad electos probatur ex illo Apost. 1. Cor. 15. [Mortui resurgent incorrupti,] id est, absque aliqua læsione membrorum, vt ibi explicat Gloss. ordinaria; & quamuis circa reprobos, inter Theologos sit aliquod dubium, an scilicet illis restituenda sint illa membra, quibus in vita fuerunt orbati (nam D. Bonauentura, & Durandus in 3. sent. tenent reprobos resurrecturos esse veluti ex hac vita migrarũt, licet Richardus, S. Thomas, & Scotus ibidem dist. 44. contrarium incunctanter asseuerent,) tamẽ locus præallegatus Apostoli, nullum ponit discrimen inter reprobos, & electos circa membra, quinimmo de omnibus, inquit, [mortui resurgent incorrupti,] penes corporum integritatem, vt ibi explicat Gloss. Quid, quod, resurget vterque sexus cum capillis, vnguibus quatenus sunt naturæ ornamentum, vt tenet D. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei cap. 19. Porro resurgent monoculi cum duobus oculis, & martyres cum membris, quibus in contumeliam Christi priuati fuere, in quibus cicatrices, vt sol, & gemmæ splendidissimæ in eorum gloriam accidentalem, fulgebunt, & nullatenus cicatrices erunt in eis aliqua deformitas. Quoniam teste D. Aug. vbi supra, corpora electorum absque aliqua deformitate resurgent, quia omnis deformitas ad aliquod vitium pertinet. Et tandem reprobi cum cicatricibus quas in vita ob eorum scelera obtinuerunt resurgent. Et quia plerique dicunt, quod manebunt in eis ad maiorem confusionem, & alij quod resurgent sine eis, quia in reparatione corporis resurgentis, magis attenditur naturæ perfectio, quam conditio, quæ prius fuit; ideo in his explicandis non immoramur, quoniam teste Magistro in 4. sent D. Aug. in Enchyrid., hoc indeterminatum reliquit dicens, quod nos fatigare non debet eorum incerta habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio. Verum est tamen, quod electorum corpora sine deformitate aliqua (vt dixi) Omnes insuper vtriusque sexus resurgent in eadem iuuenili ætate, & in virtute, & robore corporis, quod homines trigesimotertio anno habere solent, iuxta illud ad Ephes. 4. [Donec occurramus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi,] ac etiam in eadem corporis statura, & quantitate quam habuit homo natura non errante, aut impedita, vel habiturus esset si perfectam attigisset ætatem, vt tenent D. August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 15. Richardus in 4. dist. 43. art. 1. q. 9. & S. Thom. ibidem q. 1. art. 2. Ad quam quidem identitatem pertinent dimensiones staturæ, vultus, coloris, & cæterorum identitas, exceptis deformitatibus, quæ (vt Dudum retulimus) in electis auferentur. Manente igitur naturali substantia, in vnam pulchritudinem (teste D. August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 19.) qualitas concurret, & quantitas, ita vt nihil periturum sit de corpore. Et ita etiam vt deforme nihil sit in corpore. Hinc ipse loco allegato sic scribit: [Semel quippe intellecto ita nihil periturum esse de corpore, vt deforme nihil sit in corpore, simul intelligetur ea quæ deformem factura fuerant enormitatem, massæ ipsi accessura esse, non locis in quibus membrorum forma turpetur. Velut si de limo vas fieret, quod rursus in eumdem limum redactum totum de toto iterum fieret, non esset necesse, vt illa pars limi, quæ in ansa fuerat, ad ansam rediret, aut quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum, dum tamen totum reuerteretur in totum, id est totus ille limus, in totum vas, nulla sui perdita parte remearet.] ita D. Augustinus. Et Magister sent. in 4. dist. 44. hoc aliud affert exemplum. [Quemadmodum (inquit) si statua cuiuslibet solubilis metalli, igne liquesceret, vel contereretur in pulnerem, vel confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursum ex illius materia, & quantitate reparare, nihil interesset ad eius inte-

4. assertio. Membrorum restitutio fiet vnicuique in resurrectione carnis. — D. Aug. — Gloss. ordin. — D. Bonau. Durandus. S. Thom. Scotus. — Capilli, & vngues quatenus sint naturæ superfluitates, sunt nihilominus ornamenta. — Monoculi resurgent cum duobus oculis. — Martyres resurgent cum omnibus suis membris, & partibus. — Opinio diuersa Theologorum. — Dist. 43. D. Aug. — Resurgentiũ ætas iuuenilis. — Resurgentiũ statura. — D. Aug. Richard. S. Thom. — Resurrectio nullatenus patietur aliquid deforme in corpore. D. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei c. 19. — Comparatio. — Mag. in 4. Comparatio.

A a gri-

gritatem, quæ particula materiæ, cui membro statuæ redderetur; dum tamen totum ex quo constituta fuerat restituta resumeret. Ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet, nec aliquid attinebit ad eius reintegrationem, vtrū capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quidquid eorum perierat mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur conante artificis prouidentia, nequid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.] Hucusque Magister, qui plane hæc omnia ex D. Augustino in Enchyrid. cap. 7. & 72. deprompsit, & suo operi sententiarum affixit.

5. assertio. Identitas in materia singulorum mēbrorū est de necessitate resurrectionis.

Quinta assertio. Hæc membrorum restitutio est de necessitate resurrectionis. Tenet hanc assertionem S. Tho. in 4. sent. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. Et quia D. Augustinus in Enchyrid. c. 89. & lib. 22. de Ciuit. Dei c. 19. expresse negat hoc esse de necessitate resurrectionis, quamquidem sententiam amplectuntur Anselmus, in Elucidario, & ad Ephes. 4. Gabriel in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. conclus. 6. sufficiat ad plenam probationem huius assertionis apponere hoc in loco verba D. Thom. quæ sunt tenoris sequentis: [Differt considerare quid fieri possit sine identitatis præiudicio, & qd fiet vt congruētia seruetur. Quantum ergo ad primū, sciendum, quod in homine possunt accipi diuersæ partes totius dupliciter: Vno modo diuersę partes homogenei, sicut diuersæ partes carnis, vel diuersæ partes ossis: Alio modo diuersæ partes diuersarū speciērū totius etherogenei. Si ergo dicatur: quod pars materiæ redibit ad aliam partem speciei eiusdem hoc non faciet nisi varietatem in situ partium; situs autem partium variatus, non variat speciē in totis homogeneis, & sic si materia vnius partis redeat ad aliam, nullum præiudicium generabitur identitati totius: & ita etiam est in exemplo, quod ponitur in littera, quia statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam, secundum quam est substantia quædam: si autem statua est homogenea, quamuis non secundum formam artificialem. Si autem dicatur quod materia vnius partis redit ad aliam partem alterius speciei, sic de necessitate variatur non solum situs partium, sed etiam identitas ipsarum, ita tamen si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humanæ naturæ in vna, in aliam transferatur; non autem si aliquod quod erat in vna parte superfluum, transferatur in aliam: ablata autem identitate partium, aufertur identitas totius, si loquimur de partibus essentialibus; non autem si loquimur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli, & vngues, de quibus videtur loqui Augustinus; & sic patet qualiter translatio materiæ de parte in partem tolli identitatē totius, & qualiter non: sed loquendo secundū congruētiam magis probabile est, quod etiam situs partium idē seruabitur in resurrectione, præcipue quantum ad partes essentiales, & organicas, quamuis forte non quantum ad partes accidentales, sicut sunt vngues, & capilli.] Hæc D. Thom.

S. Thom. in 4. sent.

Nota diuisionem partium hominis.

Nota situm partium hominis in resurrectione.

Quæstio V.

An de necessitate resurrectionis, sit eadem vnio animæ, & corporis, quę antea erat?



RO parte affirmante potest sic argui: Quia de essentia hominis non tantum sunt materia, & anima; sed etiam vnio earum inter se, ergo de ratione huius hominis non tantum est hæc materia, & hæc anima, sed etiam hæc vnio igitur vt verum sit reparari hunc hominem absolute, necessarium est etiam hanc vnionem materiæ, & formæ restitui.

1. assertio.

Pro decisione sit prima assertio. Vnio animæ, & corporis eadem in specie cum priori, quæ antea erat necessaria est ad resurrectionem. Probatur: Quoniam in resurrectione necesse est, vt anima informet corpus modo, & causalitate formali connaturali ipsi animæ; & è contrario, vt materia suscipiat animam componatque hominem, concurrendo etiam modo connaturali in genere causæ materialis: At hic causalitas necessario est futura eiusdem rationis, & speciei; igitur vnio, quæ est ipsamet causalitas, seu quasi via in suo genere ad effectum istarum causarum componendum. Accedit quod homo resuscitatus erit vnius speciei, ergo vnio, & informatio, per quam tunc componetur oportet sit vnius tantum rationis specificæ. (1. Ratio; 2. Ratio.)

2. assertio.

Secunda assertio. Vnio materiæ, & formæ eadem numero cum priori, quæ antea erat non est de necessitate resurrectionis. Hæc est D. Thom. in 4. sent. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. Et probatur, Quoniam principia, quæ simpliciter constituunt hunc hominem, sunt materia, & forma; vnio autem est conditio, & quasi via & causalitas in genere causæ materialis, & formalis, ad hunc effectum constituendum, & ideo effectus, seu homo, erit simpliciter idem numero, si ex eisdem principijs constet, etiamsi vnio sit numero diuersa. Quemadmodum si Christus (quod impossibile plane omnino est) humanitatem dimitteret, & iterum illam assumeret per aliam vnionem numero distinctam, nihilominus persona composita eadem numero esset quæ antea erat. (1. Ratio.)

2. Ratio.

Præterea modus vnionis non habet entitatem propriam, sed solum est modificatio entitatis, & non habet vnitatem numericam ab ipsa entitate quam modificat; cum in eadem entitate possint numero differentes modi successiue fieri, igitur indiuiduatur hic modus, ex eo quod hic & nunc sit in tali re, ergo hoc ipso quod sit diuerso tempore, & diuersa ratione, quam prior modus, necessario erit numero diuersus.

3. Ratio.

Tertio; & postremo probatur, quia res successiue, quæ simul transeunt, nequeunt eædem numero restitui: quoniam sunt modi quidam qui per se indiuiduantur, ex eo quod hic, & nunc fiant. Quamobrem si ille modus vnionis idem numero restitui posset etiam eadē numero sessio poterit restitui, & per consequens eadē circulatio, & quælibet alia res successiua; quod plane rationi affine nullatenus apparet: alioquin sequeretur etiam ex natura rei semper redire eumdem numero modum quandocumque in eadem re, & in ordine ad idem iterum, atque iterum redit. Quemadmodum si postquam surrexit Petrus, & iterum sedet in eodem loco, & cum eodem omnino situ, eadem omnino sessio fiet, quæ ante præcesserat, & idem est de figura, motu, & similibus, de quauis ex nouem cathegorijs accidentium. Quoniam in his nulla est ratio distinctionis nisi temporis diuersitas, ergo vel hæc numquam satis est ad numericam diuersitatem, & ita redibit semper idem numero, vel si aliquando sufficit semper illam efficiet.

3. assertio.

Tertia assertio. Nō est impossibile Deo eandem vnionem numero reparare. Hæc est Francisci Suarez tom. 2. in 3. p. D. Tho. q. 53. art. 1. disp. 43. sect. 2. & probatur: Tum quia Lucæ 1. dicitur: [Non est impossibile apud Deum omne verbum:] Tum quia Deus potest hanc vnionem numero nunc facere si antea non fuisset: ergo quod prius fuerit, & nunc iam non sit; non abstulit Deo potentiam ad illam faciendam: Tum quia Deus non pendet in sua actione à circumstantijs, nec determinatur ab alijs ad agendum hoc, potius quā illud sed à sua voluntate; ergo poterit efficere vnionē numero di- (1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio.)

ro diuersam, vel eamdem quæ antea erat reparare pro sua voluntate. Tum postremo, quia Deus potuisset cõseruare illam vnionem vsque ad hoc tempus; igitur eadem ratione poterit in priori, & posteriori tempore illam efficere non conseruando illam in tempore medio, nulla enim maior est repugnantia cum conseruare sit reuera efficere.

Viguerius.

Magister Viguerius in Institutionibus c.21.§.2. versiculo 4. soluit argumentum in exordio quæstionis positum; ex eo quod illa vnio materiæ, & formæ sit accidens, & ideo non est de necessitate eiusdem hominis; quæ plane solutio sustentabilis mihi videtur; & quãuis Franciscus Suarez tom.2.in 3.p.D.Thom.q.53. art. 1.disp.43.sect.1.hanc Viguerij solutionem falsam appellet, eo quod illa non sit accidens, sed modus substantialis, cum ad compositionem substantiæ intrinsece pertineat; tamen cum inter substantiam, & accidens nõ detur aliquod tertium, sequitur quod ille modus substantialis, vel erit substantia, vel erit accidens, & nequit esse substantia: nam sic vel esset prima, vel secunda, quod esset magis falsum, aut si illam ad latus colloces cathegoriæ erit differentia, quod itidem est falsissimum, cum non diuidat aliquod tertium; & tandem si illam reductiue dicas collocari in cathegoria substantiæ, sequitur saltim in composito humano reperiri aliqua substantia, quæ non sit corpus, vel anima rationalis, quod nullatenus apparet verisimile. Quamobrem præstat cum Viguerio, illam vnionem accidens appellari. Et dictis nullatenus obiat ratio Suarez, nimirum, quia illa vnio intrinsece, competit compositioni substantiæ: sunt enim pleraque accidentia intrinsece competentia substantiæ, veluti sunt proprietates quarto modo, quæ fluunt ab ipsa essentia substantiæ.

Suarez non tenetur cõtra Viguerium.

DISPVT. XVIII.

In Cap. Primum Apocalypseos, de forma, in qua Christus iudicabit, videbiturque ab omni oculo in iudicio.

In quatuor Quæstiones partita super hæc eadem præallegata verba: *Videbit eum omnis oculus.*

Prologus Disputationis.



OCCASIONE sumpta, tum ex ipso contextu, tum ex his, quæ D. Ambrosius in hisce suis commentarijs in hunc locum, per hæc verba, scribit: [Et videbit eum omnis oculus, quia omnes, qui oculos habuerint eum videbunt, cum illis videlicet oculis, de quibus dicit ipse, discipulis, beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, habebant impij Iudæi oculos, sed eos oculos non habebant, quibus Deus videtur.] Disputandum hic duximus de forma, in qua Christus, humanum genus iudicabit, quam visuri sunt omnes oculi, de qua re disputant Theologi cum Magistro in 4.sent.dist. 48.

D. Ambrof. expos.in c.1. Apoc.

Luc. 10.

Quæstio. I.

Vtrum Christus iudicabit in forma humana?



PRIMA conclusio. Christus Dominus venturus est in forma serui, siue in forma humana ad iudicandum. Hæc est contra quosdam tenentes Christum Dominum in forma Dei iudicaturum. Profitentur tamen hanc nostram conclusionem, S.Thom.in 4. sent.dist.48.art.8.in add.ad 3.p.q.90. art.1. Richardus art.1.Scotus, Durandus, & communiter omnes Theologi Scholastici in 4.sent. illamque probamus. Tum quia dominorum proprium est seruos iudicare, iuxta illud Apost.ad Rom.14.[Tu quis es, qui iudicas alienũ seruum?] & 1.Cor.4. [Qui iudicat me Dominus est:] Atqui Christus in quantum homo post passionem suam cæli, & terræ dominium consequutus est, dicente Apostolo ad Rom.14. [Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.] igitur iudicabit in forma serui. Tum quia Matth.25.dicitur, [cum venerit filius hominis, &c.] vbi sermo est de aduentu ad iudicium: Atqui secundum formam humanã est filius hominis, eo quod secundum formam Deitatis, non est filius hominis, sed Dei. Accedit quod ad Christum secundum formam Deitatis non pertinet ire, aut redire; quoniam vbique est, cuius contrarium experimur in Christo secundum humanitatem, iuxta quam non est vbique; ergo iudicabit in forma humana. Tum quia si iudicaret in forma diuina, nullatenus constaret an Pater iudicaret, vel Spiritus sanctus, quia omnia opera trium personarum adextra sunt indistincta, & tamen constaret, quod Christus iudicat, igitur apparet, quod iudicat in forma humana. Tum quia si Christus in forma diuina iudicaret, nemo eum videret oculis carnis, cum sit purus spiritus; Atqui contrarium dicitur in contextu, in quo habetur omnem oculum, id est totum mundum iudicem suum fore visurum, ergo erit in forma humana. Tum tandem quia Ioan.19. dicitur, [videbunt in quem pupugerunt.] Atqui in Deitate nemo pupugit; igitur non erit in forma Deitatis, sed humana.

1. assertio. Iudicabit Xps in forma humana.

1.Ratio

2.Ratio.

3.Ratio.

4.Ratio.

5.Ratio.

Secunda conclusio. In forma humanitatis gloriosa apparebit Christus in iudicio, sicuti apparuit in corpore glorioso in monte Thabor. Hæc est, D. Ambrosij, D.Thomæ, D.Dionysij Carthusiani in hisce suis commentarijs in cap.1.Apoc.D.Augustini super Ioannem, & lib.2.de Trinit.cap. 17. Magistri in 4. sent. dist. 48. Richardi S.Thom.Scoti, Soti, Durandi, Stephani Brullefer, Nicolai de Orbellis, & omnium Theologorum in 4.sent. & Abulensis in cap.25 Matth.q.328. probaturque. Primo, quia quemadmodum condecens fuit, vt in primo aduentu, vt saluaretur mundus per ipsum appareret in forma humana passibili, & mortali, ita etiã in secundo aduentu, vt mortui, & viui iudicentur per ipsum, condecens etiam est vt in forma humana immortali, & gloriosa adueniat. Secundo quia Matth. 25.dicitur: [Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum potestate, & maiestate.] At venire cum potestate, & maiestate non pertinet ad humanitatem passibilem; ergo in forma gloriosa adueniet. Tertio, quia ille qui iudicat debet eminere illis, qui iudicantur, sed electi, qui iudicabuntur à Christo habebunt corpora glorificata, ergo multo fortius Christus, qui iudicaturus est eos, habebit corpus gloriosum. Quarto, quia Xps veniet ad iudicandũ in forma humanitatis, quã modo habet: Atqui modo humanitas Xpi est glorificata, immortalis, & impassibilis, igitur veniet in forma gloriosa. Quinto, & postremo probatur quia in sybo-

2.concl. Forma humanitatis Xpi apparebit in iudicio.

D.Ambrof. S. Thom. D.Dion.Car. D.Aug. Mag. Richard. S. Thom. Scotus. Soto. Durand. Steph. Brullifer. Nicol de Orbellis. Abulens.

1.Ratio. 2.Ratio.

3.Ratio.

4. Ratio. 5.Ratio.

in symbolo Apostolorum dicitur : [& iterum venturus F est cum gloria iudicare.]

Obiectio. Dictis tamen obuiat illud Ioan. 19. [Videbunt in quem transfixerunt,] super quæ verba dicit Glossa, quia in ea carne venturus est, in qua crucifixus est, & cum crucifixus sit in carne passibili non gloriosa, sequitur quod non veniet in forma gloriosa.

Solutio. Cui plane dicimus, quod verum est, quod mali videbunt, in quem transfixerunt, & illam carnem videbunt, in qua Christus crucifixus est, & quam illi pupugerunt; veruntamen inde non sequitur, quod erit passibilis, & in forma qualis tunc erat, quia identitas, & diuersitas carnis pertinet ad substantiam eius; gloria vero, immortalitas, & impassibilitas pertinet ad qualitatem: & quamuis non maneat eadem qualitas, manet tamen eadem substantia carnis. Quamobrem peccat obiectio per fallaciam figuræ dictionis; quoniam in ea mutatur G quid in quale, & suboritur argumentum fallax.

3. Concl. Potestas apparatus, & maiestas Xpi in iudicio. Tertia conclusio. Simul cum humanitate gloriosa apparebit Christus in iudicio cum potestate magna, & maiestate. Hæc est de fide, & continetur expresse Matth. 25. & 26. Cæterum Remigius super Matthæum per maiestatem intelligit Deitatem, dicens sic: [Maiestatem appellat Deitatem, in qua coæqualis est Patri, & Spiritui sancto.] Quod plane Abulensis super Matth. c. 25. q. 294. accipit cum grano salis dicens: [Cum dicit Remigius, quod maiestas est ipsa Deitas, non est intelligendum realiter, sed per causam, scilicet, quod Deitas erit faciens maiestatem, sed ipsa non erit maiestas; nam totus ille honor, & gloria corporis Christi a Deitate erit.] Hæc dicit Abulensis in gratiam Remigij, quoniã ipse sequutus Origenem super Matthæum tenet, quod cum dicitur: [Cum venerit filius hominis in sede ma- H iestatis suæ, ponitur maiestas, vt conditio, vel motus aduenientis, nempe vt aliqua dispositio apparatus exterioris excellentiæ circa corpus Christi aduenientis, quæ quidem consistit, vt inquit ipse, in gloria corporis, quamobrem loco præallegato contra Remigium hanc tertiam efformat rationem:] Tertio, quia cum dicatur hic cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, ponitur maiestas vt conditio, vel modus aduenientis; & tamen dicitur quod veniet filius hominis in maiestate, ergo maiestas est conditio hominis, sed Deitas non est conditio, vel modus humanitatis, sed aliquid maius ea, ergo maiestas non est deitas, sed aliqua dispositio, apparatus exterioris excellentiæ circa corpus Christi venientis, & hoc consistit primo in gloria corporis. Nam in terra erat corpus Christi mortale, graue, & opacum, atque infirmum; tunc vero cum veniet erit lucidum plusquam sol, & habebit omnes do- I tes, quas habent corpora beata, quale ipsum fuerat in transfiguratione. Nam resplenduit ibi facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix, sup. 17. cap. Et hoc tenet Origenes super Matthæum, scilicet, quia cum gloria hûc reuertetur vt sit corpus eius tale quale fuit transformatus in monte, & istud etiam magis apparet, quia sup. 16. c. dixit Christus de seipso, filius hominis venturus est in gloria patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. Constat autem quod loquitur de aduentu ad iudicium cum dicat, tunc reddet vnicuique, quod in solo iudicio fiet, & ita quod hic dicitur, venerit in maiestate sua, & quod ibi dicitur in gloria patris sui, in quo Christus dicebat se venturum erat gloria corporis quantum ad fulgorem, & alias dotes corporis, ergo etiam maiestas hic pro illa gloria corporis accipi- K tur.] Quæ quidem opinio Tostati mihi magis arridet, eamque corroboro: Quia Christus Matth. cap. 16. dixit [sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.] quod erat venire in gloria patris sui : Atqui statim sequitur in c. 17. Matth. [Post dies sex assumpsit Iesus, Petrum, Ioannem, & Iacobum fratrem eius, & transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius, sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix;] ergo videtur, quod maiestas, erit ista gloria corporis, quia ad magnum honorem pertinet quod corpus Christi, quod erat tempore passionis infirmum, opacum, & mortale, fit tunc fulgens sicut sol.

Ratio Abul. contra Remigium Maiestas Xpi in iudicio est gloria corporis.

Remigius.

Abulens.

Quæstio. II.

Vtrum damnati videbunt in iudicio Christi deitatem?



1. argum. PARS affirmans probari potest ex eo, quod videre gloriam humanitatis Xpi est supra conditionem naturæ, atqui damnati videbunt talem gloriam humanitatis, vt deducitur facile ex superiori quæstione, & in textu quoniam iudicabit in forma humanitatis gloriosa, & videbit eum omnis oculus: ergo eodem modo concedi potest, quod videbunt deitatem, licet sit hoc supra naturam, quia vtrobique est videre gloriam Christi.


1. assertio. Deitatem in iudicio mali me intuentur damnati. D. Aug. D. Ambros. S. Thom. Nihilominus est vera assertio: Mali, & damnati non videbunt Deitatem in iudicio. Hæc est D. Aug. lib. de Trinit. cap. 13. D. Ambrosij, D Thom. & omnium sanctorum Patrum, quos supra in enodatione textus retulimus, quorum dicta ibi expressimus. Probaturq. Tum 1. Ratio. quia Deitas non potest videri naturali lumine, id est per oculos corporales, & carneos, sed per intellectum, & adhuc non per quemlibet, sed per intellectum eleuatum lumine habituali gloriæ: At damnati in iudicio non habebunt aliquod tale lumen; quia illud non est naturale, sed gratuitum; damnatis tamen nihil dabitur gratis in resurrectione, sed solum quod sint, igitur ne- 2. Ratio. quibunt videre Deitatem Christi. Tum quia si viderent Deitatem essent beati; cum beatitudo consistat in visione Dei, iuxta illud Ioan. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.] Atqui damnati nihil beatitudinis habent, nec habere possunt, nec minus fieri potest, etiam per aliquod paruum tempus; quia beatitudo est præmium bonorum; ergo non poterunt videre Deita- 3. Ratio. tem Christi. Tum quia nihil plus habent beati, quam videre Deitatem, & humanitatem Christi: at damnati videbunt humanitatem, ergo si Deitatem viderent iam 4. Ratio. essent beati: igitur Deitatem nullatenus videbunt. Tum tandem quia si damnati viderent Deitatem delectarentur, cũ Deitas sine gaudio videri minime possit: Atqui damnati non habebunt aliquid, de quo gaudeant; quoniam non est impijs gaudere, vt dicit Propheta; igitur nec minus habebunt gaudium beatificum; quod plane habet quilibet Deitatem videns.

Sol. ad 1. Illud vero quod supra adiectum est, dissoluitur ex eo, quod non est simile de visione Deitatis, & humanitatis; quoniam ad videndam gloriam humanitatis Xpi, non exigitur aliquod supranaturaliter datum, sed per solum oculum corporeum, & per visum naturaliter dispositum potest videri lux, aut claritas corporis glorificati, sicuti videtur corpus non glorificatum, nisi velit se specialiter occultare corpus gloriosum, vt Petrus, Ioannes, & Iacobus lumine corporali corpus gloriosum Christi transfiguratum in monte Thabor viderunt. At uero Deitas nequit videri ab intellectu aliquo ex solo lumine naturali, cum necessarium sit ad hoc, gloriæ lumen, & proinde apparet liquido dissimilitudo. Christus autem in iudicio nihil dabit damnatis supranaturaliter, quamobrem, tunc poterunt damnati intueri gloriam corporis Christi, & nullatenus eius Deitatem, vt præallegatæ rationes indicant.

QVÆST.

Quæstio. III.

Vtrum saltem absque gaudio poterunt damnati intueri Deitatem per aliquod paruum tempus, aut per modum transeuntis?

1. argum. LIQVI dicunt posse Deitatem intueri à damnatis, sine gaudio, idq; probant. Tum quia impij in iudicio cognoscent clare Christum esse Deum, ergo videbunt Deitatem eius, quamuis de tali visione minime gaudeant. 2. argum. Tum quia ea, quę sunt in effectu non necessario sequuntur ad ea, quæ sunt in intellectu, quoniã præcedit intellectus, & subsequitur tardus, aut nullus affectus. Sed visio pertinet ad intellectum, gaudium autem ad affectum, igitur poterit esse in damnatis visio Deitatis absque gaudio, id est, quod non consequatur voluntas ad intellectum. 3. argum. Tum tandem quia omne, quod recipitur in aliquo, recipitur ad modum recipientis, & non per modum recepti: Ergo licet concedamus damnatos videre Deitatem, nõ illam vident delectabilem, vt in se est, sed absque gaudio quemadmodum ipsi tunc gaudio erunt orbati, & nimia tristitia absorpti.

1. Assertio. Sit prima assertio. Loquendo de potestate Dei, potest Deus de potentia absoluta facere, quod intellectus creatus videat ipsum, eiusque Deitatem nudè, & apertè absque gaudio, vel sine delectatione aliqua. Durandus. Hæc est Durandi in 4. sent. dist. 48. quæst. 2. 1. Ratio. Et probatur. Quoniam quando actus sunt subordinati in ratione prioris, & posterioris, prior actus potest esse absque posteriore, absq; aliqua conditione: At visio diuinæ essentiæ, & quæcumque cognitio se habet ad gaudium vel delectationem voluntatis, vt prior, quia voluntas non potest gaudere, vel delectari in aliquo nisi præcognito: Igitur non implicat contradictionem ponere visionem sine gaudio, vel delectatione. Sed sic est, quod Deus potest facere quicquid contradictionem non implicat. Ergo, &c.

2. assertio. Diuinitas nequit intueri absq. gaudio. Secunda assertio. Si loquamur de natura rei, diuinitas, deitasque nullatenus videri potest, absque gaudio, vel delectatione. Hæc est D.Thom. in 4. senten. dist. 48. & in add. ad 3. quæst. 90. art. 3. (cuius sententiam, simul cum suis argumentis transcripsit Abulensis, & suo operi super Matth. cap. 24. quæst. 330. diligenter inseruit,) Durandi in 4. dist. 48. Iosephi Angles p. 2. Florum Theolog. quęst. de Vniuersali Iudicio, art. 1. diff. 1. 1. Ratio. Et probatur. Tum quia summum bonum praesens, & cognitum, & nihil habens admixtum de ratione mali, necessario delectat, loquendo de necessitate rei, siue ordinis naturalis in rebus creatis, vnde & deffinitur delectatio per causam suam, quod est coniunctio conuenientis cum conuenienti cum eius perceptione: At Deus visus est summum bonum nihil habens de admixtione mali, cum ipse in essentia sua, sit bonitas, & eius visio sit summa, & conuenientissima hominis perfectio, igitur ipse sic cognitus, necessario causat delectationem in cognoscente. 2. Ratio. Tum denique quia essentia beatitudinis, consistit in visione, iuxta illud Ioan. cap. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.] Arqui gaudium est de essentia beatitudinis, vel ad ipsam necessario sequitur: Ergo impossibile est, quod videns Deum, non delectetur in ipso, vide diligenter Durandum, praeallegato loco, insurgentem contra negantes, quod visio Dei sit beatitudo, vel pertinens ad beatitudinem.

fol. ad 1. Primum autem, quod dicebamus non tenet; Quoniam tunc impij manifeste cognoscent Christum esse Deum, non per hoc, quod diuinitatem eius videant, sed propter manifestissima diuinitatis indicia. fol. ad 2. Nec minus secundum, ex eo quod intellectus, & effectus non se subsequuntur, quando id, quod apprehenditur per intellectum præcedentem non est essentia boni, sed est bonum per participationem: At vero diuinitas est bonum per essentiam, & sic oportet ad eius vnionem sequatur affectus, nempe, gaudium, vel delectatio in voluntate, loquendo de natura rei. fol. ad 3. Ad tertium tandem ex dictis facile solutio innotescit.

Quæstio IV.

Vtrum boni, & electi videbunt Christi Deitatem in iudicio?

1. concl. Deitatem Xpi in iudicio intuentur boni & electi. ONCLVSIO Prima est affirmatiua, & de fide, illamq; communiter profitetur chorus sanctorum Patrum, ac etiam Scholasticorum Doctorum in 4. sen. Eamq; hic probamus, ex eo dumtaxat. Quia videre Deitatem, est præmium bonorum operum, iuxta illud Io. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.] At tunc iustis in iudicio dabitur à Christo præmium suorum bonorum operum, iuxta illud Matth. cap. 25. [Venite benedicti patris mei possidete regnum, &c.] Igitur habetur intentum.

2. concl. Conclusio secunda. Illi boni & electi, qui ante iudicium Deum beatifice cernunt, aut cernent, tunc in iudicio videbunt Christum in sua diuinitate clare, & feliciter per speciem. Hæc est aperta, & probatur. Quoniam hi, durante iudicio videbunt Christum vti in cælo ante iudicium intuebantur: Atqui illic beati vident Christum per speciem. Ergo, &c.

3. conclus. Conclusio tertia. Boni, & electi qui vsque ad iudicium nondum iudicati extiterint, vel de suo præmio nondum securi effecti fuerint, non videbunt cum durante iudicio in diuinitate sua per speciem, sed per fidem. D. Dion. Car. Hæc est D. Dionysij Carthusiani in hisce comment. super Apocalyp. cap. 1. art. 1. Illamque hic appono ad enodationem huius loci D. Pauli 1. ad Thess. 4. [In iussu, & in voce Archangeli, & deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.] Quoniam licet Richardus teneat, iustos qui reperientur viui in extremo tempore esse morituros in terra ante aliorum resurrectionem, & post ea simul cum alijs omnibus resurrecturos, Richar. in 4. iuxta illud Apostoli 1. Corint. 15. [In momento, in ictu oculi, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur:] vbi vniuersaliter loquitur Apostolus; quasi dicat: Simul resurgemus, Quamobrem D. Augustinus ca. 6. de Eccles. Dog. ait: [Erit resurrectio mortuorum, sed vna,] id est, simul, D. Aug. & semul, non prima iustorum, & secunda peccatorum, (vt fabula est somniatorum) sed vna omnium. Licet (inquam) hæc sit Richardi opinio cum August. no, (& sane verior, & id propterea probabilior,) tamen Scotus, ac Durandus in 4. incunctanter asseuerant, iustos (qui in extremo tempore reperientur viui, à repe riendos esse viuos in aera, & ibi morituros; & illico

resurrecturos post cæterorum resurrectionem,& quia iuxta hanc viam Scoti, & Durandi fieri potest, quod præfati iusti, nondum sint securi tunc de suo præmio, ideo dicimus in assertione,quod hi nõ videbunt Christum, durante iudicio, in diuinitate sua per speciem, sed per fidem. Et patet assertio, quoniam fides non aufertur in electis, nisi ad beatificam peruenerint visionem, & ex consequenti clare concluditur intentio.

Quæstio V.

Vtrum boni, & electi gaudium aliquod in iudicio accepturi sint, diuinam essentiam nudam, & apertam intuendo?



1. assertio. Gaudiū electorum in iudicio. 1. Ratio. GAVDENDOS. & mirumimmodum lætandos fore tunc iustos, (quasi hi qui tripudiant, vel spolia multa inueniunt) probo. Tum ex illo regis Psaltis Israel: [Satiabor cum apparuerit gloria tua.] Quod perinde valet, ac si diceret: Tunc necessario gaudebo, lætabor, in Deo Iesu meo. 2. Ratio. Tum quia diuina essentia, est ipsa essentia veritatis, & vnicuique est delectabile videre verum;quoniam ideo omnis homo natura scire desiderat: Igitur tunc gaudebunt electi. 3. Ratio. Tum quia vnusquisque mercenarius, & laborans, mirumimmodum gaudet, dum suorum operum præmium, siue mercedem recipit: At tunc omnibus iustis dabitur beatitudo, in suorum piorum operum præmium, ac mercedem: Ergo habebunt tunc electi gaudium, & non qualecumque, sed omnium gaudiorum maximum, nempe beatificum. 4. Ratio. Tum denique, quia natura diuina est causa, & ratio delectabilitatis: Igitur erit tunc electis ingens gaudium diuinam essentiam nudam, & apertam intuentibus.

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4. Dilucidatio textus. §. 1. **Et qui eum (ait) pupugerunt.** Iudæos plane, ac Gentiles incredulos flagellorum acumine, spinarum aculeis, clauorum cuspide, diroque lanceæ mucrone Christum pungentes, configentes, transfigentes, crucifigentes, latusque eius postremo aperientes, docet hoc in loco noster Archipropheta, volentes, nolentesuè,tunc coram omni carne, inter reprobos cogendos, ac omnino compellendos esse, adeundem Christum,in sua, ac sui æterni Patris claritate, maiestate, ac gloria iam regnantem, intuendum, quamuis tunc ipsi aufugere laborent, & aspectu illo terreantur, aut dolore tabescant. Clamabunt siquidem illo die Angeli Dei in circuitu versus Christum, illud Zachar. 12. dicentes: [Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?] Quibus ad maiorem Iudæorum, ac Gentium confusionem respondebit Christus: [His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.] Et tunc Iudæis, ac Gentibus diuinitus inferetur violentia, vtpotequa volẽtes, aut nolentes oculos coacte in corpus Christi gloriosum dirigant, vt adimpleatur illud quod idem vates Zacharia in eodẽ cap.12,& in persona Messiæ olim dixit,nempe:[Aspicient ad me quem confixerunt.] Quod perinde plane est, ac si dixisset: Velint nolint impij, tunc (quando scilicet omnem iudicabo carnem) nequibunt a me, quem crucifixerunt, oculos auertere suos. Quamquidem vim Hebræis, ac Gentilibus,iudicãte Christo,impellendam, hic allegoricæ plane attingit noster vates sub his verbis:[& qui eum pupugerunt] quoniam per hæc verba crucifigentes Christum cogẽdos esse inter omnes reprobos ad Christum in gloria patris sui regnantem intuendum,facile quis iudicabit.Quapropter D.Ambrosius in hisce suis commentarijs, in hunc locum sic scribit:[Sed & impij, qui eum pupugerunt velint, nolint, videre compellentur; impij videlicet Iudæi,qui eum crucifixerunt,vt sciant quem irriserunt.] & D.Dionysius Carthusianus:[Et qui eum pupugerũt, vt Iudæi,qui eius crucifixionem procurarunt, Pilatus, qui dedit sententiam,&milites, qui illam sunt executi.]Et Primasius,D.August.discipulus: [Et qui eum cõfixerunt, & videbit illum omnis terra, omnes etiam terreni, vel omnes etiam generaliter mali, maxime Iudęi, qui eum, vt minimum putauerunt necandum.] Lyranus etiam: [Et qui eum pupugerunt, id est, Iudæi, qui cum lingua crucifixerunt, & milites manu,& Pilatus iudicando.] Et tandem Auctor Incognitus super hunc locum sic scribit: [Et qui eum pupugerunt, & cruciarunt, vt Iudæi incitando, Pilatus imperando & milites exequendo.] En ergo qualiter illo terribili aspectu clare experientur increduli Hebræi, & Gentiles illis accidisse, crucifigendo Christum, quasi eis, qui in altum mittunt saxum,quod postremo in eorum recidit capita,iuxta illud:[Lapidem,quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.] Psal. 117.

§. 2. Obiurgatio in Iudæos, & Gentiles incredulos. Quid igitur fecistis, ô Hebræi, & vos, ô Gentiles, Deum de Deo,lumen de lumine,Deum verum de Deo vero occidistis? Messiam diu desideratum, & iam concupiscenti animo imploratum, in lege a Deo hominibus promissum, à Prophetis vaticinatum, ab Angelis adoratum, & in virginali vtero almę matris eius Mariæ ex stirpe Abrahę, & Dauid originem ducẽtis, verbum caro factum pupugistis, ac crucifixistis? ô crudele spectaculum!ô inhumanitas inaudita!ô grauissimum peccatum! Si enim sanguis iusti Abel clamat ad Deum de terra, quid quæso faciet pretiosissimus Iesu Christi sanguis, agni immaculati, & incontaminati, quem crudeliter super vos, & super filios vestros effudi imploræstis dum Pilato summis vocibus: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros,] dixistis? ô Deum immortalem, ô nefandum scelus, ô impij tyranni, Matth. 27. non vos pudet splendorem patris æterni, figuramque substantiæ eius ita pupugisse, vt, vera mater illius, Virgo gloriosa Maria in cruce pendentem, vix illum agnosceres? O magnum spectaculum. Numquid (ad vos Iudæos & Gentiles est sermo hic meus) existimatis Deum optimum maximum istius vestræ crudelitatis, filium suum vnigenitum crucifigendo, oblitum fuisse, aut hoc iam ab eius æterna memoria cecidisse? Audite rogo,audite regium Psaltẽ Israel circa hoc dicentem: [Nonne Deus requiret ista?] Requiret, re- Psalm. 43. quiret profecto. Eritis igitur dispersi, ô Hebræi, non iam solis quadraginta annis, verumetiam semper, & vsque in diem iudicij extremi, per orbem captiui,serui, absq; domibus, absq; synagoga, absq; pontifice, & conculcabimini à Christianis, qui firmiter crucifixum Deum, & hominem adorant, quinimmo ab Agarenis, & ab ijs qui legem Dei prorsus ignorant, mille afficietis prope diem ignominijs. Audite nunc vere vestrum Ieremiam tactum cordis dolore dicentem: Thren. 1. [Princeps prouinciarum facta est sub tributo,] perinde, ac diceret: [Ierusalem princeps scientia facta est iam sub ignorantia, Ierusalem domina Gentium facta est,nunc iam sub seruitute, non solum Christianorum, qui sub lege degunt diuina, verumetiam Agarenorum, & aliorum Barbarorum nationum, qui Deum prorsus ignorant: quid quæso, ô Hebræi vobis modo superest? Nihil aliud sane, nisi vt bestijs terræ irrationalibus secumbatis, ô infelices, ô miseri homines.Non sic vos(ad minus,) ô recentiores Hebræi, & Gentiles, non sic, sicut patres vestri, credite saltim vos, agnoscite parentum vestrorum grauissimum peccatum,agnoscite illorum in verum, & naturalem filium

filium Dei crudelitatem, & percutientes pectora vestra, reuertimini: Quoniam misericors ille Dñs à patribus vestris púctus, ac crucifixus, vos in cruce brachijs, ac manibus omnino expansis in dies spectat, & eius sponsa Ecclesia vos misericorditer proculdubio recipiet. Erit igitur (vt dixi) ille coactus aspectus incredulorum Iudæorum, & Gentium versus Christum, teste D. Thom. ad pœnarum cumulum, vel, vt ait Laudunensis, vt magis crucientur.

§. 2. Verumenimuero commune plane est apud Illustrissimum, ac Reuerendissimum Cardinalem Caietanum, verbo: [pungere] enodare, ac exponere, pretiosi lateris Christi plagam. Hinc in capite 19. Ioan. sic ipse scribit: [Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, pro pupugit,] & paulo post in eodem cap. [Et iterum alia scriptura dicit, videbunt in quem transfixerunt, pro pupugerunt.] Ex qua plane enodatione omnis prorsus hic ambiguitas pellitur. Quoniam cum hoc in loco auditur, [pupugerunt,] poterat quis anceps esse existimãdo latus Christi punctumnè, dumtaxat fuisse, an vero apertum. Quamquidem dubitationem, siue verborum ommonimiam prorsus dirimit Ioãnes Ferus, dum de latere Christi super illa verba Ioan. cap. 19. [Vnus militum lancea latus eius aperuit,] ita scribit: [Signanter autem latus Christi non vulneratum, sed apertum fuisse dicitur, vt sciamus nobis viam apertam esse ad cor Domini, hoc enim est refugium nostrum, vt in cauernam huius petræ nos abscondamus: Illic enim, & non alibi tuti erimus. Item apertio huius lateris significat nobis apertam esse ianuam vitæ, vnde nobis sacramenta profluxerunt, sine quibus nemo ad veram vitam peruenire potest, sicut enim ex latere Adæ dormientis, formata fuit Eua, sic ex latere Christi in cruce morientis formata est Ecclesia.] Sic ille. Non igitur punctum dumtaxat, sed apertum fuit latus Christi, vt omnes per illud, homines ad salutem libere ingredi possent. Quamobrem D. Augustinus lateris Christi vulnus, ostium arcæ Noè, appellat, dicendo: [Quod ostium in latere accepit, profecto illud est vulnus quando latus crucifixi, lancea perforatum est, hoc quippe ad illum venientes ingrediuntur,] & Rupertus 3. Reg. 6. super illud. [Ostium lateris medij in pariete erat domus dextræ,] sic scribit: [Ostium lateris templi, vulnus est in latere lanceato Dominici pectoris, præter quod non est aditus neque ostium, vel ianua, qua intret quis in quouis ordine coram Deo stare possit: Ergo vnum est ostium per quod intratur in illud Dei templum, &c.] Hoc ipsum lateris Christi vulnus, fenestra quam iussus est Noè facere in superiori parte arcæ Gen. 6. (quam in fine diluuij aperuit, & per quam columbam emisit,) figurabat. Quamquidem fenestram licet paruulam appellet Tostatus, tamen illa, testante Benedicto Pererio parua dicitur proportione arcæ, quoniam (vt ipse ait) Vatablus, & Oleaster super Genesim, putant fenestram illam fuisse altitudinis vnius cubiti, & latitudinis sextę partis vnius cubiti. Cum igitur lateris Christi vulnus, iam ostio, iam ianuæ, iam fenestræ à Prophetis, & sanctis Patribus comparetur, sequitur illud pretiosũ vulnus non esse punctiunculam, aut punctionem paruulam sed maximam aperturam, quæ proportione ad corpus Christi facta, merito, & ostium, & ianua, & etiam fenestra appelletur. Quod sane indicare voluit Euangelista, dum latus Christi lãcea ita apertum fuisse dicit, vt continuó sanguis, & aqua per illud vulnus exiret. De alijs vero manuum, & pedum Christi vulneribus liquet, tũ apud Euangelistas, tum apud Prophetas, ea, non punctiones paruas, sed maximas aperturas fuisse. Quoniam Euangelistæ de illis sermonem habentes, semper hoc vtitur verbo, [crucifigere,] quod est clauis, manus, & pedes perforare. Quod & regius Psaltes Israel indicauit, dum in persona Christi dixit: [Foderunt manus meas, & pedes meos,] ex quibus omnibus procul plane hìc pellitur ambiguitas, siue ommonimia, quæ ex vi verbi [pupugit,] hoc in loco circa pretiosa quinque vulnera Christi oriri poterat.

Caiet. super Ioan.

Zach. 12.

Ioan. Ferus in Ioan.

D. Aug. li. 15. de Ciuit. Dei cap. 10.

Rupertus l. 3. in lib. Reg. c. 20.

Tostatus in c. 8. Gen. q. 6.

Bened. Perer. li. 10. in Gen. disp. 9. de Ostio arcæ, & eius fenestra

Vatablus. Oleaster.

Psalm. 21.

§. 4. Nec porro placet cuiusdam Neoterici expositoris opinio, quæ tenet nostrum Archiprophetam hoc in loco, dum ait: [pupugerunt,] loquutum dumtaxat fuisse de apertione lateris Christi, idq; ipse exprimit per hæc verba: [Dubium esse non debet quin Ioannes hoc loco loquatur de apertione lateris Christi, cum ait, qui eum pupugerunt, siquidem constat eum allusisse ad locũ Zachariæ 12. iam citatum, vbi legimus, confixerunt. Quẽ de percusso latere Christi intelligendum esse Ioannes ipse interpretatus est c. 19. sui Euangelij:] Quod autem iste auctor (vir cæteroquin doctissimus) hisce suis verbis, opinetur Ioannem hoc in loco de solo dumtaxat lateris Christi apertione, loquutum fuisse, liquet ex eo quod ipse de solo lateris Christi vulnere, ly [pupugerunt] expendit, nulla ab eo de pedum, ac manuum Xpi vulneribus facta mentione. Quamobrem eius explatio mihi nullatenus arridet, eo quod textus iste sic interpretatus recte intelligi nequit. Quoniam constat apud eumdem Euangelistam hęc verba: [Vnus militum lancea latus eius aperuit,] vbi loquitur Euangelista in singulari numero: At vero in hoc textu idem Euangelista inquit: [Et qui eum pupugerunt,] quibus verbis sermo plane est de plurali numero, & sic hæc duo loca, nullatenus intersese circa numerum (grammatice loquendo) quadrarent. Quamobrem præallegato Doctori vnum ex duobus asserere oportet, nimirum, aut affirmare latus Christi multos aperuisse milites, quod ex diametro Euangelio dicenti: [Vnus militum, &c.] repugnat. Aut affirmare hoc loco nostrum Archiprophetam cum dicit, [& qui eum pupugerunt,] de omnibus quinque pretiosi corporis Christi vulneribus, quæ per diuersos facta fuere milites, iuxta illud: [Milites ergo cum crucifixissent Iesum,] loquutũ fuisse, vti nos iam exoluimus.

Blasius Viegas in Apoc. c. 1. sect. 17. nat. 3.

§. 5. Rursus minus sane placent Doctores, & historici illi, qui contra communem per totum Christianismum ab origine nascentis ecclesiæ hucusq; receptam traditionem, negant militem illum qui pectus Christi lãcea pupugit, eiusdemq; latus aperuit, Longinum fuisse, eũdemq; cæcum, visumq; & aspectum sanguine lateris Christi eius tangente oculos, miraculose recuperasse. Quinimmo asseuerant Centurionem illum, qui vidẽs Christum magna voce clamãtem expirasse dixit: [Vere filius Dei erat iste,] appellatum fuisse Longinum, & illa magna audita voce, conuersum fuisse, atque adeo minime debuisse post suam conuersionem lancea latus, & pectus Christi perfodere. Huius opinionis patronũ, & quasi primum (ni fallor) auctorem inuenio Cęsarem Baronium, qui in suis Annalibus to. 1. anno Christi 34. fol. 182. c. 131. sic scribit: [Cum igitur tot tantaq; diuina operatione prodigia facta essent, Centurio hæc videns, ac pręcipue admiratus, quod Iesus voce magna clamans expirasset, glorificauit Deũ, & publica cõfessione testatus: Vere (inquit) filius Dei erat iste, omnes insuper his visis, reuertebantur, prę dolore admissi facinoris pectora sua percutientes. Porro Centurionem hunc Longinum nomine appellatum fuisse, Christiq; fidem secutum abdicasse se à militia, ac deniq; ad martyri palmã aduolasse, qui eius res gestas scripserũt, testãtur. Ex quibus redarguũtur, qui ex apochryphis quibusdã scripturis tradiderunt, Longinum nomine, eumdemq; cæcum fuisse militẽ illum, qui lancea latus Dñi aperuit.] Ita Baronius. Cui sententiæ se subscripsit in hisce suis cõm in c. 1. Apoc. Blasiius Vieg. sect. 17. nat. 5. Quę plane opinio stare nullatenus potest. Tũ quia plerіq; ss. Patres antiqui inter quos est Irenæus, Pãphilus & Basilius super illa verba Io. 19. [Vnus militũ lancea latus eius aperuit] tenent militẽ istum proprio nomine Longinũ appellari, eũq; Gentilẽ, & non Hebræum cæcumq; esse, latusq; Christi instãtibus Hebræis perfodisse. Tum quia Centurio ille, qui exclamauit: [Vere filius Dei erat iste,] nullibi in Euãgelio sub proprio nomine recitatur: quinimmo sub nomine Centurionis vbique profertur, quoniam in cap. 27. Matthæi, sic dicitur Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant timuerunt valde

Longinum nõ vulnerasse latus Xpi tenẽt Viegas, & Baronius.

Baronius.

Viegas.

Blas. Viegas, & Cæsar Baronius nõ tenentur circa militem qui latus Chr sti vulnerauit.

1. Ratio.

2. Ratio.

valde dicentes: Vere filius Dei erat iste,] & in cap. 15. Marci ita scribitur: [Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo filius Dei erat,] & in cap. 23. Lucæ hoc modo habetur: [Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificauit eum dicens: Vere hic homo iustus erat.] Quod cum ita sit nullatenus licet Card. Baronio Centurionem istum proprio nomine Longinum appellare, quoniam ex historia Euangelica hoc deduci nequit, cũ illa semper, hunc hominem dicentem: [Vere filius Dei erat iste,] Centurionem dumtaxat, vocet, & nullatenus Longinum. Quod autem ex historia Euangelica facile potest deduci, est, hunc Cẽturionem constitutum fuisse à Pilato simul cum suis militibus, ad custodiendum Christum in cruce quousq; expirasset, vt facile deducitur ex illo Matth. 27. [Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum,] & hanc ob causam Centurionem istum morti Saluatoris astitisse: Et vidẽs, quod vociferans defecisset, vt ait Tostat. paradoxon. 2. c. 26. tanto pauefactus miraculo exclamauit, & dixit eum filium Dei fuisse. Et obid ipsum ad fidem conuersum fuisse, vt ait ipse Baronius. Atq; adeò inde infert istum Centurionem non debuisse post suam conuersionem lancea latus Christi perfodere, & hoc verum plane est. Cæterum Centurionem istũ appellari proprio nomine Longinum, falcissimum omnino reputo, & sic nõ est cur illum, proprio nomine Longinum baptizet Baronius. Cui plane, vt placerem pleraque sanctorum antiquorum Patrum diligenti indagine euolui volumina in Euangelia, & nullibi sane reperire potui Centurionem istum proprio nomine Longinum appellari, vt vult Baronius. Tum quia pene infiniti recentiores auctores, militem illum, qui lancea latus Christi aperuit proprio nomine Longinum vocant. Hinc Reuerendissimus Dominus Antonius de Gueuara, Episcopus de Mondoñedo, in suo libro, de monte Caluario nuncupato p. p. cap. 50. militem istum Longinum appellat, idq; crebro in cap 51. & 52. repetit. Tum quia in lib. Mirabilium Romæ narratur, in templo maximo D. Petri, brachium Longini, qui pectus Dominicum mucrone diro lãceæ in patibulo perfodit, nimia asseruari custodia, & diligentia. Quinimmo ego ipse feria 3. Paschæ Resurrectionis Dominicæ, præsentis anni 1611. inter adorandas, in eadem Patriarchali Diui Petri Basilica, alias fere infinitas sanctorum reliquias, ac etiam sacrosanctum Redemptoris nostri vultum, sudariumue, cum lancea, qua eiusdem Domini nostri latus aperuit, quam ad Innocentium VIII. misit olim Turcarum Rex, hanc sacerdotis illas ex alto loco deuote ostendentis, Italicam hisce meis auribus audiui vocem: [Questo è vn braccio di S. Longino, che passò con la lancia il costato à Nostro Signore Giesu Christo.] Quod plane antiquam arguit ecclesiæ traditionem tenentis militem illum perfodientem, sua lancea, pectus Dominicum, Longinum appellatum hucusque extitisse. Tum denique, quia Basilius Magnus in quadam epistola ait se a Discipulis Discipulorum Christi audiuisse militem illum qui lancea latus Christi perfodit, Longinum nomine vocari, cæcumq; fuisse, pratiosoq; Christi lateris sanguine, visum recuperasse, moxq; Christianum factum fuisse, ac multo tempore vitam peragisse Eremiticam, & postea Episcopũ Cappadociæ creatum fuisse, ac deniq; palmam martyrij pro Christi confessione reportasse. Hinc non mirũ plane si vulgo, (vt ait Blasius Viegas) creditur, militẽ qui lancea latus Christi aperuit fuisse Longinum. Mirum tamen est, quod ipse Blasius Viegas, & Cardinalis Baronius, audeant asseuerare contrarium, cũ istud asserendo, tam antiquæ traditioni Ecclesiæ, & Doctorum torrenti, ex diametro repugnent. Constat siquidẽ traditiones Apostolicas, & Ecclesiasticas, Doctores catholicos, nullatenus negare posse, cum illas, dum ad Doctoratus gradum promouentur defendendas suscipiant, sub his verbis: [Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector.] Sed dicent hi forsan, hæ sunt traditiones, quæ ab ore

Tostatus.

Labor auctoris in gratiã opinionis Cardinalis Baronij circa Centurionem.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio. Basilius Magnus

Longinus cæcus vulnerãdo latus Xpi visum recepit

Longinus Gẽtilis baptizatur.

Eremitam duxit vitam.

Eps Cappadociæ creatur.

Ad martyriũ peruẽnit.

6. Ratio.

F Apostolorum ad nos usq; per scripta peruenerunt, quæ plane ad fidei doctrinam spectare videntur; at traditio ista de Longino latus Christi lancea perfodiente licet a discipulis discipulorum Christi ad nos vsq; peruenerit, peruenit tamen verbo, & non scripto: quamobrem non mirum si apochryphum hoc esse merito dicatur. Quibus verbis obuio cum Concilio Tridentino sess. 4. in decreto de canonicis scripturis, & traditionibus Ecclesiasticis, vbi sic sancitur: [Perspiciensq; hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos vsq; peruenerunt.] En quanti roboris sit Ecclesiastica, & Apostolica traditio sine scripto. Hinc Andreas à Vega, lib. 15. in c. 16. Concil. Trident. decret. de Iustificatione cap. 6. contra Caluinum ex traditionibus, tum cum scripto, tum sine scripto Apostolicis, & Ecclesiasticis, sic argu-
G mentatur: [Quod si traditionem, & cõsuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, quæ optima est scripturarum interpres, spectari voluisses, ex ipsa ordinatione sacerdotũ, & Diaconorum intelligere potuisses, aliam esse potestatem prædicandi, aliam remittendi peccata. Sed te ista fugiunt, quia contemnis definita a Patribus in hoc Conc. sess. 4. & fidẽ adeo vis pendere à scriptis, vt nec illas traditiones, quę sine scripto à Christi ore, vel ab Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos vsq; peruenerunt ad fidei doctrinam spectare credas. Nam alias quidquid tu insimules, nõ perinde cẽsuere Patres creditu esse necessarias: Et huiusmodi quidem sunt dogmata, quæ certa, & indubitata tenet tota Ecclesia. Qualia sunt Deiparam Virginem fuisse perpetuo virginẽ, imagines, & reliquias sanctorum esse venerandas, septem esse Ecclesiæ sacramenta,
H &c.] Ita Vega. Cum igitur Basilius Magnus dicat se à discipulis discipulorum Christi audiuisse militem lancea latus Christi perfodientem Longinum vocari, & istud vsq; ad hæc nostra tempora per omnes Ecclesias & per totum fere Christianismum serpserit, nõ est cur istud apochryphum esse dicat Baronius: Admittimus igitur libenter Centurionem illum, qui dicit: [Vere filius Dei erat iste,] non confodisse pectus Domini, vt volunt Baronius, & Viegas: Negamus tamen militem illum, qui lancea pectus Dominicum perfodit, nõ fuisse proprio nomine, Longinum appellatum, vt ipsi Baronius, & Viegas asseuerant.

Quamobrem quò egressus fui rediens dico, per iy, [pupugerũt] totius passionis Christi meminisse hic nostrum Archipropheram. Cuius etiam meminit noster Saluator, dum Luc. 18. discipulis suis dixit: [Ecce ascẽ-
I dimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis: Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & cõspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.] Quorumquidem tormentorum omnium cumulum, & acerui, non tantum Hebræorum Prophetæ (vt hic Saluator noster ait) verumetiam Gentilium Sibyllæ plane prædixerũt. Quoniam illarum vna, teste Lactantio, & D. Aug. sic de passione Christi vaticinata fuit: [In manus iniquas infidelium postea veniet, & dabunt Deo alapas manibus incestis, & impurato ore expuent venenatos sputus. Dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum. Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, vel vnde venit, vt inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt, in hospitalitate hanc monstrabunt mensam. Ipsa enim insipiens
K gens tuum Deum non intellexisti, ludentem mortaliũ mentibus, sed, & spinis coronasti, & horridum fel miscuisti. Templi vero velum scindetur, & medio die nox erit tenebrosa nimis in tribus horis. Et morte morietur tribus diebus somno suscepto. Et tunc ab inferis regressus ad lucem lætam veniet, primus resurrectionis principio reuocatis ostenso.] Hucusque Sibylla. Omnia igitur, quę de passione Christi, Hebræorũ Prophetæ, & Gentium Sibyllæ minutim prædixerunt hoc

Basilio.

Solutio. Conc. Trid.

Andreas à Vega.

Caluinus impugnatur à Vega circa tradiones.

§. 6.

Lactant. lib. 4. ... & D. Aug. li. 17. de ci. Dei cap. 23. Sibyllina testimonia de passione Xpi.

hoc vnico dumtaxat verbo [pupugerunt] noster comprehendit hoc in loco Ioannes, Prophetarum eximius Propheta. Et hoc ipsum indicare voluit, dum illud Zachariæ 12. [Respicient ad me, quem confixerunt,] in Euangelio suo cap. 19. per hæc alia verba transtulit [Videbunt in quem transfixerunt.]

§. 7.

Pungo qua ratione differat à crucifigere, transfigere, & configere.

Pungere tamen, crucifigere, transfigere, & configere, quamuis in sacro eloquio à prima fronte videâtur eadem gaudere significatione, distant tamen veluti genus a sua specie, & totum à sua parte. Etenim quemadmodum omnis homo est animal, verum non omne animal est homo, quoniam leo est animal, & non homo; sic crucifigere, transfigere, & configere, est pungere; verum non omne pungere est crucifigere, transfigere, aut configere. Punctio siquidem latius se extendit, quam crucifixio, confixio, aut transfixio. Rhedarius namque rheda, curruve currente, siue tardante innumeras tauris, siue bobus, equisve infert punctiones, verum non ob id crucifigit, transfigit, aut configit sua præallegata animalia. Mulieres etiam acu laborantes, suos aliquando pungunt digitos, & idem faciunt sutores, sed non inde isti suos dicuntur crucifigere digitos.. Dum igitur Ioannes in suo Euangelio loquens de morte Christi ait: [Videbunt in quem transfixerunt,] singularem Christi mortem per crucem & clauos commemorat, accipiendo istud opus per methodum resolutionis, progrediendo videlicet à posterioribus natura ad priora, siue à compositioribus ad simpliciora. Constat siquidem quod plaga incipit à punctione, & nullatenus fieri potest vulnus quin primo ordine naturæ præcedant punctiunculæ. At manifestum est, quod Christus in morte sua clauis, & lancea, plagas ac vulnera accepit, iuxta illud Zachariæ 12. & 13. quod iam supra retulimus: [Quid sunt plagæ istæ?] & iterum: [His plagatus sum in domo eorum qui diligebât me.] Concludendum igitur plane est, quod cum Ioannes ait [transfixerunt,] vel Zacharias [confixerunt,] commemorant mortem Domini, per clauos, & lanceam, methodo resolutionis, progrediendo à posterioribus natura, nempe à vulneribus, siue à plagis iam factis. Rursus cum idem Euangelista Ioannes inquit hoc in loco [& qui eum pupugerunt,] loquitur itidem de eadem Christi nece per crucem, lanceam, & clauos: verumtamen commemorat hoc opus, methodo compositionis, progrediendo videlicet à prioribus natura ad posteriora, siue à simplicioribus ad compositiora, nimirum à punctiunculis, siue à punctionibus ad plagas, & ad vulnera. Quoniam, vt dixi, plagæ, & vulnera ex punctiunculis, siue ex punctionibus vtique fiunt, quasi ex semine, ordine naturæ in rerum generatione, producitur radix, ex radice virgultum, & tandem ex virgulto arbor, quæ in ramos extenditur, & dilatatur. Et hæc plane est germana, & vera, ac legitima vis, ac robur, ly [pupugerunt.] Quoniam Iudæi & Gentiles vt initium darent crudeli morti Christi, primo illum flagellorum acumine, spinarum aculeis, & lanceæ, clauorumq. cuspide pupugerunt. Deinde vt opus inceptum prosequerentur eumdem dirè, ac crudeliter flagellarunt, confixerunt ac transfixerunt, vsque ad sanguinis maximam effusionem. Porro vt præfatum opus fine complerent, ipsum crucifixerunt; id est, clauos (transfixis, ac confixis prorsus manibus, ac pedibus) ex carne ad crucem peruenire, ictibus quamplurimis malleorum, fecerunt, ita vt lignum etiam sic transfoderent, vt clauorum cuspides ex altera ligni parte manifestè apparerent, & tandem vt de morte eius certificarentur, diro lanceæ mucrone latus eius (ita vt sanguis, & aqua exiret) aperuerunt. Quamobrem ex vi, ly [pupugerunt] duo nobis hic ad veram textus intelligentiam licet inferre.

Ioan. Euang. loquens de passione, & morte Christi, obseruauit resolutionis methodũ.

Plaga incipit à punctione.

Ioan. loquẽs de morte, & passione Christi methodũ compositionis sequutus est.

Cõparatio.

Affinis sensus & expositio verbi pupugerunt.

Ordo crucifixionis Christi per Hebræos, & Gẽtiles.

Crudelitas Hebræorum, & gentium crucifigendo Christum.

§. 8.

Primum itaque colligo nostrum Archiprophetam per ly [pupugerunt,] non solum intelligere cogendos esse ad præfatum spectaculum Iudæos, ac Gentiles, qui Christo Domino plagas, eum crucifigendo, coronando, & flagellando immediatè imposuerunt, verumetiam compellendos adhuc esse omnes itidem Iudæos ac Gentiles, qui eumdem Christum per iniurias, persecutiones, blasphemias, opprobria, dolores, irrisiones, aut quouis alio modo persequuti fuerũt. Quoniam hi omnes filium Dei mortali carne indutum apprimè pupugerunt ac cruciarunt, veluti Herodes qui eum à teneris annis incepit pungere, occidendo nimirum omnes pueros qui erant in Ierusalem a bimatu & infra, vt secundum tempus quod exquisierat à Magis, inter eos puerum Iesum includeret. Pharisæi etiam qui eumdem prædicantem, miraculaq. patrantem crebro punxerunt, dicentes: [Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.] & iterum, [Quomodo litteras scit, cum non didicerit.] & rursus: [Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.] & alia vice: [Ecce homo potator vini & vorax.] Turba etiam Iudæorum, qui eumdem pungendo Christum, dixit: [Non habemus regem nisi Cæsarem.] & paulo post: [Non hunc, sed Barrabam.] & deinde: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] & postremò: [Crucifige, crucifige eum.] Porro Pilatus qui lauans manus & non cor, vt mortis sententiam ferret, eum miruminmodum punxit. Iudas insuper qui eum triginta vendidit argenteis, quos impœnitens tandem eisdem retulit Iudæis. Et denique omnes Pharisæi, seniores, Pontifices, Rabbinique Hebræorum, qui eum pungendo, clauorum cuspides super manus & pedes Christi imponebant, ipsosq. clauos erectos sustentabant, vt gentes melius, & commodius illos per carnes & ossa corporis Christi, ictibus suorum malleorum configerent. Porro post hos Iudæos ac Gentiles compellendi procuidubio etiam sunt ad eumdem intuendum spectaculum omnes infideles, nimirum Agareni, Tyranni, & Hæretici, qui Ecclesiam Dei, suaq. membra persequuntur, & quasi dirè, ac crudeliter pungunt. Qui namque Dei Ecclesiam, eiusq. fideles cruciat, ipsum Christum plane pungit, vt ipsemet indicare voluit, dum Saulo Act. 20 dixit: [Saule, Saule, quid me persequeris?] vbi, ly [me] accipitur in membris Christi, quæ tunc maxime persequebatur Saulus, & non in propria persona Christi, quoniam iam, tunc Christus ad dexteram Dei Patris, gloriosus sedebat. Quo etiam in sensu accipiendum plane venit illud Zachar. 2. [Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.] ideo de his membrorum suorum hostibus, vindictam se reportaturum fore promisit, dicens: [Mihi vindictam, & ego retribuam eis.] Qui plane (puniendi cum sint) obtinebunt procuIdubio maximam pœnam, in eo quod Christum, totius Ecclesiæ triumphantis, ac militantis caput, regnantem in iudicio intuebantur: quod plane fiet velint, nolint, ad maiorem eorum confusionem. Accedit ad hæc quod tunc huiusmodi membrorum corporis Christi, nempe Ecclesiæ Dei, punctores, digna factis à tanto iudice, iustè recipient supplicia. Denique inter hos crucifixionis ministros, qui Christum pupugerunt, dinumerabuntur sane omnes nequam, ac pessimi Christiani, qui suis sceleribus, vitijs, ac peccatis iterum crucifixerũt Christum, iuxta illud Apostoli ad Heb 6. [Rursus crucifigentes sibimet ipsis filium Dei] Quoniam hi scelerati peccatores, peccando prope diem, quantum in ipsis est, reiterant per sua peccata causam crucifixionis Christi, præcepta Dei in dies transgrediendo, quamobrem etiam hi (cum sint damnati) coactè corpus Christi gloriosum videbunt. Sunt etenim hi nequam Christiani, noui crucifixores, de quibus tunc Christus Dominus durissimam reseruabit vindictam. Si enim Apostolus affirmat, quod si quis irritam facit legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moriatur; quanto magis asseuerandum est deteriora mereri supplicia, qui filium Dei, modo peccatis, ac infinitis sceleribus conculcant, sanguinemq. testamenti pollutum duxit in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam facit? Ecce igitur

Primum impiorũ genus pungentium Christum.

Secundũ impiorum genus pungentium Christum.

Matth. 2.

Ioan. 5. 7. 8. & 9.

Ioan. 19.

Matth. 27.

Malitia Rabbinorum Hebræorum contra Christũ.

Tertium impiorũ genus pungentium Christum.

Fideles dicit Christus seipsum.

Quartum impiorũ genus pungentium Christum.

Ad Hebr. 10.

igitur quattuor impiorum pungentium genera hominum, qui Christum quasi signum ad sagittam habuerunt eum diuersimode, tum in se, tum in eius membris pungendo, & proinde compellentur tunc corpus Christi gloriosum omnes coactè intueri, vt manifestè infertur ex præfatis verbis textus, [& ;qui eum pupugerunt :] quorum facta & acta punctim tunc discutientur. Plerosque tamen ex his attingit B. Ambrosius dum in hisce suis commentarijs sic scribit : [Et qui eum pupugerunt, id est, qui eum persequuti sunt, & membra eius, & post ea ad finem illius maximè ex parte conuersi sunt, ex quibus fuit Apostolus Paulus.]

D. Ambros. in comment.

§. 9. Vulnera Christi in iudicio apparebunt.

Rursus infero Christum in iudicio corpus suum gloriosum sacris stigmatibus insignitum cunctis fore ostensurum gentibus. Si enim absque signis vulnerum quæ pro nobis in cruce accepit in iudicio appareret, nequirent Iudæi ac Gentiles tunc agnoscere iudicem illum, tam rectum, ac iustum, crucifixum ab ipsis in terra fuisse, quamobrem ad hoc, vt id tunc manifestè cunctæ intelligant nationes, necesse plane est suarum cicatricum, & sacrorum stigmatum mirifica signa in corpore Christi tunc apparere. Asseuerant siquidem Theologi, (inter quos est Alexander de Ales 3. p. summæ tract. de resurrectione Christi, & S. Tho. 3. par. q. 54. art. 3.) Christum surrexisse cum vulnerum cicatricibus, quæ pro nobis accepit in Crucis patibulo, non solum ad tempus demonstrandis, sed in corpore suo in æternum permanendis. Et hoc tum ad probandam suam veram resurrectionem, quod scilicet idem corpus numero surrexit de sepulchro, qui pro nobis in ligno pependit [præbuit se ipsum viuum (dicitur Act. 1.) post passionem suam in multis argumentis] vnde ipse Lucæ 24. discipulis suis dixit: [Videte manus meas, & pedes meos, quoniam ego ipse sum.] Tum ad commendandam eius dilectionem, de qua Apoc. 1. dicitur : [Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.] Super quæ verba ait D. Bernardus : [In quo illuxit clarius, quod nos dilexit Dominus, quam in suis vulneribus ?] Tum ob triumphi gloriam ostendendam. Hinc Beda super Lucam sic scribit : [Christus non ex impotentia curandi cicatrices retinuit, sed vt in perpetuum gloriæ triumphum ostendat.] & subiungit Beda dicens sic : Miles in prælio fortiter agens, & victoriam obtinens multis vulneribus confessus, si dicat ei medicus, vis sanari sine omni cicatrice, vel eum cicatricibus, sine omni deformitate, puto quod in signum suæ victoriæ cicatrices seruaret. Ita pariter illæ cicatrices in corpore Christi sunt nô ad deformitatem, sed ad magnam pulchritudinem in triumphi signum. Id propterea etiam D. Chrysostomus super Matth. ait, quod sicut honor est militi de prælio reuertenti deferre scutum fractum, sic est in Christo honor deferre victoriæ suæ gloriosum triumphũ. Tum resumpsit Christi Anima gloriosa in resurrectione corpus cum cicatricum vulneribus propter discipulorum, & omnium aliorum fidem conseruandam : quamobrem ipsemet Dominus, Thomæ dubitanti de eius resurrectione dixit: [Infer digitum tuum hûc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.] quod cum fecisset Thomas, dixit, [Dominus meus, & Deus meus.] Super quæ verba ait Theophilus: [Thomas qui prius fuerat infidelis, postea optimum Theologum se ostendit dicens, Dominus meus, in quo confessus est humanam naturam Christi, & Deus meus, in quo confessus est naturam diuinam.] & D. Augustinus : [Videbat Thomas, & tangebat hominem, & Deum, quem non videbat, nec tangebat, confitebatur] Tum porro sua Christus reseruauit stigmata ob placationem patris sui æterni facilius obtinendam, & fiduciam peccatoribus præbendam. Cicatricum namque repræsentatio est quædam apud patrem pro nobis aduocatio, quemadmodum miles tacens ab Imperatore impetrat quod vult & postulat, quando, vulnera

Cicatrices quare reseruauit Christus.
Alex. Alens. D. Thom.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.
Beda.
Comparatio.
D. Chrysost. Simile.
4. Ratio.
Ioan. 20.
Theoph. sup. Ioan.
D. Aug. sup. Ioan.
5. Ratio.
Comparatio.

F quæ pro eo protulit sibi demonstrat : vnde legitur in historia scholastica, quod Antipater Idumæus pater magni Herodis, in quodam seruitio Imperatoris fuit multis vulneribus confossus, qui tandem ab æmulis accusatus apud Imperatorem, reiectis vestibus totus denudatus dixit : Ego Cæsar nolo me verbis apud te excusare, sed ista vulnera quæ suscepi pro te, loquantur pro me si ego diligo te. Tunc autem Cæsar ipsum in gratiam suam lubenter recepit. Ita pariter Christus cicatrices suas æterno Patri demonstrat, vt quantum nos dilexit, & quam carè emerit ostendat, vt sic illum ad misericordiam inducat. Vnde D. Anselmus super illud Psalmistæ: [Respice in faciem Christi tui,] Deo Patri dicit : [Si non vis Pater respicere in nos, respice in Filium tuum, qui tam carè emit nos.] & D. Bernardus super Cantica sic inquit : [O homo securum habes accessum ad Deum, vbi habes matrem ante filium, filium ante patrem ; filius ostendit patri vulnera & latus ; mater ostendit filio pectus & vbera ; nulla ergo poterit esse repulsa, vbi tot sunt charitatis insignia.] Tum insuper vulnerum cicatrices seruauit ad nostram informationem, vt nos scilicet doceret, illas mente & corde semper portare, vt fecit Paulus, dum ad Galat. 6. dicebat : [Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto,] & ad Philipp. 2. [Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu,] quasi dicat : Humilitatem Christi, eiusq. vulnera, ac passionem acerbam habete interius in corde, & non solum exterius, teste Lyrano, sicuti hypocritæ ; quoniam meditatio vulnerum ac passionis Christi, est remediũ contra omnia peccata ; quapropter testante D. Berdo nullum reperiri potest tam efficax remedium ad peccatorum vulnera sananda, quam vulnerum Christi, passionisq. eius sedula meditatio : ideo si quis est frigidus in amando, videat latus Christi iuxta cor perforatum, & inflammabitur ad amorem ; quamobrem Cant. 8. dicitur : [Pone me vt signaculum super cor tuum ;] si autem tepidus quis est in operando, videat eius manus perforatas, & incitabitur ad laborem : quoniam ipse dicit Isai. 49. [Ecce in manibus meis descripsi te.] Si quis est timidus in aduersis sustinendis, respiciat pedes perforatos, & armabitur ad supportandum ; quamobrem D. Gregorius ait : Quos si passio Christi intuetur, nihil tam graue, quod non æquo animo sustineatur. Ad hoc ipsum plane alludit illud Cant. 2. [Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.] Quod plane perinde est, ac si diceret : Sponsa mea quæ instar columbæ times, abscondere in foraminibus petræ, hoc est, in vulneribus Christi sponsi tui, de quo 1. Cor. 10. dicitur: [Petra autem erat Christus,] & in cauerna maceriæ, hoc est in eiusdem latere ; ideo Psalmista de Christi stigmatibus prophetauit, dicens Psal. 83. [Passer inuenit sibi domum, & turtur nidũ vbi reponat pullos suos.] & Psal. 103. [Petra refugium herinaceis.] Tum tandé Christus sua in resurrectione reassumpsit vulnera, vt ea in se vsque ad futurum iudicium conseruaret ad impiorum confusionem. In illo namque extremo iudicio omnes nationes per illa sanctissima corporis Christi stigmata apertè intelligent, quam iuste pij saluentur, ac impij damnentur. Hinc D. Augustinus in lib. de Symbolo, de futura impiorum confusione in illo extremo iudicio per cicatrices corporis Christi sic scribit : [Inimicis vulnera demonstraturus est sua (nempe Christus) vt conuincens eos dicat : Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen introire voluistis.] Tunc rursus ex aduerso iusti hilarescentes defendendo causam Christi, impijs (ad maiorem eorum confusionem) dicent de Christo pro nobis crucifixo : Ecce ò impij, fortissimus ac validissimus Sanson manibus, brachijsq. extensis, ambas domus apprehendens columnas, vt morte sua Philistæos eius inimicos occideret. Ecce serpens æneus pro signo à Moyse positus, vt percussos aspicientes sanaret. Ecce manus Moysi in altum eleuatæ, vt Israel vince-

Historia scholastica.
D. Anselm.
D. Bern. sup. Cantic.
6. Ratio.
Lyran. in c. 2. ad Philipp.
Peccatoris maximum medicamen.
Nota bene.
7. Ratio.
D. August.
Sanctorum gaudiosa verba in iudicio.
Iudic. 6.
Num. 21.
Exod. 17.

Osee 11. vinceret. Ecce denique (ò infideles) completum in vobis illud vatis Israel Oseæ, perpulchre eloquium: [Et ego quasi nutricius Ephrain portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos.] & hæc dicendo ibunt impij in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam. En igitur qualiter corpus Christi gloriosum sacris stigmatibus insignitum in iudicio appariturum est, vt adimpleatur illud Zachariæ: [Aspicient in me quem confixerunt,] quod Ioannes in suo Euangelio citauit dicens: [Videbunt in quem transfixerunt.] & etiam in hac sua Apocalypsi: [Videbit eũ omnis oculus, & qui eum pupugerunt.] Et merito plane vulnera Christi in iudicio apparebunt, quandoquidem locus etiam in quo Christus præfata accepit vulnera, nempe crux, in illo apparebit iudicio, dicente Ecclesia: [Hoc signum crucis erit in cælo cum Dominus ad iudicandum venerit.] Hinc plane est, quod in fine lib. 6. Oraculorum Sibyllarum, sic de ligno crucis scriptum reperitur.

Zach. 12. Ioan. 19. Crux Christi in iudicio apparebit.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cum renouata Dei facies ignita micabit.

Et ad hoc ipsum plane alludit illud quod Thomas Vualdensis tom. 3. tract. 20. cap. 158. scribit, nempe, ligneam crucem cui Christus affixus fuit, & quæ nunc in minimas particulas toto orbe diuisa est, iterum diuinitus reformandam, & in cælo apparituram esse. Quapropter D. Chrysostomus sic scribit: [Post resurrectionem Thomæ voluit diffidentiam commutare, & illi clauorum loca demonstrauit, & dixit, Mitte manum tuam & vide, quoniam spiritus, carnem & ossa non habent. Sic & tunc ostendet vulnera, crucemq. demonstrabit, vt istum ostendat, illum esse qui fuerat crucifixus.] & iterum: [Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuabit ad cælum, & ideo cũ ipsa veniet, cum ipsa secundum gloriosam suam præsentiam faciet.] sic ille. Et S. Ephræm lib. de vera pænitentia cap. 4. ita habet loquendo de extremo iudicio, [Videbimus pretiosam, ac viuificam crucem in cælo lucentem, omnesq. fines orbis terræ vltra solis claritatem illustrari. Vbi vero viderint omnes regium istud, ac tremendum sceptrum in cælo reuelari, iam tunc agnoscent singuli continuo ipsum, ipsum quoque regem reuelandum, qui in illo clauis affixus est.] Et Hippolytus orat. de consummat. mundi in hæc verba prorumpit: [Orietur ab Oriente ad Occidentem vsque, signum crucis superantem splendorem Solis denuncians aduentum, & apparitionem iudicis.] Sunt tamen qui putant non ipsummet lignum in quo Christus pependit, sed solum signum ex aere formatum esse appariturum in iudicio, quam sententiam tenent expresse Anselmus in Elucidario, Antoninus 4. p. tit. 24. cap. 11. §. 5. S. Tho. in 4. dist. 48. q. 1. art. 2. ad 2. & opusc. 2. cap. 143. Abulensis, & Iansenius in cap. 24. Matth. eamq. probabiliorem putat Franciscus Suarez tom. 2. in 3. par. D. Thom. q. 59. art. 6. disp. 57. sect. 2. ne sine sufficienti fundamento miracula multiplicemus. Cæterum ego priorem amplector sententiam maximo cũ fundamento ex illis verbis Ecclesiæ deprompto, nimirum [hoc signum,] quoniam illud [hoc] ligneam crucem quam nos adoramus videtur magis indicare, quã aereum signum eiusdem crucis; nisi dicamus (quod ego magis puto) vtramque opinionem sustentabilem esse, & Caluino aduersam, qui in illis verbis Matth. 24. [Tunc apparebit signum filij hominis in cælo,] asseuerat (vt refert Marloratus in sua catena ad cap. 24. Matth.) non de cruce, sed de quasi signo edito ad ostendendum iudicem ibi esse sermonem.

Tho. Vuald. Crux lignea Christi in die iudicij reformãda inter sese compactis particulis dispersis. D. Chrysho. 1. de cruce & latrone, & hom. 77. in Matth. to 9. S. Ephræm. Quæ, & qualis in die iudicij appari-tura sit crux. Hippolyt. Anselmus. Antoninus. S. Thom. Abulensis. Iansenius. Franc. Suar.

DISPVT. XIX.

In Cap. Primum Apocalypseos, de Peccato Iudæorum ac Gentium, Messiam in lege & Prophetis promissum pungentium.

In duodecim Quæstiones distributa super illa verba: *Et qui eum pupugerunt.*

Prologus disputationis.



INCREDVLA Iudæa adhuc in dies mordacitus asseuerat, se Messiæ in lege, & Prophetis promisso, nullatenus machinasse mortem Crucis, contra quos hic, plerisque argumentis intrepidè aggredior, probans Messiã iam venisse, huncq. esse Iesum Nazarenum quem ipsi pupugerunt, & alia multa scitu digna in fauorem nostræ orthodoxæ fidei eliminans, ac diluens. Sequemur autem in hac materia Petrum Galatinum in opere de Arcanis catholicæ veritatis lib. 4. & 5. Porchettum de Seluaticis contra Iudæos in lib. cui præfixus est titulus [typus Messiæ] p. 8. Adrianum Finum in lib. qui inscribitur [Flagellum contra Iudæos,] Guillelmum Rosaneum in lib. appellato [Fortalitium fidei.] Iacobum Valentinum in tract. contra Iudæos, Lyranum contra Iudæos, & Alphonsum Tostatum super Exodum, Leuiticum, Numeros, & Matthæum, Petrum de la Caualleria Cæsaraugustanum in libro nuncupato [Zelus Christi contra Iudæos, Saracenos, & Infideles.] Martinum, Alphonsum Viualdum in glossa in tract. Zelus Christi contra Iudæos, & tractatu aureo Rabbi Samuelis ad Isaach Rabbi synagogæ, & alios plerosque graues Doctores scholasticos, vti Caietanum, Medinam, Suarez, Capreram, Gabrielem Vasquez in suis comment. in 3. par. D. Thom.

Petr. Galat. Porchett. de Seluaticis. Adrian Fin. Guillelm. Rosaneus. Iacob. Valentinus. Lyranus. Tostatus. Petrus de la Caualleria. Martinus Viualdus. Caietanus. Medina. Suarez. Caprera. Vasquez.

Quæstio I.

Vtrum Iudæis a Deo promissus olim fuerit Messias?



CONCLVSIO est affirmatiua, & de fide: illius namque promissiones continentur per totum vetus Testamentum. Nam prima (teste Ruperto) expressa est illis verbis, quæ Deus serpenti dixit Gen. 3. [Inimicitias ponam inter semen tuum & semen mulieris, & ipsa conteret caput tuum.] Secunda data est Abrahæ Gen. 22. [In semine tuo benedicentur omnes gentes.] Tertia vero per Iacob, illis verbis Genes. 49. pronunciata, & Hebræis publicata fuit: [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de famore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.]

1. Cõclusio. Messiæ promissio. Ruper. lib. 3. de victoria Verbi Dei c. 7. 1. promissio Messiæ. 2. promissio Messiæ. 3. promissio Messiæ.

Altera

4. promissio Messiæ. 5. promissio Messiæ. Isai. 9.

F Altera etiam promissio Dauidi facta fuit sub illis verbis: [De fructu ventris tui ponam super sedem tuã.] Hinc Isaias cap. 9. aduentum Messiæ, vaticinatus fuit, dicens: [Paruulus datus est nobis, & filius natus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.] & cap. 8 [Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, festina, prædari. Quia antequam sciat puer, &c.] &

Michæas.

Michæas cap. 5. [Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel, & egressus eius ab initio à

Baruch.

diebus æternitatis.] & Baruch. 3. [Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] Quid,

Messiæ natiuitas ex Virgine.

G quod, Messiam nasciturum ex Virgine prædixit Isai. 7. dicens: [Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.] Hoc ipsum Daniel vaticinatus est cap. 2. sub his verbis: [Lapis excisus de monte absque manibus.] Messiam prædicaturum,

Messiæ prædicatio. Messiæ miracula futura. Messiæ mors.

demonstrauit Isa. 61. [Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.] Miracula facturum, prophetauit idem Vates cap. 35. [Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.] Messiam à suis necatum iri præsignauit Daniel 9. in sua Prophetia de hebdomadibus. Et vt vnico dicam verbo, omnia quæ ad Messiam pertinent, D. Hieronymus in cap. 16. Isa. D. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 46. Theodoretus oratio 10 de prouidentia. Iustinus Martyr, Tertullianus, Chrysostomus, & alij sancti Patres apertè colligunt ex veteri Testamento, contra Iudæos.

D. Hieron. D. August. Theodoret. Iustin. Mart. Tertullian. D. Chrysost.

2. Conclus. Messias propriè vocatur Christus.

H Secunda conclusio. Messias propriè vocatur Christus. Patet, quoniam Christus idem est quod Rex; nam omnes reges Iudæorum erant Christi, iuxta illud: [Nolite tangere Christos meos.] Messias autem erat rex, & de progenie regis Dauid, & regnaturus dicebatur super sedem Dauid; & ideo, Messias vocari poterat Christus. Et hoc propriè & specialiter, quia Messiam vocamus Christum absolutè, quasi absolutè dicamus eum regem, non expresso nomine. Quoniam per excellentiam ipse est rex, cum perfectius regnaturus esset quam cæteri reges Israel; immo deducturus erat omnia ad summam perfectionem. De cæteris autem dicebatur quod erant reges cum additione, vt rex Dauid, rex Salomon; de Messia vero absolutè dicimus Rex, quasi vel solus sit rex, vel excellentior omnibus; & ita vocatur absolutè Christus; vnde quando vocamus absolutè Christum, non

Nota bene.

I intelligimus nisi Messiam, licet Dauid esset Christus Domini, & Salomon, & cæteri reges Israel.

Corollarium. Nota tria de Messia.

In calce tamen huius quæstionis animaduertas oportet, sine fide Messiæ explicita, vel implicita, nunquam saluos factos fuisse homines in veteri Testamento, & ab origine mundi. Porro Messiam per ex-

Messias dicebatur mittendus.

cellentiam appellari mittendum, iuxta illud Gen. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est.] id est Messias.

Christianorũ & Iudæorum concordia circa Messiã.

Et tandem scias oportet, Christianismum cum Iudaismo in appellatione Messiæ conuenire; quoniam vterque populus, Messiam appellant, quemdam hominem ex gente Iudæorum originem ducentem; à Deo, & Prophetis in Regem & Saluatorem hominum promissum, qui etiam erat futurus Sacerdos, & ob id vnctus. Quamobrem illum præfatum hominem, quem

K Hebræi Messiam appellant, Græci Christum, Latini vero, Vnctum nuncupant, sed de hac re latè agit Eugubinus lib. 3. de Arcanis cap. 2.

Quæstio. II.

Vtrum ex scripturis veteris Testamenti colligatur Messiam, verum Deum & verum hominem esse.



HEBRAEORVM Rabbini, negantem partem probare intentãt. Tum quia Deut. 14. sic habetur: [Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus tuus.] At Moyses erat purus homo, ergo Messias cum sit futurus Moysi similis non erit futurus verus Deus. Tum quia de Messia intelligitur illud Psalmistæ: [Homo natus est in ea.] At verus homo nequit esse verus Deus, cũ creator & creatura distent in infinitum. ergo, &c. Tum quia si Messias simul esset verus Deus, & verus homo, natura diuina & humana vnirentur ad inuicem, & sic vnio Verbi incarnati facta esset in natura ex quo sequeretur ex duabus naturis, diuina nempe, & humana constitui vna natura in Messia, quod esset hæreticum asserere. Tum denique quia Thalmud est scriptura quasi canonica: Atqui Thalmud contradicit omnino Messiam fore Deum igitur, &c.

1. Argument. 2. Argum. 3. Argum. 4. Argum.

Nihilominus pro decisione, & vt veritas magis illucescat, nota hanc quæstionem dupliciter accipi posse. Primo nempe, considerando auctoritates veteris testamenti in se; secundo verò considerando easdem auctoritates veteris testamenti, quatenus & pro vetri nouo testamento, ab Apostolis, & à Christo Redemptore nostro proponuntur, & explicantur.

Fundamẽt. 1.

Secundo etiam nota, libros canonicos veteris Testamenti esse à Iudæis receptos, & tanquam Deo inspirante conscriptos, & esse in vniuerso vigintiduo, secundum antiquam computationem; & vigintiquatuor secundum modernam calculationem. Quia lamentationes Ieremiæ, & liber Ruth, ponuntur modo pro duobus libris, à libris Ieremiæ, & Iudicum separatis. De istis autem libris aliqui dicuntur legales, scilicet quinque libri Moysi, & sunt in primo ordine apud Iudæos: alij dicuntur prophetales, scilicet Iosue, Iudicum, Samuel, id est, primus & secundus Regum, Malachim, id est, tertius & quartus Regum: Isaias, Ieremias, Ezechiel, & liber duodecim Prophetarum, qui dicitur Thercasta, & isti octo, sunt in secundo ordine: reliqui vero dicuntur, Agiographi, id est, scripturæ sanctæ, vel sanctorum scripturæ, & sunt isti libri, Iob, libri Psalmorum, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Paralipomenon, Daniel, Esdra, Esther, Ruth, Lamentationes Ieremiæ; & isti sunt in tertio ordine. Ex his omnibus libris poteris sumere argumentum efficax contra Iudæos. Et illos in plurimum approbat Concilium Tridentinum loquendo de canonicis scripturis, sess. 4.

Fundamẽt. 2. Librorum sacræ scripturæ moderna, & antiqua cõputatio Hebræorum. Libri legales, prophetales, & agiographi apud Hebræos. Argumentum contra Hebræos vnde sumi potest.

Tertio præterea est notandum, Iudæos præter scripturas connumeratas Canonicas, habere quasdam alias scripturas, quas communi nomine vocant [Thalmud,] sunt autem Thalmud, scripturæ authenticæ, apud Iudæos, & secundum illos, Thalmud non differt à scripturis canonicis, nisi sicut lex data verbo, à lege data scripto. Sed quidquid sit, Thalmud, est glossa Doctorum Hebraicorum, & magna ex parte, Thalmud, sunt scripturæ falsæ; vnde ex Thalmud, Iudæi minime possunt sumere argumentum efficax

Fundamẽt. 3. Hebræorum Thalmud.

Argumētum efficax sumere nequeunt Iudæi contra Christianos ex Thalmud, bene tamen nos contra illos.

efficax contra Christianos; quoniam Christiani non admittunt, Thalmud, cum sint scripturæ falsæ. Bene tamen Christianus poterit argumentari cōtra Iudæos, & sumere argumentum efficax ex Thalmud, nam Iudæi (vt dictum est) illud habent quasi scripturas canonicas.

4. Fundam. Decem nomina Dei apud Hebræos. D.Hier. epist. 136. ad Marcellā. & in c. 16. Ezech. Euseb. lib. 11 de præp. Euāgel. c. 8. Grego. Naz. orat. 4. de Theologia. Orig. ho. 14. in lib. Num. Clem. Alex. lib. 5. Strom. Macr. lib. 1. Satur. c. 18. Diod. Sicul. lib. 1. Bibliot.

Quarto insuper est notandum apud Hebræos decem fuisse nomina Dei, Primum erat, [Heyl,] quod Septuaginta vertunt, Deum: Aquila vero, fortem. Secundum erat, [Heloym,] quod est numeri pluralis, & significat, Iudices. Tertium erat, [Heloe.] Quartum erat [Sabaoth,] id est, vt vertunt Septuaginta, Deum virtutum. Quintum erat, [Helym,] quod nos excelsum dicimus. Sextum erat [Hescher he hihe,] quod nomen habetur Exod. 3. & significat, qui est. Septimum erat [Adonay,] id est, Dominum. Octauum erat [Ya,] quod in Deo tantū ponitur, & in extrema syllaba Alleluya. Nonum erat, [Iehoua,] quod significat, fontem totius esse, id est, nomen ineffabile. Decimum erat, [Sadahy,] quod significat fortem, & sufficientem ad omnia, quod nomen habetur passim in Ezechiele, & in psalmo 19. [Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur,] quo loco nomine Dei, habetur [Sadahy.]

5. Fundam. Trinitatis mysterium supponitur, & breuiter probatur contra Iudæos.

Quinto, & postremo annota, contra Iudæos supponendum esse tam in hac quæstione, quam in tota hac disputatione mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod quamuis ipsi negent, Christianos tamen illud de fide habere perspicuum est, & breuiter illud hic probamus. Tum ex illo Gen. 1. [In principio creauit Heloym cælum & terram.] quoniam Heloym nomen est Dei, vt supra retulimus, & vt rectè annotat Nicolaus de Lyra in quodam tractatu contra Iudæos, Heloym est nomen plurale huius nominis [Hel,] vel [Helon,] quod significat Deum in singulari, & hoc satis patet (inquit Lyranus) scientibus proprietates idiomatis Hebraici.] At per hoc, quod nomen plurale diuinum coniungitur cum verbo singularis numeri, cum dicitur, [Creauit Heloym,] perinde ac diceret, [Creauit Dij,] ostenditur in sacra Scriptura, quod in Deo est aliqua pluralitas in vnitate essentiæ, quia talis modus loquendi sæpe in veteri Testamento inuenitur de Deo, & non de alio, & per consequens habetur intentum. Quod etiam probari potest ex illa angelica voce Isai. cap. 6. [Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.] Ac etiam ex illo Gen. 14. [Tres vidit, & vnum adorauit.] Tum ex illo Iob 33. [Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.] Rursus ex illo etiam Exod. 20. [Ego sum Dominus Deus tuus.] Et tandem ex Psal. 66. [Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus,] quibus in locis trina repetitio, siue triplicatio nominis Dei, nihil aliud exprimit (quicquid mussitent Hebræi) quam mysterium sanctissimæ Trinitatis, de quo, abundè disputant Theologi cum Magistro in 1 lib. Sent. & cum Angelico Doctore p. p. tam contra Iudæos, quam contra reliquos infideles.

Dei nominis triplicatio mysteriū sanctissimæ Trinitatis indicat.

1. Assertio. Messiam esse Deum probatur ex veteri Testamento. 1. Ratio.

Prima assertio, ex scripturis veteris Testamenti apertissimè colligitur, Messiam esse verum Deum. Hæc est contra Iudæos, & probatur.

Primo, ex illo Ieremiæ 23. [In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Qui locus ex communi interpretum omnium, ac etiam Rabbinorum sententia, intelligitur ad litteram de Messia, siue Christo, & vbi nos legimus, [Dominus,] in Hebræo ponitur [Iehoua,] nomen illud ineffabile Dei, vt nuper retulimus in quarto fundamento, quod nunquā attribuitur nisi vero Deo. Idem habetur Isai. 7. dum dicitur:] Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,] id est, nobiscum Deus. Porro Isai. cap. 9. [Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis,

A & vocabitur Deus fortis.] & in cap. 3. Baruch, sic etiam habetur: [Hic est Deus noster,] & mox additur, [Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] & tandem Psal 2. dicitur: [Dominus dixit ad me, filius meus es tu.] & Psal. 109 [Dixit Dominus Domino meo.] Quæ omnes scripturæ receptæ plane sunt apud Hebræos, ex quibus, vt vides, apertissime habetur, Messiam fore Deum.

Sed dices, esse aliquem filium Dei, potest intelligi multipliciter, nempe per adoptionem, per participationem, vel per naturam, quamobrem cum in præfatis auctoritatibus, & alijs quamplurimis nulla mentio fiat de filio naturali, dato quod colligatur Messiam fore Deum, & filium Dei, colligetur dumtaxat Messiā fore filium Dei per adoptionem, vel per participationem, & non filium Dei naturalem. — Euasio Iudæorum.

B Verum enimuero consequentia nullatenus tenet; quoniam ea quæ dicuntur de filio Dei in præallegatis locis veteris testamenti, nequeunt intelligi nisi de filio Dei per naturam. Nam omnes nos, filij Dei sumus per adoptionem, vel participationem, iuxta illud Apostoli, [Vt adoptionem filiorum Dei reciperemus:] & tamen nulli nostrum, nuncupatæ auctoritates adaptari queunt, vt est manifestum quamobrem directè intelligendæ veniunt de filio Dei naturali. — Soluitur Iudæorum euasio.

Porro probatur eadem conclusio ex cap. 23. Ierem. vbi sic habetur: [Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum.] Vbi translatio Chaldaica habet: [Messiam iustum:] quibus verbis apparet Messiæ, vel Christi humanitas. Et mox sequitur in eodem textu: [& hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.] quibus etiam verbis, eiusdem Messiæ, vel Christi diuinitas vera exprimitur. Quo-
C niam vbi nos legimus: [Dominus iustus noster,] in Hebræo textu habetur nomen Domini [Tetragrammaton,] quod plane nomen de nullo dicitur nisi de vero Deo, vt rectè probat Lyranus libello contra Iudæos, agens de diuinitate, & humanitate Christi. — 2. Ratio. — Rabbi Moyses in lib. directionis per plexorū tenet nomen tetragrammaton altissimo creatori appropriatū esse.

Præterea probatur, quoniam Isai. 11. de Messia dicitur: [Non secundum visionem oculorum iudicabit, nec secūdum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes.] Ex quibus verbis clarè liquet Messiā scire secreta cordium, At scire hoc, est solius Dei, vt dispūgunt Theologi, igitur Messias futurus erat Deus. Quod plane argumentum efficacissimum est contra Iudæos. Et ob id crebro legimus in Euangelio, Pharisæos indignatos, ac ira omnino incensos fuisse contra Christum, dum eorum cogitationes cognosceret. — 3. Ratio. — Pharisæi cur frequenter indignabantur contra Christum.

D Denique liquet intentio nostra, quia Micheæ 5. habetur de Messia: [Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda, ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel.] vbi translatio Chaldaica habet: [Ecce coram me egredietur Messias:] quibus verbis apparet natiuitas Messiæ in natura humana, & mox in eodem textu de eodem etiam Messia sequitur: [Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.] per quæ verba eiusdem Messiæ natiuitas in natura diuina plane ostenditur, qua semper nascitur, & natus est: igitur Messias in lege & Prophetis promissus, Deus ab æterno, & homo ex tempore futurus erat. — 4. Ratio.

2. Assertio. Messiam esse Deum probatur ex veteri & nouo Testamento.

E Secunda assertio. Considerando auctoritates veteris Testamenti quatenus in nouo explicantur apertissime apparet Messiam esse verum Deum, ita vt nullum remaneat dubium. Probatur euidenter ex illo Psalm. 2. [Dominus dixit ad me filius meus es tu,] quæ auctoritas de filio Dei naturali apertè accipitur à D. Paulo, dicente: [Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.] Et rursus verba illa Psal. 109. [Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.] ita explicantur ab eodem Apostolo, vt eisdem verbis concludat, Christum esse Angelis superiorem, quia Messiam & Christum ad dexteram Dei sedere dicitur. Et Paraphrasis Chaldaica (vt Galatinus refert lib. 3. cap. 5.) — Ad Hebr. 1. — Galatinus.

 transtu-

transtulit: [Dixit Dominus Verbo suo.] Verbum auté Dei, Deus ipse est, iuxta illud Ioan. 1. [In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum.] Sunt & aliæ pleræque auctoritates veteris Testamenti ita explicatæ in nouo, vt dilucidè, & absque aliquo dubio appareat ex illis, Messiam esse Deum verum, contra Iudæos.

Solut. ad 1.

Ad primum autem argumentum dicitur ex Tertull. lib. 4. contra Marcio, c. 22. & Irenæo lib. 3. c. 12. Clem. Alexan. lib. 1. pedagog. c. 7. Iustino q. 101. ad gentes, & Augustino 16. contra Faust. c. 15. & 18. ibi solum dici Prophetam illum, futurum fuisse verum hominem, prophetam, legislatorem, & mediatorem inter homines ac Deum, & ita similem Moysi, & in natura, & in officio, non autem oportet vt in omnibus alijs conditionibus futurus esset omnino similis, (alias non fuisset Redemptor nec natus ex Virgine, nec in similibus perfectionibus Moysem superasset) quamuis ergo Moyses ibi expresse non doceat prophetam illum futurum Deum (quia rudis populus capax non erat tanti mysterij) tamen hoc nullatenus negat. Nam quod postea significat, Deum per se populo non esse loquuturum, sensus est, non loquuturum eo modo, quo antea quasi per diuinitatem ipsam, & signis ac prodigijs illam indicantibus, sed loquuturum humana voce, per humanam naturam ex eorum genere assumptam, qua non excluditur quin ille propheta, Deus simul futurus esset & verus homo.

Moyses non negat Messiã futurum esse Deum.

Solut. ad 2.

Ad secundum respondetur, minorem falsam esse loquendo miraculose, & supernaturaliter: finitum enim & infinitum miraculose vniuntur in Christo Redemptore nostro, mediante vnione hypostatica.

Solut. ad 3.

Ad tertium liquet solutio, quoniam nos in hac quæstione minime disputamus de modo vnionis Verbi incarnati; de illa enim disputant Theologi cum Magistro in 3. senten. & cum Angelico Doctore in 3. p. q. 2. sed solum affirmamus vnionem illam Verbi incarnati factam iam fuisse: quæ duo distant tamquam substantia facti, & modus facti. Breuiter tamen dicimus ad argumentum cum S. Thoma 3. par. q. 2. art. 1. quod natura Verbi Dei carnem vniuit sibi in persona, & sic vnitas Verbi incarnati facta fuit in persona: Nam, vt inquit S. Tho. 3. p. q. 2. art. 1. ad 2. vnitas est duplex, naturæ scilicet & personæ. Naturæ quidem, secundum quã anima vnitur corpori formaliter perficiens ipsum, vt ex duobus fiat vna natura, sicut ex actu, & potentia, vel materia, & forma, & quantum ad hoc non attenditur similitudo, quia natura diuina non potest esse corporis forma, vnitas vero personæ constituitur ex ijs in quantum est vnus aliquis subsistens in carne & anima, & quantum ad hoc attenditur similitudo: vnus enim Christus subsistit in diuina, & humana natura.

Vnitas facta in persona.

Vnitas duplex.

Nota bene.

Solut. ad 4.

Ad quartum tandem patet solutio, quoniam Thalmud non recipitur à Christianis.

Quæstio. III.

Vtrum ex scripturis veteris Testamenti, Iudæos conuincere possimus, Messiam, & Christum iam venisse, & hunc esse Iesum filium Virginis Mariæ, quem ipsi pupugerunt.



IESVM Nazarenum filium Virginis Mariæ conantur Hebræi probare, non fuisse Messiam (quem ipsi pupugerunt) & Christum in lege, & Prophetis eis promissum:

F Tũ quia Messias, iuxta Isai. c. 2. in nouissimis diebus est venturus. [Et erit (dicitur illic de Messia) in nouissimis diebus præparatus mons domus Dñi in vertice montiũ, &c.] Atqui Iesus Nazarenus non venit in nouissimis diebus, immo multo ante, vt cõstat; igitur nec Messias adhuc venit, nec minus eum Iudæi pupugerunt. Tum quia temporibus Messiæ summa pax in mundo futura est, iuxta illud Isai. 2. [Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, & non leuabit gens contra gentem gladium.] Sed post Iesum Nazarenum natum, nulla fuit in mundo pax, quinimo grauissima per orbem vniuersum bella & dissidia extitere, igitur, &c. Tum quia Messias est futurus totius vniuersi Rex, summusq. Monarcha, iuxta illud Psal. 71. [Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.] & psal. 2. [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.] At Iesus G Nazarenus non habuit in terra vbi caput suum reclinaret, vt ipse dixit, igitur, &c. Tum quia Messias cum sit a Deo missus non destruet legem Moysi, quæ à Deo data est, & quæ iuxta diuersas prophetias debet esse æterna: Atqui Iesus Nazarenus, & legem & templum, & sacrificium obrogauit, ergo non fuit verus Messias. Tum quia aduentum Messiæ debuit præcedere Elias, sicuti habetur Malachiæ vltimo, per hæc verba: [Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus.] At Elias nondum venit, igitur nec minus venit Messias. Tum quia Messias filios post se relicturus est, iuxta illud Psalm. 88. [Et semen eius in æternum manebit.] & Isai. 53. [Et videbitur semen longæuum.] Sed Iesus Nazarenus absque liberis est mortuus, igitur non fuit Messias. Tum denique quia in aduentu Messiæ futurum est signum magnum in terra, quod prædixit Isai. cap. 11. per H hæc verba: [Vitulus & vrsus pascentur simul, requiescent catuli eorum, & leo quasi bos, comedet paleas.] At leo adhuc non comedit paleas vt bos, nec minus videmus vitulum & vrsum simul pasci, nec tandem hucusque simul requiescunt eorum catuli; igitur adhuc non venit Messias.

1. Argumen. 2. Argum. 3. Argum. Luce 9. 4. Argum. 5. Argum. 6. Argum. 7. Argum.

Verumenimuero sit contra Iudæos verissima assertio. Apertissime conuincere possumus Iudæos, ex scripturis veteris Testamenti Messiam iam venisse, & hũc esse Iesum Nazarenum filium virginis Mariæ. Hæc est de fide apud Christianos, quoniam ipsemet Iesus Nazarenus mulieri Samaritanæ sibi dicenti: [Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus.] clare se patefecit dicens: [Ego sum qui loquor tecum.] Et ipsemet summo Sacerdoti eum interroganti: [Tu es Christus filius Dei benedicti?] intrepidè respondit: [Ego sum, & vi- I debitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & venientem cum nubibus cæli.] Attamen increduli Hebræi nihil curant de his quæ fidei Christianæ subiacent; quoniam cum ipsi sint populus perfidus, & duræ ceruicis, sacras scripturas prophetarum à recto rationis, & veritatis tramite deuiare in dies conantur. Quãobrem eos per hanc assertionem conuincere intendimus, ita vt velint, nolint, veritatem occultare nequeãt, quam his rationibus probamus.

1. Assertio. Messias iam venit. Ioan. 4. Marc. 14.

Prima ratio. Isaias de aduentu Messiæ vaticinans sic cap. 35. ait: [Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet claudus sicut ceruus, & aperta erit lingua mutorum.] At Iesus Nazarenus operatus fuit hæc omnia miracula, vt videre est apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem Euangelistas suos, apud quos passim habetur, Ie- K sum Nazarenum leprosos mundasse, visum cæcis restituisse, claudos ambulare fecisse, surdis auditum restituisse, mortuosq. ad vitam reuocasse; quamobrem ipsemet Iesus duobus discipulis Ioannis Baptistæ eum interrogantibus: [Tu es qui venturus est, an alium expectamus?] Respondit sic: [Euntes renunciate Ioãni quæ audistis & vidistis, cæci vident, surdi audiũt claudi ambulant; leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui nõ fuerit scan-

1. Ratio. Miracula quæ patrauit Christus.

scandalizatus in me.] Igitur iam venit Messias, & hic est Iesus Nazarenus filius Virginis Mariæ, quem Iudæi & Gentiles pupugerunt, ipsum crucifigendo, vt adimpleretur exaltatio illa serpentis Moysi in deserto. Quam diram necem ipsemet Iesus Nazarenus de se prædixit suo his verbis: [Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Typus serpentis Moysi in Christo adimpletus.

2. Ratio.

Secunda ratio depromitur ex illa apertissima prophetia Iacob, Gen. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.] Quod plane vaticinium in solo Iesu Christo redemptore nostro, filio virginis Mariæ adimpletum est, quem Iudæi pupugerunt: ergo iam venit Messias, & Messiam Iudæi pupugerunt. Minor probatur; quoniā sceptrum nunquam ablatum est a domo Iudæ vsque ad Herodem, natum ex patre Antipatro Idumæo; & ex matre Arabica, qui postea Rex Iudææ declaratus est, qui etiam Senatum illum à Moyse constitutum (quam Hebræi Sanhedrin vocabant) funditus deleuit, quo tempore Iesus Christus de Virgine Maria natus est, quod adnotauit Matthæus Euangelista dicendo: [Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis,] igitur minor remanet vera.

Cæsar Baron. tom. 1 Annal. anno Christi 1. cap. 30.

Matth. 2.

Prima euasio Iudæorum.

Respub. falso ficta à Iudæis.

Iudæi autem obstinati conantur varie euertere vim huius loci & prophetiæ: Quidam enim fingunt rempublicam quamdam in montibus, in qua hac etiam nostra ætate, reges de tribu Iuda principatum obtinere dicunt. Sed hoc delirantium Iudæorum figmentum vtique est. Alij dicunt vaticinium istud non esse intelligendum de Messia, nam in textu hebræo habetur: [Donec veniat Sillo] quæ vox significat locum illum, in quo fuit Arca Domini, cuius meminit Ieremias c. 20. atque ita dicunt iuxta hunc sensum in Saule impletā fuisse propheciam istam. Cum enim ille esset de tribu Beniamin, vt legimus 1. Reg. 9. in Regem est electus, & gubernaculum regni à domo Iudæ ablatum est. Et sic erit sensus, Donec veniat Sillo, id est, Saul, qui in Sillo, nempe in [Siloh] loco in quo fuit domus Dei, vt habetur Ios. 18. Iudic. 18. & 1. Reg. 3. vnctus fuit. Sed in hac re impugnantur Iudæi, quoniam Saul quando fuit vnctus in regem, Arca Domini no erat in Siloh, sed in Cariathiarim, vt patet 1. Reg. 7. vnde Saul dicitur vnctus in terra Suph, seu in Maspha, & idē habetur c. 9. Deinde quia viuente Saule, electus fuit Dauid in regē, vt est manifestum 1. Reg. 20. 21. 22. 23. 24. & vsque ad 31. caput; in quo legitur mortuum fuisse Saul, ergo præfata explicatio Iudæorum nulla est. Alij Iudæi dicunt prophetiam istam adimpletam fuisse in Ieroboā, qui fuit de tribu Ephraim, cui post mortem Salomonis decē tribus adhæserunt, spreto Roboam legitimo Rege, & sic erit sensus, Donec veniat qui mittendus est, nempe Ieroboam qui in Siloh coronatus est. Sed aberrant omnino Hebræi ita interpretantes propheciam istam; Quoniam Ieroboam non in Siloh, sed in Sichem coronatus fuit, vt legitur 3. Reg. 12. Præterea, tametsi Ieroboam vnctus fuerit in regem non proinde ablatū fuit sceptrum à domo Iuda; quoniam reges Iuda erant veri reges, in quorum regno erat Ierusalem quæ erat metropolis, in qua erat templum, & arca Dei, & cæterā omnia quæ requirebantur ad vnctionem regum, ergo, &c. Alij Hebræi dicunt Siloh, significare Missum, vnde contendunt prophetiam istam (donec veniat qui mittendum est) intelligēdam esse de Nabuchodonosor Babylonis rege, qui propter scelera populorum missus est ad destruendam ciuitatē, & auferendum regnum. Contra quos Hebræos insurgo primo, quoniam quando in sacra Scriptura ponitur absolutè Missus, necessario venit intelligendus Messias, ergo, &c. Secundo, quoniā in paraphrasi Chaldaica (quæ apud Hebræos est maximæ auctoritatis; quam ipsi [Targum] appellāt) clarius sic legitur: [Donec veniat Messias.] Hebræi tamen in sua perfidia obstinati vrgent, dicentes Machabæos, qui erāt de tribu Leui (vt cōstat ex lib. Machab.) multo tēpore populum Iuda gubernasse, & sic item antequā Christus aduenerit in mundum, ablatum fuisse dicunt sceptrum à tribu Iuda. Quibus respondeo primo, tēpore captiuitatis Babyloniç, & tempore Machabæorum, populum Iudæ, gubernasse semper Iudæos ex tribu Iuda. Perpetuo enim vsque ad Herodem in illo Machabæorum cœnaculo, Cœnatores ex tribu Iuda vocati sunt. Et quanquam ante Christi ortum defuerunt Iudices ex tribu Iuda, numquam tamen regnum ad alienigenos translatum est vsque ad Herodem, quo tempore natus est Christus; & ita primo gubernarunt Reges, mox Duces, deinde Iudices, & in tempore Machabæorum Sacerdotes. Et dato quod vbi nos legimus [dux de fœmore eius] in hebræo habeatur [legislator,] tamen istud vsque adeo conuenit Christo, vt nulli de tribu Iuda conuenire queat. Secundo respōdeo, quod quāuis Machabæi essent de tribu Leui ex parte patris, tamen erant ex tribu Iuda ex parte matris, & ita non fuisse ablatum sceptrum à Iuda vsque ad Christi natiuitatem.

2. Euasio Iudæorū circa prophetiam Genes. de Messia.

Hebræi per Sillo intelligunt Saul.

Refellitur expositio Hebræorum de Sillo.

3. Euasio Iudæorum.

Impugnatur Hebræi.

4. Euasio Iudæorum.

5. Euasio Iudæorum.

Soluitur euasio Iudæorū.

Machabæorū cœnaculo.

3. Ratio.

Idololatriæ euersio tempore Messiæ, siue Christi.

Tertia ratio petita est ex subuersione idololatriæ, etenim lumine naturæ notū est, esse vnicum Deum colendum, & non esse tribuendum diuinum cultum lapidibus, lignis, & alijs operibus hominis; quoniā illud præceptum decalogi, [Vnum cole Deum, & nō habebis deos alienos,] notum est lumine naturæ, & fuit violatum ante aduentum Iesu Christi Mariæ Virginis filij, ita vt nulla esset gens & natio, quæ non coleret idola. Etenim Romani pro religione habebāt deos alienos in propria patria adductos ex lōginquis regionibus, ipsisq. aras consacrabant, vt auctor est Valerius Maximus lib. 1. & D. Augustinus in lib. de ciuit. Dei. Aegyptij etiam innumera portenta pro dijs colebant. Et populus itidem Hebræorum, apud quē solum vera notio, & cognitio Dei remanebat, hac labe infectus fuit, vt habetur apud Isaiam, Ieremiā, & alios prophetas: At Iesu Nazareno nato de Virgine Maria, & illucente prędicatione Euāgelica, omnia Idola pene fuerunt contrita, iuxta illud Isai. 2. [In illa die eleuabitur Dominus solus, & omnia idola conterentur.] Idipsum etiam vaticinatus est Sophonias c. 2. fuitq. pręceptum illud de vnico Deo colendo pristino candori restitutum, & sublata potestas dæmonijs, qua mediante dæmon cupiebat in idolis, cultum diuinum, iuxta illud Lucæ 11. [Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superuenerit vniuersa spolia eius distribuet.] In qua parabola Christus nos docet ante ipsius aduentum maximam extitisse dæmonis potestatem, & cultum; aduenιente tamen ipso, tamquam fortiori duce, omnia vasa dęmonis fuerunt dissipata, & spolia distributa, id est idolā omnia, in quibus dæmon colebatur, fuerunt omnino contrita, ergo iam venit Messias Iesus Christus filius virginis Mariæ.

Idololatria antiqua Romanorum.
Valer. Max.
D. August.

Idololatria Aegyptiorū.
Idololatria Hebræorum.

Dæmonis astutia circa idola.

4. Ratio.

Quarta ratio desumitur ex subuersione synagogæ Iudæorum: populus enim Hebræorum fuit olim, ante aduentum Iesu Nazareni filij Mariæ virginis, ita dilectus à Deo, vt habuerit illum loco filij. [Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium.] Quæ verba citat Apostolus ad Hebr. 1. & apud Isaiam habetur: [Audite me domus Iacob, qui portamini ab vberibus meis.] & Paulus ad Rom. 9. loquēs de Israelitis inquit: [Quorum est adoptio filiorum, & legislatio, & promissio.] At postquā populus iste ita dilectus ingessit manus in Iesum Christum filium Virginis Mariæ, ipsum pungendo, & crucis patibulo affigendo, expertus est summa miseria, & charitas illa paterna in acerbissimam vindictam fuit commutata: etenim à Romanis Imperatoribus, Tito, & Vespasiano fuit regnum Iudæorum occupatum, ciuitas Ierosolymitana omnino euersa, sacerrimum templum solo ęquatum, sacerdotium extinctum, & principes deleti. Ergo iam constat Christum quē ipsi Hebræi pupugerunt & crucifixerunt, fuisse verum Messiā, quem ipsi euenturū sperabant. Sed forte dices: Has tot & tantas calamitates non propter hoc peccatū, sed propter alia crimina illi populo euenisse. Quēadmodum propter peccatū idololatriæ iā passus

Obiectio.

Refellitur ob iectio.

populus ille verberabatur à Deo. Contra quod sic insurgo. Populus Iudæorum nunquam tantam calamitatem & miseriam perpessus fuit, quantam pertulit postquam Christum filium Virginis Mariæ pupugit. Quod vtique probo. Primo, quia olim exul factus fuit à patria per septuaginta annos in captiuitate Babylonis, nunc autem dispersus est per omnes nationes, vilis & abiectus, per mille sexcentos & vndecim annos, & de cætero erit vsque ad diem Iudicij, vt ipsi successores videbunt. Secundo, quia in alijs calamitatibus non erat extinctum sacerdotium, semper siquidem apud eos fulgebat: At vero nunc, nullum est sacerdotium apud ipsos, nec in futurum erit. Tertio, quia semper aderant Prophetæ & prophetiæ, populum mæstum consolantes, & pronunciantes illico futuram libertatem: at vero postquam ipsi Christum pupugerunt, nulla est prophetia, nulli ex parte Dei consolatores, quæ omnia fuerunt ab Osea vaticinata in cap. 3. dicente: [Sedebunt multo tempore filij Israel, sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod.] Ergo, iam non propter alia crimina, immo propter hoc summum crimen, quo Iesum Christum pupugerunt, fuerunt ita puniti Iudæi à Deo.

Exules filij Israel in Babylone. Exules filij Israel nunc in æternum. Filij Israel nunc sacerdotio carent. Prophetas nunc minime obtinent Hebræi, & cur.

5. Ratio. Romani Imperij conuersio ad fidem miraculosa.

Quinta ratio desumitur ex conuersione Romanorum Imperatorum, Regumque, ac Principum huius mundi. Si enim memoria repetimus omnes historias veterum, nunquam reperiemus aliquod regnum absque armis, & potentia ad alterius dominium deuenisse. At Romanum Imperium sine potentia humana, & absque vllis armis deuenit ad Iesu Nazareni Virginis Mariæ filij dominium, vt denotabat lapis ille paruulus excisus de monte sine manibus, qui statuam illam quam erigerat Nabuchodonosor penitus contriuit, quoniã lapis iste est Christus, qui sine manibus, id est, sine humana potentia contriuit statuam illam, nempe omnia regna mundi ad se conuertit, etenim statua, Regna & Monarchias (vt omnes sancti Patres docent) repræsentabat.

Typus cõuersionis gentiũ.

Obiectio. solutio. Discrimen inter Regna Christianorũ & Agarenorum. Orbis conuersio ad fidem omnino miraculosa, & cur? Apostoli orbis prædicatores.

Admittimus quidem varia regna subesse dominio Turcarum: cæterum illa armis, potentia, & tyrannide fuerunt occupata, lexq. quam profitentur est grata sanguini & carni, nam pollicetur delitias corporales, ad quas homines sunt maximè procliues: verum in hac nostra sacrosancta religione Christiana sunt hæc omnia animaduertenda. Primum, imperia mundi conuersa fuisse, solis armis spiritualibus, id est, sola prædicatione Apostolorũ, sequentibus signis, illam confirmantibus, atque ita inquit Apostolus 2. Cor. 10. [Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia à Deo ad destruendam omnem potestatem, & ad captiuandum intellectum in obsequium Christi.] Secundum, hos ministros, & prædicatores Euangelij non prædicasse legem aliquam sensibus plausibilem, & sanguini gratam, sed legem sanguini omnino repugnantem, & docentem res arduas, & difficiles ad credendum, quæ tamen recepta fuit à Iudæis, & à Gentilibus, quod alio loco Apostolus inquit esse magnum mysterium, & magnum pietatis sacramentum, quod prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, & assumptum est in gloria. Tertium, quia quando Ecclesia Catholica adhuc non habebat vbera, id est, adhuc erat paruula, non fuerunt ad ea admissi principes & Imperatores per trecentos annos, vsque ad Constantinum Magnum, nulli Reges, nulliq. Imperatores Christianam fidem fuerunt professi, ne scilicet illius incrementum potentiæ Imperatorum, & non virtuti diuinæ tribueretur. Quartum, ex eo quod voluerit Deus ciuitatem Romanam, quæ caput erat totius mundi, fieri etiã caput totius Ecclesiæ Catholicæ, & quod illam Christus Dominus, medio ministerio Petri & Pauli Apostolorum suo iugo subiecerit, sicut olim vaticinatus fuit Isa. 26. dicens: [Humiliabit ciuitatem sublimem, (id est Romanam) & calcabit eam pes pauperis, (id est Christi) & gressus egenorum, (id est gressus Petri & Pauli) calcabunt eam, id est, ciuitatem Romanam.

Lex Euangelica carni & sanguini aduersa. Reges & Imperatores gẽtium quando ad fidem orthodoxã peruenerunt. Roma caput mundi, facta est Ecclesiæ caput.

6. Ratio. Hebdomadæ Danielis.

F Sexta ratio desumitur ex prophetia Danielis 9. quæ elegantissima, simulq. difficillima est, & proinde exponenda venit diligenter, estq. tenoris sequentis: [Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuã vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prodhetia, & vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte: Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit
G autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.] Hæc autem omnia adimpleta fuit per Iesum Nazarenum filium Virginis Mariæ, ergo conclusum est contra Iudæos.

Annotationes circa Danielis hebdomadas. Annotatio 1. Hebdomada quid sit. Hebdomada significatio. Hebdomada absolute accipitur pro annorum numero.

Pro intelligentia tamen huius notabilis prophetiæ, sunt nonnulla animaduertenda. Primo igitur est notãdum ex Beda lib. de ratione temporum cap. 27. & 28. Quod hebdomada precise significat septenarium dierum, interdum septenarium annorum, quando autem ponitur absolute semper significat septenarium dierũ, & in solo hoc 9. Danielis capite, in tota sacra scriptura ponitur hebdomada absolutè pro numero annorũ.
H Hebdomada verò pro diebus ponitur Leuitici 23. vbi à phase vsque ad Pentecosten numerãtur septem hebdomades. Et Danielis c. 10. legitur ieiunasse Danielem hebdoma. 3. Hebdomada autem pro annis habetur Leuitic. c. 25. vbi præcepit Dominus numerare septem hebdomades annorum, & anno sequenti, qui erat quinquagesimus, celebrare Iubileum.

Annotatio 2. Hebdomada pro annorum numero. Hebdomadarum Danielis supputatio. Prophetiæ obscuritas. D. Hierony. Origenes.

Secundo est notandum, Danielem prophetam non enumerasse hebdomadas dierum, sed annorũ, alioquin post quadringentos & nonaginta dies adimpleta esset prophetia, quod nullo modo veritati congruum esse videtur. Sed numerasse hebdomadas annorũ, quæ continent quadringentos & nonaginta annos. Noluit autem Angelus Gabriel distinctè explicare hebdomadas annorum, vt hoc pacto obscura remaneret prophetia. Omnis enim prophetia, vt auctor est D. Hieronym. lib.
I 4. c. 43. antequam adimpleatur, ænigma est. Origenes autem tract. 29. super Matth. Constituit has hebdomadas decem annorum, & sic vnaquæq. hebdomada continebit septuaginta annos, & simul iunctæ continebunt annos 4900. Nicolaus verò de Lyra super c. 9. Danielis, & Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis c. 4. referunt sententiam Rabbinorum, quorum alij faciebant has hebdomadas Iubileorum, alij vero aliter. Sed hæ explanationes ridiculæ sunt, & facile refutantur, ex eo quod in sacris litteris, vt dictum est, hebdomada semper accipitur pro hebdomada dierum, vel annorum. Accedit, quod nondum adhuc adimpletæ essent eæ hebdomadæ: Cum tamen, ipsa experientia teste, videamus templum Hierosolymitanum destructũ, & ciuitatem pene dirutam, ciuesq. eius captiuos, sicut prædixerat Daniel.

Lyranus. Galatinus. Refellitur hebdomadarum Danielis diuersa computatio.

Annotatio 3. D. Hierony. Lyranus. Galatinus. Benedict. Pererius in Danielem.

K Tertio est notandum, varias esse interpretum sententias, vt referunt D. Hieronymus, Nicolaus de Lyra, Galatinus, Pererius, & alij, de tempore à quo supputandæ sunt hebdomadæ vt complectantur circa tempora Christi. Nos tamen dicimus prophetiam illam, tribus temporibus considerandam esse. Primum quidem est, quando visio illa manifestata fuit Danieli. Secundum, quando à Iudæis facultas concessa est ædificandi templum, antequam ciuitas re-

ædifica-

ędificaretur ab ipsis. Tertium tandem tempus quando data est potestas ædificandi ciuitatem, quod fuit post ędificationem templi. De tempore autem a quo enumerandę sunt hebdomadę septem diuersę sunt interpretum sententiæ, vt dixi, quibus prætermissis, duas tantum recitabimus. Prima est illorum qui dicunt hebdomadas septem, adnumerandas esse à tempore quo data est Iudæis facultas readificandi templum, quam sententiam sequuntur Clemens Alexandrinus lib. 1. à Stromatum, Eusebius lib. 8. de demonstratione Euangelica, Driedo lib. 3. de sacra Scriptura cap. 5. parte 4. Iansenius in concordia Euangelica cap. 122. quod fuit secundum Clementem, primus annus regni Cyri, & secundum alios vigesimus quintus annus, Darij, qui fuit quartus Rex persarum. Altera sententia quæ reuera verior est, existimat hebdomadas numerandas esse à vigesimo anno Artaxerxis longimani, qui fuit sextus Rex Persarum, qui flexus precibus Nehemiæ facultatem illi concessit, qua ciuitatem constitueret, & validissimis muris illam muniret, vt constat ex 2. Nehemiæ. Hanc sententiam sequuntur grauissimi Patres, Iulianus Africanus lib. 5. Animalium testante D. Hieronymo, Chrysostomus orat. 2. aduersus Iudæos, Dionysius Carthusianus Theodoretus, & Nicolaus de Lira super danielem, Beda lib. 3. super Esdrà cap. 16. & de ratione temporum cap. 8. Rupertus in Danielem cap. 15. Ioannes Zonarus lib. 1. Annalium, D. Antoninus in histor. Patrum tit. 3. cap. 8. Galatinus in arcanis Catholicæ veritatis cap. 16. Ioannes Lucidus lib. 7. de emendatione temporum cap. vlt. Quam sententiam, tamquam veriorem, (vt dixi) sic probo. Principium hebdomadarum sumendum est a tempore quo data est facultas ædificandi Ierusalem, plateas etiam & muros eius, vt satis aperte declarant verba Gabrielis. At à solo Artaxerxe data est Nehemiæ potestas reædificandi ciuitatem: ergo ab illo solo sumendum est initium hebdomadarum. Legite cap. 1. 2. & 4. lib. 2. Esdræ. Quoniam maxime conducunt cap. ista ad hanc prophetiam intelligendam.

Opiniones duæ, de tempore à quo enumerandæ veniunt Danielis hebdomadæ. 1. Opinio. Clem. Alex. Euseb. Driedo. 2. Opinio. Iulian. Afric. Chrysost. D. Dion. Car. Theod. Lyran. Beda. Rupert. Ioan. Zonar. D. Antonin. Galat. Ioan. Lucid. Probatur hęc secunda opinio tamquā verior.

Sol. ad 1. Ad primum tamen, Iudæorum argumentum, dicitur, tempus Christi appellari nouissimum, quoniam lex Euangelica est vltima, & post illam, nulla alia lex subsequetur, & sic intelligitur illud Ioan. 2. [filij nouissima hora est,] & per hoc non tenet argumentum.

Sol. ad 2. Ad secundum respondetur, quod omnia, quæ de Christo vaticinati fuerunt Prophetæ, vt regnum dominium, pax, imperium, &c. veniunt intelligenda spiritualiter. Verum Iudæi, quia carnales sunt, illa omnia intelligunt iuxta occidentem litteram, & ita non tenet argumentum, quia in natiuitate Christi, Angeli cecinerunt: [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] per quæ verba denotatur spiritualis pax summa huic mundo visibili à Christo introducta. *Luc. 2.*

Sol. ad 3. Tertium argumentum non tenet, eo quod regnum Christi est spirituale, & ita decepti omnino fuere duo filij Zebedæi petentes dexteram, & sinistram in regno Christi. Quamobrem illis fuit à Christo adhibita responsio: [nescitis quid petatis.] quasi diceret, quia existimatis terrenum esse regnum meum, ideo dico vobis quia nescitis, quid petatis.

Sol. ad 4. Ad quartum patet solutio. Licet enim lex vetus dicatur, Pactum sempiternum apud Hebræos, tamen id non obstat, legem veterem non esse mutandam à Christo, quoniam sempiternum, & æternum apud Hebræos dicitur illud, quod longo tempore durabat & sic dicebant Hebræi, Rex in æternum viue, id est, longo tempore viuas; vnde falsum est dicere, & asserere Christum minime potuisse mutare legem veterem, quam illa erat vmbra, quæ adueniente luce cessare debebat. Ita intelligitur locus ille Isaiæ 40. [Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.] Id est, totus cultus populi Israel, totaque illa legalia ministeria ad tempus fuere instituta tamquam pædagogia, & proinde fœno comparantur, & floribus in agro existentibus, qui necessario aduentu solis exsiccantur, & decidunt.

Sol. ad 5. Soluitur etiam quintum argumentum, ex eo quod Elias secundum aduentum Christi, nempe cum ad iudicandum omnem carnem veniet, præcedere debet, non autem primum aduentum, quo verbum caro factum est in vtero Virginis. Vnde cum sint duo aduentus Christi, confunduntur Hebræi, existimantes Eliam præcedere debere primum aduentum ad redimendum, cum tantum præcedere debeat secundum aduentum ad iudicandum omnem carnem, vt aperte declaratur in littera ipsiusmet Malachiæ vlt. capite.

Sol. ad 6. Sextum argumentum facile dissoluitur asserendo loca ista Dauidis, & Isaiæ esse intelligenda spiritualiter, & ita reliquit Christus Apostolos, & omnes Christicolas filios illius (licet indignos) spirituales, & per hoc non tenet argumentum cum procedat de carnalibus filijs, semen enim spirituale Christi in æternum manebit, & erit semen longæuum. Etenim omnes fideles credentes, filij Christi sunt per fidem ipsius, sicut multi apud Hebræos dicuntur filij Abrahæ per præputium.


Sol. ad 7. Ad septimum patet solutio, asserendo locum illum Isaiæ apud Hebræos magnæ esse auctoritatis, sed male intellectum, cum ipsi, illum intelligant secundum litteram tantum, & non metaphorice, (quemadmodum est intelligendus) vnde existimant Iudæi in aduentu Messiæ omnes bestias debere mansuescere, sed hoc est ridiculum, (vt mox sequenti quæstione apparebit.) Breuiter tamen, & ad propositionem, & locum Isaiæ dico: Omnia illa completa fuisse in primitiua Ecclesia in qua vitulus qui metaphorice significat hominem petulantem, siue innocentem (vt habet interlinearis Glossa,) & vrsus qui significat hominem horrendum pascebantur simul verbo Dei, & catuli eorum, nempe familiæ, & filij ipsorum requiescebant simul per fidem, & leo, nempe Rex, quasi bos videlicet quasi rusticus, comedebat paleas, non carnes, id est, ablectabatur, amotus à carnalibus desiderijs, habens intellectum simplicem sicut rusticus. Quid, quod, idipsum quotidie fit in Ecclesia Catholica, in qua Principes huius sæculi, historiæ superficie sunt contenti, sicut simplices, & cum sint tam alta, & profunda mysteria nostrę fidei Catholicæ, historiæ superficie tantum ablectantur, triticum autem, & medullam, nempe, interiorem sensum non curant intelligere, dummodo rex significatus per leonem, qui est omnium animalium prçstantissimus, sicut rusticus significatus per vrsum, vel per bouem, fidem de ipsis mysterijs habeat in intellectu, & voluntate. Addo per vitulum significare populum Hebræum, per vrsum vero, populum Gentilium; per eorum catulos, amborum populorum filios; per leonem autem ipsummet populum Gentilicum, per bouem tandem illummet populum Hebrçum, qui populi credentes quotidie mysteria nostræ fidei orthodoxæ leonem Gentilem, sicut bouem Hebræum, ambo eodem cibo, nempe fide, & verbo Dei, sunt contenti. Nam Ecclesia Catholica omnes ad se venientes admittit, & amplectitur libenter, & iisdem Sacramentis fide, & doctrina alit in Christo, & pascit: Etenim quemadmodum est vnus Deus, ita est vna fides, vnum baptisma, & vnus Dominus in Ecclesia sancta Dei.

Animalium metaphora, denotans mansuetudinē, & concordiā fidelium in Ecclesia Dei tēpore legis Euangelicæ.

Hebrçorum & gentiū cōuersio ad fidem Orthodoxam significata per antedictam mansuetudinem tēporibus Messiæ.

Quæstio IV.

Vtrum in aduentu Messiæ, quem Iudæi pupugerunt, omnes bestię debeant mansuescere, & domesticari?



IN gratiam vltimi argumenti superioris quæstionis, quod Hebræi robustissimum esse putant, proponimus hanc quæstionem contra eosdem Hebræos. Existimant enim Iudæi, Iesum Nazarenum non fuisse Messiam, nec Christum in lege, & Prophetis, & promissum; quia in aduentu illius omnes bestiæ, & animalia non fuerunt domesticata, & mansueta, & ita ex illo cap. 11. Isaiæ Iudæi contra Christianos argumentantur ab auctoritate. Primo, quia in aduentu veri Messiæ, iuxta Isaiam, cap. 11. habitabit lupus cum agno: At in aduentu Iesu Nazareni talis habitatio lupi cum agno adhuc non est visa simul, quia lupus, & agnus sunt contraria animalia, & quemadmodum duo contraria non possunt esse simul, vt ait Philosophus, cap. de contrarijs, immo vnum destruit aliud: ita lupus naturaliter curat destruere agnum, & agnus naturaliter quotidie fugit lupum ad se venientem, vt in dies experientia docet: ergo Iesus Nazarenus non fuit verus Messias, cum in aduentu illius hoc celeberrimum vaticinium non sit adimpletum. Tum quia in aduentu veri Messiæ, iuxta Isaiam eodem in capite, pardus cum hædo accubabit: at talis accubatio pardi, & hædi, non est adhuc visa in aduentu Iesu Nazareni, vt experientia docet: ergo, &c. Tum quia Isaias vaticinans de vero Messia & de illius aduentu, ita loco citato prophetauit: Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: At in aduentu Iesus Nazareni, non adhuc vidimus leonem cum vitulo, & ouibus simul morari, nec minus intuemur puerulum aliquem istas tres differentes species animalium simul minare, quia nullus est pastor adhuc inuentus, vt experientia docet, qui leonem ferocem minet, & pascat simul cum ouibus humilibus, ergo, &c. Tum quarto, & postremo, quia in aduentu veri Messiæ (vt loco præallegato habetur) vitulus, & vrsus pascentur simul, & simul requiescent catuli eorum, & leo quasi bos comedat paleas: at in aduentu Iesu Nazareni vitulus, quod est animal innocens adhuc non pascitur cum horrendo vrso, nec minus filij eorum simul commorantur, nec adhuc leo comedit paleas, sicut bos, nam leo comedit carnes, & non paleas, & bos vice versa comedit paleas, & non carnes, vt est manifestum: ergo Iesus Nazarenus non fuit verus Messias.

1. argum. — 2. argum. — 3. argum. — 4. argum.

1. Fundam. Animalium, quę pro aduentu Messię citat Isaias natura, & proprietas. Luporum natura. Solinus. Luporum diuisio. Aristoteles.

Pro decisione præmitto primo, naturam horum animalium, de quibus mentio facta est in argumentis Iudæorum, maxime notandam esse. Primum ergo animal est lupus: Istud animal est rapax, & carniuorum, & teste Solino, cap. 33. alius est lupus canarius, & alius est lupus ceruarius, qui & [thos] dicitur apud Aristotelem lib. 9. de historia animalium cap. 44. cuius hæc sunt verba: [Theoes etiam (quos lupos ceruarios diximus) hominem diligunt, & neque offendunt, neque metuunt valde, pugnant canibus, & leonibus, quo fit ne eodem in loco sint ceruarij, & leones.] Hæc ille de lupo Ethiopico dicitur, quod in saliendo ita nixus habet alitis, vt non magis proficiat cursu quam meatu, homines tamen numquam impetit lupus, cum sit animal rapax, & carniuorum, ita pro esu & cibatu vtitur ouibus, vt vertatur in prouerbium: [Ouem lupo committere,] quo plane prouerbio vtimur, quoties inimico negotium committitur. Hinc factum est, vt lupus, & agnus genuino quodam odio dissidant; quamobrem de lupo, & agno extat prouerbium, [à lupo agnum eripere.] Improbum enim videtur sperare futurum, vt lupus agnum semel arreptum amittat. Porro pardus animal est carniuorum, quod nonnulli leopardus, alij vero pantheram vocant, est animal ferum, & vt refert Plinius lib. 8. cap. 17. Syriæ Africæque familiare, pellem habet candidam, breuibus macularum oculis variegatam, & præstantissimum spirat adorem, cuius suauitate feras illectas corripit, laceratque: Verba autem Plinij, de pardo, siue panthera talia sunt. [ferunt odore earum mire solicitari quadrupedes cunctas, sed capitis toruitate terreri, Quamobrem occulto eo, reliqua dulcedine inuitatas corripiunt.] Et de eius vnguibus in eodem 8. lib. cap. 18. ita scribit: [Mirum pardos, pantheras, leones, & similia, condito in corporis vaginas vnguium mucrone, ne refringantur hebetenturvè, ingredi, aduersisque falculis currere, nec nisi appetendo protendere.] Et tandem de pardorum lingua, idem Plinius lib. 11. cap. 37. ita habet, [leonibus, ac pardis, omnibusque generis eius, etiam felibus imbricatæ asperitatis (lingua,) ac limæ similis, attenuansque lambendo cutem hominis, quæ causa etiam mansuefacta, vbi ad vicinum sanguinem peruenit saliua, inuitat ad rabiem.] sic ille. Hædus insuper est fœtus capræ, & non est animal carniuorum, immo pascitur herba, sicuti, & mater illius capra, & pater illius hircus, animal est fœtidum sicuti parentes illius. De capra, & hirco Scaliger, & Cardanus multa scribunt scitu digna. Sed quidquid sit capra, & hircus, & eorum fœtus, puta hædus animalia sunt fœtorem habentia maximum. Præterea vitulus, fœtus est in bubulo genere masculinus, qui primum ætatis annum, nedum expleuit; quoniam deinde iuuencus vocari incipit, dictus vitulus à vitulando, hoc est lasciuiendo. Quatuor siquidem sunt (teste Varro, de re rustic. lib. 2. cap. 5.) in bubulo genere ætatis gradus. Primus gradus vel prima ætas vitulorum; secunda iuuencorum; tertia bouum nouellorum; quarta vetulorum. Item leo animal est carniuorum, & ferox, & omnium animalium generosissimum multa de illo scribit Plinius lib. 8. cap. 16. per hæc verba: [leoni præcipua generositas, tunc cum colla armosque vestiunt iubæ. Id enim ætate contingit, è leone conceptis, &c.] vsque ad [credidisse video.] Hæc Plinius. Exploratum tandem est, leonem semper circuire, & quem deuoret quærere, regemque omnium animalium esse, licet cristas, cantusque gallinaceorum timeat, & maxime ignes. Rursus ouis animal est humile, & mitissimum, multa de illo scribit Plinius lib. 8. cap. 57. & Scaliger exercitat. 2. 17. cæterum ad nostrum institutum sufficit intelligere ouem esse humilis, & mitis naturæ animal, & inter cætera animantia humilius, & mitius. Iam postremo vrsus animal est ferum hybernorum mensium summo pinguescens, cuius naturam latissime exequitur Plinius lib. 8. cap. 36. per hæc verba: [Eorum coitus hyemis initio: nec vulgari quadrupedum more, sed ambobus cubantibus complexisque. Deinde secessus in specus separatim, in quibus pariunt trigesimo die, ad plurimum, qui nos. Hi sunt candida informisque caro, paulo muribus maior, sine oculis, sine pilo, vngues tantum prominent: hanc lambendo paulatim figurant. Nec quidquam rarius quam parientem videre vrsam: ideo mares quadragenis diebus latent, feminæ quaternis mensibus, &c.] sic Plinius. Ex quo plane fundamento perspicua omnino euadit natura horum animalium, quæ Iudæi, in aduentu Messiæ citant, adhærentes vati Isaiæ.

Lupi prouerbia. — Pardorum natura. — Plinius. — Hædorum natura. — Capra & hircus animalia fœtidissima. — Vitulorũ natura. — Vitulus quãdo innocens appellatur. — Plinius. — Ouium natura. — Vrsorum natura. Vrsorum grauitas. Plinius.

Præmitto, secundo multiplicem esse animalium

iria-

irrationalium differentiam. Alia enim sunt quæ generantur ex putri materia, qualia sunt animalia, quæ generantur ex aqua, vel terra, quemadmodum ranæ, anguillæ, araneæ, formicæ, & alia huius generis. Alia autem sunt animalia, quæ generantur ex coniunctione animalium diuersarum specierum, vt mulus, leopardus, &c. Alia itidem sunt animalia, quæ generantur in putri materia, habente ortum ex corporis humani intemperie, vt sunt pediculi, pulices, lernæ, &c. Alia præterea sunt animalia, quæ generantur ex putri materia cadauerum, vt vermes, muscæ, & alia huius generis. Hæc autem omnia animalia non fuerunt actu producta sexto die creationis, vt est manifestum, immo neque essent in rerum natura si homo perstitisset in statu innocentiæ, quia hæc animalia generant fastidium, molestiam, immo cruciatum, at vero in illo statu felicissimo, nulla molestia, nullusque cruciatus extitit, igitur talia ista animalia non fuerunt producta actu, sexto die creationis, sed tantum potestate. Vide Rupertum lib. p. de operibus Trinitatis in Gen. cap. vlt. & D. Tho. p. p. quæst. 72. Alia tandem sunt animalia, quæ immediate fuerunt creata à Deo actu, sexto die creationis, vt habetur cap. 1. Gen. per illa verba Dei: [Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, reptilia, & bestias terræ, secundum species suas.] & mox sequitur: [Factumque est ita, & fecit Deus bestias terræ, iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo.] In his ergo omnibus animalibus tam illa, quæ sexto die producta fuere potestate, quam illa, quæ eodem sexto die actu à Deo creata fuere, omnia simul vti producta, ita suas naturales passiones, & proprietates habuere, hoc tamen ordine, nimirum, illa quæ potestate fuerunt producta, potestate etiam habuerint suas passiones, & proprietates. Illa vero quæ actu producta fuere, actu etiam suas passiones, & proprietates naturales habuerint, quia Deus, & natura producunt indiuidua secundum species suas, & cum suis passionibus, & proprietatibus singularibus, & naturalibus. Indiuiduum enim singularibus accidentibus naturalibus debet esse singularizatum, & Philosophi docent cum Porphyrio cap. De specie, & cum Aristotele cap. vlt. p. lib. de cælo, & mundo.

Rupert. S. Thom. Animalia, quæ actu fuerunt producta sexta die.

Deus, & natura quomodo species producant.

Porphyrius. Aristot.

Tertio præmitto sacram Scripturam sæpissime vti metaphoris, nimirum, cum Verbum diuinum appellat agnum, leonem, petram, &c. vt probat S. Thom. p. p. quæst. 1. art. 9. nam iuxta illud Pauli ad Rom. cap. 1. [Sapientibus, & insipientibus debitor sum.] oportet vt Spiritus sanctus in sacro eloquio, spiritualia, sub similitudinibus corporalium rerum proponat rustico, vt sic rudes spiritualia capiant, vt recte annotauit Ferrariensis 3. contra gentes cap. 140. Animaduertas tamen fas vtique est, quod vti metaphoris nihil aliud est. quam Spiritum sanctum in sacra Scriptura vti locutionibus, quæ verificantur de his, de quibus dicuntur secundum propriam significationem dumtaxat, & secundum aliquam similitudinem ad propria significata; vt cum dicitur quod Deus noster ignis consumens est, vtitur tunc Spiritus sanctus metaphora, quia Deus non est vere ignis, sed se hbbet ad similitudinem, & modum ignis consummentis, & iuxta hoc dicimus duplicem vtique esse sensum in sacra Scriptura, litteralem, scilicet, & metaphoricum, sensus autem litteralis in sola littera sistit, & non amplius se extendit nisi ad quod solæ litteræ sonant; sensus autem metaphoricus includit similitudinem, & tantum verificatur de his, de quibus dicitur, non secundum propriam significationem, sed secundum aliquam similitudinem ad propria significata.

3. fundam. Metaphoris vtitur sacra Pagina. S. Thom.

Ferrarien.

Sensus geminus, vtpote litteralis, & metaphoricus. Sensus litteralis quid sit. Sensus metaphoricus qd sit.

Quarto præmitto, potentiam Dei esse infinitam quia esse Dei, est infinitum, in quantum non est limitatum per aliquod recipiens, & obid dicitur Deus omnipotens, quia potest quidquid vult, nempe omnia possiblia absolute; ita tenet fides Catholica sancitum in varijs concilijs, & præcipue in Concil. Tridentino, sess. 3. in decreto de Symbolo fidei; ita etiam Magister 1. lib. sent. dist. 42. id etiam probant Theologi cum Magistro, & S. Thom varijs in locis, Ferrariensis nempe, 1. contra gentes cap. 22. S. Bonauentura 1. lib. sent. dist. 12. quæst. 3. Alexander Alensis p. p. suæ summæ quæst. 21. memb. 5. art. 1. Scotus lib. sent. dist. 43. quæst. 1. Richardus 1. sent. dist. 42. quæst. 3. Durandus 1. sent. dist. 43. quæst. 2. Mayro 1. sent. dist. 33. quæst. 2. Vnde per istam omnipotentiam, siue infinitam potentiam potest Deus facere quidquid non impleat contradictionem. Et sic Augustinus in Enchyrid, loquendo de potentia Dei, ita est alloquutus. [Non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.] Hinc ortum habet distinctio ista, nimirum aliud esse, Deum posse omnia facere, & aliud esse, Deum fecisse omnia, quæ potest facere. Primum enim est verum, secundum autem falsum. Multa enim Deus potest facere in futurum, quæ adhuc non est operatus, & multa potuit antea, nempe in præterito tempore facere, quæ tamen minime fecit: poterat enim vnico verbo redimere genus humanum, & id nō præstitit, nisi mediante incarnatione Verbi.

4. fundam. Potentia Dei infinita.

Conc. Trid. Mag. in 1. Ferrar. D. Bonau. Alex Ales. Scotus. Richard. Durandus. Mayro.

D. Aug.

Quinto, & postremo præmitto; animalia omnia non secundum cursum naturalem, sed miraculose mansueta tam circa Noe, quam inter seipsa extitisse in Arca. Nam Theologi de hac re in cap. 6. Genesis disputantes affirmant (quidquid dicant Philo, & Ioannes Buteo) omnia animalia vndique congregata & deducta fuisse ad Arcam sola voluntate Dei, & ministerio Angelorum, & ibi quiete mansisse omnia etiam ferocissima, miraculose, vnde Caietanus exponens illa verba; [Duo ex omnibus venient ad te,] ita scribit; [Diuino siquidem nutu ministerioque Angelorum venerunt ex omnibus animalibus, mas, & femina ad Noe.] & mox subiungit: [Ab hoc miraculo veniendi duce reliqua consequentia circa pacem animalium apud Noe, eiusdem enim rationis sunt.] Hæc Caietanus. Id ipsum affirmat D. Augustinus lib. 15. de ciuit. Dei cap. vlt. quo loco tenet S. Doctor omnium animalium ad arcam conuentus, & eorum in arca placida commoratio, obsequiumque erga Noe, miraculi loco haberi debere. His prælibatis venio ad rem.

5. fundam. Animalium omnium mira mansuetudo in Arca Noe. Philo lib. 2. de vita Moisis, & Ioan. Buteo in lib. de Arca Noe. Caiet. super Gen. Animalia ministerio Angelorum bina congregata in Arca Noe. D. Aug.

Sit prima assertio. In aduentu Messiæ bestiæ, & animalia ferocia non debent domesticari, & mansuesci. Hæc est contra Rabbi Moysen, Rabbi Salomonem, Rabbi Eliezerum, Rabbi Iosue, & contra omnes Iudæos, affirmantes animalia omnia, & bestias in aduentu Messiæ esse domesticandas, & mansuescendas. Et probatur his rationibus.

1. assertio Animalia ferocia minime oportet domesticari, & mansuesci in aduentu Messiæ.

Primo, quia animalia ferocia, quæ nunc sunt carniuora, rixantur, & pugnant inter sese propter cibum, & coitum, vt tenet S. Thom. p. p. quæst. 81. Atqui irascibili, & concupiscibile, & etiam comestibile sunt passiones naturales animæ, vt auctor est Aristoteles in libris de anima; ergo tales passiones in animalibus ferocibus, & carniuoris, semper debent permanere tam in statu innocentiæ, quam in quouis alio tempore, etiam post aduentum Messiæ. Consequentia probatur, quia quod naturale est animalibus in tota specie mutari illo tempore potest, irascibile autem & concupiscibile, passiones sunt animi communes toti speciei animalium ferocium, vt patet in primo fundamento nostro. Propositio præter id quod sit S. Thom. p. p. quæst. 81. art. 2. est etiam Philosophi 8. lib. de animalibus. Et ratione etiam à nobis corroboratur. Etenim omnes passiones irascibiles incipiunt a passionibus concupiscibilibus, & in eas terminantur; quia irascibilis est quasi propugnatrix, & defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea quæ

1. Ratio. Cibus, & coitus causant rixam animalium. S. Thom. Aristoteles 2. de anima tex. 42.

quæ impediunt conuenientia, quæ concupiſcibilis appetit, & ingerunt nociua, quæ concupiſcibilis refugit. At cibus, & coitus magis quotidie in animalibus obijciuntur concupiſcibili, etiam ab exordio mundi vſque nunc. Et patet de vtroque. Et primo de cibo, quoniam cibus eſt ſimpliciter neceſſarius ad vitam, vt tenet Philoſophus. Vnde adeſt illud Gen. 1. [Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis (nempe Adamo, & Euæ) in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis, quæ mouentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeat ad veſcendum.] Secundo patet de coitu, dictum ſiquidem fuit in exordio mundi, & antequam Adam peccaret, animalibus: [creſcite, & multiplicamini,] ergo cum animalia in exordio mundi, & in ſtatu innocentiæ habeant cibum, & coitum, ex neceſſitate inter animalia ferocia, & carniuora, & animalia manſueta erant rixæ, & pugnæ propter cibum, & coitum, & ex conſequenti valet prima conſequentia.

2. Ratio. Plantæ, & herbæ naturæ læthales ſemper læthales. D. Baſilius. D. Ambroſ. Theodoret. S. Thom.

Præterea, neque in aduentu Meſſiæ, neque in exordio mundi, nempe in ſtatu innocentiæ plantæ læthales, & noxiæ, & aliæ quæ lædunt hominem, vt ſpinæ, tribuli, & rubi, (cum eſſent productæ mortiferæ ante peccatum Adæ, tertio die creationis, vt tenet D. Baſilius homil. 5. D. Ambroſius, Theodoretus in operibus ſex dierum, D. etiam Thomas p. p. q. 69. art. 2. ad 2.) debent amittere quin eſſent lethales & mortiferæ in ſe, quemadmodum nunc ſunt, licet hominem de facto tunc in ſtatu innocentiæ non potuiſſent lædere, quia læſio, eſt quædam diſpoſitio ad mortem, & tunc non erat mors; quia homo erat immortalis. Attamen plantæ læthales erant in ſe mortiferæ productæ iam tertia die creationis propter multa. Primo, quia ſpectabant ad ornatum terræ, quæ dicto die fuit ornata herbis. Secundo quia tunc producebantur ſpecies rerum, & etiam herbarum. Tertio quia quamuis hæ plantæ læthales ſint mortiferæ vni animali, ſunt tamen cibus alterius, vt eſt manifeſtum in turdis; ergo neque in aduentu Meſſiæ animalia ferocia debent domeſticari, nec minus manſueſci, aut dent Hebræi maiorem rationem de vno quam de altero.

3. Ratio.

Rabbi Moyſes ſuper Geneſim.

Rurſus in aduentu Meſſiæ opus ſextæ dici, nec minus opus ſex dierum eſt innouandum. Ita tenent Iudæi, inter quos eſt Rabbi Moyſes, qui ita inquit: [Non aſcendat ſuper cor, quod in diebus Meſſiæ deficiet aliquid de via huius ſæculi, vel innouetur aliquid de operibus ſex dierum: immo ibit mundus iuxta ſolitam viam, & per conſequens animalia remanebunt in conditionibus ſuis naturalibus:] At animalia præallegata fuerunt ferocia à ſua creatione vt liquet ex fundamentis, ergo ſaltim Rabbi Moyſes ſibi ipſi contradicit circa manſuetudinem animalium in aduentu Meſſiæ.

4. Ratio.

Tandem per peccatum hominis natura animalium non eſt mutata, nam natura impeccabilis non eſt capax mutationis in naturalibus, per peccatum alterius naturæ peccabilis, ergo natura animalium irrationalium ferocium non eſt domanda, nec domeſticanda in proprijs paſſionibus naturalibus, per aduentum Meſſiæ. Accedit quod Meſſias venturus erat ad reparandam naturam, & non ad deſtruendam illam: At ira, furor, indignatio, & manſuetudo ſunt paſſiones naturales à natura ipſa inditæ animalibus à die creationis illorum, ergo Meſſias in aduentu ſuo non eſt deſtructurus nec minus deleturus huiuſcemodi naturales paſſiones animalium irrationalium, alioquin mutaret naturam à ſua creatione.

2. aſſertio.

Secunda aſſertio. Locus Iſaiæ 11. incipiens: [habitabit lupus cum agno,] vſque ad [leo quaſi bos

F comedet paleas,] eſt intelligendus in ſenſu metaphorico, & nullo modo in ſenſu litterali. Hæc eſt contra eoſdem Iudæos, & probatur. Tum quia prima verba huius capitis 11. Iſaiæ, quæ ſic ſe habent: [Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, accipiuntur apud Iudæos in ſenſu metaphorico, & non in ſenſu litterali: & ita Rabbi Moyſes, & Rabbi Iſac, & alij Hebræi, ita interpretantur hunc locum. [Et flos de radice eius,] dicunt ipſi, [Et botrus de radice eius aſcendet,] & ſecundum eos, Meſſias ibi, ab ipſis nominatur virga, & botrus metaphorice; ergo pari ratione habitatio lupi cum agno, & moratio vituli, leonis, & ouis; ſimiliter, & paſtus vituli, & vrſi, leonis, & bouis, eſt etiam intelligenda metaphorice. Aut danda eſt maior ratio,

1. Ratio.

Lectio Rabbinorum Hebræorum in Iſaiam. Virga apud Hebræos metaphorice ſignificat Meſſiam.

G ob quã prima pars illius 11. capitis accipiatur in ſenſu metaphorico, & altera ſtatim ſubſequens pars eiuſdem cap. 11. accipiatur in ſenſu litterali. Tum quia in eodem principio capitis 11. talia habentur verba: [Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.] Quæ apud Iudæos in ſenſu metaphorico accipiuntur pro iuſtis, & fidelibus Meſſiæ adhærentibus, qui metaphorice dicuntur cingulum, & cinctorium Meſſiæ: Ergo ſtatim ſubſequentia verba, nempe, [habitabit lupus cum agno, &c.] veniunt etiam intelligenda in ſenſu metaphorico, & nullatenus in ſenſu litterali. Tum quia Meſſias in varijs locis veteris Teſtamenti appellatur leo, agnus petra, & alijs quamplurimis nominibus: At tales denominationes accipiuntur à Iudæis in ſenſu metaphorico, & non in ſenſu litterali, ergo iſta verba Iſaiæ cum ſint impoſſibilia in ſenſu litteralis, veniunt accipienda in ſenſu metaphorico.

2. Ratio. Lectio Hebræorum metaphorica. Cingulum, & cinctorium apud Hebræos ſignificant iuſtos, qui adhærebunt Meſſiæ.

3. Ratio.

Obiectio Iudæorum.

H Sed dices fortaſſe, ſenſus litteralis, & ſenſus metaphoricus in hoc ſolo diſtinguuntur, nempe quia ſenſus litteralis in ſola littera ſiſtit, & non amplius ſe extendit, niſi ad quod ſolæ litteræ ſonant; ſenſus autem metaphoricus includit ſimilitudinem, & tantum verificatur in his, de quibus dicitur, non ſecundum propriam ſignificationem, ſed ſecundum aliquam ſimilitudinem ad propria ſignificata; ergo ſi Meſſias iam venit, in aduentu illius adimplenda erat hæc prophetia Iſaiæ, licet non ſecundum propriam ſignificationem verborum lupi, & vrſi, &c. ſaltim ſecundum aliquam ſimilitudinem ad propria ſignificata: oſtendenda ergo eſt talis ſimilitudo.

Sol. 1. Animalium manſuetudo completa in Eccleſia Catholica.

Huic obiectioni dico, hanc diuerſorum animalium morum coniunctionem, completam iam omnifarie

I extitiſſe in Eccleſia Catholica, in qua quemadmodum omnia animalia in arca, in pace, & tranquillitate vitam degebant ſub dominio Noe: ita in Eccleſia Dei, Gentilis, & Hebræus, principes, & ſimplices in pace, & tranquillitate fidei Catholicæ vitam degunt ſub dominio Chriſti, qui eſt caput totius Eccleſiæ Triumphantis, & militantis, quam diuerſorum morum coniunctionem, oſtendit Dominus Petro Act. 10. in linteo illo de cælo ei demiſſo, in quo erant varia animalia tam quadrupedia, quam ſerpentes, ac etiam beſtiæ, & volucres cæli, quæ omnia immunda, Deus ſanctificauit, vt dictum fuit Petro.

Sol. 2. Animalium manſuetudo executioni mandata in primitiua Eccleſia.

Addo hanc pacificam conuerſationem alium finem ſuum, iam ſortitam omnino fuiſſe, in cohabitatione illa ſancta fidelium in primitiua Eccleſia, de qua dicitur Actuum cap. 4. [Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum,

K quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia,] vnde quantumcumque fuiſſent antea diſcordes, in actibus, & moribus, licet modo viuendi, recepta fide Chriſti, & gratia Spiritus ſancti ſiebant concordes in actibus, moribus, & modo viuendi, & hoc eſt quod dicitur, [habitabit lupus cum agno,] id eſt, ille qui prius fuit raptor ſceuus, cum innocente manſueto.

Sol. 3.

Dico tandem hoc vaticinium Iſaiæ ad finem ſuum iam prorſus perueniſſe in fidelibus Xpi, quia feræ, manſuetæ factæ ſunt frequenter coram fidelibus Chriſti

corum

eorum deuorationi exposita; similiter bestiæ venenosæ non poterant eis nocere, vt eis Christus in Euangelio dixit: [Dedi vobis potestatem, & virtutem calcandi super serpentes, & scorpiones, &c.] & Act. 28. dicitur, quod Paulus percussus à vipera in nullo læsus est propter quod barbari videntes, hoc, & admirantes dicebant ipsum esse Deum.

2. assertio.

Tertia assertio. Animalia quæ nunc sunt ferocia, & carniuora, vt sunt leones, vrsi, tigres, &c. tam in statu innocentiæ, quam ante diluuium, semper fuerunt (vt modo sunt) ferocia, & carniuora. Hæc assertio est D.Thom. q.96. ar.1.ad 2. & Caietani, in Genesim, Tostati etiam in Genes. quæst.35.& est etiam Aristotelis p. lib. Politicorum, qui hoc cognouit cognitione philosophica, dumtaxat: Ipse enim non cognouit ante, & post diluuium, & est contra Bedam, in Exameron, & contra etiam mutatam Tostati sententiam in 272. quæst. in Genes. & contra B. Basilium hom. 11. in Genesim, & Iosephum in lib. 1. Iudaicarum antiquitatum, & illam probo his rationibus.

1. Ratio.

Prima Ratio. In cap. 6. Geneseos antequam inciperet diluuium sit præcipit Dominus Noë: [Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi, quam illis, (nempe animalibus) in escam.] Atqui esca, & cibus Noe non solum erat herba, verumetiam, & carnes animalium comestibilium; Quoniam Deus propter seruitutem, & cibum hominis, cætera animalia creauit: Ergo quemadmodum Noë introduxit in arca herbas, & carnes sibi, & filijs suis, sic eædem herbæ, & carnes erant cibus aliorum animalium, iuxta illud: [Et erunt tam tibi, quam illis in escam.] Sed sic est, quod herbæ erant cibus animalium non carniuorum: Ergo carnes quæ comedebat Noë erant etiam cibus animalium carniuorum, & ita erat cibus communis Noë, & animalibus, & ex consequenti erãt ante diluuium animalia carniuora, & ferocia. Huic rationi fauet Nicolaus de Lyra in cap. 6. Geneseos, super illa verba: [Et erunt tam tibi, quam illis in escam,] quæ ita interpretantur ab illo: Erunt in escam, non tamen indifferenter, & communiter, (nempe, vt omnia animalia comedant eamdem escam) sed singula singulis secundum conditionem naturæ suæ.

Lyranus.

2. Ratio.

Secunda ratio. In cap. 8. Geneseos instante iam mirumimmodum diluuio, & transactis iam quadraginta diebus, dimisit Noë per fenestram arcæ coruum, & columbam, ex quibus duobus animalibus, columba reuersa fuit ad arcam, coruus autem minime, vt habet textus: Atqui tota ratio propter quam coruus non fuit reuersus ad arcam est, quia adinuenit multa corpora mortua, super faciem aquæ, ex quibus comedens adimpleuit appetitum suum naturalem, quasi animal vorax, & carniuorum; columba autem reuersa fuit ad arcam, quia numquam fuit assueta, iuxta suam naturam comedere carnes. Quod etiam videtur asserere, Lyranus affirmando communem esse sententiam coruum remansisse apud cadauera. Ergo iam ante diluuium, quemadmodum in medio diluuii, erant animalia carniuora, & ferocia, & non istud solum habuerunt animalia post diluuium, vt tenet contraria opinio.

Coruus quare non redit ad arcam.

Columba quare redit ad arcam.

3. Ratio.

Tertia ratio. Animalia esse carniuora, rapacia, & ferocia, vel est naturale, vel temperamentum, & complexio, vel est in pœnam peccati hominis. Prosecto non apparet alia ratio propter quam animalia sint carniuora, & ferocia: At non fuerunt, nec sunt animalia carniuora, & ferocia propter peccatum hominis, vt est manifestum,: Nam aliter non post diluuium (vt tenet contraria opinio) fuissent carniuora, & ferocia, immo ante diluuium post peccatum Adæ, quia maius erat peccatũ Adæ, in quo omnes homines peccarunt, & per quod vniuersum genus humanum, fuit corruptioni obnoxium, quam peccatum hominum, scilicet filiorum Dei, & filiarum hominum, per quod corrupta omni carne, aduenit diluuium, vt de se est manifestum, cum incarnatio etiam, & reparatio generis humani, per verbum, non fuerit propter peccatum diluuij, sed propter peccatum Adæ. Et ex consequenti, si animalia quæ nunc sunt carniuora, & ferocia essent talia propter peccatum hominis maxime esset propter peccatum Adæ: Et ideo ante diluuium erant animalia carniuora, & ferocia, cuius contrariũ tenet aduersa pars. Nec minus animalia esse carniuora, & ferocia, est temperamentum particulare, & cõplexio talium animalium in indiuiduo post diluuium, quia idem temperamentum, & complexio erat animalibus, quæ nunc sunt carniuora, & ferocia post diluuium, atque ante diluuium, aut cedo propter quid fuit mutatum? Ergo à sufficienti diuisione animalia esse carniuora & ferocia, naturale est animalibus, quæ nunc sunt carniuora, & ferocia, & ita naturale, quod consequatur totam naturam specificam, & fluat ab essentia talium animalium carniuorum, & ferocium, & per consequens, vllo tempore mutari potest. Vnde si quibusdam animalibus, nunc naturale est vesci carnibus, semper eis naturale fuit, tam post, quam ante diluuium.

4. Ratio.

Quarta ratio. Plato in Politico duo facit genera animalium terrestrium, nempe ferum, & mansuetum. Aristoteles vero in libro de Historia Animalium tripartito distinguit, ac distribuit animantes: Alias enim esse perpetuo cicures, alias perpetuo feras, quasdam vero ad vtrumq; horum ita flexibili ingenio, vt cicurari, & efferari facile possint ait: At perpetuum dicit ante, & post diluuium: Igitur ex Platonis, & Aristotelis sententia, ante diluuium fuerunt animalia ferocia, & carniuora, quemadmodum nunc, & in perpetuum erunt.

5. Ratio.

S. Thom.

Animaliũ natura numquã mutata.

Quinta ratio. Petitur à S.Thoma q.96.art. 1. ad 2. cuius hæc sunt verba: [Quidam dicunt quod animalia, quæ nunc sunt ferocia, & occidunt alia animalia in statu illo fuisse mansueta, nõ solum circa homines, sed etiam circa alia animalia, sed hoc est omnino irrationabile: Non enim per peccatum hominis natura animalium est mutata, vt quibus nunc naturale est comedere aliorum animalium carnes, tunc vixissent de herbis sicut leones, & falcones.] Ergo iuxta sententiam D.Thomę ante diluuium fuerunt animalia ferocia, & carniuora quemadmodum nunc.

6. Ratio.

Sexta ratio, Licet homo in statu innocentiæ non comedisset carnes, quinimmo ex solis herbis, & arborum fructibus victum Adam accepisset, nec vllum vsum habuisset animalium in cibum, vt deduci potest ex illo Gen. 1. [Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.] tamen statim post peccatum comedit homo carnes; quoniam habebat absolutum imperium in animalia, & ex consequẽti potuit, eis in cibum pro arbitrio suo vti, eo quod illud absolutum imperium, se extendebat tam ad ius, & potestatem, quam ad vsum absque aliqua exceptione; aut cedo, quo tempore Adam cæpit comedere carnes? Nec minus est dicendum hominem non comedisse carnes, sed solas herbas, & arborum fructus à creatione, vsq; post diluuium, nam istud videtur omnino irrationabile: Ergo saltim animalia, quæ nunc sunt ferocia, & carniuora, talia inceperunt esse, homine carnes animalium comedere inchoante, & hoc proculdubio negari nequit ab aduersarijs.

vlt. Ratio.

Septima, & postrema ratio. Ista consequentia negatur ab aduersarijs: [Deus neque in statu innocentiæ, neque post peccatum, hominibus non perscripsit potum, ergo homines neque in statu innocentiæ, neque post peccatum bibebant aquas:] Modo sic argumentor: Præfata consequentia non tenet, igitur nec minus etiam tenebit ista altera: [Deus in statu innocentiæ, neque post peccatum, præcepit Adæ comedere carnes: Ergo Adam neque in statu innocentiæ, neque post peccatum comedit carnes,] & similiter est argu-

Animalia ferocia quando carnes manducare inceperunt.

arguendum de animalibus carniuoris, & ferocibus, quibus, si Deus in exordio mundi cibum illorum non præscripsit carnes, non est inferendum, quod talia animalia non comederint carnes, nec fuerint ferocia vsque post diluuium.

Verumenimuero, vt facilius percipiatur hæc nostra tertia, & postrema assertio, (quæ obiter, & passim tacta à nobis fuit tamquam necessaria nostro præcipuo contra Iudæos instituto,) sunt quædam annotanda circa Catholicos, vt accuratius vtraque pars istius assertionis catholicorum intelligatur. Est igitur primò annotandum, per peccatum Adæ naturam animalium nullo modo aliqua ex parte mutatam fuisse, nec minus naturam humanam in naturalibus; nam peccatum non destruit bona naturalia. Hæc est communis sententia omnium Theologorum absque aliqua exceptione. Secundo annoto in homine post peccatum remansisse ius dominij in animalia, ita vt post peccatum haberet homo eamdem potestatem, & ius dominij circa animantes, vti ante peccatum. Tertio annoto cum S. Tho. quæst. 96. art. 1. Bedam in glossa non affirmasse ligna, & herbas datas fuisse in cibum omnibus animalibus, & auibus, sed quibusdam tantum, & ita verba illa Geneseos, c. 1. [Ecce dedi vobis herbam,] licet communia, & generalia sint, tamen ad illa dumtaxat animalia, quæ ex sua natura comedunt herbas, & non sunt carniuora referuntur, quocirca prælibata verba quamuis generalia sint, tamen intelligenda veniunt relatiue ad animalia dumtaxat herbas comedentia, non autem ad ea, quæ sunt carniuora: qua plane distinctione dissoluentur per multa argumenta contrariorum. Quarto annoto, quædam animalia carniuora, & carnes, & herbas comedere, vt patet apud Plinium varijs in locis, & ob id Deum in exordio mundi his animalibus carniuoris, carnes specialiter in cibum minime assignasse, quemadmodum neque Adamo qui carnibus erat vesurus saltim post peccatum in exordio mundi carnes in cibum præscripsit, ex eo quod herbas, & carnes comedere poterat. Quinto annoto animalia ferocia, nempe leones, vrsi, tigres, &c. in statu innocentiæ fuisse homini subiecta, ex quadam singulari prouidentia Dei, & cura, qua mirabiliter factum est, vt omnia animalia etiam ferocissima nō solum homini minime nocerēt, sed ei subiecta essent, atq; obedirent, & nō solum animalia ferocia, verumetiam, nihil quicquam detrimenti, vel molestiæ afferre poterat, propter specialem quamdam Dei custodiam, & protectionem. Sexto, & postremo annoto animalia ferocia, & carniuora in arca Noe, & carnes, & herbas comedisse; quoniam iuxta expositionem Lyrani in cap. 6. Geneseos tempore necessitatis bene viuunt homines, & animalia de cibis, quos alias minime comederunt. His sex annotationibus facile dissoluentur argumenta omnia Catholicorum, quæ fieri possunt contra nostram tertiam assertionem; ex quibus etiam adamussim interpretari queunt dicta sanctorum Patrum, qui huic nostræ sententiæ videntur aduersari, & contrariari.

Peccatū Adæ non mutauit naturas animalium.

S. Thom.

Plinius.

Animalia ferocia in arca Noe carnes, & herbas comederunt.

fol. ad 1. Argumenta tamen Iudæorum in principio quæstionis apposita, minutim dissoluenda veniunt. Primum namq; non tenet, quoniam, eius maior est intelligenda in sensu metaphorico, & nullatenus in sensu litterali. Ad minorem vero dicimus: In aduentu Iesu Nazareni completam metaphorice fuisse habitationē simul lupi, & agni, nempe Pauli (qui veluti alter Beniamin fuit appellatus lupus rapax) cum Petro, cui dictum fuit: [Pasce oues meas,] propter eius mansuetudinem.

fol. ad 2. Porro maior secundi, vera itidem dumtaxat est in sensu metaphorico, & sic eius minor est falsa, cum propediem experiamur, in aduentu Iesu Nazareni, pardum, nempe peccatorem habentem maculas diuersas, ex diuersis erroribus exortas accubuisse post sua conuersionem ad fidem Christi, cum hædo, nimirum

E cum simplici fideli; & pacifice vnà commoratse in Ecclesia sancta Catholica.

Propositio insuper tertij argumenti, accipienda etiam venit in eodem sensu metaphorico; & ita assumptio est falsa, quoniam in aduentu Iesu Nazareni, vitulum, nempe hominem prius petulantem, & dissolutum: & leonem, nempe hominem superbum, & ouem, puta hominem innocētem simul moratos fuisse in Ecclesia Catholica, & puerum paruulum, nempe Christum de quo cap. 9. Isa. dicitur: [Paruulus natus est nobis, &c.] duxisse eos ad voluntatem suam. *fol. ad 3.*

Maior denique quarti argumenti, eiusdem farinæ quippe est, quamobrem minor remanet falsa. *fol. ad 4.*

G Dictis addo, Deum iuxta suam potentiam infinitam bene potuisse in aduentu Messiæ mansuescere, & domesticari animalia ferocia, ad litteram loquendo, attamen id non præstitit: etenim multa potest Deus facere, quæ adhuc minime præstitit, quoniam non est abbreuiata manus Domini in modo aliquo reparandi humanum genus, vt patet in quarto fundamento, nec minus in aliqua alia re creata. Poterat siquidem creare nobis alios orbes vel aureos, vel igneos, &c. sed non fecit, ita etiam poterat in aduentu Iesu Nazareni facere mansueta animalia, quæ nunc sunt ferocia, sed non præstitit, primo quia non tale promisit, deinde quia illi non placuit. *Appendix.* *Deus nonnūq. potest non semper præstat.*

H

Quæstio V.

Vtrum de facto Iudæi cognouerint, Iesum Nazarenum filium Virginis Mariæ, quem ipsi pupugerunt, esse verum Messiam in lege, & Prophetis promissum?



IDETVR quod non: Et probatur. Tum quia Paulus 1. Cor. 2. sic ait: [Si cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent.] & Act. cap. 3. dicit Petrus: [Nunc scio fratres, quod per ignorantiam fecistis sicut & Principes vestri.] Præterea, Dominus in cruce pendens, dixit: [Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.] Ergo Iudæi de facto non cognouerunt Iesum Nazarenum verum fuisse Messiam. *1. argum.* I *Lucæ 23.*

Tum præterea probatur, quia Iudæi non cognouerunt in Iesu Nazareno adimpleri omnia dicta Prophetarum de Messia: Ergo Iudæi non cognouerunt Iesum Nazarenum Messiam fuisse. Antecedens probatur. Prophetæ prophetarunt de Messia, quod esset futurus Rex Israel, & redempturus ex captiuitate Israel, vnde Magi dixerunt: [Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?] Atqui Iudæi non viderunt hæc omnia in Iesu Nazareno completa fuisse. Quinimmo duo discipuli euntes in castellum Emaus dixerunt: [Nos K autem sperabamus, quod esset redempturus Israel.] Et præterea filij Zebedæi dexteram, & sinistram sedem petentes in regno, minime impetrarunt: Ergo Iudæi non cognouerunt in Iesu Nazareno adimpleri omnia dicta Prophetarum de Messia. *2. argum.* *Matth. 2.* *Lucæ 4.* *Matth. 20.*

Pro decisione præmoneo. Primo, quod de hac re, duæ extant Theologorum sententiæ. Prima quidem est Lyrani super cap. 21. Matthæi, quo loco asserit Iudæos *1. sententia.*

Iudæos cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam. Eiusdem sententiæ est D. Hieronymus super Matth. D. etiam Chrysostomus hom. 3. in Matth. & torrens aliorum Theologorum. Altera autem est sententia Caietani, 3.p.quæst.77.art.5. & Medinæ ibidem, Abulensis etiam super Matth. 21. quæst. 204. qui omnes dicunt Iudæos de facto nō cognouisse Iesum Nazarenum esse verum Messiam, nec verum Deum: & addit Caietanus. [Licet vtrumque potuerint cognoscere.]

2. fundam. Præmoneo secundo nos in præsenti quæstione tantum inquirere an Iudæi de facto cognouerint Iesum Nazarenum, verum fuisse Messiam in lege, & Prophetis promissum; non autem disputare, an Iudæi cognouerint Iesum Nazarenum verum fuisse Deum, & filium Dei benedicti. Infra enim erit quæstio, an ex scriptura sacra colligatur, Messiam, Deum, & filiumDei fuisse; Modo autem tantum disputamus de Messia, nempe, vt dictum est, an Iudæi cognouerint, filium Virginis Mariæ fuisse Messiam in lege promissum.

3. fundam. Mino. ex Hebræi non cognouerunt Messiam. Præmoneo tertio, cum S. Thom. 3. p. quæst. 47. art. 5. apud Iudæos quosdam fuisse maiores, quosdam vero minores, ex quibus maiores dicebātur Principes & Pharisæi, minores vero appellabantur, populus, vel Turba.

1. assertio. Sit prima Assertio. Minores de populo Hebræo, nempe turba, siue totus populus, non cognouit Iesum Nazarenum fuisse Messiam in lege, & prophetis promissum. Hæc est S.Thom.3.p.quæst.47.art.5. D.Aug. in lib. quęstionum veteris, & noui Testamenti q. 66. tom. 4. Caietani 3. p. q. 77. art. 5. & omnium Theologorum nemine discrepante. Et probatur hac vnica ratione. Messias fuit in lege, & Prophetis promissus, vt est manifestum apud Psalmos, & Prophetas, iuxta illud Lucæ cap. 24. [Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant,] & paulo post. [Hęc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.] At minores, id est populares siue turba Hebræorum non nouerant mysteria scripturæ. Ergo turba siue populus Hebræorum in vniuersum non cognouit Iesum Nazarenum filium Virginis Mariæ Messiam fuisse in lege, & prophetis promissum.

S. Thom. D. Aug. Caietan.

2. assertio. Aliqui Hebręi crediderunt Messię. Secunda assertio. Aliqui de turba Hebreorum Iesu Nazareno prædicante crediderunt in eum, & cognouerunt illum esse Messiam. Hanc assertionem innuit S.Thom. 3. p. quęst. 75. artic. 5. Et est manifesta. Nihilominus probatur, ex varijs noui Testamenti locis: Etenim Marci 11. & Matt. 21. & Lucæ 19. sic habetur: [Multi vestimenta sua strauerunt in via, alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant, & qui sequebantur clamabant, dicentes: [Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum, quod venit regnum patris nostri Dauid, hosanna in excelsis.] Idem præterea patet de Lazaro, & de Martha, & etiam Magdalena, dicente: [Ego semper credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.] Quod etiam liquet in illis, qui in resurrectione Lazari crediderunt, & etiam in Nichodemo, Zachęo, cæco nato, & in alijs qui passim recitantur in Euangelio, credentes. Cæterum hoc loco est animaduertendum cum S.Thoma, multitudinem numquam credidisse, & si aliquando ex vi miraculorum, & sanctitate, & doctrina dubitarunt, vt habetur Ioan. 7. & Act. 3, tamen postea multi decepti fuerunt à suis principibus, vt eum minime crederent. Et de his intelliguntur verba illa Petri Act. 3. [Scio quia per ignorantiam fecistis sicut, & principes vestri,] quibus verbis datur intelligi multos, qui iam crediderant, postea seductos fuisse per illorum principes.

Multitudo hebræorū numquam credidit in Xρm.

3. assertio Messiam fuisse Iesum Nazarenū vere cognouerunt maiores de populo hebræorum. Tertia assertio. Maiores Iudæorum, nempe, Principes, Scribę, Doctores, & Pharisæi, qui populum Hebræum regebant, & docebant, vere cognouerunt Iesum Nazarenum esse verum Messiam, in lege, & Prophetis promissum. Hæc est expressa doctrina D. Augustini in quæstionibus noui, & veteri Testamenti, quæst. 66. D. Thom. 3. p. quæst. 77. art. 5. & super Matth. 21. Idem etiam tradit D. Hieron. & D. Ambr. Chrysostomus etiam, & Beda, & Dionys. Carthusianus. Et probatur.

1. Ratio. Primo, quia Matth. 21. sic habetur: [Agricolæ videntes filium dixerunt intra se hic est heres, venite occidamus eum.] Super quæ verba dicit D. Hieronymus, manifeste Dominum probasse ex verbis Iudęorum, non per ignorantiam, sed per inuidiam illum ab Hebræis crucifigendum fore, iuxta illud Psalmistæ: [Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.] At agricolæ iuxta glossā significant Principes, Doctores, & Scribas Pharisæos, & Rectores populi Hebræorum. Ergo isti cognouerunt vere, Iesum Nazarenum fuisse verum Messiam in lege, & Prophetis promissum.

2. Ratio. Secundo, quia Principes, & Pharisæi, Doctores, & legis periti, de Hebræorum populo, apertissime intuebantur in Iesu Nazareno omnia signa, quæ futura prædicarunt Prophetę, adimpleta fuisse: Ergo isti principes, & maiores, de populo Hebræo, vere cognouerunt Iesum Nazarenum fuisse verum Messiam. Id propterea dicitur Ioan. 1. [Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Tu quis es?]

3. Ratio. Tertio, quia turba Iudæorum accipiente cum triumpho, & cum palmarum ramis Iesum Nazarenum, quidam Pharisæorum, testante Luca in cap. 19. dixerunt ad illum: [Magister increpa discipulos tuos,] quibus ipse ait: [Dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.] Ergo quis poterit negare, tales Pharisæos non vere cognouisse Iesum Nazarenum verum fuisse Messiam? Accedit quod Pharisæi dixerunt Iesu Nazareno, vt refert Euangelista Matthæus in cap. 22. [Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?] quo loco ly [scimus] aperte videtur indicare, Pharisæos & Iudæorum principes cognouisse Iesum Nazarenum suū Messiam in lege, & prophetis promissum fuisse. Addo quod Ioannes Baptista præcursor Domini, misit Phariseos discipulos suos, vt habetur Matth. 11. ad Iesum Nazarenum, dicentes: [Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?] Quibus Christus tacite affirmatiuum responsum dedit dicendo: [Euntes renunciate Ioanni, quę audistis, & vidistis cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur,] quæ plane omnia certa, & euidentia signa sunt futuri Messiæ, iuxta illud vaticinium: [Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.] Isa. 7.

4. Ratio. Quarto, & postremo, quia maiores de populo Hebræorum pungentes, & crucifigentes Iesum Nazarenum peccarunt læthaliter. Nam iuxta Augustinum lib. de Consensu Euang. cap. 13. Causa propterquam Iudæi subiugati sunt Romanis, & in dispersionē missi, maxime est, quia impio furore Christum occiderunt. Et propterea Ioan. cap. 15. dicit illis Iesus. [Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo,] & postea subdit: [Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.] Ergo non est negandum, quod maiores de populo Hebræo cognouerint Iesum Nazarenum verum fuisse Messiam in lege, & prophetis promissum. Cognouerunt itaque maiores de illo populo, & illum respuerunt, & oderunt, dicentes illud Iob. 21. [Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,] & ita illum pupugerunt, & crucifixerunt, non ex ignorantia affecta-

affectata, & veluti procurata solum (vt quidam volunt) sed ex odio, & malitia.

4. assertio. Aliqui maiores possunt excusari. Caiet. in suis comm. in 3 p. D. Thom. q. 47. art. 5.

Quarta assertio. Probabile est, aliquos maiores Hebræos à cognitione Messiæ posse excusari. Hanc probo argumento dumtaxat Caietani. Quoniam, vt ipse ait inter maiores erat latitudo, & illi maiores, qui perspicacius scripturas nouerant, & miracula doctrinamq; Christi viderant, nouerant illum esse Christum, quia vt dicitur Matth. cap. 21. [Dixerunt intra se, hic est heres] alij autem maiores, qui non sciebant tot, forte ignorare potuerunt.

Coroll. 1.

Nulli tamen excusantur ob ignorantiam, quia in promptu habebant, vnde poterant cognoscere testimonia Christi, & certificari de dubijs, quoad excellentiam ab ipso, quem vita, doctrina, scripturæ, miraculaque tot commendabant.

Coroll. 2. Caiet. 3. p. q. 7. art. 5.

Annotabis hic tamen cum eodem Caietano. Quod si quis defendere maluerit omnes maiores cognouisse ipsum esse Christum, dicere potest, quod sic, quamuis non cognouerint qualiter Christi officium consummatus esset. Saluo tamen meliori iudicio distinguendum putat Caietanus inter illud, quod Iudæorum principes potuerunt, ac debuerunt cognoscere, & id, quod de facto cognouerunt. Et dicit quod potuerunt ac debuerunt cognoscere Iesum esse Christum, & quod de facto non cognouerunt Iesum esse Christum, Et primum satis patere posse (ait) ex testimonijs miraculorum, & doctrinæ: hæc enim duo Dominus ipse allegat Ioan. 15. Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, quoad doctrinam testificans de se, & si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, &c. quoad miracula. Secundum autem suaderi posse, (asserit,) ex eo quod omnia dicta de Christo non cognouerunt impleri in ipso, vt ipse probat, dicendo: [Prophetatum enim erat de ipso, quod erat futurus Rex Israel, & redempturus ex captiuitate Israel, &c.] Sustentabilis, & probabilis est hæc opinio Caietani, & sane mihi probatur.

Sol. ad 1. Exoluitur trifarie locus Apost. 1. Co. 2

Ad locum vero Apostoli dicimus primo, ibi Paulum loquutum fuisse de Messia quoad diuinitatem, non autem quoad humanitatem tantum; nos autem in hac quæstione tantum loquimur de Messia in quantum homo, & ita non obstat auctoritas Apostoli quin maiores Hebræorum suum Messiam in lege, & prophetis promissum, & cognouerint, & pupugerint, ac etiam crucifixerint, licet non cognouerint illum esse Deum & Dominum gloriæ. Secundo dicimus, ly, [si cognouissent] non esse referendum ad Iudæos, sed ad dæmones, ita vt sit sensus, si dæmones cognouissent Dei sapientiam in mysterio incarnationis verbi absconditam numquam ad Christi crucifixioné instigassent Iudæos. Ita Titelmannus in epistolas Pauli. Tertio, & postremo dico maiores, & principes Iudæorum Iesu Nazareno nato vere cognouisse illum esse Messiam, in lege, & prophetis promissum, quia videbant prophetias de ipso impletas, quantum ad tempus, & locum, & alias circumstantias: sed quando cæpit prædicare contra vitia illorum publicæ, cognitio illa per odium & inuidiam contra Christum insurgentem fuit in eis obscurata, & cæperunt prophetias aliter interpretari, & sic est sensus auctoritatis Pauli: Si cognouissent Iudæi, tempore crucifixionis, numquam, &c. Non enim cognouerunt illum propter inuidiam, & odium tempore crucifixionis, verum antea illum aperte cognouerunt, verum fuisse Messiam, sciebat enim Pilatus, vt ait Euangelista, quod per inuidiam tradidissent eum.

Franc. Titelmanus in Epist. Pauli 1. Cor. 2.

Matth. 27.

Dissoluitur locus Act. 3.

Ad illud tandem Actuum, dicimus, D. Petrum suauiter scelus illorum arguisse, loquédo cum minoribus de populo Hebræo. Veruntamen quia comparat ignorantiam minorum cum ignorantia maiorum, animaduertimus cum glossa, aliam fuisse ignorantiam mino-

F rum, & aliam maiorum, & principum. Nam principes qui erant litterati per scripturas, quæ de Messia prædictæ erant, & per opera eius cognouerunt primo de Iesu Nazareno, quod ipse esset Christus in lege, & in prophetis promissus, vt patet per illa verba Matth. cap. 21. [hic est heres,] sed quia cæpit prædicare contra eorum vitia publice, conceperunt contra eum inuidiam, & odium, & sic in eis fuit subuersa dicta notitia, quia conceptio affectionis, corrumpit iudicium rationis, & in augmentum malitiæ decæperunt populum simplicem, inducentes eum ad petendum mortem Christi, iuxta illud Matth. 27. [Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populo, vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent.] Et sic patet quod ignorantia principum fuit multo grauior, quam popularium, cum illa fuerit potius inuidia, & odium, quam ignorantia. Appellat autem illam D. Petrus

G ignorantiam, ne exasperaret minores, ne crederent, propter malitiam, & odium maiorum, & ita eos suauiter reprehendit de scelere commisso ab ambobus. Verba autem Christi pédentis in cruce: [quia nesciunt quid faciunt,] dicimus ita esse intelligenda. Nunc tempore crucifixionis meę nesciunt quid faciunt propter inuidiam, malitiam, & odium subexortum in eorum cordibus, ex prædicatione mea, & reprehensione mea, contra eorum peccata, & scelera, verumtamen, ante præfatam prædicationem, & reprehensionem, vere cognouerunt, & sciuerunt principes, Iesum Nazarenum Messiam fuisse, orat igitur Christus pro illis secundum statum, in quo eos reperit tépore suæ crucifixionis. Sanctus autem Thomas, p. p. quæst. 47. art. 5. in solutione ad 1. & Beda super c. 23. Lucæ, aliter interpretantur hunc locum.

Verba Xρi in fauorem ignorantia Iudæorum diluuntur.

S. Thom. Beda.


Sol. ad 2.

H Ad secundum dicitur, falsum esse antecedens, loquendo de maioribus Hebræorum: Nam principes, doctores, & pharisæi, qui populum regebant, & docebant, callentes, & intelligentes scripturas prophetarum, vere & optime sciebant, & intelligebant omnes prophetias de Messia, adimpletas fuisse in Iesu Nazareno, quamuis Caietanus aliquos maiores, qui non sciebant scripturas affirmet fortasse non sciuisse, & per hoc non tenet probatio antecedentis.

Quæstio VI.

I Vtrum Iudæi de facto cognouerint Messiam, & Christum Iesum Nazarenum (quem pupugerunt) verum esse Deum?

Lyrani opinio de messia.



IRANVS super cap. 21. Matth. explicans vineæ parabolam, affirmat maiores de populo Hebræorum cognouisse Iesum Nazarenũ Messiam, & Christum, verumque Dei filium fuisse, probat autem suam sententiam his rationibus.

1. Ratio.

Prima Ratio. Quemadmodum sacra scriptura aperte loquitur de aduentu Messiæ, ita etiam loquitur

K de ipsius diuinitate: Atqui Iudæi ex signis, & miraculis cognouerunt de facto Iesum Nazarenum esse verum Messiam, & Christum, vt ex superioribus patet: Igitur ex consequenti cognouerunt esse verum Deum.

2. Ratio.

Secunda ratio. Desumitur ex verbis Domini, quæ habentur Matth. 21. [hic est heres,] super quæ verba D. Hieronymus tenet principes Iudæorum non per igno-

ignorantiam, sed per inuidiam Dei filium crucifixisse. Et idem docet Diuus Chrysostomus homil. 6. in Matthæum, & Beda super Lucam, in illa verba Lucæ 23. [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] Et addit Lyranus, quod licet eum à principio cognouerint postea tamen quando cæpit prædicare, eorumque vitia reprehendere, inuidia, & odio obcæcatos fuisse, mortemque ipsius procurasse, quapropter dici potest, peccasse quodammodo ex ignorantia.

Lyranus.

3. Ratio. Tertia ratio. Dominus in cap. 15. Ioan. ita ait: [Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum, & ita excusationem non habent de peccato suo.] Igitur cognouerunt Iudæi, & Iesum Nazarenum, esse Messiam, ac Christum, & Messiā, siue Christum esse verum Deum. Quoniam proinde odio habendo Christum, oderunt etiam, & patrem suum æternum.

Abulens. opinio de Messia. Contrariam tamen opinionem profitentur Abulensis super Matthæum cap. 21. quæst. 104. Caietanus, 3. p. quæst. 47. artic. 5. & Michael Medina eodem in loco asserentes Principes Iudęorum non cognouisse Iesum Nazarenum verum Deum fuisse, tamen illum potuisse cognoscere, quod plane probant per hęc argumenta.

1. Argum. Primum argumentum. Inter Iudæos sunt, & fuerunt plerique validissimi Rabbini, & alij pene infiniti ingeniosi homines, & in scripturis legis, & prophetarum valde studiosi, igitur si prædicta possent efficaciter sciri, & cognosci per scripturas ab eis receptas, non esset verisimile, quod tamdiu stetissent in tali errore: Ex quo sequitur Iudæos non cognouisse de facto Messiam, & Christum esse verum Deum.

2. Argum. Secundum argumentum. Diuus Paulus 1. Corinth. cap. 2. de Iudæis ita ait: [Si cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent,] atqui locus iste non solum intelligitur de eius humanitate verumetiam de eius diuinitate. Ergo Iudæi non cognouerunt ex sententia D. Pauli, Messiam, & Christum, quem pupugerunt, fuisse verum Deum.

3. Argum. Tertium argumentum. Si Iudæi cognouerunt Christum, & Messiam esse Deum verum, ergo non peccarunt ex ignorantia illum pungendo, & crucifigendo: At hoc est falsum, & contra auctoritatem Diui Petri Act. cap. 3. [Et nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicuti & principes vestri.] Ergo, &c.

4. Argum. Quartum argumentum. Diuus Paulus ad Galat. cap. 1. Fatetur se ignoranter fecisse, ergo tantus Doctor ab alijs fuit edoctus de lege Moysi, qui non cognouerunt Christum, & Messiam fuisse verum Deum.

Subiungūt præterea hi auctores, hanc ignorantiam fuisse affectatam, & veluti procuratam, quæ vt docet S. Thom. 3. p. quęst. 47. art. 5. in corpore, & in responsione ad p. & p. 2. quæst. 76. potius auget culpam quam minuat, quoniam cum signa ex se essent sufficientia, Iudæi male affecti, oculos clauserunt, ne ipsum cognoscerent, cum potuerint ipsum cognoscere.

Aug. opinio 3. de Messia. Aug. Thom. Tertia sententia est Diui Augustini in quæstionibus noui, & veteris Testamenti quæst. 606. & D. Thom. 3. p. quæst. 47. art. 5. qui affirmant, nec maiores, nec minores de populo Hebręorum de facto cognouisse, Christum, & Messiam fuisse verum Deum. Fundant autem suam sententiam in verbis Apostoli 1. Cor. 2. [Si cognouissent numquam Dominum gloriæ crucifixissent,] & addit S. Thom. eorum ignorantiam non illos excusare à crimine, quia erat quodammodo

A ignorantia affectata: Videbant enim euidentia signa diuinitatis ipsius, sed ex odio, & inuidia Christi, ea peruertebant, hinc nec verbis eius, quibus se Dei filium fatebatur, credere voluerunt.

Cæterum circa maiores non placet hæc sententia. Ideo audeo affirmare cum Lyrano, principes Iudæorū & maiores, qui prophetias callebant, & interpretabātur aperte, & clare cognouisse Christum, & Messiam, (quem pupugerunt) esse verum Deum. Quod probo. 1. Ratio. Tum rationibus Lyrani, adductis in principio huius quæstionis. Tum verbis Iudæorum dicentium Pilato: 2. Ratio. [Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.] Ergo cognouerunt Christum fuisse filium Dei. Tum verbis principis sacerdotū Caiphæ, dicētis: [Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei benedicti.] Quibus re- Ioan. 19. 3. Ratio. Matth. 26.
B spondit Christus: [Ego sum, & videbitis filium hominis venientem, &cā.] Tum quia maiores de populo Hebręorum cognouerunt Christū fuisse Messiam in lege, & prophetis promissum, vt patet ex superioribus, & vt fatetur S. Tho. 3. p. q. 47. ar. 5. At ex scripturis veteris Testamenti aperte colligitur Messiam futurum esse verū Deum, vt supra retulimus: Ergo cum isti principes, & maiores Hebræorum, quotidie explicarēt, & interpretarentur, & præ manibus haberent legem Moysi, Psalmos etiam, & Prophetas, in synagoga eorum, verè cognouerūt Christum suum Messiam, verū Deum esse. 4. Ratio.

Illud vero de ignorantia, quam affert D. Paulus 1. Cor. 2. & D. Petrus Act. 3. non obstat quin principes, & maiores, & aliqui etiam ex minoribus, qui scripturas intelligebant, cognouerint Christum suum Messiam, fuisse Deū verum: Nam ignorantia est multiplex, scilicet, ignorantia purę negationis, quæ est in anima nihil Ignorantia multiplex.
C sciens, ignorantia vniuersalis, quę est eorum, quæ scitu sunt facilia, non tamen sciuntur, ignorantia affectata, crassa, supina, quæ est eorum, quæ scire tenemur, & tamen ipsa non scimus, vel propter desidiam nostra, vel propter malitiam, ignorātia facti, vel inuincibilis, quæ est alicuius singularis circumstantię: de quibus omnibus ignorantijs, non existimo loquutos fuisse Petrum, & Paulum. Est enim regula quædā inter morales Philosophos, quæ adducitur ab illis 3. lib. eth. c. 1. loquendo de voluntario, quæ talis est: [Omnis malus est ignorans,] id est omnis malus operatur ignorans, secundū gradum intemperantiæ, vel intelligendo vniuersaliter absolute omnis malus est ignorans, id est, extinguitur rectum iudicium malorum dum operantur à passione vehementi. Quoniam licet aliquis siue continens, siue incontinens habeat rectum iudicium, quia tamen su- Philosophorū regula circa ignorantiam. Malusque modo ignorans.
D peratur à passione vehementi, pro tempore illo in quo male operatur, ideo dicitur ignorare ea quę agit, quāuis illa antea sciat. Et in hoc sensu (ni fallor) loquitur Apostolus Paulus 1. Cor. 2. dicens, [si cognouissent,] id est, si non operati fuissent malum, non superati fuissent tempore operationis illorū à passione vehementi, eo quod omnis malus operatur ignorans, licet habeat rectum iudicium, & ideo dicitur ignorare ea, quę agit. Quamuis illa antea sciuerit, vnde pro tempore duntaxat illo in quo male operatur dicitur operari ignorans. Et ita si Iudæi tempore, quo malum operabantur, pungentes Christum, cognouissent, numquam Dominū gloriæ crucifixissent. Nam desistentes Iudæi male operari, id est, Christum persequi, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et eodem prorsus modo
E interpretatur illud D. Pet. Act. 3. nempe: [Scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicuti, & principes vestri.] Perinde ac diceret, omnis malus operatur ignorans, & quia tempore quo Christum crucifixistis, malū operati fuistis, deuicti fuistis à passione vehementi. Quamobrem tempore illo per ignorantiam fecistis, quia malum operati fuistis, & omnis malus dū operatur, operatur ignorans. Et hoc ipsum est, omnino, illud, quod Christus pendēs in cruce, dixit patri æterno per hęc verba: [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciūt,] id est, Iudæi me crucifigētes, hoc tēpore cruci-

fixionis meæ, ita superantur à vehementi passione, vt pro tempore illo ita rectum iudicium illorum omnino extinguatur, vt ignorent omnino ea, quæ agunt: quia omnis malus dum operatur, operatur ignorans. Et per hoc apparent responsiones ad argumenta Caietani, Medinç, & Abulensis,

Nota bene contra Caiet. circa cognitionē Iudæorum de suo messia.

Ego autem passim percontor Domino Caietano, si Iudæi potuerunt cognoscere Messiam, & Christum esse Deum, vt ipse asserit, quare de facto non cognouerunt? Expecto plane huius interrogationis responsum; quoniam ex eius dictis, & scriptis adhuc minime apparet.

Quæstio VII.

Vtrum Iudęi saltem modo post Iesu Christi passionem, resurrectionem, & gloriosam eius ad cælos ascensionem, aperte cognoscant se suum Messiam verum Deum pupugisse, & crucifixisse.

1. argum.



IDETVR quod adhuc recentiores Hebræi hoc nostro sæculo conuicti minime remaneat, & probatur. Tum quia de populo Hebræorū dicitur Deu. 30. [Si ad cardines cęli fueris dissipatus, inde retrahet te Dñs Deus tuus, & assumet, atque introducet te in terram, quam posséderunt patres tui, &c.] At Iudæi sunt dispersi per totum mundum, & non congregati, etiam adhuc post resurrectionem, & ascensionē Iesu Christi, ergo adhuc non remanent cōfusi, & conuincti, se suum Messiam, & Deum verum pupugisse. Tum quia si Iudæi post passionem, resurrectionem, & ascensionem Iesu Christi remanerent omnino conuincti circa quod, se pungendo, & crucifigendo Iesum Nazarenum, pupugerunt, & crucifixerunt verum Deum, & suum Messiam, sequeretur mysteria fidei orthodoxæ esse euidēter credibilia: Atqui hoc est falsū. Ergo, &c. Assumptio probatur dupliciter. Primo quod est euidenter credibile est euidenter verum: At mysteria fidei Christianæ non sunt euidenter vera: Nā ita nullam haberent obscuritatem, quod est contra Apostolum dicentem 1. Cor. 13. [Videmus nunc per speculum in enigmate.] Ergo mysteria fidei Christianæ non sunt euidenter credibilia. Secundo, quod est euidenter credibile, est euidenter possibile: At mysteria fidei orthodoxæ nō sunt euidenter possibilia: Quod sic ostendo: Sumamus aliquod mysterium fidei Christianæ, V. g. [Deum esse trinum, & vnum,] modo sic argumentor: In Deo idem est, esse, & posse, ergo si euidens est Deum esse trinum, & vnum, possibile quoque erit, hoc actu, esse; & ita euidenter intelligeremus mysterium Trinitatis, quod absurdum est affirmare, cum tantum hoc mysterium euidenter sciri possit in patria. Porro si hoc mysterium, scilicet Deum esse trinum, & vnum esset euidenter credibile, vel haberet hanc euidentiam ex se, vel ex habitu fidei: Nō ex se, quia quod est notum ex se, est notum lumine naturæ, vt patet de primis principijs. Deinde neque esse notum ex habitu fidei, quia habitus fidei est obscurus, & ineuidens: Ergo mysteria fidei Christianæ, non sunt euidenter credibilia, & per consequens, modo Iudæi non remanent omnino conuincti post resurrectionem, &c.

2. argum.

Nota bene.

Nota bene.

Nota bene.

Pro decisione suppono de fide esse, Iesum Christum passum fuisse sub Pontio Pilato permanus Iudæorum, F & Gentium. Et quod tripliciter fuit ipse punctus, & crucifixus à Iudæis. Primo solo desiderio, & ita frequenter apud omnes Euāgelistas inueniuntur hæc verba: [Iudæi quærebant illum interficere.] Iudæi iussu Herodis interficiebant pueros omnes ab imatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis] Iudæi tulerunt lapides, vt iacerent in eum.] Iudæi quærebant Iesum dolo tenere, & occidere] & tandem Ioan. 11. dicitur: [Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dixerunt: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, &c. & ab illo die cogitauerunt illum interficere.] Quibus verbis satis exprimitur desiderium Iudæorum ad occidendum, & crucifigendum Iesum Christum. Secundo, Iudæi occiderunt, & crucifixerunt Iesum, linguis, cum dixerunt G Pilato (vt referunt simul omnes quatuor Euangelistę) [Crucifige, crucifige eum,] & iterum: [Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit,] & alia vice, [reus est mortis,] & alibi, [crucifigatur.] Tertio tādem Iudæi occiderunt Iesum Christum opere: Nam Pilatus tradidit eis illum, vt crucifigerent eum, & Ioan. 19. dicitur de Iudæis: [Susceperunt Iesum, & eduxerunt:] & Matth. cap. 27. [Iesum autem flagellatum, tradidit Pilatus Iudæis, vt crucifigeretur,] & Marci cap. 15. [Pilatus tradidit Iudæis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur,] & tandem Lucæ cap. 22. [Pilatus Iesum tradidit voluntati Iudæorum.] Et ita non Pilatus, sed Iudæi fuerunt, qui opere crucifixerunt, & occiderunt Iesum Christum. Hinc D. Aug. super ps. 63. sic ait: [Non dicant Iudæi non occidimus Christum, etenim propterea eum dederunt Iudici Pilato, vt quasi ipsi à morte eius viderentur H immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus, vos eū occidite, responderunt nobis non licet interficere quemquam, iniquitatem facinoris sui in Iudicem hominem refundere volebant, &c.] & paulo post: [Et vos ò Iudæi occidistis, vnde occidistis? Gladio linguæ; acuistis enim linguas vestras, & quando percussistis, nisi quando clamastis: crucifige, crucifige.] Hæc Augustinus. Ex quibus omnibus luce clarius euadit, Iudæos, occidisse, pupugisse, & crucifixisse Christum Iesum Redemptorem nostrum. Et hoc tripliciter, vt dixi, nempe desiderio, lingua, & opere. Nec ipsi Iudæi negant se Iesum Christum occidisse, & crucifixisse; nam nullo modo istud negare possunt, cum res fuerit toto orbe notissima, quam etiam Iosephus eorum historiographus memoriæ prodidit lib. 8. antiquit. cap. 8. vbi de morte Christi Domini, à Iudæis, grauissimum reddit testimonium. Venio iam I ad rem.

Punctus, & crucifixus tripliciter Iesus Christus à Iudæis.

Prima assertio. Omnia mysteria nostræ redemptionis, & omnes articuli fidei orthodoxæ sunt euidenter credibiles. Probatur ex illo psalm. 92. [Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.] Accedit, quod illud est euidenter credibile cui testimonia fide digna faciunt fidem: At articulis fidei orthodoxæ, & omnibus mysterijs redemptionis nostræ, faciunt fidem, testimonia fide digna, nempe Deus ipse, cuius testimonio, & reuelatione hæc, quæ credimus nos Christiani fide tenemus: Ergo mysteria nostræ redemptionis, & articuli fidei Christianæ, sunt euidenter credibiles. Hanc assertionem profitentur Theologi contra Infideles, 2. 2. cum Sancto Thoma quæst. 2. super 4. art. 1. assertio. 1. Ratio. 2. Ratio.

K Quod si quæras. Cum articuli fidei Christianæ sint euidenter credibiles, quænam est causa, cur cum proponantur multis Iudæis, & infidelibus, isti non videant esse euidentér credibiles. Obiectio.

Respondeo. Quod cuicumque proponantur mysteria fidei orthodoxæ videntur euidenter credibilia esse: Et licet ore contrarium dicant vel affirment, tamen intellectus illorum intelligit præfata mysteria, & articulos fidei Christianæ, esse euidenter credibiles. Quoniam multa ore dicuntur, quæ ali- Solutio.

ter

ter intellectu intelliguntur, vt inquit Aristoteles, in Metaphysica.

2. assertio. Secunda assertio. Tempus aduentus Messiæ euidenter est præteritum. Hæc est ex diametro contra recentiores Iudæos, & supra in hac disputatione in prima quæstione remanet probata. Nunc vero de nouo probamus illam cum Nicolao de Lyra in quodam tractatu contra Iudæos in fine suæ glossæ, & cum Petro de la Caualleria Cæsaraugustano, tractatu [Zelus Christi contra Iudæos] hisce rationibus.

Lyranus in tract. contra Iudæos. Petro de la Caualleria.

1. Ratio. Primo. Propheta Aggæus, ita cap. 2. ait: [Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc modicum vnum est, & ego mouebo cælū, & terram, & mare, & aridam & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriæ.] In qua prophetia iuxta Iudæos, est promissio de Messia: Atqui iam sunt transacta duo millia annorum postquā Aggæus ista prædixit: Ergo tempus Messiæ, iam est euidenter præteritum, & hoc in morte, & resurrectione Christi, quæ iam est præterita 1612. annis. In qua commouit Deus cælum, & terram, mare, & aridam: Nam sol obscuratus est, & terræmotus factus fuit, & & Christus ascendit in cælum, & sic iam est euidenter præteritum tempus aduentus Messiæ, & Messias ingressus fuit templum illud, de cuius ædificatione laborabant Iudæi, circa quam illos consolabatur Aggæus propheta, vt alacres, & promptos redderet ad opus.

2. Ratio. Secundo. Danielis cap. 2. dicitur. Quod Nabuchodonosor vidit statuam magnam, huius autem statuæ caput ex auro purissimo, & optimo fuit: pectus autem & brachia ex argento puro, venter, pedes, & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ, &c. & mox sequitur in textu: [Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.] At iuxta omnes expositores, ac etiam omnium Hebræorum Rabbinos per hanc statuā designantur quatuor regna magna, sibi in orbe succedentia, secundū, quod Daniel diuinitus inspiratus ibidem exposuit. Primum est regnum Chaldæorum, quod significatur per caput aureum. Secundum est regnum Persarum, quod significatur per argentum, quod subiecit sibi regnum Chaldæorum. Tertium est regnum Græcorum, seu Alexandri, quod per æs significatur, quod subiecit sibi regnum Persarum. Quartum est regnum Romanorum, quod per ferrum designatur, quod subiecit sibi regnum Græcorum, & alia regna mundi, sicut ferrum domat omnia alia metalla: Per lapidem autem abscissum de monte sine manibus, designatur Christus Iesus, & Messias, seu regnum eius, cui subijciendum erat Romanorum imperium, vt dicitur in ipsamet prophetia, in qua aperte dicitur, quod ille cui subijciendum erat Romanorum imperium erat ipse Christus. Quod sane impletum est tempore Constantini, & Siluestri Papæ. Quod plane tempore, Romanorum imperiū per fidem veram subiectum est Iesu filio Virginis Mariæ: Ergo conclusum est contra Iudæos tempus aduentus Messiæ iam fuisse euidenter præteritum, & transactum.

3. Ratio. Tertio. Quia illud Isa. cap. vlt. [Antequam parturiret peperit,] ita explicatur in Thalmud Hebræorum, quod est glossa Rabbinorum: [Antequam natus fuisset ille, qui in seruitutem vltimam redegit populum Hebræum natus fuit Redemptor.] Modo sic argumentor. Iuxta Thalmud, & glossam Hebræorum: Redemptor natus fuit antequam natus fuisset ille, qui populum Hebræorum in seruitutem redegit vltimam: At Titus, & Vespasianus destruxerunt ciuitatem Ierusalem, & captiuarunt populum Hebræum, & seruituti illud exposuerunt, in tantum quod dabantur triginta Iudæi pro argenteo nummo: Ergo ante obsidionem Titi, & Vespasiani venit Messias, & ex consequenti iā est præteritum tempus aduentus Messiæ. Propositio est etiam manifesta per glossam, siue translationem Chaldaicam

Nota bene hanc rationē contra Iudæos recentiores.

A in præfatum locum Isa. quæ sic tenet: [Adhuc non erit ei veniens angustia, & redimetur, & adhuc non venit ei tremor cum doloribus propter partum, & reuelabitur Rex Messias.] Dolor autem, & angustia partus exprimunt maximam calamitatem, quam sustinuerunt Iudæi in obsidione Titi, & Vespasiani Romanorum imperatorum.

Nota tamen, quod vi horum argumentorum permulti Iudæi concedunt Christum, & Messiam iam venisse, & tempus aduentus illius iam præteritum fuisse. Dicunt enim Christum, & Messiam natum fuisse in die destructionis templi. Et cum ab illo tempore fluxerint fere 1300. anni, si quæramus ab ipsis Iudæis, vbi sit, vel vbi fuerit ipse Christus, & Messias, & vbi per tantum tempus commorauerit, respondent diuersimode per has responsiones in ordine sequentes.

Messiā venisse quandoque concedant recentiores Hebræi

B Quidam illorum dicunt, quod ipse Christus, & Messias cum Angelis est viuens in eo monte, in quo Moyses vixit quadraginta diebus, nempe in monte Sinai, & ibi expectat præceptum Domini ad se ostendendum. 1. Responsio.

Alij dicunt, quod Christus, & Messias est vltra montes Caspios expectas præceptum Domini de liberatione Hebraici populi. 2. Responsio.

Alij etiam dicunt, quod Messias, & Christus vadit per mundum sicut pauper, & leprosus, & humiliatus propter peccata populi, secundum quod dicitur Isa. 53. [Et nos reputauimus eum quasi leprosum, &c.] quousque appareat ex præcepto Domini in virtute ad liberationem filiorum Israel de seruitute, & miseria in qua sunt. 3. Responsio.

C Alteri tandem Hebræi fingunt duos Messias, alium pauperem, & alium diuitem. Pauperem affirmant venisse, diuitem expectant, sed hæc sunt fictilia deliramēta Iudæorum. Notarunt hanc radicem Iudaicæ cæcitatis, Lyranus in quodam tractatu contra Iudæos, Tertullianus in Apologia aduersus gentes cap. 21. & Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, versus finem, Irenæus lib. 4. cap. 56. Origenes lib. 1. contra Celsum non lege à fine, Anastasius Nicænus lib. de quæstionibus sacræ Scripturæ q. 52. & Rabbi Samuel in epistola de aduentu Messiæ cap. 9. 4. Responsio.

Sol. ad responsiones hebræorum.

Tertia assertio. Iudæi recentiores modo post passionem, & resurrectionem Iesus Nazareni aperte, & euidenter cognoscunt se pupugendo, & crucifigendo Iesum Nazarenum pupugisse, & crucifixisse suum D Messiam, & verum Deum, ita vt remaneant omnino conuincti. Probatur. 3. assertio.

Primo Iudæi aperte vident, & euidenter cognoscunt post passionem, resurrectionem, & ascēsionem Christi ad cælos, totum orbem absq; armis, sola tantum prædicatione Apostolorum, ad Deum, & ad fidem Christianam cōuersum fuisse. Vident enim recentiores Hebræi euidenter Deum quosdam elegisse rudes homines imperitos, ignobiles, pauperes piscatores, nempe Apostolos, prætermissis sapientibus, potentibus, & nobilibus huius mundi: Et pauperum Apostolorum solo ministerio dumtaxat, totum orbem terrarum ad se conuertisse, non armis, non potentia, aut Cæsaris, aut Tiberi, aut regum, siue imperatorum, non argumentis E philosophorum, Platonis aut Aristotelis, sed fidei tantum simplicitate, testante Deo, signis, & prodigijs hanc simplicitatem credentium: queādmodum Marci c. vlt. Christus Dominus inquit: [Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejcient.] Hoc argumento elegantissime vsus est Paulus 1. Cor. 1. dicens: [Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt huiusmodi elegit Deus, vt confundat sapientes, &c.] & paulo antea quasi insultans aduersus sapientes dixerat: [Vbi 1. Ratio.

Conuersio orbis miraculosa per Apostolos.

 sapien-

sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne Deus stultam facit sapientiam huius mundi?] Quasi diceret, fateantur sapientes se victos prædicatione euangelica, & verbis Apostolorum, quę quamuis præferre videātur simplicitatem, sunt tamen efficacia, vt sapientes, rhetores, philosophos, & potentes huius mundi suauissimo iugo crucis subijciant. Ergo recentiores Hebræi post passionem Christi aperte cognoscunt se suum Messiam, & verum Deum pupugisse, & crucifixisse, ita vt remaneant omnino conuincti.

2. Ratio Sedis Apostolicæ æternitas. Præterea Iudæi recentiores modo post passionem Christi euidenter vident, & aperte cognoscunt firmitatem, & æternitatem sedis Apostolicæ, & perennitatē Episcopatus Romani Pontificis, extiterunt enim olim quatuor percelebres Monarchiæ, Assyriorum, Medorū siue, Persarum, Græcorum, & Romanorum, ex quibus, monarchia Assyriorum magis quam reliquæ floruit. Perdurauit siquidem per mille, & ducentos annos, quemadmodum numerat Driedo tract. 3. de dogmatibus ecclesiasticis: At recentiores Hebræi modo post resurrectionem Christi, euidenter cognoscunt, & aperte vident sedem nostram Apostolicam Papæ, & Vicarij Christi Petri, & illius successorum iā per vltra mille, & sexcentos annos perdurasse, & permanebit etiam (ipsis inuitis) vsq; ad finem sæculi, iuxta vaticinium Ierem. cap. 33. [Si irritum potest esse pactum meum cum die, & cum nocte, vt non sit dies, neq; nox. Irritum quoq; poterit esse pactum meum cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui sedeat in throno eius, & leuitæ sacerdotes, & ministri mei.] Qua auctoritate, Propheta non intelligit per Dauid regem illum Iudæorum, cuius regnum in Ieconia fuit finitum, & sceptrum eius iam olim fuit extinctum: Quinimmo intelligit hoc nomine, Christum Dominum, qui in sacra Scriptura illo nomine nuncupatur, Ezech. 43. [Et seruus meus Dauid pascet eos,] & apertius Oseę c. 3. [Erunt multo tempore filij Israel sine rege, &c.] & subiungit: [Et post hæc conuertentur ad Dominum Deum suum, & quærent Dauid regem suum.] vbi apertissime loquutus est de Christo, quem quærent Israelitæ in fine sæculi, & sic sensus auctoritatis est. Quemadmodum non potest esse irritum pactum meum cum sole, & luna, vt non sit dies, vel nox: Sic quoque neque potest fieri irritum pactum meum, vt non sit ex filijs Dauid, id est, Christi, qui sedeat in throno eius, id est, in Episcopatu Romano. Hinc D. Augustinus contra epistolam Fundamenti cap. 5. tom. 6. ita scribit: [Tenet me in Ecclesia Dei, ab ipsa sede Petri, cui Dominus post resurrectionem pascendas oues commisit perpetua successio sacerdotum.] Erant vsq; ad tempora Augustini, quadraginta & duo Pontifices Romani, nunc vero vsq; ad Paulum V. feliciter regnantem numeramus ducentos & quadraginta. Ergo conclusum est contra Iudæos recentiores.

Driedo.

Promissio diuina æternitatis sedis Apostolicæ.

3. Ratio. Rursus recentiores Hebræi modo post passionem Christi euidenter vident, & aperte cognoscunt concordiam Doctorum Ecclesiasticorum, & illorum qui conscripserunt sanctas litteras. Omnes siquidem concordare videntur in vna fide, & in vno spiritu, iuxta Apostolum 2. Corinth. 4. [vna fides, vnum baptisma, vnus Deus.] Ergo, &c.

4. Ratio, Constantia martyrum in tormentis. Porro, 4. ratio petitur ex constantia Martyrum in tormentis: Cernunt. n. recentiores Hebræi post passionem Xpi tam in sexu femineo, quā masculino, multos tormenta perferre infinita, Nempe, crucē, equuleū, sartaginem, craticulas, & alia huius generis pro defensione fidei Catholicæ Christianę: Ergo remanent omnino confusi recentiores Hebræi post passionem Christi.

Obiectio. Quod si quis dicat. Et apud Hebræos, & apud Agarenos perpeti varia tormenta aliquos ex hominibus, & mulieribus, quos tamen certum est non esse ornatos spiritu diuino.

F Respondendum est, sanctos Martyres Christi, non pro criminibus, sed pro vitæ puritate, & castitate seruanda, tot tormenta pertulisse: At alij martyres demonis, non pro tuenda vitæ integritate, sed pro facinoribus, & criminibus se puniunt: Quamobrem eorum fortitudo in tormentis non est à Deo, quoniam Deus nescit præbere fauorēm facinoribus, sed tantum opem præbere solet innocentię, & integritati vitæ, & proinde cognoscimus martyres Christi ornari spiritu diuino, non autem alios. Solutio.

Sed dices. Si Hebræi recentiores, & Iudęi qui super sunt modo post passionem Xpi euidenter cognoscerēt antecessores suos pupugisse suū Messiam, & verū Deū, crederēt profecto: At vt videmus Romę sunt permulti Iudæi, in Etruria etiam sunt infiniti, & in terris Agarenorum vitā degunt innumeri, inter quos adsunt valdissimi, simulq; peritissimi Rabbini interpretantes legem Moysi in publicis synagogis Iudæorum, qui mordaciter, ac tenaciter negant mysteria fidei Christianæ: Quinimmo illam funditus conantur euertere. Ergo non tenet assertio. Obiectio.

G

Ad hoc autem respondeo. Quod Christo prędicante multi doctissimi ex Iudæis conuincti crediderunt, vt patet de Iosepho, Nathanaele, Nichodemo, Gamaliele, qui fuerūt Doctores, & periti in lege, & modo post Christi passionem multi euidenter cognoscentes veritatem conuersi etiam fuere ad fidem nostram orthodoxam, relicta lege Moysi, vt patet de Paulo Apostolo & Apollo, & multis alijs. Vnde Ioan. 12. dicitur: [Et de principibus multi crediderunt in eū, sed propter Pharisæos non confitebantur ne de synagoga expellerentur,] & idem potest dici de multis alijs. Cæterū modo (ad rē) plerīq; minime conuertuntur ad fidem Christi duplici de causa. Prima quidem est, propter timorem penuriæ temporalis, quia Hebræi semper fuerunt cupidi, & in lege eorum semper promittitur abundantia temporalium. Ideo suprā modum abhorrent cōtrariū. Alia causa est, quia à cunabulis in odio Christi nutriūtur Iudæi, & legi Christianæ, & Christicolis maledicunt in synagogis quotidie. Illa autem, ad quæ homines sunt assueti à pueritia (& præcipue à parentibus) sunt quasi in naturam conuersa: Et per consequens auertunt iudicium, intellectus à veritate, & ab euidentia contraria; vnde recentiores Hebræi modo post passionem Christi manent increduli, sicuti antea eorum parentes extitere. Solutio.

H

Ad primum tamen dicitur verba illa Deuteron. 30. adimpleta fuisse in reditu populi Hebræorum de captiuitate Babylonica. Sol. ad 1.

I

Sed contra hoc arguere possunt ex illo Ezech. 39. [Scient quia ego Dominus eorum, eoquod transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terrā suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi,] multi autem derelicti sunt de captiuitate Babylonica, & Assyriorum, quia non omnes fuerunt reuersi. Ergo solutio allata est nulla. Obiectio.

Respondeo. Neminem Hebræorū ibi derelictū fuisse volentem reuerti, quia Cyrus monarcha omnium illarum regionum, generaliter facultatem cōcedit omnibus Hebræis reuertendi, immo munera dedit reuertētibus, vt patet Esdræ 1. & ideo nullus derelictus fuit ibi qui voluerit reuerti, qui autem noluerunt, indigni facti fuerunt diuino beneficio. Solutio.

K

Ad secundum respondetur mysteria nostræ fidei esse euidenter credibilia, non tamen euidenter vera, quoad nos, quoniam quamuis illa in se sint vera, certa & infallibilia, tamen quo ad nos non sunt euidentia. Aliud enim est aliquid esse euidenter credibile, & aliud euidenter verum. Quoniam credibile dependet ex auctoritate dicentis, & ex testimonijs, veritas Sol. ad 2.

Arist. lib. 10. Metaph.

tas autem dependet ex propria vi, natura, & causis. Nam ex eo quod res est, vel non est (vt inquit Philosophus) oratio dicitur vera, vel falsa. Non enim ex eo, quod ego dicam, te album esse, tu albus es, sed ex eo, quod tu albus sis, ego qui dico, verum dico. Porro ad illud quod subiungitur, respondetur eodem modo; eo quod possibilitas dependet ex propria natura & causis: credibilitas autem ex testimonijs, & ita non tenet propositio. Possunt enim esse tot & talia, vt faciant rem impossibilem, quam iudicamus esse possibilem; sæpe enim contingit, vt impossibilia à parte rei propter auctoritatem dicentis, sint credibiliora possibilibus. Ad vltimum medium tandem dico, mysteria nostræ fidei ex habitu esse euidenter credibilia, & ita habitus fidei infusè inclinat intellectum nostrum ad euidentiam fidei, licet hanc euidentiam credibilitatis, non operetur in omnibus, sed tantum in hominibus præparatis ad hunc effectum recipiendum, quoniam qualibet forma tantum operatur suos effectus in materia præparata, vt prodit Caietanus 2. 2. q. 2. art. 4. & ita mysteria nostræ fidei, ex testimonijs, & ex habitu fidei sunt euidenter credibilia. Ideoque habitus fidei non est obscurus, & ineuidens in ordine ad credibilitatem, immo inclinat intellectũ ad iudicandum mysteria fidei Christianæ esse euidenter credibilia, data dispositione in credentibus. Requiritur enim ad credendum ætas, & pia affectio ex parte voluntatis, vt ait D. Augustinus. Et S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 4. affirmat habitum fidei facere visionem, nempe euidentiam articulorum.

Nota solutionẽ obiectionis.

Nota bene solutionem obiectionis.

Caietanus.

S. August.
S. Thom.

Quæstio VIII.

Vtrum Iudæi occidentes, & pungentes, crucifigentesq. Christum Iesum peccauerint læthaliter?

1. Conclus. Iudæi pungẽtes Christum Iesum peccarunt læthaliter.
1. Ratio.



CONCLVSIO est affirmatiua & de fide, probaturque.

Primo. Tum quia Christus dixit Pilato Ioa. 19. [Qui me tradidit tibi maius peccatum habet:] Illi autem qui Christum tradiderunt Pilato, fuerunt Iudæi, scilicet Pontifices, & Pharisæi Iudæorum: Nam Pilatus dixit Christo, Ioan. 18. [Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi.] Igitur de fide est Iudæos occidentes, & crucifigentes Christum, mortaliter peccasse.

2. Ratio.

Tum quia in nullo casu est licitum occidere hominem innocentem; etenim si secundum se consideremus hominem aliquem non licet illum occidere, quia in quolibet homine (licet peccatore) debemus amare naturam quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur: & licet occisio peccatoris sit licita per cõparationem ad bonum cõmune, quod per peccatum corrũpitur, tamen vita iustorum est conseruatiua & promotiua boni communis, quia ipsi sunt principalior pars multitudinis, & ita dicitur Exod. 23. [Insontem, & iustum non occides.] At licet Iudæi (demus per hypothesim) ignorarent Christum esse verum Deum, tamen aperte sciebãt Iesum Nazarenum, hominem esse innocentem, & immunem à peccato, cum ille palam dixerit illis Ioan. 11. [Quis ex vobis arguet me de peccato?] Et præterea iudex Pilatus dixit illis de Christo, antequam sententiã mortis in illum ferret: [Innocens sum à sanguine iusti huius, vos videritis.] & illi crudeliter acclamantes responderunt Pilato: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] & iterum: [Crucifige, crucifige eum.] Ergo Iudæi læthaliter peccarunt pungentes, occidentes, & crucifigentes innocentem hominem Iesum Christum. Quid, quod, pupugerunt, occi-

Matth. 27.

A derunt, & crucifixerunt hominem innocentem, & Deũ verum. Quocirca nullo modo excusantur Iudæi in morte Christi à læthali peccato. Et si dicas, Iudæi inuenerunt Christum reum mortis: Respondetur, hoc à Iudæis dictum fuisse malitiose, vt intelligeret Præses Pilatus, illos propter bonum cõmune curiosos, & solicitos esse, & ita persequutos optime fuisse Christum, & illius mortem postulasse, quia malefactores occidendi sunt, iuxta illud Exod. 22 [Maleficos non patieris viuere.] & Psal. 100. [In matutino interficiebãt omnes peccatores terræ,] vt bonũ cõmune seruetur. Verumtamen dixit Euangelista de Pilato Præside: [Sciebat quod per inuidiam tradidissent eum] & ita non excusantur Iudæi à crimine læthali in morte Christi.

Obiectio.
Solutio.

Matth. 27.

Ad maiorem autem corroborationẽ huius secundæ rationis, quæ maiori ex parte est S. Tho. 2. 2. q. 61. art. 6. est animaduertendum Christum Dominum innocentẽ, B & immunem à peccato extitisse ob plerosque titulos. Primus, propter officij dignitatem, quia Pontifex & Mediator Dei, & hominũ erat, qui seipsum oblaturus venerat pro peccatoribus, & genus humanum redempturus à peccato, & ideo dignum fuit ipsum esse sine peccato: [talis decebat vt nobis esset Põtifex (ait Apostolus) sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.] ad Heb. 7. Secundus titulus est, propter defectibilitatem peccati, quia peccatum est defectus gratiæ, Christus autem fuit ille, de quo dicitur Ioan. 1. [Vidimus eum plenum gratia & veritate, & de plenitudine eius omnes accepimus.] Tertius titulus est, propter deffinitionem peccati, quia peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum cõtra legem Dei, vt dicit Augustinus, Christus autem nunquã fecit contra legem diuinam Ioan. 8. [Ego quæ placita sunt ei facio semper.] & Matth. 5. [Non veni C soluere legem, sed adimplere.] Quartus titulus attenditur per diuisionem peccatorum, quia peccatum aut cõmittitur ex ignorantia, aut infirmitate, aut ex malitia, siue studio, quæ omnia minime reperiri poterant in Christo. Quintus & postremus titulus petitur ab effectu peccati. Nam qui peccat separatur statim à Deo, quia Deus & peccatum simul in aliqua anima reperiri minime possunt. Natura autem humana Christi à primo instanti suæ cõceptionis fuit verbo diuino vnita, & ita à Deo recedere non poterat, quia cũ Christus ab instanti suæ conceptionis simul fuerit viator, & cõprehẽsor, verus Deus & verus homo, à seipso recedere nõ poterat: & ita per naturam erat Christus innocens & immunis à peccato. Quamobrẽ Ioan. 8. ipse dixit Pharisæis: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] Quapropter Iudæi non excusantur à læthali peccato homicidij, pungentes, & occidentes Christum innocentem, iustum, & sanctum. D

Nota. 2. Impeccabilis erat Christus propter multas rationes.

Tituli & causæ quinque impeccabilitatis Christi Iesu.

3. Ratio.

Tum quia qui agit contra charitatem, & contra iustitiam, & priuat communitatem aliquo bono, mortaliter peccat: At Iudæi pungentes, occidẽtes, & crucifigentes Christum operati fuerunt contra charitatem; nam illum debebant diligere: etenim Deus dixit: [Diliges proximum tuum.] Deinde fecerunt contra iustitiam, etenim Christus nullum habebat peccatum: [Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, (inquit Paulus) innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.] & ita actus crucifixionis Christi fuit contra iustitiam, & deinde Iudæi morte Christi priuarunt communitatem Iudæorum innumeris bonis; ergo Iudæi pungentes, occidentes, & crucifigentes Christum læthaliter peccarunt.

Leuit. 19.

Ad Heb. 7.

E Tum quia Iudæi modo experiuntur inuiti, velint, nolint, perpetuam desolationem à Ieremia, Daniele, & alijs Prophetis pronunciatam. Quamquam enim sæpe olim puniti fuerint à Deo, & hostibus traditi in seruitutem; semper tamen tunc præcedebant aliqua publica, & communia peccata, præsertim idololatriæ, vel necis Prophetarum, & nihilominus captiuitates, & pœnæ, breui tempore finiebantur, in quibus insuper obtinebant Prophetas, sanctosq. viros, per quos Deus exhibebat illis aliqua beneuolentiæ signa, significantia semper euadends

4. Ratio. Prophetæ prędicauerunt Iudæos perpetuam passuros desolationem.

Cc 3

Iudæorũ præsentes miseriæ, & calamitates.

dendi spem. At vero nunc ab eo tempore quo venit Christus, nec coluerunt idola, nec habent grauiora scelera mortalia, quam antea haberent, & tamen toto hoc tempore grauissime puniuntur, non solum temporali seruitute, sed etiam spirituali quadam, & diuina desertione: carent enim Prophetis, carent miraculis, carent templo, sacrificio, & sacerdotibus. At non apparet aliud signum huius pœnæ tam grauissimæ, neque aliud delictum ab illis commissum, quam mors, & necis Christi Domini Redemptoris nostri, quem ipsi Iudæi pupugerunt, occiderunt, & crucifixerunt, crudeliter, & atrociter absque misericordia: ergo cum Iudæi propter mortem, & necem Christi, ita grauissime puniantur à Deo, signum profecto euidens est, eos in morte, & nece Iesu Christi læthaliter peccasse, & grauissimum, mortaleq. crimen commisisse.

Causa præsentium calamitatum Iudæorum est mors & necis Iesu Christi.

1. Argum. Iudæi videntur se excusare à peccato crucifixionis Christi.

Verumenimuero aliquis infringere potest nostram hanc sententiam arguendo, primo sic: Pater Abraham voluit interficere Isaac filium suum innocentem, & absque crimine aliquo, vt habetur Gen. 22. Atqui pater Abraham nõ peccauit in tali volitione, & actione, vt tenent omnes Theologi, ergo potest aliquis innocentem occidere, & interficere sine peccato, & ex consequenti, licet Iudæi occiderint, & crucifixerint innocentem Christum, possunt à peccato læthali liberari.

Solut. ad 1.

Respondetur huic argumento, Deum habere dominium mortis, & vitæ, sua enim ordinatione moriuntur peccatores, & iusti, & ipse fuit qui patri Abraham dixit: [Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum in holocaustum.] Et ideo non peccauit Abraham, quia mandato Dei hoc fecit. Nam qui mandato Dei occidit innocentem, talis non peccat, sicut nec Deus, cuius est exequutor. Et ostenditur Deum timere eius mandatis obediens. Deus autem non præcepit Iudæis occidere, & crucifigere Christum Dominum, & ita Iudæi non excusantur à læthali crimine in morte Christi.

2. Argum.

Instabis etiam contra solutionem ita, Deus Pater tradidit Christum passioni, vt inquit S.Thom.3.par.q.47.art.3. & Paulus ad Rom.8. dicens: [Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.] ergo excusantur Iudæi à mortali peccato in morte Christi, sicuti Abraham in morte innocentis Isaac filij sui.

Solut. ad 2. Deus Pater qualiter tradidit filium suum Iesum Iudæis ad mortem.

Respondetur huic argumento, falsam omnino esse consequentiam. Nam licet Deus Pater (vt dicitur in Argumento) tradiderit Christum passioni, & Christus fuerit ex obedientia mortuus, accipiens mãdatum à Patre æterno vt pateretur (quod quidem, ita habetur etiam 3.par.q.47.art.2. ad 1.) tamen Deus Pater non præcepit Iudæis vt occiderint, aut crucifixerint Christum Iesum filium eius, quemadmodum Abraham mandatum accepit à Deo ad sacrificandum & occidendum filium suum Isaac innocentem. Quod autem in morte Christi accidit, est, quod volentibus Iudæis occidere Christum, Deus Pater tradidit illis Christum voluntariè, non protegendo eum à passione, sed exponendo illum persequentibus, & ita legitur Matth.cap.27. [Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?] quia scilicet potestati persequentium eum exposuit, vt dicit Augustinus de gratia noui Testamenti, in epistola 120. ex cap.6. & 10. vnde licet Christus sit traditus sua voluntate, quia oblatus est, quia ipse voluit, & voluntate Patris æterni: tamen Iudæi non habebant præceptum occidendi Christum, & ita illum occiderunt, & crucifixerunt persequendo eum, quod nullo modo fecit Abraham in filio suo Isaac, & ob id Abraham excusatur à peccato læthali in morte innocentis Isaac. Iudæi autem mortali crimini obnoxij fuerunt, occidentes Christum illum persequendo malitiose.

F Et passim nota, Patrem æternum non fecisse aliquid iniquum, aut crudele tradendo filium suum Iesum Christum innocentem ad mortem & passionem. Etenim innocentem hominem morti, & passioni tradere contra eius voluntatem, impium & crudele est, & sic Deus Pater non tradidit filium, sed inspirando eius voluntatem patiendi pro nobis. Vide S. Thom. 3.par. q.47. art.3.ad 1. & ita semper remanent verissima illa verba Deut.32. [Deus fidelis, & absque vlla iniquitate.] *Nota bene.*

Tertio insurges sic: Licitum est, & absque peccato occidere potest aliquis hominem, vt tenet S.Tho.2.2.q.64.art.4.propter bonum commune: Atqui occisio, & crucifixio Christi Domini, magis & magis conseruauit bonum commune totius mundi, ergo Iudæi non peccarunt, illum occidentes. *3. Argum.*

G Respondetur mortem Christi Domini in quantum fuit sacrificium, conseruare bonum commune, & fuit in reparationem totius mundi: At vero in quantum fuit procurata à persequutoribus, fuit grauissimum peccatum persequentium, quia innocentem hominem, contra bonum commune reipublicæ morti tradiderunt.

Quæstio IX.

H Vtrum Iudas, Annas, Caiphas, Pharisæi, & alii maiores Hebræi, grauius peccatum commiserint in punctione, & occisione Christi, quam minores de eodem populo Hebræo?



PRO decisione huius dubij sunt præmittenda duo. Primum, quod quando quis est maiori virtute, & gratia præditus, tanto peccat grauius, quanto fortius metu, aut concupiscentia quis ad peccatum impellitur, leuius delinquit. Primum patet ex Augustino lib. de pænitentia: [In hoc quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior: ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit.] Et D. Gregorius de Diabolo ait: [Idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione creatus est.] Et secundum etiam fit planum, eo quod minus est de voluntario, vbi est maior impulsus ab extrinseco: ideo infert Adrianus in q. 69. quolibet. q. 4. peccatum ex ignorantia minus graue esse, deinde peccatum ex infirmitate, & tandem peccatum ex industria extremum gradum obtinere malitiæ.

Fundamen.

D. Aug. dist. 5. de pænitent.

I *D.Greg. dist. 2.de pænit.*

Adrianus in quodlibet. q. 4.

Secundum etiam, quod præmittere oportet, est Iudã Apostolum fuisse, iuxta illud Lucæ 6. [Et cum dies factus esset vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Simonem, quem cognominauit Petrum & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphei & Simonem qui K vocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.] Ex quo infertur, Iudam Iscariotem habentem gratiam Apostolatus, fuisse à Christo baptizatum baptismo Christi, vt prodit S.Tho. 3.par. q.38. art. 6. ad 2. deinde habuisse (sicuti & alij Apostoli) scientiam scripturarum, vt etiam innuit S.Thom.q.51. art 4. curasse ægrotos, fecisse miracula, fuisse Episcopum, & tandem accepisse buccellam panis, quibus prælibatis venio ad rem.

Iudæ dignitates in Apostolatu.

Prima

Conclus. 1. Iudas in morte Xpi peccauit super omnes Iudæos.

D. Thom. Caietanus.

Prima assertio. Peccatum Iudæ Iscariotis in punctione, & occisione Christi fuit grauius, peccato Principum Iudæorum Annæ, & Cayphæ, & Pharisæorum. Hæc est D. Thom. 3. par. quæst. 48. art. 6. ad 2. & Caietani eodem in loco, & probatur hac vnica ratione. Quanto quis est maiori virtute præditus, tanto peccat grauius (hæc est manifesta ex primo nostro fundamento.) At Iudas (vt tenet secundum nostrum etiam fundamentum) habuit gratiam Apostolatus, quam minime habuit Annas, Cayphas, aut aliqui ex Principibus Iudæorum, & non solum vidit miracula Christi, verum etiam fecit miracula in nomine Christi, accepta ab eo potestate sicut cæteri Apostoli, & confessus fuit Iesum Christum Matth. 16. approbando responsionem Petri, pro omnibus discipulis, cum dixit: [Tu es Christus filius Dei viui.] & ijs omnibus non obstantibus peccauit Christum pungendo, sue triginta argenteis venundando, prout ipsemet ostendit, dicens: [Peccaui, tradens sanguinem iusti.] ergo Iudas Iscariotes grauius peccauit, quam Annas, & Cayphas, ac etiam cæteri Iudæorum principes. Et grauitas istius peccati Iudæ Iscariotis proditoris demonstratur in psal. 54. cum dicitur: [Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus (quantum ad loculos) & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.]

2. Conclus. Principes, & maiores de populo Iudæorum magis peccarunt in nece Christi, quam minores de eodem populo. D. Thom. Caietanus.

Secunda assertio. Annas, Cayphas, Scribæ, Pharisæi, Satrapæ, ac omnes Principes de populo Hebræorum grauius peccarunt quam minores de eodem populo. Hæc est D. Thom. 3. par. q. 48. art. 6. & etiam Caietani eodem in loco, & probatur quoad eius primam partem; quia hi sciebant legem, & interpretabantur quotidie scripturas, & sciebant Iesum esse Messiam promissum in lege: & si aliqua ignorantia fuit in eis, (vt inquit S. Tho.) fuit ignorantia affectata, quæ nullatenus eos excusare poterat, quare arbitramur eorum peccatum fuisse grauissimum, tum in genere peccati, tum ex malitia voluntatis.

Appendix. Cayphas plus peccauit in morte Christi, quam reliqui maiores, & Principes de eodem populo Hebræo.

Præterea credimus inter hos Principes, & maiores de populo Iudæorum Caypham plus peccasse. Primo, quia repletus ira, indignatione, & dolo, dixit, vt habetur Ioan. 11. [Vos nescitis quicquam, expedit vt vnus homo moriatur, &c.] Secundo, quia Cayphæ dicenti: [Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei benedicti?] respondit Iesus, vt habetur Matth. 26. [Ego sum.] quam ob rem ipse Cayphas magis scienter ex malitia certa peccauit, & ideo inter hos maiores Iudæorum, magis peccauit Pontifex Cayphas, eo vel maxime, quod maiorem videbatur obtinuisse scientiam, & cognitionem Christi. Magnitudo autem personæ peccantis aggrauat peccatum, vt tenet S. Thom. p. 2. q. 73. art. 10. & Medina, & Caietanus ibidem.

S. Thom. Caietanus. Medina.

Secunda porro, & postrema pars assertionis, nempe de minoribus, probatur ex S. Thom. 3. par. quæst. 48. art. 6. vbi tenet Angelicus Doctor, minores Iudæos grauissime peccasse quantum ad genus peccati; verumtamen propter eorum ignorantiam in aliquo eorum peccatum diminui. Quamobrem Beda super illa verba Lucæ 23. [Nesciunt quid faciunt,] ait: [Pro illis rogat qui nescierunt quid facerent zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam.] Quamobrem ex circumstantia ignorantiæ, minus graue fuit peccatum minorum Hebraici populi, quam peccatum maiorum eiusdem populi.

Quæstio. X.

Vtrum Christus Dominus punctus, & crucifixus fuerit etiam à Gentilibus?



A Parte negante arguitur primo. Illi occiderunt Christum, qui offerebant sacrificia veteris legis; nã passio Christi fuit verum sacrificium. At sacrificia veteris legis tantum offerebant Iudæi, & nullo modo Gentiles, vt est manifestum passim in veteri Testaméto, ergo Christus Dominus tantum occisus fuit à Iudæis, & nullo modo à Gentilibus. 1. Argument.

Arguitur secundo. Ioan. cap. 5. dicitur, quod Iudæi quærebant interficere Christum. Et alibi, quia volebant illum lapidare. Et iterum, quia quærebant eum præcipitem dare in patria sua Nazareth, eo quod & soluebat Sabbatum, & patrem suum dicebat esse Deum, æqualem se Deo faciens: At de Gentilibus nullibi legitur voluisse Christum occidere; & præterea soluere sabbatum, & facere se Deum, non est contra legem Gentilium, immo tantum est contra legem Iudæorum, & proinde ipsi Hebræi dicebãt Ioan. 19 [Secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit,] ergo Gentiles non occiderunt Christum, sed Iudæi tantum. 2. Argum.

Arguitur tertio. Per mortem Christi homines erant à peccato liberandi, & non vt peccatores multiplicarentur in illa. Sed certum est Iudæos peccasse in illa (vt nuper retulimus) illum occidentes, ex quorum persona dicitur Matt. 27. [Hic est hæres, venite occidamus eum.] ergo vt non multiplicaretur peccatum occisionis Christi, illum non occiderunt, nec minus crucifixerunt Gentiles, sed tantum Hebræi. Alioquin peccatores multiplicati essent in morte Christi, cum deberent paucissimi in morte illius peccare. 3. Argum.

1. Conclus. Christus punctus ac crucifixus etiam fuit à gentilibus. 1. Ratio.

Pro decisione est conclusio verissima & de fide. Christus Dominus, & punctus, & mortuus etiam, ac itidem crucifixus fuit à Gentilibus. Istud autem per omnes quattuor Euangelistas euadit planum, perspicuum, & manifestum; quoniam Matth. c. 27. habetur, Pilatum Gentilem, & Præsidem in Ierusalem per Cæsarem gentium Romanorum Imperatorem, Iesum flagellatum tradidisse Iudæis, vt crucifigeretur. Et postea sequitur: [Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem.] & Marci cap. 15. postquam idem Pilatus gentilis, & gentium in Iudæa tunc commorantium Præses, tradidit Iudæis Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur, statim sequitur: [Milites autem duxerunt eum in atrium Prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes coronam spineam.] Et etiam apud Lucam cap. 23. narratur, quod Pilatus gentilis tradidit Iudæis Iesum voluntati eorum, & cum ducerent illum ad crucifigendum, turba populi cum armis sequebatur illum. Et tandem apud Ioan. cap. 19. dicitur, Pilatum gentilem tradidisse Iesum Iudæis ad crucifigendum, & milites suscepisse eum. Isti autem milites, & cohors quæ tunc erat in Ierusalem, non erant ex Iudæis, sed ex Gentilibus Romanis; eo quod Pilatus, & Imperatores Romani, non permittebant Hebræos milites, nec minus cum armis: ne adminiculo, & adiutorio militiæ & armorum insurgerent ipsi contra Romanos, qui tunc vi, & armis,

mis possidebant ciuitatem sanctam Ierusalem, habentes captiuos, & subditos Hebræos omnes illius ciuitatis. Quare isti milites, & cohors, qui susceperunt Iesum Christum ad crucifigendum, simul cum Iudæis, erant Gentiles; & etiam principaliores de turba, & qui ferebant arma, tubas, vexilla, & alia improperia, & portenta militiæ, erant gentiles Romani. Appropinquauerat namque dies festus Iudæorum, & in populo erat tumultus ob Christi necem, & principes Sacerdotum, Pharisæi, & Rabbini, & infiniti Hebræi, simul cum equis, & equitibus, fustibus etiam, & armis, ferebant Christum: & ob id Romani Gentiles, erant vigilantes, ne populus Hebræorum insurgeret tunc in illos, & ita milites isti, de quibus mentionem faciunt Euangelistæ, erant Gentiles. Quamobrem Christus Dominus, mortuus etiam, punctus, & crucifixus fuit à Gentilibus. Et hoc ipsum est, quod Redemptor noster dixit Matth. cap. 20. [Tradetur enim gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.]

Corollarium. Porro, istud testante Diuo Thoma 3. par. quæst. 47. art. 4. conuenienter factum fuit. Etenim passio, & mors Christi cæpit à Iudæis, & finem imposuerunt illi, Gentiles, vt in ipso passionis modo exprimeretur effectus ipsiusmet passionis. Etenim passio gloriosa Christi, primo effectum habuit salutis in Iudæis, quorum plurimi in morte Christi baptizati sunt, vt patet Act. cap. 2. & 3. Secundo vero, Iudæis prædicantibus, effectus passionis Christi transiuit ad gentes, & ita Iudæi tradiderunt Iesum Christum Redemptorem nostrum gentibus, vt illum occiderent, ac pungerent simul cum eis.

Solut. ad 1. Quamobrem ad primum dicitur, quod passio Christi fuit sacrificium & oblatio, in quantum Christus propria voluntate mortem sustinuit ex charitate: in quantum autem à persequutoribus est passus, non fuit sacrificium, sed peccatum grauissimum, (vt mox dicemus) & ita non solum fuit crucifixus à Iudæis, qui sacrificia veteris legis offerebant Deo, verumetiam à Gentilibus, qui talia sacrificia offerri nunquam consueuerunt.

Solut. ad 2. Ad secundum respondetur, quod licet nullibi legatur, Gentiles Christum Dominum occidere voluisse, tamen Iudæi illum tradiderunt gentibus ad crucifigendum & pungendum. Nam cum Iudæi haberent interdictam potestatem condemnandi aliquem ad mortem, per Romanos, dixerunt Pilato: [Nobis non licet occidere quemquam.] quasi dicerent: Tu qui per Cæsarem Imperatorem præes, habens potestatem condemnandi ad mortem reos, & malefactores, fulmina sententiam mortis contra Christum, quem Pontifices nostri reum mortis inuenerunt, & sententia mortis à te in illum fulminata, nos simul cum Gentilibus, & militibus tuis, illum flagellabimus, coronabimus, & corpus illius cruci affigemus, & ita Gentiles simul cum Iudæis occiderunt, pupugerunt, & crucifixerunt Iesum Christum.

Solut. ad 3. Ad tertium dicimus, Christum Dominum ad ostendendam abundantiam charitatis suæ, qua patiebatur in cruce, veniam pro persequutoribus postulasse: & ideo, vt huius petitionis fructus, ad Iudæos & Gentiles perueniret, voluit Christus ab vtrisque pati, & pungi.

Quæstio XI.

Vtrum Gentiles cognouerint Iesum Nazarenum, quem ipsi simul cum Iudæis crudeliter pupugerunt, fuisse Messiam & Christum Hebræis promissum?



PARS negatiua probari potest. Tum quia Iesus Nazarenus præcepit discipulis suis dicens: [In viam gentium ne abieritis,] ergo signum est Gentiles nó cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam, cum ipse parum cum Gentilibus commoratus fuerit. (1. Argum.) Tum quia Messias tantum fuit Hebræis promissus, iuxta illud Matth. c. 15. [Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.] ergo Gentiles non tenebantur cognoscere, Iesum Nazarenum fuisse Messiam. (2. Argum.) Tum quia Gentiles colebant idola, iuxta illud Psal. 96. [Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.] Atqui, Messias venturus erat ad conterenda idola, vt est manifestum, ergo cum adhuc Gentiles colant falsos Deos, non cognouerunt ipsi, Iesum Nazarenum fuisse Messiam. (3. Argum.)

1. Fundam. Gentilis quid sit. Pro decisione præmoneo primo, Gentilem illum esse, qui natura est præputiatus, etenim Gentilis dicitur, quasi genitalis, id est, genitus talis. Idcirco Gentilis ab Hebræo in hoc differt, vt pote, quia Gétilis est præputiatus, Hebræus autem circumcisus. (Gentilis ab Hebræo discrimen.) Vnde Paulus ad Rom. 2. comparans Gentilem Hebræo dixit: [Circuncisio ergo prodest si legem obserues, si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circúcisionem reputabitur?] Quasi his verbis diceret Apostolus: Si Gentilis præputiatus non circumcisus, custodiat legem, perinde reputabitur ac si esset circumcisus. Ecce igitur quis dicatur Gentilis, & quomodo Gentilis, ab Apostolo, Hebræo comparetur. Appellatur autem Gentilis varijs nominibus iuxta patrias suas, dicitur enim Ethnicus, Græcus, Romanus, Samaritanus, &c.

2. Fundam. D. August. Præmoneo secundo: Gentiles quotquot sunt, falsos coluisse Deos, vnde Augustinus contra Faustum lib. 18. cap. 5. disputans an Gentiles fuerint, qui diebus hebdomadæ, & mensibus imposuerunt nomina, de illis sic ait: [Diebus quippe istis, quorum septenarius numerus in orbem reditur, Deorum suorum nomina gentes imposuerunt, sed & mensibus imposuerunt nomina suorum Deorum, propter honorem quippe Romuli, quia eum Martis filium crediderunt, primum mensem Marti dicantes, Martium vocauerunt, & inde Aprilem nullo Dei sui nomine, sed à re ipsa quasi aperilem, quia tunc primum germen aperiatur in florem. Inde tertium mensem Maium, quod Maiam Mercurij matrem Deam colant; inde quartum Iunium à Iunone, inde cæteros vsque ad Decembrem, à numeris nominarunt, sed ex eis Quintilis atque Sextilis nominibus hominú, quibus diuinos honores decreuerant, appellati sunt Iulius & Augustus. Nam septimus September, & cæteri, vt dixi vsque ad Decembrem, numerorum ex ordine nominibus enunciantur. Porro Ianuarius à Iano appellatus est, Februarius à Februis Lupercorum.] Hactenus Augustinus. (Gentiles nomina diebus anni nomina suorum Deorum imposuerunt.) Et vt magis appareant Gentilium deliramenta & errores circa sua idola dico, Gentiles coluisse imagines corruptibiles atque caducas: Homines scilicet, mares & feminas,

minas,tauros, crocodillos, anseres, signos, & alia his A similia, & quod grauissimum est, nullaque gratia dignum, mortuis hisce dijs atque deabus (omnes enim natura, experimento prodidit esse mortales) per immodicum affectum, atque luctum, hi dementes, & stulti gentiles simulachra sculpsére, lapidibus, auro, ære, atque pinxere figuras, sicque pictis similitudinibus, aut fictis, immolauerunt, quos sequuta posteritas coluit, vt Deos. Vnde diuinus Citharœdus de illis Psal. 113. ait: [Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum; os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt; aures habent & non audient nares habent & non odorabunt; manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo; similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.] Et hoc ipsum est, quod de illis dixit Paulus ad Rom. 1. [Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei.] Et nota quod isti Philosophi, & gentes, non coluerunt imagines Dei incorruptibiles, vt Angelos, astra, cælos, (id enim le- B uius crimen fuisset) sed imagines corruptibiles, atque caducas. Et quod peius est, non modo in imaginem corruptibilem Dei, in hominem, in taurum, leonem, in arietem, &c. mutauere, verum etiam mutauerunt Dei gloriam, etiam in similitudinem imaginis, in simulacrum, scilicet, vel picturam hominis, cygni, aquilæ, tauri, leonis, Veneris, Antinoi, Bisonis, Iouis, Dianæ, Palladis, &c.

3. fundam. Messias cur à Gentilibus nō memoratus.

Præmoneo tertio, & postremo. Gentiles falsa sua colentes Idola, in suis libris sacræ Iudæorum historiæ de aduentu Messiæ non meminisse: Primo, quia in suis simulacris, & Idolis cogitatum suum iactabant: deinde, quia scriptores Gentiles, (inter quos est Aristeas, cuius hodie de translatione septuaginta interpretum libellus extat) referunt Ptolomæum Philadelphum, secundum Ægypti Regem post Alexandrum, quæsiuisse ex Demetrio Phalereo (quem ille instruendæ Bibliothecę præfecerat) cur Græci scriptores, nullam de historijs, & monumentis Iudæorum mentionem fecissent: Respō disse autem Demetrium, tentasse quidē id facere Theopompum, & Theodectem, nobiles in primis scriptores, & quædam ex monumentis Iudæorum inseruisse scriptis suis: sed mox tamen luisse pœnas temeritatis. Illū enim amentia, hunc cæcitate diuinitus percussum. Sed postea causam mali sui agnoscentes, & ex animo dolētes, placato Deo, sanitati esse restitutos. Alios igitur istorum exemplo deterritos, Iudæorum scripta, rituq; vsurpare non esse ausos; & hoc ipsum cōmemorat Iosephus lib. 11. antiquit. & Euseb. lib. 8. de præparatione Euangelica, verum hoc non obstante habuerunt Gentiles Sybillas, quæ multa de Messia, & Christo eis prædixerunt, vnde iuxta S. Thomam 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. multis gentilium facta fuit reuelatio de Christo, sed ad rem iam deueniamus.

Theopompus & Theodectes Gentiles scriptores.

Iosephus. Eusebius, Sybillas.

1. concl. Messias promissus etiam fuit gentilibus.

Prima assertio. Gratia promissi Messiæ non solum facta fuit Iudæis verum etiam se extendit ad Gentiles, Hæc est de fide, & probatur his rationibus.

1. Ratio.

Prima ratio depromitur ex Psalmographo, quoniā Psal. 71. sic habetur: Adorabunt eū omnes reges terrę, omnes gentes seruient ei.] & Psal. 2. [Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam,] & Psal. 66. [Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, lętentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in ęquitate, & gentes in terra dirigis.] & Ps. 48. [loquetur pacem gentibus.] & Psal. 46. [Omnes gentes plaudite manibus.] Sunt & alij plerique Psalmi huius styli, & tenoris, in quibus aperte sermo est de gentibus, ergo gratia Messiæ promissi facta fuit etiam gentibus.

2. Ratio.

Secunda ratio depromitur ex varijs Sybillarū oraculis ac vaticinijs. Nam præter Hebræorum Prophetas, suscitauit Deus Prophetas aliquos de gentilibus nationibus, sicut fuit Balaam, de quo Numeri 22. 23. & 24. qui Propheta fuit, & Ariolus, vt ibidem patet; suscitauit etiam, & Sybillas, quæ fuerunt feminæ multa futura prophetantes, de quibus sermonem habent Diodorus lib. 5. Seruius 4. Æneidos. Marcianus Capella, Varro in libris rerum diuinarum ad C. Cæsarem, La-

Diodorus. Seruius. Marc. Cap. Varro

ctantius Firmianus, prim. diuin. instit. Euripides, in Iamiæ prolog. Chrysippus lib. de diuinatione. D. August. lib. 18. de ciuit. Dei. Ludouicus Viues in comment. D. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 23. & Alphonsus Tostatus in c. 18. Deut. q. 5. quæ quidem mulieres vates, cum fuerint Deo plenę, fuerunt olim inter gentiles in tanto pretio, vt nihil sollis Sybillarum verius putaretur. Fuerunt autem istæ decem inter quas, prima fuit Sybilla Erithræa, quæ tempore Thola Iudicis Israel fuit anno, nimirum, a creatione mundi 3890. quando fuit bellum Troianum. Hæc prophetauit Troiam bello perituram, & Homerum Græcorum vatem, qui postea per multa tempora fuit, mendacia loquuturum, vt ait Firmianus Lactantius de Nat. Deorum lib. 1. c. 6. fuerunt insuper alię nouē Sybillę, scilicet, Delphica, alia Libica, alia Samia, alia Cumea, alia Phrygia, siue Troiana, alia Tiburtina, alia Cymmeria, alia Sardiana. Et omnium istarum libri (teste Alphonso Tostato, vbi supra) in Capitolio Romano tempore gentilitatis, etiam magno tempore post Christum, habebantur, & volentibus ministrabantur, & soli libri Sybillæ Cumanæ occultabantur, quos solum licebat videre quindecim viris. In libris autem harum Sybillarum mirabilia dicta per has Sybillas de Christo habentur tam circa natiuitatem, miracula, passionem, resurrectionem, & ad cælos ascensionem; quam circa eius ad iudicandam omnem carnē aduentum, quasi ipsæ his spectaculis præsentialiter interfuissent. Quinimmo multa dicta per Sybillam Erithræam Ecclesia canonizauit, & recitat, nimirum versus illos quos ipsa in Græco scripsit: & quædam postea exametros latinos conuertit, vt sunt illi, qui cantantur in matutinis natiuitatis Domini, & alij plerique de quibus multa ponit D. August. lib. 18. de ciuit. Dei, c. 23. & præcipue illi qui sic incipiunt.

Lact. Firm. Euripid. Chrysip. D. Aug. Lud. Viues. Alph. Tost.

Sybillarum numerus.

Sybillarū nomina.

Sybillarū vaticinia de Christo.

Sybillarū vaticinia de in dicio extremo.

Iudicij signum tellus sudore madescet,
C *Et Rex adueniet per sæcula cuncta futuris,*
Scilicet in carnem præsens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atq; fidelis
Celsum cū sanctis æui iam iā termino in ipso
Sic animæ cū carne aderūt quas iudicet ipse.
Cum iacet incultus densis in vepribus orbis.
Reiicient simulacra viri cuncta quoq; gazam
Exuret terras ignis, pontumque polumque
Inquirens, tetri portas effringet auerni
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur sontes æterna flamma cremabit
Occultos actus retegens tunc quisq; loquetur
Secreta atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit, & luctus stridebunt dentibus omnes
D *Eripitur solis iubar, & chorus interit astris.*
Soluetur cælum, lunaris splendor obibit.
Deiciet colles, valles extollat ab imo.
Non erit in rebus hominū sublime, vel altū.
Iam æquantur cāpis montes & cærula ponti
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit,
Sic pariter fontes torrentur, fluminaq; igni
Sed tuba tunc sonitum tristē demittet ab alto
Orbe gemens facinus miserū variosq; labores
Tartareumq chaos monstrabit terra dehiscēs.
Et coram hoc Domino, reges sistētur ad vnū.
Desidet è cælis, ignisq; & sulphuris amnis.

Iesus litera initiales faciunt.

Christus Græce initiales literæ faciūt.

Dei filius Saluator litera initiales faciunt.

E Hæc autē carmina, in Sybillarum reperiuntur libris. Et quidā putant Sybillæ Erithreæ fuisse, siue vt alij (teste D. Aug. lib. 18. de ciu. Dei c. 23.) credunt, Sybillę Cumanę. Sed quid de hac re sit D. Aug super huius Sybillę carmina sic scribit li. 18. de ciu. Dei c. 23. [In his latinis versibus de Græco vtcūq; translatis, ibi non potuit ille sensus occurrere qui fit cum litteræ quæ sunt in eorū capitibus connectuntur, vbi v littera in Græco posita est, quia non potuerunt latina verba inueniri, quæ ab

eadem

eadem littera inciperent, & sententiæ conuenirent. F Hi autem sunt versus tres quintus, & octauus decimus, & nonusdecimus: Deinde litteras, quæ sunt in capitibus omnium versuum connectentes, harum triũ quæ scriptę sunt non legamus, sed pro eis v. litteram, tamquam in eisdem locis ipsa sit posita recordemur, exprimitur in quinque verbis. Iesus Christus Dei filius saluator: Sed cum Græce hoc dicitur, non Latine. Et sunt versus viginti, & septem, qui numerus, quadratum ternarium solidum reddit. Tria enim terducta fiunt nouem. Et ipsa nouem si ter ducantur, vt ex lato in altum figura consurgat, ad viginti septem perueniunt. Horum autem Græcorum quinque verborum, quæ sunt ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. quod est Latine: Iesus Christus Dei filius Saluator, si primas litteras iungas erit ἰχθὺς, id est, piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit.] Hucusque Diuus G Augustinus. Igitur gratia promissi Messiæ non solum facta fuit Iudæis, verumetiam, & Gentibus, cum in capitibus, horum versuum huius Gentium Sibyllæ tales reperiantur litteræ, quæ hunc reddant sensum: [Iesus Christus Dei filius Saluator,] & [piscis] quo nomine misticè, Christus intelligitur. Consequentia patet. Et adhuc plane roboratur. Quoniam vt dicunt Lactantius libro 4. Diuin. Instit. cap. 18. Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. Cyrillus lib. 8. contra Iulian. & D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 23. & lib. 13. contra Faustum, cap. 15. & orat. contra Iudæos, & Arianos, huiusmodi prædictiones Sibyllarum, certissimæ fuerunt. Et licet Gentiles sola ratione naturali ducerentur, tamen illæ nequiuerant à sola cognitione naturali oriri. Quoniam non solum erant de re omnino supernaturali, sed etiam de re futura ex libera Dei H voluntate pendente. Quamobrem certum esse debet, vel ipsas Sibyllas legisse propheticos libros, eisque fidem aliquam adhibuisse (& sic habetur intentum,) vel fieri poterit, vt gratia propheriæ, his mulieribus fuerit communicata, vt dicit Clemens Alexandrinus libro 1. Strom. & Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3.

Clem. Alex. S. Thom.

Obiectio. Sed dices. Cur Sibyllis, nempe, mulieribus, facta fuere Christi mysteria, & non viris Philosophis Babylonensibus quos diuinatoriæ artis peritissimos inter Gentiles fuisse traditur, & quos, reges Gentium in dubijs velut oracula consulere, consueuerant.

Solutio. Respondeo, quod secretorum Dei rationem reddere nemo potest, nisi is, cui ille reuelare voluerit. Secundo dico hunc esse Dei morem, vt infirma eligat, vt I fortia quæq; confundat. Illi siquidem Gentium Philosophi sua philosophia inflati, obicem superbiam diuinis fauoribus apponentes, inepti reddebantur ad diuinas illas immissiones recipiendas, quod plane nullatenus accidit in his mulieribus, humilitate, & Deo plenis. Quamobrem, quod erât prophetæ sancti inter Hebræos, erant huiusmodi Sibyllæ inter Gentiles.

3. Ratio. Vaticinia Prophetarum de salute gentiũ per Messiam. Tertia ratio petita est ex vaticiniis prophetarum. Quoniam Soph. 3. habetur: [Tunc conuertam ad gentes labium electum, vt inuocent omnes in nomine Dei, vt seruiant illi humero vno.] & Isa. 60. [Dedi te in lucem Gentiũ, vt sis salus mea, vsque ad &c.] & Gen. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium,] & Osee cap. 2. [Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectã, & non misericordiam consequutam, misericordiam consequutam. Et erit: in loco, vbi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.] Quæ sententia de gentilibus satis aperte venit intelligenda. Zachariæ etiam cap. 2. sic dicitur: [Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.] Ergo gratia promissa Messiæ venturi, facta fuit etiam gentibus.

Rom. 9.

4. Ratio. Quarta ratio. Depromitur ex Apostolo, D. enim Paulus ad Rom. cap. 3. sic ait: [An Iudæorum Deus tantum? none etiam Gentium? immo & Gentium quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.] Igitur ex Apostoli sententia gratia Messiæ promissi facta fuit gentibus. Idem videtur sentire Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 2. per illa verba: [Vt Iudęos qui sub lege erant, & Gentes quę non sectabantur iustitiam, &c.]

5. Ratio. Apostoli auctoritate de salute gentiũ per Messiam. Quinta ratio. Non solum Iudæos, verum, & Gentiles legimus fuisse sub Adæ peccato: Nam omnes in Adam peccauerunt. Vnde siquidem scriptum est: [Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum,] & ad Rom. c. 3. [Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.] Licet sit Hebræus, aut Gentilis, non enim est distinctio Iudęi, & Gentilis. Et ad Gal. 3. [In Christo Iesu, non est masculus, & femina, seruus, & liber.] Idcirco remanet certum, & exploratum, Hebræos, & Gentiles omnes in Adam peccasse: Atqui Messias venturus erat ad reparandum Adæ peccatum, vt tenent Doctores in 3. lib. sent. distinct. 7. cum Magistro, & in 3. p quæst. 1. art. 3. cum S. Thom. Ergo gratia promissa de Messia venturo facta etiam fuit gentibus.

Nota bene circa salutem gentium. Quid, quod, esto quod Iudęi non peccassent in Adã, aut non credidissent, numquid Gentiles perijssent? Absit: Neque enim trahendi gentes ad se, modus Deo defuisset, & si nemo Iudæorum credidisset. Verum quippe est, quod modo gentes, Iudæis credentibus maxime credunt: Et ideo Iudæi primi, Ethnici vero secundi vocati dicuntur ad fidem. Attamen nullatenus est dicendum, quod Gentes perijssent, si Iudæi non errasset, in Adamo, aut non credidissent. Hoc enim est falsum affirmare.

6. Ratio. Sexta ratio. Multi Gentiles adepti fuerunt salutem vt docet Dionysius 9. cap. Calestis Hierarchiæ, aliqui cum reuelatione de Christo, vt Iob qui cap. 19. dicit: [Scio quod Redemptor meus viuit,] & aliqui absque reuelatione, tamen cum fide implicita mediatoris. Vnde concludit S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. multis gentilibus factam fuisse reuelationem, de Christo, & ita in gentibus fuisse implicitam fidem mediatoris, vt latius habes in tertio fundamento nostro: Ergo gratia promissi Messiæ facta fuit etiam gentibus.

7. Ratio. Septima ratio. Abraham erat Chaldæus, & Gentilis, & Deo charissimus: At non potest credi, quod Abraham nõ reliquerit gentibus memoriam aliquam de Christo venturo, qui deinde seminarium foret quãpluribus Gentilibus, huius pernoscendę veritatis: Ergo gratia promissi Messiæ facta etiam fuit gentibus.

Obiectio. Difficultas de Messia circa gentes. Ex hac ratione suboriri potest magna difficultas: Obijcere enim potest quis sic: Abrahæ facta fuit promissio venturi Messiæ, dictum enim illi fuit Genes. 12. [In semine tuo benedicentur omnes gentes.] Quod Apostolus de Messia exponit, dicens ad Gal. 3. [Abrahæ dictę sunt promissiones, & semini eius, non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus.] Vnde sicuti Christus, est filius Dauid, ita & Abrahæ, & sic dicitur Matth. cap. 1. [Filij Dauid, filii Abraham.] Quia caro Christi sumpta ex materia ab Adam deriuata, deuenit per seminalem rationem vsque ad Abraham. Quamobrem dicit Apostolus ad Heb. 2. [Nusquã Angelos apprehẽdit, sed semẽ K Abrahæ apprehendit.] Hæc omnia negari nequeunt, nam sunt de fide: At Abraham fuit Gentilis, vt fatetur in superiori ratione. Et probatur etiam; Quoniam Abraham, vt legitur Genes. 11. est filius Tharæ, Tharæ autem genuit Abraham in Vr Chaldæorum, & Vr Chaldęorum, vt vertunt septuaginta, est Regio Chaldæorum, vel vt probat quidam Doctor super cap. 11. Genes. est nomen proprium vrbis, quæ erat in Chaldæa, quę Regio, gentium est, & idololatriæ cultrix, & ita

ita Thare, pater Abraham falsos deos coluit, licet Abraham eius filius numquam idola adorauerit. Immo ab initio vsque ad extremum spiritum, veri Dei fidem, & religionem tenuerit; quid, quod, Paulus ad Rom. c. 4. vocat Abraham pater multarum gentium, per praeputium credentium, ergo gentibus etiam quemadmodum, & Hebraeis facta fuit promissio de Messia venturo. Nam sicuti Dauid, cui dictum est, [de fructu ventris tui ponam super sedem tuam,] fuit natione Hebraeus, & ob id Hebraeis facta est promissio de Christo, ita etiam Abraham, cui dictum est, [In semine tuo benedicentur omnes gentes] fuit natione Gentilis, & obid erit etiam facta promissio gentibus de Christo.

Solutio.

Reuera argumentum est firmum (ni fallor) & totum illud cōcederem in fauorem huius nostrae primae conclusionis. Verumtamen consequentia est contra Apostolum ad Rom. 15. quo loco dicit Apostolus Messiam fuisse promissum Hebraeis, & ad gentes venisse, non ex promissione, sed ex misericordia, & obid consequentia est falsa. Quamobrem vt nostra prima conclusio recte intelligatur, animaduertendum plane est, gratiā promissi Messiae duobus modis fieri potuisse alicui, primo quasi ex debito propter aliquam praeuiam promissionem, ad quam confirmandam facta fuerit gratia venturi Messiae. Secundo, non quasi ex debito, sed ex sola misericordia, ita vt facta fuerit gratia venturi Messiae nulla praeuia promissione. Primus modus est Iudaeorum tantum. Secundus vero est gentium, & hoc vtique est, quod indicat Apostolus dum ad Rom. 15. ait: [Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum; gentes autem super misericordiam honorare Deum.] Ex quibus verbis liquet Messiam missum fuisse ad Iudaeos ad confirmandas promissiones patrum, vt legalitatem, fidelitatemque diuinam ostenderet Deus, vt sic ipse iustificaretur in promissionibus suis. Missum etiam porro fuisse Messiam ad gentes ex sola misericordia diuina, nempe, vt gentiles saluarentur. Quamobrem Messias missus fuit Iudaeis ex debito: Gentibus vero ex sola misericordia, quod plane exprimunt etiam verba Christi ad Chananaeam, [Non sum missus nisi ad oues quae perierunt domus Israel.] & iterum, [Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus:] tunc ipsa [etiam Domine, nam & catuli comedunt de micis, quae cadunt de mensa.] Quasi diceret ex debito propter promissiones patrum mensa & totus panis integer gratiarum est Hebraeorum: At vero ex misericordia micę cadentes de mensa sunt gentium. Ex his igitur venio ad propositum argumentum diluendum dicendo, Abrahamo factam fuisse promissionem de Christo, propter fidem, obedientiamque illius, & pręcipue, quia futurus erat pater circumcisionis, vt habetur Gen. 17. quae omnia spectant ad Abraham, non vt erat gentilis, sed vt verum Deum Hebraeorum colebat, qua ratione Abrahā non dicitur gentilis, sed Hebraeorum pater, iuxta, illud [Sicut loquutus est ad patres nostros Abraham,] & iterum, [Abraham pater vester, &c.]

Messias qualiter missus ad Iudaeos, & ad gentes.

Matth. 15.

Abraham Hebraeus & Hebraeorum pater.

Luc. 1.
Ioan. 8.

8. Ratio.
Gentes fidem implicitam Messiae obtinuerunt olim

S. Thom.

Octaua & postrema ratio depromitur ex S. Tho. qui 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. affirmando ex illo Iob 19. [Scio quod redemptor meus viuit,] multis gentium factam fuisse reuelationē de Christo, tenet in gentilibus fuisse fidem mediatoris non tamen explicitam, sed implicitā in diuina prouidentia, credentibus Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi beneplacitos, & obid multos gentiles adeptos fuisse salutem per ministerium Angelorum, vt dicit Dyonisius cap. 9. cęlest. Hierarch. aliqui cum reuelatione de Christo, vt Iob, & aliqui absque reuelatione, tamen cum fide implicita mediatoris. Et praeterea testatur eodem in loco idem Angelicus Doctor se in historijs Romanorum legisse inuentum fuisse hominem temporibus Constantini, & Helenę eius matris, multis antea saeculis vita functum, qui auream laminam habebat in pectore, haec verba continentem: [Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum, ò sol sub Helenae, & Constantini temporibus iterum me videbis.] Accedit quod Gentiles Athenienses aram illam [ignoto Deo] erexerant, quam cum vidisset Paulus, per ignotum Deum, dixit significatum esse Christum sub his verbis Act. 17. [quem ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.] Porro Gentiles illos, nempe Mercurium Trimagistrum, & Platonem, qui sub Prophetarum disciplina in Ægypto erudiri voluerunt, nonne legimus de diuino Verbo tam alte Philosophatos fuisse, vt incunctanter credi possit illos de vero Verbo Dei, quod filium Dei dicimus, licet à longe nonnihil olfecisse? Et denique est testimonium illud notissimum Octauiani Gentilium Romanorum Imperatoris, qui cum puerum illum, in cęlo ex Virgine nasciturum vidisset, aram illā, quę hodierna die Romę dicitur [Ara Cęli,] ędificauit, igitur gratia promissi Messię non tantum Hebręis, verumetiam, & gentilibus facta quidem fuit.

Nota bene gentilis historiam.

Arę cęli Romę origo, & primaeua creatio.

Secunda conclusio. Aliqui gentiles cognouerunt Iesum Nazarenum fuisse Messiam. Probatur his rationibus.

2. conclusio. Gentiles aliqui cognouerunt Iesum Nazarenum esse Messiam.

1. Ratio.

Prima depromitur ex varijs exemplis noui Testamenti. Quoniam cap. 8. Matth. habetur Centurionem illum Gentilem dixisse Iesu; [Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.] & iterū [Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.] Quę plane verba palam indicant Centurionem istum cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Hebraeorum Messiam. Pręterea in cap. 12. Ioan. sic legitur: [Erant autem quidam Gentiles, ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo; Hi ergo accesserunt ad Philippum, & rogabant eum dicētes, Domine volumus Iesum videre.] Quasi dicerent, volumus Messiam Hebręis in lege, & Prophetis promissum videre, & illi credere. Rursus apud cap. 15. Matth. mulier gentilis Cananęa dixit Iesu: [Miserere mei filij Dauid filia mea male à daemonio vexatur. &c.] vbi aperte per illam particulam [filij Dauid.] datur intelligi hanc mulierem gentilem, cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam. Porro in cap. 16. Marci est Centurio ille gentilis in morte Christi exclamans, & dicens: [Vere hic homo filius Dei erat: Item apud Ioan. cap. 4. Mulier Samaritana dixit Christo: [Scio quia Messias veniet.] & Christus ad eam: [Ego sum qui loquor tecum.] & ita credidit ipsa, & multi gentilium Samaritanorum, qui dicebant mulieri: [Iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est vere Saluator mundi.] & in cap. 2. Matth. legimus Christo nato, tres Reges magos ab Oriente exijsse exclamantes, & dicentes; [Vbi est qui natus est Rex Iudaeorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.] Sunt tandem alij per multi gentiles in nouo Testamento, qui in Christo crediderunt, quos nimis longum esset recensere. Ergo aliqui gentiles cognouerunt Iesum Nazarenum fuisse Messiam promissum.

2. Ratio.

Secunda ratio depromitur ex deuotione gentium erga templum Ierosolymitanum. Solebant enim gentiles ascendere in Ierusalem ad adorandum. Tum quia gentes Dei notitiam habuerunt, pietatemque coluerunt, id quod vidimus in Iob, Cornelio, & Eunucho, Candacis reginae Act. 8. & Heliodoro 2. Macha. 3. Cyro etiam, & Dario 1. Esdrae. Tum quia jam olim auditum erat in gentibus Deum esse in Israel, vt plane testatur Achior Princeps Ammonitarum. Tum quod gentibus etiam persuasum esset, Dei virtutem esse in templo, Ierosolymitano, vt Heliodorus expertus fuit. Ibidem cap. 5. Atqui in praefato templo, semper erat sermo de Messia venturo, & propter hoc Iudaei admittebant gentiles in sua sacrificia, vt impetrarent gratiam coram Domino, quam quidem minime impetrare poterant gentiles nisi in fide mediatoris, nempe Messiae, & obid concedit S. Thom. in gentilibus fidem impliciplici-

plicitam mediatoris Christi, vt videre est, 2.2. q.2.art. 7. in solut. ad 3. Ergo negandum non est, gentiles aliquos cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam.

3. Ratio. Tertia ratio dessumitur ex comminationibus Christi ad Iudæos in fauorem Gentilium. Etenim dixit Xps ad Iudæos. [Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus.] nempe gentilibus, & paulo supra habetur [Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis (nempe gentilibus) qui reddent fructum temporibus suis.] Sunt etiam aliæ auctoritates in sacra Scriptura huius tenoris: Ergo signum est aliquos gentiles cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam, & illi credidisse. Nam credere, est facere fructum. Et Christus non dixit dabitur genti facturæ fructum, sed genti facienti (in tempore præsenti) fructum.

Matt. 21.

3. Conclus. Turba gentilium non cognouit Iesum Nazarenum fuisse Messiā.

Tertia conclusio. Turba siue totus populus gentilium non cognouit Iesum Nazarenum fuisse Messiam. Hæc assertio est manifesta, & probatur hac vnica ratione.

Topicorum probabilis regula.

Iuxta principium topicum, quando id quod magis videtur inesse non inest, tunc quod minus videtur inesse non inerit: Atqui Messias primo fuit promissus Hebræis, & deinde gentilibus, & tamen vt ex superioribus liquet, & etiam vt inquit S. Thom. 3. p. q. 47. art. 5. & D. Augustinus in lib. quæst. noui, & veteris Testamenti q. 66. tom. 4. & Caietanus 3. p. q. 47. art. 5. & vt etiam communiter tenent Theologi, nemine discrepante, turba, siue totus populus Hebræorum non cognouit Iesum Nazarenum fuisse Messiam, ergo nec minus turba, siue populus gentilium istud cognouit.

4. conclus. Pilatus cum alijs plerisq. tam maioribus quam minoribus de populo gentiliū cognouit Iesum Nazarenum Messiam fuisse.

Quarta conclusio, Pilatus & alij maiores, & etiam minores de populo gentilium, qui pupugerunt Iesum, & crucifixerunt, vere cognouerunt, illum fuisse Messiā promissum. Probatur primo de Pilato, qui dixit: [Innocens ego sum à sanguine iusti huius.] & deinde: [Regem vestrum crucifigam?] Præterea patet de maioribus, & minoribus gentilium: nam videbant infinita miracula in passione illius, & in morte, & ita vnus illorum dixit: [vere filius Dei erat iste.] & alter: [Vere hic homo filius Dei erat.] & de militibus custodientibus sepulchrum, quid dicam? Et tandem cum voce magna dixit Christus in cruce: [In manus tuas, &c.] quis gentium, & Hebræorum illic astantium non cognouit Iesum Nazarenum fuisse Messiam?

Corollarium.

Et nota bene quod quemadmodum iuxta S. Thom. 3. p. quæst. 47. art. 4. super illa verba Matth. cap. 20. [Tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum.] passio Christi primo habuit effectum in Iudæis, quorum plurimi in morte Christi sunt baptizati, vt patet Act. 2. & 3. Secundo vero, Iudæis prædicantibus, effectus passionis Christi transiuit ad Gentes, & ideo inquit S. Thomas conueniens fuit vt Christus à Iudæis pati inciperet, & postea, Iudæis tradentibus, per manus gentilium eius passio finiretur. Pari etiam ratione, Iudæi primo cognouerunt Iesum Nazarenum fuisse Messiam, quia salus est ex Iudæis, & deinde, Iudæis cognoscentibus illum, cognouerunt etiam maiores, & minores Gentilium Iesum Nazarenum quem pungebant, & crucifigebant esse verum Messiam promissum in lege Iudæorum.

5. conclus. Gentes non cognouerunt Messiam fore Deum.

Quinta conclusio. Gentiles Christo prædicante, minime cognouerunt Messiam, & Christum Hebræis promissum esse verum Deum. Probatur ex eo dumtaxat, quod licet Gentiles cognouerint Messiam esse futurum, & in sacra Scriptura contineatur Messiam fore Deum, verumtamen, quia Gentiles non interpretabantur prophetias, nec minus illas admittebant, nullatenus cognouerunt mysterium istud, bene tamen sciebant Messiam Hebræorum, futurum magnum Prophetam, sed non hominem, & Deum simul. Fortasse tamen tempore prædicationis illius aliqui gentiles, vel ex auditu ab Apostolis, vel particulari reuelatione, potuerunt istud cognoscere, videndo euidentia signa diuinitatis; nam inter gentiles, multa fuit Christus miracula operatus.

6. conclus. Gentiles venientes ad sā dum baptismum cognoscunt Messiā fuisse Deum verum.

Sexta, & postrema conclusio. Gentiles dum veniunt modo ad Christianismum post passionem, & resurrectionem Christi aperte cognoscunt, Christum esse verum Deum. Probatur ex euidentia quam tunc obtinent testimoniorum, tam Resurrectionis, & Ascensionis, quam miraculorum, quæ Apostoli sancti ediderunt coram gentilibus, & præcipue Romanis, in confirmationem huius veritatis, nempe, quod Christus est verus Deus. Patet etiam ex martyrio martyrum coram Gentilibus, & tyrannis Imperatoribus, in quorum multis, plurimi gentiles ad Christi fidem conuersi fuerunt, & salutem impetrarunt, quam non poterant adipisci, nisi prius crederent Christum esse verum Deum.

Sol. ad 1.

Ad primum tamen dicitur, verba Christi haberi Matth. cap. 10. in hunc modum: [In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Sammaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.] quibus verbis non absolute prohibuit Christus, suos discipulos abire in viam Gentiū, immò potius ad vtrosque nempe, ad gentes, & ad Hebræos significat eumdum esse, ita vt prius, & potius ad oues Israel, & deinde, & posterius ad gentes irent. Nam populum Israel in peculiarem sibi elegerat. Et hoc non obstat, Gentiles cognouisse Iesum Nazarenum fuisse Messiam. Ad illud vero quod dicitur, videlicet Christum parum fuisse commoratum cum gentilibus. Respondetur esse falsum. Nam per multum tempus fuit in Ægypto, vt habetur Matth. cap. 3. [Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.] & vt probat Caietanus in Matth. quarto ætatis suæ anno reuersus est Iesus ex Ægypto in terram Israel. Insuper Christus, vt habetur Ioan. 4. in Samaria ciuitate Gentium mansit duos dies, & plures crediderunt in eum cum Samaritana: & tandem Matth. 15. dicitur: [Exijt Iesus de finibus Tiri (quando ei occurrit mulier illa Chananæa) venit per Sidonem.] Tiro autem, & Sidon ciuitates gentilium vtrque sunt.

Sol. ad 2.

Ad secundum respondetur, verba illa Christi Matth. 15. [Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.] Ab Apostolo ad Rom. 15. Egregie interpretari in hunc modum. [Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordiam honorare Deum.] D. autem Hieronymus hæc eadem verba Matth. cap. 15. [Non sum missus.] sic interpretatur: [Non hoc dicit quin & ad gentes missus sit: sed quod primum ad Israel missus est.

Obiectio.

Sed dices Christus missus fuit ad Gentes, ergo debuit prædicare gentibus, quod est contra S. Thom. 3. p. q. 42. art. 1.

Solutio.

Respondetur, S. Thomam loco citato, absolute non negare Iesum Christum debere prædicare gentilibus, sed facit distinctionem à principio suæ prædicationis, & post mortem; & ita affirmat Christum per se, vel per suos Apostolos à principio suæ prædicationis, id est, ante passionem suam tantum debere prædicare Iudæis, & non gentibus, vt ostenderet per suum aduentum adimpleri promissiones antiquitus factas Iudæis, non autem gentilibus; vnde dicit Apostolus ad Rom. cap. 15. [Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum.] Et ita publice tantum prædicauit Hebræis, quasi primogenito populo. Nec per

per hoc debuit omnino repellere gentes: Immo aliqui Gentilium, vt Chananeæ, & Samaritanæ particulariter prædicauit propter excellentiam fidei, & deuotionis eorum. Et vt etiam intelligerent gentiles, spem salutis eis non omnino præcludi. Ita S. Tho. 3. p. q. 42. art. 1. in sol. ad 3. At vero post passionem suam debuit suam doctrinam publice, & indifferenter gentilibus prædicare, & ita dixit discipulis suis. Matth. cap. vlt. [Euntes docete omnes gentes.] Et ita non negat S. Thom. absolute, sed distinguit ante passionem, & post passionem. Quamobrem missus etiam fuit Christus ad Gentes. Et sic ante passionem, priuatim prædicauit gentilibus, & post passioné publice, & indifferenter. Vnde dicitur Apocalyp. cap. 2. [Qui vicerit dabo illi potestatem super gentes, sicut & ego accepi à patre meo.]

Sol. ad 3. Ad tertium tandem dicitur, intra latitudinem gentium fuisse bonos, & malos, qui simulachra adorarent, & qui non, quemadmodum inter Hebræos extiterunt iusti, & peccatores. Vnde quemadmodum inter Hebræos non obstat quin iusti cognoscerent Messiam venturum: sic inter gentiles, boni potuerunt cognoscere Messiam esse venturum, & hunc esse Iesum Nazarenum, licet maior pars gentilium simulachra deorum adoraret. Gentilis autem dicitur adorare simulachra, quia maior pars illorum simulachra colit, & omnis denominatio, vt inquit Philosophus, fit à forma nobiliori, & in hoc sensu loquutus est Psalmographus cum dicit: [Simulachra gentium argentum, &c.] Et in hoc sensu venit intelligenda Propositio. Nam Abraham Gentilis fuit, & numquam idola coluit, Iob etiam & alij quamplurimi gentiles idola odio omnino sunt prosequuti. Quamobrem non tenet consequentia loquendo de gentilibus in particulari, vt ex superioribus assertionibus colligitur.

Quæstio XII. & postrema.

Vtrum peccatum Iudæorum, & Gentilium pungentium, & crucifigentium Christũ fuerit omnium peccatorum grauissimum?

1. argum. RO parte negatiua arguitur primo. Illud est peccatum grauissimum omnium peccatorum, quod plures inficit, & corrumpit: At peccatum Adæ maculauit omnes homines, & corrupit totam humanam naturam, nam omnes in Adam peccauerunt: Peccatum autem punctionis; & crucifixionis Christi tantum vitiauit Iudæos, qui interfuerunt, & Gentiles, qui eum cruci affixerunt: Ergo peccatum parentis protoplasti Adę fuit omnium peccatorum grauissimum, & non peccatum Iudæorum, & Gentilium Christum crucifigentiũ ac pungentium.

2. argum. Arguitur secundo. Blasphemia iuxta S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 3. est maximum peccatum, & ita maximum, vt exuperet homicidium, vt videre est in corpore dicti articuli: Atqui peccatum Iudæorum, & Gentiliũ pungentium, & crucifigentium Christum, est homicidium, vt patet: Ergo non est omnium peccatorum grauissimum.

3. argum. Arguitur tertio. Illud est omnium peccatorum grauissimum peccatũ, de quo Deus maiorem indignatioñe accipit: Atqui de peccato diluuij maioré indignatioñe accepit Deus, quam de peccato punctionis, & crucifixionis Christi. Nã de peccato diluuij Deus tactus dolore cordis, vt dicitur Gen. 6. dixit: [Pœnitet me fecisse hominem, &c.] quod non dixit Deus in punctione, & crucifixione filij sui Iesu Christi: Ergo peccatũ carnis quando omni carne corrupta, Deus immisit diluuium super omnem terram, est omnium peccatorum grauissimum, & non peccatum Iudæorum, & gentium pungẽtium, & crucifigentium Christum Dominum.

Arguitur quarto. Illud peccatum est grauius quod clamat ad Dominũ: At peccatum contra naturã, clamat ad Dominũ, & non peccatum punctionis, & crucifixionis Christi. Etenim de peccato contra naturã Sodomorum, & Gomorreorum dicitur Gen. 18. Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Quod numquam dictum fuit de peccato Iudæorum, & gentilium pungentium, & crucifigentium Christum: Ergo peccatum contra naturam est grauius, peccato Iudæorum, & gẽtium pungentium, & crucifigentium Christi. 4. argum.

Arguitur quinto. Peccatum illud quod nullo modo sperat à Deo veniam nec minus remittitur in hoc sæculo, neque in futuro, grauius est, peccato illo quod statim remittitur: Atqui peccatum in Spiritum sanctũ non remittitur in hoc sæculo, neq. in futuro: nã Matth. 12. dicitur: [Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.] Peccatum autem Gentilium, & Iudæorum pungentium, & crucifigentium Christum est remissibile, immo statim fuit remissum à Christo in cruce, dicẽte Patri æterno: [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] Ergo datur aliquod peccatum grauius peccato pungentium, & crucifigentium Christum. Et ex consequenti pungentes, & crucifigentes Christum, nõ peccarunt grauissime: etenim grauissime dicit gradum superlatiuum in genere peccatorum. 5. argum.

Arguitur sexto. Dominus dixit Pilato Ioan. 19. [Qui me tradidit tibi maius peccatum habet:] At Iudas tradidit Christum (nam ipse fuit proditor) & Pilatus fecit Christum crucifigi per suos ministros: Ergo peccatum Iudæ proditoris maius fuit peccato puagentium, & crucifigentium Christum. 6. argum.

Arguitur septimo. Illud non est grauissimum peccatum quod habet excusationem: Sed peccatum pungentium, & crucifigentium Christum, excusauit ipsemet Christus dicẽs, [Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt,] Ergo, &c. 7. argum.

Arguitur octauo, iuxta Philosophum in 5. lib. Eth. nullus patitur iniustũ volens. Sic enim habet ille. [Nullo patiente iniustum, nullus facit iniustum:] At Christus voluntarie est passus, nam oblatus est, quia ipse voluit: Ergo punctores, & crucifixores Christi non fecerunt iniustum, & ita eorum peccatum, non fuit omnium peccatorum grauissimum. 8. argum.

Pro decisione præmitto primo, omnia peccata non esse paria (vt tenuit olim Stoicorum opinio, quam M. T. Cicero prosequutus fuit in paradoxis, illamque recitat, & simul refutat. S. Tho. p. 2. q. 73. art. 2.) non enim sunt peccata simplices priuationes, quæ non recipiunt magis nec minus. Recipiunt autem peccata magis, & minus quia sunt priuationes non simplices obtinentes aliquid de habitu opposito, nempe, maiorem vel minorem deuiationẽ à rectitudine rationis, nam in peccatoribus non est omnino extinctus ordo rationis, alioquin actio, vel substantia actus agẽtis, non remaneret. Et ita peccata non æqualia, neque paria omnia, immo alia alijs grauiora semper sunt. 1. fundam. Peccat. est disparitas. S. Tom.

Præmitto secundo. Peccata accipere suam grauitatem ab 2. fundam. Grauitas peccatorũ à quo petatur. Comparatio.

tem ab obiectis, vt recte etiam probat S.Thom.p.2.q.73.art.3. Peccata enim assimilantur morbis, & sicut bonum sanitatis consistit in quadam commensuratione humorum per conuenientiam ad naturam animalis, ita bonum virtutis consistit in quadam commensuratione humani actus secundum conuenientiam ad regulam rationis. Constat autem quod tanto est grauior ægritudo, quanto tollitur debita humorum commensuratio per comparationem prioris principij, sicut ægritudo, quæ prouenit in corpore humano ex corde, quod est principium vitæ, vel ex aliquo quod appropinquat cordi, periculosior est. Erit igitur pari modo grauius peccatum, quanto deordinatio contingit circa aliquod principium, quod est prius in ordine rationis. Ratio autem ordinat omnia in agibilibus ex fine, & ideo quanto peccatum contingit in actibus humanis ex altiori fine, tanto peccatum est grauius. Obiecta autem actuum sunt fines eorum, igitur secundum diuersitatem obiectorum attenditur diuersitas grauitatis in peccatis. Sicut patet, quod res exteriores ordinantur ad hominem, sicut ad finem, homo autem ordinatur vlterius in Deum sicut in finem; vnde peccatum quod est circa ipsam substantiam hominis, sicut homicidium, est grauius peccato, quod est circa res exteriores, sicut furtum: Et adhuc est grauius peccatum quod est immediate contra Deum, sicuti infidelitas, blasphemia, & alia huiusmodi.

3. fundam. Peccati grauitas attenditur etiam ratione personæ.

Præmitto tertio. Peccata aggrauari itidem ratione personæ in quam peccatur. Nam persona in quam peccatur est quodammodo obiectum peccati, & cum prima grauitas in peccatis attendatur ex parte obiecti; hinc fit vt tanto attendatur grauitas in peccato, quanto obiectū eius est principalior finis: fines autem principales humanorum actuum, sunt Deus ipse, homo, & proximus; quicquid enim facimus propter aliquid horum facimus. Potest igitur ex parte horum trium considerari maior vel minor grauitas in peccato, secundum conditionem personæ in quam peccatur. Primo quidem ex parte Dei, cui tanto magis homo coniungitur, quanto est virtuosior, vel Deo sacratior; & ideo iniuria tali personæ allata, magis redundat in Deum, secundum illud Zach.2. [Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.] Vnde peccatum fit grauius, ex hoc quod peccatur in personam magis Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officij: Ex parte enim suiipsius manifestum est, quod tanto aliquis grauius peccat, quanto aliquis magis in coniunctam personā, seu naturali necessitudine, seu quacumque coniunctione peccauerit; quia videtur in seipsum magis peccare, & pro tanto grauius peccat, secundum illud Eccl. 14. [Qui sibi nequam est, cuiquam bonus erit?] Ex parte vero proximi tanto grauius peccat, quanto peccatum plures tangit: Et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta regem vel principem, qui gerit personam totius multitudinis, est grauius quam peccatum quod committitur contra vnam personam priuatam. Vnde specialiter dicitur Exod. cap. 22. [Principi populi tui non maledices.] Et similiter iniuria, quæ fit alicui famosæ personæ, videtur esse grauior, ex hoc quod in scandalum, & in turbationem plurimorum redundat.

4. fundam. Peccatum in Spiritum sanctum tribus modis accipi potest.
Mag.
Durand.
D. Bonauen.
Scot.
Brulifer.
Richard.
Aegid.
Alb. Mag.
S. Thom.

Præmitto quarto. Peccatum in Spiritum sanctum iuxta Magistrum in 2.lib. sent. dist. 43. Durandum, D. Bonauenturam, Scotum, Brulliferum, Richardum, Ægidium, Albertum Magnum in eodem. 2. lib. sent. dist. 43. cum Magistro, & iuxta etiam S. Thom. 2. lib. sent. dist. 43. & 2.2.q.14.art.1. 2. & 3. quem sequuntur omnes Thomistæ, tribus modis accipitur. Primo enim accipitur secundum intentionem scripturæ pro blasphemia prolata contra Spiritum sanctum, siue Spiritus sanctus accipiatur secundum quod est nomen essentiale conueniens toti Trinitati; (Nam quælibet persona diuina, & Spiritus est, & sancta, & ideo hoc nomen Spiritus sanctus commune est toti Trinitati) siue

F Spiritus sanctus accipiatur prout est nomen personale vnius in Trinitate personæ; vnde adest illud: [Dominus Deus tuus Spiritus, & sanctus est.] & Ioan. 4. [Deus spiritus est,] & ita distinguitur blasphemia in Spiritum sanctum contra blasphemiam in filium hominis. Christus enim operabatur quædam humanitus comedendo & bibendo, & alia huiusmodi faciendo, & quædam diuinitus, scilicet dæmones eijciendo, & alia miracula operando per virtute m propriæ diuinitatis. Iudæi ergo dixerunt primo blasphemiam contra filium hominis, dicentes vt habetur Matth. 11. [Vorax est, potator vini, amicus publicanorum, & peccatorum.] Postea vero peccarunt, & blasphemarunt in Spiritum sanctum, dum opera quæ faciebat Christus virtute propriæ diuinitatis, & operatione Spiritus sancti attribuebant principi dæmoniorum dicentes: [In virtute Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.]

Exod. 13.
Duplex genus operationū in Christo.
Iudæorū duplex blasphemandi modus in Christum.
Luc. 11.

G Et hæc blasphemia vocatur ibi peccatum in Spiritum sanctum secundum intentionem scripturæ, cum dicit Matth. 12. [Qui blasphemauerit in filium hominis remittetur ei, qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, neque hic, neque in futuro remittetur ei.] Hanc expositionem admittunt Magister in 2. sent. dist. 43. cum Athanas. Hilar. Ambros. Hieronym. Chrysost. & S. Tho. 2.2.q.14.art.1. ac etiam Duran. 2. lib. sent. d. 43.q.1. Secundo accipitur peccatum in Spiritum sanctum iuxta Augustinum in lib. de verbis Domini pro finali impœnitentia, quando scilicet aliquis perseuerat in peccato mortali vsque ad finem, nempe, vsque ad mortem, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum quia est contra remissionem peccatorum, quæ attribuitur Spiritui sancto, qui est charitas, & Patris, & filij. Tertio tandem accipitur peccatum in Spiritum sanctum, iuxta alios recentiores doctores, pro quando quis peccat contra appropriatum Spiritui sancto,

Mag.
D. Atha.
D. Hilar.
D. Ambr.
D. Hier.
D. Chrys.
D. Thom.
Durand.

H quod est bonitas. Sicut enim Patri appropriatur potentia, & Filio sapientia, sic Spiritui sancto bonitas. Cum igitur quis peccat ex infirmitate, dicitur peccare in Patrem, cum autem aliquis peccat ex ignorantia, dicitur peccare in Filium, cum tandem quis peccat ex malitia, dicitur peccare in Spiritum sanctum. Peccare autem ex malitia, vel ex electione mali quod idem est, contingit dupliciter, vno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur & sic peccare ex malitia non est peccare in Spiritum sanctum. Alio modo contingit, ex hoc quod per contemptum abijcitur illud, quod poterat peccatum impedire; sicuti spes præmiorum, & timor suppliciorum retrahunt à perpetratione peccati; hæc autem abijciuntur per præsumptionem, & desperationem, & quia spes, & timor huiusmodi, quæ

Peccandi ex malitia duplex modus.

I nata sunt, hoc est, possunt nos retrahere à peccato, sunt quædam dona Spiritus sancti in nobis; ideo scienter ea abijcere, est peccare in Spiritum sanctum. Et ad hoc vt intelligas species huius peccati in Spiritum sanctum, aduerte quod peccatum in Spiritum sanctum primo modo acceptum, nimirum, pro blasphemia dicta contra Spiritum sanctum, vnum peccatum tantum est, nec diuiditur in illas species, quas doctores assignant. Præterea ipsummet peccatum in Spiritum sanctum secundo modo acceptum pro finali impœnitentia sicuti Augustinus illud accepit lib. de verbis Domini, non est peccatum secundum se, sed circumstantia peccati, quæ potest in quolibet peccato reperiri, dum homo in quolibet peccato potest perseuerare vsque ad mortem; & ideo nec sic habet species, sed est circumstantia in qualibet specie peccati reperta, vel

Peccati in Spiritum sanctū species.

K reperibilis, vt recte annotat Durandus 2. lib. sent. distinct. 43. quæst. 1. Et istud etiam innuit S. Thomas 2. 2. quæst. 14. artic. 2. Et ita peccatum in Spiritum sanctum tantum tertio modo acceptum, diuiditur in sex species tanquam genus, quæ sunt, præsumptio, desperatio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidia fraternæ gratiæ. Quæ autem sit vnaquæq; istarum, ipsemet Durandus ibidem exprimit.

Durand.
S. Thom.
Species peccati in Spiritum sanctū.

Præmit-

5.fundam. Peccatum in Spiritum sanctum quomodo irremissibile.

Præmitto quinto. Peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile, si accipiatur pro finali impœnitentia, vt voluit Augustinus. Peccatum enim mortale in quo homo perseuerat vsque ad mortem, quia in hac vita non remittitur per pœnitentiam, nec etiam in futuro remittetur. Si autem accipiatur secundum alias duas acceptiones dicitur etiã irremissibile, non quod Deus illud remittere nequeat, aut quia homo non sit susceptibilis talis remissionis, si Deus eam facere vellet, vt recte Durandus 2.lib.sent.dist. 41. q. 2. sed quia vt inquit S.Thom.2.2.q.14. art.2. habet meritum quantum est de se, vt non remittatur; quia procedit ex certa malitia. Qui autem ex ignorantia, vel ex infirmitate peccat, minorem pœnam meretur; qui vero ex certa malitia peccat, non habet aliquam excusationem vnde pœna minuatur, & ita quantum ex se excludit aptitudinem ad remissionem ex parte causæ peccati, & ex parte modi, & etiam ex parte obiecti. Vnde si aliquis peccauerit contra Spiritum sanctum ex certa malitia, & postea pœnitentiam agendo de tali peccato, & de tali malitia per suum liberum arbitrium, se ad remissionem præparauerit, Deus potest tale peccatum remittere. Deus enim cuicumque impœnitenti potest dare quod pœniteat, & cuicumque vere pœnitenti potest suam sanctam gratiam conferre. Vnde licet iuxta Paulum ad Ephes. 2. aliqui dicantur filij diffidentiæ, tamen hoc intelligendũ est secundũ conditionem peccati, non autem secundum misericordiam, & omnipotentiam Dei. Quamobrem peccatum in Spiritum sanctum, ex certa malitia commissum, ex parte peccati est irremissibile, ex parte autem Dei remissibile. Et ita S. Thom.2.2.q.14.art.3.in sol.ad 3.sic ait: [Liberum arbitrium remanet semper in hac vita vertibile, tamen quandoque abijcit à se id per quod verti potest ad bonum, quantum in ipso est, vnde ex parte sua, peccatum est irremissibile, licet Deus illud remittere possit.

Durand.

S. Thom.

6.fundam. Crucifixio Christi obtinuit circumstantias cæterorum peccatorum.

Præmoneo sexto, & postremo, punctionem & crucifixionem Christi Redemptoris nostri ex parte persequentium, non fuisse tantum simplex peccatum homicidij: habuit enim annexas omnes circumstantias reliquorum peccatorum. Quoniam in primis fuit homicidium, quia punctus, & occisus fuit homo: deinde fuit peccatum in Spiritum sanctum, quia ex certa malitia Iudæorum punctus, & occisus fuit Deus ipse, Verbum enim caro factum fuit: fuit etiam blasphemia, nam fuit actus oppositus confessioni fidei, cui ex diametro opponitur blasphemia: fuit præterea infidelitas, quia punctores, & crucifixores non confitebantur Christum, & mysteria nostræ fidei, nec minus illis credebant. In actu præterea isto fuerunt periura, testes falsi, abominationes, opprobria, & irrisiones in filium hominis, & in totam Trinitatem. Etenim Iudæi primo illum appellarunt voracem, publicanorum amicum, quę sunt contra filium hominis; & deinde eius opera virtute Beelzebub fieri dixerunt, & tandem hæc & alia infinita opprobria referentes, illum crucifixerunt, quæ omnia contra Deum ipsum facta extitere. Et ita punctio, & crucifixio Christi non est simplex homicidium, sed homicidium compositum ex peccato in Spiritum sanctum, & blasphemia, ex infidelitate, ex periurijs, ex testibus falsis, ex abominationibus, opprobrijs, & irrisionibus infinitis, & tandem fuit peccatum compositũ ex omnibus alijs peccatis. Non enim reperitur aliquod turpe, vel dictum, vel factum, vel concupitum, quod in punctione, & crucifixione Christi non reperiretur in punctoribus, & crucifixoribus. Quibus omnibus obseruatis, venio iã ad propositam quæstionem.

Ioan.1.

1. assertio. Punctores, & crucifixores Christi grauissime peccarunt. D.Thom. Caiet. Suarez.

Sit igitur prima assertio. Peccatum Iudęorum, & Gentilium pungentium occidentium, & crucifigentiũ Christum redemptorem nostrum in genere peccati, & quantũ ex se, est omniũ peccatorum grauissimum, ita vt in terris non inueniatur aliud aliquod peccatum huic simile, aut grauius. Hæc est D. Thom. 3. p. q. 47. art. 6. Caietani, & Francisci Suarez in suis comment. in 3.p. Et probatur his rationibus.

A

1.Ratio.

Prima ratio. Peccata accipiunt grauitatem ab obiecto, vt tenet nostrum secundum fundamentum, cum S.Thom. At Christi punctio, & occisio fuit, non solum hominis tam excellentis innocentiæ, verum etiam Dei; nam ista punctio, & occisio, secundum rem ad Verbum incarnatum terminata est, etenim persona diuina puncta crucifixa, & mortua est, quod non legitur in peccato Adæ, neque in aliquo alio peccato, (licet sit Angelorum scelus:) Ergo peccatum Iudæorum, & gentilium pungentium, & crucifigentium Xpm, est omniũ peccatorum grauissimum, in genere peccati.

2.Ratio.

Secunda ratio. Peccatum aggrauatur ratione personæ, vt tenet tertium fundamentum nostrum, & ita magis peccat qui in personam magis Deo coniunctam vel ratione virtutis, vel ratione officij deliquit, quam qui in aliquam aliam personam peccat: At Christus

B

Dominus est fons totius virtutis, & origo totius bonitatis, erat etiam summus Sacerdos, & Pontifex, Rex itidem regum, & Dominus dominantium, mediator Dei, & hominum, & denique Deus, & homo; ita vt non detur alia persona grauior, sanctior, perfectior, & nobilior in cælo, aut in terra: quæ omnia sunt manifesta, & facilis probationis: ergo Iudæi, & Gentiles qui illum pupugerunt, & occiderunt, & crucifixerunt, commiserunt peccatum, omnium peccatorum grauissimũ.

3.Ratio.

Tertia ratio. Blasphemia ideo iuxta S. Thom.2.2. q. 14.art.3.superat homicidium, quia homicidium est peccatum in proximum, & blasphemia est directe peccatum in Deum: ergo si aliquod homicidium fuerit directe in Deum erit grauius, peccato blasphemiæ. Ratio valet, quia in grauitate culpæ, magis attenditur intentio voluntatis peruersæ, quam effectus operis, vt ait S.

C

Tho. loco citato in solutione ad primum, & hic est effectus operis, & intẽtio voluntatis peruersæ: Sed sic est, q Gentiles, & Iudæi pungentes & crucifigentes Xpm cõmiserunt homicidium diuinę personæ. Quoniam hæc sunt vera, Deus est mortuus, Deus est occisus, Deus est crucifixus, & contrarium dicere, est error in fide Catholica, vt tenent Doctores cum Magistro in 3. sent. dist.6.& 7. disputantes, an hæc sint vera, Deus est homo, Christus est homo, Christus est Deus: Ergo Iudæi & Gentiles, qui tale homicidium in diuinam personam commiserunt operati sunt peccatum, omnium peccatorum grauissimum in genere peccati.

4.Ratio.

Quarta ratio. Peccatum in Spiritum sanctum est omnium peccatorum grauissimum: At Iudæi, & Gentiles pungentes, occidentes, & crucifigentes Christum peccarunt in Spiritum sanctum: Ergo commiserunt

D

peccatum omnium peccatorum grauissimum. Minor probatur. Cum quis peccat ex certa malitia, peccat in Spiritum sanctum, vt latius explicatur in quarto fundamento nostro: At Iudæi, & Gentiles pungentes occidentes, & crucifigentes Christum non peccarunt ex ignorantia, neque ex infirmitate, sed ex certa malitia, & præcipue patet de maioribus Iudæorum dicentibus de Christo Matth. 21. [Hic est heres venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius.] & ita illum pupugerunt, & occiderunt desperatè, præsumptuose, impœnitenter, obstinatè, impugnantes etiam agnitam veritatem, & inuidentes fraternam gratiam. Ergo Iudęi, & Gentiles pungentes occidẽtes Christũ, peccarunt in Spiritum sanctum, & ex consequenti habetur aperte intentum.

E

5.Ratio.

Quinta ratio. Illud peccatum videtur omnium peccatorum grauissimum, quod habet cætera peccata annexa, & coniuncta: Atqui peccatum quod commiserunt Gentiles, & Iudęi pũctores, & crucifixores Xpi habet aliquid admixtum ex omni peccato: Quoniam est homicidium, quia est occisio: est blasphemia, quia opprobrijs fere infinitis derogare contendebant bonitatem diuinam corde, & opere: Est infidelitas, quia ore blasphemantes negabant Christum esse Deum, quod directe opponitur confessioni fidei, & hoc factum fuit cum dixerunt Christo: [Adiuro te per Deum viuum, vt

dicas nobis, si tu es Christus filius Dei benedicti,] & Christus respondit: [Ego sum, & videbitis,&c.] At illi: [Blasphemauit, (inquiunt) quid adhuc desideramus testimonium? Ecce nunc audistis blasphemiam, crucifigatur.] Præterea habuit annexa periuria, & falsos testes, abominationes, opprobria, irrisiones: Furta etiam, nam super vestes illius miserunt sortem. Et tandem, vt vno verbo multa concludam, habuit aliquid omnium peccatorum, vt patet in texto fundamento nostro: ergo peccatum Iudæorum & Gentiliũ pungentium & crucifigentium Christum est omnium peccatorum grauissimum.

Appendix. Nota bene.

In calce tamen huius quæstionis, scias oportet, loquendo semper in genere peccati, peccatum Iudæorũ & Gentilium, pungentium & crucifigentium Christũ, esse mensuram omnium peccatorum. Nam iuxta Philosophum in vtroque genere datur id quod est mensura cæterorum,& cum iuxta Theologos, peccatum cõsistat in voluntario, sequitur (cum punctio & occisio Christi ex parte pungentium & occidentium, & persequentium obtineat vltimum gradum malitiæ, & voluntatis peruersæ, ita vt nunquã detur, nec dari queat in toto mundo maior malitia, aut iniquitas, & voluntas peruersa; personam enim diuinam pupugerunt & crucifixerunt) peccatum illud obtinere principem locum in genere peccatorum, & esse mensuram cæterorum scelerum læthalium.

2. Assertio. Iudæorum peccatũ grauius peccato gentilium in punctione & morte Christi.

Secunda assertio. Peccatum Gentilium, peccato Iudæorum, tam maiorum quam minorum, comparatum, minus graue fuit. Hæc est etiam D. Thom. loco citato, & probatur, quia Gentiles, legis scientiam nullatenus obtinebant. Hinc Pilatus, qui erat ex gentilitate dixit Hebræis. [Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum.] Quasi subiungeret: Quia nos gentiles talem legem omnino ignoramus. Et sic ex legis & scripturarum ignorantia peccatum gentilium peccato Iudæorum est excusabilius.

3. Assertio. Pilatus magis peccauit quam reliqui gentiles.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Tertia assertio. Inter Gentiles Pilatus magis quam cæteri peccauit. Hæc est manifesta. Tum quia de nullo gẽtilium, nisi de solo Pilato Christus patefecit, ac clarè protulit, tempore passionis suæ, peccatum, sub illis verbis: [Qui me tradidit tibi maius peccatum habet.] Vbi ly [maius] peccatum Pilati supponit. Tum quia dignitas quæ erat in Pilato, magis aggrauabat peccatum, ratione personæ peccantis: Tum quia inter Gentiles ipse solus Pilatus sententiam punctionis & mortis, in Iesum Nazarenum Regem Iudæorum, quem innocentem inuenit, dum dixit: [Innocens ego sum a sanguine iusti huius,] fulminauit. Et si milites qui erant ex populo gentili, Christum pupugerunt, crucifixerunt, & occiderunt, non fuit ex odio, neque ex inuidia vt Iudæi, neque ex cupiditate vt Iudas, sed duntaxat iudicis Pilati mandato, id fecerunt.

Corollariũ. Peccatũ punctionis & necis Christi cur grauissimum.

Obiter hic tamen animaduertas oportet, peccatum punctionis, & crucifixionis Christi esse grauissimum in suo genere (quia vt satis argutum est) ex suo genere fuit punctio & occisio non solum hominis tam excellentis innocentiæ, &c. verumenimuero, Dei: & genus peccati ex obiecto siue ex materia circa quam, sumitur: & illa punctio ac occisio constat, quòd secundum rem ad verbum incarnatum terminata fuit, cum persona illa puncta, crucifixa, & mortua proculdubio sit Deus, quo nihil maius excogitari potest. Quare peccatum grauissimum ex suo genere oportet sit.] Attamen maiorem, aut minorem huius grauissimi peccati grauitatem, secundum se attendi, ex parte ipsorum peccantium, nimirum quia ignoranter, vel scienter, vel maiori, vel minori malitia peccarunt.

Solutiones ad Argumẽta in principio posita. Solut. ad 1.

Primum contrariorum nullatenus tenet, quoniam maiorites, & grafitas in peccatis præcipuè sumitur ab obiectis, & à persona in quã peccatur, & si aliquando persona peccãtis aggrauat peccatum, vt infra dicetur cum S Tho. tamen maior grauitas est illa, quæ se tenet ex parte obiecti, finis, & personæ in quam peccatur, atq. ita si consideremus in peccatis grauitatem ex parte peccantis maius est Adæ peccatũ, peccato punctionis, & crucifixionis Christi, nam in Adæ peccato omnes nos peccauimus, vt probat Argumentum, & in punctione, & crucifixione Christi, soli Iudæi & Gentiles illius temporis; at vero si consideremus in peccatis grauitatem ex parte obiecti, & personæ, in quam peccatur, cum persona diuina fuerit offensa, puncta, & crucifixa in punctione, & crucifixione Christi, quod nunquã fuit in peccato Adæ, maius & grauius est peccatum pungentium, & crucifigentium Christum, quam fuerit Adæ peccatum. Et in genere grauitatum, in peccatis maior est grauitas ex parte obiecti, & personæ, in quam peccatur, grauitate personæ peccantis.

Obiectio.

Obijcies, iuxta S. Tho. p. 2. q 73. art. 8. grauitas pecG cati augetur secundum maius nocumentum: At peccatum Adæ attulit nobis maius nocumentum quam punctio, & crucifixio Christi; quia punctio, & crucifixio Christi nobis nõ nocuit, immo mirum in modum profuit, cũ attulerit nobis salutem æternã, & peccatũ Adæ priuauit nos gloria Dei;ergo saltem in ratione nocumẽti, peccatum Adæ grauius fuit, peccato Iudæorum, & Gentium pungentium, & crucifigentium Christum.

Solut. ad obiect.

Ad hoc autem, vt rectè respondeatur huic obiectioni, primo dimitto illud, quod dicit S. Tho. de nocumento præuiso, & intento, aut non intento, & quod per se sequitur ex actu peccati, & obseruo cum ipsomet S. Thom. 3. p. q 47. art. 6. in sol. ad 3. Deum voluisse mortem filij, iniquam autem actionem Iudæorum minime voluisse, & ideo occisores Christi ab iniustitia nõ excusari. Et ob id punctionem & mortem Christi dupliH citer accipio; primo in quantum sacrificium, secundo vero in quantum fuit procurata à persequutoribus, & ideo si punctionem, & mortem Christi cõsideremus vt sacrificium, nobis profuit, & toti humano generi, vt tenet fides Catholica. Si autem mortem Christi consideremus vt fuit procurata à persequentibus. Sic nemini profuit cũ fuerit grauissimum peccatũ persequentiũ, vt tenet idem S Doctor 3. p. q. 47 art. 4 in sol. ad 4. Immo nocuit, non quidem omnibus, sed tantũ Iudæis & Gentilibus illius temporis, qui illam procurarunt. Et in his Iudæis, & Gentilibus dictis, fuit vtrumque peccatum, nempe Adæ, & homicidium Christi; & maioris nocumenti fuit in ipsis, Christi punctio, & occisio, & homicidium, quã Adæ peccatum. Et ratio est, quia per Adæ peccatum tantum merebantur limbum, sicuti cæteri homines, priuati gloria Dei, nihil enim aliud est originalis peccati pœna, at vero per punctionẽ, & occisionem I Christi læthaliter peccantes, vt dictum est, meruerunt pœnas æternas in inferno, & in hac vita etiam meruerunt puniri Iudæi à Romanis, vt ait Chrysost. S. Thom. Durandus, & alij Doctores agendo de peccato contra Spiritum sanctum. Quod si propter blasphemiã passi sunt talia, magis sane debebant pati propter homicidium personæ diuinæ, quæ quidem puncta, occisa, & crucifixa dicitur propter cõmunicationem idiomatum.

Peccati Euæ & Adæ distinctio circa obiecta.

Addo quod si obiecta peccatorũ inspiciamus, constat ex Magistro in 2. sent. dist. 22 peccatum Euæ habuisse pro obiecto elationẽ mentis, nã quomodo (inquit Magister) mulier crederet diabolo, nisi esset in mente eius superba præsumptio? fuit pro certo in mente eius elatio, qua credidit, & voluit habere similitudinem Dei, cum æqualitate quadam, putans esse verum quod diabolus dicebat. At vero Adam non sic peccauit; sed per præuaricationem præcepti Dei, credendo K mulieri. Et licet Adam peccauerit per elationem, constat ex S Thom. obiecta peccatorum esse tria, nempe, res exteriores, hominem, & Deum; & Adæ peccatum habuisse pro obiecto res exteriores; homicidium vero Christi habuisse pro obiecto Deum, & per hoc etiam patet quod grauius fuit peccatum punctionis, & occisionis Christi, in genere peccati, quam Adæ peccatum.

Solut. ad 2.

Ad secundum respondetur, blasphemiam comparatã homicidio hominis esse maximum peccatum, & maius homi-

homicidio, & hic est sensus litteræ D. Tho. At vero homicidium Christi fuit occisio hominis, & Dei, quoniã tale homicidium terminatum vtrq; est in personam diuinam, & per consequens superat peccatum blasphemiæ.

Ad 3. Ad tertium patet solutio, asserendo Patrem æternũ maiorem indignationem accepisse in punctione, & morte IesuChristi, quam in peccato diluuij, & hoc patet per signa exteriora: Nam per peccatum diluuij, solum pluit quadraginta diebus, vt legitur Gen. 6. At vero in punctione, & morte filij sui, sol obscuratus est, & petræ scissæ sunt, & terræmotus magnus factus est, & talia prodigia cæli apparuerunt per totum orbem, vt Dionysius Areopagita, qui Gentilis tunc erat Athenis commorans, diceret: [Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluitur.] Hæc autem facta fuere præter naturam: pluere autem naturale est. Quid, quod, propositio non est tam certa.

Sol. ad 4. Quartum soluitur, eo quod iuxta glossam, tria sunt genera peccatorum, quæ leguntur clamare ad Deum. Primum est occisio innocentis, prout dixit Dominus ad Caim, Genes. cap. 4. [Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.] Secundum est, peccatum contra naturam, de quo dicitur Genes. cap. 18. [Clamor Sodomorum, &c.] Tertium est, defraudatio pauperis laborantis, de quo dicitur Iacob cap. 5. [Merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum ad aures Domini Sabaoth introiuit.] Quod si sanguis Abel clamat ad Deum quid, quæso, faciet sanguis pretiosissimus innocentissimi Agni Dei Iesu Christi?

Sol. ad 5. Ad quintum dico. Peccatum in Spiritum sanctum, licet ex se sit irremissibile, tamen ex omnipotentia Dei sit remissibile, vt in quinto fundamento retulimus, & ita Iudæis, & Gentilibus peccantibus in Spiritum sanctum, pungendo, & crucifigendo Christum, (etenim punctio, crucifixio, & occisio Christi fuit terminata in personam diuinam) pepercit Christus, dicendo: [Pater ignosce illis,] non iuxta peccatum, quia ita irremissibile est, sed iuxta misericordiam tuam magnam, qua summis peccatoribus indulgere potes, & ita licet punctio, & occisio Christi fuerit dimissa statim; tamen non ob id desinit esse tale homicidium, peccatum contra spiritum, cum ex certa malitia processerit, & in personam diuinam terminatũ fuerit.

Obiectio de Angelorum ruina. Sed objicies. Quodvis peccatum remitti potest a Deo, ergo ruina Angelorum poterit etiam remitti. sed hoc est falsum, quia peccatum & ruina Angelorum est irreparabilis, vt tenent omnes Doctores: Ergo & primum etiam erit falsum.

Solutio. Respondetur, vnumquodq; peccatum tribus modis esse remissibile. Primo ex parte Dei, secundo ex parte peccantis, tertio vero ex parte ipsius peccati. Peccatum autem pungentium, & crucifigentium Christum fuit remissibile duobus modis, nempe ex parte Dei, qui potest remittere quodlibet peccatum, & ex parte peccantium, quia punctores, & crucifixores Christi habebant liberum arbitrium vertibile ad bonum, vel ad malum, quia in hac vita, homines semper habemus, liberum arbitrium ad vtramque partem vertibile, fuit autem tantum irremissibile ex parte ipsius peccati, & obid Christus in cruce remisit peccatum pungentium, & crucifigentium illum, quia ex parte liberi arbitrij, sciebat multos pœnitere, & reuera multi percutientes pectora sua reuertebantur. At vero dæmones tantum habent liberum arbitrium ad malum, nempe ad nos, vel illud malum. Quamobrem illorum ruina, & peccatum, remanet semper irreparabile ex duobus, nempe ex parte peccati, & ex parte liberi arbitrij Angelorum, (quoniã habent intellectum inflexibilem) non

Peccatũ Angelorum cur irremissibile.

A autem ex misericordia Dei, quia sic reparabilis vtiq; est ruina Angelorum. Nam concede tu, dæmones posse pœnitere de peccato commisso contra Deũ & ego concedam tibi dæmonum ruinam, & peccatum a Deo remitti posse. Nota bene circa peccatũ Angelorum.

Sextum nullatenus infert vim aliquam contra nos, quoniam se tenet ex parte peccantis, & non ex parte peccati, præsens autem difficultas solum est ex parte peccati. Sol. ad 6.

Sol. ad 7. Ad septimum respondetur, peccatum pungentium, & crucifigentium Christi quantum ex se, neq; excusabile neq; remissibile esse, verum ex misericordia Dei, & excusabile, & etiam remissibile fuisse. Et vt punctores & crucifixores cognoscerẽt se pupugisse, & occidisse agnum innocentem, & Messiam, ostendit illis suam misericordiã moriendo in cruce, qua, si voluerint pœnitere per liberum arbitrium de peccato, & scelere B commisso, saluos esse posse, & sic illi qui, illa voce audita: [Pater ignosce illis,] percutientes pectora sua reuertebãtur salui facti sunt. Illud autem peccatũ, ex quod se est irremissibile, grauissimum est in genere peccatorum, & sic fuit peccatum pungentium, & crucifigentium Christum.

Sol. ad 8. Postremum argumentum dissoluitur, dicendo Christum voluisse quidem suam passionem ex charitate, sicut etiam Deus illam voluit, iniquam tamen actionem Iudæorum, & Gentium minime voluisse, & ideo punctores, & occisores Christi ab iniustitia nullatenus excusari, vnde quemadmodum ille, qui occidit hominem, iniuriam facit non solum homini occiso, C verumetiam Deo, & Reipublicæ, (sicut etiam, & ille qui occidit seipsum, vt Phil. dicit in 5. ethic.) & ita Dauid damnauit illum ad mortem, qui non timuerit mittere manum, vt occideret Christum Domini, vt legitur 2. Reg. 1.) ita punctores, & persecutores Christi non excusantur ab iniustitia, & lethali peccato, & ita quidem lethali, vt in genere peccatorum, sit omnium grauissimum, quoniam nec Christus, nec Pater æternus voluerunt iniquam, & peruersam Iudæorum, & Gentilium actionem.


T plangent se super eum omnes tribus terræ: Etiam: Amen. Textus 7.

D

COMMENTARIVS.


ITTERA huius contextus satis liquet ex se. Synecdoche tamen plane est, planctum illum post resurrectionẽ in iudicio accipiendo. Et per hæc verba: *Et plangent se, &c.* fit allusio ad illud Matt. 24. [Et tunc plangunt omnes tribus terræ,] vtrobiq; etenim, à toto, pars intelligitur. Quoniam post resurrectionem in iudicio, vtriq; nempe, electis, & reprobis, de singulis tribubus terræ planctus amplius non eueniet simul, sed reprobis dumtaxat, eoquod de iustis, & electis ad literam intelligitur illud Apoc. 21. [Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non E erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, quæ prima abierunt.] Quod vtiq; Deus modo propediem præstat in qualibet dissolutione animæ, è corpore iustorum, vt recte tenent, Laudunensis in sua glossa interlineari, Strabus in sua glossa ordinaria, & Lyranus in capite 21. Apocalypseos. Quare non erit proculdubio cur prædestinati post resurrectionem in iudicio iterum plangant: *super eum*, vt hic dicitur. Quinimmo tunc mirum inmodum lætabun-

Concordatio contextus. §. 1. Plangent aliqui homines in iudicio post carnis resurrectionẽ, sed non omnes.

tur electi, iuxta illud Isa. cap. 9. [Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.] Quoniam cum locus iste de Apostolis, & iustis in primo aduentu Christi à Doctoribus exoluatur, potest etiam proculdubio de electis in secūdo aduētu Christi, recte accipi. Nā prędestinati, & electi in illo habebunt vnde consolari queant, eo vel maxime, quod erūt iam beati, & iudicabunt malos. Quare arbitramur, quod soli reprobi, & mali, post resurrectionem in iudicio: *plangent se super eum*, quoniam in omnibus: *tribubus terræ*, erunt tunc mali, & reprobi. Quapropter hic venit in mentem illud Matth. 24. [Sicut fulgur erit aduentus filij hominis.] Fulmina namque fortissima, fortiores etiam oblatas res conterunt, & omnino consumunt, & vbi maiorem reperiunt resistentiam, ibi sane virtutem suam offendendo, comburendo, & confringendo exercent: At vero vbi imbecilla eis obijciuntur, nec resistunt, nec offendunt, nec minus in aliquo lędunt; quinimmo illa intacta, & incorrupta prorsus relinquunt, vti experientia docet, in ense, & vagina, siue in auro, & sacculo, de quibus Plinius ait: [Dolia (fulmine claro) exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, & æs, & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo combustis, ac ne confuso quidem signo æræ. Marcia princeps Romanarum, icta grauida, partu exanimato ipsa citra vllum aliud incommodum vixit.] Sic ille. Eodem prorsus modo Deus ipse, post resurrectionem generalem in iudicio, reprobos, & malos, hoc est, superbos, elatos, tumidos, proteruos, arrogantes, obduratosque infideles sua virtute prosternet, ac rigide puniet, ita vt: *plangant se super eum*, prædestinatos vero, id est, humiles, obedientesque fideles, non solum minime puniet, verumetiam, se illis pium, ac misericordem, suauemque præbebit. Et ideo soli mali, ac reprobi post resurrectionem in iudicio: *plangent se super eum*. Et sic apparet locutio figuratiua per synedochem, cum: *omnes tribus terræ*, hic pro parte accipiantur. Et postremo ad ea, quæ dicta sunt testimonium addens firmitatis, veluti sigillum adiunxit, dicendo: *Etiam: Amen*, vt ex Græcorum consuetudine, *vai*, id est, etiam, dictorum immutabilitatem exacte absoluat. Amen vero apud Hebræos subiungitur ad denotandum, quod nihil potest impedimentum præstare, ne contingant, quæ conclusa sunt.

Gaudium electorum in iudicio.

Comparatio.

Plin. lib. 2. nat. hist. c. 51

P A R A P H R A S I S
Prima.

Et (ait) plangent. Forte quæres, cur plangent tunc huiusmodi mali, & reprobi post resurrectionem in iudicio? Plangent quidem. Tum quia à sinistris constituti propriam damnationem, teste Caietano, expectabunt, cum certe à Christi ore audituri sint illud: [Ite maledicti in ignem æternum.] Ideo plangent miserabiles non pœnitendo, nec timendo, sed tristes redditi videntes certam illorum damnationem appropinquare. Tum quia mancipatum suum in cælum nullatenus, sed omnino in terra in æternum obtinebunt, eo vel maxime, quod viuentes in carne mortali, terrena potius quam diuina dilexerunt. Quāobrem tunc isti deflebunt super malitiam, blasphemiam, & ingratitudinem suam in Christo, de quibus loquitur Ieremias in cap. 11. dicendo: [Recedentes à te in terra scribentur.] Hanc rationem attingunt D. Dionysius Carthusianus, Diuus Hieronymus, Laudunensis in sua gloss. interlineari, & Lyranus. Tum quia visa cruce considerabunt, quod mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum, quem adorare oportebat, ita D. Chrysostomus super Matthæum. Cæterum hæc ratio, ad litteram tantum intelligi potest de infidelibus Hebræis, & Gentilibus,

Par. 1. Dilucidatio textus.
§. 1. Planctus malorum in iudicio causæ.
1. causa. Caietan. in c. 24. Matth.
2. causa.
3. causa.

F qui in sua perfidia, & obstinatione, diem extremum clauserunt. Quam etiam rationem indicare videtur Paulus de Palatio, super cap. 24. Matthæi, dicendo: [Quid ni plangent inimici crucis Christi, cum ipsa splendentis crucis lux impietatis impios condemnabit?] Licet hæc positio Palatij, facile ad omnes malos adaptari possit. Tum porro plangent, quia teste glossa ordinaria, & D. Thom. videbunt se separari à bonorum consortio, aliter namque tunc fiet, in illo iudicio, quod modo fit, vbi vtique testante Apostolo: [Vnusquisq; onus suum portabit.] In hoc siquidem temporis curriculo, & ecclesiæ militantis statu, Deus ponderat peccata malorum, simul & vna cum virtutibus, ac pijs, sanctisq; iustorum actibus, ne aliqua iustis fiat læsio, iuxta illud Matth. 3. [Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis, & triticum. Sinite vtraq: crescere vsq; ad messem.] Hinc Abraham
G Gen. 18. Deo dicebat: [Numquid perdes iustum cum impio?] Perinde ac diceret. Propter iustos non percuties impios. Quam ob causam Deus in dies tanta, ac toties peccata dissimulat, quia oculis diuinæ misericordiæ opera bona iustorum sese offerunt, ita vt ponderet simul superbiam impiorum cum humilitate bonorum. At vero in illo vltimo die: [Vnusquisq; onus suum portabit,] quod in eadem zizaniæ parabola citata indicauit Dominus, dicens: [In tempore messis, dicam messoribus: Colligite primo zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.] Quamobrem mali tunc videntes se à tali bonorum consortio prorsus repelli, mirumimmodum dolentes plangent. Hoc plane tremendum est, quod tunc vnusquisq; qualis in se fuerit manifeste apparebit, & ex suimet operibus clare cognoscetur. Quemadmodum in Autumno, & Hyeme,
H quo arbores folijs expoliantur, difficile cognoscuntur verumenimuero adueniente estate, quādo sole eas calefaciente, folia foris apparēt, facile cuius speciei, vnaquæq; arbor sit, cernitur: Ita pariter in illo tremendo iudicio, per bona, vel mala opera propria vnusquisque Christianorum agnoscetur. Idcirco in eorum separatione ab inuicem (quam indicat Dominus per Matth. c. 24. dicens: [Et congregabuntur ante eum omnes gētes, & separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hædis.)] plorabunt, & plangent mali. Tum insuper plangent mali in iudicio ob eorum maximam confusionem, audientes verba iudicis Christi, qui, teste D. Augustino, malis in iudicio, alta & clara voce, dicet: [Ecce homo quem crucifixistis Deum, & hominē, in quem credere noluistis, videte vulnera, quæ infixistis, agnoscite latus quod pupugistis, quod propter vos apertum est, & introire noluistis,] pro tanta ergo
I confusione, teste Incognito plangent, tanta visione perterriti. Cum fratres Ioseph in Ægypto, iam eum cognouissent propter eiusdem verba, dicentis: [Ego sum frater vester Ioseph, quem vendidistis in Ægyptum.] tantus illos stupor oppressit, vt prorsus muti, & elingues redderentur, vt facile colligitur ex c. 45. Gen. Si igitur huius sceleris memoria, ita homines istos perterrefecit, quid putas impios in extremo iudicio passuros, cum Iesum Christum audient, videantq; dicentem: Ego sum frater vester quem crucifixistis, quem contēpsistis, quem blasphemastis? præ confusione vtiq; plangent omnino muti, & elingues, quid ad respondendum nullatenus reperientes. Tum deniq; plangent mali post resurrectionem, in iudicio, videntes, quam iuste condemnandi, vel condemnati sint. Iustus namq; iudex Xps vnicuiq; tam bonorum, quam malorum cognitionem suorum operum præbebit in iudicio, vtpotequa, boni,
K & suam gloriam, & malorum errorem clare intueantur: Et ex aduerso mali, & suas pœnas, & bonorum honores videant à longe: Et tunc mali respicientes, vt ait gloss. ord. eos qui fundati sunt super eum, mox dicent, illud Sap. 5. [Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finē illorū sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sāctos, &c.] Et sic tunc cognoscendo reprobi, quam malam amplexi fuerint viam, Christum offendendo, eumdem non

4. causa.

Propter iustos Deus modo impios in quā do minime percutit.

Comparatio.

5. causa. D. Aug.

Auctor Incognitus in c. 1. Apoc.

Gen. 45.

6. & vlt. causa planctus malorum in iudicio.

non diligendo, nec credendo, grauissimo dolore torquebuntur; & ideo plangent non dolore peccatorum, (quoniam ibi non erit pœnitentiæ locus;) sed clare ipsorum intuentes culpam, iuxta illud Osee 13. [Perditio tua Israel ex te.] Quod perinde plane est, ac si Deus cuilibet peccatori diceret: Tu es auctor tuæ perditionis, & tuarum omnium calamitatum, tibi causa, tu ipse extitisti, quare non est cur mihi succenseas: Nam quod ad me attinet, ego seruare te volui, & omnibus in rebus tueri, perditio igitur tua, ô peccator, ex te proculdubio est. Fauent huic nostræ explanationi illa verba textus [super eū.] Nam illa hunc reddunt sensum. Super eum, id est, propter eum, vel non creditū vel non dilectum. Hinc D. Dionysius Carth. super hūc locum sic scribit: [Isti plangent se super eum, id est, malitiam, blasphemiam, ingratitudinem suam in Christum deflebunt, non quod, & de ipsa culpa, secundum quod culpa est, vel Dei offensiua vere dolebunt; Sed in quantum est causa punitionis eorum.] Et Auctor Incognitus: [Super eum quia amiserunt tantum, ac tā amabilem Deum, magis enim dolebunt in se quia talem perdunt Dominum, quam quod in atrocissima incidūt tormenta, & corruptionem, inde notabiliter dicitur: plangent se super eum, quia eum pro nihilo dimiserunt, quia eius præcepta contempserunt, quia propter breue gaudium, pœnam perpetuam incurrerunt.] & tandem D. Ambrosius: [Per omnes tribus terræ, soli reprobi intelliguntur, plangent autem se, cur præcepta Dei contempserunt, cur propter breue gaudiū, perpetuam tristitiam acquisierunt.] Sic ille. Seipsos itaque plangent reprobi, super Christum iudicantem, quia sua ipsorum culpa, se prorsus perijsse, clare tunc videbunt.

D. Dion. Cart. in c. 1. Apoc.

Auctor Incog. in c. 1. Apoc.

D. Ambros. in comment.

§. 2.

Dixi, planctum istum post resurrectionem in iudicio accipiendo. Et non absq; causa sane. Nam si iste planctus ante carnis generalem resurrectionem, instāte iam iudicio, accipiatur, sic nulla plane est hic figurata locutio; quoniam certe tunc plangent omnes homines, tam boni, quam mali, per singulas vniuersæ terræ tribus. Quemadmodum etenim in primo Christi aduentu, omnes homines, tam boni, quam mali, tam reprobi, quam electi, ad lætitiam, & gaudium inuitantur, dicente D. Leone sic: [Saluator noster dilectissimi hodie natus est, gaudeamus, neque enim fas est locum esse tristitiæ, vbi natalis est vitæ, quæ concepto mortalitatis timore ingerit nobis de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab huius alacritate secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster, peccati, mortisq; destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberādis omnibus venit, exultet sanctus quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator quia inuitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.] Sic è conuerso in eiusdem Domini nostri Iesu Christi secundo aduentu, omnes itidem homines, tam boni, quam mali, tam electi, quam reprobi, ad tristitiam, & planctum vtique inuitantur, dicente D. Ioanne Chrysostomo: [Plangent se Iudæi super eum videntes viuentem, & conuiuificantem quem hominem mortuum putabant, & conuincentes se corpore vulnerato scelus suum denegare non poterunt: plangent, & Gentiles se, qui disputationibus philosophorum decepti irrationalem stultitiam putauerunt Deum colere crucifixum: plangent Christiani, quia magis dilexerunt tenebras quam lucem: plangent se Hæretici, quia purum hominem crucifixum dixerunt, cum videant ipsum esse iudicem, quem Iudæi pupugerunt, & plangent se omne tribus terræ, quia nec virtus resistendi est, contra eum, nec fugiendi tempus nihilq; eis remanet nisi luctus: Quamobrem huiusmodi planctus, de quo hic dicit noster mellifluus vates: [Et plangent se super eum omnes tribus terræ,] ad omnes plane homines attinet ante resurrectionem, instante iam iudicio, qui Christum quotidie peccatis quamplurimis crucifigunt. Et tunc videbunt Dominum ad iudicandum appropinquare, dicentem vnicuique: [Redde rationem, villicationis tuæ.] Verumtamen tunc sero, & frustra deflebunt mali, dicente Beda: [Sera semetipsos pœnitentia lamentabuntur,] & etiam D. August. [Tunc plangent omnes tribus terræ, videntes accusatorem suum, id est, ipsam crucem, & in ipso arguente, cognoscent peccatum suū sero, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem.

D. Leo Papa. ser. 1. de nat. Domini.

D. Chry. super Matth.

Beda.

D. Aug.

§. 3.

Planctus bonorū, & malorū ante iudicium causa. 1. causa.

Verumtamen cur ante generalem resurrectionem, iudicio iam iam appropinquante, omnes homines tam boni, quam mali plangent? Plangent vtiq. Primo propter præsentiam malorum, quę iam præsentia videbūt: Nam teste D. Luca: [Obscurabitur sol, & luna nō dabit lumen suum, & stellę cadent de cęlo,] & sic nemo erit qui hoc viso, non timeat, & lugeat. Secundo propter ea, quæ ex his ventura timebunt, nam cum hæc, mala sint, & signa sint, deteriora inde futura timebūt omnes homines, & ob id non solum lugebunt, sed etiam arescent, iuxta illud: [Arescentibus hominibus præ timore,] & ita cum arescere sit magis quam plangere, verisimile est, quod plangant qui arescere debent. Hinc Strabus in sua glossa ordinaria, super hunc locum, ita scribit: [Plangent seu collidentes se super eum impotentes eius imperio resistere, ad similitudinem lapidis & fictilium.] Quinimmo ex textu Græco colligitur adèo acerbissimum fore dolorem flentium appropinquante iudicio, vt prę doloris impatiētia, corpora, dilacerare sua videantur, vt recte hoc in loco Blasius Viegas annotat.

Luc. 21.

2. causa.

Luca 21.

Blas. Viegas in c. 1. Apoc.

§. 4.

Abulens. super Matth. cap. 24 q. 174.

Et licet omnes homines tunc lugeant, tamen testante Alphonso Tostato magis [plangent,] infedeles, quam fideles, quia infideles nihil horum sciunt, aut credunt esse futurum, ideo cum hæc venerint, accident inopinata illis, propter quod valde affligentur; fideles vero sciunt hæc futura esse, & ideo licet præcognitio ista non tollat eis omnem angustiam, & planctum, quia res quando est in sensu multum vrget, tamen multum minuetur de grauitate angustiæ, dicente D. Gregorio: [Minus iacula feriunt, quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, cum contra ea, prouidentiæ clypeo munimur.] Secundo, quia infideles post hæc mala nullum expectant bonum, cum credant mortem vltimum esse malorum, quasi post mortem nullum malum, aut bonum eueniat, & si post mortem aliquid futurum putant, non recte de illo existimant. Et ideo affligentur valde cum ista putent ad mortem vsque pertingere. Fideles vero sciēt post hęc signa iudicium futurum esse, & post iudicium, vitam æternam, ideo habent aliquid quo præsentes angustias alleuient: sic Apostolus arguit, 1. Thess. 4. dicens, quod non debemus contristari de morientibus, sicuti infideles, qui spem non habent, sed debemus consolari cogitantes, quod eos in beata requie videbimus. Ex his duabus rationibus Abulensis, apparet liquide quis Gentilium, Hebræorum, & malorum Christianorum, ante communem, & generalem resurrectionem, visis terribilibus iudicij extremi signis, magis torquebitur lugebitque.

§. 5.

Cōcordantur duo Euangelistę circa planctū iudicij extremi.

Porro repugnantiam quamdam, quæ circa hunc planctum, inter Ioannem, & Matthæum suboriri videtur, componere fas est. Matthæus siquidem in capite 24. sic ait: [Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate, & mittet Angelos suos cum tuba, &c.] Vbi ex ordine litteræ planctus ponitur ante communem, & generalem resurrectionem, & etiam ante actum iudicij, visis tamen signis. Et quod magis est, planctus etiam ponitur ante visionem filij hominis venientis in nubibus. Quare iuxta hanc litteram prius erit [plangere, quam videre filium hominis, & quam resuscitari, & iudicari. At ex aduerso Ioannes hoc in loco postquam dixit: [Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt,] mox subtexuit: [Et plangent se super eum omnes tribus terræ,] vbi ex ordine

ordine litteræ planctus ponitur post visionem filij hominis, & etiam post carnis resurrectionem generalem ante, vel post actum iudicij. Planctus igitur esse ante resurrectionem, & planctus esse post resurrectionem, ex diametro plane inter sese pugnant. Quare bifarie dirimo hanc controuersiam.

§. 7. Soluitur difficultas circa planctum ante iudicium.

Primo quidem dico nostrum Archiprophetam Ioannem in hoc contextu: [Et plangent se] loquutum fuisse per recapitulationem, vel sumendo tempus pro tempore ob maiorem certitudinem. Extat siquidem sexta regula Ticonij, quæ dicitur recapitulatio, qua quedam dicuntur in sacra pagina, quasi sequatur in ordine temporis, vel continuatione rerum a quibus cœpit narratio, quum tamen narratio earum (ad priora, quæ prætermissa fuerunt,) reuocetur, vti Genes. cap. 2. [Plantauit Dominus Deus, paradisum, &c.] Vbi videtur narrari quasi factum sit hoc post conditum hominem, qui sexta die conditus fuit, cum tamen die tertia paradisum plantauerit Deus, omniaque ligna in eo posuerit. Item Gen. 2. [Istæ sunt generationes cæli, & terræ in die quo creati sunt,] quum tamen iam narratio præcesserit de creatione cæli, & terræ. Item Genes. 10. dicitur, narrando generationes Noë: [Hi filij Cham in tribubus suis secundum linguas suas, in regionibus suis, & in gentibus suis.] & infra de omnibus subsequitur: [Hæ tribus filiorum Noë secundum generationes eorum, & secundum gentes eorum. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium super terram post diluuium,] & Genes. 11. [Erat autem terra labij vnius, &c.] Hoc inquam, quod dicitur: [Et erat autem terra labij vnius, &c.] recapitulatio est, qua id quod ante distributionem gentium pro diuersitate linguarum dispersarum factum erat narratur. Reddit namque narratio ad aperiendum, quomodo ex vna lingua factæ sint tot, ac tam differentes, & variæ. Pari modo in præsenti hoc quod noster vates Ioannes hoc in loco ait: [Et plangent se super eum omnes tribus terræ.] Recapitulatio plane est, qua idquod ante resurrectionem generalem, & ante actum iudicii futurum dicit Dominus in cap. 24. Matthæi narratur, & sic reddit narratio Ioannis ad aperiendum quomodo omnes tribus terræ, viso filij hominis signo in cælo, plangent certissime, vti Christus prædixit. Et sic alludit hoc in loco per recapitulationem ad ea, quæ dixit Christus: [Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt, &c.] Vbi proculdubio, sermo est de bonorum, & malorum planctu, ante resurrectionem, & iudicij actum, vt dudum dicebamus in secunda enodatione textus, quam verissimam existimo cum Abulense super Matthæum. Tum quia tunc plangent [omnes tribus terræ,] hoc est, omnes gentes. Quoniam nulla gens erit, quæ non plangat, & fortassis nullus homo, aut pauci, iustus etenim tunc vix erit securus. Tum quia planctus, quem ponit Christus in præallegatis verbis: [Et tunc parebit signum filij hominis, &c.] Ex vi litteræ necesse est fiat ante iudicium: Nam dicitur illic: [Et plangent omnes tribus terræ,] & mox sequitur: [Et videbunt filium hominis venientem, &c.] Quare ex ordine litteræ, prius erit plangere, quam videant filium hominis, & per consequens est proculdubio, ibi sermo de planctu ante iudicium, qui plane erit, tam bonorum, quam malorum. Tum quia omnes homines ante actum iudicij videntes mala eis iam parata, & plangent, & arescent, vt Dominus prædixit Lucæ 21. Tum quia ante iudicium omnes homines, tam boni, quam mali, erunt distincti per terras suas, (& sic non est difficile intelligere illud, ly [omnes tribus terræ,] quandoquidem ante iudicium homines, tam boni, quam mali, manebũt distincti per terras suas, & loco, & gente: gentẽ autem, de vna terra vocat scriptura vnã tribum, & gentẽ de alia terra, aliam tribum, vt facile colligitur ex illo Genes. 28. [Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ,] & Ps. 71. [Benedicentur in ipso omnes tribus terræ,] id est, omnes gentes de vnaquaque terra. At vero in resurrectione, & in actu iudicij non erunt distincti homines per terras, quia omnes homines congregabuntur in locum vnum, vt Dñs prædixit per Matthæum, nimirum, in valle Iosaphat, in quo plane loco non manebit distinctio hominum secundũ locum, tribum, & terras suas, sed omnes boni de quacumq; gẽte sint, erunt ad dexteram, mali vero, de quacumq; gente sint, erunt ad sinistram, vt dicitur Matth. 25. Igitur cum ante iudicium quælibet gens sit in regione sua, ibi vnusquisq; tam bonus, quam malus lugebit, visis signis iudicij in terra sua, hoc est in tribu sua, & sic lugebunt omnes tribus terræ ante iudicium.

Abulen. super c. 24. Matth. q. 171. 1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

§. 8. Soluitur secũdo difficultas circa planctum in iudicio.

Secundo dico, nostrum Archiprophetam Ioannem hic nullatenus ad præfata verba Christi, Matth. 24. allusisse, quinimmo hoc vaticiniũ suum: [Et plangent se super eum omnes tribus terræ,] prorsus direxisse ad vatem Zachariam dicentem in cap. 12. [Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti,] vbi diuinus vates Zacharias planctum ponit post resurrectionem generalem, & in actu iudicij, & post visionem iudicis, vt indicat, ly [aspicient ad me,] oculus etenim resuscitatus, est qui videbit Christum iudicem, & nullatenus oculus mortalis, & cito corruptiuus ante iudicium; & sic, planctus qui in littera, & in verbis Zachariæ sequitur, tantum intelligitur post resurrectionem in actu iudicij, vel post ipsum iudicium, qui plane malorum dumtaxat esse potest, vti nos in prima nostra huius textus enodatione dicebamus. Quare vate nostro Ioanne vatem antiquum Zachariam hic sequente, nulla plane remanet in textu inter Matthæum, & Ioannem repugnantia: Nisi dicas illam saltem remanere, quæ ex ly, [tribus] oriri potest, cum post resurrectionem, tribuum distinctio, aut differentia nullatenus sit futura. Cuius plane solutionem supra iam indicaui, dum non omnes de tribubus terræ sigillatim, sed aliquos debere de eisdem tribubus plangere tunc simul, affirmaui.

Obiectio.

Solutio.

PARAPHRASIS.

Secunda.

Par. 2. Dilucidatio textus. §. 1.

Se (ait) super eum. Haud incongrue hic illa duo ponuntur, nimirum [se] & [super eum.] Per hunc etenim loquendi stylum propheticum, magnum plane futurum esse omnium, tam Iudæorum, quam Gentilium, & Christianorum planctum intelligere debemus, siue ante actum iudicij, (quod bonorum, & malorum simul erit,) siue post actum iudicij, (quod malorum dumtaxat erit.) lamentum hoc accipiatur. Quoniam ly [se] sic dispungunt Doctores, [plangent se,] id est, cruciabunt se, collident se quia confringentur sicut olla fictilis a lapide, quando ei colliditur, pulsabunt se, percutient se. Vel [se] hoc est, seipsos plangent atq; de seipsis conquerentur. Quod Septuaginta indicare videntur, dum sic transferunt: [plangẽt super se planctum,] & quidam etiam Græci codices, qui pro [plangent,] verbum quoddam collocant, quod præ doloris impatientia; corpus dilacerare significat. Præterea ly, [super eum] ita enodant: Super eum, id est, super Christum, quia eum pro nihilo dimiserunt, quia eius præcepta contempserunt, quia propter breue gaudium pœnam perpetuam incurrerunt. Vel [super eum,] id est, super eum, vel non creditum, vel non dilectum. Vel tandem [super eum] hoc est, propter eum, siue eius causa, quoniam in sacra pagina crebro accipitur [super] pro [propter] iuxta illud 2. Reg. 1. [Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerũt, vsq; ad vesperũ, super Saul, & super Ionathã filium eius, & super populũ Domini, & super domum Israel, eoquod corruissent gladio,] & iterum: [Planxit autem Dauid plan-

planctum huiuscemodi super Saul, & super Ionatham.]

§. 10. Planctus magnus plãctus iudicij. Zach 12. Planctus Ierusalem olim ingens.

Quare per hæc duo, nempe, *se*, & *super eum*, hic prophetice haud exiguus (vt dixi) indicatur planctus. Corroborat hoc vates Zacharias. Primo componendo lamentum istud per domos & familias, dicens: [In die illa, magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon, in campo Mageddon. Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum; familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum: Omnes familiæ, reliquæ familiæ, & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.] Secundo etiam, hanc lamentationem comparando planctui primogeniti inquiens, [Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.] Mos siquidem est sacræ paginæ, maximam lamentationem, ingentemq. planctum, ei, qui in morte vnigeniti fit, comparare, iuxta illud Amos 8. [Ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius, quasi diem amarum.] Ideo propter Christum ante, & post iudicij actum, omnibus hominibus, ita erit maximus planctus, vt ei qui fit in primogenito, merito assimiletur. Et cum Christus non tantum sit omnis creaturæ, verumetiam Iudæorum primogenitus (cum ex ipsis per Dauid & Abraham originem traxerit) inter omnes homines tam ante, quam post iudicij actum, ipsi Hebræi peculiarem præ cæteris gentibus habebunt lugendi causam. Quam perdocte citat Rupertus dicens, quia infelicissimum erit eis amisisse Saluatorem vnicum, & vnigenitum, ita vt iam nec ipsum, nec alium expectare integrum sit, quo omnes incitentur ad salutem procurandam, quippe quæ semel amissa, finaliter (vt dicunt Scholastici) iterum recuperari non potest. Ille igitur qui fiet ante, & post iudicium erit planctus magnus, gemitus ingens, & vlulatus singularis, dicentes omnes super Christum illud 2.Reg.1. [Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum.] Quiquidem luctus licet ante iudicium aliquibus prosit, tamen post iudicium nulli proficiet; quoniam iam hic pænitendi locus nullatenus alicui remanebit.

Planctus in morte primogeniti maximus.

Primogenitus Iudæorum est Christus.

Planctus primogeniti cur cõparetur ille qui fiet ante, & post actum iudicij propter Xpm. Ruper. in c. 12 Zachar.

Plãctus ante iudicium alicui poterit proficere, at vero post, minime.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod lacrymæ modo maximam obtinent vim, quã nullatẽn' post iudicium obtinebunt.

VERVM sane est, quod modo lacrymæ multum valent apud Deum. At vero in die iudicij finalis, planctus & lacrymæ malorum, vnam tantummodo misericordiæ guttam à Christo iudice, vllo modo impetrare nequibunt. Estote quæso attentissimi. Planctus & lacrymæ peccatorum modo apud Deum, ita potentissimæ, & validissimæ sunt ad eius misericordiam impetrandam, vt de illis dicatur Lucæ 6. & Matth. 4. [Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.] Super quæ verba sic ait Caietanus: [Consolabuntur, in passiua sumitur significatione; pro consolationem accipient.] Hinc est, quod ait Dauid Psal. 125. [Auribus percipe lacrymas meas.] & psal. 55. [Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.] quasi dicat, in conspectu tuo, id est, in sacculo tuo, vt eas serues, vt earum memor sis; in conspectu tuo, id est, in tuo commentario, in tua mente & memoria. Quapropter in sacro eloquio, post lacrymas & planctum, semper mysterium sequitur. Planxit siquidem vidua illa in ciuitate Naim, & statim sequitur: [Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, noli flere.] & paulo post: [Adolescens tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum matri suæ.] vbi lacrymæ matris viduæ, resurrectionem filij meruerunt; quoniam viduarum lacrymæ validissimæ sunt apud Deum, iuxta illud Eccles. 35.

Caiet. in Mat. cap. 4.

Genebrar. in psal. 55.

Lucæ 7.

A [Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? a maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor populi delectabitur in illis.] Fleuerunt insuper Martha & Magdalena super mortem Lazari fratris earum, & statim sequitur in textu: [Iesus infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.] & deinde: [Lacrymatus est Iesus,] & paulo post, [Lazare veni foras, & statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies eius sudario erat ligata.] Præterea fleuit Petrus amare, vt dicitur Matth. c. 27. Mar. 14. Luc. 22. & Ioan. 19. & Dominus pepercit ei. Fleuit etiam Magdalena. [Lacrymis (dicitur Lucæ 7.) cæpit rigare pedes eius,] & mox audire meruit, [Remittuntur tibi peccata tua.] & paulo post, [Fides tua te saluam fecit, vade in pace.] Iterum fleuit Magdalena iuxta monumentum, [Maria stabat (dicitur Ioan. 20.) B ad monumentum foris plorans,] & statim digna reperta fuit. Christum resuscitatum intueri, dicentem sibi, [Noli me tangere, &c.] & paulo post: [Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, &c.] Fleuit insuper Rex Ezechias (vt dicitur 4.Reg. 20.) & Dominus suspendit sententiam quindecim annis. Fleuit populus Hebræus, (vt dicitur Iudic. 2.) & statim ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium dicens: [Eduxi vos de Aegypto, & introduxi in terram, pro qua iuraui patribus vestris, &c. & tunc populus Israel fleuit, & immolauit ibi hostias Domino.] Planxit tandem Dauid psal. 6. dicens: [Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.] quasi dicat, afflictus, & fatigatus sum gemendo, ita vt fatiscam præ gemitibus & suspirijs, lauabo, madefaciam largiter, adeo vt præ copia lacrymarum C lectum & stratum meum lauari possit, fletuq. meo etiam noctibus mundari valeat, quod tempus est quietis. Et statim post lacrymas in hæc verba prosilit: [Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.] Fructus enim & finis precis, est exaudiri. Hinc Ouidius lib. 2. de Pont. Eleg. 1.

Ioan. 11.

Precum fructus, & finis est exaudiri.

Quod precor eueniet sunt certa oracula vatũ,
Nam Deus optanti, prospera signa dedit.

Ouid. lib. 2. de Pont. El. 1.

Vides igitur lacrymarum, fletuumq. valorem infinitum apud Deum? Ad quod accedit illud quod dicitur Ezech. 9. [Ite per Ierusalem, & signate omnes, qui lugent super iniquitates, quæ fiunt in medio Ierusalẽ.] [Validissimas certe, ex his omnibus aperte colligitur, modo esse lacrymas peccatoris apud Deum dicentem; D [In quacumque hora peccator ingemuerit, iniquitatum eius amplius non recordabor.] Cæterum post mortem peccatoris, qui in lethali discedit crimine, non valebunt sane lacrymæ, & planctus illius, Deum iudicem in finali iudicio erga se ad misericordiam tunc prouocare. Audient profecto illo die hi miserabiles, & obdurati peccatores, illud Lucæ 13. [Nescio vos vnde sitis.] Per quam plane parabolam significatur tempus secundi aduentus. Iesus enim, paterfamilias totius domus Ecclesiæ, sedet modo à dexteris Dei, velut expectans in domo ingredientes per angustam portam gratiæ & pænitentiæ, vnde durante ista sessione, vel expectatione, festinandum nobis est vt ingrediamur, quia quum surget ad iudicandum generaliter in extremo tempore, vel particulariter in morte cuiusque, & clauserit ostium gratiæ, incipietis foris stare. Nam qui ante, clausum ostium gratiæ per bona opera E ingressi sunt, inuenientur intus in regno cælorum in domo Christi, qui autem vsque ad illud tunc distulerunt pænitentiam veram, incipient foris stare, hoc est, incipient cognoscere, quod stant foris extra domum Dei, vel incipient se habere, sicut foris stantes, qui hactenus non existimabunt se foris remansuros, sed cum alijs communiter progredi, & ipsis pulsantibus ostium, lacrymis & precibus dicentibus, [Domine, Domine, aperi nobis.] Paterfamilias Iesus Christus respon-

Ezech. 9.

Ezech. 18.

Lacrymæ post obitum nihil valent.

respondebit eis dicens :[Nescio vos vnde sitis,]quia Christus & in iudicio, & quotidie respondet huiusmodi impœnitentibus : [Nescio vos vnde sitis.] Nescio vos, scientia approbationis, scientia gratiæ qua nouit electos suos, & tunc mali, & reprobi, incipient dicere: [Manducauimus coram te , & bibimus , & in plateis nostris docuisti, & nescis nos?] Et ipse iterum respondebit. [Dico vobis quia nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.] Et tunc, testante D. Luca. [Ibi erit fletus & stridor dentium , quum videritis Abraham,& Isaac,& Iacob, & omnes prophetas in regno Dei , vos autem expelli foras .] Audient præterea tunc hi miserabiles peccatores nunc vitijs, & sceleribus dure additi, illud Luc. 16. [Filij recordare, quia recepisti bona in vita tua , & Lazarus similiter mala,nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.] Et obseruate quæso oppositionem inter hunc diuitem sepultum in inferno , & Deum. Diues ex professo plerasque proponit petitiones,& Deus ex aduerso omnes illas negat. Diues enim primo cum esset in tormentis eleuauit oculos suos ad Deum videndum,& gloriam eius , & Deus se ab ipso abscondit , & ostendit illi Abraham . à longe . Diues alta voce tunc acclamat dicens:[Pater Abraham miserere mei .] & Deus facit Abraham illi sic respondere : [Fili recordare quia recepisti bona in vita tua .] Diues: [Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam , vt refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma.]Deus autem negans, ait illi: [Non potest fieri, quia nunc hic (nempe Lazarus)consolatur,tu vero cruciaris.]Diues iterum petens ait, [Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei;habeo enim quinque fratres , vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.]Deus vero illi negans petitionem ait: [Non. Habent enim Moysen, & Prophetas , audiant illos .] Diues tandem petens ait: [Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiã agent.] Deus denique illi negans petitionem respondit : Non , nam [si Moysen,& Prophetas non audiunt,neque si quis ex mortuis resurrexerit credent .] Vides ne omnes petitiones , & preces sepulti diuitis in inferno , & omnes eius lacrymas, & planctus , vnam dumtaxat guttam aquæ misericordiæ , & gratiæ à Deo impetrare tunc nequiuisse? [In obliuione eris, ò Tyre, (ait Dominus Isa. 23.) septuaginta annis,sicut dies regis vnius.]quasi dicat, ò peccator,petra dura, qui tribulationi, obsidioni, angustiæ,vinculo, & colligationi infernali traditus es, in obliuione eris , septuaginta annis,id est æternaliter, nam ibi numerus finitus pro infinito collocatur. Et ob id glossa, verba sequentia , nempe : [sicut dies regis vnius.] Sic exponit . Dies vnius regis in obliuione sunt post mortem eius, & si tantum vixerit in regno, quod numquam legimus,cito obliuiscuntur .

Vide Lyranũ & Caietanũ super Lucã.

Petitiones diuitis Epulonis ex inferno , quas illi Deus negauit.

Tyrus ciuitas maxima Metropolis Phœnices, quam Nabuchodonosor deuastauit. Tyrus ciuitas peccatorem obduratum demonstrat.

Concept. 2. quod nunc debet homo peccator plãgere, & lacrymari, vt misericordiã inueniat apud Dominũ



QVID igitur (cum lacrymæ in extremo tempore minime valeant) faciẽdũ est ò peccator?Nihil aliud sane, nisi vt nunc pro tunc plangas, doleas,& pœnitentiam peragas de peccato,& scelere commisso . Modo quamdiu viues multum valent lacrymæ tuæ ad misericordiam impetrandã; at vero tunc post mortem clamabis,& nõ exaudies, plange igitur nunc pro tunc . Audias quæso Iob in cap. 10. sic dicentem : [Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum,antequam vadam , & non reuertar ad terram tenebrosam , & opertam mortis caligine,terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis,& nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat.] Audias insuper quæso Dauid,Psal. 38. sic exclamantem.[Quoniam ego aduena sum apud te, & peregrinus,sicut oẽs Patres mei :Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam , & amplius non ero . [Hoc est concede mihi Domine spatium,vt hanc animam meam lacrymis pœnitentiæ , & doloris peccati mei refrigerem, siquidem mane moriar. Hinc est quod Genebrardus hunc versiculum: [Remitte mihi,&c.] sic exponat. [Remisse, & leniter mecum age,vt me roborem,& reficiam,vel permitte,sine me refrigerari, & quiescere priusquam moriar , & non existam in vitijs: sic enim postea placide exibo ex hac vita , & sine tortoribus conscientiæ,qui tunc oriri solent.]Sume insuper modo ò peccator exemplũ, à filia ducis Iephthe , quæ vt dicitur Iud. 11. à patre suo postulauit, vt dimitteret eam duobus mensibus circuire montes , & cum sodalibus suis virginitatẽ suam deplorare; O miserabiles, & cæci peccatores agite modo pœnitentiam videte quæso quid vobis dicat Isaias de reædificatione Tyri : [Post septuaginta autem annos erit Tyrus quasi canticum meretricis;] quæ verba sic exponit Lyranus: [Post septuaginta annos , scilicet vastitatis Tyri ,] erit Tyro , quasi canticum meretricis . Meretrix enim derelicta a suo amasio solet conari ad cantandum melodiosè ad reuocandum amasium ad se,& in hac metaphora,intelligitur desiderium illorum qui remanserant de fugitiuis Tyri ad reædificationem ipsius,vt sic mercatores de diuersis regnis iterum venirent ad Tyrum.] Hucusque Lyranus , per quam metaphoram ò peccator intelligitur reædificatio tua . Modo igitur ait ad te Isaias: [Sume citharam,circui ciuitatem , meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum , vt memoria tui sit , & erit post septuaginta annos , visitabit Dominus Tyrum , & reducet eam ad merces suas .] Quasi dicat: [Sume(ò peccator)citharam,] nempe disciplinam,ieiunia,confessionem,&c.vt bene tendantur cordæ cantando miserias tuas , [circui ciuitatem ,] imitando bonos,[bene cane] laudes Dei corde, voce, & opere, [frequenta canticum,]Domini, [vt memoria tui sit,]apud Deum.Quis quæso spem salutis non obtinebit si bene cecinerit,si cordas,id est, virtutes bene composuerit? Inde Dauid Psal. 44. sic ait: [Filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.] & paulo supra: [Et concupiscet rex decorem tuum , quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.] Videsnè qualiter hæc duo conueniant, ex vna scilicet parte, [vt memoria tui sit,]& ex altera parte,[& concupiscet rex decorem tuum?]Suauis quidem musica sunt lacrymę, planctus, & pœnitentia . Si igitur peccator,nunc,cytharam pœnitentiæ, fletus, doloris, & planctus,&c. sumpseris,tunc, quando omnes tribus terræ plangent, tu gaudenter , & hilariter exultabis.

Gilbertus Genebrardus in Psal. 38.

Nota bene filiæ Iephthe lacrymas.

Tyri renouatio,& reædificatio.

Isa. 23.

Glos. ordin.

Musica funis peccatorum qualis sit.

LACRYMÆ doloris quippe incendium sunt,testante Poeta. Et quamuis Paschasius super Ieremiam , quandam lacrymarum adducat differentiam dicens:[Aliter plangimus propria damna, aliter aliena:aliter plangimus desiderio cælestis patriæ, aliter pro scelerũ immanitate , & terrore gehennę : aliter pro dolore cordis,aliter pro amore piæ recordationis.] & paulo post,super illa verba: [Lacrymæ eius in maxillis eius,] ita scribit: [Maxillæ sunt,qui sua sciunt , & aliena delicta plangere : de quibus dicitur : Genæ tuæ sicut fragmen mali punici : absque eo quod intrinsecus latet. In his enim Ecclesiæ pulchritudo ostenditur, & ipsorum prædicatione in corpus Ecclesiæ traijcimur, qui sicut plus cæteris in corpore Christi laborant:plus gemunt, & plorant eos , quos vident in nocte delictorum versari,& in cecitate erroris . Plorat Ecclesia in nocte,quia peccatorum suorum tenebras non ignorat: lacrymas in maxillis portat,quibus pulchritudinem suam quotidie renouat . Prodest enim Maria, Marthæ laboranti , dum plorans plorat secus pedes Domini . Plorat sponsa à conplexu sponsi remota:& in valle, id est,in nocte ignorantiæ huius . Plorans plorat, pro patriæ,scilicet cælestis, desiderio,& pro peccatis suis, & aliorum in hoc sæculo . Plorat in his qui mortui sunt mundo. Plorat in virginibus in viduis,plorat in omni-

Concept. 3. Quod in vnaquaque tribu reperiet Deus maleficos in iudicio.

Paschasius super verba Ieremiæ,Threnorum 1. plorans plorauit &c.

Lacrymarum differentia.

Paschasius super Trenos Ieremiæ.

Lacrymarum diuersitas in iudicio extremo.

omnibus qui se peregrinos,& hospites confitentur super terram.] Tamen huiusmodi lacrymæ, diuersum doloris incendium indicant,ab illo quod lacrymæ,omnium tribuum terræ,ante, & post iudicium patefaciet. Cum etenim tunc Dominus,in lucernis, (vt dicit Propheta Dei) scrutaturus sit Ierusalem, nempe mundum flebunt, mœrebunt, & dolebunt tunc omnes mali, & reprobi de quauis tribu: [plangent omnes tribus terræ.] Eo quod in omni,& ex omni, & per omnes tribus terræ, tunc reperientur aliqui adulteri, vsurarij, raptores,homicidæ,latrones,susurrones, & ijs pleriq; similes.In quauis enim tribu tunc inueniet Deus multos,vt ait D.Paulus ad Rom.1. [Qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis volucrum,& quadrupedum, & serpentium,] Quid enim sunt volucres,quadrupedes, & serpentes, nisi præallegata scelera ac vitia? Reperiet tunc proculdubio Deus in quauis tribu opera carnis,de quibus Paulus ad Gal. 2 sic ait: [Manifesta autem sunt opera carnis,quæ sunt fornicatio, immunditia,impudicitia,luxuria,idolorum seruitus,veneficia, inimicitiæ,contentiones,æmulationes,iræ,rixæ,dissensiones,sectæ,inuidiæ,homicidia,ebrietates,commessationes, & his similia.] Quæ plane omnia, Deo tunc Ierusalem,nempe,mundum,in lucernis,(vt dixi) scrutante, manifesta fient. Exient sane ex obscuro loco in quo tecta modo latent, quoniam tunc illud psalmistæ adimplebitur: [Iniquitas calcanei mei circumdabit me,] & quia vt ait D. Paulus ad Gal. 2. [Qui talia agunt,regnum Dei non consequentur,] in signum doloris plangent plerique de vnaquaque tribu: [Plangēt (dicitur Apoc. 13.) omnes reges terræ, qui fornicati sunt cum ea.] vbi per,[reges terræ,] intelliguntur duces fornicatores, Marchiones luxuriosi, Comites raptores,Vicecomites vsurarij,Barones latrones,noua pedagia suis subditis in dies imponentes, Mercatores vsurarij, &c. Quibus omnibus Apostolus ad Eph. 6. præmonuit dicens.[Propterea accipite nunc armaturā Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecte stare,state ergo succincti lumbos vestros in veritate,& induti loricam iustitiæ, & calceati pedes, in præparationem Euangelij pacis in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere,& galeam salutis assumite, & gladiū spiritus(quod est verbum Dei.)Veluti dicat: Alioquin tunc amare flebitis in iudicio magniDei,vt satis aperte ly[propterea]indicat.

Soph.1.

Demētia maxima omniū peccatorum.

Scelera omnia peccatorum cuiuscumque status quomodo & qualiter in lucernis inueniet Dominus in iudicio.

Apostolica amonitio pro iudicio finali valde nunc vtilis, & necessaria pro cunc.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3. Dilucidatio textus.

§. 3. Superiorum confirmatio.

Etiam,Amen. (dicit tandem.) Superiorum confirmatio vtique est. Perinde namque valet:[Etiam Amen.] Ac Dei vates diceret. Irrefragabile est, & mutari vllo modo potest quod hucusque prædixi. Vel aliter. [Verum est,verum est,& mutari nequit.] Aut, [Ita fiat,ita fiat.] Quam ob rē D.Ambrosius super hunc locum sic scribit: [Etiam.Amen,confirmatio sermonis est.] & D.Thom.[Etiam.Amen,confirmatio, quasi dicat,ita fiat veraciter.] & D. Dionysius Carthusianus. [Etiam,Amen,reduplicatio ista designat,quod ita certissime,ac ineuitabiliter fient.] Sunt siquidem, [Etiam, Amen.] affirmationis notæ. Quarum prior, nempe, [Etiam,]Græca quippe est dictio,& significat certe. Posterior vero,nimirum, [Amen.] Hebræa proculdubio est nota & denotat certe. Idcirco idē est, [Etiā,] quod [Amen] quare [Etiam,Amen.] Est repetitio ad maiorem certitudinem,& infallibilitatem, hic à nostro Phrophetarum mellifluo Propheta merito geminata. Hinc Primasius B. Augustini discipulus in hunc locum sic ait: [Quod certissime nouit, Deo reuelante futurum,interponens,amen,firmat sine dubitatione venturum.] & Arethas: [Vt autem ea quæ dicta sunt, firma esse testetur, sigillo obsignauit dicens, etiam

Haymo.
D.Thom.
D.Ambros.
D.Thom.
D.Dion.Car.
Etiam vox Græca.
Amen vox Hebræa.

Primasius.
Arethas.

A amen. Etiam quidem, quod ex Græcorum consuetudine, perfectam immutabilitatem notat. Amen,vero, quod apud Hebræos significat,nihil posse obstare,quo minus ea quæ promissa sunt,eueniant.

§. 2. Etiam Amē, est eiusdem dictionis vtilis repetitio.

Verumenimuero,in hisce verbis [Etiam,Amen] vlla committitur nugatio. Quoniam quamuis sit geminatio,vel reduplicatio eiusdem dictionis,est tamen vnius & eiusdem vocis vtilis repetitio. Maxime, quia certitudinem,& infallibilitatem eorum quæ supra ab Archipropheta enarrata fuere,prorsus confirmat. Et idē omnino dicendum est de illis verbis, quæ referuntur, Mar.14.& ad Rom.8.vtpote,[Abba Pater.]hoc est,pater, pater. At vero nugatio, eiusdem vocis reduplicatio inutilis à Philosophis sane appellatur, ideoque vitium, & incommodum haud exiguum apud eosdem gignit.

§. 3. Controuersia circa (Etiā) an scilicet sit Græcum, vel Latinum. Prima sententia. D.Thom. Lyranus. Auctor Inco. Iacob. Suar. à S.Maria. Pet. Berchorius in repertorio,etc. Etiā

B Peculiaris itidem apud expositores suboritur opinio circa dictionem[Etiam] Græca ne sit,an vero Latina? D.Thom.Lyranus,Incognitus,& Iacobus Suarez à sancta Maria in hisce suis commentarijs opinantur [Etiam] vocem esse Latinam. Fauet huic opinioni Petrus Berchorius dum in suo dictionario, seu repertorio,ita scribit: [Ista dictio:etiam, (apud Latinos)quādoque affirmat, quandoque addit. Affirmat, dico, & sic est idem,Etiam(apud Latinos.) Quod certe,seu,ita, seu Amen,sicut Matth.11. Christus de B.Ioanne dixit: Quid existis in desertum videre? Prophetam? etiam dico vobis,& plusquam prophetam. & Ioan.21. Petre amas me,etiam Domine, tu scis quia amo te. Addit etiam,& hoc vt communiter, quia vbicumque ponitur etiam, semper addit ad conclusionem præcedentem:videtur enim supponere idem quod adhuc, idem,

C quod & idem,quod atque idem, quod insuper, & sic de similibus,&c.] sic ille. Idem videtur sentire Ambrosius in suo Calepino,Plinij, Ciceronis, Terrentij, aliorumque Latinorum exempla in medium afferens. At vero ex aduerso, Strabus in sua gloss. ordinaria, Arethas, Franciscus Ribera, & Blasius Viegas in suis commentarijs super hunc locum tenent [Etiam,] dictionem esse Græcam. Opitulatur huic sententiæ Primasius,B.Augustini discipulus, qui vbi nostra Vulgata legit,[Etiam.Amen.] ipse habet: [Ita Amen.] Constat autem [Ita] dictionem esse Græcam, quæ quandoque aduerbium affirmandi est,iuxta illud Gen. 1. [Et factū est ita.] & Matth.11. [Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.] Perinde ac diceret. Vere Pater ita est(vt satis erudite probat hoc in loco Ribera) quandoque vero est aduerbium similitudinis(vt idem Berchorius adnotat)iuxta illud Ioan. 13. [Exemplum de-

Ambrosius Calepinus,ti. Etiam. 2.sententia. Strab. Arethas. Ribera. Viegas. Primasius. Ita,dictio est Græca.

Franc.Riber. in c.1. Apoc. Ver. Berchorius.

D di vobis,vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.] Et sic vbicumque in Euangelio legitur, [Ita] in originali Græco est [ναὶ] quod idem est quod[Ita.] Ego autem facile hanc dirimo controuersiam, affirmando hic,sub hac dictione[Etiam,]vtriusque linguę, nimirum Latinæ,& Græcæ,ab Archipropheta mentionem tacite factam fuisse,vt sic coniungendo[Etiam,] cum[Amen,](quod proculdubio est Hebræum) vt noster Propheta coniungit,dicens:[Etiam.Amen] hoc in loco,omnium trium linguarum,nempe Latinę,Græcę, & Hebraicæ, mentio fieret. Quamobrem huiusmodi duæ coniunctæ dictiones,[Etiam,Amen,] sic sonare assuero,[Ita,Etiam,Amen,] quarum [Ita] Græcum est, [Etiam,] Latinum plane, [Amen] tandem Hebræum puta. Et sic hic trium linguarum idioma reperitur. Hæc nostra expositio corroborari potest plane ex Laudunense, qui in sua glossa interlineari, super hunc lo-

Auctoris opinio.

Etiam, dictio est Græca,& Latina communis. Amen, dictio est Hebræa.

E cum,sic scribit:[Quod omni lingua firmandum,]& ex Strabo, qui in sua Gloss. ordin. sic ait: [Per hæc duo aduerbia, quorum vnum est Græcum .f. etiam, significantur gentes, per Amen, quod est Hebræum, Iudæi, qui omnes Deū videbunt in iudicio.] & tandem ex D. Thom. qui in hisce suis commentarijs in hunc locum sic inquit: [Hanc tamen confirmationem posuit in duplici lingua, scilicet Latina, & Hebræa, & sub his,intelliguntur omnes, quasi dicat omni lingua firmiter

Etiam, & Amen,quæ coniunguntur & copulā ur hic à loanne

Laudunen. Strabus. S.Thom.

[Cum

Cum igitur hi Doctores quidam vocent [Etiam] Græcum, quidam vero Latinum, vt prædictum est, & insuper omnes sub hac duplici dictione, [Etiam, Amen,] omnem linguam intelligant, sequitur aperte hic sub his duabus dictionibus, [Etiam, Amen,] trium præcipuarum linguarum, nempe Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, mentionem proculdubio factam fuisse à nostro Ioanne inter prophetas Primicerio, quemadmodum & ipse testatur in suo Euangelio, titulum crucis Christi, tribus præcipuis, & celebrioribus linguis inscriptum fuisse, dum ait: [Scripsit autem, & titulum Pilatus & posuit super crucem, erat autem scriptum Iesus, Nazarenus, Rex Iudæorum,] & paulo post, [& erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

Simile. Titulus crucis tribus linguis scriptus.

Ioan. 15.

§. 4. Sed dices. Cur hic trium linguarum, nempe Latinæ: Græcæ, & Hebraicæ ab Archipropheta fit mentio? dico. Tum vt omnibus linguis (quæ sub his tribus continentur,) & omnibus nationibus innotesceret virtus infinita, & iustitia recta istius iudicij, venturi ad iudicium, quo fortasse sacramento effectum est, vt Dominus in maioribus miraculis, ac etiam in transfiguratione sua, & in passione, trium tantum discipulorum societate vsus sit, dum dicitur Matth. 17. [Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] & Matth. 26. [& assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi.] Petrus namque Ecclesiæ Latinæ fuit caput. Iacobus vero Ecclesiæ Ierosolymitanæ præfuit, vbi Hebraica lingua regnabat. Et Ioannes noster, in Asia docuit, illamque fundauit Ecclesiam, lingua Græca illis regnum Dei prædicans, & euangelizans (vt mox dicemus) vt sic adimpleretur illud Apostoli ad Philipp. 2. [Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.] Tum quia vt sic, quam veritatem de Christo ipse prædicauit, hic tribus linguis inueniat quotus quisque credentium confirmatam. Tum, vt ipse eorum quæ dixerat omnino immutabilem veritatem, omnibus nationibus, nempe, Iudæorum, Græcorum, & Christianorum ex Iudaismo, & gentilitate conuersorum proprio terræ idiomate exprimeret. Tum quia sub his tribus linguis continentur plane omnes tribus terræ, quas ipse prædixerat, plangere oportere. Nulla etenim terrarum natio est, quæ vel Latina, vel Græca, vel Hebraica, non vtatur lingua, vt sic facile à quouis intelligeretur, omnes nationes, & omnium linguarum homines, venturos esse ad iudicium, visurosque esse Christum venientem. Et ex omnibus tribubus, futuros esse qui plangerent se super eum. Tum postremo, his tribus linguis, sermonem suum claudit, vt omnes credentes ex Iudæis, & ex Gentilibus, qui vna harum trium necesse est vtantur lingua, præmissa omnia vera esse credant.

Linguarum trium idioma ie quare verba Ioannis clauduntur.

1. Ratio. *Petrus caput Ecclesiæ latinæ. Iacobus præfuit Ierosolymis. Ioannes Prædicauit in Asia.* *2. Ratio.* *3 Ratio.* *4. Ratio.* *5. Ratio.*

§. 5. Plerique tamen exponentes, arbitrati sunt [Etiã Amen.] sic sonare [Vtinam fiat,] quasi hic [Etiam, Amen] sint optandi voces. Quamobrem S. Tho. postquam sua cum Glossa ordin. præallegatis verbis, [Etiam, Amen] apposuit expositionem, (quam nos supra retulimus) mox in hæc verba irruit: [Vel confirmatio potest intelligi optatiuè, quasi dicat, veniet; quia ita fiat, ita fiat, idem est etiam, amen, quod amen, amen.] Sic ille. Sustẽtabilis plane est hæc opinio. Tum quia noster vates loquutus hucusque fuerat, de aduentu Domini ad iudiciũ quare teneri potest ipsum hic optare, & desiderare, vt à se vaticinatum iudicium cito fiat. Quamobrẽ cum ipsemet in cap. 22. huiusmet sui vaticinij, vocem audierit dicentem: Ecce venio cito reddere vnicuique iuxta opera sua,] protinus exclamauit, dicens: [Amen, veni Domine Iesu.] Tum quia si sancti Patres, & antiqui vates, tanto desiderio flagrabant primum videndi aduentũ, in quo Christum venturum in forma humili, vt mũdum redimeret credebant, vt indicat Ecclesia cantans octo diebus ante Natiuitatem Christi illas Antiphonas [ò sapientia,] & iterum [O clauis Dauid,] & alia vice] ò Emmanuel, &c.] quid mirũ si vates noster Ioannes prophetarum Propheta optat, & desiderat magistrum suum Saluatorem nostrum iam triumphantem

Etiam, Amen possunt esse voces optandi. *S. Thom. in c. 2. Apoc.* *1. argum.* *2. argum.*

F in secundo suo aduentu iam venire, vt nos in corpore, & anima glorificet? Tum deniq; quia Apostoli multoties in suis epistolis nos exhortant, & docent, secundũ Xpi aduentum expectare, iuxta illud Apostoli ad Phil. 3. [Saluatorẽ expectamus Dominũ nostrum Iesum Xpm qui reformabit corpus humilitatis nostræ.] Perinde ac diceret. Desiderate istum secundum aduentũ, in quo tanta bona expectatis. Quod ad Rom. 8. confirmat sub his verbis: [Expectatio creaturæ reuelationem filiorũ Dei expectat.] Nomine autem expectationis, anxietas & solitudo quadam desiderij demonstrat, vt sic Dei Apostolus, nos secundum aduentum Christi expectare doceat, eo quod si in primo, nos à peccati seruitute redemit, in hoc secundo eosdẽ nos, à mortis, & corruptionis seruitute liberabit, iuxta illud ad Rom. 18. [Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionẽ corporis nostri.] Quare fieri potest, vt noster Archipropheta, eamdem nostri corporis
G renouationem sub his verbis, [Etiam, Amen.] hìc optet ac desideret, cito fieri.

3. argum. *Aduentus secundus Xpi optatur.* *Fructus vtriusque aduentus Christi.*

Conceptus Prædicabiles in textum.



DICTIO Hebræa, [Amen,], per se sumpta, confirmat id quod ab altero dictũ est. Quamobrẽ hæc geminatio, [Etiã, Amen,] magis auget affirmatiuẽ. Est etenim iuramentum promissoriũ. Idẽ siquidẽ est [Etiam, Amen,] quod [Amẽ, Amẽ.] Quæquidem geminatio semper auget apud Hebræos: ideoque saluator noster, illa crebro in Euangelio vtitur, nimirum, cum rem valde vtilem, & difficilem creditu confirmare vult vt videre
H est Ioan. 16. [Amen. Amẽ dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.] & Ioan. 9. [Amen Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit mortẽ nõ gustabit in æternũ.] et Ioan. 22. [Amen, Amẽ dico tibi Petre, non cantabit gallus donec ter me neges,] & Luc. 7. [Amen, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel:] Quibus in locis iurasse Christum affirmat (inter alios) Alphonsus Tostatus super Exodum c. 20. q. 9. sub his verbis: [Et in Euangelio Xps frequentissime iurat, cum frequenter dicit amen, amen dico vobis.] Hæc autem deducit Tostatus, ex illis verbis Xpi Matth. 5. [Nolite iurare omnino, &c.] Eo quod licet vitetur iuramentum, tamen non est simpliciter illicitum; quia tunc nullo modo permisisset illud scriptura, sicut non permittit adulteriũ, aut homicidiũ permittit tamẽ in multis locis iuramentũ. Iurauit. n. Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob dare terram Chanaam, vt pa-
I tet Gen. 22. Et Psal. 108. dicitur: [Iurauit Dominus, & non penitebit eum,] & Psal. 131. [Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum.] Cæterum hic sunt tria animaduertenda. Primò quidem, quod quãdo Deus iurat, vel promittit nobis aliquid cum iuramento, talis promissio ex parte Dei non est maioris firmitatis: sicut si fieret absque iuramento, bene tamen apud nos, quorum controuersiarum omnium finis (testante Apostolo) iuramentum est. Secundò vero, iuramentum Dei semper, aut crebro, est promissorium. Duplex siquidem est apud Theologos iuramentum, nempe assertorium, quod fit ad confirmationem veritatis de præsenti, & præterito; & promissoriũ, quod est de eo, quod in futurum a iurante faciendum expectatur, & sic iuramentum Dei, sæpe sæpius, est promissoriũ, nempe, de re futura quam nobis promittit in patria. Tertiò tandem, animaduertendus etiam est modus iurandi Dei, in veteri, ac in nouo Testamẽto. Quoniam Deus in ve-
K teri testamento sic iurare solebat: [Viuo ego.] At vero Christus in nouo Testamento mutauit hunc iurandi stylum, semper iurans sic: [Amen, amen dico vobis.] Quod plane ideo factum est, teste D. Hieronymo, quia antiquitus, id dicebat Deus viuus, & verus in condemnationem deorũ mortuorum, vt erant gentium idola, per quæ iurabant idololatræ; at nunc cessante idololatria, aduentu Iesu Xpi filij Dei viui, non iam opus est iurare

Concept. 1. Quod sub his verbis Etiam Amen, videtur iurasse Ioan. etc. *Alphons. Tostatus supra Exod.* *Iuramentum pro lubrico Xps ...* *Ad Heb. 6.* *Iuramentum duplex. Abul. in sup. cap. 5. Matth. q. 58.* *Iurandi stylus in vtroque testamento.* *D. Hieron. in c. 4. Ierem.*

habeamus,nec alios esse deos præter ipsum.Quamobrem sufficit, vt ipse sub his verbis, [Amen,amen dico vobis,]asserat affirmatiue,se hoc dicere, & promittere. Etenim iuramentum secundum Damascenum significat immutabilitatem consilij Dei, eo quod apud nos contractus, qui inuicem fiunt, ipsi iuramento rati sunt,& habent firmitatem. Et sic D.Basilius ait: [Iurat enim Deus, propter hominis incredulitatem, vt iuramento eos certiores reddat:] Quamobrem sufficit etiā quod eius discipulus Ioannes, videns deprauatos hominum animos, quibus aduentum secundum filij Dei ad iudicandum prædicabat, ad illud confirmandum vtatur affirmatiue his dictionibus, [Etiam, Amen,] quę perinde valent ac dixisset: [Amen, Amen,] id est ita certe fiet,ita certe fiet. Quod iuramentum promissorium plane est,cum sit de re futura,quam fide, omnes fideles expectamus.

Damasc.lib.1. cap.14.

D.Basil. hom. 1. de pœnit.

Textus.8.



EGO sum A,& Ω principium,& finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.

QVID hic huiusmodi Græcæ litteræ *Alpha, & Omega*, significent, non est cur diligentius indagemur, cum earumdem significatio mox subsequatur,nempe,*principium,& finis*. Quemadmodum enim dicente Domino: [Exijt qui seminat, seminare semen suum, & dum seminat aliud cecidit, &c.] ipsemet auctor gloriæ, non est passus tantorum verborum, tamque eximiæ parabolæ, ab alio quam a se ipso, explanationem efflagitari,quapropter illico subiunxit: [Est autem hęc parabola. Semen est verbum Dei, qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, &c.] Super quæ verba sic plane scribit D. Gregorius: [Si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Vnde & idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat.] Ita pariter nequis quid alpha, & omega significarent hoc in loco curiose quæreret, protinus in eodem contextu significatio adhibetur.

Comparatio. Luc.8.

D.Greg.hom. 15.in Euang.

§. 2. Parentesis potest interponi hic.

Poteſt tamen huiusmodi textus bifariam accipi, Primo siquidem illum cum parentesi legendo ita quidem: *Ego sum Alpha, & Omega (principium,& finis) dicit Dominus Deus qui est, &c.* & tunc illa clausula *principium, & finis*. textui est interiecta ab ipso Propheta, ad explanationem illorum verborum Domini dicentis, *Ego sum alpha, & omega*. & sic vates noster esset verborum Dei interpres. Secundo vero textum absque tali parentesi legendo sic: *Ego sum alpha, & omega,principium,& finis,dicit Dominus Deus qui est, qui erat, &c.* Et tunc ipsemet Deus subiungens: *principium, & finis*, esset sui ipsius,nempe suorummet verborum interpres. Quare noster vates non inciperet in hoc textu loqui, nisi ab illo puncto videlicet:*Dicit Dominus,qui est,&c.*Et quouis ex his legatur modo,duplicē reddit textus iste sensum, primus quidem est Dominum carere principio,& fine,eo quod primus is quidem est,qui ab aliquo principio nullatenus est, vltimus vero ille appellatur, qui alium finalē siue postremum post se minime habet. Quamobrem appellatione principij,& finis,siue primi, & postremi, Dominum, principio & fine carere, recte intelligitur

Ioan.est interpres verborū Dei.

Deus ipse est interpres sui ipsius.

...eus princi... & fine caret.

A iuxta illud Isa.44. [Ego primus, & ego nouissimus, absque me non est Deus.] & cap.41. [Ego Dominus primus,& nouissimus, ego sum.] Secundus vero sensus est,Dominum esse rerum omnium principium, & finē. Quoniam quemadmodum omnia flumina exeunt a mare(testante Salomone)& ad mare redeunt, & mare numquam redundat, sic omnis creatura exijt a Domino,quia omnia per ipsum facta sunt, & tandem ad ipsum redeunt per restaurationem, & Dominus creator semper in eodem statu permanet. Dominum itaque istum,qui & principio neque caret,& qui omnium rerum principium est,& finis, affirmat hic noster vates,stabilem,& sempiternum esse,venturumque(in nubibus ad nos iudicandum, vt paulo antea prædixit) omnipotentem ita, vt illi tunc, aliquis resistere nullatenus queat.

Ioan.1. Ephes.1.

B More tamen Prophetarum (vt ait Laudunensis) incedit hic noster Archipropheta. Stylus siquidem crebro inter Dei vates vsitatus est, Deum alloquentem in suis vaticinijs introducere.Sic Moyses inducit, Deum sibi dicentem Exod. 3. [Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac,& Deus Iacob.] & iterum:[vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & paulo post,[Ego sum qui sum,sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos.] & Ieremias etiam,id ipsum præstat dum Deum proponit sibi dicentem:[Priusquam te formarem in vtero,noui te,&c.]& iterum,[noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis.] & paulo inferius: [bene vidisti quia vigilabo ego super verbo meo.]& denique apud Isaiam, Ezechielem, Ionam,Nauum,aliosque minores, & maiores prophetas frequenter inuenies hæc verba:[Hæc dicit Dominus Deus.] Quod plane Dei vates præstare solent, vt C firmius,& melius, quæ prophetant, & vaticinantur de ipsomet Deo, à quouis credantur, & venerentur. Quocirca noster Prophetarum propheta Ioannes, vt his, quæ iam dixit, & etiam ijs, quæ adhuc sequentibus capitibus de Deo dicturus est, firmior assensus à quouis præstetur, Dominum de se ipso dicentem: *Ego sum Alpha, & Omega*, hic introducit.

§. 3. Prophetas in stylo scribendi sequitur Ioan.

Gloss.ordin.

Ierem.1.

Quis vero hic immediate loquatur,non satis exploratum est apud Expositores.Abbas namq; Ioachim, & Rupertus (quos sequutus est Franc. Ribera) existimant hic totam Trinitatem loqui.Verumenimuero vtriq;(si ambo tamen intelligant loquentem immediatum) repugnat idem opus Apoc. in hoc eodem capite, in quo supra iam plane dictum sic est, [mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.]Ex quibus verbis liquido constat,Angelum Domini immediate has reuelationes Apocalyp.proponere Ioanni, ex quo plane itidē, aperte D infertur,idem Angelum Domini hic immediate loqui ad Ioannem in persona Domini dicentis: *Ego sum Alpha,& Omega*.Sicuti Angelum Dei, & nullatenus Deū ipsum, fuisse illum qui in Rubo Exod.3. dixit Moysi: Ego sum Deus patris tui,Deus Abrahā, & Deus Isaac, & Deus Iacob,] tenent D. Gregorius, Glossa interlinearis, Lyranus,Matthias Doring, & alij plerique expositores in cap.3.Exod.Et optime.Quoniam Deus teste D. Augustino, numquam loquutus fuit sensibilibus creaturis, nisi in subiecta creatura. Iste tamen Angelus Apocalypsis (quemadmodum & ille qui describitur,Moysi apparuisse) modo Angelus, modo Dominus apparet. Angelus quidem, cum in persona propria crebro exterius loquitur, vti Apocalyp. cap. 22. [Vide ne feceris conseruus,enim tuus sum.]Dominus vero, cum in persona Domini frequenter loquitur, E quemadmodum hoc in loco, dum ait: *Ego sum Alpha, & Omega, &c.* Et vt clare, ac integre intelligeremus, Dominum illum, de quo ipse loquebatur, perpetuitate vndequaque pollere, postquam hoc per exempla litterarum *a*, & *ω*, significauit, mox quid illa elementa, siue characteres prædemonstrent subtexuit *Principium, & finis*. vel vt alij grauissimi, ac eruditissimi Doctores legūt, [primus,& postremus,] quod plane (vt cuilibet perspicuum fieri potest) idem omnino est.

§. 4. Trinitas quæ immediate loquitur Ioan.

Ioachim Ab. Rupert. Abb. Franc.Ribera.

Angelus immediate loquitur Ioan.

D.Greg. Laudunen. Lyranus. Matth. Dorl. D.Aug.

est. Per hoc autem, quod ait [*Principium*] vel [Primus] intelligitur minimè habere initium, quemadmodum etiam per hoc, quod, ait [*finis*] vel [postremus] carere fine. Quoniam ex eò quod apud homines haudquaquam accidat aliquem initio, & fine carere, vsus plane est noster Interpres fine, & principio. quæ apud nos sunt pro eo quod est fine initio, & fine, hoc est, perpetuitate omnino gaudens. Et ne quis principium ex non entibus hic introduci suspicetur illico subiungit [*qui est, & qui erat & qui venturus est.*] Hæ namque tres temporis differentiæ perpetuitatem, puta, æternitatem vtique demonstrant tum ab initio, tum ex fine. Ab initio quidem quod nihil ei præcedentium temporum desit: ex fine vero, quod successione careat. Quod plane clarius patefacit addendo [*Omnipotens*] hoc est, omnia potens tamquam vniuersæ sensibilis creaturæ auctor.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Eliminatio textus. §. 1.

Alpha, (ait) & Omega. Andreas Archiepiscopus Cæsaræ Cappadociæ, & etiam Arethas in suis cõmentarijs hic ad elementa, & characteres græcos [α] & [ω] non addunt [Principium, & finis] vt noster legit vulgatus. Hinc Arethas, Commentaria Andrææ græca in latinum vertendo, accipit ex vltimo capite huius operis [Primus, & nouissimus] & huic primo capiti hic inseruit. Cæterum reliqui qui hoc sanctum apocalypseos opus ex græco in latinum fideliter transtulerunt cum nostra quadrant vulgata vno dempto Primasio, qui more græcorum etiam legit. [A, & ω, dicit Dominus, qui est, &c.] Et non addit: [Principium, & finis.] Vnde Emmanuel, Sa, in suis Notationibus in Apocalypsim arbitratur hæc verba. [Principium, & finis.] Nullatenus reperiri in codicibus græcis, nec minus in omnibus latinis. Quamobrem ipse in hunc locum sic scribit. [Principium, & finis, id non est græcum, nec in omnibus latinis. Videtur ab aliquo additum ex cap. 21. & 22. explicationis causa.] Sic ille.

Andreas. Arethas — *Primas.* — *Emmanuel, Sa, Iesuita.*

§. 2. Angelus Apocalypsis de qua persona Trinitatis loquatur.

Sed postulat iam ratio, vt de quo Angelus Apocalypseos hic immediatè loquutus fuerit explicemus, nimirum an de sola persona patris, an vero de sola persona filij, aut de sola persona Spiritus sancti? Vel an de tota Trinitate simul? Quidam expositores (inter quos est Abbas Ioachim, Rupertus, & Ribera) moti ex illis dumtaxat verbis [*qui est, & qui erat, & qui venturus est.*] intelligunt hic de tota Trinitate sermonem esse, vti idem supra etiam asseuerant in illum locum, [gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.] Vbi sequutus plane fuit hos doctores Iacobus Suarez à sancta Maria, vt videre est in suis concionibus in Apocalypsim, serm. 3. qui tamen postea hic eosdem dereliquit, vt apparet in eisdem suis concionibus, serm. 6. pag. 113. Præfata tamen opinio Ioachimi non est cur hic a nobis nouiter infrigatur, cum illam supra iam refutauerimus, ad quem plane locum remittimus lectorem. D. tamen Dionysius Carthusianus, ex vi illorum verborum: [*Dominus Deus*] putat sermonem esse de Deo, & de qualibet diuina persona, dummodo illa vltima particula: [*Qui venturus est omnipotens.*] De solo patre exponatur: Et idem, prorsus tenet venerabilis Beda, quos supra etiam text. 5. para. 3. proculpepulimus. Doctores verò, qui tenent Angelum missum ad Ioannem fuisse Spiritum sanctum tenentur ex consequenti asserere. hic spiritum Sanctum loquutum fuisse, attamen horum opinionem nos supra text. 1. par. 10. diligenter prorsus a prima vsque ad vltimam, eradicauimus, ac euellimus Radice. Postremo. D. Ambrosius, Strabus in sua glossa ordinaria. S. Thomas, Primasius, Andræas Cæsariensis, Arethas, Autor,

Iacobus Suarez retractat suam opinionem. — *tex 5. par. 1.* — *D. Dionysius Carthus.* — *Beda.*

§. 3. vera sententia. *D. Ambros. Strabus. S. Tho. Primas. And. Cæs. Areth. Aut. incogn. Blas. Viegas.*

F Incognitus, & ex recentioribus Blasius Viegas in hisce suis commentariis, tenent præallegata verba [*Ego sum Alpha, & Omega*] de Iesu Christo Domino nostro esse intelligenda: quæ plane opinio mihi magis arridet. Tum quia Apoc. 22. sic habetur. [Ego Iesus misi Angelum meum, &c.] & paulo supra [Ecce venio citò, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua. Ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.] Vbi nullus negare potest, ipsummet Iesum esse Alpha, & Omega. Tum quia Angelus iste Apocalypsis loquitur duntaxat proculdubio, vel in persona propria, vel in persona mittentis, non enim videtur, in qua alia loqui possit; igitur sicuti cum dixit: [Fui mortuus, & eccè sum viuus;] nequit intelligi de persona propria: quoniam Angelus, nec fuit mortuus, nec resurrexit: Ita etiam cum
G ait: *Ego sum Alpha, & Omega.* Nequiet intelligi de persona propria: quoniam Angelus nec caret principio, nec minus est principium, & finis creaturarum. Ergo sicuti locus ille, [fui mortuus, & eccè sum viuus,] Accipitur de persona mittente; sic etiam iste alius: *Ego sum Alpha, & Omega*, necessario de persona sola mittente veniet intelligendus: At qui persona mittens est Iesus, iuxta illud Apoc. 22. [Ego Iesus misi Angelum meum] igitur, &c. Tum quia cum Ioannes continuata serie, a principio operis, vsque hùc de Christo loquatur, non est cur hic aliam personam, nisi solam personam eiusdem Christi filij Dei loquentem introducat. Tum quia noster Archipropheta, hoc primo capite præparat quædam Epitheta de Christo, quæ duobus sequentibus capitibus, singulis proponit Ecclesijs, vti Ecclesiæ Ephesinæ ait in cap. 2. [Hæc dicit qui tenet septem
H stellas in dextera sua, quæ plane verba de Christo intelliguntur, illud tamen attributum [septem stellas,] hoc primo capite præparat, dum ait, [& habebat in dextera sua stellas septem.] Quæ quidem verba, de sola persona Christi intelligenda veniunt, cum nulla persona in sacro eloquio, filius hominis nuncupetur, nisi Christus, filius Virginis Mariæ: At Angelus iste Apocalypsis in cap. 3. ait Pastori Ecclesiæ Laodisiæ: [Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei] quæ verba omnes quotquot sunt Doctores, quinimmo, & ipse Ioachimus, Rupertus, Ribera, qui tenent primam opinionem, & Beda, D. Dionysius Carthusianus, & alij Doctores qui alias duas tuentur sequentes, de persona Christi enodant, tenentes quod ipse sit principium creaturæ Dei, nempe, vniuersorum, iuxta illud, [omnia per ipsum facta sunt,] vel princi-
I pium creaturæ Dei, id est dignitate, & gratia secundum naturam assumptam; quapropter ipse, de seipso dixit Iudæis: [Ego principium, qui, & loquor vobis.] Igitur oportet asserere dum hic in 1. cap. Angelus iste dixit: *Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis*, preparasse Christo, illud attributum [principium creaturæ Dei,] quod postea in cap. 3. pastori Laodicensi dixit. [Tum vltimo, quia iacula quæ præuidentur minus feriunt, vt ait D. Gregorius: Atqui poterant existimare aliqui, iudicem quem noster vates prædixit venturum ad iudicium, cum dixit.] Ecce venit in nubibus: [esse solum hominem cum iudicaturus sit orbem in forma humana, nimirum, in forma serui, igitur, oportebat Ioanni præuenire, & prædicere Ecclesiæ Dei, iudicem venturum, nempe Christum, esse Deum, qui fine, & prin-
K cipio caret, & principium, & finis vniuersorum est, vt postea ipsa sancta mater Ecclesia similes vacillantes circa personam iudicis Christi, intrepide profligaret, dicendo de illo in Symbolo Nicæno: [Deum de Deo,] quoniam ipsemet Christus, Ioan. 14. de seipso dixit: [Ego, & pater vnum sumus, quibus verbis æqualitas, & consubstantialitas Christi cum patre æterno satis perbellè probatur (quam etiam cõtra Arium, Nestorium, Caluinum, Bezam, aliosq. huius nostri temporis hæreticos, perdoctè, & validissimè probat

Auctoris opinio confirmatur. — *1. Ratio.* — *2. Ratio.* — *3. Ratio.* — *4. Ratio.* — *Apoc. 2.* — *Apoc. 1.* — *Apoc. 3.* — *Ioan. 1.* — *Ioan. 8.* — *5. Ratio. D. Greg. hom. 35. in Euang.* — *Robertus Bellarmin. [illegible]*

Rober-

Robertus Bellarmin.tom.1.contr.2.l.1.de Christo: & Gregorius de Valentia in p.p.S.Thom. disp. 2.q.1.) & cum hac nostra sententia stare plane potest sensus, quē ex hisce verbis [*Ego sum Alpha & Omega*] elicit Lyranus, dum in hunc locum sic scribit: [Quasi dicat non potest frustrari, nec immutari mea sententia :] quem videtur prosequi, & vlterius extendere, quidam Neotericus doctor, dum in hisce suis commentarijs, existimat hunc esse huius textus germanum sensum [Ego sum Alpha &c. Quasi dicat non mirum videri debet, si dicor esse testis fidelis, Primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ, & in nubibus cæli ad iudicandum cum maiestate venturus, cum ipse sim Alpha, & Omega, principium, & finis vniuersorum, simque secundum diuinitatem ipse, qui est, & qui erat stabilis, inquam, & sempiternus, & illle qui tanta cum maiestate venturus in sacris litteris prædicatur.] Qua propter ex dictis arbitramur allucinari omnino illos qui hunc textum (in quo primi, & vltimi, principij, & finis mentio fit) aut de tota Trinitate, aut de qualibet, ex tribus personis diuinis enodant, nulla facta de persona, & supposito Christi filij Dei mentione, de quo directè sunt huiusmodi reuelationes Apocalypseos, pro vt supra satis enodatum probatumque a nobis est, dum de obiecto huius operis in primo textu ageremus.

Blasius Viegas in cap.1. Apoc.sect.19.

§. 3. Origo duarū litterarum græcarum, scilicet A, & ω

Origo, Porro, Natura & significatio harum duarum Græcarum litterarum *Alpha & Omega* (vt facilius quid de Christo hic dicat Angelus Dei percipiatur) indaganda vtique venit. Habent siquidem Græcæ litteræ origenem ab Hebræorū litteris, quarum primordia, in Aegypto inuenta planè fuere; Quoniam quamuis absque errore tenere possimus cum Iosepho lib. 1. antiquit. cap.4. & cum Petro Antonio Beuter Valentino, in lib. annotat. in Sacram Scripturam, annotatione. 6. fol. 114. litteras fuisse ante Moysen, quinimo ante diluuium, & quod magis est ab initio mundi, eo quod non est credibile patrem Adam omnino scientia plenum, nescisse litteras inuentare, vel non aduertisse necessarias esse hominibus, cum fuerit creatus a Deo, perfectissimus omnium, citra Christum Dominum. Veruntamen cum nulla litterarum monumenta apud homines apparuerint donec temporibus Moysi, populus Dei, legem scriptam à Deo acceperit, tamquam verisimilior mihi magis arridet, asserere cum Alphonso Testato in Aegypto litterarum primordia incepta fuisse, vt ipse in cap.32.Exod.q.2.tenet & scribit, nec non cum Marco Varrone, qui suam hystoriam a diluuio Ogigi exorditus fuit, & cum Ouidio qui rerum originem a diluuio sub Deucalione Rege Thessaliæ scribere incipit, satis acutè probat. Quæ plane opinio corroboratur vtique ex eō quod liquet omnibus, olim in Aegypto pleraque fuisse Hieroglifica, quæ sacræ litteræ ab ipsis Aegyptijs appellabantur: quæ planè notæ quædam erant vnum repræsentantes & aliud significantes. Quemadmodum dum Aegyptij tutelam significare volebant, duo capita pingebant, vnum maris intro aspicientis, & aliud faminæ extra aspicientis, de quibus Orus Niliacus multa scripsit, & Ioannes Pierius Valerianus, in octo libris Hieroglificorum, ex sacris Ægyptiorum litteris. Cæterum quamuis characteres, litterę, & elementa Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum à Moyse in Ægypto, vel ab Esdra post captiuitatem Babylonicam, vel ab Adam in principio mundi ortum habeant, tamen litteræ Græcorum (quales plane hę duę sunt, alpha, & omega) originem ab Hebræorum litteris, teste Isidoro 2. lib. etymologiarū habuerunt. Ibi enim Isidorus aperte fatetur litteras Latinas, & Græcas, ab Hebræis ortas fuisse. Nam apud Hebræos prius dictum fuit [Aleph,] & deinde ex simili annuntiatione apud Græcos tractum est [Alpha,] & apud Latinos [A] & teste D. Hieronymo, nomen illud Dei, nimirū [Tetragrammaton,] (quod plane apud Hebræos originē obtinuit, apud quos magni sane est momenti, cum substantiam Dei sine aliqua proprietate attribuali significet.) in quibusdam Græcis voluminibus vsque hodie, antiquis litteris (Hebræis videlicet, vt Tostatus, Brito, & glos.ordin.ibidem expendunt) expressū inuenitur, & quamuis Carmentas, qui floruit tempore belli Troiani litteras Latinas (vt quidam tenent) inuenerit, tamen hoc nullatenus obstat quin Latinę, & Gręcæ litteræ ab Hebræis litteris originem duxerint. Natura vero earumdē duarum Græcarum litterarū, talis plane est, vt [Alpha] prima, & [Omega] vltima eorumdē Græcorum alphabeti sit. Constat siquidē ex D.Hieron. in principio præallegati prologi Galeati in libros Regum, apud Hebræos, Syros, & Chaldæos viginti duas litteras dumtaxat esse, & insuper apud Latinos viginti tres, & apud Græcos viginti quatuor, vt ex eorumdem alphabetis liquido constat, quarum prima inter Hebræos, Syros, & Chaldæos, est [Aleph,] cuius character (apud Hebræos dumtaxat) est [א]. Dixi inter Hebręos eo quod Syri, & Chaldæi, eisdē litteris cum Hebręis vtuntur, & eodē modo proferuntur. Cęterum apud ipsos non sunt idem characteres nec eædem voces vt tradit D.Hieronym. dum in prologo Galeato in libris Regum sic scribit: [Syrorum quoque & Chaldeorum lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est, nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diuersis characteribus.] Et licet differant in characteribus, litteræ tamen apud ipsos sunt eædem, quemadmodum apud Latinos, licet non sit identitas idiomatis apud omnes nationes; sunt tamen eædem litteræ. Et quantum ad hoc dicitur tota lingua Latina habere cōformitatem quandam, quamquam non sit vnica omniū Latinorum lingua, sed quęlibet lingua, suum idioma habeat. Ita pariter voces Chaldæorū, Syrorum, & Hebręorum inter se multum differunt, sicuti Hispanorum, Gallorum, & Italorum: litteræ tamen sunt eædem. Vltima vero est [Tau] cuius character apud Hebræos est [ת] Dixi [Tau,] quoniā quamuis apud Hebræos, Syros, & Chaldæos sit varietas in characteribus, vocibus, & apicibus, tamen apud eos omnes eisdem nominibus vocantur litteræ. Quoniam vt tradit Abulensis in prologo Galeato D.Hieron. in libros Regū q.6. sicuti Hebræi vocant, aleph, bet, gimel, vau: sic Syri, & Chaldæi. Inter Latinos vero (& hoc omnimoda prorsus amota ambiguitate) prima eorum alphabeti littera est a. postrema vero est x. & apud Græcos prima est [Alpha,] cuius apud eosdem duo sunt characteres, nempe [A] & [α] Postrema vero [Omega] cuius etiam apud eosdem, duo itidem sunt characteres, videlicet [Ω] & [ω.]

Iosephi. Ant.Beuter.

Tostatus.

Marc.Varro.

Ouid.

Orus Niliacus. Ioan.Pierius.

Originis litterarum, & characterum variæ opiniones.

Isidor.

D. Hier. in prolog. ad Galeat. in lib. reg.

Tostat. Brito. strab.

D.Hieronī

Litterarū numerus apud Hebræos, Syros Chaldæos Græcos, & Latinos.

Abulen. in prolog. D. Hier. ad Galeat.

§. 4. Litterarum græcarum alpha, & omega significatio.

Significatio insuper harum duarum Græcarum litterarum, ex earumdem origine, & natura plane deducitur. Significat itaque [Alpha] primum in vnoquoque genere apud omnes nationes. Alpha siquidem cum originem ab Hebraicis litteris obtineat primum, est in vnoquoque, tam Hebręorum, quam Syrorum, Chaldæorum, & Latinorum alphabeto. Tum quia prima vox naturalis, & articulata per [Alpha] redditur apud omnes nationes; quoniam teste Plutarcho, spiritus, qui est in ore potissimum, labiorum motu formatur, & fingitur, & primus hic sonus simplex egreditur, qui nec linguæ requirit auxilium, & sic pueri nascentes primam hanc edunt, & emittunt vocem. Tum quia vocales, quarum vna est alpha, consonantibus iure præferuntur, eo quod citra illarum adminiculum sonant: & his duabus de causis, alpha, primum locum inter litteras, in vnoquoque alphabeto tenet. Hinc plane est, quod [Alpha] primum in vnoquoque genere apud omnes nationes significat. Significat etiam id quod necessariū est. Quod enim est alpha apud Gręcos, erat plane bos apud Ægyptios. Cōstat autē bos animal esse humano victui maxime necessarium. Hinc Ioannes Pierius lib. 3. Hieroglyficorum de boue prima Ægyptiorum vocali sic scribit: [A Phœnicibus etiam est honos habitus boui, qui litterarum vt fama est, inuentores primæ vocalis nomine bouem appellitabant, cum animal sit humano victui maxime necessarium. Quod vero necessarium est, vti dixit Hesiodus, neque secundum, neque tertium esse debet, sed primum: illico prima vero littera est a. quæ

Alpha primū in vnoquoq. alphabeto significat.

Alpha prima initialis littera in quouis alphabeto, & cur.

1.Ratio. 2.Ratio. 3.Ratio.

Alpha significat, id quod necessarium est.

Bos prima vocalis littera erat apud Ægyptios.

Pierius.

suapte natura ex immo baratri, nullius veluti reliqui instrumenti indiga, vt puta linguæ dentium, aut labiorum libera pronuntiatur, prin sque in infantibus articulata dignoscitur. At & terra cuius Symbolum est bos, prima omnium humanæ consuluit infirmitati, prima alimenta subministrauit, prima rerum omnium vsus vtilitatem ab ea poscentibus elargita est.] Quare cum bos prima vocalis Ægyptiorum sit, sicuti Alpha Græcorum, restat, vt Alpha, id quod necessarium est significet, quemadmodum, & bos necessitatem designat. Significat itidem alpha, Principem, & qui primum inter pauperes locum in aliquo regno tenet. Hinc Codrum illum, cuius Virgilius Egloga 5. sub his verbis meminit.

3 significatio litteræ alpha

Alpha significat principē.

Virgil. Eglo. 5

Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.

Iustinus in historia Trogi Pompei, li. 2.

Et quem Iustinus historicus lib. 2. vltimum Atheniensium Regem sub his verbis appellat: [Post Codrum nemo Athenis regnauit quod memoriæ nominis eius tributum est.] Hunc itaq; Codrum Martialis, Alpha penulatorum nuncupat, scribens de eo lib. 2. Epigrammaton, Epigrammate 57. sic, [Infictum diuitem.

Martial. lib. 2. epigram. epig. 57.

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum
Amethystinatus, media qui secat septa,
Quem non lacœrnis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus Alpha penulatorum,
Quem grex, &c.

Et libro 5. eorumdem epigrammatum, epigrammate 27. sic.

Ad Codrum.

Martial. lib. epig. epigra. 27.

Quod Alpha dixi Codre penulatorum
Te nuper, aliqua cum iocarer in charta
Si forte bilem mouit, hic tibi versus,
Dicas licebit Beta *me togatorum.*

penulatus à quo deriuatur. penula quid sit. penula apud Hispanos Italos, & Sardos quo nomine appelletur.

Penulatus autem (vt recte quid sit alpha penulatorū à quouis intelligatur) deriuatur à penula. Est vero penula vestis densa & vilis, quæ nebuloso seu pluuioso tempore supra tunicam assumitur loco pallij, ad arcendas à corpore pluuias, quam Hispani: [Zamarro, ò vestidura de cuero para el agua.] Itali, [Gabano,] Sardi vero Peddizoni,] lingua vernacula vsque in hodiernum diem appellant. De qua quidem penula siue veste multa tradūt Pompeius, Iuuenalis, Varro, Lampridus Bayfius, & ipsemet Martialis lib. 14. epigrammate 128. dum sic canit:

Pompeius in penicia. Iuuenal. sat. 5. Martial. lib. epig. epigra. 128. Bardacucul.

Gallia Santonico vestiet te Bardacucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

penula Gausapina quid sit.

Et etiam epigram. 130. loquens de penula scortea, & epigram. 147. agens de penula Gausapina, quæ candida & villosa erat, qua hyberno tempore Senatores intra vrbes frigoris causa vtebantur. Ab hac itaque veste penula deriuatur penulatus, sicuti togatus à toga. Quare vocando Martialis, Codrum, alpha penulatorum, esse primum locum obtinētem inter pauperes, plebeios, & humiles appellat. Et sic alpha principem, regem; præcipuumque virum in aliquo regno indicat. Significat denique alpha, maiorem numerum, nempe, mille, quæquidem significatio depromitur ex [Aleph.] prima alphabeti Hebræorum littera, quæ apud Hebræos tanti est pōderis & momenti, vt [mille] interpretetur, ponaturque quibusdam psalmis, ac lamentationibus Ieremiæ pro titulo, ac Deum ipsum significet; qui iure dicitur mille, qui est maior numerus qui possit esse propter immensitatem. Omega vero easdem habet per antithesim, significationes oppositas ex diametro. Quoniam cum alpha sit prima, & omega sit vltima in alphabeto Graco, & primum ad vltimum, & vltimum

4. significatio Grecę litterę alpha. Per Berch. in suo repert. p. p. lit. A. f. 129.

F ad primum ex Philosopho dicant relationem cum sint relatiue opposita, possumus proculdubio per antithesim ex vno contrario, rethorice, & philosophice loquendo, naturam, & significationes sui oppositi inuestigare. Significabit igitur omega vltimum in vno quoque genere, quia ista est inter litteras vltima. Significabit non ita necessarium, nimirum necessarium secundum quid & ex hypotesi, quoniam cum alpha significet necessarium simpliciter, poterit omega necessarium secundum quid demonstrare. Fieri enim potuit vt aliquod animal pauci momenti, vt sunt ciniphes, ranæ, vermiculi, aut his similia, esset apud Ægyptios Hieroglyphi eorum vltimum, postrema nimirum, inter eos, sacra littera. Significabit etiam seruum, quemadmodum intelligendo principem, siue omnium dominum dicere possumus alpha penulatorum, sic pariter intelligendo seruum, siue subditorum, G minimum dicere possumus, omega penulatorum, nihil sane obstat, cum princeps, & subditus, dominus, & seruus relatiue opponantur. Significabit itidem minorem numerum, dummodo tu per numerum minorem vnitatem, quæ iuxta Philosophum principium numeri est, nullatenus intelligas. Significabit tandem omega, mortem, finem, crucem, consummationem, & omnia alia quæ, Tau, vltima Hebræorum, & x. postrema latinorum obtinent: quoniam quemadmodum istæ sunt vltimæ in eorum alphabetis, sic Græcorum alphabeti, finalis, & vltima omega quidem est.

§. 3. Alpha, & Omega curXps nuncupetur. Græcorum consuetudo. Teocr. eglog. 8. Homer. Ilia. 1. Horat. lib. 1. epistolarum, epistol. 1. ad Mecenatem.

Appellauit autem Angelus Apocalypsis, his duabus litteris alpha & omega, Christum. Tum quia mellifluus propheta Ioannes, cui ipse has proponebat reuelationes, hoc suum vaticinium Græco idiomate H posteritati erat traditurus, & apud Græcos, crebro vsitatus mos vtique erat, eum, nimirum, quem mirifice commendare volebant, primum, & vltimum nominare, vt tradunt Teocritus, Homerus, & Horatius: Et cum ipse Angelus vellet Ioanni mirum in modum commendare Christum, qui illum ad Ioannem miserat, iuxta illud Apoc. cap. 22. [Ego Iesus misi Angelum meum,] illum, alpha, & omega, litteras videlicet, quæ primum, & vltimum designabant, appellauit. Tum, vt nos ad amorem Christi diligenter impelleret: fuit siquidem (vt humanæ narrant historiæ) cuiusdam Regis filius, qui nec leggere, nec alphabeti saltem elementa, ac characheres mente capescere vmquam potuit, tunc eius pater rex, desiderio flagrans, vt filium suum litteras dediceret, ex pueris cum quibus propediem filius suus in foro ludebat, totidem accepit, quot sunt in alphabeto litteræ, & characteres, illisque nomina litterarum, ac I characterum singulis imposuit, vnum scilicet eorum vocans, a. alterum b. alium c. reliquum d. & sic de cæteris, vsque ad viginti tres litteras, & characteres qui sunt in alphabeto, vt quando filius, vnumquemque puerum ad ludendum vocare vellet, eumdem a. vel b. aut c. siue d. appellaret, vt sic ipse litteras, & nomina characterum mente retineret, vt deinceps facile alphabetum memoriæ mandaret, & cito disceret perlegere. Perinde plane Angelus iste Apocalypsis videns nos, & Christi, & finis, principijque nostri, miruminmodum oblitos, ipse Christum alpha, & omega hoc est principium, & finem appellat, vt imposterum nos, tum ad amorem Christi, tum ad finis, & principij nostri memoriam mente perpendendam, crebro ac frequenter impelleremur. Et hoc ipsum ad mentem nostram reducere contendit Sanctus ille Iob, dum dixit: [Nudus egressus K sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.] & Salomon: [Vnus est introitus ad vitam omnibus, & similis exitus.] Et Ecclesia cum feria 4. cinerum, cinere, & puluere nos signat dicens: [Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] Hoc plane est illud signum, de quo Ezechiel. 8. dicitur: [Et signa Thau super frontes virorū.] Hoc est memoria mortis, & per cōsequens principij, & finis nostri, quæ nūquā è mēte nostra

Comparatio optima. Iob. 14. Sap. 7.

nostra excidere debet. Et hoc ipsum plane est, quod Christus Matth. 6. indicare voluit, dum dixit: [Vnge caput tuum,] caput siquidem nostrum tunc vngimus cum principij, & finis nostri memoriam mense retinemus.

§. 6. Principium, & finis Christus.

Iesum Xpm autem Alpha & Omega Principiū, nimirum, & finem esse, restat nunc explanandum. Idque sanè patet, tum quatenus Deus, tum quatenus homo est. Cum enim Verbum caro factum fuerit, constat planè duas naturas, videlicet Diuinam, & humanam in vno esse supposito, cum vnio facta fuerit in persona diuina, vt dispungunt Theologi in 1. lib. Sent. cum Magistro, & in p. p. cum S. Tho. ex quo plane ortum habet Filium Dei, & filium hominis in sacro eloquio, Christum crebro appellari, & secundum vtramque filiationem siue secundum vtramq; naturam. Alpha, & Omega, Principium, & finis quippe est Iesus Christus: Quoniam quatenus Deus, verbum, vel filius Dei, est Iesus Christus principium, ante quem nullus; finis, post quem nullus, principium creans, per potentiam, finis iudicans per iustitiam. Principium a quo omnia, iuxta illud Ioan. 1. [Omnia per ipsum facta sunt,] & finis propter quem, & ad quem omnia, iuxta illud Prou. 16. [Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus. [Alpha a quo omnia cœperunt: Omega in quo omnia terminabuntur. Principium effectiuum, quia creator: finis beatificans, quia veræ felicitatis, & beatitudinis electorum est obiectum. Alpha, quia principium generis humani: Omega quia finis legis, mortis, omnisque præuaricationis. Principium, quia] In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Quoniam verbum Diuinum ante mundi constitutionem æternaliter cum patre erat permanens: finis quia [verbum caro factum est,] qui venturus tandem est ad iudicandum. Et plane in hoc sensu accipiuntur de Iesu Christo sequentes vtriusque testamenti auctoritates. [Ego primus, & ego nouissimus. [Esa. 44.] Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.] Deut. 32. [Tecum principium in die virtutis tuæ [ps. 109.] [Ego principium, qui & loquor vobis,] Ioan. 8. [Ante quam Abraham fieret ego sum] Ioan. 8. Et aliæ pleræque auctoritates quæ in ratione principij, & finis, primi, & nouissimi, de Iesu Christo quatenus Filius Dei est enodandæ quidem veniunt. Quamobrem D. Ambrosius de Iesu Christo hic sic scribit. [Quid sit Alpha & Omega sequentia manifestant, id est principium & finis sicut ipse dicit Iudæis: Ego sum principium qui & loquor vobis. Potest Saluator noster principium dici, eò quòd ipse sit principium, idest, creator generis humani, & auctor salutis, finis autem potest dici, quia ipse est finis legis, finis mortis, omnisque præuaricationis.] Et D. Augustinus: [Sicut alpha litteram nulla alia præcedit, ita & filium Dei, & nulli secundū constat esse quia Deus est.] Et D. Athanasius:] Deus esse pronuntiatur cum dicitur: Ego sum primus & nouissimus, & post hæc futurus, vnus enim solus Deus & princeps est, neque ea, ad demolitionem filij referantur, absit. Est enim ille ipse in vno primo & solo, vt vnius primi, & soli, vnicum verbum, & sapientia, & splendor.] Et Origenes illa verba Gen. 1. [In principio creauit Deus cælum & terram] de Iesu Christo sic exponit dicens: [Quod est omnium principium nisi Dominus noster, & Saluator omnium Christus primogenitus omnis creaturæ. In hoc enim principio, hoc est, in verbo suo, fecit Deus cælum, & terram.]

S. Thom.
Christus quatenus Deus est principiū & finis.
D. Ambr. in cap. 1. Apoc.
Ioan. 8.
D. Aug. &c. arianos.
D. Athan. ser. 4. cont. arian.
Orig. hom. 1. & in genesim

§. 10. Christus quatenus homo est principiū & finis.

Quatenus etiam homo, Alpha, & Omega, Principium & finis vtique est Iesus Christus. Principium, quia de eius humanitate sanctissima intelligi etiam potest illud [Ab initio & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam] & illud. [Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam] finis quia ipsa est de qua scribit Apostolus: [Deinde finis cum tradiderit regnum Deo patri, & cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.] Principium, quia ipsa est [Principium creaturæ Dei;] Finis, quia ipsam in æternum Angeli Dei adorabunt. [Et cum iterum introducet primogenitum in orbem terræ dixit, & adorent eum omnes Angeli eius] Alpha, quia filius hominis est, Princeps Regum terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Omega, quia [filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & ponere animam suam in redemptionem pro multis. [Principium, quia est primus virorum,] primogenitus in multis fratribus. [Finis, quia de ipso dicitur.] Vidimus eum nouissimum virorum [Alpha, quia ipse est speciosus forma præ filijs hominum, & diffusa fuit gratia in labijs suis.] Omega, quia de eo dicitur. [Vidimus eum, & non erat aspectus, neque decor.] Principium quia primam vocem emisit plorans in præsepio: Finis quia vltimam vocem emisit clamans in cruce: [voce magna expirauit:] Alpha, quia ipse est caput hominum, & Angelorum; Omega; quia de eo dicitur: [Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & obiectio plebis.] Principium quia sancta eius humanitas est principium instrumentale gratiæ in omnibus operibus nostris, sine quo nihil prorsus boni præstare valemus: Finis, quia ad ipsam quotidie aspirare debemus: Ideo Leuit. 3. & 7. præcipiebatur, quod ille qui sacrificium offerret, adipem, & caudam Deo semper sacrificaret, Pinguedo planè, in signum quod illa sancta humanitas Messiæ futura erat instrumentale principium in nostris operibus per gratiam, cauda vero quia ad eamdem omnia nostra opera tanquam ad finē & scopum, tendere & terminari deberent, dicente Sponsa: [Pone me vt signaculum super cor tuum, & signaculum super brachium tuum.] Alpha, quia filius hominis, est inter resuscitatos primus, cū ipse sit, qui ad vitā prorsus immortalem resurrexerit, & ideo primitiæ dormentium ab Apostolo appellatur. Omega, quia ipse est finis in salutem omni credenti. Principium, quia homo est, per quem Deus fecit omnia; finis quia homo est omnium rerum finis, dicente Philosopho lib. 2. Phys. [Nos omnium rerum quasi fines sumus] & iterum [Homo rerum omnium finis.] Principium tandem, quia sanctissima humanitas Christi, debet esse prima in intentatione nostra: Finis vero quia ipsamet debet esse vltima in omni nostra executione: Omnia opera & actiones nostras, ad ipsam tanquam ad principium earumdem reducendo. Tunc enim homo est rectus in sua actione, quando non declinat a principio, sciens se nihil habere nisi a Deo nec a fine, ordinans se, & omnes actus suos ad Deum, qui (Teste Psalmista) saluos facit rectos corde. En igitur qualiter Iesus Christus, tum ratione diuinitatis, nempe, vt Filius Deo, tum ratione humanitatis nimirum, vt filius hominis, Alpha, & Omega, Principium, & Finis, vtique est.

Sap 17.
1. Cor. 15.
Apoc. 3.
Apoc. 1.
Matth. 20.
Isa. 53.
Ps. 44.
Isa. 53.
Sap. 7.
Marc. 15.
Luc. 23.
Ps. 21.
Nota bene figuram.
Cant. 8.
1. Cor. 15.
Arist. lib. 2 phys. tex 24
D. Thom. in comment.
Rectitudo in nostris actionibus, est necessaria.

Conceptus Prædicabiles in Textum.




LPHA, & Omega, principium, & finis appellatur hic Christus; Quoniam filius Dei, Deus ac Dominus noster tantus est, quantus est pater. Patri autem æterno nihil potest comparari quoniam ipse est (vt ait D. Ambrosius libro de fide contra Arianos cap. 6. quærens quid sit Deus) de quo cum dicitur non potest dici, cum æstimatur non potest comparari, cum diffinitur, ipsa diffinitione crescit: Qui cælum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit; quem totum omnia nesciunt & metuendo sciunt: cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis. Et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Et sic nō potest esse aliquid quo possit pater comparari. Qua propter hic, filius eius Iesus Xps Dñs noster, se Alpha, & Omega, Principium scilicet, & finem appellat

Conceptus P. Quod filius in diuinis sit æqualis patri æterno.
D. Ambr.

E e 3

lat sicuti, & ipse pater est. Quoniam filius talis est, qualis pater, & non aliunde quam de patre, iuxta illud [Exiui à Patre, & veni in mundum.] Exiui tanquam lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Hinc ipsemet, Ioan. 10. ait. [Ego & Pater vnum sumus,] non enim ipse, se vnum cum patre diceret, nisi talem se, qualis est pater, sciret. Hinc & Apostolus: [Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens &c.] Ratio si quidem quæ apud Græcos [λόγος] nuncupatur, quæ inter patrem, & Filium personas, vel vocabula distinguit, filio apprimè conuenit, quia & ipse filius Iesus Christus Dominus noster ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo Leo, modo via, modo veritas. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus per hæc vocabula, diuinarum dispositionum mysteria (non vt ipsa maiestas filij, Dei proprie definita monstretur) cognoscuntur: Quamobrem filius æternus Verbum nuncupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil pater sine eo, aut iussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia verè de Deo, & semper cum Deo est, & omnis potestas patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris adueniens arcana cælestia credentibus reserauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur quia nihil illo pretiosius habetur. Thesaurus dicitur vt in ipso omnes opes, & diuitiæ regnorum cælestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi diuersa gentium multitudo, sicut piscium, per aquam baptismalis in Ecclesia congregatur vbi bonorum, malorumque discrimen agnoscitur, Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ, dura pectora subijciuntur, vt necessariora in ipso præparentur. Fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis nominatur, quia vtrosq. parietes noui, & veteris testamenti vnus, & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus appellatur, vt innocentia Christi, & passio demonstraretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila nominatur, quia post venerabilem resurrectionem, vt rex ad altam patris peruolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est Rex regum, qui mortem, & Zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. veritas, quia mendacium nescit. Vita est; quia ipse vniuersa viuificat. Vides ergo per hæc vocabula significationes dispositionum, & operum diuinorum præostensas, non tamen ipsum Deum propriè diffinitum? Est ergo. Pater, Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis, alpha nimirum, & omega; Est & eius filius Iesus Christus, Deus, & Dominus noster tantus quantus est pater, hoc est immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis, alpha quippè, & omega, principium videlicet, & finis.

Ioan. 16. — Philip. 2. — λόγος. idest ratio distinguit diuinas personas. — Ratio in diuinis pluribus nominibus nuncupatur. — Nomina varia filij Dei explicantur, & simul ostēditur cur illi conueniat. Christus cur verbum. Virtus. Sapientia. Dextera. Brachium. Margarita. Thesaurus. Retia. Aratrum. Fons aquę viuæ. Petra. Lapis angularis. Agnus. Homo. Vitulus. Aquila. Leo. Via. Veritas. Vita appellatur.



GNOSCENS diuinitus incarnationis diem, mysteria gratiæ, filiumq. Dei verbum caro factū in plenitudine temporis, Propheta Zacharias in hæc verba prorupit. [In illa die erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum] Sed quid est nomen eius vnum? vnum & principium numeri, & singularitatem, relatione factam ad multitudinem, plane dicit. Fuerunt ne rogo multa Dei nomina, quorum vnum aliquod principium fuerit? Audite quæso. Interrogauit Iacob, virum

Conceptus 2. Quod Alpha, & Omega est affirmatiuum Dei nomen. — Zach. 14.

F (qui Deum planè repræsentabat) secum vsque manè luctantem [Dic mihi, quo appellaris nomine?] Qui vtique respondit: [Cur quęris nomen meum quod est mirabile?] Mirabile sane, & semel atque iterū mirabile est Dei nomen. Et quod est istud Dei nomen? Ecce proculdubio illud: [Ego sum Alpha, & Omega, Principiū & finis.] Vides nomen Dei vnum à Zacharia vaticinatum? Vnum, nimirum principium, & finis numeri omnium rerum. Quæsierunt antiqui philosophi quid esset Deus? Cui difficultati, vt tradunt S. Dionysius lib. 7. de Diuinis nominibus, & plerique Sancti Patres ac etiam Neoterici Doctores (qui vernacula lingua, sua opera typis mandarunt) Magister noster Reuerēdissimus, Fr. Philippus è Guimera in hist. Ord. de mercede p.p.cap. 1. Laurentius de Zamora in Monarchia mystica Ecclesiæ, p. p. lib. 1. p. 3. Symb. 1. paulo supra. §. 1. per negationem satisfaciebant, dicentes, Deus non est

G lignum, non est lapis, non est Leo, non est Sol. &c. Quibus omnibus affirmatiuè (vt satis perdoctè, & acutè scribit idem Reuerendissimus Philippus à Guimera) obuiauit aquila illa Euangelij, Ioannes, videlicet, qui recubuit, in cæna super pectus Domini, inquiens de Deo: [Deus charitas est.] Cæterum si scire adhuc desideras quid Deus affirmatiuè sit, audi, ex eiusdem Dei ore: [Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis.] Hoc planè est nomen eius, & mirabile, & vnum, quod supra retulimus. Est enim filius Dei Iesus Christus Dominus noster, Alpha, nimirum Principium. Communiter dicitur, Moysen fuisse primum inuentorem litterarum apud Hæbræos; Reginam Isim apud Aegyptios, Aristotelem apud Grecos fuisse primum artis dialecticæ constitutorem, Thalem Milesium physicam primo perscrutasse: Alcionem Cretoniensem primum fabulas adinuenisse:

H Socratem Ethicam primo instituisse: Pythagoram arithmeticam, Tubal musicam, Abraham circuncisionis fuisse auctorem: Moysen leges primo Hebræis dedisse, Noë arcam fabricasse, Adam nomina primo imposuisse rebus, descendentes a Noe artem nauigandi primo inuenisse, aliosq. plerosque fuisse rerum aliquarum primos inuentores, vt produnt plerique Doctores: Verumenimuero contra hos omnes primos, a mortalibus, rerum inuentores, appellatos, insurgit hic omnium rerum primus auctor filius Dei Iesus Christus, Deus & Dominus noster dicendo de se ipso, [Ego sum Alpha,] id est, omnium rerum principium. Est etiam & ipsemet Iesus Christus Omega videlicet finis, quoniam teste d.Tho. p.p.q. 1. art. 3. ad 1. omnis creatura ad Deum tamquam ad finem suum refertur. Quamobrem filium Dei Iesum Christum dominum nostrum in ratione Principij, & finis, possumus He-

I bræorum linguæ comparere, eo quod lingua, Hebræa, vt tenent Isidorus, & Remigius, referente Bernardino à Busto in suo Rosario, serm. 2. p. 2. fuit prima, quam habuerunt Adam, & Eua, & erit etiam vltima, quia post Iudicium, ipsa dum taxat in loquendo omnes homines vtemur. Quod sanè futurum puto eo, quod in lingua Hebræa (vt prodit Rabbi Moyses) nullum vocabulum est ad nominandum aliquod inhonestum. Et tunc in electis, vocabula turpitudinum nullatenus reperientur: Quoniam priora transierunt.

Gen. 32. — Nomen Dei mirabile. — Philipp. de Guimera generalis mag. ordinis de mercede. — Laurentius Zamora. — Deus negatiue quid sit. Philippus de Guimera vbi supra. Ioan. 4. Deus affirmatiue quid sit. — Primi inuentores rerum aliquarum. — Bernardinus de busto in suo rosario tom. 2. serm. 33. p. 2. — Primus inuētor omnium rerū est Deus — Christus linguæ hebrææ, cum ipse assimilatur. — Frater Bernardinus de Busto. — Lingua hebręa fuit prima quam obtinuit Adam, & ipsa etiam post iudiciū vtemur. — Rabbi Moyses.



AGNO sanè cum mysterio, & sacramento, hæ duæ litteræ Grecæ, nempe [Alpha] & omega Iesu Christo domino nostro, meritò applicātur. Ipse namque est Principium, & ipse finis

K Vel, vt aliter dicam: Ipse est circulus. Circulus nāq. inter figuras vt Aristot. p.l. de cælo probat, omnibus longè antecellit: eo quod tunc effectus quilibet perfectus censetur, cum in suum recurrit principium. Quod plane in Circulo dumtaxat, (inter figuras mathematicas) apprimè inuenitur: Sicuti in conuersione inter motus, idem reperitur. Principium autem omnium rerum Deus quippe est

Concept. 3. Quod Christus omnium rerum Principium, & finis recensetur. — Principium, & finis Christus. — Tertullianus lib. monolo. Circulus dicitur Christus. — Circularis figuræ nobilitas, & excellentia.

pe est

Deus omnium rerum causa.

pe est. [In principio creauit Deus (dicitur Gen. 1.) cælum,& terram.] & Ioan. 1. [Omnia per ipsum facta sunt.] Quapropter Aristoteles, Deum omnium rerum causam nominauit. Finis autem omnium rerum,in hoc mundo inferiori,creatarum,homo vtique est, Ideo Deus hominem vltimo loco creare voluit propter quem omnia ista creauit. Idcirco idem Aristoteles lib 2.phys.ait: [Nos omnium rerum quasi fines sumus] Quo etiam argumento D. Ambrosius Epist. 38. ad Honoratium probat rationi fuisse consentaneum,eum vltimum omnium a Deo conditum fuisse. Sicque Deus principium erat omnium rerum, homo verò finis. Sed valde inter se distabant, nec coniungebatur finis iste cum illo principio. Venit attamen filius Dei in mundum, factusq. est homo, quia [Verbum caro factum est:] & tunc diuinitas vnita fuit humanitati, humanitasq. diuinitati suppositata, & sic Deus factus est homo, & per consequens Principium Deus,factus est finis,& ita circularis figura completa fuit. Quamobrem merito hic dicit Christus de seipso: [Ego sum Alpha,& Omega,principium & finis.] Quoniam solus ipse est Deus & homo. Ad hoc ipsum planè alludere potest verus illa Persarum consuetudo, qua solebant Persæ,testante Pierio, in aliquem altum conscendere locum, in cuius culmine sacrificium maximum, ac mirum inmodum gratum, & acceptabile esse dicebant, Deum altis acclamare vocibus [Cæli circulum.] Idq. crebrò præstare magis honorificum sic Deo asserebant. Tùm etiam & Gallorum,ac Romanorum in bellando stylus, qui in primo cuiusuis belli exordio, circumcirca, eorum vnusquisque ad modum circuli se vertebat,vt sic,circulo illo,vt prodit Plinius,Deum primò adorarent ac colerent.Hinc Marcellus Romanorum Imperator, inimicis occurrens, equo suo, tubarum inimicorum clangore, retrocedente,rotundè ad modum rotæ, eumdem circumuerrit equum dicens, Deum primò rotando esse, circulo,adorandum. Et sic equi inanimositatem, & inaudatiam, ipse Imperator industriosè, & satis audacter celauit acutè, vt optimus & satis bellicosus eques.

Homo finis omnium creaturarum.

Homo cur postremo loco creatus. D. Amb.

Ioan. 1.

Deus qui est Principium, quomodo finis etiam factus fuerit.

Circularis figura qualiter completa fuit.

Pierius, lib. 39.

Circulus cæli Deus.

Gallorum & Romanorum in bellando stylus.

Circulo olim adorabatur & colebatur, Deus apud gētiles Romanus.

Marcellus Romanorum Imperator,

Equus retrocedens,circulo, correptus

Concep. 4.

Quod per duas literas Græcas, Alpha & Omega iudicia dei inscrutabilia apprime demonstratur.



ER hos duos Græcos characteres, nempè [Alpha] & [Omega] altitudo, longitudo,latitudo, & profunditas Dei, satis perbelle percipitur: de quibus omnibus locutus fuit Apostolus ad Eph.3.dicendo: [Vt in charitate radicati, & fundati, possitis cōprehēdere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo,& altitudo,& profundum.] Vbi nullatenus venit intelligenda illa altitudo, de qua Ecclesiast. 1.dicitur: [Altitudinem cæli,latitudinem terræ, & profundum abyssi,quis dimensus est?] Sed, vt expendunt Doctores (inter quos est Primasius) altitudo,longitudo,profunditas, & latitudo Dei circa inscrutabilia iudicia eius, nobis per Christum explanantur. Hinc D. Ambrosius super hæc eadem verba Apostoli sic scribit: [Cum dicit latitudo, & longitudo,& altitudo, & profundum, hoc vtique significat vt sicut in sphæra tanta est longitudo, quanta latitudo, & tanta altitudo quantum & profundum; ita in Deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæram, dfinito modo concludit: Deus autem non solum implet omnia,sed & excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, aut solus ineffabilis, & infinitus habeatur, & gratiæ huic insufficienter agantur, qui cum tantus sit,dignatus est per Christū hominem visitare peccatis,& morti subiectum.] Hæc D. Ambr. Quo plane loco comparat sanctus Doctor Deum sphæræ: quoniam Mercurius Trismagister, & alij antiqui philosophi Deum sphæram esse crebro affirmare solebant. Quorum plane sententia, per hæc Dei verba: [Ego sum Alpha & Omega,princi-

Altitudo,longitudo, latitudo, & profunditas iudiciorum diuinorum.

Primasius.

Sanctus Ambrosius in c. 3. ad Eph.

Deus comparatur sphæræ.

Sphæra cur Deus comparetur.

Trimegistus.

Sphæram esse Deum probatur.

A pium & finis.] satis aptè & congruè confirmari potest. Sphæra siquidem vox est Græca, & apud Latinos idem est quod globus. Quam quidem Philosophi, & Geometræ nostræ tempestatis sic definiunt. [Corpus solidum vnica superficie contentum, in medio sui punctum habens,à quo omnes lineæ ad superficiem ductæ sunt æquales.] Et alij breuius: [Ex planis circulus,aut orbis.] Verumtamen cum Deus Optimus Maximus sit spiritus,iuxta illud: [Dominus Deus tuus vous est & spiritus est.] Quod etiam abunde docent DD. Scholastici in 1. lib. sent. cum magistro. & in 1. part. cum S. Thom. Sicq. insuper ipse principium & finis, vt hic dicitur. & vt Paulus ad Rom. 11. ait: [Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.] meritò sphæra intellectualis dicetur,vt Hermes Trismagister validissimus mathematicus olim aiebat, cuius centrum, nempe creatura est

B vbique,circumferentia,nimirum essentia diuina,nusquam existit. Et merito plane diuinam essentiam, circumferentiæ,siue circulo comparamus. Quoniam quemadmodum in sphæra,circumferentia, circulus, aut orbis,est grandior & maior sphæræ pars, ita diuina essentia est ita magna,& incomprehensibilis, vt nullibi concludi queat, aut aliquo annorum numero æstimari. Idq. satis declarat illud: [Et circumferentia nusquam existens.] Nam Deus omnimodo fine, principioq. caret, cum ipse sit, vt hic dicitur: [Alpha & Omega, principium & finis.] Ideo Christus Iudæis,Ioan.8.dixit: [Principium qui & loquor vobis.] Principium autem,vt tradit S.Thom. 1. part. q.33.art. 1. nihil aliud significat, nisi à quo aliquid procedit. Per filium autem facta sunt omnia, & per consequens omnia ab ipso tanquam à suo principio

C procedit. Hinc ipse ait: [Antequam Abraham fieret, ego sum.] Huc etiam spectare potest, quod ad æternitatem Dei iudicandam solebant antiqui gentiles,Apollinem (per quem Deum intelligebāt) puerum impuberem depingere, perpetuā illi adolescentiam ascribentes; Aesculapium verò eius filium (per quem res naturales à Deo creatas significabant) barbatum & senectute deficientem delineare, vt sic significarent Deum esse immortalem; entia verò naturalia caduca. Quod & ipsa veritas confirmauit dicens: Matth. 24 [Cælum,& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

Sphæra quid sit.

Deus est spiritus. Deut. 6. Magister.

S. Tho.

Trismagister.

Deus est sphæra, & explicatur.

Coparatio.

Principium Christus. Principium quid significet.

Ioan. 8. Historia Philosophorum notabilis.

Apollo Aesculapij pater cur impuber depingebatur.

Aesculapius Apollinis filius cur barbatus, & senex depingebatur.



PHÆRA quidem simul, & Triangulus Deus est. Quæ plane duo simul reperiri in vno. licet in creatura, nullatenus tamen in creatore, repugnat. Qui plane sphæra rotunda est ratione essentiæ: Triangulus vero ratione personarum. Figura siquidem rotunda,

D ita excellentissima est inter cæteras figuras vt illis longè perfectior,capacior,& pulchrior sit. Hinc est quod cælum,sol,luna,terra,astra,oculi,caputque, si gura gaudeant, & perfruantur rotunda. Ex quo liquide deducitur figuram rotundam, siue sphæricam longe perfectiorem,capatiorem, & pulchriorem cæteris figuris esse, quam diuinæ essentiæ assimilamus: Et meritò quidem. Propterea quod sicut rotunda, siue sphærica figura pulcherrima,capacissima,& perfectissima inter cæteras figuras reputatur,ita plane

E diuina essentia,pulcherrimum,capacissimum, & perfectissimum ens, & cætera entia in infinitum exuperans apprimè recensetur. Diuina namque essentia, simplicissimum ens est, cum nullam compositionem (siue illa sit materiæ, & formæ, siue generis & differentiæ, siue subiecti, & accidentis) admittat. Est namque Deus totaliter, & omnino simplex, vt rectè probat Angelicus Doctor 1. part. q. 3. art. 8. Hinc est quod Deus à fine vsque ad finem attingat: Et Alpha & Omega, & sphæra intellectualis à Philosophis nuncupetur. Sicuti insuper Sphæra principio, & fine caret, quia ex quauis parte cir-

Concept. 5. Quod Deus sphæra simul, & triangulus sit.

Figura rotunda est excellens inter alias figuras.

Figura rotunda gaudent cælum,sol,luna, terra, caput, & oculi.

Deus figuræ sphæricæ cōparatur.

Deus nullam admittit compositionem.

respondebit eis dicens :[Nescio vos vnde sitis,]quia Christus & in iudicio, & quotidie respondet huiusmodi impœnitentibus : [Nescio vos vnde sitis.] Nescio vos, scientia approbationis, scientia gratiæ,qua nouit electos suos, & tunc mali, & reprobi,incipient dicere: [Manducauimus coram te , & bibimus , & in plateis nostris docuisti, & nescis nos?] Et ipse iterum respondebit. [Dico vobis quia nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.] Et tunc, testante D.Luca. [Ibi erit fletus & stridor dentium , quum videritis Abraham,& Isaac,& Iacob, & omnes prophetas in regno Dei , vos autem expelli foras .] Audient præterea tunc hi miserabiles peccatores nunc vitijs,& sceleribus dure additi, illud Luc.16. [Filij recordare, quia recepisti bona in vita tua , & Lazarus similiter mala,nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.] Et obseruate quæso oppositionem inter hunc diuitem sepultum in inferno , & Deum. Diues ex professo plerasque proponit petitiones,& Deus ex aduerso omnes illas negat. Diues enim primo cum esset in tormentis eleuauit oculos suos ad Deum videndum,& gloriam eius , & Deus se ab ipso abscondit , & ostendit illi Abraham. à longe. Diues alta voce tunc acclamat dicens:[Pater Abraham miserere mei .] & Deus facit Abraham illi sic respondere : [Fili recordare quia recepisti bona in vita tua .] Diues: [Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam , vt refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma.]Deus autem negans, ait illi: [Non potest fieri, quia nunc hic (nempe Lazarus)consolatur,tu vero cruciaris.]Diues iterum petens ait, [Rogo ergo te Pater,vt mittas eum in domum patris mei,habeo enim quinque fratres , vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.]Deus vero illi negans petitionem ait: [Non. Habent enim Moysen, & Prophetas , audiant illos .] Diues tandem petens ait: [Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiā agent.] Deus denique illi negans petitionem respondit : Non , nam [si Moysen,& Prophetas non audiunt,neque si quis ex mortuis resurrexerit credent .] Vides ne omnes petitiones , & preces sepulti diuitis in inferno , & omnes eius lacrymas, & planctus , vnam dumtaxat guttam aquæ misericordiæ ,& gratiæ à Deo impetrare tunc nequiuisse? [In obliuione eris, ò Tyre, (ait Dominus Isa.23.) septuaginta annis,sicut dies regis vnius.]quasi dicat, ò peccator,petra dura, qui tribulationi, obsidioni, angustiæ,vinculo, & colligationi infernali traditus es, in obliuione eris , septuaginta annis,id est æternaliter, nam ibi numerus finitus pro infinito collocatur. Et ob id glossa, verba sequentia , nempe : [sicut dies regis vnius.] Sic exponit . Dies vnius regis in obliuione sunt post mortem eius , & si tantum vixerit in regno, quod numquam legimus,cito obliuiscuntur .

Vide Lyranū & Caietanū super Lucā.

Petitiones diuitis Epulonis ex inferno , quas illi Deus negauit.

Tyrus ciuitas maritima Metropolis Phenices, quam Nabuchodonosor deuastauit. Tyrus ciuitas peccatorem obduratum demonstrat.



QVID igitur (cum lacrymæ in extremo tempore minime valeant) faciēdū est ò peccator?Nihil aliud sane, nisi vt nunc pro tūc plangas, doleas,& pœnitentiam peragas de peccato,& scelere,commisso . Modo quamdiu viues multum valent lacrymæ tuæ ad misericordiam impetrandā; at vero tunc post mortem clamabis,& nō exaudies, plange igitur nunc pro tunc . Audias quæso Iob in cap.10. sic dicentem : [Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum,antequam vadam , & non reuertar ad terram tenebrosam , & opertam mortis caligine,terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis,& nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat.] Audias insuper quæso Dauid,Psal. 38.sic exclamantem.[Quoniam ego aduena sum apud te, & peregrinus,sicut oēs Patres mei :Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam , & amplius non ero . [Hoc est concede mihi Domine spatium,vt hanc animam meam lacrymis pœnitentiæ , & doloris peccati mei refrige-

Concept.2. quod nunc debet homo peccator plāgere , & lacrymari , vt misericordiā inueniat apud Dominū

F rem,siquidem mane moriar. Hinc est quod Genebrardus hunc versiculum:[Remitte mihi,&c.] sic exponat. [Remisse,& leniter mecum age,vt me roborem,& reficiam,vel permitte,sine me refrigerari, & quiescere priusquam moriar , & non existam in vitijs: sic enim postea placide exibo ex hac vita , & sine tortoribus conscientiæ,qui tunc oriri solent.]Sume insuper modo ò peccator exemplū, à filia ducis Iephthe , quæ vt dicitur Iud.11.à patre suo postulauit, vt dimitteret eam duobus mensibus circuire montes , & cum sodalibus suis virginitatē suam deplorare; O miserabiles, & cæci peccatores agite modo pœnitentiam videte quæso quid vobis dicat Isaias de reædificatione Tyri : [Post septuaginta autem annos erit Tyrus quasi canticum meretricis,] quæ verba sic exponit Lyranus: [Post septuaginta annos , scilicet vastitatis Tyri , erit Tyro , quasi canticum meretricis . Meretrix enim derelicta G a suo amasio solet conari ad cantandum melodiosè ad reuocandum amasium ad se,& in hac metaphora,intelligitur desiderium illorum qui remanserant de fugitiuis Tyri ad reædificationem ipsius,vt sic mercatores de diuersis regnis iterum venirent ad Tyrum.] Hucusque Lyranus , per quam metaphoram ò peccator intelligitur reædificatio tua . Modo igitur ait ad te Isaias: [Sume citharam,circui ciuitatem , meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum , vt memoria tui sit , & erit post septuaginta annos , visitabit Dominus Tyrum , & reducet eam ad merces suas .] Quasi dicat: [Sume(ò peccator)citharam,] nempe disciplinam,ieiunia,confessionem,&c.vt bene tendantur cordæ cantando miserias tuas , [circui ciuitatem ,] imitando bonos,[bene cane] laudes Dei corde, voce, & opere , [frequenta canticum,]Domini, [vt memoria tui sit,]apud Deum.Quis quæso spem salutis non obtinebit si bene cecinerit,si cordas,id est, virtutes bene H composuerit? Inde Dauid Psal.44.sic ait: [Filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.] & paulo supra: [Et concupiscet rex decorem tuum , quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.] Videsnè qualiter hæc duo conueniant, ex vna scilicet parte, [vt memoria tui sit,]& ex altera parte,[& concupiscet rex decorem tuum?]Suauis quidem musica sunt lacrymę, planctus, & pœnitentia . Si igitur peccator,nunc,cytharam pœnitentiæ, fletus, doloris, & planctus,&c. sumpseris,tunc, quando omnes tribus terræ plangent, tu gaudenter , & hilariter exultabis.

Gilbertus,Genebrardus in Psal.38.


Nota bene filiæ Iephthe lacrymis.

Tyri renouatio,& reædificatio.

Isa.23.

Glos.ordin.

Musica suauis peccatorum qualis sit.



LACRYMÆ doloris quippe incendium sunt,testante Poeta. Et quamuis Paschasius super Ieremiam , quandam lacrymarum adducat differentiam dicens:[Aliter plangimus propria damna, aliter aliena:aliter plangimus desiderio I cælestis patriæ, aliter pro scelerū immanitate , & terrore gehennę : aliter pro dolore cordis,aliter pro amore piæ recordationis.] & paulo post,super illa verba:[Lacrymæ eius in maxillis eius,] ita scribit: [Maxillæ sunt,qui sua sciunt , & aliena delicta plangere : de quibus dicitur : Genæ tuæ sicut fragmen mali punici : absque eo quod intrinsecus latet. In his enim Ecclesiæ pulchritudo ostenditur, & ipsorum prædicatione in corpus Ecclesiæ traijcimur, qui sicut plus cæteris in corpore Christi laborant:plus gemunt, & plorant eos , quos vident in nocte delictorum versari,& in cecitate erroris . Plorat Ecclesia in K nocte,quia peccatorum suorum tenebras non ignorat: lacrymas in maxillis portat,quibus pulchritudinem suam quotidie renouat . Prodest enim Maria, Marthæ laboranti , dum plorans plorat secus pedes Domini . Plorat sponsa à complexu sponsi remota:& in valle , id est,in nocte ignorantiæ huius . Plorans plorat, pro patriæ,scilicet cælestis, desiderio,& pro peccatis suis, & aliorum in hoc sæculo . Plorat in his qui mortui sunt mundo. Plorat in virginibus in viduis,plorat in omni-

Concept.3. Quod in vnaquaque tribu reperiet Deus maleficiores in iudicio.

Paschasius super verba Ieremiæ,Trenorum 1.plorans plorauit &c.

Lacrymarum differentia.

Paschasius super Trenos Ieremiæ.

Lacrymarum diuersitas in iudicio extremo.

omnibus qui se peregrinos,& hospites confitentur super terram.] Tamen huiusmodi lacrymæ, diuersum doloris incendium indicant,ab illo quod lacrymæ,omnium tribuum terræ,ante,& post iudicium patefaciet. Cum etenim tunc Dominus,in lucernis, (vt dicit Propheta Dei) scrutaturus sit Ierusalem, nempe mundum flebunt, mœrebunt, & dolebunt tunc omnes mali, & reprobi de quauis tribu: [plangent omnes tribus terræ.] Eo quod in omni,& ex omni, & per omnes tribus terræ, tunc reperientur aliqui adulteri, vsurarij, raptores,homicidæ,latrones,susurrones, & ijs plerique similes.In quauis enim tribu tunc inueniet Deus multos,vt ait D.Paulus ad Rom.1. [Qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis volucrum,& quadrupedum, & serpentium,] Quid enim sunt volucres,quadrupedes, & serpentes, nisi prææallegata scelera ac vitia ? Reperiet tunc proculdubio Deus in quauis tribu opera carnis,de quibus Paulus ad Gal. 5 sic ait: [Manifesta autem sunt opera carnis,quæ sunt fornicatio, immunditia,impudicitia,luxuria,idolorum seruitus,veneficia, inimicitiæ,contentiones,æmulationes,iræ,rixæ,dissensiones,sectæ,inuidiæ,homicidia,ebrietates,commessationes, & his similia.] Quæ plane omnia, Deo tunc Ierusalem,nempe,mundum,in lucernis,(vt dixi) scrutante, manifesta fient. Exient sane ex obscuro loco in quo tecta modo latent, quoniam tunc illud psalmistæ adimplebitur: [Iniquitas calcanei mei circumdabit me.] & quia vt ait D. Paulus ad Gal. 5. [Qui talia agunt,regnum Dei non consequentur,] in signum doloris plangent plerique de vnaquaque tribu: [Plangēt (dicitur Apoc. 18.) omnes reges terræ, qui fornicati sunt cum ea.] vbi per,[reges terræ,] intelliguntur duces fornicatores, Marchiones luxuriosi, Comites raptores,Vicecomites vsurarij,Barones latrones,noua pedagia suis subditis in dies imponentes, Mercatores vsurarij, &c. Quibus omnibus Apostolus ad Eph. 6. præmonuit dicens.[Propterea accipite nunc armaturā Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecte stare,state ergo succincti lumbos vestros in veritate,& induti loricam iustitiæ, & calceati pedes, in præparationem Euangelij pacis in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere,& galeam salutis assumite, & gladiū spiritus(quod est verbum Dei.)Veluti dicat: Alioquin tunc amare flebitis in iudicio magni Dei,vt satis aperte ly[propterea]indicat.

Soph.1.

Demētia maxima omniū peccatorum.

Scelera omnia peccatorum cuiuscumque status quomodo & qualiter in lucernis inueniet Dominus in iudicio.

Apostolica amonitio pro iudicio finali valde nunc vtilis, & necessaria pro tunc.

B

C

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3. Dilucidatio textus.

§. 3. Superiorum confirmatio.

Etiam,Amen. (dicit tandem.) Superiorum confirmatio vtique est. Perinde namque valet:[Etiam Amen.] Ac Dei vates diceret. Irrefragabile est, & mutari vllo modo potest quod hucusque prædixi. Vel aliter. [Verum est,verum est,& mutari nequit.] Aut, [Ita fiat,ita fiat.] Quamobrē D.Ambrosius super hunc locum sic scribit: [Etiam.Amen,confirmatio sermonis est.] & D.Thom.[Etiam.Amen,confirmatio, quasi dicat,ita fiat veraciter.] & D Dionysius Carthusianus. [Etiam,Amen,reduplicatio ista designat,quod ita certissime,ac ineuitabiliter fient.] Sunt siquidem, [Etiam, Amen.] affirmationis notæ. Quarum prior, nempe, [Etiam,]Græca quippe est dictio,& significat certe. Posterior vero,nimirum, [Amen.] Hebræa proculdubio est nota & denotat certe. Idcirco idē est, [Etiā,] quod [Amen] quare [Etiam,Amen.] Est repetitio ad maiorem certitudinem,& infallibilitatem, hic à nostro Phrophetarum mellifluo Propheta merito geminata. Hinc Primasius B. Augustini discipulus in hunc locum sic ait: [Quod certissime nouit, Deo reuelante futurum,interponens,amen,firmat sine dubitatione venturum.] & Arethas: [Vt autem ea quæ dicta sunt, firma esse testetur, sigillo obsignauit dicens, etiam

Haymo. D.Thom. D.Ambros. D.Thom. D.Dion.Car. Etiam vox Græca. Amen vox Hebræa.

Primasius. Arethas.

A amen. Etiam quidem, quod ex Græcorum consuetudine, perfectam immutabilitatem notat. Amen,vero, quod apud Hebræos significat,nihil posse obstare,quo minus ea quæ promissa sunt,eueniant.

Verumenimuero,in hisce verbis [Etiam,Amen]vlla committitur nugatio. Quoniam quamuis sit geminatio,vel reduplicatio eiusdem dictionis,est tamen vnius & eiusdem vocis vtilis repetitio. Maxime, quia certitudinem,& infallibilitatem eorum quæ supra ab Archipropheta enarrata fuere,prorsus confirmat. Et idē omnino dicendum est de illis verbis, quæ referuntur, Mar.14.& ad Rom.8.vtpote,[Abba Pater.]hoc est,pater, pater. At vero nugatio, eiusdem vocis reduplicatio inutilis à Philosophis sane appellatur, ideoque vitium, & incommodum haud exiguum apud eosdem gignit.

§. 2. Etiam Amē, est eiusdem dictionis vtilis repetitio.

Peculiaris itidem apud expositores suboritur opinio circa dictionem[Etiam] Græca ne sit,an vero Latina? D.Thom.Lyranus,Incognitus,& Iacobus Suarez à sancta Maria in hisce suis commentarijs opinantur [Etiam] vocem esse Latinam. Fauet huic opinioni Petrus Berchorius dum in suo dictionario, seu repertorio,ita scribit: [Ista dictio:etiam, (apud Latinos)quādoque affirmat, quandoque addit. Affirmat, dico, & sic est idem,Etiam(apud Latinos.) Quod certe,seu,ita, seu Amen,sicut Matth.11. Christus de B.Ioanne dixit: Quid existis in desertum videre ? Prophetam? etiam dico vobis,& plusquam prophetam. & Ioan.21. Petre amas me,etiam Domine, tu scis quia amo te. Addit etiam,& hoc vt communiter, quia vbicumque ponitur etiam, semper addit ad conclusionem præcedentem: videtur enim supponere idem quod adhuc, idem, quod & idem,quod atque idem, quod insuper, & sic de similibus,&c.] sic ille. Idem videtur sentire Ambrosius in suo Calepino,Plinij, Ciceronis, Terrentij, aliorumque Latinorum exempla in medium afferens. At vero ex aduerso, Strabus in sua gloss. ordinaria, Arethas, Franciscus Ribera, & Blasius Viegas in suis commentarijs super hunc locum tenent [Etiam,] dictionem esse Græcam. Opitulatur huic sententiæ Primasius,B.Augustini discipulus, qui vbi nostra Vulgata legit,[Etiam.Amen.] ipse habet: [Ita Amen.] Constat autem [Ita] dictionem esse Græcam, quæ quandoque aduerbium affirmandi est,iuxta illud Gen. 1.[Et factū est ita.] & Matth.11. [Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.] Perinde ac diceret. Vere Pater ita est(vt satis erudite probat hoc in loco Ribera) quandoque vero est aduerbium similitudinis(vt idem Berchorius adnotat)iuxta illud Ioan.13. [Exemplum dedi vobis,vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.] Et sic vbicumque in Euangelio legitur, [Ita] in originali Græco est [ναί] quod idem est quod[Ita.] Ego autem facile hanc dirimo controuersiam, affirmando hic,sub hac dictione[Etiam,]vtriusque linguę, nimirum Latinæ,& Grecæ,ab Archipropheta mentionem tacite factam fuisse,vt sic coniungendo[Etiam,] cum[Amen,](quod proculdubio est Hebræum) vt noster Prophera coniungit,dicens:[Etiam.Amen] hoc in loco,omnium trium linguarum,nempe Latinę,Gręcę, & Hebraicæ, mentio fieret. Quamobrem huiusmodi duæ coniunctæ dictiones,[Etiam,Amen,] sic sonare assevero,[Ita,Etiam,Amen,] quarum [Ita] Græcum est, [Etiam,] Latinum plane, [Amen] tandem Hebræum puta. Et sic hic trium linguarum idioma reperitur. Hæc nostra expositio corroborari potest plane ex Laudunense, qui in sua glossa interlineari, super hunc locum,sic scribit:[Quod omni lingua firmandum,]& ex Strabo, qui in sua Gloss. ordin. sic ait: [Per hæc duo aduerbia, quorum vnum est Græcum .f. etiam, significantur gentes, per Amen, quod est Hebræum, Iudæi, qui omnes Deū videbunt in iudicio.] & tandem ex D. Thom. qui in hisce suis commentarijs in hunc locum sic inquit: [Hanc tamen confirmationem posuit in duplici lingua, scilicet Latina, & Hebræa, & sub his,intelliguntur omnes, quasi dicat omni lingua firmiter

D

E

§. 3. Controuersia circa (Etiā) an scilicet sit Græcum, vel Latinum. Prima sententia. D.Thom. Lyranus. Auctor Inco. Iacob. Suar. à S.Maria. Pet. Berchorius in repertorio,sit. etiā

Ambrosius Calepinus,ti. Etiam. 2.sententia. Strab. Arethas. Ribera. Viegas. Primasius. Ita,dictio est Græca.

Franc Riber. in c.1. Apoc. ver. Berchorius.

Auctoris opinio.

Etiam, dictio est Græca,& Latina communis. Amen, dictio est Hebræa.

Etiam, & Amen,quæ coniunguntur & copulāntur hic à Ioanne

Laudunen. Strabus. S.Thom.

[Cum

Cum igitur hi Doctores quidam vocent [Etiam] Græcum, quidam vero Latinum, vt prædictum est, & insuper omnes sub hac duplici dictione, [Etiam, Amen,] omnem linguam intelligant, sequitur aperte hic sub his duabus dictionibus, [Etiam, Amen,] trium præcipuarum linguarum, nempe Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, mentionem proculdubio factam fuisse à nostro Ioanne inter prophetas Primicerio, quemadmodum & ipse testatur in suo Euangelio, titulum crucis Christi, tribus præcipuis, & celebrioribus linguis inscriptum fuisse, dum ait: [Scripsit autem, & titulum Pilatus & posuit super crucem, erat autem scriptum Iesus, Nazarenus, Rex Iudæorum,] & paulo post, [& erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.

Simile. Titulus crucis tribus linguis scriptus.

Ioan. 15.

Sed dices. Cur hic trium linguarum, nempe Latinæ: Græcæ, & Hebraicæ ab Archipropheta fit mentio? dico. Tum vt omnibus linguis (quæ sub his tribus continentur,) & omnibus nationibus innotesceret virtus infinita, & iustitia recta illius iudicis, venturi ad iudicium, quo fortasse sacramento effectum est, vt Dominus in maioribus miraculis, ac etiam in transfiguratione sua, & in passione, trium tantum discipulorum societate vsus sit, dum dicitur Matth. 17. [Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] & Matth. 26. [& assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi.] Petrus namque Ecclesiæ Latinæ fuit caput. Iacobus vero Ecclesiæ Ierosolymitanæ præfuit, vbi Hebraica lingua regnabat. Et Ioannes noster, in Asia docuit, illamque fundauit Ecclesiam, lingua Græca illis regnum Dei prædicans, & euangelizans (vt mox dicemus) vt sic adimpleretur illud Apostoli ad Philipp. 2. [Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.] Tum quia vt sic, quam veritatem de Christo ipse prædicauit, hic tribus linguis inueniat quotus quisque credentium confirmatam. Tum, vt ipse eorum quæ dixerat omnino immutabilem veritatem, omnibus nationibus, nempe, Iudæorum, Græcorum, & Christianorum ex Iudaismo, & gentilitate conuersorum proprio terræ idiomate exprimeret. Tū quia sub his tribus linguis continentur plane omnes tribus terræ, quas ipse prædixerat, plangere oportere. Nulla etenim terrarum natio est, quæ vel Latina, vel Græca, vel Hebraica, non vtatur lingua, vt sic facile a quouis intelligeretur, omnes nationes, & omnium linguarum homines, venturos esse ad iudicium, visurosque esse Christum venientem. Et ex omnibus tribubus, futuros esse qui plangerent se super eum. Tum postremo, his tribus linguis, sermonem suum claudit, vt omnes credentes ex Iudæis, & ex Gentilibus, qui vna harum trium necesse est vtantur lingua, præmissa omnia vera esse credant.

§. 4. Linguarum trium idioma se quare verba Ioannis clauduntur.

1. Ratio.

Petrus caput Ecclesiæ latinæ.

Iacobus præfuit Ierosolymis.

Ioannes Prædicauit in Asia.

2. Ratio.

3 Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

Plerique tamen exponentes, arbitrati sunt [Etiā Amen.] sic sonare [Vtinam fiat,] quasi hic [Etiam, Amen] sint optandi voces. Quamobrem S. Tho. postquam sua cum Glossa ordin. præallegatis verbis, [Etiam, Amen] apposuit expositionem, (quam nos supra retulimus) mox in hæc verba irruit: [Vel confirmatio potest intelligi optatiuè, quasi dicat, veniet; quia ita fiat, ita fiat, idem est etiam, amen, quod amen, amen.] Sic ille. Sustētabilis plane est hæc opinio. Tum quia noster vates loquutus hucusque fuerat, de aduentu Domini ad iudiciū quare teneri potest ipsum hic optare, & desiderare, vt à se vaticinatum iudicium cito fiat. Quamobrē cum ipsemet in cap. 22 huiusmet sui vaticinij, vocem audierit dicentem: ecce venio cito reddere vnicuique iuxta opera sua,] protinus exclamauit, dicens: [Amen, veni Domine Iesu.] Tum quia si sancti Patres, & antiqui vates, tanto desiderio flagrabant primum videndi aduentū, in quo Christum venturum in forma humili, vt mūdum redimeret credebant, vt indicat Ecclesia cantans octo diebus ante Natiuitatem Christi illas Antiphonas [ò sapientia,] & iterum [O clauis Dauid,] & alia vice] ò Emmanuel, &c.] quid mirū si vates noster Ioānes prophetarum Propheta optat, & desiderat magistrum suum Saluatorem nostrum iam triumphantem

§. 5. Etiam, Amen possunt esse voces optandi.

S. Thom. in c. 1. Apoc.

1. argum.

2. argum.

F in secundo suo aduentu iam venire, vt nos in corpore, & anima glorificet? Tum deniq; quia Apostoli multoties in suis epistolis nos exhortant, & docent, secundū Xpi aduentum expectare, iuxta illud Apostoli ad Phil. 3. [Saluatorē expectamus Dominū nostrum Iesum Xpm qui reformabit corpus humilitatis nostræ.] Perinde ac diceret. Desiderate istum secundum aduentū, in quo tanta bona expectatis. Quod ad Rom. 8. confirmat sub his verbis: [Expectatio creaturæ reuelationem filiorū Dei expectat.] Nomine autem expectationis, anxietas & solitudo quadam desiderij demonstrat, vt sic Dei Apostolus, nos secundum aduentum Christi expectare doceat, eo quod si in primo, nos à peccati seruitute redemit, in hoc secundo eosdē nos, à mortis, & corruptionis seruitute liberabit, iuxta illud ad Rom. 18. [Intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionē corporis nostri.] Quare fieri potest, vt noster Archipropheta, eamdem nostri corporis G renouationem sub his verbis, [Etiam, Amen.] hic optet ac desideret, cito fieri.

3. argum.

Aduentus secundus Xpi optatur.

Fructus vtriusque aduentus Christi.

Conceptus Prædicabiles in textum.



DICTIO Hebræa, [Amen,], per se sumpta, confirmat id quod ab altero dictū est. Quamobrē hæc geminatio, [Etiā, Amen,] magis auget affirmationē. Est etenim iuramentum promissoriū, idē siquidē est [Etiam, Amen,] quod [Amē, Amē.] Quæquidem geminatio semper auget apud Hebræos: ideoque saluator noster, illa crebro in Euangelio vtitur, nimirum, cum rem valde vtilem, & difficilem creditu confirmare vult vt videre est Ioan. 16. [Amen. Amē dico vobis, si quid petieritis H patrem in nomine meo dabit vobis.] & Ioan. 9. [Amen Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit mortē nō gustabit in æternū.] Et Ioan. 22. [Amen, Amē dico tibi Petre, non cantabit gallus donec ter me neges,] & Luc. 7. [Amen, Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel:] Quibus in locis iurasse Christum affirmat (inter alios) Alphonsus Tostatus super Exodum c. 20. q. 9. sub his verbis: [Et in Euangelio Xps frequentissime iurat, cum frequenter dicit amen, amen dico vobis.] Hæc autem deducit Tostatus, ex illis verbis Xpi Matth. 5. [Nolite iurare omnino, &c.] Eo quod licet vitetur iuramentum, tamen non est simpliciter illicitum; quia tunc nullo modo permisisset illud scriptura, sicut non permittit adulteriū, aut homicidiū permittit tamē in multis locis iuramentū. Iurauit. n. Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob dare terram Chanaam, vt pa- I tet Gen. 22. Et Psal. 108. dicitur: [Iurauit Dominus, & non penitebit eum,] & Psal. 131. [Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum.] Cæterum hic sunt tria animaduertenda. Primò quidem, quod quādo Deus iurat, vel promittit nobis aliquid cum iuramento, talis promissio ex parte Dei non est maioris firmitatis: sicut si fieret absque iuramento, bene tamen apud nos, quorum controuersiarum omnium finis (testante Apostolo) iuramentum est. Secundò vero, iuramentum Dei semper, aut crebro, est promissorium. Duplex siquidem est apud Theologos iuramentum, nempe assertorium, quod fit ad confirmationem veritatis de præsenti, & præterito; & promissoriū, quod est de eo, quod in futurum a iurante faciendum expectatur, & sic iuramentum Dei, sæpe sæpius, est promissoriū, nempe, de re futura quam nobis promittit in patria. Tertiò tandem, animaduertendus etiam est modus iurandi Dei, K in veteri, ac in nouo Testamēto. Quoniam Deus in veteri testamento sic iurare solebat: [Viuo ego.] At vero Christus in nouo Testamento mutauit hunc iurandi stylum, semper iurans sic: [Amen, amen dico vobis.] Quod plane ideo factum est, teste D. Hieronymo, quia antiquitus, id dicebat Deus viuus, & verus in condemnationem deorū mortuorum, vt erant gentium idola, per quæ iurabant idololatræ; at nunc cessante idololatria, aduentu Iesu Xpi filij Dei viui, non iam opus est iurare

Concept. 1. Quod sub his verbis [illegible] Ioan. 16.

Alphons. Tostatus supra Exod.

Iuramentum prohib. Xps [illegible]

Ad Heb. 6.

Iuramentum duplex. Abulens. sup. cap. 5. Matth. q. 58.

Iurandi stylus in vtroque testamento.

D. Hieron. in c. 4. Ierem.

habeamus, nec alios esse deos præter ipsum. Quamobrem sufficit, vt ipse sub his verbis, [Amen, amen dico vobis,] asserat affirmatiue, se hoc dicere, & promittere. Etenim iuramentum secundum Damascenum significat immutabilitatem consilij Dei, eo quod apud nos contractus, qui inuicem sunt, ipsi iuramento rati sunt, & habent firmitatem. Et sic D. Basilius ait: [Iurat enim Deus, propter hominis incredulitatem, vt iuramento eos certiores reddat:] Quamobrem sufficit etiã quod eius discipulus Ioannes, videns deprauatos hominum animos, quibus aduentum secundum filij Dei ad iudicandum prædicabat, ad illud confirmandum vtatur affirmatiue his dictionibus, [Etiam, Amen,] quę perinde valent ac dixisset: [Amen, Amen,] id est ita certe fiet, ita certe fiet. Quod iuramentum promissorium plane est, cum sit de re futura, quam fide, omnes fideles expectamus.

Damasc. lib. 1. cap. 14.

D. Basil. hom. 2. de pœnit.

Textus. 8.



GO sum A, & Ω principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



VID hic huiusmodi Græcæ litteræ *Alpha, & Omega*, significent, non est cur diligentius indagemur, cum earumdem significatio mox subsequatur, nempe *principium, & finis*. Quemadmodum enim dicente Domino: [Exijt qui seminat, seminare semen suum, & dum seminat aliud cecidit, &c.] ipsemet auctor gloriæ, non est passus tantorum verborum, tamque eximiæ parabolæ, ab alio quam a se ipso, explanationem efflagitari, quapropter illico subiunxit: [Est autem hęc parabola. Semen est verbum Dei: qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, &c.] Super quæ verba sic plane scribit D. Gregorius: [Si nos vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas diuitias significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret. Vnde & idem Dominus per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat.] Ita pariter nequis quid alpha, & omega significarent hoc in loco curiose quereret, protinus in eodem contextu significatio adhibetur.

Comparatio.

Luc. 8.

D. Greg. hom. 15. in Euang.

§. 2. Parentesis potest interponi hic.

Potest tamen huiusmodi textus bifariam accipi, Primo siquidem illum cum parentesi legendo ita quidem: *Ego sum Alpha, & Omega (principium, & finis) dicit Dominus Deus qui est, &c.* & tunc illa clausula *principium, & finis*. textui est interiecta ab ipso Propheta, ad explanationem illorum verborum Domini dicentis, *Ego sum alpha, & omega*. & sic vates noster esset verborum Dei interpres. Secundo vero textum absque tali parentesi legendo sic: *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis, dicit Dominus Deus qui est, qui erat, &c.* Et tunc ipsemet Deus subiungens: *principium, & finis*, esset sui ipsius, nempe suorummet verborum interpres. Quare noster vates non inciperet in hoc textu loqui, nisi ab illo puncto videlicet: *Dicit Dominus, qui est, &c.* Et quouis ex his legatur modo, duplicẽ reddit textus ille sensum, primus quidem est Dominum carere principio, & fine, eo quod primus is quidem est, qui ab aliquo principio nullatenus est, vltimus vero ille appellatur, qui alium finalẽ siue postremum post se minime habet. Quamobrem appellatione principij, & finis, siue primi, & postremi, Dominum, principio & fine carere, recte intelligitur

Ioan. est interpres verborum Dei.

Deus ipse est interpres sui ipsius.

Deus principio, & fine caret.

A iuxta illud Isa. 44. [Ego primus, & ego nouissimus, absque me non est Deus.] & cap. 41. [Ego Dominus primus, & nouissimus, ego sum.] Secundus vero sensus est, Dominum esse rerum omnium principium, & finẽ. Quoniam quemadmodum omnia flumina exeunt à mare (testante Salomone) & ad mare redeunt, & mare numquam redundat, sic omnis creatura exijt a Domino, quia omnia per ipsum facta sunt, & tandem ad ipsum redeunt per restaurationem, & Dominus creator semper in eodem statu permanet. Dominum itaque istum, qui & principio sineque caret, & qui omnium rerum principium est, & finis, affirmat hic noster vates, stabilem, & sempiternum esse, venturumque (in nubibus ad nos iudicandum, vt paulo antea prædixit) omnipotentem ita, vt illi tunc, aliquis resistere nullatenus queat.

Ioan. 1.

Ephes. 1.

B More tamen Prophetarum (vt ait Laudunensis) incedit hic noster Archipropheta. Stylus siquidem crebro inter Dei vates vsitatus est, Deum alloquentem in suis vaticinijs introducere. Sic Moyses inducit, Deum sibi dicentem Exod. 3. [Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.] & iterum: [vidi afflictionem populi mei in Ægypto,] & paulo post, [Ego sum qui sum, sic dices filijs Israel, qui est misit me ad vos.] & Ieremias etiam, id ipsum præstat dum Deum proponit sibi dicentem: [Priusquam te formarem in vtero, noui te, &c.] & iterum, [noli dicere puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis.] & paulo inferius: [bene vidisti quia vigilabo ego super verbo meo.] & denique apud Isaiam, Ezechielem, Ionam, Nauum, aliosque minores, & maiores prophetas frequenter inuenies hæc verba: [Hæc dicit Dominus Deus.] Quod plane Dei vates præstare solent, vt C firmius, & melius, quæ prophetant, & vaticinantur de ipsomet Deo, à quouis credantur, & venerentur. Quocirca noster Prophetarum propheta Ioannes, vt his, quæ iam dixit, & etiam ijs, quæ adhuc sequentibus capitibus de Deo dicturus est, firmior assensus à quouis præstetur, Dominum de se ipso dicentem: *Ego sum Alpha, & Omega*, hic introducit.

§. 3. Prophetas in stylo ... en Ioan.

Gloss. ordin.

Ierem. 1.

Quis vero hic immediate loquatur, non satis exploratum est apud Expositores. Abbas namq; Ioachim, & Rupertus (quos sequutus est Franc. Ribera) existimant hic totam Trinitatem loqui. Verumenimuero vtriq; (si ambo tamen intelligant loquentem immediatum) repugnat idem opus Apoc. in hoc eodem capite, in quo supra iam plane dictum sic est, [mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] Ex quibus verbis liquido constat, Angelum Domini immediate has reuelationes A- D pocalyp. proponere Ioanni, ex quo plane itidẽ, aperte infertur, idem Angelum Domini hic immediate loqui ad Ioannem in persona Domini dicentis: *Ego sum Alpha, & Omega.* Sicuti Angelum Dei, & nullatenus Deũ ipsum, fuisse illum qui in Rubo Exod. 3. dixit Moysi: Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob,] tenent D. Gregorius, Glossa interlinearis, Lyranus, Matthias Doring, & alij plerique expositores in cap. 3. Exod. Et optime. Quoniam Deus teste D. Augustino, numquam loquutus fuit sensibilibus creaturis, nisi in subiecta creatura. Iste tamen Angelus Apocalypsis (quemadmodum & ille qui describitur, Moysi apparuisse) modo Angelus, modo Dominus apparet. Angelus quidem, cum in persona propria crebro exterius loquitur, vti Apocalyp. cap. 22. [Vide ne feceris conseruus, enim tuus suum.] Dominus vero, cum in persona Domini frequenter loquitur, E quemadmodum hoc in loco, dum ait: *Ego sum Alpha, & Omega, &c.* Et vt clare, ac integre intelligeremus, Dominum illum, de quo ipse loquebatur, perpetuitate vndequaque pollere, postquam hoc per exempla litterarum *α*, & *ω*, significauit, mox quid illa elementa, siue characteres prædemonstrent subtexuit *Principium, & finis.* vel vt alij grauissimi, ac eruditissimi Doctores legũt, [primus, & postremus,] quod plane (vt cuilibet perspicuum fieri potest) idem omnino est.

§. 4. Trinitas non immediate loquitur Ioan.

Ioachim Ab. Rupert. Ab. Franc. Ribera.

Angelus immediate loquitur Ioan.

D. Greg. Lau. ... Lyranus. Matth. Dorl. D. Aug.

Ee

est. Per hoc autem, quod ait [*Principium*] vel [Primus] intelligitur minimè habere initium, quemadmodum etiam per hoc, quod, ait [*finis*] vel [postremus] carere fine. Quoniam ex eò quod apud homines haudquaquam accidat aliquem initio, & fine carere, vsus plane est noster Interpres fine, & principio. quæ apud nos sunt pro eo quod est sine initio, & fine, hoc est, perpetuitate omnino gaudens. Et ne quis principium ex non entibus hic introduci suspiceretur illico subiungit [*qui est, & qui erat & qui venturus est.*] Hæ namque tres temporis differentiæ perpetuitatem, puta, æternitatem vtique demonstrant tum ab initio, tum ex fine. Ab initio quidem quod nihil ei præcedentium temporum desit: ex fine vero, quod successione careat. Quod plane clarius patefacit addendo [*Omnipotens*] hoc est, omnia potens tamquam vniuersæ sensibilis creaturæ auctor.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Eliminatio textus. §. 1.

Alpha, (ait) & Omega. Andreas Archiepiscopus Cæsaræ Cappadociæ, & etiam Arethas in suis cómentarijs hic ad elementa, & characteres græcos [α] & [ω] non addunt [Principium, & finis] vt noster legit vulgatus. Hinc Arethas, Commentaria Andrææ græca in latinum vertendo, accipit ex vltimo capite huius operis [Primus, & nouissimus] & huic primo capiti hic interuit. Cæterum reliqui qui hoc sanctum apocalypseos opus ex græco in latinum fideliter transtulerunt cum nostra quadrant vulgata, vno dempto Primasio, qui more græcorum etiam legit. [A, & ω, dicit Dominus, qui est, &c.] Et non addit: [Principium, & finis.] Vnde Emmanuel, Sa, in suis Notationibus in Apocalypsim arbitratur hæc verba. [Principium, & finis.] Nullatenus reperiri in codicibus græcis, nec minus in omnibus latinis. Quamobrem ipse in hunc locum sic scribit. [Principium, & finis, id non est græcum, nec in omnibus latinis. Videtur ab aliquo additum ex cap. 21. & 22. explicationis causa.] Sic ille.

Andreas. Arethas. Primas. Emmanuel, Sa, Iesuita.

§. 2. Angelus Apocalypsis de qua persona Trinitatis loquatur.

Sed postulat iam ratio, vt de quo Angelus Apocalypseos hic immediatè loquutus fuerit explicemus, nimirum an de sola persona patris, an vero de sola persona filij, aut de sola persona Spiritus sancti? Vel an de tota Trinitate simul? Quidam expositores (inter quos est Abbas Ioachim, Rupertus, & Ribera) moti ex illis dumtaxat verbis [*qui est, & qui erat, & qui venturus est.*] intelligunt hic de tota Trinitate sermonem esse, vti idem supra etiam asseuerant in illum locum, [gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.] Vbi sequutus plane fuit hos doctores Iacobus Suarez à sancta Maria, vt videre est in suis concionibus in Apocalypsim, serm. 3. qui tamen postea hic eosdem dereliquit, vt apparet in eisdem suis concionibus, serm. 6. pag. 113. Præfata tamen opinio Ioachimi non est cur hic a nobis denuo infrigatur, cum illam supra iam refutauerimus, ad quem plane locum remittimus lectorem. D. tamen Dionysius Carthusianus, ex vi illorum verborum: [*Dominus Deus*] putat sermonem esse de Deo, & de qualibet diuina persona, dummodo illa vltima particula: [*Qui venturus est omnipotens.*] De solo patre exponatur: Et idem, prorsus tenet venerabilis Beda, quos supra etiam text. 5. para. 3. proculpepulimus. Doctores verò, qui tenent Angelum missum ad Ioannem fuisse Spiritum sanctum tenentur ex consequenti asserere, hic spiritum Sanctum loquutum fuisse, attamen horum opinionem nos supra text. 1. par. 10. diligenter prorsus a prima vsque ad vltimam, eradicauimus, ac euellimus Radice. Postremo. D. Ambrosius, Strabus in sua glossa ordinaria. S. Thomas. Primasius, Andræas Cæsariensis, Arethas, Autor,

Iacobus Suarez retractat suam opinionem. tex. 5. par. 1. D. Dionysius Carthus. Beda.

§. 3. vera sententia. D. Ambros. Strabus. S. Thom. Primas. And. Cæs. Areth. Aut. incogn. Blas. Viegas.

F Incognitus, & ex recentioribus Blasius Viegas in hisce suis commentaris, tenent præallegata verba [*Ego sum Alpha, & Omega*] de Iesu Christo Domino nostro esse intelligenda: quæ plane opinio mihi magis arridet. Tum quia Apoc. 22. sic habetur. [Ego Iesus misi Angelum meum, &c.] & paulo supra [Ecce venio citò, & merces mea mecum est reddere vnicuique secundum opera sua. Ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.] Vbi nullus negare potest, ipsummet Iesum esse Alpha, & Omega. Tum quia Angelus iste Apocalypsis loquitur duntaxat proculdubio, vel in persona propria, vel in persona mittentis, non enim videtur, in qua alia loqui possit; igitur sicuti cum dixit: [Fui mortuus, & ecce sum viuus;] nequit intelligi de persona propria: quoniam Angelus, nec fuit mortuus, nec resurrexit: Ita etiam cum

Auctoris opinio confirmatur. 1. Ratio. 2. Ratio.

G ait: *Ego sum Alpha, & Omega.* Nequiet intelligi de persona propria: quoniam Angelus nec caret principio, nec minus est principium, & finis creaturarum. Ergo sicuti locus ille, [fui mortuus, & ecce sum viuus,] Accipitur de persona mittente; sic etiam iste alius: *Ego sum Alpha, & Omega*, necessario de persona sola mittente veniet intelligendus: At qui persona mittens est Iesus, iuxta illud Apoc. 22. [Ego Iesus misi Angelum meum] igitur. &c. Tum quia cum Ioannes continuata serie, a principio operis, vsque huc de Christo loquatur, non est cur hic aliam personam, nisi solam personam eiusdem Christi filij Dei loquentem introducat. Tum quia noster Archipropheta, hoc primo capite præparat quædam Epitheta de Christo, quæ duobus sequentibus capitibus, singulis proponit Ecclesijs, vti Ecclesiæ Ephesinæ ait in cap. 2. [Hæc dicit qui tenet septem

3. Ratio. 4. Ratio. Apoc. 2. Apoc. 1.

H stellas in dextera sua, quæ plane verba de Christo intelliguntur, illud tamen attributum [septem stellas,] hoc primo capite præparat, dum ait, [& habebat in dextera sua stellas septem.] Quæ quidem verba, de sola persona Christi intelligenda veniunt, cum nulla persona in sacro eloquio, filius hominis nuncupetur, nisi Christus, filius Virginis Mariæ: At Angelus iste Apocalypsis in cap. 3. ait Pastori Ecclesiæ Laodisiæ: [Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei] quæ verba omnes quotquot sunt Doctores, quinimmo, & ipse Ioachimus, Rupertus, Ribera, qui tenent primam opinionem, & Beda, D. Dionysius Carthusianus, & alij Doctores qui alias duas tuentur sequentes, de persona Christi enodant, tenentes quod ipse sit principium creaturæ Dei, nempe, vniuersorum, iuxta illud, [omnia per ipsum facta sunt,] vel princi-

Apoc. 3. Ioan. 1.

I pium creaturæ Dei, id est dignitate, & gratia secundum naturam assumptam; quapropter ipse, de seipso dixit Iudæis: [Ego principium, qui, & loquor vobis.] Igitur oportet asserere dum hic in 1. cap. Angelus iste dixit: *Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis*, præparasse Christo, illud attributum [principium creaturæ Dei,] quod postea in cap. 3. pastori Laodicensi dixit. [Tum vltimo, quia iacula quæ præuidentur minus feriunt, vt ait D. Gregorius: Atqui poterant existimare aliqui, iudicem quem noster vates prædixit venturum ad iudicium, cum dixit.] Ecce venit in nubibus: [esse solum hominem cum iudicaturus sit orbem in forma humana, nimirum, in forma serui, igitur, oportebat Ioanni præuenire, & prædicere Ecclesiæ Dei, iudicem venturum, nempe Christum, esse Deum, qui fine, & principio caret, & principium, & finis vniuersorum est, vt

Ioan. 8. 5. Ratio. D. Greg. hom. 35. in Euang.

K postea ipsa sancta mater Ecclesia similes vacillantes circa personam iudicis Christi, intrepide profligaret, dicendo de illo in Symbolo Nicæno: [Deum de Deo,] quoniam ipsemet Christus, Ioan. 14. de seipso dixit: [Ego, & pater vnum sumus, quibus verbis æqualitas, & consubstantialitas Christi cum patre æterno satis perbellè probatur (quam etiam cótra Arium, Nestorium, Caluinum, Bezam, aliosq. huius nostri temp. statis hæreticos, perdoctè, & validissimè prob...

Robertus Bel...

Rober-

Robertus Bellarmin.tom.1.contr.2.l.1.de Christo; & Gregorius de Valentia in p.p.S.Thom. disp. 1.q.1.) & cum hac nostra sententia stare plane potest sensus, qué ex hisce verbis [*Ego sum Alpha & Omega*] elicit Lyranus, dum in hunc locum sic scribit: [Quasi dicat non potest frustrari, nec immutari mea sententia :] quem videtur prosequi, & vlterius extendere, quidam Neotericus doctor, dum in hisce suis commentarijs, existimat hunc esse huius textus germanum sensum [Ego sum Alpha &c. Quasi dicat non mirum videri debet, si dicor esse testis fidelis, Primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ, & in nubibus cæli ad iudicandum cum maiestate venturus, cum ipse sim Alpha, & Omega, principium, & finis vniuersorum, simque secundum diuinitatem ipse, qui est, & qui erat stabilis, inquam, & sempiternus, & ille qui tanta cum maiestate venturus in sacris litteris prædicatur.] Qua propter ex dictis arbitramur allucinari omninò illos qui hunc textum (in quo primi, & vltimi, principij, & finis mentio fit) aut de tota Trinitate, aut de qualibet, ex tribus personis diuinis enodant, nulla facta de persona, & supposito Christi filij Dei mentione, de quo directè sunt huiusmodi reuelationes Apocalypseos, pro vt supra satis enodatum probatumque a nobis est, dum de obiecto huius operis in primo textu ageremus.

Blasius Viegas in cap.1. Apoc.sect.19.

§. 3.

Origo duarũ litterarum græcarum, scilicet Α, & ω

Origo, Porro, Natura & significatio harum duarum Græcarum litterarum *Alpha* & *Omega* (vt facilius quid de Christo hic dicat Angelus Dei percipiatur) indaganda vtique venit. Habent siquidem Græcæ litteræ origenem ab Hebræorũ litteris, quarum primordia, in Aegypto inuenta planè fuere; Quoniam quamuis absque errore tenere possimus cum Iosepho lib. 1. antiquit. cap.4. & cum Petro Antonio Beuter Valentino, in lib. annotat. in Sacram Scripturam, annotatione. 6. fol. 114. litteras fuisse ante Moysen, quinimo ante diluuium, & quod magis est ab initio mundi, eo quod non est credibile patrem Adam omnino scientia plenum, nescisse litteras inuentare, vel non aduertisse necessarias esse hominibus, cum fuerit creatus a Deo, perfectissimus omnium, citra Christum Dominum. Veruntamen cum nulla litterarum monumenta apud homines apparuerint donec temporibus Moysi, populus Dei, legem scriptam à Deo acceperit, tamquam verisimilior mihi magis arridet, asserere cum Alphonso Testato in Aegypto litterarum primordia incepta fuisse, vt ipse in cap.32.Exod.q.2.tenet & scribit, nec non cum Marco Varrone, qui suam hystoriam a diluuio Ogigi exorditus fuit, & cum Ouidio qui rerum originem a diluuio sub Deucalione Rege Thessaliæ scribere incipit, satis acutè probat. Quæ plane opinio corroboratur vtique ex eò quòd liquet omnibus, olim in Aegypto pleraque fuisse Hieroglifica, quæ sacræ litteræ ab ipsis Aegyptijs appellabantur: quæ planè notæ quædam erant vnum repræsentantes & aliud significantes. Quemadmodum dum Aegyptij tutelam significare volebant, duo capita pingebant, vnum maris intro aspicientis, & aliud fæminæ extra aspicientis, de quibus Orus Niliacus multa scripsit, & Ioannes Pierius Valerianus, in octo libris Hieroglificorum, ex sacris Ægyptiorum litteris. Cæterum quamuis characteres, litteræ, & elementa Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum à Moyse in Ægypto, vel ab Esdra post captiuitatem Babylonicam, vel ab Adam in principio mundi ortum habeant, tamen litteræ Græcorum (quales plane hę duę sunt, alpha, & omega) originem ab Hebræorum litteris, teste Isidoro 1. lib. etymologiarũ habuerunt. Ibi enim Isidorus aperte fatetur litteras Latinas, & Græcas, ab Hebræis ortas fuisse. Nam apud Hebræos prius dictum fuit [Aleph,] & deinde ex simili annuntiatione apud Græcos tractum est [Alpha,] & apud Latinos [A] & teste D. Hieronymo, nomen illud Dei, nimirũ [Tetragrammaton,] (quod plane apud Hebræos originè obtinuit, apud quos magni sane est momenti, cum substantiam Dei sine aliqua proprietate attributali significet.) in quibusdam Græcis voluminibus vsque hodie, antiquis litteris (Hebræis videlicet, vt Tostatus, Brito, & glos.ordin.ibidem expendunt) expressũ inuenitur, & quamuis Carmentas, qui floruit tempore belli Troiani litteras Latinas (vt quidam tenent) inuenerit, tamen hoc nullatenus obstat, quin Latinę, & Grecæ litteræ ab Hebræis litteris originem duxerint. Natura vero earumdé duarum Græcarum litterarũ, talis plane est, vt [Alpha] prima, & [Omega] vltima eorumdé Græcorum alphabeti sit. Constat siquidé ex D.Hieron. in principio præallegati prologi Galeati in libros Regum, apud Hebræos, Syros, & Chaldæos viginti duas litteras dumtaxat esse, & insuper apud Latinos viginti tres, & apud Græcos viginti quatuor, vt ex eorumdem alphabetis liquido constat, quarum prima inter Hebræos, Syros, & Chaldæos, est [Aleph,] cuius character (apud Hebræos dumtaxat) est [א], Dixi inter Hebręos eo quod Syri, & Chaldæi, eisdé litteris cum Hebręis vtuntur, & eodé modo proferuntur. Cęterum apud ipsos non sunt idem characteres nec eædem voces vt tradit D.Hieronym.dum in prologo Galeato in libris Regum sic scribit: [Syrorum quoque & Chaldeorum lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est, nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diuersis characteribus.] Et licet differant in characteribus, litteræ tamen apud ipsos sunt eædem, quemadmodum apud Latinos, licet non sit identitas idiomatis apud omnes nationes; sunt tamen eædem litteræ. Et quantum ad hoc dicitur tota lingua Latina habere cóformitatem quandam, quamquam non sit vnica omniũ Latinorum lingua, sed quęlibet lingua, suum idioma habeat. Ita pariter voces Chaldæorũ, Syrorum, & Hebręorum inter se multum differunt, sicuti Hispanorum, Gallorum, & Italorum: litteræ tamen sunt eædem. Vltima vero est [Tau] cuius character apud Hebræos est [ת] Dixi [Tau,] quoniá quamuis apud Hebræos, Syros, & Chaldæos sit varietas in characteribus, vocibus, & apicibus, tamen apud eos omnes eisdem nominibus vocantur litteræ. Quoniam vt tradit Abulensis in prologo Galeato D.Hieron. in libros Regũ q. 6. sicuti Hebræi vocant, aleph, bet, gimel, vau: sic Syri, & Chaldæi. Inter Latinos vero (& hoc omnimoda prorsus amota ambiguitate) prima eorum alphabeti littera est a. postrema vero est x. & apud Græcos prima est [Alpha,] cuius apud eosdem duo sunt characteres, nempe [Α] & [α] Postrema vero [Omega] cuius etiam apud eosdem, duo itidem sunt characteres, videlicet [Ω] & [ω.]

Iosepho. Ant.Beuter.

Tostatus.

Marc.Varro.

Ouid.

Orus Niliacus. Ioan.Pierius.

Originis litterarum, & characterum varia opinio nes.

Isidor.

D. Hier. in prolog. ad Galat. in lib. reg.

Tostat. Brito. strab.

D.Hieroni.

Litterarũ numero apud Heb ræos, Syros Chaldæos Græcos, & Latinos.

Abulen. in prolog. D. Hier. ad Galeat.

§. 4.

Litterarum græcarum alpha, & omega significationes.

Significatio insuper harum duarum Græcarum litterarum, ex earumdem origine, & natura plane deducitur. Significat itaque [Alpha] primum in vnoquoque genere apud omnes nationes. Alpha siquidem cum originem ab Hebraicis litteris obtineat primum, est in vnoquoque, tam Hebręorum, quam Syrorum, Chaldæorum, & Latinorum alphabeto. Tum quia prima vox naturalis, & articulata per [Alpha] redditur apud omnes nationes; quoniam teste Plutarcho, spiritus, qui est in ore potissimum, labiorum motu formatur, & fingitur, & primus hic sonus simplex egreditur, qui nec linguæ requirit auxilium, & sic pueri nascentes primam hanc edunt, & emittunt vocem. Tum quia vocales, quarum vna est alpha, consonantibus iure præferuntur, eo quod citra illarum adminiculum sonant : & his duabus de causis, alpha, primum locum inter litteras, in vnoquoque alphabeto tenet. Hinc plane est, quod [Alpha] primum in vnoquoque genere apud omnes nationes significat. Significat etiam id quod necessarũ est. Quod enim est alpha apud Gręcos, erat plane bos apud Ægyptios. Cóstat autè bos animal esse humano viui maxime necessarium. Hinc Ioannes Pierius lib. 3. Hieroglyficorum de boue prima Ægyptiorum vocali sic scribit : [A Phœnicibus etiam est honos habitus boui. qui litterarum vt fama est, inuentores primæ vocalis nomine bouem appellitabant, cum animal sit humano viui maxime necessarium. Quod vero necessarium est, vti dixit Hesiodus, neque secundum, neque tertium esse debet, sed primum : illico prima vero littera est a. quæ

Alpha pr.mũ in vnoquoq. alphabeto significat.

Alpha prima initialis littera in quouis alphabeto, & cur.

1.Ratio. 2.Ratio. 3.Ratio.

Alpha significat, id quod necessariũ est.

Bos prima vocalis littera erat apud Ægyptios.

Pierius.

ſuapte natura ex imo baratri, nulliuſius veluti reliqua inſtrumenti indiga, vt puta linguę dentium, aut labiorum libera pronuntiatur, prinsque in infantibus articulata dignoſcitur. At & terra cuius Symbolum eſt bos, prima omnium humanæ conſuluit infirmitati, prima alimenta ſubminiſtrauit, prima rerum omnium vſus vtilitatem ab ea poſcentibus elargita eſt.] Quare cum bos prima vocalis Ægyptiorum ſit, ſicuti Alpha Græcorum, reſtat, vt Alpha, id quod neceſſarium eſt ſignificet, quemadmodum, & bos neceſſitatem deſignat. Significat itidem alpha, Principem, & qui primum inter pauperes locum in aliquo regno tenet. Hinc Codrum illum, cuius Virgilius Egloga 5. ſub his verbis meminit.

a ſignificatio litteræ alpha

Alpha ſignificat principē.

Virgil. Eglo. 5

Incipe Mopſe prior, ſi quos aut Phyllidis ignes
Aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.

Iuſtinus in hiſtoria Trogi Pompei, li. 2.

Et quem Iuſtinus hiſtoricus lib. 2. vltimum Athenienſium Regem ſub his verbis appellat: [Poſt Codrum nemo Athenis regnauit quod memoriæ nominis eius tributum eſt.] Hunc itaq; Codrum Martialis, Alpha penulatorum nuncupat, ſcribens de eo lib. 2. Epigrammaton, Epigrammate 57. ſic, [Inſictum diuitem.

Martial. lib. 2. epigram. epig. 57.

Hic, quem videtis greſſibus vagis lentum
Amethyſtinatus, media qui ſecat ſepta,
Quem non lacœrnis Publius meus vincit,
Non ipſe Codrus Alpha penulatorum,
Quem grex, &c.

Et libro 5. eorumdem epigrammatum, epigrammate 27. ſic.

Ad Codrum.

Martial. lib. epig. epigra. 27.

Quod Alpha dixi Codre penulatorum
Te nuper, aliqua cum iocarer in charta
Si forte bilem mouit, hic tibi verſus,
Dicas licebit Beta me togatorum.

penulatus à quo deriuatur. penula quid ſit. penula apud Hiſpanos Italos, & Sardos quo nomine appelletur.

Penulatus autem (vt recte quid ſit alpha penulatorū à quouis intelligatur) deriuatur à penula. Eſt vero penula veſtis denſa & vilis, quæ nebuloſo ſeu pluuioſo tempore ſupra tunicam aſſumitur loco pallij, ad arcendas à corpore pluuias, quam Hiſpani: [Zamarro, ò veſtidura de cuero para el agua.] Itali, [Gabano,] Sardi vero Peddizoni,] lingua vernacula vſque in hodiernum diem appellant. De qua quidem penula ſiue veſte multa tradūt Pompeius, Iuuenalis, Varro, Lampridus Bayfius, & ipſemet Martialis lib. 14. epigrammate 128. dum ſic canit:

Pompeius in penicia. Iuuenal. ſat. 5. Martial. lib. epig. epigra. 128. Bardacucul.

Gallia Santonico veſtet te Bardacucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Et etiam epigram. 130. loquens de penula ſcortea, & epigram. 147. agens de penula Gauſapina, quæ candida & villoſa erat, qua hyberno tempore Senatores intra vrbes frigoris cauſa vtebantur. Ab hac itaque veſte penula deriuatur penulatus, ſicuti togatus à toga. Quare vocando Martialis, Codrum, alpha penulatorum, eū primum locum obtinētem inter pauperes, plebeios, & humiles appellat. Et ſic alpha principem, regem; præcipuumque virum in aliquo regno indicat. Significat denique alpha, maiorem numerum, nempe, mille, quæ quidem ſignificatio depromitur ex [Aleph.] prima alphabeti Hebræorum littera, quæ apud Hebræos tanti eſt pōderis & momenti, vt [mille] interpretetur, ponaturque quibuſdam pſalmis, ac lamentationibus Ieremiæ pro titulo, ac Deum ipſum ſignificet; qui iure dicitur mille, qui eſt maior numerus qui poſſit eſſe propter immenſitatem. Omega vero eaſdem habet per antitheſim, ſignificationes oppoſitas ex diametro. Quoniam cum Alpha ſit prima, & omega ſit vltima in alphabeto Græco, & primum ad vltimum, & vltimum

Penula Gauſapina quid ſit.

4. ſignificatio Grecę litterę alpha. Per Berch. in ſuo repert. p. p. lit. A. f. 129.

F ad primum ex Philoſopho dicant relationem cum ſint relatiue oppoſita, poſſumus proculdubio per antitheſim ex vno contrario, rethorice, & philoſophice loquendo, naturam, & ſignificationes ſui oppoſiti inueſtigare. Significabit igitur omega vltimum in vnoquoque genere, quia iſta eſt inter litteras vltima. Significabit non ita neceſſarium, nimirum neceſſarium ſecundum quid & ex hypoteſi, quoniam cum alpha ſignificet neceſſarium ſimpliciter, poterit omega neceſſarium ſecundum quid demonſtrare. Fieri enim potuit vt aliquod animal pauci momenti, vt ſunt ciniphes, ranæ, vermiculi, aut his ſimilia, eſſet apud Ægyptios Hieroglyphicorum vltimum, poſtrema nimirum, inter eos, ſacra littera. Significabit etiam ſeruum, quemadmodum intelligendo principem, ſiue omnium dominum dicere poſſumus alpha penulatorum, ſic pariter intelligendo ſeruum, ſiue ſubdi-
G torum, minimum dicere poſſumus, omega penulatorum, nihil ſane obſtat, cum princeps, & ſubditus, dominus, & ſeruus relatiue opponantur. Significabit itidem minorem numerum, dummodo tu per numerum minorem vnitatem, quæ iuxta Philoſophum principium numeri eſt, nullatenus intelligas. Significabit tandem omega, mortem, finem, crucem, conſummationem, & omnia alia quæ, Tau, vltima Hebræorum, & x. poſtrema latinorum obtinent: quoniam quemadmodum iſtæ ſunt vltimæ in eorum alphabetis, ſic Græcorum alphabeti, finalis, & vltima omega quidem eſt.

§. 5. Alpha, & Omega curChriſtꝰ nuncupetur.

Appellauit autem Angelus Apocalypſis, his duabus litteris alpha & omega, Chriſtum. Tum quia mellifluus propheta Ioannes, cui ipſe has proponebat reuelationes, hoc ſuum vaticinium Græco idiomate
H poſteritati erat træditurus, & apud Græcos, crebro vſitatus mos vtique erat, eum, nimirum, quem mirifice commendare volebant, primum, & vltimum nominare, vt tradunt Teocritus, Homerus, & Horatius: Et cum ipſe Angelus vellet Ioanni mirum in modum commendare Chriſtum, qui illum ad Ioannem miſerat, iuxta illud Apoc. cap. 22. [Ego Ieſus miſi Angelum meum,] illum, alpha, & omega, litteras videlicet, quæ primum, & vltimum deſignabant, appellauit. Tum, vt nos ad amorem Chriſti diligenter impelleret: fuit ſiquidem (vt humanæ narrant hiſtoriæ) cuiuſdam Regis filius, qui nec leggere, nec alphabeti ſaltem elementa, ac characteres mente capeſcere vnquam potuit, tunc eius pater rex, deſiderio flagrans, vt filium ſuum litteras dediceret, ex pueris cum quibus propediem filius ſuus in foro ludebat, totidem accepit, quot ſunt in alphabeto litte-
I ræ, & characteres, illiſque nomina litterarum, ac characterum ſingulis impoſuit, vnum ſcilicet eorum vocans, a. alterum b. alium c. reliquum d. & ſic de cæteris, vſque ad viginti tres litteras, & characteres qui ſunt in alphabeto, vt quando filius, vnumquemque puerum ad ludendum vocare vellet, eumdem a. vel b. aut c. ſiue d. appellaret, vt ſic ipſe litteras, & nomina characterum mente retineret, vt deinceps facile alphabetum memoriæ mandaret, & cito diceret perlegere. Perinde plane Angelus iſte Apocalypſis videns nos, & Chriſti, & finis, principijque noſtri, miruminmodum oblitos, ipſe Chriſtum alpha, & omega hoc eſt principium, & finem appellat, vt impoſterum nos, tum ad amorem Chriſti, tum ad finis, & principij noſtri memoriam mente perpendendam, crebro ac frequenter impelleremur. Et hoc ipſum ad mentem noſtram reducere conten-
K dit Sanctus ille Iob, dum dixit: [Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illūc.] & Salomon: [Vnus eſt introitus ad vitam omnibus, & ſimilis exitus.] Et Eccleſia cum feria 4. cinerum, cinere, & puluere nos ſignat dicens: [Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.] Hoc plane eſt illud ſignum, de quo Ezechiel. 8. dicitur: [Et ſigna Thau ſuper frontes virorū.] Hoc eſt memoria mortis, & per cōſequens principij, & finis noſtri, quæ nūquā è mēte
noſtra

Græcorum conſuetudo. Teocr. eglog. 8. Homer. Ilia. 1. Horat. lib. 1. epiſtolarum, epiſtol. 1. ad Mecœnatem.

Comparatio optima.

Iob. 14.


Sap. 7.

nostra excidere debet. Et hoc ipsum plane est, quod Christus Matth.6.indicare voluit, dum dixit: [Vnge caput tuum,] caput siquidem nostrum tunc vngimus cum principij, & finis nostri memoriam mense retinemus.

§. 6. *Principium, & finis Christus.* Iesum Xp̄m autem Alpha & Omega Principiũ, nimirum, & finem esse, restat nunc explanandum. Idque sanè patet, tum quatenus Deus, tum quatenus homo est. Cum enim Verbum caro factum fuerit, constat planè duas naturas, videlicet Diuinam, & humanam in vno esse supposito, cum vnio facta fuerit in persona diuina, vt dispungunt Theologi in 3. lib. Sent. cum Magistro, & in p. p. cum S. Tho. (*S. Thom.*) ex quo plane ortum habet Filium Dei, & filium hominis in sacro eloquio, Christum crebro appellari, & secundum vtramque filiationem siue secundum vtramq; naturam. Alpha, (B) & Omega, Principium, & finis quippe est Iesus Christus: Quoniam quatenus Deus, verbum, vel filius Dei, est Iesus Christus principium, ante quem nullus; finis, post quem nullus, principium creans, per potentiam, finis iudicans per iustitiam. (*Christus quatenus Deus est principiũ & finis.*) Principium a quo omnia, iuxta illud Ioan. 1. [Omnia per ipsum facta sunt,] & finis propter quem, & ad quem omnia, iuxta illud Prou. 16. [Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus. [Alpha a quo omnia cæperunt: Omega in quo omnia terminabuntur. Principium effectiuum, quia creator: finis beatificans, quia veræ felicitatis, & beatitudinis electorum est obiectum. Alpha, quia principium generis humani: Omega quia finis legis, mortis, omnisque præuaricationis. Principium, quia] In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Quoniam verbum Diuinum ante mundi constitutionem æternaliter cum (C) patre erat permanens: finis quia [verbum caro factum est,] qui venturus tandem est ad iudicandum. Et plane in hoc sensu accipiuntur de Iesu Christo sequentes vtriusque testamenti auctoritates. [Ego primus, & ego nouissimus. [Esa. 44.] Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.] Deut. 32. [Tecum principium in die virtutis tuæ [ps. 109.] [Ego principium, qui & loquor vobis,] Ioan.8.[Antequam Abraham fieret ego sum] Ioan.8.Et aliæ pleræque auctoritates quæ in ratione principij, & finis, primi, & nouissimi, de Iesu Christo quatenus Filius Dei est enodandæ quidem veniunt. Quamobrem D. Ambrosius de Iesu Christo hic sic scribit. (*D. Ambr. in cap.1. Apoc.*) [Quid sit Alpha & Omega sequentia manifestant, id est principium & finis sicut ipse dicit Iudæis: Ego sum principium qui & loquor vobis. (*Ioan.8.*) Potest Saluator noster principium (D) dici, eò quòd ipse sit principium, idest, creator generis humani, & auctor salutis, finis autem potest dici, quia ipse est finis legis, finis mortis, omnisque præuaricationis.] Et D. Augustinus: [Sicut alpha litteram nulla alia præcedit, ita & filium Dei, & nulli secundũ constat esse quia Deus est.] (*D. Aug. cõt. arianos. D. Athanas. ser. 4. cont. arian.*) Et D. Athanasius:] Deus esse pronuntiatur cum dicitur: Ego sum primus & nouissimus, & post hæc futurus, vnus enim solus Deus & princeps est, neque ea, ad demolitionem filij referantur, absit. Est enim ille ipse in vno primo & solo, vt vnius primi, & soli, vnicum verbum, & sapientia, & splendor.] Et Origenes illa verba Gen. 1. (*Orig. hom. 1. in genesim*) [In principio creauit Deus cælum & terram] de Iesu Christo sic exponit dicens: [Quod est omnium principium nisi Dominus noster, & Saluator omnium Christus primogenitus omnis creaturæ. In hoc enim principio, hoc est, in verbo suo, fecit Deus cælum, & terram] (E)

§. 10. *Christus quatenus homo est principiũ & finis.* Quatenus etiam homo, Alpha, & Omega, Principium & finis vtique est Iesus Christus. Principium, quia de eius humanitate sanctissima intelligi etiam potest illud [Ab initio & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam] (*Sap 17.*) & illud. [Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam] finis quia ipsa est de qua scribit Apostolus: (*1. Cor. 15.*) [Deinde finis cum tradiderit regnum Deo patri, & cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.] Principium, quia ipsa est [Prin- (*Apoc. 3.*) (A) cipium creaturæ Dei;] Finis, quia ipsam in æternum Angeli Dei adorabunt. [Et cum iterum introducet primogenitum in orbem terræ dixit, & adorent eum omnes Angeli eius] Alpha, quia filius hominis est, Princeps Regum terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium. (*Apoc.1.*) Omega, quia [filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & ponere animam suam in redemptionem pro multis. (*Matth. 20.*) [Principium, quia est primus virorum,] primogenitus in multis fratribus. [Finis, quia de ipso dicitur.] Vidimus eum nouissimum virorum (*Isa.53.*) [Alpha, quia ipse est speciosus forma præ filijs hominum, & diffusa fuit gratia in labijs suis.] Omega, quia de eo dicitur. [Vidimus eum, & non erat aspectus, neque decor.] (*Ps.44. Isa.53. Sap.7.*) Principium quia primam vocem emisit plorans in præsepio: Finis quia vltimam vocem emisit clamans in cruce: [voce magna expirauit:] (*Marc.15. Luc.23. Ps.21.*) Alpha, quia ipse est caput hominum, & Angelorum; Omega; quia de eo dicitur: [Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & obiectio plebis.] Principium quia sancta eius humanitas est principium instrumentale gratiæ in omnibus operibus nostris, sine quo nihil prorsus boni præstare valemus: Finis, quia ad ipsam quotidie aspirare debemus: Ideo Leuit. 3. & 7. præcipiebatur, quod ille qui sacrificium offerret, adipem, & caudam Deo semper sacrificaret, (*Nota bene figuram.*) Pinguedo planè, in signum quod illa sancta humanitas Messiæ futura erat instrumentale principium in nostris operibus per gratiam, cauda vero quia ad eamdem omnia nostra opera tanquam ad finẽ & scopum, tendere & terminari deberent, dicente Sponsa: [Pone me vt signaculum super cor tuum, & signaculum super brachium tuum.] (*Cant.8.*) Alpha, quia filius hominis, est inter resuscitatos primus, cũ ipse sit, qui ad vitã prorsus immortalem resurrexerit, & ideo primitiæ dormentium ab Apostolo appellatur. (*1.Cor.15.*) Omega, quia ipse est finis in salutem omni credenti. Principium, quia homo est, per quem Deus fecit omnia; finis quia homo est omnium rerum finis, dicente Philosopho lib. 2. Phys. [Nos omnium rerum quasi fines sumus] & iterum [Homo rerum omnium finis.] (*Arist. lib. 2 phys. tex 24*) Principium tandem, quia sanctissima humanitas Christi, debet esse prima in intentatione nostra: Finis vero quia ipsamet debet esse vltima in omni nostra executione: Omnia opera & actiones nostras, ad ipsam tanquam ad principium earumdem reducendo. (*D. Thom. in comment.*) Tunc enim homo est rectus in sua actione, quando non declinat a principio, sciens se nihil habere nisi a Deo nec a fine, ordinans se, & omnes actus suos ad Deum, qui (Teste Psalmista) saluos facit rectos corde. (*Rectitudo in nostris actionibus, est necessaria.*) En igitur qualiter Iesus Christus, tum ratione diuinitatis, nempe, vt Filius Deo, tum ratione humanitatis nimirum, vt filius hominis. Alpha, & Omega, Principium, & Finis, vtique est.

Conceptus Prædicabiles in Textum.



LPHA, & Omega, principium, & finis appellatur hic Christus; Quoniam filius Dei, Deus ac Dominus noster tantus est, quantus est pater. (*Cõceptus P. Quod filius in diuinis sit equalis patri æterno.*) Patri autem æterno nihil potest comparari quoniam ipse est (vt ait D. Ambrosius libro de fide contra Arianos cap. 6. quærens quid sit Deus) (*D. Ambr.*) de quo cum dicitur non potest dici, cum æstimatur non potest comparari, cum diffinitur, ipsa diffinitione crescit: Qui cælum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit; quem totum omnia nesciunt & metuendo sciunt: cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis. Et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Et sic nõ potest esse aliquid quo possit pater cõparari. Qua propter hic, filius eius Iesus Xp̄s D̄ns noster, se Alpha, & Omega, Principium scilicet, & finem appel-

lat ficuti, & ipse pater est. Quoniam filius talis est, qualis pater, & non aliunde quam de patre, iuxta illud [Exiui à Patre, & veni in mundum.] Exiui tanquam lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Hinc ipsemet, Ioan. 10. ait. [Ego & Pater vnum sumus,] non enim ipse, se vnum cum patre diceret, nisi talem se, qualis est pater, sciret. Hinc & Apostolus: [Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit formam serui accipiens &c.] Ratio si quidem quæ apud Græcos [λόγος] nuncupatur, quæ inter patrem, & filium personas, vel vocabula distinguit, filio apprimè conuenit, quia & ipse filius Iesus Christus Dominus noster ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo Leo, modo via, modo veritas. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus per hæc vocabula, diuinarum dispositionum mysteria (non vt ipsa maiestas filij, Dei proprie definita monstretur) cognoscuntur: Quamobrem filius æternus Verbum nuncupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil pater sine eo, aut iussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia verè de Deo, & semper cum Deo est, & omnis potestas patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris adueniens arcana cælestia credentibus reserauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur quia nihil illo pretiosius habetur. Thesaurus dicitur vt in ipso omnes opes, & diuitiæ regnorum cælestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi diuersa gentium multitudo, sicut piscium, per aquam baptismalis in Ecclesia congregatur vbi bonorum, malorumque discrimen agnoscitur, Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ, dura pectora subijciuntur, vt necessariora in ipso præparentur. Fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis nominatur, quia vtrosq. parietes noui, & veteris testamenti vnus, & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus appellatur, vt innocentia Christi, & passio demonstraretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos hominem nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila nominatur, quia post venerabilem resurrectionem, vt rex ad altam patris peruolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est Rex regum, qui mortem, & Zabulum virtutis suæ potestatè comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. veritas, quia mendacium nescit. Vita est; quia ipse vniuersa viuificat. Vides ergo per hæc vocabula significationes dispositionum, & operum diuinorum præollensas, non tamen ipsum Deum propriè diffinitum? Est ergo. Pater, Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis, alpha nimirum, & omega; Est & eius filius Iesus Christus, Deus, & Dominus noster tantus quantus est pater, hoc est immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis, alpha quippè, & omega, principium videlicet, & finis.

Ioan. 16.

Philip. 2.

λόγος. idest ratio distinguit diuinas personas.

Ratio in diuinis plerisq. nuncupatur nominibus.

Nomina vasta filij Dei explicantur, & simul ostéditur cur illi conueniat. Christus cur verbum. Virtus. Sapientia. Dextera. Brachium. Margarita. Thesaurus. Retia. Aratrum. Fons aquę viuæ. Petra Lapis angularis. Agnus. Homo. Vitulus. Aquila. Leo. Via. Veritas. Vita appellatur.



GNOSCENS diuinitus incarnationis diem, mysteria gratiæ, filiumq. Dei verbum caro factu in plenitudine temporis, Propheta Zacharias in hæc verba prorupit. [In illa die erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum] Sed quid est nomen eius vnum? vnum & principium numeri, & singularitatem, relatione facta ad multitudinem, plane dicit. Fuerunt ne rogo multa Dei nomina, quorum vnum aliquod principium fuerit? Audite quæso: Interrogauit Iacob, virum

Conceptus. Quod Alpha, & Omega est affirmatiuum Dei nomen.

Zach. 14.

F (qui Deum planè repræsentabat) secum vsque mane luctantem [Dic mihi, quo appellaris nomine?] Qui vtique respondit: [Cur quæris nomen meum quod est mirabile?] Mirabile sane, & semel atque iterū mirabile est Dei nomen. Et quod est istud Dei nomen; Ecce procul dubio illud: [Ego sum Alpha, & Omega, Principiū & finis.] Vides nomen Dei vnum a Zacharia vaticinatum? Vnum, nimirum principium, & finis numeri omnium rerum. Quæsierunt antiqui philosophi quid esset Deus? Cui difficultati, vt tradunt S. Dionysius lib. 7. de Diuinis nominibus, & plerique Sancti Patres ac etiam Neoterici Doctores (qui vernacula lingua, sua opera typis mandarunt) Magister noster Reuerēdissimus, Fr. Philippus è Guimera in hist. Ord. de mercede p. p. cap. 1. Laurentius de Zamora in Monarchia mystica Ecclesiæ, p. p. lib. 1. p. 3. Symb. 1. paulo supra. §. 1. per negationem satisfaciebant, dicentes, Deus non est G lignum, non est lapis, non est Leo, non est Sol. &c. Quibus omnibus affirmatiuè (vt satis perdoctè, & acutè scribit idem Reuerendissimus Philippus à Guimera) obuiauit aquila illa Euangelij, Ioannes, videlicet, qui recubuit, in cæna super pectus Domini, inquiens de Deo: [Deus charitas est.] Cæterum si scire adhuc desideras quid Deus affirmatiuè sit, audi, ex eiusdem Dei ore: [Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis.] Hoc planè est nomen eius, & mirabile, & vnum, quod supra retulimus. Est enim filius Dei Iesus Christus Dominus noster, Alpha, nimirum Principium. Communiter dicitur, Moysen fuisse primum inuentorem litterarum apud Hæbræos; Reginam Isim apud Aegyptios, Aristotelem apud Grecos fuisse primum artis dialecticæ constitutorem, Thalem Milesium physicam primo perscrutasse: Alcionem Cretoniensem primum fabulas adinuenisse: H Socratem Ethicam primo instituisse: Pythagoram arithmeticam, Tubal musicam, Abraham circuncisionis fuisse auctorem: Moysen leges primo Hebrais dedisse, Noë arcam fabricasse, Adam nomina primo imposuisse rebus, descendentes a Noe artem nauigandi primo inuenisse, aliosq. plerosque fuisse rerum aliquarum primos inuentores, vt produnt plerique Doctores: Verumenimuero contra hos omnes primos, a mortalibus, rerum inuentores, appellatos, insurgit hic omnium rerum primus auctor filius Dei Iesus Christus, Deus & Dominus noster dicendo de se ipso, [Ego sum Alpha,] id est, omnium rerum principium. Est etiam & ipsemet Iesus Christus Omega videlicet finis, quoniam teste d. Tho. p. p. q. 1. art. 3. ad 1. omnis creatura ad Deum tamquam ad finem suum refertur. Quamobrem filium Dei Iesum Christum dominum nostrum in ratione Principij, & finis, possumus He- I bræorum linguæ comparere, eo quod lingua, Hebræa, vt tenent Isidorus, & Remigius, referente Bernardino à Busto in suo Rosario, serm. 2. p. 2. fuit prima quam habuerunt Adam, & Eua, & erit etiam vltima, quia post Iudicium, ipsa dum taxat in loquendo omnes homines vtemur. Quod sanè futurum puto eo, quod in lingua Hebræa (vt prodit Rabbi Moyses) nullum vocabulum est ad nominandum aliquod inhonestum. Et tunc in electis, vocabula turpitudinum nullatenus reperientur: Quoniam priora transierunt.

Gen. 32.

Nomen Dei mirabile.

Philipp. de Guimera generalis mag. ordinis de mercede.

Laurentius Zamora.

Deus negatiue quid sit.

Philippus de Guimera vbi supra.

Ioan. 4.

Deus affirmatiue quid sit.

Primi inuentores rerum aliquarum.

Bernardinus de busto in suo rosario tom. 2. serm. 33. p. 2.

Primus inuentor omnium rerū est Deus

Christus linguæ hebræorum recte assimilatur.

Frater Bernardinus de Busto.

Lingua hebræa fuit prima quam obtinuit Adam, & ipsa etiam post iudiciū vtemur.

Rabbi Moyses.



K AGNO sanè cum mysterio, & sacramento, hæ duæ litteræ Grecæ, nempe [Alpha] & omega Iesu Christo domino nostro, meritò applicatur. Ipse namque est Principium, & ipse finis Vel, vt aliter dicam: Ipse est circulus. Circulus nāq. inter figuras vt Aristot. p. l. de cælo probat, omnibus longè antecellit: eo quòd tunc effectus quilibet perfectus censetur, cum in suum recurrit principium. Quod plane in Circulo duntaxat; (inter figuras mathematicas) apprimè inuenitur: Sicuti in conuersione inter motus, idem reperitur. Principium autem omnium rerum Deus quippe est

Concept. 3. Quod Christus omnium rerum Principium, & finis recensetur.

Principium, & finis Christus.

Tertullianus lib. monolo.

Circulus dicitur Christus.

Circularis figuræ nobilitas, & excellentia.

Deus omnium rerum causa.

pe est. [In principio creauit Deus (dicitur Gen. 1.) cælum, & terram.] & Ioan. 1. [Omnia per ipsum facta sunt.] Quapropter Aristoteles, Deum omnium rerum causam nominauit. Finis autem omnium rerum, in hoc mundo inferiori, creatarum, homo vtique est, Ideo Deus hominem vltimo loco creare voluit propter quem omnia ista creauit. Idcirco idem Aristoteles lib. 2. phys. ait: [Nos omnium rerum quasi fines sumus.] Quo etiam argumento D. Ambrosius Epist. 38. ad Horontianum probat rationi fuisse consentaneum, eum vltimum omnium a Deo conditum fuisse. Sicque Deus principium erat omnium rerum, homo verò finis. Sed valde inter se distabant, nec coniungebatur finis iste cum illo principio. Venit attamen filius Dei in mundum, factusque est homo, quia [Verbum caro factum est:] & tunc diuinitas vnita fuit humanitati, humanitasq. diuinitati suppositata, & sic Deus factus est homo, & per consequens Principium Deus, factus est finis, & ita circularis figura completa fuit. Quamobrem merito hic dicit Christus de seipso: [Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis.] Quoniam solus ipse est Deus & homo. Ad hoc ipsum planè alludere potest vetus illa Persarum consuetudo, qua solebant Persæ, testante Pierio, in aliquem altum conscendere locum, in cuius culmine sacrificium maximum, ac miruminmodum gratum, & acceptabile esse dicebant, Deum altis acclamare vocibus [Cæli circulum.] Idq. crebrò præstare magis honorificum sic Deo asserebant. Tùm etiam & Gallorum, ac Romanorum in bellando stylus, qui in primo cuiusuis belli exordio, circumcirca, eorum vnusquisque ad modum circuli se vertebat, vt sic, circulo illo, vt prodit Plinius, Deum primò adorarent ac colerent. Hinc Marcellus Romanorum Imperator, inimicis occurrens, equo suo, tubarum inimicorum clangore, retrocedente, rotundè ad modum rotæ, eumdem circumuertit equum dicens, Deum primò rotando esse, circulo, adorandum. Et sic equi inanimositatem, & inaudatiam, ipse Imperator industriosè, & satis audacter celauit acutè, vt optimus & satis bellicosus eques.

Homo finis omnium creaturarum.

Homo cur postremo loco creatus. D. Amb.

Ioan. 1.

Deus qui est Principium, quomodo finis etiam factus fuerit.

Circularis figura qualiter completa fuit.

Pierius, lib. 39.

Circulus cæli Deus. Gallorum & Romanorum in bellando stylus.

circulo olim adorabatur & colebatur, Deus apud gentiles Romanos.

Marcellus Romanorum Imperator. Equus retrocedens, circulo, correptus.

Concep. 4. Quid per duas literas Græcas, Alpha & Omega iudicia dei inscrutabilia apprimè demonstratur.

PER hos duos Græcos characteres, nempè [Alpha] & [Omega] altitudo, longitudo latitudo, & profunditas Dei, satis perbelle percipitur: de quibus omnibus locutus fuit Apostolus ad Eph. 3. dicendo: [Vt in charitate radicati, & fundati, possitis comprehēdere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum.] Vbi nullatenus venit intelligenda illa altitudo, de qua Eccles. 1. dicitur: [Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?] Sed, vt expendunt Doctores (inter quos est Primasius) altitudo, longitudo, profunditas, & latitudo Dei circa inscrutabilia iudicia eius, nobis per Christum explanantur. Hinc D. Ambrosius super hæc eadem verba Apostoli sic scribit: [Cum dicit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum, hoc vtique significat vt sicut in sphæra tanta est longitudo, quanta latitudo, & tanta altitudo quantum & profundum; ita in Deo omnia æqualia sunt immensitate infinitatis. Sphæram, difinito modo concludit: Deus autem non solum implet omnia, sed & excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet, aut solus ineffabilis, & infinitus habeatur, & gratiæ huic insufficienter agantur, qui cum tantus sit, dignatus est per Christū hominem visitare peccatis, & morti subiectum.] Hæc D. Ambr. Quo plane loco comparat sanctus Doctor Deum sphæræ: quoniam Mercurius Trismagister, & alij antiqui philosophi Deum sphæram esse crebro affirmare solebant. Quorum plane sententia, per hæc Dei verba: [Ego sum Alpha & Omega, princi-

Altitudo, longitudo, latitudo, & profunditas iudiciorum diuinorum.

Primatius.

Sanctus Ambrosius in c. 3. ad Eph.

Deus comparatur sphæræ.

Sphæra cur Deus comparetur.

Trimegistus.

Sphæram esse Deum probatur.

A pium & finis.] satis apte & congruè confirmari potest. Sphæra siquidem vox est Græca, & apud Latinos idem est quod globus. Quam quidem Philosophi, & Geometræ nostræ tempestatis sic definiunt. [Corpus solidum vnica superficie contentum, in medio sui punctum habens, à quo omnes lineæ ad superficiem ductæ sunt æquales.] Et alij breuius: [Ex planis circulus, aut orbis.] Verumtamen cum Deus Optimus Maximus sit spiritus, iuxta illud: [Dominus Deus tuus vnus est & spiritus est.] Quod etiam abunde docent DD. Scholastici in 1. lib. sent. cum magistro, & in 1. part. cum S. Thom. Sitq. insuper ipse principium & finis, vt hic dicitur. & vt Paulus ad Rom. 11. ait: [Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.] meritò sphæra intellectualis dicetur, vt Hermes Trismagister validissimus mathematicus olim aiebat, cuius centrum, nempe creatura est

B vbique, circumferentia, nimirum essentia diuina, nusquam existit. Et merito plane diuinam essentiam, circumferentiæ, siue circulo comparamus. Quoniam quemadmodum in sphæra, circumferentia, circulus, aut orbis, est grandior & maior sphæræ pars, ita diuina essentia est ita magna, & incomprehensibilis, vt nullibi concludi queat, aut aliquo annorum numero æstimari. Idq. satis declarat illud: [Et circumferentia nusquam existens.] Nam Deus omnimodo fine, principioq. caret, cum ipse sit, vt hic dicitur: [Alpha & Omega, principium & finis.] Ideo Christus Iudæis, Ioan. 8. dixit: [Principium, qui & loquor vobis.] Principium autem, vt tradit S. Thom. 1. part. q. 33. art. 1. nihil aliud significat, nisi à quo aliquid procedit. Per filium autem facta sunt omnia, & per consequens omnia ab ipso tanquam à suo principio procedit. Hinc ipse ait: [Antequam Abraham fieret, ego sum.] Huc etiam spectare potest, quod ad

C æternitatem Dei iudicandam solebant antiqui gentiles, Apollinem (per quem Deum intelligebāt) puerum impuberem depingere, perpetuā illi adolescentiam ascribentes; Aesculapium verò eius filium (per quem res naturales à Deo creatas significabant) barbatum & senectute deficientem delineare, vt sic significarent Deum esse immortalem; entia verò naturalia caduca. Quod & ipsa veritas confirmauit dicens: Matth. 24. [Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.]

Sphæra quid sit.

Deus est spiritus. Deut. 6. Magister.

S. Tho.

Trismagister.

Deus est sphæra, & explicatur.

Coparatio.

Principium Christus. Principium quid significet.

Ioan. 8. Historia Philosophorum notabilis.

Apollo Aesculapius pater cur impuber depingebatur.

Aesculapius Apollinis filius cur barbatus, & senex depingebatur.

D SPHÆRA quidem simul, & Triangulus Deus est. Quæ plane duo simul reperiri in vno licet in creatura, nullatenus tamen in creatore, repugnat. Qui plane sphæra rotunda est ratione essentiæ: Triangulus vero ratione personarum. Figura siquidem rotunda, ita excellentissima est inter cæteras figuras vt illis longè perfectior, capacior, & pulchrior sit. Hinc est quod cælum, sol, luna, terra, astra, oculi, caputque, figura gaudeant, & perfruantur rotunda. Ex quo liquide deducitur figuram rotundam, siue sphæricam longe perfectiorem, capaciorem, & pulchriorem cæteris figuris esse, quam diuinæ essentiæ assimilamus: Et meritò quidem. Propterea quod sicut rotunda, siue sphærica figura pulcherrima, capacissima, & per-

E fectissima inter cæteras figuras reputatur, ita plane diuina essentia, pulcherrimum, capacissimum, & perfectissimum ens, & cætera entia in infinitum exuperans apprimè recensetur. Diuina namque essentia simplicissimum ens est, cum nullam compositionem (siue illa sit materiæ, & formæ, siue generis & differentiæ, siue subiecti, & accidentis) admittat. Est namque Deus totaliter, & omnino simplex, vt rectè probat Angelicus Doctor 1. part. q. 3. art. 8. Hinc est quod Deus à fine vsque ad finem attingat: Et Alpha & Omega, & sphæra intellectualis à Philosophis nuncupetur. Sicuti insuper Sphæra principio, & fine caret, quia ex quauis parte cir-

Concept. 5. Quod Deus sphæra simul, & triangulus sit.

Figura rotunda est excellens inter alias figuras. Figura rotunda gaudent cælum, sol, luna, terra, capur, & oculi.

Deus figuræ sphæricæ comparatur.

Deus nullam admittit compositionem.

Sphera principium, & finem minime obtinet.
Deus principio, & fine omnino caret.
Deus triangulo assimilatur.
Trianguli descriptio.
Trinitas personarum in diuinis.
Deus dicitur triangulus ratione personarum.
d. Athanasius in suo symbolo.
Petrus Lombardus sententiarum magister.
d. Aug.
S. Tho.

te circumferentiæ rotunditate gaudet: ita Deus omni principio, omniq. fine caret, quoniam omnium creaturarum primum principium, & vltimus finis, & omnium rerum Alpha, & Omega appellatur, & est: & perconsequens rotunda sphæra dicitur. Est porro Deus simul & triangulus, nimirum, triangularis, ratione trium diuinarum personarum. Triangulus namque sic à Philosophis definitur: [figura, tres habens angulos] fides autem in diuinis trinitatem personarum ponit. Et ob id, nos merito Deum, triangulo, tres angulos habenti, comparamus. Vna siquidem est persona Patris, Ecce primus angulus: Alia est persona filij, Ecce secundus angulus: & alia est persona Spiritus sancti, Ecce tertius angulus. Ideo Magister in 1. lib. sent. dist. 2. sic ait: [Hæc igitur pia, & vera fide tenendum est, quod trinitas vnus sit, & solus verus Deus, vt ait. D. Aug. in lib. 1. de trinitate, scilicet pater, & filius, & Spiritus sanctus, & hęc trinitas vnius eiusdemq. substantiæ, vel essentiæ dicitur, creditur, & intelligitur, quæ est summum bonum, &c.] Hæc Magister. Et S. Tho. p. p. q. 31. art. 2. sic ait] Nomen trinitatis in diuinis significat determinatum numerum personarum, sicuti igitur ponitur pluralitas personarum in diuinis, ita vtendum est nomine trinitatis, quia hoc idem quod significat pluralitas indeterminatè, significat, hoc nomen trinitas determinatè] sic ille. Et quia in triangulo, anguli oportet sint sibi ipsi æquales, & pares, vt statuerunt Mathematici, ideo in diuinis qualis est pater, talis est filius, & talis Spiritus sanctus, prout fides docet. Nam in diuinis si sermo est de æternitate; Æternus est Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Si autem sermo fuerit de omnipotentia; Omnipotens est Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Si denique sermo fuerit de immensitate; Immensus est Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Et sic de reliquis diuinis attributis pro vt in Symbolo Athanasij habetur. Vides igitur diuinum triangulum, tres angulos habentem? Est itaque Deus Sphæra rotunda ratione diuinæ essentiæ: & triangulus tres habens angulos prout dictum est, ratione trium diuinarum personarum æqualium, & parium. Hinc Athanasium in suo symbolo, sic hic interpretamur: [Fides autē catholica hęc est, vt vnum Deum (veluti sphæram rotundam, Alpha, & Omega, principium & finem) in trinitate (nempe inclusum in triangulo trium diuinarum personarum) & trinitas (nimirum tres anguli huius diuini trianguli, scilicet, tres diuinæ personæ) in vnitate (nempe in rotunditate istius diuinæ Sphæræ, hoc est, in vnitate diuinæ essentiæ) veneremur.] Iccirco Christus in Euangelio sæpenumero recurrit ex se ad æternum patrem: Sic enim dicitur Ioan. 9.] Philippe qui videt me videt & patrem meum, non credis quia ego in patre, & pater in me est. [& Matth. 18.] Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] & Ioan. 8. [Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.] & paulo post: [Neque me scitis neque patrem meum. Si me sciretis forsitam, & patrem meum sciretis.] Et in eodem capite: [Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.] & cap. 10. [Si non facio opera patris mei nolite credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia in me est pater, & ego in patre.] Quod quidem à Christo domino Redemptore nostro factum quippe est, vt apertè, & claré intelligeremus qualiter illa Sphæra suprema, nempè diuina essentia est inclusa (vt ita loquar) in triangulo trium diuinarum personarum, & miraculosè sphæra, circulus rotundus, triangulum omnino adimplet. Quoniam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vna substantia, & trinitas perfecta vtique est. Deum præterea esse veluti sphæram significabat apud Hebræos nomen illud. [Tetragrammaton,] Quod planè quattuor apud Hæbreos dumtaxat scribitur litteris. Quarum tres numeros sphærales, seu circulares significant, ad demonstrandum Deum esse

Angulæ æquales in triangulo.
Personarum diuinarum æqualitas.
d. Athanasius in suo symbolo.
Deus æternus Deus omnipotens.
Deus immensus.

Clausula symboli Athanasij, explanatur optime.

Christus crebrò in Euangelio, ex se transijt ad patrē, & cur.

Triangulus miraculosè adimplet sphæram rotundā, & rotunda sphera triangulum ita vt nō remaneat inter eos vacuum.
Deus est sphera rotunda.

F veluti sphæram, & progressu sphærico procedere, reuocando in se omnia sicuti ab ipso processerant. Numerus namq. circularis ille dicitur, qui per se ipsum ductus, in se ipsum semper recurrit, cuiusmodi sunt quinque, Sex, decē. Si enim quinque quinquies ducas, efficies viginti quinq. Si Rursus quinquies repetas viginti quinq. conficies cētum viginti quinque. Et ita in infinitū numerus quinarius per se ipsū ductus, semper in se ipsum recurrit. Quod idem in senario, & denario vtique reperies. Qui plane tres numeri dicūtur (pręter omnes numeros) numeri circulares, siue sphærales, quos plane significant tres litteræ illius nominis [Tetragrammaton] quarum vna est [Iod] & significat denarium. Altera est [He] & significat quinarium. Alia vero [Vau] & significat, senarium. Et sic Deus est veluti sphæra. Etenim quemadmodum in sphæra omnes circuli lineæ à centro exeuntes ad circūferentiam tendunt, & ab ea in centrum redeunt: Sic omnes
G creaturæ dimanant per creationem a Deo, tamquam à causa efficiente, & ad eumdem Deum, tamquam ad finem tendunt, vt in eo, suo summo Creatore tandem, tamquam in centro conquiescant. Hinc quidam Philosophus de Deo dixit: [deus monas est, quæ principium est, omnem numerum continens.] Est igitur Deus veluti mensa rotunda. Sed quid dico rotunda? Triangularis plane & rotunda simul est, miraculosè loquendo. Rotunda ratione diuinitatis: Triangularis vero ratione trium diuinarum personarum, nempè, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In qua quidem mensa, tres illi peculiares cibi, nimirum, simila, mel, & oleum de quibus loquitur Vates Ezechiel in cap. 16. nobis proponuntur. Sub quibus tribus ciborum nominibus commixtis, teste D. Hieronymo, vnus panis efficitur diuinarum personarum, trinitatem sub vna diuinæ naturæ substantia symbolicè præmonstrās
H Nam oleum, quod lumini nutrimenta præbet, ad patrem luminum aptari, quidem potest, de quo dicitur: [in lumine tuo videbimus lumen] Mel autem, quo cuncta dulcescunt, Spiritus sancti Symbolum plane est, qui gratiæ suæ dulcedine, omnium dolorum nostrorum amaritudinem, & acerbitatem mellitat, edulcat, & lenit, iuxta illud: [de petra melle saturauit eos.] Simila tandem quæ tritici medulla est, in antiquæ legis sacrificiis iussa offerri, Christum vnigenitum Dei filium figuratè designat, qui pro nobis in ara crucis se ipsum obtulit immaculatum Deo. Hinc de eo Ioan. 12. dicitur: [Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, &c.] His igitur tribus ciborū delitiis, Simila, melle, & oleo hoc est, Patre, Filio, & Spiritu sancto, omnis creatura ratione, vt intellectu prędita, nimirum angelica & humana pascitur, & nutritur. Neque enim Patre absque
I filio, nec filio absque patre; nec minus Spiritu sancto absque patre, & filio frui aliquo modo possumus. Qui enim fruitur patre, necesse vtique est, & filio frui, & qui fruitur patre, & filio, necesse per consequens est, vt & Spiritu sancto fruatur, iuxta illud Ioan. 14. [Philippe qui videt me videt & Patrem meum.] Etenim cum eadem sit natura, & substantia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nequit videri pater, quin simul intueatur Filius, & Spiritus sanctus. Hæc est illa miraculosa mensa, de qua dicitur Lucæ 22. [Ego disposui vobis mensam, vt edatis, & bibatis in regno meo.] Mensa quidem rotunda simul, & triangularis est mensa sancti altaris, & æternæ beatitudinis. O fælices accumbentes vtriusque mensæ, fælices Angeli, fælices & terque, quaterque, & millies beatæ animæ rationales, quæ dumtaxat sunt huius splendidæ mensæ hic in san-
K cto altari, & illic in patria, nempè, in æterna, & cælesti beatitudine, fælices conuiuæ, & recumbentes. Optimè plane cecinit Poeta dicendo.

Felix qui potuit cælestium accumbere Mensa.

Felices iterum dico sunt animæ nostræ, quæ tali interesse merentur mensæ cęlesti, vbi illa diuina ambrosia, & nectare, copiosè, & abundanter pascuntur, immo satu-

Circularis numerus quis sit.
Circularis numerus qualiter in se ipsum sēper recurrat.

Litteræ tres nominis tetragrammaton.

Comparatio.

Creaturæ omnes à Deo exeunt & ad Deum redeunt.

Trismagister in pimādro.
Deus mensa rotunda, & triangularis miraculosè appellatur.

D. Hieron. in comment. supra Ezechielem.
Oleum patrē æternum significat.
Psal. 35.
Mel spiritū sanctum demonstrat.

Psal. 80.
Simila Christum indicat.

Vna diuina persona nequit frui absq. alia.
Cardinalis de turrecremeta in Ioannem.

pater est in filio, & Spiritu sancto per naturam in sue per consubstantialitatē.

Mensa regalis vtriusque regni Christi

Conuiuæ vtriusq. Christi mensæ omnino beati, & fælices.

Angelorum & animarum nostrarum communes ad bus.

Mēsa solis in Aethyopia.

D. Hier ad Paulā.

Herodot. lib. 39. c. 4.

Solinus.

Pomponius.

saturantur. Alia sane & omnino alia ac prorsus diuersa est hæc mensa ab illa solis mensa, quam D. Hieronymus, Herodotus, Solinus, & alij plerique Scriptores dicunt fuisse in Æthyopia, de qua Pomponius sic scribit. [Est locus in Æthiopia paratus semper, epulis refertus, edulia passim apposita sunt, quæ affirmāt innasci subinde diuinitus.] In hac autem cælesti mensa solus Deus est edulium, quod conuiuis & accumbentibus datur, qui solus animam nostram immortalem beatificare, explendo appetitum, satiandoq. eius desiderium, vtique potest, cum solus ipse sit beatitudo obiectalis electorum, vt dispungunt Magister in 1. lib. sent. dist. 1. & S. Thom. 1. 2. q. 1. Hinc plane est quod mundus totus, caro vè, aut sanguis, nullatenus hunc animum, & apetitum nostrum saturare perfecte queunt. Quod plane hoc exemplo apparebit. Duæ figuræ differentes, difformes, ac prorsus dissimiles, & inæquales, quarum vna rotunda, altera verò triangularis, vel pyramidalis sit, conuenire, quadrare vè inter sese nullatenus queunt, quinimmo si rotundam intra triangularem, aut pyramidalem reponas, illam replere vllo modo valet; anguli etenim aliqui vtriusque, vacui remanent. Duæ verò figuræ conformes & æquales ac omnino similes, nimirum ambæ vel rotundæ, vel triangulares pyramidalesq. semper & vbique inter sese conueniunt, & quadrant. Quoniā si rotundam supra rotundam, triangularem, siue pyramidalem supra triangularem, pyramidalem vè colloces (dummodo sint eiusdem magnitudinis & quantitatis) nulli earum anguli, vacui manent, replentur namque vtrique protinus, prout experientia ipsa edocet. Anima autem nostra, & vna in substantia, & trina in potentijs vtique est, vt docet Aristoteles, & S. Thom. & per consequens & sphærica, siue rotunda simul est, & triangularis. Cor insuper nostrum pyramidalem figuram præ se gerere experimur. At verò mundus sola rotunditate, siue sphærica figura gaudet, vt docet Aristoteles 1. lib. de cælo, & mundo. Quare impossibile omnino erit, ipse mundus animam nostram, vel cor nostrum adimplere, eiq. satisfacere, aut quadrare perfectè posse: quinimmo solus Deus id præstare sane potest: cum solus ipse (vt nuper retulimus) finis, & beatitudo nostra à Theologis assignetur. Idcirco ipsemet seruo suo Dauid dixit: [Aperi os tuum, & implebo illud.] Et optime sanè. Quandoquidem sphæra sphæram, circulus circulum, triangulusq. triangulum facile ex omni parte replet: Ipse autem Deus triangulus cum sit (quo ad personas) & sphæra rotunda (quo ad essentiam) facile animam nostram, tam ea ex parte, qua est vna in substantia, quam ea ex parte qua est trina in potentijs, omnino ipse solus replere potest, ita vt Pater æternus, intellectum, Filius memoriam, & Spiritus sanctus voluntatem impleat, compleat, & omnino saturet. Hanc suam abundantiam animabus nostris paratam indicauit Christus dum Ioan. 6. dixit: [Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.] & Ioan. 7. [Si quis sitit veniat ad me, & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.] & Ioan. 4. [Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.] Et rem ad exemplū perducendo, quinque dumtaxat panibus, & duobus, piscibus, pauit in deserto quinque millia hominum, ita vt Ioan. 6. dicatur. [Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerūt fragmenta ne pereant; collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus.] Hanc porro abundantiam paternæ mensæ recognouit filius ille adolescentior, dum in se reuersus dixit: [Ego autem hic fame pereo; surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te. &c.]. Cera dum sigillo quodam primarie sigillatur, nullo alio in posterum valet (stante & permanente prima impressione) resigillari, sigillo nisi primo dumtaxat. Nostra autem anima rationalis, diuino sigillo sigillata quidem est: [Fecit Deus hominem (dicitur Gen. 2.) ad

Anima nostra solo Deo saturatur.

Comparatio.

Figuræ cōformes, vna aliā replet.

Anima rationalis sphærica dicitur, & triangularis.

Phy. lib. 2. de anima.

S. Thō. 1. par. q. 78.

Cor figuram obtinet pyramidalem.

Mundus figuram habet sphæricam.

Phys.

Ps. 80.

Caro Christi verus cibus animarum.

Panum multiplicatio miraculosa per Christum.

Paternā mensam epulis, & edulis scatentem desiderauit filius Prodigus.

Lucæ 16.

Comparatio.

A imaginem, & similitudinem suam.] Quomodo ergo sigillo mundano in posterum perfecte resigillari vnquam poterit? Ideo D. Bernardus in Cantica sic scribit: [Anima rationalis multis, ac varijs mundanis rebus occupari quidem potest, adimpleri verò minimè; quia cū Dei capax sit, omne illud, quod non est Deus, quamuis multū appareat, tamen impotens est ad illā replendam.] Hæc Bernardus. Imago Dei igitur cum sit anima nostra, illo dumtaxat perfectè frui potest: Et ipsa in solo ipso lætari, & quietari. Quoniam ipse solus perfectum gaudium, integramq. lætitiam elargiri valet.

D. Bernardus serm. 80. in Cantica.

Anima rationalis est Dei capax.



B NTER alia quæ ad viuum, & satis adamussim, Christū, Alpha, & Omega, principium & finem esse patefaciunt, est eius sacerdotij electio. De Christi namque dignitate sacerdotali alloquitur Psaltes Israel dum Psal. 109. ait: [Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.] Verum quippè est, quod filius Dei carnem assumens. Summus sacerdos fieri voluit, vt in diebus carnis suæ (teste Apostolo ad Hebr. 5.) preces, supplicationesq. Deo Patri, magna cum voce, & lacrymis pro nobis offerret, eo quod ipse omnium sacerdotum typus vtique in veteri lege extiterat. Sed quare nec leuiticum, nec vllum aliud, quam Melchisedech elegit sacerdotium? Id plane ex eo factum puto, vt non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio, nec propria assumptio, C sed cælestis vocatio. De sacerdote etenim Melchisedech dicitur, quod erat sine patre, & sine matre, sine generationis enumeratione, neque initium dierum, neque finem haberet vitæ. Quod filio Dei dumtaxat quadrare potest, dicente Apostolo ad Hebr. 7. [Melchisedech Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.] Et merito sane sacerdos iste Melchisedech soli filio Dei assimilatur; quoniam solus filius Dei matrem in illa diuina generatione (vt ait D. Ambr. lib. 1. Epistolarum Epist. 82) nesciuit: & Patrem in virginis Mariæ partu ignorauit. Ex patre solo natus ante sæcula, ex Virgine sola ortus in hoc sæculo. Initium porro dierum habere vtique non potuit, quia ipse filius Dei, erat in principio, iuxta illud Ioan. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Immo & ipse, vt hìc dicitur Alpha, nimirum, principium est. D Quomodo insuper vitæ finem haberet, qui vitæ auctor omnibus est? Remanet ergo, quod sit Omega, nimirum, finis, ad quem omnia. Ad ipsum enim creata tandem referuntur: Et sic ipse est, vt hic dicitur, Alpha & Omega, principium, & finis omnium. Est porrò Christus sicuti sacerdos Melchisedech sine patre, sine matre, & sine genealogia: Quoniam ipse filios qui essēt spirituales, sine patre, & matre, spiritualiter loquendo, pro creaturus erat per adoptionem, vt sic ipse pater spiritualiter per adoptionem esset noster: fit enim Christus Pater noster dum in baptismo in eius filios adoptamur; tunc autem adoptamur quando per baptismum renascimur, nam ante, filij iræ eramus. Ad hoc planè spectat illud Apostoli ad Rom. 8. [Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in E quo clamamus Abba Pater.] Vbi bis sanè nomen patris repetitur; quoniam [Abba] Hebræum, Chaldæum, Syriacumvè (vt placet D. Hieronymo) idioma plane est, & significat patrem. Et insuper [Pater] dictio Græca, & Latina vtique est. Quæ quidem duæ voces [Abba,] & [Pater,] coniunctæ plane fuerunt primo a Christo Domino dum Mar. 14. orans, in horto dixit: [Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, trāsfert calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed sicut

Conceptus, quòd hæ duæ literæ Græcæ, Alpha, & Omega Christum summu sacerdotem Melchisedech sacerdoti similem demonstrant.

Sacerdos secundum ordinem Melchisedech christus.

Christus omnium sacerdotum typus.

D. Ambr. lib. 1. Epistolarū Epist. 82.

Alpha est Christus, & Abba, hoc est, pater noster.

D. Hieron. in Epist. Paula ad Rom.

Abba, & Pater voces sūt cōiunctæ primo per Christum, & postea per Apostolum.

sicut tu.] Quamobrem Apostolus has duas voces iterum copulauit dicens de Christo: [In quo clamamus Abba,pater.] Perinde ac dicat: Vocamus Christum patrem,& iterum patrem,& millies patrem; quoniam illa bina paterni nominis repetitio, ad maiorem emphasim, & ad maiorem effectum demonstrandum collocata quippe est,veluti illud Matth. 23. [Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas.] Et Lucæ 10. [Martha, Martha solicita es.] Et Psal. 29. [Deus Deus meus ad te de luce vigilo.] Et multæ aliæ eiusdem vocis geminationes, quæ in sacro eloquio ponuntur ad emphasim,& ad maiorem effectum indicandum. Et sic est in præsenti, dum dicitur: [Abba Pater] hoc est,Pater,Pater: Semel enim, & bis, & in æternum Christus est pater noster, ad quem nos in dies clamamus: Pater noster, qui es in cælis.] Et de illo Deut. 32. dicitur: [Nonne ipse est pater tuus, qui possedit te,& fecit,& creauit te?]Est itaque Christus Pater noster,nosq. eius spirituales filij per adoptionem, Quãobrem quibusdam,illi dicentibus, Lucæ 8. [Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te loqui.] Ipse protinus respondit: [Mater mea, & fratres mei hi sunt,qui verbum Dei audiunt,& faciunt.] Et Marc. 3. [Quæ est mater mea,& fratres mei?] [Ecce mater mea, (tangendo,& circunspiciendo eos qui in circuitu eius erant) & fratres mei: Qui enim fecerit voluntatem Dei,hic frater, & soror mea, & mater est.] Vides igitur summum sacerdotem Melchisedech spirituales filios acquirentem,quorum nomina, testante Apostolo, scripta sunt in libro vitæ? Ipsemet proculdubio filiorum suorum per adoptionem, principium vtique est,cum sit omnium rerum Alpha, vt nos illum vniuersalem prouisorem credamus.Et hinc plane oritur,quod nos tamquam eius filij quotidianum panem nostrum ab ipso postulemus. Qua plane de causa dum summus,iste opifex, & pater noster, mundum in principio temporis creauit, parentem nostrum Protoplastum Adam postremo condidit loco, vt videns ipse iam aerem auibus, terram animantibus, mareq. piscibus omnino repletum, nullum sibi locum in terra, omnibus iam occupatis, attribueret, & sic Deum hereditatem suam, summque finem esse; in quem tandem conquiescere deberet, clarè, & apertè intelligeret.

Patris nomẽ eur bis repetitur.

Pater noster semper Christus.

G

H

Et passim nota Quod in illa Apostolica auctoritate citata: Noster vulgatus dimisit illud idioma Chaldæum, Syriacumuè, siue Hebræum: [Abba] in suo originali fonte,absque translatione, vt sic dulcem illam vocem, quam patres naturales primo à filijs suis audiunt, exprimeret. Prima namque articulata vox infantium est,A,Quoniam cum his Characteribus, A, & B, qui sunt [Aleph] & [Bet,] apud Hebræos; & [Alpha] & [Beta] apud Græcos incipiunt labia mouere infantuli ad parentum suorum implorandum auxilium, & deinde aliæ infantiles prope diem efformant voces, vt sunt [papa,tata,mamma,] quas pueri & infantes latinorum apud nos primo efformare solent. Cęterum prima vox quam pueri,ex eorum ore emittunt est, A, quæ in hoc nomine [Abba] quod Græce sic [ἀββᾶ] scribitur, primum obtinet locum. Quamobrem noster interpres ad maiorem inuocandi Deum, & patrem nostrum Iesum Christũ libertatem, in nobis ostendendam, noluit illud transferre, vt sic nos in dies cum filiali fiducia adeamus ad gratiæ domini nostri Iesu Christi tronum acclamantes [Abba pater.] Quasi dicamus illi, semel patrem, & bis patrem, ac millies patrem nostrum. Proprium namque est infantulorum, vt produnt Plutarchus, & Pierius, hanc vocem [Abba] millies repetere. Quoniam aliam efformare vocem nisi,A,prorsus ignorant. Iccirco Theodoretus in cap.8.ad Rom.Ità scribit: [Illud autem Abba adijcit eorum qui ipsum inuocabant dicendi libertatem ostendens: Pueri enim maiori, apud patres dicendi libertate vtentes, neque enim adhuc habent perfectã discernendi facultatem frequentius ad eos eadem voce vtuntur.] Ad quod etiam al-

Abba, vox Hebręa,Chaldæa, aut ve Syriaca quare ab interprete non fuit in latinum conuersa.

Voces, quas primò infantes efformãt.

I

K

Plutarchus, Pierius.

Theodoretus in Epist. Pauli ad Romanos.

F

ludit Primasius scribens sic: [Qui vocat patrem, ostendit se esse filium. In omnibus ergo debet imitari patrem, ne pro nomine indigne vsurpato, maiori subiaceat pœnæ.]

Primasius in Epist. 8. ad Rom.

PARAPHRASIS.
Secunda.

Qui est (dicit præterea) & qui erat, & qui venturus est. Placet vtique D.Amb. explanatio, dum de Iesu Christo domino nostro hunc locum per hæc verba enodat: [Est modo dominus in mundo Ecclesiam suam regens, erat ante constitutionem mũdi æternaliter cum patre permanens, venturus est ad iudicium, vt iudicet mundum.] Arridet prætereà Primasij, B. Augustini discipuli enodatio, quæ talis quippe est: [Per quem facta sunt tempora,nullo defuisse tempore prædicatur, hinc etiam docetur omnipotens.] Verumenimuero, quia præ allegata verba nos de eodemmet filio Dei incarnato,supra tex.5.par. 3.satis adamussim enodauimus,modo, (ne hic eumdẽ lapidem euoluere videamur) ab eorumdem verborum pertractatione (hinc solertem, ac curiosum lectorem illùc remittendo) omnino supersedimus: dominum nostrum Iesum Christum hìc verum, plenum, perfectum, immensum, inuariabilemq. cum suo æterno patre, vt ipse indicauit, dum Moysi sic affatus fuit: [Ego sum qui sum.] relinquentes.

Par. 1. Enodatio textus. §. 1.

D. Amb. in comment.

Primas. in comment.

Exod. 3.

PARAPHRASIS
Tertia.

Omnipotens. (dicit tandem)Particula ac dictio de nouo vtique adiecta à nostro Archipropheta est ista [omnipotens.] Dum etenim supra Dei Vates hæc eadem verba recenseret, tantum dixit: [Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.] At vero hoc in loco addit [omnipotens,] & non incautè sanè, nec minus absque mysterio; quoniam hìc de iudicio filij Dei est sermo, ad cuius rectitudinem, & omni modam æqualitatem indicandam, post,ly [venturus] subiungitur hic [omni potens.] In materia namque iudiciaria (nimirum in iudicando & sententias ferendo) semper Iesus Christus Redemptor noster,in carne mortali vitam agendo,iustum,rectum,& omnino æqualem veluti (vt sic loquar) aurificis stateram,siue bilances se ostendit, ne trutina popolari,pharisaicaue quæ sæpe sæpius dolosa statera (vt ille Ephraim circa res emptitias) reputatur, ipse circa res iudiciarias, inuentus esset à persecutoribus suis minus habens: quoniam de ipso scriptum erat [cognoscetur dominus iudicia faciens:] Quæ plane verba sic sonant. Cum venerit Messias multa quidem faciet miracula, suscitabit namque mortuos, visum cæcis,auditum surdis,sanitatemque egrotis restituet: per quæ omnia magnus medicus, magnusq. Propheta reputabitur iuxta illud: [Propheta magnus surrexit in nobis.] At vero cum faciet iudicia,nimirum,cum sententias feriet: [Cognoscetur Dominus] Id est,cognoscetur, vt filius Dei. Et ratio in promptu est. Quoniam illa petitio Psaltis Israel,nimirum,dum in totius populi nomine Deo patri dixit: [Deus iudicium tuum regi da.] Quasi dicat. Potestatem illam tuam iudiciariam, verbo incarnando, qui futurus est Rex noster in Israel, pater æterne elargire quæso, exaudita quidem fuit. Quandoquidem ipsummet verbum incarnatum dixit de se ipso:] Et potestatem dedit ei iudicium facere,quia filius hominis est.] Hinc plane est,quod ad hoc,vt Christus Rex Iudæorum cognosceretur palam, vt Dominus, & vt filius Dei iudicia fa-

Par. 2. Dillucidatio textus. §. 1.

Omnipotens dicitur Christus in iudicio.

Statera iusta Christus iudex.

Statera dolosa Ephraim.

Psal. 9.

Iudicia Christi admirabilia.

cia faciendo: semper suas sententias, suaq. iudicia, coram populo, & scribis, & pharisæis, ita purè immaculatè, ac omnino rectè ferebat, vt ipsimet Pharisæi, legisq; Moysi doctores, qui ei crebrò ac frequenter de non custodiendo sabbato, insidias parabant, omnino admirarentur, & vnus post alium, confusè, magnoq. cum sudore à sua præsentia sæpe recederent; vt videre plane licet in mulieris adulteræ iudicio: vbi de Pharisæis ita scribitur: [Vnus post vnum exibant incipientes a senioribus.] Quoniam Redemptor noster semper se ostendebat in iudicando omnipotens, hoc est, inuincibilis, vt alter Hector. Vel (vt melius dicam) vt alter Samson, qui funibus à Dalila ligatus, latentibus apud se insidijs, & in cubiculo finem rei spectantibus, vt dicitur Iudicum 16. ad vocem illam [Phylistijm super te Samson] Phylistinorum insidias, & latibula, ruptis vinculis quasi telarum filis prorsus profligabat. Haud secus plane Christus Pharisæos circa materiam iudiciariam, paratis insidijs, quæstionibus, videlicet, (quas Augustinus, Ambrosius, Beda, Rupertus, & Euthimius, cornutas appellant) ei propositis, quales vtique erant illæ: [Licet ne censum dari Cæsari, an non?] & , [Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege mandauit nobis Moyses huiusmodi lapidare, tu autem quid dicis?] profligabat, ruptis vinculis fortiter, vt alter Samson, dicendo semel: [Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.] & iterum. [Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.] His etenim verbis Christi, laqueus Pharisæorum contritus fuit, & Saluator noster liberatus est: frustra enim iacitur rete ante pennatorum oculos. Merito plane de Christo Redemptore nostro dicitur: [Ecce plusquam Salomon hic.] Hæc Iesu Christi in iudicando, sententiasq. ferendæ inuincibilitas, siue omnipotentia, est illa maiestatis sedes, de qua dicitur: [Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ.] Maiestas quippè hæc proculdubio omnipotentia, & inuincibilitas ista est, de qua hic dicitur: [Venturus est omnipotens.] hoc est, viriliter, & inuincibiliter: omnipotens namque ille dicitur, qui omnia potest, & à nemine superatur, aut deuincitur.

Ioan. 8. — Christus in iudicãdo inuincibilis. — Aug. sup. Io. Ambr. lib 7. Epist. Epi. 58. Beda sup. Io. Rupert. super Ioan. Euthimius sup. Io. — Prou. 1. — Matth. 15. Math. 25. — Omnipotens quis dicatur.

§. 2. Aduẽtus Christi duo in quibus semper Christus omnipotens prædicatur.

Istam porro omnipotentiam, quam Christus in materia iudiciaria, in terris dum viueret semper ostendit, demonstrabit etiam ipse in magno illo iudicio extremo, cum venturus est omnipotens ad omnes dijudicandas gentes. Ipse namque, qui in primo aduẽtu venit mansuetus, vt Agnus, iuxta illud: [Ecce Agnus Dei.] Et iterum. [Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.] In secundo plane aduentu veniet fortis, & terribilis vt leo, iuxta illud Malachiæ 3. [Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum?] Et Psal. 37. [Tu terribilis es, & quis resistet tibi?] En vides qualiter Dominus noster Iesus Christus circa materiam iudiciariam, in postremo tempore ad huc se omnipotentem ostendet, adeo quidem vt nemo tunc illi dicere queat. [Quare sic facit?] Quia tunc illi. [Nemo respondere poterit vnum pro mille.] Huius tam inuincibilitatis, maiestatis & omnipotentiæ causa, stat plane in hoc, nimirum, quia tunc Dominus Iesus, [non secundum visionem oculorum iudicabit, (testante propheta Isa. in cap. 11.) neque secundum auditum aurium arguet, sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.] Et sic tunc sequetur, siue adimplebitur omnino illud Psaltis Israel: [Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.] & non solum tunc [desiderium peccatorum peribit.] verum etiam illi, vnusquisque dicet illud Ieremiæ 10. [Non est similis tui Domine, magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te, ò Rex gentium.] Hoc autem tunc dicetur ab omnibus, quoniam tunc Iesus Christus omnibus dicturus est illud Isa. 45. [Ego Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus.] Et sic omnipotentiam suam in illo postremo iu-

Mansuetudo Christi in primo aduentu. — Ioan. 1. — Math. 21. — Terribilitas, & fortitudo Christi in secundo aduentu. — Rom. 9. — Isa. 45. — Iob. 9. — Psal. 111.

A dicio cunctis patefaciet, ac ostendet.

§. 3. Omnipotens solus Deus est.

Deum verò omnipotentem esse, articulus est fidei orthodoxæ; id namque expresse habetur Gen. 7. [Ego sum Dominus omnipotens.] & Gen. 35. [Ego sum Deus omnipotens.] & Gen. 48. [Deus omnipotens apparuit mihi in Luza.] & Exod. 15. [Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.] & Isa. 6. [Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituũ.] pro quo Septuaginta vertunt: [Dominus Deus omnipotens.] & Apoc. 4. Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens.] & Ioel. 2. [Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.] Hinc plane etiam est, quod inter illa decẽ nomina Dei reperitur [Adonai,] quod quidem nomen significat Deum fortem, potentem, & inuincibilem, iuxta illud Iudith. 16. [Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.] Et tandem in Symbolo Apostolorum de Deo sic dicitur: [Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.] & in Symbolo Athanasij: [Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.] & Apostolus ad Rom 4. [Vocat ea quæ non sunt quasi sint.] Vt igitur hanc filij æterni patris omnipotentiam, humanitati per illam admirabilem vnionem hypostaticam communicatam fuisse sciremus, ac crederemus hic dicitur filium Dei hominem factum, venturum esse ad iudicandum omnipotentem, vt non minus omnipotens existimetur à nobis filius, quam pater: Quamuis secundum humanitatem, vt fides docet, filius patre minor sit. Quare omnipotentia filij, de qua hic dicitur: [Venturus est omnipotens.] Est proculdubio eiusdem met filij Dei maiestas, qua ad iudicandum (vt nuper resoluimus) venturus est, in sede maiestatis tuæ, vt dicitur Matth. 21. Et sic locus iste Apocalypseos de omnipotentia filij ad iudicium, per illum alium Matthæi, de maiestate eiusdem filij Dei ad iudicandum optime explanatur. Quoniam sicuti adamas, adamante à margaritario artifice elaboratur, sic in sacro eloquio, vnus locus, per alium à Theologis explanatur.

Omnipotẽtẽ esse Deum probatur. — 1. Ratio. — 2. Ratio. — 3. Ratio. — Omnipotẽtia Christi est eius maiestas. — Adamanti natura. — Simile.

§. 4. Appendix.

Colligito hinc iudicem illum, extremo tempore ad iudicandum venturum, ante cuius tribunal, testãte Apostolo, astare necessario debemus omnes, ita omnipotentem futurum ire, vt illi resistere, alicui fas nullatenus sit. Quinimmo vnusquisque iudicandus dicet: [Iniquitas calcanei mei circumdabit me.] vt inde sciant gentes, nimirum, Reges, Eroes, Principes, ac Magnates illi, de quibus dicitur: [Qui in auibus cæli ludunt, qui argentũm thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis.] Superiorem se habere Iesum Christum, cui in iudicio illo postremo, ac omnino magno, omnimodam suarum actionum rationem, tamquam omnipotenti, velint nolint, fore reddituros, iuxta illud Apostoli: [Vnusquisque onus suum portabit.] Propter quod D. Athanasius dixit in suo Symbolo: [Reddituri sunt de factis proprijs rationem.] Et quamuis homo ex se imbecillis, fictilisq. sit, tamen Iesum Christum tunc fortissimè, ac prorsus omnipotentèr omnem carnem iudicaturum ire, credendum incunctanter est, cui omnia, affirmante Apostolo, aperta, & nuda vtique sunt.

Psal. 48. — Baruch. 3. — ad Galat. 6. — ad Hebr. 4.


GO Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno & patientia in Christo Iesu: fui in insula, quæ appellatur Patmos propter verbum Dei, & testimonium Iesu: Fui in spiritu in Dominica die, & audiui post Textus 9.
me

me vocem magnam tamquam tubæ, dicentis: Quod vides, scribæ in libro: & mitte septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

F

COMMENTARIVS.

Enodatio contextus.

§. 1.



ITVLO, salutatione, procemioq. præmissis, materiam subiectam, siue obiectum circa quod operis, iā hic attingit noster mellifluus Archiproph. volādo, velut aquila, sine meta, quo nec vates nec propheta volauit altius. Et vt ea, quæ infra per totū opus diffusè dicturus est, auctoritatem præsegerant, ac ab omnibus apprime approbentur, firmiter confiteantur, constanterq. in cordibus fidelium radicentur, quatuor, personam vtique, locum, causam, & tempus, hic imponit, ac insinuat; quæ maxime valent (vt ait Strabus) ac conducunt ad ipsius propheticæ reuelationis commendationem. Vsus etenim (vt verbis vtar D. Gregorij) propheticæ locutionis est, vt prius personam, locum, causam, & tempus describat Propheta, & postmodum dicere mysteria prophetiæ incipiat, quatenus ad veritatem solidus ostendendam ante historiæ radicem figat, & post fructus spiritus per signa, & allegorias proferat. Quamobrem Vates noster personam suam primo indicat dicendo. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno & patientia in Christo Iesu* Locum quoq. denuncians, adiungit. *Fui in insula qua appellatur Patmos*. Causam porro ob quam in illo steterit loco intinuans ait: *Propter verbum Dei & testimonium Iesu*. Tempus itidem patefacit dum inquit. *Fui in spiritu in Dominica die* Postremo verò quid ei in illa Insula, Dominica die acciderit, narrat, dum ait: *Audiui post me vocem magnam tamquam vocem tuba*. Et ne quis existimaret hanc tubam communem, popularemve esse, mox subtexuit, *dicentis*, perinde ac diceret: Reuelantis, ac proponentis erat illa vox, qua mediante, hanc à Deo obtinui visionem, ac reuelationem. Et ne aliquis Apocalypsim, siue reuelationem hanc, se ad arbitrium suum, scripsisse existimaret, protinus iussu, ac imperio cuius illam descripserit hic demonstrat dicens, se ex alto audiisse. *Quod vides scribe in libro: & mitte septē Ecclesijs qua sunt in Asia Epheso, & Smyrna, & Pergamo, & Thyatira, & Sardis, & Philadelphia, & Laodicia.* Quibus verbis, præceptum diuinum, sibi ex excelso factum, clare patefacit, quod eius animum ad scribendum & obrepsit, & impellit. Consuetudo siquidem fuerat in antiqua, & primitiua Ecclesia, vt quas Apostoli, aut apostolici viri dabant Epistolas, publicè inter Missarum solemnia, legendas fore curarent earundem presbyteri & sacerdotes, vt tradunt Dionysius de eccles. Hier. cap. 3. Clemens lib. 2. cōst. apost. cap. 5. Iustinus Martyr apolog. 2. Nicephorus lib. 4. cap. 8. Tertullianus in apolog. cap. 39. D. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. Damasus Papa, epist. 2. ad Hier. & Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenidem. Idq crebrò docet Apostolus & præcipuè dum 1. Thessal. 5. ait. [Adiuro vos per Dominum, vt legatur hæc omnibus sanctis.] & ad Colos. 4. [Et cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite, vt & in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam quæ Laodicensium est: vos legatis.] Iussu itaque, & imperio diuino hanc suam reuelationē, se scripsisse hic fatetur noster Prophetarum Propheta, vt illa à fidelibus in Asiaticis Ecclesijs, Epheso nempe Smyrna, Pergamo, Thyatira, Sardis, Philadelphia, & Laodicia, deuote, pie, attenteque, & legeretur, & audiretur.

Persona, locus, causa, & tempus huius prophetiæ Apocalypseos demostrātur a Ioanne.

Glossa ord.

D. Greg. in c. 1. Ezechiel.

G

H

I

K

Ecclesiæ primitiuæ optima consuetudo.

S. Dionys. S. Clemens. Iustin. Mart. Nicephorus. Tertullian. D. Aug. Damas. Papa Optat. Mileu.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Ego Ioannes, (ait.) Ad emphasim plane patefaciendam, hic reponitur pronomen [Ego.] Prima namque, tum & secunda persona (vt dicunt Latini) nisi emphasis causa nullatenus solet exprimi. Et quia totus hic liber, de reuelationibus plane est: & insuper in reuelationibus nō est omni spiritui credendū, quoniā Satanas crebro, testante Apostolo, in Angelū lucis se transformat, ac transfigurat; ideo ad omnimodam ambiguitatem è medio tollendam, præfata emphasis, hoc in loco, necessaria reputanda vtique venit. Sonat itaque sic: Ego Ioannes, non Moyses, non Elias, non Isaias, non Ezechiel, non denique aliquis alius ex anterioribus, & veteribus Prophetis, nec minus Lucifer, aliusve angelus malus, sed Ego Ioannes qui sum Apostolus Christi, hæc à Domino audiui quæ diligenti indagine, & cura vobis scribo, & mitto.

Ego, exprimitur ob emphasim.

1. Ioan. 4.

2. Cor. 12.

Satanas in Angelum lucis sæpe se transfigurat.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod pronomen, Ego, maxima empha si in sacra pagina pollet.



Bicunque in sacro eloquio istud pronomen [Ego] reperitur, maxima semper procul dubio verbis tacita subest significantia. Hinc factum quippe est, vt super illud Gen. 4. [Ego sum Pharao absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti] Dicant expositores, Regem Pharaonem, illis verbis, Iosepho per hyperbolem designasse, in tota terra Aegypti, nihil notabile fieri posse absque eius dispositione. Quapropter illi dixisse: Ego sum Pharao, qui possum tibi dare auctoritatem. Præterea illud Tobiæ 12 [Ego sum Raphael Angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.] sic exponunt Theologi: Ego sum Raphael medicus Dei, vel medicina Dei qui missus fui à Deo ad ducendum, & reducendum incolumen adolescentem Tobiam, ad liberandum Saram, & ad curandum Tobiam senem. Item illud Iosue, scilicet. [Ego sum princeps exercitus Dei, & nunc venio.] Magnam emphasim habet. Nam si illud exponatur de Christo, vt tenet glossa ordinaria, significat solum Christum esse principem exercitus Dei. Quis enim alius est princeps militiæ virtutum nisi Christus? omnis enim cæli militia, siue Angeli, siue Archangeli, siue Virtutes, siue Dominationes, sēper [omnia per ipsum facta sunt,] & sub ipso principe militant, qui est princeps principū, de quo Apos. 1. dicitur, [Princeps regum terræ.] Et qui principibus, principatum largitur, qui ait Luc. 19. [Esto potestatem habens super decem ciuitates.] Si verò exponatur de Michaele Archangelo, vt rationabiliter tenet Lyranus (Hebræorum explanationem sequutus,) demonstrat Michaelem Archangelum, & principem exercitus Israel, & defensorem nostrum esse, iuxta illud Dan. 10.] Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.] Porro illud Exodi 3. [Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.] Magnam auctoritatem, & Dei omnipotentiam insinuat, Vnde illud quod Moyses statim respondit, nempe [Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?] Nonne Moysi insufficientiam ad tale negotium, quale erat liberare populum è manibus Regis Pharaonis, qui tantus, & tam potens in Ægypto erat, demonstrat? Et illud quod Deus confestim adiunxit, nimirum: [Ego ero tecum.] nonne adiutorium, & auxilium diuinū Moysi pa-

Lyranus in Gen.

D. Hierony. Nicolaus de Lyra.

Michael Angelus defensor noster.

si paratum declarat? Maximè quidem. Vnde hæc verba Dei: [Ego ero tecum.] Ita sonant: Ego qui sum sufficiens, & potens ad te protegendum, & dirigendum, ero tecum. Quapropter mox suæ sufficientiæ, & potentiæ adiungit rationem, dicens: [Ego sum, qui sum:] quasi dicat: Quia ego sum æternus, & immutabilis Deus (iuxta expositionem D. Hieronymi, S. Thomæ, Abulensis, & Matthiæ Durin.) vel, quia ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, (vt exponit Paulus de sancta Maria Episcopus Burgensis, qui in suis replicis per hæc verba: Ego sum qui sum, existimat, Deum non ostendisse Moysi aliud nomen diuinum de nouo, nisi illud quod antea dixerat, nempe, quod ipse erat, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.) Et denique illud Matth. 5. [Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.] Quæ lingua explanare valet? Et quidem non humana, sed Angelica: immo potius Seraphica requiritur. Ad hoc tamen aliquantulum intelligendum iuxta nostram capacitatem animaduerte, quod Christus Redemptor noster, in illo cap. 5. Matth. hoc pronomen, [Ego,] magno cum mysterio septies repetit. Nam primò addens ad illud mandatum secundæ tabulæ: [Non occides.] Cauere ab ira, & contumelia (vt tenet Abulensis) ait: [Ego autem dico vobis, quia oīs qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Deinde addens ad illud præceptum negatiuum. [Non mœchaberis.] id est, [non facies adulterium.] Non concupiscere, quia concupiscere etiam sine actu exteriori peccatum mortale esse potest, inquit: [Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.] Item castigans illud dictum ab antiquis Iudæis, nempe: [Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij.] Quo præcepto Iudæi pro quacunque causa, immo sine causa ex eo solum, scilicet, quod displicerent eis vxores, eas dimittebant, dixit: [Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.] Porro dans intellectū præcepto primæ tabulæ de iuramento, & periurio, quod apud Hebræos erat huiusmodi: [Nō periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.] Quo præcepto Iudæi, qui in deserto legem susceperunt, errantes existimabant iurare secundū se bonū esse: Christus verò prohibens malum modum iurandi, puta, frustra & in vanū, vt ait Frāciscus Toletus in sua summa lib. 4. cap. 21. dixit: [Ego autem dico vobis nō iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, neque per Ierosolymam, quia ciuitas magni regis est, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum: sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.] Ponens insuper Christus intellectū præcepti cuiusdam iudicialis, quod pertinebat ad vindictam, quod tale erat: [Oculum pro oculo, & dentem pro dente.] Quo præcepto Hebræi errantes existimabant vindictam per se bonam esse, & sic illam appetebant: illam verò Redemptor noster prohibendo dixit: [Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.] Et tandem dans Christus intellectum circa præceptum dilectionis proximi, (super quod fundatur tota lex, & prophetæ) in quo errabant Iudæi putantes se non teneri ad diligendum omnes homines, sed quod poterant inimicos odisse, vt apparet in illo: [Audistis, quia dictum est antiquis.] Antiquis, id est Iudæis illis, (ait Abulensis) qui fuerunt patres huius populi, & antiquissimi in eo [Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.] Ipse verò Redemptor, & legislator noster tollens hūc errorem Hebræorum, ait: [Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.] In quibus omnibus locis illud pronomen [Ego,] haud exiguam in se absconditam obtinet significantiam. In vnoquoque etenim

D. Hier. ad Marcell.

S. Th. 1. par. q. 13. art. 2.

Abulensis in cap. 3. Exod.

Matthias Dur in c. 3. Exodi.

Burgensis in c. 3. Exod.

Alphonsus Tostatus super Matth. tom. 2. cap. 5.

Abulēsis eodem in loco.

A

B

C

D

E

ex præallegatis locis, sic vtique sonat, [Ego,] non Abraham, non Moyses, non alius Propheta, non quislibet popularis homo, sed ego: Ego inquam, qui sum Creator vester, Ego qui sum gubernator vester, & vos mea diuina in dies pasco prouidentia: Ego qui sum Redemptor, legislatorq. vester. Idq. satis adamussim exprimunt, non solum sancti Patres Græci, & Latini, Ioannes Chrisostomus, Gregorius Nazanzenus, Clemens Alexandrinus, Basilius, & expositores, Remigius, Didymus, Paulus de Palatio, qui sua in Matthæum ediderunt commentaria, verum etiam nostri temporis verbi diuini concionatores validissimi, qui suos labores, & progressus, quos inter concionandum fecerunt, typis vernacula lingua mandarunt; inter quos est M. Ferdinandus à Sanctiago ordinis nostri, acutissimus verbi diuini seminator, dum in suo libro Considerationum in Euangelia Quadragesimæ. conc. 2. feriæ 6. post Cineres, asserit illis verbis: [Ego autem dico vobis,] Christum Redemptorem nostrum suam interposuisse auctoritatem, nouo illo præcepto de inimicorum dilectione, & amore. Quod etiam tenent Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus, Franciscus Panigarola Episcopus Astensis, & Frater Martinus Peraça. Quamobrem Archipropheta noster, magistrum suum Iesum Christum Redemptorem nostrū merito sequutus, hanc suam reuelationem, ad maiorem obseruantiam, fidem, timorem, ac reuerentiam, pronomine [Ego,] quasi suam hìc interponendo auctoritatem illustrat, ac omnino corroborat.

Chrisostom. Greg. Nazā. Clem. Alex. Basilius. Remigius. Didymus. Paulus de Palatio.

P. Ferdinand. à Santiago.

Matth. 5.

Cornelius Mussus. Franciscus Panigarola. Peraca.

PARAPHRASIS

Secunda.

Ioannes (sequitur) frater vester. Nouam fraternitatem mundo hìc annunciat Aquila Euangelij. Cæterum forte dices, Ioannem nostrum Prophetarum stylum hìc nullatenus secutum fuisse, eo quòd nomen patris sui Zebedæi, vnà cum nomine suo, hìc minimè coniunxerit. Solent siquidem Dei Vates, non solum sua, verum etiam parentum suorū nomina, suis vaticinijs libenter inserere. Hinc sanè est illud: [Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum.] Ac illud: [Visio Isaiæ filij Amos, quæ vidit &c.] Et illud etiam: [Verba Ieremiæ filij Helciæ de sacerdotibus &c.] Constat insuper Ioannem nostrum, Zebedæi filium fuisse, iuxta illud Matth. 4. [Vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum:] Coniungere igitur poterat hìc nomen suum noster Vates, vnà cum Zebedæi patris sui nomine, ita vt diceret: [Ioannes filius Zebedæi, & particeps &c.] Quare igitur hoc non præstitit Dei Vates, quinimmo nomine patris sui extincto, fratrem nostrum se appellat?

Par. 2.

Dilucidatextus.

§. 1.

Vatum consuetudo ex nomina describenda.

Difficultas circa Ioan. nomen.

Dico primò, nō omnes antiquos illos prophetas, nomina suorū parentū suis vaticinijs inseruisse, sed illos dumtaxat, quorū parentes dono prophetiæ pollebant: qui verò patrē obtinebat, dono prophetię nullatenus illustratū, hic patris sui nomen, minime recensebat, vt videre est in Amos, Abdia, Michæa, Naum, & Habacuc. Et idē prorsus videntur sentire D. Hieron. & Lyranus: At Zebedęus pater Ioānis nostri donū prophetiæ vnquā obtinuit: igitur nullatenus oportebat hìc vnà cum nomine suo nomen patris sui Zebedæi recensere. Illud autē de Prophetis, parentes prophetas non habentibus, facile colligitur ex patre Amos, cū ipse in cap. 1. suæ prophetiæ sic dicat: [Nō sum propheta, nec filius prophetæ, sed pastor caprarum.] Dico secundo eos dumtaxat prophetas parentes suos nominasse, qui ex illustri familia originē ducebant, existimātes ex illustri genere suorum maiorum se carnali illi populo, fore acceptiores, cum populus ille, terrena, obnoxiaq. carni, & sanguini tantum adamaret, vt videtur sen-

§. 2.

Solutiones ad difficultatem.

Sol. 1.

D Hieron. Lyran.

Sol. 2.

Basilius

Zebedæus piscator.

tire Basilius in 1. cap. [Isaiæ. At verò Zebedæus ex communi erat plebe cum esset piscator, vt patet Matthæi 20. Qui autem illustri, regioq. sanguine pollent, raro fiunt piscatores. Et dato, quod Zebedæus ratione vxoris suæ Mariæ Salome, illustri, regioue sanguine polleret; quoniam Maria Salome filia quippe est, teste Damasceno, & Philippo Bergomensi in supplemento Chronicarum lib. 7. anno ante Christi aduentum 19. fol. 97. Annæ matris Mariæ virginis: Tamen Ioannes noster carni, & sanguini placere nullatenus cogitabat, & ob id necesse haudquaquam erat hic patris sui Zebedæi nomen vnà cum suo recensere. Dico tertio, quod Ioannes noster hoc in loco, lucem à tenebris diuidere intendit, spiritualem, nimirum, generationem à carnali. Quemadmodum namque opifex ille magnus in mundi exordio, vt dicitur Gen. 1. diuisit lucem à tenebris, appellauitq. lucem diem, & tenebras noctem, quoniam, vt ibi dicitur ante lucis efformationem [terra erat inanis, & vacua] & paolo post [Tenebræ erant super faciem abyssi.] Et sic Deus dum dixit: [Fiat lux,] has pepulit tenebras, lucem introducendo in mundum: nam in textu mox sequitur: [Et facta est lux.] & iterum. [Diuisit lucem à tenebris, &c.] Perinde planè in Ioanne, & in omnibus nobis Christianis vnà cum illo, est duplex generatio, carnalis vtique significata per tenebras, & spiritualis significata per lucem. Primam sanè per carnales parentes nostros, à Protoplastis parentibus originem trahentes, obtinemus. Secundam verò per Iesum Christum Redemptorem nostrum, qui seipsum pro nobis obtulit, possidemus: quoniam fide in baptismo accepta omnes Christicolæ, gratia, & adoptione filij Christi efficimur; & per consequens inter nos ipsos gratia Christi, fratres. Quorum omnium mater est Ecclesia, dicente Christo in cruce: [Mulier ecce filius tuus.] Quorum verborum vi, Ecclesia mater credentium per fidem facta vtique est; quoniam tunc ex latere Christi, vt altera Eua ex costa Adæ, efformata Ecclesia fuit, quare Ecclesia est mater nostra, Christus verò qui illam in cruce peperit, est pater noster: & sic omnes Christiani, gratia Christi efficimur fratres, Fratres (inquam) gratia, adoptione, religione, fide, charitate, baptismate, & regeneratione. Quam quidem spiritualem fraternitatem ab illa carnali, quasi lucem à tenebris, hìc intendit Ioannes in vnoquoque nostrum secernere, ac omnino separare, dum se fratrem nostrum appellat. Et hæc proculdubio est illa noua fraternitas, quam supra indicaui, Ioannem hìc mundo annunciare. Ac proinde D. Ambrosius in hunc locum sic scribit, [Discipulus vocat fratres, quia vno Christi sanguine redempti, & vna matre Ecclesia, scilicet generati erant.] De qua quidem in fide, & in charitate fraternitate intelligitur illud Matth 23. [Omnes autem vos fratres estis.] omnes videlicet Christiani.

Damascenus.

Iacobus, Philippus Bergomensis.

Sol. 3.

Comparatio.

Generatio gemina in nobis carnalis, scilicet, & spiritualis.

Fraternitas spiritualis.

Fratres qua ratione sint Christiani.

D. Ambrosius in comm.

Conceptus Prædicabiles in Textum.

Concept. 1. Quod fraternitas Christiana excellit omnes fraternitates.



ENVSTE, ac satis perpulchre, fraternitatem Christianam gratia, fide, charitateq. redolentem, indicauit Psaltes ille Israel, dum diuino afflatus spiritu dixit: [Ecce quam bonũ, & quam iucundum habitare fratres in vnum.] Quibus verbis de sola Christiana fraternitate, sermo proculdubio est. Fraternitas autem tribus modis accipitur, nimirum, natura, vt Abel, & Caim, iuxta illud Gen. 4. [Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Caim, dicens, possedi hominẽ per Deum, rursumq. peperit fratrem eius Abel] Cognatione, vt Abrahã, & Loth, iuxta illud Gen. 13. [Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores

Ps. 132.

Fraternitas trifariam accipitur.

F tuos; fratres enim sumus.] Quod nullatenus venit intelligendum carnaliter, quoniam Abraham fuit filius Thare, & Loth fuit filius Aram, qui fuit etiam filius Thare, vt dicitur Gen. 11. sed cognatione. Nam Loth erat Abrahæ nepos, gente, vt Hebræi omnes, iuxta illud Leuit. 25. [Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus &c.] Et Deut. 23. [Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram pecuniam.] Quibus verbis omnes Iudæi (teste Alphonso Tostato in cap. 13. Gen. 51.) fratres vocantur, etiam illi, qui ex gentilitate ad Iudaismum veniebant. Et tandem gratia, vt omnes Christiani, iuxta illud Iacobi 2. [Si frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano.] & illud 1. Cor. 6. [Si frater cum fratre iudicio contenderit.] Vtrobique enim de viro fideli, & Christiano, & de muliere fideli, & Christiana, sermo planè est. Ecce igitur tres fraternitates, quarum maxima, & præstan-
G tior est Christiana, cum de ipsa sola dicatur [Hæc est vera fraternitas, quæ vincit mundi crimina, Christum secuta est inclyta tenẽs regna cælestia.] Et de hac sola proculdubio locutus fuit olim, Spiritu sancto, plenus psaltes Israel. Cuius planè venustatem, & pulchritudinem describit, in quatuor, nimirum, in vnitate, gratia, benedictione, & gloria. Primum quidem præstat dum ait: [Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.] In fraternitate namque Christiana præualet, mirummodum vnitas; quoniam in ea vnus dumtaxat est Deus, vna fides, vnum baptisma, vnum corpus, vnus spiritus, vnus pater, iuxta illud ad Eph. 4. [Vnum corpus, & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium.] Vna essentia diuina, iuxta illud Ioan. 10. [Ego & Pater vnum sumus.] Et iterum. [Philippe,
H qui videt me, videt & patrem meum, non credis, quia ego in patre, & pater in me est?] Vnus grex, iuxta illud Ioan. 10. [Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.] Vnus mediator, iuxta illud 1. Tim. 2. [Vnus enim Deus, & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.] Vnum testimonium in cælo, iuxta illud 1. Io. 5. [Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.] Vnum etiam testimonium in terra: [Tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.] Et tandem mens vna, & cor vnum, iuxta illud Act. 4. [Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.] Hæc profectò est terra illa de qua Gen. 11. [Erat terra labij vnius.] Et merito seruatur in fraternitate Christiana vnitas in omnibus, quandoquidẽ Christus redemptor noster Lucæ 11. ait: [Omne regnũ in se ipsum diuisum desolabitur,
I & domus supra domũ cadet.] Opportet igitur in hac Christiana fraternitate vnitatẽ apprimè sectari: quoniã. [Qui adhæret Deo (vt ait Apostolus) fit vnus spiritus cũ eo.] Et hæc est planè huius fraternitatis vnitas. Secundũ præstat, Dei Vates, dum ait: [Sicut vnguentũ in capite, quod descendit in barbã, barbam Aaron,] Vnguentũ planè istud gratia vtiq; Spiritus sancti est, quẽ pater effudit in nos abundè (vt ait Apostolus) per Iesum Christũ Saluatorem nostrũ.] Omnes enim nos, vt dicitur Ioan. 1. [De plenitudine eius accepimus] qua viriles, strenui, fortes, impigri, alacresq. efficimur ad seruiendũ Deo viuenti, veluti homines barbati. Ista etenim gratias à capite, nempe à Christo, qui est caput nostrũ, descendit in barbã, nẽpe Apostolos, & in barbã, nempe, nos qui eorũ sumus filij, & illa, omnes barbati efficimur, hoc est, strenues, &
K fortes vti esse solent barbati, dicentes omnes cũ Apostolo: [Quis nos separabit à charitate Christi, & Dei? tribulatio? an angustia? an fames? &c.] Hæc diuina gratia est ros ille Hermon, qui descendit in montem Sion. Gratia namque Spiritus sancti, fratres habitant in vnum; non quidem suis viribus, non suis meritis, sed ex Dei dono, & gratia, sicut ros de cælo. Non enim terra sibi pluit, aut non quidquid genuerit, crescit, nisi pluuia de cælo descẽdat. Quã voluntariè emittere ex alto solet Deus iuxta illud Ps. 67. [Pluuiam voluntariam

Fraternitas Christiana habet aliquas excellentias.

Fraternitatis Christianæ vnitas maxima.

Christianitas terra labij vnius.

Vnitas obseruata inter Christianos.

1. Cor. 6.

Fraternitatis Christianæ gratia.

Gratia est vnguentum.

Gratia à Christo ad nos.

Fraternitatis Christianæ benedictio, & gloria.

riam se gregabis, Deus, hæreditati tuæ.] Tertium porro præstat, dum ait: Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem:] Dominus enim vbi fratres in vnum habitant, mandauit benedictionem non qualemcumque, sed illam solemnem, quam Isaac super Iacob filium suum lubens effudit. Gen. 27. dicens:] Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit dominus, det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti vini & olei, & seruient tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.] Fratribus namque habitantibus in vnum dicere possumus illud, quod regina Saba seruis Salomonis dixit sub his verbis. [Beati viri tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam:] Vides quot benedictionibus fratres habitantes in vnum benedicantur? Quartum tandem præstat Psaltes Israel dum ait] Et vitam vsq. in sæculum: [idest: vitam in æternum. Hinc inter fratres in vnum habitantes. est vita spiritualis illa per quam viuunt secundum rationem virtuosè, castigando corpus, orando, ieiunando, disciplinas frequenter recipiendo, &c. & vita supernaturalis, quam sperant in patria, dicente Christo. Ioan. 8. [Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.] Id est lumen gloriæ æternæ.

Solemnis benedictio.

3. Reg. 10.

Concept. 1. In quo explicatur quid sit frater. Papias. Tostatus.



RATER quasi ferè alter dicitur, vel vt ait Papias, frater nomen est, æquiparantiam denotans. aut vt Alphonsus Tostatus in cap. 33. Gen. ait: frater pietatis, & amoris, æqualitatis nomen est, per quod humilitas Ioannis planè denotatur, quandoquidem, Apostolus cum esset Ioannes, prælatus, & doctor egregius, fratrem nostrum se appellare minimè erubescit. Quamobrem per hæc verba; [Ioannes frater vester.] docet discipulus dilectus, prælatum ecclesiasticum humilem cum sibi subditis oportere esse, iuxta illud Eccles. 32. [Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.] Perinde ac diceret sapiens: Prælatus Ecclesiæ Dei factus es, ex honore tibi impenso, noli superbire, sed magis inter oues tibi commissas, humiliare, & easdem (saluo officij honore) verbo, & exemplo humiliter instruere curam illarum habes, sicut pater bonus suæ familiæ iuxta illud Matth. 20. [Qui maior est vestrum fiat sicut minor.] Hinc D. Gregorius in pastorali sic ait. [Prælatus debet esse in actione præcipuus, & præ ceteris in contemplatione suspensus.] Apostolus etiam, virtutes Prælatorum assignando, sic ait: [Oportet. Episcopum irreprehensibilem esse]. Et paulo post: [Non litigiosum,] Et deinde [filios habentem subditos cum omni castitate,] & iterum: [Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, &c. Quæ planè omnia, prælatis vnico verbo, hic, docet noster vates, dum (Prælatus cum ipse esset Ecclesiarū Asiaticarum) se suorum subditorum fratrem nominat, ostēdens, per hunc humilem loquendi stylum, Prælatum sibi subditos debere, (vt frater) veraciter amare, sapienter consulere, dulciter consolare, libenter subuenire, largiter communicare, & concorditer conuersare; quoniam hæc sunt conditiones, & proprietates veri fratris, cū frater, tum æquiparantię, tum amoris, tum pietatis, (vt supra dicebamus) nomen sit. Hinc Christus dominus Petro totius Ecclesiæ pastori dixit, Lucæ 22. [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] Super quæ verba sic scribit Caietanus: [Vide quod non subditos, sed fratres vult haberi reliquos à Petro. Vide quod officium non dominandi, sed confirmandi, in bono fidei, spei, & charitatis prænuntiat, ac mandat.] Idq. sanè Christus Dominus verbo, & exemplo discipulis suis docuit, dum Matth. 11. dixit. [discite à me

Prælatus debet esse frater.

Glos. ord. & Ly.

Prælatorum virtutes.

Ad Timot. 3.

Ad Tit. 1.

Fratris veri conditiones, & proprietates.

Pastorum munera.

Caietanus sup. Lucam.

A B C D E

quia mitis sum, & humilis corde.] Quasi dicat, discite a me, qui sum humilis, & ipsa humilitatis virtus, vt dispungit D. Chrysostomus. Vel discite a me, quia sum maxime humilis, vt exoluit D. Gregorius. Ad ostendendam itaque suam maximam, erga sibi subditos, humilitatem, se hic fratrem nostrum Vates Ioannes nominat. Hinc D. Dionysius Carthusianus super hunc locum sic scribit. [Frater noster, natura, religione, atque Baptismatis regeneratione, frater quoque, quia de eisdem protoplastis parentibus secūdum carnem, & de eodem Deo secundum animam, iuxta illud Malachiæ 2. nunquid non Pater vnus omniū nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Iterum frater, quia eiusdem matris puta Ecclesiæ filius, & ratione materiæ, iuxta illud Iob. 33. Ecce me sicut te fecit Deus; & de eodem luto formatus sum. Discipulos itaque suos, ac filios nominat tantus Pater, atque Apostolus fratres, dans humilitatis exemplum, vt Prælati in humilitate permaneant, & se quasi vnum de grege existiment:] Hucusque Carth. Necessaria itaque proculdubio est in Prælatis, ac etiam in maioribus, non tantum Ecclesiasticis, verum etiam sæcularibus humilitas, & mansuetudo. Hinc Dauid Rex Israel cum esset coram Domino dixit; [memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.] Quando etenim in vno culmo spicæ tendunt deorsum, plenitudinis abundantiæ, pulchritudinisque tritici signum quippe est; at vero, cum spica in culmo, sursum se eleuat, tenuitatis, inanitatis, stipulaque indicium maximum sanè est. Sic humilitas virtutum, superbia vero vitiorū signū in vnoquoq. indicant Prælato. Memento quæso, quod in somnio Pharaonis, à Iosepho Dei Vate interpretato Gen. 41. Spicæ plenæ, abundantiam, ac maximam tritici fertilitatem; spicæ vero tenues, inopiam, & magnam tritici sterilitatem indicabant.

Chrysostomus hom. 3. in Matth.

D. Greg. lib. 20. Moral. in cap. 30. Iob.

D. Dionysius Carthus. in Commen. 2.

Psal. 131.

Comparatio.

Simile.



N maximum amoris, & charitatis signum omnes Christiani nimirum, pauper, & diues, potens, & egenus, masculus, & fæmina, nobilis, & ignobilis, rex & inferior, prælatus, & subditus, capitaneus & miles, Dominus, & seruus, bonus, & malus, & (vt vnico dicam verbo) vniuersus Christianorum cætus absq. distinctione aliqua ab initio, & exordio nascentis Ecclesiæ fratres appellamur ad inuicem. Quorum omnium vnius dumtaxat est Pater, quem inuocare nos docuit Christus, dum Matth. 5. dixit: [Cum oraueritis dicite, Pater noster qui es in cælis, &c.] Et quamuis omnes homines proximi nominemur, iuxta illud Lucæ 10. [Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse, illi, qui incidit in latrones? Qui fecit misericordiam in illum, vade & tu fac similiter.] Tamen solus cætus Christianus ex præcepto Dei, & antiquo iure fraternitas appellatur. Quod plane, cum olim gentiles ægre ferrent, Tertullianus in Apolog. cap. 39. Hanc gentium in Christianos calumniam per hæc verba, profligat: [Sed & quod fratres vocamus non alias opinor infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affictione simulatum est, fratres autem vestri sumus iure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres, at quanto dignius fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno Vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem exiuerunt veritatis.] Sic ille. Christianus itaq. est ille frater, de quo dicitur Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum.] & Lucæ 16. [Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater sine eijciam festucam de oculo, ipse trabem in oculo tuo non videns?] Et Matth. 5. [Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, &c.] & paulo post: [Si offers munus tuum ad al-

Concept. 2. In quo explicatur cur Christianus cætus fraternitas appellatur.

Tertullianus.

Fraternitas Christiana charitate omnino recolat.

ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.] Et ad Rom. 12. [Obsecro itaque fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.] Et ad Rom. 14. [Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur.] Et 1. Petri 1. [Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligite attentius, &c.] Ecce qualiter Christianus cœtus in signum charitatis, & amoris, fraternitas appellatur, & sic sumus omnes Christiani fratres, non solum nomine, sed gratia; non solum carne, sed fide, & spiritu. Vbi animaduertendum plane venit, Christianũ nullatenus debere iudicare fratrem, & proximũ suum secundum carnem, sed secundum spiritum, dicente Christo Iudæis. [Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam.] hoc est, [Ego non iudico quemquam secundum carnem.] Immo minores secundum carnem exaltaui in veteri Testamento, vt patet de Iacob seruo & pastore Laban, & de Moyse pastore ouium, quem feci iudicem in Israel, de David pastore qui fuit minimus inter fratres suos, quem in Regem exaltaui Israel, de Amos pastore, quem exaltaui in prophetam. Idipsum porro præstitit Christus in nouo Testamento. Etenim plerique Doctores litterati, & magistri erant in collegio suo, quorum neminem exaltauit ad supremam dignitaté, nisi solum Petrum piscatorem, quem constituit vicarium suum per illa verba: [Tibi dabo claues.] & iterum: [Pasce oues meas.] & alibi: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et idem prorsus apparet in Paulo, quem ex Ecclesię persecutore, eiusdem fecit fidelem prædicatorem; quoniam vt ipsemet Apostolus testatur: [Contemptibilia huius mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat.] Vt aperte sciamus, se secundum carnem nullatenus filios suos Christianos iudicare, sed secundum spiritum, vt nos fratres, ad inuicem secundum eundem spiritum dijudicare studeamus.

Fratres Christianos non esse iudicandos secundũ carnem, sed secundũ spiritum. Ioan. 8.

Pastores multi prophetæ.

Matth. 16.

Ioh. 21.

Matth. 16.

Act. 9.

1. Cor. 1.

Paraph. 3.

PARAPHRASIS Tertia.

Elliminatio textus.

§. 1.

Et particeps (ait) in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu. In tribus nobiscum comparticipem se appellat, videlicet in tribulatione, in regno cælesti, & in patientia propter Iesum Christum. Et vere in his tribus nobis (qui tribulationem quotidie sustinendo, regnum cælorum in multa patientia acquirere studemus) particeps fuit; quia Ioannes Apostolus, dum in feruentis olei doliũ propter Christum mitteretur, comparticeps noster factus fuit in tribulatione. Deinde dum ad regnum cælorum per multas tribulationes perueniret, iuxta illud Acti 14. [Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.] comparticeps fuit nobiscum in regno cælesti. Et tandem nobiscum particeps fuit in patientia; quia Christus Iesus sibi, & nobis, in tribulationibus dat patientiam, iuxta illud Lucæ 21. [In patientia vestra possidebitis animas vestras.] Vocat igitur se nobiscum participem in tribulatione, vt nos partem tribulationum sustinentes, non deficiamus, ex eo quia illum participem habeamus. Solatium enim est miseris socios habere pœnarum. Se insuper nobiscum participem in regno appellat, vt nos indeficienter laborantes, cũ illo in regno cælesti copulari, & regnare valeamus; quoniam, vt dicitur 2. Tim. 2. [Si sustinebimus, & conregnabimus.] Et denique se nobiscum participem in patientia propter Christum, nominat, vt nos propter Christum Iesum, & per eius

Particeps noster Ioannes in tribus.

Socios habére in tribulatione magna est consolatio.

Tribulationũ fructus.

F gratiam, præsentia mala cum patientia æquanimiter tolerare curemus. Exemplo patientiæ Iesu Christi redemptoris nostri, qui, vt dicitur 1. Petr. 2. [Cum malediceretur nó maledicebat, sed pro crucifigentibus exorabat.] Quamobrem hæc verba: [Particeps in tribulatione &c.] ita sonant, ac si Ioãnes Asianis, & nobis, diceret: Scio quia tribulamini, sed exẽplo Christi patienter suffertis, oportet, vt participes efficiatis regni ipsius, propter cuius fidẽ tribulatus fui & ego, quẽadmodũ & alij Apostoli. Quod vt ad regnũ peruenire possé, patienter sustinui, habẽdo Christũ in omnibus exẽplũ.

Glossa ordin.

§. 2.

Gladius Domitiani in Ecclesiam.

Dicta tamen fuere hæc, ad fidelium Christianorum, tunc afflictorum consolationem. Quoniam tunc Domitiani persecutio, totam infestauit Ecclesiã, illamq. perturbauerat, & cum Apostolus sciret plerosq. fideles, tunc pro Christi nomine tribulationi fuisse abdi- G catos, prout ipse in cap. 2. indicauit dicens: [Scio tribulationem tuã.] Nunc per hæc verba, eosdẽ tribulatos, & afflictos fideles suscitat, teste D. Tho. ad fortiter sustinendum, perinde ac diceret, regnum habebitis mecum, si sustinetis: nam si sustinemus (vt dicitur 2. Tim. 2.) & conregnabimus, & sic ingeniose participem, hos est, socium, in regno se appellat, quia vna cum ipsis membrũ Ecclesiæ, & corporis Christi erat, cuius gratia omnes simul affligebantur. Hinc D. Ambrosius in hunc locum sic scribit: [Socium se eorum in perseueratione etiam dixit, quia omnes ecclesias Domitiani persecutio turbauerat; socium in regno, quia se membrum Ecclesiæ, sicuti & ipsi erant, quos Deo acquisierant, fatebatur; sociũ se eorum etiam in patientia testatus est, quia & ipsi æquanimiter aduersa tolerabant, sicuti & ipse.] Quamobrẽ hic laudanda proculdubio est, & mirumimmodũ vsque ad sydera, H summis vocibus extollenda tanti Prælati clementia, cum primus ad tribulationes sustinendas, de suorum subditorum persecutionibus doleat. Hoc planè Prælatorum, ac pastorum Ecclesiæ Dei proprium officium oportet sit, vtpoteque primi, ipsi, tribulationibus cõmunibus toti gregi suo, exortis, se opponant, vt sic subditorum animus, tunc, præsente pastore, aliquod gaudiũ accipiat. Iccirco ipse Redemptor, & magister noster Christus, primos omnium, ad crucem post se baiulandam, inuitauit Apostolos dum dixit: [Transeat à me calix iste.] Id est, à me ad Apostolos meos transeat tribulationum calix, quos vniuersi orbis pastores institui. Valent proculdubio maiorum (& præcipuè Prælatorum) exempla, ad cæterorum prouocandos animos. Hinc Ieremiæ 17. dicitur: [Non sum turbatus, te pastorem sequens.] quasi dicat: I Non sum turbatus te ducem sequens, nec recusaui vitam pro te ponere, cum te, ante, idipsum præstare intuitus fuerim. Duas tubas argenteas conflare præcipiebat Deus, cum totus populus esset à Moyse conuocandus; sic enim legitur Num. 10. [Si semel clangueris venient ad te principes, & capita multitudinis Israel; si autem prolixus, atque concisus clangor increpuerit mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam.] Vbi illa distinctio indicata per ly. [si semel.] Et per ly. [sin autem,] demonstrat ad primum clangorem omnes principes debere primo subito venire, & postea multiplicato sono, omnem populum sequi principes. Per quod planè denotatur Prælatos, primos ad vocem tubæ persecutionis se præsentare debere, quasi animam suam, vt boni pastores, pro omnibus suis ponere cupiant, & postea eosdem Prælatos populum multo melius tali exemplo corroboratum, sequi debere. K Ob hanc planè causam, sacerdotes, vt dicitur Iosue 4. primi omnium alueum Iordanis (vt populus Israeliticus terram promissionis ingrederetur) transierunt, quos plane reliquus populus sequutus postea fuit per Iordanem. Valent, valent fanè maiorum exempla ad reliquos, ad virtutem capessendã, cõmouendos. [Quis infirmatur (inquit gentium Apostolus, & Prædicator) & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?] Iccirco noster Vates hoc in loco

D. Dionysius Carthus. in comment.

D. Ambrosius in comment.

Apostrophe ad Prælatos.

Prælati in tribulationibus communibus debent esse primi.

Exẽpla maiorum, & prælatorum quãtum valeant.

Tubæ duæ filiorum Israel quid significent.

Principes, & pastores sequitur populus.

2. Cor. 11.

loco se fidelium tribulatorum comparticipem nuncupat: vt sic fidem, & tribulationem, & consolationem apud fideles tribulatos (in his quæ dicturus de Ecclesiæ Dei tribulationibus vltimis temporibus profuturis erat) magis corroboraret. Solent namque homines facilius fidem habere, & citius cõpati his qui secum in eisdem prorsus laboribus, eadẽ fere omnino causa susceptis, communicant, cum aliquid ad eorundem laborum spectans, narratur. Ideo dum latro qui erat in finistris Christi in loco qui vocatur Caluariæ blasphemaret, alter latro, Dimas nomine, qui erat à dextris (vt dicitur Lucæ 23) eum increpauit dicens: [Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.] Quamobrem dum pendens in cruce, diceret Christo in cruce pendenti: [Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.] Meruit audire. [Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.] His itaque de causis, ad maiorem afflictorum fidelium consolationem, se illorum, tum tribulationis, tum regni, tum patientię comparticipem hìc appellat Archipropheta noster.

Comparatio. *Papias in comment.* *Latronum in cruce optima consideratio.*

Conceptus Prædicabiles in Textum.

Concept. 1. In quo patiẽtiæ gradus describitur.



APOSTOLVS, Christianam patiẽtiam in tribulationibus, & laboribus commendans, sic ad Rom. 5. artificiose est alloquutus. [Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, nõ solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.] Quibus verbis diuinum electionis vas, figuram quandam, quam Græci [incrementum] Latini verò [Gradatio] nuncupant, astruit, in qua punctim, & gradatim, quasi per scalæ gradus, vsque ad intentum probandum conscenditur. Primus igitur gradus est, [tribulatio patientiam operatur.] quasi dicat. Nos Christiani non solum gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, in hoc, scilicet, quod cum filij Dei per adoptionem simus eius gratia, gloriam, quæ ad filios Dei spectat assequimur: Verum etiam gloriamur in tribulationibus, vbi namque infideles deficiunt, & prorsus deuincuntur, ibi nos gloriamur, & hilariter transimus, per ignem, & aquam exultantes, (vt ait Cyprianus) omne gaudium, vel summum gaudium existimamus in tribulationibus: [Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur.] id est, scientes quod tribulatio est patientiæ materia, sicuti pecunia liberalitatis materia reputatur. Quandoquidẽ absque tribulatione patientia nequit exercitari, quemadmodum liberalitas, & misericordia absque pecunia nullatenus exerceri potest. Secundus gradus est. [Patientia probationem.] Quasi dicat: Scimus quod patientia generat probationem. Tunc etenim homo est approbatus seruus Dei cùm patiens est; quoniam nulla maior, aut melior in seruo Dei reperiri potest approbatio, quam patientia. Cum etenim homo est patiens, patientia illa, ipsemet homo de se ipso periculum facit, hoc est, probat se ipsum homo. Quoniam nunquam homo, quantum valet, & quantum potest reperitur in se ipso, donec per ignem, & aquam, nimirum per labores transeat: & cum patienter per eos transit, tunc coram Deo, & etiam mundo approbatus seruus Dei reputatur; vt videre est in Iob, qui post labores susceptos, patientia plenus dixit: [Dominus dedit, Dominus abstulit. &c.] Ex quibus verbis aperte colligitur, qualiter vir patiens, omnium consensu, est & approbatus, & canonizatus, vt alter Iob. Quamobrem patientia (inter Christi seruos) sanctitatis inditium est. Et liquet sanè. Quoniam licet ieiunium, oratio, disciplina, eleemosy-

Patientię scala & gradus. *Cyprianus de exhort. ad mart.* *Tribulatio est materia patientiæ.* *Patiẽtia probat seruos Dei.* *Patientia inditium sanctitatis.*

A na, paupertas, mortificatio, & alia pleraque his similia, bona opera sint, & sanctitatis inditium, tamen non sunt tam certum inditium sanctitatis veræ, qualis est patientia in laboribus: tunc enim per eum discooperitur in seruo Dei, ignis charitatis. Vides tu prunas cineribus coopertas, cupisq. scire, an contineant adhuc in se ignem, an verò iam in carbones prorsus redactæ sint, & accedendo ad illas, insufflas, hoc est efflatum super eas emittis, & continuo recedit cinis, & fauilla, & apparet ignis, vel carbones; ita pariter plerique reperiuntur homines, ieiunio, mortificationi, disciplinæ, orationiq. ita deditì, vt prunæ cinere, & fauilla cooperti videantur, accedente autẽ tribulatione in plerisq; eorũ apparet ignis, in plerisque verò apparent carbones, hoc est multi propter amorem Dei patienter sufferunt, multi verò deficiunt, & tribulatione deuincuntur, iuxta illud quod de hypocritis dicitur in Psal. 139. [In miserijs non subsistent.] Et sic patientia, verum & legitimum sanctitatis inditium vtique est. Quamobrem per patientiam seruus Dei remanet omnium consensu approbatus. Tertius gradus est: [Probatio verò spem.] Spes anchora plane est seruorum Dei in eorum patientia, nimium cum patienter aduersa tolerant pro Christo. Cum enim seruus Dei patientiã in se sentit in aduersis, statim sanè ad æternam anhelat patriam, hoc est, spe firma, sperat coronam gloriæ reportaturus. Et sic homines patientes, vocat Zacharias. [Vinctos spei,] hoc est, gentes, à quibus nec vincula, nec carceres, nec tyranni, nec minus flagella, fiduciam cælestis patriæ adimere queunt; gentes (inquam) de quibus ait Apostolus: [Quis nos separabit à charitate Christi, & Dei? Tribulatio? an angustia? an fames? an periculum? an persecutio? an gladius? &c.] De hac planè gente Christiana spe munita intelligitur illud Iob 5. [Erit egeno spes.] & illud etiam Psalmistæ. [De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.] Quibus verbis, comparationes duæ satis aptè, & planè accommodabiles patienti Christiano afflicto, carpuntur. Egenus enim ille dicitur, qui ita est pauper, & miser, & etiam miserabilis, cui omnia denegantur, etiam & aqua ad bibendum, iuxta illud Isa. 41. [Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt.] Caput verò exaltare in torrente, ille dicitur, qui natando vndis succumbitur, aquisque pene suffocatur, & ad respirandum super aquas eleuat caput, vt illud queat tranare torrens, siue mare. Quæ omnia patienti Christiano viro, afflicto, facile adaptantur, cum spe cælestis patriæ, & carceres, & flagella, & cruces, & opprobria, & maledicta, & catenas facile deuincat. De his enim intelligitur illud: [Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.] & illud: [Cor sapientis vbi tristitia.] & illud. [Arca ferebatur super aquas, & aquæ præualuerunt nimis supra terram.] quoniam patientes serui Dei, in tribulationibus robustiores, & validiores fiunt, spe cælestis patriæ, & sic in patientibus, probatio generat spem. Vltimus gradus scalæ est. [Spes autem non confundit.] Quoniam spes iustorum non est vana, sed solida, & firmissima; confusio autem malis, iuxta illud: [Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine horrore.] Bonis verò erit exultatio in adeptione cælestis patriæ, iuxtà illud, quod sequitur: [Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.] Vides qualiter, spes non confundit? Et his de causis Archipropheta, socium nostrum in tribulatione se hìc (nominando seipsum comparticipem in tribulatione, regno, & patientia in Christo Iesu) appellat. Hanc eandem tribulationem, & potientiam pro regno cælesti, & Christo, in cæteris Apostolis indicant Marcus Euãgelista, dum in cap. 6. ait: [Vidit discipulos suos laborantes in remigando; erat enim ventus contrarius eis.] Et Lucas in cap. 14. [Et qui non baiulat cru-

B, C, D, E

Comparatio. *Comparationes duæ circa Christianorum patientiam.* *Psal. 109.* *Eccl. 7.* *Gen. 7.* *Spes iustorũ firma.* *Sap. 5.*

cem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.] & cap. 12. [Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides propter nomen meum] Et paulo post. [Trademini autem a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & capillus de capite vestro non peribit, in patientia vestra possidebitis animas vestras.]

Concept. 2. Quod tribulatio patienter tollerata, est via ad beatitudinē æternam.

QVADRAT sanè locus iste Archiprophetæ. [Particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu.] cum illo loco Matth. 11. [A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.] Et etiam cum illo alio loco ad Coloss. 1. [Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.] Vtrobique namque apparet, tribulationes, persecutiones, labores, & afflictiones patienter toleratas, viam esse ad cælorum regnum. Dicamus igitur primo de illo loco Matthæi, per quem planè patet quantum differt via, qua modo nos Deus ad cælum perducere vult; ab illa, qua antiquos patres conducere solebat, ad consolationes capessendas. Antiquitus namque Deus, Hebræis bona temporalia, consolationesq. corporales, dumtaxat promittebat, ob obsequia, quæ in eum exhibebant. Hinc est illud: [Semini tuo dabo terram hanc] non dicit [cælum hunc,] sed [terram hanc.] & illud, [omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus.] ac etiam illud, [si audieritis me, bona terræ comedetis.] non dicit: [bona cæli,] sed [bona terræ.] At verò postquam Ioannes Baptista diuinum illum agnum, digito demonstrauit, dicens: [Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] Longe aliter se res habet. Promittuntur namque nobis bona cælestia, & consolationes spirituales in [regno,] nimirum in regno cælorum, hoc est, in patria cælesti, ad quam peruenire nullatenus licet, nisi per tribulationes patienter pro Christo toleratas. Quoniam regnum cælorum, tam crebrò per os Christi repetitum, qui primus illud in terra prædicauit, ac fidelibus suis spopondit, vim patitur; & in illud intrare nemo potest per viam consolationis, sed per tribulationum, & afflictionum iter. Iccirco non incaute Euangelij Aquila, hoc in loco, regnum cum tribulatione, & tribulationem cum regno, copulauit, quinimmo tribulationem ante regnum recensuit. Quorum primum facè præstitit: tùm vt sciamus iam regale, & gloriosum vade esse pro Christo tribulari cum patientia: tùm vt cogitemus nos, tunc vere in regno cælorum regnare, cum in terris pro Christo persecutiones patimur, iuxta illud: [Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.] Regale autem, lætificum, ac gloriosum esse, nunc pro Christo pati, apparet ex illo: [Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.] Et etiam ex illo [communicantes Christi passionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.] Secundum verò præstitit Dei Vates, vt clarè intelligamus, quod si comparticipes regni cælestis esse volumus, prius nos tribulationum comparticipes esse oportere. Nam [si sustinebimus (ait Apostolus) & conregnabimus] vbi prius ponitur [sustinebimus,] & postea [conregnabimus,] in signum quod tribulationum abyssus prius est tranandus, ac prætereundus. Quod planè nobis indicare voluit Christus, dum postquam in cruce acetum, myrrham, & fel gustauit: gustare etiam ei placuit post resurrectionem mellis fauum. Quod

Bona temporalia dumtaxat promittebat olim Deus.

Gen. 15.

2. Esdr. 1.

Ioan. 1.

Bona cælestia nūc promittit nobis Deus

Regnum cælorum primo à Christo prædicatum.

Tribulari pro Christo est gloriosum.

1. Petr. 4.

Comparatio.

Fel prius gustauit Christus qua mel.

F planè satis acutè contemplauit Tertulianus, dum lib. de corona militis cap. 14 sic scribit. [Christus fauos post fella gustauit, nec antea Rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum præscriptus in cruce, minoratus primum à patre modicum quid extra Angelos, & ita gloria, & honore coronatus.] Iacob (vt dicitur Gen. 48) decussatis manibus, hoc est, in crucis formam positis, filios Ioseph benedixit, in signum quod benedictio non nisi per crucem haberi potest. Hinc est quod appellatur posterior, iuxta illud: [Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.] Vbi glorias, posteriores appellat Apostolus Petrus in signum quod præcedere debent passiones, & tribulationes, vt expendit glossa. Ex quo solui planè potest quæstio,

G quæ in illa verba Exod. 3. [Descendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte, & melle.] suboriri potest. Quærere etenim quis potest, cur Deus terram illam promissionis potius lacte, & melle manare dixit, quam vino, & tritico, quæ terram vberiorem significant? Mel namque, & lac, non adeo necessaria sunt hominibus. Cui difficultati ex dictis satisfacere possumus affirmando haud exiguum circa præallegata, indicatum fuisse mysterium. Erat namque terra illa promissionis, cælestis patriæ obumbratio quædam, cuius fertilitatem, & abundantiam lacti, & melli Dominus comparauit; eo quod sicut lac prius sub sanguinis forma est, antequam album, & suaue fit, & sicut mel antequam fit dulce, & sapidum, sub spinæ, & apis aculeo generatur;

H pari etiam modo antequam dulcissimæ fruitionis Dei, suauitatem percipiamus, oportet nos per martyrij sanguinem (si opus fuerit) & per spinas, aculeosq. tribulationum pertransire, iuxta illud Act. 14. [Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei.] Hinc Apostolus dum tribularetur (vt supra dicebamus) exclamauit. [Adimpleo ea quæ desunt passionū Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.] Perinde ac si diceret. Christus à solis Iudæis adductus ad mortem est, & ego à gentibus ad mortem adducor in dies pro eius ecclesia. Christus namque inchoauit passionem (vt rectè dispungit locum istum Primasius) & non impleuit: sed in corpore suo, id est, in Ecclesia, nunc adimpletur. Quod planè & ipsemet Christus indicauit, dum patri suo æterno dixit: [Pater si fieri potest transeat à me calix iste.] hoc est passionis calix transeat primo per

I me, & postea per martyres. Iccirco planè est, quod sicut lignum in aquas Marath missum, eas dulces effecit. Et sicut farina ollam mortiferam & amaram, dulcem reddidit, sic passio Christi, eiusque eius martyrium acerbum, ac crudeles tribulationes, dulces, ac suaues hominibus in dies transfert. Vnde virgines, & adolescentes in nouo Testamento, ita martyrium pro Christo appetunt, mortificationes etiam atque asperas pænitentias, vt hoc vnum, eis dulcedo, & suauitas omnimoda, ac nuptiarum gaudia, prorsus videantur.

Tertulianus.

Benedictio per crucem.

1. Petr. 1.

Difficultas de lacte, & melle terræ promissionis.

Terra promissionis typus beatitudinis.

Comparatio.

Christus inchoauit passionem quam adimplet Ecclesia.

Primasius in cap. 1. ad Coloss.

4. Reg. 4.

Martyrio pro Christo nihil dulcius, ac suauius.

SCIT proculdubio Deus, tribulationes patienter passas pro Christo Iesu, in regnum cælorum conuertere. Ac

K proinde hoc in loco, hæc tria in se connectit noster Vates, nempe tribulationē, regnum, & patientiam, affirmans, se nobiscum in his tribus pro Iesu Christo participem fuisse. Quærunt nonnulli, quare Deus in rubo ardenti Moysi (vt dicitur Exodi 3.) apparuerit? Cui difficultati planè (inter alia) respondeo, ad hoc sane, vt clare intelligerent homines, qualiter Deus ignem, & spinas, hoc est tribulationes, & afflictiones, in glo-

Concept. 3. Quod tribulationes conuertit Deus in beatitudinem æternā.

Tribulationē in gloriam, & regnum cælorum conuertit Deus.
Exod. 22.

in gloriam perpetuam, & regnum cælorum conuertere scit, dum homines eas patienter sufferunt; scit etenim Deus multa bona ex tribulationibus elicere, vt ex illo admirabili legis præcepto colligitur: [Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum ante solis occasum reddes ei: ipsum est enim solum, quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat, si clamauerit ad me exaudiam eum, quia misericors sum.] In quo planè præcepto, duo nobis manifestantur. Alterum est, Deum magna misericordia erga diuites vti in hoc, quod pauperes permittat in mundo, erga quos, ipsi diuites pietate vtentes, ab ipso Deo misericordiam obtinere valeant. Alterum vero est, ingentia esse spiritualia bona, quæ Deus in anima tribulati operatur. Siquidem cum tanta abundet misericordia, corpora nuditate, egestate, morbis, & similibus opprimet, tribulationibus. Ex illis etiam verbis: [In tribulatione dilatasti mihi.] Inferre licet, Deum tribulationes immittere fidelibus, vt inde bona pleraque eliciat, vt indicat illud, [dilatasti.] Experientia enim videmus quod in naue tranquillè nauigante, facile experitur, quis ex nauigantibus bonus sit, & quis malus, quoniam in valido vento omnes hilares apparent: At verò emergente tempestate, omnes quotquot sunt in naui, apparent boni, omnes flent, omnes orant, omnes confitentur peccata sua, omnes emittunt vota, &c. Et sic tunc difficilè apparet quis sit bonus, & quis sit malus; quoniam omnes sunt contriti. Et quis quæso hoc facit? Tempestas illa, tribulatio illa. Ecce qualiter ex tribulatione meliorem vitam, & multa bona scit Deus elicere. Hùc pertinere planè potest illud Isa. 60. [Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferram argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.] Quo loco, omnipotentia Dei apprimè panditur, cum sciat ex infructuosis, ac vilis rebus, fructuosa, & vtilia elicere. Quamobrem paulo supra dicit idem Dominus Ecclesiæ suæ: [Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.] & paulo post hæc: [Suges lac gentium & mamilla Regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.]

Pauperes in mundo misericordia Dei erga diuites.
Corpora tribulantur, & non animæ fidelium.
Psal. 4.
Dilatare quid sit apud Deū.
Comparatio.
Isa. 60.

A B C

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4.

Fui in Insula, (ait) quæ appellatur Patmos.

Dilucidatio textus.
§. 1. Insula Patmos describitur.
Patmos vna Sporadum insularum.

Situm, quantitatem, & qualitates huius insulæ, hic explanare opus est. Patmos, siquidem insula sita vtique est in Ægeo mari: insula Sporadum vna. Sporades autem insulæ, post Cyclades sunt. Cyclades vero quinquaginta tres insulæ ab historiographis numerantur in eodem Aegeo mari à Promontorio Geresto, circa Delum in orbem sitæ. Vnde teste Plinio, lib. 4. nat. hist or. cap. 14. nomen traxere, Cyclades. Situm autem Sporadum, & Cycladum insularum describit Plinius loco citato per hæc verba: [Cyclades, & Sporades ab Oriente, littoribus Icarijs Asiæ, ab occidente, Myrtois Atticæ, à Septemtrione Aegeo mari, à Meridie Cretico, & Carparthio inclusæ per cc. millia in longitudine iacent.] Ex his insulis, quædam habitabiles, quædam vero inhabitabiles sunt: Nam ex Cycladibus, Andrus (quę earum prima est) E Cum oppido describitur à Plinio. Delus verò, quæ altera ex illis est, Ærarium commune Græcorum erat, vt tenet Commentator Iustini historici lib. 3. super illa verba Iustini, [A Delo Athenas transferunt, &c.] Ex Sporadibus verò, Gyaros (omnium clarissima) cum oppido describitur à Plinio. Ios verò, quæ olim Phænice erat appellatam, Homeri sepulchro veneranda est. Reliquæ vero, tam ex Sporadibus, quam ex Cycladibus inplurimum inhabitabiles sunt, vt videre, est apud Plinium lib. 4. cap. 12. Quo loco Patmos inter Sporades Insulas per hæc verba constituit: [Cyclades prima earum Andrus, &c. & his omnibus insulis recensitis ait: [Et hactenus quidem Cyclades seruant. Cæteras quæ sequuntur Sporades.] Et incipiens connumerari Sporadum insulas ait: [Sporades sunt Helene, Phocussa, Phæcasia, &c.] Et paulo post, [Patmos circuitu xxx. millia passuum] Quare Patmos (vt dixi) in Ægeo mari, situm obtinet, àquis vndique septa: eo denique Aegeo mari (vt cæteræ insulæ Cyclades, & Sporades) omnino circumflua; quoniam insula mari cincta oporteat sit, non tamen longe est a Rhodos, & à Creta Insulis: Quinimo olim Patmos, Rhodijs subiecta vtique fuit; ob nimiam (vt ego existimo) harum insularum inter sese vicinitatem. Nunc verò Patmos in Turcarum ditione est, donec Deus optimus maximus Christianismo, illam, cum Turcarum, reliquorumq; infidelium bonis, ac possessionibus per fidei Catholicæ susceptionem misericorditer tradat, vt futurum firmiter credimus, ante extremi iudicij diem, iuxta illud; [Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.] Et alibi: [Donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum,] Ex quibus fide tenemus, Turcarum sectam, reliquosq. infideles sanctum, tandem suscepturos baptismum. Quoniam veritas ipsa dixit: [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.]

Plinius.
Plinius.
Iustinus.
Homeri sepulchrū vbi.
Patmos describitur a Plinio.
Patmos olim Rhodijs subiecta.
Patmos agarenis nunc subijcitur.
Psal. 109.
Apo. 7.
Ioan. 3.

§. 2. Mare Aegeū describitur.

Aegeum porrò mare illud quippè est, quod nunc Archipelagus appellatur, qui hodierno die continuis piratarum incursionibus, ac iniurijs prorsus vexatur. In eo namque singulis anni temporibus, ac mensibus haùd exiguæ prædæ, & spoliarum, ex bonis, & mercaturis, tam Christianorum, quam Hebræorum, & Turcarum diuisiones fiunt. In parte tamen huius Archipelagi, siue Aegei maris, sita est Patmos Insula, quæ ab Icaro nomen accepit vt tradunt Plinius lib. 4. 12. & Strabo. Mare autem Icarum incipit à Samo, versus Myconem, & sic totum mare, quod est inter Samum, & Myconem (quæ quidem duæ insulæ etiam sunt Sporadum, & Cycladum) Icarum nuncupatur. Tum (vt Poetæ fabulantur) ab Icaro Dædali filio, qui vna cum patre Creta fugiens, fretus alarum fiducia cum vltra patris iussa, altius euolasset, solisque ardore cera, qua pennæ continebantur, liquefacta esset, ita vt ab alijs difflueret, desidit in mare, iam dictum, inter insulas Samum, & Myconem, & sic ab illo nomen accepit illud mare, iuxta illud Ouid. 3. tris.

Patmos prope Archipelagum.
plinius.
Strabo.
Mare Icarum vnde incipiat.

D

Icarus, Icarijs nomina fecit aquis:

Tum vt, ait Plinius (& melius, & verius sanè) mare icarum dicitur ab Icaria insula, quæ mediat inter Samum, & Myconem, versus Cyclades.

Icari maris fabula.
Ouidius.
Plinius.

§. 3. Refellitur Franciscus à Ribera.

Cæterum non placet opinio Francisci Riberæ, qui (ex aliorum tamen sententia) existimat Patmos, Posidium vacatam fuisse à Ptolomæo lib. 5. cap. 2. Hoc si quidem non apparet verum, quia Posidium non est aliqua ex Sporadum, & Cycladum insulis, vt videre est apud Strabonem lib. 10. & apud Plinium lib. 4. cap. 12. qui eas omnes suis nominibus Sigillarim nominant & vocant. Et si Posidium inter ipsas locum haberet, aut Patmos, (quæ inter eas est) Posidium, à Ptolomæo vocata fuisset, huius rei, & nominis mutationis meminisset sanè Plinius eo in loco vti præstat de Sycimo, Heratia, & alijs insulis Sporadum, quibus mutatum fuit nomen. De quibus sic ait: [Sycimus, quæ antea Oenoe, Heratia, quæ onus, Casus quæ Astrabe, Cymolusque, Echinussa, Melos cum oppido, quam Aristides Byblida appellat, Aristoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclydes, Syphnum, & Acyton.] His accedit quod Plinius vna tantum linea supra Sycinū, & Heratiam, refencet Patmos sub his verbis: [Patmos circuitu, xxx. millia passuum, Corasiæ, Zebinthus, Leros, Cynara, Sycinus.] Quapropter si vera esset positio Riberæ, parum erat Plinio dicere sic: [Patmos quam Ptolomæus Posidium appellat.] Verum enim verò id non præstitit Plinius, quod non est dicendum ex igno-

1. Argument.
Strabo.
plinius.
2. Argument.
plinius.
3. Argumentū.
plinius.
4. Argumen

ex ignorantia accidisse, sed ex eo tantum, quod id verum numquam fuit. Et vt rem proprius videamus, Ambrosius in suo Calepino, Posidium, vel Posideum, oppidum esse affirmat in finibus Macedoniæ, non procul à Strymonæ amne. Ex quibus omnibus aliena à veritate apparet positio Riberæ de Patmo.

§. 4. Non est tenendus Franciscus Ribera qui absolute contra omnes doctores falso tenet Patmos esse in mari Icaro.

Porrò nec proprio est alloquutus ipsemet Fráciscus Ribera cũ hoc loco, absolutè ait: [Patmos Insula est in mari Icaro.] Dicendum enim erat illi. Pathmos insula est in mari Aegeo: nam in Aegeo mari ponunt Patmos Plinius lib. 4. cap. 12. Strab. lib. 10. D. Hieronymus in interpretatione nominum Hæbr. Chald. Græc. & Lat. & Ambrosius in suo Calepino citans Plinium in lib. 4. cap. 12. Verum est tamen ex Plinio, quòd Cyclades, & Sporades, inter quas insulas est Patmos, ab Oriente, littoribus Icarijs Asiæ, ab Occidente, Myrtois Atticæ, à Septemtrione, Aegeo mari, à Meridie, Cretico, & Carpathio inclusæ per CC. millia in longitudine iacent. Attamen cum mare Icarum sit inter Samum & Myconem, Myconos autem teste Plinio, lib. 4. cap. 12. vna sit ex Cycladibus insulis non procul à Delo: sequitur Mare Icarum incipere à Samo, quæ vna est ex Sporadum insulis versus Cyclades. Vel vt melius, & verius ait Plinius, mare Icarum dicitur ab Icaria Insula, quę mediat inter Samum, & Myconem, versus Cyclades, & per consequens cum mare Icarum ab Samo, vel ab Icaria incipiat (quæ insulæ Sporadum sunt,) & descendat versus Myconem) quæ vna est ex Cycladibus) Patmos non est in medio mari Icaro sita, licet Sporades, quarum vna est Pathmos, ab oriente litterra respiciant Icaria Asiæ. Hoc est manifestum, quia Sporades sunt post Cyclades, & in parte Septentrionali Sporadum est Patmos: constat autem ex Plinio Sporades, & Cyclades à Septentrione esse in mari Ægeo. Quare cum Patmos in Sporadibus sit versus Septemtrionem sita, proculdubio erit in Ægeo mari, vt volunt Plinius, Strabon, D. Hieronymus, & Ambrosius, vbi supra, iuxta partem Icari maris, vt nuper retulimus. Partem (inquam) Icari maris, quæ respicit mare Aegeum; quoniam Sporades (inter quas est Patmos) in mari Aegeo, ab Historiographis directè reponuntur, & a parte Orientali Littoribus Icaris iacent. Et sic Ribera, ex vicinitate maris Aegei, & Icari, Patmos, quæ propria insula est Aegei maris, in mare Icario, nullatenus propriè (immò impropriè prorsus) ponit. Quemadmodum quis Maioricam, quæ propriè est in mari Balleari, impropriè obuicinitatem in mari Sardoo reponeret, licet vtraq. insulæ Sardinia nimirum, & Maiorica in mari Mediterraneo sitæ sint, non procul vna ab alia; quoniam queadmodum infra latitudinem maris Mediterranei, ea, quæ propriè sunt maris Sardoi non sunt reponenda in mari Balleari, nec è conuerso: Sic infra latitudinem Archipelagi, ea quæ sunt maris Aegei, nullatenus reponenda veniunt in mari Icaro, quamuis vtrumquę mare sit vicinum, ac propinquum.

Probatur Patmos non esse in medio Icaro mari. 1. Ratio. 2. Ratio.

§. 5. Quantitas insulæ Patmos. Blasius viegas in comment.

De quantitate, & magnitudine huius insulæ Patmos non est concors doctorum opinio. Quoniam Blasius Viegas putat quadraginta milliaria, quæ decem leucas Hispanas conficiunt, suo ambitu continere. At verò alij aliter magnitudinẽ huius insulæ describunt. Ego vero existimo hanc Patmos Insulam circuitu, Leucæ vnius, dum taxat gaudere. Idq. probo cum Plinio (cui magis in hac re fides adhibenda est) qui lib. 14. cap. 12. sic ait: [Patmos circuitu xxx. millia passuum.] Cui etiam adhærent Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez à S. Maria. Et cum milliarium ex mille passuum spatio componatur, leuca insuper Hispania ex tribus dumtaxat milliarijs, (vt experientia docet, & communiter dicitur.) constituatur, sequitur à primo ad vltimum xxx. m. passus, quos citat Plinius esse tria dumtaxat milliaria, quæ vnam solum modo Leucam Hispanam conficiunt. Blasij autem positio ruit. Tum quia pro se, nullum citat doctorem Historiographum. Tum quia non citat locum à quo hanc suam sumpserit opinionem. Tum quia apertè contradicit Plinio. Tum quia insula Decem Leucarum circuitu, rationabilis quantitatis est: At vero Patmos à D. Hieronymo appellatur exigua insula, insignum suæ exiguæ paruitatis, tam longitudinis, quam latitudinis. Tum denique, quia Blasius male computat quadraginta milliaria, quoniam quadraginta milliaria plus quam decem leucas Hispanas efficiunt, accipiendo (vti supra dicebamus) mille passus pro vno quoque millenario, & tria millenaria, pro vna quaque leuca Hispana.

Leuca Hispana ex tribus milliarijs cõpacta. 1. Argument. 2. Argument. 3. Argument. 4. Argument. D. Hieron. in indice biblico. 5. Argument.

§. 6. Patmos insulæ qualitates.

Qualitates denique huius insulæ apparent, tam ex interpretatione nominis eius, quam ex his, quæ de illa produnt scriptores. Patmos namquè testante D. Hieronymo [Lethalis, vel mortifera,] testante Strabone in sua glossa ordinaria, [Ebullitio, vel fretum, vel tribulatio.] testante Petro Bertchorio Pictauiensi: [Separatio hostium, vel palpitantium] & testante vulgo, [Polmosa.] interpretatur. Gaudet hæc insula figura ferè quadrangulari, scatet metallorum venis, moutuosaque à plerisque describitur. Inhabitabilé verò olim fuisse puto Tum quia lethalis, & mortifera erat. Tum quia exilio dedicata a Romanorum imperatoribus, fuerat. Tum quia exigua, & metallorum venis scatebat. Et per consequens in solummodo. xxx. m. passuum spatio, qui locus ad effodiendum, & ad edificandum esse potest? Tum deniq. quia Plinius lib. 4. cap. 12. cum alias insulas Sporadum & Cycladum recenset, habitabiles cum suis ciuitatibus, vel oppidis describit, vt videre est, dum ait: [Tenos cum oppido,] & paulo post, [Gyaros cum oppido] At verò dum inhabitabiles recitat, eas absolutè proponit, & sic præstitit cum Patmo. Quam cum recitaret nullius ciuitatis, oppidiuè meminit, Quare existimo olim inhabitabilem fuisse Patmos. Hac vero nostra tempestate, adest in Patmo insula celeberrimum, adeoque pulcherrimum Cænobium Sancti Ioannis nomine appellatum, quod in media fere insula tamquam fortissimum castrum ad totius insulæ defensionem eminet, clauis insulæ, eiusdemq. robur, & fortitudo, à Ioannis discipulis (vt creditur) ædificatum, & postea Monachis. D. Basilij regulam profitentibus traditum, qui illum vsq; in hodiernum diem religiosè incolunt. Et sanè magno cum mirraculo, eò quòd in dies à piratis vexantur, & semper S. Ioannis patrocinio miraculosè defenduntur. Ad hanc igitur mortiferam insulam Patmos Ioannes frater noster ductus fuit in exilium, vt sua præsentia, huic insulę mortiferę acciderit aliud affine illius mortiferę ollæ, de qua 4. reg. 4. dicitur [Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs Prophetarum.] Et paulo post: [cumque gustassent decoctionem, clamauerunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille; afferte, inquit, farinam. Cumq. tulissent, misit in ollam. Et ait: Infunde turbæ, vt comedant, & non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla] sic Ioannes noster fuit veluti farina Elisæi huic insulæ; quoniam ipso ad eam, sui exilij causa, accedente, in eadem (veluti in olla pueri Elisęi) non fuit amplius quicquam mortalitatis. Id ipsum planè B. Pontiani, & B. Augustini ossa, Sardiniæ insulę, causarunt. Olim namque Sardinia pestilans insula appellabatur. Cuius appellationis, Ambrosius in suo Calepino causam reddit per hæc verba: [Habet hæc insula à Septemtrione montes editissimos, qui prohibent, quò minus à Borea possit perflari, quo fit vt æri pestilentiæ maximè sit obnoxia.] At verò postquam. S. Pontianus ad hanc relegatus fuit insulam (teste Damaso) ac etiam postquam sancta, B. Augustini, ossa, ad hanc eandem insulam (prout sua narrat historia) asportata fuere, non fuit in ea amplius quicquam pestilentiæ. Quamobrem vbi olim, in B. Pontiani vita auctor Breuiarij Pij Quinti ex proprio marte legebat: [Qui sanctum Pontificem propter Christianæ fidei confessionem in Sardiniam pestilentem insulam, cum Philippo Presbytero relegauit,] nunc in-

D. Hieron. Strab. Berthor. Fertilitas insulæ Patmos. Patmos olim inhabitabilis insula. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. Patmos insula nunc habitabilis. Cænobium S. Ioanni in insula patmos. Monachi S. Basilij in insula patmos. Ioannes assimilatur farinæ Eliseii. Sardinia olim pestilens. S. Damasus in vita S. Pontiani. Hist. S. Aug. Sardinia curatur ab antiqua pestilentia per ossa B. August. & per S. pont.

cius

Castigatio Breuiarij pij Quinti per Clementem 8 circa appellationem antiquam Sardiniæ.

eiusdem Beati Pontiani vita, auctor castigationis, emendationisque eiusdem Breuiarij Pij Quinti, iussu Clementis Octaui; sic legit: [Qui sanctum Pontificem propter Christianæ fidei confessionem in Sardiniam insulam cum Hippolyto presbytero relegauit:] Vbi vides, pestilentiæ antiquam appellationem à Sardinia insula omnino ademptam ac abolitam nunc iam esse. Quam quidem remotionem, ossa sanè, & corpora SS. Augustini, Antiochi, & Pontiani, quæ ad hanc diuinitus accesserunt insulam, proculdubio sicut farina in olla pueri Elisei causarunt. Idipsum plane Ioannes noster in Patmo insula sua præsentia præstitit. Solet namque sanctorum corporum præsentia, ea quæ Lethalia, ac mortifera sunt, prorsus sanctificare, & ad meliorem statum redigere. Hinc Beatus Ioannes Chrysostomus de sanctis Apostolis Petro, & Paulo in quodam sermone ita ait: [Quot carceres sanctificastis? quot cathenas decorastis? quot tormenta sustinuistis? quot maledicta tolerastis? &c.] Et sancta mater Ecclesia læta, & hilaris circa bona spiritualia, quæ per eosdem Apostolos diuinitus reportauit, sic canit.

Insula Sardiniæ assimilatur insulæ patmos.

Corpora sanctorum sanctificant loca in quibus iacêt.

Hilaritas, & lætitia Ecclesiæ.

O felix Roma, quæ tantorum Principum.
Es purpurata pretioso sanguine.
Non laude tua, sed ipsorum meritis.
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Id ipsum plane præstitit præsentia corporis melliflui Archiprophetę Ioannis circa insulam Patmos, omnimodam illius lethalitatem, ac mortiferitatem antiquam, ab illa procul arcendo, & abolendo.

DISPVT. XX.

In Cap. Primum Apocalypseos, de relegatione, & Exilio Apostoli, & Euangelistæ Ioannis ad insulam Patmos.

In tres Quæstiones partita super illa verba: *Fui in insula, quæ appellatur Patmos.*

Prologus Disputationis.

Ioannes nomen suum ter expressit.



TER iam in hoc opere Ioannes, nomen suum inculcauit, primò si quidem dùm dixit [loquens per Angelum suum seruo suo Ioanni,] secundo etiam cum ait: [Ioannes septem Ecclesijs, quę sunt in Asia.] tertio tādem dum hic inquit: [Ego Ioannes frater vester, &c.] quod planè ideo factum puta, teste Ruperto, vt nemo, de auctore huius operis amplius dubitaret. Verumenimuero quamuis ex hac trina nominis auctoris repetitione constet non Cherintum, vt falso asseruit Caius, sed Ioannem, huius operis verum, & legitimum extitisse auctorem: tamen si quis ex aduerso obuiaret, duos fuisse eodem tempore Ioannes, eosdemq. discipulos Domini, profectò ex præ allegata trina nominis Ioannis repetitione, quis illorum duorum, huius operis auctor extiterit, nullatenus remaneret apertum. Iccirco nos, tum vt de duobus, Ioannis nomine, nuncupatis, obscuritas elucescat, tùm, vt veritas de relegatione nostri Apostoli, & Euangelistæ Ioannis omnibus pateat, præsentem tractamus disputationem.

Rupertus abbas in hoc commenc.

Ioannes duo, & ambo discipuli domini.

Quæstio I.

An fuerint duo Ioannes, ambo discipuli Domini eodem tempore in Ecclesia Dei.

1. Concl.



PRIMA Conclusio. Inter duodecim Apostolos Domini solus vnus fuit, qui Ioannis nomine nūcupabatur, filius Zebedæi, maiorisquè Iacobi frater. Hæc est de fide, & probatur ex illo Luc. 6. [& cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos, & Apostolos nominauit, simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Batholomeum, Mattheum, & Thomam, Iacobum Alphæi, Simonem qui vocatur Zelothes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariothem, qui fuit proditor.] Idem habetur apud Marc. 3. Sub his verbis. [Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges quod est Filij tonitrui, & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphei, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariothem, qui & tradidit illum.] Quibus verbis vnus dumtaxat inter Apostolos, Ioannis nomine Zebedæi filius recensetur. Zebedæi (inquam) filium, de quo Matth. 4. dicitur: [Et procedit inde vidit alios duos fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum.] Et hic fuit dilectus ille discipulus, qui supra pectus Domini in Cæna recubuit inter duodecim Apostolos: Cui etiam Dominus in Cruce, matrem suam virginem commendauit. Nostram hanc conclusionem, sancta vniuersalis Ecclesia firmiter tenet, illamque in omnibus suis concilijs, nullo penitus discrepante, apprimè profitetur. Eandemque omnes sancti Patres vtriusque ecclesiæ, Grecæ nimirum, & Latinæ in omnibus suis elucubrationibus, & monumētis, tam prelo mandatis, quam manu scriptis concorditer concedunt.

Ioannes vnus dumtaxat inter duodecim apostolos Christi.

1. Ratio.

Apostolorum nomina.

2. Ratio.

3. Ratio.

Secunda Conclusio. Non est de fide, Inter septuaginta duos discipulos Domini, fuisse alium Ioannem, discipulum, præter filium Zebedæi. Patet, Tum ex electione horum septuaginta duorum discipulorum, quæ Luc. 10. per hæc verba habetur: [Post hæc designauit Dominus & alios septuaginta Duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus.] Vbi, vt vides nullum horum septuaginta duorum Apostolorum proprio nomine hic ab Euangelista recensitum fuisse. Quare de fide nullatenus venit tenēdum inter hos 72. discipulos, Ioannem aliquem fuisse, diuersum à Zebedæi filio. Tum quia septuaginta duo discipuli non permanserunt vsq; ad passionis tempus cum Christo, sed soli duodecim Apostoli; quoniam, quando Christus dixit: [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.] Multi discipulorum tali doctrina scandalizati abierunt retrorsum, & iam cum eo non ambulabant, qui plane abeuntes discipuli, omnes septuaginta duo fuere; quoniam ibi in textu mox subditur: [Dicit autem Iesus ad duodecim, numquid & vos vultis abire?] Per quæ planè verba apparet, neminem 72. discipulorum eius cum eo mansisse, nisi duodecim Apostoli. Quamobrem illud, [numquid & vos vultis abire?] perinde sonat, ac diceret numquid vultis vos 12. recedere, sicut recesserunt cæteri 72? Et hi dumta-

2. Concl. Fuisse duos Ioannes inter 72. Discipulis non cadit sub fide.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ioan. 6.

Septuaginta discipuli recesserunt à Christo.

F dumtaxat duodecim Apostoli vsque ad tempus passionis, cum eo permanserunt, vt ex Euangelio liquide habetur.

3. conclus. Ioannem aliquem inter septuaginta. Apostolos fuisse, probabile est.
1. Ratio. D. Hier.

Tertia conclusio, Probabile est inter hos septuaginta duos discipulos Domini aliquem illorum fuisse, qui Ioannis nomine appellaretur. Probatur: Tum quia testante Eusebio, in hist. lib. 3. cap. 33. Papias Hieropolitanus Episcopus, Ioannem seniorem, ac presbyterum inter discipulos Domini connumerat. Cuius verba diuus Hieronymus in vita Papiæ sic retulit: [Si quis presbyter mihi fortasse occurrebat, qui cum discipulis versatus fuisset, dicta Apostolorum ab eo diligenter sciscitabar, nempe quid Andreas dixisset, quidve Petrus, quid Philippus, quid Iacobus, quid Ioannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini discipulus, quæ denique Aristion, & Ioannes presbyter, qui in numero discipulorum Domini habebantur locuti fuis-
G sent.] Tum quia plerique grauissimi adstipulatores huius Ioannis Senioris, ac presbyteri, post Papiam, mentionem faciunt, inter quos est Dionysius Alexandrinus Episcopus affirmans, hunc Ioannem seniorem presbyterum, discipulum fuisse, & Domini, & Ioannis Euangelistæ, vixisseque in Asia, ac Ephesi sepultum fuisse.

2. Ratio. Dionys. Alex.

Appendix. 1. Papias introduxit duos Ioannes.

Ecce qualiter Papias primus auctor fuit, qui duos, Ioannis nomine eodem sæculo discipulos, Domini, vnum Euangelistam, aliumque seniorem, ac presbyterum introduxerit, quem illustrissimus, ac Reuerendissimus Cæsar Baronius tom. 1. Annalium Ecclesiast. anno Christi XCVII. putat Ioannem Mariæ filium cognomento Marcum consobrinum Barnabæ, cuius extat mensio in Actis cap. 12. & 13. fuisse, concludens,
H alioquin non duos eodem tempore, sed tres Ioannes in Ecclesia claruisse, cuius etiam sententiam sequutus fuit Franciscus Panigarola in suo compendio ad Ann. Eccl. Baronij anno Christi XCVII.

Panigarola.

Appendix 2. Ioan Euagel. appellatur etiam senior, & Theologus

Et quamuis iste Ioannes, & senior, & presbyter nuncupetur, nihilominus noster Archipropheta, Apostolus, & Euangelista Ioannes, non solum filius Zebedæi, verum etiam senior presbyter, ac Theologus appellatur; quoniam super illa verba Epistol. Ioan. Apost. 2. [Senior electæ Dominæ, &c.] D. Dionysius Carthusianus sic scribit: [Vocat autem beatus Ioannes, se seniorem, quia iam erat prouectæ ætatis, & ratione sui officij; quoniam nomen senioris, Episcopis quoque propter grauitatem sapientiæ, maturitatisque congruit, vnde tunc rectores Ecclesiarum propter discretionem, & morum maturitatem
I senes appellabantur, propter quod vt antea iam patuit, Princeps Apostolorum in prima sua canonica, pastoribus loquendo, seniores (inquit) qui in vobis sunt obsecro; itaque senior iste Ioannes Apostolus omnium, qui in Asia præerant Christianis, præcipuus scribit:] Hucusque Carthusianus. Presbyterum etiam eundem Euangelistam Ioannem vocat doctissimus Titelmanus, dum super eandem secundam Epistolam Ioannis Apostoli, sic scribit: [Ioannes presbyter scribit salutem, quæ precatur electæ, & nobili Dominæ, cuius nomen scriptum est apud Dominum, & filijs, & filiabus eius.] Et tandem Dionysius Areopagita scribens ad Ioannem Apostolum, & Euangelistam, ac etiam Hippolytus martyr oratione de consummatione sæculi, Epiphanius hæres. 51. Cyrill. Alexand. lib. 3. de Trinitate, Sanctus Athanasius in oratione contra idola, & D. Chrysostomus proœmio in Psalm. 37. Ioannem Apostolum,
K & Euangelistam per antonomasiam, siue per excellentiam Theologum nuncuparunt.

D. Dionysius Cart. in epist. 2. Ioan. Apost.

Titelmanus.

Dionys. Areopagita. Hyp. Mart. Epiph. Cyrill. Alex. Athanas. Chrysost.

Quæstio II.

Vtrum Ioannes Apostolus, & Euangelista, an vero Ioannes ille senior ac presbyter fuerit in Insula Patmos relegatus?

1. Assertio. Ioannes senior non fuit relegatus in insulam Patmos.



PRIMA assertio. Nullus est Doctorũ qui asserat Ioannem illũ seniorẽ presbyterum fuisse in exilium, & relegationẽ ad insulam Patmos missũ. Hęc est manifesta. Nã lege de hac re quos scriptores (Græcos, & Latinos) volueris, & apud aliquem eorum proculdubio, partem affirmantem nullatenus reperies.

2. assertio. Ioan. Apost. & Euangelista relegatus fuit ad insulã Patmos.
1. Ratio. Tertul. D. Hier.

Secunda assertio. Inter discipulos Domini, solus Ioan. Apost. & Euang. relegatus fuit in insulã Patmos. Hæc est communis omnium Græcorũ, & Latinorũ Doctorũ. Et probatur. Quoniã Tertul. de præscrip. hæret. c. 36. sic scribit: [Habes Roma vnde nobis auctoritas quoq; præsto est statu felix Ecclesiæ, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicę adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes postquam in oleum igneum demersus nil passus est in insulam relegatur.] Et D. Hieron. in catalogo scriptorum Ecclesiasticorũ: [Ioannes Apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, &c.] Et paulo post. [quarto decimo igitur anno secundã post Neronis persecutionẽ mouente Domitiano in Patmos insulam relegatus.] & in prologo super Apocalypsim [Ioannes Apost. & Euangelist. à Christo electus atque dilectus in tanto amore dilectionis vberior habitus est, vt in cœna super pectus eius recumberet, & ad crucem astanti soli matrem propriam commendasset.] & dudum: [Hic itaque cum propter verbum Dei, & testimonium Iesu Christi in Patmos insulã sortitur exiliũ, &c.] Et Zonaras lib. 2, Ann. [Ioannẽ Apostolũ, eumdẽque Euangelistam in insulam Patmos relegauit.] Primasius etiã lib. 1. in Apoc. statim in principio sic ait: [Cui autem Dominus Iesus Christus talia reuelaret, ac tanta nisi illi quem præceteris discipulis sic præcipuo amore dilexit, &c.] & paulo post: [Hæc autem eo tempore videre promeruit, quo in Patmo insula pro Christo à Domitiano Cæsare exilio missus in metalla damnatus terminis arcebatur inclusus.] Et D. Ambrosius c. 11. Apoc. super illa verba: [Accipe, & deuora illum.] sic scribit: [Possumus hoc de Ioanne proprie intelligere, qui antequam Euangelium scriberet, Patmos in exiliũ ductus est.] Et iterum super illa verba cap. 18. [vsque breue tempus manere.] sic ait: [Quinque ergo capita bestiæ iam ceciderunt, &c.] & non longe post hæc: [Ob quam causam, & iste Ioannes in Patmos insulam relegatus tenebatur.] Tum insuper probatur assertio, Commentariorum omnium in Apoc. testimonio. Quoniam Irenæus, Iustinus martyr, Melito, sanctus Thom. D. Dionysius Carthusianus, Victorinus martyr, Albinus, Ambrosius Compsa, Bruno Cenensis, Augustinus de Ancona, Gaspar à Melo, Thom. Anglus, Rupertus, Abb. Iacobus Tralen. Ioachim Abbas, Iordanus, Methodius, Simon Tholosanus, Vitalis Cardinalis, Tychonius, Philip. Mantuanus, Arethas, Aprigius, Claudius Montaner, Federicus Venetus, Gaufredus, Auctor Incognitus, Lyranus, Franc. Ribera, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Blasius Viegas in suis commentarijs super Apocalypsim in hæc verba. [fui in insula, quæ appellatur Patmos.] hoc ipsum vnanimiter confirmant argumentique quamplurimis corroborant. Porro assertio nostra patet per breuem D. Dionysij, ad Ioannem Apostolũ, & Euangelistam relegatũ in insula

Zonaras.

D. Ambr.

2. Ratio.

Iren. Iust. Mart. Melito. S. Thom. Carthus. Victorin. Albin. Ambr. Comp. Brun. Cenens. Aug. de Anc. Gaspar à Melo. Tho. Angl. Rupert. Abb. Iacob. Tral. Ioach. Abb. Iordan. Method. Sim. Tolos. Vit. Card. Tycon. Philip. Mant. Areth. Aprig. Claud. Mont. Feder. Venet. Gaufred.

Patmos epistolam tenoris sequentis: [Post paululum vero dicam enim (etsi audax dictu videatur) tibi carissima societate iungemur, ero autem prorsus dignior cui fides habeatur si que tibi præcognita sunt, quæ ex Deo diuisi, hæc loquar quod scilicet ex Patmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reuersurus, illicque perages, boni Dei imitationes, easq. posteris trades,] Hucusque Dionysius. Meminit huius epistolæ Metaphrastes, additque insulanos omnes illic agentes à Ioanne ad veram Christi religionem ex impietate esse vindicatos. Postremo patet conclusio, si legas Eusebium in Chronicis, Ecclesiasticis, Nicephorum etiam lib. 2. cap. 45. & lib. 3. cap. 9. ac etiam omnes, quos volueris tàm Græcos, quam Latinos scriptores, quos omnes, firmiter huic nostræ assertioni adhærentes, proculdubio te inuenturum, annuntio.

Dionisij epist. 10.

Metaphrastes

Insulanos insulæ Patmos conuertit Ioannes apostolus ad fidē Christi.

4. Ratio.

Tertia Assertio. Ioannes qui verus, & legitimus auctor huius operis hic recensetur, sub illis verbis: [Ego Ioannes frater vester,] non est Ioannes ille senior, ac presbyter, sed Ioannes Apostolus & Euangelista Zebedæi filius. Hæc est de fide, & contra Dionysium Alexandrinum apud Eusebium lib. 4. cap. 24. & 26. & lib. 7. cap. 23. Illamque profitentur Dionysius Areopagita cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Irenæus lib. 5. aduersus hæreses Valentini prope finem, Iustinus Philosophus, & martyr in Dialogo cum Triphone, Hippolytus de consummatione mundi, Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi cap. 12. Origenes Hom. 7. in Iosue, Epiphanius hæresi 51. 64. & 56. Ruffinus in expositione Symboli, Eusebius in Chronicis, Doctissimus Tertullianus (qui paulo post ipsum sanctum Apostolum, & euangelistam vixit) lib. 4. contra Marcionem qui planè (inter omnes alios) satis per doctè demonstrat, conferendo tempora, ad solum Ioannem Apostolum, & Euangelistam, Apocalypsim pertinere, & in scorpiato aduersus Gnosticos, Sixtus Senensis lib. 7. Bibliothecæ hæresi 10. & Titelmanus duabus litteris contra annotata ab Erasmo. Est etiam contra Dionysium Alexandrinum qui dubitauit hunc librum Ioannis Apostoli, & Euangelistæ fuisse, pro vt tradunt Eusebius, in historia ecclesiastica lib 4. cap. 24. & 26. & lib. 7. cap. 24. & Nicephorus lib. 6. cap. 22. & 23. Probaturq. hac vnica ratione. Verus, & legitimus auctor huius libri affirmat hoc loco relegatũ fuisse in insulam Patmos prout exprimũt hæc verba: [Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos: [At Ioannes qui fuit relegatus, & in Patmos insulam missus, non fuit Ioannes ille senior, ac Presbyter, qui Ephesi Asiæ iacet: Quinimmo Ioannes Apostolus, & Euangelista filius Zebedæi, prout patet ex superiori assertione: Igitur supposito nomine Ioannis, verus & legitimus auctor huius libri; non est Ioannes ille senior, ac presbyter, sed Ioannes Apostolus, & Euangelista. Soluat Dionysius Alexandrinus, aut quis poterit pro eo hoc argumentum. Accedit ad hæc, quod eandem veritatē definiuit Conciliũ Ancyranum ante mille & ducentos annos, Can. vult, quod fuit approbatum in sexto Concilio generali, Concilium Toletanum quartum, Can. 16. & Concilium Tridentinum, sess. 4. Hinc proculdubio est, quod D. Ambrosius super illa verba Apo. 1. [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni.] ita exclamet: [Hic locus aperte demonstrat non ab alio Ioanne, sed ab illo qui Euangeliũ scripsit, hunc librum esse compositum, qui in cæna supra pectus Domini, in quo erant omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, recubuit, de quo immensum fontem sapientiæ haurire meruit.] Hucusque D. Ambros.

3. Assertio. Auctor Apocalypsis non est Ioannes senior, sed Ioānes Apostolus, & Euangelista filius Zebedæi.

Dion. Areop. Irenæus. Iustin. mart. Hypolit. Clem. Alex. Origen. Epiph. Ruffin. Euseb. Tertull.

Sixt. Senen. Titelman.

Dionisius Alexandrinus impugnatur.

1. Ratio.

Nota bene.

2. Ratio.

D. Ambros. in comment.

Auctor Euangelij Ioannis est & Apocalypsis auctor.

Postremò præter citatos Doctores, lege de hac re, D. Hilarium præf. in Psalmos, D. Athanasium in synopsi. D. Cyprianum lib. de exort. martyrij cap. 3. D. Ioannem Damascenum lib. 4. de fide orthodoxæ cap. 18. D. Ambrosium in Psal. 40. D. Augustinum tract. 36. in Ioannem, D. Hieronymum in Epist. ad Paulinum, & & in Epistol. ad Dardanum de terra promissionis, & D. Isidorum lib. 6. Etymol. cap. 1. Ex quorum planè lectione, cadentē proculdubio, ac à vero veritatis tramite exorbitantem Dionysium Alexandrinum videbis. Contra quem etiam Baronius tom. 1. annalium Ecclesiast. anno Christi 97. sic scribit: [Certè quidem neminem Græcorum inuenire est qui Dionysium sit secutus, vt alterius Ioannis, quam Euangelistæ illud esse opus affirmarit. Sed rursus cum titulum Ioannis Theologi, commentario, Græci præfixerint planè non alterius Ioannis, quam Euangelistæ esse significarunt, Athanasium nimirum secuti, qui hæc ait in synopsi: Est præterea Apocalypsis Ioannis theologi à priscis sanctis, & spiritu Dei imbutis patribus, velut quæ illius sit accepta, & approbata, cuius est principium Apocalypsis, &c. & in fine quem Ioannem, per theologum intellexerit sic declarat: Apocalypsis Ioannis, hoc nomine vocatur hic liber. Propterea quod hanc reuelationem ipse Ioannes Euangelista, & theologus in insulam Patmos dicta, Dominico die vidit.] Hucusq. Baronius. Hanc assertionem hic intexere placuit, vt ea quæ supra text. 1. disp. 2. q. 1. & text. 1. paraph. 7. disp. 4. q. 2. de vero, & legitimo auctore huius operis diuenti lauimus, magis, ac magis illucescant.

3. Ratio. Hilar. D. Athan. Cyprian. Ioan. Dam. D. Ambr. D. August. D. Hieron. D. Isidor.

Cæsar. Baronius.

Theologus dicitur Ioannes Euangelista.

Quæstio III.

An Neronis, vel Domitiani temporibus, fuerit Ioannes Apostolus, & Euangelista in exilium ad insulam Patmos missus?



VODECIM fuisse Ecclesiæ Dei persequutiones grauissimas, quibus ipsa sub diuersis Romanis Imperatoribus, dirè, ac crudeliter vexata fuerit, grauissimi adstipulatores diligenter commemorant. Quarum planè prima fuit sub Domitio Nerone, secũda vero sub Domitiano, tertia insuper Traiano regnante. Sub quibus tribus Imperatoribus floruit Ioannes noster Apostolus, & Euangelista, vt ex Chronocis Ecclesiasticis facile conuincitur. Quamobrem anceps quisquam esse poterat, sub quo Imperatore Archipropheta Ioannes relegatus fuerit?

Ecclesiæ duodecim persecutiones.

Epiphanius hæresi. 51. arbitratur Ioannem Apostolum, & Euangelistam, regnante Nerone, ad insulam Patmos missum fuisse: idque probat ex eo, quod persecutione Neronis grassante, in olei Dolium missus fuerat, & mox postquam ex illo illæsus exiuit, in Patmos insulam relegatus dicitur.

Epiph.

Sit tamen verissima assertio, Regnante Domitiano Romanorum Imperatore, Ioannes Apostolus, & Euangelista in Patmos insulam fuit relegatus. Hæc est contra Epiphanium. Probatur. Nam D. Hieronymus in catalogo scriptorũ Ecclesiasticorũ, sic scribit: [Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem, persecutionem mouente Domitiano, in Patmos insulam relegatus scripsit Apocalypsim.] Et Primasius B. Aug discipulus in lib. 1. Apo. statim in principio sic ait de relegatione Ioannis Apostoli, & Euangelistæ: [Hac autem eo tempore videre promeruit quo in Patmos insula pro Christo, à Domitiano Cæsare exilio missus, & metallo damnatus, terminis arcebatur inclusus.] Arethas insuper Episcopus Cæsariensis in suis commentarijs in hunc locum, sic de exilio Ioannis scribit:

1. Assertio. Relegatus fuit Ioannes ad Patmos insulam regnāte domitiano

D. Hier.

Primas.

[Ipsum autem in Patmo insula relegatū fuisse sub Domitiano, auctor est Eusebius Pamphili in suis Chronicis.]& Zonaras lib. 2. Annaliū de Domitiani imperio, ita inquit:[Hic odiosissimus Imperator persecutionem Christianorum post Neronem redintegrauit illius in oppugnando numine audaciam imitatus, & Ioannem Apostolum eumdemque Euangelistam in insulam Patmos relegauit.]Et D.Dionysius Carthusianus in proœmio Apoc.[nam totius Asiæ minoris Ioannes fundauit erexitque Ecclesias. Cumque ad Domitiani Imperatoris præceptum, Romam vsque esset deductus, atq; in bullientis olei dolium missus, nec læderetur in eo in Patmos insulam exul est relegatus, &c.] Iacobus etiā Philippus Borgomensis in supplemento chronicarum lib. 8. loquens de secunda Christianorum persecutione sic scribit. [Domitianus itaque duodecim imperij sui anno, secundam post Neronem in Christianos exercere cœpit persecutionem, in quo & Ioannes Apostolus & Euangelista in Patmo insulam relegatus fuit, vbi & Apocalypsim vidit, quam manu sua conscripsit.] Gilbertus itidem Pictauiensis in sua præfatione in Apoc. quæ incipit:[Omnes qui pie volunt viuere,&c.]sic ait [Vidit autem Ioannes, & scripsit in Patmos insula relegatus à Dometiano in exilium principe impijssimo.] Et Strabus in sua Gloss. ordin. proth in Apoc. ita scribit.[Causa quæ B.Ioannē scribere monebat, quia interim dum ipse exul teneretur à Domitiano in Ecclesijs quibus ipse præerat nequitiæ multæ inoleuerunt.] Et postremo Card. Cæsar Baronius tom. 1. Ann. Eccles. anno Christi XCII. ita habet: [De relegatione autem Ioannis in Patmos non solum ex antiqua traditione, sed ex ipsiusmet Ioannis testimonio certam fidem sibi vendicante: Origenes hęc ait. Imperator Romanorum sicut docet traditio condemnauit Ioannem dantem testimonium verbi Dei in insulam Patmos, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens quis eum condemnauit, sed vbi condemnatus fuit: dicit enim in reuelatione sua hoc modo; Ioannes frater vester,&c. Cæterum hæc sub Domitiano esse facta, tam Latini, quam Græci Ecclesiastici scriptores affirmant, excepto Epiphanio, qui quidem nescimus quomodo errore lapsus sub claudio iam Pathmo reuersum dicit. Sicut etiam errasse reperitur Aretha Cæsariensis, qui in suis Apo. comment. Ioannis exilium sub Nerone accidisse testatur, ex eoque puto deceptus, quod vna simul Tertullianus martyrium Petri, & Pauli, atque Ioannis incitato nuper loco recenseat.] Hæc Baronius. Quem secutus fuit Franciscus Panigarola in suo compendio ad Ann. Eccles. Baronii anno Christi XCII. Cleti II. & Domit. Imperat. VIII. & IX. Quare non Neronem, nec minus Claudiū (vt Epiph. putat) sed Domitianū fuisse concludimus, eum qui Ioannem Apostolum eumdemq; Euangelistam ad insulam Potmos relegauit.

Carthus. — Philip. Borg. — Gilber. Pict. — Strab. — Baron. — Fallitur sane auctor iste, quoniam Arethas in hunc locum dicit Ioan. exilium fuisse sub Domitiano, cuius verba nos supra retulimus in assertione. — Panigarola. — Epiph.

Corollar. 1. Lapsus Iacobi Suarez circa tempus relegationis Ioan. — Tertul. Carth.

Nec placet Iacobus Suarez à sancta Maria asserens in hisce suis commentarijs Sermone 6. non statum post illud dolei martyrium, sed longo tempore postquam ex illo oleo igneo illæsus exiuit, Ioannem nostrum ad Patmos insulam in exilium missum fuisse. Quoniam illico post hoc martyriū Ioannes relegatur, vt prodit Tertullian. lib. de præscript. cap. 36. & D. Dionysius Carthusianus in proœmio Apoc. & alij plerique adstipulatores grauissimi.

Corollar. 2. Baron. Epistolę notoriæ circa relegationem Ioan. ad Pat. — Panig. in annalis baroni.

Porro feruntur, teste Baronio, quædam Epistolæ Domitiani, & proconsulis Asiæ vltro citroque datæ de Ioanne reo impietatis constituto, Romam remittendo, deque eius gestis coram Domitiano nomine Procori scriptæ: Fieri insuper potuit, vt hi qui Domitianum cōtra Ioannem Apostolum, & Euangelistam indignarūt, essent (vt tenet Franciscus Panigarola, in suo compendio ad Annales Ecclesiasticos Baronij) vel Appollonius, vel Eufratres, vel Ebion, qui plane tunc Romæ adærant.

Coroll. 3. Ioan. Euang. martyrium. Tertul.

Apostolum præterea Ioannem, & Euangelistam olei igniti martyrium Romæ sub Domit. passum fuisse, produnt grauissimi adstipulatores, inter quos est Tertul.

F de præscript. c. 36. & D Hier. de Iouin. lib. 1. qui etiam in c. 20. Matth. sic ait: [Si legamus Ecclesiasticas historias in quibus fertur quod & ipse propter martyriū sit missus in feruentem olei doliū, & inde ad suscipiendā coronam Xpi athleta processerit, statimq; relegatus in Patmos insulam sit,&c.] de hoc plane martyrio Baronius sic etiam scribit:[Verum quod spectat ad Ioannis res Romæ gestas, extat ibi vetus, ac nobile Ioannis martyrij, & tam insignis æditi miraculi monumentum, apud portam Latinam, vbi sæuum illud contigit, illatum esse supplicium. Immo, & ipsa dies qua hæc facta sunt, pridie Nonas Maij perpetua est memoria illustrata, dum eadem recurrente quolibet anno Romæ,& alibi, annua celebritate recolitur.] Ita Baronius. Quāobrem cōcludit Franc. Panigarola in suo compendio ad Ann. Eccl. Baronij, deceptum fuisse Epiph. hæres. 51. asseuerantem relegationem Ioannis Apostoli, & Euang. alio tempore quam Domitiano Imperante accidisse; G quoniam sub Domitiano hæc patrata fuisse, omnes adstipulatores tam Græci, quā Latini constāter affirmāt.

Baron. — Panigar.

Quæstio IV.

An detur aliqua causa ob quam Domitianus, magis ad insulam Patmos, quam ad aliam sui Imperij partem Ioannem Apostolum, & Euangelistam relegauerit?

H 

SANCTVS Thomas in hisce suis cōmentarijs super hunc locum, causā assignat, vtpote qua relegatio Ioānis Apostoli, & Euangelistæ magis fuerit ad insulam Patmos quam ad aliam, sub his verbis: [Quoniam autem multi propter turpia illic relegabantur.] Quæquidem causa ex verbis Luciferi Calaritani Archiepiscopi, magis corroboratur. Qui quidem lib. 1. cui titulus est, de eo, quod moriendum sit pro Dei filio, ad Constantium Imperat. sic scribit: [Hoc vero inenarrabile est, quod sit aduersus nos à te, quid tibi bene volumus, atqui vt contingat desiderantes sumus, Deumque iugiter obsecrantes non desinimus, spolias, pręscribis, mactas gladio; varie punis, nec corpora quæ laniare sanxisti sepeliri permittis. Eleemosynam fieri prohibes, omnia metalla, omniaque loca exilia vocari, quæ putabantur I nostro tuæ calliditati resistentium replesti numero relegando insontes fame, siti, nuditate, vexando non desistis: his illa ingeris mala qui æternam cupimus consequi beatitudinem,] Sic ille. Ex his (inquam) verbis huius sancti viri Luciferi Sardi, apparet causa propter quam olim fidem Christi firmiter profitentes, ad loca, mittebantur in aquosa in exilium,&c. ad metalla effodienda: quamobcausam ad Patmos insulam Christiani olim ab Imperatoribus Romanis relegabantur. Et sic plane fuit de Beato Apostolo, & Euangelista Ioanne, quem plerique scriptores Eccl. exulem factum fuisse à Domitiano, ob metalla effodienda in patmo commemorant. Hinc Ansbertus de Ioanne in hunc locum sic scribit: [In insula Patmos à Domitiano relegatus metalloque damnatus vbi putabatur humana vinciri custodia ibi metas humanitatis trāscendens libero cōtuitu meruit videre diuina, & cui tunc certa terrarum K spatia vetita sunt, audire secreta concessa sunt cælestia penetrare, &c.] & Primasius de eodem Euangelista Ioanne lib. 1. in Apoc. statim in principio sic ait, [Hæc autē eo tempore videre promeruit, quo in Patmos insula pro Christo à Domitiano Cæsare exilio missus, & metallo damnatus, terminis arcebatur inclusus.] Victorinus Pictauien. Iacobus Suarez à sancta Maria, & Blasius Viegas, antiquos Patres secuti, ad metalla effodienda in

Lucifer Sardus in suis opusculis. — Persecutio magna Arianorum cōtra fideles Xpnos — Fideles olim cur exulabātur. — Ansbert. in comment. — Primas. in comment. Vict. Pict. — Iacob. Suar. Blasius Vieg.

da in

effodienda in Patmos relegatum fuisse tenent Beatum Apostolum, & Euangelistam Ioannem? Cum etenim Patmos plerisque metallorum scateret venis, prout nu per à nobis dictum fuit: Consueuerant Romanorum Imperatores metallo damnare eos, qui crimina, & facinora patrabant, & præcipue illos, qui fidem profitebantur Christianam; vt recte indicat Lucifer, quem dudum citauimus. Hinc Domitianus, cum Christianos crudeliter persequeretur, mittens in Ioannem Apostolum, & Euangelistam manus: Vidensque illum ab oleo ignito Romæ, diuinitus illæsum exisse, eundem in Patmos, inter alios illic relegatos, metallo damnauit, exilioque mulctauit. Verumenimuero ipse Dei gratia imbutus, & omnes insulanos illic aura fruentes ex impietate ad veram fidem pertraxit, & diuina, ac cælestia meruit audire.

Relegationis Ioannis causa.

A B

Quæstio V.

An sub Nerua Imperatore, Ioannes Apostolus, & Euangelista ab exillo reuocatus fuerit?

Exilij Ioan. reuocatio.



APOSTOLVM, & Euangelistam Ioannem toto tempore Imperij Domitiani in Patmo relegatum permansisse, grauissimi adstipulatores commemorant. At vero Domitiano vita perfuncto, Imperium Romanorum tenuit Nerua Cocceius, qui plane Imperator mox in initio Imperij sui, acta Domitiani rescindere inchoauit, omnes absoluendo, qui religionis causa sub Domitiano fuerant afflicti. Exulesque in patriam reduxit; inter quos Ioannes noster ab exilio liberatus fuit, vt non solum Historiographi Ecclesiastici, verum etiam omnes, qui in Ioannis Euangelium commentaria hucusque ediderunt, vniformiter produnt ante quam Euangelij litteram attingant, vt videre est apud Græcos, & Latinos antiquos Patres, tum apud Theologos scriptores, Caietanum, Rupertum Abbatem, Franciscũ Titelmanum, Iosephum Tiberinum, Stephanum Polloniacum, & Ioannem Ferum, in suis præfationibus ad Ioannis Euangelium.

Et non mirum si Nerua, Ioannem ab exilio reuocauerit, quandoquidem Imperator iste, teste Dionio Cassio, edicto vetuit ne liceret, aut impietatis, aut Iudaicæ sectæ, quempiam deinceps insimulari. Et his, quos Domitianus, dum imperaret, bonis, atque fortunis iniustè spoliauerat, restitui præcepit, ea, quæ in aula reperta fuissent. In curia insuper iurauit, suo iussu neminem senatorum occisum iri, quod sacramentum inuiolatum seruauit etiam insidijs petitus.

Neruæ Imp. humanitas.

Dion. Cassi.

Quæst. VI.

An tempore Domitiani Imp. Ioan. Apostolus, & Euangelista, Apocalypsim in Patmo insula, & viderit, & scripsit?



CONSTAT ex superioribus Apostolum, & Euangelistam Ioannẽ ad Patmos missum fuisse ab anno 14. Imperij Domitiani, illicq; exulem permansisse, vsque ad Neruam, quo permittente de exilio Ephesum reddit. Quamobrem poterat quis inquirere, an sub Nerua an vro sub Domitiano hæc viderit, & scripserit Ioannes noster in Patmo? Cui difficultati occurrimus tenẽdo Ioannem Apostolum, & Euangelistam in fine Imperij Domitiani, hanc reuelationem in Patmo, & vidisse, & scripsisse. Cuius rei latissimum tradit Irenæus testimonium lib. 5. sub his verbis: [Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene sub nostro sæculo ad finem Domitianij Imperij.] Huic Irenæi testimonio adhæret Cæsar Baronius tom. 1. Annal. Eccles. anno Christi XCVII. & Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 6. in Apoc. fol. 129.

Irenæus.

Baron.

Sufficiant hæc de loco relegationis Apostoli, & Euãgelistæ Ioannis, ne quis hæreticorum, eius labores, diuinosq; fauores, vel alteri imponere, vel furare queat, veluti ille perfidus præceptor, qui veste vestitus sophistica sub Porphyrij nomine, Platonicos, Aristotelicosq; labores appropriare attentauit, vt prodit Alanus in Anticlaudiano lib. 3. per hæc carmina.

Alanus in Anticlaudiano lib. 3.

Illic arte noua, pictor nouus, histrio veri.
Monstrat Elenchorum pugnas logicæq; duellũ
Cur pseudologicus, artis fur, artis adulter?
Falsus, & hypocrita furtiuus prædo sophista.
Mentitur logicæ vultum, fretusq; quibusdam
Prodigijs tentat pro vero vendere falsum.

PARAPHRASIS
Quinta.

C

Propter verbum Dei (inquit præterea) & testimonium Iesu. Nequis putaret tantum Apostolum, & Euangelistam Domini, ob suum aliquod facinuus ad præallegatam insulam Patmos fuisse relegatum exilioque mulctatum, euestigio sui exilij, & relegationis causam patefecit, dicens [Propter verbum Dei & testimonium Iesu] Perinde ac diceret: Exul in Patmos fui, insula, ob verbi Dei prædicationem, diuinitatis, & humanitatis Christi vnigeniti filij Dei firmum, ac validissimum à me prope diem exhibitum testimonium. Optima plane exilij, ac relegationis causa; nimirum pro Dei filio exulem fieri, dicente ipsomet: [Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me.] & iterum: [Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.] Quamobrem ly [propter verbum Dei] causa est ex qua & non ad quam. Quoniam ad effodienda metalla illic missus fuit.

Par. 5. Enodatio textus.

§. 1. Exilij Ioan. causa.

Exulari pro Christo maxime gloriosum.

D

Peritissimus Lucifer Archiepiscopus Calaritanus, eiusdemq; ciuitatis lumen, decus, & ornamentum, cum esset pro eodem testimonio, à Constantio Romanorum Imperatore Ariano relegatus, quędam confecit opuscula, inter quæ adest liber vnus, cui, titulus est affixus, [Moriendũ esse pro Dei filio.] In quo plane labores, quos pro verbo Deo incarnato pati oportet, perpulchre quam qui maxime ostendit. In illo etenim, Constantio Imperatori sic ait: [Mactasti quamplurimos in Alexãdria, laniasti certos toto in orbe, disperdidisti; resistẽtes tibi varijs in locis, sed hi omnes, quos tu audire minime vis, martyres sunt, illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio in paradiso esse credimus, crede mihi quod à te statuerimus interfici, quia, & melius esse viderimus in omnia æua, Deum habere amatorem, quam te cũ Iuda Scharioth Iudæorũ imitatorẽ puniri. Hinc est deniq; Cõstanti ꝙ fundores colubri ꝑ te illatos nõ timẽtes, subire parati sumus omne exitium, nunquam nos conciliorum nostrorum pœnitere potest; si per te mactati, qui adhuc tuis crudelibus restitisse videremur manibus, fuerimus: mors etenim quam nobis tu minitaris inferre, omnibus est parata, tantam vero beatitudinem, quantam sancti martyres adepti, nemo, vt videmus, est consecutus, nisi hi qui mortem propter vnicum Dei filium moriendo vicerunt: Dicatos Deo homines torques, intercicis, exterminas, &c.] Et paulo

§. 2. Moriendum est pro Christo.

Doctissimus Lucifer sardus in suis opusculis.

Cõstantij Imperat. seuitia in Christianos.

E

post:[Nullis,ergo modis posse nos à via veritatis deflecti licet intellectu omni careas, tamen ex parte contemni te inspiciens, potes tandè videre, Constanti Imperator immanissime, hoc enim fidei proprium esse negotium, nouimus Christiani nec prosperis, nec aduersis,degradu demoueri non à proposito semel vigore deduci cernimus,vna,ac voce religiosa,,Christianus sum, Nolo esse vt tu esConstantius apostata,omne crimen excludi,ac vna voce tribui præsidium salutis;vinculum libertatis,& honoris cōspicimus,hac confessione tribui nobis protectionis clypeum, telum contra partè in nos sæuientem diabolum:] Et non longe post hæc: [Est enim nobiscum ille qui adolescentes Hebræos credentes in se in camino ignis tutatus est, ipse firmat,nostras mentes,ipse sensum regit nostrum, ipse diuino incendit amore suo,nostra corda,& ad tolerantiam sanctæ passionis animat;vnde & nemo nostrum mortem quam inferre minitaris cogitat, sed immortalitatè,nec temporarià per te illatam pœnam,sed gloriam sempiternam. Tormentis namque martyres, Dei consecrari, & ipsa passionis probatione coronari aperiunt,ita sacræ Scripturæ. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et si coram hominibus tormeta passi sunt spes eorum immortalitate plena est, & in paucis vexati,&c.] Et dudum, [ò Constanti quam in gentis sis dementiæ,] Et non solum dementem verum etiam sedem Satanæ illum appellat, & postea contra illum sic insurgit intrepide,& quasi Dominus eius, [Tu qui à sanctissimis Prophetis bestia nominaris, à beatissimis Apostolis canis,ac lupus,rapax subornatus, cum sis operarius iniquitatis,tamquam minister iustitiæ, & te esse hominem censes, cum nihil hominis nisi, lineamenta,ac summam figuram geras.doles te immanem bestiam dici,nihil te hominis,nisi lineamenta, ac summam gerere figuram.Dic quæso an possis innocentium interemptor merito dici Christianus, & non potius insanus?]Hucusque lucifer. Quem plane ita ad longum & prolixe hic citauimus, tum quia ex præallegatis eius verbis labores,tormenta, tribulationes, afflictiones,aliaque pleraque pericula, quæ pro vnici filij Dei confessione toleranda sunt,apprime exprimuntur,tum quia constantiam,fortitudinem,& audaciam, quam Christiani ex illis verbis:[Cum steteritis ante reges,& præsides,nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis,qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] contra tyrannos exhauriunt,Lucifer noster ita hic indicat, vt D.Athanasius de illo in quadam epist.merito sic exclamet:[O Lucifer, qui iuxta nomen lumen veritatis ferens,posuisti super candelabrum, vt luceat omnibus: quis enim,exceptis Arianis,non peruidit ex tua doctrina vnam quidem fidem, maculam autem Arianorum valde,& admirabiliter, vt est lumen à tenebris, ita superasti,veritatem à calliditate, & hypocrisi hæreticorum, defendisti catholicam Ecclesiam,probasti,nihil,esse,sed tantum phantasiam Arianorum verba, docuisti calcandos esse fundores diabolicos,quam bona, & iucunda hortamenta tua ad martyrium, quam desideratissimam ostendisti mortem esse pro Christo filio Dei, quam futuri sæculi, & vitæ cælestis amorem manifestasti? Videris esse verum templum Saluatoris,qui in te habitans, ipse per te loquatur,ipse qui tantam gratiam præbuit sermonibus tuis. Quippe qui ante eras apud omnes amabilis, nunc tamen tantus est amor affectionis tuæ in animis omniū collocatus, vt Eliam te temporibus nostris nominemur. Et non mirum,si enim qui Deo, &c.] Et in calce eiusdem epistolę idem Athanasius,insidias quas Ariani fidelibus parabant. Lucifero per hæc verba narrat: [Quid non faciunt Ariani itinera obseruant, curas agunt de proficiscentibus exeuntibus de ciuitate, naues quærunt, Eremias gyrant, domos perturbant concutiunt fratres,singulis negocijs concinant,sed Deo gratias dum hæc agunt, tanto magis, & plus execrantur ab omnibus, & cognoscuntur vere, vt dicit sanctitas tua,mancipia esse Antichristi,& ipsi miseri, eū in odio habentur, durant in malignitate sua, donec morte Aui sui Pharaonis,& ipsi damnentur.]Hactenus D.Athana-

Lucifer maximus veritatis amator, ac indagator.

Lucifer intrepidus ad martyrium pro Christo suscipiendum.

Lucifer hæreticorum acerrimus inimicus.

Rationes ob quas auctor Luciferū extensè citauit.

1. Ratio.

2. Ratio.

Luc. 21.

Athanas. in epist. quadā.

Apostrophe ad Luciferū sardum.

Lucifer lumen veritatis ferens.

Luciferi desiderium ad martyrium.

Lucifer assimilatur Eliæ.

Athanas.

Arianorū crudelitas in Christianos.

F sius de laudibus Luciferi, eò quòd tam egregiè contra Constantium Arianū scripserit. En igitur qualiter Sardus iste Lucifer Calaritanus:summa cum laude, labores,quos fideles pro vera, vnici filij Dei confessione tolerare debent,prosecutus in suis opusculis fuit. De qua etiam re agit D. Ioan. Chrysost. in suis opusculis lib. de exortatione ad martyrium.

D. Chrysost.

Ob hanc eandem proculdubio causam, & rationem nimirū,ob veram, & sinceram vnici filij Dei confessionem,tum in prædicatione,tum in martyrio, docet hic Ioan.noster,se in Patmos insulā relegatum fuisse. Quoniam, vt nuper dicebamus, hæc verba:[Propter verbū Dei,& testimoniū Iesu] Causam ex qua,& non causam ad quam,siue terminum a quo & non terminū ad quē, relegationis vtique exprimunt. Non enim missus fuit Ioan.noster in Patmos insulam, vt ibi verbū Dei seminaret,vti hoc nostro sæculo, Rex Catholicus Philippus G Hispaniarum Monarcha, Prædicatores Monachos ex Ordinibus.S.Dominici,S.Franc.S.Aug.& sanctę Marię de Mercede redemptionis captiuorum (prout prodūt grauissimi adstipulatores, qui de hac re haùd parua scripsère volumina)ad nouū orbè,quē Indiam Occidētalem,Americamque regionē nuncupant, causa Euangeliū prædicandi, singulis annis transmittat. Postquam etenim inclytus ille felicis recordationis Philippus II.totius Christianitatis decus, & ornamētū orthodoxæq;fidei diligentissimus, ac intrepidissimus propagator,regionē illam Occidentalē orbemq;nouū,auro,argento,alijsq; metallis, mirum inmodū redundantē, sua ac suorū regalium progenitorū Ferdinandi,& Caroli V. mirabiliter per Chrystophorū Colon siue Columbū ligurium detectū,ac discoopertū,fide Catholica,ac vera Dei religione prorsus indigere animaduertit,è uestigio tam ardēti charitatis studio,amorisq;incendio fidei in H hisce remotis regionibus longe lateq;propagandæ inflammatus fuit,vt nil pretiosius, ac antiquius præsegereret,quā vt Christiana religio in remotis illis barbarisq; prouintijs occiduis, in dies,sua industria augeretur. Quamobrem ex tunc vsq;nunc,ex quatuor præallegatis ordinibus,prouidos,sanctos,exemplares,prudentes,litteratos, perfectosq;prope dicm eligit religiosos eosdē mq;illūc,nauiū haùd exigua classe remeari, asportariq; diligenter curat. Qui plane sancti,ac religiosi viri iuxta verbum Domini dicentis:[Prædicate Euangelium omni creaturæ:]& iterum:[Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] Vniuersam vtique illam barbaram, rusticamq;Occidentalem regionem Americanam baptizando,prædicando,miracula pleraque operando, idola prorsus destruendo,dæmonūq; cultum funditus euertendo,vndequaq; circueunt, ac curiose peragrant. Vti I ex Regio nostro ordine S. Mariæ de Mercede Redemptorum præstitit frater Didacus Martinez,quē Indiani in prouincia vulgo ex Peru nuncupata, Sanctum Didacum appellarunt. Fr. Ioannes Zambrano, & frater Marcus Vardon. Quos quippe duos, illic Ferdinandus Cortez ex valle Marchion, ad Dei verbū Indianis annunciandū,transportauit. Quippe qui,quatuor præcipuis Indiorū linguis apprime (quamuis laboriosè) erudiri quædam Indica, & Hispana lingua contexta, atq; coalligata vocabularia diuinitus excogitarunt,vtpote quibus de cætero ad Indos conuertendos,eosdemq;adhdem Christianā per Catechismos,ac validissimas doctrinæ Xpianæ instructiones perducendos,prædicatoribus Verbi diuini facilis esset additus.Fr.Ioan.ex Vargas,frater Franc.ex Bouadilla,& frater Franc.ex Cue K uas,ambo sacræ Theolo.Magistri verbi Dei vtriq;gentiū grauissimi seminatores, quos ad nouū illum orbem Franc.Piçarro,& Didac.de Almagro in Satrapia, siue Prouincia,ex Peru,pro sua regia maiestate Gubernatores vna cum suo comitatu,ac classi detulerunt. Idcirco ordo noster Redemptorū,in illo nouo orbe,nouaq;Hispania,ita late longeq;propagatus (vt fructuosa vitis) vsq;in hodiernū diē est,vt in Satrapijs siue Prouincijs vulgo ex Peru, ex Lyma, ex Chile, ex Guatimala, ex Calecu,ex S.Domin.& ex Cusco appellatis,tot tātaq;

Mona-

§. 3. Relegationis Ioan. causa.

Religiosi ex quatuor ordinibus mittuntur ad Indiam Occidētalem.

Aug.de Lara te.

Philippus à Guimera.

Alphons.de Brailla.

India Occidētalis auro,& argento scatet.

Marc. 16.

Ioan 3.

Ordinis sanctę Mariæ de Mercede fratrum in India pleraq; miracula.

Ferd.Cortez.

Ordinis S.Maria de Mercede fratrum in India magnū beneficium.

Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede valdissimi prædicatores in India.

Monasteria, collegia, amplissima litterarum seminaria necnõ cœnobia, cũ suis doctrinis (vt verbo vtar indico) quę Plebanias, siue rectorias nos istâc nũcupamus, obtineat, vt vix aut ne vix quidẽ dinumerari queãt. De quo plane argumento agunt August. de Larate, lib. 3. c. 8. Alphon. de Erzilla, Araucana, p. can. 13. Oct. 31. Et noster Reuerendissimus Philippus à Guimera verbi Dei eximius Præco, in hist. ord. Mercede, p. p. cap. 11. Longe itaque, intentio Domitiani mittentis Ioannem ad insulam Patmos propter verbum Dei & testimonium Iesu distabat à Regis Philippi, prædicatores fideles ad indiam Occidentalem mittentis proposito. Quoniam Philippi Catholici Regis propositum est, vt illic verbum Dei apprime prædicetur; intentio vero Domitianij fuit, Ioannem in patmos relegare, vt amplius verbum Dei nullatenus seminaret, quinimmo cũ alijs relegatis, illicque ab eo condemnatis, ipse Ioãnes Apostolus, & Euangelista tamquam reus, metalla in posterum effoderet. Attamen sua spe frustratus omnino fuit Domitianus, quandoquidem Ioannes Apostolus, & Euangelista, non solum hanc diuinam illic meruit audire (vt dudum retulimus) reuelationem, verum etiam omnes insulanos & incolas Patmos insulæ, ex impietate ad verã fidem (vt nuper dicebamus) diuina concomitante gratia, cito attraxit.

§. 4. Concordãtia nedã verorum Ioannis cum verbis Pauli Apostoli.

Postremo videndum est, qualiter hæc verba Ioannis Apost. & Euang. quadrent cum Apost. ad Heb. 11. Ioannes namque, hoc in loco causam suæ relegationis ad Patmos insulam affirmat esse [Propter verbum Dei, & testimonium Iesu:] & Paulus mala, quæ ob eandem verbi Dei prædicationem, & testimonium Iesu, pati debent prædicatores, & fideles Christiani indicans ait [Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiã, adepti sunt repromissiones.] Audite quæso attente; sequentia verba Pauli, quomodo cum verbis Ioannis nostri colligantur. Propter namque [Verbum Dei, & testimonium Iesu,] Ioannis: mox subiungit Paulus] Obturauerunt (Sancti) ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperũt mulieres de resurrectione mortuos suos.] Propter [Verbum Dei, & testimonium Iesu] Ioannis, addit Paulus [Alij autem distincti sunt non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem.] Propter [Verbum Dei, & testimonium Iesu] Ioannis, sequitur Paulus [Alij vero ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt in occisione gladij mortui sunt.] Propter [Verbum Dei, & testimonium Iesu] Ioannis, adiungit Paulus [Circuerunt in me lotis in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ.] Et tandem propter [Verbum Dei, & testimonium Iesu] prout hoc in loco, inquit Ioannes noster, concludit Paulus, dicens [& hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt in Xpo Iesu Domino nostro.] Nonne igitur vides verba Ioannis in verbis Pauli veluti rotã in medio rotæ inclusa? Porro propter verbum Dei, & testimonium Iesu, non solum Ioannem nostrum ad hãc insulam Patmos, Domitianus Imp. relegauit: verumetiam alios plerosque, martyres, confessores, prædicatores, ac fideles Christianos, reliqui Imperatores Romani, relegare, & exilio tradere assuescebant. Quamobrem idem Domitianus Imperator sanctos Nereum, Achilleũ, & Flauiam Domitillam virginem ex Roma, in insulam Pontiam: Alexander vero Imperator, sanctos Pontianum Papam, & Philippum presbyterum, ex vrbe, ad insulam Bucinã Sardiniæ, quæ Vulgo Theulara appellatur: Adrian. insuper Imp. sanctum Antiochum ex Mauritania Prouincia, siue Satrapia Africæ, teste Pthólomeo, ad insulã Sulcitanã Sardiniæ, & denique alij tyranni Romanorum Imperatores, alios quã plurimos sanctos, ac pios viros, ob veram religionem ad Cyprum, Siciliam, Maioricam, Canariam, aliasque dudum numeratas insulas, relegarunt. Cuius plane relegationis in promptu est causa. Quoniam cum insula

Antiqua seuitia Imperatorum Romanorum in Christianos.

Pthólomeus in tabulis Africæ.

A portio terræ sit, aquis ex omni latere circũsepta, & Insulæ insuper, sæpius ventis insufflentur, fluctibus percutiantur, aquis abluantur, terræmotu turbentur, piratis, & profugis exponantur, quid, quod, (ne longa vtar ambage) infinitis iniurijs cæli, & terræ exponantur, (quæ omnia nimiæ afflictionis inditia plane sunt) putarunt Tyranni, ad insulas & scopulos, pios Christianos verbi Dei declamatores relegando, & idolis suis se mirũimmodum placere, & maximam Christianis afflictionẽ, & pœnam infligere. Relegatio namq; & exiliũ pœna vtique criminalis est, qua quis cõmunicatione, & alijs parentũ cognatorum, & amicorum, cum quibus totam transactam vitam egerat, bonis, priuatur. Nam cũ in præallegatis bonis, & communitatibus parentũ, & amicorum intra natale solum, maxima cõsistat delectatio, quia cõuenire est actus proprius amicorũ, & parentũ, in quo miruminmodũ delectantur homines, prout Phi
B los. 9. Ethicor. prodit; ex aduerso carere his bonis longo tempore, est grauissima pœna. Quare cum per exilium, & relegationem, viri relegati non solum maneãt omnino extra natale solum; verumetiã præallegatis careant bonis, iura dederunt exilium, in pœnã criminis. Et sic tyranni Imperatores Romanorum, Christianos ob veram religionem ad insulas mittendo, præter id quod dijs suis placere existimabant, eisdemmet Christianis haũd exiguam parabant pœnam, & afflictionẽ. Conuersatio enim ipsa terræ natalis, cuilibet homini est maxime dulcis. Quamobrem quando quis ex necessitate, & iniuste terram suam relinquit, maxime affligitur; & præcipue si exul ab ea factus fuerit. Quoniã exules pleraque (immo omnia bona sua) per exilium perdunt; & sic tunc exulibus est afflictio maxima. Verũ enimuero tyrannis secus euenit; quoniam sancti Dei ad
C insulas relegati, easdem insulas ita condecorarunt, vt ex afflictionis loco, in ingentis gaudij solum (immo cælestem paradisum) conuerterunt. Istæ namque insulæ, in quibus sancti Dei, ob verã religionem relegati fuere: insulas vere fortunatas nos proculdubio appellare possumus.

Insula est locus afflictionis.

Exilium siue relegatio est pœna criminis.

Pœna est hominibus manere omnino extra natale solum.

Terra propria est dulcis vnicuique.

§. 5. Difficultas de paradiso terrestri.

Quærunt sacri Doctores in suis commentarijs in librum Genesis, in qua parte terræ sit paradisus ille, de quo Gen. 3. dicitur [Plantauerat autem Dominus paradisum voluntatis, &c.] Et inter alias opiniones, fuit opinio Poetarum, teste Isidoro, lib. 14. Ethym. cap. de insulis, qui insulas fortunatas, quæ in parte Occidentali iacent, paradisum esse dixerunt. Quæ opinio licet sit falsissima prout Abulensis in cap. 13. Genesis q. 91. Satis perdocte refutat, tamen ego, insulas has, in quibus sancti Dei, propter verbum Dei, & testimonium Iesu, relegati fuere, Fortunatas insulas, & paradisum terrestræ, ac cæleste voco. Et merito. Quoniam
D sicuti fortunatæ illæ insulæ Occidentales, pretiosas vites, pretiososque fructus, singulis anni temporibus, parturiunt, & ob id fortunatæ, id est, quasi felices, & paradisus apud Gentiles dicuntur, sic nos hasce insulas, in quibus sancti relegati ob veram religionem fuere, & vere felices insulas, & vere paradisum terrestre, & cæleste appellare possumus, ob poma, vites, fructusque cæli, & terræ, hoc est, sanctos Dei, quos vberrime parturire meruerunt. Nonne poma pretiosa Nereus, Achilleus, Flauia, & Domitilla in Pontia? Nonne pretiosus fructus Antiochus meus in Sulcitana insula? Nonne pretiosa vitis Ioannes noster in Patmos? O vere fortunatæ, ac prorsus felices insulæ, in quibus Dei declamatores, ob verbum Dei, & testimonium Iesu relegati fuere? Quis quæso vmquam fortunatarũ illarum insularum Occidentis memor esset, nisi propter earum pretiosissimos fructus, & vbertatem ingentem? Et quis
E quæso Pontiam insulam in mentem reuocaret, nisi propter Nereum Achileum, & Flauiam Domitillam? Quis porro insulæ Sulcitanæ memor esset, nisi propter Antiochum? Quis denique insulam Patmos vmquam recenseret, nisi propter Ioannem? Nemo sane. Et tamen in horum sanctorum festiuitatibus singulis annis, harum insularum mentio vberrima est in Ecclesia Dei, inter fideles.

Isidorus.

Abulen.

Sancti relegati ad insulas.

Insula deserta est locus obliuioni traditus.

§. 6. Causa ob quã auctor hic de sancto Antiocho martyre agit.

Ad textum tamen redeundum quippe erat: Verum

tamen sustine me quæso paulisper donec in sancti mei (cuius nomine appellor) honorem, hic aliquantulum immorer. Poterat namque quis dicere, quis est iste Antiochus, cuius hic, à nobis, facta fuit mentio? Cui postulato occurrere nobis placuit. Tum quia hoc est nomen meum. Tum quia mei conterranei, ac insulani Sardi hoc eodem nomine communiter nuncupantur. Tum denique quia hoc nostro sæculo pleræque per orbem extant fidelium nationes, quæ huius sancti Sardiniæ meæ, plenam nullatenus obtinent notitiam. Quatuor itaque adinuenio viros Antiochi nomine potitos, duos nempe, nequã, ac improbos, de quibus 1. Machab. 1. dicitur: [Et exit ex eis radix peccati Antiochus illustris, filius Antiochi regis qui fuerat Romę obses.] Sed de his, cũ Psalmographo dico: [nec memor ero nominum eorũ per labia mea.] alios vero duos, sanctos, ac Dei seruos; quorum vnus fuit Lugdunensis Episcopus, de quo in Martyrologio Gregoriano, Idibus Octobris talis extat mentio: [Lugduni sancti Antiochi Episcopi, qui strenue administrato Pontificis culmine ad id quod assumptus fuerat regnũ cęleste adeptus est.] De quo etiam agit Cęsar Baronius in suis comment. ad Martyrologium. Alius vero est sanctus Antiochus martyr, quem Sardi magna colunt, ac venerantur deuotione. De quo etiam in Martyrologio Gregoriano, Idibus Decembris sic legitur: [Apud Sardiniam in Sulcitana insula passio sancti Antiochi sub Adriano Imperatore.] de quo itidem sermonem habet Cæsar Baronius in suis comment. ad Martyrologium, Faram Sardum grauissimum scriptorem de rebus Sardois sequutus. Et iste Antioch. martyr, est sanctus ille, cuius nomine nos Sardi cõmuniter nuncupamur. Fuit autem iste olim Gentilis, natione Maurus, ex Mauritania prouincia siue Satrapia Africæ, quæ iuxta Gaditanum fretum, prout Ptholomeus, & Plinius produnt iacet, ex nobilibus parentibus ortus, qui Iesu Christi crucifixi nomen, & famam, quæ tunc per vniuersum orbẽ ab Apostolorum discipulis percrebuerat, audiens, relicta prorsus gentilitate, ad sanctum mox peruenit baptismum. In quo plane Antiochus appellatus fuit. Sumens nomen ab Antiochia Syrię, in qua fuerunt primi discipuli, Christiani, iuxta illud Act. 11. [Et docuerunt (nempe Barnabas, & Saulus) turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochæ discipuli, Christiani.] Quamobrem Antiochus, idem est, quod discipulus Christianus. Hoc autem nomen placuit huic adolescenti in baptismo recipere, eò quod ipse in Antiochia dumtaxat suo sæculo, discipulos Crucifixi, Christianos appellari, audiuit. Baptismo itaque accepto, & Medicus nobilissimus (vti Cosmas, & Damianus) & Verbi diuini (vti Apostoli) disertissimus seminator breui temporis interuallo in regione Calatræ Mauritaniæ euasit. Quamobcausam ab Adriano Imperatore, tunc in Africa existente tentus, ob fidei constantiam acerrimis tormentorum generibus affligitur. Primo namque equulei pœna, ac lampadarum exustione cruciatur, sed inter hæc Domino sibi apparente, refrigeratur. Secundo antro carceri, crudeli, diroque ergastulo ieiunus traditur, & ibi potu, ciboque prorsus recisis, vsque dum dijs gẽtium immolaret, per duodecim dies detinetur, attamen Verbo illo: [Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.] diuinitus alitur. Tertio in Æneum igniti olei, picis, & resinæ cacabum demergitur: at signo crucis, Angelicaque tutela (vt alter Ioannes Euangelista) illæsus euasit. Quarto, leoni, vrso, pardoque traditur, sed eorum feritatem oratione, (veluti alter Daniel) deuincit. Quinto ad templum idolorum ducitur, vt dijs gentium honorem daret; verumenimuero deorum idola omnia crucis signo munitus (veluti arca Domini operata fuit cũ Dagon) comminuta ruere fecit. Quo plane miraculo omnino stupefactus, ac prorsus tremefactus Adrianus Imp. Antiochum in insulam Sulcitanam Sardiniæ à plebe, & hominum cultura prorsus alienam, & desertam, à Sardinia tamen insula, interiecto mari, ita dumtaxat distinctam, ac disiunctam, vt ex vna insula ad aliam super annam, equis, ac pedestribus, curribus etiam, ac re-

Antiochi nomine duo nequam, ac improbi viri.
Antiochi nomine duo sãcti viri.
Antiochus cõfessor, & Episcopus.
Baronius.
Antiochus martyr.
Antiochi martyris vita
Baronius. Fara.
Antiochus natione Maurus gentilis.
Antiochus ex nobili stirpe nascitur.
Antiochus baptizatur.
Antiochus idẽ est quod discipulus Christianus
Antiochus simel comprehenditur pro Christi fide.
Antiochi primum martyriũ per ignẽ.
Antiochi secundum martyrium per famem, sitim, & carcerem.
Antiochi tertium martyrium per dolium feruentissimum.
Antiochi quartum martyrium per immanes bestias.
Antiochi oratio feruentissima.

F dis, facilis sit transitus, à Cyriaco milite, ac gentili, ex ipsa Mauritania, in naui quadam (veluti alter Lazarus cum suis sororibus ad Marsiliam) deportari fecit. Ad cuius insulæ cum applicuissent littora, Antiochum illic relegatum, ac exul solitarie Cyriacus dereliquit. Antiochus vero lætus, ac hilaris, illam Sulcitanam calcans terram in vastissimo antro, vigilijs, ieiunijs, disciplinis, orationibus, ac contemplationibus Deo prope diem (vt alter Paulus Eremita, & Onufrius) vacabat, infidelesque gentiles, ex Sardinia ad eum confluentes ad fidem prædicatione (vt Paulus) perducebat. Qua de causa Præses Calaritanus pro parte gentilium Romanorum militibus, ac satillitibus, quam plurimis ad Sulcitanam insulam transmissis, Antiochũ ad se, (vt eum crudeli traderet morti) adduci iussit. Seruus autem Dei Antiochus à militibus illis captus, facta oratione, ac voce de cælo audita, cunctis admiran-
G tibus, in cælum ex illa spelunca (veluti altera Magdalena) feliciter migrauit, die 13. Decembris anno à natiuitate Christi circiter 125. prout illius historia, Calaritana lingua, olim à quodam incognito viro contexta, narrat. Corpus denique sanctum eius in quadam Basilica, in eadem Sulcitana insula, eidem Antiocho sancto consecrata, in quodam pariete austrum versus, iuxta eiusdem Basilicæ tertium ostium, in altum, ob pietatas, absconditum, vsque in hodiernum diem incorruptum permanens, secreto seruatur, & ter in anno magna Sardorum frequentia deuote, ac magno cum tripudio, & iubilo spirituali visitatur. Ad textum tamen redeundi tempus plane est.

Antiochus relegatur ad insulam Sulcitanam Sardiniæ
Antiochus M. Eremita, & anachorita factus est.
Antiochus iterum pro Christo comprehenditur.
Antiochi pretiosa mors.
Antiochi Basilica.

PARAPHRASIS
Sexta.

H Fui (ait) in Spiritu. Videntis status hic venuste describitur. Esse namque in spiritu, perinde est, ac in estasim, siue raptum per mentis excessum aliquem, corporalia transcendendo, prolapsum diuinitus fuisse. Corporalia (autem) transcendere nihil aliud est, quam hæc duo, vnà se compati, nimirum, vt animus a corpore haudquaquam impediatur, vt cælestia contempletur, ac intelligat, & corpus ab animo, & spiritu nullatenus omnino derelinquatur, vt ab eo adhuc pro tunc informetur, vt corporaliter viuat. Quoniam ecstasis, raptus, mentis excessus siue contemplatio, ea dumtaxat a corporali creatura prorsus subrepit, quæ in terris viuens, vt cælestia calleat, ei obstacula reputantur. Quamobrem per hunc propheticum loquendi stylum: [fui in spiritu,] vel vt Græci legunt: [factus sum in spiritu.] Docet noster Archipropheta, se in carne
I viuentem eleuatum supra se fuisse, & hæc cælestia mysteria Apocalypsis non corporalibus, quinimmo spiritualibus oculis proculdubio intuitum fuisse. Huic affine accidit Apostolorum principi Petro, dum, de illo Act. 10. dicitur: [Parantibus autem illis, accidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, &c.] Tum & Paulo, dum ipsemet de se ipso 2. Corint. 12. ait [Scio hominẽ in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.] & tandem Ezechieli, qui in domo sua sedens mox in Ierusalem mente ductus fuit, iuxta illud quod de eo in cap. 8. sua prophetiæ per hæc verba legitur: [Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei, & vidi, & ecce
K similitudo, quasi aspectus ignis.]

Et ne in hac enodatione solus reperiar, citare hic cogor doctores qui istac nobiscum pergunt. Quorum etiã dicta hic referam. Sanctus namque Ambr. in hunc locũ sic scribit: [in spiritu se fuisse dicitur quia sancta mysteria, quæ sequuntur, non carnalibus, sed spiritualibus oculis videri poterãt] & S. Tho. [hoc dicit quia carnalibus oculis tanta mysteria, videri non poterant, vidit autem hoc nõ in somnis, sed in extasi positus, reuelãte ei An-

Par. 6. Dilucidatio textus.
§. 1. Esse in spiritu quid sit, Ecstasis passus fuit Ioannes.
Modus quo Ioannes hãc accepit visionem declaratur.
§. 2. Doctorum dicta circa hunc textum. S. Ambros. S. Thom.

D. Dionysius Carthusianus ei Angelo.] D. etiam Dionysius Carthusianus super eundem locum in hæc verba prorumpit: [fui in spiritu idest mentis excessu, seu extasi, vt poté ab exterioribus sensibus alienatus, & ad diuina vehementer, & supernaturaliter eleuatus quemadmodum in imaginarijs simul, & intellectualibus visionibus prophetarum fieri consueuit.] Et Primasius Beati Augustini discipulus sic: [Hæc ne carnali phantasmate putaretur illusus, in spiritu se fuisse, & vidisse testatur.] Ad præ allegata alludunt Ioachimus Abbas, Irenæus, Iordanus, Iustinus martyr, Melito, Dionysius Alexandrinus, Rubertus Abbas, Gaspar à Melo, Franciscus Ribera, Blasius Viegas, tùm & Aymo, qui hæc verba Ioannis sic exprimit: [Nil per corpus vidit, vel audiuit, vel sensit, vel intellexit, vel ipsam carnem funditus deseruit, quando hanc reuelationem vidit, sed docendus eius spiritus à spiritu docente assumptus est, vt alta, & mistica posset intueri.] Et denique Beda dicens: [vnde anima sopitis sensibus exterioribus, & quodammodo à corpore separata, potest eleuari ad cælestium contemplationem, & inuestigationem. Vnde non corporaliter, sed spiritu aliter non in somnis, sed in extasi positus vidit hanc visionem; nec tamen carnem funditus deseruit, sed spiritu, & æternitatis adhæsit ipsius spiritus, ideoque virtute illius tam alta, tam magna, tam mistica, tam profunda facta rimari potuit, & scrutari.] Qualiter autem noster Archipropheta hæc intuitus fuerit mysteria late, & diffuse nos textu. 1. paraph. 10. disput. 7. quæst. 2. supra enodauimus, speciebus spiritualibus, hæc mysteria Ioannem, & vidisse, & perspexisse definientes.

(Primasius. Ioachimus. Abb. Irenæus. Iordanus. Iust. mart. Melito. Dyon. Alex. Rub. Abb. Gasp à Melo Ribera. Viegas. Aymo. Beda.)

§. 3. Esse in spiritu, & esse in corpore differunt.

Valde tamen differt, esse in spiritu ab eo, quod est, esse in corpore; quoniam esse in corpore nil aliud sanè est, quam corporaliter viuere, & membris ac sensibus corporeis perfrui, & pasci. Esse vero in spiritu, nihil aliud est, quam esse in corpore, & corpore, aut sensibus corporeis, tunc nullatenus, nec perfrui, nec pasci. Quod planè fieri potest, eo quod homines trifarie spiritualiter viuere dicuntur. Primo in Spiritu. Secundo cum spiritu. Tertio verò supra Spiritum. Quamobrem datur triplex esse spirituale, nimirum, in Spiritu, cum spiritu, & supra spiritum esse. Quorum primus modus ad eos refertur, qui in carne viuunt, sic ea, quæ mundi, & corporis sunt procurantes, vt animus numquam à Deo sit alienus, de quibus intelligitur illud 1. Corinth. 10. [Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, & omnia in gloriam Dei facite,] & 2. Corinth. 10. [In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus.] Secundus verò modus ad eos dirigitur, qui diuinis dediti contemplationibus, omnia, quæ sunt mundi reliquunt, vt solo spiritu ducti, ex eo viuant. Corporalia autem sibi administrata in vitam corporis sustentandam absquè alia solicitudine accipiant, iuxta illud Galath. 5. [Spiritu viuite, spiritu & ambulate.] Hi planè dicuntur esse cum spiritu. Tertius tandem modus nempe supra spiritum, eos vtique respicit, qui diuinis eloquijs quasi ebrij, corpus non sentiunt, sed spiritu tantum meditantes in diuinis contemplandis omnino delectantur, qualis fuit Apostolus 2. Corinth. 17. dicens: [Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit.] Ex quibus tribus essendi spiritualiter modis, verificantur superiora. Vnde colligitur rectè dictum fuisse à Doctoribus, contemplationem, tum veluti ignis inflammationem, tum veluti sepulchrum animæ esse. Quemadmodum enim corpus huic sæculo mortuum in sepulchro quiescit, nullam habens vitalem operationem, sic anima cum ad contemplationem peruenit, Deum reperit, in quo requiescat dicens: [Dilectus meus mihi, & ego illi.] Cæterum ad hanc contemplationem, animus noster nullatenus eleuari

(Esse spirituale triplex. Comparatio. Cant. 2.)

A potest, nisi prius appetitus sensitiui passiones per exercitium moralium virtutum ab ipsomet Deo moderatæ fuerint, iuxta illud Diui Greg. [Prius mens appetitu gloriæ temporalis, atquè ab omnis carnalis concupiscentiæ delectatione detergenda est, & tum ad aciem contemplationis erigenda.] Animaduertas tamen hic oportet, ecstasim, raptum, mentis excessum, contemplationemquè, plurimum differre à meditatione: quoniam hæc inquisitio veritatis est, mediante aliquo discursu, illa vero eiusdem veritatis fruitio.

(Virtutum moralium exercitium necessarium. Greg. 6. moral. cap. 17. Meditatio differt à raptu.)

Conceptus Prædicabiles in Textum.

B FFLICTVS, metalloque damnatus Ioannes, altissimam in Patmos insula diuinitus passus est ecstasim, vt hinc colligere fas sit, Deum Sanctis suis in medio afflictionum arcana sua patefacere solitum fuisse, vt eos in afflictionibus consoletur. Hinc Paulus postquam dixit: [Ter virgis cæsus sum semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundum maris fui,] protinus subiungit: [Nostra conuersatio in cælis est.] Et Stephanus dum lapidaretur, exclamauit: [Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.] Abraham insuper postquam exiuit de terra sua ad mandatum Domini, ipse Dominus consolatus est eum, diuersis apparitionibus, & reuelationibus, prout legitur Gen. 12. 13. 15. 17. & 18. Fugienti porrò Iacob à facie fratris
C sui, & super lapidem dormienti, Labanque socerum, eum persequentem euitanti, apparuit Dominus, & ei magnam infudit consolationem. Eliæ etiam afflicto, panis & aqua sub iunipero dormienti ab Angelo Dei diuinus porriguntur. Filijs Israel in deserto afflictis, pluit Dominus manna è cælo, carnes quoque, & aquam pluries Dominus miraculosè dedit. Danielem in lacu Leonum positum consolatus est Dominus, primò Angelum mittendo, qui leonum ora conclusit, secundò per Habachuc Prophetam, quem de Iudæa in Chaldæam cum cibo per Angelum transportauit. Susannam calumniosè damnatam, eripuit Deus ex insperato per puerum Danielem. Populum Israel existentem in angustia, & timore exercitus Holofernis, dignatus est Dominus per manum vnius fæminæ mirabili-
D ter consolari. Iosue pro Deo, totis viribus pugnanti obediuit Sol, vt ipse de cælo, consolaretur. Tobiam cæcum consolatus est Deus per Angelum, & filium suum, visum illi miraculosè restituentes. Præterea Petro in carcere Herodis deuincto, misit Dominus Angelum suum, qui de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudaorum eum liberaret. Paulo insuper, & Sila laudantibus Deum in carcere, subito terræmotus factus est, & aperta sunt carceris ostia, & omnium vincula, soluta fuere. Et denique Ioannes noster in Patmos insulam relegatus, diuina reuelatione, vt hic dicitur sub his verbis: [fui in spiritu,] consolatur Deus. Hinc Apostolus 2. Corinth. 1. Lætus, & hilaris in medio suarum tri-
E bulationum exclamat, dicens: [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:] Et paulo post: [Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.] Et iterum: [Vt spes nostra firma sit pro vobis, scientes, quoniam sicut Socij passionum estis, sic eritis, & consolationis.] Ideo. Diuus Augustinus, super Ioannem sic scribit: [Hoc est quod nos, & lætificat in omnibus laboribus & periculis vitæ huius, amor noster in Deum, & pium studium, & certa spes, & feruor spiritus.]

(Concep. 1 de consolatione diuina in medio afflictionum. 2. Cor. 11. Philip. 3. Act. 7. Gen. 28. & 31 & 32. 3. Reg. 19. Exod. 16. Dan. 6. Dan 13. Iudith 13. Iosue. Tobiæ 11. Act 12. Act 17. Apoc 1. D. Augustin in Ioannem.)

D.Hier. tus.] Et D.Hieronymus ad Heliodorum, sic ait: [Non plangam cum Iacob, & Dauid filios in lege morituros sed cum Christo in Euangelio suscipiam resurgentes Iudæorum luctus, Christianorum gaudium; vnde Moyses moriens plangitur, Iesus absque funere, & lacrymis in monte non sepelitur. Ad vesperum demorabitur fletus, vt ad matutinum lætitia.] Et D. D.Greg. Gregorius in moral. [Magna consolatio tribulationum est, auctoris nostri dona ad memoriam reuocare] Ad quæ omnia alludit planè illud Ezechielis, cap. 1. [Cum essem in medio captiuorum iuxta fluuiū Chobar aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei:] Anima Anima afflicta Deum quærit. namque dum affligitur, ad Deum spirat, à quo suum omne auxilium pendet. Deus autem qui eam apprime diligit, ita illam illico respicit, allicit, ac blanditur, vt ipsa videns se sic à suo creatore dilectam in illud Epithalamium, cant. 6. prorumpat. [Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.] pro quo Hebraicè habetur: [quia ipsi me extulerunt.] Cuius loci bina est explanatio. Altera vt sit sensus, quia ipsi me superbire fecerunt, seu insolentiorem reddiderunt, quemadmodum ferè omnes Hebræi interpretantur, vt videlicet sponsus admoneat sponsam ne ipsum respiciat, quia oculorum eius pulchritudo eum quodammodo superbire facit, & supra modum gaudere, quod à tanta pulchritudine diligatur. Altera, vt [Extulerunt,] idem sit quod [auolare fecerunt.] quemadmodum nostra habet translatio: vt velit sponsus, suam admonere sponsam, nè ipsum curiosius contempletur, quia quo magis, (inquit) Amoris Epithalamium. intelligendi aciem in me intenderis eò magis tuam conditionem subterfugiam. Clarius enim perspicies quantum tua intelligendi vis à meæ naturæ sublimitate superetur. Vtcumquè, tamen sit, per hæc verba, [Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt] Datur intelligi, animam afflictam ita à suo Creatore in medio subueniri tribulationum, vt ipsa Deus animā afflictam maxime consolatur. ab eo supra modum diligi experiatur; quoniam dum anima affligitur aptior planè redditur ad diuina contemplanda mysteria. Idque in tabernaculo illo experiri lubet, in quo interius locus erat ille sacratissimus, qui sanctus sanctorum nuncupabatur, vbi Deus Anima tribulata facilius cælestia penetrat. per Cherubinos oracula dabat: exterius vero Deus illud cortinis lanæ asperæ caprarum vsque ad pauimentum, sicut esse solet saccus, iussit cooperire, vt ita totum interius cōseruaretur, & defenderetur ab aqua, & à puluere per illud exterius asperum, nimirum per lanæ asperæ caprarum cortinas. Quasi apertè demonstraret quod diuina oracula, melius conseruantur asperitate tribulationum, quas exterius pariter corpus: tunc enim neque per pluuiam afflictionis, neque per puluerem terrenæ præsumptionis corrumpuntur. Act. 9. Hinc Saulus, cæcus, & in terram eo lapsus consolatur a Deo, Baptista insuper sanctificatus in vtero camelo- Marc. 1. rum pellibus syluestrique melle, ac locustis, & alebatur, & protegebatur. Pari etiam modo Ioannes noster, exul & afflictus in medio tribulationum suarum pelago, in spiritu, hoc est, diuina mediante reuelatione, mirumimmodum recreatur.

Concept. 2. de solitaria monastica, & Eremitica vita.



T in spiritu esset, ductus fuit Archipropheta noster Ioannes ad solitudinem insulæ Patmos, ad hoc vt diuinis colloquijs, nectare, & ambrosia dulcioribus, melius vacaret. Locus enim ab hominum habitatione remotus, quanto quietior, tanto contemplationi, reuelationi, orationique aptior est. Ideo Oseæ 2. dicitur. [Ecce ego lactabō eam, & ducam Locus Oseæ optime explanatur. eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.] Qui plane locus licet ad litteram de synagoga, tamen secundum spiritum de anima, Christi sponsa, intelligendus venit. In quo vtique, tria satis notabilia continentur. Primum siquidem est illud, [ego lactabo eam,] quod variè exponitur a doctoribus. Septua-

F ginta namque, pro [lactabo,] vertunt [seducam eam.] Theodoretus. pro [lactabo,] ponit separabo Lactare idem quod sic. ipsam vt erret, & de loco in locum transmigret, partim quidem quod fugiat, partim, quod captiua ducatur, omnibusque bonis supra commemoratis ipsam priuabo. Rubertus, pro [lactare,] exoluit, dulciter foueri, & propter imbecillitatem ad infantiles delitias reduci. D.Hieronymus glos.ord.Lyran. Hieronymus Guadalupensis, & alij pleriquè, sic exoluunt, [actabo eam.] idest blandietur ei. Vatablus tandem vertit pro [lactabo eam,] pelliceam eam, idest, suasurus sum illi. Ex quibus omnibus interpretationibus aperte colligitur, Deum populum suum lactaturum esse, teste D.Hieronymo, vt post panarum magnitudinem, dolores pristinos, promissione mitiget prosperorum. Hinc [ego lactabo eam,] idem erit quod potietur bonis meis, nimirum, consolationibus G Spiritus sancti, quibus comminatus fuerat Dominus, Promissio prosperorum mitigat pristinū dolorem. hunc populum esse priuandum, quæ quidem bona per hæc verba, [lactabo eam,] se illi redditurum promittit. Hæc sunt illa bona, quæ idem Dominus huicmet populo suo per Isai.cap.60. repromittit, dicens: [suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.] Quasi dicat: Potiturus es tu popule meus gentium, & regum bonis. Secundum præterea est illud, [& educam eam in solitudinem,] quæ plane verba Theophilatus sic expendit. Faciam eam desertam, siue aridam, & Theophilatus inutilem plane idolis. Quam explanationem, pleriq. doctores sequuntur. Inter quos est Vatablus, & Lyranus, qui asserunt hoc dici, quia tempore Apostolorum multi, ad fidem conuersi, & idola relinquentes ad Desertum amabant olim homines. Vatablus. Lyranus. D.Hier. loca solitaria se transferebant. Tertium tandem est illud, [& loquar ad cor eius.] Qui planè loquendi modus, Hebraismus est. illumque D.Hieronymus in H hunc modum egregie explicat. [Loquar ad cor eius, verba mollia, verba consolatoria, vt tristitiam gaudio Tristitia gaudio temperatur. temperem, iuxta idioma scripturarum, quibus verbis, Sichem, loquutus est ad cor Dina Gen, 3. & apud Isaiam: Consolamini, consolamini popule meus loquimini ad cor Ierusalem. [Loqui itaque ad cor alicuius, est loqui secundum cor illius. Præpositio enim [ad,] ponitur pro præpositione [secundum,] vel iuxta cor, ponitur & accipitur pro desiderio. Loqui ergo [ad cor,] est consolari, & quæ cor desiderat Loqui ad cor est consolari & blandiri. loqui; & quicquid mæroris est, aut metus, lenissima oratione adimire. Locus igitur Oseæ moraliter acceptus, animam sponsam Christi, in solitaria, monastica, & eremetica vita, ei inseruire desiderantem, mirum immodum consolatur. Perinde enim est, ac si Deus ei blande dicat. Ego ipse, qui te creaui, qui te redemi, qui sanguinem meum in cruce pro te effudi, I lactabo te, & sic sanguine meo allicitam & lactatam, blanditijsque delinitam ducam te in solitudinem, nimirum in locum ab hominum consuetudine, & perturbatione prorsus sequestratum, ac disiunctum, ibiq. loquar ad cor tuum arcana mea, sapientiam meam, incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles vias, diuina deniquè (vt multa paucis concludam) in dies cor tuum reficiam reuelatione. Quamobrem locus iste sic expositus, quamuis doceat fugiendam esse occasionem, & locum, in quo peccator scelera, & peccata patrare solet, tamen solitariā, monasticam, & eremiticam vitam mirumimmodum commendat.] Egrediamur in agrum (ait sponsa Cant. 7. [dilecte mi] Quibus verbis, quot, quantaque beneficia Deus in Visiones insigniores fuerunt in desertis locis. solitudine largiatur indicat sponsa. Omnes namque insigniores visiones in solitudine, in deserto, & in altis montibus plane accidere. Moyses enim, cum oues K Ietro soceris sui pasceret, minaretque gregem ad in- Exod. 3. teriora deserti, vidit visionem illam magnam Rubi, qui ardebat, & non consumabatur. Iacob in campo intuitus fuit scalam stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat, Angelosque ascendentes, & descendentes per eam. Ad ostium speluncæ in monte Gen. 28. Dominus Eliæ apparuit, illumque ibi, sibilo auræ tenuis mirumimmodum recreauit. Porro Ezechie- 3. Reg. 19. li dictum à Domino plane fuit] surgens egredere in cam-

Ezech. 3. campum, & ibi loquar tecum: super quæ verba, Dominum sic interrogare licet.] Quorsum Domine non loqueris ad vatem tuum in oppido? Non ab aliam causam sanè, nisi quia ad confabulationem diuinam aptior locus est solitudo. Quamobrem egresso in campum Ezechiele, mox gloria Domini ibi stetit. Postremo hoc ipsum significauit campus ille, in quem egressus fuit Isaac ad exercendum, hoc est, ad meditãdum vt dicitur Gen. 24. Qui plane locus variè legitur. Quoniam nostra vulgata sic habet: [Egressus fuerat ad meditandum in agro.] Græci insuper sic legunt] ad exercendum in agro: [Chaldaicus verò Paraphrastes, sic vertit: [Egressus est Isaac ad orandum in agro.] Nihilominus tamen, ex hac varia lectione apertè colligitur, agrum locum esse liberum, seiunctumque ab hominum comercio, & ideo contemplationi satis accomodatum. Quamobrem cum Isaac ad agrum illum egressus à ciuitate perueniret, proculdubio illam pulcherrimam adiuuenit Rachel. Quod plane signum est, vitam contemplatiuam, cælestemue sapientiam sese nobis offerre, cum eam in solitudine quærimus. Idcirco alicui mirum nullatenus esse debet, si Ioannes noster in solitudine illius insulæ Patmos in spiritu fuerit; quoniam cum locus proportionaretur locato, Deus consolationis pater locatum consolari voluit, illum ad se in spiritu eleuando, vt ibi ad cor eius loqueretur.

Ager locus est ab omni comercio disiunctus.

Concept. 1. quod in exiguis locis mĩnora patrantur scelera, quam in magnis ciuitatibus.



IN exigua insula Patmos magnitudinis. xxx. m. dumtaxat passuum, altissimam passus fuit Ioannes Ecstasim vt potequa Deus optimus maximus hæc cælestia, ac ingentia illi reuelauit mysteria. Et non incongrue sanè. Solet namque Deus in oppidulis, paruis, exiguisque locis, magna & ingentia adoperare mysteria. Hinc planè est, quod sacratissimum Dominicæ incarnationis arcanum, non in potentissima illa ciuitate Roma, in qua Cæsares, Scipiones, florebant; non in magna Cartagine, in qua Annibales, & omnia mundi gaza mirum immodum vigebant; non in Athenis, vbi sapientia splendebat, non in Ciuitate Ierusalem totius Iudæ regni Metropolis, in qua Iudæorum Principes, sacerdotes, Rabbini, Satrapæ, & seniores legis Moysi, situm obtinebant, non in Thebe Ciuitate potentissima, totius Aegypti regionis capite, centumq. (teste Plinio) obtinente portas, nec minus in ciuitate Memphis, ingenti Pyramidarum, & columnarum mole & copia illustrata, aut in Niniue ciuitate magna, sed in oppidulo Nazareth, factum quippe fuit iuxta illud Lucæ 1. [Missus est Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth.] Refectionem etiam illam corporalem, post prædicationem, noluit Christus recipere in aliqua magna Ciuitate Iudææ regni, sed in oppidulo, siue castello Marthæ, dicente Luca: [Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.] Pari etiam modo hic, hæc diuina arcana, hæc secreta cælestia, has diuinas reuelationes Deus noluit Ioanni suo (præ cæteris) dilecto discipulo reuelare in magnis ciuitatibus, sed in exigua insula Patmos. Inter plerasque differentias, quæ inter magnam & paruam ciuitatem, interloca ingentia, & exigua, & inter oppida magna, & minus inculta, grassatur, miruminmodum planè hæc splendet: Nimirum, quia in magna ciuitate magna patrantur in dies peccata, ac scelera; in minori vero, minora. Vbi quæso regnat vsura? vbi fornicatio? vbi stuprum? vbi furtum? vbi falsum testimonium? vbi homicidium? in magnis ciuitatibus planè, & in locis in quibus plurimi incolunt homines. Ibi, ibi proculdubio scelera magis radicantur, quam in oppidulis, & villulis in quibus pauci viuunt homines. Lege in sacro eloquio de Niniue, Ierusalem, Babylone, Tyro, alijsque magnis

Incarnationis mysterium cur in oppidulo Nazareth?

Mysteria magna in locis paruæ quantitatis, & magnitudinis Deus operari solet.

Lucæ 10.

Ciuitates magnæ ardent peccatis sicut Sodoma, & Gomorra.

A ciuitatibus, & inexecrabilia planè inuenies facinora, & prorsus abominatione digna. Quamobrem Christus hunc dilectum discipulum suum ad exiguam hanc insulam Patmos perduxit, vt illic sua secreta cælestia reuelaret. Vide de exiguo loco in quo Deus Ioanni hæc reuelauit mysteria, scribit, Ansbertus sic: [Cui tunc certa terrarum spatia vetita sunt adire, secreta concessa sunt cælestia penetrare.] Et Primasius, ita. [Congruè sanè tempus adhibetur, & locus, vt vbi, vel quando humana putabatur vinciri custodia, ibi metas humanitatis mente transcendens libero comitu meruisse videre diuina, & cui tunc certa terrarum spatia negabantur excedere, secreta concederentur cælestia penetrare.] Quemadmodum igitur paruo terrarum spatio, agnus, magnam ab oue matre, lactis sugit partem, sic Ioannes noster bis ab illa cælesti oue nutrice sua, nimirum à Christo de quo dicitur, [sicut ouis ad occisionem ducitur] lactatus fuit, semel quippè in B cæna, dum recubuit supra pectus Dominicum, vt dicitur Ioan. 13. & semel hic in insula Patmos, dum fuit in spiritu: & vtrobiquè maximam lactis, videlicet reuelationis, & contemplationis diuinæ, suxit in exiguæ terræ, passumque distantia, portionem.

Ambros. Ansbertus in c. 1. Apoc.

Primasius in Apoc. lib. 1. statim in principio.

Comparatio.

DISPVT. XXI.

In Cap. Primum Apocalypseos, de ecstasi vel raptu Ioannis.

C In quatuor Quæstiones partita super illa verba. *Fui in spiritu.*

Prologus Disputationis.



EX his, quæ sanctus Thom. in hisce suis commentarijs per hæc verba scribit: [Vidit autem hec non in somnis sed in ecstasi positus, reuelante ei Angelo.] Et paulo post: in hoc excessu mentis fuerũt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum excedentia re- D uelata sunt.] Ex hisce (inquam) sancti Thomæ verbis, & etiam ex ordine, quem in 2.2.q. 175. idem Angelicus doctor seruat, (vbi post quam de Prophetia à q. 171. vsque ad quæst. 174. disputauit, e uestigio in q. 175. de raptu sermonem habet) facile quis, sibi persuadere potest, intentionem Angelici Doctoris esse, (prout est,) defendere omnes Prophetas per ecstasim, vel raptum, suas à Deo obtinuisse Propheticas visiones, ac reuelationes. Cum autem nos supra satis abundè probauerimus hanc Apocalypsim Prophetiam noui Testamenti esse, restat per consequens nunc super hæc verba eiusdem Prophetiæ: [fui in Spiritu,] de eo quod est, esse in Spiritu, nimirum, de ecstasi, vel raptu, vel mentis excessu, E hic differere, vt sic, hæc tam excellens Prophetia, aliarum Prophetiarum veteris Testamenti circunstantijs, nullatenus frustretur.

D.Th. in cõ.

S.Th. 22.



Quæ-

Quæstio I.

An actio, qua Ioannes fuit in spiritu sit sopor, aut ecstasis?

1. fundam.



MNIMODA difficultas hinc prorsus arcetur, siquid sit sopor, & ecstasis primo explicauerimus.

Sopor quid sit. Somnus quid sit.

Sopor itaque somnus intensus plane est. Cum enim quis iá cœpit dormire, tunc illum sopitum dicimus. Somnus vero iuxta Philosophum nihil aliud est, quam quies virtutum animalium cum intentione naturalium. Fit autem talis quies per quamdam ligationem earumdẽ virtutũ Et cum aliquis iam cœpit dormire, somno sopitũ appellamus, iuxta illud Virg. [Hunc ego sopitum somno super alta Cythera. Aut super Idalium sacrata sede recondam.] Et illud etiã Ionæ [Et Ionas descẽdit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui, & accessit ad eum gubernator, & dixit ei, quid tu sopore deprimeris?] Hinc plane est, quod si ista quies animalium virtutum, cum ligatione, passiuè accipiatur, somnus communiter dicatur, iuxta illud: [Dormierũt somnum suum, & nihil inuenerunt diuitiarum in manibus suis.] Si vero talis quies animalium virtutum cum ligatione, actiuè sumatur, sopor communiter appellatur iuxta illud: [Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset.] Quamobrem sopio, idem est, quod soporem induco, iuxta illud Liu. 9. ab Vr. [Vino oneratos sopiũt.] & 4. Bel. Pun. [Lentior deniq; æqualiorq; accidens auribus, magnam partem hominũ sopiuit.] & Ouid. 7. Met. [Custodemq; rudẽ somno sopitis.] Hinc sopor aliquando grauis, aliquando dulcis appellatur, iuxta illud Horat. 5. epo. [Ferę dulci sopore languidæ] & Cicer. 1. de diuin. [Sopore placans artus languidos.] Cum autem somnus aliquando proueniat supernaturaliter, & a Deo, vt videre licet in somno Iacob, in quo, vt dicitur Ge. 18. vidit Iacob scalam cuius summitas cęlum tangebat, hinc etiam proculdubio est, quod sopor etiam aliquando sit cælestis, diuinus, & à Deo, iuxta illud 1. Reg. 21. [Omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos.] In quo plane somno vel sopore, est aliqua cognitio diuinitus data. Quãobrẽ sicuti est duplex somnus, naturalis, & supernaturalis, sic etiã est duplex sopor, naturalis vtiq; & supernaturalis.

Vir. 1. aeneid. — Ionæ 1. — psalm. 75. — Gen. 2.

2 fundam. Ecstasis, raptus, & mentis excessus idẽ sunt.

Ecstasis vero verbum Gręcum quippe est, (prout Abulẽsis, in c. 13. Ge. q. 403. Bened. Pererius to. 1. in Gen. li. 4. & glos. ord. in 2. Cor. 5. produnt) & idem significat apud Latinos, quod raptũ, vel mentis excessum. Excessus autẽ mentis, nihil aliud est, quam mentem eleuari à Deo ad intelligenda cęlestia, (quod an sit possibile disputat S. Th. 2. 2. q. 175. ar. 1, ibiq; in partem affirmatiuam declinat.) Quamobrem hæc tria, nempe ecstasis, mentis excessus, & raptus idem prorsus sunt, & ambo significant, mentem eleuari ad intelligenda cælestia cũ alienatione à sensibus, & abstractione à sensibiliũ apprehensione. Ad quod optime intelligẽdum nota, quod cum in nobis sit trina actio vnius animæ rationalis, nimirum, vegetare, sentire, & ratiocinari, est etiã per cõsequens in nobis ipsis, trinus virtutũ ordo. Sunt etenim in nobis virtutes, siue vires vegetales, quæ esse habent à vegetare; virtutes siue vires animales, quę habẽt esse à sentire, & tandẽ virtutes, siue vires rationales, quæ habent esse à ratiocinari. Natura autem cõmuniter ligat virtutes, siue vires rationales, & animales ad quietẽ capessendam, vt accidit hominibus in somno, siue in sopore naturali, in quo vires vegetales solutę remanẽt ligatis animalibus, & rationalibus. Deus vero aliquãdo ligat vires naturales, & animales virtutes, solutis rationalibus, vt intellectus ad intelligenda cęlestia solutus maneat, & tunc est ecstasis, raptus, siue mentis excessus. Quoniam tunc intellectus eleuatur ad intelligendum aliquid supra se, eoquod totus vigor animæ

S. Thom. — Animæ rationalis trina actio. — Natura ad quietem quas ligat vires.

F collectus est ad solam intellectionẽ, & sic intelligitur illud Ezec. 8. [Spiritus eleuauit me inter cęlum, & terram, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei.] & illud Apost. 2. Cor. 5. [Siue enim mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis.]

1. concl. Sopor verè, & propriè nõ est ecstasis. 1. Ratio.

Prima conclusio. Sopor verè, & propriè, non est ecstasis, nec minus ecstasis verè, & propriè est sopor. Probatur. Tum quia sopor, & ecstasis contingunt cõtrario modo, quoniam licet in aliquo concordent, tamen in pluribus valde discordant, ac differunt. Cõcordant siquidem, eoquod in vtroq; omnes vires sensitiuæ, quæ vocantur animales, & appetitiuæ, quiescunt, id est, ligantur. Quoniam qui est in ecstasi nihil videt, neq; audit sicuti ipse qui est in somno, vti videre licet in Paulo, qui in raptu positus, nec videbat, nec audiebat, vt dicitur Act. 9. & etiam in Balaam Propheta, qui ecstaticus fiebat, vt innuitur Num. 24. cum propheraret, & G tunc priuabatur sensatione. Differunt vero. Tũ quia in somno ligantur vires rationales, quẽadmodum, & animales, at vero in ecstasi non ligantur vires rationales, id est intellectuales, immo potius eleuantur, vt intellectus ad plura supra se intelligẽda perueniat, & propter hoc dicimus aliquem pati ecstasim, siue raptum. quoniã anima, tunc quasi extra corpus sit, ad hoc, quod non impedita per immixtionẽ ad corpus recipiat altissima intelligibilia, quæ eon sufficeret considerare dispersa existens: Nam quę nõ sufficit dispersa, sufficit vnita. Quę quidem vnitas sit per hoc, quod abstrahatur ad aliud rapta. Tum etiam, quia in somno intenduntur vires naturales in operatione sua: Et quantum ad hoc somnus est vtilis, & debet esse intentus à natura, tamquã ad perficiendas operationes naturales, quæ sũt ad conseruationem corporis: In ecstasi autem non cõfortantur quinimmo debilitantur, eoquod minores efficiuntur, quam in vigilia, immo ista est causa ecstasis, vt H anima, quę dispersa existebat vniatur ad diuinas intellectiones, vt dudum dicebamus. Et quia tunc anima, (quæ est principium operatiuum) solutis rationalibus viribus, vt in illis solis cælestibus intellectionibus intendat, totum vigorem suum ad illas dirigit: ideo debilitantur ipsæ vires naturales. Tũ deniq; ecstasis nõ est sopor, neq; sopor verè, & propriè ecstasis. Quoniã per soporem, siue somnum naturalem, ligantur sensus, & impediuntur functiones mentis, & solutiores sunt, & vegetiores animæ alentis actiones: at vero in ecstasi actiones sensum, & animæ vegetantis valde impediuntur, functiones vero mentis maxime contenduntur, vigentq; & abstrahuntur à corpore, & sensibus, quẽadmodũ accidit B. Paulo in eo raptu suo, quem narrat ipse 2. Cor. 12.

Discrimina intercecstasim & soporem. 1. discrim. — 2. discrim. — 3. discrim.

I

2. concl. somno supernaturalis potest dici ecstasis. 1. Ratio.

Secunda cõclusio. Sopor in quo Deus reuelat aliqua, siue verus somnus in quo Deus supernaturaliter, ligatis sensibus, mente tamen soluta, & diuinitus illustrata, res cælestiales hominibus ostẽdit, potest appellari ecstasis, & raptus. Probatur. Primo ex illis verbis Gen. 3. [Immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset.] Quem quidem soporem, siue somnum non naturalem, & à naturalibus causis profectum appellat Abulens. in 13. c. Gen. q. 403. & Bened. Pererius, to. 1. in Gen. li. 4. sed supranaturalem, ac etiam talem, vt in eo, ligatis sensibus (nihilominus mens soluta, & diuinitus illustrata) & res, quę id temporis gerebantur cerneret & quæ in eis latebant mysteria intelligeret. Tum quia expergefactus Adã prophetico spiritu repletus dixit: [Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] K Et per consequens, ecstasim in sopore illo habuit, quia fuit ibi alienatio à sensibus, cum in tali sopore costam Deus ab Adã tulisset, quin ipse hoc sentiret, nec dolorẽ tũc passus esset. Probatur etiã ex definitione ecstasis, & soporis, siue sõni supranaturalis, quã dudũ attulimus.

2. Ratio. — 3. Ratio.

Corollarium.

Aduertas tamen hic opportet circa soporem Adæ, quod, quidam tenẽt, illum naturalem somnum esse, & non qualemcumq; sed valde grauem, & profundum; quidam vero asseuerant esse ecstasim, & itidem non

qua-

qualemcumq; sed talem, vt in illa, non modo soluta, & A libera esset mẽs eius ad naturalem vsum rationis, animiq; agitationem, sed etiam diuinitus ita illustrata, vt prophetico spiritu (vt nos nuper dicebamus) repleretur, ita vt propheticum esset, & mysteriosum, id quod à tali ecstasi solutus protulit per sequentia verba: [Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.] Verũ tamen, qui tenent soporẽ illum fuisse somnum, tenent per consequens minime fuisse ecstasim; & qui tenẽt ecstasim fuisse, ex consequenti somnum fuisse negant.

3. conclus. Ioãnes fuit in ecstasi, & raptu. Tertia conclusio. Actio qua Ioannes fuit in spiritu, verè, & propriè fuit ecstasis, & raptus, vel sopor supranaturalis. Patet. 1. Ratio. Tum quia esse in spiritu nihil aliud est quã mentem eleuatam obtinere ad cælestia intelligẽda. 2. Ratio. Tũ quia esse in spiritu nequit naturaliter euenire, sed supranaturaliter, sicuti, & ecstasis, siue raptus, vt B mox dicemus. 3. Ratio. Tum quia cum Ioannes esset in spiritu vires animales, solutis rationalibus, ligatas obtinebat. 4. Ratio. Tum quia ibi fuit alienatio, siue abstractio à sensibus. 5. Ratio. Tum quia cum esset Ioannes in spiritu fuit in illo cognitio diuinitus data, & sic actio illa fuit causata à Deo 6. Ratio. & nullatenus à natura, cum natura numquã liget vires naturales, sed solum animales, & rationales. Tum quia ibi non tantum fuit visio rerum supranaturalium, verũ etiam cognitio multorũ futurorũ in ecclesia Dei, vsq; ad iudicij finalis tẽpus, quę postea ipse, & pronũtiauit, 7. Ratio. & scripsit. Tum quia cũ Deus reuelat aliqua prophetis suis, communiter istud præstat per ecstasim, raptũ, siue mentis excessum, aut per supranaturalem soporem, vt innuit S. Thom. hic cum gloss. ord. & super epist. Pauli 2. Cor. 3. Quare, &c.

Consectariũ. Aduertas oportet, quod si somnus accipiatur prout à Deo causatur, & nobis accidit secũdũ naturam, pos- C sumus etiã affirmare, Ioannem in somno fuisse in spiritu, dũmodo asseueremus cognitionem in illo habuisse diuinam. Solet namq; Deus aliqua nobis reuelare in somno naturaliter accidente. Iste namque modus erat communis apud Prophetas veteris Testamenti, iuxta illud Num. 12. [Si fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnũ loquar ad illum.] Et nõ solum erat hoc de Prophetis, verumetiã de alijs hominibus, quibus Deus sæpe rauelat aliqua ad solam vtilitatem eorum, & non vocamus eos strictè Prophetas, & de his habetur Iob. 33. [Somnũ in visione nocturna quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lecto, tũc aperit aures virorum, & erudiẽs eos instruit disciplina.] Ita igitur poterat esse in nocte, vel in vigilia somnus naturaliter accidens, in quo Ioãnes esset in spiritu, & reuelaret ei Deus cęlestia secreta. Vterq; modus potest stare. Quia tamẽ in litera simpliciter dicitur D Ioannẽ fuisse in spiritu, melius videtur non recedẽdo à Nota bene circa ecstasim & raptũ Ioannis. littera (cum non sit necesse, nec minus vllo modo debeamus, ab illa recedere) affirmare, quod fuit verus raptus, & ecstasis, in quo cognouit, Deo reuelante, cælestia mysteria gratiæ, quæ postea ad communẽ totius ecclesiæ vtilitatem, ex præcepto Dei scripsit.

Quæstio II.

An actio qua D. Ioan. fuit in spiritu, siue in ecstasi, mentis excessu, siue in raptu, sit actus naturalis à natura intentus, vel violentus à Deo supranaturaliter elicitus?



1. fundam. PRO difficultatis vera intelligentia præmitto primo. Naturale esse homini, vt in diuina tendat per sensibiliũ apprehensionem, iuxta illud ad Ro. 1. [Inuisibilia Dei, à creatura mundi per ea, quæ facta sũt intellecta, &c.] Sed si ad ista diuina intelligẽda eleuetur cum abstractione à sensibus, talis actio non est homini naturalis. Comparatio. Quẽadmodum motus lapidis deorsum est na-

turalis, cæterum si lapis vi deorsum ab aliquo proijciatur, licet lapis tendat deorsum, tamen talis motus tunc non est naturalis, sed violentus, propter vim, quæ illi infertur à principio externo mouente exterius, quoniam violẽtum dicitur, cuius principium est extra nihil conferente, eoquod vim patitur, vt dicitur. eth. 3. Et licet concedamus motũ deorsum huius lapidis esse naturalem, quoniam est ad eius inclinationem naturalem, tamen modus tendendi est violentus, propter vim ab agente exteriori immissam.

2. fundam. Ligatio viriũ triplex. Pręmitto secũdo. Ligationem virium esse in triplici differentia. Quædam enim est, in qua rationales vires, & etiam animales ligantur, solutis naturalibus, quæ quidẽ ligatio propriè somnus appellatur. Alia vero est in qua naturales, & animales virtutes ligantur, solutis tamen rationalibus, quæ plane ligatio verè, & propriè dicitur ecstasis, siue raptus. Tertia tandẽ est ligatio, in qua rationales, & naturales vires ligãtur, solutis tamẽ animalibus, quæ sane ligatio, sopor nuncupatur.

1. assertio. Prima assertio. Ligatio viriũ, qua vires naturales, & animales ligantur, solutis tamẽ rationalibus, quæ verè & propriè dicitur ecstasis, siue raptus, nullatenus potest fieri in somno. Probatur. 1. Ratio. Tum quia propriè accipiendo ecstasim, siue raptum, rationes habet oppositas somno. 2. Ratio. Tum quia in somno ligantur vires corporales, & animales, & soluuntur naturales: At in ecstasi è cõtrario ligantur naturales, & animales virtutes, & soluũtur rationales. 3. Ratio. Tum deniq; quia plus repugnãt inter sese somnus, & ecstasis, quã somnus, & vigilia, eoquod tam in somno, quam in vigilia maneant solutæ, naturales vires: At in ecstasi ligãtur vires naturales: Quare non potest esse raptus, siue ecstasis verè, & propriè loquendo in somno, neq; somnus in estasi, siue raptu.

2. assertio. Secunda assertio. Accipiendo ecstasim impropriè, & large, fieri potest ecstasis in somno. Patet. 1. Ratio. Nam quẽadmodum aliquãdo dicimus, somnum vehementer intentum, esse impropriè ecstasim: sic impropriè etiam ecstasim in somno fieri cõcedi potest. Quoniã in sõno & ecstasi ligantur vires animales, quod nullatenus accidit in vigilia, vnde nec somnus, nec ecstasis accidere possunt in vigilia: eoquod vigilia vtriq; ex diametro opponitur propter solutionẽ virium animaliũ. Quare cum in vtroq; nimirum, in ecstasi, & somno, tales vires animales ligantur: Concedi potest, ecstasim impropriè esse in somno.

3. assertio. Esse in spiritu in ecstasi, siue raptu est quid supra naturam. Tertia assertio. Actio, qua D. Ioannes fuit in spiritu, (quam ecstasim, & raptũ appellamus) nullatenus fuit naturalis à natura intẽta, sed supernaturalis, & à Deo operata. Probatur. 1. Ratio. Tum quia in illa actione ligatę fuerunt vires naturales, & animales, solutis rationalibus in Ioanne, & talis ligatio non fuit ad conseruationem naturæ, immo nociua illi fuit; Quia quocunq; modo ligentur vires naturales, impeditur natura à sua perfectione: Atqui natura cũ ordinata sit, non facit id quod est sibi nociuum: igitur talis ligatio, non fuit naturalis. 2. Ratio. Tum quia talis ligatio virium nõ fuit naturæ necessaria. Quoniam ligatio, quæ est animalium, & rationaliũ, manentibus solutis naturalibus, est cõueniens ad perficiendum operationes, per quas vita conseruatur: At ligatio animalium, & naturalium manentibus solutis rationalibus, qualis fuit ista Ioannis, non est necessaria ad conseruationem vitæ, nec vtilis, quinimmo (vt du- E dum dicebamus) fuit nociua; quia dum erant ligatæ naturales vires detinebatur indiuiduum: ideo natura non fuit operata talem ligationem. 3. Ratio. Tum quia neq; natura hoc facere poterat, quoniam illi repugnat, ligatis viribus sẽsitiuis (vt hic factũ fuit) solutas habere rationales, naturaliter loquendo. Quoniam intellectio non est in nobis sine conuersione ad phantasmata, à quibus intellectus agens abstrahit species, quas facit actu intelligibiles, cum phantasmata sint intelligibilia solum in potentia, & Philos. dicat 3. de Anima: Oportet intelligentem phantasmata speculari: Atqui impossibile est

est, quod intellectus conuertatur ad phantasmata, vt possit ab illis abstrahere aliquam speciem, existentibus ligatis interioribus sensibus, id est, imaginatione, & phātasia: Igitur nō potest solutus esse intellectus secūdū naturam, ligatis existentibus omnibus viribus animalibus. Quare, &c. Tum quia intellectus non ligatur, per se, cum sit incorporeus & immixtus, sed ligato phantasmate, ligatur & ipse naturaliter; At phātasmata ligantur, ligatis viribus sensitiuis prout nuper dictū est: Igitur cū in ecstasi Ioannis, eius intellectus solutus esset, naturalibus & animalibus viribus ligatis, nequiuit aliquo modo illa actio, qua solutus fuit intellectus Ioannis ad hoc vt esset in spiritu, fieri à natura, sed à solo Deo.

4. Ratio.

In calce tamen huius quæstionis nota dilgēter tria. Primum quidem, abstractionis à sensibus quattuor esse causas, quarū tres assignātur a D.Th.2.2.q.175.art.1. per hæc verba: [Huiusmodi autē abstractio ad quemcumq; fiat, potest ex triplici causa cōtinger. Vno modo ex causa corporali, sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secūdo modo ex virtute dæmonum, sicut patet in arreptitijs. Tertio modo ex virtute diuina.] Altera vero, assignatur à D.Dionysio l.4. de diuin.nominib. per hęc verba: [Est autem ecstasim faciens diuinus amor.] Quod etiā tangit idem S.Th.2.2.q.175.ar.2. ad 2. per hæc verba: [Diuinus amor facit ecstasim, in quantum scilicet facit appetitum hominis tendere ad res amatas.] Quāquidē quartam causam amplificat, & illustrat Caietanus in suis Commen. in D.Tho. exemplo Socratis, qui apud Aulum Gellium de noctibus Acticis lib. 2. præpedius, atq; pronus, & immobilis abstractus manebat. Quod plane exemplum adduxit Caietanus, vt hanc quartam causam abstractionis à sensibus per vehementiā amoris, seu intentionis animæ, corroboraret.

Appendix 1. Abstractio à sēsibus fitqua tuor modis. S.Tom.

D. Dionys.

Caietanus.

Appendix 2.

Secundum vero annota in raptu, & ecstasi fieri impressionem speciei intelligibilis in intellectu nostro à Deo. Quæquidem species intelligibilis, licet sit creata, tamen non educitur ex phantasmate. Hoc autem dicitur, nam poterat quis dubitare, quī potest fieri raptus, vt maneant solutæ vires rationales, ligatis sensitiuis, quia non fit intellectio, nisi per conuersionem ad phātasmata, & tamen ligatis sensibus interioribus, ligata sunt phantasmata; qui ergo fieri potest intellectio in ecstasi per conuersionem ad phantasmata ligata? Quod plane dubium ex dictis dissoluitur, eoquod intellectio per conuersionem ad phantasmata ligata, fieri potest duobus modis. Quorū primus est, quādointellectio fit per conuersionem intellectus ad phantasma non præexistens, sed ad aliud à Deo nouiter creatum, vel formatum ministerio Angelorum. Et istud accidit in reuelationibus, quæ fiunt in somnis, quæ nō vocantur raptus neq; ecstasis. Secundus verò est cum imprimitur in intellectu nostro species intelligibilis à Deo creata, siue quando diuina essentia fit intellectui nostro forma intelligibilis, qui quidem modus accidit in reuelationibus, quæ ecstasis, siue raptus appellātur. Et præcipuè in illa, in qua diuinam essentiam ab aliquo sancto viro visam fuisse asseritur, vt mox de Ioāne, Moyse, & Paulo videbimus. Pro nunc tamen exploratum remaneat, Ioannem in spiritu, intellectiones diuinarū rerum, ligatis animalibus, & per cōsequens ipso phantasmate, habuisse per speciem à Deo creatam, illiq; nimirum, intellectui suo, diuinitus impressam.

Duo modi intelligendi diuinitus phantasmate ligato.

Ioānes in spiritu intellexit cœlestia, per speciem creatam a Deo.

Tertium tandem nota, quod oportet, quod ille qui rapitur, ab aliquo exteriori rapiatur, in aliquid, quod sit diuersum ab eo, in quod eius inclinatio tendit. Quęquidem diuersitas attenditur dupliciter. Vno quidem modo quātum ad finem inclinationis, puta si lapis qui naturaliter inclinatur ad hoc, quod feratur deorsum, projciatur sursum. Alio modo quantum ad modum tēdendi, puta, si lapis velocius projciatur deorsum, quā sit motus eius naturalis, vt nos dudum dicebamus, & sic concludit S.Thom. animam hominis dici raptam ad id quod est præter naturam. Vno nimirū, modo, quantū ad terminum raptus, puta, quando rapitur ad pœnas,

Appendix 3. Raptus duplex, s. vterq; violentus.

D.Tho.2.2.q. 175.art.1.

F secundum illud ps. 49. [Ne quando rapiat, non sit qui eripiat.] Alio vero modo quantum ad modum homini connaturalem, qui est, vt per sensibilia intelligat veritatem. Et ideo quādo abstrahitur à sensibilium apprehensione, dicitur rapi, etiam si eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur, dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, sicut accidit in somno, qui est secundū naturam, qui quidem ex hoc habet, vt raptus propriè minimè dicatur.

Quæstio. III.

An Ioannes, dum esset in spiritu: Ita esset à sensibus alienatus, vt anima illius totaliter esset à corpore separata?

G



ONCLVSIO est negatiua, quę probari potest, ex eo quod Ioannes dum esset in spiritu, eleuatus fuit diuina virtute, ab eo, quod est secundum naturam, in id quod est secundum naturam. Naturale autem non solum stat in actu, verumetiam in potentia, vt apparet in risibilitate, quę non tantum per actum, verumetiam per potentiam dicitur homini naturalis: & dum Ioannes erat in spiritu, & raptu, licet eius anima non haberet actum conuersionis ad phantasmata, tamen non amisit potentiam, nec minus oportebat, quod Deus talem potentiam ab eius anima pro tunc auferret; quia non fuit mutatus status eius: Igitur non fuit necessarium in illa ecstasi, animam illius

H à corpore sic separatam fuisse, vt illud informare desineret. Erant insuper in corpore Ioannis, pro tunc (nimirum, cum esset in spiritu) vires animæ vegetabiles, quæ non ex intentione animæ, sed per modum naturæ operantur in corpore, quarum tamen operatione cessante, iam nullo modo remanet anima corpori coniūcta, & cum tunc minime cessarent, erat per consequens anima in illo corpore coniuncta.

1. conclus.

Ioānes dū esset in spiritu animā corpori cōiunctam obtinebat. 1. Ratio.

2. Ratio.

Quæstio IV.

An Ioannes, dum esset in spiritu, & ecstasi diuinam viderit essentiam?

I



AGNA planè inter Hebræos, & doctores nostros grassatur controuersia circa diuinam essentiam ab aliquo videndam in statu viæ.

Hebræi namq; super illa verba Exod. 33. [Non enim videbit me homo, & viuet,] intrepide tenent, essentiam diuinam, siue Deum per essentiam, ab aliquo, qui est in statu viæ, intueri propriè nullatenus posse. Idq; probant. Tum quia id expressè dicitur, citato loco Exod. Tum quia visio Dei, facit animam beatam, quia posita causa sequitur effectus, & causa per quam anima est beata, est diuina visio: At in statu viæ absurdum est cōcedere beatitudinem. Igitur, &c. Tum quia esse viatorē & comprehensorem simul, nullius est nisi Christi: At quicumq; videt Deum per essentiam, appellatur com-

K prehensor: Ergo nullus viator, per essentiam Deum videre potest. Tum quia fides & spes, non possunt esse simul cum visione diuinæ essentiæ, vt habetur 1.Co.13. At in statu viæ, qui non habet fidem dicitur infidelis, qui, prout sic, gloria priuatur. Tum quia glossa super illa verba Exod. [Non videbit me homo, & viuet,] dicit sic: [Quandiu in corpore viuet, videri per quaśdam imagines Deus potest, sed per essentiæ naturæ suæ speciem, videri non potest.] Tum quia Ioan. 1. dicitur: [Deum

Hebræorū opinio circa diuinā essentiā nō intuendam à viatoribus.

1. argum.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

5. argum.

6. argum.

[Deum nemo vidit vnquā,] vbi glossa sic ait: [Nemo purus homo viuens in hoc corpore, vidit Deum quid est.]Tum tandem quia glos. super illa verba 2. Cor.5. [Quandiu sumus in corpore peregrinamur à Domino per fidem ambulantes, & non per speciem,] sic ait: [Homini adhuc vitam corruptibilem agenti nō potest contingere, vt remoto, atq; discurso nubilo omnium phantasmatum corporalium serenissima incommutabilis veritatis luce potiatur.]Quare, &c.

7. argum.

Christianorū doctorū opinio circa essentiā diuinā intuendam à viatoribus.

Doctores vero nostri, super illa verba Num.12.[Ore enim ad os loquor ei palam, & non per ęnigmata, &c.] Aperte fatentur hominem in statu viæ posse Deum videre per essentiam, idq; probant. Tū quia Is.6. dicitur:[Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius.]Tum quia videre Deum facie ad faciē est videre ipsum per essentiam: At Iacob in statu viæ existens vidit Deum facie ad faciem, iuxta illud Ge.32.[Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.] Igitur, &c. Maior corroboratur ex illo 1.Cor.13.[Nūc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,] id est, in vita æterna vbi Deum per essentiā videbimus. Tum quia nihil impeditur nisi à suo cōtrario: At corruptio corporis nō repugnat directe dispositioni intellectus, cum non sint in eodem. Ergo dispositio intellectus non impeditur per corruptionem, vel alterationem corporis. Sed sic est, quod anima in corpore incorruptibili existens, videbit Deum per essentiam: Igitur poterit etiam illam videre existēs in corpore corruptibili. Tum deniq; quia iuxta Philosophū, propter quod vnūquodq; est tale, & illud magis: Atqui omnia, quę cognoscimus, in statu vię cognoscimus per lumen diuinum, quod est ipsa diuina essentia, quia mēs nostra in actum cognitionis exire non potest, nisi diuino lumine perfundatur, igitur ipsum Deum videbimus per essentiam, magis quam aliquid aliud.

1. argum. 2. argum. 3. argum. 4. argum.

En duas Hebræorum, & nostrorum Doctorum, ex diametro repugnantes inter sese opiniones circa Deū videndum proprie ab aliquo in statu viæ; vtraq; tamen opinio cum grano salis proculdubio venit intelligenda, vt vnicuiq; per sequentes assertiones intueri aperte licebit.

1. Assertio. Essentia diuina naturaliter nequit intueri à viatoribus.

Prima assertio. Naturaliter loquendo (id est per aliquam dispositionem sibi inhęrentem) nemo mortaliū in statu viæ videre potest Deum per essentiam verè, & propriè. Hęc est mens doctorum Hebræorum. Probaturq; assertio. Tum rationibus pro Hebręorum parte citatis. Tum quia sicut repugnat, quod aliquis sit in termino motus, & adhuc moueatur, sic etiā repugnat, quod aliquis sit in via, & Deum, siue essentiam diuinam proprie videat naturaliter, & pro dispositione sibi inherente. Nam visio diuinæ essentiæ, est beatitudo cuiuslibet intellectus. Sed beatitudo est finis vltimus, ergo qui habet illum non mouetur ad aliquid, via tamen dicit motum, quia est medium inter terminum à quo, & terminum ad quem, & sic quando aliquis est in via nō videt Deum per essentiam, vel si videt, iam non est in via. Tum deniq; quia adhuc vt intellectus creatus, sit dispositus ad Dei visionem, oportet quod habeat aliquas dispositiones, sibi inhęrentes, quæquidem habentur, vt communiter tenent Theologi, per lumē glorię; At lumen gloriæ non potest habere aliqua creatura in statu viæ, vt est certum: Igitur nullus viator potest videre Deum verè, & proprie per essentiam per aliquam dispositionem sibi inherentem.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

2. assertio. Essentia diuina miraculose potest intueri à viatoribus.

Secunda assertio. Potest homo in statu viæ, Deum videre per essentiam miraculose. Hæc est mens Doctorum nostrorum. Probaturq; assertio. Tum rationibus, pro nostrorum Doctorum parte, supra citatis. Tū quia D.August. l. 2. de Videndo Deū, & super Gen. ad litteram li. 12. & epist. 112. aperte fatetur concessum fuisse Moysi in præsenti vita videre Dei essentiam, innixus Augustinus verbis Num. 12. [Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, & non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei palam, & non, &c.] Tum quia S.Tho. 2.2.q.175. art.3. tenet D.Paulum in raptu diuinam essentiam vidisse, quod cum naturaliter nullatenus possit accidere, vt tenet nostra superior conclusio, intelligendum ex consequenti venit miraculose, & supernaturaliter. Tum quia contingit aliquando diuina virtute, quod aliqua res miraculosè perducatur in aliquid, in quod nullo modo potest per aliquas dispositiones sibi inhærētes perduci; veluti quod virgo pariat, quod ignis in aqua comburat, quod sol suo cursu impediatur, &c. Ergo fieri etiam potest, quod intellectus viatoris non habens nisi dispositiones viæ, eleuetur miraculose ad Deum videndum per essentiam.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. Luc. 1. 2. Machab. Iosuæ 2.

3. assertio.

Tertia assertio. Videre sic miraculose diuinam essentiam in statu vię nequit esse per multum tempus hoc est, per modum habitus, vel per modum formæ, permanentis, sicut lumē corporale est in sole, & igne; sed solummodo per breue tempus, hoc est, per modum cuiusdam passionis, siue impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere. Hæc est S. Thom. 2.2.q.175.ar.3. Lyrani super c.12.Num. Abulensis super Matth. q. 46. & probatur. Tum quia vbicumq; in sacra pagina sermo sit de visione diuinæ essentiæ in statu viæ semper modicum, dumtaxat tempus recensetur, vt apparet Exod. 33. vbi dicitur: [Cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.] & 3.Reg.19.[Egredere & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit,] in quibus locis ly: [Transit,] quandam passionem, vel impressionem transeuntem importat. Tum quia videre diuinam essentiam, tantum est concessum his qui super naturalia reuelantur, vt sunt Prophetę in veteri Testamento, & Apostoli in nouo: At hi qui diuinas reuelationes populo annunciant, siue spiritu prophetico, siue alio quouis diuino modo illustrati, easdem per modicum dumtaxat tempus à Deo accipiunt, vt patet ex illo Elisei ad mulierem Sunamitidem, cui 4 Reg.4. dicit: [Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi,] vbi ly, [celauit,] & ly [non indicauit] aperte demonstrant, Prophetam Eliseum, licet Dei Propheta esset, tamen pro tunc nullam habuisse reuelationem. Et ex consequenti lumen propheticum nullatenus habuisse per modum permanentis. Et cum visio diuinę essentiæ Prophetis concedatur in via, sequitur illis dumtaxat concedi diuinam essentiam intueri per modum transeuntis, & nullatenus per modum permanentis formæ. Tum deniq; quia his quibus talis visio diuinę essentiæ in via conceditur, non semper illā gaudent sed solummodo per modicum tempus, & adhuc raro: Non enim semper adest facultas in via miraculose videndi, sed eam dūtaxat vident cum, & quando ipse Dominus vult, eosdem ad se rapiendo, & eleuando.

1. Ratio. 2. Ratio. Essentiæ diuinæ visio, conceditur prophetis in via. 3. Ratio.

4. assertio. Essentiā diuinā videntes in via beati secūdū quid appellantur. S. Thom. Abulens.

Quarta assertio. Videntes sic diuinam essentiam miraculose in via per modum transeuntis, minime vocari possunt beati simpliciter, sed beati secundum quid. Hæc est D.Thomæ multis in locis, & præcipue 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. & Abulensis in cap. 5. Matth. quæst. 46. Et probatur. Primo quia, qui sic diuinam vident essentiam, actum, non tamen habitum, & conditiones beatorum in seipsis habent: Quemadmodum quum aliquod corpus graue, miraculose, agile fit; tunc enim tale corpus, actum agilitatis solummodo habet, & nullatenus habitum, sicut patet in Habacuch, de quo Daniel. vlt. dicitur, quod in momento temporis ductus fuit de Iudæa in Chaldeam, & de tribus pueris proiectis in ignem à Nabuchodonosor de quibus dicitur Dan. 3. quod eorum corpora non fuerunt læsa, nec etiam vestes, & sic habuerunt ambo actum dotis agilitatis, & impassibilitatis, & nullatenus habitum. Quoniam eorum corpora pro tunc, & vt sic, haudquaquam gloriosa fuere? Postremo probatur, quia beatus simpliciter iam vllo modo

1. Ratio. 2. Ratio.

vocari potest viator, eoquod ad finem quiete peruenit: At is qui in via diuinam videt essentiam miraculose, cum adhuc eius corpus anima informetur absolute (licet non propriè) viator proculdubio est appellandus, cum participet habitum viatorum, & actum dumtaxat comprehensorum, & beatorum: Igitur non erit nuncupandus beatus simpliciter, sed beatus secundum quid. Quoniam tunc, nec adhuc ipse est in patria cum alijs sanctis, nec minus ex tali visione fit redundantia ad corpus, quod adhuc habet; nam lumen gloriæ, de quo dicitur Psalm. 35. [In lumine tuo videbimus lumen,] animam solummodo (licet corpori vnita) illustrat.

Corollar. 1. Essentiã diuinã videntes in via, obtinent phantasma ligatum.

Inter has assertiones nota primo, quod quando quis in statu viç eleuatur miraculose ad diuinam intuendam essentiam, per modũ formæ transeuntis, tunc ligatas habet vires animales, ac ipsũ etiã phantasma, ita vt intellectus agens vllam speciem intelligibilẽ pro tunc ex ipso elicere queat, sed Deus speciem intelligibilem tunc de nouo creat, intellectuique infundit, vtpotequa ipsum clare, & videat, & intelligat, vel ipsemet Deus, (vt melius dicam,) fit in ipsis videntibus pro tunc forma intelligibilis, cum ipse Deus per aliquam similitudinem creatam minime videri possit, quoniam per similitudinem creatam, dumtaxat intueri potest, quid non sit Deus, & minime quid Deus sit: eoquod quid Deus sit videri, aut sciri, haudquaquam potest, nisi videndo diuinam essentiam, quæ per ipsammet videri potest, & non per creaturam.

Coroll. 2. Essentia diuina videtur ex gratia.

Nota secundo, quod intellectus creatus, nec in statu viæ, nec etiam in patria, videre potest ex puris naturalibus, diuinam essentiam, sed quando illam, aut intelligit, aut videt, necesse est, quod hoc fiat ex gratia, iuxta illud Pauli ad Rom. cap. 6. [Gratia Dei, vita æterna;] Vita autem æterna est videre Deum per essentiam, iuxta illud Ioan. cap. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.] Hoc communiter asseuerant Doctores inter quos est Tostatus in c. 5. Matth. quæst. 45.

Coroll. 3.

Annota Tertio, quod omnes hi, quibus per modum transeuntis, & miraculose conceditur diuinæ essentiæ visio, adhuc pro illo modico tempore, beati simpliciter nullatenus sunt, ita vt fiat redundantia ad corpus, sed beati secundum quid, vt nuper retulimus cum S. Thoma 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. Nec minus habent pro tunc actum fidei, sed habitum dumtaxat; quoniam cum ij in illo modico tempore non fuerint beati habitualiter, sed solum habuerint actum beatorum, consequens est, vt simul tunc in eis non sit actus fidei, sed tantum simul in eis fidei habitus, vt dicit S. Thomas, vbi supra in solutione ad tertium. Hęc tria quæ hic annotauimus, locum habent, tam in Moyse, & in Paulo, quam in quouis alio, cui visio diuinæ essentiæ per modicum tempus, & miraculose, (vt est dictum) conceditur, quoniam per hæc tria pleraque contrariorum Hebræorum, & cuiusuis alterius, facile dissoluuntur argumenta.

5. assertio.

Quinta assertio. Ioannes cum esset in spiritu, & ecstasi, vidit immediate diuinam essentiam miraculose, & per modum cuiusdam passionis transeuntis. Probatur.

1. Ratio.

Tum quia, sicuti Moyses est maximus inter Prophetas veteris Testamenti, sic Ioannes est etiam maximus inter Prophetas noui Testamenti. Et non solum inter hos; verumetiam inter omnes etiam prophetas veteris Testamenti, ita vt Moyse sit maior; Quoniam res noui Testamenti, mirumimmodũ excedunt res veteris Testamenti, pro vt supra dicebamus, text. 2. paraph. 4. disputat. 9. quæst. 3. At Moysi, tam ex eoquod esset Prophetarum maximus, quam ex diuerso, & altiori gradu cognoscendi diuina secreta, per illas similitudines Dei creatas, quæ ei ostendebantur, iuxta illud

Ioannes maior prophēta Moyse.

F Exod. cap. 33. [Loquebatur Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum,] & Deuteronom. cap. 34. [Et non surrexit vltra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quę misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terrę illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel,] & Num. cap. 12. [Non sic Moyses seruus meus ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmatas Deum videt.] Concedit Diuus Augustinus lib. 12. super Genesim ad litteram, & libro de videndo Deum; visionem diuinæ essentiæ miraculose, & per modum formæ transeuntis, vt declarat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 175. artic. 3. Igitur idem priuilegium concedi etiam potest Ioanni nostro, tam ex eoquod sit Prophe- G tarum maximus, quam ex diuerso, & altiori gradu cognoscendi res diuinas, quandoquidem Ioannes, & recubuit in cœna supra pectus Domini, & hic fuit in spiritu, quod nusquam legitur de Moyse. D. Aug.

Consequentia corroboratur ex eoquod ambo visionem intellectualem per voces externas Angelorum habuerunt. Quoniam visio viæ per contemplationem fit mediante Angelorum illuminatione, vt prodit D. Dionysius lib. de Cælestia Hierarchia cap. 4. vnde quemadmodum Ioannes, hanc diuinam mediante Angelorum voce, vt supra text. 1. paraph. 10. disput. 8. quæst. 1. 2. 3. 4. & 5. dispunctum est, obtinuit visionem, sic & Moyses, (licet ore ad os, Deum loqueretur,) suam habuit visionem per internuncium Angelum: Et nihilominus Deus ipse, vt tenent præallegati Doctores, immediate se illi ostendit per illud H modicum tempus.

2. Ratio.

Tum quia non sunt minoris excellentiæ, hæc verba, [fui in spiritu,] quam sint hæc alia: [Raptus vsque ad tertium cælum. vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui:] Atqui per hæc verba concedit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 175. artic. 3. Diuum Paulum essentiam diuinam vidisse in illo raptu: Igitur concedi etiam potest Diuum Ioannem cum esset raptus in spiritu ad arcana Dei videnda, eandem diuinam essentiam immediate vidisse. Consequentia probatur, quoniam raptum fuisse vsque ad tertium cælum, & raptum fuisse in spiritu eundem reddunt sensum. Quoniam vtrobique intellectualis visio mediet oportet. Visio autem Ioannis non tantum fuit imagnaria, verumetiam intellectualis, vt nos supra disput. 7. quæst. 2. diffuse explanauimus, qualis fuit I etiam Diui Pauli visio præallegata.

6. assertio.

Sexta assertio. Hæc tamen visio, qua Ioannes Deum immediate per essentiam vidit, eum beatum simpliciter nullatenus fecit.

1. Ratio.

Primo. Quoniam in illa continue minime permansit, sicut est in beatis in patria, sed solum ad aliquod tempus, sicuti est in beatis secundum quid in via.

2. Ratio.

Secundo quia, illa visio minime facta fuit per aliquam dispositionem inhærentem intellectui Ioannis, (quod spectet ad beatos simpliciter:) sed ex sola virtute Dei, quasi miraculose, quod spectat ad beatos secundum quid.

3. Ratio.

K Tertio tandem quia quando Ioannes per essentiam Deum videbat, non habebat omnino conditiones viæ, sed magis patriæ quantum ad actum, licet habitualiter manerent in eo, nimirum, cum videret Deum per essẽtiam, nequiuerat esse simul in actu visionis viæ, qua anima naturaliter sensibilia percipit; Et ideo oportet in illo statu animam videntis omni actu sensuum abstrahi. Quamobrem dicit D. Augustinus lib. 12. super Gen. ad litteram, quod Deum per essentiam nemo videre potest, nisi ab hac vita quodammodo moriatur, siue omni- D. Aug.

omni-

omnino exiens de corpore, siue auersus, & alienatus à sensibus carnalibus. Et simile dicit in libro de videndo Deum. Idemque tenet Diuus Gregorius super Exod. Nam si communicatur alicui actus alicuius dotis in via, non potest habere alium actum contrarium, dum habet illum talem actum: Veluti cum Petro datum fuit; quod super aquas maris ambularet, non habebat simul actum grauitatis, secundum quem deorsum ferretur, licet haberet ipsam grauitatem actualiter, quæ erat quædam naturalis qualitas sibi innata. Ideo cessante actu dotis, quem habebat miraculosè, inciperet immediate habere actum grauitatis, per ipsam grauitatem, quæ manebat ei habitualiter: Ita diuus Ioannes, quando videbat Deum per essentiam, non habebat actum cognitionis viæ per figuras, vel intelligibiles, sed potentiam ad hoc habitualiter. Et sic cessante illa cognitione Dei per essentiam, incipiebat immediatè cognoscere secundum modum cognitionis viæ.

D. Greg.

Hìc in mentem venit, sacratissimam Virginem Mariam mortali carne in terris viuentem, diuinam essentiam immediatè, miraculosè, & per modum formæ transeuntis, bis etiam intuitam fuisse, semel, nimirum, dum ad vocem illam: [Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.] arcanum incarnationis mysterium, de quo, inquit Ioannes [Et Verbum caro factum est,] sequutum fuit. Et iterum cum media nocte in præsepe Bethleem tuum peperit filium primogenitum. Quod plane mirum alicui nullatenus esse debet, cum ipsa gratias, excellentias, & prærogatiuas omnium Prophetarum, & Apostolorum nobiliori modo, à Domino obtinuerit. Et cum talis visio diuinæ essentiæ, Moysi, Paulo, & Ioanni, concedamus; eandem Dei matri Mariæ Virgini, nullatenus negare possumus, cum de illa misticè intelligatur illud: [Quid vltra potui facere vineæ meæ, quod non fecerim?]

Appendix. 1. Essentiam diuinam bis intuita fuit Virgo Maria viuens in terra.

Isa. 5.

Cæterum animaduertas oportet, Doctores qui negant diuinam essentiam immediatè per modum formæ transeuntis, videri posse ab aliquo mortali, illud de Moyse, & Paulo sic soluere, nimirum, quod Moyses non vidit Deum per essentiam, sed habuit quendam modum excellentiorem videndi Deum, quam alij Prophetæ habuerint: Paulum etiam in raptu illo, non vidisse ipsam Dei essentiam; sed quandam refulgentiam claritatis ipsius, vt annotauit sanctus Thomas 2. 2. quæst. 175. articulo 3. in corpore. Quamobrem idem Doctores ad nostram opinionem de Ioanne, forte dicent etiam ex consequenti, quod Ioannes dum fuit in spiritu, non vidit diuinam essentiam immediate, sed quendam habuisse modum excellentiorem videndi Deum, quam habuit, dum recumberet in cœna supra pectus Domini, quando alta de Dominici pectoris fonte potauit. Quod probare, inter alia, ex eo possunt, quod Petro; Ecclesiæ capiti concessus fuit mentis excessus, vt legitur Act. 10. & tamen visio diuinæ essentiæ illi minime conceditur: & quod non conceditur capiti, membris non est concedendum. Sustentabilis plane opinio, sed cum nostra proposita magis arrideant nobis, illud de Diuo Petro soluimus, ex eo quod, dum supra Petrum cecidit mentis excessus, diuinitus raptus fuit Apostolorum caput ad diuinam contemplandam veritatem per similitudines quasdam imaginarias dumtaxat: At verò cum Ioannes raptus fuit in spiritu, ad contemplandam diuinam veritatem, eam non tantum per similitudines imaginarias, verumetiam intellectuales, sicuti Moyses, & Paulus contemplauit, vt sanè perspicuum omnino euadit ex hucusque dictis.

Appendix. 2. Solutiones quæ fieri possunt contra nostram sententiam.

Essentia diuina non fuit visa à Moyse, Paulo & Ioanne.

Obiectio contrariorum.

Soluitur obiectio.

Refelluntur solutiones ad uersariorũ, & opinio auctoris magis corroboratur.

PARAPHRASIS

Septima.

Par. 7.

In Dominica (inquit) die. Accommodata, apta, idoneaq. dies reuelationi diuinæ. In die namque Dominica orationi, deuotioni, meditationiq. vacandum est. Quamobrem in Concilio Tridentino sess. 2. sic statuitur: [Sacrificium missæ, quolibet saltem die, in quo Deus lucem condidit, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum in Discipulos infudit peragere satagant, facientes sicut Spiritus sanctus per Apostolum præcepit, obseruationes, postulationes, gratiarum actiones, pro sanctissimo domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, pace perfruamur, & fidei incrementum videamus.] Hucusque Concil. Trid. Et idem prorsus habetur in Concilio Matisconensi secundo, & in sexta Synodo can. 8. & etiam in Synodo Agathensi, can. 47. Ex quo planè patet, quod Dominicus dies, diuinis occupationibus est (præ cæteris diebus) maximè dedicatus, ac præfixus: quamobrem, quanto sanctior dies, tanto diuinæ reuelationi conuenientior fuit.

Enucleatio textus.

§. 1.

Dominica die, orationibus esse vacandum.

Dominica die missam esse audiendam.

Conc. Trid.

Dominicæ diei mysteria

Conc. Matysc. Synol. 6.

Synod. Agat.

Antiquitatem tamen diei Dominicæ ex hoc probatur loco; quoniam quamuis Apostolos, celebritatem diei Dominicæ à Christo accepisse scribat Iustinus Martyr in Apologia secunda pro Christianis, & & quamuis obseruationem diei Dominicæ in honorem resurrectionis Dominicæ institutam ab Apostolis fuisse, doceat Diuus Augustinus serm. 251. de tempore: & quamuis denique huius diei Dominicæ mentionem faciat Diuus Ignatius Epistola ad Magnesianos, vbi reginam, & principem inter omnes hebdomadæ dies, eam vocat: Et Diuus Basilius lib. de Spiritu sancto. cap. 27. Diuus Augustinus Epistola centesima decima nona ad Ianuarium, cap. 15. Origenes contra Celsum, Tertullianus lib. de corona militis, & in secundo libro ad vxorem, & in Apologetico cap. 16. Diuus Hieronymus aduersus Vigilantium, & Iustinus in quæstionibus à Christianis positis q. 115 Tamen noster Archipropheta Ioannes primus inter Euangelistas, & Apostolos Domini, diem Dominicam inter sacras, & canonicas scripturas noui Testamenti, hìc plane recitat.

§. 2.

Dominicæ diei antiquitas.

Iustin. martyr

Dominicæ diei cultus, & obseruantia.

D. Aug.

D. Ignatius.

D. Basilius.

D. Aug.

Origenes.

Tertulian.

D. Hieron.

Iustinus.

Dominica dies à Ioanne in nouo testamento primo recitatur.

Dies autem Dominica, non inuenitur apud Hebræos in veteri Testamento: in nouo verò appellatur vna sabbati. Ad quod intelligendum nota, quod per dies septem computabatur omne tempus apud Iudæos, id est, per circulationem septem dierum. Quæ quidem circulatio septem dierum, inuenta fuit apud Hebræos, propter duo. Primo ex diuina operatione: quia Deus creauit mundum in sex diebus, & in septimo requieuit, vt dicitur Genes. 2. & Exod. 20. & 31. Secundo ex natura rerum, scilicet, quia dirigimur per motum septem planetarum, vt rectè annotat Abulensis super Leuiticum. Ex his autem diebus, diem septimum vocant Iudæi sabbatum, quia Deus die septima requieuit ab omni opere: & sabbatum (vt ait Diuus Hieronymus) interpretatur requies, siue cessatio. Hinc est quod Hebræi inter omnes gentes, & nationes de septem in septem dies, generalem ab omnibus operibus faciebant vacationem, & diem illum septimum vocabant sabbatum in honorem Dei; quapropter Ouidius de arte amandi, sic ait:

§. 3.

Origo prima diei Dominicæ.

Dierum computatio apud Hebræos.

Abulensis.

D. Hieron.

Terra Palestinæ septimo culta viro.

Ouidius.

ab b atum in Dominicam diem mutatū tempore Apostolorum.

Dierum computatio apud Christianos.

Verum enimuero à principio primitiuæ Ecclesiæ sabbatum, (quo ad solemnitatem) mutatum est in diem Dominicam apud Christianos. Nam nos ab exordio primitiuæ Ecclesiæ computamus omne tempus per circulationem octo dierum, octauum autem diem appellamus diem Dominicam in qua Christus resurrexit, & de octo in octo dies, ab operibus seruilibus facimus vacationem, in significationem resurrectionis Christi. Et diem illum octauum vocamus diem Dominicam, vel Dominicum, id est, dies Domini nostri Iesu Christi; quia (vt dixi) illa die Christus ab inferis resurrexit. Dies autem Dominica fuit primus dies sæculi. Quod patet ex eo, quia dies sabbati fuit septimus, & ita constat, quia computando omnes septenarios dierum, manebit præcisus numerus ab origine sæculi, quod alias non contingeret, vt rectè animaduertit Alphonsus Tostatus super cap. 3. Leuit. Et Iudæi sciuerunt, quæ dies esset septima, id est sabbatum, & quæ prima dies à Moyse cognoscente hoc spiritu prophetico, & quomodo essent computandi sex dies, & hoc sciuerunt ab eo in monte Helim. Et illa computatio non fuit postea tradita obliuioni, sed semper ex tunc distinctum fuit tempus per hebdomadas, vt rectè adnotat idem Doctor super cap. 2. Leuit. Dies autem Dominica apud Christianos in nouo Testamento appellatur (vt dixi) vna sabbati. Hinc est quod Marci 16 dicitur. [Et valde mane vna sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole.] & Lucæ 24. [Vna autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ parauerant aromata.] & Ioann. 20. [Vna autem sabbati Maria Magdalene venit mane &c.] Vna autem sabbati Dominica dies est, vt exponit Hieronymus in libro aduersus Vigilantium, & Lyranus, Abulensis, Caietanus, & alij Doctores varijs in locis, & præcipue super illa verba Matth. 18. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.] & Marci 15. super illa verba: [Et valde mane vna sabbatorum.] vbi sic in Matthæum scribit Caietanus: [Cernis itaque, prudens lector, quod Euangelista, vtrinque ex diebus sabbatorum diffiniuit diem, quem Dominicum appellamus &c.] Et sic intelligitur illud quod 1. Corinth. 16. dicitur, nempe: [Per vnam sabbati vnusquisque vestrū apud se se ponat, recondens quod ei bene placuerit.] Et illud etiam Actuum 20. nimirum. [Vna autem sabbati cum conuenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.] Per vnam sabbati Dominica dies intelligitur. Est igitur Dominica dies, vna, & prima post sabbatizationem Iudæorum, Hinc est quod Ignatius Epistola tertia ad Magnesianos, sic scribit: [Ac post sabbatizationem Dominicum diem omnis amans Christi festum celebret, diem resurrectionis, regalem omnium dierum supremum.] Sic ille. Est tandem Dominica dies, octaua dies (vt dixi) quia nos Christicolæ, omne tempus per circulationem octo dierum computamus & octauum diem Dominicum appellamus. Quem quidem diem spiritu prophetico cognouit Psalmographus, cum nonnullos Psalmos, qui ad resurrectionem, & beatitudinem pertinent, qualis est Psalmus 6. qui incipit. [Domine ne in furore tuo arguas me.] & Psalm. 11. qui incipit. [Saluum me fac Domine quoniam defecit sanctus.] inscribuntur pro octaua. Quasi Propheta, diem octauum expectaret, quum apud Hebræos septem dumtaxat essent dies. Iccirco Martyr Ignatius loco citato loquens de die Dominico, sic statim subiungit: [Quem (nempe diem Dominicum) expectans Propheta, dicebat in finem, pro octaua, in quo & vita nostra exorta est, & mortis in Christo victoria facta est.] Sic ille. Et nota quod apud Hebræos, dupliciter computabatur hebdomada; quoniam si omnes dies hebdomadæ erant festiui, vnusquisque dies vocabatur sabbatum, & omnes simul sabbata, pro tanto, quia erant festiui, prout contingebat quando solemnitas Paschalis durabat se-

Dominica dies fuit prima mundi dies.

Tostatus.

Dierum computationem acceperunt Iudæi à Moyse in monte Helim.

Dominica dies dicitur vna sabbati.

D. Hieron. Lyranus. Abulensis. Caietanus.

Caietan. in Matth.

Ignatius. Dominica dies post sabbatizationē.

Dominica dies, octaua dies.

Diem Dominicum cognouit Psalmista

Ignatius.

Dierum duplex computatio apud Hebræos.

E ptem diebus: si verò non erant festiui computabantur, prout supra retulimus.

Conteptus prædicabiles in textum.



VONIAM diuus Ambrosius in hisce commentarijs affirmat, per diem Dominicum tempus Euangelij de quo Apostolus ait: [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,] in quo Prophetæ mysteria diuina, gentibus esse pandenda prædixerunt, hic designari. Et quoniam insuper diei Dominicæ obseruationem ab Apostolis emanasse, constat ex Clemente libro 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 31.
G & 36. & ex Iustino Apolog. secunda. & ex Concilio Turonensi cap. 16. Concilio Constantinopolitano sexto, cap octauo. Concilio Cabilonensi cap. quadragesimo. Concilio Laodicensi cap. vigesimo nono. Concilio Constantiensi cap. sexto. & ex Concilio vltimo Lateranensi sessione vndecima: Ideo sancti Patres multum insudarunt in prærogatiuis huius Dominicæ diei eliminandis, quas planè & ego hìc recitare conabor. Quarū prima quippe est, mundū in die Dominica sumpsisse exordium, prout tradunt diuus Leo Papa Epistola octaua ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum cap. primo. Diuus Basilius homilia secunda in exameron. Secunda, Hebræos Dominica die mare Rubrum sicco vestigio transisse, vt habetur in sexta Synodo Cæsariensi, prout annotauit Beda in Epistola de celebratione Paschæ, seu de
H equinoctio verno, vbi decreta quædam Synodi Cæsariensis in Palæstina, & sex sanctificationes diei Dominicæ recensentur. Tertia, Manna primo Hebræis de cælo pluisse in deserto, vt docet diuus Augustinus serm. 151. de tempore; & vt probat Origenes ex 16. cap. Exodi. Quarta, Christum Dominum, Dominica die natum fuisse, vt habetur in sexta Synodo, can. 8. Quinta, stellam Magis Dominica die apparuisse, vt docet eadem sexta Synodus. Sexta, Christum in Iordane Dominica die baptizatum fuisse eadem Synodo testante. Septima, hominum quinque millia saciatos fuisse in deserto quinque dumtaxat panibus, & duobus piscibus, à Christo redemptore nostro. Octaua, Christum redemptorem nostrum, Dominica die resurrexisse à mortuis, vt eodem die quo creauerat mundum, eumdem renouaret, prout exoluit D. Augustinus loco citato: & D. Athanasius super illud: [Omnia
I mihi tradita sunt à patre meo.] Ioan. 5. Nona, Dominum ingressum fuisse ad discipulos Dominica die, ianuis clausis, eisdemq. potestatem remittendi peccata concessisse. Decima, Christum, Dominico die mandasse Apostolis, vt Euangelium per orbem prædicarent, & baptismum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fidelibus conferrent. Vndecima, Spiritum sanctum Dominico die super Apostolos descendisse. Duodecima, finale iudicium Dominica die futurum cum generali resurrectione carnis, prout D. Augustinus serm. 251. de tempore prodit. Decima tertia, & postrema prærogatiua est, Ioannem nostrum hanc Apocalypsim, siue reuelationem à Deo, Dominico die obtinuisse.

Concept. 1. De prærogatiuis diei Dominicæ.

2. Cor. 6.

Dominicæ diei religio, & obseruātia commēdatur ab Apostolis.

D. Clem. Iustinus. Ignatius. Conc. Turon. Cōc. Constāt. Cōcil. Cabil. Cōc. Laodic. Cōc. Cōstan. Cōc. Laterā.

Dominicæ diei 13. prærogatiuæ.



ERITO hìc notat Ioannes noster, se hæc mysteria Dominica vidisse
K die. Solet namque rerum qualitas ex tempore notari. Abraham etenim in feruore diei, Angelos in tabernaculum suum excepit, vt dicitur Gen. 18. Loth perditionem Sodomæ vidit in vespere, vt dicitur Genes. 19. Salomon sapientiam nocte suscepit, vt dicitur 3. Regum cap. 3. Iudas non rediturus ad veniam, a consortio Domini, nocte con-

Concept. 2. Quod qualitas, & circūstantia rerū est valde notabilis.

Circūstantia diei, & qualitas temporis commendabilis, in sacro eloquio.

Quæstio III.

An Sabbatum mutatum fuerit in diem Dominicam.

Prima conclusio.

Sabbatum in diem Dominicam mutatum.

S. Thom.



PRIMA conclusio est affirmatiua, illamq. profitentur omnes sancti Patres, tam Græci, quam Latini, inter quos est S. Thomas qui 1.2. q. 103. loquens de hac, & de alijs solemnitatum Iudæorum mutationibus. art.3. ad 4. sic scribit: [Sabbatum autem, quod significabat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur noua creatura inchoata in resurrectione Christi, & similiter alijs solemnitatibus veteris legis, nouæ solemnitates succedunt; quia beneficia illi populo exhibita, significant beneficia nobis concessa per Christum; vnde festo Phasæ, succedit festum passionis Christi, & resurrectionis; festo Pentecostes, in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ; festo Neomeniæ succedit festum beatæ Virginis, in qua, primo apparuit illuminatio solis, id est, Christi per copiam gratiæ; festo tubarum, succedunt festa Apostolorum; festo expiationis, succedunt festa Martyrum, & Confessorum; festo tabernaculorum, succedit festum consecrationis Ecclesiæ; festo cœtus atque collectæ, succedit festum Angelorum, vel etiam festum Omnium sanctorum.] Sic ille. Mutatum autem fuit sabbatum in diem Dominicum, potius quam in aliū diem ob multa opera præclara, eo die diuinitus operata. In illo siquidem, creati fuere Angeli, boniq. glorificati, mali verò ad inferos proiecti. Primus fuit dies omnium, dicente Ecclesia: [Primo dierum omnium quo mundus extat conditus.] Cæli & terra eo die creati extitere, Manna filijs Israel de cælo descendit, & tandem illo die Christus ab inferis resurrexit. Quamobrem ob talia insignia gesta, Ecclesia, & Apostoli ex septem diebus hebdomadæ, illum qui primus est, ad diuinum cultum consecrare statuerunt; quem plane diem dominicum appellauerunt.

Festa Christianorū cui succedant.

B. Virginis festum.

Festa Christianorum & Iudæorum.

Secunda conclusio.

Papæ optima dispēsatio circa sabbatū.

Secunda conclusio. Conuenienter Papa dispensauit, quod dies Sabbati in diem Dominicam sit mutata. Hæc est Augustini de Ancona de potestate ecclesiastica, quæst.50.art.2. Et probatur. Tum propter significatorum præeminentiam. Tum propter signorum factorum excellentiam. Tum propter temporum conuenientiam.

Tertia conclusio.

Dominica dies succedit sabbato ex statuto Ecclesiæ & consuetudine Christianorū dictatur.

Tertia conclusio. Obseruantia diei Dominicæ in noua lege, succedit obseruantiæ sabbati; non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. Hæc est D. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. Et probatur. Quoniam in noua lege, obseruantia diei Dominicæ, non est figuralis, sicut fuit obseruantia sabbati in veteri lege: quamobrem Iudæi in obseruatione sabbati dicebantur sabbatizare, nos autem in obseruatione diei Dominicæ nequaquam: & ideo obseruatio diei Dominicæ non est sic arcta sicut sabbatum, quia Papa dispensat, vt fiant multa die Dominica, quæ erant illicita fieri in die sabbati apud Iudæos.

Quarta conclusio.

Quarta conclusio. In significatione resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, mutatus est dies sabbati in lege noua in diem Dominicam. Hæc est Augustini de Ancona in sua summa de potestate Ecclesiastica, quæst. 50. art. 3. 4. 5. & 6. & omnium Theologorum quos supra in Prologo citauimus. & probatur, quia opera recreationis magis attendimus nos,

A quam opera creationis; immo opera creationis ponuntur in sacris litteris propter opera recreationis. iuxta illud ad Rom. 15. [Quæcunque scripta sunt, &c.] In die namque resurrectionis, fecit Deus alterum quodammodo mundum, & cum multis diebus laboraret, & pro nobis mortem crudelissimam pateretur, requieuit die Dominica, resurgens à mortuis, vt nos à morte liberaret, iuxta illud ad Rom. 8. [Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.] Eam ob causam decreuit sancta mater Ecclesia, diuino spiritu edocta, vt pro sabbato, dies Dominica obseruaretur. Nam quemadmodum in lege veteri, ideo dies septima obseruabatur, quia in ea requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat; ita prorsus in lege noua obseruatur dies octauus; quia in eo Christus quieuit, patratis humanæ redemptionis operibus. Hinc

B sancti Patres in Synod. 6.c.8. tom.5. conc. de hoc dominico die dicunt. [In eo die manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus est Christus, in eo stella magis refulsit, in eo quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum pauit, in eo baptismum in Iordane suscepit, in eo ipse pius Redemptor humani generis spōte pro salute nostra à mortuis resurrexit.] Et D. Augustinus serm. 7. de resurrect. [Quomodo Maria virgo mater Domini, inter omnes mulieres principatum tenet, ita inter cęteras dies, hæc omnium dierum maior est. Hæc est illa dies in qua synagoga finitur, & Ecclesia nascitur; vniuersa enim sabbati gratia, & antiquæ illius populi festiuitas Iudæorum, in diei istius solemnitatem mutata est.] Sic ille.

Dies octauus cur colendus apud Christianos.

D. Aug.

Ex hac conclusione liquido habes, quam falsum, & à ratione omnino alienum sit illud Sozomeni in hist. Ecclesiast. lib. 1. c. 9. asserentis diem Dominicum (quē Ethnici solis diem appellabant) à Constantino magno institutum fuisse. Verum quippe est, Constantinū magnum (vt ait etiam ipse Sozomenus loco citato) sanciuisse, vt die Dominico omnes à iudicijs, alijsque causis vacationem haberent, & eo tantum in orationibus occuparentur. Enimuero hoc, renouatio potius fuit Dominicæ diei ex prisca Apostolorum, & Catholicæ Ecclesiæ consuetudine, quam noua institutio. Constat siquidem ex hucusque dictis, sola Apostolorū auctoritate sine scriptura, quinimmo præter scripturæ auctoritatem, exclusum fuisse sabbatum, & introductum diem Dominicum, ne quis putet ea tantum tenenda, quæ habentur in scripturis. Cum enim magna ex parte, sabbatum non nisi vmbra quædam esset eius quietis, cuius spem Christus in sua resurrectione attulit; æquum plane omnino fuit, vt veritas, quam per

C

Appendix.

Sozomenus in hist. Eccl.

D tot annorū curricula figura, & typus portenderat, ei, luce iam Euāgelij in orbe diffusa legitime succederet.

Quæstio IV.

An obseruatio diei Dominicæ sit de iure diuino.



E PRIMA assertio. Obseruatio Dominicæ diei non est de iure diuino, sed de iure humano Canonico. Hæc est Abulensis super Matth. cap. 23 q. 148. ac etiam Gregorij Sayro in sua claui regia sacerdotum lib. 7. cap. 1. num. 32. Et probatur; Quoniam Dominica dies, potest mutari in alium diem hebdomadæ: Quinimmo potest Ecclesia totaliter illum diem tollere, vel dispēsare circa illius obseruationē: quia in simili euētu, tantum tolleret cæremoniale, & id quod est de iure canonico. Quamuis enim neque Ecclesia tollere

Dominicæ diei obseruatia non est de iure diuino.

Tostatus.

Obseruantia Dñicæ diei est de iure humano canonico.

lere id quod est de iure diuino, & morale, potest tamen id quod est de iure canonico, & cœremoniale de medio auferre.

Nota, bene circa obseruantia diei Dominicæ.

Verum quippe est, quod dies Sabbati, qui planè mutatus fuit in diem Dominicum, erat de iure diuino, prout supra dicebamus; quoniam ex mandato Dei celebrabatur sabbatū, & quamuis eius loco successerit dies Dominica, tamen hæc non est de iure diuino, sed de iure humano canonico, prout nuper dicebamus.

Obiectio.

Obijcies tamen, dicendo: Si sabbati obseruantia non est de iure diuino, vel diuinum præceptum morale, qui fieri potuit, vt mutaretur? Accedit ad hæc, quod quamuis cœremonialia ablata fuerint, moralia tamen auferri non poterant.

Solutio.

Huic obiectioni facilis est exitus, quoniam in sabbati sanctificatione, prout dicebamus cum sancto Thoma, erat quippiam morale, & quippiam cœremoniale. Morale quippe erat obseruari diem vnum in hebdomada & hoc non abstulit Ecclesia. Esse autem hunc, vel illum diem; hoc erat cœremoniale, & hoc meritò mutauit Ecclesia, quia mutare poterat, immo mutare debebat ob resurrectionis sacratissimæ mysterium. Et ipsa lex vetus innuebat Iudæorum sabbata abroganda, solumq. vsque Christum duratura, iuxta illud Oseæ 2. [Cessare faciam omne gaudium eius, & solemnitatem eius, Neomeniam eius, sabbatum eius &c.] Et Amos 5. [Odi & proieci festiuitates vestras.] & Isa. 1. [Calendas vestras odiuit anima mea.]

Secunda assertio.

Sabbati mutatio diuina auctoritate facta.

Aug. de Ancona.

Secunda assertio. Mutatio diei Sabbati in diem Dominicam, non est facta humana auctoritate, sed diuina. Hæc est Augustini de Ancona in sua summa de Ecclesiastica potestate q. 50 art. 2. ad 4. & probatur: Quia Christus sua resurrectione, Dominicam diem sanctificauit; & Ecclesia, tam Apostolorum obseruatione, quam Spiritus sancti reuelatione postmodum, loco diei sabbati, statuit esse celebrandam.

Appendix.

Ex hucusque dictis collige præceptum de sanctificatione sabbati partim naturale & morale esse, partim verò cœremoniale, partim tandem humanum. Et quatenus humanum, habet certos dies determinatos ab Ecclesia, vnde inter Decalogi præcepta collocatur, non quatenus cœremoniale sed quatenus morale est, vt rectè annotat S. Tho. 2. 2. q. 122. art. 4.

Quæstio III.

An Papa possit dispensare, quod in die Dominica fiant aliqua licitè, quæ alias erant in die Sabbati illicita inter Iudæos.

Papæ magna potestas circa diem Dominicum.

S. Tho. p. 2. q. 103. art. 3. ad 4 & 2. 2. q. 122. art 4. ad 4

Abulens.

Aug de Ancona.



CONCLVSIO est affirmatiua, quam profitentur S. Thomas, Alphonsus Tostatus, & Augustinus de Ancona in sua summa de Ecclesiastica potestate quest. 50, art. 4. 5. & 6. Et probatur. Ex eo quod quamuis Papa non possit dispensare circa seruilia à seruitute culpæ; tamen dispensat circa seruilia à seruitute fortunæ & à seruitute naturæ, vt sunt bellare tempore necessitatis, coquere cibos, eosdemq. præparare, opera seruilia & corporalia facere in corporis necessitate, in proximi sanitate, in Ecclesiæ vtilitate, & in superioris potestate, forumq. emptionis, & venditionis fieri in die Dominica. Illicita tamen sunt apud Christianos, in die Dominica, criminalia executioni mandare, vt patet extra de ferijs, cap. [Omnes dies Dominicos] reosq. verberare, vel occidi, ordine iudiciario, prout ibidem habetur.

Crimina in die Dominica minimè exercenda.

Abulens.

PARAPHRASIS. Octaua.

Par. 8.

Eliminatio textus.

§. 1.

Et audiui post me (ait) vocem magnam tamquā tubæ dicentis. Vox prima illius planè Angeli, in persona Christi loquentis, de quo nuper dictum fuit: [Mittens per Angelum suum seruo suo Ioanni] est proculdubio vox ista magna tanquam tubæ, quam Ioannes noster Prophetarum princeps, post se hìc audiuit. Angelorum namque vox, eo quòd terribiliter insonat, tubæ communiter assimilatur. Parua siquidem est vox, teste D. Tho. quæ est de terrenis (qualis est ea, quæ est hominum.) & magna planè ea, quæ de spiritualibus loquitur (qualis est Angelorum vox) iuxta illud Ezech. 3. [Et audiui post me vocem commotionis magnæ: Tamen D. Dionysius Carthusianus aliam reddit rationem enodationis nostræ, dicens: [Audiui post me vocem magnam, tubalem Angelicam, alta magna, & mystica significantem. Per quod Angeli loquentis idoneitas ad sui officij executionem innuitur.] Cui etiam adhæret Lyranus dicens: [Et audiui post me vocem magnam tamquam tubæ, in quo designatur virtus, & auctoritas Angeli loquentis in persona Christi.] Vbi verò nostra vulgata legit: [vocem magnam tanquam tubæ dicentis.] Primasius sic vertit: [vocem magnam sicut tubam dicentem mihi.] Quod plane in eumdem prorsus vergit sensum.

Angeli Apocalypsis prima vox.

S. Thom.

Vocum discrimina.

D. Dionysius Charthus. in comment.

Lyranus in comment.

Primasius in comment.

§. 2.

Audire autem hìc accipitur, pro cognoscere, iuxta Anselmum Laudunensem, qui in sua interlineari glossa sic superscribit: [Audiui, id est, cognoui.] Per quē loquendi stylum liquidè colligitur, Archiprophetam nostrum aure interiori, & nullatenus exteriori hanc audiuisse, & percepisse Angelicam vocem sibi alloquentem. Idq. corroboratur ex Doctoribus. Quoniam S. Thomas in hisce Commentarijs sic scribit: [Non est intelligendum, quod hæc vox fuerit corporalis. Vnde Haymon, sicut in spiritu positus spiritualia vidit, ita vox quam audiuit, spiritualis fuit. Idem tamen est hic audibile, & visibile, & vox, & sonus in essentia, diuersa ratione, sicut verbum Dei dicitur lux, & vox, in quantum lux videtur & videre facit, in quantum vox auditur, & audire facit; vnde glossa dicit: audiui, id est, cognoui.] Hucusque S. Thomas. Et D. Dionysius Carthusianus sic vertit: [Audiui, non exteriori, non corporali auditu.] Idem prorsus tenent recentiores expositores, nimirum, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à Sancta Maria, & Blasius Viegas in hisce suis commentarijs. Probatur denique ex ipsa serie textus, nimirum ex ly. [post me,] Quoniam audire post se, idem prorsus sonat, quod audire in se, iuxta illud Ps. 84. [Audiam quid loquatur in me Dominus,] vbi [in me,] intus, vel intra me, vel per internam reuelationem sonat. Hinc Strabus in sua glossa ordinaria super hunc locum, sic scribit: [Post se audiuit, quia dum de præsentibus eductus, in anteriora verę contemplationis se extenderet, & alios respicere admonitus est.] Sic ille. Quare aure interiori, & non exteriori hanc tubalem, & Angelicam vocem noster Vates exaudiuit. Erat etenim tunc Ioannes noster in illa insula Patmos raptus in spiritu, & eleuatus supra corpus, ita vt suis sensibus nullatenus vteretur. Et ob id nequiuerat aure exteriore, sed interiore hanc audire Angelicam vocem sibi alloquentem.

Audire accipitur pro cognoscere.

Laudunensis.

Aure interiore mysteria Apocalypsis audita a Ioāne.

S. Thom.

D. Dionysius Carthus.

Franc. Riber. Iac. Suarez à S. Maria. Blas. Viegas.

Audire post se, est audire in se.

Strabus.

Ple-

A ctè confugit, vt dicitur Ioan. 13. & Adam poſt meridiem audiuit vocem Domini in Paradiſo, Gen. 2 Hinc eſt quod Ioannes noſter optimè notat, ſe fuiſſe in ſpiritu, & vidiſſe hæc myſteria cæleſtia, Dominica die. Dominica enim dies, dies ſancta eſt, dies notabilis, dies gaudij, & lætitiæ Chriſtiano viro. Nam dies reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, eſt, & ideo dies reparationis, redemptioniſque noſtræ, vt patet Matthæi vltimo, Marci vltimo, Lucæ 24. & Ioannis 20. Hæc eſt illa dies, de qua Pſalmographus Pſalm. 17. dicit: [Hæc dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea.] Non eſt plane ſufficiens lingua humana, tantam lætitiam & alacritatem, huius felicis diei Dominicæ exprimere; neceſſaria procul dubio eſt ad hoc, lingua illa, de qua dicitur Pſalm. 44. [Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.] Per quam Spiritus ſanctus deſignatur, qui velociter ſcribit, cum velociter currat ſermo eius.

Dominicæ diei ſanctitas.

Spiritus ſanctus lingua dicitur.

B Die enim Dominica, Dominus noſter, ſpoliato inferno, deſtructa morte, deuictoque Lucifero, redijt ad nos ſpolijs onuſtus. Hac die completa eſt noſtra ſalus, deletum chirographum, crucique affixum, ſublata legis maledictio, ligatus ſatanas, detruſus, clauſuſque in infernum fuit, vt ait Paulus ad Galat. 2. Lætus quidem fuit dies ille, in quo Deus mundo lucem dedit, dicens: [Fiat lux.] Iucundus etiam fuit dies ille, in quo columba rediens ad arcam, ramum oliuæ virentibus folijs Noe attulit. Plena gaudio omnino fuit dies illa, in qua Deus in ſigno fœderis, & pacis [Arcum ſuum poſuit in nubibus cæli.] Referta iubilo, & hilaritate vtique fuit dies illa, in quo filij Iſrael è ſeruitute Ægyptiaca liberati fuere. Magnæ porrò conſolationis fuit dies illa,

Dominicæ diei myſteria.

Gen. 1.

Gen. 8.

Gen. 9.

Exod. 13.

Luc. 1.

C in qua Verbum diuinum noſtram aſſumpſit humanitatem. Summæ inſuper gloriæ fuit dies illa, in quo Angeli Dei, Saluatore noſtro Ieſu Chriſto in præſepio poſito, decantabant. [Gloria in excelſis Deo, &c.] & iterum paſtoribus dicebant. [Annuncio vobis gaudium magnum &c.] Fœlix denique, & ſatis hilaris fuit dies illa in qua diuinorum chariſmatum gratuita collatio facta fuit. Enimuero hæc omnia, Dominica eueniſſe die, manifeſtum plane eſt. Decantet igitur Regius Cytharædus. [Hæc dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea.] Quaſi dicat: Hac die, magno iubilo induere debentur animæ noſtræ, & nimia lætitia corda noſtra perfrui oportet; quia hac die, amica Dei ſurrexit, imber abijt, & receſſit, columba, & formoſa Dei venit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes

Luc. 2.

Matth. 2.

Act. 3.

Cant. 2.

D dederunt odorem ſuum, ſponſus redijt ab vmbra illius, quem deſiderauerat, ſub qua in meridie ſedet, & ſurrexit; ſponſus (inquam) Ieſus Chriſtus, qui Dominica die glorioſè a mortuis reſurrexit. Cum autem hæc dies, tot in ſe myſteria includat, hinc factum eſt, vt in Dominica die teneamur à ſingularibus laboribus, à carnalibus voluptatibus, & ab his ſimilibus ſuperſedere, & ſpiritualibus meditationibus apprimè intendere, & ob id Gregorius in regiſtro dicit: [Dominico die à labore terreno ceſſandum eſt, & omnino orationi inſiſtendum, vt ſi aliquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem orationis Dominicum precibus expietur.] Quare ex dictis apparet qualiter rerum qualitas non ſolum in veteri Teſtamento, verum etiam in nouo notari ſoleat ex tempore, quum Ioanni noſtro, arcanorum cæleſtium reuelatio, die Dominica (vt hic

Dominicæ diei puritas.

D. Gregorius

E dicitur) facta fuerit. Hinc etiam eſt, quod cum 2. Regum 23. dicitur: [Percuſſit leonem in media ciſterna in diebus niuis.] & Ioann. 9. [Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit, & aperuit oculos cœci.] & Ioan. 5. [Erat autem ſabbatum in illa die, dicebant ergo Iudæi, illi qui ſanus factus fuerat ſabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum

A tuum.] & Ioann. 2. [prope erat paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.] & Ioan. 10. [Facta ſunt encœnia in Ieroſolymis, & hyems erat.] & tandem Ioan. 13. [Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus:] non abſque magno myſterio hoc dici; quoniam circumſtantia diei, & temporis ſemper in diuino eloquio notabilis quippe eſt. Quam etiam in actibus noſtris notari adhuc ſolet, eo quod ſæpe ſit, ad bonum, & ad malum indifferens. Illud namque verbum amantium, nempe, [venias, media nocte,] vel [ad horam nonam,] aut [ad auroram,] licet aliquando ſit ad aliquod bonum opus operandum, tamen crebrò eſt ad aliquod patrandum facinus: vt patet in fornicarijs, qui illa hora, & tempore, ad Deum offendendum, (& non ad Deum laudandum in Matutinis, Pſalmis, & Hymnis) conueniunt.

Circumſtātia temporis in amatoribus deteſtabilis.

B

PLERIQVE planè ſunt, qui diebus Dominicis, & alijs etiam feſtiuis diebus, orationibus, lectionibus ſanctis, ſalutaribus verbis confeſſorum, ac prædicatorũ, mirum in modum incumbunt. De quibus intelligitur illud 2. Eſdræ 8. [Comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non parauerunt ſibi.] At vero ex aduerſo ſunt plerique alij viri, ac mulieres nequam, quæ tam Dominicis, quam alijs feſtiuis diebus, vitijs, voluptatibus, maleficijs, murmurationibus, & his ſimilibus apprimè vacant. De quibus intelligitur illud Ezechielis. [Sabbata mea dedi eis, vt eſſet ſignum inter me & eos, & ſabbata mea violauerunt vehementer.] Hi profecto ſimi-

Concept. 3. Quod Dominica, & feſtiui dies à quibuſdam honorantur, à quibuſdam verò conſpurcantur.

Feſtus dies violatur.

C les ſunt viro illi, qui, vt dicitur Num. 15. Sabbato ligna colligebat quem Moyſes & Aaron in carcerem recluſerunt, & requirentes à Domino, quid de illo facere oporteret, reſpondit illis Dominus dicens: Morte moriatur homo ille, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Ligna ſiquidem (ſpiritualiter loquendo) ſcindit in die ſabbati, qui materiam ignis infernalis ſibi colligit: quamobrem lapidandus venit, hoc eſt, duris increpationibus, & obiurgationibus multandus, qui in Dominicis, & feſtiuis diebus ceſſare non vult, quin mala, ad ſuum æternum incendium colligat. Et valde planè notandum venit, quod non ſolum legimus Iudæum illum ligna in die ſabbati colligentem lapidatum iuſſu Domini fuiſſe, verum etiam ex libro Exodi colligitur, grauiter peccaſſe eos, qui contra mandatum Domini

Ezech. 13. & 16.

Simile.

Feſtus dies eſt colendus ſub pœna.

Iudæus in die ſabbati ligna colligens quid ſignificat.

Exod. 16.

D profecti fuerant ad colligendum manna in die ſabbati. Ex quo planè licet inferre magis peccare eos, qui negotiationibus, ſpectaculis, ludis, latrocinijs, fornicationibus, tripudijs, ſaltationibus, commeſſationibus, colloquijs prauis, & impudicis cantilenis, Dominicum diem, alioſque feſtos dies conſpurcant. De his ſanè intelligitur illud Amos 5. [Odi & proieci feſtiuitates veſtras, & non capiam odorem cœtuum veſtrorum.] & illud etiam Iſa. 1. [Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri, calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſta.] [Quod planè nõ ideo dictũ puta, quod tunc feſta impia eſſent, ſed quod Iudæi eſſent impij, & in illis diebus pleraque patrarent ſcelera. Quamobrem Chriſtus crebro in die feſto Iudæis prædicabat, vt eoſdem in die feſtiuo à vitijs arceret. Et ad hoc planè ſpectat

Peccantes in die feſto odibiliores ex circumſtãtia diei.

Feſtiui dies bonis operibus honorandi.

E illud Ioan. 5. [Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus &c.] & illud: [Iam die feſto mediante aſcendit Ieſus &c.] & illud Lucæ 2. [Secundum conſuetudinem diei feſti,] & paulo poſt: [inuenerunt eum in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem.] & illud Ioan. 10. [Facta ſunt encœnia in Ieroſolymis &c.] & paulo infra: [Loquor vobis, & non creditis.] Et cum homines communiter

Ioan. 7.

Hh 2 feſtis

Actioni, & proximorũ saluti est aliquando vacandum, & non semper contemplationi.

D. Dionys. Carthus. in cap. 1. Apoc.

templationi existendum: verumenimuerò actioni itidem interdum, & proximorum saluti vacandum esse. Quamobrem D. Dionysius Carthusianus in hunc locum Apocal. sic scribit [: Propterea etiam ait post me, quoniam Angelus à contemplatione diuinorum vocauit eum ad considerationem actuum humanorum. Nam, & prælati ab apice contemplationis, quodammodo retrahuntur, dum ad subditorum curam, & prouidentiam reuocantur.] Hoc ipsum planè Redemptor noster Christus edocuit, cum de illo dicitur Luc. 6. [Descendens Iesus de monte stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis qui venerant, vt audirent eum.] En actus contemplationis. Et mox subiungitur in eodem contextu: [Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.] Ecce actionis actus. Et ad hoc itidem pertinet illud Petri, cui primò dictum fuit: [Simon Petre non potuisti vna hora vigilare mecum.] Vbi ad contemplationem vocatur Apostolus: Et deinde audire meruit: [Occide, & manduca,] Vbi a contemplatione ad laborem, actionem, & animarum salutem idem Apostolus reuocatur. Et illud etiam scalæ Iacob per quam ascendentes, & descendentes vidit, Dei vates, Angelos. Postquam enim ascendebant descendebant, ad significandum, quod postquam ascendimus ad culmen contemplationis descendendum vtique est ad actionis vallem. Porrò sponsa Cant. 1. quærit dicens: [indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.] Et responsum accepit per hæc verba Cant. 4. [Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.] Super quæ verba. D. Bernardus. serm. 41. in Cant. sic scribit. [Vide autem quomodo illa aliud cupit & aliud accipit, & nitenti ad contemplationis quietem, labor prædicationis imponitur, & sitienti sponsi præsentiam, filiorum sponsi pariendorum, alendorumque solicitudo iniungitur. Neque nunc tantum accidit illi hoc; sed & alia vice (vt memini) cum sponsi amplexus, & oscula suspiraret, responsum est ei; quia meliora sunt vbera tua vino, vt ex hoc se intelligeret matrem, atque ad dandum lac paruulis, nutriendumque filios reuocari: fortassis, & in aliis Cantici huius locis, hoc ipsum; tu quoque (nisi piger sis ad inquirendum) per teipsum aduertere poteris an non res ista quondam in sancto Patriarcha Iacob præfigurabatur frustratus optatis, diuque expectatis Rachelis amplexibus pro sterili & decora, fœcundam, & lippam inuitus, atque ignarus accepit: Ita ergo nunc sponsa scire cupiens, & inquirens, vbi in meridianis horis dilectus pascat, recubet. murenulas pro eo reportat aureas vermiculatas argento, id est sapientiam cum eloquentia, haud dubium, quin ad prædicationis opus. Docemur ex hoc sanè intermittenda plerumq. dulcia oscula propter lactantia vbera; nec quemquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus, esse viuendum.] Hucusque Bernardus. Idipsum plane ipsamet sponsa indicare voluit, dum Cãt. 1. ait. [Lectulus noster floridus.] Post flores vtique fructus sanè reportare expectat agricola. Quod planè indicare intendit hoc in loco sponsa, in signum, quod post flores contemplationis nihil aliud expectandum sit, nisi fructus actionis, & bonorum operum. Et metaphora sanè vrget ad hoc. Ad quid enim sponsa lectulum suum floridum vallatum, sponso parat suo, nisi vt inde fructum, siue filios ab ipso reportare valeat? Quemadmodum igitur agricola ex floribus, & fructus, & sponsa ex cubiculo florido, ad filios enutriendos transilire solent; sic nobis ex floribus contemplationis ad fructus actionis, & bonorum operum progrediendum est. Quapropter noster Archipropheta primo contemplationi; (nimirum cum esset in spiritu) vacauit, & postea actioni, (nempè cum, post se vocem magnam tamquam tubæ exaudiuit) incubuit. Quia post raptum ad res Ecclesiæ componẽdas hìc per tubalem vocem vocatur. Quamobrem Richardus de sancto Victore, de nostro Euangelico Propheta ait: [In exilium relegatus Ioannes a strepitu mundi remotus, & quieti deditus, omnem pastoralem solicitudinem, cunctaq. visibilia post se longe reliquerat, solisque supernis, & inuisibilibus intendebat; quare dum ad subditorum eruditionem reducitur, & de ijs, quæ scribenda erant per sensibilium similitudines edocetur, quasi de anterioribus ad posteriora reuocatur.] Ita Richardus.

Luc. 6.

Matth. 26.

Act. 10.

Gen.

Angeli ascẽdentes, & descẽdẽtes qd significent.

D. Bernard. in Cant.

Murenulæ aureæ cur promittuntur sponsæ.

Lectulus floridus quid significet. Agricolæ spes

Ex flore contemplationis pullulat fructus actionis, & bonorum operum.

Comparatio.

Richardus de S. Victore.



PASTORES & Prædicatores (testantibus Hieronymo Laureto in sua silua allegoriarum, & Ioachimo Abbate, ac etiam Auctore incognito in hisce suis commentarijs.) per tubam, siue per tubalem vocem hic designantur propter tria. Primò, si quidem, quia tuba instrumentum est ad clangorem, & strepitum efformandum, cuius vtiq. sonum duodumtaxat efficiunt, nimirum, tuba ipsa, & flatus hominis. Per tubam quidem, quæ visibilis est, prælati, & prædicatores exprimuntur: Qui visibiles planè sunt vti solet esse tuba. Per flatum vero qui est inuisibilis, vim plane Spiritus sancti inuisibilem intelligimus, quæ in Pastore & Doctore prærequiritur, iuxta illud: [non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.] Sicut flatus inuisibilis per visibilem tubam. Quare iure optimo de Prædicatoribus, & Pastoribus communiter intelligitur illud Isaiæ. 58. [Clama, ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.] Porro tuba non solum ori imponitur, verum etiam manibus tenetur, ita Prælatus, & prædicator reprehensionem Euangelicam quam in ore habet, manu, id est, operatione, fulcire debet. Quo plane sensu intelligendus sanè venit Apostolus, dum ad Rom. 2. ait. [Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per præuaricationẽ legis, Deũ inhonoras.] Idque Redẽptor noster tangit, dũ dixit: [Qui sine peccato est vestrum primus in illam mittat lapidem.] Quamobrem idem Apostolus ad Tit. 2. ait. [In omnibus teipsum præbe exemplum.] Perinde ac diceret. Cura, vt in omnibus fias typus, & forma, & cæterorum exemplar, prout D. Gregorius super illud Ezechiel. 40. [Et labia earum palmi vnius reflexa intrinsecus per circuitum] animaduertit per hæc verba: [Tunc mensarum labia intrinseca reflectuntur, quando Doctores ad conscientiam reuocant, tacita cogitatione, quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur si faciunt, quod loquuntur rectè autem cum reflexa intrinsecus mensarum labia dicuntur additur, quoque (per circuitum) vt non in vna qualibet se parte considerent, atque ex alia semetipsos perpendere prætermittant, sed vbique semetipsos inspiciant, & in quantum præualent studeant singula opere implere quæ docent, ne si prædicantes facere bona dissimulant sui vastatores sint, cultores alicui. O doctor, Ecce iam mensa es, iam vasa portas, iam in vasis fidelibus pondus holocausti, & victimæ sustines, sed intus reflecte labrum, id est, ad cor reuoca sermonem. Audi, quod dicis, operare quod prædicas.] Hucusque D. Gregorius. Hoc igitur est, cæterorum exemplaria & typi in omnibus fieri prælati, & prædicatores, vti sanè factus fuit Apostolus, dum ad Philipp. 3. ait: [Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.] Id est, sicuti habetis nos typũ, & exẽplar, quasi his verbis Apostolus, se typum & exemplar Philippensium appellet, ex eo dumtaxat, quia ea quæ ipse eis prædicabat, sic opere & ipsemet præstabat, vt pro typo, & exemplari a cun-

Conceptus 2. Quod per tubalem vocem prælati, & cõcionatores intelligantur.

Hieron. Lauretus benedictinus tit. tuba.

Ioachimus Abbas

Incognit.

Prima proprietas prædicatorum.

Matth. 10.

2. Proprietas prædicatorũ, & prælatorũ

Ioan. 8.

D. Greg. homil. 21. in Ezech.

Mensarũ labia reflexa quid sig.

Lectio græcorum.

3. Proprietates Prælatorum, & Prædicatorum.

à cunctis fidelibus proculdubio haberi posset. Tertia tandem Pastorum, & Prædicatorum proprietas est, vt in tempore necessitatis voce magna, tamquam tubæ populo Christiano scelera, vitia, & eorum peccata annuncient. Hinc est illud Ezechielis 33. [Quod si speculator viderit gladium veniẽtem, & non insonuerit buccina, & populus non se custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.] Et quis quæso est speculator iste, nisi Prælatus, Prædicator, & Pastor? Hic sanè sal terræ, hic lux mundi, hic lucerna ardens, hic denique populi Dei speculator, in diuino eloquio est appellatus, cuius vox oportet sit magna, tamquam tubæ, & præcipuè in necessarijs. Prælati si quidem, pastores, & prędicatores cum necessitas vrget acclamare debent, fugienda esse vitia, detestanda scelera, & peccata, abominanda peruersitas, conterenda idola, præcauendas insuper esse astutias, versutias, ac diaboli insidias, resistendas tentationes, delitias, carnisq. titillationes, & anhelandum esse ad omnis perfectionis & virtutis apicem, & sic gregem sibi commissum ad vitam perducere quærant æternam, sicuti Moyses populum sibi creditum ad terram perduxit promissionis.

Vox pastoris, & Concionatoris debet esse in necessarijs magna, tamquã vox tubæ.

Officium prælatorum, & prædicatorũ est contra vitia prædicare Exod. 12

Excogitaui plane nonnulla loca sacræ scripturæ, quæ Prælatos, & Prædicatores verbi Dei ad præallegata mirumimmodum prouocant, & incitant. Primus quidem est Isaiæ, in cap. 15. dicentis. [Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum,] vir quidem inquinatus, ac pollutus labijs est Episcopus, siue concionator, qui instante necessitate tacet. De his intelligitur illud: [Canes muti non valentes latrare, speculatores cæci.] Secundus locus est Matth. 26. [Simon dormis?] Perinde, ac diceret Christus Petro, es pastor, cui, super oues sibi creditas, & commissas vigilare incumbit, & dormis? & præcipuè lupo appropinquante? pœna plane dignus es. Tertius locus est Prou. 11. [Qui abscondit frumentum maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentis.] Malum vtique est triticum abscondere, fame instantẽ, sed pessimum sanè est, tempore famis spiritualis, triticum, nempe, verbum Dei abscondere, hoc est, non prædicare. Contra quos Pastores, & Prædicatores insurgit Apostolus dicens: [Prædica, insta opportunè, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina, erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt.] Et nunc planè est: non quo ad fidei dogmata, sed quo ad morum malorum, & peccatorum incitamenta. Quartus locus est Eccles. 7. [Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum sunt circumpositæ sepulchro.] Alludit ad Gentilium morem, qui putabant animas à corporibus separatas, cibum sepulchro superpositum sumere. His igitur cibis, comparat vates Dei Pastores, & prædicatores, verbum Dei seminare renuentes, eosdem, [bona posita in ore clauso,] appellans. Quemadmodum enim bona illa nulli sunt vtilia, sic & isti, nec sibi, nec alijs prosunt; sunt vtique veluti mortuorum conuiuia. Quintus locus est Eccles. 8. [Qui considerat imbres, numquam metet, qui obseruat ventum non seminat.] Sic Pastor, & Prædicator, qui hunc, & illum humanum obseruat respectum, ad veritatem populo prædicandam, nunquam fructum siue præmium laborum suorum reportabit. Sextus locus est, Lucæ 3. [Ego vox clamantis in deserto parate viam Domini] perinde ac diceret Ioannes, quamuis nollint, nec possint, lapides, & saxa, arbores, & plantæ huius deserti me audire: Ego tamen officium meum, nimirum, prędicationis, exercere curo. Potens enim est Deus suscitare filios Abrahæ, & lapidibus his. Septimus locus est. Gen. 24. [Non comedam quousque loquar sermones Domini.] Vides serui Abrahæ feruorẽ? Sic oportet faciat Pastor, & Prædicator, donec annũciationem, & verba Dei populo deferat. Octauus locus est Ester 4. [Si enim silueris per aliã occasionẽ saluabit Dominus populũ suum: & tu & domus patris tui peribitis, &c.]

Locus Isaiæ explicatur.
Locus Matth. explicatur.
Locus Prou. explicatur.
Locus Eccleel esiast. explicatur.
Locus Eccl. explicatur.
Locus Lucæ explicatur.
Locus Gen. explicatur.
Locus Hester explicatur.

F Quasi dicat: loquere prędica, & remediũ adferes populo Dei. Sed fortasse dices, non audeo. Intelligas, tũc oportet manum Domini in te nullatenus abbreuiatam esse; quoniam si tu tacueris, suscitabit Dominus alium prædicatorem, qui coronam tuam accipiet. Audias rogo Deum ipsum in c. 46. Isaiæ dicentem: [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, vocans ab Oriente iustum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.] Et luculentius demonstratur id per illa verba Redemptoris, Matth. 21. [Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.] Propriũ igitur est Pastorum, & Prædicatorum in tempore necessitatis, vocem magnam tamquam tubæ emittere, vt sic vitia de populo Dei, omnino euellantur, & prorius deradicentur. Narratur Iosue. 6. quod ad voces tubarum sacerdotum, muri Iericuntini corruere, in signum quod ad voces sacerdotum, Pastorum, & Prædi-
G catorum, Ierico, id est, mundi huius mænia, nimirum superstitiosa dogmata solo adæquantur vt exponunt Doctores. Negotium profectò stupendum. Pugnant alij Reges & Principes armis, & potentia, Deus autem verbo suo, atque doctrina, mundum subiugauit, vt iugo Euangelij colla submitteret. En vides virtutem, efficaciam, ac potentiam vocum Prælatorum, & Prædicatorum legis Euangelicæ. Quamobrem Incognitus in hæc verba Apoc. sic ait: [Vocem magnam a Deo magno emissam, (audiuit Ioannes) quia magnorum enũciatiuam, quia virtute processiuam, quia ad magna, & magnifica excitatiuam: Psalmista, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, tamquam tubæ, scilicet, terribilis, sed tamen præmuuientis audientem, vel ad cauendum, vel ad expugnandum, & animandum per quam merito Prædicatorum vox designatur, quæ docet fugere peccata, & vitia, & præcauere hostis an-
H tiqui astutias, versutias, & insidias, tentationibus, & blanditijs carnis viriliter resistere, & ad omnis perfectionis, & virtutis apicem anhelare.] Hucusque Incognitus auctor.

Voluntas Dei semper fit.
Fig. Iosue 6.
Auctor incognit in cap. 1 Apoc.
Vox Domini semper est magnæ virtutis, & potentiæ.
Vox tubę prędicatoris typus.
Concionatoris officium.

P A R A P H R A S I S.

Octaua.

Par. 9. Dilucidatio textus.
§. 1. Libri descriptio.
Durandus.

Quod vides (inquit) scribe in libro. De ratione libri materialis est, (vt ait Durandus in 3. sent. dist. 51. quæst. 1.) quod repræsentet aliqua per figuras, quasi per quasdam similitudines ad perpetuam memoriam. Poterat si quidem iure optimo noster Euangelicus vates, dicere Angelo sibi alloquenti: Quorsum
I hæc? Ad quid Angele Dei, sunt hæ visiones? Propter quid, oro supplex, sunt tot, tantaq. mysteria, reuelata? Quamobrem, cum omne agens, teste Philosopho, agat propter finem, huic obiectioni tacitè obijciens Dei Angelus, vatem nostrum de fine harum diuinarum reuelationum hic venustè docet ac instruit, dicens, [Quod vides scribe in libro.] Perinde ac diceret: Quod intueris ò Dei Vates, non est inane, nec infructuosum, quinimmo fidelibus, & toti Ecclesiæ Dei valde vtile, & miruminmodum proficit; iccirco [scribe,] quia quod loquitur communiter inter homines, cito transit, & quod scribitur diu manet ad firmum, & perpetuum testimonium. Porrò quia liber de sua formali ratione habet quod repræsentet aliqua per figuras, quasi per quasdam similitudines ad perpetuam rei memoriam; & insuper quia illa sunt scribenda, quæ notabilia sunt, & in futurum retinenda, & tan-
K to diligentius debent scribi, quanto tenacius debent memoriæ firmiter mandari, [in libro,] tibi scribendum est, vt hæc mysteria, & visiones tibi à me ostensæ in perpetua memoria omnium fidelium sint in futurum. Et in illis, de his, Spiritu sancto duce, ita æterna habeatur mentio vt nulla eisdem reuelationibus diuinis, imposterum obliuio dominetur. Scribe igitur in libro, quoniam non satior, nec minus, mihi

Germanus sensus huius loci.
Liber aliqua repræsentare debet.

§. 3. Post me quomodo accipiatur. D. Ambros. & D. Dionysius Carth. in comment. & Berengandus.

Plerasque tamen alias enodationes obtinet ly. [post me,] iuxta Sanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum varias expositiones, reddentes; rationem, quare Ioannes post se hanc audierit vocem, cum coram eo esse deberet. Sic etenim scribunt: [Post me,] quia post nos est quod ignoramus. [Post me,] quia vox Domini post nos est, quando nos quasi serui fugitiui sumus, & dominus post tergum nostrũ clamat, vt nos reuocet. [Post me,] quia mysteria, quæ tunc ei reuelata sunt, nondum perfectè cognouerat. [Post me,] quia quæ sibi reuelata sunt non planè prius agnouerat. [Post me,] quia sese in anteriora extendens per contemplationem altiorem reuocatus est, quasi post se ad vtilitatem Christianorum, Facies enim est vis contemplationis, dorsum verò obliuio præsentium. [Post me,] quia de futuris erat vox illa, post præsentia enim futura sequuntur. [Post me,] quia Ioannes intellexit hunc esse Deum, sicut olim intellexerat Deum in lege, & Prophetis. [Post me,] quia a lege, & a Prophetis prædictum fuit hoc ipsum quod modo intelligit. [Post me,] quia post Ioannem erat totus mundus, & quicquid corporeis oculis cernitur, immo & totus præsentis Ecclesiæ status, retro hæc erant, quia ipse ad anteriora extendebatur, cum ad cælestia sursum raperetur. [Post me,] quia Ioannes in exilium relegatus a strepitu mundi. remotus, & quieti deditus, omnem pastoralem solicitudinem cunctaq. visibilia post se longè reliquerat solisq. supernis, & inuisibilibus intendebat. Quare dum ad subditorum eruditionem reducitur, & de ijs, quæ scribenda erant per sensibilium similitudines edoceretur, quasi de anterioribus ad posteriora reuocatur. [Post me,] quia de futuris erat reuelatio, quæ sunt quasi posteriora. [Post me,] quia quod post nos audimus, propè nos est, nec illud videmus, sed securi sumus, & voce ipsa admonemur oculis atque animo ad id quod audimus reuertere. Ita hę Ecclesię securæ erant ante persecutionem Domitiani, & nunc fortasse cum Ioannes hæc scribebat, existimabant pacem, iam affuturam, & quietem, forte & Apostolus ipse credebat: quamobrem vox quàm post se audiuit Ioannes, significabat magnas persecutiones, & afflictiones instare Christianis, opusq. esse, vt eas respiciant, & ad tolleranda omnia se præparent. Et tandem: [Post me,] quia Ioannes per hanc vocem quodammodo reuocatur ad res Ecclesiæ componendas. En vides varias Doctorum enodationes, circa ly; [Post me,] omnes quidem causales, hoc est reddentes rationem ob quam Ioannes post se hanc Angelicam audierit vocem, & per consequens omnes simul morales appello, superiorem verò nostram, quam supra adduximus tenoris sequentis: [Post me, idest, intra me,] litteralem esse existimo cum in ea [post,] pro [intra] dumtaxat accipiatur, in signum, quod Spiritus sanctus loquebatur in Ioanne, cum esset in spiritu, vt D. Hieronymus existimat de Ezechiele Propheta, dum in cap. 3. ait: [Et assumpsit me Spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ.] vbi [post me] pro [intra me,] accipiendum venit, vt hic loquendo ad litteram. Et idem intrepidè iuxta fidem catholicam. de omnibus Prophetis tenemur profiteri; quoniam Spiritus sanctus loquutus est per Prophetas, hoc est, in prophetis; Sicut Pater loquutus fuit nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula; & in Mattheo habetur: [non estis vos qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.]

(Margin: D. Thom. in comment. & Laudunen in sua Glos. interlin. — Strabus in sua glos. ord. — Rupert. Abb. in comment. — Richardus de S. Victore. — Incognit. in comment. Haymo Anselmus, & Franciscus Ribera in comment. — Blasi Viegas in comment. — D. Hieron. in Ezech. — Spiritus sanctus locutus est in Prophetis. — Matth. 10. Lucæ 21.)

§. 4. Vocis Domini magnitudo.

Porrò [magnam] appellat hanc Angelicam vocem, Aquila Euangelij: [Magna,] quia magna manifestabat; [magna,] quia ad magna, & magnifica excitabat iuxta illud Ps. 28. Vox domini in virtute, vox Domini in magnificentia.] [Magna,] quia à Deo magno erat emissa: [Magna] quia magna, hic mysteria, erant audienda: [magna,] quia ad excitandam attentionem, faciendamque audientiam destinabatur. [Magna,] quia per eam magnam commotionem in cordibus fidelium demonstrabat Spiritus sanctus, iuxta illud Psal. 59. [Commouisti terram & conturbasti eam, sana contritiones eius quia commota est.] Quoniam cum præterita iudicia Domini animo reuoluimus, vocem commotionis magnæ post tergum audimus cum futura meditamur ex his quæ ante sunt, commouemur. [Magna,] quia per hanc vocem magnam diuinæ virtutis ipsi prophetæ Ioanni assistentis magnitudo designatur. Tandem [magna,] quia per hanc ingentem vocem apertè demonstrabatur, quod veritas fidei non in occulto, sed magnis vocibus in apertò est manifestanda, & prædicanda, iuxta illud: [Quod in tenebris dixistis, in lumine dicetur, & quod in aure loquuti estis, in cubiculis prædicabitur in tectis.] Et paulo post: [Dico autem vobis, omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.] Veritas etenim fidei, non amat angulos, non in occulto, sed palam omni mundo loqui desiderat. Quare non qualemcunque vocem, sed [vocem magnam,] hanc angelicam vocem meritò appellat noster vates: Quemadmodum Ioannes ille Baptista, pænitentiæ speculum, interrogatus quis esset, respondere nullatenus renuit: [Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini.] Vtraq. enim vox, est vox cõmotionis magnæ, de qua cum Ezechiele nuper dicebamus: [audiui post me vocem commotionis magnæ,] Super quæ verba sic scribit quidam Doctor: [Voluit Deus magna hac vocis commotione, promissionem suam confirmare, promiserat enim Ezechieli, daturum illi magnam animi fortitudinem, & constantiam. Eodem modo volens Deus Apostolos suos implere gratia, eosque admirabili fortitudine, & in expugnabili constãtia munire, quemadmodum illis promiserat, illud voce commotionis magnæ significauit: factus est (inquit in actis Diuus Lucas) repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis & repleuit totam domum vbi erant sedentes:] Sic ille. Vbicumque autem in sacra pagina, reperitur ly [vox magna:] semper aliquod ingens sequitur mysterium, vt videre est, Matth. 27. [Et circa horam nonam, exclamauit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli, Lammalabacthani.] Et 1. Machab. 2. [respondit Matthias & dixit magna voce,] & paulo post, [Exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, &c.] Et sic est hic.

(Margin: Lucæ 12. — Veritas Euãgelij non quærit angulos. — Ioan. — Ezech. 3. — Hector Pintus in c. 3. Ezech.)

§. 5. Vox Angelica tubæ comparatur.

Postremo, tubæ, hæc vox magna comparatur sub his verbis: [tamquam tubæ dicentis,] vel vt legit Primasius, [Sicut tubam dicentem mihi.] Vsus siquidem tubarum frequens vtique est in diuino eloquio, & maxime in veteri Testamento apud Hebræos. Habebant namque Hebræi argenteas tubas, vt rectè annotat Alphonsus Tostatus in cap. 2. & 10. Num. quæ erant ad tria, nimirum ad conuocandam multitudinem filiorum Israel, & hoc fiebat duabus tubis: Secundo ad conuocandos Principes tribuum, & hoc fiebat vnica tuba, & breui clangore: Tertio ad mouenda castra, & hoc fiebat vnica tuba, & longo clanguore, & fiebat per quatuor vices, semel, nimirum, vt moueretur vexillum primum tribus Iuda, quod erat ad Orientem; & semel vt moueretur secundum vexillum tribus Ruben quod erat ad Meridiem; & iterũ vt moueretur tertium vexillũ tribus Ephraim, quod erat ad Occidentem: Et quartò tandé vt moueretur quartũ vexillum, quod erat tribus Dan; & ad Septentrionem respiciebat. Præter hoc vtebantur Hebrei tubis, tum ad conuocandum populum, vt rem magni momenti, omnibusq. vtilem audirent, iuxta illud Oseæ 3. [Clangite buccina in Gabbaa, tuba in Rama:] Tum ad solemnitates celebrandas, iuxta illud Psal. 80. [Buccinate in neomænia tuba in insigni die solemnitatis vestræ.] Tum ad scelera coram populo reprehendenda, iuxta illud Isa. 58. [Clama, ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.] Tum tandem vtebantur Hebræi tubis in cõuiuijs, in festis, & epulis, iuxta illud, quod de eiusdem dicitur, nempe: [In se-

(Margin: Abulens. to. 2. sup. num. Tuba ad qd in veteri testamento. Tribus Israel quando, & quomodo mouebantur. Vexilla tribuum Israel ad sonitum tubarum mouebantur. — Tubarum clangor inter hebræos multa significabat.)

mihi sufficit, vt tantum scribas, sed vt simul, & scribas, & librum compingas & astruas, in perpetuas æternitates per mansurum.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod Prophetæ, & Euang. primo vident & deinde scribunt. & postea librũ efformant ad perpetuã memoriam.



STYLVS proprius Prophetarum & Euangelistarum Dei, est, vt primò videant, aut audiant, & deinde visa, aut audita scribant, & postea de eisdem rebus librum conficiant. Solet enim Deus sua secreta cælestia primo reuelare Prophetis suis per visiones, & reuelationes, & deinde illis præcipere, & visa, & audita ad perpetuam memoriam scribant Hinc est, quod Moyses primò vidit rubum ardentem, vt dicitur Exod. 3. & audiuit vocem Domini dicentis sibi. [Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.] Et postea illi à Deo dictum fuit. [Hoc memoriale meum in generatione, & generationem.] Id est, scribe hoc ad æternam memoriam. Præterea eidem Moysi in cap. 6. Deuteronomij, primò patefecit Deus præcepta, cæremonias, & iudicia eius, vt videre est ibi, cũ illi dicitur: [Audi Israel Dominus Deus noster, Deus vnus est: Diliges dominum Deum tuum, &c.] Et postea illi, sic dixit: [Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ.] Porrò Exod. 31. primo locutus fuit Deus Moysi in monte Sinai, & postea in textu sequitur: [Deditq. Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.] Ieremias etiam primo vidit virgam vigilantem, & ollam succensam contra Israelitas, & postea illi dicitur: [Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge & loquere ad eos.] Ezechiel insuper primo vidit similitudinem filij hominis, & rotam in medio rotæ, & postea vidit librum scriptum intus, & foris. Et tandem Iob primò passus, & expertus fuit varias tribulationes, tormenta, & dæmonijs persecutiones; & postea dixit: [Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice?] Sic etiam Apostoli, & Euangelistæ primò Euangelium à Christo Domino audiuerunt, & miracula eius viderunt, & postea audita & visa scripserunt. Quapropter hic dicitur Ioanni, [Quod vides scribe in libro,] Vbi diligenter ad correptionem nostram notandum vtique est, quod non dicitur Ioanni; [Quod non vides scribe,] Sed tantum illi dicitur, [Quod vides, scribe:] vt nos etiam tantum scribamus visa, & audita. Quoniam sunt plerique homines qui inaudita & inuisa, audent contra inimicum scribere: Ex quo infinita damna, & incommoda oriuntur in dies. Quamobrem scribere non visa, nec audita, valde reprehensibile est, & præcipue in notarijs, decurionibus, siue tabellionibus. Hi enim quando ad officium tabellionatus assumuntur, sex solent iurare. Primo quidem, quod de his, quæ videbunt, & audient, & requisiti fuerint sine diminutione veritatis, conficient instrumentum. Secundo iurant, quod secreta sibi iniuncta celabunt. Quod super contracto vsurario, vel in fraudem vsurarum inito, non conficient instrumentum scienter. Quartò quod de omnibus instrumentis, quæ tradent, protocolla tenebunt. Quinto quod fideles erunt illis a quibus constituũtur, & si scirent damnum eorum iactari per seipsos, vel per nuncium reuelabunt. Sextò quod illud officium sic sibi iniunctum, cupiditate, odio, amore, & timore remotis, per omnia secundum bonam conscientiam exequentur. Vnde Augustinus de Ancona in sua summa de Ecclesiastica potestate quæst. 110. artic. 2. sic scribit: [Notarius in suo officio requirit publicam administrationem, est enim persona publica, publicæ vtilitati deseruiens; secundo requirit liberam actionem, vt habeat dominium sui actus; tertio requirit fidelem executionem, igitur propter publicam administrationem notarij debent esse de legitimo thoro nati, quia qui vitiosa origine obscurantur non possunt esse decuriones, nec Reipublicæ præesse in aliquo officio, vel dignitate sine superioris dispensatione; propter liberam verò actionem requiritur, quod non sint obnoxij seruituti, sed personæ liberæ; sed propter fidelem actionem requiritur quod iuramentum præstent, vt eorum officium fideliter exequantur:] sic ille. Et primum quod tabellio, siue notarius, iurat, est (vt dixi) quod de his, quæ videbit, & audiet, & requisitus fuerit, sine diminutione veritatis, vel commixtione falsitatis conficiet instrumentum. Læthale igitur erit, non solum tabellioni, siue notario, non audita, nec visa, scribere: verumetiam illis, qui falsa, & non visa nec audita, audent affirmatiuè contra inimicos scribere per epistolas familiares ad amicos. Visa igitur & audita duntaxat præcipit Angelus Ioanni, vt scribat, & mittat ad septem Ecclesias Asiæ.

Visionis propheticæ stylus, & ordo.

Hierem. 1.

Ezech. 1. 2. & 3.

Iob. 19.

Temerarij, & falsi homines

Sex solet notarius iurare quando ad officium assumitur.

Decurionum munera.

Hostien. & Ioan. an. in nouella

Aug. de Anc. q. 110. artic. 2. sum. Eccles. potestatis.

Notarius quis debeat esse.

Iuramentum notariorum.

Peccata notariorum.

Scribere quid debeant homines.

QVOD de coæternitate filij cum Patre vidit Ioannes dum supra pectus Domini in cœna recubuit, præcipit ei Angelus, vt scribat ad vniuersalem Ecclesiam contra Marcionem, & Hebionem, aliosque hæreticos, qui irruperant in Ecclesiam, & simplicitatem fidei Euangelicæ peruersa macularunt doctrina, negantes Christum fuisse ante Mariam. Sed dices, quid vidit Ioannes dum hic fuit in spiritu, & dum etiam in cœna supra pectus Domini recubuit? Multa quidem, & præcipue coæternam Patri, diuinitatem Christi, ideo illi meritò dicitur: [Quod vides scribe:] Quasi dicat: Matthæus, Marcus, & Lucas, de humanitate Christi, sufficiens scriptis firmarunt testimonium; at verò tu, qui hic in spiritu, & ecstasi es, & in cœna supra pectus Domini recubuisti, eius coæternitatem videns, de antiquitate diuinitatis eius, quod vidisti, quod nosti, Euangelico stylo scribe, & scriptis tuis, cunctas hæreticorum tenebras, patefacta veritatis luce, dispelle. Hinc est, quod Ioannes antequam suum scriberet Euangelium dicens: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] vidit hic in spiritu, & raptu similitudinem filij hominis, vt postea iustè diceret: [verbum caro factum est,] vt sic coæternus Patri filius, Iesus Christus, per orbem prædiceretur: Ex quo hæretici (qui Christum fuisse ante Mariam negabant) penitus profligarentur.

Conceptus 2. in quo explicantur ea, quæ Ioanni præcipit Angelus scribere.

PRÆCIPITVR Ioanni veluti vni ex diuinis scriptoribus, vt scribat. Et meritò sanè. Verum quidem est, quod mundani scriptores, vt Aristoteles, Plato, Pericles, Xenophon, Plinius, Ptholomæus, Trimagister, & alij Philosophi numero penè infiniti, nimia diligentia omnique solicitudine ac subtilitate multa de rebus naturalibus acutè scripserunt: at verò nihil commune, ij habent cum scriptoribus diuinis vtriusque Testamenti. Audi quæso: Quis enim acura-

Conceptus 3. Quod sacri scriptores ob scurant Philosophos circa naturalia.

Scriptores rerum naturalium.

Scriptores rerum diuinarum.

acuratius de cælis, de sole, de luna, de stellis, de elementis, de herbis, de plantis, de animalibus, & de piscibus scripsit quam Moyses? nemo sane. Quis Astrologorum stare fecit sol veluti Iosue? nullus. Quis de prælijs, seditionibus, sanguine, de regnis, & ordine militari elegantius scripsit quam, auctor librorum Regum, & Machabæorum? Nemo. Quis poesiam fælicius exercuit, quam Dauid, & Iob? Quis ardentius sermonem de amore fecit, quam Salomon? Quis de moribus œconomicis, & politicis melius philosophauit quam Ecclesiasticus? Quis futura verius prædixit, quam Prophetæ Dei, nemo sane. Quis insuper de causis mundi difficilius ad locutus fuit quam Moyses? secretius quam Dauid? argutius quam Ecclesiastes? gratius quam Salomon? verius quam Isaias? Nusquam gentium. Quis tandem de Arithmetica disseruit supra libros Numerorum? De musica supra Danielem? de pecudum pastorali cura supra Amos? de Agricultura supra Iosue? de Sculptura supra Zachariam? & de Architectura supra Apocalypsim? nemo sane. Taceat igitur Aristoteles cum sua Philosophia, abeat Plato cum sua subtili doctrina, sileat Trimagister cum sua Astrologia, obmutescat Zeno orator, cum sua arte Rhetorica, abscondant se iam Plinius, Ptolomæus, Artemidorus, & Isidorus, cum sua Geographia: Cessent iam Herodotus, Plutarchus, Titus Liuius, & Iustinus cum suis historijs. Et denique non appareant amplius, Homerus cum sua Iliade, Virgilius cum sua Aeneida, &c. Sed prodeant in medium vtriusque testamenti Moyses, Dauid, &c. Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes, coram fidelibus, diuini scriptores, qui diuino illo calamo mediante, de quo dicitur [Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,] ita eleganter, subtiliter, copiosè, & diuinè scripserunt, vt nihil supra. [Scribe (igitur Ioannes) in libro,] Quando quidem & hic in spiritu omnino es, & etiam in cæna supra pectus Domini recubuisti, & alta de Dominici pectoris fonte potasti.

Apocalypsis continet architecturã ciuitatis nouæ Ierusalem.

Scriptores, rerum humanarum pro nihilo habendi comparatione facta, ad diuinos scriptores.

PARAPHRASIS decima.

Par. 10.

Eliminatio textus.

§. 1. *Cura Dei erga suam Ecclesiam.*

Et mitte (ait præterea) **septem Ecclesijs.** Deus ipse qui Ecclesiæ suæ semper adfuit, loquens ad illam quandoq. per Prophetas iuxta illud Heb. 1. [Multifariam, multisq. modis olim Deus loquens patribus in Prophetis.] Quandoque verò per filium suum carne velatum, iuxta eundem Apostolum dicentem: [Nouissime vero his diebus loquutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum; per quem fecit, & sæcula.] Quandoq. etiam per Apostolos suos, iuxta illud Marci 16. [Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Ipsemet modo per Angelum suum, præcipit dilecto discipulo suo, vt librum diuinarum reuelationum a se (iussu diuino) scriptum ad Ecclesias mittat, quo fratres in fide confirmentur. Solebant enim Apostoli absentes, epistolas ad fideles mittere, vt eas ipsi in Ecclesia inter missarum solemnia coram populo ad consolationem fidelium (vt nuper in explanatione contextus dicebamus) legere, vt sic veritates Spiritus sancti, etiam per Apostolorum (dum populo non aderant) epistolas apprimè intelligerêt fideles de Ecclesia Dei. Hinc est illud Apostoli 2. Cor. 7. [Quoniam & si contristaui vos in Epistola non me pœnitet, & si pœniteret videns, quod Epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.] Eumdem namque effectum, nimirum, fidelium salutem, præsentes per prædicationẽ, & absentes per epistolas, semper in-

Consuetudo Apostolica.

F tendebant Apostoli, iuxta illud 2. Cor. 10. [Vt autem nô existimer tamquam terrere vos per Epistolas, quoniam quidem Epistolæ, inquiunt, graues sunt, & fortes, præsentia autem corporis infirma & sermo contemptibilis, hoc cogitet, qui eiusmodi est, quia quales sumus verbo, per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.] Præsentes vero in facto loquebatur in eis Spiritus sanctus, iuxta illud, [Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.] Igitur, & absentes, per litteras, loquebatur in eisdem, idem spiritus veritatis, qui etiam per epistolas Apostolorum, fidelibus cibaria (vt dicitur in psalmo 77.) misit eis in abundantia.

Spiritus sancti præsentia in Ecclesia Dei.

Math. 10.

Passim vero animaduertas oportet. Quod postquam Deus præcepit Ioanni, vt visa diligenter scriberet, mox subtexuit [& mitte septem Ecclesijs quæ sunt in Asia] G nimirum, vniuersali Ecclesiæ, vt ex hoc clare nos intelligeremus hæc arcana, vatem nostrum, & vidisse, & conscripsisse, in communẽ totius Ecclesiæ ædificationẽ & cõsolationem. Scriptum si quidem est 2. Cor. 3. [Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendũ, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonũ instructus] & ad Rom. 15. [Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.]Quã obrem, cum Apocalypsis sacra, & canonica scriptura sit, vt ex superioribus perspicuum satis euadit, recte hoc loco præcipitur diuinus Vates noster; vt postquam illam diligenter scripserit, eamdem sep tem Ecclesijs Asię, mittat eo quod ipsa plurimũ cõducat ad totius Ecclesiæ confirmationem, eruditionem, consolationem, exhortationem, correctionem, atq. repræhensionem, quoniam ad hoc est diuinitus inspirata, & H tradita B. Ioanni, vt sic, & ad septem Ecclesias Asiæ, & ad vniuersalem Ecclesiam perueniret, vt hac ratione, ad omnes nationes quæ id temporis in toto terrarum orbe erant, & quæque post id locorum, quocumq. tempore erant futurę, illius fructus apprime perueniret, vnde etiam diuina prouidentia factum vtique est, vt tam præclarum ad nos vsque, monimentũ perueneriṫ.

§. 2. *Apocalypsis vtilissima totius Ecclesiæ*

Mittere tamen, est verè, & propriè aliquem ad certum locum destinare, iuxta illud Genes. 37. [Mittamus eum in cisternam veterem.] Et, Exod. 4. [Mittam te ad Pharaonem,] Et iterum [mitte manum tuam in sinu tuo,] & num. 13. [mitte viros, qui considerent terram chanaam, quam daturus sum filijs Israel, singulos de singulis tribus, & principibus] & paulo post. [Fecit Moyses, quod Dominus imperauerat de deserto Pharam mittens principes viros &c.] I Verumenimuerò mittere hic allegorice significat doctrinam Ecclesię dare, quemadmodum D. Hieronymus, super illa verba Ioelis 2. [Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum, & oleum, &c.] existimat, Deum per hoc significare se daturum populo suo doctrinam, & dona spiritualia. Erit igitur noster Vates Euangelicus, mittens hunc reuelationum librum, septem Ecclesijs, veluti sagitta in manu potentis, & veluti vnus ex illorum excussorum filis, de quibus dicitur: [Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua,] Vbi mittere semina, nihil aliud vtique est, quam bene operari, vel docere ignorantes: Quamobrem nunc Ioannes noster illius seminatoris personam sustinet de quo Lucæ 8. dicitur; [Exijt qui seminat seminare semen suum.] Agrum autem in quo seminat, Ecclesia plane est, & fidelium corda, quæ K per has Epistolas ita contriuit noster Vates, vt de illis intelligi queat illud psalmi 147. [Mittit crystallum suam sicut buccellas.] Quoniam his Epistolis, Ecclesiæ tribulationum rigorem, ita temperauit, vt vna quęque Epistola ad vnamquamque ex septem Ecclesijs per Ioanẽ missa, ac destinata fuerit, veluti vna ex illius pharetræ eius filia, de quibus dicitur Thr. 3. [Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.] Id est sa-

§. 3. *Mittere quid sit.*

D. Hier. sup. Ioel.

Ioannes comparatur sagittæ.

Ps. 126.

Semina mittere, quid sit.

Apostoli seminatores.

Eccl. & etiã Cor nostrum agrum dicitur.

Verba Ioanis, sagittæ.

est, sagittas occulti iudicij), vt expendit Laudunensis in sua glossa interlineari. Quibus dispensationis suæ quasi castigationibus congruis, fideles corripit. Est plane Deus circa suam Ecclesiam veluti fidelissimus amans, & liberalissimus sponsus erga suam sponsam, qui illius amore captus, ad eam non tantum omnia sua bona mittit; verumetiam ad eandem, bona suorum amicorum mittere iubet, ac rogat. Quoniam Deus ad suam Ecclesiam non tantum misit Prophetas, filium suum, redemptionem, Apostolos, operarios, Prædicatores, vt liquide deducitur ex illo Matthæi, cap. 21. [Misit operarios in vineam suam.] Verumetiam huic dilecto discipulo (sicuti, & cæteris Apostolis,) iubet (& veluti rogat) vt bona spiritualia, quæ ei Spiritus sanctus suggessit, per internam illuminationem, eadem ad sponsam suam Ecclesiam per Epistolas septé, ad septem Ecclesias Asiæ destinatas, mittat ad correctionem, & fidelium in fide, spe, & charitate confirmationem. Erant enim teneres tunc in fide hæ septem Ecclesiæ: & ob id, sicuti teneres arbores, & oliuarum nouellæ, gratia Spiritus sancti per sancta Apostoli, & Euangelistæ Ioannis consilia à Deo, per has reuelationes accepta, prorsus irrigandæ veniebant. Hæ autem septem Ecclesiæ sunt plane significatæ per septem illas mulieres, de quibus dicitur Isaiæ, cap. 4. [Apprehendent septem mulieres virum vnum in illa die, dicentes, &c. inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.] Vbi per virum vnum, intellige Christum. Et per septem mulieres, septem dona Spiritus sancti, vel has septem Ecclesias.

Heb. 1. Isa. 42. Ierem. 16. Psal. 109. Ierem. 5. Isa. 16. Zach. 1. Orig. super Matth. homil. 14. Ambr. serm. 37. Greg. homil. 38.

PARAPHRASIS
Secunda.

Par. II. Dilucidatio textus. §. 1.

Quæ sunt (ait) in Asia. Orbis partem, in qua, hæ septem Ecclesiæ (quibus diuino instante præcepto, verba facturus est,) iacent, hic exprimit noster Archipropheta, eas sitas esse in Asia prædemonstrans. Quæ duplex cum sit, testantibus Ptholemæo, lib. 5. Geograph. c. 2. Isidoro lib. Etymolg. 13. Strabone lib. 12. & Raphaele Volaterrano lib. 10. Geograph. maior, nimirum, & minor: nullatenus de maiori, sed de minori, [vt produnt Arethas, Primasius, D. Ambros. D. Thom. D. Dionysius Carthusianus, Aprigius, Dionysius Alexandrinus, Victorinus martyr, Petrus Berchorius Pictauiensis, Lyranus, Rupertus Abbas, & alij grauissimi numero infiniti adstipulatores) hic est sermo. Quamobrem suscepto operi maxime congruere puto, omnes principaliores orbis partes hic perscrutari, vt sic cuiuis verbi diuini præconi, Asiæ in qua huiusmodi septé iacent Ecclesiæ, facilis sit cognitio. Hucusque enim à nostro vate bis inculcatum est hoc nomen [Asia] semel videlicet dum dixit: [Ioannes septem Ecclesijs quæ sunt in Asia gratia,] & nunc quum ait; [Mitte septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.] Idcirco illic de vniuersali egimus Ecclesia, nunc vero restat, de vniuersi orbis descriptione breuiter, ac succinctè hoc in loco peragere, qm cũ hæc prophetia vniuersalis sit, & per vniuersum orbem a successoribus Apostolorum certè prædicanda: Iuuabit plane hæc breuis totius orbis disputatio concionatoribus, ac verbi diuini acclamatoribus huius nostri sæculi, quorum plerique, vt hac nostra tempestate pulchrius, & elegantius Verbum diuinum fidelibus annunciẽt, solẽt aliquando, maioris facundiæ causa, aliquas orbis regiones regna, oppida, & ciuitates, attingere in medio suæ concionis. Sustineam autem in hac re breuiter ac summatim tractanda Geographorum, ac Cosmographorum personam, quorum stylus quippe est, oppida, regiones, satrapias, siue prouincias, ciuitates, amnes, maria, sinus, montes, terminos, finesque regnorum dumtaxat recensere. Sequar vero in hac materia enodanda, Ptholemæum, Plinium, Strabonem, Seruium, Berosum, Blondum,

Asia duplex. Ptholemæus. Isidor. Strab. Areth. Primas. D. Ambr. D. Thom. Carthus. Dion. Alex. Victor. Mart. Berchor. Lyran. Rup. Abb.

A Raphaelem, Volaterranum, Paulum Iouium, Thomam Bozzium, & quosdam etiam Neotericos, Cosmographos, quorum nomina infra, suo loco, apparebunt.

Cosmographi itaque ac Geographi antiqui, Ptholemæus in suis tabulis, & Plinius in sua hist. nat. terram, (quæ in principio creationis mundi inanis; & vacua erat iuxta illud Gen. cap. 1. [Terra autem erat inanis, & vacua.] quo loco, in originali Hebræo habetur [THOV], & [BOHV,] perinde ac diceret sacer textus: [funditus vacua,] super quam, & aquas spiritus Domini ferebatur, & ad vocem illam Domini dicentis: [Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida, (nempe, terra ab aquis discooperta plane fuit) in tres maiores, & principaliores partes, Europam, videlicet, Africam & Asiam vtique sectant. At vero nostrates iuniores
B Cosmographi, & Historici, s. Appianus, Ioannes Butero, Augustinus de la Rate, Alphonsus de Erzilla, Iosephus Acosta frater Thomas Maluenda, & Ioannes à Moya, aliam maiorem, ac etiam principaliorem terræ partem, quam ipsi Coloniam, siue Americam, (quæ vulgo nouus orbis, siue Occidentalis India appellatur) hoc nostro sæculo, industria Christophori Colon siue Columbi Liguri, & auxilio, ac ope Ferdinandi, Caroli V. & Philippi II. Hispaniarum Regum, inuentam & discoopertam, superaddunt. Ideo iuxta hosce neotericos Cosmographos, ac Historicos citatos, vniuersæ terræ habitabilis erunt quatuor præcipuæ, maiores, ac principaliores partes, Europa, nimirum, Africa, Asia, & Nouus Orbis. Quas vtique & ego, qua potuero diligentia, & breuitate describere curabo; vt sic prædicatoribus verbi Dei, quorum sonus in omnem terram, & verba
C in fines orbis terræ exire oportet, aliqua facilis (vt dixi) totius orbis summatim sit cognitio. Quoniam istis etiam dixit Xps Matth. 28. [Euntes ergo docete omnes gẽtes baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.] & Marc. cap. 16. [Prædicate Euangelium omni creaturæ.] & Isa. cap. 43. [Dic Aquiloni, da, & Austro, noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.] Quamobrem, hoc pertractando argumentum, ascendam primo à Freto Gaditano, versus Occidentem, & postmodum ab ipsomet Gaditano freto descendam versus Orientem, eò quòd à freto Gaditano incipit omnis Cosmographorum, & Geographorum consideratio.

§. 2. Orbem vniuersum in quatuor principaliores partes diuidit auctor.

Cosmographi & Geographi antiqui in tres dumtaxat principales partes, vniuersam diuidunt terram habitabilem.

Cosmographi & historici iuniores terram habitabilem in quatuor partes principales distribuunt.

Christophorus Columbus noui orbis indagator, & inuentor.

Nouus orbis sub quibus regibus Hispaniæ inuentus.

Prædicatoribus necessaria est totius orbis cognitio, quamuis minutula.

Prædicatores portabũt Euãgelium per vniuersum orbem.

Fretum itaque Gaditanum siue Herculeum, quod vulgo [El estrecho de Gibraltar,] dicitur, sunt duo mõtes, quorum vnus, Calpe, alter vero, Abila appel-
D latur. Calpe mons est Hispaniæ vlterioris, Abila vero Mauritaniæ Africæ mons itidem describitur. Hos duos montes antea coniunctos, Hercules (vt apud Poetas circumfertur) sua fortitudine diuisit. Quippe qui duo montes intersese ex diametro opponuntur, quorum Abila, ad Mauritaniã Africæ pertinet, & valde excelsus, ac ingens sane est: Calpe verò qui in Hispania Europæ iacet, quamuis non magnus sit, altitudine tamen valde ingens quippe est, & mari circumfluus; In cuius radicibus ciuitas quędam, nomine Calpe, vulgo Calis dicta, condita est cum suo portu, & optimo nauigiorũ receptaculo: ponte tamẽ lapideo & ligneo Insula hæc Hispaniæ coniungitur. Porro hosce duos montes Abilam, nimirum, & Calpem, duas herculeas columnas esse scriptores docent. Quamuis alij supra hos duos mõtes, Herculem duas posuisse, (quasi terminos, & fines regni sui) columnas asseuerent, vt produnt Stephanus
E Bizantius, & Dionysius Afer. Quod plane Ptholemæo quadrare videtur, in vtroque monte suam depingenti columnam, in signum quod in vtroque monte altera herculea columna sita sit. Nec desunt Historiographi asseuerantes hosce duos montes, Abilam, & Calpem ob illorum altitudinem, Herculeas columnas semper appellatos extitisse, eò quòd vetustatis testimonio laborum Herculis limites, illic consecrati quippe fuerint. Fretum igitur Gaditanum, Herculeumuè

§. 3. Fretum Gaditanum quale sit.

Ratio auctoris de columnis Herculis tabulis Ptholemæi satis consona.

lesivè, est parua illa distātia, siue angustum illud mare, quod inter Abilam, & Calpem interiacet, quod testantibus Ptholemæo, & Plinio tribus dumtaxat Hispanis leucis latum vtique est. Et hæc parua maris distantia a similitudine feruentis aquæ, fretum nuncupatur.

§. 4. De Gadibus. Gades sunt duæ insulæ.

Gades insuper, duæ sunt Insulæ, teste Plinio lib. 4. nat. hist. cap. 22. vltra finem Beticæ Prouinciæ Hispaniæ vlterioris, in extremo nostri maris, versus Occidētem, vbi Europa ab Africa dirimitur, sitæ; quarum vna dicitur Gadis maior, de qua Plinius loco citato sic scribit: [Gadis longa, vt Polybius scribit xij. m. lata iij. m. pass. abest à continente proxima parte minus cc. reliqua plus septem, m. ipsius spatium, xv. m. est, habet oppidum ciuium Romanorum, quod appellatur Augusta, Vrbs Iolia Gadirana, ab eo latere, quo Hispaniam spectat, passibus fere c. sic ille. Distat Gadis maior à Calpe vt prodit Strabo, septingentorum quinquaginta stadiorum interuallo. Parua quidem insula, sed virorum dignitate maxime excellens. In qua equestris ordinis Gaditanos quingentos in vno censu, numeratos aliquando fuisse compertum est. Altera vero insula, dicitur Gadis minor, cuius situm Plinius vbi supra per hæc verba describit: [Altera insula est longa iij. m. pass. in qua prius oppidum Gadium fuit, &c.] & paulo post: [In hac Geryones habitasse à quibusdam existimatur, cuius armenta Hercules adduxit.] In hac insula tanta quidem est pabuli lætitia, vt pecudum ibi pascentium lac, serum minime efficiat, neque ex eo caseus fieri potest, nisi multa admixta aqua. Quinimmo pascentes in hac insula pecudes, vt quidam tradunt (nisi ab ipsis sub inde sanguinem exhaurias) intra triginta dies pinguedine suffocantur. Quod plane Poetis, vt prodit Strabo lib. 3. occasionem videtur, administrasse, eorum quæ de Geryonis armentis fabulati sunt.

Gadis maior quæ sit. Plinius. Strab.

§. 5. Mare mediterraneu quid sit.

Mediterraneum mare, Oceani pars vtique est, quoniam Oceanus terram nostram habitabilem in Freto Gaditano diuidit: Et scissis Calpe, & Abila montibus, primo fretum quem Gaditanum nuncupamus efficit, & postea per mediam regionem habitabilem sese intromittit, à dextro latere, Mauritaniā, à Leua vero Hispaniam relinquendo, Hincque dicitur mare Mediterraneum, eo quod inter terras mediet sese extendendo vsque ad Asiæ littora. Sumit etiam à diuersis littoris diuersa nomina; quoniam statim postquam à freto Gaditano dilabitur, ab Iberia, dicit mare Ibericum, ab insulis Balearibus, mare Baleare, à Narbona, mare, Narbonense; à Gallia, Gallicum; à Liguria, Liguricum, siue Ligusticum, à Sardinia, Sardoum; à Sicilia, Siculum, à Creta, Creticum; à Venetia, Adriaticum; ab Asia, Asiaticum, &c. Porro à varijs pelagis in medio gurgite appellatur Archipelagus: à Græcia vero dicitur mare Græcum. a Pamphilia, Pamphilicum; à Ponto, Ponticum; ab Ægypto, mare Ægyptiacum; à Punico, Punicum; a Lybia, Lybicum, & tandem ab Africa, Africum mare nuncupatur. Et omnia ista diuersa maria, vno vocabulo, mare Mediterraneum dicuntur, quod est pars Oceani. Quamobrem mare illud (vt dixi) quod ex Oceano inter Abilam, & Calpem promontorium irrupens per medias terras se diffundendo Africam ab Europa dirimit & vsque ad Asiam se extendit, Mediterraneum mare dicitur, & sinus Oceani.

Archipelag. quis sit.

§. 6. Oceanus mare quid sit.

Oceanus vero mare illud appellatur, quod vniuersam circuit terram, Quamobrem Grecè [Amphitrite] dicitur, quasi nauigantes circumtenens. Et à diuersis littoribus plerumq; accipit nomen. Quoniam ab Occidente, Oceanus occidentis; ab Oriente vero, Oceanus oriens; a Meridie, Oceanus Meridionalis, à Septētrione, Oceanus Septentrionalis appellatur. Rursus à Sarmatia, Sarmaticus, à Germania, Germanicus; à Cantabria, Cantabricus; ab Aquitania, Aquitanicus, à Britannia, Brittannicus; & ab India Indicus Oceanus nuncupatur. Porro versus fretum Gaditanum antequam terram intret, ad dexteram, Oceanus Atlanticus, ad Leuam vero, Oceanus Gaditanicus dicitur. Postremo postquam per fretum Gaditanum terras intrat, varia etiam accipit nomina; eo quod ab Arabia, Arabicus, à Persia, persicus Oceanus appellatur: & sic de cæteris littoribus. Quare vere & proprie mare ipsum quod vniuersam circuit vndequaque terram, Oceanus nuncupatur. Circumferunt tamen fabulosè Poetæ, quēdam fuisse, nomnine Oceanum, cæli, & terræ, filium, & maritum, quē ipsi maris Deum faciunt: De quo Virg. 4. Georg. sic ait:

Fabula de Oceano.

Verg.

Oceanumque patrem rerum, Nimphasque sorores.

Et Cicero de vni. [Oceanus cæli terræq; filius.] Sed hæc, tamquam fabulosa missa hic facimus.

Cicer.

§. 7. Insulæ Fortunatæ vbi iacent.

Extra fretum Gaditanum in mari Oceano, tam versus Polum Articum, quam versus Polum Antarticum, puta tam versus Septētrionem, quam versus Austrum, iacent innumeræ insulæ. Quarum vltimæ versus Occidentem, testantibus Plinio lib. 6. nat. hist. cap. 32. Isidoro lib. 13. Etym. & Solino in Polistor. cap. vlt. sunt Fortunatæ insulæ contra Leuam Mauritaniæ, 8. m. pass. sitæ, Septēnario numero fruentes, & mari interiecto vndequaque inter se distinctæ. Quarum nomina sunt, Ombrion, Iunonia, Caprara, Niuaria, & Canaria, quæ à multitudine canum ingentis magnitudinis, ita appellatur. In quibus vt produnt Plinius, Isidorus, & Alphonsus Tostatus in cap. 13. Gen. q. 91. Paradisum terrestrē, error aliquorum Gentilium sequentium carmina Poetarum, esse tenebat. Vnde asseuerabant eas fortunatas insulas, vocabulo suo, omnia fere bona significare, quasi felices, & beatas, fructuū vbertate, & suapte natura, poma syluas parturire, fortuitisque vitibus, iuga collium vestiri, ad herbæ vicem, messes & olera esse. Quāobrem ob soli fœcunditatem, easdem esse Paradisum terrestrem fallo gentiles putarunt.

Fortunatæ Insulæ.

§. 8. Nouus orbis, prima nunc pars totius terræ habitabilis.

Post fortunatas insulas, Ptholemæus, Plinius, Isidorus, Solinus, & reliqui veteres Cosmographi, Geographi & Historici, nullam aliam esse terram habitabilem reperiri asseuerarunt, propter Zonam torridam, quæ nimis frigida, & calida, & perconsequens inhabitabitabilis olim a Cosmographis, & astronomis existimabatur. Enimuero Chrystophorus Colon, siue Colūbus Ligurius, eximius Astrologus, dicertissimus Mathematicus, acutissimus, validissimus, simulque felix Nauta, anno secundo supra millesimum, quadringentesimum, nonagesimum, à Christi Natiuitate, auxilio, & ope Ferdinandi Castellæ Regis, fauentibus superis, illud tranauit mare, & sub Torridam Zonam nauigando, infra trium mensium curriculum, Deo ex alto dante, nouam orbis partem habitabilem, ibi nobis opertam, detegit, & inuenit, quæ nouus orbis, siue India Occidentalis, hoc nostro sæculo appellatur. Quam quippe idē Rex Ferdinandus, ac etiam eius superstites, Carolus V. Philippus II. & Philippus III. Hispaniarum dignissimi Reges, per eumdem met Christophorū Columbum, ac etiam per Americum Vespucium Florentinum, Ferdinandum Cortesium, Franciscum Pizzaro, aliosque validissimos milites, simulque nobilissimos duces, nimio labore & industria, ex gentilitate, ad fidē Christi, & ad sanctum eius Euangelium, feliciter postea perduxerunt, & in dies etiam adhuc deuote perducunt.

Christophor. Columbus Ligurius primus noui orbis indagator. Paulus Iouius hist. lib. 5. Thom. Maluenda lib. 3. de Antichr. c. 12.

Cuius plane noui orbis conuersionem olim prædixisset doctissimus, simulque sapientissimus Hispanus ille, patria Cordubensis, Seneca, per illa verba.

Noui orbis conuersio.

Venient annis
Sæcula seris quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, typhisque nouos
Deteget orbes
Ne sit terris vltima Thule.

Seneca in Medea, act. 2. in fine.

Si (vt prodit Ioannes Botero, tom. 2. suarū relationū) vbi posuit [Thule] posuisset [Gades] ita vt diceret.

Ioan. Boterus.

Ne sit tellus vltima Gades.

Quoniam

Quoniam nouus orbis non fuit de tectus à Septentrione, siue à Polo Artico vbi iacet insula Thule vltra Orcades vltima in toto orbe versus polum Articum, sed ab Austro, siue à polo Antartico, nimirum a Meridie vbi adest Gades.

Situs noui orbis.

Iacet tamen nouus iste Orbis, siue Occidua india sub Zona Torrida. Astrologi namque, & Cosmographi cælum, & terram, in Zonas, cingulosvè quinque distribuerunt, nimirum, Zonam aquilonarem superiorem, Zonam australem superiorem, Zonam aquilonarem inferiorem sub axe aquilonis, Zonam australem inferiorem sub polo austrino, & Zonam torridam, his mediam. Quarum duas priores, & superiores, & temperatas, & habitabiles appellarunt, duas vero posteriores, ac inferiores infesto rigore, & æterno gelu, ac pruina, & caligine præmi affirmarunt, postremam vero, nimirum Zonam torridam, exustam flammis, ac crematam, solis orbitam, & afflatu continui caloris incensam semper extitisse existimarunt, obidq; hominum habitationi prorsus incommodam, intrepide asseruerunt. Quamobrem de his quinque Zonis sic cecinit Virg.

Quinque tenent cælum zonæ, quarum vna corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni est,
Quam circum extremæ dextra lauaque trahuntur,
Carulea glacie concretæ, atq. imbribus atris:
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuum, & via secta per ambas.

Et Ouidius.

Vtque duæ dextra cælum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ: quinta est ardentior illis:
Sic onus inclusum numero dixtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarumque media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramq: locauit
Temperiemque dedit mista cum frigore flamma.

Ex quibus omnibus liquet inter quinque cæli, & terræ zonas, torridam, & intemperatam & inhabitabilem, olim à veteribus omnibus existimatam fuisse, & idem docent Aristoteles 2. lib. meteor. cap. 5. Cicero in somnio Scipionis, Virgilius lib. 1. georg. & 7. Æneid. Plinius lib. 2. hist. nat. cap. 68. & Macrobius in somnium Scipionis. Et sic Ioannes Picus mirandulę, Romę coram Alexandro VI. publice defendit saltem sub torrida zona, impossibilem esse hominum habitationem. Et ob id à præfato Christophoro Columbo Liguro, hæc verba: [Iesus cum Maria sit nobis in via] in illa sua difficili nauigatione deuotè, ac crebro proferente, mirabiliter detectus, ac inuentus fuit.

Colombi verba consolatoria in orbis occidui nauigatione.

Orbis occidui diuiso.

Diuiditur vero occiduus orbis in duas præcipuas, ac ac principaliores partes, Coloniam, puta, & Magallanicam. Quarum Colonia à Columbo, siue Colon, eius primo inuentore, nomen reportauit. Primam autem terram, quam validissimus astronomus Christophorus Columbus, in illo nono ac Occiduo orbe detegit, insulam sancti Saluatoris ipse appellauit. Rursus Colonia, alio nomine America nuncupatur, ab Americo Vespucio, nomen etiam accipiendo, qui teste Petro Apiano in sua Cosmographia, in detegenda, augenda, & ad fidem Christi conuertenda illa noui orbis parte, à Columbo

A discooperta (quam Coloniam iussu Regis, appellamus) maxime, etiam & ipse, elaborauit.

Subdiuiditur insuper Colonia, siue America, (vt tenet Ioannes Botero tom. 2. suarum relationum de nouo orbe) in duas peninsulas, Australem, videlicet, & Septentrionalem; quæ plane ambæ peninsulæ hasce omnes in se satrapias, siue prouincias vtique continent. Norombegam, Stotilantem, Floridam, Coloni, siue Agricolę terram, Veneçuelam, S. Martham, Cartagenam, Nomen Dei, Honduras, Nucatam, nouam Hispaniam, Guatimalam, Nicaruguam, Culiacan, nouam Galitiam, Americam, Quitto, nouam Beticam, siue nouum Granatæ Regnum, S. Crucem, Chylem, Limam, Trugillum, Peru, Cusco, Ciarchen, Tucuman, S. Fidem, Chinam, Mexicum, S. Dominicum, Paragay, Brasil, & Mecioacan. Quæ omnes satrapiæ, siuæ prouinciæ infinitis ciuitatibus, pagis, villibus, siue oppidis maxime B illustrantur: Inter quas ciuitates, Panomá, & Nomen Dei, illustriores, ac potissime recensentur. Altera vero principalior noui orbis pars (vt dixi) est Magallanica à Ferdinando Magallanes Lusitano, qui illam cum suo magno freto, quem vulgo: [El estrecho de Magallanes] appellamus, postmodum detegit, nomen accepit. Quæ plane apud nostrates Cosmographos, ac Geographos non satis constat, quot, & quantas satrapias, siue prouincias, regionesuè obtineat, quoniam vndequaq; detecta minime est. Petrus tamē Apianus, in sua cosmographia, Ioānes Botero, in suis relationibus noui orbis, Iosephus à Costa in sua hist. nat. noui, orb. Ioan. a Barros decad. 1. lib. 4. c. 6. Thomas Maluenda lib. 3. de Antichristo, c. 15. & Ioannes Perez, de Moya, in suis Fragmētis mathematicis p. 2. c. 13. aperte asseuerant, solam hanc partem noui orbis principaliorem, magnitudine, Europam, Africam, & Asiam simul sumptas, sine dubio, & exuperare, & C excellere. Quod plane probabilitate minime caret, quū ex eius Magallanico freto, nauis quædam, Victoria, appellata anno 1521. ad Catigaram, Asiæ partem à Ptolemæo vltimo descriptam, subter nos deuenerit. Et insuper ex Promontorio Magallanico vulgo (in illo nouo orbe) dicto. [Tierra de vista] viq; ad aliud Africæ Promontorium bonæ spei, vulgo [El cabo de buena sperança] appellatum, 450. leucæ Hispanicæ, teste Ioanne Botero dumtaxat numerentur.

Coloniæ, siue Americæ prouinciæ, & satrapiæ.

Ciuitates, & oppida Americæ.

Porro Insulas obtinet nouus iste orbis, mari vndequaq; circumfluas, penè infinitas, Cubam, Spañolam, Desideratam, Panarias, Borlouentum, Dominichinam, Guadalupem, Marigalantem, S. Saluatorem, Insulā dæmoniorum, Insulas Reginæ Pomariū, hoc est: [Iardin de la Reyna,] vulgo dictas, Margaritam, Trinitatem, Virgines, Philippinas, Beatam; Insulas [Las damas] vulgo nuncupatas, & D tandem insulas Lucayas, numero vltra 400.

Insulæ noui orbis.

Omnes præterea hæ insulæ simul cum suis satrapijs, siue prouincijs, ac regionibus, varijs ac fere infinitis auro, argentoq; apprime scatētibus irrigantur fluminibus. Quorum præcipua sunt, flumē Paragay, flumen Magdalenæ, flumen Peru, flumen Argenti, & flumen Amazonarum, alio nomine [El Marañon] nuncupatum, siue fluuius Orellana.

Flumina noui orbis.

Hunc nouum orbem, adèo barbara, & rustica olim incolebat gens, vt de illa merito explanari queat illud: [Gens absq; consilio, & sine prudēta, &c.] Dæmoniorū siquidem idola adorabat, carne humana quidam eorum vescebantur, humi iacebant, nudi incedebant, barba carebant, panem ex radicibus, & ex Maiz, (quem in Hispania [trigo de las Indias] appellamus) conficiebant, pecunias minime obtinebant, quorum loco, quibusdam E arborum fructibus, sua vernacula lingua [Cacao] nuncupatis vtebantur. Qui cum nostrates Christiani maria, amnia, siue flumina illa suarum regionum, nauium haud exigua classe iam primo tranantes, ac nauigantes, siue sulcantes vidissent, naues, scopulos, homines barbatos, Deos, sonitum machinarū, strepitum etiam siue crepitū instrumentorum bellicorum, quos quos [Tiros de artilleria] vulgo appellamus, tonitrua ac fulgara, exēplo ipsi existimarunt. Quæ quidem rusticitas, & barbaries, per

Gentes noui orbis quales sint.

Indiarum rusticitas, & barbaries.

susceptionem Euangelij, & legis gratiæ, fere ab eis abolita quippe est.

§. 9.

Europa prima olim, nūc vero secunda pars terræ habitabilis totius orbis.

Descendam nunc à Freto Gaditano ad leuam versus Orientem: Vbi iacet nostra Europa; quæ secunda nunc (attamen olim prima ante noui occiduiq; orbis detectionem) præcipua, & principalis terræ habitabilis totius orbis, pars est. Quam præcipuam appellamus non magnitudine, sed Romanorum Imperio, ac fortitudine. Roma namque (Vrbium, & totius orbis merito Regina appellata) Europæ caput est; eius vero magnitudo, siue longitudo est à freto Gaditano, siue Herculeo, vsque ad fluuium Tanais Scythiæ. Quoniam Plinius lib. 3. nat. hist. cap. 1. situm Europæ ita describit: [Primum ergo de Europa altricæ victoris omnium gentium populi, longeque terrarum pulcherrima quam plerique merito non, tertiam portionem fecere; verum etiam in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanum Fretum vniuerso orbe diuiso, &c.] Et Ptholemæus eiusdem situm lib. 2. cap. 1. his verbis describit: [Vnde Europa, quæuè in illa sunt prius describemus, eam & nos ab Africa diuidentes freto Herculeo, ab Asia vero post maria, quæ interiacent, Paludéque meotim fluuio Tanai, atque Meridiano, qui ab hoc ad incognitam terram extenditur.] Hucusque Ptholemæus. Verumenimuero si mauis quatuor principaliores totius Europæ terminos facilius sic intelliges. Terminatur enim Europa, ab Oriente, amne vel fluuio Tanai, ab Occidente vero, Freto Herculeo, siue Gaditano, vel Oceano Atlantico. Porro, à meridie terminatur mare Mediterraneo, & tandem à Septemtrione, Europa, mare Anglo & Germanico; quod nos mare Alemaniæ (qui populi Septemtrionales sunt) nuncupamus, clauditur.

Europa Imperio Romano maxime illustratur.
Europa caput Roma.
Europa magnitudo.
Plinius.
Ptholemæus.
Europæ termini.

Obtinet Europa, vt prodit Ptholemæus lib. 2. 3. & 8. triginta, & quatuor prouincias, siue satrapias, videlicet Iuerniam, Albion, (siue Portugaliam) Tarraconensem, (siue Kataloniam) Galliam, Aquitaniam, Galliam Lugdunensem, Galliam Belgicam, Galliam Narbonensem, Germaniam magnam, Rhetiam, Vendeliciam, Noriuē, Pannoniam superiorem & inferiorem, Ilyricum, vel Dalmatiam, Italiam, Cyrnos, (siue Corsicam) Sardiniam (patriam meam charam) Siciliam Sarmatiam Europæ, Tauricam Chersonesum, Iazigem Metanastæ, Daciam, Valachiam, Mysiam superiorem Saruiam, Mysiam inferiorem Bosnam, Traciam, Chersonesum, Macedoniam, Epirum Romaniam, Achaiam, Eubocam, Peloponesum, & Cretam, (siue Candiam.) De quibus omnibus satrapijs, siue prouincijs. Ptholemæus duos libros, puta 2. & 3. in ordine, cum decem tabulis, & Plinius duos etiam libros, nimirum, 3. & 4. in ordine, conficit.

Europæ Prouinciæ, & Satrapiæ.

Huiusmodi satrapiæ, siue prouinciæ modo diuiduntur, testante Plinio, per Cōuentus, & Regiones. Quoniã in Betica fuerunt quatuor iuridici conuentus, vtpote Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, & Hispalensis. Et hi quatuor Beticæ prouinciæ conuentus, cum Lusitania, vlteriorem Hispaniam constituūt. Hispania, etenim in vlteriorem, & citeriorem à Plinio diuiditur. Citerior insuper Hispania in septem conuentus iuridicos secatur; nimirum, Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, & Bracarum. Tandem Italia Prouincia in decem regiones distribuitur, videlicet, in locros, Lacinium, Promōtorium, Frentanam, vel Ferentinos populos, Picenum, vulgo Marca de Ancona, Vmbriam, Ariminum, Vbiorum coloniam, Padum, Ttransfpadanam, & Venetiam. Conuentus autem iuridicus, dicitur locus ad quem homines simul, vel ad iudicandum, vel alia quacumque de causa conuenire solebant. Regio vero dicitur à Rego, eò quod prius quã Prouinciæ fierent, & regiones, à Regibus regebantur.

Europa diuisio.
Hispaniæ diuisio.
Hispania vlterior.
Hispania citerior.
Italiæ diuisio
Italia Prouincia decem regiones obtinet.
Conuentus iuridicus quid sit.
Regio quid sit.

Aliter solet communiter Europa diuidi, nempe à Calpe vsque ad iuga Pyrinea dicitur Hispania, terrarum prima, ita vt à Calpe vsque ad prouinciam Tarraconensem appelletur Hispania vlterior: à prouincia F vero Tarraconensi vsque ad Pyreneos montes dicatur Hispania citerior. De vtraque Hispania alloquutus est Plinius lib. 3. cap. 3. sub his verbis: [Metallis, plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet citerior, & specularibus lapidibus Betica (nempe vlterior) & minio sunt, & marmorum lapidicinæ,] Sic ille. Vniuersa igitur Hispania est à Calpe, vsque ad radices Pyreneos. A radicibus vero Pyreneis incipit Gallia vsque ad montes Alpes, qui perpetuis niuibus albescunt, ob eorum altitudinem, & olim Galliam Transalpinam, à Cisalpina diuidebant, nunc vero promotis finibus, termini sunt Italiæ. Quod plane ita olim esse, liquet. Quoniam teste Plinio lib. 3. cap. 3. Pyrenei montes Hispanias, Galliasque disterminant, promontorijs in duo diuersa maria proiectis. Ab Alpinis montibus incipit Italia, aut si mauis à Locris, quia teste Plinio lib. 3. cap. 10. à Locris Italiæ frons incipit, vsque G ad Veneriam, decimam, & vltimam Italiæ regionem, Adriatico mari appositam. Hinc accedunt Achaia, Arcadia, Græcia, Macedonia, & Tracia.

Hispania, à Calpe vsque ad Pyreneos montes terminatur.
Plinius.
Gallia vnde incipiat.
Pyrenei mōtes termini Italiæ nunc.
Plinius.
Pyrenei montes, Hispanos à Gallis separant.
Italiæ termini.
Plinius.

Porro Plinius lib. 3. hist. nat. cap. 1. vniuersam Europam, quæ Mediterraneo mari alluitur, in quatuor magnos diuidit sinus. Appellantur autem hoc in loco sinus, littora curua, duobus quasi brachijs longius in mare procurrentibus inclusa. Primus tamen sinus est à Gaditano Freto ad Licinum vsque ad promontorium Italia in Locris. Secundus à Lucino ad ipsa Epiri Acroceraunia. Tertius inde ad Hellespontum. Quartus tandem Europæ est ab Hellesponto vsque ad Meotidis Ostia, ad quæ Tanais amnis confluit.

Europæ tertia diuisio.

Europæ ciuitates innumerabiles sunt. Verumenimuero, aliquas maritimas hic referam. A Freto siquidem Gaditano descendendo versus Orientem vsque H ad amnem Tanais, est primo, Malacha cum suo fluuio fœderatorum, Manubia, Sexufirmium, cognominē, Iulium, Sexti, & Abdera, vulgo Almeria, Carthago noua vulgo, Carthagena cum suo portu, Alona, vulgo Alicante cum suo artificiali portu; inde longa inter capedine adest Valentia cum suo fluuio, Gymnasio litterarum, & duobus Vincentijs sanctis, nempe, Ferrerio, & Martyre apprime illustrata, Tertosa vulgo Tortosa cum suo fluuio Heru, vulgo Hebro, Tarraconia, Barchinonia, cum suo artificiali portu, thesauro, & duobus Raymundis sanctis, nimirum, Peñafort Dominicano, & Nonnato Mercenario per orbem gloriose diu exaltata. Inde latissimis passibus iacet Gallia Narbonasis vbi est Delphinatus, Massilia cū suo portu, Liguria cum suo nobili artificialiq; portu clauis Italię, Liburnus, vulgo, Leorno cum suo artificiali portu, Populonia, Tuscia, Roma totius Europæ, ac vniuersi orbis caput, sedes Apostolorum, Regina mundi, cum I suo Tiberi fluuio, corporibus, & reliquijs Sanctorum, eorumque Cœmetarijs, Cathecumbis, atque Cryptis, ac pluíquam tricentis Ecclesijs feliciter condecorata. Cum qua D. Leo Papa his verbis alloquitur: [Isti sunt, ò Roma qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina quam dominatione terrena; quamuis enim multis aucta victorijs, ius Imperij tui, terra, marique protuleris minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit, &c.] Sic ille. Deinde est Hostia, Terracina, Caieta, Neapolis cum suo portu, decus, & ornamentum Italię. Surrentum, Salernum, Lucani, Brutij, Rhenum, Rhegium, Sillaceum, Tarentum, Hidruntum; Ancon, Ariminum, Rauenna, Ferrara, Padua K seu Pataulum, Venetia ciuitas nobilissima gentium rogatorum, infidelium, atque Piratarum terror, in Adriatico mari apposita. Inde est Carnaici, forum Iulium, Aquileia, Iapidia supra quam est Danubius fluuius & Rhenus. Sed post Aquileam est Hostria, Illiris, Liburnia, Dalmatia, Epirus, Ambresia, Macedonia, Amathia, Thessalia, & Achaia, prope quam adest amnis Tanais.

Europæ ciuitates maritimæ in mari Iberico.
S. Vincentius Ferrer.
S. Vincentius Martyr.
S. Raymund. de Peñafort Dominicanus
S. Raymund. Nōnatus Mercenarius.
Europæ ciuitates maritimæ in mari Gallico.
Roma caput mundi.
Apostrophe ad Romam.
D. Leo Papa serm. 1. Apostolorum Petri, & Pauli.
Europæ ciuitates maritimæ in mari Adriatico.
Danubius fluuius.
Rhenus.

Insuper ascendendo à Freto Gaditano versus Occida-

cidentem vsq; ad Septētrionem. In continenti est Corteia Barbesola cum suo fluuio, Transducta, Menralia, Belon, cum suo fluuio, Belsa, Osonoba, Lusitaniæ ciuitas, Salacia cum suo fluuio, Cætobrix, Olyssippona cum suo portu. Mirobriga cum suo fluuio, ciuitas in Conuentu Cordubensi, Capiana, Olamgobriga, Chretina, Lauarco, Complutina, Caladunium, Bracar, Nerii promontorium, Olina, Vera, Pintia, Flauio nauia, Concana octauiolcla, Flauio obligauxambarca, in Oceano Cantabrico, cuius incolæ nullam vitam sine armis esse existimant, sunt autem populi Hispaniæ Tarraconensis, de quibus quida Poeta cecinit.

Europæ ciuitates maritimæ in Oceano Occidentali.

Europæ ciuitates maritimæ in Oceano cātabrico

Apostrophe ad cantabros

Cantaber ante omnes hiemisq; æstusq; famisq; inuictus.

Abhinc longa intercapedine adsunt Pyrinei montes versus Oceanum: Et deinde latissimis passibus accedūt ciuitates Aquitaniæ, nempe, Augustodunum, Lugdunū, vulgo, Leon de Francia, inde Belgicæ quindecim populi. Germania inferior cum suo Rheno, Germania magna cum suo fluuio Danubio. Populi Nauali, vulgo, Naualla, Mediolanum, inferioris Germaniæ, Colonensis diœcesis vulgo, Monasterium, Pheleum, Tecelia, Saxonia, Lusana, Luciburgium, Bonutium, Orhugium, & tandem accedunt ciuitates Sarmatię, de quibus Ptholemæus octauam confecit Europę tabulam, in qua eiusdem Europæ terminos vtique describit. Huiusmodi enim ciuitates Sarmatiæ sunt Populi Scyrthiæ iuxta Danubium in meotidem Paludem vergentes, iuxta quam adsunt Cæsaris, & Alexandri Aræ. Et in eandem Tanais fluuius confluit, qui illic nascitur ex Ripheis montibus.

Ara Cæsaris, & Alexādri.

Insulas prætera mari circumfluas possidet Europa nostra, multitude fere infinitas; quoniam descendendo à Freto Gaditano versus fluuium Tanais, in mari Mediterraneo, primo vst Ebussus, vulgo, Iuisa, insulę Baleares, funda bellicosæ, quas Græci, Gymnasias appellant vulgo Mallorca, & Menorca, à quibus mare Balearicū dicitur. Deinde adest Sardinia mea, carnibus, pane, vinoq; miruminmodum scatens, ossibus Sanctorum, Antiochi, Saturnini, Gauini, Ianuarij, Georgij, Ephesij, Iustæ, Iustinæ, Henedinæ, Restituræ, Luxori, Ceseli, & Camerini satis illustrata. Plerisque Marchionibus, Comitibus, virisque cum illustri ac nobili sanguine, tum litteris & industria, armisque præstantibus apprime adornata, septem nunc præclaras obtinens ciuitates, quarum robur, & caput, est Calaris, castrum, & ciuitas, totiusque regni clauis, & Metropolis. Cuius Archiepiscopus, Primatum Sardiniæ & Corsicæ merito tenet. Ex hac insula tres Ecclesiæ Dei summi Pontifices exorti fuere, nimirum S. Celius Simmachus, S. Hilarius, & S. Anterus. Incōtinenti sunt Corsica, Attalia, Gorgonis, Caprara, Pontia, Procita, Capræa, Lypare, Æolia, Vstica, Phinicodes, Vulcania, Strongile, Sicilia, Melita, vulgo Malta, Corsira, vulgo, la Pantillaria, Haudos, vulgo, Elgozu. Et tandem in Mari Adriatico sunt pleræque insulæ, quarum nomina desiderantur. Quas insuper hic recensere haudquaquā multum interest, ideo ab hoc labore supersedimus.

Insulæ Europæ in mari Mediterraneo.

Sardinię situs.

Sardiniæ martyres. Apostrophe ad Sardiniā.

Sardiniæ caput Calaris.

Summi Pontifices Sardi.

Insulæ innominatę in mari Adriatico.

Porro ascendendo à Freto Gaditano versus mare exterius, vel Oceanum Occidentalem est à prima frōte insula Calpe, deinde adest, Londobris, Albion, Ibernia, Anglia, Scotia, Orcades, quæ sunt triginta quatuor insulæ, & tandem Scandia.

Insulæ Europæ in Oceano Occidentali.

Vniuersam Europā nostram vndequaq; habitant, ac incolunt Christiani, eaque tota metallis, fructibusque terra, nimium frumento, vino, & oleo, miruminmodū scatet. Fertilis insuper est, adeoque moderata, ac tēperata terra, vt humanæ habitationi præ cæteris orbis partes accommodatior sit. Quamobrem eius incolæ fortiores, robustioresque sunt, cæteris aliarum terrarum totius orbis habitatoribus, eò quòd eius cibaria alijs vegetiora maxime sint:

Europę nobilitas.

Europæ incolæ fortissimis & [illegible]

Dionysius Afer eximius, Poeta lib. de orbis situ loA quens de Europa nostra, hæc astruit carmina.

Si placet Europes quoque me nunc dicere formam.
Haud taceam, similis Lybiæ est sed vergit ad arctos
Finibus & pariter distentis pergit ad ortus.
Linea namque Asiā similis disiungit vtrāque
Hæc noctias spectat, partes Aquilonis at illa
Ast ambas vnam si terras esse putemus
Assimulent conum lacertum compagibus æquis
Cuius ad occasus est summum, lata sub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoscitur arte.
Ad cuius summum prope metas Herculis alti,
Magnanima gentes, &c.

Dionysij Asri Poema de Europa.

§. 10. Africa quam Plinius lib. 6. nat. hist. cap. 33. quintam & insuper sexagesimam terræ partē appellat. Et Ptholemæus lib. 7. cap. 5. secundam terræ habitabilis præ magnitudine vocat, à Freto Gaditano vsque ad Nilum fluuium se extendit, & non vlterius. Idcirco Ptholemæus lib. 2. cap. 1. eam per hæc verba describit: [Deinde Africam exponemus, ipsam etiam ab Asia separantes post maria, quæ excipiuntur à Prasso promontorio Aetiopum vsque ad sinum Arabicum per ciuitatem Heroum, quæ interiori sinu sita est, ad nostrum mare se ingerens, Istmo, Ægyptum, ab Arabia Iudæaque disterminat, aut Aegyptum non scindamus fines Africæ in Nilo ponentes.] Et lib. 7. cap. 5. iterum sic scribit: [Africa ab Europa disiungitur Atlantico solum Freto, per se ipsam Europæ nulla ex parte contigua, sed per Asiam, maxime cum Asia vtrique earum contermina sit, obuia ambabus accedens penes ipsarum Orientales plagas.] Hucusque Ptholemæus de situ Africæ.

Africa secunda pars terræ habitabilitotius orbis. Plinius. Ptholemæus.

Africæ descriptio.

Verumenimuero si mauis Africa ad Orientē Aegypto, & Nilo fluuio, ab occasu Oceano Atlantico, à Meridie Oceano Australi, ad Septētrionem vero mari Libyco, terminatur.

Africæ alia descriptio.

Possidet Africa teste Ptholemæo lib. 8. vndecim prouincias, siue Satrapias, nimirum, Mauritaniam, Tingitanam, Mauritaniam Cæsariensem, Numidiam, Africam, Cyrenaicam, siue Pentapolim, Marmaricam, Libyam, Aegyptum inferiorem, Libyam interiorem, Aetiopiam interiorem, Aetyopiam sub Aegypto. De quibus omnibus prouincijs, & Satrapijs, quatuor conficit Ptholemęus tabulas, vt videre licet lib. 4. & 8.

Africæ prouinciæ, siue Satrapiæ.

Porro Africa per has prouiucias & satrapias, permultas obtinet ciuitates maritimas. Quandoquidem descendendo à Freto Gaditano versus Aegyptum siue Nilum, primo est Iagath, Acrath, Tenio longa, Rhysadirum, Sigapolis Colonia, Arsinaria Colonia, Cartina, Carcomaimma, deinde est Lanutum, Canusis, Iol cesarea, Tipasa Modunga, Russocorum, Iomnium. Postea adest Rusubirsia, Ruzarus, Vabar, Saldæ colonia, Callops magnus, Collops parua, Aphrodisium colonia, Hyppo regia, Thabraca colonia, Carthago vrbs magna, Maxula, Carpis, Nitua Clypea Aspis, Curobis, Siagul, Aphrodisium, Adrumetus colonia, Ruspina, Tripolis, Neap. Turris Euphratę Automolæ Ptolemais, Au-

Africæ ciuitates maritimæ.

riga, Apolonia, Peretonium, Anthyphra, Alexandria, Canobus, & Pelusium in mari Ægyptiaco, in quo est Ægyptus, & Nilus.

Africæ Ciuitates in Oceano Atlantico.

Ascendendo vero versus exterius mare, vel Oceanũ Atlanticum est in continenti, Exilisa, Tingis Cæsarea, Sala, Tamusiga, Soriga, Autulola, Salathos, Bagaza, Iazriptha, Babila, Hipodramus, & deinde accedit Æthiopia interior, postquam est terra incognita latitudine, magnitudineque haud exigua, cum vsque ad mare Rubrum se extendat, vt produnt grauissimi adstipulatores, inter quos est Plinius, & Ptholomæus.

Insulas habet Africa descendendo à freto Gaditano versus Ægyptum, & Nilum, Iuliam Cæsaream Hydrã, Calatam, Draconsiam, Eginum, Lampadosam, Corsirã, Militam, Pontiam, Gaiam, Mirmex, Lea, Ædonium, Enesipam, Focusas, Pedonsam, & Pharaos.

Africæ insulę in mari mediterraneo.

Ascendendo vero versus Oceanum Atlanticum est insula Pena, Erithia, Autholola, Pythuaria, Canaria, & Fortunatæ insulæ.

Africæ insulæ in mari Oceano.

Africæ animalia, & homines variarum qualitatum, & figurarum.

Ptholomæus.

Elephantes albi in Africa.

Plinius.

Aetyopes siue gentes nigritæ in Africa.

Monstrua in Africa.

Ex illis verbis Ptholomæi lib. 4. cap. 7. nimirum, [In qua Elephantes albi omnes, Rhinocerotes, & Tygres,] deducitur plane in Æthiopia quæ est sub Ægypto, pleraque animalia inter nos insusitata reperiri. Plinius insuper lib. 4. cap. 8. postquam dixit: [Super eos, Ætiopũ gentes nigritæ.] paulo post sic scribit: [Gamphasantes nudi, præliorumque expertes nulli externo congregantur Blommijs traduntur capita abesse ore, & oculis pectore affixis. Satyris præter figuram nihil moris humani.] & iterum. [Himantopodes loripides quidam, quibus serpendo ingredi natura est.] Hæc Plinius.

Africa tamen alio nomine Lybia appellatur, sub quo plane, Dionysius Afer, lib. de orbis situ, hæc de illa efformat poemeta.

Dionysii Afri poema de Africa.

Nunc tibi telluris regiones carmine pandam.
Vt cernas animo non visas lumine terras,
Atque docens alios laudaris pectore docto.
Incipiens Lybiæ tenuisque à Tethyos vndis
Oceanus Tyrias qui pulsat gurgite gadis
Tenditur ad notias partes, &c.

§. 11. Asia tertia pars terræ habitabilis orbis. Plinius.

Asia tandem quam Plinius lib. 6. cap. 33. quartam, & quintamdecimam terræ partem nuncupat, & Ptholomæus lib. 7. cap. 5. trium partium terræ habitabilis, primam præ magnitudine appellat, à Nilo fluuio vsque ad Tanaim terminatur. Hinc Plinius eius situm lib. 5. cap. 9. per hæc verba describit: [Adhæret Asia, quam patere à Conocpico ostio ad Ponti ostiũ Timosthenes xxvi. xxxviij. millia passum tradit ab ore autem Ponti ad os Meotis Erathosthenes xv. xlv. millia passum vniuersam vero cum Ægypto ad Tanaim Arthemidorus & Isidorus lxxxviij. millia passum, maria eius quamplura ab accolis traxere nomina, quare simul iudicabuntur. Proxima Africæ incolitur Ægyptus introrsus ad meridiem recedens, donec a tergo prætendantur Ætiopes, inferiorem partem eius Nilius, dextra, leuaque diuisus amplexu suo determinat Conocpico ostio ab Africa, ab Asia Pelusiaco clxx. millia passum interuallo, quamobcausam inter insulas quidam Ægytum detulere, ita se scindente Nilo vtriquetram terræ figuram efficiat,] Hæc Plinius de situ Asiæ. De quo etiam Ptholomæus lib. 7. cap. 5. sic ait: [Asia coniungitur Africæ per dorsum Arabiæ, quod nostrum mare ab Arabico sinu excludit. Præterea per terram incognitam, quæ indicum pelagus completitur, Europæ autem cingitur per dorsum quod inter Paludem Meotim, & Sarmaticum Oceanum est in Tanais fluuij alueo.] Ita Ptholomaus.

Ptholomæus.

Satrapias, siue Prouincias, teste Ptholomæo lib. 8. habet Asia quadraginta, & octo, nempe, Pontum, Bithiniam, Asiam propriam, Phrygiam, Lyciam, Galatiam, Paphlagoniam, Pamphyliam Cappodociam, Armeniã minorem, Cilyciam, Sarmaticam, Asiaticam, Colchim, Iberiam, Albaniam, Armeniam maiorem, Cyprum, Syriam curuam, Syriam Phæniciam, Iudæam palestinam, Arabiam petream, Arabiam desertam, Mesopotamiam, Babyloniam, Assyriam, Sucianam, Persim, Mediam, Parthiam, Hyrcaniam, Carmeniam desertam, Arabiam felicem, Carmeniam alteram, Margianam, Bactrianam, Sogdianam, Sacem, Sytiam intra imaummontem, Sytiam extra imaummontem, Sericam, Ariam, Paropanisadem, Drangianam, Aracosiam, Gedeosiam, Indiam citra Gangem fluuium, Sinarum Regionem, & Taprobanam insulam, de quibus omnibus Prouincijs, & Satrapijs Ptholomæus duodecim tabulas astruit.

Asiæ prouinciæ, siue Satrapiæ.

Asię ciuitates, & insulæ

Tot autem obtinet vnaquęque Satrapia siue Prouincia ex his, ciuitates, & oppida, ac etiam insulas, vt non sit facilis negotij easdem vnà recensere.

Taprobana insula minoris Asiæ describitur.

Quia tamen Taprobanam attigimus insulam, animaduertas oportet, hanc tandem solam, alteram terrarum orbem à quibusdam appellatam fuisse. Quamobrẽ Plin. lib. 6. nat. hist. c. 22. multa de ea scribit. Primo quidẽ circa eius nauigationẽ sic: [Incipit ab Eoo mari inter ortum, occasumque solis Indiæ prætenta, & quondam credita viginti dierum nauigatione à Prasiana gente distare: mox quia papyraceis nauibus armamentisque nihil pateretur, ad nostrarum nauium cursus septimo dierum interuallo taxato. Mare interest vadosum senis, non amplius altitudinis passibus, sed certis canalibus adeò profundum, vt nulla ancoræ sidant. Ob id nauibus vtrinque proræ ne per angustiam aluei circumagi sit necesse, syderum in nauigando nulla obseruatio. Septentrio non cernitur, sed volucres secum vehunt emittentes sæpius meatumque earum terras petentium comitantur.] Mox insuper circa insulæ diuitias sic ait: [Sed ne Taprobane quidem quamuis extra orbem a natura relegata nostris vitijs caret, aurum, argentumque est ibi in pretio. Marmor testitudinis simile, gemmæ, margaritaque in honore multo præstantiores, & totius luxuriæ nostræ cumultus ipsorum opes maiores esse dicebant, sed apud nos opulentię maiorem vsum. Seruum nemini non in diem, aut interdiu somnum: ædificia modice ab humo extantia, annonam, numquam augeri, &c.] Et tandem circa vitam hominum sic scribit: [Vitam hominũ centum annis modicam. Hæc comperta de Taprobane. Quatuor Satrapiæ quasi in hunc locum distulimus, ita se habent,] Husque Plinius. De hac eadem Taprobana insula, Iulius, Solinus libro de origine vrbis Romæ multa accurate scribit.

Iulius Solinus lib. de origine vrbis Romæ.

Enimuero si mauis terminos Asiæ, sic numera. Asia à Meridie mari indico, Septẽtrione vero, mari Scythico, ab Oriente autem mari Orientali, ab Occidẽte tandem Europa, Africa, & mari Mediterraneo clauditur: Quia Asia versus mare Mediterraneũ Europæ, & Africæ obuia est, cum Europã ad dexteram, Africam vero ad Leuam, & mare Mediterraneum a fronte versus Occidentem, ipsa obtineat.

Asiæ maioris alia descriptio facilior.

Pomponius Mela lib. 1. de situ orbis cap. 5. Asiam ita describit: [Asia prima pars Ægyptus inter Catabathmon, & Arabas. Ab hoc littore penitus immissa donec Ætiopiam dorso contingat. Ad meridiem refugit terra expers imbrium, mire tamen fertilis, & hominũ aliorumque animalium perfœcunda generatrix. Nilus efficit, amnium in nostrum mare permeantium maximus, &c.] Et lib. 2. cap. 1. in hæc prorumpit verba: [Asiæ in nostrum mare, Tanainque vergentis, quem dixi, finis, ac situs est, ac per eundem amnem, in Meotida remeantibus ad dextram Europæ, modo sinistro latere in nauigantium apposita, ac Rinpheis montibus proxi-

Pomp. Mela.

Asiæ descriptiones duæ Pomponi Mela.

Nili fluui natura.

proxima, & hùc enim pertinent cadentes assiduo Niues, adeò in via efficiunt, vt vltra ne visum quidem incedentium admittant, deinde est regio, &c.] Hęc Pomponius Mela, de Asiæ terminis cuius insulam Taprobanam auro, & argento claram, per hæc verba exornat Solinus: [Taprobanen insulam antequam temeritas humana exquisito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putarunt, & quidem eum, &c.] & paulo post: [Pars eius bestijs, & elephantis repleta est, maioribus multo, quam quos fert India, partem homines tenent, margaritis scatet, & gemmis omnibus, &c.] Hæc Solinus cap. 54. Postremo Dionysius Afer lib. de situ orbis. Hæc de Asia erigit carmina.

Dionysij Afri Poema de Asię situ.

Ast Asiæ fines amborum linea monstrat,
Et formam contrapositarum in imagine coni.
Paulatim trahitur tamen hæc Orientis ad oras
Oceanus stellas Bacchi qua tangere fertur
Finibus Indorum postremis gurgite torrens
Qua Ganges liquido nysseos agros
Non tantum est spatio similis telluris aperta
Scilicet ambabus penetralibus vnus in illis,
Finditur Oceani sinus, & disterminat ambas.
Ast Asia gremio triplex mare confluit vndis
Hyrcanum pariter, Persum simul atque Sabæum
Hæc Noton, at boreos Hyrcanum vergit ad axes.
Gurgitis Euxini vicinum multa virorum
Millia, quod circum degunt per littora ponti.
Amborum medius campis discernit Isthmos.
Ast Asiam qui mons excelsus diuidit omnem
Incipit à medijs terræ, &c.

§. 12. Asia minor prouinciamaioris Asiæ.

Iam nostram minorem Asiam, de qua, vt supra retulimus, verè, & propriè sermo fit in textu, late & abunde per suas prouincias, & satrapias, sigillatim & pręcipue describere, nobis hic fas est & decet, illam vero Isidorus Ethim. 13. sic describit: [Asia minor ab Oriente Cappadocia angitur, ab alijs partibus vndiq; mari circumdatur, nam à Septentrione, Pontum Euxinum habet ab Occasu Propontidem, à Meridie Ægyptium mare.] Hæc Isidorus.

Isidorus.

Cæterum hanc minorem Asiam, (quam Ptolomæus Asiam propriam nuncupat) quidam in quattuor, alij vero (& melius quidem) in plures regiones, nempe, in Phrygiam, Lidiam, Mysiam, Ioniam, Bithyniam, Troadem, Cariam, Pamphyliam, Ciliciam, Lycaoniam, & Galatiam scindunt. Quas quidem regiones explicare etiam tentabo, vt tam Asiæ minoris, (de qua in textu est proprie sermo,) quam septem ecclesiarum, ad quas literas mittit noster Archipropheta (quæ in ipsa iacent) vera, & germana sit cognitio.

Ptolomæus. Regiones minoris Asiæ.

Regio igitur Phrygia, lata & amplissima vtique est, Cariæ, Lydię, Mysiæ, & Bithyniæ finitima, & teste Strab. lib. 12. earum omnium fines ita coeunt, vt difficiliter distingui possint. Hæc Regio, vt ait Plinius lib. 5. nat. hist. c. 32. à Septentrione Galatiæ terminata est, à Meridie, Lycaoniæ, Pysidiæ Migdoniæ, ab Oriēte Cappadociam attingit. Et licet D. Hieronymus, duas describat Phrygias, minorem scilicet, & maiorem, tamen ambæ sunt in maiori Asia, quarum maior obtinet Smyrnam, ad cuius ecclesiam scribit Ioannes; minor vero Ida montem, & Imolum, & Pactolum fluuium

Strab. Plinius.

A habet. Hanc minorem Phrygiam, vt dicitur Act. 2. peragrauit D. Paulus, & ex ea insuper Sybilla cognomento Phrygia orta fuit.

Regio Lydia, Crœso Rege, & Pactolo aurifero flumine notissima est. Quam quidem Prouinciam inter Cariam, & Phrygiam, Strabus lib. 13. ponit, cuius situm, Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 19. sub his verbis scribit: [Lydia perfusa perfluxuosis amnis Mæandri recursibus, super Ioniam procedit Phrygiæ ab ortu solis vicina ad Septentrionem, Mysiæ Meridiana parte, Cariam amplectens, Mæonia ante appellata, celebratur maxime Sardibus in latere Imoli montis, &c.] Vrbes habet (inter alias) Phyladelphiam, & Sardis, Crœsi Regiam totiusque Regionis caput, teste Strabone ad quarum ciuitatum duas ecclesias scripsit B. Ioannes; Lydiæ vero Regionis incolæ, Lydij dicuntur, qui teste D. Hieronymo lib. 2. primi aurum, argentumque, B signarunt, primique caupones, institutoresq; fuerunt. Huius mentio fit Act. 16. Hierem. 46. Ezech. 27. & Isa. 66. Vbi passim nota, quod est etiam quædam mulier purpuraria nomine Lydia, de qua Act. 16. sic scribit: [Est quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyathirenorum colens Deum, audiuit cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebātur à Paulo.] Iustinus etiam de Lydis sic scribit: [Interiecto deinde tempore occupato in alijs bellis Cyro rebellauere Lydi, quibus iterum victis arma, & equi adempti, iussique cauponias, & ludicras artes, & lenocinia exercere, & sic gens industria, quondam potens in manu strenua effeminata molliere, luxuriaque virtutem prestinam perdidit, & quos antea Lyrum inuictos bella præstiterant in luxuriam lapsos ocium, & desideria superauit.] Et non longe post hæc, digressionem quandam facit de Lydorum Regibus, per hæc C verba: [Fuere Lydis, multi ante Crœsum, Reges, varijs casibus memorabiles, nullus tamen fortunæ Candauli comparandus, qui cum vxorem suam, quam propter pulchritudinem nimirum diligebat, omnibus prædicarit, non contentus voluptatum suarum, tacita conscientia, nisi etiam matrimonij reticenda publicaret, prorsus quasi Silentium damnum pulchritudinis esset, ad postremum, vt affirmationi suæ fidem faceret Gygi sodali suo, nudam demonstrauit, quo facto, & amicum in adulterium vxoris illectum, hostem sibi fecit, & vxorem veluti tradito alij amore à se alienauit, nam breui post tempore cædes Candaulis nuptiarum præmium fuit, vxor Manti sanguine dotata, regnum viri, & se pariter adultero tradidit, Cyrus subacta Asia, & vniuerso Oriente in potestatem redacto.] Hucusq; Iustinus. Vbi animaduertendum venit ex illis verbis: D [Iussique cauponias, & ludicras artes, & lenocinia exercere, [Orta fuisse prouerbia] Lydius cauponatur, [Lydorum Carycæ.]

Lydia Regio. Lydiæ regionis descriptio. Rex Lydorum Crœsus. Sardis, & Phyladelphia ciuitates ad quas B. Ioannes scribit stant sub prouincia Lydiæ. Lydia mulier. Iustinus extra gi Pompei historia lib. 1. fol 7. Hinc prouerbii Gygis anulus.

Præterea Regio Mysia contermina est Troadi, & ad Hellespontum adiacet, nūc vero Æolis appellatur. Hinc est quod Plinius de ea lib. 5. cap. 30. sic ait: [Æolis proxima est quondam Mysia appellata, & quæ Hellesponto adiacet, Troas, Itia, Phacaa, Ascanius portus de in fuerat Larissa, &c.] Huius Regionis incolæ, Mysij dicuntur, fortis adeò contemptæ, vt cesserint in Prouerbium: [Mysorum vltimus,] Mysiam, siue Æolim prouinciam, Apestolus Paulus, vt dicitur Act. 16. ad nauigauit, Strabo Mysos constituit in Europa confinio Pannoniæ, putatq; Myosis Asiæ minoris populos ab ijs originem, & nomen duxisse, at vero hi à Plinio, non Mysi, sed Mesi appellantur. Est & altera Mysia, iuxta E Danubium flumen.

Mysia Regio. Mysiæ regionis descriptio.

Porro Regio Ionia, mediat inter Cariam, & Æolidem siue Mysiam, cum cæli bonitate, tum situs commoditate nulli regionum Asiæ minoris posthabenda. De qua multa dicit Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 19. sub his verbis; [Ionia ab Iasio sinu incipiens numerosiore ambitu littorum flectitur, in ea primus sinus Basilicus, Posideum Promontorium, & oppidum, oraculum Branchidarum

Ionia Regio. Ioniæ Regionis descriptio.

darum appellatum, nunc Didymei Apollinis,&c.] Huius Regionis minoris Asiæ incolæ dicti sunt Iones, ab Ionibus Græciæ populis, oriundi. Habuit tandem Regio Ionia duodecim ciuitates, scilicet Ephesum (ad cuius Ecclesiam scribit B.Ioannes) Miletum, Myum, Priene, Colophon, Lebedum, Theodem, Clazomænam, Phocæam, Erythæam, & duas insulas, Chios scilicet, & Samos. De quibus omnibus vide Ptolemæum lib. 12. cap. 2. Plinium lib. 5. cap. 19. num. 5. Hieronymum lib. 1. Raphaelem Volat. lib. 10. Geograph. & Strabonem lib. 14. Qui omnes auctores aliam Ioniæ regionem connumerant ciuitatem nempe Smyrnam. Quamobrem Plinius lib. 5. cap. 19. agens de regione Ionia sic scribit: [Alopes cum pugnatum apud Troiam est, mox Ortygia, & Morges vocata est, & Smyrna cognomine Trachæa, & Samornium, & Ptelæa.] Ad ecclesiam autem Smyrnæ scripsit Beatus Ioannes, quam alij dicunt esse in minori Phrygia, vt supra retulimus, cum de Phrygia, prima Asiæ minoris, regione agcremus.

Ptolemæus. Plinius. D.Hieron. Volaterram. Strabus.

Bithynia Regio. Bithyniæ Regionis descriptio. Raph.Volater Solinus. Stra.

Insuper Regio Bithynia, vt scribunt Raphael Volaterranus lib. 10. Geograph. Solinus, & alij, aduersa Thorasiæ sita est, & quondam Bebrycia, deinde Mygdonia, & postea, Bithynia dicta fuit, ac etiam maior Phrygia, sera flumine à Galatia disterminata, habet ciuitatem eiusdem nominis. Hæc ab Heraclea Ponti vsq; ad os protenditur, quo ex Occidentis parte terminatur, ex Oriente Sangario flumine, ab Austro Epecteto, Ponto vero ab Aquilone. De hac regione minoris Asiæ, vide plura apud Ptolemæum lib. 5. cap. 1. Plinium lib. 5. cap. 32. Strabonem lib. 12. & Raphaelem Velat. lib. 10. Geograph. de ea tamen est mentio, Petri 1. sub his verbis: [Petrus Apostolus Iesu Christi, electis aduenis dispersionis Ponti Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, &c.] Sunt qui scribant Thynos, populos, transisse, ex Thracia, qui deinde Bithynij, dicti, & regio Bithynia Clathini, Traces, erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Troas Regio. Troadis regionis descriptio. Ptolemæus. Plinius. Homerus.

Item regio Troas, quam Ptolemæus lib. 5. cap. 2. minorem Phrygiam appellat, Hellespronto adiacet, & de illa Plinius lib. 5. de historia mundi cap. 19. multa scribit, his verbis: [Troadis primus locus Amaxitus dein. Cebrenia, ipsaq; Troas Antigonia dicta nunc Alexandria Colonia, Ro oppidum Nee, Scamander amnis nauigabilis, & in promontorio quondam Sigæum oppidum, &c.] Sic ille. Extat de illa mentio Act. 16. Hanc Homerus ab Æsapo fluuio, vsq; ad Caici fluminis Ostia produxit. Et Alphonsus Tostatus, 1. Paralipomenon, super illa verba D.Hieron. [Et tertium Virgilij librum, qui à Troade, per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad Ostia Tyberis nauigauerint,] fere eadē sic describit: [Vocatur Troas ipsa ciuitas Troiana, vel potest accipi pro illa prouincia tota adiacente ciuitati Troianæ, & aliquando vocatur Troas, quia in ea continetur excidium Troianæ vrbis, & ab ista vrbe cœpit nauigatio Æneæ, de qua loquitur hic Hieronymus; & habetur in 3. lib. Æneidos, de Troade dicit Isidorus 14. ethymologiarum, quod Troas est regio superiecta, ab Aquilone Galatia, à Meridiano Lycaoniæ, ab Oriente adhæret Lydiæ ab Occidente. Hellespontiaco mari finitur, & sic est Troas in principio Asiæ, scilicet in parte Occidentali eius iuxta mare.] Hæc Tostatus. Regio autem Troas maritima est in Asia minori, & permultas obtinet ciuitates, inter quas est Ilion, mille & quingentis passibus à portu distans, quam alij Ilirem, siue Troiam appellant. De qua Virgilius, Ouid. Homer. & alij veteres Philosophi, & Poetæ multa scribunt, & Pergamus (ad cuius ecclesiam B. Ioannes scripsit) de qua Plinius lib. 5. de mundo cap. 19. sic ait: [Clarissimum Asiæ Pergamum.]

D Hier in præfatione 1.lib.paral. Tostatus lib. 1 paralip.

Caria Regio. Cariæ regionis descriptio Strabo.

Regio etiam Caria inter Lyciam, & Ioniam sita est, cuius situm describit Strabo a Borea, Meandro flumine claudens ab Occidente, Icaro, & Mirthoo pelago à Meridie, Rhodiensi ab ortu Lycijs. Cuius etiam ciuitates, & oppida describit Plinius lib. 5. nat. hist. c. 19. F sub his verbis: [Caria interiorum nominum fama prænitet, quippe vbi sunt oppida Mylasa, libera, Antiochia, vbi fuere Seminethos, & Cranaos, oppida, nunc eam circumfluunt Menander, & Marsinus, &c.] inter quæ oppida, & ciuitates est Laodicia, vel Laodicea, teste Ptolemæo lib. 5. cap. 2. cuius etiam meminit Plinius loco citato in principio capitis, sub his verbis: [Celeberrima vrbe Laodicia, &c.] ad cuius ecclesiam scripsit B.Ioannes.

Regio tandem Caria minoris Asiæ, sic appellata fuit à Caro Rege, qui primus auguria aurum dicitur inuenisse. Aliæ quidem sunt prouinciæ, & Regiones in minori Asia quam plurimæ. Verum quia iam à nobis explicatæ sufficiunt ad institutum nostrum, illas hic non attingimus.

G Hanc eamdem minorem, siue propriam Asiam, Iulius Solinus Poyhlistor in sua orbis historia, cap. 41. per hæc verba describit: [Sequitur Asia, sed non eam Asiam loquor, quę in tertio orbis diuortio terminos amnes habet, ab Ægypto mare Nilum, à Meotico lacu Tanain. Verumetiam quæ à Telmesso Lyciæ incipit, vnde, & Carpathius auspicatur sinus. Eam igitur Asiam ab Oriente Lycia includit, & Phrygia, ab Occidente Ægea littora, à Meridie mare Ægyptium, Paphlagonia à Septentrione, Ephesus in ea vrbs clarissima est, Ephesi decus templum Dianæ, Amazonum fabrica à Deo magnificum, vt Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic vni pepercit. Sed hæc Xerxis clementia sacras Ædes non diu à malo vendicauit. Namq; Herostratus vt nomen memoria sceleris extenderet incendium nobilis fabricæ manu sua struxit, sicut ipse fassus est, voto adipiscendæ famę lationis. Notatur ergo eaH dem die conflagrasse templum Ephesi, qua Alexander Magnus Pella natus est. Qui oritur, vt nepos edidit M. Fabio ambrosio T. Quintio Capitolino Coss. post Romam conditam anno ccclxxxv. Id templum, cum postmodum ad cultum angustiorem Ephesij reformarent, faber operi Dinocrates præ fuit, &c.] Hæc Solinus. Verum de hoc præclaro Dianę templo infra erit sermo, nimirum, mox in sequenti paraphrasi.

Iulius Solini descriptio Asiæ minoris.

Hæc minor Asia, nunc Turchia nuncupatur. Blasius tamen Viegas, nouum prædicare aliquid intendit, putās in cap. 1. Apoc. sess. 5. hanc minorem Asiam nunc Anatoliam appellari. Cæterum, pace tanti viri, Anatolia in libris Latinorum nullatenus reperitur, sed tantum apud Ptolemæum, Anatilia ciuitas Narbonensis, & Anatilij populi in eadem prouincia Narbonensi, & apud Plinium lib. 3. hist. nat. Regio Anataliorum, & I Anatalia in eadem Narbonensi prouincia Europæ, quod sane minime spectat ad Blasij propositum. Quamobrem mihi magis arridet, minorem Asiam hoc nostro sæculo, Turchiam, (vt dixi) appellari. Quoniam ita tenent grauissimi adstipulatores, & cosmographorum consensus, in hoc ipsum declinat. Quamuis, teste D.Hieronymo, hoc suspicetur, & suspicari, potius opinionem, quam veram scientiam proculdubio denotet.

Asia minor dicitur Turchia. Blasij Viegas lapsus circa Asiam minorē describendā.

Borchorius et diuersis in comment. D.Hieron.

Omnia autem, quæ in hac totius orbis cosmographia ac descriptione, in gratiam concionatorum Euangelicæ veritatis dicta à nobis fuere, clariora proculdubio, eisdem fient verbis diuini pręconibus, hoc sequenti generali Schema, & totius orbis Typo, in quo ad planum, & in practica, vniuersa de toto orbe hucusque dicta, reducuntur.

K



PARA-

PARAPHRASIS
Decimasecunda.

Par. 12. Enucleatio textus.

§. 1. Ephesina ecclesia sexta inter primatiales ecclesias orbis.

Epheso. (ait præterea) Minutim singulas septem illas ecclesias hic nominat noster Archipheta, primum locum Epheso tribuens. Quippe quod Ephesina ciuitas totius minoris Asię pars magis præcipua recensetur, & metropolis, ac primatialis: eoquod eius ecclesia sextum inter orbis ecclesias locum, sibi vendicat. Prima namq; omnium est sancta Romana Ecclesia, secunda Constantinopolitana, tertia Alexandrina, quarta Antiochena, quinta Ierosolimitana, sexta vero est ecclesia Ephesina, epistolis sancti Pauli clara, quæ à temporibus Timothæi eius discipuli, vel Policratis Episcopi, habuit Asię primatum, vt tradit Raymundus Rufus pagina 153. & constat ex Eusebio li. 5. cap. 23. & 24. Quamobrem cum ecclesia Ephesina metropolis esset, teste Strabone lib. 14. & quidem consularis, vt est textus in l. obseruare. §. Quædam prouinciæ. ff. de offic. proconsul. primatiali æquiparatur.

Ecclesia Romana omniũ ecclesiarum mater, & magistra.

§. 2. Ephesus describitur. Plinius. Ptolemæus. Volaterran. Dionys. Afri poema de Epheso.

Porro Ephesus testantibus Plinio, Ptolemæo, & Raphale Volaterrano. Ioniæ minoris & propriæ Asiæ regionis, ciuitas est; de qua Dionysius Afer lib. de orbis situ hæc protulit carmina.

Vrbs Ephesus sacra trunco, memorabilis vlmi
Termodoontis opus clarum posuere cohortes.

Quam etiam Volaterranus lib. 10. Georg. his verbis laudat: [Ephesus minoris Asię metropolis, & emporium celeberrimum, Amazonum opus, Ionicarum clarissima à nomine, & ab ipsa Amazonis appellata, pluribus antea nominibus dicta, &c.] Et Plinius lib. 5. cap. 29. [In ora autem Manteum, Ephesus Amazonum opus multis ante ex petita nominibus. Alopes eam pugnatum apud Troiam est, mox Orohygia, & Morgis vocata est.] Hæc Plinius,

§. 3.

Appellatur Ephesus emporium, eoquod locus erat, in quo res venales ad emendum, & vendendum exponebantur. Cum enim Ephesus totius minoris Asiæ metropolis extitisset, ad eam causa vendendi, & emendi omnes concurrebant.

§. 4. Templũ Dianę celeberrimum in Epheso.

Præterea templum Dianæ in ea constructum fuisse à tota Asia, spatio ducentorum annorum tradit Volaterranus libro 10. Geog. Quod plane præter Cosmographorum doctrinam apparere potest ex capite 19. Actuum, vbi sic scribitur: [Demetrius enim quidam nomine Argentarius faciens ędes argenteas Dianæ, &c.] & paulo post: [Viri scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio, & videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij, qui manibus fiunt. Non solum autem hęc periclitabitur nobis par in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.] & non longe post hæc: [Magna Diana Ephesiorum.] Templum autem hoc Dianę Ephesiorum ędificatum fuit in solo Palustri, ne terræmotus sentiret. In quo plane centum viginti septem columnæ fuere, singulæ à singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, inter quas triginta sex cælatæ miro artificio factę reperiebantur. Opus adeo præclarum ac celeberrimum, vt merito in libro Mirabilium Romæ inter septem orbis miracula connumeretur. Quæ omnia, & pleraque alia à Plinio libro 36. nat. hist. cap. 14. per hæc verba apprime narrantur: [Magnificentiæ vera admiratio extat templum Ephesiæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Asia, &c.] & non longe post hæc: [Operi præfuit Tesiphon Architectus.]

Plinius.

Epheso crebro meminit Apostolus, & præcipue 1. Corinth. cap. 16. dum ait: [Permanebo autem Ephesi vsque ad pentecosten;] in eadem ciuitate verbum Dei sepæ seminauit idem Apostolus, iuxta illud Act. cap. 19. [Factum est autem cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum.] Extant insuper eiusdem Apostoli præclaræ ad Ephesios epistolæ. Et tandem adeo nobilis ciuitas est Ephesus, vt lumen Asiæ à Plinio lib. 5. cap. 29. sub his verbis appelletur: [Ephesum vero alterum lumen Asiæ remotiores conueniunt Cæsarienses, Metropolitæ Silbiani, & in ea siquidem magni vicinarum ciuitatum, quarum ipsa metropolis erat fiebant conuentus.] Tot igitur cum esset encomijs consecrata Ephesus, primo loco hic à nostro Archipropheta, inter septem minoris Asię ecclesias iure optimo recensetur. Fuerit ne noster vates huius Ephesinæ ecclesiæ primus fundator, an vero Paulus, infra in principio secundi capitis dispungetur. §. 5.

Concilium etiam, cui 630. patres aduersus Euthichen interfuerunt, in hac Ephesina ciuitate sub Cælestino Papa, & Marciano Imperatore, celebratum vtiq; fuit. §. 6.

PARAPHRASIS
Decimatertia.

Par. 13. Dilucidatio textus.

§. 1. Smyrna ciuitas describitur. Plinius. Ptolemæus. Strabo. Homeri patria.

Et Smyrnæ. (dicit) Secundam iam Archipropheta attingit ecclesiam. Smyrna quippe, testantibus Plinio libro 5. cap. 19. Ptolemæo libro 5. cap. 2. & Strabone libro 14. Ioniæ minoris Asiæ conuentus clarissima ciuitas est. Melete amne irrigata, ad cuius fluuij ripas natus fertur Homerus, obidque Smyrnam Homeri poetæ patriam esse plerique putant. Hinc Plutarchus tomo 1. sic scribit: [Duarum ciuitatum, quæ olentissimarum plantarum nomina Haletchio 5: ac Smyrna. In altera natum fuisse Homerum, in altera discessisse, &c.] Et quamuis sint grauissimi adstipulatores, qui Homerum aliunde ortum fuisse asserent, tamen inter loca, siue oppida ex quibus diuersimode ipsi Homerum oriri existimant, Smyrna collocatur, vt apparet in his Gręcorum carminibus.

Græcorũ carmina de Homero.

Septem vrbes certant de stirpe insignis Homeri.
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Hinc Marcus Tullius in oratione pro Archia poeta sic scribit: [Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnei vero suum esse confirmant.] Et Herodotus, Homerum puerum Melesigenum vocatum fuisse affirmat. Cicero.

§. 2. Smyrnæ ciuitatis origo.

Sunt qui asseuerent vrbem Smyrneam à Theseo Thessalo, in memoriam vxoris suæ, quæ Smyrna dicebatur conditam fuisse. De Smyrna autem, & eius Melete flumine, sic scribit Plinius lib. 5. cap. 19. [Regredientibus inde, (nempe Asypilo monte) abest duodecim millia passuum ab Amazone condita, restituta ab Alexandro, in ora Smyrna amne Melete gaudens non procul orto.] Ptolemęus vero in tabula prima Asiæ, alium fluuium nomine Hermum depingit, de quo plane amne idem Plinius libro 5. cap. 29. sic ait: [A Smyrna Hermus amnis campos facit, & nomini suo adoptat.]

§. 3. Smyrnæ euersio, & reædificatio.

Hanc ciuitatem Lydij euertere. Sic enim scribit Strabo libro 14. [Cum Lydij Smyrnam euertissent circiter

circiter annos quadringentos, in vici modum mansit habitata, post Antigonus eam suscitauit, deinde Lysimacus, & nunc omnium pulcherrima est.] Smyrna olim Traciam appellatam fuisse commemorat Plinius & in ea magnos conuentus vicinarum ciuitatum, (quæ sub eius iurisdictione erant) factos fuisse, idem testatur lib. 5. cap. 9. in calce capitis.

P A R A P H R A S I S

Decimaquarta.

Par. 14. Enodatio textus. §. 1. Pergamus describitur. Plinius.

Et Pergamo. (inquit) Pergamus ciuitas mediterranea est Troadis prouinciæ, teste Ptolemęo, vel maioris Mysię, quę insignis, ac Metropolis à Plinio dicitur, qui libro 5. cap. 30. de Pergamo sic scribit. [Longeque clarissimum Asię Pergamum, quod intermeat Selinus præfluit Cetius profusus Pindaso monte.] Dictum siquidem est Pergamum mediterraneum esse Troadis, & non immerito, quia Regio Troades maritima est Hellesponto adiacens: Sic enim de illa scribit Plinius lib. 5. cap. 3. [Acolis proxima est quondam Mysia dicta, & quæ Hellesponto adiacet Troas.] Ciuitas autem Pergamus non procul à Cayo fluuio condita est, ita appellata, (testibus Suida, & Seruio, vt scribit Strabo libro 13.) quod adita in rupe sita esset, cum Pergama, loca omnia editiora, olim appellerentur, vt testantur hij auctores. Pergamus autem patria est Galeni excellentissimi medici, qui floruit temporibus Traiani, ad vsque Antonini Pij tempora, & plurima volumina de re medica reliquit. In hac insuper vrbe, cartam pergamenam inuentam fuisse circumfertur, & ab Attalo rege, (vt Æliano placet,) siue ab Euone, (vt Plinius Mauult) primum Romam transmissam fuisse; Adeò tandem in tota minori Asia insignis, ac celleberrima erat vrbs Pergamus, vt magni in ea fierent conuentus vicinarum ciuitatum; quarum metropolis ipsa erat: Sic enim de illa scribit Plinius lib. 5. cap. 30. [Pergamena vocatur eius tractus iurisdictio, ad eam conueniunt Thyatireni, Migdones, Mossini, Bregmentini, Hieracomitæ, Perpereni, Tyareni, Hierapolenses, Harmatopolitæ, Attalenses, Pataenses, Apollodienses, aliæque in ore ciuitates.] Hucusque Plinius. Ex quibus omnibus apparet, Pergamum Troadis, & totius Asiæ minoris clarissimam ciuitatem extitisse, habuitque Regem nomine Attalus, pecunia ditissimus, & splendidà supellectile magnificus, qui cum liberis careret, populum Romanorum, testamento suo vltimo heredem instituit. Quare Plutarchus in vita Tiberij, & C.Grac. ita scribit: [Post hæc Attali Philopatri defuncti testamento à Pergamis Romam transmisso, in quo Populus Romanus heres scriptus fuerat, statim Tiberius ad populum tulit, vt Regiam pecuniam ciuibus Romanis quibus agri dabantur pro cultura assignaretur.] Et sic eius Regnum, (quamuis de oppidis, quæ Attali fuissent, nihil ad Senatum, sed ad Populum Romanum pertinere, prædicabat testamentum,) Romanorum prouincia facta est. De Attalo autem Pergamorum Rego, Plinius lib. 8. nat. hist. cap. 48. & Iustinus lib. 29. multa scribunt

Attalus Rex Pergami.



F

P A R A P H R A S I S

Decimaquinta.

Par. 15. Dilucidatio textus. §. 1.

Et Thyatiræ. (ait) Ciuitas Thyatira totius Lydiæ prouinciæ minoris Asiæ celeberrima est, ac eiusdem Mediterranea teste Ptolemæo lib. 5. capite 2. Quam Macedonum habitationem, & Mysorum vltimam quidam appellant, Lyco flumine alluitur, cum de illa Plinius lib. 5. cap. 20. ita scribat: [Intus, & Thyatira alluitur Lyco, Pelopia, aliquando, & Euhippia cognominata.] Et quamuis Metropolis Lydiæ Regionis esset, tamen sub iurisdictione Pergami degebat. Sic

G enim Plinius lib. 5. cap. 30. de Thyatirenis ait: [Ad eam (scilicet ad Pergamum) conueniunt Thyatireni, Migdones, Mosfini, &c.] Ex hac Thyatirenorum familia, (vt nuper retulimus, dum de Pergamo ageremus,) felix illa mulier nomine Lydia erat, cuius mentio habetur Act. cap. 16. sub his verbis: [Et quędam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum audiuit; cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo, cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete, & coegit nos, &c.] & iterum in calce capitis: [Exeuntes autem de carcere, (nempe Paulus, & Silas) introierunt ad Lydiam, & visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.] Et nota quod tunc hæc mulier Lydia, non aderat Thyatiræ, sed Philippis Macedoniæ, vt satis

Lydia mulier Thyatirena.

H aperte habetur in textu, & ob id cum eius conuersio esset, Philippis, acute statim Lucas eius cognationem, ac propriam patriam adiungit, dicens: [Ciuitatis Thyatirenorum,] perinde, ac diceret: non erat hæc mulier Lydia, Philippis Macedoniæ, sed Thyatirę Lydię regionis: solent enim Euangelistæ nomen, & patriam miraculose conuersorum, curiose annotare, vt plane, & satis quidem diligenter factum fuit in Cananeæ, Magdalenæ, Samaritanæ mulieris conuersione.

Lydia mulier vbi conuersa ad fidem.

Ex hac ecclesia nonnulli hæretici ansam, & occasionem arripiunt, negandi Ioannem Euangelistam Auctorem Apocalypsis extitisse, eoquod temporibus Ioannis, ecclesia Thyatire ciuitatis nondum extaret. De qua re sermo vberrimus erit infra, dum de hac ecclesia in cap. 2. ex professo agemus. Modo tamen passim

§. 2. Errores hæreticorum.

I animaduertendum est illud quod circa hoc Epiphanius lib. 2. aduersus hæreses hæres. 5. eiusdem hæreticis respondit, dicens Ioannem potuisse spiritu prophetico ad eam ecclesiam, quæ postea ibi futura erat scribere, eique denunciare quomodo decipienda erat à falsis Phrygastarum propheticis. Quod plane hæretici, negare nequibunt. Tum quia, Prophetis concessum est, futura vt præsentia pertractare, & intueri. Tum quia Ioanni in hoc primo capite dicitur sic: [Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quę oportet fieri post hęc.]

P A R A P H R A S I S

Decimasexta.

Par. 16. Dilucidatio textus. §. 1. Strabo. Sardis ciuitas describitur.

K Et Sardis. (dicit) Sardis ciuitas totius Lydiæ Regionis caput, & Crœsi Lydorum Regis Regina est, vt ait Strabo. De Cræso autem Lydorum Rege apud Iustinum libro 1. Herodotum l. p. Strabum libro 2. & Plutarchum in vita Solini tomo 1. multa extant memoratu digna. Sardis vero ciuitas Lydię caput, & insignis vrbs, capta fuit à Demetrio, sic enim scribit Plutarchus in vita Demetrij: [Occupatis autem Sardibus

dibus fuerunt complures Lysimachi milites, qui pecunijs, armisque arreptis ad Demetrium perfugerunt.] Sic ille. In hac ciuitate, Sardis stetit olim forte Æsopus historicus. Nam idem Plutarchus in vita Solonis, sic scribit: [Per id temporis Æsopus historicus forte Sardis aderat, eo accersitus à Crœso, magnisque honoribus affectus, Solonis causa vehementer indoluit, &c.] Insuper Sardibus, tota prouincia Lydię celebrabatur: Sic etenim scribit Plinius lib. 5. cap. 29. [Lydia autem perfusa flexuosi amnis Meandri reuertibus super Ioniam procedit Phrygię ab exortu solis vicina à Septentrione, Mysię meridiana parte Cariam amplectens Meonia antea appellata. Celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis qui antea Tmolus appellabatur,] & mox; Sardis ciuitatem celebrem, ac insignem fuisse, sub his verbis Plinius docet: [Sardiana nunc appellatur ea iurisdictio, conueniuntque in eam extra prędictos Macedones, Cadueni, Loreni, Phyladelphini, & ipsi in radice, Tmoli cogamo flumine appositi Meoni, Tripolitani.] Hucusque Plinius. Porro circa ciuitatem hanc Sardis, primo Castaneę inuentę fuere, teste Plinio, libro 15. hist. nat. cap. 23. vbi sic scribit: [Moluntur, (nempe Castanę,) etiam, & pręstant ieiunio feminarum quamdam imaginem panis Sardibus ea præuenere primum, ideo apud Gręcos Sardianos Balanos appellant. Nam Tiberius postea (adde Castaneis) Balanum nomen imposuit excellentioribus satisfactis, &c.] Hæc illa.

Sardis Aesopus stetit.

Plinius lib. 5. cap. 29.

§. 2. Sardis, & Sardinia maxime differunt.

Porro nota, quod licet hęc duo nomina, scilicet, Sardis, & Sardinia aliquantulum intersese videantur nomine conuenire, tamen in re plurimum differunt, cum Sardis ciuitas Lydiæ regionis caput, in minori Asia sit, (vt est dictum) Sardinia vero insula Europę in mari Mediterraneo sit, à Plinio, Ptolemæo, Iustino, Strabone, Herodoto, & alijs Cosmographis, mille titulis numquam satis laudata. In qua Diui Augustini ossa, per aliquod tempus conquieuere. Quę quidem postea à Saracenis, Leoprando, Longobardorum Regi, magno prętio vendita fuere. In qua insula, nec lupum gigni, nec serpentem reperiri, experientia docet. His accedit, quod Sardis Asiæ ciuitas, indeclinabile nomen sit, vt apparet hic, & apud Plinium, Ptolemæum, & Herodotum, & Strabonem. Etsi apud Latinos aliquam flexionem habet, tantum est: [Sardis,] [Sardes,] [Sardibus,] & Sardianus, a, m: At vero Sardinia declinabile nomen est apud Latinos, & Græcos: & ab ea Sardus, & Sardiniensis adiectiua, & Sardouus, a, m, possessiua fiunt.

Sardis indeclinabile nomen.

In hac Sardensi ecclesia celebratum quippe fuit Concilium Sardense.

PARAPHRASIS

Decimaseptima.

Par. 17. Dilucidatio textus.

§. 1. Philadelphia describitur.

Et Philadelphiæ. (ait) Ciuitas hæc Philadelphiæ, minoris Asiæ, ab Attalo Philadelpho, Pergami Rege condita vtique fuit, a quo conditore ciuitas nomen accepit Philadelphia. Fuit siquidem Attalus Rex Pergami, de quo rege mentionem facit Iustinus historicus libro vigesimo nono, & Plinius libro octauo cap. 48. & etiam Plutarchus in vita Tiberij. Appellatus insuper fuit Attalus iste Rex, Philopater, vel Philadelphus; Quod quidem cognomentum postea ei merito impositum fuit: Dictus siquidem fuit Philopater, quasi amator patris. Appellatus tandem fuit Philadelphus, quasi amator virtutis. Hæc enim cognomenta erant apud Græcos: Nam Plutarchus in vita Marci Coriolani, quæ est 8. v. sic fatur: [Nam à rebus gestis, aut forma, aut virtute, aut fortuna; Quemadmodum, & apud Græcos huiusmodi Indi solebant cognomenta, à gestis quidem denominari liquet, sicuti Sotora, & Callinicum a forma, vt Phisconem Cirippumque à virtute, vt euergentem, & Philadelphum, a fortuna, fælicitate, vt Eudæmonem, sicuti Battus secundus vocatus est:] Hucusque Plutarchus, Et idem docent Plinius libro decimo octauo, Macrobius sat. libro primo capitulo sexto. Est igitur qualiter Philadelphum cognomen est à virtute. Qua propter Attalus Rex Pergami Philadelphus vocatus fuit, quasi amator virtutis. Qui cum in Asia minori ciuitatem conderet, eam Philadelphiam suo nomine appellauit, vt nuper retulimus.

Plutarchus in vita M. Coriolani to. 1. vita 8.

A

Hanc ciuitatem Philadelphiam, ad quam scribit beatus Ioannes in Asia minori, quidam volunt esse Lydiæ, Regionis, vt Ptolemæus libro quinto, capitulo secundo. Vbi post Sardis statim Philadelphiam collocat in Lydia Regione. Et idem placet Stephano libro de Vrbibus. Quidam vero volunt esse Mysiæ Regionis, vt auctor est Strabus libro duodecimo, & tandem Plinius eam collocat prope Iudæam in Decapolitana Regione, quæ est Syriæ: Sic enim scribit Plinius libro quinto capitulo decimo octauo. [Iungitur ei, (nempe Iudeæ,) latere Syriæ Decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eamdem obseruant. Plurimi tamen Damascum, & Opoton riguas amne Chrysorrhea fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recondentia.] Sic ille. Et hanc opinionem Plinij, ac etiam Straboni, sequutus videtur auctor indicis Biblij, in quo interpretatio nominum Hebræorum, Chaldæorum, Græcorum, Latinorum, virorum, mulierum, populorum, &c. continetur. Is siquidem auctor cum ad Philadelphiam interpretandam deuenisset, sic fuit alloquutus: [Philadelphia amor fratris, vel fraternitatis, ciuitas decapolis est, iuxta Plinium libro quinto capitulo decimo octauo, & Strabo in decimo sexto, ad cuius ecclesiam Ioannes scripsit Apo. primo, & tertio.] Sic ille. Constat autem Decapolim, regionem esse decem ciuitatum in Syria vltra Iordanem ad Orientem Iudææ sitam, sic enim dicitur Matthæi cap. 4. [Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paraliticos, & curauit eos, & secutæ sunt eum turbę multę de Galilęa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudęa, & de trans Iordane.] & Mar. 7. [Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.] Et licet Philadelphiam in Lydia, vel in Mysia, aut tandem in Decapolitana regione reponas, parui momenti plane est; dum modo Philadelphiam ad quam scripsit beatus Ioannes, in Asia minori sitam esse conformes, quia istud stat sub fide, vt apparet hoc in capite: Illud autem ne quaquam, cum in Lydia, vel Mysia, aut in Decapoli ędificari, & terminari a quouis facile potuerit. Attamen ex dictis necessario sequitur, regionem illam ex his tribus, in qua Philadelphia reponenda erit, minoris Asiæ prouinciam & partem esse: Quandoquidem (vt verum dicam) de Lydia, & Mysia affirmari hęc potest: Attamen de Syria vllo modo verificatur, cum ipsa teste Ptolemæo lib. 5. cap. 1. non minoris, & propriæ, sed maioris Asiæ pręcipua prouincia sit. Si autem quattuor esse Philadelphias affirmes, vnam nempe in Ægypto, alteram in Syria, aliam in Mysia, alteram tandem in Lydia, cito apparet Philadelphiam illam ad quam scripsit B. Ioannes Apostolus, illam tantummodo esse, quæ sita est in Lydia, iacens sub iurisdictione Sardiana, de qua Plin. lib. 5. cap. 29. sic ait: [Sardiana nunc appellatur ea iurisdictio, conueniuntq; in eam extra prædictos Macedones, Cadueni, Loreni, Philadelphem, &c.] Constat autem Philadelphenos, siue Philadelphios conuentus esse Sardianos. Et per consequens reddit ad veram opinionem Ptolemęi ponentis lib. 5. cap. 2. post Sardis statim Philadelphiam in Lydia Regione.

§. 2. Philadelphia situs.

B

D. Hieron.

C

Decapolis Regio.

D

E

PARA-

PARAPHRASIS

Decimaoctaua.

Par. 18. Enodatio textus.

§. 1. Laodicia ciuitas describitur. Ptolemæus. Plinius. Volaterran. Steph. de vrb. Appian.

Et Laodiciæ. (inquit tandem.) Hæc ciuitas Laodicia (ad cuius ecclesiam Ioannes scribit,) in prouincia Cariæ, minoris Asiæ sita, insuper & mediterranea, ac celeberrima, necnon testibus Plinio, Ptolemæo, Strabone, Raphaele Volaterrano, Stephano de Vrbibus, & Appiano, in Syriaco, flumini Lyco, imposita est. Vbi passim nota, quod per Lycum fluuium non intelligimus illum fluuium qui est ponti Euxinij, de quo Plinius libro 2. cap. 104. nec minus illum alium Lycum fluuium qui Germaniæ est, Rhetos dirimens à Vindelicis, & præter Augustam Vindelicorum in Danubium illabens de quo Ptolemæus lib. 2. cap. 12. sed Lycum fluuium illum, qui in Asia minori, Laodiceam præterfluens est, intelligimus de quo Plinius libro 5. cap. 29. sic scribit: [Celeberrima vrbs Laodicea imposita est Lyco flumini latera alluentibus, Asopo, & Capro appellata primo Diospolis, deinde Rhoas.] Ad huius ergo Lyci fluuij ripas Laodicea vrbs sita a Seleuco primo, & deinde, ab Alexandro Magno condita vtique fuit.

§. 2. Paulus Apostolus multū Laodicenses diligebat.

De hac ciuitate Laodicea, ac etiam de illius Incolis, crebro ac frequens apud Paulum Apostolum mentio extat, propterea quod ad Coloss. cap. 4. sic scribit: [Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est seruus Christi Iesu semper solicitus pro vobis in orationibus, vt sitis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei, testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro illis, qui sunt Laodiciæ, & Hierapoli.] Et paulo post: [Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, &c.] Et rursus tandem: [Et cum lecta fuerit apud vos Epistola, facite, vt & in Laodicensium ecclesia legatur, & ea quæ Laodicensium est, vos legatis:] Ex quibus apparet Laodiceam ciuitatem, & etiam Laodicenses, multum in delitijs, ac præcordijs habuisse Paulum Apostolum.

§. 3.

Appianus in Syriaco, & Ambrosius in suo Calepino, de Vrbe Laodicea, sic scribunt: [Hæc vrbs (nempe Laodicea in minori Asia Lyco flumini imposita,) præcæteris Asiæ vrbibus multis clarissimis ciuibus est nobilitata. Ex quibus fuit Hiero, qui hereditatem populo diuisit supra duo millia talentorum, & multis donis ciuitatem exornauit. Postea Zeno orator, & Polemo eius filius, qui ob res, fortiter gestas, prius ab Antonino, postea ab Augusto, ad regiæ dignitatis fastigium cuectus est.] Hucusq; Ambrosius, & Appianus in Syriaco de ciuibus Laodiceæ.

§. 4. Probat auctor Hieronē non fuisse ex Laodicea sed ex Sicilia. Iustin. lib. 23.

Verumenimuero Hiero testante Plutarcho in vita Marcelli tom. 1. vita 14. Rex Syracusanorum in Sicilia, & vt prodit Iustinus historicus lib. 23. Rex totius Siciliæ fuit, cuius ortum Iustinus in calce lib. 23. his verbis recenset: [Post profectionem à Sicilia Pyrrhi magistratus Hiero creatur, cuius tanta moderatio fuit, vt consentiente omnium ciuitatum fauore, dux aduersus Carthaginenses, primum, mox Rex creatur. Huius futuræ maiestatis, ipsa infantulis educatio quasi prænuntia fuit, quippe genitus erat patre Hieroclyto nobili viro, cuius origo a Gelo antiquo Siciliæ Tyranno manabat, sed maternum illi genus sordidum fuit, nam ex Ancilla natus, ac propterea à patre velut dehonestamentum generis, expositus fuerat, sed paruu- F lum ex humanæ opis indigentem, apes congestos circa iacentem melle multis diebus aluere. Obquam rem responso aruspicum admonitus pater qui regnum infanti portendi canebant paruulum recolligit, omnique studio ad spem maiestatis, quæ promittebatur instituit. Eidem in ludo inter coæquales discenti, lupus tabulam in turba puerorum, repente conspectus eripuit, adolescenti quoque prima bella ineunti in clypeo noctua in hasta consedit. Quod ostentum & in concilio cautum, & manu promptum, regemque futurum significabat, denique aduersus procuratores sæpe pugnauit, semperque victoriam reportauit, a Pyrrho Rege multis militaribus donis donatus est: pulchritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere, in alloquio blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus erat. Prorsus, vt nihil ei regium deesse videretur, præter Regnum.]
G Hæc Iustinus de Hierone Rege. Quæ vera cum sint, stare sane haud potest Appiani, vel Ambrosij dictum de Hierone, nimirum, quod Hiero, Laodiciæ minoris Asiæ natus, aut ciues illius fuerit, nisi duos Hierones vnum Siciliæ Regem, alterum vero Laodiciæ minoris Asiæ ciuem, concedas. Secundum vero quod ait Appianus de Zenone Oratore absonum non videtur dummodo Zenonem Philosophum Stoicorum principem minime intelligas, quia iste ex Citto ciuitate Cypri insulæ originem traxit. Ex hucusque dictis satis liquido apparet, quid veri, & quid falsi sententia illa de ciuibus Laodiceæ, (cuiusius illa sit,) contineat.

Castigatio sententiæ Appiani, & Ambrosij de ciuibus Laodiciæ.

§. 5. Permultæ ciuitates nomine Laodiciæ appellatæ. Stephanus.

Stephanus tandem in libro de Vrbibus, permultas Laodiceas ciuitates connumerat, nimirum, Laodiceam in Syria, Laodiceam in Caria, Laodiceam in Lydia,
H & Laodiceam in Licaonia, Laodiceam in Media. Alii etiam auctores Laodiceam in Syria Curua, & Laodiceam combustam Bizenorum in Galatia recensentur. Verumenimuero Ioannes noster ad solam Laodiceam Cariæ in Lyco fluuio sitam, (vt dictum est,) scribit.

§. 6. Allegoriæ septē de his septemecclesijs Asiæ, D. Ambros. Primasius.

In huiusce tamen paraphrasis calce: Vnicuique ex his septem Ecclesijs suam apponam allegoriam ex varijs, Doctoribus exceptam. Quæ omnes a Diuo Ambrosio, & à Primasio, Beati Augustini discipulo, in magno habentur precio, & non paucis verbis enarrantur in suis commentarijs in hunc locum. Ephesus itaque voluntas, siue consilium interpretatur, & demonstrat initium conuersionis vniuscuiusque. Quapropter hic à nostro Archipropheta primo loco ponitur, eoquod nullum mulius consilium in peccatore
I conuerso esse potest, quam voluntas bona, quæ homini suadet, abrenuntiare diabolo, & sequi Christum, relinquere vitia, & apprehendere virtutes. Hinc plane est, quod cum necesse sit, eum qui ad Deum conuerti vult, misericordiam implorare, vt perficere possit, quod desiderat: consilium siue voluntas bona interpretata per Ephesum, primo loco ponantur. Voluntatem insuper aliquando, pro correctione negligentiæ, frequenter nouimus adhiberi. Quod claret, dum & placita voluntati, quæ ex charitate mulceant, in Epheso enarrantur, & emendãda meliori consilio minaciter ibidem allegantur.

Allegoria de Smyrna.

Smyrna canticum eorum interpretatur, ille etenim bene cantat, qui misericordiam conditoris sui, corde contrito, & humiliato spiritu deprecatur. De
K quo plane cantu Apostolus loquitur dicens: [Cantantes, & psalentes in cordibus vestris Domino.] Eph. 5. Et qui à Deo exaudiri vult, necesse est, & vitia derelinqueat, & ad bona opera agenda in quantum vires suppetit semetipsum conuertat. Ideo secundo loco Smyrna ponitur, hoc est, canticum eorum, qui ad Deum conuertuntur, quale est canticum illud, de quo dicitur: [Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena.]

Per-

Allegoria de pergamo. Pergamus diuiſio cornuū dicitur. Bonū, & malum duo cornua.

Pergamus, diuiſio cornuum interpretatur. Duo enim cornua, hoc in loco, bonum, & malum ſignificant. Quamobrem cornua tunc diuidimus, quando inter bonum, & malum diſcernentes, malum à bonis repellimus, & bonum amplectimur. Et quia quando in peccatis iacemus, in tenebris ſumus, & cum mala à nobis reijcimus, & bona operari incipimus, quaſi à tenebris ad lucem progredimur: ideo hic ponitur Pergamus, & poſtea Thyatira, quæ illuminata interpretatur, vt mox dicemus. Pergamus inſuper diuidendi cornua eorum, vel deſcendendi valles in ſermone dicitur, eo quod de Angelo huius Eccleſiæ, duas hominū ſpecies demonſtrauit noſter Vates, in ipſo, tenentis fidem, in alijs autem, tenentium doctrinam Nicolaitarum. Et quia inter iuſtorum, & peccatorū cornua, diuiſio facienda eſt, iuxta illud: [Cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.] Ideo Pergamus hic ponitur, qui diuidendi cornua eorum dicitur, & deſcendendi vallem.

Cornua iuſtorum, & peccatorum. Pſalm. 74.

Allegoria de Sardis. Sardis pulchritudo dicitur. Pulchritudo ſanctorum.

Sardis, principium pulchritudinis interpretatur. Et ideo tali gaudet interpretatione, quia Sanctorum pulchritudo, in hac vita inchoatur, & in æterna beatitudine perficitur. Vel Sardis princeps pulchritudinis dicitur; quoniam in Sardenſi Eccleſiæ, noſter Vates electorum memorat dignitatem dicendo: [Qui non inquinauerūt veſtimenta ſua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.]

Allegoria de thyatyra. Thyatira illuminata nūcupatur.

Thyatira, illuminata interpretatur. Quoniam ex operatione mandatorum Dei, pulchritudo animæ accreſcit. Immo quanto quis plus in operatione mandatorum Dei creſcit, tanto ampliorem pulchritudinem animæ ſuæ accumulat.

Allegoria de Philadelphia. Philadelphia ſaluans hereditatem Dei appellatur.

Philadelphia, ſaluans hereditatem Dei interpretatur. Hereditas autem Dei nihil aliud eſt, quam omnis multitudo electorum, iuxta illud Iſaiæ 19. [Hereditas autem mea Iſrael.] Salus autem electorum in alio plane non conſiſtit, niſi in mandatorum Dei operatione. Quoniam ille qui venit quærere (vt dicitur Lucæ 19.) & ſaluum facere quod perierat, is, & non alius, ſalutem animabus clargitur, & mandatorum eius cuſtodiam diligenter imponit. Vel Philadelphia, ſaluans hereditatem Domino interpretatur, eoquod ad Angelum huius Eccleſiæ talis ſermo dirigitur, quo, & ſe dirigi nouerit, & à tentationis hora tueretur.

Allegoria de Laudicea. Laodicea tribus amabilis dicitur. Apo. 3.

Laodicea denique, tribus amabilis Domino interpretatur, in ſignum, quod omnis multitudo electorum, quæ eſt in Eccleſia, per abrenuntiationem vitiorum, & per virtutum operationum, tribus amabilis Domino vocatur. Amabilis quidem, cum Dominus ipſe dicat: [Ego quos amo, arguo, & caſtigo.] Et non caret myſterio, hanc Eccleſiam vocari amabilem tribum, cum eius Angelus fuerit in vomitu, myſterium tamen ſtat in hoc, quod Angelus iſte tepiditatis arguitur, vt tranſgreſſionis fœditate, repulſa amabilis perſeueret, & ſic et aurum ignitum, & albam veſtem conuerſo, promittit Deus. Gerentibus autem in eadem Eccleſia cor impœnitens ipſi fuerunt in vomitu; Quibus hæc dicit: [Incipiam vos ex ore meo vomere,] vt nomini ſermo, actuſque concordet.

Text. 12.


T conuerſus ſum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.

COMMENTARIVS.


D ſuperiora habetur hic relatio. Hebraiſmus tamen eſt, ponitur enim hic, [videre vocem] pro intelligere, vel audire. Vox namque non videtur, ſed auditur vel intelligitur. Hinc Arethas optime ſic vertit [Conuerſus ſum vt hunc viderem, cuius vox loquebatur mecum.] Et eſt naturalis loquendi modus. Solent namq. homines cū retro, & poſt ſe aliquid audiunt, mox ſe naturali inſtinctu ad tergum conuertere, ad quid illud ſit, videndum. Incedis quippe tu, poſt tuum amicum, & forte illum vocas prætereuntem, dicendo illi: Heus, heus, audis ne? Ipſe verò tunc conuertit ſe è veſtigio, ad te, vt quid tu vis videat. Etſi caſu à te prius interrogetur, cur ſic ſe cito retro conuerterit, protinus reſpondit dicens. Vocem tuam poſt me audiui, ideo conuerſus ad te fui, vt quid velles, audirem. Cū itaque ſupra noſter Euangelicus Vates à tergo vocem audierit magnam [Et audiui poſt me vocem magnam tamquam tubæ] ſuper erat ſane, ad audiendum, ſciendum, intelligendumque, quid vox illa magna à ſe quæreret, ſe conuertere. Quare meritò in textu ſubiungitur: *Et conuerſus ſum vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum*. Perinde. ac diceret: [Conuerſus ſum, ideſt reſpexi retro, & poſt me, vt viderem, hoc eſt, vt ſcirem, intelligerem, & cognoſcerem *vocem* nempe, ea, quæ dicebantur mihi per illam vocem, quæ loquebatur mecum, vel *vocem* hoc eſt, prolatorem vocis, vt expendit Lyranus, aut *vocem*, hoc eſt, vacantem, ſiue emittentem vocem (vt exoluit Ioachimus) qui loquebatur mecum.

Explanatio contextus. §. 1.

Gloſſa ord.

Germanus ſenius. Primaſius. Conuertere à tergo, quid ſignificat. Lyranus. Ioachim.

§. 2.

Primò tamen nota. Quod cum idem ſit in ſacra pagina, [conuertere,] quod [vertere] aut [mutare] & talis verſio, ſiue mutatio præcipue fiat in actibus, & in habitibus creaturæ rationalis, quum ab vno mutatur in ſuum contrarium, hinc factum eſt, quod conuertere, importet; primò quidem, deductionem peccatoris à peccato ad pœnitentiam. Conuerti enim tunc dicitur, quum quis reſpiciens, à peccato reddit ad Deum: Sic conuerſus fuit Dauid, & Magdalena, Petrus, & Matthæus, Dimas, & Zachæus: [Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, dicitur Ioelis 2. & conuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.] & etiam ſecundo importet actum contemplationis. Quum enim quis à terrenis, ad cæleſtia eleuatur, tunc dicitur conuerti in meliorem ſtatum; quoniā eleuauit ſe, ſupra ſe. Ideo cum quis conuertitur, omnia terrena, quæ antea corā ſe degebant, iam tunc poſt ſe, & atergo reputantur, immo pro nihilo ab eo habentur, cum cæleſtia tantummodo, tunc contempletur dicēdo: [Dilectus meus mihi & ego illi,] Et ſic expendi poteſt illud Pſ. 114. [Conuertere animam meam in requiem tuam,] ideſt, animam meam, quaſi poſt labores, ad cæleſtem contēplationem deduc, vt nauem ad portum. Hoc autem in loco *conuerſus* non accipitur in prima, ſed in ſecunda ſignificatione; quoniam noſter Archipropheta vt nuper diſtulimus raptus fuit in ſpiritu.

Conuertere duo importat

Cant. 4. Baſilius ſupra Pſ. 114.

D. tamen Ambroſius, hoc in loco quærit: Cur tandiu auerſus ſtetit Ioannes noſter? Cur non ad primum ictum ſermonis aures eius percutientem, ad eum conuerſus fuit? Et ipſemet ſibiipſi ſatisfacit per hæc verba [Sciendum eſt, quod exemplum dedit nobis, nam ad eū qui ſecū loquebatur, non prius conuerſus eſt, quā nomina eccleſiarū ad quas ſcribere præcipiebatur audiret; & ſuperius breuiter diximus p interpretationes

§. 3. Ioannes cur ad primam vocem non fuit conuerſus. D. Amb. in comment.

Kk nomi-

ipse facturus erat, recte igitur, & conuersus sum inquit, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum: qui enim quodammodo in cælum ascendere, & latentem illinc diuinitatem hominibus demonstrare rogatus ad orationem, & ieiunia confugit: Solicitus suam fragilitatem, suspectus recte conuertit,] Hæc Rupertus. Qui etiam paulo infra adhuc circa hanc rem ita scribit; [Conuersus enim ad orationes, & ieiunia, simulq. indictum ieiunium celebrante ecclesia, vidit, reuelante Spiritu sancto, qualia de Christi diuinitate scribere dignum erat.] Quæ omnia plane à Ruperto hic scripta, eo tendunt, vt sanctos Dei, tam viuos, quam mortuos inuocemus. Clama igitur peccator post sanctos ieiunando, orando, &c. & tunc ipsis intercedentibus, petitionem tuam (quamuis difficilis sit) à Deo bonorum omnium largitore proculdubio impetrabis. Vides ne Eliam, Eliseo duplicem spiritum postulanti, dixisse, [Rem difficilem postulasti;] & tandem Eliseus perseuerans, quod postulauit assequutus fuit. Sic & tu assequuturum te, à sanctis puta, quod ab ipsis perseueranter postulas.

Ioannis in recessu pro Ecclesia.

Sancti tam viui quam mortui inuocandi.

Sanctorum intercessio.

Perseuerantia Elisei in postulando.

Text. 11.


ET conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem cādelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput autem eius & capilli erant candidi tāquam lana alba, & tamquam nix, & oculi eius tamquam flamma ignis; & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; & vox illius tamquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem, & de ore eius, gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius sicut sol lucet in virtute sua.

COMEMNTARIVS.

Explanatio contextus.
§. 1.
Ioannes qua ratione obtinuit hanc reuelationem.


OMNIA hæc, sunt plæna mysterio. Iam si quidem primę visionis sacramenta hic, imaginibus in medium repræsentatis, incipiunt. Totum quippe hoc opus, in septem principaliores sectatur visiones, quarum prima est hæc, quæ septem Ecclesiarum Asiæ reprehentionem earumdemq. correctionē cōtinet. Quia tamen noster mellifluus Archipropheta Ioānes, omnes has septem principales, & supra modum admirabiles visiones, repræsentatis in medium imaginibus, formis, rerumque sensibilium speciebus, intellectuali & spirituali visione, mediante lumine supranaturali, superaddito intellectui ipsius obtinuit, ideo hanc primam suā visionem, per eadem sensibilia signa, septem candelabrorum aureorum filij hominis, & septem stellarum sibi ab Angelo ostensa auspicatur. Quippe quod, his sensibilibus signis, & velaminibus, ea, quæ de futuro sanctæ matris Ecclesiæ statu, & viderat, & intellexerat, malis velata, occultarentur, & bonis studenda præberentur. Duo tamen hic in summa, se vidisse narrat noster Vates: Primum quidem, septem candelabra, secundum verò, similem filio hominis. Quantum autem ad primum ait, *& conuersus vidi septem candelabra.* Et quia ista candelabra magno pretio, eximique pollebant

Ioannes cur primam visionem incipiat a septem candelabris.

A excellentia, protinus subiungit *aurea*, quæ lucebant die, & nocte. Et in hoc sane similis quippe est hæc prima visio Ioannis, visioni Zachariæ, qui, cap. 4. vidit candelabrum aureum totum, & lampas super illud. Quantum vero ad secundum, inquit: *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*, id est, homini, siue qui hominem referebat, nimirum, Christum, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, & fratribus similis per omnia, dempto peccato. Vnde filius hominis dicitur, id est, verus homo, sicut filius Dei appellatur, hoc est, Deus ipse, ne quis cum quibusdam hæreticis, illi cæleste corpus affingat. Dicit autem, illam similitudinem filij hominis, nempe, Christi, degere in medio candelabrorum: Quoniam olim in lege, cura candelabri, & septem lampadarum, vt liquet Exod. 35. Summo sacerdoti commissa fuerat, & cum Christus sit summus
B Sacerdos noster, dicente de illo Psalmista, [Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech] Ostendit per hunc loquendi stylum, Christum per mortem, & passionem suam, illorum septem candelabrorum curam meruisse, ideoque inter eos de cætero in perpetuum de ambulare, curam maximam illorum gerendo, vt die ac nocte semper luceant. Et quoniam tunc noster summus sacerdos, ei indutus apparuit, indumenta eius explicat dicendo, [*vestitum podere,*] quæ quidem, tunica est talaris, ad pedes vsque demissa, vna ex octo vestibus pontificis, qua plane tunc indutus apparuit noster Redemptor Christus, vt Sacerdos summus appareret, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Quoniam hanc apocalypsim, siue reuelationem habuit noster vates in lege euangelica, in qua non est iuxta legem Moysi cultus, qui ab ipso Christo diuinitus nobis tra-
C ditus est, sed iuxta nouum ordinem Melchisedech, de quo etiam dixit Apostolus ad Heb. 8. nobis, Christum Pontificem datum fuisse, qui se ipsum in sacrificium obtulisset, & introduxisset ad Deum patrem, ac spiritum nostræ fidei confessionem. Et insuper, quia de Christo dixit Psaltes Israel. [Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se] cingulum quo se præcingit hic ostendit dicens: [*præcinctum ad mamillas zona aurea.*] Zona enim siue balteus aureus, militare est insigne. & eorum cingulum qui triumphum reportant de hostibus: Christus autem, & Rex, & liberator, & etiam protector fidelium vtique est. Eius vero victoria nostra plane est, vt in illo, à Satana, inferis, peccato, & morte, Victoriam ouantes reportemus. Ad mamillas vero cingitur, & non ad lumbos quia neque hæc fertur appetitionibus, aut concupiscentis, quæ sub ventre gene-
D rantur, quas cæteris hominibus salutare est coercere. Et ob id plane ad eas partes nullatenus cinctus est, ad quas his pateat accessus, eo quod Deus his, ineffabili modo sit obseptus, sed ad pectus, & ad mamillas, vt benignitas, & humanitas, quibus in terris apparuit, iustam, ac diuinam iram contineant, quæ tolerari alioquim minime posset. Auream autem appellat zonam, eo quod legales Sacerdotes, pallis vtebantur variegatis. Id propterea maxime oportuit diuersitatem manifestare inter seruos, & fratres, vel inter legem vmbratilem, & veritatem. Et denique ad illius imaginis, siue similitudinis filij hominis descriptionē pergendo, qualitates præcipuarum partium, & membrorum eius exprimit, eius caput, oculos (specimen flammæ in modum præ se ferentes) lucidos ac mundos pedes, magnificamq. vocem, & alia pleraq. his similia assatim notando dicens, *caput eius & capilli erant candidi, tā-*
E *quam lana alba, & tamquam nix & oculi eius, &c.* Et quantum ad hoc similis itidem est eadem Ioannis visio visioni Danielis qui c. 7. vidit antiquum dierum sedentem, cuius vestimentum erat candidum, quasi nix, & capilli quasi lana munda. Quæ quidem omnia mysteria huius primæ ecstasis, siue raptus nostri mellifui Archiprophetæ minutim diuentilanda vtiq. veniunt.

K 2 PA-

Par. 1.

PARAPHRASIS
Prima.

Dilucidatio text. §. 1. Vidi (ait) septem candelabra aurea. Candelabrum instrumentum notum quippe est, deseruiens ad sustinendas lucernas domum illuminantes, vel instrumentum, quo lumen in domo aut in mensa fulci- Candelabrũ, quid sit. tur, & per quod, locus vbi est, illuminatur, & caligine Candelabrum vnde deriuatur. depuratur. Dicitur autem candelabrum a candela, eoquòd candelabrum solet esse vehiculum candelarum.

§. 2. Candelabrum, in sacra pagina multa vtique significat. Candelabri significationes. Quoniam primo significat Christum. Confirmat Clemés Alex. autem hoc illud Exod. 25. [Facies candelabrum ductile.] Quem plane locum Clemens Alexandrinus D. Greg. 5. strom. Gregorius super Ezechielem homil. 6. Isichi. Isichius super Leuiticum cap. 24. Cyrillus super cap. 8. Cyrillus S. Tho. Ioan. & S. Tho. p. 2. q. 102. art. 4. de humanitate Christi, qui fuit ductilis per passionem exoluunt. Secundo significat candelabrum, contemplationem, iuxta illud 4. Reg. 4. [Ponamus Eliseo candelabrum.] Per quod communiter doctores, & illuminationem fidei, & claritatem virtutum, & etiam contemplationem intelligunt. Tertiò tandem significat candelabrum Eccle- Candelabri tres significationes. siam Dei, Apostolos, doctores, & omnes fideles de Ecclesia, vt tenent Origines super num. hom. 5, Ambro- Origenes. D. Amb. sius super Ps. 118. & serm. 14. & super cap. 11. Lucæ. & D. Aug. D. Aug. 1. serm. de monte. Et etiam probari potest ex illo Zach. 4. [Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius, & duæ oliuæ super illud, vna a dextris lampadis, & vna a sinistris eius.] Quod D. Hieron. Cyrillus. plane D. Hieronymus, & Cyrillus de Ecclesia exoluunt. Et in hac significatione, accipiunt hoc in loco candelabra hæc septem intuita à Ioanne, quatenus nempe Ecclesiam Dei significant, pro vt hæc prima visio, tum ab angelo Dei, tum a D. Augustino D. Ambro- D. Aug. D. Amb. D. Tho. Carthus. sio D. Th. D. Dionysio Carthusiano, & à reliquis sanctis Patribus, tam Græcis, quam Latinis, à temporibus Irenæi & Iustini, vsque ad hæc nostra sæcula, exoluitur.

§. 3. Dicuntur tamen candelabra septem. Tum propter Candelabra primæ visionis cur septẽ. numerum septenarium, qui communiter vniuersitatem significare in sacra pagina, solet. Quemadmodum enim ex multis racemis vnus calix exprimitur, sic ex Comparatio. multis fidelibus, vnum corpus mysticum integratur, nempe ecclesia, & ex multis ecclesijs particularibus, vna vniuersalis, & catholica constituitur sancta ma- D. Amb. ter Ecclesia. Quoniam vt ait D. Augustinus tract. 46. D. Aug. in comment. in Ioan. sicut ex multis membris & partibus, vnum- D. Aug. in Ioan. quodque corpus consistit: ita Ecclesiæ vnitas ex diuersis personis, nimirum ex prædestinatis, iustificatis, & glorificatis, & etiam, ex præscitis, & reprobis con- Candelabra septem Apocalypsis Ecclesiam demonstrant. ficitur. Hinc itaque est, quod hæc septem candelabra, septem Ecclesias Asiæ, & earum nomine vniuersalem Ecclesiam designent. Corroboratur hoc, ex eo D. Amb. quod hæc septem candelabra Apocalypseos vnum D. Tho. dumtaxat candelabrum, apud Zachariam conficiunt. Et Primas. in coment. Et infra etiam hæc septem candelabra, vnum solummodo candelabrum esse, septem calamos, lucer- Ecclesia illustratur gratia Spiritus sancti. nas habens, dispungetur. Tum præterea, candelabra hæc dicuntur septem: ob septiformem Spiritus sancti gratiam, qua vniuersa Eccl. sia apprime irrigatur, Carthusianus in comment. & collustratur. Hæc duplex ratio adducitur etiam, a D. Dionysio Carthusiano per hæc verba: [Quid autem per septem candelabra significetur, in fine huius capitis dicitur. Significant enim septem Ecclesias Asiæ immo per eas totius Christianitatis Ecclesias, septemplici dono Spiritus sancti splendentes.]

§. 4. Porrò candelabra, dicuntur aurea. Quoniam Ec-

F clesia, quam demonstrant, aurea vtique est: Et quic- candelabra Apocalypsis cur aurea. Eccl. aurea. quid in illa continetur, auro purissimo itidem redolet: [Astitit regina a dextris tuis (dicitur Psalm. 44.) in vestitu deaurato circumdata varietate] & paulo post hæc: [omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.] Hinc D. Ambrosius de vtraque Ecclesia, triunphante, nimirum, & militante, hæc decantat.

Vrbs Ierusalem beata D. Ambr. in quodam hymno de Eccl.
Dicta pacis visio
Quæ construitur in cælis
Viuis ex lapidibus
Et Angelis coronata
Vt sponsata comite
G *Noua veniens ex cælo*
Nuptiali thalamo
Præparata vt sponsata.
Copuletur domino
Platea & muri eius
Ex auro purissimo.
Portæ nitent margaritis
Adytis patentibus. &c.

At verò D. Dionysius Carthusianus, plerasque huius Carthusianus in comment. rei causas per hæc verba adducit: [Istud quoque candelabrum dicitur aureum, vel propter charitatis ar- Rationes Carth. cur candelabra apocalypsis aurea dicantur. dorem, & sapientiæ salutaris fulgorem, vel propter martyrum sanguinem, & fidelium persecutionem quotidianam, tribulationem, ac mortificationem. Iterum Ecclesia aureum candelabrum, nuncupatur, quia per H scripturarum notitiam lucida, per charitatem, & gratiam pretiosa, per patientiam solida, per obedientiam ductilis, per prædicationem sonora, per perseuerantiam longa, per spem erecta, per fidem in Deo fundata.] Hæc Carthusianus. Sanctus vero Thomas in hisce suis commentarijs, Strabum in sua glossa or- S. Tho. dinaria sequutus, nonnullas alias adfert causas, dicens [Aurea dicuntur candelabra propter claritatem diuinæ sapientiæ, ad aliorum instructionem, vel aliter candelabra aurea, nota glossam, & benedicit aurea, scilicet, propter puritatem incarnationis, quæ pretium dat, & valorem sustinentiæ aduersorum. Non de aurata per hypocrisim, quæ extra aurum habet intus lutum, Iob. 40. sternet sibi aurum quasi lutum] Ita Angelicus Doctor. Et ad has duas reducuntur omnes aliæ exponentium interpretationes, & causæ, qualis est illa Haymonis dicentis. [habet Ecclesia au- Haymon. I reum calorem, quia refulget diuina sapientia.] Et illa Richardi de Sancto Victore tenentis, quod sicut au- Richardus de S. Victore. rum per ignem probatur, & malleis extenditur, sic Ecclesia tentationibus probatur, & tunsionibus persecutionum, ardet igne sapientiæ cælestis, & lucet opere charitatis; Et etiam illa Ruperti Abbatis, dum ait: Rupertus abbas in comm. [Quæ videlicet candelabra, recte aurea videntur, quia sacra fides (ob quam, vel ex qua hoc habemus, gentes vt candelabra, idest Ecclesiæ simus) auro, quod per ignem transit, assimilatur.] Hæc Rupertus. Et postremo illa Francisci Riberæ exponentis, candelabra dici aurea, propter firmitatem, & perpetuitatem, & propter præstantiam charitatis, & doctrinæ cælestis, quæ non habet admistionem falsæ doctrinæ, vt doctrinæ Philosophorum. Hæc inquam omnia ad sanctorum Thomæ, & Dionysij dicta, facile & aperte reducuntur, tanquam riuuli ad suum originalem fon- K tem, a quo scaturientes dimanant.

Iam postremo quæres, quare Ecclesia candelabro §. 4. assimiletur? Haymo respondet per hæc verba: [Quia Cur Ecclesia candelabro assimilatur. Haymo. enim candelabrum tundendo producitur, satis conuenit ecclesiæ, quæ diuersis affligitur in hoc sæculo pressuris, inter quas, consolationes adhibet illi Dominus dicens Esa. 43. cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit in te.] verificatur hæc

Haymo-

Haymonis positio, in tribus pueris in fornacem à Rege Babylonis missis, & in Beato Laurentio dicente, [assatum est iam, versa,] ac etiam in reliquis sanctis martyribus. Et quadrat cum Richardo de S. Victore dicente, quod sicut aurum per ignem probatur, malleis extenditur, & in formam candelabri productum, instrumentum ignis & luminis efficitur; ita Ecclesiæ tentationibus probatæ, & tunsionibus persequutionū extuatæ ardent igne sapientiæ cælestis, & lucet opere charitatis. Iccirco asserere possumus cum D. Gregorio hom. 6. in Ezech. candelabrum illud, de quo legitur Exod. 25. & 27. non fuisse fusile, sed ductile. Quoniam ecclesia ferendo producitur, & quotidie persequutionibus proficit. Illustratur autem miruminmodum hæc Haymonis, & Richardi sententia enodatione D. Ambrosij, sic scribentis: [Septem candelabra aurea, septem Ecclesias designant, sicuti ipse exposuit, & septem Ecclesiæ, vnam Ecclesiam catholicam figurant, quæ candelabra aurea dicūtur, siue propter persequutiones, quas sancti in sæculo perferuntur, siue propter sapientiam, qua illuminantur.] Hæc D. Ambrosius. D. vero Thomas, in hisce commentarijs, quæsito, aliter satisfacit, asserens Ecclesiam appellari candelabrum, ex eo, quod sicuti in candelabro sunt hæc tria, nimirum, firmitas pedis, rectitudo hastilis, & eminentia lucis; sic ecclesia debet habere fidem (quæ est pes, & fundamentum omnis boni, iuxta illud Heb. 11. [Fides est sperandarum substantia rerum,] & spem per quam erigimus ad alta quæ designantur inhastilis rectitudine. Hinc Psal. 117. dicitur: [Bonum est sperare in domino, quam sperare in principibus.] Et Matth. 6. [Respicite volatilia cæli, &c.] Et tandem charitatem, quæ est lux, & ardet, & debet ardere in se, & lucere alijs per exemplum. Ad hoc plane alludit illud Apostoli 1. Cor. 13. [Charitas patiens est, benigna est, &c.] & paulo post: [Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam &c.] ac etiam illud Matth. 22. [In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.] Tandem D. Dionysius Carthusianus tertiam applicat enodationem, dicendo: [Dicitur autem Ecclesia per assimilationem quamdam, candelabrum, quoniam super se portat lumen clarissimum, scilicet Christum, & munera eius, quæ sunt splendida lumina mentis, purā gratiam gratificantem, virtutes ac dona, eorumque actus, qui beatitudinis appellantur, & fructus.] Quod autem Christus sit lux, patet ex illo Ioan. 8. [Ego sum lux mundi] Quod vero sancti etiam sint luces, siue lucernæ huius candelabri Ecclesiæ verificatur. Tum ex illo Ioan. 5. [ille (nempe Ioannes) erat lucerna ardens, & lucēs.] Tum etiam ex illo Matth. 5. [Vos estis lux mundi.] Et paulo post, [sic luceat lux vestra, &c.] & Lucæ 2. [Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.] & Lucæ 16. [Nemo accendit lucernam & ponit eā sub modio, sed super candelabrū, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.] Per quæ omnia patet, quod sancti, & prædicatores debent esse [candelabrum] per prædicationem verbi (vt annotat Autor incognitus) & [aureum] per fulgorem exempli.

Ecclesia candelabrum nō fusile, sed ductile.

D. Ambr. in commen.

D. Tho.

Candelabrum obtinet tria.

Ecclesia obtinet tres considerationes.

Fides, spes & charitas in Ecclesia.

Apostrophe ad charitatē.

Carthusian. in commētarijs.

Luces, & Lucernæ mundi sancti.

Predicatores debent esse candelabrum aureum.

PARAPHRASTIS Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus.

§. 1. Strabus. S. Thom. Carthus. Lyran. Richard. Haymo.

Et in medio (ait) septem candelabrorum aureorum similem filio hominis. Nempe Angelū in specie humana, vel potius in persona Christi, quem repræsentabat, vt expendunt strabus in sua glossa ordinaria, Sanctus Thomas D. Dionysius Carthusianus, Lyranus, Richardus de Sancto Victore, & Haymo.

§. 2. Filij hominis gemina acceptio.

Vt certa tamen ab incertis secernamus, ac omnino cribremus, dicimus filium hominis dupliciter accipi posse. Primo iuxta linguæ Hebraicæ proprietatem, filius hominis accipitur pro quolibet filio Adæ, iuxta illud Psal. 4. [Filij hominum vsquequo graui corde.] Et sic Ezechiel dictus fuit filius hominis, Adam siquidem homo erat, iuxta illud: [Faciamus hominem,] & iterum, [Fecit Deus hominem.] Quamobrem omnes descendentes ab Adam per carnalem propagationem, filij hominis, ex consequenti, dicuntur, nimirum filij Adæ. Adam autem cum immediate ex limo terræ esset, à Deo productus, nequit dici filius hominis, sed homo, quoniam nullius hominis erat filius. Secundo accipitur filius hominis pro Christo, vt per hoc nomen, vera eius natura humana ex progenie Adæ orta ostendatur. Hinc est, quod de Christo immediate intelligatur illud Ioan. 19. [Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo.] & Ioan. 5. [Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] Et Matth. 16. [Quem dicunt homines esse filium hominis?] & Matth. 8. [Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.] Quæ omnia, & alia his similia sacræ scripturæ testimonia, omnes quotquot sunt super Euangelistas adstipulatores, de Iesu Christo immediate exoluunt. Christus enim, qui filius Dei erat, iuxta illud Matth. 3. [Hic est filius meus dilectus,] & Ioan. 1. [Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre,] & Matth. 9. [Tu es Christus filius Dei viui.] & etiam ad Rom. 1. [Qui prædestinatus est filius Dei.] Voluit itidem filius hominis appellari, eo quod verbum caro factum fuit. Abulensis tamen huius appellationis plerasque alias adduxit causas. Quarum prima est, quia vere erat filius hominis scilicet virginis Mariæ, naturam humanā verā assumens. Secunda ad reddendam anbiguam locutionem. Nam si diceret [ego] manifestum esset de quo loqueretur, & sic cum dicit filius hominis, videtur loqui de alio, & fit oratio ambigua; quia & in hoc sensu intelligitur illud Ioan. 12. [oportet exaltari filium hominis.] Quamobrem turba statim respondit [Quis est iste filius hominis?] Tertia, ad se humiliandum, Nā si diceret, ego faciam tale, vel tale, videretur se laudare, cum autem dicit filius hominis faciet talia videtur euitare inanem gloriam, nam loquitur in tertia persona, & videtur loqui de alio, & non de se ipso. Quarta ad tollendum dubium. Nam quando Christus faciebat magnalia, poterant aliqui existimare, quod esset Deus, & non verus homo, & ob id cum Christus faciebat magna, vocabat se filium hominis, vt non putaretur solus spiritus, sed Deus, & homo esse. Quinta tandem ratio est, quod filius hominis dicebatur Christus ad honorem naturæ humanæ. Quoniam erat magnus honor humanæ naturæ, quod talia fierent ab ea vel ab eo, qui erat homo, eoquod licet natura humana, non haberet vires ad hoc, erat tamen eadem persona, quæ erat homo faciens hæc, & iccirco etiam hominem vocabat se in istis magnis, vt patet Matth. 9. [vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata] & Matth. 26. [Videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.]

Filius hominis quilibet filius Adæ.

Homo Adam

Homines omnes filij Adę. Quid intersit inter hominem, & filiū hominis.

Natura humana Christi explicatur per filium hominis.

Abulens in c. 16. Matth. q. 121.

Filius hominis Christus dicitur multiplici de causa.

Magna fecit Christus vt homo.

His itaque prælibatis, tres extant huius textus doctorum præcipuę enodationes. Prima quidem, (quam ego à prima fronte huius Paraphrasis tamquam omnino veriorem attigi) est Strabi in sua glossa ordinaria, S. Thomæ. D. Dionysij Carthusiani, Lyrani, Richardi de S. Victore, Haymonis, & reliquorum interpretum, per [similem filio hominis] Angelum in specie humana, vel potius in persona Christi, quem repræsentabat, vt nuper nos retulimus. Quorum plane sententia mihi omnino probatur tamquam cæteris verior, & rationi magis consentanea. Fauet huic nostræ expositioni textus ipse, dum supra habet: [mittens Angelum suum,] & hic, [similem filio hominis.] Quoniam ly [simile] non dicit rem, sed similitudinem rei. Et probatur. Tum quia in visione imaginaria, & intellectuali quicquid videtur imaginarium, & intellectuale vtriq. est, quapropter nō res ipsa, sed similitudo ipsius rei est, vt facile deducitur ex methaphysica auscultatione. Tum quia Dei vates in suis reuelationibus, non Deum ipsum, sed Angelos in specie

§. 3. Prima sententia Strab. S Tho. Carthus. Lyran. Richard. Haymon.

Imaginaria visio est circa obiectum imaginariū.

specie visibili (assumpta videlicet) repraesentantes, vt supra habitum est. Quamobrem noster vates, cum cęteros imitaretur Dei Prophetas, dicit hic, se similem filio hominis vidisse. Quoniam reliqui Prophetæ in suis imaginarijs, & intellectualibus visionibus non viderunt realiter rem ipsam, sed similitudinem eiusdem rei. Quemadmodum dum intellectus noster intelligit, non vidit rem existentem aperte rei, (prout existit,) quia sic videre rem, ad sensus externos spectat, sed similitudinem rei existentis à parte rei repræsentatæ per speciem intelligibilem, quæ educta fuit ex speciebus sensibilibus in Phantasmate existentibus. Quoniam ea quę communiter in nostra ordinaria intellectione præstare solet intellectus agens, hoc ipsum in visione prophetica (quę imaginaria & intellectualis communiter est) præstat Angelus Dei, mouens in somno, vel in vigilia phantasmata Prophetarum, & eorum species intelligibiles repraesentantes res ipsas, quas Prophetis, per ipsos Angelos, Deus in raptu demonstrare præcipit. Quare communiter Dei Vates, non res ipsas, sed similitudines rerum, aiunt se vidisse, quod plane confirmatur ex illo Ezech. 1. [& in medio eius similitudo quatuor animalium,] & paulo post. [similitudo hominis in eis.] & cap. 2. [hæc visio similitudinis gloriæ Domini.] & cap. 8. [Et vidi, & ecce similitudo, quasi aspectus ignis,] & paulo infra, [Et emissa similitudo manus appræhendit me in cincinno capitis mei.] Quibus in locis diuinus Ezechiel, non ait, se vidisse animalia, gloriam Domini, ignem, & manus, sed similitudines animalium, gloriæ domini, ignis, & manus. Quare decimus cum præallegatis doctoribus, nostrum Prophetarum prophetam Ioannem in hac sua ecstasi, siue raptu non vidisse ipsam personam Christi, sed similitudinem eius, quam Angelus, qui secum loquebatur immediate repræsentabat. Quamobrem Angelus, assumpta illa similitudine Christi, videbatur vir Christo similis, sicut Daniel. cap. 10. dicitur: [Eleuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, &c.] Qui reuera non erat vir, sed Angelus sub specie, & habitu virili, & ob id vbi nostra vulgata habet, [Ecce vir vnus] Symmachus, testante D. Hieronymo vertit sic: [Ecce quasi vir,] Et sic est in præsenti. Intuitus si quidem fuit noster Vates Angelum sub specie, & habitu virili, similem Christo, qui filius hominis appellatur in Euangelio, & obid ait in textu: [Vidi similem filio hominis.] Corroboratur tandem hæc nostra opinio, ex communi scholasticorum consensu, qui cum Magistro in 2. lib. sent. dist. 8. cum S. Thoma pp. q. 51. art. 1. tenent Angelos, in ministerium extra missos, ad corporalia hominibus ministranda, solere corpora aerea assumere, vt apparet in Raphaele, ducente tobiam, in tribus viris, quos vidit Abraham, in Gabriele ad Virginem misso, & in duobus viris in vestibus albis, quos Apostoli post ascensum Christi ad cælos, viderunt.

Intellectus nostri, intelligendi modus. — *Angelus facit in anima, idē quod intellectus agens in phantasmate.* — *Res nō vidit Ezechiel, sed similitudines rerum.* — *Personā Christi non vidit Ioannes in raptu, sed similitudinem.* — *Versio symmachi. D. Hieron.* — *Mag. in 2. S. Tho. pp.* — *Angeli ad homines missi assumunt corpora aerea.*

§. 5. *Tertia sententia. Ribera in commentarijs.*

Secunda sententia est Francisci Ribera, existimantis ly [similem filio hominis, non de Christo, neque de Angelo, sed de aliquo ex hominibus accipi, & intelligi. Sic enim in hisce suis commentarijs scribit: [Porro filium hominis, enarratores huius loci, Christum interpraetantur, atque Haymo putat non dictum esse filium hominis, sed similem filio hominis, quoniam Angelus erat, qui Ioanni loquebatur, & non Christus, sed Christi personam sustinens. Sed multo probabilius, & multo verius est, filium hominis non hic pro Christo accipi, sed pro homine, idest pro aliquo ex hominibus.] Quæ plane sententia, in eo quod tenet ex proprio marte, filium hominis, non hic de Christo, sed pro homine, idest pro aliquo ex hominibus, accipi, & intelligi, non videtur rationabilis: Non quod filius hominis non significet, quemlibet Adę filium: Sed quia omnes quotquot sunt expositores (quinimmo, & ipsemet, infra) tenet, hunc Angelū immediatè repraesentare Christum Saluatorem nostrum, qui filius hominis in Euangelio dicitur. Tum quia, cum Christus sit Ecclesiæ sponsus, & hoc in loco correctio ecclesiarum dirctè intendatur, oportet, quod Angelus iste immediatè repraesentet Christum, & non quemlibet alium ex Adam descendentibus. Quare positio Riberæ, non videtur sustentabilis.

Franciscus Ribera impugnatur. 1. Argum. 2. Argum.

§. 6. *Tertia sententia. Filius hominis Christus.*

Tertia, & vltima huius loci enodatio est Andreæ Cæsariensis Primasij, Bedæ & Auctoris incogniti, qui hūc locū sic exoluit: [Similē filio hominis, idest Christum verum Deum, & hominem, sed dicit similem propter tria; primum est, quia sustinuit humanos defectus & similes, præter ignorantiam. Vnde Ioannes noluit dicere vidi Iesum Christum, qui est verus homo, & similis hominibus in defectibus pœnalibus, ad Rom. 8. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati. Vel ideo dicit similem filio hominis, quia destructa morte, iam non moritur. Vel similem filio hominis, quia Angelus, qui loquebatur Ioanni per visionem Christum repraesentabat. Credo quod tunc Ioannes vidit Christum Dei filium, non tamen distinctè.] Hæc Auctor incognitus. Attamen eius positio non videtur itidem rationabilis, in eo, quod ait, [Credo, quod tunc Ioannes vidit Christum Dei filium.] Pugnant si quidem hæc verba, cum illa firma sententia Dei, Exod. 33. [Non videbit me homo, & viuet:] Nisi dicamus, hoc concessum fuisse Ioanni peculiariter, & per modū transeuntis, vt nos supra distulimus, & vt etiam indicare videntur istiusmet auctoris verba, dum subiungit [non tamen distinctè.] Ad Andræam autem, Primasium, & Bedam dicimus, eorum sententiam sustentabilem esse, dummodo non intelligant Christum in persona propria apparuisse Ioanni, sed in specie imaginaria seu intellectuali.

Filius hominis dicitur Christus triplici de causa. — *Incognitus auctor refellitur.*

§. 7. *Sequētia textus. Lectio Græcorum. Primasius. Arethas. Beda.*

Primasius, Arethas, Beda, & alij validissimi adstipulatores, codices Græcos sequentes, ita dumtaxat legunt. [Et in medio septem candelabrorum.] non repetentes ly: [aureorum: [Verumenimuero nostra vulgata ita expendit: [& in medio septem candelabrorum aureorum,] quam sequuntur gloss. interlineal glos. ordinar. Haymo D. Ambrosius, sanctus Thomas, Dionysius Carthusianus, Lyranus, Rupertus Abbas, & reliqui visque ad huius nostri seculi, expositores. Neque hoc mysterio caret. Quoniam si cum Primasio, Aretha, Beda, textuque Græco ly [aureorum] adimamus, cum antea dictum fuerit à nostro Ioanne candelabra esse aurea, vt apparet dum dixit: [& conuersus vidi septem candelabra aurea,] & modo ipsemet Vates, adimat aurum, dicens [& in medio septem candelabrorum,] & insuper hæc candelabra Ecclesiam significent, sequitur Archiprophetam Ioannem, per hoc, voluisse demonstrare Ecclesiam Dei, in prima sua origine, nimirum, Apostolorum sæculo; auream omnino fuisse, in vita & moribus suorum membrorum; & sic omnia eius membra (videlicet credentes) candelabra omnino aurea tunc erant: At vero modo, hoc nostro sæculo, membra Ecclesiæ, nempe, credentes tantum, esse candelabra, in vita & moribus, & non aurea, idest, etsi luceant per bona opera, lux tamen eorum aurea nullatenus esse. Amiserunt namque iam, nunc credentes aureum colorem verę pęnitentiæ, ieiuniorū paupertatis spiritus, morumque sancta dogmata. Confirmat autem hoc, illud Ieremiæ,] Denigrata super carbones ignis.] Si autem cum nostra vulgata, & cum citatis doctoribus, ly [aureorum] non adimamus; cum antea Euangelicus vates Ioannes, candelabra aurea dixerit,] & nunc, id ipsum repetat, dicens, [& in medio septem candelabrorum aureorum] sequitur, Ecclesiam Dei, quo ad eius fidem, præcepta, & ritus, semper auream extitisse, non solum, in sua origine, verum etiam visque ad hoc nostrum sæculum, & sic permansuram fore, ad seculorum sæcula visque. Quamobrem de eius aurea fide, accipiendum venit illud 1. Petri 1. [vt probatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur.] De eius tandem dogmatibus, & sanctis ritibus, explanandum venit illud, Cant. 1. [Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.]

Lectio nostra vulgatæ. Glos. inter. Glos ord. Haymo. D. Ambros. S. Tho. Dionys. Cart. Lyran. Rup. Abb. Ecclesia primitiua aurea. — *Indeuotio fidelium nostri temporis.* — *Trenorum 4.*

Postre-

§. 8. Medium Ecclesiæ tenet Christus. Christus cor in medio Ecclesiæ. Comparatio. Christus lignum vitæ in medio Paradisi.

Postremo, similitudo hæc filij hominis, medium tenet inter candelabra: quoniam Christus Saluator noster semper in medio Ecclesiarum, sicut cor in medio corporis ad influendum, sicut Imperator in medio militum ad regendum, sicut Pontifex in medio sacerdotum ad ministrandum, sicut sol in medio terræ ad illuminandum, sicut stella ad dirigendum, & sicut pugil ad defendendum. Hinc iure optimo, per lignum vitæ in medio Paradisi situatum, vt dicitur Gen. 1. Christum Saluatorem nostrum, intelligere possumus.

§. 9. difficultas.

Quæres tamen, cum hoc in loco, per [similem filio hominis] Christus intelligatur, cur non dicitur homo, sed similis filio hominis? Sanctus Tho. in hisce commentarijs, causam huius rei reddit per hæc verba: [Angelus dicitur similis filio hominis in persona Christi, qui fuit similis alijs in persona, & in natura, non tamen in culpa, Phil. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Vel similis filio hominis, scilicet Virginis, dicitur ipse Angelus, quia ipsum filium Virginis repræsentabat in illa specie imaginaria.] hæc Sanctus Thomas. Ioachimus Abbas super hunc locum, aliam adhibet causam dicens: [Sed quid sibi voluisse dicimus, quod vnigenitus Dei filius, quem Ioannes in maiestate conspicit, nequaquam filius hominis, sed similis filio hominis dicitur: nisi quis positus in regno, diuinitatis suæ præminet claritate, tanta maiestate, gloria fulget præ omnibus Angelis, vt sicut in eo aliquando diuinitatis suæ gloriam occultabat humanitas, ita nunc humanitatis eius obiectio exinanita, a maiestatis gloria, & à splendore summæ lucis absorta esse videatur.] Hæc Ioachimus. Quibus verbis videtur fateri Abbas iste, quod quemadmodum aliquando Christus, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, vt dicitur, Philip. 2. ita nunc, cum dicitur, [similem filio hominis] formam ipsam seruilem à maiestatis gloria exinanitam fuisse, vt ita nihil in eo suspicionis remaneat, quominus verus Dei filius esse credatur. Primasius tamen in suis commentarijs, aliam subiungit causam, dicens: [Aliter similem filio hominis dicit cum morte deuicta ascēdisset in cælum, adunato corpore Ecclesiæ, quam amplius merito in cælestibus sedere dicit, non iam re, sed adhuc spe, quasi filium hominis ambulantem inter medium candelabrorum aureorum.] Quibus verbis, Primasius, Christum vocari filium hominis, affirmare videtur, eò quod ipse Christus ab inferis resurrexit immortalis. Quamobrem non iam simpliciter hominem (qui naturam dicit passibilem, sed similem filio hominis, hoc in loco iure optimo vocandum fuisse. Et in hoc sensu interpretatus fuit D. Augustinus lib. 11. contra Faustum Manichæum cap. L. Apostolum dicentem Heb. 5. [Qui in Diebus carnis suæ, preces, suppliciationesq. ad eum, qui posset eum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens.] Vbi illud [in diebus carnis suæ] idem sonat apud Augustinum, atque, cum vitam mortalem agebat: iuxta illud eiusdem Apostoli 2. Cor. 5. [etsi cognouimus Christum secum dum carnem, (idest mortalem) sed iam non nouimus.] Sequuti sunt hanc Primasij rationem, Beda, Hugo Cardinalis, & alij plerique grauissimi adstipulatores.

(Margin: solutio. D. Tho. — Ioachimus Abbas. — Primasius. — D. Aug. — Beda. Hugo Card.)

Conceptus prædicabiles in textum.

Concep. 1. Quod Christus semper est in medio vt centrum vtriusque testamenti. Christus est centrum veteris testamenti. — Lyranus.



VIDIT Ioannes Christum in medio septem candelabrorum, quia Christus Redemptor noster semper, tam in nouo, quam in veteri testamento medium tenet. Est enim Christus centrum Noui, & veteris Testamenti. Hinc est quod de illo in veteri testamento, sic dicatur Isai. 12. [exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui, sanctus Israel.] Vbi Lyranus, sic vertit: Sanctus Israel, id est Christus sanctificans fidelem populum, nomine Israel appellatum. Et Ezechielis 1. [Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splēdor in circuitu eius, & de medio eius quasi species electri,] vbi per speciem eletri, intellige Christum. Et licet vbi nostra vulgata habet. [Quasi species electri] inhebræo habeatur. [Quasi species hassemal.] vnde factū sit, vt Rabbi Salomo diceret, quod ipse nesciat propriè, quid significet [hassemal,] & etiam Lyranus cōtra D. Hieronymum (iniuste quidem) insurgerit, dicendo: [Et ideo nescio quare Hieronymus transtulit Electrū, non enim multum videtur probabile, quod melius intellexerit Hebraicum, quam doctor ille] tamen glossa ordinaria exponens vulgatam interpretationem Hieronymi, partes nostras agit, per electrum intelligens Christum, sic enim ait: [electri species, Christus mediator Dei, & hominum signatus, quia electrum ex auro, & argento, dum autem miscentur, argentum crescit in claritatem, aurum, à fulgore suo pallescit, sic dum humanitas in maiestatis gloriam excreuit, diuinitas à proprij fulgoris potentia, se humanis oculis temperauit; ita in Christo, quasi dum pallescit aurum, fulget argentum, electrum ergo in igne, Deus homo in persecutione] Hucusque glossa ordinaria. Differere autem modo, an Rabbi Salomon, in lingua Hebræa doctior fuerit, Diuo Hieronymo nostro, puerilis quæstio vtique est, & odiosa cum sit de doctiore. Hoc vnum certum plane est, D. Hieron. Ecclesiæ Doctorem esse, & in multis à Spiritu sancto illuminatum, quod certe non accidit Rabbi Salomoni. Vnde potuit Rabbi Salomon, ignorare, quid sibi velit [Hassamal] & D. Hieronymus Spiritu sancto dictante, intelligere [Hassamal] significare electrum. His accedit, quod D. Hieronymus noster, in Hebræa lingua eruditissimus, quam qui maximè, fuit. Sed ad institutum redeamus, Christum centrum fuisse veteris Testamenti, confirmat etiam Diuinus Citharœdus Psal. 75. dicens: [vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.] Vbi per ly [omnes] intelliguntur iusti, omnes enim iusti dicuntur esse in circuitu Dei, iuxta illud Apo. 7. [Omnes Angeli] idest, spirituales, & Angelici viri [stabant in circuitu throni.] Et tandem id ipsum docet Ezechiel. in cap. 5. & 23. Est etiam & centrum noui testamenti. Hinc est, quod in præsepio in medio duorum animalium iacebat, in tēplo etiam in medio doctorum, reperiri voluit, & ob id Lucæ 2. dicit [& inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum;] porro in Monte Caluario in medio duorum latronum crucifigi permisit, iuxta illud Ioan. 19. [Vbi eum crucifixerunt & cum eo alio duos latrones hinc & hinc, medium autem Iesum,] in cænaculo itidem post resurrectionem in medio discipulorum suorum apparere dignatus fuit, [stetit Iesus (dicit Ioan. 21. in medio discipulorum suorum] Et Lucæ 22. [Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.] Quamobrem Ioannes Baptista negans, se Christum esse, de vero Christo ait: [Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.] Qui igitur medium in omnibus tenet, iure optimo medium inter candelabra, hoc est, in Ecclesia sua sancta, obtinet. Iccirco Primasius, hoc in loco ait: [Bene autem in medio: omnes enim (dicit psalmus) qui in circuitu eius sunt, offerent munera, vel sicut Ezechiel ait, vt sciant gentes, quia in medio Israëlis ego sum.] Est itaque Christus, vtriusque Testamenti centrum. Apud Mathematicos, centrum est punctum sphæræ, aut orbis medium. Quapropter Apuleius in sua cosmographia sic inquit [Cardinem mundi, hoc est centrum, habet tellus,]. Hinc proculdubio est quod quemadmodum in sphæra, omnia appetant in forte suo quiescere; & ideo ignis sursum tendit, lapis autem deorsum, & lineis à circumferentia deductis, facilis est ad centrum transitus, sic anima nostra in Christo quiescere desiderat, tanquam in suo centro: [Creasti nos Domine adte, (ait August.) ideo inquietū est cor nostrū, donec requiescat in te,] Hinc est illud Ezech. 14. [introduxit me in atriū interius.] Quasi dicat Propheta Dei; introduxit me Deus in atrium suum, vt me

(Margin: Explicatur optime locus Ezechielis 1. — Christus significatur per electrum — Textus hebræus. — Rabbi Salomō. Lyranus. — Glossa ordinaria. — Quid sit electrum. — Simile. — Ratio Auctoris contra Lyranum in fauorem D. Hieronymi. — Incognitus doctor. — Christus est centrum noui testamenti. — Medium semper tenet Christus. — Ioan. 1. — Primasius in comment. — Psal. 75. — Cētrum quid sit. Apuleius. — D. Aug. Peccatores requiescūt in Christo tanquam linea in suo centro.)

ut me faceret videre gloriam suam, quæ illuc fuerat ingressa. Quia aliquando Christus nos ad interiora ducit, vt dediti spiritui, mentem reuocemus à sensibus, cogitationem à mundi consuetudinibus separemus, & centrum nostrum in nobis ipsis, hoc est, Christum ipsum intra cor nostrum inquiramus. Cum ergo Christus centrum nostrum sit, optime in medio candelabrorum eum vidit Ioannes. Vnde Haymo super hunc locum ita habet: [Et bene in medio septem candelabrorum aureorum vidit Ioannes similem filio hominis, quia Christus, qui Ecclesiæ suæ præsidet, & præsidendo eam protegit in medio electorum suorum est secundum illud Matth. 18. Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.]

Concept. 2. in quo quatuor causæ assignatur ob quas similitudo filij hominis erat in medio candelabrorū



QVATVOR præcipuas causas assignare possumus, ob quas Christus medium inter candelabra teneat. Quarum prima est, quia si Christus consideretur quatenus Deus est, ita in medio totius machinæ mundialis reperitur, vt totam illam repleat; quemadmodum anima rationalis, vt totum suum repleat corpus. Hinc est, quod Deus ipse per Moysen de se ipso Exod. 9. dicat: [Cælum, & terram ego impleo,] Perinde ac diceret: Ego sum Dominus Deus, in cælis sursum, & in terra deorsum. Quamobrem Angelici spiritus augustissimam Dei maiestatem assiduis laudibus venerantes proclamant: [Pleni sunt cæli, & terra maiestatis gloriæ tuæ.] Et Dauid; [Quo ibo à spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam; si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.] Et tandem sapiens: [Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.] Ex quibus omnibus liquide deducitur incomprænhensibilem diuinæ plenitudinis immensitatem, neque cælo, neque terra concludi, nec toto mundi ambitu constringi posse. Ad hoc quippe alludunt Salomonis verba: [Cælum, & cæli cælorum te capere non possunt.] & Iob. 11. [Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari.] Id propterea discipuli dixerunt Christo: [Quò ibimus, verba vitæ æternæ habes.] Ex alijs itidem plerisque locis possumus haud exiguum de immensa Dei plenitudine testimonium sumere, & præcipuè ex huius mundi efformatione. Fuit quippe mundus ipse, in à tomo factus diuinæ plenitudinis. Quoniam plenitudo mundi ad plenitudinem infinitam Dei, sic se habet, quemadmodum punctum ad lineam infinitam, & plenitudo mundi imitatur summam, & infinitam Dei plenitudinem. Vnde si plures essent mundi, omnium ipsorum plenitudines, ad infinitam Dei plenitudinem, vt plura puncta ad lineam infinitam sese haberent. Et nota, quod sapiens non dicit, [Spiritus Domini occupauit orbem terrarum.] sed [spiritus Domini repleuit orbem terrarum.] Differunt siquidem replere, & occupare.] Replere namque est alicui toti adesse, & super totum diffundere, vt nihil sit repleti, in quo non sit aliquid replentis, vt lumen replet aerem, & albedo & dulcedo lac. Occupare autem est, aliquod spatium, opplendo alterum secum eiusdem generis simul, & secundum eumdem situm non amittere, vt dimensio pedalis in ligno occupat quod alteram dimensionem in eodem subiecto, & secundum eādem positionem minime admittat. Et in hoc sensu dicit sapiens, Deum non occupare, sed replere orbem terrarum: Cuius sane plenitudo cum claudi mundo nequeat, non est mundo inclusa, & cum sese per totum mundum diffundat, non est ab eodem exclusa. Hanc plenitudinem Dei insinuarunt Pythagorici hac descriptione, nimirum, quod Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, & circumferentia nusquam. Sphæram si quidem nominant Deū ad maximam eius vnitatem & perfectionem declarandam, eò quòd sphæra figurarum omnium sit perfectissima. Per centrum autem innuunt eius indiuiduam & simplicissimam plenitudinem sese per omnia diffundentem. Per circumferentiam denique nusquam esse, designant diuinæ plenitudinis immensitatem, atque infinitudinem, nullis coercitam limitibus, & quosuis terminos effugientem; ideo Mantuanus, hoc eleganter cecinit carmen de Deo.

comparatio.

Psalm. 138.

Deus omnia replet. Sap. 1.

Iob. 11.

Ioan. 6.

Mundus in atomo factus diuinæ plenitudinis.

Plenitudines duæ.

Replere differt ab occupare

Parmenides & zeno.

Deus est sphæra.

Mantuanus.

Sicut tota per artus corporeos mens vna subit.
Sic vnus in vna mundi mole Deus.
Mundo tamen amplior ipso tendi in immensum.
Nulloq. includit arcu sphæra Deus viuens
Centu tumor occupat omnem curuatura locum nescit.

Secunda vero causa, quare Christus in medio candelabrorum sit, ea adhiberi plane potest, quæ diuinitatem, & humanitatem Christi simul attingat. Quoniam cum Christus caput sit non tantum hominum, verum etiam angelorum: Quemadmodū cor est in medio corporis sic Christus est medio Ecclesiæ trisiphantis, & militantis, vt in omnes eius partes abundāter influat. Hinc est illud Leuit. 26. [Ponam tabernaculū meū in medio vestri, ambulabo inter vos, & ero Deus vester vosque eritis populus meus.] Et illud etiam Ezech. 37. [Et erit tabernaculū meū in eis & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gētes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cū fuerit sāctificatio mea in medio eorum in perpetuum.] Quæ omnia intelliguntur de Christo ad litteram, qui sanctificationem suam in medio fidelium (in vtroque tabernaculo, calesti, nimirum, & terrestri, hoc est, in ecclesia triumphanti, & militanti) posuit. Nam ipse in medio fidelium, & electorum hambulat, vt vim gratiæ suæ per omnes partes abundanter elargiatur. Tertia porro causa est ad fidelium correctionem. Quoniam quemadmodum his, qui in medio candelabrorum reperitur, præsto est ad ipsa candelabra emungenda, ne lumen extinguatur; sic Christus in medio fidelium suorum est, tamquam promptus, & paratus, eosdē suos fideles correctione, & supplicio emungendi, vt candelabra, ne lumen fidei extinguatur, nec spes labet, nec charitas refrigescat, nec minus disciplina corruat. Ex quo deduci potest argumentum, pro Prælatorum residentia in medio suorum subditorum. quam attingit, & statuit Concilium Tridentinum sess. 6. decreto de reformatione cap. 1. & sess. 23. cap. 1. (quam nonnulli tenent esse de iure diuino.) Debent itaque prælati vnusquisque in sua diœcesi in medio suarum ouium residere, vt ipsi (exēplo Christi) sint in medio candelabrorum, nimirum ecclesiarum. Quarta & postrema causa est, Christum esse in medio candelabrorum, demonstrare eumdem in medio Ecclesiæ per amorem, & beneuolentiam esse, qua omnes complectitur fideles, vt inde exemplum etiam sumant prælati, ne grauitate dumtaxat, verum etiam, & benignitate, amore, & beneuolentia, in medio suorum subditorum hambulent. Quod attingit D. Bernardus serm. 23. in Cant. super illa verba: [Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum.] Vbi sic scribit: [Discite prælati, subditorum matres vos esse, non dominos; studete magis amari, quam metui, suspendite verbera, producite vbera. Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quam ei magis oportuerat, tanquam ad sinum recurrere matris.] Et D. Gregorius lib. 20. moralium cap. 3. [Talis debet esse dispensatio regiminis, vt is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odio-

Christus influit in totam Ecclesiam.

Ecclesia est tabernaculum.

Fidelium correctio.

Emunctio cādelabrorum.

Correctio prælatorum.

Residentia Prælatorum. Conc. Trid.

Residentia est de iure diuino.

Prælatorum amor in subditos. D. Bernard.

D. Greg.

odiosum.] Propter igitur has quatuor causas, Christus hoc loco in medio septem candelabrorum aureorum apparet, quinnimo semper in medio inuenitur. Quoniam ipse est media, idest, secunda persona Trinitatis; Nascitur media nocte, iuxta illud Sap. 18. [Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu, medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de cælo à regalibus sedibus venit] In medio terræ Palæstina, siue in medio terræ habitabilis patitur, nimirum, in Ierusalem, quæ, Vmbiculus terræ, vt habetur Ezech. 38. appellatur, vnde est illud Psal. 73. [operatus est salutem in medio terræ] In medio duorum latronum crucifigitur: In aere, idest inter cælum & terram moritur, & in medio discipulorum suorum post resurrectionem stetit, Ioan. 20. Ipse etiam dicit de se Matth. 18. [Vbi fuerint dico vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.] Sicut in Salomone dicitur: [inter semitam iustorum ambulabo.] Propter quod in Isaia scriptum est: [exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.] Hinc est illud Matth. 28. [Ego vobiscum sum, cunctis diebus, vsque ad consumationem sæculi.]

Hugo Card. in commentarijs.

Medium semper tenet Christus.

Par. 3.

PARAPHRASIS Tertia.

§. 1. Enucleatio textus.

Vestitum (ait etiam) podere. Sacerdotium, Pontificatumque Christi hic ostenditur. Etenim ly [vestitum podere,] sonat vestitum veste sacerdotali linea, quæ communiter alba dicitur, qua sacerdotes, dum rem sacram peragere intendunt, se induunt. Est namque poderis, vestis talaris (vt ait Papias,) vsq. ad pedes longa, & deriuatur, (vt ait Lyranus) à pos, quod est pes, & hæreo, hæres, quasi pedibus hærens: nam attingit (vt dictum est) vsque ad pedes. Hinc est, quod poderis propriè significet albam sacerdotalem illam vsque ad pedes demissam, quæ ex lineo confecta, & texta, sacerdotibus altari ministrantibus in Ecclesia Dei inseruire solet. Quam Hebræi [Cetenet,] vocant, & Iosephus, tunicam byssinam, Latini vero, vestem talarem, vestem lineam, albamque appellant communiter, qualis fuit vestis illa oblonga, qua Angelus Dei Danieli apparuit indutus. Sic enim dicitur Dan. 10. [Et ecce vir vnus vestitus lineis] id est; linea alba. Est igitur poderis vestis sacerdotalis, linea, quæ [alba] communiter dicitur, quæ sacerdotalis vestis, sacerdotium & Pontificatum Christi repræsentat. Fuit enim Iesus Christus Pontifex, & Sacerdos noster, qui pro nobis seipsum in sacrificium, & in odorem suauitatis, Patri suo æterno in ara crucis obtulit, vt nos redimeret ab iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Vnde de sacerdotio Christi, regius Psaltes dicit: [Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech] Et Paulus ad Heb. 4. [Habentes ergo Pontificem, magnum, qui penetrauit cælos Iesum filium Dei teneamus, &c.] & cap. 9. [Christus assistens Pontifex.] & cap. 7. [Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus innocens, &c.] Et Beatus Petrus [Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.] Et tandem Christi Sacerdotium, & Pontificatum voluit Deus in typo quodam demonstrare, dum Zachariæ 3. dicitur: [Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.] Et paulo post: [& Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli:] & paulo inferius: [Audi Iesu sacerdos magne, tu, & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce ego adducam seruum meum Orientem.] & in cap. 6 [Et sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens: Hæc ait Dominus exercituum dicens: Ecce vir oriens

Poderis quid sit.

Ethymologia poderis.

Poderis est alba apud Latinos.

Poderis est vestis sacerdotalis linea.

Sacerdos, & Pontifex Christus.

Psal. 109.

Ad Heb. 4. 7. & 9. cap.

1. Petr. 2.

Pontificatus Christi typus.

A nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabitur templum Domino: & ipse extruet templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo.] Iesus autem Iosedech filius, typus Iesu Christi summi sacerdotis nostri fuit, cui vir oriens, idest vir Messias (vt tenet translatio Chaldaica apud Hebræos authentica) nomen est. Iesus enim Nazarenus summus Sacerdos noster, [Oriens] reuera est. Tum quia Messias est in lege, & Prophetis promissus. Tum quia secundum Deitatem æternaliter oritur à Patre, & secundum humanitatem temporaliter ortus est de matre. Tum quia ipse est, qui saluat. Tum quia in diebus eius orta est iustitia. Tum quia ipse ædificauit templum domino, scilicet, Ecclesiam de fidelibus suis tanquam de lapidibus viuis. Tum quia sub hoc oriente, orta fuit multitudo credentium, quæ ædificauit Ecclesiam Deo,
B & ipse in singulis membris coronatus, portauit gloriam illorum. Tum denique quia ipse Sacerdos, & Pontifex noster Iesus Christus, & vestitus, & coronatus coram Pilato, Anna, Caypha, & Herode fuit super throno, idest, super sacerdotali sede, sedens. Ecce igitur qualiter typus Iesu Sacerdotis filij Iosedech, ad litteram de Iesu Nazareno summo Sacerdo, & Pontifice nostro intelligitur. Et idem de typo Aaronis summi Sacerdotis Exodi 28. dicendum vtique est.

Pontificatus Christi ratones.

Christus est vir oriens.

Oriens vir dicatur Christus.

Neque nostra hæc expositio solitaria reputanda venit; In communem namque Doctorum amnem currit. Torrens namque expositorum, textum hunc [vestitum podere,] de Christo Pontifice & Sacerdote exoluit. Primasius si quidem sic expendit: [vestitum podere, Sacerdotium ostendit, iuxta Zachariam. Etenim poderis, sacerdotalis est vestis, singulari quippe
C suæ carnis hostia, Christus sacerdotium gessit, quando se Crucis patibulo pro nobis offerens patri, se ipsum crucifigi permisit] & D. Dionysius Carthusianus ita: [vestitum prodere, idest veste sacerdotali vsque ad talos dependente. Vnde, & sapiens asserit in veste poderis, quam habebat Aaron totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua Domine in diademate capitis illius erat scripta.] Et Beda. [Poderis, quæ Latine tunica talaris dicitur, & est vestis sacerdotalis, Christi sacerdotium ostendit; quod se pro nobis in altari crucis obtulit hostiam Patri.] Et tandem Rupertus Abbas per hæc verba, hunc explanat locum: [In vestitu poderis, quæ est vestis sacerdotalis, dignitatem, vel officium Sacerdotis demonstrat, quia Sacerdos, vel Pontifex noster ipse est, de quo Apostolus; habentes, ergo, inquit, Pontificem magnum, qui penetrauit cælos Iesum filium Dei teneamus confessionem.]

§. 2. Probatur enodatio.

Primasius in comment.

D. Dionysius Carth. in comment.

Beda.

Rupertus abbas in commentarijs.

D Cæterum poderis, dictio Græca, vere & proprie non est nomen alicuius sacerdotalis indumenti, quinimmo cum deriuetur (vt nuper distuiimus) à pos, quod est pes, significat apud Græcos indumentum aliquod totum corpus, vsque ad inferiora, nimirum vsque ad pedes, siue vsque ad talos tegens, & descendens; vel vt communiter vertunt septuaginta vsque ad pedes demissum. Quamobrem duas sacerdotales tunicas, nimirum, tunicam Byssinam, & tunicam hyacinthinam, hoc loco, poderis significare potest. Erant si quidem decem sacerdotalia ornamenta, vt Rabbi Salomon, Iosephus, omnes Hebræi, & nostrates expositores, ex cap. 28. Exod. colligunt, & statuunt. Quorum, indumentum primum, erant feminalia siue femoralia linea vsq. ad renes, quibus induebantur Sacerdotes, vt carnem turpitudinis suæ à renibus, vsque ad femora operirent, & tegerent quando appropinquabant ad altare, vt mi-
E nistrarent in sanctuario, sine quibus nunquam ministrare poterant in tabernaculo vel extra tabernaculum, nimirum, in altari holocaustorum, quod si præsumerent sine his ministrare, moriebantur, vt habetur in fine capitis citati. Secundum indumentum erat lineum de bysso factum, vocabaturque tunica linea, longa, & stricta, de qua est sermo eodem in cap. sub his verbis: [Hæc autem erant vestimenta, quæ facient rationale, & super

§. 3. Poderis est dictio græca. Poderis non est alicuius ornamẽti nomen.

Poderis significat duas tunicas sacras Byssinam nẽpe, & Hyacinthinam.

Primum indumentum sacrum erãt femoralia siue femoralia.

Tertium ornamentum erat balteus.

& superhumerale tunicam, & lineam strictam.] Tertium ornamentum erat balteus; & erat, quædam zona ex diuersis coloribus facta, quantitatis quasi quattuor digitorum in latitudine. Quartum vestimentum erat thiara, siue mitra, & erat de bysso albissimi, candentisque coloris, & ponebatur in capite sacerdotis, quæ ex parte inferiori rotunda erat iuxta rotunditatem capitis sacerdotis, superius autem in acutum tendebat. Quintum ornamentum erat quædam tunica hyacinthina, hoc est, de filijs hyacenthini coloris contexta, nec aliqua va rietas in ea erat, de qua in eodem capite extat mentio, sub his verbis: [Facies, & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam, in cuius medio, &c.] Sextum ornamentum erat superhumerale, quod alio nomine vocabatur [Ephod,] secundam litteram Hebraicam, & apud nostram vulgatam aliquando eodem nomine gaudet. Septimum ornamentum erat rationale, in quo ponebantur duodecim lapides pretiosi diuersarum specierum, in quibus scripta erant tribuum Israel duodecim nomina. Octauum vestimentum erat, quoddam cingulum de auri filis, & purpureis coccineis, atque hyacinthinis, & byssinis, & erat pulchra varietate contextum. Nonum ornamentum erat mitra hyacinthina, quam tenebat Sacerdos super thiaram lineam. Decimum, & postremum sacerdotale indumentum erat lamina aurea posita in fronte Sacerdotis, in qua erat scriptum nomen Dei [Tetragrammaton] quod erat ineffabile. En omnia indumenta sacerdotalia. Interque dumtaxat reperiuntur duæ tunicæ, nimirum byssina, quæ est secundum ornamentum citatum, & hyacinthina, quæ est quintum indumentum à nobis propositum: Quamobrem istæ solummodo duæ tunicæ [poderis] nomine gaudere valent. Quoniam inter præ allegata indumenta sacerdotalia, istæ dumtaxat duæ tunicæ vsque ad pedes, siue ad talos, demissæ erant. Quia tunica byssina vsque ad talos descendere docet Iosephus per hæc verba: [Super hoc (idest super feminalia) inducit linteam interulam byssinam è duplicata tela confectam, chetomene à nostris vocatur, significatque ea vox lineam. Linium enim vocamus cheton, idest indumentum, & est tunica talaris corpori astricta, habens manicas circa brachia, & ipsas strictas, quæ adcingitur circa pectus, paulo ascillis inferius,] & paulo post hæc: [Quæ semel atq. iterum circa pectus reuoluta ad talos vsque defluit tantisper dum sacerdotes à sacris feriantur. Cum vero sacris est ministrandum, ne ventillata sit impedimento super humerum læuum reijcitur.] Hæc Iosephus. Ex quibus verbis apparet byssinam tunicam ad talos vsque descendere. Et idem docent Vetablus, Lippomanus, & Tostatus in cap. 28. Exodi. Quinimo hæc est illa tunica, quam (licet à nobis linea stricta vocetur) D. Hieronymus in epistola 128. ad Fabiolam, de veste sacerdotali, docet a Iosepho vocari tunicam byssinam. Tunicam autem hyacinthinam etiam ad talos vsque descendere (licet non tã longã, demissamq. esse, sicuti erat prior tunica byssina, vt apparet ex figura summi Sacerdotis cum suis vestibus à Rabbi Salomone alijsque Hebræis efformata) probari potest ex eodem cap. 28. Exodi. Quoniam illic etiam habetur tunicam hyacinthinam circa pedes sacerdotis debere esse plenam tintinnabulis, & malis punicis. Quæ quidem tintinnabula de auro, & mala punica, de hyacintho erant, & purpura, cocco bistincto, & bisso retorta, erantque rotunda in modum malorum punicorum, & sic erant ordinata, quod ponebatur vnum malum punicum, & consequenter vnum tintinnabulum, & sic per totam vestem circumcirca pedes. Idem docet Iosephus per hæc verba: [Cæterum ima vestis ornabatur lymbo effigie malorum punicorum distincto, à quo tintinnabula aurea sic dependebant, vt medium esset quodq. malum punicum inter duo tintinnabula situm, & tintinnabulum interduo mala punica.] hæc Iosephus. Et idem docent Philo lib. 2. de Monarchia, D. Hieronym. Vatablus, Lippomanus, Abulensis in caput 28. Exodi, Isidorus lib. ethimol. cap. 21.

Quartum ornamẽtũ erat thiara, siue mitra.

Quintum ornamẽtũ erat tunica Hyacinthina.

Sextum ornamẽtum erat Superhumerale siue Ephod.

Septimũ vestimentum rationale.

Octauum ornamentũ, cingulum.

Nonum vestimẽtũ erat mitra.

Decimum indumentum, lamina.

Vera auctoris sententia, & textus germana.

Vatablus. Lypomanus. Tostatus.

D. Hieron.

Tunica hyacinthina vsq. ad talos longa.

Philo. D. Hieron. Vatablus. Lyppomanus. Abulensis. Isidorus.

F & Franciscus Ribera de templo, lib. 3. cap. 19. Et ideò inter Hebræos omnes, ac etiam inter nostrates expositores, tunica byssina, & tunica hyacinthina, talares tunicæ communiter appellantur, hoc est, vsque ad talos defluxæ. Quare cum dictio Græca [poderis] à pedibus nomen accipiat, iure optimo vtraq. tunica per ly [poderis] intelligi potest.

Ribera.

§. 4.

Christus quare apparuit cum tunica byssina.

Per contaberis fortasse, quare cum ly [poderis] vtramque tunicam, bissinam, nimirum, & hyacinthinam significet, filius hominis podere vestitus, hoc est tunica bissina, & hyacinthina indutus hoc loco appareat? Cui difficultati satisfacio asserendo, quod in tunica bissina apparuit filius hominis, eò quòd eius correctio, & increpatio, ad fidelem populum de septem Ecclesijs Asiæ pertinebat. Qui quidem fidelis populus per Sacerdotes corrigendus venerat, eoquod Sacerdotes, & sal terræ, & lumen mundi appellantur, à quibus legem Domini populus solet accipere iuxta illud Malchie 2. [labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.] Et hoc plane indicatur per illam tunicam bissinam, quæ talaris tunica, & poderis appellatur, quæ commune omnium Sacerdotum ornamentum erat in veteri testamento, qua iudutus, hoc loco, apparet filius hominis. In tunica vero hyacenthina, qua itidem vestitus circumspicitur idem filius hominis, demonstratur, quod correctio, & increpatio eiusdem filij hominis ad Episcopos harum septem Ecclesiarum etiam se dirigebat, & quia Episcopos corrigere multare, & increpare, est solius Summi Pontificis, ideo hoc in loco filius hominis tunica hyacinthina (quæ talaris, & poderis appellatur) indutus apparuit. Quoniam talis tunica hyacinthina, solius summi Pontificis ornamentum in veteri erat Testamento, sicuti solius Papæ, Episcoporum, Archiepiscoporum, ac Cardinalium correctio in nouo est testamento. In vtraque tandem tunica bissina, nimirum, & hyacinthina apparuit, hoc loco, filius hominis, vt demonstret summum Pontificem pro vniuerso populo deprecari debere. Hinc gloss. ord. super illa verba Sap. 18. [In veste enim poderis, quam habebat totus erat orbis terrarum, sic scribit.] byssum terræ deputant Hebræi, quia ex terra gignitur purpura. Mari, quia ex eius cochleis tingitur. Hyacinthum aeri, propter coloris similitudinem, coccum igni, & ætheri, vt scilicet pro toto mundo oret Pontifex. Si quidem ex terra, ex aqua, & aere, & igne consistit mundus, & hæc elementa sunt omnium; Vnde primum vestimentum lineum est, quod terram significat. Secundum hyacinthum, quod aerem demonstrat, quia de terrenis paulatim ad excelsa leuamur, & ipsa vestis hyacinthina à capite vsque ad talos veniens indicat aerem de cælis vsque ad terram fusum, &c. [Et D. Hieronymus, explicans quorsum pontifex, mundum portet in vestibus, sic scribit pro Hebræis: [Et iustum esse commemorat, vt Pontifex creatoris non solum pro Israel, sed & pro vniuerso mundo roget: si quidem, & terra, & aqua, & aere, & igne mundus iste consistit, & hæc elementa sunt omnium.] & paulo post: [Iustum ergo erat, sicut supra ex parte diximus, vt Pontifex Dei creaturarum omnium typum portans in vestibus suis indicaret cuncta indigere misericordia Dei, & cum sacrificaret, ei expiaretur vniuersalis conditio, vt non pro liberis, ac parentibus, & propinquis, sed pro cuncta creatura, & voce, & habitu precaretur.] Hæc Hieronymus. Corroboratur autem hęc nostra positio, quoniam in his duabus tunicis varietas colorum plane continebatur, quia cum vtraque tunica, bissina, nimirum, & hyacinthina, talaris quippe erat, & ex consequenti polymita, qualis erat tunica Ioseph, de qua dicitur Gen. 37. [Nudauerunt eum tunica talari, & polymita.] Polymitum autem illud opus dicitur, quod est versicolor, hoc est, varietatem colorũ demonstrans. Varietas insuper colorum ex quatuor præcipuis coloribus petitur. Vnde cum quatuor præcipui colores ad quatuor

G Sacerdotum laudes.

Episcopi & Cardinales quo corrigi possit.

H

Christus quare apparuit vtraq. tunica byssina scilicet & hyacinthina.

Sacerdos debet orare pro toto populo.

I

Pontifex totum portat orbem.

K

Tunica Ioseph polymita.

Polymitum opus quale sit.

Varietas vnde petatur.

quatuor elementa referantur (vt volunt Hebræi) ex quibus vniuerſa ſubſiſtunt, ſequitur, ſummum Pontificem, quem filius hominis podere veſtitus figurabat, deprecari debere pro vniuerſo populo. Quoniam in illis duabus tunicis byſſina vtique, & hyacinthina, quatuor illi præcipui colores, vniuerſum orbem ſignificantes, continebantur, quas ex noſtra ſententia hæc vox [poderis,] vnà, & ſimul ſignificare diximus.

§. 5. Poderis ſignificat ſacerdotium Chriſti. Rup. l. Ap. 1. Hier. ſ. Iſ. 22. Iſyc. ſ. Leu. 10

Poſtremo percontaberis, cur, poderis, hoc loco fiat mentio? Reſpondeo: Primo ad ſignificandum Sacerdotium Chriſti Summi Sacerdotis Eccleſiæ, qui Apoſtolos fecit Sacerdotes, & in ara crucis ſemetipſum immolauit pro nobis. Hæc ratio adducitur à Beda, D. Dionyſio Carthuſiano, Primaſio, & à Richardo de Sancto Victore. Secundo apparuit filius hominis veſtitus podere, ad ſignificandam Chriſti humanitatem, vel carnem, in qua humiliauit ſe vſque ad mortem. Vnde de veſtimento hoc, Angeli Chriſtum aſcendentem interrogarunt: [Quare rubrum eſt indumentum tuum?] prout habetur Iſai 63. Hæc ratio adducta eſt a D. Thoma; D. Dionyſio Carthuſiano, Papia, & ab alijs pleriſque doctoribus. Tertio, apparuit podere veſtitus, vt optime vim paſſionis ſuæ demonſtraret. Quemadmodum enim poderis veſtis talaris vſq. ad pedes demiſſa erat, ſic virtus paſſionis Chriſti ad infimos quoſq. fideles vtiq. pertingit. Hinc homo ille quem Vates Ezechiel in cap. 1. Vidit in throno ſapphirino ſedentem; ſimilitudinemq. electri preſeferentem, quòd vim attrahendi etiam paleas obtinet, Chriſtum ſignificabat, qui vi paſſionis ſuæ, non ſolum magnates, & principes, verum etiam infimos quoſque de plebe, ad cælum vſque, vbi ipſe nunc eſt, trahit. Attingunt hanc rationem Beda, Franciſcus Ribera, & Blaſius Viegas. Quarto, apparuit veſtitus podere ad terrorem incutiendum peccantibus: Veſtis enim poderis vſque ad pedes demiſſa declarat iudicium, quo ſinguli in fine mundi iudicandi ſunt; quo eodem myſterio Ezechiel. 9. apparuit, & veſtitus lineis, ſeu podere, & habens ad renes attramentarium ſcriptoris, quia omnia quæ agimus diligenter notat, accurateque deſcribit, vt in fine iudicet. Quinto, per poderem nonnulli, totam Eccleſiam intelligunt vſque ad finem ſæculi permanentem, qua Chriſtus quaſi veſtimento cingitur, & ornatur, cum ſit myſticum corpus ipſius, de qua viſione extat mentio in Iſaia per hæc verba: [His omnibus quaſi ornamento veſtieris.] Tum quia ſicut poderis tunica erat ſtricta nimis, nullamque rugam cauſans, ita Eccleſia (qua Chriſtus induitur) glorioſa à Chriſto facta fuit per paſſionem ſuam, vt nullam haberet rugam, [vt exhiberet ſibi glorioſam (ait Apoſtolus) Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam.] Hæc ratio adhibita plane eſt à Diuo Auguſtino ſuper Pſalmum 132. [Sexto, per poderem poſſumus amorem, & dilectionem interpretari, quæ talaris fuit in Chriſto, ideſt vſque ad finem vite pertingens, iuxta illud Ioan. 13. [Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] Talaris namque tunica perſeuerantiam vtique demonſtrat. Quare D. Gregorius ſuper illa verba Gen. 37. [Nudauerunt eum tunica talari] ſic ſcribit: [Quid enim eſt talaris tunica, niſi actio conſummata? Quaſi enim talaris tunica, talū corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos, vſq. ad vitæ terminum nos tegit.] Hoc ipſum ſignificauit Chriſtus cū de ſe, hoc in cap. dixit: [Ego sū Alpha, & Omega,] hoc eſt, principium, & finis: Vt inde diſcamus non ſolo bono principio contentos eſſe curemus, ſed finem etiam bonum obtinere ſtudeamus. Septimo, podere veſtitus hic apparuit filius hominis, ad fidem Eccleſiæ demonſtrandam propter duo, nimirum, quia fides Eccleſiæ, vſquem ad finem ſæculi perdurabit, vel quia ſicut ſæpe per veſtem aliquis cognoſcitur, & tñ veſtis, immediatam, & nudam viſionem impedit, ſic fides, vnde nudè Deum videre non poſſumus, mente tamen concipere præſtat, quoniam Deus eſt fidei noſtræ obiectum, vſq. in finem; quæ omnia per poderem demonſtrantur, cum ſit veſtis vſque ad talos demiſſa. Octauo, apparuit Angelus iſte podere veſtitus ad probitatem vitæ, morumque integritatem commendandam fidelibus. Perinde enim eſt podere veſtitū apparere, ac ſi iuſtitia, & ſanctitate veſtitus apparuiſſet, vt nos cum Zacharia dicamus: [In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.] Ideo D. Gregorius ſuper illa verba Iob. 29. [Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me quaſi veſtimento ſic eleganter ſcribit [veſtiměto cū veſtimur ex omni parte circūdamur, ille ergo iuſtitia ſicut veſtiměto veſtitur, qui ſe vndiq. bono opere protegit, & nullā partem actionis ſuæ peccato, nudam relinquit. Nam qui in quibuſdam actionibus iuſtus eſt, in alijs iniuſtus, quaſi hoc latus cooperuit, illud nudauit, nec iam bona ſunt opera, quæ ſubortis alijs prauis operibus inquinantur, iuxta illud Eccl. 9. Qui in vno peccauerit multa bona perdet. Et Iacobi 2. Qui totam legē ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.] Hæc Gregorius. Nono, & poſtremo, veſtis iſta poderis ſiue talaris, cum ſit veſtis linia, quæ communiter dicitur alba, poteſt innocentiam, illibatamq. puritatem Chriſti demonſtrare, & indicare, quemadmodum linteum illud, quo in vltima cæna præcinctus fuit, patefacit.

Ambroſ. de Ioſeph 3. Hier. ſup. Zach. 3. Orig. ſup. Leu homil. 9. Beda ſup. gen 37.

Beda. Ribera. Viegas. Talaris tunica ſiue poderis terrorem demonſtrat.

Cyp. de ſ. m. p. Hil. ſ. Matth. 23. Ber. in apol. Beda ſ. Gen. 37.

Ad Eph. 5. D. Aug.

Tunica talaris ſiue poderis fidem Eccleſiæ oſtendit.

Iſych. Luc 1. ſ Leuit. 6. Greg. Nis de vita Moyſi. Gloſ. ord. ſ. Exod. 28. D. Greg. lib. 19. moralium cap. 16.

Iuſtus qualis eſſe debeat.

Ioan. 13.

PARAPHRASIS Quarta.

Par. 4.

Et præcinctum (ait) ad mamillas zona aurea. Auctoritas, maieſtaſq. regalis Chriſti hic apprime declaratur. Zona enim aurea, quæ decora, fortis, ac magnę virtutis eſt, proculdubio decorem, fortitudinem, ingentemque virtutem illam regalem, quibus omnibus Chriſtus in reſurrectione, & in cælos gorioſa aſcentione ſe induit, ac præcinxit, dicente Pſalmographo [Dominus regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dñs fortitudinē, & præcinxit ſe] perbelle patefacit. In quo ſi quidē verſiculo quattuor de Chriſto narrat Dei Vates. Nempe Chriſtum regnaſſe, Chriſtum decorem induiſſe, Chriſtum fortitudinem indutū fuiſſe, & Chriſtum virtute ſe præcinxiſſe. Quæ omnia per zonam illam auream, qua Chriſtus ad mamillas eſt præcinctus, optime demonſtrantur. Zona enim cingulū eſt, quo præcingimur, iuxta illud Ouid. 2. faſt. [Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit] & inter cætera cingulorum genera principem locum ſibi vendicat. Habet namq. quædam appendicula, quæ alia cingula non habent. Hinc prouerbialiter dicitur, in eum qui omni pecunia deſtitutus eſt: [zonam perdidit,] tractum à militibus, qui, quicquid habent in zona circumferunt, iuxta illud Hor. 2. Epiſ. lib. 2. [Ibit eò quò vis, quia zonam perdidit.] Ex quibus ſatis liquido apparet, zonam cingulum quo præcingimus eſſe. Per quam, vnio hypoſtatica, qua Deus, & homo fortiter ligantur demonſtratur. Et dicitur aurea, quia quemadmodum aurum omnium metallorum prætioſiſſimum eſt, & inter ea primatum tenet: Sic Chriſtus Ieſus, Deus, & homo, Angelorum & hominum Rex gloriæ eſt. Et hoc demonſtrare intendit Dauid cum ait [Dominus regnauit] ideſt, Dominus Ieſus Chriſtus verus Deus, & verus homo, ſe regnantem oſtendit in ſua reſurrectione, in qua poteſtatem ſuper omnem creaturam accepit, iuxta illud Matth. vltimo [Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.] In eo autem quod zona aurea decora eſt, (quia nihil auro magis decorum, aut ſpecioſius inuenitur) oſtenditur, quod licet humanitas Chriſti, qua eius diuinitas operiebatur, ante reſurrectionem videretur infirma ac debilis, quia ligata, flagellata, crucifixa, in tanto dedecore fuerat, vt dicatur Iſaia 53. [Vidimus eum, & non erat aſpectus,] tamen in reſurrectione, vt ſe regem oſtenderet, corpus glorioſum aſſumpſit: & hoc eſt illud (decorem induit,] hoc eſt, quantum ad dotes glorioſi corporis. Quia corpus illud

Dilucidatio textus. §. 1. Zona aurea quid ſignificet. Maieſtas regalis Chriſti

Pſ. 92.

Zona quid ſit

Ouidius.

Regnauit Chriſtus in reſurrectione

Humanitas Chriſti quam decoroſa.

illud, quod ante passionem, passibile & mortale,& in passione, deturbatum fuit, dicente Isaia: [Non est ei species neque decor,] in resurrectione fuit gloriosum, & decoratum. In eo insuper quod zona aurea fortis maxime est (nihil enim auro fortius, & hinc triumphalis corona quæ antiquitus ex lauro fiebat, successu temporis ex auro fieri cæpit, non solum ob decorem, verum etiam ob fortitudinem auri) exprimitur, Christum in resurrectione se immortalitate induisse. Et hoc est illud [indutus est Dominus fortitudinem] hoc est, indumentum eius (nempe humanitas) factum est immortale, & impassibile; Quia [Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.] In eo tandem quod zona aurea magnæ virtutis est (quis enim auri virtutes patefacere valet? Nemo sane) demonstratur, Christum remeando ad patrem talem virtutem ostendisse, vt vinctos ex inferni claustris eduxerit. Et hoc est illud [præcinxit se virtute.] Idest, tamquam fortis, ingenti virtute, præcinctus, dum supra sidera scandere intendebat, detentos in inferno potenter educendo, & ad cælestia deducendo regna, secundum quod de illo dicitur Psalm. 67. [Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. [Eccce igitur qualiter in zona aurea, qua Christus ad mamillas apparuit præcinctus, maiestas regalis apprime exprimatur. Vnde Rupertus Abbas super hunc locum, sic ait:] In eo quod præcinctus erat ad mamillas zona aurea, intelligimus auctoritatem regiam, de qua Psalmista: Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute. Decorem, & fortitudinẽ, quam indutus est, vel qua præcinxit se Dominus regnans, regno peccati destructo, & superata morte, per zonam auream intelligimus, qua nunc videbatur ad mamillas præcinctus. [Sic ille. Quod autem Christus rex sit, habetur Matt. 3. [Vbi est, qui natus est rex iudæorum,] De quo rege, Prudentius in quodam hymno sic ait.

Romanorum Imperatorum corona.

Infernus spoliatur a Christo.

Rupertus Abbas.

Christus Rex

Prudentius in hymno de Epiphania.

Hic ille Rex est gentium
Populiq. Rex iudaici
Promissus Abrahæ Patri,
Eiusq. in æuum semini.

Hic autem Rex, licet natus fuerit Rex (quod nulli ex regibus accidit,) tamen in cruce cæpit regnare, non quia tunc tantum reuera cæperit, sed, vt ait glossa interlinearis super illa verba: [Dominus regnauit,] quia tunc innotuit. Ideo Psaltes Israel ait: [Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno] Et ob id Theophilus in quodam hymno sic ait.

Christus in cruce regnare cæpit.

Impleta sunt, quæ concinit.
Dauid fideli carmine.
Dicens in nationibus
Regnauit à ligno Deus.

Vnde cum in cruce, superata morte, & dæmone, redemptionem nostram expleuerit, dicitur regem istum tunc (per tropum, quo res fieri dicuntur, cum innotescunt) regnare cæpisse. Quod denique Rex, decorus, fortis, magnæque virtutis esse debeat, patet in rege Saule, de quo 1. Reg. 9. dicitur [Saul electus, & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo.] & etiam apparet in Dauide rege, de quo 1. Reg. 19. dicitur [erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.]

Rex, fortis oportet sit.

§. 2. Discrimen inter verbum præcingo, & verba accingo, succingo, & cingo.

Porrò animaduertendum est, quod non dicit textus, cinctum, aut succinctum, vel accinctum, sed præcinctum ad mamillas zona aurea. Hæc enim quattuor verba scilicet, cingo, succingo, accingo, & præcingo, licet pro eodem vsurpari videantur, tamen multum inter se se differunt significatione. Cingimur enim (ait glossa ord. super Psalm. 93.) operaturi, accingimur pugnaturi, succingimur ituri, præcingimur vero ministraturi. Et quia Rex noster Iesus Christus

F non venit ministrari, sed ministrare, vt ipsemet dixit Matth. 20. & animam suam in redemptionem pro multis ponere, ideo noluit cinctus, vt operaturus, aut succinctus, vt iturus, nec minus accinctus vt pugnaturus, sed præcinctus ad mamillas, zona aurea vt nobis ministraturus hic apparere.

Mamillæ à Hieremia appellantur mammæ [Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos,] à sponsa vocantur vbera [Botrus Cypri dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur] Et ab Isaia eodem nomine nuncupantur, [Suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.] Sunt autem mamillæ, mamma, siue vbera, membra in quibus lac conficitur, siue receptacula lactis in fæminis, vnde lac attrahitur, atque sugitur, & ad vtilitates hominum elicitur, & mulgetur. Quamquam proprie vbera G dici videantur interiora mammarum, mammæ vero vberum eminentiæ. Hæc tamen lactis receptacula in fæminis, appetente partus tempore, turgescunt, atque intumescunt, prole tamen edita, distenduntur, ac dilatantur. Et quia cordi, præcordisque insidunt, matrem amoris admonent ad fætum nutriendum.

§. 3. Mamilla quid sit

Thren. 4. Cant. 6. Esa. 60.

Partus fæminarum signa.

Mamillarum natura.

Quæritur modo, cur hæc præcinctio ad mamillas vsq. se extendat? D. Dionysius Carthusianus inhisce suis commentarijs sic respondit: [Per hanc præcinctionem suam, Christus docet & insinuat cor esse restringendum ab in discreto scrutinio diuinorum, iuxta quod Salomon ait; sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum, sic qui perscrutator est maiestatis opprimetur à gloria: in Ecclesiastico quoque legitur altiora te ne quæsieris, & fortiora te H ne scrutatus fueris.] Sic ille. Hæc expositio sustentabilis plane est, & corroboratur ex illo Apostoli ad Romanos 11. [O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.] Quamobrem oportet, vt prædicatores, qui per intimam contemplationem inhærent pectori Christi, & Dei (vt alter Ioannes, qui in cæna supra pectus Domini recumbere meruit) vbi diuinis secretis pascuntur ad illas sugendas mamillas, præcincti, hoc est discrete, & prudenter accedere curent. Diuus Augustinus hom. 1. in Apoc. aliter has mamillas interpretatus est, per hæc verba: [Quod autem ait inter mamillas zona aurea erat ille præcinctus, Christum Dominum præfigurabat, duas mamillas, duo testamenta intellige, quæ de pectore Saluatoris tamquam de perenni fonte accipiunt, vnde Christianum populum nutriant ad I vitam æternam.] Idem docent grauissimi adstipulatores inter quos est Arethas, hoc loco, & Ambrosius de Isaac 3. & de benedictionibus Patriarcharum 11. Hieronymus supra Isa. 66. & super Iocl. 2. & Psalm. 21. Diuus Gregorius lib. 21. moralium 1. Beda super Pro. S. D. Bernardus, & Glossa ordinaria super Cantica. Iccirco Primasius Diui Augustini, discipulus, in hisce suis commentarijs, magistrum suum sequutus, sic scribit: [Et erat præcinctus supra mamillas zona aurea, mamillas, duo testamenta dicit, sicut in Cantico Canticorum legimus, duo Vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli, qui pascunt inter lilia, & vbera tua similia botris.] Stare hic etiam potest, horum doctorum enodatio, quoniam doctrina sacra, quæ ex vtroque Testamento exprimitur comparatur lacti propter dulcedinem, & candorem. Hinc Psalmista dixit [Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel K & fauum ori meo.] & D. Paulus. 1. Cor. 3. [Tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi.] & 1. Petri 2. [Sicut modo geniti infantes, rationale, sine dolo lac concupiscite.] Dictis tamen obuiare videtur, quod testamenta ipsa non pascuntur, sed Ecclesia per testamenta nutritur. His satisfacio asserens mamillas hoc in loco significare allegoricè testamenta. Testamenta vero tropicè pro Ecclesia accipi, quemadmodum genus pro specie, vel factor, pro eo quod facit ac-

§. 4. Præcinctio Christi cur vsq. ad mamillas. Carthus.

Prou. 25.

Eccl. 3.

D. Aug. in comment.

Arethas. D. Ambros. D. Hier. D. Greg. Beda. D. Bernard. Primasius.

Mamillæ allegorice testamenta demonstrant.

cepi

Primasius in commentar.

cipi solet in sacra pagina. Hinc Primasius hanc profligando difficultatem in hisce suis commentarijs, sic scribit: [Potest autem in hac specie genus videri, & in testamentis ecclesiarum intelligi, vt tamquam testamenta, ex eoquod efficiunt, comparationem accipiant. Non enim testamenta pascuntur, sed ecclesia per testamenta nutritur: huius autem tropi species in scripturis inueniuntur, vt factor, ex eoquod facit, nomen accipiat. Mamillæ ergo testamenta.] Ita Primasius. Possunt præterea mamillæ siue, vbera significare. Primo dilectionem Dei, & proximi, vel dona gratiæ in remissionem peccatorum, & in diuisionem gratiarum; vel longaminitatem Christi in expectando peccatores, & facilitatem eiusdem in eosdem condemnando; vel fontem gratiarum in Christo, aut cor ipsius Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, vt expendunt Origenes, Bernardus, Rupertus, Gregorius, & Lyranus, illa verba Cant. 1. [Meliora sunt vbera tua vino.] Secundo benignitatem, & humanitatem Christi, de quibus dicitur ad Tit. 3. [Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.] Quem locum Apostoli, eleganter, & satis perdoctè ponderat Diuus Bernardus serm. 1. in Epiphania, serm. 1. in die Natiuitatis Domini, & sermone de diligendo Deo. Sustentabilis etiam est hæc enodatio. Quoniam quemadmodum in lacte est nimia dulcedo, & suauitas, sic in benignitate, & humanitate, (seu amore, vt legunt Græci,) Christi tanta est suauitas, & dulcedo, vt nos fideles, audaciam quamdam arripiamus ad talia vbera, melle dulciora, sugenda. Ideo Bernardus explicans illud sponsæ: [Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino] Sponsæ audaciam sub his verbis nititur excusare. [Temeritatem prout valet excusare conatur, quasi dicat: Si altum sapere videor tu fecisti ò sponse, qui in dulcedine vberum tuorum tanta me dignationis lactasti, quatenus omni metu depulso, audeam plus forte, quam expediat.] Illustrat hanc rationem lectio Hebraica, quoniam vbi nostra vulgata legit [quia meliora sunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis,] omnes fere Hebræi habent [Quia meliores sunt amores tui vino,] & sic mamillæ, siue vbera amores sponsi erga suam sponsam indicant. Et illud [apparuit] magis declarat mysterium. Quoniam illud apparere dicitur, quod antea erat tectum, siue absconditum; sic humanitas, hoc est, amor Dei, antea erat veluti latens, & abscondita: At vero per incarnationem, nobis apparuit, & manifesta fuit, quod sane confirmant mamillæ, siue vbera hæc, quoniam mamillæ in feminis, (vt nuper retulimus) appetente partus tempore tremefiunt, siue intumescunt; at vero prole iam edita distenduntur, crescunt in longum, & dilatantur: Et quia cordi; præcordijsque insidunt, matrem amoris admonent ad fœtum nutriendum: sic Deo cum eius amor erga homines multum iã per opera creuisset in veteri Testamento, quasi vbera ipsa turgescere, & intremescere, & intumescere cœpta sunt, dicente Isaia cap. 63. [Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum, super me continuerunt se,] id est, turgesserunt se vbera miserationum tuarum super me. At appetente partus tempore, nimirum, incarnationis Dominicę, iuxta illud Apostoli: [At vbi venit plenitudo temporis,] distenta, & dilatata ita mirumimmodum fuere ad nouum fœtum educandum, vt iure optimo dicat idem Apostolus: [Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei,] hoc est, distenta, ac dilatata satis super nos fuit benignitas, & amor Christi, non quod in veteri Testamento non esset amor Dei, sed quod illic cœpit turgescere & intumescere, & in nouo fusior, ac latior eluxit, & elegantius apparuit. Quoniam bonum nostrum in veteri inceptum fuit testamento, & in nouo perfectum, & finitum. Ad quod etiam alludit illud Apostoli ad Tit. 2. [Apparuit gratia Dei omnibus hominibus.] Hinc illud sponsæ, in sui sponsi mamillarum laudem, dum, ait: [Vbera tua fragantia vnguentis optimis,] post incarnationem commodius intelligitur. Nunc etenim omnes fideles cum sponsa dicere possumus, [Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.] Quoniam nunc vbera sponsi nostri Christi, sunt: [Fragantia vnguentis optimis,] id est, sunt fragantia super omnia aromata. Et suauitas nimia vnguentorum pigmentariorum, ac aromatum, suauitate ingenti florum odoriferum temperanda venit, ne præ amoris dulcedine deliquium animi consurgat. Tum duæ mamillæ Christi, duos principatus, nimirum Angelorum, & Archangelorum designare possunt; per quos Deus nos pascit in terris, sicut pauit electam familiam illam Israeliticam in terra lacte, & melle manante. Ita est interpretatus, ly [vbera,] Georgius Venetus Cant. 1. tom. 4. cap. 12. Tum denique mamillæ duæ Christi hoc in loco diuinam misericordiam, & iustitiam indicant, vt plane colligere possumus ex Lyrano, dum illa verba Cant. cap. 1. [Quia meliora sunt vbera tua vino,] sic est interpretatus [In Hebræo habetur: Quia meliores sunt amores tui vino; Nomen enim Hebraicum hic positum, æquiuocum est ad amores, & vbera, Hebræi sequuntur vnam significationem, translatio nostra aliam, sed in hoc videntur Hebræi melius dicere: quia secundum proprietatem Hebraici sermonis sponsa hic alloquitur sponsum: in commendationem vero sponsi non videtur decenter fieri mentio de vberibus. Potest tamen dici, quod per vbera sponsi, hic intelligitur plenitudo misericordiæ Dei. Est igitur sensus secundum Hebræos cum dicitur, quia meliores sunt amores tui vino, id est, sapidiores menti deuotæ, quam quodcumque sapidum corporale, gustui corporali. Et secundum translationem nostram, meliora sunt vbera tua vino, id est, tuæ misericordiæ plenitudo dulcior est humanę menti, quam vinum gustui, quod inter corporalia est magis sapidum.] Hæc Lyranus. Ex his (inquam) verbis facile est vnicuique colligere, duas mamillas Christi, hoc loco diuinam misericordiam, diuinamque iustitiam indicare, ita vt per dexteram mamillam misericordiam, per sinistram vero iustitiam intelligamus, quæ abundanter fuerunt in Christo. In cuius rei signum, filius iusti Abrahæ, & miserentis Dauid, voluit ipse Christus à Matth. in cap. 1. appellari. Misericordia enim, & iustitia potauit nos. Nutritius noster Christus, de quo intelligitur illud Osee cap. 11. [Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis.] Et quadrat mirumimmodum hæc expositio textui, & toti operi, & præcipue huic primæ visioni, in qua vt apparet cap. 2. & 3. hasce septem Ecclesias, suosque pastores aliquando lacte misericordiæ, (eos laudando) aliquando vero lacte iustitiæ, (eosdem increpando) pascit, & eosdem, & nos, de dextera mamilla, ad sinistram, & de sinistra ad dexteram transfert; hoc est, de abundantia ad egestatem, de luce ad tenebras, de gaudio ad tristitiam, & de bonis ad mala, & è conuerso nos circumducit, vt ablactemur, hoc est, vt robustiores in suo sancto seruitio efficiamur, veluti in Abraham, & Iob, clare experimur, quos aliquando auxit, aliquando vero prostrauit.

D. Bernard. in Cantica.

Lectio Hebraica in Cant.

Explicatur optime locus Apostoli ad Tit. 3.

Nota bene circa incarnationis amorẽ.

Georgius Venetus.

Lyranus in Cantica.

Nutritius noster Christus.

Lac misericordiæ, & iustitiæ in Xpo.

§. 5. Zonæ auræ significationes.

Ad auream tamen zonam, (quam in principio attigimus,) iterum redeamus. Quoniam præter explanationem nostram, qua per zonam auream, regalem Christi maiestatem intelligimus: pleraque aliæ expositorum extant opiniones, quas examinare hic duximus. Diuus Augustinus, Tyconius, Beda, per zonam auream chorum sanctorum, seu multitudinem fidelium vnamini charitate Deo adhærentem intelligunt. Hinc Primasius magistrum suum Augustinum sequutus, sic scribit: [Zona vero aurea, chorum sanctorum, qui adhęret, & amplectitur testamenta, vel Christum, quem concinunt, significat.] Hæc explanatio cum his dumtaxat stare potest qui per mamillas duos intelligunt testamenta. Quoniam multitudo sanctorum est circa vtrumque testamentum, sicut zona, vel lumbare, iuxta illud Ieremiæ de filius Israel

in cap. 13. [Posside tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos.] Et paulo post hæc: [Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Isrel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & nomen, & in laudem, & in gloriam.] Quod optime sanctis vtriusque Testamenti quadrat, vt expendit Origenes super Ierem. ho. 7. Et dicitur zona aurea, quoniam sanctorum multitudo, aurea dici potest, cum sancti, multis tribulationibus, quemadmodum aurum in fornace probentur, iuxta illud: [Tamquam aurum in fornace probauit eos,] & Eccl. 2. [Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.] Sancti itaque vtriusque Testamenti adhærent Christo sicut zona, vel lumbare, vt ab eius vberibus nutriantur. Porro zona aurea significare etiam potest vnionem hypostaticam, dummodo per mamillas Christi, diuinitatem & humanitatem eiusdem Christi intelligamus, quæ vnione hypostatica tamquam zona aurea cinguntur. In cuius rei typum balteus Pontificis quattuor coloribus variegatus, tam cito, & frequenter in Exod. cap. 28. & Leuit. cap. 8. reperitur, vt nimirum incarnationis mysterium apprime recolatur. Præterea Sanctus Thomas per zonam auream, charitatem expendit per hæc verba: [Et præcinctus zona aurea, id est, cingulo charitatis, quia stringit, & custodit virtutes, ne à subiecto recedant, vestis enim non cincta, cito diffluit, Coloss. cap. 3. super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis, Glos. & dicitur, aurea ratione suæ præeminentiæ, 1. Corinth. cap. 12. & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.] Et etiam glossa interlinearis, quæ sic vertit: [Zona aurea, id est, cingulo charitatis, quia dilectionem seruat,] & Lyranus, qui sic expendit: [Per zonam auream significatur charitas, quæ pretiosior est virtutibus alijs, sicut aurum cæteris metallis, & bene dicitur zona, quia iungit, & constringit hominem cum Deo, & proximo dilectione firma, & dicitur circa mamillas esse, id est, prope cor, quia quod charitate diligitur, corde habetur.] Hos sequuti fuere D. Dionysius Carthusianus, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à Sancta Maria, Auctor Incognitus, & Blasius Viegas.

Origenes sup. Ierem. Hieron. super Isa. 22. Hieron. super Ierem. 13 Glos. ord. sup. Isa. 23. Sap. 3. S. Thom. in comment. Laudunensis. Lyranu. in comment.

Corroboratur insuper, ac omnino illostratur hæc explanatio. Tum quia charitas funiculum appellatur, iuxta illud Osee cap. 1. [In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.] Tum quia zona illa hyacinthina, qua summus sacerdos tunicam hyacinthinam religabat, prout legitur Exod. cap. 28. Charitatem & amorem Christi erga nos significabat, vt plerique tenent. Hanc eamdem Christi in nos charitatem, non solum zona, siue balteus summi sacerdotis, verumetiam illæ duæ catenulæ aureæ, quæ erant in rationali Pontificis, prout habetur eodem in cap. 28. Exod. adumbrabant; Ideo verba ista: [Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes, ex auro purissimo.] Beda sic exoluit: [Recte autem charitas per catenulas aureas significatur, quia sicut catenulæ ex pluribus auri virgulis contexitur, ita charitas in multifaria virtutum operatione perficitur, quas virgulas Apostolus enumerat 1. ad Corinth. cap. 13. cum ait: [Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur.] Hæc Beda. Tum denique, quia, vt dicunt Sanctus Thomas, & Lyranus, quemadmodum zona cingulum est, quo indumenta, siue veste stringuntur, ne diffluant: sic charitas reliquas astringit virtutes; ne à subiecto recedant. De charitate autem Christi erga nos, intelligitur illud Ioan. cap. 12. [Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] Et illud etiam Apostoli 2. Corinth. 5. [Charitas Christi vrget nos.] Quæ verba perinde sonant, ac diceret Apostolus: Necesse est nos aliquam partem eius rependere charitati, vt pro eius corpore

1. Ratio. 2. Ratio 3. Ratio.

F patiamur, qui mori pro nostra morte dignatus est. Idq; plane per zonæ locum demonstratur. Quoniam hic Christus ad mamillas vsque præcinctus apparet; Et liquet quia mamillarum locus, sedes cordis est, per quod apprime demonstratur, cor Christi, non solum in hac mortali vita; verumetiam post mortem charitate, amoreque hominum semper repletum extitisse. Item Petrus Berchorius in hisce suis commentarijs putat zonam auream iustitiam, & correctiones, quę cingunt Ecclesiæ corpus, demonstrare. Doctor vero Incognitus hoc loco existimat zonam auream sapientiam Christi indicare. Iam postrema explanatio est, qua zona aurea carnis castigationem omni virtute refulgentem designat, vt interprætati fuere ly [Balteum,] Origenes super Leuit. hom. 6. & 9. Isychius in Leuit. cap. 8. Hieronymus super Isa. cap. 11. Quadrat explanatio cum D. Dionysio Carthusiano, qui G hoc loco sic scribit: [Præterea contemplandum quod in veteri Testamento prohibetur ipsa luxuria, in nouo autem concupiscentia inordinata. Idcirco in Daniele legitur Dominum apparuisse præcinctum ad renes, per quod restrinctio carnis innuitur. In nouo autem Testamento, scilicet loco præsenti apparuit Dominus ad mamillas præcinctus, per quod restrictio cordis insinuatur.]

4. Ratio. Petrus Berchorius. Carthusianus in commen.

Quæstionem vero istam, quam hic Carthusianus insinuat, nimirum, cur Dominus per Angelum suum in veteri Testamento ad renes, & hic in nouo vsq; ad mamillas præcinctus apparuit, fere eisdem verbis dirimit Richardus de Sancto Victore, dicens sic: [In veteri Testamento visus est Angelus Prophetæ accinctus renibus quia ibi carnis opera expressius prohibebantur. In nouo autem Ioannis visus est Angelus præcinctus H ad mamillas, quia nunc ipsæ cogitationes illicitæ manifeste refrenantur. Qui enim, non inquinamentum carnis, quod veteri Testamento iam fuerat inter dictum, sed inquinamentum spiritus, quod in nouo arctius est prohibitum, restringere veniebat non ad renes, sed ad mamillas præcinctus debuit apparere.] Et idem videtur asserere Pannonius, dum ait: [Apud Danielem præcinctus ad renes apparet, quia scriptura veteris Testamenti, ipsum opus luxuriæ arcet, nouum autem Testamentum etiam ipsas cogitationes, dicente Domino Matth. cap. 5. qui viderit mulierem ad concupiscēdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Sequuti tamen fuere ij Doctores gloss. ordinariam, quæ hunc locum, per hæc verba expendit: [Præcinctum ad mamillas, Daniel cinctum renes vidit in veteri Testamento, quia ibi carnalia constringuntur, hic mamillas, quia in nouo Testamento etiam I cogitationes indicantur,] & etiam Lyranus, qui hanc eamdem difficultatem sic olim exoluit: [Per præcinctionem ad renes intelligitur restrinctio carnis quæ præcipitur in veteri Testamento; per eam autem; quæ est ad mamillas circa pectus, intelligitur restrinctio mentis, quę præcipitur in nouo.] Ecce qualiter ex antiquis Apocalypseos expositoribus habemus ex hoc loco, & ex Daniele in cap. 9. in nouo Testamento, non solum tactus illicitos, & impudicos, verumetiam cogitationes nefarias, culpabiles, ac omnino reprahensibiles semper extitisse. Quod plane elegantius, & clarius adumbrat Abulensis, dum super illud Matth. cap. 5. [Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter, &c.] Sic scribit: [Hic non solum adulterantur ij, K qui actu exteriori mœchantur, id est, rem habent cum coniugata, verumetiam reus est adulterij ille, qui concupiscentia deliberata concupiscit actu interiori vxorem proximi sui. Nam licet iste opere non commiserit peccatum, tamen in corde iam commisit adulterium.] Et paulo post hæc: [Considerandum quod totum hoc, quod Christus hic dicit est ad tollendum falsum intellectum Iudæorum, qui putabant peccatum consistere in solo actu exteriori

Angelus cur ad renes, & Xps vsque ad mamillas præcinctus. Richardus de S. Victore. Pannonius. Strabus in sua gloss. ord. Lyranu. in comment. Tostatus super c. 5. Matth.

vnde

vnde coitum dicebant esse peccatum propositum de coeundo cum vxore aliena, & vel alias non putabant esse peccatum, Christus autem ostēdit illud esse falsum dicens, quod etiam concupiscere sit peccatum. Et quoniam istud dependet ex quodam fundamento communi, scilicet, quod lex vetus non prohiberet animum, sed solum manum, scilicet operationem exteriorem,] & paulo post: [Iudæi, aut saltem plurimi ipsorum, tempore Christi, putabant, quod peccatum consisteret in solo actu exteriori, & ipsa præcepta Dei de solo actu exteriori intelligebant, quod apparet ex omnibus additionibus, quas hic Christus fecit; Nam putabant homicidium esse peccatum, sed non iram, aut desiderium occidendi, ita adulterium peccatum esse faciebant, sed non adulterandi desiderium; alias superflue Christus hic faceret additiones istas, si ipse intellexisset præcepta Dei, non solum de actu exteriori, sed etiam de interiori. Item patet quod non solum sic putabant, sed etiam increpabant eos, qui aliter crederent. Sic enim Iosephus 12. Antiquit. increpat Polybium historiographum, asserentem, voluntatem peccandi esse peccatum, dicens: Vnde miror Polybium Megapolitam, quod vir bonus existens, dicit, ideo perisse Antiochum, quia voluit templum Dianæ in Perside deuastare, & subdit causam, dicens: Nam qui nullatenus egit peccatum, licet tamen cogitauit nullo reatu tenetur. Idem asserit Augustinus supra Exodum fuisse antiquam positionem, quod lex Moysi cohibebat manum, & non animum.] Et in quæstione sequenti, quæ est 177. sic etiam scribit: [Dicendum, quod Augustinus super Exodum asserit antiquam esse positionem, quod lex cohiberet manum, & non animum, Euangelium autem cohiberet manum, & animum.] & dudum: [Lex autem Christi, bona æterna promittit, & comminatur peccatoribus pœnam æternam; pœnam autem ęternā infligitur ab illo iudice, qui est scrutator cordis; ideo nō solum manum, sed etiam animum cohibet, quia Deus ita nouit animū sicut manum.] Hucusque Abulensis. Sunt igitur in nouo Testamento, non solum actus illiciti & impudici prohibiti, verum etiam cogitationes nefariæ prohibitæ, & culpabiles. Quapropter non solum est pręceptum obligans ad mortale in nouo Testamento, fornicatio, & furtum, quorum vnum ad sextum, aliud vero ad septimum legis diuinæ præceptum spectat, verumetiam concupiscentia deliberata vxoris alienæ, & rei alienæ, peccata mortalia dicuntur, quorum vnum ad nonū, aliud vero ad decimum legis diuinæ pręceptū spectat. Idcirco multoties Christus Redemptor noster prauas, pessimas, ac nefarias cogitationes Iudæorum increpabat. Sic enim dicitur Matth. cap. 15. [De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemię, hæc sunt, quæ coinquinant hominem,] & Lucæ cap. 11. [Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit: omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet,] & Lucæ cap. 5. [Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos, quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.] Cogitationes autem nefariæ, iniquæ, & malæ, in nouo Testamento culpantur, quoniam in illis consummatur peccatum, cum actus exterior quandam duntaxat grauitatem supra voluntatem malam addat, vt dicit Magister in 3. sententiarum, distinct. 4. & S. Thom. ibidem, & p. 2. Vt igitur hoc aperte insinuaret Christus, apparuit in nouo Testamento ad mamillas vsque præcinctus, cum antea ipsemet discipulis suis dixisse Lucæ 12. [Sint lumbi vestri pręcincti.]

Abulensis. — *Peccatum in quo actu consistat* — *D. Aug.* — *Abulensis.* — *Peccatū consumatur in actu interiori* — *Magist. in 3. S. Thom in 3. & p. 2.*

A

Conceptus Prædicabiles in textum.



VALDE vitiosum apud antiquos erat absque zona, vel cingulo, hoc est, discinctos incedere. Hinc accinctos, expeditos industriosque, discinctos vero ignauos, negligentesque nuncupabant. Quamobrem Titus Liuius in historia Romana, sic ait: [Antiqui, negligentes & desides, appellabant discinctos, & intemperantes: Contra vero accinctos, solertes, & strenuos. Quod à re B ipsa deductum est. Molles enim, demissis discintisque vestibus vti solent: Strenui vero, atque industrij, quo sint ad res exequendas promptiores, succincti incedunt,] & Seruius ita ait. [Discincti inhabiles sunt militiæ: Omnes enim qui militant cincti sunt.] Hinc Policratus lib. 6. cap. 13. & Cassaneus part. 9. catal. can. 26 discinctos milites negligentes, accinctos vero industrios, ac potentes vocant. Quapropter antiqui Romani, (vt ait Plutarchus,) Iulio Cæsari suo dicere solebant: [Cur discinctus accedis?] Et Liuius lib. 35. [Discinctus & inermis eques.] Hoc autem vitium apud veteres originem habuit, ex eoquod olim militibus in signum potentiæ, & fortitudinis balteum, scilicet militare cingulum, elargiebatur, quo ensem appendebant. Et balteum siue militare cingulum ferentes, nobiles, fortes, priuilegiati, ac potentes habebantur, & ij vere, & proprie, milites appellabantur, quia balteo, & ense accincti erant, quod C non sic se habebant in pedestribus discinctis, qui ensibus discinctis, & ad latus minime applicatis incedere tenebantur, vt discincti vocarentur. Hos vero nempe accinctos cum eorum dux multare vellet, balteum, hoc est, cingulum militare, deponere eis præcipiebat, quasi nobilitatem, & fortitudinem ab ipsis adimeret, eos discunctos, viles, & inefficaces faciendo ex accinctis, & nobilibus; Vnde est illud Iob. c. 12. [Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.] Vbi Lyranus sic ait: [Balteum regum, id est, virtutem eorum militarem, scilicet exercitum dissoluit, quando contra spem humanam debellantur; & præcingit fune renes eorum, quando sic deuicti, ligati in captiuitatem ducuntur.] Ex quibus apparet Deum omnium ducem, reges terræ malos, non solum ab eis regna, fortitudinem, & omnia bona adi- D mere, verumetiam in signum pudoris, & verecundię eorum, renes fune præcingere, hoc est, eos à nobilitate sua degradare, & illos ignominia, & infamia afficere; sicut modo S. Inquisitionis officium præstare solet cum malis, quos in pœnam peccati discinctos, funeq; ligatos, publice populo ostendit, vt omnes sciant, hos in posterum nobilitate priuatos esse. Hæc igitur fuit origo apud veteres, discinctos, inefficaces, ignauosque; præcinctos vero, strenuos, promptos, & expeditos vocandi. Cum igitur inter præcinctos, & discinctos hæc fuerit differentia apud veteres, Deus non solum olim Hebræis exeuntibus de Ægypto Exod. cap. 12. dixit:] Renes vestros accingetis,] quod erat illis dicere: Estote parati, prompti, industri, dispositi, & expediti. (Quod Hispani dicere solent: [Poned haldas en cincta,]) ad pugnandum cum Ægyptijs, & Pharaone, & ad exeundum E etiam de Ægypto ad terram promissionis: Verumetiam modo Redemptor noster Iesus Christus, volens discipulos, ac nos etiam seruos suos fideles, paratos, & expeditos semper esse ad exeundum de hoc mundo, ad patriam, & ad pugnandum contra inimicos animæ, nēpe, contra carnem, & sanguinem, mundum, & dæmonē, etiam hoc in loco præcinctus zona aurea, vsq, ad mamillas apparuit, & Lucæ cap. 12. illis, nobilque præcepit, dicens: [Sint lumbi vestri præcincti.] Quasi dicat,

Conceptus quod Christus semper nos paratos esse vult ad inimicos visibiles, & inuisibiles debellandos. Titus Liuius. Seruius. — *Policratus. Cassaneus.* — *Plutarchus in vita Cæsaris.* — *Titus Liuius lib. 35.* — *Nota bene malorum pœnā apud tribunal sancti Officij.*

ne vos fideles mei discincti incedatis, quasi ignaui, & negligentes ad prælium, sed præcincti, & quasi strenui, expediti, & prompti ad militiam Christianam, nempe, ad pugnandum contra visibiles, & inuisibiles hostes. Ad quod alludens Iob ait: [Militia est vita hominis super terram.] Ad quam nos inuitat Apostolus ad Ephes. 6. dicens: [Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.] Quasi dicat Apostolus: Ad hos igitur hostes debellandos, paratos, expeditos, promptos, industrios, ac dispositos nos semper esse, Christus Redemptor noster præcipit, dicendo: Sint lumbi vestri præcincti. Quinimmo ad nos adiuuandum, se paratum itidem esse demonstrat, cum præcinctus zona aurea, vsque ad mamillas, hic apparet.

Armatura Christianorũ, aduersus hostes, & crucis Xpi inimicos.

Conceptus 2. Quod tribus zonis nos præcingere debemus, scilicet, mortis memoria, carnis temperantia, & charitatis feruore.



DICES tamen tu modo, cum præcincti (id est, veluti armati) incedere teneamur, quibus zonis, & cingulis, id est, quibus armis præcingi, (hoc est armari) debemus, vt sic in carne viuentes, extra carnem, & sanguinem viuere possimus? Audias quæso. Tres præcingẽdi, in sacro eloquio, adinuenio modos. Quorum primus est illorum duorum Prophetarum Dei Eliæ, scilicet, & Ioannis Baptistæ. De Elia, siquidem 4. Reg. 1. dicitur: [Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus.] Et de Ioanne baptista in c. 1. Mar. sic scribitur: [Erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius.] Secundus modus est, præcingere se zona linea, iuxta illud Leuit. 4. vbi dicitur de summo sacerdote: [Tunica linea vestietur, & zona linea accingetur,] & Ioan. 13. [Præcinxit se linteo.] Tertius tandem præcingendi modus est, zona aurea, vnde Apoc. 1. [Præcinctum ad mamillas zona aurea,] & Daniel 10. [Ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.] Ecce igitur tres modi præcingendi qui in sacra Scriptura reperiuntur. Quid autem vnusquisq; horum modorum præcingẽdi, per se significet, explicat D. Bernardus, per hæc verba: [Tria sunt, quæ nos restringunt, & cohibent, & quasi cinctoria dici possunt, corporis mortis memoria, quæ est zona pellicea, qua cingebantur, Elias, & Ioannes. Probabilitas, & decor pudicitiæ, qua cingitur Aaron, accedens ad Deum. Amor religionis, & iustitiæ, quæ est zona aurea, & ea præcingitur Iesus ad mamillas.] Hæc Bernardus.

D. Bern. in li. sententiarum moraliũ 138.

PARAPHRASIS

Quinta.

Par. 5. Dilucidatio textus.

§. 1. Caput Christi pulcherrimũ. Cant. 7.

Caput autem (ait) eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix. Pulcherrimum illud caput, de quo Cant. cap. 5. dicitur: [Caput meum plenum est rore,] & paulo post: [Caput eius aurum optimum,] & alibi: [Caput tuum, vt Carmelus, & comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.] Modo album, mundum, & canum, velut nix, & lana alba, ab Archipropheta Ioanne visum est. Demonstratis namq; à Ioanne, humanitate, regno, sacerdotioq; Christi, nunc eiusdem diuinitatem conatur ostendere per eius caput. Quia caput Christi, est diuinitas iuxta illud 1. Cor. 11. [Caput vero Christi Deus.] Quod plane præstat Dei vates, vt sic aperte intelligatur, filium hominis vestitum podere, præcinctum ad mamillas, zona aurea, caput habentem candidum, & Christum Dei filium esse, & hominem verum, pontificem summum, regem magnum, deumq; an-

F tiquum, & verum, qui venturus est ad iudicandum viuos, & mortuos. Caput siquidem, totum illud dicitur, quod collo sustentatur, & inde dictum, quod ab eo nerui initium capiat, per quos in totũ corpus distribuitur sensus, & motus. In summo enim à natura collocatum est caput, eoquod, in eo regimẽ totius animãtis residet. De hac igitur totius corporis Christi nobiliori parte, dicit hoc in loco Ioannes: [Caput autem eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.] Quasi summatim, & vnico verbo diceret, caput eius erat canum.

§. 2. Caput Christi appellatur canum propter septem causas.

Appellatur autem hoc in loco caput Christi canum, multis de causis. Nimirum, vt vita immaculata, maturitasque morum & ætatis Christi demonstraretur. Quia per canitiem maturitas morum, ætatisq; ac etiam vita immaculata cõmuniter indicari solent, iuxta illud Sap.
G 4. [Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.] Præterea vt auctoritas, & reuerentia Christi iudicantis significetur. Canum enim caput reuerentiam postulat, iuxta illud Leu. 19. [Coram cano capite assurge.] Senibus nãq; canescit caput, & barba, quod mirifice facit ad auctoritatem, & reuerentiam iudicis. Canities enim oritur, ex defectu caloris naturalis, & similiter etiam maturitas iudicij, & prudentiæ, non nisi restincto, vel certe multum refrigerato passionum animi ardore, accidit hominibus. Ipsemet insuper capitis candor, munditiam etiam intellectus, & voluntatis, ac etiam cogitationũ, & affectionum animi denotat. Enimuero nihil hic de barbæ canitie dicitur, sed de sola dumtaxat capitis canitie, eoquod in capite potissimum, requiritur senilis maturitas, & grauitas, in iudicio, in affectu, & in motu:
H & sic senectus est laudabilis, iuxta illud Sap. 4. [Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.] Porro, vt sinceritas, & integritas diuini iudicij indicetur. Caput namq; canum, siue capilli candidi, & etiam similitudo illa lanæ albæ, & niuis, eo spectant, vt significẽt integritatẽ, & sinceritatẽ, quas Christus in iudicando obseruabit. In illo nãq; iudicio finali, nulla erit acceptio personarum, nulla dissimulatio, nullus malus impunitus, nullus exaduerso ibi bonus irremuneratus erit. Quinimmo in patulo malus ibi punitus, & bonus remuneratus apparebunt. Item, Christi caput canum ex eo dicitur, vt incomparabilis munditia Christi, & eiusdem diuinæ naturæ puritas, quę nulla, vel naturali, vel mortali labe infecta est, aut infici potest, dicente ipsomet de seipso: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] ostenderetur: Et obid maxime idoneus iudex, Christus à quouis reputaretur. Fauet huic ex-
I positioni, ipsa similitudo lanæ albæ, & niuis. Lana siquidem nascitur ex carne, verum nescit passiones carnis: Nix vero ex sua natura candida est, & absque macula, per quæ duo puritas, & munditia Christi optime declarantur. Vlterius per istam canitiem capitis Christi, duabus albedinibus, nempe niuis, & lanæ albæ assimilatam, eius omnipotentia, in duabus prouidentijs, in prouidentia, scilicet, rerum cælestium, & in prouidentia rerum sublunarium, declarata, significatur. Vtraq; enim prouidentia candida dicitur, quia vtraque ordinatissima, & iustissima vtiq; est, licet nonnullis, imbecillitate humanæ rationis, diuina ęstimantibus, secus videatur. Rursus caput Christi, hoc in loco ab Archipropheta Ioanne, canum describitur, vt Christus, patri suo æterno, diuinitate, & ęternitate omnino similis, aperte demonstraretur. De patre namque æterno Dan. cap. 7. sic scribitur: [Et Antiquus
K dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.] Vbi Antiquus dierum, vt tenent glossa ordinaria, Theodoretus, Benedictus Pererius, & alij expositores, dicitur Pater æternus, qui propter æternitatem eius, [Antiquus dierum,] est appellatus, hoc est, antiquus ante omnes dies, omniaque tempora, vt ait D. Dionysius in lib. de Diuinis nominibus cap. 10. vel auctor, conditorque omnis antiquitatis dierum, & temporum;

1. causa. 2. causa. 3. causa. 4. causa. 5. causa. 6. causa.

vel

vel eminenter, atq; excellenter inseipso continens omnem temporis antiquitatem. Hinc est illud Iob. 36. [Et numerus annorum eius inæstimabilis.] Possumus etiam dicere, Patrem æternum figurari tamquã senem, in cõparatione filij, propter assumptam ab ipso filio ex certo aliquo tempore naturam. Vel propter (vt in scholis loquuntur Theologi) prioritatem originis. Quemadmodũ enim Pater non quidem duratione, vel natura, sed auctoritate originis dicitur esse prior filio, ita quoq; antiquior. Et idcirco sacra Scriptura patris æternitatem illo loquendi modo, nempe: [Antiquus dierum,] describit, vel potius adumbrat. Quamobrẽ nunc de filio æterni patris Iesu Christo domino nostro, ait Archipropheta noster: [Caput autem eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,] vt per hæc verba patri coæternum, & consubstantialem, secundum quod Deus est, aperte ipsũ demonstraret. Ideo Rupertus Abbas super hunc locum, sic eleganter scribit: [Ergo & ille antiquus dierum, & hic filius eius, filius hominis, qui apud eundem Danielem cum nubibus cæli veniebat, & vsque ad illud antiquum dierum peruenit, secundum caput, id est, secundum diuinitatem eius, vnius, eiusdẽq; antiquitatis sunt, nam huius, atque illius capilli capitis, æquè candidi sunt, vterque per candorem capitis senex ostenditur, nulla distantia, quia videlicet, nec anno, nec mense, nec die, nec hora, nec puncto, nec momento, sed neque atomo, filius iste, iunior est illo, tamsene patre suo, talem vidit in spiritu, qui in corpore quoque, siue corporaliter pulsatus, causa iam dicta, talem erat scripturus. Quomodo, vel quali scriptu? In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; hoc erat in principio apud Deum. Igitur filius hominis vestitus podere, præcinctus ad mamillas zona aurea, caput habens candidum, Christus Dei filius est, homo verus, pontifex summus, rex magnus, Deus antiquus, & verus. Cõflabant suas interim blasphemias sæpe dicti Antichristi, vt negarent illum extitisse ante Mariam: At ille sibi prudens, immo ecclesiæ suæ infide periclitanti consulens, iam Ioanni huic suum dæmonstrabat caput præ antiquitate candidum, quod non solum ante Mariam, siue ante Abraham, vt ipse dixit Ioan. 8. Antequam Abraham fieret ego sum, sed ante, Luciferum erat sine tempore genitum, ante tempora de patre natum.] Huc usque Rupertus Abbas. Et non est sane prætereundum, Ioannem minime dixisse, partem capitis tantum albam, vel canam esse; immo aperte dixisse, totum caput Christi candidum esse. In capite namq; præter capillos capitis, multi alij capilli, & pili sunt, veluti barbæ, pupillarum, palpebrarum, narium, & auricularum: Quorum aliqui interdum canescunt ac dealbescunt, alij vero nigredinem, aut omnino, aut ex parte adhuc retinent, quod sane certum inditium est, non integræ senectutis. At vero totum caput Christi hic dicitur canum, album, & candidum, & merito quidem, vt sic filium Dei Iesum Christum, perfectam ex omni parte habere æternitatem, & eius durationis nullum fuisse principium aperte demonstretur. Et non satis fuit dicere, caput eius candidum erat, aut capilli capitis eius candidi (vt Daniel separatim predixit) immo coniungit simul: [Caput eius, & capilli erant candidi,] & adhuc non hic sistit, quinimmo similitudinem addit, dicens: [Tamquam lana alba,] & vna similitudine minime contentus, statim subtexuit aliam, [& tamquam nix,] vt abundantius æternitatem, diuinitatemq; filij Dei Iesu Christi Domini nostri patefaceret. Hoc vnum erat vnde controuersia apud Marcionem, Cherinthum, Hebionem, cæterosq; hæreticos, vt nuper retulimus, suborta fuerat, nimirum, vt eiusdem hominis, sacerdotis, & regis Iesu Christi, altissima, & antiquissima diuinitas demonstraretur. Quam hìc incipit vaticinari noster vates, sub his verbis: [Caput autem eius, & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,] Per quæ verba, filij Dei æternitas, & diuinitas apprime significata remanet, vt postea in Euangelio altius de eodem filij Dei æternitate intonet, dicens: [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] Potest postremo caput Christi canum, & album ab effectu etiam appellari, nimirum propter multitudinem, quam dealbauit Christus prætioso sanguine suo, iuxta illud psalm. 50. [Lauabis me, & super niuem dealbabor.] Hinc D. Dionysius Carthusianus in hunc locum, sic scribit: [Per capillos autem designantur fideles ex Christo spiritualiter geniti in esse gratiæ, & virtutum, qui sunt oues ad dexteram collocandæ, & Christi capiti, proxime inherentes, qui Christi munditiam, ac sanctimoniam imitantur, & loti ab eo super niuem dealbantur, quibus Petrus in prima sua scribit canonica. Secundum eum qui vocauit vos, sanctum, & vos sancti in omni conuersatione sitis. At vero sicut lana est alba, mollis, & calefactiua, sic isti sunt albi per cordis munditiam, molles per docilitatem, ac mititatem, habentem cor carneum ad susceptionem deuotionis aptissimum, calefactiuum proprie mentis, ac proximorum per infusum sibi diuinum amorem. Nix vero est frigida ita, & ipsi concupiscentiæ carent feruore, & frigidi sunt à mundi huius amore.] Hæc Carthusianus. Nec mirum videri debet, quod fideles, capilli albi Christi appellentur, siquidem & corona eius dicuntur Isa. cap. 62. [Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.] Super quę verba Cyrillus Alexandrinus, sic scribit: [Vnamquamque animam, & vniuersam ecclesiam coronę comparare licet, & multis floribus contextæ. Vel regio diademati lapidibus pretiosi, & gemmis indicis radianti.] Additur vero, [in manu Domini,] propter protectionem diuinam.

Theologi scholastici in p. sent. & pp.

Rup. Abbas in comment. Dan. 7.

Capillus Christi

Psalm. 100.

Nota bene.

Senectutis nõ integrę signũ.

Senectutis integræ signũ.

D. Dion. Car. in comment.

Cyrill. Alex.

Sed dices, quare Christus hoc loco, signa diuinitatis suę indicauit? Respondeo, tum ad hoc, vt mirum immodum læternur nos ab eo auxiliari, & subueniri, qui æqualis, & consubstantialis est patri. Vt Hinc remunerationem pro laboribus expectemus æternam ab eo qui cum patre æternus est, & in sæcula sæculorum regnans, mundum pugillo continens, dicente ecclesia.

§. 3.

1. causa.

Beata mater munere
Cuius supernus artifex
Mundum pugillo continens
Ventris sub arca clausus est.

Fortunatus.

Tum etiam, vt iniqui, & mali, ac iustorum persecutores, mirumimmodum pertimescant, & omnino terreantur, scientes, quod cum ipsi, Christianos, & Ecclesiam Dei persequuti fuerint, infensum, ac magis, quam inimicum, ac iratum aduersus eos, tunc habere eum, qui æternus est, & æterna supplicia malis elargitur, quem mali tunc euitare nequibunt, quum cęlum, & terram adimpleat. Gaudeat igitur ecclesia Dei, & nos fideles cum illa, cum Christus nobis dicat Lucæ cap. 12. [Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreni,] & paulo post: [Ego enim dabo vobis, os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri,] & iterum: [Capillus de capite vestro non peribit.] & Lucæ 11. [Ita dico vobis requiretur ab hac generatione.] & cap. 12. [Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus.] Quorsum nam hæc? Ad nihil aliud certe, nisi ad fideles tuendos, & protegendos promptum, & paratum se demonstrandum Christum, signa diuinitatis suæ capite albo, tamquam lana alba, & tamquam nix, hìc ostendentem: Vt sic vnusquisq; nostrum in profundo tribulationum suarum pelago, corde suo dicat, si Deus pro nobis, quis contra nos? Quod cum ita sit: Quis poterit nos separare à charitate Christi & Dei? tribulatio? an angustia? &c.

2. causa.

Prælia, & bella contra ecclesiam minime timenda à fidelibus.

Ioan. 8.

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod caput plerasq; significationes habet.

CAPVT, in sacro eloquio pro varijs rebus symbolicè vsurpari solet. Accipitur siquidè primo pro fide. Vnde est illud Cant. 5. [Caput meum plenum est rore,] id est, fides mea (vt vertit gloss. ordinaria) & amor mei in cordibus eorum excæcatis amore terrenorum refrixit, & quasi prorsus defecit. Sumitur etiam caput pro mente. Hinc est illud Iob. 1. [Et tonso capite Deum adorauit.] Quod exponens D. Gregorius lib. 2. moralium cap. 38. ait sic: [Caput est mens ipsa, & caput tondere, est cogitationes superfluas, quæ per capillos intelliguntur à mente resecare.] Et idem D. Gregorius in lib. 5. moralium cap. 21. explicans illud Iacob. Gen. cap. 28. [Qui dum iter faceret, super lapidem posito capite dormiuit,] sic ait: [Caput quippe in lapide ponere est mentem inhærere Christo, qui lapis est.] Præterea caput accipitur pro dignitate sacerdotali, iuxta illud Iob 19. [Abstulit coronā de capite meo,] super quæ verba, ait glossa ordinaria: [Caput sunt sacerdotes, & ecclesiæ duces', sed & alij superna premia deferunt, quibus ruentibus latius cadit exercitus.] Tum vsurpatur caput pro tentationis initio, iuxta illud Iob. 20. [Caput aspidum suget, id est (vt ait Lyranus) aspidum suget], quia sicut puer delectatur in sugendo lac à mamilla, sic peccator in operatione peccati. Accipitur insuper caput pro excellentia. Hinc est illud Deut. 28. [Aduena erit in caput, & tu eris in caudā,]id est, aduena (vt ait Lyranus) qui tecū versatur in terra, ascendet super te, quantum ad diuitias. Porro caput pro dæmone accipitur, iuxta illud psalm. 139. [Caput circuitus eorum,] id est, dæmon, qui, vt ait D. Petrus: [Circuit quærens quem deuoret.] Collocatur itidem caput pro Antichristo. Hinc est illud Habacuc cap. 3. [Percussisti caput de domo impij,] id est, superasti Antichristum qui dæmonis habitatio est. Accipitur adhuc caput pro concupiscentia. Vnde est illud Gen. 3. [Ipsa conteret caput tuum in calcaneo,]id est, Virgo Maria, dæmonis concupiscentiam penitus calcabit. Præterea caput pro superbia sumitur, iuxta illud psalm. 109. [Conquassabit capita in terra multorum,]id est, superbiam multorum in ecclesia sua destruet. Accipitur etiam caput pro vitijs criminalibus, iuxta illud Apo. 12. [Habebat draco capita septem,] id est, septem capitalia peccata, quo ad suggestionem. Rursus accipitur caput pro bonorum operum initio, iuxta illud Leuit. 1. [Ponetq; super caput hostiæ, manus:] Quia incipiens, bonum opus perseuerare tenetur, vt suis bonis operibus Deo placeat. Præterea caput pro principio ponitur, iuxta illud psalm. 309. [In capite libri scriptum est de me,]id est, in principio libri: Item vsurpatur caput pro principatu, iuxta illud Isa. 1. [Omne caput languidum,]id est, omnis principatus synagogæ infirmus. Capitur etiam caput pro rectore, iuxta illud 1. Reg. 15. [Caput in tribu Israel factus es,] id est, rector, & gubernator. Vlterius reponitur caput pro diuina essentia, vel pro diuina substantia, vel pro diuinitate. Hinc est illud Cant. cap. 5. [Caput eius aurum optimum,] id est, diuinitas (vt ait glossa ordinaria,) quæ splendorem incomparabilem obtinet. Et licet Deus, actus purissimus sit, ac simplicissimus, omnis materiæ, omnisque potentiæ physicæ, & metaphysicæ expers, omniq; corporeo membro carens, tamen eius diuinam essentiam, seu substantiam, diuinitatemq; per ly [caput eius aurum optimum,] figurate intelligimus: Quia sicuti omnia membra capiti, sic vniuersa, quæ sunt in rerum creatarum ambitu, diuinæ essentiæ, seu diuinæ substantiæ, aut diuinitati subijciuntur. Præterea sumitur caput pro humanitate assumpta à verbo diuino. Hinc est illud psal. 26. [Exaltauit caput meum super inimicos meos.]Vbi glossa interlinearis per caput, intelligit Christum, in quantum hominem, de quo intelligitur illud psal. 100. [Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorū.] D. Ambrosius accipit caput pro prima peccati suggestione. Et idem tenet D. Hieron. & D. August. qui in psal. 90. ita scribit: [Caput serpentis, est prima peccati suggestio: Si igitur venerit tibi in mentem aliquod illicitum, noli tu ibi tenere mentem tuam, noli consentire, sed caput calca, hoc est ipsam peccati suggestionem contemne.] S. Gregorius caput vsurpat pro intentione, iuxta illud Ieremiæ, Tre. 1. [Facti sunt hostes eius in capite,] id est, cum bonum opus, corrupta mente concipimus, (vt ait glossa interlinearis) diabolus qui erat in cauda, in principio, id est, in prima intentione, principatur. Lyranus reponit caput pro doloris, & mæroris signo. Hinc plane est, quod Ieremias, summum Moabitarum dolorem, ac mærorem explicat, dicens cap. 48. [Omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit.] Et eisdem verbis vsus est Amos, dum luctuosam Iudæorum calamitatem in cap. 8. annunciat, dicens: [Conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum',] & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium.] Iam postremo significat caput originale peccatum, quod aqua baptismi deletur. Vnde est illud psal. 73. [Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconis in aquis.] Quo loco caput draconis est originale peccatum, quod cum alijs peccatis in baptismo deletur, in cuius typo fuit Pharao cum Ægyptijs omnibus subfocatus. Hinc est illud, quod Christus dixit Nicodemo, Ioan. 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] Vel per capita draconis intellige septem peccata mortalia. Quia septem erant capita draconis, venenum spargentia, iuxta illud Apoc. 12. vbi dicitur: [Et ecce draco magnus rufus habens capita septem.] Ob id Eliseus Naaman (id est, peccatori) dixit: [Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis.] & Christus, cæco: [Vade, & lauare in natatoria Siloe.] Dictis addo, quod Ægyptij per caput leonis, aquarum inundationem hieroglyfice significabant. Quoniam singulis annis in mense Iulio, intrante sole leonis signum, tunc incipit crescere Nilus, & aquarum innundatio totam operire terram. Obidque per caput leonis hieroglyfice Ægyptij quondam aquarum multitudinē significabant. En igitur variæ capitis significationes, quibus caput Symbolicæ in sacra Scriptura pro varijs rebus vsurpari solet. Cæterum caput, vere & proprie præcipuum membrum est animalis, regens cætera membra, in quo maxime vigent sensus omnes, estque in homine sedes prudentiæ.

[Margin notes: D. Greg. Orig. hom. 2. in Cant. — D. Hieron. in Isa. 1. — D. Gregor. 2. mor. 19. — Lyranus. — Comparatio. — Rupertus in c. 8. Apoc. — D. Aug. in psalm. 82. — D. Ambros. in psal. 118. — D. Hier. in c. 3. Haba. — Cass. l. 4. c. 37. — D. August. in psalm. 103. — Isychius in c. 1. Leuit. — D. Gregor. 1. mor. 38. — Isychius in c. 21. Leuit. — Orig. hom. 12 in Leuit. — D. Aug. ep. 58 — Hilarius in c. 7 Cant. — Strab. in glos. ordin. — Landunens. — D. August. in psalm. 90. — D. Gregor. 14. mor. 19. — Clem. Alex. 2. peda. — Lyran. 2. Reg. 15. — Hector Pintus sup. c. 1. Ezechiel. — 4. Reg. 5. — Nili inūdatio in mēse Iulij.]

Conceptus 2. Quod corporis mēbra Deo qui natura spiritus est metaphoricæ attribuuntur.

POSSVNT verba ista: [Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix,] parabolice de Deo optimo maximo accipi: Quippe qui, licet simplicissimus spiritus sit, & omnis materiæ, & magnitudinis expers, vt disputant doctores cum Mag. in 1. sent. distinct. 8. & cum S. Thoma p. p. quæst. 3. art. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. & id etiam habetur Ioan. 4. vbi sic dicitur: [Spiritus est Deus,] tamen in diuino eloquio, multa corporis membra, vt pedes, vterus, cor, manus, dextra, & sinistra, digitus, brachiū, alæ, scapulæ, posteriora, imago, lingua, labia, os, nares, aures, oculi, palpebræ, & his similia, illi metaphoricæ attribuuntur, licet corporeis membris affectibusq; Deus omnino careat. Pedes itaque Dei, cælum, & terra dicuntur iuxta illud Isa. 66. [Cælum mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum.] Cor Dei, est arcanum diuinæ sapientiæ, ex quo verbum emanat, iuxta illud psal. 44. [Eructauit cor meum verbum bonum.] Vterus Dei,

[Margin note: Mag. in 1. sent. S. Tho. p. p.]

Dei,] est diuina eius substantia, quæ à nullo procedens, omnium emanationum fons est, & origo, iuxta illud psalm. 109. [Ex vtero ante luciferum genui te,] Manus dextra, & sinistra Dei, iustos significant, & impios, aut vnigenitum Dei filium, per quem omnia facta sunt: aut etiam diuinam potestatem, qua omnia regit, gubernat, & conseruat, ipsomet dicente, Isaia cap. 66. [Omnia hæc manus mea fecit.] Digitus Dei, est Spiritus sanctus, à quo lex antiqua in duabus tabulis lapideis scripta narratur. Hinc est illud Lucæ 11. [Si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.] Brachium Dei, est Christus Iesus Redemptor noster, de quo psalm. 88. dicitur: [In bracchio virtutis tuæ dispersisti aduersarios tuos,] & Lucæ 1. [Fecit potentiam in brachio suo dispersit superbos mente cordis sui.] Alas insuper dicitur, Deum habere, propterea, quod auis more, suos electos, tamquam pullos subse colligit, fouet, ac protegit, iuxta illud psalm. 16. [Sub vmbra alarum tuarum protege me.] & Matth. 23. [Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?] Scapulæ etiam Deo allegorice attribuuntur, eo quod infirma ecclesiæ membra, quasi in scapulis portat, dicente psalmographo psalm. 90. [Scapulis suis obumbrabit tibi.] Posteriora Dei, admirabilem incarnationem verbi diuini, & eius humanitatem assumptam demonstrat, dicente ipso Exod. 33. [Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non potes.] Imago Dei, est Christus, de quo Heb. 1. dicitur: [Qui cum sit splendor patris, & figura substantię eius portans omnia verbo virtutis suæ.] Lingua Dei, est Spiritus sanctus per quem Deus suam hominibus voluntatem patefacit, dicente Dauid psalm. 44. [Lingua mea calamus scribę velociter scribentis.] Labia Dei, vtrumq; Testamentum, vetus, scilicet, & nouum dicuntur, per quæ nobis Deus loquitur dicente Iob. 11. [Vtinam Deus loquaretur, & aperiret labia sua tecum.] Os Dei, est eius filius æternus iuxta illud Gregorij lib. 17. moralium, vbi sic scribit: [Potest per os Dei vnigenitus eius filius designari, quia sicut eius brachium esse dicitur, quoniam per eum Pater cuncta operatur, ita etiam dicitur os, per quem omnia nobis loquitur.] Quæ sententia consona videtur D. Paulo dicenti ad Heb. 1. [Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio, &c.] Et etiam Matthæo dicenti cap. 5. [Et aperiens os suum docebat eos.] Ex quibus patet, os Dei patris, vnigenitum eius filium tropice esse. Hinc est illud sponsæ Cant. 1. [Osculetur me osculo oris sui.] Quibus verbis, sancta mater ecclesia in sponsa figurata, olim incarnationem verbi diuini expostulabat: Nam dicens: [Osculetur me osculo oris sui,] petit, vt verbum fiat caro, id est, vt Deus fiat homo. Nares Dei, sunt ipsius inspirationes in cordibus fidelium, iuxta illud 2. Reg. cap. 22. [Ascendit fumus de naribus eius.] Aures porro dicitur, Deum habere. Quoniam audit omnia, Sap. 1. [Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.] Oculos habere dicitur Deus, quia omnia videt, & nihil est, quod eum lateat, dicente Apostolo Heb. 4. [Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius,] Palpebrę Domini significant incompræhensibilia ipsius iudicia, iuxta illud psalm. 10. [Palpebræ eius interrogant filios hominum.] Ecce igitur qualiter Deo, qui spiritus est, corporis membra methaphoricæ attribuantur. Qui ergo tropice pedes, manus, cor, brachia habet, restat, vt etiam tropice caput, (quæ præcipua, & principalis totius corporis pars est,) obtineat. Erit igitur caput Dei, eius diuina substantia, quam mystice significat hoc in loco Ioannes per caput album. Cuius capitis capilli (vt totum complementum membrorum corporis, Deo parabolice attribuamus cum eius ornatu,) erunt sancti, & Angeli, ac vniuersi electi, iuxta expositionem glossæ ordinariæ, quæ hunc locum: [Et capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,] sic vertit: [Capilli erant candidi, id est sancti, extenuati, & adherentes ipsi capiti, vel cogitationes eius, tamquam lana, hoc est, sicut lana alba apta est ad quoscumque colores accipiendos, sic sancti ad quascumque tribulationes.]

Margin notes: D. Greg. — Strab. in sua gloss. ord. — Nota bene circa sanctorũ aptitudinẽ ad tribulationes.



NON solum caput, verumenimuero totum corpus Christi, simul & integrum, caput corporis ecclesiæ dicitur, nosq; illius partes, & membra, dicente Apostolo ad Coloss. 1. [Ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens,] & ad Col. 2. [Qui est caput omnis principatus, & potestatis,] & ad Ephes. 1. [Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius,] & ad Ephes. cap. 5. [Christus caput est ecclesiæ,] & cap. 4. [Charitate crescamus in illo, qui est caput Christus,] & cap. 5. [Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ,] & 1. Corinth. 11. [Caput viri Christus.] Quæ omnes auctoritates de toto corpore Christi intelliguntur. Quia totus Christus caput est ecclesiæ, & omnes fideles illius membra. Etenim in ipso, & ab ipso omnes sensus interiores hominis replentur. Quinimmo, & ratio ipsa, & intellectus, cum nec ad opus aliquod moueri possimus, nisi ipso præstante, qui cap. 4. Ioan. ait: [Sine me nihil potestis facere.] Et certe sine ipso nihil facere possumus. Quoniam sicuti abscisso capite, nihil quod in trunco remanet, aliquid operari potest: ita recedente Christo ab ecclesia Dei, omnis eius operatio, & motus, qui ad vitam spectat spiritualem, iam esse desinit. Et notes oportet passim, quod sicuti caput quantum ex se, paratum est sensum, & motũ in membra influere, tamen non influit talem sensum, & motum, vitamque, & opera vitalia, membris diuisis ab ipso, sed coniunctis cum ipso tantum, ita Christus, qui caput nostrum est, quantum ex se gratiam, & vitam spiritualem, paratus est in nos, sua membra, influere, verum non influit talem vitam spiritualem, membris diuisis ab ipso, sed membris fide, & baptismo coniunctis cum ipso tantum. Ad hoc enim, vt agens aliquod in passum inducat formam, tria requiruntur, nimirum virtus fortis actiua, præparatio materiæ ad actionem suscipiendam, & applicatio. Nisi enim actiua, passiuis applicentur, nequit generatio aliqua fieri, & sic est in præsenti. Nisi enim fide, baptismoq; Christo capiti coniungeris, eius gratiam, & influentiam spiritualem, minime recipies. Ex hoc intelliges aperte causam, ob quam plures homines pereunt Adæ peccato quam saluentur gratia Christi, qui caput ecclesiæ est. Poteras siquidem dubitare dicens. Si Apostolus ad Rom. 5. ait: [Sicuti per vnum delictum in omnes homines in condemnationem mors pertransit, ita & per vnam iustitiã in omnes homines in iustificationem vitę, gratia, & vita pertransit.] Quasi dicat, sicut per vnum delictum in omnes homines diffusum, sententiam tulit æquissimus ille iudex Deus in condemnationem vniuersalem, ita, & propter vnam iustitiam, in omnes homines diffusam, sententiauit Deus, in iustificationem vitæ vniuersalem omniũ hominum: Quare (igitur dices tu modo) plures homines pereunt peccato Adæ, quam saluentur gratia Christi? Ad hanc difficultatẽ respõdeo cum distinctione. Aliud siquidem est dicere, plures pereunt Adæ peccato, quam saluentur Christi gratia, & aliud est dicere, plures homines pereunt peccato Adæ, quam saluentur Christi gratia. Primum namq; falsum est, quandoquidem per Adam nõ nisi homines perditi fuerunt. At vero Christus saluauit homines, & Angelos: Quia Christus caput est hominum, & Angelorum iuxta illud ad Coloss. 2. [Qui est caput omnis principatus, & potestatis,] Apertum autem est homines saluos Christi gratia, & Angelos in gratia confirmatos, plures esse, hominibus Adæ peccato perditis. Secundum vero certissimum est. Plures enim homines pereunt peccato

Adæ

Margin notes: Conceptus 3. Quod Christus est caput ecclesiæ. — Totus Xps est caput ecclesiæ. — Facere nihil possumus absque Christo. — Comparatio. — Caput non influit in membra abscissa. — Comparatio. — Formæ introductionaturaliter tria requirit. — Cur plures pereant quã saluentur. — Dubium — Solutio

Adæ, quam saluentur Christi gratia. In cuius signum ex duodecim Apostolis, tres tantum elegit Christus ad orationem in horto, dicente Matthæo cap. 26. [Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi cœpit, contristari, & mœstus esse:] Et ad transfigurationem, dicente eodem Matthæo, cap. 17. [Assumpsit Iesus Petrũ, Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] Ratio autem quare plures homines, peccato Adæ pereant, quam Christi gratia saluentur, stat in hoc, nimirum, quia sicuti Adam ille terrenus suo delicto omnes conspurcauit, redditque eos morti obnoxios quantum in se fuit, licet diuina gratia, plerique saluati sint, ita etiam Christus (omnium hominum caput) sua gratia quantũ in se fuit, omnes saluauit, quamuis propria malitia plerique saluati non fuerint. Ad hoc enim (sicut dixi) vt agens aliquod in passum introducat formam tria necessaria sunt, primum scilicet virtus fortis actiua, atque sufficiens. Hinc est quod scintilla ignis nequaquam lignum, quantumuis aridum, comburere possit. Secundum præparatio materiæ ad actionem suscipiendam. Hinc in ceram congelatam non imprimes vllo modo, quamuis manufortiter agas. Tertium est applicatio actiuorum passiuis. Hinc nascitur, vt ignis magnus in Europa, stupam siccam, & aridam in Africa minime comburat: & vt esurientem ligatum, panis recens ab ipso remotus, minime saturet. Si igitur (vt ad rem deueniam) vim Christi, & gratiæ eius spectes nemini dubium est, quod ex ratione illius, omnes saluarentur, sicuti ex Adæ peccato pereunt omnes. Et magis vt inquit Apostolus, nam multo maior fuit charitas Christi, animam suam ponentis pro nobis, quam nequitia Adæ, vel Euæ, qui diuinum præceptum fuerunt transgressi. Consequenter magis accepta fuit Dei maiestati satisfactio Christi, quam Adæ offensa displicuerit. Si ergo illa adeo displicuit, vt omnes morti addicti fuerint, quomodo fingi potest, vt Christus non omnes viuificauerit? At si dispositionem nostram respicias, omnes sunt dispositi ad recipiendũ influxũ, & actionem Adæ terreni; qm̃ omnes ex semine propagantur. Ideo absolute omnes pereunt, & per Adã pereunt. At non omnes sese per Christũ ad vitã suscipiendam disponunt. Christus enim largitur vitam tamquã caput, sicut & Adam mortem. Caput autem, (vt dixi non influit vitam, operaque vitalia membris diuisis, sed coniunctis tantũ. Adæ vero omnes natura coniuncti sumus: Ideo necessario ex morbido capite mortificamur. Verum Christo non natura, sed fide, atque baptismo coniungimur. Nasci sufficit etiam in vtero vt sit membrum Adæ: At vero vt sis Christi membrum non sat est etiam ex vtero nasci: Renasci enim oportet iuxta illud Ioan. 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.] Quis est autem qui renascitur, & non viuificetur per Christum? Da mihi vnum? Quod si dicas: Nec omnes regenerati saluantur, quot enim millia Christianorum pereunt? vtique. Sed hi regenerationis gratiam perdunt, sponteque à Christo, cui sese addixerant, recedunt, quomodo & qui baptizantur, ab Adam, cuius membra erant. Iu ergo sat nobis est, filios Adæ, donec Adæ filij sunt perire omnes filios Christi, donec sunt filij Christi, saluatos esse omnes. Dices modo. Plures homines pereunt peccato Adæ, quam saluentur Christi gratia; igitur excellentius est peccatum, dono? Respondeo consequentiam esse nullam, ex eo quod, id nõ prouenit ex dono; Quoniam & Angeli saluati sunt, non homines tantum quod vtique peccato fieri non potuit, si autem ex dono proueniret, non saluasset Angelos, prouenit ergo ex parte hominum, qui non præparant se, vt fiant Christi capitis membra.

Nota bene actionem agentis naturalis.

Charitas Xpi maior nequitia Adæ.

Obiectio.

Solutio.

Concept. 4. quod diuinitas caput Christi est.

APVT Christi, Deus est. Idcirco Apostolus 1. Cor. 11. ait: [Volo autem vos scire, quod omnes viri caput Christus est. Caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.] Quo loco tria commemorat Apostolus capita,

F nempe caput viri; quod est Christus; caput mulieris quod est vir, & caput Christi quod est Deus. Videamus igitur modo, propter quid, vnumquodque istorum caput appelletur. Christus itaque caput viri dicitur, quia vt ait Lyranus, sicuti in capite sunt omnes sensus solo tactu exeunte in alijs membris, sic in Christo est gratiæ plenitudo, Ioan. 1. [Vidimus eũ, &c. quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis.] in alijs autem hominibus sunt gratiæ singulares, iuxta illud Apostoli: [Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.] Præterea Christus dicitur caput viri, propter eminentiam; quia sicut caput supereminet cæteris membris, sic etiam Christus antecellit, non solum homines, sed etiam Angelos, iuxta illud ad Ephes. 1. [Constituens eum ad dexteram suam in cælestibus super omnem principatum, & potestatem, &c.] Dicitur etiam Christus caput viri propter influentiam; quia G sicut caput influit cæteris membris, sensum & motum corporalem: Sic Christus influit cæteris membris Ecclesiæ sensum, & motum gratiæ, iuxta illud Pauli ad Coloss. 2. [Caput ex quo totum corpus pernexus, & coniunctiones subministratum, &c.] Itẽ vocatur Chhristus caput viri, propter conformitatem in natura quã habet caput ad membra, & similiter Christus homo ad homines iuxta Paulum ad Ephes. 2. dicentem: [In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo:] Vir præterea caput mulieris dicitur. Primo ratione perfectionis, quia vir est perfectior ratione corporis: femina enim est mas occasionatus, vt dicit Philosophus lib. de generatione animalium. Est etiam perfectior ratione animæ, quia viuacitas prudentiæ magis viget in viro, quam in muliere. Secundo ratione super eminentiæ: vnde mulieri dicitur Gen. 3. [Sub viri potestate eris.] Tertio ratione influentiæ, H tum quia vir regit mulierem, tum quia in opere generationis vir habet virtutem actiuam, mulier vero passiuam. Quarto ratione conuenientiæ in natura, quia vir, & mulier non differunt specie, cum conueniant forma, differunt autem tantum materia, vt auctor est Aristoteles lib. 10. Methaph. cap. vlt. Deus denique Pater, caput Christi nuncupatur, quia Deus pater suo modo est caput filij secundum deitatem. Quamuis enim pater non sit perfectior filio, verumtamen est principium filij, & sic habet quamdam eminentiam, in quantum non est ex alio. Influit etiam quodammodo in filium, in quantum quidquid habet filius, habet à patre nascendo. Sunt etiam non solum similes in natura, sed etiam vnum, (distinctum tamen in persona.) Si vero accipiatur comparatio secundum humanitatem, sic Deus est caput Christi, suo modo, secundum quatuor conditiones præmissas. Quia Deus, perfectionis I est omnino infinitæ, Christus vero in quantum homo finitæ. Supereminet etiam Deus Christo in quantum huiusmodi, vt creator creaturæ. Influit etiam ei plenitudinem gratiæ. Est etiam ibi similitudo naturæ, in quantum humana natura est ad imaginem, & similitudinem Dei facta, iuxta illud Gen. 1. [Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.] id est Dei. Ecce igitur qualiter caput Christi, Deus est. Hinc est illud sponsæ Cant. 5. [Caput eius aurum optimum,] Interrogata siquidem fuit sponsa circa signa sui sponsi, sub his verbis. [Qualis est dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum?] Ipsa autem signa sponsi sui describens, inter alia vnum assignat, dicens: [Caput eius aurum optimum.] Perinde ac dicat. Quæritis à me qualis sit pulchritudo sponsi mei Christi? Respon- K deo vobis, quod sponsus meus, dilectus meus, Christus, Iesus Messias meus, Redemptor, ac Saluator meus, de quo Psaltes Israel in spiritu dixit, Psal 44. [Speciosus forma præ filijs hominum,] non tantum est, [candidus, & rubicundus,] id est, in colore gratiosus, [& electus ex millibus,] id est, in multis millibus non inuenietur vnus talis; verum etiam aliam excellentiam obtinet, nimirum, [caput eius aurum optimum,] id est, splendidum (vt ait Laudunensis) vel coronatum corona aurea (vt ait Lyranus) vel tandem (vt ait glos. ordinaria) Caput eius diuinitas est; quia sponsus meus Iesus Christus

Christus caput viri.

Lyranus supra epistolas Pauli ad Corinth.

Excellentia Christi.

Influentia Christi.

Vir caput mulieris.

Femina mas occasionatus.

Deus caput Christi.

Innascibilitas Patris æterni.

Caput Christi aurum.

Glos. interl.

Glos. Lyranus.

Glos. Ordin.

ftus Deus, & homo eft. In cuius diuinitate (significata per aurum) splendor quidam incomparabilis eft, ideo dico vobis, quod sponsus meus, caput ex auro finissimo, & purissimo præfegerit.

Conceptus 5. Quod Christ aliquando vt fenex, aliquando vero vt iuuenis repræsentatur in sacro eloquio.



APILLI capitis Christi aliter hic describuntur à Ioanne, quam à sponsa describantur. Sponsa siquidem Cant. cap. 5. loquens de capillis sui sponsi, in hæc verba prorumpit: [Comæ eius sicut elatæ palmarum nigræ quasi coruus.] Vbi vt vides capilli sponsi, nigri appellantur à sponsa. Verumenimuero ex aduerso de eiusdem sponsi Christi capillis, Ioannes noster, hoc loco verba faciens, inquit: [Et capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.] Vbi apparet, capillos eiusdem sponsi, albos nuncupari. Nigrum autem, & album, vt ait Philosophus contraria ex diametro sunt: Si igitur capilli capitis Christi iuxta sponsam nigri quasi coruus, sunt; Quomodo iuxta vatem nostrum, albi & candidi tamquam lana alba, & tamquam nix erunt? Numquid aliud sponsa, & aliud prophetarũ propheta acclamant? Vah mysterium magnum. Audias enixe quæso. Sponsa describit sponsum suum, nempe Christum, quasi iuuenem, ac adolescentem: Vnde de illo ait: [Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum.] Et cum iuuenes, & adolescentes communiter capillos nigros in capite obtineant, protinus subiungit: [Nigræ quasi coruus.] Perinde ac diceret: Est dilectus, ac sponsus meus, adolescentulus speciosus forma præ filius hominum. At vero noster vates Ioannes, magistrum suum, non vt iuuenem adolescentemvè, sed vt senem, & dierum antiquum, hoc loco describere intendit: Quamobrem illi canitiem hic apponendo, ait: [Capilli capitis eius erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.] Quasi vnico verbo dicat: Erat senex. Estote quæso modo attentissimi. Verum quippe est, vt recte annotat D. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus c. 10. quod sacra pagina aliquando repræsentat nobis Deum optimum maximum, quasi senem, & antiquum, vt sic eius æternitatem nobis indicet: Aliquando vero tamquam iuuenem, ætateque florentem, vt significet cum illa Dei antiquitate, incorruptum vigorem, & nullatenus diminutam pulchritudinem esse coniunctam. Verum itidem est, quod ait Theodoretus super illa verba Danielis c. 7. quosdam, scilicet ly: [Antiquus dierum] ita vertisse, [Antiquans dies,] qua lectione duo significantur, nempe, æternitas Dei, qui tempori dat antiquitatem, & vetustatem, eiusdemq; immutabilitas, cuius comparatione omnia, vel ipsa quoque tempora senescere, & antiquari dicuntur. Nam quod dixit de cælis, & terra Dauid ps. 101. [Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, &c. idem ipse es, & anni tui non deficient.] Id æque in alia omnia, quæ à Deo sunt condita quadrat. Tandem verum est, quod D. Hieronymus super illa verba Dan. cap. 7. [Antiquus dierum] ait, nimirum, Deum induci sub specie senis, vt demonstretur grauitas, maturitas, & tranquillitas animi in iudicando. Quæ omnia frequentius in sene, quam in iuuene insunt, sicut Iob dixit in cap. 12. [In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia, apud Deum est sapientia, & fortitudo, ipse habet consilium, & intelligentiam.] Vera quidem sunt hęc omnia. Attament capilli capitis Christi nigri, vt coruus, & vult sponsa, & candidi, & albi tamquam lana alba, & tamquam nix, vt vult Ioannes, aliud demonstrant. Capilli siquidem capitis Christi cogitationes Christi sunt, quæ aliquando sunt nigrę, aliquando sunt albæ. Cum enim Christus de saluandis iustis cogitat, cognitiones eius tunc albæ dicuntur: Cum vero de saluandis peccatoribus cogitat, cogitationes eius tunc nigræ appellantur. Idcirco cum Christus occupatus esset, dicendo latroni pendenti in cruce: [Hodie mecum eris in paradiso,] & Magdalenę peccatrici, [Remittuntur tibi peccata tua,] & Samaritanæ mulieri, [Da mihi bibere,] & paulo post: [Si scires donum Dei,] & deinde, [Vade voca virum tuum,] & paralytico, [Vis sanus fieri.] tunc capillos nigros, quasi corui obtinere dicebatur, id est, affectiones, & cogitationes Christi erant circa saluandos peccatores. Et in hoc sensu, inquit sponsa: [Comæ eius sicut elatæ palmarum nigræ, quasi coruus,] id est, affectiones, & cogitationes illius, sũt nigræ quasi coruus, quia peccatores per nigredinem corui optime in sacro eloquio demonstrantur. Cum vero Christus occupatus esset præmia æterna, iustis, nimirum Virgini Mariæ, Ioanni Baptistæ, Ioanni Euangelistæ, &c. elargiendo, tunc capillos albos, & candidos, tamquam lana alba, & tãquam nix habebat, id est, affectiones, & cogitationes Christi, erant circa saluandos iustos, præmia illis dando pro laboribus, obidque in hoc sensu inquit Ioannes hic: [Et capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,] quia per albedinem, tam lanæ albæ, quam niuis, iustos optime sacra pagina patefacit. Ex verbis igitur sponsæ, & Ioannis liquido apparet, Iesum Christum suas cogitationes, & affectiones circa peccatores, & iustos saluandos fixas semper habere. Hinc Paulus 1. ad Tim. 1. intonat: [Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Quorum primus ego sum.]

Marginalia: D. Dionysius. Theodoretus. D. Hieron. Peccatores per nigredinẽ corui designãtur. Iusti per candorẽ lanæ albæ demonstrantur. Misericordia erga iustos, & peccatores.

Conceptus 6. Quod sub vocabulis lanę, & niuis continentur aliqua mysteria in sacra pagina.



REQVENS, & satis vsitata est in diuino eloquio comparatio hęc, [niuis,] & [lanę,] & semper magno cum mysterio. In psalmo namque 147. sic legimus: [Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.] In cap. 17. Matthæi, ita habentur: [Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix,] & tandem hoc in loco dicitur, [Et capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix.] Ecce tria mysteria lanæ, & niuis. Quorum primum, quod est Dauidicum, stat in hoc, nimirum, quod nix, quæ frigida est, & alba, peccatores, & iustos significat: Vnde per frigiditatem niuis, statum peccati quo charitas frigescit, & expellitur per albedinem vero niuis, qua puritas significatur, intelligit D. Augustinus, sanctos quos ab æterno prædestinauit Deus, vt essent sancti, & immaculati: Dat ergo, (ait Augustinus, glossa ordinaria, & Incognitus) Deus niuem frigidam, sed albam, quia in ista massa peccatorum, sunt aliqui, quos Deus prædestinauit Sanctos futuros: Et ideo dat niuem sicut lanam, quia ex illis prędestinatis, sicut ex lana intendit Christus facere sibi vestem, & sic multitudo sanctorum est vestis Christi. Quod hac comparatione niuis magis explicatur: Sicut enim nix cadit ex alto congelata, sic refrigescente charitate decidit humana natura interius, & pigro, corpore inuoluta, vt nix facta est. Sed in hac niue sunt prædestinati, quia dat ille niuem sicut lanam, id est, de niue quam dedit, hoc est, de istis pigris, & spiritu frigidis, aliquos prædestinauit, de quibus facturus est aliquid. Lana enim materia vestis est, & de istis adhuc spiritu frigidis (qui tamen prædestinati sũt) fit tunica Christi, sine macula, & ruga. Vnde merito vestis Christi (vt dicitur Matthæi 17.) in monte refulsit sicut nix, quia de hac niue fit vestis Christi per pœnitentiam, secundum illud ad Rom. 8. [Quos prædestinauit, hos & vocauit,] & illud Matth. 9. [Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam,] id est, peccata, & iustitiam suam confitentes. Et hos dum vocat ad pœnitentiam,] nebulam sicut cinerem spargit, mittit crystallum suam sicut bucellas.] Spargit enim Deus niuem quasi lanam, nebulam vt cinerem, & chrystallum facit, vt frusta candidi panis, cum obstinatos qui non facile (vt nix) soluuntur, mittit sicut bucellas panis, id est, facit vt frusta panis candidi eos con-

Marginalia: Explicatur locus psalmographi. D. August. Glos. ord. & Incognitus in per psalmos. Comparatio. D. Aug. epist. 171. cõtra Donatistas D. Athan. de pass. & cruce Dñi & D. Cypr. in tract. de veritate ecclesię.

conuertendo. Et insuper faciendo vt alios pascant,& prædicent veritatem, quam ipsi antea impugnabant. Ita fecit Paulus,qui cum esset Saulus, Crystallus fuit, dura,& nitida: Durus Saulus qa psequebatur Ecclesiã Dei:Nitidus vero quia in lege erat peritus, at vero cũ mox factus fuit ex Saulo,Paulus,missus fuit vt crystallũs, in bucellas,factus enim fuit in frusta panis candidi. Omnes enim simul vnus panis, singuli vero separatim frusta. Hinc comparatio ista niuis, & lanæ a D. Hieronymo sic explicatur:[Qui dat niuem peccatorũ congelatam sicut lanam tractabilem, quia peccatores frigidos per culpam,reddit calidos per gratiam,nebulam quæ est caligo peccati sicut cinerẽ spargit, & dissipat in humilitate pœnitẽtię; mittit crystallum suam, hoc est peccatorem obstinatum in malitia sicut bucellas, tamquam frusta panis vt incorporetur Ecclesiæ, ante faciem, & præsentiam frigoris eius, vitiorum, & obstinationis,quis sustinebit,vel subsistet?] Secundum vero mysterium niuis, est Matthæi Euangelistæ cum dixit cap. 17. [Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix,]& stat in hoc quod claritas,& refulgentia vestimentorum Christi vt nix, in sua gloriosa Transfiguratione,futuram claritatem Sanctorum demonstrabat.Ideo S.Thom. 3.p.q.45.art.2.ad 3.sic scribit: [Sicut claritas, quæ erat in corpore Christi, repræsentabat futuram claritatem corporis eius,ita claritas vestimentorum eius designat futuram claritatem Sanctorum,quæ superabitur à claritate Christi, sicut candor niuis superatur à splendore solis. Vnde Greg. lib. 32.c.5.moralium dicit, quod vestimenta Christi facta sunt splendida,quia in supernæ claritatis culmine Sancti omnes ei,luce iustitiæ fulgentes, adhærebunt, vestiũ enim nomine iustos, quos sibi adiunget significat, secundum illud Isaiæ 49. [his omnibus velut ornamẽto vestieris.]Hucusque S.Thom. Superque verba recte annotat Caietanus, D.Thomam hisce verbis admisticiã transire rationem, relicto pro manifesto nihil officere claritati gloriosæ corporis Christi, si tanta est, quod splendidas vestes efficiat,& nubes lucidas reddat, per radiorum suorum emissionem.Hæc enim non ad ipsam spectant claritatem,sed ad ipsius effectus: In hoc enim magnitudo corporis Christi ostenditur, & graduata illius participatio,dum vestes propinquiores splendẽt, nubes autem remotior lucida fit. Ex quibus omnibus apparet claritatem vestimentorum Christi,vt nix,futuram claritatem Sanctorum demonstrare, qui licet in gloria fulgeant sicut sol,iuxta illud, fulgebunt iusti sicut sol,tamen non erit tanta eorum claritas, quanta erit claritasChristi,de quo etiam hic dicitur,[Resplenduit facies eius,sicut sol.] Vnde Damascenus ad dubiũ illud, an scilicet erit æqualis claritas Christi, & Sanctorũ,cum etiam iusti fulgebunt sicut sol;ita satisfacit dicẽs:[Quod est in insẽsibilibus est sol,hoc in intelligibilibus est Deus,& sicut in insensibilibus nihil est lucidius sole,ita in intelligibilibus nihil est lucidius Deo, & sicut sol,qui est lucis fons, de facili videri non potest,lux autem eius eo quod ad terram peruenit aspicitur, ita Christus est sicut sol verus, & Sancti sicut lux solis.]Ideo S.Thom. vbi supra dicit quod sicut claritas quæ erat in corpore Christi repræsentabat futuram claritatem corporis eius, ita claritas vestimentorum eius designat futuram claritatem Sanctorum, quæ superabitur à claritate Christi sicut candor niuis superatur à splendore solis.Paulus de Palatio in c.17.Matth. loquens de claritate vestimentorum Christi, vt nix,sic ait:[Sicut Deus dicitur amictus lumine sicut vestimento,ita Christus amictus est in niueo colore;ideo dicitur vestimenta habere albentia,vt nix,videlicet ne credas immensam vim luminis in facie fulgentem Christũ cremaret,non cremat: siquidem niuis candore ibi potest consistere. Rursum sicut nulli rei adeò natiuitate adest candor vt niui,ita nec niui,adest,vt carni Xpi.]& Alphonsus Tostatus super hunc locum Matth. cap. 17. quatuor adducit rationes ob quas vestimenta Christi facta fuerint alba in transfiguratione sicut nix. Quarũ prima est, ad designandum inæqualem gloriam vestimentorum,& corporis Christi, gloria enim transfigu-

Expositio D. Hier. in Psal. 147.

S.Thom. 3.p. q. 45. art. 2. ad 3.

Caiet. in cõment. 3. p. q. 45. ar. 2. ad 3.

Damasc.

Apo. 21. Psal. 103.

Paulus de Palatio in cap. 17. Math.

Abulen. sup. c. 17. Math. tom. 4.

F rationis directe pertinebat ad corpus,& non ad vestes, quæ non sunt futuræ gloriæ,sicuti erunt corpora.Secũda,vt ostenderet redundantiam per communicationẽ lucis corporis ad vestes. Tertia vt ostenderetur veritas Dei manere,& non penitus esset phantasma. Quarta,& vltima,vt ostenderet consuetudinem beatorum & Angelorum, dum nobis apparent, qui omnes dum nobis vissibiliter in terris apparent, veniunt propter honestatem.Tertium, & postremum, mysterium lanæ albæ,& niuis est, in hac comparatione Apocalypseos, dum Ioan.ait: [& capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix,] & per multa secum inuoluit peculiaria mysteria. Quoniam primo, capilli candidi tamquam lana alba,& tamquam nix,sanctos significant per fidem adhærentes Christo capiti, per abstinentiam abstenuatos, perseuerantia dealbatos,& canificatos,& mundificatos, tamquam niuem,vel lanam albam,propter refrigerium concupiscentiæ.Lana enim nascitur G ex carne,sed nescit passiones carnis, tegumentum suaue ad fouendum vtile per quam proprie candor designatur. Nix vero ex aqua congelatur, & congelescit ex superioribus, vel labescit, ita refrigerium concupiscentiæ descendit ex dono diuinæ gratiæ per quã carnis maceratio,vel mortificatio datur intelligi. Caput igitur nostrum candidum est Christus, quod habet cãdorem per naturam. Vnde ipsemet Ioan.8.dixit:[Quis ex vobis arguet me de peccato.]Capilli vero sunt Sancti qui habet candorem per gratiam. Lana itidem mãsuetudinem habet patientiæ, nix vero sanctitatem pudicitiæ.Hinc est,quod fideles, albi sint per sanctimoniã rubei per zelum,aurei per charitatem, nigri per patiẽtiam, crispi quando respicientes ad suum principium conantur omni studio imitari eum.Vnde Cant.7. dicitur:[caput tuum vt carmelus, & comæ capitis tui vt H purpura,&c.]Ex quibus Sanctorum adhærentium Deo sublimitas firmitas, speciositas, & sanctitas miruminmodum splendet.Secundo capilli candidi tamquam lana,& tamquam nix,denotant maturitatem morũ sacerdotum, & iudicum: Angelus enim ille in specie sacerdotis(in hoc quod vestitus erat podere) & etiam in specie iudicis (in hoc quod gladius ex vtraque parte acutus procedebat de ore eius)apparebat. Maturitas autem ætatis,& morum, quæ per canitiem designatur, decet iudices,& sacerdotes, propter quod in canitie apparebat significata per candorem lanæ albæ, & niuis.Ita Lyranus.Et Ioachimus hoc in loco.Tertio, capilli albi multitudinem cãdidatorum dicit, quos super niuem, gratia Dei dealbauit dicente Psalmographo Psal.50.[Asperges me Domine hyssopo,& mundabor, lauabis me,& super niuem dealbabor.] Quos dealbatos,idest,prædestinatos, per lanã & niuem, etiam Euan I gelista Ioannes, hic significauit. Hinc est illud Isa.c.1. [Si fuerint peccata vestra,vt coccinum,quasi nix dealbabuntur,& si fuerint rubra quasi vermiculus,velut lana alba erunt.] Hoc loco venit in mentem illud Rup. Abb. [Quid porro sunt capilli præantiquitate sic candidi tamquam lana alba,& tamquam nix? Capilli quia de capite procedunt, & multi sunt, multa verba Dei, quæ de vno,vel per vnum Verbum, quod erat in principio processerũt, nam verbum Deus in sua substantia, Verbum vnum,& vnum caput est, verba autem multa, quæ ad sanctos homines, siue prophetas Deus loquutus est,quasi multi capilli vnius capitis sũt. Quare autem lanæ isti capilli assimilantur?Videlicet, quomodo ex lana in fusum transmissa texendo fit vestis aliqua, sic de capillis istis, idest multiplicibus Dei verbis in linguam,vocemq; prophetarũ transfusis, scribendi,cõtexta est sancta Scriptura, & tamen non tamquã qua K lis cũq; lana,sed tamquã, inquit alba,siue vt in Daniele scriptũ est,lana munda,videlicet,quia verba illa sancta sunt,& munda,& recta sunt,& irrepræhensibilia; vnde & illud;Eloquia Dñi,eloquia casta. Item lex Dñi immaculata, siue irrepræhensibilis conuertens animas, conuertens inquam animas,& lauans illas ab omnibus peccatis.Idcirco addit, & tamquam nix? Nix namque aliquando emundationem significat, vnde Propheta in Psal. lauabis me, & super niuem dealbabor.]

Mysterium tertium lanæ albæ, & niuis

Angelus Apocalypsis apparuit vt sacerdos,& iudex Lyran.

Lyran. cap. 1. Apoc.

Ruper. Abb. in 1. c. Apoc.

Verba Prophetarum capillis comparantur.

PARA-

PARAPHRASIS
Sexta.

Par. 6. Dilucidatio textus.

Et oculi eius tamquam flamma ignis.

§. 1. Oculi: pretiosior pars corporis. Apostrophe ad oculos.

Per oculos Christi inflammatos, & accensos tamquam flammam ignis, multa hic demonstrantur. Oculi siquidem pretiosissima, totius corporis pars, tamquam speculatores altissimum locum obtinentes, iudices animi, maxima amoris, & odij indicia præsegerunt communiter. Hinc oculi Christi inflammati, & accensi tamquam flamma ignis, permulta hoc in loco indicant. Et ne mireris speciosissimos illos oculos sponsi, de quibus dictum fuit Cant. 5. [Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima,] modo à Ioanne assimilatos fuisse ignis flammæ. In mentem enim reducere oportet, hos eosdem, Danielem cap. 10. lampadi ardenti assimilasse dicentem: [Oculi eius vt lampas ardens,] & eumdem prophetam Ioannem Apoc. 19. de ipsismet dixisse. [Oculi autem eius sicut flamma ignis.] Quæ quidem verba fere, immo omnino, eadem sunt cum textu isto: [Et oculi eius tamquam flamma ignis.] Quę sane comparatio à prophetis Dei absque fundamento haudquaquam excogitata fuit. Demonstrant igitur oculi Christi igniti, inflammati, & accēsi tamquam flamma ignis, vim intelligentiæ diuinæ, iuxta Lyranum, omnia illustrantem, & illuminantem, ita vt nihil ei obscurum esse queat, sic enim ait ipse: [Nam acuties, siue visus pertingit vsq; ad intima rerum cognoscenda.] Omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius, vt dicitur Heb. 4. Est ergo intelligentia Dei ignis, nempe lucens bonis, improbos vero perdens, atq; consumens. Item oculi Christi tamquam flamma ignis significant, vt vult Rupertus Abbas, aspirationem verbi diuini incarnati; illuminantis omnem hominem venientem in hunc mundum, vt dicitur Io. 1. vnde inquit ipse: [Proinde rectè dictū est, vt flamma ignis, quia videlicet Deus noster ignis est & respectus eius nobis flamma est, flamma illuminans vt non simus in tenebris, vt non simus noctis tenebrarum, sed simus filij lucis, & filij Dei.] Sic Rupertus. Indicant itidem oculi Christi tamquam flamma ignis, irā & vltionem eius, tam aduersus ecclesias, ad quas hæc mittuntur, quam aduersus impios, & earumdem ecclesiarum, & sanctorum Dei persecutores. Aduersus ecclesias demonstsat Arethas sub his verbis: [Aut lucis speciem præseferentes in modum flammę, aut ardorem, & vltionem comminantes aduersus ecclesias, ad quas verba reuelationis transmittuntur, tamquam non integræ suis legibus respondentes.] Aduersus autem impios, & earūdem ecclesiarum, & sanctorum Dei persecutores. Exponit Franciscus Ribera per hæc verba: [Sed nihil vetat ad ecclesias etiam ex parte referre, & maxime ad eos, qui cum in ecclesia esse videretur, doctrinę hæreticorum acquiescebant.] Potest ergo (vt ego opinor) oculorum Christi ardor, quattuor circa finale iudicium indicare. Primo quidem indicat Christum ad humanū genus iudicandum venturum, non hominum odio, vel vindictæ cupiditate, sed amoris ardore accensum, & inflammatū, quo veritatem, & iustitiam semper diligit, iuxta illud: [Ecce enim dilexisti,] quā semper docebat Christus, prout Pharisæi indicarūt, dicentes: [Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.] Secūdo significat efficacitatem illius iudicij, cuius executio nullo modo impediri poterit, iuxta illud Psalmographi: [Tu terribilis es, & quis resistet tibi,] & illud etiam: [Quis poterit scrutari vias eius? aut quis audet ei dicere operatus es iniquitatem?] Vnde Ieremiæ 13. dicitur: [Quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?] Tertio vero demonstrant claritatem diuinæ scientiæ, qua tunc Christus omnia cognoscet, & nihil erit ei ibi occultum, iuxta illud Iob 34. [Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.] & Eccl. 17. [Non sunt absconsa testamēta propter iniquitatem eorum, & omnes iniquitates illorum in conspectu Dei.] & cap. 39. [Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius.] Quarto tandem indicat oculorum Christi ardor, & bonorum claritatem, gloriamq; & improborum verecundiam, ac ignominiam in extremo tempore post vniuscuiusq; obitū. Ignis quippe, & aurū reddit purius, illustriusq;, & paleam denigrat, adurit, consumitq; Sic in illo extremo iudicio magni Dei, summa bonis claritas, & gloria accidet, improbis vero summa ignominia, & opprobrium peruenket. Quoniam illi tunc gloriose ad cælestia tabernacula transuolabunt audiētes. [Venite benedicti Patris mei.] Hi vero nimio opprobrio, & ignominia ad sępiternas inferni pœnas relegabuntur, audientes illud: [Ite mal dicti in ignē æternū.]

(Margin: Prima sententia. Lyranus. Secunda sententia. Rup. Abbas. Deut. 4. Thess. 5. Math. 3. Tertia sententia. Arethas. Franc. Ribera. Quarta Auctoris sententia. Psalm. 50. Math. 22. Psalm. 75. Iob 36. Matth. 25.)

§. 2. Aliæ permultæ plurimorū doctorū huius textus explanationes.

Cęterum non me latet alios reperiri expositores qui textum istum: [Et oculi eius tamquam flamma ignis] Ad Angelum (per quem Deus hæc Ioanni mittebat,) referant, intelligentes per flammeos oculos, claritatem viuacitatem, perspicacitatemq; in cognitione illius Angeli. Porro alij quoq; fuerunt interpretes qui eumdem textum, alijs rebus accommodant intelligentes quidā illorum per ardorem oculorum, præcepta, & legem Dei, de quibus ps. 104. dicitur: [Ignitum eloquium tuū vehementer.] Alij vero per oculos inflammatos intelligunt doctores ecclesiæ, diuina sapientia illustratos ad contemplanda cælestia sublimatos, & ad diuinorum directionem ordinatos. Hi nempe, & sapientiæ lumine lucent, & feruore dilectionis Dei, & proximi ardent. Alij deniq; per flammeos oculos, fideles omnes in ecclesia intelligunt, qui propter fornacem igneæ charitatis eorum, oculi esse debent, vt flamma ignis. Vel debent huiusmodi fideles in ecclesia ex vtraq; parte videre. Omitto Carthusianum, Richardum de Sancto Victore, Rupertum, Bedā, & Ansbertum, qui alias explanationes adducunt.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod oculi in Scriptura sacra permultas obtinent significationes.



CVLI in diuino eloquio multa significant. Primo siquidem Prophetas, Apostolos, Prædicatores, Doctores vtriusq; Testamenti demonstrant, dicente sponsa Cant. 4. [Oculi tui columbarum,] & c. 5. [Oculi tui sicut colūbæ super riuos aquarum.] Vbi per oculos columbæ, Rab. Salomon Tarchius, iustos homines synagogę intelligit, & D. Greg. Hugo Card. & Gilbertus Genebrardus in Cantica, Apostolos, Prædicatores, Doctoresque ecclesiæ, oculos columbę esse, explanant. Quemadmodum namq; columba, testantibus Plinio, Hugone Card. & D. Cypriano, animal est simplex, & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, cuius ingenium est hospitia humana diligere, & vnius domus seu maris consortium nosse: Ita Apostoli, Prophetæ, Prædicatores, & Doctores catholici, simplices sicut colūbæ ad sacram scripturam interpretandam, & populo exponendam & docendam accedere debent, & simplicitatem, quam prędicant, & docēnt reipsa seruare tenentur, & hæc terrena contemnentes ad cælestia bona, magnis cum gemitibus sicut columbæ anhelare debent. Et de his intelligitur illud Prou. 20. [Oculum videntem, & aurem audientem Dominus fecit vtrumq;.] Quia ex munere Dei est, vt doctor, & prædicator bonus sit, & auditor. Secundo significant oculi prauos doctores. Hinc est illud ps. 68. [Obscurentur oculi eorum ne videant,] id est, (vt ait D. Aug. gloss. ord. & Incognitus) doctores mali, & improbi, qui pereunt, lumen scientię perdant. Et in hoc sensu intelligitur illud Iere. 14. [Defecerunt oculi eorū, quia non erat herba,] id est, defecerūt doctores improbi, eoquod illis nō erat fides. Tertio oculi significant prælatos, iuxta illud ps. 30. [Miserere mei Domine quoniā tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.] Vbi vates Dei per oculum, & animam, intelligit prælatos, & doctores. Qui dicuntur oculi; quia per illos alij vident. Dicuntur etiam

(Margin: Rab. Salomon. D. Greg. Hugo Card. Mag. in gloss.)

anima

anima, quia illorum exemplo alij viuunt; per ventrem vero, qui per ea quæ abunde recipit, nutritur & viuit, intelligit subditos & inferiores. Et hi omnes in ecclesia turbantur zelo iustitiæ aliorum videndo peccata. Et sic est sensus: Miserere mei Domine quoniam tribulor, ex eoquod: [Quia conturbatus est in ira oculus meus,] id est, illi, per quos alij vident, & [anima mea] id est, illi quorũ exemplo alij viuunt, [& venter meus] id est, debiles, & subditi, qui aliorum doctrina, & exẽplo nutriuntur. Quarto oculi significant intentionem, iuxta illud Lucæ 11. [Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit,] id est, (vt dicunt Caietanus, & Nicolaus de Lyra super Lucam) si intentio tua fuerit recta, tota congeries operationum tuarum, meritoria vitæ æternæ erit. Et sic lucerna corporis tui, oculus tuus est, id est, intentio tua. Quoniam sicut oculus dirigit membra corporis ad operandum, manumq; ad scribendum, & pedem ad ambulandum, sic intentio recta, dirigit nostras operationes in finem debitum, nimirum, in Christum. Hinc est illud Eccl. 10. [Sapientis oculi in capite eius,] id est, intentio sapientum, est in Christo capite nostro. Hæc enim est differentia inter sapientem, & stultum, quia sapiens (vt dixi,) suam intentionem fixam habet in Christo: At vero stultus intentionem suam positam obtinet in terra, iuxta illud ps. 16. [Oculos suos statuerunt declinare in terram.] Vnde de intentione stultorum intelligitur illud Zachariæ 6. [Hæc est amphora egrediens, & dixit hæc est oculus eorum.] Amphora est mensura, & sumitur pro intentione impiorum, qui omnia, non iuxta Dei iudicium, sed iuxta eorum cupiditatem, & appetitum, nutriuntur, & in hoc sensu intelligitur illud Ezech. 12. [Qui oculos habent ad videndum, & non vident.] Quia licet Iudæi oculos carnales corporis haberent, tamen corruptam intentionem, obtinebant, & sic erant cæci absq; mentis oculis, in tenebris spiritualibus versati, iuxta illud Matth. 6. [Si oculus tuus fuerit nequam (id est, intentio) totum corpus tuum tenebrosum erit.] Cum itaq; impia esset Iudæorum intentio, erant ipsi, tenebris circumfusi, & videntes, non videbant, quasi idola illa, de quibus dicitur, quod oculos habent & non vident, aures habent, & non audiunt. Et hoc ipsum adaptari quidem potest Pharisæis illis, de quibus dixit Christus Matth. 15. [Cæci sunt, & duces cæcorum.] Quinto significant oculi desiderium. Hinc est illud Iob 16. [Ad Deum stillat oculus meus,] id est, desiderium meum. Sexto oculi significant opera, iuxta illud Matth. 7. [Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?] id est, (vt aiunt Lyranus, Abulẽsis, Caietanus, & Paulus de Palatio) vides paruum peccatũ in operibus fratris, & proximi tui, ingens autem scelus, ac facinus in operibus tuis, haudquaquam intueris? Septimo significant oculi intellectum, vel mentem, iuxta illud psalm. 30. [Conturbatus est in ira oculus meus.] & psal. 6. [Conturbatus est à furore oculus meus,] id est, mens mea, vel intellectus meus, iram iudicij magni Dei multum timet. Et in hoc sensu potest accipi illud Gen. 3. [Aperti sunt oculi amborum,] licet Abulensis super Genesim, oculos ibi, non pro intellectu, sed pro oculis corporalibus, accipi existimet. Octauo significat oculus filium malum, & per consequens hæreticos, & impios Christianos, iuxta illud Prou. 30. [Oculũ, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suę, effodiant eũ corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ,] id est, vt ajt Lyranus, filius qui patrem diridet. Dicitur enim subsannatio quidam modus diridendi, cum rugatione nasi. In Hebræo vero per partũ matris suæ, habetur, [rugas matris suæ.] Rugæ enim accelerantur in facie mulieris ex frequenti partu. Illud tandem: [Effodiant eũ corui,] idem valet, ac diceret, careat in morte sepultura, ita quod cadauer eius, relinquatur bestijs, & auibus lacerandũ. Quamobrem qui diuina iudicia reprehendunt, subsannant patrẽ, & hi sunt hæretici, & improbi Christiani, qui dum prædicationem sanctæ ecclesiæ irridẽt, partum matris despiciunt; quia de ipsa exeunt, qui contra eã loquuntur. Quos cum predicatores vincũt, quasi

Discrimen inter sapientẽ & stultum.

Lyranus, Abulensis, Caietanus, Paulus de Palatio.

Abulensis

Lyranus

Gloss. ord.

F oculum nefandum corui de torrentibus effodiunt, & filij Aquilæ comedunt. Corui dicuntur doctores, qui peccati nigredinem, humiliter confitentur: Filij aquilę, quia per gratiã eius sunt renati, qui in carne ad cælum transuolauit. Nono significat oculus originem, & fontẽ alicuius rei diuersimodè, iuxta illud Deut. 33. [Oculus Iacob in terra frumenti, & vini habitabit,] id est, Israel, siue Iacob, qui vocatur oculus, hoc est, fons, à quo deductus est populus Israeliticus veluti fluuius à fonte. Iacob enim, oculus fuit ex vena aquarum multarum à qua deriuatus est populus, qui Israel appellatur. Hunc igitur Israeliticũ populum, hos scilicet Hebræos à Iacob genus suũ deducentes, dixit hoc in loco Moyses, esse tempore Christi, cum animi securitate in ecclesia catholica habitaturos. Ecclesiã autem vocat, terram frumenti & vini, hoc est, in qua futurus erat Christus in sancto eucharistiæ sacramento sub speciebus frumẽ-
G ti, & vini. Decimo oculi significant cõsiliarios malos. Hinc est illud Iob 41. [Oculi eius, vt palpebræ diluculi,] quia impij consiliarij attrahunt ad suas tenebras auditores fingendo illis falsam claritatem. Quocirca D. Greg. super hæc verba li. 33. moral. c. 35. sic ait. [Per oculos qui inhærentes capiti ipsius, visus vtilitati inseruiunt, non immerito eius consiliarij designantur, qui dum peruersis machinationibus, quæ qualiter agenda præuident malignis eius operarijs quasi ostensum pedibus iter præbent.] Vndecimo oculi significant cogitationes, iuxta illud Iob. 22. [Qui inclinauit oculos suos saluabitur,] id est, qui mentis cogitationẽ humiliauerit, saluabitur. Et in hoc sensu accipitur etiam oculus apud Matth. c. 5. [Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proijce abs te.] Super quæ verba D. Hieron. ita scribit: [Recte cogitationẽ hominis, & sensum in diuerso volitantem Dominus noster oculum nuncupauit, dicens, si
H oculus tuus scandalizat, &c.] Duodecimo. oculi significant exteriorẽ compositionem, & custodiam hominũ. Hinc est illud Iob. 31. [Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarẽ quidem, &c.] id est, posui frenum exteriori compositioni meæ, ne de cætero cogitarem, &c. & Ierem. Tren. 3. [Oculus meus deprædatus est animã meã,] id est, exterior mala compositio, & custodia corporis mei cõpulit me peccare. Quibus omnibus addo, oculos significare Dei misericordiam, & iustitiam, iuxta illud ps. 32. [Ecce oculi Dñi super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.] Quamquam autem Deus oculos corporales non habeat, mysticè tamen habere dicitur oculos, quibus suos electos respicit, & isti sũt duo, scilicet, oculus iustitiæ, quo respicit peccantes, ipsos puniendo temporaliter: Alius vero est oculus misericordiæ, quo respicit iustos, ipsos à
I peccatis præseruando spiritualiter. Nam iuxta doctrinam D. Greg. lib. 11. moral. c. 20. Deus oculos clausos tenet, quando peccata hic non punit, sed ipsos aperit quando punit. Sic .n. habuit oculos super Dauid quãdo peccatum eius purgauit per persequtionem filij sui Absalon. Propter quod ipse Dauid Deo dicebat ps. 138. [Imperfectum meum viderunt oculi tui] scilicet, ipsum puniẽdo. Oculos autem misericordię aperuit super eũ, ipsum ad gratiam suam reducendo; [Oculi eius (dicitur Isa. 17.) ad sanctum Israel.] Sicuti enim volens aliquam rem diligenter custodire, super illam firmat oculos suos: Sic Dominus oculos suos super iustos firmat: [Oculi Dñi (dicitur ps. 33.) super iustos, & aures eius ad preces eorũ] Hinc est, quod in Euangelio sæpenumero dicitur, Christũ vidisse, veluti cum dicitur: [Vidit hominem cæcum à natiuitate.] Vidẽs Iesus tur-
K bas ascendit in montem.] Vidit hominem sedentem in telonio Matthæũ nomine.] Cum subleuasset Iesus oculos, & vidisset, quia maxima multitudo venit ad eum.] Vidit Iesus Nathanael venientem ad se:] Suspiciens Iesum vidit illum (nempe Zachæum,) & dixit ad eum, Zachee festinans descende. [Hunc cum vidisset Iesus iacentem &c.] Has igitur omnes oculorum significationes, tangit noster Archipropheta per hoc, quod hic ait, nimirum, quia oculi huius similitudinis filij hominis, erant: [Tamquam flamma ignis.]

D. Greg.

D. Hieron.

Oculi Christi misericordiã, & iudiciũ indicant.

D. Greg.

Ioan. 9.

Ioan. 6.

Ioan. 1.

Luc. 19.

Ioan. 5.

OCV-

Concet.2.de excellentiis & prærogatiuis oculorum.



OCVLORVM prærogatiuæ,& excellentiæ innumerabiles sunt. Prima siquidẽ est, quod in toto humano corpore, nihil est oculis carius. Hinc Catullus: [Ni te plus oculis amarem.] Et D. Aug 1.lib. de serm. Domini in monte, explanans illa verba Matth. 5. [Si oculus tuus &c.] sic ait: [Quicquid est quod significat oculus, sine dubio tale est, quod vehementer diligitur. Solet enim ab his qui dilectionem suam in aliquẽ exprimere volunt,ita dici: diligo eũ sicut oculos meos.] Præterea in oculis animus inhabitat,cum per ipsos,animus noster seipsum manifestet, dicente Plinio lib.11.cap.37. sic: [Profecto in oculis animus inhabitat, ardent, intenduntur,nictant,humectant cõniuent, hinc illæ misericordiæ lacrymæ,&c.] Sic ille. Quapropter oculi, vt Arist. 1.lib.hist.animal.& vt etiam Medicis placet, in cerebro in quo viget animus finiunt. Quinimmo Plin.lib.11.cap.37. sic ait: [Venas ab eis (nempe ab oculis) pertingere ad cerebrum peritissimi Auctores tradunt,ego ad stomachum crediderim.] Porrò oculi inter cætera corporis membra compositionem habẽt admirabilem. Nam aquei cum sint (testantibus Arist. lib.de sensu,& sensili cap 2. & lib. de generat. anim. cap.1.& Alexandro Aphrodiseo 2.lib. de anima cap. 38) pupillam albam, tenuem, lenem, atq; in numero perspicuorum collocatã obtinent. Quinimmo de eorum admirabili compositione, Plin.lib.11. cap 37. sic ait: [Multisq; membranis eos natura composuit callosis contra frigora,caloresq. in extremo tunicis,quas subinde purificant.] & paulo post. [Media eorũ cornea fenestrauit pupilla,cuius angustiæ non sinunt vagari in certam aciem, & velut canali dirigunt, obiterq. incidentia facile declinant,alijs nigri, alijs raui atri,alijs glauci coloris orbibus circumdantis, vt habili mixtura, & accipiatur circumiecto candore lux, temperato repercussu non obstrepat, adeoq. ijs absoluta,vis speculi, vt tam parua illa pupilla, totã imaginem reddat hominis.] Philosophi etiam in lib. de sensu,& sensato cap.2 dicunt. Quod oculus est instrumentum visus, vel substantia sphærica ex tribus humoribus,& quatuor tunicis cõposita. Nam ab extremitatibus cerebri procedunt duo nerui, qui cõcurrũt in parte anteriori cerebri se mutuo diuidentes,& ille qui procedit à parte sinistra, vertitur ad dexterã partem; & ille qui procedit à parte dextra, vertitur ad sinistrã,& vnus protenditur ad vnum oculũ, & alius ad alium, & illi nerui à puncto inceptionis sunt concaui vsque ad oculum, & prope foramen capitis dilatantur ad modum clepsidræ; sic quod prope foramen capitis est quædam sphęra rotunda,ex tribus humoribus,& quatuor tunicis composita, (vt dicunt perspectiui) vel septem tunicis, (vt dicunt Medici.) & ista sphæra dicitur oculus. Cuius prima tunica procedẽdo ab extra, vocatur consolidatiua, secunda carnea, tertia vuea,quarta tela aranea. Primus humor dicitur albugineus,secundus vitreus,tertius glacialis, in quo inchoatur visus, & est principalis humor, quia illo humore destructo,nõ potest amplius fieri visio, quod non est sic de alijs humoribus,& ex quo organũ visus dicitur esse receptiuum specierum; ideo dicitur esse diaphanum, & quodammodo rarum, vel densum. Et cum sit pars animati,& in se animatum, ideo ipsum organum visus nõ est aliquod elementum simplex, cũ nullum tale sit animatũ. Item oculorum alia est excellentia,scilicet, quod oculus respiciens mouet aliũ ad se respiciendum. Experientia namq; docet, quod nihil tam facile mouet oculos alterius ad se respiciẽdum,quam mutua oculorum cõtrapositio. Ideo Deus ipse,Dauidi dixit Psal. 31. [Firmabo super te oculos meos.] quasi dicat. Firmabo super te oculos meos, vt sic tu oculis tuis in me semper intendas; quia vt dicitur Ps.33. [Oculi Dñi super iustos.] Oculos enim suos,erga nos firmat Deus, qñ peccata nostra in præsenti considerat,& punit,ne puniat in æternum: more Medici,qui sanandũ secat,& vrit: Sed illos nobis clau-

Catullus. D. Aug.

Oculis in toto corpore nihil charius.

Oculus est sedes animi.

Plinius.

Oculorum cõpositio admirabilis.

Aristoteles, Alex.Aphro.

Nota bene,

Oculorum tunicæ.

Oculorum cæcitas vnde causetur.

Oculus respiciẽs,mouet alium ad respiciendum illũ.

Simile.

A dit, hoc est,auertit à nobis,qñ peccata nostra quasi nõ considerans hic impunita dimittit,vt in æternum puniat; more Medici,qui infirmo non sanando,omnia concedit ad libitũ. Vnde Ps. 33. [Ecce oculi Domini super metuentes eum, &c. vt eruat à morte (scilicet æterna) animas eorum.] Vlterius oculi nouissimè formantur in corpore,verum primo moriuntur. Ideo Plin.lib.11.cap. 37. sic scribit: [Cor animalibus cæteris,in medio pectore est, homini tantum infra leuẽ papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Piscibus solis ad os spectat, hoc primũ nascentibus formari in vtero tradunt,deinde cerebrum sicut tardissime,oculos,sed os primum emori,cor nouissimè.] Postremo,in toto corpore nihil est oculis præstãtius, nihil pretiosius.] Hinc Plin.eodem in loco. [Oculi pars corporis pretiosissima, & qui lucis vsu vitam distinguunt a morte. Quam ob causam locum obtinens altissimum, ex quo plurima conspicientes, veluti diligentes Speculatores,suo munere funguntur.]
B

Oculorum, in natiuitate, & in morte consideratio.

Oculorum præstantia.

Plinius.



VISVS, seu oculus, inter omnes sensus corporales est maioris perfectionis; quia,vt ait Arist.lib.2 de anima, plures nobis differentias rerum ostendit. Et qñ est oculus bene dispositus, verius,& certius iudicat de obiecto suo, quam aliquis aliorũ sensuũ. Cuius ratio est; quia oculi per solam lineam rectam mouẽtur à visibili: Alij autẽ sensus per lineam indirectam, vt patet de odoratu,& auditu &c. Et ideo per indispositionem eorũ,oritur principium male iudicandi. Vnde dicit Arist.in lib.de problemat. quod inebriatis
C omnia videntur moueri in circuitu à fortitudine vini. Nihil autẽ differt ad faciendã apparentiam prædictam,quod visus moueatur, vel quod res visa. Sic qui inebriati sunt vino amoris (spiritualiter loquendo) vel odij respectu alicuius,nõ recte de illo possunt iudicare,sed semper in circuitu cogitant ad defendẽdum,per fas,vel nefas,quod diligunt. Consimiliter ad nocẽdum ei,quẽ odiunt, ad modum ebriorum habentes iudicium oculorum interiorũ in continuo circuitu: & sic de nullo habent certum iudicium. De quibus dicitur Ps.13. [Nõ est timor Dei ante oculos eorum.] & Ps.16. [Statuerunt oculos suos declinare in terrã.] Alia autẽ causa redditur,quare oculi malè iudicent,quæ est ex parte medij. Nam qñ mediũ est diuersum,& primũ rarius,& secundũ densius, nõ videt rectè sibi obiecta,sicut patet de baculo recto,qui in aqua videtur fractus,vel curuus. Et hoc ideo, quia
D oculus videt primo mediante aere, & post mediante aqua,quæ est densior. Causa autẽ assignatur à perspectiuis, quia radij visuales refrãguntur ad mediũ densius. Sic est de eo,qui passionibus carnis vincitur. Nã secundum Phil.7.Ethi.in continentes syllogizando de agibilibus,vtuntur duabus propositionibus. Quarum vna,scilicet prima,pertinet ad rationẽ,puta, quod nihil nociuũ est gustandũ; secunda verò pertinet ad cõcupiscentiã, puta,omne dulce est gustandũ; & omissa prima,sub ista secunda accipiunt minorem,puta quod hoc est dulce,& sic cõcludunt: ergo hoc dulce est gustandum. Prima ergo vniuersalis,est mediũ subtilius; secunda verò,est medium grossius: & ideo non rectè vident,nec iudicant. Ad propositũ apparet,quod habens oculos bene dispositos cũ requisitis circũstantijs rectè potest adiuuare alium. Ecce igitur variæ,& permultæ oculorum excellentiæ,& prærogatiuę; quibus
E omnibus carebant infelices illi cœci, de quibus apud Euangelistas fit mentio sub his verbis: [Præteriẽs Iesus vidit hominẽ cęcum à natiuitate]Io.8. [Et veniũt Bethsalda,& adducunt ei cęcũ.] Marc.8.[Et egrediẽtib⁹ illis ab Iericho,& ecce duo cœci clamauerũt dicẽtes: Miserere nostri filij Dauid.] Matth.20. [Et trãseunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cœci clamãtes, & dicentes: Miserere nostri filij Dauid.] Matth.9. [Erat Iesus eijciens dæmonium,& illud erat mutũ,& cœcum.]

Concep.3. Quod visus est perfectior cæteris sensibus.

Philosophus

Oculus quare decipitur in videndo.

Oculi quare decipiuntur in iudicando.

Phyl.

Cœci citati in euangelio

Ioann. 8. Marc.8.

Matth.20.

Matth.9.

Lucæ 11. Matth. 9. cœcum.] Lucæ 11. & Matth. 9. [Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cœcus quidam sedebat secus viam mendicans.

Concept. 4. Quod oculi sunt valde custodiendi tam spiritualiter, quam corporaliter loquendo.



Cuius nimia custodia, cura, ac diligentia, necnon caute sunt custodiendi, tam corporaliter, quàm spiritualiter loquendo; quia oculi inter omnes sensus principatum obtinent, & sic maxime veniunt cōsiderandi, & custodiendi, & præcipue à varitate. Ideo Diuinus Citharœdus Ps. 118 exclamat dicens: [Auerte oculos meos ne videant vanitatē.] & Iob 31 [Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.] Quod exponens D. Greg. lib. 21. moral cap. 2 dicit: [Valde namq; est, quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi, per oculos illecta vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quadā lubrica in cogitatione versemur, prouidendū nobis est, quia intueri non debet, quod concupiscere nō licet, vt enim munda mens in cogitatione seruetur à lasciuia voluptatis suæ, deprehendendi sunt oculi, quasi quidā raptores ad culpā. Neq; enim Eua lignum vetitum tetigisset, nisi hoc prius incaute respexisset. Hinc ergo pensandū est quāto debemus moderamine ab illicitis, oculos restringere, nos qui mortaliter viuimus, si & mater viuentiū per oculos venit ad mortē.] Et paulo post de eadē Eua, & de eius oculis ait: [Quæ exteriora perdiderat, dicit Propheta, oculus meus deprædatus est animā meam, concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit, quæ ergo interiorē fructum per exteriores oculos perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis.] Hucusque D. Greg. Ideo Salomon Eccles. 31. ait: [Memento quoniam malus est oculus nequā. Nequius oculo quid creatū est?] Quod autē oculus noster intueri debet, sunt peccata nostra, de quibus iterum, iterumq. dolere oportet. Hæc, hæc debet oculus noster multoties videre, ea considerādo, & præparando, ad confessionē, quod Christus Redemptor noster, vera illa lux, quæ illuminat omnē hominem venientē in hunc mundū docuit, cum volens cæco à natiuitate mederi eius oculos liniuit luto, [Fecit lutū ex sputo (dicitur Ioan. 9.) & liniuit oculos cęci nati.] & deinde illi dixit: [Vade & lauare in natatoria Siloe.] Quibus verbis plane ostenditur, quod Christus Deus noster vult, vt ante oculos, lutū scelerū nostrorum habeamus, vt flagitiorum nostrorum maculas cognoscentes, accedamus ad sacramentū confessionis ad fontem Siloe: cuius aquæ, vt ait Isaias, currunt cū silentio, vt ibi absolutionem, lumenq. gratiæ recipiamus; quia, vt ait Salomon Eccles. 11. [dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem] Et si videre solem corporalem dulce, & delectabile est, multo magis erit, solem spiritualem, nempe Deum, & suam gratiam, oculis spiritualibus intueri. Dicamus & nos hic cum Ecclesia. [Custodi nos Domine vt pupillam oculi,] & tunc sequetur plane illud Deut. 32. [Et custodiuit eum quasi pupillam oculi sui.]

Oculi nō debent videre vanitatem.

D. Greg. lib. 21. moral. cap. 2.

Gen. 3.

Thren. 3.

Oculi nostri debent videre peccata nostra.

Isaias 8.

PARAPHRASIS Septima.

Par. 7.

Enucleatio textus.

Et pedes eius (dicit præterea) similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Si hic pedum dumtaxat facta fuisset mentio, facilis vtique esset litteralis enodatio. Innotescit enim omnibus ly [pedes] tum quo ad eorum naturā, cum illis ingradiendo vtamur, sitq. infima corporis pars, tum quo ad eorū significata, cum apud D. August. lib. de essentia diuina, Damascenum lib. 1. cap. 1. B. ... serm. 5. de verbis Isa. Bedam super Exod. 12. & Origenem super Isa. hom. 1. humanitatem Christi; apud verò Greg. lib. 19. moral. cap. 11. D. Hieron. super Iob 30. & Rupertum super Zacha. 13. Apostolos & prædicatores, laudato q. viros, & etiā apud Cyrillum, contra Iulianum, Isichiū super Leuit. 8. & D. Chrisost. super Ps. 25. opera & ipsum principium operandi, affectionesq. pedes significent. Verumenimuero cum in textu mox per cōparatione addatur [similes aurichalco, sicut in camino ardenti] tot plane reperies in hunc locum commentitios, vt vix aut nullatenus quidem litteralem sensum eius habere queas, nisi prius eiusdem textus veram astruas, ac corrobores lectionem.

§. 1. Pedū natura, & variæ significationes.

D. August.

Damascen. Ludern. Beda. D. Greg. D. Hieron. Rupert. Cyrillus. Isych. D. Chrysost.

Non enim omnes cum nostra Vulgata ita legunt: [Et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti.] Nam in quibusdā codicibus Græcis, sic legitur: [Et pedes eius similes chalcolibano tanquā in camino ignito.] Et apud Latinos in quibusdam emendatioribus exemplaribus, sic habetur: [Et pedes eius similes aurichalco Libani, sicut in camino ardenti.] Quamobrē Beda, Haymo, & Anselmus ex Græcis codicibus sic transferūt: [Aurichalco Libani.] Cyprianus verò lib. 2 contra Iudæos sic habet: [Pedes eius similes aurichalco, sicut de fornace ignis.] At verò Primasius Valid issimus interpres, & B. Augustini discipulus, ita legit: [Pedes eius similes aurichalco Libani, sicut de fornace ignea.] Quæ quidē lectio cōsona videtur expositioni Cypriani. Tantū enim differūt hæ duę lectiones, in eo quod Primasius adhibuit [Libani,] Cyprianus verò talē particulam minimo adhibuit. D. Aug & Tyconius hom. 1. in Apo loco [Libani] legunt [Clibani,] vt apparet in his Aug. verbis: [Et pedes eius similes aurichalco clibani igniti, velut in fornace ignis.] At verò D. Ambr. vtramq; particulā omittens, nimirū [Libani] & [Clibani] cum nostra Vulgata sic simpliciter legit. [Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.] Et eodē modo legunt S. Tho. D. Dionys. Carth. Ruper. Abbas, & oēs Neoterici explanatores. Cælius tamen Pannonius, Arethas, & Beda, in hisce suis commentarijs aliqñ legunt, [chalcolibano] aliqñ vero [orichalco] Quos plane sequutus fuit Petrus Bulengerius hoc in loco, & Ambrosius Calepinus, existimans, legendum esse, [orichalcum] & ijs qui scribunt [aurichalcū suffragari dumtaxat putat primā syllabam, quæ vbiq; corripitur. Vnde in suo Calepino, nullatenus scriptū reperies [aurichalcum,] sed [orichalcū] & ide videtur sentire Grapaldus. Sunt tandē Expositores, qui putant posteriora verba, nimirū, [sicut in camino ardenti] non ita legenda esse, sed sic, vt legit Arethas, [sicut in camino ardentes,] ita vt ardor, non ad aurichalcū, chalcolibanū, siue orichalcum, sed ad pedes referatur.

§. 2. Variæ lectiones huius textus.

Franciscus Marius Grapaldus, de partibus ædium lib. cap. 6.

Arethas.

Ex hac enodantium varietate, & controuersia, duo præcipuè cōsideranda veniunt. Primū quidē est, quod si cū nostra Vulgata, codicibus Latinis emēdatis, Primasio, & alijs, legamus [aurichalco] túc ly [aurichalcū,] metallū significat, ex auro, & ære permixtū: Vnde Plinius lib. 34 nat. hist. cap. 2. disputans de generibus æris, sic scribit: [Fit ex alio lapide quem chalcitē vocant in Cypro, vbi prima fuit æris inuentio, mox vilitas præcipua reperto in alijs terris præstantiore maxime aurichalco, quod præcipuam bonitatem, admirationemq. diu obtinuit.] & paulo post: [Hoc aliuiano cadmiam maxime sorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in sestercis, dupondiarijsq Cyprio suo assibus contentus.] Ex quibus verbis liquet [aurichalcum] inter æris genera à Plinio collocari. Quadrant hæc cum verbis Eccles. 47. [Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum complesti argentum, & inclinasti fœmora tua mulieribus.] Quibus verbis [aurichalcum,] significat æs, siue metallum ex ære multo igne, & medicamine ad auri colorem perductum. Ideo his verbis: [Collegisti quasi aurichalcum aurum, & vt plumbum complesti argentum,] denotatur (vt superscribit glossa interlinearis) auri,

§. 3. Aurichalcū significat duo potissimum.

Plinius.

Aurichalcum quomodo appellatur ab Hispanis.

Metallorum scriptores.

auri,& argenti abundantia. Hoc autem metallũ vocant Hispani [Alaton Morisco,] & idem prorsus habetur,si cum Beda, Haymone, & Ambrosio Calepino legamus [orichalco] Quoniam apud Metallorũ scriptores, nimirum, Gabrielem Fallopium Mutinensem Medicum, Franciscum Riacum, Metboldum Episcopum,Georgium Agricolã,Albertum Magnũ,& Aloysium Mundellam Brixensem,reperies semper [orichalcum,] pro metallo illo,quod Hispani (vt dixi) [Alaton] nuncupant. Ideo Lucretius lib.5.de rerum natura sic scribit: [Cum primum homines siluas incendissent,nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis, omnium ex incendij calore desudauit metalla interq. orichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri, & æris duritiem possideret.] Et etiam Seruius in 12. Æneid.ita scribit: [Apud maiores orichalcum pretiosius metallis omnibus fuit.]

§. 4.

Chalcolibanus significat thus masculinum.

B Si verò cum codicibus Græcis, Aretha, Pannonio, & Beda legimus [chalcolibano] tunc ly[chalcolibanus] non significat aliquod metallum, sed thus masculinum,siue æreum. Probat autem istud Antonius Nebrissensis in tertia quinquagena cap. 4. vbi de hoc loco Apo disputat, vt tradit Franciscus Ribera in hisce suis cõmentarijs; qui etiam affirmat chalcolibanũ apud Græcos masculinum thus significare. Quoniam (vt inquit ipse) Arethas Græcus auctor, ita quoque interpretatus est. Thus autem æreum, siue masculinũ illud dicitur apud Latinos, quo sacerdotes, & populus olim in sacrificijs vtebantur, iuxta illud Exod 30. [Sume tibi aromata,stacten,& onycha,galbanum boni odoris,& thus lucidissimũ,æqualis ponderis erunt omnia.] Vbi per [thus lucidissimum] thus masculinũ intelligunt Doctores. Icciroo Abulensis tom.2.super Exod.q.5.sic scribit: [Et thus lucidissimum, hoc est, quod vocatur thus masculinum; quia ad similitudinẽ humani testiculi formatum in rotundum est, & lucidum & carens omni resinę impuritate,& hoc suauioris odoris est: nam cum thus aliqualiter nigrum,aut alterius coloris est, habet secum admixtam impuritatem, quæ impedit, aut diminuit bonum thuris odorem] Istud autem thus lucidissimum, vocatur æreum, & masculinum. Dicitur thus æreũ,quia forte, & thus masculinum, quia formam rotundam ad similitudinẽ humani testiculi præ se gerit, de quo Plinius multa scribit in libris de naturali historia.

Thus masculi num quid sit.

Thus masculinum in sacrificiis.

Abulensis.

Thus masculinum testiculum formam imitatur.

§. 5.

Duæ præcipuę lectiones huius textus.

His sic prælibatis, duplex est lectio huius textus, quarum prima est, qua cum nostra Vulgata legimus: [Et pedes eius similes aurichalco,siue orichalco,]hoc est similes metallo ex auro, & ære permixto, multo igne, & medicamine ad auri colorẽ perducto. Secunda verò lectio est,qua cum Græcis codicibus,Aretha, & alijs supra citatis legimus [Et pedes eius similes chalcolibano,]id est,masculino thuri,iuxta quas duas lectiones, duas itidẽ huius textus enodationes hìc attingam. Si enim cum nostra Vulgata sic legamus: [Et pedes eius similes aurichalco, seu orichalco, hoc est, metallo ex auro,& ære permixto &c.] tunc agilitas, celeritas,ac velocitas,vna cũ fortitudine Christi, seu Angeli representantis,hic per pedes similes aurichalco,seu orichalco, in camino ardenti litteraliter indicatur,ad Ecclesias protegendas,earumdemq. persecutores mulctandos, & humanũ genus generaliter extẽplo,iudicandum. Quæ plane enodatio probatur: Primo eo quod pedes tam in sacra pagina, quàm in profanis litteris vbiq; virtutẽ, & facultatem motricem, nimirum ad se mouendum quis de loco ad locũ, & ad eundem quocunq; voluerit,significãt primo,proximè, & immediatè. Hinc est quod quando pedes mysticè significant aliquam rem, v.g affectiones animi, vt cũ legitur Leuit. 1. [Intestinis, & pedibus eius lotis aqua.] Vbi pedes mysticè affectiones animi demonstrant: Dicimus ibi pedes affectiones animi indicare; quia sicut corpus primo proximè, & immediatè mouetur pedibus,sic animus mysticè loquendo mouetur affectibus,pedibus quippe,primo proximè, & immediatè vtuntur homines in gradiendo, & mouendo se de loco ad locum. Quemadmodũ siquidẽ natura nobis elargita fuit,aures ad audiendũ, oculos ad videndum,nares ad odorandum, & manus ad palpandũ, sic & pedes ad ambulandum,& mouendũ nos de loco ad locum concessit. Ob idq. Psaltes Israel idola inaniũ deorum, & gentium simulacra irridens, ait Psal.113. [Simulacra gentiũ argentum,& aurum, opera manuũ hominum. Os habent,& non loquentur,oculos habẽt & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent,& non odorabunt. Manus habent & nõ palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, nõ clamabunt in gutture suo.] Quibus verbis Psalmographus non tantũ irridet gentium simulacra, verum etiam ex omnibus mẽbris à natura elargitis,& per omnes sensus vitæ probat quodlibet bestiarum genus, nimirum quodlibet animal irrationale, esse maioris perfectionis,quam sit aliquod simulacrum. Nam simia manus habet & palpat, sed simulacrũ habet quidem effigiem manuũ,sed nequaquã palpare possunt: formica pedes habet & ambulat,& simulacrum effigiem pedũ quidẽ habet,sed nequaquam ambulare potest: canes,leones, & cæteræ feræ,etsi loqui non possunt, clamare tamen & mugire possunt, simulacra autem in gutture suo, clamare nõ possũt Ex quibus omnibus sequitur quod non solum homo,sed etiã omnis auis, & omnis bestia perfectior sit simulacro. Quod ideo inducit Propheta Dei,vt si pudet te adorare formicas,vel pulices,multo fortius confundaris adorare simulacra, quæ sunt imperfectiora. Hinc ad institutum nostrũ satis liquido apparet pedes vbiq; primo,& per se,proximè etiã & immediatè virtutem motiuã, & facultatem eundi de loco ad locũ significare. Obidq in præsenti pedes facultatem motricẽ Christi,seu Angeli Christũ repræsentantis ad mouendũ se de loco ad locum ad litterã significare immediatè. Secundo probatur ex secunda particula textus, scilicet, [aurichalco,]Dicitur enim pedes similes aurichalco, vel orichalco, ad demonstrandũ nobile & illustre robur,& inseparabilẽ fortitudinẽ illius facultatis motricis Christi, seu Angeli Christum repræsentantis,quæ talis erat, vt vim cætera frangendi, & conterendi obtineret. Solet quippe facultas, & virtus motrix in aliquibus, aut læsa, aut paucioris virtutis,& exigui roboris esse, vt patet in claudis,& in multis alijs hominibus. Quapropter,vt talis facultas motrix Christi,seu Angeli ipsum repręsentantis,ostenderetur robusta,firma,& fortis,assimilatur aurichalco, vel orichalco, id est, metallo forti, æri montano & optimo, quod in Libano monte effoditur, auri calorem retinens, per quod demonstratur immediatè robur in sacra scriptura vt apparet multis in locis,& præcipuè Danielis c.10. [Et brachia eius, & quæ deorsum sunt vsq; ad pedes, quasi species æris candentis] & cap.7 [Et ecce bestia quarta terribilis, atq; mirabilis,& fortis nimis,dentes ferreos habebat magnos,comedens,atq; cõminuens, & rel qua pedibus suis conculcans.]Sic hic ad demonstrandũ robur, & fortitudinẽ illius facultatis motricis,dicitur pedes similes esse aurichalco;quasi dicat: Non erant pedes huius figuræ,& imaginis,sicut pedes statuæ illius Nabuchodonosor Regis, quæ cum haberet caput ex auro, vt dicitur Dan. 2. pectus & brachia ex argento, ventrẽ,& fœmora ex ære,pedes ẽ fictiles, & de luto obtinebat: In quo eius infirmitas ostendebatur, & sic lapillus percutiens illam in pedibus, totam statuam cõminuit,eius aurum,argentũ,æs, & ferrum, quasi in fauillam redigendo: hæc autem imago habebat pedes similes aurichalco,hoc est,firmos,robustos,& fortes. Et tandem, vt aperte demonstraretur talem virtutẽ, & facultatem motricem Christi,seu Angeli Christum repræsentantis,non tantum esse robustam, & firmam, verũ etiam velocẽ; additur in textu. [Sicut in camino ardenti,vel sicut de fornace ignea, vel sicut de fornace ignis, vel tandem (ne immoremur in hijs, vt iam dixi) sicut in camino ardentes.] Quasi dicat, non sunt similes pedes cuilibet aurichalco, sed aurichalco ardenti,in fornace ignea, quod & velox, & info-

Prima explanatio iuxta Vulgatã.

Pedes similes aurichalco celeritatẽ, & fortitudinẽ Christi demonstrant in iudicio.

Prima ratio.

Pedes virtutem motricẽ proximè significant.

Analogia inter pedes & affectiones animi.

comparatio.

Naturę ornamenta.

Simulacra gentium irridenda.

Animalia irrationalia simulacris gentium perfectiora.

Nota bene.

Secunda ratio.

Facultatis motricis Chr. sti fortitudo.

Tertia ratio.

Mm 2 a

insonorum, & ignitum est. Ad quod intelligendum nota, quod aurichalcum, siue orichalcum, metallum solubile igne, vel æs igne fusile est; & dum in fornace liquescit, fit ignitum, & non habens sonum; quia iam liquato, caret sono: & dū artifex aperit canale, quod ex fornace vadit ad proplasticē, id est, ad typum imaginis, seu figuræ faciendæ, vulgo [molde, ò vaziadizo de imagines] qui quidem est sub terra optime absconditus, coopertusque: tunc aurichalcum, siue metallum illud liquatum ita velociter currit per canale illud; vt si lapidē, aut guttā aquæ in medio itineris reperiat, mox ex canali in altum cum magno periculo artificem & circumstantes interficiendi prosiliat. Idcirco per similitudinē istam aurichalci liquati decurrentis velociter per canale ad proplasticen, velocitas pedum Christi, seu Angeli, ipsum repræsentantis satis aperte indicatur. Et sic ardor ille pedum, & ad velocitatē, & etiā ad terrorem ecclesiarū, earundēq. persecutorum, ac totius generis humani, maxime pertinet. Et hoc est (ni mea fallit opinio) quod indicat illud [aurichalco in camino ardenti] Ex quibus omnibus liquido apparet ad litterā demonstrari hic agilitatē, & velocitatē Christi, seu Angeli Christū repræsentantis, ad septē Ecclesias Asiæ protegendas, earumdemq. persecutores multandos, & humanum genus generaliter exēplo iudicandū: Si enim talis agilitas, & velocitas immediate ad Christū referatur, ipse est, de quo Prouerb. 22. dicitur: [Vidisti virum velocē in operibus.] Si verò talis agilitas, & velocitas ad Angelum immediate referatur, de illo intelligitur illud Isa. 18. [Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam ad populum terribilem, post quem nō est alius, &c.] Ex quibus apparet, quod tam Christus, quam Angelus, veloces sint, & agiles in opere suo.

Aurichalcum fusile est.

Christus velox.

Angelus velox.

Ex hac nostra litterali expositione remanent aliquantulum adumbratæ & illuminatæ omnes illæ mysticæ expositiones Doctorum, super hunc locū. Nam Arethas per pedes, Apostolos intelligit, qui primi fideles & fundamenta ecclesiæ fuerunt. Glossa ordinaria, & Primasius per pedes, vltimos fideles, qui erunt tempore iudicij finalis intelligendos esse affirmant. Rupertus Abbas per pedes humanam naturam Christi exponit, sicuti diuinam per caput. Tyconius per pedes ardentes, inimicos Domini, & persecutores Sanctorum, Christi pedibus conculcandos esse affirmat significari. Cuius opinionem sequutus fuit Franciscus Ribera. Quæ omnes cū mysticæ, & allegoricæ sint explanationes, hac nostra litterali (vt dixi) illuminari aliquantulum queunt. Hæc tamen nostra explanatio litteralis Sanctum Thomam nullatenus abhorret, qui in hisce suis commentarijs sic habet: [Pedes, hoc quātum ad fortitudinis stabilitatē, pedes eius, id est, multiplex fortitudo eius; quæ per pedes eius significatur, qui totum corporis pondus portant, similes aurichalco, quod quanto amplius incenditur, tanto amplius coloratur; igitur fortitudo Dominica; quanto amplius portabat aduersa, tanto pulchrior ostendebatur, pedes inquam eius sunt sicut aurichalcum in camino ardenti, hoc addit ad expressionem, vt expositum est, caminus ardens est, aduersitas tribulationum, quæ animā exurit, nisi ipsam patientia muniret, Ecclesiast. 11. Homines verò receptibiles in camino humiliationis.] Sic ille. Ideo nos hanc fortitudinem amplectentes, diximus supra, hic agilitatem, celeritatem, & velocitatem, vnà cum fortitudine Christi, seu Angeli Christum repræsentantis significari per pedes similes aurichalco, siue orichalco, hoc est, metallo, ex auro, & ære compacto.

Corollarium.

Pedes, Apostolos, vltimos, fideles, humanā naturam Christi, persecutores sanctorum significant.

S. Thomas in comment.

§. 6. Si denique cum codicibus Græcis, Aretha, & alijs legamus ita: [Et pedes eius similes chalcolibano, id est, masculino thuri,] tunc ad odorem, & suauitatē, tum humanitatis Christi, tum prædicationis Apostolorum recurrendum est. Thus enim ideo in sacrificijs vtebatur; quia maxime odoriferum erat. Humanitas verò Christi, siue Apostolorum prædicatio, quæ indi-

Secunda expositio iuxta græcos.

Prædicatio Apostolorum odorifera.

F cari potest per [pedes] ita odorifera fuit, vt Cant. 1. dicatur: [Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.] quod de humanitate Christi expendūt Doctores. Et iterum: [Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.] Quod plane de Apostolis exoluitur, qui vbera fragrantia, odorifera, & suauia (quinimmo populum Dei suauiter lactātia per prædicationem) fuere. Quamobrem vtrique, thuris masculini comparatio maxime quadrat. Quoniam huiusmodi thus, & forte, & odoriferum est, & adhuc supra ignem ardentem ponitur, vt vbique redoleat. Sic humanitas Christi, & etiam Apostolorum prædicatio, instar æris, erat fortissima, cum mori vterque nullatenus recusarent, & instar thuris odorifera, cum ambo Patri æterno, maxime grati, & accepti extitissent, dum in camino ardenti, nimirum in cruce, & tribulationibus à tyrannis superponerentur.

Christus & Apostoli grati fuerunt æterno patri in morte.

G

Conceptus prædicabiles in textum.



Illa sancta humanitas à verbo diuino in plenitudine temporis assumpta hic per pedes huius imaginis intelligi (mysticè loquendo) optime potest. Quoniam quemadmodum per caput huius figuræ, intelligere possumus id quod summum est in Christo, nimirū, diuinitatem, ita & per pedes eiusdem figuræ, id quod imum, & infimum, in eodem Christo est, intelligere nihil obstat. Ideo Rupertus super hunc locum, in hęc
H verba prorumpit: [Quod scriptutus erat Ioannes in cap. 1. sui Euangelij dicens: & Verbum caro factū est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriā quasi vnigeniti à Patre, hoc ipsum, ista significari videt imagine, cum dicit; & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti; sicut enim per caput cādidum, vel canum, rectè intelligimus antiquum, quod in principio erat verbum, sic per pedes, quæ pars, finis est corporis rectè intelligimus, nihilominus illud, quod idem verbum caro factum est, quod Deus homo factus est in fine sæculorum, & homo permanet vltra omnes fines sæculorum.] Sic ille. Humanitas autem Domini nostri Iesu Christi potest primo metallo aurichalco, siue orichalco nuncupato optime comparari. Tum quia quemadmodum aurichalcum multis ignitum impendijs ad calorem auri perducitur, ita teste Ruperto, Christi humanitas per multas tribulationes perducta est ad gloriam maiestatis, iuxta illud Lucæ vlt. [Non
I ne hęc oportuit pati Christum, & resurgere à mortuis & ita intrare in gloriam suam?] Tum quia sicut aurichalcum, ex se non est aurum, quinimmo ex coniunctione æris & auri splendorem aureum retinet, quoniam dum aurum & æs miscentur, æs ad claritatē crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit, illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperat, sic humanitas non fuit aurum, non enim ipsa in se, & ex se, nimirum ex suo naturali principio, ex Virgine ipsa deprompto, aliquid diuinitatis habebat, sed Spiritu sancto superueniente, diuinitatē cum humanitate ratione vnionis hypostaticæ cōiungente, maximū diuinitatis inditium obtinuit: quemadmodum aurichalcum ignitum, eximioq. quodam fulgore maxime rutilans. Quoniam in vnigenito Dei filio naturæ diuinitatis vnita est tamquam auro, natura nostra tamquam ęs, in qua aductione, humanitas in maiestatis gloriam excreuit, diuini-
K tas vero à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit. Per hoc enim quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum creuit æs. Et quia diuinitas à fulgore suo, nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per æs. Tum quia quemadmodum aurichalcum, quanto magis incenditur tanto amplius coloratur, sic Dominica humanitas quanto amplius pro nobis portabat aduersa, tanto pulchrior ostendebatur. Tum deniq. quia sicuti auri-

chal-

Concept. 1. quod humanitas Christi, & metallo orichalco, & etiam thuri chalcolibano obtime assimilatur.

Rupertus, Abbas in comment.

Humanitas Christi cur cōparetur aurichalco metallo.

Comparatio.

Vnio hypostatica explanatur per aurichalcum.

chalcum in camino ardenti, & velociter currit (vt in explanatione textus nuper diſtulimus.) & maxime ardet, ſic humanitas Chriſti in camino ardenti, hoc eſt dum in terris viſus, & cum hominibus cōuerſatus fuit filius Dei, ad noſtram ſalutem, & animarum remedia cito præſtanda, ita velociter currebat, vt de illa recte expendatur illud Iſa. 8. [Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere. Feſtina prædari.] & illud Cant. 2.] [Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliēs colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq. ceruorū]. Ex quo fit alluſio ad præuenientem gratiam, iuxta quā Chriſtus ſemper peccatores præuenit, vt videre eſt in Apoſtolis, Samaritana, Chananæa, alijſq. Hebræis, ac Gentilibus, quos (vt ex ſerie ipſa euāgelica facile deducitur) Chriſtus in eorum conuerſionibus diligenter præuenit. Et tanta erga nos illa ſancta humanitas charitate accenſa fuit, vt recte in camino ardenti, ardens aurichalcum, nuncupetur. Quæ enim vnquam maior charitas, ac ardētior amor eſſe poteſt, quā ille, de quo ipſamet veritas exclamat: [Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuā ponat quis pro amicis ſuis.] Quod & docuit & fecit ipſe, dum animam ſuam pro nobis poſuit. Tanto itaque maximo amoris, charitatiſq. igne, erga homines exarſit Chriſti humanitas, vt hic in camino, non qualicunque, ſed ardenti, hoc eſt miꝛumimmodum accenſo eſſe dicatur. Iſte caminus ardens (nimirum totum tempus vitæ Chriſti, in quo & comprehenſor ſimul, & viator fuit) eſt proculdubio caminus ille, de quo Iſa. 31. dicitur. [Vixit Dominus cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.] Quæ verba perpendens B. Greg. hom. 2. in Ezech. ſic ſcribit: [Plus eſt caminum eſſe, quam ignem; quia eſſe ignis, & paruus poteſt, in camino autem vaſtior flamma ſuccenditur; Sion verò ſpeculatio, Ieruſalem viſio pacis dicitur, pacemq. noſtram interim ſpeculamur, vt illic poſtmodum videamus, ex amore ergo Domini, in Sion ignis, in Ieruſalem eſt caminus; quia hic amoris eius flammis aliquatenus ardemus, vbi de illo aliquid cōtemplamur; ſed illic plane ardebimus, vbi eum videbimus, quem amamus.] Quadrant hæc verba D. Gregorij cum illo: [Ignem veni mittere in terram.] Agilis, velox, & ardens quemadmodum aurichalcum in camino ardenti fuit Chriſti humanitas, ad conuertendos ad ſe & conterendos peccatores, nimirum, inimicos illos, de quibus dicitur Pſ. 109. [Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.] Vbi ly [ponam,] ſic venit intelligendus: Ponam eos ſub ſcabellū pedum tuorum, ita vt à pedibus tuis cōculcētur, quomodo victi calcari ſolēt à victoribus, iuxta illud Iſa. 63. [Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperius eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.] Secundo poteſt Chriſti humanitas maſculino thuri aſſimilari, tum quia quemadmodum thus in camino ardenti eſt odoriferum; ſic Chriſti humanitas in paſsionis ſuæ ardenti camino, ita odorifera Patri æterno fuit, vt Pſalmographus tantam olim ſentiens ſuauitatē dicat Patri æterno: [Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.] Id eſt, quando humanitas Chriſti filij tui in camino ardenti crucis, & acerbæ paſsionis ſuæ ſuper poſita, vt thus odoriferū ſuper ignē fuerit, [tūc acceptabis ſacrificiū iuſtitiæ,] quia Chriſtus de toto rigore iuſtitiæ, tunc ſatisfaciet tibi; tunc enim dices: [Ecce odor filij mei.] Hinc ſponſa de vberibus miſericordiæ, & iuſtitiæ ſponſi ſui Cant. 1. ait: [Meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.] Vel, vt Septuaginta tranſtulerunt: [Odor vnguentorū tuorum ſuper omnia aromata] vt illorū vberum miſericordiæ ſimul & iuſtitię Chriſti ſuauitatē, & odorē magis explicarent in illo ſacrificio crucis pro nobis à Chriſto oblato Patri ſuo æterno; Tum quia quemadmodum chalcolibanū, hoc eſt thus maſculinū, æs, nimirum illud montanum, optimum, quod in monte Libano effoditur, vel in montibus, ſiue in locis montoſis (vt tradunt Sixtus Pōpeius de verb. ſign. lib. 1. & Plin. de nat. hiſt. lib. 34. cap. 2.) naſcitur: ſic Chriſti humanitas ex Virgine Maria, qui merito Libanus mons, ſiue montoſus locus appellatur, virtute Spiritus ſancti, & effoditur, & naſcitur. Mons enim Libanus, teſte Ptolemeo lib. 5. altiſſimus quippe eſt in Siria, à thure, quod ibi colligitur, dictus, in fine terræ promiſſionis verſus Aquilonē, à quo dominata eſt terra, quæ eſt circa mōtem illū. In quo plane monte cedri creſcunt longiſſimè, & appellatur Libanus, albus, vel candidus. Quæ omnia apprimè cōueniunt Virgini glorioſæ: Fuit itaque illa ſācta Chriſti humanitas, & thus in hoc mōte Libano natū, & theſaurū in hoc monte, nēpe Maria, quaſi in agro abſconditū ꝙ Spiritus ſanctus ſolus inuenit, dū ipſa dixit: [Ecce Ancilla Dñi fiat mihi ſecūdū verbū tuū.] Quoniā ſtatim virtute Spiritus ſancti. [Verbū caro factum eſt.] & ſic inuentū fuit thus odoriferū in monte Libano. Tum denique, quia ſicuti thus igni impoſitū fumigat ſuauiter, ſic Chriſti humanitas igni blaſphemiarū ſuperimpoſita. hoc eſt dum Iudæi blaſphemabant dicētes Chriſto: [Nonne benedicimus nos quia Samaritanus es tu. & Dæmoniū habes] & iterū [Nō eſt hic homo à Deo: [Seductor ille dixit &c.] tunc ille, thuri ſimilis, tot ſuffumigationes ſuauis odoris emiſit dicens: [Ego Dæmoniū nō habeo.] & iterū. [Vos ex patre diabolo eſtis, &c.] vt vere thus odoriferū, ſuauiter odorē maximum vbique ſpargens reputaretur. Quoniā cū malediceretur, non maledicebat. Quinimmo ſicut ouis corā tondente ſe, nō aperiebat os ſuum. Et non mirum, ſi illā humanitatē thus odoriferum appellamus, cū ipſamet Cant. 2. & florē & lilium ſe nuncupet dicens: [Ego flos campi, & lilium conuallium.] Et vere flos, quoniā ſicut flos duo habet, nimirum, pulchritudinem, & odorem, ita humanitas Chriſti tam pulchra & odorifera fuit Eccleſiæ, vt rubeat in Martyribus, candeat in Virginibus, rutilet in Doctoribus, palleſcat in Pœnitētibus, & vireſcat in Confeſſoribus. Quoniā quidquid pulchrum & odoriferū reperitur in Eccleſia ſancta Dei, à Chriſti humanitate diuinitati vnita, veluti à flore, lilio coniuncto promanat. Liliū namq; diuinitatis aliqñ eſt ſymbolū, cū in illo ſint tria folia, quę tribus perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis commodè adaptari queunt. Ecce qualiter methaphora iſta de orichalco in camino ardēti quadrat humanitati Chriſti, ſiue legamus cum noſtra Vulgata [aurichalco] i. metallo, ſiue cū codicibus Grecis [chalcolibano,] i. thuri maſculino. Ex dictis autē licet colligere Ioannē iam caput, iam verò pedes huius imaginis, & figuræ attingere, in ſignū, quod ipſe admirabili artificio per totū hoc opus iā de diuinitate, iā de humanitate magiſtri ſui Chriſti, ſermonē habet. Et veluti aquila, quæ Ardeam (quā Hiſpani [la Garza] appellant) aucupari intendit, eādē, modo ad caput, modo ad pedes circuit per gyrum; ſic Ioānes ingenij ſui aquilina acie, Chriſtum circuit per gyrum, & inſtar aquilæ ſublimi volatu circumuolat, aſcendens ad caput, & deſcendens ad pedes, hoc eſt, iam diuinitatē, iam verò humanitatē attingens. Simili ſtylo vſus fuit in Euangelio dicens ſemel: [In principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum] Ecce caput Chriſti, id eſt diuinitas; & iterum dices: [Et Verbum caro factum eſt] Ecce pedes Chriſti, id eſt, humanitas. Ideo Petrus Damianus de Ioāne noſtro ſic eleganter ſcribit: [Beatus Ioannes alternato ſuę narrationis ordine, modo diuinitatē Chriſti ſublimiter intonat, modo quę humanitatis ſunt, plane quodammodo, & humiliter aſſeuerat: In principio, inquit, erat Verbum, ecce aquila Dei ad cæli verticem, ſublimiter euolat, ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, vt præſſis alis aliqñ in imum ſubmiſſa deſcendat; vnde & paulo poſt quid ſubdat, audite: Et Verbū, inquit, caro factum eſt, & habitauit in nobis.] Hæc Petrus Dam. Et obid hic veluti aquila, iam ad huius imaginis caput ſublimi volatu aſcēdit, dum dixit: [Et caput eius, & capilli erant candidi] Iam verò ſingulari artificio ad eiuſdem figuræ pedes deſcendit dicens: [Et pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.] Vbi per caput diuinitas, per pedes verò humanitas intelligenda venit.

Chriſti humanitas quanto amoris, & charitatis igne exarſerit.

Chriſtus ſimul viator, comprehenſor.

B. Greg.

Humanitas Chriſti cur chalcholibano, hoc eſt, thuri comparetur.

Paſſio Chriſti ſacrificiū maxime gratum.

Miſericordiā predicant vbera ſponſi.

Thus maſculinum vbi naſcitur.

Sixtus Pompeius, Plinius

Maria mons libanus.

Ptholameus.

Humanitas Chriſti fuit thus abſconditu in Beata Virgine.

Humanitas Chriſti ſuaui ta, & redolentia maxima in opprobrijs.

Humanitas Chriſti flos & lilium.

Eccleſiæ pulchritudo eſt à Chriſto tāquā à flore.

Ioannes eſt veluti aquila.

Comparatio notabilis.

Petrus Damianus ſerm. 1. de excellentia Ioanis Euangeliſt.

Chriſti caput diuinitas pedes vero humanitas.

Concept. 2. Quod Apostoli sunt pedes Christi similes aurichalco in camino ardenti.

APOSTOLOS significari in sacra pagina per ly [pedes,] liquet ex illo Iob 29. [Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundū dies quibus Deus custodiebat me &c. quādo lauabam pedes meos butyro, & petra, riuos olei fundebat mihi.] Qui enim sūt isti pedes butyro loti, & vncti, nisi Apostoli? Hi enim ante aduētum Spiritus sancti in die Pentecostes non erant sine culpa & lauabantur butyro, quia pinguedine gratiæ mundabantur omnino, per totum orbem prædicantes Christum a mortuis resurrexisse, & sic Petra, id est, Christus fundabat illis, riuos olei, hoc est, dona Spiritus sancti, per quæ mundati fuere, iuxta illud: [Effundam super vos aquā mundā, & mūdabimini ab omnibus inquinamentis vestris.] Hinc D.Gregor. in præallegata verba Iob sic scribit: [Pedes Domini prædicatores sunt, butyro ergo pedes lauabantur, quia prædicatores sancti, bonorum operū pinguedine replētur: & quia vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso: nam quilibet prædicās, aut ad quantulamcunque indignationē trahitur, si contēnitur, aut quantulamcunque gloriā si ab audientibus colitur. Vnde & Apostoli pedes loti sunt, & à quolibet paruo contagio in ipsa prædicatione contracto, quasi a quodā, in itinere collecto, puluere mundarentur; vel certe butyro pedes lauātur cum sanctis prædicatoribus debita ab audientibus stipendia conferūtur, & cum de ipsa prædicatione fatigati, auditorum suorū bonis operibus fouentur, non quod ideo prædicent, vt alantur; sed ideo alantur, vt prædicent. hoc butyro vnctus fuerat Paulus, qui in catena tenebatur, dicens 2. ad Timoth. 1. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit.] Ad hoc ipsum plane alludit illud Psalmographi. [Statuisti in loco spatioso pedes meos.] Super quæ verba sic scribit auctor Incognitus: [Qui enim sunt pedes Christi, nisi sancti Apostoli, & prædicatores, qui Christi nomen, & fidē per vniuersum portant mundū. Isti enim pedes ante Christi resurrectionem in stricto loco, positi erant, quia solum in Iudæa Christi fides prædicabatur; sed post resurrectionem in loco spatioso sunt positi, quia ad prędicandum per totum orbem sunt dilatati, relinquentes Iudæam.] Hæc Incognitus. In similia verba prorumpit sponsa, dum Cant. 5. ait: [Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatę sunt super bases aureas.] Quibus verbis sponsa, Apostolos, & prædicatores marmoreas columnas appellat, fundatas super bases aureas, nimirum supra duplicem amoris basem, Dei, videlicet, & proximi dilectionē. Quamobrem Isaias de Apostolis ait: [Quam pulchri supra montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonū, prædicantis salutem, dicentis: Sion regnauit Deus tuus.] Quem locum citat Apostolus ad Rom. 10. loquēs de prædicatoribus. Quem etiam Septuaginta sic transferunt. [Sicut hora, vel horologium super montes.] Quoniam quemadmodum horæ, vel horologia sunt pulchra, & delectabilia gradienti per desertos montes, quoniam his auditis, intelligit se propinquum iam esse ciuitati, sic Apostoli, & prædicatores sunt & pulchri, & delectabiles fidelibus in hoc mundo; quoniam, his auditis, consolantur per annuntiationem pacis, & gloriæ supernæ ciuitatis nouæ Ierusalem, quam ipsi intrepidè prædicant, & diligenter annuntiant. Vocantur autem Apostoli, & prædicatores, pedes Christi, quoniā Christus Dñs per Apostolos, & prædicatores vniuersum peragrat orbem, iuxta illud: [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Perinde ac diceret: Euntes vos, vt sic ego vobiscum, (nimirum supra voces vestras) sicut sedens super equum, orbem vobiscū circumeam. Ad hoc plane alludit illud, quod de Deo dixit Habacuc in c. 3. [Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuę saluatio]

Ezech. 6.

D. Gregorius lib. 19. moral. c. 9.

Prædicatoribus stipendia debentur.

Psal. 30.

Auctor Incognitus in psalmum 30.

Columnæ Apostoli.

Isa. 52.

ad Rom. 10.

Comparatio.

Horologium super montes quid significet.

Pedes quare dicuntur Apostoli, & prædicatores

Analogia inter pedes, & Apostolos.

Marc. 16.

F Super quæ verba sic scribit D.Hier. [Ascendit in Paulo, ascendit in Petro, & in huiusmodi curribus equitans, totū illustrauit orbē, intendens quoq; arcū, siue sagittas, sceptra, id est, regna diaboli destruxit.] Vnde subditur: suscitabis arcum tuū. Vel vt Septuaginta transtulerunt: Intendens, extendens arcū tuum super sceptra. Et D.Ambr. super eadē verba sic ait: [Agitauit Christus Apostolos suos, quos per diuersa mundi direxit, vt toti orbi Euangeliū prædicarent. Ascendit enim eques, nō tantum vt sedeat, sed vt regat.] Et eodem fere modo interpretatus est D.Greg. illud eiusdē capitis: [Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarū.] dum sic ait: [id est, aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius sæculi, sordida & terrena sapientes.] Sancti igitur Apostoli & prædicatores nomen Christi per vniuersum portarunt orbem, sicut ipsemet Christus de Apostolo suo dixit: G [Vas electionis iste est mihi, vt portet nomen meū coram gentibus, & filijs Israel.] Quare Apostoli rectè pedes Christi dicūtur. Accedit ad hæc, Apostolos appellari pedes per analogiam. Pes siquidem totū illud dicitur, quod est à femore ad calcem, quod diuiditur in coxendicem, femur genu, semen, poblitem, crus, suram, & imum pedem, qui calx appellatur. Quod etiā subdiuiditur in connexū pedis, quæ pars superior est, & calcaneū, quæ est superior, item in volam, quæ est pars medij pedis caua, & plantam, quæ pars tota inferior est, præterea in digitos, & vngues. Hæc igitur pars corporis dicitur pes; quia in ea totū corpus stat & fulcitur. Hinc factum est, vt apud Methaphysicos disputātes de ente & essentia, ea quæ stādi, & fulcēdi aliquod, sunt causa, pedes per analogiam appellentur vt pes scamni, pes montis, &c.] Et per consequēs fundamentum alicuius magni ædificij, pes magnus dici H debet, propter analogiam standi & fulciendi. Quod cum ita sit, qui quæso erunt huius magni ædificij Ecclesiæ Dei pedes, quibus totum ipsum erectum fulcitur, & sustinetur, nisi sancti Apostoli Christi? [Fundamenta eius (inquit Psalmista) in montibus sanctis,] id est, Apostolis. Comparantur verò Apostoli, & prędicatores aurichalco metallo. Tum propter prædicationis sonum; quoniam quemadmodum metallum orichalcum est maxime sonorum, vt apparet in cymbalis, ita sonus Apostolorum fuit ita ingens, vt in omnem terram, testante Psalmista, exierit. Tum quia sicuti æs siue orichalcum sonans, ipsum quidem tunditur, & consumitur, & alijs est auditu iucundum, & vtile; ita prædicator si peccatis laborat, ipse quidem fatigatur, & consumitur, totaque vtilitas in alios redundat. Tum quia quemadmodum orichalcum est visu pulchrum, & veluti deauratum, sic Apo- I stoli in sua prædicatione fuerunt pennæ columbæ deargentatæ, nimirum, Ecclesiæ militantis, quorū posteriora fuerunt in pallore auri, scilicet in Ecclesia triūphanti, vt plane indicant illa verba Psalmographi. [Si dormiatis inter medios cleros &c.] Tum quia sicut orichalcum in camino ardenti, est ignitū, sic Apostoli in sua prædicatione fuerunt charitate, mirum in modum accensi. Ideo Paulus ait: [Si habuero omnē fidē, ita vt montes transferam, charitatem autē nō habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalū tinniēs] Et 2. Cor. 5. [Charitas Christi vrget nos.] Hoc plane adumbrabant illa quatuor animalia, de quibus Ezechiel in cap. 1. dixit: [Et similitudo animaliū, & aspectus eorū quasi carbonū ignis ardentiū, & quasi aspectus lampadarū.] Carbo namq; accensus, charitatem vtiq; indicat, vt dicunt DD. super illa verba Isa. 6. [Et volauit ad me vnus de Seraphim, habens in manu cal- K culū, quem forcipe tulerat de altari.] Tum denique, quia quemadmodū orichalcum in camino ardenti, est velox, prout supra distulimus; ita sermo Apostolorū in prædicatione velociter cucurrit. Vnde de illis dicitur: [Ibāt Apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniā digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliā pati.] Assimilantur præterea Apostoli, & prædicatores (iuxta Arethæ, & Græcorum translationem) chalcolibano, hoc est turi masculino. Quoniam fuerunt odori-

D.Hier. super Habacuc

D.Ambr lib. de Nabuch. cap. 15.

D.Greg. lib. 44. moral. cap. 15.

Paulus quomodo vas electionis portans nomen Christi per orbem.

Pes propriè quid sit.

Apostoli sūt pedes Ecclesiæ per analogiam.

Apostoli sūt Ecclesiæ fundamenta.

Comparatio.

Psal. 18.

Prædicatorū labores.

Prędicatores pennæ columbæ.

Aquila.

Theodoretus

Vulgatus.

Prędicatores veloces.

Apostoli thus masculinū.

Apostoli odoriferi. Apostoli per Mádragoras significantur.

odoriferi cũ de illis ad litterã intelligatur illud Cant. 7. [Mandragoræ dederunt odorem.] Vbi per mandragoras, expositores, Apostolos, & predicatores intelligunt; quod vtique sequentia verba [in portis nostris omnia poma noua, & vetera dilecte mi, seruaui tibi] satis confirmant. Apostoli namque, & prædicatores sunt illa odorifera, & fragrantia sponsi vestimenta, de quibus Cant. 4. dicitur: [Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.] Tum denique, quia sicuti thus, vt odorem suum vbique spargat, oportet super prunas accensas imponatur: Sic Apostoli, Martyres, & prædicatores, igni in prædicatione verbi diuini traditi fuere, canente de illis Ecclesia.

Prædicatores odoriferi.

Prædicatorũ labores, & martyria.

Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus,
Armata sæuit vngulis,
Tortoris insans manus,
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gloria.

En vides Apostolorum, Martyrum, & Prædicatorum fragrantiam & bonũ in sua prædicatione odorem. Meritò dixit Apost. 2. Cor. 2. [Christi bonus odor sumus in omni loco.] Thus etenim masculinum (cui hic comparantur Apostoli, & prædicatores) genus est thymiamatis, prout tradit D. Hieronymus super illa verba Oseæ 14. [Ero quasi ros Israel, germinabit quasi lilium, & erumpet radix eius, vt Libani, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius, vt Libani] hoc est, vt thuris.

Thus est genus thymiamatis. D. Hieronymus super Oseam.

Concept. 2. quod vltimi fideles indicantur per pedes similes aurichalco.

Primasius in commentar.



ACCIPE & aliud documentum, quo pedes similes aurichalco, indicant vltimos fideles. Iccirco Primasius hoc loco sic scribit: [Pedes ignitos nouissimi temporis Ecclesiam dicit. Pedes enim nouissima pars corporis ponitur: Tunc enim Ecclesia vehementia pressurarũ probanda prędicitur, sicut lapis de monte præcisus, statuam illam in pedibus percussit, idest regnorum mundi corpus omne ictu contriuit, sed ideo in pedibus, quia nouissimo tempore. Aurichalco autem illa ratione comparauit quod ex ære fiat, cum igne multo, & medicamine adhibito perducitur ad aureum colorem; ideo autem Libani, quia electi, interpretatur enim candidatio. Et quod in Iudæa, Libanus mons sit circa finem mundi, corpus Christi persecutionibus examinari significat, vbi & Dominus creditur passus.] & Strabus in sua glossa ordinaria sic: [Et pedes, idest vltimi fideles, quia multis concussionibus non retinebunt priorem naturam, sicut aurichalcum, quod sæpæ incenditur, & meliorem accipit colorem in camino ardenti, in alia translatione habetur aurichalco libani, per quod ostenditur, quod in illa regione, vbi Dominus crucifixus est, maxime illa tribulatio est valitura.] Et S. Tho. [Pedes vltimi fideles, notã gloss. Matth. 24. erit tunc tribulatio tanta, qualis nunquam fuit ab initio mundi, & tamen sicut dicit Gregorius, Electi, Antichristo valde contradicent, dicit enim sic super Iob, Dei adiutorio, Electi, vt Antichristo contradicere valeant, fulcientur.] Cucurrit etiam in hanc eamdem sententiam cum Haymone, & Beda. D. Dionys. Carthus. dicẽs [Per pedes intelligunt (Haymo, & Beda) Christianos in fine sæculi, tẽpore Antichristi, qui erunt extremi, & vltimi, sicut pedes sunt in extremũ, & vltimũ corporis, isti similes erunt aurichalco, quod est ęs, per ignem, & plura medicamina perductum ad auri colorem: sic illi per acerbissimas persecutiones exercebuntur, ac perducentur ad plenum charitatis fulgorem, ideo subditur, sicut in camino ardenti, idest tribulationi ingenti, qui etiam aurichalco, potius quam auro assimilantur,

Strabus in comment.

S. Thom. in comment.

Haymo. Beda.

Carthus. in comment.

A quia etsi primis Ecclesiæ sanctis similes sint futuri in perfectione virtutum, non tamen ita splendebit, aut innotescet eorum perfectio, per miracula, sicut priorum sanctorum.] Hæc Carthusianus. Cui itidem sententiæ se subscripsit Auctor incognitus sub his verbis: [Hic verò per pedes intelliguntur inferiores in Ecclesia, vnde sæpe sordidantur, & propter hoc non auro, sed aurichalco comparantur, vel pedes Domini sunt electi multi, qui erunt tempore Antichristi, nam sicut aurichalcum multis concussionibus, & & cremationibus depuratur, & meliorem colorem accipit, ita illi multis tribulationibus depurabũtur, & puriores efficientur, Sap. 3. tanquam aurum informare probauit electos Dominus; ideo aurichalco comparantur, & non auro, quia quamuis sint eiusdem meriti, & virtutum, sicut primi fuerunt, non tamen lucebunt, miraculis, sicut illi, & ideo pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti, quasi dicat, sancti multi erunt, quasi aurichalcum decoctum in camino ardenti, quia multis grauaminibus, & doloribus affligentur; vel pedes sunt inferiores, qui cum multis tribulationibus, & grauaminibus comedunt panem suum, quia in camino ardenti, quia comburuntur ardoribus tribulationum ex decoctione laboris, & alij calefaciunt; & additur caminum ardentem, quia eorum laboribus, & miseriis ducuntur, idest consolationes recipiunt:] Ita Incognitus Auctor. Ex hac itaque sententia colligitur, vltimos fideles, Dei gratia in illis postremis temporibus, sanctiores, & meliores nobis fore. Et non solum fortes fieri, veluti aurichalcum, verumetiam Dei gratiæ vi (quasi diuinæ cuiusdam alchimiæ viribus) in fornace tribulationum aurum fient. Quod si sanctus Thomas in 2. sent. dist. 7. q. 3. art. 1. ad 5. asserat, artem virtute sua, non posse formam substantialem conferre,

B

Incognitus Doctor in comm.

Gratiæ fortitudo in postremis fidelibus.

S. Thom.

C posse tamen virtute naturalis agentis, sicut patet in hoc, quod per artem inducitur forma ignis in lignis, Sed quasdam formas substantiales esse, quas nullo modo ars inducere potest, quia propria actiua, & passiua inuenire non potest, sed in his posse aliquid simile facere sicut alchimistæ faciunt aliquid simile auro quãtum ad accidentia exteriora, sed tamen non faciunt verum aurum, quia forma substantialis auri nó est per calorem ignis, quo vtuntur Alchimistæ, sed per calorem solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis, & ideo talem aurum, non habet operationem consequentem speciem; & similiter in alijs, quæ eorum operatione fiunt. Vbi sanctus doctor negat naturales alchimias, æs, vel ferrum, in verum posse aurum mutare, tamen supernaturalis alchimia gratiæ Dei, id facile præstat, iuxta illud Isaiæ 60. [Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.] Et sic vltimi fideles gratia Dei, fient nobis fortiores, præstantiores, meliores, ac sanctiores. Primum autem auctorem huius sententiæ, qua per pedes vltimi fideles intelliguntur, Diuum Augustinum reperio, qui in hoc loco sic scribit: [Et pedes eius similes aurichalco clibani igniti veluti in fornace ignis, in pedibus ignitis, Ecclesia intelligitur, quæ imminente die iudicij nimietate præssurarum probanda, & igne examinanda est, & quia pes, nouissima pars est corporis, & pedes ignitos dixit esse: Ideo in pedibus: Ecclesia nouissimi temporis intelligitur, multis tribulationibus, velut aurum in fornace probanda. Quam rem qui bene considerat iam nunc ex multitudine iniquitatum fieri videt; ideo aurichalco similauit, quod ex ære, & igne multo, ac medicamine perducitur ad auri colorem, sic Ecclesia per tribulationes, & passiones, & alias oppressiones purior redditur:] Hucusque Augustinus. Quamobrem legendo cum nostra vulgata, [pedes similes aurichalco, metallo:] apparet fortitudo, constantia, & in Christi fide firmitas vltimorum fidelium, cum de illis dicat dominus: [Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.] Si autem cum codicibus Græcis legamus, [pedes similes calcolibano, idest thuri masculino] Tunc humilitas, sanctitas, & perfectio vltimorum electorum indica-

Alchimistæ nequeunt verum aurum facere.

Deus ex ære verum facit aurum.

D

E

Lucæ 21.

indicatur, cum de illis dicat Dominus: [Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis hæreditatem.] Lucæ 12. Quadrat certe similitudo thuris cum paruo grege: quoniam thus ex arbuscula quadam, inter inaccessas rupes Arabiæ nascitur, ex cuius corticis intercisione, inferuentissimo solis ardore colligitur: Cuius plane arbusculæ cortex lauri folio est similis. Perquæ omnia, & humilitas, ac sanctitas, & perfectio vltimorum electorum liquide apparet, cum ex Arbuscula, humilitatem, ex ardore solis, virtutum perfectionem, vel tribulationem; & tandem ex similitudine foliorum lauri, sanctitatem, vel præmium sanctitatis, quod per lauream coronam indicatur, colligere quis facile possit. Passim tamen animaduerte, quod de Orichalco Franciscus Marius Grapaldus tractatu de partibus Aedium lib. 1. cap. 6. sic scribit: [Aurata piscis ab auri colore nomen accepit. Cuius amator Sergius, Orata, cognominatus est, vt refert Macrobrius, nam Orata prius dicta, quasi Aurata, quasi ab oro, quod vulgo etiam pro auro dicunt, hinc Orichalcum ab ære vel auro quidam falso putarunt cum sit à montibus, & ære nominatum.] Hæc Grapaldus.

Thus ex quadam arbuscula in Arabia colligitur.

Grapaldus Parmensis vir adeo illustris

PARAPHRASIS

Quinta.

Par. 8.

Et vox illius (inquit) tamquam vox aquarum multarum. Vox Christi, seu Angeli, Christum repræsentantis, aquarum multarum voci hic comparatur, non ex eo quod aquæ vocem efformare queat cum neque aqua, neque aliæ res inanimatæ in vocem prærumpere possint, quoniam vox, iuxta Philosophum, sonus est ex ore animalis prolatus certis quibusdam instrumentis efformatus cum intentione aliquid significandi, Quod in rebus inanimatis haud quaquam reperiri potest. Sed ex eo talis vox dicitur, aquarum multarum, voci similis, quia sonora terribilis, & magna fuerit. Vox si quidem magna ingenti, terrificoque sono comparatur. Et in sacro eloquio sonus ingens rerum, in animatarum (qui communiter à Philosophis ictus duorum corporum solidorum dicitur) appellatur vox. Solet namque sacra scriptura ingentes aliquos sonos (quamuis rerum inanimatarum) nuncupare voces, vt cum dicitur, vox cataractarum, vox nubis, vox tonitrui. Ad quod plane alludit illud Psal. 4. [Abyssus abyssum inuocat in vocem cataractarum tuarum.] Et Psalm. 76. [Etenim sagittæ tuæ transeunt vox tonitrui tui in rota.] Et in hoc sensu, in eadem sacra pagina, magnus strepitus, ictus vel sonus dicitur: [Vox aquarum multarum,] vt videre est apud Danielem cap. 10. [Vox sermonum eius, vt vox multitudinis.] & Apo. 19. [Et audiui, quasi vocem tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum.] Et sic etiam est in præsenti dum dicitur: [Et vox illius tamquam vox aquarum multarum.] Quod perinde sonat, ac diceret: Vox illius tamquam sonus aquarum multarum. Quoniam in c. 1. Ezech. sic legitur: [Et audiebã sonum alarum quasi sonũ aquarũ multarum, quasi sonus sublimis Dei cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, & quasi Castrorum.] Vbi strepitus, siue impectus, & ictus aquarum fluentium, non vox, sed sonus appellatur. Hinc plane est, quod Doctores vocem illam, de qua Gen. 3. dicitur: [Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem,] Non expendant de voce Domini quando dixit: [Adam vbi es:] Quoniam quando Deus dixit: [Adam vbi es?] Tunc Adam iam erat absconditus, & ex latibulo suo processit in apertum, & in Dei conspectum venit: Et cum dicitur [& cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram,] statim sequitur in textu, [Abscondit se Adam, & vxor eius a fa-

Dilucidatio textus.

§. 1. Analogia inter vocem, & aquas.

Vox quid sit

Sonus quid sit.

Sonus aliquãdo in diuino eloquio vox appellatur.

Vox Domini in paradiso deambulantis accipitur pro sono.

F cie Domini Dei in medio ligni paradisi.] Quare per vocem illam Dei, quæ perterritus Adam abdidit se in nemus paradisi, non vocem Dei, qua dixit, [Adam vbi es?] Expendunt Doctores, sed ingentem quemdam, terrificumque sonitum, ac fragorem, quo Deus aduentum suum, Adamo præsignificare voluit: exoluunt, vt videre est apud Abulensem, & Benedictum Pererium in cap. 3. Gen. Quamobrem comparando, hoc loco noster vates hanc vocem, voci aquarum multarum, demonstrat aperte vocem istam magnam, & ingentem, ac terribilem, sonoramque fuisse, vt etiam supra indicauit Dei Vates, dum dixit: [Et audiui post me vocem magnam, tamquam tubæ loquentis] Geminatur autem similitudo tubæ, & aquarum multarum ad maiorem manifestationem vocis magnæ. Hæ duæ tamen similitudines, quæ hoc in cap. diuisim proponũtur, in cap. 19. eiusdem operis sub his verbis coniun-
G ctim recitantur: [Et audiui quasi vocem tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum.] Ingens itaque strepitus aquarum cum impetu fluentium, vox hoc in loco dicitur, quamuis iuxta Aristotelem lib. 1. de animalibus cap. 1. omnia quæ non spirant (veluti aquæ) voce careant. Quoniam vox nihil aliud est, iuxta eius doctrinam, quam aer à pulmone in canalibus gutturis motus, & impulsus, & mediantibus naturalibus instrumentis in ore articulatus, & formatus. Vnde animalia, quæ non spirant, cuiusmodi sunt pisces, & serpentes, non vocem, sed sibilum, loco vocis obtinent.

Abulensis. Benedictus. Pererius.

Philosophus.

Vocis descriptio ex Philosopho.

Vocem non habent animalia pulmone carentia.

Huius tamen textus triplex est sententia, quarum prima, per hanc vocem aquarum multarum, voci similem, tenet admirabilem efficaciam, magnamque virtutẽ Christi, Angeliuẽ ipsum repræsentantis debere intel-
H ligi. Angeli vẽ ipsum repræsentantis debere intelligi. Quoniã vox Christi ita efficax, & magnæ virtutis est, vt de illa dicat Regius Psaltes Israel: [Vox Domini in virtute &c. confrigentis cedros, &c.] Et Apostolus ad Hebræos 4. [Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est nulla creatura inuisibilis in conspectu eius.] Vox etiam Angeli magnæ virtutis est, Quoniam Angeli virtus, & efficacia ad præceptum Domini exequendum, tanta plane est, vt vnus Angelus plus possit dicere, quam multitudo hominum, seu Doctorum declarare. Quapropter illius figura, imaginis, hominisque similitudinis vox, vna solummodo cum sit, sono aquarum multarum assimilatur, propter efficaciam, & virtutem eius, quæ tanta est, vt à longe, sicut
I strepitus, & sonus vndarum, audiatur. Tria namque sunt (inter alia) quæ homines a longe mirummodum expauescunt, magnam vim, & efficaciam procul indicantia, nempe flumen, mare, & exercitus. Cum enim flumen magnum, montem excelsum, ex cuius cacumine magna vi, & aquarum copia, perenniter ex sua origine profluentium per saxosa loca ad campestria descendens scindit, appropinquantibus, & ad eius ripas accedentibus, timorem plane incutit, mare itidem cum vi ventorum turbatur & tumescit, fluctuum se inuicem collidentium sonus terribilis à longe auditur, qui homines mirum in modum terret. Cum denique magnus exercitus, siue castrorum multitudo incedit, terribilis ex incessu turbarum, hinnitu Æquorum, & ex collisione armorum, sonus a longe exauditur, qui homines expauescere solet. Hinc est, quod sacra pagina vim aut efficaciam aliquam cupiens exprimere,
K illam sonitui aquarum multarum, strepituiq. hominum magnæ multitudinis clamantis, & venientis, aut irruẽtis comparare soleat, iuxta illud Isa. 17. [Væ multitudo populorũ multorum, vt multitudo maris sonantis & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi, sicut sonitus aquarum inundantium.] Et Dan. 10. [Vox sermonum eius, vt vox multitudis.] Ita pariter in præsenti ad significandam magnam efficaciam, & virtutem verborum Christi, seu

Ange-

§. 2. Prima opinio Auctoris probatur. 1. Ratio.

Psal. 28.

Vocis Christi efficacia. 2. Ratio.

3 Ratio.

Tria quæ homines a longe terrere solent.

Cunctobquas vox Christi magna, & efficax dicitur.

Angeli in persona Christi loquentis; tum in docenda veritate his Ecclesijs Asiæ, & totius mundi, tum in reuelandis occultis, tum in prædicanda cælesti doctrina, tum in corripiendis improbis hominibus Ecclesiam Dei persequentibus, tum denique in annuntiandis in finali iudicio (& extra illud hoc nostro seculo) diuinis sententijs, ac cælestibus iudicijs, vox ista, sono aquarum multarum, meritò assimilatur. In hac sententia adest in parte nobiscum (quamuis non in toto) Franciscus Ribera, & in toto, Beda, Petrus Bulengerius, Benedictus Pererius, & etiam Lyranus in hunc locum, sic scribendo. [Et vox illius tamquam vox aquarum multarum, in quo notatur virtus, & auctoritas loquentis, sicut supra per vocem tubæ, est enim eadem significatio replicata per illam similitudinem ad maiorem expressionem.] Hanc explanationem, puta litteralem esse. Virtutem tamen, & efficaciam vocis Christi præintellexit plane Centurio ille, dum Christo dixit: [Dic verbo, & sanabitur puer meus.]

1. Ratio.

Fráciscus Ribera in comment. Lyranus in cómentar.

Matth. 8. B

Secunda sententia est D. Ambrosij, D. Augustini, S. Thomæ, D. Dionysij Carthusiani, Berégandi, Bedæ Ruperti Abbatis in hisce commentarijs. Qui omnes cum glossa ordinaria per vocem aquarum multarũ intelligunt allegoricè multitudinem gentium ex gentilitate ad Baptismum venientem, iuxta illud Apo. 17. [Aquæ quas vidisti populi sunt, & gentes, & linguæ.] Hinc Primasius super hunc locum sic scribit: [In voce Ecclesiam ostendit prædicantem, cui dicitur, clama ne cesses, aqua autem multi populi sunt, sed & donum baptismi, quod emisit præcepto per Apostolos ad salutem rectè intelligitur hìc Psalmus Dominus diluuium inhabitat, & vox, inquit, Domini super aquas Deus maiestatis intonuit.] Sustentabilis etiam est hæc opinio. Tum ex vocis, & aquæ conformitate. Quoniam vox Christi habuit virtutem ablutiuam iuxta illud Ioan. 15. [Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.] Et Eccles. 24. [Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuij Dioryx, & sicut aquæductus exiui à paradiso, dixi rigabo hortum meum plantationum & inebriabo prati mei fructum.] Et Ioan. 4. [Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,] Quæ omnia, & de aquis baptismalibus, & de prædicatione verbi diuini expendi vtiq. possunt. Quemadmodum enim aqua mundat sordes, extinguit ignem, producit plantas, & alia infinita præstat, sic prædicatio verbi diuini, & sordes vitiorum abluit, & ardorem cõcupiscentiæ extinguit, &c. Hinc doctrina Christi, & legis Euangelicæ quatuor præ se gerit aquæ præcipuas virtutes, vnam nimirum extinguendi sitim, & cupiditatem rerum temporalium, alteram refrigerandi ardorem concupiscentiæ, tertiam lauandi, & mundadi sordes, atque maculas peccatorum, & tandem quartam irrigandi, & fecundandi terram cordis humani, vt suaues, atque vberes virtutum fructus proferat, vnde Psalm. 142. dicitur [anima mea, sicut terra, sine aqua tibi.] Tum quia Deus in lege veteri vocem habebat tubæ, hoc est prophetarum, quorum voces tubis in veteri Testamento crebro assimilantur, vt apparet in illo [Quasi tuba exalta vocem tuam] Tamen in lege noua, vocem habuit, & habet, aquarum multarum, nimirum prædicatorum. Quoniam concionatorũ voces in nouo Testamento, aquis vnà sonantibus comparantur, iuxta illud, quod Daniel significauit dum in cap. 10. dixit: [Et vox sermonum eius vt vox multitudinis.] Et Ezechiel cap. 1. [Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.] Quæ omnia de fidelibus concionatoribus legis diuinæ, & Euangelicæ proculdubio intelligenda veniunt, vt indicat noster Archipropheta dum in cap. 1. huius operis in hæc verba (vt nuper retulimus) prorumpit: [Aquę quas vidisti populi sunt, & gentes, & linguæ.] Quemadmodum enim aquæ multæ simul sonantes super aliquod saxum, siue petram, concordare in sono videntur, ita pariter diuersæ, & multæ voces omnium concionatorum huius nostri sæculi, quamuis vna in In-

§. 3. 2. opinio D. Ambros. D. Aug. D. Thomæ. D. Dionys. Carth. Berengandi. Bedæ. Rupert. Abb.

Primasius in commẽtarijs. Ioan. 15. Apoc. 17. Psalm. 28. Explanatio probatur. 1. Ratio. C

Vox Christi ablutiua.

Comparatio. D

2. Ratio.

Prædicatorũ vox, aquis comparatur

E

Comparatio.

dia, alia in Asia hæc in Europa, & altera in Africa acclamet, tamen in sono concordare videntur, dum impetu magno super petram illam, de qua scriptum est: [Petra autem erat Christus] profluentes & collidentes se diffundunt. Ideo Beda in hunc locum sic scribit: [Vox confessionis, prædicationis, & laudis non in Iudæa tantum, sed in diuersis populis resonat, iuxta illud in Isaia à finibus terræ laudes audiuimus gloriam iusti.] Et Rupertus Abbas. [Aquarum nomine diuinæ scripturæ solent intelligi, quod nimirum scripturis approbare ex abundanti est: constat autem quia ille filius hominis caput tam candidum pedes habens huius modi similes aurichalco, quicquid in passionibus siue tentationibus suis loquebatur, vel nunc vsque loquitur sanctarum consonat scripturarum, & consentit voce, & sensibus, immo & vita, & mors eius, resurrectio quoque, & ascensio eius sic, & sic, Iccirco processit vt scripturæ adimplerentur, igitur vox eius tamquam vox aquarum multarum, idest doctrina, vel omne opus eius veritas, & adimpletio est scripturarum, quæ multæ sunt; scilicet, legis Prophetarum, atq. psalmorum. Quoniam necesse est (inquit Lucæ 24.) impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me.] Hucusque Rupertus. Et eamdem sententiam tenere videtur Ioachimus Abbas sic scribens: [Sicut guttæ multæ descendentis pluuiæ, sono multiplici concorditer sonant, ita multiplicia scripturæ sacræ eloquia, in quibus loquitur Christus eamdem sonant veritatis sententiam. quam ob causam scriptura rotæ illi apud Ezechielem cap. 1. comparatur, cum dicitur apparuit rota vna super terram, iuxta animalia habens quattuor facies, & aspectus earum, & opera, quasi rota in medio rotæ, & vna similitudo ipsarum quattuor.] Quibus verbis, Ioachimus fateri videtur prædicationem Apostolorum vsque ad fines terræ penetrasse, iuxta illud Psalm. 18. [In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] Et obid sono inundantis pluuiæ, aut fluuiorum impetui, regium Cytharędum comparasse, qui per prærupta loca ruens longius auditur. Hæc plane est illa voluntaria pluuia, de qua psalmographus ait: [Pluuiam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ.] Porro de hac populorum multitudine per Apostolorum prædicationem, ex gentilitate ad Christianismum venientem, intelligitur illud Isa. 60. [Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos, super te autem orietur Dominus, &c.] Quamobrem, aquæ multæ, vt sacra scriptura inquit Apoc. 17. Populi multi sunt, quoniam prædicatio doctrinæ Euangelicæ, non in vno dumtaxat populo Hebræo, sicut prædicatio veterum Prophetarum conclusa est, quinimmo in omnem terrarum orbem peruagata, ad omnes mundi gentes affatim diffusa vtique est.

Analogia inter vocem, & aquas.

Beda.

Rupertus Abbas in com.

Ioachimus Abbas in cõmentarijs.

Scriptura sacra comparatur aquis.

Ps. 18. 3. Ratio.

Tertia, & postrema sententia, est Arethæ asseuerantis per hanc aquarum multitudinem, intelligendam esse gratiarum multitudinem, quæ ex ore Christi, tamquam ex fonte dimanauit, iuxta illud Ioan. 7. [Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.] Ad quod alludit Ioel. in cap. 3. dicens: [Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrententem spinarum.] & psalmographus in Psalm. 44. dicens: [Diffusa est gratia in labijs tuis.] Et sapiens Cant. 5. inquiens: [Labia eius distillantia myrrham primam.]

§. 4. Tertia opinio Arethę. Aquarũ multitudo, appellatur gratia.

Verumenimuerò dispungendum restat, an hæc vox, de qua hic dicitur: [Et vox illius tamquam vox aquarum multarum] sit vnius, vel multorum Angelorum. Quod autem sit multorum, probari potest. Tum quia ly [tamquam aquarũ multarum] ita sonare videtur, tamquam Angelorum multorum. Tum quia in c. 5. huiusmet Prophetiæ sic dicitur. [Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni, &c.] Tum

§. 5. Vox aquarũ multarum an sit vnius, vel multorum Angelorum. 1. argum. 2. argum.

3. argum. Tum quia multi Angeli apparuerunt Ioanni, vt videre est per totum opus. 4. argum. Tum denique, quia hæc vox cum assimiletur multis aquis simul sonantibus, multiformis est, quemadmodum est vox multorum monachorum, aut clericorum simul in choro, vel in processione canentium [Legem pone mihi Domine,] vel [Aue maris stella,] qui omnes, licet vna voce, eamdem litteram dicant, & easdem prorsus notas psallant, secundum vnum, & eumdem tonum, tamen vnusquisque per se suam vocem emittit, & sic omnium voces, vna vox multiformis dicitur eadem proferens iuxta illud, [Audita est vox dicentium, &c.]

Cantus multorum vna vox dicitur.

Diluitur difficultas.

Distinctione tamen hic opus est, aut enim est sermo, de hac sola prima reuelatione, aut de alijs sex reuelationibus, Supra quidem dictum fuit, totum hoc opus in septem principaliores, & præcipuas sectari reuelationes.

1. Propositio. Angeli multi apparuerunt Ioan. in septe visionibus Apocalypsis. 1. Ratio.

Si igitur sermo fuerit de toto opere, multi & varij Angeli apparuerunt Archiprophetæ Ioanni, Probatur, quoniam cap. 7. sic dicitur [Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ.] Et cap. 8. [Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.] Et cap. 10. [Et vidi alium Angelum descendentem de cælo.] Et cap. 14. [Et tertius Angelus secutus est alios.] Et cap. 15. [Et vidi alium signum mirabile, & magnum, Angelos septem, habentes plagas septem nouissimas.] Et cap. 18. [Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam.] Et cap. 20. [Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi.] Quare apertum euadit, multos alios Angelos per totum hoc opus, nostro vati Ioanni apparuisse, tum ad maiorem, & vberiorem ipsius Ioannis, in tali exilio & relegatione consolationem, tum etiam ob commodiorem mysteriorum omnium sibi repræsentatorum exhibitionem.

2. propositio. Angelus vnus dumtaxat apparuit Ioanni in prima visione. 1. Ratio. 2. Ratio.

Si vero sermo fuerit de hac sola prima visione, quæ tribus capitibus, nimirum, Primo, secundo, & tertio, dumtaxat clauditur, vnus solus Angelus Ioanni Archiprophetæ in ea apparuit. Probatur. Tum quia in primo cap. huius primæ visionis, sic dicitur: [Et significauit mittens per Angelum suum.] Tum ex his quæ sequuntur in eodem capite, nimirum: [Audiui post me vocem magnam tamquam tubæ.] Et paulo post: [Vidi similem filio hominis:] Idest Angelum, vt patet ex superioribus, Christum repræsentantem, & ad ostendendum, vnum dumtaxat Angelum fuisse, protinus adiungit: [Caput autem eius, &c. pedes eius &c.] Vbi ly [eius] singularitatem plane indicat, & non pluralitatem: quare in fine huius primæ visionis ait: [Et cum vidissem eum cecidi ad pedes eius,] nimirum Angeli.

3 Propositio. Angelus primæ visionis Ioannis, in alijs sex visionibus etiã venit cum alijs Angelis. 1. Ratio.

Angelus iste, qui in prima visione solus apparuit Ioanni, principalis & auctor omnium mysteriorum totius operis Apocalypseos vtique fuit, qui in prima visione solus apparuit, in alijs vero sex sequentibus visionibus, comitatus multis alijs Angelis venit, Probatur. Quoniam apparuit in principio, in medio, & in fine totius operis. Nam in principio primi capitis sic dicitur: [Mittens per Angelum suum,] & in medio operis, nempe in cap. 4. sic dicitur: [Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui tamquam tubæ loquentis mecum, dicens, ascende huc & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.] Et denique in fine operis nimirum in vltimo capite, sic habetur: [Et dixit mihi, (Angelus) hæc verba fidelissima sunt & vera, & Dominus Deus spirituum Prophetarum misit Angelum suum, &c.] & paulo post hæc: [Et ego Ioannes, qui audiui, & vidi hæc, postquam audissem, & vidissem, cecidi, vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi, vide ne feceris &c.] Quare luce clarius apparet, primum Angelum, qui solus in prima visione apparuit Ioanni, principalem, & auctorem instrumentalem omnium mysteriorum Apocalypseos extitisse.

4. Propositio. Vox aquarum multarum, vnius dumtaxat Angeli fuit.

Ex hucusque dictis facile deducitur, vocem istam, de qua hic dicitur: [Et vox illius tamquam vox aquarum multarum] vnius dumtaxat angeli fuisse, illius nimirũ, qui in hac prima visione solus apparuit Ioãni. Quod ex eo solummodo liquet, quod talis vox ad primam spectat visionem. Constat autem ex superioribus, quod in hac prima visione (quæ tribus dũtaxat primis capitibus clauditur, & terminatur) vnus solummodo Angelus Ioanni apparuerit; quare præallegata vox, vnius dumtaxat, & nullatenus multorum Angelorum, erit.

P A R A P H R A S I S

Nona. *Par. 9.*

Dilucidatio textus. §. 1. Episcopi stellæ, & Angeli.

Et habebat (inquit) in dextera sua stellas septem. Istæ stellæ in dextera Dei, septem plane, Ecclesiarum Asiæ pastores sunt, ipso Domino, infra, sic explanante: [Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum.] Vbi pastores, præsules, prælatos, hoc est Episcopos Ecclesiarum capita, & Apostolorum successores sub Angeli appellatione dumtaxat commemorat Dominus, quoniam quæ capiti conueniunt, & membris etiam conuenire fas est, & decet. Has septem Ecclesias Asiæ supra proprijs nominibus suis recitauit, vt clare ostenderet, quod quemadmodum solus ipse cuncta agnoscit astra, dicente psalmographo [Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat] sic solus ipse sua Ecclesiæ cognoscit electorum numerum, canente ipsamet Ecclesia [Deus cui soli cognitus est electorum numerus,] qui per septenarium numerum optime plane indicatur, quum perfectus numerus vtique sit. Harum septem Ecclesiarum stellas, nimirum, pastores præsules, & Episcopos habet Christus in dextera sua, Tum quia hos specialiter præ cæteris fidelibus, fouet, protegit, visitat, defendit, conseruatque. Quæ omnia per dexteram vtique indicantur, quoniam dextera, fortior, calidor, perfectior, nobiliorque pars est, & sinistræ apposita, Tum quia hos faciliter, & agiliter, vel mutatione, vel morte, de loco suo dextro, idest, de Ecclesia sua sancta (quæ à dextris eius semper stat) protinus ipsis peccantibus mouet, quod plane etiam indicatur per hoc, quod stellas in dextera sua præ se gerit, quoniam quemadmodum dextera ad protectionem tutellamque apta describitur, sic ipsamet ad mouendum aliquid faciliter, & prompte, de loco suo idonea reputatur. Quamobrem infra Episcopo Ephesi dicitur: [Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam ageris] vidésne facilem mutationem dexteræ excelsi?

Episcopi sunt capita, & præcipalis pars Ecclesiarum.

Electorũ numerus soli Deo cognitus.

Episcopi cur in dextera Christi. 1. Ratio.

Dextera quid sit. 2. Ratio.

§. 2. Stellæ cur Episcopi. D. Dionysius Carthusianus in commenta.

Quare Episcopi harum septem Ecclesiarum stellæ nuncupentur, infra in calce huiusmet primi capitis dispungetur, nunc tamen hoc in loco verba D. Dionysij Carthusiani sufficiant, quæ talia vtique sunt. [Stellæ hæ, sunt Episcopi, siue pastores præfatarum Asiæ Ecclesiarum, qui stellæ dicuntur, quia illuminant subditos, & in Christo (tamquam in firmamento fixæ, & altæ) sunt collocati; magna autem potestate, ac influentia præditi, vnde in Daniele legitur: Qui ad iustitiam erudiunt plurimos quasi stellæ

Dan. 12.

Comparatio. stellæ in perpetuas æternitates fulgebunt. Denique A sicut candela ponitur in candelabrum, ita Episcopus super Ecclesiam, & vt stella orbem cælestem, sic prælatus dignus ornat Ecclesiam, stellæ istæ ad dexteram sunt Christi, quia eius gratioso auxilio iugiter innituntur, sine quo nihil meritoriè operantur, secundum quod ait, sine me nihil potestis facere, & quia in spiritualibus Christi bonis, atque internis consolationibus, quæ nomine dexteræ designantur, quiescant. Item quia in die iudicij stabunt ad dexteram, nunc quoque in cælis sunt per amorem, & vitæ immitationem] Hæc Carthusianus.

§. 3. Ecclesiæ proprius locus est dextera Christi. Verum enimuerò passim nota, quod proprius locus Ecclesiæ, & Episcoporum, (qui & Apostolorum successores, & principalis pars huius Ecclesiæ Dei merito appellantur) est Christi dextera, dicente psalmista, Psalm. 44. [Astitit regina à dextris tuis in vestitu de B aurato circumdata varietate.] Qui plane locus communiter à doctoribus de Ecclesia explanatur, & adhuc, hoc in loco, grauissimi adstipulatores id ipsum asseuerant, inter quos est Primasius, qui sic scribit: [In dextera Christi est spiritalis Ecclesia, propterea astitit regina à dextris tuis in vestitu de aurato circumamicta varietate. Cui astanti dicit, Venite benedicti patris mei percipite regnum, istæ septem Ecclesiæ septem stellæ sunt, quas nominatim vocat, non quia illę solæ sunt Ecclesiæ, aut principes, sed quod vni dicit, omnibus dicit, in vnitate positis, secundum prædictam intelligentiæ formam, quas septenario numero vniuersitatem dicimus figurari.] Sic ille.

Regina Ecclesia. Primasius in commétarijs.

Ecclesia cur regina appellatur. Ecclesia tamen dicitur regina, quoniam summi Regis Christi sponsa, & vxor est, iuxta illud Apoc. 19. [Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius (nempe Ecclesia) præparauit se.] Et Apoc. 22. [Veni, & ostendam tibi sponsam, vxoremque agni,] nempe Eccle- C siam. Dicitur verò Ecclesia esse ad dextris Christi, Tum quia illic posita nemo talem locum ab ea adimet: [Portæ inferi (dicitur Matth. 16.) non præualebunt aduersus eam.] Et Ioan. 10. [Et non rapiet eas quisquam de manu mea.] Tum ad summum honorem Ecclesiæ indicandum. Ingens namq. honor est ad dexteram alicuius magni Regis sedere. Quamobrem Salomon matrem suam Bersabee ad dexteram suam sedere fecit, iuxta illud 3. Reg. 2. [Positus est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius] Tum ad maximum ostendendum amorem Christi erga suam Ecclesiam, quoniam nomen dexteræ, est amabilis, & prætiosus. Hinc Beniamin filius dexteræ, Gen. 35. fuit appellatus; Christus autem ita Ecclesiam suam amauit, vt dicat Apostolus:] Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Tum denique ad demonstran- D dum quod Ecclesia ex latere dextro Christi in cruce fuit efformata cum suis Sacramentis. Ideo Apostolus explicans qualiter Eua ex costa Adæ dormientis efformata fuerit in hæc verba prorumpit ad Ephes. 5. [Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.] Quamobrem sancti Patres putant in eodem dextero latere, percussum fuisse lancea Christum, ex quo etiam Eua ex Adamo dormiente egressa fuit; ita Cyprianus lib. dolim. Tertullianus lib. de ani. cap. 4. Hieronymus in cap. 5. Ephes. D. Augustinus tract. 9. in Ioannem. D. Ioannes Chrisostomus hom. 2. ad Neophitos. D. Leo Papa Epist. 22. D. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. & alij multitudine fere infinita. Proprius itaque locus Ecclesiæ est dextera Christi, & id propterea hæ septem stellæ, quæ pastores Ecclesiæ Dei indicant à dextris Christi hic reponuntur ab Archipropheta.

1. Ratio. Ecclesiæ firmitas.

2. Ratio. Sedere ad dexteram alicuius, honoré arguit.

3 Ratio. Dexteræ nomen amabile.

4. Ratio.

D. Cyprian. Tertul. D. Hiero. D. Aug. D. Chrisost. D. Leo Papa. D. Ambros.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod dextera Dei significat Christú, & eius protectionem.



LURASQUE obtinet dextera Dei significationes, prima tamen est, quæ dextera accipitur pro filio Dei, & eius protectione, fauore, & auxilio erga nos. Iccirco dicitur: [Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.] Vbi per dexteram Dei, ter repetitam, Christus filius Dei intelligitur. Qui verbo, & facto, virtutes omnes tempore suæ prædicationis, nobis affatim edocuit. Verum quidem est, quod Prophetæ ad aliquas virtutes amplectendas, suo exemplo, nos inuitant; nam Abraham ad obedientiam, Isaac ad humilitatem, Iacob ad patientiam, Ioseph ad castitatem, & Salomon ad sapientiam nos prouocant: At verò Christus non tantum ad aliquas, verum etiam ad omnes virtutes simul amplectendas, suo exemplo nos allicit. Quoniam seipsum patri æterno, insignum obedientiæ (vt alter Abraham filium suum) immolauit, humiliauit autem seipsum plusquam Isaac, cum pedes discipulorum lauerit, habuit maiorem tolerantiam quam Iacob, maiorem patientiam, quam Iob, maiorem castitatem, quam Ioseph & maiorem sapientiam quam Salomon, cum de ipso dicatur: [Et Ecce plusquam Salomon hic.] Habuit igitur Christus actuum omnium virtutum simul, quod de nullo hominum dici potest. Hinc est illud D. Gregorij. [Nullus siquidem hominum virtutes, & operationes spûs sancti oés simul habuit, nisi mediator Dei, & hominũ cuius est idem spiritus, qui de patre ante sæcula procedit, alius namque Sanctorum, prophetiam, alius virtutes, alius scientiam habuit, alius genera linguarũ, &c. ad habendã vero cuncta eiudẽ spûs sancti munera, aliorum nullus pertingit, nisi mediator noster, qui infirma nostra suscipiens per diuinitatis suæ potẽtiã, simul se habere omnes spûs sãcti virtutes edocuit.] Sic ille. Ideo, loco citato, Psalmista non in plurali, sed in singulari ait. [Dextera Domini fecit virtutem,] & quia per exempla suarum virtutum nos virtuosos effecit subiungit, [Dextera Domini exaltauit me.] Quę enim exaltatio maior accidere potest homini, quã ipsum de vitioso, virtuosum facere, & de filio diaboli, filium Dei? Et quia insuper ista exaltatio fuit per virtutes quas nobis ipse edocuit, ideo additur: [Dextera Domini fecit virtutem,] Quapropter illud primum: [Dextera Domini fecit virtutem,] ad virtutes Christi refertur, cætera vero quæ sequuntur ad nostras virtutes per ipsum in nobis genitas deputatur. Hinc non mirum si noster Vates hoc in loco asserit, has septem stellas, prope esse huic dextrę Domini, nẽpe, Christo, situm & locum habere, intelligendo per stellas Antistites Ecclesiarum, quos ipsa Dei dextera, nempe, ipse Christus mittit ad illustrandam Ecclesiam suam cælestis luminis claritate, & salutari fidei doctrina, inbuẽdam. Qui plane Ecclesiarum Antistites satis belle, & perpulchre comparantur stellis in cælo fixis, atque inerrantibus: quales enim sunt naturales illarum stellarum proprietates, ac virtutes, tales quoque oportet esse spirituales Episcoporum proprietates ac virtutes in docendo, pascendo, regendo, tuendoque Ecclesiam. Habent stellæ illæ, perpetuum, & ordinatum motum; claritate illuminant, calore fouent, & viuificant, defluxuque virtutis suæ conseruant, & gubernãt E inferiorem hunc mundum: & quælibet earum visu notabilis, maior est vniuersa, præcipuumq. earum munus est, & lucere nocte, tamquam in remedium tenebrarũ; nam die, solis luce lumen earum occultatur. Possumus hæc facilè, cómedeq. (si mysticè, ac spiritualiter interpretẽtur) applicare ad Episcopos, & rectores Ecclesiæ. De quibus intelligitur illud Dan. 12. [Qui erudiunt multos ad iustitiam, &c.]

Psal. 117.

Docuit nos Christus verbo, & exemplo.

Virtutum omnium actus habuit Christus.

Episcopi suas Ecclesias debent illuminare.

DIXI

Conceptus 2. Quod dextera Dei varias significationes habeat.
D. Hier. in cap 31. prou.
D. Aug. s. Ps. 120.
D. Greg. in cap. 2. cant.
D. Amb. s. c. c. 6. Lucæ.
D. Bernardus ser. 4. in fest. omnium sanctorum.
Cyril. cant. Iulia 9.
D. Basil. in Ps. 44.
Beda s. Prou.
Tertul. aduer Iudæ.



Dixi dexteram Dei varias habere significationes, quoniam aliquando significat gratiam Dei, Iob. 14. [Operi manuum tuarum porriges dexteram] Aliquãdo humanam bonitatem quam debemus eligere, Prouerb. 4. [Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus; peruersæ autẽ sunt quæ à sinistris sunt.] Quandoq. æternam, fælicitatem significat, quam debemus desiderare, Sap. 5. [Dextera sua reget eos;.;] Et Matt. vlt. [Assumptus est in cælum, & sedet à Dextris Dei.] Et Prou. 3, [Longitudo dierum in dextera eius.] Quandoq. vero, fauorem Dei Ps. 15. [a dextris est mihi Dominus ne commouear.] Significat etiam carnis propinquitatem, quam debemus amputare Matt. 5. [Si oculus tuus dexter scãdalizat te, abscinde eum.] Significat itidem cordis intentionem Matt. 5. [Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra, quid facit dextera.] Demonstrat præterea mundi prosperitatem, quam debemus contemnere, Prouerb. 4. [Non declines ad dexteram, neque ad sinistram,] Declinat ad dexteram qui prosperis eleuatur, ad sinistram autem, qui aduersis frangitur. Demonstrat etiam iniquitatem per versorum, Ps. 143. [Dextera eorum dextera iniquitatis] Quandoq, felicitatis valorem, & excellentiam, Ps. 40. [Delectationes in dextera tua vsq. in finem.] Indicat porro auctoritatis potestatem iudiciariam Ps. 20. [Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.] Quandoq. misericordiam Dei, Cant. 28 [Dextera illius amplexabitur me.] Indicat quoque bonam intentionem Ps. 25. [Dextera eorum repleta est muneribus] Sæpe denique (& sistamus hic paulisper) patefacit dextera Dei, protectionẽ, & fauorem diuinum, iuxta illud Sap. 5. [Quoniam dextera sua teget eos, & brachio sancto suo defendet illos.] & Sap. 3. [Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.] Et Eccl. 9. [Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei.] Et Psalm. 20. [Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt] Et Ps. 127. [Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini &c.] Et Psal. 43. [Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.] Hinc canit Ecclesia.

Dextera protectionem demonstrat.

Da dexteram surgentibus.
Exurgat, & mens sobria.
Flagransq. in laudem Dei.
Grates rependat debitas.

Palinurus nauis Aeneæ gubernator.

Et Palinurus Nauis Æneæ gubernator somno oppressus vna cum gubernaculo in mari delapsus, præsidium protectionemuè aliquam ab Ænea petendo, sic lib. 5. Æneidos exclamauit.

Da dexteram misero.
Et tecum me tolle per vndas.

Virg. lib. 5. Aeneidos.
Dextera cum significat protectionẽ semper fortitudini, virtuti, & potentiæ coniungitur.

Ecce qualiter dextera protectionem, defensionẽ, siue auxilium alicui præstare significat. Et sic est in præsenti cum dicitur [Et habebat in dextera sua stellas septẽ Vbi nota diligenter, quod dextera in hac significatione semper coniungitur cum fortitudine, virtute & potẽtia; Ideo Exod. 15. dicitur: [Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos.] Et Ps. 127. [dextera Domini fecit virtutem,] & Ecclesia Dei, eius protectionem implorãs dexteræ illius virtuti, fortitudini, potentiæq. coniũctæ semper meminit contra aduersarios, & hostes suos. Idcirco in illa quotidiana oratione pro Papa, & Rege, quæ incipit. [Et famulos tuos, &c] Sic ait: [Dexterę tuæ potentia conterantur.] Et in oratione contra persecutores, & male agentes, ita supplicat: [Hostium nostrorum quæ sumus Domine, elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.] Et in oratione

F quæ dicitur in missa contra paganos sic orat: [vt gentes paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur.] Quod ob id fieri puto, vt aperte intelligatur, incarnationem verbi diuini (à qua omnis nostra protectio, fauor, defensioque, fortitudini, virtuti, & potentiæ diuinæ coniuncta dependet) opus esse dexteræ Dei patris, cuius dexteræ brachium, est eius filius Iesus Christus Dominus noster, iuxta illud Lucæ 1. [Fecit potentiam in brachio suo,] idest, in filio suo Iesu Christo Domino nostro: Supra quem ipsemet Pater dixit: [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.] Digitus verò istius dexteræ est Spiritus sanctus, iuxta illud D. Ambrosij.

Per bella sententia auctoris.

Christus brachium dexteræ Dei.

D. Ambrosius in hymnis.

Tu septiformis munere.
G *Dextræ Dei tu digitus.*
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.

De quo etiam digito ipsamet veritas Lucæ 11. dixit [Si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei.] Est igitur Iesus Christus, in quo est omnis protectio, fauor defensio, fortitudo, virtus, & potentia, à quo vno cæteræ fortitudines, virtutes, & potentiæ pendent. Quapropter Iesus Christus Dominus noster [vir dexteræ Dei] appellatur, dicente psalmographo: [Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.] Dicitur autem Iesus Christus vir dexteræ Dei. Tum quia sedet ad dexteram Dei patris. Tum quia ille singulariter dicitur vir à virtute, eo quod omni virtute, & gratia plenus erat. De eo namque dicitur Ioan. 1. [Vi-
H dimus eum plenum gratia, & veritate.] & Hieremiæ 31. [Nouum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.] Manus, porro, Domini super istum virum facta fuit, quando mirabili potestate absque virili semine, Spiritus sancti virtute, iste vir in vtero virginis fuit formatus. Quapropter dictum est: [Nouum fecit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.] Istam itaque incarnationem, siue operationẽ diuinæ virtutis, ad istum virum in vtero virginis fabricandum, postulat diuinus Citharædus ad effectum deduci dicendo: [Fiat manus tua, (idest virtus tua,) super virum dexteræ tuæ,] Id est, Christum, ad ipsum formandum. Et ad patefaciendum quod de isto viro, scilicet Christo filio virginis loquatur, mox subdit: [Et super filium hominis quem confirmasti tibi.] Vbi ly [&] Stat pro [id est] super filium Mariæ [quem cõfirmasti tibi,] hoc est, in consilio æternitatis tuæ fir-
I miter disposuisti ipsum tibi vnire hypostaticẽ. Quapropter dico dexteram Dei, quum protectionem, auxiliumuè significat, semper coniungi cum fortitudine, virtute, & potentia ad ostendendam incarnationem verbi diuini (à qua omnis nostra protectio, & fortitudo dependet) opus esse dexteræ Dei patris, & terminatam fuisse in solo filio suo Iesu Christo Domino nostro, qui brachium Dei est, & omnis protectio, & fortitudo nostra.

Digitus Dexteræ Dei Spiritus sanctus.

Vir dexteræ Dei dicitur Iesus Christus.

Incarnatio verbi, nouum super terram.

Vir Christus in incarnatione.

Incarnatio opus diuinæ virtutis.

Incarnatio terminata in persona filij.



Qvantvm autem Christus foueat, protegat, atque defendat optimos præsules, Episcopos, & Prælatos Ecclesiæ sãctæ suę, ex eo (inter alia, quamplurima) apparet, quod illos in dextera sua
K habeat ipse: [Et habebat (dicitur in textu) in dextera sua stellas septem,] idest, septem Episcopos, & Prælatos harum septem Ecclesiarum Asiæ: Et eorum nomine (vt tenent Primasius, & Rupertus) omnes pastores, & præsules totius Ecclesiæ spirituales. Quid enim aliud est in dextera alicuius esse, nisi honorem, fauorem, protectionemque ab illo recipere? Quod patet ex eo quod, esse in dextera & esse alicui æqualem, & in potioribus bonis conregnare, apud

Conceptus 3. Quod Christus prælatos Ecclesiæ suæ multum protegat, & honoret semper in dextera sua eos habẽdo.

Dextera alicuius habere quid sit.

apud sacram Scripturam, significat. Ideo de Iesu A
Christo Domino nostro psalmo 109. dicitur: [Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.] & Actorum cap. 6. [Cum autem esset Stephanus plenus spiritu sancto intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei,] & Marci cap. 16. [Et Dominus quidem Iesus, post quam loquutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris virtutis Dei.] Et in symbolo fidei, sic dicitur de Iesu Christo: [Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.] Quæquidem auctoritates sanctæ, si accipiantur de Christo, vt est Deus, sic dicitur de Christo, sedere ad dexteram Dei Patris tamquam Deus: quia, scilicet, sic est vnius substantiæ, & per consequens vnius honoris, & reuerentiæ cum patre, & ita intelligitur illud Pauli ad Hebræos cap. 1. [Qui cum sit B splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.] Si autem accipiantur de Christo vt homo, sic dicitur de Christo, sedere ad dexteram Dei patris, quia in quantum homo potior & maior beatitudo, quam alicui alteri est illi concessa. Quod probat Apostolus ad Hebræos cap. 1. sub his verbis: [Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis, &c.] Si vero præfatæ auctoritates accipiantur de Christo, vt est simul Deus, & homo, sic dicitur de Christo, sedere ad dexteram Dei patris, in quantum habet iudiciariam potestatem. Quia homini assumpto, Pater æternus iudiciariam potestatem contulit iudicandi quoslibet, iuxta illud Ioan. cap. 5. [Pater omne iudicium dedit filio,] & sic de Christo loquitur Apostolus ad Ephesios cap. 1. dicendo: [Pater constituit eum ad dexteram in cælestibus, super C omnem principatum, & potestatem, & omnia subiecit sub pedibus eius.] Quare Christum esse in dextera Dei patris, semper maximum arguit honorem. Et perconsequens has stellas, nimirum, Episcopos, & prælatos Ecclesiarum esse in dextera Christi, eximio redolet fauore, præsidio, ac patrocinio diuino, erga eosdemmet Ecclesiæ Dei Antistites, & Primates.

Dexterā Dei patris; tenet Christus.

Beatitudo Xpi maior quacūq. alia

Conceptus 3. quod dextera & sinistra haud exigua obtinent discrimina.

Dextera, tam Dei, quam hominum semper opponitur sinistræ. Quamobrem magno interuallo dextera differt à sinistra. Quoniam dextera nobilior, & fortior sinistra haberi solet. Idcirco quidquid de dextra dicitur, negatur plane de sinistra, & vice versa, quidquid de sinistra prædicatur, minime conceditur dexteræ. Hinc Prou. 4. dicitur: [Ne declines ad dexteram, neq; ad sinistram, auerte pedem tuum à malo, vias enim quæ à dextris D sunt nouit Dominus, peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt.] Porro à dextris Dei ponuntur boni Angeli, & homines, à sinistris vero ignis æternus, à dextris Dei sunt bona æterna, à sinistris vero bona tēporali. Hinc D. Ambros. super illa verba Lucæ 6. [Et erat ibi homo & manus eius dextera erat arida.] Sic scribit: [Nulli dubium est dexteram totius corporis præclariorem esse partem, quæ diurna alimenta suo corpori subministrat, & prouidentia quadam ad fruendam hanc vitam cætera membra pascat. Quare hanc dexteram in Iudaico populo scribas esse dixerim, & legis doctores qui velut præstantior portio in Pharisæorum corpore mystico à Domino constituti, cæteris eorum membris prophetarum oracula, quasi escam vitæ æternæ porrigere neglexerunt, & ob id eorum doctrina tamquam manus aruit imbecillis, quia fontem perennis sapientiæ non quæsiuit. Hinc de illis Lucæ 11. dicitur: Væ vobis Scribæ, & Pharisæi qui abscondistis clauem scientiæ,] Et D. Bernardus ferm. 4. in vigilia Natiuitatis, sic E exclamat: [Gaudete, quoniam iam accepistis dona sinistræ, quæ sunt diuitiæ, & gloriæ, & gaudete quia expectatis dona dexteræ, quæ sunt veræ virtutes, & æternitas vitæ, leua, id est, sinistra quidem leuat, ac dextra suscipit, leua medetur, & iustificat, ac dextra amplectitur & beatificat,] & D. Greg. lib. 2. mor. c. 21. [Dextera Dei Angelorum pars electa est, sinistra vero pars reproba.] Et Orig. hom. 12. in Matth. super illa

D. Amb. se. 8. sup. Lucam.

Pharisæi erāt manus aridæ.

verba: [Dic vt sedeant, &c.] ita habet: [Et quid est sedere ad dexteram Iesu, & sinistram, nisi quam cum Christus in omnibus creaturis regnet, per eius dexteram intelligere possumus inuisibilem creaturam & spiritualem, per sinistram vero visibilem & corporeā. Nam quidam ex his qui Christo appropinquant ipsius dexteram sortiuntur, & alij sinistram, hi sunt, qui res temporales & sensibiles amplectuntur, illi vero qui res intellectuales, ac spirituales quærunt.] & postremo idem D. Gregorius lib. 16. moral. cap. 16. sic inquit: [Ad sinistram ire est peccatorum delectationibus consentire, &c. At in dexteram proculdubio vertitur qui de virtutibus eleuatur, &c.]

P A R A P H R A S I S
Decima.

Et de ore eius (dicit præterea) gladius vtraq; parte acutus exibat. Origenes hom. 13. super Num. D. Ambrosius epi. 56. D. Gregorius lib. 36. moral. cap. 4 D. Basilius super psalm. 43. D. Augustinus in psalm. 7. & 34. D. Hieronymus in ps. 16. 58. & 149. Tertullianus aduersus Iudæos, & aduersus Marcion, Philo 2. allegoriarum, & de cherubim, Hilarius super Matth, can. 10. Isychius super Leuit. 16. & Arethas, Ticonius D. Aug. S. Thom. Pannonius, Richardus de S. Victore, ac etiam Primasius in hisce suis commentarijs, per gladium vtraq; parte acutum verbum Dei, (quod Deus olim per Prophetas, & Apostolos, & nunc per Prædicatores, Apostolorū successores loquitur) exolluunt. Quæ explanatio probari planè potest. Tum quia quemadmodum gladius, siue ensis instrumentum est ad scindendum, quo præcipuè vtuntur in bello ad feriēdum hostem, sic verbum Dei est gladius quo vtimur aduersus diabolum, tam ad illum feriendum, quam ad scelera resecanda, &c. Tum quia verbum Dei gladius ab Apostolo appellatur, iuxta illud ad Ephes. 6. [Galeā salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei,] & non qualemcumque gladium, sed gladium vtrinq; acutum, iuxta illud ad Heb. 4. [Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.] Tum quia quemadmodum gladius vtrinque acutus ferit ex vtraq; parte, nimirum, tam à dextris, quam à sinistris, sic verbum Dei sua acie scindente, opera scindit carnalia, & internas concupiscentias, scindit namque intus & extra: Quoniam scindit ex vtraq; testamento, ita vt ex veteri vitia carnalia & externa, ex nouo vero vitia spiritualia & interna prorsus resecat. Quoniam verbum Dei foris in nobis luxuriam amputat carnis, & intus malitiam resecat cordis, dicente Christo: [De corde exeunt cogitationes malæ, &c;] Idcirco Primasius in hunc locum perdoctè ita scribit: [Ideo bis acutus, quia gladius militem armat, hostem necat, desertorē punit. Hinc Apostolus dicit, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, omnis nāq; scriba eruditus, dicit Dominus, similis est Patrifamilias qui profert de thesauro suo, noua, & vetera, nouum videlicet testamentum, & vetus. Ex hoc autem gemino testamento tamquā gladio bis acuto nunc eruditur Ecclesia, vt quæ æternis deputetur bonis bene vti præsētibus nouerit. Hoc præcinctus Apostolus gladio dicit per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris.] Hæc Primasius. Cuius verba quadrare videntur D. Augusti. hoc in loco sic scribenti: [Gladium vero bis acutū de ore ipsius procedentem Iesum Christū esse significat, qui & nunc Euangeliū bonum & prius per Moysem legis notitiā vniuerso orbi protulit & de quo Dauid similiter ait, semel loquutus est Deus, duo hæc audiui. Hæc ergo sunt duo testamenta, quæ pro captu tēporis, aut noua, aut vetera, aut gladius bis acutus dicuntur.] Tum præterea, quia quemadmodum gladius iste ex ore exierat, sic verbum Dei in ore prædicatorū ponitur, iuxta illud Isa. 19. [Posuit os meū, vt gladium acutū,] & etiam in illa romphæa bis acuta, de qua Gen. 3. dicitur: [Collocauit ante paradisum voluptatis, Cherubim, & Seraphim, & flammeum gladium, atque versatilem, &c.] Sic verbum Dei aliquando

Par. 10. Enodatio textus.
§. 1. 1. sententia.
Gladius vtrinque acutus verbum Dei.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.
Verbum Dei duplicē scindendi vim habet.
Ephes. 6. Matth. 13.
2. Cor 6.
D. Aug. ho. 1 in Apoc.
4. Ratio.

fit igneum, ac flammeum, nimirum, cum ex puro corde, & ex intimis præ cordis prædicatorum sanctorum, tamquam ex fornace ignea, ac accensa exiit, vt sane ex Elia exiuit, cum 3. Reg. 19. dixit: [Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & querunt animam meam, vt auferant eam.] Hinc Philo Iudæus, sic scribit: [Sermo flammeus, gladius dicitur, quia feruens est, & igneus, numquamque moueri desinit, properans semper expectando bona, fugiendoq; contraria, an non vides, quod & sapiens ille Abraham, quando incipit, iuxta Deũ metiri omnia nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei gladij similitudinem: Ignem & gladium, Genes. 22. resecare & exurere, quidquid mortale habebat, cupiens vt expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret? Et Balaam ille, id est, vanus populus inducitur inermis, desertor militiæ, & belli imperitus, sic enim alloquitur asinam, hoc est, brutum vitæ propositum, cui, omnis insipiens incidet, si gladium haberem, iam te transfixissem, Num. cap. 22. Gratia maxima conditoris, qui sciens imprudentiæ rabiem, non dedit tamquam furenti gladium, verbi, videlicet, facultatem ne quoscumque obuios magna clade conficeret.] Ita Philo. Tum postremo, quia quemadmodum qui gladium bis acutũ in ore obtinet, indicat se fortissimum propugnatorem esse, sic prædicatores, qui verbum Dei quotidie ore portant suo, propugnatores viri nuncupantur, iuxta illud Cant. 3. [En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiũt ex fortissimis Israel. Omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi vniuscuiusq; ensis super femur suũ propter timores nocturnos.] Quoniam quicumq; verbum Dei corde, & opere complent, hi sunt fortissimi pugnatores, hi sunt qui in manibus suis, hoc est, rectis operibus, propriæ conscientiæ gladium suum tenent, non alienum. Non enim alienis precibus solummodo præsidunt, sed carnem suam cum vitijs omnibus, & cõcupiscentijs mactant. Ob idq; ensem super femur suum tenere dicuntur, nam femur, carnis illecebras & voluptates significat.

Philo Iudæus lib. de Cherubim & flãmeo gladio.

Verbo Dei carent furẽtes.

5. Ratio.

Concionatores quando fortes.

§. 2. *Secunda sententia.* *Gladius vtrinque acutus vltimos fideles indicat.*

D. Ambrosius (qui iustos ante diluuium, per poderis tunicam, Patriarchas & reliquos iustos ante legem, per zonam auream, duo præcepta charitatis, per mamillas, legem per caput, multitudines saluandorum, per capillos, Apostolos per pedes, multitudinem gentium ad fidem concurrentium, per vocem aquarum multarum, intelligit) aliam huius loci adduxit explanationem, per gladium vtrinq; acutum exponens vltimos fideles Christianos, qui in fine contra Antichristi errores prædicando, pugnabunt. Ideo in hisce suis commentarijs, sic scribit: [Et de ore eius gladius ex vtraq; parte exibat, per gladium electi, qui in fine mundi nascituri sunt, atq; contra Antichristum pugnaturi designantur, & quia maxima multitudo gentium culturã Christi derelinquens, Antichristum hominem impijssimum pro Deo adorabunt, non in congruè illi, qui ad errores eorum concidendos progressuri sunt, per gladium designantur, qui duo acumina habere visus est, qui ipsi doctores duorum Testamentorum doctrinis eruditi, facilè hostes deuincent. Nam quod de ore Domini ipse gladius procedre visus est, illud significat, quod ipse dixit in Euangelio. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis:] Hæc D. Ambrosius. Huic sententiç se subscribunt, Berengandus, D. Dionysius Carthusianus, & alij pleriq; grauissimi adstipulatores. Hæc tamen sententia non multum distat à superiori. Gladius enim, quo vltimi fideles cõtra errores Antichristi pugnabunt, verbum Dei vtique erit. Quoniam quemadmodum gladius habet leuitatẽ, splendorem & acutiem, sic in extremo tempore, Elias, & Enoch, ac etiam reliqui fideles, qui contra Antichristum, tunc insurgent, verbo Dei, quandoq; leniter, & suauiter, per dulces consolationes, quandoq; splendenter, & clare per planam interpretationem scripturarũ, quandoq; vero pungenter, & acutè perduram, & aspe-

D. Ambrosius in comment.

Berengãdus.

D. Dionys.

Sentẽtia hæc eadẽ fere est cum antet iori.

1. Ratio.

F ram prædicationem, diligenter curabunt, inimicorum crucis Christi tela retundere. Idcirco de verbo Dei expendi potest illud Ezech. 21. [Gladius acutus est, & limatus.] Nec mireris si verbum Dei gladius hic nuncupatur. Quoniam & onus, & ignis, ac etiam malleus appellatur. De eo namq; expenditur illud Malachiæ 1, [Onus verbi Domini,] & illud Ierem. 23. [Numquid non verba mea sunt quasi ignis ardẽs, & quasi malleus conterens petras?]

2. Ratio.

Postrema enodatio est S. Thom. Lyrani, D. Dionysij Carthusiani, Ruperti Abbatis, Auctoris Incogniti, & Riberæ, in hisce suis commentarijs per gladium bis acutum, exponentium sententiam Iudicis in extremo iudicio, siue ipsum iudicium extremum, aut diuinam vindictam, seu punitionem. Quã etiam gladij bis acuti enodationem profitentur. D. Hieronymus super c. 11. Zachariæ, & super psal. 62. D. Gregorius lib. 14. moral. G cap. 34. & 3. moral. 4. & Origenes homi. 4. in Cant. Abbas tamen Rupertus hanc sententiam magis explicat, per hæc verba: [Exitus gladij ad dexteram, hic erit, venite benedicti. Hoc namq; dicto, gladius eius, ita carnes deuorabit, vt iam non sit caro & sanguis, sed sint omnes omnimoda carnis, & sanguis corruptio, ne expoliati, miroq; modo permanente natura in alteram gloriam permutari; exitus eiusdem gladij ad sinistram hic erit, discedite à me maledicti, &c. Vtrinq; sic erit efficax ille gladius iudicij, vt eant ij in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, & sic diuisi ab alterutris, non possunt, vltra coniungi, aut permisceri, sicuti in præsenti ecclesia, permixti nunc sunt boni, & mali.] Hæc Rupertus. Idem videtur asseuerare illemet Doctor, dum super illa verba 3. Reg. 10. [Fecit Salomõ Rex thronum de ebore, grandem.] Sic scribit: [Quis est H iste thronus, tam grandis, tam admirabilis, nisi altitudo maiestatis in illo die nouissimo, & tremendi iudicij. Grãdis thronus est, quia grande iudicium expectamus. Est autem thronus, ex ebore, quia iudicium ex puritate constabit iustitiæ, auro vestitur, quia nimirum aurea diuinitatis iustitia reuelabitur; sex ille habebat gradus, quia sex sententijs iudicium perficietur. Esuriui, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non colligistis me, nudus, & non cooperuistis me, infirmus, & non visitastis me, in carcere, & non venistis ad me, Matth. 25. Duæ manus, hinc, atq; inde, duæ sunt tenores, hinc iustitiæ, inde misericordiæ, duo leones iuxta manus singulas, quia vtrobique fortis, & formidabilis erit iudicij veritas; etenim à sinistra omnis iniquus condemnabitur, & dextera iustus vir saluabitur. 1. Petri 4. [Duodecim leunculi super sex gradus stãtes, duodecim sunt Apostoli; post hoc I thronum Salomõni, id est, pacifici regis Christi, & gloria, & diuitiæ sunt in domo eius tanta copia, quanta scriptura præsens significare non sufficit. Vnde subditur, non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, fecitq; vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta, & lapidum, quia per acto iudicio, in diebus illis æternitatis, nullatenus pretij reputabitur argentum, quia, nimirum, Prophetiæ euacuabuntur, & linguæ cessabunt, nullus iam mittetur ad prædicandum, sed omnes perfecti erunt, in omnibus abundabit purissimum charitatis aurum.] Optima plane finalis iudicij perscriptio Ruperti. Sententia tamen præallegata, qua per gladium bis acutum, iudicium extremum, eiusque sententias, bonorum, nimirum, & malorum intelligunt præfati Doctores, probari vtiK que potest. Tum, quia de extremo iudicio, & de eius sententijs intelligitur illud Exod. cap. 15. [Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.] Et Ieremiæ cap. 50. [Gladius ad Chaldæos, gladius ad habitatores, Babylonis, gladius ad principes, gladius ad sapientes gladius addiuinos, gladius ad fortes, gladius ad equos, & currus,] & Amos 9. [In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum. In die illa, &c.]

§. 3. *Tertia opinio.* *Gladius bis acutus sentẽtia Iudicis in extremo iudicio.*

Sentẽtia Xpi in finali iudicio gladius bis acutus.

Rup. Abb. in 3. Reg. 10.

Iudicij extremi pulchra descriptio.

corroboratur proposita opinio ab auctore.

1. Ratio.

Gladij diuersi.

Et

Et etiam Deuteronom. cap. 32. [Si acuero, vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea.] Tum quia quemadmodum gladius bis acutus magis secat, & interius penetrat, sic sententia Christi in aduersarios acutissimè eos feriet, & intimè penetrabit, iuxta illud Ezechielis c. 21. [Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas plagæ illius, non est sanitas.] & ad Heb. 4. [Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.] Tum quia sicuti gladius vtrimq; acutus cuilibet est formidabilis, sic illud iudiciū vtrisque, nimirum, tam bonis, quam malis erit miruminimodum formidabile, & adeò formidabile, vt vterq; eorum diuisionem, & aciem gladij perhorrescere videatur. Tū quia quemadmodum gladius secat, & separat vnum ab alio, sic sententia iudicij separabit malos a bonis, & eos æternaliter perimet. Tum quia sicuti gladius iste, bis acutus dicitur, sic sententia illa malos acutissimè punget, in anima & in corpore eos damnando, iuxta illud Ierem. 17. [Et duplici contritione contere eos,] & Deut. 32. [Et gladius meus deuorabit carnes.] Tum denique quia quemadmodum gladius ille non tantum ex vna parte vt cultrum, sed ex vtraq; parte, vt ensis acutus dicitur, sic sententia Christi, tam bonorum, quā malorum, tam à dextris, quam à sinistris, id est, tam in bonos, quam in malos fulminata, non tantum ex vno, quinimmo ex ambobus testamentis acuetur tamquam romphæa bis acuta, puta, duabus molaribus lapidibus fabriferrarij crebro scalpta, siue fricata, quum qualibet Christi sententia, vtroque Testamento, nouo nimirum, & veteri fulciatur. Quapropter poterit gladius iste vtrinq; acutus, qui ex ore Christi, seu Angeli in persona Christi egrediebatur, generalem illam sententiam iudicij vniuersalis, quando Christus à dextris dicet: [Venite benedicti patris mei,] & à sinistris: [Ite maledicti in ignem æternum] significare.

2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio. 6. Ratio. Extenditur opinio.

§. 4. Sententia quælibet priuata gladius acutus. Sētentia mortis gladius acutus. Mortis sentētia, quibus dulcis. D. Aug. Mortis sententia malis acerba.

Et non solum hoc, verumetiam quamlibet aliam Christi sententiam, tam in quamlibet ecclesiam Asiæ, (vt videre est duobus sequentibus capitibus) quam in quamlibet aliam priuatam personam, quam fulminare in dies ipse solet in morte corporali vniuscuiusq;, indicat romphæa ista bis acuta. Vtraq; enim sententia merito gladius acutus dicitur, quum earum quælibet, & bonorum, & malorum intima, interioraque proculdubio penetret; Quamuis diuersimodè. Quoniam bonorum corda, & viscera, summum gaudium, & lætitiam generans, vulnerat, quemadmodum sponsi cor vulneratum dicitur Cant. 4. [Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa mea, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui,] ideo ait D. August. [Tu Domine sagittasti cor meum.] Malorum vero medullas, ac artus summum dolorem & tristitiam gignēs, ferit acerbè. Aduertas tamen hic opportet, Archiprophetam nostrum gladium ex vtraque parte acutum ex ore Christi procedentem vidisse, vt demonstraret quod quamuis modo, hoc nimirum nostro sæculo, gladius Christi ex vna parte dumtaxat acutus videatur, (quoniam sententia, quam modo fert Christus in vnūquemq; nostrum, nimirum, in morte cuiuslibet, animam dumtaxat iniqui hominis perdit) tamen in die iudicij vniuersalis ex vtraq; parte proculdubio erit acutus. Quoniam tunc animam & corpus mittet in gehennā. Corpus enim, & animam, tunc æternaliter puniet Deus, prout Theologi in 4. lib. sent. dispungunt.

Corpus & anima malorum peribit in iudicio.

§. 5. Opinio quarta gladij ancipitis.

Has itaq; tres enodationes tamquam verissimas, & textui germanas æquo animo amplector, id propterea vnamquamque sigillatim & proposui, & argumentis corroboraui. Quibus addo aliam, qua gladius bis acutus, ciuilem & ecclesiasticam, vel (vt aliter dicam) Pōtificalem, & Regalem potestates, quibus præcipuè hic mundus regitur, præsignificat. Quarum vna Episcopos altera vero prætores facit; vna cuius finis rempublicam pacificare, altera vero cælestes sedes adimplere est; vna natura li fine corpus, altera vero supernaturali fine animam perillustrat; vna homines moraliter bonos reddit, altera vero eosdem gratiosos constituit. Quamobrem Innocentius Papa ad Imperatorem Augustum, ita scribit: [Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.] Quæ planè duæ potestates in Ecclesia Dei proculdubio reperiuntur, iuxta illud Matth. cap. 21. [Ecce gladij duo hic.] Estque ecclesiastica, siue pontificalis nobilior, & præstantior ciuili, siue regali. Quoniam quemadmodum, anima, corpus, vel sol, lunam pulchritudine exuperat, ita Ecclesiastica, siue Pontificalis potestas, Ciuilem, siue Regalem præcellit potestatem. Idcirco Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem, ita scribit: [Si Imperator catholicus est, filius est, non præsul, discere ei conuenit, non docere.] Et Innocentius III. ad eundem Anastasium Constantinopolitanum Imperatorem, ita ait: [Ad firmamentum cæli, id est, vniuersalis Ecclesiæ fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus maior est: quæ vero carnalibus minor, vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges, differentia cognoscatur.] Quæ plane duæ potestates quamuis distinctę sint, non tamen ita, vt Romana ab Atheniensi distinguitur respublica, sed subordinatur, veluti ars frenefactoria, teste Aristotele Polit. 1. & equestris subordinantur. Quamobrem quemadmodum vnus dumtaxat est mundus, ita pariter vnum caput omnium potestatum reperitur, nimirum, Papa qui vniuersi orbis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus (saltem in ordine ad spiritualia) Dominus est. Quam ob causam, hoc in loco, vnus dumtaxat in ore Domini apparet gladius, qui bis acutus describitur. Potestas enim qua præcipuè hic mundus regitur, est anceps, hoc est, scindit vtrinque, nimirum in ciuilibus, & in ecclesiasticis, puta, in temporalibus, & in spiritualibus. Idcirco summus Pontifex procedere vtique potest, contra Imperia, & Imperatores, aduersus regna, & Reges, & in Duces, & Principes totius orbis. Et sic Innocentius primus, Arcadium Augustum anathematizauit: Gelasius primus, Anastasium Imperatorem excommunicauit, Zacharias Primus, Carolum Magnum Galliæ Regem deposuit: Gregorius Tertius, Imperium à Græcia in Galliam transtulit: Leo Octauus à Gallia, & à Germania, Imperium abstulit: Gregorius Septimus, Henrricum Tertium ab Imperio deposuit, & Alexander Tertius, Imperium à Federico Aenobardo ademit. Enimuero de hoc infra in cap. 19. luculentior erit sermo, vt supra etiam dum de principatu Christi super reges vniuersæ terræ ageremus, disp. 14. q. 3. huius 1. cap. promisimus,

Innocentius Papa ad Augustum. Potestas gemina in Ecclesia. Gelasius ad Anast. Innocent. 3. ad Anast. Arist. Pol. 1. Papa Dominus totius orbis. Summi Pontifices qui col la dominorum temporalium totius orbis curuarunt.

PARAPHRASIS

Vndecima.

Et facies eius (dicit tandem) sicut sol lucet in virtute sua. Indicium reuelationis diuinæ vtique est facies lucida, quum sol, lætitiam semper inducat maximam. Solet namq; visio & reuelatio, quæ à spiritu bono fit, (quæ sola prophetica est) cum timore, & terrore, vt supra retulimus, inchoare, & in lætitia mentali ad amorem virtutis mouēte terminari. Quare quum hæc prima visio prophetica Ioannis inchoauerit maiori ex parte per terrorem, & timorem, nimirum, per schema, & habitum poderis, zonam auream, caput canum, & candidum, oculos igneos, pedes ardētes aurichalco ignito similes, vocem terribilem, gladium acutum exientem de ore, quorum quam plurima ad timorem & terrorem spectare perspicuum est, supererat sanè, vltimo loco faciem ful-

Par. 11. Dilucidatio textus. §. 1. Facies fulgida signum humanitatis gloriosæ. Textu. disp. 1. q. 2. Effectus vltimus reuelationis diuinæ est lætitia.

fulgentem vti sol in virtute sua, quæ humanitatis gloriosæ signum plane est, intueri: vt sic aliquam spiritualem, & mētalem lætitiam, ad virtutis amorem propellentem ex tali visione prophetica, tandē reciperet noster mellifluus Archipropheta Ioannes.

§. 2. Cōparatio solis explicatur. Primo tamen illud [in virtute sua] explanandum est, quod planè trifariè accipi potest. Vel enim per solis virtutem intelligimus maiorem vigorem, tam splendendi & illuminandi, quam calefaciendi, & vrendi, quammodo semper sol obtinet in meridie, quando dispersis nubibus, discussis vaporibus consumptis exhalationibus, & alijs huiusmodi impedimētis à superficie terræ in altum subleuatis, purificataque tota aeris regione, in clarissimo fulgore, ac splendidissima luce micat, ac splendet. In meridie namque est, quando sol tota fortitudine, & potentia sua fruitur, & gaudet, tam ad lucendum, quam ad vrendum. Quoniam in meridie est, quando ipse per rura, & prata, montes, & valles se diffundit, ac per regna, ciuitates, & oppida radios suos copiosè extendit dilatatque; ac etiam tunc est quando calore, vique sua (sudantibus maximè hominibus, vt apparet in mense Iulij, quando ipse intrat in Leonem) per cancellos, & fenestras, per foramina, rimulasque ostij, se nullo impediente extemplò intromittit. Quare in hoc sensu [in virtute sua] perinde est, ac si diceret, [in meridie,] & erit sensus textui germanus: Decora, splendida, ac omnino pulchra erat facies huius similitudinis filij hominis, quemadmodum delectabilis, decorus, splendidus, ac pulcher esse solet sol quando splēdet, lucetq; in virtute sua, hoc est, in robore, vigoreq; suo, nempe in meridie. Vel secundo, per solis virtutem intelligimus claritatem illam, quam habuit sol in exordio mundi, nimirum cum a Deo creatus fuit. Vel tertio, per virtutem solis refulgentiam illam existimamus, quam sol in extremo iudicio obtinebit, iuxta illud Isa. 30. [Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit dominus vulnus populi sui.] Ex quo loco fateri cogimur, solem maiorem obtinuisse in exordio mundi, & iterum maiorem in fine mundi esse, accepturum, quam nunc, hoc nostro sæculo obtineat, lucem. Idque confirmare videtur glossa, dum in præfatum locum Isaiæ, sic ait: [Solem, & lunam propter peccatum primi hominis, multum de suo lumine amisisse, in fine autem mundi eamdem lucem illis esse restituendam.] Cæterum quia glossa asserit, id accidisse propter Adæ peccatum, (quod mihi non videtur verisimile) nota ex Theologis cum Magistro in 4. & præcipuè ex Dominico de Soto dist. 84. quæst. 2. art. 3. quod sol, luna, astra, reliquaq; cælestia corpora, quando mundus innouabitur cremento lucis debent decorari. Discrepant tamen in hoc; quoniam aliqui asseuerant ob delictum Adæ solem, & lunam, plurimum suæ lucis amisisse: idq; probant ex præallegata glossa in locum Isaiæ: eoquod cum omnia facta fuerint propter hominem, sequitur quod cum eius lapsu omnia peiora sint, etiam solem, & lunam, per eumdem lapsum in suo lumine minorata fuisse, quapropter in mundi consummatione debet eis lumen restitui. Quare illud septempliciter solaris lucis de quo fit sermo in præallegata Isaiæ auctoritate, dictum putant, quia restituetur ei lux, qua septem illis diebus ante hominis casum promicauit. Alij vero putant minime credendum esse quippiam reale luminis, illis luminaribus fuisse olim adeptum. Quæ sententia mihi magis arridet; quoniam per naturam id fieri nequiuerat. Quamobrem contrariorum opinionem destruo. Tum quia non est credibile, vt toto mundi discursu præallegata luminaria essent, præter suam naturam, quodammodo truncata. Tum quia lumen hoc, quo nunc sol & luna lucent, vel est totum, quod suæ naturæ conuenit, vel non. Si dicas non. Igitur sequeretur, quod sol, luna, & astra non essent idonea & sufficientia ad conseruandum humanum genus, quod non est [illegible]erendum. Si vero asseras esse (prout sanè est) naturale, concedas per consequens oportet, solem & lunam minime habuisse in statu naturæ integræ aliud vehementius lumen. Nam aliàs illud fuisset supranaturale, essetque nimium excellentius, quam vt homines illud ferre possent, neque ad aeris temperamentum esset idoneum. Quinimmo sequeretur, quod luna tunc, vt ait Propheta loco citato, tantum luceret, sicut modo sol, atque adeo, quando esset in oppositione solis in nullo hemisphærio fieret nox, quod est contra illud Gen cap. 1. [Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.] Tum denique, quia non legimus vnquam, solem & lunam maledictos fuisse. Quare putamus Deum propter Adæ peccatum, lumen solis, & lunæ nullatenus extenuasse, nec minus illa suprema astra fuisse propter peccatum minoris lucis.

Tota virtus solis est in meridie.

Solis claritas maxima in iudicio.

Adæ ob peccatū, an sol, & luna aliquid lucis amiserint.

Theologi in 4. cum Mag.

Soto.

Vera sententia circa lumen solis, & lunæ.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Illud vero glossæ, facile soluitur: Quoniam venit intelligendum respectu humani visus. Nam inclementia aeris, quæ propter frigus, vel æstus accidit, est nobis in pœnam peccati, quæ antea fuisset naturalis, quemadmodum terra maledicta fuit in opere tuo, vt spinas, & tribulos germinaret; non quod eosdem antea non germinasset, quia sunt naturales; sed quia non essent in pœnam hominibus molesti. Fit ergo ex his cōsequens, quod augmentum lucis, quod habituri sunt cæli in die iudicij, non erit restitutio illius, quod perdiderunt, sed ornamentum illius innouationis, prout tenet Dominicus a Soto, vbi supra. Accedit ad hæc, quod relicta præallegata glossa, existimamus cum D. Hieronymo, & S. Thoma, præfatum locum Isaiæ, vt verba sonant esse accipiendum, nimirum, quod luna tunc, tantum sit splendorem habitura, quantum nunc fulget sol, sol vero septuplo luminis excessu, lucē lunæ superaturus. Iuxta quam explanationē asseuerare possimus suprema astra solem, & lunam fulgentiora futura fore, non ob aliquam luminis accessionem, sed quia deficientibus vaporibus, & nubibus, per conflagrationis ignem, splendidius rutilabunt. Ex his planè liquet quid significet ly [in virtute sua] iuxta triplicem solis considerationem.

Solutio ad glossam.

Soto in 4. dist. 48. q. 2.

D. Hieron.

S. Thom.

§ 3. Facies quæ pars hominis sit. Secundo etiam ly [facies] oportet enodare. Facies namque in homine est illud membrum, quod primo, & principaliter alijs ostenditur, & apparet. Vel (vt aliter dicam) est illa pars, in qua sunt omnes sensus, & qua homo maximè innotescit, & ab alijs discernitur. et hinc est, quod per faciem habetur notitia personæ. Quoniā communiter nullus ad plenum cognoscitur, nisi per faciem videatur. Nam vt dicit Isidorus, facies ab effigie dicitur, quia in facie est certa figura hominis, & plena personæ cognitio. Quamobrem facies dicitur etiam vultus, secundum quod in ea animi exprimuntur effectus, vt vultus iratus, aut lætus, aut tristis. Nihilominus tamen facies solet apud Latinos multoties pro tota corporis forma vsurpari, & accipi, iuxta illud Terētij: [O faciem pulchram,] & vtroq; modo potest hoc in loco ly [facies] exolui. Verumenimuero de facie Christi dupliciter loqui possumus, nimirum, quatenus per eam eius humanitatem gloriosam intelligimus, & quatenus etiam eiusdem humanitatem, non adhuc gloriosam referimus.

Terent. in Eun.

Loquamur modo hic de humanitate gloriosa, qualiter modo est in patria, & etiā fuit in transfiguratione dum Matt. 17. dicitur: [Et transfiguratus est, &c.] Vtrobiq; namq; facies Christi, nimirum sancta illa humanitas gloriosa est resplēdēs sicut sol, quoniam tota, vtrobiq; plane gloriosa est. Ad quod intelligedū nota, quod quando dotes corporis gloriosi, alicui corpori glorificando cōmunicatur, qualibet dos, toti corpori, & vnicuiq; parti illius proculdubio adaptatur. Quod patet ex eoquod cū dos agilitatis cōmunicatur alicui. V. g. Petro deambulari super aquas, iuxta illud Io. 21. [Et misit se in mare,] & alibi: [Dn̄e si tu es, iube me venire ad te super aquas.] non tantum pedibus, verū etiam toti corpori communicatur. Tum quia si vna pars corporis esset agilis, & alia non, sed grauis. Cum iuxta Philosophum omne graue tendat deorsum, tale corpus ab illa graui parte

Pulchritudo humanitatis Xpi gloriosę.

Facies Christi accipitur pro humanitate.

1. Ratio.

2. Ratio.

parte succumberetur, ac submergeretur, sicuti plumbũ submergit paleas, cortices, & alia leuia. Tum quia quælibet pars illius corporis apta est recipere dotem agilitatis: Vnde si vni parti, & alteri non, communicetur illi cui non concederetur fieret iniuria. Obidq; dicendum est, cum dos agilitatis communicatur alicui, toti corpori, & vnicuiq; illius parti proculdubio communicari. Præterea cum dos subtilitatis alicui corpori communicatur, v.g. corpori Christi, quando de clauso vtero exiuit, vel cum dicitur Lucæ 4. [Ipse autem transiens per medium illorum ibat:] Et Ioan. 20. [Cum esset sero die illa, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, &c. stetit Iesus in medio eorum,] & paulo post: [Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio] talis dos subtilitatis, toti corpori & vnicuique illius parti communicata vtriq; fuit. Quia si vna pars illius corporis esset subtilis, & alia grossa, & crassa, tale corpus transiẽs impediretur ab illa, aut daretur penetratio corporum, quæ est impossibilis. Porro cum dos impassibilitatis communicatur alicui, puta, tribus pueris in fornace Babylonis, & alijs martyribus in suis tormentis, a quibus illæsi, & incolumes euasere: tunc manifestum est, tale corpus totum fuisse impassibile secundum omnes suas partes, alioquin pars passibilis, passa & læsa fuisset, cuius contrarium experimur in dictis martyribus, quorum corpora, secundum omnes suas partes talia, & illæsa coram tyrannis permanserunt. Pari etiam modo, proculdubio dicendum est de dote claritatis (ne illi iniuria præstetur, cum sit dos sicuti aliæ dotes.) Cũ siquidem dos claritatis alicui corpori glorioso communicatur; exempli gratia, Christi corpori in transfiguratione, & beatorum in patria, nempe, Virg. Mariæ corpori, & aliorũ sanctorum corporibus, qui, moriente Christo, surrexerunt, iuxta illud Matth. 22. [Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt,] toti corpori, & vnicuique illius parti communicanda venit talis claritas: Alioquin pars illa, cui deesset claritas gloriosa, non esset gloriosa. Quia sicuti claritas in aliqua corporis parte, signum esset partis gloriosæ, ita non claritas in aliqua parte corporis, signum esset non partis gloriosæ. Affirmare autem in corpore glorioso esse aliquam partem non gloriosam, neque veritati, neque rationi consentaneum est. Dicendum igitur est, faciem fulgentem Christi, tam in transfiguratione, quando dicitur Matt. 17. [Resplenduit facies eius sicut sol,] quam hic, vbi dicitur, [Et facies eius, sicut sol lucet in virtute sua,] signum esse totius humanitatis Christi gloriosæ, & refulgentis, sicut sol. Quandoquidem dos claritatis sic fuit in toto corpore Christi in transfiguratione, & sic est modo in cælo: Quemadmodum anima rationalis est in qualibet parte corporis, quia ipsa est tota in toto, & tota in qualibet parte. Dicitur autẽ in præfatis locis, facies tantum Christi fulgida, vsurpãdo faciem pro tota corporis forma, vt dictum fuit in explanatione textus. Accedit ad hæc, quod sola claritas, vt ait S.Th. 3.p.q.45.ar.1. ad 3. est qualitas ipsius personæ in seipsa: aliæ vero tres dotes non percipiuntur, nisi in aliquo actu, vel motu seu passione.

3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio. Dos claritatis dum parti, toti etiam cõmunicatur. 6. Ratio S.Thom.

§. 4. Quædam notanda. 1. nota. Claritas faciei Christi quando gloriosa. D. Aug. S. Thom. 2. nota. Dotes corporis gloriosi qualiter, &

Hoc autem in loco, nonnulla passim animaduertenda sunt. Primum est, claritatem faciei Christi, tam hic, quam in transfiguratione, fuisse claritatem gloriosam: quæ in transfiguratione gloriosa fuit, quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum essendi. Claritas enim corporis gloriosi deriuatur ab animæ claritate, vt ait D. August. in epist. 56. ad Dioscorum, & S. Thom. 3.p.q.45.ar.1.ad 2. in corpore. Secũdum est, dotes corporis gloriosi non fuerunt in Christo ante eius resurrectionem secundum habitum, sed miraculosè per virtutem diuinam. Hinc S.Tho. 3.p.q.28.ar.2. ad 3. sic ait: [Quidam dixerunt Christum in sua natiuitate, dotẽ subtilitatis assumpsisse, sicut quando ambulauit siccis pedibus super mare, dicũt eum assumpsisse dotem agilitatis, sed hoc non conuenit his, quæ supra q. 1. determinata sunt: huiusmodi enim dotes corporis gloriosi proueniunt ex redundantia gloriæ animæ, ad corpus, vt infra (vo compleuit opus) dicetur cũ tractabitur de

A corporibus gloriosis, dictum est autem supra q. 14.a.1. ad 3. quod Christus ante passionem permittebat carni suæ agere, & pati, quæ propria illi erãt, nec fiebat talis redundantia gloriæ ab anima ad corpus, & ideo dicẽdum est, quod omnia ista facta sunt miraculose per virtutẽ diuinam.] Ita S.Tho. Tertium tandem est, Christum transfiguratum fuisse per solam claritatem, & non per alias tres dotes, nempe, agilitatem, subtilitatem, & impassibilitatem: Quia inter prędictas quatuor dotes, sola claritas est, qualitas ipsius personæ (vt dixi) in seipsa, aliæ vero tres dotes non percipiuntur nisi in aliquo actu, vel motu, seu passione; & licet Christus diuersis temporibus harum trium dotum indicia ostenderit, tamen in transfiguratione, propter solam claritatẽ, trãsfiguratus dicitur, & non propter alias dotes. Quia sola claritas est, quæ pertinebat ad aspectũ personæ ipsius. Vide circa hoc S.Thom. 3.p q.45.ar.1.ad 3. Et sic est in

B præsenti, vbi facies Christi fulgida dicitur, per solam claritatis dotem, & nõ per alias dotes. Quamuis modo corpus Christi in cælo omnibus quatuor dotibus corporis gloriosi, simul quo ad essentiam, & quo ad modum essendi gaudeat.

3. nota. Humanitas Xpi ante resurrectionem qualiter, & quando gloriosa dicatur. S. Thom.

Iam loquamur modo de humanitate Christi ante resurrectionem, & adhuc nõ gloriosa. Nam sic pulchra etiam est, iuxta illud Cant. 1. [Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,] & ps. 44 [Speciosus forma pręfilijs hominum, &c.] Quæ duæ auctoritates de corporis Xpi pulchritudine exoluuntur, iuxta doctrinam D. Augustini, Cassiodori in psalm. 44. D. Bernardi sermone 1. de Omnibus Sanctis, D. Chrysostomi hom. 18. in Matthæum, D. Hieronymi epist. ad ad Prin. D. Gregorij, Hugonis Cardinalis, Ægydij Romani, Diui Thomæ, Haymonis, Iacobi Valentini, Cosmi Damiani, Alphon-

C si Augustiniani, & Gilberti Genebrardi in caput primum Cant. Quia Christus Redemptor noster pulcher, speciosus, ac decorus ante resurrectionem erat, tam ratione diuinitatis, quam ratione humanitatis. Quod apparet primo ratione diuinitatis, de qua intelligitur illud diuæ Agnetis: [Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur,] & illud Sap. 7. [Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula.] Quinimmo nulli dubium est, Deum optimum maximum infinitè pulchrum esse, speciosum atq; decorum, vt rectè docet D. Dionysius in lib. de diuinis nominibus cap. 4. Deus enim super omnia bonus, & ipsamet substantialis bonitas, suam rebus omnibus quæ sunt, pro captu earum communicans bonitatem, solis instar sensilis, qui non cogitatione, aut propria electione, sed eo ipso quod est, res omnes illuminat, quæ pro modulo suo lucis participes esse possunt; Si cuncta

D igitur, quæ oculis cernimus, aut mente concipimus, ex summa Dei bonitate, quam pro modulis suis participat bona sunt, nonne bonus, & ex se bonus, & infinitè, bonus est Deus? Porro bonum, & pulchrum, tam à theologis, quã à philosophis se mutuo consequi circũfertur: Vnde si Deus bonus est, substantialisq. bonitas, illum etiam, ex consequenti, pulchrum, substantialemq; pulchritudinem esse, liquet. Idcirco D. Dionysius vbi supra, sic ait: [Supersubstantiale illud pulchrum, pulchritudo quidem dicitur propter illam quam tradir rebus omnibus subsistentibus pulchritudinem, pulchrum vero est, & per omnia pulchrum, & semper eodemque modo pulchrum, quod neque oritur, neque occidit neque augetur, neque diminuitur, etenim si ex pulchro, omnibus, quæ pulchra sunt, pulchritudo prouenit, & propter ipsum, intelligunt Angeli, raciocinãtur homines, sentiunt bruta, mouentur cæli & elemen-

E ta, viuunt plantæ, &c.] Et licet S. Maximus in suis annotationibus in librum D. Dionysij de diuinis nominibus dicat, quod hæc nomina, boni, & pulchri, ipsi Deo propriè non accomodentur, quia in creaturis, etiam reperiuntur. Tamen bonum & pulchrum, nomina sunt venerationis, quibus Deũ omnis bonitatis, & pulchritudinis fontẽ veneramur qui propriè est supra quã bonus, & super quã pulcher. Hinc est, quod in sacra Scrip. non tantũ legamus Deũ esse bonũ & pulchrũ, verũ etiam

§. 5. Pulchritudo humanitatis Christi adhuc non gloriosæ. Deus infinitè pulcher. D. Dion. S. Maximus.

vero vniuersa, quæ Dei sunt, bona esse, & pulchra. F Etenim si ratio boni, & pulchri, tam à Philosophis, quã à Theologis hæc perhibetur, vt seipsum alijs communicet, sanè qui bonus est, ac pulcher infinitè, non nisi pulchra, & bona producit, aut producere potest, quibus seipsum communicat. Dupliciter autem Deum optimum maximum, seipsum communicasse, fides catholica tenet, ab ipsa nimirum æternitate, intra seipsum, & in temporis exordio extra seipsum. Primum itaque in primo signo sempiternę originis, Deus pater à seipso subsistens, à nulloque factus, nec creatus, nec genitus, seipsum, & alia omnia vnico, ac sempiterno ipsius intellectus diuini actu, intelligens filium Dei sibi coęternum, consubstantialem, & coæqualem generat, & adhuc in secundo æternæ originis signo, tam Deus Pater, quam Deus filius, veluti vnum producendi principium, suauissimo indiuiduæ voluntatis actu, mutuoque amantis, & amati substantiali amore, seipsos amãtes, Spiritum sanctum producunt, vtriusque nexum, & amorem (vt inquiunt Theologi) notionalem. Postea vero in temporis exordio extra seipsum, (cum sibi placuit) se Deus communicauit, quando per verbum suum quod, vt sapientia Dei, omnia quæcumq; voluit fecit, in cælo, & in terra, modo res omnes à Deo manantes, tum intra productæ, tum extra creatæ bonæ sunt, & pulchræ; at illæ (vt dicunt Theologi,) huiusmodi sunt per essentiam, hæ vero per participationem. Hinc de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto, dicitur Matthæi 10 [Nemo bonus nisi solus Deus,] & de creaturis Gen. 1. dicitur: [Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,] & ex consequenti valde pulchra, cum bona, quæ videntur, sint etiam pulchra. Ecce igitur qualiter Christus, ante resurrectionem pulcher, speciosus & decorus ratione diuinitatis erat, vt de illo sic sumpto exponi valeant dicta sponsæ Cant. 1. [Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,] & Psalmographi psalm. 44. [Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.] H

Gemina communicatio Dei.

Generatio filij.

Processio Spiritus sancti.

Bonus solus Deus.

Pulchritudo Christi respectu humanitatis.

Deinde ratione humanitatis, Christum esse pulchrũ, speciosum, & decorum, patet. Primo quo ad sanctissimam animam eius, quæ à primo suæ creationis momento, quo corpori, & vnà cum corpore, naturæ diuinæ hypostatica vnione semel coniuncta fuit, omnem gratiarum pulchritudinem habuit, quinimmo ipsa Christi anima perfecte beata, verbo diuino fruebatur eiusque gloria sempiterna, omnem tam Angelorum, quam hominum beatorum felicitatem plurimum superauit, quum ipsius gloria ab interno sit principio, nempe ab eius diuinitate, & aliorum felicitas ab exteriori manat principio, vt volunt Catholici Patres, & potissimum D. Athanasius in lib. de salutari Christi aduentu. D. Cyrillus lib. 11. D. Ioannes Chrysostomus hom. 79. D. Hilarius lib. 3. de Trinitate, D. Ambrosius lib. 4. de fide cap. 6. & D. Augustinus tractatu 105. in Ioannem. Quibus addo, quod stando in doctrina Theodoreti, Eusebij, Euthimij, Remigij, Arnobij, Gregorij, Eugubini, & Francisci Titelmanni super illa verba psalm. 44. [Speciosus forma præ filius hominũ, diffusa est gratia de labijs tuis,] bifariè loqui possumus de pulchritudine animæ Christi, nimirum, de pulchritudine naturali, quæ cuilibet animæ conuenit, & de pulchritudine supernaturali, quæ soli animæ Christi conuenit. Si enim loquamur de naturali pulchritudine, eo proculdubio intellectu, memoria, voluntate, & compositione gaudebat anima Christi, vt facile omnes animas excelleret. Si vero de donis supranaturalibus fuerit sermo, vtpote (dimissa gratia vnionis) de gratia habituali, de virtutibus, meritis, donis, & scientijs, certum est in his, non tantum alias animas hominum, verumetiam omnes Angelorum choros in infinitum excedisse, quũ pulchritudo supranaturalis animæ Christi fons est, & origo totius pulchritudinis creatæ, ex qua cęteræ animæ pulchritudinem capiunt, iuxta illud: [Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis,] & paulo post: [De plenitudine eius omnes accepimus.] Pulchrum tandem, speciosum, & decorum fuisse Christum ante resurrectionem, ratione humanitatis ex parte corporis, patet ex D. August. in psalm. 44. D. Chrysost. hom. 18. Matth. D. Bernardo serm. p. de omnibus sanctis, Cassiod. in psalm. 44. D. Greg. Hugon. Card. Ægyd. Rom. & etiam ex alijs quamplurimis expositoribus super Cantica. En igitur qualiter Christus ante resurrectionem, pulcher, speciosus, ac decorus extiterat ratione humanitatis, tam quo ad animam, quam quo ad corpus eius sanctissimum. Quare de pulchritudine Christi, quoad eius humanitatem intelligendũ venit illud sponsæ: [Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,] & illud Psalmistę: [Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.] I K

Pulchritudo corporis Xpi ante resurrectionem.

Verumenimuero ad rem nunc iam deueniendum fas quidem est. Similitudo igitur hæc filij hominis, tam fulgida facie hic apparuit. Tum vt splendor iste, manifestam Dei indicaret in carne præsentiam, qua hominibus facie ad faciem iam loquebatur, dicente Apostolo ad Heb. 1. [Multifariam multisque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula.] Tum vt pulchritudinem diuinitatis, & humanitatis Christi (prout modo retulimus) pręmonstraret. Attingunt has duas rationes Hugo de Sancto Victore, Primasius, & D. Dionysius Carthusianus: Et addunt, manifestam Christi in carne præsentiam, soli comparari, propter ortum, & occasum. Quoniam Christus natus fuit, & obijt, & rursus resurrexit, quæ omnia in sole apprimè experiuntur: Et ob id Christus in euangelio se luci crebro assimilauit. Tum vt per hunc splendorem soli similem, facies Christi à facie Moysi differret. Moyses enim, dum sermonem cum Deo habuit, faciem cornutã instar bicornis lunæ obtinuit, iuxta illud Exod. 34. [Et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini,] ac etiã manum leprosam, prout legitur Exod. cap. 4. At vero Christus totus fuit splendidus, & lucens, vt sol in meridie, per quod legis Moysi, & legis gratiæ discrimen maximum plane indicatur. Hinc Origenes hom. 12. in Exod. tractans quare Moyses, qui typum legis gerebat, faciem habuerit splendidam, & manum leprosam, & Christus non solum facie, sed etiam manibus in transfiguratione resplenduerit, sic scribit: [In lege vultus quidem Moysi glorificatus refertur, licet velamine contegatur, manus autem eius intra sinum missa, leprosa facta memoratur, sicut nix: in quo mihi videtur forma totius legis plenissimè designari. In vultu enim eius, sermo legis, in manu opera designantur, quia ergo nihil ad perfectum adduxit lex ad Heb. cap. 7. Idcirco manus Moysi leprosa fit, & in sinum reconditur, tamquam nihil perfecti operis habitura. Facies vero eius glorificata est, sed velamine tegitur, quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam, in lege ergo Moyses, solam faciem habet gloriosam, neque manus eius habet gloriam, immo potius & cõtumeliam, sed neque vlla gloria erat in pedibus; Denique soluere iubetur calceamentum suum Exod. 3. licet & hoc fieret non sine alicuius forma mysterij. Ostẽdebatur namque in nouissimis temporibus, solueret Moyses calceamentum, & acciperet alius sponsam, & illa vocaretur domus descalceati, vsque in hodiernum diem (iuxta id, quod præcipitur Deuteron. 25.) nihil ergo in lege habet gloriosum Moyses, nisi solam faciem, in Euangelijs autem totius glorificatur ex integro.] Hæc Origenes. Hanc itidem rationem sequitur Ioachimus Abbas, in hisce suis commentarijs sub his verbis: [Non sicut quamdam Moyses habere similitudinem lunæ Christi facie visa est, sed potius similitudinem luminaris maioris, vt ille esse demonstraretur, de quo dixit Regius Vates psalm. 18. In sole posuit tabernaculum suum.] Quadrat cum hac Ioachimi enodatione, Arnobius, qui illud psal. 135. [Fecit duo luminaria magna, luminare maius & luminare minus, solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis,] de lege veteri, & noua per hæc verba

§. 5. Cur facies Christi fulgida hic describitur.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Origenes sup. Exod.

Ioachimus Abb. in cõm.

Arnobius in Psalm. 135.

verba expendit: [Fecit luminaria duo magna, vnum in die noui Testamenti, quod sicut sol radiat in lumine agentibus, aliud in nocte Iudaica conuersantibus: In nouo enim aperte, quod legitur, sicut in die, in ipsa littera perlustratur à Christo, qui est sol verus iustitię. In veteri sub litteræ tegmine, quasi in nocte positum, à luna, id est, ab ecclesia manifestatur. Ipsa enim luna est, quæ crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus, lucet in tenebris ignorantiæ positis, habet & stellas in gradibus suis, aliter enim lucet in Episcopo, aliter in presbytero, aliter in diacono.] Hæc Arnobius. Ecclesiam autem vocari lunam, eoquod luna perfecta est, & à sole Christo illuminatur, & varias in hoc mundo recipit mutationes, prosperitatis, & aduersitatis, augmenta, & decrementa, docent D. Augustinus epistola 119. ad Ianuarium cap. 5. Tertullianus de Resurrectione, D. Ambrosius de Instit. vir. & 4. exa. 2. Hieronymus super Isa. 66. & Gregorius varijs in locis: Nam lib. 17. moralium cap. 10. expendens illa verba Iob. c. 25. [Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.] hanc reddit rationem: [Quia nec sancta ecclesia virtute propria, tot miraculis emicat, nisi hanc præuenientis gratiæ dona perfundat, nec singulorum bene viuentium mentes à peccatorum maculis mundæ sunt, si remota pietate iudicentur.] Et hom. 13. super Ezech. sic scribit: [Solem nominare voluit quia videlicet ipsi æterno soli loquebatur, de quo scriptum est Malachiæ 4. Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol iustitiæ, de quo reprobi in fine dicturi sunt, sol iustitiæ non ortus est nobis, Sap. 5. Hic enim sol, non solum, solem, lunam, & stellas corporaliter, sed etiam lunam ecclesiam, & stellas homines sanctos spiritualiter fecit.] De eadem plane ecclesia sub lunæ nomine expendunt doctores illud Cant. 6. [Quę est ista quæ progreditur quasi aurora, pulchra vt luna, electa vt sol,] & illud psalm. 8. [Quoniam videbos cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti,] & illud Habacuc 3. [Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo.] & tandem illud Eccl. 27. [Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur.] Appellatur autem ecclesia luna, quia ex parte spirituali lucet, ex parte autem carnali obscura est. Quemadmodum lunæ globus semper partim lucet, partim autem est obscurus, & aliquando spiritualis pars in bonis operibus apparet hominibus: Aliquādo vero in conscientia latet, & Deo tantummodo nota est, sicut contingit cum oramus in corde, & quasi nihil agere videmur, dum non ad terram, sed sursū cor habere iubemur ad Dominum. Hinc est quod vbi nos in nostra vulgata legimus: [Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.] Septuaginta pro [in obscuro,] legunt [in obscura luna,] ita vt sit sensus, [vt sagittent in obscura luna rectos corde.] Super quę verba D. Augustinus sic ait: [Non vno modo obscura luna dici potest. Nam & cum finitur, menstruis cursibus & cum eis fulgor nubilo interpolatur, & cū plena deficit, potest dici obscura luna.] Quare potest de persecutoribus ecclesiæ, ac etiam de persecutoribus martyrum, iuxta D. Augustinum intelligi, quod sagittare voluerint in obscura luna rectos corde, siue adhuc in ecclesiæ nouitate, quia nondum terris maior effulserat, & gentilium superstitionum tenebras vicerat, siue linguis blasphemorum, & nomen Christianorum male diffamantium, quasi nebulis obtegeretur, videri perspicua luna non poterat, siue ipsorū martyrum cædibus, & tanta effusione sanguinis, tamquam illo defectu, & obscuratione, qua cruentam faciē luna videretur ostendere, à nomine Christiano deterrebantur infirmi. Iuxta tamen D. Hieronymum super cap. 66. Isa. Ecclesia luna appellatur, quia pace, & persecutionibus crescit, atque decrescit, & oppressa tentationum tenebris, rursus pristinum lumē assumit. habetque splendorem à sole iustitiæ, & hæc luna est, quæ Apoc. 12. est sub pedibus Mariæ, cuius patrocinium semper implorat, & hæc etiam luna erit plena in iudicio, quando ecclesia recipiet complementum. En qua-

D. Aug. Tertulian. D. Ambros. D. Hieron. D. Greg.

D. August. in Psalm. 10.

D. August. in Psalm. 10.

A liter ecclesia luna appellatur, quam illuminat, implet, perficit, & pulchram, speciosamque reddit iustitiæ sol Christus.

Ad differentiam vero legis gratiæ, & legis Moysi, rationem iam reddentes, dicimus, quod idcirco Apostolus, Hebræos, pueris qui sub lege tamquam sub pædagogi custodia tenebantur, comparauit, fideles vero gratiæ viros appellauit, qui tamquam perfectiores, grandioresque, pædagogo minime indigebant. Vnde est illud ad Galat. 3. [Priusquam veniret fides sub lege custodiebantur conclusi, in eamdem fidem, quæ reuelanda erat, itaq; lex pædagogus noster erat in Christo, vt ex fide iustificemur, ac vbi venit fides iam non sumus sub pædagogo.] Quare legis veteris doctrina, sanctitas imperfecta & puerilis fuit, si cum legis nouæ per Christum constitutæ, sapientia, & perfectione B conferatur.

Sol, ad argum. in oppositum.

Tum præterea facies fulgida, ac splendida Christi ad maximam iustorum vtiq; spectat consolationem. Quoniam iustis post persequutiones, & mortem, magna manet in patria gloria, non solum animarum, verum etiam & corporum, iuxta illud Matth. 13. [Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.] Cuius plane claritatis specimen quoddam in sua transfiguratione dedit Christus, dum facies eius sicut sol resplenduit, vestimenta autem eius alba, instare niuis facta fuerūt, in signum futuræ claritatis animarum, & corporum sanctorum electorum. Hinc plane est, quod S. Thomas sequutus glossam interl. & D. Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs, per solem intelligunt Ecclesiam quātum ad statum suæ glorificationis, post generalem resurrectionem, quando iust. fulgebunt, vt sol. C Idem argumentum prosequi videtur Primasius, dum in hisce suis commentarijs, sic scribit: [Sed & similitudinem gloriæ solis futuram cur Ecclesiæ Dominus repromittit, dicens. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris mei. Cuius comparatione capitis Christi, claritas magis est intelligenda sublimior, quippe cum iustorum ipse sit claritudo, quam ideo post resurrectionem suis discipulis abscondit. Ne eum nec agnoscere, nec sufferre quiuissent. Hæc autem non cæcitas debet, vel agnosci; dici, sed quædam inuisibilitas, quę in Gręco ἀορασία, aptius vocitatur, per hāc neque Eliseum exercitus, neq; hostium populus seruiens agnoscebat, cum cætera præter ipsa viderentur. Huius deniq; clarificationis speciem in morte sufferre non valuerunt.] Hæc Primasius. Glorificatio, & clarificatio tamen hæc post generalem resurrectionem per solem, & eius virtutem illuminatiuam, & irradiantem in hora meri- D diana maxime demonstratur; quoniam quemadmodum à sole cuncta sidera, & reliqua corporalia clarificantur, sic à Christo Domino æterno sole iustitiæ, ac sapientiæ omnes electi irradiantur. Quoniam signatum est super nos (teste Psalmista) lumen vultus eius.

4. Ratio.

S. Thom.

Primasius in comment.

Matth. 13.

Lucæ 24.

4. Reg. 6.

Gen. 19.

Matth. 17.

Tum facies Christi irradians, & splendida vt sol, hic apparet ob manifestationem diuinorum secretorum per eumdem Christum factam. Hanc rationem reddere videntur Origenes hom. 3. in Matth. & reliqui expositores illorum verborum: [Resplenduit facies eius sicut sol.]

5. Ratio.

Tum insuper facies Christi, sicut sol irradians hic apparet, quia in die iudicij fulgentissimus apparebit Christus Dominus, eiusque facies splendorem solis longe superabit. Indicat hanc rationem Beda. [Attamen E per illam, corporum gloriosorum claritas demonstratur. Quoniam tunc iusti fulgebunt sicut sol, vt dicitur Matth. 13. Ideo hic dicitur, [In virtute sua,] hoc est in vigore suo splendendi, & illuminandi, quam nunc habet sol in meridie, vel habuit in exordio mūdi, vel habebit in finali iudicio, vt supra nos retulimus, dum hanc particulam, [in virtute sua,] supra enodaremus: Tunc enim corpora gloriosa instar solis fulgebunt: Quorum claritatem, corpus Christi, mirumimmodum tunc

6 Ratio.

tunc superabit, vt ipsemet in trãsfiguratione sua significare voluit, vt D.Chrysostomus, Origenes, Remigius, & Abulensis in cap.17. Matth. exoluunt. F

7.Ratio. Tum denique facies Christi, iram, indignationem, & iracundiam significat, vt tenent Cyrillus 3. Thesau. 2. Arnobius in psalm. 67. & Hilarius super psalm. 138. Iram (inquam) tam eam, quam nunc prope diem in nos exercet, quam illam, quam postremo, in die iudicij, in omnes simul exercebit reprobos. Vtrobique enim, cum ob aliquid læthale, peccator mulctatur à Deo, de eodem expendi potest illud Gen. 4. [Egressus est Caim à facie Domini,] vbi ly [à facie] iudicium Domini indicat, sicut illud Hester 1. [Egredietur edictum à facie tua,] hoc est, à iudicio tuo. Splendida tamen, & irradians hic facies Christi apparet, quoniam in vtroque iudicio, nimirum, particulari, & vniuersali, Deus citra condignum punit, dicente Psalmographo: [Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.] Quare vtrobique erit iustitia cum misericordia, iuxta illud Habach. 3. G

Misericordia & iustitia Dei [Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis,] & illud etiam Psalmistæ psalm. 76. [Numquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas,] Hoc est. Non claudet misericordiæ fontes, quodam veluti pariete iræ. Hinc D. Ambrosius in

Theodoretus in ps.76. psalm. 114. [Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.] sic scribit: [Bis misericordiam posuit, semel iustitiam, in medio iustitiæ, est gemino septo inclusa misericordiæ. Superabundabant enim peccata, superabundet ergo misericordia, apud Dominum omnium virtutum abundantia est.] Nescit itaque Deus irasci, sine amoris argumento. Et obid facies, quæ iram indicat, irradians, & splendida, hoc in loco, apparet, vt in ira, misericordiæ argumentum exhibeat peccatoribus. H

§. 6. Resplenduit hic facies Christi, quemadmodum sol lucet in virtute sua, immo centies millies, & multo plus. Attamen noster Archipropheta, aliam splendidiorem creaturam, nullatenus habuit, cui speciem claritatis faciei vultus, & aspectus huius similitudinis filij hominis, hoc in loco, comparare valuisset, nisi hũc nostrum visibilem solem. Idcirco de splendore, & claritate vultus Christi, in transfiguratione; D.Chrysostomus sic scribit: [Multo clarior sole resplenduit facies Christi, sed quia in hoc mundo, nihil clarius sole refulget, ideo Euangelista posuit exemplum de sole.] Hæc Chrysostomus. Vtrobique plane decantare potest quis nostrum cum sponsa, dicens illud Cant. cap. 2. [Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.] Sunt autem qui existiment per solem intelligi debere ecclesiam, quantum ad statum suæ glorificationis post generalem resurrectionem, quando, Christo testante, iusti fulgebunt vt sol in regno patris eorum. Hinc D. Ambrosius, qui totum hunc contextum de decem ornamẽtis, quibus Domini corpus decoratum fuit, exponit, attingendo faciem fulgidam, in hæc irruit verba: [In his ergo septem ornamentis, omnis electorum ecclesia, à nobis in septem partes diuiditur comprehendetur, sine his ergo septem partibus, non mihi videtur hunc librum, quemquam ordinate posse intelligere, de octaua autem, quæ restat, aliquid dicendum est, & facies eius velut in virtute sua, per faciem Ecclesia sicut post resurrectionem factura est, designatur. Et ideo per faciem ecclesia, quæ tunc Deum, sicut dicit Apostolus, facie ad faciem videbit, designatur, quæ sicut sol lucere visa est, quia sicut dicit Dominus, tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, inueniuntur in scripturis quædam his septem, partibus conuenientia, &c.]

Chrys. in c. 17. Matth.

D. Ambros. in commen. totã hanc visionẽ per decem ornamenta exponit pereleganter.

Cor. 13.

Matth. 13.

§. 7. En qualiter Christus lux mundi, & omni creato clarior, qui & ante passionem in transfiguratione visus fuit vultu radiare vt sol, Ioanni nostro hic cum admirabili apparuit fulgore. Cuius plane splendor comparatur soli in virtute sua, id est, in hora meridiana, eoquod virtus illuminatiua solis, vt nuper retulimus, hora meridiana maximè demonstratur. Per quod plane datur intelligi, quod quemadmodum à sole cuncta sidera, & reliqua corporalia clarificantur, sic à Christo æterno sole iustitiæ, & sapientiæ, omnes electi irradiantur. Quoniam signatum est super nos lumen vultus eius.

Comparatio.





ET cum vidissem eum cecidi ad pedes eius tamquam mortuus. Text. 12.

COMMENTARIVS.

TOTVS perterritus, debilitatus, languens stupefactus, atque ex hac admirabili visione Dei, consternatus Archipropheta Ioannes ferre haudquaquam valens refulgentiam, & gloriam tantæ maiestatis, cecidit ad pedes Angeli tamquam mortuus, quemadmodum Apostoli, intuentes claritatem vultus Christi transfigurati in monte Thabor, ceciderunt in facies suas (vt dicitur Matth. 17.) & timuerunt valde. Solent namque visiones Domini, vt supra retulimus text. 1. par.4. disp. 2. quæst. 2. tam factæ prophetis per Angelos, quam factæ Apostolis per Christum, terrorem, consternationem animi, ac etiam corporis debilitationem, & languorem, inducere. Quod patet primo de visionibus Dei, Prophetis in veteri Testamento factis per Angelos. Etenim Daniel viso Angelo, qui illi apparuit in illa diuina visione, sic ait in cap. 7. [Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum, & visiones capitis mei conturbauerunt me, & facies mea mutata est in me,] & cap. 8. [Ego Daniel elangui & ægrotaui per dies, & stupebam ad visionem,] & cap. 10. [Vidi autem ego Daniel solus visionem; porro viri, qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimis irruit super eos, & fugerunt in absconditum, ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.] Et Ieremias c. 23. in medio visionis diuinæ, sic inquit: [Contritum est cor meum contremuerunt omnia ossa mea à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius.] & Iosue cap. 5. viso Angelo Dei sibi dicenti: [Princeps sum exercitus Domini, & nunc venio.] Statim cecidit in terram. [Cecidit Iosue (dicitur in textu) pronus in terram.] & Eliphaz in cap. 4. Iob, sic ait: [Cum spiritus me præsente trãsiret horruerunt pili capitis mei, & pauor terruit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt, & facies mea mutata est in me.] Et tandem Habacuc in c. 3. his verbis exclamasse legimus: [Audiui & conturbatus est venter meus, à voce cõtremuerunt labia mea.] Hinc Arethas super hæc verba, sic scribit: [Moris est sanctis prophetis, vt cum visionem intuentur obstupescant, ob vehementem abiectionem conditionis humanæ, videntes, quantum diuina humanis sint meliora, eaque præcellant ac excedant. Quod Iesu illi Naue contigit, ac Danieli viro desideriorum, illi quidem ad summum exercitus Dominici visum ducem, huic autem ad ostensas sibi visiones. Itaque his affine quiddam etiam nunc contingit Euangelistæ.] Sic ille. Patet deinde de visionibus Dei in nouo Testamento Apostolis, & alijs viris per Christum, ac etiã per Angelos factis. Propterea quod Apostoli visa gloriosa transfiguratione Christi, vt dicit Matth. 17. [Ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde.] Præterea custo-

Explanatio contextus. §. 1. Cur Ioannes pene exanimatus, & instar mortui concidit.

I

Pauor Iosue in Angelica visione.

Arethas in ...

K

custodes sepulchri Domini, audito Angeli terræmotu exterriti fuere; sic enim dicitur Matth. cap. 28. [Et ecce terræmotus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum, erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimentum eius sicut nix, præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.] Porro mulieres euntes ad sepulchrum vngere Iesum, non inuento corpore, & viso Angelo, nonne timuerunt? Maxime quidem; & ideo Angelus, mulieres ipsas confortauit, sic enim dicitur Matthæi cap. 28. [Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis: non est hic: surrexit enim, sicut dixit. venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus, &c.] & paulo post, de mulieribus ipsis dicitur: [Exierunt cito de monumento cum timore, & gaudio magno.] Et similia habentur Marci c. 16. Lucæ 24. & Ioan. 20. Et tandem Saulus (qui modo Paulus, & vas electionis dicitur) visa luce de cælo, quç illum subito circumfulsit nonne mox cecidit in terram? Vtiq; sane. Sic enim dicitur de illo Act. 9 [Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi, Saule, Saule quid me persequeris?] Perinde plane noster vates postquam, dicit: *Et cum vidissem eum*, mox perculsus terrore, totusq; exterritus, atque exanimus, ob metum ex hac Angelica visione sibi incussam subtexuit: *Cecidi ad pedes eius tamquam mortuus.*

Mulieres pauor in resurrectione Xpi.

§. 2.

Quare diuinç & Angelicç visiones expauescat homines.

Sed dices modo: quænam rogo est causa ob quam tantus pauor ac terror, seruos Dei in diuinis visionibus mox inuadit?

Respondeo hoc ex multis de causis prouenire. Quarum prima est, quia intellectus humanus diuina cælestia & supernaturalia: humilitate intelligit. Et ex humilitate tunc ita infirmatur, vt mox timore percutiatur, & horreat. Idcirco D. Gregorius lib. 4. moralium cap. 30. ita scribit: [Mens humana dum occultæ locutionis aspiratione tangitur, à statu suæ fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur, & inde se apud semetipsam fessam inuenit, vnde vltra se esse conspicit fortitudinem, quam conscendit. Hinc Daniel cum visionem Dei se conspexisse diceret, adiungit, elangui, & ægrotaui per dies plurimos, qui cum ad virtutem Dei mens astringitur a propria fortitudine caro lassatur: hinc Iacob, qui Angelum tenuit vno mox pede claudicauit, quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc mundo duplicibus desiderijs incedere nescit; vno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, & necesse est, vt alter pes marcescat, quia mentis virtute crescente, oportet proculdubio, vt carnis fortitudo torpescat.] Hucusque D. Gregorius. Et idem fere Arethas hoc in cap. annotauit, dicens: [Moris est sanctis Prophetis, vt cum visione intuentur obstupescant ob vehementem abiectionem conditionis humanæ, videntes quantum diuina humanis sint meliora, eaque præcellant, ac excedant.] Sic ille. Secunda causa assignatur à Diuo Gregorio super Ezechielem, homil. 8. quo loco docet S. Doctor, hominem comparatum Deo, penitus deficere, & ex diuina visione, ac visitatione accidere homini, vt suam ipse agnoscat, & sentiat ignorantiam, infantiam, vilitatem, & infirmitatem. Confirmatque Gregorius hoc, exemplo Abrahæ, & Moysi. Ille namque Genes. cap. 18. quanto familiarius cum Deo loquitur, tanto demissius de se sentit, & tanto magis seipsum abijcit: [Loquar (inquit) ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.] Hic vero Exod. cap. 4. & sermone quem cum Deo habuerat, quamuis esset omni Ægyptiorum scientia eruditus, sensit tamen se magis, quam fuerat antea in desertum, & impeditioris linguæ esse factum: [Obsecro (inquit) Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo enim loquutus es ad seruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum.] Sic Isaias ad, illam Dei visionem quam describit ipse cap. 6. sublatus clamauit, se virum esse pollutum labijs. Sic Ieremias loquente ad ipsum Domino, clamat: [A, a, a, Domine nescio loqui, quia puer ego sum.] Sic Daniel sublimem visionem videns per plurimos dies elanguit, & ægrotauit, vt dicitur cap. 8. quia, nimirum, & ij, qui in virtutibus fortes sunt, cum altiora Dei conspiciunt, in sua sibimet æstimatione, infirmi, atque imbecilles fiunt. Tertia causa est, quia cum quis, (vt experientia docet) omnem vim mentis in contemplationem diuinarum rerum defixit, mox inferiores vires illius quodammodo remittuntur, ac debilitantur. Calore namque vitali ad supremas mentis functiones contracto, & sanguine ad cor ipsum coacto, necessum est corpus frigescere, & vultum pallescere, quinimmo & corporis languor, & debilitas, & grauis aliquis morbus, nonnumquam contingit. Propter has tres rationes, Hugo de Sancto Victore in hunc locum sic scribit. [Quid fecisset si gloriam diuinitatis Christi vidisset quum similitudinem glorificatæ humanitatis sua, sustinere non potuit. Mens enim humana quanto perfectius inuisibilia bona cognoscit, tanto amplius ipsa sibi vilescit, & quanto sublimius Creatoris potentiam contemplatur, tãto magis apud semetipsum humiliatur.] Et Abbas Ioachimus ita: [Qui priusquam conspiceret stare se in iustitiç culmine, quasi Christi discipulus, & dilectus præ cæteris præsumebat, vbi diuinæ claritatis luce perfusus est, quidquid sibi de ipso complacuerat despexit, vnde & quasi mortuus ad pedes Domini cecidisse dicitur, quia numquam melius tenebras suas, mẽs humana dijudicat, quam cum diuinç sapientiæ luce, & summæ iustitiæ veritatem agnoscit. Idcirco B. Iob, qui contra iudicem Deum, tam multa ex persona tentatorum obijcerat, audita voce Domini obmutescit, & auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.] Hæc Ioachimus. Quam quidem rationem clarius attingit Strabus in sua glossa ordinaria, per hæc verba: [Ecce Ioannes qui stare videbatur, viso Domino cecidit tamquam mortuus, quia vnusquisque vir sanctus, quantum se ad contemplandum diuinitatem altius erexerit, tantum apud se introrsum inferius cadit, quia in comparatione Dei, eius magnitudo quam persuasit, facile despicitur. Hinc est, quod Abraham viso Domino se puluerem, & cinerem cognouit. Item Iob auditu auris, audiui te, &c.] Ita glossa ordinaria. Quamobrem Diuus Gregorius lib. 35. moralium, cap. 2. sic inquit: [Quanto quisque se minus videt tanto sibi minus displicet, & quanto maioris gratiæ lumen percipit tanto amplius repræhensibilem se esse cognoscit:] Et super Ezechielem, ita: [Mox vt gloriæ Domini similitudinem vidit in faciem suam cecidit, quia cum aliquid de Deo conspicimus in faciem nostram cadimus, quoniam ex multis erubescimus, quæ nos reminiscimur perperasse, ibi enim cadit homo vbi confunditur.] Hæc Gregorius. Ideo trepidatio ista Ioannis, nos docet, quanta humilitate, & veneratione, res diuinæ & supernaturales, tractandæ veniant. Iuxta illud Hest. 5. [Cum vidisset regem super solium regni sui, fulgentem vestibus suis pene exanimis fuit.] Et insuper numquam homo melius fœditatem, & peccata sua, dignoscit, quam cum Deo per pœnitentiam appropinquat. In quo plane sensu expendi potest illud Lucæ cap. 5. [Exi à me quia homo peccator sum Domine.] Perinde namque sonant hæc verba, ac diceret Petrus magistro suo Christo, cum te præsentem intueor omnia peccata mea, etiam leuissima tamquam atomos ad radios solis video. Idcirco me immundissimum, ac fœdissimum esse in conspectu tuo intelligo. Quarta præterea causa accidit, ex eoquod apparitio Angelica est nobis horrida. Veremur etenim nos, Angelos, sicuti alia animalia homines communiter verentur. Quoniam natura inferior, ad præsentiam superioris timet. Quemadmodum enim, vbi auriga perterritus habenas amisit, equi præcipites feruntur, & currus, distractus labefactatur, sic prorsus euenire animo solitum est, quoties ad præsentiam superio-

Marginalia: 1. causa. Humilitas est necessaria in intellectione. — Gen. 32. — Arethas in c. 1. Apoc. — 2. causa. — 3. causa. — Hugo de Sãcto Victore. — Ioachim. Ab. — Iob. 42. — Strabus in sua gloss. ordinaria. — D. Greg. in Iob. — D. Greg in c. 2. Ezech. — D'uina & supernaturalia magna cum veneratione sunt tractãda. — 4. causa. — Comparatio.

perioris naturæ magno stupore occupatur. Quippe qui pauidus suo deest officio, ac veluti quasdam habenas suas actiones omittit, membraque ereptis sensibus deserit, que protinus frigent, & corruunt, superioris naturæ splendorem, ac magnitudinem vix sustinendo. Quinta causa ex eo prouenit, quod inusitatus homini Angelorum aspectus precipuè sub schemate, specieque terribili facilè horrorem, terroremque ipsimet homini incutit. Sexta causa originem habet ex eoquod in huiusmodi visionibus, communiter multa illis, quibus fiunt, tristissima acerbissimaque, atque calamitosa, & funesta annuntiantur. Septima, & postrema causa oritur ex maxima maiestate. Splendorem namque diuinæ maiestatis, ac magnitudinem, corda mortalium nequeunt sustinere. Hinc Seraphici illi spiritus coram diuina maiestate, in signum stuporis, & reuerentiæ diuinæ maiestatis, facies suas pennis obtegent, iuxta illud Isaiæ cap. 6. [Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum, seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.] Super quæ verba Diuus Ioannes Chrysostomus homilia secunda, de verbis Isaiæ, sic ait: [Seraphim auertunt facies, alasque vice murorum obijciunt, non ferentes radios illinc proficiscentes.] Et homilia tertia, de incompræhensibili Dei natura, ita scribit: [Dic quæso quamobrem alas prætendunt, & suas operiunt facies? Quid aliud dixeris causæ, quam splendorem è solio illo procursantem, & fulgur prosiliens ferre non posse?] Hæc Diuus Ioannes Chrysostomus.

5. causa. 6. causa. 7. causa. Homines nequeunt sustinere maiestatis diuinæ splendorem. D. Chrysost.

§. 3. Incarnationis arcanum difficile intellectu.

Porro ad pedes illos, de quibus nuper dictum fuit: [Et pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti,] corruit noster vates obstupefactus, quia incarnationis mysterium, per pedes illos ignitos figuratum, pro tunc adhuc compræhendere nequiuit, sicuti postea diuinitus intellexit clarè, dum in suo Euangelio exclamauit: [Et verbum caro factum est.] Quamobrem D. Ambrosius in hunc locum, sic scribit: [Ecce Ioannes, qui sibi stare videbatur, viso Domino, cecidit tamquam mortuus, quia vnusquisque vir sanctus quantum se ad contemplandam diuinitatem Dei, altius erexerit, tanto apud se introrsus inferius cadit, quia in comparatione Dei eius magnitudo, (quamquam parua sit,) facile perspicit; Vnde & tamquam mortuus cæcidit, quia in comparatione Dei se nihil esse perspexit. Ad pedes cecidit, quia incarnationis eius mysterium, quod per pedes figuratur se nullo modo compræhendere posse perspexit.] Alludit plane adhæc illud Præcursoris Baptistæ: [Non sum dignus corrigiam calceamentorum eius soluere.

D. Ambros. in comment. Ioan. 1.

§. 4. Ambrosius, Ausbertus in comment. Imitatur vestigia Xpi ecclesia.

Ansbertus tamen putat, Ioannem in nomine totius Ecclesiæ ad pedes Christi cadere, ad ostendendum Ecclesiam in omnibus rebus Christi vestigijs insistere, & eius exempla imitari. iuxta illud: [Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.] Idque exprimit Ausbertus per hæc verba: [Ioannes hoc loco generalem membrorum formam assumit. Quid autem hoc loco sunt pedes Angeli, nisi indicia passionis eius, signa itineris, immitationis exempla, iuxta illud 1. Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius?] Corroborari plane potest hæc Ansberti opinio, eo quod pedes in sacro eloquio pro operibus, & affectionibus crebro sumuntur, vt docent Origenes homilia duodecima in Exod. Cyrillus contra Iulia., Isychius in Leuit. & alij sancti Patres, tam Græci, quam Latini. Ad quod plane alludit, illud sponsæ Cantic. cap. 5. [Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?] Pedes namque mundi, bona opera, pedes vero sordidi opera inmunda indicant, vt docent Chrysostomus in Psalm. 25. Origenes homilia octaua in Leuit. Phil. 3. de vita Moysi, & Hieronymus in cap. 1. Ezechielis, ac etiam Strabus in sua glossa ordinaria super illud Thren. 1. [Sordes eius in pedibus eius.] Id est, in operibus & affectionibus. Ideo D. Gregorius super illud Iob. 13. [Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti,] sic scribit: [Vestigia Deus pedum considerat, quia intentiones nostrorum operum, quam rectè ponantur examinat, nec ad hoc, quod bonum agitur, non recto desiderio agatur. Pes in corpore est vestigium in via, & plerumque dum quædam praua agimus, intuentibus hoc fratribus exemplum malum præbemus, & quasi inflexo extra viam pede sequentibus vestigia distorta relinquimus.] Ita Gregorius. Inde procul dubio factum est, vt opera Christi semper aurea, fulgida, & munda nuncupentur, ac etiam pedibus aureis assimilentur, vt dicunt expositores super illud Can. 5. [Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.] Vbi DD. per [bases aureas,] pedes aureos exoluunt. Quoniam omnia opera Christi aurea, id est, insigni charitate fulgentia semper fuerunt, cum ipse de seipso aperto ore dicat: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] Quinimmo, & passio eius (præcipuum eius opus) ascensum purpureum nuncupant Doctores exponentes illud Cant. 3. [Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas reclinatoriũ ascensum purpureum.] quo loco DD. per [ascensum purpureum] passionem Christi expendunt. Quia videlicet omnia opera, per quæ Christus ad gloriam sui corporis, & nominis cælebritatem tamquam ad ferculum ascendit, pedum suorum sanguine purpurauit. Sequitur igitur Ecclesia, vestigia pedum Christi in omnibus, & per omnia: Quemadmodum Armiger ille per eminentes petras, & scopulos præruptos secutus fuit Ionatam dum 1. Reg. 13. dicitur: [Et ait Ionatas ad armigerum suum, ascendamus. Sequere me, tradidit enim Dominus eos in manu Israel: ascendit autẽ Ionathas manibus, & pedibus raptans, & armiger eius post eũ.] Quare, Ioannem hoc loco ad pedes Christi cadere, idem prorsus erit quod Ecclesiam pedum Christi vestigia imitari.

D. Greg. sup. Iob. Operũ nostrorum intentiones considerat Deus. Opera Christi aurea percharitatem. Ioan. 8. Sequella Xpi.

§. 5. Cadere in faciẽ & cadere retrorsum in quo differat.

Corruit insuper noster vates ad pedes Christi, vt aperte inde intelligatur, ipsum nullatenus corruisse retrorsum: vt de Iudæis dicitur Ioan. 14. [Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram:] sed in faciem suam ante pedes Domini cecidisse, vt de discipulis Christi dicitur Matt. 17. [Ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde.] Differt namque multum cadere in faciem à cadere retrorsum, vt prodit Remigius in cap. 17. Matthæi, per hæc verba: [Discipuli ceciderunt in faciem potius quam retrorsum, ad denotandum, quod sancti in faciem cadunt. Impij vero retrorsum.] Sic ille. Et perdoctè quidem. Qui enim in faciem cadunt facilè: qui vero retrorsum corruunt, difficilè vtique consurgunt.

§. 6. Viuere Deo, & mori mundo debemus.

Non cecidit noster Archipropheta Ioannes mortuus omnino, sed [tamquam mortuus] ita vt esset simul, & mortuus & viuus. Mortuus quidem mundo, viuus autem Deo. Vt hoc suo lapsu aperte demonstraret, homines debere simul viuere & mori, nimirum viuere Deo, & mori mundo. Vnde Paulus ad Galatas 2. inquit: [Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus,] & ad Coloss. 3. [Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo,] & iterum: [Si consurrexistis cum Christo, quę sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.] Quamobrem Primasius hoc in capite in hæc verba prorumpit: [Ioannes qui ista vidit totius Ecclesiæ figuram portat, sed & singuli quoque Apostoli, vel Prophetæ, dicunt, mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; Ecclesia ergo tamquam mortua mundo ante Dominum Christum.] Sic ille. Per quæ plane omnia docemur (vt ait Laudunensis in sua interlin. glossa) nihil terrenitatis cupere.

Primas. Gloss. interl.

Text. 13.

ET posuit dexteram suam super me dicens noli timere, ego sum primus, & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1. psalm. 137. Cõsolatio diuina erga seruos Dei.



VIA timore percussus, ac omnino pronus in terram collapsus degerat noster mellifluus Prophetarum Propheta Ioannes; Ideo hic operæpretium duxit Deus, illum mox opitulari, & per Angelum suum, eumdem magno subleuari patrocinio. Non enim tardat Deus, seruos suos in medio tribulationum ambulantes viuificare, & super iram inimicorum eorum extendere manum suam, & saluos eosdem facere dextera sua. Quamuis enim Deus ob causas sibi bene visas, ac beneplacitas, iustos seruos, & amicos suos, aliquando tribulationibus, afflictionibus, angustijsq; multet, tamẽ eisdem auxilium præstare minime diu retardat. Idcirco Moyses populo Hebræo Deut. 8. ait: [Afflixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum manna, &c. vestimentum tuum, quo operiebaris nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus. En quadragesimus annus est, C vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit homo filiũ suum, sic Dominus Deus erudiuit te, vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum.] Et Tobias loquens cum ipsomet Deo in hęc prorumpit verba: [Hoc autem pro certo habet omnis qui

Tobiæ 3.

te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur. si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.] Patiens etiam ille Iob postquam in cap. 5. dixit: [Mærentes erigit sospite,] mox in c. 16. exclamat: [Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucem] in cap. 8. Iudith, etiam sic legitur. [Expectemus humiles, consolationem eius.] & in psalm. 93. Psalmista exclamat, dicendo: [Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Et tandem Apo-

Deus seruis suis afflictis cito subuenit.

stolus 1. Cor. 10. ait: [Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere,] & 2. Cor. 1. [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,] & paulo post: [Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra,] & non longe post hæc: [Scientes quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.] & deinde: [In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.] & tandem: [Foris pugnæ, intus timores, sed qui consolatur humiles, consolatus est & nos.] Et cum hæc sit planè Dei consolatio, Christus Redemptor noster multoties in Euangelio misertus super turbas fuit, eum quęrentes per deserta loca nimio labore. Nã Matth. 14. dicitur: [Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis & curauit languidos eorum.] Et mox subiungitur: [Vnde ememus panes, vt manducent hi?] Et Matth. 15. sic Dominus pauit turbas in deserto, vt dicat: [Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere

A eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.] Ecce igitur qualiter Deus amicos suos tribulationibus oppressos adiuuare minimè retardat. In cuius itaq; auxilij, fauoris consolationisq; diuinæ signum, Ioanne collapso prono in terram, ex admirabili visione treme facto, mox dicit ipsemet in textu: *Et posuit dexteram suam super me, dicens, noli timere.* Et confestim rationẽ adiungens, ob quã non deberet timere, ait illi Deus: *Ego primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum.* Quasi dicat. Non est tibi ex hac admirabili visione (quam vidisti) timendum, habes namq; ex illa, validissimum adiutorium, qui enim loquitur tecũ Deus est. Ego, ego primus & nouissimus, ego Deus, ego sum illemet, qui in rubro ardenti (Exod. 3.) Moysi dixi: [Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham. & Deus Isaac, & Deus Iacob.] Ne extimescas igitur quia ego qui in adiutorium tuum intendo, Deus sum, de quo di-

Confortauit Christus Ioannem, & cur.

B xit (Iob 17.) [Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me:] Ego deniq; sum ille qui Paulo, dum prædicaret Corinthi, nocte per visionem (Act. 18) dixi: [Noli timere sed loquere, & ne taceas, propterea quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te;] noli igitur & tu timere, & do tibi signum, quod sum ille magister tuus, Deus & homo Christus Iesus, qui fui mortuus in cruce, & surrexi tertia die, in hoc nimirum quia scilicet: *Habeo claues mortis, & inferni.* Etenim si oblitus minimè es, antequam ad cælum assumptus fuissem, tibi & alijs fratribus meis dixi: [Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra.] Obidq; modo; *Claues mortis, & inferni.* Quas apud me in cælo habeo, tibi ostendo, quia hi sunt fructus passionis, mortis, & resurrectionis meæ.

C

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1. Enucleatio textus. § 1

Et posuit (ait) dexteram suam super me. Subtilissimus planè loquendi stylus. Semper enim Euangelij Aquila Ioannes altissimum posuit refugium suum, metas omnium prophetarum transcendendo. Qui namque in cœna supra pectus Domini recubuit, hic meretur, vt Deus dexteram suam super eum ponat. Talia de alijs Prophetis veteris Testamenti nullatenus narrantur. Etenim Daniele lapso in terram, & Deo illum subleuante, tantum dicitur in cap. 10. [Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum,] & paulo post: [Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & con-

Ioan. 21. Auxiliũ speciale Dei erga Ioannem.

D fortauit me.] Vbi vt vides nulla mentio fit dexteræ Dei, sed tantum manus; quæ quidem est vna dumtaxat pars dexteræ Dei, quinimmo de Apostolis (quos collapsos in terram, ob refulgentiam transfigurationis Christus consolare intendebat) tantum dicitur: [Tetigit eos, dicens, surgite, & nolite timere.] At vero hic singulariter de Archipropheta nostro Ioanne dicitur: [Et posuit dexteram suam super me,] quia singulariter iste præ cæteris, non tantum Prophetis, verumetiam Apostolis, dilectus erat à Domino. Quapropter iste præcæteris meruit ab ipso honorari. Per dexteram tamen Dei intellige, cum glossa ordinaria. & cum Sancto Thoma, hic, sanctum spiritum confortantem, nimirum diuinum auxilium, siue misericordiam Dei, similia habentur apud Danielem cap. 10. [Iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus Domini tetigit

Matth. 17.

Dextera Dei Spiritus sanctus. Dextera Dei diuinũ auxilium.

E me.] & cap. 8. [Cumque loqueretur ad me collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.] Et vtrobique sermo planè est de diuino auxilio, & de sancto spiritu confortante, qui collapsos, & afflictos, spiritualiter consolatur confortat, & erigit.

Spiritus sancti munus.

Con-

Timoris genera octo.

suadet timorem à Ioanne. Ad quod rectè intelligendum, inanimaduertendum est, octo esse timoris genera. Quorum primum est, timor naturalis, qui est in fuga disconuenientis, quo timore Christus in passione timuit. Secundus est timor humanus, quo homo timet contraria grauamina carnis, qui dum est infra terminos naturæ, naturalis est, dum verò excedit humanus appellatur. Tertium genus est timor mundanus, qui præcipuè consistit qñ vltra iudicium rationis timetur amissionem temporalium, qui est vitiosus, sicut humanus, qñ excedit limites rationis, quando nimirum timetur vbi non est timendum. Quartus timor dicitur seruilis, quando videlicet timore pœnæ cessat quis à peccatis, de quo dicit August. qui timet seruiliter, regnat in eo peccandi potestas, & voluntas. Quintum genus timoris dicitur inimicialis, qui stat in hoc, quod partim timore pœnæ partim verò timore iustitiæ declinat quis à malo, iuxta illud: [Initium sapientiæ timor Domini.] Sextus timor dicitur filialis, quo plane timore fideles declinant à malo, iuxta illud Eccles. 15. [Qui timet Deũ faciet bona.] Septimus præterea timor dicitur effusionis, qui stat in hoc, quod quis nec pœna nec gloria, sed tantum, ne offendatur sponsus mouetur, vt declinet à malo, quo sensu intelligitur illud: [Beatus vir qui timet Dominũ, in mandatis eius volet nimis.] Postremum, & vltimũ timoris genus, reuerentiæ, & honoris appellatur, qui solus remanebit in patria, Psalmista attestante: [Timor Domini permanet in sæculum sæculi.] Cum igitur stupefacto Ioanni præcipitur, vt nullatenus pertimescat, dicimus cum S. Thoma, & cum Auctore incognito in hisce cõmentarijs, timorem, nimirum, ex quo mentis turbatio surgere poterat Archiprophetæ Ioãni interclusum ab Angelo Dei fuisse, ne tranquillitas mentis illi impediretur. Quare perinde sonant hæc verba. [noli timere,] ac si illi diceretur: [Noli timere pati pro me,] hoc est, Noli timere, timore naturali, mundano, humanoyè, aut seruili.

1. genus. 2. genus. 3. genus. 4. genus. 5. genus. 6. genus. 7. genus. 8. genus.

Par. 3.

PARAPHRASIS Tertia.

Ego sum primus (ait) & nouissimus.

Enucleatio textus. §. 1. Ioannes timere minime debebat ob tres rationes.

Tres ab Angelo Dei subijciuntur rationes, ob quas noster mellifluus Archipropheta Ioãnes timere haud quaquam debebat, vt tenent omnes expositores, & præcipuè glossa ordinaria, & Lyranus. Quarũ prima hæc est, quæ hic adhibetur sub his verbis: [Ego sum primus, & nouissimus,] Perinde ac dicat Angelus in persona Christi: Ego sum primus à quo omnia, & nouissimus ad quẽ omnia; ego sum primus qui ante sæcula genitus à Patre, & nouissimus qui in fine tẽporis natus de muliere: Ego sum primus, & nouissimus, quia ego sum Deus, & homo. Vel, vt ait Primas. Ego sum primus, quia vt Deus omnia creaui, iuxta illud Io. 1. [Omnia per ipsum facta sunt,] & nouissimus, quia vt homo, cũ in me instaurabuntur, iuxta illud ad Eph. 1. [Proposuit in eo (adde, Deus Pater) in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare oĩa in Christo] Propterea quod omnia subiecit (Pater æternus) sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnẽ ecclesiã, quę est corpus ipsius plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Vel, denique; [ego sum prim⁹] quia, vt Deus oẽs homines creaui, iuxta illud Gen. 1. [Formauit igitur Dñs Deus hominẽ de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiraculũ vitæ, & factus est homo in animã viuentẽ.] & paulo inferius: [Fecit Deus hominẽ ad imaginẽ, & similitudinẽ suam:] Præterea, [& nouissimus;] quia vt homo omnes homines (vllo excepto) iudicaturus sum, iuxta illud Ioan. 12. [Et potestatẽ dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] Et ob id D. Athanas. in suo symbolo ait: [Ad cuius aduentũ omnes homines resurgere habent cũ corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem:] Ego igitur primus & nouissimus, ego Deus, & homo: Ne ergo Ioannes, qui totius Ecclesiæ militãtis typum geris, modo extimescas hominũ tormenta, tribulationesvè pro me subire, quia potens sum (vt exponit Lyranus) te, & alios fideles, quos repræsentas, saluare: Quia, quos ego, vt primus, nempe, vt Deus, creaui (licet modo, te & Ecclesiã meã mille tentationibus, & dæmonũ tẽtamẽtis, machinamẽtisvè affligãt mali) & mihi p creationẽ subijcisti & ecclesiã per finale iudiciũ vt nouissimus, nẽpe vt homo iudicaturus, & vindictã ab ipsis, reportaturus sum, ideo ne timeas.

2. Ratio. Primasius in comment. Creator omnium Christus. Eph. 1. Creator omnium hominum Christus. Iudex omnium hominum Christus. D. Athanas.

Lyranus in comment.

§. 2. Primus & nouissimus idem est quod Alpha & Omega.

Cæterum hæc verba: [Ego sum primus, & nouissimus,] eadem prorsus sunt cum illis quę supra idemmet Angelus in persona Christi dixit, nimirum. [Ego sum Alpha, & Omega principium, & finis.]

§. 3. Difficultas circa explanationem textus. Solutio. Angelus loquitur in persona Christi. D. Aug.

Porro neutrũ istorum verborum videtur prolatũ ab Angelo, sed ab ipsomet Deo, ex eo quod solus De⁹ (& nullo modo Angelus) est primus, & nouissimus, Alpha, & Omega, princip ũ & finis; Sed quicquid sit Angelus est, qui in persona Christi redemptoris nostri hic loquitur, vt supra retulimus. Et plane nullatenus mirum esse debet Angelum istum verba Christi vsurpare, cum eiusdem Christi imaginẽ gerat, & personã sustineat. Crebro namq; accidit in sacra pagina, vt imagines earum rerum nominibus nuncupentur, quarum sunt imagines, vt docet D. Aug. lib. ad Simplicianum q. 3. Vide etiã sic vt vocibus eorũ vtantur quos referunt, aut quorum personas induerunt. Et in hoc sensu accipitur illud Exod. 20. [Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.] & illud etiam Exod. 3. [Ego sum Deus patris tui Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob.] Quoniã vtrobique Angelus est, qui immediatè loquitur, vt docet Apostolus ad Hebr. 2. per hæc verba: [Si enim qui per Angelos dictus est sermo factus est firmus &c.] & vt etiam habetur ex illo Act. 7. [Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.] Hinc plane interpretari potest sententia Ruperti Abbatis de Angelo illo Malach. 3. [Ecce ego mitto Angelum meum] id est, [verbum incarnatum.]

Rupertus in cõmentariis.

§. 4. Isaias qualiter cum Ioanne quadret.

Verba tamen ista, [Ego sum prim⁹, & nouissimus,] Isaias inter alios Prophetas recitat in cap. 44. sub his verbis: [Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor eius, Dominus exercituũ. Ego primus, & ego nouissimus, & absq; me non est Deus] & cap. 41. [Quis hæc operatus est, & fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus, & nouissimus ego sum.] & cap. 48. [Audi me Iacob, & Israel, quẽ ego voco, ego ipse, ego primus, & ego nouissimus] Et noster Primicerius inter Prophetas Ioannes eadẽ verba crebrò per hoc suũ vaticiniũ reperit, Nam in cap. 21 sic ait: [Ego sum Alpha, & Omega, initium, & finis] & cap. 22. [Ecce venio cito, & merces mea mecũ est, reddere vnicuique secundum opera sua. ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.] Et possunt proculdubio verba ista Isaiæ, & Ioannis, nempe [primus & nouissimus,] cuilibet diuinæ personæ adaptari. Quælibet namque diuina persona dici potest prima, atque nouissima. Et omnes simul sunt vnus primus, & vnus nouissimus. Quoniam in beatissima Trinitate nihil est prius, aut posterius. Et ipsæ tres personæ, sunt omnium rerum vnum primũ principium, & vnus vltimus finis, sicut sunt, vnus Deus, vnus creator, & vna natura.

§. 5. Aliæ duæ in textum difficultates. S. Tho. Solutio. Modi durandi in deo. Primus durandi modus in Deo.

S. Thom. in hisce cõmentarijs has proponit sequentes difficultates. [Sed quæritur quomodo sit nouissimus, cũ nõ duret vltra ea quę fine carent, vt sunt Angeli, & animæ, & alia multa. Item esse nouissimũ videtur esse abiectionis, & ignobilitas, iuxta hoc potest quæri, quomodo intelligatur illud Exod. 15. Dñs regnabit in æternũ & vltra. Respondetur ad primum, dicendum, quod non dicitur nouissimus quantum ad durationem, quia non durat vltra ea, quæ fine carent, sed quantum ad modum durandi [illegible] & quantum ad rationem finalis causalitatis. Modus durandi in Deo triplex est secundum Anselmum in Proslogio. Primus, quia per se durat æternaliter, alia autem [illegible]

Secundus durandi modus in Deo. hæc habent à seipso, & sic quodammodo est extra alia, & sic nouissimus. Alius modus est, quia Deus nô potest intelligi habere finem, alia autem possunt intelligi finem habere: illud autem quod nullo modo potest habere finem quodammodo est vltra illud, quod aliquo modo potest habere finem; finem dico saltem in intellectu, etsi non in re. *Tertius durandi modus in Deo.* Tertius modus est, quia diuina æternitas tota est simul, æternitasque æuiternorum non est tota simul secundum Anselmum. Vnde æternitas eorum non attingit, vbi attingit Dei æternitas. Et ita Deus quodammodò est vltra omnia; ita secundum finalem causalitatem dicitur Deus esse nouissimus; quia Deus est causa finalis omnium, & ad ipsum sicut ad causam finalē omnia ordinantur, qui vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Illud autem ad quod omnia ordinantur, tenet rationē nouissimi, quia finis est ea, hoc autem non est indignitatis, sed incommunicabilis, & simplicis dignitatis; quia Deo soli conuenit esse omnium causam finalem. August. lib. 1 confess. fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.] Hucusque S. Th.

Par. 4.

PARAPHRASIS
Quarta.

Et viuus (ait) & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum. *Dilucidatio textus. §. 1.* Accedit iam Angelus ad secundam rationem proponendam, ob quam noster Propheta, imo Propheta Ioannes pertimescere minimè debuerat. *Secunda ratio quare Ioannes nô debet timere.* In qua ratione tria tempora de Christo commemorantur, *Tria tempora vitæ Christi.* nimirum tēpus vitæ suæ, natus quippe fuit Christus in Bethlehem Iudæ de virgine Maria sub Augusto Cæsare Romanorū Imperatore, iuxta illud Lucæ 2. [Exijt edictū à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.] & paulo post:] Ascendit autē & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam Ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante: *Tempus ortus Christi.* Factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies, vt pareret, & peperit filium suum primogenitū, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.] Qui quidē filius Dei, & virginis Mariæ [Christus Iesus] in circumcisione appellatus, triginta trium annorū spatio, postea vixit, ob idq. dicitur in textu, [& viuus] assignans vitæ suæ tempus. *Tempus mortis, & passionis Christi.* Recitatur etiam tēpus mortis & passionis Christi, [& fui mortuus,] eius namque mors in humanitate assumpta pro generis humani salute narratur à Matth. 26. & Marco 14. à Luca 22. & à Ioanne 18. Insinuatur denique tēpus gloriosæ, *Tempus resurrectionis Christi.* & triumphantis resurrectionis Christi, dum dicitur: [Et ecce sum viuens in sæcula sæculorū.] Hanc gloriosam resurrectionē Christi referunt Matth. 28. Mar. 16. Luc. 24. & Ioan. 20. Dat igitur hanc rationem Angelus quare Archipropheta timere vllo modo debebat dicens: [Et viuus, & fui mortuus. Et ecce sum viuens in sæcula sæculorum.] Quasi dicat: Apostole & Euangelista Dei Ioannes, qui modo omnes fideles in Ecclesia representas, tribulationes imminentes, persecutiores detrahentes, dæmones insefantes, & tyrãnos, leones, luposq. rapaces, te gregem Domini inuadentes, timere haudquaquam debes; Cum ego, qui sum tuum, & totius Ecclesiæ caput, minimè horruerim crucis pro vobis subire tormentum: Propterea quod, quamuis magnum sit supplicium, erit etiam magnum in præmiū, cum ego qui etiam vnitum per æternam generationem, tum per assumptionem humanæ naturæ fui mortuus in carne per acerbissimam passionē, & licet mortuus fuerim, ecce sum viuens per gloriosam, & triūphantem resurrectionē in sæcula sæculorum, Amen: Noli igitur tu & [illegible] fideles, qui estis membra mea timere pro me pati. *Glossa interlinearis.* Vel quasi dicat (vt ait glossa interlinearis) viuus æternaliter fui, mortuus secundū carnem propter vos, & ecce sum viuens in sæcula sæ-

F culorum. Vel (vt ait glossa ordinaria) nolite timere pati pro me tribulationes & mortē; quia ego qui [illegible] indiget à propter me, cum sim primus, & nouissimus, fui mortuus, & viuus. *Glossa ordinaria.* Vel (vt ait Lyranus) fui mortuus in humanitate assumpta pro generis humani salute, propter quod nō debes timere. *Lyranus.* Et ecce sum viuēs in sæcula sæculorū, quia Christus homo resurrexit ad vitā immortalē. Superq. verba Lyrani (vt mihi videtur) fundat se Franciscus Ribera dicens:] Ita & vos licet moriamini resurgetis gloriosi, nihil vobis nocere poterût aduersarij viuentis in sæcula sæculorū, sicut & ego victurus sum.] Sic ille. *Francis. Ribera expositionem Lyrani sequitur.* Vel denique (vt ait Primasius) ostenditur hoc in loco, omnis summa, & spes consolationis cū dicitur ei qui mortuus iacet, noli timere sicut in Euāgelio: Gaude enim inquit, quia vici sæculum: Ego sum viuus, qui fui mortuus. *Expositio Primasij. Ioan. 16.* Caput enim, corpori similem spem resurrectionis veraciter pollicetur, cuius præcessio, spes est certamen bonorum. G

PARAPHRASIS
Quinta.

Par. 5.

Et habeo claues mortis (tandē) & inferni. *Elucidatio textus. §. 1.* Concludit iam tandem Angelus Dei hac tertia ratione, circa proponendas rationes, per quas Archipropheta Ioannes ob quas timere nullo modo debebat, dicēdo [Et habeo claues mortis & inferni.] *Tertia ratio textualis quare Archipropheta Ioannes timere non debebat.* Per claues intellige imperium, & dominium; per mortē autem, intellige terrestria; per infernum vero intellige inferna, & vt sic sensus. Ego autē habeo imperium, & dominium non tantum cælestium, verum etiam terrestrium & infernorum; quia de Christo ait Apostolus ad Philip. 2. [In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dñs noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.] H Vel per clauem, intellige potestatem (iuxta expositionem glossæ ordinariæ) & per mortem diabolum, cuius inuidia mors in orbem terrarum (testante Apostolo) introiuit, per infernum autem intellige omnes perditionis [illegible] cauernas, barathraq. infernorū æternaliter [illegible] dos. Horū namque claues, Christus se dicit hic habere ex eo quod licet illis potestatem, facultatemve electos, ac prædestinatos nocendi aliquando, ob causas sibi bene visas, elargiatur, tamen illis mox ex emplò præcipit tali nocumento finem, terminumque imponere. Vel, vt ait Primasius per mortem intellige diabolum, & totum corpus eius; nēpe omnes damnatos, quos incertis nomine signat, & per infernum intellige omnia loca, & omnia bona (vt ita dicam) inferorum, in quibus diabolus regnat, qui omnes diuini iudicij non effugiunt potestatem, tamquam clauem. *Primasius in comment.* I

Verumenimuero veniamus iam ad verum rationis Angelicæ sensum. Ait igitur Angelus in persona Christi: [Et habeo claues mortis, & inferni.] *§. 2. Varij sensus horū verborum, & habeo claues mortis, & inferni.* Quasi dicat; Nequaquam timere debes Ioannes, qui personam totius Ecclesiæ modo agis, ex eo quod mihi, qui loquor tecum, non tātum cælestia, quinimmo terrestria, & inferna humiliter curuant genua: Et si ego tecum (vt protector tuus) sum, quis quæso tibi nocere valebit? *Primus sensus.* Nemo sane, ne timeas igitur, neque tribulationes tormentaque ista pro me subire abhorreas; nam fidē meā tibi astringo, quod licet hæ tribulationes & dæmonū tentamenta, in principio, tibi aliquantulum noceant, tamen in fine tibi vehementer proderunt, dictum siquidem fuit à me, Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorū est regnum cælorū: *Matth. 5.* K Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; *Luc. 6.* Ne timeas igitur & ista seper in corde tuo conferre, ac mente meditare. *Secundus sensus.* Vel quasi dicat (sequendo expositionem glossæ ord.) quia habeo potestatē super diabolum & super mēbra eius, ideo timere non debes ex eo quod nō patiar vos tentari, vt ait Apost. 1. Cor. 10. supra id quod potestis; exemplū autē sume de seruo Iob in cuius tentatione diabolo dictum est à me: [Ecce in manu

tua

tua sunt vniuersa, quæ habet Iob, verumtamen animam illius serua.] Vbi, vt vides tantum potest satan, quantũ ego illi potestatem do: Et tunc tentare incipit seruos meos, & tunc finit, quando ego incipere, & finire illi præcipio: Ego igitur potestatis, facultatisvè illius secuis meis nocendi, clauem habeo, qua aperio, & claudo cũ volo. Qui clauẽ alicuius domus habet, (Comparatio.) quẽ vult intromittit, & quẽ vult ab ingressu domus repellit; Claues igitur mortis, & inferni possidet Christus, quia quos vult à damnatione perpetuæ mortis liberat, quos vult autẽ, eodẽ dãnationis periculo iustè remanere finit. Vel quasi dicat (imitando doctrinam (3. sensus.) Lyrani) non debes timere, quia Christus homo non tantũ surrexit ad vitam immortalẽ, verum etiã habet potestatem educendi ab inferis iustos (quod fecit in sua resurrectione) & ibi recludẽdi impios, (quod maximè faciet in iudicio finali) dicens illud terribile verbũ Matth. 25. [Ite maledicti in ignem æternum.] B Dixi imitãdo doctrinã Lyrani, quia Franciscus Ribera, verbis & sententię Lyrani innixus existimat textũ istum: [Et habeo claues mortis, & inferni.] hunc reddere sensum. Ne timeas quia non solum ego resurrexi, sed etiam alijs, resurrectionis auctor sum, possum mortis eripere, quos voluero, & vitæ reddere, possum inferos aperire, & inde meos educere, vt perpetuò mecum lætẽtur in cælo. Quasi dicat, quãtumuis mors claudat, & tenere meos cupiat, ego possũ aperire &c. (Nota bene.) Per has igitur tres rationes instruitur Ioannes noster ne pertimescat, cũ pro se habeat tã validũ adiutoriũ.

(§. 3. Difficultas de clauibus mortis & inferni.) Verumtamen, explanare hìc fas est, quæ claues sint istæ mortis, & inferni? Ad quod nunc breuiter dicimus, claues istas mortis, & inferni, potestatẽ esse ligandi, atque absoluendi, ac dimittendi peccata, quam ecclesia nunc possidet, per mortem, & passionẽ Christi Redemptoris nostri, qui pro nobis passus, nobisq. C (Clauis est potestas ligandi & soluendi.) datus, ac ex intacta Virgine nobis natus fuit, secundũ quod ipsemet Petro dixit: [Tibi dabo claues regni cælorũ, quodcunque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cælis; & quodcunq; solueris super terrã, erit solutum & in cælis.] Quæ omnia, & singula explicabuntur abundè & satis copiosè à nobis in cap. 3. dum (Matth.16.) ad illa verba: [Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit,] Deo fauente peruentum fuerit. Tenent hanc explanationem nostram Primasius, Rupert. Abbas, & plerique alij grauissimi adstipulatores, quos (Primasius, Rup. Abbas.) illic citabimus. Interim verò hìc verba D. Dionysij Charth. apponenda duximus, qui in hisce suis cõmentarijs in hunc locum sic scribit: [Qui clauem domus habet, quem vult intromittit, quẽ vult abingressu repellit. Christus itaque claues mortis, & inferni habere se asserit; quia quem vult à morte peccati, à pœnis D inferni misericorditèr eripit, vel perseuerat; & quem vult iustè relinquit, atque condemnat. Vnde claues istæ sunt iudiciaria Christi potestas, virtus, & sapientia. Si autem infernus pro loco quo patres Sancti detinebantur accipiatur, sic Christus de inferno quosdã in resurrectione eduxit, propter quod in Osea loqui- (Oseæ 13.) tur: Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne. & Sapiens: Tu Domine vitæ & mortis habes impe- (Sap.16. 1.Reg.2.) rium. Item alio loco: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Præfatam autem potestatem etiã Ecclesiæ suæ Christus proportionabiliter communicauit, cum spiritum sanctũ insufflando in Apostolos, loquutus est: Quorum dimiseritis (Ioan.20.) peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.] Ita Carthusianus. Concinunt tamen verba ista, [noli timere &c.] cum illa sententia Domini E (Persecutores sanctorum minime timendi.) Lucæ 12. [Ne terreamini ab his, qui occidũt corpus,] superq. verba sic scribit venerabilis Beda: [Si persequutores Sanctorum, occisis corporibus, non habent (Beda lib.4. in Lucã cap. 13.) amplius quid cõtra illos agant, ergo super uacua fuit eorum insania, qui mortua martyrum membra feris, auibusq. discerpenda proijciunt, cum nequaquam omnipotentiæ Dei quin ea resuscitando viuificet, obsistere possint.] Hæc Beda.



SCRIBE ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. (Tex.14.)

COMMENTARIVS.



VIm præcepti proculdubio obtinent verba ista. Stylus namque præcipiendi aliquod est, vt vel verbum [Præcipio] exprimatur, quemadmodum fecit D.Aug. in sua regula cap. 1. dicens: [Hæc igitur sunt quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constitutis] aut saltem verba imperandi modi concurrant, iuxta illud Deut. 6 [Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est.] Vbi licet verbum præcipio minimè exprimatur, tamen ibi auctoritas Dei præcipientis indicatur, & sic est in præsenti. Nam licet hoc in loco verbum præcipio haud quaquam exprimatur, tamen ly, *scribe*, auctoritatem Dei præcipientis indicat. Ex quo apertè intelligitur. Aquilã Euangelij Ioannem non hìc scribere ad placitum, aut ad arbitrium suum, aut pro voluntate, & libito, sed præcipiente Deo & Spiritu sancto dictante, secundum illud 2 Petri 1. [Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.] & 1.Cor.2. [Nos autem nõ spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes.] Et etiam 1.ad Thess. 1. [Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestrã, quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute, & Spiritu sancto, & in plenitudine multa.] Præcepto igitur Dei, hìc dicitur Ioanni, *scribe*. Et quia præceptum legis, vt ait S.Tho. p.2. q.99. art.1. cum sit obligatorium, est de aliquo, quod fieri debet, & quod aliquid debeat fieri hoc prouenit ex necessitate alicuius finis; & sic manifestum est, quod de ratione præcepti est, quod importet ordinem ad finem, in quantum scilicet illud præcipitur quod est necessarium, vel expediens ad finem: Et quia insuper sicut intentio principalis legis humanæ est, vt faciat amicitiam hominum adinuicem, ita intentio diuinæ legis est, vt ait S.Thom p.2. quæst.99. art.2. vt constituat principaliter amicitiam hominis ad Deum: Et quia adhuc homo ordinatur ad Deũ, vt dicit S.Tho. p.2. q.99. art.4. non solum per interiores actus mentis, qui sunt credere, sperare, & amare, sed etiam per quædam exteriora opera quibus homo diuinam seruitutem profitetur: Et deniq; ipsa agenda nõ cadant sub præcepto (vt asseuerat idem Præceptor Aquinas p.2. quæst.99 art 5.) nisi in quantum habent aliquam debiti rationem; Ideo Archiprophetæ Ioanni hìc non præcipitur, vt scribat quæcunque, sed illa dumtaxat dicitur in textu. *Quæ vidisti, & quæ sunt & quæ oportet fieri post hæc*. Vbi tria scribendorum genera plane continentur, nimirũ, præterita, quæ vidit, & illi ostensa fuere: præsentia, quæ nunc sunt in actu, vel in facto esse; & tandem futura, quæ sunt in fieri, & oportet fieri cito. Vnde per ly, *quæ vidisti*, intellige mysterium incarnationis verbi diuini, miracula eius in terris operata, mortem, passionem, & resurrectionem eius, de quibus ipsemet Christus discipulis suis Luc.10. dicit [Beati oculi qui vident, quæ vos videtis; dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt,

Explanatio contextus.
§. 1.
Præceptũ geminam obtinet cõsiderationem.
D.August. in sua reg. cap. 1.
Scripsit Ioannes ob Dei præceptum.
Prophetæ ad præceptum Domini prophetarunt.
S.Thomas.
Præceptum est de aliquo quod fieri debet.
Homo ordinatur ad Deũ & per quid.
Agenda quatione cadunt sub præcepto.
Scribẽdorum à Ioanne tria genera.

Oo 2 dierunt,

Tribulatio, & persecutio nunc est inter viuētes in Ecclesia Dei.

dierunt.] Et per ly, *& quæ sunt*, intellige tribulationes, persecutiones, fidelium probationem, persequentium & tyrannorum furorem, malorum punitionem, & bonorum glorificationem, quæ omnia nunc communiter sunt, & fiunt in Ecclesijs. De quibus omnibus ipsamet veritas ait: [Si me persecuti sunt, & vos persequentur.] Et tandem per ly, *& quæ oportet fieri post hæc*, intellige illa, quæ futura sunt vltimis temporibus in extremo iudicio. Erit namque, tunc tribulatio magna (vt dicitur Matth. 24.) qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet. Istius namque vltimæ tribulationis viticinia scribi oportebat à Ioanne, vt eius prænotione, ac præuia cognitione atque intelligentia, instructa remaneret Ecclesia, ne extremis illis, calamitosisque temporibus fluctuarent eius filij, aut omni vento doctrinæ circumferrentur, & hostis immanissimi præda fierent. Ideo Glossa ordinaria ly, *& quæ oportet fieri post hæc*, sic exponit: [In vltimis fidelibus, per quorum exemplum, isti multum debent animari.] Præcipitur igitur Ioannes, vt non tantum visa, verum etiam videnda, & non tantū audita, verum etiam audienda; & deniq; nō tantū facta, verum etiā fienda scribat fideliter, vt boni corrigantur, & emendentur, ac etiam ad meliorem mentem redire curent, & mali extimescere, procurent. Quia ista omnia tria genera scribendorum, credere, scire, ac intelligere, & necessaria sunt ad finem (hoc est ad vitam æternam) consequendum, & ad amicitiam hominis ad Deum constituendam, & etiam ad bona opera exteriora, quibus homo diuinam seruitutem profitetur, exercenda. Quæ plane hæc omnia agenda, debiti rationem obtinent, vt diximus supra cum S. Tho. Cæterum Lyranus præfata verba: sic est interpretatus, *Scribe ergo quæ vidisti*, id est, apparitionem iam dictam, & quæ sunt, id est, tribulationem Ecclesiæ iam inchoatam, & circa finem mundi magis ingrauescentem; ideo subditur, *& quæ oportet fieri*, in futuris tribulationibus, ad probationem electorum.] Sic ille. Quæ quidem interpretatio in solo primo membro differt à nostra.

Ioan. 15.

Tribulatio, & persecutio futura in extremo tempore.

Strabus in glos. ord.

Quid præcipiatur Ioanni scribere.

Finis inscriptionis prophetiæ Ioannis.

§. 2.

Ioannes inter prophetas, & Apostolos est honoratior.

Rupert. Abbas in comment.

Auctoritaté plane scribēdi hìc accipit per ly, *scribe*, Vates noster, qui non tantum inter Prophetas, verum etiam inter Apostolos honoratior, semper recensetur. Idcirco Rupertus Abbas in hunc locum, sic inquit: [Scribe, largitio est muneris & gratiæ, tanquam si diceret, scribendi facultatem, atque auctoritatem accipe, vnde verè beatus, & honorandus est Beatus Ioannes, qui sic inter duodecim Apostolos creuit, & auctus est, quomodo inter duodecim Patriarchas Ioseph.] Sic ille.

Conceptus prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod tempora tria vitæ nostræ oportet semper mādare memoriæ.



Er hæc tamen tria tempora, nimirū, præteritum, præsens, & futurum, quæ indicat noster Vates, dicendo se audiuisse vocem sibi dicentē: [Scribe, quæ vidisti, & quæ sunt, quæ oportet fieri post hæc] Docemur oēs, tria tempora vitæ nostræ semper memoria, altaq. mente retinere, nimirū, quis vnusquisq; nostrū fuit in tempore præterito, quis est porrò in tempore præsenti, & quis tandè futurus est in tempore futuro. Quoniam illud Ioannis: [Si dixerimus quod peccatū non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.] Si hæc tria vitæ nostræ tempora accura è perspexerimus, luce clarius experietur. Quis enim est, qui in tempore præterito, nimirū in adolescentia sua vllū vnquā cōmiserit crimen? Nullus plane, & præcipuè cum Dauid dicat: [Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.] Quis præterea est, qui in præsenti tempore, nimirū in hoc tempore, quo vitam agimus in terris, non peccet? Nemo plane, cum

1. Ioan. 1.

Peccator habet tria tempora.


Mortui, & adolescentes peccarunt.

F idem Dauid aperto ore, dicat: [Delicta quis intelligit, à peccatis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo] Quo loco notanda plane sunt illa, duo nimirū [à peccatis meis,] & etiā [ab alienis,] nō tantū de nostris, verum etiā de alienis peccatis, quę nos cōtra Deum ab aliquibus filijs, subdictis, amicis, parentibusvè fieri permittimus, reddituri sumus corā Deo rationem. Et quis postremo est, qui in tempore futuro, videlicet in senectute, minimè peccabit? Nullus profectò, cum dicat ipsemet Psaltes: [Et vsque in senectam, & senium, Deus ne derelinquas me.]

Viuentes in dies peccāt.

Senes non sunt immunes à peccato.

Tex. 15.



G Acramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1.

Angelus Apocalypseos imitatus est Christum.

Exponit Christus parabolam seminis, & seminatoris.

Exponit Angelus primā visionem Apocalypseos.

A Bdita pandit, abstrusa eliminat, obscurissimaq. mysteria in prima hac visione Apocalypseos à nostro mellifluo Archipropheta Ioanne visa hic, Angelus Dei illi affatim explanat; Christum imitatus, qui postquā parabolam illam Lucę 8. posuit H dicens: [Exijt qui seminat seminare semen suum &c.] ipsemet explanator aggreditur dicens: [Est autem hæc parabola, semen est verbum Dei: Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum &c.] Ad eumdem plane modum Angelus iste, prima hac visione proposita, in qua Ioānes vidit] Septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea &c.] ipsemet eiusdem visionis primæ explanator hìc aggreditur dicendo: *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea: septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*. Hinc plane est, quod hìc in alia similia verba D. Gregorij mihi irruere liceat. Gregorius namque super præfatam parabolam I Redemptoris, sic scribit: [Si nos vobis semen, verbū, agrum, mundum, volucres, dæmonia, spinas, diuitias significare diceremus, ad credendum nobis mens forsitan vestra dubitaret; vnde & idem Dn̄s per semetipsum dignatus est exponere quod dicebat; vt sciatis rerum significationes quærere, in his etiā, quæ per semetipsum noluit explanare.] & paulo post: Quis enim mihi vnquā crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem, maxime cū illæ pungant, istæ delectēt &c.] Sic ille. His itaq; verbis D. Greg. affine quiddā etiā nūc affari libet: Si enim nos vob s *septē candelabra aurea* septē Ecclesias, *septem stella*, septē Angelos Ecclesiarum significare diceremus, ad credendū nobis forsitan mēs vestra dubitaret. Quis enim mihi vnquā crederet *si stellas* Angelos Ecclesiarū interpretari voluissem, maximè cum illæ inanimatæ, isti verò animati sint, cū per Angelos præsules Ecclesiarū intelligan- K tur, vt ex seqq. capitulis manifestum euadit?

Greg. homil. 15. super cap. 8. Lucæ.

§. 2.

Animantur expositores libri Apocalypseos.

L Ex hac tū Angelica expositione, librū hunc interpretantes lætitiā non mediocrē (immò ingentē) recipere debent, & miruminmodum refici, ac recreari, ex eo, quod Angelo hunc primā visionē interpretante, signum plane est, quod Spiritus sanctus nunquā hunc librum scribi, ed;q. vellet, nisi vellet etiā aliqū intelligi. Negandū quidē haudquaquā est, librū hunc Apolyp. (vt diximus) inter alias sacras scriptura obsignatum,

Obscuritas libri Apocalypseos a ...

Interpretantes librum Apocalypseos videntur descendere in mare magnum.

A iû, occlusum, obscurissimumq. haud esse, quemadmodum, & alia Prophetarum (scilicet Mosi, Dauidis, Isaiæ, Ezechielis, Zachariæ, & Danielis) vaticinia, cũ Aug. Ambr. Hier. Beda Haymo, Alberto, Gilberto, Ioachino, Beregario, Irenæo, Iustino, Victorino, Andrea, Aretha, Ansberto, & cum alijs neotericis quam plurimis illum interpretantibus, videãtur descendere in mare magnum, & spatiosum, plenum procellis, & tempestatibus, facereq. operationẽ in aquis multis, ac videre opera Dñi, & mirabilia eius in profundo, necnõ ascendere vsq; ad cælos, & descẽdere vsq; ad abyssos. Vnde nisi Christus ventos, tumentesq. fluctus silere iusserit, turbarentur, & mouerentur sicuti ebrius, & omnis sapientia eorum planè deuoraretur: Attamen Angelo exponente, aliquantulum intelligitur.

§. 3.

Prophetiæ communiter solent esse obscuræ.

Verum quidem est, quod post datas prophetias solet Deus propter scelera, & populorum peccata illas B caligine ita obscurare, vt earum intelligentia diu abscondita, & abdita maneat, iuxta illud Isa. 29. [Miscuit vobis Dominus spiritũ soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros, qui vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quẽ cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum; & respondebit; non possum, signatus enim est; Et dabitur liber nescienti litteras, diceturq. ei: lege, & respondebit, nescio litteras] Quasi dicat Propheta Dei, omnium Prophetarum visiones tantæ erunt vobis caligine obscuræ, & ab intelligentia vestra reconditæ, vt nihil earum percipiatis, erunt nẽpe vobis tanquã verba libri obsignati, & occlusi; quem cum dederint ijs qui scientiam Dei profitentur, Scribis, videlicet, & Pharisæis, Rabbinis, & alijs legis Doctoribus, exigentibus ab eis interpretationem, respondebunt, non possumus, signatus est enim liber: Si verò C dederint vulgari cuidam, & indocto, duplex sibi impedimentum causabitur, hoc est, præter libri obsignationem, se nescire litteras: cuius rei tam admirabilis causa mox redditur ab eodem Vate, dicente: [Et dixit Dominus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ideo, ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.] Vbi aperte hanc excœcationem, & tam altam legis diuinæ ignorantiã, ob sua scelera, atque peccata populum Israel esse commeritum plane ostendit Isaias, vt inde clare intelligamus, vnum peccatum (vt ex diuinis litteris affirmare solent communiter Doctores Theologi) esse D causam alterius, & peccatorem ex vno scelere in alia grauiora incidere, idque iusto Dei iudicio: non quod Deus sit causa peccati (absit impietas) sed quod immittat spiritum erroris, & spiritum vertiginis, spiritum soporis, excœcando, nimirum (vt explicat D. Augustinus lib. 5. contra Iudæos cap. 3. & de gratia, & libero arbitrio cap. 20. & 21.) non illuminando, neque discutiendo tenebras, & non auferendo occasiones, quibus mens peccatoris magis, ac magis, iusto Dei iudicio, sua tamen malitia exigente, induratur. Quæ quidem omnia ad pedem litteræ circa hanc mysteriosam Apocalypsim hæreticis acciderunt, qui plane errantes ab vtero (quemadmodum contra alias diuinas scripturas, nimirum Prophetarum vaticinia, Euangelistarum Euangelia, Apostolorum scripta, & sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ dogmata) loquuti sunt falsa, asseuerantes illam, neque vtilem, neque canonicam, neque Ioannis Apostoli esse. E Sed quis ob Deum immortalem non videt hos canes veneficos, & obcœcatos esse, & oculos mentis caligine plenos, iusto Dei iudicio habere? Quis insuper vestrum, illa verba Isaiæ 29. nimirum: [Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati; quem cum dederint scienti litteras, dicent: lege istum; & respondebit, non possum, signatus enim est; & dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei, lege, & respondebit,

Peccatum est causa ob quã prophetiæ minime intelligũtur à Doctoribus.

Vnum peccatum est causa alterius.

D. Aug.

Hæritici propter sua peccata errant circa Apocalypsim.

Deliramenta hæreticorum circa Apocalypsim.

Exageratur error hæreticorum.

nescio litteras] non clare intelligit completa fuisse circa diuinam Apocalypsim in his hominibus attritæ frontis, cum eorum doctis, & scientibus litteras (si qui tamen sunt inter eos) liber iste proponatur interpretandus, populo dicente: legite istum, isti verò respondeant non possumus, signatus enim est; Et ex ex eo quod iusto Dei iudicio, illis signatus sit, inferunt (illum non intelligentes) neque vtilem, atque canonicum, neq; Ioannis Apostoli librum hunc esse? Quis quæso tandem est (quamuis talpinis oculis sit præditus) qui non clare videat hos carnales hæreticos, qui librum hunc non intelligentes, illum opprobrijs, & contumelijs afficiunt, ex vno scelere, in aliud incidisse, nimirum ex eo, quod non obediant sanctæ matri Ecclesiæ Catholicæ, eius limina, & proborum sensuum huius libri ostia, insẽ à Deo interdicta, clausa, abstrusa, abdita, atque abscondita fuisse? Non sic, non sic sancti Patres Ecclesiæ Dei, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus, Irenæus, & Iustinus Martyr. Non sic (iterum, atque iterum dico) pij, & catholici Doctores tam Græci, quam Latini, Arethas, Primasius, Haymo, Aprigius, Andreas, Ioachim, Augustinus de Ancona, Vitalis Cardinalis, & alij multitudine pene infiniti, & validissimi Doctores, qui librum hunc interpretantes, & Dei gratiam, diuinumq. auxilium, summis precibus, lacrymisque haud ex guis exorarunt, & dicta sua sub censura, & correctione sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ redegerunt. Vnde factum fuit, vt & tanti libri vtilitatem, & illius præclara vaticinia plane intelligerent, & etiam falsis hæreticorum in hunc librum opinionibus, affatim refutatis, illius varios sensus apprime, & adamussim explanarent.

Doctores catholici implorantes gratiã Dei, Apocalypsim optime exposuerunt.

§. 4.

Qui cupit Apocalypsim exponere auxilium diuinum implorare debet.

Explicatur optime locus Lucæ. 11.

Cum his igitur sanctis Patribus, & etiam pijs, & catholicis sanctæ matris Ecclesiæ Doctoribus: Nos, qui, Deo illuminante, hanc mysteriosam Apocalypsim tanquam vtilissimam, & fructuosissimam Ecclesiæ Dei, tam hoc nostro sæculo, quãm futuris temporibus catholicè interpretamur, diuinum auxilium speciale ineffabili voce petamus, diuinæ sapientiæ fores pulsantes, quinimmo pia quadam, religiosaq. fidelis mentis audacia, moti ex illis verbis Lucæ 11. [Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice, accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum] Ad Christum amicum, & Patrem nostrum, diligenter curramus, qui dedit hanc Apocalypsim seruo suo Ioanni, palam facere seruis suis, & media nocte obscuræ huius & sacratæ caliginis panes intelligentiæ petamus. Non enim dubium est quin liber iste ab hominibus Deo, per seruos suos, explanãte, cognoscendus, & intelligendus vtiq; sit, cũ propter homines seruos Dei, & reuelatus, & à Ioanne scriptus extiterit. Etsi amicus noster Christus alicui nostrum responderit: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est (quod paucissimis aperui) & pueri mei (hoc est antiqui Doctores Ecclesiæ, mecum sunt in cubili (perpetuæ, & beatæ quietis) non possum surgere, & dare tibi. [Iste talis haudquaquam illinc recedere debet cum ipsemet amicus Christus dicat: [Si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.] Et quod magis, ac magis delectare, animare, refocillareque nos debet, est id, quod mox in eodem Euangelio sequitur, nimirum: [Et ego dico vobis, quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur,] Quamobrem hæc Angelica interpretatio ad diuinam gratiam lacrymis, & summis precibus à Deo postulandum, nos allicere debet, vt studium nostrum magis incendatur, & augeatur, ex eo quod, licet liber iste, sicut (immo aliquid amplius) aliorum Prophetarum vaticinia, obscurissimus sit, tamen non est

Amicus noster Christus.

Importunus in postulãdo debet esse qui gratiam Dei petit.

Oo 3 illi

illi tanta obscuritas, vt aliqua ex parte intelligi, Deo adiuuante (quemadmodum aliorum Prophetarum monumenta) minime possit. Ad quod plane Angelus Dei, hic nobis viam ostendit, interpraetando sic. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stella, Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*. Quibus verbis (vt dixi) Angelus Dei mysteria abdita huius primæ reuelationis, vbertim, ac magnificè ipsemet, iubente Deo, explanat.

PARAPHRASIS Prima.

Par. 1.

Enucleatio textus.

§. 1. Sacramentum, & mysterium quid sit.

Sacramentum (inquit) septem stellarum quas vidisti. Chorus exponentium, nemine penitus, penitusque discrepante, per ly [sacramentum] exoluit [mysterium.] Est autem mysterium sacrum, diuinumq. secretum, vbi aliud videtur, & aliud intelligitur. Quemadmodum in sacramento altaris in quo planè aliud oculis corporeis intuitur, nimirū accidēria, puta, albedo, rotunditas, color, & reliquæ qualitates, quantitasque hostiæ, ac vini, & aliud fide firma intelligitur, nempe, diuinitas, & humanitas Christi sub his accidentibus latentes. Hinc D. Thomas.

Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Prater rerum ordinem.
Sub diuersis speciebus,
Signis tantum, & non rebus
Latent res eximia.
Caro, cibus, sanguis, potus,
Manet Christus tamen totus,
Sub vtraque specie.

Eucharistia fidei mysterium appellatur.

Quapropter sancta mater Ecclesia, altaris sacramentum, fidei mysterium nuncupat, vt apparet, Tam in forma consecrationis vini, quæ talis est: [Hic est enim calix sanguinis mei, noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum] Quā in Conc. Tridentino sess. 22. q. 6. de sacrificio Missæ, vbi sic sancitur: [Et vetus absoluta, atque omni parte perfecta de magno Eucharistiæ mysterio in sancta Catholica Ecclesia, fides, atque doctrina retineatur &c.] Dicitur autem sacramentum altaris mysterium, quoniam in eo videtur vnum, & alterum (vt nuper dicebamus) intelligitur. Et idem dicendum est de alijs Ecclesiæ sacramentis. Nam, vt docent Doctores in 4 sent. cum Magist. & in 3 cum S. Thoma, & vt etiam fides Catholica tenet, in vno quoque Ecclesiæ sacramento, sub tegumento rerum sensibilium diuina virtus, secrete fidelium salutem operatur; ob idq. mysteria ab Apostolis, fideiq. nostræ Patribus tam Græcis, quam Latinis nuncupata fuere. Quare sacramentum hoc in loco idem est, quod mysterium. Vnde sic verba textus sonant. Mysterium quod per septem stellas, quas vidisti in dextera mea, & per septem candelabra aurea significatur, hoc est.

Conc. Triden.

Eucharistia cur sacramentum dicatur?

DD. in 4. sent. & in 3. p.

Genuinus sensus verborum textus.

§. 2. Sacramenta quædam sunt tam ardua vt nequeant intelligi a creatura, alia vero ab eadem intelligi possunt.

Passim nota, sacramenta, siue mysteria in sacra scriptura, quædā esse ita ardua, & difficilia ac tanta maiestate plena, vt nullo modo, neq; ab Angelis, neque ab hominibus (quo ad substantiā facti) intelligi queant, vt sunt incarnationis arcanum, de quo ad Eph. 3. dicitur: [Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiā, multiformis sapientia Dei.] Finalis iudicij mysterium, de quo Marc 13. dicitur: [De die autem illo, vel hora nemo scit, neq; Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.] Alia verò sunt sacramenta, quæ licet ardua, difficilia, & maiestate plena sint, tamen & ab Angelis, & ab hominibus indagari, ac intelligi possunt. De quibus intelligitur illud Tob. 12. [Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.] & Dan. 2. [Quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.] & iterum: [Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me pluquam in cunctis viuentibus sacramentum hoc reuelatum est.] Et illud etiam Apostoli ad Ephes. 3. [Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramentum.] Quare reliqua opera Dei ad extra, inter quæ sunt Prophetarum reuelationes, sacramenta, & mysteria appellari possunt. Et sic est de hac prima Ioannis visione, quam alij sacram signationem, vel sacrum secretum vocant.

Dies extremus difficilis cognitu.

Reuelationes prophetice sunt sacraméta intelligibilia ab Angelis, & hominibus.

D. Tho. & D. Dion. Carth. in comment.

§. 3. Sacramentū multifarie accipitur.

Sacramentū significat pignus depositum à litigantibus.

Varro. Cicero.

Sacramentum autem apud Latinos (quidquid dicant hæretici) à sacro deriuatur, & significat illud pignus, aut pecuniam, quam litigantes penes pontificem ponebant. Quoniam, vt ait Varro lib. 4. de lingua Latina, qui petebat, & qui inficiebatur vterque quingenta æris ad Pontificem deponebat, qui iudicio vicerat suum sacramentum à sacro auferebat, victi ad ærarium redibant. Ex quibus verbis constat sacramentum apud antiquos, nihil aliud fuisse, quàm pecuniam ipsam à duobus contendentibus apud Pontificem ea lege depositam, vt qui sponsione vicisset, suam integram auferret: Victi pecunia ærario vindicabant. Vnde Cicero de oratione ad Brutum sic ait: [Agerent tecum Pythagorei, quibus cum tibi iusto sacramento contendere non licet, Iniustis vindictis, & sacramentis fundos alienos petere.] Accipitur etiam sacramentum apud Latinos pro omni iuramento. Hinc Cicero pro Milone: [Sacramentum, item interprete Festo, dicitur quicquid iusiurandi sacratione interposita, geritur;] & præcipuè illud quod milites in manu ducis faciebant. Quod plane sacramentum militare appellabatur illud, quod milites in verba Imperatoris sui iurabant, quod nisi præstitissent, iusti milites non videbantur, eoque soluti in hostem legitime pugnare nō poterant. Vnde Seruius sic scribit: [Legitima militia erat eorum, qui singuli iurabant pro Republica se esse facturos, nec discedebant nisi completis stipendijs, & sacramentum vocabatur. Vnde Vegetius lib 2. de re militari ita habet: [Milites iurare solent, ideo militiæ sacramenta dicuntur.] Iurabant siquidem milites, se omnia strenuè facturos, quæ eis præcipiebat Imperator, & militiam pro Romana Republica nunquam deserturos. Hinc Iuuenalis Satyra 16. sacramenta figuratè pro ipsis militibus posuit. Et Suetonius in Cæsarem sanxit, ne quis ciuis maior viginti annis, minorvè decem, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo, Italia abesset. Et in hoc sensu accipitur illud Tertull. lib. ad Martyres cap. 3. [Vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc, cum in sacramenti verba respondimus.] Habet porro sacramentum pleraque alias, apud Latinos, significationes. At verò in sacra pagina sacramentum semper rem aliquam occultam, & quæ humanā superat cognitionem demonstrat, ita vt idem sit sacramētum, ac secretum. Quamobrem D. Tho. & D. Dionys. Carth. (vt nuper retulimus,) sacramentum sacram signationem, vel sacrum secretum sunt interpraetati. Vnde Apostolus 1. ad Tim 3. Verbi diuini incarnationem, sacramentum nuncupat, sub his verbis: [Manifeste magnū est pietatis sacramētum.] & ad Eph. 1. regimen, & cōmunicationē in Ecclesia, sacramentum etiā appellat, per hæc verba: [Vt notū faceret nobis sacramentū volūtatis suæ secundū beneplacitū eius.] In quo sensu, pro arcanis accipitur, vbicunque hæc vox

Sacramentū acipitur pro iuramento.

Seruius.

Vegetius.

Iuuenalis.

Suetonius.

Tertull.

vox [myſterium] in ſacrâ pagina reperitur. Hinc factum eſt, quod omnia illa, nimirum tam res, quam verba, quæ non aliquam occultam, diuinam, ac ſuper naturalem ſignificant, ſacramenta dicantur, prout liquet Dan. 2. [Mihi ſacramentum hoc reuelatum eſt.] Quamobrē effectū fuit, vt Patres orthodoxi, hac voce [Sacramentū] vterētur, ad eas præcipuè res ſignificandas, quibus Deus gratiam inuiſibilem per ſignum viſibile nobis communicat: Quo modo ab ipſis omnibus vſurpatur pro illis ſeptem, quæ per excellentiam (vt nuper dicebamus) ſacramenta Eccleſiæ nuncupantur.

Par. 2.

PARAPHRASIS

Secunda.

Enucleatio textus.

§. 1. Stellæ ſunt miniſtri Eccleſiæ.

Septem ſtellæ (ait) Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum. Allegorica eſt plane hæc Angelica expoſitio, qua Angelus Dei per ſtellas ſeptem, Angelos ſeptem Eccleſiarum eſt interpretatus. Solitum quidem eſt in veteri Teſtamento miniſtros, & doctores templi Dei, ſtellas nuncupari, Vnde Dan. 12. dicitur [Qui autem docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.] Et Sap. 4. [Fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum nocte.] Et Baruch. 3. [ſtellæ dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus, & luxerūt ei cum iucunditate, qui fecit illas.] Et iudicium 5. [Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Syſaram pugnauerunt.] Quæ omnes auctoritates de miniſtris, & doctoribus templi Dei ſane intelliguntur. Modo autem Angelus Dei, & vſu veteris teſtamenti, miniſtros, doctores, Præſules, & Epiſcopos Eccleſiæ per ſtellas præſignificat, & ideo eius expoſitio remanet allegorica. Quoniam ſtando in doctrina S. Thomæ p. p. q. 1. art. 1. & Epiſtola ad Galat. 4. lect. 6. quotieſcumque ea quæ ſunt veteris legis, ſignificant ea, quæ ſunt nouæ legis, vel quotieſcumque ea, quæ in veteri teſtamento contigerunt, declarantur, exponunturque de Chriſto, & Eccleſia, fit ſenſus allegoricus. Quadrat autem principalioribus Eccleſiæ Dei miniſtris, nempe Epiſcopis, & præſulibus, Angelorum nomen, quia hoc nomen, Angelus, non eſt nomen naturæ, ſed officij, ob idque interpretatur [Miſſus.] Hoc autem nomen, miſſus, proprium eſt Epiſcopalis officij, iuxta illud Malachiæ 2. [Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore eius requirēt, angelus enim Domini exercituum eſt.] Vnde Epiſcopus mittitur ad prædicandum populo ſibi commiſſo, vt apparet in ſua cōſecratione, in qua illi dicitur: [Vade, & prædica populo tibi commiſſo.] Quamobrem Epiſcopus in ſua dioceſi eſt principalis ſacerdos: Quemadmodum in veteri lege, ſupremus inter miniſtros templi Dei, ſummus ſacerdos vocabatur, vt liquet Exod. 28. Quare labia huius ſacerdotis nempe Epiſcopi, cuſtodire debent ſcientiam, & populus ſibi commiſſus legem Dei tenetur requirere ex eius ore, quoniam ipſe Angelus Domini exercituum eſt, nimirum, miſſus a Deo, ad illi populo ſibi commiſſo prædicandum. De Epiſcopis ſub ſtellarum nomine proculdubio intelligitur illud Iob. 9. [Qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit ſub ſignaculo.] Et paulo poſt: [Qui fecit Arcturum & Orionam, & Hyades, & interiora auſtri.] Et cap. 38. [Nunquid coniūgere valebis micantes ſtellas Pleades, aut Gyrum Arturi poteris diſſipare? Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper fines terræ conſurgere facies?]

[Margin: Stellæ ſunt doctores Eccleſiæ. — Expoſitio Angeli eſt allegorica. — S. Thom. — Quid ſit ſenſus allegoricus. — Nomen Angelus conuenit Epiſcopis — Sacerdos principalis eſt Epiſcopus. — D. Hieron. in cap. 9. Iob.]

§. 2. Epiſcopi cur Angeli nuncupentur. 1. Ratio.

Appellantur autem Eccleſiæ Dei Epiſcopi, Angeli, Tum propter conuenientiam gradium Eccleſię Dei militantis, & ordinum Angelorum. Quoniam iuxta D. Dionyſium, ſupremum ordinis inferioris, cum infimo ordinis ſuperioris, præcipuam habet conuenientiam, & interdum nomen vnius, tranſit ad alium. Cum ergo Angelus propriè ſit nomen cæleſtium ſpirituum infimi chori, ſeu ordinis, Epiſcopus vero, ſupremum quod ſit in Eccleſiaſtica Hierarchia, conuenientiam magnam ſortiti ſunt, & vnum, nomine alterius deſignatur. Tum quia vt ait D. Ambroſius, Angelus, nuntius interpretatur, & qui verbum Dei populis annuntiant, non inconuenienter Angeli, ideſt, nuntij vocantur. Hinc D. Dionyſius Carthuſianus ſententiæ D. Ambroſij ſe ſubſcribendo, inquit. [Cum enim Angelus nuntius nuncupetur, ſeu interpretetur, Epiſcopi, quia a Deo ſunt deſtinati, & ordinati, vt voluntatem, præceptaque Dei nunciant, rectè Angeli ſunt vocati, immo cum in Malachia, non tantum Epiſcopus, ſed & Sacerdos, Angelus nuncupetur, conſtat Epiſcopos qui ſacerdotū ſunt principes congruentius, Angelos dici, ſic enim ſcriptum eſt illic, labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.] Sic Dionyſius. Tum prętereа Epiſcopi Angeli appellantur teſte D. Thoma ratione charitatis in diligendo. Quare D. Bernardus in meditationibus ſic ſcribit: [Diligunt quidem ſuos conciues, & pro his, qui hereditatem conſequuntur ſalutis ſolicitè congaudent, ſimiliter prælatus dicitur affici charitate magna ad alios 2. Cor. 12. Ego autem libentiſſimè impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris, ſicut plus vos diligens, minus diligar à vobis.] Tum ratione prudentiæ in eligendo ſiue deſiderando: quia non curat de vanis, non de auro, vel argento, ſed ſolum Deum deſiderat ſemper habere. Quam ob cauſam Tobiæ 12. nihil voluit Raphael accipere, & 1. Petri 1. dicitur [in quem deſiderant Angeli proſpicere,] hoc eſt, contra auaritiam, & 2. Cor. 12. [Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.] Vnde Iſidorus 3. lib. de ſummo bono, inquit: [Plerique ſacerdotes ſuæ magis vtilitatis cauſa, quam gregis præeſſe deſiderant, nec vt poſſint præſules fieri cupiunt, ſed magis vt diuites fiant, & honorentur.] Tum ratione ſanctitatis in viuendo. Nam Matth. 22. de hominibus dicitur: [In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei.] Quare Gregorius ſic ſcribit: [Nulla rector inuidia debet polluі, qui hoc ſuſcepit officiū, vt in alijs quoque tergat maculas pollutionis, quia neceſſe eſt, vt manus munda eſſe ſtudeat, quæ diluere ſordes curat.] Tum ratione ſcientiæ in cognoſcendo. Quoniam Malachiæ 2. dicitur: [Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.] Vnde Iſidorus lib. 3. de ſummo bono inquit: [Deſinant locum docendi ſuſcipere, qui neſciunt docere, Cæcus ſi cæco ducatur ambo in foueam cadunt.] Tū ratione informationis in inſtruendo. Multi enim habent ſcientiam, qui docere ſubditos ſuos negligunt: At non ſic Angelus: quoniam Danielis 10. dicitur. [Ego (ideſt Angelus Raphael) veni vt docerem te.] Quare D. Gregorius ſic ſcribit: [Neque huic ſpeculationi ſufficit vt altè viuat, & eorum, qui ſibi commiſſi ſunt opera tranſcendat, niſi loquendo aſſidue auditores ſuos ad amorem cæleſtis patriæ ſuccendat, & pertrahat.] Tum ratione medicationis in curando. Quoniam quemadmodum Tobias per Angelum Raphaelem (vt dicitur Tobiæ 11.) viſum recepit, ſic & Epiſcopus ſiue Prælatus corrigendo, ſacramenta diſpenſando, & exemplis diſponendo debet ſauciatos ſanare, ſicut medicus, iuxta illud Eccleſ. 38. [Honora medicum propter neceſſitatem.] Tum ratione velocitatis. Quoniam ſicut Angeli veloces ſunt in diſcurrendo, iuxta illud Iſa. 6. [Volauit ad me vnus de Seraphim,] ſic Epiſcopus, ſiue Prælatus debet eſſe velox ad ſalutem animarum ſibi commiſſarum quærendam, quare de illis exolui poteſt illud Prouerb. 6. [Diſcurrere, feſtina, ſuſcita amicum tuum.] Quam ſolicitudinem tangit Apoſtolus ad Rom. 12. dicendo [Qui præeſt in ſolicitudine.] Tum ratione officij in miniſtrando. Quoniam de angelis ad Heb. 1. dicitur [Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus] Ita Epiſcopi, & Prælati debent ſuis ſubditis miniſtrare iuxta illud 1. Cor. 4. [Sic nos exiſtimet

[Margin: Nomē vnius tranſit ad alium. — 2. Ratio. D. Ambroſ. in comment. — D. Dionyſius Cart. in comment. — 3. Ratio. — D. Bern. — 4. Ratio. — Iſidorus. — 5. Ratio. — D. Greg. — 6. Ratio. — Iſidorus. — 7. Ratio. — D. Greg. — 8. Ratio. — 9. Ratio. — 10. Ratio.]

stimet homo, vt ministros Christi.] Tum ratione zeli in suffragando. Quoniam Angeli orant pro hominibus, & hominum orationes offerunt Deo, iuxta illud Tob. 12. [Ego obtuli orationem tuam Domino,] sic Episcopi debent pro grege sibi credito semper orare, iuxta illud 2. Cor. vlt. [Hoc, & oramus vestram consummationem.] Tum denique ratione deuotionis in contemplando. Quoniam de Angelis Matth. 18. dicitur [Angeli eorum semper vident faciem patris mei.] Ita Prælati debent semper deuotioni vacare, iuxta illud Apostoli ad Phil. 3. [Nostra autem conuersatio in cœlis est.] Et 2. Cor. 12. [Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore: siue extra corpus nescio: Deus scit raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.] Ecce qualiter Episcopi, & Prælati congruè Angeli dicantur.

(Margin: ...Ratio. — Episcopi, & Prælati stellæ dicuntur.)

§. 3. Iam postremo videndum est, cur idem Episcopi, & Prælati, stellæ nuncupentur. Quod plane factum est, Primo propter lucem, quam populo sibi credito elargiri prope diem debent. Quemadmodum enim stellæ positæ sunt in firmamento cæli, vt luceant die, ac nocte, iuxta illud Gen. 1. [Posuit Deus stellas in firmamento Cæli, vt lucerent super terram:] Sic Episcopi positi sunt à Deo in hoc regno cælorum, nimirum in Ecclesia militante, vt fidelibus luceant die, ac nocte, eosdemq. ducant ad calestia regna, docendo eos Dei Euangelium, Christianamque doctrinam. Tum propter eminentiam vitæ, quam debet habere Prælatus. Vnde Greg. sic ait: [Specularis vita, & alta debet semper esse, & circumspecta.] Tum propter stabilitatem: Quemadmodum enim stellæ in firmamento fixæ & stabiles sunt, sic in Ecclesia Dei Episcopi, firmi, & stabiles in lege Dei esse oportet. Tum propter humilitatem, quoniam, quamuis Episcopi in se ipsis, genere, litteris, sanctitate, morumque grauitate maximi sint, debent tamen minimi omnium propter humilitatem videri: Quemadmodum stellæ, quamuis in se ipsis magnitudinem terræ longè superent, tamen nobis, minores ipsa, mirummodum apparent, de qua re Astrologorum maximum extat testimonium affirmantium stellam vnam, magnitudine terram exuperare. Ad hæc plane applicari possunt verba Eccles. 4. [Quanto magnus es, humilia te.] Tum propter ordinis dispositionem. Quoniam stellæ promptæ alacriterque Deo obtemperant iuxta illud Baruch. 3. [Stellæ dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, vocataque sunt, & dixerunt, adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas:] Sic Episcopi promptè, & alacriter Deo qui eos ad talem dignitatem ex sua misericordia vocauit, in omnibus, & per omnia obedire tenentur. Tum quia quemadmodum claritate stella à stella differt, iuxta illud: [Stella differt claritate à stella,] Sic Episcopus, sanctitate differre debet ab Episcopo. Vnde Origen, hom. 1. super Genes. sic scribit: [Sicuti stella à stella differt in claritate, ita etiam vnusquisque prælatorum secundum magnitudinem suam lumen fundit.] Tum quia quemadmodum stellæ nocte lucent, ita Episcopi nocte, hoc est tenebricoso huius vitæ tempore lucere debent, iuxta illud ad Phyl. 2. [In medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.] Ad quod plane alludit illud eiusdem Apostoli: [Bonum opus desiderat, qui Episcopatum desiderat.] Vis intueri quale bonum opus sit? Cōsidera, quod cum alij nocte dormiant, Episcopus vt stella in nocte lucere debeat. Quomodo quæso lucebit, vt stella, Episcopus nocte dormiens? Sed dices, lucebit in die. Ad quod respondetur, quod in die lucet sol, & non stella, idest Christus, & non Episcopus. Proprium autem stellarum est in nocte illuminare, vt intelligant Episcopi, quod in nocte, quando inferiores, & subditi, quieti operam dant, ipsi tunc, & euigilare, & lucere tenentur. Et hoc est verè, & propriè, quod Apostolus indicare intendit per illa verba: [Bonum opus desiderat,] id est, laboriosum opus desiderat, qui Episcoparum desiderat. Tum quia sicut stellæ, lumen à sole accipiunt, ita Episcopi illuminantur à Christo,

(Margin notes: Episcopi cur stellæ dicātur. — Episcopi debent lucere. — Sanctitas Episcoporum. — Episcopi debent esse puri, & eminentes in vita & honestate. — Humilitas Episcoporum. — Episcopi debent prompte & alacriter Deo in seruire. — Sanctitas Episcoporum. — Origenes. — Laboriosa vita Episcoporum. — Episcopi, & Prælati, alijs dormientibus ipsi euigilare tenentur. — 1. Timoth. 3.)

F qui est sol iustitiæ, vt alijs lucere queant. Ad quod alludit illud Apostoli 2. Cor. 3. [Nos vero omnes reuelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem.] Perinde ac diceret: Nos non sic, vt Moyses, qui velatam habebat faciem cum populo loquebatur, sed reuelato, detectoque vultu, gloriam Domini tamquam specula recipientes eandem Christi imaginem in nobis tam clare excipimus, vt in eandem ipsius imaginem transformari videamur, à claritate in claritatem, hoc est, tamquam nitidissima specula in [illegible] à Christo recipientes, eandemque subinde in [illegible] os iacientes videlicet a claritate quam accipimus, in claritatem, quam emittimus per communicationem eiusdem imaginis, eiusdemque splendoris emissionem prodeuntes. En itaque qualiter Episcopi & Prælati Ecclesiæ Dei, stellæ nuncupentur, & qualiter insuper, illis ad forum, G & vsum cæli, & nullatenus ad forum, & vsum terræ insedendum viuendumque sit.

(Margin notes: Ministerium Episcoporum. — Episcopi sunt veluti specula quę lucem a Christo acceptam in alios transmittere debent. — Puritas vitæ Episcoporum.)

Conceptus prædicabiles in textum.



DE Episcopis, & Ecclesiæ Dei Prælatis sub stellarum nomine intelligendum plane venit illud Dan. 12. [Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.] Ad quod rectè intelligendum nota, quod in principio Ecclesiæ, posuit Christus prælatos, nimirum, Apostolos, Pastores, & Doctores in H Ecclesia sua, sicut stellas in firmamento cæli, vt fidelibus lucerent super terram. Ad quod proculdubio alludere videtur illud Luc. 6. [Et elegit duodecim ex ipsis quos & Apostolos nominauit] idest, stellas, vt lucerent in firmamento Ecclesiæ suæ iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.] Hos omnes posuit, ad hoc vt ædificent Ecclesiam, quæ est corpus Christi, & omnes ad fidei perceptionem adducant. Vel hos Deus diuersis officijs constituit, ad perfectam eruditionem, & ædificationem fidelium, vt operentur velut ministri Dei ad ædificandam, vel complendam ecclesiam Christi per suum ministerium. Vides igitur præsules, Prælatos, I Episcopos, Pastores, & Doctores Ecclesiæ, positos esse in Ecclesia sancta Dei, vt stellas in firmamento cæli, vt luceant die ac nocte super terram, idest, vt doctrina sana, verbo, & exemplo, populum Dei instruant, & doceant, alant, & pascant? Debent ergo Præsules, Episcopi, & Prælati, primo lucere in se ipsis per puritatem conscientiæ, iuxta illud Apoc. 5. [Ego sum genus Dauid, stella matutina, & splendida.] Deinde debent illuminare sibi subditos per claritatem, iuxta illud Sap. 4. [Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.] Tenentur præterea moueri orbiculariter, idest faciliter per compassionem alienæ miseriæ, iuxta illud Baruch. 3. [Stellæ dederunt lumen in custodijs suis & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.] Denique debent currere regulariter per ordinem intentionis, iuxta illud Iudicum 5. [Stellæ manentes in K ordine, & cursu suo aduersus Sysaram pugnauerunt.] Omnia igitur ista præstantes Episcopi, & Prælati Ecclesiæ sanctæ Dei, copulabuntur eorum numero de quibus Daniel. dicit: [Qui autem docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Quod alijs verbis expressit D. Euangelista Matthæus dicendo.] Qui fecerit & docuerit hic, magnus vocabitur in Regno cælorum.] Super quæ verba-

(Margin notes: Conceptus 1. Quod Prælatis, & Episcopis cōueniūt quatuor stellarum proprietates. — Primasius in cap. 4. ad Ephesios. — Franciscus Titelmanus in cap. 4. ad Ephesios. — Quatuor stellarum proprietates. — Prælati debēt esse docti, & literati. — Prælati debent miserijs pauperū subuenire. — Declaratur optime locus Daniel. 12. — Matth. 5.)

Alphõsus Tostatus super cap. 5. Matth.

verba sic scribit Abulensis: Qui autem fecerit, & docuerit, idest, qui impleuerit mandatum quoddam, & docuerit homines illud obseruare, prædicando esse obseruandum, vel hortando ad obseruationem, & isti sunt recti doctores.] Supra enim dixit Alphonsus triplicem esse modum Doctorum circa moralia, quidam siquidem, qui male viuunt & male docēt circa legem, cuiusmodi sunt hæretici & infideles, Alij autem qui bene viuunt, & bene docent, vt boni Doctores Catholici, Alij tandem qui bene docent, tamen prauè conuersantur, sicut Catholici Doctores, tamen iniqui. Vnde hic loquitur Alphonsus de secunda specie Doctorum, & sic vlterius tendit dicens: [Qui duplici honore digni sunt, quia rectè viuunt, & rectè docent 1. Cor. 5. Hic magnus vocabitur in regno cælorum, idest vocabitur magnus in Ecclesia militante, quæ est regnum cælorum, & hoc quia habet duplicem magnitudinem, vnam bonæ vitæ, & aliam sanæ doctrinæ, vel in regno cælorum, idest in vita æterna, quia qui bene docet, & rectè viuit non solum vitam æternam habebit, sed etiam magnam excellentiam habebit in illa, sicut dicitur Dan. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, & sic vocabuntur magni in Regno cælorum, quia non solum habebunt præmium essentiale commune cum cæteris quod est videre Deum, sed etiam præmium quoddam accidentale vltra cæteros, quod vocatur aureola, & competit Doctoribus sacræ scripturæ.] Hucusq. Alphonsus Tostatus. Audite igitur vos præsules, Episcopi, & Prælati Ecclesiæ sanctæ Dei, quantum vobis oporteat (præter sanctitatem vestram interiorem, & exteriorem) litteratos esse, & sacram scripturam callere, & illam imperitis docere. Audite etiam vos Doctores Catholici, qui stellæ à D. Ioanne hic vocamini sub his verbis [septem stellæ Angeli sunt septem ecclesiarum.] Audite denique prædicatores verbi diuini de quibus dicitur per psalmistam: [Cæli enarrant gloriam Dei] quantum oporteat vos non solum bene populo Dei docere, & prædicare sancta, & arcana, & cælestia subtiliter, & eleganter patefacere, verum etiam bene, & sanctè viuere, casteque vitam ducere. Hùc alludit D. Hieronymus dicens: [Magistri habebunt similitudinem cæli, & qui alios erudiunt stellarum fulgori comparabuntur; non enim sufficit scire sapientiam, nisi & alios erudias, tacitusq. sermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non potest, iuxta illud sapientis in libro Ecclesiastici cap. 41. sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque,] ita D. Hieronymus.

Triplex species doctorū circa moralia.

Declaratur optime locus Matth. 5.

Exortatio moralis ad prælatos ecclesiæ. Episcopi debent esse eruditi, ac omni no litteris ornati.

D. Hieron.

Conceptus 2. de litterato, & idiota ambobus iustis, & sanctis, & etiā prælatis, & Episcopis. D. Hier. in Dan. Ratio dubitandi de præmio sanctorū solitariorum.

VERVMENIMVERO ex prælibatis nascitur scrupulus qui animum valdè torquet, videlicet, an litteratus Sanctus, & illiteratus Sanctus, idem & æquale præmium in cælo obtineant? Quæ difficultas à D. Hieronymo super cap. 12. Danielis his verbis proponitur: [Solent nonnulli quærere vtrum doctus sanctus, & simplex Sanctus, eamdem mercedē habeant, & vnam in cælestibus mansionem?] Sic ille. Dubium tamen istud oritur ex eo quod sint in Ecclesia sancta Dei, permulti, ac pene infiniti monachi in suis cœnobijs, & etiam aliqui Anachoritæ, qui in speluncis, cauernis, & solitudinibus errantes, solitariam vitam agant, & insuper sint litteratissimi, & validissimi sacrarum litterarum Doctores, & tamen illis (teste D. Dionysio lib. de ecclesiastica Hierarchia cap. 6.) minime incumbit alios purgare, illuminare, & perficere, immo (vt dicit D. Hieronymus in lib. aduersus vigilantium) illorum est lugere potius, quam docere. Prælibata igitur difficultas à D. Hieron. videtur solui affirmando, eādē differentiam quæ militat inter cælum, & stellas circa distantiam, militare etiam inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem. Nam super præfata verba Dan.

D. Dion.

A 12. [Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates] Sanctus Doctor, sic ait [iuxta Theodotionem significatur hoc loco, quod Docti similitudinem cæli habeant, & absque doctrina iusti, stellarum fulgori comparentur, tantumque sit inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum cælum distat, & stellæ.] Sic ille. Dixit autem iuxta Theodotionem, quia illius loci Dan. 12. [Qui autem docti fuerint &c.] Variæ extant Doctorum interpretationes: Quidam enim præfatum locum, de diuersis gradibus Doctorum in resurrectione exponunt iuxta illud Pauli ad Cor. 15. [Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarū, stella enim à stella differt in claritate, & sic erit in resurrectione mortuorum.] Alij de eodem gradu Doctorum exponunt, affirmantes vnum & eumdem gradum Doctorum esse, iuxta illud Ioan. 6. [Et erunt omnes docibiles Deo] & de Doctoribus tantum exponunt: [Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi &c.] Alij tandem prima verba, nempe: [Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti] de gloria magistrorum Ecclesiæ Dei exponunt: Sequentia vero verba, puta,] Et qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates,] de gloria eorum qui non sunt magistri in Ecclesia Dei exoluunt: Et tamen sanctitate vitæ magisquam præstantia doctrinæ, prædicatores sunt, erudientes suo exemplo multos ad iustitiam. Et huic vltimæ opinioni suffragatur versio Theodotionis, qui præfatum locum Danielis 12. [Qui autem docti, &c.] Sic vertit: [Et intelligentes fulgebunt, sicut splendor firmamenti, & à iustis multis quasi stellæ in sæcula, & vltra.] Ex hac itaque versione Theodotionis ansam accepit D. Hieronymus affirmandi, tantum interesse inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum cælum distat, & stellæ. Et ipsemet S. Doctor Epist. 103. ad Paulinum, commemorans hunc locum Danielis 12. sic ait: [Daniel in fine sacratissimæ visionis, ait, iustos fulgere sicut stellas, & intelligentes, idest Doctores quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent iusta rusticitas, & docta iustitia? Alij stellis, alij cælo comparantur, quamquam iuxta Hebraicam veritatem vtrumque de eruditis possit intelligi, ita enim apud nos legimus. [Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.] Et paulo post, ad eumdem Paulinum, sic ait: [Sancta rusticitas sibi tantum prodest, & quantum ædificat, ex vitæ merito Ecclesiam Christi tantum nocet, si eam destruentibus non resistat.] Sic D. Hieronymus. Attamen

D.Hiero.

Rusticitas sācta. Sanctitas erudita.

Variæ Doctorum expositiones loci Danielis.

B

Glossa interlinearis. Lyranus.

Versio Theodotionis loci Danielis 12.

C

Litterati magis prosunt Ecclesiæ Dei quam indocti etiam iusti & sancti.

D. Hieronimus ad Paulinum.

D hęc sententia D. Hieronymi cum grano salis intelligenda vtiq. venit. Tripliciter nāq. de Sanctis, doctis, & indoctis Ecclesiæ sanctæ Dei loqui possumus, nimirum, iuxta gloriā essentialem, quæ consistit in videndo Deū ac etiam iuxta gloriā accidentalem, & iuxta augmentū gratiæ. Si igitur sermo fuerit de gloria essentiali, quæ consistit in clara Dei visione, videndo diuinam essentiam, & illa fruendo tamquam vltimo fine, & summo bono: hanc, tam videt sanctus literatus, quam sanctus illiteratus, quia hæc omnibus beatis est vna, & vnicuique illorum tota. Vnde illa fruitur tam sanctus doctus, quam sanctus indoctus, vt dicunt Theologi cum magistro in 4. sent. dist. 49. & cum sancto Thoma p. 2. q. 5. art. 2. Quo loco sanctus doctor in hæc verba prorumpit. [Quantum igitur ad ipsum bonum quod est beatitudinis obiectum, & causa, non potest esse vna beatitudo alia maior, quia non est nisi vnum summum

E bonum, scilicet Deus, cuius fruitione homines sunt beati.] Sic ille. Si autem sermo fuerit de gloria accidentali, quæ consistit, in accidentali præmio super addito præmio essentiali, quoniam ex ratione operis meritorij quoddam accidentale per præmium debetur essentiali præmio, quod Theologi aureolam appellant, tum etiam in adeptione, vel in fruitione illius summi boni, sic sanctus Doctus potest distare a sancto indocto in gloria, quia aureola tantum debetur magistris, nempe Do-

Animaduersio auctoris circa sententiam D. Hieronymi de præmio sanctorū Doctorum, & in doctorum in patria.

Visio Dei per essentiā est tota essentia beatitudinis qua omnes beati tota fruuntur. Præmium essentiale æqua le in beatis.

Præmium accidentale est inæquale.

pe Doctoribus, martyribus, & virginibus. Et licet idiota sanctus, possit esse martyr, & virgo, tamen non magister & Doctor, vt litteratus sanctus. Accedit, quia sanctus litteratus, ex assidua lectione sanctarum litterarum & contemplatione arcanorum Dei, potest perfectius frui Deo, quam sanctus indoctus, & idiota, ex eo quod, est melius dispositus, vel ordinatus ad eius fruitionem. Et secundum hoc, stando in doctrina D. Thomæ p. 2. quæst. 5. art. 2. sanctus litteratus erit beatior, sancto illiterato, quia quanto quis magis illo summo bono fruitur, tanto beatior est, & in hoc sensu potest aliquis alio beatior esse, & sic est intelligendus Diuus Hieronymus locis supra citatis. Si denique sermo fuerit de comparatione docti, & indocti hominis, & vtriusque sancti, ac iusti, circa augmentum gratiæ, indubiè, maior occasio, vberiorq. materia sese offert ad Doctoribus Ecclesię, quam idiotis, augendam gratiam, cum ij ex suo munere, verbo, & exemplo, doctrina, & prædicatione, homines ad gratiam impetrandam apprimè disponant, quod illi minimè præstant, solitariam vitam, in vtilitatem propriam & non proximi ducentes. Et sic etiam est intelligendus D. Hieronymus, dum vbi supra discrimen inter litteratam sanctitatem, & sanctam rusticitatem ponit. Huic igitur numero beatorum copulabuntur (vt dixi) Præsules, Episcopi, & Prælati Ecclesiæ Dei, qui hic à Ioanne stellæ nuncupantur dum dicitur. [Septē stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum] si primo in se ipsis per puritatem conscientiæ luxerint, & deinde per claritatem doctrinæ sanæ sibi subditos illuminauerint, & orbicularitèr, idest faciliter ad proximi miserias, compatiendas moti fuerint, & regulariter per ordinem rectæ intentionis cucurrerint, vt stellæ.

Explicatur D Hieronymus circa litteratam sanctitatem & sanctam rusticitatem.

DISPVT. XXIII.


In Cap. Primum Apocalypseos, de Episcopis septem Ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designatis.

In septem Quæstiones diuisa, super illa verba. *Septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum.*

Prologus Disputationis.



EXPOSITIO ista, qua per septem stellas, Angeli septem Ecclesiarum Asiæ intelliguntur adeò apud commentatores difficilis apparet, vt in ea exoluenda, & enodanda, plerique eorum in manifestum labantur errorem, & fere hæresim. Ideo illam hic diuentilandam meritò duximus, vt omnis amphibologia, & ommonimia, siue æquiuocatio huius loci proculpellatur.



F

Quæstio. I.

Vtrum Angeli septem Ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designati, sint corporei, vel incorporei.



HOS Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designatos, corporeos esse manifestè liquet ex 2. & 3. cap. quoniam in c. 2. Angelo Ephesi dicitur: [Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.] Et iterum: [Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.] Et Angelo Smyrnę: [Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam.] Et iterum: [Esto fidelis vsque ad mortem.] Et Angelo Pergami: [Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam] Et Angelo Thyatiræ. [Scio opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & opera tua nouissima, plura prioribus] Et paulo post: [Permittis mulierem Iezabel.] Porro in cap. 3. Angelo Sardis. [Nomen habes quod viuas, & mortuus es.] Et paulo post hæc, [veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.] Et Angelo Philadelphiæ.] Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos: [Et dudum.] Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam: [Et Angelo Laodiciæ. [Tepidus es.] Et infra: [Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.] At, laborare, fatigari, pœnitentiam agere, siue per contritionem siue per ieiunia, vel per disciplinas, & c. tribulari, pauperem esse, habitare in terra, vbi sedes est Satanæ, habere nomen Christianum, non negare fidē, in dies opera meliora facere, habere mulierem (quoniam Iezabel plerique tenēt vxorem illius Angeli fuisse) subiectum esse morti in hora inopinata, habere pedes, habere coronam, miserum, nudum, pauperem, tepidum, & cæcum esse, omnes sunt actiones rei corporalis, vt experientia ipsa docet: Igitur hi Angeli septem ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designati, corporei, ex corpore, & anima compositi proculdubio erunt. Accedit ad hæc, quod septem stellæ, per quas isti Angeli demonstrantur, corporeæ etiam sunt, stellæ siquidem ex eadem materia prima, cælorum constant cum suo orbe, cum quo, vt plerique Philosophi in libris de cælo, & mundo tantum accidentaliter, nimirum tamquam partes densiores à rarioribus differunt; Ac inter designantem & designatum, vel inter significantem, & significatum, oportet sit proportio: Igitur cum designans, vel significans, nimirum, stellæ sint corporeæ, necesse est, vt designatum, vel significatum, videlicet Angeli septem ecclesiæ Asiæ, sint etiam corporei, & materiæ capaces.

1. Assertio. Angeli septē Apocalypsis per septem stellas demōstrati sunt corporei. 1. Ratio.

G

H

2. Ratio.

I

Quæstio II.

Vtrum Angeli cælestes sint corporei, vel incorporei.

K



SIT verissima assertio. Angeli cælestes sunt natura, spiritus, & substantię immateriales, ac incorporei. Profitentur hanc assertionem D. Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus D. Gregorius Nazianzenus in oratione de-

1. Asser. Angeli cælestes sunt immateriales.

D.Chrisost. D.Aug. Hugo. D.Damascen. Magister. S.Tho. Caie. Zamel. & Hier.perez. ambo mercenarii, & validissimi thomistæ.

natiuitate Domini, D. Ioannes Chrysostomus hom. 22. in Gen. D. Augustinus lib. 10. retractationum cap. 11. Epist. 49. ad Deogratias, q. 3. in lib. de agone Christiano cap. 3. & in Psal. 103. Hugo lib. de sacramentis. par. 5. cap. 7. & 8. D. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 3. Magister in 2 lib. 2. dist. 5. ac etiam S. Thom. p. p. q. 50. Caietanus, Bagñes, & ex Ordine nostro Magister Zumel, & Magister Heronymus Perez in academia oscēsi Primarius, in suis comment in p. p. D. Thom. Confirmatur tamen. Primo, anima rationalis est secundum substantiam incorporea & spiritualis, & contrarium dicere est error damnatus, tam apud sanctos Patres D. Augustinum lib. 18. de origine animæ, & D. Isidorum lib. 8. Ethimologiarum, cap. 5. quam apud eorundem sanctorum Patrum concilia, & præcipuè Tridentinum: Igitur & Angeli erunt quoque substantiæ spirituales, consequentia probatur, Nam Angeli sunt superiores anima rationali.

1. Ratio.

Secundo, probatur auctoritatibus sanctorum litterarum, quæ Angelos vocant spiritus, vt constat ex illo Psal. 103. [Qui facit Angelos suos spiritus] hoc est. Spiritus suos cælestes, facit Angelos, vt exoluunt D. Augustinus D. Ambrosius super psalmos. D. Gregorius hom. de oue perdita, & D. Isidorus libro 1. de summo bono cap. 12. & ex illo ad Ephes. 6. Vbi Apostolus dæmones vocat spirituales nequitias in cælestibus.

2. Ratio. D. Aug. D. Ambros. D. Greg. D. Isido.

Tertio probatur ex decretis conciliorum. Quoniam in concilio Nicæno 1. in Symbolo ibi edito habetur: [Credo in vnum Deum, factorem cæli & terræ, visibilium, & inuisibilium.] Vbi per ly [inuisibilium] intelligunt sancti Patres, Angelos. & in Concilio 2. Constātinopolitano, quod est sexta synodus. sess. 11. in epistola Sophronij definitur idem, nimirum, Angelos esse inuisibiles, & in Concilio Lateranensi 2. Et in c. firmiter de vera trinitate, & fide catholica definitum fuit: [Credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus est Deus, qui in principio temporis vtramque creaturam de nihilo condidit, spiritualem, & corpoream, angelicam, & mundanam.] At inuisibile, idem est, quod spirituale, & incorporeum, vt constat ex cap. 1. ad Rom. [Inuisibilia Dei (nimirum spiritualia, & incorporea) per ea quæ facta sunt &c.] Ergo, &c.

3. Ratio.

Quarto constat ex ratione D. Thomæ. p. p. q. 51. art. 1. quæ talis est. Illud, quod accidit alicui speciei, non conuenit omnibus indiuiduis illius: Sed naturæ intelligenti accidit habere corpus, quoniam intelligere, nec est actus corporeus, neque est actus corporis: Igitur aliquæ substantiæ intelligentes erunt sine corpore, quales sunt Angeli.

4. Ratio.

Opinio contrariorum. Angeli, & dæmones corporei, falso a quibusdam appellantur. Origen. Tertul. Basilius. Cassian. Rup. Abb.

Origenes tamen lib. 1. periarchon. cap. 6. Tertullianus lib. de carne Christi, & de velandis virginibus, D. Basilius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. Cassianus collat. 1. Rupertus Abbas lib. 1. de victoria verbi incarnati cap 28. & alij grauissimi Doctores contrariam sententiam tenent, docentes dæmones, & Angelos sua habere corpora aerea, maxima subtilitate prædita, eiusdem mensuræ & magnitudinis, cuius sunt corpora humana. Quam opinionem confirmant. Tum ex illo Gen. 6. [Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ acceperunt ex illis sibi vxores, illæq. genuerunt.] Atqui generatio tantum competit creaturæ corporeæ; igitur Angæli erunt corporei. Tum quia in Concilio 2. Nicæno definitum fuit propter disputationem Ioannis Episcopi Tessalonicensis, Angelos posse depingi, eo quod gentiles, qui negabant Angelos habere corpora, ipse Ioannes incunctantèr profligauit, asseuerans, omnes Angelos præditos esse corporibus. Quam sententiam præallegatum concilium approbauit, Igitur Angeli erunt corporei. Tum tandem quia non potest corpus agere in spiritum: Atqui ignis

1. argum. 2. argum. 3. Arg.

inferni agit in dæmones, illos cruciando, Ergo saltem dæmones erunt corporei.

Quæ plane argumenta facilè soluentur. Quoniam primum non tenet, eo quod illic, per filios Dei, non Angelos, sed viros præcellentes in sanctitate, fide, & cultu vnius Dei intelligunt Diuus Augustinus lib. 6. contra Petilianum Hæreticum cap. 8. Iustinus martyr in Apologia ad Senatum Romanum, & alij grauissimi, Patres, tam Græci, quam Latini, super Genesim, & per filias hominum, mulieres ducentes originem à Caim exoluunt Diuus Hieronymus in cap. vltim. Isaiæ, Diuus Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 21. Diuus Chrisostomus hom. 22. super Genesim, & Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothecæ sanctæ annotatione 77.

Solutiones ad argumenta in oppositum. Sol. ad 1. D. August. Iust. mart. D Hier. D. Hier. D Aug. D Chrisost. Sixt. Senen.

Illud porrò Concilij secundi Nicæni, facilè ruit, quoniam concilium illud tantum definiuit contra hæreticos, imagines tam Christi Domini, quam sanctissimæ Dei paræ virginis eius matris, omnium sanctorum, ac etiam Angelorum, venerandas esse.

Sol ad 2.

Tandem vltimum argumentum soluitur, eo quod corpus, propria virtute non potest agere in spiritum, verumtamen virtute diuina, vt assumitur tanquam instrumentum Dei, potest agere in spiritum. Quemadmodum sacramenta, quamuis corporea sint agunt in animam, illam sanctificando, quatenus sunt instrumenta virtutis diuinæ, conferendo gratiam animabus, per mortem, & passionem Christi, pari etiam modo ignis inferni, qui est corporeus, quamuis propria virtute, non possit agere in dæmones, virtute tamen diuina eleuante, & assumente illum, vt instrumentum, potest cruciare dæmones.

Sol. ad 3. Comparatio.

Quæstio III.

Vtrum hic per Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designatos, intelligantur veri, & incorporei spiritus cælestes nimirum, Angeli custodes?



Rigenes hom. 12. & 24. in Num. hom. 4. in Ezechielem, & hom. 12. & 13. ac etiam 35. in Lucam per præfatos Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, veros & incorporeos Angelos intelligit; nempe Angelos custodes harum septem Ecclesiarum Asiæ. Hinc hom. 20. in Num. sic scribit: [Et iterum secundum ea, quę Ioannes in Apocalypsi scribit vnicuique Ecclesiæ generaliter Angelus præest, qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel etiam pro dilectis eius culpatur.] Et iterum in illa verba: [Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem, &c.] Origenes, per Principes intelligit Angelos custodes nostros, qui venturi sunt nobiscum ad iudicium ante Dominum, etsi nos eorum negligentiæ causa deliquimus, culpabuntur: sin autem nihil mali gessimus, mercedem accipient; quam suam sententiam recitat per hęc verba.] Nisi enim esset etiam aliquid in ipsis, quod

Prima sententia. Opinio Origenis variis in locis. Num. 35.

ris, quod in causa nostra culpandum videretur, numquid diceret sermo scripturæ ad Angelum illius, vel illius Ecclesiæ: Quia habes quosdam tenentes doctrinam Balaam; vel quia dereliquisti charitatem tuam pristinam, vel patientiam tuam, vel alia huiusmodi, pro quibus in Apocalypsi, Angeli vniuscuiusque Ecclesiæ culpantur.] Hæc Origenes. Quem secutus fuit Arethas, & Andræas Cæsariensis in hisce commentarijs per hæc verba. [Singulis porro, vt Dominus alicubi insinuat, & Gregorius Theologus confirmat, dum præsens caput edisserit, Angelus custos præpositus est; huiusmodi vero Angelos ob naturæ claritatem, vitæque sanctitatem, atque puritatem, tropo quodam stellarum vocabulo denominat] Verumtamen eorum opinio falsissima est. Et refellitur. Primo, ex dictis, nimirum, quia Angeli cælestes, siue sint custodes siue sint assistentes, siue ministrantes, omnes quotquot sunt incorporei, & immateriales sunt, vt patet in nostra 2. quæst. At omnia, quæ his septem Angelis, per septem stellas designatis dicuntur, sunt actiones rei corporalis & materialis, vt in prima nostra quæstione nuper probauimus: Igitur hi Angeli septem Ecclesiarum Asiæ per septem stellas designati, nequibunt esse Angeli custodes, nimirum, cælestes & incorporei spiritus. Secundo, quia cuidam horum Angelorum septem Ecclesiarum Asiæ dicitur: [Age pœnitentiam, &c.] At cælestes spiritus, siue sint Angeli custodes, siue Angeli assistentes, siue ministrantes, siue sint dæmones, non sunt susceptiui pœnitentiæ, vt prodit sanctus Thomas in 4. sent. distinct. 13. q. 4. & in add. ad 3. p. quæst. 16. art. 3. Quoniam Angelorum peccatum irremissibile semper reputatur: Igitur isti Angeli Ecclesiarum Asiæ cum sint pœnitentiæ susceptiui, non erunt Angeli custodes, vt aliqui spiritus cælestes. Tertio, quia Angeli custodes sunt Angeli boni, & beati, qui vt tradit sanctus Thomas p. p. quæst. 62. art. 9. nequeunt proficere in beatitudine, & in quibus nequit esse culpa aliqua, cum a principio suæ creationis, nimirum in secundo instanti fuerint in gratia confirmati; vnde iuxta doctrinam D. Thomæ, & D. Augustini, Angeli beati tenentur multum reddere gratias Deo, de hoc, quod non peccauerunt, maxime considerando, quod peccatum suum esset irremissibile: Quoniam in cælestibus spiritibus nequit esse dolor, vel tristitia de malo commisso, propter quem tale peccatum expiabile, & remissibile fieri possit: At in his Angelis septem Ecclesiarum Asiæ est culpa, nam omnes illi aliquando laudantur, & aliquando dire increpantur, vt patet in 2. & 3. capite. Igitur, &c.

Arethas. Andreas. Origenes refellitur cum suis sequacibus. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Euasio pro Origine ...

Dicet tamen aliquis pro Origenis excusatione, hos Angelos septem Ecclesiarum, non laudari, aut increpari per sua opera bona, vel mala, sed pro operibus populorum, quos custodiunt, ita, vt si populus bona egerit, laudetur ipse pro bene gestis populi, si verò populus malum aliquod commiserit, increpetur ipse pro dilectis populi; Et sic ipsi vel laudantur, vel culpantur causa nostra, & non per sua, vel bona, vel mala opera.

Dissoluitur Euasio. D. Thom. Abulensis.

Ista etiam euasio proculpellitur. Tum quia Angeli custodes non dolent propriè de perditione suorum custoditorum, quando damnantur, vt prodit S. Thom. p. p. quæst. 113. art. 7. immo gaudent de iustitia diuina, vt docet ipse sanctus Doctor ibi, & Abulensis tom. 5. in Matthæum. Tum quia populus increpatur, & culpatur, separatim, vt apparet in cap. 2. vbi primo dicitur Angelo Thiatyræ: [Sed habeo aduersum te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetem, docere, & seducere seruos meos fornicari & manducare de Idolothytis:] Et postea separatim Ecclesiæ, siue toti populo dicitur: [Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis, quicumque non habent, &c.] Igitur non est cur dicantur hi Angeli septem Ecclesiarum Asiæ culpari, pro F delictis populi tantum, sed & pro delictis proprijs, cum populus pro delictis suis separatim increpetur: Quare cum hi Angeli septem Ecclesiarum peccare possint, non erunt Angeli custodes, neque aliqui ex cælestibus spiritibus.

Corollarium.

Plerosque adhuc sanctos Patres antiquos fere in eamdem Origenis opinionem prolapsos reperio, inter quos est sanctus Hieronymus, qui in cap. 18. Matthæi super illa verba: [Angeli eorum semper vident faciem patris mei.] Sic scribit: [Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum, vnde legimus in Apocalypsi Ioannis: Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum, scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesijs fæminarum propter Angelos, &c.] & in cap. 6. Micheæ G ita etiam inquit: [Et iudicio contende aduersus montes, quos non alios significari puto, quam Angelos, quibus rerum humanarum commissa est procuratio.] Et paulò post hæc: [Legamus Apocalypsim Ioannis Apostoli, in qua laudantur, accusanturque Angeli Ecclesiarum pro virtutibus vitijsque eorum, quibus præesse dicuntur, &c.] Hæc D. Hieronymus.

Explanatur mens D. Hieronymi.

Cæterum non est loquutus his in locis vir Dei (quemadmodum etiam, & reliqui sancti, qui eamdem tenent viam) ex propria sententia. Mos si quidem fuit D. Hieronymi, ac etiam reliquorum Patrum tam Græcorum quam latinorum in suis commentarijs, alienas ponere sententias quasi suas, diligenti lectori iudicium relinquentes, vt si parum cum fide catholica conueniret, quod bonum est eligat, H quod vero malum relinquat, vt ipsemet D. Hieronymus fatetur in Apolog. 1. aduersus Ruffinum. Accedit ad hæc, quod prælibata sententia cuiuslibet per eadem argumenta castigatur, quibus, & superior fuit explosa: quoniam amicus Plato, amicus socrates, sed magis amica veritas.

Corollarium. D. Ambr. lib. 2. cap. 2. in Lucam.

Porro D. Ambrosium reperio lib. 2. in Lucam sic scribentem: [Pastores sunt Sacerdotes, aut fortasse etiam ille sic Pastor cui dicitur, esto vigilans, & confirma; quia non solum Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, sed etiam Angelos destinauit.] Et quia illa verba, [Esto vigilans: &c.] desumpsit vir Dei ex 3. cap. Apocalypseos, videtur eisdem laqueis irretitum fuisse, & non minus cum ipse, & D. Hieronymus multa ex Origene desumpserint. Quamobrem tam D. Hieronymum, quam D. I Ambrosium existimo, hoc suis operibus inseruisse, magis ad Origenis sententiam, quam legerant, recitandam, quam illud ex proprio sensu defendendum. Et quamuis D. Ambrosius hic non affirmando sed dubitando loquutus fuerit, tamen præallegata opinio Origenis, & veterum Patrum, quatuor asserit. Primum quidem dari Angelos custodes. Secundum vero Deum non tantum vni homini, verum etiam vni Ecclesiæ, & vni prouinciæ, vnum proponere Angelum custodem. Tertium insuper est Angelos custodes in periculo versari, quoniam nisi nos bene seruauerint, non videbunt faciem patris, vt ipse Origenes expresse fatetur hom. 12. & 13 & 35. in Lucam. Quartum tandem est, Angelos septem Ecclesiarum K Asiæ, per septem stellas designatos, esse Angelos custodes, nimirum spiritus cælestes. Ex quibus omnibus primum, & secundum est verissimum. Quoniam Angeli deputantur ad custodiam hominum, vt docet S. Thom. p. p. quæst. 113. ita tamen, vt soli Angeli infimi ordinis sint custodes particularium hominum, superiores vero custodiant electos, Archangeli Prouincias, Principatus totam naturam humanam, virtutes corpora, Potestates supra dæmones, & dominationes supra bonos spiritus custodiam habeant, vt prodent DD. cum magistro in 2. lib. sent.

Castigatur sententia Origenis, & veterum patrum.

& tum

& cum S. Thom. pp. quæst. 113. ar. 3. de quibus omnibus dicit etiam plura Alphonsus Tostatus super illa verba Matthæi: [Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.] Tertium vero, & quartum est falsissimum, vt probant rationes à nobis contra Origenem adductæ. A

Quæstio IV.

Vtrum per Angelos septem Ecclesiarum Asiæ, per septem stellas designatos, intelligantur Rectores, nimirũ, Episcopi & prelati ipsarum septem ecclesiarum?

1. conclus. Angeli septẽ Apocal. sunt Episcopi Ecclesiarum.



CONCLVSIO est affirmatiua, quam profitentur D. Ambrosius hic per hæc verba: [Septem igitur Angelos, Rectores septem Ecclesiarum debemus intelligere, eo quod Angelus nuntius interpretatur, & qui verbum Dei populis annunciant non inconuenienter Angeli, id est, nuntij vocantur,] & D. Thom. dum hoc loco ait: [Angelos dicit episcopos propter eminentiam vitæ, quam debet habere prælatus,]& D. Dionysius Carthusianus ita exoluens: [Septem stellæ, Angeli sunt, id est septem Episcopos, seu prælatos repræsentant.] Et Primasius B. August discipulus, dicẽs: [Nec putandum est, quod hoc loco Angeli singuli, singulis deputentur hominibus, quod in congrue ab aliquibus æstimatur, sed potius Angeli ecclesiarũ hic intelligendi sunt rectores populi, qui singulis ecclesijs præsidẽtes verbum vitæ cunctis annunciant; nã & Angeli nomen cunctis interpretatum dicitur:] Idem prorsus tenent Gilbertus Pictauiensis in prol. in Apoc. Lyranus, Richardus de S. Victore, Rupertus Abbas, ac etiã omnes Neoterici expositores, vt sunt Franc. Ribera, Iacobus Suarez à S. Maria, Gaspàr à Melo, & Blasius Viegas in hisce suis commentarijs. Et probatur. Tum ex sufficienti diuisione. Quoniam cum non sint Angeli Custodes, restat vt sint populorum, siue ecclesiarũ Rectores. (1. Ratio.) Tum quia huiusmodi Angeli sunt corporei, vt nuper nos retulimus in prima quæstione huius disputationis. (2. Ratio.) Tum quia, stellæ in sacra pagina passim sanctos prælatos, episcopos, & ecclesiæ Doctores, significare solent, vt dicunt expositores, in cap. 1. 15. 22. & 26. Genesis, in cap. 3. 9. & 25. Iob. in cap. 8. & 12. Dan. & in psalm. 8. 135. & 142. & in cap. 12. Lucæ, & 1. Corinth. cap. 15. (3. Ratio.) Tum postremo, quia Angeli, tam ascendentes, quam descendentes designant episcopos, prælatos, sacerdotes, prædicatores, & sanctos, qui in contemplatione ascendunt ad cælestia, & charitate proximi ad infima descendunt, vt dicunt idem explanatores in cap. 28. Genes. in cap. 14. 23. & 22. Exodi, in cap. 14. Iob, & super cap. 5. Ecclesiast. cap. 12. Zachariæ, cap. 2. Malach. & 1. Corinth. cap. 11. (4. Ratio.) Quare patet, quod allegorizatio Angelica, qua per septem stellas, Angeli septem ecclesiarum allegorizantur, de Rectoribus, nimirum, Episcopis, & Prælatis ipsarum septem ecclesiarum Asiæ, intelligenda veniat. B

Quæstio V.

Vtrum congruè, Rectores & Episcopi Ecclesiarum, stellæ nuncupentur?

1. conclus. Episcopi stellæ appellantur. Episcopi cur stellis comparentur.



CONCLVSIO est affirmatiua. Et probatur. Primo quia stellæ influunt in hæc inferiora, simul cum luce, vires agendi, & generandi, & sic Episcopi, & Præsules per bonorum exempla in sibi subditos virtutes influere tenentur. (1. Ratio.) Tertio quia stellæ, omnia illa bona in hæc inferiora causant, quæ nuper retulimus, per quæ omnia Episcoporum munus in sibi subditos exprimitur. (2. Ratio.) Tertio quia verbo & exemplo, vt stellæ lucere debent.

Append. 1. Planetis cur comparantur hæretici.

Et passim nota, quod episcopi, stellis & non planetis, id est, errantibus sideribus, rectè comparãtur, quoniam episcopi, vt stellæ, semper in eodem statu iustitię, & innocentiæ debent stare, & conuersationem per cõtemplationem in cælo semper habere. At vero hæretici & dæmonum dogmata sequentes, vt planetæ & sidera errantia per diuersa vitia semetipsos permutare solent. Vnde Apostolus Iudas, eos sidera errantia nuncupauit, sub his verbis: [Væ illis qui in Cain abierũt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculę conuiuantes: sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ bis mortuæ eradicatæ, fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones; sidera errantia quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.] C Appellamus autem hæreticos sidera errantia. Tum quia ipsi in doctrina vitaque, tota aberrant via. Tum quia ipsi in vtroque, nimirum, in vita, & doctrina, alios errare faciunt, secundum illud 2. Timot. cap. 3. [Mali autem homines, & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Tu vero permanes in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris, &c.] Tum quia vti sidera errantia instabiles sunt, & ideo extra ecclesiæ firmamentum connumerati. Fideles vero episcopi propter suam stabilitatem in fide catholica, stellæ fixæ in firmamento, nimirum, in ecclesia & fide merito appellantur hic ab Angelo Dei. D

Quæstio VI.

Vtrum congruè, Rectores & Episcopi Ecclesiarum, Angeli nuncupentur?

E

1. concl. Episcopi angeli: Episcoporum munus, & cura.



CONCLVSIO est affirmatiua. Et probatur. Tum quia quemadmodum Angelis cura animarum mandata fuit à Domino iuxta illud psalm. 90. [Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas, &c.] (1 Ratio.) ita Episcopis curam gregis Dominici commisit Dominus,

nus, iuxta illud Ioannis cap. 21: [Pasce oues meas,] in cuius rei typum & significationem, omnes Episcopi, præter Romanum, habent baculum, Romanus enim baculum non habet, vt significetur eum non habere certam alicuius ecclesiæ catholicæ administrationem, cum ipse sit (vt dicunt catholici Doctores) Episcopus orbis & vrbis.

2. Ratio. D. Greg. Episcopus plerasq; obtinere debet virtutes.

Tum quia Episcopi, angelicam vitam in terris exercere tenentur. Hinc D. Gregorius lib. 1. epistolarum in dictione 9. cap. 24. de Episcopis sic scribit: [Omni cura vigilandum est, vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, præ cunctis contemplatione suspensus, singulis compassione proximus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia, per zelum iustitiæ erectus.

3. Ratio.

Tum propter castitatem, quæ in rectoribus, & prælatis ecclesiæ requiritur: quoniam ipsi à carnis spurcitijs, quemadmodum Angeli Dei immunes, & liberi esse debent. Quo sensu intelligendum venit illud 1. Corinth. c. 11. [Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est, ideo debet mulier velamen habere super caput suum propter Angelos.] Quo loco Tertullianus, D. Chrysostomus, D. Ambrosius, D. Hieronymus, Beda, & Theodoretus, per ly [Angelos] Custodes Angelos, qui præsunt hominibus intelligunt. Quare horum verborum sensus erit. Mulier debet velare caput in ecclesia, ob reuerentiam Angelorum, nimirum, Rectorum, Episcoporum, & Sacerdotum, qui tantam debent obtinere puritatem, vt mulieres aperto capite intueri reformident. Hinc D. Hieronymus de Episcopis, sic scribit: [Mulier ideo debet velare caput, vt in ecclesia propter reuerentiam episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum.] Quâ plane ob causam Pontifex in antiqua lege, duplici cingebatur zona, vna vtiq; qua stringebatur tunica linea, altera vero qua cingebatur tunica hyacinthina, in signum quod Episcopi, & ecclesiarum Rectores, ac Præsules, duplicem præ alijs habere debent castitatem.

D. Hieron.

Zona duplex sacerdotis magni.

4 Ratio.

Tum propter pacem, quoniam quemadmodum Angeli inter Deum, & homines pacem in dies annunciant, vt patet ex illo Isa. 33. [Angeli pacis, amarè flebunt,] & ex illo Lucæ 1. [Et in terra pax hominibus.] Sic Episcopi & Prælati, pacem inter Deum, & homines prope diem astruere tenentur. Pacem inquam illam euangelicam, de qua auctor illius dixit: [Pacem meam do vobis.] Hinc est illud 1. Tim. 3. [Magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatũ in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum gentibus.]

Pacis Auctor Christus.

5. Ratio.

Tum propter promptitudinem, ac diligentiam in munere suo obeundo, diuinisq; mandatis, exequendis. Idcirco enim Angeli, vt ait Dionysius Areopagita lib. de cælest. Hierarch. cap. 16. alati, & discalceati pinguntur, alati propter velocitatem, discalceati vero quia omnis terrenæ labis experti sunt. Et sic debent esse Episcopi.

6. Ratio.

Tum quia puritate omnimoda, necnon obedientia erga Deum, populum instruendo, vt Angeli se præbeant oportet Episcopi, sic enim Christus Angelus dicitur testamenti, & sacerdotes, apud Malachiam in cap. 3. vocantur Angeli.

7. Ratio.

Tum denique propter sapientiam, Episcopi namque scientia maximè pollere tenentur, vt Angeli. Hinc est illud Eccles. cap. 21. [Scientia sapientis tamquam innundatio abundabit, & concilium illius sicut fons vitæ permanet.] Quo plane loco docentur, Præsules, ita scientia pollere, vt non pro se solis scientiam recipiant, sed vt subditis prosint suis. Quod sane clarius indicat illud Malachiæ cap. 23. [Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.] Quem locum sic est interpretatus D. Hieronymus: [Angelus, id est, nuntius, sacerdos Dei verissimè dicitur, quia Dei, & hominum sequester est, eiusq; ad populum annunciat voluntatem, & idcirco in sacerdotis pectore, rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, vt discamus sacerdotem, doctum esse debere & præconem Dominicæ ve-

D. Hieron. in Malachiam.

F ritatis.] Quibus verbis alludit D. Hieron. ad illud Exod. 28. [Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatẽ, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur corã Domino.] Vbi doctrina ponitur propter scientiam, veritas vero propter sinceritatem, vt nihil affigat, sed omnia sic tradat, vt à Deo accepit. Et idem S. Doctor exoluens illud Dan. 12. [Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates,] sic scribit: [Magistri habent similitudinem cæli, & qui alios erudiunt, stellarum fulgori comparantur: Non enim sufficit scire sapientiam, nisi vt alios erudias. Tacitus sermo doctrinæ, alium non ædificans, mercedem operis recipere non potest: iuxta illud sapientis, sapientia abscõdita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?] Et adhuc explicans illud: [Si quis episcopatum desiderat bonum opus desiderat,] sic inquit: [Apud viros bonos indigna sit dignitas, quam multi indigni possident: frustra enim se iactat habere dignitatem, cuius non exhibet opera.] Quod plane elegantius demonstrat D. Bernardus lib. 2. de consid. per hæc verba: [Monstruosa res, gradus summus, & animus infimus, sedes prima, & vita ima, lingua magniloquia, & manus otiosa, sermo multus, & fructus nullus, vultus grauis & actus leuis, ingẽs auctoritas, & nutans stabilitas.] Hinc proculdubio est, quod veris Episcopis Act. 20. dicatur. [Attendite vobis, & vniuerso gregi,] vobis primum, vt sitis Angeli, & gregis, vt sitis stellæ, ita vt Gregorius, & cursus Israel, & aurigas eos appellat, qui onus operis portant, & populum conducunt. Quare episcopi merito & stellæ, & Angeli hic appellantur. Stellæ, quia lucere debent cælestis doctrinæ ac vitæ splendore, Angeli vero, quia castitate, & puritate, necnon obedientia, ergo Deũ populum instruendo tales se præbeant oportet. Quemadmodum enim stomachus cibum & potum, non sibi soli suscipit, sed vt id toti corpori distribuat; sic ecclesiæ præsules non pro se solis scientiam recipiunt, sed vt subditis prosint suis.

D. Hieron. in Danielem.

G

D. Bern. lib. 2. de consid.

Comparatio.

H

Quæstio VII.

An Episcopi originem ducant ab Apostolis?



ONCLVSIO est affirmatiua, & de fide. Probaturq; ex eo dumtaxat, Quod Christus Redemptor noster duodecim elegit discipulos, quos & Apostolos nominauit, vt liquet Lucæ 6. Matth. 10. & Marc. 3. eosq; in vltima cœna sacerdotes, & episcopos ordinauit, ac consecrauit, omnem auctoritatem pascendi, & gubernandi ecclesiam, eis committens. Quippe qui deinceps, alios ordinarunt episcopos, eisque similem potestatem alios ordinandi episcopos tradiderunt, vt produnt Eusebius & reliqui ecclesiastici historici. Vnde Paulus qui extra ordinem, Apostolus à Christo post ascensionem in cælum factus est, non fuisset agnitus in ecclesia pro tali, nisi prius in ipsa ecclesia baptizatus fuisset, & ab Apostolis dexteras accepisset, immo & ab illis ordinatus fuisset, vt patet ex Act. 9. & 13. & ad Gal. 1. Quam ob causam ecclesia Dei, quam regũt & gubernant episcopi, Apostolica, in symbolo fidei appellatur, in signum, quod episcopi illam regentes, ab Apostolis originem trahunt. Quamobrem in Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. episcopos in Apostolorum locum successisse sancitur. De quo plane argumento legendus est Irenæus lib. 3. c. 3. Tertullianus lib. de præscrip. Eusebius in historia, & in chronico, Epiphanius hær. 27. Optatus Mileuitan. lib. 1 contra Parmenianum, D. Aug. epist. 165. ad Generosum & lib. contra epist. Fundamenti, cap. 4. D. Hieronymus, S. Thomas 2. 2. quæst. 184. ar. 6. ad 1. & quæst. 185. art. 5. ac etiam

Epi originem ducunt ab Apostolis.

I

Epi Apostolorum successores.

Paulus baptizatus & ordinatus ab Apostolis.

K

Ecclesia cur Apostolica dicatur.

ac etiam 3. p. quæst. 67. artic. 2. ad 1. & quæst. 72. artic. 11. in corpore. Abulensis in cap. 12. Exodi, q. 28. & præf. in Genes. explicans epistol. D. Hieronymi ad Paulinum cap. 2.

Bellarminus.

Tamen Robertus Bellarminus tomo 1. Controuersiarum, controuers. 4. lib. 4. cap. 8. tractans hanc Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis successionem, affirmat duo requiri ad hoc, vt aliquis Episcopus dicatur ab Apostolis legitime descendere, & proinde esse legitimus Episcopus, vnum est successio, alterum est ordinatio. Quamobrem sic scribit: [Quantum ad successionem, id requiritur vt is qui verus Episcopus haberi cupit, succedat alicui Apostolo, quomodo Clemens successit Petro; & Polycarpus Ioanni, vel certe; vt succedat alicui, quem aliquis Apostolus fecerit Episcopum, quomodo Ignatius Euodio, & Anianus Marco, quod Petrus fecerat Episcopos, vel denique si Episcopatus est nouus, vt fiat Episcopus ab eo, qui habet Apostolicam auctoritatem, qui est solus Romanus Pontifex. Nam vt Beatus Augustinus scribit in epist. 162. in Romana ecclesia semper viguit Apostolicæ cathedræ principatus. Ratio huius est, quia institutio nouorum Episcoparum, non potest pertinere ad vllum, qui habet definitam regionem, quales sunt Episcopi particulares, sed ad eum qui toti ecclesiæ præest, & qui propriè cura incumbit ecclesiam propagandi, quales fuerunt omnes Apostoli, Petrus quidem ex officio, & cæteri ex delegatione, & quicumque aliter intrat, non est de ecclesia Apostolica, cum non possit ostendere, originem suam ab Apostolis. Nec tamen ob id negamus, quin etiam Patriarchæ, & Metropolitani aliquando possint nouos Episcopatus erigere, quod S. Athanasium in Oriente, & S. Bonifacium in Germania fuisse constat, modo à sede Apostolica facultatem habuerint. Quantum ad ordinationem autem requiritur, vt qui fit Episcopus, ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi sint ab alijs ordinati, & illi ab alijs donec ad Apostolos veniatur, id clare habetur Can. 1. Apostolorum, vbi præcipitur, vt Episcopus, ordinetur à duobus, vel tribus Episcopis, id est, a duobus assistentibus, Metropolitano, vel à pluribus. Item Anacletus epi. 2. docet Iacobum ordinatum fuisse Episcopum Ierosolymę à Petro, Iacobo, & Ioanne, & eodem modo à tribus, vt nimirum omnes alios ordinari debere. Idem habetur in Concilio Nicæno 1. cap. 4. & in Concil. Carthag. 6. cap. 2. Immò Apostolus hoc ipsum indicat cum 1. Tim. cap. 4. scribit; Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij, siquidem nomine presbyteri intelligit cętum Episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi, vt exponunt Chrysost. Teophilactus, & Oecumenius, neq; mirum est, Episcoporum cætum vocari presbyterum: Nomen enim presbyteri, commune erat olim presbyteris, & Episcopis, vt patet ex ep. Irenæi ad Victorem, quæ est apud Eusebium lib. 5. hist. c. 24. vbi Irenæus vocat presbyteros Romanos Pontifices, Victorem, Anicetum, Pium, Telesphorum, & Xistum. Itaque dubium esse non potest, quin requirantur ordinariæ tres, vt nimirum, Episcopi ad noui Episcopi ordinationem, nisi forte, ex dispensatione cum vno Episcopo ordinante, adsint Abbates infulati, qui vim Episcoporum gerant, vt aliquando fieri solet ob Episcoporum raritatem.] Sic ille.

PARAPHRASIS. K
Tertia.

Par. 3. Dilucidatio textus. §. 1.

Et candelabra septem, (dicit vltimo) septem Ecclesiæ sunt. Desiderio haùd exiguo inflammatus Angelus Dei ad correctionem vniuscuiusque ecclesiæ (quam in hac prima visione principaliter intendit) procedendi & iam appropinquandi cessat

F hic à sua expositione, dicens: [Et candelabra septem septem ecclesiæ sunt.] Quæquidem candelabrorum expositio, allegorica itidem est, quemadmodum & illa superior stellarum, cum sæpæ sæpius in veteri Testamento, per candelabra, templum Dei indicetur, vt videre est Exod. 25. & cum modo etiam ab Angelo de ecclesijs Dei exponatur, talis Angelica expositio, allegorica ex consequenti etiam manet, sicuti superior de stellis. Et merito ab Angelo hic ecclesia Dei candelabrum appellatur, cum Christus Redemptor noster ecclesiam sponsam suam candelabrum esse doceat, dicendo Matth. cap. 5. [Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, id est, super ecclesiam.

Allegorica etiá est hæc expositio Angeli de candelabris.

Ecclesia est candelabrum

Cęterũ est maximè notandũ, quod Angelus Dei hic nõ exponit hanc suam primã visionem, secundum omnes suas partes, sed tantum secundum duas partes, nimirum, stellarum, & candelabrorum, quod quidem G caute prudenterque factum fuit. Nam si ex toto esset liber clausus tederet nos eum legere, & si insuper, per omnia ab Angelo Dei hic apperirentur, esset facilis, & vilesceret. Vt igitur studium nostrum incenderet, intellectumque fidelium ad inquisitionem occultorum mysteriorum excitaret, ac etiam ne lectio vilesceret, alia via à Ioanne, minimè aperire voluit Angelus Dei, vt nos etiam circa Christum præstare, & adimplere teneamur illud Psalmistę, [scrutamini scripturas, quia ipsę testimonium perhibent de me.] Hinc plane est, quod D. Dionysius Carthusianus in hunc locum sic scribit: [Totus vero hic liber obscuritatibus, & methaphoricis locutionibus plenus est, sed quædam ab Angelo exponuntur, vt per ea detur nobis introitus ad intelligentiam aliorum, quæ idcirco non exponuntur, vt studiosis detur occasio bonæ exercitationis, & Spiritus sancti illuminationem indesinenter efflagitent, & ne sanctum, canibus detur, ne sancta mysteria ecclesiæ propalentur indignis, etenim sacramentum regis abscondere bonum est.] Hæc Carthusianus. Ad H huc addere etiam possumus hoc factum fuisse, vt demonstretur: Possibile est fidelibus, imo Deo reuelante, peruenire ad intelligentiam occultorum mysteriorum, aliqua sacramenta declarantium. Porro id plane factum fuit, eo quod Dominus propter maleuolos, non vult omnia esse aperta. Vnde Strabus in suã glossa ordinaria in hunc locum sic scribit: [Angelus allegoriam in parte aperit, vt doceat vbique dare requiri.] Et in eadem prorsus prorumpunt verba Haymo, S. Thom. & Auctor Incognitus in hisce suis commentarijs, in hoc eodem loco. Tenemur igitur diu, multumq; laborare, qui hanc sacram Iesu Christi Apocalypsim, diuina fauente gratia, explanare fidelibus populis attentamus. I

§. 2. Angelus cur non exposuit prima visionẽ in totum sed secundũ partem.

Matth. 5. Iob. 12.

Metaphoram tamen redolet hæc allegoria Angelica, appellat namque hoc in loco Angelus Dei, Rectores Antistites, siue ecclesiarum Episcopos, stellas, Angelosque, & etiam ecclesias candelabra nuncupat, quemadmodum ijdem Rectores, Antistites, Præsules, & Episcopi in sacro eloquio pastores methaphorice appellantur, & eorum populi fideles, ac subditi, nominantur oues, vt facile liquet ex illo Num cap. 27. [Nesit populus Domini sicut oues absque Pastore,] & Iudith cap. 11. [Habebis omnem populum Israel sicut oues quibus non est pastor,] & Isa. cap. 53. [Nos autem quasi oues errauimus,] & Ezech. cap. 34. [Dispersæ sunt oues meæ,] & Zach. cap. 13. [Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis,] Quod probatur ex nouo Testamento. Quoniam Matth. 6. dicitur: [Misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem,] & Luc. cap. 15. [Si fuerint alicui homini centum oues, & erraui vna,] & Ioan. cap. 10. [Oues meæ vocem meam audiunt,] & iterum: [Ego sum pastor bonus & cognosco oues meas,] & paulo post: [Alias oues habeo] & mox [Et fiet vnum ouile & vnus pastor.] Quibus in locis oues, populos subditos, & per pastores, episcopos

§. 3. Allegoria & methaphora gaudet hic locus.

& Rectores interpretati fuere omnes explanatores. Et id etiam probatur testimonijs SS. Patrũ. Nam D. Cypr. in lib. de duplici martyrio ad Fortunatum, & in ep. 96. Origenes to. 3. in Leuit. & ho. 8. in Isa. Greg. Nazianz. in orat. 6. D. Basilius Mag. ho. 26. de martyre Mamante, & in lib. de Spiritu sancto c. 8. Cyrillus Alex. lib. 7. in D. Ioannem c. 1. & 5. D. Chrysostomus ho. 58. super Ioãnẽ c. 10. D. Hieronym. in suis commentarijs super Ezech. c. 34. & super Matth. lib. 3. c. 18. D. Ambros. lib. 17. sup. Lucam c. 15. D. Aug. tract. 45. super Ioannem, D. Greg. Papa lib. 12. mor. c. 19. D. Hilarius super Matth. c. 18. D. Bernardus in ep. 248. Venerabilis Beda super Ioannem c. 10. Hugo Card. super Ioan. c. 10. & super Lucã. c. 15. & tandem Arnobius, & Cassiodorus super ps. 8. 64. & 94. Hi enim omnes sancti Patres, Pastorum & ouium nomine, Christum & Christi fideles designari intrepidè asseuerant. Quamobrem D. Cyrillus vbi supra sic scribit: [Pastor quidem est Christus Dominus, quia oues suas, id est, fideles, in eum credentes scientia pascit, & doctrina, & per rectam salutis viam ducit in æternæ vitæ pascua.] & D. Chrysostomus ho. 8. super priorem epistolã ad Corint. scriptã c. 3. ita inquit: [Ipse Xps caput est & nos corpus, ipse fundamentũ & nos ędificiũ, ipse vitis nos palmites, ipse sponsus nos sponsa, ipse via nos viatores, nos item tẽplum ille habitator, ipse primogenitus & nos fratres, ipse hæres nos coheredes, ipse vita nos viuentes, ipse lux nos illuminati, ipse demum pastor est & nos oues.] Et denique Venerabilis Beda in c. 29. Gen. in hæc verba prorumpit: [Figuratæ oues sunt iustorum populi, & pastores prophetæ sunt, qui vsq; ad Christi aduentum spiritu sancto mũdati populum Israel gubernant,] Et idem prorsus dicendũ est, hoc in loco Episcopos stellas, Angelosq; & etiam Ecclesias, candelabra figurate, & methaphorice appellari, per hanc Angelicam allegoriam.

DISPVT. XXIV. & postrema.

In Cap. Primum Apocalypseos, de Ecclesia Dei quatenus candelabrum appellatur.

In duas Quæstiones distributa super illa verba: *Et candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.*

Prologus disputationis.

Ecclesiæ multa nomina.



ECCLESIA, methaphoricè, multis nominibus nuncupatur, nimirum, columba, nauis, sponsa, regnum cælorum, ouile, ciuitas, sancta, terra promissionis, columna, firmamentum veritatis, vinea electa, noua Ierosolyma, domus Dei, visio pacis, mons Sion, speculum domus Iacob, templum Salomonis, & reliqua. Quoniam, vt ait D. Thomas p. p. quæst. 1. art. 9. sacra Scriptura debet vti methaphoris, inter quas planè est hæc, quia Ecclesia Dei ab Angelo candelabrum appellatur, quæ sanè, hoc in loco, merito explicanda venit.

Quæstio I.

An congruè & aptè, Ecclesia Dei candelabro assimiletur?

1. conclus. Ecclesia congrue assimilatur candelabro.



CONCLVSIO est affirmatiua, quam profitentur Sancti Patres, tam Græci quam Latini, & Origenes super Num. homil. 5. Ambrosius super psalmum 118. D. Augustinus sermone 1. de in monte, Clemens Alexandrinus, S. Thomas, Isychius in Leuit. Hieronymus super Zachar, &c. Quam etiam nos probamus. Tum quia Ecclesia est visibilis vt candelabrum, & excellenti quodam splendore conspicua, & manifesta, iuxta illud psal. 18. [In sole posuit tabernaculum suum.] Quem locum D. Augustinus tract. 2. in epistolam Ioannis de ecclesia, per hæc verba exoluit; [In manifesto posuit Ecclesiam suam, & sicut sol, non potest omnino latere, vnde & ciuitas supra montem posita appellatur.] Tum quia sicut magna candelabra tribus fere pedibus sustinentur, ita ecclesia in sacrosanctæ Trinitatis fide per charitatem operante, fundata erectaque consistit. Tum quia ecclesia Dei candelabri instar, lucem mundo profert, quod lumen est ipse Christus, vt ipsemet Ioannis 8. inquit: [Ego sum lux mundi,] de quo etiam scriptum est Ioan. 1. [Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] & Malach. cap. 4. [Timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ,] id est, Christus, qui sol, immo solis fons est, de quo agitur Iosuæ cap. 18. sub his verbis: [Et egrediens ad Ensemes, id est, fontem solis, &c.] Quem solis fontem Origenes Christum appellauit. Quoniam, quemadmodum sol illic oriebatur ex fonte, sic splendor & lux omnis spiritualis ex Christo tamquam ex fonte ad omnem mundi plagam illuminandam deriuatur, iuxta illud Lucæ 2. [Quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium.] Lumen igitur est ipse Christus ecclesiæ candelabro impositum, ex cuius summitate vti vera lux totum illuminat mundum. Tum quia quemadmodum candelabrum est lucis vehiculum, sic ecclesia est veritatis reportatrix: In qua omnis doctrina veritatis, lux ac splendor reponitur, sicut à Domino dictum est Matth. cap. 5. [Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.] [Hinc de Apostolis, quibus hæc doctrina veritatis prius credita est, dicitur: [Sic luceat lux vestra coram hominibus,] vt ex cognitione tantæ veritatis, Pater æternus, ex quo omnis virtus & veritas manat, apprimè laudetur. Tum demum, quia prælati subditorum facultatibus sustentantur, sicut candelæ à candelabro. Hinc est illud: [Non obturabis os boui trituranti.]

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. Orig. ho 19. in Iosue. Comparatio. 4. Ratio. 5. Ratio.

In calce tamen huius quæstionis nota primo contra hæreticos, ecclesiam semper esse visibilẽ, quemadmodum candelabrum lucernam continens visibile vtique est. Quamobrem Vates ille Euangelicus Isaias in cap. 60. de ecclesia inquit: [Aperientur portæ tuæ, iugiter, die ac nocte non claudentur, vt auferatur ad te fortitudo Gentium, & reges eorum adducantur: gens enim & regnum, quod non seruierit tibi peribit,] & in cap. 61. [Fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio popolorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus] & Habac. 3. [Operuit cęlos gloria eius, & splẽdor eius vt lux

Appendix 1. Contra hęreticos diabolicè tenẽtes ecclesiam tantũ esse inuisibilẽ & intra nos.

Ecclesia est visibilis.

vt lux exit.] Quem plane locum D.Aug.cap.32.lib.18. de Ciuitate Dei, de Ecclesia est interpretatus. Vnde idē sanctus Doctor in cap. 14. de vnitate Ecclesiæ sic argumentatur: [Non est operta ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum, & de illa dictum est, nō potest ciuitas abscondi supra montem posita; sed Donatistis operta est, quia audiunt tam lucida, & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe esse demonstrant, ac malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eam ascendere.] Quod quid clarius dici potest contra Caluinistas, & Luteranos nostri temporis, qui nobis ecclesiam quādam imaginariam dumtaxat, & inuisibilem fingunt? Est itaq; Ecclesia Dei, inuitis hæreticis, visibilis omnino, vt candelabrum, cum ipsa sit hominū cōgregatio, vt eius narrat catholicorum definitio. Homines autem visibiles plane sunt, & nullatenus inuisibiles. Hinc Cyrillus Alexandrinus lib.3. commentariorum in Isaia de Ecclesia Dei sic inquit: [Excelsa, & specula ponitur Sion, visio autem pacis Ierusalem,] & D. Chrysost. hom.4. in c.6. Isaiæ de eadem Dei ecclesia, sic est affatus. [Facilius est solem extingui, quam ecclesiā obscurari.] Enimuero de visibilitate Ecclesiæ supra iam actum fuit tex.4. disp.10. q.15.

Ecclesiæ diffinitio.

Appen. 2. Ecclesiæ lux.

Lux quod lucet in ecclesia est cœleste & non terrestre.

Secundo nota, Rectores, Prælatos, ac Doctores, ex quorum doctrina illuminatur ecclesia, esse stellas, & non luminaria terrestria, positas in candelabris, vt intelligamus lumen, quod in ecclesiæ candelabris lucet, non esse quid humanum, terrestreuè, quod quidem exiguum semper vtiq; est, sed diuinum, ac cæleste, nec non ex cœlo reuelatum. In cuius rei typus, erat in antiqua lege tabernaculum, in quo etiam candelabrum continuo lucebat, sed quia lumen terrestræ erat: Ideo Deus præcepit emunctoria fieri Exod.25. [Emunctoria quoq; & vbi quę emūcta sūt extinguātur, fiant de auro purissimo.] Nostra vero candelabra emunctorijs non indigent, quia lumen quod in eis lucet, est lumen stellarum, è cælo descendens, quo numquā errare possunt illuminati. Quoniam de Ecclesia dictum est: [Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.] Lumen autem huius candelabri, nimirum, Ecclesiæ, est Spiritus sanctus, super Apostolos missus, quo lumine illustrata, sancta mater ecclesia, tenebras peccatorum eijciendas esse, nos docet, iuxta illud psal. 119. [Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.]

Emunctoria ex auro purissimo in cādelabro tēpli.

Appen. 3. Ecclesia non potest errare

Tertio, & postremo nota, Ecclesiam nullatenus errare posse, cū in ea sit lumē veritatis, vti in candelabro. Hinc Apostolus 1. Tim. 3. eam vocat columnam, & firmamentum veritatis.

Quæstio II.

An Archipropheta Ioannes, septem numero distincta viderit candelabra, an vero vnum dumtaxat numero, septem lucernas habens?

Concl. 1. Candelabra septē numero distincta vidit Ioan. 1. Ratio.



PRIMA Conclusio. Septem partialia intuitus fuit noster Archipropheta cādelabra. Probatur. Tum quia hic dicitur: [Et septem candelabra, septem ecclesiæ sunt,] & paulo superius: [Et conuersus vidi septem candelabra aurea.] Tum quia supra ita habetur: [Et in medio septem candelabrorum aureorum similē filio hominis.] Quo in loco ly [in medio] satis declarat candelabra septem partialia fuisse, alioquin non apparet qualiter similitudo illa filij hominis in medio septem candelabrorum esset. Tum quia noster vates in hoc opere, septem vidit partiales stellas septem Angelos, septem lampades, septem cornua agni, septē phialas in manu Angelorum, septem inquam omnia per se partialia in suo genere. Igitur & candelabra etiā erunt septem partialia in genere candelabrorum.

2. Ratio.

3. Ratio.

Secunda conclusio. Probabile est, vnūquodq; ex his septem candelabris, simile esse candelabro templi Salomonis, de quo extat mentio Exod.25. & 27. & Zach. 4. Probatur. Tum quia candelabrum illud templi Salomonis, & erat aureum, iuxta illud Exod. 25. [Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo.] & Zach. 4. [Ecce candelabrum aureum totum,] & etiam significabat ecclesiam, vt exoluunt Tychonius ho.8. in Apo. Cyrillus, & Hieron. super Zachariam, sic vnumquodq; ex his septem candelabris, & aureum est, iuxta illud, quod nuper dictum fuit, nimirum: [Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similē filio hominis.] Et etiā vnumquodq; eorum suam significat ecclesiam, vt habetur hic: [Et candelabra septem, septē ecclesię sunt.] Tum demum, quia expositores dum hunc enodant locum, communiter allusionem faciunt ad illud templi Salomonis candelabrum aureum, de quo locis supra citatis fit mentio.

2. conclus. Similitudo datur inter candelabrum tēpli Salom. & vnūquodq; candelabrum primæ visionis Apoc. 1. Ratio.

2. Ratio.

Tertia conclusio. Probabile etiam est, vnumquodq; ex his septem candelabris, septem habuisse lucernas. Probatur. Quoniam illud cādelabrum templi Salomonis, septem calamos, cum septem lucernas obtinebat, vt liquet. Tum ex verbi Exodi 25. [Facies candelabrū ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, cyphos, & spherulas, & lilia ex ipso procedentia, sex calami egredientur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero, &c.] Tū Zach. 4. [Ecce candelabrum aureum totum & lampas eius super caput ipsius, & septē lucernæ eius super illud, & septē infusoria lucernis.] Tum etiam ex figura huius candelabri templi Salomonis, quam Rabbi Salomon depinxit, & etiam, ex figura aliorum, quoniam in vtraq; figura depingitur hastile, cum sex calamis, tres ex vno quoque latere à dextris, nimirum, & à sinistris, super quos septem calamos, septem apparent lucernæ accensæ, & sic dispositæ, vt lichinum cuiuslibet lucernæ, nimirum, flamma, respiciat lucernam mediam, & sic flamma trium lucernarum, vnius lateris respiciat ex aduerso flammam trium lucernarum alterius partis.

3. conclus. Vnumquodq; candelabrum ex septē primæ visionis Apoc. septem lucernas obtinebat. 1. Ratio. 2. Ratio.

3. Ratio.

Candelabri tēpli Salom. figura.

Corollarium.

Annotabis tamen, hæc septem partialia candelabra, vnum constituere vniuersale candelabrum, quemadmodum supra retulimus de vnitate Ecclesiæ, quam vnam numero appellauimus tex. 4. disp.10. q.9. in solutione ad 1. Ex quo plane responderi potest Ruperto Abbati, in hunc locum sic scribenti: [Sicut septem ecclesiæ sunt, & tamē vna est ecclesia, sic septem candelabra vnum candelabrum sunt.] Huic namq; difficultati, ex illic dictis facilimus est exitus.

Rup. Abb. in comment.

†





Non ego solus, sed gratia Dei mecum. 1.COR.15.

CAPVT SECVNDVM.



Argumentum secundi Capitis.

EX septem Ecclesiarum Asiaticarum Episcopis, quatuor hìc & laudantur, & increpantur à Iesu Christo per Angelum, Archipropheta Ioanni missum, nimirum, Ephesinus, Smyrnensis, Pergamensis, & Thyatirensis. Et hoc planè per Epistolas ad eorum vnumquemque destinatas: eo quod superiori in capite præceptum fuit Ioanni vt ostensa sibi mysteria & arcana Dei, litterarum monumentis adamussim consecraret, eademque ad vnamquamque earum diligentèr & accuratè mitteret Ecclesiam: vt sic diuina voluntas vtrisque, puta, Præpositis, & Ecclesijs, mox innotesceret.

Text. 1.

Inscriptio litterarum ad Episcopum Ephesinum.

ET Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1.

Ephesina Ecclesia Metropolis Asiæ.



SEPTEM Ecclesiarum Asiæ correctionem iam inchoat Archipropheta Dei, & vnamquamque illarum increpans, & laudans, exorditur ab Epheso, eo quod Ephesus Metropolis erat Asiæ minoris, cuius Antistitem Angelum appellat ob rationes quas nuper retulimus. Ad hunc itaque Archiepiscopum primo litteras destinat; quoniam hic & prior, & principalior, ac etiam cæteris Coepiscopis dignior erat, cum totius minoris Asiæ primas esset. Et quia eius defectus alijs nocuit, ad illum primo scribit, vt sic eius emendatio eisdem ædificatoria in posterum extaret. Episcopus namque in Ecclesia sua est veluti Stomachus in corpore, quippe qui quamdiu crudus est, alimentum inficit, quo singula membra vegetantur: mox vero vt perfecta gaudet decoctione naturali, singula membra perfectè alit, & nutrit per decocti alimenti distributionem: quare stomachus & infirmitatem, & salutem totius corporis vtrique causat: Haud secus plane, vitijs Præsulis, vita populi corrumpitur; virtutibus vero eiusdem totus populus sibi creditus, & curatur, & ædificatur. Idcirco Pastor vitia extirpans, subditosque secundum gradus hierarchicos omnino illuminans, Angelicus vita & doctrina (& nullatenus terrestris) oportet sit. Ideo proculdubio Antistes iste Ephesinus in textu Angelus nuncupatur. Quoniam Sacerdos, & pontifex in terris angelicam vitam imitari tenetur per mentis, & corporis castitatem. Nam in carne sine carne viuere, angelicum perhibetur. Debet insuper sibi subditos illuminare; quoniam sicut Angelus superior, inferiorē illuminat, purgat, ac perficit; sic Prælatus sibi sub-

Comparatio.

Stomachus crudus alimentum inficit.

Episcopus totus debet esse spiritualis

A ditos, ac subiectos purgare, illuminare, perficereque debet. Quinimmo tenetur Præsul pro grege sibi credito propediem orare. Nam sicut Angeli nostra obsequia offerunt Deo, orantque pro nobis, & Dei munera gratiosa nobis referunt, & procurant: ita Sacerdos, & Pontifex gregis sui preces, vota, & hostias immolat Deo, cuius gratiam impetrat populo, vt mediator. Nomen etenim Mediatoris si propriè, & perfectè sumatur soli Christo competit, iuxta illud 1. Timoth. 2. [Vnus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus.] De qua re legendus est D. Thom. 3. p. q. 26. art. 1. D. Chrysost. hom. 7. epist. 1. ad Timoth. D. Aug. lib. 9. de ciuit. Dei Fulgentius de fide ad Petrum, Cyrillus dialog. 1. de Trinit. & lib. 12. thesauri, cap 10. Epiphanius in Ancorato, & Hilarius lib. 9. de Trinit. in principio. At vero nihil prohibet, Angelos, Apostolos, Prophetas, Sanctosque viros dici quoque mediatores
B inter Deum & homines prout scilicet cooperantur ad vnionem nostram cum Deo dispositiuè, vel ministerialitèr, vt de Angelis dixit D. Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap 4. cum illi pro nobis orent, nostrasque orationes ad Deum offerant, & ad nostram sint quoq; custodiam deputati, vt nos auertant à malo, & ad bonum disponant ac moueant, vt patet, Dan. 10. Apoc. 8. Matth. 18. ad Heb. 1. & ex alijs plerisque locis sacræ paginæ, id etiam perspicuum euadit. Sancti quoque, & Beati, nostri sunt mediatores, dum orationes nostras Deo offerunt, iuxta illud Apoc. 5. [Habentes phyalas aureas plenas adoramentorum, quę sunt orationes Sanctorum.] Et in hoc sensu Rectores, Pastores, Episcopi, Doctores, & Sacerdotes esse aliquo modo mediatores ad salutem hominum clare Paulus habet 1. Cor. 3. cum illos Dei coadiutores appellet, dicendo: [Dei enim adiutores sumus.] Illud tamen inter-
C est inter Christum, aliosque mediatores; quoniam Christus per se ipsum accedit ad Patrem: & ab eo sine alio medio nostram salutem obtinet, iuxta illud ad Heb. 5. [Exauditus est pro sua reuerentia.] Reliqui vero per ipsum, eiusque meritis innixi, vt clarè liquet ex illo ad Rom. 5. [Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.] Quod si D. Augustinus dixit, quandoque nec Paulum, nec Apostolos esse mediatores, sed solum Christum, vt libro contra Parme. cap. 8. Intelligi debet de

Episcopus gregem suum illuminare debet.

D. Thom.
D. Chrysost.
D. Aug.
Fulgent.
Cyrill.
Epiphan.
Hilarius.

D. Dionys.

Sancti quomodo mediatores nostri sint.

Sacerdotes meritis Christi accedunt ad Patrē pro nobis intercedendo.

bet de

bet de perfecto mediatore: Non enim excludit ministros Christi, quia dum pro ipso, legatione funguntur, vt dicitur 2. Cor. 5. mediatores secundarij possunt appellari, vt perelegantèr, & disertè docuit Cyrillus, lib. 12. Thesauri c. 10.

§. 2. Causa scribendi ad Episcopum Ephesinum.

Ad Angelum autem (id est Episcopum) ephesinum dirigitur hæc prima Epistola, vt apertè intelligatur tēporibus Ioannis Archiprophetæ, hanc Ecclesiam Ephesinam (quemadmodum, & reliquas sex Asiaticas) nullatenus esse acephalas, hoc est sine capite. Acephalum enim, corpus capite carens nuncupamus. Cum autem Ecclesia corpus sit, iuxta illud Apostoli: [Vos estis corpus Christi, & membra de membro,] & insuper hæc Ecclesia Ephesina, suum temporibus Ioannis obtineret caput, nimirum Angelum, hoc est, Episcopum, sequitur apertè illam, Ioannis sæculo acephalam minime fuisse. Et idem dicendum sentimus de reliquis sex Asiaticis Ecclesijs: cum earum vnaquæque suum caput, nimirum Angelum, hoc est Episcopum obtineret, cui Propheta separatim scribit. Ob hanc eamdem causam in qualibet ciuitate constituitur vnus Episcopus: in quolibet regno vnus Metropolitanus, in qualibet prouincia vnus Primas, & in toto orbe, vnus summus Pontifex. Quoniam regimen Ecclesiæ est Monarchicum, quæ est gubernatio vnius principis: sicuti est gubernatio regalis, cum ipsa sit regnum, iuxta illud Isa. 9. [Super solium Dauid & super regnum eius sedebit.] & Lucæ 1. [regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] In quibus locis, Ecclesia appellatur Christi regnum. Hinc plane ruit opinio Ioannis Hus, Lutheri, Caluini, & omnium recentiorum hæreticorum asseuerantium non esse constituendum in Ecclesia vnum aliquod caput visibile. Quamobrem hæretici in Ecclesia acephali fiunt, cum in terris Vicarium Christi, summumque Pontificem in caput nullatenus agnoscant. Ex hoc proculdubio oritur, quod ipsi sine capite pergentes nullum hactenus generale Concilium congregare potuerint: quinimmo inter se varij, & dissentientes instar vulpium Samsonis, in contraria pergentes (pro capitum varietate, & contrarietate) se ipsos concremant, & sæpe sæpius nostras Christianas, aptas sectu messes, voranti igne inflammant. Idcirco de suis fictilibus conuenticulis ait Dominus: [Non congregabo conuenticula eorum, &c.]

Acephalum quid sit. 1 Cor. 12. In qualibet Ecclesia debet esse vnū caput. Ecclesiæ regimen est Monarchicum. Ecclesia Xpi regnum. Psal. 15.

§. 3. Ecclesiæ amplitudo, & dilatatio.

Porro haùd exiguam ex hac Epistola Ephesina, tenemur fideles exhaurire lætitiam, cum Ioannis tempore Ecclesiam Dei ad Ephesum vsque, & ad omnem minorem Asiam intueamur dilatatam, & extensam. Ecce plane, ô fideles qualiter operi, & executioni mandantur, illa diuina de Ecclesiæ Dei extensione vaticinia, nimirum: [Dominabitur à mare vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.] Psal. 71. [Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, &c. Leua in circuitu oculos tuos & vide omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & affllues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris fortitudo, gentium venerit tibi.] Isa. 60. Benedicam tibi, & multiplicabo: semen tuum sicut stellas, cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.] Gen. 22. [Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.] Psalm. 2. [Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & territoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fecit Dominus, quasi cedri prope aquas, fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas,] hoc est vt alia habet translatio, [in gentes multas.] Num. 24. Et postremo de Ecclesiæ Dei dilatatione exoluitur illud Gen. 24. [Crescas in mille millia, & semen tuum possideat portas inimicorum suorum:] Hinc Christus Dominus discipulis suis præcepit: [Prædicate Euangelium omni creaturæ.] & iterum, [euntes ergo do- F cete omnes gentes,] En igitur qualiter Ecclesia Dei à solis ortu vsque ad occasum protendenda erat, & qualiter etiam Ioannis sæculo vsque ad Ephesum, & vniuersam minorem Asiam iam ramos suos extendebat. Ex hoc plane est, quod in Concilio Nicæno Ecclesia Dei, [Catholica,] id est vniuersalis nuncupatur. Sic enim ibi dicitur: [Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam.] Appellatur autem sancta mater Ecclesia, Catholica, hoc est vniuersalis, ob multas causas. Tum quia amplectitur, & comprehendit omnia mundi loca, iuxta illud: [in omnem terram exiuit sonus eorum,] id est, vsque ad extremos terræ terminos, vt patet Isa. 49. & ad Ephes. 2. ac etiam Apoc. 5. vbi dicitur: [Ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.] Tum quia ambit, & complectitur omnia tempora præterita, scilicet præsentia, & futura, nimirum, quidquid veritatis in lege naturæ, Moysi, & gratiæ cognitum est, agnoscit. G Tum quia colligit omnes ordines, status, & sexus, Iudæos, scilicet & Græcos, mares, & feminas, cum dicat Apostolus ad Rom. 2. [Non est personarum acceptio apud Deum. Gloria enim & pax omni operanti bonum.] Tum demum, quia omnes saluandos colligit, vt arca Noe. Ceteri enim omnes qui extra Ecclesiam, & caulam salutis morant, omnino perhibunt; de qua re luculentissimè scripserunt D. Augustinus epist. 78. ad Hesychium epist. 170. ad Seuerinum, & epist. 166. ad Donatistas D. Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos, & in cap. 24. Matth. Theodoret. lib. de leg. Tertullianus lib. contra Iudæos, c. 3. Vincentius Lyranensis in libello contra profanas omnium Hæres. nouat. & Beda in cap. 6. Cant. Cant. Ad hoc autem vt Ecclesia, Catholica dicatur, non requiritur simplicitèr, & absolutè loquendo, vt simul & semel, H atque vno, eodemque tempore in omnibus mundi partibus aliqui fideles existant: Sed satis est, vt fiat successiuè: dummodo venturi, seu futuri fideles eamdem veritatem creditam habeant cum fidelibus præcedentibus. Necessarium tamen est vt Ecclesia modo Catholica dicatur cum intuamur eamdem in maioribus, ac pluribus mundi partibus actu esse. Nam cum Ecclesia senuerit parum profecto crescere poterit quantum ad loca: Atque ita restat, vt quantum ei incrementi fuerat tribuendū, id omne eam iam habere dicatur, cum iam extendat ramos suos à mari vsque ad mare. De hoc Ecclesiæ augumento luculentissimè agunt Irenæus lib. 1. cap. 3. Cyprianus lib. de Vnit. Ecclesi. Tertul. lib. contra Iudæos cap. 3. Athanas. lib. de Humanitate verbi, Aug. epist. ad Hesychium, Chrysost. Hieronymus in cap. 24. Matth. Theodoret. lib. de Legibus, Leo Magnus serm. 1. de S. Petro, & I Paulo, & alij plerique grauissimi adstipulatores. Quinimmo hoc nostro sæculo Ecclesia Dei, iam ad Indos, siue ad Americam (nouam mundi partem, quartam supra Europam, Asiam, & Africam,) gloriosè peruenit, vt supra cap. 1. tex. 9. par. 12. abundè retulimus. Ecclesia tamen vt Catholica dicatur, nulla tempora, loca, hominumvè genera excludit, De quibus omnibus copiosè agit, Driedo lib. 4. cap. 2. par. 2. de Ecclesiasticis dogmatibus.

Conc. Nic. Ecclesia cur Catholica nūcupatur. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. D. Aug. D. Hier. Theodoret. Tertul. Beda. Irenæus. Cyprian. Tertul. Athanas. Aug. Chrysost. Hieron. Theodoret. Leo. Driedo.

§. 4. Antistes, & causa debet esse, bonorum operum suorū subditorum, & eorum peccata portare. Caietan. in c. 22. Lucæ.

Laudatur attamen, & increpatur iste Ephesinus Angelus expressè in propria persona, vt ex his liquido colligat quislibet Pastor Ecclesiasticus, se non solum piorum operum ouium suarum, exemplo suo causam debere esse: secundum quod scriptum est Lucæ cap. 22. [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,] Vbi teste Caietano officium confirmandi subditos prædicitur futurum, ob id quæ Dominus non subditos, K sed fratres vult haberi reliquos à Petro, cuius officium per consequens non dominandi, sed in bono fidei, spei, & charitatis confirmandi prænuntiatur, & mandatur, verumetiam se vniuersi populi sibi crediti peccata, ac facinora supra dorsum suum asportare. quinimmo de animabus illis Deo redditurum fore rationem, iuxta illud, Exod. 28. [Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & sanctificauerunt

Matth. 15.

filij

filij Israel in cunctis muneribus, & donarijs suis.] Quapropter pastor Ephesinus in propria persona, hic expressè, & laudatur, & increpatur, vt ille sic correctus, cęteris de grege dominico sibi credito, norma & exemplar correctionis sit.

§. 5. Status primæ visionis summatim totus in primo continetur capite.

Iam explanatio contextus nos iustè vocat. Et quia supra visus fuit filius hominis (nimirum Christus) in medio septem candelabrorum aureorum, habens stellas septem in dextera sua, primus, & nouissimus, mortuus, & viuus appellatus, habens rompheam in ore suo vtrimque acutam, oculos insuper præfegerens tamquam flammam ignis, pedesque similes aurichalco, obtinens septem spiritus Dei, & clauem Dauid, quæ omnia proculdubio (vt prælibatum est) ad septem Ecclesiarum Asiæ correctionem vtique spectabant. Ideo in his duobus mox subsequentibus capitibus singula visa & ostensa diuina mysteria in hac prima visione cælesti, in vnaquaque Ecclesia seorsum reiterantur, vt sic visa enucleatius ab vnoquoque ex his Episcopis particulatim percipiantur. Quapropter vnicuique istorum peculiaris particula visionis seorsum repetitur, vt ipse ex tali particula visionis ipsi seorsum applicata, iuxta merita, & demerita sua seorsum corrigatur. Verum quia Episcopus iste Ephesinus magno ruerat lapsu, charitatem primam relinquendo: ideo illi in primis atributum de stellis adaptatur, quæ quando ruunt, ex excelso vtique labuntur culmine, vnde in textu sequitur ei. *Hæc dicit* (adde filius hominis nempe Iesus Christus) *qui tenet septem stellas in dextera sua*, hoc est, qui sua magnificentia, sua peculiari potestate, ac protectione, sua item gratia, septem Episcopos harum septem Ecclesiarum Asiæ, tamquam septem stellas conseruat, fouet, & protegit. Nisi enim Deus teneret stellas, sua diuina virtute, fixas in firmamento cæli, omnes iam prorsus cecidissent. Et idem sane esset de septem his Episcopis Asiæ, quos nisi Iesus Christus sua diuina gratia teneret, & corroboraret, iam essent omnes in inferno prolapsi. Episcopi namque stellæ appellantur, stellæ vero in cælo sunt, & illic fixæ tenentur à Deo: Quare dicendum proculdubio venit, quod Episcopi ab eodem Deo nostro, tenentur firmitèr ne cadant. Quoniam de cælo stellę plurimæ, vt dicitur Apoc. 6. Isa. 14. ad Rom. 11. & Psalm. 35. ceciderunt, & de stellis facti sunt Principes tenebrarum. Et vt seorsum intelligeret Pastor iste diuini esse fauoris post amissam primam charitatem vocari ad pœnitentiam per Christum, qui lapsum & facinus nostri apprime scit, mox additur in textu: *Qui ambulat in medio septē candelabrorum aureorum*, id est, ipsemet Christus, qui in medio vestri tamquam inter candelabra aurea digrediens: corda singulorum vestrorum, & renes affatim inuestigat: quasi bonus paterfamilias gregem, & pastores visitans, vniuscuiusque opus considerans, ad vitam, & dona, quæ tenet in dextera sua singulis (prout opus est) diuidens.

Epitheta superioris capitis cur vnicuique Ecclesiæ ex his septem adaptètur.

Episcopo Ephesino atributum de stellis cur applicetur.

Totius contextus enodatio, & connexio.

Nota bene.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1. §. 1. Enodatio textus. D.Greg. hom. 2. sup. Ezech.

Et Angelo Ephesi Ecclesiæ (ait) scribe.

ly, [&] coniunctio est, qua ea quæ hic habentur ad præcedentia continuata, & coniuncta apparent, [Et] namque sermo coniunctionis est, quo sermo subsequens sermoni præcedenti coniungitur. Hinc sub orta fuit illa quæstio D. Gregorij super Ezechielem qua inquirit sanctus Doctor, quare Ezechiel, qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus sit dicendo: [& factum est in trigesimo anno.] Verba autem D. Gregorij huiusmodi sunt: [Sed prima quæstio nobis oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est dicens; Et factum est in trigesimo anno, &, namque sermo coniunctionis est, & scimus quia non coniungitur A sermo subsequens, nisi sermoni præcedenti, qui igitur nihil dixerat cur dicit, & factum est, cum non sit sermo cui hoc quod incipit subiungatur:] Sic ille. Et protinus ipsemet, sibi ipsi satisfaciens ait: [Qua in re intuendum est, quia sicut nos corporalia, sic prophetæ sensu spirituali aspiciunt, eisque, & illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia videntur; vnde fit vt in mente Prophetarum ita coniuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul vtraque videant, simulque in eis fiat, & intus verbum, quod audiunt, & foris quod dicunt. Patet igitur causa, cur qui nihil dixerat inchoauit dicens: Et factum est in trigesimo anno. Quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat coniunxit. Continuauit ergo verba, quæ protulit visioni intimæ.] Hucusque D. Gregorius. Ex quibus verbis perspicuum fit, ly [&] ordinem continuitatis, & coniunctionis importare, Et quia ista, B quæ hoc in 2. cap. sequuntur, immediatè, & nullo aliquo alio intercedente, post illa, quæ in primo capite dicta sunt, reuelata fuere, ideo continuando textum, & sequentia præcedentibus coniungendo, mox ait Archipropheta Euangelicus: [Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe:] Continuatio autem textus, stat in hoc, nimirum, quia supra, visis iam septem stellis in dextera filij hominis, & septem candelabris aureis, statim visio exposita sic fuit ab Angelo: [Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.] In qua Angelica expositione per septem stellas, septem Angeli, id est, septem prælati, septem Ecclesiarum indicantur. Idcirco incipiens loqui particulariter de his, à cæteris digniore exordiens, mox ait diuinus Vates: [Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.] Et sic est ordo totaliter cōtinuitatis, & coniunctionis in littera. C

Littera textus continuatur.

Ioannes secūdum cum primo continuat caput.

§. 2. Difficultas circa textum.

Cæterum stylus, & procedendi modus haudquaquam optimus apparet, cum sequentia, præmissis minimè correspondeant. Supra namque dictum fuit: Ioannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia gratia, & pax, &c.] & paulo post: [Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia,] ex quibus verbis liquidè apparet, ad Ecclesias esse scribendum, & non ad Episcopos; cur igitur modo dum visa & reuelata litterarum monumentis actu consecrantur, non ad Ecclesias sed ad Episcopos earumdem Ecclesiarum scribitur, veluti hic ad Angelum Ecclesiæ Ephesi? Hæc mutatio dexteræ excelsi proculdubio est, nimirum, vt intelligamus Episcopum cum D sua sponsa (Ecclesia nimirum sibi credita) vnum corpus facere: & quemadmodum vir caput est mulieris, ita Episcopus suæ Ecclesiæ absq; aliquo dubio caput putatur. Hinc Primasius in hunc locum sic scribit [Datiuo hic casu Angelo posuit, non genetiuo, ac si diceret, scribe Angelo huic Ecclesiæ, vt non tam Angelum, & Ecclesiam separatim videatur dixisse, quam qui Angelus exponere voluisset, vnam, videlicet, faciens Angeli, Ecclesiæque personam, quamuis enim sacramenti dispensatione præponatur compaginis tamen vnitate connectitur: Nam hanc regulam à principio seruans non septem Angelis, sed septem Ecclesijs scripsisse, & Ioannes, inquiens, septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, & Dominus quem vidit, scribe, inquit, in libro, quæ vidisti, & mitte semptem Ecclesijs: postea tamen Angelis iubet scribi, vt ostenderet vnum esse.] Hucusque Primasius. Pertinere plane possunt E hæc ad primam Tyconij regulam; quoniam vt ait Antonius Beuter in suis annotationibus ad sacram Scripturam, annotat. 8. Tyconius septem annotauit regulas, quibus quasi clauibus septem, occulta diuinarum scripturarum aperirentur: quarum prima est de Christo Domino, & eius corpore mystico. Quoniam per vnionem illam felicissimam, qua Dominus suæ vnitur per charitatem Ecclesiæ, efficitur vt quasi propria assumpta sint a Christo Ecclesiæ negotia: Et ea, quæ

Ad Ecclesias ipsas erat scribendum, & nō ad earum Antistites.

Episcopus cū sua Ecclesia vnum corpus.

Primasius in Comment.

Ex Antistite & ex Ecclesia sua fit vna persona.

Anton. Beuter

Tyconij septem regulæ ad sacra intelligen. am scripturam.

quæ peculiaria sunt Domini communia sint cum Ecclesia, & sic ad eam adaptantur, & è contra: Quemadmodum Princeps ea quæ intersunt principatui suo propria sua dicit, suaque interesse; quamobrem communiter à loquentibus quædam referuntur de principe, quæ de principatu oportet intelligi, & è contra, Propter hoc Paulus ad Galatas. 3. concludit. [ergo Abrahæ semen estis.] Quia cum vnicum sit vere significatum semen Abrahæ Christus, non dubitauit pro Christo computare omnes ei additos, ac per sacramenta iam initiatos, & sic eis tribuere, quod Christo proprium est. Ita in sacra Scriptura sæpissime cum de vna persona fit locutio, coagulantur, ac quodammodo coniunguntur simul quæ propria sunt Ecclesię, & ea quæ propria sunt Christi, vt Isa. 61. [sicut sponso imposuit mihi myrrham, & sicut sponsam ornauit me ornamento.] quorum primum ad Christum, secundum vero ad Ecclesiam vtique pertinet. Vnde ipse Antonius Reuter sic inquit loco citato de clauibus, [Prudens igitur lector per hanc primam regulam distinguet, quid capiti, quid corpori conueniat, sic Cant. 1. osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. Sic etiam similes auctoritates sunt intelligendæ, in quibus verba misceri videntur.] Ita ille. Et sic est in præsenti dum ad Episcopos, loco Ecclesiarum scribitur, eo quod negotia Ecclesiæ propria oportet sint Episcopi, & res Episcoporum communes esse debent Ecclesijs. Quamobrem scribere ad Antistitem Ephesinum, idem est ac si ad Ecclesiam scripsisset Ephesinam. Et idem omnino est dicendum de reliquis sex Ecclesijs Asiæ; Quoniam in illis res Ecclesiæ, & Episcopi misceri videntur ad inuicem.

(margin: Reuter.)

§. 3. Ex hucusque dictis intelliges causam ob quam Christus dixit Pharisæis: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] videbatur enim quod Christus habuerit peccatum, quoniam ex persona eius dicitur Psalm. 21. [Verba delictorum meorum.] Quod plane Damascenus in 3. & Ioannes de Turrecremata soluunt dicentes, (& recte quidem) quod aliqua dicuntur de Christo dupliciter; vno modo secundum proprietatem naturæ, vnionemq; hypostaticam, vt cũ dicitur factus homo, & pro nobis passus. Alio modo secundum proprietatem personalem, & habitudinalem, prout scilicet aliqua dicuntur de Christo in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt, sicut in corpus Christi, qui est caput, & Ecclesia, quæ sunt eius membra, vna persona æstimatur, & secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum dicit: [verba delictorum meorum,] non quod in ipso capite fuerint delicta, sed in membris, & hoc eodem modo Apostolus 2. Corinth. 5. ait: [Deus enim qui non nouerat peccatum, pro nobis fecerat peccatum.] hoc est, hostiam pro peccato. Sacerdotes enim secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas, iuxta illud Oseæ 4. [Peccatum populi mei comedebant.] Et secundum hunc modum dicitur Isa. 53. quod Deus posuit in eum iniquitates omnium nostrum quia scilicet, eum tradidit, vt esset hostia pro peccatis omnium hominum.

(margin: Ioan. 8. — Damasc. Turrecrem. — Bifariam aliqua dicuntur de Christo. — Sacerdotes comedebant hostias pro peccatis oblatas.)

F

DISPVT. I.

In Cap. II. Apocalypseos, de Episcopatu Ephesino.

In septem Quæstiones partita super illa verba: *Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.*

G

Prologus disputationis.



QVANTVS honor, & reuerentia primis Ecclesiarum fundatoribus debeatur Psalmographus per illa verba: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes, &c.] clarè patefacit. Hinc & primum Ecclesiæ Ephesinæ fundatorem, & pleraque alia ad eandem Ecclesiam spectantia hic indagare merito duximus: Psal. 44.

H

Quæstio. I.

An Archipropheta Ioannes Ecclesiam Ephesi fundauerit?



HÆC difficultas, de primo fundatore Ecclesiæ Ephesinę, de D. Apostolo Ioanne, & de D. Apostolo Paulo tantummodo disceptari potest; quoniam hi duo inter Apostolos in minori Asia (cuius metropolis Ephesus est.) sacrũ Euangelium, & sanctum nomen Iesu Christi crucifixi primo aspor-
I
tarunt. Cæterum examinare quis horum duorum Apostolorum Ecclesiam Ephesinam primo fundauerit, Paulus ne, an Ioannes, explicatu difficile est. Apparet quippe D. Apostolum Paulum Ecclesiæ Ephesinæ fundatorem fuisse. Tum quia ipse luculentissimam ad Ephesios (sex capitula continentem) scripsit epistolam. Tum quia in 1. cap. ad Timotheum sic dicitur: [Paulus Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ; Timotheo dilecto filio in fide, gratia, misericordia, & pax à Deo patre, & Christo Iesu Domino nostro, sicut rogaui te vt remaneres Ephesi cum irē in Macedonia:] Quod si Paulus constituit Timotheum Episcopum Ephesi, videtur non negandum Paulum primum fuisse fundatorem illius Ecclesiæ. Item quia ex Apostolorum actis Paulum Apostolum multum apud Ephesios fructum in
K
fide, & negotio Christi fecisse discimus: Mansit namque apud eos biennium totum, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam ibique virtutes non modicas operabatur Deus per manus Pauli, ita, vt etiam super languidos delatis à corpore eius sudarijs, sanitas mox diuinitus appareret, combussitque libros eorum, qui curiosa fuerant sectati, quorum pretium erat denariorum quinquaginta millium: Ex quibus omnibus fortitèr apud hos Ephesinos crescebat verbum Dei, & con-

(margin: Dubium de D. Ioann. & de D. Paulo dumtaxat pertractandum. — Euangelium Christi quis primo in Asia prædicauit. — Paulum Apostolum fundasse Ephesinam Ecclesiã persuadetur. — 1. argum. — 2. argum.)

4. argum. confirmabatur. Tandem D. Paulum Apostolum, primum fundatorem Ecclesiæ Ephesinæ extitisse, confirmari potest ex glossa ordinaria, quæ super illa verba 1. cap. Apoc. nempe: [Ioannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.] sic habet. [Asia est ista, non magna illa, scilicet quæ dicitur tertia pars mundi, sed quædam prouincia vbi erant septem ciuitates, & septem Ecclesiæ, cum septem Episcopis, Asia minor est pars maioris Asiæ, continens septem ciuitates quarum Ephesus est Metropolis, in hac minori euangelizauit Paulus, sed postea in diuisione Apostolorum, Ioannes eam obtinuit.] Hucusque gloss. ordin. Quod si Paulus primo in minori Asia stetit, & postea Ioannes eam in sortem obtinuit, videtur Paulum primum Ecclesiarum Asiæ & per consequens Ephesi, quæ est Metropolis, fundatorem extitisse.

Strab in sua Gloss. ordin.

Ioan. Euangelista fuit primus fundator Ecclesiæ Ephesinę.

Nihilominus tamen sit verissima conclusio. Ioannes Archipropheta, Apostolus & Euangelista Christi, primus fundator fuit Ecclesiæ Ephesinæ. Probatur. 1. Ratio. Apostolorum diuisio ad seminandū verbum Dei. Primo, quia diuisio Apostolorum ad prędicandum Euangelium, & ad fundandas Ecclesias per vniuersum mundum, fuit ante conuersionem, D. Pauli. Nam hæc diuisio fuit mox post visibilem missionem Spiritus sancti in die Pentecostes, prout habetur in primo, & secundo capite Actorum. Conuersio vero S. Pauli fuit (vt habetur in Martyrologio Gregoriano) secundo anno ab Ascensione Domini, & sic in Actis post aduentum S.S. recitatur conuersio D. Pauli in cap. 9. dum dicitur: [Paulus autem, &c.] Quod plane signum est, conuersionem Pauli, post Apostolorum diuisionem fuisse. Et id etiam apertè habetur in cap. 8. Actorum, vbi post acceptum Spiritum sanctum ab Apostolis dicitur, Saulum Ecclesiam deuastasse. Ita enim ibi scribitur à D. Luca: [Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ, & Samariæ, præter Apostolos.] & paulo post: [Saulus autem deuastabat Ecclesiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres tradebat in custodiam.] Hæc ibi: At in diuisione Apostolorum, vnusquisque Apostolus suam mundi obtinuit satrapiam, seu prouinciam: Petrus namque Cappadociam accepit, Andreas Thrasiam, duo Iacobi Iudæam, Philippus Samariam, Iudas Persiam, Thomas Indiam maiorem, Matthæus Alexandriam, & Ioannes Asiam: Igitur Ioannes fuit, qui primus Ecclesias Dei in Asia fundauit, & ex consequenti Ecclesia Ephesina, quæ est Metropolis totius Asiæ minoris, ab ipso primo fundata fuit.

Martyrologiū Gregorianū.

2. Ratio. D. Hier. Præterea istud patet, testimonio sanctorum Patrum: Nam Diuus Hieronymus in libro de Ecclesiast. Scriptoribus, de Diuo Ioāne sic scribit: [Ioannes Apostolus quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium rogatus ab Asiæ Episcopis aduersus Cherintum, aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse; vnde & conpulsus est diuinam eius natiuitatem ediscere, &c.] & paulo post: [Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmos insulam relegatus scripsit Apocalypsin, quam interpetrantur. Iustinus Martyr, & Irenæus: interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu recisis, sub Pertinace principe, redijt Ephesum, ibique vsque ad Traianum principem perseuerans totas Asiæ fundauit, erexitque Ecclesias,] Et Diuus Augustinus in præfatione in Euangelium Ioannis sic scribit: [Omnibus diuinæ scripturis paginis Euangelium excellit, quia quod lex, & Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Euangelium. Inter ipsos autem Euangeliorum, scriptores Ioannes eminet in diuinorum mysteriorum profunditate, qui in tempore Dominicę Ascensionis per annos sexagintaquinque verbum Dei absque adminiculo scribendi vsque ad

Ioan. Euang. omnes Ecclesias Asiæ fundauit. D. Aug.

A vltima Domitiani prædicauit tempora: Sed occiso Domitiano, cum permittente Neruа, de exilio rediisset Ephesum, compulsus ab Episcopis Asiæ, de quo æterna Patri diuinitate Christi scripsit aduersus hæreticos, qui eo absente irruperant in eius Ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant,] vbi ly [eo absente irruperant in Ecclesias, satis aperte demonstrat Ioannem ante præfata, in Asia stetisse, eiusque Ecclesias fundasse, & etiam Ephesinam Ecclesiam.

Porro idem D. Hieronymus in prologo in epistolam Pauli ad Ephesios ita habet: [Ephesi sunt Asiani: hi accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, hos collaudat Apostolus scribens eis ab vrbe Roma de carcere per Tychicum diaconem. Qui plane prologus ab ali- B quibus sic vertitur: Ephesij sunt, Asiani, hi accepto verbo veritatis à Ioanne perstiterunt; id est, confirmati fuerunt à Paulo in fide, & in ea firmiter steterunt,] Et vt ex multis vnum referam. Strabus in præfatum prologum D. Hieron. sic habet. [Ephesi sunt, &c. Hi per Paulum non fundati, sed confirmati in fide firmiter in ea steterant, & bonis operibus, is scribit à Roma de carcere per Tychicum confortatoriam epistolam, &c.] Et Lyranus super hæc verba 2 cap. Apoc. [Et Angelo Ephesi,] sic scribit: [Beatus Ioannes Apostolus erat super omnes Episcopos Asiæ, cuius Ecclesias fundauit, & rexit, vt habetur in libro Illustrium virorum, tamen communiter manebat Ephesi.] sic ille.

3. Ratio. D. Hier. in prolog. in epist. ad Ephesios.

Strab. in sua Glos. ordin.

Lyran. in comment.

4. Ratio. Præterea non apparet sane quomodo D. Paulus ante Ioannem Apostolum Ecclesiam Ephesinam primo fundare potuerit. Nam licet quidam dicant, conuer- C sioné D. Pauli fuisse decimo mēse à passione Dñi, innixi Gestis eius, in quibus sic habetur.] Sequēti igitur anno à passione Dñi, anno dico emergēti nō naturali scilicet mense decimo à passione Dñi, impetrauit litteras à Pontificibus legis, vt omnes Christianos, quos inueniret, vinctos perduceret in Ierusalem. Et cum iter faceret à Ierusalē, appropinquauit Damasco, & subito cecidit super eum lux de cælo, [Quod alias repugnat Martyrologio Gregoriano affirmanti conuersionem D. Pauli fuisse anno secundo ab Ascensione Domini, tamen ipsimet dicunt, Paulum Apostolum tribus annis à conuersione sua in Damasco remansisse: quibus elapsis in Ierusalem iuisse, vt se Apostolis sociaret qui adhuc non se credebant illi; sic enim, dicitur in eisdem gestis D. Pauli: [Cum ergo tertio anno à conuersione sua in Damasco prædicaret, concilium fece- D runt Iudæi, vt eum occiderent, quod cum cognouisset Paulus, Christiani accipientes eum, nocte per murum dimiserunt eum in sporta. Tunc voluit Paulus ire in Ierusalem, & sociare se Apostolis, sed omnes timebant eum non credentes quod vere esset conuersus tunc S. Barnabas duxit eum ad Apostolos Petrū, & Iacobum minorem, Episcopum in Ierusalem, qui soli Apostoli, tunc ibi erant, alij per Iudæam dispersi erant ad prædicandum, & narrauit eis Paulus, quomodo conuersus esset.] Ita in gestis Diui Pauli ex quibus sic arguitur. Tribus annis mansit D. Paulus in Damasco post conuersionem suam, & postea iuit in Ierusalem ad se sociandum cum Apostolis, & non inuenit nisi Petrum, & Iacobum minorem; nam alij Apostoli erant iam dispersi ad prædicandum: At Ioannes Apostolus in diuisione Apostolorum ad prædicandum, obtinuit Asiam minorem; Igitur Ioannes Apostolus iam erat in minori Asia prædicando Euangelium, ante- E quam perueniret in eam Paulus.

Cōuersio Pauli tempus nō sincere exhibitum.

Pauli gesta.

Formatur argumentū contra aduersam partem.

sol. ad 1. Cæterum argumenta in principio posita pro parte D. Pauli, dissoluenda iam veniunt. Primum namque non tenet, quia cum Paulus scripsit ad Ephesios, iam erat per longum tempus fundata à D. Ioanne Ecclesia Ephesina. Quod ipsemet indicat Diuus Paulus in primis verbis prælibatæ epistolæ, ad Ephesios in cuius primo capite sic habetur [Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu gratia vobis,]

vbi

vbi ly. [omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu,] satis apertè supponit, Ecclesiam, baptizatos, & fideles iam fuisse Ephesi, dum hæc scribebantur à Paulo, & sane ita est. Nam ad eos ex vrbe Roma de carcere scribebat, vt tenent omnes expositores in suis præfatiunculis, & argumentis in primam epistolam ad Ephesios, quamobrem nihil concludit contra nos argumentum.

Sol. ad 2. Ad secundum respondetur verum esse Paulum constituisse Timothæum Episcopum ecclesiæ ephesinæ, vt tenent expositores in cap. 1. ad Timothæum, cæterum non inde infertur Paulum primum fundatorem fuisse ecclesiæ ephesinæ, cum supra fideles, & iam baptizatos, à D. Ioanne (per quos iam fundata erat ecclesia ephesi) ipsum tantum constitueret caput, ad confirmanda membra. Nam dum constituitur Episcopus alicuius ecclesiæ, iam supponimus planè, & ecclesiam & membra existere, & sic est in præmisso casu, quando Paulus, Timothæum rogauit, vt remaneret Episcopus ephesi.

Episcopus dũ cõstituitur iã supponitur ecclesia.

Sol. ad 3. Ad tertium dico, vera esse, & de fide, quæ recitantur in antecedente, verum non inde infertur Paulum primum fundatorem fuisse ecclesiæ ephesinæ, sed tantum hæc facta fuisse, ad fideles iam fundatos in fide per Ioannem, & confirmandos in eadem per ipsum Paulum.

Sol. ad 4. Ad quartum respondeo dicens; Auctorem Glossæ ordinariæ, & sibi ipsi repugnare, & veritati obuiare. Repugnat namque sibi ipsi: Quia licet in cap. 1. Apocalypseos sic dicat: [In hac minori euangelizauit Paulus, sed postea in diuisione Apostolorum Ioannes eam obtinuit.] tamen super prologum D. Hieronymi in epistolam ad Ephesios, quæ sic incipit: [Ephesi sunt Asiani, hi accepto verbo veritatis præstiterunt in fide, &c.] sic scribit dicendo; [Hi per Paulum non fundati, sed confirmati in fide firmiter in ea steterant, & bonis operibus.] sic ille. Videsnè repugnantiam? Aperta quippe est. Tum veritati obuiat, ex eo quod diuisio Apostolorum fuit longe ante conuersionem D. Pauli, propterea quod diuisio Apostolorum, mox accepto Spiritu sancto, & dono linguarum facta fuit, at vero conuersio D. Pauli, proculdubio fuit (vt habetur in Martyrologio Gregoriano) secundo anno ab ascensione Domini: ita, enim legitur in prælibato Martyrologio die 25. Ianuarij: [Conuersio sancti Pauli Apostoli, quæ fuit secundo ab ascensione Domini anno.] Super quæ verba sic scribit Cæsar Baronius: [Eadem verba non tantum in veteri Romano Martyrologio scripta reperiuntur, sed etiam apud Vsuardum, atque antiquiora manu scripta exemplaria leguntur. De tempore conuersionis Apostoli diuersæ admodum inter se sententiæ reperiuntur. Fuit enim quorumdam opinio, sanctum Paulum post septennium ab Ascensione Domini, Christo nomen dedisse: idque ex Hippolyto Thebano, Michael Glicas in tertia Annalium parte. & Niceph. lib. 2. cap. 3. Enocij auctoritate confirmare nituntur. Censentque omnes ij post septem annos ab Ascensione Domini sanctum Stephanum lapidatum esse. Euseb. contra, eam factam recenset anno a natiuitate Christi XXXIV. & XIX. Imperij Tiberij Cæsaris. Id enim profitetur in Chronico; sed sicut illa opinio falsa arguitur, ita & hæc etiam non subsistit. Prior confutatur cum tempus martyrij sancti Stephani eodem anno ascensionis Domini contigisse certum sit, vt suo loco dicemus inferius. Posterior autem certissimis rationibus refellitur. Cum enim à lapidatione Stephani (quam, vt celebrat ecclesia, 26. die Decembris contigisse suo loco infra monstrabimus) vsque ad Pauli conuersionem non amplius, quam triginta dierum spatium intercedat: quomodo, tot tantaque à nece Stephani vsque ad conuersionem Pauli tam breui tempore accidere poterunt? Post enim eius Martyrium (vt habent Acta cap. 8.) Saulus

Lapsus Auctoris gloss. ord.

Cæsar Baron. in annotationibus in Martyrologiũ Romanum.

F vastabat ecclesiam intrans per domos, & trahens viros & mulieres, ducebat in custodiam, eo etiam tempore facta est dispersio discipulorum per regiones, quando, & Ananias Damascum profectus ibi Euangelium prædicauit, conuertensque ad fidem nonnullos, collegit ecclesia deque ea re perlatus est nuntius Ierosolymam, quem cum accepisset Saulus (vt habetur Act. 9.) accessit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epist. in Damascum ad Synagogas; acceptas defferens, & appropinquans Damasco, admirabili modo ad Christum conuertitur. Hæc quidem omnia si accuratè considerentur, non mensis vnus, sed vix integri anni spatio impleri potuisse perspicuum est. Verior itaque est, de anno secundo opinio prædicta, cui etiam scribit Oecumenius in Act. Apostolorum cap. vlt.] Ita ille. Si igitur primo fuit diuisio Apostolorum duobus annis, quam conuersio D. Pauli, qui stare possunt hæc verba Auctoris Glossæ ordinariæ] G [In minori Asia euangelizauit Paulus, sed postea in diuisione Apostolorum Ioannes eam obtinuit]Profectò non apparent veritati consentanea, quod tanti Auctoris pace dixerim. Est igitur Archipropheta Ioannes primus fundator ecclesiæ ephesinæ, vt tenet nostra conclusio.

Nota bene.

Quæstio. II.

Vtrum in Ecclesia Ephesina olim in primitiua Ecclesia esset aliquis Præpositus qui omnibus fidelibus præesset?

H



E Præpositis ecclesiæ Dei agit Apost. dum ad Heb. 13. ita scribit: [Mementote Præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.] & paulo post hæc: [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.] Quo sane in loco, per Præpositos intelligit Apostolus, Episcopos & Doctores, quibus obediendum vtique est, nisi fortè à veritate fidei aberrauerint. Omnes siquidem Episcopi, Prælati, & Doctores in quantum bona prædicant, & bona operantur, audiendi sunt, & I imitandi; in quantum vero, aut non rectè prędicãt, aut male viuunt neque audiendi sunt neque imitandi, nisi forte rectè prædicent, quamuis male viuant, iuxta illud: [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruatè, & facite; secundũ vero opera eorũ, nolite facere; dicũt enim, & non faciunt.] Præpositi itaque de quibus hic loquitur Paulus sunt Apostoli, & eorum successores, vtpotè Episcopi, & Doctores. de quibus Act. 20. est sermo per hæc verba: [Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos S.S. posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Quo loco præpositorum ecclesiæ. tum officium, tum acceptam a Deo potestatem luculentèr demonstrat Apostolus affirmando ad eorum officium attinere, vt sibi ac vitæ suæ adsit puritas, ne vituperetur ministeriũ ipsorũ: & insuper gregi sibi cõmisso, nõ ex parte, sed vniuerso attendat, curã & operã diligentèr impendendo. Ad eorũ vero acceptã à Deo potestatẽ attinere vt in memoriã crebrò reuocẽt, se ab ipso S.S. positos esse vt regant ecclesiã Dei quam acquisiuit sanguine suo, vbi ex tribus circũstantijs potestatis magnitudinẽ demonstrat, nimirũ, ab auctore, ab onere iniuncto, & ab oneris ipsius dignitate, & excellẽtia. Auctor SS. est: quia non humana sed diuina institutio est, vt aliqui in ecclesia, alijs præficiantur. Nec huma-

Fundamentũ maximum ad dubium hoc diluendum.

Præpositorum cura ac nobis.

Matth. 23.

1. Cor. 6.

humanam, sed diuinam potestatem exercent, quæ ad hoc opus assumuntur; nec minus humanis, sed diuinis præsidijs nituntur. Quia spirituali gratia imbuuntur, certoq. sacramento initiantur, qui ad hanc prælaturā vocantur. Onus iniunctum est regere ecclesiā Dei, illamq. pascere, quod nullatenus fieri potest viliter, nisi adsit auctoritas in Pastoribus. Eam autē, tantam esse, Christus voluit, vt futuris pastoribus dicat: [Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.] Oneris deniq; dignitas in eo efficaciter exprimitur, eo ꝙ pascendi, & regendi cōmittuntur, non quilibet homines, sed Deo cari, & dilecti; atq; ita dilecti, vt pro eis acquirendis sanguinē suū, Dei filius homo factus sparserit. Perinde ac si diceret. Nō serui, ac mancipia Domini, sed ipsi filij familias; & quidem quos sibi paterfamilias maximo sudore comparauit, vestręq. curę, & gubernationi cōmittuntur. Cum igitur ex diuina ordinatione in vnaquaq; ecclesia Dei à tēporibus Apostolorū adsint Præpositi, Episcopi, Prælati, Pastores, & Doctores, quibus reliqui fideles obedire tenentur, sequitur apertè in ecclesia etiā Ephesina Præpositum olim in primitiua ecclesia aliquē fuisse, qui omnibus fidelibus Ephesinis præesset, & cui ipsi obtemperare, & obedire tenerentur. Et sic est responsio affirmatiua ad quæsitum.

Quæsitum affirmatiuè cōfirmatur.

Quæstio III.

Vtrum Præpositus Ecclesiæ Ephesinæ, appellandus veniat Presbyter, vel Episcopus?

ASSEVERAT Caluinus, omnes presbyteros Ephesinos, à D. Paulo vocari ēpos. Hinc ipse maledictus hæreticus super illa verba Apostoli: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit ēpos &c.] Pestiferum venenum, ac toxicum suum per hæc verba aspersit. [De episcopi voce breuiter hoc notandum est oēs Ephesinos presbyteros, indifferenter à Paulo sic vocari, vnde colligimus secundum scripturæ vsum nihil à presbyteris differre ēpos, sed vitio, & corruptela factum esse, vt qui primas tenebant in singulis ciuitatibus, episcopi vocari cœperint.] Hæc maledictus Caluinus.

Lapsus Caluini.

Verumenimuerò aperiendo hìc eporum, & presbyterorum originē, & ad titulum quæstionis, & ad Caluini errorē solutio, ac responsio citò apparebit. Epos itaq; successores esse Apostolorum supra abundè retulimus cap. 1. tex. 15. disp. 23. q. 7. Idq. Concil. Trid. sess. 23. q. 4. & Abulen. in cap. 12. Exod. q. 28. ac etiam Driedo lib. 4. de dogmatibus varijs, & lib. Apocry. per hæc verba: [Sunt hæretici, qui libenter audiunt ecclesiam Christi ibi esse vbi est fides, & verbū Christi ibi esse, vbi est fides & verbum Christi, sed de legitima eporum successione, & ecclesiastica potestate retinendi, & remittendi, quæ à Christo in Apostolos, & ab Apostolis in solos epos & sacerdotes secundum seriem successionis descendit audire contemnunt: nescientes secundum scripturas, veram ecclesiā Christi non posse esse in societate eorum, apud quos non est vera Christi cathedra, quæ & Petri, & Apostolica cathedra appellatur. Hoc autem non esse apud eos, quorum cathedræ & episcopatus ab Apostolica cathedra non trahunt originē.] Hæc Driedo. Presbyteros verò seniores appellabant Græci, vt liquet, c. cleros. §. presbyter. 21. dist. & apud S. Th. in 4 sent. dist. 25 q. 2. art. 1. At verò apud Latinos, presbyter idem est quod sacerdos; quamobrem Conc. Trid. sess. 15. c. 4. & etiam can. 7. docet ēpos presbyteris superiores esse. Cæterū in primitiua ecclesia ēpi, presbyteri appellabantur, vt dicit Abulens. sup. Gen. in explanatione epist. D. Hier. ad Paulinū cap. 3. in illa verba: [Hortatur ad studiū lectionis, ne negligat gratiā, quæ data sit ei per impositionē manus presbyteri.] Quod sanè cū grano salis intelligendū venit. Non enim oēs sacerdotes simplices, quos nos modo presbyteros nuncupamus, tunc ēpi erant; sed hi qui ēpi erant, duntaxat presbyteri dicebantur, hoc est, seniores, nimirū honorandi præ cæteris sacerdotibus. Quaniā cum ly [presbyter] idē sit quod [senior] sequitur considerata nominis ethymologia, quod ēpi, presbyteri tunc dicebantur ob maiorem reuerentiā. Postquā etenim aliqui seniores sunt, benè sequitur illud Leuit. 16. [Corā cano capite cōsurge, & honora personā senis.] Senectus namq; semper venerabilis fuit. Et si istud de senectute corporis intelligendum dicas, maiori quidē ratione, etiā in iuuene sacerdote procedit, in quo istud Sap. 4. verificatur. [Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.] Quod planè ly [presbyter] id est, senior, demōstrat. Cū enim 900. & amplius annos ab Adā vsq; ad Abrahā vixisse homines legerimus, nullus alius prius appellatus est presbyter id est, senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis conuincitur cap. fin. 84. dist. Episcopi itaq; in primitiua ecclesia, presbyteri, id est, seniores appellabantur ad maiorē reuerentiā. Quare ēpi, & presbyteri in primitiua ecclesia quantum ad nomen non distinguebantur. Et in hoc sensu intelligitur illud 1. ad Timoth. 5. [Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni ... habeantur.] & Act. 14. [Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros,] id est, episcopos, vt super scribit Laudunensis in sua interlineari, & vt etiam exoluit Strabus in sua ordinaria glossa. Hinc D. Hier. super epist. ad Titum, sic ait: [olim idē presbyter, qui & ēps.] Quod planè intelligendū venit quantū ad nomen dumtaxat. Quoniā quantum ad rem, inter ēpos, & presbyteros, in primitiua ecclesia semper fuit maxima distinctio. Quoniam ēpatus in primitiua ecclesia (etiā temporibus Apostolorum) dignitatem quādā importabat supra ordinem presbyteratus. Quamobrem in Decretis 21 dist. cap. Decretis, ostenditur ex veteris legis figuratione (vt prodit August. de Ancona) & ex Christi institutione, & ex Apostolorum ordinatione Presbyteros, & Diaconos ab Ēpis semper fuisse distinctos. Ex veteris quidē legis figuratione, manifestum, ac planū quidē est, quod sacerdotium Leuiticū figurabat sacerdotium Christi, vt Apostolus ostendit ad Hebr. 7. At ibi dicitur, quod Summi Pontifices, & minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Moysem, qui ex præcepto Dñi Aaron in summū Pontificē, filios verò eius vnxit in minores sacerdotes: Igitur &c. Ex Christi verò institutione maiorum, & minorum sacerdotum, discretio facta est qñ Apostolos tanquā maiores sacerdotes, & septuaginta duos discipulos, quasi minores sacerdotes instituit, vt patet Luc. 10. vbi dicit glossa, quod sicuti Apostoli forma ēporum, sic septuaginta duo, forma presbyterorū, quasi secundi ordinis est præscripta. Igitur &c. Ex Apostolorum tandē ordinatione. Quonia hanc formā Apostoli sequuti in singulis ciuitatibus presbyteros, & ēpos ordinauerunt; Diaconos verò ordinatos legimè, quorum maximus fuit Stephanus; Subdiaconos verò, & alios minores ordines, præcedēte tempore, ecclesia sibi cōstituit. Quāuis aliqui dicant, ꝙ subdiaconatus ordo ab Apostolis institutus sit, sed inter sacros non cōputatus, sicut postea numeratus est. Igitur &c. Accedit ad hæc, Apostolorum traditio. Quia Dionysius, qui fuit discipulus Pauli lib. 5. eccles. Hierar. tres ordines describit, Ēporum, Presbyterorū, & Diaconorum: & Ēporum ordinem dicit esse perfectiuū; Presbyterorum verò illuminatiuum, & Diaconorū purgatiuū. Iccirco S. Tho. 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1. his verbis respondit: [Dicendū, quod de presbytero, & ēpo dupliciter loqui possumus, vno modo quantū ad nomē, & sic olim nō distinguebātur ēpi, & presbyteri: Nam ēpi dicuntur ex eo quod superintendunt, sicut dicit Aug. de Ciuit. Dei. Presbyteri autem in Græco dicuntur quasi seniores, vnde & Apostolus communiter

Bpiscoporū, & presbyterorum prima origo.

Episcopi Apostolorū successores.

Ecclesiā Christi vbi reperiatur.

CathedraXp̄i ... quæ sit.

Presbyter quid sit.

Maiores natu & seniores, presbyteri dicebantur in primitiua ecclesia.

Episcopi cur in primitiua ecclesia seniores appellabantur.

Distinctio maxima inter Episcopos olim & presbyteros.

Aug. de Ancona de potestate ecclesiasti ca. q. 57. ar. 2.

Subdiaconatum ordinem instituerunt Apostoli.

vtitur nomine presbyterorum quantum ad vtraque, cum dicit, 1. ad Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore habeantur. Et similiter etiam nomine Episcoporum. Vnde dicit Act. 20. Presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ loquens. Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Sed secundum rem, semper inter eos fuit distinctio, à tempore Apostolorum, vt patet per Dionysium 5. cap. Eccles. Hier. & Lucæ 10. super illud: Post hæc autem designauit Dominus &c. Dicit glossa: sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis, forma est presbyterorum secũdi ordinis. Postmodum tamen ad schisma vitandum, necessarium fuit, vt etiam nomina distinguerentur, vt scilicet, maiores dicerentur Episcopi, minores autem presbyteri. Dicere autem presbyteros non differre ab Episcopis, inter dogmata hæretica numerat Aug. lib. de hæresibus, vbi dicit; quod Africani dicebant presbyterum ab Episcopo, nulla differentia debere discernere.] Ita S. Thomas. En igitur prima episcoporum & presbyterorum origo, & distinctio.

Hæc tamen distinctio, maioritas, & superioritas episcoporũ supra presbyteros, est tam quo ad ordinis potestatem, quã quo ad iurisdictionem, vtrumque tamen ex iure diuino. Primum quidẽ liquet ex eo quod solus Eps potest ordinare presbyteros, & eo modo generare patres ecclesiæ, vt probat Epiphanius aduersus Arium: At presbyteri, ordinare nequeunt, quum baptizare dumtaxat queant, & eo modo filios ecclesiæ generare, vt produnt Damasus in epist. 3 Epiphanius hær. 75. D. Chrysost. Theodor. Theophyl. & Oecumenius in 3. & 4. cap. 1. ad Tim. ac etiam D. Hier. in epist. 85. ad Euagrium; necnon S. Leo Papa epist. 88. Igitur &c. Secundum verò probatur, Quoniam ex iure diuino habetur, quod soli Episcopi ordinent; Iccirco irritum reputatur quid in hac re faciunt, qui veri Episcopi minimè sunt. Quamobrẽ D Gregorius III. in epist. ad Bonifacium sic habet: [Presbyteri quos reperisti, si incogniti fuerint viri illi qui ordinant, & dubium est, eos Episcopos fuisse, aut qui eos ordinauerint si bonæ actionis, vtriq. catholici sint, & ipsi presbyteri in ministerio Christi Dei sancta lege edocti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.] Sic ille. Et Damasus in epist. 3. ita scribit: [Vacuum est & inanẽ quidquid in prædicto sacerdotij summi egerunt ministerio: Sed sic est, quod irritũ nullatenus esset, quod facerent si iure diuino presbyteri ipsa sua ordinatione, id est, charactere suo sacerdotali, haberent, vt ordinare possent, tametsi prohibẽte ecclesia facerent. Igitur &c. Præterea cõstat, solos Episcopos, vt ordinarios ministros, confirmationis sacramentum posse conferre, nec non templa, & altaria consecrare, neq; id presbyteris licere, vt tenent Damasus in epist. 3. ad Chorepiscopos, D. Leo ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, & Dionys. cap. 4 & 5. ead. Hierach. Porrò liquet, quoniam in testamento veteri erat vnus summus Sacerdos Aaron & qui ei succedebant; erant insuper minores sacerdotes, omnes nimirum filij Aaron, & qui ab illis descendebant, & tandem erant Leuitæ, qui à Leui, originem ducebant, sed non per Aaronem: Constat autẽ iure diuino hos tres gradus, videlicet, Pontificum, Sacerdotum, & Leuitarum, distinctos extitisse, ita vt Pontifex maior esset Sacerdotibus, & Sacerdotes Leuitis: Quoniam eorũ consecrationes, officia, & vestes distinctæ erant, vt constat Exod 28. & 40. Leuit. 8. & Num. 3. 4. & 20. Igitur &c. Præterea patet ex distinctione Apostolorum, & septuaginta Discipulorum: Quoniam Episcopos, Apostolis succedere, Presbyteros autem septuaginta Discipulis, docent constanter Anacletus epist. 2. D. Hieron. epist. ad Marcellam de erroribus Montani, D. August. tract. 44 in Ps. D. Leo epist. 88 D. Isid lib. 2 de diuinis officijs, Beda in cap. 10. Lucæ, Damasus epist. 3. de Chorepiscopis. & Concil. Neocæsariense can. 13. Apostolos autem iure diuino maiores fuisse Discipulis septuaginta, apertè colligitur ex institutione distincta, & diuersa, quæ habetur Lucæ 6. & 10. & Act. 1.

Episcopus maior est presbytero quantum ad ordinariã potestatem, & iurisdictionem.

1. Ratio.

2. Ratio.

3 Ratio.

4. Ratio.

F Ex hucusque dictis liquet Præpositum Ecclesiæ Ephesinæ, in rigore loquendo, non presbyterum, sed Episcopum appellandum esse. Nam quamuis in primitiua ecclesia Episcoporum, & Presbyterorum vocabulum promiscuum esset, quo ad nomen dumtaxat, & nullatenus quantum ad rem; tamen ex necessaria schismatis vitandi, & pacis, & ordinis conseruandi causa, toto orbe decretum fuit, vt ait D. Hieronymus in epist. ad Euagrium, vt inter presbyteros vnus eligeretur, qui cæteris præesset, qui vel summus Sacerdos, vel ex ecclesiæ vsu, vt ait B. Augustinus epist. 19. Episcopus diceretur. Quem supra omnes principatum habere scribit Ignatius epist. 19. qualem in singulis ciuitatibus maioribus Apostoli ipsi constituerunt, vt ait Iræneus ep st. ad Trall. quem Iustinus Martyr lib 4 cap. 43 & 63. Antistitem cæteris Prælatum vocat, & Cyprianus apologia 2. Præpositum ecclesiarum appellat, & D. Aug. lib 20 de Ciuit. Dei, cap. 9. ac Dionysius Areopagita in ecclef. Hierar Pontificem nuncupat. Et inter hæc, & alia pleraq; nomina à Doctoribus, & sanctis Patribus tam Græcis, quam Latinis ex sacra scriptura decerpta, Paulus, Apostolos prælibatos, Præpositos, qui in singulis maioribus Ciuitatibus Primas inter fideles tenent Episcopos appellat, vt apparet ex illo ad Philippenf. 1. vbi salutat Apostolus omnes Episcopos, & Diaconos, qui erant Philippis, per hæc verba: [Paulus, & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconibus, gratia vobis, & pax.] & Act 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.]

Præpositus Ecclesiæ Ephesinæ in rigore loquẽdo Episcopus venit appellandus.

D. Hieron.

D. Aug.

Ignatius.

Iræneus.

Iustin. mart.

Cyprianus.

D Aug.

D Dionysius. Areopagita.

Ad Caluinum autem dicimus, quod quamuis ex illo præallegato loco Act. 20. [Attendite &c.] nullũ potestatis discrimen inter Episcopos, & Presbyteros, temporibus Pauli, & Lucæ, possit colligi, tamen erat in primitiua ecclesia, & tempore Apostolorum, distinctio maxima secundũ rem, inter episcopatum, & presbyteratum, prout nuper retulimus. Et quamuis ipse asseueret eos, qui primas in vnaquaque Ciuitate maiori tenent, vocandos esse presbyteros, ac seniores dumtaxat, fallitur, ac prorsus decipitur. Quoniam eosdem Episcopos vocat sacra Scriptura, vt apparet apud Paulum, & Lucam locis citatis. Et si istorum vocabulorum, vtpote Episcoporum, & Presbyterorũ vsus promiscuus olim erat, accipiendum tamen venit hoc, non secundum rem, sed secundum nomen, cum Episcopi tunc Presbyteri, id est, seniores dicerentur honoris causa inter cæteros sacerdotes, quemadmodum modo sancta mater Ecclesia hunc morem adhuc seruat, quia quemlibet Episcopum sacerdotem magnũ appellat, dum canit: [Ecce sacerdos magnus.] Asseuerare autem (vt ipse asseuerat) presbyteros non differre ab Episcopis, est contra omnium SS. Patrũ Concilia, & præcipuè Trid. sess. 23 cap. 4. & can. 7. & D Aug. inter dogmata hæretica hoc reputat. Legite de hac re Theodoretum in 1. epist. ad Tim. D. Ambros. in epist. 4. ad Ephesios, & D. Hieron in epist. ad Euagrium. Quare quamuis ex prælibato loco, & Pauli sermone, colligi possit episcopi, & presbyteri vocabulum, quum hæc Paulus loqueretur, adhuc promiscuè vsurpatum fuisse, tamen assertam Caluini collectionem, futilem, & crimen obiectum vanum, atque insulsum esse manifestò apparet. Quod autem clarè affirmat Apostolus illo in loco est, maiores natu, seu presbyteros, siue seniores Ephesinos, sacerdotes positos fuisse episcopos, seu Speculatores in grege Dominico, quod nos libenter fatemur.

Dissoluitur argumentum Caluini.

Episcopi quamuis non secundum nomen, tamen secundum rem in primitiua Ecclesia differebant à Presbyteris.

Caluinus in omnes Sãctos Patres miscere irruit.

Theodoret. C. Ambros. D. Hieron.

verborum Apostoli verus sensus.

Quæ-

Quæstio IV.

Vtrum Timotheus esset Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ, dum hęc describebantur ab Archipropheta Ioanne?

Aureolus, Pererius, & Lyran. in comment.

Lyrani opinio.



ETRVS Aureolus Card. Benedictus Perer. & Lyran. super hunc textum: [Et Angelo Ephesi] existimant Timotheū comitem, & discipuli B. Pauli Apost. Epm̄ fuisse Ephesi dum hæc scribebantur à D. Ioanne in Insula Pathmos. Sic enim ait Lyran. [Dicunt autē expositores cōmuniter, quod iste (nempe Angelus Ephesi) fuit Timotheus Pauli discipulus, quē constituit Epm̄ Ecclesiæ Ephesinæ, Sic dictū est supra 1 Tim. 1.] Hæc Lyran. Ast ipsemet in hoc eodē 2. cap. Apoc. super illa verba: [Et mouebo candelabrū.] castigat, (immo penitus relinquit) hanc suā sententiam, affirmans hunc Epm̄ Ephesi ad quē loquitur hic Ioannes, nō esse Timotheum: ita enim scribit: [Et mouebo candelabrū, subtrahendo subditos tuos ab obedientia tua, vt exponunt aliqui sed hoc nō videtur benedictum, quia sic culpa principaliter retorqueretur in Epm̄. & nō in populum, quod est improbatum. Posset etiam dici, quod infrigidatio dicta primę charitatis, nō contingit tempore tanti Doctoris S. Timothei, sed alterius sibi succedentis. Nā illo tēpore Epi sancti, qui populo præficiebantur, primi ad tormenta ducebantur, & sic frequenter mutabantur. Illi enim qui dicunt ꝙ Timotheus, hic, intelligitur Angelus Ephesi Ecclesiæ, mouentur ex hoc ꝙ circa illa tērora nullus eo excellētior inuenitur rexisse Ecclesiā Ephesinā. & hoc magis mouet ad oppositū; quia tēpore prælati excellētiores nimis contingunt defectus in Ecclesia sibi commissa. Propter quod, saluo meliori iudicio magis videtur ꝙ fuerit alius à S. Timotheo.] Huculq; Lyr. Cuius sententiæ mutatio Placuit. D. Dion. Carth. quamuis ipse postea contrarium videatur profiteri.

Lyranus mutat opinionē.

D. Dionysius Carthusianus in comment.

Cæterū, vera primo proponamus. Certissimū quippe est D. Timotheum Epm̄ fuisse Ephesi, constitutum à D. Paulo, vt apparet 1. ad Tim. 1. vbi sic dicitur: [Paulus Apostolus Iesu Christi secundū imperium Dei Saluatoris nostri, & Christi Iesu spei nostræ, Timotheo &c. rogauit te, vt remaneres Ephesi cum irem in Macedoniā.] vbi ly: [Remaneres Ephesi.] intelligitur, remaneres Eps Ephesi, vt exponunt Lyran. Glos. ordinaria, Primas. Francis. Titalmanus, & omnes alij expositores vnanimiter in Pauli epist. 1. ad Tim. Istud etiā patet ex vita Timothei, in qua sic habetur. [Timotheus Listris in Licaonia natus ex patre Gentili, & matre Iudæa, Christianā colebat religionē: cum in ea loca venit Paulus, qui fama cōmotus, quæ de Timothei sanctitate percrebuerat, ipsum socium adhibuit suæ peregrinationis; sed propter Iudæos qui se ad Christū conuerterant, scientes Timothei patrem esse Gentilē, eum circūcidit. Cum igitur ambo Ephesum venissent, ibi ordinatus est Eps ab Apostolo, vt eā Ecclesiam gubernaret.] Et in Martyrologio Rom. iussu Gregorij XIII. Pont. Max. edito sic habetur. [Natalis S. Timothei discipuli B. Pauli Apostoli qui ab eodem Ephesi ordinatus Eps.] Ex quibus omnibus liquido apparet, D. Timotheum Episcopum Ephesinum fuisse. Quod etiam confirmat Cæsar Baronius in suis annotationibus in prælibatum Martyrologium.

Assertio 1.

1. Ratio.

Metaphrastes in vita D. Timothei.

2. Ratio.

Baronius in Martyrolog. Romano die 24. Ianuarij.

Verumenimuero dum Archipropheta hæc in Pathmos insula scribebat, S. Tim Ecclesiæ Ephesinæ minimè præerat. Tum propter rationes assignatas à Lirano in castigatione, & mutatione suæ prioris sententię. Tum etiā quia D. Timot. sub Nerone (vt circūfertur) martyriū sumpsit, eo quod ferre non posset, populum Ephesinū Dianæ immolare, sic eīm legitur in sua vita.] Cum sacrificiū quod vni Deo debetur, fieri dæmonum simulacris ferre non posset populū Ephesinū Dianę in eius celebratione immolantē, ab illa impietate remouere conatus, lapidibus obrutus est, ac pene mortuus à Christianis ereptus, & in montē oppido vicinū delatus 9. Kal. Febr. obdormiuit in Dño.] Hæc in sua vita. Et idem habetur in Martyr. Greg. in quo de morte Timothei sic dicitur: [Post multos pro Christo agones, cū Dianæ immolantes argueret, lapidib⁹ obrutus, paulo post obdormiuit in Dño.] Quæ oīa, vt dixi, sub Nerone accidisse circumfertur. Nero autē à natiuitate Iesu Christi anno 56. cępit imperare, & 13. annos regnauit. B. Ioannes verò tēpore Domitiani Imp. hæc scribebat in Pahmos Insula, quia ab hoc Imperatore Domitiano in ea relegatus fuit. Qui planè Imperator anno 82. à natiuit. Iesu Christi cępit imperare, & 15. annos regnauit, testantibus omnibus Historicis. (inter quos est Ioānes Frācīscus Fara Sardus) ex quibus habetur D. Timotheum iam obijsse, & martyrium pro Chr. sto sumpsisse dum hæc scribebantur ab Archipropheta in Pathmos Insula. Accedit ꝙ Simeon Metaphrastes in vita D. Timothei scribit. D. Timotheū egregiè pro pietate certantē, martyrij coronā accepisse, dum Apost. Ioannes esset in Pathmos Insula. Ex quo arguitur; Si Ioāne hęc scribente, Timotheus martyriū sumpsit, quā dicere potuit tunc Apostolus de Timotheo] Sed habeo aduersum te pauca, quod charitatē tuam primā reliquisti, memor esto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiā?] Mortuus enim quā agere potest pœnitentiā. Et maximè cum Iacobus Philipp. Borgom. in vita Timothei de eodē sic scribat. [Sunt tñ qui dicant eum (nimirum Timoth.) sub Nerone passum, cui dum torqueretur, duo Angeli apparuere dicentes: Erige caput in cælum, & vide, qui vidit cælos apertos, & Iesum. coronam gemmatā tenentem, atque dicentem sibi: Hanc de manu mea accipies.] Quiquidem Auctor putat, Timotheum sub Domitiano Imperatore anno mundi 5284. Ephesi martyrio coronatū fuisse; ideo in prællegatis verbis inquit: [Sunt tamen qui dicant eum sub Nerone passum &c.] quoniam refert alienam sententiam.

Simeon Metaphrastes, in vita S. Timothei.

Martyrolog. Gregorianū die 24. Ianuarij.

Franciscus Fara Sardus lib. 2. de reb. Sardois tit. Romani Imperatores in Sardinia regnātes.

3. Ratio.

4. Ratio.

Borgomensis.

Corona gemmata Timotheo pręparata.

Præterea hæ hæreses q̄ hìc reprehenduntur à Ioāne, futuræ erāt in Asia post obitū Pauli, vt ipse Paulus prædixit Asiaticis ecclesijs, vt patet ex illo Act. 20. [Conuocans enim in Epheso oēs maiores natu totius Ecclesiæ dixit: Vos scitis ex prima die qua ingressus sum in Asia, qualitèr vobiscū p omne tēpus fuerim.] Et post prædicta. [Ego scio, qm̄ intrabūt post discessionē meā lupi rapaces in vos, nō parcentes gregi. Et ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt adducant discipulos post se:] At Timotheus iam fuerat mortuus, & martyrium passus sub Domitiano, vel saltem sub Nerone: Igitur hæc Timotheo nullatenus scripta fuere à Ioanne.

5. Ratio.

Hæreses futuræ post obitū Pauli.

Cæterū hoc argumentū si de vtroq; obitu accipiatur, fortasse nō concludit. Qm̄ Paulū obijsse ante Timotheū, potest probari ex cap. 4 2. epist. quā ipse Paulus ad eundē Timotheū scripsit, in qua Apost. Timotheo sic affatur. [Prędica verbū &c.] & iterū: [Tu verò vigila.] & paulo post: [Ego enim iam delibor, & tēpus resolutionis meæ instat.] Vnde quāuis Apost. Paulus sub Nerone, gladio trūcatus fuerit, vt docēt oēs historici, inter quos est Tert. in Apologia ad Sen Populūq. Rom & in Scorpiaco cap. 14. Tacitus lib. 15. D. Hier. lib. de viris illustr. & Euseb. Cæsar. in suis Chronicis, tamen ex verbis prællegatis inferri potest, Paulum ante Timotheum obijsse, quamuis ambo sub Nerone martyrium sumpserint.

Paulum obijsse ante Timotheū probabile.

Tertulianus. Tacitus. D. Hieron. Euseb. Cæsarieñ.

Quidquid tñ sit, oēs expositores quotquot sunt, negant Ioannē hanc epist. Timotheo scripsisse. Tum propter rationes à nobis adductas; Tum etiam quia nullus est, qui id ex propria sententia defendat. Quare, & nos etiam, cum illis asserimus alium fuisse Angelū, siue Episcopum Ephesinum Timothei successorē, dum hæc Ioannes in Insula Pathmos scribebat.

Qq 3 Dixi

Euseb Cæsariens.

Ioannes Euangelista, 1. Episcopus Ephesi.

Paulus Apostolus 2. Episcopus Ephesi

F Dixi Timothei successorẽ, quoniã quamuis Euseb. Cæsariensis lib.3.Eccles.hist.cap 4. dicat Timotheum primũ Ephesi Epm fuisse, tñ sunt alij grauissimi adstipulatores qui dicant Ioannẽ ipsum Apostolum fuisse primũ Ephesi Epm, secundũ verò fuisse Paulũ Apostolum, & post hos duos Apostolos, primum fuisse Timotheum, cui successit Onesimus, cuius Paulus meminit, vt prodit ipsemet Euseb.lib.3.hist.Eccles.cap.3.

Dubium. 1. maxime notandum.

Ioannẽ Euangelistam hac scripsisse Epistolam Timotheo probabile habetur.

1. Argumentum.

2. Argumentum.

3. Argumentum.

Epistola hac Ioannis videtur alludere ad Epist. Pauli 2. ad Tim. 1.

Timoth fractus ex abundantia tribulationum.

4. Argumentum.

In calce tamen huius quæstionis, duo ex nostro marte annotare duximus. Primũ quidẽ, probabile esse Archiprophetã Ioannẽ hanc suam Epistolã scripsisse Timotheo. Tum quia credibile est Timotheũ obijsse in Ciuitate Ephesina, sub Domitiano, vel sub Nerone, quo sæculo Ioannes detinebatur exul in Pathmos Insula. Tum quia circa tempora Ioannis, nullũ excellentiorẽ Timotheo legitur Ephesiorum Ecclesiã rexisse; cui hæc verba quadrare queant: [Scio opera tua, & laborem tuum, & patientiam tuam; & quia non potes G sustinere malos. [Quoniam Timotheo dixit magister suus Paulus, vas electionis 2. Tim.4.] Tu verò vigila in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuũ imple] Quæquidẽ scripta fuisse à Paulo, dum Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ præerat in dubiũ est apud SS. Patres, epistolas Apostoli ad Timotheũ exoluẽtes. Tum quia hoc quod Ioannes noster in hac epist. dicit Angelo, hoc est Epõ, Ephesi, nimirũ [charitã ẽ tuã primã reliquisti] Scripsit etiã Paulus Timotheo in exordio 2. Epist. sub his verbis: [Propter quã causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, (quæ est in te per impositionẽ manuum mearum.] & paulo post: [Noli itaq; erubescere testimonium Dñi nostri.] Vbi expositores cõcorditer astruunt, quod Timotheus abundãtia tribulationũ aliqualiter fractus fuerit, ac remissius egerit. Propter quod in epist. illa, ad martyriũ hortatur eum Apostolus. Tum demũ, quia verba increpatoria Ioannis in hac epist. aduersus Angelũ, nimirum Epm Ephesi, nullatenus sanctitatẽ & excellentiã Timothei derogant. Quoniam secundum Haym. Aret. Bedam, Primas reliquosq. expositores, nõ reprehenditur Præsul iste, ratione sui sed quorundã subditorum ipsius malorum: Quare probabile esse puto, Archiprophetã Ioannẽ, Timotheo hanc suam Epist. scripsisse viuenti Epõ Ephesino, vt placuit Petro Aureolo Card. Minoritã in sua cõpendiaria sacræ scripturæ explanatione, & Card. Baronio to.2. Annal. Anno Christi 309. probanti Timotheum B. Ioanni superstitem extitisse.

Petrus Aureolus in expos. lib. Apocalypsis. Baronius.

Dubium 2. maxime notandum.

Probabile est Ioannẽ B. ualg. non scripsisse ad actualem Episcopum Ephesi sed ad futurum post obitum suum.

1. Argumentum.

S. Tho.

2. Argumentum.

3. Argumentum.

Secundũ verò etiã probabile reputo Ioannẽ Archiprophetam hanc suã Epist. nullatenus scripsisse de Timotheo, aut de aliquo alio pro tunc actuali Epõ Ephesinæ Ecclesiæ, sed de aliquo alio post obitũ Ioannis in eadem Ecclesia Ephesina successuro Pastore, in I quocunq; futuro sæculo post discessionẽ Ioannis. Probatur. Tum quia hæc reuelatio est prophetia, vt supra probatũ fuit; Atqui ꝓphetia est de tribus tẽporibus, præterito nimirũ, præsenti, & futuro, & præcipuè de futuris contingentibus, vt tradit S.Th.2.2.q.171. art. 3. Igitur fieri potest, quod epist. prophetica non sit de præsenti sed sit de futuro. Tum quia in superiori cap. Ioanni dictũ fuit: [Scribe ergo quæ vidisti, & q̃ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.] Igitur fieri potest, ꝙ ea quæ in hac epist. narrantur sint de futuro tempore post obitũ Ioannis. Accedit ad hæc, quod in eadẽ epist. de futuro tempore dicitur: [Mouebo candelabrũ tuũ de loco tuo.] Tum postremò quia hæ hæreses, quæ in hac epist. narrantur circa Nicolaitas, Paulus Apostol. prædixit venturas fore in eadẽ Ecclesia Ephesina post K obitũ suum, iuxta illud Act.20. [Ego scio, quoniã intrabunt post discessionẽ meam lupi rapaces in vos, nõ parcentes gregi: & ex vobis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.] Quare fieri potest quod ea quæ in hac epist. narrantur à Ioanne, intelligantur de aliquo futuro Episcopo Ecclesiæ Ephesi post obitum Ioannis, Pauli, & Timothei: & præcipuè cum hoc nostro sæculo è medio sublata sit Ecclesia Ephesina per inhabitantes infideles Turcas in eadem Ciuitate in signũ quod iam adimpletum sit illud: [Mouebo candelabrũ tuũ &c.] vt mox dicemus.

Quæstio V.

Vtrum Episcopus Ephesinus esset Metropolitanus?

Metropolitanus erat Episcopus Ephesi in Asia.



Est conclusio affirmatiua, & probatur. Tum quia Ecclesiam Ephesinam Metropolitanam in minori Asia fuisse docent in hisce cõmentarijs S.Tho per hæc verba: [Scribuntur autem septem Epistolæ, secundum numerum septem Episcoporum, siue Ecclesiarum. Prima dirigitur Episcopo Ephesi, qui erat Metropolis, & sic vlterius] D.Dionysius Charthus. inquiens: [Angelo Ephesi idcirco primo scribitur, quia in Asia minori Ephesus fuit Metropolis, sicq. Episcopus eius tanquam Metropolitanus, auctoritate, & dignitate extitit maior] Actor Incognitus, dicens: [Huic autẽ scribit primo, & principalitèr tanquã priori, & principaliori, & digniori: quia Eps erat Metropolis Asiæ.] Franciscus Ribera, (Haymon- & Rupert. Abb. sequutus) sic: [Scripsit autem propriè ad has septem Ecclesias, quarum maxima, & quasi Metropolis erat Ephesus, quod sibi in diuisione terrarum obtigerat, & in illis diu docuerat.] Iacobus Suerez à S. Maria scribens: [Et fortasse hac etiam de causa ab Ecclesia Ephesina incipit Ioannes, quia ob credentium multitudinẽ, & H & loci celebritatem præcipua habebatur, & Metropolis erat aliarum.] Et demum Blasius Viegas in argumento secundi capitis ita scribit: [Ad Ephesinum autem Epm primo scribit: quoniam is alios dignitate anteibat, quia nimirum Ephesus Metropolis erat omnium minoris Asiæ Ecclesiarum.] Tum quia regimen monarchicum, quod est in Ecclesia, requirit in quolibet Regno, vnus Metropolita, aut Metropolitanus; quemadmodum in qualibet Ciuitate vnus Episcopus: At Ephesus, & est Ciuitas, & caput totius Regni minoris Asiæ, vt in cap.1. luculentèr scripsimus tex. 9. par. 12. Igitur Ephesus erit Metropolis, Quo nomine eam vocat Volaterranus, prout ibi est dictum; & per consequens Episcopus huius Ciuitatis Ephesinæ Metropolitanus necessario venit appellandus, iuxta sacri Conc. Trid. dogmata sess. 5. cap. 1. & sess 22. cap. 1. Idem tradit Raymundus Rufus pag. 153. & constat I ex Strabone lib. 14.

2. Ratio.

S. Tho.

D. Dionysius Carthus.

Auctor Incognitus.

Prãciscus Ribera.

Iacobus Suarez à S. Maria.

Blasius Viegas in 2. cap.

2. Ratio.

Quæstio VI.

Vtrum Episcopus Ephesinus esset Primas totius minoris Asiæ?

1. conclusio. Primas erat Episcopus Ephesinus.



Affirmativa est conclusio quam tenet Lyranus in cap. 3. epist. 1. ad Timoth. per hæc verba: [Alij dicunt ꝙ Timotheus erat factus Primas, eo ꝙ K Ecclesia Ephesina erat principalis totius Prouinciæ in qua erant multi Epi per Timotheũ instituẽdi, propter quod Apostolus instituit eũ, qualis sit instituendus in Epm, dicens: [Oportet Epm irreprehensibilem esse.] Et Rupert Abb. existimat super illa verba 1 cap. Apocal. [Et mitte septem Ecclesijs quæ sunt in Asia.] has omnes septem Ecclesias Asiæ Metropolitanas esse, & earum caput Ephesum extitisse.

Lyranus.

Rupert. Abb.

Diluitur Conclusio.

Cęterũ qa hoc nostro sęculo loquẽdũ est de Primatu cautè, & cũ grano salis, quędã ꝑlubãda veniũt fundamen-

Fundamẽtum primum.

Aſia minor, prouincia.

damẽta. Quorum plane primum eſt, Aſia minor, prouincia ſiue Satrapia maioris Aſiæ vocatur à Ptolæmeo lib. 8. cap. 4. Plin. lib. 6 nat. hiſt. cap. 33. Volateraно lib. 10. georg. & ab alijs grauiſſimis, & antiquiſſimis hiſtoriographis, iuxta quos, Aſia maior olim tertia pars, nunc verò hoc noſtro ſæculo (India, ſiue America detecta) quarta pars orbis appellatur: quadraginta & octo obtinens Prouincias, ſiue Satrapias, inter quas ab eiſdem Adſtipulatoribus minor Aſia recenſetur. Huius autẽ minoris Aſiæ caput eſt Epheſus: quoniã hæc minor Aſia plures obtinet regiones, vt dicunt ipſimet Auctores citati, & etiã Pomponius Mela lib. 1. cap. 4. & 5. Iul. Solinus cap. 41. inter quas eſt regio Ionia, quę quidẽ duodecim poſſidet Ciuitates, (vt nos etiã nuper tex. 9 par. 12. §. 9. dum hanc minorem Aſiã deſcribebamus, retulimus) inter quas eſt Epheſus, quæ plane Ciuitas, & totius regionis Ioniæ, ac etiã omnium aliarũ regionũ minoris prouinciæ præcipuũ caput, & nobilior, ac præſtantior Ciuitas eſt; tũ ob templũ Dianæ apud Gentiles; tum quia Amazonũ opus fuit; tum denique, quia emporiũ erat, in quo res venales, gentibus totius prouinciæ minoris Aſię proponebantur. Ob hæc omnia olim apud Ethnicos, & Gẽtiles, in hac Ciuitate Epheſina, & prima iudiciaria poteſtas erat, & Gentiliũ Romanorũ Præſides reſidebãt, ac etiã Reginæ & Gentiliũ Reges, vt fateri videtur Iuſtinus Hiſt. lib. 2. loquens de Epheſo, ac eius Regina Marthesia, & de eius filia Orithya, quę in eius locum ſucceſſit inter Amazones. De qua re ipſe lib. 2. ſic ſcribit: [Aſię quoq; nõnullas Ciuitates occupauere, ibi Epheſo, multiſq. alijs vrbibus conditis, partem exercitus cũ ingenti præda domũ remittunt. Reliquæ quæ ad tuendũ Aſiæ imperium remanſerant, concurſu Barbarorum cum Marthesia Regina interficiuntur. In cuius locum filia eius Orithya regno ſuccedit, &c.] Sic ille. Epheſi porrò Gentiliũ Rom. tempore habitabant Patricij, qui erant ex Senatorum progenie, teſte Tit. Liu. lib. 1. vel, vt ait Suidas, Patricij, communes Reip. Patres, qui in ſuprema dignitate ſunt, Senatores Conſilij, appellantur. Poſtremò Epheſum incolebant olim Gentiliũ flamines, nimirum, hi qui Deo dicati ad ſacrificia facienda dumtaxat deſtinabantur, quos nos ſacerdotes vocamus. Qui quidẽ flamines, ſiue ſacerdotes, cognomina ab eo Deo ſumebant, cui ſacra faciebant, vt tradunt Cic. 2. de leg. Plin. lib. 18 cap. 11. Varro, & alij antiqui Hiſtorici. Quare, vt ſcribit Cic. 4. Acha. Ouid. 3. Am. Eleg 7. Virg. 6. Æneid. apud Gentiles Rom. varia fuerant ſacerdotum genera, nimirum, Flaminales, Diales, Martiales, Quirinales. &c. quoniã ab ipſo Deo (vt dixi) cui ſacrificabant Flamines cognomina ſumebant, vt à Ioue, Ionialis, à Marte, Martialis, & à Quirino, hoc eſt à Romulo, Quirinalis. Quos oẽs Gentiliũ ſacerdotes alij diuidũt per hęc cognomina, Primiflamines, Archiflamines, & Flamines.

Ionia regionis 12. Ciuitates.

Epheſus caput totius regionis Ionię.

Apud Epheſum olim erant iudiciaria poteſtas, Præſides, Reges, & Reginæ.

Titus Liuius,

Suidas.

Cicero. Plinius. Varro.

Fundamẽtum ſecundum.

Gentilium dignitates trãſierunt in Eccleſiaſticum ordinem.

Secundum fundamentum, Gentilium dignitates, vt ait Walafridus, lib. de exor. & incremen. rerum Eccleſ. cap 31. transferunt poſt aduẽtum Chriſti, & prædicationem Apoſtolorum in Eccleſiaſticum ordinem. Quemadmodum antiquæ hiſtoriæ narrãt Ægyptiorũ pecunias in vſum tabernaculi, vel cedri de libano ceſi, in templi ædificationem, & Raab quoq; Ruth, & Achior in numerũ populorum Dei tranſlatos fuiſſe narrant; Vnde quemadmodum Gentiles Romanos totius orbis Monarchiam tenuiſſe fertur: Ita Summus Pontifex in Sede Rom. vicem B. Petri gerens, totius Eccleſiæ apice ſublimatur. Vnde in Sardicenſi Conc. ſancitur ad eum referri debere, idq. obſeruandũ quod ipſe ſtatuerit. Sicut verò inſuper ſummus ſæculi Principatus, non tm̃ apud Rom. verumetiã apud aliarũ partium gentes interdum fuit; ita & aliæ Eccleſię dignitati Sedis Rom. conſociantur, id eſt, Antiochenſis in Aſia, Alexandrina in Africa. In Conc. enim Nicęno, harum trium priuilegium Eccleſiarum, cæteris omnibus anteferendum oſtenditur. Sed poteſt trium locorum eminentia ad vnã dignitatem referri, quia in duobus horum, ipſe Petrus ſedit, & tertiam, id eſt, Alexandriã per Marcũ filium ſuum, & Euangeliũ, quod ex ore eius ipſe Marcus deſcripſerat ſuam effecerat ſedem. Similiter intelligendum de Principatibus ſeculi; quod quãuis in diuerſis orbis partibus per tẽpora ſua fulſerint; tñ ad ius Rom quaſi vnum apicem poſtremò oẽs pene relati ſunt. Quare Papa Rom. comparatur Auguſtis, & Cæſaribus; Patriarchæ verò Patricijs, qui primi poſt Cæſares in Imperijs fuiſſe videntur, Archiepĩ Regibus, Metropolitani Ducibus, & Epĩ Comitibus cõparantur; & ſic de cæteris ordinibus eccleſiaſticorum. Quamobrem Anſelm. lib. 6. cap. 113. Policarpus lib. 2. tit. 22. & Clem Papa ad Iacobũ epiſt. 1. vt refertur cap. in illis 80. diſt. & gloſſa ibi dicunt Petrum Apoſtolũ præcepiſſe tres dignitates in Eccleſia Dei, nimirum, Patriarcham, ſiue Primatẽ, Archiepiſcopum, & Epiſcopum, his tribus Gentilium ſacerdotum ordinibus correſpondere debere, ita vt in Ciuitate in qua olim apud Gentiles erant ſacerdotes Primi flamines, nunc ſint in Eccleſia Dei Patriarchæ, ſiue Primates, in illis verò in quibus erant ſacerdotes Archiflamines, ſint modo in eadẽ Eccleſia Dei Archiepĩ. In his denum Ciuitatibus in quibus apud Gẽtiles olim erant ſacerdotes Flamines, modo in Eccleſia Dei ſint Epĩ. Vnde de conſecr. diſt. 8 cap. 1 ſic habetur. [Vrbes & loca in quibus Primates reſidere debent, nõ à modernis, ſed à multis ante aduentũ Chriſti ſtatutę ſunt temporibus; quorum Primates Gentiles etiã pro maioribus negotijs appellabãt. In his verò vrbibus poſt aduentũ Chriſti, Apoſtoli, & eorũ ſucceſſores Patriarchas, & Primates poſuerunt &c.] & cap. 2. ita ſancitur. [In illis verò Ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorũ, atqui primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates, vel Patriarchas, B. Petrus poni præcepit, qui reliquorum cauſas &c]

Exod. 31. 3 Reg. 5. Ioſue 4. Ruth 4. Iudith 6.

Concil. Sard.

Eccleſiæ Romanę, Antiochena, & Alexãdrina ſubijciuntur.

Conc. Nic.

Papa comparatur Auguſtis, & Cæſaribus. Epiſcopi Comitibus cõparantur.

Dignitates tres præcepit B. Petrus Apoſtolorũ princeps.

Patriarchę, ſiue Primates Archiepiſcopi, & Epiſcopi, vbi reſidere debeãt ex conſtitut. D. Petri.

Tertium & poſtremum fundamẽtũ. Quęlibet prouincia (quam Ptolæmeus Satrapiã appellat) vnũ primatem obtinere debet, vt habetur de conſecr. diſt. 3. cap. 24. [placuit.] vbi ſic dicitur: [Scribatur ad Primates omnium prouinciarum, vt cum ad Synodũ vocant, hunc diem obſeruent.] Idem colligitur ex SS. Patrum Concilijs, & præcipuè ex Trid. paſſim. Quare hoc noſtro ſęculo primates intuemur Archiepiſcopum Toletanum in prouincia Hiſpaniæ, Archiepiſcopum Bragarenſem in prouincia Luſitaniæ, Archiepiſcopum Ganthenſem in prouincia Flondriæ; Archiepiſcopum Treuerenſem in prouincia Alemaniæ, Archiepiſcopum Cracouienſem in prouincia Poloniæ, Archiepiſcopum Canthurienſem in prouincia Brittanniæ, & pleroſq; alios in reliquis prouincijs orbis.

Tertium fundamentum.

Vna quæque prouincia ſuũ debet habere Primatẽm.

Primates diuerſi per orbem.

Iam modo noſtra præallegata cõcluſio cõfirmatur. Tum quia Aſia minor, eſt prouincia, vt liquet ex primo fundamento: Atqui vnicuiq; prouinciæ ſuus cõceditur Primas, vt etiã patet ex tertio fundamẽto; Igitur & minori Aſiæ cõcedendus etiã erit: At Primates reſidere debent in ſuæ prouinciæ capite: Ergo cum Epheſus ſit caput totius minoris Aſiæ, vt liquet ex primo fundamento, Epiſcopus Epheſinus erit primas totius minoris Aſiæ. Tum quia ex cõſtitutione D. Petri (vt apparet in ſecundo fundamento prope finem) in ea ciuitate in qua olim apud Gentiles erant Sacerdotes primi Flamines, nunc apud Chriſtianos reponũtur Primates: Atqui in Ciuitate Epheſina olim apud Gentiles erant tam ſacerdotes Primiflamines, quam Archiflamines, & Flamines; Igitur in Ciuitate Epheſina apud nos Chriſtianos reponẽdus eſt Primas. Minor probatur. Quoniam primo Templo, primi debentur ſacerdotes, vt experientia docet: Atqui templum Epheſinum erat primum totius minoris Aſiæ: nam erat templum Dianæ magnæ, de quo extat mentio Act. 19. ſub his verbis: [Sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur. &c.] & paulo poſt: [Magna Diana Epheſiorum &c.] Igitur Epheſi apud Gentiles erant ſacerdotes Primiflamines. Tum quia Primati debetur primus locus inter reliquos Epiſcopos ſuæ Prouinciæ: Atqui Arch. propheta noſter Ioannes ſcribens ad omnes Præſules, & Paſtores totius huius Prouinciæ minoris Aſiæ, primum locum dedit Epiſcopo Epheſino, vt appa-

Auctor ꝓbat ſuam ſententiam ex iactis fundamentis.

1. Ratio.

2. Ratio.

Plinius libr. 36. nat hiſt.

Diana colebatur Epheſi & in vniuerſa Aſia.

3. Ratio.

4. Ratio.

ret in textu. Igitur Episcopus Ephesinus erat Primas. Tum demum ex ordine sæculari etiam liquet. Quoniam, vt dictum est in secundo nostro fundamento, Primates succedunt, & comparantur Patricijs, qui primi post Cæsares in Imperijs fuisse videbantur: Atqui Ephesi, erant Patricij & Principes tempore Gentilium Romanorum, vt facilè deducitur ex Epistolis Pauli ad Ephesios conscriptis; & ex Act. Apostolorū, & præcipuè in cap. 19. vbi sic habetur. [Et impleta est Ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in Theatrū, rapto Caio, & Aristharcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus qui erant amici eius &c.] Quo loco apparet quod Ephesi morabantur principes Asiæ. igitur &c. Hoc argumentum confirmari potest ex illo de consecr. dist. 99. cap. 1. [Prouinciæ multo ante Christi aduentum tempore diuisæ sunt maxima ex parte, & postea à B. Clemente prædecessore nostro per epistolas ipsa diuisio est renouata in capite omnium prouinciarum, vbi dudum Primates erant legis sæcul , ac prima iudiciaria potestas &c.] Et ex illo etiam decretalium, vbi Anicetus Papa Galliæ Episcopis, sic scribit: [Nulli Episcopi Primates vocentur, nisi qui primā tenent in prouincia &c.] Ac tādem ex illo Conc. Calcedonensi actione 16. Qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris prouincijs, Primates habeant Ecclesiæ ciuitatum ampliarum &c.] Quod autē Ephesi essent Patricij, & Principes totius Asiæ minoris, ac etiam iudiciaria potestasq. sæcularis, ex eo liquidè constare proculdubio potest, quod noster Archipropheta Ioannes in ea, sedem sui Patriarchatus fixit. Et post eum Paulus (ob huius vrbis celebritatem) per triennium in ea, vt dicitur Act. 20. commoratus est. Hanc eandem conclusionem profitentur Raymundus Rufus pag. 155. & Eusebius lib. 5. cap. 23. & 24.

Patricij, & Principes incolebāt Ephesum apud Gētiles.

Prouinciarum diuisio renouata.

Anicetus Papa in decretalibus.

Primates qui vocandi.

Conc. Calc.

Ioannes Euangelista sedē sui Patriarchatus apud Ephesum statuit.

Quæstio. VII.

Vtrum Primas Ephesinus, & reliqui omnium prouinciarum totius orbis Primates, & Patriarchæ, subijciantur Romano Pontifici, tanquam generali Episcopo, & omnium Episcoporū Principi?

Pontifex Romanus successor Petri.

1. Ratio.

PRIMA conclusio. Romanus Pontifex est successor B. Petri in gubernatione totius Ecclesiæ, & in auctoritate Papali. Hæc est de fide, & confirmatur. Tum ex diffinitionibus Conciliorum, nimirum, Lugdunensis sub Gregorio X. & Florētini sub Eugenio XV. & ex Synodo generali, act. 28. & ex Concil. Constantiensi sect. 1. & 15. aduersus Vuiclef, & Hus. Quibus in locis diffinitum est, Romanum Pontificē, & Petri successorem, & Petram refugij appellari. Tum auctoritatibus Summorum Pontificum. Anacleti Marcellini, Bonifacij, & aliorum. Tum ex Patribus, nimirū, Irenæo lib. 3 cap. 3. Hieron. in epist ad Damasum. D. Aug. in epist. contra fundamentum Manichæi cap. 5. Tum tandem, quia B. Petrus mortuus est Romæ. ergo Pontifex Romanus succedit ipsi in auctoritate. Quoniam quemadmodum in alijs hæreditatibus, ille qui morte interueniente instituitur hæres, remanet hæres; ita & ille Pontifex succedere debuit Petro in auctoritate, qui morte interueniente succedit eidem in pontificatu.

Pontifex Romanus petra refugij.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Petrus obijt Romæ.

Secunda conclusio. Pontifex Romanus est verus, &

Pontifex Ro-

F legitimus Vicarius Iesu Christi, caputq; & Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ. Hæc etiam est de fide, & probatur, Tum auctoritate Summorum Pontificū, nimirum, Anacleti in epist. 1. Euaristi, Sixti I. in epistolis ad Gallicanos Episcopos, Pij I. ad omnes ecclesias, Victoris ad Theophilum: Zepherini Iulij I. Innocent. I. & reliquorum, vt videre est in Epistolis Decretalibus. Tum auctoritate Conciliorum Niceni primi, canon. 18. & 19. Calcedonensis, sextæ generalis Synodi dist. 4. 8. 13. & 17. & habetur in cap. de Sum. Trinit. & fide cath. ac etiam in Concil. Floren. aduersus Græcos, & in Trid. sess. 7. vbi Ecclesia Romana mater & magistra omnium Ecclesiarū appellatur. Tum ex Patribus confirmatur, nimirum, Irenęo lib. 3. cap. 3. Cypriano, in epist ad Cornelium, & in lib. de vnitate Ecclesiæ, Ambros. lib. de excessu. Hieron. ad Damasum, August. contra epistolam fundamenti cap. 4. & secunda contra Donatistas cap. 1. Bernardo lib. 2. de consideratione, & in epist. 131. Cyrillo in Thesauris, & D. Tho. in opusc. 1. Tum demum probatur, quia Romanus Pontifex confert Indulgentias toti Ecclesiæ, canonizat sanctos, iudicat Episcopos, & alios fideles, eosdemq. (tum & rebelles Sedi Apostolicæ) mulctat censuris. Quæ omnia sunt munera capitis, & Pastoris totius Ecclesiæ, ita vt de illo præcipuè intelligatur illud Hierem. cap. 1. [Ecce cōstitui te super gentes, & regna, vt euellas, destruas, ædifices, & plantes.]

manus Vicarius Christi caputque totius Ecclesiæ.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ecclesia Romana mater & magistra, omnium Ecclesiarum.

3. Ratio.

G

4. Ratio.

Pontificis Romani munera

Hier.

In calce tamen huius quæstionis animaduertere fas est, Doctores maxima diligentia & cura indagare, an de iure diuino sit, Romanum Pontificem esse Episcopum, & pastorem totius Ecclesiæ catholicæ? De qua re apud eosdem Doctores tres reperio præcipuas opiniones.

Dubium.

Pontifex Romanus an sit de iure diuino Episcopus & pastor totius Ecclesię.

Prima est, quæ tenet partē aientem: Quam sequuntur Driedo lib. 4. de dogmatibus. cap. 3. part. 2. Cano lib. 6. de locis. cap. 4. & 5. Couarru. lib. 4. variar. resol. cap. 14. nu. 11. Symmachus in Institut. tit. 24. num. 13. Ioan. Turrecrem. in Decretis 24 q. 1. cap. Rogamus, & lib. 2. de Ecclesia, cap. 40. D. Antoninus par. 3. Theologali, tit. 22. cap. 4. §. 1. & Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ, A. 32.

H

Prima sententia.

Secunda verò est, quæ tenet partem negantē, nimirum, ex facto dumtaxat B. Petri, hoc est ex morte sua, & non de iure Diuino Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ. Hanc opinionē sequuntur Caiet. opusc. 3. cap 13 Soto in 4. dist. 24. art. 5 in fine. Corduba lib. 4. quæst. Theolog. q. 1. propos. 8. dub. 2. Cassan. lib. 2. ascioматum Christianorum art. 3 cap. 8. Hualdensis lib. 2. doctrinalis fidei antique. art. 2. cap. 4. Bagnes dubit. 4. super ar. 10. q. 1. 2. 2. D. Thomæ, & plerique alij Doctores.

Secunda sententia.

I Tertia & postrema opinio est Bellarmini Tom. 1. controuers. lib 2 cap. 12. controuers. 3. vbi distinguit ea quæ sunt de fide, ab his quæ sunt de iure diuino. Nam, vt ait ipse, Paulum habuisse penulam est de fide, cū contineatur in sacris litteris, & tū non est de iure diuino, cū non sit ex institutione Diuina. Quamobrē asseuerat ipse Bellarm. non esse de iure diuino Romanum Pōtificem esse caput Ecclesiæ cū hoc nō legatur in Euāgelio, vel in alijs scripturis sacris, esse tamen de fide Catholica, quia ex veteri traditione habemus Romanum Pontificem esse principem Ecclesiæ: quæquidem traditio efficit, aliquid esse de fide.

Tertia sententia.

Hæc Catholicorū controuersia facilè profligabitur animaduertendo primo, iuxta D. Tho. quolibeto 4. ar. 13. illa tantū esse de iure Diuino, quæ sunt de lege naturæ, quæ spectant ad fidem, aut ad materiā & formā Sacramentorum, Cætera verò, quæ sub his non continentur spectant ad ius humanū, & positiuū. Quāobrem si aliquid colligendum est esse de iure diuino: colligi profectò debet, vel quia est de lege naturæ; vel quia cōtinetur sub articulo fidei; aut quia pertinet ad materiam, & formam Sacramentorum.

Nota primo.

Quæ dicantur de iure diuino.

K

Quæ dicātur de iure humano, & positiuo.

Quod autē dumtaxat hæc tria sint de iure diuino, patet, Quoniā ius diuinū est statutū, aut lex, vel ordinatio diuina: At lex diuina, vel est circa naturalia, vel est circa supernaturalia. Et si circa naturalia, dicitur lex na-

Tria dumtaxat de iure diuino.

lex naturalis, quæ continetur in decalogo. Et si circa supernaturalia, vel spectat ad credêda, vel ad gratiam consequendam. Et si ad credenda continetur sub articulis fidei: Si vero ad consequendum gratiam comprehendetur sub Sacramentis, quæ sunt instrumenta conferendi gratiam: Igitur hæc tria tantum vocari poterunt de iure diuino.

Nota 2. Tria genera traditionum. Traditiones diuinæ.

Secundo est animaduertendum, tria esse genera traditionum. Quædam namque sunt traditiones diuinæ, quæ iubente Domino, vel illo tradente, remanserunt intra Ecclesiam, vt chrisma esse materiam confirmationis, & offerendum esse sacrificium Missæ Ac etiam illa verba [noui, & æterni testamenti:] esse de forma sanguinis. Aliæ verò sunt traditiones Apostolicæ, quæ ortum habent ab Apostolis, tamquam à rectoribus Ecclesiæ, vt ieiunium Quadragesimale: colendos esse dies Dominicos: ac etiam initiandos esse Sacerdotes, ordinibus minoribus. Postremo aliæ sunt traditiones Ecclesiasticæ, quæ ab Ecclesia, post Apostolorum tempora originem trahunt, vt pueros, qui Baptizantur liniendos esse sacro oleo: & multa alia, quæ expectant ad Sacramenta, & ad Missarum celebrationem.

Traditiones Apostolicæ. Traditiones Ecclesiasticæ.

Nota 3. Petri successorem dari in Ecclesia.

Tertio, & postremo notandum venit, hæc duo inter sese multum differre: nimirum, dari in Ecclesia successorem Petri: Et quisnam sit Petri successor. Quoniam primum est de fide, & institutio Euangelica. Alterum vero stat sub controuersia præallegata. An scilicet is, qui est Romanus Pontifex de iure diuino succedat Petro nec nè? Et quod certum est apud omnes catholicos doctores referam hic tantum, nimirum ex facto, & appropiatione Beati Petri, hoc est, quia Beatus Petrus Romæ sedit, & sua morte sedem illam côsecrauit, Pontificê Romanum totius Ecclesiæ caput esse. Quoniam dumtaxat hæc sufficiunt ad veram intelligentiam tituli huius nostræ quæstionis, nimirum, vtrum Primas Ephesinus; & reliqui omnium Prouinciarum totius orbis Primates, & Patriarchæ subijciantur Romano Pontifici, tamquam generali Episcopo, & omnium Episcoporum Principi? Ex quibus omnibus facilis est vnicuique affirmatiua responsio. Hinc D. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, c. 1 & de consid. 4. cap. [Quomodo Deus.] Inquirens an Episcopatus Petri, & sui successorum, teneat Principatum super alios Episcopos sic scribit [Quis enim nescit illum Apostolatus Principatum, cuilibet Episcopatui præferendum?]

Pontifex Romanus, est caput totius Ecclesiæ. Episcopi subijciuntur Romano Pontifici. D. Aug.

Par. 2.

PARAPHRASIS

Secunda.

§. 1. Dilucidatio textus. 1. sententia. Stellæ septem septem Coepiscopi Asiæ.

Qui habet (ait) septem stellas in dextera sua. Hæ septem stellæ, quas filius hominis in dextera sua habet, septem Coepiscopos Asiæ (vt nuper retulimus) representant, & consequenter omnes peccatores, quos Deus sua dextera, gratia, & diuino fauore: (vt nuper in ænodatione contextus dicebamus.) tenet ne cadant: [Gratia Dei (ait D. Paulus) sum id quod sum, & gratia eius semper in me manet.] Ideo Rupertus Abbas super hæc verba sic ait: [Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum vt prædictum est, iam isto dicto stellas eiusmodi salubris timor constringit, quia videlicet, sic stellæ istæ in cælo sunt, vt eas teneri oporteat ne cadant in terram. Nam de cælo stellæ plurimæ ceciderunt, & de stellis facti sunt Principes tenebrarum, dicendo itaque, qui tenet septem stellas in dextera sua simul terribiliter innuit, vt qui se existimat stare, videat ne cadat, non enim stat sua virtute, sed dextera Domini continente] Sic ille. Quod autem quamplurimæ stellæ ciciderint de cælo, apparet ex illo Apo. 9. [Quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cælo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi, & aperuit puteum abyssi] & iterum cap. 12. [Ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum Cæli, & misit eas in terram.] Quod insuper plurimi iusti, & sancti viri (secundum præsentem iustitiam dico) in dies à gratia Dei cadant, vt stellæ de cælo, liquet in Iuda & in suis sequacibus, qui tandem tandem a gratia diuinitus conseruata, dæmone instigante cadunt ob lœthale peccatum patratum, cælestia pro terrenis vendentes: [Auertente autem te faciem (inquit psalmographus, Psalm. 103.) turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: [Quo in loco plane sermo est de subtractione diuinæ gratiæ. Qua denegata, vel sublata, facilè ruit homo. Quare necessaria est omnino manutenentia Dei. Qua plane, dementia, benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei apparet. Quandoquidem non solum vt ait Apostolus: [Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit:] Verum etiam quia nos peccatores conseruat: nos fugientes reuocat: nos lapsos erigit: nos deuios reducit: nos ignauios, instruit: nos redeuntes suscipit: & tandem quia nos iam susceptos (vt oculi pupillam) custodit.

Epíscopi, & peccatores gratia Dei stant. Stellæ è cælo aliquando cadunt in terram. Iusti multoties cadunt à Dei gratia. Peccatores sunt Iudæ socii. Peccatores sua gratia côseruat Christus.

§. 2. Richardus de sancto Victore.

Non longe sane ab hac nostra ænodatione est Richardus de sancto Victore, putâs per hanc inscriptionem: [Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua] Christum peccantibus fiduciam præbere, Perinde, ac diceret. Si quis superiorem gradum amiserit, & per negligentiam de pristina perfectione deciderit non desperet, quia ego septem stellas etiam post commissam negligentiam teneo, id est, eos, qui peccarunt si peniteant minimè desero. Etenim hi Coepiscopi, qui per stellas significantur negligentèr se gesserant, & tamen eos Christus in dextera sua tenebat. Pari etiam modo nos pœnitentes, sua gratia tenet Christus, ne grauiora crimina committamus: [Nisi Dominus (ait psalmista) custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.] Et Esa. in cap. 1. [Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma, & Gomorrha similes essemus.] Hinc perdoctè Primasius hunc textum: [Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua] sic vertit: [Idem qui vos in manu habet suaque potestate regit, & continet.]

Pænitêtes nô deserit Christus. Primasius in comment.

§. 3. 2. sententia. Stellæ septem septem sacramenta indicant.

Porro sunt, qui dicant, has septem stellas in manu dextera Christi, septem sacramenta Ecclesiæ indicare. Ita vt prima stella, Baptismum significet, de quo dicitur Ioan. 3. [Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.] Secunda confirmationem de qua habetur Lucæ 24. [Sedete hic, donec induamini virtute ex alto.] Tertia Eucharistiam, de qua scriptum est Ioan. 6. [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Quarta Pœnitentiam, de qua inquit Ipsemet Christus Ioan. 20. [Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] Quinta, ordinem de quo idem etiam Christus ait. Marc. 14. [Hæc quotiescumq. feceritis in mei memoriam facietis.] Sexta, Matrimonium de quo habetur, Matth. 19. [Quos Deus coniunxit homo non separet.] Septima & postrema stella, extremam Vnctionem significet, de qua Iacob. 5. dicitur: [Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini.] Ratio vero huius explanationis esse potest, iuxta D. Iacobum in cap. 1. [Fides sine operibus mortua est.] Et vt etiam ait Paulus ad Gal. 6. [In Christo enim Iesu neq. circumcisio, aliquid valet, neque præputium: Sed noua creatura.] Opera vera sunt in dupplici differentia. Quædam enim sunt res tantum (vt dicunt Theologi) quædam vero sunt res, & signa. Et signa sunt ista septem Sacramenta per has septem stellas designata: quorum virtute ad Patriam conducimur æternam, ad septem illa dona cælestia fruenda

Fundamentû huius explanationis. Opera sunt in duplici differentia. Contra positio stellarum & sacramentorum.

fruenda : Quorum primum est, visio Dei, quæ corre- F
1.Ioan.3. spondet Baptismo : [Videbimus Deum sicuti est.]
Cant. 3. Secundum est, secura possessio, & comprehensio, quæ
1.Cor. 9. correspondet confirmationi : [Tenui eum, nec dimit-
tam] & alibi : [Sic currite, vt comprehendatis.]
Iob.22. Tertium est eius perfecta fruitio, quæ correspondet
Eucharistiæ : [Tunc super omnipotentem delitijs af-
fluens, & leuabis ad Deum faciem tuam.] Quartum
est impassibilitas, quæ correspondet pœnitentiæ :
1.Cor.15. [Oportet corruptibile hoc induere in corruptionem]
Quintum est refulgentia, splendor, & claritas, quæ
Matth.13. correspondet ordini : [Fulgebunt iusti sicut sol, in
regno patris eorum.] Sextum est agilitas, quæ cor-
Sap.3. respondet extremæ vnctioni : [Tamquam scintillæ in
arundineto, discurrent.] Septimum, & vltimum do-
num est subtilitas, hoc est, esse penetratiuum quasi spi-
ritus, & non corpus, quæ correspondet Matrimonio,
1.Cor.15. quod est carnale : [Seminatur corpus animale surget G
spirituale.] Quare, & fides, & septem sacramenta
Ecclesiæ, per has septem stellas significata ad salutem
necessaria proculdubio sunt. Quæ plane ænodatio
Comparatio. sustentabilis est. Quoniam sicuti stellæ lucent, in fir-
mamento cæli ; sic sacramenta in Ecclesia Dei. Hinc
de sacramentis sub stellarum nomine, expendi potest
illud Sap. 10. [Reddet Deus mercedem laborum san-
ctorum suorum, & deducet illos in via mirabili, &
fuit illis in velamento Diei, & in luce stellarum no-
Vita nostra præsens, nox merito appellanda. cte.] Vita etenim nostra hæc præsens, nox procul-
dubio appellari potest, illuminata harum septem stel-
larum luce, nimirum, septem sacramentorum.

Tertia, & postrema explanatio huius descriptionis
3. Sententia. est, Christum in dextera sua, septem tenere stellas, id
est, viros omnes sanctos ac pietate præditos : & eos-
Iusti nullatenus debent superbire. dem vigilantèr attendere ne forte pro ipsa claritate
veniat alicui eorum aliquis pes superbiæ, quoniam H
Iob 14. dicitur : [Ecce qui seruiunt ei non sunt sta-
biles, & in Angelis suis reperit prauitatem.] Atta-
men ista ænodatio, videtur sub prima contineri, cum
homines ob superbiam exalto labantur culmine iuxta
Superborum lapius. illud : [Homo cum in honore esset non intellexit com-
paratus est (ob superbiam suam) iumentis insipien-
tibus, & similis factus est illis.]

DISPVT. II.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de situ, & ordine septem Stellarum primæ visionis.

In duas Quæstiones distributa super illa verba. *Qui habet septem Stellas in dextera sua.*

Prologus Disputationis.



Stellæ septem Apocalypsis alterius naturæ a cæteris ordinarijs. RIMAS Visionis Apocalypseos sep-
tem stellas, non esse eiusdem naturæ,
& speciei cum alijs cæli stellis fixis
Philosophorū opinio circa stellas. (de quibus Phylosophi in libris de
cælo asseuerant, esse eiusdem spe- K
ciei cum suo orbe : & differre acci-
dentario tāntum, tamquam partes dē-
siores à rarioribus) perinde liquet,
quod totum istud in imaginaria, siue spiritualia vi-
Stellæ septem Apocalypsis non erāt reales. sione fiebat, in qua nihil reale, sed omnia spiritualia
intuitur videns. Quamobrem earumdem septem
spiritualium stellarum situm, & ordinem dumtaxat,
indagandum hic duximus.

Quæstio I.

Vtrum Angelus haberet has septem stellas in manu conclusas, vel an eas in aperta manu cælatas ostentaret?



RIMA conclusio. Hæ septem
Stellæ septem Apocalypsis in manu Angeli. stellæ erant in manu Angeli ita-
ut nulla enus essent extra manum
in aere supra, aut infra aut cir-
1.Ratio. cumcirca manum, probatur. Tum
quia alioquin Angelus non ha-
beret eas : Quoniam id quod est
extra manum non habetur, nec
possidetur ab homine, vt apparet in Aue adhuc volan-
te quamuis propè manum volet : At in textu dicitur :
[Qui habet septem stellas :] Igitur, &c. Tum demum
quia Angelum habere has septem stellas in manu, &
non extra manum quadrat cum plerisque locis sacræ
scripturæ : Quoniam Ioan. 10. dicitur : [Non rapiet
Iusti in manu Dei. eas quisquam de manu mea,] Et Sap. 3. [Iustorum
animæ in manu Dei sunt.] & tandem Psal: 122. [Si-
cut oculi seruorum in manibus dominorum suorum]
Quare hæ stellæ septem nullatenus erant extra ma-
num Angeli quinimmo in ea.

H Vbi passim aduertas fas est, Deum olim in lege ve-
Gladius olim in manu Dei nūc vero stellæ. teri, non stellas, sed gladium in manu gestasse qualis
erat circumcisionis gladius, & flammeus ille atque
versatilis gladius de quo extat mentio gen. 3. ad cu-
stodiendam viam ligni vitæ, ac etiam alij gladij anci-
pites quibus populum Hebræum assidue perimebat
per angelos suos. At vero in noua lege non gladium,
sed stellas in manu ostentasse, quia lex illa timoris
erat, at vero lex gratiæ amore, & beneuolentia maxi-
me redolet, & clauditur.

Stellæ septem Apocalypsis cælatæ in manu Angeli. Secunda conclusio. Hæ septem stellæ erant cæla-
tæ in manu Angeli, quam Angelus apertam & exten-
sam ostendebat, probatur. Tum quia si manus Ange-
1.Ratio. li esset clausa, Dei vates has stellas nec videre, nec
minus dinumerare potuisset, cuius contrarium appa-
res in textu, in quo dicitur, quod Dei vates, & stellas
intuitus fuit, & easdem nūmero septenario, dinume-
I rauit. Tum quia sic sunt huiusmodi septem stellæ in 2.Ratio.
Oculi septem super lapidē vnum cælati. manu Dei, quemadmodum septem illi oculi in lapide
illo, quem Zacharias intuitus fuit dum in cap. 3. dici-
tur : Super lapidem vnum septem oculi,] Atqui illi
septem oculi erant cælati in lapide illo, iuxta illud
quod sequitur in eodem textu : [Ecce ego cælabo
sculpturam eius] Igitur & stellæ istæ erant cælatæ in
manu Angeli.

3.Ratio. Quadrat ista ratio cum Isaia in cap. 49. dicente :
[In manibus meis descripsi te.] Et inde deducitur
Fideles, & iusti in manu Dei cælati, & sculpti. Angelos, hoc est, Episcopos reliquosq. fideles, in ma-
nibus Christi cælatos, & quasi sculptos esse, quoniam
Deus eorum numquam obliuiscitur, quemadmodum
Comparatio. nemo potest obliuisci eorum, quæ in manu ha-
4.Ratio. bet. Correspondet etiam sanctorum securitati in
Sanctorum securitas in cælo. cælo : Quoniam quemadmodum stellæ fixæ, siue cæ-
latæ, aut sculptæ permanent : Sic sancti, & fi-
K deles viri in manu Dei sunt securi, & stabilitèr : Et
5.Ratio. Promittendi stylus. tandem alludit conclusio admodum promittendi. Cū
enim quis aliquid alicui promittit, illud eidem in
manibus suis ostendit : quasi illum quodammodo in-
uitet, pari etiam modo, Angelus iste stellas cælatas in
Beatitudo hominibus offertur. manu ostentat, in signum quod cælum & beatitudi-
nem omnibus offert, omnes ad hanc quodammodo
inuitando vt ad illam, tamquam ad brauium currant,
vt sic eam de manu eius lætabundi arripiant iuxta il-
lud 2.

A lud 1.Cor.9. [Nescitis quod hi, qui in studio currunt, omnes quidem currunt sed vnus accipit brauium, sic currite, vt comprehendatis.] Et ad Philipp. 3. [Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.] Quoniam Matth. 11. habetur [A diebus Ioannis, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.]

Regnum cælorum vi bonorum operũ comparamus.

Quæstio II.

An detur aliqua causa: ob quam hæ septem stellæ non in sinistra, sed in dextera Angeli sint?

Stellæ septem Apocalypsis cur in dextera Angeli.



EST conclusio affirmatiua, & probatur, Primo. Quoniam vt scribit D. Dionysius Carthusianus in hisce commentarijs: Stellæ istæ ad dexteram sunt Christi, quia eius gratioso auxilio iugiter (Episcopi, & alij fideles) innituntur sine quo nihil meritoriè operantur, secundum quod ait, sine me nihil potestis facere, & quia in spiritualibus Christi bonis, atque internis consolationibus, quæ nomine dexteræ designantur quiescant. Item quia, in die iudicij stabunt ad dexteram, nunc quoque in cælis sunt per amorem, & vitæ imitationem. Porro quia de ipsa Ecclesia dicitur Christo, astitit Regina à dexteris tuis in vestitu deaurato: Episcopi autem tamquam successores Apostolorum sunt principalis pars huius Ecclesiæ. Accedit ad hæc quod in sacra pagina [Manus] inter alia, diuinæ protectionis symbolum est, qua Christus Prælatos, & per Prælatos reliquos fideles de sua Ecclesia tuetur. Quo sensu Diuus Hilarius exoluit illud Psal. 54. [Extendit manum suam in retribuendo.] Affirmans manum extensam, indicare magnam Dei clementiam & beneficentiam. Hinc est illud Isai. 65. [Expandi manus meas tota die ad populum non credentem.] Quinto sunt Prælati in manu Christi dextera: Quoniam manus dextera fortior est: & valentior, atq. adèo eas Dei actiones significat, quæ magis eius vim, & potentiam declarant: sicut sinistra, eas in quibus Dei potentia non tantopere ellucet, vt in cap. 1. satis luculentèr declaratum fuit. Et vt etiam indicat illud Psalm. 117. [Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.] Quoniam quemadmodum potestas & Prælatorum administratio in Ecclesia Dei magna est: Sic Deus in Prælatis maiorem vim potentiæ suæ exercet. Sexto quia in manu, id est in potestate Christi, dicuntur stellæ, nimirum, Episcopi esse, vt sua gratia ipsi Ecclesias sibi commissas dignè possint gubernare. Vnde in dextera manu esse, significat Prælatos non esse ad mala committenda, sed ad bona perficienda constitutos: Iuxta illud Apostol. 2. Corint. 13. [Secundum potestatem, quam Deus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.] Rursus sunt in dextera Dei stellæ, nimirum, sancti Episcopi: Quoniam eis paratam habet Deus æternam fælicitatem, quæ per dexteram exprimitur, sicut per læuam huius vitæ bona declarantur, Iuxta illud Prouerbiorum 3. [Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria.] Hinc D. Ambrosius serm. 14. in Psalm 118. sic scribit: [Habent propria sua singulæ manus, bonis quidem vtraque dotata est dotibus, sed læua præsentium remuneratrix est, dextera futurorum, possumus hoc etiam de prophetia sancti Patriarchæ Israel cognoscere Genes. 48. Nam cum dexteram suam posuisset super Ephraim, sinistram autem super Manassem, & conuertere eas Ioseph ætatum consideratione voluisset, scio (inquit) fili mi scio, & hic erit in populos, & multiplicabitur. Sed frater iunior maior erit illo; in quo maior? Quia semen Ephraim est multitudo gentium, quæ in hoc sæculo laborem eligit credens in Dominum Iesum, vt consolationem habeat futurorum. Manasses autem semen est populus obliuionis (alludit ad Ethimologiam nominis) qui proprium oblitus auctorem exaltatus ad tempus, in hoc sæculo daturus est in reliquum graues pœnas, quia Deum suum, & Dominum suum denegauit.] Hæc D. Ambrosius. Octauo, quia huiusmodi stellæ etiam denotant prædicatores, qui dextera Dei tenentur iuxta D. Ambrosium sic scribentem in hisce commentarijs. [Per dexteram Dei, potestas Dei in hoc loco potest designari, per stellas sancti Prædicatores, sancti igitur Prædicatores manu Dei tenentur, quia ab ipso, gubernantur, & reguntur, & ipsi sunt copulati sicut ipse dixit in Euangelio: Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vitæ, sic & vos nisi in me manseritis.] Sic ille. Alludit plane hæc D. Ambr. explanatio, cum illo, quod nuper in secunda ratione retulimus, nimirum particulari cura & diligentia, Prælatorum negotijs prouidere Dominum. Nam certè Prælatis, & Prædicatoribus largius se communicat Deus. Licet namque omnium iustorum protector sit, illorum tamen magis meminit, quibus aliorum curam mandauit. Hinc considerat Augustinus, quod lauaturus Dominus discipulorum pedes, à Petro incepit. Eius namque maiorem solicitudinem habebat, cui aliorum curam commiserat: [Petro (inquit) quia melior, & dignior erat, & primus Apostolorum, primo impendit Christus lotionis ministerium.] Vnde cor regis in manu Dei esse dicitur, quasi particularium inspirationum influxu illud gubernans & mouens. Hinc porro affirmant plurimi, quod in prædicatione Ionæ, primus qui pœnitentiam incepit, fuit rex, quamobrem Ionæ 3. dicitur: [Peruenit verbum ad regem Niniuæ, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum, & indutus est sacco, & sedit in cinere.] Quasi primus inertius factus, vt pote quem Deus supra populum sibi subditum respiciebat. Vnde circa Prælatos expendi plane potest illud Exodi, nimirum, quod tantum sacrificium pro solo peccato summi sacerdotis offerebatur, quantum pro omnibus peccatis totius populi simul. Quoniam illius peccatum, cui Deus maius præstabat auxilium, maiori indigebat hostia, & sacrificio. Et circa Prædicatores exolui etiam potest illud Hier. 1. [Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum.] Et illud etiam Isa. 41. [Ne timeas quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus confortaui te & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei] Idcirco plane credo, admirabili mysterio factum fuisse, quod olim Deus in Duces populi sui, ouium elegit pastores, quales Moysen, & Dauid, in Prælatos vero & Prædicatores Ecclesiæ suæ, piscatores Apostolos. Pastores nãq; & Nautæ in maximo versantur vitæ discrimine, nullumq. artificium his laboriosius. Pastor enim non dormit sed fermè continuo vigilat, vt de se testatur Iacob, vix vestitur, malèq. vescitur. Sic etiam piscatores nudi in laboribus in periculis, ac vigilijs semper sunt. Vt vt igitur tam Prælati, & Prædicatores, quam Reges scirent se non ad quietem, non ad delicias, aut diuitias assumptos, sed ad labores, sudores & vigilias pro illis qui eis commissi sunt, hos inter cæteros diligere, & sua dextera tenere curauit. Hinc D. Chrisostomus Prælatis, & Prædicatoribus ait: [Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parua mandantem, & grandia facientem.] Nono quoniam D. Augustinus, vel Ticonius, hom. 1. in apocal. ita scribit. [Quod autem dicit habebat in dextera sua stellas septem, Ecclesiam intelligi voluit. In dextera enim Christi est spiritualis Ecclesia, cui ad dexteram positæ dicit, venite benedicti patris mei.] Decimo. Quia, D. Tho. in hisce suis commentarijs, sic scri-

Marginalia (left column): 1. Causa. Protectio diuina. — 2. Causa. — 3. Causa. — 4. Causa. — D. Hilarius. — 5. Causa. Particulari cura, & diligentia, Prælatorum negotijs prouidet Dominus. — Comparatio. — 6. Causa. — Franciscus Ribera in com. — Richardus de sancto Victore. — Prælati sunt in ædificationem, & non in destructionem. — 7. Causa. Dextera significat æternam felicitatem. — D. Hieronym. in Epist. 1. ad Ephes. — D. Aug. lib. de fide, & symb. cap. 7. — Isidorus lib. 1. de off. — D. Gregorius in cant. 2. & hom. 23. in Euang.

Marginalia (right column): 8. causa. Stellæ indicant Prædicatores. — Ioan. 15. — D. Augustin. — Prou 21. — Rex primo penituit prædicante Iona. — Exod. 5. — Pastores olim elegit Deus in duces populi sui, nunc vero piscatores in Prædicatores Ecclesiæ suæ. — Prædicatores & Prælatorũ labores. — D. Ioan Chrisost. — 9 Causa. — Matt 3.

sic scribit: [Per dexteram intelligitur eius misericordia: quasi dicat non abijciam vos, licet peccaue sint. Et benedixit, tenet, quia amplius caderet homo in offensam, & etiam prorsus in infernum. Psal. Nisi quia Dominus adiuuit nos. Secundo quantum ad liberalitatem, in distributione donorum.] Sic ile. Quæ plane verba quadrant cum ijs quæ in prima rati one nuper in exordio huius quæstionis D. Dionysij Carthusiani nomine retulimus: Cum quibus etiam concors esse videtur Lyranus dicens: [Dicuntur autem esse in dextera Christi, sine quo non potest rectè operari Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, hoc dicitur Apostolis, quorum successores sunt Episcopi in Ecclesia Dei, vt dicitur in decretis dist. 21. cap. in nouo Testamento.] Ita Lyranus. Iam Vndecimo, & postremo, Episcopi dicuntur esse in dextera Christi in signum honoris. Dextera namque honoratiorem locum semper significat. Verum quippe est, quod plerique gentiles, vt Xenophon in vita Cyri tradidit, sinistram magis existimarunt, & obid consueuerunt in conuiuijs magis familiares à sinistris habere. Quamobrem Samathycus Ægiptiorum Rex sibi magis fideles milites à sinistris, in bello, ponebat. Sed quicquid sit de hoc gentilico more, dicimus dexteram honoratiorem locum, semper in sacra pagina demonstrare. Vnde Iacob morti appropinquans dexteram super Ephraim, quem Manassi anteponere volebat, cancellatis manibus, posuit, & Dauid Psalm. 51. inquit [Delectationes in dextera tua vsque in finem.] Et Ps. 19. [In potentatibus salus dexteræ eius.] Et id etiam habetur apud Ethnicos, quoniam Virgilius, Æneid. 1. Aeneam matrem inuocantem, & honorantem, sic dixisse refert.

10. Causa.

Episcopi sunt Apostolorum successores. 11. Causa.

Ethnicorum mos, & antiqua consuetudo.

Genes. 48.

Virg. 1. Aene.

Cur dexteram iungere dextera non datur.

Et demum in hoc sensu, asserere possumus patrem æternum verbo incarnato dixisse: [Sede à dextris meis.] Quod habetur in cap. vlt. Marci per hæc verba.] Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis ascendit in cælum, & sedet a dextris Dei.] Quoniam talis honoris locus, nemini tam Angelorum, quam hominum debetur, nisi Christo, vt latè disputat S. Tho. 3. quæst. 58. Quamobrem Episcopi in signum honoris, & reuerentiæ dicuntur hoc in loco esse in dextera Christi. Quia sicuti de Apostolis, ita etiam de Episcopis expendi potest illud: [Nimis honorati sunt amici tui Deus.] Quoniam Episcopi sunt Apostolorum successores. Ad illud vero de Ethnicis, & Gentilibus, Et præcipuè ad illud Samathyei Ægiptiorum Regis facilis est solutio. Quoniam illud diuersa ratione ab ipsis fiebat. Nam cum sinistra pars debilior sit (quam ideo magis fortificat cor, licet in medio sit corporis) tamen vulnus in ea acceptum periculosius est. Et ideo putabant isti gentiles sinistram partem debiliorem magis tutam habere, quando illam amicis & familiaribus muniebant.

Psal. 109.

Dextera Dei debetur humanitati Christi.

S. Thom.

Ethnicorum mos, & consuetudo facile soluitur.

Cor, sinistram partem magis fortificat.

Vulnus in sinistra parte periculosius.

P A R A P H R A S I S

Tertia.

Par. 3.

Qui ambulat (dicit tandem) in medio septem candelabrorum aureorum. dictio (ambulat) satis apertè solicitudinem Christi erga Ecclesiam suam sanctam patefacit. Qui enim ambulat non quiescit, nec stat, nec minus sedet, immo solicitè incedit, & graditur: Et cum per septem candelabra septē Ecclesiæ Asiæ intelligantur, filium hominis ex consequenti, ambulare in medio septem candelabrorum aureorum, nihil aliud plane demonstrat quam Iesum Christum (qui filius hominis est) vnamquamque Ecclesiam circumire, & omnes simul solicitè percurrere, omnia opera nostra clare intuendo, nimirum, au luceamus (veluti candelabra aurea, & accensa) per bona opera lucis exempla monstrando, iuxta illud: [Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est,] & corda, & renes singulorum nostrorum inuestigando iuxta illud Hieremiæ 17. [Prauum est cor hominis, & inscrutabile quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructuum ad inuentionum suarum.] Hinc est, quod glosa ordinaria super hunc locum, sic habet. [Qui ambulat (quia non dum tales, vt in eis quiescat) in medio septem cādelabrorum aureorum, distribuens dona sua Ecclesijs, sua mirifica largitate, vel ambulat non dum quietus] Et Rupertus Abbas sic: [Idem est ac si dicat: qui in medio vestri digrediens, corda singulorum, & renes inuestigat. Etenim (vt prædictum est) candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt, cum ergo in medio sep ē candelabrorum huiusmodi ambulat lumen singulorum intuetur quantum luceat, ne forte sine oleo charitatis, sine operibus dilectionis fumiget fides mortuorum.] Sic ille. Itaque ly: [Ambulat.] Solicitudinem Christi erga suam Ecclesiam demonstrat. Quoniam in 1. cap. Nulla mentio facta fuit, an ille filius hominis inter illa septem candelabra, vel quiesceret, vel staret, vel sederet, vel insederet per illa, vt videre est in illis verbis 1. cap. [Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum, &c.] Quare modo additur: [Ambulat] ad prælibatam Christi solicitudinem erga suam Ecclesiam indicandam. Quæ plane stat in hoc, quod Christus semper ambulans in medio nostri, singulorum corda & renes inuestigat. Idque facilè deducitur ex hoc eodem capite secundo, in cuius fine sic habetur: [Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo vnicuiq. vestrum secundum opera sua.] Per quam Christi solicitudinem Episcopis plane demonstratur, vt sedulam curam habeant erga suam sponsam Ecclesiam, nimirum, erga gregem sibi creditum. Quam plane solicitudinem præ oculis semper habebat Apostolus dum pleno ore decantabat: [Præter illa, quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?] Hanc itidem sedulam curam gregis sibi commissi, fixam ante oculos habet Prælatus, dum ipse personaliter, ac etiam per se insedens, visitat omnia loca, quærens & procurans per villas, oppida, & ciuitates sibi commissas, corrigendo, multando, reprehendendo verbis, & verberibus indignos. Quoniam tunc, & ipse ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, cum omnium subditorum renes, & corda per sedulam visitationem suam personalem inuestigat, Exemplo Christi, qui personaliter, & per se descendit ad piscinam illam in qua, vt dicitur Ioan. cap. 5. Inuenit infirmum hominem triginta & octo annos habentem in infirmitate sua. Hæc autem dicta sunt, vt Episcopi diœcesim suam, non per se, nec personalitèr, sed per commissarios visitare prope diem curantes, videant apertè errorem suum. Quoniam cum ipsi Episcopi, bonis Episcopatus sui gaudeant & sustentētur, mittunt alioquin huiusmodi commissarios per suum Episcopatum qui quasi vulpes Samsonis, hùc & illùc pecuniarum auidi, earumq. desiderio prorsus accēsi, quasi ad caudas, faces ligatas habentes, totum ipsum Episcopatum igne succendunt. Personalitèr itaque in medio candelabrorum, hoc est, Ecclesiarum sibi commissarum debet Episcopus ambulare, vti hoc in loco Christus: [Sua dona diuidens] Vt vertit interlinearis, vel: [Omnibus se præsentem, ad dandum se offerendo, ac si ambularet hincinde sine quiete] Vt affirmare videtur S. Tho Hæc sedula demum personalis cura Episcoporum clarius apparebit, per ea, quæ de Christi in medio septem candelabrorum gressu & deambulatione scribit D. Dionysius Carthusianus in hisce suis

Enodatio textus. §. 1.

Solicitudo sedula Christi erga suam Ecclesiam.

Glos. ordi. sup cap. 2. Apo.

Solutio ad quoddam dubii quod subori poterat ex primo capite.

Solicitudo Christi erga suam Ecclesiam in quo consistat.

Visitatio Episcoporum debet esse personalis.

Christus personaliter descendit ad piscinam.

Episcoporum quorumdam error nō paruus.

Iudic. 15. Comparatio.

S. Th. in com.

suis commentarijs per hæc verba: [Dicitur autem Christus ambulare in medio fidelium non hinc inde localiter progrediendo, sed corda credentium visitando, variosque in eis effectus agendo, & tunc prosperis nunc aduersis exercendo. Vnde Moyses ait. Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, & Apostolus vos estis Templū Dei viui, sicut dicit Dominus. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus. Hoc modo Deus vadit cum suis, secundum quod Moyses orat si nō tu ipse ambulaueris nobiscum ne educas nos de loco isto. Iacob quoque in Genesi protestatur: quemadmodum Deus fuerit socius sui itineris. Iustum namque deduxit Dominus per vias rectas. Imo in tantum ducit Deus clementissimus suos electos, corda eorum in omnibus dirigendo, clarificando, tuendo, fouendo, vt dicat vir sanctus. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Denique electos tenet Christus in dextera sua per prædestinationem ambulatque in eis per donorum infusionem:] Hæc Carthusianus.

Deut. 12. 2. Cor. 9. Exod. 33. Gen. 31. Sap. 10. Ps. 72.

Differentiam autem, quæ inter Episcopum, visitantem personaliter suam diœcesim, & inter Commissarios aliasque personas, per gregem dominicum ex commissione, vel delegatione, visitantes grassatur, indicauit Christus, dum Ioan. 10. dixit. [Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt Lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & Lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.] Et reuera commissarius, siue subdelegatus potest mercenarius appellari, non solum quia quando videt Lupum venientem dimittit oues, & fugit, verum etiam, quia ipse pecuniarum desiderio fragans, in illa visitatione rapit, dispergit, & deuorat oues, vt Lupus. At vero Episcopus quamuis feriat, ac multet oues, easdem personaliter visitando, tamen ipse, vt Pastor ita ferit, multat, & componit oues suas, vt quælibet earum dicat, in medio suppliciorū: [virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.] Multat enim, vt Pastor, puta, cum grano salis, nimirum, non mactando, nec minus omnino gregem suum destruendo, sed relinquendo pro crastino, & pro futuro anno, vt ex ipsis ipse viuat in posterum, & optimam de illis Deo reddat rationem.

Commissarij & delegati sunt aliquando Mercenarij vineam Domini, vt feræ pessimæ deuorantes.

Episcopus sēper benignè agit in gregem sibi creditum.

§. 2.

In medio candelabrorum, nimirum Ecclesiarum est Christus particulari assistentia.

Christum porro dicimus in medio candelabrorum, nimirum, in medio Ecclesiæ, & esse, & reperiri per particularem assistentiam. Deus namque vbique est, vt dicunt Theologi per essentiam, præsentiam, & potentiam. Quemadmodum enim rex, qui in solio suo est ibi residet per essentiam, in toto vero cubiculo per præsentiam, quia ab omnibus ibidem existentibus cerni potest, at vero in toto suo Regno est per potentiam: vbique namque suo obtemperatur imperio. Ita Deus Optimus Maximus cum infinita sit eius essentia vbique residet: Ipse enim est, qui Ierem. 23. dicit: [Cælum, & terram ego impleo.] Cum autem vbique sit, vbique omnia videt, & per se ipsum absque causis secundis, omnia potest. Adeò autem hoc verum est, vt nulla sit creatura, in qua creatorem intueri nequeamus, si animæ oculis, eius præsentiam cernere voluerimus: Et sic ipsemet Deus propriè loquendo nullum extra se proprium habet locum, cum a nullo comprehendi queat. Vnde Augustinus à Maximo interrogatus vbinam locorum Deus esset, antequam mundum crearet, respondit: [In ipsa sua infinitate, & immensitate.] Et sic semper vbique locorum est. Ideo Abrahamo dictum est: Gen. 17. [Ambula coram me, & esto perfectus.] Quod secundum aliquos idem est, ac si diceretur: Considera me præsentem in omnibus tuis factis, & etiam cogitationibus, & da operam, vt te semper iustum exhibeas. Nullum si quidem maius frænum

D. August. Caietanus in Genesi. Iustus semper coram Deo est.

A est, nullaque efficacior ratio componendi gestus, mores, & actiones, quam Deum semper præsentem existimare. Nam de impio dicitur Psalm. 9. [Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.] Et de viro iusto habetur Eccles. 14. [Beatus vir, qui in sensu cogitabit circumspectionem Dei.] Et sic Christus verus Deus in medio suæ Ecclesiæ, particulari assistentia reperitur, quia non solum fidelium respicit opera, sed eorum particularem curam gerit.

Impius non cogitat de Deo.

§. 3.

Præsentia, & assistētia Christi personalis in Ecclesia, qua eam gubernat, & protegit.

Spiritualis tamen, & nullatenus corporalis (modo post ascensionem Christi ad Cælos) est hæc assistentia, siue præsentia particularis Christi, in Ecclesia sua, vt dicunt doctores sancti. Hinc plane primo venit in mentem illud sponsæ Cantic. 1. [Dilectus meus inter vbera mea commorabitur.] Quo
B loco sponsa alludit ad arcam testamenti, quæ inter duos Cherubinos inclusa erat, qui alis suis propitiatorium vndique circumdabant. Parietiammodo nunc Ecclesia, Christo quasi suo propitiatorio tegitur: In quo nobis Pater æternus nouissimis his diebus locutus est, quemadmodum olim in propitiatorio faciebat. Hoc autem Cherubinis amplectitur alis, quos vbera hìc vocat sponsa, hoc est, amore, & opere. Sic enim illi cælestes Spiritus diuino amore inflammati diuinæ semper obtemperant voluntati. Possumus insuper verba sponsæ aliter explanare, ita vt asseueremus inter vbera sponsæ collocatum esse Christum, quia locus est cor ibi, vnde omnis vita emanat, & ipse eam spiritualiter viuificat in medio corporis huius mystici, locum sibi eligendo, sicut media est in diuina Trinitate persona, ideoque homo factus est, & in medio orbis passus fuit, vbi situm
C esse Ierusalem creditur. Iuxta illud Psalm. 73. [Operatus est salutem in medio terræ.] Et Diuus Hieronymus id confirmat expendens illa verba Ezechielis 5. [Ista est Ierusalem in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras.] Quod etiam asseuerat Tertullianus lib. 2. carminum contra Marcionem cap. 4. dicens: [Hìc medium terræ est, hìc est victoriæ signum.] Quam insuper opinionem sequuntur Cyrillus Cathec. 13. & Beda de locis sanctis, cap. 13. hinc Sanctus Thom. 3. part. quæst. 47. art. 10. putat id factum esse, vt ibi moreretur, quia virtus passionis eius omnibus hominibus profutura erat, & ideo, meritò in medio terræ operatus est. Quamobrem ipse post passionem, hoc in loco, in medio apparet candelabrorum, nempe Ecclesiæ, cui efficaciter proficiebat, quantum ad bonos, & sufficientèr quantum ad malos. Qua etiam de causa
D inter duos latrones pati voluit suspensus, quorum vnus damnatur, alter vero saluatur; quia merita passionis, bonis & malis offeruntur, & omnibus sufficiunt. Quod autem non omnibus proficiunt, id ex malitia nostra prouenit. Et quia omnia cælestia, & terrestria pacificanda erant, in medio Cælo passus est, nimirum in aere. Hinc Apost. Col. 1. [Pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.] Et quia pro nobis moriendo, nos non deseruit, sed continuo nos corroborat, in medio discipulorum suorum post resurrectionem suam gloriosus apparuit iuxta illud Lucæ 10. [Stetit Iesus in medio discipulorum suorum.] Quo etiam modo adhuc perseuerat in medio Ecclesiæ, iuxta illud Matth. vltim. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.] Et Matth. 18. [Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomi-
E ne meo, in medio eorum sum.] Quæ plane promissio, non de præsentia corporali (vt volunt hæretici) sed de præsentia spirituali (vt firmitèr, & intrepidè tenent Catholici) intelligenda venit, vt dixi. Quapropter D. Leo. sermone 2. de Ascensione, ait: [Ineffabili modo per ascensionem cæpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior. [Et Sanctus Fulgentius lib. 2 ad Trasimum-

Hebræorum expositio. Locus canticorum exsoluitur rectè. Heb. 1.

Vita vnde emanat. Cordis locus est inter vbera. Christus passus est in medio terræ habitabilis.

Passionis Christi virtus, & efficacia.

Cur Christus inter duos latrones moritur.

Merita passionis Christi, cur omnibus non proficiant.

Assistentia Christi modo post Ascensionem in Ecclesia, est spiritualis, & nullatenus corporalis.

D. Leo Papa.

S. Fulgentius.

smundum cap. 17. [Vnus idemque secundum humanam substantiam absens cælo, cum esset in terra, & derelinquens terram cum ascendit in Cælum. Secundum diuinam vero, immensamque substantiam, nec cælum dimittens cum de cælo descendit, nec terram deserens cum ascendit in cælum. Secundum diuinam vero, immensamque substantiam, nec cælum dimittens cum de cælo descendit, nec terram deserens cum ascendit in cælum :] Qua quidem via spirituali, nobiscum præsto adest, vt foueat, custodiat, & protegat iuxta illud Deut. 4. [Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis :] Hinc haùd exigua suboritur nobis consolatio ex eo scilicet, quod Christum præsentem spiritualiter inter nos, ita deambulantem audiamus, vt nulla ex parte (si velimus) nobis nocere queat inimicus, cum nobiscum tam fortis auxiliator præsto sit. Talem sibi eum proponebat Psalmographus dum dicebat: [Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mei, nec commouear.] Hoc est, auxilium subito præstat, vt nos a malis omnibus liberet, quod forte Angeli in sponsa, videlicet Ecclesia considerantes dicebant, Cant. 8. [Quæ est ista, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum,] Quasi valde admirati, quod ex tam misero mundo, tantis delitijs abundans ascendisset: Quamobrem mox causam reddunt, vnde tantum bonum. [Innixa super dilectum suum :] Quæ verba explanat Bernardus, sic.] Fructuosè sponsa nititur, omnia possibilia sunt nitenti super eum qui omnia potest. Quare si nobiscum præsentem cognoscimus, nulla nobis nocere poterit aduersitas. Moyses Exod. 3. vidit rubum, qui dum comburitur non consumitur, transiens ideo ait, [Videbo visionem hanc.] Quid Moyses sancte miraris? Deus intra arborem illam est, ideoque licet igne circumdata sit, consumi nequaquam potest: Sic Christus in medio est Ecclesiæ, & ideo ipsa persecutionibus non consumitur. Et eodem etiam modo est in corde iusti. Quare meritò tanto hospite gaudere debemus. Hoc Apos. ad Eph. 3. imprecabatur fidelibus dicens: [Christum habitare per fidem in cordibus vestris, vt inde resistatis malo, & omnia inimici tela vincatis.] Hanc itaque assistentiam Christi specialem in Ecclesia, indicat Ioannes, dum introducit illum ambulantem in medio candelabrorum.

Assistentia spiritualis Christi in Ecclesia ad quid.

Christus nobiscù cito adest

Assistentia Christi in Ecclesia est magna consolatio nostra.

Psalm. 14.

Nota passim quod alteri modo est loquendum de assistentia Christi, & eius præsentia in sacramento Altaris.

Text. 2.



SCIO opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mendaces: & patientiam habes: & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

COMMENTARIVS.

§. 1. Explanatio contextus.



EXIMIO plane verborum applausu hic extollitur, laudatur, ac satis quippe prudentèr & cautè Episcopus Ephesinus à Christo per Angelum suum commendatur. Cuius encomij origo & causa haùd quaquam vlla alia sane est, nisi quia afflicto non est prius danda afflictio, quam consolatio. Erat namque Antistes iste Ephesinus in multis (vt mox sequenti textu: [Sed habeo aduersum te pauca] apparebit) reprehensibilis. Verumenimuero, quia propter nomen Iesu

F Christi opprimebatur, & affligebatur: Ideo cautè, noluit illum primo increpare, aut in aliquo reprehendere. Quinimo prius consortans, ac adiuuans eum, primo eumdem laudat: veluti optimus medicus siue eximius chyrurgus, qui cum ad minutionem infirmo alicui infligendam accedit, prius infirmi brachium (aut aliquod aliud membrum) fricat, collaudat, & alterius compalpat: deinde interdum scissuram facit, vel vulnere transuerberat. Sic præsul iste Ephesinus, prius hìc blanditur & consolatur à Christo per hæc verba *Scio opera tua*. Quasi dicat ei Christus, Fidelis quippe es: Seruasti namque adhuc fidem, Et ideo approbo opera tua. *Et laborem* adhuc tuum. Laboras quippe in regula fidei orthodoxæ, tribulationem ab aduersarijs fidei frequenter patiendo. Laborasti sane, & tolerasti, nulla fatigatione animum deijciens, ob ea quæ propter nomen

Deus procedit medici more.

Simile.

Operum bonorum Antistitis Ephesini, diuinum eloquium.

Matth. 5.

G meum irruerunt. Memento, tum quia beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, tum quia, qui me confessus fuerit (seruando fidem) coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: Et obid gaudeo sane videndo *Patientiam tuam* hoc est, tolerantiam tuam. Laudabile quippe est patientiam ac tolerantiam in laboribus, & tribulationibus habere, & præcipuè pro iustitia, & fide mea susceptis. Quod autem te infestationibus Pseudoprophetę omnino oppresserint, nec non tibi a pseudoapostolis contumelia prorsus illata extiterit, ex illo apparet. *Quia non potes sustinere malos*. Id est, publicos peccatores, hoc est, hæreticos: cum quibus haùdquaquam communicas. Quinimmo illos reijcis à consortio fidelium & ab Ecclesia expellis, ne fideles, ac iusti, malis eorum corrumpantur. *Et* (sic) *tentasti* disputando aduersus eorum dogmata peruersa, & examinando *eos*

Matth. 10.

H id est Marcionem, & Cherintum, aliosq. per multos hæreticos fabricatores mali, inimicos homines zizania super semen bonum seminantes. *Qui se dicunt Apostolos esse*, & examine iam accurate facto, hoc est, experimentum à te de eorum vita, doctrina, & moribus iam accepto *non sunt*, quia à fructibus eorũ cognouisti eos, & (sic) *Inuenisti eos mendaces*, hoc est pseudoapostolos & subuertores fidelium, per loquacitatem & eorum falsa dogmata. *Et* (tamen) *patientiam habes*, permanens adhuc inuictus, & ad plura toleranda paratus, & hoc propter inanem gloriam *sustinuisti*, sed *propter nommen meum*, glorificandum & auxilio meo præmunitus, *non defecisti*, id est, non subtulisti, sed perseuerasti. En igitur Episcopi Ephesini circa fidem, laborem, patientiamque elogium, eo quod zizania seminantes, ab Ecclesia sancta Dei, sibi commissa nimio artificio arcuit, zelo domus Dei comedente illum.

Feruor Episcopi Ephesini.

I Laudauit itaque Christus hunc Antistitem, (vt nuper retulimus) antequam eum increparet, vt sic reprehensionis amaritudinem collaudationis dulcedine circumlinetet, ne illum mirummimodum offendere. Simili artificio vsus fuit Apostolus. 1. Cor. 11. dicens: [Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicuti tradidi vobis præcepta mea tenetis.] Et mox [Hoc autem præcipio non laudans quod nõ in melius, sed in deterius cõuenitis] Et 1 Cor. 1. [Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, ita vt nihil desit vobis, vlla gratia.] Et paulo post hæc: [Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non

§. 2. Reprehensionis amaritudo dulcedine collaudationis circumlinienda.

Episcopus Ephesinus cur prius laudetur, quam increpetur.

Consuetudo D. Pauli in suis Epistolis fuit, vt prius laudibus postea vero increpationibus intenderet.

K sint in vobis schismata, significatum est enim mihi de vobis, quia contentiones sunt inter vos. Vnus quisque dicit, ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo, &c.] Quam Paulinam in reprehendendo dexteritatem exoluens D. Gregorius, hoc eleganti illustrat exemplo hom. 11. in Ezechielem dicens: [Vt peritus medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpat, & subitò percutit.] Ita Gregorius. Quinimo Rupertus Abbas in hunc locum, artificiosam sermonis dispositionem, alta mente con-

D. Greg. Comparatio.

te contemplatus est. Nec enim (ait) dumtaxat prius laudatur, quam reprehendatur iste præsul, sed rursus post reprehensionis admonitionem, & comminationẽ laudatur iterum, illis verbis: [Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi:] Magnum inquit plane & imitandum magisterium spiritus Dei, corripere quidem quæ emendatione indigent, sed inter corripiendum, & prius, & posterius collaudare, si quæ bene acta vel dicta sunt ab eo, qui in alijs corripitur, quatenus quo ad fieri potest teneatur beneuolus, vt non refugiat confusus, aut exterritus audire non sustinens peccatoris animus vt etiam præstitit Samaritanus ille, qui eius qui incidit in latrones vulneribus non solum mordax vinum, sed etiã lene oleũ infudit.

Lucæ 10.

§. 3. Prælatorum proprium munus.

Merito tamen Christus hunc Antistitem hic laudat quoniam pro grege suo tuendo maximè laborabat. Quod plane proprium Episcoporum munus esse oportet, dicente Apostolo ad Rom. 12. [Qui præest in sollitudine.] Hinc tunica illa linea, qua summus sacerdos Aaron induebatur dum sacrificium offerre volebat, suo munere fungendo, oculis vndequaque plena erat, vt eiusdem præpositi necessariam denotaret diligentiam, qui suo muneri adimplendo vacare vult. Id circo Dominus ad Ierem. in cap. 1. dixit: [Quid tu vides Ieremia?] Et responsum ab illo fuit: [virgam vigilantem ego video.] Quem locum exoluens Cyrillus Alexandr. contra Iulianum Apostatam lib. 2. dicit, allusisse Prophetam ad Hieroglificum illud Ægyptiorũ, qui vt vigilantem significarent Præsulem, oculum in summitate virgæ depingebant. Quare Deus etiam cum Ieremiæ onus Prophetæ, & Prædicatoris imponeret, hoc ei mysterio significauit quanta cura, ac sollicitudine supra commissum sibi gregem vigilare deberet. Vnde effectum est vt ipse Pastor omnium Christus in lapidis figura à Zacharia visus septem oculos habere dicatur, quia supra omnes pastores summa cura, ac diligentia Ecclesiæ suæ prouidet, eiusque curam gerit. Hinc forte, & ille antiquus Ianus (quem aliqui Patriarcham Noe esse tenent) duas facies habuisse dicitur quatuor oculis ornatas propter admirabilem eius in re administranda diligentiam. Qua etiam ratione septẽ Osiri tribuuntur, qui in summa vigilantia, qua subditos gubernauit, reliquos omnes reges antecessores suos lõge superauit. Quapropter Propheta, & in oculo diligentiã ac vigilantiam pastoribus necessariã significat. Hinc & illa sancta quatuor animalia, quæ in c. 1. vidit Ezechiel iuxta rotam, corpus habebant oculis plenum, quæ quatuor Euangelistas præfigurabant, quibus cura, & munus Pastorale incumbit. Et id ipsum exprimitur per aliqua animalia ex illorũ numero, quę vates Dei intuitus fuit. Leo enim animal est apertis oculis dormiens. Vnde Salomon ad Prælatorum vigilantiam demonstrandam iussit in basibus 3. Reg. 7. leones sculpi. Bos insuper animal est sacrificio aptum pro populo. Aquila insuper animal est alte volitas, de qua scriptum est Leuit. 32. [Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.] Quæ omnia prælatorum diligentiæ maximè quadrant, præcipuè cum in eodem cap. Ezech. dicatur: [Cumque ambularent animalia, ambulabant, & rotæ pariter iuxta ea, & cum eleuarentur animalia de terra eleuabantur simul, & rotæ:] Quoniã prælatorum exemplo, & diligentia subditi eleuantur. Hinc de Prælatis scribit Apostolus ap Heb. 13. [Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabis vestris.]

Virga prævigilans præsul.

Zacharia 3.

Cura maxima Christi erga suam Ecclesiam.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Enodatio textus.

§. 1.

Scio (ait) opera tua. Bona opera illa quæ hucusque operatus es, tam dum fides in te charitate commitata & sociata erat, quam modo quando sola fides charitate spoliata in te manet, omnia ergo ista opera tua quæ fide formata, & informata facta fuere, scio, & approbo, cum fide redoleant.

A

Approbata itaque erant apud filium hominis opera istius Episcopi Ephesini: Nam ly [Scio] vt tenẽt Glossa interlinearis, Anselmus, D. Thomas, D. Dionysius Carthusianus, Auctor Incognitus, & Lyranus idem sonat quod [approbo.] Scire enim Dei (vt tenet D. Gregor.) idem est quod approbare. Nescire vero idem est quod reprobare iuxta illud Matth. 25. [Amen dico vobis nescio vos] notitia approbationis (vt tenet Lyranus) qua soli electi à Deo cognoscuntur. Vel, [Nescio vos] notitia amicitiæ (vt vertit Caietanus:) quæ enim non est amicitia non potest sciri.

§. 2. Opera istius Episcopi grata Deo.

Lyranus, & Caietanus super cap. 25. Matth.

B

Cæterum quæ opera sint ista huius Episcopi, an scilicet illa, quæ fecerat in charitate, nimirum, antequam superueniret in illo macula lethalis, an vero illa quæ fecerat existens in peccato mortali, iam amissa charitate prima, non plane satis perspicuum est apud huius libri expositores. Disquirendum igitur hic istud est. Si enim sermo fuerit de operibus in charitate factis, cum iste Episcopus postea lethaliter peccauerit amittendo charitatem primam (vt dicetur intra) talia opera non illi proderant ad vitam æternam, vt sic, superueniente macula peccati mortalis. Et tunc non apparet qualiter filius hominis ista opera approbaret, dicens: [Scio opera tua,] Id est, approbo opera tua. Si autem sermo fuerit de operibus factis in lethali peccato post amissionem primæ charitatis, cum talia opera non prosint (quia sunt absque gratia & charitate facta) tunc etiam minus apparet qualiter filius hominis illa approbaret.

§. 3. Difficultas supra textũ.

C

Diuus Ambrosius existimat, hoc in loco tantum esse intelligenda opera in charitate facta, vnde ly. [opera tua] sic vertit ipse: [Ea videlicet, q̃ faciebas prius quã refrigesceret in te charitas,] Sic ille. Cui opinioni se subscribere videtur Franciscus Ribera super hunc locum, quamuis nihil ex propria sententia super hanc particulam: [Scio opera tua.] ipse scribat.

§. 4. Opinio D. Ambrosij. & aliorum in c. 2. Apoc.

Verumenimuero, stando firmiter in dictis, existimamus de vtriusque operibus, nimirum, in charitate factis, & in mortali peccato operatis hic loquutum fuisse filium hominis dicentem huic Episcopo Ephesino: [Scio opera tua, id est (iuxta versionem nostram) approbo opera tua hucusque fide operata. Opera namq; in charitate facta, per subuenientem maculam peccati mortalis, tantum mortificantur. Et licet pro tunc & vt sic priuata sint potestate perducendi hominem ad vitam æternam; tamen superueniente pœnitentia (vt infra dicetur) reuiuiscunt. Et sic dum sunt mortificata, sunt approbata à Deo: quia adhuc sunt & non omnino transierunt (vt quidam volunt:) Deus cognoscit, id est, scit, & approbat omnia quæ sunt: quia vt sunt bona sunt, licet pro tunc, & vt sic, non perducant hominem ad vitam æternam: quia non sunt in memoria iustitiæ, quam operatus fuit iustus. Opera insuper facta ab existenti in mortali peccato, licet non prosint (vt sic & pro tunc) ad vitam æternam, tamen sunt satisfactoria, & meritoria aliquid aliud minus vita æterna eo quod opera bona ex genere, vt ieiunare, dare eleemosynam, orare, & similia, habent quandam naturalem bonitatem, & licet non sufficiant ad reddendum hominem Deo gratum, tamen necesse est vt per ea homo aliquid mereatur quod sit minus vita æterna, alioquin aliquod bonum maneret irremuneratum, quod diuinæ prouidentiæ ordini manifestè repugnat. Ob hoc planè asseueramus opera bona in lethali facta meritoria esse, Tum ad hoc quod homo habeat minus suppliciũ in inferno: Nam si quis non habens charitatem in aliquo schismate constitutus (vt ait D. Aug. lib. de pœnitentia, & habetur de pœnitentia dist. 3. cap. Si quis) ne Christum neget, patitur tribulationes, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennę, nullo modo ista culpanda sunt: Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse vt Christum negando nihil eorum pateretur, quę passus

§. 5. Opinio auctoris vera, & firmissima circa textum.

D

E

Opera bona extra charitatem facta, ad quid prosint.

D. Aug.

passus est. Sed existimandum est fortasse tolerabilius ei futurum iudicium quam si Christum negando nihil istorum pateretur. Tum per talia bona opera in mortali facta meremur temporalia bona, & sic obstetrices Ægyptiorum (vt dicunt D. Augustinus, & D. Gregorius) per mendacium obtinuerunt sibi fieri domos à Deo. Ita enim dicitur Exod. 1. [Bene ergo fuit Deus obstetricibus, & creuit populus confortatusque est nimis,& quia timuerunt obstetrices Deum ædificauit eis domos.] Istud etiam apparet Lucæ 6. vbi de hypocritis ieiunantibus dicitur: [Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam.] & Lucæ 16. diuiti illi Epoloni sic dicitur:[Recepisti bona in vita tua.] super quę verba D.Greg. ita ait: [Cauendum nobis est vt si forte aliquod bonum egimus in præsenti sæculo, remunerationem accipiamus, ne forte dicatur nobis, mercedem suam receperunt, nisi enim diues iste aliquod bonum egisset, de quo in præsenti remunerationem aliquam accepisset,nequaquam diceret ei recepisti bona in vita tua.] Sic ille. Porro opera bona in mortali facta prosunt ad hoc, vt diabolus habeat minorem potestatem super ipsum peccatorem, vt patet per D.Gregorium in dialogo de Iudæo, qui muniuit se signo crucis,& ideo Dęmones non potuerunt ei nocere. Sed diabolus qui eum inuenit dixit Principi dæmoniorum,ita: [Inueni vas vacuum sed signatum.] Præterea talia bona opera in lethali prosunt ad hoc, vt per illa se assu faciat homo ad bonum, & poterit inde gigni bonus habitus. Nam quislibet actus naturalis(vt colligitur ex 2.Ethi.) est generatiuus habitũ. Ideo etiam si in mortali sit homo, & exerceat opera bona,inde gignetur bonus habitus moralis,& quando redierit ad gratiam habebit magnum adiutorium ad bene operandum. Quid,quod multa interdum fiunt, quæ licet in se non proficiant,tamen disponunt ad aliquod bonum,vt baptismus Ioannis,qui in se non proficiebat ad vitam æternam, & tamen homines assumebant illum vt per eam assuefierent ad Christi baptismum,vt dicunt communiter Theologi, & habetur de consecratione dist.4.cap.[Non regenerabantur]Insuper opera bona in mortali operata prosunt ad hoc, vt per illa homo mereatur se ita disponere,vt Deus illustret cor eius, & citius exeat de peccato. Sic enim dicit D. Gregorius, & habetur de pœnit. dist.5. cap. [Falsas pœnitentias] vbi loquens de eo qui est in peccato mortali,de quo non dum exit,dicit,ne tamen desperet, interim quicquid fecerit boni, vel facere potuerit hortamur vt faciat vt omnipotens Deus cor illius illustret ad pœnitentiam.Hinc est versus.

D.Greg. ho. 40. in Lucam.

Bona opera extra charitatẽ ad quid prosunt.

Opera bona extra charitatem facta ad quid prosunt.

Baptismum Ioannis ad quid recipiebant homines olim.

C.Greg.

Quæ cum peccato fiunt dant terrena.
Cor faciunt humile, subleuant tormenta gehennæ.

Peccator exhortatur ad bona operanda.

Tandem opera bona in lethali facta sunt satisfactoria pro aliquo debito. Satisfactio namque duplex est. Quædam pro aliquo onere, quod nobis specialiter incumbit, vt si alicui pro pœnitentia impositum fuerit ieiunare, aut aliquid facere, vel tenetur ex officio illud facere sicut beneficiatus, vel ordinatus in sacris dicere horas, & sic de omnibus alijs, quæ ex officio incumbunt,vel ex onere speciali, & de istis manifestum est, quod potest existens in peccato lethali satisfacere. Obidque cui impositum est à sacerdote ieiunare, aut eleemosynam dare in pœnitentia etiam si in mortali constitutus (vel ex eo quia ad confessionem fictè accedit vel ex eo quod aliquod malitiosè, & cautè peccatum in se retinuit) ista compleat, satisfacit, ita vt non teneatur iterum illa facere, nec etiam confiteri quasi pœnitentiam iniunctam non impleuerit. Et licet circa orationem impositam apud Theologos dubium videatur, an dicens in peccato mortali orationem ei impositam satisfaciat, tamen in cæteris generale est, quod satisfacit. Alia vero est satisfactio pro obedientia generali, vel onere vniuersali. Verbi gratia pro obseruatione legis tam Christi,quam naturalis: quia ad vtrumque omnes tenentur. Certum est quod non tenemur ex charitate, siue in charitate existentes implere ea quæ iubetur.Quinimmo satisfaciamus illa ad implendo quã ũis in peccato mortali existamus,vt tenet communis schola Theologorũ cum Magistro in 3. lib. senten. dist. 36. & cum S. Thoma in 3. dist. 36.& p. 2. quæst. 100. articulo 9.Et sic religiosi obseruando sua vota, & ceremonias ordinis, ac regulam, quamuis sint in peccato mortali satisfaciunt, quia omnia hæc obseruare tenentur. Ex quibus omnibus concludo filium hominis,non solum opera,quæ in charitate fecit iste Antistes Ephesinus: verumetiam bona quæ charitate orbatus, ac spoliatus operatus fuit approbauisse. Nam apud Deum nullum bonum est irremuneratum. Et insuper pastor iste, exonerętam speciali, videlicet Episcopali, & sacerdotali, quam ex onere generali, scilicet,legis Christi, & naturalis, tenebatur plura satisfacere cum esset fidelis (licet charitate orbatus) quæ quo ad satisfactionem approbata debebant esse apud Deum cum illa adimplendo(licet in peccato mortali)satisfaceret.

Opera bona extra charitatem facta sunt satisfactoria.

Mag. S.Thom.

Religiosus regulã suam adimplens cum est in mortali satisfacit.

Nullum bonũ irremuneratum manet a Deo.

Hinc facile respondetur D. Dionysio Carthusiano sic in hisce commentarijs scribenti: [Scio per approbationem opera tua, quæ ante fecisti ex charitate fluxerunt, vel etiam quæ nunc agis,si enim in bono non perseuerasses, bona præterita fuissent mortificata, & omnium iustitiarum eius Deus non fuisset memoratus, sicut per Ezechielem fatetur. Si iustus fecerit iniquitatem, omnes iustitias eius non recordabor. De hac approbationis scientia loquitur Paulus. Si quis diligit Deum hic cognitus est ab eo, & Moysi Dominus loquens, te inquit cognoui ex nomine.] Hæc Carthusianus. Cui respondeo quod quamuis per lethale superueniens mortificata essent præterita opera bona, tamen adhuc Deus illa approbat non ad vitam æternam prout sic, sed ad cito exeundum de peccato, vt nuper retulimus. Et insuper quamuis operibus factis in lethali, Deus non recordetur, quo ad vitam æternam, tamen eisdem recordatur, quo ad aliquid minus vita æterna nimirum, quoad bona temporalia vt dudum etiam retulimus. Quare hoc in loco, [Scio,] idem est quod [approbo] Sic enim pluries in sacra Scriptura hoc verbum [scio] accipitur, vt est illud Num. 16. [In hoc scietis, quia Dominus miserit me.] & 4. Reg. 6. [Numquid scitis quod miserit filius homicida huc.] & Psalm. 99. [Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.] & demum 2. Cor. 3. Scio animum vestrum promptum,] Et ob id cognitio Dei: quam indicat verbum [scio] dicitur scientia approbationis tam ad vitam æternam quam ad aliquid aliud minus vita ęterna. Illud autem Prophetę, [omnes iustitias eius non recordabor,] intelligendum venit, ad vitam æternam prout sic, cæterum non recordabor,prout sic,ad aliquid minus vita æterna.Quoniam prout sic, mortificata sunt, & non omnino transierunt. Et ea quæ sunt quatenus sunt, bona sunt vt nuper retulimus, & infra adhuc etiam patebit.

§. 6. Obiectio D. Dionysij Carthusiani.

Primasolutio obiectionis Carthusiani.

2. sol.

3. sol.

PARAPHRASIS
Secunda.

Et laborem, (ait)Pastoralis labor huius Antistitis Ephesini, hic à filio hominis Christo Iesũ plane commendatur. Anselmus Laudunensis, per [laborem] superscribit[tribulationem] quam versionem sequutus est Lyranus scribens super hunc locũ ita [& laborem, (idest)

Par. 2. Dilucidatio textus.

§. 1.

(ideſt) tribulationem ab aduerſarijs fidei. Verumenimuero congruè ſatis quidem per talem laborem, paſtoralis labor dicti Epiſcopi indicatur. Solet namque labor paſtoralis in ſacra Scriptura ſæpiſſime commendari: eo quod Epiſcopatus non eſt nomen honoris (vt multi falſo putarunt) ſed operis, & laboris. Hinc D. Paulus 1. ad Timotheum 3. ait: [Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat,] ſuper quæ verba ait Primaſius, [Opus dixit nō honorem.] Et Lyranus ibi, [Non eſt deſiderandus (nempe Epiſcopatus) propter officij dignitatem, ſed propter annexum laborem; qui eſt ordinatus ad honorem Dei, & proximi ſalutem. Vnde dicitur Epiſcopus ab [Epi] quod eſt ſupra & [Scopòs] intentio, quia debet ſuper intendere ſaluti plebis ſibi commiſſæ.] ſic ille. Et D. Hieronymus, epiſtola ad Oceanum citans hæc verba Apoſtoli: [Fidelis ſermo ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat,] ſic ait, [Opus, non dignitatē: laborem, non delitias: non creſcere faſtigio, ſed humilitate decreſcere, vt fiat ſeruus, & miniſter hominum propter Chriſtum vt etiam intermiſſa rachele, decora facie, ſed non relicta cum Iacob inerat ad Liam oculis Lippam, & de monte cum Moyſe deſcendat ad campos, & de otio contemplationis ad laborem actionis. Non enim ſic eſſe quiſquam debet otioſus, vt in eodem otio Vtilitatem non cogitet proximi nec ſic actuoſus, vt in odem otio vtilitatem non cogitet proximi nec ſic actuoſus vt contemplationem non requirat Dei, in otio non iners vocatio delectare debet, ſed vel inquiſitio, vel intentio veritatis vt in ea quiſque proficiat, & quod inuenerit alteri ne inuideat, in actione vero, non amandus eſt honor in hac vita, ſiue potentia, quia omnia ſunt vana ſub ſole, ſed opus ipſum quod per honorem, & potentiam fit, ſcilicet vt valeat ad ſalutem ſubditorum. Vnde ſi quis Epiſcopatum deſiderat, exponere voluit quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris, Græcum enim eſt & inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur ſuperintendit curā illorum ſcilicet gerens. Scopos enim intentio eſt. Epi, ſupra inde Epiſcopus latinè ſuperintendens dicitur vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Epiſcopatus enim eſt ſuper ſuam & aliorum vitam intentio. Itaque & ſtudio cognoſcendæ veritatis, nemo prohibitum quod ad laudabile pertinet otium, locus vero ſuperior ſiue quo regi populus non poteſt, & ſi teneatur, & adminiſtretur vt decet, indecenter appetitur. Ideo in otio cogitanda eſt vtilitas proximi, in actione requirenda eſt contemplatio Dei, otium ſanctum quærit charitas veritatis, nec otium iuſtum ſuſcepit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit vacandum eſt veritati, ſi imponitur ſuſcipienda eſt propter neceſſitatem charitatis. Sed nec ſic deſerenda eſt delectatio veritatis ne ſubſtrahatur ipſa ſuauitas, & opprimatur iſta neceſſitas.] Hucuſque D. Hieron. Et S. Auguſt. ſuper hæc eadem verba Apoſtoli: [Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.] In lib. 19. de ciuitate Dei cap. 19. ſic ſcribit: [Exponere voluit quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris, Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, ſuperintendit, curam eorum, ſcilicet gerens, latinè ſuperintendere poſſumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit non prodeſſe.] Ita D. Auguſtinus. Cui opinioni videtur ſe ſubſcribere Angelicus doctor Aquinas 22. quæſt. 185. art. 1. ad 1. Ex quibus omnibus liquido apparet. Epiſcopum, & paſtorem Eccleſiæ, laborem ſibi annexum ſemper præ ſe gerere. Qui quidem paſtoralis labor ex diligentia, & ex nimia cura ſibi coniuncta ex officio ſuper gregem & Eccleſiam Domini ſibi commiſſam ortū originemq; habet, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Timoth. 4. [Tu vero vigila in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ miniſterium tuum imple ſobrius eſto.] Idem labor & cura ſuper gregem Dominicum deducitur ex illo Matth. 25. [Simon dormis, non potuiſti vna hora vigilare mecū, vigilate; & orate, vt non intretis in tentationem.]

Epiſcopus eſt nomen laboris.

Epiſcopus nō debet otiari.

Epiſcopus nō eſt nomen honoris.

Epiſcopus dicitur ſuperintendens.

D. Aug. lib. 19 de ciuit. Dei cap. 19.
Epiſcopus eſt nomen græcum.

S. Thom.

A Paſtoralis porro labor in multis conſiſtit, & præcipuè in extirpanda, & euellenda zizania, quam inimicus homo ſuper bonum ſemen ſuperſeminauit, vt videbitur infra. Hinc D. Dionyſius Carthuſianus ſuper hæc verba ſic ſcribit. [Et laborem tuum in miniſterio Dei, & regimine atque cura ſubditorum, de quo hortatur Apoſtolus, labora ſicut bonus miles Chriſti, laborem quoque quem habuiſti reſiſtendo hæreticis; ac peruerſis, corporis etiam afflictionem omnemque conatum pro vitijs extirpandis atque virtutibus inſerendis.] Hæc Carthuſianus.

§. 2. Paſtoralis labor in quibus conſiſtat.

B

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Et patientiam (ait) tuam. Pulchrè poſt laborem, patientia laudatur. Quoniam iuxta Apoſtolum, [tribulatio patientiam operatur,] mirum tamen eſt, Antiſtitem iſtum Epheſinum charitate orbatum (vt mox dicemus) patientiam in rebus arduis, & difficillimis obtinuiſſe, quandoquidem S. Thom. 22. q. 136. ar. 3. exiſtimat patientiā non poſſe habere quis abſque gratia, quoniam vt ait ipſe, manifeſtum eſt, quod patientiā ſecundum quod eſt virtus, à charitate cauſatur ſecundum illud 1. Cor. 13. [Charitas patiens eſt.] At manifeſtum eſt etiam quod charitas non poteſt haberi, niſi per gratiam ſecundum illud ad Rom. 5. [Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis,] quare patet quod patientia non
C poteſt haberi ſine auxilio gratiæ.

§. 1. Elucidatio textus. Patientia laudatur poſt laborem. S. Thom. Obiectio.

Dicerem ego, Antiſtitem hunc Epheſinum nullatenus eſſe charitate orbatum: ſed ſplendore dumtaxat primæ charitatis; ſiue feruore ſpiritus erga gregem dominicum, & curam paſtoralem, quem in exordio ſui muneris à Deo acceperat, niſi quia hic ſermo eſſe poteſt de patientia vt eſt habitus quoniā ablata charitate delentur virtutes, vt virtutes ſunt, & remanent vt ſunt habitus pro ut in ſequēti diſp. dicemus cū S. Tho.

§. 2. ſolutio.

Moralis tamen virtus eſt patientia, vt docet S. Thom. 22. q. 36. art. 1. per quam bonum rationis conſeruatur contra triſtitiam, ne ſcilicet ratio, triſtitiæ ſuccumbat. Quamquidem patientiæ deffinitionem accepit Angelicus doctor à D. Auguſt. in lib. de Patientia c. 2. vbi ſic
D dicitur: [Patientia hominis eſt qua mala æquo animo toleramus, id eſt, ſine perturbatione triſtitiæ, ne animo iniquo bona deſeramus per quæ ad meliora perueniamus.] Et c. 2. ſic etiam habetur: [Virtus animi quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum eſt, vt etiam ipſius qui nobis eam largitur patientia prædicetur.] Hæc D. Auguſt. Per quæ concludit Angelicus doctor, patientiam virtutem eſſe.

§. 3. Patientia eſt virtus moralis.

Alia tamen patiētię deſcriptio adducitur à M. T. C. lib. 3. de Inuent. per hæc verba: [Honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum ac difficilium voluntaria, aut diuturna perpeſſio.] Et quia Epiſcopus iſte Epheſinus piè ac humiliter contumeliam ſibi ab aduerſarijs fidei illatam paſſus fuit: ideo vt ad meliora perueniret, eius patientia hìc commendatur.

§. 4. M. T. C. Patientia quid ſit iuxta Ciceronem.

Patientia inſuper pro tolerantia aliquando vſurpatur iuxta illud Apoſt. [Tolerantiam earumdem
E paſſionum quas & nos patimur.] Et idem apparet apud Ethnicos ſcriptores, Nam M. T. C. in para. ſic ſcribit: [tolerantia rerum humanarum ex contemptione fortunæ,] vbi tolerantia accipitur pro patientia. Et pari etiam modo accipitur illud Quint. lib. 1. cap. 2. [tolerantia tamen doloris laude ſua non carebit.] Hinc plane eſt quod vbi noſtra vulgata hic legit, [& patientiam tuam,] Primaſius legat, [& tolerantiam tuam.] Quamquidem lectionem nullatenus abhorret Arethas ſcribens ſuper hunc textum ſic, [tole-

§. 5. Patiētia pro tolerātia crebro vſurpatur. M. T. C.

Quintilian.

Primaſius in comment.

Rr 2 raſti

rasti nulla fatigatione animum deijciens ab ea, quæ propter nomen meum irruerunt. Porro hæc lectio consona videtur, tùm codicibus græcis (vt prodit Franciscus Ribera) tùm glossæ interlineari, quæ in hunc locum sic superscribit: [Et patientiam tuam, quia non murmuras de dilatato præmio:] Vnde D. Thom. ansam arripuit sic in hunc locum scribendi: [Et patientiam tuam in expectatione præmij. Iacob. 5. Ecce agricola expectat gratiosum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum.] Quare iuxta hanc lectionem, poterit esse sensus. Approbo patientiam tuam: eo quod illatis tibi iniurijs malum pro malo minimè reddis, nec pro maledicto maledicis, aut in corde murmurare, detrahereve audes quinimmo patienter toleras contumelias illatas. Vel (vt vertit Ribera) scio te non fuisse victum, sed viriliter inferendo perseuerasse. Hinc Apostolus ad Heb. 10. inquit: [Patientia vobis necessaria est vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.]

Ribera. Gloss. interl. S. Thom. in comment. Agricola fructus expectat

§. 6. Duplicem tamen patientiam in hoc Pastore Ephesino ponit D. Dionysius Carthusianus, nimirum, actualem, & habitualem: quibus aduersa æquanimiter tolerabat. Vnde in hisce suis commentarijs sic habet: [Et patientiam tuam actualem, & habitualem, qua aduersa æquanimiter sustines, non admittendo inordinatam tristitiam contra aliquem, nec ad te ipsum. Patientia nempe est virtus moralis, passionem tristitiæ moderans, ac refrenans. Quæ virtus omni Christiano necessaria est cum per multas tribulationes oporteat nos saluari:] Hęc Carthusianus, & rectè sanè.

Patientia duplex. Patientiam habitualem, & actualem habuit pastor Ephesinus.

§. 7. Patientia Cithara nuncupatur à D. Augustino, quoniam super illa verba Psalm. 42. [Confitebor tibi in Cithara Deus, Deus meus.] ita scribit: [Quid est in Cithara confiteri, & in psalterio? Vtrumque organum manibus portatur, & tangitur. Sed psalterium de superiori parte habet testitudinem, illud scilicet tympanum, & concauum lignum cui chordæ innitentes resonant. Cithara vero idem lignum concauum, & sonorum ex inferiori parte habet. Quando igitur ex præceptis Dei aliquid facimus, & non patimur, Psalterium est, faciunt enim ita & Angeli. Cum aliquid autem patimur tribulationum, quia non patimur nisi ex inferiori parte ex eo quod mortales sumus, Cithara est, cantamus & citharizamus. Sic cum dicebat Apostolus ad Rom. 5. gloriamur in tribulationibus, Cithara sonabat ex inferiori quidem parte, sed tamen dulciter, omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti,] Hæc Augustinus, quantum autem patientia omni homini sit necessaria explicat Tertullianus in lib. de patientia, per hæc verba: [Omnia Dei placita, patientia placidè tuetur, omnibus eius mandatis interuenit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat exomologesin adsignat, carnem regit, Spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, martyrium consumat, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum Domino, & Dominum Deo commendat, feminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuuene, suspicitur in sene, in omni sexu & arte formosa est.] Hæc Tertullianus. Non fregit sane patientiæ citharam Præsul iste Ephesinus, cum Dominus patientiam in eo laudet. Quinimmo credo Antistitem hunc cum Apostolo crebro dixisse: [Maledicimur, & benedicimus, persequutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsqueadhuc.]

Patientia cithara. D. Aug. Angeli faciunt, & non patiuntur. Cithara frangit qui in tribulationibus deficit. 1. Cor. 4.

F

PARAPHRASIS

Quarta.

Et quia (inquit) non potes sustinere malos. Nequiuerat suis oculis Episcopus iste Ephesinus præuaricantes in Ecclesia Dei intueri, honoris Dei zelo ita prorsus accensus vt alter Elias, qui 4. Reg. 19. dicebat: [Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, &c.] Quamobrem prophetas Baal, ipse Elias vt legitur 3. Reg. 18. interfecit vel vt alter Dauid qui Psalmo 68. etiam dicebat: [Zelus domus tuæ comedit me.] Quare & ipse aduersus malos exclamauit, [Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.] Et quia hoc zelum est maximè bonum & laudabile: Ideo execratio, detestatio, odiumque maximum huius Episcopi Ephesini in malos hic extollitur.

G

Par. 4. §. 1. Dilucidatio textus 1. Elias zelo Dei plenus. Episcoporum zelus diuinus contra malos. Dauid zelo diuino refertus. Odium Dauid in malos.

Fit plane mentio malorum in Ecclesia Ephesina, vt commistio bonorum, & malorum, quæ à principio militantis Ecclesiæ (quemadmodum zizania inter triticum) exorta fuit, cautè & occultè hoc in loco tangatur. De qua quidem commistione accipitur illud Matth. cap. 25. [Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti.] & illud etiam Matth. cap. 25. Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.] Quam plane parabolam postremam D. Gregorius sic exoluit. [Quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denunciatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis commisti sunt rectè similis virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur.] Primam vero ipsamet veritas exponit dicens [Sic erit in consumatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis.] Quæ plane bonorum, & malorum admistio in militanti Ecclesia, & fuit, & est, & erit vsque ad finem sæculi iuxta illud Matth. cap. 13. [Quam cum impleta esset (quod sane fiet in fine sæculi, vt D. Gregorius, Abulenses, D. Ioannes Chrisostomus, Lyranus, & Caietanus exoluunt, quoniam tunc implebitur electorum numerus) educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.]

H I

§. 2. Malorum, & bonorum in Ecclesia antiqua admistio. D. Greg. hom. 12. in Matt.

Cum autem infra malorum latitudinem dentur mali fideles, nimirum publici ac priuati peccatores, hoc est, mali Christiani: & mali infideles, nimirum hæretici, & scismatici, dubium vertitur inter sanctos Patres, de quibus malis, accipiendus veniat textus iste, [Non potes sustinere malos.] Berengandus (vt prodit D. Dionysius Carthusianus) D. Ambrosius, D. Thom. & alij plerique Doctores, putant hic sermonem esse de hæreticis, dumtaxat. Cæterum alij sancti Patres existimant de quibuscumque malis Christianis, tam fidelibus, quam infidelibus tam publicis, quam priuatis, hoc in loco, sermonem fieri. Quæ plane sententia mihi magis arridet, & eam iccirco probo. Quoniam ly. [mali] in sacra pagina, sermo communis maximè est, fideles & infideles publicos & priuatos

K

§. 3. Difficultas circa textum qui intelligatur per malos.

ample-

amplectens peccatores. Hi namque omnes proculdubio sunt præuaricantes illi, id est, frangentes pactum, & legem diuinam, De quibus dicit Psalmographus Psalm. 118. [Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia legem tuam non custodierunt.] Sed qui sunt hi præuaricantes? Audias quæso ipsummet Psalmistam dicentem: [Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.] Omnes igitur peccatores terræ, tam publici, quam priuati sunt præuaricatores, siue præuaricantes (id est, frangentes pactum, & legem diuinam, quæ à publicis, publicè, & à priuatis, priuatim frangitur.) Et per consequens mali: de quibus dicitur Matth. 13. [Separabunt (Angeli) malos de medio iustorum.] vbi ly [malos,] & publicos, & priuatos peccatores indicare manifestum est. Obidque dicimus, Episcopum istum Ephesinum non tantum publicos, verum etiam priuatos peccatores sustinere minime posse: nec minus cum illis communicare, quia hi omnes inhumanè vt exponit gloss. interlinearis contra ipsum agebant. Communicatio namq; malorum, tam publicorum quam priuatorum semper est abhorrenda, & execranda, iuxta illud psalmistæ, [Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Hinc Paulus 2. Cor. 6. ait: [Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui sicut dicit Deus,] Ex quibus omnibus liquet consortium malorum semper vitandum esse qualecumque illud sit, scilicet, publicum, secretumuè.

Mali sunt præuaricantes.

Præuaricantes sunt omnes peccatores terræ.

Malorum communicatio execranda.

Psalm. 1.

Bonorum à malis separatio.

§. 4.

Castigatur locus glossæ ordinariæ.

Quare non admittimus ex omni parte, illud glossæ ordinariæ, nimirum [expellas.] Quoniam quamuis hanc glossam sequatur S. Thom. & Franciscus Ribera, illa cum grano salis venit intelligenda. Nam ecclesia non expellit à se omnes peccatores, sed tantum hæreticos, & eos, qui propter incorrigibilitatem, tamquam ethnicos, & publicanos habemus, iuxta illud Matth. 18. [Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum? Si te audierit lucratus es fratrem tuum, si autem te non audierit adhibe tecum adhuc vnum, vel duos testes, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.] Id est, non habebis eum amplius (vt exponit Caietanus) vt fratrem sed de reliquo, sit tibi sicut [Ethnicus] hoc est, gentilis, qui inter credentes in Deum non computantur [Et publicanus] Infame hominum genus apud fideles, vel vt exponit Lyranus, [Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.] Id est, separetur ab alijs fidelibus per excommunicationem, & censuram ecclesiasticam. Hos igitur tantum publicos peccatores expellit ecclesia per excommunicationem, & censuras ecclesiasticas. Cæterum, sunt alij publici peccatores, quos ecclesia tolerat, nimirum, illi quos nondum agnouit. Nam licet hi publicè in populo peccent: tamen eorum scelus, & facinus, ad aures ecclesiæ nondum peruenit. Item illi publici peccatores, quos iam agnouit, attamen eos punire non potest Ecclesia absque periculo bonorum, hos oportet tolerare iuxta illud Matth. cap. 13. [Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum.] Porro multitudo peccatorum publicorum. Nam licet ecclesia nollet tollerare malos, hos tamen tolerare necesse est, quia non potest cognoscere eos omnes malos publicos peccatores. Et dato quod cognosceret, non potest omnes aufferre propter multitudinem. Et sic oportet eos tolerare. Insuper publicos illos peccatores, de quibus est spes conuersionis non debet ecclesia expellere eos anathemate damnando. Nam licet longo tempore peccent tamen aliquando futuri sunt boni. Qui si mox vt peccant, expellerentur, fortasse num-

Caietanus super caput 18. Matth.

Lyranus sup. cap. 18. Matt.

Malos, quorũ est spes conuersionis, tolerat Ecclesia

A quam boni fierent. Hos igitur publicos peccatores & alios huiusmodi qui non sunt nec hæretici, nec schismatici, misericorditer tolerat ecclesia, & patienter non eos exterminando, ne auferatur (quinimmo detur) locus pœnitentiæ. Accedit ad hæc quod ecclesia non debet adhuc anathemate ferire lapsos in heresim non dum firmatam: Quia fieri potest, vt ait D. Hieronymus, vt ille qui hodie noxie damnatus est ex dogmate, cras resipiscat, & defendere incipiat veritatem? Hinc D. Augustinus ait: [Nec tamen consequens est, vt omnis hæreticus, vel schismaticus, ab Ecclesia corporaliter separetur, multos enim portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt intentam multitudinem faciant, quod si fecerint tunc pelluntur; si autem peccauerit quis, & corrigi potest exterminandus non est, ne sic auferatur locus pœnitentiæ.] Sic ille. Et tandem Principes publicè peccantes aliquando tolerantur ab Ecclesia.

D. Augustin. de quæstionibus Euang.

B Nam Princeps interdum non punitur propter scandalum: eo quod multos habet sibi fauentes. Verum quidem est, quod si peccatum Principis puniri potest sine scandalo multitudinis, puniendum est, verumenimuerò si id fieri non potest, Principis peccatum tolerandum est ab Ecclesia, dummodo talis Princeps sit fidelis, vt rectè docere videtur Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 108 art. 1. & Alphonsus Tostatus sup. cap. 8. Matthæi tom. 2. quæst. 333. Ex hijs igitur, quæ hactenus diximus apparet, quod illud: [Expellas.] glossæ ordinariæ adhuc circa publicos peccatores, ex omni parte non esse verum, nec rationi consentaneum, sed tantum circa publicos peccatores qui sunt hæretici, infideles, & schismatici. Nam alios publicos peccatores, qui nec hæretici, nec infideles, nec minus Schismatici sunt. Ecclesia Dei anathematè nullatenus damnat, nec minus censuris Ecclesiasticis ab ea pellit. Nisi fuerint contumaces. Quoniam in simili euentu illos etiam, & omnes quos-uis peccato mortali obnoxios anathematè ferit, præcipuè si monitiones præcesserint. Alioquin eosdem, vt detur locus pœnitentiæ, patienter & misericorditer tolerat. Nec demum oportet de priuatis, & occultis malis Christianis hic sermonem habere, cum Ecclesia non iudicet de internis. Et obid eos, vt experientia docet, & suffert, & patienter tolerat. Quare quamuis Episcopus iste Ephesinus ab Ecclesia, hæreticos publicos, & schismaticos expelleret, tamen reliquos peccatores, nimirum, malos christianos fideles, tam publicos, quam priuatos, diuino honoris Dei zelo, inflammatus (vt dixi) nequibat suis oculis intueri, licet eos patienter, & ferret, & toleraret, vsque eis pœnitentiæ locus esset, hoc est

Princeps interdum non punitur propter scandalum.

D. Tho. Abulensis.

C

D vsque dum eos per iniunctam pœnitentiam emendaret. Interim verò horum omnium malorum Christianorum consortium maximè euitabat, quod etiam nos nunc euitare tenemur, Zelo honoris Dei omnino accensi: Eorum namque vitia non sunt dissimulanda, nec minus palpanda, quamquis eorum naturam, & personam diligamus. Nam, & inimicos iubemur diligere, cibare, & potare, imò bonum pro malo reddere iuxta illud, Psalm. 119. [Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.] Hinc Primasius in hunc locum, ita inquit: [Ad hoc autem dicitur, malos ferre non posse, vt cogniti non imitaretur; ad hoc autem tolerasse, ne deserens ipse ab vnitatis vinculo reddatur alienus. Ille enim reprobus iudicatur, qui propter apertos malos, etiam latentes, deserit bonos.] Ita Primasius.

Malorum cõsortium est vitandum.

Malorum peccata in tepide arguenda. Act. 14. Matth. 5. Rom. 12.

E



Co-

Conceptus Prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod societas malorum, est fugienda.



MAXIME euitandi sunt mali, ac improbi Christiani, & iniqui peccatores, iuxta illud Isa. 52. [Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tãgere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.] Ad hoc plane alludit illud Num. 16 [Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent ne inuoluamini in peccatis eorum.] Hac plane de causa exiuit Abraham de Chaldea, vt dicitur Genes. 11. & 15. vbi erant homines corrupti Idololatria. Vnde postea, hoc pro beneficio Dominus cõmemorat, dicens: [Ego Dominus qui eduxi te de Hur Chaldæorum.] Hinc etiam ludus Ismaelis vt legitur Genes. 21. mirummodum displicuit Saræ, & Iacob, vt habetur Gen. 33. nullatenus voluit cum malo fratre suo Esau ambulare, quamuis eum muneribus placasset, & ille satis instaret, & signa dilectionis ostenderet. Et demum Tobias cum irent omnes ad vitulos aureos, vt dicitur Tob. 1. quos fecerat Ieroboam, ipse solus fugiebat consortium malorum, & idololatrarũ omniũ & pergebat in Ierusalem. Hoc ipsũ prorsus indicare voluit sacra pagina, cum Exod. 21. ait: [Esse bouem cornupetam lapidibus obruendum.] Quid namque per bouem cornupetam, nisi malus qui alios ad perditionem excitat, intelligitur? Hic ergo lapidibus obruatur, vbi supplicium assignat, quo demonstratur, ad eum non appropinquandum, sed è longinquo reprehendendum. Vnde est illud sapientis Eccles. 12. [Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs? Sic qui comitatur cum viro iniquo & obvolutus est in peccatis eius.]

Abraham cur exiuerit de Chaldea.

Ludus Ismaelis quare displicuit Saræ.

Iacob cum fratre suo Esau cur ambulare noluerit.

Tobias cur vitulos aureos vitauit.

Concept. 2. In quo assignantur causæ, ob quas consortiũ malorum sit fugiendum.



EX his postremis verbis sapientis fas est in medium proponere causas, ob quas malorum consortium prorsus sit abolendum. Quarum prima plane est. Quia malus est veluti radix amaritudinis. Verum quippe est quod Dominus dixit [Non potest arbor mala bonos fructus facere,] & sic malorum opera, sermones, & actiones, nequeunt esse bona. Cæterum si quæramus, cur arbor mala nequit bonos fructus facere? In causa est radix amaritudinis ex qua bonos fructus nequeunt pullulari. Et sic est voluntas de prauata in malis hominibus, ex qua nec verba, nec operationes bonæ consurgere queunt. Hinc Apostolus ad Hebr. 12. sic ait: [Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.] Quæ verba sic exoluit Primasius: [Radicem amaritudinis vocat malam voluntatem, prauamque intentionem, vnde procedit peccatum amaritudinis. Nam sicut radix amara fructus dulces non potest proferre, sed sui similes, hoc est amaros. Sulphureus quoque fons aquas non habiles, & omnino indecentes ad bibendum; ita mala voluntas, & intentio praua, malam operationem, & peccatum amaritudinis à se emittunt: quibus impeditur iter ad patriam ascendendi cælestem: Atque per illam malam voluntatem de qua procedunt semina nequitiæ inquinantur multi, quia modicum fermentum, totam massam corrumpit, & vno peccatore infidelitatis, omnia opera quæ poterant esse bona deprauantur; & vno peccatore, multi coinquinantur.] Hactenus Primasius. Secunda, quia cum semel consortium, & societas malorum degustatur, difficile dimittitur, vt patet de Loth Gen. 21. qui de medio Sodomorũ vix per Angelum extrahi potuit. Tertia quia con-

Malus est amaritudinis radix.

Radix amaritudinis volũtas improba, & mala.

Primas. in epist. ad Heb.

Radix amara fructus producit amaros.

F uersationi, & familiaritati, malorum crebro interueniendo facile periculum, & occasio peccandi datur iusto. Hinc Abimelech Rex, cum in domum suam Saram vxorem Abrahæ adduxisset, vt habetur Gen. cap. 18. vbi primum intellexit alterius vxorem esse, seipsum erga Deum excusauit dicens: [In simplicitate cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.] & tunc dominus ad eum dixit: [Et ego scio quia in simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne pecces in me, & non dimisi vt tangeres eam.] Quo quidem exemplo, primo docemur, donum Dei esse peculiare non consentire peccato, postquam in eius occasionem quispiam vel incidit, vel se intromisit. Secundo docemur. Illum qui voluntariè se in occasionem peccandi intromittit dignum esse quem Dominus permittat cadere. Si quis enim capitalem habet hostem non solum eum pertimescit, cauet, & fugit, sed G etiam omnes qui eius sunt factionis, eiusque partes tuentur. Peccatum autem inimicum nostrum, docet sacra pagina esse. Quamobrem non solum ab ipso verum etiam à peccatoribus qui ei fauent, & qui per eius viam ambulant fugere, & omnino cauere debemus. Hinc Sapiens prouer. 1. ait: [Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim eorum ad malum currunt.] Hinc plane etiam est, quod quamuis tanta fuerit Seth, & filiorum eius sanctitas, vt eos sacra pagina Gen. cap. 6. filios Dei nominet: tamen postquam cum filiabus hominis, id est Cain, se immiscuerunt iuxta illud: [Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ acceperunt sibi vxores.] tanta corruptione morum ac peccatorum multitudine polluti fuere, vt Deum ad diluuium ad terram mittendum prouocauerint. Quare merito H Apostolus iubet ne fideles, & pij cum fornicarijs, & hebriosis fratribus cibum quidem sumerent. Quarta ratio. Quia Deus aliquando peccatores ob sua scelera multat. Vnde oritur, vt iusti qui eorum consortio & societati intersunt multentur simul cum eis vt videre est in Iona fugiente à facie Domini, propter quem facta est tempestas magna vt habetur Ionę 1. in mari, ita vt nauis periclitaretur, & etiam in nauicula Apostolorum, de qua dicitur Matth. cap. 8. [Ascendente Iesu in nauiculam ecce motus magnus factus est in mari.] Cuius plane tempestatis causa, erat Apostolus malus Iudas. Hinc D. Ambrosius sermone de Cathedra sancti Petri sic ait: [Erat in nauicula Simon Petrus, sed erat pariter, & Iudas proditor, quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen perfidia eam perturbabat. Tranquillitas est vbi solus Petrus nauigat tempestas vbi Iudas adiungitur. Licet esset I Petrus firmus suis meritis, perturbabatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto, cunctorum merita quassantur.] Hęc D. Ambrosius. Quinta. Quia bonus in medio malorum, crebro actu, in peccatis eorum inuoluitur: & si non hodie, cras. Quoniam teste psalmista, [Abyssus abyssum inuocat,] Idque etiam clare habetur ex auctoritatibus. Num. 16. & Eccles. 12. quas nuper retulimus. Sexta, & postrema ratio est, quia bonus in medio malorum, sæpe aliquibus diuinis beneficijs, & donis gratuitis priuatur vt videre est in Apostolis, quorum tres dumtaxat adduxit Christus ad suam gloriosam transfigurationem intuendam vt dicitur Matth. cap. 5. [Assumpsit Iesus petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius.] reliquos vero dimisit, quoniam inter eos aderat il- K le Proditor, & malus Apostolus Iudas. Hinc Damascenus testante Abulense sic scribit supra Matth. [Cur non omnes, sed aliqui vocati sunt, ad hanc visionem? Vnus quidem erat qui solus indignus erat hac visione deitatis, scilicet; Iudas, secundum illud tollatur impius, ne videat gloriam Dei, si solus ergo fuisset omissus, tamquam inuidus, ad maiorem esset malitiam prouocatus, proinde Dominus proditori, tollit proditionis occasionẽ cum dimisit inferius reliquam Apostolorum congregationem.] Quare merito Pastor iste Ephesinus à grege suo malos arce-

Iustus inter malos facile fuit.

Iustus nõ cõsentire peccato dum in eius occasionem se intromittit donum Dei vtique est.

Iustus dũ voluntariè se immiscuit in peccandi occasionem, dignus est, vt Dominus eũ permittat ruere.

Pedes improborum ad malum proni.

Carnis corruptio diluuij causa sæculo Noe.


Iustus causa tranquillitatis, improbus vero causa tempestatis.

Damasc. in c. 17. Matth q. 8.

bat

bat, cum de illo sic scribitur: [Non potes sustinere malos] quoniam vna mala pecus facilè inficit omne pecus.

Concept. 3. In quo dantur aliquæ causæ propter quas Deus malos permittit in medio iustorum.



SED dices, quare Deus malos in medio bonorum, & iustorum permittit, suffert, & tolerat? Dico hoc artificiosè fieri à Deo. Primo vt bonis, & iustis sit maior merendi occasio. Quoniam cum mali bonos nequeant intueri, eosdem cruciant, spoliant, affligunt, irrident, feriunt, percutiunt, & mille afficiūt ignominijs & opprobrijs, quæ omnia boni, & iusti facilè diuino auxilio adiuti B deuincunt, & pro Christo Domino dulcitér patiuntur. Quoniam teste Apost. 2. Tim. 3. [Omnes qui volunt pie viuere in Christo persecutionem patiuntur.] Vnde propter hæc omnia, malorum in bonos tormēta, de bonis & iustis extat scriptum: [Tamquam aurum in fornace probauit eos Dominus.] & iterum: [Inuenit eos dignos se,] & Apost. 2. Tim. 3. [Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit,] Et rectè sane. Nam quomodo coronam accepisset Stephanus, si illi defuissent Iudæi qui eum lapidarent? D. Iacobus si defuisset Herodes, qui eum decollari iussit? Petrus, & Paulus Apostolorum Principes, & Ecclesiæ lumina si non esset repertus Nero, qui ab eisdem caput amputari præcepit? Laurentius si non adfuisset Decius qui eum in craticula super posuit? &c. Secundo viuunt mali inter bonos ad maiorem gloriam, & honorem bonorum. Hinc D. Petrus in 2. epist. cap. 2. laudat Loth eo quod inter malos sanctior C vixit. Sic enim ait: [Et ciuitates Sodomorum, & Gomorrheorum in cinerem redigens euersione damnauit exemplum eorū, qui impie acturi sunt. Et iustum Loth oppressum nefandorum impudica iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim, & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.] Et D. Greg. lib. 2. Moralium cap. 1. super illa verba: [Vir erat in terra Hus, nomine Iob.] sic scribit: [Dicatur vbi habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse ita immensi est prçconij, bonum etiam inter malos extitisse.] Ita Gregorius. Tertio. Quia malus in medio bonorum sæpe fit bonus, vt videre est in Dima latrone, qui conuersus fuit in societate Christi in cruce, & in Saulo, D qui ante conuersionem suam crebro inter discipulos Christi aderat (quamuis eos persequens, vt ipse fatetur [Quoniam persecutus sum (ait) Ecclesiam Dei,] & postea ex Saulo factus fuit Paulus, & electionis vas in fauorem, & honorem ecclesiæ Dei. Propter has itaque rationes Deus inter bonos permittit, suffert, & tolerat malos. Vnde cum Abel iusto fuit Cain eius frater malus: Cum Sem filio Noe, fuit eius frater Cham impius: Cum iusto Iacob, eius reprobus frater Esau, & demum inter electos Apostolos, proditor Iudas. Ab origine igitur mundi vsque ad hæc nostra sæcula fuit commistio bonorum, & malorum in Ecclesia Dei militante. Quoniam semper inimicus homo, vt ait Dominus Matth. cap. 13. Super bonum semen seminat zizania.

Improbi viuunt inter iustos ad maiorem iustorum gloriam & honorem

D. Greg. lib. 2. moral. cap. 1. Iob quare laudetur, & magnificetur

Concept. 4. Quod non sunt palpanda nec dissimulanda malorum vitia.



PROPRIVM munus, & officium est Episcoporum & Prælatorum, scelera & vitia malorum nullatenus dissimulare. Immo contra eadem intrepide insurgere, & vociferare, & eosdem dirè multare: & acerrimè ferire, iuxta illud Ezech. 3. [Ecce faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt ademantem, & vt Silicem dedi faciem tuam.] In quem locum D. Hier. tenet gratiæ donum esse, aliquando impudentiæ improborum hominum resistere, & frontem fronte concutere. Et D. Gregorius homil. 10. super Ezech. sic ait: [Ille esse veritatis defensor debet qui quod rectè sensit loqui, nec metuit, nec erubescit.] Et rectè sane. Nam vt vulgo circumfertur: [Clauus clauo truditur, & vis, vi repellitur.] Et hoc plane præcipuè pertinet ad Prælatos, & Prædicatores; cum malorum scelera, & vitia publicare, ac etiam crescere vident. Hinc D. Ambrosius in hisce suis commentarijs super hæc eadem verba: [Nō potes sustinere malos,] sic eleganter, doctè, & sanctè scribit. [Proximorum mala aliquando reprehendendo corrigere debemus, tempore videlicet opportuno, aliquando patientèr tolerare vt quos correptio non emendat patientia ad emendationem prouocet. Sunt namque nonnulli qui reprehendere proximos nesciunt, nisi ira inflammati, horum aliquis si non solum pro magna, verum etiam pro parua aliqua re contra proximum commotus fuerit, tam diu iram in corde gestat, donec in actibus proximi aliquid videat quod reprehendere possit, & tunc lætus efficitur cum reprehensionis vindictam proximo intulerit. Quod si alicui viderit displicuisse dicit se zelo Dei hoc fecisse. Ad te ergo loquor qui talis es, cur quæris fallere eum qui occulta cordium considerat? Si zelus Dei in te est, cur oculi tui per diuersa vagantur more diabolico desiderans malum potius videre quam bonum? desiderans in proximo videre malum, quod reprehendas non bonum vnde ædificeris? Sunt etiam multi qui eos à quibus aliquam iniuriam pertulerunt, etiam pro minimis delictis impatienter insectantur, eos vero quos diligunt, non solum non reprehendunt, quamuis prauiter deliquerint, sed etiam tota virtute deffendent O infelix amicitia, quæ illum quem diligit tacendo, & delendo diabolo tradit. Illum vero cui iratus est reprehendendo à diabolo abstrahit. Correptio ergo illa iusta est, quæ ex zelo Dei, & amore fraterno descēdit, quæ non propter iram vindicandam, sed propter animam proximi saluandam profertur.] Hactenus D. Ambrosius. Debent igitur Episcopi, & Prælati scelera, & peccata malorum nullatenus palpare aut dissimulare. Immo acerrimè zelo Dei omnino accensi ea increpare, & eosdem dire multare. De quo extant in sacra pagina duo validissima testimonia. Primum est depromptum ex cap. 6. Leuit. per hæc verba: [Decimam partem Ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium eius mane, & medium eius vespere quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suauissimum Domino sacerdos qui iure patri successerit, & tota cremabitur in altari.] Quo loco simila in sartagine oleo conspersa frigitur, & offertur calida in odorem suauissimum Domino: in signum, quod tunc simila in sartagine frigitur cum Episcoporum, ac Prælatorum mens per zelum sancti amoris crematur: & tunc conspergitur oleo cum eorumdem mens charitate, & misericordia miscetur, vt in conspectu Dei ardeat, & luceat. [Et demum tunc calida offertur in odorem suauissimum Domino, quando suorum subditorum vitia, & peccata zelo, & charitate honoris Dei profligat, & procul pellit per suam diram reprehensionē. Secundum testimonium desumitur ex c. 4. Ezech. vbi sic habetur: Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & circumdabis eam, signum est domui E Israel.] Super quæ verba D. Greg. docet, per sartaginem in qua cibus frigitur significari zelum quo prælatorum, ac Prædicatorum animus frigitur cum aliquos videt æterna deserere, & rebus temporalibus delectari. Quo sensu aiebat Apostolus 2. Cor. 11. [Quis infirmatur, & ego non infirmor, qui scandalizatur, & ego non vror?] Perinde, ac diceret, testante eodem D. Gre-

D. Hier. sup. Ezech.

D. Ambr.

Malorum scelera zelo Dei increpanda.

Simila in sacrificio olim

Zelus Episcoporum in reprehendendo est Deo gratus.

D. Gregorio, cor meum zelo animarum vestrarum succensum est. Quamobrem ipse suum cor, quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat. Ad hoc plane alludit illud Psalm. 118. [Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.] & illud etiam Psal. 138. [Nonne qui oderunt te Domine oderam; & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderā illos: & inimici facti sunt mihi.] Quibus locis, Primo animaduerte cum D. Ambrosio, eum, qui zelum honoris Dei habet omnes sibi inimicos reputare qui sunt hostes Dei. Secundo nota cum D. Augustino, & Theodoreto illud, [perfecto odio oderam illos,] dupliciter posse exolui. Vno modo vt perfectum odium idem sit quod capitale, & maximum: Altero vero vt illud dicatur odium perfectum quod vitia, non naturam persequitur, & quod ex zelo aduersus ipsam improbitatem non autem ex vltionis, & vindictæ affectu, & cupiditate oritur. Et vtroque sensu præallegata verba psalmographi expendi possunt ac etiam reprehensiones Christi Domini in hypocritas Pharisæos aliosque improbos viros, quos passim in Euangelio legimus. Quos plane quo ad eorum naturam intrepidè redarguit Saluator noster. Hinc est illud D. Augustini. Quando dico [homo malus,] duo dico [homo] & [malus:] In quantum homo est amandus; in quātum vero malus est odiendus, & redarguendus. Veluti odium habetur, & execratur scabies, siue phrenesis, aut hydrops, in filio, aut filia, non autem filiorum natura, & persona quæ miurminmodum diligitur ab eorum parentibus, amicis, cognatis, & notis.

D. Ambros. in psal. — *Iustorum cōditio.* — *Vitium, & nō naturam odire debemus.* — *D. Aug.* — *Comparatio.*

DISPVT. III.

In Cap. II. Apocalypseos, de malis, & peccatoribus non sustinendis neq; tolerandis.

In quatuor Quæstiones partita super illa verba: *Non potes sustinere malos.*

Prologus disputationis.



VM Christus redemptor noster dicat [Non veni vocare iustos sed peccatores,] & alibi, [venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat,] & iterum, [Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.] & Apostolus, [fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum,] mirum plane est, quomodo ipsemet Christus Iesus redemptor noster hoc in loco laudet & commendet, hunc Episcopum Ephesinum, ex eo quod non poterat sustinere, & ferre malos peccatores. Idcirco merito hic disquerendum duximus, qui sint isti mali peccatores, quos iste Episcopus Ephesinus: & etiam Christus, qui eundem in hoc laudat, sic abhorrent, vt eos sustinere, aut tolerare nequeant: Et tangitur in parte correptio fraterna de qua disputat S. Thom. 2. 2. q. 33. Abulen. in c. 18. Matth. Castro, verbo, subditus, & alij plerique DD.

Luc. 15. — *Matth. 18.*

F

Quæsti o I.

Vtrum hoc nostro sæculo, per hunc Episcopum Ephesinum, nolentem sustinere malos, possimus intelligere Ecclesiam?



ONCLVSIO est affirmatiua, & probatur ex illo Matth. cap. 18. [Si autem non audierit dic Ecclesiæ.] Super quæ verba tenent sancti Patres, & Doctores nomine Ecclesiæ intelligendū esse, hoc nostro sæculo, iudicem. Quoniam quamuis antiquo tempore, ecclesia esset congregatio fidelium, & tūc non posset excommunicatio fieri, nisi fidelibus congregatis iuxta illud Apostoli 1. Cor. 5. [Congregatis vobis & spiritu meo, &c.] & per tempora multa hic inoleuerit vsus, tamen quia postea durissimum visum fuit, ecclesiam toties congregari, placuit per ecclesiam fieri, quod à iudice factum esset. Ideo Papa in capite [nouit de Iudicijs] dicit, sibi peccatum Regis Franciæ cognoscendum, vt qui vicem Ecclesiæ habeat dum ei præsidet. Hinc Abulensis, illa verba: [dic ecclesiæ] sic exoluit, Sed solet communiter exponi, dic ecclesia, id est, prælato, qui præest ecclesiæ. Quia illi facile est dici, & ille potest corrigere delinquentem, & benefiat.] Et doctissimus Caietanus ita etiam explanat, [Nec ratio nec vsus suadet congregandam esse ecclesiam ad corrigendum fratrem impœnitentem solius peccati in me commissi. Sed tamen ratio, quam vetustissimus mos habet, vt dicatur capiti ecclesiæ Ac per hanc appellationē ecclesiæ, hoc in loco, non solum ecclesia non acephala, sed etiam prælatus ecclesiæ qui ordinarius iudex est fratris impœnitentis intelligitur.] Quare per hunc Antistitem Ephesinum nolentem sustinere malos, possumus hoc nostro sæculo intelligere ecclesiam.

1. conclus. Ecclesia intelligitur per Episcopum Ephesinum, & cur. — G — *Ecclesiæ antiqua determinatio.* — *Alphons. Tostatus in cap. 18 Matth. q. 108.* — H — *Caiet sup. c. 18. Matth.*

Quæstio. II.

Vtrum mali, quos Episcopus Ephesinus sustinere non poterat, essent viri pij, & peccatores minimè contumaces?



ARS negans, plane apparet omnino vera, & ex eo primo probatur. Quod sunt plerique viri pij in ecclesia Dei in gremio fidelium, (& hoc ab exordio nascentis ecclesię,) qui quadam magna occasione, & magna passione in culpam ruunt, & hi non expectāt vt tu scias, vel corripias eorum culpas, quinimmo ipsimet cito se corripiunt, & quæ dicunt, & faciunt, in cubilibus, & cordibus compunguntur. Quare & etiam in hac ecclesia ephesina erāt pleriq. viri iusti, & pij, qui & si aliquando peccabant, ipsi per se diuina gratia mediāte, cito resurgebant à culpa lethali, quin ipse Episcopus eorum delicta sciret. Secundo quia huiusmodi mali, & peccatores, adhuc non pertinent ad Episcopum circa correptionē fraternam. Nā vt tenet Caietanus in comment. D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 2. in solutione ad 4. super illa verba D. Tho. [Ita qui habet spiritualiter curā alicuius debet conquerere ad hoc vt eum corrigat de peccato,] Non tenetur Prælatus secretos inquirere peccatores, quoniam (quidquid dicat Soto) satis est illos inuestigare inquisitione generali per edicta publica, vt singulis annis fieri consueuit. Quoniam quamuis Prælati magis ad correptionem fraternam, quam subditi teneantur, non tamen alio modo, scilicet inquirendo pecca-

I — *1. conclusio. Mali possunt esse viri pij, & peccatores non contumaces.* — K — *Soto ibid. in 2. q. 4. concl. 3.*

peccatores secretos tenentur. Neque vllum de hac secreta inquisitione præceptum legitur. Vnde non est cur dicamus, hos prælibatos malos non posse Episcopum istum sustinere, aut ferre, cum eorum scelera ei nullatenus adhuc iuridicè, & seruato ordine correptionis fraternæ, paterent.

Quæstio III.

Vtrum mali quos Episcopus Ephesinus sustinere non poterat, essent fideles peccatores publici, contumaces, & peruicaces?

1. Conclusio. Contumaces peccatores non tolerandi.



I loquamur de obiurgatione, seu vocali increpatione dumtaxat ita vt omnino excludamus pœnam criminis & iuris: Contumaces, peruicaces, ac publici obdurati peccatores fideles, sunt ex vna parte, hi mali, quos Episcopus Ephesinus sustinere, & ferre nequiverat. Probatur: Tum quia Prælatus, vel predicator potest in sermone generali redarguere peccantes huiusmodi, & maximè si aliqua occasio acciderit, nimirum, aliqua plaga inflicta à Deo quæ pro criminibus accidisse putanda est. Et tunc Prælatus grauiter potest peccata obiurgare, pecatoribus non expressis asserens quod propter illa crimina Deus illam vltionem exposcat. Si vero talis occasio non acciderit, adhuc potest obiurgari peccatum, non expressis peccatoribus, quia sic magis dolebunt, & intra se erubescent peccatores, quam quod obiurgantem impugnent. Hinc D. August. [Turba autem iniquorum cum facultas est in populis promêdi sermonem generali obiurgatione ferienda est: Et maximè si occasionem, & opportunitatem præbuerit aliquod Domini desuper flagellum quo eis appareat pro suis demeritis vapulare. tunc enim aures humiles prebet emendari sermone calamitas auditorum, vt facilius ingemitum confitendi quam in murmura resistendi afflicta corda compellit, quamquam & si nulla calamitas tribulationis premat, cum facultas detur vtiliter corripitur in multitudine multitudo, nam sicut separata seuire, sic in ipsa congregatione obiurgata gemere consueuit.] Ita August. Tum quia huiusmodi mali apud fideles, sunt qui communiter seruato iam ordine correptionis fraternæ, coram testibus denunciatur Ecclesiæ & accusantur coram iudice, & hij tenentur Ecclesiã audire cum sint fideles, nam de ijs rectè intelligitur illud, [si autem Ecclesiam non audierit,] id est, non exaudierit cessando à delicto moniti coram Ecclesia, siue per eam, siue per ipsum iudicem Ecclesiasticum [sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus,] id est sicut gentilis qui colit Idola: & tamquam notorius peccator, qui per censuram Ecclesiæ debet separari à cæteris per excommunicationem. Quoniam per illa verba: [Sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus,] Secundum D. Hieronymum ostenditur, maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis, agit opera infidelium, quam hi qui apertè gentiles sunt. Verumtamen secundum alios esse nobis tamquam Ethnicus, & publicanus idem est, quod euitare eum à communicatione nostra, sicut Ethnicum, & publicanum. Quia his non communicamus, quasi peccatoribus: Quoniam licet in aliquo communicemus eis: non recepimus tamen eos ad omnem communicationem sicut facimus ad infideles. Et ita intelligitur communiter: quod qui sic admonitur ab Ecclesia, & non desistit à peccato, excommunicandus est. Ita enim consueuit facere Ecclesia, quia quemlibet contumacem excommunicat, quia ter admonitus, non assentit, sic dicit glossa, [dic tori Ecclesiæ vt maiorem erubescentiam patiatur.] Et post hæc omnia solet sequi excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesiæ, idem per sacerdotem. Hinc Abulensis in capite 18. Matth. cap. 1. q. 110. sic scribit: [Secundo potest dici quod ponitur pœna, scilicet, excommunicatio: in quãtum dicitur quod sit sicut Ethnicus, & publicanus Et tamen ea communicatio pœna est, scilicet, inter homines viuere, & eorum carere consortio,] Sic ille. Ceterum quia hactenus vertitur sub dubio, an pralibati peccatores feriri queant excommunicatione: Referam hic opinionem Pauli de Palatio Granaten, qui in cap. 18. Matth. circa peccatores peruicaces, secretos tamen, sic scribit: [Sexta quæstio an Ecclesia possit peccatorem secretum, & peruicacem sententia excommunicationis ferire vbi suam correctionem spreuerit. Video enim hoc à quibusdam in dubium vocari. Sed est planus Pontificis textus in dicto cap. nouit. de Iudicijs, vbi habetur: Ad officium nostrum spectat de quocumque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere, & aperte id textus Euangelij dicit, si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus, scilicet per excommunicationem, si enim ita ligauerit prælatus, ligatum erit in cælo, certè ligatum erit si Prælatus in nomine Christi, non in alio nomine ligauerit. Porro nomen Christi comprehendit iustitiam, veritatem, charitatem, &c. quod si, hoc nomine, Ecclesiam non ligauerit, quid mirum si ligatum non erit in cælo? Porro memor sum explicasse me locum Euangelij quod ligaueris erit ligatum; & illum, & quæ petierint, sicut ideo ab explicatione supersedeo.] Ita Paulus de Palatio. Quod si peccatores secreti peruicaces, & contumaces sunt feriendi excommunicatione, multo magis excommunicandi veniunt publici pernicaces, & cõtumaces præallegati, & præcipuè si eorum peccata fuerint grauia, & nullatenus leuia.

D. Aug contra epistolã Parminiani.

Ethnicus, & publicanus quis dicatur

D. Hier. Christianus non obediẽs Ecclesiæ gẽtili peior.

Ethnici, & publicani alia enodatio.

Abulen. in c. 18. Matth. q. 110.

Et sic loquendo, illorum verborum, [quia non potes sustinere malos,] talis erit sensus. Non potes sustinere malos peruicaces, contumaces, publicosque fideles peccatores obduratos, quin eos obiurges, & in publica concione, minimè expressis nominibus, reprehendas, & si opus est, excommunicatione ferias; vt sic inter fideles viuant, & eorum careant consortio. Quæ quidem maxima pœna spiritualis vtique est.

Appendix. 1. Germanus sẽsus verborũ textus.

Dixi in principio, si loquamur de obiurgatione, seu vocali increpatione in generali concione, vel de excommunicatione, quæ est spiritualis pœna; Quoniam si sermo fuerit de pœna corporali, vel de pœna criminis à iure taxata, sustinendi, id est, tolerandi sunt ab Ecclesia peccatores, qui non sunt hæretici. Et probatur: Tum propter bonos, iuxta illud Matth. cap. 14. [Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sinite vtraque crescere vsque ad messem.] Tum vt detur locus pœnitentiæ. Quia fieri potest, vt ille qui est hodie peruicax, & contumax, cras resipiscat, & nouam incipiat spiritualem vitam. Quare loquendo de pœna corporali, nimirum, de separatione corporali ab Ecclesia, & à consortio aliorum fidelium, ac etiam de alijs pœnis criminis, à iure taxatis in cõtumaces, & peruicaces, sustinendi & tolerandi sunt huiusmodi peccatores non hæretici.


1. Ratio.

2. Ratio.

Quæst.

Quæstio IV.

Vtrum mali, quos Episcopus Ephesinus sustinere non poterat, essent hæretici, & schismatici?



SI loquamur de pœna criminis à iure taxata, quæ est pœna corporalis, distinctione opus plane est. Vel enim sūt secreti, vel publici, quare vt ad rem veniamus, nonnulla prælibanda veniunt.

Heretici puniuntur ab ecclesia quinque modis.

Primò itaque nota, quod Ecclesia punit hæreticos quinque modis. Primò, excommunicatione, quæ est sententia lata in iure, omnis hæreticus excōmunicādus est siue occultus, siue manifestus. Secundò, depositione; quia hęreticus siue sit clericus, siue laicus, cuiuscumq; dignitatis existat, siue Papa, siue Imperator, ab omni dignitate deponitur: immo ipso facto est depositus. Tertiò, rerum temporalium ablatione; quoniam teste Augustino de Ancona in sua summa Ecclesiastica, diffuse, & præcipuè q. 28. a. 6. omnia hæreticorum bona debent confiscari Ecclesiæ, cui deseruiebant, si erant clerici, vel laici. Si in temporali iurisdictione sint Ecclesię subiecti: aliorum vero laicorum bona Principibus sæcularibus. Quartò militari persequutione. Nam vt ait ipsemet Anconitanus loco citato, si propter malos puniendos oportuit, regiam maiestatem non solum legibus esse decoratam, sed armis armatam, multo fortius propter hæreticos exterminandos. Quintò, corporali morte; Quoniam vt ait Abulen. in cap. 14. Matt. q. 36. Hæretici non solum merentur ab Ecclesia per excommunicationem separari, verum etiam per mortem à mūdo excludi. Quia multo grauius est æternam, quam temporalem lædere maiestatem, & tamen, qui committit crimen læsæ maiestatis statim occiditur: Ergo hæreticus potius meretur occidi. Extra de hæreticis cap. [vergentis.] Etiam multo grauius peccant corruptores fidei, per quam est vita animæ: Nam iustus ex fide viuit ad Rom. 1. quam falsatores monetæ, per quam temporali vitæ subuenitur, & tamen falsatores monetæ, & cæteri malefactores statim per principes sęculeres occiduntur: ideo à fortiori hæretici, postquam conuicti sunt de hæresi merentur immediatè occidi.

Monetæ falsatores morte patiuntur.

Secundò nota, quod loquendo de pœna spirituali, Ecclesia circa hæreticos tam publicos, quam priuatos procedit pœna spirituali, nimirum, excommunicando condemnando eorum dicta, congregationes, & synodos. Quoniam in hoc non est difficultas, nec scandalum ex parte Ecclesiæ, quia faciliter potest, ista facere, cum non oporteat ad hoc bellum mouere; & insuper non est nocumentum ex parte hæreticorum, quia per excommunicationem istam, & damnationem dictorum suorū, nō præcluditur eis via ad salutem, sicut si occiderentur, quia tunc iam pœnitere non possent: sed potius ista excommunicatio, est eis quædam pœna medicinalis, & occasio ad hoc quod redeant ad salutem. Et propter hoc Ecclesia quoslibet hæreticos excommunicat. Quinimmo iam sunt excommunicati à iure c. [Extra de hæret. excommunicat.] Et sic loquendo, asseuerare possumus, hæreticos & schismaticos esse etiam illos malos, quos Episcopus Ephesinus sustinere non poterat: ita ut illorum verborum: [quia non potes sustinere malos,] sit sensus. Non potes sustinere malos, nimirū, hæreticos omnes & schismaticos, tam publicos, quam secretos: quia eos excommunicatione ferias: & eorum dicta, congregationes, & synodos damnes. Hæc omnia sunt certa. Modo iam astruamur conclusiones, loquendo de pœna corporali à iure taxata.

Excommunicatio pœna medicinalis hæreticorum

Heretici tolerandi circa pœnā corporalem. 1. Ratio.

Prima conclusio. Hæretici, & schismatici occulti sustinendi, & tolerandi sunt ab Ecclesia, quo ad pœnam tēporalem, nimirum, quoad mortem, & occisionem. Pro-

F batur, tum quia D. Aug. sic scribit: [Nec tamen consequens est vt omnis hæreticus, vel schismaticus ab Ecclesia corporaliter separetur, multos enim portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt in tantam multitudinem faciant. Quod si fecerint, tunc pelluntur; si autem peccauerit quis, & corrigi potest, exterminandus non est, ne sic aferatur locus pœnitentiæ.] Et D. Hieron. super Matth. sic ait: [Datur locus pœnitentiæ, & monemur, ne cito amputemus fratrem, quia fieri potest vt ille qui hodie noxie damnatus est ex dogmate, cras resipiscat, & defēdere incipiat veritatem.] Et Alphonsus Tostatus in cap. 13. Matth. q. 64. ita inquit. [Si autem consideratur quantum ad tolerationem Ecclesiæ, dicendum, quod etiam si Ecclesia nollet tolerare malos, tolerari necesse erat, quia non potest cognoscere omnes malos. Etiam dato quod cognosceret, non posset omnes auferre propter multitu- G dinem, & ideo dicendum, quod aut Ecclesia cognoscit malos, aut non. Si nō cognoscit, non oportet quod multum inquirat, qui sunt mali, ad hoc, quod eos puniat, quia quædam melius latent, quam publicentur. Et hoc est verum, nisi in quibusdam peccatis, quæ quanto sunt magis occulta, tanto sunt periculosiora, vt est hæresis, quia hæretici occultè possunt inficere totū gregē Dominicum. Et propter hoc ecclesia dedit specialiter in crimine hæresis, Inquisitores per omnes prouincias, vt solicitè inuigilent circa eradicādas hæreses.] Tū quia expositores in hunc locum, id expresse asserunt. Nam S. Thom. ita habet: [Dicendum quod hæretici, aut sunt occulti, & hi non sunt extirpandi, dum est de eis ambiguum, & ne indiscretè expellantur, sit bonis occasio mali: quia vel schisma posset emergere, vel boni possent extirpari cū alijs, quia idē posset credi de eis, quod de alijs vbi est ambiguum, vnde sequitur; ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum, & de his H loquitur Matth. 13. secundum glossam.] Quadrant hæc omnia cum his, quæ idem Angelicus doctor 22. q. 11. art. 3. de hæreticis tolerandis scribit, per hæc verba: Ex parte autem ecclesiæ est misericordia ad errantiū conuersionem: & ideo non statim condemnat, sed post primam, & secundam correctionem, vt Apost. docet; post modum vero si adhuc pertinax inueniatur, ecclesia de eius conuersione non sperans, &c.] Quam plane sententiam D. Tho. sequutus est Aug. de Ancona in sua summa Ecclesiastica q. 28. art. 7. inquirens, an hæretici in aliquo casu per Papā sint tolerandi, ibi enim sic scribit: [Si vero consideramus in tali crimine ecclesiæ charitatē, tunc hæretici non statim traduntur exterminio, sed seruatur erga eos ordo correctionis fraternæ, quia monentur primo, & secundo, &c.] Tum quia ecclesia definiuit, vt habetur c. [Firmiter de summa Trin. & fi. I cath.] quod semper potest quicumq; peccator per verā pœnitentiam reparari, quod plane argumentū late tractat Andreas à Vega lib. 11. de obseruatione mandatorum c. 19. Tum demum quia Deus eos tolerat. Nā Deus non solum malos in communi, verumetiam malos in particulari, vt sunt huiusmodi hæretici, & schismatici occulti, tolerat, quin eos morte afficiat, & pellat de mundo. Et hoc propter spem conuersionis. Quia aliqui sunt qui licet longo tempore peccent, aliquādo futuri sunt boni, vt ipse scit. Quoniā prou. 15. dicitur: [In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos, & malos.] Qui si mox vt peccant occiderentur, numquam boni fierent: ideo Deus differt pœnā, vt quando boni effecti fuerint, misereatur eorū, iuxta illud Isa. 30. Ideo expectat vos Deus, vt misereatur vestri.] Et quamuis numquam huiusmodi mali futuri sint boni, adhuc eos etiam tolerat Deus. Primò, vt ostendat diuitias miseri- K cordiæ suæ. Secundò, propter bonos, vt eos exerceat, qui aliqui boni fiunt propter pœnam, quæ à malis infertur, vt videre est in martyribus, cōfessoribus, & virginibus. Nam plerique eorum nō essent sancti, si nemo malus fuisset, qui eos pro Christo afflixisset. Tertiò, vt boni considerantes iniquitates malorum, nitantur in bona opera, vt illis similes non sint. Quare & ecclesia etiam, ad exemplū Dei sustinere, & tolerare debet hæreticos, & schismaticos occultos, quantum ad occisionem,

Abulen.

Inquisitores ad quid in Ecclesia Dei 2. Ratio. S.Tho. in cōment.

Heretici aliquando sunt à Papa tolerandi.

Malos cur tolerat Deus.

nem, & alias pœnas corporales, & temporales in iure contra hæreticos contentas.

2. conclus. Heretici post 1. & 2. correctionem non sunt tolerandi.

Secunda conclusio, Hæretici, & schismatici publici, post primã, & secundam correptionem, nullatenus debet sustinere, & tolerare quo ad pœnam temporalem in iure taxatam. Hæc est de fide, & continetur in c. 3. ad Tit. sub his verbis: [Hæreticum hominẽ post primã, & secundam correctionem devita sciens quia subuersus est.] Eamque tenent communiter Doctores cum S. Thom. 22. q. 11. art. 3. vbi Angelicus doctor sic scribit: [Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantiũ conuersionem, & ideo, non statim condemnat, sed post primam, & secundam correctionem, vt Apostolus docet post modum vero si adhuc pertinax inueniatur ecclesia de eius conuersione non sperans, aliorum saluti prouidet, eum ab ecclesia separando per excommunicationis sententiam, & vlterius relinquit, eum iudici sæculari mundo exterminandũ per mortẽ dicit enim Hier. & habetur 24. q. 3. resecandæ sunt putridæ carnes & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, messa, corpus, & pecora ardeant, corrumpãtur, putrescant, intereant. Arius in Alexãdria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbẽ eius flamma populata est.] Hactenus S. Tho. Idẽ tenet Aug. de Ancona in sua summa de Ecclesiastica potest q. 28. art. 7. vbi sic scribit: [Si aliqui hæretici defendant falsitatem sententiæ, vt intentam multitudinem faciant, & conuenticulorum segregationes, & Ecclesiæ perturbationes cogitent, tunc absque alia monitione, vel inquisitione exterminandi sunt, quia cum bonum publicum sit præferendum priuato, magis est prouidendum saluti spirituali totius corporis ecclesiæ, quam saluti corporali alicuius, vel aliquorum.] Ita Anconitanus.

Hæreticorum temporalis pœnæ ordo.

Nihilominus tamen Alphonsus Tostatus ordinem quemdam huius executionis pœnæ temporalis in publicos hæreticos adfert in c. 13. Matth. q. 64. per hæc verba: [Si autẽ sunt maiora peccata scilicet omnia illa pro quibus de iure pœna aliqua debetur, aut potest sine periculo, & scandalo bonorũ pœna illa infligi, aut non: Si potest debet infligi, si non potest debet supersederi, & expectari tempus, in quo possit sine periculo infligi, vel diuinum expectare iudicium. Quia aliàs ecclesia volens eradicare zizania, eradicaret simul triticũ quod Christus vetuit, sic dicit Aug. contra epistolam Parmeniani, scilicet cum quisque Christianorum intus ecclesiam constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur fiat hoc vbi periculum schismaticis non habetur, aliàs timetur cùm dilectione, non ad eradicandum, sed ad corrigendum, quod si se non agnouerit, nec pœnitendo correxit, ipse foris exiet; & per propriam voluntatem ab ecclesię communione dirimetur. Vnde cum Dominus dixisset, &c.] Et c. 13. q. 63. sic etiam scribit: [Quantum vero ad pœnam corporalem, scilicet occisionẽ, & priuationem bonorum, & similia, ecclesia non ita faciliter procedit. Sed aut hæretici sunt tales, contra quos non potest procedi sine magno scandalo (vt quia multi sunt, vel quia multos habẽt fautores) vel potest procedi contra eos sine scandalo, Si primo modo, ecclesia cessat procedere: Si secundo modo, procedit. Et tunc postquam quis de hæresi conuictus est, si non vult ab ea discedere tradit eũ ecclesia iudici sæculari ad mortem, licet ecclesia occidi non iubeat. Si vero ab errore discedit, remittitur ei, & recipit eum ecclesia: Si vero postea relabitur, & iam si velit redire ad fidem ecclesia suscipit eum vt moriatur in gremio fidelium, & tamen tradit eum iudici sæculari. Quia timetur de inconstantia sua, scilicet quod iam semper esset infirmus in fide, & posset alios inficere. Et hoc est quod Apostolus dicit ad Timoth. 3. hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem de vita sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est.] Hactenus Abulensis. Qui quidem ordo hucusque seruatur in Ecclesia, & præ manibus prope diem habetur in sacra Cardinalium congregatione circa publicos multandos hæreticos, & præcipuè relapsos reuertere volentes ad fidem.

D. Aug.

3. conclus. Hæreticorum pœnas corporales executioni mandãt Principes Christiani fideles post sententiam ecclesiasticam.

Tertia conclusio. Hæc executio pœnæ temporalis contra publicos hæreticos fit per principes, & dominos temporales post promulgatam sententiam Episcopi loci vel alterius personæ Ecclesiasticæ. Hęc continentur expresse, extra de hæreticis, vbi sic dicitur: [De fratrum nostrorum consilio decernimus bona hæreticorum esse confiscata, cuius confiscationis executio, & bonorũ ipsorum occupatio non debet fieri per Principes, aut alios dominos temporales ante quam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam sententia super eos fuerit promulgata.

Append. 1.

Hinc plane est, quod iuxta 2. & 3. conclusionem possunt verba textus etiam accipi, ita vt sit sensus. Non potes sustinere malos, id est publicos hæreticos quin post primam, & secundam correctionem, vt præcipit Apostolus, eosdem pœna temporali etiam punias: circa occisionem, & bonorum suorum temporalium confiscationem sententiam promulgando. Quamobrem D. Ambrosius in hisce suis commentarijs sic de hoc Episcopo Ephesino scribit: [De hæreticis debemus intelligere; Omnis enim qui pastor est Ecclesiæ, societatem hæreticorum quantum potest vitare debet ne per occasionem familiaritatis eorum corda simplicium veneno suæ malitiæ corrumpantur. Sicut enim lupus quietus inter oues, sine laceratione earumdem ouium versari non potest, sic nec hæreticus inter simplices.] Hæc D. Ambrosius.

Append. 2.

Quod autem crimen spirituale (quale est hæresis) possit per Papam, qui est Episcopus orbis, & vrbis, ac etiam per alios locorum Episcopos Apostolorum successores, pœna temporali puniri, latè & diffusè probat (inter alios) August. de Ancona, in sua summa de Ecclesiastica potestate q. 28. art. 6.

Aug. de Anc.

PARAPHRASIS Quinta.

Par. 5. §. 1. Elucidatio textus.

Et tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse (ait) & non sunt, & inuenisti eos mendaces. Cũ Paulus Apostolus Episcopis, Ecclesięq; Dei præpositis dicat ad Rom. 20. [Attendite vobis & vniuerso gregi, in quod vos S.S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo] perspicuum euadit, ad munus, & officium Episcopale pertinere dubia circa fidem examinare; & nõ rectè docentes tentare, de eorum doctrina experimentũ capiendo: Propterea quod cum quædam dubia circa fidem in Ecclesia Dei oriantur circa quæ aliqui quærũt volentes informari, necesse est quod aliquis sit in Ecclesia, qui ad illa respondeat (quia aliàs prouisum esset.) Et tamen nemo alius est, cui ex officio ista cõpetant, quam Prælati, Prædicatores, & Doctores. Et ob id necesse est, quod ad Episcopum pertineant, & ad cæteros maiores Prælatos, iuxta illud 1. Petri 2. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide, & spe, sed cum modestia, & timore conscientiam habentes bonam.] Quod sane de Prælatis Ecclesiæ Dei ad litteram intelligitur. Prælatus namque siue Episcopus est seruus ille (qui vt dicitur Matth. 24.) cibum in tempore populo sibi commisso debet dare. Hæc igitur optimè perpetrans Episcopus Ephesinus, tentare ausit eos qui se in minori Asia Apostolos esse (id est à Deo vt ait glossa interlinearis, vel à Christo missos vt ait Lyranus ad docendũ populum) affirmabant. Erant namque hi adhuc intra Ecclesiam sua falsa dogmata iam priuatim, iam vero publicè tamquam zizania inter triticum superseminantes: Alioquin de eorum doctrina non accepisset

Laudunen. Lyranus.

fet Episcopus iste experimentum. Nam vt ait glossa ordinaria: [Non tentantur, nisi qui intus sunt in Ecclesia.] Cui dicto glossæ addit Primasius dicens: [Non tentantur nisi qui intus sunt, qui enim foris sunt sine vllo tentamento, foris esse manifesti sunt, nec eos tentari opus est, intus, foris ne sint? qui nō solum ex fructibus, sed etiam ex habitatione loci tamquam schismatici dignoscuntur.] Sic ille. Surrexerunt namque his temporibus in minori Asia & in Epheso (vt dicunt Lyranus, Rupertus Abbas, & alij expositores) Ebion, & Cherinthus hæretici, & subuersores fidelium, alijque similiter pseudo Apostoli: qui dicebāt se missos ab Apostolis in Hierusalē manentibus, scilicet & à Petro, & à Iacobo, & tamen sub hoc prætextu falso docebant obseruationem legalium, simul cum Euangelio esse necessariam ad salutem: vt patet in pluribus locis epistolarum D. Pauli, in quibus etiam Apostolus Dei, hos pseudoApostolos vitari præcepit. Obidque Episcopus iste Ephesinus, hos qui se Apostolos Christi esse iactabant per Ecclesias Asiæ (publicè, & priuatim falsa dogmata populo Dei prædicantes) tentauit, eos diligenter examinando, & probando eorum doctrinam, vitam, & sanctitatē. Et his sedulò examinatis, & probatis, à fructibus eorum cognoscens eos: vidit Apostolos minimè esse, sed pseudo Apostolos. Et sic non solum in doctrina (vt ait Lyranus) sed etiam in vita qua exterius sanctitatem simulabant, vt simplices magis deciperent, inuenit eos mendaces.

Pseudoapostolorū falsa doctrina.

Lyranus in c.2. Apoc.

§. 2. *Hæretici, & Pseudoapostoli varijs nominibus appellantur.*

Et verè [mendaces.] [Nā licet hæretici, & pseudo Apostoli, varijs modis a sanctis patribus nominentur, vt Adulterinæ gemmæ] splendorē, ac valorē, quem non habēt demonstrantes. [Simiæ] Homines imitantes sanctos exterius, interius autē immunditia plenos, vt eos vocat Philo sup. 3. regio, [Chamæleones] qui in quemcumq; colorem commutantur præterquam in album, [Hydræ] quoque venenosa semper capita pullulantes, [Adulteri] tot tantisque sanctarum scortis, Dei scripturas adulterantes, Vt ait Origenes, super c. 2. ad Rom. & D. Ambr. in eumdem locum, [Araneæ] minutissimas telas debilibus texentes: [Putrida membra, præcisi rami, Idololatræ, Antichristi, monetarum Adulteratores, serpētes, basilisci, aspides,] Vt eos vocat Origenes in Leuiticum homil. 16. & in Lucam hom. 31. & super c. 3. ad Rom. [Dracones, viperæ] vt ait Basil. in examer. hom. 10. & D. Hier. in Isa. 30. & in Ezech. 8. [Leopardi] vt ait Rup. super Iud. 15. [Vulpes Samsonis] vt eos vocat D. Amb. sup. Psal. 118. serm. 2. & super Lucam c. 9. [Leprosi] vt eos appellat D. Greg. lib. 11. Moralium. [Pestilentes] vt dicunt Origenes super Matth. hom. 28. & D. Hieron. super c. 24. Matt. [Lupi, fures, latrones, canes,] vt vult sacra pagina. Quamuis ergo hæretici, & pseudoApostoli his, & alijs quamplurimis nominibus nuncupētur apud sacrā Scripturam, & sanctos Patres: tamen verius, & proprius [Mendaces] dicuntur. Doctrina enim hæreticorum, & pseudoApostolorum, mendacium est. Sicuti enim fideles Dei, veritati, sic infideles dæmonis, mendacio innituntur. Est enim dæmon mendacij pater, à quo hæretici, pseudoApostoli, & alij infideles mendacem capiunt doctrinam. Et sic verè, & propriè mendaces nuncupantur. Mendacium enim à Doctoribus communiter sic diffinitur: [Mendaciū est falsa vocis significatio cum intentione fallēdi.] Ita D. Aug. in lib. contra mendaciū D. Ambr. in serm. de Passione D. Tho. 22. q. 110. art. 1. Et Alphon. Tost. super Leuit. Et quia Episcopus iste Ephesinus experimentum sumpsit de his infidelibus hæreticis, & pseudoApostolis, & inuenit eos animo fallentes fideles, falsa doctrina sophisticis argumentis, simulatoriaque vita: illos apte mendaces appellauit Christus, seu Angelus eius, hoc est inimicos crucis Christi, vt ait Apostolus.

Hæreticorū doctrina mēdacium.

Mendacium quid sit.

§. 3. *Tentare est experimentū sumere de eo qui tentatur*

Cæterum nota ex D. Tho. 22. q. 97. art. 1. quod tentare, est propriè experimentum sumere de eo, qui tentatur. Sumimus autem experimentū de aliquo, & verbis & factis. Verbis quidem vt experiamur, an sciat, quod quærimus, vel possit, vel velit illud implere. Factis vero

F cum per ea facimus exploramus alterius prudentiā vel voluntatem, vel potestatem. Vtrumque autem horum contingit dupliciter. Vno quidem modo apertè, sicut cum quis tentatorem se profitetur, vt luti Samson, qui Iud. 14. proposuit Phylistæis problema ad eos tentandum: Alio vero modo insidiosè, & occultè, sicuti Pharisæi tentauerunt Christum, vt legitur Matth. 22. Rursus sunt alij plerique tentandi modi, puta, cū quis dicto, vel facto, aut interpretatiuè intendit experimentum sumere de aliquo. His igitur modis omnibus Episcopus Ephesinus tentauit eos qui se dicebant Apostolos esse, & non erant, & inuenit eos mendaces, & nō quomodocumq; sed mortaliter peccantes. Nam vt ait S. Tho. 22. q. 110. a. 4. quando mendacium contrariatur charitati secundum se ex ipsa falsa significatione (siue sit circa res diuinas, siue circa hominis bonum) semper est greuissimum, & lethale. eo quod (vt inquit ipse ibi-

G dem) mortale scelus propriè est quod repugnat charitati per quam anima viuit Deo coniuncta. Et quia isti hæretici, & Pseudoapostoli docebant populo obseruationem lehalium simul cum Euangelio, necessariā esse ad salutē (quod plane repugnat Dei, & religioni Christianæ, tum & Ecclesiæ dogmatibus) ideo illorum mēdacium erat grauissimum, & mortale cum non esset officiosum aut iocosum, quinimmo pernitiosum.

Samson cur Phylistæis proposuit problema.

Tentandi varij modi.

Mendacium quando est lethale.

Adeò grauissimum fuit horum mendacium, vt inter hæreses merito reponatur: Communis namque sententia est hos mendaces fuisse Ebionem, Marcionem, Cherinthum, & Valentinum hæreticos, qui sæculo illo in Asia cōsurrexerūt qui se à Christo missos asserebant, docentes populo Dei (inter alia pleraque eorum falsa dogmata) obseruationem legalium simul cum Euangelio necessariam esse ad salutem. Quod planè falsissimū semper reputauit Ecclesia Dei, à suo exordio post Chri-

H sti mortem vsque ad hæc nostra sæcula. Idque etiam firmiter credidisse Apostolum docet Abulensis in capite 14. Deuter. q. 3. per hæc verba [Apostolus tamen firmiter tenebat, quod non obligabamur post mortem Christi legalia obseruare, tamen volebat hoc sic prædicare ne aliquos ad peccandum induceret agendo contra conscientiam, &c.] Hinc ipsemet Apostolus, prææallegatos hæreticos qui eo tempore, Ephesi & in tota Asia consurrexerunt, pseudoapostolos nuncupat, dum 2. Cor. 11. ita inquit: [Eiusmodi Pseudoapostoli operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi.] Hos itaque hæreticos prælibatos, qui se Apostolos esse dicebant, iste Episcopus Ephesinus doctrina, vita, sanctitate, re, & nomine mendaces ita inuenit, vt eisdem cum psalmista merito dicat: [Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?] Et ita planè eos diligenti indagine exa-

I minare reperio, vt in auribus eius insonare mihi videantur illa verba Dei ad suum vatem Ezechielem in cap. 2. [Tu ergo filij hominis ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides quia domus exasperans est, loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, & quiescant, quoniam irritatores sunt.] Quamobrem eos tentauit experimentum de eorum doctrina, & sanctitate (vt dixi) capiendo. Quoniam eosdem vitare præcipiebat Apostolus scribens ad Corinth. sic: [Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo.] Hos autem fuisse Pseudoapostolos perspicuum est. Et quamuis Arethas non certè id affirmet, dum scri-

K bit: [Verisimile enim est quod à Pseudoapostolis fuerint ipsis illatæ contumeliæ, &c.] tamen D. Amb. hoc expressè asseuerat in hisce suis commentarijs scribens super hæc verba, sic. [Quidā praua docentes temporibus Apostolorū, Apostolos se esse dicebant, vt per reuerentiam nominis, facilius prauam doctrinam in cordibus audientium plantarent. Hos & Apostolus Paulus damnat, & Dominus in Euangelio cauendos eos insinuat, cum dicit. Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos, in vestimentis ouium, intrinsecus

§. 3. Quodnā fuerit hoc mendacium. Lyranus. Rupert. Abb. D. Dionysius Carthusianus in comment.

2. Cor. 11.

Arethas in comment.

2. Cor. 10. Matth. 7.

eos autem sunt lupi rapaces: Hos ergo iste falsos, A eorumque doctrinam falsam esse comprobauit.] Ita Diuus Ambrosius. Et quoniam Diuus Ambrosius de Apostolorum temporibus mentionem facit, dico temporibus Apostolorum plerosque extitisse pseudoapostolos, quales planè fuerunt Simon Magus, qui Spiritum sanctum vendi posse existimans, à Philippo baptizatus obtulit pecuniam Petro vt cui manus imposuisset acciperet Spiritum sanctum; vnde Simoniaci originem trahunt, Himenæus Simonis Magi discipulus qui dicebat, se ab inuisibilibus missum, pro salute hominum, mundum verò, per Angelos ab intelligentia emissos esse factum; huius meminit Apostolus 1. Timoth. 1. & 2. Timoth. 2. Cherinthus, qui Christum nudum hominem faciebat, ac ex Iosepho natum, Ebionius qui Christum etiam purum hominem asserebat, & alij plerique, vt videre est apud Clementem lib. 2. recognitionum, Irenæum lib. 1. cap. B 21. Epiphanium, hæresi 28. Nicephorum lib. 3. historiarum ecclesiasticarum cap. 14. Dionysium Alexandrinum lib. 2. promissionum, Hylarium lib. 1. de Trinitate. Fuerunt, & alij hæretici temporibus Apostolorum, qui docebant circumcisionem obseruandam, & opera iustitiæ negligenda esse, legemque veterem simul cum noua esse obseruandam. De quibus plane extat mentio Act. 5. ad Galat. 4. & apud Diuum Augustinum lib. de fide, & operibus. cap. 14. & apud Irenæum lib. 1. cap. 26. ac Nicephorum lib. 3. cap. 13.

Heretici ex orti tempore Apostolorũ.

Clemens. Irenæus. Epiphan. Diony. Alex. Hylarius.

D. Aug. Nicephor. Irenæus.

DISPVT. IV.

In Cap. 2. Apocalypseos, de Antistitum in sibi subditos tentatione.

In duas quæstiones diuisa super illa verba: *Et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces.*

Prologus disputationis.



CVM iuxta doctrinam Diui Thomæ 2. 2. quæst. 4. ad 2. solus Episcopus sit propriè prælatus Ecclesiæ, & quasi sponsus eius, & accipiens annulum, solus plenam potestatem, & iurisdictionem in sibi subditos habeat: Hinc plane est, quod meritò nos hic disquirendum duximus, qualiter sibi subditos examinare, & tentare in vita, & moribus debeat Episcopus.

Episcopus solus Prælatus Ecclesiæ.

Annulum accipit Episcopus.



Quæstio I.

Vtrum Episcopus, non solum debeat esse vir bonus in se, verum etiam debeat habere zelum, & vim coercendi, & rectitudinem diligentis disciplinæ in sibi subditos?



PARS affirmatiua adeò est vera, vt probari queat ex illo Iosue. 1. [Confortare igitur, & esto robustus valde; vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus.] Quibus verbis præcipitur Iosue custodire legem, non quod ipse, solum in persona sua custodiat, sed etiam quod cæteros ad custodiendũ inducat, & cogat. Hoc enim Prælatorũ est, qui coercẽdi vim habẽt; Et ad hoc requiritur maior animi vigor, quã si quis in se ipso, solum, legem obseruare debeat. Aliqui namq; sunt, qui bene viuũt, sed nõ bene præsunt; quoniã, aut remissi circa subditos sunt, vel robore, aut animi incõstantia, & impotentia resoluuntur. Hi autẽ sine culpa graui non sunt. Quoniam Prælatorũ status non solum in se vitæ puritatem exigit, sed etiam in C alijs rectitudinem diligentis disciplinæ, iuxta illud Ezech. 3. [Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me, si dicente me ad impium; morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed & si &c.] Quo loco apparet, prælatum pro alienis, sicut pro suis teneri, iuxta illud Psalmistæ: [Et ab alienis parce seruo tuo,] Quinimmo pro peccatis alienis interdum moriuntur prælati, sicut patet de sacerdote Heli, qui in se sanctus & iustus erat; verumtamen, quia filiorum suorum peccatũ graue non corripuit, perijt ipse, & domus eius tota, vt habetur 1. Reg. 4. De hoc etiam extra de symonia, in c. D licet Heli. Adhuc autem ad tenendam istam disciplinæ rectitudinem inflexam, maiori virtute, & robore prælati indigent, & animi vigore, quam vt ipsi in se solum bene viuant. Quapropter Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. sanctè statuit, vt Episcopi singulis annis, totam suam prouinciam visitent; Sic enim sancit. [Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi, propriam diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem vicarium, visitatorem, si quot annis totam, propter eius latitudinem visitare nõ potuerint, saltem maiorem eius partem: ita tamen vt tota biennio, per se, vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.] Quod verò prælati quolibet anno visitare teneantur suam prouinciam, habuit aliquale exordium à Samuele, prout prodit Alphonsus Tostatus 1. Reg. 7. super illa verba: [Et ibat per singu- E los annos circuiens Bethel, & Galgala, & iudicabat Israelem in supradictis locis] scribens sic: [Quolibet anno circuibat Israelẽ ad iudicandum, in quo apparet magna diligentia illius, circa regimen populi, & cultũ Dei; Faciebat enim hoc, ne daretur locus minoribus iudicibus præuaricãdi in iudicio, si nullus iudex superior frequenter se intromitteret de causis populi. Etiam faciebat hoc propter cultũ Dei, vt videret an in aliqua vrbe essent Idololatriæ? In hoc. autem aliquale

1. Conclus. Episcopus debet habere rectitudinem in sibi subditos.

Bene viuere, & male gubernare valde odibile.

Prælatus multatur à Deo pro alienis peccatis.

Prælati magis vigilare debent erga gregem sibi commissum quam erga seipsos.

Visitationis Prælatorum exordium, & origo.

Abulensis 1. Reg. 7. q. 33.

§. 4.

Tripartita enodatio huius loci.

Illud denique [propter nomen meum] nimia plane redolet emphasi. Potest namque tripliciter accipi. Primò, scilicet, accipiendo ly, [propter] loco præpositionis [per,] vt legamus [per nomen meum.] sic enim legit glossa interlinearis, Et tunc reddet hunc sensum. Per nomen meum, id est, per auxilium meum, siue per gratiam meam sustinuisti, tollerasti, & constantiam in aduersis habuisti; quia sine me (vt dicitur Ioan. 15.) nihil potestis facere. Cui sensui consonare videtur glossa ordinaria, vertens sic: [Et non defecisti. Notat causam humani defectus fuisse: nisi auxilium peruenisset.] Ita glossa ordinaria. Secundò accipiendo ly [propter] loco præpositionis [pro] ita vt legamus [pro nomine meo,] & tunc reddet hunc sensum. Hanc molestiam, & hos labores, & contumelias pro nomine meo defendendo passus fuisti. Et sic fit allusio ad illud Act. cap. 5. [Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.] Tertiò tandem accipiendo ly [nomen meum,] loco, [me] ita vt legamus, [propter me,] & tunc erit sensus: Propter me sustinuisti, & non defecisti. Solet namque sacra scriptura sæpe sæpius (more Hebræorum) nomen pro re nominata, siue pro re cuius est nomen accipere. Vt apparet primo in veteri Testamento Isa. 34. [Affert filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem qui inuocat nomen meum.] Id est, omnem qui me inuocat. Et cap. 30. [Ecce nomen Domini (id est, ecce Deus) venit de longinquo ardens furor eius, & grauis ad portandum.] Deinde etiam apparet in nouo Testamento. Ioan. 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.] id est, in eo. Et cap. 3. [Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.] Hoc est, quia non credit in vnigenito filio Dei.

Auxilij diuini necessitas.

Pati debemus pro Christi nomine.

Nomen pro re nominata.

§. 5.

Bipartitus sensus huius loci.

Postremò ly [& non defecisti,] duplicem reddit sensum. Potest namque accipi spiritualiter, & tunc sic sonat. Non defecisti spiritualiter sustinens patienter in corde tuo labores, molestias, tribulationesque pseudoapostolorum, propter nomen meum. Secundò verò potest accipi corporaliter; & tunc erit sensus, non defecisti corporaliter, id est, propter angustias, tribulationes, laboresque pseudoapostolorum, non deseruisti corporaliter gregem meum tibi creditum: quinimmo doctrinam eorum sapienter pensando, cum eis solicitè conferendo, & opera eorum mala attente considerando, nunquam corporaliter conuersus fuisti coram eis retrorsum, & vnicuique eorum in facie, maledicebas verbis Psalmistæ: [Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.] Cum enim ille sit mercenarius (& non vere Pastor) qui videns lupum venientem, vt dicitur Ioan. 10. dimittit oues & fugit; meritò laudatur Antistes iste Ephesinus, in hoc, quod videns, mendaces illos pseudoapostolos, contra gregem Dominicum sibi creditum crudeliter insurgere, non fuit ausus fugere, nec oues sibi commissas in tali persecutione corporaliter deserere. Immo paratus erat animam suam pro ouibus suis, iuxta præceptum Dominicum ponere, & mortem pro illis, ac varia subire tormenta.

Spiritualiter non deficere quid sit.

Corporaliter non deficere quid sit.

Mercenarius & non vere pastor quis sit.

Conceptus prædicabiles in textum.



PROPTER nomen Christi debemus multa sustinere, & patienter pati, iuxta verba eiusdem Christi dicentis, Luc. 21. [Inijcient vobis manus suas, & persequentur &c. trahentes ad Reges, & Præsides propter nomen meum.] Vnde hic dictum est huic Antistiti Ephesino: [Sustinuisti propter nomen meum.] Quemadmodum dictum itidem est de Apostolis, Act. 5. [Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.] Quoniam pro nomine Iesu quælibet aduersariorum toleranda est molestia, cum de hoc nomine explanandum veniat illud Isa. 9. [Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.] & illud Cant. 1. [Oleum effusum nomen tuum.] ac illud etiam Ier. 1. [Magnum est nomen tuum, & quis poterit resistere ei.] & demum illud Psalmistæ: [Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ, iustitia plena est dextera tua.] & iterum: [Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.] Quod plane primo annunciauerunt Angeli dicentes, Matth. 1. [Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.] Et in eo proculdubio continentur dona gloriæ, & gratiæ, iuxta illud Ioan. 16. [Si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis.] Hinc proculdubio est, quod sancti, & serui Dei, in hoc solo nomine, & tormenta superant, & deuincunt omnia, iuxta illud D. Aug. tract. 103. in Ioan. [Non vicisset ille mundum si eius membra vinceret mundus. In illo igitur pacem habētes ipsum refugium habent, vt per eius adiutorium vincant.] Vnde certè vinci non potest à mundo, qui non in sua fortitudine (sed eius qui mundum superauit) contra mundum dimicat. Quemadmodum enim quæ amara sunt dulcibus admiscendo, grata sunt palato: sic tribulationes, & persequutiones, quæ hac virtute Christi interna, tolerantur, dulciora fiunt patientibus, nec animo cadunt. Quare nemini Christianorum licet, per virtutem animi sui motum placare, vel dicere se nequaqam posse illatas iniurias sustinere, cum Christus eisdem dicat Ioan. 16. [Plorabitis, & flebitis vos.] & paulo post: [Non turbetur cor vestrum, neque formidet, vado, & venio ad vos.] Perinde ac diceret: Ego omnia crudelissima tormenta superans, per ea ad gloriam ascendens, veniam, vt vobis assistam; & simul vobis cum contra omnes aduersarios vestros pugnem, eo modo, quo cōtra meos factus obediens vsque ad mortem, pugnaui. Idcirco merito ab antiquis dictum est illud: [Nemo læditur nisi à seipso: [Quod sanè exemplis sacræ scripturæ adumbrare facilè possumus. Etenim Iob, afflictus à diabolo, vt habetur in cap. 1. nihil contra Deum locutus fuit, nec in aliquo peccauit labijs suis. Ac etiam Ioseph, vt dicitur Gen. 14. à fratribus venditus, læsus, & offensus, & postea in Ægypto à domino suo innocens missus in carcerem, patienter tolerat, nec suæ falsæ accusatricis crimen aperit. Quamobrem iure optimo triumphans egreditur. Hinc D. Ioannes Chrysost. explicans qualiter nemo læditur nisi à seipso, sic ait: [Ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ouium greges lupus, vinum aceti permixtio, lolium segetes, grando vineam; sed hominem, nec morbus, nec exilium, nec mors, nec iniuria, nec cōtumelia, nec vulnus; sed solum peccatum lædit, sola animi, vel impatientia, vel cupiditas, vel maleuolentia.] Anaxarchū Philosophū, cum eum Nicoreon Cypri Tyrannus in saxo cauato, malleis ferreis tunderet, Tyranno dixisse fertur. [Tonde Anaxarchi follem, nam Anaxarchum nō percutis.] Nec enim ille percuti dici potest, cuius animus illæsus remanet semper. Quapropter Zach. 3. dicitur:

Concept. 1. Quod tribulationes pro nomine Christi sunt toleranda patienter.

Sancti in nomine Christi tormenta facile deuincunt.

D. Aug.

Simile.

Adiutorium nostrū in tribulationibus Christus.

Prouerbium.

Homo à peccato duntaxat læditur.

[Ecce dedi faciē tuam valentiorem faciebus eorū, & frontem tuam duriorem frontibus eorum; vt adamantem, & vt silicē dedi faciem tuā ne timeas eos, nec metuas à facie eorū.] Tunc namque est vera fortitudo, quando ex Deo prouenit; quoniam tunc in ipso victoriam reportamus. qua tamquam securi de mundo triumphamus. Qua quidem patientia victum se esse à Dauide confitetur Saul in cauerna. 1. Regum 24. dicens: [Nunc scio vere, quia regnaturus sis in Israel, & habiturus regnum in manu tua.] Quam patientiam non ex se, sed à Deo habuisse idem Dauid postea testatus est Psalm. 62 dicens: [Nonne Deo subiecta erit anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.] Deus enim homini confert vnde propter ipsum sustinere queat mala, & tribulationes quas sibi mundus offert. Quamobrem ipsemet Dauid Psalm. 11. ait: [Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.] Et Apostolus ad Gal. 6. [Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.] Vbi tribulationes, ignominias, & persecutiones, Dauid appellat funes peccatorum, & Apostolus, crucem Domini nostri Iesu Christi. Et ideo in ipsis gloriandum nobis est, sua gratia, & auxilio semper freti.

Fortitudo vera qualis.

Christus est adiutorium, & refugium nostrum in tribulationibus.

Concept. 1. Quod perseuerantia est omnino necessaria in bonis operibus.

Apostrophe ad perseuerantiam.

Perseuerantiæ laudes.



DIVVS Isidorus loquens de perseuerantia ait: [Non bonus est, qui bonum facit, sed qui perseueranter facit.] & D. Bernardus epist. 129.] Absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur, vigor virium, virtutum consummatio est. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tollo perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, denique non qui inceperit, sed perseuerauerit vsque ad finem hic saluus erit.] Et idem in alia epistola: [Perseuerantia est vnica filia summi Regis finis virtutum, earumque consummatio, totiusque boni repositorium, & virtus, sine qua nemo videbit Deum.] Ac etiam D. Gregorius lib. 1. moralium perseuerantiam, his extollit verbis: [In cassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia frustra velocitèr currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit. Quemadmodum si quinque ad brauium accipiendum currerent equi, quorum vnus velocitèr in principio curreret, & priusquam ad destinatum locum omnes peruenirent, ipse in medio itineris prorsus deficeret.] Hinc huic Antistiti Ephesino gloriosè dicitur: [Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.] Mirum plane, Nam Dauid ait: [Defecit in salutare tuum anima mea.] & paulo post: [Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me.] & alibi: [Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.] & Psalm. 72. [Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea &c.] & iste Episcopus inter tot aduersa, & labores nunquam defecit? Maxima quidem laus eius est ista. Videtur planè mihi, Episcopum istum inter tot discrimina rerum dixisse illud sponsæ Cantic. 3. [Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.] Vbi nota illud [non dimittam] quod planè sic venit intelligendum: Non dimittam diuino munitus auxilio; quoniam Deus seruis suis pro se, & Ecclesia sua sancta labores patientèr sustinentibus, efficax solet præbere auxilium, quo perseuerantèr in bonis operibus se habeant. Quoniam diuinum auxilium ad perseuerandum in bonis operibus, est Dei donum: quod non datur ex meritis, sed ex gratia. Et quamuis omnes iusti perseuerare possint, si velint, tamen soli perseuerant hi qui habent hoc donum perseuerandi vsque

D. Gregor.

Comparatio.

Elogium Episcopi Ephesini.

Perseuerātia postulat diuinum auxiliū.

F ad finem. Iccirco Apostolis, Dominus dixit Ioan. 15. [Ego posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.] Quod vtique idem est, ac si dixisset: Ego dabo vobis bene operari vsque ad finem. Hinc etiam, & superius dixerat: [Si hæc sciatis, beati eritis, si feceritis ea.] Et seipsum declarans, mox subiungit: [Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.] Vbi satis indicauit nō omnibus dari, vt perseueranter faciant, sed solum electis. Quamobrem Diuus Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei. cap. 12. ait: [Quilibet de perseuerantiæ suæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti.] Et iterum in libro de bono perseuerantiæ: [Asserimus donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo: Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur.] Hinc proculdubio culpandi maximè sunt, citò deficientes in bonis
G operibus. Qui enim in patientia, & perseuerantia circa bonum opus incœptum deficit, similis est D. Andreæ rńdenti Christo: [Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces, sed hęc quid sunt inter tantos?] Cepit namque bene Andreas, finiuit verò male. Cum enim dixit: [Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces] Incepit sanè optimè, nam tenebatur credere omnipotentiam Dei, qua illis dumtaxat quinque panibus, & duobus piscibus, poterat illos quinque millia (& etiam vltra) pauere homines. Verumtamen sequentibus verbis, nimirum, [sed hæc quid sunt inter tantos?] defecit in fide omnipotentiæ Dei, de qua tunc cogitare tenebatur, cum loqueretur cum ipsomet Deo omnipotente, magistro suo. Quod cum non fecerit, defecit planè in fide, & communiter di-
H cunt expositores. Fecit tunc planè sanctus Andreas vti Lacertus, animal reptile, alio nomine Cocodrillus nuncupatus; quod quidem animal dum reptat super terram, manibus depingit; attamen postea quod pictum est super faciem & puluerem terræ, cauda sua prorsus delet. Haudsecus etiam modo plerosque reperies per orbem homines, ac mulieres, bene inchoantes, & male finientes. Hic namque incipit bene suas mercaturas exercere, iustè in principio vendendo, & emendo: cæterum citò deficit, vendendo postea carius, quam emerat. Ille incipit sanctè viuere in religione, in principio ieiunando, orando &c. sed citò deficit, male postea viuendo, & peruicaciter Prælatis resistendo &c. Alter incipit bene matrimonium, solam vxorem suam cognoscens, reliquasque prorsus paruipendens mulieres; & tamen breui temporis interuallo, deficit, concubinam (im-
I mo concubinas, vt alter Salomon) habens. Iccircò est valde necessaria perseuerantia in bonis operibus: quam & Dominus ipse docuit, dum Lucæ 14. ait: [Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?] Et ideo necesse est, vt prius homo cogitet de sumptibus necessarijs, nimirum, quod id quod incipit, sit res possibilis, & viribus suis onus, diuino auxilio portabile, alioquin deficiet in via.

Deficientes in bonis operibus sūt maxime reprehensibiles.

Ioan 6.

Comparatio.

Comparatio.

Cocodrilli natura.

Mundanorū status multiplex.

Moralitas notabilis.

Conceptus 3. Quod Deus patiēs est circa peccatores.



K POSSVIT plane verba ista: [Patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.] exolui de huius Ephesini Antistitis patientia, in diu expectando malos peccatores ad pœnitentiam, & vt resipiscerent. Quæquidem patientia crebrò in sacra pagina summis extollitur laudibus. Quoniam in hoc sensu dicitur, in sacris litteris. Deus patiens, iuxta illud Ioelis 2. [Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.] & Nahum. 1. [Dominus patiens, & magnus in fortitudine.] & demum ad Rom. 2. [An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis, contem-

Patientia Christi in sustinendis peccatoribus vsque dum pœniteant.

temnis?] Hinc sanè Christus tempore passionis suæ faciem velari permisit, dum tantis opprimebatur opprobrijs, & appetebatur iniurijs, iuxta illud Marc. 14. [Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere.] ne videre eos, qui ipsum irridebant, & percutiebant; docens nos non debere in inimicos respicere, quatenus ex eorum præsentia ad iram, & impatientiam incitari possumus, & commoueri.

Cur Christus velari permittit faciē suā in passione.

Hinc extollitur meritum Sanctorum, qui patientèr tribulantium eos, sustinebant persequutiones, dum ait Ecclesia de illis:

Meritum Sanctorum extollitur ex patientia.

Non murmur resonat, non quærimonia:
Sed corde tacito mens bene conscia
Conseruat patientiam

Iccirco etiam sponsus ad sponsam Cantic. 6. dicebat: [Descendi in hortum meum.] Quo loco Ecclesia hortus nucum appellatur, quasi nullum alium fructum præter nuces producat. Qua quippe metaphora, sponsus, teste Theodoreto, Ecclesiam primitiuam repræsentauit, in qua Sancti ad instar nucum erant. Nuces enim exterius amarissimæ, intra se tamen reconditum tenent dulcem fructum. Sic Sancti exterius persequutionibus vexati, interius humilitatis, & patientiæ fructum Deo conseruant. Ad quod plane alludere vtique potest somnus ille Christi, dum Matthæi 8. dicitur: [Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.] Quærunt namque Theologi, ad quid Christus inter tam magnam procellam dormiebat? Et respondent verum esse Christum tunc dormire, primò vt daretur locus miraculo, vt dicunt Origenes, Cyrillus, & Abulensis in cap. 8 Matth. quæst. 79. Assueuit namque Christus semper in suis miraculis discooperire primò omnimodam naturæ necessitatem. Vnde antequam miraculum illud patraret, in quo quinque millia hominum quinque panibus satiauit in deserto, primo discipulis suis dixit: [Vnde ememus panes, vt manducent hi?] Quod plane dictum puta, vt impossibilitas naturæ ante miraculum claré omnibus pateret. Ad eundem modum in nuptijs Canæ Galileæ antequam aquam in vinum conuerteret, primò ibi dictum fuit: [Vinum non habent.] & iterum: [Implete hydrias aqua.] Et demum antequam cœco à natiuitate visum præstaret, primo lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cœci nati; Quæ omnia ante miraculum, imbecillitatem naturæ, & eius incapacitatem, ac inopiam naturalem patefaciunt. Pari etiam modo hic antequam miraculosè tranquillitatem faceret in mari: primò dormiebat, vt discipuli apertè viderent, clarèque experirent graue illud periculum maris, vt postea miraculi magnitudinem facilius cognoscerent. Secundo dormiebat, vt veritatem naturæ humanæ ostenderet, vt dicunt Origenes, Remigius, Cyrillus, D. Ioannes Chrysostomus, Abulensis in Matth. Semper enim Christus in suis miraculis, se Deum & hominem demonstrauit. Hinc in resurrectione Lazari, primo fleuit, quod spectat ad hominem; deinde dixit: [Lazare veni foras.] quod spectat ad Deum. Præterea in conuersione Mariæ Magdalenæ primo, manducauit in domo Pharisæi, quod spectat ad hominem, & postea dixit mulieri: [Remittuntur tibi peccata tua;] quod attinet ad Deum. Et demum in conuersione Samaritanæ, primo fatigatus fuit ex itinere, quod pertinet ad hominem, & postea mulieri dixit: [Quinque viros habuisti, & hunc quem habes non est vir tuus:] quibus verbis, se Deum ostendit, scientem omnia. Ad eundem planè modum, hoc in loco, primo dormit Christus, ad ostendendam veritatem naturæ humanæ, & vt postea dum tranquillitatem faceret, veritatem naturæ diuinæ in vno & eodem supposito clarè manifestaret, ita vt homines tanto miraculo prorsus obstupefacti exclamarent: [Quis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?] Cæterum ad nostrum institutum perueniendo, dicimus Christum tunc dormire in medio procellæ, vt suam patientiam clarè ostenderet circa peccatores expectandos ad pœnitentiam. Quoniam ob hoc aliquando silet, & iniurijs affectus dissimulat, ac si dormiret. Attolle oculos te rogo, & inspice tot hominum contra Christum iniurias, non infidelium solum, sed & fidelium; nec fidelium dumtaxat, qui iniqui sunt, sed eorum etiam, qui deuoti appellantur: & clarè videbis qualiter Christus ad has omnes iniurias, & ad hæc omnia peccata tacet patienter, ac si dormiret. Hinc de illo dictum est Psalm. 37. [Factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones.] & Isaiæ 42. [Tacui semper, silui patiens, fui vt parturiens loquar.] Vbi duo nota. Primum est illud [patiens;] quoniam vbi nostra Vulgata legit; [patiens] Hebræi legunt: [Erec appaim] id est [latus naribus.] Chaldæi verò habent: [longe propellens iram,] & Græci vertunt [longanimis,] quibus varijs enodationibus significatur diuina patientia. Quoniam qui angusti sunt naribus, citius fumos concipiunt ex cordis æstu accendentes, & cum impetu efflant propter meatuum angustias; at verò quo latio sunt narium foramina, eo plus frigidi aeris concipitur ad refrigerandum cor: Eiusmodique homines sunt natura placidiores, atque adeo patientiores. Quare per illud [patiens] patientia Christi circa peccatores expectandos ad pœnitentiam indicatur. Hinc est illud Isaiæ 57. [Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo; quia ego tacens, & quasi non videns.] Super quæ verba sic scribit Diuus Gregorius 2. p. pastoralis curæ. cap. 10 [Dissimulauit ergo culpas, & indicauit; quia & contra peccantem tacuit, & hoc ipsum tamen, quia tacuerit dixit: nonnulli enim, vel apertè cognita maturè toleranda sunt, cum videlicet rerum minimè opportunitas congruit, vt apertè corrigantur. Nam secta immaturè vulnera deterius infermescunt; sed cum tempus subditis ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere, pœnitentia Præsulis exercetur: vnde bene per Psalmistam dicitur: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. In dorso quippe onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores, conqueritur, ac si apertè dicat: quos corrigere nequeo, quasi super impositum onus porto.] Hæc Gregorius. Quare hoc in loco Episcopus Ephesinus commendatur, & extollitur in eo quod illi dicitur: [patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.] Perinde ac illi diceretur. Non solum patiens in laboribus fuisti, sed & longanimis in sustinendis, & expectandis peccatoribus ad pœnitentiam. Quæ planè virtus in quolibet Principe, & Prælato maximè necessaria vtique est, vt patientia sua, & longanimitate subditos etiam feroces, atque rebelles conetur dissimulando, & expectando emollire, & quodammodo cicurare. Hac longanimitate & patientia dicitur, Romanos Imperium orbis obtinuisse, iuxta illud 1. Machab. 8. [Possederunt omnem locum consilio suo, & patientia.] id est, longanimitate, & tolerantia. Quoniam Romani sic ferebant Reges, rebellesque populos, vt eos non statim penitus destruerent, sed ad faciendam vltro deditionem generosè expectarent. Hinc est illud Prouerb. 14. [Qui patiens, est multa gubernatur patientia, qui autem impatiens est exaltat stultitiam suam.] Secundo demum nota illud: [Quasi parturiens loquar.] Quoniam aliquando Deus cessat à dissimulato dolore, & tactus dolore cordis dolorosa voce, vt parturiens, peccatori dicit: [Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.] Attendite igitur vos peccatores, qui per quamplurimos menses, & annos iniquitates vestras prolongatis, cogitate, si placet, quod Deus aliquando iam fatigatus ex dissimula-

Theodoretus.

Nucis natura.

Cur Christus in procella dormiebat?

Somnus Christi significat patientiam in expectando.

Paulus de Palatio in cap. 8. Matth.

Deus dissimulat peccata hominū propter pœnitentiam.

Duo notanda.

Comparatio.

Discrimen inter homines narium foramina angustiora, & latiora habentes.

D. Gregor.

Psal. 128.

Fabricare supra dorsum Christi quid sit.

Patiētia necessaria est principibus, & prælatis.

Psal. 49.

Redarguit peccatores Deus post lōgam dissimulationem.

Matth. 24. mulatione vestrorum scelerum, ac peccatorum, consurget ex somno suo, & dicet vobis: [Ite maledicti in ignem aeternum:] Ideo nunc audite Prophetam Sophoniam vobis in cap. 1. dicentem: [Silete à facie Domini Dei, quia iuxta est dies Domini, quia praeparauit Dominus hostiam, sanctificauit vocatos suos. Et erit in die hostiae Domini super Principes, & super filios Regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina.] & paulo post: [Erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda, & contritio magna à collibus. Vlulate habitatores Pilae.] & tandem: [Scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in faecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: non faciet bene Dominus, & non faciet male.] Praemissis concinit illa Herculis è somno in Pygmaeos (claua sua) intrepida surrectio, de qua Alciatus ita scribit.

Sophon. 1.

Herculis è somno intrepida surrectio in Pygmaeos.

Andreas Alciatus in Emblemat.

Cum fortiori non est congrediendum.

Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno
Sub picea, & clauā, caeteraq. arma tenet.
Alcydem Pygmaea manus prosternere letho
Posse putat, vires non bene docta suas.
Excitus ipse, velut pulices, sic poterit hostem,
Et saeui implicitum pelle leonis agit.

Psal. 77.

Alludit ad haec, illud Psalmographi: [Excitatus est tamquam dormiens Dominus, & tamquam potens crapulatus à vino.]

Text. 3.


Ed habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1.


L 1 1 proculdubio vnquam mirum esse debet Deum optimum maximum in Antistite isto Ephesino tot laboribus, angustijs, persecutionibusque diu afflicto, patientiaque; necnō tolerantia diuinitus munito, defectum reperisse aliquem, quo iustè redarguendus esset, cum Iob 4. dicatur: [Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea.] & Ecclesiast. 7 [Nō est homo iustus, qui in terra faciat bonum, & non peccet.] & demum Prouerb. 24. [Septies in die cadit iustus.] Quod autem mirum immodum considerare attentè debemus, est, quod tale commiserit facinus, vt charitate prima penitus orbaretur.

Iustus aliquando cadit à iustitia sua.

§. 2.

Duae opiniones de quo immediatè accipiendus sit cōtextus.

Hoc quippe notatu ita dignum est, vt quamuis Laudunensis in sua glossa interlineari, Strabus in sua glossa ordinaria, Iustinus, D. Ambrosius, Beda, Haymon, Anselmus Arethas, Victorinus, & Rupertus Abbas, id de ipso Antistite Ephesino immediatè intelligendum esse asseuerent: Tamen Lyranus, D. Dionysius Carthusianus, & alij plerique expositores non id de persona Antistitis, sed de populo sibi commisso, & adhuc non de omnibus sibi subditis, sed de quamplurimis malis, immediatè accipiendum esse affirment. Quamobrem Primasius in hunc locum sic scribit: [Absit vt eum increpet quem antea laudabat, sed praedictam retinens regulam, mixtos optimis pessimos peregrinautem habere docet Ecclesiam.

Primasius in comment.

F Alius ergo est, qui dilectionem deserit inchoatam, alius qui propter nomen Dei, circa malos quoque dicitur seruare patientiam, vni denique, dicitur, patientiam habes, & non defecisti, alteri memento vnde excideris, & age poenitentiam.] Sic ille.

§. 3.

Auctoris vera sententia.

Ego tamen credo, quod licet de vtroque, nimirum, de Antistite, & de grege sibi credito absque vllo errore possit iste contextus expendi (nam qualis populus sic sacerdos) tamen de ipsa persona Antistitis, melius, & commodius explanandum esse. Quoniam cum Episcopus, populum sibi commissum in lege Domini docere, & à peccatis arcere debeat, iuxta illud Malachiae 2. [Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est,] Licet populus sibi subditus, in totum, vel in partem malus esset, & G inique egerit; tamen ipse de eorum sceleribus, & iniquitatibus, immediatè Deo rationem redditurus erat. Quoniam praeter id quod dicitur Exod. 28. [Portabat Aaron iniquitates eorum, quae obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israel in cunctis muneribus, & donarijs suis] Nullatenus est negandum Praelatis pro subditorum peccatis supplicium, & poenam immediatè à Deo imponendam esse. In cuius rei signum praecepit Deus Moysi Num. 25. dicens: [Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solē in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.] Quod planè ideo praecepit Deus, teste Abulense, quia peccata subditorum, Principibus, & Praelatis imputantur immediatè, maximè quando peruenit ad eorum notitiam publicam, eorum dissolutio, & non corrigunt. Sunt namque plerique Episcopi in Ecclesia Dei, de quibus inquit D. Bernardus. [Quem dabis mihi bone Iesu de numero Praelatorum, qui non H magis inuigilet marsupijs euacuandis quam vitijs extirpandis. Vtinam tam vigiles essent ad curam, quam alacres currunt ad cathedrā, plus fulgent calcaria, quā altaria, sepius inueniuntur in stabulo, quā in templo currunt velocius ad coquinam, quam ad Missam; plus diligunt piscem assum, quam Christum passum.] Et hi à culpis subditorum corrigendis facilè supersedunt, ignorantes, quod Deo immediatè de animabus illis reddituri sint rationem, & pro eisdem immediatè puniendi, vt alter Hely sacerdos, de quo 1. Regum 2. dicitur, quod fuit bonus, & tamen damnatus fuit, quia filios corrigere nolebat. Vocat tamen praeallegatus textus, Num. primos tribuum [Principes] quia quaelibet tribus, vnum principaliorem habebat, qui in illa Tribu principabatur. Vnde illis Principibus, qui suas Tribus habebant corrigere, & non corrigebant, subditorum I immediatè imputata fuere peccata. Et sic est de Praelatis in Ecclesia Dei. Nam, vt dicit Leo Papa (& habetur distinct. 86.) inferiorum ordinum culpae, ad nullos magis referendae sunt, quam ad desides, negligentesque Rectores, qui multam saepe incurrunt pestilentiam dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Analogia inter sacerdotem, & populū sibi cōmissum.

Sacerdotis munus, & officium.

Praelati pro delictis suorū subditorum immediatè puniuntur à Deo.

Abulen. sup. c. 25. Num.

Episcoporum iniqua diligentia.

Incuria Episcopoū circa gregem Dominicum culpatur.

Episcopi qui negligūt correctioné suorum subditorū, qui sint.

Leo Papa.

§. 4.

Tria explananda valde necessaria.

Dictio, pauca, ad quid apponatur.

Victorinus.

Tria tamen hic diligenti indagine sunt disquirenda. Primo quidem animaduertere fas est, quod ly, *pauca*, tantum reperitur apud Victorinum, & alios nonnullos expositores Latinos. Quoniam in Graecis Codicibus, neque in quibusdam Latinis emendatis, vt videre est in editione Vaticana, Sixti Quinti Pontificis Maximi iussu recognita, atque edita. Quinimmo apud Aretham, Laudunensem in sua glossa K interlineari, Strabum in sua glossa ordinaria, Primasium, Haymonem, Lyranum, Anselmum, Bedam, & D. Ambrosium, ita expuncta est vox, *pauca*, vt nullatenus reperiatur. Quamobrem vbi nostra Vulgata legit. *Sed habeo aduersum te pauca, quod &c.* Laudunensis loco citato legit: [Sed habeo aduersum te contrarium coronae, quod charitatem tuam primam reliquisti.]. & Lyranus: [Sed habeo aduersum te defectum corrigendum

gendum, quod charitatem tuam primam reliquisti.] Et demum Primasius, ita legit: [Sed habeo aduersus te, quoniam charitatem tuam primam reliquisti.] Cæterum legendo *pauca* duo indicantur notatu digna. Primum quidem est, quod Deus ad homines crebrò pauca facit verba, varias, ac multiplices ac omnino prolongatas inuoluentia sententias: [Vere scio (ait Iob) quod ita sit, & quod non iustificabitur homo, compositus Deo, si voluerit contendere cũ eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde, & fortis robore, &c.] & paulo post: [Si repente interroget quis respondebit ei? &c.] Secundum demum est. Quod licet multa bona opera fecisset iste Antistes Ephesinus, tamen Deus contra eum habebat pauca, ad demonstrandum quod iustus homo est veluti horologium, quod si hodie est bene temperatum, iustè sonans, & veram signans horam, tamen cras potest se distemperare, & male sonare maleq. suam horam obsignare. Perinde plane, qui hodie est iustus, & bonus, cras potest fieri malus: Et ideo de bonitate sua nullatenus est ei superbiendum. Quoniam Deus, si bona opera considerat, vt pro eis remunerationem tribuat, ex aduerso mala quãuis pauca nullatenus obliuiscitur, quin puniat aut increpet. Hinc plerique boni in hominum oculis, mali vero coram Deo reperiuntur. Iuxta illud Dan. 5. [Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Quemadmodum enim statera, duos habet lances ad cognoscendum pondus rei, sic Deus in statera suæ æternæ sapientiæ, duos habet lances ad cognoscendum pondus bonorum, & malorum operum. Quoniam de illo scriptum est: [Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. [Hinc Iob. in cap. 6. exclamat: [Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris grauior appareret.] Vides Iobum sanctum pauca in statera Dei habentem scelera, & quælibet pauca, maris arena, grauiora reputantem? Non est plane statera Dei, vt hominum statera, de qua Psal. 61 Scriptum est: [Mendaces filij hominum in stateris.] Vtraque igitur opera considerat Deus, bona, nimirum, & mala: iuxta illud 2. Paralyp. 19. [Iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.] Nimirum, bona opera ad remunerandum, mala vero ad puniendum, propter quæ iram Dei iustè meritus fuisti.

Iob. 9.

Iustus non potest esse in hac vita per multum tempus absque aliqua macula.

Comparatio.

Comparatio.

Bonorum, & malorum opera, statera Dei cognoscuntur

Butyrum, & mel comedit Christus.

Statera Dei differt ab hominis statera

§. 5. Charitas prima, quid sit.

Secundo dispungendum etiam est, hoc in loco, quid intelligatur per ly *charitatem primam*. Verumtamen ante omnia prælibare oportet, charitatem multipliciter accipi in sacra pagina. Primo namque accipitur charitas, quatenus significat habitum infusum à Deo. Iuxta illud ad Rom. 5. [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Et ita accepta charitate, nihil aliud est quam amor: Et sic intelligitur illud: [Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.] Et illud. [Tria hæc maior autẽ horum est charitas.] Et in hoc sensu charitas est habitus creatus à Deo in anima de quo disputat S. Thomas 2. 2. q 23. art. 2. & D. Augustinus libro de Trinitate. Et secundum hanc acceptionem charitatis dicitur ipsa charitas dilectio, qua Deum, & proximum diligimus, siue motus animi ad seruiendum Deo propter se: & proximo propter Deum. Iuxta illud ad Rom. 12. [Charitatem fraternitatis inuicem diligentes.] Demum dicitur charitas feruor, siue ardor ipsius Charitatis, secundum Apostolum ad Philip. 1. [Oro vt charitas vestra magis, ac magis abundet.] Secundo accipitur charitas, non pro ipso habitu infuso, vt est dictum, sed pro actu ipsius charitatis, nimirum, habitus infusi, & non pro quolibet ipsius actu, sed pro actu appellato Eleemosyna. Quoniã eleemosyna, actus est charitatis: Nã dare eleemosynã propriè est actus misericordiæ: Misericordia autem effectus est charitatis, vt probat S. Tho. 2. 2. q. 30. art. 2. & 3. Quare à primo ad vltimum, eleemosyna actus est charitatis. Quinimo cũ eleemosyna sit opus, in quo

Charitatis duplex principalis acceptio.

Charitatis primæ descriptio. S. Th. D. August.

Charitatis secundæ descriptio.

Charitas accipitur pro eleemosyna.

S. Th.

Eleemosyna quid sit.

datur aliquid indigenti ex compassione propter Deũ, apertè infertur, quod licet eleemosyna possit dari materialiter sine charitate, tamen formaliter, nullatenus id fieri potest, vt concludit ipsemet S. Tho. 2. 2. q. 32. art. 1. ad primum. Et ob id, licet eleemosyna sit propriè actus misericordiæ: est etiam actus charitatis ex consequenti, & mediatè. Quamobrem Angelicus Doctor 2. 2. q. 32. art. 1. disquirens, an dare eleemosynam, sit actus charitatis, sic scribit in corpore articuli: [Exteriores actus ad illam virtutem referuntur ad quam pertinet id quod est motiuum ad agendum huiusmodi actus. Motiuum autem ad dandum eleemosynas, est, vt subueniatur necessitati patientis. Vnde quidam diffinientes eleemosynam dicunt, quod eleemosyna est opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum, quod quidem motiuum pertinet ad misericordiam, vt supra dictum est, vnde manifestum est, quo dare eleemosynam propriè est actus misericordiæ, & hoc apparet ex ipso nomine Nam in Græco eleemosyna à misericordia deriuatur, sed in latino miseratio: Et quia misericordia est effectus charitatis, vt supra ostensum est, ex consequenti dare eleemosynam est actus charitatis, misericordia mediante.] Huculque S. Thomas. Quod autem eleemosyna talem formaliter non possit esse sine charitate docet Dnus Ioannes. 1. Ioan. 3. dicens. [Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?] Hoc prælibato fundamento, ad rem iam est deueniendum.

Eleemosyna est actus misericordię, & charitatis.

§. 6. Charitatis primæ bipartita opinio.

Duæ igitur sunt in hac re principaliores sententiæ, quarum prior per ly. *Charitatem primam*: exoluit habitum infusum charitatis: Itaut per illam intelligatur, hunc Episcopum Ephesinum, charitatem primã, nimirum, charitatis infusum habitum in baptismo, amisisse, & pro tunc orbatum fuisse Dei gratia, siue in totum per lethale peccatum a se, vel a suis subditis perpetratum: siue in partem per venialia peccata eodem modo commissa. Hinc plane est, quod Haymo, Beda, & alij plerique expositores ad lethale peccatum subditorum huius Antistitis hic conuolent. Quamobrẽm S. Tho. in hisce commentarijs, sic scribit: [Vel potest dici secundum regulam Ticonij, quod illa cõmendatio præcedens est quantum ad aliquos de subditis, hæc autem arguitio quantum ad quosdam alios Etiam Prælato adscribit, quę sunt subditorum, & tunc est sensus charitatẽ tuam primam reliquisti in alijs.] Hæc sanctus Thomas. Et Rupertus Abbas in hunc locum sic [Plane hæc opera quidem sunt laborare in regula fidei catholicæ, & laboris huius patientiam habere etiam disputando contra dogmata peruersa, quorum fabricatores mali tam multi, tanquam loquaces sunt, vt non possis eos sustinere, qualis tunc erat Marcion, & Cherintus, multique alij heretici, bona inquam opera sunt tentare illos doctores mendaces falsosque Apostolos conuincere, sed non in hoc est perfectio, quantamcumque patientiam habeas sustinendo istos, & non deficiendo absque primo charitatis ornamento. Nam, & Apostolus dicit, etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.] Et paulo post: [Sed hoc aduersum te est, quod in hoc opere tuo, charitatem tuam primam reliquisti. Prima namque, idest principale bonum charitatis est, quæ excellentior via est. Iuxta Apostolum, hoc solum pene, & vnicum signum est perfectionis, & testimonium veræ virtutis: quemadmodum alibi dixit, in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli si dilectionem habueritis ad inuicem, hoc signo cognitus est Stephanus Protomartyr, quando in labore, & patientia sua cum non posset sustinere malos, quos inuenerat, & conuincerat mendaces ita patientiam habuit, ita sustinuit propter nomen domini, vt moriens etiam pro ipsis oraret, & diceret Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.] Huculque Rupertus. Porro Hugo

Prima sententia accipit charitatem primam pro habitu infuso

Haymo. Beda.

S. Tho.

Rupertus Abbas.

Hugo Card.

Hugo Cardinalis tale peccatum mortale ad Episcopum ipsum referens existimat, gratiam primam hunc Antistitem amisisse, eo quod videns ipse, se in suis concionibus proficere, propter perditorum hominum peruicaciam, concionandi curam ex parte abiecerit. Et postremo Berengandus, sanctus Thomas, D. Ambrosius, & Dionysius Carthusianus, asseuerant, hunc Episcopum increpatum fuisse à Deo, non quod charitatem absolutè amiserit in mortale ruendo, sed quod pristinum charitatis ardorem, & quædam opera charitatis omiserit. Probat autem hanc opinionem Carthusianus per hæc verba: [Iam enim dixit Dominus approbare se opera eius, & quod non defecit, & defecit. Defecit quidem à præfato feruore, & non penitus ab amore, & actibus charitatis.] Verba insuper D. Ambrosij circa hanc suam opinionem talia sunt: [Multi enim sunt, qui in initio conuersionis suæ in seruitio Dei ferventes existunt, sed processu temporis tepescunt, quod huic Præsuli Ecclesiæ Ephesi contigisse manifestum est.] Quæ quidem verba quadrant cum D. Gregorio in lib. 19. Moralium sic scribente: [Sunt nonnulli, qui paulisper per argumenta temporum patiuntur detrimenta virtutum.]

Berengandus. S. Tho. D. Amb. D. Dionys. Carthusianus

§. 7. Prima sententia apprime declaratur.

Et secundum horum doctorum postremam enodationem, duo veniunt notatu plane digna. Quorum primum indicat Ioachimus, & cum eo Iacobus Suarez a Sancta Maria, & Blasius Viegas, in hisce suis commentarijs, nimirum, semper perseuerandum esse in bonis operibus; & qui in alto dignitatis gradu sunt constituti, numquam retrocedere debere, aut ab incepto itinere perfectionis retrogredi. Hinc in lege sacerdotibus præcipiebatur, Leuit. 32. vt ignem super altare semel positum continuis fouerent lignis. Sic enim ibi dicitur: [Ignis in altari meo semper ardebit, quem enutriet sacerdos subijciens ligna.] Ad hoc ipsu plane alludunt illa mistica animalia Ezechielis, quæ vt in cap. 1. eiusmet Dei vatis dicuntur, non reuerti cum incederent, sed vnumquodque coram facie sua ambulare. Hinc Apostolus ad Philip. 3 sic scribit: [Fratres, ego me non arbitror comprehendisse vnum autem, quę quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens meipsum, quotquot perfecti sumus hoc sentiamus.] Super quæ verba D. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli sic scribit: [Dixerat non sum perfectus, & postea quotquot perfecti sumus, id est perfecti, & non perfecti, perfecti viatores, non dum perfecti possessores semper tibi displiceas. quod es, si vis peruenire ad id, quod non dum es; nam vbi tibi placuisti ibi remansisti, si autem dixeris sufficit perijsti, obliuiscere præterita, noli in ea respicere, ne ibi remaneas vbi respexeris: Propterea enim Christus dixit Luc. 17. Memento vxoris Loth] Hæc Augustinus. Idem argumentum attingit D. Bernardus Epist. 92. ad Abbates per hæc verba. [Solus Deus melior idcirco se ipso esse non vult, quia non valet; Vidit Iacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes Genes. 28. Nunquid stantem quempiam siue sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet, vt ascendas necesse est, aut descendas, si attentas stare tuas necesse est, minimè pro recto est bonus, qui melior esse non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.] Hucusque D. Bernardus. Quem sequi videtur D. Gregorius super illa verba Psal. 83. [Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.] Quoniam lib. 1 Reg. cap 2. præallegata verba Psalmistæ ad intentum nostrum mirificè declarat. Ad quod etiam alludit illud Prou. 4. [Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectum diem.] Et illud etiam Cant. 6. [Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens.] Quare iustè reprehenditur iste Antistes non progrediens in virtute incepta.

Ioachimus Iacobus Suarez a S. Maria. Blasius Viegas.

Scala Iacob demonstrat aspirandum esse ad perfectionem.

Bonus non est qui melior esse negligit.

Secundum vero, quod iuxta horum doctorum ex- F planationem, notandum venit, est, quantum hominibus salutem appetentibus æternam, fugienda sint peccata venialia. Et hoc duplici ex capite, primum quidem: Quia venialia peccata omnino abolenda, & contemnenda sunt, non quia minora, sed quia facilè incidit in maiora, qui minora contemnit. Ideo D. Augustinus Epist. 108 sic scribit: [Quid interest ad naufragium, vtrum, vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subijciens aquam in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem, atque submergat?] Non quod omnia peccata venialia simul faciant vnum mortale, aut hominem ad æternam pœnam obligare possint, vt dicunt doctores, cum Magistro in 2. sententiarum, & cum S. Tho. 1. 2. q. 89 Sed quod paulatim per venialia anima corrumpatur, & facilè disponatur ad lethalia perpetranda. Hinc est illud sponsæ: [Capite nobis vulpes G paruulas (id est venialia peccata) quæ demoliuntur vineas. Nam vinea nostra floruit.] Et illud Sapien. Eccl. 7. [Qui timet Deum nihil negligit.] Quemadmodum enim, qui vitam suam diligit, non solum pericula mortis fugit, sed illa omnia, quæ morbos causare possunt, vel sanitatem imminuere: Ita qui læthalis peccati mortem odit, venialia quoque peccata, quæ velut ægritudines quædam animæ sunt diligenter vitare studet. Sicut etiam clauus in pariete firmiter infixus, si hùc atque illùc repetitis ictibus concutiatur, tandem euellitur, sic venialia peccata, si frequenter iterentur constantiam animi, & firmum propositum non peccandi sæpe labefactare solent: Quare cauenda sunt maximè viro suæ salutis cupido. Quod Ioannes ille Baptista faciebat mundum fugiens: Ne leui saltem maculare vitam famine posset. Inde enim ad maiora peruenitur. Alterum vero caput H propter quod iustus homo vitare debet venialia peccata, est, quod quamuis ipsa venialia peccata charitatem omnino non extinguāt, eam tamen mortificant, ac minus feruentem efficiunt. Hæc nimirum est differentia inter veniale peccatum, & mortale quia scilicet, hoc charitate & gratia hominem priuat, non autē illud, quod cum charitate stat & gratia, quas minus feruentes dumtaxat reddit. Ideoque Dominus hunc Antistitem reprehendit.

Venialia peccata sunt omnino fugienda.

Simile.

S. Tho.

Comparatio.

Comparatio.

Peccata venialia mortificant charitatem.

Secūda & postrema principalis sententia est Arethæ in hisce suis commentarijs asseuerantis per ly *Charitatem primam*, non esse exoluendum, habitum infusum charitatis, sed actum specificum ipsius charitatis proprio nomine Eleemosynam nuncupatum. Verba autem Arethæ talia sunt: [Quod primam dilectionem solitamque erga egenos beneficentiam, remissius I quam par erat exerceret, id vitio vertit.] Quo loco Arethas accipit charitatem tantum in proximos, & & non vt est habitus infusus in anima. Hanc eandem sententiam sequutus est Lyranus, hoc in loco, per hæc verba: [Quia charitatem tuam primam, id est, opera charitatis, quæ habuisti, in principio tuæ cōuersionis] In quam etiam opinionem videntur magis se inclinare ex recentioribus, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Blasius Viegas in suis commentarijs. Quam, & nos itidem, minimè abhorremus tamquam textui cō sonam. Quamobrem in eius enucleationem, aliqua in hoc loco præmonenda duximus.

§. 7. Secunda sententia accipit charitatē primam pro actu specifico charitatis, pe ta, eleemosyna. Arethas in comment.

Lyranus in comment.

Iacobus Suarez. Blasius Viegas.

Et primo, quod eleemosyna sit actus charitatis non potest negari, vt nuper in fundamento nostro probatum fuit cum S. Tho. Quod vero eleemosynæ quam plurimæ ab Episcopis, in primitiua Ecclesia paupe- K ribus fierent, patet. Primo, quia in primitiua Ecclesia erat ratio viuendi in communi, quamobrem bona, quæ vel ex decimis, vel ex fidelium, deuotione dabantur, vel offerebantur erant in diuisa, & subdebantur distributioni Episcoporū, quæ partim ipsis, partim clero, partim fabricæ, partim pauperibus obueniebant. Quæ omnia liquent ex cap. 4. actuum Apostolorum, vbi sic habetur. [Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia

§. 9. Eleemosyna fieri in primitiua Ecclesia probatur.

1. Ratio.

prætia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum diuidebatur autem singulis, prout cuiq. opus erant.] Hinc Lyranus in sua postilla in hunc locum sic concludit : [Consueuerunt namque Episcopi pauperes Christianos, feruentèr, & deuotè sustentare & eleemosynam mittere fidelibus in Hierusalem habitantibus, qui suas possessiones vendiderant ad sustentationem Christo credentium, vt patet act. 4. & refrigeratus erat Episcopus iste, ab hoc feruore; ideo non dicitur, quod reliquerit simplicitèr charitatem, sed primam, id est seruoris gradum prius habitum ad quem reducitur, cum dicitur memor esto, itaque, vnde excideris.] Sic ille. Præterea probatur ex D. Paulo 1. Timoth. 3. & ad Tit. cap. 1. Quibus in locis docet Apostolus, Episcopum debere esse hospitalem, in cuius rei figuram dicitur 3. Reg. 6. Ostia sancti sanctorum fuisse de lignis oliuarum : Etenim sancti sanctorum Ostia sunt Prælati, per quos tanquam per Ostia in cælum ingredimur. Quæ debent esse ex lignis oliuarum, idest, Ostia misericordiæ, & compassionis, quæ per oliuam designantur : Idque etiam misticè fuit expressum, in duobus illis Cherubinis, quos Rex Salomon in templo collocauit; qui etiam erant de lignis Oliuarum, auro tecti, vt habetur 2. Paralip. 3. ac etiam in illis alijs Cherubinis, quos Moyses ex mandato Domini efformauit ex auro solido Exod. 25. Porro vsque adeo Prælatus studiosus esse debet eleemosynas elargiẽdi, vt eo ipso quod eius famuli per vrbem discurrunt, si nescitur quid quærant, continuo existimari possit, ad eleemosynas pauperibus distribuendas, missos esse. Quod subtilitèr in Christo annotauit Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Ioan. c. 18. expendẽs verba illa Christi ad Iudã [Quod facis, fac citius.] Quidam autem (ait) putabant eo quod loculos habebat Iudas, Christum dixisse ei : Eme ea, quæ opus sunt nobis ad Diem festum, aut egenis, vt aliquid daret. Ex quibus verbis probat Cyrill. Alexan. Christum habuisse consuetudinem præcipiendi Iudæ, vt eleemosynã pauperibus tribueret. Hinc asserere possumus, Iudã ausum fuisse dicere in publico, [vt quid perditio hæc potuit enim vnguentũ istud venũdari multo, & dari pauperibus.] Prçterea, alia eiusdẽ Apostoli auctoritate, hoc ipsum probatur. Nã ad Rom. 15. sic scribit: [Nũc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis, & debitores sunt eorum.] Qua plane auctoritate, sancti patres in Concilio Constantiensi art. 45. condemnarunt Vuiclefum, qui eleemosynã religiosis erogatam, maioris esse meriti, quam communibus pauperibus, negare ausus fuit. Insuper patet istud exemplo Christi Saluatoris nostri, qui vt legitur in c. 8. Marci videns pauperum turbam, mox vt aliquam eidem præstaret eleemosynam dixit : [Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quid manducent,] Et alibi Petrum interrogans, an eum diligeret, vt habetur Ioan. 29. post trinam amoris confessionem, ei oues committit pascendas, sub his verbis : [Pasce oues meas.] In quem locum sic scribit Chrisostomus. [Hoc dictum est sacerdotibus, sed vnicuique nostrum, cui vel pusillus traditus est grex habet ouem, vnusquisque nostrum hanc ad congruã conducat pascua.] Accedit ad hæc locus Ioan. 3. nimirum, & qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo ?] In charitate autem perfectio consistit, quoniam, vt ait, D. Ioan. Chrisostomus hom. 33. ad populum Antiochenum : Aliæ virtutes solum possessoribus suis prosunt, qualis est castitas, fides, spes, &c. Charitas autem, & tibi, & proximo. Hæc autem sunt verba illius : [Quæ vero, & proximis a nobis exhibentur, vt eleemosyna, doctrina, & charitas. Hæc & nobis, & proximis, ad quos à nobis transeunt, prosunt.] Vlterius pauperum curam, Episcopis, propriam statuit Siluester VIII. Papa in Concilio Romano canon. 4. Gelasius 1. apud Gratianum, q. 12. cap. 2. Concilium Carthag: 4. canone 15. & 17. Concilium Arelatense Can. 6. & Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. sub his verbis : [Pauperum, aliorumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab his præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, &c.] Postremo id clare patet, quoniam charitas, illis primum debetur, qui voluntariè pro Christo pauperes effecti sunt, quales erant fideles in primitiua Ecclesia. Hinc Ecclesiast. 12. dicit sapiens : [Benefac iusto, & inuenies retributionem.] & Dauid Psalm. 15. [Sanctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.] Quæ plane verba ad Christum reffert D. Augustinus, qui diuinam misericordiam prius, mediator Dei & hominum, pro pijs implorat, quo loco per misericordiam, eleemosyna corporalis iuxta intentionem Prophetæ intelligenda venit, quoniam prius dixerat : [Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum nõ eges] & postea conuertitur, vt ea bona quibus Deus non indiget, sanctis communicet.

Marginalia: 2. Ratio. — 3. Ratio. — Cyrillus Alexandrinus. — Christus præcępit Iudæ dispensatori, vt eleemosynas tribueret pauperibus. — 4. Ratio. — 5. Ratio. — D. Chrisost. — 6. Ratio. — 7. Ratio. — 8. & vltima Ratio. — D. Aug.

§. 10. Alia ratio ed sanctis de prompta — D. Hieron. — D. Aug.

Hanc doctrinam, omnes antiqui patres vnanimitèr sectantur. Quoniam D. Hieronymus contra Vigilantium disputans, sic ait [Qui in lege Domini meditatur die, ac nocte, & patrem non habet in terra, nisi solum Deum dignus est, vt totius orbis ministerio foueatur.] Et D. Augustinus de opere Monachorum, sic ait : [Qui euangelium docent potestatem habent, vt sumptibus fidelium viuant.] Sunt, & alij plerique sancti Patres id acerrimè tuentes. Quare ex his omnibus concluditur eam fuisse antiquã Ecclesiæ consuetudinem, vt sanctis prouiderent diuites, & præcipuè Episcopi. Quoniam Episcopi maiori vinculo tenentur facere eleemosynas pauperibus, quam sæculares, tam ratione status, quam ratione officij Episcopatus, cuius finis est perfectionem christianæ vitæ exercere. Idque copiosè probant sanctus Thomas 2. 2. q. 185. Soto lib. 10. de iust. & iur. q. 4. & Bañes. 2. 3. q. 32. art. 6.

Episcopis propriè de mandata est pauperum cura.

§. 11. Obiectio elegans.

Sed obijces. Hanc reuelationem habuit à Deo Ioannes in primitiua Ecclesia tempore Domitiani, vt in 1. cap. huius operis abundè est dictum : At in primitiua Ecclesia Episcopi, nihil habebant proprium, quinimmo omnia ad pedes Apostolorum ponebant sicut cæteri fideles, vt clarè ex 4. & 5. c. act. habetur, vt sic Diaconi de mandato Apostolorũ pauperibus, ac vniuersis christianis necessaria ad vitam humanam ministrarent. Quam etiam viuendi regulam Clemens primus, qui sedit anno Christi 60. retinuit prout significatur in Epistola sua ad Cleric. Hierosolomitan : & habetur in can. dilectissimis, 12. q. 1. vbi sic legitur : [Consilium dantes vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, & scripturas sacras intelligẽtes, quæ bene nouistis, adimplere satagitis.] Igitur nequit exolui textus iste : [Charitatem primam reliquisti.] De eleemosynarum elargitione : Quoniam cum eo tempore, nimirum in primitiua Ecclesia, iste Episcopus Ephesinus nihil haberet proprium (quemadmodum, & cæteri Episcopi, & fideles) non est cur dicamus reliquisse eleemosynarum faciendarum studium, ac curam.

Clemens primus.

Soluitur obiectio.

Validissimum plane est hoc argumentum ad destruẽdam hanc secundam sententiam præallegatam Arethę & Lyrani. Quoniam Episcopi propria habere cæperunt a tempore dumtaxat Vrbani I. Nam illa ratio viuendi in communi durauit à Christo vsque ad 224. annum, vt facilè colligi potest ex verbis ipsius Vrbani I. in can. videntes. 12. q. 1. Quamobrem Onuphrius in vita dicti Vrbani annotauit, quod tempore Vrbani I. sacerdotum reliquorumque fidelium consensu consultum, & probatum fuit, vt vice prætij, possessiones ipsæ ac immobiles, Episcopis, qui Ecclesijs præsidebant, traderentur, & sic occasio offerendi diminutum prætium (quod Ananiæ, & Saphiræ accidit) tolleretur, & plura, & certiora subsidia fidelibus communem vitam agentibus, ex eorum fructibus administraretur, vel si mauis

Ratio viuendi in communi quando incępit in Ecclesia.

Voletus in Inst. Sacerd. lib. 5. c. 4. n. 8.

manis, ista ratio viuendi in communi durauit in Ecclesia primitiua vt placet Soto, Dominico Bañes, & Francisco Toleto, vsque ad tempora D. Ambrosij, D. August. & D. Hieronymi. Postea vero quisque per se vixit, & illa bona diuisa fuere in quatuor partes, quarum prima Episcopo, secunda Clero, tertia fabricæ Ecclesiæ, quarta vero pauperibus adiudicata vtique extitit. Vnde dico, Argumentum concludere contra prælibatam opinionem. Cæterum illi breuiter satisfacio asserendo, Episcopum Ephesinum in primitiua Ecclesia, quamuis de proprijs nihil errogaret pauperibus, cum tunc omnia ad pedes Apostolorum communia ponerentur vt argumentum probat, tamen in principio suæ conuersionis maximam curam habebat, vt prææallegata bona communia per Diaconos primitiuæ Ecclesiæ pauperibus elargirentur: à qua plane sedula cura postea retrocedit, ita frigescens, vt merito à Deo increparetur per illa verba: [Reliquisti charitatem primam.] Id est, supersedisti à feruenti cura, quam antea habebas, vt communia bona per Diaconos pauperibus diligenter elargirentur.

Episcopi in primitiua Ecclesia curabant, vt eleemosynæ fierent pauperibus per Diacones.

§. 12. Duo notatu digna. Comparatio.

Hinc duo veniunt in mentem, primum quidem, omnes nos esse, quemadmodum Chamelæones, qui ad species rerum quibus admouentur, mutant colorem: Sic nos, quacumque tentatione obiecta, mutamus virtutis propositum, & quæcumque nefariæ cogitationes nos mouent eòquò volunt, & impellunt, quo signo apparet, quam parum in nobis gratia Dei proficiat: Vel (vt melius dicam) quam parum nos in illa proficiamus, ad instar filijs Israel, qui cum ex Aegypto egressi essent, vt se in promissam terram, per desertum corporis pedibus conferrent, animi affectibus ad Aegyptum reuertebantur, panem cælestem, quo eos Deus satiabat contemnentes, & ollas Aegyptias antiquas vehementer iterum optantes, vt habetur Exod. 16. Secundum demum est, eleemosynam Deo ita gratam semper extitisse quemadmodum gratæ semper esse solent flores rosarum, & lilia conuallium. Quamobrem Apostolus, eleemosynam florem numcupat, ad Philipp. cap. 14. dicens: [Gauisus sum in Domino vehementer quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut sentiebatis, &c.] Quo loco illud: [Refloruistis.] D. Hieronym. de eleemosyna exoluit dicens: [Iterum florem boni operis recepistis, qui mei immemores, occupatione, non voluntate, arefacti fueratis affecti.] In quem plane locum Apostoli D. Ambrosius, sic etiam scribit [: Horum alacritatem pro pensiorem factam ostendit, quia in quo negligentes facti fuerant adhibita solertia, opus pristinum iterarunt memores facti Apostoli sui, vt fructus suos ad eum mitterent condendos in horreo cælesti.] Et Clarius Primasius: [Iterum floruistis flore boni operis, quem non obliuio arefecerat, sed occupatio impedierat.] Quamobrem cum eleemosyna, ita grata sit Deo, vt gratæ vobis esse solent flores, sumere debent hinc exemplum diuites, vt abunde pauperibus Christi eleemosynas elargiantur. Sunt namque plerique diuites huius nostri sæculi, qui cum infinitis bonis huius mundi maxime abundent, pauperibus tamen Dei, micas panis cadentes de suis splendidis mensis vt alter Diues Epulo negent. De quo Lucæ 16. dicitur: [Induebatur purpura, & bysso, &c.] & nihilominus tamen, micas panis Lazaro negabat. Sed dicent diuites huius nostri sæculi; Nos iam facimus eleemosynas pauperibus Christi, eis namque (dum ad fores applicuunt nostras) frustum panis, pulmenta, denariolque aliquos porrigimus. Vultis scire diuites charissimi, qualem eleemosynam vos pauperibus Christi, in dies elargimini? Attendite rogo. Eleuate in altum spongiam aqua bene plenam, & videbitis guttulas aquarum ab ipsa super terræ pauimentum paulatim cadentes: Cęterum si illam spongiam vtraque manu vestra fortiter comprimere attentaris, mox videbitis aquam abundanter ex ea super terram defluere. Haùd secus, eleemosynæ vestræ (diuites mei) sunt velluti stillicidia spongæ, quamobrem oportet, vt arcas vestras aperiatis, & absconditos in eis vestros sacculos, auro & argento refertos comprimatis, ita vt ex illis abundanter tales fluant eleemosynæ, vt hic pauper Christi, nudus, vestiatur, hæc virgo orphana, matrimonio tradatur, illa vidua casta, expoliata & afflicta, cooperiatur & consoletur, &c. Hinc Tobias filio suo dixit: [Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, multum pauperibus tribue, si exiguum, ipsum etiam exiguum pauperibus impertiri, stude: &c. quoniam eleemosyna liberat animam à peccato, & & non patitur eam ire in tenebras.] Quod, & ipse Saluator noster docuit in illo linteo, quo in vltima cæna (vt dicitur Ioan. 13.) se præcinxit. Quod plane linteum significat diuitias Christianorum diuitum, & præcipuè personarum Ecclesiasticarum, Episcoporum, nimirum, Canonicorū, Rectorum, & omnium Clericorum, quæ plane debent diuidi in duas partes, vt linteum illud, nimirum, ad præcingendum corpus nostrum, vna pars, nempe, ad bene, & honeste viuendum, vt status noster postulat, altera vero pars ad tergendos, & cooperiendos pedes Apostolorum, nempe ad pauperes Christi cooperiendos: Quoniam nudi per plateas ciuitatis nunc incedunt Christi pauperes, & nemo vestrum, est, ò diuites Christiani, qui illis misereatur, quasi non essent fratres vestri in Christo Domino nostro. Attendite quæso, quid vobis ipsemet Christus dicat Matth. 25. [Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.]

Cità deficimus in via Dei.

Exod. 16.

Flos est eleemosyna.

Eleemosynarum inimici sunt aliquando diuites.

Excusatio diuitum.

Eleemosynæ, quas modo diuites nostri faciunt comparãtur guttis spongiæ. Comparatio.

Tob. 4.

§. 13. Deus neminē deserit, nisi illum, qui primo eum deserit.

Tertium denique, quod postremo loco disquirendum duximus, est illud *reliquisti*. Quoniam non dicitur: [Relictus es à charitate prima.] Sed tu. *Charitatem primam reliquisti*. Nos enim sumus, qui primo Deum, & suam gratiam derelinquimus, iuxta illud Apost. ad Heb. 12. [Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.] Quo loco non dicitur ab Apostolo: [Ne gratia Dei alicui desit.] Sed [Ne quis desit gratiæ Dei.] Deus enim neminem deserit, nisi qui eum prius deseruerit. Hinc D. Augustinus super illud Zachariæ. 1. [Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos] Sic scribit. [Auersus est Deus, quia tu te auertisti, tu ab illo fecisti casum, non ipse à te fecit occasum, ergo audi dicentem conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos fugientis dorsa persequitur, qui faciem redeuntis illuminat.] Ad quod plane alludit illa Dei querimonia: [Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.] Verum sane est, quod Deus in conuersione nostra est primus, iuxta illud: [Misericordia eius preueniet me.] Et sic Christus prauenit Chananæam, Samaritanam, Petrum, Andream, Saulum, & Augustinum, Quoniam Ioan. 6. dicitur: [Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum.] Quod, & Doctores scholastici apprime comprobant, disputantes de gratia præueniente cum magistro, in 2. sent. dist. 26. & cum S. Tho. p. 2. q. 11. art. 3. Et sic Deus per suam gratiam præuenientem est primus in conuersione nostra, & nos veluti vltimi. Quoniam testante Apostolo 1. Cor. 6. [Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.] Vnde motus nostri liberi arbitrij, in conuersione nostra est vltimus. Et Deus per suam gratiam præuenientem est primus; At vero in auersione, nos sumus primi, & Deus est vltimus. Quamobrem recte hoc in loco dicitur, hunc Antistitem reliquisse charitatem primam, & non charitatem primam dereliquisse illum.

D. Aug. serm. 54. de verbis Domini.

Querella Dei contra peccatores. Hier. 3.

Ps. 7.

Matt. 15. Ioan. 12. Matt. 4. Act. 9. Ioan. 6.



DI-


DISPVT. V.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Charitatis, & gratiæ iactura.

In quinque Quæstiones distributa super illa verba. *Charitatem tuam primam reliquisti.*

Prologus Disputationis.

Quadripartita opinio, qualiter detrimentũ gratiæ, & charitatis passus fuerit Antistes Ephesinus



DETRIMENTVM gratiæ, & charitatis passum fuisse Antistitem hunc Ephesinum, asseuerant communiter Doctores, siue talis amissio charitatis, & gratiæ ei acciderit, propter lethale à se perpetratum, vt tenet Hugo Cardinalis, propter abiectionem curæ prædicandi, vel à suis subditis patratum, & à se nullatenus correptum, vt tenent Primasius, Rupertus Abbas, & S. Thom. vel ex eoquod in dandis eleemosynis pauperibus Christi iam aruerat, relinquens feruens pristinarum eleemosynarum studium, vt docent D. Ambrosius, Ioachimus, Lyranus, & Arethas, siue demum talis iactura charitatis & gratiæ fuerit per venialia peccata vel propria subditorum, vt docent D. Dionysius Carthusianus, & Iacobus Suarez à sancta Maria. Ideo merito hic disputandum duximus, qualiter Episcopus iste Ephesinus, charitatis & gratiæ iacturam fecerit.

Hugo Card. Primasius. Rupertus Abbas. D. Ambros. Ioachimus. Lyranus. Arethas.

Quæstio I.

Vtrum Antistes Ephesinus relinquendo charitatem suam primam, reliquerit simul gratiam?

Conclus. 1. Episcopus Ephesinus per iacturam primæ charitatis reliquit gratiam.



CONCLVSIO est affirmatiua. Cæterum eius vera intellectio dependet ab illa antiqua Theologorum controuersia, qua apud Theologos disquiritur, num charitas virtus infusa, sit idem cum gratia iustificante, quæ est qualitas creata & decor animæ inhærens ipsi, & ponens aliquid in ea, quemadmodum albedo in albis; an vero diuersum, & distinctum.

Controuersia de gratia, & charitate.

De qua re, duæ celebres extant inter scholasticos Doctores sententiæ. Quarum prima est magistri sententiarum in 2. lib. dist. 27. asserentis idem esse gratiam & virtutem, secundum essentiam, & differre solummodo secundum rationem, ita vt gratia dicatur secundum quod facit hominem Deo gratum, vel secundum quod gratis elargitur, virtus autem secundum quod perficit hominem ad bene operandum. Hoc videtur sentire Magister loco citato per hæc verba: [Quidam non inerudité tradunt virtutem, esse bonam mentis qualitatem, siue formam quæ animam informat, & ipsa non est motus vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium iuuatur, vt ad bonum moueatur, & erigatur, & ita ex virtute, & libero arbitrio nascitur

Magister.

A bonus motus, vel affectus animi, & exinde, bonum opus procedit exterius sicut pluuia rigatur terra, vt germinet, & fructum faciat, nec pluuia est terra, nec germen fructus. Ita gratia, terræ mentis nostræ, id est libero arbitrio voluntatis infunditur vt pluuia diuinæ benedictionis, id est, inspiratur gratia, quod solus Deus facit non homo cum Deo, quia rigatur voluntas hominis, vt germinet, & fructificet, id est, sanatur & præparatur vt bonum velit, secundum quod dicitur operans, & iuuatur vt bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans. Et illa gratia virtus non incongruè nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat, & adiuuat.] Hæc magister. Hinc Scotus in 2. sent. dist. 27. & suæ doctrinæ sectatores, asseuerare attentant, gratiam non re sed sola ratione dumtaxat à charitate quæ est virtus infusa distingui. Quam etiam opinionem tenent Richardus in 2. sent. dist. 26. q. 4.
B Henricus Gandauensis Quolib. 4. q. 10. Durandus in 2. dist. 20. q. 1. Gabriel in 2. dist. 26. Marsilius in 2. q. 17. art. 1. Basolis in 2. dist. 28. Andræas à Vega de iustificatione lib. 7. cap. 25. & omnes nominales.

Opus bonum a quo procedat.

Virtus, quæ sit.

1. sententia scholasticorum

Motiuum opinionis scotistarum circa gratiam, & charitatẽ

Charitas, & gratia ratione dumtaxat differunt iuxta scotistas.

Secunda vero sententia est D. Thomæ 1. 2. q. 110. art. 3. asserentis gratiam differre à virtute infusa, eamdemque præcedere, sicut eius principium & radix. Verba etiam D. Thomæ contra magistrum loco citato talia sunt. [Si quis recte consideret rationem virtutis hoc stare non potest, quia vt Phylosophus dicit in 6. physic. Virtus est quædam dispositio perfecti. Dico autem perfectum, quod est dispositum secundum naturam. ex quo patet, quod virtus vnius cuiusque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, &c.] Hinc Caietanus, Capreolus, Noster Reuerendiss. Mag. Zumel in suis com. in 1. 2. S. Th. Thomas Argentina, & omnes
C Thomistæ firmiter tenent, gratiam à charitate, & cæteris virtutibus infusis, esse omnino distinctam, quam etiam opinionem tenet Seraphicus Bonauentura in 2. sent. dist. 26. q. 5. & in 3. dist. 27. art. 1. q. 3. & 4.

Secunda sententia Thomistarum.

D. Th.

Motiuum opinionis Thomistarum circa gratiam, & charitatem.

Thomistarum opinionem veram esse probo. Tum quia distincti effectus formales, distinctas causas, requirunt formales. Quoniam ideo fidem, spem, charitatem, tres virtutes realiter distinctas asserimus, quia tres hi ab eis proficiscuntur effectus formales distincti, nimirum esse fideles, esse sperantes, & esse diligentes: Atqui hi duo affectus formales, nempe esse dilectos a Deo, (qui est formalis effectus gratiæ) & esse diligentes Deum (qui est effectus formalis charitatis) sunt distincti effectus formales: Igitur gratia, & charitas, à quibus dimanant, erunt etiam intra se distinctæ.
D Tum quia in omnnibus rebus, principium essendi differt realiter à principio operandi: Quemadmodum experimur in naturalibus, in quibus forma substantialis ignis, per quam ignis habet esse, & est principium, quod, cuiusuis suæ actionis naturalis, differt realiter à calore, qui est principium, quo, actus calefaciendi, & per quem habet agere, nimirum calefacere: At qui gratia est principium essendi supernaturaliter, & quælibet virtus, vt pote charitas, est principium operandi supernaturaliter, nimirum diligendi Deum, vel hominem essendi Deo charum. Igitur gratia differt à qualibet virtute: & ex consequentia à charitate, quæ est virtutis infusa. Minor probatur. Quia ad hoc, vt aliquis operetur opera alicuius generis, oportet, quod prius constituatur, in esse illius generis: Ergo ad hoc vt aliquis operetur opera supernaturalia per virtutes theologicas oportet, quod prius constituatur, in esse supernaturali, quod fit per gratiam, quæ est quædam
E participatio esse diuini, Igitur &c. Tum quia gratia augetur statim per quemcumque actum meritorium quantumcumque remissum: Atqui non sic augetur charitas, cum ipsa dumtaxat augeatur per actus ei proprios, eosque intensiores se, aut certe ferurentes, & intensos: Igitur gratia & charitas nequeunt esse idem realiter, cum augeatur gratia, quãdo non augetur charitas, videlicet per meritorios actus aliarum virtutum. De augmento autem charitatis legendus est S. Thom. 2. 2. q.

Gratia, & charitas differunt realiter.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Gratia, & charitas imponuntur in diuersis subiectis.

2.2.q.24.art.6.& 12.q.114.art.8. ad 3. Tum quia accidentia, quæ sunt in diuersis subiectis realiter distinguntur: Atqui gratia est in essentia animæ: tanquam in subiecto, & charitas est in potentia animæ, nimirum, in voluntate, tamquam in subiecto: Igitur realiter distinguntur. Maior est manifesta. Minor vero constat duplici parte: Quarum vna est etiam aperta, nimirum illa de charitate. Quoniam cum charitas sit virtus infusa, oportet sit in potentia animæ tamquam in subiecto: Eo quod virtus est in potentia animæ, tamquam in subiecto, vt dispungunt Theologi cum Magistro in 3. dist. 33. & cum S.Tho.p.2.q. 56. art. 1. Et id etiam experientia ipsa apprime edocet. Quod etiam indicat Phylosophia moralis: Altera, vero pars de gratia probatur: cum eodem S.Th.p.2.q.110.art. 4. Quoniam per gratiam regeneramur in filios Dei. Atqui generatio per prius terminatur ad essentiam, quam ad potẽtias: Ergo gratia per prius est in essentia animę, quam in potentijs. Accedit ad hæc. Quod quemadmodum homo per potentiã intellectiuã participat cognitionem diuinam per virtutem fidei, & secundum potentiam voluntatis amorem diuinum per virtutem charitatis, ita etiam participat secundum quandam similitudinem naturam diuinam, per quandam regenerationem siue recreationem: At qui hoc non potest fieri, nisi per naturam animæ habentis gratiam: Igitur gratia prius est in anima, tamquam in subiecto, quam sit in aliqua alia potentia animæ. Tum postremo probatur quia pleræque excellentiæ, siue prærogatiuæ conueniunt gratiæ, quæ nullatenus conuenire queunt charitati: Igitur nequibunt esse idem realiter Ant. probatur. Primo namque, gratia est prima radix merendi, & vitæ spiritualis, charitas vero est fructus illius. Secundo, gratia est primum principium formale esse supernaturalis. Tertio, gratia est principium essendi in natura diuina participata: At vero charitas est principium operandi, secundam eamdem naturam diuinam participatam. Quarto & vltimo, gratia & charitas diuersimodè sunt forma virtutum, & coniunguntur fini vltimo: Quoniam charitas id præstat, vt proximum operandi principium: Gratia vero vt primum, & sic gratia est quæ inclinat voluntatem ad merendum mediante charitate, quæ formaliter est in ipsa voluntate. Quamobrem licet habitus gratiæ (quo spiritus inhabitat animam) inclinet voluntatem ad merendum, vt prima radix meriti, non tamen exequitur hoc per se ipsum immediatè, sed mediante habitu charitatis, quo formaliter voluntas inclinatur.

5. Ratio. Gratiæ proprietates.

Rationes Scotistarum probantes gratiam, & charitatem ratione dumtaxat differre.

Scotistę vero, & Durandistæ, ex aduerso suam probant opinionem. Tum quia; Quæ differunt per essentiam possunt virtute diuina separari, vel saltem primum a posteriori, nisi fortè alterum sit pura potentia, cui repugnat per se esse, vt solum aparet in materia prima, quæ non potest ab omni forma separari: Atqui gratia & charitas, nullo modo separari possunt, ita vt sit vnum sine altero, alioquin sequeretur, quod idem homo saluaretur, & non saluaretur. Quia discedens in finali gratia saluaretur, discedens vero sine charitate, non saluaretur: Quia secundum augmentum, Charitas est vestis, quæ diuidit inter filios regni, & filios perditionis: Igitur charitas & gratia non differunt per essentiam. Tum quia quorum est vnus & idem actus, non solum concomitatiuè, sed per essentiam: illa sunt vnum essentialiter, & non solum per concomitantiam: At qui gratiæ, & charitatis est vnus & idem actus, non solum concomitatiuè, sed per essentiam: Ergo, &c. Probatur minor. Gratiæ, enim, & similiter charitati, (sicut & cuilibet formæ) est duplex actus. Primus, qui consistit in informatione, & denominatione subiecti: Et hic est, quo ad gratiam, facere hominem Deo gratum, & quo ad charitatem, Deo facere hominem charum: Et manifestum est, quod hæc sunt vnum, nec differunt, nisi solo nomine. Actus est reddere opus meritorium, & in isto similiter conueniunt: Quare, &c. Item si

1. Arg. Quæ differũt per essentiam possunt virtute diuina separari.

2. Arg. Quorum est vnus, & idem actus, illa sũt vnum essentialiter.

3. Arg.

F gratia & charitas differunt, aut gratia præminet charitati, aut è conuerso, aut sunt æquales. Primum non potest dici: Quia iuxta August. 5. de Trinitate charitate nullum donum Dei est excellentius. Nec secundum. Quia sicut se habet perfectibile, ad perfectibile, ita perfectio ad perfectionem: Sed potentia, quam perficit charitas non excellit essentiam animæ, quam secundũ istos perficit gratia: Ergo, &c. Nec tertium. Quia perfectiones specie differentes, non possunt esse æquales, gratia autem & charitas, si non sint idem, differunt specie: Ergo, &c. Et hoc videtur sentire Apostolus, qui vtrique eosdem actus attribuit, scilicet dare esse spirituale, & perficere ad opus meritorium. Nam de charitate dicit 1 ad Corint. 13. [Si linguis hominum loquar, &c. Charitatem autem non habeam, nihil sum.] Et quo ad opus subdit infra in eodem cap. [Omnia suffert, omnia sperat, &c.] De gratia vero, quod det esse spirituale,

charitate nullum donum excellentius.

G dicit idem Apostolus 1. Corinth. 15. [Gratia Dei sum id, quod sum.] Et rursus indicans, quod perficiat ad opus meritorium subdit: [Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.] Ad idem facit, quod charis, in græco est idem quod gratia in latino, vnde, & Acharis dicitur, quasi sine gratia. Tum quia si aliquid esset proprium gratiæ, quod non conueniret charitati, maxime esset facere nos gratos Deo & acceptos ad beatitudinem: At qui hoc ipsum facit charitas: Quoniam ipsa, amicitia est inter nos & Deum, Et quemadmodum amicitia in humanis est causa, propter quam mutuo se diligunt amici: Ita & causa propter quam Deus nos diligit est, quia habemus charitatem, iuxta illud Ioan. 14. [Qui diligit me diligetur à patre meo.] Ergo &c. Tum quia quamuis charitas faciat nos Deo amicos, tamen facit

4. Arg.

5. Arg.

9. Arg.

H simul nos charos Deo, & gratos:] Quoniam plus est esse amicum, quam gratum: Et amicus Dei esse non potest, qui non sit ei multum charus & gratus: Iuxta illud Prou. 8. [Ego diligentes me diligo.] Et subiungit Andreas à Vega sic: [Et possumus hoc exemplis etiam naturalibus declarare, & roborare. Terram sane eadem grauitas, grauem facit, & potentem ad descendendum deorsum. Ignem idem calor calidum facit, & potentem calefacere, & generaliter eadem qualitas naturalis, quæ suo subiecto, potentiam operandi tribuit, tribuit, & esse accidentale ei respondens. Cur non ergo in supernaturalibus ita philosophemur, & charitatem, quæ tribuit nobis potentiam faciendi opera amici & grati Deo, nos formaliter ei amicos, & gratos facere affirmemus? Si albedo facit albos, sapientia, sapientes, fortitudo fortes facit, nimirum charitas charos: Charum autem alicui existere, pla-

Andreas à Vega lib. 7. de causis iustificationis cap. 25.

I num est idem esse, quod gratum ei esse, & acceptum. Neque gratia ea ratione potest dici facere nos gratos Deo, quia moueat Deum ad nos amandum, aut causa sit diuini in nos amoris, sed ideo dicitur nos facere Deo gratos, quia Deus statuit, & voluit, omnes eam habentes gratos sibi & charos habere. Cum igitur & hoc ipsum statuerit de habentibus charitatem, & ea potius, quam gratia aliquo modo possit dici causa diuinæ in nos beneuolentiæ, vel ex hac, nimirum, proprietate ipsius admonemur, vt eamdem ipsam cum gratia credamus, cur separemus coniuncta? Cur destinguemus vnita? Cur pluralitatem sine necessitate ponamus? In humanis quidem amicitia vna satis est, vt & diligamus amicos, & ab eis vicissim amari dicamur: cur non igitur, & inter nos, & Deum vna chari-

K tas, sit suo modo vtriusque causa cum præstantior sit amicitia omni humana?] Hæc vega. Tum porro, quia eadem officia, & prærogatiuæ sunt gratiæ, & charitatis: Quoniam vtraque iustificat, operit, multitudinem peccatorum, saluat, sufficit ad salutem, placat Deum, acceptos nos ei facit, & inter filios regni, & perditionis diuidit, neque aliquis potest destitutus vlla earum saluari. Vtraque etiam principium est, & radix omnis meriti, & forma aliarum virtutum, & neutra in peccatoribus esse potest. Igitur, &c. Tum quia si gratia realiter esset à charitate distincta, & sicut

7. Arg. charitatis, & gratiæ eadẽ officia, & prærogatiua.

& sicut dicunt Thomistæ; gratia esset in essentia animæ, & charitas in voluntate; sequeretur inde, gratiam multo perfectiorem esse charitate; quoniam susceptiuum, quod ab ea perficitur, quod est anima, perfectius est, suis potentijs. Qua ratione S. Thom. probat visionem beatificam, perfectiorem esse fruitione, quia intellectus, voluntate est perfectior, & præstantior: quod plane non apparet rationi consonum. Tum denique probatur, gratiam & charitatem esse idem re: Quoniam alioquin gratia esset otiosa in nobis, & nihil per se operans: Vnde fieret, vt qua ratione vnius virtutis principium esset, esset & omnium: & ad vnum & eundem actum duæ sufficientes per se causæ concurrerent, quod alienum est à philosophia. Et si nihil per se operatur gratia, ex consequenti, neque nomen habitus, neque nomen virtutis merebitur; quia habitus tantum est propter actus: & virtus, bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, vt dicit Aristoteles eth. 2. Ponere autem sic otiosam gratiam, videtur hoc obuium esse Apostolo dicenti 1. Cor. 15. [Gratia Dei sum id quod sum.] Igitur &c.

9. Argum.

Habitus propter actus.

Cæterum hæc Scotistarum argumenta, facile soluũtur. Ad primum namque dicitur, quod quando ea, quæ differunt per essentiam, vnum se habent, concomitantèr ad aliud, nequeunt per diuinam Dei potentiam separari, vt intueri licet in subiecto, & proprietatibus quarto modo fluentibus ab eius essentia, nimirum, in homine & risibilitate, in igne & calore &c. licet enim alia sit essentia hominis & ignis, & alia essentia risibilitatis, & caloris (cum vnum sit substantia, & alterum accidens) quia tamen risibilitas, calor, & aliæ proprietates quarto modo concomitanter se habent ad essentiam sui subiecti, à quo fluunt, & cum quo semper reciprocantur, non possunt virtute diuina separari, vt docet Capreolus 1. lib. sent. dist. 3. q. 3. & Caietanus 1. p. quæst. 64. art. 3. Præterea relatio, re ipsa distinguitur à suo fundamento (vt tenent idem Capreolus 1. lib. sentent. quæst. 1. dist. 13. Caietanus 1. parte quæst. 28. art. 2. Ferrariensis 4. contra Gentes. cap. 14. & Suessanus 5. lib. Metaphys. quæst. 12.) & tamen ab inuicem nequeunt per diuinam potentiam separari, vt experientia docet in quantitate, & figura, in quantitate, & qualitate. Quoniam nequit diuina potentia fieri, vt figura sit sine quantitate, & qualitas sine quantitate. Istud etiam apparet in similitudine; quoniam per diuinam potentiam, similitudo inter duo corpora alba, nequit separari ab ipsis duobus corporibus albis; quoniam implicat contradictionem, duo corpora alba, non esse similia in albedine, quare cum gratia & charitas concomitanter se habeant, licet re ipsa distinguantur, nequibunt, diuina potentia ab inuicem separari, vt idem argumentum Durandi indicat in materia prima & forma, quæ licet re ipsa distinguantur, cum (iuxta opinionem Diui Thomæ, etiam per diuinam potentiam) nequit materia prima ab omni forma separari, absolutè Igitur loquendo, neganda est propositio Durandi.

Sol. ad 1.

Quædam realiter distincta, nequeunt per diuinam potentiam separari.

Ad secundum facilis est solutio, cum effectus gratiæ diuersus sit ab effectu charitatis. Aliud namque est esse Deo gratum, & esse Deo charum: Est enim aliquis Deo charus per qualitatem creatam existentem in anima: est verò idem Deo charus per virtutem infusam existentem in voluntate: Et sic hi duo actus differunt specie, quamuis vnus se habeat concomitanter ad alium, & per hoc patet solutio ad 3. & 4. tum & ad 5. Et insuper ad verba Andreæ à Vega in 6. Argumento citata.

Sol. ad 2.

Gratia, & charitas diuersos obtinent effectus.

Sol ad 3. 4. 5. & 6.

Illud verò de officijs, & prærogatiuis vtriusque, nimirum, gratiæ & charitatis, facilè etiam dirimitur, cum videlicet præallegata officia, siue excellentiæ, & prærogatiuæ vtrique conueniant, gratiæ, nimirum, & charitati propter earum connexionem: Quoniam gratia cum charitate, & charitas cum reliquis virtutibus infusis, connexa quidem sunt ad inuicem quo ad infusionem: Tamen aliter conueniunt gratiæ, & aliter charitati; quoniam gratiæ conueniunt, vt primæ radici; charitati verò, vt fructui illius. Tum præterea aliqua excellentia, & prærogatiua est gratia, quæ non conuenit charitati, nimirum, esse primum principium formale essendi supernaturaliter. Neque itidem diuidere inter filios regni, & perditionis æque formaliter conuenit vtrique: Nam gratia facit filium Dei formaliter; charitas verò operatiuè: Illa enim est principium essendi in natura diuina participata, ista verò est principium operandi secundum naturam diuinam participatam, & similiter diuersimodè vtraque est forma virtutum, & coniungit fini vltimo. Quoniam charitas id præstat, vt proximum operandi principium, gratia verò, vt primum.

Sol. ad 7.

Gratiæ, & charitati, nõ sunt semper æquales prærogatiuæ, excellentiæ, & munera.

Octauum argumentum exigui roboris est; quoniam dato (vt de facto damus) quod charitas sit accidens creatum, nihil derogat dignitati eius, quod gratia sit illa nobilior, non in ratione entis, sed in ratione subiecti, siue susceptiui, quod ab ea perficitur, quod est anima.

Sol. ad 8.

Gratia est nobilior charitate, non in ratione entis sed in ratione subiecti.

Ad vltimum argumentum liquet solutio, cum facere hominem spiritualem Deo gratum, & esse primam merendi radicem, non sit aliquid otiosum. Operatur igitur gratia in nobis, inclinans voluntatem nostram ad merendum. Quamuis hoc per seipsam, non immediatè exequatur, sed mediante habitu charitatis, quo formaliter voluntas inclinatur: Vnde charitas est principiũ formale operandi, gratia verò principium radicale eiusdem operationis: Quamobrem non erit otiosa, cum radicaliter operetur. Quod verò gratia non sit virtus, vt argumentum probat, nihil contra nos, vt supra cum S. Thoma 1. 2. aduersus Magistrum retulimus.

Sol ad 9.

Ex hac itaque controuersia dependet probatio cõclusionis nostræ, quoniã ex rationibus, pro parte Thomistarum tuenda, adductis (& etiam ex solutionibus argumentorum Scotistarum ab ipsismet Thomistis propositis) remanet apertum, hunc Antistitem Ephesinum, relinquendo charitatem suam primam, simul ex consequenti necessariò reliquisse etiam gratiam, non quod charitas, & gratia sint idem re ipsa, sed quod concomitanter vtraque ad inuicem se habeant, & ita etiam omnino coniunctim, vt vna nequeat (etiam per diuinam Dei potentiam) ab altera separari.

Corollarium

Probatio cõclusionis primæ.

Quæstio II.

Vtrum concedendo quod Episcopus iste Ephesinus, mortali obnoxius fuerit crimini; totam charitatem, & gratiam reliquerit, vel earumdem partem dumtaxat aliquam?


Expositores, qui tenent (vt supra retulimus) hunc Episcopum Ephesinum læthaliter peccasse, siue illud fuerit peccatum commissionis, vel omissionis, (nempe in non prædicando, seu in non castigando, & corrigendo sibi subditos, siue in non dãdo pauperibus eleemosynã) oportet ex cõsequenti dicant, totã charitatẽ, & gratiã, secundũ oẽs suos gradus, Antistitẽ hunc reliquisse, ac amisisse: ita vt earumdem nihil prorsus in eo remaneret, quoniam crimen læthale ex diametro charitati, & gratiæ

Gratiam, & charitatem omnino eum amisit Episcopus Ephesi peccãdo mortaliter.

Crimen mortale opponitur directè gratiæ, & charitati.

gratiæ opponitur. Quamobrem D.Tho.1.2.q.71.art.4. sic scribit: [Peccatum comparatur ad virtutem, sicut actus malus ad habitum bonum, aliter autem se habet habitus in anima, & forma in re naturali: forma enim naturalis ex necessitate producit operationē sibi conuenientem; vnde non potest esse simul cum forma naturali, actus formæ contrariæ: sicut non potest esse cum calore actus infrigidationis, neq; simul cum leuitate motus descensionis, nisi forte ex violentia exterioris mouentis, sed habitus in anima non ex necessitate producit suam operationem, sed homo vtitur eo cum voluerit: vnde simul habitu in homine existēte potest non vti habitu, aut agere contrariū actum, & sic potest habens virtutem procedere ad actū peccati: Actus verò peccati si comparetur ad ipsam virtutem, prout est habitus quidam, non potest ipsam corrumpere si sit vnus tantum: Sicut enim non generatur habitus per vnum actum, ita nec per vnum actum corrumpitur, vt supra dictum est; sed si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est, quod per vnum actum peccati, aliquæ virtutes corrumpantur.

Peccatū mortale contrariatur charitati.

Quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum inquantum sunt virtutes; & ideo per vnum actum peccati mortalis exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, inquantum sunt virtutes. Et hoc dico propter fidem, & spem, quarū habitus remanent informes post peccatum mortale, & sic non sunt virtutes. Sed peccatū veniale, quod nō contrariatur charitati, nec excludit ipsam, per consequens etiā, nō excludit alias virtutes: virtutes verò acquisitæ nō tolluntur per vnū actū cuiuscumq; peccati. Sic igitur peccatū mortale non potest, simul esse cum virtutibus infusis; potest tñ simul esse cum virtutibus acquisitis: peccatū verò veniale pōt simul esse cum virtutibus infusis, & cū acquisitis.] Hæc S.Th. Per quæ verba liquet conclusio nostra affirmatiua ad quæsitū; quæ sane minimè tenet, si dicamus illum venialiter dumtaxat peccasse, vt quidam DD. tenent, quos supra citauimus.

Peccatū mortale nequit stare cū virtutibus infusis.

Peccatum veniale potest stare cū virtutibus infusis, & acquisitis.

Quæstio III.

An charitas semel habita possit amitti?

Prima opinio.

Charitas semel habita nequit amitti, vt placet quibusdam Doctoribus.



PRAECEDENS quæstio dependet ex hac. De qua disputant Doctores in 3. dist 31. cum Magistro, & 2.2. q.30. art.11. cum S.Tho. cuius oppositum potest fulciri. Tum quia si charitas amitteretur, non amittitur nisi propter peccatum: At qui ille qui habet charitatem, non potest peccare, iuxta illud Ioan.3. [Omnis enim qui natus est ex Deo peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet,] & charitatem non habent, nisi filij Dei: Ipsa enim est, quæ distinguit inter filios regni, & filios perditionis, testante D.Aug. lib.15. de Trinit. Igitur ille qui habet charitatem, non potest illam amittere. Tum, quia liberum arbitrium non inclinat ad peccatum, nisi per aliquod motiuum ad peccandum: Atqui charitas excludit omnia motiua ad peccandum; & amorem sui, & cupiditatem, & quicquid aliud huiusmodi est: Ergo charitas non potest amitti. Tum quia contra iustitiam est non reddere ad id quod ex debito quis tenetur: Atqui habenti charitatem debetur gloria: Ergo omni habenti charitatem reddetur gloria à Deo, qui non potest contra iustitiam facere: Hoc autem nō esset, si charitas semel habita amitteretur: Ergo &c. Tum postremò, quia amor charitatis, est fortior, quā sit amor naturalis: Atqui amor naturalis non amittitur per peccatum: Ergo nec amor charitatis.

1. Arg. *2. Arg.* *3. Arg.* *4. Arg.*

F Loquendo tamen de charitate ex parte subiecti quod est vertibile secundum arbitrij libertatem, & de charitate viæ, & non de charitate patriæ, nec de charitate secundum propriam rationē, nec minus, ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad diligendum Deum, aliud sentiunt S.Th.2.2.q.25.art.11. Ferrariensis 4. contra Gentes.cap.69. S.Bonau.3.5.d.31.q.2. art.3. Scotus 3.3. dist.31.q.1. Richard.3.5.d.31.q.3. Durād.3.5.d.31.q.6. Capreolus 2.d.7.q.1.con.1. & alij pleriq; grauissimi DD. Iccirco sequentes astruo assertiones.

Secunda opinio.

Charitas semel habita potest amitti vt tenēt Thomistæ.

Prima assertio. Charitas viæ (hoc est charitas ex parte subiecti, quod alij dicunt charitas semel habita) potest amitti. Probatur. Tum quia sicut se habēt actus nostri effectiuè ad habitus acquisitos, sic se habēt actus nostri meritoriè, vel demeritoriè ad habitus infusos: Atqui habitus acquisiti ex actibus nostris, corrumpūtur effectiuè ex actibus contrarijs, vt patet ex 2. ethic. G Igitur habitus infusi corrūpuntur in nobis demeritoriè per actus contrarios, his quibus meremur, vt nobis infundantur: Sed sic est quod omne peccatū mortale est actus contrarius actui per quem meremur de congruo vt charitas nobis infundatur: Ergo per quodlibet peccatum mortale, charitas habita corrumpitur. Tum quia sic se habet charitas ad suum subiectum, quemadmodum se habet forma ad materiam, vel habitus ad potentiam: Atqui de ratione formæ est, quod sit in materia amissibiliter, quando non replet totam potentialitatem materiæ, sicut patet in formis generabilium. & corruptibilium; quia materia horum sic recipit vnam formam, quod remaneat in ea potentia ad aliam formam; quasi non repleta tota materiæ potentialitate per vnam formam: Et ideo vna forma potest amitti per acceptionem alterius. Igitur charitas viæ H potest amitti.

1. Assertio.

Charitas via potest amitti.

1. Ratio.

Philosophus in 2. eth.

2. Ratio.

Forma est in materia amissibiliter.

Hoc loco nota: Quod charitas viæ & charitas patriæ, comparantur à Theologicis Doctoribus, formæ non implenti totam capacitatem subiecti, & formæ ad implenti totam capacitem subiecti. Et dicunt quod forma quæ adimplet totam capacitatem subiecti, est in illo inamissibiliter, vt videre est in forma corporis cælestis (loquendo secundum ponentes cælum compositum ex materia, & forma) quæ plane forma cum repleat totam materiæ potentialitatem, ita vt, non remaneat in ea potentia ad aliam formam inamissibiliter inest. Et sic esse de charitate patriæ: Nam ex eo quod charitas patriæ repleat totam potentialitatē rationalis mentis in quantum, scilicet, omnis actualis motus eius fertur in Deum, inamissibiliter habetur: At I verò charitas viæ non sic replet, potentialitatem subiecti sui, nimirum, voluntatis creaturæ rationalis; quia voluntas rationalis in via non semper fertur ad Deū propter voluntatem arbitrij creaturę rationalis. Quare quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere per quod ipsa charitas viæ, vel charitas semel habita amittatur. Vide ista charitas viæ, & amissibiliter habetur, & formis generabiliū, & corruptibilium comparatur. Quoniam quemadmodum nulla earū totam capacitatem materiæ adimplet, sic ipsa charitas viæ non implet totam capacitatem voluntatis, sicut nec fides in via implet totam capacitatem intellectus.

Nota bene.

Charitas viæ & charitas patriæ in quo differant.

Charitas patriæ comparatur formæ cæli.

Charitas viæ comparatur formæ corruptibilium rerum.

Tum postremò sic probatur. Quæcumq; habent per se ordinem secundum prius, & posterius, si prius est amissibile, & posterius: At qui fides, & charitas haK bent per se ordinem talem, quod charitas ex necessitate supponit fidem, iuxta illud ad Heb.11. [Sine fide impossibile est placere Deo:] Ergo cum fides possit amitti à viatoribus, cōsequēs est, quod charitas amitti possit. Accedit ad hæc, quod in pueris baptizatis sunt charitas, & virtutes infusæ (saltem secundum habitū) & pueri processu temporis possunt peccare mortaliter, & per consequens charitatem amittere. Alioquin omnes baptizati finaliter saluarentur, quod est contra illud Euangelij: [Multi sunt vocati, pauci verò electi.] Ergo charitas semel habita potest amitti.

3. Ratio.

4. Ratio.

Secun-

2. Assertio. Charitas tota amittitur per vnũ peccatum, duntaxat, mortale.

Secunda assertio, tota charitas amittitur per vnum, duntaxat actum peccati mortalis. Hæc est D. Thom. 2.2. quæst.24.art.12. Et probatur primò sic: Per peccatum mortale fit homo dignus morte æterna, iuxta illud ad Rom.6. [Stipendia peccati, mors:] Atqui quilibet habens charitatem, habet meritum vitæ æternæ, iuxta illud Ioan.14.]Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.] In qua quidem manifestatione, vita æterna consistit, secundum illud Ioan. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum:] Ergo habens charitatem, non potest esse dignus morte æterna. Consequentia est aperta. Quoniam nullus potest esse simul dignus vita æterna, & dignus morte æterna: Igitur impossibile est, quod aliquis habeat charitatem cum peccato mortali. Tollitur ergo charitas per vnum actum duntaxat peccati mortalis. Secundò sic: Vnum contrarium, per aliud contrarium superueniens tollitur: At qui quilibet actus peccati mortalis contrariatur charitati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc, quod, scilicet Deus diligatur super omnia. Ergo &c.

1. Ratio.

2. Ratio.

Nota bene.

In fine tamen huius assertionis notes oportet, inter charitatem, quæ est habitus infusus, & reliquos habitus acquisitos, ex virtute subiecti dependentes, hoc grassari discrimen, nimirum, quod habitus acquisitus ex virtute subiecti dependens, non oportet, quod statim per vnum actum contrarium tollatur. Quoniam actus non directè contrariatur habitui, sed actui: & continuario habitus in subiecto non requirit continuitatem actus: vnde ex superueniente contrario actu, non statim habitus acquisitus excluditur: At verò charitas, cum sit habitus infusus dependet ex actione Dei infundentis: Qui sic se habet in infusione, & conseruatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris: Quamobrem sicut lumen statim cessaret esse in aere per hoc, quod obstaculum poneretur illuminationi solis: ita etiã & charitas statim definit esse in anima, per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ charitatis à Deo in animam. Cum autem manifestũ sit quod quodlibet peccatũ mortale (quod diuinis præceptis contrariatur) ponitur prædictæ infusioni obstaculum, sequitur, quod statim per vnum actum peccati mortalis, habitus charitatis perdatur.

Charitas dependet à Deo sicut illuminatio aeris à sole.

Comparatio.

Pulchrè dictum.

Peccatũ mortale est obstaculum ad charitatis infusionem.

Sol. ad 1.

Primum autem argumentum, cum procedat de conseruatione charitatis, secundum potestatem Spiritus sancti (cuius conseruatione, ij quos ipse mouet, quantum ipse vult, immunes à peccato redduntur) non est contra nos, disputantes de charitate in ordine ad subiectum, quod est vertibile per eius liberum arbitrium.

Sol. ad 2.

Ad secundum dicitur: quod charitas secundum rationem sui actus, verum est, quod excludit omne motiuum ad peccatum: at verò charitas non semper actu agit in nobis. Et tunc potest interuenire aliquod motiuum ad peccandum, cui si consentiatur, charitas amittatur.

Sol. ad 3.

Ad tertium tandem facilis est solutio, cum non sit simile illud de amore naturali, cum illo de amore charitatis. Quoniam amor naturalis fundatur in communicatione, quæ stat, vel stare potest cum culpa: at verò charitas oppositionem habet ad omnem culpam mortalem; quoniam charitas per se, & directè, conuertit hominem ad Deum; peccatum verò mortale auertit hominem à Deo.

Sol. ad 4.

Nota bene.

Ad quartum dicitur: quod contra iustitiam est, non reddere debitum, nisi legitima exceptio habeatur contra petentem; si autem habeatur legitima exceptio, quamdiu illa durat, potest iuste denegari debitum. Contra illum autem qui in charitate fuit, sed à charitate decidit, est legitima exceptio, quod gloria ei non reddatur, quia, scilicet est in peccato mortali, A quod auertit à bono incommutabili, in cuius visione consistit gloria, & ideo quamdiu durabit ista exceptio, iustè potest ei negari beatitudo: Exceptio autem durabit semper, & ideo iustè ei negabitur gloria.

Quæstio IV.

Vtrum Antistes Ephesinus relinquendo charitatem, & gratiam per peccatum mortale, reliquerit etiam ex consequenti, omnes alias virtutes infusas, nimirum, fidem, & spem? B



Onclusio est negatiua. Et pbatur: Quoniã inter reliquos DD. S. Tho. p.2. q.71. art.4. apertè fatetur per peccatum mortale excludi omnes virtutes in quãtum virtutes sunt; quoniam peccatum mortale contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum, & in quantum sunt virtutes. Et ideo per vnum actum peccati mortalis, exclusa charitate, excluduntur per consequens omnes virtutes infusæ, in quantum sunt virtutes; & mox subiungit sic: [Et hoc dico propter fidem & spem, quarum habitus remanent informes post peccatum, & sic non sunt virtutes.]

1. Conclus. Quolibet peccato mortali amittitur gratia, sed non fides.

C Hæretici tamen illusi à dæmone asseuerant fidem quouis peccato mortali amitti, & deperdi.

Hæreticorũ error circa fidem.

Verumtamen fidem manere in peccatoribus fidelibus, docet Concilium Tridentinum sess. 6. can.28. per hæc verba: [Si quis dixerit amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua; aut eum qui fidem sine charitate habet non esse Christianum, anathema sit.] Quam etiam difficultatem eruditè & satis perdoctè tractat Andreas à Vega contra Lutherum, & Caluinum lib.14.cap.8. asserens fidem non admitti quouis peccato mortali.

Veram fidem compati secũ peccatũ mortale tenet Ecclesia Dei.

Et per hoc patet, quod licet asseramus Antistitem hunc Ephesinum per peccatum læthale charitatem, & gratiam semel habitam reliquisse; tamen fidem & spem adhuc retinuisse: Non quatenus virtutes erant, D sed in quantum habitus sunt: quos plane duo habitus informes in eo perseuerarunt.

Corollarium. Fidẽ & spem habuit Episcopus Ephesinus dum charitate orbaretur.

Quæstio V.

Vtrum charitas, & gratia per læthale peccatum verè annihilentur, vel corrumpantur propriè: aut verè desinant esse?

E



Va ratione Antistes iste Ephesinus, per læthale crimen, charitatem, & gratiam reliquerit, apparebit in hac, & in alijs duabus quæstionibus sequẽtibus. Quæ quidem omnes, satis difficiles plane sunt, In quibus erit sermo de sola gratia; nõ quod, gratia, & charitas sint idem realiter, sed quod vna non possit esse sine alia, & amissa vna, necesse est & aliã amittere, vt sup. retulim.

Tt 2 Quam

Quamobrem quidquid in his tribus quæstionibus sequentibus, de gratia dicturi sumus, illud omne de charitate intelligendum etiam esse existimamus.

1. Opinio.

Et quidem gratiam non annihilari, aut corrumpi posse, aut desinere esse per læthale peccatum perpetratum à nobis, confirmatur his argumentis.

Gratia videtur non posse annihilari vel corrũpi.

1. Arg. Quoniam id quod semper migrat de subiecto in subiectum, nunquam annihilatur, nec corrumpitur, nec minus desinit esse: At qui gratia semper migrat de subiecto in subiectum: Et enim Num. cap. 11. dicitur, [Tollam de spiritu tuo, & dabo senioribus &c.] & 4. Reg. 1. [Spiritus Eliæ requieuit super Eliseum.] Ergo gratia nunquam desinit esse, nec annihilatur, nec minus corrumpitur.

2. Arg. Præterea, id quod à Deo creatur, nunquam desinit esse, nec corrumpitur, nec annihilatur, vt patet de Angelis, & de animabus rationalibus, quæ ex eo, quod sint res à Deo creatæ, sunt perpetuæ a parte post: At qui gratia creatur à Deo: nam est quid creatum in anima, vt tenet sanctus Thom. 2. lib. sententiarum distinct. 26. quest. 1. art. 1.; Ergo gratia erit æterna à parte post. Et per consequens, nec desinit esse, nec corrumpitur, nec annihilatur per peccatum.

3. Arg. Rursus: accidens quod desinit esse, aut corrumpitur, aut annihilatur, haber proprium, certum, & determinatum subiectum, ex cuius principijs causetur, Atqui gratia licet sit accidens, tamen non possumus illi assignare aliquod subiectum, per se ex cuius principijs, causetur; propterea, quod gratia à solo Deo causatur, iuxta illud Psal. 17. [Gratiam, & gloriam dabit Dominus:] ergo gratia per peccatum, nec desinit esse, nec corrumpitur, nec annihilatur.

2. Opinio.

1. Arg. Contrariam partem tenent alij, eo quod gratia, & peccatum opponuntur formaliter, sicuti habitus, & priuatio: At omnis habitus, aut accidens habens oppositum potens inesse suo subiecto, tandem desinit esse, corrumpitur, & annihilatur: Igitur & gratia desinit esse & corrumpitur, & annihilatur per suum contrarium, nempe per peccatum.

Gratia potest annihilari, & corrumpi.

2. Arg. Accedit, quod id quod intenditur & remittitur, tandem tandem desinit esse, annihilatur, & corrumpitur: Etenim intentio & remissio aliquando tandem, aut annihilationem, aut corruptionem postulant: Sed sic est, quod gratia intenditur, & remittitur, vt dicit Magister 2. lib. sentent. distinct. 26. cuius verba sunt hęc: [Non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, vt aucta mereatur.] Ergo gratia debet aliquando tandem desinere esse, annihilari, aut corrumpi per peccatum.

1. Fundamentum. Gratia res est permanẽs

Respondeo ad quæsitum, quædam præmittendo. Præmitto igitur primo, gratiam rem esse permanentem, etenim res sunt in multiplici differentia.

Rerum multiplex acceptio.

Quædam enim sunt, quæ acquiruntur cum expulsione contrarij, & eiusdem resistentia, vt caliditas, frigiditas, &c. quædam verò sunt quæ absque expulsione contrarij acquiruntur, vt quælibet forma substantialis, aliæ autem sunt res diuisibiles, vt tempus, & motus: aliæ verò sunt res indiuisibiles, vt anima, & Angelus. Et tandem nonnullæ sunt res successiuæ, & positæ in continuo fluxu, vt tempus, & motus. Nonnullæ verò sunt res permanentes, vt homo, anima, Angelus, albedo, nigredo, &c. Et in isto numero rerum est gratia.

Discrimen inter res successiuas, & permanẽtes.

At verò discrimen, quod reperitur inter res successiuas, & res permanentes, est, vt vult Paulus Venetus 6. lib. physic. cap. 33. quod res permanentes dicuntur incipere esse, per positionem de præsenti, & desinere per remotionem de præsenti. Et res successiuæ habentes principium, & finem, incipiunt esse per remotionem de præsenti, vt ipse optimè probat Venetus loco citato.

Res permanentes, & res successiuæ, quomodo incipiã, & desinant esse.

Vel vt vult Paulus Soncinas 10. lib. Metaphys. q. 2, res permanentes à successiuis distinguuntur, in hoc, quod successiua non sunt, nisi dum fiunt, permanentia verò non sunt, quamdiu fiunt, sed solum postquam facta sunt. Constat autem quod gratia fit, & incipit esse, per positionem de præsenti, vel non est, nisi postquam facta est, & per consequens est res permanens, & nullo modo successiua.

2. Fundamentum. Quatuor modi quibus incipiunt, & desinũt esse res.

Præmitto secundo, quod iuxta Philosophos lib. 6. phys. quattuor annotantur modi quibus res incipiunt & desinunt esse, nempe. Primum esse rei, vltimum esse rei; vltimum non esse rei, & primum non esse rei. Duo priores modi, sunt modi quibus res incipiunt: Nam primum esse rei, es modus quo incipiunt res permanentes: & vltimum non esse rei, est modus quo incipiunt res successiuæ. Duo verò posteriores modi, sunt modi, quibus desinunt res esse; etenim vltimum esse rei, est modus quo desinunt esse res permanentes: Primum non esse rei, est modus quo desinunt res successiuæ. Isti quatuor modi, ita explicantur à Philosophis. Primum esse rei dicitur instans, in quo verum est dicere, modo est res, & immediatè antea non erat. Vltimum esse rei, est instans quoddam, in quo verum est dicere, modo est res, & immediatè post non erit: Etenim istud affirmare possumus, de principio, & fine rerum permanentium. Vltimum verò non esse rei, dicitur instans quoddam, in quo verum est dicere, modo non est res, & immediatè post hoc instans erit: nempe in tempore sequenti. Primum denique non esse rei, dicitur instans quoddam, in quo verum est dicere, modo non est res, & immediatè antea fuit, nempe, in tempore immediatè antecedenti. Etenim istud affirmare possumus de principio, & fine rerum successiuarum. Ex his definitionibus colligitur permanentia incipere, & desinere in instanti: & ob id dictum est supra cum Paulo Veneto, permanentia incipere esse, per positionem de præsenti, & desinere per remotionem de præsenti: Successiua verò incipere, & desinere in tempore. Quapropter dictum est cum eodem Veneto, successiua incipere esse, per remotionem de præsenti, & desinere esse per remotionem etiam de præsenti; quia vt tenet Soncinas loco supra citato, permanentia non sunt quamdiu fiunt, sed solum postquam facta sunt: successiua verò non sunt, nisi dum fiunt. Et dimissis succesiuis, nos in hac quæstione tantum loquimur de permanentibus, qualis est gratia. Quæ quidem permanentia incipiunt esse per primum, sui esse, & desinunt per vltimum sui esse; vel (vt aliter dicam) incipiunt per positionem de præsenti, & definunt per remotionem de præsenti. Quia non sunt quamdiu fiunt, sed postquam facta sunt.

3. Fundamentum. Producta quã ratione habeant esse.

Præmitto tertio. Producta, vel habere esse per generationem, vel per creationem: Et ob id explicandum est quid, & quotuplex sit generatio, & creatio, & in quo differant. Ex quo, intelligitur apertè quid est, & quotuplex sit corruptio, & annihilatio, & in quo different.

Creatio quid sit.

Creatio igitur est productio entis ex nihilo, vt tenet Magister lib. 2. sentent. distinct. 1. & glossa, Beda super illa verba Gen. 1. [In principio creauit Deus cælum, & terram.] Idem tenet sanctus Tho. 2. lib. sentent. distinct. 1. & 1. p. quæst. 45. art. 1. & Caietanus ibi, Durandus etiam, & Scotus D. Bonauentura, & omnes Theologi cum Magistro in 2. sent. dist. 1.

Generatio quid sit.

Philosophus lib. 1. de generat. & corrupt.

Generatio verò, vel ortus, vt colligitur ex Aristotele in 1. lib. de generatione, & corruptione, sic definitur. Productio alicuius formæ substantialis, præsupposito aliquo subiecto, seu cõmutatione, à non substantia ad substantiam: id est, à non substantia perfecta, ad substantiã perfectam, vel à materia prima, in totum compositum. Hanc definitionem generationis admittunt omnes Philosophi, & Thomas Bricoth, Paulus Venetus, Frãciscus Vatablo, & omnes alij in 1. lib. de ortu cap. 1. 2. 3. & 4. Creatio autem, vt tenet sanctus Thom. 2. lib. sentent. distinct. 18. quæst. 1. art. 2. se extendit ad omne id, quod producitur præter rationes seminales. Quapropter (vt rectè tenet Durandus lib. 2. sententiarum distinct. 18. quæst.

18.quæst.2.) tripliciter dicitur aliquid creare, nempe, propriſſimè, minus propriè, & minimè propriè: Si enim id quod producitur præter has rationes ſeminales, ſit tale, quod per ſe ſubſiſtat, nec ſit alterius pars, propriſſimè dicitur creari, vt Angelus. Si autem id quod producitur præter rationes ſeminales (licet ſit natum per ſe ſubſiſtere) fuerit alterius pars, minus propriè dicitur creari, vt anima intellectiua. Et addit Durandus rationem iſtius differentiæ, dicens: [Nam & rationes ſeminales cooperantur aliqualiter ad eſſe eius non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ad eſſe in materia diſponendo materiam.] Si tandem id quod producitur præter rationes ſeminales, ſit tale, quod nec eſt alterius pars, nec eſt natum per ſe ſubſiſtere, minimè propriè dicitur creari, vt gratia in anima, vt tenet Durandus; & iuſtificatio impiorum, reſurrectio mortuorum, creatio rerum, vel conuerſio aquæ in vinum. Ioan.2. & alia huiuſmodi, quæ citantur à ſancto Tho. p.lib.ſent.diſt.18 q.1.art.3. Et cum annihilatio correſpondeat creationi, annihilatio tripliciter etiam dicetur, nempe, propriſſimè, vt ſi per impoſſibile annihilaretur Angelus, minus propriè, vt ſi per impoſſibile annihilaretur anima intellectiua, & minimè propriè, vt ſi annihilaretur aliqua iuſtificatio impiorum. Vnde creatio erit triplex, & annihilatio adhuc etiam erit triplex, vt annihilatio opponitur creationi. Generatio autem, vt tenent Philoſophi cum Ariſtotele 1. lib. de ortu cap.1.2. 3. & 4. & duplex: Alia enim eſt generatio ſimpliciter, & alia eſt generatio ſecundum quid. Generatio itaque ſimplex, eſt productio immediatè inductiua ſubſtantiæ, vt productio, vel mutatio, qua immediatè producitur homo, vel equus, vt dictum eſt ſupra, & iſta eſt vera, & perfecta generatio. Quoniam generatio ſtrictè loquendo tantum eſt, cum terminus generationis, vel productionis eſt ſubſtantia, & ob id vera generatio eſt circa ſubſtantiam. Generatio verò ſecundum quid (quæ ita dicitur generatio, ſicuti imago hominis picti, dicitur homo pictus) eſt mutatio immediatè productiua accidentis; puta quantitatis, qualitatis, &c. Et iſto modo conceditur, alterationem & augmentationem eſſe generationem: non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid: & idem prorſus conformiter eſt dicendum de corruptione. Eſt igitur corruptio duplex: alia ſiquidem ſimpliciter, & alia ſecundum quid. Corruptio ſimpliciter dicta eſt mutatio immediatè remotiua ſubſtantiæ, vt mutatio, qua immediatè corrumpitur homo, vel leo. Corruptio verò ſecundum quid, eſt mutatio immediatè remotiua accidentis, vt mutatio, qua deperditur quantitas, vel qualitas &c.

Durandus.

D. Tho.

Annihilatio dicitur trifariè.

Generationis bipartita acceptio.

Generatio ſimplex quid ſit.

Generatio vera circa ſubſtantiam dumtaxat, eſt.

Generatio ſecundum quid, quæ ſit.

Et ſi quæratur propter quid aliqua dicuntur generari ſimpliciter, & alia ſecundum quid: Reſpondeo cum Ariſtotele 1.lib. de ortu, iſtud dici comparando ſubſtantiam ad accidens. Ex eo etenim, quod ſubſtantia ſit principalis ens, eius generatio, dicitur generatio ſimpliciter: & ex eo inſuper, quod accidentia dicantur entia ſecundum quid in ordine ad ſubſtantiam, eorum generatio dicitur generatio ſecundum quid. Et idem iudicium eſt de corruptione ſubſtantiæ (quam appellat Phyloſophus, corruptionē, ſimpliciter) & de corruptione accidentis (quam appellat corruptionem ſecundum quid.) His præmiſſis ad rem iam accedamus.

Prima aſſertio. Gratia quomodo producatur in nobis.

Sit prima aſſertio. Cum Deus animabus noſtris (medijs ſacramentis) ſuam gratiam influit, elargitur & confert, in illo influentiæ inſtanti, gratia dicitur de nouo produci, & habere, primum inſtans ſui eſſe, & de nouo creari minimè propriè, & etiam de nouo generari, generatione ſecundum quid. Hæc aſſertio eſt D.Thom.2.lib. ſentent. diſtinct. 26.q. 1.art. 1. & 1.2.quæſt.100.art.1. & contr. 3. can. 155. & ver,q.27 art.1.Durandi 2.lib.ſent.diſt.18.q.2.Ioan. Maior.1.lib.ſent.diſt.17.q.14.Scoti 2.lib.ſent.diſt. 36. D.Bonauenturæ 2.lib. ſent.diſt.26.& aliorum. Probatur tamen his rationibus.

1.Ratio.

Prima ratio. Iſidorus dicit, quod gratia eſt diuinæ miſericordiæ donum: At dona quæ à Deo percipimus, quid creatum in anima ponunt: Ergo gratia quid creatum eſt in anima. Sed gratia cum ſit qualitas, non poteſt creari propriſſimè, quia talis creatio eſt entis per ſe ſubſiſtentis, quod non eſt alicuius pars, nec etiam poteſt creari minus propriè, quia talis creatio ſpectat ad ens per ſe ſubſiſtens, quod eſt pars alterius, vt abundè perſpicuum euadit ex fundamentis; Ergo dicetur creari minimè propriè.

2.Ratio.

Sacramenta cōferunt gratiam non habentibus obicem.

Porrò ſacramenta nouæ legis, continent gratiam, quam ſignificant, & illam conferunt non ponentibus obicem, vt tenet Concil.Trident. ſeſſ.7. can.7. & 6. & Concil.Florent.ſub Eugenio IV. Et idem communiter tenent Theologi in 4. ſentent. diſtinct. 1. ſuper illa verba Magiſtri: [Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma:] At talis gratia non producitur in animabus noſtris, per rationes ſeminales: Nam hoc dicere eſſet hæreticum: Igitur producetur in his animabus noſtris præter rationes ſeminales. Sed quidquid producitur à Deo præter rationes ſeminales, dicitur iſtud à Deo creari, vt tenent Theologi cum Magiſtro in 2.lib.ſentent. diſtinct.1. & ob id primus homo Adam (licet illum Deus de limo terræ fecerit, vt habetur in 1.cap. Gen.) dicitur creatus, quia fuit productus præter rationes ſeminales. Ergo gratia cum producatur præter rationes ſeminales, dicetur creari à Deo, quæ cum ſit qualitas, & accidens, generabitur ſecundum quid, vel creabitur minimè propriè.

Adā dicitur creatus, quia fuit productus præter rationes ſeminales.

3.Ratio. Gratia dupliciter capitur.

Rurſus. Gratia dupliciter accipitur, vt auctor eſt ſanctus Thomas 2.lib.ſententiarum diſtinct. 26.quæſt. 1.art. 1. nempe, vno modo pro ipſa amoris acceptatione, ſecundum quam aliquis, alterius gratiam habere dicitur, qui eum diligit, alio verò modo pro ipſo dono, quod liberaliter datur ex amore: At effectus diuini amoris in nobis, & præterea donum gratis datum, cum ſit donum Spiritus ſancti, oportet vt ſit, quid creatum; ergo gratia quocumque modo accipiatur, quid creatum dicit in animabus noſtris. Et cum ſit accidens, erit creatum minimè propriè. Circa hanc rationem lege S.Tho. 2. ſent. diſt.26.q.1. art.1.in corpore.

4.Ratio.

Quartò, & vltimò. Id quod dat primum ſui eſſe, per generationem ſecundum quid, dicitur generari ſecundum quid, vt tenet Ariſtoteles 1.lib.de ortu cap. 1. 2. 3. & 5. & vt etiam liquet ex fundamentis: At gratia cum ſit res permanens dat primum inſtans ſui eſſe, vt tenet Maior in 1.lib.ſent. diſt.17.q. 14. Quinimmo gratia in nobis, & reſpectu noſtri, non eſt quid æternum, & per conſequens quomodocunque ſit, debet in nobis incipere eſſe: Igitur tale eſſe dabit, non quomodocunque, ſed iuxta ordinem philoſophicum; & per conſequens cum ſit accidens, dicitur generari ſecundum quid.

2.Aſſertio. Gratia quomodo deſinat eſſe in nobis.

Secunda aſſertio. Gratia per peccatum dicitur deſinere eſſe, & habere vltimum inſtans ſui eſſe, annihilari annihilatione minimè propriè, & corrumpi corruptione ſecundum quid. Hæc aſſertio eſt Diui Thomæ 2.lib.ſententiarum, diſtinct. 26.quæſt. 9. art.2.& part.2.quæſt.100. art. 2. ad 3. illamque profitetur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. Et omnis ſchola Theologorum, Licet diuerſis verbis, (vt poſtea dicetur) & probatur his rationibus.

1.Ratio. Gratia, & peccatum opponuntur formaliter.

Prima ratio. Gratia & peccatum opponuntur formaliter, ſicuti habitus, & priuatio: At omne accidens habens oppoſitum potens ineſſe ſuo ſubiecto, eſt corruptibile corruptione ſecundum quid: Ergo gratia per peccatum corrumpitur ſecundum quid, vel annihilatur minimè propriè.

2.Ratio.

Præterea probatur, id quod habet vltimum inſtans

 ſui

sui esse, desinit esse. Quoniam vltimum esse rei dicitur instans quoddam, in quo verum est dicere, modo est res, & immediatè post, non erit, vt patet in secundo nostro fundamento: At accepto homine descendente ab Ierusalem in Iericho, nempe, descendente à gratia, in peccatum, tunc verum est affirmare; modo est gratia in isto homine, & immediatè post, non erit in illo; Nam gratia amittitur per peccatum; ergo tandem gratia desinit esse. Sed gratia est accidens, & qualitas: & omne accidens desinens esse, desinit per corruptionem secundum quid, vt tenet Philosophus 1. de ortu, vel per annihilationem minimè propriè, vt tenent Theologi: ergo desinet esse per corruptionem secundum quid, vel per annihilationem minimè propriè.

Nota bene. S. Thom.

Et nota, quod licet S.Thom.1.p.quæst.104.art.4. teneat nihil omnino in nihilum redigi, tamen cum gratia corrumpitur secundum quid, vel annihilatur minimè propriè (vt est dictum) in nihilum redigitur, & nulla pars eius remanet, vt tenet ipsemet S. Thom.2. sent.dist.26.art.2.ad vltimum, cuius verba talia sunt: [Cum gratia corrumpitur simul etiam in nihilum redit.] Sanctus autem Thom. dum in 1.p.q.104. art.4. asserit, nihil omnino in nihilum redigi, loquitur de substantijs, quæ vere generantur, & vere corrumpuntur: corruptio enim vnius est generatio alterius; & sic nihil in nihilum omnino redigitur. Et si istud vis applicari accidentibus, dices cum S.Thom.1.p.quæst. 104.art. 4. ad 3. quod formæ, & accidentia, non sunt entia completa, cum non subsistant, sed quodlibet eorum est aliquid entis. Sic enim ens dicitur, quia eo aliquid est: & tamen eo modo quo sunt non omnino in nihilum rediguntur. Non quia aliqua pars eorum remaneat, sed quod remaneat in potentia materiæ, vel subiecti: Et istud bene poteris affirmare de gratia, quæ cum annihilatur, licet nulla pars eius remaneat, tamen ipsa in specie remanet in potentia subiecti. Et ob id Conc.Trid.sess.6. cap.16. tenet gratiam amissam, nos posse recuperare.&c. Et Logici, ac etiam Methaphysici tenent, sublatis singularibus, remanere vniuersa, potestate.

Concordantur duo loca D. Tho.

Conc. Trid.

Tertia assertio. Gratia nō generatur simpliciter, nec creatur proprissimè, nec minus corrūpitur simpliciter, aut annihilatur proprissimè.

Tertia assertio. Gratia nullo modo generatur generatione simpliciter, nec creatur creatione proprijssimè, aut minus propriè, nec vè corrumpitur corruptione simpliciter, nec tandem annihilatur proprijssimè, aut minus propriè. Hæc assertio est cōmunis omnium Theologorum: & ex hoc remanet probata: Quia Arist.1.lib de ortu cap.1.2.3. & 4. generationem, & corruptionem accommodat substantijs, & nullo modo accidentibus: Et Theologi in 2. lib. sent. creationem, & annihilationem proprijssimè, & minus propriè accomodant substantijs, & nullo modo accidentibus. Gratia autem qualitas inhærens animæ est, vt tenet S.Th.1.2.q.110.art.1.ergo.&c. Adhiberem alias rationes, nisi assertio esset manifesta.

Gratiā quomodo concedant, Theologi, annihilari, generari, creari, & corrumpi.

Theologi veteres, licet concedant gratiam annihilari, generari, creari, & corrumpi; tamen istud variè recitant in suis scriptis. Quocirca diuersos modos loquendi Theologorum, circa hanc rem, hic apponam, & meliorem eligemus.

Primus modus loquendi de gratia quo ad vltimum sui esse.

Scotus 2.lib.sent dist.36. sanctus Bonau.2.lib. sent. dist.26. Stephanus Brulleser.2.lib.sent. dist.26.q.4. & alij, asserunt gratiam esse de genere accidentium corruptibilium. Attamen isti non explicant an gratia vere, aut impropriè corrumpatur: Sed tantum absolutè dicunt gratiam corrumpi per peccatum; non se intromittendo, an sit vera corruptio, vel vera annihilatio. Nisi dicas istud dimittere, tanquam manifestum, cum corruptio accidentis non sit vera corruptio apud Philosophos.

Secundus modus loquēdi de gratia quo ad vltimum sui esse.

Durandus aliter loquitur de fine, siue vltimo esse gratiæ. Dicit enim in 4.lib.sent.dist.17.q.1. Peccatum

F esse priuationem gratiæ, ratione cuius Deus dicitur peccatori offensus, quia subtrahit ei gratiam quæ est, ad solum amicum. Ex quibus colligitur, vltimum esse gratiæ appellari priuationem. Sed per istum modum loquendi non rectè intelligi, an gratia secundum se desinat esse tandem & annihiletur per peccatum. Nisi dicamus, Durandum tenere cum Philosophis accidentia non migrare de subiecto ad subiectum, & per consequens, priuationem gratiæ esse illius annihilationē.

Tertius modus loquendi de gratiaquo ad vltimum sui esse.

Magister in 2.sent.dist.24.dicit, peccatum esse corruptionem boni. Sed quia Doctores variant explicando quid Augustinus, & Magister nomine boni intelligant (quidam enim dicunt gratiam, quidam verò animam, quidam voluntatem, alij rectitudinem in actu secundo, alij habilitatem animæ, nonnulli etiam habitus acquisitos, & alij alia varia dicunt) supersedimus
G ab isto modo loquendi; nisi dicamus, Magistrum per bonum, intelligere gratiam, & sic gratia desinet esse per corruptionem.

Quartus, & verus modus loquendi de gratia quo ad primum, & vltimum esse sui.

S. Thomas p. 2.q.110.art.2. ad 3. existimat, gratiam non verè corrumpi, nec verè creari, sed secundum ipsam, hominem creari in tali esse. Verba autem D. Tho. sunt hæc: [Sicut dicit Boetius accidentis esse est inesse, vnde accidens non dicitur ens, quia ipsum esse habeat; sed quia eo aliquid est, vnde & magis dicitur esse entis, quam ens, vt dicitur 7.Meth. & quia eius est fieri, vel corrumpi cuius est esse, ideo propriè loquendo, nullum accidens, neque fit, neque corrumpitur, sed dicitur fieri, vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit, vel desinit esse in actu, secundum illud accidens. Et secundum hoc etiam gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundū ipsam crean-
H tur, id est, in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est, non ex meritis, secundum illud ad Eph. 2. creati in Christo Iesu in operibus bonis.] Ita ille. Et rectè sanè. Iste autem modus loquendi D.Thom. explicat tres nostras superiores assertiones de gratia.

Quintus modus loquēdi de gratiaquo ad primum, & vltimum sui esse.

Cardinalis Caietanus in comment.1.2.q.110.art.1. asserit, gratiam, nec verè creari, nec verè corrumpi. Et notanda sunt verba Caietani, quæ talia sunt: [Linguam quoque ex responsione ad 3. disce cohibere, ne dicas gratiam annihilari, cum homo perdit eam, quia nec fit, nec corrumpitur, nec creatur, nec annihilatur, vt in littera dicitur, sed secundum ipsam homo creatur in tali esse.] Hæc ille. Qui etiam intelligit gratiam, non vere annihilari, nec vere corrumpi, quia est accidens, & accidens non vere generatur, nec vere corrumpitur, nec minus vere creatur, aut vere
I annihilatur. Et sic explanatus Caietanus, pro nobis etiam facit cum S.Tho.

Sextus modus loquendi de gratiaquo ad primum, & vltimum sui esse.

Sextus & vltimus modus loquēdi de vltimo esse gratiæ, est Conc.Trid, Conc.enim Trid. cum de desitione, (vt ita loquar) siue cessatione gratiæ (nempe cū gratia desinit, & cessat in nobis) agit, semper loquitur per verbū [amitto,] vnde sess.6.cap.16.ita habetur.] Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint.] & cap 15.sic scribitur. [Quocunq; mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti &c.] & cap.14.]Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, eum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint &c.] Vbi
K vides, primū esse gratiæ, appellari acceptionē gratiæ, & vltimū esse gratiæ, vocari, amissionē gratiæ. Et idem stylus loquendi seruatur, & habetur in Conc. Aurasicano, Ephesino, Constantinopolitano, & in omnibus Concilijs Patrum. Et hunc etiam modum loquēdi sequutus est sanctus Thomas passim, & præcipuè. 1. 2.q.113.art.2. & 2.2.q.10. art.4 & q.24.& 3.p.q.86. art.3.vbi gratiam, gratum facientem amitti per quodlibet peccatum mortale, habet.

En vi-

En vides varietatem Doctorum circa principium:& finem gratiæ loquentium, quem volueris (loquendo de primo eſſe, & de vltimo eſſe gratiæ) modum eligere, abſque errore vtique poteris: Dummodo aſſeueres gratiam,ſiue ſit gratia Sacramentorum (quæ eſt in illis tamquam in vaſe, ſcilicet, non tamquam in ſubiecto,ſed tamquam in cauſa diſpoſitiua inſtrumentali (ſiue ſit gratia,quæ eſt in virtutibus, & donis, aut quæuis alia gratia, dum in nobis (nempe in animabus noſtris) producitur, fieri à Deo per modum influentiæ. Et licet gratia cauſetur ex ſacramentis per modum influentiæ, non tamen ſacramenta eſſe, quæ influunt gratiam: Sed ſacramenta eſſe, per quæ Deus, ſicut per inſtrumenta, animabus noſtris gratiam influit, & ſic Deum ſemper eſſe efficientem gratiæ, iuxta illud Pſal 81. [Gratiam & gloriam dabit Dominus.] Ex præfatis autem, de gratia, loquendi modis (quo ad primum,& vltimum eſſe ſui) modus loquendi D.Thomæ,Caietani,& Concil.Trid. directè faciunt pro tribus noſtris aſſertionibus,licet alij modi, aliorũ Doctorum non repugnent dictis.

Gratiam eſſe in ſacramẽtis tanquã in vaſe quomodo intelligendũ veniat.

Gratia ſẽper eſt à Deo tãquam à cauſa efficiente.

Gratia à Deo in nobis per modum influentiæ.

Deus ſemper eſt cauſa efficiens gratiæ.

Sol.ad 1. Ad argumenta autem in principio poſita,eſt reſpondendum. Ad primum igitur dicitur, quod gratia eadem numero non tranſit de ſubiecto in ſubiectum. Ille verò modus loquendi ſcripturæ,intelligendus venit,propter ſimilitudinem gratiæ ad ſimiles actus in ſpecie. Quemadmodum dum dicimus,vnam fidem, & vnum baptiſma eſſe omnibus fidelibus baptizatis. Fides enim quæ eſt in me,ſimul etiam & baptiſmus,eiuſdem ſpeciei eſt cum fide, & cum baptiſmo patris mei, ſed non idem numero: quia accidentia indiuiduantur per ſubiecta.

Sol.ad 2. Ad ſecundum reſpondetur,propoſitionem (abſolutè loquendo) eſſe falſam. Etenim licet Angelus, & anima noſtra rationalis,habeant æternitatem à parte poſt, vt dicitur in exemplo adducto; tamen multa alia ſunt à Deo creata,quæ habent periodum,& finem eſſendi. Omne enim ens,eſt à Deo creatum. Et præterea Adam & qualibet alia prima indiuidua cuiuſlibet ſpeciei, fuerunt producta à Deo per creationem tantum,quæ verè corrupta fuiſſe,experientia docet. Tum præterea creatio paſſiuè ſumpta, reſurrectio mortuorum,iuſtificatio impiorum, & alia accidentia eiuſdem rationis, ſunt creata à Deo (quia non habent,eſſe per ſeminales rationes:) & quis dicat, iſta omnia eſſe æterna? Tum tandem fides,ſpes, & charitas, & dona Spiritus ſancti, creata ſunt (quia habent eſſe præter rationes ſeminales) & tamen aliquæ ex hijs non manent in patria,vt fides,& ſpes. Ita tenent multi Theologi ſuper illud Pauli: [Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate,tunc autem,facie ad faciem] & iterum: [Euacuabitur, quod ex parte eſt &c.] Si autem Angeli,& animæ rationales immortalitate gaudent,eſt,tum quia ita docet fides Catholica;& religio Christiana, tum quia ſunt ſubſiſtentes, & nullam habent contrarietatem,vt prodit S.Tho.1.p.q.75.art. 6. Accidentia autem,& formæ materiales, non ſubſiſtunt (vt ibi dicitur) & ob id dicuntur fieri, & corrumpi per generationem,& corruptionem compoſitorum. Et per cõſequens gratia,quæ eſt in genere accidentium,dicetur fieri, dum Deus illam animabus noſtris influit, per ſacramenta,& dicetur corrumpi, dum Deus ceſſat à tali influentia,per peccatum à nobis commiſſum.

Fides, & ſpes non manent in patria.

Angeli, & animæ intellectiuæ cur immortales.

Obiectio. Sed obijcies; gratiam amiſſam per peccatum, poteſt recuperari per pœnitentiam,& nouam ſuſceptionem ſacramentorum, vt tenet Concil.Trid.ſeſſ.6.cap. 16.& alibi paſſim,ergo gratia nunquam corrumpitur. Conſequentia probatur. Quia amiſſum ſemel, & iterum inuentum, non fuit corruptum, vt patet de gemma, aut annulo ſemel perdito, & poſtea ab ipſomet domino inuento.

Conc. Trid.

Solutio obiectionis. Reſpondetur huic obiectioni,modum loquendi Cõcilij Tridentini eſſe intelligendum per ſimilitudinem gratiæ ad ſimiles actus in ſpecie, vt dictum eſt in prima ſolutione argumentorum. Quod etiam verum eſſe apparet in illo, quod Gabriel Angelus dixit Virgini Mariæ,Lucæ 1. [Inueniſti gratiam apud Deum,] gratiam,nimirum, quam Eua per peccatum amiſit, vt diſpungunt Doctores. Conſtat autem huiuſmodi duæ gratiæ differre numero. Illa enim erat gratia iuſtitiæ originalis, & innocentiæ, & iſta erat maternitatis, & reparationis humani generis. Dicitur tamen Mariam inueniſſe gratiam ab Eua amiſſam, propter ſimilitudinem gratiæ ad ſimiles actus in ſpecie. Exemplum autem adductũ in obiectione de gemma, & annulo perdito,non tenet,quia eſt res ſubſiſtens,& reddit idem numero ad manus domini ſui,& per amiſſionem illam non fuit corruptus &c.Si autem per impoſſibile fuiſſet corruptus, non rediret idem numero ad poſſeſſorem ſuum.

Gratia ſemel amiſſa quomodo recuperatur ſimilis, in actibus in ſpecie.

Sol.ad 3. Ad tertium reſpondetur,quod quædam accidentia ſunt per ſe, quæ ſemper actu conſequuntur ſuum ſubiectum, quædam autem, non ſemper in actu, ſed ſemper in habilitate. Vnde cum illud, quod per ſe ineſt, ſemper inſit,ſubiectum aliquando dicitur eſſe per ſe ſubiectum reſpectu ipſius accidentis, ſicut ignis eſt ſubiectum per ſe,caloris; & tale accidens, ex principijs ſubiecti cauſatur, non ſolum quantum ad habilitatem, ſed etiam quantum ad eſſentiam accidentis; Aliquando reſpectu habilitatis tantum, ſicut aer, qui non ſemper illuminatur in actu,ſemper tamen illuminabilis eſt, & hæc illuminabilitas ex principijs ſubiecti cauſatur, quamuis lumen ab extrinſeco ſit. Similiter dico,quod lumen gratiæ ab extrinſeco eſt, ſed receptibilitas gratiæ ſemper ſubiectum conſequitur, & ex principijs ſubiecti cauſatur, ſicut etiam patet in hoc,quod eſt diſciplinæ perceptibile. Perceptibilitas enim diſciplinarum ex principijs ſubiecti diſciplinabilis cauſatur. Et ſic receptibilitas gratiæ ex anima noſtra cauſatur: eſt enim anima intellectiua, naturaliter,gratiæ ſuſceptibilis. Gratia autem à ſolo Deo datur,& ita ab extrinſeco anima intellectiua illuminatur aduentu gratiæ,ſicut aer adueniente lumine.

Quæſtio VI.

Vtrum gratia effectiuè annihiletur, & corrumpatur à Deo,vel à peccato?



I reſolutio huius difficultatis ex aliqua parte Theologiæ haberi liquidè poſſet, maximè profectò eſſet,ex 2.lib.ſent.diſt.35. vbi dicit Magiſter, peccatum eſſe corruptionem boni, aut ex quæſtionibus de peccatis, vel ex quæſtionibus de gratia, quæ traduntur à D.Tho.in 1.2. Attamen ex his locis; hanc difficultatem,& quæſtionem,reſolutione,& periodo,nullo modo gaudere poſſe atteſtor, præcipuè propter varietatẽ Doctorum explicantium,quid Magiſter, nomine boni, in 2.lib.ſent.2.diſt. 35. intelligat. Quocirca ad quæſitum reſpondeo per has aſſertiones.

1.Aſſertio. Prima aſſertio. Soli Deo conuenit annihilare gratiam. Hæc aſſertio eſt communis omnium Theologorum,quam paſſim profitentur S.Tho.1.p.q.9. art.2. & q.65.art.3.& q.90.art.3.& q.104.art.3. Scotus 2.ſent. diſt.36.& 37.Et probatur his rationibus.

Gratiç annihilatio ſoli Deo cõpetit.

1.Ratio. Prima ratio. Solus Deus poteſt aliquid in nihilum redigere,& creaturas annihilare, vt optimè probat S. Tho.1.p.q.104.art.3.& de veritate, q.5.art.2.ad 6. & lib.1.

Annihilare quid ſit.

Creatura à solo Deo pót annihilari. lib. 1. de doctrina Christiana. cap. 32. & istud innuit Propheta Ieremias in cap.10.dicens: [Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo ne forte ad nihilum redigas me.] At gratia collocatur inter creaturas, eo modo, quo est ens, vt ex superioribus patet, Ergo soli Deo conuenit annihilare gratiam.

2. Ratio. Præterea antequam gratia in aliqua anima sit, solus Deus in tali anima potest gratiam creare de nouo, iuxta illud Psal.82. [Gratiam, & gloriam dabit Dominus.] & postquam creata est, solus Deus potest eam conseruare in suo esse: Ergo solus Deus postquam gratia creata est, illam in nihilum redigere poterit.

3. Ratio. Tertia ratio. Deus non producit gratiam agendo de necessitate naturæ, sed liberè & voluntariè, iuxta illud Prophetæ: [Omnia quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra] Ergo poterit illam annihilare. Quia diuina bonitas non dependet à rebus creatis, cuius contrarium affirmare, est falsum, & à fide orthodoxa prorsus alienum.

4. Ratio. Amplius. Sicut corruptio correspondet generationi, sic annihilatio correspondet creationi, vt est manifestum, & vt etiam docet S.Tho.3.p.13. art.2. asserens immutationes creaturarum (secundum quod sunt vertibiles in nihilũ) correspondere creationi rerum, prout scilicet, producuntur ex nihilo. ac etiam Scotus dicens in 2.lib.sent.dist.36. quod cuius productio est creatio, eius destructio est annihilatio: At solus potens generare, solus dicitur potens corrumpere; etenim generatio vnius, est corruptio alterius, vt dicit Philosophus 1.lib.de ortu: Ergo pari ratione solus potens creare, dicetur potens annihilare. Sed sic est, quod solus Deus est potens creare, vt tenent Theologi in 1.lib.sent.dist.1. (quinimmo actio creandi nullo modo potest communicari creaturæ, vt in 1. p.& etiam in 1.lib.sent. dist.1.q.1.ar. probat S.Thom. contra Platonem ponentem vnam intelligentiam causare aliam;) Ergo solus Deus poterit gratiam annihilare. Consequentia est aperta; quia solus potens creare omnia, potest gratiam creare, & ex consequenti illam annihilare.

Deus solus potest creare.

Deus solus potest annihilare.

2. Assertio. Secunda assertio. Deus per aliquam actionem non annihilat gratiam, sed tantum cessando à sua influentia, & conseruatione. Probatur hæc assertio, his rationibus.

1. Ratio. S.Thom. Prima ratio desumitur ex S.Thoma. Diuus enim Thomas 3.p.q.13.art. 2.ait: Quod sicuti solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere, qui etiam solus eas inesse conseruat, ne in nihilũ decidant. & 1.p.q.104.art.1.sic scribit: [Omnes creaturæ indigent diuina conseruatione, dependet: enim esse cuiuslibet creaturæ à Deo. Ita quod nec ad motum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione diuinæ virtutis conseruarentur in esse, sicut Gregorius dicit &c.] Et paulo post hæc: [Sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut aer ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aer autem fit luminosus participando lumen à sole, non tamen participando naturam solis. Ita solus Deus est ens, per essentiam suam; quia eius essentia est suum esse: Omnis autem creatura est ens, participatiue, non quod sua essentia sit eius esse. Et ideo Augustinus dicit 4.super Genes.ad litteram. Virtus Dei ab eis quæ creata sunt regendis si cessaret aliquando, simul & illorum cessaret species, omnisq. natura concideret. & in 8.eiusdem lib.dicit: quod sicut aer præsente lumine fit lucidus, sic homo Deo præsente illuminatur, absente autem, continuo tenebratur.] Hactenus Diuus Thomas. Ex quibus omnibus apparet, quomodo cessatio conseruationis Diuinæ, est in nihilum creaturas decidere; nam si Deus, rem aliquam redigeret in nihilum, hoc non esset per aliquam actionẽ, sed per hoc, quod ab agendo cessaret: At idem iudicium est, de annihilatione gratiæ, & de annihilatione aliarum rerum: (& si non in substantijs, tamen in accidentibus est concedendum, aut cedo in quo differant huiusmodi annihilationes accidentium, ab annihilatione gratiæ) Ergo Deus per aliquam actionem, non annihilat gratiam, sed tantum cessando à sua influentia, & conseruatione.

Creatura quomodo se habeat ad Deum.

Deus solus est ens per essentiã suã.

Creatura est ens participatiuè.

2. Ratio. Durandus. Secunda ratio depromitur ex Durando, ex 2. lib. sent.dist.44.q.1.nu. 5. vbi sic ait. Illud quod est causa effectiua, & conseruatiua entitatis rei, per suam influentiam, est sufficiens causa non entitatis eiusdem rei, per substractionem suæ influentiæ, vt patet inducendo in omnibus: Sed Deus per suam influentiam est causa effectiua, & conseruatiua, totius entitatis cuiuslibet creaturæ; Ergo ipse solus per substractionem suæ influentiæ est sufficiens causa totalis, non entitatis creaturæ (nec oportet dare causam positiuã, sed negatiuam, scilicet Deũ non influere, quia effectus non est positiuus, sed pure negatiuus, scilicet creaturã, quę prius fuit, modo non esse omnino.) Igitur ex hoc argumento Durandi rectè concluditur, annihilationẽ gratiæ, non esse à Deo, per actionem, neque per quid positiuum, sed tantum per cessationem à sua influentia, & conseruatione diuina.

Deus per suã essentiam est causa effectiua totius entitatis creaturarum.

3. Ratio. Tertia ratio habetur ex sacra Scriptura. Psalmo enim 103.ita ait Dauid: [Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.] Deum autem auertere suam faciem, & auferre spiritum eius, nihil aliud est quam cessare à sua influentia, & conseruatione diuinę gratiæ, vel denegare alimenta, vt tenent expositores, Incognitus, Iacobus de Valentia, Gilbertus Genebrardus, Raynerius Snoygoudano, Glossa ordinaria, Lyranus, & alij in hunc locum. Præterea in cap.12.Iob. sic scribitur: [Si continuerit aquas omnia siccabuntur.] Quæ verba exponens Gregorius 11.moral. cap. 6.ait. [Aquarum nomine, Spiritus sancti gratia accipitur, Christo dicente, qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, hoc autem dicebatur de Spiritu sancto, ait ergo de his aquis, si continuerit aquas, omnia siccabuntur; quia si Spiritus sancti gratia ab audientis mente subtrahitur, arescit protinus intellectus, quia iam per spem viridescere in audiente videbatur &c.] Rursus in Psal.6. dicitur: [Dominus protector vitæ meæ.&c.] Protector autem nihil aliud est quam conseruator vitæ gratia datæ in baptismo, vt exponit Doctor Incognitus. Et rectè. Quid enim valeret, aut quomodo subsisteret vita gratiæ, data in baptismo, nisi ab ipso dante conseruaretur? Hinc D. Gregorius super illa verba Iob. 23. [ipse solus est,] ita scribit: [Nunquid non sunt Angeli, & homines, cęlum, & terra &c. & certè scriptum est, creauit, vt essent omnia. Cum ergo in rerum natura tam multa sunt, cur beati viri voce dicitur, ipse enim solus est? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter esse, aliud immutabiliter esse. Sunt enim omnia: sed principaliter non sunt; quia in semetipsis minimè subsistunt in gubernantis manuteneantur esse nequaquam possunt. Et infra: Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumq. essentia, rursum ad nihilum tenderet, nisi ea auctor omnium regiminis manu retineret &c.] Ita D.Gregorius. Ergo cum Deus annihilat gratiam, illam annihilat cessando à sua influentia, & per aliquam actionem &c.

D.Greg. lib. 11.mor. c. 6.

Protector idẽ est quod cõseruator.

Creatura sunt diuersimode.

4. Ratio. Quarta ratio. Deum non conseruare, est Deum annihilare; quia nihil aliud est conseruare, quam influxum essendi continuare: Ergo Deum annihilare suam gratiam, nihil aliud erit, quam Deum cessare à conseruatione gratiæ, & soluere influxum continuandi.

3. Asser. Tertia assertio. Deus non annihilat gratiam positiuè, & effectiuè, immo si aliquid positiuum, aut effectiuum est, in corruptione, siue annihilatione gratiæ, istud est attribuendum peccato, & non Deo.

Hæc

Pars prima assertionis. Hæc assertio constat duplici parte, quarum prima probatur, præcipuè his rationibus.

1. Ratio. Prima ratio. In annihilatione gratiæ tantum concurrunt Deus, & peccatum; Deus, illam annihilando, & peccatum illam expellendo de meritoriè ab anima: Atqui Deus annihilando gratiam tantum concurrit cessando a sua influentia vt patet ex superiori assertione. Et præterea, vt inquit Damascenus omnis defectibilitas inest rei, ex eo quod est ex nihilo negatiuè (vt exponit Durandus 2.sent. dist. 44. num. 6.) Ergo si aliquod positiuum, vel effectiuum est in annihilatione gratiæ, istud attribuendum est peccato, & non Deo, qui tantum cessando, & negando concurrit ad illius annihilationem, vel non conferendo. Non cōferre autem, neque positiuum, neque effectiuum est, vt patet.

2. Ratio. Secunda ratio. Quemadmodum sanitas est in medicamentis, sic gratia est in Sacramentis, vt inquiunt omnes Theologi, cum Magistro in 4. sent. dist. 1. Etenim gratia non est in Sacramētis, sicut in subiecto, sed sicut in causa dispositiua instrumentali, vt inquit S.Th. 4.sent.dist.1.q.1.art.5.ad 2. Et ob id ipsemet S. Doctor, explicans modum, quo gratia est in illis, asserit gratiam esse in Sacramentis sicut in vase, secundum similitudinem conseruationis, non autem denominationis. Medicamentum enim non dicitur sanum, nisi per analogiam, ex eo scilicet, quod sit causa dispositiua sanitatis: At qui licet dum datur ægroto salus, talis salus fit effectiuè à Medico tamquam à principali agente, & instrumentaliter à medicamentis disponentibus, &c. tamen dum talis salus sic data corrumpitur, & deperditur, non corrumpitur effectiuè, aut positiuè a Medico: Quia Medicus non intendit corrumpere, aut deperdere sanitatem iam datam, &c. Et ob id, talis salus dicitur corrumpi, & deperdi effectiuè, & positiuè à morbo contrario, siue a qualitate prædominante, &c. Ergo pari ratione licet gratia dum datur ægroto peccatori (qua fit sanus spiritualiter) effectiuè fit à Deo tamquam à principali causa, & instrumentaliter à Sacramentis: tamen cum gratia sic data annihilatur, & corrumpitur, si effectiuè, & positiuè annihilatur, tale effectiuum, & positiuum non est tribuendum Deo, Medico cœlestiali, sed dumtaxat peccato, tamquam morbo contrario gratiæ, quæ est salus animarū. Quia Deus nullo modo effectiuè, aut positiuè intendit corrumpere animarum sanitatem, cum Christus Dominus aperto ore dicat Lucæ 11. [Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus.]

Sanitas à quo corrumpatur.

3. Ratio. Tertia ratio. Si Deus, annihilando gratiam, illam annihilaret effectiuè, & positiuè, sequeretur, Deum annihilare gratiam per aliquam actionem; quia causa efficiens non potest sortire suum effectum absq. actione. Quoniam ab actione, agens, vel efficiens, dicitur agere, & efficere, iuxta Philosophum. 2. lib. Physico. cap.3. Atqui hoc nullatenus est rationi consentaneum, quia cum omnis actio terminetur ad aliquod ens; quoniam, generatio vnius, est corruptio alterius, vt dicit Philosophus 1.de ortu, sequeretur gratiam (quæ dum annihilatur redigitur in nihilum) desinere, & terminari in ens, quod implicat. Præterea istud est contra S.Thomam, qui 1.p.q.104. art. 3. ad 3. ex propria sententia asserit, quod si Deus rem aliquam redigeret in nihilum, hoc non esset per aliquam actionem, sed per hoc, quod ab agendo cessaret, ergo non annihilat gratiam positiuè, aut effectiuè. Quapropter si in annihilatione gratiæ, aliquod effectiuum, positiuumuè fuerit, istud totum est peccato tribuendum, & nullo modo Deo.

4. Ratio. Quarta ratio. Gratia dum annihilatur à Deo in nihilum redigitur. Nam annihilare est ad nihilum redigere (vt optime S.Tho. 1.p.q. 104.art. 2. ad 3. & ibi Caietanus, Franciscus Zumel, & alij Theologi:) Atqui, id quod est nihil, non potest habere causam efficientem, sed deficientem; quia vt optimè Durandus lib.2.sent.2.dist.44.q.1.num.7. nihil est totalis negatio quæ non potest habere subiectum, nec finalem. Quoniam tam finem, quam illud quod est ad finem, oportet habere rationem entis, & boni (quod de nihilo haberi, vel dici non potest) nec efficientem; quia nihil non habet causam efficientem, sed deficientem, quæ est eadem respectu entis efficiendo: & respectu nihili, efficientiam subtrahendo. Ergo dum Deus suam gratiam annihilat, non illam positiuè, aut effectiuè annihilat.

2. Pars assertionis. Secunda vero pars assertionis, quod scilicet si aliquid positiuum, aut effectiuum concurreret, aut reperiretur dum gratia annihilatur, istud totum tribuendum esset peccato. Probatur, his rationibus.

1. Ratio. Conc. Trid. Prima ratio. Conc. Trid. sess.6. cap. 15. Ita exponit dicens: [Asserendum est, non modo infidelitate per quam fides amittitur: sed etiam quocumque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes, qui læthalia committunt peccata, a quibus, cum diuinæ gratiæ adiumento, abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur.] Hactenus concilium. Ex qua doctrina liquido constat, læthalia peccata formalitèr & effectiuè ab animabus nostris expellere Dei gratiam, & a nobis diuinum auxilium efficax, manutenentiam, diuinumque fauorem tollere, ac mysteria gratiæ, à nobis abscondere. Et sess.7.can. 6. aperte docet, peccata læthalia obicem esse gratiæ.

2. Ratio. Secunda ratio. Homo per peccatum mortem, & omnes alios defectus naturales incurrit, tamquam effectus peccati originalis, vt est de fide, & habetur Gen.2. in illis verbis: [In quacumque hora comederis, morte morieris.] Et ad Rom.5. [per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.] & cap.6. [Stipendium peccati mos.] Et Sap. 1. [Deus mortem non fecit, &c. impij autem manibus & verbis accersi erunt illam.] Et cap.2. [Deus fecit hominem inexterminabilem, &c. Sed inuidia diaboli, mors intrauit in orbem terrarum.] Et idem definitum est in Conc. Mileuitano cap.1. Arausicano cap.1. Africano cap. 76. & habetur de consecratione dist. 4.cap. [placuit.] Contra Pelagium, aduersus quem, disputant Augustinus lib. de hæresi cap. 88. & Castro lib. 2. aduersus hæreses titulo Adā, hęresi 4. Sixtus Senen lib. 5. Biblioth. Sanctæ annot. 36. & 52. & tandem idem D. Augustinus multis in locis, & præcipuè lib. 1. hypognos. & 13. de Ciuitate Dei cap.45. & 15. & S. Th. 1.2.q.85.art.5. & 6. & 22.q.164 art. 1. & 1.p.q.97.art. 1. & 2. Atqui mortem spiritualem animæ concomitantur omnes defectus spirituales, nempe, carentia gratiæ, substractio auxilij efficacis, absconsio mysteriorum gratiæ, obduratio, obcæcatio, tenebræ mentis hebetudo, caligo, & torpor, vt patet in Pharaone, qui cum mortem spiritualem animæ obtineret, hæc omnia habuisse dicitur. Cum non solum cor induratum haberet, verum etiam: [Dominum nescio, & Israel non dimittam,] diceret: Et præterea morte spirituali animæ comites se exhibent aliquando, corporales defectus, vt cæcitas, surditas, corporalisque morbus iuxta illud Ioan. 9. [Quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?] Et ob id, dicit S. Thomas, Christum primo animabus, & deinde corporibus salutem conferre: Ergo peccatum est causa effectiua, & formalis, & actus positiuus substractionis gratiæ, absconsionis mysteriorum fidei, carentiæ gratię, tenebrarum, caliginis obdurationis, obcæcationis, & omnium defectum, tam spiritualium, quam corporalium.

3. Ratio. Tertia ratio. Peccatum est corruptio boni, vt tenet D.

D. Aug. Mag. in 2.

net D. Augustinus,& præterea est corruptio animæ, vt tenet Magister in 2.sent,dist. 35. cuius verba sunt hæc: [Peccatum vero,id est, culpa, propriè animæ corruptio est; Si autem quæritur in quo possit corrumpi anima,in parabola illius, qui incidit in latrones, qui eum spoliauerunt, & vulnerarunt clarescit; Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli trahitur, & tunc per peccatum spoliatur gratuitis donis,id est, virtutibus, & in naturalibus donis vulneratur,quæ sunt ratio, intellectus, memoria,& ingenium, & huiusmodi quæ per peccatum obtenebrantur, & vitiantur, per peccatum etiam priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona sunt,quo tanto magis priuatur, quanto magis se ab eo elongat.] Hactenus Magister. Atqui licet Doctores circa corruptionem boni,& animæ varient. (Etenim D.Bonauentura asserit, peccatum esse corruptionem eius in quo est,nempe animę,seu voluntatis.S.Thomas corruptionem boni supernaturalis,puta, gratiæ; Scotus correptionem rectitudinis in actu secūdo,non quidem rectitudinis,quę fit in actu,sed eius,quę debet esse: Durandus,corruptionē habilitatis animæ,respectu boni; Henricus, corruptionem habituum acquisitorum; Stephanus Brulifer corruptionem rectitudinis animæ, & alij aliter sentiant;) tamen non est negandum ex littera parabolæ Lucæ 10.non concludi directè, peccatum deformare animam; & illā obscurare à sua pulchritudine,illamque vulnerare, & ei plagas imponere: Quæ omnia effectionem dicunt,nempe, peccatum causam effectiuam esse deformationis, obscuritatis, vulnerationis,& plagarum animæ. Aut danda est causa alia efficiens horum malorum, & eorum deformitatum animæ propter peccatum, quam assignare nequibunt: Ergo habetur intentum.

Doctorum in 2. sent. dist. 34.& 35. varietas circa corruptionem boni.

4. Ratio.

Quarta ratio. Peccatum, & gratia opponuntur, sicut lux, & tenebræ, vt communiter tenent Theologi: At tenebræ formaliter delent lumen,iuxta Philosophū in postcathegorijs: Quia tenebra est priuatio lucis, & è conuerso: Ergo peccatum, saltem formaliter delet gratiam, quia priuatio deletur formaliter per habitum oppositum: Et quia talis remotio est extra intellectum, & nihil remouetur formaliter extra animā ab aliquo subiecto, nisi per aliquod positiuum, vel negatiuum extra animam sibi incompassibile (vt sermo erit in sequenti quæstione) sequitur peccatum esse quid positiuum expellens gratiam. Et parum obstat, quod formaliter sit nihil, vt ibi dicetur; Quia iuxta Durandum lib.3.sent.dist.19.q.1. peccatum & gratia, non opponuntur directè,& per se, vt priuatio & habitus,vt ipse ibi quattuor rationibus probat, sed concomitatiuè, ex quo concluditur peccatum effectiuè expellere gratiam; & per consequens peccatum formaliter positiuè & effectiuè se habet ad expulsionem gratiæ.

Durandus.

Nota bene.

Et nota quod gratia effectiuè non expellit peccatum,sed tantum formaliter: Effectiuè autem & instrumentaliter illud expellunt,passio & sacramenta Christi.Et si quæratur causa ob quam dicimus peccatum effectiuè expellere gratiam, & gratiam non effectiuè expellere peccatum,sed tantum formaliter; in promptu est, quia scilicet id omne, quod ad expulsionem peccati faciunt, Deus,passio Christi, & sacramenta Christi, id omne ad expulsionem gratiæ faciunt, dæmon, & peccatum. Cum autem ad expulsionem peccati, vt inquit Durandus loco citato, Deus sit causa principalis efficiens, solus delens culpam: & passio Christi, causa disponens ad remissionem peccati, & causa instrumentalis, sacramenta Ecclesiæ: per consequens in expulsione gratiæ per peccatum dæmon & peccatum sunt causæ efficientes,dæmon principalis,& peccatum disponens,& instrumentalis.

Durandus.

5. Ratio.

Quinta ratio. Effectus productus,effectiuè est à sua causa: Causa enim efficiens dicitur, quæ producit effectum; Quapropter Aristoteles 2. lib. Physicorum, cap.3.sic definit causam efficientem: [Tertius modus causarum est,à qua aliquid fit, & dicitur efficiens, vt principium à quo motus, & quietis, & qui dat consilium, & pater filij, & faciens facti, & transmutans, transmutati causæ sunt efficientes.] Hæc ille. Et cum causalitas materiæ sit recipere in se formam, vt nonnulli volunt,vel vt ex ea,tamquam ex primo subiecto insito,& permanente res naturales fiant, vt alij existimant: Et causalitas formæ,sit limitare, & restringere indifferentiam,& infinitatem materiæ, vt quidam putant,vel tribuere rei, esse existentiæ, vt alij sentiunt, aut constituere rem in certo esse specifico, vt quidam (& melius) affirmant: Et causalitas finis, sit mouere metaphoricè agentem ad agendum: Et tandem causalitas in causa efficiente,sit producere rem,aut secundum se totam,aut in creatione, aut secundum partem, vt fit in generatione,&c.Sequitur, rem productam,siue effectum productum, absolutè loquendo, effectiuè esse à sua causa,quemadmodum domus,ab architecto, Etenim per antonomasiam,dicendo,effectus productus vel res producta, est intelligendum de effectu causæ efficientis,cuius causalitas, est, producere rem, vt tenent Philosophi 2.lib.Phisicorum.cap.3.At qui Theologi interpretantes sacram scripturam (& optimè quidem) assignant hos effectus peccati, nempe ignorantiam, Lucæ 23. [Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt,] Tenebras,Psal.34. [Fiant viæ illorum tenebræ,& lubricum: & Angelus Domini persequens eos,] Substractionem gratiæ,& auxilij specialis.Matth. 23. [Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum,] Dolorem, & iniquitatem, Psal. 7. [Ecce parturijt iniustitiam,concepit dolorem, & peperit iniquitatem,] Contumeliam,Prouerb.11. [Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia,] Hebetudinem mentis,Isa.19. [Stulti facti sunt principes Taneos, & amarcuerunt principes Mempheos,] Errorem, Psal. 57. [Errauerunt ab vtero loquuti sunt falsa,] Duritiem cordis, Gen. 13. [Induratum est cor Pharaonis.] Absconsionem mysteriorum Dei,Mart.13.[Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus,] Substractionem mysteriorum fidei, Act.4. [Oportebat primum loqui vobis verbum Dei,sed quoniam,repudiastis illud, indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes,] Timorem,Gen.3. [Timui eo quod nudus essem, & abscondi me,] Solitudinem, Ieremiæ 44. [Deserta est Ierusalem,& omnes vrbes Iuda, & non est habitator in eis propter malitiam, quam fecerunt, vt me ad iracundiam prouocarent,] Vilitatem animæ,Iere.2. [O quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.] Insensibilitatem Gen. 18. [Visus est ei, quasi ludens loqui,] Maculationem animæ,Thren. 4. [Denigrata est super carbones facies eorum.] Obscuritatem intellectus, Eccl.11. [Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt,] Obstinationem, Lucæ 10. [Vides festucam in oculo fratris tui,& non vides trabem in oculo tuo:] Et hoc quia peccatum obscurat oculum cognitionis,propter trabem, quæ intus est, & propter stercora hyrundinum, quæ peccatorem excæcant Tob.2.Ergo cum hi omnes sint effectus peccati,sequitur apertè peccatum esse causam efficientem ignorantiæ, tenebrarum, substractionis gratiæ, & auxilij specialis,doloris, iniquitatis, hebetudinis mentis, erroris, duritiei cordis, absconsionis mysteriorum Dei, substractionis mysteriorum fidei, timoris mali solitudinis, vilitatis, insensibilitatis, denigrationis animæ, obscuritatis intellectus,obstinationis,& omnium aliorum malorum. Aut cedo, à quo effectiuè causentur hæc, & alia similia mala, quæ per peccata causari dicuntur in sacra scriptura.

Effectus productus effectiuè est a sua causa.

Causalitas materiæ in quo consistat

Causalitas formæ.

Causalitas finis.

Causalitas causæ efficientis.

Peccati effectus.

Ignorantia.

Tenebra.

Substractio gratiæ.

Dolor,& iniquitas.

Contumelia.

Hebetudo mentis.

Error.

Duritiies cordis.

Absconsio mysteriorū Dei.

Substractio mysteriorum fidei.

Timor.

Solitudo.

Vilitas animæ.

Insensibilitas

Maculatio animæ.

Obscuritas intellectus.

Obstinatio.

6. Ratio.

Sexta ratio. Lethale peccatum dicitur illud, quod effectiuè inducit mortem spiritualem. Nam inducit priuationem vitæ spiritualis, nempe charitatis, vt tenent Doctores,cum Magistro in 2.sent.dist. 42. (Inter quos est Durandus,q.6.) Et cum S.Tho.p.2. q.88.art. 1.diuidentes peccatum, in veniale, & mortale: Atqui chari-

Peccatum lethale effectiue inducit mortem spiritualem.

charitas,& gratia ſunt idem realiter, vt tenet Durandus.2.lib.ſent.2.diſt.20.q. 1.& Scotus. 2.ſent. diſt. 27. aut ſaltem ſunt connexæ, vt tenet S. Tho. p. 2. q.110. art.3. & Caietanus ibidem. Et licet S.Thom.2.lib.ſent. 2.diſt.26.q.1.art.4.in corpore aſſerat, gratiam & charitatem ſiue virtutem eſſentialiter differre, tamen ibi in ſolutione ad quintū affirmat, charitatem nunquam eſſe poſſe ſine gratia; Ergo ſicuti peccatum læthale effectiuè expellit charitatem ab anima,effectiuè etiam debet ab illa expellere gratiam, cum vnum non poſſit eſſe abſque alio.

Corollarium. En perſpicuum obtines. Quod ſi dum annihilatur gratia,in tali annihilatione aliquid effectiuum,aut poſitiuum forte reperiatur,iſtud totum, tribuendum eſſet peccato, & nullo modo Deo Optimo Maximo, qui cum in annihilatione gratiæ tantum ſe habeat ceſſando à ſua influentia,non illam effectiuè annihilat. Nam Deus ad annihilationem cuiuſcumq. rei, non ſe habet per actionem: ſed per ceſſationem à ſua influentia,vel manutenentia: Et cum gratia ſit annihilabilis (cum ſit ens creatum) non illam poſitiuè, aut effectiuè annihilat,ſed per ceſſationem &c.

4. Aſſertio. Peccatum expellit gratiā non tantum demeritoriè verum etiam formaliter. Quarta aſſertio. Peccatum expellit, & corrumpit gratiam, non tantum demeritoriè: verum etiam formaliter, eo tamen ſenſu loquendo, quo dicitur apud Theologos,peccatū deſtruere gratiam, (talē enim deſtructionem appellamus non ſolum demeritoriam, verum etiam formalem.) Hæc aſſertio eſt contra Scotum.2.lib.ſent.2.diſt.36.q. 1. in reſponſione ad 2. quo loco ſic ait: [Non eſt igitur peccatum formaliter priuatio gratiæ, quam non ex incompoſſibilitate deſtruit,ſed vt demeritum.] Et contra Melchiorem Flauium in ſuis reſolutionibus Scoti 2. lib. ſent. diſt. 35. tenentem peccatum tantum demeritoriè deſtruere gratiam. Ac etiam contra Stephanum Bruliſer. 2. lib. ſent.diſt.35.Et probatur,his rationibus.

1. Ratio. Prima ratio. Gratia, & peccatum opponuntur ſicuti habitus,& priuatio, vt rectè tenet S. Tho. 3. lib. ſent:diſt.17.q.1.art.1.& Durandus 3.lib.ſent. diſt. 19. q. 1. Atqui priuatio deletur formaliter per habitum oppoſitum: albedo enim dicitur formaliter delere nigredinem,per hoc, quod aduenit in ſubiecto, lumen etiā tenebras, cæcitas verò viſum, &c.vt tenent Philoſophi in poſt Cathegorijs,capite de contrarijs: Ergo ſicuti peccatum deletur formaliter per gratiam Chriſti, vt tenent Theologi in 3.ſent.diſt.19. ſic gratia debet deleri formaliter per peccatum, cum formaliter opponantur.

2. Ratio. Gratia eſt perfectio naturæ. Secunda ratio. Gratia eſt perfectio naturæ: Etenim natura corrupta reparata fuit per gratiam, & ſic oportet quod gratia ſit perfectio naturæ: Atqui peccatum vulnerat in naturalibus,vt patet Lucæ 10. [Homo quidam deſcendebat, &c. expoliauerunt eum, & plagis impoſitis,&c.] per quæ verba vulnera peccatorum,in naturalibus,iuxta gloſſam intelliguntur. Ergo peccatum vulnerando naturam, tollit formam, & perfectionem naturæ,ſpiritualem, nempe, nitorem illum, quem gratiam appellamus. Atqui expulſio formæ alicuius exiſtentis in aliquo ſubiecto, oportet, quod ſit formalis,vt patet in expulſione albedinis, vel nigredinis, & candoris alicuius ſubiecti: Ergo peccatum non ſolum expellit, & deſtruit gratiam demeritoriè,verum etiam formaliter,cum vulneret naturam & plagas ei imponat, illamque expoliet,licet maneat integra,vt reſpondit Scotus, in ſolutione ad primum. Quæ plane reſponſio non ponit vltimam manum argumento. Admittimus enim integram remanere (neque contrarium ſentit D.Tho.p.2.q.85. art. 2.) negamus vero, non eſſe per peccatum formaliter gratia ſpoliatam: Vide Caietanum, & noſtrum Magiſtrum Zumel in commentarijs,p. 2. q.85.art.2. impugnantes Scotum in 1.ſent.diſt. 35.

Et licet apertè loquatur S.Tho.p.2.q.85.art. 2.circa diminutionem habilitatis naturæ, tamen ponam hoc in loco verba D.Tho.in 2.lib.ſent. diſt. 24.q.1. art. 5. quæ directè explicant gratiam formaliter expelli per peccatum. Ita enim ſcribit: [Malum per ſe acceptum priuatio quędam eſt. Ad rationem cuiuſlibet priuationis tria requiruntur: ſcilicet, habitus oppoſitus,& ſubiectum,tam habitus, quam priuationis, & habilitas in ſubiecto ad receptionem habitus, & ideo triplex bonum poteſt conſiderari, ſcilicet bonum quod eſt perfectio oppoſita ipſi malo, & ſubiectum illius perfectionis & priuationis oppoſitæ, & etiam ipſa habilitas ad perfectionem ipſam, quæ cum ſit quaſi quædam inchoatio eius,etiam bonum,quoddam eſt,& pro oppoſito,gratiam ipſam, & iterum animæ ineſt habilitas quędam ad gratiam habendam. Sciendum eſt ergo, quod malum culpæ, bonum gratiæ ſibi oppoſitum ex toto tollit (& ex conſequenti formaliter, quia habitus tollitur formaliter per priuationem ſuam) de ipſa vero natura animæ, quæ eſt ſibi ſubiectum nihil aufertur, ipſam vero habilitatem diminuit. Et hoc eſt bonum naturæ,quod ex culpa diminuitur. Diminutio autem huius habilitatis non eſt per ſubſtractionem alicuius partis eius: Sicuti enim qualitates, & formæ non augentur per additionem, vt in primo dictum eſt diſt. 17. Sed per intentionem, ita etiam non diminuitur per ſubſtractionem, ſed per remiſſionem; remiſſio autem huius habilitatis eſt, ſecundum quod elongatior eſt ab actu,ſcilicet ab ipſa gratia.] Hæc ille. Ex quibus patet argumenta Scoti, eiuſq; ſolutionem aſſignatam, minime eſſe ad propoſitum. Manet enim natura animæ tota integra per peccatum, verum formaliter denudata gratia,& hoc eſt, eſſe expoliatam, & vulneratam naturam, & à ſua ſpirituali perfectione elongatam. Nota bene.

3. Ratio. Peccatum mortale deſtruit gratiā. Tertia ratio. Per peccatum mortale deſtruitur gratia, vt tenent omnes Theologi; At qui hoc nullo modo ſtare poteſt, niſi affirmetur peccatum eſſe formaliter corruptiuum gratiæ: Alioquin gratia & peccatum ſimul ſtare poſſent, quod eſt abſurdiſſimum aſſerere: Ergo peccatum, non ſolum demeritoriè verum etiam formaliter eſt corruptiuum gratiæ.

Solutio Scoti Impugnatur. Et nota,quod Scotus 2.ſent.diſt. 37. ſoluit indebitè hoc argumentum: [Peccatum non poteſt effectiuè corrumpere gratiam,ſed tantum demeritoriè,&c.quia neceſſe eſt omnem priuationem eſſe alicuius poſitiui formaliter cum quo impoſſibile eſt eam ſtare, &c.] Hæc ille. Quæ plane ſolutio eſt futilis. Quia non quicquid formaliter expellit, effectiuè etiam expellit Etenim aliud eſt expellere formaliter, & aliud expellere effectiuè,vt auctor eſt S. Tho.3.ſent.diſt. 19. q. 1. art.1. Quoniam gratia formaliter delet peccatum, ſicuti albedo dicitur delere nigredinem; per hoc, quod aduenit in ſubiecto; non tamen gratia effectiuè delet peccatum, nam hoc ſpectat ad Deum principalem agentem,& ad Sacramenta,&c. Vide Durandum in 3.diſtinct. 19.

4. Ratio. Quarta ratio. Gratia formaliter delet peccatum, vt tenent omnes Theologi in 3.lib.ſent.diſt. 19. cum Magiſtro,& 3.p.q.49.art. 1.cum S. Thoma: Ergo pari ratione, è conuerſo,peccatum non ſolum demeritoriè, verum etiam formaliter debet delere gratiam, aut cedo maiorem rationem.

5. Ratio. Peccatum originale formaliter deſtruxit iuſtitiam originalem. Quinta ratio. Peccatum originale formaliter deſtruxit iuſtitiam originalem, etenim peccatum originale formaliter eſt priuatio iuſtitiæ originalis, vt tenet S. Tho.2.ſent.diſt.30.q.1.art. 2.& p.2.q.82.art.3. & 3.p. q.23.art.3.& alibi: Scotus etiam in 2.ſent.diſt. 31. affirmat peccatum originale eſſe carentiam, ſiue priuationem iuſtitiæ originalis: Et idem tenet Melchior Flauio in ſuis reſolutionibus Scoti 2.ſent.diſt.31. Quare oportet, quod peccatum originale formaliter deſtruxerit iuſtitiam originalem: At iuſtitia originalis non poterat eſſe ſine gratia gratum faciente, vt tenet S.Tho.

S. Th. D. Aug. D. Dionysius.

S.Tho.1.p.q.95.art.1.& q.100.art. 1. ad 2. Etenim illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis, vt colligitur ex Augustino, lib. de natura, & gratia cap. 15. alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus naturalia post peccatum permanserint, vt Dionysius dicit cap.4. de diuinis nominibus. Et sic oportet affirmare originalem iustitiam non potuisse esse sine gratia: Ergo cum peccatum originale directe iustitiam originalem formaliter destruxerit, indirectè saltem & secundario, gratiam formaliter debebat destruere. Argumentum est à primo ad vltimum. Modo sic argumentor. Peccatum originale respectu Adæ fuit lathale, & mortale (Etenim Adam mortaliter peccauit, comedens de ligno vetito, vt tenent Theologi in 2. sent. dist. 21. vbi S.Tho.q.2. art.2. dicit, quod peccatum Adæ, ex eo tantum grauius alijs peccatis fuit, quod minori tentatione pulsatus cecidit Adam: Nam quantum ad speciem peccati, & quantum ad alias circumstantias, quæ peccatum magis exagerant, multa grauiora peccata secuta fuere & itaque Adæ peccatum in ipso fuit mortale) ex eo quod in Adamo inuenit iustitiam originalem cum gratia gratum faciente, formaliter primo destruxit gratiam, quæ cum illa erat: Atqui mortale peccatum quod nos post baptismum acceptũ, & illius gratiam obtentam, committimus, inuenit in nobis gratiam absque originali iustitia, vt est de fide manifestum: Ergo tunc lathale peccatum directè, & primo, debet formaliter delere gratiam in baptismo acceptam. Consequentia est aperta. Nam gratia baptismalis causat modo in nobis, suo modo, effectus, quos originalis iustitia in Adamo causabat in statu innocentiæ.

Magister in 2. S. Thom.

Fugio Scotistarum.

Neque vi huius argumenti recurrant Scotistæ ad rectitudinem, & iustitiam, quæ debebat esse in actu voluntatis, & non inest, dicentes, istam modo deseruire loco iustitiæ, & rectitudinis originalis, & hæc primo formaliter delere peccatum.

H

Refelluntur Scotistæ. Originalis iustitia in quo consistebat.

Non enim valeret talis responsio. Quoniam rectitudo, & iustitia solum debet esse in illo actu voluntatis, vt ipse Scotus ait. At verò iustitia originalis consistebat in subiectione corporis ad animam, & virium inferiorum ad rationem. Quæ quidem subiectio modò si aliqualiter est in nobis, nequit causari, nisi à sola Dei gratia, vel data in baptismo, vel in alio quouis sacramento. Quoniam per pœnitentiam caro subijcitur animæ, per Eucharistiam vires inferiores obediunt aliqualiter rationi, vt sancti experientia comprobatum habent. Quamobrem dum talis subiectio est aliqualiter in nobis, gratiæ Dei dumtaxat tribuenda plane venit, & nullo modo rectitudini & iustitiæ, quæ debebat esse in actu voluntatis.

I

Quæstio VII.

Vtrum Deus in substractione gratiæ, saltem circa ipsum peccatorem, concurrat aliquo modo effectiuè, vel actu positiuo?



POSTQVAM visum est, Deum circa ipsam gratiam annihilandam non currere effectiuè, videndum plane est hoc in loco, an Deus ipse, saltem circa ipsum peccatorem, in substractione gratiæ, vel auxilij sui specialis, interueniat aliquo actu positiuo, efficiendo népe aliquid in ipsũ peccatoré, gratia & charitate, per lęthale commissum, prorsus orbatum, & priuatum.

F

1. Arg. 2. Arg. 3. Arg. 4. Arg. 5. Arg.

Pars autem affirmans probari potest. Tum ex illo Matth.11. [Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc, &c.] Tum ex illo Ezechielis 14. [Propheta cum errauerit, ego Dominus decipi eũ.] Tum ex illo Iob. 2. [Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errore facit eos, quasi ebrios.] Tum ex illo Isa.63. [Quare errare nos fecisti Domine de vijs tuis.] Tum tandem ex illo ad Rom. 1. [Tradidit eos Dominus in reprobum sensum.] In quibus omnibus locis, videtur apertè, Deum concurrere effectiuè & actu positiuo, (& si non circa gratiam annihilandam) tamen circa ipsum peccatorem obdurandum, vel excæcandum.

1. Argum. 2. Argum.

Pars verò negans, fulciri ex aduerso etiam potest. Tum ex hoc loco, Apo.2. [Reliquisti charitatem tuam primam,] in quo apparet apertè, & clarè ipsum peccatorem relinquere gratiam, & charitatem; Et Deum nihil agere effectiuè, neque circa corrumpendam gratiã, neque circa ipsum peccatorem. Tum ex illo, quod Psalmista de Deo, Psal. 138. ait: [Quia tenebræ non obscurabuntur à te.]

G

Primum fundamentum.

Propositiones quædam vnũ & idem omnino sonantes.

Ad veritatem tamen indagandam, quædam primo præiacenda sunt fundamenta. Quorum primum plane est. Huiusmodi propositiones, substractio gratiæ, substractio auxilij diuini, specialis, vel efficacis, vel ablatio manutenentiæ diuinæ, Deus alicui negat suam gratiam, Deus alicui non vult dare suam gratiam, Deus aliquos repellit, & de manu sua proijcit, & aliæ huius generis pleraque propositiones, quæ passim inter Theologos reperiuntur, idem omnino sonant, & nihil aliud significant, aut demonstrant, quam Deum cessare a sua diuina illuminatione respectu alicuius, quem relinquit cum solo concursu generali. Et idem dicendum putamus cum dicitur, Deum aliquem indurare, vel obcæcare. Quod autem Deum substrahere suam gratiam, Deum substrahere suam manutenẽtiam, & nihil aliud sit, quam Deum cessare a sua diuina illustratione respectu alicuius peccatoris; Patet primo. Quoniam Ieremiæ 51. Sic habetur: [Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.] Id est, cessemus ab actione eam medendi, vt rectè ibi glossa ordinaria, & Lyranus. Per istud autem: [Derelinquamus eam,] Substractio auxilij specialis Dei designatur: & per consequens, substractio gratiæ nihil aliud est, quam Deum a sua diuina illustratione cessare: Et Domino sic cessante à sua diuina illustratione, sequitur illud Prophetæ: [Relinquitur anima sicut tugurium in vinea, & in cucumerali, vt sit cubile vlulæ, & serpentis:] Quapropter Diuus Gregorius super hæc verba Ieremiæ sic ait: [Vnde patet, quod abscessio medici, condemnatio sit tua irremediabilis, nolentisque curari:] Secundo patet apud eundem, Ieremiam cap.6. sic dicentem: [Erudire Ierusalem, ne forte, recedat anima mea à te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.] Animam autem Domini recedere a Ierusalem, nihil aliud est quam Deum cessare à dilectione, vel illustratione sua diuina, vt rectè ibi glossa, & Lyranus: Per quod, substractio manutenentiæ diuinæ demonstratur. Tertio patet apud Isaiam, cap. 5. [Auferam sepem eius, & erit in direptionem.] Super quæ verba glossa ordinaria, sic ait: [Auferam sepem eius, id est, Angelorum custodiam (quam nos auxilium speciale vocamus) qui aliquando ab hac custodia se retrahunt, diuino iudicio, propter hominum malitiam.] Retrahere autem quid aliud est nisi cessare? & sic intelligitur etiam illud Isaiæ cap. 57. [Abscondi a te faciem meam, & indignatus sum, & abijt vagus in via cordis sui.] vbi illud: [Abscondi faciem meam.] Idem est quod cessaui ab illustratione mea diuina. Cessaui, gratiam meam tibi communicare, cessaui auxilium meum speciale tibi impendere. Ex quibus, & alijs infinitis locis sacræ paginę apparet, quod substractio gratię, substractio auxilij specialis, abscondere mysteria gratiæ, vel substrahere

H

Substractio gratiæ est Deũ cessare a sua illustratione.

Deum derelinquere Babilonem quid sit. Glos ord.

Lyranus.

I

D. Gregor.

Angelorum custodiam sepem vineæ Domini appellamus.

K

Retrahere idem est quod cessare.

here manutenentiã diuinam, nihil aliud sit quam cessare ab illustraione diuina. Et per consequens, nõ est actus diuinus positiuus, sed defectiuus, negatiuus, vel priuatiuus auxilij specialis diuini, quod Deus non tenetur dare, & propter peccata, illo potest, quemlibet hominem priuare, hoc est, à largitione illius cessare, respectu cuiuslibet peccatoris, cui iusto iudicio non debetur. Ex hoc bene intellecto, facile interpretantur omnes illæ auctoritates sacræ Scripturæ, quæ indurationem, & obcęcationem, & cætera huiusmodi important. Quales sunt hæ. [Excęca cor populi huius, & aures eorum aggraua.] Isa. 6. [Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] ad Rom. 9. [Induratum est cor Pharaonis &c. ego indurabo cor eius.] Exod. 4. 10. 11. & 14. [Indurauerat Dominus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius.] Deut. 2. [Domini fuit sententia, vt indurarentur corda eorum.] Iosue 11. [Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutũ &c. Ego quoq; confringam, & non parcet oculus meus, tertia pars tui peste morietur &c.] Ezech. 5. [In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorũ, & lunulas, & torques, & monialia &c. Per quæ omnia denudatio animæ per peccatũ describitur Isa. 3. [Auferetur à vobis regnũ Dei.] Matth. 21. [Si iustus conuersus à iustitia sua fecerit iniquitatẽ, ponam offendiculum corã eo.] Ezech. 3. [Sepiam vineam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.] & Oseæ 2. Tradidit eos Dominus in reprobum sensum.] ad Rom. 1. Et aliæ infinitæ auctoritates sacræ Scripturæ, quæ iram & indignationẽ diuinã demonstrant, erga peccatoris indurationẽ, & obcęcationem peccatorum tangendo, & omnes quotquot sunt tantũ intelliguntur ex parte Dei per substractionẽ gratiæ, auxilij diuini, manutenentiæ, vel ex eo quod Deus tantũ auferat ab illis peccatoribus suum efficacẽ fauorem, quem electis dignatus est præstare. Et per cõsequens oẽs tales auctoritates sacræ Scripturę ex parte Dei tãtũ intelligũtur, permissiuẽ, vt rectẽ suis locis Catholici Theologi illas exponunt. Quibus additur ratio nostra, nempe, quod substractio gratiæ, vel substractio diuinæ manutenentiæ &c. non est actus positiuus diuinus, sed purẽ negatiuus, vel defectiuus, siue priuatiuus: Et ob id quẽadmodũ Deus non est causa peccati, vt tenent Theologi. 1. 2. q. 79. ita nec causa est indurationis, aut obcęcationis peccatoris, vt rectẽ S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 3. Et licet Magister in 2. dist. 36. dicat vnũ peccatum pœnam esse alterius peccati intrinsicẽ: tamen non tenetur ab omnibus. Quoniã S. Tho. 1. 2. q. 87. art. 2. tenet vnũ peccatũ posse, esse pœnã alterius, tantũ per accidẽs. Et Durand. in 2. dist. 36. q. 2. affirmat vnum peccatũ nõ posse esse pœnam peccati per se loquendo, sed tantũ concomitatiuẽ; nam aliter sequeretur, Deum esse causam peccati, vt pecatum est malum pœnæ; quod minimẽ verum esse potest. Et si Caiet. in comment. sup. 1. 2. tenet, Deum esse auctorẽ peccati, in quantum vnum peccatum est pœna alterius, vel peccantis; & per consequens Deum esse auctorẽ peccati, vt malum pœnæ est, non tenetur Caiet. à Doctoribus. Etenim Melchior Cano, lib. 2. de lo. cap. 4. acriter reprehendit Caietanum, dicens; quod Deus, non sit auctor omnis mali pœnæ. Quoniã tunc esset etiam causa indurationis. Et postremo maximẽ animaduertas oportet circa hanc materiã, quod si S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 3. in corpore apertẽ dicat, Deum non esse causam indurationis, & obcæcationis (sicut nec peccati) in quantum obduratio motũ animi humani inhærentis malo & aduersi, à diuino lumine importat, verum in quantũ obduratio, & obcæcatio, substractionẽ gratiæ connotat; ex qua sequitur, quod mens diuinitus non illuminetur ad rectẽ videndũ, & cor hominis non emolliatur ad rectẽ viuendum, sic Deum esse causam indurationis, & obcæcationis. Et ad hoc probandũ inducat exemplum de Sole. S. Doctor circa hoc, est interpretandus. Nempe ibi, S. Th. loquutũ fuisse, de causa priuatiua, negatiua, vel defectiua, quę proprio iudicio cessat immittere lumẽ gratię quę ratio causæ priuatiuæ, vel negatiuæ, minimẽ soli conuenire potest, dum propter impedimẽtum, locũ aliquẽ relinquit tenebrosum; quia sol agit necessitate naturæ: Deus autem voluntariẽ, & per ordinem suæ sapientiæ agit. Vnde cum sol creatura insensata sit, agens ex necessitate tenebrarum, vel obscuritatis per impedimentum oppositum, causa priuatiua, vel negatiua, minimẽ esse potest; Et sic est exponendus, loco citato, S. Doctor.

Indurationis & obcęcationis auctoritates interpretantur.

Anima denudatio per peccatum.

Abstractio gratiæ est actus pure negatiuus.

Magister non tenetur à D. Tho. neque à Durando.

Caietanus non tenetur ab omnibus.

S. Tho. interpretandus.

Vide S. Tho. 1. lib. sent. dist. 40. q. 1. art. 2.

Secundum fundamentũ. Deus licet omnino omnipotens sit, vt de fide habetur in Symbolis Apostolorũ, Nicæno, & Athanasij: tamen Theologi disputãtes de potentia Dei, cum Magistro in 1. lib. sent. dist. 42. & cum S. Th. 1. p. q. 25. art. 2. affirmant, quicquid dignitatem, & perfectionem importat, Deum posse facere; id autem quod imperfectionem, & indignitatẽ secum adfert minimẽ posse facere. Vel vt Durand. in 1. d. 42. Arnoldus Vesaliensis in 1. d. 42. & alij dicunt, oĩa quæ sub actiua potẽtia cadũt, Deus præstare potest, quia in Deo tantũ est potentia actiua, ea autẽ quæ sub passiua potẽtia in creaturis cadunt, Deus minimẽ præstare potest. Quia in Deo non est potentia passiua, & ex consequenti ab illo remouetur passiuæ potentiæ effectus, vt deambulare, currere &c. eo quod transmutationẽ dicunt, quæ respicit principium passiuum. Et eiusdẽ generis sunt mentiri, fallere, decipi, & peccare. Dicunt enim omnia ista infirmitatẽ creaturæ, & talia facere non est potentiæ, sed potius infirmitatis, & ob id dicimus, Deũ non posse mori, aut corrumpi. Nec propterea est inferendum, Deum non esse omnipotentem cum ista præstare non valeat. Quinimmo ostenditur magis omnipotens cum his infirmitatibus, & corruptionibus minimẽ subijciatur.

2. Fundamentum.

Potentia Dei ad quæ se extendat, & ad quæ non.

Obiectio.

Solutio.

Tertium fundamentum. Potentia diuina duplex est ordinata, scilicet, & absoluta. Potentia Dei ordinata dicitur illa, quæ est cõformis legi ordinatæ, quæ nobis constat per scripturã, vel per reuelationem. Absoluta autẽ Dei potentia dicitur illa, quæ se extendit ad illa, quæ non implicant contradictionem. Quæ planẽ duæ potentiæ, non sunt in Deo realiter distinctæ, sed vna Dei potentia propter duplicem modum agendi, quem habet, vel habere potest, duobus nominibus vocatur. Sicut dicimus, multa potest Rex de facto, quæ non potest de iure scripto. Quo fit, quod licet potentia Dei absoluta non sit res maior, quam ordinata: tamen multa potest facere de potentia absoluta, quæ non potest facere de potentia ordinata. His iactis fundamentis, deueniamus ad rem.

3. Fundamentum.

Potentiæ Dei bina acceptio

Potentia Dei ordinata, quæ sit.

Potentia Dei absoluta, quæ sit.

Prima assertio. Deus à neminẽ abscondit, aut nemini negat auxilium sufficiens, quo mediante possit ad gratiam peruenire. Probatur assertio, his rationibus.

1. Assertio. Auxilium sufficiens nemini negat Deus

Prima ratio desumitur ex scripturis. Dicitur enim Sap. 11. [Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quę fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.] & Apocalyp. 3. [Sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.] & 1. ad Thi. 2. [Deus vult omnes homines saluos fieri.] Ergo Deus à nemine abscondit, vel nulli hominum, auxilium sufficiens negat, quo mediante possit ad gratiam peruenire.

1. Ratio.

Secunda ratio, petitur ab auctoritatibus sanctorum Patrum. Damascenus enim lib. 2. de fide. cap. 29. dicit, quod voluntate antecedenti, id est, quantum in se est, Deus vult omnes homines saluos fieri; & præsto est per auxilium suum omnibus subuenire. Et idem dicit Hieronymus in c. 18. Ezechielis. Porrò Cyrillus super Ioannem cap. 11. explicans illud: [Et mundus eum non cognouit.] Quærit dicens: Si illuminat omnem hominem, quomodo mundus eum non cognouit? Et respondet asserens. Quod lumen cecidit super omnes, sed aliqui clauserunt oculos, diligentes magis tenebras, quam lucem. Idem D. Chrysost. explicans eadẽ verba inquit. Quod quantũ est ex se ad ipsum pertinet illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, sed quidam oculos mentis claudentes noluerunt

2. Ratio.

D. Aug. runt huius luminis radios videre. Præterea D. Aug. contra Faustum lib. de gratia, & libero arbitrio sic argumentatur. Iudicium Dei est de omnibus actibus singulorum hominum, cum Deus debeat iudicare, & discernere omnium facta, affirmante sic Propheta
Psal. 7.
[Scrutans corda, & renes Deus.] & Act. 1. dicitur: [Tu Domine qui corda nosti omnium.] Ergo omnibus Deus dat auxilium sufficiens ad bene operandum. Non enim ad iudicium venit, quod homo non potest operari, cum discussio generalis esse debeat, auxilium quoque sufficiens, omnibus generaliter communicare debet: Igitur &c.

Argumentũ D. Aug. contra Faustum.

3. Ratio. Tertia ratio habetur ex passione Christi. Christus enim Redemptor noster (nullo dempto) pro omnibus mortuus est. Et quantum ad sufficientiam, omnibus vitam æternam meruit: At, qui præcipit finẽ, media quoque ad finẽ præcipit, vnde cũ ipse meruerit finem, meruit etiã media, quibus sufficienter homines vitã æternam consequerentur: Alioquin qui dat finem, nõ daret consequentia ad finẽ: Quod plane repugnat Theologis, & Philosophis: Inter quæ media sufficientia ad vitam æternam, collocatur auxilium sufficiens: Ergo Christus omnibus præstat auxiliũ sufficiens. Quapropter D. Hier. in epist. ad Latam de institutione filiæ, dicit, de nullius salute esse desperandũ; exemplo Latronis, qui in cruce cõuersus, eodem ipso die, etiã in lymbo beatitudinis pignus meruit accipere; & Nabuchodonosoris, qui in extremo vitæ recepit salutem.

Qui præcipit finẽ, præcipit media.

D. Hieron.

4. Ratio. Quarta ratio. Exhauritur ex exhortationibus, & vocationibus sacræ Scripturæ. Exhortationes enim & vocationes sacræ paginæ, ad omnes homines se extendunt. Etenim in sacro eloquio omnes exhortantur ad bonũ, omnes à malo declinare admonentur; omnes vocantur ad pœnitentiã, omnes inuitantur ad salutẽ, omnesq. ad virtutes amplectendas incitantur: Ergo oẽs habent auxiliũ sufficiens ad hæc consequenda, & adimplenda: Alioquin frustra essent tales exhortationes, ac si insensatis lapidibus essent ppositæ. Quapropter Dñs Oseę 3. in persona boni pastoris loquens, dicit erepturum se ouem suã, de ore Leonis si remaneat auricula, aut crus. Quasi spiritualiter denotaret se stare semper ad ostiũ, & pulsare intimam ianuam nostri cordis. Quocirca dicunt Doctores (inter quos est Soto lib. 1. de natura & gratia. cap. 2.) quia auxilium generale, vel sufficiens, licet non debeatur personæ, tamen quodammodo debetur naturæ.

Omnes vocãtur ad pœnitentiam.

2. Assertio. Secunda assertio. Auxilium efficax, quo de facto homo ad Deum mouetur & cõuertitur: ab aliquibus hominibus Deus abscondit, & illud nõ semper cuicumq; homini dat. Quinimmo à multis illud substrahit. Hæc est de fide, illamq. profitentur Adrianus in 4. q. 3. de pœnitentia, Castro contra hæreses. lib. 12. 3. hæresi, de pęnitentia. Driedo de reparatione humanæ naturæ. tract. 5. cap. 2. par. 2. Caiet. Ientaculo 8. q. 3. Andreas à Vega lib. 13. de lapsis, & eorũ reparatione cap. 14. sup. Decret. Conc. Trid. Soto 4. dist. 14 q. 1. art. 1v. & 15. q. 1. art. 1. S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 3. Magister 1. sent. dist. 40. Durand. in 1. sent. dist. 40. q. 2. Lyran. glossa ord. Abul. varijs in locis, noster Reuerendiss. Zumel in suo præclaro opere de auxilijs. Hector Pinctus in cap. 14. Ezech. Franc. Titilmanus ad Rom. 9. Primas. ad Rom. 9. Cornel. Mussus Episcopus Bituntinus in Epist. ad Rom. cap. 9. & alij infiniti Doctores Scholastici, & expositiui. Et probatur his rationibus.

Auxiliũ efficax non omnibus semper dat Deus.

1. Ratio. Prima ratio est ab auctoritate sacræ Paginę: Etenim Isa. cap. 5. sic habetur. [Auferam sepem eius, & erit in direptionẽ.] Hierem. 51. [Curauimus Babylonẽ, & nõ est sanata, derelinquamus eam.] Sunt & alia infinita loca sacræ Script. quorũ permulta recitãtur in primo fundamẽto nostro, quæ omnia substractiõnẽ, & gratię, & auxilij efficacis denotant: Ergo Deus de facto auxilium efficax aliquibus abscondit, & multis negat.

2. Ratio. Secunda ratio est ex Conc. Trid. Quoniã sess. 6. cap.

F 3. sic habetur. [Verum & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficiũ recipiunt, sed hi dumtaxat, quibus meritum passionis eius cõmunicatur.] At meritum passionis Christi communicatur per sumptionem sacramentorum, quibus passio Christi fit efficax: Ergo hi, qui non recipiunt sacramenta, carent ex consequenti auxilio efficaci, quo de facto conuertantur ad Deum.

3. Ratio. Tertia ratio est ab experientia. Experimur enim Deũ multis, ac pene infinitis infideliũ nationibus, puta, Agarenorum, Gentium, Hæreticorũ, & aliorum Paganorũ, denegare prædicationes Euangelij, sanctas reuelationes, sacramenta, miracula, exempla Sanctorum, & mysteria gratiæ: ob turpissima eorum peccata. Propter quæ à multis hominibus, Prouincijs ac Regnis, donũ Dei substrahit. Iccirco dicit D. Greg. spiritum Domini prohibuisse prædicari Euangelium in Asia; quia necdũ
G ad vitã reparari merebantur. Quare Israelitis Act. 13. dicitur: [Oportebat primum loqui vobis verbũ Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad Gentes, sic enim nobis præcepit Dominus.] Ergo &c.

4. Ratio. Quarta ratio est à natura auxilij efficacis. Auxiliũ enim efficax, vel specialis concursus gratiæ, nõ debetur alicui, neq; naturæ, neq; personæ. Est enim mera gratia. Quapropter dicitur ad Rom. 9. [Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat.] & paulo supra. [Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cui miserebor, igitur non volentis, neq; currentis, sed miserẽtis est Dei.] Vbi glossa sic ait: [Quibusdã gratiã non apponit, cum alijs infert quasi coactis, vt de Paulo, & Pharaone, iuxta deductionẽ Ambrosij, constat.] & Eccles. 7. dicitur: [Cõsidera opera Dei, quod nemo possit
H corrigere, quem ille despexit.] Lege alia multa de hoc apud Adrianum in 4. sent. de pœnitentia q. 3. super 2. Igitur habetur intentum.

Adrianus in 4. sent.

3. Assertio. Tertia assertio. Deus aliqũ substrahit suam gratiã, & ab aliquibus mysteria nostræ fidei omnino abscondit ad suũ beneplacitum. Hæc est etiã de fide, & probatur ex illo Matth. 11. [Confiteor tibi Pater Dñe cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus &c.] Vbi per ly. [Hæc] mysteria nostræ fidei & gratiæ intelligit glossa. Itẽ ex illo Matth. 21. [Auferetur à vobis regnũ Dei &c.] Porrò ex illo Luc. 8. [Vobis datum est nosse mysteriũ regni Dei, cæteris autẽ in parabolis, vt vidẽtes non videant, & audientes nõ intelligant.] Præterea ex illo Matth. 11. [Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quę factæ sunt in te, olim in cilitio & cinere egissent pęnitentiã.] Ergo Deus absolutè loquẽdo, ab aliquibus mysteria gratiæ abscondit. Illud etiã perspicuũ, & manifestũ it apud Theologos: Quia ad Deũ spectat aliquos reprobare (vt ventilatur in 1. lib. sent. dist. 41. cum Magistro, & 1. p. q. 23. art. 3. cum S. Th.) quibus mysteria gratiæ nullatenus reuelat.

Mysteria gratiæ non omnibus reuelat Deus.

4. Assertio. Quarta assertio. Cũ Deus substrahit suam gratiã ab aliquibus, suum auxiliũ speciale, vel efficax, suã diuinã manutenẽtiam, suum fauorẽ specialem, vel cum alicui nõn vult dare suam gratiam, vel cum aliquos à se repellit, & de sua manu proijcit, ibi ad talem actionem non concurrit ipse Deus effectiuè, aut actu positiuo, neque efficiendo, aut operando, aut malitiosè, cauillosè, cautevè occultando, nec minus culpam aliquã immittendo. Probatur hæc assertio his rationibus.

Deus in substractione gratiæ circa ipsum peccatorẽ nõ cõcurrit effectiue, vel actu positiuo.

1. Ratio. Prima ratio. Summum bonum non potest esse causa
K effectiua alicuius mali; sicut nec summe calidũ (verbi gratia ignis) nõ potest esse causa effectiua alicuius frigoris: Atqui Deus est summe bonus: Ergo non potest esse causa effectiua alicuius mali. Sed aliquid malitiosè, cauillosè, cautevè occultare, vel culpam alicui immittere, est maliũ, vt patet: Ergo dũ Deus abstrahit, vel substrahit suã gratiam, aut abscondit mysteria nostræ fidei ab aliquibus peccatoribus, eos à se repellens, ipse ad talem actionem non potest concurrere effectiuè, aut actu positiuo.

Secun-

2. Ratio. Secunda ratio. Si ad ſubſtractionem gratiæ, vel manutenentiæ, aut ad abſconſionem myſteriorum noſtræ fidei cũ aliquibus, Deus concurreret effectiuè, & actu poſitiuo, efficiendo & operando circa tales peccatores, ſequeretur Deũ in tali actione, aliquid immittere in peccatorẽ. Quia omne agens dum agit, vim ſuam in paſſum immittit, vt tenent Philoſophi. Atqui nõ apparet quid tunc Deus in talẽ peccatorem immittat: Ergo Deus non concurrit tunc effectiuè, aut actu poſitiuo ad ſubſtractionem gratiæ. Aſſumptio probatur. Quoniam ea quæ reperiũtur in peccatore, à quo Deus ſuã gratiam ſubſtrahit, ſunt hæc, nempe, peccatum, culpa, obduratio, obcęcatio, tenebræ, ignorantia, & non apparet quid aliud in tali peccatore detur; aut ſi datur, aliud, oſtendatur iſtud. At Deus non poteſt eſſe cauſa effectiua horum. Quod ſic oſtendo. Etenim in primis non poteſt eſſe cauſa effectiua peccati & culpæ, vt tenent Theologi cum Magiſtro in 2. ſent. diſt. 38. & cum S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 2. licet concurrat ad actum. Deinde neque Deus poteſt eſſe cauſa effectiua obdurationis & obcęcationis, vt etiam tenent Theologi cum S. Tho. 1. 2. q. 79. art. 3. & ſuper illa verba Iſa 6. [Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua.] & ſuper cap. 9. ad Rom. dum inquit Apoſtolus: [Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.] & ſuper omnia illa alia loca citata in noſtro ſecundo fundamento. Præterea nec minus Deus poteſt eſſe cauſa effectiua tenebrarum. quia Pſal. 138. ait Pſalmographus, [Tenebræ non obſcurabuntur à te.] Quæ verba declarans Incognitus, ſic ait: [Quantũ ad ſenſum propheticũ, tenebrę vocantur peccata ipſa, & peccatores homines, quæ à Deo non obſcurantur, ſed manifeſtantur.] Deus enim tenebras non tenebrat, immo illuminat, iuxta illud Pſ. 17. [Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.] Nec tandẽ Deus poteſt eſſe cauſa effectiua ignorantiæ. Quia ignorãtia cauſatur à peccato; & ob id dicit Philoſophus 3. eth. [Omnis malus ignorans.] Quę verba Philoſophi interpretans Gilbertus Crab. lib. 3. ethic. fol. 32. ſic ait; [Omnis malus eſt ignorans, ſecundum gradum intemperantiæ, vel ſi vniuerſaliter intelligatur, omnis malus eſt ignorans, id eſt, extinguitur rectum iudicium à paſſione vehementi.] Quapropter, dicit ipſemet Philoſophus 7. ethicorum. [Venus furatur intellectum ipſiſſe ſapientis.] Quod fit manifeſtum in Salomone, cui Deus contulit ſapientiam &c. tamen finaliter per mulieres fuit infatuatus, vt habetur 3. Reg. 11. Et hoc eſt quod dicitur Prouerbiorum 4. [Via impiorum tenebroſa.] Et quamuis omne peccatũ obſcuret intellectum, præcipuè tamen luxuria; quia in illo actu abſorbitur actus rationis, & hominem in beſtiam vertit. Quapropter Seneca 1. lib. declamat. dicit, quod nihil tam mortiferum in genus, vt eſt luxuria. Ex quibus liquido conſtat, ignorantiam cauſari à peccato. Deus autem non poteſt ignorantiam cauſare cum ſit ipſa ſapientia, & ſemper ſapientiam hominibus dare ſit paratus. Vnde legimus Dydimum philoſophũ hæc verba Alexandro Magno dixiſſe: [Paratus eſt Deus ad dandam tibi ſapientiam, ſed non habes vbi recipias, cum ſis ſuperbia refectus.] Ergo ad ſubſtractionem gratiæ, & manutenentiæ, vel ad abſconſionem myſteriorum fidei, Deus non concurrit effectiuè, aut poſitiuo actu, cum nihil in peccatorem immittat.

Peccatores quæ habeant in ſe.

Malus ignorans.

Gilbertus Crab. 3. libr. ethicorum.

Mulieres deprauant homines.

Luxuria obſcurat intellectum.

Seneca.

Peccatum cauſat ignorantiam.

Dydimus Philoſophus.

3. Ratio. Tertia ratio. Abſconſio myſteriorum fidei noſtræ, ſubſtractio gratiæ, ablatio auxilij ſpecialis, vel efficacis, negatio diuinæ gratiæ, ſubſtractio manutenentiæ, repulſio aliquorũ, & proiectio à facie Domini, & aliæ propoſitiones Theologorum huius generis, nihil aliud dicunt, quam aliquod ſubiectum (nempe aliquam animam peccatricem) priuatum eſſe diuina gratia, vel diuino auxilio, vel diuina manutenentia &c. At ſubiectum aliquod priuatum eſſe, nihil poſitiuum dicit apud Philoſophos. Quia priuatio nihil dicit, ſed tantum remouet, iuxta Ariſt. in poſt. cathegorijs, cap. 7. vbi ſic ait: [Priuari verò tum denique dicitur aliquid eorum, quæ apta ſunt ad percipiendum habitum cum, in quo debet ineſſe, aut quando debet haberi, nequaquam ineſt.] Hoc ipſum docet Paulus Sonzinas lib. 10. Meth. q. 19. & q. 15. diſputans de duplici priuatione. Et ſi inferas cum Ariſtotele, loco citato, aliud eſſe priuationem, & aliud priuatum eſſe; & nos in argumento facere tranſitum, ex priuato ſubiecto, ad ipſam priuationem, & ob id, non valere argumentum. Reſpondeo dicendo, quod verum eſt, Ariſtotelem affirmare, aliud eſſe priuatum eſſe, & aliud eſſe priuationem. Ad quod melius intelligendum, pono verba Philoſophi hic, quæ talia ſunt: [Priuari autem re, & habere rem, non eſt idem, quod priuatio & habitus; quoniam habitus eſt aſpectus, priuatio cęcitas, nec habere oculos eſt ipſe aſpectus, nec cęcum eſſe, ipſa cęcitas. Nam priuatio quædam cęcitas eſt, & cęcum eſſe, eſt priuatum eſſe: non priuatio, deinde ſi idem eſſet cęcitas, quod cęcum eſſe; profectò de eodem vtrumque diceretur, nunc cęcus homo dicitur, cęcitas homo non dicitur.] Hæc ille. Quæ verba directè faciunt noſtram partem. Nam priuatum eſſe, eſt fundamentum priuationis, de quo nos non diſputamus, cum tantum diſputemus de priuatione gratiæ; & cum priuatio nihil dicat poſitiuum, (eſt enim priuatio, mera negatio, quantum ad id, quod formaliter eſt priuatio, vt Ariſtoteles 5. Meth. comm. 26. Quod rectè explicat Paulus Sonzinas 10. lib. Meth. q. 15. hoc argumento. Si priuatio eſſet formaliter aliquid aliud quam negatio, oporteret dicere, quod illud aliud ſit, quoddam poſitiuum: Sed hoc eſt impoſſibile; ergo priuatio eſt tantum negatio. Maior patet. Minor probatur. Omne poſitiuum eſt natum habere priuationem ſibi oppoſitam, nõ quidem ſemper in re, ſed in apprehenſione intellectus, ſit ergo poſitiuum, quod includit cęcitas, a, & priuatio correſpondens, & oppoſita ipſi, a, ſit, b, tunc quæro, an, b, includat aliquod poſitiuum. Si dicis quod nõ, Habeo propoſitum, quod, b, eſt tantum negatio; Si dicis quod ſic, Quæro de priuatione illius poſitiui, & ſic in infinitum: ergo priuatio, eſt pura negatio) per conſequens priuatio gratiæ idem debet eſſe, quod negatio gratiæ, & nihil poſitiuum debet dicere.

Philoſophus.

Obiectio.

Solutio.

Paulus Sonzinas.

4. Ratio. Quarta ratio. Deum ſubſtrahere ſuam gratiam, auxilium efficax, ſuam manutenẽtiam &c. nihil aliud eſt, quam talem hominem non eſſe iuſtũ, non eſſe Deo gratum &c. At non iuſtum, vel non gratum &c. ſunt meræ negationes, quæ nihil poſitiuum dicunt. Etenim negatio iuxta Philoſophos nihil aliud eſt quam abſentia, vel remotio, aut carentia alicuius formæ in aliquo ſubiecto. Et per cõſequens ſubſtractio gratiæ, vel Deũ abſcondere alicui ſua myſteria gratiæ, nihil poſitiuum dicit, nec minus ad iſtud Deus effectiuè concurrit.

5. Ratio. Quinta ratio. Cauſa defectiua vt ſic, non poteſt eſſe cauſa effectiua, vt ſic. Debent enim differre formaliter, alioquin efficiens formaliter erit deficiens, quod implicat: At ſi Deus ad ſubſtractionem ſuæ manutenentiæ, aut ad ablationem auxilij efficacis, concurreret effectiuè, & cauſans efficienter, ſequeretur cauſam deficientem, vt ſic, efficientem eſſe, vt ſic. Ergo &c. Aſſumptio probatur. Ceſſare agens ab aliqua actione, nihil aliud eſt, quam tale agens deficere à tali actione, nempe deficere à ſua influentia, aut iam nõ influere in paſſum. Sed Deum ſubſtrahere ſuam manutenentiã &c. nihil aliud eſt, quam Deũ ceſſare à ſua diuina illuſtratione, vt ſatis remanet apertũ, in primo noſtro fundamento: Ceſſare autem ab aliqua actione, eſt formaliter deficere, & cauſa deficiens, non influit: (& è conuerſo Deum influere, eſt efficere, & ſic Deus dicitur cauſa gratiæ dum illam influit animabus noſtris.) Ergo cum Deus ſubſtrahit ſuam manutentiam, vel abſcondit myſteria noſtræ fidei ab aliquo &c. dicetur cauſa deficiens (ſi cauſa dici poteſt) per conſequens, vt ſic formaliter, non poterit eſſe cauſa efficiens. Et ita habetur intentum.

Cauſa defectiua nequit eſſe effectiua.

6. Ratio. Sexta ratio. Idem iudiciũ eſt de reprobatione, obduratione, obcęcatione, atq; de abſcõſione myſteriorũ

Vu 2 Dei,

Dei, substractione gratiæ, ablatione auxilij efficacis, manutenentiæ. Omnia enim hæc, sibi ad vicem correspondent: At Deus respectu exclusionis reprobi à gloria, licet se habeat in ratione volentis, tamen, non se habet in ratione facientis propriè: Quia exclusio à gloria nô fit propriè per actionem qua aliquid influatur, sed per carentiam actionis, per quam gloria influeretur, vt tenet doctissimè Durand. in 1. lib. sent. dist. 40. q. 2. cuius verba sunt hæc. [Iuxta quod est considerandum, quod reprobationis sunt duo effectus, scilicet exclusio reprobi à gloria, & reordinatio culpæ per pœnam, respectu primi Deus se habet in ratione volentis, cum illud sit bonum & iustum, sed non se habet in ratione facientis propriè. Quia exclusio à gloria nô fit propriè per actionem, qua aliquid influatur; sed per carentiam actionis, per quam gloria influeretur. Et quia nullus excluditur à gloria, nisi prius exclusus à gratia: Ideo alius affectus reprobationis est, priuatio gratiæ, ad quam Deus se habet modo consilij. Hæc autem substractio gratiæ dicitur excæcatio; quia gratia lumen est in anima. Dicitur etiā obduratio, quia gratia habilitat animā ad bonū, propter quod cõmuniter dicitur; ꝙ Deus est causa excæcationis, & obdurationis, non immittendo culpā, sed non dando gratiā. Respectu autē secundi, Deus se habet in ratione volentis & facientis &c.] Hæc ille: Ergo pari etiā modo, cum Deus substrahit ab aliquibus suā diuinam manutenentiā, licet se habeat in ratione volentis, non tamen se habebit in ratione facientis. Et per consequens, non concurrit effectiuè, neque actu positiuo.

Durandus.

Nota bene.

7. Ratio.

D. Bonauent.

Septima & postrema ratio. Si aliqua doctrina esset, quæ in aliqua parte, præmissis obuiare posset, maximè esset illa, quam D. Bonauent. de reprobatione affert, in 1. lib. sent. dist. 40. Quo loco S. Doctor reprobationem positiuam, seu affirmatiuam, & reprobationem negatiuam adducit, in secundo & quarto signo naturæ: At hæc nullatenus dictis nostris repugnat, quinimmo mirumînmodum fauet; quoniā licet Deus ab æterno prędestinauerit omnes electos, & Angelos, & homines, reprobaueritq. ab æterno omnes malos, tamen secundum modum nostrum intelligendi, quatuor possunt considerari signa naturæ. In primo signo naturæ, Iudas, & omnes reprobi, & etiam Petrus, per quem intelligo omnes prædestinatos, fuerunt diuinæ voluntati præsentati per intellectum in puris naturalibus, & in hoc signo naturæ voluit Petro vitam æternam, Iudæ autem nihil voluit; quia nihil debuit ei. Habuit ergo actum negatiuum circa ipsum, & omnes damnatos. In secundo verò signo, voluit Petro gratiam, & nihil Iudæ. Et dicitur reprobatio negatiuè. In tertio signo vult vtrumque esse de massa perditionis, & hoc, voluntate permissiua; Et iste est primus actus positiuus voluntatis vniformis, circa Petrum & Iudam. In quarto verò signo vult damnare positiuè Iudam, & vult ei æternam damnationem; vnde reprobatio negatiua est, alicui non velle dare gloriā æternam: Affirmatiua verò reprobatio, est velle damnare, vel punire aliquem pro peccatis. Ea autē, quæ nos in hac quarta nostra assertione asserimus, tantum spectant ad reprobationem negatiuam. Hinc S. Tho. p. sent. dist. 40. q. 4. art. 2. disputans, an Deus sit obdurationis causa, manifestè nostris dictis etiam fauet per hæc verba, in argumento, sed contra: [Dicunt Sancti communiter Dionys. August. & Ansel. scilicet, quod causa, quare iste non habet gratiam, est quia ipse non vult accipere, & non quia Deus noluit ei dare; quia lumen suum omnibus offert, quod tamen ab omnibus non percipitur, sicut nec lumen Solis à cœco, sed obduratio est ipsa carentia gratiæ: Ergo obdurationis causa non est ex parte Dei. Præterea nullus culpatur, vel punitur de eo, cuius causa in ipso nô est, sed homo punitur, vel culpatur pro obduratione, vel pro carentia gratiæ, ergo huiusmodi causa ipse est.] & paulo post: [Obduratio dicitur quandoque actus voluntatis obstinatæ in malum, cui pertinaciter adhęret, & sic constat, quod obdurationis causa non est

Reprobatio negatiua & positiua.

Signa quatuor in reprobatione cuiuslibet reprobi.

Reprobatio negatiua quid sit.

Reprobatio positiua quid sit.

S. Tho.

S. Tho.

F Deus, sed homo, sic nec alicuius actus peccati inquātum deformis est. Quando verò obduratio dicitur ipsa priuatio gratiæ, quæ etiam excęcatio dicitur; quia gratia est quoddam lumen animæ, & perfectio quædam habilitatans ipsam ad bonum, istum autem carere gratia ex duobus contingit, tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere; horum autem duorum talis est ordo, vt secundum nô sit, nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonū, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonū est. Sed quod iste careat gratia, non est bonū simpliciter, vnde hoc absolutè consideratum non est volitum à Deo: est tamen bonum, vt careat gratia si eam habere non vult, vel si ad eam habendā, negligenter se præparat, quia iustum est. Et hoc modo est volitum à Deo; patet ergo, quod huius defectus absolutè causa prima est, ex parte hominis, quia gratia caret: sed ex G parte Dei non est causa huius defectus, nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis, & per hunc modum inuenitur, dici Deus quandoque causa excęcationis, vel obdurationis, non quidem immittēdo malitiam, sed non impartiendo gratiam quod in ipso est. Si enim non necessariò impartitur gratiā, in ipso est non impartiri, vnde eius quod est non impartiri aliquando causa est. Iste autem defectus potest dupliciter considerari, sicut etiam quilibet alius enim defectus incidat ex defectu causæ secundæ, & non ex defectu causæ primæ; quem tamen defectum Deus non impedit, tamen impedire posset, ne impedimentum natura cedat, si iste defectus gratiæ comparetur ad voluntatem, quæ est sicut causa proxima inuenietur voluntas habere causalitatem ad ipsum, quæ bonū propositum non accepit, cum accipere potest, & ex hoc culpabilis, & vituperabilis, quia malum cuius princi-H pium est voluntas, est huiusmodi; si autem comparetur ad ipsum Deum, non inuenitur causatus ab ipso, sed tantum permissus, & ordinatus, vt scilicet sit in pœnam ipsius voluntatis deficere; Inde dicit August. in 1. conf. cap. 12. tom. 8. Iussisti Domine, & sic est, vt vt omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pęna. Et talis ordinatio à Deo est, vnde respectu ipsius defectus nullam causalitatem habet, sed respectu ordinationis tantum, & hoc significatur, cum obdurare dicitur.] Hucusque D. Thomas. Ex quibus verbis, liquido constat, Deum ad substractionem gratiæ, vel ad absconsionem mysteriorum fidei, vel ad ablationem manutenentiæ, vel ad carentiam gratiæ, nullo modo concurrere effectiuè, aut actu positiuo.

Et passim nota, quod ex hoc loco D. Thom. 1. sent. dist. 40. q. 3. art. 2. remanent aperta, & declarata ver-I ba illiusmet, in 1. 2. q. 79. art. 3, quo loco asserit, Deum esse causam obdurationis, prout nos supra retulimus in primo nostro fundamento.

Corollarium

Locus D. Th. ex p. 2. q. 79. ar. 3. interpretatur ex altero loco ipsiusmet ex 1. sent. dist. 40 q. 4. art. 2.

Quinta assertio. Deus in substractione gratiæ, auxilij efficacis manutenentiæ, in carentia gratię, in obduratione, in obcæcatione &c. tantum concurrit permissiuè, Probatur hæc assertio his rationibus.

5. Assertio.

Prima ratio. In his in quibus concurrit Deus, vel concurrit efficiendo & operando, volendo & faciendo: vel concurrit permittendo & concedendo, volendo & non faciendo, vt est maxima propositio Theologorum: At Deus concurrit ad substractionem gratiæ, manutenentiæ: indurationem, & obcęcationem &c. vt habetur in tertia nostra assertione, & etiam in Isaia cap. 19. vbi sic dicitur: [Dominus miscuit in me-K dio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo sicut errat ebrius, & vomes.] Ergo ad hæc (à sufficienti diuisione) vel concurrit efficiendo & operando, volendo & faciendo: vel concurrit permittendo & concedendo, volendo & non faciendo. Sed non concurrit efficiendo & operando, volendo & faciendo, vt satis probatur in quarta assertione nostra, & etiam ex Propheta dicente: [Perditio tua Israel, ex te, in me autem tantummodo au-

Deus in substractione gratiæ & in obduratione peccatoris permissiue dumtaxat concurrit.

1. Ratio.

do auxilium tuum.] Ergo concurrit promittendo & concedendo, volendo, & non faciendo. Quapropter Lyranus super illa verba Isa. cap. 19. [Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis.] sic ait: [Hoc enim fecit Dominus permissiuè propter mala Ægyptiorum punienda.] Et ob id etiam, Doctores sancti, illa verba Christi Matth. 11. [Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.] sic interpretantur [Abscondisti,] id est, non reuelare voluisti. Vbi patet, Deum concurrere ad substractionem gratiæ, non faciendo, non reuelando, & cessando à sua diuina illustratione, & reuelatione.

2. Ratio. Secunda ratio petitur à Doctoribus: Omnes enim auctoritates, quæ videntur sonare, quod Deus sit causa indurationis, & obcęcationis: dicunt Doctores debere intelligi quantum ad ordinationem, non quantū ad defectum: & dant exemplum satis manifestum. Si quis (dicunt) esset adiudicatus morti, vt scilicet periret fame, & ego possem ipsi ministrare panem, & non facerem: Ego tunc iustè dicerer facere, licet nihil faciam. Sed quia istud non facere est ordinatum, carentia illa cibi, esset in isto, causa mortis; veruntamen ego illum non occiderem, sed permitterē occidi. Ita sanctus Thom. 1. sent. dist. 40. q. 4. art. 2. Durand. Scotus, D. Bonauentura in 1. sent. dist. 40. & Stephanus Brulifer in 1. sent. dist. 40. q. 2. in 2. art: At eadem prorsus est ratio, obstinationis obcęcationis, ex parte Dei, & & absconsionis mysteriorum fidei, substractionis gratiæ, cessationis reuelationum &c. Ergo Deus ad substractionem gratiæ tantum permissiuè concurrit.

Obiectio. Sed obijcies: Dantur permulti Christiani, fideles, baptizati, docti, Theologi, &c. qui perfectè intelligunt mysteria nostrę fidei, nempe, Verbum incarnatum esse, mysterium Trinitatis, passionem Christi, resurrectionem, Ascensionem, Aduentum ad iudicandum, perfectè etiàm callent sacramenta, & omnia mysteria gratiæ; & tamen sunt obdurati, & obcęcati, in aliquibus peccatis, vt patet de adulteris, de homicidis, raptoribus, fornicarijs, &c. & vt etiam patet de Iuda, qui fuit proditor, cui simul cum alijs Apostolis, secreta cælestia reuelata fuere à Christo Domino: à quibus omnibus Deus substrahit suam gratiam, eosdemq. obdurat, & obcęcat per peccatum, vt est manifestum: Ergo non est eadem ratio obdurationis, & absconsionis mysteriorum gratiæ, vt dictum supra fuit.

Solutio. Huic obiectioni respondeo dicendum: Quod fides, & gratia, licet ambæ infundantur in baptismo, tamen differunt in multis, vt est manifestum apud Theologos. Quapropter, cum diximus, quod eadem est prorsus ratio indurationis, & absconsionis mysteriorum Dei, non est intelligendum vt sic, & in se. Nam hoc esset contra Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 15. vbi apertè habetur per peccatum mortale, gratiam, sed non fidem, amitti. Sed accipiendum venit ex parte Dei: quod scilicet Deus eodem modo se habet quantum ex se ad absconsionem gratiæ, & mysteriorum fidei, atque ad indurationem. Quoniam quemadmodum, cum indurat, tantum concurrit, non dando suam gratiam, & nihil influit. Ita cum abscondit mysteria fidei, & gratiæ, tantum concurrit non reuelando, & nihil callidè, aut fictè, siue positiuum influendo, quod est negatiuè concurrere. Solutiones verò ad argumenta in exordio quæstionis adhibita, ex his quæ hucusque à nobis dicta fuere, faciles cuiuis reddun-tur.



Quæst. VIII. & postr.[ma]

Vtrum concedendo, quod Episcopus iste Ephesinus venialiter solummodo peccauerit, totam charitatem, & gratiam reliquerit: vel earumdem partem aliquam dumtaxat?



VENIALIA peccata simul stare cum gratia, & charitate docent S. Tho. 1. 2. q. 71. art. 4. & Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. per hæc verba: [Licet enim in hac mortali vita, quantumuis sancti, & iusti, in leuia saltē, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoquoq; cadant, non propterea desinunt esse iusti; nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax, dimitte nobis debita nostra, quo fit vt iusti &c.] In hoc siquidem differt mortale à veniali, quod mortale, charitate & gratia, hominem statim priuat: At verò veniale, cum charitate, & gratia simul stat, illisq. nullatenus contrariatur, nec repugnat, nec minus easdem excludit. — *Venialia peccata simul stant cum gratia & charitate.* — *Veniale & mortale per quid differant.*

Cæterum hæc distinctio, hęreticis non placet, vehementer etenim hallucinantur hæretici, & in multis labuntur, dum nesciunt, peccata venialia, à mortalibus aptè distinguere. Neque Ecclesiæ catholicæ doctrinæ ob suam superbiam, circa hoc acquiescere volunt: vnde accidit illis, illud quod in prouerbio circumfertur. [Ardea culpat aquas, cum nesciat ipsa natare.] Et in hoc negotio, adhuc discordia (sicut in reliquis) pleni sunt. Nā Lutherus lib. de captiuitate Babylonica, cap. de baptismo: Omnia peccata præter infidelitatē, dicit esse venialia. Caluinus autem lib. 2. Inst. cap. 8. §. 59. & lib. 3. cap. 4. §. 28. affirmat peccata omnia esse mortalia, vt magistrū suū Lutherū impugnando, cū Iouiniano conueniat, qui eandem sequutus est opinionem. Quam contra ipsum, hæreticam esse probat D. Hieron. passim. Scriptura autem sacra venialia aliqua esse peccata apertè, pluribus in locis, demonstrat. Dauid enim luce clarius id ostendit dicens Ps. 31. [Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meā, & tu remisisti impietatem peccati mei.] & sequitur: [Pro hac orabit ad te omnis sanctus.] Pro hac, scilicet, remissione, orat omnis sanctus. Quia licet sanctus, & in gratia Dei sit; aliqua tamen habet peccata pro quibus eū oportet Deū orare. Tales fuerunt illi de quibus idē Dauid ait: [Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Custodiebant testimonia eius, & præceptū quod dedit illis. Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorū.] Vbi viros sanctos, ac præcepta Dñi custodientes affirmat peccatis quibusdam inuolutos fuisse. Pro quibus quotidie orant, sicut & pro ijsdē Christus nos orare docuit, dicens: [Dimitte nobis debita nostra.] De istis etiā Ioannes in sua canonica ait: [Si dixerimus quod peccatū non habemus, ipsi nos seducimus.] Quia nulli hominum (Virgine excepta) concessa vnquā fuit, venialis culpæ omnimoda immunitas. Et D. Iacobus qui iam Spiritu sancto plenus, mortaliter peccare non poterat, dicebat: [In multis offendimus omnes,] De quib[us] etiā Sapiens ait: [Septies in die cadit iustus, & resurgit,] id est, pluries cadit, sed resurgit, quia facilis est modus resurgendi a talibus peccatis. Hoc etiā omnes antiqui Patres firmiter docuerunt. Inter quos Aug. lib. de spiritu & littera. cap. 28. ait. Quod sicut iustum non impediunt à vita æterna, quædā peccata venialia, sine quibus hac vita non ducitur: Sic ad salutem æternā nihil proficiunt impio aliqua bona opera, sine quibus, difficilimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. — *Error hęreticorum circa peccata venialia.* — *Prouerbium.* — *Hęreticorum discordia circa venialia peccata.* — *Lutherus. Caluinus.* — *D. Hier.* — *Venialia esse docet sacra pagina.* — *Pulchrè dictum à D. Augustino.*

Quod plane Nazianzenus oratione secunda in Trulianum confirmat dicens: [Magnum est neque ab initio peccare, aut saltem in maximis delinquere, quoniam penitus à peccato liberum esse, Deus supra naturam humanam ordinauit.] Quibus sanè verbis ostendit, sine maioribus peccatis, homines in hac vita viuere, scilicet illis saltem, quæ in mortem cõducunt æternam: Non tamen minoribus, quæ cum Dei gratia esse possunt. Quæquidem peccata venialia quibusdam purgari remedijs, extra pœnitentiam ab Ecclesia ordinatis, omnium antiquorum traditio est. Nam quod hoc præstet aqua benedicta, habetur. Can. [aquam] de consecr. dist. 3. ex Alexandro Primo, qui fuit quintus à D. Petro. De benedictione Episcopali habetur 1. q 1. can. dictum est ex D. August. & ex cap. 6. Leuitici. Vbi Deus, à se benedictum forè dicit, qui à sacerdotibus illis legalibus benedictionem accepisset. Plura sunt alia remedia ad hoc, vt oratio in Ecclesia consecrata, oratio Dominica, eleemosyna. Quæ omnia tam in sacris literis, quam in antiqua Ecclesiæ traditione fundamentum habent. Et ea satis amplè tractat Gregor. de Valentia in tertiam partem D. Thomæ disp. 7. q. 4 de effectibus pœnitentiæ. Hæc autem remedia pro facilioribus adhibita sunt peccatis. De quo etiam argumento latè disputat Andreas à Vega contra Lutherum, & Caluinum, aliosq. maledictos hæreticos, in decreto de iustificatione, lib. 14. à cap. 1 vsque ad caput 14. Et quamuis ista peccata venialia multiplicentur, quacumque multiplicatione, multitudineve, nunquam planè adæquantur vno solum modo (quamuis minimo) mortali.

Venialia purgari possunt extra pœnitẽtiam.

Oratio eleemosyna Aquaque benedicta purgant venialia.

Greg. de Valentia.

Stant itaque venialia peccata simul cum charitate, quam planè infrigidant dumtaxat, nihil de ea diminuendo. Hinc S. Tho. 2. 2. q. 24. art. 10. sic scribit: [Similiter etiam nec per peccatum veniale charitas diminui potest, neque effectiuè, neque meritoriè. Effectiuè quidem, non quia ad ipsam charitatem non attingit: charitas enim est circa finem vltimum: veniale autem peccatum, est quædam inordinatio circa ea, quæ sunt ad finem. Non autem diminuitur amor finis, ex hoc, quod aliquis inordinationem aliquam cõmittit, circa ea quæ sunt ad finem. Sicut aliquando contingit, quod aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinatè tamen se habent circa dietæ obseruationem, sicut etiam in speculatiuis scientijs falsæ opiniones circa ea, quæ deducuntur ex principijs, non diminuunt certitudinem principiorum; similiter etiã veniale peccatum, non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Deus enim non plus se auertit ab homine, quam homo non auertat se ab ipso; Vnde qui inordinatè se habet circa ea quæ sunt ad finem, nõ meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad vltimum finem. Vnde consequens est, quod charitas nullo modo diminui possit, directè loquendo: potest tamen indirectè dici diminutio charitatis dispositiuè ad corruptionem ipsius, quæ fit, vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis.] ita D. Tho. Ex quibus planè verbis clarè liquet, quod licet charitas per venialia nequeat diminui quo ad essentiam habitus, potest tamen per ea diminui quantum ad feruorem actuum. Quinimmo de facto diminuitur, vt indicat illud D. Tho. [indirectè.] Et probatur cum Durando in 1. sent. dist. 17. q. 10. Quoniam actiones nostræ procedentes ex habitibus infusis, sua frequentia causant in nobis quasdam habilitates, secundum quas promptè, & faciliter inclinamur ad tales actus. Vnde experimur, quod corrupta charitate in aliquo prius assueto opere charitatis, adhuc in ipso remanet promptitudo quædam ad opera similia. Et iste habitus non est infusus, nec superinfusus, sed ex actibus acquisitus. Modo sic argumentor cum ipso Durando. Quando aliqua duo concurrunt ad vnum effectum, impedimentum potest contingere in effectu ex parte vtriusque illorum: Atqui ad feruorem charitatis duo concurrunt, nimirum, intentio habitus charitatis, & intentio habitus acquisiti ex frequentia actuum nostrorum: Igitur actus potest impediri à solito feruore ex impedimento alterius istorum. Sed sic est quod venialia minuunt habilitatem causatam ex actibus nostris, & eam possunt totaliter tollere, etiam remanente charitate, vt aliqui viri pij aliquando sunt experti: Ergo charitate non remissa, quo ad essentiam habitus, per venialia; feruor actus remittitur ex diminutione prædictæ habilitatis, & tepescit continuè, in tantum, vt quandoque videatur homo charitate carere, & per hoc fiat promptus ad peccandum mortaliter, & fortasse, iustus, tunc fieret iniustus, itaut cum impijs recenseretur: nisi Deus eum tunc sua manu, & gratia teneret, ac conseruaret.

Venialia peccata infrigidant charitatem.

H

Charitate corrupta adhuc manet promptitudo quædam ad opera similia.

K

F

Piorum virorum comprobata experiẽtia.

G

Et in hoc plane sensu, exponendi, ac intelligendi veniunt. D. Ambrosius, D. Tho. D. Dionysius Carthusianus, & plerique alij explanatores, tenentes in hisce suis commentarijs; hunc Antistitem Ephesinum, feruorem charitatis dumtaxat amisisse. Cum actus charitatis solummodo diminui queat: & nullatenus habitus, per veniale. Et ex dictis liquet responsio ad quæstionis propositæ titulum.

Corollarium.

Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.

Tex. 4.

COMMENTARIVS.



Hvic Antistiti prolapso, suũ pristinum statum, præuaricationisq. ruinam hic iam consolatoria hac admonitione, misericordiarum pater, totiusque consolationis Deus (qui corrigere aberrantes, deducere ad viam iustitiæ deuios, fugare scelera, lauare culpas, innocentiam lapsis, mœstisque lætitiam reddere semper consueuit) sedulo ad memoriam curat reuocare. Cogitat namque semper Deus cogitationes pacis, & non afflictionis, & mortem peccatoris haud quaquam vult. Quinimmo, vt magis conuertatur peccator, & viuat desiderans, ait per Vates suos: [Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrũ, quoniam multus est ad ignoscendum.] & iterum: [Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus illam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem illi.] Iccirco huic pastori hic dicitur: *Memor esto itaque vnde excideris.* Perinde ac diceret: Memento a qua sancta excisus sis radice, & à qua diuina, per commissum facinus, fractus sis arbore, à tanto charitatis gradu resiliens: Memento quia sicut serpens Euam astutia sua seduxit, sic iam diabolus veneno suo, sensus corrupit, ac omnino deuorauit tuos. Et ita quidem, vt à simplicitate, quæ est in Christo prorsus excideres: & hæc cogitans, altaque mente contemplans, *age pœnitentiam*, hoc est, ob tanti boni omissionem, age fructus dignos pœnitentiæ, in remedium satisfactionis. Quoniam Deus præuaricantes, id est, frangentes pactum, reconciliat, desperantes reparat, & arrogantes simplificat per pœnitentiam, iuxta illud 1. Petri 3. [Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. [Et sic pœnitens ad pristinum feruorem, antiquamque deuotionem rediens:

§. 1.

Contextus explanatio.

D. Greg. in bened. cerei Paschalis.

Esa. 55.

Ioel. 2.

Hier. 18.

Rom. 11.

2. Cor. 11.

Pœnitentia placatur Deus.

rediens: Prima opera fac, id est, primis similia operare, nunquam à similibus resiliendo. Quoniam Deus pœnitentibus (vt ait Sapiens) dedit viam iustitiæ, & confirmauit deficientes sustinere, ac etiam destinauit illi sortem veritatis: Et ita primis similia operando, adimplebitur in te illud: [Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominũ, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem; & cognosce iustitias & iustitia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei, in partes vade sæculi sancti, cum viuis & dantibus confessionem Deo, non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere.] Et hæc faciens, coram Deo meritum satisfactionis obtinebis; quia [Misericordia Domini (vt ait Dauid) plena est terra.]

Eccles. 17. — *Ps. 118.*

PARAPHRASIS

Prima.


Par. 1. — *§. 1.*

Memor esto itaq; (ait) vnde excideris.

Enucleatio textus.

Memoria, frequensq; cogitatio amissi boni, per commissum peccatum, Deo Optimo Maximo, quandoque (immo semper) multum placet; cum sæpissimè de scelere commisso, ad cito exeundum valde profit. Tota namque cœcitas, & peccatoris perditio est, ruinam & lapsum suum, bonumq. amissum ita obliuioni tradidisse, vt illius memor vnquam sit, vt fecit Cain, qui ad vocem Domini dicentis Gen. 4. [Vbi est Abel frater tuus?] mox sui criminis oblitus, ita respondit: [Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego?] Et vt etiam fecit Pharao, qui ad voces Moysi & Aaronis dicentium ex parte Dei, Exod. 4. [Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.] Sui sceleris immemor, respondit: [Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.] Et vt tandem fecit Nabuchodonosor, qui tres pueros nolentes statuam auream à se erectam adorare, obiurgans ait. Dan. 3. [Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?] O Dij immortales. Quid scelerius, vel supplicio dignius, quam homicidium? nihil, cum de illo dicatur Gen. 9. [Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.] & 1. Ioan. 3. [Et scitis quoniam omnis homicida, non habet vitam æternam in se manentē.] Et tñ Cain tanti sceleris immemor, ita respondit: [Nescio: Numquid custos fratris mei sum ego?] Quid quæso corã Deo rebellione abominabilius? Nihil plane. Cum Num. 16. dicatur: [Ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, (rebelles Moysi) qui offerebant incensum.] & Deut. 9. [Contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis, sed semper fuistis rebelles, à die qua nosce vos cœpi. &c.] Et tamen Pharao suam rebellionem contra Deum haud quaquam cognoscens, ait: [Quis est Dominus vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.] Quid tandem idololatriam vilius, & abiectius? Nihil sane, cum de illa Deut. 27. dicatur: [Maledictus homo, qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini.] & Psal. 96. [Confundantur qui adorãt sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.] Et tamẽ suę idololatrię oblitus Nabuchodonosor rex, ait pueris nolentibus idololatrare: [Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?] Et ob id iusto Dei iudicio Cain desperans dixit: [Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.] Et Pharao ita se obdurauit, vt de illo dicatur: [Induratum est cor Pharaonis.] & Nabuchodonosor ita à Deo punitus fuit, vt illi dicat Daniel Propheta. [Cum bestijs, ferisq. erit habitatio tua, & fœnum vt bos cõmedes, & rore cæli infunderis. Septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominũ, & cuicumque voluerit, det illud.] Ne igitur Antistes iste Ephesinus, suæ ruinæ, & iacturæ omnino de cætero oblitus, in alia similia, cum obduratis Caino, Pharaone, & Nabuchodonosor Rege, incideret supplicia; iacturam in mentem, animum, & cor, per memoriam, frequentemq. amissi boni cogitationem, reuocare eidem ab Archipropheta hic iubetur. Quoniam à perfectionis altissimo apice, & gradu, miserè iam corruerat, vt clarè illud [vnde] indicat. Et primus ad pœnitentiam gradus est cognitio peccati, nimirum, vt attentè consideremus, quæ per illud bona amiserimus. Quandoquidem ad sanam mentem nunquam redibit, qui se à nullo bono excidisse putat. Hinc Dauid Ps. 50. ait: [Iniquitatem meam ego cognosco.] & Ps. 37. [Corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.] Perinde ac diceret: Quamdiu impius fui, & ita impius, ac prorsus cœcus, vt peccatorum meorum cicatrices non agnouerim, præteritis noua in dies addidi peccata; sicque factum fuit, vt nulla illis profuerit medicina; sed iam putruerint, & corruptæ fuerint cicatrices peccatorum meorum. Enimvero modo iniquitatem meam ego cognosco. Quare postquam ipsemet Dauid, Vriam occidendo, & Bethsabeam vxorem eius accipiendo, peccauit, adueniente ad eum ex parte altissimi Regis Nathan Propheta, sub illa ouis parabola, qua eum, vt dicitur 2. Reg. 12. reprehẽdit, mox exclamauit: [Peccaui Domino.] Perinde ac diceret: Magnam iniquitatem meam ego cognosco: Ideo magnam misericordiam Dei imploro. Quamobrem statim meruit audire: [Dominus quoque transtulit peccatum tuum.] Vides igitur cognitio peccati, quid in vere pœnitentibus operetur. Quinimmo audias rogo: Peccatum suum cognouit Petrus egressus foras flendo amare, & pastor ouium instituitur: cognouit Paulus se blasphematorem, contitendo, & vas electionis ac Gentium doctor efficitur. Cognouit Magdalena stans retro secus pedes Domini, & meruit audire: [Remittuntur tibi peccata tua.] Cognouit denique latro in cruce pendens peccatum suum, dum alteri comiti suo dixit: [Nos factis digna quidem recipimus.] Qua cognitione impulsus, Christo vnà cum illo in Caluario crucifixo, tactus dolore cordis, dixit: [Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.] Et protinus misericordiam imploratam meruit obtinere per hæc dulcissima Christi verba: [Hodie mecum eris in Paradiso.] Ideo proculdubio ipsemet Christus, ciuitatem Ierosolymam à longe aspiciens, vt dicitur Lucæ 19. fleuit super illam dicẽs: [Quia si cognouisses & tu.] Quod plane non ob aliam causam accidit talis diuinus planctus, nisi quia ciuitas illa Ierosolymitana tps visitationis suæ non cognouit. Quamobrem latebant illam malorum classes, quæ illi ob suos obduratos ciues, superuenturæ erant. Qui itaque peccata sua agnoscunt, mox ea cooperire per pœnitentiam diligenter curant: veluti nostri primi parentes, qui mox vt se nudos esse agnouerant in paradiso, de illis scriptum est, Gen. 3. [Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.] Sic proculdubio qui peccata sua bene agnoscunt, mox quærunt folia ficus, id est, res pœnales, vt faciant sibi perizomata, cooperientes nuditatem suam per pœnitentiam. Quoniam nuditas gratiæ, & charitatis, per subsequentem pœnitentiam, apprimè cooperitur. Hinc Dominus hunc admonet Ephesinum Antistitem, vt sua rememoretur peccata: vt sic ad primam redeat charitatem per sanctam, & veram peccati sui commissi cognitionem, quam pœnitentia concomitare propediem solet. Hæc boni amissi, frequens cogitatio, causat illum diem festum, de quo Psalmista dixit: [Reliquiæ peccatorum diem festum agent tibi.]

Peccata relinquere facit memoria, & cogitatio boni amissi. — *Peccata obliuioni tradere, est omnimoda peccatium perditio.* — *Homicidio nihil scelerius.* — *Rebellionis pœna.* — *Idololatriæ pœna.* — *Peccati mala & damna ad mentem, animum, & ad cor, diligẽter reuocanda.* — *Pœnitentiæ primus gradus.* — *Cognitio peccati quam vtilis sit.* — *Cognitio peccati quid operetur in pœnitẽtibus.* — *Peccatores cognoscendo peccata sua, ad suprema eriguntur.* — *Pœnitentiæ cooperiunt peccata.* — *Comparatio.* — *Cognitio peccati causat diem festum.* — *Psal. 75.*



Con-

Conceptus Prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quam necessaria sit peccati cognitio

Increpatio dura in sponsam se ignorantem.



VRA plane increpatio aduersus sponsam latet in illis verbis sponsi, Cant. 2. [Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.] Quibus verbis iacturam diuinæ gratiæ, hoc est, amissam iam prius gustatam dulcedinem spiritualem, considerare iubetur sponsa, quæ prius requiem & pascuam pastoris sui sponsi perdiderat, & quæsierat iterum eadem inuenire dicens: [Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.] Per quam, peccator indicatur, qui post suum facinus in se recurrit, vt ille filius prodigus: Lucæ 15. & incipit iam iterum cogitare domum, & requiem paternam: & ad illam festinanter remeare. Hinc D. Bernardus præallegata verba sponsi, sic exoluit: [Dura, & aspera increpatio, quod dicit: Egredere, hoc quippe verbum serui audire solent à multis irascentibus, & indignantibus dominis, hoc ergo aspero verbo vtitur sponsus contra dilectam, sub conditione, tamen, si se ipsam ignorauerit, nihil quippe validius efficaciusuè ad terrendum potuit in eam intendere, quam, vt egredi minaretur, quod & tu aduertere potes, si bene attendas vnde quò egredi iubeatur. Vnde enim quò putas, nisi de spiritu ad carnem, de bonis animi ad secularia desideria, de interna requie mentis, ad mundi strepitum? Quæ enim anima semel à Domino didicit, & cæpit intrare ad seipsam, & in intimis suis, Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem eius semper, nescio an, vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilibus, penaliusque ducat, quam post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis. Vnde Regius vates dicebat Psalm. 72. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Terribilius igitur & nimis formidanda comminatio, egredere, & pasce hædos tuos, quod est, indignam te noueris illa tua familiari, & suaui cælestium rerum contemplatione, hædos quippe dicit vagos, & petulantes corporis sensus.] Hæc D. Bernardus. Ad eundem, plane modum, si damus, hunc Antistitem Ephesinum lethaliter peccasse, & habitum charitatis, & gratiæ amisisse (vt quidam doctores diximus asseuerasse) magna plane increpatio aduersus hunc Antistitem, & quemlibet alium peccatorem, gratia & charitate orbatum, in his verbis [Memor esto itaque vnde exicideris.] latet: Quoniam illud: [vnde.] Ingens fastigium, magnamque celsitudinē à qua quis mortaliter peccando, excidit, patefacit. Quamobrem hæc verba: [Memor esto, itaque vnde exideris] sic sonant: Cogita, in memoriam reduc, & nullo modo obliuioni tradas, lapsum tuum, ruinamque tuam, qualiter, nimirum, à luce ad tenebras, a gratia ad peccatum, à domo paterna, ad regionem longinquam ad pascendos porcos, à Ierusalem Ciuitate sancta ad desertum Ierichumtinum, à vita gratię ad vitam naturæ, à statu dilectionis & amoris ad statum obliuionis & odij, à Paradiso delitiarum ad campum miseriarum, à rectitudine ad deformitatem, & vt vnico verbo multa concludam, cogita qualiter à statu iustitiæ & immortalitatis, ad mortem æternam, & defectum vitæ præsenti], ô miser, cecidisti: Et his apprimè cogitatis, dic cum Rege Dauid: [Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper,] id est: Coram me est semper: Vt vertit D. Hieronymus, Pagninus Lucensis, Ioannes Campensis, & alij expositores, qui in lingua Hebraica maximè gloriantur. Memores igitur estote, ô, peccatores, vnde ex-

Sponsa se cognoscens, significat peccatorem redeuntem ad Deum.

Egressio peccatoris à Domino.

Hædos pascere, est vagos corporis sensus contemplationi diuinæ dare.

Peccatum causat summā distantiam à Deo.

Contra accipitur pro coram.

F cideritis, hoc est, semper cogitate qualiter Deum offenderitis, vt ipsa offensæ cogitatio, vos humiliet cum Dauide rege. Quoniam quò magis homo agnouerit bonum quod amisit, eò maiorem habet occasionem lugendi propter illud. Hinc sapiens ait: [Qui apponit scientiam apponit, & dolorem.] Vnde plane nascitur quod quanto plus peccatores incipiunt scire bonum, quod amiserunt; tanto plus lugere incipiunt malum, quod inuenerunt. Hinc Dauid exclamat: [De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.] Illud namq. verbum: [De profundis.] apertè indicat Dauid, statum peccatoris appellari foueam, siu: cauernam quamdam profundissimam, ad quam ex summo gratiæ fastigio cæcidit peccator, & ex illa, diuinū implorans auxiliū, exclamat dicendo: [De profundis, &c.]Quamobrem D. Ambros. in hæc verba Psalmistæ sic scribit: [Attendat vnusquisque in quo profun-
G do iaceat, & quam longe à Deo, peruersè agens effectus sit: clamet ad Deum totis viribus, qui intuetur Abyssos, & sedet super Cherubin, donec de profundis tenebris erutus, superno illustretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis diuinæ.] Considerate igitur peccatores ex vna parte, gaudia cælestis patriæ, diuitias illius, vbertatem, sapientiam, lucem, & vitam perpetuam, quam per peccatum amisistis: Et ex altera parte perpendite etiam, quò deiecti fuistis, & vbi per peccatum commissum iaceatis, & videbitis apertè quanta mentis tristitia, quanta paupertas, quantæ tenebræ, quantaq. turbatio vos vndiq. circumdant. Tendite insuper oculos vestros ad futura, quæ vobis imminent tormenta, vbi luctus sempiternus, fames, sitis, tenebræ, confusio, & mors sempiterna vobis erit, & his omnibus attentè, & accuratè cogitatis, apertè conspicietis bona, quæ amisistis, & mala, quæ inuenistis, &
H tunc acerbè lugetis. Quandoquidem ipsa cogitatio materiam luctus, & planctus vobis abundanter subministrabit, & dicetis cum Dauid: [Ad nihilum redactus sum, & nesciui. Quoniam peccatum ducit ad nihilum, iuxta illud Ioan. 1: [Sine ipso, factum est nihil.] Super quæ verba sic scribit D. Aug. [Ad nihilum deduxerunt me iniquitates meæ, quia tu es verbū, & ego non eram tecum, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, & ideo sine te, factus sum nihil, quia est nihil, quod ad nihilum ducit, malum itaq. nihil est, quia sine verbo factum est.] Et idem affirmat in lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 13. dum inquit: [Non defecit homo, vt omnino nihil esset, sed vt inclinatus ad seipsum minus esset, quam erat, relicto itaq; Deo in semetipso, hoc est, sibi placere, non iam nihil esse est, sed nihilo propinquare.] Ad hanc plane doctrinam D. Augustini, alludit illud Apostoli 1. Cor. 13. [Si cha-
I ritatem non habuero, nihil sum.] Et illud Amos. 6. [Qui lætamini in nihilo.] Nempe in peccatis. Et illud Psal. 43. [Vendidisti populum tuum sine prætio.] Vel vt transtulit Aquila. [Tradidisti populum tuum vt non esset.] Quod Symmachus ita exoluit: [Tradidisti populum tuum sine substantia.] Et illud etiam Esther cap. 14. [Non tradas Domine sceptrum tuum ijs qui non sunt,] nimirum, ijs, qui sunt peccatores. Et illud deniq. Ps. 36. [Vidi impium super exaltatū, & eleuatum, & trāsiui, & ecce non erat.]Quibus verbis docemur, teste Origene, peccatorem non computari esse

Eccl. 1.

Psal. 129.

Peccatum à summo gratiæ fastigio ad profundissimam foueā ducit hominem.

Peccatum ducit ad nihilum.

D. Augu. in lib. soliloquiorum cap. 5.

Distantia quę est inter Deū & peccatorē explicatur.

Peccator non computatur esse, cū ex ente deducatur ad nihilum.

Peccatores non debēt dominare.

Origenes ho. 9 in Ps 36.




K VAM ingens lapsus sit à bonis inceptis operibus desistere, hic etiam apprimè tangitur, cum huic Antistiti Ephesino, (qui in pauperum cura, vt plerique grauissimi adstipulatores in illa verba, [Charitatem tuam primam reliquisti,] tenent, iam tepescit, ac frigidus omnino factus fuit) hic præcipiatur, vt in memoriā reuocet iacturam, ac pristinum statum, vt sic apertè intueatur à quanto perfectionis culmine, ac fastigio, miserè delapsus corruisset. Hanc namq. tenendo viam, verba illa: [Memor esto itaque vnde excideris.] Sic sonant:

Conceptus secundus. Quod bonorum operum incepta via non est desistenda.

nant: Contemplare quàm perfectum opus reliquisti, dum pauperum curam neglexisti. Quamobrem illud: [Vnde,] fastigium, siue perfectionis apicem à quo, qui bonorum operum inceptam viam desistendo, deiectus ac prolapsus est, clarè indicat. Iccirco illud: [Vnde] vocat peccatorem, vt redeat in se. Quoniam relinquendo bona opera incepta, est prorsus extra se. Sunt planè plerique, qui in principio Quadragesimæ, vel in aliquo alio tempore suæ conuersionis, incipiunt sanctè viuere, ieiunant, orant, corpus suum crebris affligunt disciplinis, eleemosynas plerasq. viduis, orphanis, captiuis, alijsque obuijs pauperibus porrigunt hospitalia frequentant, infirmosq. visitant, & reliqua alia bona opera inchoant: Cæterum, labentibus diebus, cito tepescunt, ac omnino frigescunt, sanctum illũ feruorem charitatis in proximum, & in seipsos relinquendo. Et ij plane sunt tunc extra se, non habentes cor; quoniam per illum teporem, nimirum per illam negligentiam, & bonorum operum omissionem, ablatum sane fuit ab eis eorum cor. Quare per hæc verba: [Memento itaque vnde excideris] vocantur ad iterum accipiendum amissum cor: quasi de illis intelligatur illud Isaiæ in cap. 46. [Redite præuaricatores ad cor.] Perinde ac si apertius dicat. Inquirite causam amissionis cordis vestri, vidite vbinam cor habeatis, & vbi illud reposuistis, quoniam modo non habetis cor, icciro quærite diligenter illud, eumque citò tollite, quoniam cor iuuat ad vitam, & absq. illo viuere nullatenus poteritis. Notanda plane est ista cordis restitutio. Ad quam rectè intelligendam, quędam pręlibanda vtique veniunt. Primumquidem, peccatorem esse extra cor suum; quoniam per læthale crimen commissum, amittit cor suum peccator, iuxta illud: Oseæ 4. [Fornicatio, & ebrietas auferunt cor.] & Psalm. 39. [Cor meum dereliquit me.] Quibus verbis colligitur, homines, dum sunt extra se quasi elongati à suis cordibus, grauiter peccasse. Et sic quærendo causam talis iacturæ, citò inuenimus in sacra pagina, esse peccatum, quod rationis vim prorsus obruit. Quemadmodum dum arborem videmus aridam; fructu folijsq. destitutam, oculos statim conijcimus in radicem, dicimusq. causam esse ariditatis in ea, puta vermem corrodentem illam, aut aliquid aliud noxium: Ita cum homo pręceps fertur, vt non cognoscat Deum immo peccati amplectatur voluptatem, recurrendo statim ad fontem tantæ cæcitatis, proculdubio inuenimus in sacris litteris, causam esse peccatum. Hic vermis cōscientiæ abstulit cor, ne peccati fœditatem agnoscat peccator. Ecce igitur qualiter peccator cor suum amittit. Cum verò peccator, errorem & lapsum suum agnoscit, mox illi cor restituitur. Hinc Dauid 1. Reg. 7. inquit: [Inuenit seruus tuus cor suum.] Et Daniel. 7. dicitur: [Cor eius datum est ei.] Et Psal. 33. [Super sanctos tuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.] Quod si Dauid inuenit cor suum, & Nabuchodonosor Regi restitutum est cor eius, & plerique ad cor conuertuntur, ergo hi omnes antea extra corda vagabantur, ac veluti vecordes erant, quasi testudines, quas, corde exempto, inquit Aristoteles de somno, & vigilia cap. 30. viuere cum cæteris animantibus. Vnde antiquus ille pictor illustris, Phydias nomine, venerem depinxit calcantem testudinem, eo symbolo, quasi tacita ambage, indicans homines à venerea voluptate calcatos esse excordes, & sine corde viuere, quemadmodum, & testudo; propterea pedibus veneris esse præssam. Secundum autem quod prælibandum esse diximus, est circa bonorum operum omissionem. Sunt namque nonnulla bona opera, quarum omissio, vel negligentia, est mortale peccatum, constat si quidem ex D. Tho. p. 2. q. 72. art. 6. omissionis peccatum non differre specie à peccato commissionis formaliter loquendo. Nam omissio, & commissio ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt. Auarus namque ad congregandam pecuniam, & rapit, & non dat ea, quæ dare debet: Non dare autem sua, quibus dare debet; est peccatum omissionis; Rapere vero aliena, est commissionis peccatum; Quare non dare sua, quibus dare debet erit furtum, quemadmodum, & rapere aliena. Et similiter gulosus ad satisfaciendum gulæ, & superflua comedit, & ieiunia debita prætermittit. Et sic dicendum est de cæteris omissionibus. Semper enim in rebus negatio fundatur super aliqua affirmatione, quæ est quodammodo causa eius. Vnde etiam in rebus naturalibus, eiusdem rationis est, quod ignis calefaciat & quod non infrigidet: Et per hoc clarè liquet qualiter bonorum operum inceptorum viam omittere, & desistere, aliquando est mortale, nimirum cum tenemur ex diuino præcepto, vel ex aliqua sancta, optimaque consuetudine antiqua aliquid præstare. Quamobrem plerique per aliquas omissiones bonorum operum damnantur, vti videre est in illo diuite Epulone, qui micas panis Lazaro negauit, de quo Lucæ 16. dicitur: [Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.] Ac etiam hoc plane apparet in illa terribili Saluatoris nostri extrema sententia, quando malis dicet: [Esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere, hospes fui, & non collegistis me, infirmus & non visitastis me, &c.] En vides bonorum operum omissiones, damnationem æternam causare. Quare lugendus plane est delapsus ex summo bonorum operum inceptorum fastigio. Hinc huic Antistiti pauperum curam iam omittenti, dicitur: [Memor esto itaque vnde excideris.] Perinde ac ei diceretur. Cogita à quo culmine perfectionis ad inferiorem gradum delapsus fuisti, à quo ardore charitatis ad maximum eiusdem teporem excideris, & recordare cum magno animi sensu, qualiter pristinum charitatis feruorem amisisti, quoniam quando in dandis eleemosynis pauperibus Christi apprimè studebas, diligenterque operam nauabas, tunc eras veluti alter pauperum Deus; Nam misericordem hominem, veluti alterum Deum pauperum vocat D. Gregorius Nazianzenus sub his verbis:] Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando, nihil enim tam diuinum homo habet, quam de alijs benemereri.] Et paulo post diuiti misericordi etiam ait: [Tibi pauper relictus est, vt Deo, his enim verbis pudore te fortasse permouebo.] Et rectè sane. Nam de Deo, sic inquit psalmista: [Tibi derelictus est pauper, & orphano, tu eris adiutor: [Hinc sapiens ait: [Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum ipse clamabit, & non exaudietur.] Quare cum quis inceptum eleemosynarum, ieiuniorum, disciplinarum, orationumque opus omittit, (peccando mortaliter) amittit, vt diximus cor, hoc est, auertit cor à studio legis diuinæ, vel aufertur ei cor, ne verum Deum agnoscat: Vel cor eius ita elanguidum, & viribus animi exhaustum redditur, ne valeat tentationibus resistere, & iuxta legem Dei viuere; atque creatorem suum agnoscere verum Deum. Et cum insuper Deus, (quemadmodum aquila, & aliæ aues accipitres, inter cætera corporis membra maximè appetant cor, vt eo vescantur) ex omnibus hominis partibus maxime sibi cor afferuari, & offerri desideret, iuxta illud: [Fili præbe mihi cor tuum:] Hinc plane factum est, quod locus iste: [Memor esto itaque vnde excideris,] Loquendo de bonorum operum inceptorum omissione, & negligentia, concinat cum hoc alio loco Isaiæ in cap. 1. [Redite præuaricatores ad cor. Quoniam præuaricatores sunt, qui bona opera incepta negligunt: & in tali negligentia & omissione, cor amiserunt; Et quod peius plane est, tam perfido, & execrando tyranno (qualis est præuaricatio) arcem cordis (soli Deo inhabitandam) tradunt. Hinc quemadmodum qui ab arce sibi à rege tradita egreditur, & eam hostibus tradit, aut reliquit (cum Regi dumtaxat esset afferuanda) iure optimo traditor appellatur: sic qui cor, in quo tria sunt cubilia soli Deo reseruanda, memoria nempe, intellectus, & voluntas, in manu tyrannici appetitus, cæterarumque indomitarum cogitationum reliquit, præuaricator dicitur. Quamobrem maxime conuenit: bonis operibus incœptis fastigium imponere, decantando vsque ad finem vitæ nostræ cum Psalmista: [Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum]

Marginal notes: Peccator extra cor suum est. — Solent peccatores longe esse à suis cordibus. — Testudines sic excordes, & sine corde viuunt. — Simile. — Omissio aliquando inducit ad mortale. — S. Thom. — Auarus, & rapit, & nō dat ea, quæ dare debet. — Bonum opus inceptū ommittere quādo sit mortale. — Matth. 25. — Excidere à bonis operibus inceptis, quanta sit iactura. — Eleemosynam dās, cur pauperum Deus appellatur. — Pauperum curam maximā habet Deus. — Cor amittere quid sit vere. — Lyranus, & D. Hier. in cap. 4. Oseæ. — Comparatio. — Comparatio. — Peccator dicitur præuaricator, & traditor.

Conceptus 3. Quod prædicare,& corrigere propriè ad Episcopos & prælatos pertineat.



EX summo, altissimoq. cacumine ruisse Antistitem hunc Ephesinum, hæc verba: [Memor esto itaque vnde excideris] clarè etiam ostendunt, si super priorem illum textum: [Reliquisti charitatem tuam primam] asseueremus, illum peccasse,& charitatem suam primam reliquisse, concionandi munus & officium relinquendo (vt quosdam diximus existimare, vel correctionem fraternam in sibi subditos (vt etiam retulimus alios putare) prætermittendo. Munus namque, & officium verbum Dei seminandi, Episcoporum, ac Prælatorum proprium vtique est. Quamobrem Conc.Trid.sess.5.cap. 2. sic statuit: [Quia verò Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Euangelij, quam lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus, statuit, & decreuit eadem sancta synodus, omnes Episcopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium.] Correctio insuper fraterna, ita propria est Episcoporum, & Prælatorum erga sibi subditos, vt neglectæ animarum curæ prouidere, clericos exemptos,& regulares corrigere, & magnam habere potestatem in his, quæ ad visitationem, & correctionem spectant, ad solum dumtaxat attineat Episcopum, vt idem Conc. Trid. sess. 7. cap. 5. sess. 14. cap. 8. & sess. 24. cap. 10. docet. Quare Episcopum, siue Prælatum prædicationem, & correctionem in sibi subditos in tempore necessitatis prætermittendo, ab altissimo prosilire cacumine,& fastigio inconfessum plane erit. Altitudo namque,& sublimitas huius officij prædicandi, ac etiam populum, in publica concione per ipsos Episcopos,& Prædicatores Apostolorum successores, corrigendi, clarè & liquidè deducitur ex illo 2. ad Tim. 4. [Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina; erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus (id est, Magistros sibi conuenientes, qui illis aures prurientes titillent, & scalpant voluptatis & adulationis lenocinijs) & à veritate quidem auditum auertent ad fabulas autem conuertentur.] Et ad Rom. 15. [Propter gratiam, quę data est mihi a Deo vt sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.] Quibus postremis verbis, docet Apostolus, prædicationem Euangelij esse quasi victimam Deo gratissimam, & hostiam maximè eidem acceptam, quam prædicator altissimo libat, & sacrificat creatori, & redemptori; quoniam nihil sublimius, præstantiusuè quam per verbi diuini concionem, animas ad fidem conuertere, easdemque Christo redemptori veluti victimam, & oblationem offerre,& sacrificare: Ideo Episcopi, ac prædicatores, qui necessitate vrgente, ministerium prædicandi, populumq. in publica concione corrigendi, prætermittere audent, maximè increpantur, redarguuntur, & multantur à Deo. Hinc Ezechiel 33. dicitur: [Quod si speculator viderit gladium venientem,& non insonuerit buccina, & populus non se custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem de manu speculatoris requiram.] Et Prou. 11. [Qui abscondit frumenta (nimirum prædicationes Euangelij in tempore necessitatis) maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.] hoc est, prædicantium. Et Isaiæ 6. [Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis, ego habito. Et Esther. 4. [Si enim nūc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi (id est populus Dei) & tu & domus patris tui peribitis.] Concinit cum hoc, illud: [Canes muti non valentes latrare,] & illud: [Speculatores cæci,] & illud etiā [Simon dormis,]

Hugo Card.

Primasius.

Sensus ex cōtextu Græco exhaustus.

Prædicatio verba diuini nullatenus dimittenda, & præcipue necessitate instante.

Nulla peior famis, quam famis verbi Dei, nimirum cum prædicatores nolunt prædicare.

F porro, & illud, [bona abscondita in ore clauso.] Illudq. [Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus,] illud etiam, [non potest ciuitas abscondi supra montem posita, &c.] Et postremo illud Ieremiæ: [Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.] Quare quisquis ille fuerit Antistes, Prælatus, Concionatoruè; qui vrgente necessitate, prædicationem verbi Dei prætermittit,& negligit, sciat oportet, illi hæc verba Christi dirigi: [Memor esto itaq. vnde excideris.] Tanta vtique est iactura eius, vt pristinum suum statum amissum suspirare festinet cum Iobo dicens: [Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meum,& ad lumen eius ambulabam in tenebris. Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.] Tali namque negligenti prædicatori,& Antistiti, inquit Deus illud Gen. 3. [Adam (idest prædicator) vbi es?] Perinde ac diceret: Cōsidera negligēs concionator in quo miseriæ gradu sis, nolēdo prædicare, vt antea prædicare solebas, & quā perfectionē amiseris, prædicationem, & correctionem publicam prætermittendo. Sufficiens planè est hæc consideratio, vt ea negligentes prædicatores ad emendationē reducantur. Quamobrem D. Ambrosius in lib. de Paradiso, cap. 14. sic ait: [Adam vbi es? id est, non in quo, sed in quibus es? non ergo interrogatio est, sed increpatio, de quibus bonis? de qua beatitudine? de qua gratia, in quam miseriam recidisti?] Nec vero ex eo quod pauci, aut nulli conuertantur, ministerium prædicandi deserere debet Antistes,& Concionator: Quemadmodum mire argumentatus fuit D. Ioannes Chrysostomus cōcione 1 de Lazaro,& diuite. Primo exemplo fontium. H Aquarum enim venæ, etiam si nullus veniat aquatum manant tamen,& fontes quamuis hauriat nemo, scatebras emittunt. Secundo, ex eo quod Ieremiæ accidit cap. 20. Nam cum desistere cogitaret à vaticinijs inculcandis, eo quod ab omnibus rideretur, tamen ad prædicandi munus iterum Deo impellente recurrit, quemadmodum ipse testatur illis verbis: [Factus sum in derisum tota die, &c.] Et paulo post: [Factus est in corde meo, quasi ignis ex æstuans, claususque in ossibus meis, &c.] Quibus verbis ad prædicandum rursus à Deo compellitur, vt exoluit ibi S. Tho. Tertio, Exemplo Christi, qui cum certo sciret Iudam proditorem haudquaquam conuertendum, numquam eius admonendi culpam neglexit. Quarto. Etsi nullus conuertatur, boni tamen redduntur meliores. Quinto, & vltimo, quia & si malus ea vice non conuertatur, poterit tamen postea fortasse conuerti, per insitum verbum.

Eccl. 9.

Iob. 29.

Prædicatio Euāgelica nō deserēda quia pauci cōuertantur.

I

PARAPHRASIS Secunda.

Et age (inquit) pœnitentiam. Secunda post naufragium tabula huic prolapso, post susceptum baptismum, Antistiti, hic paratur, veluti etiam parata fuit Simoni Mago Act. 8. & fornicario Corinthio 1. Cor. 5. Quoniam quamuis charitas in baptismo accepta sufficiens sit, quantum ex se, præseruare hominem à peccato, iuxta illud ad Rom. 13. [Dilectio proximi malum non operatur,] tamen ex mutabilitate nostri liberi arbitrij contingit quod aliquis posthabitam charitatem, peccet lęthaliter,& per peccatum totam habitam charitatē amittat (quidquid dicāt hæretici:)& cū K Deus, ita benignus & misericors, nec non præstabilis super malitiam nostram sit, pęnitentia prope diem placari solet, quam S. Hieronymus secundam post naufragium appellat tabulam. Hinc planè est, quod ipsemet Deus per vatem suum Ezechielem in cap. 18. dicat: [Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea,& fecerit iudicium,& iustitiam, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus

Par. 2. §. 1. Pœnitētia locus datur pro lapso peccatori post susceptum baptismum.

Vide S. Tho. 3. p. q. 79. art. 6. ad 2.

D. Hieron.

ratus est, non recordabor.] Et cap.33. [Si autem dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam, &c.] Quid, quod, Petro circa peccatorum remissionem præcipit Christus, dicens Matth.18. [Non dico tibi septies, sed vsque ad septuagies septies.],

§. 2. Deus in nouo, magis expectat peccatores ad pœnitentiam, quã olim in veteri testamento 1. Ratio.

Enimuerò cur Deus in nouo testamento magis expectat peccatores ad pœnitentiam, quam in veteri testamento? Ratio ad hoc videtur esse duplex, prima, est propter Christum. Nam ante Christi mortem, homines erant in quadam Dei inimicitia, quia nondum reconciliati erant ei, nec fuerunt nisi per vnigenitum suum, ideo Deus magis se ostendebat hominibus, tamquam dominum, quam tamquam patrem: Nunc vero per mortem vnigeniti sui, reconciliatus est nobis, & est promptior ad nobis miserendum, & ad differendã vindictam, quam aliàs: Nã Christus fuit totus miser cordia plenus, vt colligitur ex illo ad Tit 2. [Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.] Ideo Deus donans nobis vnigenitum suum, omnia nobis cum illo dedit: iuxta illud ad Coloss. 2. [Conuiuificauit nos cum illo donans nobis omnia,] Hac ergo de causa promptior est nunc ad remittendum delicta, quam tempore legis Moysi, quia tunc nõ dum facta erat reconciliatio, & ob id non erat Deus ita promptus ad miserendum, sed ad statim puniendum. Secunda Ratio est propter conditionem status, quia status legis Moysi, erat status timoris, vt puerorum existentium sub pædagogo, qui per timorem mouentur, & per verbera ad bonum, lex autẽ Christi, siue status noui Testamenti, est status perfectionis, sicut viri perfecti, iam non existentis sub pædagogo, qui non mouetur per timorem, nec per verbera ad faciendum bonum, sed per libertatem. Istam differentiam vtriusque status declarat Apostolus ad Gal. 3. & magis ad Heb. 12. Ideo dixit ad Rom. 8. [Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.] Id est, estis iam filij adoptiui, & non serui. Et quia timor est respectu pœnæ, debuit status legis Moysi esse magis pænalis, id est, quod magis tunc punirentur delicta, quam nunc, & quod minus expectaretur vindicta. Et apparet hoc, quia adhuc in illo statu fuit differentia, scilicet, quia quando minus fuit, perfectus & in principio erant plures pœnæ, & minus expectabatur vindicta, nam Iudæi quando exierunt de Ægypto, erant minus perfecti quam postea, quia non erant instructi in cultu Dei, & magis per timorem inducendi erant, vt patet satis de illis quadraginta annis, quibus fuerunt in deserto, quoties Deus illos puniuit, & tam grauiter, non solum personas singulares, sed etiam sæpe totum populum, & nulla erat dilatio vindictæ. Postea uero processu temporis non puniebantur Iudæi ita grauiter, nec ita sæpe Cum ergo status noui testamenti sit totus gratiæ, & perfectionis, non sunt homines inducendi per timorem & per verbera, sed per amorem; Ideo raro in comparatione ad illa tempora fit punitio peccatorum, & leuis valde; & fortassis ista non fieret, nisi vt non ignoretur Deus a gentibus, quem scelerum non sentirent punitorem. En itaque duas causas, ob quas Deus olim magis promptus esset ad puniendum ante Christi aduentum, quam post. Nam si quis legat omnes sacros libros de toto statu Iudæorum, inueniet eos sæpisimè punitos, & valdè grauiter, itaut nullum peccatum inueniatur sine vltione. Et quod non est prætereundum, Deus olim non expectabat longo tempore ad puniendum, sed in promptu digna factis retribuebat, etsi expectabat, hoc erat ad tertiam, vel saltem ad quartam dumtaxat generationem, vt habetur Exod.34. & num. 14. At vero post Christi mortem, in religione Christiana, etiam si quotidie videamus, immensa scelera, tam populorum, quam singularium personarum, non videmus ita promptam punitionem, & quamuis aliquando puniat, tamen quando ipsa pœna danda est, magis nunc Deus expectat quam expectare olim soleret: quæ quidem expectatio ad hoc planè tendit, vt Deus

2. Ratio.

A locum miserendi inueniat per pœnitentiam, & conuersionem nostram, iuxta illud Isa. 30. [Ideo expectat nos Deus, vt misereatur nostri.

DISPVT. VI.

In Cap. II. Apocalypseos, de prolapsis post baptismum, & de eorum reparatione per pœnitentiam.

B In quinque Quæstiones partita super illa verba: *Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam.*

Prologus disputationis.




AGGREDIOR iam, hoc in loco, arduam & difficilem materiam de pœnitentia, quam crebrò in hac sua reuelatione, & præcipuè in hoc 2. & etiam 3. cap. per hæc verba: [Age pœnitentiam] noster Archipropheta Ioannes attingit. Quam & ego contra hæreses huius nostri sæculi, nunc exordiar, & in sequẽ C tibus capitibus, in quibus hæc recitantur verba: [Age pœnitentiam,] minutim prosequar, ad nostrorum fidelium vtilitatem. De prolapsorum autem post baptismum reparatione per pœnitentiam agunt Theologi cum Mag. in 4. sent. dist. 14 & cum S.Tho. 3. p. q.84. Alexander de Ales. 4. p. suæ summa, q. 54. Adrianus in 4. q.3. Andreas à Vega, lib. 3. de lapsis, & eorum reparatione cap. 14. super decret. Conc. Trid. de Iustificatione. Driedo, de reparatione humanæ naturæ, tract. 5. cap 2. p. 2. Alphonsus a Castro contra hæreses, lib. 12. hæres. 3. de pœnitentia. Huualdensis tom. 2. de Sacramentis cap. 135. Rophensis, art. 4. contra Lutherum. Albertus Pighius, controuersia 9. & 10. Decanus Louaniensis, art. 3. contra Lutherum, Pater Canisius, de pœnitentia §. 10. Robertus Bellarminus, tom. 2. controuers. de pœnitentia lib. 4. cap. 1, & 14. Rutilius Benzonius in suo speculo Episcoporum, & curatorum lib. D 2. disp. 1. q.8. art. 4 Et Thomas Stapletonus Anglus, super cap. 3. Act. Apostolorum in illa verba: [Per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur.] Nos etiam aliquid de penuria, ac tenuitate nostra cum paupercula in gazophilatium domini mittere, hic, sedulam nauabimus operam.

Mag. S. Tho. Alex. Alensis Adrianus. Andreas à Vega. Driedo. Alphon à Castro. Huualdensis. Rophensis. Alb. pighius. Decan. Louan. Pater Canis. Rob. Bellar. Rutilius Bonzonius. Tho. Stapletonus Anglus.

Quæsti I.

Vtrum pœnitentia rectè diuidatur in pœnitentiam virtutem, & pœnitentiam Sacramentum.

E 

POENITENTIAM dupliciter considerare possumus, nimirum pro actu, vel habitu interiori, quo peccatum commissum displicet, eo quod est contra rationem, & iniuriam Dei, quia est contra præceptum diuinum: Alio modo pro actu, qui est inter pœnitẽtẽ, & absoluentem, qui est, confessio, & absolutio.

Pœnitẽtiæ diuisio.

Si pri-

1. Assertio. Pœnitentia accepta pro actu interiori vel pro habitu, quo detestatur peccatum commissũ est virtus.

Si primo modo consideretur pœnitentia, non dubiũ est, quin pœnitentia sit virtus, vt profitentur Theologi cum Magistro in 4. sent. dist. 14. & cum S. Tho. 3. p. q. 85. Quoniam dolor, secundum quod consistit in voluntate cum quadam electione recta, oportet sit virtus, cum 2. Ethi. 2. dicatur, quod virtus est habitus electiuus, secundum rationem rectam. Nam circa dolorem de peccatis oportet quod ad rationem rectam, aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est: Quare necesse est, quod pœnitens assumat moderatum dolorem de peccatis prateritis cum proposito remouendi ea. Et sic manifestè pœnitentia pro actu interiori, vel est virtus, vel est actus virtutis, aut virtuosus.

1. Ratio.

2. Ratio.

Præterea patet. Nam omnis actus ab electione procedens, cadens super debitam materiam, cum debitis circumstantijs potest esse virtuosus. Quoniam cum potentia sit qua possumus, & habitus quo benè, vel malè possumus vt dicitur. 2. Ethi. & 5. Metaph. sequitur apertè, quod habitus non requiritur ad eliciendum actum, quantum ad essentiam actus, sed solum ad ponendum modum, v. g. ad concupiscere non requiritur habitus, sed ad sic concupiscere, (puta temperatè) requiritur habitus temperantiæ; quare omnis actus ab electione procedens, cadens super debitam materiam, cum debitis circunstantijs potest esse virtuosus: Atqui pœnitere de peccato commisso potest esse ex electione procedens, & cadit etiam super debitam materiam: Quoniam sicut bonum debitè placet, ita malum debitè displicet. Potest insuper informari, debitis circumstantijs, & prout loquimur de ipso, debitè informatur, quia detestatur peccatum, vt commissum in irreuerentiam Dei cũ proposito satisfaciendi, & sub spe veniæ; Igitur pœnitere sic, erit actus virtutis, Et cum virtus sit habitus, vt dicitur, 2. Ethi, per consequens actus elicitus à pœnitentia regulata, & perfecta per habitum virtuosum, erit actus virtuosus.

2. Assertio. Pœnitẽtia est virtus Theologica simul, & moralis.

1. Ratio.

2. Ratio.

Est insuper pœnitentia virtus Theologica, & moralis. Quoniam nequit pœnitere esse actus solius virtutis Theologicæ: quia virtus Theologica habet Deum pro obiecto, non actum humanum bonum, vel malum At pœnitere habet pro obiecto actum humanum, puta, peccatum, per hominem commissum, Ergo pœnitere non est actus solius virtutis Theologicæ. Præterea nec potest esse actus solius virtutis moralis: Nam virtus moralis non habet pro fine proximo, nec pro circumstantia informante aliquid quod excedit dictamẽ rationis naturalis: At pœnitere prout de ipso loquimur, habet pro fine, & pro circumstantia informante aliquid quod excedit dictamen rationis naturalis: Igitur pœnitere non est actus solius virtutis moralis. Minor patet. Quia finis proximus actus pœnitendi est, vt homo reconcilietur Deo, quem offendit per peccatũ, satisfaciendo per pœnitentiã, quod plane non cadit sub dictamine rationis naturalis. Quare, &c. Oportet igitur, quod actus pœnitendi sit non solum à virtute morali, sed etiam à Theologica simul, vna, vel pluribus, qualitercumque hoc sit.

Corollarium

Istud autem facilius intelliges, notando (si placet) quod quemadmodum in actu malo, est inuenire plures deformitates, quarum vna non est per se determinatiua alterius, sic in vno & eodem actu bono, est inuenire plures bonas circumstantias, siue plures bonitates, quarum vna non est per se determinatiua alterius. Et hoc, tam in malis actibus, quam in bonis. In malis quidem, quia in adulterio commisso intra Ecclesiam, sunt duæ deformitates scilicet adulterij, & sacrilegij in violatione sacri loci: Et vna istarum non est determinatiua alterius. Quia violatio sacri loci potest esse sine adulterio; & adulterium potest committi sine violatione sacri loci, si fiat extra locum sacrum. Vnde propter istas duas deformitates, sunt duo peccata in adulterio commisso intra Ecclesiam, & non solum vnũ maius peccatum. Similiter in bonis, cum aliquis ieiunat ex voto, placet ieiunium propter bonum temperantiæ, & nihilominus placet ei ieiunare, quia vouit. In tali ieiunio sunt duæ bonitates, vna pertinens ad virtutem temperantiæ, & alia pertinens ad virtutem latriæ, & vna non est per se determinatiua alterius. Quia aliquis potest ieiunare ex voto, & non propter bonum temperantiæ, & alius ex bono temperantiæ, & non ex voto. Pari etiam modo philosophari possumus in actu pœnitendi.

Actus vnus potest habere plures deformitates quarum vna non sit determinatiua alterius.

Pœnitendi actus potest habere multas bonitates

F

Cum enim displicet alicui adulterium ab ipso commissum, quia est turpe, & contra temperantiam, & quia est contra præceptum diuinum, cui obedire debemus; & quia pœnitendo speramus reconciliari Deo, satisfaciendo de culpa in offensam eius commissa; in hoc actu sunt multæ bonitates, quarum prima pertinet ad virtutem temperantiæ, cuius est detestari actum inordinatum circa concupiscibilia carnis. Secunda autem bonitas pertinet ad virtutem iustitiæ, cuius est detestari illud quod fit in alterius iniuriam. Quod tamen adulterium sit à Deo prohibitum, & in iniuriam Dei commissum, nulla

G

virtus moralis habet ex se, nec ex dictamine prudentiæ moralis, sed ex fide. Tertia autem bonitas, puta, spes reconciliationis pertinet clare ad spem, quæ est virtus Theologica. Et istarum bonitatum vna, non est determinatiua alterius: quinimmo vna potest esse sine altera. Prima quidem sine alijs sequentibus. Quoniam Gentilis virtuosus, virtute morali detestatur adulterium, quia est turpe, & contra temperantiam, & non quia est contra præceptum Dei, de quo nihil nouit, nec per consequens intendit reconciliari Deo. Similiter aliquis pœnitet de adulterio, quia est contra præceptũ Dei, & in eius offensam, cui tamen non displicet, quia est contra temperantiam, sicut fidelis, qui non habet virtutem temperantiæ, nec pœnitet quandoq. sub spe veniæ, quia desperat ex timore pœnæ, sicut Cain, & Iudas pœnituerunt, & spem veniæ abiecerunt. Et sic patet, quod in actu pœnitendi sunt multæ bonitates,

H

quarum vna, non est determinatiua alterius, & pertinet ad diuersas virtutes per modum imperantis, seu inclinantis, seu per modum elicientis.

3. Asser. Pœnitẽtia est virtus specialis, & pars iustitiæ.

Nihilominus propter pluritatem talium bonitatum, pœnitentia non dicitur plures virtutes: quinimmo cum de ea detur speciale præceptum, vt apparet Matt. 4. [Pœnitentiam agite,] & insuper cum perficiat liberum arbitrium ad actum bonum, & determinatum, ponitur à S. Th. 3. p. q. 85. specialis virtus inter reliquas virtutes, pertinens ad iustitiam: Nam primus actus iustitiæ est reddere vnicuiq. quod suum est, & per pœnitentiam reddimmus vnicuiq. quod suum est, puta, Deo obedientiam, obseruando mandata, & fugiendo transgressionem eorum. Et si contingat transgredi, tunc elicit actum puniendi, propter quem actum sortitur nomen pœnitentiæ. Dixi pœnitentiam poni inter virtutes, non ita vt sit virtus generalis, sed ita vt sit

I

virtus specialis, quia licet pœnitentia respiciat generaliter malum, tamquam obiectum, tamen considerat in eo specialem rationem, scilicet, vt commissum contra obedientiam Deo debitam, & vt est expiabile per satisfactionem quod non prastat aliqua alia virtus.

4. Assertio. Pœnitentia accepta pro actibus exterioribus est Sacramentũ.

1. Ratio.

2. Ratio.

Si vero secundo modo consideretur pœnitentia, nimirum, pro actu exteriori, qui est inter pœnitentem, & absoluentem: Non est etiam dubium quin pœnitentia sit Sacramentum; quinimmo est de fide, Et habetur, cap. [Ad obediendam, extra de hæreticis,] & in omnibus Concilijs, & præcipuè in Florentino, in litteris vnionis, & in Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 1. & sess. 6. cap. 1. Et probatur etiam auctoritate. Nam Matth. 16. dicitur Petro: [Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque ligaueris super terram, &c.] & Matth. 18. [Quæcumque ligaueris super terram, &c.] Per quam potestatem ligandi, & soluendi

K

peccata, declaratur pœnitentiam, Sacramentum nouæ legis esse. Et non obstat, quod locis citatis pœnitentia non dicatur Sacramẽtum. Quoniam certum est Baptismum esse Sacramentum Ecclesiæ, & tamen quando Ioan. 3. Matth. vlt. Act. 2. & alibi, illius fit mentio, non dicitur Sacramentum, & nihilominus, quia est signum rei sacræ sanctificantis nos, est verè, & propriè Sacramentum. Pari etiam modo, quia potestas remittendi, aut retinendi peccata, quæ traditur locis citatis, exer-

Obiectio.

Solutio.

cetur

cetur per aliquos actus exteriores, inter pœnitentem, & absoluentem: quiquidem actus sunt confessio, & absolutio, qui plane sunt signũ remissionis peccatorũ, & rei sacræ sanctificantis nos, necessario pœnitentia pro talibus actibus exterioribus debet esse sacramentum. Tum postremò ratione probatur; quia remediũ contra peccatum originale, nimirum, baptismus, est sacramentũ: Igitur pœnitentia quæ est remediũ contra peccata actualia, est etiã sacramentum. Probatur cõsequentia. Quoniã sacramenta sunt medicamenta contra peccata: Arqui ratio peccati, verius est in peccato actuali, quam in peccato originali: Igitur ratio sacramenti verius debet conuenire remedio instituto contra peccatum actuale, quam remedio instituto contra peccatum originale. Sed de hac re vide S.Thom. 3. p. q. 84. art. 1.

3. Ratio.

3 Assertio.

Sacramenti pœnitentiæ institutio.

Pœnitentiæ autem sacramentum institutum quippe est à Christo Domino post eius resurrectionem, antequam ad cęlos ascenderet, per ista verba Ioan. 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.] Hinc Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. sic sanctè statuit: [Porrò nec ante aduentum Christi, pœnitentia erat sacramentum, nec post aduentum illius cuiquam ante baptismum: Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos, dicens: [Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.]

Pœnitentia olim nõ erat sacramentum licet accipiatur pro actu exteriori.

Corollarium.

Et ex hucusque dictis patet responsio affirmatiua ad titulum quæstionis.

Quæstio II.

Vtrum lapsis post baptismum sit sacramentum pœnitentiæ de necessitate salutis?

Hæreticorũ errores quatuor circa necessitatem pœnitentiæ.

1. Arg.



INFRINGVNT necessitatẽ sacramenti pœnitentię. Primò hæretici: Quoniam Lutherus, Vuicleff, & Iouinianus, putant sacramentũ pœnitentiæ, nec esse necessariũ ad salutẽ, nec à Christo Dño institutum, nec minus acceptam semel iustitiã saltem per baptismum amitti posse per aliquod læthale peccatum superueniens. Quibus hęreticis additur vtiq; Caluinus, qui in Acta Apostolorum super illa verba cap. 13. [Per hunc vobis remissio peccatorũ annunciatur ab omnibus, à quibus potuistis in lege Moysi iustificari.] sic scribit: [Refellitur hac particula, impiũ papistarũ cõmentum, quo tradunt, nõ nisi originale peccatũ, & actualia, quæ ante baptismũ cõmissa sunt purè, & gratuito per Christum remitti, alia redemi satisfactionibus: atqui Paulus clarè pronũciat toto vitæ progressu, nos per Christũ iustificari à peccatis.] & iterum paulo post: [Fixũ ergo maneat iustitiam qua donamur in Christũ, non vnius diei esse vel momenti, sed perpetuã, vt sacrificiũ mortis eius quotidie nos reconciliet Deo.] Et non longe post hæc: [Tenendũ memoria est Iudæis mandatos fuisse legis ritus, vt eorũ vsus quotidie in Ecclesia vigeret. Nam quotquot erant legis ceremoniæ, totidem erant ad consequendã remissionẽ peccatorum exercitia. Eorum omniũ si veritas & substantia repetitur in Christo, sequitur nõ aliud delendis peccatis esse piaculũ, quam eius mortẽ, alioqui inter hanc, & veteres figuras, analogia nõ constaret.] Hæc maledictus Caluinus cõtra necessitatẽ pœnitentiæ. Porrò Nouatus asseuerat peccatum posse dimitti per baptismũ; peccatorum verò post baptismũ commissorũ, nullam esse remissionẽ, & præcipuè maiorũ peccatorũ, puta fornicationis, homicidij,

A & similium. Hunc sequuti fuere Cathari, qui (testãtibus D. Hieron. D. Aug. & Epiph.) appellabantur Cathari, id est mundi, eo quod (vt ipsi aubant) nunquam peccabant. Et tandem Montanus affirmat quodcumq; peccatũ læthale esse irremissibile à Deo, & quod homini non sit vllus locus pœnitentiæ. Quam quidẽ Montani hæresim citat D.Hieronymus in epist. 8. ad Marcellam, & lib. 2. aduersus Iouinianum.

D.Hier. epist. ad Marcellã, & sup. Ps. 95. D. Aug. lib. de hæresibus cap. 10. Epiph. lib. 2. tom 1. hæres. 59.

Secundò infringere etiã possunt necessitatẽ sacramenti pœnitẽtiæ fideles. Tum quia Apost. ad Heb. 6. sic scribit: [Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiã donũ cælestæ, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonũ Dei verbũ, virtutesq; sæculi venturi, & prolapsi sunt B rursus renouari ad pœnitentiã, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.] & iterũ: Terra enim sæpe venientẽ super se bibens imbrem, & generans herbam opportunã illis à quibus colitur, accipit benedictionẽ à Deo, proferens autẽ spinas, ac tribulos, reproba est, maledictio proxima, cuius consummatio in combustionẽ.] & cap. 10. [Voluntariè peccãtibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.] Ergo ex Apostoli doctrina colligitur lapsos post baptismũ non esse reparãdos pœnitentia. Tum quia impossibile est sine recta fide verè pœnitere, iuxta illud ad Heb. 9. [Sine fide impossibile est placere Deo.] Atqui à quibusdam post acceptum baptismũ aufertur facultas credendi, vt patet de negantibus Christũ apud infideles: ergo saltem his, impossibile erit verè pœnitere, & per consequens his nõ erit necessaria pœnitentia. Simile argumentum C potest fieri de obduratis. Tum quia lex Euangelica nõ debet esse grauior & asperior lege scripta, & naturali, dicente Christo Matth. 11. [Iugum enim meũ suaue est, & onus meũ leue.] Atqui ante legẽ Euangelicam, non erat sacramentũ pœnitentiæ necessariũ ad salutẽ: Ergo neque modo. Tum quia si pœnitentię sacramentum esset necessarium ad salutẽ consequendã, etiã pari modo esset necessariũ sacramentũ Eucharistiæ. Patet, quia sicut dicitur Io. 13. [Nisi pęnitentiã habueritis, omnes simul peribitis.] Ita etiã dicitur Ioan. 6. [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitã in vobis.] Atqui sacramentum Eucharistiæ non est necessarium ad salutem. Quoniã innumeri saluantur quin recipiant hoc sacramentum, immo quod amplius est, quin habeant illius votũ & desiderium, vt cõstat de pueris baptizatis de- D scendentibus ante vsum rationis: Ergo &c. Tum tandem, quia D.Ioãnes Chrisost. hom. 2. in Ps. 20. & hom. 20. super Genes. & hom. 31. super epist. ad Hebr. videtur è medio tollere necessitatẽ sacramenti pœnitentiæ, dicens: [Si desideras vt tibi peccata deleantur, dicito peccata tua; quod si confunderis alicui confiteri, dicito in anima tua, non dico vt confitearis cum seruo tuo, sed Deo, qui peccata curat.] Quæ planè verba confirmantur ex illo Ioelis 2. [Scindite corda vestra.] Ergo reiecto sacramento pœnitentiæ, nimirũ, confessione auriculari, solum requiretur contritio, ad hoc, vt quis lapsus post baptismum cõuertatur ad Deũ. Quod etiam probari potest ex illo Ezech. 17. [In quacumque hora ingemuerit peccator, amplius non recordabor.]

Fidelium argumenta cõtra necessitatem pœnitentiæ.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

5. Arg.

6. Argum.

Pro vera huius difficultatis enodatione, quędã pręmittenda vtiq; veniunt. Et primò quidẽ, quod iuxta sacros canones, ac etiam SS.Patres, Pœnitentia vera, E nihil aliud est, quã dolor voluntarius de peccato propter Dei offensam, cum emendationis proposito in futurũ. Dicitur autem pœnitentia [dolor voluntarius.] Quoniã pęnitentia est quasi pœnã tenere, atqui tenere pœnam, importat actionem respectu pœnæ, non tantum passionem ipsius, vt inhærentis: Ergo oportet pęnitentiam esse dolorem voluntarium, ad minus causaliter, quemadmodum omnis effectus cõcomitans liberum actũ voluntatis dicitur voluntarius. Nec obstat, quod de ratione pœnæ est, esse cõtra voluntatẽ, vel inuoluntarium, & nihil idem videtur simul posse esse

1. Fundamentum.

Pœnitentiæ descriptio.

Obiectio.

Solutio. voluntarium & inuoluntarium. Quoniam sufficit ad rationem pœnæ (vt probat Adrianus in 4.sent.q.3. de pœnitentia.fol.206.) quod sit contra affectionẽ commodi: Et sic contra voluntatem sequentem affectionẽ commodi. Nihil enim prohibet aliquid esse contra voluntatem sequentem affectionem commodi, quod sit voluntarium voluntate sequente affectionẽ iustitiæ, & sic tristitia & dolor, in proposito est voluntarius, vnde primo voluntas ex iustitia volens vindicare commissum, secundo, detestatur commissum, & sequitur tristitia, tertiò acceptat pœnam inflictam, quartò patienter fert eamdem. Quamobrem dolor, & tristitia quadrupliciter est voluntaria, à voluntate causante, detestante, acceptante, & patienter ferente. Dicitur insuper [propter Dei offensam,] quoniam si quis de peccato doleat propter pœnam, aut consimilem causam, non est vera pœnitentia. Hinc est, quod licet inter damnatos sit pœnitentia, iuxta illud Sap.5. [Dicent intra se pœnitentiam agentes.] tamen illa infructuosa est, cum sit pœna propter læsionem naturæ, vel punitionem, & non quia offensa est diuina maiestas, aut læsa diuina iustitia. Dicitur postremo [cum emendationis proposito in futurum.] Quia Christus, Ioan.8. adulteræ mulieri dixit: [Vade & iam amplius noli peccare.] Tum quia Magister in 4. sent. dist.14. definiens pœnitentiam, sic ait: [Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala, cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda vltra committere nolumus.] Propterea, ad verè pœnitendũ requiritur, quod homo dolens de Dei offensa nolat (ad minus implicitè) quouis modo peccare in futurum.

Adrian. in 4.

Scotus in 4. sent. dist. 14. art. 3.

2. Fundamentum.

Disparitas inter necessitatem iustificationis, & necessitatem salutis.

Necessarium trifariè accipitur.

Præmitto secundò, quod à recentioribus Theologis constituitur discrimen inter necessitatẽ iustificationis, & necessitatem salutis. Quoniã necessarium, necessitate iustificationis, vocãt illud, quo homo iustificatur, & consequitur gratiam. Necessarium verò necessitate salutis vocant illud, quo aliquis consequitur salutem æternam, & beatitudinem. Nihilominus aliquid potest esse necessarium, Theologicè loquendo, tribus modis ad consequendam salutem, puta, necessitate medij, vt gratia, quoniam gratia necessarium mediũ est ad cõsequendam vitã æternam; ita vt absq; illa nullatenus consequatur: necessitate præcepti, vt ieiunium, eleemosyna, & alia pleraque, quæ sunt in præcepto; hæc enim obligante præcepto complenda veniunt ad consequendã beatitudinẽ, & necessitate vtriusq; modi, puta, medij & præcepti, vt actus fidei & charitatis in adultis: fides enim & charitas & sunt necessaria necessitate medij, & necessitate præcepti, cũ absq; illis ad patriam nullatenus peruenire possimus, & insuper earumdẽ virtutũ actus nobis adimplẽdi præcipiantur,

1. Conclusio.

Hæreticorũ lapsus circa pœnitentiam impugnatur.

Prima conclusio. Prolapsi post baptismũ, necessario amittunt gratiam, & charitatem, ac iustitiã acceptam in baptismo. Hæc est de fide, & probatur contra hæreticos, Vuicleffum, & Iouinianum,

1. Ratio.

Primò, ex sacra Scriptura. Nã Iacob.1. dicitur: [Peccatum cum consummatũ fuerit, generat mortẽ.] & ad Rom.6.[An nescitis quoniã cui exhibetis vos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortẽ, siue obeditionis ad iustitiã.] & cap.16. [Homo per malitiã occidit animã suam.] & Ierem.31.] Vnusquisq; in iniquitate sua morietur.] & Ezech.18. [Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.] & iterũ: [Si autẽ auerterit se iustus a iustitia sua, oẽs iustitiæ eius quas fecerat, non recordabũtur.] & paulo post: [iustitia iusti non liberabit eũ in quacumq; die peccauerit: Et iustus non poterit viuere in iustitia sua in quacumq; die peccauerit. Etiã si dixero: iusto, quod vita viuat, & cõfisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua quã operatus est, in ipsa morietur.] & dudũ: [cum recesserit iustus a iustitia sua, fecerítq. iniquitates, morietur in eis.] & tandem Isa.59. dicitur: [Iniquitates vestræ diuisserunt inter vos, & Deum vestrũ.] At, his in locis nõ

F est sermo de morte corporali, quinimmo de spirituali, quæ fit per amissionẽ gratiæ, quæ est iusta spiritualis animæ, vt cõmuniter in scholis circumfertur à Theologis: Igitur iustus, siue prædestinatus, post acceptam iustificationis gratiã in baptismo, si peccat mortaliter, gratiam acceptam necessariò amittit.

2. Ratio.

Philosophus in cathegor. capi.7. de cõtrarijs.

Gratia & peccatum contraria repugnantur.

Secundò probatur ratione. Quemadmodũ enim impossibile est lucem & tenebras simul esse in vna, & eadem parte, in vno & eodem tempore; sic impossibile etiam est gratiam & peccatum læthale, siue gratia, & eius carentia, simul esse in vna & eadem anima, in vno & eodem tempore; quoniam gratia, & peccatum pugnant ex diametro, iuxta illud 2. Cor.6. [Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelium cum infideli? qui autem G consensus templo Dei cum Idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.] Igitur prolapsi, id est, peccantes læthaliter post baptismum, necessariò amittunt gratiam & iustitiam acceptam in baptismo. Consequentiã probo. Quoniã nequeunt Vuicleff, & Iouinianus negare id quod experientia docet, nimirum, baptizatos post susceptum baptismum, committere furtum, adulterium, homicidium, & alia pleraq; facinora his similia. Id etenim experientia in dies edocet, in aliquibus baptizatis, quamuis nõ in omnibus: Atqui furtum facere, adulterium committere, homicidiumq. patrare, ex suo genere, sunt peccata læthalia: Quoniam sunt contra præcepta Decalogi: Igitur pleriq; baptizati mortaliter aliquando peccant. Sed gratia nequit stare simul, & eodem tempore in vna & eadem anima, H vt rectè probat antecedẽs: Ergo baptizati, si mortaliter peccauerint, gratiam & iustitiam semel acceptam amittunt necessariò.

Corollarium.

Falsa doctrina Iouiniani & Vuicleffi impingitur.

Ex hac conclusione collige contra Vuicleffum, & Iouinianum, prædestinatos posse esse aliquando extra gratiam, iustos etiam posse aliquando iustitiam, & Dei gratiã amittere: & tandem adultos sub lege gratię iustificatos, posse iustificationem aliquando perdere, nimirum, si læthaliter peccauerint post acceptã iustitiã in baptismo. Hinc Conc. Trid. directè contra Vuicleffum, & Iouinianum sess.6.can.23. sic sanctè statuit: [Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere &c. anathema sit.] & sess.6, cap.15. [Asserendum est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiã, quocumque alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: diuinæ I legis doctrinam defendendo.] Hucusque Conc. Trid.

Errores hæreticorũ circa pœnitentiam recitantur.

Vuicleffus autem & Iouinianus asseuerãtes prædestinatos semper esse in gratia Dei, neq; posse esse extra illam; reprobos verò semper esse in Dei odio, neque posse ad illius gratiam venire, tantam insuper esse iustificationis gratiam, vt qui eam semel consequutus esset, nunquam posset ab ea excidere; ideoq. eos qui baptizati fuerint, non posse à diabolo deuinci, & eos qui subuersi ab eo fuerint, aqua tantũ, sicut Simon Magus, & non spiritu, esse baptizatos: fortè decepti fuere, male intelligentes hæc loca sacræ Scripturæ, nimirum, Matth.7. [Non potest arbor bona, malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere.] & 1. Ioan.3. [Omnis qui natus est ex Deo, peccatũ non facit; quoniã semen ipsius in eo manet.] Fortè (inquã) Iouin. & Vuicl. non intelligentes hæc sacræ Scripturæ K loca allucinati fuere; quũ de hęreticis intelligitur illud B. Iudæ Apost. [Quæ autẽ ignorant blasphemãt.]

Loca sacræ scripturæ quibus fortè decepti fuerũt Iouinianus, & Vuicleffus.

Exponũtur hæc, & Catholice loca sacræ scripturæ quibus fortè decepti fuerunt Iou. & Vuicleffus.

Enimuerò prælibata loca scripturæ sacræ non in sensu diuiso (quasi sensus sit arborem bonam, non posse fructus malos facere, & iustos, non posse iustitiam suam perdere, & committere peccatum) sed in sensu composito accipienda veniunt, ita vt sit sensus; quamdiu est arbor bona, ab ea non potest prodire fructus

fructus malus, & non potest iustitia, seu natiuitas diuina simul stare cum peccato: arbor igitur bona, vt bona, non potest fructus malos facere; & qui natus est ex Deo, vt est ex Deo natus, peccatum non facit. Quoniam sic semen in eo manet, & sic reduplicatiuè; & in sensu composito accipere prælibata loca necesse est. Quemadmodum necessarium etiam est, sic reduplicatiuè, & in sensu composito accipere, quæ Paulus dicit de animali homine, nempe, quod neque percipiat, neque possit intelligere, quæ Dei sunt. Intelligendum quippe hoc est quamdiu ab animali non transierit, & commutatus fuerit in spiritualem. Nec alius est sensus verborum Christi: [Nemo potest duobus dominis seruire, Deo, & Mammonæ.] significauit quippe nobis impossibile esse, vt simul quis duobus dominis seruiat. Nam diuisim potest quiuis duobus dominis seruire, videlicet pro diuersis temporibus. Hinc Diuus Hieronymus contra hæreses in expositione illorum verborum: [Non potest arbor bona, malos fructus facere.] sic Scribit: [Quæramus ab hæreticis, qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas, si iuxta intelligentiam eorum, arbor bona malos fructus facere non potest, quomodo Moyses, arbor bona, peccauerit ad aquam contradictionis, & Dauid, Vria interfecto, cum Bethsabee concubuerit; Petrus quoque in passione Domini negarit, aut qua consequentia, Ietro socer Moysi arbor mala, qui vtique in Deum Israel non credebat, dederit consilium Moysi bonum, & Achior ad Holofernem aliquid vtile, & comicus dixerit, quod dictum bene Apostolus comprobauit, Corrumpunt bonos mores colloquia praua? Et cum non inuenerint quid respondeant, nos inferemus; & Iudam arborem quondam bonam fecisse fructus malos, postquam tradiderit Saluatorem; & Saulum arborem malam eo tempore, quo persequebatur, etiam fecisse fructus bonos, quando in vas electionis de persequutore translatus est.] Hucusque Diuus Hieronymus. Hùc itaque alludunt illæ propositiones quæ in scholis à Theologis passim circumferuntur nimirum, prædestinatus potest reprobari, & reprobus potest prædestinari; at verò prædestinatus, vt prædestinatus, non potest reprobari, neque reprobus, vt reprobus, potest prædestinari.

1. Cor. 2.

D. Hieron.

Propositiones Theologorum Scholasticorum.

2. Conclusio.

Error hæreticorum circa pœnitentiam refellitur.

Secunda conclusio. Prolapsis post baptismum, est necessaria pœnitentia, ex suppositione (nimirum, supposito peccato post baptismū patrato) vt per eam de scelere commisso, & de gratia amissa peccator reparetur, tam quo ad iustificationem obtinẽdam, quam quo ad vitam æternam, per illum dolorem voluntarium, consequendam. Hæc est D. Thom. 3. p. quæst. 84. art. 5. & est de fide, probaturque contra hæreticos Caluinum, aliosque plurimos, pœnitentiam de medio tollentes.

1. Ratio.

Primò ex locis sacræ Scripturæ. Nam in hoc 2. cap. Apoc. sic dicitur: [Reliquisti charitatem tuam.] nimirum, quam in baptismo accepisti. [Memor esto itaque vnde excideris, & age pęnitentiam.] & paulo post: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.] & Lucæ 8. [Si pœnitentiã non habueritis, omnes simul peribitis.] & Matth. 9. [Non est opus valentibus, medicus; sed male habentibus: nõ enim veni vocare iustos, sed peccatores.] & Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cælorum.] & Ezech. 33. [Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet.] & Eccles. 21. [Fili, peccasti, ne adijcias iterum, & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur.] & Isa. 55. [Reuertatur ad Dominum & miserebitur eius, quoniã multus est ad ignoscendum.] & Iol. 2. [Conuertimini ad me in toto corde vestro.] & Lucæ 3. [Facite fructus dignos pęnitentiæ.] & Eccles. 5. [Non tardes conuerti ad Dominum, ne differas de die in diem.] & Iudith 8. [Sed quia patiens est Dominus in hoc ipso pęniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus.] & Eccles. 17. [Pœnitentibus autem dedit viam iustitiæ.] & Iob. 24.

A [Auditu auris audiui te, idcirco ipse me reprehẽdo, & ago pęnitentiam in fauilla, & cinere.] & Act. 3. [Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.] & Matth. 2.] Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pęnitemini, & credite Euangelio.] & Eccl. 2. [Si pęnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum.] & tandem Ieremiæ 18.] Si pęnitentiam egerit gens illa, à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam, agam & ego pęnitentiam, super malo quod cogitaui vt facerem ei, & subito loquor de gente & regno, vt ædificem, & plantem illud.] Quæ omnia loca, tam ad litteram, quam ad spiritum, intelliguntur directè de prolapsis, nimirum, de his qui post acceptam amicitiam Dei, eiusque gratiam, ac iustificationem peccarunt læthaliter, illam amittendo: ad quã iterum recuperandam vocat eosdem Deus, vt luce

B clarius indicat Ezechiel in cap. 33. dicens: [Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq. iudicium & iustitiam, & pignus restituerit, ille impius, rapinamq. reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniustum, vita viuet, & non morietur: omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur.] Et Euangelicus Vates Isaias, adhuc apertius in cap. 1. id demonstrat, dicens prolapsis: [Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruerse, discite benefacere; quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana alba erunt.] Igitur prolapsis post baptismum est necessaria pœnitentia ex suppositione peccati, vt

C per eam de scelere commisso, & de gratia amissa peccator reparetur, tam quo ad iustificationem obtinendam, quam quo ad vitam æternam consequendam.

Secundò probatur ex Concilijs. Quoniam in Conc. Agathen. can. 37, sic statuitur: [Et si post susceptionem baptismi quilquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiã reparari.] & in Cõc. Florent. in bulla vnionis, quæ incipit: [Lætetur cęli, & exultet terra.] ita legitur: [Lapsos post baptismũ posse per pœnitentiam omnes peccatorum sordes abluere, atque adeo fructus dignos facere pœnitentiæ, vt cum discesserint è vita, Deum Trinum & vnum, sicuti est, conspiciant.] & postremo in Conc. Trid. sess. 6. cap. 14. hoc modo sancitur: [Qui verò ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sa-

D cramentum, meritò Christi amissam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iustificationis modus, est lapsis reparatio. &c.] Igitur &c. 2. Ratio.

Tertiò probatur ex dist. 1. de pœnitentia. cap. [non potest.] & cap. [neminem.] & cap. [multiplex.] & etiam ex alijs plerisque capitibus. 3. Ratio.

Quartò probatur ex sententijs DD. Quoniã D. Chrisost. hom. 4. de pœnitentia, sic scribit: [Ab radamus, quæso fratres, peccatorũ nostrorum senectutem dum tempus habemus; lauacro quidem non possumus, possumus autem hic pœnitentia.] & hom. 8. [Si peccas quotidie, quotidie pœnitentiam agas.] & D. Aug. lib. 2. de adulterinis coniugijs, ca. 6. [Homicidiũ à baptizato commissum, pœnitentia, & reconciliatione sanari, sicut à non baptizato per baptismum ablui.] & de fide ad Petrum cap. 3. [Omni homini in hac vita po- 4. Ratio. D. Aug.

E test esse vtilis pœnitentia, quam quocumque tempore egerit, quantumlibet iniquus, quantumlibet annosus, si toto corde renunciauerit peccatis præteritis, & pro cis non solũ corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, & malorũ operũ maculas, bonis operibus diluere curauerit omnium peccatorum indulgentiam mox habebit.] Et lib. de vtilit. agendæ pœnitent. sic ait: [Sunt multi quos peccare non pudet, ò incredibilis insania, de vulnere ipso non erubescis, & de

ligatura vulneri erubescis: Nonne vulnus fœtidum & putridum est? Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, dic; iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper, tibi soli peccaui, quia tu solus sine peccato.] Et Diuus Ambrosius de Dauid lib. 1. [Peccauit Dauid, quod solent Reges, sed pœnitentiam gesfit, fleuit ingemuit, quod non solent Reges, confessus est culpam, & obsecrauit indulgentiam.] Et Diuus Hieronymus in epistola ad Susan. [Necessaria est pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat.] Quid, quod, idem omnino tenent omnes sancti Patres tam Græci; quàm Latini, ac etiam omnes Catholici Doctores Theologi, nemine penitus, penitusque discrepante. Igitur &c.

D. Ambr. D. Hieron.

5. Ratio. Quinto & postremo probatur ratione. Quia baptizati post baptismi susceptionem aliquando læthaliter peccant, prout nuper dictum est in prima conclusione: Atqui non apparet aliud remedium, per quod gratiam, & iustitiam amissam hij recuperent de nouo, nisi pœnitentiæ sacramentum; alioquin frustra essent in Ecclesia Dei claues sacerdotales Petro, & successoribus suis à Domino magnificè elargitæ, sub his verbis: [Tibi dabo claues regni cælorum; quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.] & iterum: [Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] Igitur &c.

Matth. 16. Ioan. 20.

Ex hac itidem conclusione collige tria consectaria contra Vuiclessistas, Iouinianos, Caluinistas, & plerosque alios hæreticos.

1. Appendix. Pœnitentię sacramentum pro solis lapsis institutū. Primum vtique est, pœnitentiæ sacramentum pro solis lapsis, nimirum pro his dumtaxat, qui post baptismum susceptum peccarunt fuisse, à Christo Redemptore nostro institutum. Quamobrem in Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. sic diffinitur: [Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit: [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.] Hucusque Conc. Trid. Et S. Tho. 3. p. q. 84. art. 5. probās sacramentum pœnitentiæ esse necessarium ad salutem, non absolutè & simpliciter, vt gratia, & baptismus, sed ex suppositione, ita scribit: [Ex suppositione autem est necessarium sacramentum pœnitentiæ, quod quidē est necessarium, non omnibus, sed peccato subiacentibus. Dicitur enim 2. Paralip. vlt. Et tu Deus iustorum non posuisti pœnitentiam Abraham, Isaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt. Peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem, vt dicitur Iacobi 1. & ideo necessarium est ad salutem peccatoris &c.] & nihilominus à pijs nullatenus est abolendum; vt sanctè diffinitur in Conc. Trid. sess. 14. can. 8. Idem habetur in Conc. Lateranen. cap. 21. & c. omnis vtriusq; sexus. de pœnit. & remiss.

Matth. 16.

2. Appendix. Caluini propositio retundītur. Porrò collige secundo, Caluinum falso dixisse, vbi supra: [Papistarum commentum &c.] Quoniam pœnitentia non est Christianorum commentum, sed Christi & Apostolorum doctrina. Hinc Conc. Trid. sess. 6. can. 29. sic statuit: [Si quis dixerit eū qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiā resurgere, aut posse quidem; sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ, prò vt sancta Romana, & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusq; professa est, seruauit, & docuit, anathema sit.] Et D. Basilius in reg. breu. ad interr. 2. sic scribit: [Deus pro remissione peccatorum nostrorum, demisso vnigenito Filio suo, quantū in ipso est, ea iam ante omnibus condonauit, quoniam autem misericordiam, & iudicium Propheta canit, necesse est, vt ea, quę à Prophetis, & ab Apostolis de pœnitentia dicta sunt, eà à nobis præstentur, vt appareant iudicia iustitiæ Dei.] Ita Basilius.

F

3. Appendix. Fęlicitatis Christianæ duo gradus. Tandem tertio colligitur duos esse gradus nostræ fęlicitatis. Quorum primus est baptismus, cui competit innocentia integra, & non delinquere. Secundus verò est pœnitentia, cui succedit medela quæ sanet, & delicta cognoscere. De qua re legendus est D. Cyprianus in epist. ad Cornelium Papam.

3. Conclusio. Necessitas sacramenti pœnitentiæ est de iure diuino. Tertia conclusio. Necessitas ista (ex suppositione ad salutem) sacramenti pœnitentiæ, est de iure diuino. Hæc est de fide, & expressè habetur in Cōc. Trid. sess. 14. cap. 5. per hæc verba: [Ex institutione sacramenti pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integrā peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, iure diuino necessariam existere &c.] Et in eadem sess can. 6. [Si quis negauerit confessionē sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam
G
esse de iure diuino; aut dixerit modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandatò Christi, & inuentum esse humanum, anathema sit.] Hucusque Conc. Trid.

4. Conclusio. Pœnitētia est necessaria necessitate præcepti, & necessitate medij. 1. Ratio. 2. Ratio. Quarta conclusio. Necessitas ista, est non solum necessitas præcepti, verum etiam necessitas medij, Et quidem quantum ad præceptum patet. Tum ex Matth. 4. [Pœnitentiam agite &c.] Tum quia in Concil. Trid. sess. 14. can. 6. sic sancitur: [Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia seruat esse impossibilē, à pijs abolendam, aut ad eam non teneri, omnes & singulos vtriusque sexus Christi fideles, iuxta magni Concilij Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadragesimæ,
H
anathema sit.] Quantum verò ad medium etiam patet: Quia remissio peccatorum est medium sine quo (post peccata commissa) nec iustificemur, nec vitam æternam consequamur: Igitur pœnitentia vtraque necessitate gaudet, puta, medij, & præcepti.

5. Conclusio. Quinta & postrema conclusio. Necessitas ista sacramenti pœnitentiæ, est proculdubio in re, vel in voto, quando actualiter propter aliquam causam recipi non potest. Hæc est de fide, & continetur in Concil. Triden. sess. 6. cap. 4. per hæc verba. [Verum etiam eorumdem confessionem sacramentalem saltem in voto, suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem.

Dubium. Pœnitētiæ sacramentum quod votum postulet. Est tamen dubium inter Theologos, quodnam votum requiratur respectu sacramenti pœnitentiæ
I
necessarium ad salutem consequendam. Ad quam difficultatem dirimendam, nota primo, votum esse duplex implicitum, nimirum & explicitum. Quando enim quis actualiter desiderat recipere aliquod sacramentum Ecclesiæ, puta, ordinem sacrum, vel matrimonium, & fide diuina crederet, prælibatum sacramentum esse sibi ad salutem consequendam necessarium, tunc haberet votum expressum, siue explicitum. Quando verò aliquis habet actuale desiderium ad aliquos actus alicuius sacramenti, puta, canendi Euangelium, vel communicandi, nullum habens actum explicitum, neque memoriam de tali sacramento, dicetur tunc, iste votum explicitum habere ad illud secramentum, cuius actus desiderat actualiter. Quoniam qui desiderat finem, desiderat ex consequenti media concernentia ad talem
K
finem.

Nota 1.

Nota 2. Votum quod sufficit ad iustificationē, sufficit etiam ad beatitudinē impetrandam. Nota secundo, illud idem votum quod sufficit ad ad iustificationem, sufficiens etiam esse ad vitam æternam consequendam. Quoniam iustificationi, & gratiæ corrēsponder, & debetur vita æterna. Nec ex doctrina Diui Thomæ colligitur aliquid aliud tanquam medium requiri ad vitam æternam, quod non requiratur ad iustificationem. His suppositis.

Dico

Dubij decisio.

Pęnitētiæ sacramentū in voto quando sufficiat.

Dico primo, sacramentum pœnitentiæ in voto, in his qui post baptismum peccauerunt, tunc dici sufficere quando non adest copia confessarij, nec facultas confitendi, ita vt quis confiteri nequeat propter aliquod impedimentum, aut defectum necessarium ad conficiendum hoc sacramentum: Nam si quis potest confiteri tempore quo tenetur, debet recipere in re sacramentum pœnitentiæ, vt habetur ex dist. 1. de pœnitentia. cap. [multiplex.] & ex Concilio Complutensi contra Petrum Oxomen hæreticum, legitimè congregato, & per Sixtum Quartum confirmato. Quid, quod, ratio est manifestissima ad id probandum. Quia, vt dicunt Theologi, votum Baptismi, & Eucharistiæ, tunc dicitur ad salutem sufficere, quando hæc sacramenta in re haberi non possunt, & illa tenemur recipere: Igitur pari ratione sacramentum pœnitentiæ, tunc dicetur ad salutem sufficere in voto, quando in re haberi non potest, & illud tenemus suscipere; Quoniā nō videtur maior ratio de vno, quā de altero.

1. Ratio.

Votū baptismi, & Eucharistiæ, quādo sufficit.

Duæ opiniones circa votum quod requiritur ad pœnitentiā.

Votū explicitum requiritur ad pœnitentiæ sacramentum.

Dico secundo, Melchiorem Canum in relatione de pœnitentia. p. 5. conclusione 3. existimare probabiliorem sententiam esse, prælibatum votum ad salutem consequendam, debere esse expressum & explicitum, quamuis ad iustificationem existimet sufficere implicitum. Putatq. hanc esse sententiam D. Tho. in 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. & 4. contra Gentes. cap. 72. eamdemq. probat. Tum quia plus requiritur in homine fideli, quam in infideli ad salutē consequendā: Atqui, in infideli requiritur vt conuertatur, & iustificetur, & vitam æternam consequatur, ad minus votum implicitum pœnitentiæ; ergo in ipso fideli requiretur explicitum. Tum quia votum requisitum, cum sit desiderium recipiendi hoc sacramentum, debet supponere cognitionem illius. Quod plane si est desiderium confessionis & pœnitentiæ cognitæ, explicitū debet esse. Tum quia non ita necessaria sunt, ad salutem consequendam, præcepta eleemosynæ, ieiunij &c. sicut est sacramentum pœnitentiæ: Quia eleemosyna, ieiunium, & huiusmodi alia, sunt necessaria necessitate præcepti; sacramentum autem pœnitentiæ est necessarium necessitate præcepti & medij: At votum illorum præceptorum est necessarium implicitè: Ergo votum huius sacramenti explicitum, debet se ad salutem consequendam. Tum vltimo; quia votum baptismi ad salutem consequendam, explicitum debet esse: Ergo & pœnitentiæ votum.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Votū implicitum aliquando sufficit ad pœnitentiæ sacramentū, vt per illud beatitudo æterna impetretur.

Dico tertio, probabilius multo esse, & ad iustificationem, & ad salutem æternam consequendam, aliquando sufficere votum implicitum pœnitentiæ. Hanc nostram sententiam docent, Richardus in 4. distinct. 17. art. 2. q. 1. Adrianus q. 1. q. de confessione ad 2. arg. Alexander de Ales in 4. q. 76. membr. 2. & est communis inter Doctores. Probaturque primo, quia si aliquis per contritionem cōuertatur, & habeat gratiam, & iste statim iuguletur, aut naufragio suffocetur, aut martyrium patiatur, ita vt propter perturbationē, aut alia de causa non cogitet, nec illi sacramentum pœnitentiæ explicitè in mentem veniat, iste tunc iustificatur, & vitam æternam consequetur: Et tamen in illo non reperitur votum explicitum pœnitentiæ; sed tantum implicitum, vt constat: Ergo solum votum implicitum sufficit ad salutem consequendam. Secundo quia fieri potest vt aliquis detestando peccata sua consideret beneficia accepta à Deo, & cognoscat suā ingratitudinem, ita vt ex his (non cogitans actum de confessione) in maximum Dei amorem rapiatur: iste consequitur gratiam per dolorem peccatorum, & amorem Dei; & huic gratiæ debetur vita æterna, ita vt si moriatur cum illa (dato quod nequeat recipere hoc sacramentum in re) consequatur vitam æternam. Et tamen in isto non præcessit votum explicitum pœnitentiæ, sed implicitum; Igitur istud sufficiet ad salutem consequendam. Et ad hanc sententiam confirmandam facit illud Ezech. 33. [Si egerit pœnitentiam impius &c. non recordabor iniquitatum.] & illud Apo. 3. [Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit &c.] Aperit enim peccator per contritionem, & votum pœnitentiæ implicitum, ostium Deo, vt per gratiam ingrediatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Concordātia opinionis Melch. Cani, & auctoris.

Pęnitētiæ sacramenti votum explicitum regulariter requiritur.

Dico quarto & vltimo, quod post sufficientem promulgationem Euangelij de facto regulariter, qui non possunt recipere hoc sacramentum in re, tempore quo tenentur: per votum & desiderium explicitum pœnitentiæ saluantur. Quoniam regulariter homines constituti in periculo mortis, si sint fideles & Catholici, clamantes, solent petere sacramentum confessionis, & illum explicitè exoptant & desiderant, vt propè diem ipsa experientia docet. Et in hoc sensu intelligenda venit opinio Melchioris Cani, quam dicit esse D. Tho. pro vt nuper retulimus.

Sol. ad 1.

Caluini positiones impugnantur.

Iam ad ea quæ in principio quæstionis obiecta sunt, respondere oportet. Et quidem ad errores Vuicleff, & Iouiniani, iam patet solutio ex prima, & secunda conclusione nostra. Cæterum, quia Caluinus, loco citato, non se explicat, an ipse clarè neget sacramentum pœnitentiæ, vt negarunt clarè Vuicleff, & Iouinianus, ad eius verba paulatim respondemus.

Prima positio Caluini dissoluitur.

Ad primam igitur eius positionem dicimus, malè ipsum intellexisse doctrinam Catholicam. Apud enim Catholicos non est minus gratuita remissio peccatorum in sacramento pœnitentiæ, quæ fit in his, qui gratiam in baptismo datam rescindunt, quam ea quæ fit in sacramento baptismi. Quoniam & pœnitentia absolutionem præcedens, remissionem peccatorū per modum meriti non consequitur, sed ad eam necessario disponens beneficio mortis Christi eam accipit. Nec satisfactio, quæ sequitur absolutionem & remissionem peccati, ad remissionē peccati quicquam facit, sed ad pœnæ tantum, peccatis remissis, exolutionē spectat. vt passim à Theologis catholicis traditur. Et in Concil. Trid. vbi supra diffinitur circa relapsos. Et sic relapso post baptismū Simoni Mago proponitur à D. Petro pœnitentia agenda (vt dicitur Act. 8.) vt remissionē peccati consequatur. Nec per hoc Petrus peccatum illud post baptismum commissum gratuitò à Christo remittendum per pœnitentiam negauit. Nec minus Ioannes noster hūc Antistitē Ephesinum, qui à prima charitate exciderat ad pœnitentiam hortando, remissionem per Christum gratuitam in sacramento pœnitentię substrahit. Sed quia Caluinus videtur asserere per sua prælibata verba, sufficere in relapsis solam recordationem baptismi, & vnam fidem in Christū; ideo notanda est contra illum Catholica doctrina, quam SS. Patres in Conc. Trid. sess. 6. can. 29. statuunt per hæc verba: [Si quis dixerit eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide, amissam iustitiam recuperare, sine sacramēto pœnitentiæ, pro vt S. Romana, & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, seruauit, & docuit, anathema sit.] Quaobrem ex his, quæ hactenus dicta fuere apparet falsitas illorum verborum Caluini, nempe [alia redemi satisfactionibus.] Etenim loquendo de pœna æterna (vt ipse malè intellexit) catholici non tenent actualia peccata post baptismum commissa, redemi satisfactionibus, bene tamen loquendo dumtaxat, de pœna temporali. Hinc Conc. Trid. sess. 6. cap. 14. ita habet. [Iteq. satisfactionem per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidē pro pœna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ vt sacræ litteræ docent, non tota semper, vt in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristauerunt, & templum Dei violare non sunt veriti.

Error Caluini refellitur.

Satisfactio imposita a cōfessariorū pro pœna temporali, dumtaxat.

Secunda positio Caluini soluitur.

Ad secundam verò eiusdem Caluini positionem dicimus, mortem Christi quotidie nos reconciliare Deo gratis per eius sacramenta, & mandatorum Dei, & eius

& eius sanctæ matris Ecclesiæ obseruantiam. Hinc Dominus postquam discipulis suis præcepit baptismum prædicare vt apparet Matth. 28. sub his verbis. [Euntes docete omnes gentes baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & S.S.] mox adiecit mandatorū suorum obseruationem necessariam dicens: [docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.]

3 positio Caluini dissoluitur.

Ad tertiam denique Caluini positionem respondemus, inter veteres figuras, & mortem Christi analogiā vtique esse, & sic mors Christi est quotidianum, & perpetuum in delendis peccatis piaculum. Cæterum, non vt ipse putat, sed interueniente fide, spe, charitate, baptismo, pœnitentia, contritione, satisfactione, alijsq. sacramentis, pro vt sancta mater Ecclesia, a Christo, & ab eius Apostolis edocta, nos docet. Nec minus consistit analogia ista in eo, quod dicit Caluinus, nempe: [Nam quotquot erant legis ceremoniæ, totidem erāt, ad consequendā remissionem peccatorum exercitia.] aberrat miser & miserabilis. Quoniā nulla veterū ceremoniarū exercitia, nullaq. sacrificia ad expiationē peccatorū valebāt: cum tantū essent [iustitiæ carnis.] Quod autē faciebat in lege veteri ad peccatorū expiationē, erat quippe fides veterum iustorū patrum Abraham, Isaac, & Iacob, &c. in Christū venturū credentiū, quam in illis sacrificijs, & ceremonijs profitebātur offerentes, & celebrantes, quæ plane fides contritione, pœnitentia, & satisfactione minime carebat.

Fides ab antiquis Patribus profitebatur in sacrificijs.

Fides veterū Patrū in sacrificijs erat cū contritione & satisfactione.

Ad errorem denique Nouati, ex hucusque dictis facilis est exitus.

Sol. ad 2.

Ad secundum argumentum fidelium dicimus, Paulū ibi rebaptizationē, dumtaxat, negare. Agit enim ibi B. Apostolus contra quosdam falso existimantes baptismum posse iterare, vt expendunt ibi omnes Doctores, docetq. adultos baptizatos, & postea prolapsos, non posse iterum renouari per pœnitentiam, quæ in illis erat ante baptismi susceptionem. Ad quod rectè intelligendum nota bene verba Primasij, quæ sunt tenoris sequentis: [Non dixit difficile est, sed impossibile: quod enim difficile, vt cumque potest agi, impossibile verò est, quod nullo modo fieri potest. Quid ergo? exclusa est pœnitentia post baptismum, & venia delictorum? Absit. Duo siquidem sunt genera pœnitentiæ, vnum quidem ante baptismum, quod deprecatio baptismi potest appellari, de quo superius diximus, quia iniungitur illis, qui instruuntur antequam ad baptismum perueniant, quam beatus Apostolus hic excludit, dicens: non posse iterum renouari per pœnitentiam, quatenus pœnitentia facta iterum baptizaretur: Alterum autem genus pœnitentiæ est, per quod post baptismum delentur peccata, quod beatus Apostolus non excludit. Terret ergo omnes, vt timeant post baptismi gratiam, grauioribus peccatis, se implicare, quia non potest fieri secunda renouatio per lauacrum baptismatis: Nam sicut Christus semel mortuus & semel resurgens iam non moritur; ita semel gratia baptismatis agenda est, nec potest iterari, nisi dubium fuerit, vtrum nam quis captus ab hostibus sit baptizatus.] Ita primasius.

Primasius in epist. ad Hebraos 6.

Pœnitentiæ duplex genus, nimirum ante baptismum in adultis, & post baptismum.

S. Thom. in epist. ad Heb.

Sensus porrò verborum Apostoli, iuxta doctrinam D. Tho. in cap. 6. ad Heb. lec. 1. sic astruitur: [Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati,] id est, baptizati. Nam baptismus est quædam illuminatio spiritualis. Quoniam nos eramus aliquando tenebræ, nimirum ante baptismum, nunc autem lux in Domino, nempe post baptismum susceptum, [& gustauerunt donum cæleste,] id est, gratiam, quæ de cælo est, tanquam datum optimum, & donum perfectum, descendens à patre luminum: [rursus ad pœnitētiam renouari,] id est, iterum regenerari, & renouari per baptismum. Et sic iuxta doctrinam D. Thom. nomine pœnitentiæ, intelligitur baptismus ipse, vel pœnitentia, quæ in adultis est ante baptismi susceptionē. Et quod hęc explanatio verborum Apostoli sit vera, ex eodē tenore textus comprobatur: Nam illud [rursus] ordinem dicit ad primā re-

Ad Eph. 5.

Baptismus est illuminatio spiritualis.

Iacobi 1.

Pœnitentiæ nomine intelligitur baptismus.

F nouationem & illuminationem per baptismū. Et illud [renouari] baptismum significat. Faciunt etiam ad id corroborandū, verba quæ subiungit Apostolus, nempe [rursus crucifigentes filium Dei,] Perinde ac diceret: Quemadmodum Christus semel mortuus est, ita qui semel est baptizatus, iam rursus nō baptizatur. Est enim baptismus quædā configuratio morti Christi, iuxta illud eiusdē Apostoli: [Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu &c. consepulti sumus cum illo,] per baptismum.

Baptizatus nequit rebaptizari.

Baptismus configuratio mortis Christi.

Aut si mauis audias Adrianum in 4. prælibatum argumentum sic soluentem: [Dico quod procedit de renouatione baptismatis, vnde glossa in verbo, impossibile. Ne quis verò existimet secundū, vel tertium baptismū post peccata posse fieri, subdit, impossibile est, non tantum difficile, ne quis in hoc confideret: Et in

Adrianus in 4.

G verbo, renouari, negat hic Apostolus reiterationē baptismi, sed non excludit pœnitentiā. Renouari enim est nouum fieri, nouum autē facere, lauacri est, scilicet baptismi, vnde renouabitur vt aquila &c. hoc fit in baptismo, & est sensus: Impossibile est eos, qui hoc semel acceperunt rursus renouari, id est, baptizare motos ad pœnitentiam, illos dico, si rebaptizantur, rursus crucifigentes filiū Dei, & habentes derisioni quantum ad se, non enim in re crucifigunt, sed similes sunt irrisoribus, & crucifixoribus; quia vna mors Christi vnū baptisma consecrauit, quod sufficit contra omnia peccata etiā sequentia, sed pœnitentia de eis agatur, sicut illa vna mors sufficit ad omnia peccata tollenda; qui verò iterat baptismum, quasi vna mors Christi, & vnū baptisma non sufficiat, iterat enim mortem, vt ex ea iterata fiat iterata remissio, hæc gloss. Idem in sentētia habet Chrisost. in hom. 9. in epist. ad Heb.] Ita Adria-

Renouari est nouum fieri.

H nus. Et per hoc patet etiam solutio ad 2. locum Apostoli. Ad 3. verò eiusdem Apostoli auctoritatem, dico, quod per ly [voluntariè peccantibus,] intelliguntur in peccato permanentes, ac persistentes, ita vt sit sensus: Voluntariè in peccato permanentes, & persistentes, non relinquitur hostia &c. & sic nihil contra nos concluditur. Quinimmo bene intellecta tota auctoritate Apostoli; cum nullus inuoluntariè peccet (quoniam peccatum, ideo peccatum, quia voluntarium) sequitur quod voluntariè peccantibus, semper adsit facultas reuertendi per veram pœnitentiam, & sic pro illis qui cupiunt a peccatis resilire semper relinquitur hostia, loquendo de prolapsis.

Peccantibus voluntarie semper adest facultas reuertendi per pœnitentiam.

Ad tertium respondetur, quod negantes Christum, non sunt de quæstione nostra, quæ de fidelibus ad vitā æternam peruenire volentibus, dumtaxat, agit, & non

Sol. ad 3.

I de infidelibus. Nihilominus tamen dicimus, quod nulli viatori (dum est viator) aufertur facultas credendi, & quamuis nonnulli eorū (vti sunt infideles, & obdurati, & negantes Christū apud infideles) nō habeāt actū credendi, aut habitū: tū facultas credendi ab eis, non aufertur; quoniā misericordia Dei semper viatoribus est parata, si aliqn forte resipiscant. Vnde licet pro magnitudine scelerū sint huiusmodi pœnitētia indigni; quamdiu tū in via fuerint, manet eis facultas, cum Dei adiutorio præparando se ad verā pœnitentiā dignificare. Et ideo sicuti in eis remanet facultas ad credendū, remanet ex consequenti facultas ad pœnitentiam. Et hoc est satis ad vim argumenti dissoluendam.

Viatoribus semper est misericordia parata.

Ad quartum dico, quod sacramentum pœnitentiæ nō reddit legem Euangelicam grauiorē & asperiorē: immo ex illo colligitur suauitas & leuitas legis euan-

Sol. ad 4.

K gelicæ in cōmuni. Quia per illud & aperitur ostiū regni cælestis, & abundantior gratia datur. Quare quēadmodum ægroto, supposita infirmitate, & grauissimo morbo, suaue debet esse medicamentū (quamuis illud alioquin sit amarū) quoniam per illud deperditā sanitatem recuperat: ita relapsis suauis esse debet pœnitētia, cum per illam, gratiam amissam recuperent.

Comparatio.

Pœnitentia suauis peccatoribus.

Ad quintū facilis est solutio. Quoniam quemadmodum

Sol. ad 5.

dum Sacramentum pœnitentiæ est necessarium in re, vel in voto, vt supra retulimus: Sic Sacramentum Eucharistiæ necessarium est in re, vel in voto, vt docet B.Tho. 3.p.q.77.art. 3. & Aug. super Ioannem, tract.26.& 27.& epist. ad Bonifacium, & etiam colligitur ex Conc.Trid.sess.13.cap.8.

Solutio ad 6.

Ad sextum, & vltimum dicimus. Primo, D. Chrysostomum ibi non negare pœnitentiam absolutè, sed illam dumtaxat, quæ tempore Nestorij (qui fuit prædecessor Chrysostomi) fiebat in ciuitate Constantinopolitana. Ex qua exorta fuere scandala quædam propter quemdam sacerdotem. Vel negare dumtaxat trinam confessionem, quæ suo tempore apud Grecos singulis annis fiebat. Secundo dicimus, non esse loquutum de pœnitentia sacramentali, sed de discussione peccatorum, dolore, & accusatione eorumdem, quæ singulis diebus fieri possunt à peccatoribus, ad obtinendam contritionem, & veram peccatorum veniam. Tertio, & vltimo dicimus B. Chrysostomum, ibi dumtaxat loqui de confessione publica, quæ olim fiebat. ex qua sæpe scandala oriebantur. De qua re legite Sixtum Senensem lib.5.Bibliothecæ sanctæ, & de pœnitentia dist.1.cap.finali. Vbi referuntur verba Theodori Episcopi Cantuariensis.

Pœnitentia Constantinopolitana.

Confessio publica, quæ olim fiebat.

Nota bene.

In calce tamē huius quæstionis animaduertas oportet, quod quamuis pœnitentia non sit ad beatitudinem necessaria absolutè (quoniam sic gratia, & Sacramentum baptismi dumtaxat necesse dicuntur esse,) sed ex suppositione prout tenet.S.Tho.3.p q.84. art. 5. nimirum, supposito peccato, hoc est, prolapsis, nimirum, his, qui post baptismum peccarunt, tamen ista necessitas ex suppositione est necessitas simpliciter, & nullatenus secundum quid, aut ad melius. Quoniam prolapsis vllo modo possunt beatitudinem consequi sine pœnitentia, & sic simpliciter est necessaria pœnitentia ad gratiam & iustificationem amissam, recuperandam. Et non est dare aliud medium, quo salus æterna ab ipsis consequatur, nisi pœnitentia in re, vel in voto, vt superiores probant assertiones nostræ.

Necessarium duplex.

Pœnitentia supposito peccato post baptismum est simpliciter necessaria.

Quæstio. III.

Vtrum pœnitentia prolapsis sit secunda tabula post naufragium.

1. Conclusio. Pœnitentia appellatur secunda tabula post naufragium.



ONCLVSIO est affirmatiua. Quam profitentur Tertulianus lib. de pœnitentia, D.Aug. serm.11. ad fratres, D.Hieronymus super illa verba Isaiæ 3. [Peccatum suum, sicut Sodoma prædicauerunt,] & etiam in Epistola ad Demetriadem, & idem in Epist.ad Sabinianum. S. Tho.3.p.q.84.art.6.& 4.sent. dist. 2. q. 1. art. 3. & dist. 26. q. 4.art.1.Alexander de Ales.in 4 q.1.art.36. membro 3.D.Bonauentura in 4, sent.dist.22.& Conc. Trid. sess.6.cap.14.loquens de pœnitentia per hæc verba: [Quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt.] & sess. 14.can.2. [Si quis confundens Sacramenta, ipsum baptismum Sacramentum pœnitentiæ esse dixerit, quasi hæc duo non sint distincta, atque ideo pœnitentiam non rectè secundam tabulam post naufragium appellari, anathema sit.] Diffiniuit vtriq. Conc. Trid. hoc contra Caluinum maledictum hæreticum, asseuerantē pœnitentiæ Sacramentum non magis rectè vocari secundam tabulam, quam tertiam, vel quartā, vel quintam tabulam. Quia non semel post Baptismum suscipitur hoc Sacramentum, sed iterum, atque iterum, & sæpissimè.

Obiectio. Error Caluini circa pœnitentiæ Sacramentum.

Probatio autem conclusionis apparebit contra Caluinum explicando hanc metaphoram, nimirum, cur pœnitentia secunda post naufragium appelletur tabula à Catholicis.

Status innocentiæ erat nauis integra

Gabriel in 4.dist.14. putat Nauem integram fuisse statum innocentiæ, & hanc passam fuisse naufragium per peccatum primi parentis, a quo cum omnes homines liberentur per baptismum, appellat baptismum primam tabulam post naufragium, & secundum tabulam Sacramentum pœnitentiæ. At vero D.Tho. locis superius citatis, statum peccati primi parentis assimilat mari tempestuoso, procellisque pleno: Sacramentum vero baptismi comparat naui integræ, quia per baptismum integrè peccata remittuntur ad culpam, & pœnam: Sacramentum denique pœnitentiæ assimilat secundæ tabulæ post naufragium; quoniam post naufragium peccati mortalis commissi a baptizatis, quo frangitur, & perditur gratia, est secundum remedium ad illam recuperandam. Verba autem eius in 3.p.q. 84. art.6.talia sunt: [Metaphoricè dicitur (pœnitentia) secūda tabula post refugium: Nam primum remedium mare transeuntibus est, vt conseruentur in naui integra secundum autem remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat, ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quod homo integritatem seruet, secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat.] Sic ille. Quare iuxta eius doctrinam Sacramentum pœnitentiæ non dicitur secunda tabula post naufragium, ex eo quod Baptismus sit prima tabula post naufragium, vt vult Gabriel, sed ex eo quod baptismus sit nauis integra. Et sic explicatio metephoræ propositæ stat in hoc, quod secunda tabula post naufragium non dicatur sic, in ordine ad primam tabulam, sed in ordine ad nauem integram, quod apertius declarat Angelicus Doctor in 4.sent.dist.14.q.1.art.2. quæstiuncula 4. per hæc verba: [Illi enim, qui postremo itinere mare nauigant, prima tabula sustentantur, scilicet, ipsa naui integra, sed naufragium passi, alicuius tabulæ nauis fractæ, auxilio ad portum salutis ducuntur: Et hæc est secunda tabula, quæ est post naufragium, non quod sit secunda post naufragium, sed quia existens post naufragium est secunda a prima, quæ erat ante naufragiū.] Et quia hæc metaphora a Doctoribus tribuitur D. Hieronymo, probat esse intentum suum ex lectione D. Hieronymi per consequentia verba: [Vnde consuetudo sua (nimirum D. Hieronymi) est, vt patet eius dicta legenti, vt omne illud quod præstat remedium post aliquod periculum eueniens, secundam tabulam post naufragium vocet, gratia autem baptismalis per quam in Ecclesia collocamur, cuius figura fuit arca Noe, dicitur prima tabula ante naufragium, sed quia per peccatum mortale naufragium passis, & gratia innocentiæ cadentibus, non restat aliquod remedium nisi pœnitentia, ideo pœnitentia, secunda tabula dicitur.] sic ille.

D. Tho.3 p.

Status innocentiæ, baptismus, & pœnitentia, in quo differant.

Baptismus nauis integra.

Metaphora de secūda tabula est D. Hieronymi.

Verumenimuero hæ duæ explanationes possunt reconciliari, si nauem integram, quæ est ante naufragium (ita integra vt est) primam tabulam appellemus: Et sic baptismus qui liberat a primo naufragio, nempe, à peccato originali, dicetur nauis integra & prima tabula: pœnitentia vero, quæ liberat à secundo naufragio, nimirum à peccato actuali, dicetur secūda tabula.

Gabriel, & S. Tho. reconciliantur.

Ex dictis facilis est solutio ad obiectionem Caluini Quoniam quemadmodum Sacramentum Eucharistiæ, ex eo quod iuxta diuersas proprietates & effectus eius, varia sortitur nomina, nimirum, sacrificium, communio, viaticum, & conuiuium; & quamuis iterum, atque iterum, & millies sumatur, semper est vnum viaticum, vnum sacrificium, vna communio, & vnum conuiuium, secundum suam rationem specificam, sacrificij, communio-


Soluitur obiectio Caluini.

munionis, viatici, & conuiuij, sic cum pœnitentia propter suam proprietatem, & effectum secunda tabula vocetur, licet iterum, atque iterum, ac millies accipiatur, erit secunda tabula post naufragium, secundum suam rationem specificam, & nullatenus tertia, quarta, aut quinta. Nam secus philosophando mutaret secunda tabula rationem specificam secundæ tabulæ, & sui effectus, & proprietatis. Quoniam tertium, quartum, & quintum, differunt specie, effectu, & proprietate à secundo: vt apparet apud Metaphysicos disputantes de speciebus numeri. F

Quæstio IV.

Vtrum prolapsis restituantur virtutes per pœnitentiam? G

Conclus. 1. Virtutes restituuntur prolapsis per pœnitentiam. 1. Ratio.



Affirmativa est conclusio, & probatur. Tum quia, remissio peccatorum, quæ fit per pœnitentiam, nequit esse, nisi per infusionem gratiæ: Atqui ex gratia consequuntur omnes virtutes, quemadmodum ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ: Igitur per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur. Tum quia, vt dicitur Lucæ 15. Pater mandauit, quod filius pœnitens indueretur stola prima: Atqui stola prima, vt tenet D. Ambrosius est amictus sapientiæ, quam simul consequuntur omnes virtutes, iuxta illud Sap. 8. [Sobrietatem enim, & prudentiamdocet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.] Ergo per pœnitentiam omnes virtutes restituuntur. H

2. Ratio. Stola prima est amictus sapientiæ, quã consequuntur omnes virtutes.

Quæstio V.

Vtrum prolapsi resurgant per pœnitentiam in æquali virtute?

1. Conclusio. Prolapsi non semper resurgunt æquali virtute per pœnitentiam



Conclusio. Prolapsi non semper resurgunt per pœnitentiam in æquali virtute, sed aliquando in maiori, aliquando in minori, aliquando verò in æquali. Probatur eo quod motus liberi arbitrij, qui est in iustificatione impij, est vltima dispositio ad gratiam, & sic in eodem instanti est gratię infusio cum ipso motu liberi arbitrij: In quo quidem motu comprehẽditur actus pœnitẽtię: Atqui iste motus liberi arbitrij in pœnitentia aliquando est intentior, aliqñ est remissior. Nã formæ quæ recipiũt magis & minus intendũtur, & remittuntur secundum diuersam dispositionem subiecti: Igitur secundum hoc pœnitens aliquando consequitur maiorem, aliquando minorem, aliquando vero æqualem gratiam, secundum quod fuerit maior, vel minor eius dolor, qui pœnitentia appellatur, vel actus pœnitentis. Probatur consequentia. Quoniam gratia datur ad mensuram doloris, vel actus pœnitentis: Atqui iste dolor, vel actus pœnitentis, quandoque est proportionatus priori, quandoque vero est maior, vel minor: Igitur gratia quandoq; erit proportionata cum illa à qua ceciderat per peccatum, & quandoq. maior, vel minor. Et per hoc patet quod prolapsi pœnitentes, quandoq. resurgant in æquali gratia, quandoq. in maiori, & quandoq. in minori; & idem prorsus iuditium est de alijs virtutibus ex gratia fluentibus. I K

Gratia datur ad mensuram doloris.

Quæstio VI.

Vtrum prolapsi pœnitentes restituantur in pristinam dignitatem per pœnitentiam?



Loquendo de dignitate, qua computamur inter filios Dei per gratiam, certum est pœnitentes prolapsi, istam dignitatem, quam amiserunt per peccatum, recuperare per pœnitentiam, vt apparet in filio prodigo, cui Lucæ 15. pœnitenti pater iusit restitui stolam primam, & annulum, & calceamenta.

1. Conclus. Prolapsi pœnitentes restituuntur ad pristinã dignitate gratiæ, qua filii Dei nominantur.

Loquendo vero de dignitate, quam innocentiam nuncupant Theologi, de qua plane gloriabatur filius senior dicens: [Ecce tot annis seruio tibi, & mandatum tuum numquam præteriui,] impossibile quippe est istam dignitatem pro lapsi pœnitentes recuperare posse per pœnitentiam, quamuis aliquando recuperẽt aliquid maius. Quandoquidem maius gaudium de pœnitentibus fit in cælo, quam de iustis, qui non indigent pœnitentia, vt dicit D. Gregorius super illa verba: [Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.] &c.

2. conclus. Prolapsi pœnitentes non restituuntur ad dignitatem innocentiæ.

Loquendo tandem de dignitate Ecclesiastica, quam per peccatum amiserunt prolapsi, indignos se reddentes per peccatum, ad exercendum ea, quæ dignitati Ecclesiasticæ competunt, aliquando recuperant illam, aliquando verò non: vt apparet apud sacros canones. Hæc omnia, & alia pleraque indicant præallegata verba: [Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam.

3. Conclus. Ad pristinos gradus aliquando reducuntur prolapsi pœnitentes aliquando vero non.

PARAPHRASIS

Tertia.

Et prima (ait denique) opera fac. Cum remissio peccati, & infusio gratiæ, & charitatis per pœnitentiam sint simul, prout nuper retulimus, & etiã satis aptè, & abundè Doctores in 4. sent. dispungunt, hinc plane oritur, quod homine ad charitatem redeunte, & bona opera prima (facta scilicet in charitate) quæ per superuenientem maculam læthalem erant mortificata, mox reuiuiscant, viuificentur, ad prioremque redeant statum in quo facta extiterant, & etiam alia, quam plurima primis similia, nimirum, digna vita æterna operetur hilariter homo. Ac proindè huic Ephesino Antistiti pœnitẽti hic dicitur: [prima opera fac,] hoc est, fac, (gratia superueniente) opera vita æterna digna, vti antea solebas facere, nimirum, operare cum feruore charitatis, vt prius: Vel, vt alij exoluunt, operare tam feruenter, & abundanter quæ bona sunt, sicut tempore primi tui feruoris operari consueueras.

Par. 3. Dilucidatio textus.

§. 1. Remissio peccati, & infusio gratiæ per pœnitentiam sunt eodem tempore.

D. Thom. in comm. D. Dionysius C. arth. in com

En proculdubio præcipua causa ob quam iustus cadat. Vita namq. præsens transigi absque peccato de cursu communi nullatenus potest, iuxta illud: [Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.] Enimuero Deus permittit iustum cadere propter multa. Primo quidem, vt

§. 2. Iusti cadunt multoties.

dem, vt ex proprio peccato suo sibi commodum, & vtilitatem per subsequentem pœnitentiam exhauriat: Hinc Dauid ex ipso peccato remedium contra peccata adinuenit dicens: [Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.] Secundo vt de cætero cautius viuat. Quamobrem ipsemet Dauid postquam peccauit dixit: [Auerte oculos meos, ne videant vanitatem,] & iterum: [Renuit consolari anima mea.] Perinde ac diceret. Ita cautè de cætero viuam oportet, vt respuat anima mea omnem consolationem, ac delectationem carnalem. Sed quid, ò, Rex tanto mærore conficeris, vt nullam admittas consolationem? Numquid primogenitus regni tui obijt? Aut charissima coniux tua defuncta est? Vel saltè regni Israel solio deiectus es? Nihil horum plane, sed ne iterum peccato succumbat; & sic in posterum cautè viuat. Tertio vt sanctiorem amplexetur viam, & vitam per austeriorem cibum, & potum: qualiter ipsemet Dauid, qui dicebat: [Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.] Et etiam per alios quamplurimos virtutum actus, & disciplinarum rigores. Quarto, vt magis imposterum coram Deo se humilient, voces eius de cætero cito exaudiendo, iuxta illud Zach. 10. [Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.] Hinc Psalmista ait: [Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.] Sunt namque quidam peccatores obdurati, de quibus intelligitur illud Iob. 15. [Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.] Et hi obdurati, nec Dei, nec suorum Prædicatorum exaudiunt voces, ac clamores: Quinimmo quælibet vox est eis, [vox clamantis in deserto.] At non sic iusti, qui ad sibilum dumtaxat Dei, statim se coram Deo humiliant. Quinto, & postremo permittit Deus iustum cadere, vt ad prima, & adhuc ad maiora resurgat opera: à quibus iam per crebra venialia (& aliquando etiam mortalia) longe discesserat. Et cum hoc plane concinunt redemptoris verba. Ioan. 15. [Et eum qui fert fructum purgabit, vt fructum plus afferat.] Quamobrem, peccata, tentationes, tribulationes, lapsusque iustorum diuersificat sapiens, à peccatis & tentationibus impiorum, dicens Prouerb. 24. [Septies in die cadit iustus, & resurget: impij autem corruent ad malum.] Et idcirco Cain Pharao, & Iudas corruerunt ad malum, nimirum, vt obdurati, æternaliter puniuntur, iuxta verba Christi dicentis: [Malos malè perdet.] At vero Dauid, Petrus, Magdalena, Dimas, & Saulus corruerunt, vt citò ac diligenter, ad primis similia, eisdemque feruentiora opera consurgerent.

Iustus, peccando, postea per pœnitentiam cautius viuit.

Iustus post peccatum austeriorem amplectitur vitā.

Obduratus armatur contra Deum.

Iusti ad sibilum Dei conuertuntur ex malo ad bonum.

Iustorum, & impiorum diuersi lapsus.

§. 3. Opera prima quæ sint.

Quæ autem sint ista prima opera, res est adèo difficilis in se, & inter expositores, tam perplexè diuentilata, vt quid certò, & indubitanter tenendum sit, vix diffiniri, aut statui queat. Enimuero asseuerare possumus, ea esse illa, quæ facere solebat, antequam charitatem primam amitteret: Vel opera eleemosynarum, quæ neglexerat, vel correctiones, & prædicationes, quas omiserat: vel virtutes illæ, quæ supra connumerantur, dum dicitur: [Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia, &c.] Et quantum ad hoc probatur. Quoniam Antistiti huic præcipitur, prima opera facere, in signum quod prima opera supra connumerata iam amplius non præstabat: At prima opera supra connumerata sunt patientia, labor sustētatio malorū, eorumdéq. tollerantia, vt videre licet in prælegato textu: [Scio opera tua & laborem, & patientiā tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt.] Ergo ad hæc opera, siue ad has virtutes, & ad earumdem feruentes actus, præcipuè hic vocatur Antistes iste, cui dicitur, [prima opera fac.] Quare lapsus eius erit, quod à labore, patientia, & ab alijs virtutibus recensitis, dumtaxat retrocedit, & ad easdem nunc de nouo præstandum apprimè vocatur. Vel tandem ad quædam alia opera secreta, quæ iste Præsul sanctus in abscondito olim præstare solebat, quæ decursu tempo-

Prima opera facere quare præcipitur.

Lapsus Episcopi Ephesini in quo consistat.

A ris neglexerat, non tam citò, vt antea frequentando ad quæ plane iterum remeare nunc impellitur à Deo; quoniam charitas remissa potest augeri per actus intensiores, & perfectiores se, vt nuper retulimus cum S.Tho. disp. 5. q. 1.

DISPVT. VII.

In Cap. II. Apocalypseos, de operibus cum charitate, & absque illa factis, nimirum, de operibus viuis, mortuis, & mortificatis.

B

In quinque Quæstiones partita super illa verba: *Et prima opera fac.*

Prologus disputationis.



INTER alia hominibus, ad salutem, & vitam æternam necessaria, sunt bona opera, quoniam Iacobi 2. dicitur: [Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.] Et Apoc. 13. [Opera enim illorum sequuntur illos.] Quæ vtiq. opera nostra, valorem suum per charitatem ita potiuntur, vt & bona, & etiam vita æterna digna appellentur. Quoniam iuxta Apostoli Iacobi doctrinam. [Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum] Quare merito qualiter se habeant opera nostra cum charitate, quæ est forma omnium virtutum, & sine illa, ac etiam eadem per pœnitentiam redeunte, hic diligenti dispungere indagine, operam nauare intendimus. De qua re agunt Doctores cum Magistro in 4. sent. dist. 15. & cum S.Tho. 3. q. 89.

C

Opera nostra valorem suū obtinēt à charitate.

Charitas forma virtutum.

Mag. in 4. sēt. S.Th. 3. p.

Quæstio I.

D

Vtrum opera facta in charitate per superuenientem maculam peccati mortalis, mortificentur?



QVOD non possint mortificari, quidam Theologi probant. Tum quia id quod non est, non potest mortificari; quoniam nihil moritur, nisi quod viuens erat: Atqui opera facta in charitate iam transierunt, quando superuenit peccatum mortale, Igitur per illud nequeunt mortificari. Tum quia pœna nunquam debet excedere culpam; Atqui si aliquis multa bona fecit, ex maxima charitate, & committeret vnum peccatum mortale, forte ex surreptione, vel pauca aduertentia perderet omnia præterita, & sic excederet pœna sua ad culpam. Nam plura fuerunt bona, quam mala, quæ fecit: Igitur non mortificantur opera facta in charitate per peccatum superueniens. Tum postremo, quia id quod mortuum est, non potest habere actum vitæ, respectu alicuius; Atqui opera in charitate facta ab aliquo, ipso mortaliter peccante, viuunt in alijs sanctis, iuxta illud Apoc. 2. [Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.] Hoc est, ne opera tua, quæ tibi prome-

1. Arg.

E

2. Arg.

3. Arg.

promeruerunt coronam, proficiant alteri ad coronam & tu perdas illam, quod fiet, si non tenueris, quod tenes, id est, si perdideris charitatem: Ergo viuunt huiusmodi opera in aliquo alio, & sic illa, per peccatum superueniens, non videntur mortificari.

Conclusio vera.

Peccatum mortale mortificare opera antea in charitate facta, tenetur. 1. Ratio. Opera mortificari quid sit

Contraria sententia est D.Tho. in 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 3. q. 1. & 3. p. q. 89. art. 4. & p. 2. q. 132. art. 3. ad 1. Quam veriorem existimando probamus. Primo, quoniam Ezechielis 18. dicitur: [Si auerterit se iustus à iustitia sua, & operatus fuerit iniquitatem &c. omnes iustitiæ eius non recordabuntur.] Atqui Deum non recordari iustitiæ nostræ, vel non esse in memoria Dei opera nostra bona, est illa esse mortificata. Quoniam opera nostra præterita transeunt quantum ad actum, & manent quantum ad rationem merendi, in Dei memoria. Quemadmodum, & opera mala transeunt, quantum ad actum, & manent secundum reatum: hoc est, quod Deus reputet illa obligatoria ad pœnam, & quantum ad illud esse quod bona meritoria habent in Dei reputatione dicuntur mortificari. Quia prius Deus reputabat illa digna vita æterna: & quod per illa possit homo introduci ad vitam æternam, nunc autem reputat ea inepta ad hoc, ideo mortificari dicuntur: Et hoc ipsum indicant verba illa: [Et non erunt in memoria.] Nam non esse in memoria Dei, non est, quod aliquid excidat à Dei memoria, siue intellectu, quoniam nihil potest à Dei memoria excidere Sed quod aliquid cadat à Dei memoria per reputationem, nimirum, quia prius reputabat illud viuum, & potens introducere ad vitam æternam: Et nunc reputabat illud non habere potestatem ad hoc. Igitur opera facta in charitate per superuenientem maculam peccati mortalis mortificantur. Secundo, quia Diuus Gregorius super Ezechielem dicit, quod cum mala committimus sine causa, bona præterita ad memoriam reuocamus. Quoniam in perpetratione malorum, nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Tertio, quia vita operum, est vita operantis; Atqui, per peccatum mortale, ille qui prius fecerat opera bona, mortificatus est: Igitur opera, quæ fecerat in charitate, mortificantur.

2. Ratio.

3. Ratio.

Nota bene. Mori, & viuere, quid sit.

Opera nostra dicuntur viua vel mortua æquiuocè.

Opera viua, mortua, & mortificata, quæ sint.

Animaduertas oportet. Opera dici mortua, vel viua esse loqui æquiuocè de vita, secundum quod in eis reperitur vita per attributionem. Quoniam iuxta doctrinam D.Th. in 4. sent. dist. 15. q. 2. illud propriè viuere dicitur, & viuere apparet, quod ex se aliquem motum habet. Quia nomen vitæ ad omnia illa trahitur, quæ ex se habent, aliquam operationem sine principio aliquo extrinseco, sicut illa, quæ intelligunt, sentiunt, mouentur, appetunt & nutriuntur. Et inde est, quod nomen vitæ, transmittitur ad illa, quæ habent debitam operationem, & effectum secundum conditionem suam: illa vero, quæ carent ista operatione, vel priuantur ea, dicuntur mortua. Et sic dicimus, aquam viuam, & aquam mortuam. Proprius autem effectus humanorum actuum, est, quod per illos perueniat homo ad vltimum finem vitę humanæ, cum homo sit agens per rationem intendens finem. Illi ergo actus vel opera dicuntur viuere, siue viuentia, quæ hominem ad vitam æternam perducere possunt, & illa dicuntur opera mortua, quæ faciendi homo non habet potestatem. Illa vero dicuntur mortificari, quæ istam potestatem prius habuerunt, & postea illam amiserunt. Propter hoc ergo opera facta in charitate in illo, qui adhuc in charitate manet, viua sunt, quia possunt eum perducere ad vitam æternam si in hoc statu discedat. Opera autem facta sine charitate in eo qui manet sine charitate, dicuntur mortua, quia sic existens nunquam perueniet ad vitam æternam. In illo vero qui facit opera bona in charitate, & postea gratiam perdit, dicuntur opera mortificata, quia peccatum superueniens impedit hominem ire ad vitam æternam per illa opera, aut per quæcumque alia, quia extra charitatem est. Rectè, ergo mortificata dicuntur

F quia pro tunc priuata sunt potestate introducendi, & perducendi hominem ad vitam æternam; Quoniam per peccatum sequens, impeditur homo, quod per illa opera non possit ad vitam introduci.

Primum autem argumentum non tenet; quoniam sicut opera peccati transeunt actu, & manent reatu: sic opera bona in charitate facta, quamuis actu transeant; tamen manent in merendo: Et secundum hoc possunt mortificari. Sol. ad 1.

Illud verò quod pœna nunquam debet excedere culpam, soluitur eo quod per ingratitudinem meretur homo accepta beneficia amittere: Et ideo per quantumcumque paruum peccatum mortale, quo homo Deo ingratus de beneficijs perceptis fit, omnia bona præcedentia perdit, quantumcumque fuerint ad fructum vitæ æternæ. Nec propter hoc, pœna culpam G excedit. Quemadmodum si quis per opera bona, multos obtinuisset à Principe magnos honores, & postea commisso contra eum delicto magno morte digno, si priuaretur omnibus honoribus, quos à principe susceperat, & non occideretur, non est pœna maior quam culpa, sed è contrario. Sol. ad 2. Simile.

Tertium denique argumentum etiam dissoluitur per hoc, nimirum, quod quamuis accipiendo viuere, & mori propriè, illud quod est in se mortuum, non possit respectu alterius actum vitæ habere. tamen accipiendo viuere, & mori metaphoricè, vt est dictum nihil prohibet quod in se viuum est, respectu vnius esse viuum, & respectu alterius esse mortuum. Quia respectu vnius habet effectum suum, sed respectu alterius non habet propter indispositionem ipsius. Sicut ocu-H lis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis: Et tamen ipsa lux in se non habet, istas duas qualitates oppositas: sed propter dispositiones diuersas eorum, in quibus operatur competit & hoc. Pari etiam modo opera bona facta ab aliquo in charitate, qui postea charitatem perdit, non proficiunt ei si moriatur in peccato illo, quantum ad ingratitudinem gloriæ, quã habiturus erat, & proficiunt alijs sanctis, & ita dicuntur alij accipere coronam eius. Sol. ad 3.

Quæstio. II.

I Vtrum opera facta ab aliquo existente in peccato mortali, profint?



ISTINCTIONE opus est. Vel etenim quærimus an talia opera prosint ad merendum, vel an prosint ad satisfaciendum. Quoniam quodlibet opus, ista duo habet, nimirum, quod per illud mereri possimus, & etiam quod satisfacere possimus de aliquo debito. Nota bene.

Conclusio prima. Opera bona facta in peccato mortali, satisfactoria sunt. Hæc est Abulensis in cap. Matth. q. 171. & contra Adrianum in 4. sent. de pœnitentia, q. de satisfactione; & probatur. Tum quia si K alicui pro pœnitentia, impositum est ieiunare, eleemosynam dare, orare, vel aliquid aliud facere, si in mortali constitutus ista compleat, satisfacit, itaut non teneatur ille iterum facere, nec etiam confiteri, quasi pœnitentiam iniunctam non impleuerit. At qui hæc omnia sunt opera bona facta ab homine non existente in charitate; Igitur opera facta absque charitate, ab aliquo non existente in gratia, sunt satisfactoria. Tum quia si beneficiatus, ordinatus, religiosus, vel aliquis alius

1. conclus. Opera facta in mortali peccato sunt satisfactoria. Abulensis. 1. Ratio.

2. Ratio.

alius in sacris constitutus, qui tenetur ex obligatione A recitare diuinum officium, dicat horas canonicas in mortali existens peccato, proculdubio satisfacit, itaut non teneatur iterum recitare illas horas Canonicas, ergo, &c. Tum quia id apparet in obseruantia legis, tam Christi, quam naturalis. Quoniam nos, vt docet S. Tho. in 3. sent. dist. 36. art. vlt. non tenemur ex charitate siue in charitate existentes implere, quæ iubentur in lege: Quinimmo satisfacimus si ea impleuerimus quocumque existendo in peccato mortali, ergo, &c. Tum postremo, quia religiosus obseruãdo in peccato mortali sua vota, regulam, constitutiones, ceremoniasque religionis suæ, proculdubio satisfacit circa ea, quæ promisit, & quæ facere ex onere speciali tenetur: Igitur opera facta ab aliquo non existente in charitate sunt satisfactoria.

3. Ratio.

Legem adimplemus etiam existentes in peccato mortali.

4. Ratio.

Conclusio secunda. Opera facta ab aliquo existen- B te in mortali peccato non proficiunt ad vitam æternam per ea merendam. Hæc est communis omnium Theologorum in 4. sent. & probatur. Tum quia 1. Cor. 13. dicitur: [Si tradidero corpus meum, itaut ardeam charitatem autem non habeam, nihil sum.] Id est, nihil valeo in conspectu Dei, sed reputat me Deus tamquam nihil essem: Ergo, &c.] Tum quia vita æterna non potest haberi ex merito alicuius operationis secundum seipsam: quinimmo habetur solum ex acceptione Dei, iuxta illud ad Rom. 8. [Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Quamobrem, si vitam æternam mæremur, non dicimur mæreri ex condigno, sed ex congruo, nimirum quia Deus acceptat operationem nostram: & reputat illam dignam vita æterna. Non quia verè digna sit, sed quia placet ei tanquam dignam acceptare. Quod plane ideo fit, quia Deus acceptat operantem. Quo- C niam opera non placent Deo per seipsa principaliter, sed propter operantem, iuxta illud Gen. 4. [Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius:] Atqui operãs in peccato mortali non placet Deo: quoniam placens Deo, est amicus eius, quod fit per charitatem, per quam homo diligit Deum propter seipsum, & super omnia, ergo, &c.

2. Concl. Opera facta in mortali peccato non proficiunt ad vitam æternã merendam, per ea.
1. Ratio.
2. Ratio.

Conclusio tertia. Opera facta ab aliquo non existente in charitate prosunt ad merendum aliquid, quod sit minus vita æterna. Probatur. Tum quia Doctores in 4. sent. dist. 15. ita tenent, vnde est versus.

3. Conclusio. Opera facta in peccato mortali prosunt ad merendum aliquid.
1. Ratio.

Quæ cum peccato fiunt dant bona terrena.
Cor faciunt humile, subleuant tormenta gehennæ.

D Tum quia aliàs aliquod bonum maneret irremuneratum, quod repugnat ordini diuinæ prouidentiæ. Tum quia id expressè habetur de pœnitentia distinct. 3. cap. [Cauendum nobis.] Tum denique D. Gregorius hom. de diuite & Lazaro, & D. Aug. in Inchirid. & de pœnitentia, expressè profitentur ea quæ fiunt in peccato mortali proficere ad merendum hæc omnia, nimirum, minus supplicium in inferno: temporalia bona; quod homo citius se disponat ad exeundum de peccato: & tandem quod per illa bona homo assuefiat ad bonum, & inde gignatur bonus habitus. Quoniam quilibet actus, naturaliter est generatiuus habitum, vt colligitur ex 2. Ethi. Quæ sanè omnia aliquid minus sunt vita æterna. Ad hoc plane alludit illud: [Recepisti bona in vita tua.] Si enim diues ille non recepisset aliquid temporale pro suis bonis operibus, non sic illi dictum esset.

2. Ratio.
3. Ratio.
4. Ratio.
Philosophus.
Lucæ 16.



Quæstio III.

Vtrum opera facta in peccato mortali, redeunte homine ad charitatem per pœnitentiam, viuificentur, itaut sint meritoria vitæ æternæ?



S. Th. in 4. dist. 14. q. 2. art. 3. q. 1. & dist. 15 q. 1. art. 3. q. 4. & 5. & p. 2. q. 90. art. 6. Adrianus in 4. sent. de pœnit. q. de satisfactione, & Abulensis in cap. 5. Matth. q. 177. Impossibile esse tenent, quod opera mortua, iterum fiant viua per pœnitentiam. Appellant autem opera mortua, illa quæ facta fuerunt ab aliquo constituto in peccato mortali. Quam quidem sententiam tãquam verissimam confirmo. Primo sic. Opera facta in peccato mortali, pro tunc non sunt meritoria vitæ æternæ vt ex superiori quæstione patet, ergo nec erunt meritoria vitæ æternæ postea adueniente charitate per pœnitentiam. Consequentiam probo: Quoniam pœnitentia secundum se, tantum ordinatur ad remotionem mali, id est, peccati: Atqui causa quæ per se dumtaxat remouet prohibens, nullo modo inducit per se aliquem effectum prout sic, vt est manifestum; Igitur opera mortua non sunt viuificabilia, nec viuificantur, nec minus prosunt ad vitam æternam per sequentem pœnitentiam, & superuenientem charitatem. Cum viuificare sit introducere per se effectum; quod nequit ex se præstare pœnitentia, cum ipsa ex se dumtaxat, remoueat prohibens, nimirum, peccatum. Maior probatur. Nam si per pœnitentiam aliqua bona restituuntur, hoc non est nisi per accidens, vt tenet. S. Tho. in 4. sent. dist. 14. q. 2. art. 3. q. 1. in corpore, nimirum, in quantum pœnitentia remouet prohibens, id est peccatum, vt statim dicemus in q. 5. in qua disputabimus, an gratia, & virtutes, per pœnitentiam restituantur. Minor etiam liquet. Nam causa per se remouens, prohibet dumtaxat per suam causalitatem & rationem formalem, impedimentum effectus, hoc enim formaliter dicit ly [remouens,] & si aliquis effectus inducatur necesse est, quod detur alia causa per se respectu illius effectus. Quemadmodum aperiens ianuam remouet prohibens ad ingressum domus; & tamen si nullus fuerit ad portam, vel fuerit aliquis omnino paralyticus, nemo intrabit. Hoc plane est, quia præter remouere prohibens, requiritur causa per se respectu huius effectus, qui est intrare domum, scilicet, potentia gressiua. Quare habetur intentum.

1. Conclusio. Opera facta in mortali peccato, redeunte homine ad charitatẽ nequeũt esse meritoria vitæ æternæ.

Causa remouens, vt sic, nõ introducit aliquid.

S. Tho.

Nec ista causa per accidens potest dari in operibus mortuis, quæ concurrere possit, simul cum pœnitentia. Quoniam iuxta doctrinam D. Tho. vbi supra, viuificationis operum factorum in peccato mortali, & extra charitatem non potest poni aliqua causa per se. Probatur. Quia vita operum dependent ex vita operantis; Quoniam opera non dicuntur viuentia, aut vitalia, nisi quia à viuente fiunt. Et quia viuit homo in se E spiritualiter per gratiam, & charitatem, opera habebunt, quod sint viuentia à charitate operantis, quam existens in peccato mortali nullatenus habet: Cum peccans mortaliter totam charitatem mox amittat, vt dictum est supra, disputatione præcedenti. Ergo viuificationis operum factorum in peccato mortali, non est danda aliqua causa per se. Consequentia etiam probatur: Nam charitas, & gratia superueniens per sequentem pœnitentiam nequit id præstare, vt patet. Quo-

2. Conclusio. Charitas, & gratia, quæ nunc est, nequit viuificare opera mortua, quæ ante aduentũ eius mortua iam erant.
1. Ratio.

Nota bene.

Quoniam charitas, & gratia superueniens per pœnitentiam sunt habitus de nouo infusi à Deo per illam pœnitentiam. Nam dum erat in læthali constitutus nullatenus charitatem, & gratiam obtinebat: Ergo charitas, & gratia superueniens per pœnitentiam nequibat esse causa per se talis viuificationis. Probo consequentiam. Habitus non potest perficere, vel formare actum non procedentem ab eo; Quemadmodum actus nauigandi, phylosophandi, vel depingendi, nequit perfici, vel formari ab habitu pascendi oues, vel agriculturę: Atqui opera mortua nō sunt actus, qui processerunt ab ista charitate, & gratia, quæ nunc est per sequentem pœnitentiam, quoniā talis charitas, & gratia tunc non erat, & nunc est, ergo nequibunt viuificari, perfici, vel formari talia opera mortua per talem charitatem, & gratiam, quæ nunc est per sequentem pœnitentiam. Secundo nullum opus est meritorium æternæ vitæ, nisi à charitate processerit, aut ab habente charitatem secūdum charitatis inclinationem. Quoniā opera nostra solum sunt meritoria in virtute passionis Christi, quam quidem participes efficimur per coniunctionem charitatis. Et quamdiu Christo non incorporamur, vel vnimur per charitatem, nequeūt opera nostra esse meritoria vitæ æternæ (Illud vero propter inclinationē charitatis, adieci propter Scotum in quodlibeto. 17.) Et sic ad merendum requiritur gratitudo personæ, & incorporatio eius ad Christum, per charitatem, & gratiā. Quare sola opera vitæ spiritualis sunt meritoria vitæ æternæ. Atqui opera mortua, per sequentem charitatem, quamuis incipiant esse eius qui nunc habet vitam spiritualem, non tamen incipiūt esse opera vitæ spiritualis, quia charitas subsequens non facit opera bona extra statum charitatis facta, fuisse opera grata Deo, vel opera connexa virtuti, seu influxui passionis Christi per charitatem: Ergo, &c. Tertio ante viuum, non generatur aliquid viuum, vel habens potentiam ad vitam, Atqui homo sine charitate nō viuit spirituali vita, ergo, non potest aliquod opus facere spiritualiter viuum: Quinimmo quodlibet eius opus, est mortuum non habens potentiam ad vitam, & ita nō est viuificabile. Quarto. Omnia viuificabilia sunt aliquo modo meritoria; ad minus in potentia, si ergo opera extra charitatem facta possent aliquo modo viuificari, aliquis sine charitate posset aliquo modo mereri vitam ęternam, quod est falsissimum. Quinto, & postremo, eamdem sententiam confirmo; quia 1. Cor. 13. dicitur: [Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem, non habuero, nihil mihi prodest.] Atqui hoc non esset, si saltem per pœnitentiam subsequentem viuificarentur opera mortua: Igitur pœnitentia non viuificat opera prius mortua.

Habitus nequit formare actum non procedentem ab eo.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

Pro vera intellectione huius difficultatis, notes oportet, quod omnia opera nostra, quæuis illa sint, postquam facta fuerunt, & transire, & manere. Quoniam quantū ad actum, omnia postquam facta sunt, transeunt & iam non sunt; quantum vero ad meritum, vel demeritū remanent. Nam opera peccati manent reatu, opera vero bona manent quantum ad meritum vitæ æternæ: At vero opera mortua, puta, in peccato mortali facta, post quam facta fuere, vllo ex his modis remanent; quoniā quantum ad actum non remanent: Nam iam facta fuere, quantum vero ad meritum vitæ æternæ certum est non remanere cum fuerint facta absque charitate, sine qua non est meritum aliquod vitæ æternæ. Quare quāuis postea adueniat charitas, non est cur dicamus illa viuificari: Nam iam omnino trāsierunt tamquā semper mortua. Mortua, inquā, non effectiuè, puta, vt sunt peccata quæ causant mortē spiritualē in animā, de quibus intelligitur illud ad Heb. 9. [Sanguis Christi emundauit conscientias nostras ab operibus mortuis,] hoc est, ab operibus peccati: sed dicuntur opera mortua priuatiuè puta, quia carent vita spirituali, quæ est ex charitate, (vt ait S.Th. 3. p. q. 89. art. 6.) per quam anima Deo cōiūgitur ex quo viuit, sicut corpus per animā, & per hūc modum, etiam fides, quę est sine charitate dicitur mor-

Opera nostra postquam facta sunt, & trāseunt, & manent.

Meritum non est absq. charitate.

Peccata dicūtur opera mortua quia effectiue causant mortem, in anima nostra.

F tua, iuxta illud Iacobi 2. [Fides sine operibus mortua est.] Et per hunc etiam modum, omnia opera, quæ sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, in quantum scilicet non procedunt ex principio vitæ: sicut si dicamus sonum cythara, vocē mortua, sic igitur differentia mortis, & vitæ in operibus est secundū comparationem ad principium, a quo procedunt. Opera autem non possunt iterum à principio procedere (quia trāseunt prout est dictum) & iterum eadem numero (vt constat ex philosophia) resumi non possunt. Vnde impossibile est, quod opera mortua iterum fiant viua per pœnitentiam, & charitatem subsequentem. Manent vero ista opera mortua, ad bona temporalia, & ad aliquid minus vita æterna merendum, pro vt dictum est supra, in quæstione præcedenti.

Opera nostra quomodum. mortua appellentur.

Enimuero, contra prælibata insurget aliquis. Primo
G sic. Opera mortua dum fiunt proficiunt ad bona temporalia, & ad aliquid minus vita æterna, vt dictum fuit in quæst. præterita: Ergo adueniente gratia videntur iam esse meliora, itaut proficiant ad meritum vitæ æternæ. Secundo. Bona opera magis appropinquant gratiæ, & charitati, quam bonum naturale; quoniam bona opera ex genere sunt actus virtutum moralium, & assimilantur valde operibus charitatis: Sed quando gratiæ aduenit ei qui erat in peccato, perficiuntur naturalia: Ergo opera bona ex genere facta in mortali à fortiori perficientur. Tertio. Causa ob quam opera bona facta in mortali non proficiebant ad vitam æternam, erat defectus charitatis, ergo cum fuerit charitas restituta, erunt ista bona meritoria vitæ æternæ. Quarto. Quemadmodum efficacia meriti impeditur per peccatum; ita efficacia baptismi per fictionem: Atqui baptismus incipit valere recedente fictione, vt patet de consec. dist. 4. cap. [Tunc valere incipit.] Ergo
H meritum incipiet valere recedente peccato. Quinto in canone de pœnitentia dist. 4. cap. [Intermittentes.] Sic habetur: [Hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum æternæ vitæ singula prodesse incipiunt, etiam illa quæ peccatis inueniuntur admixta.] Atqui opera bona peccatis mortalibus admixta, fiunt extra statum gratiæ, & charitatis, ergo illa viuificantur per sequentem charitatem, & gratiam. Sexto. Fides mortua viuificatur per subsequentem charitatem, & gratiam: ergo per eamdem subsequentem gratiam, & charitatem, viuificabuntur etiam opera mortua. Probatur consequentia. Quoniam opera mortua actus sunt fidei. Ex eo enim, quod sim fidelis, quamuis peccato mortali sim irretitus, do eleemosynam, ieiuno, & alia bona (vt cæteri fideles) operor in Ecclesia Dei, cuius sum membrum.

1. Argum.

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

5. Arg.

6. Arg.

I Hæc, & alia pleraque argumenta ex his quæ hactenus dicta fuere facilè diuentilantur. Verumtamen ad maiorem difficultatis enucleationem, dicimus. Ad primum, non tenere consequentiam; Quoniam nunquam fuerunt vitæ æternæ meritoria, & adueniente gratia, & charitate, iam non sunt, quia iam transierunt. Ad secundum respondetur. Quod potentiæ naturales sunt magis propinquæ charitati, & gratiæ quantum ad rem, quam actus virtutum acquisitarum, in quantum sunt subiectum gratiæ, & charitatis, sed quantum ad similitudinem speciei manifestum est, quod est è contrario; & ideo potentiæ naturales manent, non autem actus virtutum acquisitarum. Quamobrem illi qui dicebant naturalia fieri gratuita, non intelligebant quantum ad actus, qui transeunt; sed quo ad potentias, & habitus, qui manent. Ad ter-
K tium etiam dicitur, quod causa, quare opera illa sunt mortua est, quia non sunt à charitate elicita: Quamobrem causa mortis ab eis non tollitur per pœnitentiam: Nam licet charitas superueniat, non potest conferre istis operibus quod ex charitate facta sint. Quare quamuis si nunc manere possent, non perficerentur, nec redderentur meritoria per superuenientem charitatem, quia à charitate non fuerunt facta. Ad quartum patet solutio. Quoniam non est simile de baptismo, & ope-

Sol. ad 1.

Sol. ad 2.

Sol. ad 3.

Sol. ad 4.

& opere moraliter bono, eo quod baptiſmus operatur ex opere operato, quod non eſt hominis, ſed Dei; & ideo ſublata fictione per pœnitentiam, ſequitur effectus baptiſmi, quia Deus ſic vult: At verò opera bona ſunt meritoria, quia ex charitate, vel in charitate facta fuerunt, nam aliàs non ſunt Deo grata, quare non fiunt meritoria per amotionem culpæ mortalis, quæ fit per pœnitentiam. Ad quintum dicimus. Quod verba Gratiani non aſſerunt aliquid, ſed referunt dumtaxat quorumdam opinionem. vt facile colligitur ex fine diſtinct. 3. cap. [Quærat hìc aliquis.] Ad ſextum denique facilis eſt ſolutio, ex diſparilitate fidei, & operum mortuorum; Quoniam fides in peccatoribus fuit antea ſimul cum charitate, & tunc licet mortua dicatur ob læthale crimen; tamen manet in peccatore, & quantum ad habitum, & quantum ad actus: Ideo nunc adueniente charite proculdubio viuificatur: At verò opera mortua nec vnquam fuerunt cum charitate, nec poſtquam facta fuerunt, remanſerunt. Quinimmo omnino iam tranſierunt, & ideo nunc adueniente charitate, nequeunt vllo modo viuificari, cum non ſint, nec habeant eſſe; Quoniam iam omnino euanuerunt, nec amplius vſquam apparent.

Sol. ad 5.

Sol. ad 6.

Quæſtio IV.

Vtrum opera mortificata, poſtea ſuperueniente gratia, & charitate, iterum viuificentur?



SENSVS quæſtionis vtique eſt. An opera facta in charitate, quæ per peccatum ſubſequens mortificata fuerunt, hoc eſt, pro tunc non proficiunt ad vitam æternam, ſi poſtea ſuperueniat gratia, an viuificentur, id eſt, an illis competat ille gradus meriti, & præmij, qui eiſdem operibus correſpondebat antequam per peccatum mortale mortificarentur.

1. Concluſio. Opera mortificata viuificàtur per gratiam & charitatè ſuperuenientem.

Concluſio eſt affirmatiua, quam profitentur Theologi cum Magiſtro in 4. ſententiarum diſtinct. 14. & cum ſancto Thom. 3. par. quæſt. 89. art. 5. & probatur. Tum quia iuxta hunc textum, [Prima opera fac,] ille qui dolet de peccatis, & ſuperuenit illi gratia reſtituitur in priorem ſtatum: Atqui quando iſte erat in priori ſtatu, puta, quando opera iſta fecit ex charitate, vel in charitate, erant illi iſta opera meritoria ad vitam æternam: Igitur neceſſe eſt, quod reddantur illa opera ita meritoria, ſicuti prius erant. Conſequentia eſt aperta. Quoniam per peccatum ſuperueniens tantum impedita fuerunt, ita vt per illa non poſſet homo peruenire ad vitam æternam, & cum per pœnitentiam tollatur totum malum, quod per peccatum introductum fuerat, neceſſe eſt, quod maneant illa opera ita meritoria, ſicuti prius erant, cum ex ſeipſis virtute paſſionis Chriſti, meritoria eſſent. Tum quia gloſſa interlinearis ſuper illa verba Ioelis 2. [Reddam vobis annos quos comedit locuſta,] ſic dicit: [Non patiar perire vbertatem, quam cum perturbatione amiſiſtis:] Atqui illa vbertas eſt meritum bonorum operum, quod fuit perditum per peccatum: Igitur per pœnitentiam reuiuiſcunt opera meritoria prius facta. Tum quia pœnitentia reuocat omnes defectus ad perfectum, vt tenet Diuus Ambroſius lib. 2. de pœnitentia, cap. 2. per hæc verba: [Pœnitentia res optima eſt, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.] Atqui hoc non eſſet, niſi opera mortificata reſtitueret ad vitam; Ergo per pœnitentiam viuificantur, ita vt iam ſint in ſtatu priori in quo facta ſunt. Tum poſtremò, quia ab operibus mortificatis, vt dicit ſanctus Thomas in 4. ſententiarum, diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 3. in corpore: per peccatum ſuperueniens, nihil tollitur de ſubſtantia, vel quantitate meriti. Quinimmo ſolum homo impeditur habere aliquod bonum æternum, per illa: Nam opera facta in charitate, licet tranſeant actu, manent tamen quantum ad rationem meriti in diuina reputatione, vel memoria. Et quamdiu ſic manent, habent efficaciam, quantum in ipſis eſt, inducendi facientem ad vitam æternam, & ſic dicuntur viua remanere. Quem quidem effectum non habent in peccatore; quia per accidens impediuntur propter peccatum ſuperueniens, quod facit peccatorem indiſpoſitum, ad recipiendum fructum meritorum præcedentium. Quoniam operibus in ſua origine, id eſt, tunc quando facta ſunt, & ex principio a quo facta ſunt, id eſt à charitate, competebat quantitas meriti, quæ impoſſibile eſt, quod per aliquod extraneum tollatur, vnde quamuis poſſit illa homo perdere quantum ad totalem fructum ipſorum principalem, ſcilicet vitæ æternæ, ipſis tamen operibus de quantitate meriti ſibi correſpondens nihil tollitur; licet maneat homo impeditus participare fructum illorum operum propter peccatum; Ergo indiſpoſitione ablata ab ipſo peccatore per pœnitentiam, opera illa præcedentia incipient habere effectum ſuum totum in ipſo, cum nihil in eis diminutum fuerit, & ſic dicuntur viuificari, hoc eſt reduci ad ſtatum illum, in quo prius erant, quando facta extiterant, in quo plane ſtatu priori, erant viua. Quemadmodum ſi quis habens multa bona, ac eorum adminiſtrationem & fructum, quandoquidem ſunt ſua propria: & fortè efficiatur demens vel furioſus, mox datur illi Curator, & iam nihil poteſt adminiſtrare de prælibatis donis proprijs. Et propter hoc, in bonis ſuis nihil minuitur, ſed integra manent, quamuis ipſe propter furorem, vel dementiã indiſpoſitus ſit ad adminiſtrandum, nihil de adminiſtratione participãs. At verò ſi redierit ei mens ſana, ad plenum reſtituuntur illi omnia bona ſua, integrè, ac etiam illorum adminiſtratio; quoniam iam eſt ab illo ablata talis indiſpoſitio, nimirum, dementia, vel furor, per quem impediebatur adminiſtrare, Idem prorſus eſt in operibus bonis factis in charitate, & mortificatis per peccatum, quæ per gratiam rurſus ſuperuenientem viuificantur, redeundo in priorem ſtatum.

1. Ratio.

2. Ratio. Vbertas priſtina reſtituitur.

3. Ratio.

D. Ambroſ. Pœnitentia reuocat omnes defectus ad perfectũ.

4. Ratio.

Comparatio.

Sententia quorundam veterum Theolog.

Sunt tamen plerique, qui teſte Diuo Thoma in 4. lib. ſententiarum, diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 3. in corpore. tenent opera mortificata non viuificari per pœnitentiam ſequentem, quia non manent, vt viuificari poſſint.

Impugnatur ſententia veterum Theologorum.

Enimuero horum ſententia refellitur. Primò, Quia ſic poſſet dici, qod nec eis qui in iuſtitia perſeuerant ad vitam, præcedentia opera valeant. Quia quod non eſt, non poteſt aliquid valere, & priora, ſiue præcedentia opera, quamuis in charitate facta ſint, iam tranſierunt. Secundò, Quia eodem modo confunderentur omnia, quoniam nihil præteritum valeret ad vitam æternam, niſi præſens: & cum omnia opera bona iam fuerint præterita, ſequeretur vitam æternam non dari, niſi pro vltimo bono, in quo quis moritur. Tertiò, Quia eadem ratione poſſit dici, quod homo non puniretur pro peccatis præteritis; quoniam illa omnia iam tranſierunt, & iam nihil ſunt; & ſic ſolum puniretur pro vltimo peccato à quo quis moritur. Quæ planè omnia falſa ſunt. Quare relinquitur manifeſtum, quod licet opera noſtra tranſeant actu, manent tamen in Dei reputatione, vel memoria quantum ad rationem meriti, vel demeriti, ſicuti ſi realiter ſemper eſſent, & ob id bona opera viuificabuntur, quæ in charitate

1. Arg.

2. Arg.

3. Arg.

facta fuerunt, & per peccatum mortale superueniens, fuerant mortificata, si postea superueniat gratia & charitas. Et per hoc facilis est solutio ad pleraque argumenta, quæ contra hoc fieri possunt, vt videre licet apud sanctum Thomam in 4. sentent. distinct. 14. quæst. 2. art. 3. quæst. 3. & in 3. par. quæst. 89. art. 5. F

1. Appendix. Ex hucusque dictis collige duo. Primum quidem aliud esse loqui de operibus mortuis, & aliud de operibus mortificatis. Quoniam opera mortua iam transierunt quantum ad actum, & nullatenus remanent quantum ad meritum vitæ æternæ; at verò opera mortificata, quamuis secundum actum iam transierunt, tamen secundum meritum vitæ æternæ, remanserunt in Dei reputatione, vel memoria. Et per hoc solues argumentum Hugonis de Sancto Victore, & alia quamplurima, quæ adducuntur à sancto Tho. in 4. sentent. distinct. 14. quæst. 2. art. 3. quæst. 3. & ab Abulense, super cap. 5. Matth. quæst. 174. Nam omnia argumenta quæ loquuntur de operibus, quæ omnino transierunt, veniunt intelligenda de operibus mortuis dumtaxat, & nullatenus de operibus mortificatis, quę licet quo ad actum transierint, tamen quo ad meritum remanserunt. G

2. Appendix. Opera mortificata viuificari quid sit. Secundum verò, quod colligere debes, est opera mortua viuificari, nihil aliud esse (vt rectè etiam innuit sanctus Tho. 3. p. quæst. 89. art. 5.) quam opera prius mortificata recuperare per pœnitentiam efficaciam perducendi hominem, qui ea fecit, in vitam æternam, quod est ea reuiuiscere quo ad meritum, & cum aliquando resurgamus cum maiori, aliquando verò cum minori gratia & charitate, inde est, quod circa hanc materiam dupliciter loqui possimus. Aliud namque est loqui de opere meritorio, & aliud est loqui de quantitate operis meritorij: Cum enim mortificata reuiuiscunt, semper omnia opera meritoria, quæ mortificata erant, reuiuiscunt. Quoniam isti in quo reuiuiscunt debita est vita æterna ex vi priorum operum, & non solum ex vi præsentium operum, ita quod hoc operatur reuiuiscere, quod ex pluribus capitibus debetur huic vita æterna, scilicet, ex meritis prioribus & ex meritis posterioribus. Sed quantitas operis meritorij non semper reuiuiscit simpliciter, quoniam non semper recuperat propriam efficaciam, quæ est perducere hunc ad tantum gradum beatitudinis æternæ, vt patet in eo, qui resurgit in minori gratia, ita quod in illa minori decedit. Talis enim nunquam perueniet ad illum beatitudinis gradum, quem quantitas prioris meriti debitum sibi fecerat. Causa autem huius non reuiuiscentiæ, est ipsa resurgentis dispositio. Nam quemadmodum si non resurrexisset à peccato, mortificata merita non sibi resurrexissent; ita resurgendo à peccato, cum minori tamen gratia ex hoc ipso indispositus est ad suscipiendum fructum maioris meriti. Ipse enim minor conatus resurgentis ad maiora non progredientis, impedimentum præstat efficaciæ quantitatis meriti magni præcedentis: Et facit, vt quantitas illa non reuiuiscat sibi simpliciter & absolutè, cum quo tamen stat, quod reuiuiscit illi secundum quid, hoc est, quo ad gaudium accidentale; quia vt sanctus Thomas in 3. par. quæst. 89. art. 5. ad 3. dicit, plus gaudebit de maiori merito præcedenti, quam de minori quod subsequutum est. Cæterum an homo in æquali virtute, & gratia, post pœnitentiam resurgat, iam disputauimus supra in disputatione præcedenti, quæstione vltima, ad quam remittimus lectorem.

Nota bene. H

I

K



In autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Tex. 5.

COMMENTARIVS.



Explanatio contextus. §. 1. Ilivs hominis. Dominus noster Iesus Christus, qui tenet septem stellas, hoc est, septem Episcopos in dextera sua, & qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum, nimirum in medio septem Ecclesiarum, vnamquamque circumiens, & omnes simul (vt supra retulimus) diligenter percurrens (tanquam bonus paterfamilias gregem suum, pastoresque suos visitans) hic planè ira motus, & ventilabrum habens in manu sua, huic Ephesino Antistiti post baptismum prolapso, nisi pœniteat, minas infert, *candelabrum suum*, hoc est, Ecclesiam suam, nimirum, sibi creditam & commissam, ac etiam potestatem, dignitatemq. quam supra ipsam obtinebat, mouendi *de loco suo*, hoc est, ab ipso. Quemadmodum & Iudæis de regno Dei, id est, de vniuersali Ecclesia (quæ candelabrum, & regnum Dei, iustè dicitur) minatus fuit dicens Matth. 21. [Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.] eo quod absque pœnitentia non est salus peccatori prolapso, iuxta illud Lucæ 13. [Nisi pœnitentiã habueritis, omnes simul peribitis.] Hinc verus & legitimus sensus huius loci, talis vtique erit. Sed nisi te corrigas, pœnitentiam agendo, certè, celeriter, ac nimis citò veniam tibi indisposito, ac impræparato, veniam inquam, hora indebita, & insolita tanquam fur, & anima & corpore te interficiens, *mouebo candelabrum tuum de loco suo*, nimirum, auferam à te Ecclesiam tibi commissam, & potestatem, dignitatemque quam modo super ipsam habes, alteri tradam: ita vt mouens Ecclesiam tuam de manu regiminis tui, in manum alterius collocabo, & priuans te Episcopatu, alterum Præsulem, qui muneri tuo satisfaciat, in tui locum substituam, & sic vltra non eris in loco tuo pristino, quinimmo locus tuus de cætero non erit altus, vt nunc est, sed infimus, non clarus, sed tenebrosus: non nobilis, sed vilis: & ita quippe vilis, vt in te impleatur illud Ieremiæ 3. [Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc prostrata sis.] sicque (vt vnico verbo dicam) auferam tibi Ecclesiam, & credam alteri gubernandam, ita vt tu ad eius regimen postea nunquam reuertaris. Vides, ò lector, iram Dei contra impœnitentes? Bene proculdubio Antistes iste tunc dicere poterat illud Malachiæ 3. [Quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndũ eum?]

Salus non est prolapso absque pœnitentia.

Germanus sensus huius contextus.

§. 2. Facilis mutatio Episcoporum malorũ coram Deo. Ex hac mina apertè colligitur, nos optimè supra interpretatos fuisse textum illum primi capitis, [& habebat in dextera sua stellas septem] dum exponebamus, filium hominis habere stellas, hoc est, Episcopos, & Prælatos in dextera sua, significare facilem mutationem. Hoc ipsum namque est, quod idem filius hominis, per hæc verba: *mouebo candelabrum tuum de loco suo*, huic Antistiti Ephesino hic minatus est.

PARA-

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Diuersa lectio Doctorũ.

Sin autem (ait) venio tibi. Non omnes expositores ita legunt, vt nostra habet vulgata, quandoquidẽ vbi nos legimus [Sin autem] glossa interlinearis legit [sed] ita vt reddat sensum, Sed venio tibi &c.] Lyranus existimat ad ly. [Sin autem,] addendum esse, [te corrigas] ita vt sit sensus, [Sin autem te corrigas venio tibi &c.] Primasius verò, vbi nos legimus in præsenti tempore indicantis modi [venio,] ipse in præsenti tempore subiunctiui modi legit, [veniam,] & post ly. [tibi] addit, [citò.] Hinc habet ita : [Sin autem veniam tibi citò &c.] Eamdem particulam citò subiungunt, glossa ordinaria, S. Ambr. D. Tho. & D. Dion. Carthusianus, & Franciscus Ribera. Enimverò in his varijs lectionibus, nihil de vero sensu nostræ vulgatæ mutant Doctores, ideo omnes illas textui consonas dijudicamus.

§. 2.

Dei vindicta infallibilis cõtra malos.

Vtitur tamen filius hominis Iesus Christus, hoc loco, præsenti tempore dicens: [venio,] siue [veniam,] ad certitudinem, & infallibilitatem vindictæ, & aduentus eius demonstrandam, quasi iam fiat contra hunc Antistitem, quod futurum fore dijudicatur per sequentia verba, [mouebo &c.] Iccirco Strabus in sua gloss. ord. S. Ambros. S. Thomas, Primasius, D. Dion. Carthusianus, & Franciscus Ribera, in hisce suis commentarijs, aptè & satis optimè subiunguut (vt dixi) ly. [citò,] per quem celeritas, & inopinatus aduentus filij hominis ad vindictam inferendam, morte, vel mutatione contra hunc Antistitem (casu quod non pœniteat) indicatur. Quoniam [citò] ex sua natura, & celeriter, & subito, & etiam exinsperato, vt solet veniire mors, sonat. Quamobrem Laudunensis in sua glossa interlin. rectè superscripsit, [vt anima & corpore interficiam.] Et idem affirmat S. Th. hic. Et quadrat hæc lectio quantum attinet ad ly. [citò,] cum codicibus Græcis, in quibus sic legitur : [venio tibi ταχὺ,] id est, citò.

Citò quid significet.

Laudunensis in glos. interlineari.
S. Tho.
Blasius Viegas in comment.

Conceptus prædicabiles in textum.

Concept. 1.
De quadruplici aduentu Christi ad homines.



QVADRVPLICITER solet Deus venire ad homines. Primò quidem in carne, vt cum [Verbum caro factũ fuit,] qua ratione venit, tùm humilis, iuxta illud Matth. 20.] Filius hominis venit ministrare, & non ministrari.] tùm amabilis secundũ illud Zach. 2. [Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.] & cap. 9. Exulta satis captiua filia Sion, iubila filia Ierusalem; ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator.] Secundò in mentes hominum per gratiã, qua ratione venit, tùm dulcis, iuxta illud Cant. 5. [Veniat dilectus meus in ortum suum,] id est, in animam per gratię infusionem, tùm & laudabilis, iuxta verbum Christi, Ioan. 14. [Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.] Tertiò ad iudicium particulare, & sic venit contra homines, qua ratione venit tùm amarus, quoniam nihil morte amarius, cum de eius amaritudine dicat Eccles. 41. [O mors quã amara est memoria tua,] tùm & terribilis, quia nihil morte terribilius, iuxta illud Eth. 3. [Terribilissimum omnium terribilium est mors.] Vnde Christus, in quantum homo, eam naturali affectu timuit, dicens Matth. 26. [Tristis est anima mea vsque ad mortem.] Quartò & postremò, venit Deus ad iudicium

A vniuersale, & sic venit etiam contra homines ad eos puniendos, & multandos, de quo planè aduentu dicitur Lucæ 21. [Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate magna, & maiestate.] Qua ratione veniet horribilis secundum illud Malach. 3. [Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emendans argentum, & purgabit filios Leui.] & Isaiæ 30. [Ecce nomen Domini venit de longinquo ardens furor eius, & grauis ac portandum.] His itaque duobus vltimis modis venit Dominus contra homines ad vindictam, punitionem, & supplicium ex eis sumendum. Et sic accipitur aduentus Christi in præsenti; cum huic Ephesino Antistiti hic dicitur:

Ad rem nostram applicatio.

Nota bene.

B [Sin autem venio tibi citò.] Perinde ac diceret ei: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Cæterum notandum est circa diuinam punitionem in homines, quod Deus ad puniendum, statuit diem, tempus, & horam, vt indicat illud, [sin autem] id est, si non egeris pœnitentiam adueniet tempus meum, dies meus, & hora mea, ad te flagellandum, & multandum. Ad quod planè alludit illud Deut. 32. [Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.] Et illud etiam Ezech. 22. [Appropinquare fecisti dies tuos (quos ego constitui ad te puniendum) & adduxisti tempus annorum tuorum.] (quod ego statui ad te multandum.) Quæ quidem verba sic exoluuntur à D. Hieronymo. [Appropinquare fecisti tempus, quod tibi differebatur, vt ageres pœnitentiam.] Et iccirco tempus, dies, & horæ quibus nos peccatores impœnitentes,

Deus tẽpus, diem, & horam, constituit ad puniendos peccatores.

Peccatoris status miserabilis & tremebundus.

C à Deo recessimus, computandæ sunt, & acerbæ gemendæ. O fœlix ille, qui tempus, dies, & horas computat, quibus tanto priuatur bono, & tot, ac tanta sibi congregat mala. Referunt Plinium maiorem obiurgasse nepotem suum deambulantem, dixisseque, poteras has horas non perdere. At quanto plus est homo obiurgandus si aliquod temporis momentum perdat, ac tunc maximè perdit cum fine Deo est. Dicebat Rex Ezechias Deo, vt habetur Isa. 38. [Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.] vtinam diceret; recogitabo tibi omnes horas meas, aut saltem dies. Et bene coniungit Ezechias annos suos cum amaritudine ingenti, vt inducant illa verba postrema, [amaritudine animæ meæ.] Quæ enim ad animam sentiuntur, acerbius cruciant. Nam si tempus nostrum esse dicamus, & velut re nostra eo vtamur, aut (vt melius dicam) abuta-

D.Hier.

Hieronymus Guadalupensis in cap. 3. Oseæ.

Tẽpus, dies, & horæ, quibus a Deo recessimus sunt numerandæ, & gemendæ.

D mur, nullum alium fructum profert, quam amaritudinem. Quemadmodum ex floribus citreis ortus fructus, est acidus postea, nimirum, mala citrea, quorum acerbitate, dentes obstupescunt, ita post flores illos peccatorum, de quibus intelligitur illud: [Coronemus nos rosis antequam marcescant &c.] Quis, quæso, subsequitur fructus, nisi acerbissimus dolor, & amaritudo? Hinc est illud, [Extrema gaudij luctus occupat.] Sic tempus omne computabat regius Psaltes dicens: [Lauabo per singulas noctes lectum meum.] Super quæ verba, sic rectè ait Cassiodorus: [Meritò quidem lectum quem noctibus polluerat, lachrymis abluebat. Computabat ergo Dauid, non quomodocumque tempus; sed strictissimè, scilicet, omnes noctes, quibus Deo caruerat, & illum offenderat, vt nos qui lectũ impura libidine cõtaminauimus, largo, & perenni lachrymarum flumine lauare discamus, tempus sic

Tempus est sumptus pretiosissimus.

Tempus computandum.

E computando.] Ad eumdem planè modum ciuitas Ierosolymitana tempus perditionis suæ computat, dicente de ea Ieremia Thren. 1. [Recordata est Ierusalẽ dierum afflictionis suæ, & præuaricationis,] id est, rebellionum suarum: Omnes ergo dies quibus à Deo recesserat computabat. Auget hanc obligationem, quod Deus ipse computat etiã tempus istud, horas, & dies quibus sine Deo est homo, vt sic amoris, & charitatis pelagus, quod habet erga peccatores, detegat. Ad quod planè alludit illud Tobiæ 5 [Ego noui quod pater meus, & mater mea modo dies computant,

putant, & cruciantur spiritus eorum in ipsis.] Et hinc planè tenemur nos attentè perpēdere, quo pacto Deus Pater noster, dies computat, quibus ab eo per peccata recessimus: & quo pacto gemit, quoniam ad illum non reuertimur. Et sic quemadmodum Raguel nequiuit Tobiam retinere, quin ad patriam, & parentes suos festinanter rediret; sic nulla creatura poterit nos detinere, quin ad gloriæ, & ad Patris æterni rectum iter dire mus: Quoniam Deus expectat nos ad pœnitentiam, quemadmodum pater ille filium suum pascentem porcos expectabat, vsque dum in se reuerteretur. Et si aliquando tardat nos impœnitentes punire, castigare, & flagellare, est, vt eum magis timeamus. Quoniam dum tardat, colligit in vnum omnia improborum hominum scelera, vt postea ad vniuersa acrius animaduertat, & horribilius nos puniat. Ad quod planè alludit illud Osee cap. 13. [Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.] Quibus verbis indicauit Diuinus Vates, Deum quasi in fascem, siue in fasciculos peccata omnia, quę committimus, colligere, vt suo tempore in ignem vniuersa conijciat: Ad hoc ipsum plane (quamuis alia similitudine) spectat illud Iob 14. [Signasti quasi in sacculo delicta mea.] Super quæ verba sic scribit D. Greg. [Signantur quasi in sacculo delicta nostra, quia hoc quod exterius agimus, nisi pœnitentia interueniente diluamus, in secreto iudiciorum Dei sub quadam occultatione seruatur, vt quando de sigillo secreti exeat ad publicum iudicij;] iuxta quē sensum accipitur illud Deut. 32. [Nōne hæc condita (nimirū, congregata) sunt apud me, & signata in thesauris meis.] & mox subiungit: [Et ego retribuā eis in tempore:] pro vt supra dicebamus de tempore, horis, & diebus a Deo statutis ad sumēdam vindictam.

D. Greg. lib. 12. moral. cap. 12.

Concept. 2. Quod punitio diuina est summa misericordia



EXISTIMANT homines, cum Deus punit, mulrat, & flagellat nos, tunc iram Dei supra nos esse. Et reuera fallimur omnino; quoniam tunc summa eius misericordia super nos vtique est, quia quamuis punire, flagellare, & multare diuinum, sint directè actus diuinæ iustitiæ, in misericordiā eius magnā proculdubio redolent. Ad quod rectè intelligendū notes oportet, quod hic locus [Sin autem venio tibi citò] cōtrariatur ex diametro huic alteri Ezech. 16. [Zelus meus recedit à te, & non irascar tibi amplius.] Contrapositio autē stat in hoc, quod [venio tibi,] idē sonat, quod [irascar tibi.] At irascar tibi, & non irascar tibi, apertè pugnant inter se. Estote, quæso attentissimi, donec alia duo loca eiusdem farinæ adducam; in cap. 12. Ieremiæ dicitur: [Quare via impiorū prosperatur? & bene est omnibus qui præuaricantur, & inique agunt.] Perinde ac diceret diuinus Vates Deo: Quare non solū nō flagellas malos, verū etiā bona temporalia eis multiplicas? Et in cap. 1. Habacuc sic ex aduerso dicitur: [Quare respicis cōtemptores & taces? cōculcante impio iustiorē se: impius præualet aduersus iustum.] Perinde etiam ac si diceret Propheta. Deo, vnico dumtaxat Verbo: Quare Domine, iustum & pium hominem crebro, & cito ita flagellas? Ex his duobus postremis locis, duorum priorum locorum facilis explanatio dimanat. Quoniam ex illis, clarè deducitur, Deū nobis irasci, Deum nos flagellare & punire, iudicium quippe esse diuinæ amicitiæ, dilectionis, & prædestinationis; & ex aduerso, Deum nobis non irasci, Deum non flagellare & punire, argumentum vtique esse diuinæ inimicitiæ, & reprobationis. Hinc quando videris in aliquo regno, vel republica; impios, malefactores, latrones, adulteros, homicidas, &c. non puniri, neque flagellari à Deo, malum signum colligito. Quoniam tunc Deus se habet, veluti optimus, & peritus medicus, qui desperans salutem infirmi, eo quod multis vulneribus sit confossus, neglīgit apponere medicamina, dicens: auferte ista hinc, iam enim nihil proderunt; quia iste viuere nullatenus potest. Sic

Actum est de anima quando Deus non flagellat corpus.

Similitudo.

F Deus, cum cernit regnum, vel aliquam rempublicam multis peccatoribus refertam, veluti infirmum iam iam agentem animam, & moriturum relinquit, & remedia adhibere negligit. Quemadmodum (vt eamdem rem, alia explicem similitudine) vineæ laborem impendere negligis, si sepes & maceria eius, hinc indè est destructa, atque hàc & illàc feris patet aditus, ad illam vastandam, quod nullum fructum percipiendum speras. Ad eumdem planè modum Deus, regnum, siue ciuitatem, quæ non est aliud quam vinea eius, cernens vallum, & fossam legum diuinarum, & humanarum mille partibus dirutam, quibus ingentia intrant peccata, sceleraque grauia, cuncta deperdentia, non secus, ac rem indignam cura despicit, & contemnit. Concinnit cum hoc illud Isa. 1. [Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis &c. Super quo percutiam vos vltra addentes G præuaricationem?] Quo planè loco, illud: [Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem?] sic sonat. Non inuenio quam plagis vestris adhibere possim medicinam, quandoquidem ita membra vestra vndiq; vulneribus sunt plena, vt nullam corporis partē, quæ non sit ante percussa reperiā. Sed dices tu modo: Quid ergo restat Domine, si de salute huius populi desperas? Audi Dominum tibi respondentem. Deseram illum, non flagellabo eum, non eum amplius puniam, zelus meus recedet ab eo, & non irascar ei vltra, sed sinam eum ambulare secundum desideria cordis sui, sicut scriptum est per Psalmistam dicentem: [Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt adinuentionibus suis.] Vides igitur qualiter Deum non nobis irasci, non nos punire, nō hic flagellare, est malū signū, nimirum, reprobationis signum. Enimuerò è contra, H quando intueris in aliquo regno, siue republica flagellum Dei paratum, punitionem diuinam erga homines promptam, bonum signum (prædestinationis nempe) collige. Flagellat enim, punit, ac multat Deus hic; in hac quippe vita ad correctionē, & ad melius. In quo planè sensu accipitur illud Amos 3. [Quoniā vos cognoui de vniuersis finibus terræ; iccirco, vlciscar super vos, omnia peccata vestra.] Hinc Apost. ad Hebr. 12. sic argumentatur. Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri & non filij estis. Quamobrē Regius Psaltes considerans grandem offensam Dei esse, postquam peccauerimus, iram Domini non mereri, & ab eo non flagellari, ac puniri, protinus exclamat: [Visita Dñe vineam istam.] statimq. subdit causam: [exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eā.] Perinde ac diceret: Fera pessima, nempe, peccatū, deuorauit eam. Sed quid est illud, [visita vineām istā?] I Nihil aliud planè, nisi ac diceret: Noli nos Domine post peccata nostra derelinquere, absq; tua visitatione per flagella, & punitiones tuas de cælis. Vt quid Domine destruxisti maceriam eius? id est, vt quid destrui permittis septem legum diuinarum, & humanarū qua erat circumuallata? Visita, precor, puniendo delicta, & flagellando peccatores impœnitentes. Audite rogo peccatores, qui visis tot flagellis Dei, adhuc pœnitere minimè incepistis. Audite, audite rebelles. Sponsus sponsæ tuæ (Cant. 6.) sic affatur: [Descendi in hortum meum, vt comederem poma conuallium.] Sed cur sponsus hortum hunc, nempe Ecclesiam, potius vocat nucum, quam pomorum? vis scire secretum? obserua naturam pomorum & nucum, quidq. inter vtramque sit discrimen: & tunc quid voluerit cælestis sponsus significare, clarè percipies. Certum quippè est, nucis fructum, nequaquam percipi posse, nisi virga, aut lapidibus arbor ipsa impetatur; Secus autem malus K reddit poma, quę manu, & leniter sunt colligēda; alioquin si vel leuiter percusseris, statim putrent, & asseruari nequeunt. Sunt quidem viri iusti iactati calamitatibus, & instar nucum lapidati, & virgis concussi multarum tribulationum, non tamen propterea facilè franguntur; quinimmo intra amaritudinem illam putaminis externam, suauissimum habent reconditum nucleum amicitiæ, & dilectionis diuinæ, ac æternæ prædestinationis. Iusti igitur

Simile.

Mali in hac vita non flagellantur à Deo, sed in altera, scilicet, in inferno.

Psal. 80.

Clemens Alexand. Pedag. lib. 1. cap. 8.

Punitio diuina habet scopum salutem

Psal. 79.

Ecclesia hortus nucum.

Nucum natura.

Malorum pomorum natura.

Iusti afflicti.

igitur, & prædestinati sunt nuces, qui licet finaliter in mente diuina habeant nucleum æternæ prædestinationis, & diuinæ amicitiæ, tamen nucleum istum dulcem, cortice amaro, rudi, ac filuestri, & aspero cooperiunt, id est, secundum præsentem iustitiam, sunt peccatores impœnitentes, nimirum, vitijs, ac sceleribus quamplurimis irretiti, & quod peius est, nolentes pro tunc de illis pœnitere. Has ergo nuces, virga, lapidibus percutit sponsus. Nam hos peccatores, Deus ex alto cęlo & flagellat, & multat, & hic punit, vt de cætero corrigantur, & in posterũ emendentur. Quamobrem punitio diuina semper habet scopum, salutem animarum. Quare dum Deus irascitur nobis, & dum nos multat & flagellat, ita se habet erga nos, quemadmodum peritus medicus, qui videns futuram salutem in ægroto, omnia curat, & apponit cito medicamina, nullam curam habens de ingentibus expensis, & sumptibus, qui fieri possunt, dummodo salus illius hominis, quæ infirmitate perielitabatur, restauretur, & recuperetur. Hinc D. Hieron. in illa verba Gen. 6. [Dixitq. Deus: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.] sic eleganter scribit: [In Hebræo scriptũ est, non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternũ, quia caro sunt, non ad æternos eos seruabo cruciatus, sed hic eis rependã quod merentur, quia fragiles naturæ sunt: Ergo non seueritatem, (vt in nostris codicibus legitur) sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro scelere visitatur.] Et alibi: [Quasi clemẽtissimus medicus incidere cupiens, putridas carnes, & cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit, vt parcat, non miseretur, vt magis misereatur, sic loquitur Deus per Ezechielem dicens: Non parcet oculus meus, neque miserebor.] ita D. Hieron. Summa igitur misericordia Dei est, quod hic scelera, vitia, ac peccata, vindicet per flagella, & punitiones. Hinc cupiens hunc Antistitem Ephesinum hic punire, vt in æternum ei parceret, irascitur ei dicens: [Sin autem venio tibi cito.] vt nos inde edocti, dicamus illi cum Augustino: [Hic vre, hic seca, & nihil parce, vt in æternum parcas.] Quoniam hic Deus flagellat & percutit, vt pater & amicus, nimirum non ad mortem, sed ad correctionem: At verò in alio sæculo flagellat, & percutit vt inimicus, hoc est, non ad correctionẽ, sed ad mortem, & adhuc æternã. In quo plane sensu accipitur illud Ieremiæ 10. [Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.] ac etiam illud Psalmistæ: [Domine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.] Ac diceret: Ne me tanquã inimicus, aut hostis flagelles, ac punias, (nimirum, in alio sæculo) sed vt pater & amicus, (nempè in hac vita) id est, hic; Quoniam præsens supplicium, & pęna ab æternis cruciatibus liberat & defendit relapsos, secundũ illud Pauli 1. Cor. 11. [Dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.] Super quæ verba sic eleganter scribit Primasius. [Correptio paternæ pietatis est, vt pœnitentiam agamus, ne in æternum damnemur cum infidelibus.] Hæc Primasius.

Punitionis diuinæ scopus.

Flagella & punitiones Dei sunt medicamina ad salutem animarũ.

Similitudo.

D. Hier. in cap. 6. Gen.

Comparatio.

D. Hier. in cap. 7. Ezechielis.

D. Aug.

Deus in hoc sæculo punit vt amicus.

Suppliciũ, & pœna pręsens liberat ab æternis cruciatibus.

Primasius in epist. Pauli ad Cor.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus.

Et mouebo (inquit) candelabrum tuum de loco suo. Nec itidem huius loci apud expositores eadem est explanatio. Quamuis etenim particulare supplicium huius pastoris à Deo sumendum, clarè hic attingatur, tamen diuersimodè ly. [candelabrum] à Doctoribus exoluitur.

§. 1.

§. 2. Strabus enim in sua glossa ordinaria per [candelabrum] virtutes, & dona Spiritus sancti intelligit, per quæ sunt constituta candelabra, quam quidem explanationem sequi videtur D. Tho. in comment.

A D. Ambr. per candelabrum, mercedem exoluit, quæ curæ pastorali debetur. Quam sequuti planè fuere omnes illi, qui prælibata verba, [mouebo candelabrum tuũ,] sic expendunt: Auferã tibi promissum præmiũ. §. 3.

Primasius per [candelabrum] salutem spiritualem huius Antistitis, & omne lumen eius interpretatus est, dicens: [Eius hic candelabrum mouere dicit, quem ad pœnitentiam gerendam inuitat, quod est Angelus, hoc candelabrum, cuius partem dicit non auferre, sed de loco mouere, significans eum, qui licet de Ecclesia non præcidatur donec ventilabro vltimi iudicij separetur, propriam tamen salutem, & omne candelabri lumen amisit; & si charismatibus honoratus videatur, sibi tamen mortuus esse cognoscitur; nam quod in illo viuit, alienum est.] Ita Primasius. §. 4.

B Haymo dispungit sic: [Mouebo candelabrum tuum, id est, mouebo te.] Quam expositionem sequitur Franciscus Ribera. §. 5.

Lyranus explicat modum dumtaxat, quo candelabrum erat amouendum, scribens sic: [Mouebo candelabrum tuum subtrahendo subditos tuos ab obedientia tua.] Eiusdemmet opinionis videtur Victorinus, dum per mouere candelabrum, exoluit, spargere plebem; idem enim videtur esse, spargere plebem, & subtrahere subditos ab obedientia pastoris. §. 6.

D. August. & Ticonius nomine candelabri, intelligunt populum, siue Ecclesiam; nam in commentarijs, quæ D. Augustino, vel (vt alij volunt) Ticonio ascribuntur, sic reperitur scriptum in hom. 2. [Candelabra illic significant populum Christianum, quod autem dicit, mouebo candelabrũ tuum de loco suo, videte, quia non dicit auferã, sed mouebo, quia candelabrũ significat vnũ populũ Christianum, & ipsum candelabrũ moueri dicit, non auferri, & per hoc intelligitur, quod in vna, & eadem Ecclesia mouentur mali, confirmantur boni, & quod occulto, sed tamen iusto Dei iudicio, id quod tollitur malis, bonis augetur, vt adimpleatur illud, quod scriptum est: Qui habet dabitur ei, & ei qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.] Concinnunt cum hac enodatione, D. Ambr. S. Tho. D. Dionys. Carthus. Arethas, Ansbertus, Anselm. Auctor Incognitus, Richard. de S. Victore, Hugo Card. Rupertus Abbas, Iacobus Suarez à S. Maria, Blasius Viegas, & omnes illi qui pro candelabro exoluunt Ecclesiam. §. 7. (C) Matth. 13. & 25.

Et quia hæc explanatio mihi magis arridet, addo ly. [candelabrum] non solum significare ecclesiam, verum etiam officium, dignitatemq. Episcopalem, & vtrumque probo. Primò, quia candelabrum in hac prima visione accipitur pro Ecclesia, Angelo Dei in 1. cap. exponente sic: [Sacramentum septem stellarũ, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea, septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt. [Et quamuis ly. [candelabrum] varias apud Doctores præsegerat significationes, tamen standum est in expositione Angelica (& præcipuè intra limites eiusdẽ primæ visionis, in qua candelabrum pro Ecclesia accipitur ab Angelo) aliàs candelabrũ, vnam haberet in ore Angeli significationem, & aliam in ore filij hominis, qui hic loquitur, minas inferendo huic antistiti; & sic vna & eadẽ vox, paucis verbis, in eadem visione ommonymia, siue æquiuocatione afficeretur, quod nõ apparet sustẽtabile. Secundò, quia accipiẽdo candelabrum pro Ecclesia, & pro potestate, quam Episcopus supra candelabrum, nimirum, supra Ecclesiam habet, quadrat expositio cum illis verbis eiusdemmet filij hominis dicentis Matth. 21. [Ideo auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructum. Tertiò, quia Ecclesia verè est candelabrum aureum, & lucens in terris, & disponit ad lumen gloriæ, quod est in cælis; & sicut candelabrum semper est idem, sic Ecclesia semper est eadem: Quoniam sicut nunc est Ecclesia, ita sem- (D) (E) §. 8. Candelabrũ, & Ecclesiã, & dignitatẽ Ecclesiasticã designat.

semper fuit, & eadem Ecclesia est per continuationem à principio sæculi, vsque ad finem; solum autem mu-

Comparatio.

tantur personæ. Quemadmodum est idem semper fluuius per continuationem fluxus, licet non maneant

Ecclesia cur candelabrũ aureum.

eædem partes aquæ hodie, quæ heri fuerunt. Et est ista Ecclesia candelabrum aureũ & lucens: quia super eos qui in illa sunt, lucet Deus per gratiam: cuius lucis nullatenus sunt participes illi, qui extra eam de-

Extra Ecclesiam non est salus.

gunt. Quoniam impossibile est aliquem extra Ecclesiam existentem saluari, vt habetur extra de sum. Trinit. cap. [firmiter.] Quartò, quia Deus tradidit huic Episcopo potestatem gubernandi hanc Ecclesiam Ephesinam. Et quamuis hic sermo sit contra Antistitem, & contra populum; tamen præcipuè contra Antistitem (prout nuper retulimus) quia ipse redditurus

Peccata subditorũ; præpositis adaptantur.

erat rationem de animabus sibi commissis, & peccatà subditorum prælatis imputantur. Et ob id aptè deponendus veniebat à potestate, quam supra candelabrũ, hoc est, supra Ecclesiam obtinebat. Quintò & postremò, quia Christus dicebat ista ad mala patefacienda, quæ super hunc Antistitem, & gregem sibi creditum ventura erant: Atqui malum non iudicamus, nisi quod patimur inuoluntariè: Igitur oportet, quod prælibata verba [mouebo candelabrum tuum] accipiantur in dolorem, & contra voluntatem vtriusque, puta, Episcopi, & populi. Sed de cæteris modicum doleret Antistes iste, nimirum, si ab eo amouerentur, lux, exempla virtutum, dona, & reliqua per quæ lucere solebat, vt priores dicunt enodationes, dummodo remaneret apud ipsum Ecclesia sibi subiecta, à qua acciperet redditus, & fructus assuetos: Igitur ad hoc vt maximè doleret amouenda erat ab ipso Ecclesia cum suis fructibus, & redditibus assuetis.

§. 3.

Dictio illa. de loco suo) quadrifarie explanatur.

Enimuero restat adhuc dispungendus ly [de loco suo.] Qui planè quadrifariè expendi potest. Primò quidem, vt actiua potestas, quam Antistes iste supra Ecclesiam Ephesinam præsegerebat, dimoueretur ab eo, remanente Ecclesia in illa ciuitate. Secundò, vt remaneret actiua potestas Episcopalis simul cum Ecclesia, & amoueretur ab ipso Episcopo merces, quæ pastorali curæ in cælis debetur, & vtroque modo ly. [de loco suo] accipitur actiuè, putà respectu Episcopi. Tertiò, vt remaneret Ecclesia in illa ciuitate; attamen in manu alterius Episcopi; Sic intelligi aliquãtulum potest Laudunensis, qui in sua glossa interlineari ad ly. [de loco suo] superscripsit ita: [id est, in hoc quod interpretatur voluntas.] Quandoquidem per voluntatem possumus intelligere consensum, & volun

Episcopus olim deponebatur per populum.

tatem populi. Decreto namque & consensu, ac voluntate Cleri, Senatus, totiusq. populi (sicut nunc per voluntatem Regum, & Summi Pontificis) Episcopi olim creabantur, & assumebantur. Et sic erit sensus, [mouebo candelabrum tuum de loco suo,] id est, mouebo voluntatem Populi, Cleri, & Senatus, vt alium eligant Episcopum, & te tanquam indignum deponãt. Quartò & vltimò expendi potest ly. [de loco suo.] ita vt in illa ciuitate Ephesina, nec remaneret Ecclesia, nec aliquis Episcopus. Quod planè hoc nostro sæculo adimpletum intuimur, cum ciuitas Ephesina Asiæ Metropolis, iam non Ecclesiam Dei, fidemq. Christi; quinimmo sectam Mahometicam, & maledicta Turcarum dogmata colat & adoret, vilior ac peior reddita, quam antea esset dum Dianam venerabatur; antequam ad fidem Christi per illas duas firmissimas columnas Ioannem, & Paulum Apostolos, vt dicitur Act. 19. perueniret, iuxta verbum Christi dicentis Lucæ 11. [Cum immundus spiritus exierit ab homine &c. fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.] Et his duobus vltimis modis accipitur ly. [de loco suo,] passiuè, putà, respectu populi. Et sic intelli-

Victorinus.

gitur illud: [spargere plebem,] Victorini, & illud etiam [subtrahendo subditos tuos ab obedientia tua]

Lyranus.

quod adfert Lyranus. Quæ omnes explanationes in admirationem nullatenus debent ducere lectorem, quoniam de Deo scriptum quippe est, Iob 12. [Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorũ,

F ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat.] & Danielis 2. [Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna, atque constituit.]

Conceptus prædicabiles in textum.



Concept. 1. Quod Deus superbos, ac inflatos Præsides Ecclesię & reges sui facile intorquet, ac deponit de sceptro suo.

PRAVOS episcopos, iniquos pastores, ac etiam superbos reges, rebelles, scelerátos, vitijs quamplurimis irretitos, & quod peius est, impœnitentes, nimirum, pœnitentiam habere nolentes, Deus (quem, superbia sua, crebro exacerbant) aliquando ita multat, &

G temporali pœna flagellat, vt eorum candelabrum, putà, sedem & regnum, sceptrum & dominationem ac imperium, & principatum ab eorum manibus prorsus tollat, & alteri meliori, & sanctiori tradat; vt videre

Depositiones mul̃tæ de cãdelabro, sacerdotio, & regno.

quippe est Isaiæ 22. in Sobna, de summo sacerdotio deposito, & Eliacim exaltato; & 1. Reg. 2. in Heli, sacerdotio priuato, & eius æmulo in suum locum sublimato. & 3. Reg. 17. in Abiathar, à sacerdotio deposito, & Sadoc in eius locum subrogato, & tandem 1. Reg. 15. in Saul rege superbo deposito, & Dauid humili sublimato. Hinc accipiendo hæc verba, [mouebo candelabrũ tuũ de loco suo,] actiuè, nimirũ respectu Antistitis dumtaxat, ita vt Deus hic solummodo per hæc verba, mineat amouere priorem Præsulem, & remanente Ecclesia Dei in illa ciuitate Ephesina, alterum pastorem eligere, & subrogare, alludunt directè verba ista ad illud Lucæ 1. [Deposuit potentes de se-

H de, & exaltauit humiles.] Vbi remanente sede in suo

Nota bene.

esse passiuo, ab ea depositi expulsi, ac omnino profligati fuere potentes, putà, superbi, qui eam actiuè regebant, & gubernabãt; in quorum loco humiles alteri gubernatores, pastores, & reges, subrogati fuere. Quadrat insuper cum hoc, illud Isa. in cap. 26. [Incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimen humilabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem, conculcabit eam pes pauperis, gressus ægeno-

Episcoporum depositionis modus.

rum.] Et vt appareat, quid Deus de deposito præsule faciat in posterum, notanda quippè sunt sigillatim, ea quæ in depositione sacerdotis Sobna, vt habetur Isa. 22. narrantur. Primò quidem dicit Deus ad Vatem suum Isaiam: [Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam propositum templi.] & tunc Vates dicit ad Dominum. [Et quid dicam ei?] & Dominus ad Vatem, Dic ei hoc: [Quid tu hic, aut quasi

I quis hic, quia excidisti hic, sepulchrum, excidisti in excelso memoriale, diligenter in petra tabernaculum tibi.] Ac si diceret. Quid hic tu facis in domo mea, quoniam ita sedes hic quasi aliquis malus, & non verè, sed phantasticus prælatus hic diu stare possis? Et quoniam hic habes excisum sepulchrum, nempe locum in quo peccare soles, in inferni pœna erit sepul-

Locus Isaiæ explanatur satis perbelle.

tura tua. Et subiungit: [Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te.] Ac diceret: Noli labora-

Superbia quorundam Episcoporũ.

re de excisione sepulchri, quia transferet Dominus sacerdotium tuum, & te gallum gallinaceum, arrogantem, superbum, cristam erigentem, ambitione tumidum & elatum, prosternet, ac omnino deprimet, sicut deprimitur, & prosternitur gallus gallinaceus dum asportatur, hoc est, ex vno loco ad alium portatur. Verumtamen sustinete me donec asportationes (nimi-

K rum mutationes ex vno loco ad alium) galli gallinacei vobis exprimam. Naturam namq; gallorũ describit Plinius lib. 10. nat. histor. cap. 21 per hæc verba: [Norunt sidera, & ternas distinguunt horas interdiu, cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas, laboremque reuocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nunciant cantu; ipsum verò cantum plausu laterum, imperitant suo generi, & regnum in quacunque

sunt

Gallorum natura superba sunt.

sunt domo exercent, dimicatione pariter, hoc quoque A inter ipsos, velut ideo tela agnata cruribus suis intelligentes, nec finis sæpe commorientibus. Quod si palma contingit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur. Victus occultatur silens, ægreq. seruitium patitur. Et plebs tamen æque superba graditur ardua ceruice, cristis celsa, cælumque sola volucrum aspicit crebro, in sublime caudam quoque falcatam erigens, itaque terrori sunt etiam leonibus ferarum generosissimis.] Hæc Plinius. Et quamuis adeò superba, & elata sit natura Gallorum, tamen quadrupliciter asportatur faciliter, & humiliter de loco ad locum gallus gallinaceus. Primo quidem ad castrandum; Quoniam dum castratur in pusillanimitatem gallinæ, per ipsam castrationem redactus de loco ad locum faciliter, & humiliter asportatur, & tunc desinunt canere. De quorum castratione, sic Plinius vbi supra: [Desinunt canere castrati, quod duobus fit B modis, lumbis adustis scindente ferro, aut imis cruribus: mox vlcere oblito, figlina creta facilius ita pinguescunt.] Secundo, ad mutandam domum, cum etenim aliqua familia transit ab vna domo in alteram tunc gallus transportatur, & transfertur faciliter, & humiliter, quinimmo sine labore, & iam non faciens opera galli sed gallinæ, nutrit enim gallinæ filios. Tertio ad forum, vt venũdetur. Dñi si quidem rusticus gallum gallinaceum venditioni exponere vult, illum facile hùc, & illùc asportat vendendum, donec in foro nummos pro illo ab emptore reportet. Quarto, & postremo, gallus faciliter, & humiliter ex loco ad locum asportatur ad puerorum ludum lapidibus obruẽdum. Etenim solent pueri, gallum aliquando pro signo ad lapides apponere vsque dum illum lapidibus C interficiant, & tunc superbus gallus humiliter & facilè, hàc & illàc à pueris ludentibus, & lapidantibus asportatur. Quouis igitur ex his modis asportetur gallus gallinaceus, hoc pro certo habeto, Deum hoc symbolo galli gallinacei significare voluisse, sibi facile esse superborum cristam deprimere. Idque luculentius exprimit per sequentia verba, scilicet [& quasi amictum, sic subleuabit te,] id est, faciliter, & sine resistentia. Quoniam amictus vestis quædam est, quæ superponitur alijs vestibus quasi pala: Hinc est, quod facilè, & sine labore subleuetur. Quamobrem Christo, circa inimicos eius, inquit Apostolus [& velut amictum mutabis eos, & mutabuntur,] statimque addit vates Dei, alium symbolum ad rem facientem dicens: [Coronans, coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam, ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui.] Perinde, ac diceret, (teste Lyrano) vndique suscitabit tibi Dominus tribulationes, sicut D corona caput circumdat, & proijcieris hùc & illùc, quemadmodum pila, siue follis qui super pauimentum a ludentibus crebrò percutitur, & percussus, hàc & illàc proijcitur, & ex volatu, vel ex primo, aut secundo resultu, quo egressus fuit, cito remittitur, vt actus sit validus, vel inualidus inter ludentes. Qam etiam metaphoram attingit idem Lyranus dum super illa verba Prou, 8. [Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum,] sic scribit: [Ludum faciens de orbe terrarum, qui similis est ludo pilæ, quæ de vno transfertur, secundum quamdam reuolutionem, quia Regna terræ transfert atque constituit de gente in gentem.] Quo plane symbolo pilæ significatur huic sacerdoti deponendo, Deum improbos, vt pilam, & folles facile intorquere. Et concludens vates Dei, circa depositionem Sacerdotis Sobna, dicit postremo: [Et expellã te de statione tua, & de ministerio tuo deponã E te. Et erit in die illa, vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ & induam illum tunica tua, & cingulo tuo, confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius, & erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda: [Dicit igitur noster Archipropheta huic Episcopo, casu, quod pœnitentiam habere nolat de omissione charitatis,] mouebo candelabrum tuum de loco suo: [Hoc est, Episcopatum tuum accipiet alter.

Gallus ne cãtet vnquam.

Puerilis ludus.

Superborum cristam facile deprimit Deus.

Pila de manu ad manũ proijcitur.

Lyranus.

Superbos, & improbos facile Deus curuat, & inflectit.

Quoniam Ecclesiam tuam tollam à te, & alteri Episcopo tradam, ita quod non præeris ei nec quiescet in te, sicut in patre, & capite, sed in alio; Quoniam [Consilium meum stabit (ait Dominus in cap. 46. Isaiæ) & omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente iustum;, & de terra longinqua virum voluntatis meæ:] Eo quod prior Præpositus huius Ecclesię suę ita nequã redactus sit.] vt ad nihilum valeat vltra (vt ait ipsemet dominus Matth. 5.) nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus

Isa. 46.

DISPVT. VIII.

In Cap. II. Apocalypseos, de Ecclesiæ Dei Episcoporum depositione, & priuatione.

In quatuor Quæstiones partita super illa verba: *Mouebo candelabrum tuum de loco suo.*

Prologus disputationis.



De minoribus prælatis, nimirum, prioribus, Commendatoribus, Rectoribus, Ministris, & his similibus Ecclesiæ Dei præpositis, non mouetur hæc dubitatio, cum in dies à suis prioratibus, commendis, Generalatibus, Rectorijs, &c. deponantur, & priuentur. Difficultas autem locum dumtaxat habet in maioribus præpositis, videlicet Episcopis, qui sunt Ecclesiæ Dei maiores Prælati. Et adhuc controuersia minimè procedit de renunciatione, quoniam hi susceptum Episcopatum aliquando renunciare possunt, vt dispungit S. Tho. 2. 2. q. 185. art. 5. & habetur ex decretali Innocentij III, extra de renunciatione, cap. [Nisi cum pridem,] & sic loquendo, ipsi relinquunt suum candelabrum, puta, ecclesiam, voluntariè. Quare tota difficultas solummodo versatur circa depositionem Episcoporum inuoluntariam, de qua directè intelligenda veniunt (vt nuper retulimus) prælibata verba: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo.

Quæstio I.

An Episcopus propter aliquam culpam veniat deponendus à suo Episcopatu?



Conclusio est affirmatiua, & probatur. Tum quia 1. ad Tim. 3. præcipit Apostolus, vt Episcopi probentur primò, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Super quæ verba dicit glossa, quod Episcopi criminibus inuoluti deponendi sunt, & non tolerandi. Tum quia S. Tho. 2. 2. q. 185. art. 4. ad 2. sic scribit: [Si verò aliquis propter culpam sit ab Episcopatu depositus, & in monasterium detrusus ad pœnitentiam peragendam, non potest iterato ad Episcopatum reuocari; vnde dici-

1. Conclusio. Episcopi propter crimina veniunt deponendi.
1. Ratio.

2. Ratio.
S. Tho.

dicitur.7.q.1. præcipit sancta synodus, vt quicumque de pontificali dignitate ad monachorum vitam, & pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam ad Pontificatum resurgat.] Tum quia Episcopus, indignum se reddit per culpas à iure taxatas, ad ea quæ competunt dignitati Ecclesiasticæ exercenda. Tum quia Papa est supra omnes Episcopos, cum cæteri Episcopi à Papa vocentur in partem solicitudinis: Romanus verò Pontifex ad plenitudinem potestatis, vt patet in cap. cleros.21.dist. Atqui Papa potest per heresim deponi à Papatu, vt communiter tenent Doctores, & præcipuè Augustinus de Ancona, in sua summa de Ecclesiastica potestate, q.5.art.1. & Abulensis in cap.16. Matth.1. q.65. & habetur expressè in decretis 40. dist. cap. [Si Papa.] Igitur à fortiori, si Episcopi inueniantur à fide deuij poterunt ab Episcopatu deponi. Tum quia inter nouum & vetus testamentum est analogia, iuxta illud Apostoli: [Omnia in figuris contingebant illis] Atqui in veteri Testamento depositi, & priuati fuerunt plerique Sacerdotes figurantes Episcopos nostri temporis, vt apparet in summo Sacerdote Sobna, Isa.22. & in Abiathar.1.reg.2. Igitur in nouo Testamento aliquando deponendi, & priuandi sunt Episcopi propter eorum culpas, & crimina. Alioquin Analogia inter vtrumque Testamentum claudicaret in hoc, quod non est asserendum. Tum postremo, quia hæc verba: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo,] ad litteram de priuatione, & depositione Episcoporum noui Testamenti directè intelliguntur.

3.Ratio. — 4.Ratio. — Papa aliquando deponendus. — 5.Ratio. — 6.Ratio.

Obiectio. — Solutio. — Episcopatus non est ordo sed dignitas.

Non obstat quod Episcopus, consecratione, & vnctione in capite polleat, quoniam in tali consecratione, & vnctione non imprimitur character, cum Episcopatus vere, & propriè non sit ordo, sed dignitas, vel gradus Ecclesiasticæ præeminentiæ, prout rectè disputat S.Tho.2.2.q.184.art.6.ad 1.& 3. p.q.67. art. 2. ad 2.& q.82. art.1. ad 4. quibus in locis tenet Angelicus doctor Episcoporum ordinem esse super sacerdotium, respectu mystici corporis Christi, non autem respectu veri. & idem tenet Abulensis in cap.7.Matth.q.74.per hæc verba: [Licet in ordine Episcopali conferatur Episcopo potestas quædam indelebiliter manens, sicut manent omnes potestates ordinum, non dicitur Episcopalis potestas character, neque vocamus propriè Episcopatum ordinem, neque etiam Sacramentum, sicut de quolibet alio ordine dicimus. Et ratio est, quia Episcopus, per potestatem quam recipit in consecratione sua, non configuratur Christo, sed subditis, scilicet, quia potestas Episcopalis non est ad corpus Christi verum, cum istam totam iam plene Sacerdos habeat, sed ordinatur ad corpus Christi mysticum, id est, ad subditos, vt possit facere aliqua, quæ prosunt Ecclesiæ, & non possunt illa Sacerdotes, per hoc differt character à claue, &c.] ita Tostatus.

Quæstio II.

Vtrum depositio, siue priuatio Episcoporum à suis candelabris, nimirum à suis Ecclesijs, & Episcopatibus pertineat ad solum Papam?

Conclusio. 1. Episcoporum depositio pertinet ad solum Papam. 1. Ratio.



CONCLVSIO est affirmatiua. Probaturque. Tum quia nemo potest Episcopos castigare, nisi solus Papa, prout diffinitum fuit in Concilio Sardicen. cap.3. ca. ad abolendas, & ca. excommunicamus. §. damnati verò. de hæret. & ca. quo iure 8. dist. & in Conc. Trid. sess.28. cap.5. per hæc verba: [Causæ criminales, grauiores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut priuatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur.] Igitur depositio, vel priuatio Episcoporum, ad solum summum Pontificem attinebit. Tum quia eadem sunt principia generationis rei, & corruptionis eiusdem. Per illa enim eadem principia, per quę res generatur, corrumpitur, contrario modo sumpta, vt si per coniunctionem elementorum & eorum amicitiam, mixtum generatur, per eumdem elementorum disiunctionem, & per inimicitiam, mixtum corrumpitur, & dissoluitur; propter quod, litem & amicitiam principia omnium rerum aliqui Phylosophi esse posuerunt, sicut Phil. dicit 1. Physicorum cui concordat illud, quod scribitur extra de regul. iu. auctoritate Chrysost. Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur: Atqui principium generationis Episcoporum certum est esse ipsũ summũ Pontificẽ, quantum ad eorum electionem, inquisitionem, (siue examen circa mores, & bonam famam) faciendam, & per ipsum approbandam, & fidei professionem emittendam, prout expresse habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap.1. ac etiam bullarum concessionem. Quamobrem in qualibet Episcoporum consecratione, Episcopo cõsacrando fit hæc interrogatio [Habes mandatum Apostolicum? &c.] Igitur principium eorum depositionis, & priuationis erit ipse solus Papa. Tum etiam, quia solus Papa, vt nos supra illa verba primi capitis: [Princeps regum terræ] diximus, potest Imperatores, & omnes reges terræ deponere, & priuare, prout tenent Theologi, inter quos est Augustinus de Ancona in sua summa de Ecclesiastica potestate, q.46. art.2. & Alphonsus Tostatus in 3. Reg. 1. comment. q. 35. vbi querens, an Israelitæ possent deponere Salomonem de regno pro criminibus suis, distinguit inter reges regni Iudæorum, & inter reges nostros, affirmans reges nostros in multis casibus posse deponi, siue per Papam, siue ab ipsis regnicolis. Quid, quod, Zacharias Romanus Pontifex Regem Francorũ, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis à Regno deposuit, & Pypinum patrem Caroli Imperatoris, in eius locum substituit, & subrogauit, vt scribitur 15. quæst. 6. cap. alius. Porro Innocentius IV. deposuit Imperatorem Federicum in Concilio Lugdunensi, qui bonum Ecclesiasticum, & bonum Reipublicæ, quod promouere tenebatur, per eius ad Romanam Ecclesiam inobedientiam perturbabat, & impediebat, ac per eius attentatam superbiam. Et tandem Innocentius III. Othonem Imperatorem deposuit. Vnde non dubium est quod solus Papa possit Imperatores, & omnes Reges deponere, cum subest causa rationabilis. Igitur solus Papa Episcopos à suis candelabris, nimirum à suis Ecclesijs, & Episcopatibus deponere, & priuare poterit. Nam hoc videtur minus, cum illi sint sæculares, & hi Sacerdotes, & obedientia eius magis propinqui. Tum quarto, & vltimo, quia Christus Dominus id exemplo nos edocuit, cum ipsimet personaliter (& non per alium à se) Sacerdotes multauit in templo, facto flagello de funiculis, vt dicitur Ioan. 2. Hinc D.Gregor. hom. 17. in Euangelia sic scribit: [Subditorum quidem culpas, per Pastores percutit, sed Pastorum vitia, per semetipsum ferit.] Igitur summus Pontifex, Vicarius Christi, Episcopos Apostolorum successores per seipsum solum debet ferire, punire, deponere, & priuare, & non alius à Papa.

2.Ratio. — Principia generationis & corruptionis, quomodo sint eadem. — Ritus consecrandi Episcoporum. — 3. Ratio. Papa potest deponere Imperatores, & Reges. — Zacharias Papa. — Papa de facto deposuit multos Reges, & Imperatores. — Pypinus Rex. — Innocentius IV. PP. — Federicus Imperator depositus. — 4.Ratio. — Sacerdotes, Prælatos, & Pastores per seipsum ferit Christus. — D.Greg. hom. 17. in Euang.



Quæ-

Quæstio III.

Vtrum citò, & leuiter amouendi, & deponendi sint Episcopi, per Romanum Pontificem à suis candelabris, nempe, à suis Ecclesijs, & Episcopatibus?

Episcopi non citò, & leuiter veniunt deponẽdi per summum pontificem.

Rupertus Abbas in comment.



RVPERTVS Abbas in hisce suis commentarijs docens non esse præcipitandam sententiam super Ecclesiarum Angelos, id est, super Episcopos, & super quoscumque gradus Ecclesiasticos, postquam recensuit exempla Saulis. 1. Reg. 13. & Dauidis. 1. Reg. 16. mox concludit per hæc verba: [Igitur vbi cuiuslibet Ecclesiæ Angelus, id est, sacerdos charitatem suam primam relinquit, rectè non statim iuris est Ecclesiastici mouere candelabrum eius de loco suo, idest auferre sacerdotium, vel Ecclesiam eius, sed dicitur ei, memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Si audierit corripientem, ille qui corripuit lucratus est fratrem suum, quod si neque adhibito alio neque publico conuentus Ecclesiæ testimonio correxerit, immo audire contempserit, tunc demum rectè mouetur candelabrum eius, & alteri datur] sic ille.

Conclusio vera. Episcopi non sunt leuiter deponendi.

Et quia hanc viam tanquam tutiorem teneo, tum propter verba textus, quæ sane concludunt, tum propter reuerentiam Episcoporum, qui sunt Apostolorum successores, illam confirmo.

1. Ratio. Conc. Trid.

Primò, per Conc. Trid. Quoniam sancti Patres loquendo de causis criminalibus, & grauioribus Episcoporum, decretando à quibus sint huiusmodi causæ cognoscendæ, sic statuunt, sess. 24. cap. 5. [Quod si eiusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam Curiã sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis: Hæc vero commissio, & specialis sit, & manu ipsius Sanctissimi Pontificis signata, nec vnquam plus his tribuat, quam vt solam facti instructionem sumant processumque conficiant, quem statim ad Romanum Pontificem transmittant, reseruata eidem Sanctissimo sententia diffinitiua,] Quo plane decreto concluditur non citò, nec leuiter, nec minus præcipitanter, sed matura deliberatione deponendos, & priuandos esse Episcopos cum subest rationabilis causa depositionis.

2. Ratio. Papa tenetur seruare ius diuinum.

Secundo, quia Papa tenetur seruare ius diuinum, & non potest quicquam facere contra illud, quinimmo tenetur illud defendere vsque ad effusionem sanguinis 25. q. 1. c. [Sunt quidam.] At qui ordo correctionis fraternæ est de iure diuino. Quoniam continetur Math. 18. vbi dicitur: [Si peccauerit in te, &c.] Quibus verbis, & præceptum diuinum, & ordo correctionis mandatur. Quemadmodum Matth. 5. dum dicitur: [Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, &c.] & ieiunium, & ieiunandi forma præcipitur. Igitur tenetur Papa in depositione, & priuatione Episcoporum, seruare fraternæ correctionis ordinem, & non citò, & leuiter, ac præcipitanter eos deponere, ac priuare.

3. Ratio. Papa in sententiando errat aliquando vt priuata persona.

Tertio tandem, eamdem conclusionem probo. Quia Papa errat aliquando in sententiando, eo quod quamuis tota Ecclesia errare non possit, aut totum Concilium, quia Spiritus sanctus ibi adest: tamen Summus Pontifex in quantum est vnus iudex errat aliquando, quia non cognoscit omnia (licet dicatur habere omnia iura in scrinio pectoris, vt rectè annotauit Abulensis in cap. 18. Exod. q. 11. comparando Summum Pontificem Romanum, Moysi, circa sententias ferendas, & earum appellationes, & habetur expresse in 6. de rescriptis, in c. licet Romanus, &c.) & sicut aliquando contingit eum peccare mortaliter perdendo charitatem, ita etiam contingit eum perdere rectum iudicium, quantum ad aliquid: Igitur ad hoc, vt in re tam graui, qualis est Episcoporum depositio, non erret, ferendo sententiam, debet procedere maturè, & pedetentim, & nullatenus præcipitanter, (quamuis omnia possit) quoniam fieri poterit circa talem depositionem, quod intentio Papæ fundetur supra falsitatem, & non supra veritatem. Et contra veritatem nihil possumus, prout habetur apud Apostolum. 2. Corinth. 13.

Abulẽsis sup. Exod.

Quæstio IV.

Vtrum dentur aliquæ causæ particulares ob quas Episcopi veniant deponendi, & amouendi à suis Candelabris, scilicet Ecclesijs, & Episcopatibus?



TITVLVS quæstionis affirmatiuè approbatus remanebit, assignando causas propter quas de iure Episcopi priuandi, ac deponendi à suis Episcopatibus veniant. Quarum prima est hæresis. Quoniam per hæresim, etiam Papa est deponendus, vt habetur in decretis. 4. dist. cap. [Si Papa.] Secundò, incorrigibilitas, post fraternam correctionem. Nam etiam Papam post talem incorrigibilitatem, sunt plerique Doctores, qui tenent deponendum esse, inter quos est Alphonsus Tostatus in suo defensorio. p. 1. & Hugo 40. dist. c. si Papa. Nam ibi quærit, an Papa possit accusari de crimine simoniæ vel adulterij, vel homicidij, & dicit se credere, quod si notorium est crimen eius, quodcumque, & inde scandalizatur Ecclesia, & admonitus incorrigibilis existat, quod potest accusari, & deponi. Et quamuis Aug. de Ancona, in sua summa de Ecclesiastica potestate, q. 5. art. 4. vindicet Papam à tali depositione, eo quod talis depositio, vel actio redundaret in malum totius Ecclesiæ, cum si audiretur eius accusatio, Ecclesia remaneret acephala, tamen circa depositionem Episcoporum non habet locum talis vindicatio Anconitani, cum Episcoporum crimina Papa debeat cognoscere, vt habetur in Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. Quare si Episcopus pro quocumque notorio crimine, ex quo monitus per Romanum Pontificem, nolat se corrigere, pro tali contumacia, & inobedientia est deponendus; Alioquin si correptus, & incontumax repertus non deponeretur resultaret hoc in maximam Pontificis corrigentis irreuerentiam, & inobedientiam, quod non est permittendum. Tertia causa est illiteratura. Quoniam per illiteraturam statim deponitur Episcopus, vt habetur in decretis lib. 1. cap. [Quamuis de ætate, & qualitate præfaciendorum.] Vbi sic dicitur: [Quamuis multa proposita fuerint contra Episcopum Caliniensem, qui tamen confessus est coram nobis se nunquam de grammatica didicisse, nec etiam legisse Donatum, & per euidentiam facti, vsque adèo de illiteratura, & insufficientia sua constat, quod contra Deum esset, & Canonicas sanctiones, tantum in Episcopo tolerare defectũ, ipsum a Pontificalis officij executione, & ab administratione Caliniesi Ecclesiæ penitus duximus amouendum.] Quarta, si habuerit concubinam, & admonitus à Pro-

Episcopi propter quas causas deponantur.

Episcopi sunt deporẽdi per heresim. 1. Causa.

2. Causa. Episcopi incorrigibiles post correptionem fraternam sunt deponendi. Abulensis. Hug.

Aug. de Ancona.

Episcopi contumaces deponendi.

3. Causa.

Episcopus Caliniensis depositus per illiteraturam.

4. Causa.

3. Causa. Episcopi Simoniatici sunt deponendi.

à prouinciali Synodo, si adhùc perseuerauerit priuatione debet eum ferire Pontifex, vt habetur Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. in fine. Sunt postremo aliæ pleræque criminales causæ, & grauiores, ob quas Episcopi deponendi veniunt per Summum Pontificem, quæ apud Sacros Canones, & Sanctorum Patrum Concilia diminutim, & diffusè recitantur, inter quas recenseri etiam potest simonia. Quoniam hæc directè Spiritum sanctum offendit, 1. q. 1. per totam. Et notabili exemplo fuit comprobatum in Gallia. Cum enim in minoribus esset Gregorius septimus, & legati munus exerceret in Gallia, cuidam Episcopo de simonia coram illo accusato, præcepit vt alta voce tantum diceret, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, qui tamen licet patrem, & Filium nominaret, Spiritum sanctum nominare non potuit. De qua plane relegendus est Gunti saluus Illescas de hist. pontificali. p. 1. lib. 5. cap. 13. circa finem, & Dionysius Paulus Lopis Valentinus, in suo Flosculo clericorum 1. p. num. 56. Accedit ad hæc, quod Summus Pontifex canonicam simoniam, à iure positiuo prohibitam non potest committere. Quare Episcopus illam committens priuandus meritò veniet. Et idem dicendum quippe est de Episcopis non residentibus, vt apparet in Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. in fine.

Exemplū factis notabile contra Simoniacos.

Quæstio V.

Vtrum hoc vaticinium motionis Candelabri de loco suo respectu Ecclesiæ Ephesinæ ad impletum iam fuerit?

1. Assertio. Ecclesia Ephesina iam est nunc de loco suo mota.
1. Ratio.



CONCLVSIO est affirmatiua. Probaturque. Tum quia secundum expositionem, D. Amb. D. Th. Arethæ, Ansberti, Richardi de sancto Victore, Ruperti Abbatis, Carthusiani, & aliorum, quâ nos sequimur candelabrum significat Ecclesiam: At experientia ipsa edocet, Ecclesiam Ephesinam remotam iam fuisse hac nostra tempestate, de loco suo, cum Sacerdotalem Ephesinæ Ecclesiæ sedem, eiusque dignitatem Constantinopoli, & Turcarum crudeli dominio traditam nunc videamus, siue hoc, ob pastoris (quisquis ille, sæculo nostri Archiprophetæ, fuerit) siue ob gregis sibi crediti scelera, & facinora acciderit. Igitur quantum ad Ecclesiam ipsam Ephesinam cui immediatè dabatur hæc prophetia, adimpleta vtiq. est. Tum quia locus candelabri nimirum, Ecclesiæ, est vbicumque verbum Dei Catholico sensu, intelligitur, prædicatur, annuntiatur, auditur, amatur, & seruatur, etiam si non desint, qui totis viribus hoc aduersentur, tunc enim Ecclesia Dei in loco suo fixa, firma ac prorsus immobilis permanet, cum super Christum vnicum filium Dei fundata conseruatur, cum veritas Euangelica, & Catholica, verbique Dei sincera prædicatio per Catholicos Episcopos, & Euangelicos Prædicatores publicè, & annuntiatur, & ab omnibus profitetur, quoniam sic semen, quod est verbum Dei, radicatur in animabus fidelium, vt suo tempore vberrimos iustitiæ fructus affatim producat. Aufertur vero de loco suo candelabrum, scilicet, Ecclesia, quando verbum Dei non amplius catholico sensu auditur, prędicatur, amatur, intelligitur, & seruatur: tunc namque Ecclesia Dei de loco suo mouetur, cum fidei orthodoxæ dogmatibus, ac Euangelicæ veritatis prædicatione sincera spoliatur: Sed sic est, quod hoc nostro sæculo Ecclesiam Ephesinam diuina gratia omnino spoliatam, ac prorsus destitutam intueamur, cum sub deplorata Mohometi rabie postrata iaceat, &

2. Ratio.

F Turcarum pedibus conculcata omnibus erumnis miserè prematur, & salutari filij Dei doctrina, hoc nostro sæculo, minimè fruatur: Igitur circa illam iam est hoc vaticinium executioni mandatum. Tum quia cum Ecclesiam Ephesinam hoc nostro sæculo, iam absque fide aliqua vera, postrata sub deplorata Mohometica rabie iaceat, & Turcarum pedibus conculcetur, falsisque alchorani Mahometici ritibus omnino prematur, nullam veram Christi Redemptoris nostri retineas fidem, proculdubio Deus ab illa, gratiam suam, substraxit, ita circa illam cessando à sua diuina manutenentia, vt apertè intelligamus circa illam iam adimpletum fuisse illud Hier. 5. [Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea à te, & ponam te terram desertam, in viam, & inhabitabilem,] & illud 4. reg. 17. [Iratus est dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo, sed nec ipse Iuda custodiuit mandata Domini Dei sui, secum ambulauit in erroribus Israel quos operatus fuerat, proiecitque Dominus omne semen Israel, afflixitque eos, & tradidit eos in manus diripientium, donec proijceret eos à facie sua.] Ergo, &c. 3. Ratio.

G

Huic affine, haùdpaucis, quinimmo, plurimis Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Britaniæ, ac aliarum multarum nostræ Europæ prouintiarum, ac regionum Ecclesijs miserè euenit: quas dè loco suo motas, magno cum Satanæ triumpho, & graui animarum dispendio cernimus, in eas, Sicophātas ac vaphros lutheranos ilios, & caluinistas, anathemate damnatos hæreticos, dominiū, & imperium iamdiu habendo. Pro quibus Dominum assiduis præcibus in dies oramus, vt illas à pestiferis liberatas erroribus, ad suum reducat ouile. Fugiamus igitur & nos ambitionem, cupiditatem, laxam viuendi rationem, luxuriam, obscœnos, dissolutosq. motus, simoniam, auaritiam, superbiam, contentionem apostasiā heresim, schismata, sectas, idololatrias, & omne genus flagitium, ne ob hæc omnia, Dominus à nobis veluti ab Ephesinis auferat id sine quo salutem animarum nostrarum consequi minimè valeamus. Exemplo nobis sunt Hebræi, qui nobis haùdquaquam inferiores erant, & tamen ab illis ablatum est regnum, vt dicitur Matth. 21. ipsis interim horribili cæcitate percussis. Ponamus tandem ante oculos mentis nostræ, orientales Ecclesias, quibus propter contemptam salutarem Christi seruatoris nostri, & sanctorum Apostolorum, vt dicitur act. 13. & 28. admonitionem, ablatum est Dei verbum, ac etiam hanc Ephesinam sedem, quam extinctam nunc cernimus, Turcarum manibus iusto Dei iudicio traditam, & timeamus iram, & indignationem omnipotentis Dei propter peccata nostra. Scriptum si quidem est, Zach. 11. [Vlula abies, quia cecidit cedrus]

Plurimarum Ecclesiarum Europæ ruina

H

Peccata com munione hæreticorum.

I

PARAPHRASIS

Tertia. Par. 3.

Nisi (dicit tandem) pœnitentiam egeris. Dictio illa exceptiua [Nisi,] ad comminationem etiam, sermonem sublequentem redigit, quemadmodum & hæc altera Psalmistæ: [Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis sagittas suas ardentibus effecit.] Et vtrobique, illud [Nisi] misericordiam Dei, inter eius minas nobis adhuc paratam indicat. Nouit enim Dominus mutare sententiam, si tu noueris mutare delictum. Et dum tu delictum per pœnitentiam mutas, ipse tunc ita mutat sententiam, vt non solum desinat te flagellare, verumetiam flagella, quibus te puniebat postea sæpe comburat; quemadmodum pater virgam, qua filium flagellauerat, solet proijcere in ignem, vt ostendat, se iam non esse iratum sed vnicè filium suum diligere. Idque Dominus exprimit in cap. 20. Osee dicens: [Et arcum, & gladium & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam

Dilucidatio textus. §. 3. Mina Dei. Psalm. 7.

K Paternus Dei animus in puniendo.

adu-

Hieronymus Guadalupensis in cap. 4. Oseæ. fiducialiter.] Super quæ verba, sic scribit Hieronymus, Guadalupensis: [Ita Deus post punitionem peccatoris, flagellum conterit, comburit, & in terram proijcit, & calcat, vt ostendat se pœnitere ob inflicta vulnera, omnem filium, quē recipit Dominus flagellat ait

Heb. 11. Apostolus. Et quæ sunt Domini flagella? Duplicia, ani-

Duplex Dei flagellum. matum nēpe, & inanimatū. Inanimatum, vt gladius, arcus, & alia id genus, morbus, dedecus, paupertas. Alia

Aug. sunt animata, nempe, homines impij, quos Aug. Psalm. 73. Flagella vocat iustorum, quos etiam Dominus post flagellationem iustorum, solet conterere, & in ignem proijcere, vt ostendat se iam pœnitere, ingentiq. filios

Isa. 10. prosequi amore. Verum multo apertius hoc significauit Dominus apud Isaiam dicens: væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eius indignatio mea ad gentem fallacem, mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, &c. Verum videre quid faciat de virga furoris sui. Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion in Ierusalem visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & su-

Ezech. 21. per gloriam altitudinis oculorum eius. Et apud Ezech. de Rege Babylonis aduersus Sedechiā, mucro, mucro euaginate ad occidendum, limate, vt interficias, & fulgeas; Atque postquam vsus est Dominus Rege Babylonis pro flagello, attendite, quid dicat. Reuertere ad vaginam tuam, & in terram natiuitatis tuæ, iudicabo te, & effundam super te indignationem meam, & in igne furoris mei sufflabo te, igni eris cibus. Attendi-

Exod. 32. te etiam, quid dicat apud Exodum: Placatus est Dominus ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum suum. Placari hoc loco pœnitere est, & ita vertunt Hebræi pro placatus, pœnituit, verbum

Iud. 10. enim Nachal, ibi positum significat consolari, & pœnitere, audite etiam, quid dicat scriptura. Postquam conuersi sunt Filij Israel ad Deum, proijcientes Idola, doluit Dominus super miserijs eorum, caueant ergo, qui alios affligunt, & timeant, quia flagella sunt bonorum in manu Domini, post conuersionem flagellandorum à Domino conterenda. Si enim inanimata flagella, vt arcum, & gladium, & bellum conterit, quanto digniora sunt contritione animata flagella?] Hæc Hieronymus Guadalupensis. Cuius verba placuit hic transcribere. Quoniam Blasius Viegas Neotericus scriptor ea diligenter venatus fuit, & proprio nomine in hisce suis commentarijs in hunc locum Apocalypsis inseruit. Et honor alterius, non est cautè, proprio nomine surripiendus: Immo dandus cui (ob suum laborem) debetur.

§. 2. Peccator semper potest reparari per pœnitentiam. Particula igitur illa [Nisi,] duo sanè denotat. Primum, quidem, peccatorem semper posse per pœnitentiam reparari, vt nuper distulimus. Secundum verò, pœnitentiam mutare comminatoriam Dei sententiam. Ita namque Deo semper grata est pœnitentia, vt (iuxta Tolet. Conc. 8. in can. 2. cap. Incommutabilis Deus, 22. q. 4. vbi explicat gloss. verb. sententiam Hieronymi Cagnol. in l. nemo potest mutare, nu. 6. de reg. iur. & Cast. aduersus hæreses, verb. pœnitentiam hæres 3. vers. tan-

Punire Dei est, vt pœnitentiam amplectamur. ta enim:) nihil detur potentior, & validior ad commutandam in misericordiam, quam prius Dominus in vltionem protulerat sententiam. Hinc punire Dei, non est plane, nisi, vt pœniteamus, & per pœnitentiam nostram, ipse nostras acquirat animas sanguine suo prætioso redemptas. Ad quod sane spectat illud, quod de flagellis, & punitionibus diuinis ait Isaias in cap. 28. [Vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo.] Opus suum vocat animarum conuersionem, opus verò alienum ab eo appellat suas punitiones, & flagella. Hinc quippè est quod Deus, ante punitionem, & flagel-

Psal. 59. la, semper minas intentat, iuxta illud Psalmistæ: [De-

D. Aug. in Ps. disti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.] Super quæ verba sic scribit D. Aug. [Per tri-

Minas infert Deus ante punitionem. bulationes temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni, arcus est extentus, adhuc in comminatione est, & videre quid fit in arcu, nonne sagitta in priora mittenda est, neruus autem retro extenditur in

A contrarium? Et quanto plus erit eius extensio retrorsum, tanto maiori impetu illa currit in priora? quid est quod dixi? quanto magis differtur iudicium, tanto maiori impetu venturum est.] Hæc D. Aug. Et idem videtur asserere D. Ambrosius dum in illa verba Gen. 9. D. Amb. lib. de Noe, & Arca cap. 27.

[Arcum meum ponam in nubibus cæli.] Sic scribit: [Non sagittam, arcus enim instrumentum iaculandi sagittis est: itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta, & ideo Dominus in nube arcum, magisquam sagittam ponit, id est, non illud, quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere nō soleat.] Ac etiam Diuus Gregorius, dum illa verba Psalmistæ: [Arcum suum tetendit, & parauit illum.] Sic exoluit: [Arcum suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per scripturam sacram minas exhibuit.] Ad quod vtique alludunt signa illa ante vniuersale iudicium, de quibus Lucæ 21. dicitur: [Erunt signa in

B Sole, & Luna.] Ante igitur punitionem, & flagella minas infert Deus, vt hoc suo procedendi stylo, clarè Signa iudicij extremi ad quid.

discant gentes se inuitum ad puniendum post præcedentia signa citò venire.

ED hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Text. 6.

COMMENTARIVS.

E illis grauibus minis, asperisq. terroribus, deficiens, prorsus succumberet, ac Explanatio contextus.

C pœnitus absorberetur Antistes iste, § 1.

eum Christus iterum hic consolatur, & collaudat. Supra namque antequam Consolatio diuina.

illum redargueret, ac increparet illis verbis: [Habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti.] ei blanditus fuit, dicens: [Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos.] Modo etiam postquam aspera, & dura illi ostendit, eumque vino compunctionis potauit, dicens: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo.] Illum iterum consolatur, & collaudat, eum alliciens, & blanditijs ad Optimus modus corripiendi peccantes.

se attrahens, factum eius sibi gratissimum commemorans, his verbis: *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. Rectè sane Isaias de Iesu Christo Redemptore nostro vaticinatus fuit cap. 7. di-

D cens: [Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.] Ecce enim qualiter hic Iesus Christus filius Dei, & hominis, hoc est, virginis Mariæ, bis huic Antistiti Ephesino, bubulo caseo, hoc Butyrum teste Plinio lib. 28. cap. 9. fit ex lacte bubulo.

est, scientia reprobationis, malum reprobat, dicens: Habeo aduersum te pauca,] & iterum: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo.] Et bis etiam illinet Antistiti, dulci melle, hoc est scientia approbationis, bonum elegit dicens: [Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.] & hic. *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*. Ecce plane vaticinia Prophetarum de Christo completa: cum de illo diceret eorum vnus: [Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.] & alter: [Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis,] & iterum: [Misericor- 100.

dia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax oscula- Abach. 3.

E tæ sunt. Ideo Matthæus cap. 1. meritò illum iusti Abra- Psal. 84.

hæ, & miserentis Dauid vocat filium, dicendo: [Filij Dauid, filij Abraham.] Cum igitur Deus perfecto odio reprobos, ac impios abhorreat iuxta illud: [Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.] Psal. 138.

ne se pœnitus Deo displicere existimaret Præsul iste, seipsum Deus in blandiloquium inceptum introducit dicens: *Quæ & ego odi*. Quasi dicat, valde acceptabile mihi plane fuit, videre, quod apud Ephesios locum minimè habeat illud Psalmistæ: [Corrupti sunt, & abomi-

abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est, qui faciat bonum.] Et paulo post: [Omnes declinauerunt simul, inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum non est vsque ad vnum.] Te enim inter Ephesios tibi commissos, inueni bonum facientem: *hoc* (namque) *habes bonum, quia odisti facta Nicolaitarum.* Facta plane detestabilia, abominabilia, ac prorsus execrabilia: *Quæ & ego odi.* Perinde ac dicat; Hoc plane gratissimum, ac acceptabile mihi fuit, præcipuè, quoniam illa ideo odisti, quia & me odisse vides Artificiosum sane Encomium, diuinaque plane commendatio, in qua filius hominis more boni Samaritani, vt ait Lyranus, post vinum mortificatiuum (de quo habetur Lucæ 10.) oleum lenitiuum infundit. Ideo meritò Rupertus super hunc locum, sic ait: [Ita reprehensionis amaritudinem, ne nimis offenderet atque exterreret, collaudationis dulcedine circumliniuit. Hoc modo, & cum muliere Samaritana loquens Ioan. 4. antequam diceret: Quinque enim viros habuisti & hunc, quem habes non est vir tuus, præmisit collaudans: Bene dixisti non habeo virum, & post quam illi, quod tot viros habuisset, expressit, iterum collaudans, hoc (inquit) verum dixisti. Magnum hoc, & digne imitandum est magisterium spiritus Dei, corripere quidem ea, quæ emendatione indigent, sed inter corripiendum, & prius, & posterius laudare, si qua benedicta sunt, vel acta, ab eodem qui in alijs corripitur quatenus, quo ad fieri potest teneatur beneuolus, & non refugiat confusus, aut exterritus audire non sustinens peccatoris animus.] Sic ille. Placuit igitur Christo, Antistitem istum, Nicolaitas blasphemantes Deum, religiosa seueritate coercuisse, & odisse.

Artificiũ corripiendi peccantes. *Lyranus in comment.* *Rupertus Abbas in 2. cap. Apoc.* *Ioan. 4.* *Apostrophe ad Episcopũ Ephesinum.*

§. 2. Verumenimuero vbi noster vulgatus legit: *Sed hoc habes quia odisti facta, &c.* alia editio legit [Sed hoc habes bonum, quia odisti, &c.] Quæ quidem lectio consona est Primasio, qui & [bonum] adiungit, & pro ly [*quæ*] vertit [sicut,] & ita legit; [sed hoc habes bonum quoniam odisti facta Nicolaitarum, sicut & ego odi.] In alijs verò codicibus Latinis, sic legitur: [Sed hoc habes bonum inter alia, quia odisti, &c.] Epiphanius verò lib. 1. contra hæreses, Hæresi 25. legit: [Habes autem quid boni.] Quibus omnibus lectionibus fauet glossa ordinaria, quæ sic legit: [Sed hoc habes bonum, quãuis hoc est aduersum te, tamen non desperes, quia habes bonum.] Attamen in omnibus Græcis codicibus perinde legitur, ac in nostra vulgata, dempto ly [bonum,] quod etiam in nostra subintelligitur.

Translatio Græcorum. *Translatio Primasij.* *Translatio Epiphanij.* *Glos. ord.*

§. 3. Tria tamen hìc colligito. Primum quidem, Antistitem hunc Ephesinum in læthali degentem crimine, bonum fecisse Deo gratum, & placens, quo ad satisfactionem sui muneris, & officij, licet non quo ad meritum vitæ æternæ, Opera namque extra charitatem facta, sunt quasi immunda apud Dominum, & nullius momenti, vel præmij æterni, & nihil prosunt ad gloriam & beatitudinem, iuxta illud 1. Cor. 13. [Si tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest.] Quod etiam affirmare visus est Augustinus, dum ait: [Peccator indignus est etiam pane, quo vescitur, & vita ipsa.] Cæterum prosunt ad satisfaciendum, vt nos supra in hoc eodem cap. disp. 7. q. 2. dispungimus. Et cum inter Episcoporum munera & officia, maximus sit vigilare, & in omnibus laborare, ne fera pessima vineam Domini Sabaoth deuoret, vt apertè habetur in Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. quamuis malus esset in se Episcopus iste Ephesinus ob charitatis priuationem: Dominus tamen bonum quod pro Ecclesia suo operatus fuit, odiendo Nicolaitas, maximè acceptauit. Secundum verò, quod inter defectus huius Antistitis, laboriosum hoc opus illius, putà, odium in Nicolaitas, apparet, vt nos discamus, quod opera bona nostra, crebrò inter aduersa, & resplendent, & dignoscuntur. Quoniam in laboribus & defectibus nostris probamur: & quam parum in via Dei proficimus, agnoscimus, cum labores ipsi, & defectus nostri, virtutem nostram apprimè probent, iuxta illud Iob. 33. [Tabescet caro illius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.] Super quæ verba sic scribit D. Gregorius: [Cum flagellis præmentibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Homo quippe quantum profecerit, nisi inter aduersa cognoscit, vnde Ps. 41. Scriptum est; in die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit, quia videlicet vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis, percipit. Sed quantum perceperit in aduersitate perturbationis ostendit.] Ita D. Gregorius. Nostra igitur tabescat caro, nostra nudentur ossa, laboribus, tribulationibus, angustijsq. omnino vapulemur, vt quantum in via Dei proficimus, & resplendeat, & prorsus agnoscatur. Tertium tandem colligito, quod non dictum est, pastorem hunc odisse Nicolaitas, sed *facta Nicolaitarum.* Quoniam non natura, sed culpa peccatoris venit odienda: eo quod personæ sunt ex charitate diligendæ, dicente Christo, [Diligite inimicos vestros, &c.] sed eorum vitia odio sunt habenda, iuxta illud Psalmistæ: [Perfecto odio oderam illos.] De qua re agunt Theologi expositiui in c. 5. Matth. eos legito.

Consectaria quædam. *1. Consect. Bona facta in læthali crimine, prosunt ad satisfaciendum: & adimplenda ea ad quæ ex munere, & officio peculiariter obligamur.* *2. Consect.* *D. Greg. lib. 23. Moral. c. 18.* *3. Consect.* *Culpa, & non natura peccatoris odienda.* *Lyranus in comment.*

DISPVT. IX.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de errore Nicolaitarum.

In quinque Quæstiones distributa super illa verba. *Odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.*

Prologus Disputationis.



Qvi sint isti Nicolaitæ, quæ illorum facta, & à quo originem ducant, hìc disputabili modo & stylo, aperire duximus; eo quod explanatores circa hæc omnia enodanda maximè variant.

Quæstio I.

Vtrum in primitiua Ecclesia fuerit aliquis homo, inter alios fideles, nomine Nicolaus.



Visse planè Diaconum quemdam, & Proselytum in primitiua Ecclesia, inter alios fideles, nomine Nicolaum, apparet ex cap. 6. Act. apost. vbi sic scribitur: [Et placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & spiritu sancto, & Philippum, & Procorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum Aduenam Antiochenum, hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.] Ex his igitur patet, Nicolaum origine Antiochenum fuisse in primitiua Ecclesia, vnum ex septem Diaconis ab Apostolis electis, & proselytum, hoc est, conuersum de gentilitate ad Iudaismum. Nam ly [Aduenam,] proselytum sonat. Est autem proselytus, ille qui de genti-

Conclusio. 1. Nicolaus Diaconus, & proselytus fuit in primitiua Ecclesia. *Aduena idem est, quod proselytus.*

gentibus natus circumcisionē, & Iudaismum suscipit, vt dicunt Beda, & Strabus in sua gloss.ord. super illa verba Act. Apost. 2. [Et aduenæ Romani, Iudæi quoq; & Proselyti, Cretes, & Arabes.] vnde cum Nicolaus esset aduena, erat ex consequenti proselytus, hoc est, conuersus de gentilitate ad Iudaismum. Quiquidem postea ex Iudaismo, & circumcisione ad Christianismū & baptismū per Apostolos in primitiua Ecclesia peruenit. Cum igitur hæc de Nicolao habeantur expressè in sacra Scriptura, D.Hieron. D.Aug. D.Ambr. & omnes scriptores super cap. 2 Apoc. Epiph. Euseb. Niceph. Clemens Alexand. & alij permulti, qui contra hæreses scribunt, Nicolaum in primitiua Ecclesia; fuisse affirmant. Hinc & Lyranus in hoc 2. cap. Apoc. loquens de Nicolaitarum errore ait: [Iste Nicolaus fuit in primitiua Ecclesia.] Rupertus Abbas, Nicolaum vocat Diaconum Ecclesiæ Ierosolymitanæ, dicens: [Nicolaitæ dicti sunt à Nicolao diacono Ecclesiæ Ierosolymorū.] Quare ad quæstionis titulum respondendo, aio: Nicolaum fuisse in primitiua Ecclesia Diaconum, vnum ex illis septem, quos Apostoli elegerunt, & consecrarunt, vt pauperum curam haberent, & hunc fuisse Antiochenum, quoniam in Antiochia fuerunt primi discipuli Christiani, vt habetur in Act. Apost.

Nicolaus quomodo peruenit ex Iudaismo ad Christianismum.

Nicolaus Diaconus Ecclesiæ Ierosolymitanæ.

Act. 11.

Quæstio II.

Vtrum Nicolaus Diaconus & Proselytus fuerit auctor erroris Nicolaitarum?

1. Conclusio.

Nicolaū non fuisse auctorē erroris Nicolaitarum tenent aliqui Doctores.



ARTEM negatiuam tenent multi. Nam in Scholastica historia lib. 3. cap. 19. dicitur: quod Nicolaus ipse vixit castè, & sanctè; sed alij incontinentes, hoc (nempe vxores esse communicandas, sicut & alias res) dixerūt. Clemens enim Alexandr. lib. 3. stromatum, nō facit Nicolaum auctorem erroris Nicolaitarum, sed eos qui eius factum, dictumq. inconsiderate sequentes impudenter, effuseq. fornicabantur, id est, Nicolaitas, & subdit: [Ego autem audio Nicolaum quidē, nulla vnquam alia, quam ea, quæ ei nupserat, vxore vsum esse, & ex illius liberis, filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum; quæ cum ita se habeant, vitij erat depulsio, atq; expurgatio in medium Apostolorum circumactio vxoris, cuius dicebatur laborare zelotypia.] Alij introducunt D. Aug. in lib. de hæresibus cap. 5. excusantem Nicolaum auctorē fuisse libidinis, & erroris Nicolaitarum. Nicephorus etiam idem negat de Nicolao in lib. 3. cap. 15. Porrò S.Hieron. in fauorem Nicolai sic scribit: [Nicolaitæ hæretici pestiferi, qui sub nomine Nicolai fecerūt hæresim.] Rursus Eusebius Cæsarien. lib. 3. hist. Eccles. cap. 23. Theodoretus lib. 3. de fabulis hæreticorū, D.Ignat. in epist. ad Trallianos, & in epist. ad Philadelphios, Hippolytus, & Dorotheus in Sinopsi, id ipsum negār de Nicolao. Quinimmo eum virū probatæ fidei, auctū honore ab Apostolis, & Samaritanorū Episcopum testantur, & Nicolaitarum nomen daturā solo specioso prætextu à Nicolao ortam esse, asserunt. In quem Nicolaitæ hæretici, originē suam referre conati fuere ob aliquam hæreseos notam, quæ propter vxoris zelotypiā, illi per speciem affixerunt.

D. Hieron. in originali.

Nicolaus Episcopus.

Cæterum S.Tho. in summa contra gentiles clare affirmat Nicolaum prædicasse mulieres debere esse cōmunes, sicut & cætera bona exteriora, quæ in primitiua Ecclesia erant cōmunia, & insuper in hisce suis cōmentarijs, sic scribit: [Nicolaus fuit vnus ex septem Diaconibus, de quibus Act. 6. & fuit ab Apostolis, & ab alijs discipulis reprobatus, quia vxorem redibat, vnde indignatus, prædicabat omnes mulieres communicandas, & comestionem idolothytorum.] & D.Hieron. in epist. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ, Nicolaum radicem praui erroris Nicolaitarum appellat dicens: [Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia, qui tam turpia, & nefanda commentus est, vt Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.] In eandē sententiam inuenio Irenæum lib. 1. aduersus hęreses, cap. 27. Tertull. lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos, Epiphaniū hæresi 25. D.Hilarium canone 25. in Matth. aliosq. grauissimos adstipulatores tam veteres, quā neotericos. Quare Nicolaū radicem amaritudinis Nicolaitarum erroris induco. Tum quia ipse, primus inter Catholicos primitiuæ Ecclesiæ, mulieres prædicauit esse communes, vt dicunt hij postremo loco citati Doctores. Tum quia ipse primus in eadē primitiua Ecclesia fidelibus fomitem administrauit, vt mulieres in vsum cōmunē transirent, vt dicūt DD. primo loco citati. Quoniā, vt asseuerant Philosophi, quod est causa causæ, est causa causati.

2. Conclusio.

Nicolaitæ à Nicolao ducunt originem.

Nicolaus radix amaritudinis et erroris Nicolaitarū probatur.

Fuerunt autē Nicolaitæ hæretici insignes. Attamen per modicū tempus durarunt, vt prodit Eusebius lib. 3. hist. eccles. cap. 23. Qui planè postea mutato, vel relicto Nicolaitarum nomine, appellati fuere Gnostici, Phibionitæ, Stratiotici, Leuitici, & Barbonitæ; vt tradunt Epiph in suo Panario hæresi 25. D.Aug. lib. de hæresibus, cap. 5. & Cēsar Baronius in suis Annalibus Eccles. anno Christi 68. quem diligenter legito.

Nicolaitæ hæretici famosi.

Nicolaitæ nō diu permanserunt.

Nicolaitę mutarūt nomen.

Quæstio III.

Vtrum indifferens vsus feminarum, & Idolothytorum, fuerit error Nicolaitarum?

1. Conclusio.

Nicolaitarū errores proponuntur.



OCTORES in errorem Nicolaitarum assignando variant in modo, non autē in re. Variant quidem in modo. Nam Primasius absolutè ait idololatriam, & fornicationem fuisse errorē Nicolaitarum, & non explicat an esset simplex fornicatio, an adulteriū, an stuprum &c. D.Hieron. in originali dicit, Nicolaitas tenere, quod quicunq; fornicatus fuisset, octaua die, pacē reciperet. Epiph. lib. 1. cōtra hæreses, hæresi 25. in fornicatione quotidiana, dicit consistere errorem Nicolaitarum. Sic enim ait loquens de Nicolao: [Qui cum ad vxores redijsset formosā, à qua se religionis causa continuerat, erubescens se victum fuisse libidini, affirmare cœpit, nisi quis veneri se singulis diebus daret, participem vitæ æternæ fieri non posse.] Addiq. hinc exortos fuisse hæreticos turpissimarū libidinū auctores, scilicet, Gnosticos, Ebionitas (vt supra nos retulimus) de quibus Apostolus ait ad Eph 5. [Et nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebrarū, sed magis redarguite, quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est, & dicere.] Et idē videtur affirmare Philastrius. Clemens verò Alexandr. in lib 3. stromatum, nullam mentionē facit de die, an scilicet esset fornicatio quotidiana, an verò in octaua die, sed tantum dicit errorem Nicolaitarum, consistere in hoc, quod Nicolaitæ sequentes inconsideratè factum, dictumq. Nicolai, impudenter, effuseq. fornicabantur.] Erat autem (vt Clemens scribit) dictum Nicolai, [vti oportet carne,] hoc est, exercere carnem. Rupertus Abbas in cap. 2. Apocalypseos, de hoc errore Nicolaitarum ita scribit: [Nicolaitæ dicti sunt, à Nicolao Diacono, Ecclesiæ Ierosolymorum, qui cum Stephano, & cæteris constitutus est à Petro, qui propter pulchritudinem

Primasius in cap. 2. Apoc.

D.Hieron. in originali.

dinem relinquens vxorē, dixit, vt qui vellet, ea vteretur, & versa est in stuprū talis consuetudo, vt inuicem coniugia cōmutarentur.] Lyranus de illo etiā scribit sic: [Nicolaus fuit in primitiua ecclesia, habens valde pulchrā vxorem, & impositū fuit sibi, quod nimis zelabat eā, propter quod ad ostendendū contrariū cecidit in peius vitiū, secundū illud poeticum: Decidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Exposuit enim vxorē suam alijs Christianis dicens erroneè, sic vxores esse communicandas sicut & alias res.] Sic ille. Ecce qualiter Doctores varient modum narrandi errorem Nicolaitarum.

Lyranus in cap. 2. Apoc.

1. Conclusio.

Auctoris sententia circa errorem Nicolaitarum.

Cæterum in re, oēs conueniunt, Omnes namq; affirmant fornicationē indifferentem feminarū, esse illorū errorē. Quod satis exprimit D. Aug. lib. de hæresibus, cap. 5. sub his verbis: [Iste (nimirū Nicolaus) cum de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgādi se causa, permisisse fertur, vt ea qui vellet vteretur, quod eius factum, in sectam turpissimā versum est, qua placet vsus indifferens feminarum.] Ita D. Aug.

Nicolaitarū primus error.

Nicolaitarū secundus error.

Præter indifferentē feminarū, alium etiam errorem obtinebant Nicolaitæ, Vescebātur namq; cibis Idolothytis, quod etiā exprimit D. Aug. lib. de hæresibus, c. 5. dicēs: [Hi (hoc est Nicolaitæ) neq; ab his, quę idolis immolantur, cibos suos separant, & alios ritus gentilium superstitionum, non auersantur.] Sic D. Aug. Et reuera ita esse probat textus dicens: [Facta Nicolaitarū.] Facta namq; non vnū, sed multos errores significant. Ob id glos. ord. super hunc locum, [facta Nicolaitarum,] sic scribit: [Id est, cōmunem vsum mulierū, & comestionē Idolothytorum.] Idq; apertè probatur ex his, quæ infra in hoc eodem cap. 2. dicitur per hæc verba: [Sed habeo aduersum te pauca, quia habes illic doctrinā Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum corā filijs Israel edere, & fornicari.] & rursus: [Permittis mulierē Iezabel quæ se dicit Propheten docere, & seducere seruos meos fornicari, & manducare de Idolothytis.] Porrò Nicolaitæ negarunt diuinitatē Christi, vt tradunt D. Ignatius epist. 9. & Irenęus lib. 3. aduersus hæreses cap. 11. Iccirco asseuerare vtique possumus Nicolaitas fuisse illos hæreticos, quos Iudas Apostolus notauit, dum in sua epist. ait: [Subintroierūt quidam homines, qui olim perscripti sunt ad hoc iudicium, impij, magni Dei gratiam transferentes in luxuriā, & solum dominatorē, & Dominum N. Iesum Christum negantes.] Postremò, Irenæus loco citato tradit Nicolaitas beatitudinem in voluptate collocasse.

Nicolaitarū tertius error.

Nicolaitarū quartus error.

Quæstio IV.

Vtrum turpis error Nicolaitarum sit hæresis?

1. Assertio.

Nicolaitarū errores sunt hæreses.



DIVVS Aug. lib. de hęresibus connumerans hæreses, quæ post Christi ascensionem exortæ fuere contra catholicā Ecclesiam, quinto loco recenset Nicolaitas, à Nicolao Diacono originem trahentes.

Verumenimuero, qui ex vna parte errores Nicolaitarum considerat, putà, indifferentem vsum feminarū, esum Idolothytorū, superstitiones gentilium, negationē humanitatis Christi, & collocationē beatitudinis in voluptate: Et ex altera parte legit S. Tho. 2. 2. q. 11. art. 1. 2. 3. & 4. disputantē de hęresi facilè colliget, Nicolaitarum turpes errores (quotquot sunt) maximas esse hæreses, varijs Concilijs sanctorum Patrum meritò damnatas & damnandas.

Accedit ad hoc, quod Pater à Castro verbo coitus, hæres. 1. & 3. probat errorē eorum, qui docuerūt pro-

F miscuum feminarū vsum esse licitum, & quiuis, quam vellet, sine peccato vti posset, esse hæresim detestabilem. Ex quibus clarè liquet vagam venerem nullatenus esse licitam, & cadere sub hæresi.

Feminarum indifferens vsus est hæresis detestabilis.

Quæstio V.

Vtrum primus Nicolaitarum error, vt potè indifferens feminarum vsus, sit directè contra matrimonium?

1. Conclusio.

Nicolaitarū error, repugnat matrimonio.

G BEATVS Thomas in hisce suis commētarijs, hanc (in parte dumtaxat) attingit difficultatē, dum sic habet: [Facta Nicolaitarū, id est, eorū qui sequuntur Nicolai doctrinā, in cōmuni vsu mulierū, & in comestionē Idolothytorū, quæ & ego odi, quia abominabilia, quia sunt facta immunditiæ quantū ad primum errorem, & quæ dissipant pacem humanā, & quæ sunt contra legē naturæ, & institutionem diuinā, qui sicut legitur in Genesi, matrimonium instituit, vt esset vna vnius in matrimonio, & qui non est in matrimonio, actum illum non nisi damnabiliter exercere potest. Hoc enim ostendit Dominus in illa institutione matrimonij.] Ita S. Th. Ex quibus verbis liquet, primū Nicolaitarum errorem, vt potè, promiscuum feminarum vsum, matrimonio directè repugnare.

H Verumtū rem luculentius aperiā. Audiamus tū primò Nicolai errorē. Nicolaus enim dixit: [Ecce vxor mea, non curo quid faciat, qui vult vtatur ea.] Mala propositio, iniqua insuper & turpis; Attū ad rē modo.

Error Nicolaitarū impugnatur in fauorem matrimonij.

2. Conclusio.

Nicolai erroris prima cōsideratio.

1. Ratio.

2. Ratio.

Si error Nicolaitarū accipiatur ex parte ipsius Nicolai dūtaxat, nulla habita relatione ad vxorem, dico Nicolaū sic absolutè dimittendo vxorē suā non fornicariā, matrimonio directè obuiasse. Probo. Tum quia Matth. 19. dixit Christus: [Quod Deus cōiungit, homo nō separet.] Tum quia vxorē vir nō potest dimittere, excepta fornicationis causa, dicente Christo Matt. 19. [Dico autē vobis, quia quicunq; dimiserit vxorem suā, nisi ob fornicationē, & aliam duxerit, męchatur; & qui dimissam duxerit, męchatur.] Atqui nullus Doctorum est, qui dicat vxorē Nicolai fornicariam fuisse. Igitur nequiuerat Nicolaus eā dimittere. Et ex consequenti

I eam dimittendo, directè matrimonio cōtradixit. Tum quia licet Hebræis licitū esset, vxorum repudium alijs de causis à fornicatione, tū Christianis nullatenus est licitum vxorem dimittere, nisi sit adultera. Et Christi lex de non repudiando vxorē obligat post passionem, sicuti & alia præcepta à Christo data, vt rectè probat Abulensis in cap. 19. Matth. tom. 5. q. 62. Igitur repudiando Nicolaus vxorē suam, post Christi ascensionē facta publicatione Euangelij, directè contradixit matrimonij sacramēto, à Christo Domino instituto. Tum quia diuortium in nouo testamento, nō eisdem causis, & eisdem personis datur, quibus dabatur repudiū in lege Moysi. Quoniā repudium in lege Moysi dabatur propter duritiem cordis: Diuortium autē datur in nouo testamento, quasi suadēte equitate, & propter emēdationem fornicātis. Repudium insuper solum dabatur viris contra feminas, pro vt habetur Deut. 24. Di-

K uortium verò datur viro contra feminā, & vxori contra virum, quia ad æqualia iudicantur; Repudium tandem in lege Moysi dabatur in quacunque causa quantumcunque voluntaria; Diuortium verò in nouo testamento, non fit nisi ob solam causam fornicationis, sic iubente Christo Matth. 19. Atqui Nicolaus non inueniens vxorem suam fornicatam, nequiuerat ad diuortium conuolare: Ergo nequiuit eam dimittere, nisi matrimonio repugnando directè. Tum quia

3. Ratio.

Repudiare vxorem licebat Hebræis.

4. Ratio.

A quia quamuis Nicolaus matrimoniũ contraxerit dum in infidelitate permaneret, adhuc nequiuerat vxorem repellere post baptismi susceptionẽ. Quoniam baptismus non tollit coniugia, sed crimina; vt habetur de diuortijs cap. gau. vnde conuerso vno ad fidem, & altero adhuc manente in infidelitate, erit matrimoniũ, & licebit fideli, miseri infideli, quia coniux est, & Apostolus consuluit hoc 1. Cor. 7. dicens, quod si vir fidelis habet vxorem infidelem, non dimittat eam, & similiter si vxor habet virum infidelem, non recedat ab eo. Quare licitum erit fideli, manere cum coniuge infideli. Idq. apprimè docet B. Tho. in 4. sent. dist. 39. art. 2. Et prorsus eadem ratio militat, si contracto matrimonio inter fideles alter coniugum ad infidelitatem declinauerit. Quamquidem indissolubilitatem significauit Christus Matth. 19. dicens: [Quod Deus coniungit homo non separet.] Ad demonstrandum quod homo non debet recedere ab vxore, propter aliam causam, nisi propter fornicationem. Et non solum inter fideles, verum etiam inter infideles est verum matrimonium, vt habetur extra de diuor. cap [Quanto.] Igitur licet vxor Nicolai esset infidelis, & adhuc non baptizata, vel esset iam fidelis, & baptizata, & post baptismum ad infidelitatem declinauerit, manente Nicolao fideli, nequiuerat Nicolaus suam repellere vxorẽ sine matrimonij contradictione directa. Tum postremò, quia licet olim accedentes ad sacros ordines, vxores dimitterent, tamen hoc erat quantum ad coitũ, & concubitum, & non quantum ad diuortium. Quoniam hi tenebantur vxoribus ad omnia necessaria vitæ ministranda; quoniam semper manebat matrimonium, licet tolleretur concubitus; vt patet in decretis dist. 3. cap. Omnino. Vnde nefas esset, & anathema, si quis tali vxori prouidere nollet, vt etiam patet in decretis dist. 3. 1. cap. Quicumq; virginitatem, §. potest & aliter. & cap. omnino confitemur. Et vt etiam determinatũ est in canonibus Apostolorũ. & habetur in decretis 28. dist. cap. Si quis docuerit. Igitur quamuis Nicolaus esset Diaconus nequiuerat vxorem suam repellere, & eamdem tradere diuortio, absque directa & omnimoda matrimonij læsione.

Matrimoniũ manet inter infideles cõiugatos venientes ad fidem.

Matrimoniũ manet inter fideles cõiugatos etiam si vnus eorũ infidelis fiat.

6. Ratio.

Vxores dimittebant olim in primitiua Ecclesia promoti ad sacros ordines.

Si verò error Nicolaitarum consideretur ex parte ipsius vxoris Nicolai, dico Nicolaum directè etiam contra matrimonium fecisse. Quoniam Nicolaus per illa verba: [qui vult vtatur ea,] vel intelligit sic, [qui vult nubat cum ea,] vel sic, [qui vult rem habeat cum ea per fornicationem, quin eam ducat in vxorem.]

3. Conclusio.

Nicolaitarũ erroris secunda consideratio.

Quantum autẽ ad primum sensum, patet Nicolaum maximam iniuriam matrimonio ministrasse. Tum quia vna vxor, plures viros tunc haberet, vtpotè ipsum Nicolaũ, & illũ nouum maritũ, quod nullo tẽpore licuit. Quoniã licet sit verum, virũ vnũ plures habuisse vxores, vt patet in SS. Patriarchis, illis tñ licitum fuit in veteri testamẽto plures habere vxores ex dispensatione, secundũ Aug. super Genesim. Quod planè permissum fuit propter quatuor causas quas ipsemet D. Aug. citat libro de bono coniugali. Quarũ prima est dignitas sexus; secunda pax in cõmunicatione œconomica; tertia in repugnantia pluralitatis ad eamdẽ vxorẽ intensioni naturæ ingeniantis coitũ; quarta est ratio sacramenti in Christo & ecclesia. Tamen quod vna vxor plures viros haberet simul, nullo tẽpore licuit. Igitur sic acceptis verbis Nicolai, maxima iniuria oritur matrimonio. Tum quia matrimoniũ institutum est à Deo in paradiso, vt esset vna vnius in matrimonio; Ideo Euæ in paradiso, vnũ dumtaxat Adam, in matrimoniũ elargitus fuit ipsemet Deus. Igitur repugnat matrimonio, & & esset contra ius diuinũ, & naturale, vxorem Nicolai aliũ ducere virum. Tum postremò, quia Apost. 1. Cor. 7. sic ait: [Mulier alligata est legi, quanto tẽpore vir eius viuit.] & paulo supra: [Vxorẽ à viro nõ discedere, quod si discesserit, manere innuptã, aut viro suo reconciliari.] Quæ planè verba sic sonant, teste Primasio. Si quis dimiserit vxorẽ suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; & cum discesserit, non ita

1. Ratio.

Vna mulier plures habere viros repugnat matrimonio.

Vxores multas habuerũt Patriarchæ ob 4. causas.

Abulen. opp. de opt. politia. fol. 4.

2. Ratio.

3. Ratio.

Primasius in Epist. Pauli ad Corinth.

discedat, vt alij nubat, si ob aliquã causam discesserit, melius est si ad virũ suum reuertatur, quã alij nubat.] Igitur verba Nicolai, in hoc sensu accepta, directè repugnant matrimonio, & verbis Apostoli.

Quantum autẽ ad secundum sensum, verba Nicolai maiorẽ dicunt repugnantiam ad matrimonium. Patet. Tum, quia ille qui cum ea coiret committeret adulteriũ, putà, illicitũ coitum. Quoniam coitus cum aliena, ita est abominabilis & immundus, vt Dominus dicat: [Adulteri regnũ Dei non possidebunt.] Atqui adulteriũ ex diametro opponitur matrimonio, vt patet clarè ex sacra pagina. Igitur &c. Tum quia Christus dixit Matth. 5. [Omnis qui viderit mulierẽ, ad concupiscẽdum eam, iam mœchatus est in corde suo.] Ergo &c. Tum quia ipsemet maritus, esset causa omniũ fornicationũ suæ vxoris, & quod eius mulier cõmitteret vxoricidiũ, & infringendo torũ, fieret aliorũ concubina, & fortasse meretrix. Quoniã quod est causa causæ est etiã causæ causati. Atqui fornicatio, fractio tori, concubinatus, & meretriciũ sunt omnino illicita in vtraque lege, & contra ius naturale, & nullatenus permissa in lege Christi. Igitur nequeunt fieri, nisi in opprobrium matrimonij.

4. Conclusio.

Nicolaitarũ erroris tertia consideratio.

1. Ratio.

Coitus cũ aliena est abominabilis, & omnino immundus.

2. Ratio.

3. Ratio.

Tum demum si verba Nicolai, [qui vult vtatur ea, [reddant hunc sensum.] Accipiat qui voluerit vxorẽ meam, & ego alterã ducam, [directè etiã impugnant matrimonio. Et probatur. Tum quia pluralitas vxorũ nunquã fuit licita sine Dei dispensatione, quia lex de vnitate vxorũ, non est aliquid humanitùs positum, sed diuinitùs datum, & nõ in litteris, sed in corde impressum, & ideo non potest esse dispensatio in hac lege, nisi per Deũ, & ita fuit facta sanctis Patriarchis, & Patribus veteris testamenti, vnde extra de diuort. c. Gaudemus. dicitur; quod nulli vnquam licuit plures habere vxores, nisi cui ex diuina reuelatione cõcessum est. Et licet talis dispensatio concessa fuerit patribus veteris testamenti, tamen in nouó testamento non est eadẽ ratio dispensandi in hoc, quæ fuit in veteri. Quia veniẽte Christo, fuit tempus plenitudinis gratiæ, per quam Dei cultus in oẽs gentes, spirituali propagatione multiplicationem accipiebat, & conseruationẽ. In veteri verò, lex nõ se extendebat ad multas gentes, sed in illa cui data erat, manebat; & ita oportebat eam conseruare eo modo, quo gens illa conseruabatur, nimirum, per propagationẽ. Et ideo vacãdũ erat propagationi. Lex verò non diffunditur in oẽs gentes per spiritualẽ propagationẽ, i. per prædicationẽ verbi; & ideo per illũ modum debuit cõtinuari, & nõ per carnalẽ deriuationẽ; & sic conuenienter stricta fuit vxorũ pluralitas ad vnitatẽ. At Nicolaus cum esset diaconus noui testamenti, & Proselytus subijciebatur legi Euangelicæ. Igitur nequiuerat in nouo testamento plures simul ducere vxores. Tum quia pluralitas vxorũ, non significat vnionẽ Ecclesię cum Christo, quã planè indicat matrimonium in lege Euangelica, iuxta illud Apostoli: [Sacramentum autẽ hoc magnũ est, ego autẽ dico vobis in Christo & Ecclesia.] Vbi sermo est de matrimonio, vt indicant superiora verba eiusdẽ cap. 5. Eph. nempe: [Quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius: Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrem suã, & adhęrebit vxori suę, & erũt duo in carne vna.] Quod autẽ Ecclesia sit Christi sponsa, & vxor, clarè ostendit Ioan. in cap. 21. Apoc. dicens: [Veni & ostendã tibi sponsam vxorẽ agni.] Tum tertiò & postremò, quia vxorum pluralitas in lege Euangelica est nobis illicita, & vetita, & nõ tenet matrimoniũ, quinimmo esset adulter Nicolaus, aliam ducendo vxorem. Primò, quia Christus in cap. 19. Matth. ait: [Dico autẽ vobis, quod quicunq; dimiserit vxorẽ suã nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur,] id est, cõmittit adulteriũ, & Luc. 15. [Quicunq; dimiserit vxorem suã, & ducit alterã, mœchatur.] & Mar. 10. [Quicunq; dimiserit vxorẽ suã, & aliã duxerit, adulterium cõmittit super eã; & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.] id est adulterium cõmittitur. Secundò patet per Magistrum in 4. lib. sent. dist. 33. vbi

5. Conclusio.

Nicolaitarũ erroris quarta consideratio.

1. Ratio.

Vxorũ pluralitas nunquã licita.

2. Ratio.

Vna vni in figura Christi, & Ecclesiæ iungitur.

3. Ratio.

Vxorum pluralitas in nouo testamento nõ est licita.

clare demonstrant tempore legis fuisse licitã pluralitaté vxorum, & non tempore Euangelij. Tertiò tandé patet, quia vnitas & pluralitas vxorũ est vna ex differentijs noui, & veteris Testaméti, ita vt in nouo sit vnitas vxoris, in veteri verò pluralitas, vt prodit Isidorus lib. de differétia noui & veteris Testaméti, & habetur 34. dist. c. [Christiano, scilicet Christiano non dicã plurimas, sed nec duas habere licitum est, sed vnã tantum vxoré.] Et ita innuit, quod Christianis propriè hoc cõpetit, quod quisquis vnam tantum habeat vxoré, & dixit, non dicã plurimas, neq; duas, q. d. de veteri Testamento vetitũ erat, haberi plurimas, sed non duas, aut paucas; Christiano auté homini nõ solum sunt vetitæ plurimæ (quod etiã in veteri testamento erat vetitũ,) etiam duas habere est vetitum, vnã etenim tantum habere licet ei. Accedit ad hoc, quod in nouo Testaméto vxorum pluralitas tantum repugnat matrimonio, quãtum eidem repugnat repudium, & sic per vtrumq; nullatenus dissoluitur matrimonium legitimè, & in facie Ecclesiæ contractum. Quare quouis ex his quatuor modis consideretur primus Nicolaitarum error, vt poté promiscuus fœminarum, & vxorum vsus, directè repugnat matrimonio. Propterea Deus de his Nicolaitarum factis, & actis, hic dixit: [quæ & ego odi.] quoniam matrimonio directè opponuntur.

Testamenti noui & veteris differẽtia.

Explicatur decretum de vnitate vxoris.

Textus 7.

Subscriptio litterarũ ad Angelũ Ephesi.



Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1.

Attentionem præcipit Christus.



Ipsemet verborũ tenor clarè ostendit, Christum hoc loco, tùm attentioné, intelligentiamque ab auditoribus postulanté, tùm diuina promittentem, alloqui. Qui nãque in terris viuens dixit Matth. 11. [Qui habet aures audiendi, audiat.] & Ioan. 6. [Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternã.] Ipsemet modo post mortem, in cœlis regnans, nobiscũque vsque ad cõsummationem sæculi permanens, eadé ferè verba hic analogicè sic repetit. *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesijs; Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Ad audiendum namque tam placidum verbum, tamque iucundum promissum, quale est: *vincenti dabo edere de ligno vitæ* (hoc est, de carne mea, vel de fructu crucis,) *quod est in paradiso*, (hoc est, in Ecclesia,) *Dei mei*. Primò auditores attentos, auditum tacitum intellectus, mentemq. capacem petit dicens: *Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*. Hæc quippe verba sunt veluti voces, ac clamores vehementissimi vsque ad aurem cordis intrinsecus pertingentes, obidque Euangelista Ioannes. [Iesus (inquit) hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi, audiat.] Et hic in præsenti clamat dicens: *Qui habet aurem* (hoc est, intellectum capacem,) *audiat*, (hoc est, mente cõcipiat) *quid spiritus dicat Ecclesijs*. Incitamur planè ad dictorum sequentium attentionem, intelligentiamque quotiescumque audire iubemur. Hinc est illud Ioseph ad fratres, Gen. 47. [Audite somnium meũ quod vidi.] Et illud Moysi ad populum Israeliticum Deut. 31. [Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.] Et illud Iacob ad filios, Gen. 49. [Audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrũ.] In quibus locis ideo audire, & bis audire, præcipitur; quia, & cum magna

Prima verba Ioãnis, inuitant ad secũda audiéda.

Ioan. 7.

Auditio præcepta attentioné postulat.

F diligentia audiendum esse iudicatur, & non solum voce corporea audire debere, verumetiam auditu tacito intellectus, præcipitur audiri quod dicitur. Quare cũ hìc dicitur: *qui habet aurem*, aurem intelligit spiritualem, attentam, capacem, promptam, & expeditam, tùm ad intelligendum, tùm etiam ad obediendũ. Ideo Beda in cap. 4. Marci rectè ait: [Aures audiendi, aures sunt cordis, & sensus interiores, aures obediendi & faciendi quæ iussa sunt.] Oportet ergo hæc duo simul stare, nimirum, & Deũ attentè audire, & audita, iussaq. eius mox, obedientiã ediscentis, executioni mandare. Hinc rectè Hugo in Dydascalon, ait: [Pauci sciunt seruare modũ in audiendo, & discendo, ideo multi sectientes, & pauci scientes inueniuntur.] Primis igitur verbis, scilicet, *Qui habet aurem &c.* ad secunda attẽtè audire verba, prouocamur, nẽpe, *vincenti dabo &c.*

Aures audiendi sunt cordis aures.

G Sed dices quare hoc loco per hęc prima verba: *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesijs.* prouocamur ad attentè audienda sequentia verba hæc. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei?* Ad hoc respondeo, quia verba ista, *Vincenti dabo &c.* Sunt ardua ad intelligendum, & ob id attentè audienda. In rebus namq; planis sufficit qualitercumq; audire: ac verò in rebus arduis necesse est attentè audire. Ideo filius hominis habebat modum specialem incitandi in rebus arduis. Sunt auté res dupliciter arduæ, nempe, ad intelligendum, vel ad agendum. In rebus autem arduis & duris ad agendum solebat Christus dicere: [Qui potest capere capiat.] Vnde cum ipse loqueretur de inseparabilitate matrimonij, vt habetur Matth. 19. & Petrus diceret: [Si ita est, causa hominis cum vxore, non expedit homini nubere.] Ipsemet Christus respondit dicens: [Non omnes
H capiunt verbum istud, sed quibus datum est, qui potest capere capiat.] Hinc D. Ioan. Chrisost. hom. 63. super Matth. sic ait: [Dominus noster, quibus ad perpetuam hortari virginitatem arduum, atq; durum videbatur, necessitate legis in cupiditatem virginitatis impellit.] Sic ille. In rebus verò arduis, & duris ad intelligendũ, solebat Christus his verbis vti: [Qui habet aures audiat,] id est, qui potest intelligere intelligat, quia accipitur audire largè pro intelligere, vt patet Matth. 11. Vbi cum Christus dixisset de Ioanne, quod erat Elias, quia istud erat difficilè ad intelligendum, dixit: [Qui habet aures audiendi &c.] hoc est, nõ intelligetis omnes, quomodo Ioannes est Elias; & tamen intelligat qui potest. Præterea istud etiam apparet in illa parabola Matth. 13. [Exijt qui seminat &c.] quia illa parabola erat obscura, & Christus sciebat quod præsentes non intelligebant eam, dixit: [Qui habet aures audiendi audiat.] id est, intelligite si potestis. Ad eumdé
I modum hìc, quia istud durum, & obscurum, nec non arduum, ad intelligendum erat, nempe, *Vincenti dabo edere de ligno &c.* & insuper filius hominis sciebat & Antistité illum, & Ephesios sibi commissos, non ad plenum penetrare arcana diuina, ideo illa prælibauit verba, nempe: *Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, i. qui istũ spiritualé cibũ à me promissum intelligere potest, intelligat. Permulti namq; Hebræi, Christo dicenti: [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui mãducat hunc pané, viuet in æternũ.] dixerunt: [Durus est hic sermo, & quis potest eum audire.] Ideo modo promittens Ephesijs, eumdé spiritualem cibum sub his verbis, *vincenti*, (hoc est, dignè sumenti) *dabo edere de ligno vitæ*, (hoc est, de carne mea, vel de fructu crucis) *quod est in paradiso Dei mei*, primò reddit illos attentos dicens: *Qui*
K *habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, id est, qui potest intelligere intelligat; Propterea quod qui indignè manducat, & bibit (vt dicitur 1. Cor. 11.) [iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

§. 2.

Cur per prima, ad secunda incitamur audienda verba.

Ardua verba attentionem quærunt.

Rerũ duplex arduitas.

Audire accipitur pro intelligere.

Communio sacra requirit puritaté, & mundiciã animæ, & cordis.

PARA-

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

Qui habet (inquit) aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs. Surdum esse hominem ad voces Dei percipiendas hic ostenditur. Locutio namq; ista, quasi clamor quippe est vehementissimus pertingens vsq; ad cordis aurem intrinsecã nolentem audire ea quæ Spiritus sanctus intra medullas cordis hominum dictat. Ego planè nihil surdius reperio, quã corde nolentẽ audire Spiritũ sanctum, etiam si patẽtes corporis aures obtineat. Hinc proculdubio est illud Psalmistæ.] Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.] Ob idq. Christus Ioan. 9. obduratis Pharisæis dixit: [Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.] Perinde ac diceret: Quamuis patentes aures corporis ad audiendum contra me habeatis; tamen ad doctrinam Spiritus sancti, quam prædico audiendam, cordis aures, quasi gusypio omnino obduratas præuosgeritis. Non sic planè illi qui Apostolo dixerunt: [Audiamus te de hoc iterum.]

§. 1. Peccator est surdus ad cor de Deum audiendum.

Psal. 96.

Act. 13.

§. 2. Spiritus nomine, persona Spiritus sancti intelligitur.

Primò aduerte, illos septem spiritus, quos supra in cap. 1. recensuit noster Vates sub his verbis: [Et à septem spiritibus, qui in cõspectu throni eius sunt.] eosdẽ hic, vnum dumtaxat spiritum appellare, dum dicit: [quid spiritus dicat.] Vt apertè intelligatur, sicuti hic, sic etiã illic, sermonẽ solummodo fieri de Spiritu sancto, pro vt ibi explanauimus. Sunt quippè sancti Spiritus charismata septẽ, quamuis ipse sit vnus in persona, vt discutiũt Theologi cum Magistro in 3. sent. dist. 34. & cum S. Tho. 1. 2. q. 68. art. 4. & q. 8. art. 6. ac etiam q. 45. art. 2. ad 3. Quare licet Spiritus sanctus natura sit vnus, tñ gratiarum distributione, septiformis nuncupatur. Ipse namq; sapientiã, intellectũ, consilium, fortitudinem, scientiã, pietatem, & Dñi timorem, ad suum beneplacitum omnibus affatim, & abundè distribuit, ac diuidit, remanẽs semper in se vnus, & idẽ spiritus. Qui secundum totam suam plenitudinẽ in Christo Redemptore nostro requieuit, attestante Isaia, dum in cap. 11. ait: [Et requiescet super eum spiritus Dñi, spiritus sapientiæ & intellectus &c.] Dicendo itaq; in illo loco noster vates, [à septẽ spiritibus qui in cõspectu throni eius sunt.] Quemadmodũ & hic dum ait: [Quid spiritus dicat Ecclesijs.] Antiquæ illius prophetiæ Isaiæ de Christo, tenorẽ, ac stylũ planè respexit. Et hoc cõgruè satis, eo quod is de quo olim Isaias in spiritu loquebatur, (flos de radice Iesse, Agnus Dei, idemq. leo fortis) ipsemet nunc in plenitudine temporis nostro Ioanni mysteriosè in septẽ cornibus, septẽ oculis, septem lampadibus ante thronũ Dei ardentibus, septem sigillis libri signati, septẽ Angelorũ tubis, septẽ phyalis, & septẽ præcipuè Stellis, & candelabris apprimè demonstrabatur. Et vt apertè intelligamus spiritũ qui hic loquitur septiformem esse, septies in hoc, & in sequenti capite, clamat sic: [Qui habet aurẽ audiat, quid spiritus dicat ecclesijs.] quasi septẽ loquantur spiritus Dei, loquẽte hic vnico filio Dei. Et reuera ita esse inconfestum est. Quoniã septem illi spiritus Dei loquũtur in Christo redemptore nostro dẽ illo habitaculo suo (nimirum anima) in quo tota plenitudine gratiæ à primo suæ conceptionis instanti, sunt habitantes.

Dona gratiæ sunt in Ecclesia à Spiritu sancto.

Ratio cõgruitatis huius textus cum vate Isaia.

Epitheta Christi.

§. 3. Quod vni Ecclesiæ dicitur, omnibus dicitur.

Secundò nota. Quod loquente hic Christo (mediãte Angelo suo) ijs septem Ecclesijs, vnusquisq; ex his septẽ spiritibus loquitur suæ Ecclesiæ, iuxta proprietatẽ suæ dignitatis. Et quod vni Ecclesiæ sigillatim dicitur, idipsum sanè omnibus Ecclesijs (vt Laudunensis in sua glos. intcrl. Lyran. Ruper. Abbas, D. Dion. Carth. D. Tho. D. Ambr. & omnes expositores cõmuniter asseuerant) dicitur. Ita tñ vt sermo primò ad illam Ecclesiã cui nominatim dicitur, immediatè tendat, & cõsequenter oĩbus alijs, tùm Asiæ, tùm totius orbis etiã dirigatur Ecclesijs. In omnibus namq; Ecclesijs totius mundi sunt aliqui fideles, qui dignè audiant ea, quę sunt sapientiæ, ea quæ sunt intellectus, ea quæ sunt consilij, ea quæ sunt fortitudinis, ea quæ sunt scientiæ, ea quæ sunt pietatis, & tandem ea quæ sunt timoris Dei. Quoniam Dei Ecclesia nequit esse absq; aliquibus prędestinatis, quamuis plerią; sint in ea reprobi. Ob idq. septẽ Ecclesiæ describitur, vel septiformis Ecclesia nuncupatur, quoniã quicunq; in Ecclesia sunt fideles, in aliquo gratiarũ istarum septem consistunt gradu. Iccirco dictio hæc: [Qui habet aurem audiat &c:] quasi interposita ad vnamquamq; Ecclesiã de vnoquoq; etiã pronunciatur spiritu Dei sigillatim, & de omnibus simul, quandoquidem omnes septem, sunt natura vnus spiritus, vt nuper retulimus.

Dona Spiritus sancti iucundè a fidelibus audiuntur.

§. 4.

Tertiò obserua, dictis non repugnare Laudunensem in sua interliniari glossa sic vertentem, [spiritus,] id est, [trinitas,] Quoniam cum Filius nihil operetur ad extra nisi cum Patre & Spiritu sancto (cum vna sit horum trium operatio ad extra, ipsaque indiuisa, ac prorsus indissimilis) & Filius hunc Angelum miserit (vt nuper in cap. 1. dispungimus) hinc quippè factum est, vt Angelus hoc loco, filium sub nomine spiritus intromittat dicens: [Quid spiritus &c.] vt hoc loquẽdi stylo, clarè ostenderet se à filio esse missum, & ex consequenti, à tota Trinitate, quæ spiritus quidem est, iuxta illud Io. 4. [Spiritus est Deus.] oportebat insuper Angelum Dei dicere: [Quid spiritus dicat Ecclesijs,] & non dicere, [quid Pater,] aut [quid filius, dicat Ecclesijs.] Quoniam Spiritus sanctus est, qui per Prophetas loquitur, vt in Symbolo Apost. fide profitemur. Et cũ hæc esset noui Testamenti prophetia, sequitur Angelũ congruè hic, non Patrem, aut Filium, sed dumtaxat Spiritum sanctum intromisisse.

Opera sanctissimę Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Filius Dei qui est spiritus misit Angelum ad Ioannem.

Spiritus sanctus loquitur per Prophetas.

§. 5.

Quartò & postremò annota, quod occasione sumpta ex his verbis D. Tho.] Qui habet aures interiores, scilicet intellectũ promptum, & multiplicem,] & ex his alijs D. Ambr. [Aures proculdubio cordis requirit.] asserimus hic duplices aures in sacra pagina reperiri interiores, putà, & exteriores. Quam planè aurium distinctionẽ in principio huius Paraphrasis, nos ex parte etiã attingimus; quam etiã hic extendere curamus. Et quidẽ de exterioribus accipitur illud Exod. 21. [Si emeris seruum Hebręum &c. applicabitur ad ostium, & postes, perforabitq. aurem eius subula, & erit ei seruus in sæcula.] & illud etiam Exod. 24. [Legite in auribus populi,] id est, audiente populo: de interioribus verò exoluitur illud Ps. 44. [Audi filia & vide, & inclina aurem tuã.] & illud etiã Ps. 48. [Inclinabo in parabolã aurem meam.] & demum illud Gen. 4. [Audite verba mea vxores Lamech, quia occidi virũ in vulnus meũ, & adolescentulũ in liuorem meũ.] Vtrobiq; nãque non ad simplicẽ verborum sonum, sed reconditã quoq; dictorũ intelligentiã prouocatur audiens. Quare inter vtrasq; aures hoc sanè est discrimen, nimirũ, quia auribus corporis sonũ dumtaxat verborũ percipimus, nihil amplius inuestigando, aut penetrando. At verò auribus mentis, præter simplicem verborũ sonũ, interiorem intelligentiam, & obedientiã vlterius progredimur, vt indicauit Dñs dum Matth. 13. dixit: [Qui habet aures audiendi audiat.] vbi ly. [audiendi] iuxta doctrinã D. Greg. & D. Aug. sic exoluitur. [id est, obediendi.] Ad quod maximè alludit illud: [Auditu auris audiui te,] id est, obediui te. Hinc D. Hieron. super illa verba Ioclis 1. [Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ.] animaduertit, quod vbicumq; in sacra pagina iunguntur hæc duo verba, [audire,] & [auribus percipere] priora ad interiores mentis aures; posteriora verò ad exteriores aures cordis referenda esse. Idq. probat ex illo Isa. 1. [Audite cæli, & auribus percipe terra] putatq. sacratius esse [audire,] quã [auribus percipere,] cũ illud cælo, hoc verò terræ tribuatur. Quare auribus corporalibus, & interioribus intelliguntur viri terreni, at verò auribus mentis & intellectus intelligunt viri spiritua-

D. Tho.

D. Amb. in comment.

Aurium duplex genus.

Auris exterior.

Auris interior.

D. Greg in hom. 15. in Euang.

D. Aug. hom. 18. in ps. 49.

Auris interior obedientiã significat.

Audire & auribus percipere differũt maximè.

Auribus exterioribus adduũt visi carnales.

rituales. In quo sensu accipitur illud Ioan. 5. [Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei,& qui audierint viuent.] Quæ quidem verba, D. August. lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 6. sic exoluit: [Qui audierint, dixit, qui obedierint, qui crediderint, & vsq; in finē perseuerauerint. Nec fecit hic vllam differentiam bonorum,& malorum. Omnibus enim bonum est audire vocem eius, & viuere ad vitam pietatis, ex impietatis morte transeundo.] Ita Augustinus. Ad quod fanè etiā alludit illud Psalmistæ: [Sacrificium,& oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi.] scilicet ad obediendum. Hinc Apostolus ad significandam summam ac maximam obedientiam filij Dei, erga Patrem æternum, dum carnem assumpsit humanam, sic vertit locum Psalmistæ ad Heb. 10. [Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.] Adde ad obediēdum tibi in omnibus,& per omnia. Ecce qualiter aures interiores, nempe, aures mentis,& intellectus sunt, vt homines spirituales obediant,& credant Deo. Hinc planè illud Psalmistæ, [aures autem perfecisti mihi.] Apud Hebræos sic est, [aures autem fodisti mihi.] Quod expendens Paraphrastes Chaldaicus, ita transtulit: [Aures ad auscultanda præcepta tua, formasti mihi.] Quare arrectis maximè auribus mentis, & intellectus, vti ceruus desiderans ad fontes aquarū, tenetur vir spiritualis Deū semper audire, hoc est ei credere,& obedire. Et ad istud sanè inuitamur dum dicitur: [Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.] vbi [audiat,] idem est quod [obediat.] Hinc rebelles, & nolentes nec credere, nec obedire Deo, maximè increpantur, vt indicat illud Exod. 12. [Audite rebelles.] & illud Isa. 6. [Excœca cor populi huius,& aures eorum aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis,& auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.] Et illud etiam Ezech. 3. [Populus autem ille non vult audire te, quia non vult audire me.] Sunt siquidem isti rebelles,& inobedientes, surdi, non auribus exterioribus, sed auribus interioribus cordis. Natura siquidem ad significandas aures internas mentis, collocauit in corde geminas aures quæ vtrinque cordi, sicuti animalis capiti, aures adiacent; de qua re legito Galenum. Cum igitur homines has cordis aures surrectas protendunt, facilè fiunt audientes, hoc est, obedientes,& credentes: At verò cum easdem depressas, ac demissas habent, mox fiunt surdi, hoc est, inobediētes,& increduli. Hinc Poetæ & Rethores, cum surdum, aut surditatem exprimere volunt, auriculas cerui demissas depingunt. Quoniam tunc cerui acutissimè audiunt, cum erectas aures protendunt, & cum eas demittunt vix proximum excipiunt sonum. Nam cum auditus, vt placet Empedocli, fiat illisu spiritus in clauiculatam aurium partem introrsus adnexam, quam tintinabuli vicem præbere dicit, vtpotè celso loco sitam, pulsuique obuiam, accidit, vt, negato per huiusmodi aurium depressionem ingressu, surditas adueniat necessariò. Alia pleraque Medici circa auditum, & surditatem comminiscuntur, sed satis sit scire nos teneri, ad aures cordis, mentis, intellectusque arrigendas, ad Deum audiendum, ne contrarium faciendo à dæmonibus capiamur, vti cerui à venatoribus. Nam Aristoteles ait: ceruos, cum aures demiserint facilè capi, eo quod insidias non senserint, cum verò eas intenderint, facilè insidiarum admoneri. Et per hoc intelligitur S.Tho. circa aures interiores,& D.Ambr. circa aures cordis, quas adducunt in hisce suis commentarijs, in explanatione horum verborum. [Qui habet aurem &c.]

Simile.

Ceruus habet auditum velocem.

Querimonia Dei contra surdos ad suas voces.

Aurem interiorem aliqui non habent.

Auriculas habet cor nostrum.

Galenus. lib. 6. de vsu partiū. cap. 15.

Obedientes homines qui sint.

Ceruorū natura in audiēdo.

Auditus quomodo fiat.

Surditas quomodo fiat.

Ceruus facile capitur.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Enucleatio textus.

Vincenti dabo (ait denique) edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.

F Pretiosi corporis Dñi N. Iesu Christi, tùm in altaris sacramēto, tùm in cœlesti beatitudine, allegoria vtriq; est. Via etenim,& desideratus esus pretiosi ligni vitæ, parētibus protoplastis, dæmonis astutia deulctis, iussu Dei, iustè interdictus, ac flāmeo, versatiliq. gladio merito interclusus, nobis vi passionis eiusdē Christi, Saluatoris nostri hic iam aperitur, & misericorditer conceditur. Post lampsum namque Adæ, quando ipsemet præuaricationem coram Deo confessus fuit dicens: [Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno,& comedi.] statim sequitur in 3. cap. Geneseos: Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est, eiecitque Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim,& flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.] Ecce esum, & viam ligni vitæ primis parentibus interdictam. Cæterum, G quia tunc Deus damna ligni apprimè notauit, vt in plenitudine temporis nostrā assumpta mortalitate, abundanter, ac omnino misericorditer persolueret, iuxta illud, quod sancta mater canit Ecclesia, vt potè.

§. 1.

Allegoria simulq; anagogica explanatio.

Adæ lapsus confessio coram Deo.

Adæ exilium & relegatio.

Deus, peccante Adam notauit lignū, vt eius damna solueret.

De parētis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit:
Ipse lignum tunc notauit
Damna ligni vt solueret.

Ideo hic nunc, vt clarè, & apertè intelligamus humani generis factam, ab Adæ culpa, redemptionem, hostium deiectionem, Paradisi apertionem, mortis destructionem, vitæ reparationem, hominis ad Deum reconciliationem, baptismique regenerationem, per Christum Saluatorem nostrū, dicitur: [Vincenti dabo edere de ligno vitæ,] id est, edere de corpore meo in sancto Altari per dignam communionem,& in cælesti patria per æternam fruitionem. Paradisus namque Dei est Ecclesia militans, simul & triumphans, Quiquidem pretiosus cibus,& esus, fœlici, dumtaxat, [vincenti,] hoc est glorioso athletę, opprobria tolerāti, irrisiones sustinenti, flagella non timenti, pericula, labores, cruciatus, tentationes, carceres, mundum, carnem, ac dæmonem, superanti; supplicia denique quæuis pro Christi nomine, eiusque fide, fortiter perferenti, promittitur. Et bene quidem, vincenti, talis diuinus ligni vitæ esus spopondit Deus: quia, vt ait D. Gregorius hom. 37. in Lucam. [Ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores; vnde Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit; delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.] Hæc ille. Est igitur vincens, miles ille Christianus, in quo manet alta mente repositum iudicium Pauli dicentis: [Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; & quia momentaneum hoc & leue nostræ tribulationis ęternum gloriæ pondus operatur in cælis.] & huius promissionis amore à terrenis suspensus, & prægustata supernæ suauitatis dulcedine ineffabiliter dicit Christo: [Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum.] Quod igitur primo homini, dæmonis astutia, deuicto, interclusum est à Deo, pulchrè hic in nomine Christi, vincenti repromittitur, quatenus edat de ligno vitæ: [quod est (inquit) in paradiso Dei mei.] & viuat in æternum, cum ex illo comederit. Nam, [Qui manducat meam carnem (dicit Christus Ioā. 6.) & bibit meum sanguinē, habet vitam æternam.] Hinc Apoc. 22. dicitur: [Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ.]

H

I

K

Passionis & mortis Christi fructus.

Vincens qui sit.

Vincēs est miles Christianus.

Caro Christi lignum vitæ.

§. 2.

Sanctus Sanctorum, vt potè Christus, lignum vitæ hic allegoricè, & anagogicè ab Archipropheta Ioanne, nuncupatur. Quæ planè allegoria, & anagogia depro-

Lignum vitæ allegoricè est Christus.

depromitur vtique ex illo Geneseos 2. [Produxit etiam Dominus Deus lignum vitæ in medio Paradisi,] Erat quippe,iuxta hanc litteram, vera & naturalis arbor in medio Paradisi terrestris, cuius vis, & effectus erat, ab omni corruptione corporis, ab ipsaq. morte, hominem seruare. Et licet per multi Philosophi (inter quos est Plato, legens frequenter libros Moysi, ac etiã Theologi inter quos est Origenes) hanc veram, & naturalem arborem esse negent, dictum Moysi de ligno vitæ ad spiritualia quædam referentes, nihilominus tamen D. Augustinus, D. Ambrosius, D. Basilius, D. Chrysostomus, Beda, Theodoretus Dionysius, Oleaster, Alphonsus Tostatus, Benedictus Pererius, & alij in libros Genesim satis abundè probant, lignum vitæ verum, & naturale lignum fuisse. Ad hoc igitur vero & naturali ligno vitæ, de propta est (vi dixi) hæc allegoria, & anagogia, qua sanctus sanctorum, nempe, Christus, lignum vitæ, hoc loco, nuncupatur.

Lignum vitæ Paradisi voluptatis vera & naturalis arbor est.

§. 3.
Probatur noster textum illum allegoricum esse.
1. Ratio.
D. Aug.
Anagogia, & allegoria D. Augustini de Paradiso terrestri.

Correspondet proculdubio hæc nostra expositio. Tum dictis Sanctorum Patrum, & præcipuè B. Aug. allegoriam, & anogogiam, ex terrestri paradiso in lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 21. exhaurienti per hæc verba: [Nemo itaque prohibet intelligi paradisum, vitam beatorum, quattuor eius flumina, quattuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam, & ligna eius omnes vtiles disciplinas, & lignorum fructus, mores piorum, & lignum vitæ, ipsam bonorum matrem sapientiam, & lignum scientiæ boni, & mali, transgressi mandati experimentum.] & paulo post: [Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, vt ea melius accipiamus tãquam prophetica inditia præcedentia futurorum, paradisum scilicet, ipsam Ecclesiam sicut de illa legitur in Cantico Canticorum, quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Euangelia, ligna fructifera, sanctos; fructus autem eorum, opera eorum, lignum vitæ; Sanctum Sanctorum, vtique Christum, lignum scientiæ boni, & mali, proprium voluntatis arbitrium.] Hæc D. Aug.

2. Ratio.

Tum nostra expositio, ad dogmata sacræ scripturæ plane alludit, quæ Christum Redemptorem nostrum arbori, seu ligno, frequenter assimilare solet in veteri testamento. Nam illud Ps. 1. [Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.] Et illud Ezech. 36. [Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri.] & illud Exod. 13. [Dominus ostendit ei (nempe Moysi) lignum, quod cum misisset in aquas in dulcedinem versæ sunt.] De Christo in spiritu intelligitur. Hinc est, quod ipsemet Christus se in nouo Testamento allegoricè, lignum, seu arborem appellauit, lignum quippe dum Lucæ 33. dixit: [Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?] Quibus verbis (vt dicunt quidam grauissimi Doctores) seipsum ligno humido, siue viridi, Ierosolomytanos verò, siue Iudæos ligno arido comparat, ac si diceret. Si me innocentem ita affligunt, quas pœnas dabunt Iudæi suorum flagitiorum, apti ad incendium; Est namque sermo illic de lignis relatis ad combustionem. Ligna enim humida (vt pote aquosa) difficile ardent: arida autem facillimè, & sic est argumentum à difficiliori. Arborem porro, dum Ioan. 15. dixit: [Ego sum vitis vera.] Et non solum ligno, Christum comparat vetus Testamentum, verumenimuero ligno vitæ. Nam licet, ly, [lignum] absolutè, & solitariè sumptum in veteri testamento multa significet. Quandoquidem virum iustum, & iniustum significat iuxta illud Ezech. 17. [Ego Dominus lignum sublime humiliaui, & exaltaui lignum humile] & cap. 2. [Omne lignum viride, & omne lignum aridum.] Deinde significat crucem: Iuxta illud Ierem. 11. [Mittamus lignum, & panem eius.] Et quam plura alia, vt dicit, D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 2.) nihilominus tamen, dum subiungitur ly, [vitæ] ita vt legatur. [Lignum vitæ] semper de Christo Redemptore nostro in spiritu intelligitur. Hinc est, quod illud Prou. 3. [Lignum vitæ est ijs, qui apprehenderint eam & qui tenuerint eam beatus.] Omnes expendant de Christo Redemptore nostro: vt est sapientia incarnata, & eodem capiunt (licet aliter, atque aliter) illud Prou. 11. [Fructus iusti, lignum vitæ,] & Prou. 15. [Lingua placabilis lignum vitæ,] & Prou. 13. [Spes quæ differtur affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens.] Et Apoc. 22. [Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos, reddens fructum suum.] Quare nos hìc lignum vitæ aptè pro Sancto Sanctorum, vtique Christo, allegoricè exposuimus.

Vide Caietanum in c. 23. Lucæ, & Hectorem Pintũ in c. 10. Ezechielis super illa verba, omne lignum viride, & omne lignũ aridum.

Ligni significationes variæ.

D. Greg.

3. Ratio.

Præterea est Christus lignum vitę, & non cuiuscumque vitæ, sed vitæ æternæ, ipso de semetipso attestante Ioan. 6. [Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam.] & rursus: [Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam.] & paulo post: [Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.] & statim post hæc: [Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi; si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.] & mox subiungit: [Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.] & postremo: [Qui manducat hunc panem viuet in æternum.] Cum igitur Christus, lignum vitæ, æternæ sit, nihil mirum profectò si hìc vincenti, esum, & cibum vitæ æternæ spondeat dicens: [Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.] Ipse namque est verbum illud æternum, de quo 1. Ioan. 1. dicitur: [Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifesta est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.]

4. Ratio.

Rursus hæc enodatio quadrat textui. Quia ly, [dabo,] non debitam, sed gratuitam dicit elargitionem. Corpus namque Christi, (cuius participes sumus in Altari per sacram communionem, & in cælesti gloria per æternam fruitionem,) gratis vtrobiq. nobis datur; Quoniam ipsa gratia per quam in via dignè communicamus, & in termino gloriam promeremur, gratis primum infunditur, absque vllo nostro merito, sub quo prima gratia non cadit, vt rectè prodit Angelicus Doctor, p. 2. & nos etiam supra retulimus. Vnde quantum ex hoc capite, ly [dabo] nostram nullatenus abhorret enodationem. Rursus ly [edere] ad Eucharistiam sacram, & ad beatitudinem dicit relationem: Quoniam vtrobique corpus Christi spiritualiter manducatur, hic per gratiam à viatoribus; illic verò per gloriam, & fruitionem à comprehensoribus. Quare quantum ex hoc altero capite, nostra enodatio adhæret textui.

5. Ratio.
Doctores, qui tenent hanc opinionem.

Tum insuper hæc nostra explanatio accipit testimonium à Paschasio, lib. de corpore, & sanguine Christi cap. 7. à Bibliotheca Sanctorum Patrum, tom. 4. à Primasio, Aretha, Ticonio, D. Augustino, D. Ambrosio, D. Thoma, D. Dionysio Carthusiano, Glossa ordinaria, Glossa interlineari, Lyrano, Richardo de sancto Victore, Beda, Ruperto Abbate, & ab alijs plerisque grauissimis doctoribus, qui omnes hilari pede in hunc currunt amnem, quo nos per [lignum vitę] sacrum Christi corpus intelligimus, quod est in medio Paradisi terrestris, nimirum, Ecclesiæ militantis, sub speciebus panis, & vini, latens viatoribus, & in medio Paradisi cælestis, vt pote Ecclesiæ triumphantis, clarè visus à comprehensoribus. Quod si alij grauissimi adstipulatores in hiscemet suis commentarijs priorem dumtaxat partem nostræ huius explanationis teneant, inter quos Auctorem Incognitum, sequutum Hugonem in libro de Arca Noë, sic scribentem repe 30: [Vincenti dabo, &c. Potest enim accipi pro statu viæ vbi Dominus promittit seipsum dare in Sacramento Altaris, quod est in Paradiso Dei mei, quia in Ecclesia. Istud ergo Sacramen-

Auctor incognitus in cõment.
Hugo lib. de Arca Noë.

mentum quod repromisit nobis dare est roborantium virtuositate, propter hoc dicit, vincenti, communicatiuum liberalitate, quia dabo, refectiuum satietate quia edere, viuificatiuum sanitate, quia de ligno vitæ, delectatiuum suauitate, quia in Paradiso Dei mei.] Alij vero posteriorem solummodo partem dictæ nostræ explanationis profitentur, inter quos, Franciscus Ribera locum tenet, ita scribens: [Nunc ergo lignum vitæ dicitur Deus, qui clare visus, vitam præbet immortalem, & sicut Paradisus terrestris, figura fuit cæli, ita lignum vitæ figura fuit Dei, ex quo, qui edunt, id est, qui eum clarè vident semper viuunt; Dicitur autem esse, in medio Paradisi, id est, in Paradiso, quia non vescimur hac arbore, in terra, sed in Cælis. Hinc Apo. 22. scriptum est, beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, id est, beati qui peccata poenitentia, & bonis operibus delent, vt possint Dei visione frui,] tamen geminam partem harum opinionum nobis in offenso pede placuit amplecti cum recensitis doctoribus, inter quos splendet Rupertus Abbas per hæc verba: [Christus namque lignum vitæ est, cuius in cælesti Paradiso, visione, & in præsenti Ecclesia, corpore, sanctæ reficiuntur animæ.] Placuit (inquam) vtraq. istarum duarum potissimarum opinionum asseuerare partem, quoniam in rebus difficillimis extrema reputantur crebrò vitiosa, & medium tenuere beati.

Franc. Ribera in comment.

6. Ratio.

Analogia inter lignum vitæ, & corpus Christi.

Tum sextò, & postremò nostra probatur sententia de gemina sanctarum animarum refectione Corporis Christi, vt pote in via per Communionem sacram in sancto Altari, & in patria per æternam fruitionem; Quoniam sic acceptum lignum vitæ, explanatio maximè quadrat analogiæ, quam allegoria postulat. Constat siquidè in allegorijs, analogiam proportionemuè inter vtrumque Testamentum requiri. Quoniam cum allegoria (vt communiter docent sancti Patres) sit aliquod factum, vel mysterium noui Testamenti alicui alteri loco veteris Testamenti correspondens, iuxta doctrinam D. Tho. 1. p. q. 1. art. 10 vbi sic habet: [Secundum ergo, quod ea, quæ sunt veteris legis, significant ea, quæ sunt nouæ legis, est sensus allegoricus.] oportet necessariò, quod inter vtrumque locum, puta, noui & veteris Testamenti sit analogia, siue proportio aliqua: Alioquin si in omnibus dissentirent illa duo loca nullatenus appareret significatio rei ad rem, & per consequens nequiret fieri allegoria ex re veteris Testamenti, ad rem noui Testamenti ad inuicem relata re ad rem: Atqui inter lignum Paradisi terrestris (ad quod plane noster vates hoc loco alludit, vt nuper retulimus) & inter pretiosum Christi Corpus non tantum est analogia, & proportio quatenus eo fruuntur beati, & comprehensores in patria, clare illud intuendo verumetiam, quatenus eo reficiuntur in sancto Altari viatores. Quandoquidem quemadmodum à ligno illo Paradisi terrestris erat vita, & immortalitas, sic ab hoc mystico ligno, per illud expressò, nimirum, corpore Christi in sacramento Altaris, est vita gratiæ, refectio mentis, delectatio animæ, & immortalitas, spiritualiter loquendo, iuxta illud: [Qui manducat hunc panem viuet in æternum.] Et in cælesti patria, est vita gloriæ, immortalitas vera, æterna fruitio, &c. Quam plane geminam analogiam Corporis Christi in via, & in patria ad lignum illud Paradisi terrestris admirabili stylo attingit S. Tho. in hisce suis commentarijs. Igitur lignum vitæ hic aptè, & comedè de corpore Christi tum in sacramento Altaris, tum in cælesti beatitudine à nobis exoluitur.

D. Tho.

Carnis, & sanguinis Christi in sacramento Altaris fructus.

§. 4. Impugnatur Blasius Viegas.

Cæterum non me præterit, Blasium Viegas, in hisce suis commentarijs cap. 2. sect. 13. ita scribere: [Tertio per lignum vitæ significatur ipsa crux Domini, vt vult Primasius, cuius fructus, est Christus.] Sic ille. Cuius sanè positio nullatenus mihi arridet, non quod Crux Christi, non sit lignum vitæ, id enim perspicuum euadit ex sacra pagina, vt & etiam ipse perdoctè probat ex illo Ier. 11. [Mittamus lignum in panem eius.] Et ex

F illo Cant. 7. [Ascendam ad palmam, & apprehendam fructum eius.] Sed quod Primasius vnquam tale dixit. Et vt appareat veritas, verba Primasij in hunc locum in hisce suis commentarijs fideliter hic apponam, sunt etenim tenoris sequentis: [Qui vincet dabo ei edere de ligno vitæ, id est, de fructu crucis, quod est, inquit, in Paradiso Dei mei, Paradisus etiam Ecclesia intelligi potest. Omnia enim in figura facta sunt, & Adã vmbra futuri, Apostolo dicente, præcessit; lignum vero vitæ, sapientia Dei Dominus Iesus Christus, qui in cruce pependit, qui & in Ecclesia, & in spiritali Paradiso vitale alimentum, cælestisque panis præbet fidelibus sacramentum, de quo legimus sapientia vitæ est amplectentibus eam.] Ita Primasius. Vbi, vt apertè vides, fructum crucis appellat Corpus Christi, quod spiritualiter nos fideles in sancto Altari per sumptionem sacramenti manducamus, hoc autem non est pro ligno vitæ, exoluere crucem, quamuis ipsa crux, verè lignum vitæ sit. Quia tamen opinio, & enodatio Primasij bene, & fideliter perspecta ad nostrum currit amnem (vnde, & illum inter Doctores nostræ opinionis supra recensuimus) ideo ab istac crucis explanatione hic supersedimus.

G

Lapsus Blasij Viegas.

Primasius in comment.

1. Cor. 15.

1. Rom. 5.

Prou. 3.

Conceptus prædicabiles in textum.



BIs dumtaxat reperio in sacra pagina Christum ore proprio Paradisum nominasse, semel, nimirum, in cruce, dum Dimæ latroni dicenti: [Domine memento mei dum veneris in regnum tuum,] respondit: [Hodie mecum eris in Paradiso.] Et semel hic, dum Ephesijs, & nobis etiam verè poenitentibus ait: [Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.] Magnum quippè mysterium. Semel enim in terra, nimirum, olim in cruce dum pro nobis patiebatur, & semel in Cælis regnans dum hic loquitur, Paradisum nominauit, vt sic proculdubio clarè indicaret corpore suo pretioso animas sanctas, duobus dumtaxat locis, refici posse, in Ecclesia nempe militante, quæ est mysticus Paradisus terrestris, & in Ecclesia triumphante, quæ est verè Paradisus cælestis. Et vtrobique corpus Christi gloriosum est, pretiosissimus, ac suauissimus animarum nostrarum fructus, & cibus. Loquar primò de illo prout est sacramentaliter in hostia illa consecrata in sancto Altari huius Paradisi terrestris, vt potè Ecclesiæ militantis: quandoquidem vt sic corpus Christi gloriosum omnes obtinet conditiones veri, & pretiosi cibi. Quoniam est dulce, & suaue, dicente Psalmista: [Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.] & rursus: [Gustate, & videte quam suauis est Dominus:] Est, vigorem, robur, & fortitudinem, præbens ijs, qui eo vescuntur, dicente eodem Psalmista: [Panem Angelorum manducauit homo.] Quæ verba sic legit D. Hieronymus: [Panem fortium manducauit homo.] & Psal. 22. [Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.] Et Psalm. 71. Corpus Christi in hostia, & calice consecrato appellat Psalmographus: [firmamentum,] dicens: [Erit firmamentum in terra in summis montium.] Quod plane D. Hieronymus, ex Hæbreo sic transtulit: [Erit memoriale triticum in terra.] Et Paulus Burgensis affirmat in Chaldaica translatione (quæ ante Christi aduentum fuit facta) sic reperiri: [Erit placentula tritici in capitibus sacerdotum.] vbi clarè liquet, sermonem ibi fieri de sacrosancta hostia consecrata super sacerdotum capita, tempore militantis Ecclesiæ eleuetur, vt à populo Christiano adoretur, & sic corpus Christi in hostia consecrata appellatur: [firmamentum.] Hoc est, quasi præstans robur, & firmitatem. Est denique hic cælestis cibus maximè salutaris, canente Ecclesia.

H

I

K

Conceptus 1. Quod corpus & caro Christi in duobus dumtaxat locis Animæ sãctæ possident

Eucharistia omnes cibi perfectiones in se continet

Psal. 67.

Psal. 33.

Psal. 77.

O sa-

D. Tho. hymni.

O salutaris hostia
Quæ cæli pandis ostium.
Bella præmunt hostilia.
Da robur, fer auxilium.

D. Cyprian. serm. de cœna Domini.

Hinc D. Cyprianus de hoc cælesti salutarique cibo sic ait: [Panis iste substantialis ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.] Et rectè sane quandoquidem de sanctissimo altaris sacramento exolui proculdubio potest illud Psalmistæ ad Patrem æternum: [Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.] vbi notandum maximè venit illud, [tunc acceptabis.] Quærebant siquidem antiqui Patres rem aliquam Deo gratissimam, quam illi offerrent, vt facilè deduci potest ex illo Psalm. 115. [Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi.] Et reperientes Deum sic dicentem: [Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum; si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius] nullam rem, eidem Deo gratissimam, quæ iam Dei non esset inueniebant, nec ipse Dauid, nec antiqui Patres. Cæterum ipse Dauid cum esset Prophetarum maximus reuelationem habuit peculiarem, quod Pater æternus daturus erat nobis in plenitudine temporum filium suum, qui nostra assumpta mortalitate pro nobis in cruce passurus erat offerens seipsum æterno Patri pro totius mundi peccatis. Quamobrem statim lætus, & hilaris vates regius, Patri æterno clamans dixit. [Tunc, tunc Domine acceptabis sacrificium iustitiæ.] Perinde ac diceret, Tunc quando veniet Messias, & fecerit cæcos videre, surdos audire, & mutos loqui, quapropter flagellabitur, conspuetur, coronabitur, & demum crucifigetur, [tunc acceptabis:] Passionem suam, rarum, & indubitatum [sacrificium iustitiæ,] quoniam tunc satisfactio erit de toto rigore iustitiæ, & sic apud te erit [copiosa (tunc) redemptio.] (Eucharistia est sacrificiũ iustitiæ. — Ps. 115.)

Conc. 2 Quod Caro Christi in passione, & in altari est Patri æterno summe grata



QVANTVM autem summè acceptum, & maximè gratum sit Deo Patri corpus, seu caro Christi, quæ eidem Deo Patri in sancto Altari prope diem in sacrificium offertur, ex eo clarè constare potest, quod ipsum corpus, seu caro Christi, in sacramento Altaris ad summam celsitudinem (ita vt illa non detur maior) omnino est euecta. Estote rogo attentissimi. In incarnatione vt potè quando [verbum caro factum est,] ad maximum plane gradum dignitatis corpus, seu caro Christi eleuata vtiq. fuit. Quoniam tunc ad tãtam celsitudinem fuit eleuata, vt in eodem supposito, cũ diuina natura fuerit constituta, & adorata. Cum enim ibi non sit aliud suppositum, inde fit vt eadem adoratione, qua Deus adoretur. Verumtamen adhuc dici potest, in hoc sacramento Altaris, ratione quadam, altius fuisse eleuatam Christi carnem, & sublimis ascendisse, quam in incarnatione, quando humanitas, hypostaticè fuit diuino verbo vnita. Et ratio planè est; quoniã in incarnatione, licet tam eleuata sit humana natura, vt in eodem supposito subsistat cum diuina, humana tamen natura inferior mansit, & licet in eodem supposito, tamẽ diuina est caput, humana verò pedes Christi [caput Christi Deus,] & sic præcipua Christi natura, diuina est, illa domina est, illa principatum obtinet, humana verò serua est, illi obedit, ei subditur. At vero quamuis natura diuina absolutè, & simpliciter in se considerata, semper sit altior, & excellentior, quam humana; tamen in hoc sacramento altaris, & eius ordine sic caro illa sanctissima eleuatur, vt sit prior, quam diuinitas & adest quidem priori ratione, & primo loco. Quoniam caro Christi in hostia consecrata adest ex vi sa- (Nota bene mysteria sacramenti Altaris.)

A cramenti, diuinitas vero adest per concomitantiam, vt carnem associet, & honoret, & sic quasi ancilla est, cum sit domina. Ad quod facile intelligendum notes oportet Concilij Tridentini, & omnium Doctorum catholicam doctrinam, vt potè, quædam esse in hoc sacramento, præcipua ratione, & ex vi verborum cõsecrationis: quædam verò per concomitantiam. Primum, & præcipuè, & ex vi verborum est, sub specie panis, corpus Christi, sub specie vini, sanguis Christi: Per concomitantiã vero, quia corpus nũc est cũ sanguine, anima, & diuinitate, hæc omnia veniunt, & sunt sub specie panis. Similiter sub specie vini, est sanguis Christi, corpus, anima, & diuinitas, sed sanguis ex vi verborum, reliqua per concomitantiam sunt, quia modo simul sunt. Sed si in triduo mortis Christi aliquis Apostolorum consecraret, sub specie panis esset corpus sine sanguine, & anima, & sub specie vini, sanguis sine corpore,
B & anima, quia tunc illa separata erant: diuinitas vero semper adesset, quia separata non fuit. Quamuis igitur anima in se considerata, potior sit carne, tamen in ordine huius sacramenti, caro est potior. Voluitq. Deus sic carnem honorare, vt esset hic superior, & anima eam concomitaretur, quasi pedissequa. Simile quid diuinitati contingit, quæ licet in se considerata, superior sit, in ordine tamen huius sacramenti posterior est carne, quam illa concomitatur, & honorat. Præcipuè enim caro hic aduenit. Quod quidem his exemplis manifestum satis euadet: Cum siquidem Sacerdos simplex suam primam celebrat missam, & Episcopus ei adest patrinus, in se consideratis personis, & absolutè, Episcopus dignior est, sed in eo actu missæ nouæ, præcipuus sacerdos est, Episcopus verò, eius adiutor, & concomitans. Simile in baptismo, vel nuptijs. Sit Rex patrinus. Præcipua quidem in se persona regis est, & dignior baptizato, aut sponso; at in eo actu (Comparationes, & exempla satis ad propositum.)
C potior sponsus, aut baptizatus, & Rex solum est concomitans, & honorans illum. Et sic est in præsenti, circa carnem Christi, & diuinitatem, Idque ipsemet Christus clare ostendit, cum non dixit: [Ego sum cibus,] sed [Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus,] quia hæc sunt quæ præcipuè in hoc sacramento: ex vi ipsiusmet sacramenti existunt. Ex hac itaque summa celsitudine, & supremo honore in quo Deus factus homo, in hoc sacramento corpus suũ collocauit, colligitur quam acceptum, & maxime gratum Deo patri sit, corpus, seu caro Christi filij sui in sacrificio Altaris. Dicamus modo breuiter aliqua de eodem glorioso corpore, & carne Christi, quatenus eo animæ sanctæ, & comprehensores reficiuntur in cælesti patria, & Paradiso. Sic etiam corpus illud glo-
D riosum, est suauissimus, & pretiosissimus comprehensorum cibus, & fructus, dicente Psalmista: [Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.] Et reuera tanta est huius fructus, & cibi, suauitas, vt rectè de triunphante Ecclesia dici possit illud Cant. 4. [Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cũ nardo, nardus, & crocus, fistula, & cynnamomum, cum vniuersis lignis Libani, & cum omnibus primis vnguentis.] Quadrant hæc omnia gloriæ beatorum prout infra dicemus. (Ps. 30.)



LIGNVM vtique animatum, & præbens vitam, & immortalitatem, est corpus Christi, cum caro sancta eius, vitæ æternæ caro sit, hoc est, immortalitatem, & vitam æternam dignè illam
E hic in via sacramentaliter sumentibus importans. Hic ipsemet Christus, Sanctus Sanctorum, & lignum vitæ, qui in terris viuens primus vitam æternam hominibus promisit, dicens: [Et vitam æternam do eis.] Ipsemet post mortem, & in cælis regnans, iterum eandem vitam æternam, eisdem hic repromittit dicens: [Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.] Ad tales igi- (Concept. 3. Quod caro, & sanguis Christi viuacitatẽ immortalitatem, & vitam æternã digne sumentibus elargiatur.)

les igitur diuinas voces,& repromissiones nemo quæso in posterum iterum cum Pharisæis dicat: [Durus est hic sermo,& quis potest eum audire?] aut: [Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.] Nemo, fidelium rogo, ob Deum immortalem,ne sic incredulus in admirationem rapiatur, dubitans in posterum carnem sacrosanctam Christi, vti lignum vitæ, viuacitatis æternæ, & immortalitatis fructum afferre. Nunquid rogo, & in hoc nostro terrestri habitaculo non oriuntur in dies per multa quę naturali virtute nostram mortalem,& corruptibilem naturam in statum meliusculum permutare comprobantur? Numquid non videmus Hesiodum,aliosque veteres Poetas (licet contra eos inuehat Aristoteles 3. lib. meth.text.15.) à quibus proditum erat,Deos nectare, & Ambrosia vti,immo Deos qui nectar, & ambrosiam non gustarent esse mortales, & qui illis alerentur immortales esse? Et apud Seres in India nonne lanugo in arboribus est, cuius esu vita protollitur? Et Insulæ etiam non sunt vbi nulli moriuntur? Sic enim scripsit Alexander Aristoteli de sacerdotibus arborum Solis, & Lunæ,quod esu pomorum lógissimam agant vitam. Nonne aliqui cibi in quibusdam regionibus inueniũtur,qui viuentes conseruent homines per quadringentos annos? Multi olim Philosophi istud tenebant de arboribus Solis,& Lunæ. Dicitur namque in historia scholastica in lib. Hester, quod Alexander consuluit arbores Solis, & Lunæ, & asserit quod in ortu Solis, cum splendor tangeret arbores illas in summitate,concutiebantur illæ vsque ad radices, & tunc responsum dabatur interrogantibus, vbi Alexander de morte sua responsum accepit,si Babylonem intraret,& ita factum est. Sacerdotes autem qui ibi erant vtentes pomis arborum Solis,& Lunæ quadringentis annis viuebant illæsi,& sic ibi quadruplicabatur ętas super ætatem nostram communem. Et de mandragoris quid dicam? Nonne mandragorarum potenti auxilio,sterilis vterus Rachelis, adeo melioratus est,vt conciperet, & pareret Ioseph (vt dicitur Gen. 30.) & postea Beniamin? Da mihi (dixit Rachel, Liæ) partem de mandragoris filij tui: [Super quæ verba solent inquirere doctores, quare Rachel mandragoras desiderauerit; & respondent aliqui,ex hoc tantum Rachelem desiderasse mandragoras, quod mandragoræ vim habent adiuuandi conceptum,& quia ipsa sterilis erat desiderauit valde. D.Augustinus tamen dicit quod ratione huius differétiæ quæsiuit diligenter in libris Phylosophorum de natura mandragoræ,sed nihil tale reperit, dicit se nescire aliam causam,quare Rachel,illas desiderauit, nisi propter pulchritudinem, & odorem, & suauitatem illorum pomorum. Sunt namque mandragoræ poma quarum radices figuram maris, & fæminæ exprimunt vna,nempe, radix similitudinem maris, altera vero femellæ similitudinem prælegerit, & sic ita poma,mandragoræ, dicta, & humanam similitudinem habent, & odorifera,pulchra, raraque valde sunt. Nihilominus tamen Auicenna lib. 2.cap.de Iabro, quam mandragoram vocat,dicit quod Mandragora, siue Iabro, habet virtutem purgandi matricem, & sic adiuuat ad conceptum. Et de medecina quid proferam? Nonne è cælo cum sit, naturali virtute herbarum mortalitatis nostræ naturam in meliorem statum in dies permuttat? Et vt de cæteris taceam, nonne vsque ad hodiernum diem medici,pro commendatione suæ artis, non fabulosum, sed verum illud fuisse contendunt, quod in libris gentilium legitur, nimirum, quod Aesculapius potentia medecinæ,mortuum ad vitam reuocauerit? Et tandem de illo inanimato,& insensibili ligno vitæ,quod erat in medio Paradisi voluptatis, quid dicam? Nonne cibus eius longam vitam dabat? Plane quidem; Hinc Elias, & Henoch, qui sunt in Paradiso voluptatis, per esum ligni vitæ viuunt iam, per quidque millia sexcentorũ septuaginta sex annorum computando vsque ad præsentem annum Christi millesimum sexcentesimum vndecimum,& viuent vsque ad tempora Antichristi, esu illius ligni vitæ Paradisi voluptatis. Cum igitur hæc omnia ita se habeant in creaturis circa mortalitatem nostri humani corporis iuuandam, & in meliorem augendam statum,cur incredibile,aut mirandum, cuiquã vnquam erit, Sanctum Sanctorum, nempe Christum Redemptorem nostrum verbum diuinum incarnatum: Deum verum,& hominem, lignum vitæ æternæ id est, vitam æternam nobis dignè sumentibus præbens esse? Nam si nectar, & Ambrosia Dijs immortalitatem; si lanugo arborum in India apud Seres vitã diuturnam, si esus pomorum arborum Solis,& Lunæ,sacerdotibus longissimam vitam: si mãdragorę vterum rachelis,meliorem statum,hoc est,ex sterilitate,fertilitatem; si medicina Aesculapij,mortuo vitam: & si denique lignum materiale & insensibile Paradisi Eliæ, & Henoch vitam vsque in hodiernum diem inducere, & causare, valuerũt,quare sanctissimũ corpus Christi,quod verbo Diuino hypostaticè vnitum fuit,& lignum vitæ ętern & ipsam vitam æternam præbens haud erit? Hinc D. Augustinus concione.p.in Ps.33.cui titulus est, [Psalmus Dauid cum mutauit vultum suum coram Abimelech,& dimisit eum, & abijt.] Sic scribit: [Mutauit Christus vultum suum, quia quasi furor, & insania videbatur, dare carnem suam hominibus mãducandam. Vnde, & Iudæi dicebant. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Et aliqui ex discipulis, Durus est sermo iste, & quis potest eum audire? Ioan.6.Ideo quasi insanus putatus est Dauid, sed Regi tantum Achis insanire videbatur, id est, stultis, & ignorantibus, idcirco dimisit eos, & & abijt.Fugit enim à corde eorum intellectus, ne eum possent comprehendere.] Ita D.Augustinus.Quæ quidem historia deprompta est ex 1. Reg. 21. Est igitur proculdubio Christus verum vitæ æternæ lignum,cum non tantum lignum vitæ, verum etiam panis, & fons vitæ æternæ sit, quo & in Ecclesia, & in cælo fideles reficiuntur: In Ecclesia cum velamine, sumendo quippe carnem,& sanguinem eius, sub speciebus panis, & vini,in cælo vero videndo eum, facie ad faciem,sicuti est,iuxta illud Pauli, [Videmus nunc per speculum in Ænigmate, tunc autem facie ad faciem.] Et reuera Christus est verum vitæ æternæ lignum, eo quod quãuis illud materiale, & insensibile lignum vitæ Paradisi voluptatis vitam corporalem augeret, & daret per lõgum tempus,tamen vitam spiritualem animæ præbere haudquaquam valebat; Vnde si Adæ, aut nobis, Deus esum illius materialis ligni vitæ Paradisi permisisset,& insuper peccato succumberemus, tunc talis cibus tantum conseruaret carnem immortalem, sed non viuificaret animam,peccato mortuam, & sic viueret homo in æternum quidem,attamen in peccato, & miserabilis omnino. Cæterum hoc verum lignum animarum æternæ vitæ Christus,& carnem nostram viuificat, & animam à peccato resurgere facit. Hinc Rupertus Abbas ita scribit: [Illud materiale lignum vitæ hominem in morte animæ, scilicet peccato iam mortuum non viuificasset, sed carnem viuificare faceret in æternum, quod infelicissimum esset, mortuus quippe in anima, si corpore viueret homo in æternum,non recuperaretur in æternum,& esset æternaliter miser,vt dæmones sunt. Hoc autem lignum vitæ, quod est Christus,dum nos corpore,& sanguine suo reficit,iam nunc resuscitat animam à morte peccati,& carnem nostram in nouissimo die resuscitabit.] Ita Rupertus. Ideo meritò lignum vitæ,tùm in via, tùm in patria Christus appellatur, cum in Ecclesia vitam gratiæ, & in patria vitam gloriæ nobis fidelibus affatim elargiatur. Quandoquidem eadem sacrosancta carne, & eodem sanguine suo pretioso vescimur in Ecclesia spiritualiter, & in cælo perfruimur æternaliter. Idem enim Christus verus Deus,& homo, qui est verè, & realiter in hostia consecrata,est nostræ cęlestis fælicitatis,beatitudinisque obiectum, vt tenet fides catholica. Corpus enim Christi,quod est in Ecclesia militante per sacramentalem præsentiam in sancto altari,id ipsum vtique est in Ecclesia triumphante propriè,& apertè con sistens, vbi facie ad faciem illud cernimus, dicente Psalmista: [Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.] & rursus, [satiabor cum apparuerit gloria tua.]

Vitam

Marginalia: Ioan.10. — Ioan. 6. — Apud Seres lanugo inducit vitam. — Insulæ vbi nulli moriuntur. — Cibus pomorum siue arborum Solis, & Lunæ, homines per lõgum tempus seruabat illæsos. — Mandragoræ — Abulensis. — Mandragora iuxta Auicennam ad quid sit vtilis. — Rupertus Abbas in Com. — Psal.15. — Psal.16.

Conceptus 4. Quod Eucharistiæ sacramento, vita spiritualis cōfertur.

VITAM, sola ipsamet dumtaxat vita nobis elargiri potest. Quemadmodum enim lucem ab ipsa sola luce, scientiã ab ipsa sola scientia, & salus ab ipsa sola salute causari solummodo experimur, sic vita, ab ipsa sola vita dimanari potest. Vnumquodque namque principiatum, vt dicunt Philosophi, à suo dumtaxat principio, originem oportet ducat. Cum autem Christus sit ipsamet vita, ipso de se ipso attestante: [Ego sum via, veritas, & vita.] Hinc proculdubio est, quod à solo ipso sit vera vita, tam vita gratiæ, quã vita gloriæ. Ipse namque est vtriusque vitæ perennis fons, & origo: [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem (dixit ipsemet Christus Pharisæis) non habebitis vitam in vobis.] vitam, nimirum, tam gratiæ, quam gloriæ. Vtraque namque vita spiritualis vtique est, de qua directè accipiuntur verba Christi. Vita itaque spiritualis, de qua hic loquitur Christus, nullatenus haberi potest nisi per spiritualem manducationem carnis filij hominis, vt ipsemet fatetur: cui plane concinunt verba textus: [Dabo edere de ligno vitæ,] id est, comedenti spiritualiter carnem meam in sancto Altari, dabo spiritualem vitam. Quoniam [qui manducat carnem meam, (ait ipsemet) & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.] Ipse autem est vita, vt nuper retulimus, igitur vita est in comedente dignè carnem Christi, in sancto Altari. Per quod plane denotatur realis, & vera præsentia Christi in altissimo Altaris sacramento Idque olim Regius vates in spiritu edocuit, dum Psal. 21. dixit: [Apud te laus mea in Ecclesia magna: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in sæculum sęculi. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ in conspectu eius cadēt oēs qui descendunt in terram] Quæ omnia ad panem sanctum eucharisticum proculdubio pertinent, vt prodit Eusebius Cæsariensis lib. 10. demonstrationis Euangelicæ cap. 8. Quid quæso est illud? [Viuent corda eorum in sæculum sæculi.] Nihil aliud profecto nisi id quod dicimus, nimirum, Christum vitam esse, & nos dignè manducando in mensa eucharistica vitam spiritualem sumere, simul cum carne illa pretiosa Christi, & sic, panem illum Angelorum, nobis viatoribus viuificum omnino esse. Quid porro est illud [manducauerunt, & adorauerunt?] Quis rogo vnquam panem, quem communiter manducat, adorauit? Nemo sane; & tamen Regius vates exclamat: [manducauerunt, & adorauerunt.] Hoc sane est illud, quod ipsemet Regius vates in spiritu indicare voluit, dum Psal. 2. dixit: [Apprehendite disciplinam,] Pro quo alij vertunt ex Hebræo: [Osculamini filium,] alij vero sic [Adorate panem.] Quod plane non nisi de Christo, qui in mensa eucharistica panis viuificus est, expendi potest. Quid rursus tandem est illud, [omnes pingues terræ?] Nihil aliud profecto, nisi omnes Principes, & Reges terræ. Cui sane concinit illud: [Et nunc Reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.] Adde, coram hoc suo sancto pane viuifico in Altaris mensa. Quoniam de hoc viuifico pane intelligitur illud: [Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent, Et adorabunt eum omnes reges terræ omnes gentes seruient ei,] Quandoquidem omnes hi sunt illi, de quibus intelligitur illud Osee 14. [viuent tritico] vel vt septuaginta vertunt, [Roborabuntur frumento.] Quoniam non tantum filij Israel, vt pote Hebræi, verumetiam, & gentiles accedentes ad fidem, panem hunc viuificum humiliter, & fideliter, tùm adoraturi, tùm comesturi vtique erant. Ad quod plane intelligendum aduertas oportet cum Cyrillo Alexandrino, & Hieronymo Guadalupense, vatem Oseam hic prosperitatem, & propagationem filiorum Dei per fidem vaticinari, per hæc verba: [Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, & erumpet radix

Vita spiritualis est à solo Christo.

Pręsētia Christi in hostia consecrata.

Panis communis non adoratur.

Panis mysticus adoratur.

Reges terræ vt viuant spiritualiter debent edere de ligno vitæ

Hebræi, & gentiles venientes ad fidem, & adorare, & manducare tenētur hostiam consecratam.

Filiorū Israel propagatio.

A eius, vt libani, ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria, & odor eius vt libani, conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea memoriale eius sicut vinum Libani.] Vbi per ramos Chaldaica Paraphrasis, filios exoluit, ita vt velit indicare quod Israelitæ accrescent filijs, & filiabus. Et ij omnes, [viuent tritico] vel [roborabuntur frumento,] vt pote pane isto sancto, viuifico, & Eucharistico, de quo dicitur: [Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.] Eleganter proculdubio Eucharistia comparatur, & componitur [tritico,] vel [frumento,] vt hinc percipias, quod maximè in hoc sacramento referatur, (vt ait Guadalupensis) aut repræsentetur immolatio Christi. Idem enim est [viuent tritico,] ac si dicat: Quemadmodum triticum frigora perfert hyemis, & ardorem solis, sic ego multa, & acerbissima perculi pro hominibus, dum agonem crucis sustinui. B Ea quæ omnia repræsentantur in hoc sacramento conferente vitam hominibus. Hinc, & Apostolus ait. 1. Cor. 11. [Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat:] Hinc (vt dixi) ipsemet Christus se panem viuum vocat, dicens: [Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.] Modo rogo, quid est, [Panis viuus,] nisi vitam hominibus tribuens? Hinc egregiè Angelicus doctor diffinit, quod licet per baptismum detur primus actus vitæ spiritualis, per Eucharistiam tamen datur complementum vitæ spiritualis.

Ioan. 6.

Passionis Christi sit commemoratio in Eucharistia.

Comparatio.

S. Th. 3. p. q.

CÆTERVM in his verbis Osee 14. [Viuent tritico,] adhuc maximum Eucharistiæ argumentum remanet inclusum. Quoniam vbi noster vulgatus legit, [viuent tritico.] Septuaginta habent, teste D. Hieronymo, sic [frumento inebriabuntur.] Qualiter queso homines frumento inebriari possunt? Vino verum est homines inebriari posse, vt experimur in Noë, de quo Gen. 9. dicitur, [bibensque vinum inebriatus est.] quod & Apost. docuit ad Eph. 5. dicens: [Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,] attamen frumento non apparet qualiter homines inebriari queant. Impossibile namque istud apparet, nisi intelligatur (vt sane intelligendum venit) de illo mystico frumento, mysticoque pane viuo sancti Altaris sub hostia illa consecrata. Panem namque communem, nemo ignorat non posse inebriari, cæterum panem istum mysticum, omnes credimus, & firmiter profitemur homines dignè sumentes, siue communicantes, spiritualiter inebriare posse. Hinc est illud Zach. 9. [Quid bonum eius est, & quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.] Quo loco diuinus vates, testantibus D. Hieronymo, & Lyrano, hostiam consecratam frumentum electorum, & calicem Eucharisticum, vinum germinans virgines, appellat, ad ostendendam, sub hostia illa sancta, & calice consecrato, spiritualem quamdam dignè communicantibus latentem ebrietatem. Et reuera spiritualiter inebriat, dignè sumentes, illa diuina hostia, & calix consecratus Quoniam totius mundi omnia bona in se continent. Hinc plane venit in mentem respōsio Patriarchæ Isaac ad filium suum Esau, Gen. 27. (dum frater minor Iacob surripuisset benedictionem eius, suadente matre,)dicēte: [Nunquid non reseruasti mihi benedictionem?] Cui Patriarcha sanctus mox respondit, [frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi vltra quid faciam?] E Perinde ac diceret: Omnes benedictiones in hac includuntur, quia omnes tibi, immo omnia bona, in hoc frumento, & vino continentur: hoc est, in frumento, & vino mystico, per hoc ipsum frumentum & vinum figurato in quo omne bonum continetur. Quare asserere hilari, & in offenso pede possumus, sanctum Patriarcham Isaac ista verba proferentē ad corpus Christi, quod est in hostia & calice Eucharistico in sancto Altari, omnino respexisse. Panis porro Eucharisticus est proculdubio viaticum illud, quod Deus olim præcepit

Concept. 5. Quod panis sancti Altaris spiritualiter inebriat.

Frumentū naturale non inebriat.

Frumentum mysticū inebriat spiritualiter.

Hostia consecrata continet in se omnia bona totius orbis.

Benedictio omnium benedictionum.

cepit dandum esse seruo Hebræo libertatem post septimum annum lucranti. Ita namque scribitur Deut. 15. [Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertatem donaueris nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, de arca, & torculari tuo.] Super quæ verba sic scribit Cyrillus Alexandrinus lib. 7. de adoratione in spiritu: [Vides vim mysterij Christi in his splendescere. Liberauit enim nos gratis, postquam verò liberos nos fecit, apposuit seipsum viaticum, concedens vt viuificam benedictionem participaremus, carnem, inquam, suam, & sanguinem.] De hoc igitur cælesti pane Eucharistico intelligitur illud: [Viuent tritico.] Quoniam panis Eucharisticus est panis gratiæ, panis gloriæ, & lignum vitæ æternæ. Rectè antequam vates Oseas de hoc cælesti pane diceret, [viuent tritico,] introduxit dominum ipsum quasi ore proprio alloquentem sic, [Ero quasi ros Israel;] Quoniam per rorem filiū Dei intelligunt Lyranus, & Rupertus. Quoniā quemadmodum ros inuisibiliter descendens fœcundat terram, sic verbū diuinum inuisibiliter de cęlo descendens fecundauit virginē. Cui explanationi fauet Chaldaica Paraphrasis, ita expendens: [Ero quasi ros Israel, hoc est, erit verbū meū sicut ros Israëli, germinabit, sicut lilium,] O diuine planè, & cælestis ros. Iste est ros, qui ab Isaia, ros lucis appellatur. Quia homines peccati veneno mortuos, ad gratiæ vitam reducit, quemadmodum herbæ languescentes, rore matutino pullulant, & excitantur. Iste est ros de quo ait Moyses: [Concrescat in pluuiam doctrina mea, & fluat vt ros eloquium meum.] Iste denique est ros ille, quem super habitaculum Iacob descendere cupiebat Patriarcha Isaac dicens: [Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & olei.] Vbi sanctus Patriarcha, & mysterium incarnationis, & mysterium eucharistiæ, omnino in spiritu agnouit. Quoniam per illa verba [de rore cæli,] intelligit, verbum diuinum, quod de cælis in vterum virginis descendere debebat; & per illa altera [de pinguedine terræ,] intelligit, humanam naturam, quæ ex virgine gloriosa erat assumenda à verbo. Et sic in plenitudine temporis completa fuit hæc benedictio, quando in virginali vtero [verbum caro factum est.] Et tandem per sequentia verba, vt potè [abundantiam frumenti, & vini,] intelligit sacrosanctæ eucharistiæ sacramentum, quo, sub panis & vini speciebus, corpus Christi continetur, vt homines spiritualiter viuant frumento, & vino spirituali, vt potè, carne, & sanguine Christi in mensa Eucharistica. Et quia hæc omnia ex mera Dei misericordia, & nullatenus ex nostris meritis dependent, ideo subiunxit Patriarcha sanctus [olei,] quoniam oleum diuinæ misericordiæ est symbolum. Quàobrem abundantia olei, abundantiam annuntiat misericordiæ. Solet namque sacra scriptura ingentes Dei erga nos misericordias, & infinita beneficia, varijs similitudinibus ex agricultura desumptis, significare. Et sic loco citato sub olei similitudine, Sāctus Patriarcha, filiū suū Iacob, benedixit per illam solemnē benedictionē. Ecce igitur qualiter corpus Christi in sancto Altari, est verum lignū vitæ, hoc est, vita præbens vitā.

Omnes fideles tenentur manducare corpus Christi, hoc, est cōmunicare in re vel in voto.

Ros est filius Dei.

Isa. 26.

Comparatio.

Deut. 32.

Caro Christi ros.

Gen. 27.

D. Dionys. in cælesti Hierarchia.

Nota bene.



AD comedendum de hoc mystico ligno vitæ, vt potè, corpore Christi immensa sancti Altaris, requiritur maxima preparatio. Verùm quippe est, quod dignè sumentes, dicere queunt illud sponsæ, Cant. 5. [Comedi fauum, cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo] vbi sponsa spiritualem suauitatem, in sanctissimo Altaris sacramento, latentem dignè sumentibus afflata, spiritu, indicat, vocans corpus Christi in hostia consecrata, [fauum mellis.] In fauo namque mellis, duo diuersa inter se vtique reperiuntur, vt potè, cera, & mel, quorum plane, cera, visum illuminat, vt patet in

Concept. 6. Quod ad esū ligni vitæ in sancto Altari est necessaria præparatio.

Exponitur optime locus cant. 5.

F candela accensa; mel verò, cibis saporem, & dulcedinē tribuit; sic in hostia illa consecrata, est diuinitàs, quæ est veluti mel, dulcedine, omnia (quamuis amara) maximè dulcurans, vel dulcedinem præbens: & est humanitas, quæ est veluti cera, quam tangens sanctus Thomas Apostolus, statim illuminatus fuit dicens: [Dominus meus, & Deus meus] ex humanitate in cognitionem diuinitatis deueniens. Dicēdo igitur sponsa [Comedi fauum cum melle meo.] Indicat dignè communicantes gratiam maximam recipere, diuinitatem, & humanitatem Christi spiritualiter manducando. Et id ipsum exprimit sequentibus verbis: [Bibi vinum cum lacte meo.] Quoniam, illis, indicat, dignè sumentibus ita dari corpus Christi, vel eius sanguis pretiosissimus, sicut datur paruulis, & infantibus lac in alimentum; quoniam in lacte, quo paruuli reficiuntur omnium ciborum, quos mater comedit, continetur ro-
G bur, & fortitudo. Hinc læta & hilaris ipsamet sponsa inuitat omnes ad sacram communionem dicens: [Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.] Cæterum ad hoc vt hanc suauitatem comedendo de hoc ligno vitæ, vt potè communicando, degustemus, opus est, vt ad sacram communionem nos diligenter præparemus, animas, conscientiasque nostras diligenter emundando. Quam plane præparationem in spiritu attingit, sapiens, Prou. 23. dicens: [Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciē suam.] Quod plane alij expositores sic vertunt: [Quando sederis ad mensam potentis.] Quæ plane translatio, magnitudinem diuinæ potentiæ demonstrat in Eucharistiæ mysterio. Et etiā Iob per illa verba, c. 11. [Antequam comedam suspiro.] Quod si sanctus Iob, ad communem panem naturalem comedendum suspirabat in dies, quid nos
H facere, rogo, tenemur, ad hunc mysticum lignum vitæ, mysticum panem vitæ æternæ, corpus nempe, Christi in mensa Eucharistica, comedendum? Vah, maxima proculdubio prærequiritur innocentia, munditia cordis & animæ. Sanctus Thomas in 4. sent. 2. distin. 9. art. 4. quæstiuncula 2. affirmat tria requiri ad Eucharistiæ sumptionem: Primo, munditiam conscientiæ: Secundo, eleuationem mentis in Deum, per actualem deuotionem, quæ per mentis hebetudinem, vel occupationem, vel euagationem amittitur, & accipitur sæpè sine peccato: Tertio munditiam corporalem, vnde cælebraturi aliquod sacramentum propter reuerentiam lauant manus. Cæterum ego ad Eucharistię præparationem, cæremonias omnes, quæ in comestione agni Paschalis concurrebant applico. Cum enim Deus Hebræis præcepisset vt in egressu Israel de Ae-
I gypto, Agnus per familias, & domus suas comederetur hos adhibuit ritus, vt legitur Exod. 12. [Et edent carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus.] Ecce prima ceremonia. Deinde alias quatuor subiungit dicens: [Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinàter est enim phase (id est, trāsitus) domini.] Comedere autem carnes agni, cum azimis, significat carnem Christi comedendam esse dum communicamus, cum sinceritate & puritate vitæ, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 5. [Itaque epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.] Porro illud comedere cum lactucis agrestibus, quæ amaræ sunt, indicat sacram Eucharistiam sumendam esse cum cordis amaritudine, scelera scilicet nostra ad memoriā cum lacrymis reducendo. Illud insuper [renes vestros accingetis,] demonstrat clare ad esum mystici agni
K Christi, renes accingendos esse; Quoniam eucharistiam sumere non licet, nisi à carnalibus venereisq. delectationibus abstineamus. Hinc D. Greg. hom. 13. in Euangelia sic ait: [Tunc lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.] Rursus illud [calceamenta habebitis in pedibus,] ostendit ad esum panis Eucharistici appropinquandum esse cum bonis operibus. Calceamenta siquidem, quæ de mortuorum animalium pellibus sunt, indicant quod tunc illa tenemus in

Ioan. 20.

Præparationē maximam requirit Eucharistia.

Eucharistiæ sumptio tria postulat.

Analogia agni Paschalis Eucharistiæ sacramentum euidentissimè repræsentat.

Alphonsus Tostatus in cap. 12. Exod. q. 30.

mus in pedibus quãdo vt dignè Christum aſſumamus, antiquorum Sanctorum in Domino mortuorum exempla aſſigimus mentibus, vt ex his quantum proficimus, aut deficimus attendamus. Præterea illud, [tenentes baculos in manibus,] patefacit, accedendum eſſe ad ſacram communionem, magna cum fide. Baculus etenim inſtrumentum fulciendi corpus eſt, per quē firmitatem mentis; per veram & ſinceram fidem ad ſacram communionem requiſitam demonſtramus. Et ſic tunc baculos ad eſum agni tenemus in manibus, cum ad ſumptionem Euchariſtiæ ſumma fide, in corde, & in mente accedimus. Tum quintò & poſtremò, tunc feſtinanter comedimus, vt indicat illud [comederis feſtinanter,] quando, ad ſacram Euchariſticam menſam appropinquamus, operi, & executioni iam diligenter, & feſtinanter, mandata, iuſſa, & præcepta Confeſſariorum, vt potè, reſtitutionem famæ, honoris, pecuniarum, mandando, conſiderantes, quod citò exeundum nobis eſt de huius ſæculi miſerijs. Qui igitur ad eſum huius ligni vitæ, hoc eſt, ad menſam ſanctæ altaris, cum hac præparatione non accedit; manducat quidem carnem Chriſti, attamen per rapinam. Recipit enim ſacramentum, & non rem ſacramenti. Et de iſtis intelligitur illud Iſa. 65. [Ecce ſeruientes mihi comedent, vos autem eſurietis; ecce ſeruientes mihi bibent, vos autem ſitietis.] Hinc Rupertus ſuper hæc verba: [Dabo edere de ligno vitæ.] ſic ſcribit: [Sæpe qui nondum vicit, id eſt, nondum egit pœnitentiam, edit de hoc ligno vitæ, manducans videlicet corpus, & bibens ſanguinē Domini, verum non illi dat Chriſtus, ſed ipſe rapit, atque adeò, iudiciū ſibi manducat & bibit. 1. Cor. 11.] Oportet ergo cum prælibata præparatione ad Euchariſticam menſam accedere, dicente Apoſtolo: [Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.] Vbi ly. [ſic] ita ſonat. [Sic,] in ſinceritate & puritate vitæ, [ſic] cum lacrymis, vt potè, rigatis oculis præ peccatorum acerbitate, [ſic] ſpretis venereis delectationibus, [ſic] cum bonis operibus, [ſic] cum ſumma & firma fide, [ſic] reſtituto iam honore alieno, fama proximorum, & pecunia vicinorū. Sic igitur accedendo ad myſticum vitale lignum ſancti altaris, vt potè, ad corpus Chriſti, ipſemet Chriſtus operabit in te illud Pſalmiſtæ: [Aperi os tuum, & implebo illud.] hic in via, gratia ſacramentali, & illic in patria, gloria æterna.

Baculus quid ſit. — *Euchariſtiā indignè ſumunt impreparati ad cōmunicandū.* — *Rupert. Abbas in comment.* — *Euchariſtiæ requiſita.* — *Pſal. 80.*

DISPVT. X.

In Cap. 2. Apocalypſeos, de triplici ligno vitæ, & triplici Paradiſo,

In tres partes diuiſa ſuper illa verba: *Dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.*

Prologus diſputationis.

Dvorvm maximè notabilium hic fit mentio, vt potè, ligni vitæ, & paradiſi. Iccirco cum ſecundum Hugonē in lib. 20. de arca Noë, tres ſint paradiſi, nimirū, terreſtris, (cuius incola fuit primus homo Adam terrenus) Eccleſia militans (quam fundauit, & inhabitauit Chriſtus) & Eccleſia triumphans (quam fundauit, & plantauit Pater æternus.) ideo hic de illis tribus diſputandū duximus, vt hæc noſtra allegorica, ſimulq. anagogica explanatio apertior reddatur. Præmittimus tamen dictionem illam [Dei mei,] adiectam hoc loco fuiſſe ratione humanitatis Chriſti, ſecundum quam Chriſtus, Redemptor noſter, Patrem æternum vt Deum ſuum agnoſcebat. Iuxta illud Ioan. 20. [Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.] pro vt hunc locum exponunt Arethas, Rupertus Abbas, & alij grauiſſimi adſtipulatores. Hinc S. Tho. in hunc locū ſic ſcribit: [Dei mei, id eſt, quam plantauit pater meus, quem vocat Chriſtus Deū ſuum in quantū homo, propter ſingularem amorem, & plenam obedientiæ ſubiectionē.] Et D. Dion. Carth. [Chriſtus autem ſecundum quod homo Deū ſuum nominat cæleſtis paradiſi dominatorē:] Quare pro certo habeas, vellem, Patrem æternum, Dominū ſemper extitiſſe, vtriuſq; paradiſi, vt potè, terreſtris, ſimplici, & cæleſtis: de quibus hic diſputare exordimur.


Hugo. — *Paradiſus triplex.*

PARS PRIMA.

De Paradiſo terreſtri, & de ligno vitæ corporeo.

Quæſtio I.

An fuerit Paradiſus terreſtris?



Evm in exordio mundi, terreſtrē creaſſe paradiſum, de fide habetur ex illis verbis Gen. 2. [Plantauerat autē Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem quem formauerat.] Quæ planè verba propriè intelligenda veniūt (quid quid Philo Iudæus, Origenes, & alij Doctores dicant) de loco aliquo corporeo, & terreſtri, vt ex Hebræis tenent Rabini, Kimchi, Abraham, Beneſera, & Salomon, & ex noſtris Doctores omnes, tam Græci, quam Latini, Ioſephus 1. lib. Antiquit. Baſilius hom. 11. in Geneſin D. Aug. Sophronius Patriarcha Ieroſolym. in epiſt. quæ recitata eſt in ſexta Synodo generali act. 11. D. Chryſoſt. hom. 13. in Gen. Hugo de S. Victore lib. ſuarum annot. in Gen. & alij multitudine ferè infiniti SS. Patres Græci, & Latini, qui omnes concordi ſententia intrepidè aſſeuerant, Paradiſum, quē deſcribit Moyſes non accipi figuratè, vt voluit Origenes, nec minus myſticè, aut allegoricè, vt placuit Philo, ſed hiſtoricè, verè, ac realiter pro loco corporeo in terra ſituato, & aſpectabili, omni genere voluptatum, ac delitiarum referto, & abundātè, vt indicat illud ly. [voluptatis] vſq; adcò vt narratio illa Moyſis de paradiſo nō ſpiritualis, tropologica, aut allegorica, ſed omnino litteralis ſit. Et ob id verus & germanus eius ſenſus litteralis cenſeri debet, quē reddunt verba Moyſi, ſecundum propriam & vſitatā eorum ſignificationem, ſumpta.

1. Concluſio. — *Paradiſus terreſtris in exordio mundi creatus fuit.* — *Philo Iudæus lib. de mundi opificio, & lib. de allegorijs legis Moſaicæ.* — *Origenes hom. 3. in Numer.*

Situm & locū huius corporei, & terreſtris paradiſi, aſſignant DD. in partibus Orientis. Et quāuis plerique eorū varient in aſsignādo ſitū huius Orientalis partis, quoniā quidam illum ponunt vltra Oceanū, alij extra hunc noſtrū terræ orbem, eumq. conſiſti eſſe dicunt: alij eius altitudinē vicinam cæli aſcribunt; alij in ſuprema regione aeris eum collocant; quoniā cum quilibet punctus Orizontis ſit Oriens reſpectu alicuius alterius, non apparet in qua parte ſit, ſecundū longitudinem ab Occidente contra Orientem, & ſic variant DD. in hoc, cæterum omnes quotquot ſunt, locum & ſitū Paradiſi in parte Orientali reponūt. Hinc Ephren Syrus in cōment. ſuper Geneſ. his verbis locum, ſitum, & amœnitatem Paradiſi terreſtris ſic deſcribit: [Eſt locus Dei manibus, in Hedem ad Orientē mirabiliter conſi-

Paradiſi terreſtris ſitus. — *Paradiſi terreſtris qualitates.*

consitus, omnis lætitiæ, ac voluptatis promptuarium, omni terra excelsior, optima temperie cæli, aere subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus suauissimumq. odorem spiratibus plenus, lumine vniuersæ sensibilis venustatis & pulchritudinis excellens intelligentiam, diuinus profectò locus, mirificè congruens primi hominis dignitati, in quo nullum animal habitat, sed solus diuinarum manuum factura homo.] ita Ephren. Cæterum D. Basilius in oratione de paradiso, amœnitatē istius terrestris paradisi, luculentius per hæc verba describit: [Paradisus locus erat delitijs omnifariam affluens, omnem creaturæ sensibilis exuperans pulchritudinem, ob sublimitatē loci, in quo erat, nulla sui parte tenebras admittens, sed ex orientium siderū splendore semper illustratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempestatū procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis, nō molestia, & noxia autumni siccitas, sed temperata & pacifica omnium temporum inter se cōsonantia, ita vt quod in vnaquaq; anni tempestate optimum & iucundissimū est, in se haberet, scilicet, veris amœnitatem, vbertatem æstatis, autumni hilaritatem, hyemis otium, & quietem. Eius terra pinguis erat & mollis, omniumq. bonorum & voluptatū fertilis, quam verissimè dixisses fluere lacte & melle.] Hæc D. Basilius. Propter quam planè amœnitatem, quidam dicunt, D. Aug. affirmasse aquas diluuij nullatenus attigisse hunc terrestrē paradisum. Asseruntq, id affirmasse S. Doctorem per hæc verba: [Paradisus in Oriente immenso Oceani interiecto à nostro orbe longissimè remotus, pertingens vsque ad lunarem circulū, vnde illùc aquas diluuij peruenisse minimè dicitur: hic locus ob primi hominis reatū interclusus est, nec vlli animantiū datur ad eum aditus.] Ita D. Aug.

Paradisi terrestris nobilitas, & excellentia.

Ambrosius Catharinus.

Diluuij aquę terrestrē non attigerūt Paradisum.

Quæstio II.

An inter arbores paradisi terrestris, esset corporeum aliquod vitale lignum?

1. Conclusio.

Lignū vitale corporeum, fuit inter arbores Paradisi.



Vsqueadeò certissima est hæc quæstio, vt eius pars affirmatiua, fide fundetur, in illis verbis, Gen. 2. [Lignum etiam vitæ in medio paradisi.] Vbi non ad mysticos, tropologicos, allegoricosq. sensus cum Origene, Philo Iudæo, alijsq. allegoricis interpretibus (quos diximus existimasse, orationem & verba Mosis de Paradiso terrestri figuratè secundum sensum mysticum, & allegoricum) intelligenda esse, sed ad proprium, & historicum (vt ipsa verba sonant) sensum est habenda relatio: ita vt per ly. [lignum vitæ,] arborem veram, & naturalem, non secus atque alias arbores eiusdem paradisi, ac etiam veluti eas omnes communes arbores, quas nunc præ manibus propè diem habent homines, cum Doctoribus, & Patribus omnibus tam Græcis, quàm Latinis, vt nuper retulimus, intelligamus, vt liquido cernitur ex ipsamet Mosayca narratione, quæ tota est historica, & ait, Deum produxisse ex humo omne; lignum, visu pulchrum, & ad vescendum suaue, statimq. subdit: [Lignum etiam vitæ in medio paradisi.] Quibus verbis clarè ostenditur illam arborem vitæ, fuisse ex humo procreatam, & naturalem arborem, non secus atque aliàs omnes paradisi arbores, vt liquido illa particula [etiam] demonstrat.

Ligni vitæ qualitates.

2. Conclusio.

Ligni vitæ effectus & proprietates.

Vis, effectus, & natura huius ligni vitæ erat, hominē ab omni corruptione corporis, ab ipsaq. morte apprimè seruare. Quamobrem cum produxit Deus, vt homo ex illo comedens immortalis, (non simpliciter, sed

F secundum quid, vt potè, per longum tempus) fieret. Quoniam cum quodlibet animal sit vegetabile, indiget cibo ad continuandam vitam animalem. Est enim vita animalis in armonia calidi naturalis, & humidi radicalis. Et cum quotidie humidum corrumpatur à calido, nisi restauretur per quotidianos cibos & potus, citò animal moreretur desiccato humido radicali. Assumitur ergo humidum cibale. Et quia istud humidum, quod redditur in substantiam per digestionem & incorporationem, non est ita purum, sicut caro secundū speciem, id est, caro generata in vtero materno ex spermate, & sanguine, & cum quotidie aliquid deperdatur de illa carne, & generetur alia, & ex alimento fiat caro tam impura, quod non possit esse conueniens ad vitam, sicuti est de vino puro, quia si apponatur ei modica aqua conuertetur in substantiam vini, & naturam per actionē vini corrumpentis qualitates, conuenien-

G tes formæ aquæ; si autem continuè apponatur. efficietur vinum valde impurum & aquosum, donec perdatur species vini. Ne ergo tanta deperditio fieret in corpore humano, datum fuit lignum vitæ, quod habebat virtutem reducendi ad puritatem carnis primę, totam carnem alimentalem; & quando semel comedisset de fructu illius arboris, reducebatur ad puritatem quæ magno tempore durabat. Deinde incipiente fieri impuritate per cibos alios, si iterum sumeretur cibus illius arboris reducebatur rursum corpus ad pristinam puritatem; & sic frequenter sumendo, duraret homo, vel in æternum (vt asseuerāt Tostatus in cap. 2. Gen, q. 10. Auctor quæstionum veteris, & noui Testamenti, D. Chrysost. hom. 18. in Genesim, Rupertus lib. 3. de Trinitate. cap. 30. & D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 20. & 23. qui omnes asserunt, hominem nisi peccasset, esu ligni vitæ liberatum iri à necessitate mo-

H riendi, & perpetuò in flore iuuentutis conseruatum iri. Cæterùm autem si peccasset, & de illo ligno vitæ comedisset, non in æternum, sed ad valde magnum tempus dumtaxat mori non posset, & tandem necesse erat corrumpi) vel ad longissimum aliquod tempus, non tamen in perpetuum aliquo modo, vt videtur sentire S. Tho. 1. p. q. 97. art. 4. & Durand. in 2. lib. sent. dist. 19. q. 1. Caiet. 1. p. q. 97. art. 4. & Scotus in 2. lib. sent. dict. 91. q. 1. eo quod potentia illius arboris vis & natura eius finita vtique erat, & per consequens eius effectus nequiuerat ad infinitum, sed ad finitum, dumtaxat, tempus esse efficax. Quoniam omne agens Physicum in agendo patitur, & tandem omnino debilitatur. Nec multiplicanda sunt miracula de illa arbore sine necessitate. Itaque frequenter sumendo homo de illo ligno vitæ, fieret immortalis, hoc est, viueret in æternum, vt indicant verba illa Genesis 2. [Ne fortè

I sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.] intelligendo ly. [æternum,] simpliciter, vt dicunt primi Doctores, vel secundum quid, vt tenet secunda opinio, siue in statu innocentiæ, siue post lapsum.

Animal quibus indigeat ad vitam.

Animalis vita in quo cōsistat.

Lignum vitæ ad quid concessum fuit homini.

Ligni vitæ vis.

Ligni vitæ vis finita, & non infinita.

Supernaturalem fuisse hanc vim arboris vitæ, docent D. Bonauentura 2. lib. sent. dist. 17. & D. Augustinus lib. de Genesi ad litteram. cap. 5. & lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. At verò Angelicus Doctor 1. par. quæst. 97. art. vlt. Strabus, & Hugo de Sancto Victore, videntur sentire illam vim & effectum arboris vitæ fuisse naturalem. Ego verò vtramque sententiam sustentabilem iudico, quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum, & cum supernaturalia, & etiam naturalia ab ipso Creatore dependeant, non videtur rationi repugnare, Deum illam vim in illo ligno creasse connaturalem, vel supernaturalem

K eidem ligno dedisse. Quis enim fidelis est, qui Deum id facere ad suum beneplacitum potuisse, neget?

3. Conclusio.

Ligni vitæ vis supernaturalis.

Ligni vitæ vis naturalis.

Ligni vitæ vis potuit esse connaturalis, & supernaturalis.



Quæ-

A

Quæstio III.

An in Paradiso terrestri essent quatuor flumina?

1. Conclusio. Flumina quatuor in terrestri paradiso.



IDEM itidem istud affirmatiuè tenendum est, ex illis verbis Gen. 2. [Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.] & statim subditur: [Nomen vni Physon, ipse est qui circumit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibiq. inuenitur bdelium, & lapis onichinus: & nomen fluuij secundi Geon, ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ: nomen verò fluminis tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios: Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.]

B

2. Conclusio. Origo quatuor fluuiorũ paradisi. Abulensis in cap. 2. Gen. q. 19.

De origine autem istorum fluuiorum à varijs Doctoribus, varia referuntur; attamen mihi magis arridet, quod Abulensis de eorum origine his verbis scribit: [Ganges nascitur inter Dachas, Carrancas, & Parthienas in monte qui Oscobares dicitur, qui est quædam pars Caucasi montis. Nilus secundum quosdã, vt vult Philosophus in libro de innundatione Nili, nascitur in littore maris Rubri, secundũ alios non longe ab Athlante fontem habet. Euphrates à radice montis Parthoatre, qui pars est montis Caucasi. De his Paulus Orosius primo loco de Ormesta mundi. De Euphrates & Tygri, ait Boetius, 5. de consolatione metro. 1. quod incipit. Rupis Achimeniæ, quod de eodem fonte ista duo flumina oriuntur, quorum aquæ immediatè distinguuntur, ita quod Tygris tendit magis ad Orientẽ contra Assyrios; Euphrates autem contra Chaldæos. Sed dicendum ad hæc, quod est de eis, sicut est de multis fluminibus, quæ in vna parte terrarum fontem habent; deinde subterraneo meatu labentia, ad aliã partem terræ, nouiter erumpere videntur. Sic enim ponit Seneca lib. 5. de quæstionibus naturalibus de Alfeo flumine Siciliæ, qui à terra absorbetur, deinde in Græcia renascitur, quod patet, quia si palea, vel virgæ supernatantes in Sicilia iaciantur in Alfeo, in Græcia ad locum vbi oriri videtur, ista inueniuntur, vel potius è contrario, quia in Græcia est caput Alfei, & Arethusę, & per subterraneos meatus sub vasta profunditate maris in Sicilia oriuntur rursus. De hoc Ouidius Methamorph. lib. 5. in fine. Dicendum ergo erit, quod ista quatuor flumina de Paradiso primam originem habẽtia longo tractu terrarum frequentius absorbentur. in alijs rursus exundantia locis, & sic non est negandũ quod isti auctores famosi asserunt, quia scripturæ sacræ non repugnant.] Ita Abulensis. Est igitur in medio Paradisi fons magnus, qui illic diuiditur in quatuor flumina ad irrigandum paradisum voluptatis, eo quod paradisus ille terrestris, magni ambitus est, arboribus plenus, & auibus dulciter cantãtibus, & alijs animantibus. Quamuis quidam asserant in paradiso modo nõ esse animantia, fuerunt siquidem à principio in statu innocentię, alioquin serpens non apparuisset, Euæ in paradiso, quod asseuerare repugnat sacræ scripturæ. Et si animalia fera ibi modo non concedamus, eo quod ibi talibus opus non sit, tamen non sunt neganda aliqua animalia pulchra visu, & aues armonijs mirabilibus concinentes, in quibus Henoch, & Elias ibidem quiescentes delectentur, eo quod quamuis ibi sint, puri viatores sunt, & adhuc talibus solatijs indigentes, cum etiam ibi de arboribus Paradisi cibum sumant.

Paradisus terrestris cur sic appelletur.

Animalia in paradiso terrestri.

Henoch, & Elias, quid faciant nunc in paradiso terrestri.

C

D

E

PARS SECVNDA.

De Paradisò mystico, vt potè, Ecclesia militante, & de ligno vitæ mystico, nempe Corpore Christi in sacramento altaris.

Quæstio I.

An Ecclesia militans aptè appelletur Paradisus mysticus?

1. Conclusio. Paradisus mysticus Ecclesia militans.



CONCLVSIO est affirmatiua, & probatur. Tum quia quemadmodum in Paradiso terrasti sunt multę arbores, multiplicesq. fructus, in quibus delectabatur primus homo Adam, sic in Ecclesia militante, sunt multi electi, & multi fructus meritorum, in quibus delectatur Christus, qui est veluti cultor horti. Tum quia sicuti Deus paradisum terrestrem in exordio mundi plantauit, pro vt habetur Gen. 2. Ita ipsemet Deus Ecclesiam militantem plantauit, iuxta illud Matth. 21. [Homo quidam plantauit vineam.] vbi sermo est de Ecclesia militante, vt communiter tenent Doctores. Tum quia quemadmodum in paradiso terrestri erant permultæ, ac pleræque delitiæ (eo quod paradisus nomen est amœnitatis, & delitiarum) sic in gremio Ecclesiæ militantis sunt varij, & plerique viri spirituales, multis delitijs spiritualibus perfruentes, quibus prope diem oblectantur. Tum quia quemadmodum in paradiso illo terrestri erat vita corporalis, sic in Ecclesia militante est vita gratiæ, Hinc planè est, quod quemadmodum paradisus terrestris non admittebat homines nudos post lapsum, vt indicant illa verba Gen. 3. [Vocem tuam audiui in paradiso & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.] & subditur in textu: [Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis.] sic Ecclesia militans, postquam homines ab innocentia baptismali ruunt, non admittit homines nudos gratiæ, iuxta illud Matthæi 22. [Amice, quomodo hùc intrasti non habens vestem nuptialem? eijcite eum in tenebras exteriores.] Vbi per vestem nuptialem, gratiam intelligunt Doctores, & sancti Patres. Tum postremò, quia Ecclesia militans dicitur passim in sacra pagina, vinea, hortusque Domini conclusus, quoniam hæc & producit flores recentes conuersorum, & charitatis vallo circumquaque munitur, ne inter numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur, vt super cap. Gen. 2. Cant. 4. Isaiæ 51. Ioel. 2. & Matth. 21. dispungunt Beda, Gregorius, Augustinus, Bernardus, Chrysostomus, Remigius, & alij plerique sancti Patres.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio. Ecclesia militans dicitur hortus, & vinea Domini.

Quæstio II.

An aptè corpus Christi sub hostia consecrata appelletur vitale lignum mysticum huius Paradisi, scilicet, Ecclesiæ militantis?

1. Conclusio.

Corpus Christi vitale lignum.



VIATORES proculdubio indigent cibo; Et cum omnes de ecclesia militante, viatores appellemur, voluit Christus Redemptor noster seipsum hic in mensa altaris, mysticum lignum vitale nuncupari. Quemadmodum enim illud corporeum lignum vitæ, habitantibus in terrestri illo Paradiso, erat ad esum, vt potè, de illo comedentes immortales fierent, ita corpus suum sub hostia consecrata dat fidelibus suis in isto Paradiso Ecclesia militante ad esum, nempe, vt de illo comedentes sacramentaliter in mensa altaris immortales in spe omnino fiant. Hinc miro artificio manducare, siue edere, vtriq; relationē dicit, nimirum ligno vitæ, & corpori Christi sub hostia consecrata. Ligno quidem vitæ, vt liquido cernitur ex illo Gen. 3. [Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiā de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum.] Corpori verò Christi sub hostia consecrata, vt manifestè habetur ex illo Matth. 26. [Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.] Hinc D. Cypr. epist. 63. ad Cæciliū, H D. Ambr. lib. de Elia, & ieiunio cap. 1. & lib. 1. de sacramentis cap. 3. Paschasius Abbas lib. de corpore & & sanguine Domini cap. 10. Theodoretus, & D. Chrisost. in Psalmos, verba illa Psalmistæ, nempè. [Parasti in conspectu meo mensam, aduersus omnes, qui tribulant me.] ad sacram referunt Eucharistiā. Accedit ad hæc, quod quemadmodū de illo ligno vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndequaq; surriperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatijs, interirent; sic de corpore Christi in hostia consecrata propterea sumimus ne mors æterna nobis, aut peccati senectus vllo modo nocere queāt, iuxta illud: [Nō sicut patres vestri manducauerunt manna & mortui sunt, qui mā- (Ioan. 6.) manducat hunc panē, viuet in æternum.] Quare ligno vitæ corpus Christi in hostia consecrata aptè comparatur. Ipse enim est lignū faciens fructus duodecim, vt in cap. 22. Apoc. Deo fauente, dicemus. Quamobrē I rectè S. Thom. hìc, his verbis, scribit: [In Paradiso Dei mei, id est, in Ecclesia militante, quæ est Paradisus.] & paulo post: [Intra quas autem arbores est in ea arbor, siue lignum vitæ, de quo hic dicitur: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, Et bene in hoc Paradiso dicitur esse lignum, quia extra Ecclesiam non est salutare sacramentum, sicut nec salus.] vbi B. Doctor per salutare sacramentū, Eucharistiam vtriq; intelligit, de qua in eodem loco statim subdit; [nota quod sacramentum Eucharistiæ est excelsum dignitate; quia in eo verè est, & verè sumitur ipse Christus verus Deus & homo &c.] Ita D. Thomas in hisce commentarijs.

2. Conclusio. Corporis Christi effectus varij.

Effectus autem huius ligni vitalis mystici, nimirum, corporis Christi in sacramento altaris, sunt plerique, vt potè, conferre gratiam; quoniā quemadmodū Christus in mundū visibiliter veniens contulit mundo vitā K gratiæ, iuxta illud Ioan. 1. [Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.] Ita in hominē sacramentaliter veniens, vitā gratiæ operatur, secundū illud Ioan. 6. [Qui manducat me, viuet propter me.] Quapropter Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 12. dicit viuificatiuum Dei verbum, & sic veniens seipsum propriæ carni, fecit ipsum viuificatiuū. Quamobrem corpus Christi sub hostia consecrata traditur per modum cibi, & potus, vt

F apertè intelligamus, quod omne effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit corpus Christi in hostia consecrata quantum ad vitam spiritualem, causare adeptionem vitæ æternæ. Hinc D. Aug. tract. 6. in Ioannem sic scribit: [Cum cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus, & potus, qui eos à quibus sumitur immortales, & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atq; perfecta.] Remittere peccata venialia, & cauere mortalia, quoniam est cōmemoratiuū hoc sacramētum passionis Christi, qui est fons, & causa remissionis peccatorum. Remittere pœnam peccati secundum quātitatem deuotionis sumentium, & præseruare hominē à peccatis futuris, de quibus omnibus effectibus sacramenti Eucharistiæ, legito G S. Tho. 3. p. q. 79. per totum.

Eucharistiæ sacramenti effectus, & proprietates.

Quæstio III.

An quatuor Euangelistæ in Ecclesia militante, aptè comparentur quatuor fluminibus Paradisi?

1. Conclusio.

Euangelistæ quatuor optimè cōparantur quatuor fluminibus Paradisi terrestris.

Euangelistarum quatuor variæ figuræ.



QVATVOR Euangelistas, Matthęum, scilicet, Marcum, Lucam, & Ioannem, totam Ecclesiam militantem, Dei Paradisum, sua doctrina irrigare, nemo fidelium est qui ambigat. Quāuis etenim quatuor Euangelistæ apprimè describantur per quatuor illa animalia, quæ vidit Ezechiel, per quatuor elementa, ex quibus constant oīa mysta per quatuor mundi plagas, Orientē scilicet, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, per quatuor illas litteras nominis Dei ineffabilis, Tetragrammaton, quia ipsi quatuor, nomen Dei mundo notum fecerunt, Euangelia scribentes, & sanctissimi nominis cognitionem per omnes terrarum oras propagantes; per quatuor illas columnas de lignis Sethim deauratas ad Sanctum Sanctorum occultandum, & suo loco, & tempore aperiendum; per quatuor circulos aureos, qui in (Exod. 26.) quatuor angulos mensæ propositionis ponebātur; per (Exod. 25.) quatuor illos scyphos, qui erant in hastili candelabri; per quatuor sphærulas aureas in eodem candelabro (Zach. 2.) collocatas; per quatuor animalia plena oculis ante, (Appoc. 4.) & retro, quæ vidit Ioannes; & tandem per quatuor illas quadrigas, de quibus loquitur vates Habacuc Deo, (Habach. 3.) dicens: [Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.] Et Zacharias: [Et conuersus sum & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ (Zach. 6.) egredientes de medio duorū montium, & montes ęrei. Quoniam hi quatuor Euangelistæ, veluti quatuor quadrigæ Christum quasi triumphantem per omnia sola terrarum gloriosè portarūt. Nihilominus tamen quatuor Euangelistę per quatuor illa flumina Paradisi luculentius designantur. Quemadmodum etenim ea de Paradiso voluptatis egredientia, vniuersum orbē terrarum rigarunt: ita hi quatuor Euangelistæ ab vno fonte, hoc est, à Christo, egrediētes, totū Dei Paradisū, vt potè, Ecclesiā, per vniuersum orbē extensam, & diffusam, miro artificio, irrigarunt, irrigant, & de cætero vsq; ad finē sæculi vtriq; irrigabūt. Quod autē Christus sit fons, liquet ex illo Ps. 35. [Apud te est fons vitæ.] & Ier. 2. [Me derelinquerunt fontē aquæ viuæ.] Zach. 3. [In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.] Quare restat, vt Euangelistæ Christi sin illa flumina.

mina, de quibus dicitur: [Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.] Quandoquidem sonus Euangelistarum in omnem terram, & verba eorum in fines orbis terræ apprimè exiuit. Matthæus itaque primus Euangelista Christi, Phison, primo flumini paradisi comparatur, eo quod quemadmodum Phison dicitur, [quasi mutatio oris,] quoniam faciem suam, id est, apparentiam mutat, in tribus, nempè, in colore; quia alicubi clarus, alicubi turbidus; in quantitate, quia alicubi diffusus, alicubi strictus: & sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus. Vel appellatur Phison [abundantia,] quia piscibus abundat, & terram per quam transit, abundantem facit. Ita Matthæus humanitatem Christi describens, ipsum Christum filium David & Abrahæ in natiuitate, vita, & passione repræsentat diuersimodè, vt faciem suam, id est, apparentiam, modo coloratam, modo turbidam, modo diffusam, modo strictam, modo frigidam, modo calidam, apprime ostendat, iuxta illud: [Vidimus eum, & non erat aspectus &c.] & vbicumque plenum gratiæ, & ita plenum, vt de plenitudine, & abundantia eius omnes accipiamus. Marcus verò secundus Euangelista Christi. Geon, secundo flumini Paradisi assimilatur, eo quod sicuti Geon vocatur [Limosum,] quia tota aqua sua limosa est, & ideò terram multum fœcundat: vel dicitur Geon, [Pectus, siue eductio, aut exitus, siue vallis gratiæ, vel mansionis.] Ita Euangelista Marcus potentiam Christi, tùm in prædicatione, tùm resuscitando corpus suum gloriosum immortale, & impassibile describit, vt Ecclesia eius sponsa, & educta ex suo pectore, & fœcundata, & vallis gratiæ, & eius mansio meritò appelletur, & sit per eius prædicationem, & sanctam resurrectionem. Rursus, Lucas tertius Euangelista Christi, Tigri, tertio fluuio paradisi, opponitur, eo quod quemadmodum Tigris vocatur lingua Persica [sagitta,] quia velox est. Et lingua hebræa [Hidequel,] quod est nomen compositum; & interpretatur sonat [acutum, & velox,] vel [læ tus sonitus,] vel [læta velocitas,] ita Euangelista Lucas, sacerdotium, & sacrificium Christi describens, ita ipsum Christum latè, velociterque pro nobis seipsum patri æterno offerentem repræsentat, vt eius gloriosa passio, verum sacrificium, & velox sagitta sit ad dæmones debellandos. Quartus tandem Euangelista Christi Ioannes, Euphrates, quarto flumini paradisi comparatur, eo quod, quemadmodum Euphrates nuncupatur [fructificatio,] quia loca per quæ transit, fructifera reddit: sic Euangelista Ioannes, diuinitatem Christi enarrans, ita Christum fructiferum, siue fructificantem, aut crescentem patefacit, vt omnia per ipsum in principio facta fuisse, & sine ipso factum esse nihil, clarè in suo Euangelio demonstret. Ecce igitur qualiter quatuor Euangelistæ Christi, quasi illa quatuor flumina paradisi, vniuersam terram; sic isti vniuersam Ecclesiam & irrigant, & fœcundant, vt fructificare in dies coram Deo possit, qui est huius paradisi directus Dominus, cum illam à temporibus Adæ, vel Abel iusti, plantauerit, & vsque in hodiernum diem, ac etiam vsque ad finem mundi, cultiuare nunquam desinit.

Matthæus Euangelista Phison flumini comparatur.

De hoc flumine lege Eusebium, & D. Hieron. in q. Heb. & Iosephum lib. 1. a.cap.2. Iud. antiq.

Marcus Euangelista Geon flumini comparatur.

De hoc flumine lege Iosephum.

Lucas Euangelista Tigri flumini paradisi côparatur.

De hoc fluuio lege Solinũ, & Strabonem lib. 11.

Ioãnes Euangelista Euphrates flumini paradisi comparatur.

De hoc fluuio lege Pto lemeum, Plinium, Iosephũ, Straboné, & Volaterranũ lib. 11. geograph.



PARS TERTIA.

De Paradiso cælesti, nimirum, Ecclesia triumphante, & de ligno vitæ cælesti, nempè, corpore Christi glorioso in patria clarè viso.

Quæstio I.

An Ecclesia triumphans aptè appelletur Paradisus cælestis?



Ecclesiam triumphantem Paradisum Dei cælestem esse, indubitata res est apud fideles omnes, cunctosque sanctos Patres Græcos, & Latinos. Aug. 11. de gen. ad lit. Beda supra Gen. 2. Greg. supra Cant. 4. Hier. in Ezech. 28. Ambr. in hom. ad virg. & de inst. virgin. 9. Philo. 1. allego. & Georg. Vene. Cant. 1. Et quadrat sanè Ecclesiæ triumphanti hoc nomen, eo quod, quemadmodum Paradisus, siue hortus, locus est (siue in agro, siue etiam in vrbe) arboribus, & oleribus consitus; vnde & Paradisus ille terrestris locus voluptatis appellabatur; sic Ecclesia triumphans est locus fœlicitatis, vbi manãt delitiæ à Deo, tamquã à fonte totius fœlicitatis. De illa namque cælesti fœlicitate intelligitur illud Can. 4. [Emissiones tuæ paradisus malorũ punicorum cum pomorũ fructibus, cypri cum Nardo, Nardus & Crocus, fistula & cinnamomũ cum vniuersis lignis Libani, & cũ omnibus primis vnguentibus.] vbi emissiones, indicant ipsa germana, & propagines, quæ in illo cælesti Paradiso oriuntur. Perinde ac diceret: Emissiones tuæ sunt veluti paradisus quidã malorum punicorũ. Quia hæc poma multa cõtinent grana pulcherrima, sub vna eademq. corona regali (est enim malum punicũ coronatum pomum.) Etenim omnes beati, quamuis inæqualiter, eandem tamen gloriæ, seu visionis beatificæ coronam reportabunt vtq; adeò, vt illa beatorum multitudo copiosa sit, veluti quidã paradisus, & amœnissimũ malorum punicorum topiarium, hoc est, opus vitandi æstus causa factũ, cuiusmodi sunt testudines, cameræ, naues, auiculæ, & alia huiusmodi, quę ex buxo, vel hedera, & ex alijs his similibus floribus, & plantis (quarum natura sequax est, & flexibilis) fieri consueuerũt. Per cyprum & nardũ indicantur suauissimi odoris vnguenta, quæ ex huiusmodi arbusculis fieri solent. Crocus autẽ flos est aurei coloris, vim habens exhilarandi cor, per quem amor beatificus, & delectatio inde prouenìens apprimè intelligitur. Hinc D. Bern. in quodam serm. beatorum gloriam, his verbis laudat. [O beata regio paradisi, ò beata regio deliciarum, ad quã suspiro de valle lacrymarum, vbi sapientia sine ignorantia, vbi memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore, vbi ratio sine obscuritate fulgebit, Beati qui habitant ibi, & laudabunt Deum in sæcula sæculorum. Amen. Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur, conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, percipitur in glorificatione.] Ita D. Bernardus.

1. Conclusio.

Paradisus Dei Ecclesia triumphans.

Hortus amœnissimus omnium florum & fructuũ, est beatorũ gloria.

Conficiuntur ex cypro & nardo vnguẽta odorifera.

F

Quæstio II.

An Christus clarè visus in patria aptè appelletur lignum vitæ cælestis Paradisi, scilicet, Ecclesiæ triumphantis?

1. Conclusio.

Beati vident corpus Christi clarè.



BEATAS animas Christum clarè intueri in cælesti Paradiso fides docet, dicēte Apostolo 2. Cor. 13. [Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.] & Psalmista Ps. 16. [Satiabor cū apparuerit gloria tua.] & Euangelista Joān. in cap. 16. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solū Deū verū, & quē misisti Iesum Christum.] & cap. 17. [Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecū, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionē mundi.] & alibi: [Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimusquoniā cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.]

1. Ioan. 3.

2. Conclusio.

Obiectū beatitudinis nostræ, est Deus clarè visus.

Hinc Theologi in 4. sent. cum Magistro, & in p. 2. cum S. Tho. tenent beatitudinem nostram consistere in diuinæ essentiæ visione. Quare quemadmodum paradisus terrestris figura fuit cæli, ita & lignū vitæ, quod in ipso erat figura fuit Dei, & Christi Iesu; ex quo qui edunt, id est, qui eum in patria clarè vident, semper viuunt. Hoc est illud beatum & sanctum vitale lignū, de quo infra in cap. 22. dicitur: [Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per men ses singulos reddens fructum suum.] Quoniam nunquam tedium diuinæ visionis beatos capere potest. Quinimmo quouis tempore vsque adeò illis iucunda est, vt si tunc ea inciperent frui. Semper etenim videntur noui fructus, idcirco mox subditur: [Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ.] hoc est: Beati qui peccata pœnitentia & bonis operibus in terra delent, vt possint Dei visione in cælo frui. Quamobrem hæc loca, nempe: [Lignum vitæ est sapientia eius qui apprehendunt eam.] Prouerb. 3. [Fructus iusti lignum vitæ.] Prou. 11. [Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?] Luc. 23. de sapientia incarnata, vt est obiectum nostræ beatitudinis in patria, D. Hieron. in cap. 6. Isa. D. Greg. lib. 12. moraliū. cap. 4. & Eucherius lib. 1. in Gen. cap. 13. exoluunt. Quemadmodū enim sapiētia incarnata in mensa altaris Ecclesię militantis, vt lignum vitę nobis vitā gratię causat, sic eadem sapientia incarnata in mensa illa cælestis gloriæ, & Ecclesiæ triumphantis, vti lignum vitæ nobis ipsis (dum beatificamur) vitam gloriæ largitur. Est igitur Christus viride lignum, & fructuosissima arbor, à qua vita gratiæ, & vita gloriæ emanant. Vita quidem gratiæ, in via, putà, in sancto altari, vita verò gloriæ in patria, nimirum in cælesti beatitudine. Hinc Angelicus Doctor in hisce suis cōmentarijs per hęc verba eleganter scribit: [Dubitatur etiam de hoc, quod dicitur, edere de ligno vitæ; cum enim ipse Christus se totum det in cibum, tùm in sacramento Eucharistiæ, tùm in statu patriæ videtur, quod conuenientius dictum esset: Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Respondeo dicendum. Quod dulcedo diuina infinita est, & ideo inexhauribilis, & ideo nullus totum potest sibi imbibere, sed quilibet sibi accipit, quod potest, & ideo rectius dicitur, de ligno, quam lignum.] Hæc S. Tho.

D. Dion. Carthus. in comment.

Quæstio III.

An quatuor dotes corporum gloriosorum in patria, aptè quattuor flumina cælestis Paradisi nuncupentur?

1. Conclusio.

Quatuor dotes corporum beatorū, quatuor fluminibus comparantur.



G PRAESTATA huius textus, [dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.] allegorica simulque anagogica explanatio, illustrior ac clarior fiet, assignando etiam aliquid in cælesti Paradiso, quod quatuor fluminibus Paradisi terrestris correspondere possit. Et mihi hæc cogitanti, quatuor dotes corporum gloriorum in promptu occurrunt, quæ aptè, & abundanter sō dictis satisfacere queunt. Corpora autem beatorum, in cælesti beatitudine, quatuor habere dotes, vt potè, claritatem, agilitatem, subtilitatem, & impassibilitatem, fides & Doctores, ac Sancti Patres, firmiter tenent, ac docent. Nam ad hoc, quod corpus perfectè subiectum sit animæ, nec impediat eam in operibus gloriæ, quatuor requiruntur, quorum duo pertinent ad sensum, alia verò duo pertinent ad motum. Ad sensum quidem requiritur quod sit facilè receptibile specierum sensibilium, ad quod disponit claritas, & quod nō

Corporis dotes quot sunt

Requisita ad perfectionem vnionis animæ & corporis,

Claritas.

H sit receptibile passionum ignobilium, ad quod disponit impassibilitas. Ad motum etiam requiritur, vt per contrariam dispositionem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas: Et corpora per quæ mouentur non resistant ei, ad quod disponit subtilitas.

Impassibilitas.

Agilitas.

Subtilitas.

Alij Doctores totum hoc, compositione quadam explicant. Dicunt enim quod in homine quadruplex est compositio. Prima est qualitatum contrariarum, quæ planè tunc erit perfecta quando qualitates ita æquabuntur, vt nulla sit pugnatio vnius contra aliam, & hoc faciet impassibilitas. Secunda est compositio materiæ cum forma, quæ etiam tunc erit perfecta, quando materia vincetur à forma, penes hanc perfectionem sumitur subtilitas. Tertia est compositio corporis organizati cum anima, perfectio istius compositionis est, quod omnia organa sine impedimento sint I mobilia ab anima, penes hanc perfectionem sumitur agilitas. Quarta compositio est corporis cum spiritibus lucidis, quibus mouetur corpus ab anima, & huic perfectioni, secundum perfectum statum, respondet claritas.

Compositio quadruplex in homine.

Compositionū perfectio.

Tertiò sumitur prædictarum dotium numerus, secūdum proprietates quæ sunt in elementis. Nam penes aquæ transparentiam sumitur claritas; penes terræ soliditatem sumitur impassibilitas; penes tenuitatem ignis, sumitur subtilitas; penes mobilitatem aëris sumitur agilitas.

Consonantia dotium cum elementis.

Quartò sumuntur istæ dotes secundum quatuor defectus, quos habet corpus humanum à quatuor elementis, quibus cōponitur. Habet enim corpus humanum ab igne caliditatem, & inde nigredinem, à terra grassitiem, ab aëre passibilitatem, ab aqua frigiditatem, K & inde tarditatem. Sed ista tolluntur per quatuor dotes corporis, quas Christus assumpsit ante passionem suam: sicut dicit Hugo de S. Victore; claritatem in Transfiguratione; agilitatem, quando ambulauit supra mare; subtilitatem, in Natiuitate; qua salua virginali integritate natus fuit; impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis suis manducandum dedit; quod intelligendum est secundum actum, non secundum habitum.

Defectus quatuor qualitatum tolluntur.

Matth. 17. Marc. 6. Luc. 2. & 22.

Prima

Dos prima. Claritas duplex.

Prima igitur dos corporis eſt claritas. Et notā, quod aliquid dicitur clarum dupliciter, aut quia peruium, ſicut dicitur, vitrum clarum; aut quia lucidum, ſicut dicitur ſtella clara. Corpus autem glorificatum erit peruium, & lucidum, vnde vtroque modo erunt corpora clara. Duo enim ſunt quæ nunc cauſant obſcuritatem in humano corpore, vnum eſt materiæ impuritas, alterum luminis paucitas. Tunc vero tolletur vtrumque, ſcilicet illa impura denſitas, & obſcuritas, quæ ex modicitate luminis eſt, & ideo erunt corpora clariſſima. Attamen corpora glorificata, ſepties tunc erunt clariora quam Sol ſit modo, ſicut Dominus ait Matth. 13. [Iuſti fulgebunt ſicut Sol] Et teſte Iſa. cap. 30. [Erit lux Lunæ ſicut lux Solis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.] Sciendum quoque quod corpora ſanctorum non erunt æqualiter clara, quia melior anima habebit corpus lucidius. Vnde licet corpus Chriſti ſupra modum excedat claritatem aliorum, tamen in comparatione ſanctorum, poteſt claritas eius aſſimilari claritati ſolis, ſecundum illud Malach. 4. [Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ,] id eſt, Chriſtus. Claritas ſanctorum reſpectu Chriſti poteſt aſſimilari claritati ſtellarum, vnde Apoſtolus 1. Cor. 15. [Stella differt à ſtella in claritate.] Hoc eſt quòd ſancti plus, vel minus, lucent ſecundum differentiam meritorum. Claritas vero puerorum qui poſt Baptiſmum moriuntur antequam veniant ad annos diſcretionis, poteſt comparari lumini Lunæ: quia ſicut Luna, lumen non habet à ſe, ſed à Sole, ita iſti non habent gloriam ex merito proprio, ſed ex merito Chriſti. Baptiſmus enim ex paſſione Chriſti habet efficaciam.

(Margin: Obſcuritas vnde. — Matt. 13. — Corpora ſanctorum, & beatorũ plus, & minus, lucent. — Pueri habebunt gloriã, & vnde.)

Dos ſecunda. Impaſſibilitas vnde reſultat. Aequalitas contrariorũ. Obiectio.

Secunda dos corporis erit impaſſibilitas, quæ reſultat ex virtute animæ, corpus ſuum potenter continentis, itaut à nullo exteriore agente valeat immutari. Præterea quamuis corpora ſanctorum ſint compoſita ex contrarijs, illa tamen contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem, & concordiam redacta. Dixerunt quidam, quod impaſſibilitas ſanctorum corporum, reſultabit ex natura quinti corporis, id eſt, quintæ eſſentiæ. Sed hoc non eſt verum, quia nihil de quinto corpore venit in compoſitionem materialem corporum inferiorum. Differentia eſt inter impaſſibilitatem ſanctorum, & Adæ in ſtatu innocentiæ, & puerorum, quia impaſſibilitas ſanctorum erit non poſſe pati; impaſſibilitas Adæ fuit poſſe non pati: impaſſibilitas puerorum in limbo erit nihil pati. Et hoc non eſt ex potentia reſiſtendi læſioni extrinſecæ, quam non habebunt, ſed ex ordinatione diuinæ miſericordiæ, quæ non permittit aliquid eis adhiberi, per quod poſſint lædi. Ex quo patet quod ſi tales pueri ponerentur ad ignem poſt reſurrectionem læderentur ab eo, niſi obſtaret diuina miſericordia. Secus eſt de corporibus glorificatis, quæ etiam ſi ponerentur in inferno, non ſentirent aliquam læſionem.

(Margin: Solutio. — Impaſſibilitatum differentia. — Puerorum cõditio.)

Dos tertia. Subtilitas duplex.

Subtilitas eſt tertia dos, quæ aufert groſſitiem corporis cauſatam ex materialitate elementi, & compoſitione elementarium qualitatum. Annotabis tamen, quod duplex eſt ſubtilitas: vna ex raritate partium ſtantiũ non propinquarũ (ſed ex tali ſubtilitate efficitur corpus facile diuiſibile, & ea non erit in corporibus glorificatis:) Alia eſt ex perfecta victoria formæ ſuper materiam, & huiuſmodi ſubtilitas eſt vnita ſubſtantiæ, ſicut dicitur cælum ſubtile, & hoc modo erunt corpora ſanctorum ſubtilia. Et eſt ſciendum, quod ſicut duo corpora non glorificata non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ſic nec duo glorificata: Alioquin ſequeretur inconueniens, ſcilicet, quod in vnoquoque corpore glorificato, eſſet potentia agendi, ac intrandi partes alterius corporis, in alio vero eſſet impotentia reſiſtẽdi. Corpus vero glorificatum poteſt eſſe ſimul in eodem loco cum corpore non glorioſo: (ſecundum dictum antiquorum, quod tamen nec fides habet, nec auctoritas, & ratio contradicit; habent tamen aliquid apparentiæ pro ſe) nam ſicut in corporibus non glorioſis ipſa groſſities impedit ne duo corpora poſſent eſſe ſimul in eodem loco, quia vnum alteri reſiſtit, ita groſſities iſta, per gloriæ ſubtilitatem tolletur, adeò quod corpus non glorioſum, non poſſit reſiſtere glorioſo; ita quod corpora glorioſa penetrabunt alia corpora non ea diuidendo, ſed ſubintrando, manente diſtinctione diuiſionum vtriuſque corporis.

(Margin: Simile ducendo.)

A

Dos quarta.

Quarta dos corporis eſt agilitas, quæ tanta erit ſicut dicit Auguſtinus quod protinus, vbi volet ſpiritus ibi erit & corpus. Verumtamen ſicut melior anima habebit corpus lucidius, ita, & agilius: ita tamen quod voluntas ſanctorum erit omnino coniuncta rationi, vnde voluntas eorum numquam appetet, quod non debet: ſed enim voluntas animæ melioris volet rationabiliter citius moueri corpus ſuum, quam alterius, & ſpiritus minoris gloriæ non volet corpus ſuum tam cito moueri, ſic alterius. Vnde patet, quod in omnibus verificatur dictum Aug. quod vbi volet ſpiritus, protinus erit, & corpus. Quare corpora modo ſunt tarda, & tunc agilia: Quia tunc in corpore duplex erit motor, ſcilicet, natura elementi prædominans, quæ mouet ad medium locum, & voluntas animæ, quæ mouet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda ſunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, quia terra prædominans, naturaliter deorſum trahit. In futuro autem natura erit totaliter ſubiecta voluntati, vnde, & tunc corpus mouebitur ad imperium ſpiritus. Et cum hæc omnia ſint munera, & officia, quattuor horum dotium, ſequitur quod illæ, quattuor flumina Paradiſi cæleſtis, meritò appellari queãt. Quemadmodum enim illa quattuor flumina Parad ſum terreſtrem apprimè illuſtrabant, ſic iſtæ quattuor dotes Paradiſum cæleſtem mirumimmodum exornant, & percelebrem reddunt.

(Margin: Voluntas ſãctorum rationi coniuncta. — B — Dotes corporum beatorũ fluminibus paradiſi terreſtris iuſtè comparantur.)

C



T angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus, & nouiſſimus, qui fuit mortuus, & viuit. — Text. 8.

COMMENTARIVS.



Vcvsqvs de Epheſina actum eſt Eccleſia; nunc vero ad Smyrnenſem, eiuſdem Aſiæ Eccleſiam merito ſermo ſe transfert angelicus. Recenſetur autem in huius Eccleſiæ reprehenſione, mors, & reſurrectio primi & nouiſſimi, nimirũ, Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui pro nobis mortuus fuit, & reuixit, non ſecundum Aegyptiam auem, quam ferunt, natura vnigenitam, exiſtentem ſuper aromata quidem mori, ac ſibi ipſi mortem conciliari, verum ex ipſo cinere reuiuiſcere, ac talem excitare aliam, qualis ipſa fuerat. De qua re apud Plinium loculentiſsimum extat teſtimonium, qui de Phænice Aegyptia, lib. 10. cap. 2. ſic affatur: [Aethiopes, atque indi diſcolores maximè, & inenarrabiles ferunt aues; & ante omnes nobilem Arabiam Phænicem, haud ſcio an fabuloſè, vnum in toto orbe, nec viſum magnopere, aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtis faciem, caputque plumeo apice cohoneſtante. Primus atque diligentiſsimus togatorum Deo prodidit Manilius ſenator ille, maximis, nobilis doctrinis, doctore nullo, neminem extitiſſe qui viderit veſcentem ſacrum in Arabia ſoli eſſe viuere annis D.C.I.X. ſeneſcentem caſia, thuriſque ſurculis conſtruere nidum, replere odoribus, & ſuper emori, ex oſsibus deinde, & medullis eius naſci primo, ſeu vermiculum, inde fieri pullum Principioque iuſta funeri priori reddere, & totum deferre

(Margin: Explanatio contextus. §. 1. — D — Phænix auis Aegyptia. — Plinius de nat. hiſt. lib. 10. cap. 2. — E)

les igitur diuinas voces, & repromissiones nemo quæso in posterum iterum cum Pharisæis dicat: [Durus est hic sermo, & quis potest eum audire ?] aut: [Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.] Nemo fidelium rogo, ob Deum immortalem, ne sic incredulus in admirationem rapiatur, dubitans in posterum carnem sacrosanctam Christi, vti lignum vitæ, viuacitatis æternæ, & immortalitatis fructum afferre. Nunquid rogo, & in hoc nostro terrestri habitaculo non oriuntur in dies per multa quę naturali virtute nostram mortalem, & corruptibilem naturam in statum meliusculum permutare comprobantur? Numquid non videmus Hesiodum, aliosque veteres Poetas (licet contra eos inuehat Aristoteles 3. lib. meth. text. 15.) à quibus proditum erat, Deos nectare, & Ambrosia vti, immo Deos qui nectar, & ambrosiam non gustarent esse mortales, & qui illis alerentur immortales esse? Et apud Seres in India nonne lanugo in arboribus est, cuius esu vita protollitur? Et Insulæ etiam non sunt vbi nulli moriuntur? Sic enim scripsit Alexander Aristoteli de sacerdotibus arborum Solis, & Lunæ, quod esu pomorum lōgissimam agant vitam. Nonne aliqui cibi in quibusdam regionibus inueniūtur, qui viuentes conseruent homines per quadringentos annos? Multi olim Philosophi istud tenebant de arboribus Solis, & Lunæ. Dicitur namque in historia scholastica in lib. Hester, quod Alexander consuluit arbores Solis, & Lunæ, & asserit quod in ortu Solis, cum splendor tangeret arbores illas in summitate, concutiebantur illæ vsque ad radices, & tunc responsum dabatur interrogantibus, vbi Alexander de morte sua responsum accepit, si Babylonem intraret, & ita factum est. Sacerdotes autem qui ibi erant vtentes pomis arborum Solis, & Lunæ quadringentis annis viuebant illæsi, & sic ibi quadruplicabatur ętas super ætatem nostram communem. Et de mandragoris quid dicam? Nonne mandragorarum potenti auxilio, sterilis vterus Rachelis, adeo melioratus est, vt conciperet, & pareret Ioseph (vt dicitur Gen. 30.) & postea Beniamin? Da mihi (dixit Rachel, Liæ) partem de mandragoris filij tui: [Super quæ verba solent inquirere doctores, quare Rachel mandragoras desiderauerit; & respondent aliqui, ex hoc tantum Rachelem desiderasse mandragoras, quod mandragoræ vim habent adiuuandi conceptum, & quia ipsa sterilis erat desiderauit valde. D. Augustinus tamen dicit quod ratione huius differētiæ quæsiuit diligenter in libris Phylosophorum de natura mandragoræ, sed nihil tale reperit, dicit se nescire aliam causam, quare Rachel, illas desiderauit, nisi propter pulchritudinem, & odorem, & suauitatem illorum pomorum. Sunt namque mandragoræ poma, quarum radices figuram maris, & fœminæ exprimunt vna, nempe, radix similitudinem maris, altera vero femellæ similitudinem præsegerit, & sic ita poma, mandragoræ, dicta, & humanam similitudinem habent, & odorifera, pulchra, raraque valde sunt. Nihilominus tamen Auicenna lib. 2. cap. de Iabro, quam mandragoram vocat, dicit quod Mandragora, siue Iabro, habet virtutem purgandi matricem, & sic adiuuat ad conceptum. Et de medecina quid proferam? Nonne è cælo cum sit, naturali virtute herbarum mortalitatis nostræ naturam in meliorem statum in dies permuttat? Et vt de cæteris taceam, nonne vsque ad hodiernum diem medici, pro commendatione suæ artis, non fabulosum, sed verum illud fuisse contendunt, quod in libris gentilium legitur, nimirum, quod Aesculapius potentia medecinæ, mortuum ad vitam reuocauerit? Et tandem de illo inanimato, & insensibili ligno vitæ, quod erat in medio Paradisi voluptatis, quid dicam? Nonne cibus eius longam vitam dabat? Plane quidem; Hinc Elias, & Henoch, qui sunt in Paradiso voluptatis, per esum ligni vitæ viuunt iam, per quinque millia sexcentorū septuaginta sex annorum computando vsque ad præsentem annum Christi millesimum sexcentesimum vndecimum, & viuent vsque ad tempora Antichristi, esu illius ligni vitæ Paradisi voluptatis. Cum igitur hæc omnia ita se habeant in creaturis circa mortalitatem

Ioan. 10.
Ioan. 6.
Apud Seres lanugo inducit vitam.
Insulæ vbi nulli moriuntur.
Cibus pomorum sine arborum Solis, & Lunæ, homines per lōgum tempus seruabat illæsos.
Mandragoræ
Abulensis.
Mandragora iuxta Auicennam ad quid sit vtilis.

F nostri humani corporis inuandam, & in meliorem augendam statum, cur incredibile, aut mirandum, cuiquā vnquam erit, Sanctum Sanctorum, nempe Christum Redemptorem nostrum verbum diuinum incarnatum: Deum verum, & hominem, lignum vitæ æternæ id est, vitam æternam nobis dignè sumentibus præbens esse? Nam si nectar, & Ambrosia Dijs immortalitatem; si lanugo arborum in India apud Seres vitā diuturnam, si esus pomorum arborum Solis, & Lunæ, sacerdotibus longissimam vitam: si mādragorę vterum rachelis, meliorem statum, hoc est, ex sterilitate, fertilitatem; si medicina Aesculapij, mortuo vitam: & si denique lignum materiale & insensibile Paradisi Eliæ, & Henoch vitam vsque in hodiernum diem inducere, & causare valuerūt, quare sanctissimū corpus Christi, quod verbo Diuino hypostaticè vnitum fuit, & lignum vitæ ęternę & ipsam vitam æternam præbens haud erit? Hinc D.

G Augustinus concione. p. in Ps. 33. cui titulus est, [Psalmus Dauid cum mutauit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt.] Sic scribit: [Mutauit Christus vultum suum, quia quasi furor, & insania videbatur, dare carnem suam hominibus māducandam. Vnde, & Iudæi dicebant. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Et aliqui ex discipulis, Durus est sermo iste, & quis potest eum audire? Ioan. 6. Ideo quasi insanus putatus est Dauid, sed Regi tantum Achis insanire videbatur, id est, stultis, & ignorantibus, idcirco dimisit eos, & & abijt. Fugit enim à corde eorum intellectus, ne eum possent comprehendere.] Ita D. Augustinus. Quæ quidem historia deprompta est ex 1. Reg. 21. Est igitur proculdubio Christus verum vitæ æternæ lignum, cum non tantum lignum vitæ, verum etiam panis, & fons vitæ æternæ sit, quo & in Ecclesia, & in cælo fideles

H reficiuntur: In Ecclesia cum velamine, sumendo quippe carnem, & sanguinem eius, sub speciebus panis, & vini, in cælo vero videndo eum, facie ad faciem, sicuti est, iuxta illud Pauli, [Videmus nunc per speculum in Ænigmate, tunc autem facie ad faciem.] Et reuera Christus est verum vitæ æternæ lignum, eo quod quāuis illud materiale, & insensibile lignum vitæ Paradisi voluptatis vitam corporalem augeret, & daret per lōgum tempus, tamen vitam spiritualem animæ præbere haudquaquam valebat; Vnde si Adæ, aut nobis, Deus esum illius materialis ligni vitæ Paradisi permisisset, & insuper peccato succumberemus, tunc talis cibus tantum conseruaret carnem immortalem, sed non viuificaret animam, peccato mortuam, & sic viueret homo in æternum quidèm, attamen in peccato, & miserabilis omnino. Cæterum hoc verum lignum animatum æternæ vitæ Christus, & carnem nostram viuificat, &

I animam à peccato resurgere facit. Hinc Rupertus Abbas ita scribit: [Illud materiale lignum vitæ hominem morte animæ, scilicet peccato iam mortuum non viuificasset, sed carnem viuificare faceret in æternum, quod infeliciffimum esset, mortuus quippe in anima, si corpore viueret homo in æternum, non recuperaretur in æternum, & esset æternaliter miser, vt dæmones sunt. Hoc autem lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore, & sanguine suo reficit, iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in nouissimo die resuscitabit.] Ita Rupertus. Ideo meritò lignum vitæ, tùm in via, tùm in patria Christus appellatur, cum in Ecclesia vitam gratiæ, & in patria vitam gloriæ nobis fidelibus affatim elargiatur. Quandoquidem eadem sacrosancta carne, & eodem

K sanguine suo pretioso vescimur in Ecclesia spiritualiter, & in cælo perfruimur æternaliter. Idem enim Christus verus Deus, & homo, qui est verè, & realiter in hostia consecrata, est nostræ cęlestis fælicitatis, beatitudinisque obiectum, vt tenet fides catholica. Corpus enim Christi, quod est in Ecclesia militante per sacramentalem præsentiam in sancto altari, id ipsum vtique est in Ecclesia triumphante propriè, & apertè consistens, vbi facie ad faciem illud cernimus, dicente Psalmista: [Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.] & rursus, [satiabor cum apparuerit gloria tua.]

Rupertus Abbas in Com.
Psal. 15.
Psal. 16.

Vitam

Conceptus 4. Quod Eucharistiæ sacramento, vita spiritualis cõfertur.

VITAM, sola ipsamet dumtaxat vita nobis elargiri potest. Quemadmodum enim lucem ab ipsa sola luce, scientiã ab ipsa sola scientia, & salus ab ipsa sola salute causari solummodo experimur, sic vita, ab ipsa sola vita dimanari potest. Vnumquodque namque principiatum, vt dicunt Philosophi, à suo dumtaxat principio, originem oportet ducat. Cum autem Christus sit ipsamet vita, ipso de se ipso attestante: [Ego sum via, veritas, & vita.] Hinc proculdubio est, quod à solo ipso sit vera vita, tam vita gratiæ, quã vita gloriæ. Ipse namque est vtriusque vitæ perennis fons, & origo: [Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem (dixit ipsemet Christus Pharisæis) non habebitis vitam in vobis.] vitam, nimirum, tam gratiæ, quam gloriæ. Vtraque namque vita spiritualis vtique est, de qua directè accipiuntur verba Christi. Vita itaque spiritualis, de qua hic loquitur Christus, nullatenus haberi potest nisi per spiritualem manducationem carnis filij hominis, vt ipsemet fatetur: cui plane concinunt verba textus: [Dabo edere de ligno vitæ,] id est, comedenti spiritualiter carnem meam in sancto Altari, dabo spiritualem vitam. Quoniam [qui manducat carnem meam, (ait ipsemet) & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.] Ipse autem est vita, vt nuper retulimus. igitur vita est in comedente dignè carnem Christi, in sancto Altari. Per quod plane denotatur realis, & vera præsentia Christi in altissimo Altaris sacramento Idque olim Regius vates in spiritu edocuit, dum Psal. 21. dixit: [Apud te laus mea in Ecclesia magna: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in sæculum sęculi. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ in conspectu eius cadẽt oẽs qui descendunt in terram] Quæ omnia ad panem sanctum eucharisticum proculdubio pertinent, vt prodit Eusebius Cæsariensis lib. 10. demonstrationis Euangelicæ cap. 8. Quid quæso est illud? [Viuent corda eorum in sæculum sæculi.] Nihil aliud profecto nisi id quod dicimus, nimirum, Christum vitam esse, & nos dignè manducando in mensa eucharistica vitam spiritualem sumere, simul cum carne illa pretiosa Christi, & sic, panem illum Angelorum, nobis viatoribus viuificum omnino esse. Quid porro est illud [manducauerunt, & adorauerunt?] Quis rogo vnquam panem, quem communiter manducat, adorauit? Nemo sane; & tamen Regius vates exclamat: [manducauerunt, & adorauerunt.] Hoc sane est illud, quod ipsemet Regius vates in spiritu indicare voluit, dum Psal. 2. dixit: [Apprehendite disciplinam,] Pro quo alij vertunt ex Hebræo: [Osculamini filium.] alij vero sic [Adorate panem.] Quod plane non nisi de Christo, qui in mensa eucharistica panis viuificus est, expendi potest. Quid rursus tandem est illud, [omnes pingues terræ?] Nihil aliud profecto, nisi omnes Principes, & Reges terræ. Cui sane concinit illud: [Et nunc Reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.] Adde, coram hoc suo sancto pane viuifico in Altaris mensa. Quoniam de hoc viuifico pane intelligitur illud: [Coram illo prosident Æthiopes, & inimici eius terram lingent, Et adorabunt eum omnes reges terræ omnes gentes seruient ei,] Quandoquidem omnes hi sunt illi, de quibus intelligitur illud Osee 14. [viuent tritico] vel vt septuaginta vertunt, [Roborabuntur frumento.] Quoniam non tantum filij Israel, vt pote Hebræi, verumetiam, & gentiles accedentes ad fidem, panem hunc viuificum humiliter, & fideliter, tùm adoraturi, tùm comesturi vtique erant. Ad quod plane intelligendum aduertas oportet cum Cyrillo Alexandrino, & Hieronymo Guadalupense, vatem Oseam hic prosperitatem, & propagationem filiorum Dei per fidem vaticinari, per hæc verba: [Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, & erumpet radix

Vita spiritualis est à solo Christo.

Pręsẽtia Christi in hostia consecrata.

Panis communis non adoratur.

Panis mysticus adoratur.

Reges terræ vt viuant spiritualiter debent edere de ligno vitæ

Hebræi, & gentiles venientes ad fidem, & adorare, & manducare tenẽtur hostiam consecratam.

Filiorũ Israel propagatio.

A eius, vt libani, ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria, & odor eius vt libani, conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea memoriale eius sicut vinum Libani.] Vbi per ramos Chaldaica Paraphrasis, filios exoluit, ita vt velit indicare quod Israelitæ accrescent filijs, & filiabus. Et ij omnes, [viuent tritico] vel [roborabuntur frumento,] vt pote pane isto sancto, viuifico, & Eucharistico, de quo dicitur: [Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.] Eleganter proculdubio Eucharistia comparatur, & componitur [tritico,] vel [frumento,] vt hinc percipias, quod maximè in hoc sacramento referatur, (vt ait. Guadalupensis) aut representetur immolatio Christi. Idem enim est [viuent tritico,] ac si dicat: Quemadmodum triticum frigora perfert hyemis, & ardorem solis, sic ego multa. & acerbissima pertuli pro hominibus, dum agonem crucis sustinui.
B Ea quæ omnia representantur in hoc sacramento conferente vitam hominibus. Hinc, & Apostolus ait. 1. Cor. 11. [Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat:] Hinc (vt dixi) ipsemet Christus se panem viuum vocat, dicens: [Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.] Modo rogo, quid est, [Panis viuus,] nisi vitam hominibus tribuens? Hinc egregiè Angelicus doctor diffinit, quod licet per baptismum detur primus actus vitæ spiritualis, per Eucharistiam tamen datur complementum vitæ spiritualis.

Ioan. 6.

Passionis Christi fit commemoratio in Eucharistia.

Comparatio.

S. Th. 3. p. q.

CÆTERVM in his verbis Osee 14. [Viuent tritico,] adhuc maximum Eucharistiæ argumentum remanet inclusum. Quoniam vbi noster vulgatus
C legit, [viuent tritico.] Septuaginta habent, teste D. Hieronymo, sic [frumento inebriabuntur.] Qualiter quęso homines frumento inebriari possunt? Vino verum est homines inebriari posse, vt experimur in Noë, de quo Gen. 9. dicitur, [bibensque vinum inebriatus est.] quod & Apost. docuit ad Eph. 5. dicens: [Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,] attamen frumento non apparet qualiter homines inebriari queant. Impossibile namque istud apparet, nisi intelligatur (vt sane intelligendum venit) de illo mystico frumento, mysticoque pane viuo sancti Altaris sub hostia illa consecrata. Panem namque communem, nemo ignorat non posse inebriari, cæterum panem istum mysticum, omnes credimus, & firmiter profitemur homines dignè sumentes, siue communicantes, spiritualiter inebriare posse. Hinc est illud Zach. 9. [Quid bonum
D eius est, & quod pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.] Quo loco diuinus vates, testantibus D. Hieronymo, & Lyrano, hostiam consecratam frumentum electorum, & calicem Eucharisticum, vinum germinans virgines, appellat, ad ostendendam, sub hostia illa sancta, & calice consecrato, spiritualem quamdam dignè communicantibus latentem ebrietatem. Et reuera spiritualiter inebriat, dignè sumentes, illa diuina hostia, & calix consecratus Quoniam totius mundi omnia bona in se continent. Hinc plane venit in mentem respõsio Patriarchæ Isaac ad filium suum Esau, Gen. 27. (dum frater minor Iacob surripuisset benedictionem eius, suadente matre,) dicẽtẽ: [Nunquid non reseruasti mihi benedictionem?] Cui Patriarcha sanctus mox respondit, [frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi vltra quid faciã?].
E Perinde ac diceret: Omnes benedictiones in hac includuntur, quia omnes tibi, immo omnia bona, in hoc frumento, & vino continentur: hoc est, in frumento, & vino mystico, per hoc ipsum frumentum & vinum figurato in quo omne bonum continetur. Quare asserere hilari, & in offenso pede possumus, sanctum Patriarcham Isaac ista verba proferentẽ ad corpus Christi, quod est in hostia & calice Eucharistico in sancto Altari, omnino respexisse. Panis porro Eucharisticus est proculdubio viaticum illud, quod Deus olim præ-

cepit

Concept. 5. Quod panis sancti Altaris, spiritualiter inebriat.

Frumentũ naturale non inebriat.

Frumentum mysticũ inebriat spiritualiter.

Hostia consecrata continet in se omnia bona totius orbis.

Benedictio omnium benedictionum.

cepit dandum esse seruo Hebræo libertatem post septimum annum lucranti. Ita namque scribitur Deut. 15. [Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum, & quem libertatem donaueris nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, de arca, & torculari tuo.] Super quæ verba sic scribit Cyrillus Alexandrinus lib. 7. de adoratione in spiritu: [Vides vim mysterij Christi in his splendescere. Liberauit enim nos gratis, postquam verò liberos nos fecit, apposuit seipsum viaticum, concedens vt viuificam benedictionem participaremus, carnem, inquam, suam, & sanguinem.] De hoc igitur cælesti pane Eucharistico intelligitur illud: [Viuent tritico.] Quoniam panis Eucharisticus est panis gratiæ, panis gloriæ, & lignum vitæ æternæ. Rectè antequam vates Oseas de hoc cælesti pane diceret, [viuent tritico,] introduxit dominum ipsum quasi ore proprio alloquentem sic, [Ero quasi ros Israel;] Quoniam per rorem filiũ Dei intelligunt Lyranus, & Rupertus. Quoniã quemadmodum ros inuisibiliter descendens fæcundat terram, sic verbũ diuinum inuisibiliter de cælo descendens fecundauit virginẽ. Cui explanationi fauet Chaldaica Paraphrasis, ita expendens: [Ero quasi ros Israel, hoc est, erit verbũ meũ sicut ros Israëli, germinabit, sicut lilium,] O diuine planè, & cælestis ros. Iste est ros, qui ab Isaia, ros lucis appellatur. Quia homines peccati veneno mortuos, ad gratiæ vitam reducit, quemadmodum herbæ languescentes, rore matutino pullulant, & excitantur. Iste est ros de quo ait Moyses: [Concrescat in pluuiam doctrina mea, & fluat vt ros eloquium meum.] Iste denique est ros ille, quem super habitaculum Iacob descendere cupiebat Patriarcha Isaac dicens: [Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & olei.] Vbi sanctus Patriarcha, & mysterium incarnationis, & mysterium eucharistiæ, omnino in spiritu agnouit. Quoniam per illa verba [de rore cæli,] intelligit, verbum diuinum, quod de cælis in vterum virginis descendere debebat; & per illa altera [de pinguedine terræ,] intelligit, humanam naturam, quæ ex virgine gloriosa erat assumenda à verbo. Et sic in plenitudine temporis completa fuit hæc benedictio, quando in virginali vtero [verbum caro factum est.] Et tandem per sequentia verba, vt potè [abundantiam frumenti, & vini,] intelligit sacrosanctæ eucharistiæ sacramentum, quo, sub panis & vini speciebus, corpus Christi continetur, vt homines spiritualiter viuant frumento, & vino spirituali, vt potè, carne, & sanguine Christi in mensa Eucharistica. Et quia hæc omnia ex mera Dei misericordia, & nullatenus ex nostris meritis dependent, ideo subiunxit Patriarcha sanctus [olei,] quoniam oleum diuinæ misericordiæ est symbolum. Quãobrem abundantia olei, abundantiam annuntiat misericordiæ. Solet namque sacra scriptura ingentes Dei erga nos misericordias, & infinita beneficia, varijs similitudinibus ex agricultura desumptis, significare. Et sic loco citato sub olei similitudine, Sãctus Patriarcha, filiũ suũ Iacob, benedixit per illam solemnẽ benedictionẽ. Ecce igitur qualiter corpus Christi in sancto Altari, est verum lignũ vitæ, hoc est, vita præbens vitã.

Omnes fideles tenentur manducare corpus Christi, hoc, est cõmunicare in re vel in voto.

Ros est filius Dei.

Isa. 26.

Comparatio.

Deut. 32.

Caro Christi ros.

Gen. 27.

D. Dionys. in cælesti Hierarchia.

Nota bene.

Concept. 6. Quod ad esũ ligni vitæ in sancto Altari est necessaria præparatio.



AD comedendum de hoc mystico ligno vitæ, vt potè, corpore Christi immensa sancti Altaris, requiritur maxima præparatio. Verum quippe est, quod dignè sumentes, dicere queunt illud sponsæ, Cant. 5. [Comedi fauum, cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo] vbi sponsa spiritualem suauitatem, in sanctissimo Altaris sacramento, latentem dignè sumentibus afflata, spiritu, indicat, vocans corpus Christi in hostia consecrata, [fauum mellis.] In fauo namque mellis, duo diuersa inter se vtrique reperiuntur, vt potè, cera, & mel, quorum plane, cera, visum illuminat, vt patet in

Exponitur optime locus Cant. 5.

F candela accensa; mel vero, cibis saporem, & dulcedinẽ tribuit; sic in hostia illa consecrata, est diuinitàs, quæ est veluti mel, dulcedine, omnia (quamuis amara) maximè dulcurans, vel dulcedinem præbens: & est humanitas, quæ est veluti cera, quam tangens sanctus Thomas Apostolus, statim illuminatus fuit dicens: [Dominus meus, & Deus meus] ex humanitate in cognitionem diuinitatis deueniens. Dicẽdo igitur sponsa [Comedi fauum cum melle meo.] Indicat dignè communicantes gratiam maximam recipere, diuinitatem, & humanitatem Christi spiritualiter manducando. Et id ipsum exprimit sequentibus verbis: [Bibi vinum cum lacte meo.] Quoniam, illis, indicat, dignè sumentibus ita dari corpus Christi, vel eius sanguis pretiosissimus, sicut datur paruulis, & infantibus lac in alimentum; quoniam in lacte, quo paruuli reficiuntur omnium ciborum, quos mater comedit, continetur robur, & fortitudo. Hinc læta & hilaris ipsamet sponsa inuitat omnes ad sacram communionem dicens: [Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.] Cæterum ad hoc vt hanc suauitatem comedendo de hoc ligno vitæ, vt potè communicando, degustemus, opus est, vt ad sacram communionem nos diligenter præparemus, animas, conscientiasque nostras diligenter emundando. Quam plane præparationem in spiritu attingit, sapiens, Prou. 23. dicens: [Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciẽ suam.] Quod plane alij expositores sic vertunt: [Quando sederis ad mensam potentis.] Quæ plane translatio, magnitudinem diuinæ potentiæ demonstrat in Eucharistiæ mysterio. Et etiã Iob per illa verba, c. 3. [Antequam comedam suspiro.] Quod si sanctus Iob, ad communem panem naturalem comedendum suspirabat in dies, quid nos facere, rogo, tenemur, ad hunc mysticum lignum vitæ, mysticum panem vitæ æternæ, corpus nempe, Christi in mensa Eucharistica, comedendum? Vah, maxima proculdubio prærequiritur innocentia, munditia cordis & animæ. Sanctus Thomas in 4. sent. 2. distin. 9. art. 4. quæstiuncula 2. affirmat tria requiri ad Eucharistiæ sumptionem: Primo, munditiam conscientiæ: Secundo, eleuationem mentis in Deum, per actualem deuotionem, quæ per mentis hebetudinem, vel occupationem, vel euagationem amittitur, & accipitur sæpè sine peccato: Tertio munditiam corporalem, vnde celebraturi aliquod sacramentum propter reuerentiam lauant manus. Cæterum ego ad Eucharistię præparationem, cæremonias omnes, quæ in comestione agni Paschalis concurrebant applico. Cum enim Deus Hebræis præcepisset vt in egressu Israel de Aegypto, Agnus per familias, & domus suas comederetur hos adhibuit ritus, vt legitur Exod. 12. [Et edent carnes nocte illa assas igni, & azimos panes cum lactucis agrestibus.] Ecce prima ceremonia. Deinde alias quatuor subiungit dicens: [Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festináter est enim phase (id est, trãsitus) domini.] Comedere autem carnes agni, cum azimis, significat carnem Christi comedendam esse dum communicamus, cum sinceritate & puritate vitæ, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 5. [Itaque epulemur non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis.] Porro illud comedere cum lactucis agrestibus, quæ amaræ sunt, indicat sacram Eucharistiam sumendam esse cum cordis amaritudine, scelera scilicet nostra ad memoriã cum lacrymis reducendo. Illud insuper [renes vestros accingetis,] demonstrat clare ad esum mystici agni Christi, renes accingendos esse; Quoniam eucharistiam sumere non licet, nisi à carnalibus venereisq. delectationibus abstineamus. Hinc D. Greg. hom. 13. in Euangelia sic ait: [Tunc lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.] Rursus illud [calceamenta habebitis in pedibus,] ostendit ad esum panis Eucharistici appropinquandum esse cum bonis operibus. Calceamenta siquidem, quæ de mortuorum animalium pellibus sunt, indicant quod tunc illa tenemus in

Ioan. 20.

Præparationẽ maximam requirit Eucharistia.

Eucharistiæ sumptio tria postulat.

Analogia agni Paschalis Eucharistiæ sacramentum euidentissimè repræsentat.

Alphonsus Tostatus in cap. 12. Exod. q. 30.

mus in pedibus quādo vt dignè Christum assumamus, antiquorum Sanctorum in Domino mortuorum exempla affigimus mentibus, vt ex his quantum proficimus, aut deficimus attendamus. Præterea illud, [tenentes baculos in manibus,] patefacit, accedendum esse ad sacram communionem, magna cum fide. Baculus etenim instrumentum fulciendi corpus est, per quē firmitatem mentis; per veram & sinceram fidem ad sacram communionem requisitam demonstramus. Et sic tunc baculos ad esum agni tenemus in manibus, cum ad sumptionem Eucharistiæ summa fide, in corde, & in mente accedimus. Tum quintò & postremò, tunc festinanter comedimus, vt indicat illud: [comedetis festinanter,] quando, ad sacram Eucharisticam mensam appropinquamus, operi, & executioni iam diligenter, & festinanter, mandata, iussa, & præcepta Confessariorum, vt potè, restitutionem famæ, honoris, pecuniarum, mandando, considerantes, quod citò exeundum nobis est de huius sæculi miserijs. Qui igitur ad esum huius ligni vitæ, hoc est, ad mensam sancti altaris, cum hac præparatione non accedit; manducat quidem carnem Christi, attamen per rapinam. Recipit enim sacramentum, & non rem sacramenti. Et de istis intelligitur illud Isa. 65. [Ecce seruientes mihi comedent, vos autem esurietis; ecce seruientes mihi bibent, vos autem sitietis.] Hinc Rupertus super hæc verba: [Dabo edere de ligno vitæ.] sic scribit: [Sæpe qui nondum vicit, id est, nondum egit pœnitentiam, edit de hoc ligno vitæ, manducans videlicet corpus, & bibens sanguinē Domini, verum non illi dat Christus, sed ipse rapit, atque adeò, iudiciū sibi manducat & bibit. 1. Cor. 11.] Oportet ergo cum prælibata præparatione ad Eucharisticam mensam accedere, dicente Apostolo: [Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.] Vbi ly. [sic] ita sonat. [Sic,] in sinceritate & puritate vitæ, [sic] cum lacrymis, vt potè, rigatis oculis præ peccatorum acerbitate, [sic] spretis venereis delectationibus, [sic] cum bonis operibus, [sic] cum summa & firma fide, [sic] restituto iam honore alieno, fama proximorum, & pecunia vicinorū. Sic igitur accedendo ad mysticum vitale lignum sancti altaris, vt potè, ad corpus Christi, ipsemet Christus operabit in te illud Psalmistæ: [Aperi os tuum, & implebo illud,] hic in via, gratia sacramentali, & illic in patria, gloria æterna.

Baculus quid sit.

Eucharistiā indignè sumunt impreparati ad cōmunicandū.

Rupert. Abbas in comment.

Eucharistiæ requisita.

Psal. 80.

DISPVT. X.

In Cap. 2. Apocalypseos, de triplici ligno vitæ, & triplici Paradiso,

In tres partes diuisa super illa verba: *Dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.*

Prologus disputationis.

Duorum maximè notabilium hic fit mentio, vt potè, ligni vitæ, & paradisi. Idcirco cum secundum Hugonē in lib. 20. de arca Noë, tres sint paradisi, nimirū, terrestris, (cuius incola fuit primus homo Adam terrenus) Ecclesia militans (quam fundauit, & inhabitauit Christus) & Ecclesia triumphans (quam fundauit, & plantauit Pater æternus.) ideo hic de illis tribus disputandū duximus, vt hæc nostra allegorica, simulq. anagogica explanatio apertior reddatur. Præmittimus tamen dictionem illam [Dei mei,] adiectam hoc loco fuisse ratione humanitatis Christi, secundum quam Christus, Redemptor noster, Patrem æternum vt Deum suum agnoscebat. Iuxta illud Ioan. 20. [Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.] pro vt hunc locum exoluunt Arethas, Rupertus Abbas, & alij grauissimi adstipulatores. Hinc S. Tho. in hunc locū sic scribit: [Dei mei, id est, quam plantauit pater meus, quem vocat Christus Deū suum in quantū homo, propter singularem amorem, & plenam obedientiæ subiectionē.] Et D. Dion. Carth. [Christus autem secundum quod homo Deū suum nominat cælestis paradisi dominatorē.] Quare pro certo habeas, vellem, Patrem æternum, Dominū semper extitisse, vtriusq; paradisi, vt potè, terrestris, mystici, & cælestis: de quibus hic disputare exordimur.

Hugo.

Paradisus triplex.

PARS PRIMA.

De Paradiso terrestri, & de ligno vitæ corporeo.

Quæstio I.

An fuerit Paradisus terrestris?



Evm in exordio mundi, terrestrē creasse paradisum, de fide habetur ex illis verbis Gen. 2. [Plantauerat autē Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.] Quæ planè verba propriè intelligenda veniūt (quid quid Philo Iudæus, Origenes, & alij Doctores dicant) de loco aliquo corporeo, & terrestri, vt ex Hebræis tenent Rabini, Kimchi, Abraham, Benesera, & Salomon, & ex nostris Doctores omnes, tam Græci, quam Latini, Iosephus 1. lib. Antiquit. Basilius hom. 11. in Genesin D. Aug. Sophronius Patriarcha Ierosolym. in epist. quæ recitata est in sexta Synodo generali act. 11. D. Chrysost. hom. 13. in Gen. Hugo de S. Victore lib. suarum annot. in Gen. & alij multitudine ferè infiniti SS. Patres Græci, & Latini, qui omnes concordi sententia intrepidè asseuerant, Paradisum, quē describit Moyses non accipi figuratè, vt voluit Origenes, nec minus mysticè, aut allegoricè, vt placuit Philo, sed historicè, verè, ac realiter pro loco corporeo in terra situato, & aspectabili, omni genere voluptatum, ac delitiarum referto, & abundātē, vt indicat illud ly. [voluptatis] vsq; adcò vt narratio illa Moysis de paradiso nō spiritualis, tropologica, aut allegorica, sed omnino litteralis sit. Et ob id verus & germanus eius sensus litteralis censeri debet, quē reddunt verba Moysi, secundum propriam & vsitatā eorum significationem, sumpta.

1. Conclusio.

Paradisus terrestris in exordio mundi creatus fuit.

Philo Iudæus lib. vlt. de mundi opificio, & lib. de allegorijs legis Mosaicæ.

Origenes hom. 3. in Numer.

Situm & locū huius corporei, & terrestris paradisi, assignant DD. in partibus Orientis. Et quamuis pleriq; eorū varient in assignādo situ huius Orientalis partis, quoniā quidam illum ponunt vltra Oceanū, alij extra hunc nostrū terrarum orbem, eumq. consitū esse dicunt: alij eius altitudinē vicinam cæli ascribunt; alij in suprema regione aeris eum collocant; quoniā cum quilibet punctus Orizontis sit Oriens respectu alicuius alterius, non apparet in qua parte sit, secundū longitudinem ab Occidente contra Orientem, & sic variant DD. in hoc, cæterum omnes quotquot sunt, locum & situ Paradisi in parte Orientali reponūt. Hinc Ephren Syrus in cōment. super Genes. his verbis locum, situm, & amœnitatem Paradisi terrestris sic describit: [Est locus Dei manibus, in Hedem ad Orientē mirabiliter

Paradisi terrestris situs.

Paradisi terrestris qualitates.

consitus, omnis lætitiæ, ac voluptatis promptuarium, omni terra excelsior, optima temperie cæli, aere subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus suauissimumq. odorem spiratibus plenus, lumine vniuersæ sensibilis venustatis & pulchritudinis excellens intelligentiam, diuinus profectò locus, mirificè congruens primi hominis dignitati, in quo nullum animal habitat, sed solus diuinarum manuum factura homo.] ita Ephren. Cæterum D. Basilius in oratione de paradiso, amœnitatē istius terrestris paradisi, luculentius per hæc verba describit: [Paradisus locus erat delitijs omnifariam affluens, omnem creaturæ sensibilis exuperans pulchritudinem, ob sublimitatē loci, in quo erat, nulla sui parte tenebras admittens, sed ex orientium siderū splendore semper illustratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempestatū procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis, nō molestia, & noxia autumni siccitas, sed temperata & pacifica omnium temporum inter se cōsonantia, ita vt quod in vnaquaq; anni tempestate optimum & iucundissimū est, in se haberet, scilicet, veris amœnitatem, vbertatem æstatis, autumni hilaritatem, hyemis otium, & quietem. Eius terra pinguis erat & mollis, omniumq. bonorum & voluptatū fertilis, quam verissimè dixisses fluere lacte & melle.] Hæc D. Basilius. Propter quam planè amœnitatem, quidam dicunt, D. Aug. affirmasse aquas diluuij nullatenus attigisse hunc terrestrē paradisum. Asseruntq, id affirmasse S. Doctorem per hæc verba: [Paradisus in Oriente immenso Oceani interiecto à nostro orbe longissimè remotus, pertingens vsque ad lunarem circulu, vnde illùc aquas diluuij peruenisse minimè dicitur: hic locus ob primi hominis reatū interclusus est, nec vlli animantiū datur ad eum aditus.] ita D. Aug.

Paradisi terrestris nobilitas, & excellentia.

Ambrosius Catharinus.

Diluuij aquæ terrestrē non attigerūt Paradisum.

Quæstio II.

An inter arbores paradisi terrestris, esset corporeum aliquod vitale lignum?



1. Conclusio.

Lignū vitale corporeum, fuit inter arbores Paradisi.

Vsqueadeò certissima est hæc quæstio, vt eius pars affirmatiua, fide fundetur, in illis verbis, Gen. 2. [Lignum etiam vitæ in medio paradisi.] Vbi non ad mysticos, tropologicos, allegoricosq. sensus cum Origene, Philo Iudæo, alijsq. allegoricis interpretibus (quos diximus existimasse, orationem & verba Mosis de Paradiso terrestri figuratè secundum sensum mysticum, & allegoricum) intelligenda esse, sed ad proprium, & historicum (vt ipsa verba sonant) sensum est habenda relatio: ita vt per ly. [lignum vitæ,] arborem veram, & naturalem, non secus atque alias arbores eiusdem paradisi, ac etiam veluti eas omnes communes arbores, quas nunc præ manibus propè diem habent homines, cum Doctoribus, & Patribus omnibus tam Græcis, quàm Latinis, vt nuper retulimus, intelligamus, vt liquido cernitur ex ipsamet Mosayca narratione, quæ tota est historica, & ait, Deum produxisse ex humo omne lignum, visu pulchrum, & ad vescendum suaue, statimq. subdit: [Lignum etiam vitæ in medio paradisi.] Quibus verbis clarè ostenditur illam arborem vitæ, fuisse ex humo procreatam, & naturalem arborem, non secus atque aliàs omnes paradisi arbores, vt liquido illa particula [etiam] demonstrat.

Ligni vitæ qualitates.

2. Conclusio.

Ligni vitæ effectus & proprietates.

Vis, effectus, & natura huius ligni vitæ erat, hominē ab omni corruptione corporis, ab ipsaq. morte apprimè seruare. Quamobrem eum produxit Deus, vt homo ex illo comedens immortalis, (non simpliciter, sed

F secundum quid, vt potè, per longum tempus) fieret. Quoniam cum quodlibet animal sit vegetabile, indiget cibo ad continuandam vitam animalem. Est enim vita animalis in armonia calidi naturalis, & humidi radicalis. Et cum quotidie humidum corrumpatur à calido, nisi restauretur per quotidianos cibos & potus, citò animal moreretur desiccato humido radicali. Assumitur ergo humidum cibale. Et quia istud humidum, quod redditur in substantiam per digestionem & incorporationem, non est ita purum, sicut caro secundū speciem, id est, caro generata in vtero materno ex sper mate, & sanguine, & cum quotidie aliquid deperdatur de illa carne, & generetur alia, & ex alimento fiat caro tam impura, quod non possit esse conueniens ad vitam, sicuti est de vino puro, quia si apponatur ei modica aqua conuertetur in substantiam vini, & naturam per actionē vini corrumpentis qualitates, conuenientes formæ aquæ; si autem continuè apponatur. efficie-

Animal quibus indigeat ad vitam.

Animalis vita in quo cōsistat.

G tur vinum valde impurum & aquosum, donec perdatur species vini. Ne ergo tanta deperditio fieret in corpore humano, datum fuit lignum vitæ, quod habebat virtutem reducendi ad puritatem carnis primę, totam carnem alimentalem; & quando semel comedisset de fructu illius arboris, reducebatur ad puritatem quæ magno tempore durabat. Deinde incipiente fieri impuritate per cibos alios, si iterum sumeretur cibus illius arboris reducebatur rursum corpus ad pristinam puritatem; & sic frequenter sumendo, duraret homo, vel in æternum (vt asseuerāt Tostatus in cap. 2. Gen, q. 10. Auctor quæstionum veteris, & noui Testamenti, D. Chrysost. hom. 18. in Genesim, Rupertus lib. 3. de Trinitate. cap. 30. & D. Aug. lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 20. & 23. qui omnes asserunt, hominem nisi peccasset, esu ligni vitæ liberatum iri à necessitate mo-

Lignum vitæ ad quid concessum fuit homini.

Ligni vitæ vis.

H riendi, & perpetuò in flore iuuentutis conseruatum iri. Cæterùm autem si peccasset, & de illo ligno vitæ comedisset, non in æternum, sed ad valde magnum tempus dumtaxat mori non posset, & tandem necesse erat corrumpi) vel ad longissimum aliquod tempus, non tamen in perpetuum aliquo modo, vt videtur sentire S. Tho. 1. p. q. 97. art. 4. & Durand. in 2. lib. sent. dist. 19. q. 1. Caiet. 1. p. q. 97. art. 4. & Scotus in 2. lib. sent. dict. 91. q. 1. eo quod potentia illius arboris vis & natura eius finita vtique erat, & per consequens eius effectus nequiuerat ad infinitum, sed ad finitum, dumtaxat, tempus esse efficax. Quoniam omne agens Physicum in agendo patitur, & tandem omnino debilitatur. Nec multiplicanda sunt miracula de illa arbore sine necessitate. Itaque frequenter sumendo homo de illo ligno vitæ, fieret immortalis, hoc est, viueret in æternum, vt indicant verba illa Genesis 2. [Ne fortè

Ligni vitæ vis finita, & non infinita.

I sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.] intelligendo ly. [æternum,] simpliciter, vt dicunt primi Doctores, vel secundum quid, vt tenet secunda opinio, siue in statu innocentiæ, siue post lapsum.

Supernaturalem fuisse hanc vim arboris vitæ, docent D. Bonauentura 2. lib. sent. dist. 17. & D. Augustinus lib. de Genesi ad litteram. cap. 5. & lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. At verò Angelicus Doctor 1. par. quæst. 97. art. vlt. Strabus, & Hugo de Sancto Victore, videntur sentire illam vim & effectum arboris vitæ fuisse naturalem. Ego verò vtramque sententiam sustentabilem iudico, quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum, & cum supernaturalia, & etiam naturalia ab ipso Creatore dependeant, non videtur rationi repugnare, Deum illam vim in illo ligno creasse connaturalem, vel supernaturalem

K eidem ligno dedisse. Quis enim fidelis est, qui Deum id facere ad suum beneplacitum potuisse, neget?

3. Conclusio.

Ligni vitæ vis supernaturalis.

Ligni vitæ vis naturalis.

Ligni vitæ vis potuit esse connaturalis, & supernaturalis.



Quæ-

A

Quæstio III.

An in Paradiso terrestri essent quatuor flumina?

1. Conclusio. Flumina quatuor in terrestri paradiso.



IDEM itidem istud affirmatiuè tenendum est, ex illis verbis Gen. 2. [Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.] & statim subditur: [Nomen vni Physon, ipse est qui circumit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibiq. inuenitur bdelium, & lapis onichinus: & nomen fluuij secundi Geon, ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ: nomen verò fluminis tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios: Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.] B

2. Conclusio. Origo quatuor fluuiorũ paradisi. Abulensis in cap. 2. Gen. q. 19.

De origine autem istorum fluuiorum à varijs Doctoribus, varia referuntur; attamen mihi magis arridet, quod Abulensis de eorum origine his verbis scribit: [Ganges nascitur inter Dachas, Carrancas, & Parthienas in monte qui Oscobares dicitur, qui est quædam pars Caucasi montis. Nilus secundum quosdã, vt vult Philosophus in libro de innundatione Nili, nascitur in littore maris Rubri, secundũ alios non longe ab Athlante fontem habet. Euphrates à radice montis Parthoatre, qui pars est montis Caucasi. De his Paulus Orosius primo loco de Ormesta mundi. De Euphrates & Tygri, ait Boetius, 5. de consolatione metro. 1. quod incipit. Rupis Achimeniæ, quod de eodem fonte ista duo flumina oriuntur, quorum aquæ immediatè distinguuntur, ita quod Tygris tendit magis ad Orientẽ contra Assyrios; Euphrates autem contra Chaldæos. Sed dicendum ad hæc, quod est de eis, sicut est de multis fluminibus, quæ in vna parte terrarum fontem habent; deinde subterraneo meatu labentia, ad aliã partem terræ, nouiter erumpere videntur. Sic enim ponit Seneca lib. 5. de quæstionibus naturalibus de Alfeo flumine Siciliæ, qui à terra absorbetur, deinde in Græcia renascitur, quod patet, quia si palea, vel virgæ supernatantes in Sicilia iaciantur in Alfeo, in Græcia ad locum vbi oriri videtur, ista inueniuntur, vel potius è contrario, quia in Græcia est caput Alfei, & Arethusę, & per subterraneos meatus sub vasta profunditate maris in Sicilia oriuntur rursus. De hoc Ouidius Methamorph. lib. 5. in fine. Dicendum ergo erit, quod ista quatuor flumina de Paradiso primam originem habẽtia longo tractu terrarum frequentius absorbentur. in alijs rursus exundantia locis, & sic non est negandũ quod isti auctores famosi afferunt, quia scripturæ sacræ non repugnant.] Ita Abulensis. Est igitur in medio Paradisi fons magnus, qui illic diuiditur in quatuor flumina ad irrigandum paradisum voluptatis, eo quod paradisus ille terrestris, magni ambitus est, arboribus plenus, & auibus dulciter cantãtibus, & alijs animantibus. Quamuis quidam asserant in paradiso modo nõ esse animantia, fuerunt siquidem à principio in statu innocentię, alioquin serpens non apparuisset, Euæ in paradiso, quod asseuerare repugnat sacræ scripturæ. Et si animalia fera ibi modo non concedamus, eo quod ibi talibus opus non sit, tamen non sunt neganda aliqua animalia pulchra visu, & aues armonijs mirabilibus concinentes, in quibus Henoch, & Elias ibidem quiescentes delectentur, eo quod quamuis ibi sint, puri viatores sunt, & adhuc talibus solatijs indigentes, cum etiam ibi de arboribus Paradisi cibum sumant.

Paradisus terrestris cur sic appelletur.

Animalia in paradiso terrestri.

Henoch, & Elias, quid faciant nunc in paradiso terrestri.

C D B

PARS SECVNDA:

De Paradiso mystico, vt potè, Ecclesia militante, & de ligno vitæ mystico, nempe Corpore Christi in sacramento altaris.

Quæstio I.

An Ecclesia militans aptè appelletur Paradisus mysticus?

1. Conclusio. Paradisus mysticus Ecclesia militans.



CONCLVSIO est affirmatiua, & probatur. Tum quia quemadmodum in Paradiso terrasti sunt multę arbores, multiplicesq. fructus, in quibus delectabatur primus homo Adam, sic in Ecclesia militante, sunt multi electi, & multi fructus meritorum, in quibus delectatur Christus, qui est veluti cultor horti. Tum quia sicuti Deus paradisum terrestrem in exordio mundi plantauit, pro vt habetur Gen. 2. Ita ipsemet Deus Ecclesiam militantem plantauit, iuxta illud Matth. 21. [Homo quidam plantauit vineam.] vbi sermo est de Ecclesia militante, vt communiter tenent Doctores. Tum quia quemadmodum in paradiso terrestri erant permultæ, ac pleræque delitiæ (eo quod paradisus nomen est amœnitatis, & delitiarum) sic in gremio Ecclesiæ militantis sunt varij, & plerique viri spirituales, multis delitijs spiritualibus perfruentes, quibus prope diem oblectantur. Tum quia quemadmodum in paradiso illo terrestri erat vita corporalis, sic in Ecclesia militante est vita gratiæ, Hinc planè est, quod quemadmodum paradisus terrestris non admittebat homines nudos post lapsum, vt indicant illa verba Gen. 3. [Vocem tuam audiui in paradiso & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.] & subditur in textu: [Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis.] sic Ecclesia militans, postquam homines ab innocentia baptismali ruunt, non admittit homines nudos gratiæ, iuxta illud Matthæi 22. [Amice, quomodo hùc intrasti non habens vestem nuptialem? eijcite eum in tenebras exteriores.] Vbi per vestem nuptialem, gratiam intelligunt Doctores, & sancti Patres. Tum postremò, quia Ecclesia militans dicitur passim in sacra pagina, vinea, hortusque Domini conclusus, quoniam hæc & producit flores recentes conuersorum, & charitatis vallo circumquaque munitur, ne inter numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur, vt super cap. Gen. 2. Cant. 4. Isaiæ 51. Ioel. 2. & Matth. 21. dispungunt Beda, Gregorius, Augustinus, Bernardus, Chrysostomus, Remigius, & alij plerique Sancti Patres.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio. Ecclesia militans dicitur hortus, & vinea Domini.

Quæstio II.

An aptè corpus Christi sub hostia consecrata appelletur vitale lignum mysticum huius Paradisi, scilicet, Ecclesiæ militantis?

1. Conclusio.

Corpus Christi vitale lignum.



IATORES proculdubio indigent cibo; Et cum omnes de ecclesia militante, viatores appellemur, voluit Christus Redemptor noster seipsum hic in mensa altaris, mysticum lignum vitale nuncupari. Quemadmodum enim illud corporeum lignum vitæ, habitantibus in terrestri illo Paradiso, erat ad esum, vt potè, de illo comedentes immortales fierent, ita corpus suum sub hostia consecrata dat fidelibus suis in isto Paradiso Ecclesia militante ad esum, nempe, vt de illo comedentes sacramentaliter in mensa altaris immortales in spe omnino fiant. Hinc miro artificio manducare, siue edere, vtriq; relationē dicit, nimirum ligno vitæ, & corpori Christi sub hostia consecrata. Ligno quidem vitæ, vt liquido cernitur ex illo Gen. 3. [Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiā de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum.] Corpori verò Christi sub hostia consecrata, vt manifestè habetur ex illo Matth. 26. [Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.] Hinc D. Cypr. epist. 63. ad Cæciliū, D. Ambr. lib. de Elia, & ieiunio cap. 1. & lib. 1. de sacramentis cap. 3. Paschasius Abbas lib. de corpore & & sanguine Domini cap. 10. Theodoretus, & D. Chrisost. in Psalmos, verba illa Psalmistæ, nempè. [Parasti in conspectu meo mensam, aduersus omnes, qui tribulant me.] ad sacram referunt Eucharistiā. Accedit ad hæc, quod quemadmodū de illo ligno vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndequaq; surriperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatijs, interirent; sic de corpore Christi in hostia consecrata propterea sumimus ne mors æterna nobis, aut peccati senectus vllo modo nocere queāt, iuxta illud: [Nō sicut patres vestri manducauerunt manna & mortui sunt, qui mā-manducat hunc panē, viuet in æternum.] Quare ligno vitæ corpus Christi in hostia consecrata aptè comparatur. Ipse enim est lignū faciens fructus duodecim, vt in cap. 22. Apoc. Deo fauente, dicemus. Quamobrē rectè S. Thom. hic, his verbis, scribit: [In Paradiso Dei mei, id est, in Ecclesia militante, quæ est Paradisus.] & paulo post: [Intra quas autem arbores est in ea arbor, siue lignum vitæ, de quo hic dicitur: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, Et bene in hoc Paradiso dicitur esse lignum, quia extra Ecclesiam non est salutare sacramentum, sicut nec salus.] vbi B. Doctor per salutare sacramentū, Eucharistiam vtiq; intelligit, de qua in eodem loco statim subdit: [nota quod sacramentum Eucharistiæ est excelsum dignitate; quia in eo verè est, & verè sumitur ipse Christus verus Deus & homo &c.] Ita D. Thomas in hisce commentarijs.

Ioan. 6.

2. Conclusio.

Corporis Christi effectus varij.

Effectus autem huius ligni vitalis mystici, nimirum, corporis Christi in sacramento altaris, sunt plerique, vt potè, conferre gratiam; quoniā quemadmodū Christus in mundū visibiliter veniens contulit mundo vitā gratiæ, iuxta illud Ioan. 1. [Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.] Ita in hominē sacramentaliter veniens, vitā gratiæ operatur, secundū illud Ioan. 6. [Qui manducat me, viuet propter me.] Quapropter Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 12. dicit viuificatiuum Dei verbum, & sic veniens seipsum propriæ carni, fecit ipsum viuificatiuū. Quamobrem corpus Christi sub hostia consecrata traditur per modum cibi, & potus, vt

F aperte intelligamus, quod omne effectum, quem cibus & potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat, & delectat, hoc totum facit corpus Christi in hostia consecrata, quantum ad vitam spiritualem, causare adeptionem vitæ æternæ. Hinc D. Aug. tract. 6. in Ioannem sic scribit: [Cum cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus, & potus, qui eos à quibus sumitur immortales, & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atq; perfecta.] Remittere peccata venialia, & cauere mortalia, quoniam est cōmemoratiuū hoc sacramētum passionis Christi, qui est fons, & causa remissionis peccatorum. Remittere pœnam peccati secundum quātitatem deuotionis sumentium, & præseruare hominē à peccatis futuris, de quibus omnibus effectibus sacramenti Eucharistiæ, legito S. Tho. 3. p. q. 79. per totum.

Eucharistiæ sacramenti effectus, & proprietates.

G

Quæstio III.

An quatuor Euangelistæ in Ecclesia militante, aptè comparentur quatuor fluminibus Paradisi?

1. Conclusio.

Euangelistæ quatuor optimè cōparantur quatuor fluminibus Paradisi terrestris.

Euangelistarum quatuor variæ figuræ.



VATVOR Euangelistas, Matthęum, scilicet, Marcum, Lucam, & Ioannem, totam Ecclesiam militantem, Dei Paradisum, sua doctrina irrigare, nemo fidelium est qui ambigat. Quāuis etenim quatuor Euangelistæ apprimè describantur per quatuor illa animalia, quæ vidit Ezechiel, per quatuor elementa, ex quibus constant oīa mysta per quatuor mundi plagas, Orientē scilicet, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, per quatuor illas litteras nominis Dei ineffabilis, Tetragrammaton, quia ipsi quatuor, nomen Dei mundo notum fecerunt, Euangelia scribentes, & sanctissimi nominis cognitionem per omnes terrarum oras propagantes; per quatuor illas columnas de lignis Sethim deauratas ad Sanctum Sanctorum occultandum, & suo loco, & tempore aperiendum; per quatuor circulos aureos, qui in quatuor angulos mensæ propositionis ponebātur; per quatuor illos scyphos, qui erant in hastili candelabri; per quatuor sphærulas aureas in eodem candelabro collocatas; per quatuor animalia plena oculis ante, & retro, quæ vidit Ioannes; & tandem per quatuor illas quadrigas, de quibus loquitur vates Habacuc Deo, dicens: [Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.] Et Zacharias: [Et conuersus sum & leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorū montium, & montes ęrei. Quoniam hi quatuor Euangelistæ, veluti quatuor quadrigæ Christum quasi triumphantem per omnia sola terrarum gloriose portarūt. Nihilominus tamen quatuor Euangelistę per quatuor illa flumina Paradisi luculentius designantur. Quemadmodum etenim ea de Paradiso voluptatis egredientia, vniuersum orbē terrarum rigarunt: ita hi quatuor Euangelistæ ab vno fonte, hoc est, à Christo, egrediētes, totū Dei Paradisū, vt potè, Ecclesiā, per vniuersum orbē extensam, & diffusam, miro artificio, irrigarunt, irrigant, & de cætero vsq; ad finē sæculi vtiq; irrigabūt. Quod autē Christus sit fons, liquet ex illo Ps. 35. [Apud te est fons vitæ.] & Ier. 2. [Me dereliquerunt fontē aquæ viuæ.] Zach. 3. [In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.] Quare restat, vt Euangelistæ Christi sin illa flumina.

H

Exod. 26.

I Exod. 25.

Zach. 1.

Apoc. 4.

Habach. 3.

Zach. 6.

K

mina, de quibus dicitur: [Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.] Quandoquidem sonus Euangelistarum in omnem terram, & verba eorum in fines orbis terræ apprimè exiuit. Matthæus itaque primus Euangelista Christi, Phison, primo flumini paradisi comparatur, eo quod quemadmodum Phison dicitur, [quasi mutatio oris,] quoniam faciem suam, id est, apparentiam mutat, in tribus, nempè, in colore; quia alicubi clarus, alicubi turbidus; in quantitate, quia alicubi diffusus, alicubi strictus: & sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus. Vel appellatur Phison [abundantia,] quia piscibus abundat, & terram per quam transit, abundantem facit. Ita Matthæus humanitatem Christi describens, ipsum Christum filium Dauid & Abrahæ in natiuitate, vita, & passione repræsentat diuersimodè, vt faciem suam, id est, apparentiam, modo coloratam, modo turbidam, modo diffusam, modo strictam, modo frigidam, modo calidam, apprime ostendat, iuxta illud: [Vidimus eum, & non erat aspectus &c.] & vbicumquè plenum gratiæ, & ita plenum, vt de plenitudine, & abundantia eius omnes accipiamus. Marcus verò secundus Euangelista Christi, Geon, secundo flumini Paradisi assimilatur, eo quod sicuti Geon vocatur [Limosum,] quia tota aqua sua limosa est, & ideò terram multum fœcundat: vel dicitur Geon, [Pectus, siue eductio, aut exitus, siue vallis gratiæ; vel mansionis.] Ita Euangelista Marcus potentiam Christi, tùm in prædicatione, tùm resuscitando corpus suum gloriosum immortale, & impassibile describit, vt Ecclesia eius sponsa, & educta ex suo pectore, & fœcundata, & vallis gratiæ, & eius mansio meritò appelletur, & sit per eius prædicationem, & sanctam resurrectionem. Rursus, Lucas tertius Euangelista Christi, Tigri, tertio fluuio paradisi, opponitur, eo quod quemadmodum Tigris vocatur lingua Persica [sagitta,] quia velox est. Et lingua hebraica [Hidequel,] quod est nomen compositum; & free in lingua sonat [acutum, & velox,] vel [lætus sonitus,] vel [læta velocitas,] ita Euangelista Lucas, sacerdotium, & sacrificium Christi describens, ita ipsum Christum lætè, velociterque pro nobis seipsum patri æterno offerentem repræsentat, vt eius gloriosa passio, verum sacrificium; & velox sagitta sit ad dæmones debellandos. Quartus tandem Euangelista Christi Ioannes, Euphrates, quarto flumini paradisi comparatur, eo quod, quemadmodum Euphrates nuncupatur (fructificatio,) quia loca per quæ transit, fructifera reddit: sic Euangelista Ioannes, diuinitatem Christi enarrans, ita Christum fructiferum, siue fructificantem, aut crescentem patefacit, vt omnia per ipsum in principio facta fuisse, & sine ipso, factum esse nihil; clarè in suo Euangelio demonstret. Ecce igitur qualiter quatuor Euangelistæ Christi, quasi illa quatuor flumina paradisi, vniuersam terram; sic isti vniuersam Ecclesiam & irrigant, & fœcundant, vt fructificare in dies coram Deo possit, qui est huius paradisi directus Dominus, cum illam à temporibus Adæ, vel Abel iusti, plantauerit, & vsque in hodiernum diem, ac etiam vsque ad finem mundi, cultiuare nunquam desinit.

Matthæus Euangelista Phison flumini comparatur.

De hoc flumine lege Eusebium, & D. Hieron. in q. Heb. & Iosephum lib. 1. 1. cap. 2. Iud. antiq.

Marcus Euangelista Geon flumini comparatur.

De hoc flumine lege Iosephum.

Lucas Euangelista Tigri flumini paradisi cóparatur.

De hoc fluuio lege Solinũ, & Strabonem lib. 11.

Ioânes Euangelista Euphrates flumini paradisi comparatur.

De hoc flumio lege Ptolæmeum, Plinium, Iosephũ, Straboné, & Volaterranũ lib. 11. geograph.



PARS TERTIA.

De Paradiso cælesti, nimirum, Ecclesia triumphante, & de ligno vitæ cælesti, nempè, corpore Christi glorioso in patria clarè viso.

Quæstio I.

An Ecclesia triumphans aptè appelletur Paradisus cælestis?



Ecclesiam triumphantem Paradisum Dei cælestem esse, indubitata res est apud fideles omnes, cunctosque sanctos Patres Græcos, & Latinos. Aug. 11. de gen. ad lit. Beda supra Gen 2. Greg. supra Cant. 4. Hier. in Ezech. 28. Ambr. in hom. ad virg. & de inst. virgin. 9. Philo. 1. allego. & Georg. Vene. Cant. 1. Et quadrat sanè Ecclesiæ triumphanti hoc nomen, eo quod, quemadmodum Paradisus, siue hortus, locus est (siue in agro, siue etiam in vrbe) arboribus, & oleribus consitus; vnde & Paradisus ille terrestris locus voluptatis appellabatur; sic Ecclesia triumphans est locus fęlicitatis, vbi manât delitiæ à Deo, tamquã à fonte totius fęlicitatis. De illa namq; cælesti fęlicitate intelligitur illud Can. 4. [Emissiones tuæ paradisus malorũ punicorum cum pomorũ fructibus, cypri cum Nardo, Nardus & Crocus, fistula & cinnamomũ cum vniuersis lignis Libani, & cũ omnibus primis vnguentibus.] vbi emissiones, indicant ipsa germana, & propagines, quæ in illo cælesti Paradiso oriuntur. Perinde ac diceret: Emissiones tuæ sunt veluti paradisus quidã malorum punicorũ. Quia hæc poma multa côtinent grana pulcherrima, sub vna eademq. corona regali (est enim malum punicũ coronatum pomum.) Etenim omnes beati, quamuis inæqualiter, eandem tamen gloriæ, seu visionis beatificæ coronam reportabunt vsq; adeò, vt illa beatorum multitudo copiosa sit, veluti quidã paradisus, & amœnissimũ malorum punicorum topiarium, hoc est, opus vitandi æstus causa factũ, cuiusmodi sunt testudines, cameræ, naues, auiculæ, & alia huiusmodi, quę ex buxo, vel hedera, & ex alijs his similibus floribus, & plantis (quarum natura sequax est, & flexibilis) fieri consueuerũt. Per cyprum & nardũ indicantur suauissimi odoris vnguenta, quæ ex huiusmodi arbusculis fieri solent. Crocus autã flos est aurei coloris, vim habens exhilarandi cor, per quem amor beatificus, & delectatio inde prouenìens apprimè intelligitur. Hinc D. Bern. in quodam serm. beatorum gloriam, his verbis laudat. [O beata regio paradisi, ò beata regio deliciarum, ad quã suspiro de valle lacrymarum, vbi sapientia sine ignorantia, vbi memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore, vbi ratio sine obscuritate fulgebit, beati qui habitant ibi, & laudabunt Deum in sæcula sæculorum. Amen. Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur, conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, percipitur in glorificatione.] Ita D. Bernardus.

1. Conclusio.

Paradisus Dei Ecclesia triumphans.

Hortus amœnissimus omnium florum & fructuũ, est beatorũ gloria.

Conficiuntur ex cypro & nardo vnguẽta odorifera.

Quæstio II.

An Christus clarè visus in patria aptè appelletur lignum vitæ cælestis Paradisi, scilicet, Ecclesiæ triumphantis?

1. Conclusio. Beati vident corpus Christi clarè.



BEATAS animas Christum clarè intueri in cælesti Paradiso fides docet, dicëte Apostolo 2. Cor. 13. [Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.] & Psalmista Ps. 16. [Satiabor cũ apparuerit gloria tua.] & Euangelista Ioãn. in cap. 16. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solũ Deũ verũ, & quẽ misisti Iesum Christum.] & cap. 17. [Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionẽ mundi.] & alibi: [Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimusquoniã cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.] (1. Ioan. 3.)

2. Conclusio. Obiectũ beatitudinis nostræ, est Deus clarè visus.

Hinc Theologi in 4. sent. cum Magistro, & in p. 2. cum S. Tho. tenent beatitudinem nostram consistere in diuinæ essentiæ visione. Quare quemadmodum paradisus terrestris figura fuit cæli, ita & lignũ vitæ, quod in ipso erat figura fuit Dei, & Christi Iesu; ex quo qui edunt, id est, qui eum in patria clarè vident, semper viuunt. Hoc est illud beatum & sanctum vitale lignũ, de quo infra in cap. 22. dicitur: [Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum.] Quoniam nunquam tedium diuinæ visionis beatos capere potest. Quinimmo quouis tempore vsque adeò illis iucunda est, vt si tunc ea inciperent frui. Semper etenim videntur noui fructus, idcirco mox subditur: [Beati qui lauant stolas suas, vt sit potestas eorum in ligno vitæ.] hoc est: Beati qui peccata pœnitentia & bonis operibus in terra delent, vt possint Dei visione in cælo frui. Quamobrem hæc loca, nempe: [Lignum vitæ est sapientia eius qui apprehendunt eam.] Prouerb. 3. [Fructus iusti lignum vitæ.] Prou. 11. [Si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?] Luc. 23. de sapientia incarnata, vt est obiectum nostræ beatitudinis in patria, D. Hieron. in cap. 6. Isa. D. Greg. lib. 12. moraliũ. cap. 4. & Eucherius lib. 1. in Gen. cap. 13. exoluunt. Quemadmodũ enim sapiẽtia incarnata in mensa altaris Ecclesię militantis, vt lignum vitę nobis vitã gratię causat, sic eadem sapientia incarnata in mensa illa cælestis gloriæ, & Ecclesiæ triumphantis, vti lignum vitæ nobis ipsis (dum beatificamur) vitam gloriæ elargitur. Est igitur Christus viride lignum, & fructuosissima arbor, à qua vita gratiæ, & vita gloriæ emanant. Vita quidem gratiæ, in via, putà, in sancto altari, vita verò gloriæ in patria, nimirum in cælesti beatitudine. Hinc Angelicus Doctor in hisce suis cõmentarijs per hęc verba eleganter scribit: [Dubitatur etiam de hoc, quod dicitur, edere de ligno vitæ; cum enim ipse Christus se totum det in cibum, tùm in sacramento Eucharistiæ, tùm in statu patriæ videtur, quod conuenientius dictum esset: Vincenti dabo edere de ligno vitæ. Respondeo dicendum. Quod dulcedo diuina infinita est, & ideo inexhauribilis, & ideo nullus totum potest sibi imbibere, sed quilibet sibi accipit, quod potest, & ideo rectius dicitur, de ligno, quam lignum.] Hæc S. Tho. (D. Dion. Carthus. in comment.)

Quæstio III.

An quatuor dotes corporum gloriosorum in patria, aptè quattuor flumina cælestis Paradisi nuncupentur?

1. Conclusio. Quatuor dotes corporum beatorũ, quatuor fluminibus comparantur.



G PRAELIBATA huius textus, [dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.] allegorica simulque anagogica explanatio, illustrior ac clarior fiet, assignando etiam aliquid in cælesti Paradiso, quod quatuor fluminibus Paradisi terrestris correspondere possit. Et mihi hæc cogitanti, quatuor dotes corporum gloriorum in promptu occurrunt, quæ aptè, & abundanter so dictis satisfacere queunt. Corpora autem beatorum, in cælesti beatitudine, quatuor habere dotes, vt potè, claritatem, agilitatem, subtilitatem, & impassibilitatem, fides & Doctores, ac Sancti Patres, firmiter tenent, ac docent. Nam ad hoc, quod corpus perfectè subiectum sit animæ, nec impediat eam in operibus gloriæ, quatuor requiruntur, quorum duo pertinent ad sensum, alia verò duo pertinent ad motum. Ad sensum quidem requiritur quod sit facilè receptibile specierum sensibilium, ad quod disponit claritas, & quod nõ H sit receptibile passionum ignobilium, ad quod disponit impassibilitas. Ad motum etiam requiritur, vt per contrariam dispositionem non resistat suo motori, ad quod disponit agilitas: Et corpora per quæ mouentur non resistant ei, ad quod disponit subtilitas.

(Corporis dotes quot sunt. Requisita ad perfectionem vnionis animæ & corporis. Claritas. Impassibilitas. Agilitas. Subtilitas.)

Alij Doctores totum hoc, compositione quadam explicant. Dicunt enim quod in homine quadruplex est compositio. Prima est qualitatum contrariarum, quæ planè tunc erit perfecta quando qualitates ita æquabuntur, vt nulla sit pugnatio vnius contra aliam, & hoc faciet impassibilitas. Secunda est compositio materiæ cum forma, quæ etiam tunc erit perfecta, quando materia vincetur à forma, penes hanc perfectionem sumitur subtilitas. Tertia est compositio corporis organizati cum anima, perfectio istius compositionis est, quod omnia organa sine impedimento sint I mobilia ab anima, penes hanc perfectionem sumitur agilitas. Quarta compositio est corporis cum spiritibus lucidis, quibus mouetur corpus ab anima, & huic perfectioni, secundum perfectum statum, respondet claritas.

(Compositio quadruplex in homine. Compositionũ perfectio.)

Tertiò sumitur prædictarum dotium numerus, secũdum proprietates quæ sunt in elementis. Nam penes aquæ transparentiam sumitur claritas; penes terræ soliditatem sumitur impassibilitas; penes tenuitatem ignis, sumitur subtilitas; penes mobilitatem aëris sumitur agilitas.

(Consonantia dotium cum elementis.)

Quartò sumuntur istæ dotes secundum quatuor defectus, quos habet corpus humanum à quatuor elementis, quibus cõponitur. Habet enim corpus humanum ab igne caliditatem, & inde nigredinem, à terra grassitiem, ab aëre passibilitatem, ab aqua frigidita- K tem, & inde tarditatem. Sed ista tolluntur per quatuor dotes corporis, quas Christus assumpsit ante passionem suam: sicut dicit Hugo de S. Victore; claritatem in Transfiguratione; agilitatem, quando ambulauit supra mare; subtilitatem, in Natiuitate; qua salua virginali integritate natus fuit; impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis suis manducandum dedit; quod intelligendum est secundum actum, non secundum habitum.

(Defectus quatuor qualitatum tolluntur. Matth. 17. Marc. 6. Luc. 2. & 22.)

Prima

Dos prima. Claritas duplex.

Prima igitur dos corporis est claritas. Et nota, quod aliquid dicitur clarum dupliciter, aut quia peruium, sicut dicitur vitrum clarum; aut quia lucidum, sicut dicitur stella clara. Corpus autem glorificatum erit peruium, & lucidum, vnde vtroque modo erunt corpora clara. Duo enim sunt quæ nunc causant obscuritatem in humano corpore, vnum est materiæ impuritas, alterum luminis paucitas. Tunc vero tolletur vtrumque, scilicet illa impura densitas, & obscuritas, quæ ex modicitate luminis est, & ideo erunt corpora clarissima. Attamen corpora glorificata, septies tunc erunt clariora quam sol sit modo, sicut Dominus ait Matth. 13. [Iusti fulgebunt sicut Sol] Et teste Isa. cap. 30. [Erit lux Lunæ sicut lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum:] Sciendum quoque quod corpora sanctorum non erunt æqualiter clara, quia melior anima habebit corpus lucidius. Vnde licet corpus Christi supra modum excedat claritatem aliorum, tamen in comparatione sanctorum, potest claritas eius assimilari claritati solis, secundum illud Malach. 4. [Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ,] id est, Christus. Claritas sanctorum respectu Christi potest assimilari claritati stellarum, vnde Apostolus 1. Cor. 15. [Stella differt à stella in claritate.] Hoc est quòd sancti plus, vel minus, lucent secundum differentiam meritorum. Claritas vero puerorum qui post Baptismum moriuntur antequam veniant ad annos discretionis, potest comparari lumini Lunæ: quia sicut Luna, lumen non habet à se, sed à Sole, ita isti non habent gloriam ex merito proprio, sed ex merito Christi. Baptismus enim ex passione Christi habet efficaciam.

Obscuritas vnde. — Matt. 13. — Corpora sanctorum, & beatorũ plus, & minus, lucent. — Pueri habebunt gloriã, & vnde.

Dos secunda. Impassibilitas vnde resultat. Aequalitas contrariorũ. Obiectio. Solutio. Impassibilitatum differentia.

Secunda dos corporis erit impassibilitas, quæ resultat ex virtute animæ, corpus suum potenter continentis, itaut à nullo exteriore agente valeat immutari. Præterea quamuis corpora sanctorum sint composita ex contrarijs, illa tamen contrarietas erit ad omnimodam æqualitatem, & concordiam redacta. Dixerunt quidam, quod impassibilitas sanctorum corporum, resultabit ex natura quinti corporis, id est, quintæ essentiæ. Sed hoc non est verum, quia nihil de quinto corpore venit in compositionem materialem corporum inferiorum. Differentia est inter impassibilitatem sanctorum, & Adæ in statu innocentiæ, & puerorum, quia impassibilitas sanctorum erit non posse pati; impassibilitas Adæ fuit posse non pati: impassibilitas puerorum in limbo erit nihil pati. Et hoc non est ex potentia resistendi læsioni extrinsecæ, quam non habebunt, sed ex ordinatione diuinæ misericordiæ, quæ non permittit aliquid eis adhiberi, per quod possint lædi. Ex quo patet quod si tales pueri ponerentur ad ignem post resurrectionem læderentur ab eo, nisi obstaret diuina misericordia. Secus est de corporibus glorificatis, quæ etiam si ponerentur in inferno, non sentirent aliquam læsionem.

Puerorum cõditio.

Dos tertia. Subtilitas duplex.

Subtilitas est tertia dos, quæ aufert grossitiem corporis causatam ex materialitate elementi, & compositione elementarium qualitatum. Annotabis tamen, quod duplex est subtilitas: vna ex raritate partium stantiũ non propinquarũ (sed ex tali subtilitate efficitur corpus facile diuisibile, & ea non erit in corporibus glorificatis:) Alia est ex perfecta victoria formæ super materiam, & huiusmodi subtilitas est vnita substantiæ, sicut dicitur cælum subtile, & hoc modo erunt corpora sanctorum subtilia. Et est sciendum, quod sicut duo corpora non glorificata non possunt esse simul in eodem loco, sic nec duo glorificata: Alioquin sequeretur inconueniens, scilicet, quod in vnoquoque corpore glorificato, esset potentia agendi, ac intrandi partes alterius corporis, in alio vero esset impotentia resistẽdi. Corpus vero glorificatum potest esse simul in eodem loco cum corpore non glorioso: (secundum dictum antiquorum, quod tamen nec fides habet, nec auctoritas, & ratio contradicit; habent tamen aliquid apparentiæ pro se) nam sicut in corporibus non gloriosis ipsa grossities impedit ne duo corpora possent esse simul in eodem loco, quia vnum alteri resistit, ita grossities ista, per gloriæ subtilitatem tolletur, adeò quod corpus non gloriosum, non possit resistere glorioso; ita quod corpora gloriosa penetrabunt alia corpora non ea diuidendo, sed subintrando, manente distinctione diuisionum vtriusque corporis.

Simile.

Quarta dos corporis est agilitas, quæ tanta erit sicut dicit Augustinus quod protinus, vbi volet spiritus ibi erit & corpus. Verumtamen sicut melior anima habebit corpus lucidius, ita, & agilius: ita tamen quod voluntas sanctorum erit omnino coniuncta rationi, vnde voluntas eorum numquam appetet, quod non debet: sed enim voluntas animæ melioris volet rationabiliter citius moueri corpus suum, quam alterius, & spiritus minoris gloriæ non volet corpus suum tam citò moueri, sic alterius. Vnde patet, quod in omnibus verificatur dictum Aug. quod vbi volet spiritus, protinus erit, & corpus. Quare corpora modo sunt tarda, & tunc agilia: Quia tunc in corpore duplex erit motor, scilicet, natura elementi præ dominans, quæ mouet ad medium locum, & voluntas animæ, quæ mouet indifferenter ad quemlibet locum. Nunc autem corpora tarda sunt ex contraria inclinatione naturæ ad voluntatem, quia terra prædominans, naturaliter deorsum trahit. In futuro autem natura erit totaliter subiecta voluntati, vnde, & tunc corpus mouebitur ad imperium spiritus. Et cum hæc omnia sint munera, & officia, quattuor horum dotium, sequitur quod illæ, quattuor flumina Paradisi cælestis, meritò appellari queãt. Quemadmodum enim illa quattuor flumina Parad sum terrestrem apprimè illustrabant, sic istæ quattuor dotes Paradisum cælestem mirumimmodum exornant, & percelebrem reddunt.


Dos quarta. — Voluntas sãctorum rationi coniuncta. — Dotes corporum beatorũ fluminibus paradisi terrestris iustè comparantur.



ET angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit. Text. 8.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



HVcvsqve de Ephesina actum est Ecclesia; nunc vero ad Smyrnensem, eiusdem Asiæ Ecclesiam merito sermo se transfert angelicus. Recensetur autem in huius Ecclesiæ reprehensione, mors, & resurrectio primi & nouissimi, nimirũ, Saluatoris nostri Iesu Christi, qui pro nobis mortuus fuit, & reuixit, non secundum Aegyptiam auem, quam ferunt, natura vnigenitam, existentem super aromata quidem mori, ac sibi ipsi mortem conciliari, verum ex ipso cinere reuiuiscere, ac talem excitare aliam, qualis ipsa fuerat. De qua re apud Plinium loculentissimum extat testimonium, qui de Phænice Aegyptia, lib. 10. cap. 2. sic affatur: [Aethiopes, atque Indi discolores maximè, & inenarrabiles ferunt aues; & ante omnes nobilem Arabiam Phænicem, haud scio an fabulosè, vnum in toto orbe, nec visum magnopere, aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caputque plumeo apice cohonestante. Primus atque diligentissimus togatorum Deo prodidit Manilius senator ille, maximis, nobilis doctrinis, doctore nullo, neminem extitisse qui viderit vescentem sacrum in Arabia soli esse viuere annis D.C.I.X. senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus, & super emori, ex ossibus deinde, & medullis eius nasci primo, seu vermiculum, inde fieri pullum Principioque iusta funeri priori reddere, & totum deferre

Phænix auis Aegyptia. — Plinius de nat. hist. lib. 10. cap. 2.

ferre nidum prope Panchaiam in solis vrbem, & in ara ibi deponere.] Hucusque Plinius de morte, & reuixione Phænicis inter Aromata. At Saluator noster Christus in nido crucis, odoribus, & aromatibus nullatenus repleto, sed felle, myrrha, aceto, sputis, clauibus, spinarumque corona referto, superemortuus fuit, & propria virtute perfectaque resurrectione ad immortalem vitam reuixit, & perinde atq. cinis ignis pro vno multiplicatus, spicam cum benedictione Dei auctam reddidit, ac totum orbem fructibus adimpleuit dicente ipsomet, Ioan. 12. [Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.] Mortis itaque, & resurrectionis Christi mentio fit in hac Smyrnensi Ecclesia, eo quod ipsa circa fidem sui sponsi Christi (qui eam annulo suo dudum subharrauit, & tamquam sponsam corona decorauit) adhuc adolescentula, & nimis teneris in fide existebat. Quandoquidem licet per mortem, & passionem Christi, nubilis, & viro habilis facta extitisset, tamen postea per prædicationem mellislui Archiprophetæ Ioannis in vniuersalis nascentis Ecclesiæ exordio, arrham veri sponsi sui de facto accipiens, Christo, æterni Patris filio desponsata, connubioque tradita fuit, & sic adhuc adololescentula, & in fide teneris virgo (vt ita loquar) præexistebat, & insuper Iudæorum, ac Gentilium (vt infra dicetur) angustijs, persecutionibusquè diu, multumque affligebatur. Et quamuis ipsa fortiter resisteret (nihil plane sceleris in hac Ecclesia adhuc fuit, nec minus illa in aliquo reprehensibilis extitit reperta) nihilominus tamen, tùm ne fortè adolescentula pateretur aborsum, tùm quia fidelis Deus, qui non patitur homines tentari vltra id, quod possumus, vt cum tentatione faciat prouentum, ideo illius infirmam, & angustam teneramque fidem dilatans, corroboransque spiritus Dei, per Angelum hic Archiprophetæ Ioanni præcipitur, vt scribat, *Et Angelo* (inquit) *Smyrnæ Ecclesiæ Scribe*. Perinde ac diceret: Quemadmodum Ephesinos, charitatem primam relinquentes increpare & ad pœnitentiam peragendam exhortare oportuit, ita è conuerso Smyrnenses eamdem primam charitatem accuratè conseruantes, ac fortiter retinentes consolatione corroborare conuenit: præcipuè cum nunc tribulationi subiaceant, & Deus per Psalmistam dicat: [Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.] Id propterea huius Ecclesiæ Angelo, & Pastori, qui hos tribulatos, & afflictos Smyrnenses in via Dei, & in fide verbi incarnati suauiter, ac sanctè pascit, consolatoria quædam ex parte Dei scribe, in nomine totius huius Ecclesiæ, & tanquam illius capiti: ita vt quæ de capite dicentur, de singulis membris etiam sigillatim intelligantur. Et quia fidelibus afflictis, nihil prorsus est, quod maiorem consolatione & solatium adferat, quam mors, passio, & resurrectio Christi Iesu; ideo illis filium hominis Iesum Christum, primum, & nouissimum, mortuum, & passuum, & ab inferis resuscitatum representat, sub his verbis: *Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit*. Quæ verba de Pastoris persona accepta, sic sonant. Afflictus vtique es ô fidelis Præsul, & quod in tua afflictione, consideratione dignum est, non reddis malum pro malo (vt præcipit Apostolus ad Rom. 12.) nec maledictum pro maledicto: quinimmo è contrario affligentes, & te maledicentes benedicis. Et quamuis opprobrijs saturatus, & exprobationibus inimicorum fidei repletus lacrymaris, nihilominus vitam sperans æternam decantas cum Psalmista: [Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus.] Quod plane Deo acceptum scito. Cæterum dum hos tuos, spiritus reget artus, vt potè, dum in hac lacrymarum valle vitam duces, sic tribulatus, & omnino lacrymatus ante oculos tuos, pone crebrò. *Primum, & nouissimum, qui fuit mortuus, & viuit*. Et sic haud exiguam in terris viuens consolationem obtinebis. Tum etenim apertè scies, quod licet tu à quolibet temporali culmine dejectus (propter iustitiam) quasi homo ignobilis, op-

F probrijs, plagisque seruilibus vteris: tamen hoc illius exemplo ductus suffers, qui pro te passus est, tibi relinquens exemplum (vt dicitur 1. Pet. 2.) vt sequaris vestigia eius. Ille namque eum apud Deum esset *Primus*, & pretiosissimus, secundum alteram naturam filius Dei, secundum verò aliam filius illibatæ Virginis, apud homines *nouissimus* fieri voluit, vt pote, vilissimus, iuxta illud Isa. 53. [Non est species ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum.] Quid ergo magnum, si tu homo: & non Deus de tuoquantulocumque honore propter illum es deiectus? Si quid igitur, Pastor Smyrnense, sine peccato pateris, gaudendum quippe est, & maximè sanè lætandum, quandoquidem, id ipsum passionis eius aliG qualiter comparatur, qui pro te passus est, & qui peccatum non fecit, nec inuentus fuit dolus in ore eius.

P A R A P H R A S I S

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Principalis pars Ecclesiæ Episcopus.

Et Angelo (ait) Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Quia Episcopus est principalis pars suæ Ecclesiæ, ideo quod ei dicitur, omni Christiano dicitur. Quamobrem quidquid iubetur à Deo Ioanni, Smyrnensi Episcopo hìc scribere, vnicuique Ecclesiæ Dei describitur annunciatur, & tanquam nominatim narratur.

§. 2.

Solus Ioannes inter Apostolos iussus est scribere, & cur?

Quod autem hìc adscribendum excitetur Ioannes, H nec alibi vsquam Apostolis hoc munus iniunctum sit, eius causa mihi videtur, quia cum Ioannes hìc de tribulationibus, & persecutionibus Ecclesiæ agat, consolationesque Christi fidelibus proponat, necesse erat, vt id litteris mandaret, quod omnibus longè, & propè stantibus denuntiandum erat. Scriptura si quidem peteurrit loca, ad quæ vox peruenire non potest. Ea autem doctrina, quæ ad fidem pertinet, Dominus noster nequaquam præcepit, vt scriberetur: si quidem præsto est Ecclesia, cuius auctoritas in ijs nobis satisfacere debet. Idque maioris perfectionis est, vt Deus in hominum cordibus sua documenta potiusquam in membranis scripta, derelinquat. Hinc profectò euenit quod verbum Dei multo tempore in mundo seminatum fuerit priusquam de eo vlla extaret scriptura. Ab initio enim creaturæ conditæ, vsque ad Moysem fuit verbum dei factum, creditum transfusum I absque cartis vel libris. Euangelium etiam promulgatum fuit, tam à Christo, Ioanne Baptista, quam ab ipsis Apostolis absque vlla scriptura, quibus ipse Dominus præcepit, vt euntes in mundum vniuersum, Euangelium prædicarent omni creaturæ, nulla prorsus scripturæ factæ mentione facta. Et vt latè probat Hieronymus in prologo super Euangelia; item in libro de viris illustribus. per viginti annos a Christo passo sine vlla scriptura prædicatum est Euangelium. Quod confirmat Irenæus lib. 3. aduersus valentinum. Et Eusebius lib. 1. cap 14. Matthæus, inquit, primo Hebræis prædicauerat, verum cum pararet transitum ad gentes, patria lingua scripturam composuit, & ea quæ prædicauerat comprehendens dereliquit in memoriam à quibus proficiscebatur, vt prædicaret gentibus. K Idem auctor lib. 5. cap. 8. affirmat, Matthæum Hebraica lingua Euangelium scripsisse eo tempore quo Petrus, & Paulus Romæ euangelizabant. Ex actis autem Apostolorum constat, Paulum Romam non venisse, nisi tempore Neronis, transactis plusquam viginti annis, à Passione Domini, vt etiam confirmat Hieronymus; Quare verbo Dei tunc Ecclesia vniuersalis gubernabatur absque vllla scriptura. Ideoque ab ipsa Ecclesia, veritas omnium propositionum ad fidem pertinententium, petenda tunc erat. Quare certè ridicula est hæreticorum huiusce tempestatis opinio, qui nihil, nisi quod

Doctrinã, quæ pertinet ad fidem, cur Deus nõ præcepit scribere.

Euangelium viginti annos à morte Christi prædicatũ est absq. vlla scriptura.

Euangelium Matthæi quo tempore hebraicè scriptum.

Ecclesia Dei multo tempore gubernata solo verbo Dei absque scriptura.

quod scriptum est à fidelibus credendum esse docent nec verbum Dei aliam sui interpretationem præter ipsam scripturam pati. Si enim tunc temporis essent nullum apud eos esset diuinum verbum, nullus dubitationum iudex, denique nulla veritatis cognitio. Antiquitate igitur magis venerabile est verbū Dei, quam scriptura veteris & noui Testamenti. Aliud est etiam verbum Dei, aliud scriptura verbi Dei, aliud traditio verbi Dei. Ad Adam autem, Noë, Abrahām, Isaac, Iacob, factum est verbum Dei, ad eorum autem posteros, vsque Moysen traditio verbi Dei, quousque tandem per Moysen accessit scriptura eius, adeò, vt hac via quod diuersum est inter se ratione temporis, sit idem ratione substantiæ, tamen ea lege vt semper confiteamur posse subsistere verbum Dei absque aliqua scriptura, sicut eo tempore viguit, & hoc per traditionem Ecclesiæ, cuius auctoritas, vt ait Augustinus, nos commouet. vt scripturæ credamus. Illud etiam addendum nobis hîc est, verbum Dei, latius patere, quā ipsa scriptura quicquid in contrarium dicant hæretici. Quod luce clarius ostendit Chrysostomus in illa Pauli verba: [Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.] Hinc patet, quod non omnia per Epistolam, sed multa etiam sine litteris, Apostoli Christi tradiderunt, cuius alibi sæpe meminit Apostolus. Eadem vero fide digna sunt, tam illa, quam ista, itaque traditionem quoque Ecclesiæ dignam putauimus. Quem sequutus Damascenus, lib. 4. de imaginibus, cap. 17. quod plurima, inquit, sancti tradiderunt sine scripto, docet Paulus Gentium Apostolus. 2. Thessa. 2. [Ergo fratres state & tenete traditiones nostras, quas edocti estis, siue per Epistolam, siue per sermonem.] Stetit olim Ecclesia plus minus triginta annis illuminata tantummodo tribus scriptis Euangelicis Matthæi, Marci, & Lucæ. Quod autem hoc tempore, quæ tradebantur, & posteris tradenda docebantur, quæ nec dum scripta erant Euangelium Ioannis testatur, quæ de verbo incarnato, de regeneratione ex aqua, & Spiritu sancto, de nuptijs in Chana Galileæ, & alijs plurimis, quæ Christus docuit priusquam Ioannes Baptista mitteretur in carcerem, quorum alij nullam fecerunt mentionem abunde loquitur, nec ideo, quia dicit, hæc autem scripta sunt, vt credatis, &c. Omnia ab eo scripta esse debent inferunt hæretici, cum eodem cap. dicat: [multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum quæ non sunt in libro hoc.] Et vltimo cap. affirmat mundum capere non posse volumina, quæ possent scribi de verbis, & gestis Domini: Adde præterea, quod nec adhuc quicquam de ijs, quæ acciderant in ascensione Domini, de aduentu Spiritus sancti, de vocatione gentium, & similibus scriptum erat. Quare illud semper tenendum est non coarctari verbum Dei, solis scripturæ terminis, sed longius patere. Ideoque nusquam Dominus Apostolos ad scribendum excitauit. Hoc autem loco, vt diximus Ioanni præcipitur, quia prophetizare debebat de ijs quæ in Ecclesia excitante cacodæmone hominum impiorum corda ad persecutionem piorum contingere debebant, quibus necesse etiam erat promissiones cælestium consolationum proponere, ne animo caderent. His autem Ecclesijs præcipuè hæc litteris dare iubetur, quarum cura ei commissa erat vti superius demonstrauimus. Nisi etiam fortè dicere velimus, sub his nominibus septem Ecclesiarū totius Ecclesiæ proprietates mysticè designari. Quod planè argumentum perpulchrè tractat Cælius Panonius, in collectanea huius Apocalypsis. Ad Smyrnensem itaque Ecclesiam, & ad eius Episcopum hoc in loco iussit Deus nostro vati scribere, vt ad secreta, & arcana Dei illis, & nobis paterent aditus faciles.

Verbum Dei antiquitate venerabilius scripturis.

Auctoritas Ecclesiæ nos cogit, vt credamus scripturæ.

Damascenus.

Euangelistria quanto tempore in Ecclesia, ante quartum.

Ioanni commissæ fuerunt septem Ecclesiæ Asiæ.

Cælius Panonius.

§. 3. *Martyrum tempora in Smyrnensi Episcopo comprehenduntur.*

In hoc autem Smyrnensi Episcopo, Martyrum tempora vtique comprehenduntur. Eo quod Smyrna, iuxta doctrinam diui Hieronymi, Strabi in sua gloss. ord. Ruperti Abbatis, & aliorum exponentium. Myrrha interpretatur, & canticum dicitur: myrrha vero, & amara est, vt prodit Plinius lib. 12. nat. hist. cap. 161.

Smyrnæ etymologia.

A idque experientia apprimè comprobatur, & corpore à putredine seruat, vt tradit Strabus in sua gloss. ord. in cap. 24. Ecclesiastici, quo loco super illa verba: [Sicut myrrha electa dedi suauitatem odoris.] ita scribit: [Sanctorum cōtinentia, myrrha enim peruncta corpora non putrescunt, sic continentia membra nostra seruat incorrupta.] Porro Canticum, voces sunt in quibus aliquis delectatur. Vnde cum Smyrna, & Myrrha, & Canticum appelletur, significabit ipsa plane carnis continentiā, & mortificationem siue laborum, & dolorum pro solo Deo amaritudinem, in quibus omnibus Deus miruminmodum delectatur. Id propterea Smyrnensis Angelus iste martyrum Christi tempora rectè manifestat.

Carnis continētia, & mortificatio.

§. 4. *Martyres significantur per Myrrham*

Quod autem Martyres domini per myrrham rectè iudicentur, probari vtique potest ex illo Cant. 5. [Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.] Qui plane locus de martyribus, & de eorum martyrio expendunt D. Bernardus, Theodoretus, Remigius, & D. Tho. in Cantica. Tum ex illo etiam Cant. 5: [Labia eius lilia distilantia myrrham primam.] Super quæ verba sic scribit D. Greg. [Labia sponsi Christi sunt Concionatores, qui dum martyrum cruciatus, & mortem populo prædicant, quasi myrrham carnibus mortificandis ad condimentum distillant. Tum postremo ex ipsiusmet myrrhæ diffinitione: Myrrha etenim arbuscula est in Arabia, altitudine quiuque cubitorum, non sine spina, caudice duro & in tuto, cuius cortice inciso defluit lacryma, quæ, & ipsa myrrha vocatur: Eius præcipua virtus est, vt mortuorum cadauera incorrupta conseruet. Quamobrem D. Ambrosius per myrrham, qua mortuorum corpora condiuntur ne putrescant, nostrorum corporum immortalitatem & incorruptionem quam post generalem omnium mortuorum resurrectionem consequemur omnes designari opinatur. Iccirco doctor sanctus lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 5. explanans illa verba, Cant. 5. [Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.] ita scribit: [Vindemialis myrrham in horto Ecclesiæ, id est, Christi sepulturam, vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille resurrexit à mortuis, & tu resurgas.] Hęc D. Ambrosius, & quamuis arbor, quæ myrrha dicitur, nec odorem habeat, nec fructum referat, tamen eius lacryma, quæ propriè myrrha appellatur, est saporis amari. Quare rectè per myrrham, martyrum martyrium designatur: quandoquidem martyrium quamuis amarum sit, & acerbum, ob mortis perpessionem, tamen martyres ipsos, à corruptione liberat, eisdem immortalitatem conferendo. D Quocirca meritum genæ siuè maxillæ nuncupantur à Doctoribus, [cortici mali punici.] Hinc quippe est, quod Beda venerabilis, super illa verba Cant. 4. [sicut fragmen mali punici genæ tuæ,] ita scribat: [Malum punicum qui rosei coloris est, passionis Dominicæ mysterium innuit, quia ergo sancta Ecclesia non erubescit crucem Christi, sed gaudet in contumelijs, & passionibus pro Christo, crucisque vexillum gestare solet in facie, merito genas instar mali punici habere dicitur. Nec vacat mysterio, quod non integro malo, sed eius comparatur fragmini. In fracto enim malo punico, & pars ruboris, qui patebat videtur, & pars candoris, qui intus latuerat aperitur. Habet ergo ruborem mali punici sponsa in genis, cum sacramentum Dominicæ crucis fateatur verbis, ostendit & candorem fracti eiusdem mali punici, cum pulsata pressuris castitatem puri cordis probat factis, & quid intus gratię crux E redemptoris contineat, manifestum facit. Item ostendit colorem puniceum in genis cum prima, & eminentiora eius membra, id est martyres, & sanguinem, & vitam pro Christi nomine profundunt, addit & candidum, cum idem inter patiendum, vel impleta iam passione miraculis coruscant. Nec prætereundum, quod malum punicum magnam granorum copiam, vno foris cortice includit; vnde, & malum granatum dicitur quæ quidem integro adhuc malo videri nequeunt; sed fracto

Myrrhæ descriptio.

D. Ambros.

Maxillæ martyrum appellantur cortici mali punici.

Beda in Cantica.

Malum punicum siue granatum, quid significet.

Martyres dicuntur mala granata fracta.

fracto apparent quàm sint innumera, sic enim sancta Ecclesia, quo amplius eam frangi aduersi contigerit eo clarius reserat quot virtutū grana vnius fidei tegmine complectatur.] ita Beda. Addiderim, & ego aliam causam, ob quam mala punica fracta, quę Hispanico vocabolo [Granadas escarchadas] appellantur, martyribus comparentur. Quoniam præter id, quod corticem durum, insuauem, rubrum foris, album vero intus præsegerant mala punica, pulcherrimorum granorum purpuream continentem multitudinem, tamen habent etiam supra se coronam. Est namque malum punicum coronatum. Quamuis etenim Plinius libro 13, hist. nat. cap. 19. prodat malum punicum siue granatum lignosum nucleum habere, structuramque membranis distinctam, velut in fauis communem obtinere, tamen ipsum malum punicum, siue granatum vbique terrarum in coronam desinit versus superiorem partem. Hoc plane experimur in malis puniciis, siue granatis Calaris ciuitatis, Sardiniæ Metropolis, quę prę cęteris totius orbis, & grandiora, & pulchriora & omnino ingranis, & in omnibus meliora ab omnibus reputantur. Quorū superior extremitas semper coronata à natura ipsa producitur. Quod plane martyribus mirum inmodum quadrat, quibus à Deo corona nimirum, aureola, repromittitur, iuxta illud: [Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso,] & illud etiam: [Corona aurea in capite eius.] Quæ plane loca de martyribus exoluuntur communiter à Doctoribus. Myrrha itaque, & martyrium, & ipsos etiam martyres Domini significat. Quamobrem sponsa Cant. 4. Sponsum suum, vt potè, Christum passum, ac crucifixum, fasciculum myrrhæ nuncupat, dicens: [Fasciculus myrræ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.] Super quæ verba sic scribit, D. Bernardus: [Non fascem, sed fasciculum, suum dilectum appellat Ecclesia sponsa, quoniam præ Christi sponsi amore, leue ducit, & suaue quicquid laboris imminet, & doloris, seu quia non sunt condignè passiones temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis;] & iterum: [Duplex myrrha in passione habetur, vna qua in cruce potatus est, & altera qua vnctus est in sepulchro. In prima Christus, meorum delictorum amaritudinem ad seipsum applicauit; in altera vero mei corporis in corruptionem dedicauit. Hucusque D. Bernardus. Christus igitur tam in passione, quam in sepulchro, myrrha meritò appellatur, in cuius rei typum dicitur Matth. 2. [Obtulerunt ei munera aurum, thus; & myrrham.] Quamobrem illud sponsæ [Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,] sic sonat ex D. Bernardo: Super omnia Domine Iesu, te mihi reddidit dilectum, calix quem bibisti opus redemptionis nostræ, nam maiora in me dona redimendo, quam creando contulisti. Etenim creando me mihi dedisti; at redimendo, te mihi largitus fuisti, & me mihi qui perieram redidisti. Quid igitur gratiarum, ò mi charissimè spōse, quid dignè pro his omnibus retribuam, cum sim puluis, & cinis? Reddam quod possum, reddam tibi animam meam, cor meum, totam dilectionem meā, nam, vt fasciculus myrrhæ, inter vbera mea perpetuo commoraberis, ibi te sequar, ibi te diligam, ibi te amplectar, ibique te suauè fruar.] Ecce igitur qualiter myrrha, & martyrium, & martyres ipsos significat. Et cum Smyrna interpretetur myrrha, id ipsum demonstrat ipsa. Quare Deus Smyrnæ nullatenus est oblitus, quinimmo Angelo Smyrnensi, hoc est, Episcopo Smyrnensis Ecclesiæ, qui alioquin cōtinentiā, & carnis mortificationem diligenter amplexus fuit scribere hic attentat per Ioannem vatem suum, demonstrans huius Smyrnensis Pastoris, mortificationem, & bona opera ei grata semper extitisse. Vnde D. Aug. de carnis mortificatione sic scribit: [Sacramenta omnia, quæ acta sunt, & aguntur in nobis per ministerium seruorū Dei exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione seruicū, humilitate pedū, pauor ipse in omni seruitute appetendus, hęc omnia, vt dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptismo hilares vos exhibeat matri Christo.]

Plinius.

Malum granatum coronatur à natura.

Malum granatum calaritanum præ cæteris optimum.

Myrrhæ fasciculus est Christus.

D. Bernardus sermone 45. in cantica.

Myrrha duplex in passione.

Christus myrrha in passione, & in sepulchro appellatus.

D. Aug. de Symb. ad Cathecum, lib. 4. cap. 1. tom. 9.

DISPVT. XI.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Smyrnensi Pastore.

In duas Quæstiones distributa super illa verba. *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe.*

Prologus Disputationis.



ANTEQVAM singula, quæ, hæ secundæ litteræ, quæ dantur ad Episcopum Smyrnensem, continent enodemus; dispungendum statuimus de ipsomet Smyrnensi Angelo, quis, nimirum esset præpositus huius Ecclesiæ Smyrnensis, temporibus exilij, & relegationis Beati Ioannis Apostoli: Quoniam hæc speculatio ancipites hucusque circumfert expositores omnes.

Quæstio I.

An sanctus Polycarpus martyr, esset Præsul Smyrnensis Ecclesiæ, ad quem vates Ioannes hæc scripsit?



POLYCARPVM Sanctum Martyrem Ecclesiæ Smyrnensi præfuisse, tempore quo Archipropheta Ioannes scribebat in Patmo, pro certa & indubitata re, planè habeo. Idque probo. Primo ex D. Hieronymo, qui lib. de scrip. Eccles. sic habet: Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit, quippe qui non nullos Apostolorum & eorū qui viderant Dominū, magistros habuerit, & viderit, &c.] & paulo post: [Postea vero regnante Marco Antonio, & Lucio Aurelio. Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & vniuerso populo in amphitheatro aduersus eum personante igni traditus est.] Idem fere habetur in Martyrologio Gregoriano per hæc verba: [Smyrnæ natalis sancti Polycarpi, qui B. Ioannis Apostoli discipulus, ab eo eiusdem Ciuitatis Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit, & postea sub Marco Antonio, & Lucio Aurelio, Commodo sedente Proconsule, & vniuerso populo in Amphitheatro aduersus eum personante, igni traditus est, & cum ab eo minimè læderetur, gladio confossus martyrij coronam accepit, cum quo etiam alij duodecim ex Philadelphia venientes in præfata vrbe martyrio consummati sunt.] Quo loco Cæsar Baronius sic scripsit: [Quæ vero hìc habentur accepta noscuntur, à S. Hieronymo de script. Eccles. in Polycarpo.] Porro Nicephorus lib. 3. cap. 2. refert Polycarpum ab Apostolo Ioanne ordinatum fuisse Episcopum Smyrnæ. Quare concludo, Episcopum Smyrnæ, ad quem B. Ioannes has secundas dat litteras, fuisse S. Polycarpum, quem ipsemet

1. Conclusio. Polycarpus martyr Episcopus Smyrnensis ad quē scripsit vates Ioannes ex Pathmo Insula.

1. Ratio.

Polycarpus fuit auditor, & discipulus B. Ioannis Apostoli, & ab eo Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus factus.

Baronius in notationibus in Martyrologium die 26. Ianuarij.

2. Ratio.

met sanctus Apostolus Episcopū huius Ecclesiæ Smyrnensis consecrauit. Tertio ex Eusebio lib. 4. hist. Eccles. cap. 15. quo loco narratur, persecutionem Iudeorum & Gentilium in Smyrneos (quam infra in hiscemet secundis litteris ad Angelum Smyrnensem, B. Ioannes prædicit) beato Polycarpo martyre Episcopo Smyrnæ contigisse, sub Marco Aurelio Vero, & Antonio eius filio, & Lucio Aurelio Commodo. Quo tempore, maximis persequutionibus Asiam quatientibus, Polycarpus vitam martyrio finiuit. Igitur, &c. Quarto hoc ipsum probo ex alijs scriptoribus, beatum Polycarpum Smyrnensem Episcopum fuisse testantibus. Quoniam Socrates Scholasticus in Ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 22. sic habet: [Nec eos qui olim Paschatis festum differebantur celebrarunt vllo esse pacto à communione separatos, nec Polycarpum Smyrnensem Episcopum.] Et Iacobus Philippus Borgomensis in suo supplemento Chronicarum lib. 8. anno Christi 144. [Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus vir doctissimus, atque sanctissimus Smyrneæ ciuitatis Episcopus.] Idem etiam affirmant Platina, Surius, Petrus de Natalibus, & communiter scriptores omnes, qui vitam beati Polycarpi attingunt, nemine penitus, penitusque discrepante, Polycarpum Episcopum Smyrnensem fuisse commemorant. At scimus B. Polycarpum in persecutione Traiani, iam Episcopatum eiusdem vrbis Smyrnēsis administrasse, vt ex Epist. 8. Ignatij martyris constat, qui in persecutione, Traiani passus est, vt auctor est Eusebius in Chronicis, & Hieronymus in Cathalogo scriptorum. Nicephorus etiam lib. 3. cap. 2. tradit tertio anno Traiani passum fuisse B. Ignatium. Igitur dum hæc scribebantur à Ioanne, Polycarpus, Episcopatus munere fungebatur apud Smyrnensem Ecclesiam. Hoc ipsum placet Petro Aureolo, Lyrano, & Benedicto Pererio, in hisce suis comment.

3. Ratio. Eusebius lib. 4. hist. eccles. cap. 15. — *4. Ratio.* — *Socrates scholasticus.* — *Epist. 8. Ignatij,* — *Ignatius martyr, quo tempore obijt.*

Qualis autem, quantusuè fuerit B. Polycarpus, S. Ignatij Epistola ad ipsum scripta facilè significat. De illo insuper scribunt Irenæus aduersus hæreses lib. 2. cap. 3. & Eusebius, ac Nicephorus locis citatis, extatq. eius insignis Epistola ad Philippenses, cuius meminit D. Hieronymus.

Polícarpi acta. — *B. Polycarpi martyris Epistola ad Philippenses. D. Hier.*

Conuersus porro fuit Polycarpus ad Christum anno Domini 83. vt colligere licet ex eiusmet verbis ad Præsidem à quo damnatus fuit. Quoniam Præsidi vehementer ipsum vrgenti, vt Christum obnegaret, atque in eum maledicta, & conuitia diceret, respondens Polycarpus ait: Sex & octoginta annis Christi iam inseruiui, & nullo me vnquam affecit incommodo, quomodo igitur in regem meum, qui vsque adhuc me seruauit incolumem contumeliosus esse possum? Sanguine autem martyrij gloriosè laureatus fuit Polycarpus in Anno Domini 169. vt ex Eusebio colligi potest, & id adamussim & satis disertè prodit doctissimus Cardinalis Baronius to. 2. Annal in eo ipso anno 169. Modo ad rem. Si Polycarpus in anno 169. quo mortuus est exercerat in Christianismo, & seruitute Christi 86. annos, proculdubio consequens est ipsum fuisse factum Christianum in Anno Domini 83. ex quo plane licet etiam in ferri Polycarpum superstitem fuisse B. Ioanni per annos 68. quoniam ipse excessit Anno Domini 169. & Beatus Ioannes mortē gustauit, vt nos supra in vita sua retulimus sub Traiano Principe anno 68. post Domini Passionem. Quamobrem cum Polycarpus ad dogmata Christiana peruenerit 15. annis ante traditam B. Ioanni Apocalypsim, vt ex hucusque dictis perspicuum euadit, & insuper post traditam Apocalypsim, & reditum Beati Ioannis ab exilio vixerit annis circiter septuaginta in quibus superstes fuit B. Ioanni circiter octo supra sexaginta annis potuit proculdubio fieri ab eo Episcopus Smyrnensis Ecclesię del ante illius exilium & Apocalypsis scriptionem, vel in ipso exilio. Quod sanè de B. Polycarpo confirmare videntur ea quæ noster Archipropheta Ioannes hoc loco scribit de magna persecutione, & tribulatione futura in Ecclesia Smyrnense, & de odio, & blasphemijs iudæorum in Episcopum Smyrnensem. Quoniam ea omnia, & singula maximè quadrant, & competunt persecutioni, & tribulationi eiusdem Ecclesiæ Smyrnensis, factæ tempore Polycarpi Episcopi illius Ecclesiæ; in qua quidem persecutione, & ipse, & alij plures martyres cum ipso gladio interfecti fuere. Iudæos itidem Polycarpo, & viuo, & mortuo fuisse infestissimos liquet ex Epistola, quæ à Smyrnensi Ecclesia descripta extitit ad Ecclesias Ponti, quæ habetur apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccles. cap. 14. quæ plane scripta fuit ab his, qui Polycarpum nouerant familiariter, mortisque eius, ac martyrij fuerunt spectatores.

Polycarpi conuersio.

Quæstio II.

An post Polycarpum, aliquis alius Episcopus fuerit in hac Ecclesia Smyrnensi, qui sectæ Luciferianorum auctor extiterit?



ONCLVSIO est negatiua. Ad quam rectè intelligendam, scias primo oportet, hoc Luciferianorum schisma, in Oriente, in Synodo nimirum Alexandrina anno Domini 362. per Athanasium, sub Liberio Papa, contra Arianos legitimè congregata, originem traxisse. Ibi namque communi omnium orthodoxorum patrum decreto, sancitum vtique fuit, Ecclesiam Dei, ianuam, & vbera misericordiæ, Episcopis labe ariana olim infectis, tunc tamen resipiscentibus, & veniam petentibus, aperire debere, præcipuè si pœniterent lapsi non proprio arbitrio, sed necessitate compulsi, & maximè si probabilem defensionem, excusationemuè sui erroris tunc adhiberent. Adfuit tamen illic quidam ex ipsis orthodoxis patribus Episcopus, nomine Lucifer, ita impietatis Arianorum validissimus propugnator, ac debellator, qui etiam hoc commune orthodoxorum patrum decretum in fauorum Episcoporum lapsorum, tunc ægrè tulit. Quapropter contra ipsos Arianos iam pœnitentes, scissura (puta schismate, vel secta) ab ipsis orthodoxis patribus Ecclesiæ, miserè ipse elaborauit. Asseclasque, ac sectatores quamplurimos aduersus ipsos Arianos pœnitentes, vtique erexit, qui plane nomen Luciferianorum ab illo Episcopo Lucifero ex tunc reportarunt.

1. Conclus. Lucifer Smyrnensis non est auctor sectæ Luciferianorum. — *Luciferianæ sectæ origo.*

Quis vero fuerit iste Episcopus Lucifer non satis liquet. Quoniam Isidorus lib. 8. cap. 5. etymolog. vers. Luciferiani, & lib. de viris illustribus, asserit hunc fuisse Episcopum Smyrnæ minoris Asiæ. Vnde Gratianus in decretis sequutus translationem Isidori dist. 17. q. 81. 96. §. Luciferiani, sic habet: [Luciferiani à Lucifero Smyrnæ Episcopo orti, qui Episcopos catholicos qui instanti persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & postea correcti in cathedram redire elegerunt, damnantes quod prius crediderant siue credidisse simulauerant, quos Ecclesia catholica materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis, hanc illi matris charitatem superbè accipientes, eos recipere nolentes, ab Ecclesiæ communione recesserunt, & cum suo Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.] Sic ille. Quamplane opinionem sequuti fuere. Naucerus, Ioannes Arca, de sanctis Sardiniæ, lib. 3. & Dimas Serpi in Chron, sanct. Sardiniæ lib. 2.

Quis fuerit Lucifer ille sectæ Luciferianorum auctor. — *Isidorus.* — *Gratianus in decretis.*

Enim-

Enimuero S. Augustinus, de Agone Christiano cap. 3.tom.3.existimat,hunc Episcopum,nomine,Luciferum primum auctorem sectæ Luciferianorum,fuisse Episcopum Sardiniæ Insulæ,patria Calaritanum. Vnde idem Gratianus in decretis, sequutus translationem Augustini,2.p.causa 25.q.3.§.Luciferiani,sic habet: [Luciferiani à Lucifero Sardiniæ Episcopo orti, qui Episcopos catholicos, qui Constanti persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, & postea correcti in cathedram redire delegerunt, damnantes, siue quod credidisse simulauerunt, quos Ecclesia catholica materno recepit sinu tamquam Petrum post fletum negationis,hanc illis matris charitatem superbè accipiétes,ab Ecclesiæ communione recesserunt, & cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur cadere meruerunt.] Sic ille. Eiusdem opinionis sunt, D.Hieronymus aduersus Luciferianos tom. 2. D. Ambrosius, orat,in funere fratris Satyr,Theodoretus lib.3. cap. 5. Sozomenus lib.5.cap.12.Ruffinus lib.1. cap.30.Socrates lib.2.cap.34.Seuerus lib.2.Marcellinus, & Faustinus vt refert Gennadius de script.Eccles.c.16.Platina, Nicephorus, & alij quam plurimi illius sæculi scriptores. Quos omnes sequutus est, Cardinalis Cęsar Baronius tom.4. Annal.anno Christi 362.fol.75. & anno Christi 371.fol.267.& directorium inquisitorum à fratre Nicolao Eymerico conscriptum 2. p.§. Luciferiani, vbi sic legitur: [Luciferiani à Lucifero Sardiniæ Episcopo orti,qui Episcopos catholicos, qui Constanti persecutione,&c.] Quę sunt eadem verba Gratiani secundum translationem Augustini.

Gratianus in decretis.

Origo sectæ Luciferianorum à Lucifero Calaritano, probatur.

Quibus omnibus ego maximè assentior, & credo. Tum quia hi omnes scriptores tempore Luciferi Calaritani Sardiniæ Episcopi floruerunt, vno dempto Baronio qui,hac nostra tempestate scripsit. Quamobrem ij scriptores videntur testes oculares huius rei. Tum quia Lucifer Calaritanus Episcopus Sardiniæ, vt Socrates,Nicephorus, & Baronius locis citatis, ac etiam contrariæ opinionis auctores, & defensores, tradunt, Synodo Mediolanensi contra Athanasium à Constantio Imperatore in fauorem Arianorum congregato, legatus Apostolicus à sancto Liberio Papa creatus in fauorem Athanasij contra Arianos Episcopos Orientales interfuit, indeque exilio ab eodem Imperatore Constantio traditum vtique extitit, in quo plane exilio,& relegatione librum in sex diuisum libellos,contra eumdem Constantium composuit. Quibus omnibus peractis in fauorem Athanasij, Iulianus apostata, qui mortuo Constantio Imperatore,Imperator successit, exulum omnium reditum permisit. Et tunc Eusebius Calaritanus,Episcopus Verselen., & Lucifer Calaritanus,Episcopus Sardiniæ, in Orientem Thebis superioribus peruenerunt, tractantes ambo duo Episcopi Sardi, qualiter corruptam Ecclesiarum regulam repararent, & placuit, vt Lucifer Sardus Episcopus Sardiniæ Antiochiam, & Eusebius Sardus Episcopus versselen Alexandriam,irét,& tūc eo anno, nimirū 362. D. Athanasius prælibatam Synodum Alexandrinam congregauit in qua ortum obtinuit Luciferianorum secta. Quamobrem magis verisimile apparet, sectam Luciferianorum exortam in Synodo Alexandrina, origenem traxisse à Lucifero Calaritano Episcopo Sardiniæ, & non à Lucifero Smyrnensis Ecclesiæ Episcopo. Tum quia Lucifer Calaritanus semper acerrimus hostis fuit impietatis Arianæ, vt videre est in omnibus sui sæculi scriptoribus, obidque alter Elias zelo Dei inflammatus crebrò ab ipsis suis contemporaneis scriptoribus appellatus vtiq. extitit. Tum quia negare hoc de Lucifero Calaritano Episcopo Sardiniæ, pręter id quod sit apertè falsum, est illum infinitis priuare laboribus, quos aduersus impietatem Arianam pertulit defendédo catholicam veritatem. Quamobrem ex nimio zelo eiusdem catholicæ veritatis, quam aduersus Arianos acerrimè defendebat,noluit (metas zeli Dei transcendendo) vt Synodus illa Alexandrina ianuam aperiret Episcopis Arianis resipiscentibus.Tum deniq.quia hoc

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

F negare de Lucifero Calaritano Sardiniæ Episcopo, est omnium historiarum sui sæculi torrenti repugnare. Quod nullatenus est præstantum,eo quod, amicus Socrates,amicus Plato sed magis amica veritas. Accedit quod oēs ij auctores citati (quibus obuiare,fere videtur temerariū) ab hæresi Luciferū Sardū custodiūt,eūque ab illa immunem prædicant,ac acerrimè defendūt illum Schismaticum dumtaxat, ex nimio zelo catholicæ veritatis aduersus Arianos constituentes. Licet alij hæresim ad hoc schisma, post obitum Luciferi addiderint vt de Hilario Diacono Ecclesiæ Romanæ scribit Baronius Tom.4.Annal.Anno Christi 362. fol. 78. per hæc verba: [Hilarius Ecclesiæ Romanæ Diaconus, &c.non solum vna cum Lucifero, Schismate se ab Ecclesia separauit,sed plusquam ille præsumens,hæresim ad Schisma superaddit.]

G Verumtamen hìc, Sardum pro Sardo, & Calaritanū pro Calaritano agere opus vtique est: Nullatenus namque mihi placet Ruffinus qui lib. 1.cap.3.loquens de obitu Luciferi Episcopi Sardiniæ,illum miserandum exitum appellat per hæc verba: [Regressus ad Sardiniæ partes, siue quia cita morte præuentus, tempus mutandi sententiam non habuit, etenim temere cœpta spatio corrigi solent, siue hos animo immobiliter suderat parum firmauerim.] Nec minus probatur Cæsar Baronius qui tom. 4. suorum Annalium anno Christi 362.cap.60.fol.78.loquens de exitu Luciferi Sardiniæ Episcopi, sic scribit: [Ex hac vita decessit absque pace Ecclesiæ in Schismate perseuerans, quod catholicis magnum intulit luctum,& timorem incussit. Luxerunt fideles,& pij acerbissimum tanti viri casum,&c. (vsq. ad illud Zach. 11.) vlula abies quia cecidit cedrus.] Sic Baronius.

Luciferum impœnitentē obisse falso scribitur à nō nullis.

H Attamen contra Ruffinum, & Baronium in fauorem Luciferi Calaritani Episcopi Sardiniæ, sic intrepidè.& veritate comitatus insurgo,probans Luciferum ex hac vita minimè decessisse absque páce Ecclesiæ in Schismate perseuerando. Primò,quærens diligenter ab his duobus scriptoribus vbi eis constet de impœnitentia Luciferi Sardi, tanti viri, & zelatoris legis Dei, & catholicæ veritatis contra impietatem arianam? Non citat ad hoc Ruffinus loco citato aliquem alium grauem doctorem pro se,& pro sua opinione, cuius se facit patronum. Vnde forte fieri potest, quod os eius ex ira, aut odio aduersus tantum virum, ac tam magnum Theologum, apertum extiterit. Quamobrem Cæsar Baronius,dicta in hac parte solius Ruffini sequutus, non rectè loco citato Elogium luctuosum de casu Luciferi efformat. Secundò, quia Socrates lib. 3. cap. 7,affirmat Luciferum post legationem suam in Oriente,venisse in Occidentem, & fidei & Ecclesiæ dogmatibus obediens,ad Sardiniam reddidisse. Idque indicat per hæc verba: [Cæterum Lucifer suam iracundiam saturare non poterat,quia suis ipsius responsis, quibus per Diaconum missis pollicitus fuerat decretis concilij contentum fore,omnino tenebatur adstrictus. Quapropter fidei,& sententiæ Ecclesiæ assentiens in Sardiniam ad propriam sedem se recepit.] Et paulo post demonstrans asseclas Luciferi, & non ipsum Luciferum, segregatos fuisse ab Ecclesia, & à communione fidelium sic subiungit: [Quorum autem animi non minus quam illius erant exulcerati, hi adhuc etiam ab Ecclesia se gregati manent.] Tertiò. Quia D.Hieronymus tom.2.aduersus Luciferianos ita scribit:[Nihil istorum de tali viro credo.] & in suis olimpiadibus de obitu eius, sic ait: [Lucifer Calaritanus Episcopus moritur, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Phylone lybiæ numquam se Arianæ miscuit prauitati.] Quartò, quia Lucifer expleta Alexandrina Synodo, & peracta legatione sua aduersus arianam impietatem, ex Oriente, venit in Occidentem,vt ad Sardiniam suam remearet, & prius per Romam sanctam transiuit, coram summo Pontifice se præsentando, illi de actis, & gestis à se in sua Orientis lega-

Pœnitentia finalis Luciferi Episcopi Sardiniæ,pro secta qua olim infectus fuit,rationibus persuadetur.

1. Ratio.

2. Ratio.

I

3. Ratio.

K

4. Ratio.

legatione Apostolica contra Arianos plenam reddens A rationem. Vnde si doctissimus vir, olim ira incensus acta illius Synodi reiecit, tunc intelligens se grauiter peccasse, nonne ab illo, vir catholicus, Ecclesiasticis dogmatibus tam bene instructus, humiliter veniam petiuit? Et si asseris tunc non petisse, quæro abste, quomodo tunc Summus Pontifex illum schismaticum, impœnitentem ad suam sedem, & thronum Calaritanum permisit remeare? Certè non apparet extrema Luciferi impœnitentia. Quintò si iuxta Theologos nó tantum pœnitentia inre, verum etiam in voto, non tantum explicito, verum etiam implicito, sufficit ad salutem & ad iustificationem, vt tenent Richar. in 4. dist. 17. art. 2. q. 1. Adrianus q. 1. Alexander de Ales. q. 76. memb. 2 & vt etiam nos supra retulimus in hoc 2. cap. tex. 4. paraph. 2. disp. 6. q. 2. qui, obsecro, negari potest, virum tam doctissimum, saltem morti propinquum, pœnitentiam, adminus in voto implicito, de suo antiquo B schismate non obtinuisse? Ideo piè credendum est, saltem in extremis, de suo schismate doluisse. Et quis, rogo, contrariú scire potest, nisi ille qui probat renes & corda, & cui omnia patent, cuius fidem semper intactam seruauit Lucifer aduersus Arianos, qui eam infringere diabolicè intentabant? Credendum siquidem est, quod si ex nimio zelo Dei segregatus fuit ab Ecclesia, & ab vnione fidelium ob illud schisma, quod ex nimio etiam zelo Dei iterum Ecclesiæ, & vnioni fideliú restitutus fuit, saltem per finalem pœnitentiam. Sextò liquet pœnitentia Luciferi; quoniam ipsamet Synodus Alexandrina approbauit electionem Paulini per Luciferum factam, eamq. confirmauit Athanasius; quinimmo & Romanus Pontifex illam ratam habuit, propter quam electionem erat inter hos duos Sardos Eusebium, & Luciferum tunc dissensio, & stomachatio, & sic Paulinus fuit Legatus Luciferi ad hanc Sy- C nodum Alexandrinam simul cum alijs duobus Diaconis catholicis Calimeno & Maximo: Quapropter Eusebius confirmauit tandem electionem ipsam Paulini, vt ex descriptione huiusmet Synodi Alexandrinæ ab Eusebio facta constare potest, cum habeatur Paulini chirographo munita, & subscripta. Septimò, quia Lucifer Sardus habetur vt sanctus apud omnes Scriptores; vnde Ioannes Tilo Episcopus Maldensis de illo ad Pium V. sic scribit: [Hic à suis contemporaneis proximeq. ætatis hominibus clarus habitus est, ac sanctus: & postquam è vita excessit, beatus est appellatus.] Et D. Hieron. ita de illo scribit: [Ventum est ad asperrimum locum, in quo aduersus voluntatê, & propositum meum cogor de B. Lucifero secus quicquam quam illius meritum, vt mea humanitas posset existimare.] Octauò, quia Iacobus Philippus Bergomensis in suo Chronicarum supplemento lib. 9. anno Christi D 356. de eodem Lucifero sic scribit: [Lucifer præterea Calaritanus Episcopus, hac tempestate in pretio fuit, quem ob dicendi copiam, atq; elegantiam, Papa, cum Pancratio, & Hilario Ro. Clericis, ad Constantium Legatum misit. Vbi cum nollet sub Athanasij nomine Nicænam negare fidem, ab ipso Constantio relegatus est; Quo loco contra eundem Imperatorem librum composuit, eiq; legendum intrepidè misit. Obijt denique Valentino regnante.] Nonò, argumentor ab effectu, quia Petrus de Natalibus, Luciferum Sardum Episcopum Calaritanú in cathalogo sanctorum adscripsit. & idem omnino præstant Ioannes Fara Episcopus Bosanensis lib. 1. de rebus Sardois, Ioannes Arca lib. 3. de Sanctis Sardiniæ, & Dimas Serpi Calaritanus Ordinis S. Francisci de Obseruantia prouincialis dignissimus in Chron. sanct. Sardiniæ. lib. 2. Quinimmo S. Ambr. & D. Hilarius, illum summo honore afficiunt, & D. Atha- E sius eum hominem Dei, famulum Christi, participem Apostolorum, solatium fraternitatis, magistrum veritatis, crebrò nominat, in Epistola quam in exilio ad eundem scripsit. Porrò, Ecclesia Vercellensis, illi preces effundere videtur in quodam Hymno, tenoris sequentis.

5. Ratio. — 6. Ratio. — 7. Ratio. — D. Hier. aduersus Luciferianos 10. a nu. 41. — 8. Ratio. — 9. Ratio. — Luciferi Sardiniæ Episcopi laudes.

Tunc paulatim comites
Vi rapuerunt Presules
Eusebium, Dionysium,
Et cum eis Luciferum
Hos deprecamur sedule
Christi captos pro nomine
Sacris Hymnorum meritis
Celi fruamur gaudijs.

Hymnus Breuiarij Eusebiani quo Ecclesia Vercellensis vtitur.

Quinimmo in Sardinia, prope Calarim, adest Basilica quædam in honorem sancti Luciferi ædificata, quæ planè Ecclesia inter oppida illic vulgo dicta [Pauli,] & [Salarjus] ab antiquo tempore vsque in hodiernum diem erecta permanet, magno in dies fidelium Christianorum concursu visitata. Quam & ego Idibus Aprilis anni 1606. itidem visitaui, vt rem visu cóprobaré: Reperiq. magnum in ea repositú lapidum, litteris incisum, qui Sanctorum corpora Celelij, & Camerini ibi manifestat adesse: Quæ omnia & singula vetustissimo cuidam Codici maximè quadrare videntur, qui de istis duobus martyribus sic habet: [Tunc Christiani venerunt noctu, & rapuerunt corpora sanctorum & sepelierunt eos in loco vbi nunc est Ecclesia sancti Luciferi confessoris &c.] Qui plane vetustus Codex Ecclesia Calaritana hucusque maxima cura, & diligentia asseruat. Quæ planè omnia testimonia finalem pœnitentiam probant Luciferi Calaritani, Episcopi Sardiniæ, & fidem, & sanctitaté eius maximè cófirmant, ac corroborant; & ita planè, vt audeam hìc affirmare, quod si ista ad aures Ruffini, & Cæsaris Baroni olim peruenissent fortè circa Luciferi Episcopi Sardiniæ obitum, & finalem impœnitentiam suæ schismatis, Palinodiam æquo animo, & hilariter, tunc (antequam & ipsi obirent,) canerent.

Lucifer templum. — Cecilius & Camerinus martyres Sardiniæ. — Nota bene.

Ex hucusque dictis, patet probatio conclusionis in principio positæ pro Lucifero Smyrnense Episcopo. Neque est cur diffusius in eius fauorem loqui teneamur, dandum siquidê est ex iure, vnicuiq; quod suum est. Quod si per impossibile aliquis diligentior historicus probaret (quod non credo) contra, à me, supra citatos doctores, Luciferianorum schisma, originem non obtinuisse in Synodo illa Alexandrina prælibata, profectò in simili euentu, & ego facilè etiam cum illis tunc crederem, Luciferum Smyrnensem, schismatis Luciferianorum, primum auctorem fuisse, vt tenet Isidorus loco citato, quem sequuti fuere nostrates Scriptores Sardi, Arca, & Serpi, in honorem nostri Luciferi Calaritani.

Appendix.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Hæc dicit (inquit) primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit. Quæ supra obitèr præparata fuere epitheta, nunc iam, hac insuperscriptione ex professo accipiuntur. Superori namque in capite dum vates Ioannes collapsus super faciem terræ iaceret, filius hominis (ante cuius pedes decumbebat) vt eidem semimortuo iacenti opem, auxiliumque ferret, primi & nouissimi, mortui, & viui epitheta, titulosque prætulit, dicens: [Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum. [Et hæc eademet epitheta, & titulos, hic commemorat. Quinimmo hæc eadem pro inscriptione harum litterarum

Dilucidatio textus. — §. 1. — Auxilium diuinum erga Apostolum Ioannem.

Inscriptio litterarũ ad Angelũ Smyrnæ optimè expenditur.

ad Smyrnensem Antistitē nunc apponit, sic scribendo: [Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit.] Vt hinc, non solum Episcopus Smyrnensis, haud exiguas, sectando iustitiam, passiones sustinens, discat in posterum lætus & hilaris pro Redemptore suo certare; verum etiam cuncti fideles, tam de Smyrnense plebe, quam de toto orbe apertè intelligant, se haud quaquam oblitum fuisse, tùm humilitatis suæ, qua pro nobis passus fuit, tùm triumphi, & victoriæ suæ, qua ab inferis resurrexit, vt sic inter tot, tantasq. huius sæculi caliginosi angustias, & opprobria, consolationem aliquam spiritualem reportare valeant. Huiusmodi itaque inscriptione, tam pastor, quàm oues, nō solum ex Smyrnensi ouili, verum etiam ex toto grege Dominico, ad crebros labores (quorum magnam syluam, ingentemq. materiam, hostis humani generis, serpensq. ille antiquus Satan in dies suppeditare solet) forti, inuictoq. animo tolerandos, perferendosq. animantur.

Consolatio diuina.

Exortatio ad sustinendos labores.

§. 2.

Epitheta primi & nouissimi cur hic resumantur.

Quare epitheta primi & nouissimi, mortui, & viui, ad multa hic subiunguntur, ac resumuntur. Primò vtique, vt tam Smyrnenses, quàm cuncti fideles de Ecclesia læti, cum callido, antiquo, veternosoq. inimico suscipiant certamen, & spe futuri præmij, gloriosæque Resurrectionis prorsus inflammentur, quæ omnia, & singula in morte & resurrectione filij hominis Iesu Christi Domini nostri, qui pro nobis mortuus fuit, & resurrexit apprimè fundantur. Quoniā dum ille omnes finaliter iudicabit, is, dumtaxat, qui corporis vitā, rerumq. discrimina pro illo intrepidè, ac voluntariè contempserit, præmia pro meritis redditurus, vitamq. perennem vnicuiq. daturus sanè est. Idq. exemplo suo euidens reddit, cum ipse aliquando breui tēpore, mortuus, paulo post nunquā moriturus resurrexit, dicente Apostolo ad Ro.6. [Christus resurgēs ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.] Secūdò proponuntur prælibata epitheta ad magnitudinē, & potentiā Christi indicandā. Potens namq; est Christus, ijs qui propter fidem, Ecclesiamq. suam discrimina suscipiunt, periculaq. subeunt, opitulari, quinimmo & vitam (si illam amittere contigerit) restituere. Ipse enim est primus & nouissimus, qui omnia creauit, & omnia moriēdo instaurauit, quod & alijs verbis supra indicauit, dū de seipso dixit: [Ego sum Alpha & Omega, principiū, & finis.] Quod si ipse est Alpha & Omega omniū rerum, omnia proculdubio quę sunt, & erūt, magnitudini, ac potentiæ suæ subiacent. Quare & ille vim habet omnia pericula propulsandi, atque adeò vt ipse dicat: [Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.] Quod planè ex eo dumtaxat intelligere possumus, quod ipse mortuus fuit & resurrexit. Tertiò apponūtur hic huiusmodi tituli, ad magnū consolationis cumulum, nimirum, & inde sciat vnusquisque, qui sequēdo vestigia Christi mortificatur, quod viuet, quemadmodum ille, cum fuerit mortuus, nunc viuit. Iccirco glossa ord. hæc verba, [mortuus & viuit,] ita expendit. [Quasi dicat, ne deficiatis vos; quia ego tantus, propter vos passus sum mortem, de qua resurrexi, quod idem expectetis & vos.] Ad quod planè alludit illud Cant. 6. [Descendi in hortū meum, vt viderē poma conualliū.] Quo loco Ecclesia horto nucū comparatur, & optimè quidem. Etenim quemadmodū sub duro, amaroq. nucis cortice, nucleus suauissimus abscōditus cōtinetur; ita in Ecclesia Dei militante, sub vita amara, ærumnis, laboribusq. referta, suauissimum virtutis Præmiū repositum asseruatur. Idq. Theod. per hæc verba cōfirmat: [Per hortum nucis, præsentem vitam intelligimus, quæ cum amara sit, & ærumnis, laboribusq. referta, reconditum tamen habet virtutis fructum. Etenim nucis fructus cum extrinsecus, corticem priorem amarum habeat, alterum autem asperum, ac durum, intus tamen, veluti in penu, nucleum continet reconditum, qui sine labore extrahi non potest; talis est hæc præsens vita: cum enim dolorum & molestiarum acerbitate referta sit, habet illa quidem labores, non tamen infrugife-

1. Ratio.

Retributio diuina.

2. Ratio.

Omnipotētia Christi.

Pericula omnia potest Deus profligare. Luca 12.

3. Ratio.

Consolatio ingens.

Strabus in comment.


Comparatio.

Theodor. in cap. 6. Cant.

F ros. Vnde Paulus ad Coloss. 3. vita (inquit) vestra abscondita est cum Christo in Deo.] Ita Theod. ex qua planè interpretatione colligitur eum, qui Christi vestigijs insistens, laborum patientissimus fuerit, mortemq. ipsam pro Christi nomine oppetierit, tandem ab ipso forè sempiternæ vitæ restituendum. Quemadmodum Christus postquam mortem obijt, seipsum ad immortalem vitam reuocauit. Rupertum Abbatem in hisce suis comment. circa hoc legito. Quartò & postremò præfata epitheta hic assignantur ad exemplum humanitatis & passionis Christi, quasi Christus in hunc modū (vt volunt Arethas & Rupertus) loquatur. Verum quidem est, (Pastor Smyrnensis) te propter fidem & iustitiam pati, sed quātum est hoc, si ad illud respicias, qui cum esset apud Deum primus, id est, pretiosissimus, omniq. honore dignissimus, id est, vilissimus, & abiectissimus, qui fuit mortuus, & viuit.] Perinde valent, G ac si Ioannes ita diceret: Audite afflicti Smyrnenses hæc quæ sequuntur reuelata mysteria, quę ille per Angelum suum mihi reuelauit, qui est primus, à quo omnia creata, Primus, inquam, quia erat in principio verbum, Deus apud Deum, per quem omnia facta sunt; & nouissimus, per quem omnia recreata, & restaurata fuere; Nouissimus, inquam, quia verbum caro factum fuit, in qua quidem carne ita nouissimus, & contemptibilis visus fuit hominibus, vt eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, Isaias in cap. 53. indicaret; & Psalmista de illo diceret: [Ego sum vermis, & non homo] qui fuit mortuus in assumpta humanitate, & in sepulchro repositus tribus diebus (vt alter Ionas in ventre Ceti) & tribus noctibus, & viuit in reassumpta immortalitate, resurrexit namque & adhuc cum Deo patre suo est, & erit in sæcula sæculorum. H

4. Ratio.

Conceptus prædicabiles in textum.



Concept. 1. Quòd in signum maiestatis appellat se primū & nouissimū Christus.

Vo priora epitheta, vt poté [primus & nouissimus,] adiecta quippe hic sunt ad Dei maiestatem, fortitudinem, & omnipotentiam indicandam, iuxta illud Ps. 144. [Magnitudinis eius non est finis.] Quæ planè maiestas, ac magnitudo in hoc planè consistit, nimirum, quod Deus sit omnium rerum primus & nouissimus, principium, & finis. Eiusdem etiam maiestatis specimen dedit ipsemet Dominus dicens, Isaiæ. 44. [Hæc dicit Do- I minus Rex Israel, & redemptor eius Dominus exercituum. Ego primus, & ego nouissimus, & absq; me non est Deus. Quis similis mei? &c.] Quæ planè verba Septuaginta sic legunt: [Sic dicit Deus Rex Israel, & qui eruit eum, Deus sabaoth: Ego primus, & ego post hæc, præter me non est Deus. Quis sicut ego? &c.] Vocatur autem Deus primus & nouissimus, siue principium & finis: Vt nos clarè discamus ab ipso res nostræ omnes, principium vtique accipere, & ad illum tanquam ad earumdem rerum finem, nos itidem prope diem recurrere debere. Hoc sanè virgines olim profitebantur, quæ (vt prodit Pausonias lib. 2.) antequam matrimonio à parentibus traderentur, capillos capitis tondebant, vt sic ostenderent, se Deum pro illius difficilis negotij principio, tunc accipere. Hoc K itidem præstare intendebant Argineæ virgines, capillos omnes à se ademptos, floribus, suauissimisque oleribus conditos, Palladi, siue Mineruæ, in sacrificium (vt tradit Alexander ab Alexandro) offerendo. Significare volentes per hoc, ad optimum obtinendum finem, necessarium forè, Deum pro principio assumere. Porrò hoc ipsum profitebantur Romani. Tum, dum lanuginem primam (testantibus Dione, & Tranquillo in Nerone cap. 12.) quæ per adolescentū malas serpebat, & radebant, & rasam Deo immolabant, eum in prin-

Virginū antiquus mos.

Romanorum consuetudo antiqua.

principio rerum suarũ inuocantes. Tum dum in exordio belli haud exigua Deo offerebãt sacrificia,& postquã victoriã ab hostibus reportabant,coronã à capite, in Capitolio deponebant, vt inde scirent oẽs, se Deos suos pro fine partæ victoriæ agnoscere, qui & principiũ earundẽ vtiq; fuerunt,vt produnt Plutarchus, Valerianus,& Alexander ab Alexandro. Itaq; hi omnes, Deum principiũ, & finem rerum suarum statuebant; quod nos etiam nunc (& strictius planè) præstare tenemur,dicente Christo: [Sine me nihil potestis facere.] Quod sanè tam in principio, quàm in fine rerum nostrarum intelligendum vtique venit.

Gratias Deo agebaut Romani pro acquisita victoria.

Ioan. 15.

Concept 2. Quod exẽplo Christi patientiã habere debemus in contumelijs, opprobrijs,& iniurijs.



ERVMTAMEN super hæc verba: [Primus,& nouissimus,] oritur sanè quæstio. Dicet forsitan quis. Si primus, quomodo nouissimus; & si nouissimus,quomodo primus? Respondeo,ad commendandã patientiam hoc dictũ fuisse. Si enim quis cõsideret, qualiter Christus, qui natura primus erat omnium, factus fuit omnium nouissimus, dicente Isaia in cap.53. [Vidimus eum despectum,& nouissimũ virorum.] Facilè in aduersis patientiam obtinebit. Ad quod planè alludit illud Apostoli ad Heb. 12. [Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem,vt ne fatigemini animis vestris deficientes.] Quem planè locum Anselmus, D.Ambr.lib.5. exameron,cap.9.D.Basilius hom.7.in exameron,& Theophilus in epist.Pauli,de acerba Christi passione exoluunt; sed elegantius omnibus (vt mihi videtur,) Primasius dicens: [Omnia aduersa quæ Christus sustinuit à Iudæis,scilicet,irrisiones,sputa,colaphos,alapas, blasphemias,ipsamq. mortem, Apostolus solo nomine contradictionis ostendere voluit. Rememoramini, inquit, Christũ,qui talia, ac tanta contraria sustinuit pro peccatoribus,qui peccatũ nõ fecerat,vt vos qui transgressores, & peccatores esse dignoscimini, nõ deficientes, fatigemini in animis vestris, sed imitãdo illum sustinete similia patiẽter: aduersus semetipsum sustinuit Christus contradictionem, id est,dimisit secundum quod voluerunt facere contra se,nihil eis cõtradicens. Hortatur autẽ eos ne deficiant in tribulationibus, dum vsq; ad martyriũ, & sanguinis effusionẽ adhuc nõ peruenerant,vnde & suadit: Nondum enim vsq; ad sanguinem restitistis,aduersus peccatum repugnantes. Ac si diceret: Et si amisistis,facultates terrenas,expoliati à cõtribulibus vestris, tñ mortem nõ sustinuistis, adhuc enim viui manetis,vsq; ad sanguinem resistit, pugnãs aduersus peccatum, qui pro veritate fidei aduersus infideles pugnat vsq; ad mortẽ,sicut Apostoli,eorumq. successores fecerunt,nam infidelitas peccatũ maximum est; dũ autem quis vult,decipit,aut blanditijs, aut terroribus, pugnans pro fide contra infidelem,vtiq; aduersus peccatum repugnat: potest & de omni peccato intelligi, de mala videlicet suggestione,& praua voluntate,immundoq. desiderio,quibus qui resistit,non consentiẽdo eis,aduersus pugnat] Hæc Primasius. Et elegãter planè,vt ex verbis Apostoli (tanquam ex perenni fonte) facilis exhauriatur ratio,& argumentum ad commendandam, iniurijs, & contumelijs ferendis patientiam. Quis etenim in contumelijs,laboribus,irrisionibusq. à contribulibus inflictis, vnquam deficiet, si ante oculos cordis & mentis sibi statuat, & proponat Christi redemptoris nostri passionẽ? Exẽplo vtiq; hoc via olim fuit sponsa dum Cant.1.dicebat: [Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.] Quæ planè verba sic expendit D.Bernardus: [Myrrha amara res,dura & aspera tribulationum significat, ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulanda id loquitur,confidens se omnia viriliter subituram. Ibant (inquit) gaudentes discipuli à conspectu cõcilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam

Primasius in epist.12.Pauli ad Hebr.

Exemplũ sustinendi tentamenta huius mundi.

Passionis meditatio.

D.Bern.serm. 43. in Cant.

Act. 5.

pati. Propterea deniq; non fascem,sed fasciculum dilectum dicit, quod leue pro amore ipsius ducat quicquid laboris immineat & doloris. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim, inquit,quod in præsenti est momentaneum,& leue,tribulationis nostræ supramodum in sublimitate æternũ pondus gloriæ operatur in nobis.Erit ergo nobis quãdoque ingens cumulus gloriæ,qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus,cuius iugum suaue est, & onus leue? Non quia leue in se, nec enim leuis passionis asperitas,mortis amaritudo,sed leuis tñ amanti. Et ideò non ait tantum fasciculus myrrhæ dilectus meus, sed mihi (inquit) qui diligo,fasciculus est,vnde & dilectũ nominat,monstrans dilectionis vim,omniũ amaritudinũ superare molestiã, quia fortis est, vt mors dilectio. Et vt scias nõ in se illã,sed in Domino gloriari, neq; de propria virtute, sed de Dñi adiutorio præsumere fortitudinẽ, dicit illum inter vbera sua commoraturum, cui secura decantet; etiam si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala,quoniã tu mecum es.] Ita D. Bernard. Beda itidem in eadem verba sponsæ sic eleganter ad institutũ nostrũ scribit: [Christus tanquã myrrhæ fasciculus tunc inter vbera sponsę commoratur, cum Ecclesia mortem sui Redemptoris sine intermissione,intimo corde meditatur: inter vbera enim, cordis esse locum, quis nesciat?

Rom. 8. 2.Cor. 4.

Cant. 1.

Psal.22.

Concept 3. Quòd Deus afflictos pro se,miraculose liberat.



VO verò postrema epitheta, vt potè, [mortuus, & viuit] adiecta quippè sunt ad maximam curam & prouidentiam, quã Deus habet de his, qui propter ipsum à contribulibus propè diem patiuntur indicandam. Curauit etenim Deus Susannam à falso crimine,Danielem à lacu leonum, & tres pueros à camino ignis ardentis citò ac miraculosè liberare, Iacob etiã Esau fratrem suum fugientem, de qua planè miraculosa liberatione Theodoretus sic ait: [Prouidẽtia diuina manifestius declaratur in rebus quæ videntur aduersæ; iccirco Iacob fugit,& solus peregrinatur,vt locupletissimus rediens,experiatur quanta sit Dei omnium prouidentia,& alios doceat, hanc Dei solicitudinem: ad quod apparitione sua confestim Deus declarauit, ostendens ei scalã ad cælum vsq; pertingentẽ, & sanctos Angelos ascendentes,& descendentes; ipse verò Dñs sursum consistens, confirmabat eum, ac metũ expellebat, quorum vnumquodq; poterat securũ reddere Patriarchã. Docetur enim nihil negligenter à Deo ministrari,sed ipsum omnia dispensare sanctorũ Angelorum ministerio. Deinde dicitur ecce tecũ sum custodiens te in omni via, qua ambulaueris, & reducãte in terram hanc,quia nõ te derelinquã.] Hæc Theodoretus. Ex quibus planè verbis liquet Dei optimi maximi mira prouidẽtia in Iacob fugientẽ Esau, domo profugũ,timentẽ omnia. Ad hoc sanè alludit illud Isaiæ 43. [Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cum ambulaueris in igne non combureris,& flamma non ardebit te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel.]Et illud Psalmistę.[Cũ ipso sum in tribulatione,eripiã eum,& glorificabo eũ.] Hoc est,vt Theod.expendit. [non modo à grauioribus rebus liberabo, verũ etiã illustrem efficiã.] Quare illud [eripiam eũ,& glorificabo eũ,] robur & fortitudinẽ quemdam Dei indicat in medio laborũ,& afflictionũ suorũ iustorũ,ad eos viriliter liberandos à contribulibus suis;iuxta illud: [Oues meæ vocem meam audiunt,& ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternã do eis,& non peribunt in æternum, & nõ rapiet eas quisquã de manu mea.Pater meus, quod dedit mihi,maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei.] En vides Deũ paratum,omnibus suis in laboribus oibus (vti fortè, & inuincibilẽ ducẽ)opitulari. Quod planè in Ruben mirũinmodũ splẽdet, quẽ sanè;cũ Pa-

Daniel.13. Dan. 6. Dan. 3. Gen. 28.

Theodor.in quæstionibus in Genesim. q.84.

Scala Iacob indicat Dei prouidentiã erga tribulatos.

Psal.90.

Theodor. in ps.90.

Ioan. 10.

ter eius Iacob benedicere inter alios fratres suos vellet, sic appellatum reperimus. [Ruben primogenitus meus principiũ doloris mei.] Quoniam vbi noster vulgatus legit, [principium doloris mei,] D. Hieron. sic transtulit: [principium fortitudinis meæ;] dolor, & fortitudo non sunt eædem res. Igitur adest varietas inter translatores huius loci. Ex quo oritur difficultas, quare vnus [principium doloris,] dixerit, & alius, [principium fortitudinis,] transtulerit? Ratio autẽ huius rei in promptu vtiq; est, nimirum, quia eadem radix est fortitudinis & roboris, quæ est laboris, & afflictionis. Quoniam Deus in ipso labore vires auget, roburque ad vincendum præbet. Hinc etiam factum est, vt Beniamin, postremus Iacob ex Rachele filius, appellatus sit à matre [Benoni,] id est, [filius doloris mei,] eo quod cũ, extremo mortis dolore, peperisset. Quod planè nomen interpretari etiam possumus (pro vt dudum dicebamus.) [filius fortitudinis meæ.] Idq; fortasse Iacob indicare voluit, dum eum [Beniamin,] id est, [filiũ dexteræ] appellauit, tùm quia filii doloris, id est, qui multa propter virtutem patiuntur, filij sunt fortitudinis Dei; quippe cum in eis iuuandis vim suam, & potentiã manifestet, tùm etiã quia eos postea Deus ad dexteram suam collocabit, qui dum viuunt, ad eius sinistram esse, propter vitæ incómoda ab imperitis existimantur. Hinc Dauid Ps. 24. Dño dixit: [Redime me Dñe ex omnibus angustijs meis.] Perinde ac diceret: Tu qui fortis & potens es tuos liberare; me angustijs oppressum pro te, libera Dñe. Hanc itaq; Dei protectionem erga tribulatos pro iustitia, indicat noster vates per hæc duo postrema Christi epitheta, nimirum [mortuus, & viuit,] quibus potentiã, fortitudinem, & roborem Christi ostendit, quo potest eum, qui propter fidem & iustitiã se crimini vitæ obijcit opitulari, quinimmo & vitam si eam amittere contigerit restituere, sicut ipse qui crucifixus fuit ex infirmitate (vt prodit Apostolus ad Rom. 5.) nunc viuit ex virtute Dei.

Gen. 49. *Primogenitus principiũ doloris.* *Interpretum varietas.* *Gen. 35.*



AD labores tolerandos, & angustias perferendas, maximè planè iuuãt hæc duo postrema epitheta [mortuus, & viuit.] Ad quę proculdubio alludit illud Iacobi 5. [Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Dñi, ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Dñi vidistis, quoniam misericors Dñs est & miserator.] Quæ quidem verba quãuis iuxta illud, [& finẽ Domini vidistis,] referri queãt ad ipsummet Iob (ita vt sensus sit: Sint vobis pro exẽplo Prophetarũ affectiones etiam vsq; ad ignominiosæ mortis exitum vna ex parte, & contra hæc illorũ longanimis patientia, qui tamen tam insigni erant sanctitate, vt etiã per spiritum Domini futura prædicarent: Scitis quod beati prædicantur & memoria æterna cõmendati facti sunt, quos probauit patientia: Nemo vestrum est, qui non audierit de insigni illa patiẽtia beati viri Iob, cognoscitis similiter, quo fine Dñs eius patiẽtiam remunerauerit etiam in præsenti vita reddens ei dupla omnia; quoniã natura misericors est, & misereri semper solitus Deus noster: Vt expendunt plerique, inter quos est Titelmanus.) Cæterũ vt volunt Strabus in sua glos. ord. Laudunensis in sua interl. Lyranus, & venerabilis Beda, illa particula [& finem Domini vidistis] ad Passionem, & Resurrectionem Christi melius adaptatur. Id propterea dicitur [vidistis,] quoniã tẽporibus Iacobi Apostoli, multi adhuc viuebant, qui passionem D. N. Iesu Christi viderant. Quare erit sensus, Vidistis finem Domini, id est, quam felici clausula, & fine, eius passio fuerit terminata; debetis igitur vos similẽ habere in laboribus fiduciã, eolq. expectatione futuræ felicitatis, & gloriæ, patienter & animosè tolerare. Quo planè sensu enodãdum venit illud Thren. 6. [Dabis eis scutum cordis laborem tuũ.] Vbi passio

Concept. 3. Quod patientia Christi iuuat ad labores tolerandos. *Tribulationũ Iob felix clausula.* *Franciscus Titelmanus in epist. B. Iacobi, cap. 5.*

F Christi, laboresq. crucis eius scutũ cordis nostri metaphoricè, & tropologicè nuncupantur à S. Ieremia. Et optimè quidẽ, Quandoquidẽ fidelis anima nullo nobiliori baltheo armatur contra labores, quam gloriosã Christi morte & passione. Si enim blasphematur, scuto passionis Christi armata, mox recordatur, talia Christũ primo passum fuisse, Id ipsum planè præstat si maledicitur, si persecutiones patitur, si deridetur, si denique opprobrijs quibuslulis afficitur, iuxta illud Ioan. 15. [Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.] Et tunc facile quæuis tolerat fidelis anima. Adhoc sanè alludit illud 1. Petr. 4. [Christo igitur passo in carne, & vos eadẽ cogitatione armamini,] id est, eandẽ cogitationem velut arma induite. Quoniã illud [armamini] indicat impugnationem, & prælium; ita vt significetur fortitudo passionis Christi, cuius meditatione, si armemur, possumus hostes oẽs confidenter aggredi. Hinc est illud Sapiẽtis Prou. 3. [In omnibus vijs
G tuis cogita illũ.] Quãobcausam Christus cruci affixus cõparatur, tùm clypeo, tùm signo, tùm turri. Clypeo quidẽ, & non cuicũque, sed illi Iosue, de quo Dominus in cap. 8. Iosue dixit: [Leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem Hai; quoniã tibi tradam eã.] & mox sequitur in textu. [Cumq. eleuasset clypeũ ex aduerso ciuitatis, insidiæ quæ latebant, surrexerunt cõfestim, & pergentes ad ciuitatẽ, cęperunt, & succenderunt eã.] Eleuare autẽ iussit Dñs clypeum istum, vt ad eius cõspectum exercitus pręliaretur confidentius, vt indicãt verba præallegata, vt potẽ [cumque eleuasset clypeũ &c.] Cæterũ in modo eleuationis huius clypei habent Hebræi peculiarẽ opinionem asseuerantes, eleuatum fuisse in hasta quadã oblonga, quò posset ab omnibus cerni, quorũ opinionẽ sequutus fuit Lyranus per hæc verba: [Ad hoc enim fiebat illa eleuatio, vt socij
H Iosue, qui erant in insidijs eam viderent, & ciuitatẽ intrarent, & alij, se ei iungerent, quia hoc erat eis pro signo datũ, quo viso, statim exierunt, vt patet in littera, & ideo oportuit, quod illa eleuatio sic fieret in altũ, vt posset à multis, & à longè videri, & ideo, vt dicunt Hebręi, fuit hasta in cuius summitate erat aliquod vexillũ pro signo determinato; vel si fuit clypeus, vt dicit translatio nostra, oportet dicere, quod fuit leuatus in altum in summitate cuiusdam hastæ, vel perticæ.] Hæc Lyranus. Iuxta quam sententiã, clypeus iste, sic hasta, vel pertica eleuatum, manifestè exprimit Christum in Cruce exaltatum, de quo Ioan. 12. dicitur: [Oportet exaltari filium hominis.] vt ad eius conspectum Christiani milites animos sumant ad strenuè, & viriliter dimicandũ. Hinc planè oritur, quod Christus mortuus in cruce, signo etiã comparetur: quandoquidẽ clypeus ille exaltatus fuit in signũ, ad cuius intuitum, & cõspe-
I ctum milites strenuè dimicarent, ex quo probari quidẽ potest, Christũ in cruce exaltatũ, in signũ nobis ibi positum fuisse. Idq. luculentius & clarius habetur ex illo Num. 21. [Fac serpentẽ æneum, & pone eũ pro signo, & qui percussus aspexerit eum, viuet.] Hoc vtiq; est signũ illud, de quo S. Simeon Virgini Mariæ gloriosæ dixit Luc. 2. [Et in signũ cui cõtradicetur.] Quoniã quamuis Tertull. dicat hoc signũ cõtradictionis fuisse illud de quo Isa. 12. dicitur: [Dñs ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium.] nã partus virgineus à multis contradicitur: & quamuis etiã D. Ambr. & Euthymius teneant hoc signũ fuisse Incarnationis miraculum, contra quod hæretici latrant, & licet adhuc Titus Bostrenus Amphilochius, & S. Chrisost. dicãt hoc signũ fuisse illud, de quo ipsemet Christus dixit: [Signũ non dabitur, nisi signũ Ionæ prophetæ.] Tñ Origenes ait, totã Christi vitã signum contra-
K dictionis fuisse. Quoniã nulla est pars vitę Christi, quę vel vno, vel alio modò ab hæreticis non negetur; & mille cõtradicatur calumnijs, vsque adeò, vt ipse mortuus & in cruce exaltatus, contradictionis signum merito appelletur. Quoniam ipse (testante Apostolo ad Hebr. 12.) aduersus semetipsum sustinuit contradictionem in cruce. O cæleste signum. [Fecit ergo Moyses (dicitur Num. 21.) serpentem æneum, & posuit eũ pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.]

Christus est clypeus Iosue. *Lyranus in cap. 8. Iosue.* *Christus cõparatur signo.* *Christus est cruci affixus signum cõtradictionis.*

O vos

O vos fideles à serpentibus, hoc est mundo, dæmone, & carne percussi, aspicite hoc cæleste signum, vt potè Christum in Cruce pro nobis exaltatum, & confestim remedium contra vestras plagas, & peccatorum percussiones reportabitis. Qui enim habet malas cogitationes, aspiciat eius caput spinis coronatum, & sanabitur. Qui habet oculos sublimes & vagos, aspiciat eius oculos sanguine plenos, & curabitur. Qui habet manus promptas ad furandum, aspiciat eius manus duris perforatas clauis, & recipiet sanitatem. Qui est gulosus, aspiciat eius os, felle, myrrha, & aceto potatum, & salutem reportabit. Qui est in vestibus pretiosis curiosus, aspiciat eius corpus nudum, & medetur. Qui carnes suas blanditijs allicit, aspiciat eius carnes, colaphis, plagis, flagellisque percussas, & medicinam impetrabit. Qui denique pedes habet veloces ad malum, aspiciat eius pedes cruci affixos, & confestim medicamina accipiet. Hinc D. Aug. de Cruce Christi sic est affatus. [Crux Christi non solum fuit patibulum patientis, sed etiam cathedra docentis.] Docet enim nos Christus Magister noster ex ipsa cruce; tamquam ex cathedra, vt eum aspiciamus, vt sic contra nostras peccatorum percussuras, remediũ opportunum inueniamus. Vnde S. Thom. in epist. 12. ad Hebr. lect. 1. sic ait: [In quacumq; tribulatione inuenietur eius remediũ in cruce.] Hinc Dauid exclamat: [Memor fui Dei, & delectatus sum.] Perinde ac dicat: Memor fui Christi, memor fui eius crucis, memor fui eius passionis, & auxilium reportaui opportunũ. Narrant D. Ambr. lib. 5. exam. cap. 9. & D. Basilius in hom. 7. exam. equũ marinum dum motus magnus fit in mari, confestim rupem in corde maris quærere, eiq. citò firmiter adhærere, & sic à tempestate magna facilè liberari. Sic nos in nostris aduersis debemus Christo, de quo scriptũ est: [Petra autem erat Christus,] firmiter adhærere: vt ab ipsis facilè liberemur. Hinc Psalmista ait: [Mihi autẽ adhærere Deo bonũ est] Ad hoc ipsum signũ contradictionis, videtur mihi, allusisse Isaiã, dum in cap. 5. ait: [Leuabit signũ in nationibus & sibilabit ad eum de finibus terræ.] Quo loco per erectum signũ possumus tropologicè intelligere Christũ, quo in cruce exaltato, omnes euocati fuere ad bellum cum animæ hostibus gerendum, & ad prælium ita animati, vt rectè in textu subsequatur; [Ecce festinus velociter veniet, non est deficiens, nec laborans in eo, nec soluetur, cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius.] Quoniam nullus dici potest deficiens, aut laborans, eo quod ad minimũ Christi nutum, siue sibilum, ex vniuersis mundi partibus ita quamplurimi strenui milites sub eo præliaturi conuolarunt, vt nullatenus deuincantur, iuxta illud: [Ego enim dabo vobis os cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.] Postremò iam Christus pendens in cruce, turri comparatur, & nõ cuicumque, sed [fortitudinis,] ita vt [Turris fortitudinis] nuncupetur. Hoc planè nomen olim dedit illi Dauid, dum Ps. 60. dixit: [Deduxisti me, quia factus es spes mea turris fortitudinis à facie inimici.] Quẽ locum expendens D. Aug. videtur maximè hæc verba [mortuus & viuit,] quæ hic attinguntur à nostro Archipropheta illustrasse; quoniam sic scribit: [Vnde factus est Christus spes nostra, nisi quia passus est, & resurrexit? nos enim non noueramus, nisi nasci hominẽ, & mori resurgere hominem, & viuere in æternum non noueramus: suscepit quod noueras, & demonstrauit quod nõ noueras; ideo factus est spes nostra in tribulationibus, turris fortitudinis à facie inimici. Angitur cor meum, laboro inter tentationes, & scandala, id est, mihi turris fortitudinis, quo eum fugero, non solũ vitabo tela inimici, sed etiam in illum quæ voluero ipse iaculabor; caues ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim; Quomodo autem fugies? Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, quicquid poteris cogita, quia ipse prior passus est, & cogita quo fine passus est, vt nimirum moreretur & resurgeret, talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit, & introisti in turrim.] Hæc Augustinus, Et Doctor Incognitus idem affirmare videtur, dum in hæc verba: [Turris fortitudinis,] sic scribit: [Est nobis Deus turris fortitudinis à facie diaboli, dum Christus suos defendit contra omnia scandala inimici rugientis, quia etsi te tentat, cogita, quoniam & Christus prius est tentatus, si te aduersis percutit, & Christus prius percussus fuit, si te infamat, & Christus prius fuit infamatus, si bona tua rapit, & Christus suis vestibus fuit spoliatus; etiam si vsque ad mortem persequeris, & Christus fuit crucifixus, & similia, quæ quis mente cogitando velut in quadam fortissima turri positus, inimici insidias liber euadit, quia suis exemplis tunc tè Christus regit.] Hoc ipsum procuIdubio profitetur Sapiens dum Prou. 18. ait: [Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & saluabitur.] Et tandem Ecclesia dum in Litanijs canit Deo: [Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici.] Est igitur Christus in cruce [El peñon de nuestra fortaleza,] hoc est, castellum fortitudinis nostræ. Quoniam totius Ecclesiæ, ibi refugium vtique est validissimum.

Crucifixus est Christianorum remedium in omnibus angustijs.

Crucis Christi laus.

Equus marinus, lapidi adhærens, liberatur à tempestate maris.

Comparatio.

Christus crucifixus, turris fortitudinis nuncupatur.

D. August. in ps. 60.


Auctor Incognitus in ps. 60.

Christus crucifixus castrũ fortitudinis Ecclesiæ.

Scio tribulationẽ tuam, & paupertatem tuam, sed diues es: & blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ.

Textus 9.

COMMENTARIVS.



CREDIBILE planè est, hunc Antistitem Smyrnensem multoties ob suam sanctitatem Deum exorasse, eique illud Sapientis elogium dixisse: [Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo, (id est, pro Christo) Ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti qui numerari, & supputari non potest præ multitudine, dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populũ istum, populum tuum hunc multum.] Hæc & alia pleraque his similia, hunc Episcopum inter tot, tantasque angustias, quibus in dies angebatur crebrò perorasse credo, cum in medio suarum afflictionum pelago, meruerit audire vocem Domini sibi dicentem: *Scio tribulationẽ tuam, & paupertatem tuam*. Deus enim seruorum suorum afflictos clamores, misericordia motus, semper audire assuescit, vt liquet ex illo Exod. 3. [Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorẽ eius audiui.] Et cum hæc Smyrnensis Antistitis tribulatio & paupertas, esset propter iustitiã, quibus ex promisso debetur regnum cælorum, postquam earumdem capacem eum ostendit, ad maiorem consolationis cumulum, confestim iniungit, *sed diues es*: Perinde ac dicat: His temporalibus angustijs, æternam emisti fœlicitatem. Quinimmo ad exaggerandam tribulationem, quam patienter ferebat, protinus addit: *& blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse*, & vt apertè sciret pastor iste (Iudæorum opprobrijs nimis saturatus, & percutientibus se præbens maxillam.) hos persecutores, & blasphemos nullatenus esse fideles, quinimmo infideles, & nomine tenus Iudæos ex illorum numero, de quibus dixit ipsamet veritas Matth. 24. [Surgent enim Pseudochristi, & pseudoprophetæ &c.] extemplo subiungit dicens: *& non sunt*. Ac si dicat: Non sunt hi Hebræi, qui te persequun-

Explanatio contextus.

§. 1.

Oratio Salomonis.

3. Reg. 3.

Orationi vacabat Angelus Smyrnæ.

Apostrophe ad Episcopũ Smyrnensem.

Matth. 5.

Hebræorum antiquorum maxima laus

sequuntur, veluti antiqui & iusti Patriarchæ, & Prophetæ, vt potè Abraham, Isaac, & Iacob, quorum Deus se tanto gloriabatur patrem, & Deum esse, iuxta illud Exod. 3. [Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.] sed sunt filij dæmonis, de quibus ipsamet veritas dixit, Ioan. 8. [Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.] Iccirco qui hi essent explicans, concludit dicens: *Sed sunt synagoga Satanæ. &c.*

Hebræorum recentiorū nimia ignominia.

§. 2. Animaduertas autem opus est, Primasium sic legere: *Scio tribulationes tuas, & paupertatem, sed diues es, & blasphemaris &c.* Aretham verò, & alios Græcos ita: *Scio tribulationes tuas, & paupertatem sed diues es, & blasphemiam eorum qui dicunt se Iudæos. &c.* Attamen hæc varia lectio, nihil de vero sensu mutat.

Lectio Primasij Arethæ, & Græcorum.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

Scio (ait itaque) tribulationem tuam.

Fœlix namque fuit Smyrneorum Antistes iste, Tum quia illi licuit dicere illud Psalmistæ. [Tribulatio, & angustia inuenerunt me, mandata tua meditatio mea est.] & illud etiam:] Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.] Tum quia Christus filius Dei, (cuius gratia patiebatur, grauiterq. affligebatur) illū suismet oculis inter tribulationum vndas, procellasq. fluctuantem, & quasi alterum Iacob cum Angelo luctantem, intuebatur. Aspexit namque hunc afflictum Episcopum Christus ex alto, veluti Rex Dauid (quamuis diuerso fine) pulchram Bethsabee se lauantem: & quemadmodum etiam ipsemet discipulos suos laborantes vidit in remigando ob contrarium ventum. Quoniam ly. [scio] sic sonat: Video, capax sum, intelligo, cognoscoq. propria cognitione. [tribulationē tuam.] Scire namque Dei in ordine ad creaturam, vel (vt aliter dicam) cognitio, quam habet Deus de ipsa creatura, est euidens, & intuitiua, vt potè, propria cognitio, vt satis perbellè probat S. Thom. 1. p. q. 14. art. 6. Obidq. Apostolus agens de cognitione Dei, ait ad Heb. 4. [Pertingit vsque ad diuisionem spiritus & animæ compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. [Quamobrem hæc verba, [scio tribulationem tuam,] ita expendo cum S. Tho. D. Dionysio Carthusiano: Cognosco, & accepto molestias, quas ab hæreticis, & tyrannis, à rebellibus, & peruersis, immo & ab inuisibilibus hostibus sustines: non solum in teipso, sed in populo tibi commisso: quorum tribulatio, tuam auget tribulationem, qua illis in prosperis congratularis, & in aduersis compateris. Et ex hucusque dictis liquet sanè Antistitem istum in medio suarum angustiarum rectè decantare posse Deo cum Psalmista, dicendo: [In tribulatione dilatasti mihi.]

§. 1. Psal. 118. Psal. 119. Gen. 32. 2. Reg. 11. Marc. 6.

Cognitio Dei circa creaturas est intuitiua.

Germanus sensus.

Psal. 4.

§. 2. Tribulatio tamen, duplici gaudet consideratione. Quoniam alia est tribulatio, quæ inuenit hominem, quamuis homo illam nullatenus quærat, quo planè sensu intelligendus est Dauid dum Ps. 118. ait: [Tribulatio, & angustia inuenerunt me.] & iterum Psal. 14. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me:] Alia verò est tribulatio, quæ inuenitur ab homine, vt potè, quam homo diligenter quærit. Quo sensu accipiendus etiam venit Dauid dum Psal. 114. dixit: [Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Dñi inuocaui.] Qui duo dicēdi modi inter sese pugnant; quoniam quamuis à prima fronte idem videantur tamen primus à secundo maximè differt, eo quod in primo modo [inuenire] est terminus cognitionis, cum res antea ignorata ad cognitionem deueniat, quam difficilè, & cum labore inuenire, & possidere

Tribulatio gemina.

F curamus, quamuis res illa ex se propter nos, nihil omnino moueatur. & sic intelligitur illud Sapientis in cap. 9. [Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore, &c.] Et sic quærentes talia, sunt communiter homines inquietissimi, veluti alter Absalon, de quo dicitur 2. Reg. 15. [Et mane consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad Regis iudiciū, vocabat Absalon ad se &c.] Vbi, vt liquet, negotia non querebant Absalon; quinimmo ipse Absalon cognoscebat ipsa necessaria forè ad surripiendum iudicium, & sceptrum regni à Patre suo, & ideo illa diligenter quærebat, & sic solicitabat corda virorum Israel, vt venirent ad se. In secundo verò modo [inuenire] est terminus inquisitionis; quoniam tunc nobis nihil circa aliquam rem omnino quęrentibus, res ipsa mouetur ad nos, vti Samuel Propheta Dei mouebatur ad Saul vngendum Regem Israel,

Homines inquieti quærentes occasiones negotiorum.

Homines quieti aliquando inueniunt quod nō quærunt.

G dum ipse Saul nihil talia cogitando quæreret asinas, vt dicitur 1. Reg. 11. & 12. Vel quemadmodum idem Samuel quærebat Dauid puerum, vt regnaret in Israel, dum ipse Dauid paruulus ab ijs prorsus alienus minaret oues, vt habetur 1. Reg. 16. Quare cum in primo modo inuenire sit terminus cognitionis, nos inuenimus tribulationem, & non è contrario; quoniam Dominus dix sic: [qui quærit inuenit.] & iterum: [quærite & inuenietis.] Et cum in secundo modo inuenire sit terminus inquisitionis, ipsa tribulatio inuenit nos, & non è contrario. Et tunc ipsa tribulatio est meritoria, quoniam ipsa eos, dumtaxat inuenit, qui coronari sunt digni, dicente D. Ambrosio. [Quærunt tribulationes, & necessitates hominem, & quandoque inueniunt eum, inuenitur ille cui corona debetur, non inuenitur qui idoneus certaminis non probatur.] Ex

Tribulatio quando meritoria.

D. Ambros. in Ps. 118.

H quo planè loco colligitur, quod quamuis plerique, tribulationibus, doloribus, angustijsque præmantur, ipsos tamen tribulatio, angustia, & dolor minimè inuenit; sed dirè, & iustè præmit, & multat. Quid enim est inuenire, nisi rem perditam recuperare? Quare solos illos tribulatio inuenit, quos recuperat, & ad perfectionis statum adducit. Quamobrem cum Antistes iste Smyrneorum dignus reperiatur corona, quam mox inferius filius hominis, illi spopondit, dicēs: [Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.] Sequitur apertè ipsum nullatenus quæsiuisse tribulalationem ipsam, illum (tanquam dignum coronari caput) reperisse. Vnde & Deus hoc in loco illi ait: Scio ego tribulationē tuam, quam pro me patienter pateris.

Inuenire quid sit.

§. 3. Tribulatos, ac Sanctos, comparat D. Augustinus lignis quadratis, ex quibus fabricata fuit arca Noë, vnde in Ps. 86. sic scribit: [Arca Noë, quæ figuram gessit

Tribulati vocantur quadrati lapides.

D. August. in Psal. 86.

I Ecclesiæ, ædificata est lignis quadratis. Quid est quadrari? Attendite similitudinem. Quadrati lapidis similis debet esse Christianus. In omni tribulatione non cadit, & si impellitur, & si qua vertitur, non cadit; nam quadratum lapidem quocumque verteris stat, Stantem te sic inueniat omnis casus.] Ita Augustinus. Qua fortè significatione Aristoteles dixit, hominem perfectum quadratum esse debere, hoc est, vbique sui similem & in prosperis, & in aduersis.

§. 4. Iam vltimo dices, vndè quæso filius hominis tribulationem istius Antistitis Smyrnensis sciebat, ita vt dicere certè potuisset, scio tribulationem tuam? Vnde quæris? Audias rogo. Primò siquidem, talem tribu-

Tribulationes nostras vnde sciat Christus.

K lationem sciebat filius hominis cognitione intuitiua, vt est dictum supra. Secundò per experimentū in seipso. Ipse namque filius Dei assumendo nostram naturam, & verum corpus, (vt docet S. Tho. 3. p. q. 5. art. 1.) & corporis infirmitates, defectus, passionesq. (vt ait idem Angelicus Doctor 1. part. q. 14. art. 1. & 2.) assumpsit. Hinc Ieremias de illo vaticinatus fuit, dicens: [Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.] Id propterea, quod nunc ipsemet filius hominis ait, nimirum, [scio tribulationem &c.] planè eodem pondere dictum debet intelligi, quo iam Propheta

1. Ratio. 2. Ratio.

pheta Isaias cap. 53. dixerat de illo: [Et vidimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem.] Scientem (dixit) infirmitatem, quasi diceret, experimentum infirmitatis habentem. Vnde, & hic, [scio tribulationem tuam,] ita quidem sonat: Tribulationis, quam pateris, experimentum habeo, & angustiam, quam sustines in memetipso expertus sum. Quis enim maiorem quam ego tribulationem sustinuit? Et cum diues essem, quis ad tantam (vt ego) paupertatem descendit, vt Psalmista de me dicat Psal. 108. [Et persequutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare?] Huius experimenti memor Apostolus, dicit Heb. 5. [Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.]

Tentatus est Christus multipliciter.

Tentatus namque fuit Christus fame, quoniam scriptũ B de illo est, [& cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt,] siti, [mulier da mihi bibere,] persecutione, [si me persequuti sunt, & vos persequentur,] & tandem morte, [Christus factus est obediens (dicit Apostolus) vsque ad mortem, mortem autem Crucis.] Et inde scio (inquit) tribulationem tuam, & paupertatem tuam. Idcirco non minus doleas, quia scis, vel expertus es; Nam ego filius Dei & Virginis, idem scio, idemque expertus sum.

3. Ratio.

Tertiò, & postremò, tribulationem huius Antistitis sciebat Christus, quia teste Apostolo ad Heb. 4. omnia nuda, & aperta sunt oculis eius, & sic nobiscum est in tribulatione nostra, ad nos liberandum.

Psal. 90.

PARAPHRASIS C
Secunda.

Par. 1.

§. 1. Enucleatio textus.

Et paupertatem (ait) tuam. Non hic paupertas absolutè sumitur, sed paupertas spiritus; quoniam hæc est, quæ Deo mirumimmodum placet, & quę laudem habet apud eumdem Deum, dicente Christo, Matth. 5. [Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.]

§. 2. Paupertatis Episc. Smyrnensis causæ quinque. 1. Causa.

Potuit quidem Smyrneorum Antistes iste, esse egenus & pauper, alijs plerisque de causis. Quarum prima est; Quia Episcopi in primitiua Ecclesia nihil proprium obtinebant. Tunc namque Christiani res omnes siue earum pretium in communi deponebant deposito, vt potè, ex illis tam clerici, quam laici alerentur pauperes. Ita namque in cap. 4. Act. habetur: [Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima D vna, nec quisquam eorum quæ possidebant, aliquid suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia.] Et paulo post: [Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quę vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: diuidebatur autem singulis prout cuiq. opus erat.]

Pauperibus, & egenis, Apostoli, Episcopi, & Diaconi necessaria curabant.

Quam viuendi regulam Clemens I. qui sedit anno Christi 60. retinuit, vt patet in Epistola sua ad Clericos Ierosolymitanos, & habetur in can. [Dilectissimis] 12. q. 1. per hæc verba: [Concilium dantes vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, & scripturas sacras intelligentes, quæ bene nouistis adimplere satagitis.] Quæ quidem verba, Driedo de dogmatibus varijs, & libris Apochry. lib. 4. sic explicat: E [Verum hic sciendum est, hoc dictum esse de Apostolis, & de ijs qui se iunxerunt Apostolorum collegio in Ierusalem, sed non inde consequens est, omnes Christianos sic oportuisse facere, quemadmodum ex eodem Act. lib. patet. Iudas Christianus erat propriam habens possessionem in Damasco, in cuius domum infertur Paulus act. 9. Petrus in domo Simonis Coriarij hospitio suscipitur, Lydia Philippis cum tota domo regenerata, domum habuit Act. 19. & Paulus Corinthijs scribit, nunquid domos non habetis ad manducandum?]

Driedo de dogmat. lib. 4.

A Hæc Driedo. Et Melchiades Papa, in can. [Futuram] 12. q. 1. de hoc Apostolico instituto ita habet: [Quod Ecclesia non in Iudæa, sed in Gentibus futura erat, & ideo bona immobilia in Iudæa sibi comparare superuacaneum iudicarunt Apostoli, cum ab ea discessuri essent, sed prætia, & pecunias solum parabant ad alendas gentes.] Qua plane ratio viuendi in communi, de pretio rerum venditarum, durauit à Christo, vsque ad annum 224. vt colligitur ex Vrbano I. in can. [Videntes] 12. q. Ex quo tempore vt Onuphrius in vita dicti Vrbani annotauit, communi Sacerdotũ, reliquorumque fidelium consensu consultum, & probatum fuit, vt vice pretij, possessiones ipsæ ac res immobiles, Episcopis, qui Ecclesijs præsidebant traderentur, vt sic occasio offerendi diminutum prætium (quod Ananiæ B & Saphiræ accidit) tolleretur, & plura, & certiora subsidia fidelibus communem vitam agentibus; ex eorum fructibus administrarentur.

Episcopi propria habere cœperunt à tempore Vrbani I.

Postea verò subsequuta fuit diuisio bonorum Ecclesiæ in quatuor partes, quarum prima Episcopo, secunda clero, tertio fabricæ Ecclesiarum, quarta tandem pauperibus applicabatur, quæ origenem habuit tempore Siluestri I. circa annum 328. vt Onuphrio placet, vel in quinta centuria à Christo; nempe vsque ad tempus D. Aug. Ambrosij, & D. Hieronymi, vt volunt Sotus, Bañes, & Illustriss. ac Reuerendiss. Cardinalis Franciscus Toletus in sua instructione Sacerdotum lib. 5. cap. 4. nu. 8. Cæterum autem Episcopum istum Smyrnensem, inconfessũ est, in primitiua Ecclesia fuisse, sæculo Ioannis Apostoli, qui ante annum 60. à Christo exul factus fuit in Patmos insulam; vt ex superioribus liquet.

Quadripartita bonorum fidelium diuisio.

2. Causa. Paupertatis naturalis acceptio.

Secunda causa est, quia Præfatus Pastor poterat naturaliter esse C pauper: eo quod quemadmodum diuitiæ ex Aristotele 1. Polit. duplices sunt, vt potè naturales, & artificiales; naturales quidem, quibus directè, & immediatè subuenitur humanis defectibus, veluti cibus, potus, vestimẽta, domus, & vehicula, iuxta illud Eccles. 29. [Initium vitæ hominis panis, & aqua, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem:] artificiales vero, quibus non potest directè & immediatè succurri humanis defectibus, sicuti sunt denarij: quia non assumit illos homo, ad aliquem vsum immediatum corporis sui, sed ars eos adinuenit propter facultatem commutationis, vt sint quasi mensura rerum venalium: Ita etiam paupertas est duplex, naturalis, videlicet, & artificialis, nimirum cum præfatis caremus rebus.

Diuitiarum diuisio.

Comparatio.

Quasquidem paupertates attingit Lucianus dum ait: [Nudus in terram veni, & nudus in illam redeo.] Et Iob. in cap. 6. [nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus D reuertar illùc.] Et de his pauperibus accipitur illud. [Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.] Fieri autem potuit vt his, naturalibus, & artificialibus diuitijs careret Smyrneorum Antistes iste, & sic naturaliter pauper esset, ex infima plebe ortus. Quoniam possibile plane est, non ob diuitias, sed ob ingentes virtutes ad Episcopatum hunc, promotum fuisse.

3. Causa. Episcopatus Smyrnensis potuit esse tenuis.

Tertia porro causa est, quia Episcopatus iste Smyrnensis Ecclesiæ potuit exiguos obtinere redditus. Sunt namque in Ecclesia Dei quidam Episcopatus, qui habent pingues redditus, veluti sunt Episcopatus Hispaniæ, qui amplissimis redditibus fruuntur, ita plane vt quidam eorum quadraginta millia, nonnuli vero vltra centum millia ducatorum aureorum perfruantur redditibus, vt apparet in Toletano Episcopatu, qui tot obtinet mille ducatos aureos, quot dies sunt in anno; Alij vero sunt Episcopatus te- E nues, & exigui redditus, vti sunt Episcopatus Italiæ, quorum plerique, sexcentos ducatos nullatenus attingunt, de quorum numero potuit esse Smyrneorum Episcopatus. Vnde ob Episcopatum tenuem, pauper appellari potuit.

4. Causa. Rapinà passa fuit Smyrneorum Ecclesia

Ecclesia Ierosolymitana à Iudæis spoliatur.

Quarta insuper causa est, quia Episcopus iste Smyrneorum potuit à Iudæis spoliari. Fieri enim potuit, vt hæc Smyrneorum Ecclesia, eamdem persecutionem à contribulibus suis in rapinam bonorum suorum pertulisset, quam & illa Ecclesia, quæ apud Ierosolymam erat, olim pertulerat, vt videntur sentire grauissimi adstipulatores, Ambrosius, nimirum

Aug.

Augustinus Ticonius, Beda, D. Tho. Arethas, Richardus & Rupertus Abbas, cuius rei ratio plane est, quoniam Iudęi persequebātur tunc Christianos qui erant Smyrnæ, eosdemque, & crudeliter affligebant, & dirè spoliabant, vt dicit Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 4. cap. 12. Hinc Apost. 1. Thes. 2. ait: [Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu, quia eadem passi estis, & vos à cōtribulibus vestris, sicut, & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persequuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos gentibus loqui, vt non salui fiant, vt impleant peccata sua semper, peruenit autem ira Dei super illos vsque in finem. Quinta, & postrema causa est; quia quamuis Pastor iste diues esset in naturalibus, nihilominus tamen potuit omnia sua bona pauperibus elargiri iuxta illud Psalmographi: [Dispersit dedit pauperibus.] Episcopus namque eleemosynarum amicus miruminmodum esse debet, iuxta illud Apost. 1. Tim. 3. [Oportet Episcopum hospitalem esse.] Quo loco, omne genus misericordiæ, & eleemosynæ Episcopis mandatur. Hinc D. Hier. in Epist. ad Titum, sic habet: [Non solum enim domus Episcopi debet esse commune hospitium omnium, sed & miserijs omnium inopum, ac viduarum, & pauperū in sua diœcesi morantium, & aduenientium eleemosynis succurrere tenetur, cum domus Episcopi, tota diœcesis existimanda sit.] Hæc D. Hieronymus. Et Clemens Papa, const. Apost. lib. 2. cap. 19. in hæc verba prorumpit: [Homo Dei, id est, Episcopus, quæ ex decimis & primitijs secundum mandatum Dei dantur, rectè dispenset orphanis, viduis, afflictis, & peregrinis egentibus, vt qui habet Deum harum rerum rationem reposcendum.] Et paulo post: [Impartite ergo Episcopi cum iustitia omnibus indigentibus, & vos vtimini bonis Domini, sed non abutimini, edite ex eis, ne soli ea deuoretis, quin potius communicate cum egentibus, & declinate offensionem Dei.] Et in lib. 8. cap. 39. [Etiam præcipio decimas offerri ad victum reliquorum clericorum, virginum, viduarum, & eorum qui sunt paupertate oppressi.] Et tandem lib. 2. cap. 39. [Dabis Episcopo iuxta tua: Te enim dare oportet, illum vero distribuere tanquam Oeconomum, & dispensatorem rerum Ecclesiasticarum:] Tot itaque ac tantis pauperibus distribuere potuit, Pastor iste, Ecclesiæ suæ bonorum eleemosynas, vt & ipsum pauperem fieri, & paupertatem suam Deo patere ad meritū. credere liceat, sicuti de B. Martino, & de plerisque alijs Episcopis, diuinæ narrant historiæ. Inter quos reponendum merito puto, F. Thomā de Villanueua Archiepiscopum Valentinum, virum hoc nostro sæculo ita pium, sanctum, & pauperum Christi amicum, vt dum in terris vitam ageret, domum, pro alendis, & pascendis prope diem pauperes Christi, iuxta suam cathedralem Ecclesiam, & suum Archiepiscopale palatium diligenter fundauerit, multisque eamdem illustrauerit pecunijs, quæ Valentiæ vsque in odiernum diem, domus Eleemosynæ appellatur. In qua singulis diebus, ego ipse millies intuitus fui Pauperes Christi vtriusque sexus, nimia cura, & diligentia ali, & pasci. De quare legite Doctissimum Solon, Valentinum, olim magistrum meum in celeberrimo Valentinorum Gymnasio, qui postquam de iustitia, & iure duos confecit tomos, vniuersum orbem miruminmodum illustrantes, descēdit ad vitam huius sancti viri Dei, venarcula lingua, scribendam. Cuius beatificatio, hoc nostro sæculo, in dies, Romę per Augustinianorum ordinem, sedula procuratur diligentia.

Ecclesia Smyrnea à Iudæis expoliatur.

5. Causa.

Psal. 111.

D. Hier.

Pauperum hospitiū oportet sit domus Episcopalis.

Clemens Papa.

Eleemosynæ domum, Valentiæ ædificauit F. Thomas de Villanueua Archiepiscopus.

§. 3. Aliqua igitur ex his causis, Episcopus iste Smyrneorum pauper fieri equidem potuit. Verumenimuero quamuis ex illis pauper factus fuerit, hic eius paupertas non absolutè, sed paupertas spiritus venit planè intelligenda; quoniam hæc est, quæ Deo placet, (vt dixi) & quam Deus vehementer diligit, eo quod hæc est excellens virtus, vel actus virtutis, per quem bene se habet homo ad bona fortunæ, quę concupiscuntur,

Explanatio auctoris comprobatur.

Paupertas spiritus Deo grata.

F nimirum, diuitias, honores, potestatem, famam, & reliqua: Circa ista quidem, bene se habet homo, modo humano & medioeri quando non quærit talia vltra conditionem status sui, & meritum suum, sed secundum condecentiam status, & personæ. Et hoc præstat virtus politica, siue humana, quæ his moderatè, & mediocriter vtitur. Veruntamen paupertas spiritus hoc excellentius facit; quoniam facit hominem omnia bona fortunæ prorsus contemnere, & etiam à se abijcere quantum possibile est, vt liberius diuinæ contemplationi inhærere possit. Quoniam sicut dicitur in lib. de Eccles. dogmat. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, Sed melius est cum intentione sequendi Christum totum simul donare, & oblatum à solicitudine cum Christo egere. Ideo paupertas spiritus facit contemnere omnia bona fortunæ, siue bona exteriora, non tamquam mala simpliciter (quia his

Paupertatis spiritus vis.

G potest homo bene vti, per virtutem politicam, vt dixi) sed tanquam minora bona, maioris boni impeditiua, quemadmodum contemnitur matrimonium, tanquam minus bonum propter virginitatem, aut castitatem seruandam. Accedit ad hæc quod D. Bernardus de hac spiritus paupertate serm. 1. in solemnitate omnium sanctorum ita scribit: [Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis, laudem habet apud Deum, nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur: vt expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant sensu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo, hos discernit quod dictum est, spiritu, id est, spirituali voluntate. Beati vero pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem, quoniam ipsorum est regnum cælorum.] Hæc D. Bernardus. Quare dum hic dicitur: [& pau-

Comparatio.

Matrimoniū contemnitur propter seruandam virginitatem.

D Bernard.

H pertatem tuam,] non paupertatem absolutè, quinimmo paupertatem cum addito, vt potè, spiritus, subintelligere debemus, quę à Christo laudatur, & quæ nos beatos facit, & participes regni cælorum. Quadrat explanatio cum Primasio; qui sic expendit: [Omni Ecclesiæ dicit, quæ spiritu pauper est, & omnia possidet, vnde Apost. 2. Cor. 6. ait tanquam nihil habentes, & omnia possidentes,] quam etiam explanationem, D. Ambrosius, D. Thomas, & D. Dionysius Carthusianus inhisce suis commentarijs, nullatenus abhorret.

DISPVT. XII.

I *In Cap. Secundum Apocalypseos, de Episcoporum in primitiua Ecclesia paupertate.*

In quinque Quęstiones distributā super illa verba. *Et paupertatem tuam.*

Prologus Disputationis.



Divvs Augustinus, Episcopis, & Clericis, aliquando propria interdixit, aliquando vero libenter cōcessit. Quamobrem in Can. Certe. 12. q. 1. ipsemet suam antiquam

K recantat sententiam, dicens: [Certe ego sum, qui statueram nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere, aut si vellet à proposito recedere, rectè illi clericatum tollerem. Ecce in conspectu Dei, & vestro, muto consilium, qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, & Ecclesia eius, maneant

D. Aug.

maneant vbi volunt, & vbi possunt, non eis aufero clericatum.] Quare videndum hic est, si ante Augustinum, Episcopis propria habere licebat in primitiua Ecclesia, de qua re consulendi sunt S.Tho. 2.2. q. 184. art. 6. Augustinus de Ancona, in sua summa Ecclesiastica q. 92. Rutilius Benzonius in suo speculo Episcoporum lib.2.q.2. Abulensis in cap.10. Matth. & Stapletonus in cap. 4. act. Apost.

Quæstio I.

An Episcopi in primitiua Ecclesia, tenerentur Apostolorum vitam de non habendo proprium, seruare?

Propriũ non habuisse Episcopos in primitiua Ecclesia potest probari. 1. Arg.



PARS affirmatiua potest corroborari. Tum quia D.Hieronymus in lib. illustrium virorum cap 12. dicit, talem fuisse primò Ecclesiam credentium in Christo, quales nūc monachi esse nituntur, & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimoniale gentibus & pauperibus diuidatur, orationi vacetur, & psalmis, doctrinæ quoque, & continentiæ quales, & Lucas refert primùm Ierosolymæ fuisse credentes. Cum igitur monachi proprium habere non possint, (quia tales fuerunt in primitiua Ecclesia prælati, quales nunc monachi cupiunt esse, clarè patet, quod illi proprium non habebant.) Sequitur quod Episcopi in primitiua Ecclesia tenebantur non habere proprium. 2. Arg. Tum quia Episcopi in Ecclesia tenent locum Apostolorum: At qui Dominus præcepit Apostolis, vt nihil proprium possiderent, iuxta illud Matth. 10. [Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.] Vnde Petrus pro se, & pro alijs dicit Matth. 19. [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.] Igitur videtur, quod Episcopi teneantur ad huiusmodi mandatum obseruandum, vt nihil proprium possideant. 3. Arg. Tum tandem quia Episcopi assumuntur ad statum perfectionis: Atqui Christus Dominus dicit Matth. 19. [Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.] Ex quo videtur, quod voluntaria paupertas ad perfectionem requiritur: Igitur colligitur quod vnquam licuit Episcopis proprium possidere.

1. Conclusio. Possessio omnium rerum interdicta Apostolis.

Prima conclusio. Apostolis interdicta fuit possessio tam rerum stabilium, quam rerum mobilium, & pecuniæ. Hæc est de fide. Et quantum ad res stabiles probatur ex illo act. 4. [Quotquot erant possessores agrorum vendebant, & pretia ponebant ad pedes Apostolorum.] Quantum vero ad res mobiles, & pecunias etiam probatur ex illo Matth. 10. [Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis, neq. duas tunicas, neque virgam.] Igitur.

2. Conclusio. Episcopi in primitiua Ecclesia fuerunt in statu perfectionis.

Secunda conclusio, Episcopi in primitiua Ecclesia fuerũt in statu perfectionis. Patet quia Episcopi fuerũt in primitiua Ecclesia, vt ex superioribus liquet: Atqui modo Episcopi sunt in statu perfectionis, vt docet S. Tho. 2.2.q.184 art. 5. igitur à fortiori debebant esse in primitiua Ecclesia perfectiores. Quoniam sanctitas tunc magis quam nunc, in Ecclesia Dei elucebat.

3. Conclusio. Episcopi in primitiua Ecclesia nihil propriũ obtinebant.

Tertia Conclusio, Episcopi in primitiua Ecclesia nihil habebant proprium, itaut illis interdicta esset omnino possessio rerum mobilium, & immobilium, ac pecuniarum. Probatur. Tum quia Episcopi cum essent in statu perfectionis tenebantur tunc Apostolorum vitam de non habendo proprium seruare. Tum quia Episcopi sunt Apostolorum successores: Atqui Apostoli non habebant possessiones, neque aliquod proprium; Igitur Episcopi in primitiua Ecclesia tenebantur imitare Apostolos, quantum ad hoc. Et istud est quod probant tria illa priora argumenta in principio quæstionis posita.

4. Conclusio. Voto se obligasse Episcopos ad proprium non habendum in primitiua Ecclesia est possibile.

Quarta conclusio. Possibile est Episcopos in primitiua Ecclesia voto se obligare ad proprium non habendum. Probatur. Tum quia laici, qui in primitiua Ecclesia ex Iudaismo vel gentilitate ad Christianam religionem veniebant, voto se astringebant, possessiones non habere, & proprio carere, vt patet de Anania act. 4. qui totum vouerat dare ad pedes Apostolorum. Vnde postquam defraudauit de pretio agri, dictum fuit illi: [Non est mentitus mihi, sed Spiritui sancto,] quod non esset, nisi vouisset, vel saltim promisisset. Quamobrem Strabus in sua glossa ordinaria loquendo de Ananiæ mendacio sic ait: [In hoc videtur mendacium fuisse, quia totum vouerat, melius est autem non vouere, quam post votum non soluere Spiritui sancto] Et idem videtur asserere Lyranus, dum super illa verba eiusdem cap. 5. act. nempe, [cur tentauit Satanas cor tuum, &c.] ita scribit: [Promiserant enim Deo omnes de societate illa, viuere sine proprio.] Atqui quod conueniebat laicis conuersis ad fidem; multo magis conueniebat Episcopis: Igitur possibile est Episcopi se voto astringere ad non habendum proprium in primitiua Ecclesia, vnde act. 15. dicit glossa, quod credentes in Christo in primitiua Ecclesia voto se astringebant, possessiones non habere, & proprio carere: sicut nunc de sæculo, venientes ad religionem, votum paupertatis emittunt. Tum quia D. Hieronymus ait, talem primò Ecclesiam credentium in Christo fuisse, quales nunc monachi esse nituntur, & cupiunt. Atqui nunc monachi vouunt propria nullatenus habere: Igitur possibile est Episcopos in primitiua Ecclesia, voto etiam se obligare ad non habendum propriũ: Tum tandem quia non habere proprium est consilium, & supererogatio, vt est manifestum: Atqui ea quæ sunt consilij, & supererogationis non interdicuntur alicui, nisi ad hoc, voto se astringat: Ergo cum Episcopi in primitiua Ecclesia non haberent proprium, possibile est ad hoc, voto se obligasse tunc.

Quæstio II.

An Episcopi nunc proprium habere possint?

1. Assertio. Episcopi nũc habere possunt propriũ.



SANCTVS Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. affirmatiuam partem intrepidè tenet, & optimè sanè, Illud tamen quod, dicit: [Non autem Episcopi in sua ordinatione ad hoc se obligant, vt absque proprio viuant, neque etiam viuere absque proprio, ex necessitate requiritur ad pastorale officium, ad quod se obligant.] Intelligendum puto, nunc, hoc nostro sæculo, & nullatenus olim in primitiua Ecclesia, in qua (vt dixi) credibile videtur Episcopos tunc voto se astrinxisse ad non habendum proprium.

Nota bene.

Illius igitur consilij, & boni supererogationis de non habendo proprio obseruatio durauit in Ecclesia Dei per longum tempus, nimirum à Christo, vsque ad annum. 224. vt colligitur ex Vrbano I. in can. Videntes 12.q.1. quo plane tempore, illius sancti consilij, & perfectionis Episcopi & Prælati Ecclesiæ primitiuæ, vt ait Augustinus de Ancona in sua summa Ecclesiastica, q.92. art. 1. fuerunt obseruatores, in quibus plane Apostolica

Episcopi quã do cœperunt habere propriũ.

stolica vita fuit obseruata. Processu vero temporis, quia multi intraturi erant Ecclesiam, ab illa perfectione Apostolica deficientes, prouidè ordinauerunt sancti Patres in multis Concilijs, vt Episcopi Patrimoniũ, vel illud quod iure hæreditario a Parentibus, vel donatione aliqua, vel titulo aliquo sæculari ad eos deuenit vel pertinet, Episcopi possent habere, & illud relinquere hæredibus, domesticis, & propinquis pro eorũ voluntate, vt patet 12.q.1. vbi dicitur: [Episcopus de rebus proprijs, vel acquisitis vel quicquid de proprio habet, hæredibus suis derelinquat.] Et præterea 12. q.1. cap. [Expedit.] Scribitur de Paulino, & Hilario Episcopis, qui proprijs abdicatis, possessiones Ecclesiarum diligenter custodierunt, & alias plures à Christi fidelibus concessas, illis adiungerunt.

Quæstio III.

An detur aliqua causa, ob quam nunc Episcopi, & Ecclesiæ Dei, propria, & possessiones obtineant?

1. Assertio. Episcopi nunc propria obtinent multis de causis. 1. Causa. D. August.



DATVR quidem, & multiplex. Quarum prima est D. Augustini qui lib. 1. de doctrina Christiana cap. 3. dicit, hoc fuisse propter primitiuæ Ecclesiæ perfectionem. Sic enim ait: [Quanta vtilitas fuerit Iudæis sub pędagogo custodiri per Iudæos, qui primo crediderunt, ex quibus facta est Ecclesia prima Ierosolymitana monstratum est. Nam quia illi sub pædagogo, & sub lege à Deo recepta viuebant, & vnum Deum colebant, tam capaces extiterunt Spiritus sancti, vt omnia sua venderent, eorumque pretium distribuendum indigentibus ante Apostolorum pedes ponarent seque totos dedicarent Deo, tamquam templum nouum, cuius terrenæ imagini, puta templo veteri, seruiebant.] Et statim subdit: [Non enim hoc vllas Ecclesias gentium fecisse scriptum est: quia non tam prope inuenti erant qui simulachra manu facta Deos habebant: Erant enim multum remoti Gentiles à perfectione noui hominis Christi; ideo non fuerunt capaces tantæ perfectionis, vt possessiones eorum venderent, & prætia ad pedes Apostolorum ponerent, sicut fecerunt Iudæi.] Hæc D. Augustinus.

2. Causa. Melchiad. PP. Secunda causa est Melchiadis Papæ, qui 12.q. 1. ca. futuram, tenet hoc fuisse propter Ecclesiæ translationem. Prouidebant enim Apostoli, Ecclesiam de Iudæa, ad Gentiles esse transferendam; ideo in Iudæa possessiones, & pretia habere noluerunt, sed postmodum de Iudæa ad Gentiles Ecclesia translata inter turbines, & aduersa sic succreuit Ecclesia, & ad hoc vsque peruenit, vt non solum gentes, verum etiam Romani Principes, potissimè Constantinus licentiam dedit per vniuersum orbem de gentibus fabricandi Ecclesias, & præeia constituit eisdem tribuenda.

3. Causa. Vrban. PP. Tertia, & postrema causa est Vrbani Papæ asseuerantis, hoc fuisse propter ministrorum gubernationem, & pauperum, & peregrinorum sustentationem. Nam si in matrice Ecclesia & in alijs particularibus Ecclesijs sint aliquæ possessiones in communi, melius, & vtilius potest prouideri ministris Ecclesiæ præsentibus, & futuris, & peregrini & pauperes commodius recipi, quam si omnes redditus, in pecunia, & rebus mobilibus haberentur. De quibus quandoque propter malitiam ministrantium magna distractio fieri solet.

4. Causa. Possumus plane, aliam dictis addere causam, nimirum, vt inter Clericos, & monachos, & Laicos esset discrimen. Quoniam ex illa communi vita, quæ postea ad paucos transijt, monastica vita orta sane fuit, de qua, præclara quidem scribit Augustinus in Ps. 75. super illa verba: [Vouete, & reddite Domino Deo vestro.] & in Ps. 93. vers. 1. & serm. 25. de verbis Apostoli, affirmans monasticam vitam, ex illa communi vita, originem traxisse. Religionum omnium fælix origo.

Quæstio IV.

An detur aliqua causa, ob quam in primitiua Ecclesia interdictum fuerit proprium habere, & præceptum viuere sub paupertate.



PROPTER tria planè interdicta fuere bona immobilia, & mobilia in primitiua Ecclesia. Primò, quidem ad temporalium solicitudinẽ remouendam. Quoniam adminiculum, ex agris, vineis, possessionibus, pecunijsque, magnam solicitudinem corporalem importat. Secundò, propter cupiditatis suspitionem tollendam. Dicit enim D. Hieronymus super cap. 10. Matth. quod si Apostoli aurum, vel argentum, seu pecuniam habuissent, suspitio fuisset de eis, quod non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicarent. Tertiò tandẽ propter Magistri nostri Iesu Christi perfectionẽ imitandã. Quamuis enim Christus dispensatorem haberet Iudam Apostolum, tamen eius loculos, siue crumenam nullatenus replebat de pecunia agrorum, vel possessionum, sed solum de his, quæ ab omnibus fidelibus sibi erant oblata: Non ergo fuissent Apostoli, Christi perfectionem imitatores, si aurum, vel argentum, aut saltem agros, vineas, possessionesque obtinuissent.

1. Assertio. Proprium habere cur interdictũ fuerit in primitiua Ecclesia. 1. Causa. 2. Causa. 3. Causa.

Quæstio V.

An paupertatem in communi primitiuæ Ecclesiæ, in aliquo corrumpant hæretici?



RESPONDETVR affirmatiuè. Quoniam Caluinus super illa verba, act. 4. [Nemo eorum, qui possidebat aliquid suum esse dicebat.] asseuerat (aliquos antiquiores sequutus hæreticos) primos Christianos, manente suorum bonorum proprietate, in eorum communicatione liberales fuisse.

1. Assertio. Proprietatis abnegatio à Caluino, & ab alijs hereticis negatur.

Cuius error refellitur. Tum quia Anania, & Sapphira damnantur act. 4. quia fraudarunt de pretio agri: aliquam partem sibi retinentes. Atqui nulla fraus est, quod suum est retinere: Ergo in primitiua Ecclesia nulla mansit proprietas. Tum quia agrorum, & domorum possessores, omnia vendebãt, & ad pedes Apostolorum ponebant: Igitur signum erat, quod non solum dominium translatum fuerat, verum etiam, & vsus fructus ipsa distributio. Tum quia sic erant omnia eis communia, vt nemo, suum aliquid esse diceret: Igitur, aut nulla mansit proprietas, aut mentiebantur, quod

Proprietatis abnegatio probatur quã que rationibus contra hæreticos. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

quod nullus Catholicorum vnquam asserere attentauit, neque attentabit. Tum quia Petrus, Ananiæ dixit: 4. Ratio. [Venundatum erat in tua potestate.] vt potè, antequam ad pedes Apostolorum pretium deponeret: Igitur pretio iam deposito, non erat amplius in eius potestate. Tum postremo, quia vita monastica religiosorum huius nostri sæculi, fundatur in modo viuendi in 5. Ratio. communi fidelium primitiuæ Ecclesiæ: Atqui nulli monacho, aut religioso nunc manet proprietas aliqua, in religionibus à sede Apostolica hucusque approbatis: Igitur euidens signum est, nullam mansisse proprietatem inter fideles primitiuæ Ecclesiæ, & per consequens ruit falsa propositio Caluini citata.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus. Sed (ait) diues es. Haùd exiguam emphasim importat dictio illa, [Sed,] Quoniam paupertatis Christianæ (quæ sola paupertas spiritus nuncupatur) fructus indicat, vt potè cælestes diuitias. Solus namque Christianus vir, dum pietati, & iustitiæ coram Deo incumbit pauper simul, & diues meritò appellatur. §. 1. Pauper Episcopus, diues appellatur. Pauper quidem, quo ad vulgi opinionem, diues verò quo ad Deum, qui ait: [Beati pauperes spiritu, Matth. 5. Lucæ 6. quoniam ipsorum est regnum cælorum.] Quæ enim maiores diuitiæ vnquam esse possunt, quam regnum cælorum de quo scriptum est: [Gloria & diuitiæ in domo eius.] Domus namque Dei, & regnum cælorum cælestis beatitudo planè est. Et hæc sunt veræ diuitiæ, de quibus dicitur: [Si verè fratres diuites esse cupitis, veras diuitias amate.] Hinc D. Leo Papa serm. 4. Quadragesimæ, ita scribit: [Semper diues est Christiana paupertas, nec pauet in isto mundo indigétia laborare, cui donatum est, in omnium rerum domino, omnia possidere. Operantibus ergo, quæ bona sunt non omnino metuendum ne eis desit facultas operandi, cum & in duobus minutis euangelicæ illius viduæ sit laudata deuotio, & pro calice aquæ frigidæ habeat præmium gratuita largitio. Ex effectibus enim, piorum benignitatis mensura taxatur, & nunquam eum miserandi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit.] Hæc B. Leo. De solo igitur milite Christiano decantare possumus illud Psalmographi: [Diues, & Pauper obuiauerunt sibi.] Solus namq. Christianus est simul pauper, & diues. Pauper coram mundo: diues ante Deum. Pauper in temporalibus: diues Glos. ord. Lyranus. in spiritualibus. Pauper in re: diues in spe. Quoniam paupertas Christiana est manudutrix quædam (vt ait D. Ioan. Chrisost. serm. 18. in epist. ad heb. Chrysostomus) in via, quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna, admirabilisque, & portus tranquillus. Quamobrem D. Aug. de verb. Apost. serm. 28. ita scribit: [Non tibi displiceat paupertas, tua, nihil ea potes diutius inuenire, visus nobis est, quo locuples fit, cælum enim quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? vt ad regnum cælorum diues possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet vt contemptu perueniat.] Quamobrem pium virum Christianum peregrino comparat Comparatio. Hugo Cardinalis. Quemadmodum enim peregrinus, Hugo Card. in comment. pauperem vitam ducit vsque dum ad locum suæ peregrinationi destinatum perueniat, sic iustus instar peregrini in terra, pauperem vitam agit, vsque dum perueniat ad patriam suam, vt potè, regnum cælorum, in quo multas habet repositas diuitias, Ecce igitur causa ob quam Episcopum Smyrnensem, quem antea pauperem nuncupauit, Dei vates, nunc diuitem appellat.

§. 2. Et verè diues. Propterea quod, si dicamus naturaliter pauperem fuisse, & ob suas ingentes virtutes ad Efe. 4. 1. Co. 2. Episcopatum promotum, verè diues cum Christus ascendens in altum (vt dicitur, Ps. 67.) captiuam duxerit captiuitatem, donaque hominibus dederit. Et inde diues, & locuples factus fuit Antistes iste Smyr-

A nensis Ecclesiæ, suam donorum Spiritus sancti, & gratiarum Dei accipiens à Christo partem, tum in plenitudine cælestis mansionis, tum in contemplatione cælestium donorum, tum in exercitatione virtutum, tum in exhibitione boni operis, tum denique in ieiunijs, 1. Causa. orationibus, disciplinis, verbi diuini prædicationibus, &c. Hinc igitur diues in cælo, quamuis pauper in mūdo. Si insuper asseueremus a Iudæis spoliatum fuisse, 2. Causa. verè etiam diues. Nam cum ipse simul cum sua Ecclesia, sibi commissa talem cladem, calamitatemuè pateretur sibi subditis, fortè dicebat, illud 1. Machabæorum 3. [Accingimini, & estote filij potentes, & estote pa- Animādi sūt subditi per suos Antistites. rati, vt pugnetis aduersus nationes has quæ conuenerunt aduersus nos dispendere nos, & sancta nostra, quoniam melius est nos mori in bello, quam videre
B mala gentis nostræ, & sanctorum, sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.] Et etiam illud Apostoli 2. Cor. 6. [In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, & longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti, quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & nō mortificati, quasi tristes; semper autē gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes:] Inde quippe est, quod quamuis eum bonis spoliauerint Iudæi, & ad paupertatem illum redegerint: tamen verè diues esset
C cum pro temporalibus bonis diuitijs Spiritualibus auctus fuerit. Si porro affirmemus, hunc Smyrneorum Episcopum, hospitalem fuisse, & omnia sua bona ege- 3. Causa. nis distribuisse, verè prorsus diues, cum Dominus dicat Matth. 5. [Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum & regnum cęlorum.] Postremo, si teneamus nihil pro- 4. Causa. prium habuisse Antistitem hunc, eo quod sic in primitiua Ecclesia assuebatur, verè diues, & locuples, cum Dominus Matth. 19. dicat: [Omnis qui relinquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrē, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum centumplum accipiet, & vitam æternam possidebit.] Quam volueris itaque suæ paupertatis causam (ex dudum à nobis citatis) accipe, & semper apud Deum locupletatus, ac ditissimus remanebit Pastor iste Smyrneorum Ecclesiæ. Et non qualitercumque, sed
D ita, vt merito inter eos reponatur, de quibus ait Apostolus 2. Cor. 8. [Altissima paupertas eorum abundauit, in diuitias simplicitatis eorum, quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarij fuerunt.] Super quæ verba ita scribit Primasius: [Scio paupertatem tuam, & tribulationem, sed diues es, multum quidem pauperes in opibus, sed amplius in simplicitate sunt diuites, & plus cupiunt dare quam habent, & ideo magis animum Deus probat, quod quod dextera porrigebat, qui enim quantum potest facit, totum facit, æqualiter diues, & pauper, quamuis diues amplius dare videatur.] Hæc Primasius. Cæterum super illud; [altissima paupertas eorum abundauit.] dices, Quomodo potest abundare, quod est exhaustū, & inane? Si enim Macedones cum quibus Eleemosinarū valde amatores fuerunt Macedones. hic loquitur Apostolus, ita liberaliter Eleemosynas impartiebantur, vt quicquid in fundo arcæ habebant
E exhaurirent ad pauperibus distribuendum, vt indicat illud [altissima paupertas] (Quoniam altissima paupertas; idest est, quod profundissima paupertas. De- Difficultas. promitur enim metaphora à vase, vel arca ad fundum vsque exhausta) si igitur Macedones eleemosynæ arcas, loculos, scriniaque exhauserant, qui quæso exhau- Solutio. stum, & inane, abundare quiuerat? Duplex planè est sensus. Primus quidem, altissima seu profundissima Paupertas dupliciter dici potest altissima. eorum paupertas abundauit, hoc est, fuit beneficientissima in diuitias simplicitatis eorum, vt potè, propter ditissimum, promptissimumque ad pauperes iuuandos, & alendos affectum simplicis animi, Secundus

verò

vero altissima seu profundissima eorum paupertas abundauit, hoc est, quamuis Macedones essent extremæ paupertatis, tamen ita erant ad largiendum prompti, vt ex scrinijs fere iam exhaustis quicquid supererat exprimerent. Vnde factum est, vt quò pauperiores sint redditi, eò magis ditescerent simplicitate, animique candore, & reliquis omnium virtutum opibus, quibus dumtaxat veræ opes, ac diuitiæ continentur.

Pauperiores aliquãdo fiūt ditiores.

DISPVT. XIII.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de diuitia Christiana.

In tres Quęstiones distributa super illa verba. *Sed diues es.*

Prologus Disputationis.



CLEMENS Alexandr. lib. 3. Pedag. cap. 6. asseuerare videtur, solum Christianum, diuitem esse: & idem videtur sentire B. August. B. Bernardus, & alij pleriq. SS. Patres, tam Græci, quam Latini. Cum autem diuitiæ Christianorum nullatenus consistant in mũdanis opibus (quæ & volubiles, & caducæ reputantur) indagandum hic est, quæ sint illæ, & vbi verè contineantur, vt apertè videatur, qualiter Episcopus iste Smyrneorum diues coram Deo factus fuerat.

Quæstio I.

An Christianorum diuitiæ sint victus, & vestitus?

Diuitia Christianorũ victus, & vestitus.



DIVVS Hieronymus partem affirmantem, in Epist. ad Paulinum clarè eliminat per hæc verba: [Credenti totus mũdus diuitiarum est, infidelis autem etiã obolo indiget, sic viuamus quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Victus atq. vestitus diuitię Christianorũ sunt] Quo loco docet B. Hieronymus confidendum esse in Domino, & ipse nos enutriet. Quoniam vbicumq. credens, & confidens in Domino steterit, nihil deficiet ei, quemadmodum si in toto mundo diuitias haberet. Vnde Christus discipulis suis Lucæ 22. ait: [Quando misi vos sine saculo, & pera, & calceamentis, nũquid aliquid defuit vobis?] At illi dixerunt [nihil] Non est ergo timenda penuria expensarũ; quoniam vbicumq. habent, qui omnia relinquũt propter Christũ. Hinc doctissimus Abulensis super hæc verba D. Hieronymi [victus atq. vestitus diuitiæ sunt Christianorũ] sic scribit: [Aliæ gentes, quæ fælicitatis terminũ in ista constituunt, diuitijs abundare volunt, Christiani autem, qui non habent hic Ciuitatẽ manentẽ, sed futurã inquirũt, vt patet ad Heb. 4. tãquã viatores, ipso victu, & vestitu contenti esse debent. Et iste victus & vestitus, non curiosus, nec exquisitus esse debet, quia tunc ad victũ, & vestitũ nihil sufficeret. Sic enim Caius Cæsar vna die centies cænauit, & in vna cæna consumpsit tributa trium prouinciarũ exquisitissimis cibarijs vtendo, vt ait Seneca in lib. de consolat. ad Hesbiã. Debet autẽ vestitus Christianorũ honestus esse, victus autẽ tẽperatus, & ista modicũ requirunt si sequimur naturã, quia, vt ait Seneca in libris

Pauperes Christi vbiq. diuites.

Alphonsus Tostatus in Epist. 8. D. Hieron. ad Paulinum to. in Genes. c. 8. fol. 33.

Seneca.

F de beneficijs, si naturã sequeris pauco contentus eris, si autẽ opinionẽ, nullo; Natura modicũ vult, opinio autẽ immensum desiderat. Dicit ergo Apostolus 1. ad Tim. 6 Habentes alimenta, quibus tegamur, his contẽnti sumus, & Lucæ 7. Nolite soliciti esse animæ vestræ, dicẽtes, quid manducabimus, aut quo operiemur, &c.] Hæc Tostatus.

Quæstio II.

An virtutes, & dona Spiritus Sancti sint diuitiæ Christianorum?

G



PARTEM affirmatiuam probo ex sanctis patribus: Quoniam D. Bernardus lib. de cõsiderat. sic ait: [Veræ ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secũ cõscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.]

Diuitiæ Christianorũ sunt dona Spiritus Sancti.

Porro D. August. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 10. ita habet: [Sancti amiserunt omnia, quæ habebant, numquid fidem? Numquid pietatem? Numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum diues? Hæ sunt opes Christianorum.]

D. August.

Clemens insuper Alexandrinus. lib. 3. Pedagog sic scribit: [Non satis animaduertimus quis sit is solus diues, qui, quæ sunt longe pretiosissima possidet, magni autem pretij sunt, non gemma, non argentum, non vestis, non corporis pulchritudo, sed virtus.]

Clem. Alex.

H Præterea D. Ambrosius in Lucam sic habet: [Discant diuites non in facultatibus crimen habere, sed in his, quæ vti nesciant; Nam diuitiæ, vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutum.] & in Epist. 10 quæ est ad Simplicianum: [Vere diues est, qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est, itaq. solum illum, Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recõdat. Nemo est diues, qui quod habet secũ, hinc auferre non potest, quod enim hic relinquitur, non nostrũ, sed alienũ est, diues Enoch fuit, quod habuit secum transtulit Gen. 5. diues Elias, qui virtutũ suarũ thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis inuexit, & tamen iste non mediocres diuitias hæredi reliquit, quas ipse non amitteret. 4. reg. 2. [Et in lib. de Tobia in cap. 18. expendens illud Ps. 36. [Tota die miseretur, & cõmodat.] seu iuxta Septuaginta: [Fænerat,] ita scribit: [Vnde huic iusto, quod tota die fænerat? Audi Petrum act. 3. aurũ, & argentũ non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine Domini Iesu Nazareni surge, & ambula. O optanda paupertas, o ditior inopia.] Hæc D. Ambrosius.

D. Ambr.

I

Rursus S. Hieronymus in quadam Epist. sic inquit: [Omnes virtutes sibi ita cohærent, vt qui vna caruerit omnibus careat (& fit pauper) & qui vnã habet (& fit diues) omnes habet.] Et iterũ: [Philosophus, glorię animalis, & popularis aure mancipium, totam simul sarcinam deposuit, & tu reputas in virtutum culmine positum, si partem ex toto offeras? Teipsum vult Dominus] sic ille.

D. Hieron.

Diuus etiam Hilarius illa verba Ps. 64. [visitasti terrã & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eã.] Nõ de terræ elemento, vt littera sonat, sed de humano corde mysticè expendens ait: [Visitauit Deus terram, id est, humanum genus, eaq. terra à Deo visitata multiplicatis gratiarum muneribus ditescit, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 1. in omnibus diuites facti estis cum illo.] Hoc autem dicit sanctus vir, eo quod hęc terra qua vtimur non locupletatur, sed ipsa potius homines fructuum suorum vbertate locupletat.

D. Hilarius.

Cor nostrum virtutibus ditescit, & locupletatur.

K

Porro venerabilis Beda in illud Apostoli, 2. Cor. 8. [Scitis gratiã Dñi nostri Iesu Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos di-

Beda.

vos diuites essetis,] ita scribit. [Omnes ergo diuites, boni fideles, nemo se contemnat. Pauper in Cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quam auro diues in purpura.]

Postremò D. Dion. Carth. super illa verba 1. Pet. 3. vt potè: [Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis &c.] sic ait. [Homo interior, videlicet anima rationalis, vnde & Paulus 2. Cor. 4. fatetur, licet is qui foris est noster homo, corrumpatur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem, hic inquam homo interior, ornetur incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, id est, in parte sua superiori, videlicet intellectuali, quæ incorruptibilis est, atque perpetua, ita vt mens spiritualiter pura, & integra sit, atq; per fidem, spem, & charitatem, virgo, & sponsa sit Christi, virginitas siquidem mentis, potest quotidie recuperari, vt quæ adultera fuit diaboli, per peccata, sponsa fiat Dei per virtutes & dona, quæ faciunt animam spiritualem incorruptam, virginalem & integrã, de qua incorruptione scriptum est. Incorruptio facit proximũ esse Deo. Qui spiritus rationalis in cõspectu Dei est locuples, id est, verè & spiritualiter diues, quando prætacto modo virtutibus, earũq; actibus perornatur. Veræ namque diuitiæ hominis sunt, gratia, sapientia, virtus, dona, & actus copiosi procedentes ex illis. Quæ diuitiæ homini inuito auferri non valent, vnde ad Corinthios loquitur Paulus. In omnibus diuites facti estis in Christo, & in omni verbo, & in omni sapientia. Hinc aliter diuiti (puta homini virtuoso) dicitur in Apoc. 2. Scio tribulationẽ tuam, & paupertatem tuam, sed diues es. Similiter ad Corinthios habetur Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum. Et contraria homini defectuoso rursus in Apoc. 3. dicitur. Dicis quia diues sum, nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis pauper, cæcus, & nudus] Hæc Carthusianus.

Homo interior quid sit.

Virginitas mentis recuperabilis.

Sap. 6.

Virginitas proxima Deo

1. Cor. 1.

2. Cor. 8

Quæstio III.

An postrema & vltima Christianorum diuitia sit beatitudo æterna?



Beatitudo æterna Christianorum diuitia vltima.

BEATITVDINEM æternam, quæ consistit in clara Dei visione, esse vltimũ finem hominis docent Domini Doctores in 1. sent. dist. 1 cũ Magistro, & in p. 2. cum S. Tho. q. 2. art. 1. Et quamuis Angelicus doctor ibi intrepidè contra antiquos Philosophos teneat finem hominis nullatenus in diuitijs consistere, nihilominus tamen si per diuitias, veras intelligamus diuitias, nimirum, non naturales, neque artificiales, de quibus disputat Aristoteles 1. Polit. 6 sed spirituales, de quibus agit Psalmista dum ait: [Gloria & diuitiæ in domo eius.] remanebit apertè, beatitudinem æternam, vt potè, claram Dei visionem, postremam & vltimam Christianorum diuitiam esse. Quoniam ea ita locupletatur homo in patria, vt de cætero, & ditissimus semper fiat, & super omnes gazas, opes, & supellectiles in æternum constituatur. Hinc planè est, quod inter diuitias & dignitates, nulla maior diuitia, dignitasve reperiatur, quam esse Christianum, & in Christum credere: Sic. n. dicit Aug. (vt refert S. Bern. in speculo virginum) fœlicior Maria fuit recipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Solus namque Christianus est, qui fide & operibus in gloria locupletatur æterna, & diues inter cælestes spiritus, de cætero ita fit, vt ditior, ac ditissimus omnium hominum huius sæculi merito reputetur. Minimum etenim gratiæ & virtutum, & tandẽ gloriæ, præstantius est cunctis terrenis diuitijs, iuxta illud Isa. 13. [Pretiosior erit vir (virtuosus) auro. & homo (gloriosus) mundo obrizo.] His igitur virtutibus, donis, diuitijsq. spiritualibus, quæ sunt veræ diuitiæ animi, opulentus & omnino plenus erat Antistes iste Smyrneorum Ecclesiæ, qui primo pauper, & postea diues, hic à Deo appellatus est, vt potè, pauper rebus (vt expendit D. Ambr.) & diues virtutibus.

Virtus minima præstat omnibus huius sæculi opibus.

D. Ambr. in comment.

PARAPHRASIS Quarta.

Par. 4.

Eruclatio textus.

§. 1. Et blasphemaris (ait) Perinde ac diceret: Blasphemus vocaris, vituperaris, contemneris, diffamationem sustines, iniuria lacesseris, & execrandus existimaris, ac diceris.

§. 2. Nota primò. Antistitẽ hunc ideo blasphemari, & maledici, quia virtutibus diues coram Deo factus fuerat, In cuius rei signum dixit Apostolus 2. Tim. 3 [Omnes qui volunt piè viuere in Christo persecutiones patiuntur.] & Sapiens Eccles. 2. [Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuã ad tentationem.] Id est, ad iniurias, opprobria, contumelias, & blasphemias. [Maledicimur (inquit Apost. 1. Cor. 4.) & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tamquam purgamenta huiusmodi facti sumus omniũ peripsema vsq; adhuc.] Quo loco, illud [Purgamenta huius mũdi,] indicat, sanctos haberi à malis & sceleratis hominibus, tamquã fœces & immunditias huius mundi; quibus videlicet de medio sublatis, putant mundum purgari, quasi purgamentis, & fœcibus è domo, cũ verritur, eiectis. Illud insuper [omnium peripsema] ferè idem demonstrat; quoniã [Peripsema] nomen est Græcum, & deriuatur à peri, quod est circum, & psema quod est figura; quare, peripsema, est purgamentũ ferri, vel opertura pomi, vel puluis quem calcamus, vel solea, qua solæ pedum plantæ obteguntur, aut calceamentorũ coriũ, vel illud quod in mari iactatur, vt nauis, fit incolumis, vel reticulũ, quo sudantes se abstergunt, quibusdam omnis scoria, alijs omne illud, quod apud nos nauci, & nihili est, velut quisquiliç. Vnde Primasius sic vertit: [Peripsema omniũ humillimi, abiecti, & despecti mappula.] vel tandẽ Peripsema dici potest omne illud, quod limando deteritur, & quod pedibus calcamus. Tales igitur putabantur Apostoli à sceleratis, & tales etiã in dies reputantur iusti ab improbis hominibus, & sic passim mille afficiuntur blasphemijs & opprobrijs. Antiquũ enim est, pios ac sanctos viros blasphemari, persequi, & cõtumelijs affici, à sceleratis hominibus, & hoc à principio mundi vsq; nunc. Bonus namq; erat Abel, & sacrificiũ Deo offerebat, cçterum illi nullatenus defuit malus Cain frater suus, qui illum interfecit. Pius erat Ioseph, quem Sol, & Luna, & Stellæ vndecim adorabant: Veruntamen fratres eius eum ita persequuti fuere, vt illũ in cisternã veterẽ mitterẽt, & Ismaelitis eumdẽ venundarent. Iustus erat Iacob, & scalam vidit in somnis, stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque ascendentes & descendentes per eam, & dñm innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dñs Deus Abrahã patris tui &c. at verò Esau frater suus illũ, & blasphemijs, & cõtumelijs mille, persequutus fuit. Vir Dei erat Elias, & intrepidè dicebat: [Zelo zelatus sum pro Dño Deo exercituum, quia dereliquerunt pactũ Dñi filij Israel &c.] nihilominus Regina Iezabel ei opprobrijs saturauit, ita vt desertum peteret, & sub vmbra iuniperi, Deo diceret: [Tolle animã meam,] Et vt multa paucis concludã, sic persequuti fuere Herodes Magos, Iudas & Pharisæus Magdalenã, & principes Sacerdotũ Lazarum resuscitatũ, dum illum interficere cogitarunt. Ad quod planè alludit illud. [Circumueniamus iustũ, quoniã cõtrarius est operibus nostris.] & illud Luc. 21. [Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meũ.]

Sancti & iusti execrãtur à malis.

Iustus immũdus est apud malos.

Lyranus. Interl. gloss.

Iustus à malis contemnitur.

Gen. 4.

Gen. 37.

Gen. 28.

3. Reg. 19.

Matth. 2. Luca 7. Ioan. 12. Sap. 2.

§. 3. Nota secundò. Blasphemiam propriè contra Deum, impropriè verò contra creaturam committi. Quoniā S.Tho. 2.2.q.13.art.1.affirmat nomen blasphemiæ importare quamdā derogationē alicuius excellentis bonitatis,& præcipuè diuinę. Quapropter equum erit asserere blasphemiā præcipuè committi cōtra Deum,nimirum, cum quis negat aliquid de Deo, quod derogat diuinæ bonitati. Hinc Alphonsus Tostatus in cap. 15. Matth.q.54. ita blasphemiam diffinit. [Blasphemia est qua aliquid contra honorē Dei proferimus, siue attribuendo ei,quod non habet,vt dicendo, quod natura diuina est corporea, vel cibo vtens, aut negando quod habet,vt dicendo,quod Deus non est omnipotens,neq; est clementissimus.] Vnumquodq; istorum falsum planè est,& in maximū dedecus Dei vergitur, quē ex debito honorare, & cui reuerentiam exhibere tenemur. Et in hoc sensu sceleratissimum genus peccati est blasphemia. Vnde glos.in illud Isa.18. [Ad populū terribilem &c.] inquit: [Omne peccatum blasphemiæ cōparatum leuius est.] & iterum: [Nihil est horribilius blasphemia, quæ ponit os suū in cælū.] Pro quo sciendum est,quod sic accepta blasphemia, tria peccata superat horribilia; primū quidē est paganorum,seu infideliū; quoniā,vt ait S.Th.2.2.q.13. Infidelis ea de Deo dicit,& loquitur,quæ licet falsa sint, tñ credit esse vera: Christianus verò blasphemans, loquitur cōtra veritatē quā credit. Secundum peccatum est homicidiū. Homicidium namq; quantum ad nocumentum (vt ibi ait S.Th.)maius peccatum est,quā blasphemia,eo quod magis nocet homini interfecto, quā blasphemus Deo blasphemato,cui nihil nocere potest; sed quantum ad obiectū,maius peccatum est blasphemia, quā homicidiū; quia homicida,licet interficiēdo hominē offendat Deum,tñ principaliter intendit offendere hominē; sed blasphemus,& maledicus intendit principaliter, & directè offendere ipsum Deum. Tertium est peccatū Iudæorum crucifigentium Christum; vnde Aug.inquit: [Plus peccant blasphemantes Christum triumphantem in cælis, quā qui crucifixerunt eum ambulantē in terris.] Hinc Christus Iudæis in terra blasphemantibus, ait Ioan.8. [Vos ex patre diabolo estis.] & in hoc sensu accipitur illud Isa.1. [Væ genti peccatrici, pupulo graui &c. blasphemauerunt Deum Israel.] Verumtñ cum bonitas etiā reperiatur in creatura per participationem; hinc etiam est, quod blasphemia possit etiam accipi contra creaturam rationalē eius bonitati participatę derogando, vt potè, cum quis maledicit proximo suo falsa de eo asserens,vel maledicta, cōuitia,opprobria,contumeliasq. ei inferēs, vt apparet in lingua dolosa,& mendace, de qua extat scriptum: [Filij hominam dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorū gladius acutus.] & iterum: [Acuerunt linguas suas sicut serpentes.] & tandem: [Lingua eorum exacuerunt vt gladiū,intenderunt arcum, rem amarā, vt sagittent in occultis immaculatum,subito sagittabunt eū, & nō timebunt,firmauerunt sibi sermonem nequā.] Hęc igitur lingua dolosa crebrò hominibus maledicta infert, & sic eos blasphemat; vnde est illud ad Tim.3. [Admone illos principibus & potestatibus subditos esse,dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare,non litigiosos esse.] Hinc est, quod Michael Archangelus disputans cum dæmone,noluit eum execrari, aut maledicere. Sic enim scribitur in epist. Iudæ Apost. [Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, nō est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Deus.] Quo loco planè maximè notanda venit lingua dolosa hominū,in hoc,nimirū, quia lingua Angelica noluit maledicere,& blasphemare dęmonē,& ipsa prope diē & maledicit,& blasphemat homines. Cæterum si execratio,seu maledictio, fiat in beatū & sanctū virum,dicitur blasphemia,vt habetur extra.de maled.cap.statuimus. Solet namq; lingua dolosa,non solum cōmunes, & plebeios homines execrare, & maledicere; verum etiā & beatos, sanctos,prælatos,principes,ac Reges contumelijs,& opprobrijs crebrò afficere; & hoc est blasphemare, vt indicat illud Iudæ Apostoli in sua canonica. [Similiter & hi carnē quidē maculant, dominationē autē spernūt maiestatē autē blasphemant.] Quo loco per dominationē & maiestatem, Reges & prælati intelliguntur,siquidem ibi abstracta pro concretis, vt potè dominationē pro ipsis dñis, & maiestatē pro ipsis Regibus,Prælatis,Principibus, cæterisq. publica dignitate pollētibus ponit Apost. Quo planè etiam sensu, legendus proculdubio etiā venit locus ille 2.Pet.2. [Dominationē contemnunt audaces, sibi placentes,sectas non metuunt introducere blasphemantes,] vbi ly [dominationē,] ita expendit D. Dion. Carth.[Tam Christo omniū dominatori,quam eius vicarijs sanctis Apostolis, & summa Antistiti renuunt obedire audaces,id est,temerarij, & præsumptuosi,cōfingendo dogmata noua,sibi placentes,id est,magni,& sapientes in oculis eius.] Hæc Carth. Et hinc proculdubio Pastor iste Smyrneorum abundè blasphematur.

Blasphemia duplex acceptio. — *Blasphemia verè & propriè contra Deum.* — *Blasphemia propria quid sit.* — *Blasphemia sceleratissimum peccatum.* — *Nota bene.* — *Blasphemia impropriè accipitur in creaturam.* — *Psal.56.* — *Psal.64.* — *Psal.63.* — *Lingua dolosa.* — *Maledictio in Sanctos, & Prælatos, etiā est blasphemia.* — *D.Dion. Carthus.in epist. Petri.*

PARAPHRASIS Quinta.

Par. 5.

Ab his (inquit) qui se dicunt Iudæos esse,& non sunt. Injurios, blasphamosq. in Episcopum Smyrnensem, noster Archipropheta, hypocritas Iudæos hic nuncupat.

§. 1.

§. 2. Nota tñ Primo, duplex esse Iudæorum genus, puta, carnale,& mentale. Iudæi siquidē & Ethnici per præputium,& circumcisionē ab inuicem separantur. Præputiatus namq; est Ethnicus,circumcisus verò Iudæus. Circumcisio etenim duplex est,spiritualis,nimirū,quæ est præcisio culpæ, & corporalis,quæ est præcisio pelliculæ cooperientis membrū virile. Ex qua planè gemina circūcisione duplex Iudæorū genus oritur. Quorū discrimina nullatenus cognosci queunt, quin primo illarū duarum circumcisionum differentias enodemus. Quanto igitur anima melior est corpore, & illo præstantior,tanto melior & pręstantior est spiritualis circumcisio circumcisione corporali. Idq; ex eo solū apparet, quod circumcisione corporali pellicula virilis membri dumtaxat abscinditur; at verò circumcisione spirituali,non tantum istud olim fiebat, verum etiā superfluæ,nociuaq. cordis cupiditates resecabātur. [De corde enim exeūt cogitationes malæ (dicitur Matth. 15.) homicidia,adulteria &c. & hæ sunt quæ coinquinant hominem.] Hinc qui nunc peccata omnia resecuerit corde,dicitur,estq. circumcisus, quāuis in carne sit naturaliter præputiatus. Contra verò, qui carne circumcisus est,corde verò nequaquam, perinde est ac si esset præputiatus. Nisi etenim cordis circumcisio,illam quæ est carnis comitetur, carnis planè circūcisio inutilis prorsus reputatur. Neq; enim iustitia habetur citra cordis circumcisionē. Quemadmodum ergo nisi adsit iustitia (quam circūcisio protestatur) circūcisio ipsa vana est,ita nisi adsit cordis circumcisio,inanis,irrita & vacua omnino est carnis circumcisio. Ob idq. Ieremiæ 4.præcipitur: [Circūcidimini Dño & auferte præputio cordiū vestrorū viri Iuda,& habitatores Ierusalē, ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea.] & cap.9.conqueritur Dñs de Iudæis dicens:] Omnes gentes habent præputium, domus autē Israel incircūcisi sunt corde.] Ex quibus apparet in veteri testamēto ratum & incassum fuisse,circūcidi virile membrū absq; eo quod noxiæ mentis cogitationes amputarentur. Quid,quod,in nouo Testamento Stephanus ille Protomartyr Iudæos compellans Act.7.ait: [O incircumcisi corde, & auribus vos semper Spiritui sancto restitistis.] Ecce igitur duas circumcisiones,spiritualē,nempe,& corporalem, ex quibus duo genera Iudæorum oriuntur (vt dixi) vt potè Iudæi carnales, qui habent carnem circumcisam, & Iudæi spirituales, qui habent mentem circumcisam, de quibus loquitur Apostolus ad Rom.2. dicens: [Non enim qui in manifesto Iudęus est,neque quæ in manifesto,in carne est circumcisio,sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu

Dilucidatio textus. — *Differentia inter Iudæos & Ethnicos.* — *Bifaria circumcisio.* — *Qui carne nō corde circumcisus est,perinde est ac præputiatus.* — *Circumcisio carnis inutilis est, nisi circumcisionem spiritualem sequatur.* — *Iudæos sū duo genera.*

A spiritu non in littera, cuius laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.] Ex qua Apoſtolica ſententia, & geminam circumciſio, ſcilicet, ſpiritualis, & carnalis, & duplex Iudæorum genus, nempè, occultum, & manifeſtũ apparet: Qui enim corde circumciſi ſunt, ſunt verò Iudæi, vel circumciſi ſint carne, vel non. Qui verò carne tantum circumciſi ſunt, ſunt falſi Iudæi. Primi ſunt Iudæi illi, quos Apoſtolus occultos Iudæos vocat; ſecundi verò ſunt Iudæi, quos idẽ Apoſtolus manifeſtos Iudæos appellat. Quæ duo Iudæorũ genera, noſter Archipropheta Ioannes, hoc loco, aliter, hoc eſt per [ſunt] & [non ſunt.] exprimit dicens: [dicunt Iudæos eſſe, & nõ ſunt.] Iudæi namq; patentes, ac manifeſti, hoc eſt, ex carnali tantũ circũciſione venientes, & carnẽ dumtaxat circũciſam habentes, ſunt qui nomine tenus Iudæi dicũtur, ſed re non ſunt Iudæi. Iudæi verò occulti, hoc eſt, ex ſpirituali circũciſione originẽ trahentes, vel mentẽ circumciſam habentes, ſunt qui re Iudæi ſunt, licet nõ dicantur Iudæi, quemadmodũ homo pictus, quãuis homo appelletur, rẽ natura non eſt homo, ſed ſolo, dumtaxat nomine, eo quod viui hominis ſola effigies ſit; Homo autẽ viuus eſt ille, qui re eſt homo, dicatur, vel nõ dicatur homo, eo quod natura eſt homo. Similiter eſt de Iudæis ex circumciſione ſpirituali venientibus. Non enim qui corã hominibus Iudæus eſt, hunc Deus Iudæũ verum ſpiritualiter reputat, neq; circumciſionẽ veram reputat. Sed qui in abſcondito Iudæus eſt, hoc eſt, iuſtitias legis obſeruans, hic coram Deo Iudæus eſt. Et vera eſt circumciſio cordis, quæ ſpiritu fit, non quæ carne, cuius laus, nõ coram hominibus (vt ait Apoſtolus) quia nunc latet, ſed coram Deo eſt, qui intuetur abſcõdita. Iudæi quippe illi, qui hunc Smyrneorum Antiſtitem blaſphemiis notabant, erant falſi Iudæi, venientes ex carnali tantũ circumciſione, & per cõſequens corde incircumciſi, ſignum oſtendentes veræ circumciſionis (quam haudquaquam habebant hypocritæ oſtendentes ſe eſſe populum Dei, cum non eſſent.) Ideò de ipſis ait filius hominis per Archiprophetam, [dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt.] Perinde ſanè ac diceret. Iudæi ſunt nomine, & non re ipſa, vt animal pictum, animal ſolo dumtaxat nomine appellatur.

Explicatur optime locus D. Pauli ad Rom. 2.

Iudæi veri qui appellentur.

Perbella ſimilitudo.

Nota bene.

Qui ſit falſus, & quis verus Iudæus.

Conceptus prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quòd inimico domeſtico nihil deterius.

NVLLA peior peſtis, quam domeſticus hoſtis, dicente Chriſto Matth. 10. [Inimici hominis domeſtici eius.] Qui locus per hæc verba explicatur ab Alphõſo Toſtato: [Quilibet fidelis habebit domeſticos ſuos pro inimicis, quia ferè in qualibet domo erant aliqui credentes, & aliqui non credentes. Et non credentes perſequebantur fideles, & etiã interdũ fideles timore perſequutionis occultabant ſe, vel tacebant, cum nondum interrogarentur de fide, cum nec obligarentur ſe ingerere ad confeſſionem, & tunc domeſtici reuelabant iudicibus, quod iſti eſſent Chriſtiani, & ſic trahebantur ad mortem, vnde domeſtici erant grauiores hoſtes quã extranei, & ita nulla peſtis eſt efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus, vt ait Boetius de conſ. lib. 3. Pro. 7.] Hæc Toſtatus. Hoc de domeſtico inimico alludit ad illud cap. 7. Micheæ. vbi ſic habetur [Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui; quia filius contumeliã facit patri, & filia cõſurgit aduerſus matrẽ ſuam: nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius.] Huiuſmodi autem Hebræi, de quibus intelligitur illud: [Dicunt ſe Iudæos eſſe, & nõ ſunt.] peſtis nequam & peſtilentialis iure optimo appellantur. Quandoquidem cum eſſent apud Smyrneam Eccleſiam inter fideles ſimul commorãtes, veluti domeſtici, eoſdem Smyrnenſes fideles tribularos (ad cumulũ miſeriæ) infamabant, vt Laudunẽſis hic indicat. Qui planè infamãdi ſtylus nullatenus noſtro iudicandus venit

D

E

Gloſſa Interl.

Stylus Iudæorum infamandi tribulatos.

A apud Hebræos. Quoniam ad eos proculdubio pertinet illa Chriſti querela à Zacharia in cap. 13. olim decantata. [His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebãt me.] Perinde ac diceret, Domeſtici hoſtes (qui inimici mei cum eſſent diligere me affirmabãt) his me percuſſerũt plagis. Quod planè adhuc indicauit Dñs dum apud Matth. in cap. 27. dixit: [Qui intingit mecũ manũ in paropſide, hic me tradet,] hoc eſt, diſcipulus meus, domeſticus meus erit hoſtis meus. Vides igitur qualiter nulla peior peſtis (vt dixi) quã domeſticus hoſtis. Hinc eſt illud: [Quid eſt, quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?] & illud etiã: [Qui ſimul mecum capiebat cibos.] Et illud tandem: [Qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationẽ.] Quibus locis, ſtylus ille loquendi, vt potè, [in domo mea,] [ſimul mecũ]. [edebat panes meos,] domeſticum hoſtem indicat. Quare Pſalmiſta domeſticos inimicos maledicit dicens: [Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.]

Hieremiæ 11.
Pſal 55.
Pſal. 40.

B

Conceptus. 2. Quòd hypocrita eſt deteſtandus.

SOcios planè, pleroſq; habent hi Hebræi: de quibus hic dicitur: [dicũt ſe Iudæos eſſe, & nõ ſunt.] Reperiuntur namq; pleriq; in hoc ſæculo, qui ſe dicunt ſanctos, pios, & iuſtos eſſe, & tamen non ſunt. Quinimmo hypocritarum perſonam ſuſtinent, ac repreſentant, de quibus Dominus dicit Matt. 23. [Væ vobis hypocritæ, ſimiles eſtis ſepulchis dealbatis.] Quemadmodũ enim quamdiu ſepulchrum clauſum eſt, pulchrum videtur à foris, mox verò vt aperitur horribile eſt. Ita & huiuſmodi hypocritæ ſimulatores bonorum, quamdiu non cognoſcuntur, laudabiles ſunt; attamen ſtatim ac cognoſcuntur, abominabiles vtique reputantur. Hinc Euãgeliſta Ioannes in ſuis reuelationibus Apoc. 3. virum verè iuſtum, pium, & ſanctum, appellat, [aurum probatum,] ad diſtinctionem hypocritarum, Aurum namque probatum, fuci, fœciſq; neſcium, ab hypocriſi diſtinguitur, quæ non aurum probatum eſt, ſed alchimicum cum ſolam auri ſpeciem referat. Hoc ipſum indicauit Apoſtolus dum dixit. 2. Cor. 6. [In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in longanimitate, in charitate non ficta.] Quo loco Apoſtolus, duplex aurum charitatis reperiri docet, vnum verum probatum, & germanum charitatis, per quod ſanctos, pios, ac verè iuſtos viros demonſtrat: Alterum verò fictum adulterinum, alchimicum, ac fucatum, per quod planè ſimulatores bonorum, hoc eſt, hypocritas, indicat: De quibus hic dicitur: [dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt.] Hos planè ſimulatores attingit Dominus, cum Matth. 6. præcepit: [Cũ ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.] Fingunt etenim per triſtitiam, ſanctitatem, & tamen hyſtriones ſunt. Hyſtrio namque ſæpe, latro cum ſit, ſumit in Theatro alienam faciem, vt potè, iuſti Regis, vel iudicis; ſic iſti ſimulatores aliud corde, & intrinſecus præ ſe ferunt. Vnde vnaquæq; lex ſignum dat cognoſcendi hypocritam. lex namque gratiæ, cuius obſeruatores ſunt baptizati, duplicem conſtituit fidem, viuam, ſcilicet, & mortuam; fides viua eſt bonorum; mortua verò eſt hypocritarum. Lex naturalis, cuius obſeruatores ſunt Ethnici; per præputium, duplex conſtituit præputium; manifeſtum vtique & occultum, iuxta Apoſt. ad Rom. 2. Lex verò ſcripta, cuius obſeruatores ſunt Iudæi per circumciſionem; duplicem etiam conſtituit circumciſionem, manifeſtam, nimirum, quæ eſt carnis, & abſconditam, quæ eſt cordis, & voluntatis, vt ad Rom. 2. etiam indicat Apoſtolus. Cæterum ex his quæſtio ſuboriri poteſt, quam attentè audite, & in eius fine, iſtud de hypocritis magis perſpicuum vtique fiet.

Comparatio.

C

D. Chriſoſtomus hom. 45. operis imp.

Iuſtus aurum probatum.

Hypocrita aurum alchimicum.

Comparatio.

Aurum charitatis duplex.

D

Aurum adulterinum.

Hypocrita quomodo cognoſcendus.

Comparatio.

Hypocrita eſt veluti Hyſtrio.

E

Conceptus 3. Quod circumcisionem ardenter Dominus Abrahamo praecepit, & quare.

Gen. 17.



Dicas fortè, si inutilis est carnalis circũcisio abs(q); spirituali circũcisione, cur Deus tãta seueritate pcepit Abrahamo illam carnis circumcisionem? Respondeo. Iam corde esse circumcisum Abraham cum mãdatum accepisset circumcidendae carnis: In praeputio enim credidit Deo, & reputatum fuit illi ad iustitiam. Haec ipsa fuit sua cordis, atque mentis circumcisio; cuius deinde signaculum in carne accepit, vt haec protestatio circumcisionis cordis, haec imitatio fidei, atq; iustitiae tanti Patriarchae, radices figeret in cordibus posteritatis, cuius numquam obliuiscerẽtur, circumcisionem in carne gestantes indelebilẽ, qua intelligerent oportere mente circumcidi, ne signum vanum esset prorsus, si nihil illi responderet. Ideo noluit Dominus circumcisionẽ carnis differri post octo dies, ne parentes dolori, incisionem illam pleriq. refugerent. Et ne etiam parentes (quorum amor semper augetur erga filios) illarum saluti timentes à circumcisione eorum abstinerẽt, quod Moyses (alioquin sanctissimus) egit pro Eliezer. Vnde & magnum illi periculum imminere didicit ab Angelo. Apparuit enim illi Angelus, volebatq. occidere eum in diuertorio. Deo namq; cordi erat, vt omnes corde circumciderentur. Nisi autẽ carne circumcisi fuissent, non intellexissent cor circumcidendum esse. Siquidem ex visibilibus ad inuisibilia consurgimus omnes, neq; ad inuisibilia rapitur animus, nisi ex his quae videntur, quasi confricatus incalescat. Eam verò partẽ iussit abscindi Deus potissimum, vel ne aliud membrũ deturparetur, quo aspectu horreret, vel, vt inde humanũ genus castigaretur, sanguinemq. Deo conciliando effunderet, & libaret; vnde illum ad iracundiã, prima illa aetas hominũ prouocauerat; adeò vt aquarũ multitudine perdita fuerit, illis exceptis, quos in sanctissimae inuictaeq. crucis figuram arca lignea seruauit indẽnes. Figurabatur autẽ, circumcisione illa, infirmitatis, & corruptionis nostrae naturae ablatio, quae Christi Iesu aduenientis gratia, haec initianda quidem, at cõplenda non erat, nisi octaua aetate, quae est aetas resurgentium, quam octauus ille dies indicabat subobscurè. Propterea praeceptum fuit magno illi Iesu Naue vt secunda circumcisione cultro lapideo filios Israel circumcideret. Quod proculdubio figura fuit huius naturae spiritalis circumcisionis, quam inchoatam primum diuina gratia, quae mentem sanat, complendam secundo expectamus, cum corruptibile hoc induet incorruptionem: & lex membrorũ auferetur, quae viros quantumuis perfectos, quousque peregrinantur extimulat adeo, vt illorum quidam diceat: [Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, illud ago. Non autem iam ego operor, sed quod habitat in me peccatum. Video enim aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meę.] Propterea quoniam omnis nostra corruptio, omnisq. infirmitas culpae, & poenae ex peccato illo Adae descendit, (quod contrahimus carnali origine) membrum illum generationis magno mysterio circumcidi iubebatur. Adueniente itaq; Christo Iesu (vti aliae ceremoniae cessarũt) ita cessauit circumcisio illa carnalis, vt nõ simus amplius sub lege circumcisionis, sed sub baptismo, qui sacramentũ est, & generalius, maribus cõmune & foemellis. Et purius. Quid enim aqua mundius, qua immũditiae omnes abluuntur? Et facilius: Nihil enim agitur in baptismo, quod vel tenella aetas puerorũ refugiat. Ad manus autẽ est cuiusuis hoc sacramentum: Vbique enim aquam reperire licet. Omnes item & vetulae baptizare possunt. Est & efficacius. Quae enim, & qualis est illa aqua, quae corpus tangit, & cor abluit? Siquidẽ baptizati pueri, si moriuntur, statim euolant ad regna caelorũ. Circumcidebãtur illi in carne, vt intelligerẽt eos esse circumcidendos in spiritu; at nos non circũcidimur quidẽ, sed crucis caractere consignamur, vt nõ modo circumcidendas esse carnis, & spiritus cupiditates, sed crucifigendas, occidendas, sepeliendasq. cum Christo Iesu intelligamus. [Quicumque baptizati sumus, (dicebat Paulus) in mortem Christi baptizati sumus.] Quo fit, vt sicut illa circumcisio carnis non proderat sine circumcisione spiritus, ita nec baptismus noster nobis sit profuturus, nisi adulti, fidem quam in baptismo protestati fuimus, & professi, opere teneamus. Et ex dictis facile apparet responsio ad praelibatam interrogationẽ. Ad quid (dicet aliquis) inter Ethnicos praeputium naturae manifestum & praeputium voluntatis, & cordis occultum? Ad quid insuper inter Iudaeos circumcisio carnis manifesta, & circumcisio cordis abscõdita? Ad quid deniq. inter baptizatos fides viua bonorũ operũ & fides mortua operũ malorum? Ad nihil aliud planè nisi ad hoc, vt in vnaquaq lege, apertè eius verus obseruator, & falsus hypocrita dignoscatur. Inter Ethnicos etenim qui nõ est voluntate & corde praeputiatus, non est verus Ethnicus, sed falsus Hypocrita. Insuper inter Iudaeos, qui nõ est mente circumcisus, non est verus Iudaeus, quinimmo abominabilis hypocrita. Et tandem inter Christianos baptizatos, qui non habet fidem viuam bonorum operum (adultus si sit) non verus Christianus, immo detestandus hypocrita merito nuncupatur.

Cur voluit Dominus circumcisionem per dies octo differri.

Circũcisionis dolor.

Exod. 18.

In circũcisione cur Deus praecepit mẽbri virilis & non alterius partẽ abscindi.

Aetas circũcisionis aetatem resurgẽtium praemõstrabat.

Membrum virile cur circũcidebatur.

Baptismus facilior circumcisione.

Difficultates aliquę de praeputio, circumcisione, & baptismo.

Hypocritam discooperit, & demõstrat omnis natio.

PARAPHRASIS Sexta.

Par. 6.

Sed sunt (ait tandem) Synagoga Satanae. Synagoga apud Hebraeos, domus orationis est, locusq. publicus electus à Deo, ad quem diebus Sabbatorum, & alijs festiuitatibus conueniebant Iudaei & orabant, ibique librorum Moysi, & Prophetarum lectionem audiebant. Et sic dicata erat talis domus, siue locus publicus ad doctrinam diuinae legis, & ad orationem. Est insuper Synagoga nomen Graecum, deriuaturq. à Syn, quod est con, & goge, quod est aggregatio, vel cõgregatio. Et quia Iudaei solebãt vnoquoq. sabbato (ex antiqua, à temporibus Moysi, orta cõsuetudine) & singulis alijs festiuis diebus, in vnum simul se cõgregare locum, & ibi primum legebatur lectio de libris Moysi, & de libris prophetarum, & post lectionem praedicabat aliquis ad plebẽ; hinc talis locus publicus, siue domus ad quam Iudaei orandi & obsecrandi Deum gratia, audiendiq. Prophetarũ, & legis Moysi lectionẽ desiderio confluebant, Synagoga inter ipsos Hebraeos dicitur. Inde Alphonsus Tostatus tom. 2. in Exod. sic diffinit Synagogam: [Synagoga idem est, quod multitudo congregata,] & Caietanus: [Synagoga locus publicus erat dicatus ad doctrinam diuinae legis, & orationem.] Et itidem Beda: [Synagoga Graecẽ, Latine dicitur congregatio.] Quo nomine non solum turbarum conuentum sed & domum, in qua ad audiendum verbũ Dei conueniebant, Iudaei appellare solebant. Et tãdem Franciscus Ribera, hic [Synagoga, collectio, vel congregatio dicitur] Quae omnes diffinitiones Synagogae Iudeorum sub congregationis, vel collectionis nomine stare queunt, cum Iudaeorum natio, à Iudae tribu originem trahens, ex alijs tribubus, & populis in vnum collecta, & cõgrata esset, vt populus Dei electus appellaretur. Est igitur Synagoga (vt dixi) domus orationis, & lectionis Prophetarum & legis Iudaeorum, quapropter actuũ 15. dicitur [Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum praedicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur:] & idẽ prorsus habetur act. 13. vbi de Paulo, & Barnaba dicitur: [Ingressi Synagogam die Sabbatorum sederũt; post lectionem autem legis, & Prophetarum miserunt Principes Synagogae ad eos dicentes; viri fratres, si quis est in vobis sermo exortationis ad plebem, dicite. Et tunc Paulus surrexit, & silẽtiũ manu indicẽs, praedicauit.] Et de hac orationis domo Iudeorũ, sub nomine Synagogę est sermo in sacra Scriptura, dũ dicitur Ps. 7. [Et Synagoga populorũ circumdabit te] Et Matth. 23. [Et ex eis flagel-

Dilucidatio textus.

§. 1. Synagoga definitiones variae.

Caiet. in cap. 7 Luc.

Beda in cap. 4. Luc.

Vera diffinitio Synagogę probatur ex sacro eloquio

flagellabitis in synagogis vestris.] & Lucæ 7. [Et synagogam ipse ædificauit nobis.] & Luc. 4 Surgens Iesus de synagoga introiuit in domũ Simonis]& Matth. 4. [Et circuibat Iesus totam Galilæã docens in synagogis eorum.] Hanc Iudæorũ synagogã, voluit Iesus Christus Redemptor noster illustrare, tùm eã vocans domum Patris sui,& domum orationis,dicens Ioan. 2. [Auferte ista hinc, & nolite facere domũ Patris mei, domum negotiationis.] & Matth. 21. [Scriptũ est: Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autẽ fecistis illam speluncã latronũ:] tum eam doctrinæ suæ prædicatione honorans. Prædicauit namq; Christus multoties in synagogis Iudæorum, vt Matthæus, Lucas, Marcus,& Ioannes,passim indicant.

Synagogam Iudeorũ sua prædicatione, prædicatione, & miraculis valde illustrauit Christus.

§. 2. Synagoga Iudæorum cur in synagogã Satanæ mutetur.

Cæterum (hic labor hic dolor) quia Iudæi,nimirũ, Scribę,& Pharisęi,(qui super Moysi cathedram,docẽtes populũ sedent) ab aduentu Christi vsq; in hodiernum diem,non rectè docent populum. Quinimmo illũ decipiunt turbam persuadendo, vt filium Dei, & Virginis Mariæ,Iesum Christũ in Messiam,in lege & Prophetis promissum,nullatenus recipiãt,scripturasq; veteris testamenti,falso interpretando, Christianos persequẽdo,Christumq. crucifixum irridendo (cũ potius credere in eum dębuissent, & id minimè præstent satanæ persuasionibus moti,)Idcirco ex synagoga Dei,synagoga efficitur satanæ,& ex domo orationis,spelũca baptizatur latronum. Nam idem,qui de hac Iudæorũ synagoga olim dixit: [vos autem fecistis speluncã latronum.] ipsemet de illa modo ait: [Sed sunt synagoga satanæ.] Et sic domus orationis Iudæorum,ex synagoga Dei, in satanæ synagogam mutatur. Quã planè mutationem præuidit Oseas propheta Dei, dum in cap. 2. ait: [Dicite fratribus vestris, populus meus, & sorori vestræ,misericordiã consequuta,iudicate matrẽ vestrã,iudicate,quoniam ipsa non vxor mea,& ego nõ vir eius, auferã fornicationes à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, ne fortè expoliem eam nudã,& statuam eam secundũ diem natiuitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem,& statuã eam quasi terram inuiam,& interficiam eam siti.] Et hoc fortè propter Scribas, Pharisæos & Doctores leges Moysi, qui falsis interpretationibus ad suum vetus testamentum, vt Leones, penitus deuorãt populum,ac turbam, iuxta illud Ezech. 19. Quare mater tua leæna (id est,synagoga) inter leones, (hoc est falsos legis Moysi doctores,Scribas, & Pharisæos) cubauit in medio leunculorum, enutriuit catulos suos.] Quasi dicat,sine causa repulit synagoga Christũ,sine causa dixit: [Sanguis eius super nos, & super filios nostros.] sine causa dixit: [non habemus regem nisi Cæsarẽ.] Hinc D. Bernard. serm. 14. super Cant. sic ait: [Iudæus proprias excogitet vires mihi probare libet, quæ sit voluntas Domini bona,& beneplacens,& perfecta. Ex ea sanè operis ac temporis damna mihi resarcio. Ille pacto conuentionis; Ego placito voluntatis innitor,credo & nõ ad insipientiam olim mihi. Nam vita in voluntate eius. Illa mihi reconciliat patrem, illa hæreditatẽ restituit, etiã cumulatiori gratia symphoniæ,& cantus epularum,ac totius exultantis familiæ celeberrima gaudia suscitat mihi. Si indignatur frater meus senior ille qui hędum comedere mauult cum amicis suis foris,quam mecum in paterna domo vitulum saginatum: Respondebitur illi: Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Adhuc synagoga foris epulatur cum amicis suis dæmonibus, quibus satis placet, quod hędum peccati insipiens deuorat,transglutiens,& reponens,atque quodammodo occultans sibi illud in ventre socordiæ, & insipientiæ suæ, dum contemnens Dei iustitiã, & suam volens constituere,dicit se non habere peccatum, nec morte egere vituli saginati, mundã siquidem, iustamq. ex legio operibus reputans, At verò Ecclesia scisso velo occidentis litteræ in morte verbi crucifixi audacter ad eius penetralia præeunte spiritu libertatis, irrũpit, agnoscitur, placet,sortitur æmulæ locũ,fit sponsa,fruitur præreptis amplexibus,& in calore. Spiritus Christi Domini cui confricatur inhærens estillante,ac fun-

Synagoga Iudæorum mutatio præuisa à Prophetis.

Pharisæi fuerunt causa mutationis nominis Synagogæ.

Pharisæorum falsa dogmata, & doctrina.

D. Bernardus in Cantica.

Lucæ 15.

A dente vndique sui oleum exultationis, hoc illa præ participibus suis excipiens,ait, oleum effusum nomen tuum.] Hucusque D. Bernard. Ex quibus planè liquet iustè synagogæ Iudæorum à Christo mutatum fuisse nomen, ex domo vtiq; orationis, & Dei vxore, in latronum speluncam, & satanæ synagogam. Et hoc ob illius sputis Christum conspuendo,illumq. flagellis,ac cruce,milleque alijs opprobrijs repellendo perpetratum adulterium.

§. 3. Synagogam mutationem nominis exordi tus fuit Christus adhuc in terris viuens

Hanc autẽ mutationẽ nominis synagogæ Iudæorum Christus viuens in terris inchoauit: dum Iudæis dicẽtibus Io. 8. [Semen Abrahæ sumus.] & paulo post: [Pater noster Abrahã est.] & tandẽ, [Nos ex fornicatione nõ sumus nati,vnũ Patrẽ habemus Deũ.] rñdit dicens: [Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.] Ecce planè tùm Iudæorũ,tùm synagogę eorũ,in malum (ob eorum duritiã, & incredulitatem) B futurã nominis mutationẽ, vt non glorietur omnis caro in conspectu Dei. O Iudæi qui primũ gloriebamini, quod tam honorifico nomine illustres, & perspicui essetis,nimirũ, filij Abrahæ,cum primũ fidẽ Abrahę perdidistis, simul & nomen filij Abrahæ ex cõsequenti amisistis. Qui etenim fidẽ Abrahæ toto corde amplectitur,& suscipit,ore prædicat,& opere colit, hic est verè filius Abrahæ, & hic coram Deo laudẽ, & maximã gloriam habet. At vos, ò Iudæi, quamprimum fidem Abrahæ de futuro Messia (qui iam in plenitudine tẽporis sanè venit) increduli amisistis, nullatenus ambigendum est,quin & ex patre diabolo sitis, & synagoga satanæ, nunc proculdubio meritò vocemini, hoc est, congregatio ad diabolum pertinens. Attamen de pristinæ nobilitatis vestræ diruptione vberrimus erit in sequenti capite sermo noster.

Obiurgatio in Hebræos.

Filij Abrahæ qui fiat.

C

NIhil horum timeas, quæ passurus es: Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini,& habebitis tribulationem diebus decem. Text. 10

COMMENTARIVS.



OMnia sciens,& nihil prorsus ignorans filius hominis: Tum in quantum Deus,per scientiam diuinam: Tum in quantum homo per scientiam inditam, vel infusam, hic tam Antistiti Smyrneorum quã vniuerso populo sibi credito futuram Iudæorum,ac gentium in primitiuam Ecclesiam persequutionem,ac tribulationem prædicit. (Quam iam in Ecclesiam Smyrnensem adimpletam olim fuisse narrant,Euseb. in hist. Eccles. lib. 4. cap. 15. & Nicephorus lib. 3. cap. 36.) eosque corroborat, ne tot malis, extemplò superuenientibus, fidem perdant. Quamobrem Antistiti alloquens, qui cæterorum personã sustinebat ait. *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Quasi dicat,corporales afflictiones, & varias superuẽturas impugnationes minimè formides. Eodem planè modo hortatus est Christus discipulos suos, dũ Matth. 10. dixit: [Nolite timere eos,qui occidunt corpus,animam autem nõ possunt occidere.] Quod perinde est, ac diceret. Ne intendatis Iudaicis fabulis,& mandatis hominum auersantium se à veritate. [Omnia munda munE dis,coinquinatis autem,& infidelibus (vt ait Apostolus ad Tit. 1.) nihil est mundum,sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia,confitentur se nosse Deum factis autem negãt,cum sint abominati,& incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.] Id propterea hic dicitur, siue tribulationem in corpore, siue vituperationem in fama, ò Antistes sancte, tibi parent. *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Quoniam animam nullatenus occidere possunt tuam. Timere namque

Explanatio contextus.

§. 1. Christus omnia scit. Mag. 1. lib. sent. dist. 35. & S. Th. 1. p. q. 14.

D

Mag. 3 lib. sent. dist. 14. & S. Tho. 3 p. q. 11. art. 6.

Tribulatio futura prædicitur Ecclesię Smyrnensi.

aut pauere conceditur infirmitati naturæ, iuxta illud Matth. 24. [Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.] & Marci 14. [Cœpit pauere, & tedere.] tamen non conceditur pauor, aut timor infirmitati naturæ, ita vt malorum timore, spiritus cedat carni, recedendo à Dei voluntate. Quamobrem Christus pauore, & timore affectus, Patri dixit æterno: [Fiat voluntas tua.] Et cum voluntas Dei sit, vt nos semper in fide sani & intrepidi simus, ideo huic Smyrnensi Pastori dicitur: *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Porrò, vt ad imminentem persecutionem animosè excipiendam sese magis paret; hostem, eiusq. persequutionem, proprio nomine, exprimit Dei vates, subdens *Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem.* id est, suggerente diabolo, aliqui de grege tibi commisso, ab inndelibus incarcerabuntur. Et quia omne agens, vt dicit Philosophus, agit propter finem, huius persecutionis diabolicæ finem per hæc verba declarat, *vt tentemini.* id est, vt probemini, ita vt patientia vestra per hæc aduersa alijs ad ædificationem innotescat, iuxta illud Sap. 3. [Tanquam aurum in fornace &c.] Quoniam quemadmodum vasa figuli, fornax, sic homines iustos, tentatio tribulationis, probat. Et vt tandem clarè intelligatur, Diuinam sapientiam, tempus & horam tentationis suauiter etiam disponere, & præordinare, mox additur: *Et habebitis tribulationem diebus decem.* quasi dicat, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, hic dies in quibus passuri estis tribulationem diligenter, denario computauit dumtaxat numero; Quare consolamini, quoniam diebus transactis decem, certamen omnino deficiet.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Ecce (ait) missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem. Hic sanè adimpletur illud Matth. 10. [Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum; estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, cauete autem ab hominibus: tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides, & ad reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.] Verùm enimuero, cum Iudæi, & Gentiles in Smyrneos (vt est dictum) venirent, cur non dicit missuri sunt Iudæi & Gentiles, sed ait: Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem? Sic planè oportuit dici, vt quod membra præstant, capiti attribuatur. Hinc Christus Dominus, Lucæ 22. Petro dixit: [Simon ecce satan expetiuit vos vt cribraret sicut triticum.] vbi Dominus sumpsit tritici similitudinem, qui dum purgatur à paleis, cribratur, hoc est, commouetur, ventilatur, & excutitur, & hoc ipsum in Apostolos intendebat præstare satanas per suos ministros Iudæos. Et illud planè aliquo modo assequutus fuit satanas, cum ad aduentum Iudæorum, gratia comprehendendi Iesum in horto Gethsemani, Apostoli, relicto magistro, omnes fugerunt, & fidem, aut fidei professionem (vt ait Caietan in cap. 2. Lucæ.) perdiderunt. Et idem prorsus apparet in Iob, cuius nuditas, & persecutio satanæ attribuitur, iuxta illud: [Dixit ergo Dominus ad satan, Ecce vniuersa quę habet Iob, in manu tua sunt.] Et tamen, satan immediatè nullatenus tangit, aut spoliauit Iob: Id namque præstitit mediatè, vt potè per suos ministros: Sic enim subditur in textu: [Nuncius venit ad Iob, dicens: [Boues arabant, & Asinæ pascebantur, iuxta eos, & irruerunt Sabæi (non satanas, sed eius ministri Sabæi,) tuleruntq. omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nunciarem tibi.] & paulo post: [Sed & illo adhuc loquente, venit alius & dixit: [Chaldæi (non satanas, sed eius ministri Chaldæi) fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi.] Et tandem: [Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens (non satanas, sed eius ministri, ventus .s. vehemens) irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt, & effugi ego solus vt nunciarem tibi.] Vbi id omne quod à membris & ministris satanæ fiebat, totum à satana fieri dicitur, vt satis clarè indicant verba illa: [Dixit Dominus ad satan: Ecce vniuersa, quæ habet Iob, in manu tua sunt.] Ad eumdem modū hic, quod membra, & ministri diaboli (Iudæi vtique & Gentiles) in Smyrneos præstabant, mittentes eos in carcerem, vel in omnem (vt vertit glossa interlinearis) tribulationem, totum, eorum princeps & caput diabolus præstare affirmatur. Hic etenim teterrimus, ac acerbissimus totius humani generis hostis, superbusque inimicus, semper inextricabiles inimicitias cōtra fideles, ac pios, crudeliter exercere contendit, & quod per se immediatè nequit, id per sua membra, & ministros mediatè præstare curiosè ac diligenter curat. Cum autem mittere aliquem in carcerem sit proprium ministrorum iustitiæ, & hic dicatur: [Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem.] sequitur hoc loco, dęmonem diuinę iustitiæ, & prouidentię ministrum esse & appellari in inferendis laboribus & calamitatibus. Idcirco D. Hieronymus super illa verba Apostoli 1. ad Tim. 1. [Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.] sic ait. [Ergo diabolus, quasi Quæstionarius Domini est, qui enim non rectè ambulabant, traduntur diabolo, vt ab ipso cruciati, ad Deum reuertantur.] Quo loco, diabolum vocat D. Hieronymus Quæstionarium Domini, non ad cruciandum bonos propter aliqua crimina, sed ad patientiæ exercitationem, probationem virtutis, & meritorum segetem.

Diabolus est caput malorum.

Inuidia diaboli in seruos Christi.

Apostoli amiserunt fidē, hoc est, confessionē fidei

Iob 1.

Satanas ingessit mala. Iob per ministros suos.

Satanas est minister diuinæ iustitiæ.

D. Hieron. in ps. 107.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Eliminatio textus.

§. 1.

Glos. ordin. Lyra. D. Tho. D. Dion. Carthusian.

Vt tentemini, (ait.) Tentare est probare, iuxta illud Dan. 1. [Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris, facies cum seruis tuis. Qui audito sermone huiuscemodi, tentauit eos diebus decem.] Carcere namque, tribulationibus, approbrijs, gladijs, flagellis, æquuleoq. probare hic intendebat diabolus hos Smyrneos, an eos à fide deuiare quiuisset. His vtique minis, terroribusq. Draco iste fidem à fidelibus absorbere, ac deglutire solet. Hinc D. Ambrosius super hunc locum, sic ait: [Vtrum timore pœnarum a fide cadere, an pro amore Christi mori deliberetis.] Et etiam Rupertus Abbas hoc in loco quærens qua intentione diabolus esset aliquos Smyrneos in carcerem missurus scribit: [Missurus est (inquit) in carcerem, quare? Qua intentione? Vt tentemini. Ille enim tentator est, & eò totus intendit, vt aliquos ex vobis decipere possit, tali intentione Iob sanctum experiuit, idcirco illum vlcere pessimo extrinsecus percussit, ita vt à planta pedis vsque ad verticem, non esset in eo sanitas; quatenus, simplicitatem, & rectitudinem eius, intrinsecus euerteret, vt peccaret Iob in labijs suis, & stultum quid contra Deum loqueretur, atque ita Deo, quę proposuerat dicens: Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, quasi victor diabolus insultaret. Hoc intendens missurus est (inquit) diabolus ex vobis in carcerem, vt non omnes citò moriamini repentino ictu gladij, sed protelatione

Intentio qua diabolus tētauit Smyrneos.

D. Ambr. in comment.

tione pœnarum, & mora mortis pertæsi conturbemini in cordibus vestris, & inter procellas iniuriarum fluctuantes concidatis, & perdita si fieri potest, fide absorbeamini.] Hæc Rupertus. Hac plane intentione, plerosque diabolus in dies tentat, & in aliquibus, proh dolor, victor euadit, vt apparet in Iuda proditore, & in Anania, & Saphira eius vxore vt act. 5. clarè liquet.

§. 2. Christianus dimicat cum fortissimis hostibus.

Nota tamen primo, nobis semper præparatum esse certamen contra fortissimos hostes, vt potè, dæmones, dicente Apostolo. 1. Cor. 10. [In carne ambulantes non secundum carnem militamus.] Hinc est illud eiusdem Apostoli ad Eph. 6. [Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.] Aduersus quos, arma, telaq. Christianorum vera & firma sunt, oratio, ieiunium, eleemosyna, & reliqua pœnalia opera, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 9. [Sic pugno non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.] & ad Rom. 15. [Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum] Quo loco clarè indicatur, sanctos oratione pugnare cum hostibus. Idque clarè exprimitur in eleuatione manus Mosy in pugna populi Israelitici cum Amalech vt dicitur Exod. 17. In quem locum sic scribit Origenes: [Nobis etiam pugna est aduersus Amalech hoc est, aduersus Principes, & potestates, & rectores tenebrarum harum, eleua & tu manus ad Deum, imple mãdatum Apostoli, sine intermissione orate, 1. ad Thessal. 5. & tunc fiet quod scriptum est, Numerorum 22. Quia sicut vitulus ablingit in campis herbam virentẽ, ita ablingit hic populus populum, qui super terram est per quod, vt à maioribus accepimus, indicatur, populum Dei non tam manu & armis, quam voce & lingua pugnare; id est, orationem ad Deum fundendo.] Hæc Origenes.

Origenes ho. 25. in Exod.

§. 3. Christus est victoria nostra.

Nota secundo. Nos in tentatione, victoriam à dæmone reportare per Christum, qui à dæmone in deserto tentari voluit, vt dicitur Matth. 4. Primo, vt nobis contra tentationes auxilium ferret, vnde D. Gregorius sic ait: [Non erat indignum Redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidi, vt sic tentationes nostras, suis tentationibus, vinceret, sicut mortem nostram moriendo superauit.] Secundo, propter nostram cautelam, vt nullus quantumcumque sanctus se æstimaret securum, & immunem à tentatione, vnde, & post baptismum tentari voluit: Quoniam sicut Hilarius dicit, in sanctificatis, maximè Diaboli tentamenta grassantur; quia victoria magis est ei exoptanda de sanctis. Hinc Eccl. 2. dicitur: [Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animã tuam ad tentationem.] Tertio, propter exemplum, vt scilicet nos instrueret qualiter diaboli tentamenta vincamus. Quartò, & postremò, vt nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. Legito Sanctum Thomã, 3. p. q. 41. art. 1.

D. Greg. ho. in Matth.

Hilarius in Matth.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Exposito textus. §. 4.

Et habebitis (ait tandem) **tribulationem diebus decem.** Quamdiu Iudæorum ac Gentium bellum in Smyrneos duraturum erat, hic plane indicatur: Triplex quippe est huius loci explanatio. Vna vtique litteralis, qua per tempus decem dierum, decem annos intelligimus. Solet namque dies in sacra scriptura pro anno accipi, iuxta illud Ezech. 4. [Dormies super latus dextrum tuum secundò, & assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.] accipiendo igitur, hoc loco, diem pro anno [decem diebus,] hoc est, [decem annis,] tribulatio, & persequutio Smyrnensis Ecclesiæ futura erat. Secunda insuper interpretatio itidem est litteralis, qua per decem dies propriè intelligere possumus decem naturales dies, vnumquemque illorum viginti quatuor horarum computatum: siue accipiamus naturalem diem, à vespera ad vesperam, vel inter duos solis exortus vel inter duos occasus, vel à meridie in meridiem, vel à luce ad tenebras, vel tãdem à media nocte, in mediam noctem, per quos quidem decem naturales dies, bellum Iudæorum, ac Gẽtium in Smyrneos atrocius, & crudelius præualuit. Solet namque bellum, vno tempore magis ingrui, & accendi in hostes, quam alio. In quibus decem diebus, Polycarpus Smyrneorum Episcopus, & alij duodecim fideles ex Phyladelphia venientes, & supra dicebamus

1. autoris expositio.

2. Expositio auctoris.

Dies naturales apud Hebræos, Babilonios, Chaldeos, Athenienses, & Astronomos nõ eodem modo incipiunt de quo vide Plinium lib. 2. nat. hist. cap. 77.

B martyrio traditi fuere. Hanc interpretatonem videntur amplecti D. Ambrosius, dum super hæc verba: [Et habebitis tribulationem diebus decem,] ita scribit: [Tempus, quo hæc persequutio crudelius sæuitura esset, demonstrat,] & glossa ordinaria, quæ sic ait: [Diebus decem, id est, tempore illius belli; Deus enim suos ad bella dimittens decalago armat.] Tertia denique huius loci enodatio est mystica, qua a Doctoribus textus iste multifariè exponitur. Plerique namq. illorum numerum decem dierum referunt ad decem Imperatores Romanos. Quia à Nerone, vsque ad Diocletianum, fuerunt decem Principes Romanorum, persequutores fidelium, qui per decem cornua illius bestiæ, quæ habetur Dan. 7. significantur, & in hoc sensu, durabit persequutio Smyrnensis Ecclesiæ decem diebus, hoc est, tempore decem Imperatorum Romanorum. Alij, ly [decem diebus] referunt ad numerum

D. Dionysius Carth. S. Tho. S. Ambros. Strab. in gl. ord.

3. Expositio aliorum Doctorum.

C infinitum, itaut accipiatur hic numerus finitus pro infinito. Inde referunt totum hoc, non ad Smyrnensem, sed ad vniuersalem Ecclesiam. Quapropter Primasius in hunc locum sic scribit: [Vniuersali Ecclesiæ hæc dicta conueniunt, aduersus quam Diabolus inextricabiles inimicitias semper exercet, & propterea in decẽ diebus præsentis vitæ, significatur excursus, propter decalogum, in quo breuiter legis summa consistit. Hic enim necessaria sunt diuina præcepta vbi opus est cõtinentia. Hinc dicit, consenti aduersario tuo, id est, legi, cum es cum illo in via huius sæculi, videlicet tẽpus omne significans, quando contra varias cupiditatum illecebras, lege instruente, confligitur, vt per Dei gratiam subactis carnalibus quinque sensibus: Qui propter sensum geminum duplicati decem faciunt, victoria capiatur.] Hucusque Primasius. Eamdem sententiam amplectitur Auctor glosæ ordinariæ dum super hunc locum ita scribit: [Vel decem diebus, hoc

Primasius in comment.

Glos. ord.

D est, toto hoc tempore in quo per septem dies cõtraria principalia vitia pugnatur, auaritiam, cupiditatem, vanam gloriam.] Idem videtur asserere Rupertus Abbas dum in hunc locum sic scribit: [Et habebitis tribulationem diebus decem, id est, vsque ad mortem, videlicet quandiu militatis in lege Dei, sicut oportet, vt adimpleatis præcepta decem.] Eamdem sententiam (licet eam non teneat) citat hoc in loco Lyranus. Alij per tribulationem decem dierum intelligunt tribulationem perfectam, quia denarius numerus, est numerus perfectus, & primus limes numerorum, quia numeri sequentes sunt replicationes denarij, & partium eius, vt dicitur 3. Phys. Vndecim enim est vnum & decem, & sic vsque ad viginti, quæ sunt bis decem triginta ter decem, & sic consequenter. Hanc eandem sententiam citat Lyranus vbi supra. Alij ly [decem diebus] re-

Sentẽtia quorumdã, decẽ dies ad decẽ præcepta decalogi referẽtium.

E ferunt ad decem præcepta decalogi, quasi dicat tribulatio Ecclesiæ durabit, quamdiu obseruatio præceptorum decalogi quæ est vsque ad finem mundi. Hanc opinionem tenent Berengandus D. Dionysius Carthusianus, & S. Thomas. Iam postremo, alij dictionem hanc [decem diebus,] referunt ad dies multos, perinde ac diceret Dei vates: Multis diebus sustinebitis tentationes, & tribulationes, & omne, quod patimur est momentaneum respectu gloriæ, quam expectamus; ac si mille-

si millenarius numerus decennio comparetur per decem dies cursus agonis nostri intelligitur, quia decennalius numerus est perfectus, in quo populus Christianus in terram viuentium introducitur. Hoc tenent ij Auctores, quoniam mos est sacræ scripturæ, vt quibusdam certis numeris, pro incertis vtatur, vt habemus ex quinta regula Ticonij apud D. Augustinum lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 35. Id apparet ex illo Gen. 31. [Mutauit mercedem meam decem vicibus :] & 2. Reg. 19. [Decem partibus maior ego sum apud Regem.] & tandem Ioa. 19. [En decies confunditis me] Quibus locis numerus denarius, vel, decies, pro sæpe accipitur. Quare dicunt hi Doctores textum hunc: [Diebus decem,] Nihil aliud indicare, quam dies multos ita vt tentatio sit dierum multorum. Quælibet ex his explanationibus est apta; verumtamen duæ priores sunt litterales, & textui magis germanæ.

Text. 11.

ESTO fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

COMMENTARIVS.

Expositio textus.

§. 1. Magnifica pollicitatio.

TABESCERET plane, quinimmo iam perinde, ac lassata, (cum in hæc scribendo, tum in hęc mundi tentamenta sustinédo) prorsus deficeret anima mea, nisi auris mea, hanc diuinam audiret vocem, *Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*. Hac enim voce concepta, animus meus lubens consurgit, immo quasi confricatus incalescit, ac ad certandum constanter penitus rapitur, vt talem vitæ coronam in futuro accipere valeat. O vox diuina, ô vox infinitæ virtutis ô vox denique conterens, etiam & saxa. Hæc vtique est illa vox Domini, de qua Psalmista dixit: [Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cædros, & confringet Dominus cedros Lybani. Et comminuet eas, tamquam vitulum Lybani, & dilectus quémadmodum filius vnicornium. Vox Domini intercidétis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, & cōmouebit Dñs desertū Cades, vox Domini prępatantis ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam. [Qui namque pro nobis crudeliter patiens, spinarum sustinuit coronam, ille hic vitæ æternæ, nobis vsque in finem in bonis operibus perseuerantibus, fidemque semper illæsam custodientibus, aliam lubenti animo promittit coronam, perinde ac si hæc nostra [vitæ æternæ, a sua spinarum originem traxerit (vt plane traxit) corona. Et prorsus ita est, eo quod, quia milites plectentes coronā de spinis (vt dicitur Matth. 27.) posuerunt super caput eius, ideo ipse super caput nostrum nunc vitæ æternæ coronam super imponere maximopere desiderat. Idque planè hic indicat huic Smyrneorum Antistiti, & ex consequenti vnicuique nostrum dicens. *Esto fidelis vsq. ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

Ps. 28.

Vox Domini est ingentis virtutis.

Christus coronatus desiderat nos coronare.

§. 2. Corona vitæ est præmium nostrum.

Hæc vitæ corona, præmium plane est, quod Dominus Deus noster, nobis pro laboribus in nomine eius susceptis daturus est. Præmium (inquam) tum essentiale, quod aurea, beatitudo, vel gloria essentialis, substantialisque dicitur, tum accidentale, quod aureola, hoc est, gloria accidentalis appellatur. Duplex namque præmium fidelibus suis, sub coronæ nomine promisit Deus, [Facies coronam auream (dicitur Exod. 15.) & super illam, alteram coronam aureolam.] Per quam

Præmium duplex sub coronæ nomine repromittit Deus.

F duplicem coronam Doctores in 4. sent. dist. 49. cum Magistro, & in add. ad 3. p. q. 96. cum Sancto Thoma duplex plane præmium, essentiale vtique (vt dixi) & accidentale intelligunt. Totum etenim bonum hominis in patria, est beatitudo, & ista dicitur præmium essentiale. Sunt insuper in patria quædam bona particularia, quę non pertinent ad beatitudinem, & ista dicuntur accidentale præmium, vt sunt gaudia animarum de quibusdam bonis habentibus specialē rationem difficultatis, & perfectionis: Ex his igitur duobus præmijs patriæ, Primum, hoc est, essentiale, dicitur aurea, beatitudo, vel gloria essentialis substantialisque omnibus beatis communis, vnicuiq. enim illorum datur, Secundū verò, hoc est, accidentale, dicitur aureola, quę quibusdam specialiter datur, vtrumque autem præmiū dicitur corona, quod quidem nomen vtrique præmio conuenit ex ratione victoriæ; quia vbi victoria sequitur ad pugnam, debetur corona, iuxta illud 2. Tim. 2.

Beatitudo est totum hominis bonum.

Aurea, & aureola in quo differant.

Corona dicitur tā aurea, quam aureola,

G [Non coronabitur nisi qui legitime certauerit.] Hinc S. Tho. in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1. & in add. ad 3. p. q. 96. art. 1. sic ait: [Præmium essentiale hominis (quod est eius beatitudo consistit in perfecta coniunctione animæ ad Deum in quantum eo perfectè fruitur, vt viso, & amato perfectè. Hoc autem præmium metaphoricè corona dicitur, vel aurea, tum ex parte meriti quod cum quadam pugna agitur; Militia enim est vita hominis super terrā, tum ex parte præmij, per quod homo efficitur quodammodo diuinitatis particeps, & per consequens regiæ potestatis, iuxta illud Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, &c. Corona autem, est proprium signum regię potestatis, eadem ratione præmium, quod essentiali additur, coronæ rationem habet. Significat etiam corona perfectionem quamdam ratione figuræ circularis, vt ex hoc etiam perfectioni

Beatitudo quare dicitur corona.

Iob. 7.

H competat beatorum; Sed quia nihil potest addi essentiali quin sit eo minus, ideo superadditum præmium aureola nominatur.] Hucusque S. Thomas. Corona itaque pugnantibus (cum ex pugna victoria sequitur) debetur. Cum autem sint aliqui speciales modi pugnandi, & vincendi, hinc specialiter pugnantibus, & vincentibus, specialis corona debetur. Id propterea martyribus doctoribus, ac virginibus specialiter pro Christo pugnantibus, & vincentibus præter coronam auream, hoc est, beatitudinem essentialem substantialemque omnibus beatis communem alia debetur corona victoriæ (vt dicunt ibi Theologi, & nos probabimus infra) quæ aureola, & præmium accidentale appellatur. Vnde cum Smyrneorum antistes (quem Polycarpum fuisse ex hoc loco maximè credo) ad martyrium, & ad pugnam cum Iudæis, & gentilibus, (vt supra retulimus) proculdubio inuitetur, ideo hic

I illi auream, & aureolam, hoc est, præmium essentiale, & accidentale in patria sub nomine coronæ vitæ à Deo pollicetur sub his verbis; *Esto fidelis vsq. ad mortem* (in via) *& dabo tibi* (in patria) *coronam vitæ*. Vt potè, auream, & aureolam, hoc est, gloriam essentialem, substantialemque, vt beato, (quoniam hæc omnibus beatis datur communis) & gloriam accidentalem, vt martyri: Quia hæc non omnibus beatis, sed virginibus, doctoribus, ac martyribus dumtaxat, conceditur, & promittitur, cum vsque ad mortem in bono perseuerent, & Dominus dicat Matth. 10. [Qui perseuerauerit vsq. in finem, hic saluus erit.] Quod alijs verbis Salomon declarat, dicens, Ecclesiast. 4. [vsque ad mortem certa pro iustitia.]

K Aeterna autem fælicitas mysteriosè corona appellatur. Ad quod plane alludit illud Ps. 102. [Qui coronat te in misericordia, & miserationibus,] & illud Petri 5. [Cum apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.] Et illud 2. ad Tim. 2. [Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.] Et cap. 4. [In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.] Hæc est corona illa, de qua dixerat Psalmographus, Psal. 20. [Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretioso.] Et Apostolus 1. Cor. 9. [Omnis autem, qui in agone contendit ab omnibus

§. 3. Gloria æterna magno est mysterio corona nuncupatur.

nibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam.] Et Iacobi 1. [Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.] Et Salomon Sap. 5. [Accipiēt iuſti regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini:] Corona namque tria importat, quæ beatitudini apprimè correſpondent, nimirum quietis tranquillitatem; Quoniam corona dat præmium poſt certamen. Bonorum plenitudinem, quia corona habet perfectam figuram omnibus alijs perfectiorē, vt potè, circularem. Et denique honoris ſublimitatē. Quandoquidem corona eſt dignitatis, & honoris ſignum: Ita in æterna beatitudine reperiuntur iſta tria. De quorum primo venit intelligendum illud Iacobi 1. [Cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ,] de ſecundo vero illud Pſ. 70. [Replebitur in bonis deſiderium tuum.] Et tandem de tertio illud, Pſ. 60. [Gloria, & honore coronaſti eum Domine.]

Coronæ analogia ad gloriam æternā.

§. 4. Vita æterna premium noſtrum.

Porro, non qualibet corona nuncupatur, ſed *vitæ*. Tum quia vita æterna nobis promittitur, iuxta illud Ioan. 10. [Et ego vitam æternam do eis. Hanc rationem aſſignat S. Tho. in commento. Tum quia ſub nomine vitæ, fit alluſio ad immortalitatem, de qua ſcriptum eſt.] Oportet mortale hoc induere immortalitatem.] Tum quia per hoc indicatur duratio æternæ gloriæ. Solet namque corona fieri ex floribus: & ſic dicimus, coronam gloriæ contexi ex floribus viridibus; Flores namque virides dum virideſcunt vegetanter viuent. Quare cum flores ex quibus corona gloriæ contexitur ſemper virideſcant, ſemper ex conſequenti viuent. Quo ſenſu, duratio ſempiternæ gloriæ corona vitæ nuncupatur; quia eius flores ſemper viuent, & nunquam langueſcent, aut demorientur. Et hac de cauſa D. Petrus gloriam æternam, immarceſcibilem coronam appellauit, vt apparet in 1. ſua Epiſtola cap. 5. Et ſponſa ſtatum beatorum, verno tempori comparauit, dum Cant. 2. dixit: [Iam hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra.] Cuius appellationis cauſa ea aſſignari poteſt, qua experimur in hieme campos omni florum genere veſtiri, & arbores in gemma erumpi, ex quibus confici poteſt corona nimis ſpecioſa, & ſatis pulchra, Tum quia quicquid nobis promittitur, vitæ vtique eſt, vt potè, panis vitæ, aqua vitæ, & reliqua. Tum poſtremò quia per hoc nomen *vita*, fit alluſio ad vitam, quam iuſti ac ſancti viri propter Deum ſpreuerunt. Hinc Ioachimus in hunc locum ſic ſcribit: [Corona vitæ promittitur, quia ij donant vitam Deo, cum triumpho pretioſæ mortis perueniunt ad veram vitam: Quoniā vt eam ſeruare poſſent in regno, eam in exilium perdiderunt, iuxta illud D. Ioan. 12. Qui amat animam ſuam perdet eam & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.] Quibus verbis indicat Ioachimus, ſanctos, ac pios viros pro Chriſto moriendo, nullatenus vitam amiſiſſe, ſed illam pro meliori commutaſſe. Quinimmo ea poſtea tamquam corona, coronari fæliciter in patria. Hanc rationem etiā attingit Richardus de Sancto Victore. De hac vitæ corona canere poſſumus illud quod de aurea Apollinis corona in priſtina Græcorum libertate cecinit Titus, per hæc verba.

Viriditas gloriæ ſempiterna.

Vita eſt quicquid fidelibus promittitur.

Sācti ac martyres moriendo pro Chriſto, vitam in melius commutarunt.

Corona Apollinis aurea.

Hæc tibi latonæ ſtirps ò præclara, corona
Aurea cæſariem contegat ambroſiam
Quā Titus Aeneadū Dux ingens attulit ipſi
Da Pharetra tē viro fortia geſta cani.

Plutarchus in vita T. Quintij Flaminij tom. 1. vita. 28.

Æterna etenim fælicitas aurea corona merito appellatur iuxta illud quod canit Eccleſia in martyrum officio: [Corona aurea ſuper caput eius expreſſa, ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opæ fortitudinis.]

§. 5. Rurſus illud *vſque ad mortem* perſeuerantiam in bonis operibus indicat. Quid prodeſt (inquit D. Bernardus) currere, & ante curſus metam deficere? Perſeuerandum vtique eſt vſq. in finem, Qui enim vſq. in finem perſeuerauerit (Chriſto teſtante) ſaluus erit. Qui perfectus eſt (ait D. Gregorius) amore boni, perſeuerat in bono, occidi poteſt, flecti non poteſt, qui imperfectus eſt, ſaltem amore præmij perſeueret; Quoniam Apoſtolus ad Rom. 8. ait: [Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Et ad Heb. 12. [Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patiētiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſumatorem Ieſum, &c.] Hinc Diuus Chryſoſtomus homil. 24. ad Hebræos, ſic ſcribit: [Non oportet exordia ſola habere clara, ſed & finem clariorem. Nonne rhetor circa finem orationis ſatagit clarior apparere, vt cum applauſibus diſcedat? Nonne circa finem perfectionis ſuæ actionem clariorem demonſtrat? Nonne athleta niſi finem oſtendat clariorem, & vſque ad conſummationem ſemper exuperet, & ſi omnes vicerit, vincatur autem à nouiſſimo, nonne omnia illi infructuoſa fient? Nonne gubernator ſi pelagū totum pertranſeat, circa portum autem, confringat ratem, omnem perdit anteriorem laborem? Quid etiam medicus, nonne ſi liberauerit ægrotantem morbo, cum autem ad perfectionem ſalutis peruenturus erat ægrotus tunc eius corrumpat valetudinem, nonne, inquam totum corrumpit & perdit? Sic etiam in virtute contingit. Quotquot exordijs finem non impoſuerunt competentem, & cōſequentem, & continuum, perierunt & corrupti ſunt.] Hæc D. Chryſoſtomus.

Perſeuerātia vſque ad finē eſt neceſſaria Matth. 24.

D. Ioan. Chriſoſt. hom. 24. in Epiſt. Pauli ad Heb.

Finis eſt perfectio rei, & boni operis.

Conceptus prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod corona laboribus adquiritur.



EO quod militia ſit vita hominis (teſtante Iob. in cap. 7.) ſuper terram, pugnanti fortiter, ac vincenti intrepidè coronam ſpopondit Deus, ſumpta metaphora à certantibus, Quandoquidem Apoſtolus 1. Cor. 9. dicit: [Omnis enim, qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.] & iterum 2. Tim. 2. [Nam & qui certat in agone non coronatur niſi legitimè certauerit.] Et quia duplex eſt corona, vna in hac vita, altera verò in futura, & corona huius vitæ poteſt amitti, & euaneſcere, corona autem gloriæ eſt ſempiterna, ideo Deus non quamlibet vincentibus coronam promittit, ſed vitæ, dicēdo: [Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.] Hoc eſt, coronam gloriæ ſempiternæ. Si igitur illa veteres, validiſſimique Romani, tot ac tanta pro corona huius ſæculi tormenta ſuſtinuere, quid quæſo, nos pro hac gloriæ æternæ corona impetranda, præſtare debemus? Pro hac plane effundendus eſt ſanguis, caput ſupplicio dandum, carnes tortori exhibendæ, viſceraque hilariter ſpargenda. Audite quæſo. Erant apud Romanos (teſte Aulo Gellio) diuerſorum generum coronæ in magno pretio habitæ, quæ vincentibus dabantur, ſcilicet, Triumphalis corona, quæ Imperatoribus poſt victoriam ad vrbem redeuntibus, ad triumphum mittebatur: quæ antiquitus ex lauro fiebat; poſtea etiam ex puriſſimo auro fieri cæpta. Alia erat corona obſidionalis vocata, quam liberati ab obſidione debant ei, qui eos liberauerat, ex gramine decerpto inde, vbi obſeſſos ille ſeruaſſet. Nam, vt ait Plinius, ſummum apud antiquos ſignum victoriæ erat, victos porrigere herbam è terra. Ciuica, quam ciuis ciui à quo ſeruatus eſt in prœlio, teſtem vitæ, ſalutiſq. perceptæ dat, & hæc primo erat iligneа, poſtea magis placuit ex quercu, quod antea inuentas fruges arboris eius, glandibus homines victitarint. Alia inſuper erat corona muralis dicta, quæ donabatur ab Imperatore

Labores Romanorū quibus ad coronas varias perueniebāt.

Romanorum multiplex coronandi modus.

ei, qui

ei, qui primus murum subijsset, inq; oppidum hostium per vim ascendisset; quæ quidem corona ad incitandos ad oppugnationem militum animos, ex auro fiebat. Alia porro erat corona naualis, quoque aurea, quibusdam quasi rostris nauium insignita, qua donari consueuerat, qui primus maritimo prælio in nauem hostium vi transilijsset. Tandem & alia erat corona oualis Myrtea dicta, qua vtebantur Imperatores qui ouantes introibant ciuitatem. Ouantes autem Imperatores post victoriam vrbem introibant, quoties bellum, non iure indictum erat, neque cum iusto hoste gestum, vt pote, subactis seruis, aut piratis, aut humili alio quouis hoste, vt etiam semper & quoties facta repente deditione victoria citra puluerem (quod dici solet) obtigerat. His itaque mittebatur corona ex myrto, quæ est arbor Veneri sacra, quod huiusmodi victorias venereas magis iudicarent, quam Martias. Ecce qualiter Romani pro caducis, degladiabant coronis. Quid igitur (iterum dico) nos pro illa immarcescibili, pro illa incorrupta, pro illa de lapide pretioso, pro illa denique vitæ æternæ corona tolerare debemus? Meritò sanè pro hac, Petrus & Paulus Apostolorum Principes decapitati, Andreas crucifixus, Bartholomæus decorticatus, Laurentius assatus, Stephanus lapidatus, virgines denique ac martyres igni traditi fuere. Hinc de his iustò canit Ecclesia.

Imperatores Romani quãdo ouãtes introibant vrbem.

Martyres Christi qualiter ad coronam vitæ peruenerunt.

Traduntur igni martyres
Et bestiarum dentibus,
Armata sæuit vngulis
Tortoris insani manus.
Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur:
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.

Abeant igitur Romanorum coronæ, & pro hac, de qua hic Deus ait [Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ] totis visceribus pugnemus & vsque ad sanguinis effusionem, vitæ que denudationem constanter perseuerare haudquaquam desistamus. Ad quod planè iuuat notare, quod Christus Redemptor noster eiusdem perseuerantiæ, quam hoc loco persuadet dicens: [Esto fidelis vsque ad mortem] in semetipso exemplum præbuit factus obediens vsq; ad mortem (vt dicitur ad Philipp. 2.) mortem autem crucis: & remunerationis insuper, quam hic promittit dicens: [Et dabo tibi coronam vitæ] certitudinem, atque fiduciam in ipso præsentat capite, Apostolo ibi prosequente: [Propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.] Et ad Heb. 2. [Vidimus Dominum Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.] Igitur vsque ad mortem esto fidelis, quia iam post mortem, non seruanda exigitur, sed seruata fidelitas coronatur.

Conceptus 2. Quod beatitudo corona præcipuè dicitur, & quare.

Aeterna fælicitas varijs nominibus nuncupatur.



ETERNA illa gloria varijs nominibus appellatur in sacro eloquio: dicitur enim Ierusalem iuxta illud Apoc. 21. [Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.] Dicitur Sion, secundum illud Isaiæ 33. [Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ.] Appellatur Cellarium, dicente sponsa Cant. 1. [Introducit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.] Nuncupatur etiam dos bona, iuxta illud Gen. 30 [Dotauit me Dominus Deus dote bona hac vice mecum erit maritus meus (inseparabiliter.)] Vocatur

F mons hæreditatis secundum illud Exod. 15. [Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.] Porro nuncupatur mons Domini, dicente Psalmographo, Ps. 16. [Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius.] Tandem gloria æterna dicitur corona, Exod. 25. [Facies coronam aureolam.] & fit allusio ad hæc verba Apoc. 2. [Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.] Verumtamen dices; Quare illa æterna fælicitas, corona in sacra pagina nuncupatur? Huius plane appellationis multiplex est ratio apud S.Tho. in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1. & ad add. ad 3. p. q. 96. art. 1. Quarum prima est ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur iuxta illud Iob. 7. [Militia est vita hominis super terram.]

G Et quia regnum cælorum vim patitur (vt dicitur Matth. 11.) & violenti rapiunt illud, ideo præmium metaphoricè corona dicitur: quo nomine vsus etiam fuit Apostolus 2. ad Tim. 2. In cuius rei typum placuit Deo Iudæos ad terram promissionis armatos intedere, & in morem castrorum tributim dispositos sub vexillis esse militaribus, & castrametari, vt liquet Num. 2. & 10. Ob eamdem causam Ecclesia palmæ assimilatur iuxta illud Cant. 7. [Statura tua assimilata est palmæ:] Palma namque victoribus dumtaxat datur. Quamobrem similitudo inter palmam, & Ecclesiam in tribus vtique stat, teste Beda: Primo quidem, quia cum ei onus imponitur non succumbit, sed potius in morem fornicis sese erigit, sic statura Ecclesiæ, rectitudo est bonæ operationis, quæ ad terrenam concupiscentiam incuruari despiciens, totam se ad cælestia promerenda sustollit. Quamquidem rectitudinem attingit Apostolus dum ait

Beda in cantica.

H 1. Cor. 16. [State in fide, viriliter agite.] Secundo, quia palma, in inferioribus aspera videtur, in summo autem, pulchritudinem, & fructus suauitatem ostendit; ita etiam Ecclesia, & quælibet anima fidelis, asperos in terra portat pro domino labores, sed mercedem a Deo gratissimam se accipere sperat in cælo. Aspera est palma, iuxta terram, quia passionem patiuntur propter iustitiam electi, pulchra est & dulcis in summo, quia gaudent in præsturis, & exultant scientes quod merces eorum copiosa est in cælis. Tertio, quia palma manus victricis ornamentum est, in cuius rei figuram palmas ex arboribus cædebant Apostoli, vt dicitur Matth. 21. & sternebant in via, qua Christus triumphans erat transiturus, quinimmo apud antiquos vincentes, in quolibet certamine palma coronabantur, sic iusti, & sancti in patria, in honorem victoriæ acquisitæ palmas in manibus portant, iuxta illud Apoc. 7. [Et palmæ in

I manibus eorum.] Ad quod plane spectant illæ cælatæ palmæ, quas Dei vates Ezechiel in parietibus templi intuitus fuit, cum in c. 41. ait: [Et Fabrefacta Cherubim, & palmæ, & palma inter Cherubin, & Cherubin duasq; facies habebat Cherubin faciẽ hominis iuxta palmam, ex hac parte, & faciem Leonis iuxta palmam ex alia parte: expressam per omnem domum in circuitu. De terra, vsque ad superiora portæ Cherubin, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.] Qui locus signum victoriæ, quæ erat inter Cherubin, & Cherubin indicat vti D. Hieronymo placet, vt sic omnes, qui in Ecclesia Dei sunt, victoriam de hostibus reportare diligenter curent. Secunda ex parte præmij, per quod homo efficitur quodammodo diuinitatis particeps, & per consequens regiæ potestatis, iuxta illud Apoc. 5. [Fecisti nos Deo nostro regnum.] Corona autem est proprium signum regiæ potestatis, quoniam Reges corona coronantur aurea: vnde aurea corona regalis dignitatis symbolum vtique est, vt annotauit Hilarius: Quamobrem orientales Magi, Christum regem confitendo, vt dicitur Matth. 2. aurum illi obtulerunt; ex quo canit Ecclesia, [In auro ostenditur Regis potentia.] Et sic de quolibet iusto intelligitur illud Eccl. 45. [Corona aurea super caput eius.] Quare concludit S.Tho. vbi supra præmium quod essentiali additur, coronæ rationem habet. Tertia, quia corona significat etiam excelentiam & perfectionem quamdam ratione figuræ circularis. Quamobrem olim veteres coro-

Palmæ, & Cherubin in templo in signũ victoriæ

D. Hieronim. Ezech.

Gloria dicitur corona propter dignitatem.

Corona datur Regibus, tamquã proprium eis.

Circulus est perfectissimus & capacissimus.

coronam quamdam in duodecim angulos versus superiorem partem diuisam excogitarunt, vt sic solem cum radijs suis, melius; & commodius repraesentaret, & crebro loco radiorum solis gemmas, siue margaritas per angulos illos reponebant duodecim, vt narrat Pierius lib. 41. de Apollinis corona. Iuxta quam consuetudinem, Virgilius regem Latinum corona solis coronatum, hoc carmine repraesentat.

Corona solis.

Virg. lib. 12. Aeneid.

Interea Reges ingenti mole Latinus
Quadryugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radij fulgentia cingunt,
Solis aui specimen; bigis it Turnus in Albis
Bina manulatus crispans hostilia ferro.

Corona duodecim radiorum solis, quid significet.

Qua quidem corona duodecim radiorum, vel gemmarum splendorem vitae, bonorumque operum lucem, & eorum perfectionem significare intendebant veteres; quoniam tam corona duodecim radiorum, quam ipsemet numerus duodenarius, virtutem consummatam, & heroicorum operum perfectionem demonstrat, vt annotarunt D. Augustinus in Psal. 86. & D. Hieronymus in cap. 31. Ezechielis. Et quia Ecclesia, in patria & gloria aeterna, ad hanc summam pernenit perfectionem, & in ipsa bonorum operum splendor, & merita in eadem patria apprimè apparent, quibus ad gloriam ipsam peruenit, ideo gloria ista, corona aurea nuncupatur, quinimmo propria corona est ipsiusmet Ecclesiae, quae Regina appellatur, iuxta illud Psal. 44. [Astitit Regina à dextris tuis.] Et cum ipsa sola sit, in omnibus, & per omnia sola regina perfectissima, eam vidit noster vates Ioannes in his suis reuelationibus coronatam, corona duodecim stellarum, dum in cap. 12. dixit: [Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.] Vbi duodecim stellae splendores, & perfectiones meritorum plane indicant, quae Ecclesia à suo sponso Christo, tamquam à fonte solis accepit. Quemadmodum enim stellae lumen accipiunt à sole, sic Ecclesia splendorem, & perfectionem, ac etiam excellentiam suam à Christo sponso suo reportauit, qui est fons meritorum, & gloriae. Beatitudo ergo ipsa, siue gloria, corona duodecim stellarum margaritarumuè est, cuius plane duodecim stellae gemmae, siue pulcherrimae margaritae facilè colliguntur ex sacra pagina. Prima est, sanitas sine aegritudine, iuxta illud Isa. 25. [Praecipitabit mortem in sempiternum,] ad quod alludit illud Apostoli 1. Cor. 15. [Absorta est mors in victoria,] Secunda, plenitudo sine defectu, dicente Isa. in cap. 25. [Non esurient, neque sitient amplius.] Tertia, refectio sine fastidio, secundum illud Ecclesiast. 24. [Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.] Quarta, scientia sine ignorantia, dicente Apostolo 1. Cor. 13. [Videmus nûc per speculum in Aenigmate, tunc autem facie ad faciê. Quinta, gaudium sine tristitia, iuxta illud Psalmistae Psalm. 35. [Torrente voluptatis tuae potabis eos.] Nam modo comedimus agnû cum lactucis agrestibus Exod. 12. Sexta, pax sine perturbatione, dicente Psalmographo, Ps. 147. [Qui posuit fines tuos pacem.] Et iterum Psal. 36. [Delectabuntur in multitudine pacis.] Septima, securitas sine timore iuxta illud Ps. 90. [Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, a daemonio meridiano.] Octaua adimmpletio omnium desideriorum, secundum illud Psal. 102.] Qui replet in bonis desiderium tuum.] Nona, laetitia de iustitia Dei, & poena malorum, dicente Psalmista Ps. 27. [Laetabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.] Decima, gaudium de congregatione, & societate iustorum, quod fuit typicè expressum in conuiuio illo, quod fecit Ioseph omnibus fratribus suis, simul in vnum congregatis, vt legitur Gen. 43. Vndecima gaudium de consideratione bonorum, quae vnusquisq. operatus fuit, iuxta illud Apostol. 14. Opera enim illorum sequuntur illos.] Duodecima, & postrema, gaudium de côsideratione malorum, à quibus Deus vnûquemque beatum liberauit, iuxta illud Psal. 88. [Misericordias Domini in aeternum cantabo.] His itaque duodecim stellis, gemmis, siue margaritis pretiosissimis corona gloriae ita exornabitur, vt verè tûc in vno quoque iusto adimpleatur illud Sap. 5. [Accipient regnum decoris, & diadema speciei, de manu Dei,] & nos de illis dicamus Deo illud Psal. 20. [Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.] Porro circulus coronae, non solum perfectissimam, & capacissimam figuram dicit, verumetiam fine carentem, per quod plane beatitudinem (inter alia gaudia, & perfectiones, quas complectitur) finem numquam esse habituram indicatur. Quare per faederis Arcam, illam intelligere possumus, quae quamdam auream coronam per circuitum vt dicitur Exod. 25. habebat. Beatitudo etenim, & gloria arca quaedam est, bonorum omniû Thesauros, & diuitias continens, & coronam per circuitû habet, eo quod suo ambitu omnem amplectitur durationem, & nullo clauditur fine vti figura rotunda. Hinc D. Hieronymus in illud Ps. 64. [Benedices coronę anni benignitatis tuae] ita scribit: [Quia nimirum sanctos praemijs, & temetipsum eorum agminibus coronabis, circulum autem & semper in se currentia anni tempora coronam vocauit.] Significauit itaque circulus coronae non tantum excellentiam, capacitatem, & perfectionem gloriae; verumenimuero eius durationem aeternam nullo fine clausam. Quarta ratio, quia quemadmodum corona caput, quod est praecipuum corporis membrum omnino amplectitur, & cingit; sic gloria mentem, quae est praecipua animae pars prorsus & vndequaque complectitur, & circumdat. Quinta & postrema ratio; quia corona in sacra pagina omnium gaudiorum symbolum vtique est, quamobrem quidam dixerunt Sap. 2. [Coronemus nos rosis antequam marcescant.] Eamdem ob causam olim in conuiuijs, teste Plinio, lib. 21. cap. 20. conuiuae coronas floribus quamplurimis captas super capita in laetitiae & gaudij signum deferre solebant. Hinc est quod D. Paulus 1. ad Thes. 2. discipulos suos, gaudium & coronam nuncupat suam, & Prou. 14. dicitur: [mulier diligens corona est viro suo.] & Prou. 14. [Coronae sapientum diuitiae eorum.]

Gloria, est instar coronae duodecim stellarum, margaritarum, siue gemmarum pulcherrimarum.

Duodecim stellae gemmę siue margaritę coronę gloriae.

Figura rotunda non clauditur fine aliquo.

Corona tota vndequaque circundat caput.

DISPVT. XIV.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Aureolis:

In quatuor Quęstiones distributa super illa verba. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae.*

Prologus Disputationis.



Vreolam praemium esse accidentale communiter tenent doctores. tum in 4. sent. dist. 49. tum in cap. 25. Exod. super illa verba: [Facies alteram coronam aureolam,] quo loco per coronam intelligunt gloriam, siue praemium essentiale, omnibus aeque commune, sed inaequaliter in eadem patria. Et quia hoc loco verba nostri Archiprophetae Ioannis: [Dabo tibi coronam vitae.] Non solum de gloria essentiali, verumetiam de accidentali exoluimus, ideo dispungendum hic

Aureola quid sit.

dum hic duximus de aureolis, quæ attinent ad gloriam accidentalem. Aureola autem dicitur gaudium quoddam de operibus a se factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, vt dispungit S.Tho.in 4.sent.dist.49. q.5.art.1. Et passim animaduertas oportet, auream, aureolam, & palmam, inter se multum differre, eo quod Aurea est præmium substantiale, quod metaphoricè dicitur corona; Aureola verò est præmium accidentale non tamen quodlibet accidentale, sed illud quod respondit operi excellenti, & priuilegiato, scilicet, virginitati, martyrio, & prædicationi, prout infra, Palma tandem est præmium accidentale, quod nec radici, nec operi debetur, sed volūtati. Tale præmium habuit sanctus Martinus, eo quod martyrium desiderauit, licet opus non fuerit subsequutum, vnde de ipso dicitur. [Quam (scilicet animam) & si gladius persequutoris non abstulit, tamen martyrij palmam non amisit;] Hæc autem palma, nec aurea, nec aureola debet dici.

Quæstio I.

Vtrum aureola siue præmium accidentale possit addi ad beatitudinem essentialem, quæ includit omne bonum.

1 Assertio. Aureola potest addi ad beatitudinem essentialem.



PARTEM affirmantem intrepidè tenet S.Th.in 4.dist.49. q.5. art. 6. & in add.ad.3.p.p.96.art.2.illamq. probo, eo quod præmio essentiali potest aliquid addi dupliciter, vno modo ex conditione naturæ, quæ præmiatur, sicut supra beatitudinē animæ, in qua perfectè reperitur beatitudo, additur gloria corporis: vnde interdum ipsa gloria corporis, dicitur aureola, in quātū est minor, quā gloria animæ, q̃ potest dici aurea. Nā super illud Exod. 25. scilicet: [Facies alteram coronam aureolam] dicit glossa; quod in fine aureola semper ponitur, quia in scriptura dicitur, quod beatis sublimior gloria in receptione corporis seruatur, sed non accipimus sic aureolam communiter, eo quod aureola est præmium accidentale, quod solis quibusdam datur; gloria tamen corporis est præmium essentiale pertinet, quia datur omnibus beatis. Alio modo additur aliquid ipsi præmio essentiali ex ratione operis meritorij. Habet enim opus rationem meriti ex duobus, ex quibus habet rationem bonitatis, scilicet ex radice, & ex instrumento. Radix enim est ipsa charitas, quæ refert, quodlibet opus in Deum; Nā ipsi charitati, & cuilibet operi, vt est à charitate competit Deus, vt præmium, quia ipsum datur pro operatione, quod per operationem desideratur haberi, sed per solam charitatem in operationibus in Deum tenditur: Ergo sola charitas est, cui Deus in præmium competit, & sic ipsa sola est radix merendi, & ei competit præmium essentiale, id est, aurea. Aliud est ipsum instrumentum, & hoc est ipsum genus operationis consideratum in seipso, quod est considerare quantū ad habitum elicientem, & circunstantias debitas, & finem proximum actus, sicut est abstinere a venereis, est ex habitu temperantiæ, & est secundum circumstantias debitas, id est, à quo oportet abstinere, & quādo, & qualiter, &c. Est etiā finis proximus, scilicet perfectio quædam consequuta ex abstinere, quæ non excedit genus virtutis moralis, & quantum ad hæc tria consideratur actus in genere suo, scilicet, quia non reducitur ad aliquam virtutem imperantem, scilicet, ad charitatē, vel ad iustitiam legalem. Nam vtraq. imperat huic actui, scilicet, abstinere, abstrahendo illud de conditione sui generis, quia charitas iubet abstinere propter Deum; iustitia autē legalis, vt non noceatur proximo, vt patet


Charitas est radix bonitatis.

F 5.Eth.c.1. & nō est finis proprius abstinere à venereis, aliquis istorū, in quantū est ab habitu temperātiæ, Ideo charitas habet se ad rationem merendi generaliter, vt radix; actus vero bonus, quantum ad naturam sui generis, habet se vt instrumentum. Sicut enim operi bono in quantum est ex radice charitatis, competit præmiū essentiale, quia charitas dirigit omnia in Deum, ita ipsi actui quantum ad bonitatē sui generis competit quoddam aliud præmium; & quia nullus actus habet Deum pro fine, nisi in quantum est à charitate, erit illud præmium, quod competit actui propter bonitatem sui generis, aliud quam Deus, scilicet bonum aliquod creatū & illud dicitur præmium accidentale, siue aureola, licet tamen quilibet actus virtutis habeat quamdam bonitatem sui generis, non competit præmium accidētale quod dicitur aureola, pro quolibet actu virtutis, sed solum pro illis, quæ habent excellentem rationem victoriæ propter difficultatem pugnæ, vt est in martyribus, Virginibus, & Doctoribus. Quia tamen aureola est
G gaudium de isto bono creato, id est, in quantum isti actus multum excellentes conferunt homini tunc quēdam honorem; præmium autem essentiale est de bono increato, necesse est quod differant, & ideo præmium accidentale est superadditum essentiali.

Quæstio II.

An aureolæ sint tres, dumtaxat, nimirum Martyrum, Virginum, & Doctorum.

H



IIS tribus generibus hominum, vt potè, Martyrum, Virginū, & Doctorum solummodo deberi aureolam, probo. Tum ex operibus excellentissimis trium animæ potētiarum. Nam excellentissimum opus cōcupiscibilis est obseruatio castitatis virginalis; excellentissimum vero opus rationalis est prædicatio veritatis; excellentissimum tandem opus irascibilis est perpessio mortis: Igitur virginibus, Prædicatoribus, & martyribus, dumtaxat debetur aureola. Tum quia ex hostibus quos per pugnas magnificas vincimus peccata, mundum, carnem & dæmonem, patet horum numerus, & sufficientia; quoniam martyres vincunt mundum, virgines carnem, prędicatores diabolum, quem non solum de se, sed etiā de cordibus aliorum expellunt, Ergo, &c. Tum quia aureolæ sumuntur secūdum purificationem in veteri Testamento, in quo, tria dumtaxat habebant aureolas, vt legitur Exod.25.& 37.nimirum, altare incensi, arca fęderis, & mēsa propositionis: Atqui prima significat aureolam martyrum, qui corpora sua super altare immolauerunt, secunda vero significat aureolam virginum, quia sicut arca fæderis fuit intus, & extra auro decorata, ita virginitas mentem, & corpus decorat, & ornat: tertia tandem significat aureola Prædicatorum, qui sicut in mensa propositionis sunt ministrantes panes prædicationis, & doctrinæ igitur, &c. Tum probatur per triplicium passionum victoriam; quoniam dantur passiones innatæ, illatæ, & in cordibus alienis inflictæ; Atqui passiones innatas superat virginitas, passiones illatas superant martyres, & tandem passiones illas, quæ sunt in cordibus alienis superant prædicatores, ergo, &c. Tum postremo, quia aureolæ distinguuntur secundum ea, quibus Christo nobilissimè conformamur: Atqui Christus fuit doctor, veritatem mundo manifestando, martyr à mundo passionem & mortem sustinendo, & virgo puritatem seruando, Igitur aureolę virginibus, martyribus, & doctoribus solummodo debentur.

1 Assertio. Aureolæ tres dūtaxat sunt

1 Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

K

5. Ratio.

Quæ-

Quæstio III.

Vtrum aureola iustè virginibus debeatur?

1. Argu. Ro parte negante disputo. Primò, quia vbi est maior difficultas operis, debetur maius præmium, faltē ex genere actus: At maiorem difficultatem patiuntur viduæ abstinendo à venereis, quam virgines; ergo debetur magis aureola viduis, quam virginibus, & tamen non debetur viduis, ergo nec virginibus. Patet, quia D. Hieron. loquens de laude viduarum, dicit quantò maior est difficultas ex parte quadam à voluptatis illecebris abstinere, tantò maius est præmium. Et Aristoteles lib. de animalibus dicit, quod iuuenes corruptæ, magis appetunt coitum propter memoriam delectationis præteritæ. Secundò, quia si deberetur aureola virginitati, vbi esset perfectissima virginitas, inueniretur maximè aureola; At in Virgine Maria est perfectissima virginitas; quoniam virgo virginum nominatur, & tamen ei non debetur aureola, cum aureola sit gaudium de operibus perfectis, quæ habent rationem excellentis victoriæ, Virgo autē Maria nullam pugnam sustinuit continendo, quia fuit ablata, vel omnino extincta in ea corruptio fomitis, ergo virginitati nō debetur aureola. Tertiò, quia sicut se habet viduitas ad fructum sexagesimum, ita se habet virginitas ad aureola: At non debetur cuilibet viduæ fructus sexagesimus, sed soli vouenti viduitatem, vt quidam dicunt, ergo nec cuilibet virginitati debetur aureola, sed soli virginitati voto seruatæ.

2. Arg. (margin)

3. Arg. (margin)

Nota bene. Propter hæc, & alia pleraque argumenta. Quidam dixerunt, aureolam deberi actui virginitatis, id est, quicumque, de saluandis, seruauerit virginitatem vsque ad mortem, habebit aureolam: nam damnati etiam si virginitatem seruauerint, aureolam nō habent, cum non habeant præmium essentiale. Sed etiam hoc nō est verum, quia aliqui volentes nubere manētes in virginitate decedunt, & de his certum est, quod aureolam nō habebunt, quia nihil potest integritas carnis, vt ait Hieronymus, si mente quis nupserit. Alij verò etiam dixerunt aureolam deberi, non actui, sed statui virginitati, scilicet, quod soli virgines mereantur aureolam, qui in statu virginitatis perpetuò seruandæ se posuerunt, vt si cum essent virgines, vouerunt castitatem perpetuam. Quod etiam nullatenus stare potest, quoniam potest, quis æquali voluntate seruare virginitatē, non vouendo eam, sicut alius vouendo.

1. Assertio. Aureola debetur virginibus. Prima conclusio, virginitati aureola iustè debetur. Hæc est D. Th. in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1. & Abulensis, tom. 4. in Matth. cap. 13. q. 19. & probatur. Tum quia virgines singularem victoriam obtinent de carne, contra quam quotidie bellum gerunt; quoniam virginitas dicit pugnam grauissimam, & consequenter excellentem victoriam; quoniam vt ait D. Aug. lib. de Agone Christiano, inter certamina Christianorum, bella castitatis sunt duriora, & est quotidianum bellum, quia caro concupiscit aduersus spiritum, ad Gal. 5. Atqui aureola est quoddam gaudium de operibus perfectis habētibus excellentem rationem victoriæ; Igitur debetur virginitati aureola. Tum quia Exod. 25. super illa verba: [facies alteram coronam aureolam.] dicit glossa, [Ad hanc coronam pertinet canticum nouum, quod virgines coram Agno concinunt, scilicet, qui sequuntur Agnum quocumque ierit;] ergo præmium, quod debetur virginitati, dicitur aureola. Tum quia, quamuis viduæ pugnent contra carnem, perfectius tamen virgines triumphantur; quia nobilissimum genus victoriæ est nunquam hosti cessisse. Tum postremò, quia Isa. 56. dicitur: [Hæc dicit Dominus eunuchis, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus.] At sunt virgines, qui vocantur eunuchi, qui se castrarunt propter regnum cęlorum, vt dicitur Matth. 19. Igitur ijs debetur excellens gloria, supra cæteros, quam aureolā nuncupamus.

1. Ratio. (margin) 2. Ratio. (margin) 3. Ratio. (margin) 4. Ratio. (margin)

A

2. Assertio. Quibus virginibus debeatur aureola. Secunda conclusio, Aureola virginitatis debetur ijs virginibus, quæ cum actuali voto virginitatis, incorruptionis, integritatisq. carnis, & mentis decesserunt. Probatur. Quoniā si ij virgines in charitate decedant, non dubiumest quin gaudium habeant in patria de incorruptione carnis & mentis.

B

3. Assertio. Aureola debetur etiam virginibus, firmo proposito, seruantibus virginitatem in sæculo. Tertia conclusio. Aureola virginitatis debetur ijs virginibus, qui, licet non cum actuali voto, tamen cum firmo proposito seruandæ virginitatis, incorruptionis, & integritatis carnis, & mentis decesserunt, quamuis hoc propositum fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitæ ad primum propositum inueniantur redijsse. Probatur, quia virginitas mentis reparari potest, quamuis non virginitas corporis, siue carnis; ergo habebunt ij aureolam, & præcipuè si propositum non fuerit vnquam interruptum, a tempore in quo proposuerit talem virginitatem corporis, & animæ seruare. Et hoc loco nota, quod si quis tota vita habuerit propositum nubendi, & postea mutata voluntate, vel vouens virginitatem, viuat solum per vnam diem, habebit aureolam; quia decessit in obseruatione virginitatis propriè dictæ, vt potè, mentis & corporis; verumtamen non erit ita excellens aureola illius, sicut illius, qui tota vita mansit in proposito virginitatis mentis & corporis.

C

4. Assertio. Aureola quā non debetur virginibus. Quarta conclusio. Virgines illæ, quæ prælibatum propositum interrumpunt, & illud nullatenus reintegrant, non habebunt aureolam. Probatur. Quia huiusmodi virgines non decesserunt in obseruatione virginitatis, quoniam vsque ad mortem firmum propositum minimè tenuerunt, cum de nuptijs cogitauerint, & ad primum propositum non redierint; quare quamuis isti habeant in patria gaudium de incorruptione carnis non perdita, tamen istud gaudium nullatenus dicetur aureola propriè & rectè.

D

5. Assertio. Virgines quādo aureola carent. Quinta conclusio. Virgines illæ, quæ decesserunt in tali ætate, in qua propositum, vel continendi, aut nubendi nullatenus habere potuerunt, non habebunt aureolam virginitatis, Patet. Tum in paruulis, qui licet moriantur in virginitate, tamen propriè virgines minimè sunt, cum tantum virgines sint materialiter, & nullatenus formaliter. Tum quia aureola est de operibus perfectis in quibus reperitur ratio excellentis victoriæ: At in paruulis nec pugna, nec victoria est, continendo, cum nondum fomes in eis stimulos habeat.

Potest tamen largè dici, quod habebunt aureolam, sumendo aureolam pro quocumque gaudio, quod in patria habebunt, huiusmodi beati super gaudium essentiale; quoniam non est dubium quin de incorruptione carnis gaudebunt; quia est quædam perfectio; licet numquam habuerint intentionem obseruandi eam, quemadmodum paruuli, qui moriuntur in innocentia, licet numquam opportunitatem habuerint peccandi.

E

6. Assertio. Virgo violēter corrupta, non caret aureola. Sexta & vltima conclusio, si aliqua virgo perfecta, mente, scilicet, & corpore, post votum, & firmū propositum

situm violenter corrumpatur carne, proculdubio non amittit aureolam, quinimmo illam meliorem obtinebit. Probatur in his, quæ violenter opprimuntur, de quibus intelligitur illud S.Luciæ virginis, dum dixit: [Si inuitā me iusseris violari castitas mihi duplicabitur ad coronam,] quod non est intelligendū de aureola duplicata, sed quia duplex præmium reportabit, vnum pro integritate seruata, & aliud pro iniuria, quam passa est.

Præmij duplicis reportatio.

Solutiones argumentorum.

Sol. ad 1.

Primum argumentum soluitur eo quod in abstinēdo à venereis, aliquo modo sustinent maiorem pœnā virgines, quam viduæ. Tria enim valde infestant virgines, quæ viduas non tangunt. Primum est, desiderium experiendi rem inexpertam, & hoc procedit quasi ex quadā curiositate, ex qua fit, vt homo libentius videat, & magis videre cupiat id quod nunquam vidit, quam quod videre solitus est, & ista est grauis tentatio, quæ magis procedit ex cogitatione, quam ex carnis stimulo. Secundum est falsa cogitatio; virgo enim inexperta delectationem veneream æstimat multo maiorem illam esse, quam secundum veritatem sit, & non potest ratione sibi persuadere cōtrarium, cum nunquam sit experta; ratio huius est vehemens inclinatio naturæ, id est, ardens concupiscentia, ex qua iudicatur illud ad quod talis concupiscentia mouet esse magnæ fruitionis. Quod in cæteris sēsibus experimur. Quia maior est delectatio in sentiendo aliquid, quam fuerit desiderium sentiendi, in venereis autem, è contrario accidit, quia cum concupiscentia est grauissima, fruitio autem breuis est, nec respondet magnitudini desiderij: ratio huius fuit naturæ ingenium, quia si ad venerea non didisset concupiscentiā tam grauiter excitantē, nullum animal illis vteretur, præsertim homo, quia in eis sua sentit incōmoda; opposuit ergo singulis perfectis animalibus hanc vehementem, & vrgentissimam concupiscentiam reducentem omne animal in seruitutē potestatis naturæ. Tertium tandem est inexperientia, & incōsideratio incōmodorum: Virgo enim nescit, quæ incommoda consequantur vtrumq; venereis vtentem, & ideo nō retrahitur. Nam si fortè illa cognosceret apertè & consideraret, nimis retraheretur à desiderio venereorum, & esset hoc sibi magnum adiutorium contra tentationem. Ista tria non infestant viduas. De primo patet, quia illa curiositas est circa inexperta, viduæ tamen iam expertæ sunt. De secūdo etiam patet, quia licet sit vehemens concupiscentia, vidua tamen scit illā esse fallacem, quia non sequitur tanta fruitio, quā a sequutura innuitur ex tam ardenti naturæ desiderio. Potest ergo cauere fallaciam, quam iam nouit, vnde poterit sensualitati ex experientia persuadere. De tertio tandem patet, quia incōmoda venereorum iam vidua vsu didicit, ideo ex his retrahi potest. Hęc ergo triplex pugna solius virginitatis est; in viduis tamen, est vnū, quod non est in virginibus, scilicet, rememoratio præteritæ delectationis, quæ licet nimis vrgeat, tamen potest refrenari, non cogitādo præteritas venereorū delectationes, nec tempora, nec loca, nec modos, & ita de cæteris circumstantijs. Cæterum quidquid sit (inquit D. Thomas) de quantitate pugnæ, hoc tamen certum est quod perfectior est victoria virginum, quam viduarum. Perfectissimum enim genus victoriæ est, & pulcherrimum hosti nunquam cessisse. Corona autem non debetur pugnæ, sed victoriæ de pugna, & proinde aureola debetur virginibus, & nullatenus viduis.

Ad Ephes. 6.

Victoriæ genus nobilissimum.

Sol. ad 2.

Virgo Maria verè habuit aureolam.

Ad secundum, demissis varijs opinionibus quas citat S. Tho. dicimus cum illo, Virginem Mariam verè habuisse aureolam, secundum propriam rationem, vt datur pro excellenti victoria, quia licet non habuerit pugnam interiorem à carne, eo quod corruptione fomitis numquam fuerit infestata; habuit tamen vel habere potuit pugnam de carne, scilicet, quod Satan tentaret eam de opere carnis; quia licet non poterat esse aliquis stimulus, vel inclinatio, aut desideriū ad venerea, diabolus tñ poterat ei suggerere immittendo grauissimas cogitationes de venereis; illis autem perfectè resistere pugna erat de cōseruanda virginitate. Nec est inconueniens, aut contra honorem Virginis eam à dæmone de venereis fuisse tentatam, vel potuisse tentari, cum Christus à Satan de idololatria, quæ est pessimum vitiorum, tentatus fuerit, vt dicitur Matth. 4.

Sol. ad 3.

Fructuum diuisio.

Ad vltimum facilis est solutio, quoniam nō cuilibet viduæ fructus sexagenarius debetur, sed ei solum, quæ propositum viduitatis seruandę retinet, quamuis etiam votum non emittat.

Matth. 13. Iacob. 1. 1. Cor 7. Gen. 1. Matth. 19. 1. Petr. 5.

Nota tamen, quod virginibus debetur fructus centesimus, & hoc, quia cælestem vitam ducunt, qua significatur per centum; quia numerus ille de læua transit ad dexteram: Viduis verò debetur fructus sexagesimus, quia tales exercere se debent in operibus quæ significantur per sexaginta, debetur fructus trigesimus; quia talibus sufficit implere decalogum in fide Trinitatis, ex ductu enim ternarij in denariū, fiunt triginta.

Quæstio IV.

Vtrum aureola debeatur aptè Martyribus?

1. Assertio.

Aureola debetur martyribus.

1. Ratio.



PRIMA conclusio. Aptè & iustè martyribus aureola debetur. Probatur. Tum quia quemadmodum inest quædam pugna spiritui, contra interiores concupiscentias, ita etiam inest homini quadam pugna contra passiones exterius illatas: At perfectissimæ victoriæ, qua de concupiscentijs carnis triumphatur, vt potè virginitati, debetur specialis corona, quæ aureola dicitur; Igitur & perfectissimæ victoriæ quę habetur de impugnatione exteriori debetur aureola. Quod autem victoria quæ habetur de exterioribus passionibus in Martyribus sit perfectissima, liquet ex duobus, nimirum, ex magnitudine passionis, quia inter omnes passiones illatas exterius, pręcipua est mors; quemadmodum in passionibus interioribus præcipuè sunt venereorum cōcupiscentiæ, & ex causa pugnæ, quando, videlicet, ex honestissima causa pugnatur, quæ in martyribus maximè resplendet, cum pro fide Christi mortē suscipiant: Et sic in his martyrem non facit pœna, sed causa. Quare martyrio aureola debetur, sicut & virginitati. Tum quia dolor tactus omnibus alijs doloribus præeminet: At talis dolor in morte Martyrū pro Christo reperitur cum gloriosa victoria; Igitur tali martyri aureola debetur.

2. Ratio.

2. Assertio.

Aureola, qua ratione debeatur martyribus.

Secunda conclusio. Martyrio non debetur aureola, secundum quod ab exteriori infligitur, sed secundum quod voluntariè pro Christi nomine sustinetur. Probatur. Quoniā non meremus nisi per ea quæ sunt intra nos, & non per ea quæ sunt extra nos, sicut nec demeremus, nisi per ea quæ sunt intra nos: At quātò id quod quis voluntariè sustinet, difficilius est, tantò voluntas, quæ propter Christum id sustinet, ostenditur firmius in Christo fixa: Igitur secundum hanc voluntatem debetur ei præmium, vt potè, aureola.

Appendix 1.

Ex his collige primò. Martyriū cui debetur aureola semper esse voluntarium quomodocumq; inferatur, quoniā quamuis ab extra inferatur, tamen hoc nō facit illum esse inuoluntarium. Nam cum martyriū cui debetur aureola, sit mors pro Christo suscepta, voluntaria erit talis mors quomodocumq; inferatur, & sic nō debetur martyrio præmiū secundū quod ab extra infligitur, sed secundū quod voluntariè sustinetur. Interdū verò martyriū est magis vel minus voluntarium. Nam quando

quando quis optans pro Christi nomine mori non requisitus offert se persequutori, est voluntariũ absolutè. Quãdo verò quis nollet mori, & se occultat, deprehẽsus tñ eligit potius omnia terribilia sustinere, quã Christum negare, est voluntariũ conditionatũ, vel mixtum. Quando tandem infideles odio habent aliquem fidelẽ, eo quod multos de ipsis ad Christum cõuertit, & propter hoc illum occidũt, nec liberari potest, etiam vellet negare Christum, martyr est, quia pro Christo occiditur, ista mors est voluntaria, in quantum illum pro quo occiditur fuit voluntarium, & tunc ei non displicet egisse, id pro quo occiditur, & sic in hoc casu talis mors erit simpliciter necessaria, & aureolam habebit.

Appendix 2. Secundò collige, aureolam nullatenus deberi ijs qui desiderant martyrium, & tamen ad illud numquã peruenerunt, quoniam ad aureolam opus prærequiritur, ad hoc, vt sit pugnę victoria. Nõ enim coronabitur, nisi qui legitimè vsq; in finem certauerit, poterunt prælibati palmam martyrij obtinere, sed non aureolã, cum eius martyrium non fuerit perfectum.

Appendix 3. Tertiò etiã collige, quod si quis pro fide Christi vulneretur, & ad varia martyria, & tormenta pro Christi nomine perueniat, ex quibus diuina se protegente gratia illæsus exeat, & post istam liberationem successu temporis iterum à satellitibus & tyrannis comprehẽdatur pro confessione fidei & antequam perueniat ad alia noua supplicia & tormenta naturaliter moriatur, iste erit verè martyr Christi, & aureolam proculdubio habebit, quoniam quantum fuit ex se, voluntatem obtinebat ad mortem pro Christo tolerandam, quamuis naturaliter obierit, antequam ad secunda tormenta perueniret. Et sic fuit S. Antiochus Martyr, Sardiniæ patronus, vt eius narrat gloriosa passio, à quodam incognito auctore vernacula lingua scripta. Idem dicẽdum prorsus venit, de Marcello, de Ioanne Papa, de Eusebio, & de alijs quamplurimis. Quoniam ad martyrium non requiritur determinatum genus mortis; sed solum quod pro Christo moriantur aliquid sustinẽtes, ita vt ista toleratio duret vsq; ad mortem, vel ex malis toleratis mors sequatur. Martyr autem Antiochus prælibatus exilium pro Christo, dum obijt, sustinebat, & ex prioribus tormentis in Mauritania passis, & exilij afflictionibus mors sequuta fuit in Insula Sulcitana Sardiniæ, vnde Ecclesia S. Pontianum Papam in numero martyrum reponit, eo quod in exilio pro Christo, è vita migrauit, In Sardiniæ insula Bucina, vt produnt D. Damascenus in vita S. Pontiani, & Deusdedit Archiepiscopus Calaritanus lib. 1. c. 105.

Antiocho martyri debetur aureola.

Appendix 4. Quartò & postremò collige, martyres illi, qui nõ habent voluntatem ad martyrium, quamuis sint martyres, tamen nullatenus habere aureolam cum in illis non sit excellens victoriæ pugna, vnde gloriosi illi SS. martyres Innocẽtes qui non habebant perfectã rationem martyrij, sed aliquam participationem eius, putã, quod pro Christo passi fuerunt, non habent aureolam secundum perfectam rationem aureolæ; quemadmodum etiam paruuli morientes cum carnis integritate ante annos discretionis, non habent aureolam virginitatis, secundum perfectam rationem aureolæ.

Quæstio V.

Vtrum aureola iustè & aptè debeatur Doctoribus.

1. Assertio. *Aureola debetur doctoribus.* 1 Ratio.



PRIMA conclusio. Aureola debetur Doctoribus, probatur. Tum ex ratione aureolæ, quæ dicit perfectissimã rationem victoriæ, in qua homo confirmatur Christo; At sicut per martyrium & virginitatẽ habetur victoria de carne & diabolo, perfecta, ita etiam per doctrinã & prædicationẽ victoria perfectissima habetur cõtra diabolum, cum eum expellant prædicatores à se, & ab alijs; Ergo sicuti virginibus & martyribus debetur aureola, sic etiã & Doctoribus, & Prædicatoribus verbi Diuini. Tum quia super illo verbo ad Ephes. 1. [quæ sit eminens.] dicit glossa quoddã incrementum habebũt SS. Doctores, vltra illud, quod alij communiter habebunt. Istud autem vocatur aureola. Tum quia super illa verba Cant. 8. [Vinea mea corã me est.] dicit glossa, [ostendit, quod singularis prẽmij modũ Doctoribus eius disponit, & sic Doctores habebunt speciale præmium, quod est aureola.] 2. Ratio. 3. Ratio.

Nec est dicendum, quod hæc aureola debeatur tantummodo illis, quibus cõpetit prædicare ex officio, & docere, sed quibuscumq; exercentibus actum istum licitè. Prælatis autẽ, quamuis habeant officiũ prędicandi, nisi actu prædicent, non debentur eis aureola; quoniam aureola non debetur habitui, sed actui pugnę, secundũ illud Apostoli. 1. ad Tim. 2. [Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.] Accedit ad hæc, quia multi sunt Epi, & Prælati, qui nec prædicare sciũt, nec sacram audierunt vnquam Theologiã, nec minus Philosophiam, aut Dialecticam, sacrosuè Canones.

Nota primò, quod prędicare, & docere cũ sint actus misericordię, inter spirituales eleemosynas cõputãtur. Corollariũ 1.

Nota secundò, quod aureola non debetur cuilibet doctrinæ, sed illi solum quę est de pertinentibus ad salutem. Ista autẽ est doctrina sacræ Scripturæ, cuius obseruatio est necessaria ad salutem: vnde Dan. 12. dicitur: [Qui erudiunt plurimos ad iustitiam, fulgebunt sicut stellæ ad perpetuas æternitates.] Per quod præmium aureolæ designatur, de quo hic dicitur: [Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.] Corollariũ 2.



Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Text. 12. *Subscriptio litterarũ ad Angelũ Smyrnensis Ecclesiæ.*

COMMENTARIVS.

Enodatio contextus. §. 1.



NE videamur eumdem cibum variatis tantum coloribus (vt ait Tullius) non sine magno fastidio degustandum discumbentibus proponere: Ideo in eũdem textum explicando rerum variatione opus est: Tot enim in hoc operę sunt sacramenta (vt ait D. Hier.) quot verba. Id propterea toties repetita verba: *Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*. mysterio haùd quaquam carere debent. Magnorum itaq; artificum est in calce sui præclari operis, se depingere, vel saltem nomen suum affigere solere, vt potè, intuentes, legentesuè, facilè tam eximij operis auctorem cognoscant. Cum autem Smyrnensis Ecclesia hic consoletur (dictũ namq; fuit supra nihil reprehensionis fuisse in hac Smyrneorũ Ecclesia, id propterea quidquid ei hic dicitur, totum ad eius cõsolationem spectare) vt quiuis apertè, & clare intelligat tale opus consolatoriũ, opus Spiritus sancti fuisse: Idcirco Spiritus sanctus qui per Archiprophetã Ioannem huic Ecclesiæ loquebatur Smyrneorũ in calce sui operis, hoc est, in fine suę cõsolationis se subscribit, & veluti sigillo, & nomine suo, suam ad Smyrneos claudens epistolam, ait: *Qui habet aurem audiat quid spiritus* (hoc est, Spiritus sanctus) *dicat Ecclesiis*. Quasi dicat: Spiritus sanctus est auctor consolationis Smyrneorum Ecclesiæ, ipse namque est de quo dicitur.

Spiritus Sanctus est auctor consolationum.

Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

Ipse est de quo Iob 5. dicitur: [Mœrentes erigit sospite.] De illo tandem sub similitudine ventus dixit Christus Iob 3. [Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.] Quo loco ly. [spirat,] dimissis alijs Doctorũ expositionibus, pro consolari accipere possumus. Ipse enim liber est in consolãdo afflictos, vt fecit cum tribus pueris in ignis fornace, cũ Daniele in lacu leonum, cum Moyse in deserto, cum Iona in ventre ceti, cũ Petro in carcere, & cum Paulo in profundo maris. Sicuti namq; ventus se per omnia transfundit; sic Spiritus sanctus in cõsolando omnia implet, iuxta illud Sap. 1. [Spiritus Dñi repleuit orbem terrarum.] Qui igitur afflictos cõsolatione pascere solet, ipse hos Smyrneos in fide teneros, & ob illã crudeliter per Synagogam satanæ afflictos, consolatur, & in medio fellis amaritudinis, melle suauitatis diuinæ potauit, vt apertè intelligatur Spiritum sanctũ, Ecclesiam Dei à sua adolescentia, hoc est, à primo nascentis Ecclesię exordio melle cõsolationis enutriuisse, veluti alter Plato, qui in sua tenella ætate ab apibus, melle educatũ fuisse scribit Plutarchus sub his verbis: [Tener adhuc infans sopore tenetur in cunis cum apes non paruam mellis vim dormientis, labellis instillare sensim, annotatæ sunt. Qua quidẽ re ad prodigiorũ interpretes delata, eum futurum procedẽtibus annis vaticinati sunt, cuius ex lingua melle dulcior flueret oratio.] Pari modo apes illa argumentosa Spiritus sanctus, ita Ecclesiã Dei in sua infantia melle cõsolationis diuinæ educauit, vt modo ab illa (quæ firmissima in proponendo veritates fidei colũna est Spiritus sancti) melle dulcior fluit oratio; id propterea de illa Psalmista vaticinatus fuit dicens: [Quã dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauũ ori meo.] Hinc auditum, siue auditorẽ huiusmodi, non ab vna tãtum Ecclesia ciuitatis illius Smyrnæ, sed ab omnibus, Angelus Dei per Archiprophetã Ioannem exigit Ecclesijs; idcirco non singulariter dicitur: *audiat quid Spiritus dicat Ecclesiæ*, sed pluraliter ait: *audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs.* Et vt intelligatur talem consolationem Spiritus sancti, spiritualem esse, subiungit dicens: *qui vicerit non lædetur à morte secunda.* Quæ quidem mors, spiritualis plane est, & sonant verba: Qui fidelis permanserit vsq; ad mortẽ carnis, mortem animæ non timebit æternã, id est, qui in via, in felle amaritudinis pro fide Christi tuenda erit, in patria melle æternæ dulcedinis degustabit.

Consolationes Spiritus sancti.

Dan. 3. Dan. 6. Exod 3. Ioan. 2. Act. 12. 2. Cor. 11. 2. Cor. 11.

Ecclesiam à suo exordio melle consolationis diuinæ educauit Spiritus sanctus.

Simile.

Plutarchus in vita Platonis tom. 1. vita. 54.

Spiritus sanctus est apis.

Germanus sensus.

Par. 1.

PARAPHRASIS

Secunda.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Audiat (ait) quid Spiritus dicat Ecclesijs.

Nisi Ecclesia Dei hunc Spiritum sanctũ consolatorem obtineret, prorsus inter tot angustias, ac Paganorum procellas, iam defecisset. Cæterum hoc diuino consolationis spiritu corroborata, [Portæ inferi nõ præualebunt (vt dicitur Matth. 16.) aduersus eam.] Quo loco [Portæ] bifariè accipiuntur. Primò quidem inferni portæ dicuntur ea omnia, per quæ in infernũ tenditur, quasi aliquid necesse sit poni ad intrandũ in infernum, cuius introitus est cõtinuus, iuxta illud Virg. 6. lib. Æn.

Inferni portę dicuntur omnia vitia, ac scelera.

Inferni portę semper apertæ.

Tros Anchisiada: Facilis descensus Auerni,
Noctes atq; dies patet atri ianua ditis.

§. 2. Inferni portę dicuntur hæretici, ac infideles.

Secundò, inferni portæ dicuntur hæretici, & infideles, qui propè diẽ aduersus Ecclesiam Dei insurgunt. Et sic est sensus: Quamuis infernus, vt potẽ dæmones, hæ-

F retici, & infideles pugnent contra Ecclesiã, nõ præualebunt; quia licet impugnetur Ecclesia, tñ virtute Spiritus sancti corroborata ac præmunita, nunquã succũbet. Hinc Caiet, in hunc locũ sic ait: [Vt intelligamus ædificiũ Ecclesiæ nullis contrarijs concutiendũ, ac per hoc non humana, sed diuina virtute consistere, declarat vanũ conatum omnium contrariorum ad destructionẽ illius. Non dicit, & hæretici, & tyranni, & perditi moribus, sed portæ inferi, vt significet non solũ humanas vires secundũ seipsas, sed etiam quatenus sunt portæ inferni, hoc est, quatenus diaboli vtuntur humanis studijs, ac viribus, velut portis inferni, per quas scilicet, aditus fit ad inferos, per quas pateat infernus omnibus. Itaq; per hoc excluduntur vires, non solum humanæ, sed diabolicæ, oẽs siquidẽ succumbent Ecclesiæ, quantumcumq; enim conentur euellere Ecclesiam, nunquam præualebunt aduersus eam.] Hæc Caiet.

G

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Qui vicerit (ait) non lædetur à morte secunda. Mors perpetua planè est, hæc secunda mors, de qua S. Mater Ecclesia ad Deũ supplex deprecatur, dicens: [A morte perpetua, libera nos Dñe.] Secunda namq; mors, animæ mors est, ex peccato originẽ trahens, cum supplicio æterno, iuxta illud Sap. 16. [Homo per malitiam occidit animam suam.] & Ezech. 18. [Anima quæ peccauerit ipsa morietur.] & Ierem. 31. [Vnusquisq; in iniquitate sua morietur.] & Iacob. 1. [Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat H mortem.] & ad Rom. 6. [An nescitis, quoniã cui exhibetis vos ad obediendum, serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiã.] Hæc igitur mors animæ ex peccato originem trahens cum pœna æterna, quæ est mors culpæ ab Archipropheta Ioãne, hic secũda mors appellatur, cũ ait: [Qui vicerit nõ lædetur à morte secunda.] Quid, quod, cũ ipse solus inter Prophetas, Euãgelistas, & Apostolos, mortẽ culpę cũ supplicio æterno, quæ ex peccato oritur secundam appellet mortem, lubens in cap. 20. huius operis, quid sit mors secunda explicat. Læsio autem inferni ita obnoxia est, vt damnatos perpetuè, & æternaliter torqueat, iuxta illud Matth. 25. [Ite in ignem æternum.] Et ob id mors secunda perpetuè & æternaliter lædere solet, cuius læsionis immunes, & liberos, Archipropheta Ioannes hic prædicat, vincentes hæc mundi, dæmonis, & carnis oblectamenta, blandimentaque.

Enucleatio textus.

§. 1.

Damnatio æterna mors secunda.

I

Cæterum cum secundum sit correlatiuum primi, & vnum relatum pertineat (vt dicunt Philosophi ad cognitionem alterius, explicandum erit, quid sit prima mors, vt melius secundam, tùm intelligere, tùm cauere possimus. Prima igitur mors est corporis, nimirũ, cũ anima separatur à corpore, quamquidẽ Deus minatus fuit Adamo, dum illi Gen. 2. dixit: [In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.] Quod plane manifestis verbis docet Apostolus ita scribens ad Rom. cap. 5. [Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.] & idem videtur dicere Salom. dum Sap. 1. & 2. ita ait: [Deus mortẽ non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, & Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit K in orbem terrarum.]

§. 2.

Mors prima quæ sit.

Secunda autẽ mors est animæ, nimirum, cum anima peccando separatur à Deo, & æterno supplicio deputatur. Anima namq; peccando dupliciter potest separari à Deo, ad tempus, nimirum, & in æternum. Cum vtique homo peccat, & antequam discedat à vita, per confessionem resurgit à peccato commisso, tunc ad tempus tantũ fuit talis anima separata à Deo, cum vero

§. 3.

Mors secũda quæ sit.

verò homo peccat, & cum peccato,& abſque confeſſione,contritione,attritioneve,eius anima à corpore ſeparatur, tunc in æternũ à Deo ſeparatur, & ſupplicio æterno traditur,quæ mors ſecunda & nouiſſima appellatur,cum ſit mors æterna, vt habetur ex varijs ſacræ Scripturę locis. Et quia poſt diem iudicij extremi,non tantum animæ reproborum, verumetiam, & eorumdẽ corpora ſimul æterno ſupplicio tradentur : Ideo canit Eccleſia pro vnoquoque iuſto dicens : [Libera me Domine de morte æterna,in die illa tremenda &c.]Et licet quælibet priuatio gratiæ in anima, ſit mors animæ; & mors ſpiritualis, vt diſtinguitur, contra mortem corporalem; tamen cum anima, priuata gratia,& ſine Deo, cum corpore pœnas æternas luit,ſecunda mors dicitur, & nouiſſima, Et hoc cõmuniter in damnatis erit,poſt diem iudicij finalis, quando eorum animæ corporibus reunitæ pœnas æternas luent, & hoc eſt ad litteram illud Apoc. 20. [Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis,hoc eſt,mors ſecunda.] & Apo.24. [Pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne, & ſulphure,quod eſt mors ſecunda.] Et quamuis tunc viuant damnati per reunionem animæ cum corpore, tamen eorum vita in inferno erit æternaliter moriendo,& ob id talis vita,mors ſecunda meritò dicitur hic ab Archipropheta, quam etiam peſſimam vocat Pſalmiſta dicens: [Mors peccatorum peſſima.] Hinc gloſſa interlinearis hunc locum rectè vertit, dicens ſic : [Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda, quæ eſt gehenna.] Et Lyranus. [à morte ſecunda,id eſt,ab inferno,qui dicitur mors ſecunda.] Et rectè quidẽ;,Nam de gehenna,ſiue inferno intelligitur illud Iob 10.[Vbi vmbra mortis,& nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.] En igitur prima, & ſecunda mors, quarum prima corporalis,ſecũda verò ſpiritualis dicitur. Quę conueniunt planè in hoc, nimirum, quia ſicuti corpus primò diſtemperatur, poſtea infirmatur, deinde moritur,poſtea effertur,deinde ſepelitur, & ad vltimum lapide operitur: Ita anima,primò diſtemperatur per malum,& noxam delectationem,ſeu executionem; moritur per concenſum; effertur per operis euidentiam;ſepelitur per conſuetudinem; ad vltimum lapide operitur per obſtinationẽ. Aſſimilatur inſuper prima,& ſecunda mors, quia, ſicuti mors corporis lædit in quinque,ita etiã & mors animę.Primò enim mors corporis ſeparat ipſum ab anima, & mors animæ ſeparat ipſam à Deo. Secundò mors corporis ſeparat à parentibus, & amicis carnalibus, & mors animæ ab Angelis & Sanctis omnibus. Tertiò mors corporis facit amittere diuitias mundi, & mors animæ aufert diuitias cæli. Quartò mors corporis priuat totum ſenſum, & mors animæ totum ſpiritualem intellectum. Quintò tandem mors corporis aggrauat dolores exteriores, & mors animæ dolores auget interiores.

Peccatũ morti aſſimilatur in multis.

Dionyſius Carthuſ. in comment.

§. 4. Mors quadruplex.

Sunt tamen aliqui, qui quadruplicem mortem diſtinguunt,duas vtiq; corporales,& duas ſpirituales. Hinc D.Aug.lib.3.de Ciuit.Dei,cap.12. quatuor mortes aſſignat,dicens : [Cum ergo requiritur,quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, nec obedientiam cuſtodirent: Vtrum animæ,an corporis, an totius hominis,an illam,quę ſecunda dicitur; reſpondendum eſt,omnes,&c.] Et gloſſa ordinaria ſuper hunc locum ſic ſcribit : [A morte ſecunda. Prima mors animæ,eſt in peccatis, ſecunda in pœnis, prima mors corporis, quando diſſoluitur, ſecunda quando damnabitur in iudicio.] Alij tandem adferunt tres mortes,putà, corporalem,ſpiritualem, & æternam. Legito D. Ambroſium.lib.de bono mortis, cap. 2. mortis varia genera proponentem. Cæterum hoc varium mortis genus,nihil damni, detrimentiuè noſtri infert dictis, quibus mors ſecunda pro morte inferni, ſiue pro æterna, & perpetua damnatione animarum accipitur, quæ mors ſecunda dicitur,tam comparatione mortis corporalis, qua anima à corpore ſeparatur,quam comparatione culpæ, quæ mors prima eſt, & cauſa huius mortis ſecundæ. Quadrat explanatio hæc noſtra cum S. Tho, D.Dionyſ. Carthuſiano, Ruperto Abbate, Petro Berchorio Pictauienſe,Franciſco Ribera, Iacobo Suarez à Sancta Maria,& Blaſio Viegas, hic.


§. 5. Mortis & Paſſionis Chriſti fructus.

Poſtremò animaduertas opus eſt, vincentes non lædi à tali ſecunda morte, fructus mortis & paſſionis Chriſti eſſe. Hinc Primaſius in hunc locum ſic ſcribit : [Interdictæ,arboris eſus, hanc poſteris procurauit; Chriſtus autem ex lateris ſui ſacrario,aqua & ſanguine profluente,crucis irrigans lignum, inde fecit ſalutis primitias germinare, vnde originale malum nouerat ſurrexiſſe, dicens : Gaudete,quia vici ſæculũ.] Hæc Primaſius. Sed de hac ſecunda morte infra, Deo dante,vberior erit oratio, ſufficit tñ ad præſens intelligere,hoc beneficium(vt potè,quod a morte ſecunda nullatenus lædamur vincentes) per mortem & paſſionem Chriſti nos vtique obtinerere : Mortem inſuper ſecundam cauſatam fuiſſe, ab eſu ligni vitæ.

Latus Chriſti,ſacrarium

Primaſius in comment.





ET angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet romphæam vtraque parte acutam. Tex. 13.

Superſcriptio litterarum ad Epiſcopũ Pergami.

COMMENTARIVS.

SMYRNENSIS iam peragratis oris, ad littora Pergamenſis Eccleſiæ, pleno velo peruenit, nunc Archipropheta Ioãnes,veluti alter Græcus Æneas de quo extat dictum.

Vix è conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti,& ſpumas ſalis ære ruebãt.

Explanatio contextus.

Virgilius lib. 1. Æneid.

Et quia ad prudẽtiam pertinet, vt dicit Philoſophus 5. Eth.& S.Tho.2.2.q.47.art.1. futura ex præſentibus, vel præteritis cognoſcere, eo quod prudens, quaſi porro videns dicitur, hoc eſt,procul videns : Ideo Dei Vates, quaſi procul videns iſta, romphæam hinc inde acutam, huic Eccleſiæ oſtendit dicens : *Hæc dicit qui habet romphæam vtraque parte acutam* Quoniam in hac Pergamenſi Eccleſia,quædam corrigenda,& quædam commendanda vtique erant : Dicitur autem iſta romphæa *vtraque parte acuta*,quia ad vnam eius partem diuina ſpectat miſericordia, qua virtutes & bona opera extolluntur : ad alteram verò, diuina ſpectat iuſtitia, qua vitia & mala opera reprehenduntur, & prorſus reſecantur. Et quia de Chriſto dicitur: [Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.] & iterum. [Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.] Meritò Dei Vates à principio ſuæ locutionis, romphęam Dei vtrinq; acutã,huic Eccleſiæ,eiuſq. Antiſtiti demonſtrat,quia in noſtro Archipropheta Ioãne circa hanc Pergamenſem Eccleſiam, adimpletur illud Ieremiæ: [Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.]

Ariſtoteles. S. Tho.

Iſidorus lib. Ethymolog.

Habach.3. Pſal.100.

Hier.1.

PARAPHRASIS

Prima. Par. 1.

Et angelo (ait)Pergami Eccleſiæ ſcribe. Pergamus diuiſio cornuũ interpretatur, Et rectè ſanè, quoniã ſic quadrat nomen cũ re. Cornu enim in ſacra pagina crebrò accipitur ꝓ hæreſi. Hinc eſt illud[Om-

Dilucidatio textus. Pergami interpretatio.

Cornua significant virtutes, & bona opera.

nia cornua peccatorum confringam.] Quandoq; verò F
accipitur pro sana doctrina, & pro bonis operibus, iuxta illud quod sequitur. [Et exaltabuntur cornua iusti.] Hinc Incognitus super hunc Psalmum 74. sic scribit: [Vbi nota, quod per cornua in sacra scriptura, duo principaliter significantur, scilicet malorum superbia, & iustorum virtus & innocentia.] Ratio autem huius significationis stat in hoc, nimirum, quia quemadmodum animal cornibus se defendit, ita iustus virtutibus, & peccator vitijs se protegit. Cornua siquidem in animalibus (ea habentibus) solent esse instrumenta fortitudinis, eorumque tela quibus aduersantes sibi impetunt. Et quia in hac Ecclesia erat duplex chorus, vt potè, bonorum & malorum societas, erant siquidem in ea ex vna parte boni, & iusti viri, sanam & catholicam doctrinam & fidem Christi profitentes, & ex altera parte mali & impij homines, doctrinam nequam tenentes, vt potè, doctri- G
nam Balaam, & sectam Nicolaitarum, vt infra liquet; ideo vt in hac Ecclesia boni essent à malis diuisi, seruantes vnitatem Ecclesiæ, monere hìc incipit Archipropheta Dei, Antistiti Pergamensi, vt secundum nomen Ecclesiæ suæ, quod est, Pergamus, diuidat, atque discernat, ac prorsus separet à sancta doctrina, & fide Catholica, doctrinam Balaam, & sectam Nicolaitarum. Quoniam in hac Pergamensi Ecclesia iam adimpletum erat illud Apostoli 2. Tim. 4. [Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.] id propterea sequitur: [Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.] Sed quid est Euangelistarum opus? Audias attentè: [Prædica verbum, insta opportunè, impor- H
tune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.] Quòd planè præstare tenebatur Episcopus iste Pergamensis. Tum quia prædicare proprium munus est Episcoporum, vt apparet in Concilio Tridentino. Tum quia in hac sua Ecclesia, pars mala impugnabat bonam. Tum tandem, quia Rhomphæa verbi Dei, cornua peccatorum, vt potè, vitia, & hæreses malorum, facilè confringuntur per honoris Dei zelatores, nimirum verbi diuini Prædicatores. Quam quidem, cornuũ, videlicet, opinionum, siue doctrinarum diuisionem, nomen istud [Pergamus] apprimè significat.

Simile.

Præmonitio notatu digna.

Prædicatoris munus.

Et non mirum si in hac Ecclesia reperitur bonorum, & malorum commixtio; quoniam de vniuersali Ecclesia militante scriptum est, Matth. 13. [Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex I
omni genere piscium congreganti.] Super quæ verba sic scribit. Caietanus: [Duo in hac parabola significantur: alterum est officium Ecclesiæ in suis Prædicatoribus, quod assimilatur sagenę, quantum ad congregationem tam bonorum, quam malorum: alterum est officium discernendi bonos à malis, quod est officium Christi per eius Angelos exercendum.] Idem prorsus dicunt D. Hieronymus, D. Chrisostomus, & Origenes in Matthæum, vt annotauit Alphonsus Tostatus, tom. 4. in Matth. q. 68.



DISPVT. XV.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Ecclesia & Antistite Pergamensi.

Vnica Quæstione contenta super illa verba: *Et Angelo Pergamensi Ecclesiæ scribe.*

Prologus disputationis.



QVIDAM laudant Pergamum, eo quod Galeni clarissimi Medici, Medicorumque omnium facilè Principis, ac Coryphæi, patria fuerit; quoniam, vt ipsemet Galenus oratione exortatoria ad bonas artes, ait: [Patria ex nobilitate illustrium virorum suorum maximè illustratur, ac nobilitatur.] Ego verò eximias laudes Pergami vrbis aliunde peto, nimirum à receptione fidei Catholicæ, & à suo Euangelico Pastore, de quo hic disputo.

Quæstio I.

Vtrum Antistes Pergamensis Ecclesiæ, tempore quo hæc scribebantur à Ioanne, esset aliquis nunc nobis proprio nomine notus?



LYRANVS super hunc textum, [& Angelo Pergami,] putat beatum Polycarpum illo in tempore Ecclesię Pergamensi Antistitem fuisse. *Lyrani opinio.*

Verumtamen hæc opinio stare nequit, Quoniam Apostolus 1. Tim. 3. sic *Lyranus impugnatur.*
præcipit: [Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum:] At Polycarpus erat Episcopus Smyrnensis Ecclesiæ, vt ipse Lyranus tenet in hoc eodem capite, & nos etiam supra probauimus; idq. tenent Nicephorus lib. 3. cap. 2. D. Hieronymus in ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 15. Ignatius epist. 8. D. Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs, in fine locutionis Ecclesiæ Smyrnensis, vbi affirmat Polycarpum, Smyrnæ, corona martyrij coronatum fuisse; igitur nequit Polycarpus, Episcopus esse Pergami, nam sic non esset vir vnius vxoris, quinimmo duas haberet
K sponsas, quod non est asserendum vllo modo.

Franciscus Ribera existimat in hisce suis comment. cap. 2. versu 13. Antipam, Episcopũ Pergami fuisse; idq. non asserit ex propria, sed ex aliorum, sententia. *Riberæ opinio.*

At verò, hæc sentẽtia, cuiuscuis sit, claudicat. Tũ quia Antipas iam obierat dum hæc scriberentur à Ioanne. Tum quia loquendo Ioannes cum Epõ Pergami, citat Anti- *Ribera refellitur. 1. Arg. 2. Arg.*

Antipam, tamquam personam ab illo Angelo distinctam, vt indicant illa verba. [Et in diebus illis Antipas
3. Arg. testis meus fidelis qui occisus est apud vos.] Tum deniqae quia Antipas licet fuerit martyr Christi (vt suo loco nos dicemus) tamen non fuit Episcopus alicuius Ecclesiæ, natus quippe ac etiam passus fuit pergami vt constat ex Simone Metaphraste, ex Martyrologio Gregoriano tertio Idus Aprilis, quo die Sācta Mater Ecclesia Antipæ festum celebrat, Verumenimuero ad dignitatem Episcopalem, nullatenus fuit promotus, vt ex illis facilè liquet:

Carthusiani opinio. D. Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs, cap. 2. art. 3. in fine locutionis ad Ecclesiam Pergamensem, putat ex aliorum sententia, Sanctum Carpum
Aureolus. fuisse illum Antistitem Pergami: Idque deprompsit ex Petro Aureolo Cardinali ex ordine Seraphico.

Carthusianus & Aureolus refelluntur. Cæterum hæc opinio impugnatur ex eo dumtaxat, quia illo tempore Sanctus Carpus erat Episcopus Ecclesiæ Thyatirensis vt constat ex Martyrologio Gregoriano Idib. Aprilis.

Auctoris opinio. In hac re dubia, audeo & ego etiam asserere, Antistitem istum Pergamensem fuisse Papiam, quoniam,
Papias Episcopus Pergamensis Ecclesiæ. Beda, Vsuardus, Ado, Eusebius, hist. lib. 3. cap. 33. D. Hier. de scrip. Eccles. Nicephorus lib. 3. cap. 18. & alij grauissimi adstipulatores, intrepidè affirmant, Papiam fuisse Auditorem S. Ioannis Apostoli, & Polycarpi sodalem, & condiscipulum: Quare possibile est, in illa relegatione, Ioannem hanc Ecclesiam Pergamensem Papiæ auditori suo commendasse, & postea successu temporis Hieropolitanam Ecclesiam in Phrygia post exilium Ioannis gubernasse, relicta Pergamen alicui alteri Pastori, ne esset vir duarum vxorum contra præceptum Apostoli citatum, 1. Tim. 3.

P A R A P H R A S I S

Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus. Hæc dicit (ait) qui habet Rhompheam
§. 1. ex vtraque parte acutam. Rhomphea ista hinc
Rhomphæa comparatur ventilabro. inde acuta, cuius in hac inscriptione extat mentio, est ventilabrum illud de quo Matth. 3. legitur: [Ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Est insuper securis illa de qua Matth. 3. dicitur: [Iam enim securis ad radicem arboris posita est.] Quoniam ad hanc Ecclesiam Pergamensem alludit illa bonorum à malis diuisio, de qua legitur, Matth. 25. [Separabit eos ad inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.] & Matth. 13. [Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum] & iterum: [In tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.] Eo quod Pergamus diuisio cornuum hoc est, doctrinarum, & opinionum interpretatur, vt nuper retulimus, diuisio autem ventilabro, & securi, fieri solet, vt Rhomphea.

§. 2. Rhomphæa stat pro gladio vel ense. Rhomphea autē vox est græca, & idē sonat apud Latinos, quod gladius, siue ensis: Hinc planè est, quod apud Græcos codices in hisce duobus locis, vt potè, cap. 1. [Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.] & cap. 2. [Pugnabo cum illis in gladio oris mei.] Rhomphæa ponitur, vt hic.

§. 3. Rhomphea variæ significationes. Significat autem rhomphæa multa apud explanatores huius loci, quoniam Strabus in sua gloss. ord. putat rhomphæam bis acutam, significare electionem bonorum, & reprobationem malorum. Haymo existimat significare sacram scripturam, quia sicut gladius carnem diuidit, & separat membrum à membro, sic gladius verbi diuidit bonos à malis, iuxta illud Matth. 10. [Non veni pacem mittere, sed gladium.] D. Dionysius Carthusianus tenet significare rigorem diuini iudicij, & quam horrendum sit (vt dicitur ad Heb. 10.) incidere in manu Dei viuentis. Anselmus Laudunensis asseuerat sententiam Domini significare, qua condemnabit malos in corpore & anima. Primasius vtrumq. putat testamentum demonstrare, nouum, scilicet, & vetus. Quam planè explanationem in superiori capite per hæc verba maximè illustrat: [Ideo bis acutus, quia gladius militem armat, hostē necat desertorem punit. Hinc Apostolus dicit: Et gladium spiritus quod est verbum Dei. Omnis namque scriba eruditus dicit, Dominus similis est patrifamilias, qui profert de Thesauro suo noua, & vetera, nouum videlicet testamentum & vetus, Et ex hoc gemino testamento tamquam gladio bis acuto nunc eruditur Ecclesia, vt quæ æternis deputetur bonis bene vti præsentibus nouerit, hoc præcinctus Apostolus gladio dicit per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris.] Hanc eamdem explanationem 2. Cor. 6.
tenet D. Dionysius Carthusianus, quam per hæc verba etiam illustrat: [Quidam autem per rhomphæam intelligunt sacram Scripturam, quæ vitia resecando, mentē ad cœlestia acuendo, intima cordis penetrando, animam à rebus secularibus, desiderijsque carnalibus occidendo, acuta vocatur, ex vtraque parte acuta propter duo testamenta, quorum scripturæ hæc agūt. Hinc de Christo dicitur Malach 3. Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.] Hæc Carthusianus. Omnes sunt tropologicæ, ac morales explanationes.

Verumtamen romphæa vtraque parte acuta, ad litteram loquendo, particularem sententiam Indicat, quā §. 4. Vera, & litteralis explanatio.
filius hominis contra hanc Pergamensem Ecclesiam fulminare intendit, quæ rhomphæa bis acuta meritò appellatur. Tum quia aliquid diuinæ misericordiæ, & aliquid diuinæ iustitiæ erit complexa. Tum ratione tēporis, quia præteritos, præsentes, & futuros scindet. Tum ex parte generis, quia tam nobiles, quam ignobiles diuidet. Tum ex parte criminis, quia scindet tam carnalia, quam spiritualia. Tum ex parte Ecclesiæ, quia scindet prælatos, & subditos, clericos, & laicos, omnes scilicet tenentes sectam Balaam, & Nicolaitarum doctrinam. Tum ex parte sexus, quia scindet tam mares, quam fœminas. Tum ex parte ætatis, quia scindet, tam iuuenes, quam senes. Tum postremo ex parte fortunæ, quia scindet, tam diuites, quam pauperes. His itaq. de causis sententia hæc particularis Domini in Ecclesiam Pergamensem rhomphæa vtraque parte acuta appellari proculdubio potest. Hinc Rupertus Abbas in hunc locum sic scribit: [Rhomphea ex vtraq. parte acuta, vel gladius iste oris Domini, sermo Dei est, de ad Heb. 4.
quo Apostolus dicit, viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertigēs vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Discernit enim inter animam, & spiritum, quia videlicet ipse nouit quid homo animalis cogitet, aut faciat propter terrena commoda, & quid spiritualis propter cælestia. Et vt secundum præsentem locum, siue causam loquamur, ipse discernit inter benedictiones Moysi, quorum vterque quidem filijs Israel benedixit, docebat Balaam mittere scandalum coronam filijs Israel, edere, & fornicari, hoc Moyses non fecit.] Et paulo post: [Ad quid habet illam rhomphæam? Ad faciendam vindictam in omnes tenentes doctrinam Balaam, & in ipsum quicumque ille est, qui docet doctrinam Balaam. Meminisse namq. debemus historię veritatis in qua Dominus dixit Moysi: Vlciscere filios Israel de Madianitis. Et subinde: Cumq. pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum. Eui, & Recen, & Sur, & Vr, & Rebe, quinque Principes gentis, Balaam quoque filium Beor, interfecerunt gladio. Et Numer. 31.
post pauca. Iratus Moyses, Principibus exercitus, tribunis, & Centurionibus, qui venerant de bello, ait: Quare

Quare referuastis mulieres, nonne istæ sunt, quæ decęperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & pręuaricari fecerunt vos in Domino super peccato Phogor? vnde & percussus est populus, ergo cunctos interficite quicquid est generis masculi, etiam paruulos, & mulieres quæ nouerunt viros in coitu, iugulate. Huius (inquā historię veridicę hìc meminisse debemus, quia quod illic realiter factum est, hìc spiritualiter se facturum protestatur, qui romphæam ex vtraque parte acutam se habere profitetur.] Hucusque Rupertus Abbas. Qui tantum diuinam iustitiam aduersus tenentes, in Pergamo doctrinam Balaam, & Nicolaitarum attingit. Verumenimuero cum ad misericordiam diuinam spectet, enchomium Antistitis, & aliorum bonorum tenentium nomen Christi, & non negantium fidem eius in eadem ciuitate Pergamensi, ac etiam laus Antipæ martyris fidelis testis (quæ plane omnia absque diuina misericordia, diuinoque auxilio stare nullatenus queunt, iuxta illud Psalmista: Misericordia eius præueniet me) hinc colligere licet romphæam bis acutam totā hanc sententiam diuinam, quæ hic ad Pergamenses recitatur, misericordia, & iustitia redolentem significare. Hoc ipsum plane demonstrauit Dominus Ierem. virga vigilante, ac olla succensa, contra Ierosolymitanos, siue Israelitas. Sicuti namque olla bulliens correptionem punitiuam in inferno, sic virga vigilans, correptionem consolatoriam in hoc mundo significat, quæ ad diuinā sane misericordiam spectat, cum de illa dicatur; [virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.] Loquitur enim Propheta de correptione in via, quę plane est cōsolatoria bonis. Hinc D. Ambros. super illa verba Lucæ 1. [Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetabat.] Sic ait. [Vide quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit, ille dudū mutus prophetat. Hęc enim gratia Dei maxima, quod eum, qui negauerat, confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterū cōscius delictorum, pręmia diuina desperet, nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.] Hucusq. D. Ambrosius. Sicuti igitur ad diuinam iustitiam pertinet, malos doctrinam Balaam, & Nicolaitarum in Pergamo tenentes, multare; ita pariter ad diuinam misericordiam attinebit, bonos sanam doctrinam, nomen & fidem Christi in eadem ciuitate tenentes, laudare. Id propterea affirmare audemus, Dei misericordiam & iudicium in romphæa hic inde acuta erga Pergamenses significare, cum Psalmista de Deo dicat, omnes viæ Domini, misericordia & veritas, vt sic Pergamenos partim animet, partim etiam deterreat.

Sententia in Pergamenses misericordia, & iudicio plena. — *Ierem. 1.* — *Psal. 22.* — *D. Ambros. in Luca.*

F G H

Iam postremo non sine causa gladius anceps, in hac inscriptione collocatur. Nam Ioachimus Abbas monuri hac inscriptione Episcopum Pergami tenet, vt magistrum suum imitetur, studeatq. ancipitem Dei rōphęam aduersus hæreticos distringere, atq. vibrare. Quod plane nullatenus aduersatur nostræ explanationi: quinimmo ob hanc causam nos romphæam hinc inde acutam ventilabro assimilauimus, quoniam ventilabrum iudiciariam potestatem Christi proculdubio indicat. Hinc Alphonsus Tostatus in illa verba Matth. 3. [Cuius ventilabrum in manu sua,] Ita scribit: [Significatur per vētilabrum potestas iudiciaria Christi. Duo enim continet potestas iudiciaria, scilicet potestatem cognoscendi, & potestatem definiendi. Vtrumq significat per ventilabrum, quia ventilabrum est instrumentum ad separandum triticum à paleis, eleuando vtrumque in altum & tunc grana pondere suo cadentia in vnum locum coeunt, paleæ vero sua leuitate à vento raptæ diffugiunt. Ideo ventilabrum à ventilādo dicitur, id est proiiciendo ad ventum. Et sicut separantur ibi paleæ à granis, ita per potestatem iudiciariam boni separabuntur à malis, vt quilibet eat in locum suum. Et dicit, quod ventilabrum est in manu eius, ita quod immediatè promptus est ad discernendum bonos à malis.] Hucusque Abulensis.

§. 5. Ioachim. in comment. — *Abulensis in c. 3. Matth.*



SCIO vbi habitas, vbi sedęs est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. *Text. 14.*

COMMENTARIVS.



IAm romphæa vtraque parte acuta incipit ex vna parte, nimirum, ex misericordiæ, Pergamenses ex alto scindere, veluti gladius Delphicus. Narrant historici, fuisse apud Græcos gladium quemdam pro paupere, duos habentē vsus. Erat nāq. gladius iste ex vno latere acutus ad scindendum, ex altero vero latere, dentes habebat ad serrandum, vnde supplebat locum duorum instrumentorum, vt potè gladij, & serræ; Iccirco pro paupere duos habebat vsus, nēpe scindere, & serrare, & inde vocabatur gladius pro paupere, quē pauper facilius emebat, cum vilius vnum instrumentum, quam duo, emeret. Et quia in Insula Delphes in Græcia vendebatur, ideo gladius Delphicus nūcupabatur. Vnde aio, rōphæam bis acutam, iam hic ex parte misericordiæ scindere inchoare quasi gladium Delphicū. Ad misericordiam Dei quippe attinet diuina laudatio, qua filius hominis per vatem suum Pergamēsem hunc Antistitem cautè extollit per hæc verba: *Scio vbi habitas.* Perinde ac diceret: Video hisce oculis meis, & apertè cognosco locum habitationis tuæ, ità vt nullatenus indigeam interrogare cum sponsa Cant. 1. [Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum] Dignosco namq. consortium tuum, agnosco te cohabitare in medio sauientium, in medio draconum, in medio deniq. malorum tāquam ouem in medio luporum: Cohabitas, vtiq. *vbi sedes est Satana*, nimirū, vbi Satanas aduersarius meus habitans, quiescit, Infideles, vt potè gentiles & Hebræos prauā nationem inducei do ad persecutionem Ecclesiæ, itaut nouissima horū Hebræorum fiant peiora prioribus. Et cum talis sit locus habitationis tuæ in medio malorū: Hoc te laudabiliorē, amplioriq. præmio effecit dignum; videlicet, quod inter tot prauos non reliquisti iustitiam, quandoquidē *tenes nomen meum* hoc est, nomen Christianitatis titulo insignitum contra Iudaismum & gentilitatem, aduersum te disputantem, & timore persequutorum, vel molestia impugnationū, *non negasti fidem meam*, id est, cor, mea potentia & gratia stabilitum habens, fidem meam inter tot minas terroresq. nullatenus deseruisti, quinimmo eam prudenter (sicut serpentes caput) conseruasti, iuxta illud Apostoli 1. Cor. vlt. [vigilate, & state in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia vestra in charitate fiant.] Laudatur itaq. hic Pergamensis Episcopus quod inter impios & Christi nomini aduersantes positus, nullatenus fidem deseruerit, aut minis cesserit, sed tenuerit fortiter nomen Christi, nulla ratione, vel ad Iudæos, vel ad Gentiles transferri se sinens.

Explanatio contextus. §. 1. — *Gladius delphicus apud Græcos ad pauperū vsū.*

H I

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

K Vbi (ait) sedes est Satanæ. Primasius per sedem, thronū legit. Sic enim vertit [Scio vbi habitas, vbi thronus Satanæ est.] Quæ plane lectio quadrat cum codicibus Gręcis, in quibus omnibus ita habetur: [Vbi thronus est Satanæ.] Et explicans Primasius quid sit Satanæ thronus, sic subiungit. [Thronus Satanæ homines sunt, quos nequiter possidet.] Ex qua plane lectione liquido constat, quod quēadmodū iustorū corda, thronus sunt Dei, in quibus Deus ipse & residet, & adoratur, vt facilè deducitur ex illo Ps. 98. [Qui sedet super Cherubim] quo loco per Cherubim iustos homines intelligimus, in qui-

Enucleatio textus. — *Thronus Dei*

in quibus est cælestis sciētię plenitudo, vt docet D. Augu- A stin. per hęc verba: [Sit in te plenitudo scientię, & eris tu quoq. sedes Dei. Sed forte dicturus es, & qñ in me erit plenitudo sciētię? quis potest ad tantū culmen peruenire? Noli turbari. Ait enim Apostolus ad Rom. 13. plenitudo legis est charitas, interroga cor tuū, si est ibi charitas, ibi est plenitudo legis; Iā in te habitat Deus, sedes Dei factus es, irascantur populi, quid faciēt irascentes populi ei, qui factus est sedes Dei.] Sunt igitur corda iustorū sedes, & thronus Dei; Quēadmodū itaq. corda iustorū thronus sunt Dei, ita pariter malorū corda sunt thronus satanæ, in quibus satanas, tāquā rex sedet, & colitur. De throno Dei, expendi quidē potest illud 3. Reg. 10. [Fecit etiā Rex Salomon thronū de ebore grandē, & vestiuit eū auro fuluo, nimis.] Ebur enim propter cādorē significat puritatē animæ, quæ auro, id est charitate, vestitur à Deo. De throno autem Satanæ exolui planè potest illud Isa. 14. [In cælū cōscendā super astra Dei exaltabo solium meū; & sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis ascendā super altitudinē nubiū, similis ero altissimo.] Ex quo loco facilè deducitur superbos, iniquos, & generaliter oēs iniustos (qui sidera errantia dicuntur) thronus, & sedes Satanæ esse. Vbicūq. enim inimicus homo Zizania super seminat, vel vbicumq. fur nō intrat per hostiū in ouile ouiū ibi plane sedes, thronus & cathedra Satanæ est erecta: ibi nāq. tortuosus serpens Satan per ora suorū discipulorū, venenū spargit excæcando mentes infideliū tam Gentiliū, quam Hebræorū, vt non credentes Euangelio ipsi pereāt, & obsperent in omnibus; & per omnia, Et quāuis omnes iniusti generaliter sint thronus, & sedes Satanæ, tñ hypocritæ sunt thronus & sedes eius speciales. Vnde Satanas est ille, qui profert illud Isa. 11. [Gabeæ sedes nostra.] Gabeæ autem vallis occulta in- C terpretatur, per quā hypocritas intelligimus de quibus dixit Dominus: [Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.] Et iterum: [Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis.

D. Aug. in Ps. 98.

Corda iustorū sunt sedes & thronus Dei.

Mali sunt thronus, & sedes Satanæ.

Matth. 23.

§. 2. Porro hîc animaduertas oportet, totū populū Pergamensē diuisū fuisse in duas sedes, siue in duos thronos, in sedē vtiq. Dei, & in sedē Satanæ, quoniam Pergami multi erant, qui Christū, & adorabāt, & colebāt, quorū vnus erat Antistes iste, qui nomen, & fidē Christi tenebat. Alij verò ibi erant, q Iudaismū, & Gentilitatē profitentes, Christianis aduersabantur. Boni igitur erant de sede, & throno Dei, mali vero de throno, & sede satanę Vnde dicitur, Antistes iste habitare vbi erat sedes satanæ, nō quod ipse esset satanæ, (quoniā sic, nec nomen, nec fidē Christi illæsā seruaret, vti seruauit, ac tenuit) sed dicitur habitare vbi sedes erat satanæ, eo quod in ciuitate Pergamēsi, vbi ipse habitabat erat inter Christianismū. Iudaismus cū sua cōgregatione, & Synagoga D satanæ insidiāte aduersanteq. Christianismū. Hinc verba textus [habitas vbi sedes est satanæ,] sic sonare proculdubio videntur: Habitas propè, vel iuxta sedem, & thronū satanæ, Fieri nanq. potuit, vt queādmodū nunc apud Christianorū vrbes, & intra eorūdē septa, & muros permittitur Iudæorū Synagoga, vt apparet Venetijs, Pisis, Romę, & Florentiæ, in quibus separatim, & distinctim intra muros adest Ecclesia Dei, & synagoga Iudæorum, ita etiam tunc Pergami esset ex vna parte Ecclesia Dei, & ex altera Synagoga Iudæorū, licet magno cū discrimine, quoniā nunc præualet in hisce ciuitatibus Ecclesia Dei, cęterū olim multū pręualebat Iudaismus aduersus Christianismū. Id propterea, Antistites & Præsules Christianorum, apud, siue iuxta, quos erat Iudaismus, minis & terroribus, diu multūq. affligebātur à Iudæis; Et huic affine accidi potuit isti Antistiti Pergamēsi. Et in hoc sensu expēdi quidē potest de hoc Per- E gamensi Episcopo illud Iob. 30. [Frater fui draconū, & socius struthionū.] Quo loco D. Greg. per dracones intelligit homines malos, & per struthiones, hypocritas. Additq. doctor sanctus, non tā laudabile esse, bonū esse cū bonis, quā bonū esse cū malis. Quo planè spectat illud 2. Petri 2. [Iustū Loth oppressū à nefandorū, iniusta conuersatione eripuit: aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans inter eos, qui de die in diem animam iu-

Dogmatū diuisio in Pergamo.

Nota bene.

D. Greg. lib. 20. moral. c. 29.

sti iniquis operibus cruciabant;] Et illud etiā Apost. ad Philipp. 2. [In medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo;] & demū illud Cant. 1. [Sicut liliū inter spinas, sic anima mea inter filias.] Super quæ verba, sic scribit Hugo Card.] Anima inter aculeos carnaliū concupiscentiarū integra, inter pungentes solicitudines illæsa inter malignantes bona, inter diffidentes pacifica, quid aliud est, quā liliū inter spinas?] Et D. Bernard. sermone 48. in Cantica: [Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus, sicut liliū inter spinas sic anima mea inter filias, ô cadens liliū, ô tener delicate flos, increduli & subuersores sunt, tecū, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in carne tua sūt in aere sūt. versari in his, & minime lædi, diuinæ potētiæ est, nō virtutis tuæ] & paulo post: [Non mediocris titulus profecto virtutis inter prauos viuere B bonū, & inter malignantes innocentiæ retinere cādorē, & morū lenitatē: magis autē si his, qui oderūt pacē pacificū, & amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinē dabit lilio iure quodā proprietatis specialiter vendicabit, quod ipsas vtiq. pungentes se spinas candore proprio illustrare, & venustare non cessat] & mox subtexuit [An non perinde liliū tibi videtur implere quodāmodo perfectionē Euangelij qua orare iubemur pro calūniantibus, & persequentibus nos, bene facere his, qui oderūt nos? Ergo & tu fac similiter, & erit anima tua amica Dñi, & laudabit te, de te dicens, quia sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.] Hucusq. D. Bernard. Et dū sponsa vicē præconij reddit dicens: [Sicut malus inter ligna siluarū, sic dilectus meus inter filios.] Ad eumdem intentum fit allusio.

Matth. 5.

Luce 6.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus. §. 1.

Et non negasti (ait) fidem meam. Exteriorē publicāq. fidei confessionē ad salutē necessariā esse, hic exemplū datur; Non negare nāq. fidē, de his quæ ad salutē spectant, plane est. Idq. docet ipsamet veritas, Lucæ 9 dicens. [Qui me erubuerit, & meos sermones, hūc filius hominis erubescet, cū venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorū Angelorū.] Et Lucę 12. [Omnis quicumq. confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illū corā Angelis Dei.] Et Matth. 10. [Omnis ergo, qui confitebitur me corā hominibus confitebor, & ego, corā Patre meo, qui in cælis est, qui autē negauerit me corā hominibus, negabo & ego eum corā patre meo, qui in cælis est.] Quibus verbis docet Dominus, quod sicut nemo, qui eū non fuerit confessus corā hominibus saluabitur, ita neq. aliquis, qui Christū negauerit. Ideo reddit Dñs vicissitudinē in verbis propositis, quasi dicat (teste Abulēse super cap. 10. Matth. nemo putat quod inutiliter me cōfiteatur, quia pro hac confessione ego retribuā aliam, nam omni confitēti me & asserenti me esse Deū, & redemptorē mundi.] corā hominibus, [scilicet prædicando illis hoc, vel quando fuerit ab eo quæsitū,] ante Reges, & Præsides pro hac confessione ego retribuens aliā, [confitebor eum] id est laudabo, [coram patre meo, qui in cælis est,] id est corā Deo, [qui autem negauerit me corā hominibus] scilicet me non esse Deū, vel quod non crediderit in me, [negabo & ego eū,] scilicet dicēdo quod nō est seruus meus, vel quod non noui eum, [corā patre meo,] scilicet, in die iudicij, qñ nobis erit necessaria ad salutem confessio Christi. Hanc fidei cōfessionē etiā sanctissimus pręceptor Aquinas 2. 2. q. 3. art. 2. ad salutē necessariā esse docet. Idcirco error Elchesetatū, qui affirmabant Christū in tormētis ore negari posse sine peccato modo corde credatur, à Fabiano Romano, Pōtifice Maximo, dānatus fuit in Concilio Romæ per eū habito, sexaginta Episcopis comitantibus, vbi Nouatus etiā anathemate vnà multatus ab ipsis fuit. Circa igitur hanc publicā, exterioreq fidei confessionē laudatur extolliturq. Antistes iste Pergamēsis, qui nullatenus erubuit aut negauit Christum, immò cum ore confessus fuit in Perga-

Publica fidei confessio est de necessitate salutis.

S. Thom.

Error Elchesetatum Romæ damnatus.

Intrepiditas Antistitis Pergami.

Pergamo corā hominibus:id propterea filius hominis minimè eū erubescit aut negat,quinimmo eū confitens & illi reddens vicissitudinē ait: [Et non negasti fidem meā.]Quasi dicat,quia me confessus fuisti corā Pergamenses meos fideles,te & ego confitebor coram patre
Laus Pergamensis Episcopi. meo,& corā Angelis Dei. Sane hæroē ac procerū virū fuisse Antistitē istū pergamensem ex hisce verbis concludo,illi nāq. adaptari possunt verba illa Apostoli ad Rom.10.[Corde enim creditur ad iustitiā,ore autē cōfessio fit ad salutē,dicit enim scriptura:Omnis qui credit in ipsum non confundetur.[Credit nāq.Antistes iste Pergamensis,in Christū,& oris confessione illum confessus fuit,& id propterea non est confusus . His namq. verbis probat Apostolus quod supra dicebamus, nimirum, qui confitetur Christū saluū fore . Constat autem
Opera bona sunt testimonia. quod credere in Christū opera includit:quapropter,vt salui simus in æterna vita,necesse est non tantū credere,verū etiam,operari.Opera enim pia nostræ religio-
Comparatio. nis,vel fidei testimodia expressa sunt , & chirographa,: Transeunt verba quæ ore proferimus , at chirographa manent ad perpetuā rei memoriā.Voces externæ tantū deliniunt,opera intima planè exprimunt, & effingunt: illa & mortua sūt simulacra;hęc viua & efficacia.Hinc Dñs Matth.7.dixit:[A fructibus eorū cognoscetis eos]

§. 2. Difficultas in textum. Sed dices, quare filius hominis oris confessionē huius Antistitis Pergamensis in mediū potius adduxit,quā alia illius opera: Hoc dico factū fuisse , eo ꝙ proprius
Sol. 1. actus ipsius fidei exterior secundū se,est ipsa confessio. Ordinatur enim confiteri,ea quæ fidei sunt ad ipsam fidē in corde. Nā vt ait Philosophus lib.de interpretatione c.1.verba signa sunt affectuū eorū,qui sunt in anima Vnde Paulus 2.Cor.4.[Habentes eumdē spiritum fidei credimus,propter quod & loquimur.]Et Dauid Ps.115. [Credidi propter quod loquutus sum.] Adde solā oris
Sol.2. confessionē,& non aliud , huius Pergamensis Antistitis opus explicuisse filiū hominis,eo quod eo tēpore Principū,Cæsarū,Iudæorū,Phylosophorūq. persequutiones vigebant, adeò , vt nullū facinus ægregiū magis ætate illa esse posset quā intrepidè Christi crucē confiteri, & de crucifixi nomine,haùdquaquā erubescere,quod gētibus stultitia,& Iudęis scandalū,atq. abominatio erat. & quia tunc ira furorq. immanis in Ecclesiā deferbuit Pergamensē per sedē Satanæ & doctrinā Balaā & Nicolaitarū,non tā operibus,quā oris confessione cōprobandū erat huic Antistiti,quod Christianus,re,nomine, & ore esset.Quod sanè præstans,non est confusus Antistes iste,iuxta illud Apostoli: [Omnis qui credit in illū non confundetur]id est,in Christi confessione non pudefiet:hoc est,non peccabit: Quid enim magis animam confundit,& pudefacit quā peccatū: Vnde Adā nudus
Peccatum cōfundit hominem. erat Gen.3.& non erubescebat,cū primū peccauit protinus erubuit,timuit,suffusuſq. rubore abscōdit se.]Nō confundetur:[Itaq.ob pręcedentia peccata,quoniā tādē saluus erit,nec frustrabitur spes,vel fides eius.] Nō confundetur:[confiteri corde quod credidit ore,]Non cōfundetur,[id est,de cętero non peccabit,vt eū oporteat confundi.Vnde qui peccat non credit in eū,credit
Credere in Deum est illum publicè confiteri. illi,credit illū,sed non credit in illū, Antistes autē iste Pergamensis:inter ingentes illas dæmonis ignis flāmas doctrina Balaā,& Nicolaitarū accensas,non peccauit, & ideo credit in illū,& ob id,non fuit confusus, immo ad salutē oris confessione, vela dabat lętus,& ob id filius Dei,eū laudans,ait illi.] Et non negasti fidē meam.

§. 3. Fidei publicæ confessio,quādo est de necessitate salutis. Verumenimuero nota ex D.Tho.2.2.q.3.art.2.quod publica fidei confessio,non est semper, nec in quolibet loco,de necessitate salutis,sed in aliquo loco,& tēpore qñ nimirū, per dimissionē huius confessionis subtrahitur honor debitus Deo.Noluit itaq. Christus semper fi-
S. Tho. dē eius esse publicādā,sed vbi oportet,& qñdo oportet,cū ipse Matth.3.dicat:[Nolite sanctū dare canibus, neq.mittatis margaritas ante porcos,ne cōculcēt eas] Vnde & sanctissimus ille Narbonensis Sebastianus, quē & militiæ splendor,& martyrij gloria illustrissimū af-
Martyr Sebastianus diu latuit Christianus. fecerunt , longo tēpore sub Diocletiano occultus fuit Christianus,credebantq. cōmilitones eū Christianū nō esse,non modo citra illius culpā,sed cū ipsius laude,& meritò:sub habitu,nāq.militari,Christianū gerens an-

F mū pauida Christianorū pectora confortabat: Verū cū oportuit,dulce illi fuit,& verbera,& vulnera,& mortē pro Christi dulcissimo, gloriosoq. nomine pati . Et in hoc sensu expēdenda proculdubio sunt verba Apostoli ad Rom.10.[Corde enim creditur ad Iustitiā,ore autē confessio fit ad salutē.] Perinde ac diceret Apostolus: Suo loco & tēpore,non sat est os sine corde, neq. cor sine ore,quoniā in aliquo casu os sine corde hypocritarū est,& cor sine ore, frigidè amātiū.Quāobrē oportet aliquādo, quod corde credimus,ore publicè fateamur. Hinc Haymo in hunc locū sic scribit : [Nomen Christianitatis integra fide colitur,etiā in tēpore tribulationis]Et Laudunensis:[Tribulatio est illuminatio iustis.] Et tādē Strabus in sua glos.ord. [Tribulatio iustis illuminatio,cōtumacibus correptio, obstinatis excæcatio.]

G T in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos vbi Satanas habitat. Text.15.

COMMENTARIVS.

Aenodatio contextus. §. 1. AVTE legas oportet textum hunc quoniā lectio Haymonis duram, & obscuram reddit sententiā,lectio vero aliorum expositorum imperfectam statuit orationem , quamobrem verba textus bifariam componam .

§. 2. Primo quidem illa referendo ad superiora,ita vt sit pars præcedentis sententiæ . Ad quod
H rectè præstandum adimā ly & & ly *qui* & addam ly *in quibus* itaut legamus sic . *Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam in diebus illis,in quibus Antipas testis meus fidelis occisus est apud vos,vbi Satanas habitat* Hæc lectio ex parte quadrat cum Primasio , qui legit: [Et tenes nomen meum, & non negasti fidem meam in diebus illis,in quibus Antipas testis meus & fidelis,qui occisus est apud vos.]Qua lectione textū hunc cū prę cedenti coniungit,vt clarè indicat illud, *non negasti fidem meam in diebus illis* ex parte etiā quadrat Laudunensi in sua interlineari glossa sic super scribenti: [Et, in diebus illis , quibus hoc fecisti Antipas testis meus, &c. [Quadrat etiam partim cum codicibus Græcis in quibus sic legitur: [Et in diebus, in quibus Antipas testis meus,&c.] ecce ly *in quibus* partim vero cū Lyrano,qui ly & ponit pro [id est]itaut legat [& tenes no-
I men meū,& non negasti fidē meā, id est, in diebus illis Antipas testis meus fidelis,&c. [Ecce oblatio ly & ex quibus omnibus lectionibus coniungendo verba huius textus cū superioribus talis conflatur(vt dixi)vera lectio,vt potè *& tenes nomen meum & non negasti fidem meam in diebus illis , in quibus Antipas testis meus fidelis occisus est apud vos,vbi Satanas habitat.*eodē ferè modo videtur legere S.Thomas,& D. Dionysius Carthusianus quasi nullā nouā in hoc textu inchoent sententiam,sed propositam prosequentes.Fundatur itaque hæc nostra lectio supra Primasij, Laudunensis, Lyrani, D.Tho.& D.Dionisij Carthusiani lectiones.

Verūenimuero pleriq. hanc explanationē nostrā ex multis doctoribus,ita cōpactā,quasi ex alienis racenis, factā vindemiā calūniabūtur.Quos ego admonēdos esse putaui, litteralē expositionē, ac sensū verū alicuius §. 3.
obscuri,& tenebricosi loci sacræ paginæ,q̄ diuinari ne Solutio.
K quit,nō aliūdè q̄ ex sancta Matre Ecclesia,& veterū Patrū,Sanctorūq. Doctorū scriptis carptim deligi potuisse

Secūdo,accomodari possunt verba huius textus prę- §. 4.
scindēdo illa à superioribus,nihil addēdo nec vè,diminuendo de lectione nostræ vulgatæ,quæ talis est, *& in diebus illis Antipas testis meus fidelis , qui occisus est apud vos,vbi Satanas habitat,*& sic,nouam à superiori constituere sententiā oportet asserere,itaut reddat hūc sensum.Et in diebus illis, vt potè diebus decē tribula-
tionum

tionum,persequutionumq. quos iam supra prædixi in quibus tortores in meos sæuiebant Christicolas, Antipas, testis meus fidelis plane fuit, cum fuerit occisus apud vos,vbi Satanas habitat.Quasi dicat:Eius exemplo laborate,vel viriliter resistite.

§. 2. S.Tho.in cõment. Postremò notes oportet illud *apud vos* non collocari ex eo,quia illi occiderint ipsum,sed quia inter illos occisus fuit a malis.Vnde sensus est,*apud vos,* id est,ab aliquibus,qui sunt inter vos,*vbi*,hoc est,in quibus eius occisoribus, habitat Satanas per dominationem in ipsos, in quibus tamquam in sua sede , vel throno seder, quasi eorum rex & Dominus.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus. §. 1.

Antipas (ait) testis meus fidelis qui occisus est apud vos. Primasius non legit [Antipas] sed ita(vt reperitur in codicibus Græcis)vt potè [Antiphas,]Sed quidquid sit de ortographia,& inscriptione huius nominis,legẽdo[Antipas]vt noster legit vulgat* dicimus ly[testis fidelis]clarè & apertè indicare Antipã Christi martyrẽ fuisse.Quoniam,vt ait S.Thomas 2. 2.q.124.art.5.martyres dicuntur,quasi testes,quia scilicet , corporalibus suis passionibus vsq. ad mortẽ testimoniũ perhibent veritati,non cuicumq. sed veritati, quæ secundum pietatẽ est,quæ per Christũ nobis innotuit ; vnde, & martyres Christi dicuntur , quasi testes ipsius,& ob id in textu est,ly[meus.]Misericors,itaque & miserator Dominus ille, qui Apostolis, & martyribus suis dixit Lucæ 21][Iniicient vobis manus suas, & persequẽtur tradentes in Synagogas, & custodias,trahentes ad Reges,& Præsides propter nomen meum: cõtinget autẽ vobis in testimoniũ:]& paulo post [Trademini autem à parentibus,& fratribus,& cognatis,& amicis,& morte afficient ex vobis,& eritis odio omnibus hominibus propter nomen meũ, & capillus de capite vestro nõ peribit.]Hic igitur misericors Dominus vt Pergamenus Antistes non Christianũ retinẽs,& fidem Catholicam inter tot minas,& dira Paganorum, infideliumq. tentamenta, & tormenta minimè negans, omnino confortaretur,ac prorsus corroboraretur,exẽplũ illi adhibuit istius sui gloriosissimi martyris Antipæ , qui in eadem Pergamensi vrbe paucis tunc iam elapsis diebus,pro eius nomine & fide,glorioso condecoratus fuit martyrio,vt sic Antistes etiã ille,ac etiam populus sibi creditus confortati ad supernã anhelarẽt patriã,& martyrij palmã nullatenus abhorrerẽt.Quoniã antiquorũ gesta gloriosa(vt clarè patet)priscorũq. memoratu digna exempla ad excitandas hominũ mentes,animosq.mouendos,tanti sunt roboris, & potestatis vt nihil aptius,nihil ve fortius inueniri queat,si quidẽ maiorem vim secum afferre videntur , & eorũ quæ dicuntur pleniorẽ tribuere cognitionem,quam verba. Quinimmo si talia priscorum exempla fuerint aliquorum amicorum, vel sociorum , solatium sane afflictis, haud ex guano parere solent,iuxta illud .

Martyres sũt testes Christi.

Exempla magis mouent quam verba.

Solatium est miseris
Socios habere pœnarum

Antipas natione Pergamenus.

Ita autem gloriosus, & admirabilis apud Pergamenos fuit Antipas,vt cũ Pergami piè,castè,sanctèq. Christianus diu viuẽs,ad canos tandẽ peruenisset annos, & insuper res Christianorũ propter Domitiani persequutionẽ magno in discrimine grassarentur, haud quaquã ipse timore perterritus,quinimmo ingẽti repletus gaudio corã hominibus in publicũ exiuit , & inter crudelissimorũ tortorũ minas, intrepide sincerã fidei doctrinã,Christiq. laudes apertè ita prædicauit, & confessus fuit,vt alijs vna secũ afflictis Christianis præsidiũ,tortoribus admiratio, & dæmonibus ingens terror esset. Vnde à Præfecto vrbis captus fuit. At ipse in Christi cõfessione generosè persistens ad Dianæ templum tractus in bouemq. æneum igne inflammatum coniectus vitam in gratiarum actione,precibusq. finiuit.Locus insuper vbi pro Christo martyriũ subijt,ab illo die,vsq.ad hęc nostra tempora ita colitur , ac veneratur , vt vsque in hodiernum diem, haud exigua miraculorũ copia apud Pergamenses a Deo continuè honoretur,cum ingentes magnaq. illic in dies fiant curationes.Hæc omnia deprõpsi ex Simeone Metaphraste, qui Antipæ martyriũ, & eleganter,& abundanter descripsit,a quo etiã plane existimo auctorẽ martyrologij Gregoriani,vitã & martyriũ Antipæ sumpsisse.Legito Cæsarẽ Baroniũ in Martyrologio 11.Aprilis,Lipomanũ,tom.7.& Sur , tom. 2. Inuentio tamen ista cruciandi æneo boue cãdẽte vetustissima plane est; quoniam ante Christi aduentũ,Perillus Atheniensis faber,ingenio præstans,Phalaridi Tyranno Agrigentino Taurum ex ære primus fabricauit,in quo reus clauderetur & subiecto igne,mugitũ bouis ederet cuius muneris nomine cũ amplissimum à Tyranno,qui nouis semper tormentis delectabatur, speraret munus, inclusus tauro , suppositisq. ignibus, primus suæ artis experimentũ præbuit. Vnde Plinius nobilitates ex ære operũ & artificũ cõnumerans in cap.8.lib.34.suæ hist. nat.hanc cruciamenti inuentionẽ,& vsum gentiliũ per hæc verba recitat:[Perillũ nemo laudat sæuiorẽ Phalaride tyranno,cui taurũ fecit,mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eũ expertus cruciatũ iustiore sæuitia . In hoc à simulachris Deũ hominũq. deuocauerat humanissimã artem. Ideo ne tot conditores eius elaborauerant,vt ex ea tormenta fierent.Itaq. vna de causa seruantur opera eius , vt quisquis illa videat, oderit manus.] Cicero etiã huius crudelis inuentionis gentium meminit,dũ lib 2.tuscul quæst.de sapiente ait [Talis in Phalaridis tauro,si erit,decet,quã suaue, hoc est,quã hoc non curo,&c.]Et Ouidius 1.de arte amãdi.

Miracula in honorem Antipæ in dies fiunt.

Cardinalis Baronius in annotationibus Martyrologij.

Plinius lib. 34. c. 8. hist. nat.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit:infælix imbuit auctor opus.

Ouidius.

Tempore igitur prędicationis Euangelij gentiles tãta furoris rabie in Christianos insiluerũt, vt vetera qq. & antiquata genera tormentorũ in illorũ interitũ , vt ait Cæsar Baronius,excitarent.Quãobrẽ non tantũ aduersus Antipam testẽ fidelẽ, de quo hic agit Archipropheta Ioannes; verũ etiã Eustachiũ Romanũ nobilissimum ciuẽ,ac socios,id generis exercuit cruenta sæuitia impiorũ tormenta . Constat ergo Antipã,qui tã solẽniter à Domino hic commemoratur,& cõmendatur, singularis sãctitatis,atq. constantiæ extitisse. Quoniã, dũ testis Christi nũcupatur,signũ plane est , quod verbo & facto,ac etiã sanguinis sui effusione testimonium veritati fidei Christianæ perhibuerit,quandoquidẽ martyr Grecè,Latinè dicitur testis. Representat itaq. hoc in loco noster Archipropheta Ioannes huic Pergamẽsi Antistiti , virũ istũ sanctũ martyrẽ Antipã ab improbis Iudæis , & Gentilibus quasi alterũ Abelem in agro interfectum, vel tanquam alium Zachariam inter templum , & Altare occisum. Tum ad magis exaggerandam Pergamensium malitiam . Tum deniq. vt ipse etiã Antistes illius exemplo ductus, ac omnino confricatus ad martyrij palmam incalesceret , & pro Christo tormentum perferre haud quaquam recusaret .

Cæsar Baronius in suo Martyrologio 11.Aprilis.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus. §. 1.

Vbi (ait) Satanas habitat. Allusio planè hic fit ad illud Lucæ 11. [Cum immundus spiritus exierit ab homine perambulat per loca inaquosa,quærens requiem,& non inueniens dicit, reuertar in domum meã vnde exiui , & cum venerit inueniet eam scopis mundatam,& ornatam, & tunc vadit , & assumit septem alios spiritus nequiores se , & ingressi habitant ibi , & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus .] Quo loco,illud [habitant ibi,] quadrat cum hoc,quod hic dicitur,vt potè [vbi Satanas habitat] qui plane loquendi

quendi stylus apertè docet, vasa diaboli fieri homines, qui ab illo deuincuntur; quoniam in ipsis prauis hominibus, tamquam in vasis suis ipse Satanas sedem collocat suam. Vnde Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 33. Adam primum serpentis vas appellat, eo quod primus ab ipso deuinctus fuerit serpente. Ex hoc clarè intelliges quæsint iniquitatis vasa.

Adã primum vas serpentis

Conceptus prædicabiles in textum.



SATANAS aduersarius interpretatur, & varias in sacra pagina obtinet appellationes. Dicitur enim Draco, iuxta illud Ps. 103. [Draco iste quem formasti ad illudendum ei.] Id est, vt illuderet hominibus, vel, vt illuderetur ei ab hominibus præcipuè post Passionem Christi, vt interpræatantur D. Hieron. D. Aug. Theodoretus, & Genebrardus in psalmos. Vocatur insuper Serpens iuxta illud Gen. 4. [Serpens decepit me.] Et Apoc. 20. [Et apprehendit draconem serpentē, antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille.] Nũcupatur etiam hostis, iuxta illud Iob. 16. [Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.] Quæquidem verba Chaldæus paraphrastes sic legit: [Hostis meus oculis subulæ simillimis, me intuitus est.] Hoc est, subtilissimè me aspexit. Quoniam Satan aduersarius noster nos mille modis calumniatur, nobisq. aduersatur. Quare de illo cum cessat à tentatione, scriptum est. 3. Reg. 5. [Nunc autem requiem dedit mihi Deus per circuitum & non est Satan, neq. occursus malus.] Quo loco illud [per circuitum] apertè demonstrat, quod cum Satanas homines tentat, eosdem per circuitum, & calumniatur, & aduersatur, veluti fortissimus hostis, & inimicus in obsidione expugnandæ ciuitatis, vt legitur de Holoferne Bethuliam circuiente per gyrum, quando reperit fontem, quem satellitibus custodiuit, ne filij Israel aquam ex eo haurirent, Iudith. 7. Porro dicitur Leo, iuxta illud 1. Petri 5. [Aduersarius vester, diabolus tanquã leo rugiẽs circuit quærens quem deuoret.] Nuncupatur itidẽ Belial, iuxta illud. 2. Cor. 6. [Quæ autẽ conuentio Christi ad Belial] Belial autẽ idẽ est ꝙ apostata, & excõmunicatus, præuaricator, & absq. iugo: Quare vbicumq. septuaginta transferunt [filios pestilentiæ,] siue [iniquitatis] in Hebræo legitur [filios Belial.] Iccirco verba illa Ps. 88. [Filius iniquitatis non apponet nocere ei.] Hebręi legunt, [filius Belial, &c.] Pręterea dicitur [Leuiatham] iuxta illud Iob. 40. [An extrahere poteris Leuiatham hamo, & fune ligabis linguam eius.] Leuiathan autem est Cete magnum, per quod dæmonem intelligimus: Quo in loco notatu digna est Hebręorum fabula, qua ridiculosè asserunt, Deum à principio mũdi duo cete immensæ magnitudinis, marem vnum, alterum fœminam procreasse, quia tamen præuidit si per generationem, multiplicarentur, impeditum iri nauigationem fœminam occidisse, & sale conditam reseruasse, vt iustis post resurrectionem lautissimum ex eius carnibus conuiuium appararet, interimq. cum masculo qui superfuit, tribus horis quotidie, animi gratia colludere, & ita illud Ps. 103. [Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.] ridiculè interpretantur, futuram carnis generalem resurrectionem irridentes, & illudentes. Iusti autem post resurrectionem tali conuiuio nullatenus indigebunt, cum Saluator noster dicat: [In resurrectione erimus, sicuti Angeli Dei in cælo.] Angeli autem in cælo cibo visibili minimè vtuntur, iuxta illud Angeli Raphaelis Tobiæ 12. [Ego, cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.] Locus vero præallegati psalmi: [Draco iste, &c.] ad litteram de cete intelligitur, quod Deus procreauit in mari, vt in eo quasi luderet, ac de reliquis minoribus piscibus propter suam magnitudinem, quasi tyrannico more triumpharet, eos nimirum, deuorando, vt dicunt expositores. Cæterum Patres sancti per [cete] siue [Leuiatham,] eo loco dęmonem intelligũt, quem Deus formauit [ad illudendum ei,] id est, vt illuderetur ei ab hominibus, præcipuè post passionem christi; quoniam vbique sit, Christi nomine inuocato, mox fugit, & effugatur, quinimmo signo sanctæ Crucis, dirè multatur, vnde S. Dominicus, cum flagellis dirè, & fortiter flagellauit, & sanctus Antonius eumdem crebrò pedibus suis conculcauit, vt suæ sanctæ narrant historiæ. Ad quod planè alludit illud Isa. 11. [Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactus fuerit, mittet manum suam.] Qui locus clarè indicat, dæmonem capiendũ esse per Christum, ac sanctos suos à passione sua sanctissima. Rursus pleraq. alia in sacra pagina obtinet nomina, quæ recẽsere, nimis lõgum esset. Postremo tamen dicitur [Behemoth.] iuxta illud Iob. 40. [Ecce Behemoth, quem feci tecum, &c.] Significat Behemoth, terrestrium animalium multitudinem, ad significandam Satanę potentiam quoniam ipse in se venena, malitias, atque omnium animalium astutias absconditas obtinet, tamquam illorum omnium caput.

Conceptus. 1. Quod Satanas pleraque obtinet nomina dicitur nẽpe Draco, Serpens, Hostis, Leo, &c.

Iudæorũ deliramentum circa cete, & conuiuium iustorum post resurrectionẽ

Impugnã tur Hebræi.



SED habeo aduersus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere; & fornicari: ita habes, & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Tex. 16.

COMMENTARIVS.



HIc fit allusio ad Idololatriam illam ex fornicatione, subortam, de qua Ps. 105. dicitur: [Et initiati sunt Beelphegor; & comederunt sacrificia mortuorum.] Quare pro clariori textus notitia, sciendum est quod Ninus Rex Assyriorum, qui condidit Niniuem, patre suo mortuo, qui Beel appellabatur, erigi fecit imaginẽ ad eius memoriam, quam vocauit Beel iuxta nomen Patris: Et vt ad maiorem Patris memoriam illa imago ab hominibus in maiori reuerentia haberetur, ordinauit quod quilibet reus ad præallegatam imaginem confugiens, saluus, & incolumis esset. Vnde & illa imago cæpit multum ab hominibus venerari, in tantum etiam quod diuinos honores cæperunt homines illi exhibere, ab illa gratias postulare, & illam, vt Deum colere. Et inde cæpit idololatria, & ad alias gentes fuit deriuata; Ita quod nomen istius idoli Beel ad alia idola deriuatum fuit, secundum diuersitatem linguarum. Et maxime istud nomẽ Beel ad omnia idola applicabatur, quia lingua punica, Beel, idem est quod Deus. Vnde sicut Assyrij vocabant idolum suum Beel, vel Belumita, & Babylonij suum vocabant idolum, Beel, alij Baal, alij Beol, secundum varietatem linguarum. Moabitæ autem idolum suum vocabant Beelphegor, quod est nomen compositum ex duobus integris, nimirum, ex Beel, & Phegor, quod est nomen eiusdem montis, in quo colebatur idolum Moabitarum. Istud ergo idolum, scilicet Beelphegor, Iudæi propter derisionem gentium, vocabant Beelzebub iuxta illud [in virtute Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia,] asserentes in isto idolo principem dæmoniorũ habitare. Erat ergo Beelphegor idolum Moabitarum quod filij Israel in deserto coluerunt, & ei sacrificauerunt. Huius autem idololatriæ causa fuit ipsorum luxuria, quoniam decantata ore omnium antiquorum doctorum hystoria narrat, & habetur Num. 22. & 25. quod Balach Rex Moabitarum videns quod populus Israel erat iuxta terram suam, eorum arma formidans, ac etiam timens ne ipsum & regnum eius caperent misit pro Balaam, qui erat magnus

Explanatio contextus. §. I. Inuehitur Christus in Pergami Angelum.

Beda. Strabus in sua glos. ord. Auctor Incognitus in Ps. 105. Iosephus lib. antiquitatum

Idololatriæ initiũ orbis initiũ apud Gẽtiles, quod fuerit.

Lucæ 11.

Beda Strabus. Incognitus. Iosephus.

gnus diuinator,& Propheta benedicendi, ac maledicendi potestatem habens, vt sibi contra Hebræorum populum consilium daret,vt indicant verba illa Num. 22.[Ecce egressus est populus de Ægypto,qui operuit super faciem terræ,sedens contra me,veni igitur,& maledic populo huic , &c.] Et veniente Balaam, populo Israelitico,maledicere haud quaquam voluit , haudvè potuit vt etiam demonstrant verba illa Num. 24. [Si dederit mihi Balach plenam domum suam argenti , & auri , non potero præterire sermonem Domini , &c.] Nihilominus placuit illi consilium dare Balach,vt etiã ostendunt sequentia verba : [Verumtamen pergens ad populum meum dabo tibi consilium quid populus tuus,populo huic faciat extremo tempore:]Consilium autem tale fuit . Non poteris istos superare quamdiu seruient Deo suo, sed si ipsum offendant , leuiter superabuntur : Mitte ergo puellas pulchras , & nobiles prope castra ipsorum, vt per eas inducantur ad idololatriam,& sic Deus ipsorum irascetur contra eos Misit ergo Balach Rex Moabitarum de consilio Balaam puellas selectissimas pulchras,& nobiles,propè tentoria Israel , vt per eas inducerentur ad Idololatriam ante fornicationẽ. Videntes ergo filij Israel illas puellas,moti ad luxuriam ibant ad illas, illæ autem,vt edoctæ erant,nullo modo permittebant se ab illis cognosci,nisi illi cum ipsis,prius adorarent Beelphegor Deũ illarum: Illi autem impetu brutali deuicti, vt eis consentirent idololatrabant.Et Iosephus lib.4. antiquitatũ cap.5. addit plerosque nobiles Hebræorum aliqua ex illis duxisse vxores.Vnde est illud Num.25. [Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel , ad suggestionẽ Balaam,& præuaricari eos fecerunt.] Quare constat clarè,principalẽ causam istius Idololatriæ fuisse luxuriam. Vnde quod in Psalm. 105. dicitur : [Initiati sunt Beelphegor,& comederũt sacrificia mortuorũ.]Num. 25.habetur sic: [Fornicatus est populus cum filiabus Moab,quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt,& adorauerunt Deos earum.]Sacrificia autem mortuorum cumedere,est manducare de carnibus animalium mortuorum,illi Idolo sacrificatorũ, & hoc ipsum in textu tangitur dum Balaam doctrina recitatur.Quam sequuti Nicolaitæ, venerem vagam in primitiua Ecclesia docebant,ponentes scamdalum,vtpotè selectissimas,ac pulcherrimas puellas coram Christianis,vt sic per luxuriam,ad Idololatriam , & ad Idolothyta manducanda facilè peruenirent . Sic etiam fuit de Salomone,qui per mulieres infatuatus , vt habetur 3.Reg.11.templa Idolis ædificauit.

Consiliũ malum Balaam prophetæ.

Iosephus.

Venerem sequitur Idololatria.

§. 2. *Historia Balach,&Balaã ad textum applicatio.*

Iuuat itaque hæc historia ad vberiorem textus notitiam,quandoquidem error Nicolaitarum,non tantum Ephesinam , verumetiam hanc Pergameneam iam maculauerat Ecclesiam. Quamobrem hunc errorem abhorrens Deus , hos Nicolaitas appellat tenentes doctrinam Balaam , vt clarè , & apertè hinc intelligatur quod quemadmodum ipse olim aduersus filios Israel consilium Balaam sequentes iratus fuerat , præcipiens vt omnes Principes contra solem in patibulis vt habetur Num.25.suspenderentur; sic modo contra hos fornicarios,& Idololatras Nicolaitas irasci, qua propter hunc Antistitem Pergamensem non adhibentem curã eosdem expellendi à sua Ecclesia increpat dicens: *Sed habeo aduersus te pauca,* scilicet, peccata corrigenda, quæ si corrigas,erunt parua, si vero negligas, magna. Et determinans quæ sint illa ait:*quia habes illic*,nimirum in Episcopatu tuo.& Ecclesia Pergamensi, *tenentes doctrinam Balaam.*Et expendẽs quæ sit illa doctrina Balaam,protinus subiungit , *qui docebat mittere scandalum coram filijs Israel*,Balaã namq; vt nuper retulimus,sciens Hebræos promptos esse ad luxuriam cõsuluit Moabitarum Regem Balach, vt pulchras mulieres adduceret coram Hebræis, quarum pulchritudine capti relaberentur in amplexus earum,& in blandimẽtis delitiarum comederent sacrificia Phegor,siue Beelphegor,& sic à Deo derelicti caderẽt coram eo; quod & factum dediti erant(vt dixi)gulæ,& luxuriæ,& per consequens Idololatriæ,& hanc historiam Blaam perstringit Dominus paucis verbis dicens:*edere & fornicari*.Et docens ad quid huius historiæ meminerit,mox allegoriam subiungit dicens:*ita* hoc est,similiter , *habes,& tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*,quasi dicat manifestè, sicut Rex Balaach, tenuit doctrinam pestiferam Balaam Arioli:sic apud te sunt aliqui,tenentes doctrinam Nicolai erroneam, quã ego odi . Ex quo sanè apparet fornicationes,quas Nicolaus induxit(vt supra dicebamus)contra puritatem Christianã, & præcipuè Ecclesiasticam fuisse.Christiani namq;(& præcipuè sacerdotes , qui sacris inseruiunt altaribus)id præcipuè curare debent,vt casti,& incontaminati operẽtur, apũ more,de quibus Maro, eas Venerem ignorare his versibus attestatur.

Nicolaitarũ erroris origo

Explanatio contextus iã attingitur.

Num.24.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem :
Quod nec concubitũ indulgent:nec corpora segnes,
In Venerem soluunt:nec foetus nixibus edunt:
Verũ ipsæ folijs natos & suauibus herbis ore legunt .

Virg. Maro.

Et idcirco Pyndarus dixit,propriè quidem apes , sacras Cereris ministras esse . Et in diuinis litteris apem quoq;virginitatis imaginẽ dicit esse Eucherius : cuius igitur contrarium inter Christianos,& præcipuè Ecclesiasticos,Dominus appellat doctrinam Balaam, & esse confirmat scandalum Ecclesiæ Dei, edere & fornicari.

Pyndarus.

Eucherius.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Sed (ait) habeo aduersus te pauca.

Eliminatio textus.

§. 1. *Correptio fraterna indicatur.*

Multoties per totam hanc primam reuelationem repetuntur hæc verba:[Sed habeo aduersus te pauca.] Ter namque in ea repetuntur , Ephesi etenim, Thyatiræ,ac Pergami Episcopis illa dicuntur. Quæ quidẽ trina horum verborum: [Sed habeo aduersus te pauca,] repetitio,mysterio nullatenus caret.His namq;verbis Præsules isti Asiani, adeò blandè corripiuntur,quorũ correptione nos ad fraternam planè inuitamur correptionem Corripere namque proximum,vel illum reprehẽdere,misericordiæ opus sane est.]Si peccauerit(inquit Dominus Matth. 18.)in te frater tuus,vade,& corripe eum inter te,& ipsum solum.]Quibus verbis,veram,& certam dedit Dominus regulam Petro,de correptione fraterna,vnde in vtroque testamento per multa apparent proximi correptionis exempla Nam in veteri charitatiuè,& mansuetè compescuit Abraham,(vt dicitur Gen.13.)iurgium quod erat inter pastores suos, & pastores nepotis sui Loth.Ruben insuper,& Iudas, furorem fratrum suorum,vt dicitur Gen.37. temperauerũt ne occiderent Ioseph.Loth etiam Sodomitas,vt habetur Gen.19.dulciter, ac benignè increpauit , licet illi non acquiescerent ei.Et Tobias parentes, & cognatos suos eũ irridẽtes increpauit dicens,vt habetur Tob.2. [Nolite ita loqui, filij sanctorum sumus,&c.] In nouo vero Testamento, Petrus videns quosdam Iudæos admirantes,vt dicitur Act.2.& 3.& discipulos deridẽtes disertè,& confidenter arguit illos,& instruxit, & ad fidem conuertit , & idem fecit increpans Ananiam , vt habetur Act.5.& Saphyram,pro eo, quod fraudauerãt de pretio agri quod vendiderant , & partes ad pedes Apostolorum posuerant. Stephanus etiam in Concilio Iudæorum existens,confidenter increpabat eos,dicens, vt habetur Act.7.[Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri , ita & vos ,quẽ Prophetarũ nõ sunt persequuti patres vestri?]Et Paulus vas electionis miro discretionis modo arguit Romanos ex Gentilibus, & Iudæis conuersos,qui superba cõmotione dolebant se ad alterutrũ supponere;ostendit autẽ vtrosq;peccasse, & gloriosæ Dei misericordia indigere;nã & Gentiles, legis naturalis, & Iudæis legis Moisaicæ fuerant transgressores.]Causati sumus(ait ad Rom.1.2.& 3.)Iudæos,& Græcos, id est Gentiles , & circumcisos) omnes sub peccato esse.]Et idẽ præstitit S. Apostolus, dũ Corinthios arguit de hoc præcipuè quod Christus in eis diuidi videbatur,dicente vno,1.Cor.3. & 5. [Ego sum Appollo,]alio vero:[Ego Cephæ.] Hinc itaq;est,quod in hac prima visione,seu reuelatione,isti Epi Asiæ,tres

Correptio blanda veteris Testamenti.

Correptio mitis , & suauis noui Testamenti.

Pec sub

sub his verbis, nimirū: [Sed habeo aduersus te pauca.] Vnicuique illorum seorsum dictis adeò blandè, dulciter, ac charitatiuè corripiantur. De fraterna autem correptione disputant doctores cum Magist. in 4. sent. dist. 19. & cum S. Thom. 2. 2. q. 33. Abulen. super c. 17. Matth. Castro, verbo subditus. Soto de ratione tegendi, & detegendi secretum, & Adrianus in 4.

PARAPHRASIS
Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus.

Balaam (inquit) qui docebat Balach mittere scandalum coram filijs Israel.

§. 1. Scandalū qd sit.

Scandalum iuxta doctrinam D. Hieron. super Matth. c. 15. tom. 9. S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 1. & Alphonsi Tostati tom. 1. in Exod. & tom. 5. in Matth. est dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ. Et est duplex, actiuum, scilicet, & passiuum, quorum scandalum passiuū est in eo, q scandalizatur, & istud semper est peccatum in eo qui scandalizatur. Nam vt ait S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 2. non scandalizatur nisi in quantum aliqualiter ruit spirituali ruina, quæ est peccatum, licet aliquando potest etiam esse passiuum scandalum, sine peccato eius, ex cuius facto aliquis scandalizatur, sicut cum aliquis scandalizatur de his, quæ alius benefacit. Scandalum vero actiuum est, in eo qui scandalizat. Nam vt ait S. Tho. vbi supra, vel ipsum opus quod facit est peccatū vel etiam si habeat speciem peccati, dimittendum est semper, propter proximi charitatem, ex qua vnusquisqꝫ tenetur saluti proximi prouidere, & sic qui non dimittit, contra charitatem agit. Et quia Propheta Balaam edocuit Regem Moabitarū Balach, ponere pulchras mulieres Moabitas coram filijs Israel, vt sic earū pulchritudine capti relabarentur in amplexus earum, & in blandimentis delitiarum comederent sacrificia Phegor, siue Beelphegor, & sic à Deo derelicti caderent coram eo: Id propterea dicitur Balaam Prophetā, scandalum posuisse coram filijs Israel, intelligens per ly, [Scandalum,] occasionem ruinæ. Nam quod Græci scādalon, vel scandalum, dicunt, nos Latini, offensionem, vel ruinam, & impactionem pedis possumus dicere, & per consequens talis occasio, siue talis aspectus mulierum Moabitarum, quæ fuit ruina coram filijs Israel (nā de facto commixti fuerunt inter gentes comedētes, & Idololatrantes cum eis) dicitur scandalon, vel scandalum, hoc est, ruina: quod quidem scandalum, fuit actiuum in Balaam prophetam, qui scandalizabat, & peccatum, eò quod contra charitatē agebat, saluti proximi minimè prouidens, & in filijs Israel passiuum, qui scandalizabantur, & etiam peccatum, eò quòd ruerunt spirituali ruina, quæ est peccatum gulæ, fornicationis, & idololatriæ. Illa igitur occasio ruinæ, hoc est, ponere mulieres pulchras Moabitas idololatras ante faciē filiorum Israel, fuit scandalū coram illis. Ad quod rectius intelligendum perpendenda sunt verba D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. in corpore. Et quia Balaam Propheta dicto, admonitione, consilio, & inductione filios Israel traxit ad peccandum, & ad ruinam spiritualem, id propterea dicitur scandalū posuisse coram filijs Israel, & ex consequenti peccasse propter scandalum actiuum saluti proximi, minimè prouidens, mittens mulieres, quæ forma sua scandalo essent Hebræis, & in peccatū illos inducerent. Ex quibus omnibus liquido constant duo. Primum quidem, doctrinam Balaam seminantes, abominabile omnino esse, cum hic à Domino increpetur & etiam de illis intelligatur clarè, & apertè illud Iudæ Apost. 1. [Væ illis, qui in via Caim abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione chore perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aqua, &c.] Secundum vero quantum malum sit scandalum, cum Antistes Pergamensis eò reprehendatur, quòd scandalum dantes Nicolaitas toleret, & ferat.

Scandalū est duplex actiuum, scilicet, & passiuum.

S. Thom.

Huius autem peccati magnitudo exaggeratur. Primo in veteri Testamento, nam Psalm. 49. dicitur [Aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, & tacui. Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.] & psalm. 139. [Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.] Vnde est illud de Michol filia Saul, quæ tradenda erat Dauidi in matrimonium 1. Reg. 18. [Dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum.] Secundò in nouo Testamento, quoniā Luc. 22. dicitur: [Va homini illi per quem scandalum venit.] & Matth. 18. [Væ mundo à scandalis, necesse est vt veniant scandala, verumtamen, va homini illi per quē scandalum venit; si autem manus tua, vel pes tuus scādalizat te, abscinde eum, & proijce abs te, bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, &c.] Tertiò, & postremò Nicolaitarum peccati magnitudo exaggeratur, eo quod qui scandalum, vel offendiculum præbet, destruit opus Christi, quod ipse sua passione perfecit, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 8. [Si quis viderit eum qui habet scientiam in Idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum sit infirma ædificabitur ad manducandum Idolothyta, & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quē Xρs mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.] Quo loco diuus Ioannes Chrysostomus annotat, scandalizantes alios destruere opus Christi, vnde concludit Apostolus: [Quapropter si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, nè fratrem meum scandalizem.] Ex quibus verbis concluditur scandalum, omni plaga grauius esse cum sæpenumero mortem afferat, iuxta illud eiusdem Apostoli, 1. Cor. 9. [Omnia sustinemus ne quod offendiculum demus in Euangelio Christi.] Perinde ac diceret Apostolus, teste Primasio, Et famem, & sitim, & nuditatem, & mortem sustinemus, ne in aliquo displiceat prædicatio nostra, ne illi, quibus euangelizamus, per nos offendāt, aduersarijs occasione accepta deuorantibus.

§. 2. Nicolaitarū peccati magnitudo exageratur ex tribus.

Scandala sunt offendicula venire necesse est.

D. Chrysost. in epist. ad 1. Cor. 8.

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3.

Enodatio textus.

§. 1.

Edere (ait) & fornicarij. Ecce duo mala, quorum vnum, scilicet, [edere] hoc est, gula, tamquam lupus rapax gregem Domini, crudeliter inuasit. Alterum vero, nimirum, [Fornicari,] hoc est, luxuria, tamquam fera pessima vineam Domini Sabaoth dirè deuorauit. Primum namque hominis peccatum, vitio gulæ fuit completum.] Vidit igitur mulier (dicitur Gen. 3.) quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit:] Esau pro lentis edulio, vt dicitur Gen. 5. vendidit primogenita sua: Prima tentatio filiorum Israel, fuit de potu, vt habetur Exod. 15. 16. & 17. Secunda de cibo, & postea simili occasione multoties peccauerunt: [Sedit populus (dicitur Exod 32.) manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.] Et Nech. 9. sic dicitur: [Comederunt, & saturati sunt, impinguati, & abundauerunt delitijs, in bonitate tua magna, prouocauerunt autem te ad iracundiam.] Ecce qualiter gula tamquam lupus rapax gregem Domini crudeliter inuasit, qui enim gulæ deditus est cor habet in ventre admodum similis pisci, qui Græcè, ὄνος hoc est, asinus dicitur, quem affirmat Arist. solum ex alijs animantibus, cor habere in ventre vnde gulosi sunt illi, de quibus dicit Psalmista: [Quorū Deus, venter est.] Hinc est quod cū Deo sacrificia debeantur, ipsi ventri suo (quem tamquam Deum habent) sacrificia gallinæ, pullorū gallinarum, ac culumbarū, & multarū dapū, & epularum in dies immolent. Edunt nāqꝫ splendidè quotidie cū diuite illo Epulone, de quo Lucæ

Gulæ peccatum exageratur.

Mala exorta ex gula.

Lucæ 16. dicitur: [Et epulabatur quotidie splendide.] Et de fornicari, hoc est, de luxuria, quid dicam? Peccatum, carnis plane præcipua videtur fuisse causa propter quam Dominus, diluuio deleuerit mundum: [Omnis quippe caro (dicitur Gen. 6.) corruperat viam suã.] Adeo infecerat pessimum luxuriæ vitium Sodomam, & Gomorrham, Gen. 18. & 19. vt clamor ierit ad Dominum, & decem iusti non sint inuenti in eis; quin etiam Angeli, qui missi fuerant vt probarent an clamorem opere complessent, ad stuprum violenter impetebantur; vnde merito igne, & sulphere ciuitates illæ consumptæ sunt, Dauid captus amore Bethsabee vxoris vriæ cum illa adulteriũ commisit 2. Reg. 11. & cũ proditione homicidium perpetrauit. Ammon filius Dauid Thamar sororẽ suã, 2. Reg. 13. oppressit, propter quod postea occisus fuit. Absalon cum concubina patris sui detestabilem luxuriam, 2. Reg. 16. commisit, & citò postea occisus est, 2. Reg. 18. Salomon mulieres alienas adamauit. 3. Reg. 11. & deprauatum fuit cor eius, per eas, & adorauit Deos alienos. Filius prodigus substantiam suam, Lucæ 16. dissipauit viuendo luxuriosè, cœpit egere, & pascebat porcos, cupiebatq; implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant. Herodes Ioannem Baptistam ad instantiam mulieris peccatricis Matth. 14. & Marci 6. decollauit. Et tandem inter illos qui vocati sunt ad magnã cœnam, vt dicitur Luc. 14. nec iuerunt, ille qui vxorem duxit, non petijt se excusatum haberi, sed ait: [Vxorem duxi, & ideo non possum venire,] per quod patet quam longe sint à cœna Domini luxuriosi homines, & immundi, si ducere vxorem ita hominem implicat, & inuoluit, quod quasi nihil alud cogitare sinat. Ecce igitur qualiter [fornicarij,] hoc est, luxuria, tamquem fera pessima vineam Domini Saboth, dirè deuorauit. Sunt itaque ista duo mala, scilicet, [edere, & fornicari,] duo illi abyssi, de quibus psalmista dicit, abyssus, abyssũ inuocat. Abyssus namq; gulæ, abyssum luxuriæ planè inuocat, venter namque cibo, potuq; estuans, citò in libidinem spumat. Vicina enim sunt venter, & genitalia, vt ait D. Hieron. (D. Hier.) Quamobrem qui ventrem cibis explet, & se castè victurum profitetur, ei similis plane est, qui dicit in stipula se flammæ impetum cohibiturum. Quemadmodum enim flamma ignis in stipula sæuiens coercere minimè potest: ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. Hinc Primasius super hunc locũ sic scribit: (Primasius in comment.) [Hæc duo sunt principalia quibus fruendis hypocritę militant, edere, & fornicari, sicut Dominus dicit: Intus autem pleni estis rapina, & incontinentia, & omni iniquitate, Idololatria fornicatio spiritualis est. Perdidisti, inquit, omnes qui fornicantur abs te,] Sic ille. Ad hoc plane spectat illud Terentij. (Matth. 24. Lucæ 12. Matth. 13. Psal. 72.)

(Terentius in Andria.) *Sine Cerere & Bacco friget Venus.*

Conceptus Prædicabiles in textum.

(Conceptus. 1. Quod ad gulam sequitur luxuria.)



DVO vitia coniuncta vtique sunt, edere & fornicari, qa vnũ sequitur ad aliud, Hinc est illud Osee 4. [Comedẽt, & nõ saturabuntur, fornicati sunt, & non cessauerunt, quoniam Dominũ dereliquerunt in non custodiendo.] & clarius: [Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.] Quæ plane verba Chaldæus paraphrastes sic vertit: [Fornicatio, vinum, & ebrietas educit, & in errorem compellit corda eorum.] Et quãuis auferre corda, vel educere illa ex loco suo, ne verum Deum agnoscant, sed ligna & lapides Deos putent, plerique expẽdant, tamen, quod nos indicauimus, vtporè edere, & fornicari duo esse vitia coniuncta, ex hoc loco facilè comprobatur. Quamobrem super illa verba Tobiæ 6. [Dæmon occidit septẽ viros Sarræ.] Dicit glossa, quod diabolus de concupiscentia vxore sua, nouem filias habuit, quarum septem diuersis generibus hominum maritauit. Primã, videlicet Symoniã, Prælatis & clericis dedit; secundam I. hypocrisim, monachis luxuriosis & falsis fratribus religiosis, rapinam militibus & alijs nobilibus; vsuram burgensibus, dolum mercatoribus, sacrilegium agricolis qui decimas Deo sacratas auferunt, fictum seruitium operarijs conductitij. Luxuriã autem & gulam, nulli maritare voluit, sed omnibus generaliter illas exposuit. (Luxuria, & gula per omnes generaliter diuagantur.) Ex quibus patet, quam pauci sunt hodie sine vxore, sed pauciores, sine concubina. Quare de luxoriosis & gulosis, expendi quidem facilè potest illud psalmistæ, vtporè: [Fiant viæ illorum tenenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.] Et sic Satanas malus Angelus persequutus fuit diuitem Epulonem vsque de illo dicatur: [Mortuus est diues, & sepultus est in infernum:] (Lucæ 16.) Filium prodigum; vsque de illo legatur: [Cupiebat implere ventrem suũ de siliquis, quas porci manducabãt, & nemo illi dabat:] (Lucæ 15.) & mulierem illam adulteram, vsque de ea narret Euãgelium [Et statuerunt eam in medio,] adde rubore & confusione omnino repletam. Hos igitur & alios plerosque, Satanas Angelus Domini, in vijs tenebrosis & offendiculis plenis, vsq; ad interitum, & confusionem persequutus fuit, eos impingendo. (Ioan 8.)

PARAPHRASIS
Quarta.

(Par. 4.) (Eliminatio textus. S. 1.)

Ita habes & tu (dicit tandem) tenentes doctrinam Nicolaitarum. Ly [Ita] quẽ Primasius, & Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari vertunt, [similiter,] vt legatur, [similiter habes & tu,] satis expressè declarat, hæc verba superioribus proculdubio coniungenda esse, tamquam ab illis similitudinaliter elicita. Idcirco quemadmodũ doctrina Balaam, in edere, & fornicari consistebat; ita pariter doctrina Nicolaitarum in edere, & fornicari sita est. Quam quidem doctrinam nimio odio prosequutus est Deus, vt sane apparere potest, eo quod illam non solum ab Ecclesia Ephesina pellere curauit, dum illius Præsuli dixit. Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.] Verumetiam ab hac Pergamensi Ecclesia eam prorsus exulare intendit, dum illius Antistiti hìc ait: [Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.] Bina namque erroris Nicolaitarum repetitio facta fuit, tum vt ad pœnitentiam inuitet (quod superius non fecit) tum ad nimium odium, quo Deus hunc Nicolaitarum errorem prosequebatur, demonstrandum. In sacra namque Scriptura vnius, & eiusdem vocis, vel orationis replicatio, mysterium plane tangit, vt videre est Matth. 23. [Ierusalem, Ierusalẽ, quæ occidis Prophetas.] & Psal. 60. [Deus Deus meus ad te de luce vigilo.] & Psal. 50. [libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.] (Repetitio bina est semper mysteriosa.) Et sic est in hac duplicatione. Non enim incassum facta fuit, quinimmo, per eam nimium odium (vt dixi) quo Deus errorem Nicolaitarum prosequebatur, indicatur. Et meritò plane Deus hunc Nicolaitarum errorem ita abhorruit, quia nimis brutalis, & matrimonio contrarius erat: (Nicolaitarũ error nimis brutalis.) Nam præter id quod de Idolothytis edebant, communicabant vxores suas omnibus, & omnes vxores communicandas esse docebeant, & licitum esse affirmabant plures habere vxores, quæ omnia matrimonio prorsus aduersantur. Communicare enim vxorem suam alteri, poterat esse, vel vt cum matrimonio alter illam acciperet (& hoc non potest fieri quia sicuti vir non potest habere plures vxores, vt disputant doctores in 4. sent. & istud expressè habet Conc. Trid. sess. 24. de matrimonio can. 2. ita è conuerso, mulier nullatenus potest plures obtinere viros) vel poterat esse ita vt alter talem coniugem alterius cognosceret cum copula carnali absque obligatione matrimonij (& tunc talis mulier esset adultera, & fidem matrimonij frangens, & lethaliter per talem carnalem copulam peccaret, maculans torum. Apostolus namq; matrimoniũ sic honorat dicens ad Hebræos cap. 13. (Matrimonii laudes.) [Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.] Et hunc immaculatum torum

Eee 2

rum talis vxor tunc per adulterium macularet, & sic esset de eorum numero, de quibus protinus subiungit Apostolus, dicens: [Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.] Docere insuper, omnes vxores communicandas esse, est docere adulterium, & fornicationem licere, quæ omnia matrimonio ex diametro aduersantur, & fidei. Affirmare tandem licitum esse, plures habere vxores, etiam matrimonio contradicit: Pluralitas namq; vxorum nullatenus licet: est enim cõtra legẽ naturæ: Nam quod sit vna vnius tantum, est vis naturæ, vt indicat illud [Erunt duo in carne vna.] Et præterea lex de vnitate vxoris, est diuinitus instituta, nec vmquã verbis litterisvè tradita, vt docet S. Tho. in additionib⁹ ad 3. p. q. 65. art. 2. sed cordi impressa, sicut & alia, quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc à solo Deo dispensatio fieri potest, vt plane ab ipso solo facta fuit sanctis Patriarchis veteris Testamenti per inspirationem internam. De quibus omnibus nuper nos in hoc eodem cap. 2. disp. 9. latè & copiosè dispunximus. Quapropter Nicolaitas contrariũ affirmãtes, docendo Venerem vagam licitam esse, miruminmodum abhorruit Deus, & non tantum ab Ephesina, verumenimuero ab hac Pergamenea Ecclesia profligare curat.

Error magnus.

Vxorum pluralitas illicita omnino.

DISPVT. XVI.

In Cap. II. Apocalypseos, de concubinarijs & libidinosis compescendis, & exterminandis ab Ecclesia Dei.

In tres Quæstiones partita super illa verba: *ita habes, & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.*

Prologus disputationis.



OMNIVM sanctorum Patrum tam Latinorum, quam Græcorum communis vtique est sententia, hũc Pergameneum Antistitem, ideo hìc à Domino reprehendi, quia libidinosos Nicolaitas nullatenus exterminauit, quemadmodum præstare curauit Episcopus Ephesinus, qui ita eos persequutus fuit, vt ab eodem Domino laudari mereretur per illa verba: [Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.] Quare cum huiusmodi Nicolaitæ, & libidinosi, & concubinarij, crebrò appellati sint à doctoribus; ideo hìc disputationem arripimus, de libidinosis, & concubinarijs compescendis, & exterminandis ab Ecclesia Dei, quæ Christi sponsa est, sine ruga, maculauè.

Quæstio I.

An laxa viuendi ratio, & libertas sit permittenda in Ecclesia Dei?



PARTEM negantem confirmo. Primo, Quia D. August. in epist. 5. sic ait: [Aliter seruit Rex Deo, quia homo est, aliter, qa rex est. Quia homo est, ei seruit viuẽdo fideliter, quia vero Rex est, seruit iusta leges pcipientes, & contraria phibẽtes, cõuenienti vigore sanciẽdo, sicut seruiuit Ezechias, lucos, & templa Idolorum destruendo, sicut seruiuit Isaias, talia & ipse faciendo, sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo.] At hæc omnia distant à laxa viuẽdi ratione, & libertate. Ergo nõ est illa permittenda in Ecclesia Dei. Secundo, quia D. Leo Papa, epist. 75. ad Leonẽ Augustum ita scribit: [Debes Imperator incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & verã pacem ijs quæ sunt turbata restituas.] Tertio, quia Imperatores olim liberam viuẽdi rationem populis suis prorsus ademerunt, & præcipuè illam, quæ doctrinæ Christianæ non erat conformis, vt narrat Euseb. lib. 1. c. 5. Optatus lib. 2. contra Parmen. & vt patet c. Cunctos populos C. de sum. Trinit. & fide Cath. de Theodosio, & Cõstantino Magno Imperatoribus. Quarto quia si Valens Imperator Arianus, & Iulianus Apostata, ac etiam Iouinianus, vt narrant Sociates lib. 3. c. 21. liberam viuendi religionem permiserunt, tamen id præstarunt laxa manu, teste Theodoreto libro quarto c. 22. vt breui ea via futurum esse sperabant vt Christianum nomen funditus euerteretur. Vnde D. Aug. de Iuliano epist. 166. sic scribit: [Iulianus desertor Christi & inimicus, hæreticis libertatem perditionis permisit, & tunc basilicas hæreticis reddidit, quando templa dæmonis, eo modo putans Christianorum nomen posse perire de terris, si vnitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, inuideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.] Hæc D. August. Ergo modo in Ecclesia Dei talis libertas nullatenus est permittenda. Quinto, quia Reges, & Principes viuendi laxam libertatem concedentes reprehẽduntur, cum hoc Antistite Pergamensi, qui cum prohibere posset, retinebat tamen eos, qui sequebãtur facta Nicolaitarum. Sexto quia laxam viuendi rationẽ, & libertatem concedentes, citò in varias labuntur hæreses, vt patet de Anglis, Germanis, &c. qui vanis adducti rationibus, & inanibus suffulti fundamentis solutæ vitæ amplius lora laxarunt. Septimò, & postremò, quia inter varios Ethnicorum errores hic vnus extitit, vtpotè, quod omnium Philosophorum sectas admittebant, & omnem viuendi modum approbabant, vt D. Aug. refert lib. 18. de ciuit. Dei c. 51. Igitur in Ecclesia Dei, quæ omnem respuit falsitatem, minimè est permittenda laxa viuendi ratio, & libertas. Hinc Conc. Trid. sess. 24. de matrimonio sic ait: [Impij homines huius sæculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Euangelij, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto, & verbo asseruerunt, nõ sine magna Christi fideliũ iactura, &c.

1. conclus. Viuẽdi laxa ratio nullatenus Permittenda.
1. Ratio.
D. Aug.
2. Ratio.
3. Ratio.
4. Ratio.
D. Aug.
5. Ratio.
6. Ratio.
7. Ratio.
Conc. Trid. sess. 24. de matrimonio statim in principio.

Quæstio II.

An ad Episcopum pertineat libidinosos, & concubinarios ex sua diœcesi longe pellere?



PARTEM affirmatiuã incunctanter probo. Tum ex Conc. Trid. sess. 24. c. 8. vbi contra concubinarios sic sancitur: [Graue peccatũ est, homines solutos concubinas habere, &c.] & mox sequitur: [Quare, vt huic tanto malo sancta synodus opportunis remedijs prouideat, statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos, quã vxoratos, cuiuscumq; status, dignitatis, & cõditionis existãt si postquã ab ordinario ter admoniti ea de re fuerint, cõcubinas non eiecerint, seq; ab earũ cõsuetudine non seiunxerint, excõmunicatione feriendos esse, à qua nõ absoluãtur donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in cõcubinatu per annũ, cẽsuris neglectis, permanse-

1. conclus. Concubinarii, & libidinosi exterminandi.
1. Ratio.
Conc. Trid.

manſerit, contra eos ab ordinario ſeuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, ſiue coniugatæ, ſiue ſolutæ quæ cum adulteris vel concubinarijs publicè viuunt ſi ter amonitæ non paruerint ab ordinario locorum, nullo etiam requirente, ex officio, grauiter pro modo culpæ puniãtur, & ex oppido, vel diœceſi, ſi id eiſdem ordinarijs videbitur, inuocato ſi opus fuerit brachio ſæculari, eijciantur.] Tum ex verbis Saræ, quæ cum viderit Iſmaelē filium Agar Ægyptiæ, vt dicitur Gen. 21. ludentem cum Iſaac filio ſuo dixit ad Abraham virum ſuum. [Eijce ancillam, & filium eius.] Quod cum durè accepiſſet Abrahã, audiuit à Domino: [Non tibi videatur aſperum, ſuper puero, & ſuper ancilla, omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem eius:] At ludum iſtum Iſmaelis cum Iſaac, propter quē iubetur cum matre è domo eijci, quamuis alij ad Idola, Lyranus tamen ad libidinē & laſciuiam refert, quaſi Iſmael abuti voluiſſet Iſaac, aut certè, cum genus aliquod libidinis edocere, quemadmodum etiam docet gloſſa interlinearis: Igitur eijcere debet Paſtor Eccleſiaſticus (qui repræſentatur, per Abraham) libidinoſos, & laſciuos de Eccleſia, & conſortio iuſtorum. Tum ex facto Heli, quoniam vt habetur 1. Reg. 2. hic filios ſuos populum à ſacrificio auocantes, & cum fœminis ad oſtiū tabernaculi deuotionis cauſa excubantibus, turpem conſuetudinem habentes, leuiter obiurgauit (& non dirè & ſeuerè vt fas erat) quam ob cauſam capitis pœnas incurrit: Ergo Pontifex, (quē exprimit Heli) tenetur libidinoſos, & laſciuos durè obiurgare, & ſi neceſſe eſt procul ab Eccleſia Dei eos pellere. Vnde Beda in primum librum Regum cap. v. ita ait: [Non negligenter intuendum, quod corripuit quidē filios Heli, ſed quia iuſtam correptionem ſpernentes abijcere ſuperſedit, vnà cum ipſis diſperijt, quid ergo noſtri ſimiles merentur; qui emendare non audent, & quod cunctus populus clamitat neſcire ſe ſimulant.] Tum quia Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores: At Apoſtoli libidinoſos, & fornicarios tradebant Satanæ per excōmunicationem publicam, eoſque ab Eccleſia pellebant, vt facile deducitur ex illo 1. Cor. 5. [Omnino auditur inter vos Fornicatio, &c.] & paulo poſt: [Tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat]. Iſtud etiam confirmare videtur Iſidorus lib. de ſummo bono, dicens ſic [Reuera quæ Deus deſerit, dæmones ſuſcipiunt.] Quæ plane traditio Satanæ tam de corporali vexatione facienda per dæmonē intelligitur, (vt interpretatur Hugo Cardinalis) quam de excommunicatione, qua excommunicatus ſeparatur à communione fidelium expenditur, (vt ſane exoluunt D. Aug ſerm. 68. de verbis Apoſtoli, D. Chryſoſt. hom. 15. in 1. epiſt. ad Corinth. D Ambroſius, D. Thom. & Theodoretus ibidem) Igitur ex proprio officio ad Epiſcopos pertinebit, fornicarios, libidinoſos, & laſciuos à ſuis diœceſibus procul pellere. Quod autē dæmō ad excommunicatum accedat, docet Antherus Papa, ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & refertur 11. q. 3. cap. Abſit, vbi ſic habetur: [Inobediens, ſpiritualí animaduerſione, truncatur, & eiectus ab Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur.] & D. Aug ſerm: 68. de verb Apoſt ſic: [Omnis Chriſtianus qui à ſacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur.] Tum poſtremò quia huiuſmodi libidinoſi, concubinarij, & fornicarij, non ſolum ſunt mali in ſe, verumetiam in alios: fiunt enim citò ſcelerū artifices, & aliorum magiſtri, eos facilè ſuo malo exēplo inducendo ad malum, iuxta illud: [Abyſſus, Abiſſū inuocat:] At Deus, & ſi egerrimè omne perditorum hominum genus ferat, tamen nō eſt negandum longè iniquiori animo ſcelerum artifices ac aliorum impiorum magiſtros ferre, vt facile deducitur ex illo Pſal. 1. [Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.] Qui locus de Chriſto communiter expenditur à Doctoribus. Idcirco grauiter reprehenduntur magiſtri illi iniquitatis Hebræorum nequam Rabini, qui Ieroſolymis, Gymnaſium in quo gentilium leges ac mores docerentur, erexerunt, prout habetur 1. Machab 1. per hæc verba. [In diebus illis exierunt ex Iſrael filij iniqui, & ſuaſerunt multis, dicentes; diſponamus teſtamentum cum gentibus, quæ circa nos ſunt, quiá ex quo receſſimus ab eis, inuenerunt nos mala, & bonus viſus eſt ſermo in oculis eorum,] & paulo poſt: [Et ædificauerunt Gymnaſium in Ieroſolymis ſecundū leges nationum,] Quo loco, per [Gymnaſium,] Lyranus ſcholam, exoluit, in qua docerentur, & addiſcerentur gentilium ſtatuta, & leges. Hugo tamen Cardinalis, per [Gymnaſium,] vertit Ephebiam, id eſt, lupanar, ſeu proſtibulum Ephebiorum, hoc eſt, adoleſcentium, quo ad gentilium ritum plerique citò transferrentur. Quorum vtrumque abominabile plane fuit Deo; Igitur hos magiſtros, & peſtilentiæ cathedræ cathedraticos procul à ſuo Epiſcopatu debent expellere miniſtri Xp̄i Ieſu.

[Margin: 2 Ratio. — Lyranus in Genes. — Laudunensis in Genes. — 3 Ratio. — 4 Ratio. — Iſidorus lib. 2. de ſummo bono. — 5. Ratio. — Lyranus. — Hugo Card.]

Quare liquet. Primò, Nicolaitas, magiſtros ſcelerum cathedraticos peſtilentiæ, docentes venerem vagam licitam eſſe, & prædicantes libidinem, laſciuiam, ac fornicationem, inter fideles, longe ab Eccleſia Dei profligandos eſſe, ac omnino exterminandos.

Apparet etiam ſecundo, libidinoſos, laſciuos, concubinarios, ac fornicarios in Eccleſia Dei, Nicolaitarum ſobolem, prolem, ac ſuperſtites eſſe.

Tertiò tandem colligitur, Antiſtites, ſimilem viperarū progeniem, citò ab Eccleſia ſua minimè pellentes, dignos eſſe vt acerbè cum hoc pergamenſi Epiſcopo reprehendantur.

[Margin: 1. Appendix Nicolaitarum magiſtri ſcelerū & peſtilentiæ cathedratici — 2 Appendix. Fornicarij, & libidinoſi ſunt Nicolaitarum fœtus — 3. Appendix.]

Quæſtio III.

An ſaltem clericis liceat concubinam habere?



CVM Nicolaus, ſectæ Nicolaitarum primus auctor & magiſter, clericus fuerit, vtpotè Proſelytus, & diaconus in primitiua Eccleſia, vt nuper retulimus, in hoc eodem 2. c. diſp. 9. q. 1. & ei nullatenus licuerit vxorem ſuam in concubinam alijs tradere, vti ibidem diſpungimus: videndum modo eſt, an ipſi ſaltem liceret, concubinatui vacare, nimirum, vxorem alterius ipſe in ſuam concubinam habere, quandoquidem ſi illi licuiſſet, ex conſequenti licitum etiam erit clericis concubinam habere. Ideo quid circa concubinatum clericorū tenendū ſit per ſequentes aſſertiones enodabimus.

Prima aſſertio. Clericis interdictum omnino eſt, cōcubinam habere, Patet. Tum quia clerici ſignum pudicitiæ debent oſtendere laicis, quibus poſiti ſunt in exēplum vt oſtendit Dominus per illa verba: [Sint lumbi veſtri præcincti.] vos eſtis ſal terræ: [vos eſtis lux mundi.] Et habetur expreſsè in Cōcilio Alemaniæ ſub Cōrrado c. 5 Ne dent populo perniciosa luxuriç exempla. Atqui laicis eſt omnino interdictum habere concubinas, vt habetur in Conc. Trident. ſeſſ. 24 c. 8. Igitur cōcubinatus clericorum, nullatenus erit permittendus. Tum quia clericus tenetur cœlibatè viuere; Igitur nullatenus licebit ei libidini & concubinatui vacare. Tū quia in Conc. Nicæno, primo, can. 3. ita habetur: [Interdixit per omnia ſancta ſynodus, non Epiſcopo, non presbytero, non diacono, vel alicui omnino qui in clero eſt, licere ſub introductam habere mulierē, niſi fortè, aut matrem, aut ſororem, aut amitā, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones.] Et prætereà in decretis Gregorij XIII. in quadam palea, ante initiū decreti, ita habetur de clericis. [Hoſpitiolum tuum, aut raro aut numquam mulierum pedes terant, quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui feminarum acceſſibus copulatur; femina conſcientiā ſecū pariter habitantis exurit. Numquam de formis mulierum diſputes, feminæ nomen tuū nouerint, vultum neſciant, feminā quā bene videris conuerſantē, mente dilige, nō corporali frequentia: ſi bonum eſt mulierem non tangere, malum eſt ergo tãgere.] Et D. Ambr. lib. 1. de officijs apertè docet, quod prima tentamenta clericorū ſunt feminarum frequentes acceſſus. Nā iſte ſexus reprehenſibiles reddit illos. Quod ſi huiuſmodi occaſiones

[Margin: 1. Aſſertio. Clericis nullatenus licet obtinere concubinam. 1. Ratio. — 2. Ratio. — 3. Ratio.]

[Section letters in the gutter: A, B, C, D, E]

ones mulierum sunt perniciosæ clericis: Igitur à fortiori nullatenus licebit clericis concubinas habere. Secunda assertio. Clerici concubinarij quorum crimen concubinatus est notorium per sententiam, alicuius iudicis, vel per confessionem in iure factam, vel per rei euidentiam, talem scilicet, quod nulla tergiuersatione celari potest, vt quia omnibus in Rure, vel in Castro commorantibus est notorium, quod Capellanus habet cócubinam, in lecto, vel in mensa, vel filios, vel filias, talis est suspensus ipso iure, quo ad se, & quo ad alios Hęc est Alphonsi Tostati in opusculo cótra clericos concubinarios, conclus. 1. & habetur apertè in cap. Quæsitum, de cohabit. cler. & mulier. Tertia assertio. Clericus concubinarius peccat mortaliter quandocumque aliquem facit actum, circa diuina, puta tangendo, & tractando sacramenta, etiam sine apparatu, & ingerendo se diuinis, nisi primo confiteatur. Probatur: Quia in mortali existens peccato, tractando sacramenta absque præuia confessione, mortaliter peccat, vt docet S. Tho. 3. p. q. 64 art. 6. & idem tenent Doctores in 4. sent. dist. 24. Quarta assertio. Audientes missam notorij concubinarij, peccant mortaliter, nec excusantur, nisi ignorantes iura. Hęc est D. Tho. q. 3. in quodlibe., & Alphonsi Tostati, loco citato vbi illam apprimè, & perdocitè probat. Quinta assertio. Licet Parrochianis, propria auctoritate, non spectata sententia, recedere a concubinarijs publicis. Hæc etiam est Alphonsi Tostati. Quam ibidem eleganter, ac satis perbellè roborat, & confirmat. Sexta assertio. Notorij concubinarij nullum habent iurisdictionis exercitium in foro conscientiæ, nec valet eorum absolutio à peccatis. Hæc est Alexandri de Ales, in 8. compédio, & probatur. Tum quia notorij concubinarij sunt suspensi, tam quo ad se, quam quo ad alios, vt nuper protulimus: Atqui hoc non est aliud dici, quam, quo ad se, [id est, ipsi sunt omnino, inhabiles, & impotentes de iure, & sine peccato non possunt exercere diuina] & quo ad alios [id est, alijs licitè, & sine peccato ea manifestare, & ministrare non possunt:] Ergo qui iurisdictione suspensi sunt, vt publici concubinarij, nec ea vti possunt efficaciter, quia eius exercitio carent. Tum quia Alexander de Ales loco citato ita scribit: [Quamuis omnes sacerdotes habeát claues, non possunt omnes absoluere, nec ligare, sicuti excómunicati, hæretici, damnati, suspensi. Hoc autem non propter defectum clauium, sed quia non habent materiam, scilicet subditos, qui sibi subtrahuntur.] Hæc Alexander, Et idem asserit S. Thom. in summa contra gentiles, & 3. p. q. 82. art. 9. ac etiam in 4. sent. dist. 9. Vbi apertè docet quod schismatici, hæretici, & suspensi, & excommunicati, & degradati habent potestatem clauium, quantum ad essentiam, sed vsus impeditur ex defectu, maximè quando Ecclesia talibus subtrahit subditos, vel simpliciter, vel ad tempus; vnde quantum ad hoc priuati sunt vsu clauium: Ergo cum in clericis concubinarijs publicis cesset clauis executio, eo quod sint ipso iure priuati, ex consequenti eorum absolutio à peccatis in foro cóscientiæ, non valebit. Septima assertio. Parrochiani tenentur iterum confiteri illa eadem peccata numero, alicui potestatem habenti, quæ confessi fuerant notorijs concubinarijs, ad hoc vt sint in statu gratiæ, siue saluationis, habita informatione de impotentia ipsorũ concubinariorum. Hæc est Abulensis, vbi supra, & est necessario elicita ex premissis, quoniam tales parochiani non fuerunt absoluti, per illos sacerdotes, notorios concubinarios. Octaua assertio. Notorij concubinarij facientes quodcumque officium ratione ordinis in apparatu, sunt irregulares. Hanc probat Abulensis vbi supra. Nona assertio. Notorij fornicatores beneficiati, statu illo durantè, non faciunt fructus suos, & tenentur ad restitutioné eorũ. Hæc est eiusdem Abulensis. Decima assertio. Primitiæ, & decimæ, & alij prouentus Ecclesiastici non sunt reddendi notorijs concubinarijs à populo Christiano. Tenet, & probat illam Alphonsus Tostatus, in dicto opusculo. Vndecima assertio. Clericus concubinarius notorius moriens, non debet sepeliri in Ecclesiastica sepultura, & viuens non debet permitti intrare in Ecclesiam. Eiusdem Abulensis est, in eodem loco. Duodecima, & postrema assertio. Per istos concubinarios, notorios, nomen Dei blasphematur. Tenet hanc dictus Alphon. Tost. in prælibato Opusc. cótra clericos cócubinarios.

Clerici concubinarii suspenduntur ex iure.

Concubinarij clerici exercentes diuina peccant mortaliter.

Missa notorij concubinarij non audiéda.

Cócubinarii publici omnino fugiendi á parrochianis.

Alex de Ales

Cócubinarii publici nullũ iurisdictionis habent exercitium.

1. Ratio.

2. Ratio.

Alex. de Ales

S. Thom.

Confessio facta concubinario publico iteranda.

Notorij concubinarii quando sunt irregulares.

Notorij concubinarii quando ad restitutione teneantur

Notorii concubinarii careant decimis

Concubinarij publici non sepeliendi in ecclesiastica sepultura.

Concubinarii blasphemi.

Hic adieci omnes has Abulensis conclusiones contra clericos concubinarios, vt clare videant Antistites nostri, quam iustè reprehensus fuit Pastor iste Pergamensis, nolens dirè reprehendere, & omnino ex sua Ecclesia exterminare carnales Nicolaitas, libidinis magistros. Et etiam quam iustè, & ipsi nunc reprehensione digni sint, cum ex suis diœcesibus hanc eamdem Nicolaitarum maledictam sobolem, vtpotè, lasciuos, libidinosos, fornicarios, & concubinarios, minimè curent funditus exterminare, & radicitus extirpare, saltem propter mala quæ causant.

nota bene.

SIMILITER pœnitentiam age, si quominus: Veniam tibi citò & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Text. 17.

COMMENTARIVS.



QVI numquam irascitur, quin misericordia recordetur (vt potè misericordiarum pater, & totius consolationis Deus) Antistitem Pergamensem, doctrinam Balaam tenentes, habentem (quemadmodum prima charitate orbatum Ephesinum Antistitem) ad pœnitentiam, vulnerum animæ certum ac efficax remedium, prouocat, vt satis apertè ly, *similiter* indicat. Pœnitentia namque peccato supposito, placatur Deus. Hinc populus filiorum Israel audiens, Dominum iratum esse propter murmurationes eorum, Num. 14. luxit nimis, & in mane plus voluerunt facere quam Dominus præciperet eis. Dauid citò pœnituit 2. Reg. 12. quando Nathan ipsum de crimine reprehendit. Achab, Rex Israel sceleratissimus cooperuit carnem suam cilicio. 3. Reg. 21. ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, & minorata est illa pœna pro criminibus infligenda. Manasses rex Iuda vinctus catenis, & in Babylonem ductus 2. Paralyp. 33. egit pœnitentiam valde coram Domino, & reduxit eum Dominus in Ierusalem regnum suum. Audita terribili potentia Holofernis, Iudith. 4. Sacerdotes induerunt se cilicijs, & ex toto corde omnes orabant ad Dominum vt visitaret populum suum, & Dominus exaudiuit eos. Niniuitæ crediderunt Domino ad prædicationem Ionæ, & prædicauerunt ieiunium, Ioan. 3. & vestiti sunt sacco, à minore, vsque ad maiorem, & liberati sunt. Cœpit Ioannes Baptista prædicare, & fuit eius thema. [Pœnitentiam agite,] Eodem modo prædicare cœpit Christus, dicens. [Pœnitemini, & credite Euangelio.] Matth. 3. Et iterum; [Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.] Vt igitur apertè intelligeret Antistes iste Pergamensis Dominum pœnitentia mox placari, & misereri, super peccatore, ad pœnitentiam prouocatur, vt suo supposito defectu circa doctrinam Balaam, & Nicolaitarum, de opportuno protinus curet remedio, quemadmodum ceruus sagitta transfixus, mox ad fontes aquarum, vt mederi queat, currit; Capræ venenatis sagittis confixæ, protinus ad saltus peragrare procurant: Et tandem hirundo pullos suos excecatos videns (teste Plinio) confestim chelidoniam quærit, vt illa rursus eos oculare queat. Idcirco postquam illi Archipropheta lapsum patefecit suum; Nicolaitas in Episcopatu suo haben-

Explanatio contextus.

§. 1.

Pœnitentia efficax remedium contra peccatum.

Pœnitentiæ exempla multa.

Populus Israel pœnitens.

Dauid pœnitens.

Achab pœnitens.

Manasses pœnitens.

Sacerdotes pœnitentes.

Niniuitæ pœnitentes.

Deus pœnitentia placatur.

Comparatio.

habendo, ei subiungit: *Pœnitentiam age.* Quasi dicat: Hęc est fons aquarũ viuentiũ, qua vt ceruus sagitta transfixus curaberis, & emundaberis à delicto tuo maximo. Hic est succus salutiferus, quo tela pectoris decuties, vt capra venenata confixa sagitta. Hæc est cheldonia, qua cæcus, vt pullus hirundinis lumen recipies. Et vt protinus cognosceret necessitatem pœnitentiæ, & ad illam mox anhelaret, sequitur, *si quominus*, idest, alioquin, vel sin autem, aut, si ita non facis, vel, si secus facis, *veniam tibi cito*, hoc est, veniam nimis citò contra te, tamquam bellator fortis, in morte, vel in iudicio, quia omne tempus breue est respectum æternitatis, iuxta illud Ioelis 3. [Citò reddam vicissitudinem meam super caput vestrum.] & 1. Ioan 2. [Nouissima hora est.] *veniam*, igitur *tibi cito*, id est, contra te, qui illos non corrigis Nicolaitas, quinimmo eos in Episcopatu tuo habes. *Et pugnabo cum illis.* hoc est, conuincam illos fornicarios, nefariam Nicolaitarum doctrinam profitentes peccasse. Et explicans qualiter pugnaturus esset ait *In gladio*, vel (vt vertit Primasius) in Romphæa *oris mei* hoc est, dicendo illis sententiam illam horribilem, Matth. 25. [Ite maledicti in ignem æternum.] Sententia namq; illa iudicaria, [gladius,] vel [Romphæa,] dici potest, quia vsque ad medullas cordium, & diuisionem animæ, ac spiritus penetrabit. Peribit enim tunc fuga à veloce, eò quòd tunc bellator iste pugnabit ita velociter, & fortiter, vt nullus possit tunc effugere, nec resistere, Iuxta illud Luc. 21. [Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate, & maiestate.] Pugnabit adeò prudenter, vt nullus possit tunc latere, iuxta illud Sap. 5. [Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inexpugnabile, æquitatem, vel *Pugnabo cum illis in gladio oris mei*. Hoc est, in vtroque testamento Ecclesiæ. Ecclesia namque os Christi dicitur, iuxta illud Cant. 1. [Osculetur me osculo oris sui.] hoc est, Ecclesiæ suæ, quia [meliora sunt vbera tua,] hoc est, duo testamenta [vino] Hinc Primasius rectè, & eleganter super hunc locum sic scribit: [Sin autem veniam tibi citò & pugnabo tecum in Romphæa oris mei, id est, gladio oris. Intelligi debet Ecclesiæ secundum præcedentem intelligentiæ formam. Romphæa autem vtriusque Testamenti præcepta sunt, quibus côtemptores diuinitus expugnantur, quicumque enim in lege peccauerant, per legem iudicabantur.] Sic ille. Potest tandem gladius iste oris Dei, ad verbum Dei (vt supra dicebamus) referri.

Primasius. — Heb. 4. — Rom. 2.

§. 2. Difficultas. — Solutio.

Cæterum dicet, aliquis cur Antistiti Pergamensi impœnitenti, gladij oris Dei terrores & minæ proponuntur? Cui satisfacere licet, affirmando, ne illi aliud simile Balaam, cuius doctrinam in diœcesi sua permittebat, eueniat. Balaam siquidem quamuis populo Dei nullatenus malediceret, tamen ob pessimum consiliũ Regi Balach datum, quo populum Dei perderet, scandalum ponens curam filijs Israel, multatus fuit à Deo & ita multatus, & in vltione de Madianitis non solum Israelitæ qui comederunt, & fornicati fuerunt, cum mulieribus Madiam gladio perirent, vt dicitur Num. 25. verumetiam, & ipse gladio transfixus caciderit. [Balaam quoque (dicitur Num. 31.) interfecerunt gladio.] Ne igitur aliud affine Antistiti huic Pergamensi accidat, illi (nisi pœniteat) gladius paratur, eò quod illi etiam Balaam doctrinam tenere supradictum fuit, tenendo Nicolaitarum dogmata. Hinc Rupertus Abbas super hunc locum, sic scribit: [Congrua satis, & opportuna pro re comminatio eius, qui se romphæam ex vtraque parte acutam habere dixit: Nam & vbi Balaam mercede conductus ibat, stetit Angelus Domini in via euaginatum in manu gladium tenens, dixitque ad Balaam: Ego veni & aduersarer tibi: Et nisi asina declinasset à via dans locum resistenti, te occidissem, & ille viueret. Et quia pœnitentiam ille non egit, docens Balach, scandalum mittere coram filijs Israel, edere, & fornicari, completa est in eum vltio, propter quam significandam, angelus Domini, tale schemate, videlicet, euaginatum in manu gladium tenens apparuit.] Et paulo post: [Nam ille gladius in manu Angeli, illa vltio in Madianitas iudicium illud significat, de quo Apostolus: Fornicatores autem, inquit, & adulteros iudicabit Deus. Iudicabit enim, non solum fornicatores, quales Madianitæ, cum quibus Israel fornicatus est, fuerunt; verumetiam & adulteros illos qui adulterant verbum Dei, qualis fuit ille Balaam, qui verba benedictionis adulterauit, malum submittendo consilium, & docendo Balach mittere scandalum illud coram filijs Israel.] Hucusque Rupertus. Pugnaturum igitur se dicit Dominus contra Antistitem hunc Pergamensem, gladio oris sui, in casu quod pœnitentiam ille minimè agat. Quid, quod, non tantum contra Antistitem, verum etiam contra Pergamenses, sibi subditos, vt satis apertè demonstrant ly, *tibi*, & ly *cum illis*, Dominus se pugnaturum promittit. Et sic apertè apparet, & Antistitem, & populum sibi creditum ad pœnitentiam à Deo misericorditer hìc vocari, & vtrisque dicere possumus illud Iob 19. [Fugite à facie gladij.]

Balaam flagellatur à Deo. — Rupert Abb. in comment. — Num. 22. — Num. 31. — Heb. 13.

Conceptus Prædicabiles in textum.



ANTISTES iste ad pœnitentiam vocatur, vt sic pœnitens, scientiam Dei accipere & possidere queat, vtpotè qua, doctrinam Balaam, & Nicolaitarum ipse destruere valeat. Vocare namque Antistitem hunc ad pœnitentiam, illis verbis [Similiter age pœnitentiam,] nihil aliud est (inter alia multa) quam illum obligare, vt nullatenus cesset à sana doctrina, vt sanctam in posterum exerceat scientiam, & illam Euangelicam Domini sententiam semper in memoria habeat quam Christus Lucæ 11. protulit dicens: [Ve vobis legis peritis quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.] Qui enim sub nomine Christiano peccata nutriunt, vel nutriri permittunt sufficere ad salutem arbitrantes solum nomen diuinum, quémadmodum illi qui confidentes in verbis mendacij dicebant, Ieremiæ 7. [Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, & fecerant illud speluncã latronum.] profectò ij doctores, & legisperiti ad veram scientiam minimè adhuc introierunt: Si enim in illam introissent, & sanctarum Scripturarum valles vigilanter aduertissent, non fuissent eiecti de templo flagello iracundiæ Dei, sic prosequente propheta Isaia de ipsis in cap. 5. [Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.] Quæ quidem verba licet de populo, tamen de indoctis prælatis præcipuè intelliguntur. Nam pari reatu tenetur qui peccat, & qui peccantem, cum potest & debet, non corripit, vel peccare permittit. Quo patet, quam periculosa sit cura animarum, cum Pastor damnetur, nisi oues errantes pro posse reduxerit, diligenter instruxerit, seriosè arguerit, & quantum valet reprehenderit.] Hinc est illud Apostoli ad prælatos, & pastores Ecclesiæ Dei. [Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, &c.] Ad hoc ipsum alludit Petrus Berchorius Pictauiensis in hisce suis commentarijs dicendo: [Angeli, id est, prælati reprehenduntur, qui habent secum malas personas, & eas non puniunt, immo foueant, & maximè qui sunt in scandalum plebi Israel, id est, populo Dei, Isti ergo tenentes doctrinam Balaã, significant fornicatores, & idololatras, id est, idola, hoc est, dictu, mulieres pictas adorantes, id est, diuina sententia eos in æternum occidet, & illum qui fuit negligens in puniendo.] Et dudum [Non sufficit enim quod Angelus, id est, Prælatus sit bonus, immo necesse est, quod ipse non sustineat secum malos, qui quamuis in se sint boni, non studeant extirpare malos subditos; immo

Concept. 1. Quod scientia Dei per pœnitentiã impetratur ad malos euertendos. — Matth. 21. — 2. Tim. 4. — Petrus Berchorius in comment.

immo prece, vel pretio aliquoties Fouent eos.] Ita Berchorius. Necesse est ergo, vt Episcopi gladio prædicationis,& doctrinæ, scientiæque Dei, malos nefarios, nequamque subditos deterreant,exterminent, & si necesse fuerit funditus,ac radicitus ex diœcesi sua extirpent. [Quomodo (ait Apostolus) inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei,quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?] Vocatur itaque Antistes iste ad pœnitentiam, vt sic pœnitens,scientiam ex alto recipiat, ad Epulones, & fornicarios Nicolaitas ex suo Episcopatu profligandos, & euellendos.

Rom. 10.

Concept. 2. Quod Dominus fortiter nobiscum pugnat in vtroque iudicio.

Bellatorem forté erga nefarios, impiosque,se ostendit Dominus, dum hic ait: [Pugnabo cum eis in gladio oris mei.] In die namque suo, Dominus tam velociter & fortiter pugnabit, vt nullus possit eum effugere,nec ei resistere.[Armabit creaturam(dicitur Sap. 5. ad vltionem inimicorum, induet pro thorace iustitiã,& accipiet pro galea iudicium certum sumet scutum inexpugnabile,æquitatem.] Sed dices,qualis quęso,est dies ista Domini, in qua ipse sic armatus contra iniquos adueniet homines? Hæc sane est dies illa, de qua sancta canit Ecclesia: [Dies illa, dies iræ,calamitatis,& miseriæ,dies magna, & amara valde.] Quoniam in illa die magni iudicij Dei pugnabit ipse in gladio oris sui, vtpotè, sententia iudiciaria. Et tunc adimplebitur illud Lucæ 21. [Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli,cum potestate magna & maiestate.]Pugnabit itaque(vt vnico verbo dicam) pro eo orbis terrarum,nimirum, omnis creatura peccatores accusabit,qui eis abusi sunt.Hinc D.Gregorius in hæc verba prorumpit: [Quam angustæ viæ erunt reprobis in iudicio,super,erit iudex iratus,subtus, patens chaos inferni,a dextris,peccata accusantia,á sinistris, infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus, erit conscientia mordens,exterius ignis ardens, miser peccator sic deprehensus quid faciet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris quis te accusat, totus mundus, nam offenso creatore, omnis creatura odio habet perditum.] Sic ille. Antequam ergo intremus campum certaminis, faciamus fructus dignos pœnitentiæ, vt dicitur Matth.3. alioquin tunc Dominus tamquam bellator fortis pugnabit aduersus nos, [gladio oris sui.] Quandoquidem ibi oportet vnumquodque recipere diffinitiuam sententiam scelerum perpetratorum. Et idem prorsus intelligas velim de iudicio particulari, nimirum, cum anima euolat á corpore,quoniam in vtroque iudicio,vtpotè,generali, & particulari, Deus erga impios, gladio oris sui fortiter dimicat. Quoniam de vtroque iudicio expenditur illud Psalmistæ: [Gladius meus deuorabit carnes.

D. Greg.

Psal. 7.

Text. 18.

Subscripti o litterarum ad Angelum Pergami.



VI habet autem audeat quid spiritus dicat Ecclesijs. Vincenti dabo manna absconditum,& dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1. Psal. 33. Perfectio vitæ spiritualis in quo consistat.



VM perfectio totius vitæ spiritualis,tum in odio mali, tum in amore boni prorsus stet, virtutes namque & vitia, meritum & demeritum, simul in vnum esse nequeunt,dicente Psalmista: [declina á malo,& fac bonum.] Ideo oportet non tantum oleastrum eiusque

F ramos detruncare,ac frangere, verumetiam bonam inserere oliuam, vt innuit Apostolus ad Rom. 11. dicens: [Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses insertus es in illis,& socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es.] & paulo post: [tu ex naturali excissus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, [Ex qua doctrina apertè (inter alia quamplurima)colligitur: quemcumque vitam spiritualem inchoare cupientem, debere non tantum ramos malos,hoc est, vitia,& prauos mores frangere, verumetiam vero bonam oliuam, hoc est,virtutes, castaque,& sancta inserere instituta. Hac de causa Archipropheta Dei, postquam Pergamenses á nefario Nicolaitarum errore prudenter compescuit,nunc eosdem ad amorem boni, intrepide excitat,eis mercedem inæstimabilem, præmiumque spirituale liberè promittendo. Et quia magna est dicturus, attentionem haud

Christianus est oliua bona.

Oliua demõstrat virtutes

G exiguam primò postulat, dicens: *Qui habet aures audiat*. Et quia communiter,& non vni tantum,sed omnibus simul illa promittebat,dicit : *Quid spiritus dicat Ecclesijs* Porrò,quia promissa difficultatem attingebant aliquam (superare namque mundum, dæmonem & carnem adeò difficile est,vt nisi diuina adsit virtus, voti compotes nullatenus euadere possimus)ideo perseuerantiam,virtutem,resistentiam, ac victoriam connotando subiungit, dicens: *vincenti*, quasi dicat, non cuicumque, sed absque pauore, intrepidèque superanti, *dabo*, Et explicans quid daturus esset, vt eos ad Deum attrahere melius posset,quasi cum ramus viridis oui ostenditur,& trahitur,& nuces puero demonstrantur,& attrahitur, sic corpus sanctissimum Domini nostri Iesu Christi,prout in memoria suorum mirabilium sub speciebus panis,& vini, in sanctissimo Eucharistiæ sacramento continetur in figura manna illis ostenditur, dicens: *Manna absconditum,* vt eius dulcedine

Animas nostras donis spiritualibus Deus attrahit ad se.

H capti, protinus illud sponsi, ad suam sponsam dicerent: [Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, oleum effusum nomen tuum.] Et illud Samaritanæ: [Da mihi hanc aquam vt non sitiam iterum:]Et quia dignè suscipientibus Eucharistiam, virtute sacramenti,gratia confertur (vt satis apertè colligitur ex illo Apostoli 1.Cor.11. [Probet autem seipsum homo,& sic de pane illo edat,& de calice bibat,] quod etiam probant domini Doctores in 4. cum Magistro,& cum S.Thoma 3.p.q 79. art.1. & id expresse diffinitur in Conc. Florentino, & Trident. sess. 13. & can.5. & tandem veritas ipsa istud docuit, apertè dicens Ioan.6. [Panis quem ego dabo caro mea est,pro mundi vita.] Nimirum vita spiritualis(per quam Deus homines facit idoneos ad hereditatem cælestem percipiendam,eos adoptando in sibi filios, vt ait S.Thom.

Cant. 1.

Ioan. 4.

I 3.p.q.23.art. 1. Ideo statim post dignam susceptionem mannæ adoptionis per gratiæ munus meminit sub nomine calculi candidi, dicens: *Et dabo illi calculum candidum.* Hoc est,adoptionem in filium Dei per gratiam. De qua adoptione loquitur Apostolus ad Eph. 1. [Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei.] Per quam nos,& in sibi filios assumit,iuxta illud Ioan. 1.[Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius,] & ex sua benignitate, & gratia, ad participationem suæ hæreditatis admittit, iuxta illud ad Rom. 8. [Quod si filij, & hæredes, coheredes autem Christi.]Et quia hoc nomen filiorum Dei,quod per adoptionem ex gratia importatur, á sæculo non fuit vmquam auditum,donec per mortem & passionem Domini nostri Iesu Christi illud accepimus, ideo subiungit, *Et in calculo*, hoc est,in adoptione, *nomen nouum*, hoc est,nomen filiorum Dei, iuxta illud 1. Ioan.

Adoptio indicatur per calculum cãdidum.

K 3. [Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.] Nouitatem autem huius nominis filiorum Dei,vaticinatus fuit Isaias,dum in cap.28.vnicuique nostrum in spiritu dixit: [Et vocabitur tibi nomen nouum,quod os Domini nominabit.] Et quia tandem, hoc nomen filiorum Dei, stat in nobis simul cum gratia,& ex superioribus colligitur: quam licet certitudinaliter aliquis se habere scire nequeat, iuxta illud Eccles.9. [Nemo scit vtrum sit dignus odio, vel amore

Adoptionis vaticinium.

re, tamen coniecturaliter, & per aliqua signa, & cognoscere, & scire potest, id propterea mox adiungit, *Quod nemo scit, nisi qui accipit*, nam ly, *scit*, coniecturaliter, & per aliqua signa, iuxta doctrinam D.Tho. accipitur, qui p. 2. q. 112. a. 6. disputans, an homo, possit scire se habere gratiam sic scribit: Tripliciter aliquid cognosci potest, vno modo per reuelationem, & hoc modo potest aliquis scire se habere gratiã; Reuelat enim Deus hoc aliquando ex speciali priuilegio, vt securitatis gaudium, etiam in hac vita in eis incipiat, & cõfidentius, & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vitæ sustineant, sicut Paulo dictum est, 2. ad Cor. 12. sufficit tibi gratia mea. Alio modo homo cognoscit aliquid per se ipsum, & hoc certitudinaliter, & sic nullus potest scire se habere gratiam. Certitudo enim non potest haberi de aliquo, nisi possit diiudicari per proprium principium, sic enim certitudo habetur de conclusionibus demonstratiuis, per indemonstratiua vniuersalia principia. Nullus enim posset scire se habere scientiam alicuius conclusionis, si principiũ ignoret, principium autem gratiæ, & obiectum eius, est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud Iob 36. Ecce Deus meus vincens scientiam nostram; & ideo eius præsentia in nobis, & essentia, per certitudinẽ cognosci non potest, secundũ illud Iob 6. Si venerit ad me non videbo eum, si autem abierit non intelligã. Et ideo homo non potest per certitudinem diiudicare vtrum ipse habeat gratiam secũdum illud 1. Cor. 4. sed neque me ipsum iudico, qui autem iudicat me, Dominus est. Tertio modo cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa, & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiã, in quantum, scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum homo, nõ est conscius sibi alicuius peccati mortalis. Secundum quẽ modum potest intelligi illud ꝙ habetur Apoc. 2. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accipit: quia scilicet ille qui accipit per quandam experientiã dulcedinis nouit, quam non experitur ille, qui non accipit, ista tamen cognitio imperfecta est, inde Apost. dicit, nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, quia vt dicitur in Psal. 18. delicta quis intelligit? ab occultis, &c.] Hucusque S.Thom.

S. Tho.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1. Dilucidatio textus.

§. 1. Eucharistiæ varia Epithe ta.

Conc. Trid. sess. 13. c. 1. 2 & 3.

S. Tho.

Simile.

Vincenti (inquit) dabo manna absconditum. Inter omnes sanctissimi Eucharistiæ sacramenti figuras, quibus olim, corpus Domini nostri Iesu Christi (modo sub speciebus rerum sensibilium verè, realiter, ac substantialiter contentum, Panis Angelorum, Mysterium fidei, Symbolum spei, & charitatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos, & copulatos esse voluit Deus, pignus denique futurę nostræ glorię, & perpetuæ felicitatis) sanctis patribus præfiguratum extitit, præcipuè quo ad effectũ (vt tenet S.Tho. 3. p. q. 73. art. 6.) manna vtique fuit. Propterea quod, quemadmodũ manna omnis saporis suauitatem in se habebat iuxta illud Sap. 16. [Pro quibus Angelorum esca nutristi populum tuum, & panem de cælis præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem; substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati ad quod quisque volebat conuertebatur] sic gratia (huius sacramenti effectus) quantum ad omnia reficit mentem. Vnde cum in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, tria considerare possumus, nimirum, id quod est sacramentum tantũ, quod est panis & vinum, & id quod est res & sacramẽtum, scilicet Corpus Christi verum, & id quod est res tantum, scilicet effectus huius sacramenti, hoc est, gratia; hinc est, quod si in illo cõsideremus id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit huius sacramenti, oblatio Melchisedech, qui obtulit panẽ, & vinum. Si autem in illo consideremus sacramentũ, & rẽ sacramenti, hoc est, verum corpus Christi passum, quod continetur in hoc sacramento, figuræ eius fuerunt omnia sacrificia veteris Testamenti, & præcipuè sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum. At vero si in hoc sanctissimo altaris sacramento, rem tantum consideremus, hoc est gratiã siue effectum eius in sumentibus rectè ac dignè; sic præcipua eius figura (vt dixi) fuit manna quod habebat in se omnis saporis suauitatem, sicut & gratia huius sacramenti, quantum ad omnia reficit mentem:

Oblatio Melchisedech.

Sacrificium expiationis.

§. 2.

S. Tho.

Agnus paschalis quantum ad tria figurabat Eucharistiam.

Dixi si rem tantum consideremus, nam si consideramus omnia illa dicta simul, nimirum sacramentũ, & rẽ, certum est Paschalem agnum potissimam huius sacramenti figuram fuisse iuxta doctrinam D.Tho. 3. p. q. 73. art. 6. vbi sic scribit: [Sed agnus paschalis quantum ad hæc tria præfigurat hoc sacramentum, quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azimis, secundum illud Exod. 12. edent carnes, & azimos panes; Quantũ vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocẽtiam dicitur agnus. Quantum vero ad effectum, quia per sanguinem agni Paschalis protecti sunt filij Israel à deuastante Angelo, & educti de Ægyptiaca seruitute, Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura huius sacramenti agnus Paschalis, quia secundum omnia ipsũ repræsentat.] Hucusq; S.Tho. Et sic loquendo de illis tribus considerationibus sigillatim, præcipua huius sacramenti figura est manna, quantum ad effectum. Quoniã quemadmodum manna habebat in se omnis saporis suauitatem, sic gratia huius sacramenti quantum ad omnia reficit mentem.

§. 3. Expositorum Apocalypseos variæ opiniones de manna abscondito.

S. Bernardus

Hugo Card.

Richard. de sancto Vict.

Manna Xps. absconditus.

Commentatores huius libri reuelationum Ecclesiæ beato Ioanni ostensarum, quadrifariè expendunt hæc verba: [Manna absconditum.] S.Bernardus lib. de conuersione ad clericos cap. 21. per manna absconditum, exoluit cælestem dulcedinem, siue spiritualem gustum quem Deus iustis viatoribus dum attentè orant, & cælestia contemplantur mysteria, & arcana elargitur, iuxta illud: [Gustate, & videte quã suauis est Dominus.] Quo loco contemplationis dulcedo apprimè continetur. Hugo Cardinalis, & Richard. de sancto Victore, per manna absconditum, expendunt arcana diuinitatis, quæ beatis in cælesti gloria aperiuntur, iuxta illud Ps. 30. [Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.] Per quæ planè verba suauitas, & dulcedo, qua beati Deum intuentes perfruuntur, maximè demonstratur. Porro alij expositores manna absconditum referunt ad Christum, absolutè loquendo, quandoquidem Christus absolutè loquendo absconditus fuit, tum in sacrificijs, Abel, Noe, Abrahæ, & reliquorum Patrum, tum in figuris, & cæremonijs legis veteris, tum in carne, sub qua diuinitatem gerebat occultatam, tum denique ita absconditus fuit Christus, vt iustè de illo dicat vates Isaias: [Verè tu es Deus absconditus.] Quartò, & postremò D. Ambrosius, D. Augustinus, Tyconius, Primasius, Arethas, Beda, Ansbertus, D. Thomas. D. Dionysius Carthusianus, Rupertus Abbas, & alij plerique in hisce suis commentarijs, manna absconditum, referunt ad ipsummet Christum, cum particulari respectu ad sacramentum Eucharistiæ. Quoniam illic sub speciebus panis, eius corpus, sub speciebus vini eius sanguis absconditur, & hæc explanatio mihi magis arridet quoniam textui vicinior apparet. Illamque tenet Paschasius Abbas lib. de Corpore, & sanguine Domini, cap. 10. Finus Adrianus lib. 8. flagelli contra Iudæos cap. 17. Cæsarius Arelatensis Episcopus hom. 5. de Pascha, & refertur tom. 7. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

§. 4.

Hæc nostra sententia duo postulat: Primum vtique vt confirmemus Christum manna esse; secundum vero vt ostendamus absconditum esse.

Quan-

Christus Dominus mãhu est quo aluntur fideles. 2. Reg. 10.

Quantum attinet ad primum; vt potè quod Corpus Christi sub speciebus panis & vini, in sancto altaris Sacramento, rectè & aptè Manna, & cibus nuncupetur: probatur tripliciter. Primò quidẽ ex ipsamet historia euangelica, Ioan. 6. vbi ipsemet Christus sic ait de Corpore & sanguine suo Sacramentato. [Hic est panis qui de cælo descendit, non sicut manducauerunt Patres vestri Manna, & mortui sunt] & paulo supra: [Patres nostri manducauerunt manna in deserto sicut scriptũ est: panẽ de cælo dedit eis manducare:] & paulo post: [Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.] Quæ omnia quadrant cum sacramento Eucharistiæ, cum Dominus postea subiungat: [Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Siquis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Secundo patet ex ipsa nominis appellatione. Quoniam filij Israel viso illo materiali manna dixerunt: [manhu,] id est, [quid est hoc?] Quæ verba duplicem obtinent explanationem, vtramque sanctissimo altaris Sacramento, & Corpori, & sanguini Christi satis accommodatam. Quoniam Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioannem c. 34. asseuerat prælibata verba per vilipendium, siue contemptum dicta fuisse, quasi Hebræi nullatenus illius cibi valorem agnoscerent, & per consequẽs Christum (quem talis cibus typicus præfigurabat) minimè cogniturus fore, nec minus eius sacratissimum Eucharistiæ sacramentum tunc futurum, vt de facto accidit. Nam de Christo per vilipendiũ ore pleno dicebant [quis est hic,] & iterũ: [Nonne hic est Iesus filius Ioseph cuius nos nouimus patrem, & matrem?] & de eius sacramento Eucharistiæ, in quo eius corpus sumitur, & eius sanguis bibitur, [durus est hic sermo.] Torrens vero Theologorum præfata verba, [manhu,] id est, [quid est hoc?] per admirationem dicta extitisse tenet, & sic ad hanc vocem filiorum Israel [Manhu?] id est, [quid est hoc?] Moyses mox respondit: [Iste est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum.] Quãobrem illa admiratio Hebræorum maximè quadrat cũ pane Eucharistico, ob miracula ferè infinita, quæ in eo continentur. Nam quæres tu modo. Si illa grana minutula panis nomen acceperunt per Moysen, quomodo postea cũ hoc altero admiratiuo nomine, [manhu?] id est, [quid est hoc?] remanserunt. Numquid hoc absq; diuina interueniente volũtate factum fuit? Minimè gentiũ. Minutula namq; grana illa vmbra plane erant sanctissimi altaris sacramenti, & id propterea cũ hoc admiratiuo nomine [Manhu?] id est [quid est hoc?] diuinitus remanserunt, vt mirabilia magna, & admirationes fere infinitas huius sacramẽti per illud nomẽ [Manhu?] id est, [quid est hoc?] apertè intelligamus. Quoniam loquendo de illo, si continuo interroges: [quid est hoc?] numquam responsiones deficiẽt. Estote quæso attentissimi. [Quid est hoc?] Caro Xpi. [Quid est hoc?] Sanguis Christi: [Quid est hoc?] Corpus, & anima Christi. [Quid est hoc?] Diuinitas, & humanitas Xpi, cum indiuisibili ac omnino inseparabili vnionis hypostaticæ vinculo, diuinitùs vnitę. [Quid est hoc?] Memoria passionis Saluatoris nostri Xpi. [Manhu, Quid est hoc?] Pignus æternæ felicitatis. [Quid est hoc?] Gratia Dei. [Quid est hoc?] Iustificatio peccatoribus. [Quid est hoc?] Remissio peccatorũ. [Manhu? Quid est hoc?] Panis Angelorũ factus cibus viatorum. [Quid est hoc?] Viaticum peregrinorum. [Quid est hoc?] Cibus Eliæ, quo alitus fuit, 40. diebus: [Quid est hoc?] Verbum caro factũ, in virginali vtero, Spiritu sancto superueniente. [Quid est hoc?] Symbolum charitatis, & diuini amoris erga peccatores. [Quid est hoc?] Memoria & epylogus mirabilium Dei: [Sed quid tẽpus & verba terimus? Si à mane vsque ad vesperum in dies, de hoc sacramento altaris quæras [Quid est hoc?] numquam responsionibus finẽ imponemus. Ecce igitur causa ob quam minutula illa grana apud Hebræos, hoc nomine; [Manhu? Quid est hoc?] appellata remanserũt; vt sic ex varijs illius cibi corporalis saporibus, huius spiritualis cibi varij, ac fere infiniti effectus, & intelligantur, & philosophentur à quouis fideli. In c. 5. Act. dicitur: [Infirmos ponebant in

2. Ratio.

Mãhu interpretatio.

Manhu vox per vilipendium dicta.

Christus Mãhu admirabile.

Solutio.

F lectulis, & grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquã illorũ, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.] Ex quo loco licet sic à minori ad maius argumentũ texere. Vmbra Petri infirmos curabat; Igitur Petrus maiorẽ vim cælitus datã ad infirmos curandos obtinebat. Consequentia est aperta, quoniã vmbra ab ipso corpore originẽ trahit. Vnde tenet argumentũ à simili. Minutula illa grana Manhu appellata, tot sapores & mirabilia in se continebant: Igitur Eucharisticus panis maiores cõtinet sapores, & plura mirabilia. Consequẽtia liquet, eo quod illa minutula grana, vmbra vtique erant huius Eucharistici panis. Remaneat igitur sanctissimum corpus Xpi, & pretiosissimus eius sanguis insacramento altaris, hoc admirationis nomine [Manhu? quid est hoc?] vsq; ad consummationẽ sæculi illustratum. Tertio, & postremò, probatur hac ratione, quæ plane notatu digna est: depromitur
G enim ex Rabbinorum dictis in sacrã Scripturã veteris Testamẽti. Quoniã Hebræorũ Rabbini, antequã Xps ad ueniret, in plenitudine tẽporis (prout venit) exponebãt sacras Scripturas suorum prophetarum Moysi, Dauid, Salomonis, Ezechelis, &c. & dum hęc tunc agerẽt plerique illorũ probarunt ac incunctanter tenuerũt, tunc futurũ Messiã, cibũ & manna fore. Audite ergo salutẽ ex manu inimicorũ nostrorũ; valde etenim arguentẽ delectat, aduersariũ audire partẽ suæ sententię annuentem, velit, nolit. Estote quæso attẽtissimi. Rabbi Cathana dũ exponeret illa verba Gen. 49. [Lauabit in vino vestem suã, & in sanguine vuæ pallium suũ:] in suis cõmentarijs sic ait. [Hæc verba ostendũt sacrificiũ futurũ ex vino, in quo vinum transmutabitur in substantiã sanguinis Messiæ.] Et mox ad illa verba, quæ in eodẽ textu sequuntur, vtpotè, [Rubicundiores sunt oculi eius vino, & dentes eius lactẽ cãdidiores.] sic addit, [Illud significat, ꝙ in sacrificio quod etiam ex pane conficietur, nõ
H obstante quod album sit velut lac, conuertetur substantia, in substantiam Corporis Messiæ, eritq; in ipso sacrificio substantia sanguinis Messiæ rubra vt vinũ.] Sic ille. Porro Rabbi Moyses, dum expenderet illa verba psal. 135. [Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius,] quæ plane verba in suo fonte Hebræo sic leguntur: [Qui dat panẽ omni carni, &c.] vbi (vt vides) panis ponitur pro esca: Inde est quod ipse Rabbi Moyses in suis commentarijs in psalmos, hũc locũ psalmistæ explicet ex alio loco psalmistæ, dicẽs: [Hoc est, quod dicitur ps. 33. Gustate, & videte quoniã bonus est Deus, quia nimirum panis, quem dat omnibus, ipse est Rex Messias, & caro eius, & erit hoc mirabile magnum.] Præterea Rabbi Salomon, cum exolueret illud ps. 32. [Erit firmamentum in terra in summis montium,] quæ verba, veritas Hebræa ita habet: [Erit
I placenta frumenti in terra in capite montiũ.] (placenta autem apud nos Latinos, panis est latus, imaginem duritiemq; crustarum referens, vt facilius possit in fornace coqui, quẽ Græci, [crustas,] Hispani [Tortas, Hogazas] Itali vero [focaccia] appellãt) ipse autẽ Rabbi Salomõ, locũ psalmistæ per hæc verba expendit: [Magistri bonę memoriæ exposuerunt, hoc esse genus placentarum in diebus Messiæ.] Et verbis huius Rabbini alludit alter Rabbinus nomine Ionathas in sua paraphrasi Chaldaica, sic eumdem locũ transferens. [Erit sacrificiũ panis in terra in capite montium Ecclesiæ.] Ex quibus duobus Rabbinis liquet veritas quam modo oculis nostris in Ecclesia Dei videmus, vtpotè, hostias consecratas, & eleuatas super sacerdotum Christi capita in sanctis Altaribus per orbẽ. Et sic, quem ipsi olim ante Christi aduentum placentam dicebant, nos modo post mortem, & passionem Christi Redemptoris nostri,
K Hostiam consecratam nuncupamus. Tandem Rabbi Barachias alio nomine dictus, Rabbi Isaac, appellãs Xpm placentam frumenti, in suis commentarijs in ps. 32. sic ait: [Sicut Redemptor primus, id est, Moyses, fecit descendere manna, Exod. 16. Ita Redemptor vltimus, id est, Messias, erit placenta frumenti in terra.] En igitur, charissimi fideles, salutem nostram ex manu inimicorũ nostrorũ, cibum & manna, Christũ appellantiũ. Iste plane est cibus ille, quem fortissimus ille Samson indicare cupie-

3. Ratio.

Rabbi Cathana in suis cõmentarijs super Gen.

Rabbi Moyses in suis cõmentarijs in psalmos.

Messias Christus est placenta frumenti in terra.

Rabbi Barachias in comment. in ps. 32.

cupiebat per illud problema:[De comedenti exiuit cibus,& de forti egressa est dulcedo.]Quoniam de Christo in vltima cœna cum Apostolis suis comedente exiuit cibus iste spiritualis,qui modo est sub speciebus panis,& vini in sancto altari: quo nihil fortius nihilque dulcius.

§. 6. Christus manna absconditum. Iam secundum demonstrandũ sanè est, vtpotè Christum absconditum,manna esse, vt sic realitatem corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in illo sãcto sacrificio altaris facilè ostendamus. Illud namque [absconditũ]alludit ad verba Christi Ioan.6. dicentis: [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.]Et sic verba metaphoræ Vatis Ioannis: [Manna absconditum,] explicant verba Christi dicentis:[Caro mea verè est cibus,& sanguis meus verè est potus:]& verba Christi: [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,] explicant metaphoram Ioannis dicentis:[Dabo manna absconditum:] Quoniam illud [verè]indicat qualiter intelligendum sit illud,[absconditum,]& illud [absconditum,] indicat qualiter intelligendum veniat illud[verè.]Quandoquidem etsi corpus & sanguis Christi illic,in hostia,scilicet, & calice consecrato, sit absconditum sub illis accidentibus panis,& vini;tamen,ibi est verè & realiter, & sit illic licet verè & realiter,tamẽ est absconditũ sub illo colore,sapore,rotunditateq; hostiæ consecratæ. O cæleste plane mysterium.Hæc sunt vtiq; illa ornamenta, quæ Sponsus faciẽda promisit sponsæ, dum illi ait: Cant.1. [Murenulas aureas faciemus tibi,vermiculatas argento.]Aurum namque est corpus,& sanguis Christi in sacramento altaris; argentum vero ad vermiculandum hoc aurum purissimum sunt accidentia illa panis, & vini.quibus corpus,& sanguis Christi in calice,& Hostia consecrata tegitur,& cooperitur.Hoc est illud cæleste mysterium,quod indicare intendebat sanctus Patriarcha Isaac,dum benedicens filio suo Iacob, Gen. 27. dixit: [Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.] Qui enim illic in sacramento altaris est vestitus,vestibus & pelliculis hædorum, est verus Iacob,Christus Redemptor noster. At vero vestes illæ,& pelliculæ,quibus manus teguntur,accidentia illa sunt panis & vini, quæ corpus & sanguinem Christi in hostia,& calice consecrato tegunt. Et sic est illud D.Thom.

Nota bene.

Apostrophe ad Eucharistiam.

D.Tho.in sequẽtia de Eucharistia.

Sub diuersis speciebus,
Signis tantum & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, sanguis potus,
Manet Christus, tamen totus
Sub vtraque specie.

Hinc est quod videmus Christum illic in sancto altari, sub hostia, & calice absconditum, quemadmodũ videmus hominem armatum, totaliter latentem sub armis.Christus namq;in hostia,& calice videtur,quasi armatus omnino latẽs sub armis, ita vt nulla eius pars videatur. Dicimus autẽ talem,aut talem hominem armatum intueri,quia scimus eũ moueri sub armis, quæ nos videmus. Ita Christum videre dicimus cum hostiã consecratam,aut calicẽ videmus.Scimus quippe, quod cum sacerdos hostiam, aut calicem in altum extollit, ibi est totus Christus Deus & homo, quia nos eum illic certissimo latere,per fidem cognoscimus. Quare sicut hominem armis tectum videre dicimur,nulla eius parte apparente, sic etiam dicimus de Christo in calice, & hostia consecrata,quia verissimè illic est absconditus,tectus,& latens sub illis accidentibus panis, & vini,in Calice,& Hostia.

Comparatio.

§. 7. Christus cur non vult corpus suum videri in Eucharistia. 1. Causa. Enimuero dices,quare Christus non vult à nobis videri corpus suum in hoc sacramento?Cui postulato satisfacio afferens, hoc accidisse propter quatuor potissimùm.Primò quidem propter nostram humilitatem, vt scilicet,humiliemur in receptione huius sacramenti,considerantes nos indignos videre ipsum Christum,& sic communicando dicamus:[Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum,&c.]Quod enim hi-

A sce corporeis oculis intuetur,citò contẽnitur,& quod non videtur maximè desideratur,cum priuatio causa sit appetitus.Secundò propter indignitatem malorum:Cũ enim bonus,& malus accedat ad communicandũ nullatenus decens erat, vt malus cõmunicando videret clarè & apertè maiestatem Dei,cũ scriptum sit: [Tollatur impius ne videat gloriam Dei.] Tertiò propter nostrã fidem.Fides namque est credere,quod non vides, Et sic magis meremur.Vt igitur credendo,quod nõ videmus magnam mercedẽ fidei recipiamus,iuxta illud: [Beati qui non viderunt,& crediderunt:]Voluit Christus se sub illis speciebus panis, & vini omnino abscondere. Et sic in hoc sacramento(quod est super omnem intelligentiam humanam) valde necessaria est captiuatio intellectus,in obsequiũ Christi.Quartò,& postremò,propter nostram imbecillitatem;quoniam claritatẽ corporis Christi nullus viator naturaliter inspicere potest. Quemadmodũ enim se habent oculi vespertilionis ad lucẽ solis, sic oculi nostri imbecilles ac tenues se habent ad claritatem gloriosi corporis Christi.Si etenim Regina Saba videndo cibos mensæ Salomonis nõ habuit vltra spiritũ,vt dicitur 3.Reg.10.si insuper Regina Esther videndo Regem Assuerum virum suum,super solium regni sui indutum vestibus regijs, auroq; fulgentem protinus corruit, & in pallorem, colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput, vt dicitur Esther 15.Si denique filij Israel videntes faciem Moysi cornutã ex consortio sermonis Dei, mox exclamarunt dicentes:[Pone velamen super faciem tuã,] vt habetur Exod.34. quì quæso nos maiestatem Domini apertè,& clarè videre vnquam possemus in hostia,& calice cõsecrato,mortales, & lutea vasa portantes cum simus?

2. Causa.

3. Causa.

4. Causa.

B

Simile.

5. Causa.

C Aliam dictis subiungere possumus rationem, nimirum, quia sciens Deus quod humana natura abhorret comedere carnes crudas, & bibere sanguinem, ordinauit hoc sacramentum sub speciebus panis,& vini,vt sic verum corpus suum,& sanguinem pretiosum illis accidẽtibus panis,& vini absconditum,tectum, & velatũ deuotè recipiant,& amorosè sumãt fideles.Hinc D.Ioan. Chrysost.hom. 60. ad populum Antiochenum sic scribit:[Nihil sensibile nobis Christus tradidit,sed res quidem sensibiles,omnes autem intelligibiles. Itidẽ, & in baptismate per rem,nempe sensibilem aquam,donũ cõfertur,intelligibile vero quod perficitur,generatio, & renouato.Si enim incorporeus esses,nuda,& incorporea tibi dedisset ipse dona:sed quoniam anima corpori conserta est in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.] Hæc D.Chrysostomus.

D Qualiter autem fiat hoc cæleste manna absconditũ, nunc iam enodandum est.Illud quippe materiale manna filiorum Israel,certum,& exploratum vtique est,fieri ab Angelis in aere, sine aliqua operatione alicuius agentis corporei naturalis,& sic erat,volũtate Dei ab Angelis causatum.At verò hoc cæleste manna absconditũ,aliter fit, non ab Angelis,, sed à sacerdotibus in terra.Nam accedente verbo ad elementum,fit sacramẽtum.Prolatis siquidem à sacerdote verbis consecrationis,vtpotè:[Hoc est corpus meũ.] supra hostiã;&[Hic est enim calix sanguinis mei noui,& æterni Testamẽti, &c.] supra calicẽ,in vltimo consecrationis verbo,panis conuertitur in corpus Christi,& vinum in sanguinem eius pretiosum,& sic est corpus & sanguis Christi in hostia,& calice consecrato,non sicut in figura, non sicut in signo,non per metaphoram,nec per similitudinẽ sed secundum veritatem,& realitatẽ, vt tenet fides

§. 8. Eucharistia quomodo fiat

E Catholica;& explicat S.Tho.3.p.q.75.art.1.Quã planè conuersionem.Conc. Trid.sess.13.c. 4. transubstantiationẽ appellat,nouũ nomen,nouo manna abscondito tribuens,ad distinctionem naturaliũ mutationũ.Qm apud naturales Philos. tres dumtaxat, semper extitere mutationes,vtpotè generatio,corruptio, & alteratio: Quarum neutra est,nec minus esse potest conuersio panis,& vini,in corpus,& sanguinem Christi: eo quod in generatione,vtpotè,quando ex ligno fit ignis,remanet aliquid substantiæ ligni,nimirum materia prima, quæ antea erat sub forma ligni, & modo est sub forma ignis,

Conc.Trid. sess.13.c.1.

Conc. Trid. sess.13.c.4.

ignis: At in illa admirabili conuersione, nihil remanet materiæ primæ panis,& vini, cum tota substantia panis in substantiam corporis Christi, & tota substantia vini, in substantiam sanguinis eius omnino conuertatur, vt docet Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. Rursus in corruptione naturali corrumpitur forma, & remanet materia prima; At in consecratione panis, & vini, nihil panis, & vini corrumpitur, nec remanet, sed totus panis, & totũ vinum conuertitur in corpus, & sanguinem Christi. Tandem in alteratione, remanet substãtia, & accidentia mutantur, cum alteratio tantum sit penes accidentia; At vero in consecratione remanent accidentia panis,& vini, absque aliqua mutatione, & substantia cõuertitur in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Quare nequit consecratio panis, & vini, generatio, siue corruptio, alteratiovè appellari. Et id propterea sanctè Concilium Tridentinum huic consecrationi panis,& vini, nouum excogitauit nomen, transsubstantiationem illam appellans. En igitur qualiter in terra, hoc cæleste manna absconditum fiat per sacerdotes.

Corruptio.

Alteratio.

Cæterum dices & tu modo: Quare ego teneor credere, quod dicente sacerdote, [Hoc est corpus meum] fiat infallibiliter conuersio, vel transsubstantiatio ista panis,& vini, in corpus, & sanguinẽ Christi? Numquid sacerdos non potest mentiri? Nonne Deus in Angelis suis reperit prauitatem? Quod cum ita sit, quare rogo, in sacerdotibus falsitatem inuenire minimè poterit? Respondeo, verum esse, Deum in Angelis suis prauitatem reperisse. Scriptum est enim Iob 4. [Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem:] Attamen sacerdos in consecratione panis,& vini, nullatenus mentiri potest, quandoquidem, dum sacerdos in altari dicit: [Hoc est corpus meum,] non vtitur verbis suis, vt tenet S. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. in calce corporis articuli, sed verbis Christi, qui in vltima cœna dixit: [Hoc est corpus meum:] Christus autem nequit mentiri, cum de eo scriptum sit: [Nec inuentus est dolus in ore eius.] Fortè rursus rogabis. Quare Christus nequit mentiri? Nonne scriptum est, Psalm. 115. [Omnis homo mendax:] cum Christus sit homo, quare quæso non poterit mentiri? Respondeo illa verba Psalmistæ: [Omnis homo mendax,] accipienda esse per Synedochem: qua plane figura pars pro toto accipitur, & vice versa: Et hinc est, quod D. Gregor. lib. 22. Moralium, vnum Sophisma contra Psalmistam efformet ita argumentando. Si omnis homo mendax, ergo & tu. Falsa ergo erit sententia quam ipse mendax protulit dicens: [Omnis homo mendax.] Si vero ipse sit non mendax, vera iam sententia non erit, quia dum tu verax es, non omnis homo cognoscitur mendax. Et ijs dimissis, licet demus omnem hominem esse mendacem, tamen adhuc Christus nequit mentiri; nec minus, mendacem appellari: eo quod simul erat homo, & Deus: Deus autem, nec mentitur, nec fallit, nec fallitur. Porro fortè insurges. Percontor, quare Deus non potest mentiri, neque falli? Respondeo: Quia prima veritas est, & ex eo quod sit prima veritas, non tantum de facto non mentitur, neque fallit, aut fallitur: verumetiam impossibile est, Deum posse mentiri, aut falli de potentia ordinaria, vel per se, vel per ministros homines, vel Angelos, nec minus id præstare posse de potentia absoluta. Et contrarium asserere est hæresis, vt tenent D. Augustinus lib. 23. de ciuit. Dei cap 25. Can. lib. 2 de locis cap. 7. & Gregorius in psalm. 5. dist. 45. q. 2. Dices adhuc, quare rogo, prima veritas nequit mentiri? Respondeo quia prima est, & supra primam veritatem nulla alia veritas datur, nec dari potest, alioquin non esset prima. Quare resolutio nostræ fidei Catholicæ, tam circa hoc sacrosanctum mysterium, quam circa quælibet alia mysteria gratiæ, fit in primam veritatem reuelantem: eo quod vnusquisque habitus resoluitur in suam rationem formalem; & cum ratio formalis habitus fidei sit prima veritas reuelans, eius resolutio fiet in illam. Postremò dices, quare credis primæ veritati reuelanti? Respondeo, quia Ecclesia illud docet, quæ est colum-

§. 9. Resolutio nostræ fidei circa sacramentum Eucharistiæ eiusque infallibilitatem in quod debeat fieri.

S. Tho.

Mendax non est omnis homo.

D. Greg lib. 22. moral. c. 15.

Veritas prima cur nequit mentiri.

Veritas prima cur credenda.

F na firmissima Spiritus sancti: de illa enim intelligitur illud: [Si non arassetis in vitula mea, non inuenissetis propositionem meam.] Ipsa namque sola est veritatis magistra in proponendo. Quare in illã sistendum erit, non quod ex hoc, resolutio nostræ fidei fiat in fidem humanam, & acquisitam, quemadmodum Durandus in 3. dist. 25. q. 3. Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. & Scotus ibidem, quæst. vnica putarunt; sed ex eo dumtaxat, quod ipsa sit regula infallibilis in proponendo ea quæ spectant ad fidem, nobis qui non accepimus immediatam reuelationem; vt tenent sancti Patres, Irenæus lib. 3 c. 23. D. Augustinus lib. de doctrina Christiana, c. 8. & etiam Doctores Scholastici cum sancto Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. & explicat Cano. lib. 2. de locis, cap. 8. Progressus autem iste resolutionis nostræ fidei, circa hoc, & alia etiam mysteria gratiæ, adumbratur hoc exemplo: Si enim fuerit

G contentio an paries vel murus ille sit rectus necnè, vocamus tunc Architectũ, qui adhibito perpendiculo, amussi vel regula, & examinata rectitudine, vel obliquitate operis ait: Rectus est paries iste. Si tu autẽ dicis modo Architecto. Quare regula nõ est obliqua, sed recta? Mox ille respondebit, quia regula est; si enim recta non esset, nullatenus esset regula, sed aliquod ligni frustum, vel pars tabulæ. Si iterum quæris ab Architecto, quare ad examinandam rectitudinm, vel obliquitatem operis adhibes perpendiculum, vel regulam? Respondebit tibi, Quia mea ars Architectonica ita faciendum docet, & ibi sistit omnis dubitatio. Pari etiam modo resolutio huius mysterij gratiæ, vtpotè, transsubstantiationis panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, fiet in primam veritatem reuelantem, & in Ecclesiam proponentem, vtpotè, in primam veritatem reuelantem,

H tamquam in rationem formalem, & in Ecclesiam proponentem tamquam in regulam certam, & infallibilem. Hinc est illud D. Ioannis Chrysostomi hom. 60. ad populum Antiochenum: [Quoniam Verbum dicit: Hoc est corpus meum, & pareamus, & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur.] Et illud etiam D. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 1. [Verum corpus Christi, & sanguinem esse in hoc sacramento sensu deprehendi non potest, sed sola fide, quæ auctoritati diuinæ innititur, vnde super illud Lucæ 22. Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, dicit Cyrillus. Non dubites an hoc verum sit, sed potius suscipe verba Saluatoris in fide: cum enim sit veritas non mentitur.] Hæc S. Thomas.

Iudic. 14.

Ecclesia magistra veritatis.

Comparatio.

D. Chrysost.

S. Tho.

Hanc transsubstantiationé siue conuersioné illustro. Tum quia auctoritatem transmutandi vnam rem in

I aliam, potest Deus alijs concedere: Quinimmo de facto concessit Moysi Exod. 4. auctoritatem conuertendi virgam in serpentem, & serpentem in virgam; quamobrem dicitur Exod. 7. quod proijciens Moyses virgam in terram, statim conuersa est in colubrum: Et iterum cum apprehendisset caudam colubri, statim conuersum est in virgam. At Christus Deus, & homo concessit auctoritatem consecrandi corpus, & sanguinem suum, discipulis suis, & eorum successoribus, vtpotè sacerdotibus, vt probant Theologi in 4. sent. Igitur necessariò quotiescumque sacerdos super materia debita dicit verba consecrationis cum intentione consecrandi, verissimè illa substantia panis, & vini conuertitur in corpus, & sanguinem Christi. Consequentia liquet. Quoniam sacerdos hoc non facit auctoritate propria, vt nuper retulimus, nec in persona propria, sed in persona Christi, vt habetur in cap. firmiter. §.

K vna vero de sum. Trin. & fid. cath. Tum quia Deus plura potest facere, quam nos intelligere, aut noster intellectus concipere, eo quod Deus est infinitæ virtutis, intellectus vero noster est virtutis finitæ: At potest noster intellectus humanus imaginari accidens sine subiecto, vt apparet apud Metaphysicos, & dialeticos: Igitur multo fortius poterit Deus hoc facere in sacramento Eucharistiæ, vtpote, quod ibi sint accidentia sine subiecto. Tum quia quid-

§. 10. Conuersionẽ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi possibilem esse Deo probatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

quicquid facere potest causa secunda nobiliori, & excellentiori modo potest causa prima. Patet, Nā si Camerarius alicuius Principis potest alicui vnā gratiā facere, à fortiori poterit ipse Princeps talem gratiam prestare. Similiter si sacerdos potest aliquem absoluere à peccatis, à fortiori illud facere poterit Papa, vel Eps: At natura naturata, siue potētia limitata ipsius naturæ naturatæ, vnā substantiā in aliam conuertit; quoniā, teste Phil. 2. lib. de anima: Alimentū per naturam cōuertitur in substantiā aliti, putā, panis cōuertitur in substātiam carnis, & vinū in substantiā sanguinis. Similiter per virtutē caloris gallinæ, substantia oui conuertitur in substantiā carnis, seu in gallinam. Porrò terra generat aurū, argentū, lapides, arbores, flores, fructus, vinū, oleum, &c. quoniā hæc & alia pleraq; facit natura naturata. Igitur natura, naturans, vt potè, Deus qui naturas fecit, cuius potentia est infinita, & nullis limitibus coangustatur, poterit à fortiori vnā substantiā in aliam cōuertere. Et per consequens nulli dubiū, quin Christus verus Deus, & homo, poterit panē & vinū in substantiā sui corporis & sanguinis transmutare. Tū quartò, & postremò, quia maior distantia est inter ens, & nō ens, quā inter ens, & ens: Ergo maius opus erit de nihilo aliquid facere, quam vnam substantiam in aliam conuertere: At potuit Christus omnia de nihilo creare, quoniam scriptum de eo est: [Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.] Igitur multo magis poterit vnam substantiam in aliam commutare, nimirum, panem, & vinum, in corpus, & sanguinem suū. Hinc D. Ambr. in hæc prorumpit verba: [Sermo Christi hoc conficit sacramentū. Quis sermo Christi? Nempè is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum; iussit Dominus, & facta est terra; iussit Dominus, & omnis creatura generata est; vides ergo, quā operatiuus est sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ nō erant; quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in alium commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat: sed audi dicentem: Ipse dixit &c.] Hæc D. Ambros. Concludamus itaque quod prolatis verbis cōnsecrationis à sacerdote super hostiam & calicem, mox fit infallibiliter conuersio panis & vini, in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christe; & sic fit sacramentum. Et nō tantum sacramentum, verumetiam simul & sacrificium.

4. Ratio.

D. Ambr. lib. 4. de sacram. cap. 4.

§. II. Hoc est illud iustitiæ sacrificium de quo Psalmista dixit: [Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, &c.] Postulat his verbis, Psalmista, redemptionem nostrā per mortem & passionem Christi in ara crucis. Ad quod rectè intelligendum, notetur prior versiculus, vt potè: [Benefac Domine in bona voluntate tua Sion &c.] Quo planè versiculo Psalmista hæc intēdit dicere Deo: Appareat iam Domine, benignitas & humanitas tua pro tua voluntate, nec enim nos tantum beneficium promeremur. Si enim Deus carnem non assumeret, & mortem minimè subiret, muri, seu ruinæ cælestis Ierusalem per angelos malos, & per primos parentes nostros factæ, nullatenus reparandæ essent, vel muri Ecclesiæ militantis, vt potè Apostoli, Martyres, Confessores, ac Virgines haūd quaquam ædificerentur:) fac igitur benigne nobiscū Deus, vt muri cælestis & terrestris Ierusalem, resarciantur & reparentur, reficiantur & ædificentur, per filij tui incarnationis benificium, &: [tunc acceptabis sacrificium iustitiæ.] [Tunc] Quando veniet Messias in plenitudine temporis. [Tunc,] quando in virginali vtero, Verbum caro factum fuerit. [Tunc,] quando nouem decursis mensibus in Bethleem Iudę natus fuerit ex Maria Virgine factus homo. [Tunc] quādo postquam illum adorauerint Pastores, Angeli, & Magi venientes ab Oriente, aurū, thus, & myrrham illi offerent. [Tunc,] qū senex Simeon in tēplo decantauerit: [Nunc dimittis seruum tuum Dñe, secundum verbum tuum in pace.] [Tunc] quando triginta decursis annis baptizatus fuerit, & post ieiuniū 40. dierum à dæmone tentatus. [Tunc,] qū operatus fuerit miracula, plantauerit Ecclesiā, fundauerit Apostolos, legē dederit Euāgelicā.

Eucharistia est simul sacramentū, & sacrificium.

Explicatur optime locus Psalmistæ.

Messiæ Christi Iesu vitæ discursus.

A [Tunc,] qū baptista de illo dicet: [Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. [Tunc,] qū ipse in vltima cœnā dixerit: [Hoc est corpus meum. &c.] [Tunc,] qū venundatus, traditus, flagellatus, coronatus, crucifixusq. fuerit. [Tunc,] quando ipse in cruce protulerit illud: [Consummatum est,] consummata sunt omnia, quæ de me in prophetis & psalmis scripta erant. [Tunc,] qū Patri dicet: [In manus tuas cōmendo spiritū meum.] & de facto spiritū emiserit. [Tunc, Domine, acceptabis sacrificium iustitiæ.] Satisfaciet enim tunc Christus de toto rigore iustitiæ per illud sanctum sacrificium mortis, & passionis suæ. Vnde acceptabis, tunc [oblationem, & holocausta,] quoniam eorum omnium rationem & similitudinē habebit. Immo & omnigenū sacrificium erit. Erit etenim hostia, holocaustum, sacrificium pro peccato, & pro delicto, pacificorum, oblatio, & munus. Tunc Dñe Deus, fideles tui: [Imponent super altare tuum vitulos.] vt potè laudes, quæ in cælo & in terra ob nostræ redēptionis beneficium Deo dandæ erant. Vituli siquidem, nouos boues dumtaxat significant, ac proinde gratias, & laudes Deo, in cælo, & in terra dandas demonstrāt vituli. Tunc igitur [super altare tuum,] in cælo dicent Angeli illud Apoc. 5. [Dignus est Agnus qui occisus est, accipere gloriam, & honorem &c.] & [super altare tuum,] in terra, vt potè, in Ecclesia militante, semper dicetur illud Ps. 149. [Cantate Domino canticum nouum &c.] & Ps. 97. [Cantate domino canticū nouū, quia mirabilia fecit.] Offeremus itaque tunc omnes [super altare tuum,] Laudes, Missas, Orationes, eleemosynas &c. quoniam magnificè, & copiosè nos redimet, (erit, enim, apud Deum, copiosa redemptio) & mirabilia magna nobiscum operabitur, liberando nos ab inimicis nostris (ait Dauid) per mortem & passionē suā. Cuius cōmemoratiū est nunc hoc cæleste manna absconditum, nimirum panis Eucharisticus, sacrum conuiuiū hoc corporis, & sanguinis sui, de quo canit Ecclesia: [O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur &c.] Effectus tamen huius sacramenti adfert Richardus hisce tribus versiculis.

Apostrophe ad Eucharistiam.

B

C

Eucharistia mortis Christi commemoratiua.

Inflāmat, memorat, sustētat, roborat, auget,
Hostia spē, purgat, reficit, vitā dat, & vnit,
Cōfirmatq. fidē, munit, fomitemq. remittit.

Duodecim fructus Eucharistiæ.

Et etiam D. Bernardus per hæc verba: [Eucharistia, medicina est ægrotis, peregrināribus dieta, debiles cōfortat, valentes delectat, languentes sanat, suauitatem seruat, fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actiones deuotior.] Sic ille.

D

Conceptus prædicabiles in textum.



Euerentiam, honorem, ac magnū pudoris, & obseruantiæ stylum, quem Deus in hominibus, de hoc cælesti māna absc ondito, nimirū, de hoc sancto altaris sacramēto, verba facientibus requirit, docēt nobis duo sancti Vates, vt potè, Moyses & Isaias. Quoniā cū Moyses appropinquaret ad rubū ardentem intuendū, vt dicitur Exod. 3. mox audiuit: [Ne appropies, huic solue calceamentum &c.] Porrò Isaias in cap. 6. sic exclamat: [Vidi Dñm super solium excelsum, & eleuatum, &c.] & mox addit:] Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alę alteri. Et explicans ad quid essent vtriq; Seraphino huiusmodi sex alæ, ait: [Duabus velabāt faciē eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.] Et explicans actionē, & opus Cherubinorum, inquit: [Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, &c.] Quibus in locis, illud; [Solue calceamentum de pedibus tuis.] apertè nos admonet, quantū debeant Prædicatores hoc cæleste manna absconditū (quasi Deū in rubo illo ardenti, & nō cōbusto) venerari, ac coli. Illud verò de alis Cherubinorum, vt potè,

Concept. 1. Quòd prædicatores debent accedere ad prædicandum de manna abscondito, scilicet de Eucharistia, magna cum reuerentia.

E

Fff [sex

[sex alæ vni,& sex alæ alteri.] clarè indicat prædicatorē simul & auditorē,debere esse Cherubinos, amore omnino inflammatos ad Deūm laudandū (qui in illa hostia & calice cōsecrato, tanquā in solio ac sede Regia sedet) & vtriq; vt potè,dicenti,& audiēti opus esse duæ alæ fidei ad tegendū caput; duæ alæ sanctitatis & munditiæ ad tegendos pedes,per remotionē effectuum carnaliū: & duæ alæ contēplationis, ad volandū altè, vt intellect⁹ sursum eleuetur,& extollatur,vt sic quidquid lingua prædicantium dicet,& quidquid auris audientiū audiet,de hoc manna abscōdito,omnia ad cor, amore prorsus inflāmatum cœlesti,reuerberationem ac reflectionē faciant,vt ita digna fiant omnia huius magnificæ sancti altaris mensæ,in qua spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, (vt ait S.Tho.) nā non vitulorū, & hircorū carnes,vt olim in lege, sed nobis sumendus proponitur verus Deus, quapropter mensam istā, magnificā meritò appello. Angel. Doct. 2.2.q.q. 133.art.2. disputans de magnificentia ait: [Ad magnificentiā pertinet facere aliquod magnum.] Quod cum ita sit,relinquitur apertè mensam sancti altaris magnificam esse. Quoniā est opus magnum ex parte inuitantis, qui est filius Dei Iesus Christus Dñs N. de quo dicitur Luc.1. (Hic erit magnus.] Opus magnū ex parte comedētiū, siue conuiuarū,qui sunt oēs Apostoli,& omnes fideles cum eis,de quibus dicitur: [Gens sancta, populus electus,regale sacerdotium.] Opus magnū ex parte ciborum,quoniam id quod est melius in cælo, est diuinitas Christi, & id quod est melius in terra, est humanitas Christi,& vtrumq; in cælesti mensa sancti altaris in cibum proponitur: ipse namque Christus Deus & homo seipsum in edulium & escā illic nobis tradit. Opus magnum ex parte ministrorum, qui sunt Angeli. Angeli namq; huic mēsæ sancti altaris semper assistunt, & cōuiuis ministrant. Et ita remanet Eucharistia magnificū cōuiuium,ita vt de illo dicatur Luc.14. [Homo quidā fecit cœnam magnā,] & ita magnam,vt verè magnificam eamdē nuncupemus. Si ergo Regum, Principū,ac Magnatum mensas attentè consideramus,& cōtemplamur,tum propter Reges ac Principes ipsos,cuius sunt, tū ob varios cibos qui in eis apponuntur, tum deniq; ob ministrorum reuerentiam,honorē, & obseruātiam, quæ illic custoditur,& abseruatur, magnificas eas appelamus: Cum Christus filius Dei sit huius conuiuij,& cælestis mensæ auctor Apostoli conuiuæ,corpus & sanguis Christi cibus & potus, Angeli ministri, & assistentes, tenemur absq; dubio eam tanquā magnificā reuereri,& reuerenter colere,ac contēplari. Alæ itaq; Prædicatori ad dicendum,& populo ad audiendum mirabilia magna huius cælestis manna absconditi, opus proculdubio sunt. Et quia materiale illud manna filiorum Israel, cōcomitabat ros quidā cælestis (quoniā vt dicunt Abulensis,Rabbi Salomon,& Lyranus super illa verba Num. 11.[Mane quoq; ros iacuit per circuitū castrorum.] & iterū: [Cumq; descenderet nocte super castra ros,descendebat pariter & Man.] Rursus Exod. 16. [Mane quoq; fuit operimentū roris.] Primo cadebat pruina super terrā, deinde manna super pruinā, & tandē ros super manna quo tegebatur vsq; mane; quoniam oriente sole liquefiebat ros, ita vt maneret māna discoopertū,vt sic populus illud facile colligeret)ideo necesse nobis est rorem cælestem, vt pote gratiā Spiritus sancti implorare, vt ea super nos ex alto cadente, hoc caleste manna obsconditū, nimirū panē Eucharisticū corde, animo, totaq. mente colligere valeamus.

S.Tho. opusc. 57.

Magnificētia opus magnū operatur.

Mensas Regū, & Principū,quare cōtemplamur, & veneramur.

Manna concomitabat ros cælestis.

Ros erat operimentū manna.

F G H I K



Concept.2. Quod manna abscōditum dicitur panis Angelorum duabus de causis.

Aterialē illud manna filiorū Israel nuncupabatur [Panis Angelorum,] iuxta illud Ps.77. [Pluit illis manna ad manducandum, panē cæli dedit eis,panem Angelorum manducauit homo.] Cuius appellationis causa,nulla alia vtiq; erat, nisi quia ministerio Angelorū cōficiebatur, in suprema regione aeris, & populo de cælo mittebatur. Cæleste etiā hoc manna absconditum, vt potè,panis Eucharisticus appellatur vtique [Panis Angelorū] cæterum alijs duabus nobilioribus de causis, quarum primā adfert D.Dion.Areopagita.lib.1. de cælest.Hierarch.cap.1.asserens participationē Christi,quæ nobis in sacramento Eucharistiæ traditur, Angelis etiā dari in patria,sola hæc mediante differentia, nimirum, quia nobis in via velatum cōceditur corpus Christi,& illis in patria super naturam huius mundi,vt potè, sine symbolis,cæterū ambo,id est,homo & Angelus,eodem catino corpus Christi comedunt, & sic panis Angelorum dicitur. Secundam verò causam assignare possumus ex eo,quod panis Eucharisticus [verum manna absconditum,] ministerio sacerdotum conficitur, qui Angeli in sacra scriptura crebrò nuncupantur,vt apparet in 1.& 2.ac 3.cap. Apoc. & etiā ex illo Malach.2.] Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Dñi exercituum est.] Nec iam Angeli cælestes, vt potè, spiritus illi beati effectores sunt huius cælestis manna, quemadmodum fuerunt illius materialis manna filiorum Israel, quinimmo eius adoratores sunt, vt rectè annotat Turrianus tract. vlt. de Euchar.cap.2. Adorant siquidem Angeli sacramentum Eucharistiæ,quod sacerdotes cōficiunt,immo maxima Angelorum multitudo,ministerio altaris semper assistit,vt facilè deducitur ex verbis Nili,monachi,qui de S.Ioan.Chrisost.ad Anastasium Epm sic scribit:[Sæpe vidit in Ecclesia Angelos, sed maximè tempore sacrificij missæ. Itaq; admiratione & lætitia plenus amicis multū spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctā facere inciperet, plurimi Angeli è cælo delapsi splendidissimis stolis induti,nudo pede,aspectu intento,vultu demisso circumstantes altare, magna reuerentia, & quietè, ac silentio vsq; ad mysterij consummationē assistunt. Deinde discurrentes &c.] Hæc Nilus monachus de suo magistro D.Ioan.Chrysost. Quod autem hoc cæleste manna de cælo descenderit, docuit ipsamet veritas,dum Ioan. 6. dixit: [Ego sum panis viuus,qui de cælo descendi.]

Angeli & homines comedunt idē corpus Christi, sed diuersimodè.

Angeli plerique assistunt sacrificio missæ.



Concept. 3. Quòd totum corpus & sanguis Christi sumitur à cōmanducantibus magna vel parua hostia.

Lphonsus Tostatus miraculum haud exiguum reputat illud quod de mensura manna filiorum Israel legitur Exod. 16. per hæc verba: [Collegerunt alius magis, alius minus,& mensi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat reperit minus,sed singuli,iuxta id quod edere poterant congregauerunt.] Hinc ipse q.7. in.16.cap.Exod.sic scribit: [Sicut manna supra virtutē naturæ,per Angelos conficiebat,ita supra naturalē modū nutriebat. Volebat enim Deus,ꝙ illa mēsura,s.Gomor sufficeret cuilibet homini etiā maximè comedēti.] Hæc Tostatus. Gomor autem mensura est quantitatis 24.ouorum.Nam licet certum sit ꝙ Gomor est decima pars Ephi, & Ephi decima pars Cori, quoniam Corus apud Hebræos, mensura est continens decem Ephi, & Ephi decem Gomor, cæterum sic nescitur determinata quantitas Gomor. Et quāuis Papias,& Isidorus dicant, ꝙ Gomor cōtinet tantū quantū continet quarta & dimidia Parisiensis: Tñ Rabbi Solomon tenet, ꝙ Gomor cōtinet quantitatē 24.ouorū.Et huiusmodi parua mensura oēs filij Israel æqualiter participabāt diuinitus de manna illo materiali, quoniā quāuis reipsa alij plus de manna illo,quā alij colligerēt,pro vt quisq; magis vel minus indigebat,tñ cū veniebatur ad mensurā,quæ publicè erat proposita,oēs reperiebant vnū Gomor dumtaxat,quæ erat quātitas pro singulis definita, ꝙ planè ideo accidebat,quia,s. illis qui plus colligebant,cōdensabatur,ijs vero qui minus, rare fiebat manna illud diuinitus, ita vt id ꝙ quisq; colligebat, ipsi abundanter sufficeret, toto tempore statuto. Quod planè miraculum ad mysterium huius manna absconditi, vt potè Eucharistiæ, referri proculdubio potest. Tum quia, corpus Christi in Eucharistia, æqualiter offertur, & datur omnibus,vt dicunt Cyrillus tract.3. in Ioan. 34. & Beda super Exod.14. & non pro quantitate portionis,

Gomor mensura, cuius quantitatis determinata sit.

Rabbi Salomon in cap. 16. Exod.

nis,quam quisque ore percipit (quamuis secus loquendum sit de gratia viuifici panis, quæ datur secundum quantitatem deuotionis communicantium.) Quia quamuis sub magna, vel sub minima hostia communicemus, totum corpus Christi est in qualibet hostia cõsecrata, & in qualibet illius parte, quemadmodũ anima rationalis est tota in toto cõposito, & tota in qualibet parte compositi, siue compositum sit magnum, siue paruũ. Et si hostia sacra diuidatur in mille partes, tantundem virtutis continẽt singulæ particulæ diuisæ hostię, quãtum hostia integra cõtinebat: Quod planè miraculum quãuis nonnulli explicent, ponentes exemplũ de imagine quæ apparet in speculo integro; speculo verò fracto apparet singulæ, in singulis partibus; tñ S. Th. 3. p. q. 76. ar. 3. melius explicat illud in diuisione aëris, & in diuisione panis; nã sub qualibet parte aëris diuisi, est tota natura aëris, & sub qualibet parte panis, est tota natura panis. Hinc in sua sequẽtia ait: [Fracto demũ sacramẽto, ne vaccilles, sed memẽto, tantũ esse sub fragmento, quanto totũ tegitur.] Vnde Rupert. lib. 3. Exod. cap. 17. loquens de hoc particulari miraculo Eucharistiæ, sic ait: [Hoc pro virtute cibi & spiritualis potus, id est corporis & sanguinis Christi, sciendũ, & firmiter tenendũ est: Quod non pro quantitate portionis, quam quisq; ore percipit, secundũ speciẽ visibilẽ panis & vini, alius plus, alius minus, consequitur de gratia viuificantis spiritus. Sicut enim Adã, cuius nos iniquitatem portamus, nõ pro quãtitate morsus sui, siue pomi, quod momordit, sententiã, & damnationẽ iustam accepit, tãtumq; illi valuit, pomũ vnum momordisse, tanquam si quicquid pomorum in arbore illa fuit, deuorasset, sic è cõtrario, vnusquisq; nostrũ nõ pro quantitate particulæ viuifici panis, quæ illi frangitur, quã ore sumit, aut dentibus terit, gratiã, & vitam accipit.] Et licet hoc sit circa gratiã viuifici panis, cæterũ quantũ ad ipsum corpus & sanguinẽ Christi, non vnus plus, & alius minus, sub magna vel sub parua cõmunicans hostia, de corpore, ac sanguine Christi accipitur, totus siquidẽ corpus & sanguis Christi sumitur, tam sub magna, quã sub minima hostia, & adhuc sub parua, siue minutula particula hostiæ diuisę. Tum quia totus & idẽ corpus Christi est simul in cælo empyreo, & in terra, & in diuersis altaribus, ac etiam in diuersis partibus mundi, in quibus quotidie, & eadẽ hora consecratur, quemadmodũ vna vox numero simul, & semel est in auribus diuersorum hominũ. Tum quia idem corpus Christi, tam magnum quantũ extensum fuit in cruce continetur sub qualibet parua hostia, & sub quolibet eius fragmento. Tum postremò, quia corpus Christi ad fractionem hostiæ non frangitur, quinimmo in omni particula integer permanet. Ecce qualiter hoc cæleste manna absconditum, vt potè, corpus Christi in Eucharistia omnibus æqualiter datur ad mensurã Gomor materialis manna filiorũ Israel, qui licet plus, minusvè colligerent, tñ venientes ad mensurã omnibus præfixam, æqualiter illud possidebant. Sed dices, vnde hoc prouenit in sacramento Eucharistiæ? Respondeo ex eo quod corpus Christi, ibi est indiuisibiliter. Quoniã Christus in sacramẽto altaris nõ est per mutationẽ suã, qua desierit esse, vbi prius erat & inceperit esse alibi (vti dicendũ est detrãsitu per ianuas, & exitu de vtero; quoniã ibi erat Christus propriè, & secundũ se, quia per motũ incipiebat esse ibi, & ita erat ibi ꝙ nõ erat alibi) sed est ibi ꝑ hoc, ꝙ cõuersum est in corpus eius, illud quod ibi erat, & ob id necesse est, quod taliter Christus ibi sit, qualiter est id ꝙ in eum conuersum est, per eius conuersionẽ ibi est, & tñ illud manet indiuisibiliter, & per cõsequens corpus Christi debet manere indiuisibiliter. Quod planè ex eo dumtaxat apparet, quia nimirũ in ipsum cõuertitur substãtia panis, illa tñ manet indiuisibiliter, quinimmo est facta indiuisibilis. Quoniam substantia non accipit, ꝙ possit diuidi, nisi per quantitatem, vt potè per dimẽsiones, & tñ quantitas & dimensio sunt accidẽtia, & de accidentibus panis nihil cõuertitur in corpus Christi, sed sola substantia, manentibus omnibus accidentibus: igitur illa substantia, quę cõuertitur indiuisibiliter manet, & indiuisibilis est. Et per cõsequens si Christus in-

Alius plus, & alius minus consequitur gratiã, secundũ quantitatẽ deuotionis qua cõmunicat.

Totũ corpus Christi sumitur tam sub magna, quã sub minima hostia.

Corpus Christi est in sacramento altaris indiuisibiliter.

Ioan. 20.

Luc. 2.

Substãtia est diuisibilis ꝑ quantitatem dumtaxat.

A incipit esse ibi per solã cõuersionẽ, non est aliqua difficultas, quod maneat ibi indiuisibiliter, immo esset potius miraculum quod maneret diuisibiliter. Quinimmo non potest esse, quod Christus maneat ibi indiuisibiliter, si per solã conuersionẽ ibi manet, cum id quod cõuertitur sit indiuisibile in sua ratione formali; quoniam substantia, vt substãtia est, abstrahit à quolibet accidẽti, & diuisibilitas est proprietas accidentis, vt potè quãtitatis. Vnde primo passim notã, quod Christus in sacramento altaris, nõ reducit corpus suũ ad indiuisibile, quia cum ibi tantum sit per conuersionẽ prioris substantiæ, nõ deserit cælum empyreũ, & per consequens est ibi indiuisibiliter. Quoniã si verè corpus Christi in sacramẽto altaris reduceretur ad indiuisibile, ita quod esset indiuisibile factũ, cum idẽ sit eius corpus, quod est in cælo empyreo, & quod est in altari, esset corpus, ꝙ ex in empyreo indiuisibile, quod non est cõcedendum.
B Accedit ad hæc ꝙ fieret aliqua realis mutatio in corpore Christi, reducendo illud ad indiuisibile, cũ illud sit diuisibile, modo in cęlo, quoniã habet modo quantitatẽ ad quam spectat diuisibilitas, quare nõ debet dici, quod corpus Christi in sacramento altaris est indiuisibile, vel redactũ ad indiuisibile, sed quod est indiuisibiliter; quia tunc indiuisibiliter nominat cõditionẽ essendi ibi, quæ est cõditio materiæ conuersæ in corpus Christi, & nõ nominat aliquod accidens absolutũ corporis Christi, siue positiuũ, siue priuatiuũ. Secundo nota quod in sacramento altaris non est corpus Christi localiter, sed sacramentaliter, quia non est, per motũ suum, sed per conuersionẽ alicuius in ipsum: vnde nulla mutatione facta in Christo, qui manet in cælo empireo, fit cõuersio panis in corpus suum in loco illo in quo panis est; ita vt corpus Christi quod est in cælo empyreo nõ moueatur ad illud, vbi, sed substantia panis, quæ erat in illo, vbi, cõuertitur in corpus Christi,
C quod est in cælo empyreo; & sic corpus Christi manẽs localiter in cælo empyreo, est sacramẽtaliter in hostia consecrata per cõuersionẽ substantiæ panis in corpus Christi, & propter hoc non est maior difficultas ꝙ sit Christus in vno altari in hostia, quã ꝙ sit in decẽ millibus, & ꝙ sit in hac hostia, quã in viginti millibus; cum oẽs illæ hostiæ cõuertantur per consecrationem sacerdotis in corpus suũ gloriosũ, quod modo est in cælo empyreo, quoniã verba cõsecrationis prolata à sacerdotibus sẽper dicũt relationẽ ad corpus Christi pro vt in se est; Et per hoc dissoluitur quęstio de cõsecratione Apostolorũ in triduo mortis Christi, cum verba consecrationis semper referantur ad corpus Christi, pro vt in se est, & cum in triduo esset anima à corpore separata, & sanguis sparsus per plateas Ierusalẽ, sub specie panis cõsecrati, esset corpus, pro vt tunc erat, & sub spe-
D cie vini, sanguis, pro vt tunc erat, & in vtraq; specie verus Deus, quoniã quod semel assumpsit, nunquã dimisit, & per consequens &c. Ex quibus remanet apertum, qualiter corpus Christi sit in sacramento altaris indiuisibiliter.

EX doctrina Abulensis in cap. 9. Exod. q. 5. & in cap. 16. Exod. q. 13. & super cap. 11. Num. q. 16. & Lyrani in cap. 16. Sap. Adriani Fini, lib. 8. flagelli, contra Iudæos. cap. 17. Cæsarijs Arelatẽsis Epis. hom. 5. de Pascha, & Paschasij Abbatis, lib. de corpore & sanguine Dñi cap. 10. Manna illud materiale filiorũ Israel duos obtinebat sapores, vt potè, miraculosum, & naturalem; De sapore miraculoso intelligitur illud Sap. 16. [Angelo-
E rum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, &c.] Quẽ planè miraculosum saporem attingunt D. Hieron. in illa verba Ps. 147. [Et adipe frumenti satiat te.] Et D. Greg. lib. 6. moral. cap. 9. dicens: [Manna omne delectamentũ, atq; omnis saporis suauitatẽ in se habuit, quod videlicet in ore spiritualium, iuxta voluntatem edentium saporem dedit.] Qui sanè sapor miraculosus, vt potè, omnis suaui-

Concept. 4. Quod manna absconditum vt potè, Eucharistia duos habet sapores.

Gustus duplex reperiebatur in manna materiali.

taris,non erat omnibus cõmunis, sed iustis, & pijs hominibus dumtaxat. De sapore verò naturali intelligitur illud Num.11. [Circumibat populus, & colligens illud frangebat mola,siue terebat in mortario, coquẽs in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.] Et illud etiã Exod.16. [Gustusq. eius quasi similæ cum melle.] Qui planè naturalis sapor non itidẽ erat omnibus cõmunis,sed malis impijs,& reprobis dumtaxat hominibus,quorũ sanè est illa vox Num.11. [Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.] Quoniã hæc nequit esse vox iustorũ, quibus suaue erat illud manna,& omnis saporis suauitatẽ habens, sed malorũ,quibus illud manna, quasi saporis panis oleati,& similę cũ melle dumtaxat,erat,per 40.annorum curriculum, & cum tot annis nihil aliud ederent nisi panem illum oleatũ, prouocabantur iam ad nauseã ex tam larga,ordinariaq. sumptione illius cibi læuissimi. Quamobrem concludendum est,manna illud materiale duos obtinuisse sapores, vt potè,miraculosum, omnis saporis iustis,dumtaxat,& naturalẽ; panis oleati,malis solummodo hominibus. Quod planè apprimè quadrat huic cælesti manna abscondito, vt potè sanctissimo altaris sacramento, de quo canit S.Tho.[Sumũt boni,sumunt mali,sorte tñ inæquali, vitæ,vel interitus: mors est malis, vita bonis &c.] Sunt namq; plerique boni, sancti,ac pij homines, qui præuio riguroso consciẽtiæ suæ examine, dolore, ac suorum peccatorum cõtritione,cum proposito firmo iterum non peccandi, accedũt ad sacrã cõmunionẽ,& ij dicunt cum sponsa: [Comedi fauum cum melle meo,bibi vinum cum lacte meo.] Nam tanta dulcedine spirituali satiati eleuant se supra se,per diuinam contemplationem,vt alter Euangelista Ioannes, qui post sacram cõmunionem in vltima illa cœna [recubuit supra pectus Dñi,]& istis est illud cęleste manna absconditum,suaue,dulce,iucundũ,& omnis saporis suauitatẽ & dulcedinem habens. At verò viceuersa sunt alij pleriq; reprobi, mali & iniqui homines,de quibus dicitur illud: [quorũ Deus vẽter est.] & illud: [Coronemus nos rosis antequã marcescant, nullũ pratũ sit quod nõ pertrãseat luxuria nostra &c.] Et hi semel dumtaxat in anno communicant, & adhuc (quod peius est) nõ dimissa cõcubina,non restituta re aliena, nõ recõciliatis inimicis,& vt vnico verbo dicã, vt alter Iuda accedũt ad hoc sanctũ sacramentũ sumẽdũ; vnde quid mirum, si isti post cõmunionem sacram dicant; [Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.] id est, Vah,ad quid singulis annis hic labor cõfitendi,& cõmunicandi,est sumendus? O miseri peccatores,non vos pudet singulis annis peccare, & Deũ inhonorare,& vos pudet singulis annis confiteri, & cõmunicare? Vos sanè minimè estis ex ouibus Christi, qui dixit:[Accipite & comedite,hoc est,corpus meũ.] & iterũ.[Vbi fuerit corpus,cõgregabuntur & aquilę.] & alibi: [Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem,non habebitis vitã in vobis.] Hinc S.Io.Chrisost. hom. 60. ad populum Antiochenũ ita scribit: nullus itaq; Iudas assistat, nullus auarus,nã tales mẽsa nõ suscipit,] Et D.Paulus ad Cor.11.sic ait: [Quicumq; mãducauerit panẽ hunc, vel biberit calicẽ Dñi indigne,reus erit corporis,& sanguinis Dñi. Probet autem seipsum homo,& sic de pane illo edat,& de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.] Et tandem D.Augustinus explicans illa verba: [Non sicut manducauerunt patres vestri manna.] sic ait: [Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apostolus,iudiciũ sibi manducat, & bibit: Nonne buccella Dñica venenum fuit Iude?& tñ accepit,& cum accepit,in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit,sed quia bonum, malè malus accepit.] Ex quibus omnibus colligitur, quod pleriq; accipiunt malè, hoc cæleste bonum manna absconditũ,& sic isti iudicium sibi manducant,& bibunt. Accipit enim concubinarius, nõ dimissa concubina,& [iudiciũ sibi manducat & bibit.] Accipit iracundus nõ dimissa iracundia, & [iudicium sibi manducat & bibit &c.] Quamobrem ij potius rapiunt, quã accipiant

Manna Hebræorũ quibusdam erat delectamentũ, quibusdã verò nausea.

Manna absconditi diuersi effectus

Cant.5.

Dulcedo digne communicantium.

Comparatio.

Matth.26. Ioan.6.

Aug.tract.26 in Ioan.

F corpus Christi, cum malè illud sumendo,iudicium sibi manducent & bibant. Hinc est illud D. Ioan.Chrisost. hom.60. ad populum Antiochenum. [Quænam igitur erit nobis excusatio cum talibus pasti,talia peccemus, cum lupi simus,agnum comedentes,cum tanquã oues pasti,more leonum diripiamus? Hoc enim mysterium non à rapina tantum,verum & ab omni, vel tenui inimicitia purum esse penitus iubet,est enim pacis mysteriũ.] Sic ille. Et Rupert. Abbas expendens illud Apoc. 2. [Dabo edere le ligno vitę,quod est in paradiso Dei mei.] sic scribit: [Sæpe enim qui nondum vicit,id est, nondum egit pœnitentiam,edit de hoc ligno vitæ mãducãs,videlicet,corpus, & bibens sanguinem Domini, verum non illi dat Christus, sed ipse rapit, atque adeò iudiciũ sibi manducat & bibit.] Ex quibus liquet clarè,sacrilegam esse rapinã, malè & indignè cõmunicare in mensa sancti altaris. Digno igitur cõmunicanti ait,
G Apost.1.Cor.11.[mãduca,& viues.]indigno vero[mãduca & morieris.] Quibusdam igitur est hoc cæleste manna absconditũ vita; quibusdam vero mors,quibusdam salus,quibusdam damnatio, quibusdam omne delectamentum, quibusdam tandem nausea. Arca Dei, Israelitas & Hebræos saluabat (vt dicitur 1.Reg.5.) Azotios vero,Getheos,& Accaronitas, & percutiebat plaga magna,& interficiebat Ignis fornacis Nabuchdonosor, succendentibus fornacem, fuit ensis & gladius: At Sidrach,Misach,& Abdenago fuit scutum,cũ ambularent in medio flamma laudantes Deum. Mare Rubrum Hebræis remedium captiuitatis fuit, vt dicitus Exod. 10. Pharaoni vero,& Ægyptijs,maximũ fuit suppliciũ,cum in illud submersi fuerint. Porrò sol Gedeoni victoria, Madianitis verò, (vt dicitur Iosue 6.) debellationẽ, & captiuitatem causauit. Ecce vnius & eiusdem rei diuersi effectus. Narratur in cap.7.lib. Iu-
H dicum, quod cum Gedeon somnium quorumdam inimicorum suorum iuxta castra Madian audiret, dictũ, à quodam somnium referente, fuit. [Videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui,& in castra Madian descendere &c.]& alius mox subiungit:] non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis.] Quæritur modo si hoc quod visum fuit à Madianitis somniantibus,erat panis hordeaceus; quomodo gladius Gedeonis appellatus fuit? Hoc ad demonstrandum accidit planè,quod hostia consecrata, (quã figurabat illa torta panis) est panis dulcis bonis; & gladius acutus,malis. D.Ioãnes Chrisost. quandam ad hoc explicandum apponit similitudinem,dicens: quemadmodum cibus (vt potè,perdices,gallinę,& caponi) valentibus vitã conseruat,ægrotis verò, & febri laborantibus mortem causat; sic Eucharistia quibusdam vita,quibusdam verò mors est. Hinc Archipropheta,hoc in loco,cautè post mãna ab-
I scõditum,calculum candidum,hoc est, lapidem paruũ promittit se daturum, eo quod indignè recipientibus hoc sacramentum, manna in lapidem conuertitur durum. Solet namq; panis iste Angelorum inter communicandum indignè in lapidem mutari. Refert namque Hermius Sozomenus Salaminus in sua Historia Ecclesiastica lib.8. cap. 5. miraculum sanè magnum de sacramento Eucharistiæ, per hæc verba: [Videtur autem mihi opportunum, hoc loco, commentarijs nostris miraculum inserere, quod sub illo (hoc est Ioanne presbytero Antiochiæ) contigit. Vir quidam è Macedonia hæresi, vxorem eiusdem opinionis habebat: hic cum Ioannem quomodo de Deo sentiendum esset docentem audisset, dogma illius laudabat, & vxorem quoque vt secum sentiret hortabatur.Cum
K verò illa magis nobilium mulierum sermonibus, quã illius consuetudini obtemperaret, & post frequentes admonitiones illius nihil effecisset, nisi,inquit,in diuinis mihi consors fueris,neque in vitæ communione posthac eris. Mulier hoc audito, & consensum pollicita, rem eam famulæ cuidam communicat, quam sibi fidam esse iudicabat,illiusque opera ad fallendum virũ vtitur.Circa tẽpus autẽ mysteriorũ (sciũt initiati quid sit quod dico) illa quod accepit continens quasi oratura procũbit:famula astans clanculũ illi dat,quod secũ in manu attulerat.Hoc cum dẽtibus admoueretur in la-

Rupertus Abbas in comment.

Eucharistia mors est malis, vita bonis.

Eucharistia panis,& gladius quomodo sit.

Simile.

D. Io. Chrisost. in Ioannem.

Hermius in hist. Ecclesi. lib.9. cap.5.

in lapidē congelascit. Mulier perterrefacta metues nequid sibi mali propter eā rem, quæ diuinitus acciderat, contingeret, ad Episcopum cursū contendit, ac seipsam prodens lapidem ostendit, adhuc morsi vestigia habentem, & materiam incognitam, coloremq. admirabilem ostendentem, simulq. veniam cum lacrymis petens, viro suo consensuram se pollicetur. Quod si hoc cuipiam incredibile videtur, lapis ille testis est, qui etiam nunc inter memorabilia Ecclesiæ Constantinopolitanæ asseruatur.] Sic ille.

Concept. 5. In quo recitantur tria mysteria Dei quorum maximū est Eucharistia.



LAVDANS D. Aug. hoc sanctissimum manna absconditum ait tract. 26. in Ioannem: [O sacramentum pietatis, ò signum vnitatis, ò vinculum charitatis.] Dignum planè tanto mysterio præconium. Estote, quæso, attentissimi. Inter omnia acta, & gesta omnipotentis Dei, quæ dispungunt Scholastici Doctores in 3 & 4. lib. sentent. cum Magistro, & in 3. p. cum sancto Thom. tria planè sunt immensæ maiestatis, eximiæ magnitudinis, ac incōparabilis amoris, vt potè:] Deus incarnatus,] [Deus mortuus,] [Deus sacramentatus.] [Quantæ autem magnitudinis sit primum, videlicet: [Deus incarnatus,] liquet. Tum ex grauitate culpæ Adæ; quoniam, vt prodit Angelicus Doctor, si Adam non peccasset, Verbum diuinum carnem nullatenus assumpsisse humanam. Quamobrem incarnatio ad Adæ culpam reparandam vtique fuit. Magnitudo autem illius culpæ, ex eo dumtaxat apparet, quod hominibus cælum clausit, eosdemque filios iræ, innocentia originalique gratia expoliatos, redegit. Et ijs omnibus nihil obstantibus canit Ecclesia: [O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.] Signum igitur est, quod licet magna esset illa Adę culpa, maior tamen fuit illius reparatio per incarnationē causata. Tum quia si quæramus à Doctoribus cur Deus creauerit hominem, quem sciebat forè peccaturū? Respondent sanè, quia quemadmodū Deus Adam forè peccaturū præsciuit, sic etiā præsciuit redempturū, ac reparaturum forè, per vnigeniti filij sui gloriosam incarnationē: Igitur signum est Deum incarnari maius bonū esse, quam hominē cadere, esset malum. Tum quia qñ Deus descendit in paradisum ad nostros primos multandos parentes, in forma humana tunc descēdisse dicunt Theologi in cap. 2. Gen. vt Adam ex illo supplicio spem incarnationis verbi Diuini infallibiliter colligeret, videndo quod Deus, homo, oculis, manibus, carne, & ossibus cōpactus, vt ipse erat de terra plasmatus, eū multabat, vt sic apertè intelligeret, illam suam culpam occasionem fuisse maioris boni, vt potè incarnationis, qua nihil maius vnquā videbitur, nec visum fuit sæculis retroactis. Tum postremò, quia Angelus ille, qui cū Iacob luctabatur, formā etiam assumpsisse humanā tenent Doctores super illa verba Gen. 32. [Et ecce vir luctabatur cum eo vsq; mane.] vt inde intelligeret Iacob, Angelū illum fuisse Deum hominē factum, ad eum redimendum venturum; vnde visa figura illa viri, mox exclamauit: [Vidi Dñm facie ad faciem, & salua facta est anima mea.] Perinde ac diceret: Modo securus sum, salua & incolumis nunc sanè facta est persona mea, cum Deū incarnatum viderim. Qui enim hoc pro me præstat, quid, quæso, non faciet? Ecce igitur quātæ magnitudinis sit hoc mysteriū [Deus incarnatus] Et si originē tanti mysterij diligenter quæras, solam charitatem esse proculdubio reperies; ita enim scriptum est: [Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.] Secundum porrò mirabile Dei opus est: [Deus mortuus.] Quod planè adeo ingentis magnitudinis vtiq; est, vt meritò illud Mare magnum, inexhaustumq. pelagus appellemus, eo quod cum ad nostras perueniunt aures huiusmodi voces: [Deus flagellatus, Deus venundatus, Deus spinis coronatus, Deusq. crucifixus,] protinus perterrefit mens nostra, & quasi à seipsa alienata perhorrescit, & crebrò caderet, nisi fides & amor eamdē corroborarent. [Prædicamus (ait Apostolus) Christū crucifixum, Iudæis quidē scandalū, Gentibus autem stultitia.] Depingant itaq; Iudæi, ac Gentiles Poetæ deum amoris, vti voluerint, vt potè, velatis oculis, vel non; crumena aperta, vel clausa; aureas, argenteasq. sagittas ex se emittendo, vel non; radiosq. in manibus gerendo, vel non, vel aliter, vt sibi bene visum fuerit, tñ his nihil penitus obstantibus, fides catholica Christianis, verum Deū amoris esse, Christum crucifixum, Christum flagellatum, Christumq. coronatum, apprimè docet. Dicunt quidam Hebræorum Rabbini, Salomonem depingere fecisse amoris Deum in quodā curru, vel quadriga sedentē, cuius vtraq; terga hinc inde extensa erant ex auro purissimo, columnę ex argento, sedile ex purpura, reliqua verò ex lignis cedrinis, in cuius medio deus amoris erat sedens. Quā planè figuram dico fuisse descriptionem quandā Dñi nostri Iesu Christi in cruce. Quadriga enim illa, siue currus ex tam pretiosis rebus compactus (quoniā inter metalla, aurum & argentum; inter ligna, cedrus; inter lanas, purpura, maximè excellunt) demonstrat proculdubio Christum in cruce crucifixum omnia bona ad se attraxisse, iuxta illud: [Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.] Et si illi dicamus, Domine quid facies ex tot bonis? Respondebit absque dubio, & vnicuique vestrum ea pro meritis ardentissimo amoris gradu superlatiuo diuidam, iuxta illud: [dedit dona hominibus.] Mirabile tertium tandem est: [Deus sacramentatus.] Quod planè opus adeo ingens reputatur, vt non solum duobus præallegatis adæquetur, verum etiam omnino maximum esse proculdubio prædicetur. Verum vtique est, quod inter infinita non datur [magis & minus,] quoniam [magis & minus,] fuit Philosophorum inuentio ad entia finita, dumtaxat, cognoscenda: quamobrem locum minimè obtinet in rebus infinitis: quare cum hæc tria, nimirum, [Deus incarnatus, Deus mortuus, Deus sacramentatus,] sint entia infinita, inter illa nullatenus reperietur [magis & minus.] Nihilominus tamen intellectus noster reputat hoc cæleste mysterium, vt potè [Deum sacramentatum] maximum & excellentissimum cæteris, nimirum, [Deo incarnato,] & [Deo mortuo.] Illudq. probo. Tum propter perdurabilem præsentiam quam secum adfert [Deus sacramētatus,] quamquidē nullatenus important [Deus incarnatus,] & [Deus mortuus.] Cum enim Deus carnem assumpsit humanā, nobis corporalem præsentiam, dumtaxat cōmunicauit; corpus enim eius, faciem, manus & pedes intuebatur, iuxta illud: [& in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.] & alibi. [Manus nostræ cōtrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est.] Quam planè corporalem præsentiam à nobis abstulit per suam mortem & gloriosam Ascensionem, dum dicitur: [Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum,] quia sic oportebat, vt dispūgit S. Tho. 3. p. q. 57. art. 1. Attamen in sancto altaris sacrato, eius præsentiā habemus spiritualem, vt docet idem Magister sanctus 3. p. q. 57. art. 1. quæ planè adeo perdurabilis est, vt vsq; ad finem sæculi se extendat, iuxta illud: [Ecce ego vobiscum sum vsq; ad cōsummationē sæculi,] per sacramētum, videlicet, Eucharistiæ in quo spiritualiter est præsens. Et casus planè fuit admirabilis, quoniam cum in sacra illa vltima cœna, duo in pectore Christi secum pugnarent desideria, satis inter se se inæqualia, vt potè eundi ad patrem, & manendi nobiscum, solus amor adinuenit, & excogitauit admirabilem quemdam modum eundi simul, & remanendi, qui planè modus fuit sanctissimæ Eucharistiæ institutio, qua & patrem petijt per crucem, & nobiscū mansit in æternum per panis consecrationem. Quare hoc sacramentum omnia Christi acta, & gesta, glorioso triumpho transcendit, ac omnino excellit. Tum propter vnionem; quoniam in incarnatione Deus corporaliter se vniuit nostræ carni humanæ; in passione verò & morte sua, spiritualiter se nobiscum vniuit, redimendo animas nostras, quibus se copulauit spiritualiter: At verò in sacramento altaris nobiscum

Marginalia: Eucharistiæ encomium. — S. Tho. 3. p. q. 1. art. — Adæ culpa maxima. — Adæ culpa felix. — Redemptio est maius bonum, quam Adæ peccatū fuit malum. — Deus in forma humana multauit Adam, & Euā. — Pulchra Salomonis quadriga. — Eucharistia est maximū mysterium. — Magis & minus in quo reperiantur. — 1. Ioan. 1.

biscum se vnit, & corporaliter, & spiritualiter, vt indicant illa verba: [Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.] adde tam spiritualiter, quã corporaliter, animabus namque & etiã corporibus nostris se vnit Christus in sumptione Eucharistiæ, dum dignè manducatur. Quare cum vbi reperitur maior vnio, inueniatur ex consequenti ratio maioritatis, licebit inferre, hoc sacramentũ, duobus prælibatis mysterijs, maximum esse. Tum tertiò & postremò, ob maiorem extentionem huius sacramenti, quoniam hæc duo mysteria, vt potè: [Deus incarnatus, [Deus mortuus,] non dicunt, [Deum sacramentatum,] At viceuersa, [Deus sacramentatus,] dicit vtrumque, nimirum, [Deum incarnatum, & Deum mortuum.] Bene siquidem potest quis beneficia incarnationis secum contemplare, & ibi sistere, beneficia etiam mortis & passionis Christi, & ibi etiam manere, at nequit aliquis contemplari hostiam consecratam, quin mortem, passionem, & incarnationem contempletur. [O sacrum conuiuium (canit Ecclesia) in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur,] quo loco clarè significatur hoc sacramentum fuisse à Christo institutum non modo in monumentum passionis, & pignus amoris, sed in gloriæ etiam arrhabonem certissimum. Quare concludendum est, quod sicut pignora in valore excellunt debita (quoniam ideo creditori ad securitatem dantur) sic hoc mysterium Eucharistiæ (cæleste planè pignus) reliqua duo citata præexcellit mysteria. Vnde Archipropheta Ioannes hoc cæleste mysterium in hac sua reuelatione. Manna absconditum] meritò appellat. Hic sanè est ille thesaurus, de quo dicitur: [Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.] Ager namque est Ecclesia, thesaurus verò Corpus Christi, absconditum sub illis accidentibus panis, & vini, in sacra altaris mensa, vt diuites faciat, ac redigat animas nostras dignè illàc properantes. Hoc denique cæleste manna habuit Christus in se absconditum vsque ad vltimam horam, qua erat inde ad patriam transiturus cælestem; quoniam cum in illa benedicta hora, omnia esset facturus noua, vt potè, nouam Ecclesiam, nouos apostolos, nouam legem, & reliqua, vt indicant illa verba Isa. 43. [Ecce ego facio noua,] inter igitur tot noua, necessarius erat etiam cibus nouus, & potus nouus, vt omnia essent noua, Hinc ipse ait: [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.] Perinde ac diceret. Inter omnia noua, nouum etiam cibum & potum vobis elargior, vt potè, carnem & sanguinem meum; qui planè cibus & potus animarum, dumtaxat est pabulum, & nullatenus corporum. In creatione Deus escam tribuit corporibus dumtaxat, cum dixit: [Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.] & paulo post: [Ex omni ligno Paradisi comede.] adde [corporaliter.] At verò in redemptione cibum & potum spiritualem animabus dumtaxat præstat, dum ait: [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.] adde [spiritualiter.] Hoc planè cælesti edulio, esca vè, apparet maxima totius Ecclesiæ pulchritudo. De Ecclesia namque ad litteram intelligitur illud Cant. 1. [Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.] In multis siquidem splendet pulchritudo Ecclesiæ, nimirum, vt sit sponsa Dei, vt Angeli in illa administrent, eique assistant, quod sit Regina stans à dextris Dei &c. cæterum magis splendet eius pulchritudo, in eo quod hoc sacramentum corporis & sanguinis Christi obtineat. Ex illo namque concluditur cum Apostolo, Ecclesiam adeò pulchram esse, vt maculam, aut rugam, nullatenus habeat. Macula enim in nobis solet causari ex infirmitate corporis; cum enim corpus infirmatur, maculæ mox supra carnem nostram apparent, plerçque, vt videre est in scabiosis, & contagiosam habentibus infirmitatem. Ruga verò originem habet in nobis ex sanguine. Cum enim sanguis noster intra corpus tendit ad corruptionem, citò

Ioan. 6.

Eucharistia est monumentum, pignus, & arrhabo.

Pignus est maioris valoris quam sit debitũ, vel res credita.

Noua per Christum.

Ioan. 6.

Eucharistia est oblectatio.

F apparent pleræque rugæ in facie. Caro autem Christi est immaculata. quoniam de illo dicitur: [Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.] & iterum: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] Sanguis insuper eius purissimus, propter eamdem rationem est immaculatus. Et ob id Ecclesia quæ tali esca nutritur, tota pulchra per orbem splendet, maculam, aut rugam, nullatenus habens.



MAXIMAM fidem quam postulat sacramentum Eucharistiæ, colligere satis commodè possumus ex modo descendendi manna filiorum Israel, de cælo. Theodoretus, Abulensis, Rabbi Salomon, & Lyranus super illa verba
G Num. 11. [Cumque descenderet nocte super castra ros descendebat pariter, & manna.] dicunt, illud manna materiale nocte inuisibiliter descendere olim de cælo. Per quod intelligere proculdubio possumus fidei statum nunc in Sacramento Eucharistiæ necessarium, in quo aliud oculis cernitur, & aliud mente creditur. Credimus etenim Christum inuisibiliter se se in sacramento altaris præsentem exhibere, ad quod planè maxima requiritur fides. Ecclesia enim in omnibus operibus Christi, semper fide perambulat, vt indicant illa verba Cant 8. [Quæ est ista quę ascendit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum?] vbi ad litteram est sermo de Ecclesia in omnibus fide innixa super Christum sponsum suum. Inniti enim proprium est credentium, cum ad credendum requiratur pia affectio ex parte voluntatis, vt tenet D. Augustinus tract. 26. in Ioannem, vbi sic ait: [Potest
H quis in Ecclesiam intrare, nolens, & ad altare accedere, credere autem, non nisi volens.] Et quamuis Ecclesia in omnibus mysterijs gratiæ, fide incunctanter perambulet innixa super sponsum suum Christum, qui eam manu firmiter semper tenet, vt sit columna firma veritatis: tamen maiorem fidem oportet obtineat in hoc sancto altaris sacramento. Quoniam hoc sanctissimum sacramentum inter reliqua Ecclesiæ sacramenta mysteriũ fidei nuncupatur: sic enim dicitur in forma consecrationis vini. [Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis &c.] Super quæ verba sic scribit S. Tho. 3. p. q. 78. art. 3. ad 6. [Dicitur mysterium fidei, quasi fidei obiectum, quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc sacramento, sola fide tenetur,] Hæc S. Thomas.

Concept. 6. Q. òd eucharistia dicitur mysterium fidei.

Ecclesia cubito Christi sponsi sui innititur semper.

Thomistæ 2. 2. q. 1. art. 4.

Fidei inhærere, ac firmiter incumbere oportet in sacramento altaris.

I

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Et dabo illi (inquit) calculum candidũ. La pillus albus est calculus candidus, qui diuersimodè accipitur hic à Doctoribus.

Dilucidatio textus. §. 1.

§. 2. Nota tamen primò, (vt certa ab incertis secernamus) lapidem in sacra pagina significatiuum vtique esse. Commune quippe est apud sacram scripturam materiali lapide, diuina ac spiritualia demonstrare, vt apparet in duodecim lapidibus, qui erant in rationali sacerdotis magni Exod. 28. in lapidibus, quos superposuit Iacob capiti suo, Gene. 28. in duodecim lapidi-
K bus, qui educti fuere de alueo Iordanis, & erecti in Galgalis in duodecim titulos, Iosue. 7. & in lapidibus, quos Salomon ponebat in fundamento templi. 3. Reg. 7. (quiquidem viginti cubitos in longitudine, decem in latitudine, & in altitudine quinque, vt prodit Iosephus lib. 8. de antiquitatibus) obtinebant. Quos planè omnes lapides diuina, ac spiritualia significare, inconfessum est apud Theologos, & sanctos Patres.

Lapidis significatio.

Nota

§. 3. Antiquorum mos circa lapides albos & nigros.

Nota ſecundo, Antiquos Gentiles, albis nigriſque lapillis ad tria olim vti ſolere. Primò quidem ad ſuffragia colligenda, hoc eſt, ad vota, fauores, ſignificationeſque voluntatis multorum congregandas, & ſecreto accipiendas. Cum enim Græci iudices ac Doctores, reum iudicare, vel aliquem ad magiſtratum promoueri intendebant, conueniebant in vnum (vt modo fit in monachorum, clericorumque capitulo) & tunc ſententiam, vt potè, vota ſiue omnium voluntates ac decreta, calculis candidis & nigris, exprimebant; itaut abſolutionem, vel approbationem candidis, damnationem vero, vel reprobationem nigris, ſignificarent lapillis. Hinc plane origenem habuit, vt calculum pro ſuffragio, ac ſententia apud eoſdem vſurparetur. Hinc etiam mos fuit apud Gentiles Romanos, vt calculis rationes ſubducerent, ex quo ortum habuit illa locutio: [Ad calculum reuocare.] Hoc eſt, aliquid exactè ſupputare. Hoc itaque eſt ſuffragia ac decreta (quæ Græci Pſephiſmata, nuncupant) calculis colligere. Quamobrem M.T.Cic. lib. 3. de legibus ſic ait: [Suffragia in magiſtratu mandando, aut etiam de reo iudicando palam ferre melius eſſet.] Et Iuuenalis, Sat. 8. [Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam perditus, vt Senecam dubitet præferre Neroni?] Et idem Cicero, in orat. pro L. Flacc. [Calculis ſuffragia ferebant.] Et tandem Ouid. lib. 15. Metamorph.

Græci olim ſententias, ac ſuffragia calculis colligere conſueuerunt.

Mos erat antiquis niueis, atriſq. lapillis
His, damnare reos, illis abſoluere culpam,
Tunc quoque ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in vrnã.

Modum autem, quo antiquitus cauſæ iudicarentur per lapillos albos & nigros adducit Alphonſus Toſtatus in cap. 17. lib. 2. Exod. q. 9. per hæc verba: [Antiquitus, cauſæ iudicabantur per lapillos, ſcilicet mittebantur lapides nigri, & parui in aliquod inuolucrum & qui accuſabatur de crimine, ſi educeret plures de albis, quam de nigris, abſoluebatur de crimine; ſi vero plures de nigris condemnabatur, nam illi æqueles numero poſiti fuerant.] Ita Toſtatus. Vel dici etiam poteſt, quod vnicuiq. iudici, vel vocali, vnus dabatur lapillus albus, & alter niger, & tunc vel ipſimet iudices, & vocales lapillos albos, nigroſuè in vrnam, (vt ſolet nunc fieri per ſchedulas, nomina eligendorum continentia ſcripta in publicis, & canonicis electionibus) mittebant, vel à ſingulis iudicibus vocalibuſuè, ſecretò vrna, vel vaſe, aut aliter lapillos illos reportabat, vt modo etiã fieri ſolet per fabas, papyreaſchartas, corticeſq. amigdalarũ, & malorũ citreorum, in monachorũ congregationibus ad recipiendos nouitios ad habitum vel ad profeſſionem. Et ſi dum ſcrutabantur, vel computabantur illi lapilli, maior pars erat lapillorum alborum indicabatur abſolutio, ſi vero maior pars erat lapillorum nigrorum demonſtrabatur tunc condemnatio. Et ſic liberabatur, vel condemnabatur olim reus. Diuerſus planè modus liberandi reum ab illo, quo Chriſtus vſus fuit, dum adulteræ dixit: [Vade & iam amplius noli peccare.] Et Magdalenæ [vade in pace.] Secundò vero, Græci lapillis vtebantur ad dies notandos. Singulos namque dies veteres olim notare ſolebant, quapropter Horatius dixit.

Ioan. 8. Lucæ 12. Dies lapillis notabãt Græci. Horatius lib. 1. Carminum

Craſſa ne careat pulchra dies notã.

Et hoc ita vt albis lapillis fælices, nigris vero lapillis infælices numerarent dies. Hinc Plinius lib. 7. nat. hiſt. cap. 40. de Thracibus ſic ſcribit: [Si verum facere iudicium volumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo eſt fælix. Abundè igitur, atq. indulgenter fortuna decidit cum eo, qui iure dici non infælix poteſt, quippe vt aliæ non ſint certè ne laceſcat fortuna metus eſt, quo ſemel recepto ſolida fælicitas non eſt. Quid, quod, nemo mortalium omnibus horis ſapit? Vtinamque falſum hoc, & non à vate dictum, quamplurimi iudicent. Vana mortalitas, & ad circumſcribendum ſeipſam ingenioſa computat, more Thraſiæ gentis, quæ calculos colore diſtinctos pro experimento cuiuſcumq. diei in vrnam condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atq. ita de quoque pronunciat. Quid, quod, iſte calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit? quam multos accepta afflixere imperia, quam multos bona perdidere, & vltimis meruere ſupplicijs, iſta, nimirum bona, ſicut inter illa hora in gaudio fuit. Ita eſt profectò. Alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus; ideoque nullis credendum eſt. Quid, quod, bona malis paria non ſunt, etiam pari numero, nec lætitia vllo minimo mœrore penſanda. Heu Vana, & imprudens diligentia numerus dierum comparatur, vbi quæritur pondus.] Hucuſque Plinius de Thraciæ gentis more, circa notandos, & numerãdos fælices, & infelices dies. Et idem videtur aſſeuerare Perſius dum Satyra ſecunda ad ſuum amicum Machrinum, ſcribit.

Plinius. Numeri dierum fælicium & infælicium.

Hunc Malchrine diem numera meliori lapillo
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Perſius ſat. 2.

Tertiò tandem, lapillos (nimirum lapides paruos, qui calculi dicuntur) olim veteres ore geſtare ſolebant ad multa. Hinc M.T.Cic. lib. 3. de Oratore, de Demoſthene ſic ait: [Demoſthenes coiectis in os calculis, ſumma voce verſus multos, vno ſpiritu pronunciabat.] Et de Agathone Abbate dicitur, quod per triennium, lapillum ore detulit, vt ſilentij virtutem percipere mereretur.

Lapides in ore geſtabãt veteres. Demoſthenes calculis vtẽs in ore aptus fuit admirabilem vim dicendi.

Nota tertiò & poſtremo, Calculum multa ſignificare, vt potè, paruum lapidem, & numerum, & rationem, & ſententiam, & carbonem vt patet in verſu.

Calculus multa ſignificat.

Calculus eſt ratio, numerus, ſententia, carbo.

De numero liquet, quia dicitur error calculi, id eſt, numeri. De ſententia patet ex antiqua conſuetudine cauſarum iudicandarum per lapillos, vt dudum dicebamus. De carbone patet Iſa. 6. [Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari] id eſt, in manu eius, vnus carbo ardens. De lapillo tandem liquet 2. Reg. 17. [vt non reperiatur, ne calculus quidem ex ea.] Perinde ac diceret: In tantum ſunt magnæ vires Iſrael, quod non ſolum poſſent ducere maiorem partem ciuitatis ad torrentem, ſed etiam totam, quod non relinqueretur ex ea nec vnus lapis. Vbi vt vides calculus vocatur minimus lapis, qui reperiri poteſt ſicut grana minuta arenarũ.

§. 4. 1. Sententia. Corpus glorioſum ſignificat calculus candidus.

Iam prima ſententia eſt D. Thom. Lyrani, Hugonis Cardinalis, Bedæ, Auctoris Incogniti, D. Dionyſij Carthuſiani, Petri Berchorij, & Ruperti Abbatis, qui in hiſce commentarijs, [calculum candidum,] referunt ad corpus noſtrum, poſt reſurrectionem glorificatum; Reſurget enim ait Lyranus, in reſurrectione, corpus beatorum, dote claritatis decoratum, & qui dignè percipit manna abſconditum, id eſt, Sacramentum Euchariſtiæ, ait Rupertus Abbas, ſic reſurget in nouiſſimo die, vt corpore nouo, candorem habeat ſolidum, candorem ſempiternum, ſitq. corpus eius quaſi calculus, id eſt, ſplendida immutatione ſolidatum. Addunt S. Tho. & Hugo Cardinalis, omnes quatuor dotes glorioſi corporis hac ſimilitudine comprehendi, ſignificarique per duritiem calculi, dotem impaſſibilitatis; per candorem, charitatem; per nouum nomen ſcriptum in calculo, obedientiam & ſubiectionem corporis ad animam, quæ duas reliquas dotes complectitur; quoniam quia ad imperium animæ corpus promptiſſimè & citiſſimè mouebitur, indicatur dos agilitatis, quia vero quo anima iuſſerit, continuo omnia peruadens, ſe transferet

ferret dos subtilitatis exprimitur. Et idem videtur affirmare Petrus Berchorius Pictauiensis in suis moralitaribus super Apocalypsim cap. 2. Et quamuis sit verum & de fide corpus beatorum resurrecturum ire glorificatum quatuor dotibus, vt dispungunt Doctores in 4. sent, & nos etiam supra passim attigimus: quæ omnia confirmantur auctoritate Apostoli. 1. Cor. 15. dicentis: [Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabitur,] id est, vltra non moriemur, impassibiles erimus; tamen hæc expositio non placet. Tum quia sicut ly [manna absconditum] accipitur in via, & non in patria, quia ibi nihil est absconditum, iuxta illud Apostoli, [videmus nunc per speculum in Ænigmate, tunc autem facie ad faciem,] sic ly [calculum candidum,] debet accipi in via, & non in patria, propter ly [et,] quæ mediat inter manna absconditum, & calculum candidum. Nam ly [&,] coniungere debet modum loquendi, cũ sit coniunctio Vnde sicuti hęc promissio intelligitur in via [vincenti dabo manna absconditum,] sic hæc altera debet etiam in via intelligi, [& dabo illi calculum candidum,] in via autem non est corpus gloriosum, cum gloria tam animæ, quam corporis pertineat ad patriam. Tum quia corpori glorioso non possunt adaptari verba textus, quæ sequuntur scilicet, [& in calculo nomen nouum scriptum,] In corpore enim glorioso non est scriptum nomen illud nouum filiorum Dei, de quo Ioannes in cap. 1. dixit: [Dedit eis potestatem filios Dei fieri,] cum hoc per illustre nomen sit in anima scriptum (cum sit spirituale nomen) in via antequam decedat à corpore. Quamprimum enim homo in via est iustus, desinit esse filius iræ, & fit filius Dei per gratiam. Tum denique, verba textus quæ finaliter sequuntur, nimirum [quod (nempe nomen nouum) nemo scit, nisi qui accipit,] nullatenus possunt accipi, aut intelligi in patria, sed in via: Eo quod in patria, beati omnia vident in verbo, & ex consequẽti, omnia sciunt, & nihil ignorant, vt tenent Theologi, in 1. sent. cum Magistro, & in p. 2. cum S. Tho. Et si dicas omnes beatos accepisse tale nomen, & sic omnęs illud scire, tamen Angeli, tale nomen filiorum Dei per redemptionem nullatenus acceperunt, & nihilominus sciunt, homines iustos filios Dei appellari, & hoc per redemptionem Christi, vnde illa verba textus haudquaquam intelligi possunt aut accipi in patria cum ibi Angeli, qui tale nomen non acceperunt, illud sciant, & textus ex aduerso ait: [Quod nemo scit, nisi qui accipit.] Id propterea ly [Calculum candidum, non recte exponitur de corpore glorificato in patria, siue in resurrectione.

Refellitur opinio Lyrani, Ruperti, & aliorum.

§. 5. *2. Sententia.*

Arethas Cæsariensis super hunc locum, existimat calculum candidum positum fuisse hoc in loco ab Archipropheta Ioanne, eo quod calculus notus esset ab ijs qui in theatris, ac stadijs certabant, & vincentibus tradebatur. Hæc interpretatio stare nequit. Tum quia esset promissio rei corporalis, & parui momenti. Lapillus namque licet traderetur vincentibus, tamen tantum tradebatur in signum victoriæ corporalis, & ob id tantum erat signum præmij corporalis: Et cum Arethas ex hac sua opinione non eliciat aliquam metaphoram ex corporali ad spirituale tendentẽ, sicuti factum est de corona vitæ prout supra dicebamus: Sequitur talem expositionem (si aliquid veritatis obtinet) truncatam, & mancam esse, cum in re corporali terminetur absque eo quod ad aliquid spirituale talis promissio Dei tendat. In veteri namq. testamento corporalia promittebantur à Deo: at vero in nouo, omnis promissio Dei de re spirituali plane est. Tum denique, quia quamuis Sixtus Senensis, lib. 2. Bibliothecæ sanctæ asserat apud Ethnicos, victoriarum dies publicis fastorum tabulis inscriptos consueuisse, candido lapillo, id est calculo candido prænotari, quo clarius à cæteris diebus discernerentur, tamen ex verbis Arethę de calculo candido tradito solis victoribus, & ex verbis Sixti Senensis de tabulis inscriptis candido calculo prænotatis non elicitur legitimus sensus verborum, quæ sequuntur in textu, nimirum, [& in calculo no-

Impugnatur interpretatio Arethæ Cæsariensis.

Promissiones in veteri testamẽto erãt de rebus corporalibus, in nouo vero de rebus spiritualibus.

Sixtus lib. 2. biblioth. sanctæ.

F men nouum scriptum quod nemo scit nisi qui accipit] Non enim promittitur nomen nouũ scriptum in tabula, sed in calculo ipso. Et insuper non apparet ex eorum sententijs quod nomen nouum sit illud scriptum in tali calculo, quod nemo scit, nisi qui accipit.

§. 6. *3. Sententia.*

Nonnulli alij accutissimi Doctores, per [Calculum candidum] gemmam vni, alij margaritam: alij vero carbunculum interpretantur, quinimmo existimant quamdam aliam esse translationem, quæ vbi noster vulgatus ex voce græca, ψῆφος, latine calculum vertit, ipsa legere margaritam; Quæ omnium istorum doctorum expositio licet consona sit tum voci [calculo,] (calculus enim lapis paruus est proprio vocabulo lapillus appellatus, quod quidem vocabulum gemmis adaptatur, lapillorum namq. nomine, gemmas, id est, G lapides pretiosos, intelligimus. Iuxta illud Oui de Nuce, peregrini lapilli) tum sacræ scripturæ nam Prou. 17. dicitur: [Gemma gratissima expectatio prastolantis.] Et Matth. 13. [Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna pretiosa margarita abijt, & vendit omnia, quę habuit, & emit eam] tamen illa deficit, & claudicat ex eo quod, quid spirituale per talem corporalem margaritam, gemmam, vel carbunculum intelligatur, minimè hi doctores explicant. Ex corporalibus namq; ad spiritualia currere debemus, cum littera occidat, spiritus autem viuificet.

Impugnatur opinio.

§. 7. *4. Sententia. Gloriæ possessio siue dies fælix est calculus candidus.*

Richardus, & Franciscus Ribera per calculum candidum intelligunt gloriæ possessionem, siue diem fælicem. Et inquit Ribera morem fuisse Cretensibus, vt tenet Plinius, (prout etiam nos supra retulimus) fælices H dies albis lapillis, nigris vero infælices numerare, & qa Ioannes Christiams scribebat è gentilitate conuersis, ideo more grecorum loquutum fuisse, calculum candidum, diem fælicem vocando. Hinc ipse hoc loco ait: [Dabo calculum candidum, id est, vitam fælicem, & plenam veris voluptatibus quæ albo lapillo signetur, & in hac vita incipiat, sed plane in futura possideatur, vel (quod melius, & germanius arbitror) vincenti, & nequaquam cedenti Nicolaitarum turpitudini. Ego calculum candidum apponam, id est, dignus à me vitæ æternæ iudicabitur, reliquos damnabo qui eis paruerint.] Sic ille. Cuius planè expositio duas obtinet partes. Quarum prima, nullatenus stare potest, propterea quod licet Cretenses, & Thrases gentiles albis lapillis fælices, nigris vero infælices numerarent dies (vt nos etiam supra in annotatione secunda explicuimus) tamem talis expositio de die fælici, textui mi- I nimè satisfacit, quia in die illa fælice, non est scriptum nomen illud filiorum Dei, quod nemo nouit nisi qui accipit, sicuti sequitur in textu sub his verbis, [& in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit] in die enim sicuti in papyro quis scribere potest? Aut vnquam scripsit? Illud autem quod ipse tenet exponens hunc textum [& in calculo nomen nouum scriptum quod, &c.] nimirum quod nomina absoluendorum olim scribebantur in calculis, non spectat planè ad hanc gentilium consuetudinem, qui dies calculis numerabant: sed ad alium eorumdem Ethnicorum morem, qui reum calculis absoluebant (vt nos supra declarauimus) & sic non est ad propositum de die fælici.

Refellitur Ribera.

§. 8. *5. Sententia. Charitas est calculus candidus.*

Ambrosius Ansbertus, & alij plerique putant per calculum candidum, intelligi charitatem, quæ cando- K rem habet & ignem. Candorem quidem quia vestis est, ignis quia amor est, Et ob id dictum fuisse asserunt illud Apocalip. 15. [Exierunt de templo vestiti lapide mundo, & candido] Dicunt igitur, quod datur vincentibus calculus candidus, id est, vt diligant Deum & proximum, datur etiam in calculo nomen nouum, vt nimirum ipsam dilectionem adimpleant in mandato nouo, iuxta illud Ioan. 13. [Mandatum nouum, do vobis, vt diligatis inuicem.] quod nemo scit nisi qui accipit,

cipit, quia charitatis virtutem ignorat, quisquis eam in mandato nouo non seruat.

§. 9.
6. Sententia.
Castitatis symbolum est smaragdus.

Beda calculum candidum, non nisi castitatis cultoribus dandum esse existimat, putat namque illud [vincenti] ad castitatem dumtaxat referendum esse, ob ea, quæ de Nicolaitarum libidine præcesserant. Et iuxta hanc enodationem quidam per [calculum] exoluunt [smaragdum.] Est autem smaragdus pretiosa gemma de qua illud admirabile extat encomium, vsu & experimento compertum, vt potè, quod vsque adeò libidini versetur, vt omnino frangatur, si quis eam secum habeat, in patranda re venerea, vt tradit Pierius in suis Hieroglificis, lib. 41. cap. de smaragdo. Quimmimo smaragdus magni valoris, quem Isabella vxor Regis Alphonsi Quinti, in conceptione Ioannis Regis Secundi Lusitaniæ annulo inclusum gestabat, fractus circumfertur in Lusitanis Annalibus. Sed hæc enodatio licet explicet, cui dandus sit calculus, tamen non declarat quid sit calculus.

Smaragdus fractus in coitu coniugali.

7. Sententia.
Strabus. Ambros. Ansbertus, & Blasius Viegas in comment.

Strabus in sua glossa ordinaria, Ambrosius Ansbertus, & Blasius Viegas referunt calculum candidum ad corpus Christi, moti ex hoc dumtaxat fundamento, nimirum, quia Christus crebrò appellatur in sacris litteris, lapis, vt videre est Isa. 8. [Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali.] & Psal. 117. [Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.] & & Zach. 3. [Super lapidem vnum septem oculi sunt.] Quæ omnia loca ad litteram intelliguntur de Christo. Qui non solum appellatur absolutè lapis, verum etiã cum addito, vt potè lapis pretiosus, Idq. illud probant ex illo Amos 7. [Ecce vir stabat super murum adamãtinum, & in manu eius adamas.] Vbi D. Hieronymus per adamantem intelligit Christum, dicens: [Talis est Dominus & Saluator &c.] & paulo post: [Hic stat super murum adamantinum, id est, super Sanctos, & Apostolos suos, quibus donauit, vt & ipsi adamantes vocarentur &c.] Vbi D. Hieronymus disputans de adamantis natura, docet adamantem inter alia durissimum esse, & indomabile, paruum & indecorum, atque in electri similitudinem venena deprehendere, & maleficis artibus resistere, & licet indomitum, tamen hirci sanguine posse frangi. Per quod demonstrat beatus Doctor difficultatem conseruandæ castitatis in Sanctis; Quoniam quamuis Sancti sint fortissimi, præstantissimi, atque adamantini: tamen mortifero libidinis calore crebrò, ac sæpissimè omnino dissoluuntur. Hinc postquam ipse in præallegato loco de Sanctis dixit: [Quibus donauit, vt & ipsi adamantes vocarentur, & à nullo separati, dicerent: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia?] Mox subiungit: [Hæc enim sanguis hircorum, & ipsius hirci dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus, & quod ignis edomare nequeat, solus illius dissoluat cruor.] Per quæ verba declarat id quod dictum est de Sanctis.

Lapides in veteri testamento figurabant Christum.

§. 10.
8. Sententia.
Christus in sacramento altaris calculus candidus.

Hugo Cardinalis aliam huic affinem adducit sententiam, qua per calculum candidum intelligit etiam Christum Dominum, sed cum addito, vt potè, in sacramento Eucharistiæ. Et quidam adducunt D. Hieronymum in hanc sententiam, eo quod in epist. ad Damasum, quæ incipit: [Septuaginta] hunc calculum, carbunculum fuerit interpretatus; quam planè similitudinem assimilant rectè conuenire corpori Christi, pro vt est in sancto Eucharistiæ sacramento. Cum enim carbunculus sit ex genere gemmarum ardentium, rectè inquiunt significari per eum, igneam vim amoris, quã Christus in institutione huius sacramenti declarauit, & iusta hanc enodationẽ expendi etiam potest de Christo illud Cant. 5. [Dilectus meus candidus & rubicũdus,] Quo loco Christus carbunculus candidus simulque ardens appellatur. Reperiri autem carbunculum candidum, prodit Plinius lib. 37. cap. 7.

§. 11.
Quid veritatis contineant duæ superiores opiniones.

Hæc duplex opinio quamuis verum dicat Christum fuisse lapidem, & non quemlibet, sed pretiosum ada-

A mantem, & carbunculum, tamen non est textui consona. Tum quia sequentia verba, scilicet, [& in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit &c.] cum ad idem calculum referantur, difficile corpori Christi adaptantur. Tum quia committeretur nugatio, quæ vitium est apud dialecticos, eo quod cum corpus Christi (etiam pro vt est in sacramento altaris) significatum iam fuerit per præcedentia verba, vt potè, [manna absconditum.] quomodo potest idem corpus Christi intelligi absque nugatione per hæc sequentia verba, [calculum candidum?] Alia igitur est horum verborum [calculum candidum] intelligentia.

Impugnãtur duæ opiniones superiores.

§. 12.
9. Sententia.
Sermo diuinus est calculus cãdidus.

D. Hieronymus per calculum candidum, intelligit diuinum sermonem, quoniam epist. ad Damasum, quæ incipit: [Septuaginta] verba illa Isa. 6. [Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculum.] sic
B interpretatur. [In Hebræo pro carbone, calculus legitur; quo mihi videtur sermo diuinus significari. Sicut enim calculus genus est lapidis durissimi, rotundi, & omni puritate leuissimi, ita sermo Dei, qui neque hæreticorum, neque omnium aduersariorum, potest contradictionibus cadere, calculus dicitur, quem etiam in Apocalypsi Dominus pollicetur vincentibus.] Ita D. Hieronymus. Hoc autem dicit S. Doctor, quoniam vbi noster vulgatus legit: [Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus.] Septuaginta sic legunt: [Emissus est ad me vnus de Seraphim, & in manu habebat carbonem.]

§. 13.
10. Sententia.
Martyriũ est calculus candidus.

Porrò decima sententia est D. Dionysij Carthusiani, & Auctoris Incogniti in hisce suis commentarijs, vbi per calculũ candidum, asserunt posse intelligi aureolã martyrum. Quoniam ad martyrium dicunt, his verbis,
C suos milites animasse Christum. Quamobrem concludunt. quod sicut per lapidem pretiosum, præmium essentiale, seu aureolã, ita per calculum candidum, puta carbunculum, præmium accidentale atque aureolã posse intellgi, & in calculo nomen nouum scriptum, quo beatus vocabitur.

§. 14.
11. Sentẽtia.
Euangelium est calculus candidus.

Sanctus Ambrosius, & Berengandus per calculum candidum exoluunt Euangelium, & per nomen in eo scriptum, expendunt illud, quod legimus: [In principio erat verbum, &c.] Hinc D. Ambrosius in hisce suis commentarijs, ita scribit: [Per calculum, qui lapis paruus est, & à calcando sic dictus, Euangelium possumus accipere, qui sicuti antiqui horum lapidum multitudinem magnam sibi congregabant ad partiendos, & diuidendos numeros; ita Doctores Ecclesiæ multo verba Euangelij in cordibus suis congregant
D quorum obscuritates, & spirituales intelligentias, & vtilitates, dum auditoribus suis aperiunt, quasi numeros suos diuidunt, & partiuntur. Et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit, quod est hoc nomen Christi, quod calculo Euangelij scriptum esse dicitur. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.] & paulo post; [Hoc ergo nomen quod in calculo scriptum est, nullus scit, nisi qui accipit; quia omnipotentiam diuinitatem, æqualitatem Filij cum Patre, nullus scire præualet, nisi cui doctrina Euangelij data fuerit.] Ita D. Ambrosius.

Comparatio.

§. 15.
12. Sentẽtia.
Patria cælestis est calculus candidus.

Aliam addicit eodem in loco idem S. Ambrosius in comment. explanationem calculi candidi, qua patriam cælestem, per calculum candidum, & beatitudinem, per nomen in ipso calculo scriptum intelligi posse,
E putat, quam planè enodationem suam exprimit per hæc verba: [Aliter potest per calculum nomenque in eo scriptum, beatitudo cælestis patriæ designari, vt per calculum cælestis patria, per nomen verò in eo scriptum, beatitudo cælestis patriæ figuretur. Hoc ergo nomen nullus scit, nisi qui accipit calculum, quia quanta sit illa cælestis beatitudo nullus scire præualet, nisi qui ad hanc peruenire meruerit, sicut dicit Isaias Propheta: Oculus non vidit Deus absque te, Isa. 64.

quæ

quæ præparasti expectantibus te.

§. 16. 13. Sententia. Diuus Augustinus, D. Ambrosij discipulus per calculum candidum expendit Baptismum. Quoniam in Baptismo datur calculus candidus, id est, corpus ipsum abluitur, & anima gratia virtutumq. opibus exornatur. Eamdem viam tenent Ticonius, & Beda. Attamen D. Augustinus suam hanc explanationem, hom. 2. in Apocalyp. per hæc verba declarat: [Et dabo calculum candidum, id est, corpus baptismate candidum, & super calculum nomen nouum scriptum, id est, notitiam filij hominis. Quod nemo scit, nisi qui accipit, scilicet per reuelationem, & ideo de iudeis dicitur, si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.] Ita S. Augustinus.

D. Aug. hom. 2. in Apoc.

1. Cor. 2.

§. 17. 14. & vltima sententia. Primasius D. Aug. discipulus. Postrema sententia est Primasij Episcopi vticensis. B. Augustini dignissimi discipuli, qui adoptionem filiorum Dei expendit pro calculo candido, verba autem eius, sic se habent. [Et dabo ei calculum candidum, id est, adoptionem in filium Dei. Nam calculus, gemma pretiosa est, quæ ad morem illius margaritæ, quam negotiator inueniens venditis omnibus, comparauit, intelligenda proponitur. Alia deniq. translatio margaritam posuit. Et super calculum nomen nouum, quod os Domini nouit. Aliter super baptismum, atque martyrium, quod nemo, inquit, nouit nisi qui accepit. Hypocritæ enim licet habere superficiem eatenus videant ipsius tamen virtutem intelligentiæ nequeunt penetrare. Habentes inquit, formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Hinc idem Ioannes, qui dicit, quoniam cognouit eum, & mandata eius non seruat mendax est; & in ipso veritas non est] Hucusque Primasius. Quo loco, calculum candidum pro gemma pretiosa accipiendo, docet esse adoptionem in filium Dei, quæ fide, & charitate continetur, quam adoptionem Christianorum nobilis, & noua appellatio consequitur; eam præterea asserit margaritam à Christo Domino Math 13. appellatam fuisse, quam prudens ille negotiator inueniens, omnium bonorum suorum venditione emisse & comparasse. Quę planè sentētia tamquam cæteris verior mihi magis arridet, illamque probo. Tum quia per multa ex prælibatis sententijs, & præcipuè sententia D. Ambrosij, & D. Aug. ad hanc, quasi riuuli ad amnem, perenniter currunt. Quoniam adoptio filiorum Dei, audientibus Euangelium, baptizatisq. datur, iuxta illud Ioan. 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius] vt potè, audientibus Euangelium, & Baptizatis: his datur nomen nouum Christianorum, vt potè filiorum Dei, quod nemo scit, nisi qui accipit. Hinc est illud Ioachimi: [Scire igitur quantæ dignitatis est, vocari à Christo christianum nemo scit, nisi cui scire datum est, quod proprium est eorum qui vicerunt concupiscentiam, & occultum aduersarium prostrauerunt.] Tum quia textui maximè quadrat, quia adoptionis filiorum Dei, (quam optinuimus per mortem, & passionem Christi) fit vberrima memoria in Sacramento Eucharistiæ. Quoniam Eucharistiæ Sacramentum est memoriale passionis, dicente Apostolo [Quotiescumq. manducabitis panem hunc & calicem bibetis. mortem Domini annunciabitis donec veniat.] Et ob id, postquam Archipropheta, meminit manna absconditi (id est panis inuisibilis qui de cælo descendit, quia ideo factus fuit homo, vt panem Angelorū manducaret homo, in cuius figura illud in eremo manna præcessit, quod qui mādu-ducauerunt, ideo mortui à Domino perhibentur, quia increduli permanentes, de hoc abscondito manna non manducauerunt) mox adoptionem filiorum Dei sumendo metaphoram a modo liberandi reum per calculum candidum subiungit dicens: [Et dabo illi calculum candidum], hoc est, adoptionem filiorum Dei, qua eum filium Dei consortem & coheredem meum in regno patris mei efficiam. Quemadmodum namq. calculus candidus absolutionem, qua reus à crimine liberabatur significabat, vt nuper retulimus, sic adoptio filiorum Dei absolutionem qua homo peccator, reus

Isa. 62.

1. Tim. 3.

1. Ioan. 2.

Ioachimus in comment. Nominis Christiani magna dignitas.

Ioan. 6. Psal. 77. Exod. 16. Num. 11. Ioan. 6.

F mortis æternæ, filius iræ, à suo crimine misericorditer per mortem & passionem Christi liberatur, apprimè demonstrat. Tum quia calculus candidus, quem margaritam appellat Primasius, rectè adoptionem filiorum Dei demonstrat, quoniam margarita gemma pretiosa est, vnionem indicans, eò quod margarita vnio dicitur à Plinio lib. 9. cap. 35. At per gratiam adoptionis ita vnimur Christo vt eius coheredes efficiamur iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. [Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.] Ipse enim Christus cum sit Dei primogenitus inter multos fratres, est etiam primus hæres. Vnde & hæres absolutè appellatur dicēte Apostolo ad Heb. 1. [Quem constituit hæredem vniuersorum.] Et Math. 21. [Hic est hæres] Nos autem, adoptione, filij Dei cohæredes sumus quia cum ipso beati erimus iuxta illud 1. Ioan. 3. [Videbimus eum sicuti est.] Et sic G Deus, nostra erit hæreditas, vt indicat illud Psal. 15. [Dominus pars hæreditatis meæ.] Et illud Hier. 3. [Ponam te in filijs, tribuam tibi hæreditatem præclaram.] Et tandem illud Esa. 58. [Sustollam te super altitudinem nubium, cibabo te hæreditate Patris tui.] Igitur rectè per calculum candidum, siue per margaritam, adoptionem filiorum Dei intelligimus, præcipuè cum ex superioribus clarè constet, lapide materiali, diuina & spiritualia, crebrò in sacra pagina demonstrari, indicari, & figurari.

Margarita significat adoptionem filiorum Dei.

Margarita est vnio.

§. 18. Corollarium. Enimuero quò quæso tot spectant vnius textus enodationes? hìc sanè, nimirum, vt acutus intellectus meliorem eligat, prout sibi bene visum fuerit. Nulla enim earum est adeò dura, vt (cum illustratione) nequeat textui quadrare. Porrò auctores earum, & doctissimi, & sanctissimi inter fideles reputantur, & ob id H sustentabile planè est, id quod in vnaquaque earum continetur: Præcipuè cum 2. Petri 1. dicatur: [Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines] & quod semper euenit hominibus bene prophetantibus, crebrò etiam accidat prophetias ipsas rectè exponentibus.

§. 19. Adoptiones duæ in nobis. Sed conceptum sermonem quis tenere potest? Nos itaque qui explanationem Primasij, de adoptione, meliorem nunc pro modulo nostro, & indicauimus, & hucusque probauimus: Pro eius clariori intelligentia I dicimus, adoptionem duplicem esse, perfectam scilicet & imperfectam, vel vt alij dicunt, alteram in spe, alteram vero in re. Prima habetur in hoc sæculo per gratiam; Secunda vero possidetur in patria per gloriam. Et quāuis per vtramq. filij Dei nominemur, & cohęredes Christi efficiamur, iuxta illud Apost. ad Rom. 8. [Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus abba pater] & paulo post: [Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi] tamen hæreditatem nostram hic iam imperfectè, & in spe accepimus per gratiam, illam autem in re & perfectè expectamus per gloriam, vt potè, quando hoc corpus nostrum à corruptione & à mortalitate liberabitur & redimetur, iuxta illud ad Rom. 8. [Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat.] Et ad Philip. 3. [Saluatorem expectamus Dominum no-K strum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.] Quāobrem non incassum bis audita fuit vox Patris dicentis. [Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui] vt potè in baptismo, & etiam in transfiguratione. In Baptismo scilicet vt gratiæ, in transfiguratione vero vt gloriæ plenitudo, significaretur, & vt vtramque nobis esse affuturam, mirabiliter præsignaretur. Quonia in Baptismo, innocentia, & in trans-

Vox patris quare bis audita.

Filiationes duæ in nobis

transfiguratione beatitudo indicata fuit. Quam plane duplicem filiorum Dei adoptionem indicauit Euangelista Ioan. in c.1.dum ait.[Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri,ijs qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri,sed ex Deo nati sunt. [Etenim si ex Deo nati sunt sequitur iam esse filios, & secundum spem hæredes. Quæritur modo quomodo ijs qui iam filij erant Dei, potestatem dedit vt filij Dei fierent? Respondetur quod non aliter nisi quia dedit eis,vt possent perfectissimi filij Dei fieri,sicut illi filij sunt qui iam non spe, sed re, ipsa paternorum bonorum hæredes fiunt,hoc est,dedit illis potestatem consequendi æternam hæreditatem in patria cum cæteris beatis. Hanc igitur accepimus per gratiam, & illam expectamus (vt dixi) per gloriam. Vtraque tamen adoptio comprehenditur in calculo candido.

§. 20. Calculus cãdid° cur post manna absconditum promittitur. Cæterum dices, quare post manna absconditum promittitur calculus candidus vt potè adoptio filiorum Dei? Respondetur,hoc factum fuisse ad distinctionem Hebræorum, qui postquam illud in deserto manducarunt materiale manna,serui adhuc permanserunt: nos vero fideles & credentes post esum huius cælestis manna, vt potè, Eucharistici panis,filij Dei liberati à seruitute appellamur. Quoniam per Baptismum primus actus vitæ spiritualis nobis datur,at vero per Eucharistiam complementum vitæ spiritualis nobis ipsis elargitur. Quamobrem, vt ait Angelicus Doctor. 3. p.q.73.art. 3. Baptismus est ianua omnium Sacramentorum & principium vitæ spiritualis, at vero Eucharistia est omnium Sacramentorum Ecclesiæ Dei finis, & etiam quasi consumatio vitæ spiritualis. Ideo illam nos dignè sumendo, efficimur liberi à seruitute, & filij Dei in spe,quod nunquam Hebræis,in esu illius manna materialis accidit. Vnde Dominus necessitatem huius Sacramenti altaris ad vitam spiritualem indicando dixit: [Nisi manducaueritis carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem,non habebitis vitam in vobis] vbi illud [nisi] necessitatem importat. (Ioan. 6.) Icirco verba Christi sic sonãt.Nisi mãducaueritis carnẽ meam, non habebitis complementum vitæ spiritualis in vobis,nec filij Dei in spe appellari poteritis.

§. 21. Hebræi cur serui nos vero filij. Porrò rogabis, quomodo Iudæi comedentes materiale illud manna erant serui,nos vero comedentes dignè hoc cæleste manna absconditum sumus filij? Nonne & ipsi filij appellati fuere? Plane quidem iuxta illud [Primogenitus meus Israel.] (Exod. 4.) Ex Ægypto vocaui filium meum: (Osea 11.) [Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.] (Psal.81.) Nos item nonne appellamur serui?Maximè sanè secundum illud [Euge serue bone] (Matth.25.) fidelis seruus, & prudens [Paulus seruus Iesu Christi] (Rom. 1.) cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia serui inutiles sumus,] (Luc. 17.) Præterea, quomodo Deus erat Iudæorum Dominus, nonne Pater? Nonne erat, dicebaturq. Pater eorum?Ita quidem prout indicat illud.] Nonne ipse est pater tuus qui fecit, creauit, & possedit te? (Deut.32.) [Nonne est & noster Dominus?] Vtique sane.Inde prope diem dicimus: [Per Dominum nostrum Iesum Christum.] Et postremo, quomodo illi timebant, nos vero amamus? Nonne & hi diligebant? Nos quoque timemus? Ita est prorsus, secundum illud [Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.] (Deut. 6.) Et illud: [Timete eum qui potest animam, & corpus mittere in gehennam ignis. (Luce 12.)

§. 22. Dico quod iudæi accipi possunt quatenus sub lege: nos item è contra, quatenus sub gratia, & sic non obstat quod Iudæi absolutè filij Dei possint dici, & Deum diligere,atq. eum patrem vocare: nos vicissim serui dicamur Deumq. vt Dominum seruiamus. Sat est,quod res ita se se habeat(si legem vt legẽ, gratiam vt gratiã consideres) nimirum, quod lex terreat minetur; vnde & cum terroribus data est. [Cœperunt namq. (vt dicitur in Exod.) (Exod. 19.) audiri tonitrua,micare fulgura nubes densissima operire montem,clangorq. Buccinæ vehementius perstrepebat,] & paulo post [Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus,&c.] At Christi Euangelium gratiæ Spiritus sancti,lenit,mulcet blanditur,promittit consolatur. Tamquam seruis itaque data est lex Iudæis: nobis tamquam filijs illuxit Christi gratia. Quocirca Deum optimum maximum, Patrem vocamus non solum per creationem verum etiam per redemptionem, quod nullo vnquam sæculo contingit.Nullibi enim legitur in sacra pagina Iudæos olim hac verborum forma [Pater noster] orationes & præces ad Deum optimũ maximũ fudisse signum igitur est quod illi vt sub lege adeò non fidebant, vt Deũ Patrem vocarent: Cæterum nos fidimus,quoniam certè scimus quod filij eius sumus,hæredes Dei, & cohæredes Christi. Quam quidem hæreditatem post manna absconditi esum, nobis in calculo candido apprimè promittit Deus.Ideo Ioannis 6. dicitur Hebræis:[Non sicut manducauerunt patres vestri (adde serui) manna, & mortui sunt, qui (adde filij dignè) manducat hunc panem viuit in æternum] hic per gratiam & in patria per gloriam.

PARAPHRASIS

Tertia.

par. 3.

Dilucidatio textus

Et in calculo Nomen (ait) nouum scriptum. Quantum Deo noua placeant apparere potest ex eo dumtaxat quod & nomen etiam nouum hic se daturum repromittat. (§. 1. Noua placẽt Deo.) Per multa namq. à Christo accepimus noua. Ipse si quidem nobis nouum dedit testamentum [feriam Domui Israel & Domui Iuda (dicitur Ierem. 31.) fœdus nouum,non iuxta pactum quod pepigi cum patribus eorum, &c.] Legem nouam [Dabo (dicitur Hierem. 31.) legem meam in visceribus eorum,& in cordibus eorum scribam eam] Nouas linguas [Linguis (dicitur Marc.16.] loquentur nouis] Nouam alimoniam: [Illi gustauerunt (dicitur Sap.16.) nouam escam] Nouum cor [dabo vobis (dicitur Ezech. 36.) cor nouum.] Nouum spiritum [Spiritum rectum (dicitur Ps.50.) innoua in visceribus meis] Et tandem nouum dilectionis præceptum [mandatum nouum do vobis (dicitur Ioan.13.) vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos.] (Dilectionis præceptum quomodo nouum.) Quo plane loco notandum vtique est,mandatum dilectionis,vetus quidem esse, scriptum si quidem est Exod. 20. & Deut. 5. [Diliges Dominum Deum tuum, &c.] verumtamen secundum illud modum, vt potè, [sicut dilexi vos,] nouum vtique est,vt prodit Cyrillus. (Cyrillus in cap.13.Ioannis.) Nouum enim dicitur id quod innouatur, & quod nouo modo proponitur. (Nomen nouum.) Hæc & alia pleraq. sunt noua illa quæ Deus ipse nostris temporibus se facturum olim promisit, dum Isa.44. dixit [Ecce ego facio noua.] Qui igitur tot se facturum noua promittit, nunc promissa ad plenum adimplens,nomen etiam nouum nullatenus dubitat repromittere; iuxta illud Esa.62. [Vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit.]

§. 2. Nomen nouũ nouos requirit mores. Nomen nouum, nouos secum importat mores. Mutato namque nomine,nihil aliud plane remanet, quam & mores ipsos etiam mutare, & vice versa. Hebræi nouis rebus noua imponere solebant nomina [Abraham]namq. prius dictus fuerat [Ram] postea[Abram] & tandem [Abraham] Hinc Gen. 17. dicitur [nec vltra vocabitur nomen tuum Abram sed appellaberis Abrahã,quia patrem multarum gentium constitui te.]Porro Iacob,appellatus Israel postea fuit,iuxta illud Gen. 32. [Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel,quoniam si contra Deum fortis fuisti quanto magis contra homines praualebis?]Postremo princeps Apostolorum antea appellabatur [Simon] postmodum vero,nouum a Christo accepit nomen, quo illum

lum [Cepham] & etiam [Petrum] postea nuncupauit.

§. 3.

Nomen noui quid sit vere, & propriè.

Nouum autem istud nomen quod in calculo incisum se daturum, per vatem suum promittit hic Deus, propria appellatione dicitur [filius (vt potè hæres) Dei] Quoniam adoptio nomen filiorum Dei importat iuxta illud ad Rom. 8. [Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei] & ad Gal. 3. [Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater.] Adoptio autem filiorum Dei est per conformitatem imaginis ad filium naturalem, imperfectè quidem per gratiam viæ, sed perfectè per gloriam vt nuper retulimus. Et vt etiam tenet Angelicus Doctor 1.p.q.93.art.4.ad secundũ, ac 2.2.q.45.art.6.& 3.p.q.5. art.2.& etiã plerisq. alijs in locis. De hoc autem nomine intelligitur illud 1.Ioan.3.[Videte qualem charitatem dedit nobis pater vt filij Dei nominemur & simus.

Adoptio per quod fiat, S. Tho.

§. 4.

Alludunt verba textus, Christo dicenti: [Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.] Quoniam illud [scriptum] ad nomen ipsum nouum refertur ita vt nomen in ipsomet calculo lapilloue sculptum ac depictum fuisse intelligatur. Solebant quippe Hebræi in lapidibus scribere. Hinc in duodecim lapidibus qui erant in rationali summi Sacerdotis Aaron scripta erant nomina filiorum Israel iuxta illud Exod. 28. [Rationale quoque iudicij facies opere polymito, &c. [Et paulo post] Ponesque in eo quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus. In secundo carbunculus, sapphyrus, & iaspis. In tertio ligurius, achates, & amethystus. In quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus, Inclusi auro erunt per ordines suos, Habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.] In duabus præterea tabulis lapideis scripta erat lex vetus iuxta illud Exod. 31. [Deditque Dominus Moysi completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.] Et cap. 34. [Præcide tibi duas tabulas lapideas, instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti] & paulo post: [Et scripsit in tabulis verba fœderis decem,] Porro Iosue cap. 8. sic dicitur: [Tunc ædificauit Iosue altare Domino Deo in monte Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini filijs Israel & scriptum est in volumine legis Moysi, altare de lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit, & obtulit super eo holocausta Domino immolauitque pacificas victimas, & scripsit super lapides deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filijs Israel. Ecce igitur qualiter Hebræi in lapidibus scribere solebant. Qui plane visus scribendi in lapidibus, apud Ethnicos etiam reperitur, & magis planè ad institutum nostrum accomodatus. Cretenses namque, & Thraces, & alij gentiles dum reum olim calculis absoluebant, vel damnabant, nomina absoluendorum in calculo albo, nomina vero damnandorum in calculo nigro, inscribere solebant. Tum etiam dum suffragia de magistratu aliquo creando, secretò colligebant, antequam in vrnam apponerentur calculi vnusquisque vocalis, in calculo suo nomen eius cui fauere intendebat, scribebat, & postea calculos in vrnam mittebant, à qua plane scribendi in lapidibus, tum apud Hebræos, tum apud Ethnicos consuetudine, suam, Archipropheta Ioannes metaphoram de nomine nouo in calculo candido scripto deprompsit, ad hoc, vt nomen nouum filiorum Dei per gratiam, & adoptionem Pergamensibus promitteret. Nomen enim nouum filiorum Dei, est veluti scriptum in adoptione ipsa, eo quod vbicumque sacra scriptura loquitur de adoptione ex gratia, loquitur ex consequenti ex nomine nouo filiorum Dei, ex gratia. Quamobrem Apost. ad Ephes. 1. probans quod nos Deus, ab æterno in filios per sanguinem Christi prædestinauerat, ait:

Nomina incisa in lapidibus apud Hebræos.

Lapidum vana incisura.

Nomen absoluendorum damnãdorum ac in calculis scribebãt Gentiles. Horatius Oden. 36. lib. 1. carmin. Liu. l. 2. Dec. 3. Persius Satyr. 2. Cambinus. Erasmus. Budeus in cõment. Linguæ Græcæ. Ouid. lib. 15. Metaph.

F [Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ in qua gratificauit nos in dilecto filio suo]. Hinc non mirum si Christus liberando adulteram, eamdemque absoluendo scripsit in terra, iuxta illud Ioan. 8. [Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra] Super quæ verba quærunt Doctores, quid Christus super terram illam scripsit? Et respondent diuersimodè. Nam Diuus Ambrosius affirmat scripsisse [terra terram accusat.] Diuus Augustinus [qui sine peccato est vestrum, &c.] Ego vero dicerem, nomen nouum tunc Christum super illos lapides marmoreos pauimenti templi scripsisse, quod illi peccatrici adulteræ daturus erat per suam mortem, & passionem, qua omnes nos in filios Dei adoptauit. Et in hoc sensu meliori lapillo inciso liberata fuit hæc adultera mulier,
G quam reus olim apud Romanos, & Græcos Ethnicos liberaretur. Gaudendum igitur nobis est, quia nomina nostra scripta sunt in calculo candido adoptionis filiorum Dei, quo clamamus Abba Pater.

D Ambros. & D. August. in Ioannem.

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4.

Quod nemo scit, (dicit tandem) nisi qui accipit. Christiani characteris Priuilegium (inquit Diuus Hieronymus ad Damasum) quod nemo scit
H nisi qui accipit: Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit præmium quod Deus præparauit his qui diligunt eum: quinimmo, demissis comprehensoribus, viatores qui etiam accipiunt, adhuc nesciunt certitudinaliter. Quamobrem dato quod sciant (vt dicit noster vates) venit intelligendum per signa, & coniecturas, vt nuper in explanatione contextus dicebamus cum Angelico Magistro. part. 2. quæst 112. art. 5. Nemo enim potest scire certè se habere gratiam, sed tantum ex reuelatione, vel ex coniecturis per signa aliqua in quantum, scilicet percipit se delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & in quantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis. Quid, quod, isti tales oportet dicant cum Esaia. [Secretum meum mihi, secretum meum mihi.] Adest enim Dominus illis præcipiens [visionem, quam vidistis nemini dixeritis.] Vult
I namque Dominus tales coniecturas nemini patefieri, nisi accipienti, dumtaxar. Ex quo plane liquidè constat, quantæ dignitatis & excellentiæ sit esse filium Dei adoptiuum per gratiam in via. Quare Rupertus Abbas quærens hoc in loco cur hoc nomen nouum nemo scit nisi qui accipit? Hanc plane optimam adhibet causam: [Videlicet quia nominis nuius scientiam, non alienum extrinsecum documentum, sed proprium intrinsecus efficit experimentum. Inflati & tumidi sciant vt sibi scire videntur quantum volunt, siue quantum possunt: Huius tamen nominis scientiam consequi non possunt. Scriptum est enim. Hæc cogitauerunt, & errauerunt excecauit enim illos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta Dei. Nemo ergo scit dignitatem, siue ingenuitatem nominis huius, qua nominamur vel sumus filij Dei, quantumque sciat, siue buccis crepantibus per-
K strepat vt ille Aristoteles, siue omnes Aristotelici relationem patris ad filium siue filij ad patrem, nisi quem spiritus adoptionis regenerando filium Dei patris effecerit, & ipsa regeneratione scientem huius rei, doctumque suo tactu perfecerit.] Hæc Rupertus. Tantæ igitur dignitatis, excellentiæque est nouum nomen istud filiorum Dei per gratiam adoptionis, vt nemo sciat illud, nimirum nemo cognoscat quid valeat, quantum boni comprehendat, quantæ excellentiæ,

§. 1. Enodatio textus. D. Hier. in Epist. ad Damasc.

S. Tho.

Adoptionis nominis dignitas. Rupert. Abb. in commenta.

Sap. 2.

tiæ, quantæ fœlicitatis, quantæque dignitatis sit, nisi qui accipit, hoc est, qui adoptatur, qui ex gratia ad hæreditatem paternam assumitur, qui denique cohæres Christi efficitur. [Nunc filij Dei sumus (dicitur 1. Ioan. 3.) & nondum apparuit quid erimus.] Perinde ac diceret. Homo nullatenus cognoscere potest bonitatem, in hac filiorum Dei appellatione latentem, nisi qui accipit, & adhuc qui accipit in via, non certè scit, sed coniecturaliter per signa, per reuelationemvè, vt dudum dispunximus.

§. 2. Fauores quas Deus seruis suis dat, non sunt alijs cõmunicandi.

Ex hucusque dictis colligere facilè est suauitates, dulcedinesque quas Deus seruis suis in orationibus, contemplationibus, ieiunijs, disciplinis, mortificationibus, confessionibus, communionibus, pœnitentijsque crebrò elargitur neminem scire posse, nisi qui accipit. Quinimmo si accipiens tales fauores, alijs annunciat hypocrita meritò reputatur. Quamobrem similes fauores accipiens, tenetur intra se dicere cum sponso, Cantic. 5. [Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.] Perinde ac diceret, mihi soli dulcedo mea.

Text. 19. Subscriptio litterarũ ad Episcopum Thyatirenũ.

ET Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



QVARTAM iam minoris Asiæ Ecclesiam, nomine Thyatiram, per Angelum suum, & Archiprophetam, laudans, ac increpans visitat ille Dominus, de quo Iob 9. dicitur: [Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde, & fortis robore, quis restitit ei, & pacem habuit? qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo, qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur, qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo, qui extendit cælos, solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum & Orionã, Et Hyadas, & interiora Austri. Qui facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus, si venerit ad me non videbo eum, si abierit non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel, quis dicere potest cur ita facis?] Et Dan. 2. [Ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque constituit, dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.] & Ieremiæ 10. [Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.] Dominus (inquam) ille qui cum vbique sit, iuxta illud Psalmistæ. [Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero ad infernum ades.] & vt ipsemet etiam dixit Ierem. 23. [Cælum & terram ego impleo.] nimirum, per essentiam, (teste D. Thom. 1. part. quæst. 8. art. 2. præsentiam, & potentiam) omnia videt, audit, & nouit

Dei fortitudo & omnipotẽtia.

Deus pro sua voluntate omnia regit, & gubernat.

Deus est vbique per essentiam, præsentiã, & potentiam.

A iuxta illud Prouerb. 15. [In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.] Dominus denique ille omnipotens, qui nimia seueritate erga delinquentes motus, citò cucurrit ad paradisum, vt grauiter primorum parentum peccatum, vt dicitur Genes. 3. puniret, & ad Cain, vt damnationis sententiam, vt dicitur Gen. 4. in eum proferret, & ad Sodomam, & Gomorrham fœtente ignis conflagratione, vt habetur Genes. 19. consumeret: Hic igitur Dominus Ecclesiam Thyatirensem fœdas impijssimæ mulieris Iezabelis voluptates, auidè arripientem visitat, citò currens ad illam, vti antiquitus ad primos multandos parentes, & ad anathemate Cain damnandum, & vt etiam ad Sodomam, & Gomorrham ciuitates igne comburendas cucurrit. Et vt apertè à quouis intelligeretur, quod ipse personarum acceptator nullatenus esset, iuxta illud 1. Petri 1. [Qui sine acceptione personarum iudicat secundum vnusquisque opus.] Ideo incœpit à totius Thyatirensis Ecclesiæ capite dicens: [*Et Angelo*, (hoc est Episcopo) *Thyatiræ Ecclesiæ scribe*. Et vt sciret Præsul iste Thyatirensis, quod Deus erat qui hic illi loquebatur, mox subiungitur in textu. *Hæc dicit filius Dei*. Quasi dicat, Deus ille, qui pro sua voluntate omnia regit, & gubernat, cui nullus dicere audet, cur sic facis? hic omnipotens Dominus, tecum hic loquitur; attentione igitur, & reuerentia, illum (quem Angeli laudant, & adorant) audi. Et ad demonstrandum, quod cum ipse per essentiam, præsentiam, ac potentiam vbique sit, & id propterea cuncta audire, & intueri, & ex consequenti Thyatirensium commissum facinus clarè cognoscere, protinus addidit: *Qui habet oculos tamquam flammam ignis*, quasi dicat, Hic Deus, qui loquitur tecum, haud quaquam est vt Dij gentium, de quibus dicitur. [Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient: nares habent & non odorabunt.] Deus autem iste è conuerso nec os, nec oculos, nec nimus aures, aut nares habet, cum sit spiritus, & nihilominus tamen ingentia loquitur, & omnia videt, & cognoscit. Oculos igitur *tamquam flammam ignis*, habet. Et vt denique apertè cognosceret Præsul iste cum suis, nefarium mulieris Iezabelis errorem sequentibus se, citò ac nimis velociter cursurum iri ad eos supplicio tradendos, pedes indicat veloces habere, dicens: *Et pedes eius similes aurichalco*. Perinde ac dicat. De Dijs gentium verum est, quod dicitur: [Pedes habent & non ambulabunt:] at verò Deus noster velocior (absque pedibus) est, Aquila; Pedes igitur habet similes aurichalco, hoc est, agiles, & veloces, ad delinquentes seuerè multandos.

Seueritas Dei erga delinquentes.

PARAPHRASIS

Prima. Par. 1.

Dilucidatio textus. §. 1.

Et Angelo (ait) Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Ecclesiæ Thyatirenorum Præsuli describit Archipropheta Ioannes, eò quòd, huic, honoris Dei zelus, ex officio prorsus incumbebat. Totus namque Ecclesiæ splendor in Pastoris zelo stat. Hinc audiens Moyses voces cantantium, & videns vitulum, & choros, vt dicitur Exod. 32. iratus est valde, & proijciens tabulas confregit eas; & zelo honoris Dei commotus, populum grauiter punivit. Elias videns populum errantem, & illum arguit, & sacerdotes Baal zelo Dei, vt dicitur 3. Reg. 18. occidere fecit. Matathias videns quemdam dijs

Zelus Antistitis erga sanctam Ecclesiã est magni ponderis, & valoris.

Ogg 2 immo-

immolantem, zelo feruentissimo, illum, vt habetur 1. Machabeorum 3. trucidauit. Ioannes denique Baptista, miro honoris Dei feruebat zelo, cum dicebat Iudæis, Matth. 3.] Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere venturam iram?] Item quando Herodem (vt habetur Matth. 14.) increpabat. Ex quibus omnibus planè liquet optimum totius Ecclesiæ regimen, in eius Pastoris zelo prorsus consistere. Praui etenim membrorum motus ab eorum capite (in quo intellectus, & ratio est) corripiuntur, & regulantur. Et sic filiorum defectus ab eorum patre (in quo feruens honoris Dei, zelus esse semper debet) puniendi & corrigendi veniunt, alioquin pater periclitatur in iudicio Domini, quantacumque sit in ipso propriæ vitæ sanctitas. Quamuis enim Heli sacerdos Dei olim esset, offerens hostias pacificas Deo secundum legem Mosi, tamen quia filios suos non dignè zelando secundum legem corripuit, sed blanditijs paternis, & quasi pœnis fœmineis; ideo ira Dei mox cum illo fuit. Deus namque ore prophetico illi dixit. [Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerentur in templo, & magis honorasti filios tuos, quam me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? Propterea, ait Dominus Deus Israel: loquens loquutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me.] Ecce primum supplicium, & flagellum Dei in Heli sacerdotem. Et mox subiungit secundum, dicens: [Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.] Neque hic cessat ira Dei, quinimmo tertium addit, dicens: [Et videbis æmulum tuum in templo, &c.] Et quartam etiam tangit, dicens: [vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur &c.] Et quantum etiam adducit, dicens: [Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem &c.] id est, te dimittam, & alium suscitabo sacerdotem. Vides ne quot Dominus sacerdoti Heli apposuit supplicia, eò quòd filios errantes corrigere secundum Dei legem noluerit? Periclitatur igitur pater coram Domino, cum à correptione errantium filiorum cessat. Zelus itaque iste honoris Dei, Episcopo isti Thyatirensi defuerat, permittebat namque (vt infra dicetur) sibi subditos, diuino spreto honore, fornicari, idololatrarique: quos planè, zelo honoris Dei inflammatus, corrigere, & multare tenebatur ex officio. Ad Episcopum namque vitam & prauos suorum subditorum mores corrigere, & coarguere spectat, omni lenitate & charitate; aliquando verò virga, rigoreque, vt potè, sicuti oportet, vt nuper nos retulimus, & vt etiam sanctè diffinitum est in Concilio Tridentino sessione 13. cap. 1. Et quia Pastor iste Thyatirenus, nec tanquam Pater, nec minus tanquam percussor, in sibi subditos se gerabat, ideo Archipropheta illi hanc suam dirigit Prophetiam.

Pater corrigere debet filios suos.

1. Reg. 2.

Supplicia, & flagella Dei in patres nolentes corrigere filios errantes.

Episcoporum munus est sibi subditos corrigere.



DISPVT. XVII.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Ecclesia & Episcopatu Thyatirensi.

In duas Quæstiones distributa, super illa verba: *Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe.*

Prologus disputationis.

Desiderium haud exiguum fidelibus innatum est: Primordia, originem, res, & acta memoratu digna suæ Ecclesiæ, in qua fidem, spem, & charitatem, virtutes infusas, per sanctum baptismum recepit, radicitùs scire, & intelligere. Idcirco ad Thyatirenorum fidelium maximam consolationem, sequentes de sua Ecclesia, & Episcopatu Thyatireno examinare duximus quæstiones.

Quæstio I.

Vtrum Ecclesia Thyatirensis per Archiprophetam Ioannem Apostolum & Euangelistam fundata fuerit?



Sæculo Ioannis Apostoli, minimè extitisse hanc Ecclesiam, frustrà tenent hæretici. Ego verò, fidem Christi, eiusq. sanctam Ecclesiam, ope & auxilio Ioannis Apostoli, & Euangelistæ peruenisse ad Thyatirenos, incunctanter teneo. Idque intrepidè probo. Tum quia ipse omnes Asiæ fundauit, ac rexit Ecclesias, teste D. Hieron. lib. de Illustr. script. Et hos etiam supra, hoc eodem in cap. 2. disp. 2. q. 1. probauimus, circa Ecclesiam Ephesinam. Quod si omnes, ergo & hanc Thyatirensem. Tum quia aliæ Ecclesiæ Asiæ, sæculo Ioannis, fidem acceperunt, vt omnes fatentur Scriptores; ergo & hæc etiam, aut danda est contraria ratio. Tum quia non apparet per quem alium fundata fuerit Thyatirensis Ecclesia, nisi per Ioannem Apostolum, & Euangelistam Domini. Tum quia caput huius Ecclesiæ, sæculo Ioannis, aderat. Ipse enim ad Angelum huius Ecclesiæ Thyatirensis scribit, qui est totius Ecclesiæ illius caput: Ergo tunc aderat etiam Ecclesia Thyatirensis, sicuti, & aliæ sex, & sic dicitur: [Apprehenderunt septem mulieres virum vnum.] Tum quia Tertullianus lib. 14. contra Marcionem has septem Ecclesias Apocalypsis, alumnas Ioannis nuncupat. Tum quia mulier Thyatirena Lydia purpuraria, sæculo Apostolorum, credit, vt habetur Act. 16. Tum postremò, quia in diuisione Apostolorum, Ioannes Asiam sortitus est, in qua prædicauit vsque ad ad Traiani tempora, vt prodit Eusebius lib. 3. cap. 23.

Ecclesiam Thyatirẽsem fundauit Archipropheta Ioannes.

Impugnãtur hæretici tenentes Ecclesiam Thyatirensem a Ioanne Apostolo, & Euangelista minime erectã fuisse.

Tertullianus

Ad ea

Ad ea verò quæ hæretici obijciunt, iam primo cap. responsum est cum Epiphanio dum de Thyatira agebamus, tex. 9. paraphrasi 15. Errorem autem illorum, quo tenaciter tenent auctorem Apocalypsis non esse Ioannem Euangelistam, impugnauimus etiam supra in cap. 1. text. 9. dispu. 20. q. 2. Alium verò eorumdé errorem quo asseuerant Apocalypsim non esse scripturam sacram, intrepidè etiam refellimus supra cap. 1. text. 1. paraph. 9. disp. 2, quæst. 3. & 4.

Quæstio II.

Vtrum Irenæus esset Episcopus Thyatirensis Ecclesiæ, dum hæc mysteria scribebantur ab Archipropheta Ioanne.

Prima opinio de Episcopo Thyatireno ad quem scriptæ fuerunt huiusmodi litteræ Ioannis.



PERMVLTI Apocalypseos expositores, martyrem Irenæum, Ecclesiæ Thyatirensis Episcopum fuisse existimant, tempore quo Apostolus & Euangelista Ioannes hæc Apocalypseos scribebat mysteria.

Irenæum fuisse Episcopum Thyatirensem probabile apparet.

Quod planè verisimilè videtur multipliciter. Primò, quia Irenæus discipulus fuit beati Polycarpi in minori Asia, vt tenent D. Hieronymus in lib. illustrium virorum. Eusebius Cæsariensis Episcopus lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 2. Cardinalis Æneas lib. Chronicarum in sexta mundi ætate, & alij innumeri Doctores. Quinimmo ipsemet sanctus Irenæus istud fatetur. Nam scribens ad Florinum, cum Polycarpo se conuersatum esse, meminit per hæc verba: [Hæc dogmata Florine, vt cum fiducia dicam, sanam sententiam non habent. Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, & in maximam impietaté eos conijciunt, qui ipsis obtemperant. Hæc dogmata ne hæretici quidem qui extra sunt Ecclesiam, nunquam ausi fuissent pronunciare. Hæc dogmata, tibi, qui ante nos fuerunt presbyteri, qui & Apostolorum discipuli extiterunt, non tradiderunt. Vidi enim te, cum puer ad huc in Asia inferiore apud Polycarpum essem, splendidè in palatio Imperatoris agentem, vt te illis præberes satagentem. Etenim quæ tunc gesta sunt, melius quam quæ nuper acciderunt, in memoria retineo.] Hæc Irenæus. At constat Polycarpum discipulum fuisse Ioannis Apostoli, pro vt tenent Diuus Hieronymus in Catalogo hist. Eccles. Eusebius in hist. Eccles. lib. 4. Nicephorus lib. 3. Cardinalis Æneas lib. Chronicarum, & alij permulti Doctores: quinimmo ipsemet Irenæus in præfata Epistola aperté confitetur Polycarpum discipulum fuisse Ioannis Apostoli. Sic enim de illo subiungit: [Ita vt locum ipsum commemorare queam, in quo beatus Polycarpus sedens disserebat, deinde, & egressus illius, & ingressus, & vitæ characterem, ac corporis speciem denique, & sermones, quos fecit ad multitudinem, & quomodo se cum Ioanne, & reliquis qui Dominum viderunt, conuersatum esse dixerit.] Sic ille. Igitur verissimè videtur Irenæum in sua iuuentute (antequá esset Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus) nimirum, dum Polycarpo operam dabat, contemporaneum fuisse Ioannis Apostoli, & Ecclesiæ Thyatirensi, illo fœlici sæculo Ioannis, præfuisse.

1. Ratio. *Irenæus in Epist. ad Florinum.* *Vide Eusebiú in Hist. Eccles. lib. 5. c. 20.* *Irenæus in epist ad Florinum.*

2. Ratio. Secundò istud probatur, quia Irenæus multas ecclesias vita, & doctrina illustrauit: & vsque ad Lugdunii, quæ est Gallorum ciuitas peruenit. Igitur possibile esse videtur, & hanc Thyatirensem illustrasse Ecclesiá, cum eius magister Polycarpus tantum in minori floruerit Asia.

A *3. Ratio.* Tertiò, quia ipsemet Irenæus, maximum de Ioanne Euangelista reddit testimonium: eò quod scribens ipse defensentia appellationis Antichristi, qua in Apocalypsi Ioannis, inscripta legitur, in 5. lib. contra hæreses, de Ioanne sic dicit: [Si verò nomen eius manifestè in hoc præsenti tempore prædicari debuit, per illum vtique prædicatum est, qui & Apocalypsim vidit: neque enim illa ante multum temporis visa est, sed propè hac nostra ætate circa finem imperij Domitiani.] Hæc Irenæus. Igitur probabile est Irenæum contemporaneum fuisse beato Ioanni, tum ex ly. [propè hac nostra ætate,] tum quia Irenæus Episcopus Lugdunensis floruit sub Traiano Imperatore, vt tradit Cardinalis Æneas in lib. Chronicarum, sexta mundi ætate, loquens de ijs, qui sub Domitiano martyrio coronati fuere, & sub Traiano floruerunt. Constat autem inter Domitianum & Traianum Imperatores, tantum mediasse Neruam, qui quatuor mensibus tantum regnauit. Nam ipsemet Cardinalis Æneas loquens de linea Imperatorum, primò meminit Titi, deinde Domitiani, mox Neruæ, & postea Traiani, Et loquens de Nerua, sic ait: [Secundo & septuagesimo ætatis anno moritur, imperij verò sui, anno primo, & mense quarto, cuius corpus in hortis Sallustianis sepelientes, inter Deos ex Senatus decreto retulerunt.] Sic ille. Constat insuper Ioannem Apostolum, Imperatore Domitiano interempto, & actis eius, ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, imperante Nerua, Ephesum redisse ibique vsque ad Traianum Imperatorem consilio & scriptis Ecclesias sustentasse, & senio confectum 68. post passionem Christi anno, in Domino quieuisse. Igitur cum Irenæus floruerit sub Traiano Imperatore, apparet contemporaneum fuisse Ioanni Euangelistæ, qui vsque Traianum Imperatorem, viuus Ephesi remansit.

Irenæus lib. 5. contra hæreses. B *Nerua quanto regnauit tempore.* C

Impugnatur opinio superior. Hæc argumenta, probabilem faciunt opinionem tenentium Irenæum contemporaneum Ioanni Apostoli & Episcopum Thyatirensis Ecclesiæ fuisse. Quod planè & ego affirmare auderem, nisi quia Diuus Hieronymus in lib. Illustrium virorum, affirmat Irenæum floruisse sub Commodo Imperatore. At constat Commodum Aurelium Imperatorem cœpisse regnare anno 177. à Natiuitate Christi; ex quo sequitur Irenæum non fuisse contemporaneum Ioanni Euangelistæ, qui obijt circa annum centesimum ab eadem Christi natiuitate. Accedit quod multi tradunt Irenæum martyrium pro Christo subisse sub Seuero, in quinta Christianorum persequutione: Et constat Seuerum regnasse anno centesimo nonagesimo octauo à Christi natiuitate.

D. Hieron. *1. Arg.* *2. Arg.* D

Lyranus Palinodiam canit. His etiam de causis Lyranus, qui in hunc locum primò tenuit Irenæum fuisse hunc Episcopum quem S. Ioannes scripsit, mox (post quam hæc asseruit) palinodiam recantauit, reuocans quod iam à se dictum fuerat, & asseuerans alium Ioanni contemporaneum, minoris excellentiæ (quam esset Irenæus) rexisse tunc Ecclesiam Thyatirensem.

Aureolus. Petrus Aureolus S. R. E. Cardinalis ex Ordine Seraphico, in sua compendiaria explanatione sacræ scripturæ, tradédo huius libri Apocalypsis expositionem, asserit beatum Ioannem hanc scripsisse Epistolam ad beatum Irenæum, non quod tunc Irenæus contemporaneus fuerit sancti Ioannis; sed quod tunc Ioannes in spiritu prophetico de ipso, & cum ipso loquebatur tanquam tunc viuente. Sic enim scribit Aureolus. [Sciendum est, istum Episcopum Thyatirensem fuisse Irenæum, qui fuit egregius Polycarpi discipulus, & præ cæteris excellentioris doctrinæ: Sicut enim Polycarpus excellit omnes discipulos B. Ioannis, ita omnes Polycarpi discipulos excellit Irenæus. Fuit autem Irenæus primò Episcopus Thyatirensis, deinde incensus publicandæ fidei zelo, per multas regiones discurres, & docés, & ad Gallias vsq; discurrés, Lugduni Archieps resedit, & sedé illá fundauit, plurimosq. libros

E

bros scripsit, sicut videre licet in lib. 4. & 5. & 6. Hist. Ecclesiasticæ. Hic martyrium obiuit Lugduni, sub Imperatore Seuero, in quinta persecutione, quæ ab eo contra Christianos exercita est. At licet Irenæus non fuerit contemporaneus beati Ioannis, in spiritu tamen prophetico Ioannes de ipso, & cum ipso loquitur tanquã tunc viuente, quod omnibus futuris Thyatirensis Ecclesiæ Episcopis excellentior futurus esset.] Hucusque Aureolus. Enimuero nullatenus est credibile Irenæum sanctissimum, Christianæq. disciplinæ obseruantissimum, ea fieri passurum fuisse in Ecclesia sua, de quibus acriter Episcopum istum Thyatirensem Archipropheta noster infra redarguit. Accedit, quod asserere Ioannem scripsisse ad Irenæum, non tunc viuentem, nec adhuc natum, sed futurum, & istius Ecclesiæ Thyatirensis Episcopatum futuris temporibus suscepturum, quis potest capere capiat.

2. Opinio. S. Carpus Episcopus Thyatirensis.

Porrò secunda sententia potest esse de sancto Carpo. Quoniam in Martyrologio Gregoriano, Idibus Aprilis hæc extat de illo memoria. [Pergami in Asia, natalis sanctorum martyrum Carpi Episcopi Thyatirensis, Papyli Diaconi, & Agathonicæ sororis eius optimæ fœminæ, Agathodori quoque eorum famuli, aliorumque multorum, qui post varios cruciatus probatis confessionibus martyrio coronati sunt, in persequutione Marci Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi.] Cæterum cum sub Antonino & Lucio Aurelio Vero Commodo acciderit quinta Ecclesiæ persequutio, vt produnt communiter Doctores. Tertullianus in lib. ad Scapulam, cap. 4. & in Apologetico, cap. 5. Eusebius in Chronicis, Paulus Orosius lib. 7. Hist. cap. 9. & reliqui, nequit esse S. Carpus Episcopus Thyatirensis ad quem scripsit sanctus Ioannes. Quoniam Ioannes Apostolus & Euangelista, vt nuper dicebamus, obijt circa annum centesimum à Natiuitate Christi, & quinta persequutio Ecclesiæ euenit circa annum ducentesimum decimum, vt grauissimi adstipulatores produnt, remque argumentis validissimis probant. Fuit igitur sanctus Carpus Episcopus Thyatirensis Ecclesiæ, vt eius narrat hystoria: attamen ipsum in eadem Ecclesia plerique præcesserant Episcopi, & præcipuè ille, ad quem noster vates Ioannes præsentes descripsit litteras, cuius planè nomen, hoc nostro sæculo, omnino ignoratur.

Incognitus nobis est primus Episcopus Thyatirenus ad quem scripsit Ioannes Apostolus.

Et quisquis ille fuerit probabile est, eum fuisse more Græcorum clericorum coniugatum cum Iezabel, de qua extat infra sermo in hac eadem Ecclesia. Et quod fœmina ista vxor huius Episcopi Thyatirensis fuerit, tenet Albertus, probatque ex illis verbis. [Permittis mulierem Iezabel.] Quoniam alia translatio sic habet: [Habeo aduersus te, quod sinis vxorem tuam Iezabel.] Et addit Albertus per mulierem hanc (vt potè, eius imitatione siue exemplo) introductam fuisse Mahometicam perfidiam, qui etiam finxit se esse Prophetam. Sed de his infra sermo erit vberrimus.

Albertus in comment.

Coniugatus fuit primus Episcopus Thyatirenus

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus.

§. 1. Iesus Christus filius Dei naturalis.

Hæc dicit (ait) **filius Dei.** De naturali, ac consubstantiali filio Dei Iesu Christo Domino nostro hic est sermo. Quem namque filium hominis, supra Archipropheta appellauit in cap. 1. dicens: [& in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis,] eumdem hoc in loco, naturalem filium Dei nuncupat, dicens: [Hæc dicit filius Dei,] adde; naturalis, qui est Christus, eò quod Iesus Christus, non adoptione, sed natura filius Dei est, cæteri autem filij adoptiui sunt. Vocat autem Iesum Christum filium Dei, ad clarè demonstrandum Thyatirensibus ex Iu-

F daismo, & Gentilitate, ad Christianismum per baptismum, & fidem conuersis, & quibusuis alijs, eumdem esse filium Dei, & hominis: propterea quod diuina, & humana natura, vnione hypostatica vnitæ amicè fuere, iuxta illud Ioan. 1. [Et Verbum caro factum est.] Hinc vox Patris æterni in baptismo, Matth. 3. & in Transfiguratione Matth. 17. super Christum intonuit, dicens: [Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,] quasi dicat (testantibus Chrysostomo, Remigio, & Abulense super cap. 17. Matth. & Diuo Thoma 3. part. quæst. 39. art. 8. & quæst. 45. art. 4.) cum alij homines, & etiam Angeli sint filij mei adoptiui, hic, nimirum, Iesus Christus, est filius meus naturalis, in quo mihi bene complacui, quia mihi consubstantialis est. Ideo etiam & Martha, Ioan. 11. dixit Christo: [Ego semper credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.] Et

Incarnationis mysterium.

Explicatur locus Matthæi.

Filij Dei sunt homines, & etiã Angeli.

G Centurio Matth. 28. [Verè filius Dei erat iste.] & Euangelista Ioannes in cap. 1. [vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.] & Apostolus Paulus ad Rom. 1. [Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, &c.] & 2. Petri 1. [Non indoctas fabulas secuti notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præscientiam, sed speculatores facti illius magnitudinis: accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria, hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ipsum audite.] Quæ omnes auctoritates de Christo secundum diuinam naturam intelliguntur, iuxta quam, naturalis & consubstantialis filius Dei

Filius in diuinis quomodo procedit à patre.

H patris est, à quo per simplicem emanationem intellectus ab æterno (vt dicunt Theologi, in primo lib. sententiarum. & sanctus Thom. 1. par. quæst. 27.) procedit. Quæquidem emanatio siue processio, æternalis generatio dicitur, vt probat sanctus Thomas 1. par. quæst. 27. art. 2. de qua dixerat Isa. 53. [Generationem eius quis enarrabit?] & Psalmista, Psalm. 2. [Ego hodie (id est, æternaliter) genui te.] Persona autem quæ procedit in diuinis secundum emanationem intellectus, dicitur filius, cum talis processio generatio dicatur. Hic autem naturalis filius Dei proprio nomine, vt probant Diuus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 2. tom. 3. & Diuus Thomas 1. par. quæst. 34. art. 2. dicitur verbum, verbum (inquam) illud, de quo dixit Ioan. cap. 1. [In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.]

Filius Dei propria appellatione dicitur verbum.

I Et nota, quod iuxta doctrinam Angelici Doctoris, 1. par. quæst. 34 art. 2. ad 3. quatuor sunt propria nomina filij Dei, nimirum, filius, splendor, imago, & verbum. Nam vt ostendatur connaturalis patri, dicitur filius, vt ostendatur coæternus, dicitur splendor, vt ostendatur omnino similis, dicitur imago, & vt, ostendatur immaterialiter genitus, dicitur verbum. Itaque Iesus Christus secundum diuinam naturam est hic naturalis filius Dei, de quo Archipropheta Ioannes hic loquitur. Et de quo Euangelium, & omnis sacra scriptura vnicè disserit: cui & testimonium perhibet, quod filius Dei sit, vniuersus Prophetarum chorus. Qui tandem cum venisset plenitudo temporis, exinaniuit semetipsum forma serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, natus ex Maria Virgine, de domo

§. 2. Quatuor nomina propria filij Dei naturalis.

ad Galat. 4. ad Philip. 2. Matth. 1.

K & familia Dauid.

Adsunt præterea in sacra pagina plures similitudines, sub quibus vnigenitus Dei filius ex patre ipsi coæternus procedens, quasi sub mirabilibus quibusdam Hieroglyphycis, secretò nobis, contra Hebræos, Gentiles, hæreticosque Arianos, declaratur. Dicitur namque filius à patre emanare, vt arbor à radice, iuxta illud Prouerb. 3. [Lignum vitæ est ijs qui apprehenderunt eam.] vt calor ab igne, iuxta illud Exod. 3. [Rubus ardebat, & non comburebatur.]

§. 3. Similitudines quamplurimæ generationis filij diuinæ.

Vt flu-

Vt fluuius à fonte, secundum illud Genes. 2. [Fons ascendebat de terra, & fluuius egrediebatur de loco paradisi.] Vt germen à semine. Isa. 4. [Erit germen Domini in magnificentia & gloria.] Vt imago à sigillo Sap. 3. [Speculum sine macula, & imago bonitatis illius.] vt lumen à sole. Heb. 1. [Qui cum sit splendor patris, & figura substantiæ eius.] Vt verbum à corde. Ps. 44. [Eructauit cor meum verbum bonum.] vt conceptus à mente. Prou. 8. [Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram.] Vt imber à cælo. Isa. 55. [Quomodo imber descendit de cælo, sic erit verbum meum.] Et tandem vt species à re obiecta, iuxta illud Ps. 44. [speciosus forma præ filijs hominum.] Nec desunt aliæ quamplures similitudines, quibus à Prophetis, Apostolis & Sanctis Patribus Græcis & Latinis, Christus, Dei filius, metaphoricè appellatur. Et cum Hebræi (errantes ab vtero & falsa loquentes) asseuerarent illis pristinis temporibus (quemadmodum & nunc hoc nostro sæculo) nec Deum trinum & vnum, nec Iesum Christum filium Dei naturalem esse: Ideo noster vates Christum Iesum (quem in primo cap. filium hominis nuncupauit) hunc in hoc secundo cap. filium Dei appellat, vt Hebræi, Gentiles, & hæretici, clarè intelligant (vt dixi) eumdem esse filium Dei & hominis Christum Iesum, Deum & hominem, natum ex muliere factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum Dei adoptiuorũ nos reciperemus, per illum qui naturalis filius Dei, ab æterno semper extitit.

Psal. 63.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Qui habet (dicit tandem) **oculos tamquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.** Epitheta sunt filij Dei naturalis iuxta assumptam naturam. Deus namque secundum suam essentiam, & diuinam naturam, nec nomen habet aliquod, nec oculos, aut pedes. Non habet nomen, quoniam de Deo accipitur illud Prou. 30. [Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius si nosti? [& Gen. 33. [Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?] Diuina namque essentia sicut maximè vna est (immo totius vnitatis fons) à seipsa indiuisa, atque indiuisibilis absque vlla prorsus rerum concreatione, aut physica, quæ est ex mater a, & forma; aut metaphysica, quæ est ex actu & potentia, ex substantia & accidente, aut ex essentia, & existentia, semper permanet, Et ita nullo modo fieri potest vt nomine aliquo, cogitationeuè aliqua comprehendatur. Hinc D. Dionysius lib. de diuin. nomin. cap. 1. sic ait:] Inexcogitabile est mente illud vnum superius & ineffabile verbis.] Et D. Greg. Nazian. in orat. 4. de Theologi sic de Deo dicit: [Deus nullo nomine exprimi potest.] Quapropter S. Thom. p.p.q. 13. art. 1. rectè concludit, quod quemadmodum Deus secundum suam essentiam, non potest à nobis cognosci, aut videri in hac vita, nisi ex creaturis, ita nec secundũ suam essentiam nominari, sed ex creaturis. Nec minus oculos, aut pedes habet, eo quod cum spiritus sit iuxta illud Exod. 9. [Dominus Deus tuus, vnus est, & spiritus est.] Spiritus autem, carnem & ossa nullatenus obtinet, dicente Christo Ioan. 22. [Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.] Hinc apertè infertur, Deum secundum suam essentiam, & diuinam naturam, oculos, aut pedes minimè habere. Dicitur autem in textu filium Dei naturalem, oculos, & pedes obtinere iuxta assumptam naturam. Quia licet æternus sit, tamen in tempore homo factus fuit. Et quamuis mortuus & sepultus, tamen die tertia resurrexit, vt tenet fides catholica. In qua resurrectione corpus integrum (vt probat S. Th. 3. p. q. 54. art. 2.) ad vitam immortalẽ resumpsit. Quod quidem (vt docet fides catholica) ad dexteram Dei patris collocauit. Hinc in cælo filius Dei naturalis oculos & pedes habet iuxta naturam assumptam in plenitudine temporis.

Dilucidatio textus.

§. 1. Deus non habet nomen nec manus, nec pedes.

Deus oculos minimè habet.

Oculos autem illius esse tamquam flammã ignis, & pedes eius similes Aurichalco, intelligi debet quo ad effectum agendi, nimirum, quia ipse è cælo vno intuitu, aut in ictu oculi, omnia pertingit, & velox insuper, ac pedibus agilis est ad vindictam de impænitentibus sumendam: Ipse enim est virga vigilans, de qua Ierem. 1. dicitur: [Virgam vigilantem ego video,] hoc est, oculatam, seu oculos habentẽ: & mox subiungit ipse Dominus: [Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo vt faciã illud.] Superque verba sic scribit D. Hieronymus. [vigilat virga cuncta populi peccata considerans, vt percutiat, & corripiat delinquentes, vnde & Apost. scribit peccantibus. 1. Cor. 4. Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?] Hinc de Deo dicitur Sap. 1. [Qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.] Et quia in hac Ecclesia erat nefaria mulier Iezabel, iniqua loquens, & eius nequam errorem circa idololatriam, & fornicationem, ore, & opere docẽs, quem cum suis sequacibus corrigere hìc intendebat, ideo ad hunc agendi effectum, oculi eius videbantur igniti & accensi, tamquam flamma ignis, & pedes eius agiles, & veloces sicuti aurichalcum. De hisce oculis ignitis filij Dei dicere plane possumus illud Virgilij.

§. 2. Huius inscriptionis vera & germana ratio textus.

Vigilantia & agilitas Dei in peccatores.

D. Hieron. in cap. 1. Hiere.

Scelera Iezabel.

Oculi accensi demonstrãt iram.

His igitur furijs, totoq. ardentis ab ore.
Scintilla absistit, oculis micãt acribus ignis.

Virgilius lib. 12. Aeneid.

Et iterum in fine eiusdem 12. lib. Æneid.

Ille oculis, postquã saui munimenta doloris
Exuuiasq. bausit furijs accensus, & ira.

Solent namq. Sancti Patres, Prophetæ etiam, Doctores, & Euangelistæ, Deo illam metaphoram, similitudinem, effigiemuè applicare, qua illorum intentio, quam ipsi de Deo explanare desiderant, facilius, & commodius, & exprimatur, & intelligatur. Id propterea cum de ira Dei agere cupiunt, Deum Leonem appellant, cũ verò de eius misericordia, Deum agnum, ouemuè dicunt, quia hæ similitudines, & metaphoræ accomodatę satis apparent ad iram, & misericordiam exprimendam. Et hinc equidem factum esse puto, vt dum se, sine regnum cælorum, in Euangelio ipsemet Christus pertractat à varijs rerum metaphoris explicandi ferè semper occasionem sumpserit, vt à vinea, à vite, à vino, à grano frumenti, à pane, ab oleo, à sale, à luce, ab igne, ab aquis, à terra, à lapidibus, à spinis, à semine, ab herbis, à floribus, à fructibus, ab agnis, ab ouibus, à pastore, dicam etiam à thæsauro abscondito in agro, à piscibus, à retibus, à naui, à margarita pretiosa; immo vero à minimis quoq. rebus, vt à mentha, ab anetho, iuxta illud quod ipsemet Matth. 13. dixit discipulis suis: [Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.] In quibus plane parabolis tali vtitur metaphora, qualem se populo representare intendebat. Quamobrem hunc stylum sequens noster Archipropheta, præmittit de filio Dei, oculos tanquam flammã ignis, & pedes similes aurichalco præsegerere, vt sic in oculis, pedibusq. ignem præparatum ostenderet fornicariæ Iezabeli. Quoniam lapsus carnis, vt luxuriæ vitium, igne multari solet in sacra pagina, vt in Sodoma, & Gomorrha intueri licet.

Parabolæ quamplur. in Euangelij.

Gen. 9.

Ioachimus aliam asserens huius inscriptionis rationem, asseuerat, per oculos flammeos, vitam contemplatiuam; per pedes veros ignitos vitam actiuam demonstrari: eo quod oculi tamquam flamma ignis, manifestè contemplationem exprimunt, quæ non solũ per cognitionem lucere, sed per charitatem etiam ardere debet. Sed quoniam quamdiu in hac mortali vita agimus, necesse est ad operationem descendere, mox subiungitur: [Et pedes eius similes aurichalco.] Oculorum enim libertas in statione est, pedum in motione, quia tamen actiua non eo modo, quo contem-

§. 3. Ioachimus in comment.

Contemplatiua, & actiua vita.

contemplatiua perspicua est, & lucida, propterea oculi flammei dicũtur, pedes aurichalco similes. Est enim aurichalcum minus lucidum, quam ignis.

§. 4. *Dona Spiritus sancti.*

Sanctus Thomas in hisce suis commentarijs, flammeos oculos refert ad dona Spiritus sancti, quæ animam oculatam, & prouidam reddunt, & pedes aurichalco similes ad sustinentiam aduersorum dirigit.

§. 5. *Richardus de Sancto Victore in cõmen.*

Richardus de Sancto Victore asserit, Christum habere oculos sicut flamma ignis, vt nefarij illi Thyatirenses (qui & fœminarum, & nonnunquam dæmonum libidini seruiebant, aliosque exemplo suo ad eadem scelera patranda incitabant) intelligerent, Christum, omnia quæcumque ab eis gerebantur, intueri; & per consequens rectè etiam dici, Christum habere pedes similes aurichalco, vt moneantur perditis suis moribus nuncium remittere, & electos, ac probos viros, qui per Christi pedes significantur, imitari.

§. 6. *Rupertus Abbas in comment.*

Rupertus Abbas, hoc in loco, docet per pedes similes aurichalco fortitudinem commendari huic Angelo. Aurichalcũ enim in camino ignis, longa decoctione, ac diuturna tunsione ad auri similitudinem perducitur: Per quod fortitudo indicatur, de qua intelligitur illud Isa. 4. [Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem.] Quamobrem commendatur huic Angelo (inquit Rupertus) vt veram conetur habere fortitudinem, & instar aurichalci, laboribus, quasi igne tunsionibus ad auri perueniat splendorem. Nec zelum deponat, quo in delinquentes pro ratione officij debet animaduertere. Quod verò attinet ad flammantes oculos, ad eamdem rem docet spectare. Vbi enim Christus in passionis fornace (ait ipse) aurichalcum per gloriam sui corporis euasit, in cælum ascendit, & inde quasi flammeis oculis in terram aspiciens, misit septiformem spiritum, quo non solum Apostolos, sed etiam Apostolorum imitatores inflammauit, & fortes, & bono zelo feruentes effecit. Quæ planè ratio Ruperti, in hac vltima parte quadrat cum S. Tho. qui in hisce suis commentarijs, in hæc verba prorumpit. [Qui habet oculos, id est, dona Spiritus sancti, quæ animam oculatam & prouidam reddunt, tamquam flammam ignis, quia propter dignitatem, & meritum donorum in ipso, datur nobis, si ei adhæreamus, illuminatio clarificans, & charitas inflammans, Ioan. 1. Et de plenitudine eius omnes accepimus.] Hæc S. Tho.

S. Thom. in comment.

§. 7. *Franc. Ribera in cõmen.*

Franciscus Ribera putat, prælibata verba esse minam propheticam: & oculos habere vt flammã ignis, vt ira filij Dei ostendatur, in mulierem illam fornicariam, & in filios eius, & in amicos: Pedes verò habere similes aurichalco, vt idem filius Dei Episcopum Thyatiræ consoletur in afflictionibus, quas propter ipsum ferebat, doceatque alijs eum puriorem fieri, & maiori gloria dignum.

§. 8. *Pleríque auctores inter quos est Blasius Viegas.*

Quidam alij (inter quos est Blasius Viegas) tenent, posse dici per oculos similes flammæ ignis, commendari Episcopis cognitionem eorum, quæ in suo episcopatu geruntur, & in gubernando vigilantiam cum charitate coniunctam. Per pedes verò similes aurichalco, indefessam in rectis moribus constituendis sollicitudinem. Quæ sunt duæ partes Prælatorum potissimæ, & in Thyatirensi Episcopo illo in tempore quo morum disciplina per luxum & libidinem defluebat, pernecessariæ. Quam etiam ob causam (addit Viegas) mystica illa Ezechielis animalia, quæ optimi cuiusque Episcopi imaginem per typum referebant, oculos habebant flammantes, pedes vituli, id est, rotundos, cruraque flexibilia in omnem partem, quia nimirum debet Prælatus, paratissimus esse ad exequendum quicquid flammãtibus vigilantiæ oculis, vel constituendum, vel restituendum senserit.

Prælatorũ vigilãtia, charitas, & sollicitudo.

§. 9. *Arethas, & S. Tho. in cõm.*

Postremò, Arethas, & S. Tho. per pedes similes aurichalco, prædicatores intelligunt & Apostolos, qui-

F bus Christus totum peragrat orbem, de quibus planè intelligitur illud Isa. 52. [Quam pulchri supra montes pedes annũciantis & prædicantis pacẽ, annunciantis bona, prædicantis salutem, dicentis Sion, regnauit Deus tuus.] Quo sanè testimonio visus est Apostolus ad Rom. 10. cum de prædicatoribus ageret, per hæc verba: [Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quẽ non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est. Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Euangelio &c.] Prædicatores autem, similes sunt pedibus, aurichalco comparatis. Tum propter prædicationis sonum, quoniam quemadmodum aurichalcum est maximè sonorum; sic Prædicatores, & Apo-
G stoli sic sonarunt, vt de illis dicatur: [In omnem terram exiuit sonus eorum.] Tum quia quemadmodum aurichalcum cui assimilantur ij pedes, est in camino ignis ardentis; sic Apostoli, & Prædicatores, debent semper ardere per charitatem, dicente Apostolo 1. Cor. 18. [Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens.] Tum quia sicut aurichalcum in camino ignis ardentis multas sustinet contusiones, sic prædicatores in camino prædicationis quamplurimas debent pro Christo sustinere tribulationes, iuxta illud ad Rom. 5. [Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia verò probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, qui charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Id propterea Christus visus fuit ab
H Ezechiele in cap. 1. super firmamentum quod impositum erat capitibus illorum quadriformium animaliũ, vt potè, Euangelistarum, & Apostolorum, vt eum per vniuersum orbem, veluti victorem, & triumphantem deportarent. Cui loco alludit illud Habacuch. 3. [Qui ascendit super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.] Quibus planè, Deus iter aperuit per vniuersum orbem, vt mox sequitur eodem in capite: [Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.] De quo planè argumento, vide plura apud D. Gregorium lib. 44. Moralium cap. 13. & apud D. Ambrosium lib. de Nabuth. cap. 15. & etiam apud D. Hieronymũ in comment. super Habacuch.

Prædicatores sunt pedes.

Comparatiò.

Prædicatores quare assimilentur pedibus ignitis.

Christus per Prædicatores orbem peragrat.

§. 10. *Cõsectarium.*

Omnes sunt validissimę enodationes, & textũ nullatenus abhorrentes, quarum quamplurimæ, & si non in totũ, saltem in parte, quadrant cum nostra. Quamob-
I rem dicimus hic, per oculos, & pedes ignitos Cñ istũ se ostendere Iezabeli, mirum in modũ iratum, & veluti illud Psalmistæ Psal. 49. dicentẽ; [Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.] Perinde ac diceret: Audita planè fuit in baptismo vox Patris dicentis de me: [Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite;] Audita etiam fuit hæc alia vox Psalmistæ de me dicentis: [Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,] & insuper ego filius Dei dixi: [Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris:] Et [tu] nefaria, libidinosaq. mulier, [odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduer-
K sum filium matris tuæ ponebas scandalum, Hæc fecisti & tacui.] Sed quid, hæc patiar? Minimè gentium. [Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.] Sed ad Episcopum, primò se conuertit dicens, quæ sequuntur,

Reprehensio dura erga malos.

Noui

Text. 20. Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. I.

Deus est auctor nostræ salutis.

Philip. 2.



Hic laudatur à Deo, id quod in Antistite isto laude dignũ vtiq; reperitur. Nam quãuis neque qui plantat, (teste Apostolo) sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: eo quod, vt alibi idem Apostolus insinuauit: Deus ipse est, qui operatur in nobis velle, & perficere: tamen quia nos, sua diuina gratia, cooperatores bonorum operum sumus: ideo, huius Antistitis bona opera Deus maximè extollit. Non enim nos tantum recipimus diuinam gratiam, verumetiam & illi coagimus, atque cooperamur, vt tenet fides catholica, & vt sanctè sancitum est in Concilio Tridentino, & vt etiã Theologi cum S. Tho. p. 3. de iustificatione, & gratia disputantes apprimè docent. Quapropter opera bona, non tantum sunt Dei, sed & nostra. Alioquin si Dei non essent, vt quid illi gratias agimus? Et si nostra non essent, vt quid pro illis remuneramur? Sic namque infra dicitur: [Dabo vnicuique vestrum, iuxta opera sua.] & ad Rom. 2. [Reddet vnicuique secundum opera sua.] Dei itaque & nostra sunt bona opera. Ad quod facilius intelligendam nota; Quod tria sunt operum nostrorum genera, scilicet, cogitare, velle, & perficere. Cogitare igitur operatur Deus in nobis sine nobis, immittendo namque bonam cogitationem, nos præuenit. Velle autem operatur in nobis, sed nobiscum. Etenim immutando malam voluntatem illam sibi vltroneo nostro, iungit consensu. Perficere denique operatur in nobis per nos, eo quod ministrando consensui facultatem per apertum opus, internus opifex innotescit. Hinc D. Bernardus loquens de nostræ salutis exordio, sic ait: [Itaque non liberi arbitrij, sed Domini est salus. Immo ipse salus, ipse & via est ad salutem, qui ait: salus populi ego sum, qui item perhibet: Ego sum via, se fecit viam, qui & salus erat, & vita, vt non glorietur omnis caro.] & paulo post: [Vnde Paulus, cum bona plurima, quæ Deus per ipsum fecerat enarrasset; non autem ego, ait, sed gratia Dei mecum potuit dicere per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum, præsumens se non solum operis esse ministrum, per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.] Hucusque D. Bernardus. Quibus verbis Sanctus Doctor expressè fatetur, quod vt à Deo sit nostræ salutis exordium, non per nos vtique, nec nobiscum. At consensus, & opus etsi non ex nobis tamquam ex nobis, non iam tamen sine nobis; [Gratia Dei mecum:] non dicit Apost. in me, sed mecũ. Qua propter idem Apostolus ad Galat. 6. hortatur nos dicens: [Dum tempus habemus operemur bonum.] D. etiam Augustinus quatuor opera, vel actus posuit, nimirum, inuitare, acquiescere, adipisci, & perseuerare. Primus est Dei tantum; secundus nostræ potestatis; tertius item est Dei tantum; quartus Dei & hominum, licet principalius Dei quam hominis. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij nostri libertas, sed admonente prius & inuitante Deo: Ecce primus actus. Vt acquiescamus autem salutari inspirationi, nostræ potestatis est: ecce secundus. Vt adipiscamur quod cupimus, diuini est muneris: ecce tertius. Vt non labamur in adepto salutis munere solicitudinis nostræ

Gratia cooperamur.

Opera bona, & Dei, & nostra dicuntur.

Operum nostrorum tria genera.

D. Bernardus tract. de gratia & libero arbitrio.

Gratia Dei sumus id quod sumus.

D. Aug. lib. de Eccles. dogm.

A est, & cælestis pariter adiutorij: ecce quartus. O catholicam declarationem. Rectè autem adiutorium nominat, iuxta orationem Dauidis: [Adiuua nos Deus salutaris noster.] Qui enim adiuuari postulat per seipsum fatetur aliquid operari: neque enim mortuus adiuuari peteret, tamen in opere primas tribuit adiuuanti. Diuinum ergo adiutorium efflagitantes, nec ingrati sumus gratiæ à qua adiuuamur, nec liberum arbitrium mortuum dicimus, licet infirmum. Si enim mortuum est, & nihil agimus, quomodo dicit Ioannes: Omnis qui habet hanc spem sanctificat se? Quomodo dicit Paulus: Si quis emũdauerit se à vitijs, erit vas vtile sanctificatũ Dño? Audis, sanctificauerit se, emundauerit se? Quomodo toties Christus: Cõuertimini, surgite, accedite, agite, venite, pœnitemini? Hæc intelligi non possunt, nisi non nihil, & nos operemur. Non igitur nos diuinam gratiam tantum recipimus,
B verum etiam & illi coagimus, & cooperamur, & licet ipse sit principalis agens, tamen ipsemet vocat opera, nostra, vt videre est hoc in loco, vbi dicit: *Noui opera tua*. eo quod sua gratia coagimus, & cooperamur, cum ipsa sit nobiscum, vt dictum est cum Apostolo. Addo, quod ipse de bonis operibus nostris sæpenumero quasi hilaris & gaudens multum gloriatur, vt videre licet in Iob, de quo dixit ad Satan: [Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?] Ad hoc ipsum planè spectat illud, quod Moysi Dominus dixit Exod. 3. [Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.] & illud Matth. 25. [Euge serue bone, &c.] & illud Matth. 26. & Mar. 13. [Sinite eam: opus enim bonum operata est in me.] & Ioan. 8.] Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.] Gloriatur itaque Deus
C sæpe sæpius de nostris bonis operibus, eo quod sua gratia nobiscum, cooperatores sumus bonorum operum, quamuis ipse talium operum principalis agens sit. Quapropter cum Antistes iste Thyatirensis tot redoleret virtutibus, earum omnium memor, primo eas laudat in genere dicens: *Noui opera tua*, id est, approbo tua opera. Et descendens ad species, vnamquamque illarum per se, & sigillatim apprimè extollit. Et quia fides basis est & fundamentum rerum sperandarum, hoc est, spiritualis vitæ, à fide exordium deprompsit dicens: *& fidem*, quasi dicat: Scio te ita timere Deum, vt intrepidè infidelibus aduersum te insurgentibus resisteres, fidemq. tuam impijs, hostibus, inimicisque Ecclesiæ Dei constanter demonstrares. Pulchrè planè factum. Radix namque sapientiæ, testante Solomone cap. 1. Ecclesiast. est timere Dominum (adde per fidẽ) rami enim illius longeui, id propterea in te charita-
D tis ramus pullulauit, fides namque sine operibus mortua est: operatio autem debet esse per charitatem, & delectionem, hinc subditur. *& charitatem tuam*. Cum autem charitas, eum quem ipsa possidet non tantum condecoret, cum sit pulchitudo animæ, verum enimuero, illum ad misericordiæ opera impellat (quapropter charitate ardens homo, vt plurimum pauperum hospitia frequentat, ac ædificat, beneficentia ægentes subleuat, frequens visitat ægrotos, quibus ipse non solum suis sumptibus omnia suppeditat, sed etiam quæ opus sunt, manibus ministrat suis) & iste Antistes in suo episcopatu præfata exercebat charitate accensus misericordiæ opera; ideo filius Dei subiungit dicens: *& ministerium*, obsequia, nimirum, pauperibus Christi à te piè exhibita. Et quia insuper tum in subleuandis pauperibus, tum etiam inimicorum insidijs perferendis nullatenus Præsul iste deficiebat, protinus suæ pa-
E tientiæ laudem attingit filius Dei dicens: *& patientiam tuam*. Et quia denique Thyatirenus Pastor, iste diuina gratia cooperans, de bono in melius semper processit, id propterea eius laudem filius Dei concludit dicens: *& opera tua nouissima plura prioribus*, Perinde ac diceret. Approbo opera tua, quia semper de bonis ad meliora profecisti, iuxta illud: [Ibunt de virtute in virtutem.] Nam cum multa prius feceris in initio tui episcopatus; plura & maiora postea in dies

Psal. 78.

Nota bene circa auxiliũ diuinum.

1. Ioan. 1.

2. Tim. 1.

Zach. 1.

Iob. 1.

Nota bene. Aureum dictum.

dies adiecisti, ita sane, vt opera nouissima plura, & meliora sunt prioribus.

Appendix 1. Catena virtutum. S.Tho.p.2.q.65.

Ex hoc textu collige primò, catenam virtutum dari in quolibet opere bono. Virtutes enim vt potè, fides, spes, charitas, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, patientia, &c. inter sese, sibi cohærent, veluti catena aurea, in qua anulus anulum capit. Quamobrem simul & sibi coniunctim in quolibet nostro bono opere reperiuntur, iuxta illud: [Qui in vno peccat factus est omnium reus.] Bonum namque ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus. Hinc D. Hieronymus in quadam Epistola sic ait: [Omnes virtutes sibi ita cohærent, vt qui vna caruerit, omnibus careat, qui ergo vnam habet, omnes habet.] Hinc Martha cum Domino ministrabat, Lucæ 10. & Magdalena, ad pedes Domini sedebat, & Zacheus in Domum suam Christum hospitem recepit Lucæ 19. & cum etiam quis potũ aquæ frigidæ sitienti dat, Matth. 10. catena hac virtutum accincti fuere, quoniam cum horum opus esset bonum, & mercede dignum à singulis oportebat dimanare virtutibus, vnde quilibet istorum, & fidem, & spem, & charitatẽ, & prudentiam, & temperantiam, & fortitudinẽ, & iustitiam, & patientiam, & reliquas in se obtinebat virtutes, alioquin eorum opus non esset bonum morale.

Opus bonum procedit ex singulis virtutibus inter se colligatis.

2. Appendix. Opera timoris fiunt postea amoris.

Secundò colligito, eum qui cum timore opus bonum inchoat, tandem peruenire ad charitatem, quæ perfecta, foras mittit timorem. Inchoatio etenim bonorum operum (vt etiam Rupertus Abbas in hunc locum indicare videtur) timor est, qui concipitur per fidem, perfectio vero charitas, quæ seruilem excludit timorem: Quamobrem quantumcunque sint opera timoris, quæ tempore, vel ordine priora sunt, sine dubio charitatis opera, tempore nouissima, dignitate plura, & meriti maioris in dies fiunt.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1. Dilucidatio textus. §. 1. fidei duplex acceptio.

Et fidem. (ait.) Dupliciter possumus hoc in loco accipere ly [fidem,] primò siquidem pro fide, quam homo debet habere ad Deum: secundo vero, pro fidei perseuerantia. Vtroque namque modo ly [fides,] mysteria haud exigua indicare semper solet. Quoniam si fides primo modo accipiatur, apparet eius necessitas ad salutem, iuxta illud Apostoli ad Heb. 11. [Sine fidei impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.] Et ad Rom. 14. [Omne quod non est ex fide peccatum est.] Et ad Ephes. 6. [In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.] Quod planè Dominus ipse per Ieremiam in cap. 5. indicauit dicens: [Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.] Hinc ipsamet veritas Iesus Christus Dominus noster, qui dixit ego sum via, veritas, & vita, fidem multorum (viuens in terris, & cum hominibus conuersans) laudauit, postulata eorum eis concedendo. Ad hoc quippè spectat illud Matth. 15. & Mar. 7. [O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis:] Et illud Luc. 2. [Fides tua te saluam fecit:] Et illud Matth. 6. [Confide filiæ, fides tua te saluam fecit:] Et illud Matth. 2. [Non inueni tantam fidem in Israel.] Et meritò Dominus horum fidem ita commendauit, quia fides est reliquarum virtutum fundamentum, & radix; est arma defensiua qua contra malas cogitationes resistimus, est scutũ, & lorica viri fidelis, saluat cum viua est, ad salutem & iustificationem requiritur necessario, est præterea profundissimum fundamentum vnitatis Ecclesiæ, & spiritualis ædificij basis, & totius vitę Christianæ principium. Nulla porro est vera virtus sine fide, cum ipsa sit omnium virtutum prima. Quapropter Christus fidem istius Antistitis apprimè commendauit. Hinc D. Bernardus serm. 40. in Cant. super illa verba: [Posuerunt me custodem in vineis] Fidem comparat vineæ & cæteras virtutes palmitibus, per hæc verba: [Vide etiam consequenter, an rectè quoque dicamus, fidem, vitem, virtutes, palmites; botrum, opus, deuotionem vinum. Siquidem nec palmites absque vite, nec virtus sine fide aliquid est. Sine fide enim impossibile est placere Deo, fortasse, & displicere necesse erit, deniq. omne quod non est ex fide, Peccatum est. Hoc ergo considerare oportuit illos, qui me posuerunt custodem in vineis. Si videlicet propriam custodissem, &c.]

Conc. Trid. sess. Fidei varia Epitheta.

S.Th.2.2.q.4.art.7. & p.2.q.62.

§. 2. D. Cypr. lib. Epist. 3.

Si denique secundo modo consideretur fides, vt potè pro fidei perseuerantia: alta profundaque documenta etiam circunspiciuntur. Quoniam (teste D. Cypriano) manere debet apud nos fidei robur immobile, & stabilis, atque inconcussa virtus contra omnes incursus, atq. impetus oblectantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obsistere. Hinc Apostoli in fide ita perseuerarunt, vt pro ea Petrus crucifixus, capite in terram verso: Paulus decapitatus fuerit: Andreas in cruce biduo viuus pendens martyrium consummauerit: Et Bartholomæus pelle crudeliter detracta, capiteq. abscisso, animã Deo redderet, iuxta præceptum Domini dicentis: [Estote prudentes, sicut serpentes.] Fertur namq. coluber cum vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc solum tueri, saluo capitis vigore, reparare: Sic Apostoli seruato capite, quod est Christus, etiam si omnia eorum membra cæderentur, totumq. vreretur corpus incendijs, aut mergeretur profundo, siue euisceretur à bestijs, hoc tamen capite custodito per fidem, vitæ salus integra in illis permansit. Similia oportet credentes in Christum præstare, ita vt eos, veluti semel supra petram robustam, solida stabilitate fundatos, per fidem ab ea, nec auræ leuis, nec venti, nec turbinis, nec minarum, nec terrorum, aliqua dimoueat occasio. Hinc D. Augustinus lib. de verbis Domini, fidem laudans, in hæc prorumpit verba: [Nullæ maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla huius mundi maior est substantia, quam est fides catholica, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, & cathecumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, & viduas, & coniugales casto pudore conseruat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat in æterna hęreditate cum sanctis Angelis collocat.] Et rursus scribens in Ioannem. [Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species: & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis, vel decoris, ex illa procedit, sic ex fidei humilitate quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima susceptura est ex fidei fundamento procedit.] Hæc D. Augustinus.

Comparatio. Serpentis astutia.

Fideles semper oportet sint in fide constantes.

Fidei encomium maximum.

§. 3. Difficultas.

Verumtamem suboriri poterat difficultas, an fides istius Antistitis Thyatirensis (cum laudetur hic à Christo post suam ad cælos gloriosam ascensionem) esset maior fide Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, quæ non extitit sic laudata à Christo post ascensionem? Respondetur negatiuè. Quoniam illi fuerunt nostræ fidei principium, scriptum si quidem est: [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.] Similem quæstionem efformat D. Chrysostomus in Matth. de fide Centurionis super illa verba: [Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel.] Quam dissoluit negatiuè, sicut & nos hic. Addit D. Chrysostomus fidem Centurionis laudari à Christo. Tum quantum ad originem credendi, quia alij pluribus signis, & miraculis visis, crediderunt: Centurio vèro nulo signo viso, sed ex auditu tantum. Tum in suo genere, vt potè, gentili: quandoquidem cum aliquem rusticum audimus aliquid sapienter loquentem, vel puerum, magis admiramur, & laudamus, quam si Philosophus aliquis

Solutio. Fidei nostræ primordia fuerunt Patriarchæ Prophetæ, & Apostoli.

aliquis illud diceret. Et cum non esset æquale Iudęum credere in Deum, & gentilem, modica fides gentilis Centurionis, magis laudatur, quam fides Iudæorum. Et per hoc asserere possumus, fidem istius Antistitis Thyatirensis, quam hic laudat Christus post ascensionem, magnam fuisse, quantum ad originem credendi, & in suo genere: vt pote, inter Episcopos, & martyres illius primitiuæ Ecclesiæ, sed non facta comparatione ad Prophetas, & Apostolos, quorum nos in fide sumus filij. Episcopus enim iste, fidem ab Apostolis (sicut & nos) accepit. Quod si fide Apostolorum, post Christi in cælos ascensionem, ab ipso minimè laudatur, est, quia eius laus omnibus est manifesta ex eorūdemmet actis, & gestis.

Fides Antistitis Thyatirēsis quomodo laudatur à Christo.

§. 4.

Opera nostra bona indicāt fidem.

Postremo notà, quod primò dicit: [opera tua.] Et postea adiecit, [fidem,] vt clarè demonstretur ex operibus, cognosci fidem, iuxta illud Iac. 2. [Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.] Verumenimuero iste est ordo retrogradus, siue præposterus; Quoniam primò est in nobis fides deinde charitas, & tunc ex fide & charitate sunt opera. Legito de hac re Strabum in sua gloss. ord. & Auctorem incognitum in hunc locum. Sed nihil obstat, quoniam est methodus resolutionis.

PARAPHRASIS
Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus.

§. 1.

Et charitatem (dicit) **tuam.** Optimè quidem post fidem, charitas in hoc Antistite cōmendatur. Charitas namque fidei adiuncta totum purificat cor. Ipsa enim charitas est vita vera, & completa animæ: [Qui non diligit (dicitur 1. Ioan. 4.) manet in morte.] Et ob id cum charitas fidei adiungitur, purificat totum cor, totum hominem, intellectum scilicet, & affectum. [Charitas (dicitur 1. Pet. 4.) operit multitudinem peccatorum] & ita ipsa sola verè purificat. Mouemur namque per illam ad bona opera, & merita, vt organa Dei electa, & ita completur diuina filiatio in nobis, iuxta illud 1. Ioan. 3. [Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.] Hinc Apost. ad Rom. 5. ait: [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] Absente itaque charitate, fides informis dicitur; ipsa vero præsente, fides formata nuncupatur: Id propterea charitas fidei vita est. Hinc D. Bernardus serm. 2. de resurrectione sic ait: [Vnde videtur non incongruè intelligi posse tamdiu Christum in nobis viuere, quamdiu viuit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodammodo Christus in nobis mortuus est.] Et paulo post: [Sicut enim corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis; itaque vita quidem corporis est anima, per quam mouetur & sentit; vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur sicut in Apostolo legis, fidesque per dilectionem operatur, verumtamen, & refrigescente charitate, &c.] Sic ille. Et nullatenus prætereunda est differentia, quæ mediat inter hunc, & Antistitem Ephesinum, illi namque dictum fuit: [Charitatem primam reliquisti,] & huic: [Noui, & charitatem tuam.] Indicat etenim hæc diuersa locutio, Ephesinum Antistitem, peccato obnoxium fuisse alicui, charitate orbatum. Hunc autem Thyatirensem Antistitem charitate munitum, peccatis immunem fuisse: charitate namque peccatum tollitur. Etenim peccatum dumtaxat efficere potest, vt homo Deum non diligat, vicissimque ab eo non diligatur. Pugnant siquidem diuina dilectio, & peccatum. Etenim qui Deum diligunt, digni sunt æterna vita, iuxta illud Ioan. 14. [Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum,] Quod vita æterna est, dicente Christo Ioan. 17. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti

Charitas purificat cor.

Charitas est vita fidei.

D. Bernard.

Comparatio.

Charitate peccatum tollitur.

A Iesum Christum.] Qui autem peccat dignus est morte dicente Apostolo Rom. 6. [Stipendia peccati mors est.] Nemo vero est simul morte, & vita dignus, ob id cum primum quis peccat, Deum diligere desistit. Vbi enim feruor ille est, peccati frigus locum habere nequit; nam contraria mutuo se expellunt. Charitas igitur peccatum tollit, & peccatum charitatem abijciat, necesse est. Hoc ipsum indicauit Paulus cum ad Rom. 8. quæris dicens. [Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius?] Et mox ipsemet respondit dicens: [Certus sum enim quod neque mors, neq. vita, neq. Angeli, neq. Principatus, neq. instantia, neq. fortitudo, neq. altitudo, neq. profundum, neq. creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] Constat autem peccatum creaturam, nullatenus esse, nam pec-
B catum defectus est, & non effectus, & per consequens nequit peccatum creaturam Dei esse. Vnde cum nulla creatura iuxta doctrinam Apostoli possit nos à charitate Dei, hoc est, à dilectione Dei dimouere, ac separare, & peccatum non sit creatura, sequitur apertè peccatum dumtaxat esse, quod nos à charitate Dei, magna inter capedine separat, & disiungit. Hinc Isaias in cap. 59. ait: [Peccata vestra, diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.] Proh dolor, quod nulla creatura potest, posse peccatum? Quod creatura aliqua præstare nequit, non creatura præstet? Audite cæli, quæ loquor, audiat quæso terra, verba oris mei, non creatura profectò est peccatum, defectus namq. (vt dixi) est, peccatum, & non effectus; creatura autem effectus est. Nam homo cum peccat, non rem quamdam efficit, sed ab omni re deficit, & nihil efficitur, iuxta Ezechielem. Hinc sine Deo peccata fieri inconfessum est, cum nulla
C sit creatura, quam non faciat Deus. Est igitur verus sensus huius loci Apostoli; Neque creatura alia poterit, &c. Id est, nemo te separare poterit, non fatum, non stellæ, non dæmon, non principes Angeli, non dæmonum illusiones, non falsa miracula, non delectatio terrenarum rerum, non Principum terrores, sola dumtaxat tua peccata, O homo infælix efficere possunt, vt tu Deum tuum minimè diligas, vicissim ab eo nullatenus diligaris. Cum itaque Antistitis Thyatireni charitas à Filio Dei hic apprimè commendetur inconfessum plane remanet, illum à peccatis immunem omnino extitisse. Laudatur itaque istius Pastoris charitas, & meritò quidem; Quoniam charitas adeò est laudabilis inter virtutes, vt nihil nobilius, nihil pretiosius, nihil efficacius, nihil micantius, nihil sublimius, nihil excellentius, nihiluè excelsius illa reperiatur. Quod enim est homo inter animantia, aurum inter metalla,
D ignis inter elementa, sol inter sidera, cælum empyreum inter cælestia corpora, Seraphim inter Angelos, Christus inter homines, & Virgo Maria inter Virgines; idipsum profectò est charitas inter omnes, & singulas virtutes, siue mortales sint, siue Cardinales, siue Theologicæ. Sed de hoc argumento lege plura apud Prosperum Rossetum in Cant. super illa verba: [Ordinauit in me charitatem] lib. 2. lect. 89. Ex hoc plane amoris, & charitatis Encomio colligere facilè est, quā imflammata esset Maria Magdalena amore Christi, dum ipsemet Christus de illa protulit: [Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.] Lucæ 7. Fuit si quidem Magdalena, veluti Sol inter Sidera, Seraphim inter Angelos, ignis inter elementa, &c.

Peccatum nō est creatura Dei.

Ezech. 18.

Verborum Apostoli verus sensus.

Charitatis magna laus.

Charitate nihil est inter virtutes nobilius.

Magdalenæ laus circa amorē Christi

E

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Ministrare est seruire.

Et ministerium. A ministrare deriuatur ministerium. Ministrare vero idem est quod seruire, iuxta illud Matth. 20. [Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare,] id est, seruire quantum ad ministeria illa, quæ per alios fieri nullatenus poterant, sicut fuit

cui fuit ministerium nostræ redemptionis, vt mox sequitur:] Et dare animam suam redemptionem pro multis.] In quo sane ministerio, in multis maximè laborauit prædicando, itinerando, ieiunando, mortem sustinendo. Ad quam ministrationem quippè venerat, & non ad hoc quod ministraretur ei; quia si vellet quod ministraretur ei, id est, seruiretur, sufficiebat quod maneret in sua maiestate non in assumpta infirmitate nostræ carnis. Nam forma nostra est forma serui. Cum itaque formam nostram acceperit, necesse est, quod ad seruiendum venerit sicut dixit Apostolus quod: [Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.] Intelligendo de seruitute illa sola, quæ quicquid ad redemptionem pertinebat respicit. Cum igitur ministrare, idem sit quod seruire; hinc factum est, quod hoc in loco, ly [ministerium,] dupliciter possit accipi.

Ministerium propriū Christi.

Philip. 2.

§. 2. 1. Expositio.

Ministeria siue ministrationes vtriusque testamēti.

Primò quidem pro ministratione Deo exhibita in altari, quæ spectat ad cultum Dei, proprio nomine [ministerium Dei] nuncupata. vt ministrationes, quæ erant in veteri testamento circa altaria, & sacrificia, vt habetur in libris Leuit. Numer. & Paralipom: & ministrationes, quæ sunt in nouo Testamento, circa rei Sacræ celebrationem, & verbi diuini prædicationem, vt constat apud omnes quattuor Euangelistas passim in Euangelio, & omnes Apostolos, & præcipuè Paulum frequenter in suis Epistolis. Quapropter S. Thom. p. 2.q.87.art.1.& q.174.art.4.ad 3. probat ministros noui Testamenti esse maioris dignitatis, quam ministri veteris testamenti. Quæ omnes ministrationes, ministeria Dei dici, apparet per Apostolum 1.Cor.4. dicentem: [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.] Et in hoc sensu præfatus textus po est accipi de ministerio Episcopali, id est, de ministratione istius Episcopi Thyatireni: tum circa suum officium, & dignitatem Episcopalem; tum circa altaria; tum denique circa diuini verbi prædicationem: in quibus omnibus ministrationibus potuit Episcopus iste fidelis coram Deo inueniri, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 4. [Hic iam quæritur inter dispensatores (id est, inter Episcopos) vt fidelis quis inueniatur?] Vbi Apostolus loquitur de fidelitate prælatorum circa meliorare res & dignitates Ecclesiæ sibi cōmissæ, vt tenet (inter alios) Abulensis super Matth. cap.22.q.116. In quibus omnibus potuit (vt dixi) Episcopus iste Thyatirensis fidelis coram Deo inueniri: & ob id eius ministerium hic à filio Dei laudari, cum dicitur [& ministerium,] adde Episcopale.

§. 3. 2. Expositio.

Ministerium sumitur pro Eleemosynā erogare pauperibus.

Secundo modo potest accipi ly [ministerium.] De ministratione, operatione, & seruitio ægris, egenis ac pauperibus Christi, exhibito per hūc Thyatirenum Episcopum. De qua quidem ministratione, dixit Christus Matth. 25. [Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.] Et sic quadrat hæc nostra secunda enodatio cum Laudunense, in gloss. interlin. & S.Th. qui sic vertunt, [ministerium in Eleemosynis.] Et optimè quidem. Nam Episcopus in eleemosynarum elargitione, & pauperum subleuatione redditus, & emolumenta sui Episcopatus libenter erogabat. Quod proprium ministerium est Episcoporum. Quapropter quidquid Episcopi thesaurizant, vt parentibus non indigentibus tribuant, vel in vsus superfluos expendant, vel ioculatoribus conferāt, hoc totum subtrahitur, rapitur, ac omnino furatur pauperibus Crucifixi, vnde Isa.3. dicitur: [Rapina pauperum in domo vestra est.] Manus enim pauperis est gazophylacium Christi. Et quicquid pauper accipit, Christus accepit. Hinc D. Hieron. in quadam Epist. bonis Episcopis ait: [Gloria Episcopi, est pauperum opibus prouidere:] Et Hugo de Claustro animæ lib.1.cap.1. malis sic scribit: [Episcopi domos non impares Ecclesijs magnitudine construunt, pictos delectantur habere thalamos, vestiuntur ibi imagines pretiosis colorum indumentis. Pauper autem sine vestibus incedit, & vacuo ventre clamat ad hostium. Et vt verum fatear spoliantur pauperes sæpè, vt vestiantur lapides & ligna, ornant prætoria columnis, fores domibus anteponunt, quæ vtinam pauperes includerent, & non excluderent.] Accedunt ad hoc sanctum, & pium opus roborandum, Præpositorum Ecclesiæ pleraque exempla, quorum vnum dumtaxat referam. Legitur enim Siluestr. primū, Summum Pontificē, pauperum, viduarum, & orphanorum tantam suscepisse curam, vt eorum omnium nomina seriatim in codicillo descripta, crebrò (immo quotidie) lectitasse, vt per singulos dies, eorum necessitatibus subueniret.

Pauperum manus gazophilacium Christi.

Siluester I. Papa nomina pauperū apud se retinebat descripta, & cur.

DISPVT. XVIII.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Eleemosynis ab Episcopis pauperibus Christi faciendis.

In quatuor Quęstiones distributa super illa verba. *Et ministerium*.

Prologus Disputationis.



POSTREMA hæc enodatio nostra, qua per [ministerium,] opus eleemosynarum intelligimus, directè postulat vt diuentilemus: An Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, quæ procurant pauperibus non elargiantur? Quam difficultatem pertractat Angelicus Doctor 2.2.q.185. art.7. Alexander de Alef.3.p.q.36.Membro.5.art.2.Richardus in 4.dist. 45.art.3. quæst.1. Soto lib.10. de Iust. & Iur. quæst.4. art.3.Thomas Valden. tom.1.lib. 4.cap. 42.Turrecremata, in cap. videntes 12.quæst. & Nauarrus lib. de redditibus Ecclesiasticis sup.cap.fin.16.q.1 Hæc difficultas facilius intelligetur supponendo hìc primò, quod bonorum, quæ Episcopis possidere contingit, quinque dari possunt genera. Quorum primum est pretium rerum venditarum, quod in primitiua Ecclesia a fidelibus ante pedes Apostolorum ponebatur, vt ex ipsis tam clerici, quam pauperes alerentur. Secundum quadripartita diuisio bonorum, quæ olim inter fideles fiebat, quarum prima pars Episcopo, secunda Clero, tertia fabricæ Ecclesiæ, quarta pauperibus applicabatur: quæ plane quadripartita diuisio incæpit in Ecclesia Dei in quinta centuria à Christo, vt potè circa tempora, D. August. & D. Hieron. sedente Simplicio, vt produnt Soto, & Bañes. Tertium genus bonorum sunt decimæ, quæ lege Ecclesiastica ministris Ecclesiæ offeruntur, vt habetur extra, de decimis per totum, & 16.q.1. Can. decimas, & sequen. Quartum genus est eorum bonorum quæ fideles offerunt in Ecclesia, non in fabricæ Ecclesiarum, nec in pauperum subsidium, sed in merum stipendium seruitij alicuius altaris, vel capellæ, puta, anniuersaria, &c. Quintum & postremum genus bonorum, quæ Episcopis aliquando possidere contingit, sunt bona patrimonialia, vel quouis colore, aut labore acquisita, quod vulgo bonum patrimoniale, vel bonum acquisitum nuncupatur, hoc supposito, ad rem.

S. Tho. Alex. de Alef. Richard. Soto. Th. Valden. Turrecrem. Nauarrus.

Bonorum Ecclesiasticorū quinq. genera

Act. 4. Driedo de Dogmatibus varijs, & lib. Apocr. lib. 4.

Qua-

Quæstio I.

Vtrum Episcopi, de bonis patrimonialibus teneantur ad Eleemosynam faciendam?

1. Conclusio. Eleemosynas facere tenentur Episcopis de bonis patrimonialibus. 1. Ratio.



PRIMA conclusio. De superfluo bonorum patrimonialium, tenentur Episcopi eleemosynas facere: Probatur. Tum quia præceptum de eleemosyna, obligat omnem, propria habentem, loquendo de superfluo, quod est in præcepto, nam reliquum est in concilio, vt rectè distingit Angelicus Doctor 2.2.q 32.art.3. At Episcopus habet illa bona patrimonialia, tanquam propria, & iure hereditario sibi debita: Quoniam Episcopi non emittunt paupertatis votum, nec tenentur ad hoc, quod sine proprio viuat, vt rectè prodit idem Angelicus Magister, 2. 2.q. 185.art.6. Quinimmo Episcopis propria conceduntur in Conc. Agathensi, & in Conc. Martini Papæ, & in reliquis Concilijs: Igitur de superfluo talium bonorum propriorum tenebitur Episcopus eleemosynas facere, eodem vinculo, & obligatione præcepti, quo alij laici bona propria, vel acquisita habentes. 2. Ratio. Tum quia Episcopi, de his quæ iure hæreditario possident, & etiam de acquisitis, possunt parentibus, & hæredibus suis, aliquid vel totum derelinquere, vt habetur 10.q.1.cap. Episcopi: Ergo à fortiori, dum viuunt, tenentur de illis bonis pauperibus Christi eleemosynas facere. Consequentia liquet. Quoniam Dominus ait: [Beatus vir qui intelligit super egenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus.]

Cæterum, contrarium facientes non tenentur ad restitutionem, vt indicat S.Th.2 2.q.185.art. 7. quoniam sunt bona propria, & eorum dominio deputata, obligantur tamen maiori vinculo, quam laici, & si non ex iustitia (vt aliqui putant) tamen ob præceptum misericordiæ, tam ratione status, quam ratione officij Episcopatus, cuius finis est perfectionem vitæ Christianæ exercere. Soto. Bañes.

Quæstio II.

Vtrum Episcopi de bonis, & redditibus Ecclesiasticis, siue sint decimæ, siue aliquis alius redditus sui Episcopatus teneantur Eleemosynas facere?

1. Conclusio. Eleemosynas elargiri tenentur Episcopi de redditibus Ecclesiasticis. 1. Ratio. 2. Ratio. 1. Cor. 4.



PRIMA Conclusio est affirmatiua, Et probatur. Tum quia ea bona censentur vt communia, & sic vt communia dispensanda veniunt, & non retinenda. Tum quia hæc bona commissa, & credita sunt Episcopo, tamquam bono dispensatori vt 2.2.q.185. art. 7. indicat S.Th. At D.Paulus ait: [Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur:] Igitur oportet vt Episcopus sit fidelis dispensator bonorum Ecclesiasticorum fideliter sibi, & pauperibus, fabricæq. Ecclesiæ distribuendo. 3. Ratio. Tum quia si de illis, pauperibus minimè dat, tenetur ad restitutionem, vt indicat S. Thom. in

A quodlibetis. Tum quia Episcopus est pauperum pater & ob id tradita sunt ei bona Ecclesiastica vt rectè prodit Card. Caietan. 2.2. in solutione 2.q. vt pauperibus distribuat. 4. Ratio. Pauperum pater Episcopus.

Secunda conclusio. Si redditus Episcopales fuerint tenues, paucum; si vero pingues, multum, tenentur Episcopi dare pauperibus. Probatur ex illo Tobiæ 4. [Si multum tibi fuerit multū pauperibus præbe, si exiguum ipsum etiam exiguum libenter impartiri stude.] 2. Conclusio.

Hinc qui decimas mediocres habet, & qui amplas, & copiosas recipit, iusta lege, tenetur eas pro rata pauperibus erogare; quoniam decimæ in lege euangelica non solum pro vsu, aut victu ministrorum dantur, sed etiam pro vsu pauperum. Quamobrem Clemens Papa lib.2.const. Apost.c.19. ita habet: [Homo B Dei, id est, Episcopus, quę ex decimis, & primitijs secūdum mandatum Dei dantur, rectè dispenset orphanis, viduis, afflictis, & peregrinis egentibus.] Et paulo post [Impartite ergo Episcopi cum iustitia omnibus indigentibus.] Et ita lib.2. c. 39. [Dabis Episcopo iuxta tua: Te enim dare oportet, illum vero distribuere, tamquam œconomum & dispensatorem rerum Ecclesiasticarum.] Appendix 1. Decimæ distribuendæ veniunt pauperibus.

Idem prorsus existimo dicendum de illis bonis, quæ temporali dominio & titulo possident Episcopi, vti sunt castra, villæ, ciuitates, &c. De superfluo siquidem istorum bonorum, illis vasallis suis tenentur eleemosynas præstare, prout est dictum. Hinc Caietanus: [Hæc bona principaliter data sunt in honorem Ecclesiæ, in auctoritatem cathedræ, & pro communi bono ipsius Domini; secundario vero, vt exinde eleemosynæ fiant C pauperibus.] 2. Appendix.

Quæstio III.

Vtrum Episcopi ex parte illa, quæ pauperibus debetur, & etiam ex bonis illis quæ Ecclesijs offeruntur vt pauperibus communicentur, teneantur eleemosynas facere pauperibus ipsis secundum rationabilem portionem?

D

1 Conclusio. Eleemosynas secundum rationabilem portionē pauperibus debent elargiri Episcopi.



CONCLVSIO est affirmatiua, sed prius ad illius clariorem intelligentiam, præmitto cum S. Thom. quod Episcopi ex bonis Ecclesiasticis, tenentur quatuor facere partes, quarum vna, suæ inseruiat personæ, altera pauperibus, altera fabricæ Ecclesiæ, & altera clericis. Verba autem D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. talia sunt: [Sunt autem bona Ecclesiastica non solum in vsus pauperum, sed etiam ad cultum diuinum, & necessitates ministrorum expendenda: vnde dicitur 12. q. 2. de redditibus Ecclesiæ, vel oblatione fidelium, sola Episcopo, ex his vna portio mittitur, duæ Ecclesiasticis fabricis, & erogationi pauperum pro futuræ a presbytero, sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur.] Quamquidem bonorum Ecclesiasticorum diuisionem supra E nos proposuimus in prologo huius disputationis, dum de secundo genere bonorum, vt potè, de quadripartita bonorum diuisione ageremus. Quam etiam indicauit Dominus in linteo illo, quo & se præcinxit, & pedes suorum Apostolorum tersit, vt habetur Ioan. 13. Itaque in quæstione, sermo dumtaxat est de illa parte bonorum ecclesiasticorum (siue sint redditus, siue Fundamentū S.Tho.

siue decimæ, siue aliquid aliud) quæ pauperibus ad iudicata fuit, an scilicet, ex illa teneantur Episcopi facere eleemosynas pauperibus, secundum rationabilem portionem. Et probatur quod sic. Tum quia illa bona cum tali onere, & conditione offeruntur, acceptantur, & recipiuntur ab Ecclesia. Igitur sic distribui, & dispēsari debent ab eius gubernatore. Tum quia talium bonorum, Episcopus non est Dominus, nec illorum dominium habet, cum non sint sua, nec propria, sed communia pauperibus Christi: Igitur tenebitur ea distribuere pauperibus pro rata secundum rationabilem portionem.

1. Ratio.

2. Ratio.


Hic plane venit in mentem dictum aureum (& verè aureum) Isidori Pelusiani in Epist. ad Pallad. Diaconum de iudicio in Episcopos, de quibus sic ait: [In altero sæculo pronunciabitur contra Episcopum, à iudice incorrupto, in illo horribili tribunali, cum clamabunt esurientes, his vocibus. Nos quidem neque cibos ad necessitatem naturæ, ab hoc accepimus, hic vero delitijs perfluens, & opes congerens, reliqua in honores splendidos insumpsit: Nudi dicent: Durior hic, & difficilior quam hyems nobis fuit; Ægroti, grauior ipsa ægritudine extitit: Pupilli, nullum patrocinium ab eo tulimus: Viduæ, non attulit nobis consolationem: Inclusi in carcerem, non stillauit in nos lacrymam compassionis: Calamitosi, non porrexit nobis manum subleuationis: Et (vt summatim dicam) cum omnes quorum est Episcopus ordina us in eum clamauerint, quid facturum existimas esse iudicem incorruptum? An non grauiter puniet, quem nec honor fecit meliorem? Omnibus sanè liquet ita fore. Si quis vero non credit pronuntiationem sententiæ, in Euangelio legere potest.] Hæc Isidorus.

Isidorus pelusianus Epistola ad Pallad. Diaconum.

Pauperes clamabūt in die iudicij contra Episcopū suum.

Quæstio IV.

Vtrum Episcopus ex illa parte sibi adiudicata, pro decentia status sui, & etiam ex bonis licitè acquisitis teneatur facere eleemosynas?



De superfluo horum bonorum, quamuis non ex iustitia (quoniam horum est verè Dominus) tamen ob misericordię praceptum, prout dictum est in prima quæstione, tenetur facere Episcopus eleemosynas, maiori vinculo; quam laici. Hinc S.Th. 2.2.q.185.art.7.ad 2.ita scribit: [Si de eo quod vsui Episcopi, vel alicuius clerici est deputatum, velit sibi aliquid subtrahere, & consanguineis, vel alijs dare, non peccat, dummodo illud moderatè faciat, in quo aliàs esset peccatum contra charitatem.] Et Caietanus ibi in suis commentarijs: [De deputatis suo vsui, potest Episcopus pro suo libito dare.] Sed de hac re legito Adrianum in 4. quæst. 12. & quodlibeto 6. art. 12. Maiorem in 4. distinct. 24.quæst.17.& Nauarrum de redditibus Ecclesiasticis. q.1.monit.43.

1. conclus. Eleemosynas facere tenētur Episcopi de parte illa sibi adiudicata.

S.Tho.

Nota tamen in calce huius quæstionis, quod vbi est sermo in hac disputatione, de obligatione ex iustitia, delinquentes teneantur ad restitutionem pauperibus faciendam. Vbi vero est sermo de obligatione ex sola misericordia, contrarium facientes, non tenentur ad restitutionem.

Nota bene circa totam hanc disputationem de pauperū eleemosynis.

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4.

Et patientiam (ait) tuam. Quia pastoralis ministerij labores, tum etiam, & pauperum importunitates in eleemosynis primo, & nimis cito accipiendis, fastidium tædiumque gignere sæpius solent; ideo post ly [ministerium,] èvestig o huius Thyatireni Episcopi patientia commendatur, eo quod quamuis Pastor iste his grauaretur incommodis, tamen, quia charitate vehementer redolebat, & charitas (teste Apostolo 1. Corinth. 13.) patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.] Quapropter commendata charitate, vt supra patet, eius etiam patientia summis laudibus commendari etiam oportebat; Patientiæ namque opus est nobis, in laboribus, iniurijs, & tormentis, exemplo Ioseph, & Dauid. Quorum vnus, facinus, quod in eum commiserant fratres sui (vt dicitur Gen. 37.) & patienter tulit, & clementer indulsit. Alter vero cum occidere pluries potuisset Saul, ipsum acriter persequentem, & præcipuè quando abscidit oram chlamydis eius inueniens eum dormientem (vt dicitur 1.Reg. 24.) noluit, immo sustinuit patienter. Vnde Episcopus iste Thyatirensis patientia muniebat se. Nam hac, & Reges, & Principes, Papæ, & Cardinales, diuites, & pauperes, armari conuenit, eo quod ipsa omnes communiter indigent. Sicut namque in partu, paupercula, & Regina ijsdem laborant doloribus, item terra diuitis, & & pauperis, nisi conuenientem acceperit imbrem non potest alicuius pretij fructus ferre: haud secus in operatione animæ, non sapiens, non locuples, regnat in gratia, nisi per patientiam. Vita siquidem Christianorū, mel immitari debet, quod cum sit dulce, acerbi aut venenosi, nihil admittit: ad hunc modum isti quæcumque obuenerint, siue prospera, siue aduersa, benigni sunt, fructu patientiæ gaudentes. Hinc patientia in Sacra scriptura multoties commendatur tamquam omnibus necessaria, iuxta illud Prou. 19. [Doctrina viri per patientiam noscitur.] Eccles. 7. [Melior est patiens arrogante.] Et Lucæ 21. [In patientia vestra possidebitis animas vestras.] Et ad Rom. 15. [Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam, scripta sunt vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.] Et ad Heb. 10. [Patientia autem vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.] Patientia namque iram extinguimus, sicut ferrum ignitum, cum aqua attingitur, ignem amittit.

Eliminatio textus.

§. 1. Pauperes aliquando importuni.

Patientia est charitatis effectus.

Simile.

Christianorū vita.

Simile.

Diuus Cyprianus serm. 3. referens nobis patientiæ vtilitates, ita scribit: [Patientia est, quæ nos Deo, & commendat, & seruat, ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperum fouet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis, & maritatis indiuiduam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias, & contumelias mites.] Hæc Cyprianus de bono patientiæ.

§. 2. S. Cyprianus serm. 3.

Obiter est maximè animaduertēdum, duodecim esse gradus patientiæ per quos veluti per scalam ascenditur ad charitatem Christi. Quorum primus est, malo- non re-

§. 3. Patiētiæ duodecim gradus.

non resistere: [Ego autem dico vobis, (dicitur Matth. 5.) non resistere malo.] Secundus, malum pro malo non reddere: [Nulli malum (dicitur ad Rom. 13.] pro malo reddentes.] Tertius, malum non respondere Prou. 26. [Non respondeas stulto, iuxta stultitiam suam.] Quartus est, inimicum diligere, Matth. 5 [Benefacite ijs, qui oderunt vos.] Sextus est contra flagella non murmurare, 1.Cor. 10. [Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.] Septimus est, flagella, & quælibet aduersa libenter sustinere, 2. Cor. 12. [Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.] Octauus est, de flagellis gaudere iuxta illud Apostoli: [Omnia possum per eum, qui me confortat.] Nonus, tribulationem dulcem reputare, Deut. 32 [Innundationes maris quasi lac suggent.] Decimus, de tribulationibus gratias referre, ad Thes. 5. [In omnibus gratias agite. [Vndecimus, se ad alia sustinenda parare, Matth. 5. [Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe ei, & alteram.] Duodecimus, & postremus gradus patientiæ est; in flagellis dolorem non sentire, iuxta illud Prou. 23. [Verberauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi.] Per hos itaque duodecim gradus, veluti per alteram scalam Iacob, Genes. 28. ascendunt, & descendunt Angeli: si enim patiens fueris, Angeli tibi in tua patientia ministrabunt.

Par. 1.

P A R A P H R A S I S
Quinta.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Et opera tua (dicit tandem) nouissima plura prioribus. Adimpletum quippe fuit in Antistite isto illud Ecclesiastici 2. [Sustine sustentationes Dei coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua.] Spiritualis enim vita consistit in gratia, & eius augmento: ideoque illi à Filio Dei dicitur: [Et opera tua (approbo, & laudo) nouissima plura prioribus.] Nullatenus itaque Antistes iste Thyatirenus charitatem in vacuum recepit. Verum quidem est, quod fides in plerisque esse potest absque charitate, vti patet in Christianis sceleri læthali obnoxiis. Verum enimuero charitas absque fide nusquam esse valet: eo quod, charitate, Deo placemus, & [impossibile est (vt ait Iacobus) sine fide placere Deo:] ideo vbi est charitas, est ex consequenti Christiana perfectio: eo quòd perfectio vitæ Christianæ, quæ est vita spiritualis, licet principaliter, & per se, consistat in interioribus; tamen præcipuè in charitate, vt tenet S. Thom. 2.2.q.184.ar.1.2.3 & 4. & q.81.art.7. vnde cum in Antistite isto esset fides, & charitas, vt ex superioribus patet, supererat planè, vt in illo perfectio spiritualis vitæ Christianæ etiam reperiretur. Perfectio autem ista spiritualis vitæ, virtutum profectum sanè attingit, de quo Psalmista ait: [Beatus vir cuius est auxiliũ abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.] Quibus verbis, docet vates Dei ad assensum gloriæ, cooperationem nostræ voluntatis requiri, quæ cum gratia ad bene merendum concurrit, & hominem de vna virtute ad aliam proficere facit. Non enim inter virtutes minor interest vnitas, quam inter vitia interfit conformitas. Quapropter quemadmodum vnum vitium ad aliud attrahit, iuxta illud: [Abyssus abyssum inuocat.] haud secus (quinimmo multo fortius) vna virtus ad aliam impellit virtutem. Id propterea homo manens in gratia, semper in virtute proficit, vel nouas acquirendo virtutes, vel prælibatas augendo, eò quod sola perseuerantia virtutis, ipsam auget, sicut diuturnitas, peccatum. Et sic semper vel homo proficit, vel deficit, & numquam in eodem statu permanet: quod facit, cum diuina gra-

Spiritualis vita consistit in augmento gratiæ.

Charitas est perfectio vitæ Christianæ

S. Thom.

Virtutum progressus.

Opus bonum ad opus bonũ impellit.

Permanens in gratia, in virtutibus magnos facit progressus.

A tia, libertas voluntatis, eò quod gratia per se sola non sufficit, nisi voluntas ipsam sequatur. Hoc indicat planè ly, [ibunt de virtute in virtutem.] Ibunt namque, cooperationem nostræ voluntatis planè indicat, quæ de virtute proficit ad virtutem. Iste autem profectus tamdiu durat, quamdiu præsens durat vita, eo quòd post ipsam, status proficiendi in meritis, nullatenus datur. Quinimmo in eodem statu, in quo quis præsentem, peccati, vel meriti, terminat vitam, in eodem semper manet. Ideo subiungit Psalmista dicens: [videbitur Deus deorum in Sion.] nimirum, ita proficiet de virtute ad virtutem, vsque ad Dei visionem in Sion (hoc est, in clara speculatione) perueniat. Ex his itaque Psalmographi verbis, colligere licet, qualiter præsul iste Thyatirenus, gratia Dei, de virtute profecit ad virtutem, idest, de operibus ad opera, cum textus dicat: [Opera tua nouissima plura prio-
B ribus.] Vbi de meritorum gradibus (vt dixi) planè est sermo: Non enim ad summa repentè peruenit opera, sed ad virtutum celsitudinem, per incrementa, gratia Dei ductus fuit, vt sanè indicat ly, [plura prioribus.] Quæ omnia; & singula Antistitem istum dignè ad dignitatem Episcopalem peruenisse demonstrant. Nam qui non est perfectus in virtutibus moralibus, indignè officium prælationis sumit. Hinc Sanctus Thomas 3. par. quæst. 41. art. 3. ad primum, sic ait: [Nullus debet assumere prælationis, aut prædicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in virtutem perfectus, sicut de Christo dicitur, Actuum cap. 1. quod cœpit Deus facere, & docere; & ideo Christus statim post baptismum auctoritatem vitæ assumpsit, vt doceret, post carnem edomitam, oportere alios ad prælationis, prædicationisue officium transire, secundum illud Apostoli: Castigo corpus meum,
C & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.] ita S. Thomas.

Virtus crescit.

Culmen perfectionis, & apicem virtutis paulatim attingimus.

Prælati indigni.

Istud autem virtutum incrementum explicauit Dominus cum Marc. 4. dixit: [Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaceat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille: vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxit fructus; statim mittit falcem, quoniam adest messis.] Ecce veritatis voce (ait D. Gregorius lib. 22. moralium cap. 20.) per qualitates frugum distincta sunt incrementa virtutum: Ait enim, primum herbam, deinde spicam; deinde plenum frumentum. An non adhuc herba fuerat Petrus, cum ab ore ancillæ subito ex vnius flatu sermo-
D nis inflexus est? Iam quidem per deuotionem viridis erat, sed adhuc per infirmitatem tener. Plenum verò frumentum in spica inuentus est, quando persequentibus principibus resistebat dicens, Actuum cap. 5. [Obedire oportet Deo magis quam hominibus.] plenum frumentum inuentus est, quando in tritura persequutionis, & nequaquam palearum more imminutus est, sed granum permansit.

§. 3.

Incrementũ virtutis.

Petri Apost. principis incrementa virtutum.

Perfectio Christianæ vitæ, vt ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 3. consistit in charitate principaliter, & essentialiter, & in consilijs secundariò, & instrumentaliter. Intelligit autem per consilia, præcepta quæ ordinantur ad charitatem, inter quæ sunt ieiunia, vigiliæ, orationes, eleemosynæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium fa-
E cultatum. Et concludit hæc omnia non esse perfectionem ipsam, sed perfectionis instrumenta. Quia non in ipsis consistit disciplinæ spiritualis vitæ finis, sed per illa peruenitur ad finem; quoniam ad perfectionem charitatis, istis gradibus ascendere nitimur.

§. 2.

Perfectio Christianæ vitæ in quo consistat. S. Tho.

Perfectionis instrumenta.

Dices forte, ego inductus fui sacco, & cilicio, ieiunaui, disciplinas crebrò recepi, &c. & in principio istud

§. 3.

F mihi valde difficile apparebat. Cæterum iam modo cõsuetudine assuefactus, non est mihi difficile, meas sic domare carnes, quinimmo cilicium, & reliqua, sic fero, quasi nihil afferrem; quæro igitur modo, cum virtus sit circa difficile, an modo habeam meritum in cilicio, sicuti olim in principio merebar? Dico in tali pœnitẽte, nunc propediem augumentum fieri virtutum, eo quod sola perseuerantia virtutis auget eamdem virtutem. Idcirco perseuerantia in bonis operibus toties commendatur in sacra pagina, vt videre licet ex illo Matth. 10. [Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.] Istud autem virtutum augumentum non tantum fit, nouas adquirendo virtutes, verumetiam præhabitas augendo, propter rationem assignatam, nimirum, quia sola perseuerantia virtutis ipsam auget.

Solutio.

Conceptus prædicabiles in textum.



Concept. 1. De bonorum, & malorũ differentia finali.

VO hominum genera diximus reperiri. Primum, quorum est, de vna ad aliam peruenire virtutem, veluti præsul iste, de quo dicitur: [Noui opera tua nouissima plura prioribus.] Secundum vero, quorum est, per vitia ita lento ac diligẽti, currere gressu, vt ex vno scelere protinus ad aliud nequius perueniant facinus, & hi sunt illi, de quibus Dominus dixit Luc. 11. [Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.] Vides diuersa nouissima? Bonorum nãque nouissima plura, & meliora prioribus: Malorũ vero nouissima, peiora & deteriora prioribus. Vah, Beatus sanè vir est ille cui dicitur: [Noui opera tua nouissima plura prioribus] hoc est, noui te à iuuentute tua, vsq; in hisce senectutis tuæ diebus, & vidi te, in adolescentia adeò deuotũ, in iuuentute, eleemosynis, orationibus, &c. maximè deditum; in ætate perfecta, nimirum, dum eras vir, ieiunijs, disciplinis, &c. totum traditum, & modo in senectute adeò sanctũ & iustum, vt iustè dicam, nouissima tua plura, & meliora fuisse prioribus. Et è contrario, væ homini illi cui dicitur: [& fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus] nimirum, vidi te malum in adolescentia, peiorem in iuuentute, pessimum quando factus fuisti vir, & omni scelere prorsus repletum in senectute, ita vt de te meritò dicam, facta sunt nouissima hominis istius peiora prioribus. Hinc Ecclesia pro augumento virtutum, & charitatis orat, dicens: [Deus virtutum cuius est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, vt quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias.] Et de hoc ipso virtutum, & charitatis augmento venit intelligendum illud Prou. 4. [Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.] Ad quod etiam planè alludere potest illud, quod de Ecclesia dicitur Cantic. 6. [Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?]

Nouissima bonorum, & malorum diuersa.

Vitæ progressus bonus.

H

I

Vitæ progressus malus, & pessimus.

Prou. 4.

K



ED habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere seruos meos fornicari, & manducare de Idolothytis. Tex. 21.

COMMENTARIVS.

Enodatio cõtextus.



G OST laudes eximiaque encomia, iam ad increpationes, maximasque redargutiones hìc peruenitur.

Verumtamen vbi noster vulgatus legit *Pauca* Primasius, B. Augustini discipulus transtulit, *multa*. Ideoque sic vertit: [Sed habeo aduersus te multa.] Cuius diuersæ lectionis, hanc plane possumus reddere causam, nimirum, vt inde nos facilè colligeremus, hoc cælestè principiũ, videlicet. Quod pauca respectu Dei multa aliquando sunt respectu nostri, & vice versa. Calix namque ille aquæ frigidæ sitienti misericorditer propinatus; minuta insuper illius viduæ in gazophylacium missa, respectu nostri, parua quidem fuere, cæterũ, respectu Dei, ita sane magna reputata extiterunt, vt pro illis ipse beatitudinẽ promitteret ei æternã. Porrò hominum solicitudo, cura & diligentia erga multandos peccatores, pauca paruaq; inter iudices terrenos crebrò esse solet, at vero coram iudice illo cælesti, de quo scriptũ est: [Deus iudex iustus,] multa, magna, maximaq; semper est, & fuit, vt indicat illa vox Dei, ad Adam, [Adam vbi es?] & illa altera ad Cain, [Quid fecisti?] ac etiam illa alia ad Dauid, [Tu es ille vir.] Denique si de diuinis fauoribus fuerit sermo, id quod minimũ est apud Deũ, maximũ reputatur apud homines; Nã si loquimur de miraculis: liberatio populi Israelde Ægypto, submersio Pharaonis in mari Rubro, columna illa nubis per diem, & ignis per noctem, conuersio petræ in stagna aquarum, elargitio Manhæ, & alia antiqua Dei miracula, ac etiam noua per Christum operata, vtpotè, resurrectiones mortuorũ, illuminationes cæcorum, curationes claudorum, aridorum, dæmoniacorum, parua quidem fuerunt apud Deum (maiora siquidẽ facere potuit, & adhuc potest) at vero respectu nostri, magna sanè, ac ingentia meritò, & habentur, & prædicantur. [Vnum opus feci (dixi Christus, Ioan. 5. in curatione paralytici) & omnes miramini.] Tot si quidẽ corã hominibus opera repræsentabat illud opus Christi, vt iustè mirarentur omnes: ideo meritò mox subiungit Christus: [Mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato.] Quibus verbis apertè demonstrat Christus, corpus, & animam illius paralytici per illud vnicum opus suũ miraculosum apprimè curasse, Quoniam ly [totum hominem] integram sanitatem dicit corporis & animæ. Idem prorsus reperies in creatione; gubernatione, & redemptione, quandoquidem vnicum opus Dei est creatio: at creata ferè infinita apparent apud homines. Vnicum itidem opus Dei est gubernatio: verumenimuero gubernata quis denumerare valet? Tandem vnicum dumtaxat opus Dei fuit redemptio; cæterum redemptos quis ad certum redigere potest numerum? Quamobrem dicimus, quæ magna sunt apud nos, crebrò parua apparere coram Deo, & è cõuerso, quæ parua, & pauca sunt apud nos, maxima, & ingentia aliquando esse coram Deo. Et quia Antistes iste Thyatirenus, peccata populi sui, & gregis sibi crediti parua existimabat (nihil enim mali per se, & in propria persona commiserat, sed dũtaxat nonnulla scelera contra legem, & honorẽ Dei fieri in Diœcesi sua permiserat,) quę multa & maxima apud Deũ reputabantur: Ideo Deus loquens per ironiam cum illo, post eius laudes, sic ait: *Sed habeo aduersus te pauca* id est,

§. 1. Primasius in comment.

Matth. 10.

Luc. 21.

Gen. 3.
Gen. 4.
2. Reg. 12.

Miracula Dei magna apud homines.

ideſt, nonnulla quæ tu pauca reputas,mihi plane,magnum parant faſtidium, ac tedium.Et explicans quæ eſſent illa mox addit: *Quia permittis mulierem Iezabel,* Perinde ac diceret:Pauca quæ contra te habeo,eo ſane tendunt,quod quamuis te nimis laudabilem in propria perſona repererim, tamen reum te conſtituo , reprehenſioneque dignum adiudico,ex omiſſione officij tui Epiſcopalis,eo quod *permittis,* (hoc eſt,in Eccleſia tibi commiſſa,finis) *mulierem* illam nefariam *Iezabel*, quam cum excommunicare,& anathematizare (præuia tamen primò correctione fraterna,vt de more eſt in Eccleſia Dei , iuxta illud : [Si peccauerit in te frater tuus,vade & corripe eum inter te,& ipsũ ſolũ, &c.]) tenearis , eam ab Eccleſia tua expellendo , iuxta illud Matth. 18.[Sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus.] ne cæteris noceat , illam hactenus nimis ſaltem minimè terruiſti,iuxta illud Pſalmiſta:[In chamo & freno maxillas eorum conſtringe , qui non approximant ad te.]& rurſus: [Reges eos in virga ferrea , & tamquam vas figuli confriges eos.]Et oſtendens facinora.crimina,& delicta huius nefariæ mulieris ait : *Quæ ſe dicit Propheten.* hoc eſt , quæ ſe prophetare, & ſecreta occultaque Dei arcana intueri aſſirmat.Et hinc eſt, quod tu permittis ei hæc omnia , vtpotè *docere* publicè per domos,vicos,& plateas,& quod peius eſt,in Eccleſia Dei,toto concurrente in vnum populo fideli (vt orationes ad Deum fundant, doctrinamque ſanam reportent ex Domo Dei) & tunc ipſa publicè docens incipit:*Seducere ſeruos meos*,docens illis *fornicari*,hoc eſt, coire,coitu illicito,& abſque fœdere matrimoniali,*& manducare de Idolothytis* , de cibis, nimirum, vetitis , idoliſque immolatis. Hæccine erant vllo modo à te C permittenda?Nonne hæc abſcondita ſunt apud me , & ſignata in theſauris meis , vt retribuã tibi in tempore? Exiſtimaſti inique,quod ero tui ſimilis? Arguam te , & ſtatuam contra faciem tuam . Multa plane habeo tibi dicere, ſed quia illa non potes portare modo , paucis hic dumtaxat te volo .

Increpatur paſtor Thyatirenus.
Ioan.16.

P A R A P H R A S I S

Prima .

Par. 1. Dilucidatio textus .
§. 1. Permiſſio qd ſit.
permiſſionis gemina acceptio.

Permittis. Accipitur hic permittere , propriè ac ſtrictè,prout ſcilicet, diſtinguitur permiſſio, à conceſſione,quæ largè dicitur permiſſio:Sumitur namque hoc in loco, permittere quatenus in permiſſione ſola negatio punitionis,vel prohibitionis attenditur.Aliud D ſiquidem eſt permittere non puniendo,& aliud eſt permittere aliquid fieri ſtatuendo,vel concedendo. Primò modo non iudicatur ex permiſſione aliquid eſſe illicitum,aut licitum cum nullius auctoritas interueniant . At verò in ſecundo modo, id quod fit ex permiſſione , licitum eſſe oſtenditur, eo quod auctoritas concedentis concurrat,quæ facit actum licitum.Hinc proculdubio eſt,quod cum iuxta regulam illam iuris,nimirum: [Quod non permittitur vno modo alicui , non debet permitti ei,alio modo,]permittere hic non poſſit ſumi ſecundo modo,ſcilicet,pro permittere ſtatuendo , vel concedendo,quæ permiſſio facit actum licitum Quoniam cum Deus in veteri Teſtamento,nihil vmquam ſtatuendo,vel concedendo permiſerit,quod eſſet peccatum mortale , & inſuper clarè conſtet fornicationẽ in vtroque teſtamento, & mortale eſſe , & valde prohibitum facinus,remanet apertum Epiſcopum Thyatirenum nullatenus potuiſſe permittere Iezabeli fornicationem,& eius Idolothytorum ſtatuendo,vel concedendo,eo quod ſic actus illicitus ex ſuo genere , eſſet illicitus ex auctoritate Epiſcopi concedentis,quod vllo modo eſt aſſerendum.Quamobrem hic accipi minimè poteſt permittere,ſecundo modo , ſed tantum primo,nimirum quatenus permiſſio ſolam negationem punitionis,vel prohibitionis dicit, nulla interueniente auctoritate . Quemadmodum lex humana,aliqua permittit,non quaſi ea approbans,ſed quaſi ea dirigere nõ

Abulen.ſupè, c.14. Matth. q.7.q.70. diſputans de vſura.

permiſſio quo modo hic accipiatur.

A potens,iuxta illud quod S.Tho.p.2.q.93. art.3. ad tertium per hæc verba ſcribit: [Lex humana dicitur aliqua permittere non quaſi approbans,ſed quaſi dirigere non potens . Multa autem diriguntur lege diuina , quæ dirigi non poſſunt lege humana.Plura enim ſubdicuntur cauſæ ſuperiori,quam inferiori,&c.] Hucuſq; S.Thom. Porro vtraque permiſſio , actum cognitionis explicitum vel ſaltem implicitum includit in permittente.Quod ſi Princeps,vel Paſtor,facinus operatum non cognouit explicitè, vel ſaltem implicitè , non erit permittens . Quoniam permittens , ſemper eſt reus , & nequit quis reũ eſſe eorum , quæ minimè cognouit, ſaltem implicitè. Culpa igitur illius Antiſtitis conſiſtit in hoc, quod ſcilicet, permittebat , nec compeſcebat,aut prohibebat fœdam,lubricamque vitam mulie- B ris nequam Iezabelis, quam ex officio Epiſcopali (vt dictum eſt in explicatione contextus) redarguere tenebatur .

S.Tho.

permiſſio includit actum cognitionis .

Iezabel reprehendenda veniebat ab Epo Thyatireno.

DISPVT. XIX.

In Cap. Secundum Apocalypſeos , de Permiſſione.

In Quatuor Quæſtiones diſtributa,ſuper illa verba: *Quia permittis* .

Prologus diſputationis.



ERROR huius Antiſtitis Thyatireni in permittenda Iezabel,magis patebit, ſi naturam permiſſionis, primò declarauerimus.Iuuabit inſuper hæc permiſſionis diſputatio,Theologo,cum eam crebrò,in declaratione locorum ſacræ paginæ præ manibus habeat. His itaq; duabus de cauſis de ea ſequentes texere decreuimus quæſtiones .

Quæſtio I.

Vtrum permiſſio, conceſſio, & mandatum differant inter ſeſe ?



PRIMA aſſertio. Permiſſio largè & ſecundum generale nomen ſumpta,eſt carentia prohibitionis vel punitionis , circa id omne quod non impeditur fieri . Patet; quoniam ſic,ſolam dicit negatio- E nem punitionis,vel prohibitionis, reſpectu omnium impedibilium in genere,qua ratione, nihil fieri poteſt contra voluntatem diuinam permiſſiuam,vt rectè prodit Durandus in 1.lib.ſent.diſt.47.q. 1.Accipitur namque ſic permiſſio contra alia ſigna voluntatis diuinæ generaliter.

1. Concluſio. permiſſio largè eſt carentia prohibitionis.

Secunda aſſertio.Permiſſio ſtrictè,eſt carentia punitionis,vel prohibitionis,tantum circa mala non impedienda.Probatur. Tum quia Theologi communiter dicunt permiſſionem ſtrictè , & propriè ex vocabuli ac-

2. Concluſio. permiſſio ſtricte eſt carentia prohibitionis circa mala.

 ceptio-

ceptione esse malorũ. Tum quia sic omnia bona fiunt F
præter permissionem diuinam, vt rectè Durandus, vbi supra.

3. Assertio. Permissio mãdatum, & concessio differũt. Tertia assertio. Permissio strictè sumpta distinguitur à concessione, & mandato. Patet; quoniam mandatum est de bonis necessarijs ad agendum, vel de malis necessarijs ad vitandum, vt tradit Abulensis in cap. 19. Matth. q. 90. Ergo, &c. Porro concessio est de bonis nõ necessarijs ad agendum, sicuti est de priuilegijs.

1. Ratio. 2. Ratio. Nam quod priuilegijs datur, non præcipitur fieri, sed conceditur in fauorem eius, cui indulgetur; & ideo, licet ei, vti priuilegio suo, vel cessare vti illo. Sæpè tamẽ quod est mandatum vni, est concessio alteri, vt patet in priuilegijs regalibus, in quibus, id quod priuilegium est seruitoribus Regis, est mandatum thesaurarijs arcæ regiæ, vt ipsi de redditibus regalibus soluant seruitori Regio nummos illos in priuilegio contentos; quamobrem priuilegium illud respectu Thesaurarij, est mãdatum, respectu vero seruitoris est concessio, vt possit G
illo suo vti priuilegio semel in anno quolibet, vel

3. Ratio. alias: At permissio strictè, & propriè, est de malis minoribus respectu malorũ maiorum: Ergo, &c. Accedit quod in mandato, & concessione semper est auctoritas mandantis, & concedentis, at verò in permissione, nulla est auctoritas, cum in illa sola negatio, vel carentia punitionis, vel prohibitionis reperiatur.

Quæstio II.

Vtrum dentur aliquæ species permissionis strictè, & propriè?

H

1. conclus. Permissiones sunt pleraque species. Permissionis prima species.



ONCLVSIO est affirmatiua, & probatur ex eo dumtaxat, quoniam quando aliquid permittitur: vel talis permissio est per priuationem præceptionis, & ita quandocumque maius bonum non præcipitur, minus bonum permissum dicitur, sicut Apostolus non præcipiendo virginitatem, quæ est maius bonum, permisit matrimonium, quod est minus bonum. 1. Cor. 7. & sic constituitur prima species. Vel permittitur aliquid per priuationem prohibitionis, & sic dicuntur venialia permissa; quia non inueniuntur prohibita, cum iste sit modus arguendi, quod id quod non inuenitur prohibitum putetur esse concessum, licet fallat argumentum, & sic statuitur, secunda species. Vel permissio est per priuationem cohibitionis: & ita Deus dicitur permittere omnia mala, quia non cohibet, aut impedit illa fieri, cum possit impedire, & sic pullulat tertia species. Vel tandem permittitur aliquid per priuationem punitionis, & ita, omnia quæ non puniuntur in lege, dicuntur permissa; licet in se sint illicita: ita dicitur fuisse permissum libellum repudij, quia non puniebatur repudians vxorem, & tamen malum erat repudiare illam; & ita consurgit quarta species permissionis, & sic habetur intentum. Quod si in aliquibus ex his permissionibus, actus est licitus, v.g. in prima specie, vbi Apostolum dicimus permisisse matrimonium, talis actus est licitus, non ex vi permissionis, sed ex suo genere, sufficit autem, vt in quauis permissione K
reperiatur carentia, vel negotio diuersimodè, vt est dictum.

Permissionis secunda species.

Permissionis tertia species.

Permissionis quarta species.

Quæstio III.

An Episcopus Thyatirenus permittendo mulierem Iezabel peccauerit læthaliter?

1. conclus. Peccauit mortaliter Episcopus Thyatirenus permittendo sectam Iezabelitarum.



RIMA assertio. Episcopus Thyatirenus permittendo in sua diœcesi mulierem Iezabel, læthaliter peccauit; Patet quia neminem in sacra pagina Deus constituit reum, nec minus, minas alicui intentat, nisi pro lethali crimine patrato, vt est manifestum, & etiam colligitur ex S. Tho p. 2. q. 88. art. 1. & 2. At Deus hunc Thyatirenũ Antistitem reum constituit per illa verba: [Sed habeo aduersus te pauca, &c.] mortaliter igitur peccauit.

2. conclus. Episcopus Thyatirenus per omissionẽ deliquit. 1. Ratio. 2. Ratio. Secunda assertio. Peccatum istius Episcopi Thyatireni, est omissionis, & non commissionis. Probatur Tum ex ipso contextu, quoniam ly, [permittis,] omissionem dicit, & non commissionem. Tum quia Antistes iste per se, & in propria persona nihil mali fecit, quinimmo magnam fidem, charitatem, & patientiam redolebat. Hinc Primasius de illo sic scribit: [Ideo præpositũ constituens reum, non quod ipse fecerit, sed quod fieri permiserit, & permittendo transgressionibus particeps fiat.] Tum postremo patet ex sufficienti peccatorũ diuisione in omissionem, & commissionem, quã affert S. Tho p. 2. q. 72. art. 6. Permisit namque Antistes iste mulierem Iezabel quemadmodum Moyses permisit Hebræis libellum repudij, de quo Matth. 19. [Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic: [At in illa permissione Moysi, si peccatum aliquod fortè est, illud tantum omissionis debet esse: Igitur & in hac etiam permissione.

3. Ratio.

Appendix. Permissio quo modo voluntaria appelletur. S. Tho. Nota tamen obiter, quod omissio non requirit aliquem actum, sed consistit in sola negatione actus debiti, vt prodit S. Tho. p. 2. q. 71. art. 3. & q. 54. art. 2. ad 2. & si omissio est voluntaria, non tamen voluntaria dicitur per actũ volũtatis, sed quia est in potestate volũtatis, vt etiam docet idem Angelicus Doctor p. 2 q. 71. artic. 5. ad secundum. I

Quæstio IV.

Vtrum Deus sine causa permiserit hunc Antistitem Thyatirenum peccare in illa permissione, hoc est, permittendo illam mulierem Iezabel in diœcesi sua?

1. Concl. Permittit Deus fieri mala.



RIMA assertio. Deus permittit fieri mala, & peccata. Hæc est manifesta apud Theologos, & probatur. Quoniã malũ, hoc est, peccatũ formaliter loquẽdo fit ab homine, iuxta illud: [Perditio tua ex te, &c.] At nihil fieri potest præter permissionem diuinam: Igitur, &c. Minorẽ probat acutè, & satis doctè Durandus in. 1. lib. sent. dist. 47. q. 1. legito illũm per totam quæstionem.

Secunda assertio. Deus permisit hunc Episcopum Thyatirenum peccare, vt feruentius resurgeret, & in poste-

posterum cautius ambularet, probatur. Quoniam sic permisit Deus Paulum peccare, dum acceptis litteris (vt dicitur Act. 9.) pergebat Damascum, ligaturus cõfitentes Dominum, & in carceres detrusurus. Sic etiam permisit peccare Dauid cum Bethsabee, 2. Reg. 12. sic & Magdalenam, Lucæ 12. & etiam Petrum, aliosque electos; Igitur cum hic Episcopus esset etiam ex electis, vt indicant priores laudes eius, circa fidem, patientiam, &c. ideo Deus illum permisit peccare, vt cautius postea ambularet, erubescentiam peccatorum maximam habens. Maior est nota, quandoquidem post peccatum illud mox, exclamauit: [Peccaui Dño.] & Paulus: [Non sum dignus vocari Apostolus.] & Magdalena, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & tandem Petrus, [fleuit amarè,] & pœnitentia ducti, vitam meruerunt habere æternam.

Corollarium. Postremò aduertas oportet, hanc Dei permissionem non esse eius actionem, vt facilè ex superioribus manifestum euadit, cum permissio sit carentia, prout est dictum in prima, & secunda quæstione. Quod si aliquando permissio Dei vocatur eius actio, hoc venit intelligendum ex antiqua sacræ Scripturæ consuetudine, vt prodit D. Damascenus, lib. 4. c. 14. Quamobrem, si Isa. 6. dicitur: [Ex cæca cor populi huius, & aures eius aggraua] & iterum, [Non est malum in ciuitate, quod nõ fecerit Dominus.] & ad Rom. 1. [Tradidit eos Dominus in reprobum sensum,] Quæ loca actionem Dei videntur attingere, & permissiuè intelliguntur: Istud prçstat sacra Scriptura, non quod Dei permissio sit eius actio, sed ad melius, & facilius intelligendam diuinam permissionem, quæ prçcipuè stat in actionis cessatione.

PARAPHRASIS
Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus. §. 1.

Mulierem (dicit) Iezabel. Malarum mulierum, hæc Iezabel, typum quippè gerit. Quemadmodum namque in virili sexu duplex reperitur statera, nimirũ, malorũ vna, altera vero bonorum, haùd secus in fœmineo sexu geminam adinuenies seriem; bonarum videlicet vnam; malarum verò, alteram. Hinc de bona dicitur Prou. 12. [Mulier diligẽs corona est, viro suo.] & Prou. 31. [Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur.] Et Eccles. 26. [Mandata Dei in corde mulieris sancta.] Et Eccles 25. [Mulieris bonæ beatus vir.] & Prou. 18. [Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum.] & Eccles 22. [Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulier prudens in ornamentum domus suæ.] & 1. Cor. 7. [Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem] Hæc plane de muliere bona. Et de mala quæso quid dicitur? O bone Deus, estote rogo attentissimi: [Non est caput nequius (dicitur Eccles. 25) super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequã. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcobit vultum suum tamquam vrsus, & quasi saccum ostendet in medio proximorum.] Et paulo post: [Breuis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. Sicut ascensus arenosus, in pedibus veterani sic mulier linguata homini quieto.] & prou. 5. [Ne intendaris fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara, vt absynthiũ, & lingua eius acuta quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortẽ & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ, non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles, longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.] Et si acriori indagine scire desideras quid inter bonam, & malam intersit mulierem, audias quæso D. Augustinum Virginem Mariam Angelorum Reginam, bonarumque mulierum dignissimum caput, lõga intercapedine ab Eua dolorum matre, malarumque

Mulierũ duplex genus.

Mulieris bonæ laus, & encomium.

Mulieris malæ vituperiũ infamia, & dedecus.

Mulierum cõparatio.

A mulierum origine separantem.] Eua ait Augustinus serm. 18. de sanctis qui est secundus de annunciatione Dominica) luxit, Maria exultauit. Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit. Quia illa peccatorem; ista edidit innocentem. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, Auctrix peccati Eua, Auctrix meriti Maria, &c.] Sic ille. Vides igitur duellum inter bonam & malam mulierem? Profecto vnquam tale inter Thebanos, & Theleboas bellum interfuit. Verumenimuero hæc mulier Iezabel, de qua hic est sermo, malarum dumtaxat symbolum præsegerit.

B

DISPVT. XX.

In Cap. 2. Apocalypseos, de muliere Iezabel

In duas Quæstiones diuisa super illa verba: ***mulierem Iezabel.***

Prologus disputationis.

C



ILLIVS sanctæ mulieris Magdalenæ voluit Dominus reperiri memoriam per orbẽ, cũ de ea Matth. 25. discipulis suis dixit: [Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.] Et paulo post hæc: [Amen dico vobis vbicumq; prædicatũ fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.] Huius etiam mulieris Iezabel, etiam placuit Domino, memoriam dari per sæcula, cum eius acta, & opera hic legamus. Cæterum memoria Magdalenæ data plane fuit in laudem, & gloriam eius; huius vero in vituperium, ignominiam, ac dedecus: Quare si eius nomen & acta hìc à nobis diuentilantur, id in maiorem eius infamiam præstamus.

Memoria duplex mulierũ.

Apostrophe ad Mariam Magdalenam

D

Quæstio I.

Vtrum in veteri Testamento fuerit aliqua mulier huius nominis Iezabel?



CONCLVSIO est affirmatiua. Et liquet ex 3. Reg 16. 19. & 21. & etiam ex 4. Reg 9. & 19.

E Refert autem Iosephus lib. 8. antiquitatum c. 13. hanc Iazabel librorũ Regum, filiam fuisse Iethabaal Regis Tyri & Sidonis, ex qua plane factũ fuit, vt gentis suæ superstitionem, & impietatem retinens, facta vxore Achab Regis Israel, templum Deo Tyri, quem Baal nuncupabant construxerit. Sacerdotesque Baal, ac falsos prophetas, plerosque constituerit, qui suo Deo ministrarent. Porro virum suum Achab regẽ eadem impietate, & superstitione imbuit, Eliam Dei propheta persequuta fuit, Vineam à Naboth, nobili viro, iniustè eripuit, alia pleraq; patrauit scelera: ob quæ

1. conclus. Iezabel veteris Testamenti.

Iosephus.

Hhh 3 iustè

iustè de illa 4.Reg.9. scriptum est: [Iezabel quoq; comedēt canes in agro Iezrael, nec erit qui sepeliat eā.] & paulo post: [Quæ est ista?] & rursus: [Præcipitate eam deorsum.] & mox sequitur: [Et præcipitauerunt eā, aspersusq; est sanguine paries, & æquorum vngulæ cōculcauerūt eā.] & tandē: [Haccine est illa Iezabel?]

De hac Iezabel librorum Regum, agunt pleriq; Doctores, Alphonsus Tostatus, in lib. Reg. Æneas Syluus in sua Chronica, Petrus Berchorius Pictauiensis in suo Dictionario 2.p. & Iacobus Philippus Borgomensis, in suo supplemento Chronicarū lib.4. anno mundi. 4269. loquens de Achab sexto Rege Israelitarum per hæc verba. [Achab, Iezabel Tyri Regis filiam ex genere Didonis duxit vxorem, per quā etiam eius didicit adorare deos, cuius quidem consilio & opere omnibus in rebus vsus est, eo quod mulier acerrima, & nimis audax esset. Quæ eum ad tantā perduxit vesaniam, & etiā præter vitulos quos fecerat Baal Deo Tyri, & Sidonis, templum ædificaret, & plantaret omnium arborum lucos, cui & sacerdotes, & falsos prophetas eidem deseruituros constituit. Insuper consilio Iezabel vxoris suæ, innumeros Domini interfecit Prophetas, &c.] Et paulo post infra affirmat iste auctor Ochoziam septimum Regem Israel, filium extitisse Regis Achab, & Iezabel. Postremò Petrus Berchorius vbi supra, affirmat hanc nefariam mulierem Iezabel librorum Regum, applicabilem esse contra malas, & improbas dominas, & reginas, quæ fœtent luxuria carnalitate, quoniam ista ornauit se, & depinxit oculos suos stibio (vt dicitur 4 Reg.9.) vt Iehu ad libidinem prouocaret. Ego vero, vt rem paucis persoluam, dico, quod si istam Iezabel librorum Regum, & Herodiadem illam (de qua Luc.3. extat mentio) naturam, acta, & gesta, considerans attentè, facilè colliges quantum præualeat vna mala mulier aduersus electos, & seruos Dei.

Achab Rex Israel Iezabel maritus.

Iezabel vxoris Achab iniqua acta, & gesta.

Quæstio II.

Vtrum in nouo Testamento fuerit aliqua alia mulier huius nominis Iezabel?

SI à temporibus Apostolorum, fidei nostræ Patrū, vsque ad hæc nostra sæcula aliqua alia fuisset mulier appellata [Iezabel] maximè esset in primitiua Ecclesia, quoniam nullibi in nouo Testamento tale nomen [Iezabel] legitur, nisi in hac Ecclesia Thyatirensi Apocalypseos, in qua sic legimus: [Permittis mulierem Iezabel.] Cæterum plerique Doctores contrarium putant.

1. Opinio de muliere Iezabel.

Epiphanius lib.2. aduersus hæreses hæresi 51. putat per Iezabelem Apocalypseos, intelligendas esse quasdam feminas, quæ Thyatiræ insurrexerunt, prophetiæ spiritum sibi arrogantes, videlicet, Priscillam, Maximillam, & Quintillam: quæ tamen, & si post Ioannis obitum extiterunt, eas tamen Ioannes prophetico spiritu futuras præsenserit, & fugiendas denunciauit.

2. Opinio de muliere Iezabel.

Arethas, nomine Iezabelis, putat sermonē esse de Nicolaitis, qui propter libidinem, & impietatē Iezabelis librorū Regū nomine exprimantur. In hanc sententiā pertitisse reperio Strabum auctorē glos. ordin. per hæc verba: [Per hāc intelligūtur hęretici, qui fingunt se bonos, sed ad mollitiē, & lasciuiam inducunt.] & Lyranū qui in hunc locum sic habet: [Dicendum, quod fuit alia prophetissa, vel fortè aliquis hæreticus, qui singulariter designatur nomine muliebri, propter mollitiē car-

F nalis vitij, vnde & frequenter homo mollis, & effeminatus, femina nominantur.] Hæc Lyranus. In hanc eādem sententiam videntur declinare D. Augustinus, D. Ambr. Ticonius, Beda, Rupertus, Ioachimus, Richardus de sancto Victore, & Hugo Cardinalis.

1. Conclusio. Iezabel Apocalypseos nō est illa Iezabel librorum Regum.

Sit tamē prima conclusio. Mulier Iezabel cuius extat mentio hìc 2. in cap. Apoc. non est illa mulier Iezabel librorum Regum. Hæc est contra auctorem glossæ ordinariæ, & probatur. Tum quia Iezabel illa librorū Regum, vxor Achab, fuit temporibus Eliæ, vt dicitur 3.Reg. 21. & temporibus Naboth: At constat Achab, Elias, & Naboth, fuisse in quarta mundi ætate, vt clarè liquet ex chronicis, & ex grauissimis adstipulatoribus: Igitur cū ea, quæ hic narrantur in Apocalypsi acciderint in Sexta mundi ætate, quoniam in ea Verbum caro factum fuit, vt fides ipsa docet, nequit vllo modo, hæc
G Iezabel Apocalypsis illa esse Iezabel librorum Regū, filia Sidoniorum Regis, quæ Eliam persequuta crudeliter fuit, & Naboth occidit, & à canibus in agro Iezrael comesta fuit, quia ab illa, vsque ad hanc, plusquā quadringenti effluxerunt anni. Tum porro quia Iezabel librorum Regum, semper in Iudæa, & in Israel, vitā degit, & nullibi legitur in minori Asia, & in Ecclesia Thyatirensi (vt de hac hìc dicitur) vixisse. Nec minus recurrendum est ad animarum tranimigrationem, quia talis transmigratio est error in fide, vt rectè Theologi tenent super illa verba Matth.14. [Hic est Ioannes Baptista ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.] Tum denique, quia Iezabel Apoc. nullum prophetam interfecit. Igitur nequit esse vxor Achab, quę interfetrix Prophetarum dicitur:

2. conclus. Iezabel Apocalyps. nō est Priscilla, neq; Maximilla, aut Quintilla.

Secunda conclusio. Iezabel Apocalypsis, non est Pri-
H scilla, nec Maximilla, nec Quintilla. Hæc est contra Epiphanium, & probatur. Tum quia hic est sermo de vna, & non de tribus. Tū quia Ioannes, hoc in loco, loquitur de verbis præsentibus sui temporis, vt indicat illud: [Permittis mulierem Iezabel.] At Priscilla Maximilla, & Quintilla, fuerunt post plurimos annos à Ioannis morte, Igitur, &c. Tum postremò quia Priscilla, Maximilla, & Quintilla habuerunt errorem Montani, & in prouincia Phrygiæ semper vixerunt, quoniam ob id Cataphryges appellatæ fuerunt, vt indicant hæc verba D. Augustini: [Cataphryges sunt ex prouincia Phrygia dicti, quia ibi vixerunt, aurum auctores fuerunt Montanus & duæ Prophetissæ ipsius Prisca & Maximilla. Isti dicunt aduentū Spiritus sancti promissum a Domino in se, potius quā in Apostolis eis fuisse redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent. Suum sacrificium conficiunt ex pane facto ex fa-
I rina mixta cum sanguine, quem extorquent de toto corpore infantis minutis punctionum vulneribus, qui puer si moritur in illis punctionibus, ab eis habetur pro martyre, si vixerit habetur pro magno Sacerdote.] Et hæc alia verba Baroni Cardinalis: [De Montano illo, & Maximilla, qui fuerunt Hæresiarchæ Cataphrygarum dogmatis.] & paululum post hæc.] Vt scribit Apollinaris Hieropolitanus Episcopus apud Eusebium lib.5.c.15. arrepti malo spiritu, sibi ipsis laqueo mortē cōsciuere:] At hæc omnia, diuersa vtiq; sunt ab errore Iezabelis Apocalypseos, cuius dumtaxat erat fornicari, & edere de Idolothytis, cui etiam promittitur tempus pœnitendi, & minatur infirmitas in lecto, & tandem ipsa non in Phrygia prouincia, sed in Thyatira ciuitate, & Ecclesia vixit: Igitur, &c.

3. conclus. Iezabel fuit in nouo Testamento.

Tertia conclusio. Fuit in Ecclesia huius Antistitis,
K certa, & specialis mulier proprio nomine [Iezabel,] appellata. Hanc tenent Primasius, Richardus de sancto Victore, Hugo Card. Beda, S.Tho. Lyran. D.Dionys. Carthus. Auctor Incog. & Franc. Ribera, hoc in loco. Illāq; probo Tū quia vbicumq; in sacra Pagina (& præcipuè in nouo Testamento) exprimitur aliquod nomen proprium alicuius personæ, denotat rem certā, & specialem existentem à parte rei: & quando non exprimitur nomen proprium sit transitus ad parabolas, & compara-

1. Ratio.

ratio-

sationes, vt videre est in his verbis Lucæ 16. [Homo quidam erat diues.]& rursus:[Erat quidam mendicus, nomine Lazarus.]Quibus verbis ex eo quod nomen proprium diuitis non exprimatur, Tertullianus per illum hominem, quendam diuitem, intelligit [Nabal, Carmelum.] Euthomius expendit,[Nineuitum.]Et alij exoluunt[Herodem,] At vero ex eo quod nomen proprium pauperis exprimatur, scilicet[Lazarus]Cyrillus affirmat, Lazarum quemdam fuisse tunc temporis in Ierosolymis, extrema pressum inopia, & infirmitate, cuius meminit Dominus introducens eum in exemplū ad maiorem sermonis manifestationem. Idque probat Cyrillus ex antiqua Hebræorum traditione. Quinimmo Tertullianus lib.de Resurrectione carnis, Hilarius in Psal.122.D.Ambros.sup. Lucam, & Chrysost. hom. de Lazaro, propter nomina propria, vtpotè, Lazarus, Abraham,& Moysen,quæ ibi recitantur, affirmant illam narrationem de diuite, & paupere non esse parabolam,sed veram historiam.Hinc & Caiet.super Lucā ita in hunc locum scribit:[Nomen tamen proprium Lazari argumentum est pro historia:] At hic recitatur proprium nomen mulieris Iezabel:Igitur ad veritatem historiæ concludendam dicendum est, mulierem quēdam certam,& specialem Iezabel appellatam tunc tēporis fuisse in hac Ecclesia Thyatirensi,cuius meminit Dei vates Ioannes,introducens illam in exemplum ad maiorem historiæ manifestationem. Tum quia Catholici probant contra Hebræos, ex illo nomine proprio [Iob] librum Iob non esse parabolam,sed historiam, fuisseque virum quemdam proprio nomine [Iob]nuncupatum,vt indicant verba illa:[Vir erat in terra Hus nomine Iob.] Igitur possumus etiam & nos colligere ex hoc nomine proprio [Iezabel] sæculo diui Ioannis feminam quamdam fuisse in hac Thyatirena Ecclesia appellatam Iezabel. Tum postremò, quia si nomina propria personarum, non significant communiter certam determinatam, specialemque illam personā cuius est nomen sequerentur varia incommoda passim in sacra pagina,vt facilè est comprobare in quolibet nomine proprio,vtpotè,Moysen, Dauid,Salomon,&c.

Tertul. super Lucam. *Euthomius super Lucam.* *Cyril. super Lucam.* *Caiet. super Lucam.* *2.Ratio.* *3.Ratio.*

Quarta conclusio. Per hanc Iezabel Apocalypseos, intelligere possumus in sensu morali, & tropologico, hæreticos,hypocritas,& quamlibet aliam impiam, & lasciuiam feminam.Hæc est communis D.Ambrosij,D. Augustini,Ticonij,Primasij,D.Tho.Bedæ,Ioachimi,Petri Berchorij,Pictauiensis,Lyrani,Ruperti, & aliorum interpretum hic. Et ex eo dumtaxat probatur,quod cū ista Iezabel Apocalypseos, adeò impijssima, & libidinosa fuerit femina, nihil plane obstat, quod omnis cupidinis,& impietatis symbolum non sit. Quamobrem ab hac femina appellare possumus hæreticos effeminatos,& libidini seruientes, & molles veluti mulieres. Vnde illis quadrabit illud Isa.6.[Dabo pueros principes eorum,& effeminati dominabuntur eis.] quo loco per [effeminatos,] intellige viros libidini seruientes, qui communiter sunt molles,vt feminæ, & non fortes vt homines;quod plane adumbrari equidem potest ex facto illo Pharaonis præcipientis obstetricibus Ægyptijs,vt Hebræorum mulierum mares filios occiderēt, vt habetur,Exod. 1.feminas vero dumtaxat reseruarēt. Origenes hom 2.in Exodum sic scribit. [Cum videris homines in delitijs viuere,& libidini seruire,scias in eis Regem Ægypti, id est, dæmonem feminas reseruare.Si vero aliquem videas amare continentiam, luxuriam fugere,& veritatem colere,iustū intelligas, quasi virum necare cupere Pharaonem;odit enim eiusmodi Pharao, viuere eos in Ægypto non finit. Inde est quod in hoc mundo serui Dei,despectui habentur,quia odit huiusmodi mares Pharao,q feminas tantū amat:] Hæc Origenes.Et forte iuxta hanc doctrinam,asserere possumus paralyticum illum rectè respondisse:[Hominem non habeo,] quia tunc omnes illi Pharisæi Synagogæ,erant hypocritæ & effeminati,& per consequēs non homines,nec viri fortes,&strenui,ita vt de illis dicatur illud Dauid ad Abner.1.Reg.16.[Numquid non vir es tu?] sed molles,vt mulieres,carnales, nimirum,

4. Conclusio. Iezabel in sēsu morali quid significet. *Hypocritæ appellātur effeminati,& libidinosi.* *Ioan. 5.*

libidinosi, & luxui ita dediti, vt effeminati merito appellentur.Quamobrē sanctè in Psal.1.dicitur: [Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum,& in via peccatorum non stetit,& in cathedra pestilentiæ non sedit.] Cathedra autem Pharisæorum,quid aliud erat nisi cathedra pestilentiæ,rapinæ,libidinis, hypocrisis, impietatis,& omnis immunditiæ? Omnes enim declinauerūt à veritate & simul inutiles facti sunt,& non erat inter eos,qui faceret bonum,non erat vsque ad vnum,cum Christum, veritatē ipsam adorare & recipere respuerint.Hinc de his omnibus,& de eorum magistra Iezabel,meritò decantare possumusillud.

Rara auis in terris,nigroq; simillima cygno.

Cygnus enim auis cādida cū sit, argutāq; vocē habēs (præsertim imminente iam in morte)tamen nigras semper præsegerit carnes. Per quod indicat hypocrytas, qui foris videntur sancti,intus vero sunt nigri dæmones.Intus Nero(inquit D.Hier.de hypocritis)foris Cato,totus ambiguus,monstrum est, velut quædam bestia compacta secundum illud Poeticum[Leo,pars prima, draco,media ipsa chimera.] Quod plane nullatenus abhorrent verba Christi dicentis: [Similes estis sepulchris dealbatis.]

Cygni natura

Quæstio III.

Vtrum Iezabel Apocalypseos esset vxor Episcopi Thyatireni?



CONCLVSIO est affirmatiua,illamq;probo ex grauissimis expositoribus, quorū primus est Primasius,qui sic vertit:[Sed habeo aduersus te multa, quod finis vxorem tuā Iezabel.] Secundus est Strabus, qui ita transtulit, Iezabel vxor Achab,vel huius Episcopi.]Tertius est S.Tho.qui sic habet: [Posset etiam per Iezabel intelligi aliqua mulier vxor illius Episcopi, peruersa,& erronea, &c.] Quartus est Albertus, adhunc modum scribens: [Alia translatio habet:Habeo aduersus te,quod finis vxorem tuā Iezabel.]Quintus est D.Dionys.Carth.qui sic expēdit: [Dicuntque aliqui, quod fuit vxor huius Episcopi.] Et paululum post hæc:[Decuit quidem tam sancti Antistitis, coniugem, &c.] Sextus est Auctor Incognitus ita exoluens: [Dicitur quod hæc Iezabel fuit vxor ipsius Episcopi,quæ ad commessationes,& fornicationes, & idololatriam multos trahebat verbo,& exemplo.]Idē tenent Richard. de sancto Victore, & Hugo Card: At vox populi,vox Dei:Igitur,&c.

1.conclus. Iezabel fuit vxor Episcopi Thyatireni.

Quod si Lyranus in contrariam partem declinat,dicens:[Et dicunt aliqui quod erat vxor huius Episcopi, sed hoc non est verisimile, quod vir bonus sicut præmissum est,talem haberet vxorem.] ratio plane eius nō quietat intellectum,cum in dies,& virum fidelem vxorem infidelem,& hominem sanctum pium & iustum, meretricem coniugem habere intueamur, & vicè versa.Et omitto breuitatis causa illud Domini ad Oseam: [Sume tibi vxorem fornicationis,&c.]

Obiectio Lyrani. *Solutio ad Lyranum.*

Verumtamen (ex quo in hæc incidimus)nollem profecto ne cum audis,[Vxorem Episcopi]aliquid tibi cōtra clericorum, & præcipuè Episcoporum huius nostri temporis,cælibatam continentiam fortè subrepat lectio. Idcirco planè anteqiā vlterius progrediamur, tria animaduertas oportet. Primò quidem,hunc Thyatirenum Episcopum(bonus malusvè esset)iam separatum fuisse ab hac vxore sua Iezabel quo ad cohabitationem dumtaxat & debiti redditionē,ex quo ipse ad Episcopatum promotus fuerat:Attamen ipsam Iazabel adhuc vxorem eius,& Episcopam appellari. Inuenies siquidem inter fideles primitiuæ Ecclesiæ quatuor femina-

Corollarium, satis notabile circa vxorem huius Episcopi.

minarum fidelium nomina, nimirum, subdiaconissa, diaconissa, presbytera, & Episcopa. Quæ quidem mulieres ita appellabantur, non quidem quod aliquo sacramento ordinis initiatæ essent (& sic Synodus Nicæna cap. 19. propter hanc causam illas inter laicas adnumerat) sed quod subdiaconissæ illæ mulieres dicebantur, quarum viris in subdiaconos electis, ipsæ interim vitam cælibem agebant, quo etiam sensu diaconissa nominabatur coniux viri illius, qui ad diaconatus ordinem adscitus erat, presbytera insuper appellabatur vxor viri illius qui ad presbyteratum fuerat promotus, & demum Episcopa dicebatur mulier illa cuius vir erat in Episcopum postea consecratus, ipsa ab ipso diuisa, spectata viuebat sanctitate. Sicque præfata nomina non ab aliquo Ecclesiastico ministerio vel ordine, accepta erant in illa primitiua Ecclesia, sed potius à virorum ordinibus deducta, vulgari quodam vsu potius (vt recte annotat Cæsar Baronius) quam aliqua vera ratione indita. Quæ plane nomina mulierum primitiuæ Ecclesiæ recitant expresse PP. Clemens const. lib. 3. cap. 15. Epiphanius hæres. 79. Synodus Nicæna cap. 19. Conc. Laodicen. can. 11. Conc. Turonen. cap. 13. 14. & 20. D. Greg. dialog. lib. 4. cap. 11. D. Basilius epistola ad Peragorium presbyterum de non admittenda in contubernium presbytera, diacona, vel monacha. Conc. Antisiod. can. 21. in quo inhibetur ne presbytera cum suo presbytero dormiat, D. Athanasius ad virgin. & denique Photius in nomocanone, tit. 1. cap. 37. qui plane annotat tam ex Concilio Nicæno, quam ex Laodicensi, & Chalcedonensi prorsus diuersam fuisse presbyteram à diaconissa. Quamobrem dicimus hunc Thyatirenum Episcopum iam separatum fuisse quo ad cohabitationem dumtaxat, & debiti redditionem à sua vxore Iezabel Episcopa, ex quo ipse ad Episcopatũ deuentus fuit. Cæterum ipsa, viro suo ad Episcopatum promoto, nullatenus caste in posterum vixit, quinimmo ad actus venereos misere (vt diximus) se conuertit. Et sic Lyranus negando Iezabel vxorẽ fuisse huius sancti Episcopi, trepidat timore vbi non est timor, ex parte Episcopæ huius Iezabelis Apocalypseos, feminæ maxime nequam.

Card. Cæsar Baronius, to. 1. Annal. anno Xpi 34. c. 289.

Secundo insuper annota, quod licet hoc legatur de Episcopis, presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus primitiuæ Ecclesia, tamen de nullo Apostolorum (nisi de solo Petro) legitur habuisse vxorem in illa felici primitiua Ecclesia. Quamobrem de eorum cælibatu, ita scribit D. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 1. [Quoniam excepto Apostolo Petro non sit manifeste relatum de alijs Apostolis, quod vxores habuerint: & cum de vno scriptum sit, ac de cæteris tacitum intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significat.] Et Tertullianus de monogam. cap. 8. [Petrum solum inuenio maritum per socrum, monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illũ ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Cæteros autem, cum maritos non inueniã, aut spadones intelligam necesse est, aut continẽtes.] Eadem omnino docent de cælibatu omnium Apostolorum D. Chrysostomus de virginibus, & alijs multis in locis, Theodoretus in immutab. dial. 1. 2. & 3. & Cæsar Baronius tom. 1. Annal. anno Christi LVII. cap. 64. Hinc non placet Abulensis dũ c. 19. Matth. sic scribit de Apostolis, [Vxorem autem dimittere non iubebat quia etiam Apostoli Christi illas non dimittebant, sed viuente Christo habebant vxores, & post mortem & resurrectionem suam illas retinebant, & in prædicatione aliqui eorum secum ducebant, sicut colligitur 1. Cor. 9. numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas, q. d. illi in prædicando ducunt per diuersa loca mulieres suas, quæ vocantur sorores, quia omnes Christiani vocantur fratres, & sorores 1. Cor. 7. cap. & infra 21. cap. Ideo Christus solum iussit iuueni vendere omnia quæ habebat, & non aliud, scilicet, caste viuere.] Sic ille. Dico itaque, hanc Abulensis opinionem mihi nullatenus placere. Tum quia directe se opponit ista opinio cælibatui Apostolorum quẽ apprime defendunt sancti Patres, & nostrates Doctores. Tum quia locus quem Abulensis adfert ex Apostolo pro se, directe est contra se, quoniam ibi ly, [sororẽ mulierem,] non significat vxorem, aut coniugẽm, sed feminam sororem, siue matronam deuotam, ac fidelem, vt expendunt Tertul. lib. de monogam. c. 8. D. Hieron. aduersus Iouinianum lib. 1. D. Aug. de opere monach. cap. 4. D. Chrysostomus, Theodoretus, & Lyranus in 1. Cor. 9. Consueuerant enim Hebræi suæ gentis feminas sorores nominare & viros fratres. Et quia Christus Redemptor noster iuxta morem iudaicum, (quo mulieres sanctæ, & deuotæ magistris de substantia ministrare solebant) permisit aliquas mulieres deuotas ipsum prædicantem sequutas fuisse, vt ipsi, & etiam Apostolis suis ministrarent de sua substantia, hinc plane factum fuit vt & Apostoli etiam post resurrectionem, & ascensionem Christi permitterent aliquas mulieres deuotas matronas, & fideles, illos comitari in suis prædicationibus, non vt liberos procrearent, aut vna cum ipsis vitæ consuetudinem haberent, sed vt ex suis facultatibus subministrarent, ac paupertatis præcones alerent, vt pereleganter docent omnes sancti Patres, & Clemens Alexandrinus Strom. lib. 3. per hæc verba: [Hi quidem (nimirum Apostoli) vt erat consentaneum ministerio quod diuelli non poterat prædicationi, scilicet, attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres, quæ vna ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in Gynecaũ absque vlla reprehensione malauè suspicione ingredi posset doctrina Domini.] Et idem referunt Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 24. Niceph. lib. 2. cap. 44. Primasius, Strabus, Theodoret. & Lyranus in 1. Cor. 9. Quod quippe se etiam præstare posse innuit dumtaxat Apostolus, dum subiungit: [Sicut cæteri Apostoli, & fratres Dñi, & Cephas.] Nec adhuc hic loquitur Apost. de vxore sua, quoniam & ipse etiam vxoratus minime fuit, quinimmo inter spadones siue continentes, & in sacris litteris, & apud sactos Patres semper inuenimus, cuius etiam cælibatum apprime defendit Card. Cæsar Baronius aduersus Clementem Alexandrinum in suis Annalibus, anno Christi LVII. cap. 50.

Abulen. non tenetur ab auctore in hoc quod scribit de vxoribus Apostolorum.

Impugnatur Abulen. circa vxores Apostolorum.

Aduersus Nouatores incõtinentes.

Tertiò annotes hic etiam oportet, clericorũ Orientalium, & Occidentalium differentiam, circa continentiam, & coniugium. Quoniam aliter se habet Oriẽtalium Ecclesiarum traditio, à nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ traditionibus Nam earũ sacerdotes, diaconi, atque subdiaconi, matrimonio antea copulato vtũtur: At vero in nostra Romana, vel Occidentali Ecclesia, nullus sacerdotum à subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi, vt ex Steph. Papa habetur in c. aliter 31. dist. Græca igitur Ecclesia, canones clericorum continentiæ à principio editos, non admisit, ex quo ad eorum obseruantiam hucusq; nõ tenetur. Et quamuis Romana Ecclesia Græcos sibi de iure subiectos habeat, tamen morem regionis suæ in hoc seruare permittit. Latina vero seu Occidentalis Ecclesia ad continentiæ dictæ obseruantiam maxime tenetur, vt videre licet per confirmatũ Carthaginense Concilium 2. in can. 2. doctrinam Apostolorum allegans, vt habetur in c. Cum in præterito 84. dist. Diffinit hoc etiam Callixtus Papa in c. Presbyteris 27. dist. Innoc. in c. Proposuisti. 82. dist. Et Gregorius Pontifex, qui scribens Petro subdiacono dicebat: [Nullum facere subdiaconum præsumat Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit, quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.] Et vltimò Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 13. illis conferendos esse maiores ordines statuit, qui sperent Deo auctore se continere posse, vt prædixerat beatus Gregorius, &c.

Clericorum cælibatus cõtinentia.

Clericorum Occidentaliũ & Orientalium, idest, Græcorum, & Latinorũ discrimen.

Clerici Græci permittuntur habere vxorẽ ad modum regionis suæ.

Clerici Latini nequeunt vllo modo habere vxorem.

Quod si Nicolaus de Tudeschis Abbas, & Archiepiscopus Panormitanus contra continentiam clericorum Latinorum, seu Occidentalium in cap. [cum olim] num. 25. de cleric. coniug. per expressa verba ita scriptum

tũ reliquit: Credo pro bono, & salute animarũ, quod esset salubrè statutum, vt volentes continere, & magis mæreri relinquere voluntati eorum; non volentes autem continere, possint contrahere, quia experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ, cum hodie non viuant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu, cum eorum grauissimo peccato, vbi cum propria vxore esset castitas.] Hucusque Canonistarum princeps Panormitanus, cuius sententiam post aliquot annos laudauit Aeneas Siluius, qui postea fuit Papa Pius II. dicendo, nuptias sacerdotibus magna ratione sublatas, & maiori ratione esse restituendas.

Aeneas Silr. contra continentiam clericorum Latinorum.
Platina in vita Pii 2. in fi.

Tamen horum duorum Doctorum opinio, nec hucusque exaudita fuit in Ecclesia Latina, nec, Deo fauente, de cætero exaudietur. Tum quia eorum fundamenta firma non sunt. Tum quia eorum positio Conciliis, & dictis Sanctorum Patrum, ac traditionibus Apostolicis aduersatur. Tum quia si sacerdotes Gentilium, cum falsis, & immundis ministrassent dæmonibus (nam omnes dij gentium dæmonia) castitatem seruabant, teste D. Augustino sermone 37. ad fratres in eremo, vel castrando seipsos, vel abstinendo à cibis, venerem prouocantibus: Quid Dei veri sacerdotes facient? Tum quia Dominus Leuit. 20. sacerdotibus ait: [Sancti estote, quia ego sanctus sum.] & Isa. 52. [Mundamini, qui fertis vasa Domini.] & ad Tit. 1. [Omnia munda mundis.] & tandem Matth. 15. [Sint lumbi vestri præcincti.] & alibi: [Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.] Tum postremò, quia dum Abbas Panormitanus exigit Pontificis statutum, quod permittat continere volentibus, & non volentibus vxorem ducere; aut intelligit hoc in existentibus in principio in laicali statu, aut in iam admissis ad sacros ordines. Si de primis, superuacua est petitio: hoc enim sine alia declaratione cuilibet iã permissum est. 1. Corinth. 7. Si vero de secundis, magis offendit petitio Abbatis; quoniam hoc numquam in Ecclesia Dei statutum fuit, (nimirum, quod non volentes continere, possent ex decreto Pontificis vxorem ducere) nec Græci sacerdotes faciunt, qui solum matrimonium ante ordines contractum, post susceptos ordines retinent.

Refelluntur Panormitan. & Aeneas Siluius.
Textor in offic. tom. 2. tit. castissimi.

Postremo nota ex Abulense, clericos Orientalium Ecclesiarum, cum clericis Occidentalium Ecclesiarum, vtporè, clericos Græcos cum Latinis conuenire in duobus, & in duobus differre. Conueniunt namque primò, quia ambo, (si sint in minoribus dumtaxat) possunt contrahere. non tamen si sint in sacris. Differunt præterea primò, quia Orientales cum promouentur, non promittunt continentiam, Occidentales vero sic. Secundo, quia Orientales post promotionem ad sacros Ordines possunt vti matrimonio prius contracto; Occidentales vero nec prius contracto, nec in posterum contrahendo.

Alphons. Tostat. sup. Numer. 10. 2.
Ordines minores habens dumtaxat apud Latinos potest nubere.
Clericorum Latinorũ, & Græcorũ alia differentia.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3. Enodatio textus.
§. 1.

Quæ se dicit (ait) Propheten docere.

Falsam, ac fallacem fuisse hanc prophetissam, apertè indicant illa verba, [quæ se dicit,] quoniam non est verus Propheta, qui se dicit Prophetam, sed quem Dominus Prophetam facit. Donum enim prophetiæ non ab hominibus, neque ab aliqua alia creatura, sed à solo Deo habetur, vt indicat illud 2. Petri 1. [Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines.] Et vt etiam dispungit Angelicus doctor 2. 2. q. 171. artic. 1. probans propheticam nullatenus posse naturalem esse. Quamobrem qui se dicit Prophetam,

Prophetiæ donũ a Deo.
S. Thom.

A dæmonis propheta planè est. Habet namque dæmon suos prophetas, iuxta illud 3. Reg. 18. [Congrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel.] Cum enim intellectus Angelorum malorum sit supra intellectum humanum, quædam cognoscunt dæmones sua naturali cognitione, quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ ipse dæmon inuocantibus cum reuelat, & hi prophetæ dæmonis nuncupantur. Hinc Sanctus Thomas 2. 2. q. 172. art. 5. ita scribit: [Reuelatio facta per dæmones potest secundum quid dici Prophetia: vnde quibus aliquid per dæmones reuelatur, non dicuntur in scripturis prophetæ simpliciter, sed cum aliqua additione, puta, Propheta falsi, vel Prophetæ Idolorum. Vnde Augustinus 12. super Gen. ad litteram, cum malus spiritus arripit hominem in hæc B scilicet visa, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas.] Hucusque S. Thomas. Huiusmodi autem sunt augures, diuinatores, magi, & reliqui huius generis, qui in spiritu diaboli futura se dicunt scire, & diuinare. Ad quod planè genus prophetarum reducenda venit hæc immunda mulier Iezabel, quæ se dicit propheten.

Et de his falsis prophetis intelligitur illud Ezech. 13 [Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, quasi vulpes in desertis prophetæ tui Israel.] & paulo post: [Vident vana, & diuinãt mendacia dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit eos.] & Ierem. 14. [Non misi eos, & non præcepi eis, &c. & seductionem cordis sui prophetant vobis.] & cap. 23. non mittebam prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant.] C & 3. Reg. 22. eorum pater diabolus ait: [Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.] puta Achab. Quamobrem hæc impia mulier Iezabel erat, in cuius ore spiritus erat mendax, id propterea dæmonis prophetarum personam planè sustinebat. Et ex consequenti, ab ea, tamquam a callido, & veternoso serpente fugere vnusquisque tenebatur, iuxta illud Denteronom. 13. [Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audias verba prophetæ illius, vt somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.] Hanc quippe fugam præcepit Dominus, cum Matth. 16 ait: [Cauete à fermento Pharisæorum, & Saducæorum.] Fermentum quippe in sacris Bibliis, modo ad D bonum, modo ad malum (vt Abulensis, Caietanus, & Guadalupensis expendunt) transfertur. Duo namque sunt in fermento consideranda, nimirum virtus quędã, quæ massam sapore condit, sicque accipitur in bono, vt Matth. 13. [Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum abscondit mulier, &c.] Consideratur etiam in fermento prioris naturæ corruptio, & sic accipitur in malo, in quem modum hic sumitur, significat, videlicet, labem, & contagiem peccati, falsamque doctrinam, obidque Christus ait: [Cauete a fermento Pharisæorum, & Saducæorum.] Regnum cælorum itaque fermento abscondito assimilatur, propter spiritualem penetrationem ad bene reddendum totam farinam. Pestifera insuper doctrina Pharisæorum, & Saducæorum fermento comparatur propter hoc, quod videlicet occulta eleuat ad similitudinem fermenti ab- E sconditi sub farina conspersa, eleuantis totam massã, in qua eleuatione prior natura fermenti corrumpitur, & transmutatur. Vnde sicuti fermentum ob calorem intrinsecum, quem præsegerit, vim transmutandi, & corrumpendi obtinet, haud secus falsa doctrina, ob calorem diaboli, quem in se ex suggestione habet, vim transmutandi, & corrumpendi totam rempublicam possidet, iuxta illud Osee 7. [Quieuit paululum ciuitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.

§. 2.
Prophetæ falsi omnino detestandi tam quam abominabiles.

Fermentum Pharisæorũ.
Abulens. to. 4. sup. Matth. c. 16 q. 13.
Caiet. c. 16. in Matth.
Guadalup. in c. 7. Osee.
Fermenti gemina acceptio.
Regnũ cælorum fermento comparatur.
Fermenti vis & natura.
Comparatio.

Sed

Sed dicet quis, hæc bifaria fermenti acceptio, vnde originem trahit? Respondetur eò quòd fermentum in vtroque loco metaphoricè accipiatur. At cum voces accipiuntur iuxta propriam significationē nullatenus contingit in sensu variare: Cæterū quando accipiūtur translatiuè, vel secundum metaphorā, tunc accipi possunt multifariè, secundū quod variè contingit aliquid transferri secundum diuersas proprietates eiusdē rei. Sicq; fermentum secundum sensum litteralem vna res & determinata est, accipiendo vero illud per metaphoram, quia sunt proprietates variæ fermenti potest multipliciter, ac diuersimodè fermentum accipi, sicut leo secundum sensum litteralem est animal, & tamen per metaphorā aliquando accipitur pro Christo, vt Apoc. 5. [Vicit leo de tribu Iuda.] & vocatur leo propter cōstantiam in aggrediendo ardua, & sustinendo, iuxta illud Prou. 30. [Leo fortissimus bestiarum ad nullius eorum pauebit occursum.] Aliquādo vero accipitur pro diabolo; quoniam leo crudelis est, & lacerat, & ideo aliquando diabolus vocatur leo, iuxta illud 1. Petri 5. [Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, &c.] Ita fermentum, quia calorem intrinsecū, & vim transmutandi, & corrumpendi habet, ideo & in bonam & in malam partem metaphoricè accipitur, nimirum, aliquando pro ardore fidei, iuxta illud Matth. 13. [Mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum.] Aliquando vero pro mala doctrina, quæ totam rempublicam corrumpit iuxta illud Oseæ 7. [Donec fermentaretur totum.] id est, totū corrumperetur. [Modicum fermentum (ait Apostolus) totam massam corrumpit.] Ideo nos iustè quidem hanc Iezabelis pestiferam doctrinam qua ipsa, [Se dicit Propheten, docere,] fermento comparauimus: fermentum scilicet, in malam partem, nimirum, pro virtute corruptiua, metaphoricè accipientes. Id propterea seruis Christi, alta dicimus voce. Cauete a Iezabelis fermento, hoc est, cauete, à falsa Iezabelis doctrina, qua vos seducit, vt & vos ipsam seductam, & in præuaricatione permanentem seducti, sequi sedulò curetis.

Leo variè accipitur in sacro eloquio.

Fermentum in bonam, & in malā partem cur accipiatur.

Abyssus abyssum inuocat.

§. 4. Difficile minimè quippe est, intelligere quantum periculi intersit, falsum pro vero doctore, fel pro melle, venenum pro antidoto, tenebrasque pro vera luce acceptare: Differunt namq; hæc duo, qualiter proculdubio differunt ascensus per scalam Iacob (Gen. 28.) in cælum, & præcipitium per foueam peccati in infernum. Id propterea Dominus tanto verborum pondere dicit Matth 16. [Intuemini, & cauete a fermento Pharisæorum, & Seducæorum:] Quasi dicat, vigilate, videte cauete, & estote vt animalia illa, de quibus dicitur Ezech. 1. [Totum corpus oculis plenum in circuitu,] vt à falsa doctrina caueatis. Oportet namque habere gladios veluti sexaginta fortes illi, de quibus Cant. 3. dicitur: [Omnes tenentes gladio, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super fœmur suum, propter timores nocturnos:] nimirum, ob tenebricosæ doctrinæ timorem. Mala namque doctrina valdè corrumpit, quemadmodum fermentum existens paruum in quantitate alterat totam massam, & corrumpit eam. Hinc D. Hieronymus loquens de fermento ait. [Fermentum hanc habet vim, vt si farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur crescat in maius, & ad saporem suum vniuersam conspersionem trahat: Ita vt doctrina praua & hæretica si vel modicam scintillam in tui pectus in breui flamma concrescet ingens, & totam hominis positionem ad se trahet.] Optima quidem comparatio est ista Diui Hieronymi. Quemadmodum enim paruissima scintilla ingentem siluam comburere solet, interiecto paruo temporis spatio, & nubecula ita cresce re assuescit, vt citò totum cælum obscuret, haūd secus plane exigua mala doctrina (si principio nō obstes) ingentem ac magnam solet afferre ruinam, iuxta illud Ecclesi. 11. [Ab vna scintilla augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis.] Idcirco si quamprimum in Anglia, Galliauè, hæreses, exortæ, inuentæ, & excogitatæ fuerunt, illico contritæ fuissent, non esset eò planè ventum, vt tota illa regna, hæretico dogmate fere

Periculosum est valde, falsum prophetā semul admittere.

D. Hier. in Matth.

Comparatio.

F pollura, & quasi omnino contaminata in posterum essent. Ideo Dei vates, hoc in loco, principio prauæ doctrinæ prophetissæ falsæ Iezabelis obstare curat, vt illam ab Ecclesia Thyatirensi, omnino proculpellere queat, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, & ne parua scintilla ingentem in Ecclesia Dei accendat inflammantem ignem. Idque præstat, mittens aquam in scintillam, per illa verba: [Quæ se dicit Propheten.] Per quæ plane, animaduertit, Prophetissā falsam esse mulierem Iezabel, cum ipsa Propheten se appellet.

Dicunt Albertus, & Dionysius Carthus. quod per hanc mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten (hoc est, eius imitatione & exēplo) introducta fuisse perfidiam Mahometi, qui etiam finxit se esse Prophetam, quod plane fieri potuit, & nihil obstat, cum omnes hi G qui se Prophetas nuncupant, dæmonis prophetæ sint, vt dudū dicebamus. Ideo merito Dominus ait Matth. 24. [Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis, si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere.] Et Apostolus ad Gal. 1. [Sunt aliqui qui vos conturbant, & volum conuertere Euangelium Christi: Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.] Et rursus [Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.] §. 5.

Mahometus propheta falsus.

H


DISPVT. XXI.

In Cap. 2. Apocalypseos, de dono & gratia prophetiæ respectu sexus feminei.

In duas Quæstiones diuisa super illa verba: *Quæ se dicit Propheten, docere.*

I

Prologus disputationis.



LIBET explanare hic donum prophetiæ in ordine ad femineum sexum, eò quòd Rupertus super hunc locum existimat Iezabel appellando se Propheten, dignitatem supra sexum suum arripuisse: Sic namque de illa concludit: [Rectè ergo & mulier ista quæ supra sexus sui dignitatem in Ecclesia loquens, & docens seducebat, & omnis hæretica perfidia, Iezabel vocatur, & est, atque nomen illius Iezabel, cuius posteritas, vt iam dictum est, de generatione sancta perijt, in opprobrium reseruatur.] Sic ille. Verba itaque ista Ruperti quan- K tum ad prophetiæ donum dumtaxat in ordine ad mulieres, examinanda hic plane veniunt.

Rupert. Abb. in comment.

Quæst.

Quæstio I.

An donum prophetiæ concessum vnquam fuerit femineo sexui?



1. Conclusio. Prophetiæ donum mulieribus olim concessum.

PRIMA conclusio est affirmatiua, quam indicat S.Tho.2.2.q. 177. art. 2.ad secundum,quæ ex eo dumtaxat, probatur, quod donum siue gratia prophetiæ attenditur secundum mentem illuminatam à Deo,ex qua parte non est in hominibus sexuum differentia,iuxta illud ad Col. 3. [Induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum,vbi non est Gentilis,& Iudæus,]hoc est,non est masculus neque femina: [circumcisio, &c. sed omnia,& in omnibus Christus.]

2. Conclusio. Prophetiæ gratia data feminis ex Hebræo femine.

Secunda conclusio feminis ex Iudaismo olim concessum fuit donum prophetiæ.Patet iudicum 4.de Debora, & 4.Reg.22.de Olda Prophetissa.

3. conclus. Prophetia cõcessa mulieribus gentium.

Tertia conclusio, feminis ex gentilitate olim concessum etiam fuit prophetiæ donum.Patet de Sybillis, quæ siue duæ sint(vt asserit Marcianus lib.2.de nuptijs Mercurij,& Phisiologiæ,prosa penultima,)siue decem (vt vult Isidorus lib.7 Ethimolog.& Lactantius,de natura Deorum lib.1.) tamẽ spiritum habuerunt propheticum, & multa expressa prophetauerunt de Christo, vt docet S.Thom.2.2.q.2.art.7.ad tertium,&,q.72.ar. 6.ad 1.quinimmo D.Aug.lib.18. de ciuitate Dei apertè fatetur has Gentilium Sybillas, pleraque prophetasse,non solum de Christo; verumetiam de temporum euentibus.Vnde Alphonsus Tostatus tom.2.in Iosuè q. 14.de his Sybillis ita scribit:[In Græco Sybilla, quasi mens Dei,vel sententia Dei dicitur, qui a mens Dei,ei reuelata est.]

Sybilla quid significet. Abulen.in c. 13.Iosue.

Has Sybillas,& illarum dicta, & prædictiones referunt plerique Doctores, inter quos est Lactantius lib. 4.diuin.instit.c.15.& 18.Clemens Alexandrinus lib.6. strom. Cyrillus lib. 8.contra Iulianum, & Diuus Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 23. & lib. 13. contra Faustũ c.25.& orat.contra Iudæos,& Paganos, Arianosque c. 26. Et licet Gentiles sola ratione naturali ducerentur(nam fide carebant)tamen hæ Sybillarum prædictiones certissimæ fuerunt, & non potuerunt ex sola naturali cognitione oriri,quoniam non solum erant de re omnino supernaturali, sed etiam erant de re futura ex libera Dei voluntate pendente; quamobrem certum est, vel ipsas Sybillas legisse Propheticos libros,eisque fidem aliquam adhibuisse(vt in simili dixit August. lib. 10.de Trinit.c.29.de Platonicis, qui de æterni verbi generatione nonnulla in suis scriptis indicarunt)vel quod verisimilius est, fieri potuit,vt gratiæ prophetiæ his mulieribus communicata fuerit,vt dicit Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatũ, & apertius docuit S.Tho.2.2.q.92. art. 7. in solutione ad 3.Vnius harum Sybillarum quæ (Erithræa dicitur.) ponit Lactantius in lib.7. natura Deorum viginti tres versos exametros, & pulchros, de quibus August. lib. 18.de ciuit.Dei.Quorum primus est:[Iudicij signum tellus sudore madescet.] Et quamquam apud Græcos, (in quorũ lingua Sybilla scripsit,)versus isti,exametrorum lege currant, in linguam tamen Latinã versi, licet florem quemdam rethoricorum teneant,metrorum legem excesserunt. Hos quoque versus recitat idẽ Aug. in sermone natalis Domini qui incipit: [Inter præsuras,atque angustias.]

Sybilla Erithræa 23.versus.

Tostatus in c.13.Iosue q. 14.

Sed dices,cur his Sybillis, & mulieribus gentilibus nota facta fuerunt Christi mysteria, & non viris Philosophis Babylonensibus, qui diuinatoriæ artis peritissimi fuerunt, quos reges gentium, in dubijs veluti oracula consulere consueuerunt? Ad quod plane respondeo, quod secretorum Dei rationem reddere nemo potest,nisi is,cui ille reuelare voluerit. Nihilominus tamen,secundò dico,hunc esse Dei morem, vt infirma eligat,vt fortia quæque confundat. Illi enim gentium Philosophi, sua philosophia inflati obicem superbiam diuinis fauoribus apponentes, inepti efficiebantur ad diuinas illas immissiones recipiendas.Finxerunt tamen & illi(vt cæteri sapientes Ethnicorum)pleraq;quæ Xp̃i mysterium concernebant, quamquam aliò mens eorũ versabatur,vnde velut Caiphas, nescientes quid dicerent prophetabant.At vero Sybillæ Deo plenæ(moribus enim sanctissimæ erant,) perinde vaticinatæ sunt de Xp̃o veluti Prophetæ sancti, apud Hebræos, erant Sybillę inter Gentiles. Quibus addo,quod ad confusionem superborum illorum Philosophorum Deus suscitauit spiritum illarum mulierum,veluti ad confusionẽ illorum seniorum in Israel,Deus ipse suscitauit Danielis spiritum vt habetur.Dan.13.

Tertia conclusio.Feminis ex Christianismo in nouo Testamento concessum in primitiua Ecclesia fuit prophetiæ donum & gratia.Patet,Act. 21. de quatuor filiabus Philippi,& Apost. 1.Cor.11. ait [Omnis mulier orans,aut prophetans,&c.]

Prophetiæ donum concessũ mulieribus in nouo Testamẽto.

Et passim nota,quod in vtroque sexu,vtpotè masculino,& feminino,prophetia haberi potest sine charitate,& sine gratia gratum faciente,vt rectè dispungit, S. Tho.2.2.q.6.art. 2.ad tertium,& q.17.art.4.

Quæstio II.

An mulieres possint publicè docere in Ecclesia Dei?



1. conclus. Mulier non potest docere publicè in Ecclesia Dei.

PRIMA conclusio est negatiua, quam tenet S.Thomas,2.2.q.177. art. 2. loquens de gratia gratis data,quæ consistit in sermone, illamque probo. Tum propter conditionem feminei sexus qui debet esse subditus viro,vt patet ex cap. 3.Geneseos: At docere & persuadere publicè in Ecclesia,non pertinet ad subditos, nisi ad prælatos,Igitur,&c.Tum quia si mulieres docerent publicè in Ecclesia,cum de verbis mulierum scriptum sit Eccles. 9. [Colloquiũ illius quasi ignis exardescit.] animi hominum allicerentur ad libidinẽ in Ecclesia, quod nullatenus est licitum. Tum quia vt communiter mulieres, non sunt in sapientia perfectè, vt eis possit conuenienter publica doctrina committi.

Et nota ex Caietano, quod licet mulieribus permissum sit,immo mandatum,docere publicè in sua Ecclesia,secundum quid, vt Abbatissæ, vel Priorissæ in suo monasterio, vt patet dum proponunt verbum Dei in Capitulo suis monialibus: & rursus licet permissum sit,quod per modum priuatæ personæ mulier alloquatur totam Ecclesiam, exortando eos ad aliquod spirituale, quod tunc occurrit: hæc tamen duo simul iuncta, scilicet, [publicè,] hoc est, ex publico officio, vt prædicatores faciunt,& [totam Ecclesiam] hoc est, populo communiter ad prædicationes concurrente, in quo clauduntur clerici, & laici vtriusque sexus: Numquam permittenda sunt mulieribus.

Caiet.in cõment.2. 2. S. Tho. q. 177. art.2.

Et in hoc sensu intelligendus dumtaxat venit Rupertus Abbas,dum in hisce commentarijs dicit mulierem Iezabel dignitatem supra sexum suam arripuisse, hoc

Ruper. Abb explicatur.

hoc est, docere publicè in Ecclesia Dei. Nam si ipse loquatur de dono Prophetiæ, ex superiori quæstione liquet, illud sexui feminaeo minimè repugnare.

2. conclus. Mulier potest colloqui ad vnum vel ad paucos, familiariter dumtaxat.

Secunda conclusio. Mulieris potest gratia sermonis competere priuatim dumtaxat, ita vt sermone vtatur ad vnum, vel ad paucos familiariter colloquendo. Hæc est D. Tho. 2.2 q. 177. art. 2.

Par. 4.

PARAPHRASIS
Quarta.

Dilucidatio textus.

§. 1. Seducere qd sit.

Seducere (ait) seruos meos. Seducere idē est, quod decipere, vel fraudare, prodere, fallere, supplantare, hoc est, pedem alicui supponere, vt cadat, vel arte aliquem deludere, nocere vo. Hinc plane est, quod seducere nihil aliud sit, quàm falsa proponere credenda, vti vera, quod proprium est illorum derisorum Prophetarum, de quibus dicitur illud Psalm. 139. [Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.] Et alibi: [Molliti sunt sermones eius super oleū, & ipsi sunt iacula.] Vel, seducere dicitur quasi seorsū à via veritatis declinare, & recta deserere. Quēadmodū enim latrones in siluis se peregrinos simulant, & viatoribus se associant, ipsosque seorsum à via ducunt, in manibus aliorum latronum tradunt, & in periculum trahunt; ita seductores nunc per orbem reperiuntur, qui à via recta securitatis, & veritatis alios solent seorsum ducere, & eos fallere, seducere, & ab omni fortitudine, & rectitudine declinare facere, & ad pericula trahere, & minare, vt patet in omnibus illis, de quibus intelligitur illud 2. Ioan. 7. [Multi seductores exierunt in mundum.] cōtra quos ait Dominus Matth. 10. [Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere, non veni pacem mittere, sed gladium.

§. 2. Difficultas circa pacem.

Sed dices, quomodo Christus hoc loco ait: [Non veni pacem mittere in terram,] cum videatur quod non venerit ipse ad aliquid magis, quam ad pacem; quamobrem Deus Pater loquens de aduentu Messiæ, ait Isa. 23. [Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,] & idem Vates inter alia attributa, quæ dat Messiæ, vnum sane est. [Princeps pacis.] Vnde eo nato Angeli prædicarunt pacem, dicentes Lucæ 2. [Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.] Pacem etiam annunciare iussit Apostolis, nimirum, quod in singulas domos intrantes dicerent: [Pax huic domui.] Porro pacem commendauit discipulis suis recedens ab eis, & dicens: [Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.] Etiam post resurrectionem pacem annunciauit, quia quandocumque Apostolis apparebat, dicebat eis, [pax vobis,] quomodo igitur pacem nunc detestatur?

Luc. 2. Matth. 10. Ioan. 14. Lucæ 24. Ioan. 20.

§. 3. Soluitur quæstio. Pacis gemina acceptio. D. Aug.

Ad hoc intelligendum nota, quod pax est duplex, vtpotè, pax bona, & pax mala, pax Dei, & pax diaboli. D. Augustinus lib. 19. de ciuitate Dei deffiniens pacem ait: [Pax est tranquillitas ordinis secundum quam non impeditur quis in operatione sua,] hoc est, concordantia, aggregatio, & confœderatio multorum, ad aliquod opus peragendum. Cum autem opera nostra (moraliter loquendo) aliquando sint bona, aliquando vero mala, hinc plane est, quod duplex sit pax, vtpotè, bona, & mala. Explico memetipsum. Si enim vis ædificare aliquam basilicam, vel matrimonio tradere aliquam virginem, vel orphanam, & quæris aliquos, qui tibi in tali opere opitulentur cum quibus concordas vnanimiter in illo opere, tunc talis concordia multorum ad illud opus, dicitur pax bona, pax Dei, quoniam opus illud bonum vtique est morale. Porro sit aliquis latro in silua, qui secum habeat alios latrones nequiores se, vt vna furentur, mactent, & perdant, cum quibus omnibus habeat concordiam vt vnanimiter omnes male agant, tunc talis concordia, siue confœderatio multorum ad illud opus diceretur pax mala, pax dæmonis: quoniam furari, mactare, & perdere opus malum quippe est, moraliter loquendo. Si igitur sermo fuerit de prima pace, vtpotè, de pace bona, de

Pax, & concordia bona.

Pax, & concordia mala.

F pace Dei, verum est, quod Christus non venit nisi ad pacem in terram mittendam, vt indicant præallegatæ auctoritates, & vt etiam ostendit Apostolus ad Colos. 1. dicens: [Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.] Si vero sermonem conuertamus ad secundam pacem, puta pacem malam, pacem dæmonis: Christus non venit pacē mittere in terram cum his, sed gladium. Et quia homines ante Christi aduentum pacem quamdam habebant mutuo sibi concordantes in cultu Idolorum: Ideo Christus, qui homines ad veritatem fidei vocandos venerat discipulis suis contra hos Idololatras ait: [Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.] Perinde ac diceret: Malorum pacem, & concordiam diuidite, & in omnibus, & per omnia Idololatrijs resistite, quemadmodū fecit seruus meus Moyses, quando proiecit de manu

G sua tabulas, Exod. 32. & confregit eas ad radicem montis, arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit & contriuit vsque ad puluerem. & etiam Elias quando interfecit prophetas Baal, 3. Reg. 18. & quando contra consulentes Beelzebub deum Accaron, 4. Reg. 1. dixit, [descēdat ignis de cælo.] & iterum ad Achab, [De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris:] Sic & vos discipuli mei, Idololatriæ fortiter, & incunctanter resistite, quoniā: [Eritis mihi testes in Ierusalē, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.] Prædixit autem hæc Christus discipulis suis; quoniam Deus olim iusserat Iudæis, vt habetur Deut. 13. quod siquis suaderet eis colere alterū Deum, siue esset filius, siue filia, siue vxor, siue amicus, non audirent eum, quinimmo statim eum occiderent. Ex quo plane factum fuit, quod quando dicebatur Iudæis, quod desererent legem Moysi, & Christum colerent,

Pacem malorum persequuti fuerunt boni, & sancti viri.

H putabant, quod suadebatur eis colere alium Deū, & ideo insurgebant filij in parentes. & è contrario, ad occidendum eos. Et quia Christus loquebatur Apostolis qui Iudæi erant, locutus est eis secundum consuetudinem legis, puta quod patres insurgerent in filios, & filij in patres, vt indicant sequentia verba: [Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiā aduersus matrē, &c.] quod accidit tam inter Iudæos, quā inter gentiles. Ex quo plane sequitur aperte, quod cum Iezabel seduceret seruos Christi tam circa fornicationem carnalem, quam circa fornicationem spiritualem (quæ verè, & propriè est ad Idololatriam pertinens) teneri Episcopum hunc Thyatirenum illam incunctanter, & intrepidè redarguere, tam per verba, quā per verbera, cum Christus apertè dicat contra similes malefactores: [Non veni pacem mittere, sed gladium.] Puta gladium spiritualem, quod est ver-

I bum Dei, vtpotè, prædicatio Euangelica, & correctio fraterna, & vltimo excommunicatio, ita vt tamquam Ethnici, & Publicani, habeantur à fidelibus, veluti cōtra Pharisæos insurrexit Baptista dicens: [Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?] Et rursum contra vulpem Herodem adulterum: [Non licet tibi habere vxorem fratris tui.] Vnde est illud Apostoli ad Thimotheum Episcopum: [Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.] Vah bone Deus! Putant aliqui Prælati se melius tunc regere, cum contra facinorosos subditos correctione minimè insurgunt; quoniam tunc cum illis pacem obtinet: Putant Reges terræ, tunc se melius, & magis pacificè regna sua regere, & gubernare, cum malefactores, latrones, adulteros, fornicarios, vsurarios, minimè persequuntur: Putant denique plerique patres tunc filios, & filias suas magis diligere, cum eorum malam vitam

Luc. 3. Matth. 14.

K nullatenus redarguunt: Sed falluntur omnino, & toto aberrant cælo. Et ad maiorem eorum confusionē audiant ij Christum, tùm hunc Antistitem, & Iezabel reprehendentem, tùm discipulis suis dicentem: [Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere, non veni pacē mittere, sed gladium,] tùm denique per Psalmistam dicentem: [Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns: Quia non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum.]

Psal. 72.

Seduce-

§. 4. Seducebat itaq. Iezabel suis blanditijs ac falsa doctrina seruos Christi, Apostolorum lacte diligenter nutritos, dicente Apostolo: [tanquam paruuli vobis lac dedi in Christo,] quibus verbis fit allusio ad illud Domini: [Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quod curarem eos.] Hos igitur seruos Christi decipiebat hæc Iezabel: Quamobrem in hâc nefariâ mulieré expendi rectè potest illud: [Abyssus abyssum inuocat.] Quemadmodum enim Eua seducta à dæmone, iuxta illud Gen. 3. [Serpens decepit me] seducere, ac supplantare curauit virum suum Adam, iuxta illud: [Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.] Haùd secus hæc fæda, & lubrica mulier Iezabel, à dæmone seducta, & in præuaricatione manens Prophetis videri volebat, vt prophetiæ nomine plerosq. supplantaret, falleret, seduceret, ac omnino deciperet seruos Christi, & Dei, cum reuera ipsa, prophetissa nullatenus esset, sed impura mulier, libidinosa, Nicolaitarum sectatrix, & sedens in cathedra pestilentiæ, suam prauam falsamque doctrinam, vti veram proponens, credendam. Pari etiam modo hodierno die faciunt hypocritæ, adulatores, augures, proditores, malæq. mulieres, vt vos vxoresq. vestras, vel viros vestros, filiosq. ac filias bonæ indolis, seducant, decipiant ac in ipsismet domibus, ac penetralibus vestris supplantare, quod Hispani, materna lingua dicunt, [hazer la sancadilla para caer] quærant. Non enim absq. causa dixit Christus Matth. 10. [inimici hominis domestici eius.] Sunt namq huiusmodi vetulæ, augures, hypocritæ, & adulatores, in cubiculis vestris, veluti piscis quidam appellatus Pinna, qui est de genere conchylium, de quo, dicit Plinius, lib. 9. nat. hist. c. 42. quod coram alijs piscibus se aperit, & mortuum se fingens, tanquam ad deuorandum, omnibus se exponit, cū vero concham suam plenam piscibus sentit, cōtinuò se claudit, & pisciculos sic seductos deuorat, & consumit. Id ipsum astuta præstare solet vulpes, fingendo se mortuam in medio itinere, donec aliquis in equo vel curru suo eam ponat, & tunc omnia deuorat quæ illic adinuenit. Ita planè, huiusmodi seductores; se fingunt in domibus vestris mortuos, vt porè, simplices, ignorantes incautos, donec vel vxorem vestram, vel virum vestrū, vel filios, aut filias vestras seducant, decipiant, ac supplantent; hoc est, donec pedem alicui eorum rectè & castè viuenti supponant, vt à perfectionis ruat culmine. Hinc plane est, illud Domini: [Popule meus, popule meus, qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt.] Et illud ad Rom. 16. [Per dulces sermones, & benedictiones seducunt mentes innocentium.] ac etiam illud Ierem. 38. [Seduxerunt tè, & præualuerunt aduersum te, viri pacifici tui demerserunt in cæno, & lubrico pedes tuos, & recesserant à te.] Et postremo ad hoc ipsum pertinet illa querela Domini Isa. 19. [Stulti facti sunt Principes Taneos, emarcuerūt Principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius.] & Osee. 7. [Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.] Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit, non auolat, at vero cæteræ aues, pullos suos, etiam cum periculo vitæ suæ protegere festinant, & cū ad nidum suum accipitrem, colubrum, siue cornicem accedere vidēt hùc illucq. volant & immittunt se moribus, & vnguibus lacerando, & quærula voce dolorē parentis testantur: sic virtuosi tenentur facere circa virtutes conseruandas, & non permittere, vt mali eos, vt columbas seducant.

Nutricius noster fuit Christus.

Osee 9.

Ps. 41.

Comparatio.

Seductores mundani.

Vulpium astutia.

Vulpium naturam imitantur hypocritæ.

Comparatio.

P A R A P H R A S I S

Quinta.

Par. 5.

Enodatio textus.

§. 1. Fornicatio est contra ius naturale.

Fornicari. (ait.) Committitur fornicatio per concubitum vagum inter virum, & fœminam. Appellamus autem vagum concubitum, illum, qui nullo matrimoniali fœdere concurrente, perpetratur. Est

A insuper fornicatio contra ius naturale, quoniam est contra præcepta decalogi, quæ sunt de iure naturali: opponitur namque illi præcepto, [non mœchaberis.] & semper inducit læthale crimen. Hinc Apostolus ad Roman. 1. Loquens de hominum malitijs ait: [Repletos omni iniquitate, & malitia.] Et explicans malitias, & iniquitates illas proprijs nominibus subiungit, [Fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq. fœdore, sine misericordia.] Vides nè, qualiter à fornicatione sumat exordium, adeò vt videatur vexillifera omnium peccatorum? Meritò planè ipsemet ad Heb. 13. ait: [Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.] Et ad Eph. 5. [Fornicator nō habet hæreditatē in regno Dei]

Hominum malitiæ, & iniquitates.

Fornicatio fons, & origo iniquitatum.

B

§. 2. Sed dices, quare quæso Archipropheta toties in his Ecclesiarum reprehensionibus fornicationem ita durè execrat & abhorret?

Difficultas circa fornicationem.

Dico, hoc nullatenus incassum accidisse; Gentiles namq. conuersi ad Christum existimabant fornicationem simplicem, non esse mortale peccatum, propter quod Concilio Ierosolymitano necesse fuit, Apostolos super hanc rem ferre sententiam. Dissidium enim, magnum plane ob id in Ecclesia, inter Gētiles, & Hebræos conuersos fiebat, eò quod qui ex Iudaismo venerant per legem edocti, iuxta illud Leuit. 21. [Omnino non erit scortum inter vos] fornicari quouis modo peccatum læthale putabant contra gentiles conuersos, sicq. Act. 15. ab Apostolis sancitum fuit: [visum est spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere oneris vobis, quā hæc necessaria vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine suffocato, & fornicatione,] vbi fornicatio prohibetur specialiter, vt ait S. Tho. p. 2. q. 103. art. 4. ad 3. quia gentiles, non reputabant eam esse peccatum, quapropter Archipropheta eam iustè in suo opere toties durè increpauit.

Error gentilium.

C

§. 3. Fornicatio autē multifariè accipitur in sacris Biblijs, puta, p coitu illicito, pro idololatria, pro infidelitate, pro apostasia, pro luxuria. Porro apud Hebræos omnis recessus à Deo, & rebellio, fornicatio appellatur: & apud S. Th. 2. 2. q. 151. art. 2. omne peccatum, fornicatio largè nuncupari potest. Verumenimuero hic fornicatio, duplici dumtaxat gaudet acceptione. Primò, nimirum capitur fornicatio, pro Hæresi & Idololatria. Secundò vero pro coitu illicito, vt exoluunt Primasius, Strabus in sua glos. ord. Laudunensis in sua gloss. interlin. S. Th. & Rupertus Abbas. Quod autem fornicatio significet hæresim & idololatriam, patet ex illo Ierem. 3. [Fornicata est cum amatoribus multis.] Et rursus: [Mæchata es cum lapide, & cum ligno.] & Ezech. 16. [exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es cum eis.] & Exod. 34. [Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum dijs suis, & adorauerint simulachra eorum, vocet te quispiam.] Et Ps. 72. [Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.] Huius spiritualis fornicationis adest ratio, puta, quia Deus per fidem spirituale quoddam cum quauis anima contrahit matrimonium, iuxta illud Osee. 2. [Sponsabo te mihi in fide.] Ex quo efficitur, vt qui fidem, aut eius confessionem deserit, adulterium spirituale patret, vt largè probat D. Hieronymus, in cap. 3. Ieremiæ, & in cap. 16. Ezechielis, ac etiam in cap. 3. Nahum. Quod vero fornicatio significet coitum illicitum, liquet ex eo quòd fornicari carnaliter, nihil aliud est, quam virum, & fœminam illegitimè copulari, vel alienum thorum violare, vnde est illud Osee 2. [Auferam fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio huberum suorum] & alibi: [Sume tibi vxorem fornicationis.] Sumitur vero hic fornicatio vtroq. modo, puta, carnali, & spirituali; quoniam hæc fæda, & libidinosa mulier, & cum hominibus illegitimè copulata fuit per carnalem copulam, & cum demonibus fornicata fuit per idololatriam. Quoniam ex vna fornicatione

Fornicatio multipliciter accipitur.

Fornicatio dupliciter capitur.

D

Heresis, & idololatria est fornicatio.

Sponsa Dei est anima per fidem.

E

 facilis

facilis ad aliam est transitus, puta, ex carnali ad spiritualem, vt videre est in Salomone de quo 3. Reg. 11. dicitur: [Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Amonitidas, Idumæas, & Sidonias, &c.] & paulo post: [Fueruntque ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris sui.] Quare de hac Ecclesia Thyatirena, temporibus huius immundæ mulieris Iezabel, meritò expendi potest illud Osee: [In domo Israel, vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim, contaminatus est Israel.]

Concubinæ Salomonis. Osee 6.

Conceptus Prædicabiles in textum.



Conceptus 1. Quod fornicatio carnalis pleraq. inducit mala.

INEXHAVSTVM planè pelagus est fornicatio carnalis, cuius solum nusquam apparet, aut integrè intuitur, eo quod cum quis venereis voluptatibus nimis laxas permittit habenas, eò sanè rédit, quò nimis citò cum Samsone cæcus molat, aut cor deprauatum cum Salomone obtineat, vel siliquas cum filio prodigo comedat, siue mortem cum Ammone subeat. [Fouea profunda est meretrix (dicitur Prou. 23.) & puteus angustus aliena, insidiatur in via quasi latro, & quos incautos videt interficit.] Quapropter Apostolus ad Eph. 5. exhortatur dicens: [Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos.] Et 1. ad Tim. 4. [Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis, vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq. vestrum, vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.] Vile planè vitium est fornicatio, non solum in hominibus, verumetiam in animalibus. Dicitur enim de ceruo, quod cum fæminam, puta, ceruam, impleuerit, separatur per se, & propter libidinis grauem olentiam, solitarius scrobes fodit, fætet vt hircus, facies quoque eius nigrescit, aspergine, vt etiam hirci, & degit hac destinatione quo usque imber accidat, ablutusque inde pascua repetit. Et Pierius lib. 7. Hieroglyphicorum narrat, quod cum Ægyptij, hominem mulierosum, & multarum concubitum appetentem notare volebant, ceruum exporrecto genitali pingebant; quoniam ceruus turgente iam venere, coitum appetit, & non in vna tantum immoratur, sed mutat, breuiq. interposito tempore, aliam atq. aliam supergreditur. Ita plane sunt plerique carnales homines, huic carnali vitio fornicationis adeò dediti, vt cum illo inflammantur, non vnam, sed pœne infinitas diligenter quærant fæminas, ex quo planè fit, vt bestijs viliores citò fiant, iuxta illud, [Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis incipientibus, & similis factus est illis.] Verum quippe est, quod huius carnalis vitij maxima, ac ferè innata est nobis vis, quamobrem cupido & Deus, & Deorum Deus à Poetis appellatur. Quoniam licet Æolus ventorum dumtaxat, Neptunus maris, Pluto inferni, Iupiter cæli, Dij constituantur, tamen Cupido vniuersalis Deus Deorum illorum falsorum constituitur à Poetis. Hinc Ouidius de illo ait.

Iudic. 16. 3. Reg. 11. Lucæ 16. 3. Reg. 13. Fornicatio est veluti latro. Ceruorũ natura post coitum. Cupido vniuersalis Deus Ouidius.

Regnat & in superos ius habet ille Deus.

Eo quòd vitiũ carnis in nos, maxima vi, crebrius insurgit, multosq. in dies debellat, triumphator euadens. Vnde cupido vna manu flores; altera vero piscem gestiens depingitur à Poetis, insignum, quod mari, & terræ prædominat, vt Alciatus Emblemate 106. indicat, hoc Epigrammate.

Cupido quomodo depingitur à Poetis.

Altera sed manu flores gerit, altera piscem,
Scilicet vt terræ iura dat atque mari.

F Vera ita sunt hæc omnia de vi in nobis innata, ad hoc brutale vitium homines impellente. Cæterum si vir Dei, diuina gratia munitus, huic carnali vitio consentire nullatenus vult, [portæ inferni non præualebunt aduersus eum,] vt circa sexum fæmineum videre licet, in casta Susanna dicente; [Angustiæ sunt mihi vndique, si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.] Et circa sexum masculinum, intueri potest in casto Ioseph, dicente: [Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?] Quare ad vocem mulieris dicentis ei, [dormi mecum] mox in textu sequitur: [Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.] Idem prorsus legitur de S. Lucia Virgine, Paschasio præfecto (eam ad Lupanar duci iubenti) respondente intrepidè: [Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam,] & de S. Thoma Aquinate, cuius extat castũ Encomium, quo dicitur, quod mulierem, ad labefactandam eius constantiam, ac castitatem, introductam, titione incunctanter fugauerit. Et meritò plane; quoniam fæmina est dæmonis vas, dum male agere festinat.

Cupido, & fornicatio de vincentur a viris iustis, & sanctis. Dan. 13. Gen. 39. G Fæmina demonis vas.

PARAPHRASIS
Sexta.

Par. 6.

Et manducare (ait tandem) de idolothytis, Carnes, & reliqua comestibilia sunt Idolothyta, quæ Gentiles Idolis & Simulachris suis olim propediem immolabant.

Dilucidatio textus. §. 1.

H Nota tamen primò (vt mentem Archiprophetæ hìc optimè spectemus) Gentiles ex antiqua suorum patrum consuetudine immolare solere animalia munda, & immunda, & pleraq. cibaria Idolis suis, quæ colebant, & pro dijs adorabant. Vnde teste Ouidio lib. 1. Fastorũ & Virgilio, lib. 8, Æneid. ac etiam Homero, multis in locis, apud Gentiles, asinus immolabatur Priapo, porcus, Cereri, anser Veneri, equus Phœbo, viscera carnis Dianæ, &c. existimando talem cibum ex illa idolorum consecratione virtutem quamdam (sed falso sanè) cõtrahere. Id propterea ipsi talia immolata, læti, & gaudenter (tum in honorem idoli, & simulachri, quod colebant, & adorabant, tum ex existimatione, qua putabant talem cibum per consecrationem factam sub nomine idoli & simulachri illius virtutem contraxisse) comedebant. Et de ijs intelligitur illud Ps. 105. [Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum,] id est, animalium idolis immolatorum. Et etiam illud Deut. 32. [De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.]

§. 2. Gentiles quæ sacrificia Dijs suis faciebant, & de quibus animalibus. I

Nota secundò, Hebræos multos, ac varios cibos habere ex lege vetitos, vt liquet ex cap. 11. Leuit. & ex c. 14. Deuteron. Quare Hebræi animalia immunda nullatenus comedebãt, vt porè camelos, lepores, sues, chœrogryllos, & reliqua animalia, quæ non ruminant, nec vngulam diuisam habent. Quinimmo inter eos talia immunda comedere animalia, erat læthale, & comedens fiabat iniustus, quia cõtra legẽ operabatur. Quicquod, sacra scriptura laudat illos, qui fortiter mortui sunt, vt non cogerentur manducare carnem porcinam, & alios cibos vetitos, vt patet 1. Mach. 1. & 2. Mach. 6. ac etiam 2. Machab. 7. Prohibuit autem Deus Hebræis in lege cibum animalium immundorum, Tum quia per ista animalia significantur aliqua vitia, quæ verè sunt immunda, & hominem immundum efficiunt, Tum quia Deus voluit, non solum prouidere populo huic spiritualiter legem dando, per quam eum coleret, sed etiam corporaliter, dando modum, vt sanius viuerent. Tum quia Christus venturus erat secundum carnem de illo populo, & ideo erat dignum, quod iste populus esset excellentior cæte-

§. 3. Hebræorum ritus circa comestibilia. K Hebræi non comedentes immunda laudantur.

cæteris populis, & distinctus ab eis, per maiorem mun- A ditiam etiam in cibis corporalibus. Legito de hoc Abulen. in cap. 15. Matth. q. 40.

§. 4. Nota tertiò, Christum Dominum côtra Pharisæos, & Scribas dixisse, Matth. 15. [Non quod intrat in os coinquinat hominem.] Propter quę verba in Primitiua Ecclesia vt potè, statim post mortem, & in cælos gloriosam Ascensionem Domini, côtrouersia haud exigua inter nouiter conuersos ad Christum ex Iudaismo, & ex gentilitate suborta vtique fuit. Gentiles namq; côuersi ad Christum omni cibo vtebantur vlla interposita distinctione innixi prælibatis verbis Christi : [Non quod intrat in os coinquinat hominem.] At verò Iudæi in Christum credentes, existimabant legalia obligare adhuc, tempore Euangelij; & per consequens debere omnes conuersi ad Christum, abstinere se à cibis, quos lex Moysi immundos iudicabat. Quamobrem videntes Gentiles conuersos, cibos vetitos (& præci- B puè idolothyta) indiscriminatim, Christiana libertate gaudentes, manducare, scandalizabantur. Idq. durè ferebant. Tum propter antiquæ legis consuetudinem, Tum propter suspitionem reditus gentilium ad idololatriam. Iccirco Apostoli pacem côponentes, vt de cętero posset vnio Gentilium & Iudæorum simul habitantium conualescere, sanctè in Concilio Ierosolymitano decreuerunt, omni licere cibo, idolothytis demptis. Ideoque Act. 15. dicitur : [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos, ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & à fornicatione.] Ex quo plane exortum fuit, quod Gentiles cum audissent Ierosolymis, Concilio illo Apostolico decretum esse, vt delectus ciborum ille, quem tanta diligentia præceperat Moyses in lege, Christiana ista libertate, abrogaretur, magna lætitia fruebantur in Domino, nihil ad mensam discernentes, sed omnia bona fide, quę illis apponebantur comedentes. Eoque libentius quo diuturno vsu gentilitatis nescio quid naturæ simile contraxerant, vt esculentis, cibisque omnibus vescerentur, horrerentq. illam Mosaicam seruitutem, quæ suillam carnem, plurimaque alia edulia (vt dixi) prohibebat. Contra verò Iudæi, libertatem istam ab Apostolis permissam, magis quam côcessam existimantes, nempe, quia iudaicæ religionis zelo adhuc detinebantur, per scriptam escarum legem, magna perseuerantia & constantia obseruabant. Non enim confidebant, citra culpam posse à lege tam citò recedere, in qua nati, & aliti fuerant, neq; carnê suillâ, ciboſq. reliquosquos longa consuetudine refutauerât, citra nauseâ, tamquâ horrescente stomacho, manducare. Ita fiebat, vt discumbentibus illis in mensa, alteri alter obijceret, & obmurmuraret. Inuehebantur gentes contra Iudæos, quod Iudaizarêt, nec Christianam viuerent vitam. Iudæi verò contra Gentiles, quod voraces essent atque gulones, qui à nullis escis abstinerent. Et dû hæc agerentur, in origine nascentis Ecclesiæ, inter Gentiles, & Hebræos conuersos surrexit hæc nefaria mulier Iezabel, docens vtrisque, putà Gentilibus, & Hebræis, Christianis, contra præceptum Apostolorum, manducare de idolothytis. Ex quo planè puto, hanc Iezabel Apocalypsis, ex gentilitate, ad Christianismum venisse, & sic vt placeret suis gentilibus, iterum contra præceptum Apostolorum, idolothytum introduxisse. Quamobrem de illa rectè dici potest illud D. Hieronymi: [Canis ad vomitum.] Ob hanc namque causam Christus, gentiles, canes appellauit, cum Chananææ mulieri dixit : [Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.] Vbi per filios intelligit Hebræos, & per canes Gentiles. Cum itaque hæc Ie- E zabel in Christum, & Euangelium iam crederet, malè nunc contra eosdem insurgit, præceptis Apostolorum obuians, idolothyta, licita concedendo, quæ ab Apostolis & prohibita, & execranda ommino erant adiudicata.

Libertas Christiana, & Euangelica.

Rixa Iudæorû, & Gentilium in primitiua Ecclesia.

Nota bene.

Iezabel quo tempore prędicauit esum idolothytorum.

Iezabel Apocalypsis ex gentilitate venit ad Christianismum.

Iezabel Apocalypsis Apostolos calumniatur.

DISPVT. XXII.

In Cap. II. Apocalypseos, de Idolothytis Gentilium.

In tres Quæstiones diuisa super illa verba : *Manducare de Idolothytis.*

Prologus disputationis.



LEx & præceptum de non comedendis immolatis simulachrorum, in nulla scriptura veteri, nec in ipsa noua Euangelica doctrina expresse continetur. Sed Apostoli, Spiritu sancto, illuminati, istud decreuerunt, Act. 15. ad Iudæos & Gentiles nouiter ad Christum conuersos, in vnum conciliandos. Vt inde nos apertè colligamus, Ecclesiam modo varia præcepta, siue leges externas, extra scriptum Dei verbum posse promulgare, & ferre. vt rectè colligit Thomas Stapletonus Anglus contra Caluinum, in suis Antidotis Apostolicis in cap. 15. Act. Apost. Interim nos hìc de idolothytis C cum fidelibus disputemus.

Lex de non comedendis idolothytis, est Apostolica.

Caluini lapsus.

Quæstio I.

Vtrum Idolothytum sit malum in se?



PRIMA conclusio est negatiua, accipiendo absolutè malum. Et probatur. Quoniam omnis creatura Dei bona est, iuxta illud Gen. 1. [Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,] hoc est D entitatiuè, siue naturaliter. Vnde Apostolus. 1. ad Tim. 4. ait : [Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.] Quare loquendo de bonitate naturali, idolothytum in se non erit malum, immo bonum.

1. Conclusio.

Idolothytum non est malû naturaliter.

Secunda conclusio. Idolothytum est malum legale, & immundum. Appellamus autem malum, & immundum legale id quod lex iudicat esse immundum, & vetat illud in cibum sumi. Quæ plane prohibitio facit illud esse immundum, & non aliqua qualitas bona, vel mala, quæ in eo sit. Et sic aliqua iudicantur secundum legem immunda, in quibus verè realiter nulla est immunditia. Vnde cum idolothytum, sit in lege euangelica prohibitum iuxta illud Act. 15. [Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, quam hæc necessaria, vt ab immolatis simulachrorum,] erit malum, & immundum legale.

2. Conclusio.

Idolothytum est malum legale.

Quæstio II.

Vtrum Idolothytum ex ipsa consecratione idolorum habeat aliquam virtutem?



1. Conclusio. Idolothytum virtutẽ minime contrahit ex consecratione.

Prima conclusio. Si loquamur de virtute ad bonum, nullam virtutem obtinet Idolothytũ ex ipsa consecratione Idolorum. Probatur; quia dæmon, qui in illis simulachris latebat, nullam ad bona opera illis virtutem conferre valebat. Hinc est illud Apostoli 1. Cor. 8. [Scimus, quia nihil est Idolum in mundo,] id est, nullius virtutis est Idolum.

2. Conclusio. Gentium error circa idolothyta.

Secunda conclusio. Gentiles putabant immolata, & Idolothyta, virtutem aliquam contrahere per consecrationem factam idolo. Quorum error probatur ex illo Psalm. 105. [Initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.] & ex illo Deut. 32. [De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.] Quod planè præstabant Gentiles, tùm ob famen, vt legitur de sacerdotibus Bel, Danielis 14. tùm ob virtutem, quam consequutam ex ipsa consecratione (sed falso reuera) putabant.

3. Conclusio.

Tertia conclusio. Idolorum & dæmonum inuocatio, facit immolata & cibaria immunda apud nos, Hæc est D. Hieronymi, Remigij, & Abulensis in cap. 15. Matth. & est communis omnium Theologorum, & patebit ex sequentibus.

Quæstio III.

Vtrum idolothytum sit illicitum?



1. Conclusio. Idolothytum illicitum tẽpore Apostolorum.

Prima conclusio. Temporibus Apostolorum idolothytum fuit illicitũ. Hæc est de fide, & probatur ex illo Act. 15. [Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris quam hęc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum.]

2. Conclusio. Idolothytum nunc etiam illicitum.

Secunda conclusio. Idolothytum nunc est etiam illicitum, sicuti erat temporibus Apostolorum. Hæc videtur esse de mente Diui Hieronymi in cap. 44. Ezech. D Aug. lib. 32. contra Faustum cap. 13. & idem videtur sanciri in Concilio Gangrensi cap. 2. & in Cõcil. 3. Aurelianensi cap. 19. ac etiam in Concil. 4. Aurelianensi cap. 15. Et præterea probatur. Tum quia sanctius est fame mori, quam idolothytis vesci. Tum quia quemadmodum temporibus Apostolorum non erat scandalizandus infirmus in fide, sic etiam nec modo hoc nostro sæculo.

1. Ratio. 2. Ratio.

Corollarium.

Verumenimuero, quia S. Tho. p. 2. q. 103. art. 4. ad 3 sic ait: [Comestio autem immolatorum simulachris poterat in Iudęis generare circa gentiles suspicionem redditus ad idololatriam; & ideo ista fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de nouo oportebat conuenire in vnum Gentiles, & Iudæos. Procedente autem tempore, cessante causa, cessat effectus, manifestata Euangelicæ doctrinæ veritate, in quo Dominus docet, quod nihil quod per os intrat, coinquinat hominem, vt dicitur Matth. 15. & quod nihil est reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, vt 1.

F ad Tim. 4.] Hæc S. Tho. Et idem prorsus videtur asserere Sotus lib. 2. de iust. & iur. q. 5. art. vlt. Ideo nos, hanc nostram secundam conclusionem cum grano salis intelligentes, sequentes astruimus propositiones.

1. Propositio. Comedẽs idolothytũ quomodo nõ peccet.

Prima propositio. Si quis verè credit cibum immolatum Idolo, nihil virtutis ex illa consecratione consequi, & comedendo non putat se comedere aliquid, quod ad Idolum pertineat, non peccat comedendo. Hæc est Remigij & Abulensis in cap. 15. Matth. q. 40. & probatur. Tum quia talis cibus non est malus in se, vt ex superioribus patet. Tum quia iste nullatenus facit contra conscientiam suam. Tum quia vesci cibo est de necessitate salutis corporalis, & quando non est aliquod scandalum, puta, quando talis cibus apud aliquem non habet speciem mali, cessare à tali comestione necessaria, esset sibi mortem inferre. Tum tandem liquet ex illo 1. Tit. [Omnia munda mundis.]

2. Propositio. 1. Ratio.

G Secunda propositio. Si quis ita comedens cibum idolis immolatum (pro vt est dictum) aliquem grauiter offendit, & scandalizat, abstinere debet à tali comestione, saltem ad tempus publicè, quousque cesset scandalum. Probatur. Tum ex illo Apostoli 1. Cor. 8. [Si caro scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.] Idem videtur dicere ad Rom. 14. de cibis legalibus, & de vetitis in lege. Et clarius 1. Cor. 8. per hæc verba: [Quidam autem cum conscientia vsque nunc, idoli, quasi idolothytum manducant, & conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, esca autem non nos commendat Deo: neque enim si manducauerimus abundabimus, neq; si non manducauerimus deficiemus; videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.] Et 1. Cor. 10. [Si quis vocat vos infidelium ad cœnam & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter eum, qui iudicauit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuã, sed alterius.] Tum quia iste scandalizatus putat, quod comedens facit hoc in honorem idoli: quare si quis non existens in necessitate, putà, habens alios cibos, si talem cibum coram infirmis comedat, peccat, quia scandalizat eum actiuè. Non enim illi soli scandalizantur, qui vident, sed etiam ille eos verè scandalizat cum talia faciat, quæ nata sunt actiuè scandalizare, & hoc maius periculum est, quam mors corporalis, Et in hoc sensu diximus supra: [Sanctius est fame mori, quam idolothytis vesci,] id est, sine necessitate, & cum scandalo aliquorum. Idem asserunt Diuus Hieronymus, Remigius, & Abulensis, in cap. 15. Matth.

H

2. Ratio.

3. Propos. Idolothytum quando liceat manducare sine peccato.

I Tertia propositio. Si quis sit in extrema necessitate, putà, nullos alios cibos habens, non debet seipsum permitti fame mori, vt non vescatur idolothytis cum scandalo aliorum, sed quantumcumque scandalizentur manducare debet. Hæc est Abulensis in cap. 18. Matth. q. 52. Et probatur. Quia si comedere nollet, esset hoc sibi manus inferre ad mortem, & tunc esset malum culpæ, nimirum, seipsum occidere: At potius debet quis eligere quodcumque scandalum sequi, quam hoc facere: Igitur &c.

4. Propos. Comedẽs idolothytum quã peccat mortaliter.

Quarta propositio. Si quis comedens non habet firmam cognitionem, sed putat quod cibi contrahunt aliquid per consecrationem factam ab idolo, peccat mortaliter comedendo. Probatur. Tum quia contra conscientiam agit, putans se idolothitum comedere. Tum K quia ex eo quod Iudæi essent rudes, & nescirent veritatem huius rei, poterant in hoc falli per Gentiles, & ob id, iussit illis Deus generaliter, quod non comederent de consecratis idolo, Exod. 34. quinimmo propter hoc iussit, non manducare cum gentibus, ne darent sibi aliquos cibos consecratos idolo.

Corollarium. Idolothytum est hoc tempore illicitũ, sicuti Apostolorũ tẽpore.

Ex his propositionibus facilè est cuiuis colligere, qualiter, hoc nostro sæculo, idolothytum est eodem modo illicitum, quemadmodum tempore Apostolorum illicitum erat. Nihilominus liquet etiam ex eo dumtaxat, quia, scilicet, tunc illicitũ erat idolothytum propter scandalum infirmorum. Cum enim Gentiles dæmo-

dæmonijs immolarent, & in ſacrificijs ipſis veſce- A rentur de Idolothytis, qui ea comedebant tempore Apoſtolorum, videbantur planè, vel ad Idololatriam reuerti, vel dæmones quibus illa immolabantur, venerari: At ſi id modo aliquis vir perfectus, & *Scandalizare poteſt aliquando vir perfectus.* probatæ virtutis faceret, de quo nulla poſſet eſſe ſuſpitio, nullumque inde oriretur ſcandalum, aut quaſi ignorans comederet, ne videntibus offendiculum eſſet, quamuis Idolothytum eſſe ſuſpicaretur, nihil planè peccaret, vt tenet prima noſtra propoſitio: Igitur Idolothytum, ſic nunc illicitum eſt, quemadmodum olim Apoſtolorum æuo omnino illicitum extitit. Maior eſt manifeſta. Minor verò probatur, quia vir perfectus poteſt ſcandalizare actiuè, aliquando abſque peccato ſaltem mortale, vt prodit Alphonſus Toſtatus in cap. 18. Matth. quæſt. 48. & 49. Igitur poterit à fortiori facere vir perfectus ea in quibus faciendis nullum interuenit ſcandalum. B

Text. 22. T dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione ſua.

COMMENTARIVS.

Enodatio contextus. §. 1. VRÆ planè ceruicis erat hęc fœda, lubrica, ac omnino libidinoſa mulier Iezabel, cum omnipotens Dominus ſuæ miſericordiæ recordatus, & nolens animas perire, illi pœnitentiæ præfixerit tempus, & ipſa obſtinata, ſuaque fornicatione fortiter irretita, obdurationique omnino tradita, pœnitere reſpuerit. De hac muliere ſanè expendi poteſt illud Iob. 34. [Deus dedit illi locum pœnitentiæ, at ille abutitur eo in peccatum.] Et illud Iſa. 48. [Sciui quia dura es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.] *Exod. 5. Dan. 4.* Ecce alter induratus Pharao, de quo dicitur: [Induratum eſt cor Pharaonis.] Ecce alter Nabuchodonoſor obcæcatus, de quo affirmatur: [Cor feræ detur ei.] Ecce mulier, de qua expendi rectè poteſt illud Ierem. 3. [Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.] Ac etiam illud Apoc. 17. [Et in fronte eius nomen ſcriptum, myſterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.]

Vetulæ in fornicatione obduratæ. Sic planè ſunt hodierno die plurimæ Iezabeles, hoc noſtro ſæculo, vt potè, vetulæ quædam, de quibus Lyranus loquens de hac Iezabele ait: [Quia tales vetulæ, in malis veteratæ, vix (aut numquam) nolunt ad bonum redire:] Sunt namque hæ matres fornicationum, vt hæc Iezabel vetula fornicatrix. O fœmina ſuper fœminas maledicta, Iezabel, peccaſti, tùm per fornicationem, & luxuriam, tùm per gulam & Idolothytum, habes animam in inferno (vbi non eſt niſi fletus & ſtridor dentium) pœnitus ſubmerſam; & miſericors Deus conſtituit tibi locum, & tempus pœnitentiæ, vt tot euadere poſſes mala, & incommoda, præterita deplorando, & futura vitando, propter quod prona Deo gratias agere teneris, & non vis pœnitere? O frons meretricis, ò fœmina maledictioni proxima, ò cor Pharaonis induratum, venient dies in te, in quibus complebuntur in te *Prou. 1.* illa verba Domini: [Vocaui vos, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.] Ecce itaque au- *Iſa. 65. & 66. Ierem. 7. & 35.* xilium Dei in hac peccatrice. *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret.* Pœnitere namque, gratiæ Dei eſt, iuxta illud: [Auxilium ex me.] Ecce ex aduerſo perditionem eiuſdem mulieris peccatricis: *& non vult pœnitere à fornicatione ſua.* Nolle enim pœnitere, obdurationis vtique eſt, iuxta illud: [Peccatum ex te.] *Osee. 13.*

Ex hoc textu planè concluditur, quod obduratis prædicare pœnitentiam, eſt (vt alibi ait Dñs) margaritas ante porcos proijcere. Quoniã ſunt hoc noſtro ſæculo quædã vetulæ, quæ cum in fornicatione iam ob ſenectutem nequeant eſſe culcitra ſiunt ſtragulum, (Quod Hiſpanicè dicitur: [Quando no puedem ſer colchon, ſiruen de manta.]) cũ enim iam, illi nefario vitio inſeruire nequeant paſſiuè, vt antea, tunc actiuè prouocant alias mulieres, virgines, viduas, ac nuptas, ad illicitum coitum, illaſque in penetralibus, & cubiculis ſuis, & conſeruant, & defendunt, & (vt ſtragulum quo dormientes integimur) cooperiunt: quare iniquorum pallium, (hoc eſt, vt dicunt Hiſpani, [capa de vellacos,]) meritò nuncupari queunt. Hæc verba: *dedi illi tempus &c.* clarè indicant, Deum peccatori concedere pœnitentiæ tempus. *§. 2. Cæcitas mentis ex peccato.*

Sed quid eſt, Deum tempus pœnitentiæ dare? Nihil aliud ſanè, quam lapſo corporalem mortem, non citò immittere. [Dimitte illam (dicitur Lucæ. 13.) vſque dum fodiam.] Quinimmo illi habenas diuturnioris vitæ laxare, minaſque illi per Apoſtolos, Prophetas, & Concionatores, ac etiam per amicorum, & vicinorum ora infringere, iuxta illud: [Et mittam ſtercora.] Hæc alia verba: *& non vult pœnitere &c.* apertè indicant, peccatorem, ſiue lapſum, aliquando nolle pœnitentiam agere. *§. 3. Pœnitentiæ tempus dare peccatoribus eſt illis conſiderationes interiores, & exteriores gloriæ, & inferni miniſtrare.*

Et quid eſt lapſum nolle pœnitere? Nihil aliud profectò, quam ipſum indurato corde, hæc omnia incitamenta ad bonum, paruipendere, ac prorſus contemnere, dicendo illud Sap. 2. [Venite ergo, & fruamur C bonis, quæ ſunt & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis, antequam marceſcant, & nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.] Dixi: [indurato corde,] quoniam quando quis videt arborem aridam, folijs, fructuque deſtitutam, oculos mox in radices conijcit dicens, cauſam ariditatis in illa eſſe vermen corrodentem illam, aut aliquid aliud noxium circa radices: haùd ſecus planè quando homo areſcit, & velut arbor fructus, & folia virtutum deperdit, Deum non agnoſcens, & ſui nefandi ſceleris putredinem haùdquaquam percipiens, ſtatim recurrendum profectò eſt, ad tantæ cæcitatis fontem, vt potè, ad cor, [de corde (inquit Dominus) exeunt cogitationes malæ &c.] Vides igitur corda, fontes, & radices eſſe D peccatorum? *§. 4.* *Comparatio.*

Diſce ex hoc loco, homo impœnitens, pœnitentiam tibi opus eſſe. Suppoſito enim peccato, neceſſarius eſt planctus, fletusque animæ & oculorum. Vidcſnè, quam amarè fleuerit Petrus, poſtquam ter, (dum mori timuit) vitam negauit? Recordare lacrymarum Ezechiæ, pœnitentiæ Niniuitarum, contritionis Dauidis. Noli quæſo, diuinam miſericordiam adeò extollere, vt iuſtitiæ obliuiſcaris. Hinc Iezabelem iſtam reprehendit Deus, dicens: *Dedi illi tempus vt pœniteret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.* *§. 5. Exortatur peccator ad pœnitentiam amplectendã.*

E



DISPVT. XXIII.

In Cap. II. Apocalypseos, de tempore pœnitentiæ.

In duas Quæstiones distributa super illa verba: *Et dabi illi tempus, vt pœnitentiam ageret.*

Prologus disputationis.



SApiens omnia acutè distinxit tempora, dicens Ecclesf. 3. [Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi &c.] Et dum ait: [Tempus flendi, tempus plangendi,] sanè tempus pœnitentiæ attingit, de quo hic Deus peccatori dicit: [Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret.] Pœnitere enim nihil aliud est, quam præterita mala plangere, & plangendo iterum non committere. Et hoc planè est illud tempus deauratum, & Deo gratum, de quo ait Apostolus 1. Cor. 6. [Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.] & Ioelis 2. [Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra &c.] De quo planè pœnitendi tempore disputare hic decreuimus. *Pœnitentia tempus Deo gratum.*

Quæstio I.

Vtrum tempus pœnitendi duret vsque ad vitæ finem?



COnclvsio est affirmatiua, quam tenet Magister in 4. lib. sent. dist. 20. per hæc verba: [Sciendum est etiam, quod tempus pœnitentiæ est vsque ad extremum articulum vitæ.] Et D. etiam Leo Papa dist. 7. per hæc alia verba: [Nemo est desperandum dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur.] Et S. Tho in 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 1. ita rem diffiniens ait: [Deus qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat, qui quod in se est, facit, vt se ad gratiam præparet. Hæc autem præparatio sicut supra dist. 17. dictum est, fit per motum liberi arbitrij; vnde quamdiu manet homini vsus liberi arbitrij in hac vita, in qua nondum est confirmatum ad malum, potest se præparare ad gratiam de peccatis dolendo, & gratiam remissionis peccatorum consequitur.] Et est de fide. Probaturque ex eo dumtaxat, quod Deus in nullo vitæ nostræ tempore vult mortem peccatoris, vt clarè liquet ex illo Ezechielis. 33. [Nolo mortem peccatoris.] ad quod alludit illud 1. Tim. 2. [Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] & illud ad Heb. 4. [Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus.] & illud etiam Matth. 18. [Non dico tibi septies, sed vsque ad septuagies septies.] Ipse namque Deus in omni tempore quærit ouem perditam, vt dicitur Lucæ 15. & paratus est recipere filium prodigum. Vnde Ezechielis 33. dicitur: [Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Et iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacumque die peccauerit &c.] Quare tempus pęnitendi, durat vsque ad extremum vitæ hiatum, cum vsque tunc impijs dicat Deus: [Conuertimini à vijs vestris pessimis.] & rursus: [Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinâ iniquitas.] Accedit ad hæc, quod aliquem pœnitere, est opus Dei inspirantis hominem peccatorem: At Deus semper est potens. Igitur semper, & in omni tempore vitæ alicuius, poterit illum ad pœnitentiam inspirare. Et postremò illud Ezech. 33. [Quacumque hora ingemuerit peccator, amplius &c.]

1. Assertio. Pœnitētiæ tēpus vsque ad vltimū vitæ periodum. 1. Ratio. 2. Ratio. Ezech 33. Ezech. 18. 3. Ratio.

Et nota, quod aliud est quærere, [an tota vita sit cōtritionis tempus.] & aliud est quærere; [an tempus pœnitendi duret vsque ad finem vitæ.] quoniam primum continuam detestationem peccati præteriti, attingit: Secundum verò de hoc dumtaxat disputat, vt potè, dato quod peccator, modo non habeat talem displicentiam de peccato commisso, an illam possit, cras, aut futuro anno habere dum viuit, quæ duo diuersa planè sunt; vnde S. Tho. de primo disputat, in dist. 8. q. 2. art. 1. de secundo verò, disputat dist. 20. q. 1. art. 1. tanquam res inter se distantes. Quare Seraphinus Capponius à Porretta primum ponens in additionibus ad 3. p. D. Tho. q. 4. & secundum intactum omnino relinquens, non fideliter additiones ad 3. partem D. Tho. ex suis scripturis in 4. sent. ad verbum collegit, cum post disputationem de clauibus antequam ageret de Indulgentijs, agendum vtique erat de his qui in fine vitæ pœnitent, vt agit S. Tho. in dist. 20. post quam egit in dist. 19. de clauibus.

Corollarium. S. Tho. in 4. sentent.

Quæstio II.

Vtrum pœnitentia sera in extremis valeat ad salutem?

PRima conclusio. Pœnitentia sera, siue interior sola, siue exterior cum susceptione Sacramenti, sufficit ad salutē alicuius existentis, in extremis, dummodo sit vera. Hæc est Magistri in 4. senten. dist. 20. & illam expresè ponit Scotus in 4 dist. 20. q. vnica. & in resolutionibus in 4. & est de fide, illamque probo, tum ex superioribus auctoritatibus sacræ paginæ citatis. Tum ex Dyma latrone, qui in fine vitæ suæ pœnitens, misericordiam inuenit audiens: [Hodie mecum eris in Paradiso.] Tum ex sancto Ecclesiæ vsu, & consuetudine antiqua, qua fideles in extremis positi semper auricularem confessionem facere consueuerunt. Vnde sacrum Concil. Trident. sanctè decreuit sic de cætero inter fideles esse faciendum: Igitur signum est, quod si talis sera pœnitentia sit vera, sufficiet ad salutem pœnitentis in extremis. Tum quia sapientia Dei, & misericordia vincunt humanam malitiam, vt rectè prodit S. Tho. in 4. dist. 20. q. 1. in arg. sed contra. At homo potest vsque ad extremum vitæ peccare: Ergo potest vsque tunc de peccatis per diuinam misericordiam veniam consequi. Tum quia pœnitentia, quæ in fine vitæ agitur, appellatur in Ps. 140. sacrificium vespertinum: At sacrificium vespertinum erat acceptabile in lege, vt habetur Exod. 12. Igitur talis pœni-

1. Assertio. Sera pœnitētia cū susceptione sacramenti, valet ad salutem. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio. 5. Ratio.

pœnitentia sera, si fuerit vera, sufficiet ad salutem.

2. Conclusio. Pœnitere vere in extremis est valde difficile. Secunda conclusio. Pœnitentia quæ videtur habere in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem. Hæc etiam est Mag. & Scoti vbi supra, & probatur. 1. Ratio. Tum quia difficile est tunc veram quis habere pœnitentiam. 2. Ratio. Tum quia D. Aug. vt habetur de pœnit. dist. 7. cap. [Si quis.] ita scribit: D. Aug. aureũ dictũ de pœnitentia. [Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconsiliatur, & hinc vadit, fateor vobis nõ illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia benè hinc exit. Si securus hinc exierit, egò nescio. Pœnitentiã dare possumus, securitatem vero non. Numquid dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quia securus es, quia pœnitentiã egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Item duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur, quid horum tibi sit, futurum nescio: Ergo tene certum, & dimitte incertum] Hæc D. Augustinus. 3. Ratio. Tum quia tunc facilè impeditur liber vsus rationis & voluntatis ex nimio dolore, vel timore inhærentibus, iuxta illud [Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.] & alibi: [Non est in morte, qui memor sit tui.] 4. Ratio. Tum quia adhoc, vt aliqua detestatio sit vera, requiritur, quod liberè eliciatur: At in extremis difficilè habetur talis libertas propter passiones, quæ sunt à tristantibus, quæ valde mouent. Et licet tunc liberi arbitrij vsum omnino non auferant; tamen multum tunc impediunt, adeo vt vix homo debitè resipiscere possit, iuxta illud D. Aug. [Cum sera venit pœnitentia, tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cognoscere valeat.] 5. Ratio. Tum quia is qui tota vita malè vixit, & in extremis constitutus pœnitet, videtur potius moueri timore damnationis, quam amore ipsius Dei; quoniam si euadere posset illud discrimen, fortasse non resipisceret, sicut nec antea curauit. Quare apparet in eo esse quippiam inuoluntarium, sicut in eo qui merces in mare proijcit timens naufragium: At Deus hilarem datorem diligit, teste Apostolo: Igitur. &c.

3. Conclusio. Pœnitentia serotina plerũq; decipere solet. Tertia conclusio. Multos solet decipere serotina pœnitentia. Hæc est etiam Mag. vbi supra. & probatur. 1. Ratio. Tum exemplo Regis Antiochi, de quo 2. Machab. 9. dicitur: [Orabat autem hic scelestus Dominum à quo non erat misericordiam consequuturus.] Huius rei ratio vtique est; quia non verè pœnitebat, eo quod non ex amore iustitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ, quam expectabat, vel timore pœnæ quam sustinebat. 2. Ratio. Tum exemplo Balthasar, de quo Danielis 5. dicitur: [Tunc facies eius commutata est.] in signum pœnitentię & doloris: & nihilominus mox sequitur in textu: [Eadem nox interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.] 3. Ratio. Tum exemplo cuiusdam religiosi cuius meminit D. Greg. in 4. dialog. cap. 38. qui in serotina pœnitentia, dum spiritum exhalaret, dixit: [Et ecce nunc draconi traditus sum ad deuorandum.] & iterum: [Draco iste cauda sua, mea genua, pedesque colligauit, caput suum intra os meum misit, spiritum meum ebibens extrahit.] 4. Ratio. Tum quia omnis verè pœnitens peccata dimittit: At ille qui in fine vitæ pœnitet, non dimittit peccata, sed à peccatis dimittitur; quia tunc vult pœnitentiam agere, quando peccare non potest, vt dudum dicebamus cum D. Aug. Igitur serotina pœnitentia aliquando decipit. 5. Ratio. Tum quia, Ioelis 1. dicitur: [Audite hoc senes.] & mox addit in cap. 2. [Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c. Quis scit si conuertatur & ignoscat &c.] 6. Ratio. Tum quia D. Gregor. lib. 4. Moralium cap. 38. de quodam impijssimo peccatore, Crisorius nomine, in extremis dicente: [Inducias vel vsque mane, inducias vel vsque mane] sic scribit: [Sed cum hæc clamaret in ipsis vocibus, de habitaculo suæ carnis auulsus est.] 7. Ratio. Tum quia fatuis virginibus dictum est: [nescio vos.] dum sero, & lampadibus extinctis pulsarent sponsi ianuam.

A

Corollariũ 1. Ex hac conclusione collige primò cum Magistro, quod melior est sera pœnitentia quam nulla.

Corollariũ 2. Secundò collige cum Scoto, infirmo in extremis persuadẽdum esse, vt displiceat de peccato commisso, non propter infirmitatem, vel pœnam temporalem, siue æternam, sed propter finem debitum, vt potè, propter Deum summè dilectum; proponendo exemplum de latrone illo euangelico, cuius fuit pœnitentia sera, sed non sera indulgentia. Idcirco laboret infirmus in extremis ad displicentiam, quantum poterit habere, licet breuem.

Corollariũ 3. Tertiò colligito cum S. Aug. sano persuadendum esse quod in sanitate pœniteat incutiẽdo illi timorem, cum periculosum sit expectare serotinam pœnitentiam, dicente Domino Ioan. 12. [Ambulate dum lucem habetis, & non tenebræ vos comprehendant.] & rursus: [Venit nox quando nemo operari potest.] ad

B

quod alludit illud Eccles. 49. [Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia erit apud inferos.

Corollariũ 4. Soto in 4. dist. 19. q. 2. art. 6. Quartò collige cum Soto, eos qui impœnitentes absque sacramento decedunt, damnationem incurrere; sunt etenim veluti fatuæ illæ virgines euangelicæ, quæ veniente Domino, interdum virtutis oleum non habent, quo possint igne charitatis ardere, sed extrinsecus illegitimo dolore fumigant, quia tempore opportuno non impleuerunt vasa sua.

4. Conclusio. Quarta conclusio. Hæc propositio: [Attritus, per sacramentum fit contritus.] olim non erat de fide, nunc verò maximè quidem. Prima pars est Soti in 4. dist. 19. q. 2. art. 6. Probaturque. Tum quia non est in nouo Testamento contenta, aut expressa. Tum quia non colligitur ex aliqua immediata de fide. Tum quia olim non erat aliqua ecclesiastica diffinitio. Secunda

C

verò pars conclusionis liquet, quoniam hoc nostro sæculo, iam est de hac re Ecclesiastica diffinitio. Nam in Concil. Trid. sess. 14 cap. 4. ita sancitur.

Hic annotabis, quod quamuis olim non esset de fide, crebrò tamen erat vera. Quoniam si attritus suscipiebat sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, proculdubio satisfaciebat præcepto Ecclesiæ, vt communiter produnt antiqui Theologi. Hinc Soto in. 4. dist. 19. q. 2. art. 6. loquens de hac propositione, postquam dixit non esse de fide, ita scribit: [Est enim scholasticorum collectio, quæ quamquam sit vera, non tamen est digna cui bilances perpetuæ nostræ, aut salutis, aut damnationis confidamus.] sic ille.

5. Conclusio. Attritio nequit fieri cõtritio. Quinta conclusio. Attritio non potest fieri contritio. Hæc est D. Thom. in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 3. Et probatur, quia attritio & contritio non sunt habitus, sed actus transeuntes: Igitur nequit attritio

D

fieri contritio. Probatur consequentia. Nam quamuis habitus fidei informis, fiat formatus; attamen actus fidei informis, numquam fit formatus; quia actus ille informis, transit, & non manet adueniente charitate: At quemadmodum ille actus est transiens, sic isti sunt transeuntes actus: Igitur pari modo nequibit attritio fieri contritio.

Corollarium. Respondet auctor cuidã tacitæ obiectioni. Adiectæ sunt, hoc in loco, hæ duæ vltimæ conclusiones, vt clarè liqueat, hanc communem (nunc inter Theologos Scholasticos) propositionem Canonistarum, putà: [Attritus per sacramentum fit contritus,] nil obstare quin pœnitentia sera, quæ habetur in extremis vix sit vera pœnitentia, sufficiens ad salutem, vt tenet nostra secunda conclusio.

E

Tex. 23.

CCE mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. & filios eius interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda: & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.

ERVENITVR hic (ob indurationem & impœnitentiam) ad verbera. Et meritò plane. Non enim frustra in Testamento veteri dicitur; [Vocaui vos, & renuistis, ego quoq. in interitu vestro ridebo.] Et in nouo etiam haùdquaquam incassum habetur: [Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.] Qui namque veritatem Dei detinent, male viuendo, restat vt descẽdat ira Dei de cælo super illos, vindictam sumendo, dicente Apostolo: [Reuelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei, (id est, sanctas inspirationes à Deo reuelatas, in honorem, & cultum veri Dei) in iniustitia detinent: [Quapropter cum immunda Iezabel, iniustè (quinimmo, & impiè,) detineret veritatem Dei (impulsum scilicet, & afflatum Spiritus sancti curtumque misericordiæ Dei concedentis illi pœnitentiæ tempus impediendo per impœnitentiam fornicationis suæ) supererat ex consequenti, vt æmulator ille & vltionis Deus de quo, Num. 1. dicitur: [Deus emulator, & vlciscens Dominus, vlciscens in quam, Dominus habens furorem, & vlciscens Dominus, in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.] de hac fæda muliere Iezabele tamquam de crucis Christi hoste, & diro inimico vltionem sumeret, cum apud Deum, nullum malum impunitum remaneat. Porro cum talis vltio, maxima esse deberet: & insuper cito esset sumenda; ideo dicitur: *Ecce mittam eam in lectum.* In sacris, namque Biblijs ly *Ecce*, trifaria gaudet significatione. Primò si quidem accipitur, cum res magni momenti, & notatu digna subsequitur, vt Isa. 7. [Ecce virgo concipiet.] Et Matth. 2. [Ecce Magi ab Oriente.] Et Lucæ 7. [Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.] Secundò, præterea sumitur: cum rem certam, & indubitatam significare volumus, iuxta illud Gen. 1. [Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram. Et Osee 2. [Ecce ego sepiam vineam tuam spinis.] Et Lucæ 18. [Ecce ascendimus Ierosolymam.] & Apoc. 1. Ecce venit in nubibus,] id est, certè, & absque dubio, &c. Tertiò tandem capitur cum rem iam iam, vel nimis citò faciendam indicare volumus, Iuxta illud Gen. 6 [Ecce ego adducam aquas diluuij.] Hoc est, iam, vel nimis cito, adducam. Vnde cum vltio, & vindicta de hac lubrica muliere esset maximopere, certè, & citò sumenda, ponitur hoc in loco ly *Ecce* dicendo, *Ecce mittam eam in lectum*, quasi dicat. Dic, certè, & citò, mittam eam in lectum. [Væ qui contradicit, (vt dicitur Isa. 45.) factori suo.] Et cap. 14. [Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.] Verumtamen quia in fornicatione corporali, per coitum vagum, non tantum fæmina incitans scelus committit, verumetiam & mas consenties abominabilis coram Deo iudicatur, quinimmo de illo dicitur Eccles. 23.

Luc. 13.

Rom. 1.

Lyranus, Primasius, Titilmanus, & Cornelius Mussius in Epistolas Pauli ad Romanos.

Deus emulator, & vlciscens Dominus.

Num. 1.

Nullum malum impunitum.

Mas, & femina in fornicatione læthaliter peccant.

F [Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur, transgrediens vsque ad finem.] Vnde illi pœna taxatur, dicente Apostolo 1. Cor. 6. [Fornicarij regnum Dei non possidebunt.] Ideo non tantum Iezabeli concubinæ, verumenimuero concubinarijs suis flagellum paratur dicens hic: *Et qui moechantur cum ea in tribulatione maxima erunt.* Præterea cum punire, & irasci contra impios, non sit proprium Deo, sed magis misereri, & parcere iuxta illud Isa. 28. [Vt faciat opus suum alienum est opus eius, vt operetur opus suum peregrinum est opus eius ab eo.] Quibus verbis de vindicta peccatoris agitur, & ex illis liquet, punire, Deo tantum conuenire per accidens, nimirum, propter hominum malitiam, ideo subditur, *nisi poenitentiam ab operibus suis egerint.* Insuper cum hæc fæda mulier, & se, & plerosque Nicolaitarum labe, ac sordibus inficiauerat. Et Dominus ex aduerso, tam auctorem,
G quam sequaces malorum, simul in vnum punire semper assuescat, iuxta illud Ierem. 10. [Ecce ego inducam super ciuitatem hanc, & super omnes vrbes eius (adde quæ eam sequutæ fuerant) vniuersa mala quæ loquutus sum aduersus eam, quoniam indurauerunt ceruicem suam, & non audierunt sermones meos.] id propterea lues non tantum in ipsam, verumetiam in suos domesticos, & sequaces dirigitur, dum additur: *Et filios eius interficiam in mortem.* Et cum flagella, & verbera, hoc ex natura habeant, vt scilicet, non solum reos dire affligant, verumetiam circumstantes, intuentesque mirum in modum deterreant, ac expauescant, ob hoc sermonem ad maiorum vicinos dirigendo ait: *Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda.* Quasi dicat. Ex hoc similia perpetrantes discent clarè, ac manifestè, quia ego vigilans, & nulla me latens cogitatio scrutor, & scio cordium secreta,
H vnde timentes æquipollentia à me proculdubio expectent supplicia. Tandem quia iustum, & rectum iudicium Dei, concludit dicens: *Et dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.*

Punire per accidens cõuenit Deo.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 2.

Mittam (ait) eam in lectum. Infirmitatem corporalem, ly [mittere in lectum,] ad litteram indicat, qua Deus fornicatricem Iezabelem impœnitentem, nimis acerbè, direq. vsque ad mortẽ multauit.

Dilucidatio textus. §. 1. Mitti in lectum est infirmari.

Turba tamẽ theologorum, [mittere in lectum,] multifariè, multisque modis accipit. Quidam enim illorum de reprobo sensu istud intelligunt. Solet namq. Deus sæpe sæpius falsos Prophetas, & Hæreticos in reprobum sensum tradere, iuxta illud ad Roma. 1. [Tradidit eos Deus in reprobum sensum,] & cum hæc se Propheten diceret, [mittere in lectum,] accipiunt pro tradere eam Deus in reprobum sensum, & excæcationem, ita vt per hunc loquendi stylum, obduratio, & excæcatio hæreticorum intelligatur. Quamobrem S. Thom. in hisce suis commentarijs sic scribit: [Mitto eam in lecto, id est illos hæreticos imitatores Iezabel amplius permittam excæcari & obstinari, vt in securitate peccandi, quasi in lecto dormiant, iuxta illud Apo. 22. infra vlti. Qui in sordibus est, sordescat adhuc] Hæc sanctus Thomas, Et Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari, ad ly [Mittam eam in lectum,] superscribit, [excæcando.] Beda tamen D. Ambrosius, Ru-
K pertus Abbas, Richardus de sancto Victore, & Lyranus de inferorum supplicio, pœnisque infernalibus, exponunt. At vero Strabus in sua glossa ordinaria, S. Thomas, Haymo, & Primasius de securitate peccandi exoluunt, animaduertentes aliam translationem, vbi nos legimus [lectum,] legere [luctum.] Quapropter Strabus in sua gloss. ordinaria super hæc verba: [Mittam eam in lectum] sic ait: [Alia translatio ponit luctum, pro lecto, quo eternam miseriam designauit.]

§. 2. Mittere in lectum variè explanatur.

Luctus, & dolor intelligitur per lectũ.

Haymo

Haymo autem astruit sensum horum verborum sic: [Mittam eam in luctum, quasi diceret, ex quo non vult pœnitere, ego permitto, quod peccet liberè, degens enormiter in peccatis.] Sic ille. Ecce audacia, & securitas peccandi, per luctum significata. Cæterum Primasius quamuis non vertat lectum pro lucto, nec vice versa, quinimmo nostram vulgatam sequatur, tamen sic scribit: [Lectus. Hic datur intelligi securitas delinquentium, quam sibi per impunitatem criminum sæpe flagitiosi promittunt, cum peccantes experti non fuerint præsentis iræ vindictam, ex pœnitentia eatenus negligunt, donec eis repentinus superueniant interitus, sicut dolor parturientis, & non effugient, adeo autem in hoc securitatis neglectum dari dicuntur, cum latenti quidem, non tamen iniusto iudicio deseruntur, de hac securitate alibi legimus: Aduersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.] Ita Primasius. Quæ omnes expositiones sustentabiles quidem sunt. Cæterum mysticum, & nullatenus litteralem attingũt sensum, qui in expositione quauis, priorem locum semper obtinet, cum sit basis, & fundamentum omnis expositionis.

A — Primasius in comment. — Prou. 1.

Hinc expositio nostra, qua [mittam eam in lectum] indicare diximus infirmitatem corporalem, qua Deus fornicantem, & impœnitentem Iezabel, nimis acerbè direque vsque ad mortem multauit, cæteris præstare videtur, cum sit iuxta litteram. Et fulcitur planè. Tum quia peccato mortali, quamuis, secundum auersionem ab incommutabili bono correspondeat pœna infinita, tamen illi secundum conuersionem ad commutabile bonum correspondet pœna finita, vt probat S. Thom. part. 2. quæst. 87. art. 4. Pœna autem finita, est pœna sensus, quę corporalem, & temporalem includere potest infirmitatem. Ergo &c. Tum probatur, quia lectum in sacris biblijs, ad morbos referri solet, iuxta illud 4. Reg. 13. [De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris,] & 2. Reg. 13. [Cuba super lectum tuum, & languorem simula.] Et paulo post: [Accubuit itaque Amon, & quasi ægrotare cæpit.] Et 3. Reg. 21. [Proijciens se in lectum suum auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.] Et 1. Mach. 1. [Et post hæc decidit in lectum & cognouit, quia moreretur,] Rursus 1. Mach. 6. [decidit in lectum, & incidit in langorem præ tristitia.] Et Iob. 17. [In tenebris straui lectulum meum.] Sternere autem lectum in tenebris, infirmitatem (vt glossa interlinearis exoluit) significat. Tum patet, quia pœna corporalis peccatum quandoque concomittatur læthale, iuxta illud Ioan. 9. [Magister quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?] Tum quia malorum auctores, crebrò solet Deus multare corporalibus supplicijs, Hinc Adam, & Eua, inobedientiæ primi auctores, audire meruerunt: [In sudore vultus tui vesceris pane tuo,] & [in dolore paries filios tuos.] Et Sodomitæ primi auctores nefandi sceleris, sulphure, & igne exterminati fuerunt, & tandem illi filij Dei, & illæ filiæ hominum, auctores corruptionis carnis, aquis diluuij suffocati extitere. Quemadmodum enim Deus honorare solet, ante alios, primos bonarum actionum auctores, vt patet in Virgine gloriosa, quæ prima omnium, virginitatem vouit, vt disponit Angelicus Doctor 3. p. ita etiam deseuire solet in alicuius criminis, aut vitij auctores: [Da illis (Inquit Dauid Deo) secundum opera eorum, & secundum nequitiam ad inuentionum ipsorum] Vbi contra primos malorum auctores inuehit sanctus Vates, eo quod adinuenire, est rem de nouo excogitare, vnde est illud 1. Matth. 7. [Tu qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.] Sicuti namq. ex minutissimo grano, paruissimoque semine oriuntur arbores altissimæ, & innumerata semina, haud secus ex primo peccato ad inuento, pullulant magna, & ingentia peccata. Quamobrem quemadmodum culpam conijcimus in radicem arboris, si fructus acerbos, noxiosque ferat, sic in primum peccati inuentorem Deus maximè irascitur cognoscens quantum noceat eius adinuentio. Iccirco illa verba Patriarcha Iacob ad

§. 3. Infirmitas corporalis significata per lectum. — 1. Ratio. — S. Thom. — 2. Ratio. — Gloss. interlin. in cap. Iob. 17. — 3. Ratio. — 4. Ratio. — Gen. 3. — Virgo Maria prima virginitatem vouit. — Psal. 27. — Comparatio.

Ruben filium sum Gen. 49. [Tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior imperio effusus es, sicut aqua non crescas.] affirmare possumus quærimoniam esse Dei; in primos malorum auctores: Perinde ac Deus illis diceret. Vos facinorum capitales, principium iniuriæ estis mihi illatæ, non medium aut finis, quod æquius ferri poterat, sed principium, quod maximè dolendum est, ideo vos dissipabo, & effundam vos, sicut aquam in terram, non crescatis, immò primi pereatis, cum extiteritis scaleris auctores. Eccl. 10.
Et inuentio, vt ait sapiens, mala, sit indetrimentum: Iezabel autem auctrix planè fuit eius Idolothyti, & fornicationis illicitæ, & vagæ, in hac Ecclesia: Igitur erat corporaliter punienda a Deo. Quare malorum primi auctores, dirè, crudeliter, & acerbè per supplicia corporalia puniuntur a Deo. Tum quia hæc nostra enodatio quadrat cum plerisque expositoribus, quoniam Ansbertus hoc in loco sic habet: [Ponitur hæc meretrix in lecto, non vt quiescat, sed vt febri languescat, & in phrænesim incurrat, quatenus ea iam dicat, vel agat, quæ alij audire, & videre erubescant.] Et D. Dionysius Carthusianus. [Et ecce mitto eam in lectum, id est, eam graui langore visitabo, & per mortem corporalem mittam eam ad mortem, ac lectum infernalem, vbi sepultus est diues. Quæ planè verba deprompsit Carthusianus ex commentarijs, D. Ambrosij, in hunc locum sic scribentis: [Per lectum autem in quo mulier mittenda erat, infernus designatur, in quo sepultus est diues, de quo dicitur in Euangelio. [Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.] Et tandem cum Aretha, & Pannonio, qui sic interpretantur: [Mittam eam in lectum, id est, ægritudine feriam, vt quæ modo in peccatorum suorum lecto explendo, corporis voluptatem requiescit, decumbat in lecto per ægritudinem, & afflictionem, vt inde transeat ad lectũ duriorem æternę damnationis.] Tum quia illa explanatio qua Strabus, S. Thom. Haymo, & alij per [lectum] expendunt [luctum] mirificè quadrat cum hac nostra: quoniam luctus dolor est extrinsecus, apparens ex aspectu, lacrymis gestibus, aut clamore, iuxta illud M. T. Cic. Inst. 4. [Luctus, ægritudo est eius qui charus fuerit interitu acerbo.] Et Virg. 2. Æneid. [Crudelis vbiq. luctus vbi pauor, & plurima mortis imago.] Vnde est illud Isa. 50. [In doloribus dormietis.] Tum postremò quia Deus sæpe sæpius, iniquos, ægritudinibus, laboribus, reliquisque corporalibus flagellis affligere solet, non vt corrigantur, sed vt iam nunc facinorum suorum pœnas luant, vt per has ad ęternas postea perueniant citius, iuxta illud Deut. 32. [Ignis succensus est in furore meo & ardebit vsque ad inferni nouissima.] Hæc est illa duplex contritio, de qua Ier. 17. dicitur: [Duplici contritione contere eos.] Hæc insuper est illa duplex confusio, de qua Psal. 108. extat mentio per hæc verba: [Operiantur sicut diploide confusione sua.] Diplois etenim est vestimentum duplum, quo fit, vt impij confusione, id est, afflictione sua, tamquam diploide induantur, cum & temporali, & æterna animaduersione feriuntur. Hinc Dominus de iusti Lazari ægritudine pleno ore dixit: [Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei:] vt inde clarè discamus, malorum ægritudines esse ad mortem æternam, bonorum vero ad gloriam Dei. Quo planè tendit illud: [Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.

5. Ratio. — B — D. Ambros. in comm. — Luc. 16. — C — 6. Ratio. — 7. Ratio. — D — Infirmitatum bonorum, & malorum discrimen. — Ioan. 11.

E

PARAPHRASIS Par. 2.

Secunda.

Dilucidatio textus. Mœchiæ deff. §. 1.

Et qui mœchantur cum ea (ait) in tribulatione maxima erunt. De mœchia dumtaxat hîc est sermo, quæ copula carnalis est cum vxore alterius viri, quæ reputatur vna caro cum ipso.

§. 2. In dubium tamen vertitur apud expositores, an [mœ-

[mœchantur] referatur ad omnem concubitum vagum, & in ordinatum; an vero ad solum concubitum matrimonio directè oppositum dicat relationem. Oritur autem hæc ratio dubitandi: Tum ex illo præcepto Exod. 20. [Non mœchaberis.] Per quod Doctores nostri existimant, quod prohibetur omnis concubitus, qui est præter legem matrimonij: At vero Hebræi ex aduerso dicunt, quod prohibetur sola mœchia, eo quod alij concubitus inordinati, alijs præceptis, sint prohibiti. Tum etiam ex illo Matth. 5. [Audistis, quia dictum est antiquis. Non mœchaberis, ego autem dico vobis quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.] Quibus verbis videtur Dominus loqui de omni muliere, cum dicit, [qui viderit mulierem.]

Lyranus, & Tostatus in Exodum.

Ita Caietanus in cap. 5. Matth.

§. 3. Opinio auctoris circa mœchiam.

Ego autem, vt rem breuiter expendam, dico quod in vtroque loco, sermo de adulterio dumtaxat est, eo quod illa verba Exodi [Non mœchaberis,] sic sonant: [Non facies adulterium.] Propriè enim mœchia tam apud Theologos, quam apud Hebræos, & etiam apud Prophanos scriptores adulterium est: Et sic Deus expressè prohibuit Iudæis adulterium, non quod esset maius omnibus speciebus fornicationis (quia multæ aliæ sunt deteriores) sed quia poterat esse communius inter Iudæos, eo quod totus populus erat coniugatorum, & id in quo communius poterat peccare, erat quod quis cognosceret (vt perdoctè Abulensis exoluit) vxorem alterius. Porro Christus Dominus in illis verbis Matth. 5. [Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis; Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo,] tantummodo loquitur de coniugata, ita vt sit sensus: Qui viderit coniugatam ad concupiscendum, iam mœchatus est eam. Et probatur hic sensus. Primo quia Christus hic tantum ponit intellectum præcepti negatiui prohibentis nocumentum in persona coniuncta, id est, in vxore. Qui quidem intellectus stat in hoc, quod non tantum sit lethale cognoscere vxorem alterius, verum etiam illam concupiscere concupiscentia deliberata: cum peccatum, in actu exteriori, & interiori consistat, vnde illud: [Iam mœchatus est in corde suo,] sic sonat: Licet in opere non commiserit peccatum, tamen in corde iam commisit adulterium; hoc est, tenetur reus adulterij, vxorem alterius deliberate concupiscendo. Secundo probatur explanationibus doctissimorum virorum, qui ly [qui viderit mulierem] ita explanant: [Qui viderit vxorem alterius, &c.] Tertio denique probatur ratione. Etenim qui videt solutam, & eam concupiscit, non mœchatus est, fornicatus est planè, sed non mœchatus. Ex quibus omnibus liquido constat, hoc in loco, ly [mœchantur cum ea,] pro mœchia dumtaxat accipi, minimum pro adulterio, id propterea Iezabel mœcha erat, id est, adultera, & cum mœchis, hoc est, cum adulteris mœchabatur scilicet, adulterabatur. Accedit quod Iezabel, ipsa Apocalypsis, erat vxor huius Episcopi, prout nos supra (vt pote in hoc eodem 2. cap. text. 21. part. 2. disp. 10. q. 3. dispunximus. Quare eius fornicationem, siue coitum illicitum, oportet esse adulterium, cum ipsa esset matrimonio tradita.

Explicatur optime locus Matth. 5. Qui viderit mulierem, &c.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

§. 4. Iam illud sese offert enodandum, quænam sit illa maxima tribulatio, cuius in textu extat mentio? Puto plane pœnas esse adulteris impositas apud omnes nationes. Cum enim adulterium sit execrandum facinus coram Deo, & hominibus, hinc in vnaquaque lege adulteris vtriusque sexus grauissima semper ascripta extitit pœna, vt indicant illa verba, Pharisæorum, ad Christum Ioan. 8. [In lege mandauit nobis Moyses huiusmodi lapidare.] Accedit, quod adulterium apud Ægyptios erat nefas morte plectendum, & minus peccatum putabant virum occidere, quam adulterium committere cum coniuge viri, ipso viuente, quod tiTmens Abraham Gen. 12. dixit Sarai: [Dic quod soror mea sis,] Sciebat enim Abraham, quod Ægyptij concupituri erant Sarai, & ideo sequebatur, quod si scirent eum esse virum eius, quod illum occidere vellent vt postea impunè Sarai acciperet. Rursus apud Græcos cuilibet licebat mulierem adulterā occidere, viro autē mœcho, siue adulteranti, primo effodiebant oculos, deinde vero illum igne comburebant. Porro Lacedæmonij adulteram in profunda fouea, siue sepultura, viuam sepeliebant. Romani, crimini læsæ maiestatis adæquabant adulterium. Saxonij primo comburebant adulteram, & postea iuxta cineres eius, adulterum patibulo suspendebant. Hebræi præter id quod adulteros lapidabant, vt habetur Leuit. 20. obtinebant legem quamdam zelotypiæ appellatam, cuius extat mentio, num. 5. vbi dicitur: [Vir cuius vxor errauerit, maritumque contemnens dormierit cum adultero, & hoc maritus deprendere non quiuerit, sed latet adulterium & testibus argui non potest, quia non est inuenta in stupro, &c. adducet eam ad Sacerdotem, &c. Offerat igitur eam Sacerdos. Et statuet coram Domino.] Et tunc Sacerdos assumebat aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittebat in eam. Cumque mulier staret in conspectu Domini discooperiebat caput eius, & ponebat super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ. Ipse autem Sacerdos tenebat aquas amarissimas in quibus cum execratione infinita congerebat maledicta, & adiurabat eam per hæc verba: [Si non dormiuit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi; sin autem declinasti à viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis; Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo, putrescere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus disrumpatur, ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumescente putrescat famur.] Et respondebat mulier, [Amen, Amen.] Et dabat ei Sacerdos bibere aquam illam maledictionibus plenam. Quam cum biberet si non erat polluta, erat innoxia, & faciebat liberos: Attamen si polluta erat, & contempto viro, adulterij rea, mox putrescebant eam aquæ illæ maledictionis, & inflato ventre computrescebat famur, eratque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Præterea in lege Euangelica extat illa vox Apostoli: [Adulteri regnum Dei non possidebunt.] Et vir reperiens vxorem in adulterio, nimirum, simul cum adultero, potest vtrumque impunè occidere, vt patet in l. Gracchus. C. de Adulter. & subdit causam, [quia iam iustum dolorem compescere non potuit.] Lex insuper Iulia de Adult. concessit patri, occidere filiam in adulterio deprehensam, simul cum adultero, cum quatuor conditionibus, quæ ibidem referuntur. Et tandem in regno Castellæ est lex contra adulteros, quod vir accipiens vxorem, & aliquem inueniens cum ea fornicantem, possit vtrumque occidere, vel si postea probatum fuerit, traduntur in potestate eius, vt iugulet eos, vel faciat quod voluerit, vt prodit Abulensis in cap. 38. Gen. super illa verba: [Dixit Iudas, producite eam, vt comburatur. Propter has igitur omnes pœnas adulteris impositas dicitur in textu, [& qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt.] Nullum vnquam adulterium impunitum remanet coram Deo.

Adulterorum graues, & variæ pœnæ apud omnes nationes orbis.

Pœna adulteris imposita apud gētiles.

Adulterarum pœnæ apud Græcos.

Pœna adulteris imposita apud Hebræos

Lex zelotypiæ apud Hebræos.

Pœna adulteris imposita apud Christianos.

Leges Christianæ contra adulterantes.

Lex Castillæ contra adulteros.

Alphonsus Tostatus.

Verumenimuero, est hìc obiter animaduertendum, adulterium in fæminis grauius esse dedecus (coram mundo, & hominibus, non tamen coram Deo) quam in viris; Quoniam illud adulterium est maius, in quo plura iura matrimonij franguntur. In adulterio autem viri, sola fides matrimonialis frangitur, sicut in adulterio vxoris; at vero in adulterio vxoris vltra hoc, vxor præiudicat bono prolis, & non vir, quoniam tunc vxor facit incertam prolem viri, & priuat virum quodam naturali bono; quia viri desiderant nimis scire, qui sint filij eorum: Adulterium autem vxoris tollit istam notitiam, & gaudium, quia cum sciuerit vir vxorem suam adulteram aliquando, incipiet dubitare de omnibus filijs, an sui, vel adulterini sint, in quo magno de-

§. 5. Vxor magis peccat in adulterio absolutè & simpliciter considerato, quā vir.

S. Tho. in 4. Abulensis in cap. 5. Matth. q. 198. m. 2. & Hieronymus Guadalupensis in c. 4. Osee.

gno desiderio frustratur. Secundò (quod grauius reputatur) quia adultera dat viro vt hæredem, eum qui hæres non est. Et istud est magnum præiudicium, quod omnia bona viri quasi ex legitima successione, ille, ad quē hereditas vllo modo attinet, tollat & fraudet hæreditate filios legitimos illius. Tertiò, quia viri rationabiliter magis indignantur de adulterio vxoris, quam è cōtrario, quia vir est caput mulieris, & non vice versa; quoniam mulier non est caput viri, vt tenet Apostolus 1. Cor. 11. Quare in eadem re, maiorem iniuriam facit vxor viro, quam vir vxori; & per consequens ita etiam erit in adulterio, quod valde maior erit iniuria viro, quam mulieri. Quartò, & postremò, quia vir alit vxorem, cū teneatur supportare onera matrimonij, & illa non alit eum; ideo erit ei magna contumelia fornicatio vxoris, & vxori est parua iniuria adulterium viri. Quamobrem apparet, quod valde magis peccat vxor adultera, quam maritus adulter: non solum contra legem humanam, & contra hominem; sed etiam contra Deum. Et ideo grauius ipsa punitur in inferno, eo quod non potest quis peccare contra hominem, quin peccet contra Deum (quamuis peccando contra Deum, non semper peccet contra hominem:) At magis offendit, mulier adultera, virum, quam vir, mulierem (vt dudum dicebamus) Igitur grauius peccabit contra Deum mulier adultera, quam vir eius adulterando, & per consequens grauius ipsa punitur in inferno. Hæc & alia pleraq. mala adulterij adfert Alphonsus Tostatus in cap. 5. Matth. q. 198. per hæc verba; [Adulterium est crimen valde contra Rempublicam, non solum propter personalem iniuriam, vt supra dictum est, sed etiam propter bonum publicum. Quia per adulterium redduntur proles incertæ, & degeneres, quibus non competunt honores. Et si multi tales fuerint in ciuitate, ipsa ciuitas minuitur in honore. Amplius aut adulterium est malum ex parte eius, qui accedit ad mulierem alienam, quia accedit ad illam quæ non est sibi matrimonio copulata, quia istud est contra bonum prolis suæ, quia cum deberet gignere filios legitimos, gignit adulterinos, & ignobiles. Est etiam contra educationem prolis, quia filij inde geniti, non possunt educari à parentibus cum adulter non possit manere cum adultera, in mutua societate semper, aut longo tempore, timore legum, vel saltem non obligatur cum ea manere, quod requiritur ad educationem prolis. Nam propter hoc fornicatio simplex erit principaliter peccatū, scilicet quia erat coitus vagus, & non obligabantur fornicarij simul manere, est etiam malum adulterium in quantum accedit ad mulierem alteri coniugatam, & sic impedit bonum prolis alienæ. Quia cum adulter accedit ad adulteram impedit fieri generationem in ea à viro suo, Sicut enim in meretrice, quia multi ad eam accedunt non disponitur ad concipiendum; ita in coniugata impeditur conceptus vnius viri, per alterum, quia vnus per se gignere posset, & duo non gignent. Vel intelligitur melius hoc de adultera, post quam concepit, quia mulier post quam concepit, nunquam potest concipere à quibus cumque carnaliter cognoscatur, quousque pariat, vel aborsum fecerit. Et sic si adultera conceperit non poterit toto tempore, quo habet in vtero, concipere ex viro suo, Et sic impedit prolem ipsius, quam ipse aliàs gignere posset, si illa de alio non concepisset. Eadem ratio est in coniugata quæ per adulterium corrumpitur, siue à coniugato, siue à non coniugato. Vnde dicitur Eccles. 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccabit: Hoc autem est. Primò, quia in lege Dei peccat, quia Deus vetuit adulterium: Secundo, quia præiudicat viro suo, nam magnus dolor est viro, quod vxor sua ab alio cognoscatur. Tertiò, quia facit contra fœdus matrimonij. Nam in matrimonio tacitè promittitur fides vtrique seruanda, ita vt neuter copuletur alieno, & hoc violatum est per adulterium. Quartò, quia vxor fallit virum, dando sibi filios ex alieno matrimonio, siue ex alieno coitu. Et tamen viri afficiuntur ad filios suos, & sic scirent eos extraneos, odissent. Quintò, quia aufert viro possessionem, nam cogit eum laborare

Adulterij mala aliquot.

Mulier adultera grauius punitur in inferno quam vir.

Adulterij pleraq. alia mala. Abulensis.

Meretrix quare non concipit.

A in educatione filiorum alienorum, & relinquere eis bona sua, tamquam si essent veri filij. Sextò quia præiudicat alijs filijs legitimis, ad quos de iure pertinet tota hæreditas paterna, & isti tamquam sint legitimi succedunt ex æquali, cum legitimis.] Hucusque Abulensis.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3. Dilucidatio textus.

Nisi pœnitentiam (ait) ab operibus suis egerint. Dictio exceptiua est illud, [nisi,] qua, & diuinam misericordiam promptam, ac paratam pœnitentibus, & libertatem nostri arbitrij hic demonB strat Archipropheta. Diuinæ namque gratiæ, & nostræ etiam voluntatis est actus pœnitentis. Diuinæ gratiæ, quatenus dicit Dominus, [sine me nihil potestis facere.] Hinc & Psalmista; [Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eā.] & paulo post, in eodem Psalmo, sic exclamat: [Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.] Et alibi: [Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.] Nostræ etiam voluntatis, quatenus Dominus Deus ad Cain dixit; [Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.] Quapropter sapiens Eccles. 15. dixit: [Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu concilij sui, adiecit mandata, & præcepta, si volueris mandata seruare conseruabunt te.] C Vnde & Augustinus ait: [Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te.] Id propterea ly [nisi,] vtrinque accipitur, nam diuinam misericordiam promptam pœnitentibus, & libertatem nostri arbitrij ad pœnitendum hic indicat.

§. 1. Pœnitentis actus sūt a gratia, & libero arbitrio. Ioan 15. Ps. 126. Ps. 123. Gen. 4.

Adiecta est itaque ab Archipropheta illa particula [nisi,] primo ex parte Dei, non quasi Deus nesciret quid in mœchantibus thiatyrensibus futurum erat, an scilicet pœniterent ab operibus suis prauis, vel non, quia sua diuina sciencia, tam præterita, quam præsentia & futura contingentia scit, cognoscit, & videt, vnde in quo velubilitas rotæ illarum voluntatum, tandem, tandem terminatura erat, & sciebat, & cognoscebat, & ad plenum videbat; Sed posita est, vt quid Thyatirenses, D & nos, sua gratia agere deberemus, ostenderetur. Secundò proponitur, vt demonstraretur, quod Dei filius, sciens quid acturi essent Thyatirenses, non dixit affirmatiuè; [Non agent pœnitentiam,] ita vt dicatur [& qui mœchantur cum ea, in tribulationem maxima erunt, quia non agent pœnitentiam ab operibus suis] quasi ex hoc videretur iniecisse, necessitatem non pœnitendi, sed dixit: [Nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint,] quia licet ita futurum erat, quod non pœniterent, tamen in potestate eorum erat, pœnitere, vt etiam dicunt D. Hieronymus, D. Ioannes Chrysostomus, Origenes, Remigius, Caietanus, & Abulensis, in illa verba Domini, Matth. 21. [Verebuntur forte filium meum.] Quoniam illa particula [fortè,] libertatem creaturæ rationalis prædicat. Tertiò tandem subscribitur, hoc in loco, tantæ emphasis clausula [nisi,] vt per illam apertè intelligamus peccatoribus pœE nitentiam agentibus, nullatenus negandam aliquando veniam esse, vt satis liquet, in Magdalenæ, latronis boni, Matthæi, & Dauidis regis conuersione. Accedit, quod recursus ad Papam, Regemuè per appellationem aut alias, nullatenus est negandus, & per consequens minus erit denegandus, peccatoribus, recursus ad Deū per pœnitentiam, quocumque tempore, peccator in hac mortali vita, illum petat, iuxta illud Ezech. 33. [In quacumque die ingemuerit peccator, amplius, &c.] & sumitur ibi dies, pro momento. Quare vt citò peccatores conuertantur de vijs suis malis, ait eis Psalmista: [Nisi

§. 2. Dictio, nisi, trifariè accipitur. S. Tho. p.p.

Comparatio.

Venia neganda nō est peccatori pœnitentiā agenti

[Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, Et in eo parauit vasa mortis sagittas suas ardentibus effecit.] Vbi illa particula conditionalis [nisi,] recursum peccatoris ad Deum per pœnitentiam, semper in hac vita paratum esse patefacit. In hoc namque distinguitur homo à dæmone, nimirum, quia homo viuens semper est vt rota, in vtramq. partem, puta in bonum, vel malum, volubilis: at vero dæmon semper est inflexibilis, in malum dumtaxat permanens, vnde dum flexibilis creatura, nimirum, homo, per pœnitentiam, fores misericordiæ Dei pulsat, semper ostium apertum inuenit, iuxta illud, [& pulsanti aperietur] quemlibet enim vere pænitentem Deus recipit in gratiam, peccata condonando, vt rectè dispungit Adrianus in 4. q. de pœnitentia.

Hominum, & dæmonum discrimen.

Matth. 7. Ioan. 16.

Adrianus in 4. sententiarū

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4.

Enodatio textus. §. 1.

Et filios eius (ait) interficiam in mortem. Vbi nostra vulgata legit [in mortem] in quibusdam codicibus Græcis, manu scriptis habetur [in morte.] Quam planè græcorum lectionem, sequutus est D. Tho. D. Dionysius Carthusianus, & alij plerique expositores in hisce suis commentarijs. Istud tamen infra fiet planum.

§. 2. Mortis nomē supplicium æternale importat.

De inferorum tamen supplicio, hìc est sermo. Nomine namque interfectionis & mortis, mors illa intelligitur, de qua Psalmographus ait: [Mors peccatorum pessima.] Et de qua etiam Ecclesia pro vnoquoque nostrum canit: [Libera me Domine de morte æterna.] Cum enim interficere, sit occidere, superest plane ad ly [interficiam] addere [in mortem,] eo quod frustra fiunt per plura, teste Philosopho, quę fieri possunt per pauciora æquè, & benè. Tum etiam quia nugatio, quæ apud dialecticum est vnius, & eiusdem vocis inutilis repetitio, prorsus abolenda est. Quamobrem dicendum plane est, magno cum mysterio, hæc dicta ab Archipropheta extitisse, puta, ad pœnam æternam indicandam, & ad vtramque mortem, nimirum, corporis & animæ exprimendam. Prima namq. mors est corporis, secunda vero est animæ, iuxta illud Apoc. 20. [Infernus, & mors, missi sunt in stagnum ignis, hæc est mors secunda.] Hinc Laudunensis in sua glossa interlineari ad illa verba: [Interficiam in mortem.] superscripsit: [Æterna scilicet pœna condemnans omnes sequaces,] & Lyranus, per ly [mortem,] vertit [gehennam,] & Primasius sic: [Mortem autem non momentaneam corporis, sed animæ minatur æternam.] Et tandem. D. Dionysius Carthusianus in comment. sic habet: [Interficiam in morte, formaliter scilicet, ipsa morte, id est, insanabili plaga, vel morte gehennæ, quæ est mors secunda, damnatioq. perpetua.] Est igitur hoc in loco sermo de inferorum supplicio, vel de inferno, in quo nihil aliud auditur, nisi fletus, planctus, vlulatus, cruciatus, clamor, & denique mors corporis & animæ, vt sic filij maledictæ Iezabelis illic, morte æterna sint æternaliter in corpore & anima interfecti. Hinc planè infero, Christum Dominum, optimè se medico comparasse, dum Matth. 9. dixit: [Non est opus valentibus, medicus, sed &c.] Optimi medici si quidem est, ægrotantibus, dum remedia adhibita prosunt, sanitatem citò futuram prædicere, cum vero exhibita remedia nullatenus valent mortem citò futuram, per signa annunciare. Cum autem cælestis ille medicus filius Dei, (qui hìc loquitur) Thyatirensibus, hoc est, Iezabeli, & cum illa mæchantibus, pænitentiam pro peccatis adhibuerit, videns nihil proficere, mox absq. remedio relinquens eos, quod Hispanicè dicitur: [Dessauziandolos] mortem æternam, & infernum eis annunciat dicens: [& filios eius interficiam in mortem.] Hinc Primasius super hæc

Mors peccatorum pessima.

Mors prima, & secunda.

Primasius in comment.

F verba perdoctè scribit dicens: [Memoratis excessibus nec pœnitentia vlla correctis, non temporalem disciplinam, sed æternam pœnam deberi, Apostolica sede testatur auctoritas: Neque enim de illorum numero sunt de quibus dicitur, flagellat omnem filium, quem recipit, sed de illis, quibus dicitur, Israel iam non irascar tibi, & zelus meus recessit à te, non quod propitiationem fuerant consequuti, sed quia indigni iudicabuntur temporaliter flagellari.] Sic ille.

Heb. 12.

Ezech. 16.

§. 3. Filiorum trina acceptio.

Verumenimuero videndum est, qui sint isti filij, quos morte interfecturus est filius Dei. Primo namque per ly, [filios,] Intelligere possumus complices, & comparticipes eiusdem peccati fornicationis, & esus cibi vetiti Idolothyti, quod Iezabel iniqua pro Tribunali sedens docebat. Proprium si quidem est docentium, citò filios eiusdem doctrinæ sequaces gignere. Nam G quod olim apud Peripateticos, & Platonicos, aliosque Ethnicos visum fuit, hoc ipsum modo apud nos etiam clarè apparet. Conscendis namque tu in Cathedram, pulpitum, thronumuè, filios citò futuros, superest speres, ita tamen vt si sanam doceas doctrinam optimos gignes filios, vt alter Abraham circuncisionem docens, Gen. 17. de quo tanto patre gloriabantur Hebrei dicentes Ioan. 8. [Nos filij Abrahæ sumus.] Si autem ad fabulas te conuertens nequam perpenderis doctrinam, & zizaniam potius, quam triticum super seminaueris, vt alter inimicus homo, restat planè, vt filios futuros nequiores te generes, vt mox in eodem cap. 8. Ioan. dicitur per hæc verba: [Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.] Et quia libidinosa, iniqua, & immunda Iezabel se propheten dicens, fornicari, & edere de Idolothytis docebat: Iccirco complices, & comparticipes eiusdem H sceleris & detestandi vitij, filios eius vocat noster vates: quibus casu quod non pœniteant, pœnam imponit æternam, promittens eos ita funditus in corpore & anima perdere, vt nullus ex eis (quasi ex illis ad parietem mingentibus) remaneat. Secundo potest ly [filios,] ad naturales filios ex fornicatione per concubitum vagum, tam ab ipsa Iezabel, quam ab eius imitatoribus genitos, referri. Ex fornicatione namq. sæpè suboriuntur filij, iuxta illud Osee 1. [Vade, & sume tibi vxorem fornicationis, & fac tibi filios fornicationum.] Id est, sume tibi, (vt D. Augustinus lib. 22. contra Faustum, D. Hieronymus, S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. gloss. ord. gloss. interl. Lyranus, & Hieronymus Guadalupensis in cap. 1. Osee exoluunt,) in vxorem, mulierem meretricem, & accipe simul cum matre meretrice filios, quos antea, ex fornicatione sua, habuit, & eam accipiendo tibi in vxorem, filios spurios adopta tibi in filios. Et cum huiusmodi fornicationis I filij, ex illegitimo, & maculato thoro originem ducant, sæpe sæpius, & Deo, & mundo, & hominibus odibiles sunt, eo quod ex læthali labe venientes, sine doctrina, sine lege, sine politicis moribus, sine parentibus, & sine aliquo bonæ indolis dictamine, frequenter educentur, & sic breui temporis interuallo, parentibus deteriores euadunt. Obidque Deus illos morte interfecturus, hìc minatur, veluti etiam præstitit ipsemet Dominus, cum filio illo quem Rex Dauid habuit (per fornicationem) ex ea quæ erat vriæ, de quo 2. Reg. 12. dicitur: [Percussit quoq. Dominus paruulum, quem pepererat vxor vriæ Dauid, & desperatus est.] Et paulo post: [Accidit autem die septima, vt moreretur infans.] Ad quod plane alludit illud Sap. 3. [Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro, semen exterminabitur. Quamobrem meritò summus K Pontifex à dignitatibus ecclesiasticis, & à religionis ingressu, hos spurios, & ex maculata venientes labe, & arcet, & expellit. Tertiò tandem, potest ly [filios,] ad naturales filios ex legitimo thoro exortos referri, ita vt asseueremus iniquam Iezabelē cōiugatam fuisse (immo fuit, cum nuper illam vxorem Episcopi fuisse probauerimus,) & ex legitimo matrimonio (antequam adulterio inseruisset) filios legitimos obtinuisset, quos peccante postea matre Iezabele, per fornicationem

Filius illius quis dicitur cuius opera imitatur.

Filij spurij odibiles. Filij spurij absque vllis optimis moribus educātur

Filij fornicationum sæpe parētibus nequiores fiunt

Sixtus V. in quodam motu proprio.

Cap. 2. text. 21. par. 2. disp. 20. q. 3.

tionem, & idolothytum, Deus punire intendebat, eo quòd crebrò Deus filios pro patribus punit, iuxta illud Exod. 20. [Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiā & quartam generationem eorum qui oderunt me.] Et Deut. 5. [Deus emulator, reddens iniquitatem patrum super filios, &c.] Et Osee 1. [Visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu, &c.] Sunt & alia pleraque loca sacræ scripturæ hoc ipsum clarè, & absque tergiuersatione concludentia.

Filij pro patribus quādoque multantur à Deo corporali pœna.

Cæterum hic ambulandum est cautè. Etenim si dicamus hos filios Iezabel nullatenus se miscuisse, aut communicasse in culpa matris, tunc ly, [Interficiam in mortē,] haùd quaquam debet intelligi de pœna spirituali, sed tantum de pœna corporali: quoniam sic scriptum est Ezech. 18. [Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij.] Quibus verbis clarè constat filium, non puniri spiritualiter pro patre, nec è conuerso. Si verò asseueremus illos siue per originem, siue per imitationem, se miscuisse, & complices, ac comparticipes fuisse culpæ matris, tunc ly: [Interficiam in mortem,] de spirituali pœna proculdubio accipi potest, vt prodit D. Augustinus, in Epist. ad Auitum, & S. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 1. & sic de gehenna (vt supra exoluimus) optimè exponi potest. Verumtamen hoc verè, & propriè est puniri pro peccato proprio, & pro scelere, & delicto personali, & non pro peccato alieno. Quoniam si peccatum, ideo peccatum, (vt ait Augustinus) quia voluntarium, sequitur apertè, quod consensus ille constituet proprium, & personalem peccatorem illum hominem cuius est consensus, & sic tunc pro suo consensu punitur filius vere, & propriè, & non pro peccato patris. Patet consequentia, quia si non consentiret, minimè spiritualiter puniretur à Deo iudice iusto.

§. 4. Filius non punitur spiritualiter pro delicto patris in quo non consensit, & cuius particeps minimè fuit.

Nota bene.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod fornicatio causat multa incommoda, & mala.



EX hucusque dictis liquido apparent aliqua damna, & mala, quæ ex fornicatione, & ex coitu illicito, in dies nasci solent. Primò quidem fornicatio causat infirmitates corporales. Hoc clare indicat illud: [Ecce mittam eam in lectum.] Quæ plane verba accipiuntur in malam partem, lectus enim in sacra pagina aliquando accipitur in bonam partem, iuxta illud Cant. 3. [Lectulum Salamonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, propter timores nocturnos.] Quo loco accipitur lectus pro quieta Sanctorum conuersatione, vt expendit Beda asseuerans opus esse, vt Christi milites, ensem habeant super femur suum, motum videlicet carnalium voluptatum spiritualis verbi districtione comprimendo, propter timores nocturnos, puta, ne nos insidiæ tentatoris antiqui, si securos, inermesque repererint sternant. Aliquando vero accipitur lectus in malam partem, iuxta illud Psalmistæ: [Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.] Quo loco accipitur lectus, teste D. August. pro voluptate corporis, & omni delectatione sæculari, quam delectationem lachrymis lauat, qui se ab illa conatur abstrahere, flendo vsque ad cordis intima, vt indicat illud, [rigabo.] Rigare enim aliquid amplius est quam lauare. Potest enim aliquid in superficie lauari quin rigetur, & sic rigare ad interiora pertinet. Quamobrem illud [rigabo,] fletum significat vsque ad cordis intima. Iccirco lectus, hoc in loco, accipitur in malam partem, nimirum pro voluptate. Vnde mittere Iezabelem fornicariā, & meretricē in lectū,

Lecti bina significatio in sacra pagina

Beda in Cantica.

Ps. 6.

D. Aug. in ps.

est illā proculdubio afficere, & affligere corporali infirmitate. Illud enim [ecce mittam,] modum planè & qualitates, ac circumstantias, in lectum mittendi scortum ac meretricem hanc Iezabel sanè indicat: quasi dicat Deus; Non aliter plane mittam fornicatricem, & scortum Iezabel in lectum, quam febribus, plagis, podagra, morbo gallico, scabie, & alijs plerisq. corporalibus infirmitatibus laborantem, ac omnino refertam, & onustam. Experientia enim docet, quod fornicarius, tandem & scabiosus, & podagrosus euadit. Ij si quidem sunt, qui hospitalia prope diem adimplent, & in illis miserabiliter diu permanent. Hùc planè tendit illud quod de hoc scorto Iezabel scribit Ansbertus per hæc verba; [Ponitur hæc meretrix in lectum, non vt quiescat, sed vt febri languescat & in phrænesim incurrat, quatenus ea iam dicat, vel agat, quæ alij audire, & videre erubescant.] Hæc Ansbertus. Et meritò planè, scriptum si quidem est, [extrema gaudij luctus occupat] Secundò, fornicatio causat securitatem quamdamdiu permanendi in peccato, nimirum, in illa carnali, bestialique voluptate, qua sæpe eo vsq. decipiuntur & allucinantur adulteri, donec eis repentinus superueniat interitus. Iuxta illud Psalmistæ: [In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.] Cubare enim, vel aliquem esse in lecto, securitatem quandam denotat, quæ inter fornicarios, & adulteros aliquando est deceptoria securitas. Habet fortè aliquis rem cum aliena, cuius maritus prope diem parat ei insidias, accidit, vt, absente marito, ingrediatur iste noctu ad illam, vt comedat, bibat, ac dormiat cum illa, & dum ipse securus, & nudus cubat cum illa in lecto, superuenit extemplò maritus, & ense, vel pugione vtrosque confodit, & sic, [in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.] Ad quod etiam alludit illud Prou. 1. [Auersio paruulorum interficiet eos, & posteritas stultorum perdet illos.] Hinc est, quod aliqui doctores, (inter quos est Primasius, Haymo, Strabus in sua gloss. ord. & Auctor incognitus) per lectum Iezabelis (vt supra nos dicebamus) peccandi securitatem exoluant, quæ plerosque ita fallit, ac decipit (vt dixi,) donec pœnas adulterorum luant. Tertio fornicatio nunquam est solitarium peccatum: semper enim alijs plerisque associatur vitijs: [Abyssus abyssum (teste Psalmista) inuocat.] Quod omnino verum esse, maximè in fornicatione comprobatur. Peccatum namque carnis, vt solum non sit, & diu permanere possit, & subsistere queat, ad rapinam ebrietatem, falsa testimonia, linguam mendacem, ludos, & reliqua vitia vocat, vt sic ex vno scelere aliud nectat, vsque dum viam ad æternam damnationem sibi muniat. Ad quod planè alludit illud Isaiæ 34. [Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia, onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum.] Sed quid est pilosus? Dicunt D. Gregorius lib. 7. moralium. cap. 15. & D. Hieronymus super cap. 13. Isaiæ. Quod pilosi dicuntur ij, quos Græci faunos, vel panas, Latini vero incubos vocant; quorum, nimirum forma ab humana effigie incipit, sed bestiali extremitate terminatur, vnde pilosi nomine cuiuslibet peccati asperitas designatur. Quod & si quando ab obtentu rationis incipit, semper tamen ad irrationabiles motus tendit, quasi homo in bestiam desinit, dum culpam, per rationis imaginem inchoans, vsque ad irrationabilem effectum trahit, nam sæpè edendi delectatio seruit gulæ, & seruire se simulat indigentiæ naturæ cumq. ventrem ingluuiem extendit, mēbra in luxuriam erigit. Quamobrem tunc pilosus alter ad alterum clamat (vt dicit loco citato, Dei vates) cū perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam prouocat, & quasi quædam cogitationis commissa iam culpa, culpā adhuc quę cōmittatur, inuitat. Et hoc est illud, [Abyssus abyssum inuocat.] Peccatum enim, quod per pœnitentiā non deletur, mox suo pondere trahit ad aliud, quod Iob aliter sic exprimit dicens: [Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum.] Quēadmodum enim id quod inuoluitur, in semetipsum replicatur, ita impij, (vt rectè ex- pen-

Meretrix Iezabel quomodo, & qualiter mittenda erat in lectū.

Podagricus aliquando ex fornicatione podagrizat.

Eccl 11.

Adulteri maritali gladio aliquando necantur.

Pilosi qui sint

Fornicatores & meretrices ex vno scelere aliud nectunt.

Iob. 6.

Iob.6. pendit ibi D. Greg.) quasi extra se tensi ad semetipsos per circuitum redeunt multiplicatione vitiorum. Vnde dicimus, quod carnis peccatum, scilicet fornicatio, ne solitariè reperiatur clamat ad se reliqua vitiorum genera, & species omnes, vt ita ad æternam damnationem (vt dixi) viam sibi muniat. Et quid mirum cum Dominus per Psalmistam dicat: [Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis.] Quemadmodum ille filius prodigus qui egressus à patre, [abijt in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, &c.] Et veluti etiam illa meretrix, quæ Prou. 7. sic alloquens inducitur. [Intexui funibus lectulum meũ, straui tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo, veni inebriemur vberibus & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies, non enim est vir in domo sua, abijt via longissima.] Et sic faciunt ea quæ nullatenus decent addiciendo peccatum ad peccatum. Quarto, & vltimo, fornicatio facit, vt peccatores hic incipiant degustare infernum, vt indicant illa verba: [Et filios eius interficiam in mortem.] Perinde ac dicat, non solum parentes adulteri, ægritudine feriam, & mæchos pœnis adulterio impositis afficiam, verumetiam complices adulterij, hinc infernum degustare faciam. Ad quod planè alludit illud Ieremiæ. 30. [Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.] Quo loco apparet, quod Deus reprobos illos, quibus per Isaiam in cap. 16. dicit: [Israel iam non irascar tibi, & zelus meus recessit à te.] Et per Apostolum ad Rom. 1. [Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.] Inimicorum plaga (quæ est plaga crudelis) percutit: nam pœna quam eis infligit, initium est damnationis sempiternæ, vt indicare intendit ipsemet Dominus, dum Deut. 32. ait: [Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq. ad inferni nouissima.] Et Ezech. 30. [Brachium Pharaonis regis Ægypti, confregi: & ecce non est inuolutum, vt restitueretur ei sanitas, vt ligaretur pannis & fasciaretur linteolis, & recepto robore posset tenere gladium.] Quasi Dominus circa fracturam brachij Pharaonis dicat: Pœnam quam Pharaoni inimico meo inflixi frangendo eius brachiũ, est initium Sempiternæ pœnæ, ideo nolui post fracturam eius, vulnere obligare, quia sempiterna sunt futura. Ecce igitur quot & quanta mala, in parentes, & filios, siue comparticipes, & complices, causat fornicatio.

Psal. (margin)

Lucæ 15.

Meretricis artificium, & laquei ad homines capiẽdos.

Reprobi fornicarij insanabili plaga feriuntur à Deo.

PARAPHRASIS
Quinta.

Par. 5. Et scient omnes Ecclesiæ (dicit) quia ego sum scrutans renes & corda. Perinde ac si Dei filius diceret, ex hoc discent omnes gentes (nimirum, vniuersalis Ecclesia) quod ego sum Deus, & iustus iudex. Solius namque Dei est, vt dispungit S. Tho. p. p. q. 57. art. 4. cordium cogitationes prout sunt in intellectu, & voluntatum affectiones prout in voluntate sunt, cognoscere, & iuxta illas digna factis retribuere, vt liquido colligitur, ex illo Ier. 17. [Prauum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud Ego Dominus scrutans cor, & probans renes qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum ad inuentionum suarum. [Et hoc ipsum patefacere hic intendit Dei filius, cum ait: [Et scient omnes Ecclesiæ, quia Ego sum scrutans renes, & corda, & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.] Etenim ly [renes,] affectiones prout sunt in voluntate, indicat.

Enodatio textus.

§. 1.

Et quamuis gloss. interl. per renes, carnales concupiscentias exponat, Et ad idem se referant lyranus, Beda, Primasius, Rupertus Abbas, Haymo, & pleriq aiij expositores, eo quòd renes, sedes sunt libidinis, & i i illis, carnalis concupiscentiæ oblectamenta importantur; propterea quod humanæ conceptionis semen de lumbis egreditur: tamẽ quia renes, sunt in intimo corpore, abditissimi, summis namque, teste Plinio de nat. hist. adhærent lumbis (vnd iustè intima mentis arcana eos D. Chrysostomus appellat) ideo præstat per ly [renes] affectiones, prout in voluntate sunt intelligere: quæ plane ita abstrusæ, & abditissimæ sunt, vt illas cognoscere solius diuini muneris sit. Quare hoc in loco scrutare renes, nihil aliud erit quam affectiones volũtatum prout in voluntate sunt cognoscere. Quod probatur. Tum quia delectationes exteriores, & carnalia oblectamenta, per quæ Iezabel, & qui cum ea mæchabantur, & filij eius peccauere, prius fuerãt in volũtate, quam in renibus, eo quod peccatũ (teste D. Aug.) ideo peccatum, quia voluntarium. Tum deniq. quia carnalia peccata, quibus ij se inficiauere, duobus decalogi præceptis prohibentur, vnum quippe est [non mœchaberis,] per quod actus prohibitur: alterum vero est: [Non concupisces vxorem proximi tui,] per quod voluntatum affectiones circa carnis titillationes impediuntur. Quapropter renes scrutare, idem erit quod affectiones voluntatum (circa carnalia peccata) prout in volũtate sunt cognoscere, quod plané solius Dei est.

§. 2. Opinio quorundam pro.

ponitur circa renes.

Renes sunt sedes libidinis.

D. Chrysost. in ps. 7.

Auctor probat suam sententiam. 1. Ratio.

2. Ratio.

Porro ly [corda,] cogitationes cordiũ prout sunt in in intellectu, significat: eo quòd cor sedes est cogitationum, dicente Domino Matth. 5. [De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes furta, falsa testimonia, & blasphemiæ.] Cor namq. præter id quod vitæ fons sit, eo quod in illo (teste Aristotele) vita animalibus omnibus collocatur, est in medio corpore latens. Et cum de illo cogitationes tamquam riuuli ex suo fonte prodeant tales intimæ cogitationes apud Theologos, cordis secreta nuncupantur; quæ cognoscere prout in intellectu sunt, solius Dei est. Quadrat cum hac nostra expositione, circa ly [corda] torrens theologorum, eo quòd D. August. D. Ambros. Beda Haymo, Glossa interlinearis, Lyranus, Primas. Rupertus Abbas, Franciscus Ribera, & communiter omnes quotquot sunt huius loci expositores, nemine penitus, penitusq. discrepãte, per ly [corda,] vertunt malas cogitationes, quorum omnium doctorum expositio maximè illustratur exponendo (vt nos exponimus) per ly [corda,] cordiũ cogitationes prout sunt in intellectu, quas scrutare, & cognoscere solius Dei interest. Eundem quippe loquendi stylum obseruant Dei vates, passim cum Deum, affectiones voluntatum prout sunt in voluntate, & cordium cogitationes hominum, prout sunt in intellectu cognoscere, præsignificare volunt. Hinc Psalmista. Ps. 7. ait. [Scrutãs corda & renes Deus] & Ierem. 11. [Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda.] & c. 20. [& tu Domine exercituum, probator iusti, qui vides renes, & cor.] Quare per ly [renes,] affectiones voluntatis prout in voluntate sunt. Et per ly, [corda,] cogitationes cordiũ prout in intellectu sunt præsignificantur hic. Quas clarè cognoscere solius Dei munus est, eo quod voluntas rationalis creaturę, vt ait S. Th. 1. p q. 57. ar. 4. soli Deo subiacet, & ipse solus in eam operari potest, qui est principale eius obiectum, & vltimus finis. Quapropter nos horum verborum: [Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes, & corda, &c.] optimum compegimus, astruimus, ac composuimus in principio huiusmet paraphraseos, sensum.

§. 3. Corda cogitationes significant. Cor est sedes cogitationum

Cor latet in medio corpore.

Deus est intimè cernens affectiones cordis.

Accedit (ad maiorem, ac pleniorem huius nostræ enodationis corroborationem,) quod filius Dei Iesus Christus, Dñs noster. (qui huic Thyatirensi Ecclesię loquitur) omnium hominũ cogitatus tam secũdũ scientiã diuinam, quã secundum scientiam beatam (quæ in illo abundè sunt) perfectè cognoscit, Iuxta illud: [Dignus est agnus, qui occisus est accipere diuinitatem, & sapientiam.] Vbi per ly [Sapientiã,] glossa ordinaria vertit, [omnium cognitionem] Vnde S. Tho. disputans an anima Christi in verbo cognouerit, omnia? Sic ait: [Cum queritur an Christus cognoscat omnia, in verbo

§. 4. Adhuc etiam sensus auctoris probatur ex S. Th. 3. p. q. 10 art. 2. Apoc. 5.

ly [om-

S. Tho. ly [omnia,] potest dupliciter accipi, vno modo propriè, vt distribuat pro omnibus, quæ quocumq. modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocumq. secundum quodcumque tempus, & sic dicendum est, quod anima Christi in verbo cognoscit omnia. Vnusquisq. enim intellectus creatus in verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt verbum: nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Ad Christum autem, & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium iudex constitutus à Deo, quia filius Dei est, vt dicitur Ioan. 5. & ideo anima Christi in verbo cognoscit omnia existentia, secundum quodcumq. tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum est iudex, itaut de eo dicitur Ioan. 2. Ipse enim sciebat, quid esset in homine, potest intelligi non solum quantum ad scientiam diuinam, sed quantum ad scientiam animæ eius, quam habet in verbo. Alio modo ly, omnia, potest accipi magis largè, vt extendatur non solum ad omnia, quæ sunt actu, secundum quodcumq. tempus, sed etiam ad omnia quæcumque sunt in potentia, numquam reducenda, vel reducta ad actum. Horum autem quædam sunt in sola potentia diuina, & huiusmodi non omnia cognoscit in verbo anima Christi. Hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere, quod esset comprehendere diuinam virtutem, & per consequens diuinam essentiam. Virtus enim qualibet cognoscitur per cognitionem omnium in quę potest. Quędam vero sunt non solum in potentia diuina, sed etiam in potentia creaturæ, & huiusmodi omnia scit anima Christi in verbo; Comprehendit enim in verbo omnis creaturæ essentiam, & per consequens potentiam & virtutem, omnia quæ sunt in potentia creaturæ.] Hucusq. S. Thomas. Ex cuius sane littera perspicuum euadit filium Dei Iesum Christum Dominum nostrum, scientia diuina, tum & beata, intimas cogitationes, intimosq. affectus creaturæ rationalis, introspicere, scrutare, ac clare cognoscere. Quapropter multoties in Euangelio sequitur de Christo: [Vt cognouit cogitationes eorum.] Vt videre est passim apud Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem. Post quæ plane verba sequitur aliqua indignatio Iudæorum, & Pharisæorum in Christum. Quoniam cognoscendo eorum cogitationes malas, & pessimas, clarè demonstrabat se esse Deum. De quo certè contristabantur Pharisæi nolentes confiteri Iesum Christum esse Deum de Deo; nimirum filium Dei naturalem. Quamobrem ad has Euangelistarum voces de Christo, [vt vidit cogitationes eorum,] & iterum, [vt cognouit cogitationes eorum,] & alibi [intelligens cogitationes eorum,] mox sequitur eorum Iudæorum, & Pharisæorum blasphemia dicentium contra Christum, [dæmonium habes,] & alibi [tu dæmonium habes:] & paulo post, [nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?] Et alia his similia verba blasphemiæ. Quæ proculdubio retundere facile possumus eiusdem Pharisæis, recantando illud 1. Reg. 2. [Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.] Hinc est quod de Christo Redemptore nostro ad litteram expenditur illud Psalmistæ: [Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.] Ideirco idem Psalmista extremi iudicij timens diem, exclamat: [Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me.] Et Sanctus Iob: [Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti (quasi ego aliquid boni, vel aliquid summi momenti essem & sanè non sum) qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.]

Cogitationes Pharisæorum cognouit Christus.

Blasphemiæ Pharisæorum in Christum.

Blasphemia Pharisæorum impugnatur.

Ps. 137.

§. 5. Animaduertas hic fas sanè est, quod vbi noster vulgatus legit: [& scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda.] Primasius ita habet: [& scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutator renis, & cordis.] Quod planè in eumdem prorsus sensum vergitur. Vtraque enim lectio clarè demonstrat Iesum Christum Redemptorem nostrum, non tantum opera exteriora, verum etiam intimos hominum cogitatus, & affectus clarè, & perfectè cognoscere, vt decisum supra reliquimus.

Illud insuper, quod Primasius hìc attingit minimè est reticendum. Quærit etenim Primasius in hisce suis commentarijs super illa verba: [Et scient omnes Ecclesiæ.] hanc difficultatem: [Nunquid priusquam Deus prodat adulteros, & occidat, nesciunt Ecclesiæ Deum scrutatorem esse renum, & cordis? Aut quomodo potest Ecclesia dici, qui scitura sum & non initio fidei suæ Deum occultorū scierit cognitorem;] Cui plane dubio, & sibi ipsi, per hæc eadem verba satisfacit ipsemet Primasius: [Non ergo experientia rerum, sed certa fide tenendum est, non perspicua, sed occulta idololatria se adulteros morte punire: hos enim dicit æterna damnatione plectendos.] Sic ille. Quibus addo, quod licet Ecclesia multa à suo exordio fide teneat, tamen cum credita ad experientiam reducuntur, tunc dicitur Ecclesia illa scire, & discere. Non quod tunc incipiat scire, & discere illa (quoniam iam antea per fidem illa sciebat) sed quod tunc per experientiam illa innotescunt omnibus, iuxta tropum illum creberrimum in Sacris Biblijs, quo res tunc fieri dicuntur cum innotescunt. Et sic expenditur illud [Et scietis, quia ego Dominus.] Et illud: [Vt sciant gentes, quoniam homines sunt.] Ac illud etiam quod Ecclesia propè diem canit. [Vt discat populus tuus, quia tu es Dominus Deus noster.] de quo vtique tropo, plura in. 1. cap. dicta à nobis fuere, dum illud: [Quam dedit illi Deus palam facere seruis suis,] enodabamus.

§. 6. Difficultas Primasij.

Auctor illustrat difficultatem Primasij.

Ecclesia quo modo nūc dicatur scire.

Iam postremo quæritur, cum scrutari sit ignorantis, quia est inquisitio sciendæ rei, qualiter illud: [Scrutans renes & corda.] conueniat Deo; & præcipuè cum de Deo scriptum sit: [Nunquid sicut dies hominis dies tui, vt quæras iniquitatem meam & peccatum meum scruteris?] Dico cum S. Tho. quod in scrutatione sunt duo: Vnum est præmium siue præambulum, scilicet inquisitio, aliud consequutiuum siue adiunctum, scilicet scientiæ perfectio, ad quam ordinat, & ad quam terminatur illa inquisitio. Et quantum ad hoc secundum, non quantum ad primum dicitur Deus scrutans, non ratione principalis significati, sed ratione adiuncti, siue insinuati.

§. 7. Nomine scrutationis quādoque datur intelligi inquisitio quędam de re ignota. Iob. 10.

S. Thom. in comment.

P A R A P H R A S I S

Sexta.

Par. 6.

[Et dabo (ait tandem) vnicuique vestrum secundum opera sua. Æquitas iusti iudicij Dei circa retributionem hinc apparet. Dare namque vnicuique secundum opera sua, nimirum, bonis bona, & malis mala, (vt ait Laudunensis in sua glossa interlineari) vel pœnam impijs (vt dicit Lyranus) & gloriā iustis, æquitas iustitiæ vtique est. Eo quod ratio iustitiæ vt prodit D. Thomas. 2. 2. quæst. 80. art. 1. & 58. art. 11. consistit in hoc, quod alteri reddatur quod ei debetur, secundum æqualitatem. Et quia de filio Dei, viuos, & mortuos iudicaturo immediatè exoluitur illud Psalmographi: [Aequitas testimonia tua in æternum.] Et iterum: [Iudicabit populos in æquitate:] & paulo post hæc: [Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.] Quibus locis, clarè comprobatur, Christum filium Dei, æquitatem ante oculos semper (& præcipuè circa iudicium) obtinere, secundum illud: [iustum, & rectum iudicium tuum.] Ideo ipse-

Dilucidatio textus. §. 1.

Aequitas iudicij Dei.

Aequitas semper dilecta a Christo.

ipsemet filius Dei, hic ait: [Dabo vnicuique vestrum secundum opera sua.] Quasi dicat: Nullum bonum dimittam irremuneratum, nullumque malum impunitũ vt vertit D.Dionysius Carthusianus. Quadrat enodatio cum S. Tho. qui in hunc locum sic scribit: [Dare hic non accipitur secundum quod sonat liberalitatem, sed importat æquitatem.]

§. 2. Rupert Abb. in 2.C.Apoc.

Absq. personarum acceptione aliqua, erit hæc æquitas, cum iudex sciat cordium secreta penetrare. Hinc Rupertus hic sic scribit: [Nam quia sunt alij, qui propter consequẽdam æternam Dei gratiam; alij qui propter tenendam felicitatem terrenam pœnitentiã agunt Atq. alij. qui omnino impænitẽtes sunt, pertinuit ad iudicem (qui se redditurum profitetur vnicuiq. secundum opera eius) ostendere vnde scire possit quale, vel cuius meriti sit cuiuslibet pœnitentis, vel impœnitẽtis opus, &c.] & paulo post: [Hic ergo scrutãs corda, & renes, idest, veraciter discernẽs, quis carnali, & quis spirituali intentione pœnitentiam agat, Achab quidem pœnã distulit, Dauid autem in gratiam restituit, Ioram verò, & cæteros filios Iezabel absq. dilatione interfecit, ita reddit vnicuiq. secundum opera eius, cõtestans, vt omnes circa nos ita futurum sciamus, dum concludit sic: Et dabo vnicuiq. vestrum secundum opera sua.] Ita Rupert. Obid igitur has pænitentiũ differentias oportuit plane, filium Dei, non tantum exteriora opera, verumenimuero, & cogitatus hominum in iudicio dispũgere, digna factis vnicuiq. tribuens absq. aliqua personarum acceptione, vnde Act. 10. dicitur: [In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.] Quamobrem non mirum planè si in solemni illa vineæ parabola, ait Dominus, Matth. 20. [Tolle quod tuum est, & vade in pace, volo & huic nouissimo dare, sicut & tibi.]

Diuersimodè agunt homines pœnitentiam.

4.Reg. 9. 2.Reg. 12. Ps. 50 4.Reg. 6.

§. 3. Opera, quæ dicantur.

Duo tamen se offerunt hic explananda: Primũ, quidem est quid intelligatur per ly [opera sua,] & dico per opera intelligi actus exteriores, & interiores, ita vt & passiones sub nomine actus intelligantur, & cõprehendantur. Quoniam ratio meriti, & demeriti, quamuis reperiatur in vtroq. actu, tamen magis consistit in actibus interioribus, præcipuè voluntatis, quam in exterioribus, qui rationem virtutis, aut vitij ab interioribus sortiuntur. Quamobrem cum Deus dicitur vnicuiq. redditurus secundum opera sua, per opera intelliguntur actus interiores, & exteriores, itaut passiones sub nomine actus comprehendantur. Quod autem actus interior, opus dicatur, patet ex illo Ioan. 6: [Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.] Secundum vero est, an retributio in reprobis adæquetur demeritis? Et dico, quod Dominus semper præmiat supra condignum, & punit citra condignum, propter immensitatem suæ misericordiæ. Vnde S.Tho. hoc in loco asserit, quòd misericordia, & iudicium mutua societate sibi iunguntur. Quamobrem, quando quęritur: [An Deus reprobis retribuet secundũ opera sua] illud [secundum] potest notare, aut proportionem æqualitatis, aut proportionalitatem, putà, correspondentiam in generali, nimirum, si bene egit bonum retribuetur ei, si autem male, malum, vel si multum demeruerit, multum punietur. Et hoc secundo modo venit accipiendum, circa reprobos, illud [secundum], pœna etenim in reprobis licet non dicat æqualitatem, dicet tamen proportionalitatem & correspõdentiam generalem. Et si obijciatur illud Iacobi 2. [Iudiciũ sine misericordia, &c] respõdebitur, quod loquitur ibi Apostolus de misericodia liberante, & non de misericordia relaxante. Legito D.Tho. in hũc locũ. Circa bonos etiam dicimus, hanc futuram fore meritorum retributionem secundum proportionalitatem, & correspondentiam generalem, nimirum, quod quanto grandiora fuerint opera, tanto maiora erunt præmia. Quamobrem æqualitas circa reprobos, & prædestinatos, vel circa meritum, & demeritum, semper dicet proportionalitatẽ, & sic intelligẽdus venit Psalmista dum ait: [Fidelia omnia mandata eius confirmata in sęculum sæculi, facta in veritate, & æquitate.] & iterum: [Viuificabis me in ęquitate tua] & alibi: [Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomẽ tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.]

Ratio merendi, est in actu exteriori, & interiori.

D.Thom. in comment. sequitur cassiodorum.

Ps. 110.

Ps. 142.



Obis autem dico * ceteris qui Thyatiræ estis: Quicumque non habent doctrinã hanc, & qui non cognouerunt altitudines satanæ, quemadmodum dicũt, non mittam super vos aliud pondus: tamen id, quod habetis, tenete donec veniam.

Text. 23. * &

COMMENTARIVS.



ONTROVERSIA haud exigua est inter expositores, sit ne sermo hoc in loco ad bonos dumtaxat, an vero ad bonos & ad malos simul. Ratio dubitandi est: Quoniam in hac Ecclesia Thyatirensi (quemadmodum & in vniuersali) non tantum aderant vasa contumeliç, & zizania, puta mali, verum etiam, vasa honoris, & triticum, videlicet boni: Ideo dubitatur an hæc cõsolatoria verba, vtrisq. bonis, nimirum, & malis sint communia, an vero bonis solũmodo propria, & peculiaria. Ego vero rẽ paucis persoluã. Primò affirmando, hic sermonem ad eos bonos, & fideles tãtũ dirigi qui Christum verè sincerèq. colentes, se fœdis ac nefarijs Iezabelis factis, & voluptatibus, ac etiam cõsilijs, nullatenus acquieuerunt, aut commiscuerunt. Et quod ita res se habeat probo. Tum, quia hucusque fuit sermo comminatiuus, & obiurgatiuus Iezabeli eiusq. amatoribus factus, & sicuti Deus est infinitè iustus, sic etiam est infinitè misericors. Quamobrẽ post eius iram, eiusdẽ misericordia citò expectanda semper est, iuxta illud Abacuc 3. [Cum iratus fueris misericordia recordaberis.] Et Zach. 1. [Zelo magno, & ira magna irascor, &c. Et Ps. 59. [Iratus es, & misertus es nobis.] Igitur post minarum oppositionem, & obiurgationem malorum, expectanda vtiq. est bonorum consolatio. Preterea muneris euangelici est, post malorũ correptionem, ad bonorum consolationem se conferre: ideo postquã Christus in iudicio dicet: [Ite maledicti,] protinus dicturus est. [venite benedicti.] Hinc est illud Iob. 4. [Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt manus tuæ, & genua trementia confortasti.] Porro quia explanatorum turba nobiscum est, eo quòd glossa interlinearis exponẽs hæc verba: *vobis autem dico ceteris* sic ait: [Commutatio personæ, interpositio sententiæ.] Et Lyranus: [Hic ponitur discretio bonorum à malis.] Primasius, & conuersus ad partem bonam eiusdem Angeli dicit: [Vobis autem dico reliqui, qui estis Thyatiræ.] Auctor incognitus: [Posita malorum communicatione, hic ponitur bonorũ confortatio.] Et Rupertus Abbas [Qui Thyatiræ estis, (inquit) quos reliqui mihi sicut illos, de quibus dixi in Elia, vbi sępe dicta Iezabel timẽs fugerat: Reliqui mihi septẽ millia virorũ, qui non curuauerũt genua ante Baal. Hoc ipsum namq. nunc de istis cęteris qui Thyatiræ sunt, de secunda ad tertiam trãsiens personam, dicit verbis alijs.] Similia dicũt Tyconius, D.Aug. D.Ambros. D.Tho. Beda, Arethas, Haymon, Carthus. Ansbert. & pleriq. ex recẽtioribus (inter quos est Franciscus Ribera) asseuerãtes hic sermonẽ tantũ cõuerti ad eos qui erro-

Explanatio contextus.

§. 1. Difficultas circa literã textus.

Verba hæc ad bonos tantum diriguntur.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

3.Reg. 19.

§. 2.

4.Ratio. erroribus impiæ mulieris non assentiebatur in aliquo Rursus, quia accipere hæc in bonam partem tantummodo, quadrat per pulchrè satis cum residuo huius capitis, eo quòd in sequentibus dicitur: *Qui non habent doctrinam hanc*, hoc est, fornicari & edere de Idolothytis, & paulo post: *non mittam super vos aliud pondus: tamen id, quod habetis, tenete donec veniam*. Et mox: [Dabo illi potestatem super gentes &c.] & tandem: [Dabo illi stellam matutinam.] Quæ omnia nullatenus possunt, bonis & malis simul competere, eo quòd mali fornicabantur, & edebant de Idolothytis. Igitur de illis nequit intelligi illa clausula: *Quicumque non habent doctrinam hanc*. Et ex consequenti intelligenda venit de bonis dumtaxat. Deus insuper licet aliquando permittat aliquem in malum cadere, tamen nullibi perseuerantiam in malo præcipit, vt est manifestum: hic autem præcipitur à Deo perseuerantia in pondere, quod iam habent, dum dicitur: *tamen id quod habetis, tenete*, Igitur non loquitur malis, sed bonis dumtaxat.

5.Ratio. Amplius, quia malis prout sic, spiritualium, cælestiumque bonorum nulla est promissio: Constat autem quod habere potestatem super gẽtes, &c. tum & matutinam stellam adipisci, spiritualia ac cælestia sint dona promissa: Igitur tales promissiones ad bonos, & ad malos simul nequaquam sunt, & ex consequenti, cum in residuo huius capitis, vlla fiat personę commutatio, hic nimirũ, cũ dicitur: *Vobis autem dico & ceteris, qui, &c.*

6.Ratio. vbi sententię verborum sequentium exordium inchoatur, bonorum mentio tantum est. Item deniq. patet, quia stylus communis in harum Ecclesiarum reprehensionibus, is est, vt post malorum obiurgationem, bonorum consolatio mox sequatur, & non est dare causa ob quã in hac Thyatirensi Ecclesia secus fiat.

§. 2. Porro hoc nostro sæculo liberè iam asseuerare possumus hoc in loco sermonem vtrique esse tam ad bonos, quàm ad malos: quoniam quamuis nostra Vulgata ab antiquioribus tẽporibus vsq. ad Sixtum V. legat absque coniunctione [&] sic, [*Vobis autem dico ceteris qui Thyatiræ estis*,] & ita prorsus legamus in vtraq. Biblia Regia, Græca, nimirum, & Latina: & in plerisq. codicibus, inter quos est codex manu scriptus antiquus, & nouus codex à Christophoro Plantino excusus. Et insuper sic legat Primasius, Arethas, Ansbertus, Rupertus Abbas, Ioachimus, Richardus de S. Victore, S. Tho. D. Dionysius Carthusianus, Ticonius, Beda, D. Ambrosius, & Auctor incognitus; tamen eadem nostra Vulgata hoc nostro sæculo sub Clemente Octauo Romæ edita anno Domini 1598. legit cum coniunctione [&] ita [vobis autem dico & cæteris, qui Thyatiræ estis,] cui fauet lectio quorumdam codicum, tum Græcorum, tum etiam & Latinorum, in quibus sic legitur: *Vobis autem dico, & ceteris qui Thyatiræ estis*. vbi coniunctio [&] malorum cum bonis commixtionem facit. Etenim ly *vobis*, ad malos, scilicet, sequaces immundæ Iezabelis, nimirum, cum illa vnà mœchantes (quibus antea erat sermo) refertur. Reliqua vero quæ sequitur, sub ly *& ceteris*, ad bonos, immunditias videlicet Iezabelis prorsus execrantes (quibus postea loquitur) ordinantur. Id propterea loquendo sic, *vobis*, *& ceteris* oportet, vt ad malos vnà cum bonis sermo dirigatur. Idque incassum nullatenus accidit: sunt enim in Ecclesia oues simul cum hœdis, virgines prudentes simul cum fatuis, & triticũ cum simul cum zizania, & paleis, vt passim habetur in Euangelio, & præcipuè Matt. c. 25. Quamobrẽ non placet Lyranus, dum legit cum coniunctione dicẽs *vobis autem dico, & ceteris qui*: Nec minus Franciscus Ribera, qui illum imitatus fuit. Dixi (dũ legit) eo quòd licet ij duo auctores legant cũ coniunctione, tamen ad solos bonos dumtaxat, tenẽt sermonem dirigi. Idcirco lectio non quadrat cum eorum sententia. Et esto quòd admittamus, ponendam esse coniunctionẽ [&] (vt modo legitur in nostra vulgata sub Clem. VIII. edita) nullatenus tamen cum hac lectione admittimus hic sermonem dumtaxat dirigi ad solam partem bonam, vt ipsi Lyranus, & Ribera in hisce suis commentariis dirigi tenent.

§. 3. Cum itaque iam contumelię & iniquitatis vasa confregerit filius Dei, zizaniamque funditus eradicauerit, malos videlicet de Ecclesia Thyatirensi, minis præfatis deterrẽdo, modo vasa aurea & honoris, attẽtis oculis circunspicit, bonos nimirum de eadem Thyatirensi Ecclesia consolando. Et quia nominare aliquem proprio nomine, est causa amoris & attentionis in nominato, iuxta illud D. Chrisost, hom. 28. in Genesim [Solemus enim diligentius auscultare, cũ nostris nominibus vocamur,] ideo ad maiorem amorem, consolationem, & attentionem, quasi proprijs nominibus, vnumquodq. eorum nominans ait: *Vobis autem dico, & ceteris qui Thyatiræ estis*. Quasi dicat, Vobis quibus datum est nosce mysterium regni Dei, *vobis* qui permansistis mecum in tentationibus, *vobis* qui estis gens sancta, populos electus, regale sacerdotium, *vobis* igitur dico, reliqui fideles, *qui estis Thyatiræ*. Et quia ij erant cæteris dissimiles, voluptates impiæ Iezabelis in cathedra pestilentiæ sedẽtis, ac docentis prorsus detestãtes Idcirco mox subiungit: *Quicumq.* omnium vestrum, vel ex omnibus vobis, *Non habent doctrinam hanc*, id est, non receperunt immundæ Iezabelis (quæ se dicebat prophetem) eruditionem. Et quia insuper hæc doctrix Iezabel, seducta fuit à dęmone, qui in dies & horas, circuit quę reos quem deuoret, & in angelũ lucis se transformãs, multa mala quasi bona à multis approbata, astutè, ac subtiliter recipit, id propterea statim adiungit: *qui non cognouerunt*, (id est, approbauerunt) *altitudinem*, hoc est astutiã, & subtilitatem *Satanæ*, qui sub specie boni, seruos Dei quotidie, (vel tanquam negotio perambulante in tenebris, vel tanquam demonio meridiano,) seducit ac prorsus dæcipit, *quemadmodum* de illo *dicunt* communiter *Prophetæ & Doctores*. Porro quia filius Dei, de quibusdam Pharisæis, & Scribis; qui sedebant super cathedram Moysi dicat, se alligare onera grauia, & importabilia, digito autem suo nolle ea mouere. Idcirco fideles consolando addit: *Non mittam super vos aliud pondus*. Et cum hi, iugo (de quo ait ipsemet filius Dei, iugum meum suaue est) euangelico iam fideliter laborabant, protinus subiungit: *tamen id quod habetis, tenete donec veniã*, iudicio peculiari, vel generali, quod omnia diluentur, eliminabuntur, & omnino discernentur. Ecce igitur qualiter hunc pusillum gregem Thyatirenum fidelem, Dominus consolatur, vt alludat ad illud Matth. 20. [Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit patri vestro dare vobis regnum] Ex quo plane textu liquet, bonis & rectis corde, numquam deesse Deum, iuxta illud Psalmistæ: [Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.] Hinc Apostolus 2. Cor. 1. ait: [Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.]

Diluitur textus.

Lucæ 8.

Ps. 126.

Math. 20.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1. §. 1.

Quicumque (ait) non habent doctrinam hanc. Non habere nec recipere hanc doctrinam, ad nihil aliud quippè spectat, quam ad firmiter audacterque credentium corda, & ad fidelia pectora (libera, & immunia ab immundis, nefandis, vanis, obnoxijsque, in fornicando, & in idolothytis comedendo cogitationibus Iezabelis) commendanda, & extollenda. Etenim dictio [Hanc] ad maledicta dogmata præfatæ Iezabelis dicit relationem. Vnde proculdubio infertur, quod omnis qui eruditioni Iezabelis nullatenus obtemperarunt, laude digni apud Dei filiũ reperti maximé fuere. Quorum vnusquisque decantare fane poterit illud Psalmistæ: [Quoniam non cognoui litteraturam introibo in potentias Domini, quoniam memo-

Iezabelitarũ dogma reecitatur.

Quotquot doctrinam Iezabelis non receperunt, fuerunt laudedigni.

Litteratura quid sit.

memorabor iustitiæ tuæ solius.] Cum enim doctrina Iezabelis esset gula, & coitus, rectè litteratura appellari potest; quoniam per litteraturam, scientiam instantem, quæ superbire facit, expendit Raynerius: quam qui non cognouit introibit in potentias Domini, cognoscendo Euangelium sanctum, cui ex diametro aduersabatur doctrina, quam fictè, & calidè Iezabel docebat. Quamobrem de hac libidinosa muliere dici potest illud: [Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.] Et de mœchantibus cum ea etiam decantari potest illud: [Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.] Et tandem de filijs eius verificari potest illud: [Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant venenum aspidum sub labijs eorum.] Quamobrem cum hæc doctrina, tam in docente, quam in audientibus nimis putrida, praua, ac prorsus fætida esset, meritò hic laudantur, ij qui eam nullatenus receperunt. Ex quo planè docemur, dolosorum, simulatorum, callidorum, hypocritarum, effæminatorum, (hoc est, mollium, lasciuorum, impurorum, impudicorum, & aliorum huius farinæ) dogmata, doctrinamuè omnino fugere, quasi à facie colubri, dicente Domino Lucæ 6. [Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt?] Et Matth. 23. [Cauete à fermento Pharisæorum.] Et iterum, [Nolite credere: surgent enim pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiã electi:] & paulo post: [Nolite credere.] Beati igitur quotquot non habent doctrinam hanc, quia ipsa Iezabel, & Pseudo Christi, & pseudo Prophetæ vtique erat, vt supra sancitum, ac confirmatum reliquimus.

Psalm. 54. — Psal. 139. — Psal. 5. & ad Rom. 3. — Iezabelitarũ doctrina putrida, & fætida. — E Doctrina praua fugienda. — Hypocrisis detestanda.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. De doctrina multiplici.



DOCTRINA, tripartita quippe est, in sacro eloquio. Ad quod rectè intelligendũ, annotes primò oportet. Doctrinam dici, & deriuari à docere, vel à doctore. Docere autem, nomen est auctoritatis, & sic doctores valde sunt necessarij in Ecclesia militante. Omnis enim homo vt ait Philosophus natura scire desiderat. Et ex aduerso, omnis ars, & scientia ignoratur, nisi per aliquem doceatur. Quamobrem doctores sunt in Ecclesia sicut os in animali, & sicut radix in arbore. Os enim cibos recipit, quos tandem ad corpus nutriendum trãsmittit. Radix etiam de terra sugit humorem, de quo tandem rami arboris nutriuntur. Aquila etiam quando pulli nimis iuuenes sunt, nec adhuc carnes possunt comedere, solet de preda sanguinem sugere, & pullis esurientibus ministrare. Pari etiam modo doctores, humorem scientiæ & doctrinæ, primò solent de libris sugere, bibere, & acquirere, & tandem in filios, nimirum, in auditores, & subditos, docendo, & prædicando diffundere, & eos verbo Dei salubriter enutrire. Ideo in persona cuiuslibet doctoris dicit Psalmographus: [Venite filij audite me timorem domini docebo vos.] Modo ad rem. Primò ergo reperitur quædam doctrina, quæ in se est bona & optima & insuper docetur à bono, & sancto doctore. Sunt enim plerique Doctores, & Prædicatores, Prælati, Parentes; qui boni cum sint, & mundo corde, sanam, & optimam auditoribus suis profundunt, ac vbique prædicant doctrinam, per quam nõ docetur, nec ad discitur nisi bonum, & ij dicere possunt cum Christo: [Mea dotrina non est mea, sed eius qui misit me.] quoniam talis bona doctrina est à Deo, iuxta illud: [Omne datum, optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.] Quamobrem vnicuique ex his doctoribus quilibet nostrum debet dicere illud Psalmistæ: [Bonitatem & discipli-

Comparatio. — Doctores sunt necessarij in Ecclesia Dei. — Doctrina bona, & à bono prædicata est addiscenda, & facienda. — Ioan. 7. — Iacobi 5.

F nam, & scientiam doce me.] Vbi sub nomine bonitatis continentur omnia illa, in quibus debemus petere, & appetere à Deo vel ab homine edoceri, videlicet res, & opera virtuosa, & illa quæ necessaria sunt saluti. Ipsa enim animalia docent filios suos, vtilia eligere, noxia præcauere; sicut de vitulo marino legitur, quod catulos suos in terra genitos, tandem ad mare ducit, & eos natare docet, & instruit. De ceruis etiam legitur, quod filios suos solent ad præcipitia montis ducere, & ibi docent eos currere, & saltare. Aquila etiam desuper volando, & volitando, volare docet pullos, & eos exemplariter ad hoc instruit, & exercet: sic huiusmodi Sancti, & docti Doctores ad exemplum Christi, de quo Act. 1. dicitur: [Cœpit Iesus facere, & docere.] Exemplariter discipulos, subditos ac filios docent eligere bonum, & reprobare, malum. Hinc eorum doctrina laudatur
G in sacra pagina. De ea siquidem intelligitur illud Ecclesi. 30. [Qui docet filium, laudabitur in illo,] & mox [qui docet filium, in zelum mittit inimicum.] Hinc de Tobia in cap. 1. dicitur, quod filium suum à pueritia timere Deum docuit, & recedere ab omni peccato. Hùc planè tendit illud Ioan. 7. [Clamabat Iesus docens in templo: [Qui sitit veniat ad me, & bibat:] Et illud Matth. 22. [Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.] Causa autem, ob quam isti Sancti & iusti Doctores, Prædicatores, Prelati, ac Parentes, docent ad exemplum Christi veritatem, & viam Dei, est, quia ipsi antequam doceant, faciunt vt ipse Christus, qui primò cœpit facere, & deinde docere. Narratur Iud. 7. quod illi ad prælium fuerunt electi qui aquam manu lambendo biberunt, & aquam prius manu, quam lingua tetigerunt: sic illi ad prædicandum contra vitia sunt
H accepti, qui aquam scientiæ, & doctrinæ prius tangunt cum manu per operis executionem, quam cum lingua per doctrinæ eruditionem. Experientia enim ipsa docet, quod volucres, Psyttachus, & Pelicanus, ac alia animalia carniuora, pede vtuntur loco manus, quia quicquid ab ipsis in ore sumitur prius admodum hominis vngulis accipitur, & palpatur; sic planè boni Doctores, & Prædicatores, quicquid in os ponunt, vt doceant alios, decet, vt faciendo & implendo manibus primitus contingant. Tunc enim teste Diuo Gregorio, doctrina cum omni imperio docetur, cum prius agitur, quam dicatur, nam doctrinæ fiduciam subtrahit, cum linguæ conscentia contradicit. Quamobrem ille, qui vult alios docere, necesse est, vt primus doceatur. Vt enim dicit quidam sapiens: Non debet formam doctoris accipere, qui formam discipuli non assumpsit. Vnde experientia ipsa do-
I cet, quod animal quodcumque, vt communiter lac possit habere & fœtus lacte nutrire, necesse est quod prius impregnetur, & sic prægnitiea lactationem præcedit. Ad eumdem modum ad hoc, vt aliquis possit alijs lac doctrinæ distillare, necesse est, quod ipse prius scientia impregnetur, & bonis doctrinis, & vtilibus fœcundetur. Quamobrem, qui alios vult docere, debet primò, doctrina & sapientia prægnans esse, iuxta illud Dan. 11. [Docti in populo docebunt plurimos.] Ac si dicat: ad Doctores, & non ad alios pertinet alios docere. Causa igitur, ob quam Sancti Doctores, Prædicatores Prælati, & Parentes doctrinam sanam docent, est; quia primò incœperunt facere, quam docere. Secundò reperitur alia doctrina, quæ in se est bona & optima, cæterum docetur ab impio, & iniquo doctore. Sunt namq. pleriq. doctores, qui licet in seipsis, tam in vita, quam in moribus mali & impij sint, tamẽ
K sunt Doctores subtiles, & scientifici: qui etsi non verentur mala facere, student tamen vera prædicare, & vtilia dicere, & docere. Et horum doctrinam tenemur proculdubio recipere, iuxta illud Matth. 23. [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia quæcumq. dixerint vobis seruate, & facite.] Videmus quod homines in multis fuerunt edocti per bruta animantia, idque exemplificat Plinius de Hippopotamo, qui docuit phlebotomiam; de cane qui docuit vomitum

Bonitatis nomine quid importatur. — Animaliũ natura. — Doctores, & prædicatores debent facere & docere. — Comparatio. — Aues carniuoræ pede vtũtur loco manus. — D.Greg. in moral. — Comparatio. — Animalia bruta aliquando docuerunt homines.

Formicæ natura.

mitum; de ciconiâ quæ docuit pullorum nutritionem serpentibus; de ceruo, qui docuit virtutem dittami extrahendo de corpore ferrum; de mustela, quæ docuit vires rutæ, dum dimicauit contra basiliscum. Idipsum planè docuit etiam Salomon, dum Prou.6. ait:[Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius,& disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem,& præceptorem,nec principem, parat in æstate cibum sibi,& congregat in messe,quod comedat.] Quo loco formica docet pigrum sapientiam,diligentiam, ac prouidentiam. Hûc etiam fit allusio, dum Iob 35. dicitur:[Deus docet nos super iumenta terræ,& in auibus cæli docet nos.] & cap.12.[Interroga iumenta, & docebunt te.] Ad eumdem planè modum possunt homines in dies edoceri a peccatoribus, prædicatoribus, parentibus,& pastoribus,malis, impijs, & hypocritis, multa bona. Quapropter etsi ipsorũ opera imitari non debemus, tamen præcepto Christi mediante, eorum documenta,& doctrinam retinere debemus,& quæ dicunt facere;quæ autem faciunt nequaquam facere. Et tales Doctores,Prædicatores,parentes,& Prælati, videntur ab Apostolo redargui, dum ad Rom. 2. dicit: [Qui aliũm doces, teipsum nõ doces,qui dicis nõ mœchandum,mœcharis,&c.]Quò planè etiã tendunt verba Christi,Matth.5. [Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.] & illud etiam Psalmistæ [Peccatori autem dicit Deus:Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamẽtum meum per os tuũ?] Cæterum eorum doctrina est tenenda, & facienda, quia bona est. Tertio tandem, & postremo inuenitur alia doctrina,quæ in seipsa est mala, praua, & iniqua, & insuper docetur à prauo,malo,ac iniquo doctore; & hæc est prorsus abolenda,& fugienda à fidelibus. Sunt etenim ferè infiniti impij,ac praui Doctores;Prædicatores,parentes,ac Prælati,qui mali cum sint, mala vbique documenta suis elargiuntur,& prauam doctrinam docent. Et de ijs dicitur in textu: [Beati, qui non habent doctrinam hanc.] Reperiuntur siquidem hodie plerique,qui prius volunt edocere, quam addiscere; prius esse magistri,quam discipuli; prius esse doctores, quam auditores;& isti citò cadunt ex alto, virorem famæ,& gratiæ citò perdentes: & de istis loquitur D. Hieronymus,dum ad Demetriadem ait: [Multi iuxta vetus elogium,cum loqui nesciunt,tacere non possunt, docentq. scripturas,quas non intelligunt; & prius volunt esse imperitorum magistri, quam doctorum discipuli.] Ex quibus verbis colligitur, quod prudentes docere,& prædicare debent, & non imperiti. Reperiuntur porro alii parentes,latrones,fornicarij,homicidæ, blasphemi, qui filias, & filios suos latrones, fornicarios,homicidas,& blasphemos faciunt,ac reddunt. Et quod peius est,ita huiusmodi filii,& filiæ, suorum parentum prauæ doctrinæ adhærent, vt quamuis nocte, & die non cesses illis prædicare, semper, & oleum & operam (vt dicunt)perdes.Habent enim cor sicut vas corruptum. Quemadmodum enim vas corruptum,vinũ optimum ibi positum, citò & facilè corrumpit; sic cor eorum illis vitiis infectum, doctrinam sanam, & scientiam bonã,citò & facilè inficit,& peruertit,iuxta illud Apostoli 1.Cor.5. [Modicum fermentum totam massam corrumpit.]Beati igitur, qui non habent doctrinam hanc[Est prorsus aboléda,& fugienda hæc praua doctrina.Hinc Christus discipulis suis, Matth.10. dixit [Et quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros,exeuntes fóras de domo, vel ciuitate,excutite puluerem de pedibus vestris.] Et si quæras ad quid hæc pedum excutio? Caietanus respondit per hæc verba: [Ad duo. Primò ad testificandum illis signum excussionis, quod ex sua culpa relinquuntur à vobis: sic enim Paulus Act.18.fecit,excutiendo vestimenta in Iudæos apud Corinthum. Secundo ad testificandum tali signo, quod nihil relinquitur vobis commune cum eis, vt vel sic exterreantur audientes se exclusos à consortio regni cælorum.] ita Caietanus. Verumtamẽ ad obiurgandam prauam doctrinam impiorum doctorum, nota quod narrat Plinius, in qui-

Prædicatores impij redarguuntur à Deo.

Doctrina mala, & a malo prędicatore, & doctore prædicata, omnino detestanda.

Paluis pedũ excutiendus in contemptores Euangelii.

Plinius.

A buſdam partibus abundare herbas venenosas; ideoque apes illarum partium,& regionum, pro eo quod floribus illarum herbarum pascebantur mel conficere venenosum: quapropter populum illarum terrarum tributa reddisse Romanis de cera,& non de melle. Alias verò prouincias,quæ talibus non abundabant, semper mel, simul cum cera,in tributum portasse. Illud verò mel,quamuis esset dulce, non propter hoc erat bonũ, sed potius pestiferum,& nociuum, & à cunctis prudentibus præcauendum;& ob id minimè ferri in tributum Romanis.Haud secus planè sunt aliqui doctores,qui in bonis floribus,nimirum in bonis,& sanis libris pascũtur, & student, & ij bonum mel,& bonam doctrinam conficiunt,& componunt. At verò ex aduerso sunt aliqui alij iniqui,& praui doctores,qui in floribus venenosis, puta in scientijs perniciosis, & libris superstitiosis student,mel venenosum,videlicet,malam, & periculosam B doctrinam alijs propinant,& docent; quapropter Romani,idest,sapientes,& iusti,talia debent omnino abhorrere,& tamquam pessima refutare. Et de his corruptis, ac hæreticis doctoribus, potest expendi illud Deut. 20.[De his autem ciuitatibus nullum permittes viuere, ne fortè doceant te cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt.] Sic planè faciunt isti praui doctores,& hæretici,de quibus dicit Christus Matth. 15. [Sine causa colunt me,docentes doctrinas, & mandata hominum.] puta auaritiam,luxuriam, gulam, diuitias,quæ sunt hominum mandata,& doctrinæ.Sic insuper fecit Mahometus, qui docuit viuere voraciter, & carnaliter,& sic eius filii,& complices,hanc prauam eius sectantur quotidie doctrinam, eamque ardenter amant;quia gulam,& coitum commendat. Sic tandem hæc impia Iezabel gulam, & coitum filiis suis edocuit: sed quicumque (vt dicitur in textu) non ha- C bent doctrinam hanc, beati meritò nuncupari possunt.

Nota bene hist. Rom.

Mahometi pessimus stylus docendi.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Qui non cognouerunt (ait) altitudinem Satanæ. In Syriaco textu, ac etiam in exemplaribus Latinis manuscriptis,non legitur in singulari [altitudinem,]sed in plurali numero [altitudines,]& idipsum de Græco textu Regiorum Bibliorum ostenditur, vt in margine Bibliæ emendatæ annotatur per signa. Verumtamen nostra Vulgata editio habet [altitudinem,]in singulari numero, & ad eumdem modum legunt Primasius,Tyconius,D.Augustinus,D.Ambrosius, D D.Thomas,Lyranus,Auctor incognitus,Rupertus Abbas, D. Dionysius Carthusianus, & torrens exponentium.

Dilucidatio textus. §. 1.

Præmoneo tamen ad veram textus intelligentiam, quod cognoscere in sacra pagina multifariè accipitur. Primò quidem pro aduertere, iuxta illud Gen.3. [Cũ cognouissent se nudos esse.] Secundò pro audire, & sic accipitur illud 1.Reg. 4. [Cognouerunt quod Arca Domini venisset in castra.] Tertio,pro credere, secundum illud Exod. 18. [Nunc cognoui, quod magnus es Domine.] Quarto, pro habere certam euidentiam de re aliqua,& sic dicitur Psal. 103.[Sol (idest Christus) cognouit occasum suum.] (idest mortem suam.) & Gen.38. quod cognouit Iudas annulum suum, quem dederat Thamar in pignus seu pro arrhabone. & Luc. 24. quod cognouerunt discipuli Iesum in fractione pa- E nis. Quinto, & vltimo accipitur cognoscere pro approbare,& in hoc sensu exoluitur illud Ioan.10. [Non cognoscunt oues vocem alienorum.] hoc est (vt ait Cyrillus in Ioannem)non approbant fideles pestiferam hæreticorum,aut ambitiosorum vesaniam, quam diuulgant in suis sermonibus, neque libenter aures suas, eorum dictis accommodant. Et in hoc sensu dicimus Deum cognoscere per approbationem, iuxta illud Ps. 1. [Nouit Dominus viam iustorum.] & Ps.36. [Nouit Do-

§. 2. Cognoscere accipitur diuersimode in sacris litteris

Dominus dies immaculatorum,] cognoscere etiam ex nomine eos, qui ipsi peculiariter placent, vt liquet Exod. 33. cognoscere etiam eos, qui eius cognitione digni sunt, & sic cognouit Israel in deserto, & qui sunt sui, sciētia prædestinationis, vnde cognouit Ieremiam, (vt dicunt Origenes, & D. Ambrosius) antequam eum formaret, & Iacob antequam aliquid boni faceret: quæ quidem cognitio diuina, dicitur scientia prædestinationis, vel notitia quam habet Deus per approbationem. Hinc est illud Prou. 4 [Vias, quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ verò sunt quæ à sinistris.] Et Ioan. 10. [Oues vocat nominatim.] Quod planè illustratur figura illa Exod. 28 qua Dominus præcepit Moysi, in duodecim gemmis Prætiosissimis, quæ erant in rationali summi Sacerdotis Aaron, inscribi duodecim nomina filiorum Israel, dicens illi: [Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super vtrumq. humerum ob recordationem.] Vt inde clarè intelligerent omnes, Deum (cuius Pontifex ille maximus referebat imaginem) sanctos suos non solum in humeris per auxilium, sed etiam in pectore per amorem gestare eorumq. continuè recordari, quorum in pectore, atque adeò ante oculos nomina præferebat. Et vice versa, Deus dicitur non cognoscere, quando non approbat, quemadmodum & nos dicimus aliquid non cognoscere, dum illud nullatenus approbamus, & sic accipitur illud Ioan. 1. [Mundus eum non cognouit,] id est, non approbauit. In quo plane sensu dicimus, Deum non cognoscere malos, aut gentiles, seu infideles, quia non tales ipse fecit (vt dicunt D. Augustinus, & D. Gregorius) quales se ipsi peccando fecerunt: & quia non cognoscit ea, quæ non approbat, & in hoc sensu exoluitur illud Matth. 25. [Amen dico vobis, nescio vos.] Et 1. Cor. 14. [Qui ignorat, ignorabitur.] Quibus locis, hos nescire & ignorare dicitur Deus, scientia approbationis. Quinimmo vsque adeò Deus reprobos perhibetur ignorare, vt ne nominum quidem eorum memoriam habere dicatur, iuxta illud Psalmi 15. [Nec memor ero nominum eorum per labia mea] Et sic cum reprobat superbos, dicitur cognoscere alta à longe, vt est scriptum, Ps. 135. & cum reprobat opera diaboli, dicitur cognoscere introitum, & egressum regis Assyriorum, prout scriptum extat Isa. 37. Modo ad rem.

Origenes ho. 1. in Ieremiā D. Ambrosius Apolog. Dauid.

Deus in humeris, & in pectore portat sanctos suos.

Sanctorum suorū crebrò recordatur Deus.

D. Aug. Epist. 47. D. Greg. 8. lib. moral. 39.

Reprobationis duæ figuræ.

§. 3. Vera sententia proponitur.

Primasius itaque, Ioachimus, Ticonius, D. Augustinus D. Ambrosius, Beda, D. Tho. Laudunensis, Lyranus, Richardus de sancto Victore, Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, D. Dionysius Carthusianus, & Iacobus Suarez à sancta Maria, in hisce suis commentarijs per ly [non cognouerunt,] intelligunt, non approbare. Quamobrem per non cognoscere altitudinem Satanæ, exoluunt, non approbare altitudinem Satanæ. Accipiunt insuper per altitudinem Satanæ superbiam eius, qua olim contendit, Satanas similē esse Altissimo, iuxta illud Isa. 14. [Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui dicebas in corde tuo, in cęlum conscendam super astra cæli exaltabo soliū meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.] Et non solum hanc antiquam Satanæ superbiam intelligunt Doctores, per altitudinem Satanæ, verum etiam nouam superbiam, qua in dies ipse Satanas contendit similem esse altissimo, exigendo sibi honores & sacrificia in idolis, vt quotidie contendit, appetit, & procurat apud gentiles & infideles, idola colentes. Hinc Rupertus Abbas in hunc locum, sic scribit: [Altitudo Satanæ, quam nunc percutit, illa est superbia eius, qua similis esse altissimo contendit exigendo sibi in idolis sacrificari, cum soli altissimo debeatur, vt sacrificetur illi.] Hæc ille. Non cognoscere igitur altitudinem Satanæ, nihil aliud est, quam diaboli superbiam non approbare. Vnde Primasius, vbi noster vulgatus habet [non cognouerunt,] ipse legit, [non sciuerunt,] & mox ita acutè superscribit: [Non cognouistis pro eo ponitur, ac si diceret. Nullo consensu probastis. Nam & Dominus, illos se nescire forte testatur, quos in suam non recipit

Altitudo Satanæ est superbia.

Demon omni conatu, & nixu, similē vo luit esse Deo

Superbia noua pullulat quotidie in corde Satanę

Primasius in comment.

Altitudo Satanæ est superbia eius.

F disciplinam.] Superbia itaque diaboli, qui sicut fulgur cecidit de cælo, altitudo Satanæ hic appellatur. Quamquidem superbiam, quidam cognouerunt, id est, approbauerunt, nimirum, Thyatirenses illi, qui coitui vago inseruiebant, & idolothyta manducabant, quidam vero nullatenus cognouerunt, hoc est, minimè approbarūt, puta Thyatirēses illi, qui nec cōcubitui im mundo operam nauarunt, nec minus idolothyta comederunt. Et meritò planè ij Thyatirenses, Satanæ superbiam minime approbarunt, quandoquidem superbia semper damnata extitit. Superbia namque contendentium turrim Babel ædificare, & eamdem vsque ad calū portendere Gen. 11. damnata sfuit per confusionē linguarum. Superbia vero Pharaonis dicentis Exod. 5. [Nescio Dominum, & Israel non dimittam,] damnata fuit per submersionem eius in mari rubro: Et tandem superbia filiarum Sion, quæ collo extenso, vt

G dicitur Isa. 3. ambulabant, damnata vtique est per decaluicationem verticum à Domino ipso factā. Et communiter omnis superbia damnata semper fuit in sacris litteris, eo quod, vt ait Isidorus lib. 2. de summo bono. Sicuti superbia origo est omnium criminum, ita ruina est cunctarum virtutum, ideo omnis peccans est superbus, quoniam faciendo vitia, contemptui habet diuina præcepta, vt ait ipsemet Isidorus.

Omnis peccans est superbus.

Ex hoc loco colligunt plerique, primum Angelorum peccatum fuisse superbiam, inter quos est Iacobus Suarez à sancta Maria, quorum verba, ex eo quod sint in defensionem sui Scoti, hìc appono, suntque tenoris sequentis: [Altitudinem autem suam dicunt esse, illam cum Deo æqualitatem, quam sibi vsurpare voluit. Super cælum, inquit, conscendam, & super astra Dei exaltabo solium meum. Vnde colligunt aliqui,

H primum Angelorum peccatum fuisse superbiam. Sicut Scriptura dicit: Initium omnis peccati superbia. Et paulo post. Hoc autem quod Satanæ tribuitur, de omnibus Angelis malis intelligendum est. Siquidem omnes vno peccati genere peccarunt. Sed ideo eius præcipuè mentio fit, quia caput est omnium superborum, sicut apud Iob dicitur: Ipse est Rex super omnes filios superbiæ: Et sæpius scriptura sacra, sub nomine capitis, membra intelligit, vt colligit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 37. Superbia ergo eius peccatum fuisse hic astruitur, vnde Chrysostomus hom. 3. de verbis Isa. cap. 6. per superbiam, inquit, factus est diabolus, qui antea diabolus non erat. Sed inde melius certè infertur, quod consummatum est peccatum diaboli in ipsa altitudinis appetitione. Si quidem, vt ait Iacobus Apostolus: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Dein-

I de concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, Vt inde colligamus, quam ineptè reprehendatur Scotus, Doctor subtilis in 2. dist. 6. quæst. 2. art. 2. asserens primum Angeli peccatum, reducēdum esse ad speciem luxuriæ.] Et explicans Suarez, qua ratione ipse suum subtilem intelligat, in hac parte, Scotum, mox subiungit: [Sciendum est, Doctorem nostrum dixisse, primum Angelorum peccatum ad luxuriam referri posse, non propriè, sed metaphoricè sumptum, prout scilicet significat amorem proprium, quo Angeli in sua pulchritudine delectati appetierunt singularitatem quandam, & excellentiam, vt nemini subditi essent.] Sic ille in defensionem sui Scoti.

§. 4. Iacobus Suarez, sermone 18. in Apoc.

Isa. 14.

Eccl. 10.

Iob. 41.

Iacob. 1.

Verumenimuero per ly [altitudinem,] non vera

K altitudo intelligenda venit, quæ dicitur profunditas, siue sublimitas. Nam super illud, Rom. 11. [O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei,] dicunt Laudunensis, Lyranus: Primasius, Franciscus Titelmanus, & Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus, quòd ibi per altitudinem, sublimitatem, ac profunditatem in exhaustam intelligere debemus: ex quorum enodatione ego colligo, hic per altidudinem Satanæ, nullatenus intelligendam esse veram altitudinem, quæ est profunditas in exhausta, eo quòd superbia diaboli nequit esse profunda, quum profundum, & humile ęquiualeant inter sese,

§. 5. Altitudo vera est profunditas in exhausta.

Altitudinis bina acceptio. Altitudo Satanæ est calliditas ficta.

ter sese; & Satanas omnino abhorreat humilitatem. A Quare eius altitudo non erit vera, sed quatenus altitudo etiam significat subtilitatem: qua ratione potest in malam partem sumi (vt plane hic) putà pro calliditate ficta. Hinc Rupertus in hunc locum sic scribit: [Non vera est altitudo illa, sed esse eis videtur, qui amant, & mirantur aurum, & argentum in simulachris gentium &c.] Quamobrem ex littera, datur clarè intelligi, quod in diœcesi Thyatirensi erant quidam hæretici, & quidam valde superbi, qui alta quærebant sicut Satanas. Hinc non mihi displicet Lyrani opinio, qui interpretans hæc verba, [qui non cognouerunt altitudinem Satanæ.] sic scribit: [Id est, non approbauerunt superbias Ebionis, & Cherinti, qui superbia elati dixerunt contra reuerentiam personæ Christi, eius diuinitatem negantes, propter quod Beatus Ioannes in principio Euangelij sui, eius diuinitatem declarauit, secundum quod dicitur in libro illustrium virorum.] Ita Liranus. (Dixi) non mihi displicere, eò quòd exponendo superbias, quadrat cum textu Syriaco, & Græco qui legunt, altitudines. Colligitur ergo clarè ex ipso tenore textus, fuisse in Thyatirensi diœcesi plerosque hæreticos (siue illi Cherintus, & Ebion, siue aliqui alij fuerint) quorum superbiæ, altitudines Satanæ appellari queunt. Verumtamen cum motus membrorum, originem à capite trahant, & Satanas hæreticorum, aliorumque malorum caput sit, (vt dispungunt Theologi cum Magistro, in 3. sent. dist. 13. & cum S. Th. 3. q. 8. art. 7.) meritò noster vates, ad eum qui influxit in membra dumtaxat, se conuertit, dum ait: [altitudinem Satanæ] puta, superbiam diaboli, eo quòd ipse (vt dicitur Ioan. 41.) est rex super omnes filios superbiæ. Iccirco dimissis multis riuulis, ad fontem, & C originem vnam (nimirum, ad vnum Satan, malorum omnium caput, fontem, & perennem origenem, qui sua elatione, ac superbia inueterata dierum malorum, omnes alias nouas in dies causat elationes, & superbias in sua mala influens membra) currere oportebat. D. autem Augustinus de altitudinibus Satanæ ita in Sililoquijs c. 16. ait: [Tentator defuit, & vt deesset, tu fecisti, locus tempus defuit, & vt hæc de essent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus. Sed vt non consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus vt est; & vt eum deciperem, tu me confortasti. Venit tentator armatus & fortis, & vt me non vinceret, tu eum refrenasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in Angelum lucis, & vt me non deciperet, tu eum increpasti; & vt eum cognoscerem, tu me illuminasti. Ipse enim est draco ille magnus, & rufus serpens antiquus, vocatus diabolus, & Satanas, habēs capita septem, & cornua decem, quem creasti ad illudendum huic mari magno, & spatioso, in quo reptant animalia quorum non est numerus] & paulo post. [Ecce tetendit ante pedes nostros laqueos infinitos, & omnes vias nostras varijs repleuit decipulis ad capiendas animas nostras, Et quis effugiet? laqueos posuit in diuitijs, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno & vigilia; laqueos posuit in verbo & in opere, & in omni via nostra, sed tu Domine libera nos de laqueo venantium, a verbo aspero, vt confiteamur tibi dicentes: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.] Hæc D. Aug.

Altitudo Satanæ non vera in simulachris gentiū.

Lyranus in comment.

§. 6. Altitudo vere, & propriè quæ dicatur.

Addo hucusq. dictis, quod altitudo, verè, & propriè, E dimensionem illam dicit, qua res versus cælum erigitur. Quamoorem in illa verba Apostoli ad Eph. 3. [Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum.] D. Hieronymus, Philosophorum, & Astrologorum consuetudinem, ac stylum sequutus, qui latitudinem ab Oriente ad Occidentem, longitudinem vero per distātiam ab Æquatore versus polos communiter sumunt, ita scribit: [Latitudo mundi est ab Oriente ad Occidentem; longitudo a meridie ad Septentrionem; profundum in abyssis, & in inferno, altitudoque super cælestia erigitur. Quæ omnia in cruce Domini nostri intelligi possunt. Ascendens quippe in altum captiuam duxit captiuitatem, & descendit ad inferiora terræ, & post altitudinem & profundum, in omnem terram exiuit prædicatio crucis, atque in altitudinem, & profundum, longitudinem, & latitudinem tenet.] Vbi S. Doctor, per illud: [Altitudoque super cælestia erigitur.] clarè demonstrat, quod nos asserimus, videlicet, altitudinem, verè, & propriè, dimensionem illam dici, qua res versus cælum erigitur ab inferioribus discendens. Et quantò altior habetur, tantò magis a centro mundi recedit, & ad eius extremam superficiem accedit. Et sic altitudo propriè non conuenit Deo, nec minus Satanæ, cum Deus, ac etiam Satanas dimensiones corporeas nullatenus obtineant, quoniam vterque B est spiritus. Nihilominus tamen per translationem, altitudo Dei dicitur perfectionis, eius sublimitas. Et dicitur altissimus, quia perfectissimus, & quia in omnibus, & per omnia est. Quamobrem de eius altitudine passim scribitur Gen. 24 Num. 24. Iob. 22. Deut. 32. Esther. 16. 2. Reg. 22. Ps. 144. Sap. 6. & Act. 7. Eccles. 4. Isa. 2. Thr. 3, Baruch. 4. Dan. 4. Lucæ 5. Rom. 11. ad Eph. 3. Quibus in locis per altitudinem Dei, eius perfectionis sublimitatem, vt dictum est, intelligimus. Cæterum sic per translationem nequimus dicere altitudinem Satanæ, sed quatenus altitudo sumitur pro profunditate, iuxta illud Eccles. 51. [De altitudine ventris inferi.] & Mar. 4. [(Semen aruit) quia non habeat altitudinem terræ,] putà, profunditatem. Et clarius deducitur ex illo Sap. 10. [Ab altitudine inferorum deduxit illos.] Et alibi [Spuria vitulamina non dabunt radices altas]. Et etiam ex illo Psalmistæ: [Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me:] Et iterum: [Ab altitudine diei timebo:] Et ex illo etiam Eccl. 1. [Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, quis dimensus est.] In quibus omnibus locis sumitur altitudo pro profunditate, eo sensu, quo dicimus puteum altum, iuxta illud Ioan. 16. [Puteus altus est, neque in quo haurias aquā habes.] Vel mentem altam, iuxta illud Virgilij: [Manet alta mente repostum iudicium Paridis.] Vel tandem mare altum nuncupamus, iuxta illud Lucę. 5. [Duc in altum, & laxate retia in capturam.] Hoc igitur sensu translatiuè pro profunditate, dicimus altitudinem Satanæ, puta insidias, astutias, fraudes, stratagemmata, nequitias, malitias, versutias, adinuentiones, machinationesque Satanæ: quæ planè tot sunt, quot sunt demonum genera. Quæ plane diuersa, & varia sunt, & per D consequēs diuersæ, & variæ sunt dæmonis altitudines, videlicet, machinationes, fraudes, insidiæ, astutiæ, & reliqua dæmonis in tentando, opprimendo, & nocendo hominibus stratagemmata, ac incitamenta. Verum quippe est, iuxta doctrinam Theologorum cum Magistro in 2. Sent. dist. 7. & secundum D. Chrysostomum super Math. ac Cassianum lib. Collationum, quod vnicuique vitio, particulares spiritus maligni incumbunt, & dum tentant homines non cuncti pariter, vel simul omnes suas prauitates ingerunt vicissim, sed prout temporis, vel loci, vel ipsius suscipientis prouocauerit opportunitas. Ceterum vnusquisque spiritus sigillatim impugnationem mentis ab alio accipit, vt fit in ludo pilæ, vt cum ipse spiritus tentator victus abscesserit, alteri nihilominus similiter ad illudendum tradat, tentando, puta de consimili peccato, & vincendo, vt pluries tentatus peccet. Quamobrem, quamuis nō omnes dæmones sint eiusdem ferocitatis, desiderij, nequitiæ, neque vnius fortitudinis in nocendo hominibus, eosdemque decipiendo: tamen eorum ordo in pugnando cum hominibus (vt prodit Cassianus in lib. collationum) is vtrique est, vt hominibus incipientibus, & infirmis, non nisi inferiores spiritus in certamine proponantur, quibus superatis, gradatim semper aduersus Christi Athletas robustiori pugna fortior dæmon succedit, nam per comparationem virium, atque profectus humani etiam difficultas collustationis augetur; vnde maiores, & astutiores dæmones, perfectiores homines tentant. Iccirco Satanas fuit

Stylus Astrologorum.

Altitudo super est versus cælum.

Altitudo Dei crebrò recitata in sacris litteris.

Altitudo Satanæ est metaphorica, & translatiua.

Comparationes.

Virgil. in Aeneid.

Altitudines Satanæ diuersæ.

Demones omnes prauitates suas non æqualiter ingerunt.

Comparatio.

Dæmones tentatores sibi inuicem succedunt.

fuit, qui Christum in deserto tentauit, vt indicant illa verba Matth. 6. [vade retro Sathana.] Sed dominus Iesus Christus eorum immoderatos incursus refrænar, vel repellit, et vires colluctantium exæquer, vt lædere nequeat, nisi sibi consentientes.

Christus immoderatos demonum incursus refrænat.

§. 7. Vis tu modo intueri varias altitudines satanæ & multiplices dolos, ac subtiles astutias diaboli, circa tentandos homines? Audias quæso eorum diuersa genera, vt communius Christi Athletas durius vexent.

Demoniorum diuersa genera.

Primò siquidem sunt quidam dæmones, qui certa loca obsident, vt prætereuntes fatigent, & irrideant, sine tamen tormento corporis, quos vulgus incubos, vel faunos appellat, & ij sunt ioculatores & seductores, & alij qui eorum incubationibus hominum noctu pernoctant. Secundo, alij sunt dæmones ita truculenti, & furibundi, vt non solum corpora obsessorum vexent, & dilacerent, sed etiam in alios irruant transeuntes cædendo, vt etiam legitur in Euangelio Matth. 8. de illis dæmoniacis, ob quorum metum, per viam iuxta illos nullus transire audebat. Tertio, alij (inquit Cassianus) sunt dæmones, qui eos, quos cœperint manu, quodam tumore inficiunt. Quartò, sunt alij dæmones, qui insidias & blasphemias hominibus inspirant, qualis fuit ille qui 3. Reg. 22. dixit: [egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum.] Quintò, alij dæmones inueniuntur, muti, surdi, & cæci, de quibus Lucæ. 11. dicitur. [erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.] Qui secundum Alexandrum de Ales sic dicuntur ab effectu in obsessis, quia eos quos obsident, mutos, surdos, & cæcos, spiritualiter in animam faciunt. Sextò, alij sunt incentores libidinis, vt Asmodeus de quo Tobiæ. 3. tractatur. Alij auaritiæ vt Mammona, de quo est sermo Matth. 6. similiter de alijs vitijs est dicendum sicut dæmon superbiæ Lucifer nominatur, inuidiæ vero Leuiathan, & iræ Satan, gulæ, autem Beelzebub, id est deus muscarum, accidiæ autem Beelphegor, id est, deus vetustatis. Septimo alij dæmones dicuntur meridiani, alij vero nocturni, & alij diurni, iuxta illud Psal. 90. [non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, & ab incursu, atq; dæmonio meridiano] vbi dicit Lyranus quod ista sunt nomina dæmonum, quibus concessa est primo potestas nocendi in tenebris, & alijs in meridie, magisquam in alio tempore. Quoniam sicut Angeli Sancti sunt deputati ad protectionem fidelium pro varietate tentationum, quas diuersis temporibus patiuntur; sic per oppositum maligni spiritus multipliciter tentant. Vnde & glossa, super prædictum Psalmum quattuor genera tentationum distinguit, nimirum, leuis, & occulta, quæ per timorem nocturnum significatur: Leuis & manifesta, quæ per sagittam volantem in die designatur: Grauis, & occulta, quæ per negotium perambulans in tenebris denotatur; Grauis & aperta, quæ per dæmonium meridianum notatur. Octauo, sunt alij dæmones (vt dicit Augustinus de diuinatione dæmonum) qui corpora humana penetrant, & se cogitationibus hominum, qui terrena amant, per quædam imaginaria, visa miscent siue vigilantium, siue dormientium; quia inserunt se in sanguinibus, id est, humoribus, & ita in virtute imaginatiua, imagines concupiscibilium imprimunt, vt anima exagitetur in concupiscentia carnalium; ita tamen, quod ex huiusmodi ingressu homo non est dæmoniacus. Nono, alij sunt dæmones, qui aliquando energumenos vexant, adeo, vt ea quæ gerant, vel loquantur nequaquam intelligant, nec postea recordentur. Et dicuntur energumeni propriè, quos dæmones interius ita vexant, vt nõ possint naturales operationes exercere, pro ratione liberi arbitrij; legite de hac re Magistrum in 4. Sent. dist. 7. D. Chrysostomum super Matth. lib. 1. Cassianum lib. Collationum, Hieronymum Mengo in suo compendio lib. 1. cap. 15. & libro nuncupato Fuga dæmonum p. p. de Doctrina Pulcherrima contra malignos spiritus cap. 6.

Demones obsident quedã loca transeuntium.

Demones quidam sunt furibundi & truculenti.

Demones quidam in transeuntes irruunt.

Inuidias & blasphemias quidam demones spirant.

Muti, surdi, & cæci se fingũt demones.

Libidinum & vitiorum incentores sunt quidam demones.

Nocturni demones diurni & meridiani cur dicantur.

Tentationum genera sunt quattuor & quæ sit vnaquæque illarum.

Demones quidam corpora humana penetrant.

Energumeni non intelligũt quid faciunt.

Magist. Sent. D. Chrysost. Cassianus. Hieronymus Mengo.

§. 8. Ex his ergo varijs & diuersis dæmonum generibus nonnè clare apparent quot, & quantæ sint Satanæ altitudines? quot insidiæ? quot astutiæ? quot fraudes? quot stratagemmata? quot nequitiæ? quot malitiæ? quot versutiæ? quot adinuentiones? quot machinationes? quot subtiles doli? quot denique tentamentorum eius genera erga Athletas Christi tentandos, & opprimendos? Merito plane nos præmonet Apostolus, dicens ad Eph. 6. [Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli:] quo loco Apostolus, illud quod noster Archipropheta nuncupat [Altitudines Satanæ] ipse appellat [Insidias diaboli,] seu stratagemmata (vt ait Tertullianus in Apologia, & lib. 5. adu. Mar.) vel machinationes diaboli: Vnde Diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis super illa verba Gen. 3. [super pectus tuum gradieris,] ita eleganter contra Satanam scribit: [Vt calliditatem, & versutias cogitationum eius aperiret, quod omnes gressus eius nequitiæ essent, ac fraudes.] Graditur igitur dæmon, puta, serpens ille antiquus, super pectus suum, ex sententia D. Hieronymi, quoniam omnes viæ & gressus eius nequitia, fraudes, machinationes, & stratagemmata planè sunt. Satanas enim omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi quærit causas nocendi, vbi quandoq; viderit studiosius occupari, vt ait D. Leo Papa, & quod peius est non persuadet manifesta peccata, nec proponit claré idololatriam, blasphemiam, luxuriam, negationem Dei, hæreses, & reliquas culpas manifestas, vt dicit Theophilactus; sed semper proponit culpas absconditas, & coopertas cum aliqua bonitatis superficie, vt ex occulta moliatur mala, vt ait Laudunensis. Cooperit igitur vitia, alienius bonitatis pallio, vti sophisticus; quamobrem meritò de illo dici potest illud Nazianzeni elogium: [Quo non pertingit Leonina pellis, assuenda est vulpina.] Satanas etenim vtraque callide vtitur pelle, videlicet vulpina, & leonina: & quod ipse præstare nequit mediãte leonina pelle, præstare citò curat pelle interueniente vulpina. Quando siquidem Satanas crudelitatem leonis in seruos Christi ostendere non potest, eoquod serui Christi ei fide, & gratia diuina iuxta doctrinam D. Petri resistunt; tunc dissimulat se vulpem, & sub specie boni, fictè, & callidè vt vulpes eosdem seruos Christi decipere statim procurat, vti sophista, vel eos laudando, vel de eisdem se dolendo, vel eorum aures pruriendo. Quemadmodum fecit cum Eua, dum illi dixit callidè, & asturè. Gen. 3. [Cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno Paradisi?] & iterum: [nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod in quocumq; die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.] Et idipsum præstare intendebat, cum dixit Christo ieiunanti in deserto: [Dic vt lapides isti panes fiant:] Perinde ac diceret: Nonne vides te citò moriturum fame? fac igitur lapides istos panes, & poteris ex eis comedere, & sic poteris te à periculo mortis superstitem, ac liberum reddere, alioquin morieris reuera, & crede mihi; quia video te fame cito periturum; Vides igitur vulpinam pellem Satanæ? Sane, vbi ipse non potest clare deuorare crudeliter vt leo, vt vulpes decipere studet. Hæ sunt igitur altitudines Satanæ, nimirum, fraudes, astutiæ, inuentiones, & machinationes diaboli: Beati ergo appellantur, qui eius laqueos confringũt, dicentes cum Psalmista: [laqueus (diaboli) contritus est & nos liberati sumus] Altitudines deniq; Satanæ sunt proculdubio pelles illæ terræ Madian, de quibus dicitur Abacuc. 3. [Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.] Quando enim Deus sua gratia munit Christi Athletas contra stratagemmata, inuentiones, & machinationes Satanæ, tunc ipse Deus pro iniquitate, quam ipse Satanas operare intendebat contra seruos suos, vidit tentoria, puta tabernacula Æthiopiæ, hoc est, dæmonum, qui Æthiopes, & nigri meritò appellantur. Et tunc, pelles terre Madian, id est, inuentiones, machinationes, ac insidiæ terræ ipsius dæmonis, nimirum inferni, omnino turbantur, ac prorsus dissipantur, desolantur, & dissoluuntur.

Monitio apostolica.

Tertullianus in Apolog. & lib. 5 adu. Mar.

D. Hier. in q. Heb.

Demon quare graditur super pectus suum a principio mundi vsq; ad hæc nostra tempora.

Diabolus omni conatu & nixu, puta, iam in luce, iam in tenebris, iam clare, iam occulte conatur tẽtare homines.

Greg. Naz. Diaboli bipartita pellis.

Comparatio quod diabolus sit veluti sophista.

Pelles terræ Madian sunt astutiæ Diaboli.

Pelles, idest, tentationes & inuentiones diaboli. Deus aliquãdo turbat

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 4.

Enodatio textus.

§. 1. Quatuor opiniones Doctorum.

1. Opinio.

Quemadmodum (ait) dicunt. Circa præfactam textus particulam apud explanatores, opiniones sunt quattuor, prima namq; existimat hæc verba cum superioribus coniungenda esse, ita vt legamus: [Quicumq; non habent doctrinam hanc, qui non cognouerũt altitudinem Satanæ quemadmodum dicunt.] Sic legit nostra vulgata, quam sequuntur plerique expositores, inter quos est Primasius, Rupertus Abbas, Lyranus, Franciscus Ribera, & alij. Et planè merito eo quòd talis lectio in codicibus Græcis emendatioribus, in vtraq; Biblia Regia, Latina, nimirum, & Græca, ac etiam in Syriaco textu fundatur. Et sic potest reddere sensum, quem supra nos in explicatione textus astruimus, scilicet, quemadmodum de subtilitate, & calliditate Satanæ dicunt Prophetæ, & Doctores, vel de Pseudis Apostolorum (vt annotant Glossa ordinaria, Lyranus, & pleriq; alij) vel tandem de admiratoribus, vt vult Rupertus Abbas, dum sic scribit [altitudinem Satanæ, rectè addidit, quemadmodum dicunt, ac si diceret. Non dico altitudinem Satanæ quemadmodum est, sed quemadmodum stulti admiratores dicunt.] Secunda opinio est Anselmi Laudunensis, in sua Glossa interlineari, qui ad hæc verba, [quemadmodum dicunt] super scripsit: [quidam egressi de Iudæa, me missurum.] Et legendo sic apparet, quod hæc verba [quemadmodum dicunt,] non veniunt coniungenda cum superioribus, (vt est dictum) sed cum sequentibus, ita vt legamus [quemadmodum dicunt quidam egressi de Iudæa me missurum, non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete donec veniam.] Hinc origenem (vt ego existimo) duxit tertia opinio quæ est D. Thomę, qui in hisce commentarijs, hæc verba: [quemadmodum dicunt] sic componit: [Non mittam super vos aliud pondus (scilicet legis veteris) quemadmodum dicunt quidam me missurum.] Ac etiam quarta opinio quæ est Auctoris incogniti, qui in suis commentarijs sic legit. [Non mittam super vos aliud pondus, scilicet tribulationum legalium, quemadmodum dicunt, scilicet, quidam peruersi egressi de Iudæa.] Iuxta quas tres vltimas opiniones hæc verba: [quemadmodum dicunt.] coniungenda dumtaxat veniunt cum sequentibus, & nullatenus cum antecedentibus verbis. Et quamuis diuersimodè cum sequenti sententia copulentur, (vt dictum est) tamen eumdem reddunt sensum.

Rupert. Abb. in comment.

2. Opinio. Laudunensis.

3. Opinio. S. Thom. in Comment.

4. Opinio. Doct. incognit. in Commen.

§. 2. Quidã egressi de Iudæa fuerunt in Thyatirensi Ecclesia.

Ad quæ claræ intelligenda animaduertas oportet, fuisse in Ecclesia, Diœcesiuè Thyatirensi quosdam Iudæos, qui ex Iudaismo ad Baptismum peruenerunt, cæterum, quia malo animo adhuc effecti erant, & fortasse fictè ad baptismum accesserant; gẽtilibus etiam conuersis, & alijs, qui Deo rectè seruiebant, prædicabant, vel falsa Iezabelitarum edendi, & fornicandi dogmata, vel obseruantias legales esse seruandas, simul, & circumcisionem, vel quod ad huc Deus, missurus esset maiores tribulationes, quam passi essent; vel tandem aliquid aliud, quod esset molestum fidelibus, & præcipuè gentilibus conuersis. Quod autem ij egressi de Iudæa essent in Thyatirensi diœcesi, potest corroborari ex illo Act. 15. [& quidam descendentes de Iudæa docebãt fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari, &c.] Hos igitur Iudæos conuersos, qui talia prædicabant fidelibus, pleriq; vocant pseudos Apostolorum, nonnulli vero hæreticos, alij peruersos: Ego vero adulatores, & hypocritas etiam meritò vocari illos audeo, eo quòd blanditijs, & sub ouina pelle fideles decipere, & à sincera fide dimouere curabant. Cum autem ij adulatores essent in Ecclesia, quę erat Thyatiræ, non implicat, aut repugnat prælibata verba, cum sequenti sententia etiam coniungi posse, vt citatis Doctoribus placet. Eorum tamen hæ-

A reticorum nomina hic non exprimuntur, quoniam impij in Euangelio carent proprio nomine.

Qui autem essent isti descendentes de Iudæa (contra quos Paulus & Barnabas ascenderunt ad Apostolos, & Presbyteros, qui erant in Ierusalem, vt eorum quæstionem explanarent, vt dicitur Act. 15.) non satis planum haberemus, nisi Epiphanius hæresi 28. Cherintum hæresiarcham cum suis sequacibus fuisse per hæc verba affirmaret: [Verum hæc tunc tractata sunt, ac commota à prædicto Pseudo Apostolo Cherinto. Quemadmodum etiam alias seditiones tum ipse cum socijs eius excitarunt Ierosolymis. Et hic dicitur quod viros præputiatos secum adduxisset, & de hoc facto protulit & inquietauit locum Sanctum.] Ita Epiphanius. Et Paulo inferius ostendit eumdem errorem, ab eisdem seminatum fuisse Antiochiæ, & alijs plerisq; in locis. Et hoc B ipsum confirmat Pilastrius de hæresibus cap. 87.

§. 3. Nota bene.

PARAPHRASIS

Quinta.

Par. 5.

Eliminatio Textus.

Non mittam (ait) super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete donec veniam. Quid hìc per ly [pondus,] intelligatur, non satis liquet apud expositores. Quidam namq; eorum per pondus, legem veterem interpretantur. Sic Laudunensis, Pannonius, Ansbertus, Richardus, Primasius, C Lyranus, S. Thom. Iacobus Suarez a sancta Maria, & pleriq; alij, qui omnes dicunt, quòd, quia lex vetus ita cessat, quod seruari debeat noua; ideo primo ponit promissionem de lege veteri non inducenda, dum ait: [non mittam super vos aliud pondus] post modum vero subdit iussionem de lege noua seruanda dum ait, [tamen id quod habetis tenete donec veniam.] Sic S. Thom. Quinimmo & Primasius, B. Augustini discipulus interpretans ly [pondus,] ait: [hoc est, legis pondera vobis non ponam de quibus Apostolus dicit; state, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ideo tenete leuem sarcinam, vel leue iugum Christi, quod per Spiritum adoptionis efficitur leue, sub quo nos perseuerare volens dicit, sed quod habetis tenete, vsq; dum veniam] Sic ille. Intelligunt plane isti doctores per ly [pondus] totam substantiam legis Mosaicæ, vel ipsam legem Mosaicam secundum totalem suam integritatem, prout data fuit Moysi. Nam prout sic nullatenus est in Eccle- D sia, nec minus debet obseruari.

Laudunensis. Pannonius. Ansbertus. Richardus de S. Vict. Primasius. Lyranus. S. Tho. Iacobus Suarez a S. Maria. Hugo Cardinalis. Primasius in Comment.

Alij vero pero ly [pondus,] intelligunt legales obseruantias, hoc est, ceremonias legis, & præcipuè circumcisionem. Hanc sententiam profitentur (inter alios) Strabus in sua Gloss. ord. D. Dionysius Carthusianus, & Auctor incognitus. Differunt autem hæ duæ opiniones in hoc, nimirum, quia prior per pondus intelligit totius legis obseruationem, tam quo ad ipsum decalogum, quam quoad ceremonias. Posterior vero non est de tota lege, sed tantum de ceremonijs, & præcipuè de circumcisione.

§. 2. Secunda Sententia. Strabus. D. Dionysio Carthus. Auctor Incognit.

Tertia sententia est D. Augustini, seu Tieonij. Strabi, in sua Glossa ordinaria, Auctoris Incogniti, Blasij Viegas, & aliorum in hisce suis commentarijs, qui per [pon- E dus] intelligunt tribulationem in genere. Quod autem pondus, seu onus significet in Sacra pagina tribulationem liquet ex illo, Nahum. 1. [Onus Niniue] & Abacuch. 1. [Onus quod vidit Abacuch Propheta] & Malachiæ. 1. [Onus verbi Domini ad Israel.] Quibus locis, onus accipitur pro tribulatione, infirmitate, molestia, vel aduersitate alicuius prouinciæ, vt clarius liquet ex illo Ps. 17. [Onus Damasci, Ecce Damascus definet esse Ciuitas, & erit sicut aceruus lapidum in ruina] Cuius planè appellationis causam reddere possumus cum D. Hieronymo, nimirum, quia tribulatio, instar oneris,

§. 3. Tertia Sent.

Septuaginta. Symmachus.

neris,& ponderis præmit eos, quibus immittitur: qua propter rectè onus, seu pondus, pro tribulationum sarcina expendi poterit. Septuaginta autem, Theodotion, & Symmachus, pro onere, Assumptionem, transtulerunt; ponentes assumptionem pro re assumpta; id est pro onere quod assumitur, vt humeris, & ceruicibus imponatur, iuxta illud Psalmistæ: [sicut onus graue grauatæ sunt super me.] & iuxta hanc appellationem (qua onus appellatur assumptio) affirmare possumus, homines ex laboribus & afflictionibus, plerumq; proficere solere: vt ad gloriam assumantur. Ita vt ipsa laborum immissio, sit veluti oneratio ac depressio, quasi assumptio quædam, & eleuatio ad gloriam. Quam ob causam asserere possumus Crucis Christi brachia, quibus Christus affixus fuit, alas seu pennas nuncupari, quibus ipse ad gloriam sui corporis, & nominis celebritatem euolauit, iuxta illud Psalm. 90. [Scapulis suis obumbrauit tibi, & sub pennis eius sperabis.] Quem locum de Christo in Cruce expendunt D. Hieronymus, & Hugo Cardinalis. Quò etiam tendit illud Malachiæ 4. [Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.] Quo loco radij Solis per metaphoram pennæ nuncupantur; Tum quod solem, pennarum instar, circundant: tum quod illis quasi pennis, vniuersam terram obeat, & ad crucis cornua referendum est, iuxta præfatam D. Hieronymi, & Hugonis Cardinalis enodationem. Accedit quia Christus crucis brachijs, quasi radijs, sol fulgentissimus enituit. Et etiam quia illis tamquam alis se ad gloriam sui corporis euexit. Quo planè loco animaduertere fas quidem est, quod quemadmodum onus eleuatur à terra, & ponitur in dorso, sic Deus, Martyres, & alios sanctos suos, medijs tribulationibus eleuat a terra, & eos in dorso suo ponit, iuxta illud Psalmistæ: [de stercore erigens pauperem.] Et si naturam ponderis examinauerimus, id melius colligetur; quoniam pondus, id quod graue est vel ipsa grauitas, aut illud, quod librando ad stateram ponderatur, significat, & sic ponderare, vere, & proprie nihil aliud est, quam grauitatem rei examinare, per quod clarius habetur intentum. Quoniam Deus, Sanctos ac Martyres suos, medijs tribulationibus examinat quanti ponderis, & valoris apud se sint. Id ipsum planè significare voluerunt illi qui Matth. 20. dixerunt: [& nobis pares illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.] hoc est, tribulationes, & tentationes, huius vitæ, vt exoluit Origenes hom. 20. in Matth.

Onus Domini Septuaginta transferunt AssumptioDomini.

Psalm. 137.

Brachia Crucis Christi Alæ seu pennæ dicuntur.

Pondus vere & propriè quid sit.

§. 4. Quarta sententia.

Quarta sentētia est Ruperti Abbatis, expendentis per pondus Iezabelitarum falsa dogmata, & prauam edendi, & fornicandi doctrinam, quæ veluti pondus erat erga fideles, illam ægrè ferentes, & patienter sustinentes: Sic enim scripsit ipse in hisce suis commentarijs: [Iam quidem pondus habetis, iam pœnam vestram sustinetis, dum Iezabel docet, & seducit, dum serui mei seducti fornicantur, & manducant de Idolothytis, & vos prohibere non auderis, timore pressi, imbecilles, & infirmi. Ipse timor, quem sapientes quoque huius sæculi passionem reputant, pondus vobis est, pondus seruitutis, pondus infirmitatis. Non estis fortes, non estis liberi, vt ille Elias fuit, qui nihil in sæculo habuit, neq; habere cupiuit, nihil perdere timuit: Pro nullo gauisus est commodo sæculari, pro nullo doluit incommodo temporali, & iccirco fortis & expeditus Regem redarguit, Prophetas Baal occidit. Elias tamen timuit, minas Iezabel & fugit, sed non timuit, aut fugit quando rediret, & palam nunciaret in verbo Domini, quod Canes comederent Iezabel. Vos pondus quod habetis, sub quo laboratis & onerati estis, tenete donec veniam. Aut cum Euangelica perfectione venire vos faciam, vt sequamini me, & omnibus relictis verbum Domini annuncietis, vendita tunica, gladium ematis, vt neminem propter Dominum timeatis. Interim pondus istud teneatis, vobis portantibus & sub pondere

Rupertus Abbas in Comment.

F gementibus, vestrumq; dolorem, quem habetis, pro ijs, qui seducuntur, silentio consumentibus; aliud pondus non imponam vobis, non aggrauabo scientiam, qua tacetis per metum, non per consensum, per infirmitatem, non per malitiam.] sic ille. Huic sententiæ Ruperti tacite se subscribit Franciscus Ribera, & ferè eisdem verbis Ruperti alloquitur. Et nemireris ex hoc, eò quod multoties in hoc opere, tacito Ruperti nomine, Ruperti sententia à Ribera quasi propria recitatur.

Franciscus Ribera in Comment.

§. 5. Quinta & postrema sententia.

Ego vero (vt rem breuiter exoluens, litem paucis componam) dico quod hic ad Ethnicos, siue Gentiles ex gentilitate ad Baptismum venientes sermo præcipuè est. Et sic ly [pondus,] ad litteram, & absq; moralitate significat, tam totam legem secundum suam substantiam, & integritatem, vt volunt, G Interlinearis, Primasius D. Thom. & Lyranus; quam partem legis, hoc est, ceremonias & circumcisionem, vt profitentur Strabus in sua Gloss. ordinaria, & Auctor Incognitus: ac etiam edere de Idolothytis, & fornicari, vt tenent Rupertus, & Ribera; Istud autem hoc vnico, dumtaxat, confirmo argumento, sequutus D. Ambrosium in hisce suis commentarijs.

Argumen.

In Ecclesia primitiua non tantum fuit exorta controuersia de circumcisione, verum etiam de tota lege Moysi seruanda, ac etiam de comestione Idolothyti, & de fornicatione. Patet, eò quòd Act. 15. sic dicitur primò: [Et quidam descendentes de Iudæa docebant fratres; quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi non potestis saluari.] Ecce prima controuersia de parte legis, hoc est, de ceremonijs & circumcisione: Deinde paulo post in eodem H cap. sic dicitur: [Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum qui crediderunt dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipuè quoque seruare legem Moysi.] Ecce secunda controuersia de tota lege, secundum suam substantiam, & integritatem hoc est secundum ceremonias & Decalogum. Et tandem in eodem capite sic dicitur: [Et post quam tacuerunt respondit Iacobus dicens; Viri fratres, &c.] & mox concludens ait idem Iacobus frater Domini: [Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.] Ecce tertia controuersia de fornicatione, & de comestione Idolothyti. Has planè tres controuersias fuisse in primitiua Ecclesia inter Iudæos, & Gentiles noui- I ter couuersos, ad baptismumq; peruenientes, nullus seriem illius capitis 15. Actorum legens, & intelligens negare potest. Apostoli autem in vnum collecti his auditis a Iacobo circa has tres prælibatas controuersias, decreuerunt de illis, vniuersalem monere Ecclesiam, vt scirent Gentiles venientes ad Baptismum quid tenere, & a quo abstinere se deberent: Sic enim legitur in eodem cap. 15. Actorum: [Tunc placuit Apostolis, & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, &c.] & paulo post. [Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras.] Et tandem [Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt absti- K neatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis, valete.] Ecce qualiter Apostoli Ecclesias quas fundauerant, monebant, tum per Epistolas, tum per nuntios, de his tribus controuersijs, vt Ethnici, siue Gentiles venientes ad Baptismum, ex gentilitate, scirent quid obseruare, & à quo se abstinere in Ecclesia Dei deberent. Igitur cum Ioannes Apostolus, & Euangelista esset in Patmos extrusus, sciretque Ethnicos siue Gentiles Thyatirenos venientes ex gentilitate ad Baptismum, inquietari à Iudæis, vt reciperent legem

legem Moysi, & ceremonias illius, ac circuncisionem, ac etiam Iezabel seducere seruos Dei, tam Hæbreos ex Iudaismo, quam Ethnicos ex gentilitate ad Baptismum peruenientes, vt ederent de Idolothytis, ac fornicarent, superest vt eos per Epistolam consolans, promittens se non missurum aliud pondus, per ly [pondus,] & ceremonias legales cum circumcisione, quæ fuit prima controuersia, & totam legem Moysi, quæ fuit secunda controuersia, ac etiam abstinentia a fornicatione & a comestione Idolothyti quæ fuit tertia controuersia in primitiua Ecclesia inter Hebræos, & gentiles venientes ad Baptismum, intelligat. Tria namque hæc attingere oportebat, vt ab illis tribus, serui Dei se abstinerent, eò quod hæc tria erant, quæ alij Apostoli, tum per Epistolas, tum per nuntios monebant, & scribebant ad suas, quas fundauerant Ecclesias: propterea quod Moyses, vt dicitur in eodem cap. 15. Actorum à temporibus antiquis habebat in singulis ciuitatibus qui eum prædicarent in Synagogis vbi per omne Sabbatum legebatur: tum & Iezabel publicè apud Thyatirenos edere de Idolothytis & fornicari docebat. Quod autem ceremoniæ legales, circumcisio, lex Moysi, idolothytum, & fornicatio per ly [pondus,] optimè exprimantur apparet in eodem 15 cap. Act. vbi his tribus auditis controuersijs ab Apostolis, surrexit Petrus dicens sic: [Viri fratres vos scitis quoniam, &c.] Et paulo post: [Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neque nos portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.] Ad hæc igitur verba Petri: [nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum, &c.] Spectant hæc alia verba Archiprophetæ Ioannis ad nouiter conuersos ex gentilitate apud Thyatirensem Ecclesiam: [Non mittam super vos aliud pondus.] Ad illa insuper verba Petri: [Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.] Relationem dicunt hæc alia verba Ioannis Apostoli, [sed tamen id quod habetis,] hoc est, Euangelium quod est Iugum suaue [tenete,] Dei gratia: [donec veniam;] interim patienter sustinete tribulationes, & persequutiones Synagogæ Satanæ. hoc est, prauorum Iudæorum, quia [Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum] quod vobis daturus est Deus, cum ad iudicandum venerit.

Pondus importabile vocat Petrus, Apostolus obseruationem legalium.

Appendix. 1. Ex hac nostra sententia collige primò, Deum semper ita legum amatorem extitisse, vt populum suum nunquam absq; lege permitteret ambulare, id propterea reperitur lex vetus, & noua, vt cessante vna, mox alia inciperet. Hoc denotat illud [tamen,] nimirum, cum dicitur; [non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete:] id est, non habeatis nec obseruetis legem veterem, aut legales eius ceremonias; tamen obseruate, & tenete legem nouam, quam nunc tenetis, ne cum veniam ad iudicandum, vos absq; lege aliqua reperiam, per legem enim est cognitio peccati, teste Apostolo ad Rom. 3.

Iudicabit Deus per legem.

Peccati cognitio est per legem.

Appendi. 2. Lex Moysi quasi pedagogus noster Secundò collige, legem veterem fuisse quasi pædagogum nostrum ad Domini aduentum, testante Apostolo ad Gal. 2. vnde quemadmodum cum quis peruenit ad ætatem, accipiens præceptorem, non reijcit pædagogum veluti inimicum, sed tanquam non necessarium præsente magistro, sic & nos teste Epiphanio deducti sumus in lege, & in Prophetis vsque ad aduentum præceptoris, reperto autem præceptore non reprobamus pædagogum, sed etiam gratiam ipsi confitemur, quod pueritiam nostram deduxit, & ad perfectiores disciplinas nos demisit.

Libertas a Pedagogia Iudaica.

Appendix. 3. Tertio collige, vtramq; legem veterem nimirum, & nouam, hoc in loco appellari pondus, hoc est, grauitatem habentes, eo quod in lege, vel præcepto potest accidere grauitas ex duobus, primò ex multitudine, quando scilicet præcipiuntur multa, etiam leuia, cuiusmodi fuit lex Moysi, quæ, vt dicunt Lyranus in p. cap. Ruth. Alphonsus Tostatus in cap. 27. Deut. q. 9. Conradus Gesnerus in sua vniuersali Bibliotheca, & Paulus Ricius, Hebræorum olim Rabinus, nunc vero ad fidem conuersus, in libro suo de Mosaycæ sanctionis edictis, tredecim supra sexcenta præcepta, tam affirmatiua, quam negatiua præsegerebat. Quamuis Rabbi Moyses Ægyptius lib. 3. tractatu particulari de legis præceptis dicat, præcepta affirmatiua fuisse octodecem super ducenta, negatiua vero trecenta sexaginta quinque iuxta numerum dierum totius anni, quæ omnia ibi sigillatim ab eo enumerantur, atq; adeò facit omnia in vniuersum præcepta legalia quingenta octoginta tria. Quæ planè omnia maximam præsegerebant difficultatem, & arduitatem, tam in cibo, tactu, & iudicijs; quam in sacrificijs & ceremonijs. Et quanquam tam ardua essent illius legis veteris præcepta, tamen sacramenta, & sacrificia eius nullatenus gratiam ex opere operato conferebant, quæ difficultatem temperaret, nec minus tota lex iustificandi vim obtinebat, vt facile constare potest ex Apostolo ad Gala. 3. & 4 & ad Hebræ. 9. & 10. Quamobrem Apostolorum caput Petrus in concilio illo æcumenico Ierosolymis celebrato, prout habetur Act. 15. dixit circa hanc maximam præceptorum legalium legis Moysi cathegoriam: [Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?] Secundo vero modo potest esse grauitas in lege vel præcepto, ex re quæ præcipitur. Et hoc modo præcepta noui Testamenti sunt grauia, putà, illa quę Christus declarauit in nouo Testamento, vt dilectio inimicorum, visio mulierum ad concupiscendum, &c. quæ licet pauca sint, tamen difficultatem maximam secum adferunt. Quinimmo nec satis ad implerentur, nisi per abundantiam gratiæ noui Testamenti, que volentibus eam suscipere facit omnia facillima & suauia: dicente Christo Matth. 11. [Iugum meum suaue est, & onus meum leue:] nimirum, per gratiam alleuiantem. Hinc Apostolus inquit ad Philip. 4. [Omnia possum per eum qui me confortat] & 1. Cor. 15. [abundantius omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum.] Grauitas insuper mandatorum legis gratiæ temperatur etiam ex duobus, nimirum, ex amore quo redundat lex Christi, & ex societate legislatoris nobiscum laborantis in executione suorum mandatorum. Quod autem lex Christi maximum redoleat amorem, patet ex illo Ioan. 13. [Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos] Amor verò, & dilectio, siue charitas, omnia (etiam difficillima) per quam facillima reddit; quinimmo omnes labores, mira quadam suauitate omnino perfundit, quod planè de lege noua olim vaticinatus fuit Euangelicus ille vates Isaias, dum in cap. 10. dixit: [Et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum a facie olei.] Quo planè loco per oleum suauitas amoris venit intelligenda, quo aspersa vtiq; sunt omnia præcepta legis Christi. Quamobrem asseuerare procul dubio possumus, Christum Redemptorem, & legislatorem nostrum fuisse vnguentarium illum quem sapiens Salomon olim vaticinatus fuit dum Eccles. 38. dixit: [In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius facit pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis.] Hoc autem præstitit Christus legislator noster per dilectionem, amorem & charitatem, quibus legem suam nouam omnino adimpleuit. Porrò, quod noster legislator Christus nobiscum sit, & nobiscum laboret, dum nos eius mandata executioni mandamus, liquet ex illo Ioan. 13. [Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me] vbi eius societas in labore nostro pro eius amore suscepto clarè liquet. Quod planè multum de pondere minuit, & maximè cùm ipse grauiorem, ac priorem partem ponderis, oneris, ac laboris, collo suo sustineat. Quã plane opẽ, & admirabile auxiliũ in laborãdo olim nostra mater Ecclesia, per ora Prophetarũ postulauit, dũ sap. 9. dicitur: [Mitte sapientiã de cælis sanctis tuis, vt mecũ sit, & mecũ laboret.] Quæ plane verba, voces

Præceptorum legaliũ multitudo apud Hebræos.

Pondus & onus leue ac iugum suaue dicitur lex noua.

Amor facit omnia quam facillima.

Lex gratiæ redditur facilis per charitatem & amorem.

Lex gratiæ repleta est dilectione amore & charitate.

sunt Prophetarũ,qui sũt Patres nostri,iuxta illud,quod Ecclesiæ nostræ matri dictum fuit : [Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.] per quas quippe voces societas Christi in portando nobiscum onus, pondus, ac iugum legis suæ gratiæ apprimè indicatur. Quod planè ipsemet Dominus olim promisit,dum per vatem suum Sophoniam in cap.3.dixit:[Tunc reddam populis labium electum,vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiét ei humero vno.] Perinde ac dicat : Seruient mecum humero vno. Quoniam per illa verba [humero vno,] videtur spondere,ac promittere Deum se fidelibus laborantibus,reliquam partem ponderis, oneris, & iugi se sustentaturum , ac portaturum esse ex altera parte. Iuxta illud,quod Patriarcha Iacob (in persona Christi)dixit filio suo Isacchar,Gen.49. [Supposuit humerum suum ad portandum,]idest, posuit se ad tolerandum laborem studij. His itaque tribus de causis pondus,ac onus legis nouæ,& gratiæ redditur perquam leue,& suaue. Cuius planè leuitatis,ac suauitatis elegans adest typus in illis verbis 1. Paralipomenon 15. [Cumque audiuisset Deus Leuitas, qui portabant Arcam fœderis Domini,immolabantur septem tauri , & septem arietes.] vbi circa Leuitas istos , qui arcam portabant de domo Obededom, quem Rex Dauid Ierosolymis constituerat , narrant Hebræorum Rabbini (vt refert Lyranus)diuina virtute factum fuisse, vt arca seipsam portaret , nullumque pondus Leuitæ sentirent , quam ob causam in gratiarum actionem pro tã singulari beneficio , factam extitisse solemnem taurorum,& Arietum immolationem illam. Hęc autem Arca figura vtique est nouæ legis,quam qui portant,onus & pondus nullatenus sentiunt, quandoquidem Deus ipse,portantes sua gratia, ope, & auxilio, mirum in modum adiuuat,atque auxiliatur.

Abulen. in c. 49. Genes.

Lyran. in ca. 15. Paral. 1.

Gratia sua adiuuat, & auxiliatDeus ad legem seruandam.

Appendix 4. Quarto collige cum Iacobo Suarez, vniuersalem Ecclesiam hic admoneri à Deo, vt Euangelij Christi pondus acceptum teneat,& in eo permaneat vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi , perseuerando in ea doctrinæ veritate,quam à suis primis fundatoribus accepit,eo quòd in legis obseruatione omnes nouitates summo studio vitare debemus , vtpotè, quæ omnia funditus euertant,ac fidem vbique labefactent. Quod omnes antiqui Patres contra hæreticos maximè obseruarunt,vt D. Hieronymus , epistola ad Pammachium, & Oceanum eleganter disserit : [Quisquis (inquit) assertor es nouorum dogmatum,quæso,vt parcas Romanis auribus, parcas fidei , quæ Apostolorum ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris,quod antea nesciuimus ? Vsque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.]Quo quid clariùs dici potuit contra nouatores huiusce tempestatis. Lutherus anno Domini 1517. pestiferam suam doctrinam euomere cœpit, nullo vmquam tempore, vel sæculo à Patribus nostris auditam. Ergo fides, quam tanto tempore , tamque longo temporis curriculo Ecclesia obseruauit , propter vnum apostatam , ac eius sequaces deserenda erit? Absit hoc à Christiano homine. Sed ab eis interrogemus , quod Tertullianus lib. de præscript. [Qui estis vos , vnde , & quando venistis ? vbi tamdiu latuistis ?] Et quod Optatus lib. 2 contra Parmenianum : [Vestræ cathedræ originem ostendite , qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.] Et quod Hilarius lib. 6. de Trinitate dicit,semper in mente habeamus: [Tarde (inquit) mihi, hos pijssimos Doctores ætas nunc huius sæculi protulit,sero hos habuit fides mea , quam tu erudisti , (scilicet Christe) inauditis ergo ijs omnibus in te credidi.] Siquidem in fide nullæ nobis admittendæ sunt nouitates,quas Paulus vbique fugiendas docet, vt potè, valde nociuas pietati,ac veræ fidei. Eas ergo fugere,& in doctrina,quam acceperat perseuerare , Dominus hic docet fideles:[Tene(inquit)quod habes,donec veniam.] Quibus verbis docemur , vt semper perseuerando in bono inceptum virtutis iter , haud quaquam deseramus. Vnde D.Chrysost.hom. 24. in epist. ad Hebræos ait:[Non oportet exordia sola habere clara,

Iacobus Suarez a S. Maria ferm. 28. in Apoc.

Lutherus quo anno suã falsam doctrinã vbique spargere vt venenum cœpit.

Tertul. lib. 1. de; præscript.

Opt.lib.2.cõtra Parmen. Hilar.lib. 6. de Trin.

Perseuerando in bono, inceptum virtutis iter non deserendum.

F sed & finem clariorem. Quod exemplis demonstrat oratoris,qui semper studet in fine clarior apparere, vt cum plausibus discedat; & athletæ, qui semper vincere laborat; etsi namque omnes vincat,vincatur autẽ à nouissimo,omnia illi infructuosa fiunt : & gubernatoris nauis,qui si pelagus totum pertranseat,circa portum autem confringat ratem, omnem perdit anteriorem laborem.

Appendix 5. Quinto collige contra Caluinum,Beza, Zuinglium, aliosq. Lutheri sequaces,ac complices , legem veterẽ abrogatam,& abolitam fuisse per Christum, nõ quoad præcepta decalogi,sed tantũ quoad præcepta legalia , putà, quoad ceremonias,& circumcisionẽ.Decalogum enim obseruare nobis præcepit Christus,dũ dixit: [Si vis ad vitam ingredi,serua mandata.]Caluinus ... deceptus à dæmone existimat obseruationẽ legis,Christianos non obligare,& opera bona ad salutẽ , nullatenus

G esse necessaria;vnde super illa verba,Act.15.[Nisi circũcidamini secundũ morẽ Moysi,non potestis saluari.] ipse impostor,vafer,& astutus,tenet inter iudaizantes, & Paulũ fuisse quæstionẽ,qualis hodie est inter Catholicos,& ipsum;An videlicet legis obseruatio,Christianos obliget,& an bona opera ad salutẽ sint necessaria. Et quia in illo Apostolorũ concilio sic sancitũ fuit:]Visum est Spiritui sancto , & nobis nihil imponere vobis vltra oneris,quã hęc necessaria,&c.]putat perhęc verba Christianos liberos fuisse non tantũ à pędagogia Iudaica,verumetiam ab obligatione legis mandatorum. Quod omnino est falsum quantum ad Decalogi mãdata;quoniã illa controuersia inter Paulũ, & Barnabam Antiochiæ natã fuisse propter Cherintum,liquet tũ ex serie textus,tum ex Epiphan.hær. 12.Phylastr.lib.de hæres.& ex D.Hieron.in cathalog: At Cherintus de so

H lis ceremonijs legalibus quæstionẽ tunc mouit , vt idẽ Epiphan.Phylastr.D.Hieron.alijq. scriptores manifestè docent;Igitur per illa verba Apost.Principis Petri:[Visum est Spiritui sancto,& nobis , nihil imponere vobis vltra oneris,quam hæc necessaria,&c.]tantum liberãtur Christiani à ceremonijs legalibus , & nullatenus à mandatorum Decalogi obseruatione.Legite Tho. Stapletonũ Anglum,refellentem intrepidè(& quidem optimè)vafrum,astutum, ac dolosum Caluinũ, in cap. 15. Act.Apost. Eius autem impugnatio incipit in illo cap. 15.citato Act.Apos.nu. 1. ab his verbis: [Deinde quæstio erat de eo,quod ad solos gentiles spectabat , sicuti & mota,&c.]Quod autẽ lex noua euacuet legẽ veterẽ quo ad ceremonialia tantũ,legite ST.h. 1. 2.q.107.a.2. & 2.2.q.104.a.6.ad 2.De cætero autẽ lex noua continetur in lege veteri virtualiter, vt perfectum in imperfecto;& sic lex vetus assimilatur puero , vt imperfectas

I noua autem assimilatur viro,vt perfecta, vt tenet idem S.Tho. 1. 2.q.91.a.5.& alibi. Etsi lex vetus dicitur æterna,tamen hoc est intelligendum,quo ad moralia,& quo ad veritatem,quam figurabant ceremonialia, & nõ aliter,vt rectè dispungit S.Tho. 1. 2.q.103.a.3.ad 1. Quare hic per hæc verba:[Id quod habetis tenete donec veniam,] intelligenda venit lex vetus, quo ad Decalogũ tantum,& totã legẽ nouã cum suis consilijs,per Christum,& suos Apostolos mundo prædicatam. Istudq.est pondus tenendum, donec veniat Christus ad nos iudicandum,tum iudicio generali, tum iudicio peculiari , in cuiuslibet nostri obitu, quãdo nos visitat sigillatim, & perseuerantes de via ad patriam eleuat, vt hic prodit D. Dionysius Carthusianus.

Decalogum legis Moysi esse de fide seruandum, cuius cõtrarium tenet Caluinus.

Caluini Ipsius & error.

Stapleton. in auditoris Apostolicis contra hæreses Act. Apost.

Carthus. in comment.

K Sexto , & postremo collige , sententiam Sancti Augustini , seu Tyconij , in eo dumtaxat distare à sententia Ruperti Abbatis , quandoquidem Sanctus Augustinus , seu Tyconius cum suis sequacibus , per pondus intelligunt tribulationem in genere , Rupertus vero Abbas, per pondus accipit tribulationem in specie , putà , tribulationem Iezabelitarum , qua tunc primitiua Ecclesia dirè præmebatur . Vtraque tamen opinio sustentabilis vtique est, & nullatenus textui repugnat, & cum pondus significet oppressionem,tribulationem,& sarcinam

Appendix 6.

D. August. & Ruper. abbas conciliantur.

cinam afflictionum, vt nos in tertiæ sententiæ enodatione dicebamus facile est, ad tribulationem, tam in genere, quam in specie eius applicatio.

Tex. 24.

Subscriptio literarum ad Angelũ Thyatiræ.



T qui vicerit, & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam Matutinam.

COMMENTARIVS,

Explanatio contextus. §. 1. S.Tho.1.2.q.99.



OMMVNIS cuiuslibet legis consuetudo est, teste D.Thom. 1.2. q.99. art.6. vt inducat ad obseruantiam præceptorum, per pœnas, & per præmia danda. Hinc plane est quod noster mellifluus Archipropheta, hoc in loco, post minas, ad bona fidelibus pollicenda statim se conuertat, dummodo lex Euangelica, pondus leue, & iugum suaue iam impositum, diligenter custodiatur. Quamobrem geminum promittit præmium, puta, in præsenti vnum (vt prodit d.Tho.) & in futuro alterum. Illis namque verbis: *Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*: temporale præmium procul dubio indicatur. Regere etenim, & gubernare eos, qui, licet sint in Ecclesia Dei, tamen quasi Gentiles viuunt, Idolis (nimirum vitijs, & peccatis) in dies seruientes, ad temporalem quippè promissionem spectat. Et vt clarè intelligatur, Christum in præsenti loqui secundum humanitatem, subiungitur; *Sicut & ego accepi à patre meo*, in resurrectione. Potestatem enim iubendi bonis & malis, collatam fuisse Christo in resurrectione, ostendit ipsemet, cum Matth. 28. dixit: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quod planè intelligendum venit, quo ad manifestationem dumtaxat. Quoniam filius omnia habet à Patre (vt supra crebrò dictum est) ab ipso incarnationis instanti: In quo plane prælata est humanitas Christi omni creaturæ & data est ei omnis potestas in cælo, & in terra, videlicèt potestas Iudiciaria, Sacerdotalis, & Regia, miraculorumq; operatiua. Auctoritas quoque iubendi Angelis bonis, ac malis, propter hypostaticam suam vnionem cum verbo: Sed quantum ad manifestationem dicitur ista potestas Christo in resurrectione collata. Et sic etiam expèditur illud Ps.9. vbi pater ait ad filium secundum formam seruilem. [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.] Vbi sermo vtiq; est de Christo ad litteram, & de eius membris. Illis porro verbis: [*& dabo illi stellam matutinam*] præmium æternale in futuro sæculo procul dubio demonstratur.

Duplex præmium custodientibus legem Euangelicam, promissum.

Præmium æternum.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1. Eliminatio textus.

Dabo illi (ait) potestatem super gentes. Pastoralis potestatis fastigium iustis vincentibus hic promittitur. Bonis namq; & iustis in hoc sæculo gubernatio, & imperium de iure debetur, eò quòd lex Dei sit in corde iustorum, & os illorum crebrò meditetur sapientiam, & tandem eorum lingua iudicium semper loquatur; Quę omnia ad optimam gubernationem apprimè requiruntur.

§. 2. Sunt nonnulli expositores, qui in horum verborum enodatione, ad tropologiam confugiant, intelligentes habere imperium super gentes, nihil aliud esse, quam prauis appetitionibus, sensuum & animi, quas gentes sequuntur, dominari. Ex quo, inquiunt, fiet vt cum virtus ipsa mira sua pulchritudine, vel in ipsis aduersarijs admirabiles sui amores excitet, gentes fidelium exemplo ad fidem conuersæ sub Christi Domini potestatem, ac ditionem subijciantur. Id quod si facere repugnantur per libidinem, & pertinaciam renuerint, potissimumq; hæretici, tanquam vas figuli confringentur hoc est, omnino destruentur, pænasq; dabunt, suæ rebellionis, apud inferos, sempiternas.

§. 3. Præterea Lyranus, & Franciscus Ribera putant hic sermonem dumtaxat, esse de potestate; quam perfecti, & sancti exercebunt in die iudicij finalis in omnes gentes, quæ Christo non paruerunt, quos omnes infideles, iudicabunt iusti & sancti, cum Christo.

§. 4. D. Augustinus, Ticonius, Beda, Ansbertus, & alij plerique expositores putant in Christo habuisse Ecclesiam hanc potestatem. Quamobrem Primasius Episcopus, B.Aug. discipulus in hisce suis commentarijs sequutus magistrum suum, sic scribitur: [In Christo habet Ecclesia hanc potestatem tamquam corpus in capite: Si quæ enim digne corpori eius adhæserit, veraciter habere dicitur, quod filius hæreditorio iure possedit, in quo (secundum Apostolum) nobis Deus omnia donauit.] ita Primasius. Dicere autem Ecclesiam consequutam fuisse istam promissionem per Christum, cui dictum est, Ps.2. [Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.] idem omnino est ac si dicamus (vti planè in principio huius paraphrasis diximus) fastigium pastoralis officij, potestatis, & dignitatis, ac prelaturæ, iustis, bonis & sanctis viris hoc in loco promitti. Quamuis enim Ecclesia potestatem præsidendi super gentes habeat per Christum, (vt pote, qua eis præsit ad regendum, iuxta illud Lucæ. 22. Ecce gladij duo hic per quos duos gladios gubernationem spiritualem, & temporalem probant communiter Doctores in 4.sent. dist.14. cum Magistro & 2.2.q.1. art.10. cum S Thom. Soto.p.p.art.1. Turrecremata lib.2. de Ecclesia cap.1. Pithgius lib.1. de Hierarchia cap.2. & 3. esse in Ecclesia, vt etiam intrepidè confirmant Catholici contra Hæreticos, agentes de auctoritate & institutione Romani Pontificis dum quærunt, an in Ecclesia sit aliqua exterior, & visibilis gubernatio, Quod licet negent hæretici, Catholici tamen apprimè confirmant esse, dari, & reperiri, à temporibus Apostolorum (vt nos supra, cap.1. text.4. disput.10. quæst.15. abunde probauimus) vsq; ad hæc nostra sæcula & de cætero etiam erit vsq; ad finem sæculi) tamen hæc promissio regendi, & gubernandi vincentibus, putà bonis, iustis ac pijs viris, dumtaxat facta est, dum dicitur. [Qui vicerit, &c. dabo illi potestatem super gentes.] Quibus sane verbis, vincentibus, hoc est, sanctis & iustis in via, potestas pręsidendi, ac imperandi super gentes, in hoc sæculo promittitur. Ad hoc plane alludit illud Matth. 5. [Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,] Et Paulo post: [Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorum.] Que quidem duæ beatitudines sunt in hac vita quantum ad præmium, vt vult D. Augustinus, qui libro de sermone Domini in monte, dicit, quod omnia præmia harum octo beatitudinum pertinent ad præsentem vitam, cuius sententia intelligenda venit, teste Abulense super cap. 5. Matth. q. 82. saltem quo ad quamdam inchoationem præmiorum. Quia nullum istorum est quantumcumq; perfectum, cuius partem aliquantulam non gustent sancti in hac vita, & sic præmium,

Primasius in comment.

Gubernatio gentium promissa Ecclesiæ Dei.

Rom. 8.

Matth. 5.

Gubernatio animarum, quibus committenda.

Beatitudo aliquando accipitur pro potestate & gubernatione tẽporali.

mium, quod intelligitur, per ly [possidebunt terram,] est possessio terræ secundum litteram, sicut dicitur in Ps. 36. [mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.] Et intelligitur etiam de præsenti statu; Præmium autem quod intelligitur per, ly [regnum cælorum,] est intellectus sacræ Scripturæ iuxta expositionem D. Augustini, D. Hieronymi, & omnium doctorum, Seu per illa verba, quæ Christus Matth. 21. dixit Iudæis [Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam eius.] Id est, auferetur à vobis intellectus sacræ Scripturæ, quia non vultis eam intelligere, & dabitur genti facienti iustitiam eius, id est, que impleat illam iustè, sicuti intelligi debet. Et hoc modo regnum cælorum in præsenti haberi potest, quia multis viris bonis Deus dat hic initium veræ sapientiæ plenè, id est, plenè habent initium sapientiæ, licet non habeant plenè ipsam sapientiam. Potest etiam per regnum cælorum, Ecclesia militans intelligi, & sic ipsorum esse regnum cælorum, nihil aliud erit, quam ipsos pastoralis dignitatis fastigium in Ecclesia militanto super gentes obtinere. Quamobrem Rupertus Abbas super hęc verba: [dabo illi potestatem super gentes] sic rectè scribit; [In isto gradu vincere est, omnes quæ infirmum faciunt hominem, passiones superare, gaudium, timorem, spem, atq; dolorem de animo propellere, atque fugare; id est, sæculo non gaudere, sæculum non timere, sæcularia non sperare, pro sæcularibus non dolere, nimirum, qui talis est, qui omnes carnis affectus & istas vincit passiones, & ita custodit opera domini vsq; in finem, id est, vsque in perfectionem, iste dignus, & idoneus est, qui præsit, qui aliorum Doctor, & rector sit, & imperet, atq; cogat tyrones ad militiam Domini. Ait ergo dabo potestatem super gentes, id est, mea ordinatione fiet magister eorum, qui si absque magisterio sint, gentes sunt, id est, gentiliter viuunt, quia quæmuis conuersi ad fidem, pro mala tamen consuetudine ad iterandam gentilium vitam graui sunt] Sic ille. Potestas igitur præsidendi super gentes nemini conferri debet nisi Vincentibus: quia Prælatus aliter viuens, non videtur eligi a Deo, sed a diabolo, vel sensu humano, quamobrem per hoc, quod dicitur [dabo,] excluduntur ambitiosi, schismatici, hæretici, Simoniatici, cæteriq; eiusdem farinæ homines scelerati, qui non ex Dei dono, sed per violentiam, potestatem super gentes suscipiunt, de quibus dicitur Oseæ. 8. [Ipsi regnauerunt, & non ex me] Quemadmodum itaque Deus in cælo pulcherrimum, & iucundissimum sui simulacrum constituit solem, cuius est suis radijs vniuersum illustrare orbem, sic ipsemet Deus constituit in Ecclesia sua sancta, Prælatum, ac Pastorem cuius sit sua prudentia, benignitate, iustitia, gentes illuminare vniuersas. Hinc D. Bernardus explanans illa verba Cant. 1. [Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum, recti diligunt te:] sic scribit. [Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini qui iudicatis terram, discite subditorum vos matres esse, non dominos, studete magis amari, quam metui. Et si interdum securitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fouendo; patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem. Suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant non typo turgeant, &c.] Hucusque D. Bernardus. Ideo filius Dei, hoc in loco, solis vincentibus mundum, dæmonem, ac carnem, pastoralis officij fastigium promittit, vt gentes iustè, & piè in hoc sæculo viuentes regant.

Regnum cælorum quomodo in præsenti haberi queat.

Ecclesia militans regnum cælorum.

Magnanimus & victor passionum humanarum debet imperare.

Cōparatio.

Prælatus debet alijs illuminare vt sol.

D. Bernardus serm. 23. super Cantica.

Ps. 2.

§. 5. Quod autem iusti ac pij viri in hoc sæculo debeant de iure fastigium pastoralis potestatis, & dignitatis obtinere, & cæteris omnibus præesse, eos temporaliter gubernando, probatur. Et primò quidem de

P. Ratio. Principibus secularibus. Etenim Deuter. 1. dicitur: [Date ex vobis [viros sapientes, & gnaros, quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris vt ponam

F eos vobis Principes,] & Ps. 2. [& nunc Reges intelligite, seruite domino in timore. Apprehendite disciplinam:] & Sap. 6. [Si ergo delectamini sedibus & Sceptris, ò Reges populi, diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis:] & Prou. 29. [Rex qui iudicat in æquitate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur:] & Sap. 1. [Diligite iustitiam, qui iudicatis terram:] Et Eccl. 10 [Iudex sapiens iudicabit populum, & principatus sensati stabilis erit.] Deinde patet de pastoribus Ecclesiasticis. Nam Petro dictum fuit a Christo. Ioan. 21. [Simon Ioannis diligis me plus his?] Petrus autem respondit: [Tu scis Dñe quia amo te:] tunc illi dicitur: [Pasce agnos meos.] Et Ieremiæ. 3. dicitur: [& dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina] & 1. ad Tim. 3. [oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse:] & ad Tit. 1. [oportet enim Episcopum sine cri-

G mine esse, & cap. 2.] In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.] Ex quibus omnibus liquet, iustos ac sanctos viros in hoc sęculo debere de iure, cæteris præesse. Et quid mirum, cum ij cum Christo in finali iudicio iudicare debeant malos? Ita exoluunt Theologi in 4. sent. cum Magistro, & hoc non tantum causaliter & interpratatiuè, hoc est, approbando sententiam iudicis, ac per similitudinem; scilicet, habendo similitudinem iudicis in quantum sedent in loco eminenti, vt assessores; verum etiam, in quantum in eis continentur decreta diuinæ iustitiæ, ex quibus homines iudicabuntur, sicuti si liber in quo continetur lex, iudicare dicatur, vt concludit S. Thom. In 4. sent. cum Ricardo de sancto Victore in tractatu de Iudiciaria potestate. Ad hoc quippe spectat illud Matth. 19. [Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel:] & illud Psa 3. [Domi-

H nus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui:] & illud Matth. 12 [viri Niniuitæ exurgent in iudicio, &c.] & illud Sap. 3. [Iudicabunt sancti nationes:] & illud Ps. 149. [Exultabunt sancti in gloria lętabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conscriptum gloria hæc est omnibus sanctis.] Cum igitur iusti ac boni in finali iudicio cum Christo iudicare debeant malos, non mirum quippè est, illos etiam in hoc sæculo, malos gubernare, eisq; dominare ac imperare debere. Quod autem illud: [dabo illi potestatem super gentes] & illud aliud: [& reget eas, &c.] accipiatur pro dominare, imperare, gubernare, ac cæteris præesse in hoc sæculo,

I patet. Tum quia in hac opinione sunt Glossa interlinearis, S. Thom. Primasius, Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, & pleriq; alij expositores haud exiguæ auctoritatis. Tum etiam quia vbi nostra Vulgata legit: [reget eas in virga ferrea;] in codicibus Græcis legitur: [pascet illas.] Pascere autem in sanctis Biblijs & pro regere, & pro dominari in hoc sæculo accipitur, vt liquido constat ex illo: [tu pasces populum meum Israel;] & ex illo: [& pascent terram Assur in gladio, & terram Hemrod in lanceis eius:] & ex illo etiam: [Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam:] & denique ex illo 1. Petri. 5. [pascite qui in vobis est gregem domini prouidentes, non coactè, &c.] & idem ex mille locis sacræ scripturæ clarè liquet. (Dixi) in hoc sęculo, Nam in futuro, iam non erunt Pastores, neque Reges, neque Principes, quo ad dominium, omnes siquidem

K erunt similes: tantum namq; inter bonos & malos differentia reperietur. Dominium siquidem & prælatio introducta fuit, (teste D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10.) ex iure humano. Et per consequens non possunt in patria permanere; & sic oportet quod id quod his verbis promittitur sit tēporale. Tum insuper istud patet, eò quòd in plerisq; ex his septē Ecclesijs promittitur aliquid tēporale, & adimplendū in hoc sæculo, vnde de Ecclesię Ephe. dicitur; [Vincēti dabo edere de ligno

2. Ratio.

Iusti ac boni viri iudicabunt cū Christo in finali iudicio.

S. Tho. 4. sen. & in add. ad 3. p. q. 89. art. 1.

3. Ratio.

4. Ratio.

Regere accipitur pro pascere.

2. Reg. 5.

Num. 5. Psal. 30. 1. Petri. 5.

Nota bene.

Prælatio & dominiū quādo introductum.

5. Ratio.

vitæ quod est in paradiso Dei mei, & Ecclesiæ Pergamensi: [vincenti dabo manna absconditum] et Ecclesiæ Sardensi: [qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, quæ omnes sunt promissiones viæ, & non patriæ. Igitur verisimile est, quod huic Ecclesiæ etiam Thyatirensi promittitur aliquid temporale dum illi dicitur.] Qui vicerit & custodierit vsque infinem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, &c. Tum denique liquet eo quòd hæc verba Apoc. 2. [Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea & tanquam vas figuli confringentur, sicuti ego accepi a Patre meo,] fundantur in verbis illis Psalmographi. Ps. 2. [postula à me & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos:] At hæc verba Psal. 2. intelliguntur ad literam de Regno Christi, de potestate & Imperio eiusdem, non tantum in Iudæos verum etiam in gentiles per fidem, eo quod licet Iudæos perfidem iam sibi subditos ante passionem haberet, iuxta illud: [Notus in Iudæa Deus in Israel, magnum nomen eius.] tamen gentiles per prędicationem Apostolorum, fidem susceperunt, quorum subiectionis causa fuit oratio Christi, dum pro gentibus saluandis, orauit ad Patrem dicens. [Pater non pro eis rego tantum (hoc est, pro Apostolis, & alijs hebræis) sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:] quod planè indicatur per illud, [postula à me & dabo, &c.] quamquidem potestatem, dominium ac imperium nunc temporale est; quod habuit & habet, & de cætero habebit Christus in hoc sæculo. & in seculum sæculi, nimirum, in æternum, vt dispungunt Theologi, varijs in locis, & præcipuè præfato Ps. 2. & cap. 7. Danielis super illa verba: [potestas eius, potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur, [& super illa verba:] Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. [& in 3. sent. dist. 25. cum Magistro, ac etiam 3. p. q. 59 per totum cum T. Tho. & notabiliter art. 5. in quo disputat Angelicus Doctor, an post iudicium quod agitur in præsenti tempore, restet aliud Iudicium: Igitur hęc verba Apoc. 2. [Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea] de præmio temporali (hoc est, de potestate, dominatione, ac imperio, quod iusti de plenitudine Christi accipiunt supra infideles, & malos in hoc sæculo, quos & regunt in virga ferrea, hoc est, in potestate & iustitia Christi, quę est stabilis, & firma, vt virga ferrea, quæ nullo mouetur vento: & tanquam vas figuli confringunt, quia peccator veluti vas luteum est, quod facilè frangitur) ad litteram intelliguntur. Quemadmodum enim Christus positus fuit (vt dicitur Lucæ. 2. in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, sic iusti in hoc sæculo positi sunt in ruinam; & resurrectionem multorum in Ecclesia sancta Dei.

6. Ratio.

Ioan. 17.

Vide d. Aug. D. Ambrosiū. Remi. Glos. ord. Lyran. Bensen. Incognit. & Genebrardum. in 2. ps.

§. 6. Omnia bona sua communicauit nobis filius Dei.

Discant ex hoc loco hęretici, filium Dei venientem in hunc mundum, hominemq; ex Virgine factum, iustis ac sanctis suis communicasse omnia quæ ipse à patre æterno accepit. Hinc cum ipse esset naturaliter filius Dei, iustos ac pios viros, filios Dei etiam fecit, iuxta illud Ioan. 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri:] Cum ipse esset lux mundi, iuxta illud Ioan. 8. [Ego sum lux mundi] Apostolis & reliquis sanctis, etiam dixit [vos estis lux mundi:] Cum ipse esset fundamentum suæ Ecclesiæ, iuxta illud Apost. 1. Cor. 3. [Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus] Sanctis suis etiam ait Ecclesia: [fundati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.] Porro ipse potestatem dimittendi peccata accepit a Patre, iuxta illud Lucæ. 5. [vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata:] & illam etiam Sanctis suis tradidit dicens: [Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis:] Pater præcepit ipsum audire, iuxta illud Matth. 17. [Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite:] & ipse etiam præcepit, fideles suos, sanctosq; viros audiri, iuxta illud Lucæ. 10. [qui vos audit, me audit.] Vt sciant (vt dixi) hæretici nullam prorsus gratiam, per naturam Christum accepisse, quam per gratiam iustis & Sanctis suis, non communicauerit. Quare quemadmodum ipse à Patre accepit regere gentes in præsenti vita, in virga ferrea, sic sanctis suis eamdem impartitur auctoritatem, & potestatem. Hinc Damascenus lib. 4. de fide cap. 16. de Iustis, Sanctis, ac pijs viris Christi seruis, ita scribit. [Per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, Cæci vident, leprosi mundantur, tentationes, & tristitiæ soluuntur. Omne donum bonum a patre luminum per eos, ijs qui inhæsitabili fide petunt, descendit.] Ita Damascenus.

§. 7. Sententia Lyrani, Francisci Ribera, & Iacobi Suarez a Sancta Maria recitatur & dissoluitur.

Hinc non placet Lyranus, qui hæc verba Apoc. 2. [Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur] exponit (vt dixi) de potestate, quam perfecti, & sancti exercebunt in die iudicij finalis, in omnes gentes, quæ Christo non paruerunt, iudicantes cum Christo. Quam opinionem tacendo Lyrani nomen, sequuti sunt Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez a Santa Maria in hisce suis commentarijs in hunc locum. Dixi non mihi placere, non quod sancti non debeant iudicare tunc cum Christo, etenim supra, millies (contra Caluinistas) dictum est, sanctos cum Christo iudicare debere, non tantum causaliter, & interpretatiuè; verum etiam, vt assessores, cuius contrarium asseuerare est hęresis: Sed aio, mihi non placere, eò quòd, quemadmodum in Christo Redemptore nostro, alia est ratio formalis (respectu nostri) iudicij, quod nunc in præsenti tempore agit, & alia est ratio formalis iudicij finalis, quod in extremo tempore, & in fine mundi aget, sic in eodem, alia debet esse (respectu nostri loquor) ratio formalis, imperij, potestatis, dominationis & regiminis regalis, quod modo in præsenti tempore in omnes gentes habet, ab illa, quam in extremo tempore & in finali iudicio in omnes exercebit. Et ob id S. Thom. 3. p. q. 59. arti. 5. disputans de potestate iudiciaria Christi, quærit, an post iudicium, quod agitur in præsenti tempore, restet aliud iudicium: At perfecti, & sancti, tam potestatem iudiciariam, & imperium, quod in hoc sæculo debent habere super malos, ac infideles, quam potestatem iudiciariam, quam in extremo iudicio exercebunt, simul cum Christo iudicantes, vtramq; obtinent de plenitudine Christi, de qua omnes accepimus: Igitur sicuti in Christo illæ duæ potestates iudiciariæ non sunt (respectu nostri confundendæ, aut permiscendæ, nec minus erunt in perfectis & sanctis confundendæ, aut permiscendæ. Et ex consequenti cum hic sermo directè fit secundum litteram de dominio, imperio, gubernatione, iudiciariaue potestate in præsenti tempore bonorum in malos, vt nostra superiora probant argumenta, non est cur confugiat Lyranus, cum suis sequacibus, ad iudiciariam potestatem sanctorum, in extremo iudicio, cum Christo.

§. 8. Obiectio Lyrani & Riberæ.

Nec argumentum eorum valet, obicjiunt siquidem ita. Hic dicitur qui vicerit, & custodierit vsque in finem (id est vsq; ad mortem) opera mea, dabo illi potestatem, &c. igitur quod hic promittitur, post mortem est dandum, & ex consequenti de iudiciaria potestate sanctorum in iudicio finali cum Christo hic est sermo.

Solutio. P.

Dico non valere hoc argumentum, primò eò quòd ly [vsq; in finem] bifariam accipitur in sacris biblijs, nimirum, vsque ad mortem, qua ratione capitur illud Matth. 10. [Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.] Et vsque ad perfectionem, vel firmiter, et sic capitur in præsenti [vsque in finem] id est, firmiter, vel [vsque in finem] hoc est, vsque ad perfectionem, quæ potest esse in hac vita, de qua disputat S. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 2. querés an aliquis in hac vita possit esse perfectus.

Solutio 2.

Secundo dico nihil valere argumentum propositum, eò quòd, esto quod demus [vsque in finem] accipi pro eò quod est vsq, ad mortem, adhuc Lyranus cum se-

quæcibus non concludit suum intentum, propterea quod sicuti hoc in hoc loco est duplex promissio explicata per duplex ly [dabo] (nam semel dicitur dabo illi potestatem super gentes, & reget eas, &c.] Et iterum dicitur: [Et dabo illi stellam matutinam.] Reduplicatio namq. ly [dabo] duas planè demonstrat promissiones,) sic duplex est genus hominum, quibus promittuntur. Quorum primum genus, exprimitur per ly [qui vicerit] secundum vero genus declaratur per ly [& qui custodierit] ly autem [vsque in finem] non coniungitur cum primo hominum genere, nimirum, cum vincentibus, ita vt legamus, [qui vicerit vsq. in finem] (nequaquam,) sed tantum coniungitur cum secundo hominum genere; nimirum, cum custodientibus, ita vt legamus [& qui custodierit vsq. in finem opera mea] Alioquin ly [vincere] etiam diceret relationem ad [opera mea] & ita legeremus: [Qui vicerit opera mea vsque in finem,] quod non est asserendum. Dicimus igitur quod prima promissio, contenta illis verbis [dabo illi potestatem super gentes, & reget eas, &c.] alludit ad primum genus hominum tantum, nimirum, ad vincentes, qui explicantur per ly [qui vicerit] ita vt sit sensus [qui vicerit dabo illi potestatem super gentes, & reget eas, &c. [Secunda vero promissio alludit ad secundum hominum genus, nimirum, ad custodientes vsq. in finem opera filij Dei, ita vt sit sensus [& qui custodierit vsque in finem opera mea dabo illi stellam matutinam.] Quamobrem nihil concludunt Lyranus, & Ribera, ly [vsque in finem] ad vtramque promissionem adaptantes, cum ad secundam dumtaxat spectet, & nullatenus ad primam, in qua tantum est sermo de temporali præmio, vt hæc nostra probant argumenta.

§. 9. *Idoneus dumtaxat ex iustis debet alios gubernare.* *D. Thom. in comment.*

Nec cuilibet iusto viro, facta est hæc gubernandi, & regendi reliquos, promissio, sed idoneo dumtaxat. Quamobrem S. Thom. in hisce suis commentarijs sic scribit: [Non promittit hoc cuilibet iusto, sed cuilibet ad hoc idoneo, & in vita, de qua hic tangitur, & in alijs conditionibus, quæ pertinent ad officium pastorale, & qui est in illo regimine sibi meritum accumulaturus, sicut in primitiua Ecclesia, quando huiusmodi potestas, potius erat in onus, quam honorem; quando prælati bene gerendo se & alios, & laborando pro eis, & sustinendo multa aduersa, etiam quandoque mortem pro ipsis gratanter, & alios ad salutem ducebant, & sibi ipsis cumulabant meritum.] Hucusque sanctus Thomas. Quamobrem idem Angelicus Doctor 2.2.quæst. 185. art. 1. incunctanter tenet illicitum esse, Episcopatum appetere propter honorem, reuerentiam, & temporalia bona, sed tantum tunc licitum esse quando in tali appetitu Episcopatus vtilitati proximorum intenditur. Ideirco in art. 3. eiusdem quæstionis concludit, eum, qui ad Episcopatum assumitur debere esse, cæteris meliorem, non simpliciter, quod est secundum charitatem, sed meliorem, quo ad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam instruere, & defendere, & pacificè gubernare, quo plane loco, sic eleganter & simul sanctè scribit cum D. Hieronymo: [Quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesijs prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel dediti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit, & vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus est graue peccatum.] Hæc D. Thomas, & D. Hieronymus.

Episcopatum appetere propter celsitudinem gradus est præsumptuosum.

S.Th. 2.2. q. 185 art. 3. *D.Hieron. in cap. 1. ad Titum tom. 9.*

§. IV. *Officium Pastorale aliquando periculosum ob multas causas.*

Hinc iustis animaduertere fas est, Prælatiam crebrò periculosam esse. Primò, propter periculum multiplicis culpæ in acquirendo, siue inhiando, vt simoniæ, odij. Numerari enim nequeunt culpæ quæ perpetrātur habendæ potestatis amore. Secundò propter periculū superbiæ in præsidendo. Hoc ipsum periculum maximè auget ratio reddenda Deo ab Episcopis & Prælatis de animabus sibi commissis. Redditurus enim

F est Antistes & Pastor rationem de grege sibi credito. Quamobrem D. Bernardus sermone. 3. de aduentu, sic affatur: [Porro si cui fortè Prælatus es, huic sine dubio teneris debito solicitudinis amplioris. Exigit à te & ipse custodiam & disciplinam. Custodiam quidem, vt possit cauere peccatum; disciplinam vero, vt quod minus cauit, minimè maneat impunitum &c.] Et paulo post: [Longè tamen grauiori, & periculosiori debito tenentur astricti, (puta prælati) qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ergo infelix quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud, quod sibi Christus sanguine proprio preciosius iudicauit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, esset repositus penes me in vase vitreo, quod & portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem, in discrimine tanto? Et certe id seruandum accepi, pro quo G mercator non incipiens ipsa vtique sapientia sanguinem illud dedit. Sed & habeo thesaurum istud in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam vitreis, imminere pericula videantur.] Et protinus subiungit: [Accedit sane ad solicitudinis comulum, & pondus timoris, quod cum & meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque enim abyssus est inperscrutabilis, vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia, & clamatur, custos qui de nocte, custos qui de nocte, non est mihi dicere cum Cain: Numquid custos fratris mei sum ego, sed est fateri humiliter cum Propheta. Quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. In eo tamen excusabilis ego videor, si vt prædixi, debitam exibeo custodiam, pariter & disciplinam. [Hucusque D. Bernardus. H En igitur quam graue, & periculosum onus sit, Pastorale officium, & animarum regimen. Meritò Christus discipulis suis dixit Matth. 20. [Nescitis quid petatis.] Qui enim petit a Deo prælaturam, & animarum curam nescit reuera quid petit. Et quamuis isti dicant cum duobus illis Apostolis: [Possumus.] Proculdubio semper illa verba Christi: [Nescitis quid petatis,] vrgent, cum multoties in tali alienarum animarum regimine propria perdatur anima. Quapropter Christus (vt clarè appareret periculum, animas alienas gubernandi) discipulis suis, & eorum nomine Prælatis, dixit: [Vos estis lux mundi.] Et alibi: [Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.] Debent namque Prælati & esse oues; & pascere oues, iuxta verbum Christi ad Petrum, Ioan. 21. [Pasce oues meas.] Tunc enim & pastor, & grex sibi creditus sunt oues quando vterque, & macula & feritate omnino, caret. Quare ad hoc, vt vtraque anima, purà pastoris I & gregis, saluetur, munditia, & humilitas requiritur in vtroque, nimirum, in Pastore, & in grege, alioquin periculosum est officium gubernandi animas.

Prælatus vocatur ad dandam rationē de grege sibi credito.

Esa. 21. Gen. 4.

Psal. 126. Antistites, & Prælati quādo excusantur in reddēda ratione de grege sibi commisso.

Matth. 5.

Ioan. 21.

Cura animarum difficilis

P A R A P H R A S I S
Secunda.

Par. 2.

Et reges eas (inquit) in virga ferrea.

Enucleatio textus.

§ 1. *Virga ferrea appellatur rigor disciplinæ.*

Rigor, seuera disciplina, iustitiaque omnino inflexibilis, qua Ecclesiasticus Pastor suas oues, nimirum populum sibi commissum, pascere, ferire, ac percutere tenetur, hìc per ferream virgam demonstratur. Excluditur proculdubio hìc ab ecclesiastico pastoK re, bonoque Prælato nimia mansuetudo, & remissio. ex qua incomoda fere in numera in dies pullulare experimur. Ex remissione namque prælati in offensis corrigendis, & puniendis (dum, scilicet, vel non punit, vel remissè punit, vel quosdam puniens, alios æquè, vel magis, reos, propter negligentiam, vel beneuolentiam, vel precem, vel pretium, vel spem commodi, vel timorem pusillanimitatis impunitos, vel minus punitos, sine ratione pertransit) damnabiliter

prælatus non debet esse nimis remissus circa subditos.

D. Thom. in comment.

liter sumitur audacia, teste D.Tho. ad similia, vel peiora. Ex quibus iterum alij prouocantur ad idem & insuper ex hoc scandalum bonis subditis, & non subditis, iustis etiam pastoribus generatur. Quamobrem D. Gregorius loquens de Prælatis ait: [Sit amor, sed non emolliens, sit pietas sed non plus quam expendit parcens.] Virga igitur ferrea, rigor, seuera, disciplina, iustitiaq. inflexibilis Prælatorum est. Hinc Primasius super hunc locum, sic scribit: [Virga ferrea inflexibilis omnino iustitia regit mites, destruit contumaces.] Sic ille. Et S.Tho. [Virga ratione rectitudines, significat iustitiæ rectitudinem; ferreum ratione rigiditatis constantiæ inflexibilitatem.] Et paulo post (respondens ad quandam difficultatem, qua quærit, an inflexibilitas in rigore iustitiæ sit commendabilis in prælato propter illud Iacobi 2. [Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam:] & illud D. Gregorij: [Tanta debet esse pastoris discretio, vt nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa,]) sic scribit dicens: (Sensus ergo est, in virga ferrea, hoc est, in iustitia inflexibili ad remissionem, non tamen inflexibili per alicuius lenitatis adiunctionem. Gregorius. Vtrumque commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo sit dissoluta, si autem quandoque, propter quorumdam obstinationem vel aliam culpam ex speciali causa oporteat seuerius agere, etiam tunc seruanda est leniositas charitatis in corde; Gregorius. Exhibenda est prauis asperitas in ostensione charitas in mente.] Ita S.Thomas. Et Rupertus Abbas sic in eundem locum scribit: [Et reget illos in virga ferrea, id est recta, & seuera iustitiæ disciplina, quæ non citò flectatur in gratiam, vel odium quia vicit hæc, quia prædictarum est victor passionum, bonumq. habet zelum nunquam odiendo hominem, & amando vitium, sed semper amando hominem, & odiendo vitium. Hæc enim in Rectore Ecclesiæ animi rectitudo virga ferrea, id est fortis, & recta disciplina est.] Hucusq. Rupertus. Et tandem Auctor incognitus sic præfatum textum explanat.] Et reget eas in virga ferrea, iustitia inflexibili iudicando, in virga attende rectitudinem, in ferro inflexibilitatem, ex quo patet, quod ad regendum datur prælatis potestas ad dominandum, non ad congregandum diuitias, vel ad habendum delitias.] Sic ille. Rigor itaque seuera disciplina, ac iustitia inflexibilis Prælatorum virga ferrea nuncupatur metaphoram, similitudinemque à Pastore depromendo. Pastores namque, & qui curam habent pecudes pascendi, virga quadam, & gregé ad interiora deserti minare, & illum (dum in loco pascuæ collocant vt simul in vnum conueniat) percutere, & etiam seipsos per montes & colles (præcipuè si ad senectutem iam peruenerint) fulcire solent. Hinc dicente Domino Exod. 4. pastori Mosi; [Quid est quod tenes in manu tua, protinus respondit. [Virgam.] Virga, namque vetulus pastor Moyses (vt ceteri pastores) & gregem minabat, & se fulciebat. Per hanc igitur Pastorum virgam rigor, disciplina, & iustitia inflexibilis Prælatorum Ecclesiasticorum (qui gregis Dei veri dicuntur Pastores) aptè demonstratur. Quamobrem Episcopis, pastoralis baculus conceditur in signum rigoris, disciplinæ, iustitiæq. inflexibilis, quam exercere debet, erga sibi commissum gregem Domini: [Virga tua & baculus tuus (ait Psalmista loquens de correptione diuina) ipsa me consolata sunt] Et Mich. 7. [Pasce populum tuum in virga tua.] Rursus quia in correptione prælatorum semper concurrere debet iustitia (ad quam planè attinet bonis præmium, malis vero supplicium elargiri, & crebrius ob maiorem multitudinem malorum, dimisso præmio supplicium opus est, & non molle, aut leue, sed durum, ac rigurosum: ideo ad ly [reges] additur [virga ferrea,] quod enim ferreum est, & durũ, & forte est. Ferrum namq. inter metalla (teste Plinio lib. 34. nat. hist. cap. 14. & 15.) duritie, & fortitudine haud minima gaudet. Quamobrem id quod ex illo, tanquam ex insita materia fit (quod ferreum nomine proprio, nuncupatur) & durum & forte, opotet sit. [verum tamen germen radicum eius (dicitur Dan. 4.) in terra

Auctor incognitus in c. 2. Apocalyp.

Virga ferrea metaphora enodatur.

Pastor senex virga sustentatur per desertum.

Correptio Prælatorum dura.

Petri natura.

A finite, & alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt.] Et Ps. 149. [Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.] Et quia inobedientes ferreo iugo domandi sunt, iuxta illud Deut. 28. [Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat.] Id propterea ad ly [virga,] adiungitur [ferrea,] ad supplicium rigorosum de inobedientibus sumendum à Prælato, ostendendum.

§. 2. Secunda sententia D. Ambrosij.

Virga ferrea significat Euangelium.

D. Ambrosius per virgam ferream intelligit Euangelium, per quod corrigendi sunt fideles subditi a suo prælato, cuius præcepta austeriora vtique sunt præceptis veteris Testamenti, quapropter lex vetus, & eius præcepta appellantur ab illo, virga lignea Moysi, lex vero noua, putà Euangelium, & eius præcepta nuncu-B cupantur ab eodem virga ferrea. Quamobrem in hisce suis commentarijs in hæc verba adamussim prorumpit. [Per virgam igitur ferream Euangelium designatur, sicuti & per virgam ligneam, lex. Nam virga lignea, qua vtebatur Moyses, per ipsam legem, quæ ab eo data est prætendebatur. Ipsa namque virga sicuti in Exodo legimus percussit bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ ita vt populus biberet, & iumenta. Virga igitur est vetus Testamentum, bina percussio, legem & prophetas, petra autem Christum figurabat, &c.] & paulo post: [Et quia austeriora sunt præcepta noui Testamenti, non incongruè per virgam ferream Euangelium, per ligneam autem, lex figuratur. In illa dicitur comedetis, & non saturabimini, & iterum. Comedetis vetustissima veterum; & vetera, nouis superuenientibus proijcietis, & multa alia quæ ad delectationes carnales pertinent. Isti autem dicitur: Videte ne C grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate & curis huius sæculi, & iterum arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam &c.] Cuius plane enodatio, & sententia optima quidem est, & non longe distans à superiori; quoniam per austeriora præcepta noui Testamenti, inflexibiliter corrigendi sunt subditi (prout supra retulimus) dum de rectitudine iustitiæ ageremus.

Comparatio.

Leuit. 26.

Luc. 21.

Matth. 7.

Auctor attrahit D. Ambrosium in suam sententiam.

Conceptus Prædicabiles in textum.

NOn intendit noster Prophetarum Propheta Ioannes, hoc in loco asserere per hęc verba: [Reges eas in virga ferrea] quod ad bonum Antistitem pertineat esse omnino inflexibilem, (non enim D est hoc in prælato, & pastore commédabile) sed tantum intendit excludere à bono Prelato nimiam mansuetudinem, & remissioné. Primus Prælatus & Pastor totius Ecclesiæ Dei fuit D. Petrus Apostolus, qui tantus erat in subditis corrigendis, vt de eius austero corrigendi modo, & stylo extet illud elogium, quo dicitur: [Factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia.] Ad correptioné namq. huius Pastoris dicentis: [Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?] Mox sequitur in cap. 5. Act. [Audiens autem Ananias hęc verba cecidit, & expirauit.] Et iterum ad eius vxorem. [Ecce pedes eorum qui sepelierunt virũ tuum ad ostium, & efferent te,] & statim subiungitur: [Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit.] Ob quam virgam ferream Petri, nimirum, asperam, & austeram correptionem dictum est bis in illo c. 5. Act. [Factus est E timor magnus in vniuersa Ecclesia.] Exemplo igitur sit omnibus, Petrus Apostolorum coryphæus, tum & Paulus, qui ad Timotheum dicit: [Argue, obsecra, increpa, in omni patiẽtia & doctrina.] & iterum ad Galatas. [O insensati Galatæ quis vos fascinauit,] ille etiã Ioannes Baptista qui Iudæis dixit: [Genimina viperarum quis vos docuit fugere à ventura ira?] Et Herodi regi: [Non licet tibi habere vxorem fratri tui,] & tandem asser-

Conceptus 1. Quod Antistes non debeat esse nimis rigidus, ac seuerus, nec minus lenis ac remissus.

2. Tim. 4.

Galat. 3.

assertor noster Christus, q eosdē Hebræos carpēs Pharisæis dixit: [Vos ex patre diabolo estis.] Ex quibus omnibus sequitur clarè prælatum debere aliquando durè loqui, & seuerè. Quoniam quemadmodum propter duros lapides, duriores mallei sunt inuenti, sic quorumdam durities, exposcit vt causa regiminis, & disciplinæ durioribus verbis, & austerioribus reprehensionibus corrigantur, & reprehendantur. Quid enim duriùs, quam illud Noe Gen. 9. [Maledictus Chanaam puer.] & illud Iacob ad Ruben Gen. 49. [Non crescas.] & ad Leui, & Simeonem, [In consilium eorum non veniat anima mea, maledictus furor eorum.] Quamobrem de Antistite Ildephonso Abbate Agaliense exijt in prouerbium olim inter monachos: [Ensis erat in offensis, Abbas Agaliensis.] Cæterum Præsules, ac prælati huius nostri sæculi, aut in magis, aut in minus aberrant. Quidam enim illorum ita durè, & asperè reprehendunt, vt prorsus videantur carnifices, quam pastores. Alij vero sunt sicut formidines in cucumerario, quas Hispani materna lingua [Dominguillos] nuncupant; vel, vt aliter dicam, quemadmodum gentium idola, de quibus dicit Psalmographus, quod oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt, manus, & non palpant; pedes, & non ambulant. Vidēt enim hi Antistites suos subditos scortantes cum meretricibus, simoniacos, latrones, vsurarios, concubinarios, linguosos, & ferè infinitis repletos dolis, & fraudibus, & fingunt se oculos ad eos intuendos, aures ad eorum rumores audiendos, linguam ad eorum nequam & sceleratam vitam exprobrandam, manus ad eorum facinora multanda, & pedes ad eorum semitas impediendas nullatenus obtinere. De quibus dici potest illud Baruch 6. [Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit, ita sunt dij illorum lignei, & argentei, & inaurati. Eodem modo & in horto spina alba, supra quam omnis auis sedet; similiter & mortuo proiecto in tenebris sunt. &c.] Alij tandem sunt, qui aliquantulum corrigunt, & reprehendunt; non tamen virga ferrea, sed virga aurea, & argentea, nimirum, corrigunt bursas, & crumenas, & sacculos subditorum, puta, sumendo ex ipsis magnam auri, & argenti quantitatem, non autem corrigunt, nec reprehendunt eorum vitia, funditus extirpando, & euellendo illa. Vnde fit, vt vulnus putrescat, & post correptionem (videlicet solutionem illam denariorum) securiùs peccent subditi fornicando, vel vsuras, simonias, & reliqua scelera patrando. His planè præpositis conuenit illud, quod Dominus ad Moysen dixit: [Tolle cunctos principes populi, & suspende illos contra solem in patibulis.] Quibus verbis clarè liquet ira Domini contra ignauos, ac negligentes prælatos, atque principes in corrigendis subditorum culpis. Quæ etiam constare potest ex facto, & pœna Heli, qui reprobatus à Sacerdotij dignitate, eo quod non seuerè, sed blandè, & amicè filios correxit suos. Quamobrem per hæc verba: [Reges eos in virga ferrea,] excludere intendit noster Archipropheta nimiam mansuetudinem, & remissionem in bono Antistite, ex qua multa mala sequuntur. Quoniam ex remissione prælati in offensis corrigendis, & puniendis: dum, vel non punit, vel remissè punit, vel quosdam puniens, alios æquè, vel magis reos, propter negligentiam, vel beneuolentiam, vel precem, vel pretium, vel spem commodi, vel timorem pusillanimitatis impunitos, vel minus punitos, sine ratione pertransit, damnabiliter sumitur audacia ad similia (vt dixi in enodatione textus) vel peiora, ex quibus iterum alij prouocantur ad idem. Sunt proculdubio ij præsules veluti Antistites, & Episcopi emortui, penicillo in pariete depicti, qui exteriori illo ornatu & baculo pastorem repræsentant; baculum tamen, quo numquam vtuntur, manu tenent, contra quos planè clamat Dominus per Ezechielem in cap. 34. dicens: [Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.] Et statim: [Quod infirmum fuit non consolidastis, quod confractum non

Comparatio.

Monachorũ prouerbium de Ildephonso Abbate.

Prælatorum differentia corrigendo.

Prælati solēt quandoq. gregem suum virga aurea, & argentea, & nullatenus ferrea percutere.

Comparatio.

F alligastis, quod ægrotum non sanastis, & quod abiectũ non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.] Et iterum per Ieremiam Thren. 2. [Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones.] ideo isti Antistites debent attendere sententiam Dei dicentis: [Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.] Debet igitur Prælatus subditos corrigere; quoniam scriptum est Eccl. 33. [Cibaria, & virga, & onus asino.] & Prou. 29. [Virga, atque correctio tribuit sapientiam.] quod planè fit dum corrigit in virga ferrea, puta, in iustitia inflexibili ad remissionem, ita vt vtrumque commendetur ex altero, vt neque rigor sit rigidus, nec mansuetudo sit dissoluta. Et si quandoque propter quorumdam obstinationem, vel G aliam culpam, & speciali causa oporteat seueriùs agere, etiam tunc seruanda venit leniositas charitatis in corde, ita vt tunc subditus dicat illud psalmistæ: [Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt:] Virga enim percutimur, & baculo sustentamur; Sit ergo districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Miscenda est igitur lenitas seueritate, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis, virga simul, & manna erat; quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore sit, debet etiam simul esse virga districtionis, & manna dulcedinis. Hinc talis debet esse dispensatio regiminis, vt is qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, quatenus arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem H reddat, aut immoderata seueritas odiosum. Moyses enim sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persequutus est; quos amauit, vt eos etiam Domino parcente prosterneret, vtrobique legatus fortis, mediator admirabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gaudijs alligauit.

Psal. 88.

Correctio sapientiam gignit.

Correctio pastoralis qualis oportet sit.

Lenitas seueritate miscenda.

Exod. 12.

Greg. lib. 25. moral.

Prælatus, & amandus, & timendus.

Typus optimi prælati.



IRGA in sacra pagina, tria præcipuè solet significare, nimirum Virginem Mariam, Crucem Christi, & ipsummet Christum. Dum siquidem Isaias in c. 11. dixit: [Egredietur virga de radice Iesse, &c.] De B. Virgine ibi est sermo propheticus: I Virgo enim beata dicitur virga, eo quod sine corruptione flos diuinitatis, & fructus humanitatis de ea propagatur. Porro virga est flexibilis, & tenera, & quantò in arbore est altior, tantò est minor gracilior, & flexibilior. Haud secus Virgo Maria est flexibilis, pia, & ad preces nostras inclinabilis, & prompta, & quantò fuit altior, per sanctitatem, & generis dignitatem; tantò fuit gracilior per humilitatem, & tenerior per mellifluam pietatem; vnde ipsamet de seipsa dicit Lucæ 1. [Ecce Ancilla Domini.] Quapropter typus eius fuit virga Aaron, Num. 17. quæ sicca floruit, germinauit, & gemmis turgentibus erupit in flores, dum de ea dicitur Matth. 1. [De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.] Dum vero Isaias in cap. 3. ait: [Pauebit Assur virga percussus.] sermo sanè ibi est de Cruce Christi, qua percussus fuit diabolus; quapropter eam mirum in modum pauet. Quemadmodum K enim virga pueri se defendunt à canibus, sic nos virga crucis Christi defendimur ab hostibus, puta à dæmonibus. Dum tandem Psalmographus ait: [Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.] sermo ibi est de Christo, de eius virtute, de eius imperio, & de eius regimine. Dominus enim, puta Deus Pater, istam virgam Christum è cælo emisit, & in medio peccatorum, & inimicorũ suorum dominari constituit, & perfecit. Quemadmodum

Conceptus 2. Quod virga significat Virginem, Crucem, & Christum iudicantē inimicos.

Maria Virgo virga.

Virgæ proprietates cōueniunt Mariæ.

Crux Christi virga.

Virgæ proprietates conueniunt Cruci.

Christus virga.

Virga proprietates adaptantur Christo. dum enim Pastor, mediante virga, regit oues, sic pater, mediante filio, regit mundum. Et ideo ista est virga Moysi, quæ signa & mirabilia fecit coram Pharaone, quæ aquas Ægypti in sanguinem mutauit, & quæ in Draconem mutata, virgas magorum deuorauit. Quia verè Deus Pater per hanc virgam suam, putà, filium suum, hic coram humano genere fecit multa signa, & mirabilia, quæ per beatam Incarnationem, in draconem, scilicet, in carnem se mutauit, & media vnione hypostatica se conuertit; & virgas Magorum id est, potestatem regnorum, & dæmonum destruxit, & deuorauit, in quantum scilicet sanctam Ecclesiam instituit, & errores gentilium eneruauit. Et ideo ista est virga ferrea, de qua hic dicitur: [Reges eas in virga ferrea:] quod potissimè fiet in iudicio, quando cum ista virga, canes, id est peccatores, percutientur, & extra domum Ecclesiæ in infernum expellentur, iuxta illud: [Ite maledicti in ignem æternum.]

Virgæ Moysi miracula.

Matth. 25.

P A R A P H R A S I S

Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus. §. 1.

Et tanquam vas figuli (ait) confringētur. Confractio, ruptio, vel scissura ista vasis figuli, supplicium, & punitio pastoris vtique est in sibi subditos Geminum namq; esse cum sit in hominibus, (vt communiter dicunt Theologi,) naturę, nempe, & gratiæ, Vnum debile, inconstans, ac tenue, nimirum, esse naturæ, de quo dicitur Gen. 2. [formauit igitur Deus hominem de limo terræ.] Hoc est, de puluere terræ, vt habetur in Hebræo, & vt etiam indicat illud Gen. 3. [Puluis es, & in puluerem reuerteris.] Puluere autem quid leuius, fragiliusuè? Limo itidem (terra madefacta cum sit:) quid illo infirmius, imbecillius, aut debilius? Nihil plane; Alterum fortè, stabile ac constans, videlicet esse gratiæ, de quo Apostolus 1. Cor. 15. ait: [Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui, Non ego autem, sed gratia Dei mecum.] Et alibi: [omnia possum per eum, qui me confortat.] Duplex igitur esse, cum sit in hominibus, naturæ, scilicet, & gratiæ, oporteet vt destructo esse gratiæ propter scelera; & peccata (peccata siquidem, gratiam ab anima depellunt) remaneat homo in suo esse naturali, debili, inconstanti, ac fragili. Hinc, hoc in loco, ab Archipropheta, mali, fictiles, & vasa figuli, quæ facile franguntur nuncupantur. Quamobrem Apostolus 1. Cor. 15. sic ait: [Primus homo de terra, terrenus; Secundus homo de cælo, cælestis; qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes; igitur sicuti portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem terreni, portemus & imaginem cęlestis; hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis, regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.] Quia tamen mali, imaginem primi hominis terreni, & nullatenus imaginem secundi hominis cælestis adhuc portant, terreni permanentes, corruptibiles ac fictiles, vt vasa figuli, iustè appellantur.

Duplex esse in hominibus. Esse natæ debile.

Esse gratiæ forte.

Peccata destruunt esse gratiæ.

§. 2. Figulus quis sit.

Porro figulus, artifex quidam est, qui ex creta statuas, & similitudines fingit, vel (vt aliter dicam) qui ex luto, vel argilla imagines, & alia opera facit, sic enim scribit Plinius lib. 35. nat. hist. cap. 12. [Diburades Sicyonius figulus, primus inuenit Corinthei filiæ opera, quę capta amore iuuenis, illo abeunte peregre, vmbram ex facie eius ad lucernam in pariete lineis circumscripsit, quibus pater eius, impressa argilla, typum fecit, & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit, eumq; seruatum in Nymphæo donec Corinthum Mummius euerteret tradunt.] Sic ille. Et in sacris Biblijs Ieremiæ 18. sic dicitur. [Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea, & descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis, conuersusq; fecit illud vas alterum sicuti placuerat in oculis eius, vt faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens, nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli sic vos in manu mea domus Israel:] Et ad Rom. 9. [O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?] Mali igitur, vasa sunt non aurea, nec argentea, sed terrea; & ob id vasa figuli, quæ facile (ex argilla & ex luto cum sint) dissipantur. Fictilia quippe vasa sunt peccatores cum sint contumeliæ, & iniquitatis lagenæ. [Simeon, & Leui fratres, (dicitur Gen. 49.) vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.] Quo loco illud: [diuidam eos in Iacob, & dispergam eos, &c.] correspondet huic, [confringentur.] Quamobrem diuidere, dispergere, idem prorsus erit, quod dissipare, & confringere hydrias, hoc est, peccatorem pro machinata fraude, & pro commisso peccato acriter puniri a suo superiore. Hinc S.Tho. super hunc locum, sic scribit: [Et tanquam vas figuli, quod facilè frangitur, quia fictiles confringentur vt pereant; quia rectum regimen pastoris sequi noluerunt; alij autem vt meliores fiant, quidam enim boni, & rigidi pastoris regimen propter superbiam, & impatientiam, vel carnalitatis iugum, vel aliud vitium non sustinent, & perijt bonum, si quod habebant, quod est confringi; alij humiliter sustinentes inde proficiunt, vt propter correctionem, vel documentum, vel exemplum pastoris, si quod in eis erat abijciunt; bonum autem est sic confringi: Ps. & tanquam vas figuli confringes eos,] Ita S.Thomas. Et Rupertus Abbas in eumdem locum, sic ait: [Sicut vas figuli confractum non potest continere aquam, sic illi (subditi scilicet, quos prælatus corrigit) conterriti, & excusare non valentes, vel abscondere culpam propriam, confitentur: alioquin maiorem vim experirentur, sicque iudiciali anathematis lapide omnino confringuntur, vt non remaneat ex eis saltem testa, qua portetur igniculus.] Sic ille.

Plinius lib. 35. nat. hist. Pri. figulus.

Figulus facit quod vult.

Fictor noster Deus.

Mali, vasa terrea.

Peccatores & mali vasa fictilia.

Rupertus Abbas in comment.

§. 3.

D. Ambrosius in hisce suis commentarijs per hanc confractionem vasorum figuli, reparationem intelligit cordium gentilium, quamobrem sic scribit: [Per vasa figuli corda gentilium omnibus erroribus dæmonum repleta designantur, quæ à tactu virgæ ferreæ confracta sunt; quia veniente Euangelij gratia, omnis error gentilium destructus est, & quæ erant antea vasa fictilia facta sunt vasa ferrea contra omnia tentamenta dæmonum, & contra persequutiones hominum malorum fortissima.] Ita D. Ambrosius. Eamdem reparationem & conuersionem gentilium intelligit per fractionem, destructionem, & euersionem vasorum figuli, D.Ioannes Chrysostomus homil. 4. ad baptizandos, tom. 5. quo loco aduertit destructionem, & euersionem significari in sacra pagina non per vas figuli, sed per vas fictile; quamobrem dum Ieremiæ 19. extrema Ierosolymorum euersio prænunciatur, Iubetur Propheta Dei, vas fictile in totius populi conspectu confringere; quod plane minimè accidit cum salutis spes promittebatur. Tunc enim iussus est idem vates sanctus ad domum figuli se conferre, prout habetur Ieremiæ. 18. vbi non vas fictile iam decoctum, sed argillam adhuc recentem conspexit, quæ eo præsente, fuit in aliud vas multo elegantius efformata: Vnde ei dictum fuit: [nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel?] Ex quibus cocludit Chrysost. cum Christus gentes confracturus dicitur tanquam vas figuli, in bonam partem accipiendum esse, puta, de conuer-

D. Ambrosius in commẽt.

Conuersio & restauratio gentilium.

Gentes confractæ per Christum, in vasa honoris euaserunt.

conuersione gentium ad fidem, & de eorum reparatione, & de pulcherrimis gratiarum ornamentis, quæ accepturæ erant, vbi superstitionem deposuissent, ac impietatem, & nullatenus intelligi debere de Iudæorum, aut gentium destructione. Concinit opinio Chrysostomi cum D. Hilario, D. Augustino, Theodoreto, Beda, & Euthymio, qui in explanatione illorum verborũ psalm. 2. [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos] dicunt confractionem istam vasis figuli, gentilium restaurationem significare. Nam quemadmodum vas ex molli luto effectum, nisi ad normam cadat, iterum frangitur, vt melius efformetur: sic Messias debere gentes, destructa eorum vana superstitione, ad fidei, morumque elegantiam traducere.

Comparatio.

§. 4. Lyrani opin. Virga ferrea materialis gladius Principũ Christ.

Lyranus in explanatione psalm. 2. putat, per virgam ferream intelligi posse materialem gladium Principũ Christianorum qui rebelles Christo, tamquam eius ministri, debellarunt, quemadmodum patet tempore Caroli Magni, & aliorum Principum fidelium, qui contra infideles victoriosè se habuerunt.

§. 5. Virga ferrea potestas Christi.

Cæterum, demisso hoc Principum Christianorum gladio, per hæc verba: [Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.] explanatores prælibati psalm. 2. (ac etiam ipsemet Lyranus) potestatem Christi insuperabilem, & æternam supra gentes expendunt, iuxta illud Danielis 7. [Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, &c.] & subditur: [Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.] Quamobrem Strabus cum D. Augustino sic vertit: [Partim reges, & partim franges, secundum illud Lucæ 2. Ecce hic positus est in ruinã, & in resurrectionem multorum, vt qui iustus est, vt dicitur Apoc. 22. iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.] Et Cassiodorus: [Potestas Christi virga ferrea, peccator vas figuli, quod & lutum, & facilè frangitur.] Quare per hanc vasis figuli confractionem melius intelligenda venit destructio peccatorum in gentibus, & in peccatoribus facienda per iustos, ac sanctos Prælatos, quam quodlibet aliud. Quemadmodum enim dum vas frangitur, mox sonus efformatur, haud secus dum à Prælato subditus iustè corripitur, recipiendo correctionem, frangitur vitium, & cor peccatoris emittit sonorum sonum lachrymarum, & humilitatis, vt adumbrari potest in fractione vasis Mariæ Magdalenæ, de qua dicitur: [Et fracto alabastro, domus repleta est ex odore vnguenti.] Vnde quemadmodum potestas Christi maximè se extendit ad duo, nimirum, ad præmiationem bonorum, & ad punitionem malorum, iuxta illud Lucæ 2. [Positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.] Sic potestas sanctorum Antistitum in Ecclesia Dei, se debet extendere ad hæc eadem duo, nimirum ad præmiationem bonorum, & ad punitionem malorum. Quamobrem Christus, hoc in loco, sic ait optimo pastori, [Reges eos in virga ferrea,] intelligendo per virgam ferream, virtutem iustitiæ; quia sicut virga ferrea stabilis in sua rectitudine permanet, sic & iustitia obliquari nescit. Ad iustitiam autem pertinet bonis dare præmium, & supplicium malis. Vnde subiungit quantum ad malos, [& tamquam vas figuli confringentur.] Quoniam si per Antistitis correctionem mali, nullatenus corripiuntur (vt prædiximus) proculdubio æternaliter puniuntur, & tamquam vas figuli confringi dicentur in inferno. Quoniam sicut hydria figuli fracta amplius reparari nequit; sic isti confringentur in inferno, vt amplius per pœnitentiam reparari non possint, quia tempus pœnitentiæ fructuosæ est solum in præsenti vita. Hinc D. Dionysius Carthusianus in hunc locum, sic scribit: [Sancti secundum Apostolum, de hoc mundo iudicabunt, quibus & Christus promisit, sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Vnde in libro Sapientiæ scriptum est, iudi-

Strabus.

Scissura vasis figuli destructio peccatorum.

comparatio.

Mat. 14. Ioan. 12.

Potestas Xpi præcipuè se extendit ad duo.

Potestas Episcoporum se debet extendere tam ad supplicium, quam ad præmium.

De pœnit. distinct. 7. Nemo desperandus.

F cabunt nationes, & dominabuntur populis, & reget eas in virga ferrea, id est, in rigore iustitiæ, vel cum damnationis sententia mittet, seu diriget eas ad finem eis debitum, puta ad pœnas inferni; Nam simul cum Christo iudicabunt, & eius sententiam approbabunt. Et tamquam vas figuli confringentur, non esse, sed omne bene esse perdendo.] Hæc Carthusianus. Hanc conuersionem, & reparationem gentium, & peccatorum figurauit Dominus typo hydriarum figuli, dum Iudic. 7. iussit filijs Israel complodere inter se lagenas, vt Madian traderetur in manibus eorum, vocibus tubarum, & lampadibus mediantibus.

§. 6. Vasis figuli ruptio est propria cognitio. Luce 5.

Ruptio siue scissura ista vasis, seu lagenæ figuli, etiã potest propriam cognitionem peccatoris demonstrare, qua peccator redit ad se, iuxta illud filij prodigi, [in se autem reuersus.] Tunc enim peccatores tamquã

G vas figuli confringuntur à sua duritia cum se agnoscũt, amittendo non esse naturæ, sed propriæ peruersitatis, & libertatis irrefrænatæ, secundum quod Salomon ait: [Verte impios, & non erunt.] Hæc est salubris cõfractio, qua, quis vincit seipsum, & frangit proprium animum, quod est abnegare seipsum. Quod qui fecerit, dicere potest illud Apostoli: [Viuo ego, iam nõ ego, viuit vero in me Christus.] & tunc rumpet vas seu hydriam suæ superbiæ homo.

Prou. 12.

Ad Gal. 2.

P A R A P H R A S I S

Quarta.

Par. 4.

Sicuti & ego (ait) accepi à patre meo.

Dilucidatio textus.

H Per comparatiuam illam dictionem, (sicuti,) tenentur sancti, & iusti Antistites scire, cognoscere, & intelligere, eorum potestatem regendi in Ecclesia Dei, originẽ traxisse a Christo, quemadmodum imperium Christi in omnes gentes, originem traxit à patre æterno.

§. 1.

§. 2. Imperium & potestas Christi a patre æterno.

Imperium autem, & iudiciariam potestatem, quam Christus, secundum quod est homo, quatenus scilicet est totius Ecclesiæ caput) in omnes res humanas obtinet, per mortem, & acerbam passionem suam, à Patre æterno accepisse dispungunt Theologi cum Magistro in 3. p. q. 49. Ex merito quippe mortis, & passionis eius iudiciariam potestatem (quæ homini Christo tum propter diuinam personam, tum propter capitis dignitatem, tum propter plenitudinem habitualis gratiæ competit) abunde ipsemet etiam obtinuit: Nihil enim prohibet vnum, & idem (vt ait D. Thom.) debere alicui ex causis diuersis, sicuti gloria corporis resurgentis debita fuit Christo non solum propter congruentiam diuinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis. Quamobrem hic vincentibus errorem Iezabelitarum, hoc est, mundum, dæmonem, & carnem, promittit Christus iudiciariam potestatem supra malos, post adeptam victoriam: sicuti & ipse post victoriam acerbæ mortis, eamdem à patre accepit, dicente Apost. ad Philip. 2. Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.] & hoc denotatur hic cum dicitur: [sicuti & ego accepi a patre meo.] Quemadmodum igitur Christus per mortem, & passionem vicit, & accepit potestatem à patre in omnes res humanas, vt ipsemet ait Apoc. 3. [Ego vici, & sedi in throno patris mei.] In throno namque intelligitur iudiciaria potestas, iuxta illud psalm. 9. [Sedes super thronum, qui iudicas iustitiam] (expediebat namque, vt secundum Dei iustitiam, iudex esset ille, qui pro Dei iustitia pugnauit, & vicit, & iniustè iudicatus fuit) sic & iusti post victoriam à dæmone, mũdo, & car-

Meritum Christi.

S. Tho. 3. p. q. 49. ar. 3.

Res vna deberi potest alicui diuersis de causis.

I

K

& carne adeptam, iudiciariam potestatem in malos in hac vita accipiunt à plenitudine Christi. Hinc Primasius B. Augustini discipulus super hæc verba, [Sicuti & ego accepi à patre meo,] sic eleganter scribit: [In Christo habet Ecclesia hanc potestatem, tamquam corpus in capite: Si quæ enim dignè corpori eius adhæserit, veraciter habere dicitur, quod filius hæreditario iure possedit, in quo (secundum Apostolum) nobis Deus omnia donauit.] sic ille. Et Rupertus Abbas ita: [Hanc potestatem illi dabo. Nam propter passionem mortis, gloria, & honore coronatus sum, & secundum hominem assumptum, data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; potestas iudicium facere; vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus sit; qui verò non crediderit condemnetur. Sicuti accepi (inquit) dabo illi, vt quorum remiserit peccata remittantur, & quorum retinuerit retenta sint.] Hucusque rupertus. Quod igitur obtinet Christus per suam plenitudinem, de qua dicitur Ioan. 1. [Vidimus eum plenum gratia, & veritate] vult ipsemet, vt iusti, & electi eius per plenitudinis participationem, habeant; & quod ipse per acerbam mortem, & passionem meruit; vult etiam ipse, vt iusti, & electi eius per tolerantiam passionum, & per carnis, & sanguinis victoriam ab ipsomet impetrent, de cuius plenitudine omnes accepimus.

Primasius in comment.

Rupertus Abbas.

§. 3. Consectariũ. Discant igitur ex hoc loco Reges, & Pastores Ecclesiæ Dei, ad imperandi, & regendi fastigium nullatenus esse perueniendum tyrannide, simonia, hypocrisi, pretio, alijsve iniquis medijs, sed dumtaxat labore, vera sanctitate, & pro Christo carnis, & sanguinis victoria. Quemadmodum caput nostrum Christus iudiciariam à patre suo accepit potestatem, acerba morte & passione mediante, per quam, & sibi, & nobis pleraque meruit.

DISPVT. XXIV. & postrema.

In Cap. Secundum Apocalypseos, de Potestate, & regimine iustorum, ac sanctorum Antistitum.

In tres Quæstiones diuisa super illa verba. Et *reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, sicuti & ego accepi à Patre meo.*

Prologus Disputationis.



X hucusque dictis perspicuum euadit, promissam fuisse Ecclesiæ felicitatem etiam in rebus temporalibus, putà, quod gentes multas sibi subijciat, & imperium in subditos securè exerceat, ac etiam tantam habeat potentiam, vt rebelles possit facilè coercere, hæreticorum impetus comprimendo, aliorum aduersariorum vires frangendo, & nullius potentiam formidando. Et sic vincentes, putà, sancti, & iusti homines debere collocari in alto dignitatis gradu; itaut Prælati, & Antistites aliorum efficiantur, & ad eum locum eueantur, ex quo, alios, virga ferrea, puta inflexibili, & æquissima, regant, & pascant, rebelles, & petulantes, imperio, & seueritate disciplinæ deuinciendo, & compescẽdo. Quamobrem meritò tractandũ, hoc in loco, duximus, de horum proborum virorum, & sanctorum, ac iustorum Antistitum potestate, atq. regimine, per subsequentes quæstiones.

Quæstio I.

An probi, sancti, iusti, & pij viri habeant à Christo, quod regant alios in virga ferrea?



ATICINIVM illud celebre, [Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos,] latissimè probat Burgensis contra Iudæos, nec de Dauid, nec de alia creatura, sed de solo filio Dei Iesu Christo posse intelligi. Quinimmo Doctores Græci, & Latini, in destructione Ierosolymæ per Romanos in eisdem Iudæis adimpletum fuisse. Tunc enim dicũt Iudæos quasi vasa figuli per Romanos, quasi per virgas ferreas, fractos fuisse crudeliter, iuxta illud: [Malos malè perdet,] & sic ducti fuere Hebræi in captiuitatem Romanorum, qui male torquebant eos. Cum autem illud vaticinium sit de Christo, voluit ipsemet Christus dare sanctis suis potestatem regendi alios; quemadmodum Pater æternus dedit ipsi, vt regeret gentes in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringeret eos. Hinc D. Ambrosius in hisce suis commentariis in hunc locum sic scribit: [Omnia, quæ secundum dispositionem Dei fienda sunt, in prædestinatione eius iam quasi facta existunt, quia non potest fieri vt immutetur aliquid ex omnibus quæ statuit Deus, vt fiant. Similiter & sanctos, quos præsciuit Deus futuros iustos, & in bonis operibus perseueraturos, ante ortum illorũ hos præsciuit, vt habeant potestatem super gentes, & regant eas in virga ferrea, sicuti ad Ieremiam loquitur dicens: Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. In secundo psalmo scriptum est, quia dixit Pater ad filium: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Dedit pater filio potestatem, vt regat gentes in virga ferrea. Dedit & filius potestatẽ Apostolis, & cæteris prædicatoribus, vt regant & ipsi gentes in in virga ferrea, & tamquam vas figuli conterant eas.] Ita D. Ambrosius. Et per hoc patet qualiter probi sancti, iusti, & pij viri habeant à Christo, quod regant alios in virga ferrea.

Psal. 2.

Paulus Burgensis super psal. 2.

Matth. 21.

Ierem. 1.

Quæstio II.

An indignum videatur benignitate, & sanctitate proborum sanctorum, ac piorum Antistitum, quod regant alios in virga ferrea?



IRGA ferrea bipartitam præsegerit acceptionem. Quandoque namque indicat supplicium, & damnationem æternam, qua ratione accipitur virga ferrea à D. Hieronymo, & à D. Gregorio in psalmos, & præcipuè psal. 2. in illa verba: Reges eos in virga ferrea.] & in psal. 4. pœnitential. in illa verba: [Respexit in orationem humilium,] vbi per virgam ferream, & con-

Virga ferrea distinctio notabilis.

læ matutinæ, quod aliquando oriatur ante Solem, quasi deferens solem, & tunc habere velociorem motum versus Orientem, & secundum hoc appellatur, stella veneris, lucifer, & stella matutina. Aliquando verò oriatur post solis occasum, quasi deferens ipsum, & tunc velocius moueri versus Orientem & sic nuncupatur Hesperus, siue Vesperus. Quamobrem verba illa Iob: [Nunquid producis luciferum in tempore suo & vesperum super fines terræ consurgere facies?] De hac eadem stella matutina, quæ est stella Veneris accipiuntur, quæ diem antecedens, solem, & noctem subsequens, eumdem annunciat. Modo ad rem.

Stella matutina multipliciter nominatur.

§. 3. Stella matutina Christus in patria.

D. Ambrosius, Primasius, S. Thomas, Beda, Rupertus Abbas, D. Dionysius Carthusianus, Ansbertus, Pannonius, Strabus, Laudunensis, Lyranus, Auctor Incognitus, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Blasius Viegas, per stellam matutinam, in hisce suis commentarijs expendunt, Christum in Patria, ita vt sit sensus. Vincentibus, & custodientibus vsque in finem mandata mea, dabo meipsum in patria, qui per meam resurrectionem iustè matutina appellor stella. Hæc expositio mihi multum arridet. Vnde in principio huius paraphrasis dixi, vitam beatam & æternam, putà, ipsummet Christum in patria, sub matutinæ stellæ metaphora, iustis hic repromitti.

§. 4.

Verumenimuero hæc nostra, & horum omnium Domorum enodatio postulat duo. Primum quidem, qualiter per stellam matutinam, vitam beatam, æternaleq. præmium possumus intelligere. Secundum vero quomodo stella hęc matutina Christum in Patria designare possit. Et quantum ad primum dico quod solet Deus in sacris litteris vitam beatam æternaleq. præmium patriæ, per stellas polliceri, quamobrem Abrahæ Gen. 15. dixit: [Suspice cælum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum.] Quibus verbis, quamuis Deus Abrahæ seminis multitudinem corporalem per propagationem, multiplicationemq. posteritatis eius, & spiritualem per multitudinem seminis spiritualis, nimirum, per fidem promittat, tamen principaliter vitam beatam, & æternam, quę erit in resurrectione mortuorum, eidem Abrahæ pollicitur. Quoniam, vt ait Abulensis in c. 15. Genes. Pro quolibet bono correspondet merces, & debet esse semper merces æqualis, vel maior bono actu meritorio, & quia Deus nolebat prefigurare mercedē, quā ei daturus erat pro bono opere, vt supra dixerat scilicet quod merces tua magna nimis, oportebat quod ipse figuraret, tantā, vel maiorē mercedem, quā essent merita Abrahæ. Sed actus facti in charitate ex natura sua & voluntate diuina excedunt res corporales; ergo, non æqualiter daretur, si solæ res temporales darentur pro opere charitatis. Necesse erat ergo, quod illa pluralitas stellarum, non solum figuraret pluralitatem in semine Abrahæ, quia hoc bonum transitorium erat, non æquale actui virtutis: sed etiam ad bonum valde maius, scilicet bonum vitæ æternæ post resurrectionē corporum. Et congruè signatur hoc per stellas, quia post resurrectionem, fulgebunt iusti sicut stellas in perpetuas æternitates, vt habetur Dan. 12. c. Et etiam erit differentia in gloria sanctorum, sicut differentia lucis astrorum vt patet 1. Cor. 15. sicut differt stella à stella in claritate, ita sancti in resurrectione mortuorum.

Vita beata per stellas intelligitur.

Rursus, secundum quod supra enodare promissi, nimirum, quomodo stella hęc matutina, Christum Dominum in patria designet, fulciri & firmiter corroborari potest. Tum quia ipse Christus stella nuncupatur, iuxta illud Num. 24. [Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, & percutiet Duces Moab.] Qui locus de Christo expendit in hisce suis commentarijs, D. Ambrosius. Tum quia ipsemet Christus ait de seipso in cap. 22. Apoc. [Ego Iesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesijs, ego sum radix, & genus Dauid, stella splēdida, & matutina] Qui locus (præter id, quod ex se sit clarus) expenditur

§. 5. Christus est stella matutina.
1. Ratio.
D. Ambros. in comment.
2. Ratio.

A etiam de Christo à D. Gregorio lib. 19. Moralium cap. 30. dum dispungit illa verba Iob: [Nunquid producis Luciferum in tempore suo?] Tum quia inter Christum, & stellam matutinam est maxima analogia, & proportio: eo quod quemadmodum stella matutina, cito futurum solem denuntiat, ita nato Christo, redemptio, & resurrectio nostra denuntiata vtiq. fuit. Ob hoc, D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 30. sic scribit: [Christus natus ex Virgine, veluti lucifer in tenebris noctis apparuit, quia fugata obscuritate peccati, æternum nobis mane nunciauit, & præterea qui viuus apparens post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicauit.] Hæc D. Gregorius. Et quidem quantum ad resurrectionem nostram futuram addere possumus, quod cum membra redemptoris nostri simus præsumere, & sperare futurum in nobis debemus, quod iam gestum constat in capite, vt intrepidè probat Apostolus hoc vnico argumento, putà, Christus resurrexit, ergo & nos resurgemmus. Vnde quemadmodum stella matutina diem vicinum prænunciat sic Christus resurgens ex mortuis generalem omnium resurrectionem demonstrat. Quamobrem Titelmanus in suis ex Hebręo, & Chaldęo annotationibus in psalmos dicit, psalmum 21. inscribi [Pro susceptione, vel assumptione matutina (quod Felix vertit, pro cerua aurora. Seu cerua matutina) quosdam vero Hebræos [Stellam matutinam,] vertisse. Quæ omnes translationes ad humanitatem Christi, ad auroram resurgentis maximè pertinent. Porro quemadmodum stella matutina suo ortu tenebras fugat; sic Christus suo ortu, infidelitatem idololatriamque prorsus depellit ex orbe. Hinc Apostolus ad Rom. 13. [Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.] Vlterius: Sicut stella sex radijs noctem illuminat, sic Christus sex virtutibus (quasi sibi proprijs) mundum illustrat, videlicet, humilitate, iuxta illud ad Philip: 2 [Exinaniuit semetipsum, &c.] mansuetudine, iuxta illud, Matth. 11: [Discite a me quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis, &c.] charitate, secundum illud Ioan. 15. [Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat, &c.] largitate, quoniam dat omnibus affluēter, cum sit largitor omnium bonorum: Innocentia, cum sit agnus immaculatus pro nobis immolatus. Et tandem patientia: nam patiens est, & multum misericors. Hæc analogia, & proportio adhuc illustratur, eò quod quemadmodum stella matutina diem splendoris futurum denunciat: Sic Christus adueniens non solum fulgentissimum gratiæ diem significauit, verumetiam instar solis illum effecit ita vt splendor, & lampas lucidissima ipse Christus Saluator noster meritò appelletur per Isaiam in cap. 62. dicentem. [Donec egrediatur, vt splendor iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur.] Ad quod planè alludit illud Ioan. 8. [Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris.] Et cap. 9. [Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.] Et etiam illud eiusdem Isa. in cap. 49. [Dedi te in lucem gentium.] Est igitur qualiter Christus significatur per stellam matutinam, iuxta illud 2. Pet. 1. [Donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.] Quapropter stella matutina, Christum in patria aptè, & commodè demonstrare poterit. Iccirco Christum dare alicui stellam matutinam, nihil aliud erit secundum literalem sensum, quam Christum dare seipsum alicui in patria, iuxta illud Ioan. 14. [& manifestabo ei meipsum.] Quoniam essentia ipsa diuina est obiectum Beatitudinis nostræ, vt prodit, S. Thom. p. 2. quæst. 3. art. 8. diffiniens, hominis beatitudinem in diuinæ essentiæ visione consistere. Iccirco quemadmodum matutina stella, noctis finem, & diei initium annuntiat: ita Christus finem huius viæ tenebrarum, & claritatem patriæ æternæ, per beatam visionem sui ipsius iustis præbere solet. Et hoc est illud: Donec lucifer oriatur in cordibus vestris.] Quasi dicat, donec Christum in patria facie ad faciem, beata fruentes vita, videamus

3. Ratio.
Stella matutina maximā cum Christo obtinet analogiam.
Titelmanus in psalmos.
4. Ratio.
5. Ratio.
Christus vt stella matutina, maximā claritatem gratiæ attulit mundo.
Christus est nostra vita, æterna, & beatitudo.

B C D E

mus. Vitam igitur beatam, & æternam, quæ erit in resurrectione mortuorum, & quæ etiam per multitudinem stellarum Abrahæ, & semini eius à Deo principaliter pollicita fuit, hanc eandem hic custodientibus firmiter mandata Dei repromittit Christus filius Dei cum dicit, se custodientibus opera sua vsq. in finem, matutinam stellam, daturum. F

§. 6. Explanatio 2. Stella matutina Virgo Maria.

Virginem gloriosam etiam intelligere possumus per matutinam stellam; quoniam de Maria sacratissima dicitur: [Aue stella matutina, peccatorum medicina.] Solet namque medicina ab infirmis in aurora, puta, in ortu stellæ matutinæ sumi, ex ordinatione Medicorum: qui potionem amaram, antidota, & alia pro ægrotantibus medicamina, exhiberi præcipiunt in aurora. Quoniam medici communiter sic recepţant, [fiat potio, & detur in aurora.] Perinde planè Deus hanc peccatorum medicinam, nimirum, Virginem Mariam, peccatoribus receptauit, sumendam adiutricem in aurora, in ortu stellæ matutinæ, id est, in dies, à mane vsque ad vesperam, vel ab incunabulis nostris, puta, à pueritia vsque ad extremum vitæ periodum. Quoniam ea adiutrice, gentes veniunt ad pœnitentiam, & postea ad æternam vitam. Hinc ipsa de se ipsa dicit illud Prouerb. 6. [Nondum erant abyssi & ego iam concepta eram.] Vbi in mystico sensu abyssus sumitur pro peccato, iuxta illud: [Abyssus abyssum inuocat.] Et sic est sensus. Nondum erant peccata patrata, & ego iam eram concepta pro peccatorum medicina. Peccatum namque Adæ quid erat nisi abyssus? Item peccatum Sodomorum, & Gomorrheorum, quid erat nisi abyssus? Peccatum porro filiorum Dei cum filiabus hominum de quo dicitur [ommnis quippè caro corruperat viam suam] quid rogo erat nisi abyssus? Et tandem cætera mundi peccata nihil aliud reputantur, quam profundissimi abyssus. Igitur non dum erat huiusmodi abyssus (ait virgo gloriosa) & ego iam concepta eram in mente diuina, pro peccatorum medicina. Quoniam virgo gloriosa ab æterno electa fuit in matrem filij Dei, qui erat futurus medicus noster, & per consequens in medicinam nostrorum peccatorum destinata. Quoniam ipsa est, [de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.] Quamobrè filius est medicus noster, mater vero medicina nostra, & refulgens matutina stella, quæ est prima diei lux, & claritas, diem per orbem annuntians. Hinc in honorem matris, & filij debemus inclinare ad illa verba symboli maioris in missa priuata, vel cantata: [Et incarnatus est ex Maria Virgine, & homo factus est,] secundum Episcopum Mimatensem, tit. de symbol. lib. 4. Ration. diuin. Quæ tanta est obligatio, vt feratur, quod quidam cacodæmon inflixit ingentem colophum cuidam Christiano non se ad illa geniculanti, dicens. [Sub terram vsque nos cacodæmones inclinaremus, si pro nobis naturam nostram assumpsisset, vt pro vobis hominibus humanam assumpsit.] Casus etiam iste refertur à Martino Azpilcueta, tom. 2. in comment. de oratione, & horis canonicis, cap. 4. Dicamus igitur Virgini Mariæ: [Aue stella matutina, peccatorum medicina, mundi Princeps & regina, sola virgo digna dici.] Hinc Ecclesia in officio Romano in quodam hymno ad filium, & matrem pro miseris peccatoribus verè pœnitentibus, sic exclamat.

Virgo Maria ab adolescentia inuocanda.

Maria est peccatorum medicina.

Peccatum est abyssus.

G

H

Inclinare debemus genua ad homo factus est symboli maioris.

I

Hymnus.

Iesus Saluator sæculi,
Redemptis ope subueni:
Et pia Dei genetrix,
Salutem posce miseris.

Ipsi namque duo, filius videlicet, & mater, apprimè sciunt congruentem, suis temporibus, peccatoribus verè pœnitentibus exhibere medicinam, qua ad fælicem peruenire queant patriam.

§. 7. Explanatio 3. Stella matutina gratia baptismalis. Resurrectio prima.

D. Augustinus hom. 2. in Apocalyp. statim in principio, per stellam matutinam, resurrectionem primam quæ fit in baptismo per gratiam baptismalem intelligit. Quem plane sequutus fuit Primasius, eius discipulus in hisce suis commentarijs, & Strabus in sua glossa ordinaria in hunc locum. Hic nullatenus tacebo, fallò scripsisse Blasium Viegam in suis commentarijs in Apocalyp. cap. 2. comment. 4. sect. 7. Primasium per stellam matutinam accepisse corporum resurrectionem. Sic enim scribit Viegas: [Quartam expositionem affert Primasius, posse nimirum, per stellam matutinam corporum resurrectionem accipi, qua adueniente, mundanæ noctis tenebræ fugabuntur.] Sic ille. Et vt veritas elucescat in honorem Primasij, eius verba hic fideliter appono, quæ planè sic se habent. [Et dabo ei stellam matutinam, Stellam matutinam, & Christum intelligi, & resurrectionem primam accipi, quia & ille apparens errorum tenebras repulit, & resurrectione properante, mundanæ noctis tenebræ fugabuntur. Hac enim stella sicut noctis finem sic diei præbere videtur initium.] Ita Primasius adhærens his verbis sui magistri Augustini,] Stellam matutinam primam resurrectionem dicit, quæ per gratiam baptismi fit, Stella matutina noctem fugat, & lucem annuntiat, id est, peccatum tollit, & gratiam tribuit, si tamen accepta gratia, bona opera sequantur, sicut enim magnam arborem virere, & fructum non reddere nihil prodest; sic nihil prodest Christianum dici, & Christiana opera non habere.] Hæc Augustinus. Fallax igitur illud est quod Blasius Viegas de Primasio hic scribit circa resurrectionem corporum, siue sint D. Augustini, siue Ticonij commentaria, & homilia in Apoc. quæ hoc nostro sæculo nomine Santi Augustini circumferumtur. Non enim loquitur Primasius de corporum, quæ erit in extremo iudicio, sed de Animarum prima resurrectione, quæ fit in baptismo.

Blasius Viegas, Primasiũ in hunc locũ non attente perspexit.

Comparatio D. Augustini.

§. 8. Explanatio 4. Stella matutina stola prima.

S. Thomas in hisce suis commentarijs, per stellam matutinam, exoluit stolam primam, quæ dicitur [stella] propter claritatem contemplationis, [matutinam.] propter inchoationem beatitudinis, & terminationem totius pænalitatis. Et cum Cardinalis Caietanus super illa verba Lucæ. 15.] Cito proferte stolam primam,] existimet, stolam primam, nouam vitam esse, non qualemcumque, sed præcipuam, hoc est, dignam, non solum ad bonum, sed etiam ad satisfaciendum pro peccatis. Haud dubiè dixerim Richardum de Sancto Victore huic explanationi Santi Thomæ se subscripsisse, dum hic per [stellam matutinam,] gratiã iustificantem interpretatus fuit. Quæ plane stella matutina mutabitur in solem meridianum quando anima glorificabitur, resurgente corpore, iuxta illud Matth. 13.] fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris eorum.]

§. 9. Explanatio 5. Stella matutina donum scientiæ.

Præterea Ioachimus Abb. [Matutinam stellam,] donum scientiæ, significare putat, per quod nunc, inuisibilia ex parte cognoscimus, tunc vero facie ad faciem ea videbimus, & intelligemus euntes de claritate ad claritatem. Quod plane donum alij intelligentiam sacræ scripturæ dicunt, quam Dominus fidelibus concedit secundum illud Psalm. 24. [Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius, vt manifestetur illis.] Et illud etiam 2. Pet. 1. [Cui (id est sermoni prophetico) benefacitis attendentes, donec Lucifer oriatur in cordibus vestris,] Vbi [Lucifer,] non solum gratiam, & gloriam significeri, verumetiam sacræ scripturæ intelligentiam indicari existimant, quæ ijs dumtaxat promittitur, qui in scripturis intelligendis, & enodandis operã nauarint, iuxta illud Psalmistæ: [Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me.] Quæ planè mysteria scripturæ sacræ in patria visuri sumus clarè, & apertè, iuxta illud: [Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei nostri.] Cui alludit Apostolus dicens:

K

Cognitio mysteriorum sacræ scripturæ cui promittatur.

Aqui habla del Vble Nolasco Perra

dicens: [Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,] id est, claré & manifesté, absq. velamine aliquo.

§. 7. *Stella matutina Angelus custos noster excludens dæmones a nobis in hora mortis nostræ.*

Addo superioribus aliam enodationem, qua per[matutinam stellam,]Angelũ custodem excludẽtem dæmonum potestates in die defunctionis iustorum, & electorum, puto significari, vt animæ sanctorum, instante iam morte corporali, aliquas reuelationes, & visiones, ac etiam dulcedines diuinas, & cælestes, per peculiarem huius nostri Angeli custodis, & aliorum sanctorũ Angelorum assistentiam, & præsentiam iam inuisibiliter, iam visibiliter recipiant, & obtineant à Deo, cui fideliter (adhuc in caligine, & in mortali viuentes carne) deseruierunt. Stella siquidem matutina, & fulget in caligine, & terminus noctis initiumq. diei est, ac etiã maiorem promittit claritatem, quam Sol, statim deportaturus est: sic Angelus custos noster per assistentiam suã B ac etiam aliorum sanctorum Angelorum, iussu Dei, solatium peculiare elargitur animabus iam iam egressuris à suis corporibus (cũ adhuc sunt in caligine mortis puta, in mortali carne) eis iam inuisibiliter, iam visibiliter apparendo, & consolando, ac omnino confortando, ne tristitiam, & agoniam separationis è corpore sentiant. Ob hoc, maiorem consolationem citò futuram eis per reuelationes ac visiones, dulcedinesq. diuinas annunciant, quam citò eius allaturus est Christus Sol iustitiæ, vitam æternam eis elargiendo. Et sic Angelus custos, confortando animas iustorum in die mortis eorum, maioris claritatis, & lætitiæ, (vt stella matutina) nuntius est.

§. 9. Quod autem Angeli dicantur stellæ, dubium minimè est, cum scriptum sit Iob. 34. [Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.]

§. 10. *Per assistẽtiã visibilem aliquando defendunt animas nostras Angeli custodes in hora mortis nostræ. 1. Ratio.*

Quod vero per peculiarem assistentiam inuisibiliter, & visibiliter confortent animas iustorum electorũ eorum appropinquãte morte, probo equidem. Tũ quia possibile est vt accidat iustis & electis mẽbris, id quod gestum constat in capite: At Christus caput totius Ecclesiæ militantis, & triumphantis adhuc in carne mortali viuens, vidit exterius Angelum, eum confortantem in agonia in horto Gethsemani: sic enim scriptum est Lucæ 22. [Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.] Super quæ verba sic scribit Caietanus:

Caietanus in cap. 22. Lucæ.

[Aduenit Angelus tamquã homo, exteriore colloquio confortans eum. Sicut namq. olim in deserto non fuit intus tentantus, sed diabolus exteriori suggestione tantum tentauit eum, ita modo exteriore tãtum colloquio Angelus confortauit eum, sicut amicos solemus confortare.] Hæc Caietanus. Igitur (vt aliquid ad honorem seruorum Dei hic dicamus) possibile erit, vt D membra tanti capitis, puta, vincentes, iusti, & electi, eorum appropinquante morte, Angelum suum custodem visibiliter videant, eos confortantem per diuinas reuelationes, & aliorum Angelorũ assistentiam, ne hos seruos Deos in tali hora motus timoris, & tristitiæ dissolutionis, & reddendæ creatori rationis anxietas, & cura, supra id quod oportet, & congruum est, affligat, & absorbeat.

2. Ratio.

Tũ quia de iustis & electis scriptum est Eccles. 1. [Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicentur.] Super quæ verba itaq. scribit Lyranus: [Timenti Deũ bene erit in extremis vitæ præsentis, quia talis timor cauere facit Dei offensam, & sic excludit dæmonum potestatem, & meretur sanctorum Angelorum assistentiam, Lucæ 7. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.] Hæc ille. Quæ plane assistentia angelica aliquando inuisibilis, aliquando vero visibilis, & agonizanti, & circumstantibus vtiq. est, vt plerique tenent grauissimi sacrarum litterarum adstipulatores.

Lyranus in cap. 1. Ecc.

3. Ratio.

Tum quia D. Greg. in dialogis id intrepidè affirmat; Quoniam dialog. 4. cap. 14. sic habet: [Sæpæ animabus exeuntibus electorum, dulces solent laudes cælestes erumpere, vt dum illas libenter audiunt, dissolutionem carnis ab anima sentire minimè permittantur. A & cap. 16. [Nonnunquam in consolationem egredientis animæ, ipse apparere solet auctor, ac retributor vitæ.] & cap. 47. [Nonnunquam vero omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius reuelationibus roborat, vt in mortem minimè pertimescant.] Huculq. D. Greg. Quę plane omnia, eisdem in locis, Sanctus Doctor plerisq. confirmat exemplis. Tum quia Ecclesia prope diem hilaris, & iucunda canit: [Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius.] Tum quinto & postremo, quia id experientia (adhuc hoc nostro sæculo) apprimè comprobauimus magna, in obitu & die defunctionis plurimorum virorum iustorum, qui contemporanei nostri extitere. Quoniam dum ego Valentiæ litteris operam nauarem, crebiò ad aures peruenit meas, multitudo reuelationum ac visionum peculiarium, quas B. F. Ludouicus Bertran, Ordinis Prædicatorum, in extremis diuinitus obtinuit. Cuius anima iam egressura è corporis ergastulo, Angelos, S. Dominicum, S. Vincentium Ferrer, Virginem ipsam gloriosam, filiumq. eius Iesum Christum Dominum nostrum, claré, & aperté intuita fuit. De qua etiam re nunc luculentissimum extat testimonium apud Vincentiũ Iustinianum validissimum eiusdem ordinis scriptorem in vita istius sancti viri. Rursus anno sexto supra millesimum, quingentesimum, octuagesimum, die 23. Decembris. B. F. Nicolaus Factor ordinis S. Francisci de obseruantia, Valentiæ vitam in melius commutauit: Cuius sancta anima in extremis agens, dulces laudes cælestes erupit, Angelorum iucundam hymnodiam, cantumq. suauè crebrò exaudiuit, ipsosq. Angelos (quos ille aues nuncupauit cælestes) S. Franciscum, S. Dominicum, S. Vincentium Ferrer, aliosq. sanctos eam consolantes, & confortantes claré conspexit, vt prodit Christophorus Moreno verbi diuini disertissimus seminator, eiusdem C ordinis Franciscani, in vita istiusmet sancti viri c. 69.

4. Ratio. *5. Ratio.* *Mag. Vincentius Iustinianus.* *Mag. Christophorus Moreno.*

Accedit, quod anno proximè elapso, nimirum, sexto supra millesimum sexcentesimum, in eadem felice ciuitate Valentina ad cælestem euolauit patriam B. F. Petrus Perra, aliàs Nolasco, natione Sardus, nostri Ord. S. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum. Qui quum vltimè ægrotaret, diem obitus sui crebrò prædixit, & antequam spiritum efflaret, suum intuitus fuit Angelum custodem, exteriori colloquio eum confortantem, cui iam recedẽti, piè dicebat: [Iam Angele Dei discedis, & me solũ relinquis?] Et altera vice: [Promissa tua Angele Dei in mente habeo, attamen tu eorum quæso memento.] Porro virginem gloriosam maximo circumamictam splendore, duas etiam cruces, magnam nimirum, & minorem, vtramq. mirè fulgentem, confessus fuit, se claré & distinctè aspexisse. Quamdam insuper fulgentem trium diuinarum personarum a longe (non tamen procul à se) perspexit figuram: quam verbis, peracta iam reuelatione, nullatenus explicare valuit, inde circumstantibus aiebat illud Apostoli: [Vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui.] Quibus omnibus adfuit M. F. Philipus à Guimera eiusdẽ nostri ordinis Redemptorũ doctissimus, simulq. fidelissimus historicus ac Chronicus: ordinis nostri, nunc generalis pastor, ac dignissimus Antistes, quas omnes singulares visiones minutim narrat ipse in vita istius serui Dei, cap. 14. & 15. Fuit sanè iste fælix vir, Beatusq. Monachus, in Phylosophia discipulus, & in nostro ordine filius in Christo meus. Ego etenim illi, cum adhuc ipse sæculari veste, meis in almo Cænobio, magnoq. Ciuitatis Calaris Insulæ Sardiniæ Beatæ Virginis Mariæ Boniaeris Sanctuario, phylosophicis interfuisset lectionibus, togam ordinis nostri, ac expressam eius professionem die. 19. mensis Februarij anno. 1599. elargitus E quippe fui. Fungebar tunc namq. ego, domus B. Virg. de Bono aere Commendatarij munere & officio. Eius insuper professioni interfuere Admodum Reuerendi Patres D. Timotheus à Neapoli ex ordine S. Benedicti Abbas, & frater Antonius Masser ordinis S. Francisci de obseruantia, Apostolici totius illius regni Sardiniæ, regularium omnium dignissimi visitatores, ac reformatores, qui actum elargiendæ à me Commendatario professionis, Apostolicè perillustrarunt.

Reuerendiss. Mag. Philippus Guimeran. *Nota bene, iulicem auctoris discipulum, ac spiritualem in sua religione redemptorum filio in Christo.* *Visitatores Apostolici in Sardinia.*

Quorum postea præcepto (me adhuc ad id facultatem annuente) ad reliqua sua prosequenda studia, ex Sardinia, Valentiam, anno sequenti, vtiq. remeauit, vbi gloriosè (vt nuper retuli) vita functus fuit. Enimuero rediens quò egressus fui, dico, hos sanctos & pios viros (inter alios plerosq. iustos & electos Dei) habuisse, hoc nostro sæculo, in extremis [Stellam matutinam,] nimirum, Angelum custodem, exteriori colloquio, eos confortantem & consolantem, & tamquam stellam matutinam, maiorem eis annuntiantem Lucem, & claritatem, quam sol iustitiæ Christus (eosdem in cœlestem collocãdo patriam) illis citò allaturus erat. F G

§. II. Stellæ matutinæ qualis sit præstãtior interpretatio.

Omnes sunt exactæ, & accuratæ enodationes, & quam volueris securè poteris sequi, dummodo intelligas & teneas, illam qua per stellam matutinam Christum expendimus, nobiliorem & cæteris præstantiorem esse enodationem, quam sanctus Ambrosius hic (vt dixi) & alibi intrepidè tenet. Nam lib. 2. in Lucam, cap. 2. agens de stella Magorum, sic scribit: [Ergo stella hæc via est, & via Christus, quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella; orietur enim stella ex Iacob & exurget homo ex Israel. Denique vbi Christus est, stella est, ipse enim est stella splendida, & matutina, sua igitur Luce se signat.] Ita D. Ambrosius. Et hoc ipsum, de stella matutina, passim affirmat Angelicus Doctor. H





QVI habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs. Text. 25.

COMMENTARIVS.

AD solitam huius primæ visionis clausulam conclusionis, hic tandem se conuertit Dei Vates, quæ sanè mysteria eructat plurima, quoniam Spiritus sanctus varios ad creaturas obtinet effectus, vt refert S. Thom. 4. contra gentes, cap. 20. eò quòd aliqui effectus attribuuntur eidem respectu totius creaturæ: aliqui vero respectu creaturæ rationalis dumtaxat: & aliqui secundum quod mouet creaturam ipsam rationalem in seipsum. Quem planè vltimum effectum Spiritus sancti, indicare contendit noster Archipropheta, quum hic ait: [*Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.*] Perinde ac diceret, attendite, & videte, ò peccatores, quia Spiritus sanctus potest vos ad ipsummet mouere, quamuis saxis, & lapidibus duriores essetis, dummodo ad illum aurem inclinetis vestram. Explanatio contextus.



Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Ad Heb. 13.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.



Argumentum tertij Capitis.


AD reliquas tres eiusdem minoris Asiæ Ecclesias, quæ (ad complementum numeri septenarij Candelabrorum) supersunt: Sardianam, nimirum, Philadelphiensem, & Laodicensem, (in quibus, stellarum dumtaxat sunt errata, videlicet, earumdem trium Prælatorum defectus, & nullatenus Prælatorum, & subditorum, quemadmodum in alijs quatuor præcedentibus) nunc affatur Dei Archipropheta Ioannes.

Text. 1. Inscriptio litterarum ad Antistitẽ Sardensem.

ET Angelo Ecclesiæ Sardis, scribe: Hæc dicit, qui habet septem Spiritus Dei, & septem stellas.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



SVNT plerique plane Auctores (cæteroquin doctissimi) quippe qui male hoc tertium caput cum præcedenti conglutinant, & imbibunt, existimantes, (quum in hoc capite sint etiam eiusdem minoris Asiæ Ecclesiarum reprehensiones, quémadmodum & in præcedenti) ad eamdem pertinere materiam. Inter quos grauissimos auctores (vt alios prætermittam) est doctissimus ac sacrarum litterarum peritissimus Rupertus Abbas, qui vnum ex secundo, & etiam ex hoc tertio capite dumtaxat astruit librum, quem secundum in Apocalypsim Ioannes nuncupat. Ast, D. Augustinus, Tyconius, D. Ambrosius, Primasius, d. Tho. Ioachimus Abbas, Petrus Aureolus, Hugo Cardinalis, Hugo de sancto Victore, Strabus, Laudunensis, Lyranus, D. Dionysius Carthusianus, Petrus Caponsachius, Petrus Bulengerus Trecensis, Petrus Berchorius, Pictauiensis, Auctor incognitus, Franciscus Ribera, Blasius Viegas, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Benedictus Pererius in suis commentarijs, hoc tertium caput à præcedenti segregant. Et plane meritò. Tum quia nostra vulgata, omnes codices tam Græci quam Latini, & textus Bibliorum Regiorum, hoc tertium, à secundo, distingunt caput. Tum etiam, quia materia huius capitis tertij differt à secundi capitis materia, eò quod quamuis ambo duo capita sint de Ecclesiarum Asiæ reprehensionibus, tamen in secundo capite, & Subditorum, & Prælatorum, carnis spurcitię, & morum defectus, minis, simul corriguntur: At vero in hoc tertio capite Prælatorum tantummodo errata, minis, arguuntur. Qui duo modo reprehendendi dissimiles inter sese plane sunt, id propterea diuersa oportet sint capita.

Rupert. Abb. in comment.

§. 2. Sardis interpretatio.

Verumenimuero mysterio nullatenus caret, quod inter minoris Asiæ diœceses, Sardiana reperiatur Ecclesia, & *Angelo Ecclesiæ Sardis* (dicitur) hic *Scribe*. Sardis namq. principium iucunditatis, vel canticum lætitiæ, vt vult D. Hieronymus, vel principium pulchritudinis, aut pulchritudo ipsa, vt glossa interlinearis, glossa ordinaria, & S. Tho. interpretantur, significat. Quamobrem per hanc Sardianam Ecclesiam, vniuersalis Ecclesiæ pulchritudo vtique indicatur, quæ tanta planè est, vt de ea psalmographus ore pleno exclamet: [Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.] Quem versiculum, quamuis Richardus de sancto Victore, de sacra scriptura exponat, dicens: [O suauissima lux purgatæ mentis sapientia cũctarum ancillantium scientiarum regina, quæ semper astas à dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate, nunc vt præco ante regem, nunc vero, vt vox ante verbum, nunc vt iustitia coram Deo, nunc vt lex coram prætore, &c.] tamen D. Aug. D. Greg. D. Amb. D. Hyer. & omnes sancti Patres, tam Græci, quam Latini, Cassiadorus etiam, Strabus, Anselmus, Laudunensis, Lyranus, Genebrardus, Lyranus, & turba expositorum in psalmos, de sancta Matre Ecclesia tam militante, quam triumphante intelligunt. Quæ pulchra, & iucunda, & varietate virtutum circumamicta, in conspectu Dei à latere dextro assistit sponsa Agni. [Veni, & ostendam tibi (dicitur de Ecclesia Dei Apoc. 22.) sponsam & vxorem Agni] nimirum, Christi, ex cuius latere dextro (vt nos supra protulimus) genita vtiq. fuit. Quod etiam docent D. Leo Papa Epist. 22. D. Amb. lib. 5. de Sacramentis, D. Chrysost. hom. 2. in Neophitos, Tertullianus libro de Anima cap. 4. D. Aug. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 16. D. Th. 1. p. q. 92. art. 2. & D. Hieronymus super illa verba ad Eph. 5. [Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.] Hinc auctor Incognitus præfata verba Psalmographi, [Astitit regina, &c.] Exponens de Ecclesia, sic affatur. [Sciendum quod per istam reginam, sponsa Christi intelligitur sancta Mater Ecclesia, tam in præsenti vita militans, quam in cælis triumphans quæ assistit in conspectu Dei à latere dextro. Sto, enim, stas, quod idem est, quod erectus manere, componitur cũ, a, & dicitur asto, astas, quod idem est quod ante, & in conspectu stare. Astat ergo Ecclesia triumphans ante Deum, quia omnes sancti sunt in conspectu Agni amicti stolis albis, & à dextris. Pars enim dextera nobilior est, quam sinistra, & per consequens significat bona æterna, & sinistra bona temporalia. Stat ergo à dextris, quia manet in bonis æternis. Ecclesia autem malignantium quæ non est regina, sed ancilla, stat à sinistris peritura, Ecclesia etiã militans stat a dextris spe erecta, & si non adhùc re] Sic ille. Pulchritudo autem huius reginæ, nimirum, sanctæ Matris Ecclesię, designatur per eius vestitum deauratum circumdatum verietate. Vestis namq. Ecclesiæ, est fidelium vita, vt ait D. Gregorius lib. 20. moralium c. 24.

Ecclesiæ pulchritudo.

Incognitus in Ps. 44.

Ecclesia astare corã Deo quid sit.

Ecclesia dup.

Decor Ecclesiæ sunt virtutes, & merita mẽbrorum suorum. Fideles sunt vestes Ecclesiæ.

c. 24. vel varietas virtutum, & dona quæ ipsamet Ecclesia in singulis membris eius possidet, vt dicunt D. Hieron. Cyrill. & Euthym. in c. 49. Isaiæ. Hinc idē incognitus, vbi supra loquēdo de hoc Ecclesiæ vestimēto sic ait: [Istud autē Ecclesię vestimētū, scilicet fideles, est deauratum, & non de auro. Per aurum enim intelligitur ipsa charitas, quæ omnes alias virtutes excellit, sicut aurū metalla. Quod enim est aureū, totū est de auro quod vero est deauratum, aurum habet, & tamen aliud est. Deaurati ergo dicuntur fideles, quia charitatem habent, sed non sunt charitas, sicut albus habet albedinem, non tamen est albedo. Circumdata varietate, scilicet vitæ, & meritorum. Quamuis enim vna sit fides Ecclesiæ, tamen varij sunt gradus vitæ, & meritorum: Nā varietatem facit in Ecclesiā status coniugatorum, status Laicorum, status Prælatorum, status subditorum, qui tamen omnes sic varij gradus, sunt vnum vestimētum Ecclesiæ, sic diuersis coloribus meritorum variatum. Et in figuram huius varietatis dixit Dominus Moysi. Facies velum pulchra varietate contextum,] sic ille. Pulchritudo itaq. maxima Ecclesiæ sanctæ Dei dicuntur virtutes, & merita suorum membrorum, hoc est, omnium nostrum. Quamobrem sponsus videns hanc suæ sponsæ pulchritudinem ait: [Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.] Has virtutes, & merita membrorum Ecclesiæ, Isaias vestimenta gloriæ appellat dicens: [Induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem] hoc est, vestimenta pulcherrima, & gloria digna. Rectè igitur inter omnes diœceses minoris Asiæ est Sardiana Ecclesia, quæ dicitur pulchritudo. Turpis namq. deformis, nuda, & abominabilis erat Ecclesia, ante aduentum Christi. iuxta illud Ezech. 16. [Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus, & mater tua cethęa, & quando nata es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non est lota in salutem, nec sale salita, nec iuuoluta pannis.] Hinc Apostolus ad Eph. 5. ait: [Eratis aliquando tenebræ.] At vero venit Christus & pro illa in cruce patiens, in suam sponsam eam recepit, illam lauans, & mundans, iuxta illud Ezech. 16. [Et transiui per te, & vidi te.] Et paulo post: [Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui subtilibus, & ornaui te ornamento,] Et mox pulchra, decoraque facta fuit vehementer, & profecit in regnum. [Et egressum (dicitur Ezech. 16.) est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus Deus.] Quamobrem Apostolus ad Eph. 5. ait: [Mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipsam ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.] Vestimenta itaque sponsæ, & reginæ Ecclesiæ sunt virtutes, & merita suorum membrorum, ornatus autem horum vestimentorum sunt diuisiones gratiarum, quæ sunt in Ecclesia Dei circa eius membra, dicente Apostolo 1. Cor. 12. [Diuisiones gratiarum sunt &c.] Et ad Eph. 4. [Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euāgelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi:] Bene ergo interpretatur Ecclesia Sardis, de qua hoc loco dicit Ioannes. *& Angelo Ecclesiæ Sardis scribe*, pulchritudo, per quam totius Ecclesiæ Dei pulchritudo intelligitur. Est namque in hac Ecclesia Sardis, virginitas (vt infra apparebit) quæ mirumimmodum Ecclesiam Dei condecorat, inter alias virtutes maximopere splendens. Quamobrem Christus sponsam suam Ecclesiā virginitati comparauit dicens Matth. 25. [Simile est regnum cælorum (id est Ecclesia militans) decem virginibus.] Ideo meritò mox in textu subiunguntur stellæ, dum sequitur: *Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas*, stellæ namque virginitatati maximè quadrant.

Incognitus In Ps. 44.

Cant. 4.

Isa. 52.

Ecclesia Racus ante aduentum Christi.

Pulchritudo Ecclesiæ à quo originem ducat.

Lauit Christus Ecclesiā per passionē suam.

Virginitas ecclesiam Dei condecorat.

F G H I K

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe. Ad Antistitem Sardianum, iubente Deo, describit Archipropheta, eò quòd Deus mari assimilatur. Quemadmodum namque mare cadauera diu intra se ingurgite vasto sustinere nequit, quinimmo illa à se eijciens citò ea ad littora ppellit, haud secus Deus peccatores (cū mortui sint peccatis) secum retinere non patitur, quinimmo citò à facie sua repellit, quamobrem Regius Psaltes supplex orabat dicens Deo: [Ne proijcias me à facie tua.] Et quia Antistes iste Sardianus mortuus erat peccatis (vt mox patebit) ideo ad illum scribere intendit Archipropheta, vt è somno suo consurgens diū mortuus, hoc est, vitijs irretitus, nullatenus permaneret, nec veluti cadauer à facie Dei repelleretur. Dignus quippè erat præsul iste Sardianus, vt ab Archipropheta litteris terreretur, eò quòd Ecclesiam cum haberet pulchram (Sardis enim pulchritudo interpretatur,) ipse nihilominus pulchritudinem, & decorem spiritualem gratiæ nullatenus curabat obtinere. Ob hoc Rupertus Abbas de hoc Sardiano Pastore, sic (& rectè quidem) scribit: [Angelo (inquit) Ecclesiæ Sardis scribe. Nomen Sardis lapidis vtique precioſi, angelo illi congruit, res autem quæ intelligitur sub nomine lapidis in ornamentis Ecclesiæ pro causa iam dicta (nimirum quia mortuus erat, intus, male agens, & foris, vbi illum pro officio prædicare oportebat, bonam retinens opinionem) non illi congruit.] Erat itaque Presul iste Sardianus eorum numero adscriptus quos Christus Dominus sæpissimè, & passim hypocritas appellat: cum hominem exteriorem hoc est honorem coram hominibus retinens, homini interiori, id est, animæ suæ & Deo operam haudquaquam nauaret. Proinde cum D. minus hypocritas frequenter in Euangelio suo reprehendat (vt videre est Matth. 13. 14. 23. Lucę 16. & Marci 12.) equum erat vt Presul iste Sardianus, hypocrisi studens, ab Archipropheta, iussu Dei, peculiari Epistola, argueretur.

Dilucidatio textus.

§. 1. Deus instar maris cadauera repellem, homines mortuos peccatis, diu ferre non potest.

Negligentia Antistitis Sardiani.

Rupertus Abbas in comment.

Analogia Angeli Sardis cum sua Ecclesia claudicat in parte.

DISPVT. I.

In Cap. III. Apocalypseos, de Episcopatu, & Ecclesia Sardiana.

Vnica Quæstione contenta super illa verba: Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe.

Prologus disputationis.



Vis, & qualis, in vita & moribus, fuerit Antistes iste Sardianus, ex hùcusque dictis, & etiam ex ipsa contextus serie liquet, restat autem, vt eius proprium nomen audiamus.



Quæ.

Quæstio vnica.

An sanctus Melito esset Angelus, hoc est, præsul Sardensis Ecclesiæ, ad quem Archipropheta Ioannes hæc scripsit?



ANCTVM Melitonem Ecclesiæ sardēsi præfuisse, tempore quo Archipropheta Ioannes hæc scribebat, liquido constat (quidquid dicat Lyranus) ex historia Ecclesiastica, quoniam Eusebius Cæsariensis lib.4.cap.13.de. Melitone, sic scribit: [De his itaque gestis testatur etiam Meliton Sardensis Ecclesiæ Episcopus, eodem tempore clarus, quod patet ex dictis illius; quæ in vtilissima illa Apologia scripsit, quam Imperatori Vero pro doctrina nostra obtulit.]& lib. 4. c. 26. [Hisce temporibus & Meliton Sardensis parochiæ Episcopus Apollinariusque Hierapolitanus celebres floruerunt, qui & vtrique dicto Romanorum illis temporibus imperatori, pro fide nostra libros, & Apologias separatim nuncupauerunt, &c.] Idem affirmat Cardinalis Æneas in suo libro Chronicarum.6. mundi ætate, vbi agens de Melitone sic affatur: [Melito, seu Miletus Asianus natione, Sardensis Episcopus, Frontonijque oratoris discipulus, &c.] & etiam frater Iacobus Philippus Borgomensis in suo supplemento Chronicarum lib.8.Anno Christi.145. per hæc verba. [Mileto, seu Miletus natione Asianus, sardiensis Episcopus, Frontonis infrascripti oratoris discipulus in tempore isto floruit, & multo in pretio fuit, & librum de christiana doctrina ad Marcum Antonium dedit, cuius ingenium Tertullianus (vt scribit Hieronymus) mirumimmodum laudat, dicitque à multis christianis, vt prophetica fuisse honoratum, eo quòd multa prophetica scripserit testimonia.] Quis vero fuerit iste Frontonius magister Melitonis Episcopi Sardensis Ecclesiæ scire aliquantulum oportet, quoniam eum, nonulli affirmant D. Apostolum Petrum ob sanctitatem suam Episcopum ordinasse, & cum Sergio presbytero ad Petragoricam Ciuitatem Galliç causa seminandi Dei verbum, transmisisse.

Frontonius Magister Melitonis fuit sanctus, & Episcopus tēporibus D. Petri Apost.

Postremò Petrus Aureolus in sua compendiaria explanatione sacræ scripturæ hoc ipsum de Melitone affirmat per hæc verba. [Quintam Epistolam scripsit Beatus Ioannes Melitoni Episcopo Sardensi hortando ipsum ad gnauiter, & strennè, ac perseueranter operandum: vel potius sub nomine illius aloquitur Ecclesiam illi subiectam. Constat enim ex lib.5.hist Ecclesiasticæ cap.23 Melitonem circa illa tempora fuisse Episcopum Sardensem & beato martyrio consummatum, in illa Ciuitate requiescere.] Sic Aureolus.

Lyrano nunc satisfaciendum est. Renuit enim ipse in initio tertij capitis Apoc. fateri Melitonem Sardensis Ecclesiæ, circa tempora illa, propositum fuisse, motus, tum eo quod, hoc affirmantes malè illud colligant ex lib.5.cap.24.historiæ Ecclesiasticæ: tum etiam, quia de tam Sancto Viro non videntur verificari ea, quæ sequuntur in textu, scilicet, nomen habes quod viuas, & mortuus es. Verum quippe est, in lib.5.cap.24.historiæ Ecclesiasticæ minime expressè contineri Melitonem Episcopum fuisse Sardensem, cum in præfato, lib. & capite, de Melitone tantum sic scribat Eusebius: [Deinde & de beato Papyro, ac Melitone Eunucho, qui in cunctis per gratiam Spiritus sancti ductus est, ac in Sardibus quiescit, visitationem è cælis expectans in qua resurget ex mortuis.]Sic ibi. At vero nos, Melitonem fuisse Episcopum Sardensem non colligimus ex hoc loco, sed ex lib.4. cap.13. & cap.26. eiusdem historiæ Ecclesiasticæ. Quibus locis, Eusebius id expressè affirmat. Porro Martyri Melitoni verba textus, quæ sequuntur scilicet. [Nomen habes quod viuas, & mortuus es.] conuenire possunt pro tunc, quia sancti anteaquam ad patriam perueniant, in via septies in die cadere possunt. Ex tali namque correptione, cautus in posterum in via Dei ambulauit.

Refellitur Lyrani opinio.

A

Fuit porro Meliton, vir illis priscis temporibus doctissimus, vt produnt Clem. Alexandr. Tertullianus. D. Hieronymus, & magno in pretio apud primitiuam Ecclesiam habitus. Composuit namque sacrarum literarum permulta volumina: sic enim scribit de illo Eusebius in historia Ecclesiastica lib. 4.cap.16. [Ex his ad nostram cognitionem, ista Melitonis venerūt volumina, duo volumina de paschate, de conuersatione & prophetis, de Ecclesia, de die dominica, de natura hominis, de figmento, de obedientia fidei, de sensibus & præterea de anima & corpore, & lauacro, de veritate, de fide, de natiuitate Christi, & liber eiusdem de prophetia, & de hospitalitate, & liber Clauis dictus, de diabolo, de Apocalypsi Ioannis, de Deo corpus inducto post omnes, & libellus ad Antonium, in eo qui de paschate est, tempus etiam quo illum composuit, sic orsus indicat sub Scrulio Paulo Proconsulæ Asiæ, quo tempore, Sagaris martyrium pertulit, &c.] Hucusq. Eusebius. Et Cardinalis Æneas, in suo libro Chronicarum 6. ætate mundi, de eruditione, & de operibus Melitonis sic scribit: [Melito seu Miletus Asianus natione Sardensis Episcopus, Frontonisq. oratoris discipulus, multo in pretio his temporibus fuit, & librum de doctrina Christiana Marco Antonio tradidit, huius ingenium Tertullianus (vt scribit Hieronymus) mirumimmodum laudat, dicitque à plerisque nostrorum prophetam habitum esse, eo quod multa prophetica scripserit testimonia, & alia multa.] Extat insuper Epistola Melitonis ad Onesimum Pastorem, quam Eusebius lib. 24.cap.26. historiæ Ecclesiasticæ recitat per hæc verba: [Meliton Onesimo fratri salutem. Quoniam sæpe numero, quo es erga doctrinam studio petisti, vt annotata quædam tibi è lege, & prophetis de seruatore ac tota nostra fide excerperentur, deinde & veterum librorum certam summam cognoscere voluisti, quo illi sint numero, & quo ordine dispositi diligenter in hoc fui, vt id tibi præstarem, sciens studium tuum erga fidem, & diligentiam, & sedulitatem circa doctrinā, quod isti potissimum desiderio, quo erga Deū afficeris, & amore æternæ salutis, pro qua decertas, potiora ducas. Itaque in Orientem reuersus & eo loco costitutus, vbi ista sunt & prædicata, & gesta veteris instrumenti libros diligenter cognitos in ordinem subieci, & ad te misi, quorum hæc sunt nomina. Quinque libri Moysi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, deinde Iesus Naue, Iudices, Ruth, Regum quatuor libri, Paralipomenon duo, Psalmi Dauidis, Prouerbia Salomonis, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Iob, prophetæ Isaias Ieremias, duodecim prophetarum liber vnus, Daniel, Ezechiel, Esdras, ex quibus etiam annotationes fecimus sex libris digestis.] Porro adeò intrepidus fuit pro fide Christi Meliton, vt ad Imperatorem cum nonnulla contra fideles sub illo facta essent per aliquos ministros, sic scriberet. [Quod enim numquam est factum, iam persequutionem patitur piorum genus nouis edictis per Asiam exagitatum. Impudentes enim sycophantæ, & alienorum appetitores occasionem ex constitutionibus illis adepti manifestè latrocinantur, noctes, ac dies, eos depredantes, qui nihil iniqui faciunt. Et post alia quędam dicit: quod si hoc te iubente committitur, sic recte factum; iustus enim Imperator nihil vmquam volet iniusti. Et nos cupidæ mortis huius honorem ferimus. Hoc autem solum abs te suppliciter petimus, vt ipse cognitis primum contentionis huius auctoribus iustè eum iudices an morte, & supplicio, vel salute, ac quiete digni sint, si verò voluntas hæc & nouum illud edictum pœnes te non est quod ne cōtra Barbaros quidem hostes decorum esset, multo magis

Melitonis vita, & laus.

Labores, & opera Melitonis Sardensis Episcopi.

Meliton fuit discipulus Frontonij oratoris.

Melitonis Epistola ad Imperatorem. Euseb.lib. 4. cap.26.Ecclesiasticæ historiæ.

B C D E

gis precamur, ne nos inhonesta hac deprædatione oppressos &c.]Et mox.[Te vero cum maximè in istis eandem cum maioribus tuis sententiam, eamque multo clementiorem, & magis philosophicam habeas, cuncta facturum persuasi sumus,quæ abs te petimus.]Hucusque Melito. Postremò Melitonem Eunuchum appellat Polycrates vetustissimus scriptor, referente Eusebio, libro.4.hist Ecclesiast. cap.23. non corporalem significans Eunuchismum, sed spiritualem. Fuit siquidè Melito de numero eorum Eunuchorum de quibus Dominus Matth.19.ait. [Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.] Hij plane sunt illi qui perpetuo colunt castitatem. Quamobrem D. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, & vbi agit de Polycrate,præfata illius verba referendo, Melitonem non vocat simpliciter Eunuchum, sed in Spiritu sancto,Eunuchum.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus. §. 1.

Hæc dicit (ait) qui habet septem spiritus Dei,& septem stellas. Duo,quæ supra diuisim, ac separatim epitheta filij Dei recitauerat Archipropheta, ab eodem hic vnà coniunguntur. In primo siquidem capite seorsum dictum fuit [Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.] & seorsum etiam: [Et habebat in dextera sua stellas septem.] At vero hic,hæc ipsa duo filij Dei attributa simul iūgūtur, dum dicitur:[Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas,] Enimuero ly [septem spiritus Dei, septem dona Spiritus sancti, siue spiritum septiformem sonat,vt supra nos dispunximus:& vt etiam ibi (& hic etiam) tenent Primas.Ioachim.Abb.Haymo, Victorin. Ambrosius,D.Tho.Ansbertus, Laudunensis, Rupertus Abb.& Auctor incognitus,(quidquid de septem Angelis magnis asseuerent, Arethas, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Franciscus Ribera, aut Lyranus,de vniuersitate angelorum) hi namque septem spiritus Dei, nimirum septem dona Spiritus sancti, vel spiritus septiformis, verè, & propriè dicuntur spiritus Dei in sacro eloquio, vt habetur Isaiæ 11. [Et requiescet super eum spiritus Domini,spiritus sapientiæ, & intellectus &c.] Vbi nota,cum ex textu nostro ly [Dei,]tum ex textu Isaiæ, ly [Domini,] quod licet angeli sint spiritus: tamen in tota sacra pagina nusquam de aliquo Angelorum dicitur: [Spiritus Dei, vel spiritus Domini.] Sed [Angelus Dei, vel Angelus Domini.] Vel spiritus,absolutè, aut cum addito, bonus, iuxta illud: [Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.] At vero de Spiritu sancto, vel de septem eius donis, semper fit mentio in sacra pagina hoc modo: [Spiritus Dei] iuxta illud Exodi,8. [Digitus Dei (hoc est spiritus Dei) est hic.] Vel spiritus Deorum iuxta illud Danielis 5. [Est vir in regno tuo, qui spiritum Deorum sanctorum habet in se.] Et paulo post: [Audiui de te quoniam spiritum Deorum habeas.]vel tandem spiritus Domini iuxta illud Gen.1. [Spiritus Domini ferebatur super aquas.] Et sic est in præsenti dum dicitur: [Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei.] Requieuit enim super Christum in primo instanti conceptionis suæ spiritus Domini (vt ait Isaias) sanctissimam illam animam suis septem donis plenè,& abundanter replens. Quæ quidem septem dona ante iudiciariam illius potestatem (vt supra diximus) semper assistunt. Cæterum ly: [Et septem stellas,] septem Episcopos harum septem Ecclesiarum Asiæ excommuni omnium interpretum sententia,nemine penitus, penitusque discrepante,demonstrat.

Septem spiritus coniunguntur cum septem stellis.

Notandum de angelis,& de Spiritu sancto.

§. 2. Spiritus septē & stellæ septem quare coniungūtur.

Coniunguntur tamen hæc duo filij Dei epitheta ad clarè exprimendum,in manu Christi esse non tantum dona spiritus Dei. verum etiam & iustos Prælatos suæ Ecclesiæ, qui pro ista a lupis defendenda, suum effun-

F dunt sanguinem, iuxta illud Sapientiæ 3. [Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.] Dona itaque Spiritus sancti,sunt in manu Christi,vt illa elargiatur ipse,cui voluerit. Mittit quippe illa crebrò in sanctos suos in via, quos ab æterno elegit Deus pater. Quamobrem & filius eius qui potestatem habet dandi spiritum septiformem(qui ab vtroque procedit) cui voluerit,eius septem charismata ad placitum electis distribuit: Donum quippe sapientiæ electis communicat, vt res fidei (quæ omnem superant intellectum) gustent, & sapiant.Donum intellectus electis elargitur, vt res necessarias, & intelligant quantum ad fidem, & operentur pro sua capacitate. Donum consilij electis dat, vt media ad vitam æternam magis conuenientia, & quærant,& procurent. Donum fortitudinis ipsismet tribuit, vt omni

Prælati omnes sunt in manu Saluatoris.

G malitiæ generi resistant, ne à malo vincantur, sed omnes effrænatos animi, ac carnis motus deuincere queant. Donum scientiæ illis etiam donat, vt tam per seipsos,quam per creaturas alias,Deum cognoscant,& venerentur. Hinc psalmista 138. hoc scientiæ charismate illustratus affatur:[Mirabilis scientia tua ex me.] Donum pietatis adhuc illis communicat, vt zelo honoris dei patris inflammati ignominias Dei patris sentiant, peccataque quibus impij Deum offendunt deplorent. Donum tandem timoris filialis, nempe, electis suis elargitur Christus, vt amore virtutis moti, peccata fugere discant,& tamquam filij,Deo viuo, & vero inseruiant.

Septem porro Episcopi sunt in manu Christi, vel apud Christum. Tum vt ipse eosdem,& omnes prælatos(in ipsis intellectos) his septem suis charismatibus

H erudiat, & circa magis necessaria ad suæ Ecclesiæ gubernationem affatim edoceat. Tum vt eos protegat, ac defendat in aduersis. Tum vt eos peccantes,& nullatenus pœnitentiam agentes damnet, multet, & male perdat. Et in casu quod pœnitentiam accipientes resipiscant, amplectetur, conseruet, ac foueat. Hinc sanctus Tho.super hunc locum sic scribit, [Et septem stellas, id est septem Episcopos, septem Ecclesiarum per quos vniuersitas pastorum intelligitur, quos potest saluare,& damnare secundum quod merentur; & ideo quilibet videat ne quod accepit perdat, sed ad meliora nitatur.] Sic ille. Tum denique Episcopos, & omnes Ecclesiæ suæ sanctæ pastores in manu sua habet Christus,vt apertè intelligant Antistites, Christum suorum officiorum Ecclesię Dei curam haud exiguam obtinere,vt pote qua clare in dies videt optimene, an male suam gubernent Ecclesiam. Quemadmo-

§. 3. Christus Prælatos erudit ad suam optimè Ecclesiā gubernandā.

S. Tho. in c. tertium Ap.

Christus maximam suæ Ecclesiæ curam gerit. Comparatio.

I dum namq; Deus pater nusquam ab operatione cessat in vniuersi orbis gubernatione, iuxta illud Psal. 53. [Ordinatione tua perseuerat dies.] Sic & eius filius Iesus Christus dominus noster à gubernatione suæ Ecclesiæ nusquam cessat,hinc ipsemet ait Ioan.5. [Pater meus vsque modo operatur, & ego nunc operor.] Id est, quamuis pater meus æternus à principio cessauit à nouis producendis rerum speciebus,& tamen in generatione indiuiduorum nunc concurrit semper cum ipsis secundis causis:ita vt nunquam cesset;sic & ego,qui sum eius æternus filius à cura, & gubernatione Ecclesiæ sponsę meæ nūquā cesso:quinimmo meum præcipuū opus est Ecclesiam,& suos pastores regere, & gubernare. Idcirco hunc alloquens Antistitem Sardensem, vt illi à primo locutionis introitu significet,se in manu sua per continuum regiminis, & gubernationis, motum semper fuisse, ait Archipropheta, se illi hæc de-

Psal. 53.

K scribere,non ex auctoritate sua, sed ex illius parte,qui septem spiritus Dei, hoc est septem dona Spiritus sancti,& septem stellas, idest,septem Asiæ Episcopos in manu sua habet.

Richardus de sancto Victore hanc superscriptionē litterarum aliter explicat:Etenim ad hæc verba: [Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei,& septem stellas.] talem adhibet expositionem: [Quasi diceret, tu qui coram

§. 4. Richardus de S.Victore.

coram hominibus per hypocrisim bonum facis, sed in occulto malus existis, dum me audis septem spiritus habere, animaduerte, me per sapientiam, non solum manifesta, sed etiam occulta opera, immo & intimas cogitationes intueri. Dum etiam audis me, habere septem stellas, intellige me ad te & ad tui similes puniendos maximè potentem esse, vt pote ipsum stellarum conditorem.] Hęc Richardus. Qua sua enodatione, ostendere conatur, hypocrisim latere vtique homines, Christum vero nequaquam, quum per septem spiritus sancti dona (quę super eum requieuerunt) intimas mentis, & cordis cogitationes apprimè intueatur.

Hypocrisis absconditur hominibus sed non Christo.

Isa. 11.

Text. 2.



SCIO opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1. Duæ deff. animæ quas affert Arist. 2. lib. de anima cap. 1. & 2.

Concors plane est huius loci expositorum omnium dogma, hic, Sardianum Antistitem istum, hypocrisi argui. Eo quod habere nomen viuentis nihil aliud quippe est, quàm animam vnitam esse corpori. Dum namque anima corpori præest, viuēs dicitur homo. Anima siquidem est actus corporis organici, & physici, potestate vitam habentis: vel si mauis Anima dicitur principium alendi, sentiendi, loco mouendi, & ratiocinandi. Quamobrē habens animam; viuens naturaliter dicitur, illa autem carens mortuus naturaliter appellatur. Cum autem sit duplex vita, naturalis, nimirum, & spiritualis, hinc factum est, quod sicuti anima est vita corporis, sic gratia sit vita animæ. Quare ex his rectè infertur, quod habere nomen viuentis, nihil aliud sit, quam christianum vocari aliquem ab omnibus, & bonum hominem, sanctum, ieiunantem, orantem &c. à plerisque appellari. Hæc enim sunt nomina vitæ spiritualis, nimirum vitæ gratiæ. Vnde cum huic Antistiti dicitur, *Nomen habes, quod viuas* tùm de vita naturali, tùm de vita spirituali, & præcipuè de vita spirituali accipi, & expendi vtique potest. Mortuum vero esse quempiam, intelligi potest communiter, tam de carentia animæ, quam de carentia gratiæ: Verumenimuero dum huic Antistiti dicitur, *Et mortuus es*. propriè accipitur de morte spirituali, nimirum, de carentia gratiæ. Hinc D. Augustinus. hom. 3. in Apoc. super hunc locum, sic scribit: [Non moritur (adde spiritualiter) nisi qui mortale crimen commiserit, secundum illud quod dictum est, anima quæ peccauerit ipsa morietur, quod peius est multi, in corporibus viuis, animas mortuas portare noscuntur.] Sic ille. Et Primasius eius discipulus sententiam sui magistri probat sic: [Nomen (inquit) habes, quia viuis, & mortuus es non dicatur nisi qui mortale crimen admiserit, non dicit confirma quæ moritura erant, nisi ei qui viua adhuc aliqua habens in officio suo, in mortem peccati non permanere permittitur. Non enim confirmari potest, qui officium doctoris amiserit.] Ita Primasius. Cum itaque Antistes iste Sardianus, doctor, sanctus, bonus vir, & optimus concionator ab omnibus diceretur, communiter hominibus, & ipse nihilominus mortali subiaceret peccato, sequitur apertè filium Dei hic illum hypocrisi argui, præcipuè cum hypocrisis simulatio sit (teste D. Tho. 2. 2. q. 111. art. 2.) qua quis simulat personam alterius, sicut cum peccator simulat personam iusti. Et non quauis hypocrisi arguitur, sed illa quæ est mortale peccatum, quia hæc est, quæ mortem causat animæ.

Duplex vita.

D. August. in comm.

Ezech. 18.

Primasius in comm.

Hypocrisis qd sit. S. Tho.

Hypocrisis mortale cum sit scelus, animæ mortem causat.

A Iam textū enodemus, dicit igitur, *Scio*, id est, cognosco, noui, vel simplici, vt ait sanctus Tho. (non vero approbationis) notitia intueor, vel (vt superscribit Anselmus Laudunensis in sua glossa interlineari) nosco *opera tua*, nimirum, qualia sunt, quantum (vt ait Auctor incognitus) ad tuam intentionem, quia in omnibus operibus tuis, (vt dicunt Strabus in sua glossa ordinaria, & Auctor Incognitus) quæris humanam laudem. Nihil enim me (vt subiūgit Lyranus) latet. Vel (vt ait sanctus Tho.) *noui opera tua*, quæ videntur bona. Hypocritæ enim habent opera de genere bonorum, non tamen sunt bona simpliciter. Id propterea mox subiūgit: *Quia nomen habes quod viuas*, id est, sanctitatē (vt ait Lyranus) apparentem, & famam. Vel (vt ait sanctus Tho.) quia nomen habes per illa opera, quod viuas vita gratiæ, quia crederis, vel diceris bonus propter illa, vel etiam (vt ait Auctor Incognitus *nomen habes quod viuas* quantum ad hominum opinionem, B *& mortuus es*. quia qui in vno peccat (vt superscripsit Laudunensis) factus est omnium reus, vt dicitur Iacobi 2. & etiam colligitur ex cap. 6. Matth.

§. 1.

Hypocritarū opera qualia sint.

Hypocritæ popularis auræ animal.

Textum autem istum ita explicatū cum doctoribus, possumus asserere, hūc reddere sensum. Scio opera tua exteriora, quibus & si homines crebrò fallas, qui externis aliquando gaudent, & ædificantur sanctimonijs, tamen me nullatenus fallere potes, qui interna sanctitate semper contentus sum. Idcirco apud homines viuis quidem: attamen coram me mortuus quippe iaces, & corruptioni proximus sane reputaris. Rupertus vero hunc astruit sensum: Homines qui in facie vident, putant quod viuas: ego autem qui in corde video & occultorum cognitor sum, scio quia mortuus es. Tandem Franciscus Ribera ita putat sonare textum: Scio C opera tua, quæ talia sunt, vt cum viuere te homines putent, & gratiam habere, mortuus tamen propter peccata sis.

§. 3. Germanus & legitimus sensus huius textus.

Rupert. Abb. in comment.

1. Reg. 16.

Franc. Rib. in comment.

Ex hucusq. dictis nonnulla colligere fas quippe est. Primò quidem, Deum optimum maximum aliter atq. aliter opera nostra iudicare, quam homines, qui exteriora videntes, hypocrisim quandoque virtutem reputant. Secundò collige, peccatum læthale mortem esse animæ, quoniam eam priuat vera illa vita, quæ sola talis dici meritò potest. Quamobrem sicuti est mors corporis, quum illud deserit anima, sic est mors animæ, cum illam deserit Deus, & tunc est sine sensu virtualis doloris, sine motu amoris, sine ornatu decoris, sine ęstu feruoris, quoniam viuens differt a non viuente, sensu, & motu, vt dicitur lib. 1. de anima. Quamobrem asserere possumus hominem sine gratia, esse cadauer omnino fætidum. Hinc Isidorus lib. 1. de summo D bono ita scribit: [Vita corporis anima, vita animæ Deus, & sicut corpus mortuum est sine anima, ita anima mortua est sine Deo,] Tertio colligito, hypocritam abominabilem esse coram Deo. Est enim hypocrita extra pulcher, & intus vacuus, vti calamus, vnde de hypocritis intelligitur illud Iob. 11. [Sub vmbra dormit in secreto calami.] Quæ omnia Deo nullatenus placent, eò quòd Deus interioribus delectatur virtutibus, vnde de eius sponsa scriptum extat: [Omnis gloria eius filiæ regis abintus in fimbrijs aureis circumamicta varietate.] Quare ex eo quod hypocrisia offendit in mala intentione: omnia bona, quæ facit inutilia sibi reddit, iuxta illud Matth. 6. [Si oculus tuus fuerit nequam, &c.] Quamobrem hypocrita cum ipse bonam famam coram hominibus per suam hypocrisim sortitus iam est, de aliorum salute, aut sanctitate E minimè sollicitus est, veluti struthio; quæ quamuis videatur alas suas extendere ad volandum, tamen numquam à terra eleuatur, & insuper licet habeat oua, tamen illa ita negligit, vt ea in puluere & arena abscondat, de quibus omnibus extat lucidentissimum testimonium apud Iob in cap. 39. dum dicitur [Penna struthionis similis est, pennæ herodij, & accipitris, quando dereliquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea, obliuiscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia

§. 4. corollariū 1.

Corollariū 2.

Comparatio.

Peccati effectus.

Corollariū 3.

Hypocrisis vitio laborare maximum dedecus est coram Deo.

Hypocrita est veluti struthio. Comparatio. D. Greg.

bestia agri conterat. Duratur ad filios suos, quasi non sint sui frustra laborauit, nullo timore cogente; priuauit enim eam Dominus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.] Quo loco, duo præcipuè dicit Dominus de Struthione. Primum quidem, quod alas quasi ad volandum specie tenus erigit, sed tamen numquam se à terra volando suspendit. Quod planè D. Gregorius lib. 31. moralium cap. 6. hypocritis adaptat: qui alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere grauati, nullatenus a terra subleuantur. Secundum vero, quod struthio, oua quæ parit negligit, & in puluere, atque in arena derelinquit abscondita, cuius vehementi calore, pulli postea excluduntur, & sic negligunt, quod pes oua conculcet. Quod plane idem sanctus doctor ad hypocritas applicat, qui non curant de salute, & saluatione animarum eorum, quos sua deceperunt hypocrisi. Vnde quemadmodum penna struthionis ad pennas herodij, & accipitris similitudinem coloris habeat, tamen virtutis veram effigiē nullatenus obtinet: sic hypocrita quamuis sanctorum similitudinem exterius habeant, tamen nullam veræ sanctitatis interioris effigiem præsegerunt, eo quod si illam aliquantulum obtinuissent: dolerent de animabus, quas sua hypocrisi deceperunt, & ob id interierunt. Quarto, & vltimo colligere poteris qualiter Deus in nostris bonis operibus intentionē operantis præcipuè intueatur, iuxta illud: [Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius]. Gen. 4.

Text. 1.



Sto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.

COMMENTARIVS.

Enodatio contextus. §. 1.



Acilior erit ad contextum explanatio, si prius, quid dictio *moritura*, significet, enodauerimus, nimirum an opera iam facta, aut quæ tunc fiebant, siue in futuro facienda tempore, significet. Quoniam si *moritura* sunt opera facta, cum moriturum possit mori, & non mori, sequeretur Antistitem istum iam mortuum (vt demonstrant illa priora verba, [Nomen habes quod viuas, & mortuus es.]) posse mori, & non mori, quod non est fatendum. Si vero *moritura* sunt opera quæ ad præsens tunc fiebant, cum moriturum adhuc sit viuum, sequeretur quod iste Antistes mortuus (vt dudum dicebamus) adhuc haberet, opera viua, quæ poterant mori. Et sic mortuus iam peccato adhuc esset in statu gratiæ, per quam viuunt opera viua, quod nullatenus est asserendum. Si denique *moritura* sunt opera facienda in futuro tempore, sequeretur quod id quod non dum est, moriturum esset, & si quod non dum habet esse, finiturum esset, puta prius aliquid inciperet desini, quā esse simpliciter, quod ex diametro philosophiæ naturali obuiat. Accedit præterea, quod si non vigilaret, morerentur. Quod itidem apparet falsum, quia si non vigilaret, non viuerent, & ita minimè morerentur.

Moritura, quo modo intelligenda. Moriturū potest mori, & non mori.

§. 2. 1. sententia.

Prima igitur sententia est Diui Ambrosij intelligentis per *moritura* bona opera moralia: Sic enim scribit inhisce suis commentarijs. [Vigilat, qui semper bona opera exercet. Præcipitur ergo huic, vt vigilet id est: vt in charitatis operibus semetipsum exerceat, ne parua bona, quæ adhuc videbatur habere, deperirent. Quia sicut corpus mortuum est sine anima, ita & nos si qualiber bona videamus habere, mortua sunt si charitas defuerit.] ita D. Ambrosius. Quibus planè verbis sanctus doctor per *moritura* accipit opera iam facta in charitate, quæ per læthale superueniens, corruptioni proxima fiunt. Cùm siquidem aliquis læthale irretitur

Moritura sūt opera moralia.

D. Amb. sententia enodatio.

F crimine, mox virtutes, quæ in illo præerant, omnino languescunt omnes. Peccatum namque, vt prodit D. Tho. p. 2. q. 85. non tantum causat maculam in anima, verumetiam est corruptio boni naturæ. Diminuit siquidem peccatum inclinationē ad virtutes; per actus namque humanos fit quędā inclinatio ad similes actus, quamobrem oportet, quod ex hoc quod aliquis inclinatur ad vnum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Vnde cum peccatum sit contrarium virtuti: ex hoc ipso quod homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod est inclinatio ad virtutes. Idcirco iuxta hanc D. Ambrosij opinionem: quia Antistes iste peccato subcumbebat, hanc inclinationem ad virtutes, infirmam & fere morituram confirmare, ac corroborare per contrarium actum illi opus erat.

Causa ob quā bonum naturæ diminuitur per peccatum.

Secunda sententia est Primasij, Rup. Abbatis, & D. Dionysij Carthusiani, qui omnes referunt, *moritura* ad
G munera, & officia pastoralis dignitatis, vt sunt scientia, doctrina, ordinare confirmare, prædicare, quæ omnia asseuerant adhuc viuere in hoc Antistite Sardensi, spiritualiter mortuo. Ortum sane obtinet hæc opinio ex verbis D. Aug. qui hom. 3. in Apoc. sic (vt dudum dicebamus) habet: [Nomē habes quod viuas, & mortuus es: Non moritur nisi qui mortale, crimen commiserit, secundum illud, quod dictum est: Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Quod peius est, multi in corporibus viuis, animas mortuas portare noscuntur.] ita D. Aug. Cui sententię pralibati DD. innixi, tenent in tali morte peccati Pastorum & Antistitum, adhuc aliqua viuere, nec dum omnino mortua esse, qualia sunt præallegata, quæ omnia moritura dicūt, & confirmanda fore oportere, alioquin omnino peritura esse per depositionem Episcopatus: dum propter incorrigibilitatem erit habendus sicut Ethnicus & Publicanus. Vnde Rupertus,
H hoc in loco, ita habet: [Aliqua ergo viuunt adhuc, & necdū omnino mortua sunt, etiam in eo qui sic mortuus est. viuit enim officium, viuit ipsū quod batizando, consecrando celebrat Sacramentum. Verum hæc etiam sine dubio moritura sunt idest illi deperire, aut auferri debent, si eo tam secretam spiritus Dei non recipiente correctionem, publicauerit reum Deus, & dixerit Ecclesiæ peccatum eius. Tunc enim legali seueritate ab officio deponetur, eritque sicut Ethnicus & Publicanus.] ita Rupertus. Quod autem Episcopi aliquando veniant deponendi, supra nos disputauimus c. 2. tex. 5. paraph. 2. disp. 8. dum super illa verba: [Mouebo candelabrum tuum de loco suo] de depositione & priuatione Episcoporum disseruimus: quare poterunt per moritura optimè intelligi munera & officia pastoralis dignitatis, à qua deponendus venit incorrigibilis Antistes.

§. 3. 2. sententia.

Moritura sūt munera pastoralia.

Rup. Abbas in comment.

I Richardus de sancto victore, & Auctor Incognitus per *moritura* exoluunt minora bona, quæ iuuant ad salutem: puta scientia scripturarum, & doctrina prædicationis. eò quòd præcipua bona, nimirum virtutes, & cetera dona gratuita, erāt in eo (vt ipsi dicunt) mortua. Nam si aliquid propter humanam laudem fiat, qui maiora ad salutē &c.] Et paulopost. [Si enim ꝙ mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc viuum tenetur.] Fauet huic sententiæ D. Greg. dum in 3. p. 1. pastoralis curæ, ad monitione. 35. ita scribit [In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis est contra ictum fluminis condescendentis vno in loco nequaquā stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionē non subleuat, ipsa operandi remissio, contra hoc quod operatū est, pugnat]. Hucusque D. Greg. Faciunt
K etiam pro hac opinione verba illa Salomonis Prouer. 18. [Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis.]

§. 4. 3. Sententia.

Moritura sūt minora bona quæ iuuāt ad salutem.

Comparatio D. Greg.

Quarta porro sententia est D. Tho. & Carthusiani, qui inhisce suis commentarijs per *moritura* expendūt bona opera in genere, ita vt moritura non dicantur bona opera iam facta, neque bona opera facienda: sed bona opera dumtaxat in cōmuni. Opera enim de genere bonorum (dicit. D. Tho.) licet de se non sint viua, id est,

§. 5. 3. sententia.

id est,meritoria,tamen disponere habent ad vitam.Vnde dicuntur mori quando amittunt possibilitatem & ordinem ad vitam meriti,quod fit per vanam gloriam. Opus enim aliquod potest mori dupliciter , aut quia definit esse viuum,id est,meritorium sicut prius erat,& sic opus meritorium moritur cum mutatur intentio in malum : vel quando additur aliquod mortale , quia definit habere ordinem,& dispositionem , siue possibilitatem ad meritum , licet prius non esset meritorium , Et sic videtur hic accipiendum ,

Opus bonum potest mori dupliciter.

§. 6.

Quinta,& postrema sententia.

Moritura sūt mollia & ad casum, & ruinam parata.

Ego vero (vt rem paucis concludam) dico, *moritura* posse absque alicuius iniuria , optimè significare mollia , & ad casum & ruinam paratissima (siue illa sint bona moralia,vt vult D. Amb. siue munera & officia pastoralis dignitatis, vt affirmat Primasius , siue minora bona quæ iuuant ad salutem , vt tenet Richardus , siue tandem sint bona opera in genere (vt placet D. Tho.)demonstrare. Nihil enim obstat,quod hæc omnia reperiantur simul in aliquo Antistite , & per læthale superueniens fiant mollia,& ruinæ proxima . Cū enim quis mortali subiacet peccato,ita ille mortuus est spiritualiter,vt quędam sint in eo iam mortua,& quædam moritura, hoc est,ad interitum festinantia & lento (vt dicunt) pede currentia , Quemadmodum dum magnus aliquis extinguitur ignis,aut suffocatur,cinereq. cooperitur : quædam citò extinctæ apparent prunæ , & in nigros conuersæ carbones: quædam vero subcinere ferè morituræ,aut mortificatę,siue iam iam morti proximæ & ad interitum festinantes , iacent : quæ vt reliquæ in carbones conuerterentur , nisi citò adiuuarentur & subuenirentur.Et talia moritura in Antistite hoc prolapsō,mollia ego appello,& ad casum & ruinam paratissima nuncupo,circa quæ vigilare, eademque omnino confirmare & confortare,(vt solidiora,robustioraque fiant) hìc præcipitur Sardis Ecclesiæ Angelus à Deo, tam respectu sui, quam respecto aliorum , putà suorum subditorum.

Comparatio.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. Quod vigilare, & confirmare sit annexum Episcopis.

Luc. 22.



VIGILARE & debilia,infirma, molliaque confirmare , est propriū officium pastorale. Ob hoc,supræmo Ecclesiæ Pastori Petro dictum fuit à Domino [Simon dormis,non potuisti vna hora vigilare mecum] & iterū. [Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua , & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,]ecce officiū tùm vigilandi ; tùm confirmandi qualiter annexum sit prælato Euangelico.Dicamus primo de vigilia. Debet siquidē Euangelicus Pastor accuratè & diligenter vigilare,&sollicitum esse tam de sua,quam de suorum salute quadruplici de causa. Prima quidē,quia ipse est custos ciuitatis:in medio inimicorum,iuxta illud:[Dominare in medio inimicorum tuorum .]& alibi : [Reges eos in virga ferrea .] Secunda,quia ipse est custos gregis domini, in medio luporum, putà,hæreticorum, tyrannorum,& falsorum Christianorum,iuxta illud.[Ecce mitto vos sicut oues in medio luporū] . Tertia quia ipse est custos supernorum & infernorum, iuxta illud . [Tibi dabo claues regni cælorum , quodcunq, ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis,& quodcunque solueris super terrā erit solutum & in cælis Quarta,& postrema causa est, quia ipse curam habet omniū Ecclesiæ thæsaurorum: quibus pleriq. hoc nostro seculo dirè insidiantur , vt furentur,mactent , & perdant . Quamobrem oportet,vt Euangelici prælati vigilent,vt custodes illi,de quibus Cant. 5.dicitur.[Inuenerūt me custodes,qui circumeunt ciuitatem , percusserunt me, &c.]Super quæ verba air D.Ber. [Isti custodes & boni vigiles sunt proculdubio euangelici pastores , qui,nobis dormientibus,peruigilant, tamquam rationem pro

Prælatus qui custos est,debet quatuor vigilias obseruare.

Prælatus est custos ciuitatis.

Psalm. 109.

Apoc.2.

Prælatus est custos gregis Domini.

Prælatus est custos supernorum,& infernorum.

Prelatus curā habet omnium thesaurorum Ecclesiæ.

Notent Prælati.

A animabus nostris finaliter reddituri , qui pernoctantes in orationibus , hostium insidias explorant , sagaciter anticipant consilia , malignantium deprahendunt laqueos,eligunt tendicula,retiacula dissipant , machinamenta frustrantur,ij sunt superni amatores populi christiani , qui multum orant pro populo,& vniuersa sancta communitate.] Sic ille.



IAM dicamus de confirmare.Cum enim aliquis cæteris præest , vacillantes sibi subditos confirmare ac corroborare tenetur.Quamobrem (vt nuper retulimus) dictum fuit Petro . [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua , & tu aliquando conuersus confirma
B fratres tuos ,]super quæ verba sic scribit Caietanus , [Officium confirmandi fratres prædicit futurum Petri. Hinc tollit occasionem residuæ contentionis.Sed vide, quod non subditos , sed fratres vult haberi reliquos a Petro : vide quod officium non dominandi sed confirmandi in bono fidei,spei, & charitatis prænuntiat , ac mandat.] Sic ille, Debet igitur euangelicus pastor sibi subditos confirmare, qui nondum spiritualiter mortui, virtutem sectantur : ne fortè malorum vestigijs inhærendo etiam ipsi succumbant.Ideo dominus pastoribus omnibus per vatem suum Ezechielem interitum denunciauit,eo quod sui muneris obliti, oues in peius ierant.[Quod (inquit) infirmum fuit non consolidastis , & quod ægrotum non sanastis , quod confractum est non alligastis,& quod abiectum est non reduxistis , & quod perierat non quæsistis .] Hinc , D. Ambrosius super illa verba Lucæ.2. [Pastores erant in regione
C eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.]sic scribit;[Vide Ecclesiæ surgentis exordium : Christus nascitur,& pastores vigilare cœperunt,qui gentium greges pecudum more ante viuentes in caulam Domini congregarent , ne quos spiritualium bestiarum per effusas noctium tenebras paterentur incursus . Et bene pastores vigilant , quos bonus pastor informat . Grex igitur populus,nox seculum, Pastores sunt sacerdotes . Aut fortasse etiam ille sit Pastor cui dicitur,esto vigilans,& confirma,quia non solum episcopos ad tuendum gręgem Dominus ordinauit , sed etiam angelos destinauit.] Faciunt etiam ad hoc institutum verba illa Iob.4. [Vacillantes confirmauerunt sermones tui,& genua trementia cōfortasti.]Cęterum mirabile maximum plane est , quomodo pastores , & Episcopi possunt inter tot Ecclesiarum pressuras quiescere.Et præcipuè cum ipsis reddenda sit ratio coram
D diuino tribunali tantorum malorum , quæ sua negligentia, aut non tam ferventi charitate (vt opus est) eueniunt in dies.Macrobius in saturnalibus auctor est, quod tempore Traiani Imperatoris fuit homo quidam Romæ multis debitis obligatus , qui nihilominus ad vtramque aurem placidè dormiebat.Cum igitur mortuus esset,& eius bona sub hasta venderentur,iussit Imperator,vt sibi quocuque prætio culcitrā , in qua dormiebat emeretur. Cumque interrogaretur ad quid eam vellet, respondit,fieri non posset, quin ea culcitra ad somnium capessendum maximam vim haberet , Quod , vt illius miserabilis defuncti in curiam notaret dicebat . Verumtamen quod magis hodie quorundā Pastorum negligentia, & incuria , secordiaque notari posset,qui cum tam strictè Deo pro ouibus sibi creditis obligentur , nihilominus adeò securè dormiunt, ac si nullam prorsus curam susciperent cum episcopali dignitate , Proinde euangelicus iste Pastor Sardianus
E iustè admonetur , vt expergefactus à vita anteacta (quasi è somno) incipiat in bonis charitatis se exercere : & quantum sibi cum Episcopali dignitate onus sit impositum cōsideret,simulq peruigiles, confirmet & omnino curet, ne oues, quæ ad huc illæsæ in suo grege inueniuntur, defectum doctrinæ,& exemplo,ab ipso derelinquantur vsquequaq: & omnino pereant , ac funditus interimantur,& deuorentur à lupis .

Conceptus 2. Quod prælatus verbo, & exemplo debet suos subditos confirmare.

Caiet. super cap.22.Lucæ.

Prælati notēt

Ezech.34.

Amb. super Lucam lib.3.

Notent Antistites.

Macrobius in saturnalibus.

Exemplum cuiusdam negligentis debitoris.

Prælatorum negligentia maxima.

Prælati animentur ad sui gregis custodiam.

Vigilat

Conceptus 3. Quod Vigilia bonorum est maxima laude digna.



VIGILAT actiuus, tùm vt abigat hostem, iuxta illud. 1. Petri. 5. [Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.] tùm vt subijciat carnem, secundum illud Eccles. 31. [Vigilia, honestatis tabefaciet carnes.] tùm vt bene sit illi in fine, iuxta illud Lucæ. 12. [Beati serui illi, quos cum venerit Dominus inuenerit vigilantes.] Quæ plane omnia facit actiuus homo cum peccata ab adolescentia commissa cognoscit, & cognita corrigit, & ad bona agenda se conuertit, perseuerando in eorum custodia vsque in finem. Vigilat contemplatiuus, tùm vt cælestia in terris degustare incipiat, iuxta illud Cant. 4. [Ego dormio, & cor meum vigilat:] tùm vt eius anima spiritualiter liquefiat, secundum illud Cant. 5. [Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.] tùm vt eius cor eleuetur in Deū, secundum quod scriptum est de iustis Eccles. 39. [Iustus, cor suum tradidit ad vigilandū diluculo.] Vigilat denique prælatus, tum circa propriam personam, quoniam in symbolo Athanasij habetur: [Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habēt cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem]. Quamobrem Antistes iste debebat pro sua propria persona vigilare: tam contra primum inimicum animæ, putà mundum, quoniam sanctus Tho in hisce commentarijs affirmat, hunc præpositum Ecclesiæ per vanāgloriā peccasse, quam contra secundum animæ inimicum, videlicet carnem, eo quod Rupertus Abbas asseuerare videtur, Sardensem hunc Antistitem lapsum carnis commisisse, ac etiam contra dæmonem tertium animæ inimicum, quandoquidem hic quotidianus, ac domesticus tentator nuncupatur. Tum insuper vigilare tenebatur circa gregem sibi creditum, vt eidem prouideret, iuxta illud Lucæ. 2. [Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum]. Et vt etiam eundem instrueret prædicando, secundum illud. 2. Tim. 4. [Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple]. Et vt tandem eidem obedientiam doceret, dicente Apostolo ad Heb. vltimo. [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi pro animabus vestris rationem reddituri.]

Homo actiuus quomodo vigilat.

Homo contemplatiuus quomodo vigilat.

Prælati, & pastores super gregem eis comissum vigilias agere tenentur.

Conceptus 4. Quod vigilare est valde necessarium omni tempore.



VIGILARE vnum est de sex accidentibus hominum, in esse conseruantibus. Et propriè nihil aliud est, quam libera spirituum per organa sensus, & motus diffusio virtutis naturalis per corpus peragens passiones. Vnde est illud Aristotelis: [Omne animal habens sanguinem ambulat, vigilat, & dormit.] Nihilominus tamen Vigilat summus creator ad creaturam gubernandam, vnde Ier. 1. [Vigilabo ego super verbo meo, vt impleam illud.] Vigilat angelus, ad mortalium custodiam. Angelus enim noster numquam dormit, sed ad custodiam, continuè intendit, & teste saluatore, semper faciem patris cernit. Et ideo in scriptura angelus vigil dicitur, eo quod ad vigilandam super custodiam hominis ordinatur: vnde est illud Dan. 4. [Ecce vigil, & sanctus descendit de cœlo.] & Cant. 3. [Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.] Vigilat tandem iustus viator ad bonorum operum exequutionem, vnde est illud. 1. Tim. 5. [Non dormiamus sicut ceteri, sed vigilemus.] Quamobrem animaduertere alicui homini, vt vigilet, actus quippe est amicitiæ, qui à charioribus tantum & familiaribus imminente periculo, sub his verbis. [heus frater vigila,] nobis exhiberi solet. Hinc Christus Dominus, instante iam passione, octo discipulis dixit: [Sedete hic donec vadā illuc & orē.] at vero tribus dū taxat, nimirū Petro, & duobus filijs Zebedæi (vt habetur Matth. 26.) tamquam amicis specialibus (vt ait Lyranus) qui debent in angustijs amici assistere vel tamquam charioribus & magis familiaribus (vt ait Caietanus) præcepit vt secum vigilarent vacando orationi, dicens. [Vigilate mecum.] Signum autē huius familiaritatis, & amicitiæ diuinæ in Antistite isto ad presens nullum aliud inuenio, nisi quia licet ipse interius malus esset, & mortuus coram Deo reputaretur: tamen exterius populo sibi commisso optimū sanctitatis præbebat exemplū. Hoc asseuero, vt apertè intelligat quis, optimū exemplum sanctitatis christianis viris proculdubio necessariū esse, dicente Christo Matth. 5. [Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrē vestrum, qui in cœlis est,] Magis siquidem prodest vnum exemplum publicū, quam mille noceant secreta peccata, quia si non castè, saltem cautè. Sed cur vigilandū est? Audite quęso. [Esto vigilans] aduersus Satan: [Induite vos armaturam Dei (ait Apostolus ad Eph. 6.) vt possitis stare aduersus insidias diaboli, &c.] &. 1. Petri. 5. [Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.] Et paulo post: [Cui resistite fortes in fide,] & Iacob. 4. [Resistite diabolo, & fugiet à vobis.] & ad Ephes. 4. [Nolite locum dare diabolo.] Hinc noster Archipropheta in cap. 12. Apocal. ait: [Væ, væ, va, terræ, & mari, quia descendit ad vos Draco habens iram magnam sciens, quia modicum habet tempus.] Quapropter Paulus. 2. Cor. 11. ait. [Timeo ne sicut serpens seduxit Euā in astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.] Sed cur times electionis vas? Meritò sane times, nostra considerata fragilitate, & dæmonis astutia. Incedit enim Satan aduersus nos ita armatus, vt dicat Iob. 40. [Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago eius quasi laminæ ferreæ per gyrum dentiū eius formido, &c.] Vix, aut ne vix quidem, aliud fortius, horribilius, aut solicitius aduersus nos audiri potest. [Esto vigilans,] aduersus carnem, quia [Caro concupiscit (vt ait Apostolus ad Galat. 5.) aduersus spiritum, spiritus, autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis,] & paulo post: [Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorū seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia.] Vides ne malorū cathagoriam? Esto vigilans,] aduersus mundū, quia [Amicitia huius mundi (vt dicitur Iacobi. 4.) inimica est Dei:] Et protinus subiungit: [Quicunq. ergo voluerit esse amicus huius sæculi, inimicus Dei constituitur.] &. 1. Ioan. 2. [Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundū nō est charitas patris in eo.] Esto igitur animo vigilans, ne intres in tentationē, scriptū est enim Matth. 6. [Et ne nos inducas in tētationē.] Propter hoc Christus multoties in euangelio suo vigilantiam sub diuersis parabolis apprimè commendauit. Ad hoc quippe spectat parabola illa de virginibus, Matth. 25. in qua dicitur: [Nescio vos, vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.] Rursus ad hoc ipsum refertur parabola de patre familia vigilante, ne fur effodiat domū eius, & rapiat omnia, vti habetur Matthæi. 24. per hæc verba: [Si sciret paterfamilias qua hora fur veneric vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.] Postremo ad idem propositū dirigitur parabola illa de seruo dispensatore cōstituto à patrefamilias super familiā suā, pro vt narratur Matthæi. 24. dū dicitur: [Beatus ille seruus quē cū venerit Dominus eius inuenerit vigilantem.] Et oportebat sane (vt ait Abulensis) vigilantiā sub tot parabolis apprimè commendari, quia cū, nunc nihil magis necessarium sit quā vigilantia: nō sufficiebat semel hortari, sed necessariū erat sæpe illud dici, vt in mentibus insigeretur. Et quia vitiū esset idem per eadē verba repetere, posita fuit à Christo exortatio ad eandē rem per diuersas parabolas, eo quod dū eadem res diuersimodè concipitur magis mouet Quoniam hos sub vna, illos vero sub alia ratione, mouet,

Vigilare est propriè res corporea habentis sanguinem.

Spiritus metaphoricè dicuntur vigilare.

Vigilāt iusti.

Amonitio vigiliæ est amicitiæ actus & signum.

Lyranus, & Caietan. in Matth.

Exempla exteriora semper sunt bona

Cur vigilandum semper sit.

Vigilandum contra diabolum.

Apostol' cur timuit.

Vigilandum contra carnē

Malorum cathegoria, & series.

Vigilandum contra mundum.

Tentatio profligatur vigilia.

Vigilia commendatur à Christo.

Vigiliæ aliquot parabolæ Saluatoris

Tostatus in c. 24. Matth.

Vigiliæ cur tot parabolis proposuit Christus.

Conceptus 5. quod prælati debent esse perfectiores subditis.

R Et hæc verba, confirma cetera, quæ moritura erant.] Vult dominus indicare, Prælatos & Episcopos cæteris firmiores debere esse; quoniam illud perquod aliud firmatur & cōfirmatur, sēper est digniùs, veriùs, atq; firmius, his quæ firmantur per illud, quia propter quod vnū quodq; est tale (teste Philosopho) & illud magis. Si ergo subditi cōfirmandi sunt per superiores, & Antistites suos: magis firmi, fortes, & robusti in virtutibus debent esse ipsi superiores, & Antistites. Quemadmodū in illationibus nū quam causatur certitudo conclusionis, nisi ex principijs certioribus, nisi secundum accidens, quod est sophisticus modus, & nullatenus sciētia, vt ait Arist. in 1. Poste. Accedit quod D Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs de firmitate prælatorum erga suos subditos, sic eleganter scribit: [Grex citò in vitia labitur, & mortem culpæ mox patietur nisi a prælato iuuetur, cōfirmetur, & deducatur secundum quod dominus per Prophetam ait: Dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor.] Ita Carthusianus. Et Sanctus Hilarius in illa verba Matth. 24. [Vigilate quia nescitis, qua hora dominus vester venturus sit.] Ita scribit: [Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam ad hortetur specialem, tamen populi principibus, idest Episcopis in expectatione aduentus suo sollicitudinem mandat. Hinc enim seruum fidelem atque prudentem, propositum familiæ significat, commoda, atq; vtilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, idest, si doctrinæ opportunitate, vt veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, deprauata conuertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atq; hæc agens, hisq; immorans deprehendatur, gloriam a domino, tamquam dispensator fidelis, & villicus vtilis consequetur, & super omnia bona constituetur, idest in Dei gloria collocabitur quia nihil sit vltra quod melius sit.] hæc Hilarius.

Text. 4. N ON enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.

COMMENTARIVS.

Explanatur contextus. 5. 1.

V Bi nostra vulgata legit, [*inuenio*,] de præsenti tempore, in plerisque exemplaribus Latinis manu scriptis reperitur [*inueni*,] de præterito, ita legit Primasius D. Augustini discipulus per hæc eadem verba: [Non enim inueni opera tua repleta coram Deo meo.] Loquitur autem hìc per angelum suum, Christus, vt homo. Quemadmodum namq; Redemptor noster Iesus dum in terris viuebat, & cum hominibus conuersabatur, Deus & homo cum esset, iuxta illud Ioan. 1. [Verbum caro factum est,] aliquando vt Deus loquebatur: & sic intelligitur illud, [Antequam Abraham fieret ego sum,] & illud: [Phylippe, qui videt me, videt & patrem meum, non credis quia ego in patre, & pater in me est?] & illud. [Ego & Pater vnum sumus,] Aliquando vero vt homo, & sic intelligitur illud: [Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.] & illud: [Mulier da mihi bibere.] & illud: [Venit hora, vt clarificetur filius hominis.] & paulo post: [Pater, saluifica me ex hac hora.] Eodem prorsus modo postquam ascendit ad cælos, & sedit ad dexteram Dei Patris, idem Redemptor noster Iesus Christus aliquando vt Deus aliquando vt homo loquitur, vt videre licet in hac Apocalypsi, vbi ipse per Angelum suum, modo vt Deus iuxta illud. [Ego sum Alpha, & omega, principium, & finis.] modo vero vt homo affatur, iuxta illud: [Ego sum radix, & genus Dauid, stella splendida, & matutina.] Quamobrem hic dum ait: [*Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*] iuxta humanitatem proculdubio est sermo. Subiungit tamen ly [*meo*,] propter magnam subiectionem (vt ait sanctus Thom.) & altissimam dilectionem.

Ioan. 20.

Ioan. 11.

Apoc. 1 & 22. Strabus. Primasius. Lyranus. Ruper Abb. Ribera. Diony. Cart.

S. Thom. in com.

Primo tamen si propriam huius Antistitis personam spectemus, cum mortuus esset hypocrisis, & vanæ gloriæ crimine, aptè illi dicitur a Christo: [*Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.*] Opera namque hypocrisi, & vanagloriæ coniuncta, merito opera vacua, & inania appellantur. Hypocrita enim cum recta careat intentione (quæ Deo mirum immodum placet) vacuus & inanis iure optimo nuncupatur. Idcirco de illo expendi plane potest illud Exodi. 29. [Non apparebis in conspectu meo vacuus:] Id est hypocrita. Est siquidem hypocrita vacuus paulo quasi arundo, quæ omni vento agitata huc & illuc paulo momento temporis circumfertur. Vnde dominus & saluator noster ad honorem sui præcursoris Ioannis Baptistæ, turbis Iudæorum dixit Matthæi 11. [Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?] Per inde ac diceret: [Cur omissis ciuitatibus, atq; domibus vestris ad desertum vnà omnes cucurristis, vt miserum hominem, atq; mobilem videretis? Non potuissetis certe tanto studio in desertum impelli, tot, tantarumq; ciuitatum populi, nec ita facile omnes ex vniuersa Iudæa effusi in Ioannem fuissetis, nisi magnum quemdam, & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putassetis. Nec enim ad videndum arundinem existis, cui maximè illi similes sunt, qui numquam idem dicunt, sed huc, atq; illuc facilè pulsi, modo hæc, modo illa affirmare soliti sunt. Per quam plane similitudinem arundinis contendit dominus Ioannem ab hypocritis separare omnino. Arundo namq; in Sacra scriptura multas præsefert significationes, vt eleganter animaduertit D. Gregorius in illa verba Iob 40 [Sub vmbra dormit in secreto calami.] Inter quas præcipua est illa, quæ leues, & inconstantes homines, puta hypocritas demonstrat. Arundo enim intus vacua, & inanis est, & foris viridibus nitet folijs, visumq; aspectu suo delectat, & plus habet foris, quam intrinsecus lateat. Vnde per illam, hypocritę aptè intelliguntur, quos ob eamdem causam dominus sepulchris de albatis comparauit, quæ exterius parent; intus autem plena sunt ossibus mortuorum. In huius modi arundinibus, nimirum, hypocritis, latet dæmon, & requiescit, sicut apud Iob 40. scriptum est: [Sub vmbra dormit in secreto calami.] quia in his hypocritis potissimum dæmon habitaculum elegit, qui arundinum more exterius nitidi, at que fulgentes, intus virtutibus, & bonis operibus vacui sunt. Quare cum Sardensis Episcopus hypocrisis vitio laboraret, carebant eius opera recta finis intentione, quæ cum ad inanem gloriam referrentur atque adeò erant plane vacua & inania, vt nihil mererētur. Eam etiā ob causam D. Gregorius lib. 8. moralium cap. 28. hypocritas, fæno tectorum comparat, asserens de illis intelligi illud Psal. 128 [Fiant sicut fænum tectorum, quod prius quam euellatur, exaruit.] Quamobrem illic, contra hos hypocrisi laborantes, sic scribit: [Fænum tectorum in alto nascitur, sed nequaquam radice solidatur; sic etiam hypocrita, summa quidem agere cernitur sed non in eis excordis, puritate roboratur, quod nimirum fænum ante quā euellatur arescit: quia cū hypocrita sine intentione

§. 2. Prima Exposi.

Opera Sardensis Antistitis cur non plena.

Hypocrita est velut calamus & arundo omnino vacuus & inanis.

Arundinis multa significata.

Hypocritę notantur per arundinem.

Math. 23.

Hypocrita est sicut fænū tectorum.

tione rectæ cogitationis bona studuit agere, ea amittens indicat se sine radice floruisse.] Ita D. Gregorius.

§. 3. 2. Expositio.

Præterea si forte, aliud ab hypocrisi & vanagloria affirmes esse peccatum huius Sardensis Episcopi, quo mortuus iacebat. Cum omne peccatum læthale charitatem destruat (quæ facit opera plena, nempe perfecta secundum quod scriptum est Col. 3. [Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,) commodè plane verba ista: [*Non inuenio opera tua plena,*] etiam de propria persona illius Antistitis expendi possunt. Hinc D. Ambrosius in hisce suis commentarijs ita habet: [Non erant plena, sed vacua, quia charitate non replebantur, vnde & quinque virgines fatuę à contubernio sponsi cælestis repulsæ sunt quia oleum charitatis in vasis habere noluerunt.] Et sanctus Thomas sic:]Opera tua plena efficacia, & merito per plenitudinem circunstantiarum, aut intentionis, deuotiones, diligentiæ, & humilitatis, & huiusmodi; Sed vacua per vanamgloriam, Matth. 25. de fatuis virginibus, Exo. 23. non apparebis in conspectu meo vacuus; vel propter mortale additum; vel quia non ex charitate quæ facit opera plena. Rom 13. plenitudo legis est charitas.] Hęc sanctus Tho. Quod vis aliud ab hypocrisi sit peccatum huius Sardensis Antistitis, cum per illud euacuata in eo fuerit charitas, eius opera non erant plena, sed vacua & inania: hoc est, sancta & perfecta intentione carentia. Ad hoc autem, vt opera nostra dicantur plena, siue repleta coram Deo, hoc est, perfecta: oportet vt charitatem redoleant. Et tunc opera nostra nuncupantur holocausta medullata iuxta illud Psalmographi Psal. 65. [Holocausta medullata offeram tibi:] Per medullam namq; qua ossa repleta conseruantur, significatur tam recta intentio, quam charitas, quæ omnem virtutē hominis confirmant. Quamobrem de quolibet iusto expendi potest illud Iob. 21. [Medullis ossa illius irrigantur.] Id propterea holocausta medullata offerre, erit opera quæ ex charitate, & recta intentione ac etiā ex intimo cordis affectu procedant Deo exhibere, ac præsentare.

Virgines fatuæ cur repulsæ fuerunt.

Opera bona appellantur holocausta medullata.

§. 4. 3. Expositio.

Rursus [*Opera non plena,*] exponi possunt de quibus vis moralibus operibus huius præpositi Sardēsis Ecclesiæ: eo quod cum ipse esset gratia, & charitate orbatus per læthale (quodlibet illud sit in genere, vel specie peccatorum:) vt nuper retulimus, sequitur apertè, quod quamuis eius opera moralia procederent ex fide, tamen cūm ipse gratiam, & charitatem haudquaquā haberet, reddebātur illa proculdubio non plena, hoc est, vacua, & inania coram Deo. Opera enim nostra cum fiunt madiante gratia & charitate, assimilantur septem illis spicis, quas vidit Pharao Genes. 41. plenis, atq; formosis, fertilitatem septem annorum portendentibus: cum vero fiunt absq; gratia & charitate, comparantur semper alijs spicis vacuis, & inanibus vredine percussis, quas ipsemet Pharao vidit, sterilitatem aliorum septem annorum indicantibus. Quemadmodum enim terra ante lucis exordium erat inanis & vacua secundum illud Gen. 1. [Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi:] cum vero lux creata in prima die illam illustrauit, mox repleta dicitur lignis pomiferis, herbis virentibus, bestijs, iumentis, reptilibus, masculino, & fæmino sexu, & resonuit illa illustris Dei vox: [Crescite, & multiplicamini, & replete terram.] Perinde etiā opera nostra cum gratia, & charitate carent vacua & inania appellantur: at vero cum gratiæ, & charitatis luce perfruuntur, & illuminātur, plena & omnino repleta nuncupantur. Fides enim tunc plena dicitur, cum est coniuncta cum charitate, & gratia, hoc est, cum operibus ex gratia, & charitate procedentibus: cum vero non coniungitur cum gratia & charitate redolentibus, tunc vacua, & inanis omnino appellatur; quoniam tunc fides perfectione sua caret, ad quam suapte natura aspirat, secundum illud Apostoli ad Heb. 10. [Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.]

Opera moralia quando plena & perfecta.

Comparatio.

Comparatio.

Terra quando fuit repleta.

Fides quando plena.

Fides quando vacua.

At vero passim dicēs, Quid est illud [cū vero corde, & in plenitudine fidei?] Res planè explicatu digna, & quæ peculiarem desiderat explanationem. Nec est concors dominorum doctorum expositio. Primasius etenim duas affert explanationes, vnam de fide futuræ resurrectionis per hæc verba.] In plenitudine fidei, vt credamus resurrectionem generalem futuram, quasi diceret, iam quia fiduciam habemus ingredi patriam cælestem, non debemus hæsitare quod quorumdam sit resurrectio, quorumdam vero non; sed vera fide debemus credere, omnes homines resurrecturos, quosdam ad gloriam quosdam verò ad pœnam. Nam siquis de hoc hęsitat non habet veram, plenamq; fidem.] Altera vero de fide formata protestata operibus, dicens sic: [Potest & aliter intelligi, plena fides est, quæ concipitur corde, confitetur ore, & operibus bonis exornatur; hac fide accedendum est ad dominum quicumq; volunt introitum patriæ cælestis reserari.] Ita Primasius. Enim vero Lyranus de articulis fidei, & de propositione Ecclesiæ totum hoc expendit dicens:] Accedamus, hic consequenter ostendit modum subijciendi nos sacerdotio Christi, quia talis modus est primo per veram fidem & hoc tangitur cum dicitur, accedamus cum vero corde absq; fictione in plenitudine fidei, quia non sufficit credere aliquos articulos fidei, sed oportet credere quicquid credit Ecclesia] Hæc Lyranus. Sed (vt verum aperte fatear) S. Thom. prælibata verba ad institutum nostrum elegantius omnibus expendit afferens quod fides duobus modis fieri potest plena: Vno quidem quo ad materiam, cum videlicet creduntur omnia, quæ ad credendum proponuntur: Altero quo ad formam, cum nimirum fides est formata per charitatem iuxta illud ad Rom. 13. [Plenitudo legis est dilectio.] Quo plane eodem sensu idem Apostolus de suæ vocationis gratia ad fidem, & Apostolatum loquutus est, dum 1. Cor. 15. dixit: [Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborauit.] Quo loco, vocationem suam plenam appallat: eo quod abundantius omnibus laborauit. Cum itaq; opera moralia huius Antistitis ex fide non plena, puta ex fide, gratia, & charitate spoliata, orirentur, vacua & inania & nullatenus plena merito coram Deo repræsentabantur.

§. 5. *Fides plena quæ sit.*

Fides plena est credere propositione Ecclesiæ.

Fides plena cum charitate & gratia.

§. 6. 4. Expositio.

Dicunt insuper [*Opera non plena*] relationem ad ministerij sui munera & officia; quoniam si pastorale munus istius Sardensis Episcopi consideremus, cū ille munera moritura (vt nuper dicebamus) præsegereret, opera faciēs talia quæ suę dignitati & muneri minimè correspondèrent, rectè de illo dicitur: [*Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.*] Tunc etenim suum ministerium aliquis adimplet, cum muneri suo, vel minima in parte nunquam deest, alioquin erit in eo ministerium vacuum, & inane Cum vero dignitati, vocationi, ac obligationi suę apprimè correspondet, tunc dicūtur eius opera plena: & suum adimplere ministeriū, secundum illud Apostoli 2. ad Tim. 4. [Ministeriū tuū imple.] Hic tamen per transennam annota, quod [Implere] in sacro eloquio multifariam, multisq; modis accipitur. Quoniā primò sumitur pro facere plenum aliquod vas, vel corpus. Plenum autem dicitùr illud, in quo nihil est vacui. Quo sensu dicimus deū implere cælum, & terram, prout habetur Ierem. 23. eo quod vbiq; est Deus, & in omnibus & extra omnia, quoniā compræhendi non valet, nec continetur, sed potius cōtinet omnia. Secundò [Implere] accipitur pro afficere secundum illud Ruth. 1. [Amaritudine repleuit me omnipotens.] Tertio pro consummare vitā, iuxta illud quod de Abraham scriptum est Gen. 24. [Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaq; ætatis, & plenus dierum] & etiam de Israel [Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, consumptusq; ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex, & plenus dierū.] Quarto capitur [Implere] pro satiare spiritualiter, iuxta illud Exod. 15. [Implebitur anima mea.] & Psal. 67 [Aperi os tuum, & implebo illud] quo loco veniūt in mentē verba Iob. 5. [Egredieris in abūdātia sepulcrū, sicut infertur aceruus tritici in tēpore suo.] quo loco loquitur sāctus Iob de satie-

Ministerium Episcoporum quando vacuum.

Ministerium Episcoporum quando plenum.

Deus cælum & terram implet.

Implere idē est quod finire vitam.

satietate iustorum in patria: quãdo iustus plenus dierũ in Dei horreum (post tot laborum trituram, veluti acervus tritici) congregatur, vt elegãter expendit D.Greg. lib.6.moralium cap. 29. per hæc verba: [Rectè dicitur sicut infertur aceruus tritici in tempore suo: frumentũ enim in segete sole tangitur, ventis concutitur, atq; ad aream deductũ triturationis pondere præmitur vt a paleарũ cõnexione soluatur. Deniq; relictis paleis ad horreũ ducitur: Sic enim anima iusti in hac vita à super no lumine illustratur, tentationibus exercetur, cœlesti disciplina supposita, dũ correctionis flagella percipit, à societate carnalium mundior recedit, & relictis paleis ad horreum ducitur; quia foris remanẽtibus reprobis, ad supernæ mansionis gaudia æterna subleuatur. Dum enim post afflictionem iusti prœmia patriæ cœlestis inueniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur.] Hæc D.Greg. Cuius verba quadrant cum Domino dicente de iustis animabus, Angelis suis, Matt. 13. [Triticum autẽ congregate in horreum meum.] Quinto accipitur [Implere] pro perficere; quo plane sensu exoluũtur illa verba Christi Mat. 5. [Non veni soluere legẽ sed adimplere.] Ad quod rectè percipiendum annota, quod lex vetus (quæ tota ad Messiam, vel promittendum, vel delineandum, referebatur) vacua fuit, & inanis, & ad gratiam conferendã ex opere operato minimè efficax; quo sensu Paulus legalia, infirma & egena elementa appellauit, vt liquet ad Gal. 4. In cuius rei typum altare holocausti non erat solidũ, sed inane, & vacũ, prout habetur Exod. 27. & 38. per hæc verba domini.] Non solidum, sed inane, & vacuum intrinsecus facies illud] eo quod sacrificia legalia, immo & vniuersa lex, inanis intus erat, & vacua, veluti cucurbita, quæ solet esse intus vacua & inanis. Vnde vbi nos Ionæ 4. legimus:] Præparauit dominus Deus hederam. [Septuaginta transtulerunt:] Præcepit dominus cucurbitæ. [Quam plane cucurbitam, typum legis veteris fuisse affirmant D. Hier. in cap. 26. Mat. & D Aug. Epist. 49. ad Deo gratias. Et nõ solum lex vetus, immo & omnia tempora ante Christi aduentũ vacua fuere, & inania, quoniã cum vniuersa, vnius Christi causa condita fuissent: dũ ille minimè adueniret, iure optimo vacua, & inania appellabantur. Quod plane vt ostenderet Apostolus, post Christi aduentũ, ait ad Galat. 4] At vbi venit plenitudo tẽporis, misit Deus filium suũ, [& ad Eph. 1] Secundũ beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis tẽporum instaurare omnia in Christo.] Quẽadmodũ etenim Autumnus dicitur tempus plenitudinis eo quod in eo colliguntur quæ in Hyeme seminata fuere, & in vere germinauere: Per inde etiam ea quæ tẽpore legis veteris, Patriarcharũ, & Prophetarũ semina ta fuerant, & sub lege pullulauerãt, in aduentu saluatoris collecta sunt. Cum itaq; lex vetus, & omnia tẽpora essent vacua, ait Christus, loco preallegato, se venisse ad implendã legẽ. Qualiter vero hoc factũ fuerit explicat Cyrillus Alexãdrinus duplici similitudine, in dialogo de adoratione, & cultu in spiritu, & veritate, ad Palladiũ dicens: [Qui in tabulis & picturis artificium suum ostentãt, nõ statim quã depingere incipiunt absolutã & ex omni parte perfectã speciẽ pingendo exprimũt, sed adumbrant prius, & coloribus obscurioribus effigiũt; deinde vero cõgruis scaloribus illustrãt,] & rursus: [Fabri ærarij statuam effecturi primũ obscurã speciem in cera faciunt, deinde illi igne liquefactũ æs infundũt, ita opus suum producũt, vt nouã speciẽ, & pulchritudinem habeat, adiectis ad vmbrã coloribus varijs; & apparet quidẽ dũ æs certã liquefacit, abolere prima lineamenta, res autem ipsa non sic habet: vere enim dicere possunt, & faber ærarius, & pictor, non destruimus vmbras, nec omnino inutiles figuras facimus, sed potius impleuimus; nam quod in vmbris, & figuris tantũ obscure, deformiterq; videbatur, id ad maiorẽ pulchrioremq; formã productũ fuit:] Hactenus Cyrillus. Cuius postrema similitudo apprime explicatur per explanationem Caietani, qui illa verba,] Non veni soluere legem, [Sic expendit:] Quod subiungitur nõ veni soluere, legendũ est, nõ veni dissoluere. Dupliciter enim intelligi potest solutio, vel pro non obseruatione, iuxta quẽ

Iustus dicitur aceruus tritici.

Comparatio optima D. Gregor.

Lex vetus vacua & inanis

Altare holocausti vacuũ.

Comparatio.

Lex vetus cõparatur cucurbita.

Tempora omnia ante aduentum Christi vacua fuese & inania.

Comparatio.

Stylus depingendi imagines.

Stylus efformandi imagines.

Cyrillus explicatur optime per verba Caiet.

A sensum subditur, qui ergo soluerit vnum de mandatis, &c. vel pro solutione vinculi legalis, vt scilicet lex nõ obligaret amplius homines ad sui obseruationem, iuxta quod dicunt testes contra Stephanum, Act. 7. iste dixit, quod Iesus Nazarenus mutaret traditiones, quos tradidit nobis Moyses. Primus sensus consonat sequentibus, scilicet, qui ergo soluerit, tãquam exemplũ seipsum proponat seruãdi, & docendi legem, & prophetas. Alter consonat etiam sequentibus, scilicet iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiãt. Vterque distinguit soluere contra adimplere, quia tam violando, quã reuocando legem nõ adimpleret, sed rũperet, aut tolleret illam, & propterea vterq; sensus est amplectendus.] Ita Caietanus. Ob cuius (inquã) explanationem addit Cyrillus in posteriori sua similitudine illa verba: [Vere enim dicere possunt & faber ærarius, & pictor non destruimus vmbras, nec omnino inutiles

B figuras fecimus, sed potius impleuimus, &c.] & sic, implere sumitur pro perficere; quoniã, vt ait Apostolus ad Rom. 10. [Perfectio legis Christus.] Vnde D.Aug. lib. 17. contra Faustum Manichæum cap. 6. explicans illa verba ad Rom. 16. [Plenitudo legis charitas.] Ita scribit: [Istam charitatem dominus exhibere, & donare dignatus est mittendo fidelibus suis Spiritũ sanctũ: lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem, & quia vtrumq; per Christum, ideo non venit soluere legem aut Prophetas, sed adimplere.] Ita D.Aug. Sexto, & postremo sumitur [implere,] pro rectè correspondere vocationi, qua à Deo vocatus quis est, & munus suũ scientia, vita, & doctrina explere. Et sic accipitur in illis verbis præallegatis Apostoli, [Ministerium tuum imple.] Hinc Apostolus ipse ad Col. 4 Archyppo Diacono ita

C scribit: [Vide ministerium, quod accepisti in domino, vt illud impleas,] hoc est, cura, vt talia opera facias, vt dignitati, & ordini tibi iniuncto respondeãt. Et act. 6. de beato Stephano Diacono ita habetur: [Elegerunt Stephanum virum plenum fide.] Vbi dictio illa, [Plenum] significat, eum habuisse fidem cum operibus ad diaconatus munus exercendum: Et deniq; Gabriel ad Virginẽ ita affactus fuit, Lucæ. 1. [Aue Maria gratia plena,] quasi intuitus fuisset Angelus Dei Virginẽ gloriosam talia opera, gratia Dei, operatã fuisse, quæ decebant, & oportebant ad hoc, vt esset Mater Dei. E contrario cum Episcopus iste Sardensis moritura munera, & officia obtineret (vt nuper retulimus) quæ confirmare Deus illi præcepit, rectè illi, hoc loco, dicitur: [*Non in venio opera tua plena coram Deo meo*] Per inde ac ei diceretur. Non ea opera operaris, quæ tuæ dignitati, & muneri correspondeãt. Oportet enim vt arbor fructus debitos,

D suo tempore habeat, alioquin succidenda sanè venit.

Soluere pro dissoluere & violare siue reuocare.

Implet Christus legem & veritatẽ prophetiarum, perplenitudinem charitatis.

Maria virgo operata fuit opera maternali dignitati (ad quã vocata erat) cõdigna.

IN mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Tex. 5.

COMMENTARIVS.

DY [*Ergo*] præteritorum conclusio quippe est. Modus autem iste loquendi, nimirum [*In mente habe*,] stylus sane est, aliquid in memoriam reducendi, cum quis alicuius rei obliuiscitur. Hinc Vates sanctus Ieremias in quadã lamentatione, domino, oculis lacrymis

E repletis, ait: [Recordare domine (quia oblitus videris, vt superscribit interlinearis tenens hanc vocem martyrum esse, dum non vlciseeris) quid acciderit nobis, intuere: & respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos, &c.] Quæ plane recordatio gaudium, & lætitiam ali-

Explanatio contextus.

§. 1. Stylus recordãdi aliquid.

Glosa interlinearis in Hier.

Recordatio & memoria præteritorum aliquã dolætitiã aliquãdo vero tristitiã gignit.

quando gignit, nempe cum acceptorum beneficiorum recordamur. Idcirco Deut.8.dicitur: [Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum,vt affligeret te,atq; tentaret,& nota fierent,quæ in tuo animo versabãtur, vtrum custodieris mandata illius,an non,afflixit te penuria,& dedit tibi cibum manna.]Quapropter D.Ioãnes Chrysostomus,Apostolorum Petri & Pauli facta in mentẽ redigens,sic exclamat.[Memini tui Petre,& obstupescor,recordor tui Paule,& excedes mente,opprimor lachrymis;quid enim dicam,aut quid loquar, vestras contemplans afflictiones ?nescio. Quot carceres sanctificastis?quot catenas decorastis?quot tormenta sustinuistis?quot maledicta tolerastis,? quomodo Christum portastis?quomodo prædicatione ecclesias lætificastis?] Aliquando vero talis memoria, siue recordatio præteritorum,tristitiam,& mærorem causat: nimirum, cum pristinæ fælicitatis iam amissæ quis recordatur, iuxta illud Iob 29. [Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos,secundum dies,quibus Deus custodiebat me , quando splendebat lucerna eius super caput meum , & ad lumen eius ambulabam in tenebris ? &c. Quando erat omnipotens mecum , & in circuitu meo pueri mei?Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?] Ad hoc etiam alludit illud Lucæ 16. [Fili recordare , quia accepisti bona in vita tua.] Augmentum namq; pœnæ est,felicitatis iam amissæ recordatio.Vnde Boetius 1.de cõsolat. ait: [Maximum infortunatum genus est fuisse fælicem.] Et in hoc sane sensu,huic Antistiti præcipitur, vt qualiter acceperit,& audierit,in mentem redigat.Exclamare proculdubio poterat tunc Antistes iste cum Poeta :

Recordatio præteritorum maiorem arguit miseriã præsentem.

Verg. Aen.

In fandum iubes ò Regina
Renouare dolorem.

Antist.Sard. documenta bene gubernandi oues Christi accepit.

Formã bene gubernandi clargitus fuit S.Ioan omnibus Episcopis Asianis.

Acceperat namq; Præsul iste Sardensis ab Apostolis & à plerisq; alijs sanctis,ac pijs viris (qui temporibus suis in primitiua ecclesia floruerunt) normam & documenta bene viuendi: & ideam, ac archetypum, siue exemplar muneris optimi Episcopi,bene gubernandi(& fortasse hæc omnia ab Apostolo Ioanne acceperat,qui omnes Asiæ minoris Episcopos creans , vt est dictum, possibile,ac credibile est , huic & ceteris formam tum bene viuendi,tum optime regendi Ecclesiam Dei elargitum fuisse) quę omnia dum alta mente reposta apud ipsum manere maximopere oporteret , dæmonio,mundo,carniq;seruiendo,à mente sua recesserunt:velut somnium quod vidit Nabuchodonosor Dan.2.dicens.[Sermo recessit à me.]Id propterea maxime culpabilem facit Christus hunc Sardensem Episcopum , dum ait illi: [*In mente ergo habe qualiter acceperis , & audieris,& serua, & pœnitentiã age*] Quasi dicat.Memento, ò immemor,qualiter edoctus fueris:Reuoca in mentem tuã ò oblite,quæ tibi tradita fuere: Reduc in memoriam,ò Euangelice Pastor spiritualia charismata,quę olim accipere meruisti dum spiritualis gratię,fidei,spei,& charitatis infusionem per sanctum baptisma susciperes: & dum ad Episcopalem dignitatem promotus fuisses: qualiter(inquam) te perfecte,pie, casteq; viuere edocuerunt,tam qui te baptizauere,quam qui te Apostolorum successorem constituere, huic te præficiendo Ecclesiæ. Hæc igitur,vt accepisti & audisti in mente habe , memoria tene , & vt piè, sanctè, & immaculatè deinceps viuas, omnia ad vnguem serua, & de eo quod non seruasti pœnitentiam age,quæ cor emundat,animam sanctificat & ad susceptionem Christi præparat.

Diluitur diuina redargutio ad Angelum Sardensem.

§. 2. Sed dices,Quæ rogo sunt,quę Præsul iste specialiter accepit & audiuit,quorum postea oblitus fuit?Ad hæc plane modo commemoranda obuius oportebat Daniel,qui deorum spiritum habens, nobis illa reuelaret, & aperiret , quemadmodum mysterium visionis oblitæ Regi Nabuchodonosor aperuit,ac reuelauit,dũ cap.2. illi ait:[Somniũ tuum , & visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt. Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurũ post hæc,&c.]& paulo post: [Tu Rex videbas & ecce quasi statua,&c.] Cæterum quia

F Deus ipse,qui olim prophetis,nunc etiam prædicatoribus Euangelicis reuelat profunda,& abscondita. Cum nunc idẽ qui tunc sit Deus in cælo reuelans mysteria, aliqua in medium proferam quæ Antistes iste obliuioni tradidit. Pro se itaq; nimirum,pro sua instituenda vita,moribusq; componendis,audiuit,& accepit : Tum ex veteri Testamento,illud Gen.17.[Ambula corã me, & esto perfectus]& Deut.18. [Perfectus eris, & absq; macula cũ domino Deo tuo.] & Iosue 24.[Timete dominum & seruite ei perfecto corde, atq; verissimo.]& Eccl 17.[Quid nequius quã quod excogitauit caro, & sanguis?]Tum etiam ex nouo Testamẽto illud Iacob.2. [Quicũq;autem totã legem seruauerit,offendat autẽ in vno,factus est omniũ reus.]Et 1.Cor.13.[Si linguis hominũ loquar & angelorũ,charitatẽ autem non habeã, factus sum velut æs sonans, aut cymbalũ tiniens. Et si habuero prophetiã,& nouerim mysteria omnia, &

Antist. Sard. quid specialiter accepit & audiuit pro se.

G omnem scientiã;& si habuero omnem fidem , ita vt mõtes transferã,charitatem autẽ non habuero nihil mihi prodest.]& 1.Ioa.4.[Deus charitas est,& qui manet in charitate,inDeo manet &Deus in eo.]& 1.Cor.15.[Gratia Dei sum id quod sum.] Rursus pro officio sibi iniũcto, hoc est,pro dignitate sua Episcopali accepit,& audiuit: Tum itidem ex veteri Testamẽto illud Exo.28. [Sanctũ domino,] quæ quidem verba summus sacerdos scripta deferebat in lamina aurea super frontẽ,vt illi significaretur,debere semper sanctitatẽ Dei in mẽte habere,quã imitari,qui eius munere fungitur in terra,omnibus viribus debet.Et illud etiã:[Doctrina,& veritas.]& Leu. 21.[Omnis qui habuerit maculã de semine Aarõ sacerdotis non accedat hostias offerre Deo.Si cæcus fuerit, si claudus,&c.]& Leuit.22.[Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad sancta,in quo est immũditia,peribit coram domino.] Tum deniq; ex nouo Testamento

Antist. Sard. quid audiuit & accepit specialiter pro omnibus suis pascendis.

H pro munere Episcopali sibi iniuncto audiuit,& accepit illud 1. Tim.3.[fidelis sermo , siquis Episcopatum desiderat,bonũ opus desiderat,oportet ergo Episcopũ irreprehẽsibilem esse, vnius vxoris virum, sobriũ,prudẽtem,ornatũ,pudicum,hospitalẽ.&c.] Hæc igitur,& alia quãplurima & accepit, & audiuit, quæ omnia tum Dei,tũ sui ipsius oblitus ac immemor , obliuioni prorsus tradidit; id propterea illa ad mentem redigere iubetur,& custodire,& de commissis pœnitere.

PARAPHRASIS Prima. Par.1.

§. 1. Dilucidatio textus.

Et serua (ait) obseruantia verbi Dei , legis , ac mandatorũ domini,adeò proficit hominibus , vt domi-

I nus dicat Ioa.14.[Siquis diligit me,sermonem meũ seruabit,& pater meus diliget eum, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus]& paulo post:[Qui nõ diligit me,sermones meos non seruat]& Luca.11 [Beati qui audiunt verbũ Dei & custodiunt illud.] Hinc Dauid Rex (qui viuens in terris ita mandatorum Dei obseruatorẽ se ostẽdit,vt diceret:[In corde meo abscondi eloquia tua,vt non peccem tibi.])morti proximus instruens Salomonem filiũ suum post se regnaturũ , dixit illi 1.Par.13 [Tunc proficere poteris si custodieris mãdata quæ præcepit dominus Moysi.] Pręmium, nempe gloria æterna,legẽ Dei per bona opera custodientibus, & seruantibus promittitur. [Si vis ad vitã ingredi(dicitur Matthæi 19) serua mandata] & Matth.7.[Omnis qui audit verba mea hæc,& facit ea, assimilabitur viro sapiẽti,qui ædificat domũ suã supra petrã,&c.] Et mox

Seruare mandata oportet.

Ps.118.

Custodientibus legẽ Dei præmia promittitur.

K de non seruantibus ait: [Et omnis qui audit verba mea hęc,& nõ facit ea,similis erit viro stulto,qui ędificat domũ suã super arenã,&c.] & cõtra hos verba Dei audiẽtes,& illa nõ seruãtes indignatur sæpe dominus in Euãgelio.Et ad hoc etiã alludit illud,quod dominus cõquærens se de Israelitis ait Ier.35. [Præualuerũt sermones Ionadab filij Rachab,quos pręcepit filijs suis vt nõ biberẽt vinũ,qui obedierũt præcepto patris sui,ego autẽ loquutus sũ ad vos,& nõ obedistis mihi.] Oportet igitur Deo obedire,mãdata eius quæ audiuimus seruando,& custo-

Non seruãtes leges diuinas dire increpãtur.

Bona opera procedunt ex fide.

A custodiēdo,bona operá facientes.Bona namq; opera ex fide plane procedūt. In cuius rei typum olim pręcepit Deus vt altare thymiamatis vestibus aureis cooperiretur:sic enim dicitur Exod.30. [facies altare ad odolendum thymiamata de lignis setin vestiesq;illud auro purissimo.] Altare quippe istud thymiamatis fides interior procul dubio est,ad quam Deus præcipuè respicit. Ideo exterius hoc altare vestiendum est auro charitatis sanctarum operationum, per quas interiorem virtutem profitemur,& ipsa exterius agnoscitur . Vestitum hoc appello , quemadmodum Apostolus admonet ad Rom. 13. vt induamus Iesum Christum:eius nempe vitam imitando. Et enim omnia opera Christi ad id nos excitant,teste D.Augustino,qui in Enchiridion cap.53. sic scribit:[Quicquid gestum est in cruce Christi,in sepultura, in resurrectione tertia die , in ascensione in cælum,& sedem ad dexteram patris, ita gestum est vt eijs rebus non tantum mysticè dictis,sed etiam gestis cōfiguraretur vita Christiana,quæ hîc geritur. Non propter eius crucem,dictum est, Qui Iesu Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs,& concupiscentijs. Propter sepulturam, cōsepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.Propter resurrectionem,vtquēadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Propter ascensionem,sedemq;ad dexteram patris: Si consurrexistis cum Christo,quæ sursum sunt quærite,vbi Christus est ad dexteram Dei sedens , quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram;] Sic ille . Hæc sunt itaq;vestes aureæ,quibus cooperiendum est altare. Quia hæc sunt thymiamata , quæ odorem super ipsum exhalant suauissimum .

Fides interior est altare thymiamatis.

Vestimentum fidei est charitas.

Gal. 5.

Rom. 6.

Coll. 3.

B

§. 2. Opera bona in oleo pro lampadibus offerēdo,perfigurata.

Olim Deus filiis Israel præcepit , vt pro lampadibus oleum offerrent, vt earum lumen sustentaretur, vt habetur Exod.27. Hinc D.Ioannes Chrisostomus hom. 13.operis imperfecti,sic ait:[Oleum accendit lumen lucernæ,& bona opera excitant fidem cordis , & dant confidentiam animæ:] Sic ille . Verumenimvero notandum est quale oleū pro illis antiquis lucernis,Deus voluerit sibi afferri: [Præcipe(dicitur Exod.27.) filijs Israel vt offerant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum,piloq;contusum, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij.] Oleum (inquit) pilo contusum,idest,quod ex oliuis,vi brachiorum tuorum exprimatur.Tunc enim verum oleum operū,Deo afferimus, cum ea operamur nos ipsi,non quod virtutem ex nobis vires accipiant (siquidem absq; Christi merito nobis prodesse non possunt) sed ipso adiuti nos ipsos mortificemus, patienter in nobis aduersa tolerando , carnēq; macerando.Hoc est,oleum,quod lampadis lumen sustētat,& nutrit,& fidem luminis verā esse ostendit. Quod idem Chrisostomus hom.52.operis imperfecti, confirmat dicens:[Sicut oleum lampadis lumen fouet, ita bona opera subministrant perseuerantiam fidei,ac vigorē eius accendunt.] Huius insuper rei imago erat Cherubinus ille,quem Ezechiel cap.10.vidit,dum ait:[Et apparuit in Cherubin similitudo manus hominis subtus pennas earum.] Opera namq;bona & pia significata per manus,subijcienda sunt pennis speculationis, & doctrinæ.Quod namq;homo iustus fide,verboq; Dei concepit,exterius operibus significare debet.Quemadmodū etenim malum granatum decoris repletū granis,ardentissimis in illud solis reuerberantibus radijs,mediū aperitur,illaq;rubicūda grana demonstrat,sic iustus ex dentissimo amore radiatus,viscera sua aperit,exterioribusq; operibus interiores virtutes , inflamatissimamq; charitatem aperte manifestat . Quoniā sicut inter omnes fructus malū granatum corona insignitum est , sic vtiq;ille coronabitur qui interiori atq;exteriori charitate fulgebit. Et forte hoc Moyses significare voluit instituens,vt in fimbrijs sacerdotalis indumenti (quando sancta sanctorum ingredi debebat)tintinnabula,& mala granata essent: quia talis in vltimo vitæ fine inueniri debet quisquis cælestes ianuas ingredi conatur,vt attētionem cælestis tintinnabuli diuini Verbi se præstitisse, & opera,tamquam fructus ex tali auditione manantia

Oleum pilo contusum quando nos offerimus Deo.

Comparatio.

Opera bona in secreto facienda.

Operibus bonis insudandum optima similitudine docetur.

Comparatio.

Iustus malo granato comparatur.

Tintinabula & mala granata cur in fimbrijs sacerdotalis indumenti.

coram Deo repræsentet. Debemus igitur nos cū Christo,& sua gratia cooperare,si cum ipso glorificari desideramus.In 16.cap.Leui. iubebat lex,vt cum summus Sacerdos pro peccatis populi sacrificium oblaturus esset, animalia sacrificanda non expensis sacerdotis , sed sūptibus populi adducerentur.[Suscipiet(ait sacer textus) sacerdos ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hyrcos pro peccato,]Sed quid?Nōne sacerdos decimas accipiebant?quare & non ministrabit hostiā pro vniuerso populo? Voluit profecto in hoc Spiritus Sanctus nobis significare: quod sicut sine oblatione sacerdotis hostia grata nō erat,sed populus eam offerre debebat,sic absque Christi meritis,opera nostra grata esse non possunt,sed tamen vt offerantur per eius merita nos ea præstare debemus;Quare satis non est de Christi meritis & sacramentis agere, nisi nos operibus nostris imitemur quod docuit. Et hoc plane est, quæ accepimus & audiuimus seruare. Seruantur autē verbū Dei, lex,& mandata Domini,primo fide cordis,nimirū cum ipsam legē,verbū Dei,& mandata Domini,magno pręcio æstimamus,& credimus.Fides namq;est fidelissimus verbi,legis,ac mandatorū custos.Neq;enim sufficit ratione,memoriaue seruare.Deinde etiā opere seruantur verbū Dei,lex,& mandata dimini,nimirū,cum volūtati Dei,voluntatem,operaq;nostra cōformamus. Vtraq; obseruationē,Moyses vno verbo cōprehendit.Deut 6. [Erunt verba mea in corde tuo. Narrabis ea filijs tuis; eruntq;quasi signum in manu tua.]Et Sapiens Prouer.6. [Liga ea in corde tuo,& circunda gutturi,& cum ambulaueris gradientur tecum.]

Opera nostra Christi meritis adiungere debemus.

Fides est custos mandatorum Dei.

Opera nostra conformanda cum diuina volūtate.

§. 3.

C Ad obseruandum porro verbum domini,legem diuinam,& mandata Dei, inducunt nos aliæ creaturæ,quæ domino obediūt.De bonis Angelis nō est dubiū,qui sūt ministri eius,faciētes volūtatē,& verbū illius, vt patet 2.Par.21.& Ps.102.De angelis vero malis etiam patet: Præcipiebat.n.spiritui immūdo, vt exiret ab homine,& exiuit,Lucæ.8.Soli itidē pręcepit,vt dicitur Iob.9.& nō oritur.Coruis etiā,vt pascerēt Eliā iussit 3.Reg.17.& fecerūt.Ventis rursus,& Mari imperabat dominus,vt dicitur Lucæ.8.& obediebāt ei.Et tandē Psalmographus Ps.148.generaliter loquēdo ait:[Pręceptū posuit,& nō præteribit:] [Ignis,grādo,nix glacies,spiritus procellarū,quæ faciunt verbū eius.] Solus homo procul dubio est,qui(inter creata)verbū Dei,legē eius,& mādata illius aliquādo nullatenus nec seruat,nec custodit, & de illo intelligitur illud Mat.7. [Omnis arbor,quæ nō facit fructū bonum excidetur,& in ignem mittetur;igitur à fructibus eorum cognoscetis eos.Non omnis,qui dicit mihi domine,domine, intrabit in regnū cælorū, sed qui facit voluntatē patris mei,qui in cęlis est,ipse intrabit in regnū cælorū. Multi dicent mihi in illa die,domine,domine,nonne in nomine tuo prophetauimus,& in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo virtutes multas fecimus?& tunc confitebor illis quia numquā noui vos,discedite à me omnes,qui operamini iniquitatem.] Maximopere oportet igitur, nunc seruare, & custodire verbū Dei, legem diuinam,ac mandata domini:Et hoc non qualitercumq;sed fide, & opere,vt sic prēmium tunc in patria reportare possimus,dicente domino Lucæ.8.[Quod autem in terram bonam,hi sunt qui in corde bono , & optimo audientes verbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.] Mirum in modum proculdubio delectatur Deus in suorum mandatorum custodia,vt clarè indicauit Christus in querella illa ab ipso contra Hebræos proposita,per hæc verba:]Nonne Moyses dedit vobis legē?& nemo ex vobis facit legem.[Qua propter huic Antistiti , quæ audiuit, & accepit documenta,in futurum executioni & operi mandanda vt curet,hic præcipitur.

Creaturæ omnes inuitant homines ad custodiam mandatorum diuinorum.

D

Homo rebellatur aliquādo cōtra Deū inter animalia ac creaturas insensatas.

Fructus expectantur ex bonis operibus.

Deus delectatur dum nos eius mandata custodimus.

E

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

§. 1. Dilucidatio Tex.

Et pœnitentiam (dicit tandē) **age.** [Cui dudū dictū fuit:] Nomē habes quod viuas & mortuus es,nōo

ipsimet hic dicitur.]Et pœnitētiā age:[vt aperte intelligatur peccatis mortuos post susceptionem baptismi (quos Apostolus ad Heb. 6. & mortuos & prolapsos appellat) iterum per pœnitentiam resurgere & renouari posse. Peccator namq; qui post baptismum iterum peccata committit, renouationem (vt catholica tenet fides) per pœnitentiam expactare debet. Hinc sanctè pœnitentiam, Concilium Tridentinum sess. 14. can. 2. secundam post naufragium tabulā appellat, idcirco huic Antistiti spiritualiter mortuo hic dicitur:[Et pœnitentiam age,]quasi dicat, pœnitere, vt ab operibus mortuis hoc est præteritis commissis resurgere, & renouari (vt altera fœnix) queas.

Fœnix auis renouatur.

§. 2. Pœnitere autem de præteritis commissis peccatori multum, etiam, atq; etiam interest vt eius peccata fint tecta. Estote quæso attentissimi. Duo hominum genera, beata vocat Dauid. Primo siquidem Ps. 118. ait. [Beati immaculati in via,] hoc est: Beati qui in via sunt sine macula, iuxta illud, Eccl. 31. [Beatus vir qui inuētus est sine macula] via autem nostra, vita quippe hæc nostra est, cuius vnus terminus est dies, in quo nati sumus, alter vero terminus dies in quo morimur, est. Tempus igitur, quod inter natiuitatem, & mortem nostram mediat, viam nostram Psalmographus appellat, & illi quia in hac via, hoc est, in toto hoc tempore sunt sine macula, nimirum, sine peccato beati dicuntur ab ipso, quibus & ego ipse cum Poeta dico:[O terq; quaterq; beati.] Sed quis quæso est hic & laudebimus cum? [Si dixerimus quod peccatum non habemus (dicitur 1. Ioan. 2) ipsi nos seducimur, & veritas in nobis non est.] Sed siquis vestrū ita immaculatus in hac via fuerit, oret rogo pro me. Secundo vero idem Psalmista alterum beatorum ad ducens genus, Ps. 29. ait:[Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata.] Tecta siquidem dicuntur peccata, nimirū cooperta. Res enim cooperta non videtur, id propterea vocantur peccata tecta deo, quæ ipse non vult videre vt puniat, hoc est, quę ad ęternam punitionem non reseruat, sed in hac vita ignoscit propter pœnitentiam hominum. Quamobrem stando in verbis Psalmographi: cum quis pœnitet de cōmissis, tūc commissa peccata tegit per pœnitētiam. Et hos pœnitētes beatos vocat Dei vates. Magnum sane, ac grande remedium est perpetrata peccata, iam cilicio, iam ieiunio iam eleemosina, iam disciplina, iam lachrymis, iam asperis indumētis cooperire, ac tegere, sic etenim hęc omnia, & alia pleraq; pœnaliā opera (quæ Deus verè penitentibus inspirat) peccata tegunt, hoc est, cooperiunt, vt illa prorsus demoliantur, ad nihilum illa redigentes, ve luti statua illa quam in somnis vidit Nabuchodonosor, Dan. 2. ad ictum lapidis in fauillā redactam. Illa etenim peccata demolita, & in fauillam redacta dicuntur, quæ vera pœnitentia cooperiuntur. Hinc Dauid dixit:[Beati quorū remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata] Agere igitur oportet (cū conscientias nostras peccatis, vitijs, ac scęleribus irretitas inuenimus) vt altera Rachel, quæ (vt dicitur Gen. 31.) ad hoc, vt pater suus Laban minimè inueniret idola, quæ ipsa ab illo furata erat, ingrediente Laban tentorium Rachelis, ipsa tunc festinans abscondit idola subter stramenta cameli & sedit desuper, & tunc inquit sacer textus. [Sic delusa solicitudo quærentis est.] Hoc enim faciens Rachel patrem sui Laban scrutantem omnē tentorium ita fefellit, ac decepit, vt nihil idolorum, quæ diligenter quærebat inueniret. Quis quæso est iste Laban sua diligenter quærens idola, nisi satanas curiosè, ac stutè, quærens hominum peccata, vt æternaliter cū ipso in inferno puniantur peccatores? Verūtamen cum homines peccata pœnitentijs tegūt, id est cooperiunt ipsum scrutātem tētoriū nostrū, nimirum conscientiam nostram prorsus decipiunt ac fallunt peccatores, hoc est, dæmonem ludibrio habent verè pœnitentes, vt altera Rachel Laban patrem suum delusit, ac penitus irrisit. Agite igitur, agite pœnitentiā peccatores cum hoc Antistite spiritualiter mortuo, cui hic dicitur:[Et pœnitentiam age.] Delicta enim pœnitentijs facilè condenātur. Hinc de prima voce prædicationis Ioannis Baptistę Luc. 3. dicitur:[Et

Pœnitentia est necessaria.

Hominū duplex genus beatum.

Peccata tecta cur sic dicantur.

Peccata tegere quid sit.

Pœnitentia tegit peccata.

Comparatio optima, circa pœnitentiam peccatorum.

Pœnitentes ludibrio habent satanā.

F venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitētię in remissionem peccatorū,] vbi dictio illa:[In remissionem peccatorum,] nō refertur ad baptismum, eò quod baptismus Ioannes nec gratiam, nec remissionem peccatorum conferebat. Ad hæc namq; dumtaxat præparabat. Quamobrem dicebatur baptismus pœnitentię, hoc est, quoddā initium pœnitentię, ad differentiam baptismi Christianorum, inquo sine aliqua pænali satisfactione, remittuntur peccata merito Christi. Ideo dictio illa:[In remissionem peccatorum,] ad pœnitentiam refertur, quoniam Baptista magnus, pœnitentiam, iussu Dei, non qualemcumq; sed illam, quæ meritis Christi, nobis bene gratia eius cooperantibus in remissionem peccatorum, futura tunc erat, primus prædicauit.

Vox prima Euangelij fuit pœnitētia.

Caiet. sup. c. 3. Lucæ.

Baptismus Christianorū solus confert remissionem peccatorum.

G 
I ergo non vigilaueris veniam ad te tamquam fur, & nesciēs qua hora veniam ad te.

Tex. 6.

COMMENTARIVS.

INCERTITVDINEM corporalis mortis, sub solita inopinati aduentus furis metaphora, filius Dei, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas, hic tangit, se furem nuncupans, non quantū ad intentionē, & affectum, sed quantum ad veniendi modū. Eo quod quemadmodū
H fur extemplò, & inopinanter aduenit, haud secus, qua hora non putamus; Deus repente nos ad se temporali morte, (quæ ob parentis protoplasti culpā in omnes te stante Apostolo ad Rom. cap. 5. pertransijt) vt rationem operum reddamus, vocat. Quāobrem huic Antistiti dicitur: [*Si ergo non vigilaueris veniam ad te tāquam fur & nesc ies quā hora veniam ad te*] Vbi ly[*ad te*,] vt subperscribit Anselmus Laudunēsis in sua interlineari Glossa, [contra te,] sonat. Simili autem stylo de in expectato fure crebrò vsus fuit Christus redemptor noster in Euāgelio, quoniā Matth. 24. & Lucæ 12. dicitur:[Illud autē scitote quoniā si sciret pater familias, qua hora fur veniret vigilaret vtiq; & non fineret perfodi domum suā.] Hinc & Apostoli de temporali morte verba facientes, eamdem furis metaphorā crebrò sequuti fuere. Etenim 2. Pet. 3. dicitur: [Adueniet autem dies domini vt fur.] & 1. Thes. 5. [Ipsi enim diligenter scitis, quia dies domi
I ni sicut fur in nocte ita veniet,] & Apo. 16. [Ecce venio sicut fur.] Quāobrem huic etiā Antistiti hoc in loco, dicitur: *Si ergo nō vigilaueris veniā ad te tāquā fur.* quasi ei dicat Christus: Quod debui facere feci tibi, corripui te monui te vt vigiles, euāgelica quoq; tuba personāte ad omnes:[Vigilate itaq; &c. Nescitis qua hora dominus vester venturus sit.] *Si ergo non vigilaueris veniā ad te sicut fur*: non veniam ad te sicuti ad homines illos qui vigilat, & expectant ipsorū dominū reuertentem à nuptijs, gratias agentem illis, & beatificantē eos, qui in occursum eius vigilauere: non veniam ad te sicut sponsus iucundus atq; festiuus, sed *tāquam fur*, qui, nesciente patre familias, domum perfodit; & dominum domus necat, quem dormientem inuenit.

Explanatio contextus.

§. 1.

Furi cur se Deus comparauit.

Matth. 24. Lucæ 12.

1. Thes. 5.

Porro incertitudinem istam corporalis mortis hominum, trifariā siue tripertitò enodare licet. Est siquidem
K mors incerta, primò quo ad tēpus: Ignoramus enim tēpus inquo morimur. Præterit vtique nos an in estate, an in hyeme, an in iuuētute, an vero in senectute: hodie ne, vel cras mors nobiscū aderit. Putarunt nāque pleriq; mori in senectute, & nihilominus in iuuentute occubuerūt. Quāobrem vllus est, qui quādo sit moriturus, sciat. Hoc vtriq; senes, pueri, iuuenes, adolescentes, homines, & mulieres prorsus ignorant. Nullus sane mortalium est qui in eo quod vsque ad tale certum, & determinatum tempus

Par. 1.

Mors incerta triipliciter.

Mortis tēpus omnino incognitū omnibus.

tempus minimè morietur, cõfidere possit. Secũdo mors incerta dicitur quo ad locũ. Incertus planè est quotusquisq. mortaliũ, vbi sit moriturus in terra, nimirũ an in mari, in domo, vel extra, inter penates, scilicet inter parentes, propinquos, & domesticos; an vero inter extraneos, & incognitos. Magnum planè gaudium & solatium solet inter omnes mortis angustias reputari, inter cognatos, & notos in terra sua aliquem mori. Omnes namque homines quantumcumque boni sint naturaliter inclinantur ad desiderandum mori in patria, ac terra sua, & cum ægrotant, vellent illico esse in terra sua, eo quod visceratior, ac vigorosior pietas est inter cognatos, & notos, quam inter extraneos: Et putãt homines impendi eis magis opera pietatis à suis, quã ab extraneis. Et sic dicebat Ouidius in lib. de Ponto, desiderans redire de exilio in terram & patriam suam, & ibi mori,

Mori in patria desideratur ab omnibus.

Quid. lib. de Ponto.

Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.

& post hoc mollius.

Ossa recubarunt manibus tumulata suorum.

Et istemet planè erat timor Iacob cum dominus dixit illi Gen. 46. [Noli timere, descende in Aegyptum.] Super quæ verba sic scribit Alphonsus Tostatus: [Timor Iacob erat, qui dictus est, scilicet, quia erat senex, & non putabat redire in terram Chanaam, sed quod in Aegypto moreretur, & ibidem sepeliretur: & quod posteritas sua deprimeretur ibi, ita quod non possent multiplicari, & ad hoc respondet Deus, dicens: Noli timere, &c.] & ad maiorẽ eius consolationẽ mox ait ei Deus: [Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.] Perinde ac diceret, Ioseph filius tuus, claudet oculos tuos cum moriturus fueris. Quando enim aliqui moriuntur, infrigidantur ei membra, & manent dura, quasi gelida, ita vt congruè flecti nequeant; ne ergo partes corporis valde deformes maneant, immediatè, vt aliquis moritur cum adhuc aliqua caliditas remissa in eo manet, cooperiuntur oculi eius à circũstantibus, & alia membra aptè disponuntur, ne post cũ cadauera infrigidata fuerint, plicari, & disponi non possint. Erat autem apud antiquos consuetudo, quod ille, qui à defuncto dum viueret magis diligebatur morięnti oculos clauderet. Et quia Ioseph magis diligebatur à Iacob, quam alij filij, ipse oculos Iacob morientis clausurus erat, si morti adesset. Promittendo ergo quod Ioseph clauderet oculos eius, promittebatur, quod morti eius interesset. Solatium itaque haud exiguum esse solet inter mortis angustias, in patria, & inter penates, cognatos etiam, & notos mori, verumenimuero hoc nullus mortalium pro certo tenere valet. Existimarunt etenim nonnulli in domo sua, & inter suos affines mori, & tamen extra illos, scilicet inter extraneos, & in aliena domo, mors eius occurrit. Tertio tandem corporalis mors incerta est, quo ad modum moriendi. Ignorat siquidem homo quomodo moriturus sit, nimirum, an in statu pœnitentiæ, an vero in statu culpæ, morte ne subitanea, an naturali, violentaue; contritus, an induratus; prouidus, an vero improuidus. Ecce planè tria fræna satis apta, & idonea ad hominum superbiam maximopere domandam. O vita fallax, ò vita fragilis, ò vita mutabilis, cuius exitum nullus mortalium præscire potest: Omnia (inquit Sapiens Eccle. 9.) in futuro seruantur incerta.] Videsne omnimodam mortis incertitudinem? Verumtamen magis proculdubio ponderanda est hæc tertia incertitudo, quam modalem appellati fuimus, quam loci, temporisvè incertitudo, eo quod minimè sollicitos de loco, & tempore mortis esse oporteret, si quo modo morituri sumus certo sciremus. Plerique etenim præmeditarunt se confessos, pœnitentes, & in statu gratiæ fore morituros, qui tamen postea obstinati, indurati, & in statu maculæ lethalis è vita miserè decesserunt. Hoc ipsum planè nos circa hunc Sardensem Antistitem vehementer angere debet, propterea, quod his verbis: *Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.*] non tantum incerta, & improuisa vocationis horã (vt expli-

Abulens. in c. 46. Gen.

Viuentium pieta. in proxime morientes.

Oculi clauduntur in hora mortis per amiciores, & chariores.

Moriendi modus omnibus ignotus.

Moriendi modus maxime considerandus.

A cant inter alios Primasius, D. Thomas, Rupertus Abbas, Iacobus Suarez à Sancta Maria, & Franciscus Ribera) illi notificatur: Verumetiam flebilem, & diù lamentabilem modum suæ incertæ, & improuisæ mortis corporalis illi intimat Deus, minans se illi indurato, inconfesso, impœnitenti, & in statu culpæ degenti, corporalem mortem extemplò daturum. Quemadmodum Num. 25. dicitur de Phinees filio Eleazari, qui occidit virum Iudæum coeuntem cum Madianitide, dum essent in ipso actu coitus. Vnde dicitur in eodem cap. [Perfodit ambos simul, virum, scilicet, & mulierem in locis genitalibus.] Necesse erat autem tunc esse in actu peccati, in quo non erat pœnitentiæ locus: videtur enim repugnare, simul peccare, & pœnitere: hi enim duo actus nimirum peccandi, & pœnitendi ad aliud, & aliud tempus referuntur. Pari modo hic absq. remissione culpæ in ipsomet peccati actu huic Episcopo minatur Deus se illi mortem daturum; in quo quidem actu non est pœnitendi locus. Quadrãt cum hac nostra expositione Anselmus Laudunensis, qui in sua glossa interlineari, præfata verba sic expendit dicens: [Si ergo non vigilaueris, veniam ad te, excæcando te, & tamquam fur, vt te expoliem, & occidam, & nescies qua hora veniam contra te.] Et auctor etiam Incognitus, qui ita exponit: [Si ergo non vigilaueris super prædictis, sollicitè emendando, veniam ad te tamquam fur, in corpore, & anima te mactando, & perdendo, & hora qua nescies veniam ad te morte subitanea te plectendo.] Sic ille.

Mors sæpenos occupat in ipso actu peccati.

Peccare, & pœnitere simul & in eodem actu videtur impossibile.

B

§. 3.

Mors cur incerta.

Adeo autem incertam voluit Deus mortem corporalem esse, ob multa. Primò namque voluit, vt tempus, diem, & horam mortis ignoremus, vt omne tempus, singulosque dies, ac omnes horas curiosè, ac diligenter obseruemus. Hinc D. Augustinus in quadam epistola sic ait: [Latet vltimus dies, vt obseruetur omnes dies.] & D. Greg. [Ideo dies mortis est incognitus, vt semper credatur esse proximus.] Voluit rursus, vt locum, vbi mors nos inuasura est nesciamus, vt eam in omni loco expectemus. Voluit insuper, vt modum, & conditionem mortis nostræ nullatenus præcognoscamus, vt vnusquisque semper bene viuat; eo quod ad bene moriendum, necessarium est bene viuere. Valde namque difficile est male viuere, & bene mori, prouerbium tritum quippe est: [Ex bona vita bonus finis, ex mala vero vita, malus finis.] Erat quidam mercator, qui transiens per siluam inuenit Eremitam centenarium degentem, à quo quæsiuit quid ibi faceret; cui Eremita. Disco mori. Et mercator, quæ est (ait) necessitas cum sis senex, quia etiam velis nolis oportet te citò mori. Et Eremita: & hoc est quod timeo, quia scio me citò moriturum, & tamen nescio mori. Dixit ergo mercator: quid est ergo scire mori? Cui Eremita: vitia purgare, diligenter, ac prudenter cauere, & bona opera toto cordis affectu facere, iuxta illud: Declina à malo, & fac bonum. Ad hoc planè spectat illud Matth. 24 [Ideo estote parati.] & Apoc. 16. [Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.] & Lucæ 12. [Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs.] Consueuerant olim Palæstini noctu sponsum ad sponsam conducere; quem omnes affines, & noti concomitare solebant. Hos autem serui lucernas ardentes in manibus habentes, vt vnusquisque herum suum anteiret, expectare nimia diligentia tenebantur. Et hoc est, quod lys præcincti,] indicat. Eodem prorsus modo accipitur illud Iob 38. [Accinge sicut vir lumbos tuos,] & illud Isai. 32. [Accinge lumbos,] nimirum, dispone te, & præpara, quod Latini dicunt: [Operi se accingere,] hoc vtique est lumbos præcingere. Hinc Apostolus ad Ephes. 5. ait: [State ergo succincti lumbos vestros, idest, præparate vos ad prælium.] Quod Christus Matth. 24. & Lucæ 12. sub his verbis: [Estote parati,] indicauit. Ad quod peragendum excitat ignorare locum, modum, & horam mortis, quando nos à corporibus egredi præcipietur: [Quia qua hora non pu-

C

Difficile est male viuere, & bene mori.

Exemplum notatu dignũ.

D

Scire mori quid sit.

Palæstinorũ consuetudo.

E

Ignorantia loci, modi, & horæ mortis excitat ad nos præparandum.

putatis filius hominis veniet.] Cum filij Israel in desertum per promissam terram tenderent, non poterant castra mouere, vel exercitum ducere, nisi quando Deus eis signum proficiscendi faciebat per nubem, quæ eos præcedebat: [Per verbum (dicitur Num. 9) Domini figebant tentoria, & per verbum illis proficiscebantur.] Ad quod melius animaduertendum subiungit: [Erantq; in excubijs Domini iuxta imperium eius per manus Moysi.] semper oculis fixis in nube, quæ ex improuiso mouebatur, & quiescebat: Tales nos Dominus esse vult, suum expectantes aduentum. Quamobrem D. Ambrosius in hunc textum, ita scribit. [Illi Dominus tamquam fur superuenit, vt eum per mortem ab hac mundana habitatione subtrahat, qui in prauitatibus suis requiescens, neque à vitijs vult abstinere, neque ipsam mortem ante oculos ponere, sicut Dominus dicit in Euangelio, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret vigilaret, &c.] Et addit: [Per patremfamilias mentem debemus intelligere, quia sicut paterfamilias omnibus, qui in domo sunt principatur, ita & mens omnibus actibus corporis, & cogitationibus præfertur. Pater igitur familias dormit, furq; veniens, domum eius perfodit, quando mens in delectationibus carnalibus requiescens, mors dum non prævidetur, superuenit, atque domum corporis perfodit, animã abstrahit: si autem vigilauerit, id est, in bonis operibus perseuerauerit mortem non vt furem, sed vt liberatricem perferet.] Sic ille.

D. Ambr. in comment.

Mens est pater familias.



Tex. 7.

SED habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.

Psal. 146. Deus etiam stellas numerat.



SVMMVS ille Deus, qui sanè solus inter Astrologos, Arithmeticosque omnes, multitudinem stellarum (quarum creator est, & Dominus) apprimè numerat, ac supputat: & omnibus eis numeratis nomina vocat, hic ipse paucos homines, qui inter Sardianos, post acceptam baptismalem innocentiam nullatenus mortaliter peccarunt, laudans supputat, adscribit, & designat. Fuerunt siquidem in Sardis plerique, qui non tamquam à gratia baptismali ceciderunt sceleribus, & lethalibus vitijs, miserè inseruiendo, verum etiam hæreticis & furentibus persecutoribus, qui tunc in Asia grassabantur proteruè obtemperarunt, quorum hic mentio nullatenus agitur, eo quod in hisce tribus vltimis Ecclesijs (quarum prima hæc Sardensis est,) Prælatorum dumtaxat, & nullatenus prælatorum, & subditorum simul, quemadmodum in quatuor præcedentibus, crimina, ac defectuus, arguuntur & increpantur. Et è conuerso superfuerunt in eisdem Sardibus nonnulli pauci homines, qui & baptismalem innocentiã tota vita absque vllo mortali peccato retinuerunt, & hæreticos & persequutores totam Asiam tunc labefactantes minimè sequuti fuere, quorum hic tantummodo est plane mentio sub ly, *Pauca nomina*. Hæc etenim pauca nomina, superstites boni apud Sardenses quippe sunt. Quod quidem manifestum prorsus euadit ex sequentibus verbis, nimirum: *Qui non inquinauerunt vestimenta sua.* Si enim pauca nomina non significarent paucos homines, non subiungeret mox illud relatiuum: *Qui*, Non enim Latina lingua, hanc admittit dissonantiam, [Nomina qui,] Id propterea ly, *Nomi-*

Deus supputat omnes bonos.

Curam maximam de bonis semper habet Deus.

F *na*, homines oportet significare, vt plane significant. Vocantur itaque homines nomina, & dicuntur nomina pauca, ad pusillum gregem Domini demonstrandum & eorum virtutem indicandam. Magna quippe laus paucorum est, inter malos, & inquinatos, iugi virtutum nitore (vt ait Primasius) immaculatis vestibus permanere. Vt igitur Deus hunc Sardensem Antistitem (quemadmodum & cæteros) post increpationem, consolaretur, ea quæ in diœcesi sua laude digna reperta fuere, illi hic refert dicens: *Sed habes pauca nomina in Sardis*, Quasi dicat. Quantum ad te attinet, tam circa tuam propriam personam, quam circa munus tibi iniunctum, te nimis culpabilem verè reperi: quoniam, & negligentia obruisti, & plerique etiam negligentia tua periere. Cæterum hoc pro te facit, quia non omnes tibi commissas oues, iniquo exemplo tuo perdidisti, adhuc namque sunt superstites nonnulli bo-

G ni: Intueor etenim penes te, in tua nimirum diœcesi paucas personas in virtute iustitiæ nominatas, mihi tamen notas, & acceptas, paucos scilicet homines viuentes apud me, mihique gratissimos, id propterea nominatos penes me ex nomine mihi cognitos, & pro meritis suis in libro vitæ descriptos. Et vt clarè sciret cur hi pauci inter reliquos Sardenses, laude digni essent, protinus subiungit: *Qui non inquinauerunt vestimenta sua*, id est, animas, & corpora, quæ & virginitate, & innocentia, & optimis moribus, fide, spe, charitate, reliquisque virtutibus, hucusque à baptismo incorrupta seruarunt. Omnes namque domestici eius (vt dicit Sapiens) vestiti sunt duplicibus, nimirum in corpore, & anima. Quorum vestimenta semper munditiam redolere oportet, dicente Salomone Eccl. 9. [Omni tempore vestimenta tua sint candida.] Idcirco mox ipse subiungit: *Ambulabunt mecum in albis*,

H hoc est, in animabus immaculatis, corporibus castis, operibus bonis, & conscientijs puris) *quia digni sunt*, adde, talibus patrocinijs & præconijs. Vel aliter: *Ambulabunt mecum*, in regno cælesti, eadem qua fruor beatitudine, immortalitate, & gloria perfruentes instar solis splendidissimis corporibus fulgentes, iuxta illud Sapientis: [Fulgebunt iusti sicut sol. Vel tandem *Ambulabunt mecum*, sicuti & ego ambulaui de terra ad cælum, de miseria ad gloriam, de exilio ad patriam, de paupertate ad diuitias, de labore ad requiem, de morte ad vitam, *In albis*, id est, in corporibus glorificatis, nimirum, in cordibus purificatis, quia digni sunt talibus præmijs & comitatu meo. Et in his corporibus immaculatis vltimo resurgent nitidi velut agni nouelli, & quocumque iero, me sequentur agni Dei. Perspicuum tamen est, hic, Dominum, cælestes sedes iustis repromittere.

I Verumenimuero perpende ly: *Mecum*, Nimiam præsegerit sanè energiam. Mecum siquidem ait, quia si dicat, *Mecum* qui sum dux, & socius eorum, *Mecum* nimirum, cum filio virginis, *Mecum*, cuius caro virginea continentiæ dedicauit exemplum, *Mecum*, qui sum virgineus flos, virginitatis lilium, & corona virginum, *Mecum*, qui præiui, iuxta illud: [Exultauit, vt gigas ad currendam viam.] *Mecum*, eunte de virtute in virtutem, quia licet ego, quo ad habitum nusquam melioratus, aut auctus fuerim (cum hoc solum pertineat ad iustos) tamen secundum actum, siue vsum profeci de virtute in virtutem, id est, de vsu vnius virtutis in vsum alterius, eò quòd plures actus virtutum habui postquam ante. In quo plane sensu intelligitur il-

K lud: [Puer autem crescebat ætate, & sapientia apud Deum, & homines,] *Mecum*, tandem cuius vestimenta sunt alba, iuxta illud Matth. 17. [Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.] Eademmet dictione, *Mecum*, vsus fuit ipse Saluator noster dum in cruce Latroni dixit: [Hodie mecum eris in paradiso.] Locus vero iste cum illa sententia congruit in qua Saluator ait: [Vbi ego sum, illic & minister meus erit.] Quibus verbis eumdem locum, in quo ipse est, promittit fidelibus, vt intelligamus non corporeum locum, sed felicitatis gaudium nobis promitti, in quo ipse Iesus etiam in quantum

Grex pusillus Domini per nomina pauca indicatur.

Laus bonorum est, inter malos esse immaculatos.

Prim. in c. 3. Apoc.

Germanus sũ fus.

Primus sensus.

Iusti duplici induuntur veste.

Prou. 31.

Ecclesi. 9.

Iusti semper mundi.

Secundus sensus.

Iustis promittitur beatitudo.

Tertius sensus.

Iusti assimilãtur Christo ascendenti ad cælum.

Apoc. 14.

§. 2. Laudes Christi, & iustorũ.

D. Tho. in comm.

Luca. 23.

Ioan. 12.

Caie. in Ioã.

rum homo ab instanti conceptionis suæ erat secundum superiorem animæ suæ partem.

Par. 1.

PARAPHRASIS

Prima.

Enodatio textus.

Sed habes (ait) pauca nomina in Sardis.

§. 1. Bonorum minor pars quã malorum.

Bonorum planè minor, ac paucior semper est pars, quam malorum. Hinc Dominus discipulis suis dixit Lucæ 12. [Nolite timere pusillus grex.] & Matth. cap. 10. [Multi sunt vocati, pauci vero electi.] Verum quippe est, quod innumerabiles homines saluabuntur, vt fides catholica satis perbellè docet. Electi namque in promissionibus factis à Deo, Patri nostro Abrahæ, vtique significantur, iuxta illud, quod sancta Mater Ecclesia in missis Defunctorum cantat, dicens: [Signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius.] Promissio autem Abrahæ à Deo facta, habetur Genes. 12. [Faciam te crescere in gentem magnam,] & cap. 13. [Faciam semen tuum sicut puluerem terræ. Siquis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.] & cap. 15. [Suspice cælum, & numera stellas si potes. Et dixit ei: sic erit nomen tuum, credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.] & Gen. 17. [Eris pater multarum gentium, nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.]

Saluandorũ copiosa multitudo.

§. 2. Iusti fere sunt in numeri.

Quod autem electorum, ac saluandorum copiosa, & innumera futura sit multitudo etiam indicat Iob cap. 25. dicens: [Numquid numerus militum eius?] quasi dicat, non est numerus militum eius. Et Psalmographus Psalm. 138. [Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.] & Apoc. 7. dicitur: [Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim millia signati, &c.] & paulò post: [Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, & populis, &c.] & Daniel 7. [Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.] Hinc Christus Dominus, (qui ab Apostolo appellatur Primogenitus in multis fratribus) in cap. 8. Matth. ait: [Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.] Quæquidem saluandorum multitudo in illa piscium multitudine, retibus Petri comprehensa, præmonstrabatur, dum Lucæ cap. 5. dicitur: [Concluserunt multitudinem piscium copiosam.] & Ioan. 21. [Non poterant trahere rete præ multitudine piscium.] Quod si temporibus Archiprophetæ Ioannis erat innumerabilis turba Sanctorum in cælo: & iam à sæculo Ioannis vsque ad hæc nostra tempora transierunt ferè. 1519. anni, quanto copiosior nunc debet esse? Et fanè ita est, eò quòd in dies multiplicatur electorum numerus, de hac miserabili vita, ad æternam felicitatem transmigrantium. Quamobrem D. Hieronymus in prologo Martyrologij affirmat quod non est dies in toto anno (excepto die Kalendarum Ianuarij) in quo non possit Ecclesia quinque millia martyrum festum celebrare. Iuxta quam positionem, martyres erunt plusquam decem & octo centum millia. Quid modo de Virginibus, Confessoribus, Doctoribus, Viduis, Anachoritis, & alijs plerisque sanctis dicam? Propterea sancti Patres tam Græci, quam Latini, circa subiectam materiam, licet in opinionibus suis aliqualiter varientur, tamen omnes firmiter concludunt, ac ostendunt multos fore saluandos. Magister namque sententiarum in 2. dist. 1. asserit hominem esse factum (inter alias causas) pro restauratione naturæ angelicæ, iuxta illud Ps. 109. [Iudicabit in nationibus implebit ruinas.] Ideo in eodem 1. lib. sent. dist. 9. allegat D. Gregorium hom. 34. dicentem sic: [Superna illa ciuitas ex angelis, & hominibus constat, ad quam credimus tantos humani generis ascendere, quantos illic contigit angelos remansisse, sicut scriptum est in cantico Deuteronomij: Statuit terminos populorum iuxta numerum filiorum (hoc est angelorum) Dei.] & hoc exponit magister dicens: [Non iuxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui remanserunt.] Iuxta quam opinionem cum sint angeli penè innumerabiles in cælo, sequitur quod tot erunt homines, qui saluabuntur. Eo quod de angelis in cælo remanentibus dictum est Dan. 7. [Millia millium, &c.] Vnde si iuxta numerum angelorum, qui remanserunt fiat restauratio (vt tenet hæc opinio) sequitur, copiosam fore saluandorum hominum multitudinem, eo quod nonnulli arbitrati sunt solam tertiam partem angelorum: Alij nonam tantummodo: Alij vero decimam dumtaxat partẽ corruisse opinati fuere. Rursus in eadem distinct. 9. Magister ponit aliam opinionem, quæ fuit D. Augustini lib. 22. de ciuitate Dei, nimirum quod Deus saluabit tot homines quot à cælo Angeli ceciderunt, vt illa dilecta ac superna ciuitas, suorum numero ciuium minimè fraudetur: Angeli autem corruentes sunt quasi innumerabiles; & sic erit maxima saluandorum multitudo. Magister insuper in eadem distinctione aliam ponit opinionem dicens, quod salus ruinæ angelica restaurabitur per virgines, de cæteris autem hominibus tot erunt saluandi quot fuerunt Angeli, qui remanserunt, quæ opinio videtur fuisse D. Augustini in lib. enchyridion. Iuxta quam opinionem adhuc infertur, magnam fore futuram saluandorum multitudinem. Porro S. Thom. in 2. lib. sentent. distinct. 9. quæst. 1. art. 8. dispungens an homines assumantur ad ordines Angelorum, tres adducit opiniones: & harum meliorem eligens ait: [Omnes electi assumentur ad ordines Angelorum, quidam ad superiores, quidam ad inferiores, quidam ad medios pro diuersitate suorum meritorum, sed beata Virgo Maria super omnes. Sed vtrum assumantur tot de hominibus quot ceciderunt Angeli, vel quot perstiterunt, vel quot fuerunt vtrique vel plures, vel pauciores, ille scit, cui solus cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.] sic ille. Hæc eadem opinio videtur esse D. Bonauenturæ in 2. sent. distinct. 9. vbi ait, quod cum sint nouem angelorum ordines, debent ad ipsos homines assumi pro meritorum conditione, & ideo non tantum assumentur ad ipsos virgines, cum etiam multi corrupti carne, merito multis virginibus præferantur, sicut patet in beata Magdalena, & beato Petro Apostolo, qui multis virginibus vtriusque sexus sunt excellentiores in paradiso, vnde concluditur, quod quilibet virtuosus secundum suas virtutes assumetur ad ordinem illum Angelorum, qui magis ei conueniet. Verum, quia multi reperientur, qui in hac vita non fuerunt tanti meriti, vt possent assumi ad Angelorum ordines, qui tamen saluabuntur merito passionis Christi; ideo de his fiet (ait D. Bonauentura) decimus ordo. Et hoc significatum fuit 4. Reg. 20. cum sol tempore Ezechiæ in horologio Achaz decem gradibus retrocessit, sic Christus sol iustitiæ pro reparandis nouem Angelorum ordinibus ad decimum generis humani descendit. Et hoc etiam in decima dragma designatur Lucæ 15. quam mulier, hoc est diuina natura, maxima diligentia quæsiuit. Iuxta quam opinionem etiam colligitur maxima, & copiosa saluandorum multitudo. Hinc Christus Dominus Ioan. 14. ait: [In domo patris mei mansiones multæ sunt.] Ecce qualiter innumerabiles homines saluabuntur.

Rom. 8.

D. Hier.

Mag. in 2. sent. dist. 1.

Deut. 32.

Angeli innumerabiles, & sic etiam est saluandorum multitudo.

Angeli quot in numero ceciderunt. D. Aug.

Angeli certum et innumeri.

S. Tho. in 2. sent. dist. 9.

Maria virgo super omnes ordines Angelorum.

D. Bona. in 2. sent.

Magdalena, & Apost. Petrus in paradiso multis virginibus sunt excellẽtiores.

Angelorum decimus ordo

Ordo decimus Angelorum in decima dragma præmonstratus.

§. 3. Bonorum, & malorum typus.

Verumtamen si saluandos comparemus cum damnandis, hoc est, si bonos cum malis conferamus, bonorum sane (vt dixi) minor, aut paucior semper est pars, quam malorum. Boni namque in cæli stellis, mali vero, in maris arena figurantur, vt plerique tenent DD. super illa verba Gen. 17. [Multiplicabo semen tuum sicut

sicut stellas cæli, & veluti arenam quæ est in littore maris.] Pauciores autem sunt stellæ cæli (vt experientia ipsa edocet) quam maris arena. Quare infertur, plures esse damnandos, & perditionis filios, quam saluandos, & Dei filios. Hinc est illud Lucæ 13. [Domine si pauci sunt, qui saluantur?] Tot siquidem sunt reprobi, vt eorum tam magnum numerum, inferior Regio in qua degunt, eum retinere nullatenus possit, nisi latior fiat, secundum illud quod Abacuch 2. scriptum extat: [Dilatauit infernus animam suam.] Ob hanc igitur causam: [pauca nomina,] nimirum, paucas personas bonas, electas, Deoque maximè gratas, in Sardis tunc fuisse narratur in contextu.

§. 4. Doctores quos sequutus est auctor in enodatione huius textus.

Quod autem hîc [nomina] accipiantur pro personis, siue hominibus, docent D. Ambrosius, Primasius, Beda, Laudunensis, Strabus, S. Thomas, Lyranus, Carthusianus, Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, Hugo de sancto Victore, Haymo, Hugo Cardinalis, Franciscus Ribera, Gaspar à Melo, & Iacobus Suarez à sancta Maria in hisce suis commentarijs. Quorum vnus prælibata verba: [Pauca nomina,] ita vertit: [Paucas personas ab hypocrisi mundas.] alius: [Paucos fideles in tua Ecclesia.] alter: [Paucos nominatos, id est, bonos, qui nomine digni sunt,] hic, [Paucos bonos qui digni sunt nomine.] quidam: [Paucos homines,] ille, [Paucos subditos honestos, & castos, & alij aliter, eò tamen tendentes, vt iusti, & electi per, [Pauca nomina.] dumtaxat intelligantur. Qui plane, & boni, & nomine digni, & personæ Deo acceptæ, & homines, & subditi honesti, castique, & nominati, & apud Deum viuentes, iustè (diuersis tamen de causis) nuncupari possunt.

§. 5. Nomina ponuntur pro meritis, & virtutibus electorum.

Illud porro animaduertas fas est, nomina, hoc in loco, etiam poni pro virtutibus, & meritis vniuscuiusque electi, ita vt per, [Pauca nomina,] plures intelligamus superstites bonos. Quemadmodū enim Ioan. 14. dicitur: [Si quid petieritis in nomine meo dabit vobis.] Quo loco, nomen accipitur pro virtute, & merito, ita vt sit sensus. Si quid per virtutem, & meritum meum petieritis, &c. Ad quod plane alludit quod Apostoli Act. 2. baptizabant [In nomine Domini Iesu,] non quod absque inuocatione sanctissimæ Trinitatis baptizarent, sicut eis à Domino ordinatum fuerit, sed docebant virtutem, & efficaciam baptismi ex Christi meritis prodire, ideo baptizari in nomine eius dicuntur. Et eodem modo accipitur illud Psalm. 48.]Vocauerunt nomina sua in terris suis,] id est, mali extulerunt potentiam, & robotem. Pari etiam modo nomina hic accipiuntur pro electorū virtute, & merito. Possumus porro per, [nomina pauca,] familias expendere paucas, ita vt intelligamus idem esse, [nomina pauca,] quod, [familias paucas.] Solent namque, nomina in sacro eloquio, pro familia, vel domo sæpius vsurpari, vt est illud Gen. 25. [Hæc nomina per castella, & oppida eorum duodecim principes tribuum suarum,] id est, hæ familiæ. Et Exod. 30. [Omnis qui transierit ad nomen,] hoc est, ad familiam. Et in eodem sensu accipitur nomen pro familia, & domo, Leuit. 21. Num. 3. Iosue 7. 3. Reg. 18. & alibi passim in sacra pagina. Sumitur tamen, his in locis, familia pro turba hominum, vel pro multis hominibus, qui malorum operibus assensum nullatenus præbuerunt. Quod autem saluandi, siue electi, possint familiæ, turbæ, multitudoque appellari, liquet ex hucusque, in enodatione huius contextus, dictis. Quare poterit qui voluerit, [familias,] per [nomina,] absque errore aliquo intelligere.

Apostoli quo modo baptizabant.

Nomina familias designant.

Stylus loquendi sacræ paginæ.

§. 6. Cur nomina pro hominibus hic ponantur. Arethas in comment.

Enimuero dices, cur Archipropheta Ioannes, homines expressit per nomina? Accedit, quod hoc videtur (teste Aretha) insolens in sacra pagina. Dico hoc plane extitisse factum varijs de causis. Quarum prima est, ad demonstrandum, Deum, homini nomen imposuisse, hominem vero, cæteris rebus, vt communiter dicunt doctores in illa verba Gen. 2. [Appellauitque Adam

F nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.] Quo loco, apertè cōstat, Deum quinque dumtaxat rebus nomen imposuisse, nimirum, diei, nocti, mari, terræ, & homini: Adam vero cæteris rebus. Secunda ad distinctionem Angelorum, & hominum; quoniam Angeli tam boni, quam mali minimè habent nomina, quemadmodum obtinent homines: eo quod nomina sunt ad distinguendum, & tamen in Angelis non est conueniens talis distinctio, quæ fiat per nomina. Nam in nobis est distinctio secundum speciem, & secundum numerum, in quibusdam conuenientibus specie, & ideo ad distinguendos homines, qui sunt sub eadem specie, & paruam differentiam inter se habent, fuerunt conuenientia nomina qualibet, saltem imposita ad placitum. Sed in Angelis tam bonis quā malis, nō est minor distinctio, quā in specie: qui sunt immateriales, & non habent idē esse in numero sicut personæ diuinæ; ideo nō sunt necessaria nomina in

G diuiduorū in illis, sicut in nobis. Quod si aliqui ex bonis appellātur proprijs nominibus, puta Gabriel, Raphael Michael: & ex malis Satanas, Leuiathan, Beelzebub, Belial: Hæc plane nomina, sacra Scriptura introduxit, magis ex quadam proprietate, & affectu, quam quod eis propria sint. Legito Abulensem in cap. 27. Matth. q. 405. Tertia causa assignatur à D. Ambrosio in hisce suis commentarijs per hæc verba: [Sed mirum cur paruca nomina habere dicatur, & nō paruos homines. Sed hoc ad excellentiā magnā alicuius sancti pertinet: cū enim Deus nominatim scire dicitur sicut Moysi perfecto viro dicitur, noui te ex nomine, & Dominus dicit in Euangelio, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.] Ita D. Ambr. Quam plane sententiā, & causam intromittere etiā videtur Beda, & Haymo, ac etiā D. Dionys. Carth. hoc in loco. Quamobrem Deus, qui

H omnia nouit, dixit Moysi Exod. 33. [Te ipsum noui ex nomine.] Vnde de se ipso loquens Christus sub nomine boni pastoris ait, proprias oues vocat nominatim. In parabola quoque purpurati diuitis, electum pauperem exprimit nominatim, reprobum diuitem appellatione communi. Quarta causa affertur à Francisco Ribera afferente, hoc in loco, nomen poni pro re nominata, siue pro eo, cuius nomen est: Quare Ioannes non dixit, pauca nomina, quæ non inquinauerunt vestimenta sua, sed qui nō inquinauerunt: Spectauit enim magis rem significatam, quam nomen. Et addit: Simile esse quod infra legitur c. 11. [Et occisa sunt in terræmotu nomina hominū septé millia.] Et ex hoc intelligi posse (ait) illud Act. 1. [Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.] Postremò quintam, & vltimam exhibemus causam, qua asseueramus, homines nomina nuncu

I pari, eo quod ipsi in libro vitæ proprijs nominibus inscribuntur à Deo secundum illud quod scriptum est Psal. 138. [Et in libro tuo omnes scribentur.] & alibi: [Quorum nomina sunt in libro vitæ.] Et nota bene has quinque rationes, & causas, quoniam omnes sunt validissimæ, & contextui satis germanæ, & affines.

Angeli non habent nomina vt nos.

Angeli specie dumtaxat inter sese distinguuntur.

Angeli tam boni, quam mali quomodo habēt nomina.

Hebræorum vulgata frasis quaabstractis pro concretis crebrò vtuntur.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus.

§. 1. Baptismi virtus, & efficacia.

Qui non inquinauerunt (ait) vestimenta sua. Postquam homines, sancto abluuntur baptismate, iterum sæpe sæpius sceleribus, sordibusque

K diuersorum peccatorum fœdari contingit. Quod plane in Sardis plerisque nullatenus accidit. Baptismus namque ita lauat animas nostras, iuxta fidem catholicam (quod etiam profitentur Theologi cum Magistro in 4. sent. dist. 4.) vt omne peccatum per illum tollatur: & homo ab omni peccati reatu liberetur: Quoniam vt ait S. Thomas 3. par. quæst. 69. art. 2. omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus, & mortuus esset. Passio autem Christi, vt ipsemet sanctus Doctor dispunxit, 3. p. q. 68. a. 3. est sufficiens

ficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur non tantum ab omni abluitur peccato, verũ etiã liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis, ac si ipse sufficiẽter satisfecisset ꝓ omnibus peccatis suis. Hinc baptismus in sacra pagina, lauacrum crebrò, ac frequenter nuncupatur, iuxta illud Tim. 3. [Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.] & Cant. 4. [Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.] Dentes enim sponsæ sunt fideles, quos lotos lauacro Christi vidit ibi Spiritus sanctus. Exuerunt nãque veterem hominem cum actibus suis, & induerunt nouum in lauacro sacramenti per verbum vitæ, quo ad elementum accedente, fit sacramentum, vt ait Augustinus. Et ipsi candidiores niue facti, in montem Sion, hoc est, in Ecclesiam conscendunt. Quæ omnia apprimè explicauit vas electionis Paulus ad Eph. 5. dicens. [Viri diligite vxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam suam, & se ipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.] Alludit namque hoc in loco Apostolos ad illud Ezech. 16. [Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, &c.] & Paulo post. [Et laui te acqua, & emundaui sanguinem tuum ex te, & vngi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceauite hyacintho, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, &c.] Hinc Iob cap. 14. his omnibus miserationibus Dei admiratus exclamat dicens:] Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es?] Hanc igitur munditiã, pulchritudinem, ac decorem siue innocentiam in baptismo acceptam retinuerunt in posterum pleriq; in Sardis, qui lauacro sanguinis Christi semel loti, vestimenta sua de cetero inquinata seruarunt, sanctè & immaculatè vitam in terris agentes.

Fideles disignãtur per dentes sponsæ.

Ablutio fidelium per sanctum baptismum.

Conceptus prædicabiles in textum.

NOn inquinare, ij pauci Sardiani, vestimenta sua, nihil aliud est (inter alia significata) quam procellis quas eo tempore satanas in omnes Asiæ ecclesias concitabat, nullatenus obrui, nec ab ipsis tunc fidem, & charitatem, optimosq; mores minimè dimitti. Vestimenta nãque in sacra pagina frequenter hominum mores, & vitam significant. [Exuentes vos veterem hominem (dicitur ad Coloss. 3.) cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei.] & Isa. 61. [Induit me vestimentis salutis.] & Psal. 43. [Astitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato circundata varietate] & Eccles. 9. [Omni tempore vestimenta tua sint candida.] & Isa. 10 [vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.] Quibus in locis, vestimenta, non sunt corporis indumenta, quibus corpus tegitur, quinimmo sunt vestes animæ: putã, virtutes, & dona spiritus sancti, quibus mens decoratur, & contra frigora vitiorum, atq; ardores concupiscentiarum, ac tentamentorum munitur. Quamobrem charitas, Matth. 22. dicitur vestis nuptialis. Et de Sponsa Cant. 4. dicitur: [Vidi speciosam, cuius in æstimabilis odor erat nimis in vestimentis eius.] Quibus induta, se gloriabatur ipsamet sponsa Ecclesia, secundum illud Isai. 61. [Gaudens gaudebo in domino, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me:] De his itaq; optimis moribus loquitur hoc in loco noster Vates, dum de quibusdam iustis ait: [Qui non inquinauerunt vestimẽta sua.] Hæc etenim vestimenta, nimirum, virtutes, & dona Spiritus sancti non fœdat, qui in mortali non ruit, & de venialibus in omni hora se purgat, mentem frequenter eleuando ad Deum, bonisq; actibus iugiter insistendo. Quamobrem meritò hic laudantur à Deo ij pauci, Sardiani iusti, eò quod inter prauos Iezabelitas (qui vniuersam suis nefandis voluptatibus inficiauerant Asiam) viuentes, vestimenta sua, putã, mores bonos, & virtutes suas nullatenus inquinauerunt suis colloquijs in dies interueniendo. Quod plane eorum laudem & encomium iugiter auget, præcipuè cũ extet illud elogium, quo dicitur: [Corrumpunt bonos mores colloquia praua.] In his etenim paucis iustis externa colloquia praua, non potuerunt extinguere internum animę ornamentum, nimirum bonos mores, & virtutes: quemadmodum aquæ multæ charitatem extinguere nullatenus potuerunt.

Conceptus primus quod virtutes & optimi mores spectant custodiendi & seruandi in quacunque tempestate in medio malorum.

Vestimentorum duplex acceptio.

Colloquia praua corrũpunt bonos mores.

VEstimenta nullatenus inquinare nihil aliud est, quam munditiã & innocentiam in baptismate acceptã diu cõseruare. Baptismate nãq; cualibet anima sordida, non tantum prorsus abluitur. verũ etiã super niuẽ dealbatur dicente Psalmista: [Aspergesme domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & superniuem de albabor.] Quasi dicat: Quoniã me vehemẽter pollutum agnosco, tu quęso, me inuisibiliter veluti hyssopo asperge, vt quomodo sacerdotes in expiatione immundorum, ita tu spiritum, baptismate, mundes meum, idq; aquis non Ioannis Baptistæ, sed spiritus tui, ac sanguine filij tui, in consumatam peccatorum meorum expiationem, quam hyssopi externa aspersio præfigurabat. Id si feceris verè mundabor secundum animam à peccatis meis pollutam, si tu me lauare digneris, ipsa item niue albior fiam. Hanc igitur munditiam & innocentiam acceptam in baptismo semper illæsam & intactam seruare, est procul dubio vestimenta nullatenus inquinare, vt optimè hoc in loco tenent D. Ambrosius, sanctus Tho. Rupertus Abbas, D. Dionysius Carthusianus, & communiter omnes Doctores. Quo plane sensu, vestimenta erunt procul dubio opera, de quibus intelligitur illud Eccl. 9.] Omni tempore sint vestimenta tua candida.] Quamobrem sponsa, quæ abiecit opera tenebrarum, dixit Cant. 5. [Exui tunicam meã, quomodo induar illa?] Qui itaque satagit Deo in puritate seruire, nemini dans vllam offensionem, iste vestimenta sua non inquinat. Quapropter ait Apostolus ad Philip. 1. [Charitas vestra magis, ac magis abundet, vt sitis sinceri, & sine offensione.]

Conceptus 2. quod vestimẽta non inquinare est innocentiam baptismalem seruare. Psal. 50.

SEd dices, quomodò potest quis vestimenta (idest opera) seruare non inquinata, cum Isai. 64. scriptum sit: [Facti sumus, vt immundi omnes nos, quasi pannus mẽstruatæ vniuersæ iustitię nostræ?] Dico Prophetam comparatione lucis ac puritatis diuinæ illic loquutũ fuisse, qua ratione & cæli ipsi nullatenus sunt in conspectu eius mundi. Et secundum hoc expenditur illud Iob. 15. [Non iustificatur homo compositus Deo] & cap. 9. [Quid est homo, vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere?] Veruntamen hoc minimè obstante Psalmographus exclamat Psalm. 85. [Custodi animam meam quoniam sanctus sum.] & Apostolus 1. Cor. 3. [Nihil mihi conscius sum.] Quamobrem animaduertere fas quidem erit, quod bifariè dici potest quis vestimenta, putã, opera nullatenus inquinare. Primo vtique, cum post primam iustificationem, siue infusionem baptismalis gratiæ, vmquam læthale aliquod operatur, quod planè factibile est, Dei gratia, quamuis id paucis competat. Secundo, cum actualiter in charitate, & gratia permanens operam nauat Deo in sanctitate, & iustitia cunctis diebus vitæ suæ, iugiter inseruire. Quod omnibus verè pœnitentibus ac proficientibus certum est conuenire. Et secundum hanc duplicem acceptionem non peccandi, intelligendus est Angelicus Doctor. dum p. 2. q. 109.

Conceptus 3. quod dupliciter possumus vestimenta spiritualia non inquinata conseruare.

Nihil mundũ in comparatione diuinæ pulchritudinis.

quæst. 109. art. 8. & 9. quærit: [An homo sine gratia possit non peccare ?] & iterum : [An ille qui consequutus est gratiam, per se ipsum possit operari bonum, & vitare peccatum absque auxilio gratiæ?] Legite sanctum Doctorem de hoc. Applicatio autem verborum eius ad subiectam huius conceptus materiam, facilis valde est. Passim tamen annota cum Ruperto Abbate, quod : [Non inquinare vestimenta sua,] virginibus apprimè competit, quorum corpora per luxuriam nullatenus inquinata, immo semper incorrupta fuere. Quamobrem virginitatem significant illa vestimenta Iacob, de quibus Gen. 27. dicitur: [Statim vt sensit vestimentorum illius fragrantiam benedicens ait : Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.] Sed de hac re, infra vberrimus erit sermo.

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3. Enodatio textus.

§. 1.

Ambulabunt (ait) mecum in albis. Primasius Episcopus Vticensis legit de præterito, dicens: [Ambulauerunt,] sic etenim vertit: [Verum habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestem suam, & mecum ambulauerunt in albis, quoniam digni sunt.] Verumenimuero mihi magis arridet nostra vulgata lectio, tenens de futuro, [Ambulabunt,] quoniam cum tunc de præsenti, hi pauci homines ad essent in Sardis, vt manifestè indicat ly, [habes,] plane superetat de futuro ad æternas æternitates cum Deo ambulare, quod si iam ad ipsas (vt legit Primasius) ambulauerunt, sequeretur, quod tunc de præsenti tales pauci homines in Sardis vllatenus adessent, quod sanè textui repugnat dicenti: [Habes pauca nomina.] de præsenti.

Primasij lectio non tenetur.

In albis autem ambulare tripliciter intelligi potest. Primò, vt hæc verba : [Ambulabunt mecum in albis,] immediatè referantur ad Angelum qui Ioanni hæc mysteria Apocalypseos ostendebat. Sunt namque quædam verba in hoc opere, quæ immediate referuntur ad prælibatum Angelum, veluti illud Apocalyp. 22. [Conseruus tuus sum.] Et similiter accipiendo hæc verba : [Ambulabunt mecum in albis,] erit similitudo angelica, spirituum nempe tantummodo, qua animæ iustorum, Angelis comparantur. Angelus namque cum infirmitatis, culpæ, & mortis expers sit, induere albis dicitur, in sacra pagina, vestimentis, secundum illud Marc. 16. [Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida.] & Ioan. 20. [Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.] & Act. 1. [Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.] Dicuntur autem Angeli, albis vestibus induti : Tum quia infirmitatis, culpæ, & mortis (vt dixi) sunt expertes. Tum quia albæ vestes (vt ait Beda) exultationi congruunt, & lætitiæ. Tum denique quia vestes albæ, vestes fulgentes ad similitudinem fulguris splendentis indicant, vt rectè expendit Caietanus illa verba Lucæ 24. [Ecce duo viri (nimirum, Angeli in forma virorum) steterunt secus illas in veste fulgenti.] nimirum in veste alba, vel candida, vt habetur Marc. cap. 16. & Ioan. cap. 20. Et quia animæ iustorum fulgebunt in cælo sicut sol, iuxta illud Matth. 13. [Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum:] Ideo Angelus iste, iustis qui in Sardis erant dixit, quod in gloria erunt cum ipso in albis, eorum animæ, nimirum, late, fulgentes, infirmitati aut morti de cætero nullatenus obnoxiæ : [Iustorum animæ in manu Dei sunt (dicitur Sapien. 3.) & non tanget illos tormentum mortis.] Ex qua explanatione sequitur animarum iustorum haud exigua nobilitas cum in gloria Angelis Dei sint consimiles, & cum illis in albis ambulent.

§. 2. Prima expositio.

Animæ iustorum Angelis consimiles.

Iustorũ laus maxima.

Angeli cur albis induuntur vestibus.

Iusti comparantur Soli.

Iustorum animarum maxima laus.

F bulent. Ad hanc explanationem pertinere possunt, etiam illa verba Apocalyp. 7. [Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.] Conuenire etiam queunt cum hac explanatione Lyranus qui sic vertit : [Ambulabunt mecum in albis, illi, qui non sunt propter peccatum maculati; & per albedinem vestis intelligitur stola gloriæ, & immortalitatis.] & etiam Franciscus Ribera, qui per albam vestem lætitiam vertit, dicens : [Ambulabunt mecum in albis, hoc est, mecum semper erunt in perpetuis voluptatibus.] Dixi, hos expositores conuenire posse cum hac nostra prima explanatione, eo quod Angeli & animæ iustorum, stola gloriæ & immortalitatis induti, in perpetuis voluptatibus Deo confruuntur, ac congaudent tamquam conserui per mortem & passionem Christi, per quam diuina essentia, quæ antea tantum ab Angelis videbatur, & fruebatur, modo ab animabus iustis,
G & intuitur, & etiam fruitur.

Angeli, & animæ iustorum in gloria conserui.

Secundò hæc verba, [Ambulabunt mecum in albis,] possunt immediate ad Christum referri, & sic à suo glorioso, & immortali corpore similitudo vestium albarum depromitur. Corpus namque Christi stola dicitur, iuxta illud Gen. cap. 49. [Lauabit in vino stolam suam.] Quæ verba quamuis Lyranus, & Benedictus Pererius de fertilitate terræ (quam Iuda in sortem debebat accipere) ad litteram intelligant, ac si dicatur : tanta abundantia vini erit ibi quod possint inde lauare pannos, quemadmodum nos hyperbolicè dicere solemus tempore fertilitatis vini, ad designandam magnam vini abundantiam, quod satis est de vino ad lotionem pedum : Attamen Burgensis, & Carthusianus ad litteram de Messia illa expendunt. Quid, quod, Alphonsus Tostatus, il-
H la de corpore Christi mundissimo, ad litteram exponit sic : [Lauabit in vino stolam suam, id est carnem suam mundissimam, quæ fuit quædam stola, id est cooperimentum latentis deitatis, sicut dicit Apostolus, quod Christus habitu inuentus est vt homo, id est, quod ipse fuit homo verus, & caro sua fuit vt quidam habitus, vel coopertorium deitatis.] Sic ille. Est igitur corpus, siue caro Christi stola, & plane candida, siue alba, quia eius corpus, siue caro, immunis fuit naturaliter à peccato, dicente Apostolo: [Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.] Hinc ipsemet ait Ioan. cap. 8. [Quis ex vobis arguet me de peccato ?] In cuius carnis munditiæ signum, asserere possumus Herodem Dominum illudere volentem, veste alba (vt dicitur Lucæ cap. 23.) indutum remisisse ad Pilatum. Istud
I autem corpus, quod pro nobis traditus, passus, mortuus, & sepultus fuit, resurrexit tertia die immortale, & gloriosum, & sic ascendit ad cælos sedens ad dexteram Dei patris. Modo Christus his paucis iustis, qui in Sardis aderant promittit, illos ambulaturos secum in albis, hoc est, in corporibus mundis per gratiam à peccatis, & præcipuè carnis, siue luxuriæ. Propter quod talia iustorum corpora erunt vestibus albis induta, id est, dotibus æternæ gloriæ illustrata cum corpore Christi Saluatoris nostri. Et secundum hanc expositionem intelligi potest Petrus Berchorius, Pictauiensis, qui hæc verba, [Ambulabunt mecum in albis,] sic exponit, [Id est, induti dotibus æternæ gloriæ.] Et Rupertus Abbas qui ita exoluit : [Mecum ambulabunt in albis, id est, in corporibus immaculatis, cum quibus resurgent nitidi velut agni nouelli, & quocumque iero me se-
K quentur agnum Dei, quia comitatu meo digni sunt.] Et paulo post super illa verba, quæ mox sequuntur, scilicet, [Qui vicerit vestietur vestimẽtis albis,] sic ait: [In isto gradu vincere est incentiua carnis agni Spiritus sancti superare, & ope eius tunicam corporis immaculatam custodire, quisquis in hoc vicerit ille, sic vestietur (inquit) vestimentis albis quemadmodum dixi, vt ambulet mecum in albis.] Hucusque Rupertus. Denique secundum præfatam enodationem

§. 3. 2. expositio. Alba vestis dicitur caro Christi.

Christi caro candida, & impeccabilis.

Carnis Xpi munditia.

Veste alba cur Xps indutus ab Herode.

Iusti per virginitatẽ sũt cum Xpo ambulaturi.

Iustorum corpora vestibus albis indui quid sit.

Apoc. 14.

hem intelligi etiam potest Auctor Incognitus, qui sic vertit. [Ambulabunt mecum in albis, idest, in corporibus glorificatis.]

§. 4.
3 Expositio. Iusti in via debent immaculatam vitam agere.

Tertio deniq; hæc eadem verba, [Ambulabunt mecũ in albis,] exolui possunt (& nisi fallor melius) simul de corpore & anima iustorũ in via. Oportet namq; iustos in via castè, & mũdè corã Deo, spiritualiter, & corporaliter semper astare. Quã quidem munditiã vestiméta alba indicant. Hinc Matth. 17. dicitur: [Vestimenta autẽ eius facta sunt alba, sicut nix.] Vestimenta autẽ Christi, iusti dicuntur, quos mundos esse in via oportere, satis declarat ly [Alba,] in cuius munditię signũ, Dauid alba vestitus veste subsiliebat, atq; saltabat coram domino: [Porro Dauid (dicitur 2. Reg. 6.) erat accinctus Ephod lineo.] id est, tunica linea, longa vsq; ad pedes. Et Salomõ vt refert Iosephus 8. antiquitatũ explicãs illa verba 1. Reg. 22. [Conuersusq; Doeg Idumæus irruit in sacerdotes, & trucidauit in illa die octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo] fecit leuitis stolas albas, quibus ministrarent cantando in tẽplo, vel faciẽdo alia opera sua. Et illæ erant admodũ vestium candidarum, quibus vtuntur omnes Ecclesiæ ministri in choro. Quod quidem fecit Salomon vt ampliaret cultum Dei: Nam antea tantum erat Ephod sacerdotale, quod erat de multis generibus filorum, vt habetur Exod. 39. quod Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. cap. 12. in modum scapularij monastici eum factum esse dicit, licet Iosephus cubitali mensura eum fuisse asserat: ita vt humeros tãtũ cum pectore ornaret, non se extendens vltra cingulum vt expendit Franciscus Ribera lib. 3. de templo cap. 10. & habebat lapides præciosos consutos, & cum soli Pontifici conueniret, Ephod sacerdotale appellabatur, quasi solius esset Pontificis. Et quamuis alterum esset Ephod lineum vt rectè adnotauit D. Hieronymus in Epistola. 127. ad Fabiolam, & in Epistola. 130. ad Marcellam, quo & leuitæ, & etiam laici vtebantur: nã de Samuele qui erat leuita legimus 1. Reg. 2. [Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo,] Et de sacerdotibus legitur. 1. Reg. 22. irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo.] Et etiam de non sacerdotibus, quemadmodum de Dauid, qui nec Sacerdos, nec Leuita erat, scriptum est 2. Reg. 6. [Porrò Dauid accinctus erat Ephod lineo:] tamen istud Ephod lineum, nec vestis sacerdotalis illa iam dicta erat, nec minus Leuitica: eo quod vt rectè scribit Alphonsus Tostatus. 1. lib. Reg. cap. 22. lex Leuitis non dedit aliqua vestiméta specialia. Quamobrẽ iste Ephod lineus nõ erat vestis sacerdotalis nec minus Leuitica, sed ex similitudine Ephod pontificis facta, vt ijs qui quoquomodo diuino cultui deseruiréť illa vterentur. Hinc est, vt ait Abulen. to. p. p. lib. Reg. c. 22. q. 27. quod in templo simplices sacerdotes. Leuitæ, & etiam Laici ministrando, Ephod lineo vterentur, hoc est tunica linea, longa ad cingulum, vel vsq; ad pedes, vt volunt alij, Nihilominus tamen Salomon fecit Leuitis stolas albas, quibus ministrarent cantando in templo, vel faciendo alia opera sua, quæ quidem ad modum vestium candidarum erant, quibus modo vtuntur omnes Ecclesiæ ministri in choro, vt tenet Ioseph, lib. 8. antiquitatum, quas quidem nos superpellicea vocamus. Deferebant tamen hi omnes ministri huiuscemodi vestimenta linea, & alba in templo cantando vel administrando in signum munditiæ (vt ad rem deueniamus) animæ, & corporis iustorum in via. Vtrãque autem munditiam à iustis obtinendam ostendit Christus Dominus cum lauando pedes discipulorum suorum præcinxit se linteo: [Et cum accepisse linteum (dicitur Ioan. 13.) præcinxit se, deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.] Et paulo post: [Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis.] Quæ planè verba apertè indicant, Apostolos fuisse mundos in via, puta lotos in anima & corpore, tendentes ad pa-

Vestimenta Christi sunt iusti homines.

Vide Tostatũ in 1. lib. reg. cap. 22.

Duplex Ephod.

Forma, & figura Ephod sacerdotalis erat veluti scapularium monasticum.

Ministrantes in templo induebantur cõmuniter Ephod lineo.

Iusti in anima, & corpore oportet sint mundi.

Iustorum mũditia in via.

A triam. Hinc Dauid ait: [Lauabis me, & super niuem dealbabor.] In anima, nimirum per gratiam, & in corpore per castitatem. Quam quidem munditiam iustorum in via indicant hæc verba: [Ambulabunt mecum in albis.] Et potest hæc munditia iustorum in via, planè intelligi de innocentia baptismali, eò quòd anima nostra, per baptismum regeneratur, abluitur, & affatim mundatur. In cuius innocentiæ baptismalis signum, baptizandi veste alba induuntur. Quapropter Rabanus Maurus lib. 1. de inst. clerico cap. 29. sic scribit: [Post baptismum traditur Christiano vestis candida designans innocentiam, & puritatem Christianam, quam post ablatas veteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad præsentandum ante tribunal Christi] Hinc est quod Codratus Rex Anglosaxorum, dum Romæ à Sergio Papa baptizaretur, Petrusque appel-

B laretur, adhuc in albis constitutus vita defunctus fuit, vt testatur Paulus Diaconus lib. 6. hist. Longobardorum cap. 15. Et secundum hanc partem possunt accipi Iacobus Suarez à sancta Maria, qui hunc locum [Ambulabunt mecum in albis.] de vitæ innocentia exponit intelligens per vestem albam innocentiam vitæ: & etiam Auctor Incognitus, qui hunc locum de virginitate exoluit. Qui etenim baptismalem innocentiam semper seruant, sunt de eorum numero, de quibus ait Psalmographus: [Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.] Quam quidem vitæ innocentiam, iusti qui in Ecclesia Sardensi reperiebantur conseruare studebant, & ob id laudantur hoc in loco à Domino, cui vitæ innocentia, virginitas, & omnis virtus adeò placet, vt nihil coram eo candidius, nihilque oculis suis iucundius appareat. In Exodo habetur quod filijs Israel ad promissionis terram eunti-

C bus, per quadraginta annos eorum vestimenta rupta nullatenus fuere; quinimo integra durauere. Quod planè mirabilè est: Sed sanè multo mirabilius est, quod quis baptismalem innocentiam (quæ significatur per albam vestem acceptam in baptismo) toto vitæ curriculo integram seruet. Oterq; quaterq; beati, & dũ felices viri. Porrò potest hæc munditia iustorum in via intelligi de munditia illa, quam relapsi (idest, ij, qui, suscepto baptismo, aliqua perpetrarunt scelera) per pœnitentiam acquirunt. Qui enim per pænitentiam, commissa plangunt peccata, lacrymis suis lauantur & super niuem dealbantur. [Si fuerint peccata vestra vt coccinum (dicitur Isa. 1.) quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.] Quæ omnia fiunt per confessionem, siue per pœnitentiam, quæ est secunda tabula post naufragium. Est namque confessio fons, in quo renouan-

D tur animæ, dicente Dauid: [Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.] Hinc est quod Deus in cap. 43. Isaiæ dicat: [Glorificabit me bestia agri, dracones, & struthiones, quia dedi in deserto aquas.] Quid quæso intelligit Dominus per huiusmodi feras, & belluas, nisi homines varijs criminibus contaminatos? Hos inquit Deus se conuersurum, ita in meliora, vt ipsum glorificent. Nam in cordibus incultis (ac si desertum essent) dare solet Deus aquas pœnitentiæ, ad abluenda, & medenda animorum vlcera. Et iuxta hanc aliam partem intelligi possunt D. Thom. qui ly: [in albis,] sic vertit: [scilicet vestimentis sanctitatis, & spiritualis decoris multiplicium meritorum.] ac etiam Primasius, qui ly: [in albis,] ad nitorem virtutum, immaculatisque vestibus permanentes refert, hoc est, ad sanctos. Nam post quam Primasius in hunc locum scripsit: [Magna laus paucorum inter

E malos inquinatos iugi virtutum nitore immaculatis vestibus permanere] mox subiungit. [Sciebant vtique pauci sancti, esse in medio sui inquinatorum multitudinem, ipsi tamen immaculati permanentes ingemiscebant, iuxta Ezechiel & merebant ab iniquitate, quæ fiebat in medio eorum.] Sic ille. Quibus verbis liquet D. Thomam, & Primasium loquutos fuisse de sanctis pœnitentibus, siue de lacrymantibus per confessionem: quibus crebrò lacrymæ, opti-

Miraculũ in baptismo Codrati coram Sergio Papa.

Conciliantur opiniones aliorum doctorum.

Innocentia & vita immaculata quamũ Deo placeant.

Typus innocentiæ.

Apostrophe ad viros iustos.

Peccata quomodo lauantur, & fiunt alba.

Peccatores quomodo conuertit Deus.

Conciliantur opiniones aliorum doctorum.

Ezech. 3.

Iustorum vestimenta semper alba.

optimi mores insunt: quarũ animarũ candida sunt vestimenta. De quibus vestibus Eccl.9. dicitur: [Omni tẽpore vestimenta tua sint candida.] Et Prouerb. vltimo: [Oẽs domestici eius vestiti sunt duplicibus.] Et Ps. 44. [Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circũdata varietate.] Huiuscemodi autem vestimenta virtutum, & optimorum morum, Deo mirummimodum placent. [Statim vt sensit vestimentorum illius fragrãtiam (dicitur Gen. 12.) benedicens ait: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.]

§. 5. Tertia explanatio tamquã magis textui consona confirmatur. Ambulabunt mecum hebraismus est & quid significet. Abulen. in Gen.

Dixi, hanc tertiam nostrã explanationẽ circa munditiã vitæ, tã per innocentiã baptismalem, quam per pœnitentiam quæ est secunda tabula post naufragium, mihi magis placere: quoniam ly: [Ambulabunt,] est hebraismus significans homines rectè, & inculpatè viuentes, Deiq. voluntati, & iussis obtemperantes, Deo caros, & acceptos, vt videre licet per illa verba Gen. 5. [Et ambulauit Henoch cũ Deo.] Quẽ locũ sic expendit Tostatus, [Id est, in vijs Domini rectè viuẽdo] Et cũ illìc de raptu, siue trãslatione Henoc in Paradisum terrestrem fit sermo (vt omnes Doctores catholici, ac etiã tota fidelium Ecclesia credit) & quidam existiment vt Caietanus, & Benedictus Pererius, Henoch per totã vitam, & à pueritia vsq. fuisse sanctũ: & Deo carum, idq. concludit Caietanus, eò quòd in præfato capite 5. Gen. bis dicitur Henoch ambulasse cũ Deo: Quidam vero, vt Procopius Gazeus, & alij putent Henoch, ante fuisse improbũ, & flagitiosum, sed postea per dignã, & perfectã suorũ scelerũ pœnitentiã, non tantũ emendasse vitã sed ita Deo placuisse vt meruerit mortis expers in statũ fælicẽ vitæ transferri: Ideo nos hìc etiã pari modo, hæc verba: [Ambulabunt mecũ in albis.] sanctis de Ecclesia Sardensi adaptauimus.

Laudat scriptura Henoch Gen. 5. eo quod ambulauerit coram Domino & etiam Abrahã Gen. 17. & Dauid 3. Reg. 1.

§. 6. Scalam ambulantium in albis.

Notabis tamẽ hic, horũ ambulãtiũ in albis dari scalam ascendentiũ, & descendentium, veluti alterã scalã Iacob. Gen. 27 Quam pleriq. conspexerũt sancti Patres, inter quos fuit Romualdus, in cuius hystoria sic extat scriptum: [In vita, & post mortẽ miraculis clarus, spiritu etiam prophetiæ non caruit. Scalam à terra cælum pertingẽtem in similitudinẽ Iacob Patriarchæ, per quã homines in veste candida ascendebant, & descendebãt, per visum conspexit. Eoque Camaldulenses monachos quorũ instituti auctor fuit, designari mirabiliter agnouit.] Quod autẽ Romualdus institutor fuerit congregationis Camaldulensium prodũt Alphonsus de Casarubias & Hieronymus à Sorbo in cõpẽdio priuilegiorũ. Nos autem ex serie suæ vitæ, illam scalam ambulantiũ in albis dumtaxat annotauimus, quæ textui nostro videtur quadrare.

Scalam intuitus fuit in Spiritu, Sanctus Romualdus. Romualdus auctor Camaldulensium.

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 1.

En ordo textus. §. 1.

Quia (dicit tandem) digni sunt. Per hanc rationem apertè indicatur, nos (cũ gratia Dei sit meriti radix) vitam æternam, bonis operibus, dignè promereri haud dubiè posse. Hinc proculdubio duo (notatu quidẽ digna contra hæreticos) quasi ex vberrimo fonte emanant, nimirũ, nos Dei gratia cooperando, & vitã ęternã mereri: & etiã illã dignè mereri. Ad primũ (népe, quod p bona opera nostra, quæ Dei gratia adiuti pręstamus, vitã mereamur æternã) spectat illud Pauli 2. Tim. 2. [Bonũ certamen certaui cursum consumaui fidẽ seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ] & illud ad Rom. 2. [Qui reddet vnicuiq. secundũ opera sua.] Et illud Matt. 20. [Voca operarios, & redde illis mercedẽ.] & illud Matth. 5. [Gaudete, & exultate, quoniã merces vestra copiosa est in cælis.] & paulo post. [Merces vestra multa est in cęlis.] Vbi enim est merces, debitũ plane agnoscitur, & non donũ, Apostolo ad Rom. 4. affirmante. [Et qui operatur merces, non imputatur secundum gratiã, sed secundũ debitũ.] Quid rogo est merces nisi meriti merces? Quid vero meritum nisi mercedis

Merces est debitum, & non donum.

F meritũ? Quapropter Deus Abrahã Gen. 14 dixit: [Ego ero protector tuus, & merces tua magna nimis.] Ad secundũ vero (nimirũ quod, gratia Dei, vitã æternã dignè meremur) spectat illud Pauli ad Col. 1. [Ideo nos ex qua die audiuimus, non cessamus pro vobis orantes, vt impleamini agnitione volũtatis eius, in omni sapientia & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo, &c.] & paulo post: [Qui dignos nos fecit in partẽ sortis sanctorũ in lumine.] Ad quæ omnia alludunt pręmissa verba: [Quia digni sunt,] quæ sæpè etiam recitãtur in hoc opere ab Archiproph. & pcipuè c. 16 dicẽs: [Et sanguinẽ eis dedisti bibere digni enim sunt.] Ipse naq. Deus nos de indignos dignos facit. Cũ enim beatitudo perfecta consistat in visione diuinæ essentiæ, quã nullus cõsequi potest per sua naturalia (cũ sit finis excedẽs proportionẽ naturæ humanæ, & ob id homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. [Non sunt cõdignæ passiones huius tẽporis ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis]) Deus confert nobis suam grãtiã, qua fulti ad illã dignè peruenire possimus. Et sic de indignos facit dignos. Quoniam nulla natura inferior, ad id quod est proprium superioris, per se, scilicet, per essentiam illi conuenientem, eleuatur propria virtute, sed eget virtute illius superioris, quæ, illam ad se rapiat quo quomodo & euehat. Luna enim (quæ ex se opacum corpus est adeò, vt dicta sit à sapientibus, terra magis quã cælũ) non sit lucida virtute sua, sed vi solis illuminantis cui soli naturaliter conuenit lucere, Aqua itẽ, cui suaptè natura inest frigiditas, calorẽ non suscipit nisi vi ignis, cui ex natura propria id cõpetit, vt sit principium calidarum rerum, ac idcirco calidissimus. Perinde sane, Deo glorioso suapte natura competit eterna vita qu. est finis vitæ, & in seipso semper sua felicitate potitur videns seipsum fruensq. seipso: quomodo ergo homo propria vi ad talẽ, tantamq. gloriam eleuari potest, nisi Deus illum suo auxilio ad se rapiat & assumat: Hoc auxilium est gratia: quæ radix meriti plane est. Hac laboramus, bona opera præstando: per quę vitam æternam dignè promereri possumus. Quamobrem valor nostrorum operum bipartitã obtinet acceptionem, nimirum, quatenus nostra bona opera ex nobis sunt. Et sic est valor congruus & non condignus Congruum siquidẽ est, vt ait S. Tho. p. 2. q. 114. vt homini operanti secundum suam virtutem Deus reconpenset secundum excellentiam suę virtutis. Veruntamẽ vt sic, nulla est condignitas, dicente Apostolo ad Rom. 8. [Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis.] Quibus verbis, considerat Apostolus passiones, putã, carceres, tormenta, mortem, labores, & his similia absolutè, nimirũ, quatenus ex nostro procedunt libero arbitrio. Qua ratione, asserit ea nullo modo condigna esse, hoc est, paria, aut æqualia, neq. quantitate, neq. proportione ad futuram gloriã. Si verò nostra bona opera considerentur, vt ex virtute Spiritus sancti (per gratiã nos mouẽtis, atq. sursum agentis) proficiscuntur, & quatenus pro amore Dei ab illo tolerantur, qui est in eius gratia (Dei namq. sunt, & nostra etiam opera omnia indiuiduè) sic est plane condignitas, dicente Apostolo ad Col. 1. [Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.] Idcirco Idem Apostolus. 1. Cor. 15. exclamat: [Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur laboris vestri:] Perinde ac diceret. Iniustus esset Deus si obliuisceretur laborũ nostrorũ. Obliuisceretur autem si non remuneraret. Ob hoc addit ad Heb 10. [Nolite amittere confidentiã vestrã, quæ magnã habet remunerationẽ.] Hinc Psalmista Ps. 118. decantat: [Inclinaui cor meum ad faciẽdas iustificationes tuas, propter retributionem.] & Ier. in cap. 31. [Est merces operi tuo.] [Et plane talis merces: vt ea vitã æternam dignè possideamus, vt noster Vates per hæc verba, [Digni enim sunt,] clare patefacit, Ex quo plane loco aduersus Caluinistas concludere possumus, opera nostra necessaria esse ad salutẽ, ratione efficaciæ cum illa nos vitæ æternæ dignos reddant. Quod enim natu-

Vita æterna per naturalia nequit quis adipisci.

G

Gratia diuina ad quid nobis clargitur.

Simile.

Luna quomodo illuminatur.

H

I

K


Caluinistarũ lapsus & error.

naturaliter, & absque gratia consequi nullatenus valemus: illud per nostra bona opera Dei gratia facta digne impetramur. Quamobrem, quamuis Saluator dicat: [Dum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus;] nihilominus tamen homo existens in charitate meretur vitam æternam de condigno, in quantum Spiritus sanctus mouet charitatem, & excitat ad agendum vel in quantum passio acceptatur à libero arbitrio, etiam habitu charitatis adiuncto, vt sanctè prodit Angelicus Doctor 1.2.q.vlt.art. 3. Quod sanè argumentũ contra Caluinistas etiã prosequutus fuit Iacobus Suarez à S.Maria serm. 20 in Apoc. dum super hæc verba: [Digni enim sunt,] ita scribit: [Vt intelligant, &c.]

S.Thom. Suarez. in Apoc.

Text. 8.

Subscriptio litterarũ ad Angelum Sardensis Ecclesiæ.



QVI vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.

Præmium datur vincentibus.



INVITAT Dei vates omnes generaliter ad bonorum operum perseuerantiam, apposito æternæ remunerationis brauio, de quo planè 1. Corinth. 9. dicit Apost [Qui in stadio currunt, oẽs quidẽ currunt, sed vnus accipit brauiũ sic currite, vt comprehendatis.] Quemadmodũ enim Paulus hisce in verbis postquã proposuit oẽs currere, & vnũ dũtaxat reportare palmam, inuitat oẽs vt talẽ valeãt accipere repromissionẽ, vt satis indicat ly [Sic currite (adde oẽs) vt cõprehẽdatis] Pari etiã modo Archipropheta noster postquã dixerat, Deũ promisisse particulariter, fideles Sardensis Ecclesiæ secum ambulaturos in albis: nũc generaliter ad oẽs fideles de vniuersali Ecclesia sermonẽ dirigẽs ait: *Qui vicerit sic vestietur vestimẽtis albis* Quasi dicat, velut illi, sic etiã oẽs alij vniuersaliter induentur vestibus albis, hoc est, eandẽ reportabunt palmã. Narratur 1. Reg. 18. Ionathã Dauid percutientẽ Philisthæum, caputq. illius in Ierusalẽ afferentẽ, explentẽq. loqui ad Saul (qui illũ ad talẽ singulare certamẽ miserat) mox ita tenerẽ, & vnicè adamasse, vt facer dicat textus: [Anima Ionathæ cõglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas, quasi animã suã.] Et in signum tanti amoris illico subiungitur in eodẽ contextu: [Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eã Dauid, & reliqua vestimẽta sua vsq. ad gladium, & arcũ suum, & vsq. ad balteũ.] Sic Deus ita tenerẽ diligit eos oẽs, qui mũdũ, carnem, & diabolum debellant, vt eos vestiat vestimẽtis albis: eius claritatis participes efficiendo, stolãq. gloriæ, & immortalitatis induendo: quod satis declarat ly, *Sic vestietur vestimentis albis*. Idẽ prorsus est hoc, cum illo, quod Paulus, loco citato, subiungit dicẽs: [Omnis autẽ, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidẽ, vt corruptibilẽ corona accipiat, nos autẽ incorruptã.] Incorruptũ quidẽ præmiũ est, quod hic currẽtibus, hoc est vincẽtibus apponitur, nimirũ, *albis vestimentis* vestiri & *de libro vitæ* nullatenus deleri *nomen eius*, & *coram patre æterno*, & *angelis eius* eorum nomen Christum confiteri dicẽdo illis: [Venite benedicti patris mei,] vt deinceps in gloria patris, & in angelorum societate sint, absq. aliqua mutatione.

Amor Ionathæ in Dauid

Amor Dei erga Athletas suos.

Corona antiquorum corruptibilis.

Coronam incorruptã nũc reportant victores.

Matth. 25.

§. 2.

Lectio biparita in hunc locum.

Verũtamen duplex est lectio huius loci, vna quæ ponit (hic,) ita vt legamus [Qui vicerit hic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius, &c.] Habetur in plerisq. codicibus Græcis, & istã sequuntur Arethas & alij permulti Græci Patres. Altera est, quæ ponit *Sic* ita vt legamus: [Qui vicerit sic vestietur vestimẽtis albis, & non delebo nomen eius, &c.] Recitatur in cũctis codicibus Latinis & illam tenent cum nostra vulgata Haymo, Primas. D. Ambros. D. Th. Beda, Anselm. Lyran. Rupertus Abbas, Auctor Incognitus, & illam tamquam saniorem sequuntur omnes recentiores inter quos est Iacobus Suarez à sancta Maria, & Franciscus Ribera. Radix autẽ huius variæ lectionis pullulat ex eo, quod apud Græcos est quædã dictio quæ scilicet dupliciter scribi potest, nimirum cũ, ω, hoc est cum, o, magno itaut legatur, οὕτως & tunc sonat *sic*. Et cum o, hoc est cum o, paruo itaut legatur οὗτος & tunc sonat [Hic.] Dicunt modo prælibati Doctores quod in omnibus (aut saltim in plerisq.) codicibus Græcis, talis dictio reperitur cũ, o, paruo, & per consequens sonat [Hic.] Quapropter in Græco legitur: [Qui vicerit hic, vestietur, &c.] Vnde facilè fuit scriptoribus accipere in nostra Vulgata lectione, vnã litterã pro alia nimirũ, o, magnũ pro, o, paruo, & pro [Hic] ternere *sic*. Sed hæc ratio nõ valet, eo quod quemadmodũ apud Latinos interpretãtes, & vertentes textũ ex Græco fonte in latinũ; facilè accipi potuit vnã litteram pro alia, nimirũ, o, magnũ pro, o, paruo, & pro [Hic] Græco, ponere, *sic* latinum; pari etiam modo apud Grecos facilè potuit esse transitus vnius litteræ ad aliã; & in quibusdam codicibus legi οὕτως hoc est, *sic* & in alijs legi οὗτος id est [Hic] nostrũ autẽ interpretẽ accepisse codices illos Gregos in quibus legitur οὕτως id est; *sic*, vnde fideliter vertisse pro οὕτως, *sic*, quamobrem nostra vulgata lectio semper legit *sic* ita vt dicat. *Qui vicerit sic vestietur &c.*

Græca lectio

Obiectio in nostrã vulgatam

Defenditur fidelitas nostræ vulgatæ lectionis.

Attamen quocumq. modo, ex his duobus præfatis legatur nihil plane mutatur de vero sensu. Si etenim legamus cũ textu Græcõ [Hic] ita vt dicatur: [Qui vincerit hic vestietur, &c.] Tunc reddit hunc sensum: Hic qui vicerit vestietur, &c hoc est, eadem personam vincens vestietur. Nam, ly [Hic,] dicit relationem ad personam vincentem, quæ venit vestienda vestimentis albis Si verò legamus, vt nostra habet translatio *sic* itã vt dicatur: *Qui vicerit sic vestietur &c.* Tunc reddit hunc sensum: Sic vicẽs vestietur vestimentis albis, qui vicerit. Vel aliter. Sic vicẽs vestietur vestimẽtis albis, hoc est, eisdẽ vestimẽtis albis vestietur ille, qui vicerit. Vel aliter, eodem modo, vincens vestietur vestimentis albis. Cõstat namq. quod ly *sic* dicit relationem ad modum vestiẽdi. Ideo in vtraq. lectione (vt liquet) nihil mutatur de vero sensu textus, Hinc sanè est quod antiqui patres Græci, nihil nouitatis nostræ vulgatæ lectioni, quæ legit *sic*, vmquam intulere.

§. 3. Nulla est oppositio veri sensus inter codices Græcos, & Latinos circa hũc textum.

Restat porro dubiolum apud latinos, eo quod quædam translatio nostra coniungit *sic* cum verbo vinco, ita vt legat *Qui vicerit sic vestiatur, &c.* Quã lectionẽ sequutus est Lyranus, & alij plerique. Alia vero coniungit *sic* cum verbo vestior, ita vt legat: [Qui vicerit, sic vestietur, &c.] Quã quidem lectionem amplectuntur D. Tho. D. Ambros. Haymo, Primas. Beda, Anselm. Rupert. Abbas, Auctor Incogn. Iacobus Suarez à sanctã Maria, & Franciscus Ribera. Quæ plane lectio mihi magis arridet, licet alteram (vt est dictum) textus nullatenus abhorreat. Verum, qui cum textu Græco legunt [Hic,] nequeunt hoc dubium profligare, eo quod [Hic,] tantum dicit relationem (vt est dictum) ad personam vincentem, & nullatenus ad modum vincendi, aut admodum vestiendi.

§. 4. Dubium inter latinos.

Nota bene.

Tandem animaduertendum est, hanc promissionẽ nõ tantum esse ad eos qui innocentiam baptismalẽ de cetero seruarunt, vt volunt Haymo, Ambros. Beda, Anselmus & alij quamplures patres: verumetiam ad eos omnes etiam dirigi, qui post peccatum perpetratum, pœnitentiam egerunt, & in toto sequenti vitæ curriculo & præcipuè si persequutiones patienter tolerando de tyrannis triumphum reportarunt. Istis namq. omnibus vestis alba, hoc est, palma debetur. Sunt in hac nostra sententia Strabus in sua glossa ordinaria) Lyranus, auctor Incognitus, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Franciscus Ribera.

§. 5. Promissiõ de vestibus albis se extendit ad omnes

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Qui vicerit (ait) sic, vestietur vestimentis albis. Alba vestimenta hic victoribus promittuntur. Solet siquidem res alba esse particulare signum: stola namque alba signum vtiq. est victoriæ, quamobrem sancta Mater Ecclesia post resurrectionem Christi læta, & hilaris canit.

Enucleatio textus. §. 1. Alba res peculiare signũ

Ad cœnam agni prouidi,
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi

Iucũditas, & lætitia Ecclesiæ circa resurrectionem Christi.

Vestis alba denotat diuitias. Hinc Iacobi 2. dicitur: [Si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureũ habens in veste candida, &c.] Porro Romani olim vestibus albis victores induebant. Item apud gentiles sacerdotes qui in templo victoriæ inseruiebant, cõmunite albos deferebant pileos ad capita tegenda. Præterea indumenta alba, sunt innocentiæ inditium. Hinc Herodes veste alba indutũ illusit Christum, vt habetur Lucæ 23. Insuper albus dies, vel alba faba optimã demonstrat sortem. Quamobrẽ Plutarchus de Athenienfibus ait [Diuiso in octo partes, omni exercitu, rem traduxit ad sortem: cuiq. alba faba obuenisset, epulari, atq. in otio esse permisit, ceteris pugnantibus. Idcirco dicitur, posteros, dum voluptatibus operam darẽt, albũ illũ diẽ ab alba faba nuncupare solitos.] Hæc Plutarc. Iã postremo, vestimentum albũ significat gaudiũ, & solemnitatẽ mentis. Quãobrẽ D. Greg. hom. 19. in Euang. sic scribit: [Quid est quod nato Dño, non in albis vestibus, ascẽdẽte autẽ Dño in albis vestibus angeli apparẽt nisi quod tunc magna solemnitas Angelis facta est, cum cælũ Deus homo penetrauit? Quia nascente Dño videbatur diuinitas humiliata, ascendente vero Dño est humanitas exaltata.] Hactenus D. Greg. Idcirco in peculiare signum præmij, alba vestimenta (nimirũ, indumenta immortalitatis, & gloriæ, vel bona gratiæ, & gloriæ vel vestimenta sanctitatis, spiritualisq. decoris, ac multipliciũ meritorũ, vel tandem stola glorificationis animæ, & corporis) vincentibus mundum, carnẽ, & diabolum hic repromittũtur. Hęc ideo dicuntur, teste D. Ambrosio, vt & pastorem Sardis Ecclesiæ, & omnes etiam peccatores ad pœnitentiam prouocentur.

Vestimenta alba diuitias designant. Sors optima per quid demonstratur. Plutarch. in vita Periclis. Angeli cur in resurrectione in albis apparuerunt, & non in natiuitate. D. Amb. in comment.

Conceptus prædicabiles in textum.

Conceptus 1. In quo consistat victoria nostra pugna

Difficilis proculdubio est victoria, cum Dominus victoribus, pleno ore, dicat: [Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis.] Difficultas autem apparet, quoniam ad magna præmia nõ peruenitur nisi per magnos labores. Audite igitur victoriæ difficultatem: [Spiritu ambulate (ait Apost. ad Gal. 5.) & desideria carnis non perficietis.] Ad quid hoc Apostole Dei [Caro enim (ait mox ipse) concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autẽ aduersus carnem. Hæc enim sibi in vicem aduersantur, vt non quæcumq. vultis, illa faciatis.] Et iterũ ad Rom. 8. [Abstinete vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.] Hæc proculdubio est pugna magna. Verũ enimuero attentè considerate in quo victoria cõsistat. Desideria namq. carnis, rationi & animæ subijcienda plane sunt: si volumus in gratia perseuerare, quã Deus nobis communicat. Obumbratũ quippe fuit hoc filijs Israel olim, cum de terra promissionis, loquens Dominus dixit, Deut. 11. [Terra enim ad quã ingredieris possidẽdã non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine, hortorũ mõre, aquæ ducuntur irriguæ, sed mõ-

Typus victoriæ nostræ.

F tuosa est, & cãpestris de cælo expectans pluuias, quam Dñs Deus tuus inuisit & oculi illius in ea sunt à principio anni vsq. ad finẽ eius.] Terra promissionis, q̃ iusto in hac vita possidẽda promittitur, anima est, de qua dicitur: [Beati mites quoniam ipsi possidebũt terrã.] Quæ verba alibi ipsamet veritas exponit dicens: [In patiẽtia vestra possidebitis animas vestras.] Hæc autẽ possessio quanti sit æstimanda, ipse idẽ Saluator docuit dicens: [Quid prodest homini si vniuersũ mundũ lucretur, animę vero suæ detrimentũ patiatur.] Ab hac terra peregrinantur oẽs, q carnis illecebras sectantur, & æternæ patrię felicitatẽ nondũ intelligũt: hi enim nõ in anima sua, sed in carne habitãt. Qui autẽ è contra, carnis delitias fugiunt, & ab illis se omnino subtrahũt, ij in anima sua habitant, & de ijs scriptũ extat: [Vos in carne non estis, sed in spiritu.] Terra porro ad quã possidẽdã Deus nos introducit non est sicut terra Ægypti. Nam
G carnis habitatio per terrã Ægypti præfiguratur, sicut habitatio animæ p terrã promissionis. Itẽ in terra Ægypti in hortorũ morẽ aquæ ducuntur irriguæ, quonia q talẽ inhabitant terrã, & de carne viuunt terrenis tantũ gaudijs irrigantur, terrena solũmodo sapiunt, nec nisi de terrena voluptate consolationem accipiunt, nunquã celesti pluuia recreantur, & ideo non nisi terrenos fructus, hoc est, corruptionẽ metuunt. Præterea terra promissionis non est sicut terra Ægypti, quoniam illa de cælo expectat pluuiã: iustus enim qui carnis illecebras spernit, qui à mũndi voluptatibus recedit, nullã ex hoc mundo quærit consolationẽ, sed cũ Propheta clamat: [Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.] Quia oẽm cõsolationẽ suã à Deo expectat. Rursus hæc terra montuosa est, quia anima iusti aliqñ in altũ se extollit prę desiderio cęlestis patrię suspirãs & sic ascensiones in corde suo disponit iustus in valle
H lacrymarum: vt aliquãdo à creaturis ad Deũ ascendat, aliquando à Deo ad proximorũ curã descendat. Vnde autẽ hæc terra hanc consolationẽ, & hos fructus habeat, apertè declaratur per id q subditur: [Quam Dñs Deus tuus inuisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni, vsq. ad finẽ eius.] Vnde iustus cũ Iob dicere potest: [Visitatio tua custodiuit spiritũ meũ.] Quia ex eo quod Dñs iustũ aspiciat, & visitet, donũ dat perseuerãdi in bonitate, vt nusquã foras eijciatur, sed maneat sẽper tamquã colũna in tẽplo Dei, vsq. ad extremũ vitæ pro vt habetur Apoc. 3. Et sic iustus animã exhalando, vestibus albis in illa felici hora diuinitus induitur. Cõtendamus igitur strenuè, ac fortiter de mũdo, de carne ac de nobis ipsis victoriã reportare, vt dignitatẽ hanc magnam obtinere possimus, & vt milites nominemur Dei Patris, & Christi filij eius, ac etiam Ecclesiæ militantis eius sponsa. Quo quid iucundius Christiano ho-
I mini? Quid delectabilius menti interius suã agnoscenti vocationem, ac fructum eius gustanti? Respondendum igitur nobis est, sanctis operibus, tanto nomini.

Matth. 5. Luc. 21. Carnales nõ possident animas suas. Matth. 16. Carnales peregrinantur ab anima. Carnales vnde colligant. Viri spirituales quid in dies diligenter querant. Ps. 76. Iustorũ munus, & quotidianum officium. Ps. 83. Iob 10. Miles Christianus animatur ad pugnam.

Olim lege præcipiebat Deus Exod. 21. vt seruo, q post septimũ annũ liber euadere nollet, sed potius vellet eligere seruum remanere, ei tũc auris perforaretur subula. Ad quod alludit Dauid dicens: [Sacrificium, & oblationem noluisti, aures &c.] Quo loco alia translatio ita trãstulit: [Aures autẽ perforasti mihi.] Quoniã ille, q ad tantum decus peruenit, vt quid sit Deo inseruire in hoc mundo intellexerit, & gustauerit, nihil est, q eũ à Dño separare possit, nõ mortis metus, nõ tribulatio, nõ perse-
K cutio, non gladius, sed aures sibi perforandas exhibet: quod Dñs plusquã externa sacrificia facit. Quod ipse sanctus Propheta, tãquã signũ diuini amoris prę oculis semper habẽs dicebat: [In hoc cognoui quoniã voluisti me, quoniã non gaudebit inimicus meus super me.] Quasi dicat: Dum me victorem cerno super inimicum meum, ipsumq. tristem, ac cõflictum recedentem video, intelligo satis, quod me recipias in tuorũ consortiũ, & gaudeas in me tãquam in seruo tibi grato. Hoc igitur præ ocu-

Conceptus 2. Quod miles Christianus debet operari. Psal. 39. Iustorum audacia, & intrepiditas.

Miles Christianus mandatorum executor oportet sit.

præ oculis mentis habeamus, vt nihil difficile æstimemus ea quæ Christus imperat executioni mandare, vt sic inueniat ipse in operibus nostris gloriam nominis sui corruscantem, vt sic verba textus: [Qui vicerit vestietur vestimẽtis albis] in nobis adimpleatur. Ad quod nobis calcar admouentem gentilem illum Senecã audite, epist. 77. [Omnia (inquit) suo bono constat, vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas ceruum. Quam fortia dorso iumenta sint quæris, quorũ hic vnus est vsus sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si inuestigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & inuadere, id in quoq. optimum est, cui nascitur, quo censetur. Homo, Deo fruendo nascitur, ratione antecedit animantia cætera, virtute igitur, & pietate pręstare debet.] Hęc ille. Quæ nõ vt Philosophus, sed vt verè Christianus dicere videtur. Et nos amplecti debemus, vt reddant sanæ operationes, testimonium sanctæ conscientiæ.

Opera bona sunt testimonium conscientiæ bonæ.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Et non delebo (inquit) nomen eius de libro vitæ. Inter iustorum præmia ponitur nõ deleri de libro vitæ, vt S.Th. hic, & 1.p.q.24.art.2. in corpore indicat. Quamobrem hic, illud verè abditum, ac profundum prædestinationis mysterium, de quo Paulus Apostolus, & stupore, & pauore perculsus exclamauit dicens: [O altitudo diuitiarũ, sapientiæ, & scientiæ Dei quam incomprehẽsibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.] à nostro attingitur Archipropheta. Liber etenim vitæ, æterna Dei prædestinatio est; quoniam Dei notitia, qua ipsemet Deus firmiter retinet, se aliquos prædestinasse in vitam æternam, liber vitæ dicitur. Hinc est, quod liber vitæ, conscriptio sit ordinatorũ in vitam æternam. Id propterea quemadmodum inter peccatorum pœnas collocatur deleri de libro vitæ, iuxta illud Ps. 68. [Deleantur de libro viuentium, & cũ iustis non scribantur,] Sic ex diametro inter iustorum præmia ponitur nõ deleri de libro vitæ, vt hic dicitur. Quod planè fit per perseuerãtiam, quam Dominus electis semper elargitur suis, dicente Psalmista: [Tenuisti manu dexteram meam.] Quasi dicat, dedisti mihi virtutem perseuerandi in bonum. Quod non accidit in reprobis, qui cum non perseuerent, dicuntur deleri de libro vitæ quamprimum cadunt à perseuerantia per aliquod peccatum, vt rectè exoluit S.Th. in hisce cõmẽt.

Accomodatio textus. §. 1. S.Thom in cõment. & 1. p.q.24.art.2. Ad Rom. 11. Liber vitæ quid sit. Deleri de libro vitæ qui sit. Non deleri de libro vitæ quid sit. Perseuerãtiã electis dat Deus. S. Tho. cap. 3. in Apoc.

Ad quæ omnia clarè intelligẽda, animaduertas oportet, quod Deus omnia quæ sunt, continet ipse, simplici cognitione sua, immobiliter vertens. Et quia illa non traduntur obliuioni, sicut ea quæ in mentibus nostris sunt, per deletionem specierum intelligibilium, aut in dispositionem earũ est: Ideo tenax memoria Dei, metaphoricè appellatur liber, vt dicit S.Th. 1.p.q.24.art.1. eò quòd ibi res sic immobiliter manent, vt in libro. Cũ autem omnia in Dei libro sint; quia de omnibus curat, & cũcta dirigit: præcipuè tamen homines in libro Dei scripti dicuntur, quia de eis magis curat, quam de alijs rebus, cum omnia propter eos condiderit. Hinc Apostolus 1.Cor. 9. ait: [Non est Deo cura de bobus, sed de hominibus.] Et sicut in libris magnorum Dominorum, officiales sui, & milites, ceteriq. seruitores scripti sunt, quantum ad gradum dignitatis suæ, & modũ mercedum, quas à Dominis suscipiunt, ita in libro Dei dicuntur homines scripti, secundum quod Deus homines ad aliquid disponit, siue bonum, siue malum. Ad bonum nimirum, quando Deus ex mera sua liberalitate, & bonitate ab æterno ordinauit, vt essent sancti, immaculati quia cum eo in æternum erunt, quos perire impossibile est. Et vocat hos Apostolus, sanctos secundum propositum Dei, vt ad Rom. 8. Qui omnia quæcunq. agunt (siue bona, siue mala) cooperantur in bonum. Et vocãtur isti prædestinati, idest, ab ipso ordinati ante sæcula,

§. 2. Explicatur quid sit liber vitæ. Liber vitæ est memoria tenax seu firma notitia in mẽte diuina. Comparatio. Abulen. in c. 32. Exod. q. 4. circa medium.

A vt felices cum eo sint. Ad malum vero quando Deus non ordinauit homines ad istud bonum æternum felicitatis: sed reliquit eos in manu consilij, & scit de eis ante sæcula, quod in fine dierum suorum condemnabũtur: quia in malo voluntariè finituri sunt: liber igitur vitæ dicitur Dei clara, & firma cognitio meritorum cuiuslibet hominis, & dispositio præparantis ad præmium pro eorum meritis. Quicunq. enim bene operatur in libro vitæ scribitur.

Verumenimuero quidam scribuntur secundum præsentem iustitiam, alij verò secundum firmam prædestinationem. Quoniam operatio bona, aut mala potest se habere dupliciter, nimirum, quia aut in præsenti bene operantur & finituri sunt in ratione, & bona operatione: vel quia nunc male operantur & tamen in bono finituri sunt. Accipiendo igitur primo modo, dicuntur B alioqui scripti in libro vitæ secundum præsentem iustitiam, quia in præsenti, boni & iusti sunt, & virtus sua exigit, vt tunc ibi scribantur: & tamen non sunt prædestinati, quia non sunt præordinati à Deo ad felicitatem æternam, nec in bono finituri sunt. Quamobrem aliquem scribi in libro vitæ secundum præsentem iustitiam est, taliter se habere, quod actus illi præsentes sint promeritorij vitæ æternæ, nimirum, quod si nunc moreretur, iret ad vitam æternam, & Deus secundum istum statum ordinat eum in vitam ęternam, existimando eum dignum ea. Accipiendo vero secundo modo, dicuntur aliqui scribi in libro vitæ secundum firmam prædestinationem, qua certissimè Deus præcoguouit de illis, quod in bono finituri sint, & vitam æternam habituri sunt, & ad hoc eos ordinauit. Illi itaque qui primo modo se habent, nimirum, qui sunt scripti secũdum præsentem iustitiam, delentur (vel deleri possunt) C de libro vitæ. Qui autem scripti sunt secundum certissimam prædestinationem deleri minimè possunt. Nam vos, licet nunc boni sitis, & præsens iustitia exigat vt scribamini in libro vitę, atq. habeamini digni vita æternæ; tñ quia mutabimini, delebimini ab illo libro. Qui autem secundum firmam Dei prædestinationem scripti sunt in libro vitæ, nequeunt deleri, eò quòd Deus nouit, quod isti boni erunt, & in bono finient, & scientia Dei non mouetur, nec etiam isti mouebuntur de libro vitæ, quãtum ad istum modum scriptionis. Et hoc quia secundum propositum vocati sunt sancti.

§. 3. Dupliciter in scribuntur homines in lib. vitæ. Qui deleri & qui non deleri possunt. Quid sit scribi in lib. vitæ secundum firmam prædestinationem.

Alij Doctores hoc explicant per intus & foris inscribi, ita vt affirment, in libro prædestinatorum, eum qui est scriptus secundum præsentem iustitiam, scriptũ esse foris; eum vero qui scriptus est secundum firmam prædestinationem, scriptum esse intus; & tandem eum, D qui secundum firmam prædestinationem, & secundum præsentem iustitiam scriptus est, scriptum esse simul intus & foris. Quare dicunt ij diuinarum litterarum expositores, illum qui est scriptus intus, non posse deleri, illum vero qui est scriptus foris (secundum quod scriptus est) deleri posse. Verumtamen (quicquid de hac re sit) in libro vitæ, hoc est, æternæ prædestinationis, primus omnium scriptus est firmiter, & indebiliter Iesus Christus Redemptor noster, quoniam de illo dictum est: [In capite libri scriptum est de me.] Christus namq. secundum humanam naturam prædestinatus est filius Dei, vt iugiter, ac simul pereleganter dispungit Angelicus Doctor 3. parte. Quamobrem ipse Christus secundum humanam naturam est primò scriptus in hoc libro vitæ, & deinde omnes electi & prædestinati in illo libro scripti inueniuntur.

E

§. 4. Homines scribũtur in lib. vitæ intus & foris. Christus est primus in lib. vitæ secũdum humanitatem.

DISPVT. II.

In Cap. III. Apocalypseos, de his, qui delentur de libro vitæ.

Vnica Quæstione contenta super illa verba: *Et non delebo nomen eius de libro vitæ.*

Prologus disputationis.



CRebro mentio fit, in hoc diuinarum reuelationum opere, de libro vitæ, quandoquidem hoc 3. c. dicitur: [Et non delebo nomen eius de libro vitæ.] Et cap. 13. [Et adorauerunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ.] Et cap. 17. [Et mirabuntur omnes inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi.] Et cap. 20. [Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.] Et cap. 21. [Non intrabit in eam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.] Quocirca infra, in vnoquoque ex his locis occasionem, Deo fauente, obtinere expectamus, qua de libro vitæ agere queamus: illum vtique separando à libro mortis, vel præscientiæ, vt indicat Abulensis in cap. 32. Exodi. Illos etiam explicando, qui in alterutro inscribuntur libro, & alia quamplurima de vtroque enodando libro, putà vitæ, & mortis: Nunc vero, (vt textus iste postulare videtur) sermo dumtaxat est de his, qui delentur de libro vitę. De qua re disputāt theologi scholastici cum S. Tho. p. p. q. 24. art. 3. Quod plane dubium mouetur à D. Ambrosio in hisce suis commentarijs.

Quæstio vnica.

Vtrum quis deleatur de libro vitæ.

1. sententia.



TRipartita est de hac re opinio. Prima est antiquorum patrum assetentium, neminem deleri posse de libro vitæ secundum rei veritatem, sed tantum secundum hominū opinionem, & sic esse intelligenda illa verba Psal. 68. [Deleantur de libro viuētium.]& illud Exod. 32. [Aut dele me de libro tuo quem scripsisti,] & alia etiā loca sacræ scripturæ agentia de deletione alicuius ex libro vitæ. Quamobrem S. Ambrosius, hanc approbans opinionem in hisce suis commentarijs ita scribit: [Sunt multi, qui ab hominibus iusti putantur, sed in conspectu Dei iniusti existunt, ergo homines, qui eos iustos existimant, iam in libro Dei scriptos esse putant, sed in die iudicij cum facta reproborum, atq. iustorum, omnibus patebunt, hæc inscriptio, atq. falsa suspitio à mentibus eorum delebitur, cum eorum damnationem pro impietatibus suis conspexerint.] Hæc D. Ambrosius. Cuius

D. Amb. in comment.

Suspicio multorum delenda in die iudicij.

F sententiam sequutus vtiq. fuit eius sanctissimus discipulus D. Aug. super illa verba Psal. 68. [Deleantur de libro viuentium.] Scribens ita: [Isti ergo quomodo inde delentur, vbi numquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est deleantur de libro vitę? Ei ipsis constet non illos ibi esse.] Et mox subiungit. [Si ergo & hic illi, qui se sperabant tamquam merito iustitiæ suæ in libro scriptos Dei, cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem eorum delebuntur de libro viuentium, idest, non ibi se esse cognoscent. Nam versus, qui sequitur exponit, quod dictum est: & cum iustis non scribantur. Dixi ergo deleantur secundum spem eorum, secundum æquitatem autem tuam quid dico? Non scribantur, &c.] Hucusq. D. Augustinus. Hanc sententiam SS. Patrum, Ambrosij, & Augustini, citat Angelicus Doctor, dum in hisce suis commenta-

D. Aug. in Psal. 68.

D. Thom. in comment.

G rijs, quærens, An aliquis possit de hoc libro deleri? Sibi ipsi satisfacit per hæc verba: [Propriè loquendo nullus deletur, nec deleri potest de libro vitæ, propter diuinæ dispositionis immutabilitatem; sed dicuntur deleri illi, qui erant scripti secundum æstimationem suam, quando incipiunt cognoscere se non fuisse ibi scriptos, vnde super illud Ps. 67. deleantur de libro. Gloss. non sic accipiendum est, tamquam in hoc libro aliquem scribat Deus, quem postea deleat, sed ita accipiendum, Deleam te de libro meo, secūdum spem illorum, qui scriptos se putant, idest, constat etiam ipsis nō illos ibi esse scriptos.] Quam eandem sententiam, ferè eisdem verbis citat p. p q. 24. art. 3. in corpore. Quāobrem illos deleri dicimus de libro vitæ, vt tenet Frāciscus Ribera inhisce suis comment. qui vel se, ipsi putabāt, in eo esse scriptos, Vel homines ex operibus, quæ videbant, ita iudicabant: sed postea Dei iudicio dam-

D. Tho. p. p. q. 24. art. 3.

H nati, quia in libro non inueniuntur scripti, dicūtur deleri. Nam sæpe scriptura loquitur non vt res ipsæ sūt sed vt ab hominibus indicantur, vt Lucæ 2. Et non cognouerunt parentes eius. Et iterum: Ecce pater tuus, & ego, dolentes, quærebamus te, Matth. 11. Quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ioan. 5. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum, scilicet, iuxta opinionem vestram: ita enim quidam interpretantur. Quare merito quasi scripti dicuntur qui se scriptos putabant, aut scripti ab hominibus putabantur.

Secunda opinio est Haymonis, & Ansberti, & aliorū affirmātium, deleri de libro vitæ nihil aliud esse, quam in eo non scribi: Idq. confirmant. Tum ex illis verbis Ps. 69. [Deleantur de libro viuentium.] Quoniam statim sequitur [Et cum iustis non scribantur.] Tum ex

2. Sententia.

I illa frequentissima phrasi sacræ scripturæ, qua affirmationes pro negationibus poni solent, vt cum dicitur Exod. 7. [Ego indurabo cor Pharaonis.] Perinde ac diceret. Non emolliam gratia mea cor Pharaonis. Sic delere de libro vitæ, est non scribere.

Affirmationes pro negationibus ponuntur aliquando.

Tertia & postrema opinio est D. Tho. asserentis deleri, vel non deleri de libro vitę, non solum ad opinionem hominum referendum esse, sed etiam quantum ad rem. Hanc suam nouam opinionem contra illas duas antiquas, proposuit olim in hisce suis commētarijs per hæc verba: [Potest dici quod in libro vitæ scribuntur omnia merita, idest approbantur, sed quorundam merita sunt in eis solum ad tempus, quorundam sunt finaliter, & isti sunt prædestinati. Dicitur ergo aliquis scribi in libro vitæ dupliciter, aut quantum ad præsentem iustitiam, aut quantum ad prædestinationem æternam.

3. sententia. D. Thom. in comm.

K Primo modo dicitur aliquis in libro vitæ scribi, quia eius merita ibi scribuntur, idest, approbantur, & acceptantur ad vitam pro illo statu, vt patet, quia si sic decederet saluaretur. Secundo modo dicitur scribi non solum, quia eius merita inscribuntur, sed quia ipse efficaciter ordinatur ad vitam æternam secundum prædestinationem diuinam. Qui primo modo ibi scribitur, deletur quantum ad præsentem iustitiam quando cadit in culpam mortalem, quia eius iustitia siue meritum iam

iam

iam non approbatur, vt habeatur apud Deum dignus vita, vt ante, quia iam merito non habet. Qui autem scribitur secundo modo, numquam deletur quia prædestinatio quassari non potest. Illa autem deletio præmissa non dicit aliquam mutationem factam circa Deum, sed circa meritum, quia iam perijt. Eadem enim voluntate, & rectitudine, qua approbat hunc, dum habet merita, reprobat eum dum est in culpa. Sicut licet Deus sciat rem aliquam non esse, & postea non sciat, quia res iam non est: non est mutatio facta in Deo, sed in re ipsa. Eadem est scientia, qua sciebat prius rem esse cum erat, & cum scit rem non esse, cum non est. Notandum tamen, quod scribi primo modo, & deleri, non propriè dicitur, sed aliquando per talem modum loquendi magis exprimitur damnum proueniens ex peccato.] Sic ille. Quam suam nouam (vt dixi) opinionem, fere eisdemmet verbis apposuit in sua summa, dum in p.p. art. 3. q. 24. postquam illam veterum patrum opinionem recensuit, scripsit sic: [Sed quia nō deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iustorū, secundū illud Apoc. 3. Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ (quod autem sanctis repromittitur, non est solum in hominum opinionem) potest dici, quod deleri, vel non deleri de libro vitæ, non solum ad opinionem hominum referendum est, sed etiam quantum ad rem.] Et paulo post [Illi igitur qui sunt ordinati ad habendam vitam æternam ex prædestinatione diuina sunt, simpliciter scripti in libro vitæ, quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam in se ipsa, & isti numquam delentur de libro vitæ. Sed illi qui sunt ordinati ad habendam vitam æternam non ex prædestinatione diuina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ, non simpliciter, sed secundum quid, quia sunt ibi scripti, vt habituri vitam æternam, non in se ipsa, sed in sua causa. Et tales possunt deleri de libro vitæ, vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat; sed ad rem scitam, quia scilicet Deus scit aliquem prius ordinari ad vitam æternam, & postea non ordinari cum deficit à gratia]. Hactenus S. Tho. Quæ plane opinio mihi magis arridet. Tum quia illam profitentur, hoc nostro sæculo omnes Theologi Scholastici. Caietanus, Ferrariensis, Noster Mag. Fr. Hieronimus Perez, Noster Mag. Fr. Frāciscus Zumel. Bañes & reliqui commentatores p.p. Angelici Doctoris. Tum quia huic sententiæ adhærent omnes Theologi expositiui, Abulensis in illa verba Exod. 32. [Dele me de libro vitæ.] Auctor Incognitus in illud Psal. 68. [Deleantur de libro viuentium.] & D. Dionysius Carthusianus super hunc locum cap. 3. Apoc. [Non delebo nomen eius de libro vitæ]. Tum quia rationes D. Thomæ vtrobique puta in. 3. cap. Apoc. & in. p.p. q. 24. art. 3. citatæ (& præcipuè illa, qua dicitur quod id quod sanctis repromittitur non est solum in hominum opinionem) validissimè concludunt. Tum quia hæc noua opinio D. Thomæ non abhorret illam antiquam sanctorum patrum Augustini, & Ambrosij opinionem, sed tantum aliquid addit supra illam, putà: [Etiam secundum rem,] vt rectè indicant illa sua verba: [Non solum ad opinionem hominum referendum est, sed etiam quantum ad rem]. Tum quinto, quia deleri supponit realem inscriptionem. Nihil enim deletur, quod, prius non fuerit realiter scriptum, vt experientia ipsa iugiter comprobatur. Tum sextò, & postremo, quia non deleri, supponit inscriptionem secundum rem, alioquin non deleri, nullatenus esset præmium electorū vt hic ipsismet electis repromittitur à Deo per hæc verba: [Non delebo nomen eius de libro vitæ,] quod plane nullatenus est asserendum, igitur deleri, putà cum quis deletur de libro vitæ, supponit in eodem libro inscriptionem secundum rem, ad hoc, vt talis deletio, & quassatio sit pœna reproborū, eo quod reproborum pœna non tantum debet esse secundum hominum opinionem, verum etiam secundum rem. Iuxta illud: [Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.] vbi dictio [Videbit,] non dicit imaginarias pœnas secundum hominum opinionem, tātum, sed etiam pœnas reales à parte rei, quas peccator secundum rem tunc experientia comprobabit realiter patiendo. In libro igitur vitæ non solum inscribuntur secundum rem prædestinati ad vitam æternam, vt probabilius existimat (contra S. Thomam) Franciscus Ribera, hoc in loco, verum etiam illi, qui ex gratia, hoc est, ad tempus dicuntur prædestinati, puta secundum præsentem iustitiam, vt infra in locis citatis in nostro superiori prologo erit sermo. Ibi etenim vberrimè has quinque conclusiones cum Alphonso Tostato diuentilaturi sumus, nimirum. An fit possibile aliquem in duobus libris scriptum esse simul, scilicet in libro vitæ, & in libro mortis? An possibile sit aliquem scriptum esse bis, siue dupliciter in eodē libro simul? An illi qui scripti sunt in libro vitæ secūdum firmam præscīētiam, aliquando de illo deleantur, & qui scripti sunt in libro mortis secundum certissimam Dei prænotionem, aliquando deleantur? An qui scriptus est in libro vitæ secundum firmam prædestinationem, non possit scribi in libro mortis secundum firmam præscientiam? An qui scripti sunt secundum præsentem iustitiam in libro prædestinatorum, non possint scribi secundum præsentem iniquitatem in libro præscitorum? Hæc, & alia quamplurima de libro vitæ, & de libro mortis infra luculenter, & abundanter, Deo ex alto dante cœlo, agere promittimus, dum ex hucusq. dictis, facilis sit aditus ad intelligendum, quod hoc promissum [Non delebo nomen eius de libro vitæ,] præmium sit electorum, supponens realem inscriptionem in libro illo vitæ. Faxit Deus, quod vita nostra talis sit, vt tale (nos sua diuina benè cooperantes gratia) valeamus reportare brauiū ac celeste promissum in die defunctionis nostræ.

S. Tho. p.p. q. 24. art. 3.

1. Ratio.

Mag. Hieron. Perez, Ferrariensis, Mag. Franc. Zumel Caietanus, Bañes.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

5. Ratio.

6. Ratio.

Præmium electorū est non deleri de libro vitæ.

Pœna reproborum est deleri de lib. vitæ.

Impugnatur Franciscus Ribera.

Quæstiones diuentilandæ de his qui in lib. vitæ inscribuntur.

PARAPHRASIS

Tertia.

par. 3.

Et confitebor (dicit tandem) **nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.**

Honorem, gloriamque cumulatiùs, ac abundantiùs repositam pugilibus Christianis hîc designat Dei Vates. Supra namque cum dixit: [Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis.] vincenti primum proposuit præmiū. Cum vero subiunxit. [Et non delebo nomen eius de libro vitæ.] secundum eidem dimicanti promisit donum. Nunc vero cum dicit: [Et confitebor nomen eius.] tertium eisdem athletis supernum parat brauium. Sunt itaque tria magnifica victoribus parata præmia. Et plane conuenientissima; eo quod qui inter tot summa scelera, eximiasque peccandi occasiones: mentis sanctitatem, corporisque puritatem, ac castitatem seruauere, vestimenta suâ nullatenus inquinantes (quinimmo Christum, verbis, & operibus imitando confitentes) æquum plane est, vt & albis vestibus induantur, & à libro viuentium (in quo ab æterno sunt scripti) minimè deleantur, & etiam honorificè ab eo in die retributionis agnoscantur coram æterno patre, & angelis suis, qui iudicio illi extremo interfuit. Hinc, his verbis. [Et confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius,] perinde est, ac diceret: Dabo testimonium eius iustitiæ acceptabile coram patre meo, & coram angelis eius in iudicio, cum dicam, [dedisti mihi manducare] &, [venite benedicti patris mei] vt deinceps gloria patris æterni, & angelorum societate gaudeatis. Vel aliter: palam coram patre meo, & sanctis Angelis agnoscam illum, & inter meos numerabo, & gloriabor me talem seruum habere. Vel si maius: Non erubescar, nec confundar confiteri nomen eius, quod hic talis meus sit discipulus, cumque in vestimenti albis incedat, non confundar coram patre meo, & angelis eius, quod in ambulatione mea sit mihi consocius. Vel alio modo: Significabo eum inuentum in numero seruorum meorum, nimirum, verè christianorum, & glorificabo, me talem habere seruum, dicendo illi in vltimo

Pugil gloriosus est miles Christianus.

§. 1. Declaratio textus.

Præmia tria victoribus promissa.

Testimonium Christi erga pugiles Christianos in iudicio extremo.

vltimo iudicij die verba illa dulcissima: [Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.] sic videntur exsoluere locum hunc Strabus in sua glossa ordinaria, S. Tho. Rupertus Abbas, Primasius, Lyranus in hisce commentarijs. Et sane rectè. Quadrant namque hæc verba Christi: [Confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.] cum illa generali confessione eiusdem Christi, Matthæi. 10. [Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est.] & Lucæ. 12. [Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei, qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.] Verumtamen quia apud Matthæum Patris æterni tantum fecit mentionem, & angelorum minimè: & apud Lucam angelorum Dei tantum mentionem fecit, & non patris æterni, ideo modo in Apocalypsi, & patrem suum, & etiam angelos eius, in hac generali confessione recitat dicens: [Et confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.] Magnificum plane præmium. Perinde est, ac si per prælibata verba diceret: Nemo putet quia inutiliter perseuerat in bonum, quoniam pro hac perseuerantia bonorum operum pro me, & in nomine meo factorum præter id, quod ego illum vestimentis albis induam, & illum de libro viuentium nullatenus deleam, aliud tertium retribuam illi cæleste donum; quoniam, [Confitebor nomen eius.] id est, laudabo nomen eius. [coram patre meo.] id est, coram Deo. [Et] consequenter, [coram angelis eius.] quia, quod confitetur coram Deo, confitetur etiam coram angelis: eò quòd angeli assistunt semper Deo, iuxta illud Dan. 7. [Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei] & idem habetur Tob. 12. cum dicitur: [Ego sum Raphael angelus vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.]

Probat auctor verum textus sensu. *Confessio Christi generalis in iudicio pro suis fideliter certantibus.* *Verus, ac germanus sensus huius loci.* *Auctoris vera expositio huius textus.*

§. 2. *Christus, se Deū Christianorum minime erubuit nuncupari. Christus honoratur in vere Christianis. Cōfessio Christi erit approbatio.*

Animaduertendum quod Christus nullatenus erubescit, se Deum verè christianorum appellari, Apostolo attestante, qui de illo ad Heb. 11. ait. [Non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem] Nam in verè christianis honoratur Christus Dominus, sicut per malos blasphematur. Ideo ipse coram Deo & angelis, eorum nomen clarè confessurum, hoc est, laudaturum fore promittit. Ista insuper confessio potest multipliciter exponi. Primò siquidem potest esse quædam approbatio, eò quòd filius hominis in die iudicij approbabit bonos, vocans eos in partem suam dicens [Venite benedicti patris mei,] Amplectūtur hanc expositionem Eusebius, & Cyrillus in cap. 10. Matthæi. Porrò talis Christi confessio potest ita accipi, vt sit quædam laus, qua Christus laudabit bonos in iuditio, enarrans virtutes eorum, nimirum: [Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi bibere. &c.] Et ita dicet de quolibet per hæc verba: Iste est bonus, qui præcepta mea seruauit, & me coram hominibus confiteri non timuit, nec minus erubuit: quinimmo vestimenta sua nullatenus inquinauit: ista mulier seruauit pro me virginitatem, & hic homo ieiunijs, & orationibus semper intēdit, &c. & sic cunctos sigillatim laudabit bonos. Sequitur hanc explanationem D. Chrysostomus in Matthæum. Erit siquidem approbatio à Christo tunc necessaria: quoniam soli saluabuntur qui ab eo fuerint approbati. Hinc ipse hoc in loco ait. [Confitebor] id est, laudabo eos, approbando & per diffinitiuam sententiam aggregando eos beatorum numero. Potest tandem talis Christi confessio coram æterno patre & angelis eius sumi ad significandum magnum honorem. Nam cum quis perhibet testimoniū de virtute alicuius coram alijs est illi laus: quia honorari cupimus à sapientibus & potentibus potius quam ab alijs. 8. Eth. Et quia nullus est excellentior Deo, & sanctis angelis, ostendit filius hominis Iesus Christus, quod erit magna laus eius quem confitebitur, nec poterit esse vlla maior ex aliqua confessione. Hinc D. Dionysius Carthusianus in hunc locum sic scribit. [Quæ confessio, est honor præclarus, ob quem contemnendus est omnis honor terrenus.]


Apostrophe ad viros iustos. *Confessionis Christi in iudicio necessitas magna.*

F G H I K



QVI habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesijs. Text. 9.

COMMENTARIVS.



HAEC præmonitio hîc, post tot celebres pollicitationes diuinas, exhibetur in medium vt clarè patefaciat omnibus, verba Dei ac promissa diuina, apprimè auscultanda esse, quamuis illa ad nos nullatenus immediate dirigantur.

Explanatio contextus. §. 1.

Postremò per hæc verba indicat Aquila Euangelij non oēs habere aures spirituales ad verbū Dei (sicut oportet) audiendū. dicēte Isa. 24. [Quis est cæcus & quis est surdus nisi populus meus qui apertos habet oculos & non videt, & aures apertas & non audit?] Et rectè quidem. Quoniam interior & spiritualis auditus, tribus constat rebus, nimirum, applicatione & attentione animi ad verbum Dei, quod prædicatur, audiendum & intelligendum: Inclinatione intellectus ad id credendum: Pia denique quadam affectione voluntatis & propēsione ad ipsum amandum & amplectendum. Hinc planè illa prima verba: [*Qui habet aures audiat*] incuriosum suæ salutis & nimis negligentem animum vehementer commouent, surdum nimis hominem designando qui tantæ commotionis vim intus nullatenus audiat, nec tanti iudicij seueritatem interiori sensu percipiat. Reliqua vero quæ adiunguntur nempe [*Quid spiritus dicat Ecclesijs*] adamussim indicāt (vt dixi) quamuis ea quæ in hac Epistola narrantur, propriè ad hanc Ecclesiam scripta extitisse, tamen ea in vniuersum dici, & ad omnes Ecclesias omnesque Christi fideles apprimè pertinere.


§. 2. *Surdi ad verbum Dei audiendum sunt illi qui spiritualiter illud audire nolūt* *Auditus interior, & spiritualis ex quibus componatur rebus.*



ET Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ: Scribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. Text. 10.

Inscriptio litterarum ad Angelū Philadelphiæ.

COMMENTARIVS.



IAM redemptor noster, depositis redargutionibus, non semper vult se seuerum iudicem ostendere, & iudicium agere: Sed interdū se consolatorem hic exhibet, vt homines à peccato iam reuocatos, in sua diu conseruet gratia. Hucusque nāque in hac prima visione, vel redarguebat Præpositos Ecclesiarum, vel increpabat populos eis commissos, vel tandem Pastores ipsos vnà cum credito eisdem grege, minis deterrebat accerrimis, vt ad meliorem normam, viuendique formulam vterque eorum sua redigerent opera & acta. Ast in hac Ecclesia Philadelphica, nec pastorem ipsum, nec minus gregem sibi creditum redarguit, quinimmo alterutros miruminmodum (in signum dilectionis & amoris) consolatur. Talem etenim dilectionis & charitatis diuinæ hæc epistola præsegerit scribendi stylum, vt amor tùm Dei ad Antistitem & eius populum, tùm Antistitis & populi

Explanatio contextus. §. 1. *Cōsolatorem se aliquando ostēdit Deus.* *Littera ad Ecclesiam Philadelph. nihil reprehensionis continent*

populi ad ipsum Deum, tùm Præpositi ad plebem sibi commissam, tùm denique plebis ad ipsum Prepositum miro plane splendeat artificio. Quamobrem Deus vtrosque hìc apprimè consolatur. Luant ergo reliquæ Ecclesiæ Asiæ pœnas sceleribus suis condignas: & à iusto iudice iustè illis inflictas, & ista consoletur ecclesia Philadelphica, quæ amorem, dilectionem, charitatemque Dei & proximi apprimè redolet.

Comparatio.

Optimum quemque medicum decet, & ægrotantibus salubria adhibere remedia vt consequuta sanitas restauretur; & iam valentibus, & vires pristinas recuperantibus, sic iuuare, vt restituta sanitas conseruetur, diùque possideatur. Ob hoc de perito medico dixit sapiens Eccles. 38. [In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis & vnctiones conficiet sanitatis & non consummabuntur opera eius] Quo loco, docet sapiens, medicum in ægritudine ante & post, necessarium esse.

Medicus necessarius est in ægritudine, & etiam post illam.

Antea in curando morbos, quibus sunt B affecti ægrotantes, postea vero ab iminentibus præseruando periculis. Aliud namque est propriè curare vel verè sanare: & aliud præseruare ne in pristinum reincidant langorem. Id propterea medicum in ægritudine & post ægritudinem necessarium esse dixi. In ægritudine quidem vt contra diuersas infirmitates, diuersa remedia, emplastra, siue malagmata, vnguenta & species aromaticas varios etiam ciborum & potuum methodos & regulas apponat medicinales: post ægritudinem vero vt quædam adhibeat remedia, ac salubria consilia quibus sanitas consequuta, diu in tali conseruetur homine. Hoc ipsum proculdubio denotat illud [Et non consummabuntur opera eius.] Quoniam quamuis Lyranus & alij plerique explanatores sanctarum litterarum, prælibata verba, ad non habẽdum intentum & affectum, illa medicamenta, per ipsum medicum vel apothecarium, sed per actionem Dei, qui est præcipuus & C principalis medicus, referant: Nihilominus tamen de necessitate medicorum etiam post ægritudinem (vt cõsequuta sanitas diu in hominibus sua industria & arte conseruetur) intelligi etiam possunt.

Lyran. in cap. 38. Eccles.

Christus est medicus cælestis.

Animæ curãtur à Christo

Sic itaque præstat ille cælestis medicus Iesus Christus Dominus noster, qui præ ceteris medicis vnctiones sanitatis ad animarũ vulnera medenda conficit: [Et non consummabuntur opera eius] eo quod post quam peccatores à peccatis reuocat, eos ita consolatur vt in eius gratia diu permaneant, & virtutes animæ nullatenus obruantur. Vis intueri (si placet) diuersas huius celestis medici confectiones ad spirituales curandos morbos? Considera quomodo & qualiter has septẽ Ecclesias Asiæ peractat Quam rogo artem non percurrit? Quem intactum reliquit modum vt ægrotos spiritualiter, hoc est, peccatores, ad cælestem perducere queat patriam? Episcopo D vtique Ephesino dicit [Age pœnitentiam & prima opera fac, sin autem venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo] Ecce vnam confectionem ad sanandum hunc infirmum, qui primam amisit charitatem.

Medicamentum ad Antistitem Smyrnensem.

Episcopo vero Smyrnensi ait [Esto fidelis vsq. ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.] En altera confectio ad hunc alium curandum ægrotum, qui ab his qui se dicebant iudeos esse & non erant, sed erant Synagoga Sathanæ, blasphemabatur.

Medicamentum ad Episcopum Pergamensem.

Porro Angelo, hoc est, Antistiti Pergamẽsi, inquit [Similiter age pœnitentiam, si quo minus veniam tibi cito & pugnabo cum illis in gladio oris mei] Ecce alium modum curandi hunc infirmum, qui habebat, hoc est, permittebat in sua diocesi, tenentes doctrinam Balaam.

Medicamentum ad propositũ Thyatirensem.

Rursus Præsuli Thyatirensi affatur dicens [Sed habeo aduersus te pauca quia permittis mulierem Iezabel &c.] & paulo post [Ecce mittam eam in lectum, & qui mechantur cum ea, in tribulatione maxima erunt] En alia curandi via.

Medicamentum ad pastorem Sardẽsem

E Et tandem Episcopo Sardensi ait [Esto vigilans & confirma cetera quæ moritura erant.] Ecce aliud vnguentum. Vides igitur quot confectiones? Et tamen [Non consummabuntur opera eius] eò quod hanc Ecclesiam Phyladelphiæ in qua neq. in Antistite, neq. in populo, sibi credito, nullum est crimen, consolatur, vt eius sanitas spiritualis diu conseruetur & virtutes animæ acquisitæ nullatenus obruantur aut succumbant. Hæc itaq. est alia necessitas spiritualis medicinæ, vt sanitas spiritualis (Dei gratia acquisita) in animabus nostris diu conseruetur.

Medicus cælestis Christus est etiã opus valentibus, eos conseruando, & sua gratia præseruando.

Perbellè sanè de Christo cælesti medico animarum nostrarum ait Salomon Sap. 16. [Neq herba neq. malagma sanauit eos sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia.] Quemadmodum namq. in spica non vnum aut alterum granum inuenies sed multa, ita Christus multa variaq. continet remedia eaq. nostris vulneribus, necessitatibusquẽ aptat. Præcognouit quippe hoc sponsa dicens de sponso suo Cant. 1. [Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi] vbi non inquit, dilectus meus granum est Botri Parum enim hoc sibi esse putabat. Quamobrem varia remedia medicaminaq. infirmitatibus suis à Sponso adaptata memoria altè perpendens ait [Botrus est mihi] Quapropter ipsemet sponsus animæ nostræ Christus de se ipso Ioan. 15. affatur. [Ego sum vitis vera]: Vitis vtiq. non vnum aut alterum gra- B num profert sed multa, ita Botrus alios quam plurimos ex se pullulat Botros, fructu salutifero plenos, sic & Christus infirmitatibus nostris varia attulit remedia salutifera. Hinc est quod quãuis alijs minoris Asiæ Ecclesijs reprehensorẽ varijs minis se exhibeat Christus, huic tamen *Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ* blanditijs quãplurimis spiritualibus se verum consolatorem ostendit. Mellifluus namque Archypropheta illum notabili stylo describit, primò à bonitate dicens *Hæc dicit sanctus* secundò à veritate dicens: *Qui habet clauem David qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Primò vtiq. inquit, illum esse sanctũ, ad eos sanctificandũ, deinde esse verum ad eos iustè iudicandos, & denique, eum habere clauem Dauid, ad illam eis in signum amoris & dilectionis, communicandam.

Explanatur iam contextus.

Clauis namq. alicuius Ærarij, Arcæ, Thalami, alterius vè loci secreti, solis charioribus, propinquioribus vel parentibus dum- C taxat committi solet.

P A R A P H R A S I S

Prima

par. 1.

Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Verè Præsul iste Philadelphiæ inter reliquos minoris Asiæ pastores, Angelus nuncupatur. Quod enim Græce dicitur φιλαδελφία Latinè fraterna dilectio interpretatur. Fuit siquidem Antistes iste adeò fraternæ dilectionis amicus, vt gregem sibi creditum, magis quam se diligeret. Cum enim Deo acceptissimus esset, se in propria persona, coram ipso, nihil reputabat.

Apostrophe ad pastorem Philadelphiæ

Ex quo factũ est, vt ille qui sanctarum scripturarum mysteria (prout D vult) aperit, & claudit: & etiam ea, quæ sapientibus, & prudentibus abscondita sunt, paruulis reuelat, vt dicitur Matthæi. 11. (quinimmo idipsum plerumque absq. hominis magisterio præstare dignatur, vt in omnibus prophetis, ac etiam in sanctis Apostolis videre licet, qui primo homines fuerant sine litteris, & idiotæ, vt dicitur Act. 2. & postea repente datũ fuit illis os & sapientia cui non poterant contradicere omnes illorum aduersarij.) huic Antistiti sanctarum scripturarum ingentia mysteria aperuerit, cum illi dicatur: [Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere] Et quamuis hoc nimia in illo esset laus, tamen Dei & proximi amore ita ardebat, vt non tantum angelus in vita & moribus: verumetiam inflammatus Cherubin, merito appellari posset, tùm ob vite cælibatum, tùm ob doctrinæ mysterium, tùm ob iustitiæ zelum, tùm ob diuinæ dilectionis feruorem, tùm tandem ob subditorum E suorum magnum amoris incendium. Ideo nec mirum plane est, si ille inferius columna templi Dei appelletur: & adoratio inimicorum suorum, ante eius pedes, in signum amoris Dei, eidem promittatur.

Deus sua arcana humilibus reuelat.

Antistes Philadelph. inflammatus Cherubin.

DISPVT. III.

In Cap. III. Apocalypseos, de Episcopatu, & Ecclesia Philadelphiæ.

Vnica Quæstione contenta super illa verba: *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe.*

Prologus disputationis.



HVius etiam Præpositi, Angeli, ac firmissimæ, immobilisq. columnæ Philadelphiæ Ecclesiæ, nomen indagare fas vtique erit, cum huiusmodi litteræ, ad eum missæ, non solum nihil redargutionis, reprahensionisuè contineant, verumetiam maximum encomium, eximiamque eius laudem apprime eructent, diuinumque redoleant amorem. Nomina etenim seruorum Dei, decet vt agnoscant, & sciant peccatores, vt eorum sancta opera, gesta, & acta imitari facilius queant, & eosdem in necessitatibus suis ardentius inuocare valeant, vt sic eorum patrocinijs facilius adiuuentur.

Peccatores scientes sanctorum nomina facilius opera lectantur.

Sanctorum patrocinia erga suos deuotos.

H

Quæstio vnica.

An Quadratus esset angelus, nimirum, Episcopus Ecclesiæ Philadelphiæ, ad quem Archipropheta Ioannes hæc scripsit?



COnclusio est probabilis, quã profitentur Petrus Aureolus, Lyranus, & multi alij expositores asseuerantes Quadratum episcopum Philadelphiæ extitisse. Tamen vt veritas magis elucescat narrabo primò quis fuerit iste Vir.

Quadratus fuit Episcopus Philadelphiæ.

Fuit Quadratus acutissimus, ac disertissimus Philosophus, qui ex infidelitate ad fidem tempore primitiuæ Ecclesiæ perueniens, Apostolorum discipulus extitit. Sic enim scribit de illo Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 3. c. 37. [Ex illis autem qui tùm inclaruerunt, erat & Quadratus, quem vnà cum filiabus Philippi prophetico charismate illustrem fuisse ferunt. Et alij quoque plures ijsdem temporibus innotuerunt, qui primum gradum Apostolicæ successionis habuerunt, & tanquam summorum virorum diuini discipuli existentes cuncta passim Ecclesiarum fundamenta ab ipsis Apostolis iacta, ædificarunt, & prædicationem, ac salutaria regni cælorum semina per vniuersum orbem quaqua patet super seminantes auctiora reddiderunt. Etenim quamplurimi tunc viuentium discipulorum vehementiore Philosophiæ erga diuinum verbum affecti, primum salutare mandatum adimplentes, facultates suas egenis distribuerunt, ac deinde peregrè profecti, opus Euangelistarum perfecerunt; &c.] Hucusq; Eusebius. Et Cardinalis Æneas in suo libro chronicarum. 6. ætate mundi, de Quadrato sic scribit: [Quadratus Apostolorum discipulus vir vtique doctissimus, &c]. Insuper Quadratus sequutus fuit Papiam Ioannis Apostoli auditorem, etenim idem Cardinalis Æneas, vbi supra scribens de Papia sic ait: [Papias Ierosolymitanus Episcopus, Ioannis Apostoli auditor, &c.] & paulo post: [Quemque etiam multi secuti ob doctrinam sanc vt Irenæus, Appollinaris, Tertullianus, Victorinus, Pictauiensis, Lactantius Firmianus, Quadratus quoq. prædictus.] Sic ille. Porro Quadratus composuit Apologiam pro pietate fidei nostræ, cuius meminit Cardinalis Æneas lib. chronicarum. 6. ætate mundi, sub ijs verbis: [Quadratus Apostolorum Discipulus vir vtiq. doctissimus hac tempestate Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide, & industria congregans, etiam librum pro christianæ religionis defensione composuit plenum fidei, & rationis, atque Apostolica doctrina dignum, quo edito ad vltimum pro ipsius defensione passus est. 7. kal. Iunij.] Sic ille. Et Eusebius in Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 3. hunc etiam librum recenset dicens: [Traiano vero cum totos viginti annos, minus mensibus sex imperasset, Ælius Adrianus in Imperium succedit; Huic Quadratus librum acclamationis gratia tradidit, in quo apologiam pro pietate fidei nostræ composuerat, siquidem mali quidam viri, nostros perturbare conabantur. Circumfertur autem his liber etiam nunc apud quamplurimos ex fratribus] Hucusque Eusebius. Idem docet. D. Hier. in Epist. 84. quam magno Oratori Romano scripsit.

Quadrati gesta, & acta.

Quadratus Propheticum obtinuit spiritum.

K

E

Quadratus fuit Apostolorum discipulus.

Quadratus Papiæ auditor.

Apologia Quadrati.

Quadratus Ecclesiam dispersam colligit.

G

D. Hier.

Modo ad rem. Ex historia Ecclesiastica colligitur Quadratum temporibus Apostolorum, Episcopum, & pastorem fuisse (quamuis ibi cui Ecclesiæ præfuerit minimè exprimatur) sic enim sonare videntur illa verba [Ex illis autem, qui tunc inclaruerunt erat & Quadratus.] & paulo post: [Opus Euangelistarum perfecerunt.] & tandem: [Hi autem fidei fundamentis nouis quibusdam & peregrinis locis à se iactis, alios illic pastores constituerunt, atque illis culturam eorum qui recens fuerant adducti commendarunt, &c.] At supra proprio nomine recensuit Quadratum. Igitur ille temporibus Apostolorum pastor, siue Episcopus fuit. Quamobrem probabile esse dico, Quadratum Episcopum fuisse Philadelphiæ Ecclesiæ. Tùm quia ratio temporum nequaquam id excludit. Quoniam Quadratus claruit in Ecclesia Christi circa Annum Domini 125. hoc est, annis paulo amplius viginti quinque post conscriptam à B. Ioane Apocalypsim. Tùm quia omnia quæ Ioannes, isti Episcopo scribit in hac Epistola, pertinere plane videntur ad ingentem eius laudem ita vt ex omnibus huius Epistolæ verbis intelligere facilè quis queat, fuisse eum id temporis apud Christianos memoratissimũ: At talis vir fuit Quadratus, vt ex hucusque dictis, de eo liquet, & etiam ex his quæ describit B. Hieronymus Epist. 84. ad Magnum Oratorem Romanum & etiam in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. cuiuis licet facilè colligere: Igitur &c.

I

Multi extiterunt sancti viri, Quadrati appellati, attamen de hoc nostro Quadrato extat mentio in martyrologio Romano die. 26. Maij per hæc verba. [Athenis natale Beati Quadrati Apostolorum discipuli, qui persequutione Adriani, Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregans, librum pro christianæ religionis defensione valde vtilem, & Apostolica doctrina dignum eidem porrexit.] De quo etiam beato viro agit Niceph. hist. lib. 3. cap. 21. Hieronymus de scrip Ecclesiast: & in epistola. 84 ad magnum. Beda, & Cæsar Baronius in suis comment. in Martyr. Rom. Et quia Iacobus Suarez à sancta Maria sermone. 21. in Apoc. id negare videtur. Eo quod aliqui adstipulatores sanctarum litterarum (inter quos ego reperi D. Hier. Epist. 84. ad mag. Orat. Rom. & lib. de script Eccles. & Phi-

Suarez.

D. Hier.

Philippum Bergomensem historicũ in suo supplemento chronicarum lib. 8. anno Christi 120.) narrant quadratum Athenienfem fuisse Episcopum, rem componò facilè, tenens Quadratum primò Philadelphiæ, & postea (fortè) Athenarum Episcopum extitisse. Quod planè probabilitate nullatenus caret, iuxta illam iuris regulam: [Distingue tempora & concordabis scripturam.] l. apud antiquos, C. de furt. can. si peccauerit. 11. q. prima. Accedit quod in Martyrologio Romano nullatenus habetur tale de Quadrato, cum ibi eius natale Athenis fuisse narretur dumtaxat, & nulla mentio fiat de Episcopatu Atheniensi in persona Quadrati.

Opiniones duæ de Episcopatu Quadrati conciliantur.

PARAPHRASIS

Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus. §. 1.

Hæc dicit sanctus, & verus. Perennis ille sanctitatis, veritatisque fons, & origo Christus, qui quasi fluuius egrediens deloco voluptatis vniuersam superficiem terræ, sanctitate, ac veritate irrigauit, nouum efformans paradisum, hoc est, Ecclesiam, inde suam per quatuor capita, nimirum, per quatuor Euangelistas diuidens sanctitatem, ac veritatem. De quo & Matri Virgini, Gabriel prædixit, Lucæ. 1. [Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.] Et ipsemet de se ipso ait, Ioan. 14. [Ego sum via veritas, & vita.] Hic ipsemet modo sanctitatem & veritatem, vna in se existentem clarè prædicans ait: [Hæc dicit sanctus, & verus.] Cum enim Christus, & sanctus, & verus sit, non in cassum & absq. causa hic eius sanctitas, & veritas recenletur.

Gen. 2.

Ecclesia paradisus.

Sanctitatis fons & origo Christus.

§. 2. 1. Explanatio

Dicitur namque sanctus, vt hic Antistes Philadelphiæ cauere studeat ab omni turpitudine, & vitio, vt etiam ipse sit sanctus, iuxta illud Leuit. 19. [Sancti estote, quia ego sanctus sum.] Id est, estote mundificati ab omni immunditia, quia ego nullo modo diligo peccatum, iuxta illud Psal. 5. [Quia Deus nolens iniquitatem tu es.] Vel estote mundi ab omni immunditia, quia ego, qui sum Deus vester, sum spiritus ab omni labe prorsus immunis, ob hoc, volo vos (quantum possibile est humanæ infirmitati) nullis vitijs maculatos. Vocando itaque se Christum, hoc in loco, sanctum, miro artificio, vult hunc Antistitem Philadelphiæ omni vitio, ac turpitudine carere. Hoc planè magis significatur in nomine Græco quod hic ponitur, nimirum, ἅγιος, scilicet, Agios, id est, sanctus, nam agios dicitur ab, a, quod est, sine, & ge, quod est terra, quia sine omni terrenæ facis, aut immunditiæ contagione est, & sic vult suos esse. Nam sanctitas vocatur separatio ab omni contaminatione, siue corporali, siue spirituali. Vnde per omne peccatum agit aliquis contra sanctitatem cum vnumquodque peccatum immunditia, sordes, & macula sit animæ. Sanctitas autem importat duo necessaria ad applicationem mentis ad Deum, nimirum, munditiam, & firmitatem, vt dispungit sanctus Thomas. 2. 2. q. 81. art. 8. Quamobrem hæc verba: [Hæc dicit sanctus,] sic sonant: Serua sanctitatem, quia sanctus est, qui hęc dicit, & quęre eam, quoniam [Non est sanctus, vt Dominus: neq. enim est alius extra te (vt dicitur 1. Reg. 2.) & non est fortis sicut Deus noster.] Appellatur etiam [verus,] id est, verax & constans in promissis suis, iuxta illud psal. 144. [Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis] vt Antistes iste cui per multa hic promittuntur, firmiter speret promissa à Deo haud dubiè reportaturum; quoniam Deus verus est, promissa soluendo. Quamobrem Præsul iste, hoc in loco, cautè monetur ad perseuerandum, quasi illi dicatur. Labora fideliter sicut cæpisti ad conuersionem infidelium, quia Deus dabit tibi vigorem, quia sanctus, & reddet tibi mercedem laboris, quia verus est. Quadrat hæc interpretatio cum glossa ordinaria, quæ in

Pannonius in comment.

Ethymologia nominis græci Agios.

Sanctitas vnde dicatur.

Peccatũ sordes est animæ

S. Thomas.

Deus cur hoc in loco verus dicatur.

A hunc locum, sic scribit: [Hæc dicit sanctus, & verus, quasi dicat, labora de conuersione fratrum sicu cæpisti: quia in eo quod promisi, quodcunque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis; sum verax in promissis, vnde scire potestis, quia multos congrabo vobis sicut desideratis.] Amplectuntur hanc expositionem glossæ ordinariæ sanctus Thomas, Auctor Incognitus, & Franciscus Ribera in huius commentarijs.

1. Explanatio

§. 3.

Porrò, Christus nuncupatur, hoc in loco, sanctus & verus, vt inde: Primò intelligat quorumquiq. fidelium, filium Virginis, illum sanctum sanctorum esse, de quo Dan. 9. dicitur. [Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, B & vngatur sanctus sanctorum.] Et ob id, ipsum omni macula & peccato naturaliter carere vt ipsemet insinuauit dicens Pharisæis Ioan. 14. disputans: [Quis ex vobis arguet me de peccato?] Deducitur hæc sequela ex illo inlico more quod Græci per articulos quoddam exprimere solent, vt maiorem emphasim verbis tribuant: Ille sanctus ὁ ἅγιος, hoc est, ille sacer, & purus: vt quandam excellentiam Christi super alios omnes homines in Sanctitate significent: quoniam nullus purus homo; naturaliter, peccato omni, & macula, eo vno excepto, caruit, cui ratione hypostaticæ vnionis hoc conueniebat. [Talis enim decebat (dicitur ad Heb. 7.) vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus á peccatoribus &c.] vt sic á peccato liber, eos qui sub iugo peccati erant, redimere posset. Secundò vt sciant gentes filium C Virginis, illum esse veritatis magistrum, qui de se ipso Ioan. 14. dixit: [Ego sum via, veritas, & vita.] Et ob id ipsi credere oportere. Deducitur hæc alia sequela ex illo, quod ipsemet in insinuauit disputans cum Pharisæis, & dicens. Ioan. 14. [Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?] Tangunt hanc expositionem (licet leuiter) Lyranus, & Iacobus suarez á sancta Maria.

Christus sanctus sanctorũ.

Christus natura sanctus, & impeccabilis

Græcorum mos in articulis.

Sãctitas Christi super omnes homines.

Veritatis magister Christus.

§. 4. 3. Explanatio

Insuper apellatur Christus, hoc in loco, sanctus, & verus, vt per ly. [sanctus,] intelligatur, filium Dei Iesum Christũ semetipsum sanè sanctificasse, propter nos homines, & propter nostram salutem: quemadmodum ipsemet Ioan. 17. dixit de seipso: [Et pro eis ego sanctifico me ipsum.] Iam quidem spiritus sanctorum erat: sed in passione pro nobis erat, quod se ipsum sanctificabat, id est, sanctum sacrificium se offerebat. D Et per ly [verus,] intelligatur, se comprobasse vera locutum fuisse, cum dixit Ioan. 15.] Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.] Sic exponitur locus iste à Ruperto Abbate, existimante per ly: [Verus] dilectionem fraternam dono amplioris intelligentiæ remunerari: Sic enim hoc in loco scribit: [In hoc enim verum & vera se loquutum fuisse comprobat: Exempli gratia dicendo in illa Euangelica parabola de seruis, quibus homo pater familias pecuniam suam ad lucrandum commiserat: dico autem vobis quia omni habenti dabitur ab eo, qui non habet, & quod habet auferetur.]Sic ille. Verumenimuero, licet illa quę Rupertus super ly [sanctus,] scribit, textui sint consona: tamen E quod ipse super ly [verus,] ait, nullatenus textui congruum iudico. Quid enim commune habet ly [Verus,] cum illa parabola de pecunia lucranda quam refert Lucas in cap. 19. Nihil profectò: Vt diligenter hæc duo, nimirum ly [Verus,] & parabolam illam, examinanti apparebit.

Rup. Abb. in c. 3. Apoc.

Lucæ. 19.

§. 5. 4 Explanatio

Est denique huius loci: [Hæc dicit sanctus, & verus.] Quarta, & vltima explanatio. Eo quod, his verbis, graui stylo significatur, nullam veritatem adipisci posse, qui sanctitatem amplexus non fuerit. Quare in ra-

Quare anteponitur sanctitas veritati.

in rationali sacerdotis scriptum erat Exod. 28. [Doctrina, & veritas.] Quasi indicans, quod ille veritatis cognitionem perfectam obtinebit, qui doctrinam veram in corde fixam habuerit, vt secundum eius regulam viuat. Hinc Boetius de consolatione lib. 1. Metro. vlt. quod incipit, Nubibus atris, dicit.

Veritas aliquando non adipiscitur, nisi à sanctis.

Tu quoque si vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto,
Carpere callem, gaudia pelle,
Pelle timorem, spemque fugato.
Nec dolor adsit: nubila mens est.
Vinctaque frenis, hæc vbi regnant.

Cato.

Et ad idem planè spectat illud Catonis,

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Ira tollit rectum iudiciũ

Quemadmodum enim ira tollit rectum iudicium circa practica, ita & quodlibet aliud peccatum: Nam assimilantur malitijs. Malitia autem peruertit rectum iudicium circa verum, & mentiri facit circa principia practica, vt patet in fine 6. Eth. Et sic peccata, & passiones tollunt generaliter rectum iudicium circa verum. Hinc D. Aug. sic ait: [Errat quisquis si veritatem cognoscere putat, si adhuc nequiter viuit.] Sic ille. Audi quæso Dauid exclamantem.] Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.] Sed vah? Quid rogo tam magnis exclamas vocibus Dauid? Numquid tu sanctus esse non poteris, absque aliorum virtute? non hoc plango (ait Dauid) sed ploro maximum malum, quod sequuturum esse intueor, eò quòd sanctus defecerit. Et quid? [Quoniam diminutę sunt veritates à filijs hominum.] Ecce qualiter deficiente virtute, veritas diminuitur. Et sic totus mundus fallacijs plenus interitum minatur. Et passim nota quantum quadrent verba Dauid dicentis: [Diminutæ sunt veritates à filijs hominum] cum illo quod citauimus ex cap. 28. Exod. nimirum: [Doctrina, & veritas.] Vbi etenim nostra vulgata legit: [Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.] Pro doctrina, & veritate, est in Hebreo. [Vrim, & Tumin,] idest, luces, & integritates, & hoc idem signant quod litera nostra: scilicet dotrina, & viritas. Nam doctrina lux est, cum ita clarè, & manifestè procedit, vt lux. Et illa manifestatio dubiorum, quæ fiebat apposito rationali super pectus sacerdotis, erat clarissima vt lux, nec aliquas inducebat æquiuocationum & amphibologiarum ambages. Et hoc significabat ly: [Vrim,] id est luces. [Tumin] autem in Hebræo positum, signat integritates. Et est sensus, quod veritas ista, quæ erat in rationali, vocabatur integritas, siue integritates. Nihil enim magis est conueniens veritati, quam integritas; Quia verum, & bonum constant ex integra causa: malum vero & falsum ex defectibus particularibus. Quia vt ait B. Dionysius ad bonitatem & veritatem requiritur cõcursus omnium causarum bonitatis, & veritatis: ad falsitatem vero & malum, sufficit defectus vnius causæ, vel circumstantiæ bonitatis, & veritatis. Et sic diminuta est veritas (deficiente sanctitate,) quæ oportebat esse integra. Rectè igitur in textu sanctitas veritati anteponitur dicẽdo. [Hæc dicit sanctus, & verus] vt intelligatur, quod qui veritatem docere, & prædicare cupit, prius sanctitatem amplecti debet. Et hæc est causa quare in rationali, prius ponitur, (Vrim] quam [Tumin] hoc est, prius ponitur lux, quam veritas. Ad quod procul dubio alludere videtur illud D. Thomæ. 2. 2. q. 81. art. 8. nimirum, hoc nomen, [Sanctus] sonare quasi sanguine tinctum, eo quod antiquitus, illi qui purificari volebant, sanguine hostiæ tingebantur.

D. Aug. lib. de Agone Christiano.

Veritates diminutæ.

Nota bene. Ps. 11.

Doctrina est lux.

Integritas cõuenit veritati.

Verum, & bonum ex integra causa.

Falsitas in quo consistat

§. 6. Per sanctum itaque, & verum intelligitur Christus Redemptor noster, qui secundum diuinam naturam essentialiter, sanctus & verus est: secundum vero naturam assumptam, sanctior est quoque vniuersis, & verus in verbis, atq. operibus, qui testatur in cap. 14. Ioan. [Ego sum via, veritas, & vita.] De cuius planè sanctitate, variæ extant in sacro eloquio auctoritates. Nam Isaiæ 6. Sic scribitur: [Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.] & paulo post: [Seraphin stabant.] & tandem: [Clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.] & Psal. 95. [Confessio, & pulchritudo in conspectu eius; sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius.] & Psal. 96. [Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.] Vbi Psalmista incarnationis arcanum prædicit, intelligẽdo per austrum diuinitatem, & per montem Pharan, humanitatem. Pharan enim desertum quoddam est Arabiæ, & significat propagines: Quamobrem poterit demonstrare humanitatem Christi, & eius patruum, puta Patriarcharum, & Prophetarum generationes, quas narrat Matthæus c. 1. secũdum quas potest dici Christus sanctus de monte Pharan. Nam de eius humanitate dicitur: [Fundamenta eius in montibus sanctis.]

Christus sanctior est cæteris secundum vtramq. naturam.

Sanctitatis Christi variæ testimonia.

Incarnationis dominicæ typus.

PARAPHRASIS Tertia.

Par. 3.

Qui habet (dicit tandem) clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit. De claue excellentiæ, quæ est in Christo quæ dicitur clauis maior) hic propriè, & directè est sermo. In Christo namque est spiritualis potestas ad recipiendum dignos: aperiendo eis vitam æternam, & ad excludendum indignos quæ dicitur clauis maior, hoc est, clauis excellentiæ. Quæ præfigurata fuit Isa. 22. sub ijs verbis: [Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.] Et Iob. 14. [Si destruxerit, nemo est qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat.] Et de hac excellentiæ claue, mentionem facit sancta Mater Ecclesia dum læta ante diem natiuitatis Christi canit dicens: [O clauis Dauid & Sceptrum domus Israel, qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit, veni, &c.] Quamobrem supra in. 1. cap. ipsemet filius hominis è medio septem candelabrorum aureorum dixit: [Habeo claues mortis, & inferni.] Idest, habeo clauem maiorem, quæ cum sit clauis excellentiæ, aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. In vtroque enim loco Apocalypseos (licet alijs verbis, tamen eodem sensu) est sermo de spirituali potestate, quæ est in Christo ad recipiendum dignos, aperiendo eis vitam æternam, & ad excludendum indignos. Dicitur autem ista spiritualis potestas, quam habet Christus clauis maior, & clauis excellentiæ, ad differentiam clauis sacramentalis, quæ est in sacerdotibus; eò quòd in sacerdotibus est ista talis potestas spiritualis, tamquam virtus instrumentalis: at vero in Christo est tamquam in principali agente. Ad quod intelligendum nota, quod quando agens operatur per instrumentum, virtus agendi, est per se in agente, & in instrumento, quia non est actio, nisi vbi est virtus agendi, & tamen tam instrumentum, quam principale agens dicitur agere, & per consequens in vtroque est agendi virtus. Et tamen sicut per se agens non recipit virtutem ab alio, instrumentum autem recipit per actualem influxum in quantum mouetur ab agente per se, ita & per se agens dicitur propriè agere, instrumentum autem non dicitur agere, nisi in quantum agitur, id est, mouetur, vnde perfectius valde est virtus agendi in per se agente, quam in instrumento. Ita de clauibus est dicendum. Quoniam virtus instrumentalis, eo quod sacerdos, & sacramenta non agunt per se ad remissionem peccatorum tamquam principale agens: Immo nec tamquam

Enucleatio textus. §. 1.

Apostrophe ad clauem Dauid.

Potestas Christi cur clauis dicatur.

quam instrumentum propriè dictum, quod attingat ipsum passum, quia neque sacerdos tamquam principale agens, aut sacramentum confert gratiam, cum hoc sit solius Dei; neque sacramentum motum à Deo, vt instrumentum eius attingit animam, cui gratia confertur. Ideo sacramenta sunt potius dispositiua ad gratiam, quam instrumenta gratiæ propriè loquendo. Clauis igitur qua sacerdos operatur in Sacramento pœnitentiæ; erit clauis instrumenti, id est, virtus instrumentalis, & non principalis agentis. Virtus autem ad conferendum gratiam, & remittendum peccata, (quod est operari nostram salutem) est in Christo tamquam in per se agente. Nam in eo, vt est Deus, est ista virtus per auctoritatem: vt autem est homo, est in eo per meritum: quia meritis passionis suæ aperta est nobis vita æterna, & datur omnis gratia. Et quoniam clauis de ratione sua formali dicit potestatem claudendi, & aperiendi: quod autem quis aperiat, vel vt per se agens, vel vt instrumentum, vel vt dispositiuum, accidit claui, & est extra rationem formalem illius: Ideo tam in Christo quam in nobis oportet poni clauem, (immo, & in Deo clauis est, vt mox videbitur in quæstionibus.) sed differt, quia clauis nostra est sacramentalis, clauis autem Christi, aut Dei, non est sacramentalis. Dicitur autem clauis sacramẽtalis illa, qua quis cõfert effectum spiritualem per sacramentum. Et tamen Christus sine sacramentis confert effectum sacramentalem: Ideo non est clauis sacramentalis, sed maior sacramentali, & ideo vocatur clauis excellentiæ. Clauis autem nostra sacramentalis est, quia solum possumus conferre spiritualem effectum, mediante sacramento, & etiam est instrumentalis, quia non est actio remittendi peccatum à nobis principaliter, sed à Deo. Et de hac claue excellẽtiæ, nimirum, de spirituali potestate, quæ est in Christo ad recipiendum dignos, aperiendo eis vitam æternam: & ad excludendum indignos, quæ dicitur clauis maior, verè & propriè, hic est sermo cũ dicitur de Christo: [Qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.] Clauis igitur Dauid est verè & propriè clauis maior, siue clauis excellentiæ, quæ est in Christo.

Meritis passionis Xpi datur gratia.

Clauis est in nobis, & in Xpo ponenda

Clauis Xpi non est sacramentalis.

§. 2. Verumenimuero non me præterit, plerosque esse auctores, aliter præfatum textum exponentes. Quando quidẽ Anselmus Laudunensis in sua interlineari glossa, per clauem Dauid, carnem Dauid exponit. Quoniã filij Dei incarnatio (vt explicare videtur interlineare Auctor Incognitus in hunc locum) clauis Dauid dicitur, qua traxit originem ex Dauid. In qua & portas æreas, & vectes ferreos confregit inferni. Per quã etiã & sanctos Patres eductos de carcere ad gloriam introduxit. Strabus in sua glossa ordinaria, & Haymo tantum explicant ly [Claudit,] & ly [Aperit.] Dicunt enim Christum aliquando claudere scripturas, vt studendo quæramus, & aliquãdo aperire vt anuntiemus, vel vt inueniamus, vt sic studentes fructus laboris percipiamus. S. Tho. Lyranus, Rupertus Abbas, Richardus de sancto Victore, D. Dionysius Carthus. & alij D.D. per clauem Dauid, potestatem exponunt aperiendi sensum scripturæ Dauid, & omnium aliorum prophetarũ, iuxta illud Luc. 24. [Aperuit illis sensum, &c.] Helimanus (quem citat Auctor Incognitus) clauem Dauid appellat gratiam spiritualis sapientiæ, quæ spiritualiter propter promissionem Dauid factam de Christo nascitur. & nasci ostenditur expositione ipsius, & propter prærogatiuam suæ prophetiæ, qua Christi mysteria apertius reserauit. Arethas, & Beda (quos sequutus fuit Iacobus Suarez à sancta Maria, sermone 21. in Apocalypsim, explicans hunc locum) per clauem Dauid, auctoritatem & potestatem Christi in sedem & regnum Dauid intelligunt, iuxta illud Lucæ 1. [Dabit illi Dñs Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.] Probat autem Suarez suum intentum; quoniam sedes quantum ad Reges spectat, idem significat quod clauis, (vt ait ipse) datur enim clauis in signum imperij, & dominationis, & apponitur sedes regia, tamquam regiæ

Clauis Dauid caro Dauid.

Clauis Dauid potestas aperiẽdi scripturas.

Clauis Dauid gratia spiritualis s.

Clauis Dauid auctoritas Xpi in regnũ & sedem Dauid.

A maiestatis inditium. Et per consequens concludit, nihil aliud clauem significare hic, nisi potestatem, & auctoritatem omnia disponendi arbitrio suo. In eadem sententia Arethæ videtur plane esse Primasius Episcopus Vticensis beati Augustini discipulus, exponens, per clauem Dauid, regiam potestatem, sic enim scribit in hunc locum. [Qui habet clauem Dauid, id est, regiam potestatem, clauem porro Dauid dicit, siue quia de eius stirpe natus est Christus, siue quia ipse Dauid multa de Christo præfatus est. Cuius dispensatione tamquã claue legis, & prophetarum, & psalmorum arcana patuerunt, ipso teste, cum dicit: Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me, qui aperit, & nemo claudit, & qui claudit, quod nemo aperit, legis diuinæ secreta solius Christi potestate panduntur fidelibus, clauduntur incredulis, illo autem soluente, nullus claudit; quo ligante, nullus absoluit:] Hucusque Primasius. Tandem Franciscus
B Ribera, quam plurimis ex superioribus reiectis sententijs, existimat per clauem Dauid, clauem Ecclesiæ intelligendam esse, quæ dicitur clauis Dauid, id est, domus ipsius Dauid, & in eam introeunt, quibus ipse aperit, id est, quos ipse adducit per gratiam suam, & quibus ipse propter incredulitatem fores occludit introire nõ poterunt. Placet quidem mihi Ribera, in eo quod acutè, & argutè, ac satis doctè suam deducit expositionem ex illo Isaiæ 22. [Et dabo clauẽ domus Dauid super humerũ eius, & aperiet, & nõ erit qui claudat, & claudet, & nõ erit qui aperiat.] Displicet tamen mirum in modũ in quantum alios notat expositores omnes, eo quod non animaduerterint præfatum locum Isa. 22. quem ipse citat, quasi ipse primus illius loci esset excogitator. Retundere planè possent expositores in Riberam
C illud D. Augustini tract. 74. in Ioannem: [Faciem videmus alterius, nostram videre non possumus, conscientiam verò nostram videmus, alterius non videmus.] Quoniã licet ipse alios expositores, prælibatum locum minimè citasse videat, cæterum an illum citare voluerint, & tamquam apertissimum reliquerint nullatenus videt: Quoniam communiter in quauis editione sacræ bibliæ, in marginibus illius, annotatur. Quid, quod, Carthusianus, & alij plerique Doctores illum apertè citant locum.

Clauis Dauid regia potestas.

Xps ex stirpe Dauid.

Clauis Dauid clauis Ecclesiæ, scilicet Ecclesia domus Dauid.

Impugnatur Franc. Ribe.

D. Dion. Carthus. in com.

§. 3. Circa has varias exponentium sententias breuiter dicam, aliquam vnamquamque ex illis continere veritatem, sed textum plane nullatenus enodare. Quoniam
D hic de claui excellentiæ (vt est dictum) fit sermo. Et cum interpretatio psalmorum, omniumque prophetarum spiritualis gratia, potestas, maiestas, imperiumque regale, & claues Ecclesiæ, stent sub maiori claue, hoc est, sub excellentiæ claue, quæ est in Christo: & ab illa tamquam riuuli à suo fonte, & tamquam species à suo genere, siue tamquam partes à suo deriuentur toto; sequitur sub illa, oẽs has interpretationes contẽtas esse. Quod autem clauis maior siue clauis excellentiæ, quæ est in Christo, nimirum, spiritualis potestas, quæ in illo est, sit fons horum omnium, deduci potest ex illo Matth. 11. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] & iterum: [Omnia tradita sunt mihi à patre meo.] Vnde si quis scripturas interpretatur, & intelligit, ab illo habet quod interpretetur & intelligat; siquis spiritualem habet gratiam, ab illo eam obti-
E net; siquis imperat ab illo habet quod imperet: si Ecclesia denique ligat, & absoluit; ab illo habet, quod liget, & absoluat. Quod planè ipse præstat per clauem maiorem, siue clauem excellentiæ, nimirum, per spiritualem potestatem, quæ in ipso est, quæ dicitur hic clauis Dauid. Eodem ferè modo has omnes varias exponentiũ sententias videtur conciliare Iacobus Suarez à S. Maria. Porro sententia Helimani (quam citat Auctor Incog.) qui per clauẽ Dauid gratiã spiritualis sapientiæ intelligit, eadẽ prorsus est cũ Ruperti Abbatis expositione. Nam licet Rupertus per clauem Dauid potestatem aperiendi sensum Scripturæ Dauid, & omnium prophetarum intelliget, tamen talem potesta

Conciliatio sententiarum quæ supra ei tantur ab auctore.

Sententia auctoris continet sub se reliquas.

Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 21. in Apoc.

testatem ipsemet gratiam Spiritus sancti appellat. Sic etenim scribit ipse:[Quæ autem est illa clauis nisi gratia Spiritus sancti? Ipsa namque illuminatio cordis, ipsa est declaratio sermonum Dei,quæ illuminat,& intellectum dat paruulis.Vnde Apostolus. Nobis autem reuelauit,inquit, Deus per spiritum suum, quia spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.] Hucusque Rupertus. Denique expositio Francisci Ribera, non lóge est à nostra,dummodo ipse per clauem Ecclesiæ, non intelligat sacramentalem clauem; Quoniam in Christo non est sacramentalis clauis,vt mox videbitur in quæstionibus: sed tantum clauis maior, siue clauis ex essentiæ,quæ est veluti clauis illa, quam in Hispania materna lingua,quidam: [llaue maestra,] appellant, qua omnia abdita reserantur, & cuncta clausa panduntur,ac vniuersæ ianuæ,foresq;facilè aperiũtur.

Rupert. in comm.

§. 4. Amb. Ansb. Christus est simul clauis ostiũ, & claniger.

Est porro alia peculiaris opinio Ambrosij Ansberti,qua tenet,clauem Dauid,ipsummet Christum demõstrare, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Et iuxta hanc opinionem, cum Christus de se ipso dicat Ioan. 10. [Ego sum ostium,] erit ex consequenti ipse ostium,clauis,& clauiger,qui aperit,& qui claudit. Hæc vtique explanatio Ansberti ex eo fulciri potest,quod in contextu postquam dictum est:[Qui habet clauem Dauid,]non sequitur, [quæ,]sed, [qui, ita vt directè sermo sit de Christo,qui aperit,& qui claudit. Cæterum prior dictio, [qui habet] obuiat ex diametro huic explanationi Ansberti.Quoniam,qui poterit idem se ipsum habere? Hic enim loquitur Christus, & ipse est,,qui habet clauem Dauid.

§. 5. Crux clauis, Dauid. Hugo Card.


Hugo Cardinalis alias duas speciales adducit enodationes,quarum prior per[Clauem Dauid.] exponit crucem,qua Christus tamquam claue paradisum claudit,& aperit.Posterior vero per[clauem Dauid]pœnitentiam exoluit,quæ cælum aperit. Verumtamen omnes etiam hæc explanationes in nostrum quoque currunt, & intrant Amnen de claui excellentiæ.

DISPVT. IV.

In Cap. III. Apocalypseos,de claue maiori, siue de claue excellentia, quæ est in Deo, & Christo homine.

In quatuor Quæstiones diuisa super illa verba: *Qui habet clauem Dauid,&c.*

Prologus disputationis.



BIS facta fuit mentio de clauibus,in hac prima reuelatione,semel,nimirum in 1.cap.per illa verba:[Et habeo claues mortis, & inferni.] & semel in hoc 3.cap. sub prælibatis verbis: [Qui habet clauem Dauid qui aperit, & nemo claudit, claudit,& nemo aperit.]Et quia vtrobique est sermo de claui,quæ est in Deo, & Christo homine,præmoneo, quod de clauibus disputat Magister in 4.sen.dist.18.& 19:S.Tho. ibidẽ, & in additionibus ad 3.p. à quæstione 17.vsque ad q.21. Alexander Alensis in 4.sent. dist.18.q. 79. D.Bonauentura, Scotus, Richardus,Durandus.Stephanus Brullifer in 4.dist.18.& 19. Adrianus in 4.q.de clauibus,Ioannes de Turrecremata lib.1.summæ Ecclesiæ cap.93. vsque ad finem libri, & etiam libro 2. Victoria in duabus prælectionibus de clauibus, Seraphinus Caponi in suis commentarijs in add.ad 3.p.D.Tho.à q.17,vsque ad 21. Incognitus in Psal 31.tom.1,vers.409.Iosephus Angles,to. 4.q. 72. & alij plerique (& ferè multitudine infiniti) domini Doctores.Hæc autem materia,tripartitam obtinet considerationem. Alia siquidem est clauis Trinitatis, alia clauis Christi hominis, & alia clauis ministrorum,quæ alio nomine clauis sacramentalis nuncupatur: cuius plane contemplatio infra discutietur: quandoquidem hic de duabus primis, puta,de claue Trinitatis,& Christi hominis digladiare dumtaxat decreuimus,de quibus directè est sermo in contextu.

Clauis tripartita accepta

Clauis Trinit.

Quæstio I.

An clauis regni cælorum,aliquam in communi obtineat peculiarem definitionem.



CONclusio est affirmatiua. Ad quam intelligendã præmoneo, quod hoc in loco accipitur clauis per metaphorã,putà, transferẽdo nomẽ clauis ad spiritualia,ob similitudinem aliquã cum claue in corporalibus: eo quod in corporalibus clauis est instrumentum, quo sera clauditur, & aperitur, obstaculumque impediens apertionem ostij prorsus amouetur: Et cum in spiritualibus reperiatur obstaculum ingressus ad regnum cælorum, virtus amouens illud,clauis appellatur,per quam videlicet reseratur, & obseratur ostium, & tollitur difficultas intrandi in vitam æternam. Et in hoc dumtaxat stat metaphora ista clauium regni cælorum. Quoniam cælum propriè neque portas, neque seras habet, id propterea clauibus propriè dictis, nullatenus indiget. Verumtamen,quia sunt(vt dixi)quædam obstacula siue impedimenta perueniendi ad vitam æternam, ea omnia appellantur seræ, quibus vita æterna omnino clauditur;illa vero quibus talia obstacula,impedimentauè auferuntur,nuncupãtur claues.Et quia nihil aliud impedit ingressum ad vitam ęternã,nisi peccatũ(quoniam iniquitates nostræ, vt dicitur Isa. 59. diuiserunt inter nos,& Deum nostrum)idcirco illud, quo ab extra tolluntur peccata, dicitur clauis. Vbi passim animaduertas opus est,dictum fuisse,ab extra, eo quod ex parte hominis requiritur dolor de peccatis, sine quo non fit remissio peccatorũ,& illo existente fit remissio. & tamen ille dolor,& quæcumq; aliæ actiones satisfactoriæ ex parte nostra,nullatenus appellantur claues: quamuis istæ maximè agant ad peccati remissionem, tam ad maculam,quam ad pœnam.

Clauis accipitur metaphoricè.

Clauis est instrumentum quo sures, & clauduntur, & aperiuntur.

Clauis metaphora,in quo consistat.

Peccatum impedit ingressum vitæ æternæ.

Ex ijs itaque potest clauis regni cælorum hac peculiari definitione,sic in communi definiri.Clauis est potestas quædam,qua tollitur peccatum per quod impeditur intrare in vitam ęternam.Et si insurgas. Ostium regni cęlorum est apertum: Illud namque aperuit Dominus in passione:Vnde Apoc.4. dicitur: [Vidi ostium apertum.]Liquet planè solutio.Eo quod quamuis ostiũ cæli apertum fuerit in passione Domini, tamen alicui clausum dicitur, propter impedimentum intrandi in cælum,putà,peccatum, quod in dies à nobis patratur. Quamobrem illud per quod tale obstaculum tollitur, clauis nuncupatur.

Clauis definitio.

Clauis descriptio impugnatur. Obiectio.

Solutio.

Quæst.

Quæstio II.

An in Deo vt est Trinitas sit clauis?

1. conclus. Clauē habet Trinitas.



ONCLVSIO est affirmatiua: Et probatur. Quoniam Deus tollit maculam, & remittere potest pœnæ reatū. Quare clauis ista est in Trinitate per auctoritatem, id est, per originem; nimirum, quia huiusmodi potentia est in Deo, quam a nullo ipse vnquam accepit. Quinimmo ille, omnibus communicat eam (omnibus inquam habentibus illam aliquo modo.) Et hoc est habere illam per auctoritatem, siue per originem. Ratio autem huius rei stat in hoc, nimirum; quia quidquid peccatur, contra Deum committitur, qui est supremus & verus Dominus omnis creaturæ, & elargitus est ei legem: in qua quicumque præuaricatur, ipsum offendit; Et ad ipsum directè pertinet retinere offensam illam, aut remittere. Quemadmodum ad quemlibet hominem directè pertinet dimittere debitum, quod ei debetur. S. Tho. in 4. sent dist. 18. & in addit. ad 3. partē q. 17. art. 1. confirmat hanc nostram sententiam per hæc verba: [In corporalibus dicitur clauis, qua ostium aperitur. Regni autem ostium nobis per peccatum clauditur, & quantum ad maculam, & quantū ad reatum pœnæ; & ideo potestas, quæ tale obstaculum remouet, dicitur clauis. Hæc autem potestas est in diuina Trinitate per auctoritatem; & ideo dicitur à quibusdam, quod habet clauem auctoritatis.] Sic ille. Verumtamen Alexander Alen. 4. p. q. 79. membr. 1. D. Bonauentura in 4. sent. dist. 18. & Adrianus in 4. quæst. de clauibus, rem sic explicant: [Est obstaculum vnū debitū peccati mortalis commissi, & hoc solus Deus admouet, quia per culpæ deletionem, & potestas hoc remouens, est potestas diuina, & vocatur à quibusdam, clauis auctoritatis.] Hæc Adrianus.

Peccatum directè est contra Deum.

Comparatio.

Clauem auctoritatis solus Deus habet.

Quæstio III.

An in Christo homine sit clauis?

1. argum.



RO parte negante sunt hæc argumenta. Primum, quia clauis cōsequitur characterem ordinis. At Christus characterem minimè habet cum potius ipse imprimat nobis characterem; quamobrem per configurationem ad ipsum nos dicimur habere characterem, quoniam potestas spiritualis, qua ei configuramur, appellatur character, & tamen nequit idem sibi ipsi configurari. Igitur Christus non habet characterem, & per consequens neque clauem. Secundum argumentum, Christus habet in sacramentis potestatem excellentiæ, videlicet, quia effectum sacramentalem sine sacramento conferre potest. At clauis est potestas sacramentalis, nimirum, id quo sacerdos confert illud, quod sacramētaliter conferri potest. Ergo non est necessaria in Christo clauis. Nam cum habeat superiorem potestatem, esset superuacua Quoniam Christus tali potestate nunquam vteretur: At superuacuum non est ponendum in Christo, cum recedat ab ordine, & omnia, quæ in Deo sunt, teste Apostolo ad Rom. 13. ordinata sunt. Igitur Christus non habet claues.

2. argum.

Prima assertio. Si Christus consideretur, vt Deus, habet clauem auctoritatis. Hæc est manifesta, & liquet etiam ex superiori quæstione; Quoniam in diuinis om-

1. assertio. Xps, vt Deus clauem obtinet auctoritatis.

A nia sunt vnum, nisi vbi obuiat oppositio relatiua.

Secunda assertio. Si Christus consideretur quatenus homo, est in eo clauis. Hæc est D. Tho. & omniū Theologorum, locis in nostro prologo citatis. Et probatur: Tum quia Christus per passionem suam realiter aperuit regnum cælorum, quod prius toti naturæ humanæ clausum erat, & nunc est apertum. Sed qui aperit januā, dicitur habere clauem: Igitur Christus, vt homo habet clauem. Tum quia clauis est potestas quædam, qua tollitur peccatum, per quod impeditur intrare in vitam æternam, vt est dictum in 1. q. At Christus homo, remouit huiusmodi obstaculum per meritum passionis suæ, Ergo habet clauem. Tum quia Christus dixit post passionem suam: [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quæ plane verba intelligenda veniunt de ipso, non vt Deus, sed vt homo est: At hæc est potestas generalis in cælo, & in terra, sub qua necessario intelligē-
B da etiam venit potestas aperiendi, & claudendi regni, quæ est ratio formalis clauis. Igitur, &c. Tum quia Christus homo obtinet potestatem spiritualem ad recipiendum dignos, aperiendo eis vitam æternam, & excludendum indignos, Igitur habet clauem. Tum postremo, quia debitum peccati contracti collocatur inter illa tria obstacula ad ingressum vitæ æternæ; quæ adferunt D. Bonauentura in 4. sent. dist. 18. & Alexander Alen. 4. p. q. 79. membro. 1. & illud est debitum solutionis pretij, quod planè per eum duntaxat solui potuit qui poterat satisfacere, & huiusmodi fuit solus Christus, vt de facto per passionem suam incunctanter, & abundè satisfecit. Quare in eo necessariò est clauis.

2. assertio. Xps, vt homo habet clauē.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio. Matth. 28.
4. Ratio.
5. Ratio.

Tertia assertio. Clauis Christi appellatur clauis excellentiæ, siue clauis maior, vel clauis meriti. Hanc cōmuniter tenent S. Tho. D. Bonauent. Alex. de Alen. Scotus, Durand. Adrianus, Abulen. & reliqui D. D. locis supra in prologo citatis.

3. assertio. Clauis Xpi est clauis maior.

C Quarta assertio, Clauis Christi, non respectu deitatis, sed respectu ministrorum Ecclesiæ, nuncupatur clauis excellentiæ Hæc assertio duplicem amplectitur partē. Quarum primam probo sic. Trinitas habet clauem per auctoritatem: Potest siquidem hominibus donare peccata, eademque per solam libertatem remittere, tam quo ad maculam, quam quo ad pœnam debitam, nihil operantibus hominibus pro parte sua, neque alio quouis pro eorum parte: At Christus in quantum homo nō habet potestatem à se, cum illam obtineat à Deo, igitur clauis sua non erit excellentiæ respectu Deitatis. Accedit, quod Christus homo per passionem suam potuit soluere pretium redemptionis nostræ, tolerando, & satisfaciendo pro omnibus peccatis, pro quibus nos non poteramus satisfacere: At sine passione per solam voluntatem humanam nequiuerat liberare nos à pec-
D catis, quoniam hoc est solius Dei, & Christi, quatenus homo minor est Deo; ipse enim de se ait: [Pater maior me est,] quare clauis sua non erit excellentiæ respectu deitatis. Rursus, quia peccata nostra minimè sunt contra Christum in quantum est homo, quinimmo contra ipsum, quatenus Deus est, & sic sunt contra Deitatem. Eo quod Christus vt homo non est naturaliter Dominus noster, cum hoc per collationem totius Deitatis obtineat, iuxta illud Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quoniā omnia hæc meruit per actus suos, nimirum per mortem, & passionem suam acerbissimam, secundū illud, quod scriptū est Act. 20. [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos regere Ecclesiā Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Quibus verbis clarè ostenditur, Ecclesiā nullatenus esse Christi naturaliter: quandoquidē si sua esset naturaliter, non acquireret eā sanguine suo.
E Quoniā quod meū est ex sua causa, ex altera meū fieri non potest, nisi desierit esse meum, prout liquet: [Extra de fide instrumē orū.] capitulo, [inter dilectos.] Idcirco nec peccata committebantur contra Christū, vt est homo, neq; ad ipsum pertinet directè illa remittere, quasi contra se cōmissa. Quare clauis Xpi nō erit clauis excellentiæ respectu Deitatis, cuius est habere clauem auctoritatis, & potestatis propriè. Christus autem quatenus homo duntaxat obtinet clauem meriti,

4. assertio bipartita. Clauis Xpi est clauis excellentiæ.
1. Ratio.
2. Ratio.
Ioan. 14.
3. Ratio.
Clauem meriti obtinet Xps quatenus homo.

& non clauem auctoritatis, neque potestatis propriè, quoniam non potest per solam voluntatem humanam, peccata remittere. F

Clauis Xpi est excellentior respectu ministrorum

Iam secunda pars eiusdem assertionis corroboratur. Primò, quia ministri Ecclesiæ non habent clauem sicut Christus. Quoniam inter eos est gradus quidam, nam sicut perfectiùs habet tota Trinitas clauem, quam Christus in quantū homo, ita perfectiùs debet habere Christus homo clauem, quàm ministri Ecclesiæ, cum ipse sit caput hominum, & Angelorum. Secundò, quia solus Christus aperuit regnum cælorum, quod toti naturæ humanæ clausum erat. At sacerdotes quamuis agant aliquid ad aperiendum regnum cælorum huic, & illi homini, tamen nequeunt agere, nec minus agūt ad illud aperiendum toti naturæ humanæ; Igitur hæc erit maxima excellentia clauis Christi. Tertiò, quia remissio peccatorum nostrorum verè dependet à Christo per modum meriti; quoniam quidquid nobis de peccatis remittitur, totum illud, (& multo plura) meruit Christus nobis condonari. Quamobrem dum absoluimur, accipimus realiter aliquid de eo, quod est Christi, nimirum, de meritis passionis suæ. At sacerdotes nullatenus communicant nobis aliquid de eorū meritis: quoniam nec sufficerent ad hoc, quod remitterentur nobis aliqua peccata; Igitur ista erit magna excellentia clauis Christi super clauem ministrorum. Hac tertia ratione, clarè concluditur, quod Christus, & sacerdotes differunt, tamquam dans de suo, & dans de alieno. Communicantur enim nobis bona Christi per sacerdotes, sed ipsi de suis nihil nobis dant, quinimmo & ipsi accipiunt de bonis Christi, quemadmodum, & nos: quoniam indigent illis, cum sint infirmitatibus (sicut & nos) vndequaque circumdati. Quarto, quia non solum Christus vt homo potuit peccata remittere, quinimmo & sacramenta instituere, per quæ peccata remittuntur nostra, quod plane attinet ad superabundantem, & superfluentem gratiam eius, cum datus sit ei spiritus, & non ad mensuram, vt liquet Ioan. 3. Vnde sacramenta ipsa efficaciam acceperunt ab eius passione. At nullus minister Ecclesiæ potest sacramenta instituere: Ergo hoc erit magna excellentia Christi super ministros. Quinto, & postremò, quia Christus poterat conferre effectum sacramenti sine sacramento. At ministri sacerdotes nihil possunt sine sacramentis; Igitur clauis Christi dicetur clauis excellentiæ super ministros Ecclesiæ.

2. Ratio. Christus aperuit regnum cælorum toti naturæ humanæ.

3 Ratio. Peccatorum remissio dependet a Xpo per modum meriti.

4. Ratio. Christus, vt homo potuit sacramenta instituere.

5. Ratio. Christus potuit conferre effectum sacramētū absque sacramēto.

Sol. ad 1.

Primum autem argumentum soluitur ex eo dumtaxat, quod clauis triplex est, nimirum, auctoritatis, excellentiæ, & sacramentalis; conferentia vero de claue cum charactere, putà, an clauis, & character identificentur, non exagitatur de claue auctoritatis, neque de claue excellentiæ, sed dumtaxat de claue sacramentali. Quoniam sola clauis sacramentalis, & character accipiuntur simul in sacramento ordinis sacerdotalis. Quia character configurat hominem cum Christo in sacramento ordinis. Verumtamen ista difficultas, scilicet, sit ne clauis sacramentalis idem cum charactere, infra examinabitur, quoniam contrarium tenent plerique Doctores, vt suo loco dicemus.

Sol. ad 2.

Secundum verò argumentum nullius roboris esse ex eo apparet, quod scilicet de ratione clauis non est, esse sacramentalem. Quoniam licet clauis nostra sit sacramentalis, eò quòd sit instrumentalis, tamen clauis Christi, quia est, vt potestas per se agentis, non est sacramentalis, quinimmo principalis. Quamobrem Christus habebit clauem, & quamuis non omnino similem nostræ, tamen excellentiorem.

Quæstio IV.

An detur aliqua causa, ob quam clauis excellentiæ, quæ est in Christo, vel potestas Christi, magis dicatur clauis Dauid, quam Aaron, aliorumuè prophetarum, vel Hebræorum?

Clauis Dauid dicitur Christus quia de eius stirpe natus est.



G Sanctus Ambrosius in hisce suis commentarijs hanc assignat causam per hæc verba: [Legimus in libro Regum, quod dixerit Dominus ad Dauid: Et erit cum dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuū, quod egredietur ex te, & firmabo regnum eius in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Hoc de Xpo esse dictum nullus est (nisi perfidus Iudæus) qui ambigat, & in domū obseratam nullus (ingreditur) nisi per clauē Dauid, quia ipse hominē assumpsit ex genere Dauid, quem clauem Dauid vocat, per quem reserata sunt omnia, & quæ Deus adducit, & quæ Dauid de Deo loquutus est] Hactenus D. Ambrosius. Eandem causam reddit S. Thom. in hunc locum per hæc verba. [Quia Aaron nullam scripturam condidit Item nec de eius progenie carnem assumpsit, sicut de stirpe Dauid, H qui fuit de tribu Iuda. Si quæratur, quare non dicitur clauem habere, cum de ipso descenderit secundum carnem Dauid? Quasi dicat si illud diceretur, non tantum documentum daretur: quia non esset tunc via ad multiplicem modum exponendi. Præterea hoc dicitur ratione dignitatis, quia fuit Rex, de cuius progenie Rex regum carnem assumpsit, ad hoc vt eius imperio per voluntarium obsequium subderemur.] ita D Thom. Causa itaque ob quam clauis excellentiæ, quæ est in Christo magis dicatur clauis Dauid, quam Aaron, aliorumvè prophetarum, hæc assignari poterit iuxta D. Ambrosium, & sanctum Thomam, putà, quia Christus ex progenie, & semine Dauid carnem assumpsit pro vt perspicuum prodit Matthæus in cap. 1. dicens: [Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.] & Lucas in cap. 1. dum ait: [Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.] I Idcirco proculdubio originem habet, quod per, [Clauem Dauid] Berengandus, Haymo, Ambrosius, Ansbertus, Dionysius Carthusianus, & alij plerique Doctores, carnem, siue humanitatem Christi intelligunt de semine Dauid assumptam, per quam reserata sunt omnia, & quæ Dauid de Deo, & quæ Deus ad Dauid loquutus est: per quam etiam ianua cæli regnique cælestis, est patefacta, & tota Ecclesia illustrata. Et addunt huiusmodi Doctores, clauem Dauid significare carnem sumptam de Dauid, non nouam. Quod est contra hæreticos, qui dixerunt Christum assumpsisse corpus phantasticum. Et etiam aduersus illos infideles qui asseuerare attentarunt, Christum habuisse carnem veram, sed tamen nouam non de genere Adæ, sed eam attulisse de cælo. Quæ plane omnia hæreticorum deliramenta, celebre illud promissum Dei ad Dauid: [De fructu ventris tui K ponam super sedem tuam.] apprimè dissoluit. Verumtamen, iuxta hos auctores caro Christi, dicetur clauis Dauid, eò quòd per eam, ratione passionis, aperta est ianua vitæ.

2. Reg. 7.

D. Ambr. in comm.

S. Thom. in comment.

Clauis Dauid ianuam cæli aperuit.

Humanitas Xpi totam illustrauit Ecclesiam.

Hæreticorum lapsus.


Hæreses duæ apprimè profligantur.



Quæst.

Quæstio V.

An clauis Dauid omnimodam in se includat potestatem?



FFIRMATIVA est ad quæsitum responsio, quã planè adamussim confirmant verba illa Christi Matth. 28. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.] Quapropter, eam nos clauem excellentiæ, siue clauem maiorem, meritò nuncupamus. Sola itaque dumtaxat explicatione indiget conclusio, qua, ad quæ se extendat clauis Dauid, enodetur.

Clauis Dauid se extēdit ad peccata condonanda.

Primò igitur, clauis excellentiæ, siue clauis Dauid, se extendit ad remittenda peccata; quoniam Christus potest peccata nostra condonare, & hoc (si ipse vult) absque sacramentis, vt experientia docet in Dima latrone, in Maria Magdalena, & in muliere adultera: quorum peccata absque sacramento remissa planè fuere. Id etiam nos tùm in explanatione textus, tùm etiam, quæst. 3. in assertione 4 apprimè, latèque explicuimus.

Clauis Dauid se extēdit ad aperiendum sensum sacræ Scripturæ.

Secundò se extendit ad aperiendum sensum sacræ Scripturæ Dauid, & aliorum prophetarum. Nam Christus Apostolis, & discipulis suis (vt dicitur Luc. vltimo) aperuit sensum vt intelligerent scripturas. Hinc proculdubio est, quod per hanc virtutem, & potestatem, aperit nobis ipsum Dauid, librumvè Psalmorum, in quo teste D. Dionysio in cælest. Hierarch. virtualiter continetur, quidquid in scripturis habetur. Quamobrem clauis ista, appellata est clauis Dauid, qui præ cæteris de Christo vaticinatus fuit, cuius psalmos Christus elucidauit. Idcirco D. Ambr. hoc in loco, ita scribit: [Aperuit Dominus Iesus Christus vetus Testamentum ad intelligenda diuina mysteria, quę in ea latebant, quod nullus claudere poterit; clausit verò obseruantiam litteræ legalis superfluam, quam nullus aperire poterit.] Ita D. Ambrosius. Ecce igitur qualiter dispensatione Christi, tamquam claue legis, prophetarum, & psalmorum arcana patuerunt, secundum quod ipsemet de se ipso dixit Lucæ 24 (Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, prophetis, & psalmis de me.) De hac claue intelligendus vtique est Saluator noster dum Math. 23. Pharisæis dixit: [Væ vobis hypocritæ, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & qui introibant prohibuistis.] & paulo post: [Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocrytæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.] Scribæ namque, & Pharisæi claudebant regnum cælorum, nimirum, sacram Scripturam per exemplum malum, abscondendo veritatem doctrinæ in scriptura. His similes planè sunt hæretici huius nostri sæculi, qui sibi Scripturæ sacræ intelligentiam arrogare pertinaciter attentant, controuersias sacræ paginæ sibi ipsi ad inuicem (immo ad suum beneplacitum, tamquam si iudices, & censores sacræ Scripturæ essent) componentes, nihil curando de propositione, & enodatione Ecclesiæ, nec minus de eius firmissimis columnis Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & Gregorio Contra quos plane hæreticos, iudicium vniuersalis Ecclesiæ circa explanandam sacram paginam respuentes, intrepidè insurgunt Tertul. lib. 4. contra Marcionē, Irenæus lib. 2. aduersus hæreses c. 47. Origenes lib. 7. cōtra Cels. Ruffinus lib. 11. hist. cap. 9. D. Chrysost. hom. 40. in Ioan. D. Greg. hom. 6. in Ezech. D. Augustinus, lib. 2. de doctrina Christiana, c. 6. & epist. 3. & D. Hier. in epistola ad Paulinum de studio scripturæ, & in epistola ad Algasiam q. 8. Quorum porro hæreticorum falsam præsumptionem proculpellunt (immo tamquam in fauillam ęstiuę areæ, quæ rapta fuit vento, ita vt nullus locus inuentus sit eis, redigunt) Dauid dicens: [Reuela oculos meos, & cōsiderabo mirabilia de lege tua.] & iterum: [Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.] & rursus: [Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.] Christus etiam in Euangelio suo de se dicens: [Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me.] (quo loco, vt prodit Chrysostomus, non dixit, legite, sed scrutamini, quoniã oportet profundiùs effodere, vt quæ altè delitescunt, inuenire possimus; non enim rem in superficie, & in promptu positam effodimus, sed quæ tamquam thesaurus profundè recōditur.) Et D. Petrus Apostolus, Christi vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, Princeps, ac choriphæus in sua epistola canonica, inquiens: [Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.] Quare merito appellare possumus sacram Scripturam, librum illum signatum sigillis septem, quem solus agnus aperire valuit, vt dicitur Apoc. 5. Hinc D. Hieron. in epistola ad Paulinum sic scribit: [Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti litteras vt legat, respondebit tibi, non possum, signatus est enim. Quanti hodie putāt se nosce litteras, tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit? In Act. Apostolorum sanctus Eunuchus, immo vir (sic enim eum scriptura cognominat) cum legeret Isaiam prophetam interrogatus à Philippo: putasnè, intelligis quæ legis? Respondit que: Quomodo possum nisi aliquis me docuerit.] Hucusque D. Hieronym.

Pharisæorum lapsus circa litterarum interpretationem.

Hæretici nō curant de sanctorum doctrina.

Hæreticorum lapsus impugnatur auctoritatibus sacræ paginæ.

Psal. 118.

D. Chrysost. tom. 40. in Ioan.

2. Petri 1.

Liber signatus est sacra pagina.

Clauis Dauid amplectitur regiam potestatem. Xps ex regali prosapia Dauidis traxit origenem

Tertio, clauis maior amplectitur regiam potestatem, quamobrem D. Augustinus, seu Tyconius, & Beda, per clauem Dauid regiam expendunt potestatem Christi qui aperit, & nemo claudit. Quoniam manifestū (inquiunt) est quod Christus pulsantibus aperit, & hypocritis, id est, fictis, vitæ ianua claudit. Quod autem Christus fuerit Rex in 1. c. dictum est abundè.

Clauis Dauid continet sub se claues mortis, & inferni.

Quarto, clauis Dauid continet sub se claues mortis, & inferni; quoniam Christus Dominus quatenus Deus est, habet potestatem, & auctoritatem animas nostras perdendi, & easdem in gehenã mittendi, & ibi eas includendi, vel cum placet liberandi eas ipsas ab inferno in dimittendo culpam. Quamobrem idem Saluator noster Apoc. 1. de se ipso dixit: [Ego sum primus, & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis, & inferni.] Et quamuis de Ecclesia controuersum sit inter Doctores, & Theologos, an scilicet clauis sua sacramentalis se extendat non solum ad regnum cælorum aperiendum (quod planè infra à nobis examinabitur) tamē nullus catholicorum est, qui negare audeat, Christum habere tam clauem regni cælorum, quã inferni, & mortis, prout ipsemet de se ipso fatetur loco nuper citato. Quamobrem clauis excellentiæ, etiam se extendit ad claues mortis, & inferni.

Clauis Dauid aperit corda gentium. Aperit Xps intellectū ad credendum, & voluntatē ad diligendū

Quinto, clauis Dauid aperit corda gentium ad credendum, & ad Deum optimum maximum summè diligendum. Qua propter ipsemet Christus de se ipso ait: [Sine me nihil potestis facere.] & iterum: [Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eū.] Hinc plane est, quod D. Ambr. in hunc locum ita scribit: [Aperuit etiã corda gentilium ad percipiendam doctrinam fidei, quæ nullus persequutor claudere potuit; clausit vero culturam idolorū, quē nullus persequutor aperire potuit] Sic ille. Corda igitur gentium ad gratiam, charitatem, & fidem, clauis Dauid patula facit, quæ nemo claudere potest; quoniam Christi operationem nullus prohibere, impedirevè potest directè. Et dum Christus noluerit (quamquam diabolus, & homines praui

Ppp 3 nonnun-

nonnumquam dispositiuè illuminatos, ad tenebras falsitatis, ac vitiorum declinent, secundum quod scriptum est Matth. 13. venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant) claudit, gratiam subtrahendo, & illam nullatenus influêdo superbis, ac reprobis. Idque proculdubio indicant clarè illa verba: [Claudit, & nemo aperit.] Quoniam ipse clausit Iudæis, & aperuit gentibus, vt ipsemet liquidè ostendit dum Ioan. 9. dixit: [In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.]

§. 2. Clauis Dauid aperuit regnum cælorum. D. Ambr.

Sextò, & postremò, clauis excellentiæ quæ est in Christo, se extendit ad aperiendum regnum cælorum, vt fideles illùc læti, & hilariter intrent. Quamobrem D. Ambrosius in hisce suis commentarijs sic scribit: [Aperuit etiam aditum regni cælestis suis electis, quod nulla vis dæmonum claudere potest; clausit vero eumdem aditum reprobis, quod nullus eis aperire potuit.] Hæc D. Ambrosius. Verumtamen nos cum de hac re supra abundè descripserimus multa, quoniam ad alia properamus, non putamus, illa hoc loco iteranda.

Tex. 11.

CIO opera tua.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.

IRO artificio his paucis verbis *Scio opera tua*, hunc Antistitem Philadelphiæ sibi placitum, ac gratum fuisse indicat Dominus. Scire etenim Deus opus alicuius, illud tamquam sibi gratum approbare planè est. Quamobrem hic Glossa interlinearis, S. Thom. Lyranus, & Auctor Incognitus ad verbum, *Scio* Approbo, apponunt, ita vt legatur: [Approbo opera tua.] Quasi dicat Deus ipse: Nosco, ac approbo omne opus tuum, placitum quippe, ac satis gratum mihi fuit, sicut dulce, gratum, ac acceptum esse solet comedenti apum opus, hoc est, fauum mellis, & inde sanè corona te expectat, eo quod scriptum est Apoc. 14. [Opera enim illorum sequuntur illos.]

§. 2. Elogium ad Episcopum Philadelphiæ.

Approbatur itaque omne huius Antistitis opus per hunc diuinum loquendi stylum: *Scio opera tua*, tamquam Deo gratum: Id namque verbum, *Scio*, hoc in loco, significat. Quamobrem magna, ac mirabilia circa hunc Antistitem commendabilia, ac laude digna patefacit, ijs paucis verbis, Deus. Artificium enim ars, siue scientia alicuius mirifici pictoris mirum in modum ostenditur in depingendis plurimis, atque excellentibus rebus in paruo quantitatis spatio: Veluti si in tabula vnius palmi totam Ierosolymam, Romam, siue vniuersum depingeret orbem, quemadmodum Dominus de Ezechielis prophetæ scientia periculum facere voluit, cum illi in cap. 4. dixit: [Sume tibi laterem, &c. & describes in eo ciuitatem Ierusalē. Et ordinabis aduersus eā obsidionē, & ædificabis munitiones, & côportabis aggerem, & dabis côtra eam castra, & pones arietes in gyro.] Mirificus, ac excellens pictor futurus erat ille, qui in paruo latere per grandem ciuitatem (qualis erat Ierusalem) exercitibus, & bellicis munitionibus obsessam depingeret. Ingentē certè, Deus atq; ineffabilem ostendit sapientiam in depingendis pulcherrimis cælestibus planetis, & stellis, verumtamen satis magnus, atq; extensus locus ibi erat, in quo omnia illa depingi poterant. Cælum namque amplissimū est, idcirco multo magis Dei sapientia enitet in hoc, quod in creatura, tam parua, qualis est homo summam

Simile.

Homo est omnis creatura.

F omnium rerum creaturarum depinxerit: atque ita Philosophi appellant ipsum microcosmos, hoc est, mūdum paruum. Etenim in homine est esse rerum insensibilium, & sensus rerum sensibilium, ac intellectus Angelorum. Id propterea Psalmographus ait Psalm. 134. [Mirabilis facta est scientia tua ex me,] hoc est, admirabilis scientia tua Domine apertissimè ostenditur, & manifestatur in eo, quod in me collocasti, siquidem cū ego res tam parua sim, in me tot, tantaque posuisti. Idem diuinæ scientiæ artificium ostendit Psaltes, cum de Eucharistiæ altissimo sacramento ait: [Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.] Quod perinde est, ac diceret. Fecit Deus in hoc admirabili sacramento quoddam omnium mirabilium suorum memoriale, in quo, quasi in paruo loco, sua inclusit arcana. Pari etiā modo, hoc in loco, idem Deus, paucis verbis, totā G huius Antistitis sanctam depinxit vitam. Mysteriosus quippe satis est circa pastores, ac prælatos sanctos hic diuinus loquendi stylus: *Scio opera tua*, quemadmodum etiam mysteriosum fuit verbum Iacob ad Ioseph filium suum, cum illi Gen. 49. dixit: [Scio fili mi, scio.] Satis perbellè planè dixit D. Hier. de Apocalypsi, cum de illa ait: [In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ,] multa namque hisce paucis verbis: *Scio opera tua*, circa hunc Antistitem laude digna concludit Deus. Verumenimuero animaduertas oportet, quod cū scire, teste D. Thoma 1. 2. q. 112. art. 5. tripliciter contingat, nimirum, per reuelationem, certitudinaliter per se ipsum, & per coniecturas signorum, scire hic accipitur certitudinaliter, quia scientia diuina scientiā vincit nostram, iuxta illud Iob 36. [Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.] videt namque ipse martyrum, ac sanctorum omnium opera, & actiones: [En ipse H stat (dicitur Cant. 2.) post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.]

Psal. 110.

Comparatio.

Scire tripliciter contingit.

Scire quomodo hic accipiatur.

Tex. 12.

CCE dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.

COMMENTARIVS.

I OT sunt ferè apud explanatores, in hunc textum sententiæ, quot sunt in sacra pagina ostij significationes. Ostium namque apud sacram Scripturam multa planè significat. Primò enim demonstrat Christum, iuxta illud Ioa. 10. [Ego sum ostium.] & Apoc. 4. [Apertum est ostium in cælo.] hoc est, Christus manifestatus est in Ecclesia. Ipse insuper est porta cæli Gen. 28. Porta templi 3. Reg. 6. Porta orientalis templi Ezechielis 40. Secundò significat etiam ostiū plagam lateris dextri ipsiusmet Christi, iuxta illud 3. Reg. 6. [Ostium lateris medij in parte erat domus dexteræ.] Ex aperiK tione huius ostij nostræ salutis sacramenta abunde dimanarunt. Et ad hoc ipsum spectat illud Gen. cap. 6. [Ostium autem arcæ pones ex latere.] Porro ostium significat fidem secundum illud Gen. 18 [Occurrit in occursum eorum Abraham de ostio (id est, de fide) tabernaculi sui,] in quo planè ostio visi fuerūt tres viri, quia illud ostium erat fides Trinitatis. Et etiam secundum illud Iud. 6. [Et appropinquas Abimelech ostio (nimirum fidei) ignem supponere nitebatur.] Quamobrem ostia templi exterioris, de quibus extat mentio Ezech. 4. fidem per quam est ingressus in Ecclesiam defi-

Explanatio contextus. §. 1. Ostij varia significatio. Ostium Xps.

Orig. sup. Gen: hom 2. & sup. Matth. hom. 1. Basi. de Spiritu sancto & Hieron. sup. Ezech. 40. Aug. sup. Ps. 126. Greg. 6. Moral. 2. Ostium vulnus lateris dextri Xpi. Orig. sup. Isa. hom 4 Aug. lib. 5. de ciuitat. Dei. 15. & 11. contra Faustum. Rup. sup. 3. Reg. 10.

designat. Et quia duo indicant dilectionem Dei, & proximi: & insuper vtrumque ostium erat duplex, designat fidem cum operibus, & patientiam, & benignitatem in amore fraterno. Praeterea ostium aliquando appellatur daemon, Hinc Iob. 38. de illo dicitur: [Et ostia tenebrosa vidisti.] Rursus ecclesia Dei, ostium nuncupatur in sacro eloquio, vt est illud Cant. 8. [Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.] & Act. 14 [Quia aperuisset gentibus ostium.] & Prou 8 [Et obseruat ad postes ostij mei.] Contemplatio itidinem ostium nuncupatur, vt est illud Ezech. 8. [In visione Dei iuxta ostium interius.] idest, in visione aeterna. Significat etiam ostium sacram scripturam, iuxta illud. 2. Cor. 2. [Ostiũ mihi apertum est in Domino,] idest, per Christum; Sacra namq; scriptura tunc aperitur, cum eius intelligentia hominibus communicatur per Christum, qui est ostium iuxta illud Ioan. 10. [Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro] Hinc Christus discipulis suis aperuit illis sensum (vt dicitur, Lucae 24.) vt intelligerent scripturas: tunc vero clauditur, cum eius intelligentia hominibus non communicatur per Christum, vt accidit daemonibus, & haereticis, ac infidelibus, de quibus omnibus intelligitur illud Lucae 11. [Iam ostium clausum est.] Non enim potestate aperiendi sacram Scripturam alicui vti licet, nisi per Christum. Item significat cor audientium, iuxta illud Apoc. 3. [Ecce sto ad ostium, & pulso.] & 1. Cor. 16. [Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.] Significat insuper portam regni caelestis, iuxta illud Exod. 15. [Offert cum dijs, & applicabitur ad ostium.] Idest erit subiectum praelatis, à quibus instruetur, & sic erit dignum intrare ad regnum caeleste, & ad hoc ipsum expectat illud Apoc. 4 [Post haec vidi, & ecce ostium apertum in caelo.] Significat ad huc praedicatores, iuxta illud Iob. 38. [Et posuit vectem, & ostia,] hoc est, Deus pater ad mundana corrigenda vitia misit Christum, & praedicatores. Denique ostium significat carnis desideria iuxta illud Iob. 3. [Non conclusit ostia ventris qui portauit me:] id est, non vitauit voluntatis, & carnis desideria, quae me peccato exposuerunt.

Ostiũ satanas Hier. 5. Iob. 38 & 5. Ps. 9. Ostium Ecclesia. D. Aug 5. Ps. 77. D. Greg. 5. Eze. hom. 19. Hier. 5. Ier. 21. Amb. 5. Psal. 118. Ostium contemplatio. Ap 5. 3. Reg 14. Chrysost. 5. Ioan. ho. 58. Orig 5. Leui. hom. 1. & 5. Matt hom. 1. D. Greg. 28. mor. 18. & 19 Ambro. 6. de Sacr 5. & 4 de fide 2. D. Hier 5. Isai. 3. 26. & 5. Eze 44. & ad Aglasiam Ostium cor. D. Aug. sup. Psal 51. Ostiũ ianua caeli. Orig 5. cant. hom 3. Rich de S. Victore 4. de arca mysterio. D. Greg. 5. mor. 26. D. Hier. 5. Psal 99.

§. 2.

Ex ijs itaque varijs ostij significationibus, originem plane trahunt, tot tantaeque, ac variae expositorum sententiae super hunc locum: [*Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere.*] Quidam enim existimant, hoc in loco, ostium significare praemium dilectionis fraternae. In hac sententia est Rupertus Abbas, qui sic vertit. [Hoc enim est praemium dilectionis fraternae, ostium coram se apertum habere, claui Dauid reserante, Spiritu sancto reuelante.] Alij vero putant, *Ostium*, hoc in loco significare veniam & poenitentiam Pro hac sententia stat Petrus Berchorius Pictauiensis, qui super haec verba, sic scribit: [Iste Angelus gerebat personam infirmorum: nam iste habet modicam virtutem resistendi, ideo Deus dat ostium apertum veniae, & poenitentiae. Illud semper apertum est pro tempore huius vitae. Sinus enim ecclesiae, qui recto est ostium paradisi, semper est apertus, & numquam pro vita ista clauditur poenitenti.] Tertia sententia est aliorum, qui tenent hic significare *Ostium*, Christum, In qua quidem opinione fuit Strabus dum in sua Glossa ordinaria sic vertit: [Ostium apertum, idest, me ipsum, qui sum verum ostium ad vitam, vnde discipuli prohibiti loqui, & caesi, dixerunt Act. 4. non possumus, quae vidimus, non eloqui.] Quae quidem sententia etiam videtur placere sancto Thom. in hisce commentarijs. Alij insuper tenent *Ostium* significare ecclesiam, quam sententiam profitetur D. Aug. hom. 3. in Apoc. scribens sic super hunc locum: [Ecce dedi ante te ostium apertum, hoc ideo dictum est, vt nullus dicat, quia ostium, quod Deus aperit ecclesiae in toto mundo, aliquis posset, vel in parte claudere.] Pleriq; porro affirmant hic [*Ostium*] significare sacram scripturam, & eius intelligentiam. Hanc viam sequuntur Primasius Episcopus Vticensis, S. Ambrosius, S. Thom. Carthusianus, Lyranus, Auctor Incognitus, Blasius Viegas, & alij ferè infiniti doctores, per

1. sententia. Ostium praemiũ dilectionis fraternae.

2. sententia.

3. sententia. Ostium Christus.

4. sententia.

5 sententia.

A [*Ostium apertum*] ingressum, aditumq; liberum ad scripturas intelligendas, praedicandasque explanantes. Postremo nonnulli alij Doctores asseuerant hic [*Ostium apertum,*] corda parata ad audiendum Euangelium Christi designare. Pro hac expositione stant Laudunensis in sua interlineari Glossa, Strabus Glossae ordinariae auctor, S. Tho Auctor Incognitus, Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez à Sancta Maria: Ex quibus omnibus explanantium sententijs, duae postremae mihi magis arrident, tanquam litterae contextus magis affines, & germanae. Quoniam Christus per suam sanctissimam mortem, ac acerbissimam passionem (inter alia pene infinita, quae nobis praestitit beneficia) Hebraeorum, Gentiumq; corda ad credendũ traxit, & velamen sacrarum scripturarum prorsus ademit, in quorum omnium fidem, velum templi à summo vsque ad deorsum induas partes tunc, vt dicitur Matthaei 27. scissum vtique fuit.

6. sententia. Ostium corda parata ad credẽdum. Laudun. Stra. S. Thom. Auct. Incog. Franciscus Ribera Iacobus Suarez.

B Quinimmo istae duae penultimae sententiae interiese sunt connexa. Cum etenim quis cor (gratia Dei) praeparat suum, ad verba Dei liberè audiendum, mox verus, ac legitimus sensus sanctarum scripturarum, pro vt proponitur à catholico concionatore, per illud quasi per ostium apertum (Deo auxiliante) ingreditur. Quamobrem concludo cum Ruperto Abbate, Christum velut amicum hunc Antistitem, secretis suis admisisse, ita vt per istam metaphoram ostij aperti coram se, sciret & intelligeret Dei arcana, & diuina mysteria: quae alij tunc scire, & intelligere nullatenus merebantur. Quadrat sane haec positio nostra cum D. Ambrosio, & Berengando, qui in hisce suis commentarijs tenent, hunc Angelum Phyladelphiae Ecclesiae, non satis fuisse in diuinis scripturis eruditum, & Christum ei multa de lege sua Euãgelica reuelasse arcana, & secreta ad Hebraeos, & Gentiles conuertendos, & ad fidem, & sanctum baptismum facilè eosdem perducendos, vt mox post metaphoram ostij aperti indicant sequentia verba: [*Quia modicam habes virtutem.*] & est ratio praeteritorum,

Cor credentium legitimum sacrarũ litterarum recipit sensum.

D. Ambr. Berengaud.

C quasi dicat: Quoniam pusillas obtines vires ad id praestandum: ego corda permulta tam Iudaeorum, quã Gentilium, quae prius erant clausa non credendo: modo parata & disposita credendo, in conspectu tuo posui, vt illa Christiana doctrina piè, ac charitatiuè pascas, ac instruas. Scindere enim corda, & illa praeparare ad fidem non est actus hominum, (quamuis fortes, nobiles, ac potentes sint) sed est actus solius Christi, qui Deus, & homo est, habens clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Quamobrem Deus solus cordium claues ad fidem obtinet, secundum quod scriptum est: [Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.] Hinc Apostolus ad Rom. 9 ait: [Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim

Connexio contex.

Nota bene.

D dixit, miserebor, cuius misereor, & misericordiã praestabo, cui miserebor: Igitur non est volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.] & paulo post haec. [Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.] Magnam itaq; & amplam huic Angelo Philadelphiae praebuit Christus occasionẽ penetrandi corda ad receptionem fidei, & auditionem Euãgelij per suam praedicationem. Quo plane ministerio ita multos ex Hebraismo. Iudaismoue, ac etiam ex gentilitate ad fidem vocabat, perducebat, & conuertebat, vt nec daemonum, nec aduersariorum astutia, suum munus in aliquo impedire, retardareuè valeret. Veluti de Beato Stephano Act. 6. subhis verbis dicitur: [Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo.] & rursus: [Et non poterant resistere sapientiae, & spiritui qui loquebatur.] De praedicatoribus siquidem verbi diuini intelligendum venit illud: [Non estis vos

Conuertere peccatores & infideles ad fidem est solius Dei.

Sanctis viris quos Deus sua gratia & sapientia munit nullus resistere praua let.

E qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.] & illud: [Ego dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.] Optimè igitur dicitur huic pastori Euangelico: [Ecce dedi coram te ostium apertum,] id est, corda parata ad audiendum Euangelium. [Quod nemo potest claudere,] hoc est, quae nemo rapere poterit de manu mea, impediendo talem auditionem Euangelij. Hoc autem feci. [Quia tu modicam habes virtutem,] ad corda fidelium

delium scindenda, vt fidem recipiant. Cum iste sit actus solius clauigeri, clauem Dauid, putà maiorem clauem, hoc est, excellentiæ clauem, habentis, de quo Ioan. 10. dicitur: [Ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim & educit eas.] Et quia Præsul iste inter tot angustias, minas, terroresque inimicorum, firmissima, immobilisque columna semper extitit, & scutum fidei nullatenus fregit, quinimmo ille hostium Ecclesiæ dira tela miruminmodum & obtudit, & confregit: ideo in eius laudem sequitur in textu: [*Et seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum.*]

PARAPHRASIS Prima.

Par. 1. Enucliatio tex.

Ostium (ait) apertum, quod nemo potest claudere. Tria hic tanguntur. Primum quidem, multitudo credentium. Quamuis enim in hac metaphora, vnum dumtaxat recenseatur ostium apertum, tamen per illud vnum ostium, plurima intelliguntur corda ad fidem recipiendam parata & prompta, & Dei præueniente gratia optimè disposita. Hinc Apostolus 1. Cor. 16. ait: [Per manebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten: ostium enim mihi apertũ est magnum & euidens, & aduersarij multi] & iterum 2. Cor. 2. [Cum venissem autem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in domino, &c.] vtrobique enim nomine vnius ostij parati, multorum credentium corda exprimuntur, quæ planè vnũ ostium apertum appellantur, eò quod vnitate fidei aperta, ac omnino scissa extitere. Fides namque vna dumtaxat est, secundum quod scriptum est: [Vna fides, vnum baptisma,] cuius vnitate plurimorum corda vnà coniunguntur in Ecclesia, ac inter sese fideliter copulantur.

§. 1. Tria notãda.

Prim. & Franciscus Titelmanus in Epistolam Pauli ad Corinth.

§. 2. Secundum vero quod hoc in loco attingitur, est gratiarum diuisio. In primitiua namq; Ecclesia Apostolis suis, ac etiam Episcopis Apostolorum successoribus gratiarum dona ad infideles ad fidem perducendos, clargitus fuit Christus, secundum quod scriptum est ad Eph. 4. [Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.] Et paulo post: Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, &c.] Et ad Rom. 12. [Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, &c.] & tandem 1. Cor. 12 [Diuisiones gratiarum sunt, &c.] & Paulo post [Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis pro vt vult.] Huic autem Angelo Philadelphiæ dedit Deus in primitiua Ecclesia intelligentiam scripturarum. Per hanc etenim metaphoram ostij aperti, patefecit Deus huic Angelo ingressum ad intelligentiam scripturarum, quam illi elargitus misericorditer fuit, mentẽ suam, claritate scientię salutaris illuminando, vt plerosque ex Iudaismo, & ex Gentilitate ad fidem & sanctum perduceret baptismum. Diuisio etenim gratiarum, qua apprimè floruit in primitiua Ecclesia, ad hoc sane dirigebatur, putà, ad infideles ad fidem multifariè, multis que modis perducendos. Quidam enim eorum miraculis, quidam gratia sanitatum, quidam interpretatione sermonum, quidam vero aliter, credere conuincebantur. Et nunc etiam, hoc nostro sæculo, adducere fidelium animas ad Deum, & ad veram doctrinam, sanctitatem, & religionem, est procul dubio singularis gratia Dei prædicatoribus Euan-

Gratiarum diuisio maximè floruit in primitiua Ecclesia.

Gratiarum diuisio ad quid.

F gelij facta. Sunt etenim eorum plerique qui malè viuunt & benè verbum Dei seminant. Et alij etiam qui benè viuunt, & melius Dei arcana populo fideli publica concione patefaciunt. Solet namq; Christus prædicatoribus verbi Diuini (& præcipuè amicis suis) intellectum sæpe dare, vt suum sacrum intelligant, & enodent eloquium. Hinc Dauid de illo dixit: [Intellectum dat paruulis.] & rursus: [Linguas infantium facit disertas.] Huius rei typus fuit sanctus ille Patriarcha Iacob, qui ingrediens Mesopotamiam lapidem à mouit, quo os putei claudebatur, vt Rachel ouibus suis potum daret, ita namque dicitur Gen. 29. [Iacob venit in terram orientalem, & vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum, nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur.] & paulo post: [Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat, quam
G cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesq; Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur.] Perinde planè, Christus est ille verus Iacob, qui amouit lapidem, hoc est, enucleat prædicatoribus suis sacram Scripturam, difficultatibus ferè infinitis prorsus refertam, vt ipsi tamquam veri pastores potum dent ouibus suis, de quibus ipse dixit Petro: [Pasce oues meas.] Quarum etiam custodiam, ac pascuam suscipiunt seminatores verbi Dei, dum prædicationis munere funguntur. De quibus planè prędicatoribus expendi vtique potest illud Isai. 12. [Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris.]

Prędicatores quomodo sic homines ad Deum perducant.

Sensum scripturarum prędicatoribus suis da Deus.

Lapidem difficultatis all quando amouet Christus.

Tertium autem, & postremum, quod hic tangitur, est magna vis, & omnimoda potentia Christi ad suos defendendos credentes. Illud enim quod ipse Christus Ioan. 10. indicare voluit per illa verba: [Et non rapiet
H eas quisquam de manu mea] hoc ipsum planè ipsemet hic significare contendit, dicens: [Quod nemo potest claudere.] quasi dicat, corda quæ ego coram prædicatoribus meis proposui ad audiendum Euangelium, & verbum meum, nemo mortalium poterit impedire quin audiant. Hinc facilem procul dubio exhaurimus causam, & rationem, ob quam, quamuis Martha querælam aduersus sororem suam ad pedes domini stantem, effor maret dicens: [Dic illi, vt me adiuuet.] Nequiuit illam ab auditione tanti boni in aliquo impedire: quinimmo dominus Magdalenæ opem ferens, mox Marthæ verba retusit dicens. [Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.] Perinde ac diceret: Ego aperui illi ostium, quod nemo mortalium claudere poterit. Quamuis, porro Anania aduersus Saulum Act. 9. in hæc verba feruentius prosiliret: [Domine audiui à multis de viro hoc quanta mala fecit sanctis tuis in Ierusalem.] Mox
I Christus eius feruorem retundens, ait in defensionem Sauli. [Vade quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.] Et quanquam insuper Pharisei Ioan. 8. cæcum illum à natiuitate, quem luto ex sputo facto, extemplò curauit Christus, increparent ne in illum crederet, tamen ipse videndo Christum, mox in hæc verba prorupit: [Credo Dominem,] in signum, quod quando ipse Christus cor alicuius credentis dignatur aperire, nemo mortalium illud claudere potest. Meritò planè nuper, in explanatione contextus diximus, solum Christum esse clauigerum nostrarum animarum & obtinere claues cordium ad credendum, quæ solus ipse misericorditer scindere crebrò solet. Corda etenim dura (vt alter cor Pharaonis) non credendo, quis quæso scindere & infrustra omnino
K redigere valebit vnquam, & eadem ad fidem recipiendam humiliter præparare poterit, nisi ille qui solus ita aperit ostium, vt nemo inposterum claudere queat? Quis rogo Samaritanam mulierẽ, Chananæam, Magdalenam, Dimam latronem, & Matthæum, ad fidem, & veritatem perducere poterat, nisi solus Dominus noster Iesus Christus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit?

§. 3.

Notabene circa diuinam prædicationem verbi Dei.

Querimonia Marthæ in sororem suã Magdalenam retunditur à Christo.

Lucæ. 10.

Cum Deus aperit cor hominum ad credendum, nemo illud claudere potest.

Virtus Christi ad corda hominum emolienda.

PA-

Par. 2.

PARAPHRASIS Secunda.

Eliminatio Tex.

Quia modicam (*ait*) habes virtutem. Semper Deus contemptibilia huius mundi elegit vt fortia quæque confundat. Scriptum ſiquidem eſt 1. Cor. 1. [Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, Vbi ſapiens? Vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? Non ne ſtultam facit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus, per ſapientiam Deum: placuit Deo, per ſtultitiā prædicationis ſaluos facere credentes. [& paulo poſt hæc.] Videte vocationem veſtram fratres, quia nō multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.] Hinc indies canit eccleſia: [Deus, qui infirma mundi elegis, vt fortia quæque confundas, &c.] Propter igitur hanc eandem cauſam noſter Archipropheta Ioãnes puſillanimitatem, exiguamque naturam, vim ac virtutem imbecillem huius Antiſtitis Philadelphię, hoc in loco, patefacit, dum de illo inquit: [Quia modicam habes virtutem.] Intelligendo per modicam virtutem, imbecillitatem connaturalem eius.

Imbecillitas Epiſcopi Philadelphiæ.

§. 2. Verumenimvero, nec vna, & æqualis eſt dominorum doctorum, ſanctorumque Patrum in hunc contextum enodatio. Quoniam (vt verum fatear) tot ſunt in hunc locum explanatorum ſententiæ, vt vix (aut ne vix quidem) eius germanum, ac legitimum ſenſum liquidè exhaurire quis facilè queat. Quoniam Auguſtinus per modicam virtutem, modicam fidem eccleſiæ intelligit. Sic etenim ſcribit Hom. 3. Apoc. [Quia modicā, &c. Laus eſt Dei quod Deus modicæ fidei Eccleſiæ aperiat oſtium.] Cui planè ſententiæ Primaſius eius diſcipulus ſe ſubſcripſit dicens. [Quod autem dicit puſillas habes vires, &c. cauſam oſtendit, quod propterea hæc dona promeretur Eccleſia, quia non ſuis viribus fidit, ſeq; confitens paruas vires habere, non in ſe, ſed in domino redempta gloriatur.] Sic ille. Gloſſa porro ordinaria ſic exponit: [Meritò dedi, quia apertè non poteras habere perte, quia modicam habes virtutem.] Gloſſa vero interlinearis duas adfert expoſitiones. Prima eſt ad, ly [modicam.] ſuperimponens [modicam comparatione futuræ, vbi nullus labor.] Sequuntur hanc Gloſſam, S. Thom. & Auctor Incog. Lyranus autem gratiam interpretandi, & intelligendi ſacram ſcripturam appellat modicam, reſpectu gratiæ miraculorum, quæ non data fuit huic Epiſcopo: quemadmodum alijs quā plurimis coepiſcopis illius ſæculi: Sic enim ſcribit. [Quia modicam habes virtutem, quaſi dicat, quia non dedi tibi gratiam miraculorum ſicut multis alijs Epiſcopis illius temporis, recompenſaui tibi in intellectu ſacrarum ſcripturarum excellenti: [Ita ille. Petrus insuper Berchorius Pictauienſis, intelligens per oſtium pœnitentiam (vt dixi) ex conſequenti per modicam virtutem, intelligit modicam virtutem infirmorum reſiſtendi vitijs & peccatis. Præterea Franciſcus Ribera, & Iacobus Suarez à ſancta Maria, per modicam virtutem, non fidem, vel aliquem habitum animi intelligunt, ſed robur, & poteſtatem corporis, quaſi dicant: Licet viribus imbecillis ſis & infirmus, tamen quia fortiter & viriliter te geſſiſti in confeſſione nominis mei, ego hoc tibi præſtiti beneficium vt oſtium coram te apertum darem. Alij ad huc aliter exponunt.

S Aug. hom. 3. Apoc.

Prim. lib. 1. Apoc. cap. 3.

Laud. in ſua Gloſ. interl.

§. 3. Cæterum cum locus iſte, [Modicam habes virtutem,] ſimilis ſit prorſus illi alteri (vt dixi) Apoſtoli: [Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt, &c.]

A Ex illo, facilè deducitur quid Ioannes per [Modicam virtutem,] velit annuntiare. Conſtat autem quod Paulus vbi ſupra, per [ſapientes,] intelligit phyloſophicis litteris exercitatos. Quia pro maiori parte, vocati ad promulgandum Euangelium, erant illitterati, & ſimplices. Vnde de Petro, & de Ioanne dicitur Act. 4. [Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quod homines eſſent ſine litteris & idiotæ, admirabantur, &c.] per [Non multi nobiles,] intelligit ruſticos deplebe humili. Dicit item [Non multi nobiles,] ad diſtinctionem aliquorum ſapientium, litteratorum, nobilium, ac potentium, qui à principio crediderunt, vt Nicodemus, Gamaliel, Paulus, & Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus: Licet enim hi pauci, eſſent ſapientes, & nobiles, tamen pro maiori parte, primi credentes fuerunt ſimplices, & illitterati, ne fides humanæ attribueretur induſtriæ, vel potentiæ. Per [Non multi potentes,] intelligit pauperes, victum proprijs manibus acquirentes. Hæc igitur omnia, quæ Paulus
B longa verborum intercapedine narrat, vnico verbo comprehendit noſter Archipropheta Ioannes, hac vnica dumtaxat dictione: [Quia modicam habes virtutem.] Per inde ac diceret. Oſtium tibi aperui ego, eò quod tu ex te ipſo parum potes, atq; adeò, vt niſi ego illud aperuerim, id tuis viribus præſtare nullatenus poteris. Ex qua oſtij apertionis ratione & cauſa, liquidè conſtat peruetus ſemper extitiſſe conſilium Dei (vt dixi) infirma mundi eligere, vt fortia quæque confunderet. Idcirco nullatenus mirum alicui erit, ſi ad ſuperbum Goliath confundendum elegit puerulum Dauid: ad induratum Pharaonem multandum, humilem Moyſen: ad Regem Olophernum iugulandum, fragilem mulierem Iudith: ad Phyliſtæos interficiendos, mandibulam aſini, quam adinuenit Samſon: ad primam vocem
C Euangelij dandam temporibus Cæſarum, Auguſti, & Tiberij, Imperatorum, pœnitentem Ioannem Baptiſtam: & denique (vt vnico verbo multa concludam) ad vniuerſum orbē fide cōuertendum, ac cruce propagandū, indoctos, & illitteratos accepit piſcatores, quos in Apoſtolos elegit, vt dicitur Lucæ 6. [Elegit duodecim ex ipſis quos & Apoſtolos nominauit.] Quibus vtique, poſt reſurrectionem ſuam dixit: [Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturę, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. [Qui mox à conſpectu ſuo egreſſi, & aduentu Spiritus ſancti omnino illuminati, fuerunt velutí ſagittæ potentis, omnem terram fide, & cruce ſagitantes, de quibus ad litteram olim dixit Pſalmiſta.] Sicut ſagittæ in manu potentis ita filij excuſſorum,] id
D eſt, filij prophetarum, nimirum Apoſtoli. Qui prophetarum filij appellantur, iuxta illud quod idem Pſalmiſta in ſpiritu dixit Chriſto tunc venturo: [Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.] Cur autem prophetæ nuncupentur excuſſi, legito Incognitum. Concludendo itaque aſſerimus, quod nulla apud Deum valet excuſatio imbecillitatis, vel infirmitatis humanæ, quominus opus ad quod tenemur, aggrediamur, ipſe enim noſtram ſupplet modicam virtutem.

Diluitur locus Apoſtoli.

Idiotæ cur primi promulgatores Euangelij.

Peruetus conſilium Dei.

Conuerſio & bisper apoſt.

Pſal. 126.



Cce dabo de Synagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt: ſed mentiuntur: Ecce faciam
E illos vt veniant, & adorēt ante pedes tuos & ſcient, quia ego dilexi te.

COMMENTARIVS.



Hriſtus Dominus, diues in omnes, qui inuocāt illum, à quo omne datum aptimum, & omne donum perfectū eſt, deſcendens ab ipſo tā quā a patre luminū, qui ſeruis ſuis (prout parabolicè habetur Matth. 25.) talenta ſua (nimirum bona naturæ, fortunæ, & gratiæ) elargiri ſolet, aliquando in

Explanatio contextus. §. 1.

crepan-

crepando non ponentes ad lucrum talenta sibi commissa, vt videre licet in seruo illo, qui abiens fodit in terra, & abscondit pecuniam, cui dictum fuit [Serue male, & piger, &c.] aliquando vero laudando lucrantes talenta, vt etiam liquet in seruo illo qui talenta sibi à Domino elargita, emendo, vendendo, negociando, permutando, vel mutuando pecuniam ad vsuram (vt mercatores faciunt) multiplicauit, cui dicitur:] Ecce serue bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam intra in gaudium domini tui.] Idemmet huic Episcopo bona sua, & præcipuè gratiæ (inter quæ est sapientiæ, intellectuiq; donum) tradidit, dans illi ostium apertũ, quod nemo claudere posset. Et quia hic non fuit piger, timidusue, vt seruus ille malus, sed diligens & ingeniosus, vt alter ille seruus fidelis, seruans in aduersis verbum Christi, & non negans in angustijs eiusdem saluatoris nomen, ideo ipsemet Christus talem laudans, præmians, & honorans seruum fidelem, ait illi: [*Ecce dabo de Synagoga satanæ.*] Quasi dicat, Quia fide, prudentia, ac diligentia erga infideles de Diœcesi tua, talis, ac tantus es, & præcipuè erga Iudæos, qui illic vitam agunt, quorum congregatio synagoga satanæ pro nunc à me nuncupatur: eo quod post resurrectionem meam, & ascensionem ad cælos, & prædicationem Apostolorum meorum, in sua adhuc manent infidelitate: Id propterea ego faciam, vt plerique ex ipsis Iudæis per prædicationem, & ministerium tuum, dimissa procul infidelitate conuertantur, ad fidem se subiugando, & pareant tibi. (adde tamen [aliquos] ita vt legas, [Ecce dabo tibi aliquos de synagoga satanæ.]) Et quia Hebræi à Iuda Patriarcha, cuius fit mentio Gen. 49. à quo descendit Christus secundum carnem: quem negauerunt Hebræi, dum Ioan. 9. dixerunt.] Hunc autem nescimus vnde sit,] qua propter ex tunc Hebræi hoc nomen [Iudæi] perdiderunt: Id propterea post quam Christum negauerunt non remansit in eis res huius nominis [Iudei] quinimmo ad Christianos confitentes Christum de tribu Iuda in carne venisse, translata prorsus fuit. Non enim valet modo circumcisio in carne testante Apostolo, ad Rom. 2. iuxta quam Hebræi olim Iudæi nuncupabantur: Sed tantum valet circumcisio in spiritu: secundum quam baptizati, Christiani appellantur. Qua de causa nunc Hebræi, vocantur Iudæi quantum ad apparentiam, non vero quantum ad existentiam. Quia res significata per hoc nomen [Iudæi] non existit in illis, sed in Christianis dumtaxat per confessionem aduentus Mesiæ de tribu Iuda. Ideo post quam Hebræorum congregationem, synagogam satanæ appellauit, mox subiungit: [*Qui dicunt se Iudæos esse & non sunt.*] Et quia Hebræi negant Christum in carne iam venisse ex tribu Iuda, & Apostolus Ioannes 1. Canonica cap. 2. mendaces appellat, negantes Iesum, non esse Christum, id propterea in textu protinus additur [*Sed mentiuntur.*] Porro, vt Præsul iste intelligeret qualiter, & quomodo hos plerosque hæbreos, Christus sibi daturus esset conuertendos ex Iudaismo ad fidem, & sanctum baptisma per eius ministerium, ait: *Ecce faciam illos vt veniant*] (adde, ex Iudaismo ad Christianismum, vel ex infidelitate ad fidem sanctissimæ Trinitatis, vel ex tenebris ad Lucem) colla fidei submittendo. Et quia venientes ex infidelitate ad fidem humilitatem prorsus amplecti debent, addit [*Et adorent ante pedes tuos.*] Idest, faciam, vt adorent Deum vnum & trinum ante pedes tuos, hoc est, proni in terra in conspectu tuo: veluti Ioseph adorauerunt fratres sui Gen. 45. sic adorabunt isti in conspectu tuo humanitatem assumtam, verbo diuino hipostaticè vnitam: quod quidem mysterium tu, mea gratia, illis pandes. Vel faciam, vt adorent te, idest, te venerentur in reuerentiam ecclesiasticæ potestatis, quæ est in te: ob quam ad pedes tuos procident parati facere quicquid iusseris. Vel, (vt ait Glossa ordinaria,) parati imitari opera tua per similitudinem humilitatis suæ. Talis namq; est humilitas conuersorum iuxta illud Isaiæ. 60. [Adorabunt vestigia pedum tuorum.] Et tunc *Scient*, per illuminationem fidei. *Quia ego dilexi te* id est, Ecclesiam. Vel, *te* & Ecclesiam, cuius es membrum. Hebræi namque extra positi, vt ait Strabus in Glossa ordinaria, non crediderunt Deum diligere Ecclesiam, quam permittebat affligi, quod nunc facient fidè dilectionis, &c. Præterea mali dũ se rosis coronant, non intelligunt Deum diligere bonos, quos permittit tentationibus, tribulationibusq; affici: quod plane intelligent dum procul dimisso dolo, ac depulsa fraude dicent illud, Sap. 5. [Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est.] Et tunc huiusmodi mendaces [*Scient, quia ego dilexi te*] puta; confitebuntur, pleno ore, Deum dilgere Ecclesiam suam, quam tibi ego commisi. Et intelligent tunc clarè, & apertè te veracem, & pium, Deoq; apprimè carum fuisse: Quem ego ad tantam abundantiam gratiæ gratum facientis, ac gratiæ gratis datæ promoui, ita illuminaui, Episcopum ordinaui, aliorumq; pædagogum constitui. Cum etenim diligere sit alicui bonum velle, hos diligit Deus quos ad bona gratiæ, donaq; gloriæ præordinauit.

Apostrophe ad Episcopũ Philadelphiæ.

Hebræorum conuersio ad fidem orthodoxam.

Humilitas venientium ad fidem.

Malorum error maximus circa bonos.

Hebræorum resipiscentia vultu.

Rom. 8.

Lucæ. 12.

§. 2. Ex serie huius contextus collige primò, quod quamuis prædicatorum labor sæpius inanis esse videatur, numquam tamen Deus patitur verbum suum ita omnino carere fructu, vt nullus ad eius auditum resipiscat, & à vijs suis prauis minimè conuertatur. Quinimmo crebrò accidit, vt qui prius satanæ ministri ad impugnandam veritatem videbantur, audito Christi verbo, mox subita mutatione meliorem viam ita amplectantur, & ad Dominum ita conuertantur humiliter, vt verè de illis expendi queat illud Psalmistæ: [Hæc mutatio dexteræ excelsi.] Hinc dominus ipse per Isaiam in cap. 55. dicit: [Verbum quod egredietur de ore meo non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumq; volui, & prosperabitur in ijs ad quæ misi illud.]

§. 3. Corollarium secundum. Secundo colligito, verbum prædicationis, quãdo proficit, hoc habere à Deo. Idcirco Dominus ad Ieremiã suum antiquum Hebræorum concionatorem in cap. 1. dixit: [Ecce dedi verba mea in ore tuo.]

§. 4. Episcopus bonus & sanctus gloria & gregis sui honor. Tertio, & postremo collige, maximam vtilitatem, ingensq; commodum, ac summum bonum subditorum esse, (quamuis illi mali & indomiti sint) sanctum, ac Deo carum & acceptum obtinere Antistitem, cuius interuentionibus, concionibus, precibus, & meritis, & praui sibi subditi ad pœnitentiam faciendam trahantur, & afflictæ omnes oues sibi creditæ, omnino in dies piè, & misericorditer consolentur. Quoniam ipsummet Christum, huic Antistiti sancto & deuoto possumus etiam asserere, sic affari. Ne contristeris aut perturberis pro multitudine aduersantiũ tibi, gloriam.n. tuã, quam habes in apertione ostij quod aperui tibi, sequitur inuidia, sed ne timeas; & mihi maximè ita contigit, cum intelligerem, iuxta quod per prophetam dictum est. [Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valde], dicebant interse, [vnde litteras scit, cum nõ didicerit?] [Nonne hic est filius fabri?] [Vnde huic hæc omnia?] Enimvero tu, ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum. Conuertentur aliqui ex eis cũ fatigati fuerint, cessabunt detrahere, & fauebunt tibi; ita vt venient, & adorent ante pedes tuos, si non interim dum viuis, attamen certè dum mortuus fueris.

Isai. 52.

Matth. 13.

P A R A P H R A S I S   Prima. Par. 1.

Dilucidatio textus. §. 1.

Dabo (ait) de synagoga satanæ. Donum quippe Dei est, cum aliquis conuertitur ad fidem. [Hoc est opus Dei (dicitur Ioan. 6.) vt credatis in eum, quem misit ille.] Et paulo post: [Nemo potest venire ad me nisi pater meus, qui misit me traxerit eum. [Venire autem ad Christum est credere in ipsum: vel conuerti ad fidem. Nemo autem potest conuerti ad fidem, vel credere, nisi fidem & spiritum sanctum à Deo accipiat, Fides

des etenim Dei donum est. Hinc sanctus Tho. 2. 2. q. 2. A art. 1. sic scribit: [Ad fidem duo requiruntur quorum vnum est, vt homini credibilia proponantur, quod requiritur ad hoc, vt homo aliquid explicitè credat, aliud autem quod ad fidem requiritur est assensus credentis ad ea, quæ proponuntur. Quantum ergo ad primum horum, necesse est, quod fides sit à Deo. Ea enim, quæ sunt fidei excedunt rationum humanam, vnde non cadunt in cognitionem hominis, nisi Deo reuelante. Sed quibusdam quidem reuelantur immediatè à Deo sicut sunt reuelata Apostolis, & prophetis, quibusdam autem proponuntur à Deo mittente fidei prædicatores secundum illud Rom. 10. Quomo prædicabunt nisi mittantur. Quantum vero ad secundum, scilicet, ad assensum hominis, in ea quæ sunt fidei, potest considerari duplex causa, vna quidem exterius inducens, sicut mi- B raculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem, quorum neutrum est sufficiens causa. Videntium enim vnum, & idem miraculum, & audientium eamdem prædicationem quidam credunt. Et ideo oportet ponere aliam causam interiorem, quę mouet hominem interius ad assentiendum ijs, quæ sunt fidei. Hanc autem causam Pelagiani ponebant solum liberum arbitrum hominis, & propter hoc dicebant, quod initium fidei est ex nobis in quantum scilicet ex nobis est, quod parati sumus ad assentiendum ijs, quæ sunt fidei Sed consummatio fidei est à Deo, per quam nobis proponũtur ea, quæ credere debemus. Sed hoc est falsum. Quia cum homo assentiendo ijs, quæ sunt fidei eleuetur supra naturam suam oportet quod hoc in sit ei ex supernaturali principio interius mouente, quod est Deus. Et ideo fides quantum ad assentiendum, qui est principalis actus, est à Deo interius mouente per gratiam.] Hucusq; C S. Thom. Solus igitur Christus est, qui potest infideles ad fidem, & ad se conuertere. Ideo hic ait: [Ecce dabo de synagoga satanæ.] Hoc est, ecce ego conuertam aliquos de synagoga satanę. Hinc Dauid ait. [Conuerte nos Deus salutaris noster,] & Sponsa: [Trahe me post te:] & Apostoli: [Domine adauge nobis fidem.]

Duo requisita ad fidem.

Hereticorũ lapsus.

Cant. 1.

Luc. 17.

§. 2.

Theologorũ communis doctrina.

Agens omne propter finẽ agit.

Comparatio.

Communis autem est hæc doctrina inter scholasticos doctores, qui omnes illam apprimè profitentur cum Magistro, in 3. lib. sent. dist. 23. & cum S. Tho. 2. 2. q. 2. art. 1. Et quod solus Deus possit homines infideles ad se conuertere, est ratio euidens Eo quod omne agens agit propter finem: & omnis causa conuertit suos effectus in suum finem: & ideo cum secundum ordinem agentium, siue mouentium sit ordo finium, necesse est, quod ad vltimum finem conuertatur homo per motionem primi mouentis: ad finem autem proximum per motionem alicuius mouentis inferioris. Sicut animus militum conuertitur ad quærendum victoriam, quæ est vltimus finis belli ex motione ducis exercitus, quia ille totum exercitum disponit ad hoc, quod victoriam consequi possit, quæ est totale bonum, & vltimum belli. Consequi autem vel capere vexillum alicuius aciei hostilis, non est finis totalis belli, cum sit pars quædam victoriæ. Et ideo est finis proximus quem intendit tribunus propositus alicuius aciei, cuius finis est superare oppositam aciem, & capere vexillum illius; ideo animus militis, qui est sub tribuno mouetur ad capiendum vexillum oppositæ aciei, quod est finis proximus ex motione tribuni, & non ducis exercitus. Ita igitur cum Deus sit primus mouens, simpliciter ex eius motione sola prouenit, quod omnia entia conuertantur in ipsum secundum communem intentionem bo- E ni per quam vnum quodq; intelligit similari Deo secundum modum suum. Eo quod assimilari Deo est maxima perfectio cuius libet rei: Nam summum bonum suum participant. Sic Deus simpliciter est summum bonum: Eò quod continet totam naturam bonitatis, & ideo omnia per participationem illius efficiuntur bona, & ingradu maximo competentis bonitatis sibi constituuntur. Quem gradum cum attingerint dicuntur as similari Deo, quia participant bonitatem eius. Et quoniam ista participatio est simpliciter vltimus finis omnium entium, necesse est, quod ad istam participatio-

Creaturæ quando dicũtur assimilari Deo mem. ori

nem moueantur à solo primo motore simpliciter. Illa autem est Deus; ideo à solo Deo mouentur omnia ad hoc. Vnde dicit Dionysius lib de diuinis nominibus quod Deus conuertit omnia ad se ipsum: Sed homines conuertit ad seipsum sicut ad specialem finem, quem intendunt, & cui cupiunt adhærere sicut primo bono iuxta illud Ps. 72. [Mihi autem adhęrere Deo bonum est,] Ideo quod homo conuertatur ad Deum non potest esse nisi, Deo ipsum conuertente ad se, quamobrem in textu Christus ait: [Ecce dabo de synagoga satanæ.] hoc est, ecce ego conuertam aliquos Hebræos ad me: & ad fidem meam. Hinc optimè ait Apostolus 1. Cor. 3. [Ego plantaui, apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.] Possunt namq; Apostoli, & prædicatores plantare rigare, &c. Solus autem Deus incrementum dat: [Sine me (inquit Christus Ioan. 15.) nihil potestis facere.] & Psalmista: [Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ędificant eam.] Ecce igitur (ait dominus huic Antistiti) dabo tibi aliquos de synagoga satanæ.

Aduertas autem, quod quamuis credere, vel conuersio alicuius ad fidem, sit opus Dei, nihilominus tamen est etiam opus nostrum. Credere namq: vel conuertere se aliquem ad fidem opus est nostrum voluntarium simul & diuinum. Quod autem credere sit opus diuinum patet ex superioribus. Quod vero sit opus nostrum voluntarium probatur. Quia credere in Deum, est credendo confidere, seu tendere in Deum, quod continet in se actum Intellectus, & voluntatis, vt videbitur in sequenti disputatione. Porro quod conuertere se aliquem ad fidem sit opus Dei constat Psal. 79. [Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus] & Zachariæ 6.] Conuertam eos (ait Dominus) & miserebor eorum & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos,] & Ieremiæ 31. [Conuerte me, (ait peccator ad Deum,) & conuertar, quia tu dominus Deus meus es, postquam enim conuertisti me egi pœnitentiam.] Et Thren. 5. [Conuerte nos domine ad te, & conuertemur.] Quod vero sit opus nostrum voluntarium apparet ex illo Ier. 14. [Conuertere Israel ad dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.] & Zach. 1. [Conuertimini ad me, ait dominus exercituum, & conuertar ad vos.] & ibidem [Conuertimini de vijs vestris malis.] & Malachiæ 3. [Reuertimini ad me & reuertar ad vos.] & Psal. 7.] Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum.] & 1. Reg. 7. [Si in toto corde vostro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri.] & Isai. 19. [Reuertentur Ægyptij ad dominũ & placabitur eis, & sanabit eos.] & Lucæ 15. [In se autem reuersus dixit: quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus ego autem hic fame pereo, surgam et ibo ad patrem meum.] Quãuis itaque Christus in textu dicat: [Ecce dabo de synagoga satanæ,] hoc est, [Ecce conuertam aliquos Hebręos.] quibus verbis talis conuersio videtur esse solius Dei, cum ipse dicat. [Ego dabo,] nimirum, ego conuertam. Tamen talis conuersio est etiam voluntaria, ob assignatam rationem. Quamobrem Christus Ioan. 6. non dixit: [Nemo venit ad me nisi pater meus (cogat) eum,] sed ita, [Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.] cuius rei ratio vtique est: Quoniam talis attractio non est violenta, sed voluntaria. Quemadmodum cum aliquis eximius prædicator, doctor, medicus, artifex, aut orator, homines tam de infima plebo, quam nobilitate perillustres non vi, sed doctrina ad se attrahit, vt legimus de Paulo in sacra pagina, de Orpheo apud poetas, de Pericle apud philosophos, & de Apelle apud Ethnicos: Attrahimus insuper ouem ramo viridi, canem pane, puerum nuce, & generaliter trahit sua quemq; voluptas, non vi, sed voluntariè. Pari etiam modo Deus beneficijs, promissis, manifestatione veritatis, flagellis, &c. homines ad se non coactè, sed voluntariè attrahit.

§. 3. Actus fidei est opus diuinum & nostrum.

Conuersio ad fidem est opus diuinum & nostrum voluntarium.

Comparatio.

Eloquentia attrahit homines ad se.

Ex hucusq; dictis sequitur, Deum synagogam satanæ, putà, Hebræos generali cura adhuc custodire. Cu- §. 4.

ram

ram namq; illorum, nunc etiam obtinet, faciens, oriri solem suum super illos,& pluens super eosdem, quemadmodum super iustos christicolas, vt dicitur Matthæi 5. Et præter istam generalem curam,obtinet Deus de illis ad huc specialem curam, vocans ad fidem plerosq; illorum, qui prope diem ad sanctum perueniunt baptismum. Quod si Deus talem generalem & specialem curam Hebræorum nullatenus obtinuisset, iam proculdubio secundum multitudinem suorum scelerum de medio delecti omnino extitissent.Perdurabunt igitur Hebræi vsque ad finem seculi, quousque etiam durabit eorum ad fidem, & ad sanctum baptismum conuersio. Interim propediem Christus aliquos ex illis conuertit, iuxta hanc promissionem huic Antistiti,& toti Ecclesiæ factam. Quoniam hæc verba:[Ecce dabo de synagoga satanæ,] ita sonare videntur; Ego in dies conuertam aliquos Hebræos.

Par. 2.

PARAPHRASIS
Secunda.

Enucleatio Tex. §. 1. Hebræorum error circa Messiam.

Qui dicunt (ait) se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Pristinam illam nobilitatem, ac excellentiam, quam nunc increduli, ac infideles Iudæi amittunt, negando Iesum Nazarenum filium virginis Mariæ,Christum,& Messiam in lege olim eorum patribus promissum fuisse,& esse, hic patefaciendam (qua potuero breui diligentia) duxi. Enimuero obiter primò dicam, quod quemadmodum quanta olim fuerit Roma ipsa ruina nunc docet,& sicuti etiam ex contemplatione boni amissi,facilè colligitur quanta sit pœna damni,haud secus plane antiqua Iudæorum nobilitas, & excellentia cuiuis docto viro, (ac etiam lipis & tonsoribus) manifesta fieri poterit, eò dumtaxat, quod hoc in loco,non Iudæos, sed mendaces eos nuncupat noster Archipropheta, causam per manifestum effectum implicitè concludendo. Promissis tamen,disputatione sequenti,apprimè satisfacio.

DISPVT. V.

In Cap. Tertium Apocalypseos, de præterita nobilitate ac excellentia antiquorum Iudæorum.

In Quinque Quæstiones partita super illa verba: *Qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur.*

Prologus disputationis.

Tria nomina populi Dei.



OPVLVM Dei, tria percelebra, ac nunquam satis laudata, olim obtinuisse appellatiua nomina, tota sacra commemorat pagina,nimirum, Hebræum,Israel, & Iudaicum. Ex quorum planè trium nominum appellatione,siue nomenclatura,origine, ethimologia, ac propagatione, dependet proculdubio antiqua eiusdē populi sancti, & Iudæorum perillustris nobilitas, & excellentia. Quoniam quælibet nomenclatio,nomenclaturaue,siue nuncupatio ex ijs, pristinā eorundem Iudæorum dignitatē omnino eructat.De qua vtique re sermonē habē: D.Aug.

Hebræorum nobilitas dependet ex tribus nominibus.

F lib.2.retrac.cap.16.D.Hieron.in tradit.Hebraicis in Genesim. Origenes lib.2.in epist. ad Rom. & hom.5.in Leuit.Cyrillus Alexandrinus lib.5.in Leuit. Galatinus lib.9.arcanorū cap.7.Iosephus lib.11.antiquit. cap.15. Philo lib.de Abraham & lib.de Hebræorū nominū interpretatione, Eusebius Cæsariensis lib. 5. demonstrationis Euangelicæ cap.11.D. Ambrosius lib.2.de Iacob & vita beata cap.1. D.Hilarius in Ps. 25. D.Chrisost. hom.18.in Genesim,& hom.15.in Matthæum.Alphonsus Tostatus 1.Reg.10.q.3.& Exo.19.& Deut.7. Benedictus Pererius tom.3. in Genesim, Leo à Castro lib.3. apologetici. Ioannes Reuchlinus lib.3.de verbo mirifico, Theodoretus q.60.in Genesim. Augustinus Eugubinus in suis annot.in Genesim, Petrus de la Caualleria Cæsaraugustanus in libro Zelum Christi contra Iudæos & alij multitudine ferè infiniti, D,D.

G

Quæstio I.

An Hebræi (primum populi sancti nomen)originem trahant ab Heber filio Sale,an vero ab Abrahamo?

Prim. Asser. Populi sancti primum nomen.



ETERES illos, populi Dei patres, primò Hebræos appellatos extitisse, incunctanter asseuero. De cuius nomenclaturæ, siue appellationis origine ac principio,tres apud theologos nuper præallegatos, reperio **H** sententias.Prima vtique est D. Aug. lib.1.de cōsensu Euangelistarū cap. 14.& aliorum arbitrantiū, Hebræos appellatos fuisse ab Abraham gentis auctore,quasi Abrahæos.

1. Sententia. D.August.

Ast,hæc sentētia refellitur.Tum quia ipsemet D.Aug. eā retractauit lib.2.retract.cap.16.Tū quia nullatenus probabilis videtur.Tū quia ipse Abrahā appellatus etiā fuit Hebræus,iuxta illud Gen.14.[Et vnus qui euaserat nūtiauit Abrahā Hebræo]Tū postremo,quia Abraham habet primam nominis initialem, A, at vero Hebreus; H,quare opinio ista nequit stare:

Hebræos appellatos fuisse ab Abrahā quasi habrahæos impugnatur.

Secunda sententia est Theodoreti,Augustini Eugubini,Ioannis Reuchlini,locis supra citatis,&Burgensis ad dit 2.ad cap.21.Matthæi,qui omnes defendere videntur,Hebræos sic dictos extitisse ab eodē Abrahamo,nō quatenus gentis auctore, sed quatenus appellatus fuit **I** Hebræus,id est,transitor seu traiector. Ita siquidem ipsi Hebræū nomen interpretati fuere,ab eo quod est[Transiuit.] Quoniā teste Paulo Burgense inter Mesopotamiā & terrā promissionis interfluit Euphrates fluuius, qui ingens planè est,ac vnus ex illis quatuor qui è paradiso voluptatis oriūtur.Quem plane fluuiū Abrahā transiuit cū exiret de vr Chaldæorū.Nam vt legitur Gen.11. cum Abrahā exiret de vr Chaldæorum cum Thare patre suo,habitauit in Haram vrbe Mesopotamiæ, & postea transito Euphrate fluuio,ad terram Chanaā se contulit,ibique altare Domino ædificauit,& tunc vocabatur a Chananæis[Hebræus]id est,transfluuialis.Quem admodum illi qui ad nos veniunt è regionibus vltramarinis.vel vltra montanis,à nobis,vltra marini,seu vltra montani nuncupantur. Quamobrem dicunt isti: Hebræos sic dictos fuisse ab Abraham,quasi à transitore, vel transfluuiali. Et sic dicunt,neq; Abraham, nec **K** vllos alios,dictos vmquam fuisse Hebræos,donec Abraham, fluuium prælibatum transijsset. Hæc sententia probabilis vtique est.

2. Sententia.

Hebrei originem habuere ab Habrahā transitore.

Abraham vocatur Hebræus à Chananæis.

Tertia, & postrema sentētia est D.Hieronymi in traditionibus Hæbraicis in Genesim, Iosephi lib.1.antiquit. cap 14.Lyrani in ca.10.Gen.Achatij in c.14.Gen.Aug. Eugubini in suis annotationibus in cap.14.Gen. Rabani Mauri lib.2. in Gen. capit. 11. Abulensis in Gen; & Hiero-

3. Sententia.

Hieronymi Laureti in sua silua allegoriarum.[Qui omnes asseuerant illos antiquos ex populo sancto primò appellatos fuisse Hebræos ab Heber filio Sale,quæ planè sententia mihi magis arridet. Illamq. probo. Tum quia eam incunctanter profitentur omnes recentiores Hebræi.Tum quia Gen.10. dicitur:[De Sem quoq. nati sunt patre omnium filiorum Heber.] Vbi apertè designatur,maximam & amplissimam fuisse posteritatem Heber. Quod planè etiam indicari videtur. 1. Paralip. 5.& 8. Tum quia tempore Heber diuisæ sunt linguæ:& in eius domo remansit lingua Hebræa. Quoniam,vt ex Hebræis prodit Rabbi Auenezra, & etiam ex nostris Alphonsus Tostatus,[& Benedictus Pererius in cap. 11. Geneseos, cum adhuc viueret Heber, linguarum confusio facta est,& subsequuta fuit terræ, & earundem linguarum diuisio. Vnde in domo Heber vera Abrahami, & posterorum lingua remansit. Et cum Heber totius familiæ caput esset,ab eo lingua,natio,& gens nomen accepit Hebræum. Tum tādem id liquet ex orthographia,eò quòd tam[Heber,]quam[Hebræi] per [H] initio scribuntur. Accedit quod Alphonsus Tostatus in cap.14.Geneseos super illa verba;[Et nunciauit Abraham Hebræo,]in hæc verba prorumpit: [Vocatur autem Abraham Hebræus ab Heber, in quo lingua Hebraica, quæ in Hebræis mansit, distincta fuit à cæteris hominum linguis,Et ex hoc patet,quod non vocantur Hebræi ab Abraham,sed ab Heber, quia & ipse Abraham Hebræus dicitur. Impossibile autem est, quod à se ipso denominaretur. Etiam quia in Hebræo Abraham incipit per litteram Aleph, & Heber incipit per litteram Ain.]Hæc Tostatus. Et si ab Heber plerique descenderunt,tamen non omnes, sed hi duntaxat qui paternæ linguæ puritatem seruarunt Hebræi appellati fuere. Et sic non tenet argumentum Theodoreti, & Burgensis.

2 Ratio.
3.Ratio. Ab Heber lingua & gens vocata est Hebræa.
Abulen.q.7. in cap.11. gen.
Bened. Pererius tom.3 in gen.disp.5.in cap.25.
4 Ratio.
Abulens.in cap.14.genesis.
Soluitur argumentum Theodoreti & Pauli Burgensis.

Quæstio II.

An Israel (secundum populi sancti nomen) originem trahat à Patriarcha Iacob?



PARTEM affirmatiuam de fide facit illud Gen.32. [Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum,sed Israel.]Et rursus cap.35.[Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.] In ijs etenim duobus locis nomen Israel primitus in sacro eloquio recensetur, Quamobrem nullus theologorum est, qui asseuerare audeat Israelitas à Iacob Patriarcha originem minimè traxisse.

1. Assertio. Secundum nomen populi sancti. 1. Ratio. Israel originem habuit à Iacob.

Quid,quod, cum Iacob mutato ab Angelo nomine, Israel nuncuparetur,duodecimque filios obtineret superstites,& in populos,& gentem magnam futurus esset,iuxta promissum Dei sibi à Domino Gen.35.sub ijs verbis exhitum:[Ego Deus omnipotens,cresce,& multiplicare; gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur, terramque quam dedi Abraham,& Isaac,dabo tibi & semini tuo post te] factum planè fuit,vt non solum duodecim filij Iacob,verum etiam eorum populi, & vrbes Israel vbique appellarentur. De filijs quippe intelligitur illud Gen. 49.[Congregamini,& audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum.] Ex tunc namq. filij Iacob non Iacobitæ,sed Israelitæ, siue filij Israel sunt vocati. Placuit namq. patri, eos omnes nomine Israel nuncupari, vt morti propinquus celebrè illud nomen Israel sibi viuenti afflictoq. ac fratrem suum vndequaque fugienti,ab angelo diuinitus impositum, in memoriam tunc reuocaret. Et quemanmodum ipse in consolationem, & memoriam veri Dei illud ab angelo accepit, filij etiam sui in eandem memoriam, & consolationem tunc ab ipso iam spiritum exhalente,piè ac benignè acciperent. De eisdem porro filijs intelligitur illud Psal.113:[In exitu Israel de Ægypto,]De populis vero ac vrbibus eorum, accipitur illud Iosue.22. [Et vos hodie reliquistis Dominum, & cras in vniuersum Israel ira eius desæuiet.] Et illud Lucæ 2.[Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.]

2.Ratio. Iacob duodecim habuit superstites filios.
Israelitica gens
Memoria præteritorum beneficiorum Dei.

Filij autem Patriarchæ Iacob, ac etiam duodecim populi,& vrbes eorum Israel nuncupantur.Tum eò quòd pater omnium illorum, ac illarum duodecim tribuum, Israel appellabatur,vt nuper dictum fuit. Tùm etiam quia Deus illos specialiter elegerat de cunctis populis,tamquam suum peculium, gentem sanctam, & populum acquisitionis,iuxta illud Exod.19. [Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculiū de cunctis populis; mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnū sacerdotale & gēs sancta.]Et illud etiā Deut.7.[Quia populus sanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.] Ex quo factum quippè est, vt totus Israel,filij Iacob, ac eorum vrbes,hæreditas Domini vocetur,iuxta illud 1. Reg. 10. [Ecce vnxit te Dominus (dixit Samuel ad Saul) super hæreditatem suam in principem,] id est, super totum Israel, vt vertit Abulensis.Tota enim terra & quicqd in ea est,ipsius Dei est Populus tamen Israeliticus acceptus fuit à Deo speciali modo,nimirum, vt coleret Deum, magis quam aliæ gentes,& vt Deus benefaceret illi super omnes alios populos, vt patet in præfatis locis citatis Exod. 19. & Deut. 7.

Israel cur nuncupentur filij Iacob.& eorum populi.
Abul.tom.1. in lib. reg. cap.10.q 3.

Vocantur autem Israelitæ,hæreditas Dei duabus de causis. Prima quidem est, quia sicut hæreditas pertinet ad ius illius cuius est,& apud eum firmiter manet: ita Israelitæ semper firmiter mansuri erant apud Deū, licet aliæ gentes variarentur per Idola.Et si aliquando aliqui eorum à dæmonibus seducti Idola colebant, Deus de talibus Israelitis mox conquerebatur, vt videre est in infinitis locis veteris Testamenti, & præcipuè in cap.2.Ieremiæ:[Transite vsq ad insulas Cethim &c.] Secunda autem causa, ob quam tota terra Israel hæreditas Dei appellabatur est,quia quando quis proprio labore,vel in bello iusto pugnando aliquid acquirit illud est hæreditas eius,Deus autem acquisierat terram Israel de manu septem populorum Chananæorum & id propterea erat hæreditas illius. Et propter hoc Israelitæ habitantes in terra illa, non erant tamquam Domini eius,sed tamquam coloni.Et Deus poterat imponere terræ illi legem, quam vellet, sic patet Leuit. 25. cum dixit Deus; [Terra quoq. non vendetur in perpetuum quia mea est,& vos coloni mei estis, vnde & cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.] Quamobrem Israelitarum terra appellabatur Dei per excellentiam.

Cur Israel hereditas Dei appelletur. 1.Causa.
2.Causa.
Israeliticam terram acquisiuit Deus.

1.appendix.

Ex hactenus dictis,annotabis passim,testamentum illud Herodis Ascolonitæ primi regis Israel alienigenæ, ac Idumæi,quo morti propinquus diuisit terram Israel in quatuor Tetrarchias, quarum vnam Archelao, alteram Herodi,tertiam vero Philippo, & quartam Lysaniæ fratribus, eiusq. filijs delegauit, nullum,ratum,ac omnino incassum fuisse. Eò quòd de iure nulli licet delegare in suo vltimo testamento, quod suum legitimè non est. Quare cum illa terra Israel esset Dei, prælibatum testamentum redditur nullum, ac nullius roboris. Legite de ijs quatuor Tetrarchijs D. Lucam in cap. 3. sub ijs verbis: [Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, &c.] Et Iosephum lib. 14. antiquit.cap.21.

Testamentū vltimum ab Herede Ascalonita primo rege Israel alienigena conditum nullum fuit.

Appedix.

Eiusdem farinæ, & styli pleraq. apud Christianos huius nostri sæculi testamenta vltimè condita reperies in quibus id quod legitimè vni debetur, illegitimè legatur alteri, & ob hoc fiunt coram Deo (& aliquando coram gentibus) nulla & inualida instrumenta.

Quæstio III.

An Iudæus (tertium populi sancti nomen) originem ducat à Iuda filio Patriarchæ Iacob?

1. Assertio. Tertium nomen populi sancti. Iudæi originem habent à Iuda.



ERTIVM nomen appellatiuum populi Dei fuit Iudæus, quod plane originem, & principium traxisse à Iuda filio Patriarchæ Iacob, & lyæ vxoris suæ, concors vtique est omnium Theologorum conclusio. Quoniã illa verba Gen. 29. [Quarto cõcepit & peperit filium, & ait, modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitq. parere.] vllum relinquunt circa præallegata, ambigendi locum.

Iudæorum nomen quando incœpit in populo sancto.

Controuersia tamen est haùd exigua inter D. Hieronymum, Iosephum Galatinum, & Ambulensem, quando inceperit hæc nomenclatura apud Israel, ita vt Israelita Iudæus appellaretur. D. Hieronymus in illa verba Isaiæ 5. [Vinea Domini exercituum domus Israel est.] Et Galatinus lib. 9. arcanorum cap. 7. asseuerare videntur, eos de populo sancto, puta Hebræos, & Israelitas nullatenus appellatos extitisse Iudæos, donec decem tribus diuisæ fuissent à duabus, tempore Roboam filij Salomonis. Docentq. Israel, & Iudam, in hoc solummodo differre, quod omnis populus prius appellabatur Israel, & postea regnante Dauid super tribum Iudam, & Roboam filio Salomonis super duas tribus, vocabantur Israel, & ij qui imperabant de genere Dauid, appellabantur Iudæa.

Opinio Ioseph & Abulen. circa originẽ Iudæorum.

Iosephus verò lib. 11. antiquitatum cap. 5. & Alphõsus Tostatus in c. 1. Matth. ex aduerso putant, Hebræos vel Israelitas numquam appellatos extitisse Hebræos ante reditum de Babylone: Quoniam prius dumtaxat nuncupabantur Hebræi, vel Israelitæ ab Israel patre suo, scilicet Iacob, & non vocabantur specialiter ex nomine alicuius tribus: Ex die vero qua redierunt de Babylone vocati sunt Iudæi. Et assignant causam, putà, quia viri de tribu Iuda prius redierunt ad terram, quæ nunc vocatur Iudæa, & tunc ipsa prouincia ab eis accepit nomen, ita vt illa regio Iudæa, & illud regnum Iudaicum nominaretur. Et addunt, tribum Iudam redientem de captiuitate Babylonica mixtam fuisse cum tribu Beniamin, & non tantum tunc obtinuisse partem terræ promissionis, quæ ad sortem tribus Iudæ pertinebat, verumetiam alias eiusdem terræ promissionis partes aliarum tribuum, & hinc totam terram Israel, Iudæam, & vnumquemq. Israelitam Iudæum appellatum fuisse: & sic conuersam fuisse Iudæam cum Israel & Iudæum cum Israelita, iuxta illud Psalm. 75. [Notus in Iudæa Deus & in Israel magnum nomen eius.] Vbi Iudæa & Israel ponuntur pro eodem, & est repetitio eiusdem sententiæ per diuersa verba ad pulchritudinem faciendam, quemadmodum 3. Reg. 12. & 2. Reg. 20. dicitur: [Quæ nobis pars in Dauid, & quæ hæreditas in filio Isai] & tamen filius Isai & Dauid, idẽ sunt: Vnde fit repetitio ad pulchritudinem. Idem patet in eisdem terminis, Ps. 113. [In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.] Vbi accipitur

Iudæ tribus mixta cum tribu Beniamin reddit de captiuitate Babylonica.

F Israel & domus Iacob pro eodem, & Iudæa & Israel etiam pro eodem. In hac itaque sententia perstitisse reperio (vt dixi) Iosephum, & Alphonsum Tostatum.

Opinio Autoris circa originem Iudæorum. 1. fundamentum.

Ego vero, vt rem paucis componam præmoneo. Primò, à sententia D. Hieronymi, & Galatini, vsque ad sententiam Iosephi, & Abulensis, quatuordecim interfuisse reges Iudæorum, quoniam a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, quatuordecim defluxisse generationes regum docet Matthæus in cap. 1. suæ hystoriæ euangelicæ: Et cum sceptrum esset ex Iudæa, iuxta illud Gen. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.] non apparet rationi consentaneum per tam longum tempus, populum illum sanctum tam celebri nomenclatione caruisse. Difficilè enim (immo difficillimè) eorum Rex de illa tribu

Iudæorum Rex debebat esse Iudæus & ex tribu Iuda.

G erigeretur inter eos, per successionem, siue per electionem, si illi de illa tribu, Iudæi minimè appellarentur. Dico igitur quod cum vnusquisque filius, ac superstes Iacob, suam (non solum ab egressu Babylonis, verum etiam a tempore Dauid, quinimmo longè antea) obtineret tribum, eos qui erant de tribu Iuda, ex tunc appellatos fuisse Iudæos: Quoniam illa tribus inter reliquas vndecim, semper insignis permansit à temporibus Iudæ filij Iacob; Ipsa siquidem prima intrauit per mare rubrum, & prima obtulit oblationem in deserto vbi constitutum erat tabernaculum, principatum obtinuit inter alias, & tribus regia appellabatur, sub qua reliquæ omnes vndecim militabant: Quinimmo ipse Iudas in castris, tamquam dux, & Rex aliorum præcedebat, vt in Numeris legimus: Et idcirco (dico) oportere eos de hac insigni tribu à tẽporibus Iuda, Iudæos appellatos extitisse inter reliquas

Iudæi appellabantur illi de tribu Iuda.

H vndecim tribus, & nomenclatura Iudæorum ante Dauid viguisse inter Israelitas.

2. fundamentum. Israelitarum status quando incœpit.

Secundo præmoneo, statum Israelitarum cæpisse quando Deus eduxit Israelitas ipsos de Ægypto. Quoniam tunc Deus accepit eos in populum sui, & dedit eis legem Exod. 19. & pepigit cum eo fœdus Exod. 24. & in principio huius status fuit Moyses princeps huius populi, per quem Deus certificabat Hebræos de omnibus dubijs, quæ accidebant inter eos. Et hoc fuit dupliciter, nimirum, ante fabricationem sanctuarij quod in monte Synai fabricatum est, & post. Nam ante fabricationem sanctuarij fiebat sic certificatio, quo extra castra Israelitarum erat quædam parua domus, quæ vocabatur tabernaculum fœderis, in qua manebat Moyses, & quando veniebat Moyses de castris, eo ingrediente domum illam, descendebat co-

Dubiorum manifestationis duplex modus inter Israelitas.

I lumna nubis super domum illam, & loquebatur ibi Deus Moysi, vidente toto populo Israel, quod Deus loqueretur ei, vt patet Exod. 33. Post vero fabricationem sanctuarij erat intra ipsum sanctuarium parua domus in occidentali parte, quæ vocabatur sancta sanctorum, in qua erat arca fœderis cum duobus Cherubim, de qua habetur Exod. 25. & 26. & quandocumq. Moyses dubitabat in aliquo, & volebat habere responsum, intrabat in sancta sanctorum, & audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam de medio duorum cherubim, vt patet Num. 7. & isto modo Moyses habebat Deum sibi promptum ad respondendum de quibuscumque dubijs quandocumque vellet. Hæc omnia eò dumtaxat dicta hic sunt, vt clarè intelligatur, Deum Hebræos, vel Israelitas in populum accepisse quando eos eduxit de Ægypto, & tunc eorum statum incæpisse.

3. fundamentum. Iudæa accipitur dupliciter stricte nimirum & large, hoc est, pro sola terra Iudæ & pro tota terra Israel.

K Tertio præmoneo, quod Iudæi, & Iudæa accipiuntur dupliciter: vno modo strictè pro solis viris de sola tribu Iudæ, & pro sola terra illa, in qua habitabat tribus Iuda. Nam terra Chanaam quæ possessa fuerat primò à Chananæis, & postea tradita est Israelitis, diuisa fuit in duodecim partes per duodecim tribus Israel; quia duæ illarum, & dimidia, scilicet Ruben, & Gad, & dimidia pars tribus Manasse acceperunt, possessionem

nem ab Oriente Iordanis, num. 32. Aliæ nouem tribus A & dimidia diuiserunt inter se totam terram reliquam Chanaam, quæ est à Iordane vsque ad Mare Mediterreneum, siue mare Occidentale, in decem partes, scilicet nouem pro nouem tribus & vna pro dimidia tribu Manasse, quæ non acceperat possessionem ante Iordanem, de his Iosue 15. vsq. ad 19. cap. Vna autem pars istarum fuit data tribu Iudæ, quæ describitur Iosue 15. & ista propriè vocatur Iudæa, & viri illius, verè & propriè Iudæi nuncupantur. Alio modo Iudæi, & Iudæa accipiuntur largè, nimirum, pro vnoquoq; viro de vnaquaq. tribu Israel, & pro tota terra illa in qua habitabant omnes duodecim tribus; eò quòd omnes vocabantur Iudæi largè, & sic accipitur illud quod diximus Psal. 64. scilicet: [Notus in Iudæa Deus, &c.] id est, in tota terra Iudæorum, quia apud omnes Israelitas notus erat, & Ps. 113. [Facta est Iudæa sanctificatio eius;] Quod non est verum de sola tribu Iuda, sed B de toto Israel. Causam autem præcipuam, quare tota illa terra vocetur Iudæa, eam assignare possumus; nimirum, quia postquam Iudæi translati fuerunt in Babylonem, sola tribus Iuda mixta cum tribu Beniamin redidit in terram suam & occupauit totam illam terram quam prius tenebant omnes duodecim tribus, vel plurimam partem eius, quia aliquam partem tenebant Samaritani, & sic multi de tribu Iuda habitabant in sortem Beniamin, & Ephraim, & Dan, & Isachar, & alijs. Et ita largè omnes viri de ijs tribus, Iudæi, & omnes hæ tribus, Iudæa nuncupabantur. Quod planè maximè patet ex eò quod Domina nostra Virgo Maria mater Iesu morabatur in Nazareth quæ erat terra Galilææ prout habetur Matth. 2. Et ob hoc vocabatur Christus Galilæus, & tamen Galilæa non erat de terra Iuda, sed magis de terra Zabulon, & Nephtali, vt patet Isaiæ 9. [Primò tempore alleuiata est terra Zabulon, & C terra Nephtali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium.] Quamobrem Galilæa pertinebat ad Zabulon, & ad Nephtalin. Ex quo concluditur, quod quia tota illa terra tunc possidebatur principaliter per tribum Iuda, vocabatur tota terra Iudæa, & omnis Israelita, appellabatur Iudæus.

Iudæus dicitur dupliciter, strictè scilicet & largè.

Galilea ad quam pertinebat tribum.

2 Assertio. Conciliantur D. Hieron. & Iosep. circa Iudæorum originem.

Ex ijs facilè conciliantur inter sese superiores sententiæ, affirmando D. Hieronymum, & Iosephum, nullatenus accepisse verè & propriè nomenclationem, siue nomenclaturam, putà, appellationem Iudæorum. Nam sic pro certo habeo Hebræos, siue Israelitas de tribu Iuda, appellatos extitisse Iudæos à tempore Iudæ quando omnium Hebræorum status incepit ab egressu populi Israel de Ægypto. Quoniam tunc Deus Hebræos, siue Israelitas omnes de vndecim tribus accepit in peculium, & in populum sibi acceptabilem, dando ei legem, & reliqua omnia, quæ dicta sunt in secundo D nostro fundamento. Ex tunc enim tribus Iudæa cæteris tribubus distinguebatur per hanc veram nomenclaturam, siue appellationem Iudæorum; si enim viri de tribu Iudæ ex tunc non nominarentur Iudæi, nullatenus apparet, quomodo Rex Israel Iudæus futurus esset, iuxta illud promissum Dei: [Non auferetur Sceptrum de Iuda, &c.] vt in primo fundamento nos obijcimus. Relinquitur igitur D. Hieronymum, & Iosephum, loquutos fuisse de nomenclatione, siue nomenclatura, putà, nuncupatione Iudæorum largè, pro vt dictum fuit in nostro 3. fundamento. Quandoquidem sic viri de vnaquaq. vndecim tribu Israel mixtè nuncupati fuere Iudæi à tempore Dauid. Et hac ratione veniunt intelligendi D. Hieronymus, & Galatinus. Talis autem mixta nomenclatura Iudæorum incrementum accepit post reditum de Babylone, & sic intelligendi sunt Iosephus, & Tostatus. Quæ planè vsque ad hæc E nostra sæcula durat, vt experientia ipsa prope diem edocet, & de cætero vsque ad finem sæculi (vt credo) durabit. Attamen hæc per mixtio nomenclationis Iudæorum inter omnes vndecim tribus nullatenus obuiat quin Iudæi (siue verè, siue largè accipias nomen Iudæorum) originem ducant à Iuda filio Patriarchæ, Iacob, vt in exordio huius quæstionis nos decisum ac omnino definitum reliquimus.

Nota bene.

Quæstio IV.

An hoc triplex nomen, videlicet, Habræus Israel, & Iudæus, nobilitatem & excellentiam, dignitatemuè aliquam, populo sancto olim importauerit?



ONCLVSIO est affirmatiua. Quam planè probat primum nomen, putà: [Hebræus,] cuius ethymologia absque aliqua theologorum tergiuersatione semper celebris extitit. F Quoniam si dicamus Hebræos originem traxisse ab Heber (vt supra probabile esse diximus) sic Hebræus idem erit quod transiens. eo quod Heber interpretatur transiens: & est typus Christi qui transiuit ex hoc mundo ad patrem, vt crebrò dicitur in euangelio Ioannis & præcipuè cap. 13. vbi dicitur: [Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem.] In eius domo, nimirum, in Ecclesia, manet lingua veritatis diuinæ, quemadmodum in domo Heber puritatem linguæ paternæ olim permansit, vt dictum est supra, & habetur Gen. 10. Si vero asseramus, Hebræos originem duxisse ab Abraham, idem etiam erit Hebræus, quod transitor, siue traiector. Abraham siquidem crebrò apud septuaginta hanc nomenclaturam obtinet, quatenus ab Heber traiectore originem ducebat. Quamobrem Hebræus Abraham transitor, designat nos peregrinos huius sæculi vitam transigentes. De qua Ethymologia legite D. Hieronymum epist. [Nec opinabam] Greg. super Ezech. hom. 3. Richardum de sancto victore de exterminatione mali 2. & Hieronymum Lauretum in sua sylua allegoriarum. Accedit quod primus Hebræus Abraham, fuit radix populi sancti, vir iustus, principium lineæ, per quam venit Messias, Pater multarum gentium, vel populorum, secundum compositionem Hebraicam, & Deus imposuit illi nomen quando circuncisus est. Vnde per circuncisionem omnes Hebræi appellantur Abrahæ filij. Hinc Dominus in Euang. Pharisæis dixit; [Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.] & rursus: [Abraham pater vester exultauit vt videret diē meum, vidit & gauisus est.] Quæ omnia, maxima redolent dignitate, & excellentia. Quamobrem Paulus iactans & glorians se de nobilitate terrena ait. 2. Cor. 11. [Hebræi sunt & ego, semen Abrahæ sunt & ego.]

1. Assertio. Nobilitas populi Dei dependebat à tribus nominibus.

1. Ratio. Hebræus nomen nobile.

Homines mortales sūt peregrini.

Gen. 14.

Abraham primus Hebræus.

Eamdem porro conclusionem confirmat secundum nomen, videlicet [Israel,] cuius Etymologia apud Theologos triplex vtique est. Prima quidem est vulgaris & communis, qua Israel interpretatur [præualens,] præualuit enim Iacob, cum nomen Israel ei inditum fuit ab Angelo Gen. 35. Secunda vero est Orig. hom. 15. in Genes. Eusebij Cæsariensis lib. 5. demonstrationis Euangelicæ cap. 11. Chrysostomi, Hilarij, Ambrosij, Augustini, & Leonis à Castro, locis in prologo citatis. Qui omnes tenent nomen Israel, quod Iacob ab Angelo impositum fuit, idem esse ac: [vir videns Deū.] quoniam postquam Iacob luctatus fuit cum Angelo, mox in hæc verba prorumpit, vt legitur Gen. 32. [vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea:] Icirco dicunt huiusmodi D.D. Israel virum videntem Deum interpretari oportere. Tertia & postrema interpretatio est D. Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, vbi reijcit hanc superiorem interpretationem, & existimat, Israel interpretari Principem Dei, Idque demonstrat sanctus vir per hæc verba: [Illud quod in libro nominum interpretatur Israel, vir

2. Ratio. Israel nobile nomen.

Israel idem est quod præualens.

Israel idem est quod videns Deum.

Israel idem est quod princeps Dei.

videns Deum,omnium penè fermone detritum, non tam verè, quam violenter mihi interpretatum videtur;eo enim loco Israel per has litteras scribitur[Iod] Sin] [Res] [Aleph] [Lamed,] quibus litteris scriptum Israel interpretatur[Princeps Dei,] siue directus a radice [Sarach,] idest, principatum habere, seu dominari.vnde est illud Isa.9. [Hamisrah,] idest,principatus super humerum eius.

Israel ex sent. D.Hieronymi non videns Deum, quinimmo princeps Dei, interpretatur.

Qualibet itaq. ex his tribus interpretationibus populo sancto, maximum dignitatis,nobilitatis,& excellentiæ cumulum, & lumen olim inuexit: Ideo Paulus de hoc tam celebri, ac omnino perillustri nomine gloriabatur dum 2.Cor.11. dicebat: [Israelitæ sunt & ego]immo illud crebrò in suis recitat epistolis, vt videre est ad Rom. 9. [Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem qui sunt Israelitæ.] Et Christus in Euangelio suo Ioan.3. dixit Nicodemo: [Tu es magister in Israel & hæc ignoras?]id est,qui doces hebræos & hæc nescis?] Et iterum de Nathanael,Ioan.1. [Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.]

Pauli Apostoli nobilitas eo quod esset ex genere Israelitico.

3.Ratio.

Postremò ipsammet conclusionem comprobat tertium nomen,nimirum, [Iudæus,] quod planè nomen [vt tenet communis theologorum chorus] interpretatur,confitens,siue laudans. Quam quidem etymologiam Beda super Genes.30. Georgius Venetus, Cant. 2. Philo 2 allego, Rupert super Oseam 10.& communiter omnes explanatores sanctarum litterarum deducunt ex illis verbis Gen.29. [Concepit adhuc Lia, peperitq. filium, & dixit, vice.hac confitebor Domino, & idcirco vocauit nomen eius Iudam.] In Hebræo autem vbi nos legimus[Iudam,]habetur[Iehudah,] à radice [Iadah,]quæ apud Hebræos idem est quod confiteri,gratias agere,& laudare.Quare dicunt quod,Iudæi,qui Hebraicè dicuntur [Iehudim,] ex vi nominis idem esse quod confitentes, & laudantes Deum. Et in hoc sensu expendunt plerique D. D. illa verba Esther. 8. [Iudeis autem Noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.] Ac etiam illud Isa. 26. [In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda, vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus,& antemurale,]& tandem illud Aggei 1.[Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel Ducis Iuda.] Quibus locis, Iudæi idem sonant quod confitentes,& terra Iuda idem interpretatur quod terra confessionis. Hinc planè est,quod hoc nomen [Iudæus]in sacro eloquio semper solemnitatem,dignitatemque redolet, ac sanctitatem maximam, vt sane significare intêdebat mulier illa Samaritana, dum Ioan. 4.dixit Christo: [Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere ame poscis,quæ sum mulier Samaritana.Nô enim coutuntur Iudæi Samaritanis.] Et ratio vtique erat,quoniã Samaritani pro hominibus nequam reputabantur, iuxta illud quod Pharisęi Ioan.10.dixerunt Christo: [Nône benedicimus nos, quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes?] At vero Iudæi laudantes, & confitentes Deum,sancti reputabantur. Ex quo plane,populus ille sanctus Dei haud exigua excellentia,dignitate, & nobilitate,prope diem olim pollebat. Quocirca conclusio supra proposita ex hac triplici Etymologia nominum,satis corroborata permanet.

Iudæus nomen nobile.

Iudæi nominis Etymologia.

Iudæorũ nominis dignitas.

Samaritani qui essent.

Iudæi qui essent.

Consectariũ

Illud nunc ex dictis facilius intelliges,nimirum, inter hæc tria populi sancti nomina, primum locum obtinere Hebræi,secundum vero Israelitæ,& tertium,ac postremum Iudæi,Quoniam Heber,& Abraham,à quibus originem ducunt Hebræi,primi fuere,eo quod Heber filius fuit Salem,filij Sem,filij Noe;Abraham vero (vt habetur Gen 11.)filius fuit Thare,filij Nachor,filij Sarug, filij Reu, filij Phaleg, filij Heber:& natus fuit Abram post diluuium trecentis minus octo annis, vt patet computando annos omnium à diluuio vsque ad Abraham. Quinimmo aliqui ex Iudeorum Rabbinis (inter quos est Rabbi Abraham Auenezra)tenent Noe F & Abraham (Quamuis horum Iudæorum opinio rationi & veritati consentanea minimè appareat apud nos)interfuisse in ædificando turrim illam Babel,quando terra post diluuium erat labij vnius,vt dicitur Gen. 11. Quare Hebræi originem ducentes ab Heber, vel Abraham,ponendi sunt primo loco. Israel autem, siue Iacob,à quo originem trahunt Israelitæ, reponendus est secundo loco; quoniam Iacob filius fuit Isaac filij Abrahæ iuxta illud Math 1. [Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.] Iudas tandem,à quo principium,& originem habent Iudæi fuit vltimus, & postremus,quoniam fuit filius Iacob,filij Isaac,filij Abrahæ, vt liquet ex eodem textu Matth. 1. [Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius.] Quare Hebræus antiquior erit Israelita, & Israelita Iudæo. Hæc ideo hîc adieci, quia de ordine horum trium nominum populi sancti,poterat quis (fortè interlegendum) ambigere, G cur nos in hac disp. primum locum dedimus Hebræo nomini, secundum vero Israelitico, & tertium Iudaico.

Abraham & Noe fuerunt simul in ædificatione turris Babel post diluuiũ.

Quæstio V.

An viri, qui hoc nostro sæculo originem ducunt ab illis de antiquo populo sancto,ab hac excellentia,& dignitate importata per hæc tria prælibata nomina Hebræorum,Israelitarum, & Iudæorum omnino exciderint. H



FFIRMATIVE respondeo ad quæsitum, quod confirmant verba cõtextus: [qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt,sed mentiuntur.] Quoniam si viros de populo sancto appellemus Hebræos,vel eos ab Heber, aut ab Abraham,ita nominãtur.Si ab Heber metiuntur.Nequiũt enim isti nunc veri Hebræi vocari ab Heber,quia corruptam obtinent linguam hebræam quæ pura conseruata fuit in domo Heber. Nam cum erat terra labij vnius, vt dicitur Genesis 11. id est, cũ omnes homines haberent I vnum idioma, istud erat Hebraicum, quod a principio fuit,vt patet per impositionem nominum. Quoniam Adam imposuit nomina rebus secundum idioma illud, quod tunc erat; At nomina ibi imposita non inueniuntur in aliquo idiomate nisi in Hebræo, eo quod Adam, & Eua nomina Hebræa sunt, Caim, & Abel etiam, & sic de cæteris, nam in Hebræo ista aliquid significant, quod planè nequit fieri in aliqua alia lingua,quoniam quandocumque sunt duo nomina,putã, primitiuum,& deriuatiuum,habentia eamdem litteram,oportet,quod si vnum sit Latinum,& si vnum Græcum & reliquum, & sic in qualibet lingua; sed Adam est, nomen Hebræum primitiuum: igitur Adam, quod est suum deriuatiuum erit nomen Hebraicum: Idem prorsus apparet in Caim, & suo primitiuo Chanizi, vt rectè probat Abulensis in cap. 11. Gen. q. 2. quare quando in sacro eloquio (secundum figuram K methonimiam in qua accipitur continens pro contento) dicitur quod erat terra labij vnius, idest omnes homines habebant vnum idioma, istud idioma, quod erat commune omnibus,erat Hebraicum,diuisis autem gentibus in plures linguas, ita lingua Hebraica, quæ antea erat eadem apud omnes mansit solum in stirpe Heber, ideo vocatur Hebraica,& non mansit in omnibus descentibus ab Heber,sed in solis illis,qui erant in recta linea, per quam venit Christus. Vnde non man-

Conclus. 1. Iudæi moderni antiquam iam nunc amiserunt nobilitatem.

1.Ratio.

Nominũ impositio fuit secundum linguam Hebraicam.

2.Ratio.

Terra labij vnius quomodo intelligatur.

manſit iſta lingua in omnibus filijs Heber, ſed ſolum in Phaleg, & non in omnibus filijs Phaleg, ſed ſolum in Reu, & ſic conſequenter, & non in omnibus filijs Abrahæ, ſed ſolum in Iſaac, & deinde non in omnibus filijs Iſaac, ſed ſolum in Iacob, & poſtea in Iuda filio ſuo, ac etiam in tribu ſua. Et quamuis pleriq; teneant linguam Hebræam non ſolum in tribu Iuda, verum etiam in alijs vndecim tribubus cũ hoc mirabile, puta, quod omnes filij alicuius de iſtis erudirentur in lingua Hebraica, ſed ſolus vnus loqueretur in ea: reperiri tamen tunc erat lingua Hebraica completa in omnibus verbis, ſicut omnia alia idiomata: At vero; nunc hoc noſtro ſæculo lingua Hebraica nullatenus eſt completa; quoniam illa nomina dumtaxat manſerunt purè Hebraica, quæ in lege ſcripta erant, & non alia; & ratio fuit, quia Hebræi mixti fuerunt alijs gentibus, & acceperunt idiomata eorum, vt prodit S. Aug. lib. de ciuit. Dei lib. 15. & Alfonſus Toſtatus vbi ſupra. Quare viri qui nunc reperiuntur de illo antiquo populo ſancto deſcendentes, nequiunt viri Hebræi nuncupari, & ſic eſt, quod quando nunc ſe Hebræos appellant, mentiantur omnino; vel illos viros appellamus Hebræos ab Abraham; & ſic etiam nunc apertè mentiuntur. Quoniam Abraham fuit Pater fidei veri Meſſiæ: Vnde eius filij debent eſſe in fide ſtabiles, vt perſpicuum euadit ex illis verbis, Gen. 17. [Patrem multarum gentium poſui te.] Quæ verba ſic interpretatur Paulus ad Rom. 4. [Vt firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui eſt pater omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt. Quia patrem multarum gentium poſui te.] Et ad Galatas. 3. [Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.] Et iterum. [qui ex fide hi ſunt filij Abrahæ.] At iſti viri de ſtirpe illius antiqui populi ſancti; qui nunc reperiuntur, fidem veri Meſſiæ nullatenus obtinent, ergo. &c. Accedit quod plerique eorum duos fingunt Meſſias, quod eſt impoſſibile. Quare ſi dicamus eos Hebræos, eò quòd originem ducant ab Abraham, nullatenus erunt veri Hebræi, immo mentiuntur dum ſe Hebræos appellant ab Abraham; Quoniam ſi Abraham hoc noſtro tempore reperiretur, & vellet de illis periculum facere, eſſent ne eius filij, nec ne, eos adulterinos, vt Aquila proculdubio reperiret. Dicuntur enim & pulli aquilarum a parentibus ſic probari, patris ſcilicet vngue ſuſpendi, & radijs ſolis opponi, qui firme contemplatus fuerit, filius agnoſcitur, at vero ſi acie palpitauerit, tanquam adulterinus ab vngue dimittitur. Reperirentur itaque iſti recentiores Hebræi in ſimili caſu adulterini Hebræi ab eorum patre Abraham, quoniam fidem veri Meſſiæ nullatenus obtinent. Quare nobilitatem, dignitatem, ac antiquam excellentiam olim importatam per illud celebre nomen Hebræum, iſti adulterini Hebræi huius noſtræ tempeſtatis, nullatenus verè, & propriè obtinent.

Linguæ Hebraicæ magnum miraculum.

Iudæi cur mẽdaces.

3. Ratio.

4. Ratio.

Aquila quomodo probat filios.

Porro ſi eadem familia de ſtirpe illius antiqui populi ſancti, nunc Iſraelitas nuncupemus, nullatenus vero Iſraelitas reperies, quoniam verus Iſraelita non debet dolum præſegerere, iuxta illud Pſalm. 31. [Beatus vir cui non inputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus.] Et Chriſtus de Nathanaele, Ioan. 9. dixit: [Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt;] At huiuſmodi viri de illo populo ſancto originem trahentes, qui nunc extant, dolis pleriſq. ſunt obnoxij, ita vt verè de illis nunc concludere queamus cum Pſalmiſta dicente: [Non defecit de plateis eius vſura, & dolus.] Igitur nullus eorum, nunc verus Iſraelita erit; Et per conſequens omnino ceciderunt a nobilitate illa deſignata per illud antiquum nomen celebre Iſrael.

Iſraelitæ veræ nunc minimè reperiuntur.

Poſtremò neq. Iudæi ipſimet de illa antiqua origine populi Dei nuncupari nunc valent, eò quòd cum verus Iudæus ſit laudans, & confitens Deum, vt nuper retulimus, & modo ij miſerabiles, increduli, ac omnino infideles pertinaciter in ſua ſtultitia, ac dementia permanentes Meſſiam, iam veniſſe, & hunc Ieſum filium

Iudæi veri his noſtris tẽporibus non inueniuntur.

A virginis Mariæ de tribu Iuda fuiſſe, credere nullatenus velint, clarè infertur illorum nullum verè & propriè Iudæum eſſe. Negant inſuper ipſum Meſſiam, & Chriſtum Ieſum filium Dei eſſe, & per conſequens negant ineffabile Trinitatis myſterium. Quoniam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſubſtantialiter idẽ ſunt, iccirco vno negato, negatur & alter; ideo non ſunt verè confitentes Deum, quinimmo mendaces, iuxta illud 1. Ioan. 2. [Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam Ieſus non eſt Chriſtus?] & per cõſequens nobilitate, dignitate, & excellentia veri nominis Iudæorum omnino nunc iam carent: ſunt enim Iudæi voce dumtaxat; & nullatenus re; Illi namq. qui deſcendunt ex ſemine Iudæ, & non obtinent circa Meſſiam veram, & ſinceram fidem, (vt ij) appellantur Iudæi ſola voce, vllam illorum antiquorum Iudæorum (qui erant re, & voce, veri Iudæi) nobilitatem, & excellentiam obtinentes.

B Quæres tamen, quis hanc antiquam illius populi Dei excellentiam nunc obtineat? Reſpondeo, quod fideles, & credentes illam (& abundantius) habent, iuxta verbum Chriſti, Matth. 8. Phariſæis dictum: [Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Diſcant igitur ex hoc recentiores, ac iuniores Iudæi credere in Deum, vt eorum animus anhelet ad fidem, & eorum mens inardeſcat ad Ieſum verum Meſſiam.

Chriſtiani fideles ſunt hæredes antiquæ excellentiæ populi ſancti.

PARAPHRASIS Tertia.

Par. 3.

C **Ecce faciam illos** (dicit præterea) **vt veniant & adorent ante pedes tuos.** De adoratione duliæ verè & propriè hic eſt ſermo. Quædam namque eſt adoratio, quam latriam vocamus, quæ ſoli Deo debetur; & talis adoratio nullę creaturæ facienda eſt, de hac dixit Chriſtus Matth. 4. [Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis.] Et hanc eamdem exhibuerunt ipſimet Chriſto, Magi, dum Matth. 2. dicitur [Et procidentes adorauerunt eum.] Quæquidem adoratio nihil aliud eſt, quam quædam pars illius ſeruitutis, quæ ſoli Deo debetur. Hinc huic adorationi, quam vocamus latriam opponitur idololatria, ideſt cultus idolorum, vel quorumcunq. rerum creatarum; & de iſta adoratione erit ſermo ſi textus accipiatur ſic: [Adorent Deum incarnatum ante pedes tuos.] vt ſupra dicebamus. Cæterum, quia inter expoſitores, D quos circa hunc textum hactenus vidi, nullum ſanè inueni, qui talem interpretationem tangat; ideo ne ſolitarium circa illam me reputent interpretes alij, ſufficient iam dicta. Alia vero eſt adoratio, quæ dulia nuncupatur, quam cuilibet homini excellenti, vel virtuoſo tribuimus, & de iſta eſt hic verè & propriè ſermo, ſi textus accipiatur ſic: [Adorent te proni ante pedes tuos,] Quam explanationem nos cum doctoribus ſupra ſecundo loco attulimus. Et in hac dulia ſunt planè quidam gradus, eo quod aliter adoramus homines, & aliter Angelos, & inter homines ſecundum excellentiæ dignitatem, magis, & minus adoramus. Iſta autem adoratio dulia inclinatio eſt voluntatis cum apprehenſione excellentiæ pluſquam humanæ, & minus quam diuinæ. Altera autem eſt adoratio hyperdulia nuncupata, ideſt excellens duliam, vel ſupra duliam, & hęc eſt honor quidam ſpecialis, minor tamen diuino E honore, qui tribuitur illis rebus, per quas noſtra ſalus ſpecialiter procurata eſt; nimirum Cruci Chriſti, beatæ Virginis, & carni Chriſti, vt conſideratur ſine deitate: quoniam, vt eſt cõiuncta deitati, adoratur eadem adoratione, qua deitas, ſcilicet latria. De ijs adorationibus diſputant Theologi cum Magiſtro in 3. ſent. diſt. 9. & cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 64. & 3. p. quæſt. 25. Iſtæ vero tres adorationis ſpecies, nimirum latria, dulia, & hyperdulia, non diſtinguuntur per cæremonias

Enodatio textus.

§. I. Adoratio latria.

Magi Orientales latriam exhibuerunt Chriſto.

Adoratio eſt triplex.

Idololatria opponitur latriæ adorationi.

Adoratio dulia habet quoſdam gradus.

Caro Chriſti crux Chriſti, & beata virgo qualiter adorantur.

nias, in quibus exhibentur; eò quòd sicut Deo genuaflectimus, ita & interdum hominibus. Vtraq. autem genuflexio actus exterior est,& corporalis,qui (vt apparet) distingui nequaquam potest, sed dumtaxat distinguuntur per intentionem;nimirũ,quia ille,qui adorat Deũ,licet exterius non ostendat alias cæremonias, quam ostendat circa homines, in corde debet facere differentiam,scilicet, quod coram Deo se inclinat, tam quam coram Deo & Domino vniuersali conditore, & gubernatore,& redemptore, & in quo est totum bonũ nostrum,cui homo seipsum debet,& totũ quidquid est, & habet.Prophetis vero,pijs,ac sanctis viris, regibus, prælatis,ac dominis temporalibus,vel quibuscunq. cõstitutis in honore, exhibet homo easdem cæremonias reuerentię & venerationis exterius,non tanquam illis, in quibus consistit aliquod bonum nostrum,nec in quibus sit potestas vitæ,aut mortis, sed tanquam quibusdam mortalibus hominibus similibus nobis,differentibus autem per illum gradum honoris, siue diuinæ gratiæ siue excellentiæ,quem,Deo volente,habent. Venerantur itaq. pij ac sancti viri, & etiam prælati, & domini temporales in terris, quorum quidem veneratio, & reuerentia, nomine adorationis in sacra pagina exprimitur, & in hoc sensu legimus,filios Iacob,fratrem suum Ioseph in Ægipto adorasse: [Cumq. adorassent eũ(dicitur Gen.40.)fratres sui.]Pari etiã modo Abrahã adorauit tres illos viros, quos in hospitio recepit [Cucurrit in occursum eorũ(habetur Gen.18.)de ostio tabernaculi sui,& adorauit in terram.] Abdias insuper vir sanctus,ac pius adorauit Eliam Prophetam: [Cecidit(Abdias)supra faciem suam(dicit 3.Reg.18.) & ait non tu es Domine mi Elias?] Filij etiam prophetarum Eliseum adorauerunt: [Videntes autem filij prophetarũ(dicitur.4.Reg.2.)qui erant in Ierico è contra dixerunt,requieuit spiritus Eliæ super Eliseum,& venientes in occursum eius,adorauerunt eum proni in terram.] Porro Nabuchodonosor(legitur Dan.2.)cecidit in faciem suam,& Danielẽ adorauit. Et deniq. ad hoc spectat benedictio Isaac in filium suum Iacob,dicens Gen. 27. [Et seruient tibi populi & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum.]Ex ijs colligitur,quòd adorare ante pedes huius Antistitis,nihil aliud sit(si ad Antistitem ly:[Adoratio,]dirigatur)quam reuerentiã, & venerationem illi,tùm ob sanctitatem, tùm ob prælaturam exhibere.Qui quidem honor ad duliam planè pertinet, quæ hominibus secundum illum gradum honoris,quem Deo volente,habent,exhiberi solet.

Deus qualiter adoretur.

Homines qualiter adorentur.

Adoratio dulia sanctis,ac pijs hominibus ac etiam Prælatis exhibetur.

Adorationes plerisq. hominibus exh.bitæ in sacro eloquio.

Germanus sẽsus textus.

§. 2. Dixi,Deo volẽte,eò quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum(teste Iacobo Apostolo)de sursum est.Hinc & prælationes, siue prælaturæ desursum à patre luminum proculdubio etiam sunt.Cũ ergo Dei nutu factum sit,vt inter homines nonulli præsint (etiã si mali sint) reuerentia illis exhibenda est, sicut dicit Beatus Petrus Apostolus: [Serui subditi estote Dominis, nõ solum bonis,& modestis,sed etiam discolis.] idest,malis,& discordibus,& semotis ab omni virtute. Sub hoc respectu Beatus Petrus iubet, hominibus constitutis in dignitate vel potestate honorem esse dandum,dicens.1. Petri.2. [Subiecti estote omni creaturæ humanæ propter Deum,siue regi, tanquam præcellenti,siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum,laudem vero bonorum,quia hęc est voluntas Dei.] Hoc modo debet homo exhibere reuerentiam,Prælatis,Regibus, Principibus, ac Dominis temporalibus.Et exhibere talem reuerentiam cadit sub debito:iuxta illud ad Rom.13.[Reddite omnibus debita, cui tributũ,tributum cui vectigal, vectigal,cui timorẽ, timorem,cui honorẽ,honorẽ]Et hæc est reuerentia: & veneratio, quam Christus se daturũ promisit,huic Antistiti,dum illi dixit. [Ecce faciam illos,]id est,incredulos, ac infideles Iudeos inimicos tuos & crucis etiam meæ vt veniant,& adorent ante pedes tuos hoc est,faciam,vt credentes,te pium,sanctum,iustum,& mihi carum colant & habeant.

Prælaturę sũt à Deo.

Prælatorum reuerẽtia est debita.

§. 3. Hanc eandem reuerentiam, quæ prophetis,Prælatis

F ac sanctis, pijsq. hominibus, sub nomine adorationis ab humilibus peccatoribus elargitur, voluit sæpe sæpius Christus,dum vitã ageret in terris, ab hominibus accipere,& præcipuè coram Pharisæis suis emulis, & hoc quando peccatores adhuc illum verbum incarnatum non credentes, nec filium Dei cognoscentes,eumdem,tanquam virum Sanctum, & Prophetam adorauerunt,vt videre est in Principe synagogæ Matth. 6.& in Centurione Matth.7.& in Chananea muliere,ac etiam in conuersione Mariæ Magdalenæ. Hinc Pharisæus qui Christum inuitauerat, videns peccatricem postratam ante pedes Domini, illosq. deosculantem, existimans talem adorationem non esse latriã,quæ soli Deo debetur,sed duliam quæ sanctis ac pijs viris debetur, exclamauit dicens: [Hic si esset Propheta sciret vtiq. quę,& qualis est mulier illa quę tangit eum,quia peccatrix est;]Luc.7. Et tenendo quod huiuscemodi ado
G rationes non sint latriæ sed duliæ,dicimus,Christum tales adorationes duliæ à peccatoribus recipere in hac vita voluisse, vt illis, adorationem duliæ quam modo Prælatis,& præcipuè Papæ,Prophetis,prædicatoribus, pijs viris, Regibus, ac Dominis temporalibus exhibemus, apprime illustraret,ac confirmaret approbaretq. Quemadmodum nuptijs Chanæ Galileæ præsentialiter interueniendo, matrimonium olim informatione Euæ ex costa Adæ à Deo institutum, sua præsentia illustrauit,confirmauit,approbauitq.

Cur Christus viuens in terra adorari,& venerari se fecit dulia.

Pharisæorum superbia retunditur.

Dulia adorari voluit Christus vt prælati sic venerẽtur.

Simile.

At vero,per hanc adorationem Iudæorum, conuersorum, huic Antistiti exhibendam, illam humiliationem præcipuam à Iudæis conuertendis circa finem mundi, vniuersali Ecclesiæ elargituram etiam intelligimus cum Primasio Episcopo Vticẽsi qui in hunc locum ita scribit: [Hoc nouum Ecclesiæ tantum Phila-
H delphiæ tunc promissit,reliquum enim tempus,& præcipuè illud circa finem mundi prænunciat, quando Iudæi in Christum credentes, eius Ecclesiæ subicientur, quæ veraciter dicit,mihi alienigenę subditi sunt: Nam & de Iudæis,Apostolus dicit, quia cæcitas ex parte Israel contingit,donec, plenitudo gentium subintroiret, & sic omni Israel saluus fieret.] Et paulo post hæc: [Multi enim ex Iudæis ad Ecclesiam veniunt,dicentes sicut scriptum est. Iacta me in vnam partem Sacerdotij tui mãducare panem.]Hactenus Primasius.In eamdem sententiam perstitisse inuenio D.Thomam in hisce suis comment. & ad notandam conuersorum Iudæorum humilitatem adducit.S.Doctor illud,Isa.60.[Adorabunt vestigia pedum tuorum)de qua plane conuersorum humiliatione intelligendum vtique venit illud Ps. 109.[Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.]& Ps.71.[Coram illo procident Æthio-
I pes,& inimici eius terram lingent. [Et rursus:]& adorabunt eum omnes reges terre, omnes gentes seruient ei. [Hanc itaque Iudæorum conuersionem ab exordio nascentis Ecclesiæ vsque ad hæc nostra sæcula in dies perseuerasse & legimus,& experientia ipsa duce intuemur: Quoniam per orbem,in locis vbi iam est Ecclesia Dei (& precipuè Romæ), propè diem plerique eorum ad fidem Christi perueniunt. Et quod præcipuum est singulis sabbatis sanctis,& vigilijs pæntecostes,Romæ, ad fontium benedictiones baptizatur fere infinita eorum multitudo, & de cætero perdurabit Iudæorum conuersio (vt dixi) vsque ad finem sæculi, & semper fiet eorum conuersio inpartem & non secundum totum,ita vt omnes Hebrei nunquam simul, secundum suam totam speciem(vt ita loquar) familiam,multitudinemq. vel secundum omnes suas tribus & domus ad fidem conuertentur,donec extremum adueniat iudiciũ
K Dei,Iuxta illud ad Rom.11.)Non enim volo vos ignorare fratres misterium hoc. vt non sitis apud nos metipsos prudentes,quod cecitas ex parte facta est in Israel,donec plenitudo gentium intret, & sic omnis Israel saluus fiet.] An autem in ista Iudæorum conuersione requiratur præparatio ad fidem & gratiam, legito. D. Tho.p.2.q.112.art.2.& præcipuè in sol.ad.2.uum agit de repentina conuersione.S.Apostoli Pauli,& .22.q.2. art.1.ac etiã Abulensẽ tom.5.in Matth.cap.19.q.181. Pa-

§. 4. Conuersio Iudæorum in fine mundi.

Primasius in c.3 Apoc.

Psalm 56. Rom. 11.

Conuersio Iudæorum Romæ.

Conuersio Iudæorum in fine mundi.

A

PARAPHRASIS

Quarta.

Par. 2.

Et scient (dicit tandem) quia ego dilexi te. Episcopus Primasius non legit (scient) vt nostra Vulgata, sed [scies,] & ratio est, quia ipse totum hunc textum refert ad Antistitem, ita etenim vertit: [Ecce facturus sit illos venire ante pedes tuos adorare, & scies quia dilexi te, quoniam seruasti verbũ tolerãtiæ meę.] Et iuxta hanc Primasij versionẽ, propositus textus reddit hunc sensum. Videlicet, cum tibi, o, Antistes Iudæos qui de nobilitate quondam generis extollebantur humiles in fide subdidero, cognosces qualem tibi dilectionem exhibeam.

Eliminatio textus. *§. 1. Lectio Primasij.* *Primasius in comm.*

Hoc tamen loco annotes fas est, hunc Antistitem cognoscere dilectionem Dei in se per lumen gratiæ, Deo interius reuelante, mouendo cor illius spirituales inflammationes, intrinsecas illuminationes, & sanctas iubilationes, Lumen namq. gratiæ ita illustrat animã (cũ Deus vult) vt homo iustificatus, cognoscat interius quãtum sit pondus ipsiusmet gratiæ, & diuinæ dilectionis. Quamobrem D. August. lib. 1. confessionum in hęc verba prorumpit: [Deus lumen cordis mei & panis oris intus animæ meæ.] Quinimmo Angelicus Doctor p. 2. q. 112. art. 4. probat hominem coniecturaliter per aliqua signa, posse cognoscere, se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo, & cõtemnere res mundanas, & in quantum homo non est conscius alicuius peccati mortalis. Idcirco scire huius Antistitis se diligi à Deo, erit proculdubio per signa interiora, vel per peculiarem reuelationem sibi à Deo factam, aut tunc faciendam, & ita nullatenus obstatur sapiens dum Eccl 9. ait: [Nemo scit vtrum sit dignus odio vel amore,] quoniam hoc accipitur certitudinaliter, qua ratione nullus scire potest se diligi à Deo, vel se habere gratiam vt disputant D.D. cum S. Thoma vbi supra.

§. 2. Iustorum specialis prerogatiua est dilectionem Dei in se praecognoscere.

Scire aliquẽ se esse in gratia quomodo intelligendũ veniat.

Legendo tamen cum nostra vulgata. [scient] fit relatio ad infideles ipsos nouiter conuertendos per hunc Antistitem. Et tunc talis est sensus. Nimirum cum ea, quæ dico circa infideles in fide subdendos, eorumque colla iugo meo suaui (te humiliter venerando) submittenda viderint completa, tunc sane scient ipsimet vera esse ea quæ nunc tibi polliceor ac spondeo. Et tunc scire illorum erit per illuminationem fidei & signa exteriora. Illam namque adorationem, humiliationem ac reuerentiam à Iudæis conuersis huic Antistiti præstandam, actum esse exteriorem, nemo ambigit.

§. 3. Lectio vulgata. Legitimus sensus contextus iuxta vulgatam.

Ex quo planè loco colligere vtique licet, Deum sanctorum seruorum suorum festiuos dies, ac solemnitates post multorum annorum curricula à die eorumdem sanctorum obitus celebrare ac nouiter solemnizare per fideles de Ecclesia sancta sua crebrò solere, vt inde sciant gentes quia ipse eos diligit. Quamobrem cũ hic de vnoquoq. Christiano dicatur: [Et sciẽt q a ego dilexi te] & alibi [Nimis honorati sunt amici tui Deus] diem reuerentiæ exterioris, honoris etiam & religionis, ac cultus duliæ, sanctorum imaginibus, ac eorumdem prototypis per Ecclesiam sponsam suam statuere facit, ac præcipit, vt per illam exteriorem religionem, & cultum, signum dilectionis suæ in talem sanctum, ac pium virum illo die apertè demõstretur. Accedit quod B. Augustinus aliam causam adducit per hæc verba: [Quotiescunq. fratres charissimi sanctorum martyriũ solemnia celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus à Domino consequi temporalia benefitia vt ipsos martyres imitando accipere mereamur æterna, &c.] & paulo post [Solemnitates enim martyrum exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat] Hæc D. Augustinus.

§. 4. Festiuitas sanctorum cur celebretur ab Ecclesia.

S. Th. 3. p. q. 25.

D. Aug. serm. 47. de sanctis.

Conceptus prædicabiles in textum.



Vi cælorum continet thronum, quiq. à fine vsq. ad finem attingens fortiter, omnia suauiter disponit, eam semper Ecclesiæ suæ curam obtinuit vt mox vna suborta procella, diuinos aliquos viros, cælitus hùc demiserit, qui calesti doctrina aduersus grassantes passim procellas digladiantes & de eis debellatis ac omnino prostratis ac profligatis, gloriosissimè triumphantes, ipsam Ecclesiam intrepidè defenderent ac in omnibus & per omnia apprimè tuerentur. Quamobrem ipsa mater Ecclesia læta & hilaris suauiter canit, [Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. etenim non potuerunt mihi.] Cuius priora verba putà [Sępe expugnauerunt me a iuuentute mea]. apertè declarant matrem nostram Ecclesiam adhuc paruulam, nec vbera habentem, pleraque expertã fuisse procellas: Posteriora vero verba, nimirum: [Etenim non potuerunt mihi]. manifestè, Deum ei auxiliantem opemque semper ferentem introducunt: [Portæ inferi (dicitur Matth. 17.) non præualebunt aduersus eam.] Hinc proculdubio est quod si ipsa à suis primordijs vidit à latere sinistro Iudæos & gentiles, tela ac sagittas infidelitatis contra eam crudeliter emittentes, vidit etiam à latere dextero Apostolos, Euangelistas, Pastores, & doctores, eorũdem maledicta tela, infidelesque sagittas scuto fidei strenuè ineffabiliter miraculoseque retundentes. Porro si vidit Simonis Menandri, Basilidis, Marcionisq. furorem; Vidit etiam Iustinum, Irenæum diuinæ doctrinæ fulgore tantas tenebras ab ipsis Hæreticis effusas statim dispulientes. Si experta insuper fuit Montanistas, Nouatianos, Eustratianos sub pietatis nomine sua pestifera decreta obtrudere: experta quoque est etiam Firmilianum, Cyprianum, Cornelium Sacrę Doctrinæ inundatione, eorum flammas omnino extinguentes. Rursus si dolens aspexit Arianã pestem per Vniuersũ orbem peruadere, & suo contagio maximam Episcoporum partem inficere: intuita etiam fuit gaudens hilaritateque maxima refferta, ac veluti tripudians, Athanasium, Basilium, Hilarium. Sanctumq. Luciferum Sardum Calaritanum eorumque socios huic malo opportunè occurrentes. Postremo si sentit à sinistro latere Berengarium acutissimum sui temporis Dialecticum, Albigenses, Albailardos, qui totam ætatem in silogismis conficiendis contriuerant, falsi nominis scientię innixos sublimia quadã de se polliceri: sentit etiam à dextro latere Lombardos, Alenses, Aquinates, Gandauenses, Scotistas, Durãdistas, aliosq. theologos scholasticos nuncupatos, artem arte apprimè profligasse, & cum argutis illorum argutijs, posse, & scire congredi. Hinc nullatenus mirum esse alicui debet, si supremus ille artifex Deus qui à fine vsq. ad finem (vt dixi) attingit, hunc Antistitem Ecclesiæ Philadelphiæ, ita sua gratia munierit contra incredulos Iudæos illius temporis vt eosdem credentes iam & fideles effectos, eum pro nos in terra ante pedes eius adorantes ad fidem & ad Baptismum extemplò perduceret. Ob hanc sempiternam eius erga suam Ecclesiam protectionem, Apostolis suis, & reliquis de sua Ecclesia crebrò dixit Christus illa verba [Confidite Ego sum nolite timere.] Quasi dicat. Ego vobiscum sum vsq. ad sæculi consumationem, & id præterea neminem infidelium, hæreticorumuè pertimescatis: Ego enim coram eis daturus sum vobis os, & sapientiam cui ipsi nullatenus cõtradicere quibunt, quinimmo vnicuiq. vestrum dico, quod ego facturus sum, vt adorent ante pedes vestros, & tunc scient quia ego dilexi vos. Quic, quod, cadent à latere vestro mille, & decem millia à dextris vestris, ad vos autem non appropinquabit, puta eorum furor, & immanitas.

Conceptus 1. Quod Deus auxiliatus est semper Ecclesiæ suæ cõtra Iudæos, gentiles ac hæreticos cæterosq. infideles.

B *Ecclesiæ ab initio persecutio.*

Deus sempiternus Ecclesiæ suæ defensor.

Iudæi, & gẽtiles persecutores Ecclesiæ.

C *Simon Menander & alij hostes Ecclesiæ.*

Ariani Ecclesiæ inimici.

D *Dialectici male sentientes de nostra Theologia.*

Matth. 25. Marc. 10. Lucæ 7. Ioan. 11.

E

Lucæ 21.

Apoc. 3. Ps. 90.

Ex

Conceptus 2. Quod ex operibus externis facile colligitur diuinus in nobis amor.



X hoc contextu haud exiguum (immo maximum) specimen diuinæ dilectionis nobis elargitur. Probatio namque dilectionis (teste D. Gregorio) exhibitio est operis, & ob id Deus dilectionem suam erga hunc Philadelphiæ Antistitem probat per illud beneficium adorationis ante pedes eius quod ipse effecturus erat. [& scient quia ego dilexi te .] Perinde ac diceret: Per illud beneficium quod in te effecturus sum, impios ac sceleratos Iudæos ante pedes tuos prosternendo, cognoscent clarè ipsi quod ego Dominus te amo. Quod planè perspicuum apparet eò quòd ad singulos actus, & operationes nostras gratiæ diuinæ adiutoriū, à Deo datur, quo nos cooperantes in melius proficiscimur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 15. [Non ego sed gratia Dei mecum.] Quamobrem per omnia opera nostra bona diuinus ille amor in nobis apertè dignoscitur.

Amor, & dilectio Dei internus facile indagatur ex opera externa.

Quoniam talia opera nostra bona ex diuina sua largitate procedunt sine qua nihil facere possumus, secundum quod scriptum est: [sine me nihil potestis facere.] Ideo concluditur quod per opera externa facilè internus indagatur diuinus amor & dilectio in nobis. Ad quod sane alludit illud Luc. 1. [Fecit im me magna qui potens est.] Quibus verbis, virgo benedicta, quanta ei Deus elargitus fuerat publicè annunciat, & idem prorsus præstitit diuinus Psaltes dum Ps. 65. ait: [Venite, audite, & narrabo vobis quanta fecit animæ meæ.] vbi illa dictio [quanta.] infinita plane beneficia in se collata prædicat quæ indiuidualiter enarrari vix possunt. Quæ autem Deus hominibus communicat beneficia ex eius erga nos & etiam ex nostro erga eum amore plane procedunt. [Dimissa sunt ei peccata multa: (dicitur Luca. 7.) quoniam dilexit multum:] Magdalena namque dilexit Christum, & Christus primo Magdalenam dilexit, quoniam [Ipse prior dilexit nos.] Itaque quemadmodum ex beneficijs externis, quæ Deus contulit Virgini gloriosæ, Dauidi, & Magdalenæ, scimus Deum illos multum dilexisse, sic ex opere adorationis ante pedes, scient impij, & scelerati Iudæi Deum hunc Antistitem multum adamasse. Veluti ex beneficijs qua pater in filium, dominus in seruum, prælatus in subditum & amicus in suum amicum sedulo facit. Patris enim in filium, domini in seruum, prælati in subditum, & amici in amicum amor apertè dignoscitur. Hinc Christo pro Lazaro amico lacrymante dictum fuit: [Ecce quomodo amabat eum.]

Cooperando proficiscimur in melius.

Amor mutuus inter Deum, & homines.

Text. 14.



VONIAM seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



ATIENTIAM istius Antistitis laudans, peculiarem assistentiam suam, ne succumbat in imminentibus tribulationibus, & persecutionibus super venturis, hic promittit Christus, qui semper vicem pro vice reddere amicis suis solet, iuxta illud Cant. 2. [Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur &c.] Quapropter Psalmographus ait: [Custodit Dominus omnes diligenter se, & omnes peccatores disperdet.] Dixerat namque Christus supra huic pastori, [modicam habes virtutem,] nunc vero illimet etiam ait: *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.* Quasi dicat, quia Deus suum semper illi præbet auxilium, cui non deest animi virtus, & constantia, quâ pro ipso sustineat, & patienter agat, eò quòd facienti quod in se est, Deus non denegat suam gratiam: & tu inuper modicam habes virtutem, patiens extitisti, & patienter propter me sustinuisti, ideo sanè ego seruabo te ab hora tentationis, vt non incidas in tentationem, vt non seducaris, vt non decipiaris, immo paratus sis omni poscenti rationem reddere, de ea quæ in te est fide nominis mei.

Patientiæ Encomium.

F

G Hinc proculdubio nobis in angustijs, tribulationibusque haud exigua oritur consolatio, certi quod nunquam deerit Deus, dummodo patienter propter ipsum sustineamus. Ad hoc planè spectat illud sapientis Abigail ad Dauid 1. Reg. 25. [Erit anima tua custodita, quasi in sacculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porro impiorū anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.] Vbi nota ly [rotabitur] sicut enim corpora rotunda, cum sint figuræ sphericæ in omni loco sedent & situm habent, sic iusto forti, locus omnis est accommodatus, quia sicut rotunda ipsa super tabulam collocata ei per punctum indiuisibile adhærent (nihil aliud permittente eorum figura) ita iusti ex diuino adiutorio dependentes, siue tribulentur in corpore, siue afflictiones patiantur, ad ipsum oculos leuantes, secure viuunt, quod eis non deerit diuinum auxilium. Ad hoc etiam specta illud Dauidis Psalm. 93. [Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Et illud

§. 2. Deus nunquā deest his qui pro confessione nominis sui aduersa patiuntur quinimmo semper adest eis in agone.

Simile.

Iustorum prærogatiua specialis.

H etiam Apostoli 2. Cor. 1. [Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & abundat per Christum consolatio nostra.] Cum hoc porro quadrat illud B. Petri Apostoli, qui ad præmium æternæ felicitatis nos haec via conducens ait: [Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.] Quapropter vbi nostra vulgata legit in Psalm. 82. [Cogitauerunt aduersus sanctos tuos.] D. Hieronymus vertit ex Hebræo: [Cogitauerunt aduersus absconditos tuos.] Quibus verbis significat sanctus ille Rex, quam securi iusti sint in agone, hoc est, in medio tribulationis, diuina protecti misericordia, quod ipsemet regius citharœdus apertè indicauit dicens Psalm. 30. [Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.] Ad quod intelligendum nota, quod facies Dei dicitur eius diuina prouidentia, eò quòd quemadmodum id, quod in homine

1. Pet. 4.

I magis manifestum est, id prima omnium facies intuentibus apparet, sic quod in Deo magis emicat, & splendet, est eius diuina prouidentia in suos, & hoc est quod dicit: [In abscondito faciei tuæ abscondes eos,] quasi dicat, quia non proteges eos à parte prouidentiæ, quæ omnibus nota est, sed in abscondito cordis virtutem tribuendo, qua superent omnia, quæ eos pati pro te oportet, & hoc planè est illud, quod significant verba illa, *& ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est &c.* id est: Abscondā te in hora tentationis in abscondito faciei meæ, virtutem tribuendo cordi tuo, vt pote qua omnia quæ pro me pati oportuerit, facilè superes.

K Hinc planè nullatenus mirum est si de Iob Domino dixit Satan: [Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum?] Sed vnde quæso hoc originem habet? Non aliunde planè, nisi quia Christus benignitate, ac humanitate sua, suis amicis vicem semper pro vice (vt dixi) reddere solet; Inde planè est, quod Petro dicenti Matth. 16. [Tu es Christus filius Dei viui] Dominus mox dixit: [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quæ planè verba sic sonare videntur: Tu mihi dixisti, [tu es Christus filius Dei viui.] Et ego dico tibi vicissim, & retributionem

§. 3. Iob. 1.

tionem dictis tuis rependens: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] vt sic pares inueniamur, & nullatenus dispares ab aliquo diiudicemur; Videsne dominum saluatorem nostrum vicissitudinem amicis suis reddentem? Ad hoc ipsum planè spectat illud Gen. 22. [Per memetipsum iuraui dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.] & illud etiam Matth. 25. [Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam,] quoniam vtrobique illud, [quia,] retributionem, siue recompensationē demostrat, & idem iudicium planè est de illis verbis Christi Matth. 25. [Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, &c.] Quoniam tunc inter bonos, & malos vtrinque erit operum retributio. Hinc tandem Petro in nomine omnium Apostolorum dicenti: [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Dominus respondit, [in regeneratione cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos sup sedes duodecim iudicātes duodecim tribus Israel.] Hanc eamdē recompensationem huic Antistiti reddere voluit hìc Dominus dicens: *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.* Simile planè est hoc cum illo, quod Ieremiæ dictum fuit à Domino: [Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.] Perpulchrè sanè Apostolus 1. Cor. 10. dixit: [Non permittet tentari vltra, quod potestis.]

Vicissitudo Dei erga suos.

Retributio diuina erga Apostolos.

§. 4. Verumenimuero dices fortasse, cur Deus cum sæpe seruos suos mirabiliter liberet ex malis, quibus sunt, vel proximi, vel iam subiecti, nō id semper faciat, præcipuè cum id semper facere facillimo negotio possit? Huic difficultati respondetur, multis de causis Deum id non semper facere; primo vt stet ratio suæ prouidentiæ, qua sapienter, & suauiter gubernans omnia, sinere debet causas secundas, vires suas natureles exercere, suos motus agere, & ordinem sibi diuinitus ex alto impositum tenere. Secundò vt cum serui Dei miraculosè à Deo liberantur, clarissimè appareat illud esse diuinæ omnipotentiæ opus, nec ad aliquam naturæ occultam vim referri posse. Si enim liberatio seruorum Dei semper, vel frequenter fieret, non haberent administrationem, ideoq. cessaret ratio miraculi, & ex eo ad multos permanans vtilitas. Nec tam puro, & sincero animo ad fidem amplectandam homines accederent, nec in tolerantia omnis generis cruciatum, & acerbissimæ mortis perpessione tantæ fidei, & gratiæ Christi efficacitas, tanta seruorum eius magnitudo animi, & constātia, tanta diuini nominis gloria elucerect; Id propterea hunc Antistitem, *ab hora tentationis venturæ in vniuersum orbem*, seruabit Christus, & quamplurimos alios fideles Asianos ab eadem tribulatione liberare noluit, quemadmodum septem pueros Machabæos de manibus regis Antiochi (vt dicitur 2. Machab. 7.) eripere minime placuit, & tamen tres iuuenes illos ex manibus Nabuchodonosor (vt dicitur Danielis 3.) miraculosè præripuit.

Quare aliquos seruos suos à malis quibus afficiuntur nō semper liberat.

Miraculosa liberatio seruorum Dei ab imminentibus periculis opus est Dei.

§. 5. Porro animaduertas oportet, Deū *ab hora* illa *tentationis ventura in vniuersum orbem* non tantum hunc liberauisse Pastorem, verum etiam multas oues sibi creditas hoc est, multos sibi subditos. Ex quo facilè colligitur quanta vtilitas subditis sit, habere prælatum sanctum, Deoque acceptum, & carum; cuius interuenientibus meritis, Deus, & peruersos subditos ad pœnitentiam faciendam trahat, & afflictos consoletur, ac etiā pios, & caros seruos à persequutoribus liberet, prout nuper dicebamus.

Prelatorum meritis, multa Deus subditis confert beneficia.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Seruasti (ait) verbum patientiæ meæ.

Verbum planè magnæ patientiæ fuit illud, quod Christus Saluator noster pendens in cruce dixit, nimirum: [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] ipse namq. primus contumelias, & flagella sustinēdo præceptum illud pro persequutoribus exorandi adimpleuit: quod quidem ipsemet nouus legislator in sua lege noua gratiæ statuit, dum Lucæ 5. dixit: [Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.] Et quia ipse crucifixus est, pro persequutoribus exorando, speciem nobis dedit, formamque perscripsit, quam debeamus æmulari, patientiam istius Antistitis commemorans, qui opprobria diu sustinuit, verbum patientiæ suæ, quam in cruce persequutoribus indulgendo obtinuit, in medium prodijt dicens: [Seruasti verbum patientiæ meæ.] Perinde ac diceret: Passus quippe es ad exemplum meum. Vnde apparet clarè, quod patientiam, qua propter eum patiuntur sancti homines, suam Deus vocat, quoniam ipse eam tribuit, & eius est donum, & nostra etiam est, quia ipsa nos armamur, vt contra sui nominis aduersarios dimicemur.

Dilucidatio textus.

§. 1. Lucæ 24. Inimicorum dilectio apprime fundatur in Christo. Orare tenemur pro inimicis.

Patientiam sanctorum, suam appellat Christus.

Variè dispungitur locus iste à Doctoribus, quidam etenim existimant (inter quos est Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 21. in Apoc.) Christū huic Antistiti dixisse: [Seruasti verbum patientiæ meæ] quoniam ipse Christus est patientia nostra, iuxta illud Psal. 70. [Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agētis: quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea à iuuentute mea.] Alij vero putant, Deum patientiam suam vocasse, quam ipse præcepit, & commendauit. Sicuti & legem suam dicere solet, quam ipse tulit, iuxta illud Ps. 77. [Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.] Et Ps. 88. [Si autem dereliquerint filij eius legem meā, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas profanauerint & mandata mea non custodierint, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.] Petrus porro Berchorius Pictauiensis explanans hunc locum aliam adfert expositionem scribens sic: [Et ideo sibi dicitur (nimirum, infirmo, & fragili) quod faciat, quod in se est, & quod seruet verbum, & præceptum Dei, nec deneget per hæresim nomen eius, & sic pro certo Deus seruabit eum ab hora tentationis. &c.] Rupertus etiam Abbas per patientiam exponit dilectionem: sic etenim ait. [Quoniam seruasti dilectionem, scient, quia ego dilexi te, & ego seruabo te ab hora tētationis &c.] Tandem Franciscus Ribera per patientiā exponit, spem, siue sustinere firmiter in Deo, ita namq. in hunc locum scribit. [Sed melius interpretabimur verbum patientiæ meæ, vt sit sensus: expectasti me, sustinuisti me, & credens me esse veracem, & mercedem tibi redditurum pertulisti omnia. Sic loquitur sepe scriptura, vt Ps. 21. spes mea ab vberibus matris meæ, idest, quē ego spero adiutorē, & remuneratorē meū futurū; & Ps. 70. Eripe me de manu peccatoris, & de manu cōtra legem agentis & iniqui, quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea, id est te expecto, & sustineo, scio te mihi præmia pro ijs, quæ patior redditurum, quod clarius dicere solet Propheta, vt Ps. 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.] Sic ille. Omnes hæ sunt plane exactæ & acuratæ expositiones, & nulla textui repugnans, immo mirifinmodū illud explanant.

§. 2. Doctorum variæ explanationes circa Christi patientiam.

Patientia Christi qualis sit.

Cæterum expositio Strabi in sua glossa ordinaria, quam etiam tenet Beda, & Haymo, & illam adhuc sequuntur Sanctus Thomas, & Auctor Incognitus in hisce commentarijs, mihi magis arridet, sic enim exponit Strabus, [Seruasti verbū patientiæ meæ. Præceptū de patiētia quod in me ostendi orans pro persequutoribus.] & ideo illam in prima fronte textus apposui, & quadrat

§. 3. Patientia Christi verè & propriè qualis.

drat cũ Primaſ. qui vbi nos habemus,[verbum patientiæ meæ,] ipſe legit [verbum tolerantiæ meæ,] Quæ enim maior tolerantia vnquam eſſe poteſt, quam inter tot tormenta, opprobria, clauos, & irriſiones, exclamare : [Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt?]

§. 4. Appendix. 1.

Illud primò colligere ex hoc loco fas vtiq. eſt, nimirum, quod ex his verbis ſic interpretatis habetur ratio ob quam inimici ſint diligendi, putà, quia indulgere inimico, eſt verbum patientiæ Chriſti, ideſt, ex eo dumtaxat, quia Chriſtus hoc ita faciendum præcepit ex cruce.

Appendix. 2. Promiſſio Dei ad propoſitum Philadelphiæ quadrat cum magna Abrahæ promiſſione.

Secũdò colligimus, eodem fere ſtylo loquutum fuiſſe Chriſtum per ſuum vatem huic Antiſtiti Philadelphiæ, quo olim ipſemet Deus, per Angelum ſuum, loquutus fuit Abrahæ, dum illi Gen. 22. dictum fuit; [Per memetipſum iurauit dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cęli, & veluti arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quia obediſti voci meæ.] Quæ omnes promiſſiones diuinæ à Deo Abrahæ factæ, originem planè ducunt ab illa ſolemni obedientia immolationis dilecti filij Iſaac, vt perſpicuum euadit ex illis verbis : [Quia feciſti hanc rem,] & rurſus:[Quia obediſti voci meæ,] id eſt, quia promptο animo, alacriq. vultu, & nullatenus toruafacie paratus fuiſti immolare filium, quod ego te facere iuſſeram, ideo benedicam tibi &c. Quamobrem illa repetita dictio [quia,] cauſalis quippe nota eſt, & denotat cauſam meritoriam ex parte Abrahæ. Vnde Cardinalis Caietanus explanans prælibata verba Geneſeos, ita ſcribit : [Et ſi diſpoſuerat Deus ab eterno ſe facturum ea, quæ hic ſubduntur, attamen quia diſpoſuerat ſe facturum ea intercedente hoc merito Abrahæ tanquam cauſa ſecunda Icc irco dixit: Quia feciſti hanc rem, benedicam tibi &c.] Hac Caietanus. Pari etiam modo hoc in loco, quod Chriſtus ſeruaturus ſit hunc Antiſtitem Phyladelphiæ ab hora tentationis, quę ſuperuentura eſt vniuerſo orbi, originem proculdubio trahit ab eo quod Antiſtes iſte verbum patientiæ tolerantiæq. Chriſti omnino ſeruauit, vt ſatis perſpicuum patefacit, ac denotat dictio illa textualis;[Quoniam,] Quemadmodum namque in textu Geneſeos citato, ly [quia] cauſale eſt in promiſſionibus Abrahæ factis, ſic proculdubio in hoc textu Apocalipſeos ly [Quoniam] cauſale etiam eſt in hac promiſſione, huic Antiſtiti Philadelphiæ facta, in vtroq namq. loco reddit Deus vicem pro vice, hoc eſt, retributionem, ſiue recompenſationem. Quod plane non ſolum erga vere diligẽtes ſe, videlicet, amicos ſuos, putà prædeſtinatos; verum etiã erga inimicos, nimirum, reprobos præſtare ſolet miſericors, & iuſtus Dominus vt apparebit manifeſtè in die iuſti Iudicij finalis, in quo non ſolum his, qui à dextris erunt, dicet: [Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c.] Verumetiam ijs, qui a ſiniſtris : [eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c.] Quibus verbis vtrique, putà, bono, & malo viro, vicem pro vice reddet, cum bono cauſam ſuæ gloriæ, & malo cauſam ſuæ pœnæ, per vtramq. ſententiam patefaciet.

Obedientia maxima Abrahæ.

Promiſſio Chriſti ad paſtorem Eccleſiæ Philadelphiæ vnde originem ducat.

Matth. 25.

In iudicio illo magni Dei vnus quiſque recipiet pro vt geſſit.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus. §. 1. Dies naturalis quot habet horas.

Et ego ſeruabo te (inquit) ab hora tentationis. Propriè accipitur hora pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis. Tempus namq. quo ſol in reuolutione, ſiue motu primi mobilis detinetur, diuiditur primo in viginti quatuor partes equales : & huiuſmodi appellantur horæ communes ſiue equinoctiales, & conſtituũt naturalem diem, quas plane diuerſi terrarum habitatores diuerſimodè inchoant. Quoniam Hiſpani à meridie vſq. ad mediam noctem ponunt duodecim horas, & à media nocte vſq. ad meridiem alias duodecim conſtituunt horas. Itali vero ab vno occaſu ſolis, vſq. ad alium, viginti quatuor enumerant horas. Quoniam occidente ſole deſinit vigeſima quarta hora, & incipit prima. Boamij inſuper ab ortu ſolis vnius diei vſq. ad ortum ſolis alterius diei, viginti quatuor ſtatuunt horas, & ſic oriente ſole vigeſima quarta hora deſinit apud ipſos & incipit prima. Aſtrologi præterea ab vtroq. medio die illas incipiunt & finiunt. Et deniq. Eccleſia ab vtraq. media nocte eas enumerat. Secundo diuiditur prefatum tempus, quo ſol in motu primi mobilis (vt dixi) detinetur, in viginti quatuor partes inæquales, quæ horæ planetarum nuncupantur ab Aſtrologis. Quoniam apud ipſos horæ diei cum horis noctis (vt experientia docet) non ſunt ſẽper ęquales in numero verũenimuero quilibet illarum, nimirũ, tam æqualium quã in æqualiũ propriè dicitur hora, quoniam eſt vna ex viginti quatuor partibus temporis, quo ſol in reuolutione, ſiue motu primi mobilis detinetur, quarum vnaquæque verè, & propriè hora nuncupatur. Impropriè vero accipitur hora pro breui tempore, nimirum, cum tempus eſt propinquum, ſiue proximum, aut citò venturum, qua ratione dicitur Matth. 25 [Vigilate, quia neſcitis diem neq. horam.] & 1 Ioan. 2. [Filioli, nouiſſima hora eſt.] Et Ioan. 5. [Vos autem voluiſtis ad horam exultare in luce eius.] Et Paulus in Epiſtola ad Philemonem;] Forſitam enim ideo diſceſſit ad horam à te, vt æternum illum reciperes :] Quibus locis, tempus breue, ſiue cito venturum, horam vocant ſacræ litteræ, & ſic accipitur in præſenti cum dicitur :[Et ego ſeruabo te ab hora tentationis,] hoc eſt, in breui, vel cito venturo tempore tentationis, efficiam, vt non vincaris.

Hora propriè accipitur pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis.

Partes Equales temporis

Partes in æquales temporis.

Legitimus ſit ſus contextus

§. 2. Horá vox eſt ſtatis myſteriola in ſacra ſcriptura.

Verumenimuero ſiue hora accipiatur verè, & propriè pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis, ſiue accipiatur impropriè pro breui tempore, myſterioſa ſanè eſt hæc vox, [hora,] quod plane perinde apparere poterit quod in toto ſacro eloquio vix alia reperiatur vox, hac myſterijs ſacris oppacatior, nec ex qua ſacri expoſitores, tot, tantaq. eliminent arcana, quam ex illa. Quis enim paucis verbis obſtruſa illa ſecreta, quæ omnes tam Græci, quam Latini, Origenes, D. Hieron. D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Greg. & alij quã plurimi circa hanc vocem[horam]enarrauere Doctores, explicare valebit? Omnes namq ſacri expoſitores mira ſcripſerunt ſuper hanc vocem [hora,] vt videre planè licet Ioan. 4. in illis verbis : [Nonne duodecim horæ ſunt diei?]Et Ioan. 5. [Venit hora, & nunc eſt, quã do mortui audient vocem filij Dei.] Et Matth. 20. [Et egreſſus circa horam tertiam vidit alios ſtantes in foro otioſos.]Et paulo poſt: [Iterum autem exijt circa ſextam, & nonã horam]Et Ioan. 14. [Sciens Ieſus, quia venit hora eius.] Et Ioan. 4. [Hora erat, quaſi ſexta, venit mulier.] Accedit porro ad hæc, quod hora per antonomaſiam, pro morte, & paſſione Chriſti accipitur ab Euangeliſtis. Quemadmodum namque nos dum dicimus, Poetam, intelligimus per Antonomaſiam, Virgilium inter Latinos, aut Homerum inter Græcos, & dum dicimus Ciuitatem intelligimus Romam; & ſi Philoſophum, Ariſtotilem; Medicum, Galenum; Muſicumuè ore proferimus. Orpheum mente concipimus, ſic Euangeliſtæ dum ſimpliciter dicunt [horam] mortem, & paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti intelligũt vt patet Matth. 26. [Ecce appropinquauit hora,] Et Marci 14. [Si fieri poſſet tranſiret ab eo, hora.] & Ioan. 7. [Non dum venerat hora eius,]& cap. 12. [Venit hora vt clarificetur filius hominis,] & paulo poſt: [veni in hanc horam.] & mox : [Pater ſaluifica me ex hac hora.]& cap. 13. [ſciens, quia venit hora eius.] & cap. 16. [Ecce venit hora, & iam venit.] & cap. 17. Pater venit hora [In his igitur, & in alijs quamplurimis locis ſacri eloquij, hora ſimpliciter accipitur ab Euangeliſtis per Antonomaſiam pro morte, & paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hæc eſt proculdubio hora tentationis totius mundi, quoniã ſi ab exordio mundi incipimus, tota ſacra pagina hanc veluti metam ſcopumuè apprimè annotauit horam. Omnes inſuper Docto-

Orig. ſup. cãt hom. 2. Cor. Aug de V. Domini ſerm. 59. Ambroſ. ſup. Lucam c. 15. Greg. 1. de re

Hora per Antonomaſiam vocatur mors & paſſio Chriſti.

Doctores, omnes Prædicatores, & omnes fideles Christiani, hanc mirum in modum dilexerunt horam. Hora plane horarum est hæc. Quoniam si ego mereor, virtute cuius quæso mereor nisi virtute huius horæ? si Sacramenta me adiuuant, virtute cuius rogo me adiuuát, nisi virtute huius horæ? si Baptismus me lauat, virtute cuius puto, me lauat, nisi virtute huius horæ? si pœnitentia me reconciliat, virtute cuius, oro, me reconciliat nisi virtute huius horæ? si satisfacio, virtute cuius rogo nisi virtute huius horæ? si denique ego saluus fio, virtute cuius percôtor, saluus fio, nisi virtute huius horæ. Hora igitur horarum, hora plenitudinis est hæc, quandoquidem in hac hora, Prophetæ, Prophetię, Psalmi, & alia pleraq. mysteria, quæ de Christo scripta antiquitus erant adimpleta adamussim fuere. Id propterea ipsemet Christus tunc pendens in cruce dixit: [Consummatum est.] Vides igitur quot, quantaq. sub hac voce: [Hora] degunt mysteria?

Hora plenitudinis est mors & passio Christi.

§. 3. *Hora tentationis non est hora passionis Christi, sed tentationis nostræ.*

Hora, autem quam in textum præmanibus habemus, non est hora sic simpliciter sumpta, sed cum addito, nimirum, hora tentationis, & id propterea non est hora possionis Christi, sed tentationis nostræ. Quamobrē apparet, quod duplex est hora: alia quippe est hora mortis, & passionis Christi, quę simpliciter dicitur hora; & alia est hora tentationis nostræ, quæ hora tentationis appellatur, inter quas duas horas haud exiguum interest mysterium. Quoniam misericordiorem, & propitiorem se ostendit Christus nobiscum in hora tentationis nostræ, quam se ostenderit secum in hora mortis & passionis suæ. Quod planè ex eo liquet, quoniam in hora tentationis nostræ se hîc nos liberaturum promittit, dicens: [Seruabo te ab hora tentationis,] at vero hora mortis, & passionis suæ noluit se (cum reuera facilè potuisset) à persecutoribus (talem acerbam & rigurosam mortem in ipsum machinantibus) liberare: Quinimmo illis hilari vultu dixit Lucæ. 22. [Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.] Perinde ac diceret. Nunc non mihi indulgeo, nunc non me à vobis ferno, nunc non intendo iterum in Ægyptum ad euitandā Herodis iram fugere; nunc non curo transiens per medium vestrorum ire; nunc non me abscondam exiens de templo lapides euitando, sed manibus vestris liberè lubens, spontè ac voluntariè hilarescens pro peccatoribus paratus mori me trado: quoniam. [Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum,] Ideo si propter me orta est hæc tempestas (vt sane orta est) accipite me & mittite me in mare passionis amarum. Vides igitur qualiter Christus in hora passionis suæ sibi ipsi nullatenus voluit indulgere, & in hora tentationis nostræ nobis semper piè indulget? Ad hoc ipsum planè spectat eius fatigatio itineris Samariæ, quoniam, vt mulier Samaritana quiesceret, ipse fatigatus fuit ex itinere. Hùc etiam tendit eius ieiunū in deserto, quia ad hoc, vt nos panē nostrū quotidianum in saturitate comederemus, ipse voluit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto ieiunare. Denique vt nos à tentationibus securi esse possemus, ipse voluit tentari, iuxta illud Matth. 4. [Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur a diabolo.] His igitur de causis ipsemet Christus huic Antistiti dixit: [Et ego seruabo te ab hora tentationis.] Et id propterea nemo te deuincere, aut debellare valebit, ego etenim ero tecum in illa hora qua fiet tentatio, (vt exponit S. Thomas in hisce commentarijs) non vt non tenteris, sed vt non vincaris: [Et saluabo eos (dicitur Oseæ. 1.) in Dño Deo suo, & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.] Quibus verbis docet Dominus, quod licet ipse crebrò per exercitum saluare soleat, tamen modo sine armis & exercitu coacto saluare promittit. Ac si apertius dicat. Soleo concedere victoriam per huiusmodi instrumenta, arcum, gladium, æquos, & æquites, sed nunc nolo per hæc, sed per memetipsum parare victoriam. Et hoc eodem modo promittit nunc se seruaturum hunc Antistitem per semetipsum absq. arcu, gladio, & absq. æquis, & æquitibus, dum illi dixit: [Et ego seruabo te ab hora tentationis.] Quod reuera singulare Dei beneficium procul dubio reputandum venit. Eximia siquidem Dei misericordia est sine militum, & armorum strepitu, & absq. exercitus coactione victoriam adipisci, vel saluari ab inimicis. Ex hoc planè apparet, Christum noluisse hunc Antistitem tentari tentatione fortis incussionis: quia forsitan defecisset. Vnde, & nos hanc tentationem recusamus, cum in oratione Dominica dicimus: [Et ne nos inducas in tentationem.] Quoniam secundum Gregorium, in tentationem inducere, est in tentationis illecebras noxium ire, vel vltra illud, quod possumus resistere, tentari permittere. Cognoscit etenim Deus figmentum nostrum, & id propterea non permittit nos tentari vltra quod possumus sustinere, vt cum tentatione prouentum faciat.

misericordiorem se ostendit Christus nobiscū quā secum.

Christus hilariter se tradidit ad mortē, & passionem, pro nobis.

Ionæ 1.

Præsidium diuinum erga fideles.

Saluari absq. armis, summum Dei donū est.

Tentatio fortis incussionis multos prosternit, ac deuincit.

D. Greg.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus.

§. 1. *Variæ Doctorum circa textum opiniones.*

Tentare (ait tandem) habitantes in terra

Non est concors omnium Doctorum exponentium, huius loci enodatio. Quoniam (vt alios omittam) D. Ambros. existimat hîc sermonem fieri de iudicio vniuersali, ita etenim scribit in suis commentarijs. [Hora tentationis, diem iudicij significat: tentationem autem pro manifestatione posuit; quia singulorum facta omnibus manifestabuntur, a qua hora tentationis, nos & omnes electos suos Dominus saluabit.] In hanc eamdem sententiam perstitisse reperio Dionysium Carthusianum.

§. 2. *Areth. Primas. Haymon.*

Porro Arethas, Primasius, Strabus in sua gloss. ord. Beda, Haymo, S. Tho Auctor incognitus & alij multitudine fere infiniti Doctores, putant hîc per tentationem debere intelligi Antichristi persecutionem.

§. 3. *Dionisius Cartusianus in comment.*

Rursus per hanc horam tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, quidam putant (inter quos est Dionysius Carthusianus) posse ad literam magis refferri ad huius Episcopi tempus, ita vt de persecutione Christianorum à Romanis Imperatoribus, eorumque satellitibus accipiatur. Iam enim quando Ioannes hæc scripsit, cœperunt hi Ecclesiam generaliter persequi.

§. 4. *Strabus S. Th. Doctor Incog in comment.*

Attamen discentiunt inter sese huiusmodi D. D. in hoc, nimirum, quia Strabus in sua glossa ordinaria S. Thom. & Auctor Incognitus asseuerant intelligendum esse de vniuersali persecutione, quam Domitianus per vniuersum orbem terrarū in Christiani nominis cultores excitauit. Constat si quidem primam Ecclesiæ Dei persequutionem fuisse sub Nerone: Secundam vero sub Domitiano. Sed horum positio nequit subsistere, eò quòd Ioannes Apostolus, & Euangelista, vt crebrò dicimus, tempore huius maximæ persequutionis, afflictionisq. Domitiani, inferuentis olei dolium Romæ ab eodem Imperatore Domitiano missus exiuit, à quo cum illesus exijsset, in Patmos insulam relegatus fuit, vbi relegatus, & exilio traditus, hanc & vidit, & scripsit Apocalypsim. Quare hæc tentatio tunc ventura in vniuersum orbem nequit esse Domitiani persequutio cum hæc iam instaret, & iam diu ita sæuiret vt in parte iam discesserit, & illa esset omnino tunc ventura.

§. 5. *Quarta opinio, & probabilior.*

Tertia generalis persecutio Ecclesiæ.

Icciro mihi magis arridet aliorum Doctorum opinio, quę asserit hîc sermonem fieri ad litteram de generali tentatione, & afflictione in vniuersam Ecclesiam quæ accidit tempore Traiani, appellata communiter ab historicis, tertia persequutio. Post Domitianum enim, Traianus genere Hispanus, Cognomento Vulpius Crinitus, decimus quartus Romanorum Imperator Ecclesiam Dei adeò persequutus fuit, vt terribili edicto aduersus Christianos promulgato per vniuersum orbē Christianismus maximas perpessus fuerit pressuras. Meminit

minit huius persequutionis, & edicti Plinius lib. 10. Epist. 101. Eusebius lib. 3. hist Eccles. cap. 32. Nicephorus lib. 3. cap. 16. & 17. Quę plane sententia, cæteris omnibus probabilior (ad literam) apparet. Tùm quia hæc persequutio accidit post obitum sancti Apostoli & Euangelistæ Ioannis, & probabile est, quod sanctus Euangelista in illo suo exilio, futuram illam fore præuiderit, vt indicare videntur illa verba: [Seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in vniuersum orbem, &c.] Tùm quia Traiani Imperatoris tempore, mortuus fuit Apostolus, & Euangelista Ioannes, & fieri potest quod ante obitum, suum Ecclesiæ Dei præmoneret de futura crudelitate, in eam, per Imperatorem illum suo tempore regnantem. Tùm quia in hac prima reuelatione, quod vni Ecclesiæ dicitur, omnibus dicitur; quare quod hìc vni Episcopo, vel vni Ecclesiæ loquitur, fieri potest, vt vniuersæ Ecclesiæ loquatur; & sic de persequutione Traiani, tunc in breui tempore certo futuram vniuersæ Ecclesiæ rationem reddit. Ne cum extemplo venerit, fideles de vniuersa Ecclesia negligentes oblitos ac incuriosos fortè reperiat. Iacula enim quæ præuidentur minus feriunt.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

§. 6. Christus nunquam defuturum se promittit Ecclesiæ suæ.

Annotabis tamen primò hìc, Dominum nostrum Iesum Christum Ecclesiæ suæ sanctę etiam promittere, se ei nunquam de futurum suo auxilio in omnibus suis tribulationibus, prȩuidentem eius veram fidem, quæ patienter expectat aduentum eius. Legito de hoc argumento Primasium, & Iacobum Suarez à santa Maria in hisce suis commentarijs; ad quod alludit illud: [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi.]

§. 7. Tempus breue dicitur hora.

Secundo annota: [Horam,] hoc in loco non propriè accipi, quinimmo breue tempus, horam appellari, veluti 1. Ioan 2. dicitur: [Filioli nouissima hora est.] Et Epist. ad Philemonem. [Forsitam enim ideo discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes:] & Ioan. 5. [vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius:] In quibus omnibus locis, hora accipitur pro breui tempore. Quadrant dicta cum sancto Thoma, qui hunc locum ita dispungit: [Seruabo te ab hora tentationis, id est, ab ipso exordio, quo incipiet, vel ab hora tentationis, id est, à tentatione in hora, qua fit.] Sic ille.

§. 8. Tentatio dici potest qualibet persequutio afflictio, & tribulatio.

Annota tertio, quod tentatio hoc in loco vt asserit Haymo, pro deceptionis lapsu accipitur. Nihilominus tamen quælibet persequutio, afflictio, tribulatiouè appellari potest tentatio, eo quod homo per eam examinatur, & qualis sit noscitur. Sic enim Deus tentat electos, quia per aduersa & aspera, de eorum perfectione accipit experimentum, probationem, seu euidentiam, non vt ipse agnoscat, sed vt alijs ad ædificationem patescat, Iccirco illud: [Seruabo te,] teste D. Thoma in hisce suis commẽtarijs, ideo appositum est, vt significet hoc, nimirum efficiam, non vt non tenteris, sed vt non vincaris. Quare si hæc tentatio accipiatur ex parte diaboli tentantis, erit hoc (vt ait S. Thomas hìc) ad deijciendum Christianos, quorum est aduersarius: Si verò accipiatur ex parte Dei permittentis, erit ad Christianos probandum in fide, & in eadem proficiendum. Solet namque Deus seruos suos multipliciter tentare. Primò ardua præcipiendo, & sic tentauit Abraham, dũ Gen. 25. dicitur: [Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, tolle filium tuũ, quẽ diligis. Isaac:] Secundò tentat magnifica erogando, & sic tentauit populum suum, dum Exod. 16. dicitur. [egrediatur populus, & colligat, quę sufficiat per singulos dies, vt tentẽ eũ:] Tertio tentat aduersa permittendo, & sic tentauit Israelitas per desertum dum Deut. 18. dicitur. [Recordaberis cuncti itineris, per quod induxit te Dominus Deus quadraginta annis per desertum vt affligeret te, atq. tentaret.] Quarto tentat Deus benignè erudiendo, & sic tentauit Christus Philippum, dum Ioan. 6. illi dixit: [vnde, ememus panes, vt manducent hi.] Vnde mox sequitur in textu: [hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.]

Tentat Deus multipliciter

F Sed dices, quomodo hic affirmatur, quod Deus tentat seruos suos, cum Iacob. 1. dicatur: [Deus neminem tentat?] Ad hoc dico, quod duplex est tentatio, prima probationis, secunda vero deceptionis. Cum enim quis tentatur vt probetur, & vt eius fides, patientia, humilitas, & alia eius opera bona illuscescant, & alijs innotescant; talis tentatio dicitur probationis. Hinc D. Augustinus ait: [Tentaris vt exercearis, probaris vt qui nesciebaris, à temetipso inueniaris.] Et talis tentatio probationis est à Deo, iuxta illud Deut. 13: [Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non.] Et hanc tentationem petiuit Psalmista, dum Ps. 25. dixit: [Proba me Deus, & tenta me.] Cum vero quis tentatur, vt decipiatur, sic tentatur à concupiscentia sua, & non à Deo, & tunc Deus neminem tentat, vt ait Iacobus. Quoniam Deus intentator malorum est, erit autem tunc talis tentatio vel à carne: G Quoniam [caro concupiscit (vt dicitur ad Galatas. 5.) aduersus spiritum,] vel à mundo, quoniam. [In mundo (vt dicitur Ioan. 16.) prȩssuram habebitis:] Vel tandem fiet à diabolo, quoniam [Aduersarius vester diabolus (vt dicitur. 1. Pet. 5.) tanquã leo rugiens circuit quærẽs quem deuoret:] Vnde perpulchrè ait Strabus in sua glossa ordinaria super. Ps. 25. quod aliter tentat Deus, aliter homo, & aliter diabolus. Nam Deus tentat salubriter, homo vero bonus tentat vtiliter. At vero diabolus, caro, & homo malus tentant hostiliter.

§. 9. Difficultas. Soluitur difficultas. Tentatio duplex. Tentatio deceptionis est ab aliquo animæ hoste.

De Christianis autem qui in hac vniuersali tentatione nullatenus diffecerũt: affirmare planè possumus illud Iacobi. 1: [Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.]

§. 10. Encomiũ tentationes vincentium.

H



ECCE venio cito: tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam Tex. 15.

COMMENTARIVS.

DE MORTE & electorũ corona, hic est prorsus sermo. Litterã tamen cõtextus primò compingamus, vt sic voti compotes melius euadere queamus. Doctores namq. qui superiorem textum: [Et ego seruabo te ab hora tẽtationis &c.] de persequutione vltima Antichristi, siue de extremo iudicio exoluunt, ex consequenti, necessitate compulsi, hunc alium textum, *venio cito, &c.* de propinquitate aduentus Christi ad orbem iudicandum expendunt. Hinc S. Thom. cum glossa ordinaria. & Haymone sic dispungit: [Ecce, quasi dicat in promptu est, venio idest veniam, sed sic loquitur, vt ostendat propinquitatem ad iudicium, vt nos remuneret, cito Haymo, cito fit omne, quod transit, vel hoc dicit, quia mille anni ante oculos Dei, sicut dies vna:] Ita sanctus Thomas. Attamen explanatio hæc, moralis quidem est & nullatenus litteralis, vt ex superioris textus enodatione facilè deducitur. Quamobrẽ præstat proculdubio præfatum textum. *Ecce venio cito*, de istius Antistitis obitu exponere, eò quòd supra illi Dominus pollicitus fuit, se illum à Traiani persequutione superuentura liberaturum: quæ quidem afflictio futura quippe erat ad Christiani nominis cultores, dirè crudeliterque trucidandos. Et cum melius sit mori (vt dicitur 1. Machab. 3.) quam videre mala; vt aliquantulum sanctus Pastor consolaretur; accelerata in breui futura eius morte, adeo illi hic sub his verbis reuelatur: *Ecce venio cito*, quasi dicat: Adueniente iam Traiani crudeli gladio, breuiter ego tecum adero, morte corporali,

Explanatio contextus. §. 1. I K Explanatio S. Thomæ glossæ ord. & Haymonis est moralis.

porali, translaturus te ad patriam, ibiq; te abscondam in abscondito faciei meæ à conturbatione hominum. Quadrat cum hac expositione nostra Lyranus qui sic expendit: [Ecce venio cito ad te accipiendum,] & Rupertus Abbas, qui sic exoluit: [Ecce venio cito, non longum abest tentationis tempus, a quo te oporteat seruari, immo quasi hora est, quia cito transit, ecce enim venio cito, venio disrumpens vincula tua, vt solutus, & peregrinus à corpore præsens Deo sis, & illa re perfruaris cuius hic pro consolatione intelligentiam habere meruisti] Sic ille. Idem prorsus videntur sentire Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 22. in Apo. & Franciscus Ribera in hisce suis commentarijs. Et ne interim, dum hæc fierent, sanctus pastor, suam à Deo sibi datam gratiam per aliquod læthale scelus fortasse amitteret, protinus illi subiungitur. *Tene quod habes* quasi dicat: Perseuera in fide, & in bonis operibus, vt exoluit Anselmus Laudunensis in sua interlineari Glossa. Vel tene gratiam, & perfectionem (vt exponit Lyranus, & Petrus Berchorius Pictauiensis. Vel *Tene quod habes*, subditos tuos à lupis custodiendo, vt expendit Autor Incognitus. Vel *tene* permitentis custodiam, & vitæ diligentiam perseuerando *quod habes*, scilicet gratiam, & vitæ tuæ merita, vt explanat S Thomas innixus verbis Iob. 27. [Iustificationem meam, quam cæpi tenere.] Nemo namq; sanctorum in hac vita est tam prouectæ virtutis, tamq; palmæ propinquus, vt ea priuari nequeat per aliquod peccatum, vel comissionis, vel omissionis, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. [Qui se existimat stare, videat ne cadat.] Et tandem ne existimaret Pastor iste videndo se ita sanctum, pium, ac iustum, Deoq; charum ac dilectum, manum Domini in sanctitate sua abbreuiatam fuisse, protinus illi additur, *ne alius accipiat coronam tuam*, quasi dicat, quemadmodum te sanctum, pium, ac iustum, mea gratia, feci, sic in dies alium sanctiorem, ac te iustiorem, eadem mea gratia, facere possum, ideo in humilitate certo pede consistere, ne moto pede corruas, & corruendo coronam tibi præparatam amittas, & alius in locum tuum succedens, illam accipiat. Vel aliter, conserua fortitudinem, & patientiam tuam pergens vt cœpisti, & nullis terroribus persequutionum cedens, ne (si ijs succubueris) alius prote substituatur, qui mercedem, & coronam vitæ æternæ referat, quam tibi parauceram. Vel tandem, fortiter custodi gratiam, & virtutes, quibus vsque modo laborasti in fide, ne, tua desidia amittas illam, (quæ tibi præparata est) *coronam*. Hinc D. Gregorius lib. 22. moral cap. 6. sic scribit: [Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quam quædam itinera agimus, perquæ ad patriam festinamus; sed quid prodest, quod cœpimus multa, si ea quæ ad perueniendum restant negligantur reliqua? More itaq; victorum nequaquam debemus aspicere, quæ bona, nec dum fecimus, sed eo quæ non iam fecisse gaudemus] Sic ille. Non est plane absolutus debitor, qui multa, sed qui omnia reddit: Nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte stadij currit, si iuxta metas veniens, in hoc quod est reliquum deficit. Semper igitur in melius ambulantes, ne amittamus quæ bona gessimus, perseuerare nos oportet.

Continuatur explanatio cō textus.

Vita inmelius cōmutanda per pœnitentiam.

Præsumptio in sanctis & arrogantia omnino, detestanda.

Patientia continuanda.

Vide Iacobū Suarez à sancta Maria ser mo. 22. id apo.

Semper festinandum est ad celestem patriam.

Simile.

Simile.

PARAPHRASIS Prima.

Par. 1. Enucleatio textus.

§. 1. Obitus diem scire quis est peculiare Dei beneficium.

Ecce (ait) venio cito. Singulare plane Dei beneficium, & satis magna diuina gratia est, diem obitus sui quis diuinitus præscire. Hoc plane magnum Dei donum est, quod sanctis suis dumtaxat ipse misericors pater præstare solet. Hinc Venerabilis Sixtus Sacerdos ac Antistes, morti pro Christo propinquus, sancto Laurentio pro eodem Christo Domino, mortem iussu Dei, prænuntiauit dicens [Noli fili mæstus esse, post triduum me sequeris.] De sancto etiam Ambrosio sic legitur [Antequam in morbum incideret mortis suæ diem prædixit.] In vita in super sancti Pauli heremitarū auctoris, sic scribitur [Diluculo Paulus de morte quæ sibi instaret admonens Antonium hortatur vt pallium quod ab Athanasio acceperat ad inuoluendum suum corpus afferret] Porro de eodem sancto Antonio sic inuenimus scriptum [Qui aliquando quintum & centessimum annum agens, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, conuocatis monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate miraculis clarus migrauit in cęlum] Et de sancto Augustino ita narrat eius historia [Itaq; cum discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos Dauid qui ad pœnitentiam pertinent in conspectu propositos, profusis lacrymis, legebat.] ò singulare Dei beneficium inter innumera alia eius beneficia merito laudandum, ac prorsus totis viribus expectandum. Optime proculdubio quotidie canit sancta mater Ecclesia, dicens [Prætiosa in conspectu domini mors santorum eius] vt igitur paratus esset mori Antistes iste sanctus, Dominus ipse diem obitus sui prædixit per hæc verba [Ecce venio cito] quasi dicat Vigila amice quia iacula quę præuidētur minus feriunt, & sciendo me cito venturum, me expecta, & corporis tormenta pro nihilo fac. Veniam etenim cito ad te, transferendo te de via ad patriam, de tribulatione ad gloriam, demerito ad præmium. Quo plane verbo dominus ipse huic Antistiti (& omnibus sanctis suis simul cum illo, dum ipsi à tyrannis & fidei hostibus crudeliter & dirè affliguntur) consolationem haudexiguam omnino infundit, & ad patientiam & laborum tollerantiam, miruminmodum excitat. Nihil etenim iucundius (vt verum fatear) sanctis Dei euenire potest, quam diem obitus sui ex alto scire. Magna proculdubio consolatio nauiganti datur, cum illi post longam multorum dierum nauigationem, breue reliquum iter ad ciuitatem quam petit ab experto nauta prædicitur. Tunc etenim eleuat ad cælum manus, tunc vehementer lętatur, tunc res suas cautè componit, &c. Nauigatio nostra ex hac vita ad patriam, nimis sanè longa est & multorum dierum curriculo implicata, hinc Dauid in dies dicebat [Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c.] vt dùm diuinitus de eius vicinitate præmonimur mirumimodum lætemur.

San. Maximus Epis. hom. 2. de santo Laurentio.

D. Hieronymus in vitis patrum.

Mors D. August. præscita.

Mors Antistitis Phyladelphiæ præscita.

Comparatio.

§. 2. Porro quadrant hec verba [Ecce venio cito] cum illo Iob. 14. [Breues dies hominis sunt,] quoniam vtrobiq: accelleratus aduentus domini, quo nos translaturus est ex hac pręsenti vita ad patriam attingitur, Quæ consideratio breuitatis vitæ sufficere debet vt mala que nos hìc præmunt, æquo animo sustineamus, vt illis vitam adipisci possimus æternam. Iccirco D. Chrysostomus hom. 36. adpopulum inquit. [Vide quanta Dei clementia mortem tibi redemire posse, non temporalem concessit, nec breuem vitam hanc, sed æternam illam emas, illam tibi vendo futuram non præsentem hanc; Non illudo tibi, hanc si accepisti, nihil accepisti, illam noui quanti sit prætij] Non enim Deus suis, rem tam paucis duraturam diebus, qualis vita præsens est, donare vult, sed æternam præparat eis felicitatem. Hinc de hac præsenti vita dicitur Sap. 2. [& transibit vita nostra tanquam vestigium nubis & sicut nebula dissoluetur que, fugata est à radijs solis & à calore eius aggrauata.]

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Tene quod habes (ait deniq;) vt nemo accipiat coronam tuam. Exhortatio, minatuè omnipotentis Dei est hac, ad electos, vt in bono in-

cœpto nullatenus deficiant, quinimo constanter perseuerent & intrepidè persistant. Quemadmodum.n. Puero dicere solet pia mater (cum ipsum vult inducere ad sugendum) tene vbera, ne dem alijs, ita prorsus se habent præfata verba.

Comparatio.

§. 2.

Electorum numerus facilè cognoscitur. Comparatio.

Verumtamen ex hac mina, numerus electorum facilè dignoscitur. Quemadmodum namq; natura, teste Aristotele 4. lib. phys. cap. 6. 7. 8 & 9. ita vacuum & inane penitus abhorret, vt ne in ea detur, residente corpore aliquo abvno loco, siue aliqua portione alicuius elementi, protinus aliud corpus, vel alia portio alterius elementi eiusdem quantitatis, & magnitudinis id ipsum locum tenere aut occupare euestigio curat. Ad quod plane præstandum, ignem experimur descendere contra suam naturam ad inferiorem locum, & aquam perfistulam efusam ascendere sursum, si fistulæ orificium non sit clausum. Pari etiam modo auctor naturæ Deus vacuum ac inane locum electorum in patria ita penitus abhorret, vt sua diuina prouidentia factum sit, vt vno deficiente electo, alius mox in eiusdem locum subrogetur, donec electorum numerus adimpleatur. Hùc sanè tendit illud Isa. 46. [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, & loquutus sum & adducam illud, creaui & faciam illud] & illud etiam Iob. 34.] Conteret multos innumerabiles & stare faciet alios pro eis] Nec non illud Matth 21. [Ideò dico vobis quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius] Et demq; illud Apostoli ad Rom. 11. [Fracti sunt Rami eius vt ego inserar.] Quamobrem hoc in loco, teste Primasio electos (quos secundum propositum sanctos, Apostolus vocat) stupenda prorsus consideratione cognoscimus. [Quos presciuit (ait) & prædestinauit conformes fieri imagines filij eius] Ostendit enim hoc in loco huic numero nec addi quenquam posse, nec minui, cum sic, istum propriam coronam dicit amittere vt alius percepturus accedat. Vnde intelligitur nec alium posse succedere, si quod ille tenuit, perseueranti fide, custodiat. Sic etiam Iudæorum elatio est frustrata; qui de stirpe Abrahæ gloriabantur, Potens enim est Deus (inquit) de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ vt certa promissio maneret ex munere & gloriatio carnalis vacuaretur ingenere. Hinc Haymo in hunc locum ita habet [Cum certus sit Deo numerus electorum dum remunerationem sibi promissam ob sui perdunt negligentiam, ne locus illorum vacuus remaneat, alij in locum eorum subrogantur. Sicut de Iudæis & gentilibus. Iudæis enim fuit promissa corona quam acceperunt gentes.] Et Rupertus Abbas, sic perdocte ait] Et quidem hoc fieri non potest vt eorum quisquam perdat coronam suam, quos Deus presciuit, & ad coronam prædestinauit, verumtamen & fieri potest & factum est, vt ille coronam perderet quem Deus ad coronam vocauit, vocatione visibili: siue quæ ab hominibus potuit audiri; nam exempli gratia Iudam dominus ad coronam vocauit Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit; quia corona indignum fore præsciuit. Vnde & coronam eius scilicet Apostolatus honorem alius accepit, sicut scriptum est. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter. Nemo ergo quamdiu certat, multum de corona confidat, quia videlicet si omnium præscius Deus caput tuum in fine dignum corona fore scit, tu tamen nescis] ita Rupertus.

Sedes electorum ad implendæ.

Iudeis fuit promissa corona quam acceperunt gentes.

§. 3.

Iudicij et oculti diuina dispositio qua alios pro alijs stare facit. Fauores maximi Dei ad populum suũ.

Oculium itaq; iudicium Dei disponit, vt aliquando quod pleriq; tenere videbantur, amittant, & alij quod illi ex demeritis perdiderunt, accipiant. Quamobrem in Angelorum, qui ceciderunt locum, homines substituti sunt. Populum insuper illum antiquum Deus sibi elegerat in peculium de cunctis gentibus, cui mysteria sua reuelauerat, cui legem dederat, cum quo pactum assumendi humanam carnem inierat, quod

F tandem adimplens, venit in mundum; sed mundus eum non cognouit, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, diuina tamen misericordia in eorum locũ gentes subrogauit, in quibus fides sua, indies proficeret. [Vobis (dicitur Act. 13.) oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: Ecce conuertimur ad gentes] Duodecim præterea Apostolos elegerat Dominus, secundum antiquas figuras huius numeri, quorum vnus, nimirum Iudas defecit, & noluit ipsemet dominus Iesus Christus ex hac vita migrare, quin alium ad vitam lucraretur, id propterea latronem conuertit in cruce, & Mathiam postea in locum Iudæ elegi ordinauit. Porro in locum hereticorum & schismaticorum nostri temporis, varias indiarum ac Insularum ex nouo orbe, siue ex quarta mundi (quam Americam vocant) parte, nationes ad fidem & Ecclesiam peruenire intuemur. Fulgebat namq; olim in
G Græcia & in tota hac nostra Europa, ac etiam in Asia vniuersa, fides Christianaq; religio; at nunc Græciam turcis tributariã, Asiam ab agarenis occupatam, Europam, Fera pessima hæresi deuoratam exparte magna aspicimus. Proh dolor, Conuerte quæso oculos ad Germaniam, Poloniam, Angliam, & Galliam, & videbis plane qualiter fides orthodoxa, falsis Lutherij, Caluini, Betzæque dogmatibus Ecclipsim passa fuerit in quorum sane locum, Deus optimus maximus, Americam illam (vt dixi) priscis incognitam orbis partem labore & industria hominum (ipso tamen in eis operante) discooperiri voluit, vt veritas Euangelij quam Lutherus, Caluinus, Betza, & alij heretici abiecerunt ibidem prope diem quasi semen fæcundum terræ mandaretur, ex quo sane fides nostra catholica adeò magna suscepit incrementa vt ragiones illæ longinquæ
H ad fidem conuersæ, reliquas tres orbis partes amplitudine, omniumq; rerum magnitudine apprimè exuperent. Vides igitur ocultum Dei iudicium, quo diuina illa sapientia, alios pro alijs stare faciat? Dicat igitur Apostolus (& merito sanè,) ò altitudo sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprahensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Quamobrem nequis nostrum retrogrediendo à semita virtutis incœpta præmissa corona indignus reputetur, exclamat noster Archipropheta, dicens [Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam] eò quod sicuti Deus noster prope diem punctualiter misericordia, ita prorsus punctualiter iustitia vtitur.

Iudæ lapsus reparatur per latronem & Mathiam.

Grecia & Asiæ ruina.

Indiarum occidentalium, ad fidẽ orthodoxa conuersio.

Fidei extensio maxime apud occidentalem Indiã.

Appendix 1.

Vnus loco alterius subrogatur.

Præmoneo tamen primò, quòd cum certus sit numerus saluandorum, si vnus iustus ceciderit aut pe-
I rierit, alius in gradũ eius seu locum succedit. De quare Lyranus in textu, exemplum adducit, dicens [Cadentibus enim aliquibus a Iustitia in præsenti, alij eis subrogantur sicut patet in legenda quadraginta martyrum, quia vno ex eis cadente, clauicularius subrogatus fuit & eiuscoronam accepit] Sic ille. Quamuis enim nec prædestinatus possit corona priuari, nec præscitus eam sortiri in sensu composito, putà vt talis & per comparationem ad prouidentiam Dei: tamen vtrique, putà, prædestinato & præscito manet liberum arbitrium & ob hoc ille potest damnari. & iste saluari, insensu diuiso. Legito de hoc Angelicum Doctorem, p. p. q. 23. art. 6. quærentem an reuera sit prædestinatio, aurea plane verba ibi proponit, & præcipuè in solutione ad 1. vbi sic habet. Corona dicitur esse alicuius dupliciter vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam
K amittit, alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur quodamodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens; Alius autem illam coronam amissam accipit in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere quin alios erigat, &c.] In eadem met verba omnino prorumpit hic idem Angelicus Doctor in hisce suis commentarijs sic scribens.

Prædestinatus an possit reprobari.

De

De prædestinato est loqui dupliciter, aut secundum se & absolutè, aut in respectu ad prædestinationem. Primò modo loquendo, potest homo qui est prædestinatus peccare finaliter & coronam perdere, & sic damnatur vt patet, quia liberum arbitrium habet non confirmatum quo potest velle malum & manere finaliter in eo Secundo modo loquendo, non potest, quia non potest fieri vt hæc duo simul sint, scilicet, quod ille sit prædestinatus & damnetur. Secundum primum modum, loquitur dominus, in hoc verbo [tene, &c.] loquitur enim secundum illud quod est exparte hominis qui quantumcumque sit prædestinatus oportet quod perindustriam liberi arbitrij se disponat ad coronam alioquin non est prædestinatus nec saluabitur. Deus enim prædestinans, exigit conatum liberi arbitrij sicut supra premisserat illi Episcopo vt illum conseruaret, & tamen post persuadet ei constantiam ne succumbat: Quia Deus hominem hoc modo conseruaret, scilicet si homo diuinæ gratiæ cooperaretur, similiter est in opposito. Si autem non perseueraret finaliter eo ipso habetur quod non est prædestinatus] Hæc Sanctus Thomas.

Appendix. 2. Prædestinatorum corona qualis.

Rursus præmoneo secundò, prædestinatum accipere coronam ab alio, non eamdem numero, sed consimilem in gradu.

Appendix. 3. Episcopus phyladelphiæ creditur prædestinatus.

Tertio Præmoneo, Episcopum hunc Philadelphiæ videri à multis prædestinatum fuisse, quoniam multum commendatur à domino & in nullo arguitur, vnum vtique est, quod si illud verbum [tene, &c.] accipiatur generaliter, tanquam monitio facta hominibus singulis, potest intelligi tam de prescito iusto quam de prædestinato. Quoniam negandum non est præscitum quantum admeritum pro statu præsentis iustitiæ coronam habere. Quia si tunc decederet saluaretur, licet nonquantum ad finalem statum (vt prodit hoc in loco S. Thomas) quia non perseuerabit. Veruntamen non hoc impedit, quin ex stylo loquendi colligamus, hunc Antistitem prædestinatum fuisse, quum in nullo reprehendatur in tota hac Epistola, illi diuinitus consecrata. Neque ob hoc negamus difficultatem, prædestinatos & reprobos, siue præscitos cognoscendi in præsenti statu, cum scriptum sane sit [Nescit homo an odio vel amore dignus sit] Quibus verbis proculdubio pendet omnimo ex mera dei voluntate & reuelatione certitudo prædestinationis alicuius, vt nuper retulimus.

Prædestinationis incertitudo.

Appendix. 4.

Quarto præmoneo, gratiam amitti posse pro peccato contra Deum, vel commissionis vel omissionis. Quod planũ fit.
1. Ratio. Tum ex hoc loco [tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuã] Tum ex Apostolo. 2. Cor. 11. dicente
2. Ratio. [Timeo ne sicut serpens seduxit astutia sua ita corrumpantur sensus vestri et excidant à simplicitate quæ est in Christo]
3. Ratio. Tum ex testimonio sanctorum Patrum, quoniam D. Gregorius in illa verba Iob. 41. de Behemot: [Sternet sibi aurum quasi lutum] ita scribit [Quia enim multos Leuiathan iste qui intra sanctam Ecclesiam fulgore iustitiæ resplendere videbantur, tunc vel terrenarum rerum concupiscentiam vel errantis doctrinæ contagio, vel carnalibus sibi voluptatis subijcit, aurum sibi proculdubio quasi lutum sternit] & D. Augustinus, libro de bono perseuerantiæ cap. 8. explanans illa verba 1. Ioan. 2. [Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis] sic ait [Non ne vtriq; vocati fuerant, & vocantem sequti vtriq; ex impijs iustificati & per lauacrum regenerationis vtriq; renouati? vera sunt hæc. Secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem, non erant ex nobis, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante mundi constitutionem] Quo loco docet Egregius Augustinus, posse hominem quandiu viuit, in gratia esse, quam amittit foras ægrediendo, vel per hæresim, vel per peccatum. Primo modo fidem amittit et gratiam, secundo vero gratiam, licet fides remaneat quæ per se non sufficit vt aliquem ad gloriam perducat æternam. Que omnia perelleganter confirmat ex hoc loco D. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ scribens sic] Quandiu Salomon in vijs domini ambulauit tandiu gratiam Dei obtinuit, Postquam dereliquit domini viam, perdidit & gratiam, & ideo scriptum est, tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam, quod vtique dominus non minaretur auferri posse coronam iustitiæ, nisi quia resedente iustitia, recedat necesse est & corona] Hæc D. Cyprianus. Perquæ verba clare patefacit, neminem quandiu viuit adeò in Dei gratia confirmatum esse quod nequeat in profundissima labi vitia & à vero vitæ & perfectionis tramite retrocedere, & condemnari.

Appendix. 5. Gloria quomodo potest amitti a nobis.

Rogabis postremo dicens, si corona ista gloria etiam est, vt nuper retulimus, quam Deus suis donare disponit, quomodo eam amittere potest qui ad eam prædestinatus est? Dico cum S. Thom, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter, vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit, alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quoddamodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale, & alius illam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur.



Vi vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo & nomen meum nouum. Tex. 16.

COMMENTARIVS.



Loqvio peculiari ad Antistitem iam peracto, ad reliquos d. Ecclesiæ (vt demore habet) nunce generaliter sermonem dirigit Euangelij aquila, pro missionis (vti semper solet) tangendo. Explanatio contextus. §. 1.

§. 2. Diuersitas opinionum sãctorum patrũ ac catholicorum auctorũ circa hunc textum. 1. Sententia.

Veruntamenuero hic haud exigua inter expositores oritur controuersia, Etenim D. Augustinus Primasius, Strabus, Laudunensis, Lyranus, S. Thomas, Haymo, Rupertus Abbas, Beda, Arethas, Anselmus, Auctor incognitus, & Iacobus Suarez à sancta Maria, in hisce suis commentariis moti ex ly *columna* de promissione mercedeq; huius vitæ, ac etiam de sanctis, ac iustis hominibus in via (qui Ecclesiam Dei doctrinã sua, sustentare videntur) textum hunc ita exoluunt vt vllo modo de promissionẽ, mercedeq; vitæ eternæ: siue de Ecclesia triumphantẽ aut de beatis in patria intelligi queat, apertẽ affirment. Quoniam beati in patria (vt inquiunt ipsi) columnæ non dicuntur, eò quod ibi nihil sustentant, nec minus ibi aliquis est infirmus, qui ab alio sustineri confirmari vẽ indigeat.

Motiuum vnius opinionis.

§. 3. 2. Sententia. D. Ambrosius Berengaudus Franciscus Ribera. Motiuum alterius opinionis.

At vero D. Ambrosius, Berengandus, Franciscus Ribera, & pleriq; alij exponentes motiuum capientes ex ly *foras* de solo præmio æterno, & de Ecclesia triumphanti, ac etiam de Beatis in Patria, prefatum textum sic expendunt, vt de premio terreno, mercedeuẽ huius vitæ, siue de Ecclesia militanti, nullatenus intelligi posse, asseuerent. Quoniam qui illuc semel ingrediuntur, foras non egrediuntur amplius, & pleriq; in Ecclesia militante fuerunt columnæ, qui tamen postea, (vti dicunt isti) foras vltimo egressi fuere, vt de Iuda Apostolo, & de Origene famosissimo doctore patet. Quã obrẽ Ambrosius super hũc locum sic scribit. [Sed videtur propter hoc quod sequitur, & foras nõ egredietur

Rrr 2 amplius

amplius, non ad præsentem Ecclesiam sed ad cælestem pertinere hanc sententiam, nam multi fuerunt qui columnæ Ecclesiæ dicebantur sed propter prauam doctrinam eorum ab ea exierunt, sicut fuit Origenes & multi alij,] ita D.Ambrosius.

§. 4. Mediam opinionem tenet auctor duas oppositas ex diametro sententias cōciliando.

Ceterum ego (vt hìc verum aperte fatear) pace horum tantorum doctorum de vtraq; Ecclesia militanti, nimirum,ac triumphanti, simul & absq; errore aliquo, textum istum aptè comodeq; accipi posse existimo,Inqua quidem sententia solitarius passer minime reperiar: Nam pleriq; alij interpræres (inter quos est Dionysius Carthusianus in hisce suis commentariis: & Petrus Berchorius lib. 34. super Apocalipsim) de paradiso & de Ecclesia simul illum enodant.

§. 5. Primum fundamentum.

Præmitto tamen primò quod *Columna* duas (inter alias) obtinet proprietates, quarum vna est, vt sit firma, altera vero vt sit pulchra; Firma quidem vt pondus edificij sustinere quæat. Ideirco ex lapide marmoreo fieri solent optimę columnæ,iuxta illud Hest.1. [Columnis marmoreis fulciebatur] Et illud etiam Cant. 5. [Crura eius columnæ marmoreæ] Vel ex ligno Cypresino vt ait Plinius, Nam hæ ita sunt constantes & firmæ vt numquam cædant oneribus, nec quocunq; pondere flectantur. Quamobrem Exod.36. Dominus præcepit fieri columnas de lignis Sethim. Pulchra vero oportet sit columna ob decus & formositatem edificij. Hinc Eccles. 26. dicitur [Columnæ aureæ super basses argenteas.] Aurum autem & argentum, metalla quidem sunt que summè fulgent, ac lucent. Ideirco Dominus ad ostendendam formositatem operis sui præcepit Exod. 36. vt columnæ quæ portabant tentorium, auro operirentur : & Exod. 38. vt columnæ Atrij, argento vestirentur. Has duas proprietates columnæ tangunt D.Gregorius lib. 17. mor. cap.14.asserens columnas vtilitati & decori in seruire, & Primasius lib.1. Apo.cap.3 dicens [Columnas in fabricis & munimini congruere & decori] Et iuxta has duas columnæ proprietates fas est proculdubio vnicuiq; hìc loqui de columna:illas diuisim, vel coniunctim accipiendo;

Columna debet esse pulchra & cur.

§. 6. Secundum fundamentum.

Præmitto secundò quod ly *foras* idem est quod extra. Signat namq; exteriorem partem rei vel loci.Denotat enim foras exclusionem à loco,vel extra locum emissionem,vel extrinsecam rei dimensionem, vel forinsecam peregrinationem;Ideo Gen.27.dicitur:[Egrediamur foras] & Metth.5. [Ad nihilum valet vltra nisi vt mitatur foras & conculcetur, &c.] Et Ioan.6. [Mittetur foras sicut palmes.]

§. 7. Textum fundamentum.

Præmitto tandem quod aduerbium *Amplius* accipitur in sacra pagina dupliciter, nimirum,nulla antecedente vel subsequente negatione, & sic vel significat augmentum operis,iuxta illud Ps.50 [Amplius laua me ab iniquitate mea]vbi ly[amplius]idem est quod aduch,vel significat augmentum muneris iuxta illud Aggei.1. [Respexistis ad amplius & ecce factum est minus] vbi ly [amplius] idem est quod maius. Secundo accipitur [amplius] aliqua antecedente vel subsequente negatione: & sic significat augmentum temporis vel loci iuxta illud Matth.22 [neque ausus fuit ex illa die, eum quisquam amplius interrogare [Et Act. 10.] Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam] Et Thobiæ 3. [Amplius ex te non videamus filium super terram interfectrix virorum tuorum] Vbi ly[amplius], Idem est quod de cætero. Et perpende attente, quod cum antecedente vel subsequente negatione, semper respicit futurum tempus: & hoc dupliciter. Quoniam aliquando respicit futurum tempus tollens omnino præteritum; aliquando vero respicit futurum tempus tollens de præterito id quod fuit. Vel id quod ante esse potuit, vel statum rei quem antè habebat,vt sane apparet in his auctoritatibus sacræ scripturæ Act.

Amplius cum negatione respicit tempus futurum dupliciter.

F 13. [Quod autem suscitauit eum à mortuis amplius iam non recursurum in corruptionem] & Ierem. 22. [Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ, qui egressus est de loco isto non reuertetur hùc amplius sed in loco ad quem transtuli eum ibi moritur] Et Thobiæ 3.[Amplius non videamus ex te filium, &c.] Quę auctoritates, dupliciter accipi possunt obly [amplius[Cum illa antecedente, vel subsequente negatione.Primò recipiendo ita tempus futurum,vt præteritum tempus prorsus auferamus. Quoniam corpus Christi (de quo est sermo in prima auctoritate act) nunquam fuit corruptum necSellum(de quo est sermo in auctoritate Ieremiæ) numquam prius captiuus ductus fuerat, neque ex Iudea exierat nec minus Sara (de qua est sermo in tertia auctoritate Thobiæ) numquam antea peperit, erat enim tunc virgo. Eodem fere stylo loqui solemus de illo qui simul exiit, & iterum non reddit dicēdo [Non est reuersus amplius]Di-

Amplius cum negatione reddit duplicem sensum in sacra pagina.

G cimus etiam qui ingressus fuerit in infernum vel in cælum, non egredietur amplius, sic enim loquitur aduerbium ampl.us cum illa antecedente vel subsequente negatione, ita respicit futurum tempus, vt præteritum penitus tollat. Secundò respiciendo ita futurum tempus vt de præterito tollat id quod fuit, aut quod ante esse potuit, aut statum rei quem ante habebat, Potuit siquidem S: llum in illo loco ante fuisse,potuit prętereа ante corpus Christi(si Deus non seruaret) corrumpi, potuit tandem Sara filios peperisse ante,& illud aduerbium[amplius]cum illa negatione ita respicit futurum tempus & recindat de præterito id quod ante esse potuit, & sic quod ante possibile erat, nunc de cętero redditur impossibile per illud aduerbium amplius cum sua anteced nte vel subsequente negatione; His pralibatis fundamentis

H venio modo ad rem.

§. 8. Prima pars sententiæ auctoris.

Prima itaq; sententia quę est Augustini, Primasij & ceterorum, accipit, ly *columnam* in vtraq; proprietate sua fulciendi, & decorandi ædificium, & sic iustos ac sanctos in via ob suam doctrinam militantis Ecclesiæ columnas hic vocat. Quo plane nomine,pij viri nuncupari solent in sacra pagina, nam illud Cant. 3. [Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas] Theodoretus de sanctis Apostolis exoluit,quos (inquit) Christus Rex sibi ædificauit ex lignis Libani, idest, scientia sanctarum scripturarum quæ Ferculum dicuntur, siquidem per fidem in ipsis portatur per vniuersum orbem & columnæ quę eamdem fidem verbo & exemplo sustentant. Illud porro Prou. 9. [Sapientia

1. Ratio.

2. Ratio.

I ædificauit sibi domum excidit columnas Septem] Strabus in sua Glossa ordinaria de Ecclesia militanti, de eiusdem doctoribus exponit dicens [Sapientiæ domus est Ecclesia Christi, columnæ doctores sanctæ Ecclesiæ septiformispiritu pleni quales fuerunt Iacobus,Cephas,& Ioannes,quos sapientia excidit quia ab amore sæculi disiunctos ad portandam Ecclesiæ fabricam erexit] Sic ille. Accedit præterea ad hæc, quod Apostolus, expressis verbis, Iacobum,Cepham, & Ioannem, columnas appellat dicens ad Gal. 2. [Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi Iacobus Cephas & Ioannes qui videbantur columnæ esse dextras dederunt mihi & Bernabæ societatis.]Dicuntur deniq; iusti,sancti in via, prælati,Heroes, magnares & alij pij homines,columnæ,hoc est, firmamentum, eo quod columna, culmina sustinet vt liquet ex primo fundamento, Est etenim columna stips ad su-

Strabus in prouerbia Salomonis.

3. Ratio.

4. Ratio.

Columna quid sit.

K stinendum pondus ædificij constitutus, constat siquidem vno scapo,idest,lapide ob longo perpetuo ad sustentandum ædificium erecto, & ideirco iustos, sanctos ac Ecclesiæ prælatos, & etiam quosounq; iudices magnatesq;qui pondus negociorum Ecclesiæ vel communitatis habent firmiter sustinere designat. Quemadmodum namq; columna sustinet ædificium ne cadat, & est media inter solum & tectum, sic isti negotia fidei, Ecclesiæ, religionis vel reipublicæ susti-

Simile.

sustinent & prohibent ne corruat seu cadat, medij A sunt inter inferius & superius, nimirum inter Deum, & populum.

§. 9. Explicatur prima pars sententiæ auctoris.

His igitur de causis Deus ore Archiprophetico vincentibus, se facturum columnas templi sui hic spondet dicens, *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei* hoc est, qui tentationes vitiorum, mundi, Dæmonis, carnisq; ac sanguinis oblectamenta, nec non aduersa tribulationum superauerit, hunc columnam nimirum fortem, potentemq; in fide non solum pro se, sed etiam pro alijs confortandis & sustentandis faciam. Ponam itaq; illum firmamentum Ecclesiæ meæ militantis, nimirum, medium eum faciam inter me & populum, cuius planè erit curâ vineæ meæ veluti pondus diei & æstus perpetuo portare, verbo & exemplo, B vt ait Glossa ordinaria cæteros fideles confirmans & conseruans. Ecce qualiter venerandi sunt viri spirituales, quia per eos dominus alios sustentat. Hinc D. Gregorius sic eleganter scribit. [Quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, vt in hoc templo quod est Ecclesia positus, & vtilitati fit & decori.] Cum quo quadrat plane Primasius super hunc locum sic scribens [Columna in fabricis & munimini congruit & decori, sic & mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis portant officio charitatis] Sic ille. Hoc planè obumbratum fuit in antiquo illo tabernaculo quod huiusce Ecclesiæ militantis quæ per orbem vagatur, figura quidem est. In quo siquidem tabernaculo columnas argenteas factas ex Dei mandato sacra pagina nos docet Exod. 27. sub hijs verbis [& columnas viginti cum basis totidē æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.] Quod procul dubio C Ecclesiam militantem, templumq; Dei Apostolis iustis, alijsq. pijs viris ob suam firmitatem veritatisq; prædicationem prope diem debere fulciri, sustentariq; indicat.

Nota bene. S. Thom. cap. 3. in Apo.

Textus sequētia, & copulatio iuxta primam partem sententiæ Auctoris.

§. 10. Perseuerandi in hic donum Ecclesiæ promittit hoc loco Deus.

Et vt clare appareat, Deum præfatis iustis & sanctis in via suum aliquando efficax præbere auxilium quo perseuerantur in bonis operibus semper se habebant confirmati in gratia, ita vt ab illo statu numquam per lethale crimen corruāt, mox subiungit *& foras non egredietur amplius*, Prosequitur namq; suam inceptam methaphoram de columna, quę semel in fabricam templi ingressa, ita semper edificio incepto deseruit vt nunquam à templo egrediatur, quinimo fixa firmiter & immobiliter in ipso semper permanet suum explens officium fulciendi templi cacumen. Pari etiam mo- D do sunt plerique iusti, pij, ac sancti viri, qui semel in statum gratiæ per Dei misericordiam ingressi, ab eodem statu numquam cadunt. Quoniam peccatum aliquod mortale in posterum nullatenus perpetrarunt, quinimo fixi firmiter ac immobiliter in ipso gratiæ statu semper ita permanserunt, vt vsq, ad mortem in charitate Deo, Ecclesiæ suæ militanti deseruirent, vt apparet de D. Augustino, D. Gregorio, D. Hieronymo, D. Ambrosio, de Apostolo Paulo, de Maria Magdalena, & de alijs finaliter prædestinatis, qui à statu gratiæ incepto semel, numquam egressi de cætero fuerunt, quinimo in illo immobiliter ac firmiter, permanentes finaliter discesserunt è vita. Hinc Petrus Berchorius super hunc locum sic eleganter scripsit [Et foras non egredietur amplius, ad literam in Ecclesia fit quod illi qui peccata vincunt columnæ stabiles viri fiunt, & interim vincere assuescunt, ita quod de templo idest de E statu gratiæ non ex tunc amplius recedunt seu cadunt] Tum etiam Primasius secutus Glossam ordinariam, in hæc verba irruit. [Et foris inquit non exiet amplius, exierat iunior filius, idest gentium populus, sed illius vituli saginati morte, idest, Christi cruore reconciliatus atq, redemptus, foras vltro non exit, quippe quem introduxit rex in cubiculum suum, & quantiscunq; aut schismatum, aut persecutionum arietibus quatiatur non mouetur, firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius] Sic ille. Et sanctus Thomas ita habet [Et foras non egredietur amplius scilicet ab Ecclesia siue à statu gratiæ per mortale peccatum, hæc autem est gratia magna, Psal. susceptor meus non mouebor amplius] Hæc sanctus Thomas.

Comparatio.

Petrus Berchorius in reductorio morali super totam Bibliā lib. 14. sup. apoc.

§. 11.

Sunt plane plerique iusti, pij ac sancti homines in hac vita, qui licet elapsis temporibus sceleribus quamplurimis passim irretiti fuere, tamen cum Deus sua gratia, illis semel ex professo aperuerit sensum, viam veritatis & gloriæ eternæ patefaciens, ita se Deo toto corde, & pura mente semel abdicarunt, vt eos neque pecuniæ, neque mulieres, neque honores, neq; diuitiæ, neque illecebrarum, ac voluptatum ictus, aut persecutorum, siue hæreticorum casus, à sucepto veritatis & virtutis tramite dimouere vnquam possint. Quinimo in eorum ore semper inuenies illud sponsę Cant. 3. [Inueni quem diligit anima mea tenui eum, nec dimittam] & sic vsque in finem in bonum perseuerant, non se conformando iterum hominibus sæculi, nec minus secularibus negocijs se implicando, aut iniqua aliquando exempla, de cætero præstando. Et hi (vt dixi) sunt finaliter prædestinati, ex quibus plerosq; ad pastorale officium suæ Ecclesiæ sæpe sæpius euehit Deus, qui vt columnæ immobiles & firmæ in Ecclesia & templo Dei, vsque in finem semper permanent, de quorum finali perseuerantia in bonum sic scribit Beatus Augustinus [Asserimus donum Dei esse perseuerantiam qua vsq; in finem perseuerat in Christo; finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur] Hæc Augustinus. Ecce igitur qualiter Dominus his verbis, *& amplius non egredietur foras*: donum perseuerandi in fide Ecclesiæ suæ promittit. Quicunq; igitur carnem domauerit, qui concupiscentias superauerit, qui sui ipsius victor extiterit, hic erit columna perseuerans in Dei Ecclesia, à qua nulquam reicitur; non patiar eum, ait Glossa interlinearis, amplius discedere.

Iustorum firmitas & constantia.

Sanctos viros elegit Deus in pastores.


§. 12.

Et quia in operibus in quibus miruminmodum gloriamur, ac etiam in rebus pretiosis quas semper volumus possidere, nomina maiorum nostrorum ac etiam nostra, super scribere solemus, vt tale opus illis nominibus, æternæ memoriæ mandetur, vt plane fecerunt filij Israel, de quibus Psalm. 48. dicit: [Tabernacula eorum in progenie & progenie vocauerunt, nomina sua in terris suis.] Idest, terras suas suo nomine insignierunt: Ideo Christus in quantum homo tria nomina promittit, se scripturum super illum qui sic victor extiterit. Quamobrem in textu dicitur *& scribam super eum*: quasi dicat (vt ait interlinearis) scribam super eum, plusquam mens hominis capiat. Et primum insinuans nomen, ait *Nomen Dei mei*. Et secundum attingens nomen, dicit *Et nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo*. Deniq; tertium ostendens nomen inquit, *& nomen meum nouum* Hæc sunt tria nomina, quibus Deus virum, pium fidelem, ac victorem, qui in omnibus tentamentis superatis, firmiter credit ea quæ ad diuinam pertinent essentiam & ad fidem totius Ecclesiæ, simul, que ad omnia mysteria humanitatis Christi insignire semper solet: Quoniam olim, Christiani in primitiua Ecclesia secundum hanc triplicem fidei professionem triplex obtinuere nomen. Primo namq; vocati fuerunt sancti, iuxta illud Pauli ad Romanos 1. [omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis] & ad Ephe. 1. [Omnibus sanctis qui sunt Ephesi & fidelibus in Christo Iesu, gratia vobis & pax] & ad Rom. 15. [Proficiscor Ierusalem ministrare sanctis] & 2. Cor. 13. [salutant vos omnes sancti] Id ipsum Lucas ait in actis cap. 9 [factum est autem, vt Petrus dum trāsiret vniuersos deueniret ad sanctos qui habitabāt Lyddæ] Ecce qualiter Christiani primò sancti appellati fuere. Quod quidem nomē propriū est Dei, quapropter in lamina aurea quæ supra sacerdotis frōtem pendebat in lege veteri Exod 28. scriptū erat [Sanctum Domino] vnde quod nomen Dei propriū erat, hominibus,

Nomen primum Christianorum.

Lamina aurea in fronte Sacerdotis quid significat.

Conceptus 2. Quod ex operibus externis facile colligitur diuinus in nobis amor.



X hoc contextu haud exiguum (immo maximum) specimen diuinæ dilectionis nobis elargitur. Probatio namque dilectionis (teste D. Gregorio) exhibitio est operis, & ob id Deus dilectionem suam erga hunc Philadelphiæ Antistitem probat per illud beneficium adorationis ante pedes eius quod ipse effecturus erat. [& scient quia ego dilexi te.] Perinde ac diceret: Per illud beneficium quod in te effecturus sum, impios ac sceleratos Iudæos ante pedes tuos prosternendo, cognoscent clarè ipsi quod ego Dominus te amo. Quod planè perspicuum apparet eò quòd ad singulos actus, & operationes nostras gratiæ diuinæ adiutorium, à Deo datur, quo nos cooperantes in melius proficiscimur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 15. [Non ego sed gratia Dei mecum.] Quamobrem per omnia opera nostra bona diuinus ille amor in nobis apertè dignoscitur. Quoniam talia opera nostra bona ex diuina sua largitate procedunt sine qua nihil facere possumus, secundum quod scriptum est: [sine me nihil potestis facere.] Ideo concluditur quod per opera externa facilè internus indagatur diuinus amor & dilectio in nobis.

Amor, & dilectio Dei internus facile indagatur per opera externa.

Cooperando proficiscimur in melius.

Ad quod sane alludit illud Luc. 1. [Fecit im me magna qui potens est.] Quibus verbis, virgo benedicta, quanta ei Deus elargitus fuerat publicè annunciat, & idem prorsus præstitit diuinus Psaltes dum Ps. 65. ait: [Venite, audite, & narrabo vobis quanta fecit animæ meæ.] vbi illa dictio (quanta.) infinita plane beneficia in se collata prædicat quæ indiuidualiter enarrari vix possunt. Quæ autem Deus hominibus communicat beneficia ex eius erga nos & etiam ex nostro erga eum amore plane procedunt. [Dimissa sunt ei peccata multa: (dicitur Luca. 7.) quoniam dilexit multum:] Magdalena namque dilexit Christum, & Christus primo Magdalenam dilexit, quoniam (Ipse prior dilexit nos.) Itaque quemadmodum ex beneficijs externis, quæ Deus contulit Virgini gloriosæ, Dauidi, & Magdalenæ, scimus Deum illos multum dilexisse, sic ex opere adorationis ante pedes, scient impij, & scelerati Iudæi Deum hunc Antistitem multum adamasse. Veluti ex beneficijs quæ pater in filium, dominus in seruum, prælatus in subditum & amicus in suum amicum sedulo facit. Patris enim in filium, domini in seruum, prælati in subditum, & amici in amicum amor apertè dignoscitur. Hinc Christo pro Lazaro amico lacrymante dictum fuit: [Ecce quomodo amabat eum.]

Amor mutuus inter Deum, & homines.

Text. 14.



VONIAM seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



ATIENTIAM istius Antistitis laudans, peculiarem assistentiam suam, ne succumbat in imminentibus tribulationibus, & persecutionibus super venturis, hic promittit Christus, qui semper vicem pro vice reddere amicis suis solet, iuxta illud Cant. 2. [Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur &c.] Quapropter Psalmographus ait: [Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.] Dixerat namque Christus supra huic pastori, [modicam habes virtutem,] nunc vero illimet etiam ait: *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra.* Quasi dicat, quia Deus suum semper illi præbet auxilium, cui non deest animi virtus, & constantia, quâ pro ipso substineat, & patienter agat, eò quòd facienti quod in se est, Deus non denegat suam gratiam: & tu insuper modicam habes virtutem, patiens extitisti, & patienter propter me substinuisti, ideo sanè ego seruabo te ab hora tentationis, vt non incidas in tentationem, vt non seducaris, vt non decipiaris, immo paratus sis omni poscenti rationem reddere, de ea quæ in te est fide nominis mei.

Patientiæ Encomium.

Hinc procul dubio nobis in angustijs, tribulationibusque haud exigua oritur consolatio, certi quod nunquam deerit Deus, dummodo patienter propter ipsum sustineamus. Ad hoc planè spectat illud sapientis Abigail ad Dauid 1. Reg. 25. [Erit anima tua custodita quasi in sacculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porro impiorū anima rotabitur quasi in impetu, & circulo fundæ.] Vbi nota ly [rotabitur.] sicut enim corpora rotunda, cum sint figuræ sphericæ in omni loco sedent & situm habent, sic iusto fortiter, locus omnis est accommodatus, quia sicut rotunda ipsa super tabulam collocata ei per punctum indiuisibile adhærent (nihil illud permittente eorum figura) ita iusti ex diuino adiutorio dependentes, siue tribulentur in corpore, siue afflictiones patiantur, ad ipsum oculos leuantes, securè viuunt, quod eis non deerit diuinum auxilium. Ad hoc etiam specta illud Dauidis Psalm. 93. [Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Et illud etiam Apostoli 2. Cor. 1. [Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & abundat per Christum consolatio nostra.] Cum hoc porro quadrat illud B. Petri Apostoli, qui ad præmium æternæ felicitatis nos hac via conducens ait: [Communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.] Quapropter vbi nostra vulgata legit in Psalm. 82. [Cogitauerunt aduersus sanctos tuos.] D. Hieronymus vertit ex Hebræo: [Cogitauerunt aduersus absconditos tuos.] Quibus verbis significat sanctus ille Rex, quam securi iusti sint in agone, hoc est, in medio tribulationis, diuina protecti misericordia, quod ipsemet regius citharœdus apertè indicauit dicens Psalm. 30. [Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.] Ad quod intelligendum nota, quod facies Dei dicitur eius diuina prouidentia, eò quòd quemadmodum id, quod in homine magis manifestum est, id prima omnium facies intuentibus apparet, sic quod in Deo magis emicat, & splendet, est eius diuina prouidentia in suos, & hoc est quod dicit: [In abscondito faciei tuæ abscondes eos,] quasi dicat, quia non proteges eos à parte prouidentiæ, quæ omnibus nota est, sed in abscondito cordis virtutem tribuendo, qua superent omnia, quæ eos pati pro te oportet, & hoc planè est illud, quod significant verba illa, *& ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est &c.* id est: Abscondā te in hora tentationis in abscondito faciei meæ, virtutem tribuendo cordi tuo, vt posteaquam omnia quæ pro me pati oportuerit, facilè superes.

§. 2. Deus nunquā deest his qui pro confessione nominis sui aduersa patiuntur quinimmo semper adest eis in agone. Simile.

Iustorum prærogatiua specialis.

1. Pet. 4.

Hinc planè nullatenus mirum est si de Iob Domino dixit Satan: [Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum?] Sed vnde quæso hoc originem habet? Non aliunde planè, nisi quia Christus benignitate, ac humanitate sua, suis amicis vicem semper pro vice (vt dixi) reddere solet; Inde planè est, quod Petro dicenti Matth. 16. [Tu es Christus filius Dei viui] Dominus mox dixit: [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quæ planè verba sic sonare videntur: Tu mihi dixisti, [tu es Christus filius Dei viui.] Et ego dico tibi vicissim, & retributionem

§. 3. Iob. 1.

A tionem dictis suis repetidens : [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam .] vt sic pares inueniamur, & nullatenus dispares ab aliquo diiudicemur; Videsne dominum saluatorem nostrum vicissitudinem amicis suis reddentem? Ad hoc ipsum planè spectat illud Gen. 22. [Per memetipsum iuraui dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ .] & illud etiam Matth. 25. [Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam,] quoniam vtrobique illud, [quia,] retributionem, siue recompensationē demostrat, & idem iudicium plane est de illis verbis Christi Matth. 25. [Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, &c.] Quoniam tunc

Vicissitudo Dei erga suos

B inter bonos, & malos vtrinque erit operum retributio. Hinc tandem Petro in nomine omnium Apostolorum dicenti : [Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis ?] Dominus respondit, [in regeneratione cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos sup sedes duodecim iudicātes duodecim tribus Israel.] Hanc eamdē recompensationem huic Antistiti reddere voluit hìc Dominus dicens : *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra*. Simile planè est hoc cum illo, quod Ieremiæ dictum fuit à Domino: [Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum.] Perpulchrè sanè Apostolus 1. Cor. 10. dixit : [Non permittet tentari vltra, quod potestis .]

Retributio diuina erga Apostolos.

§. 4. *Quare Deus seruos suos à malis quibus afficiuntur nō semper liberat.*

C Verumenimuero dices fortasse, cur Deus cum sæpe seruos suos mirabiliter liberet ex malis, qbus sunt, vel proximi, vel iam subiecti, nō id semper faciat, præcipuè cum id semper facere facillimo negotio possit ? Huic difficultati respondetur, multis de causis Deum id non semper facere: primo vt stet ratio suæ prouidentiæ, qua sapienter, & suauiter gubernans omnia, sinere debet causas secundas, vires suas natureles exercere, suos motus agere, & ordinem sibi diuinitus ex alto impositum tenere. Secundò vt cum serui Dei miraculosè à Deo liberantur, clarissimè appareat illud esse diuinæ omnipotentiæ opus, nec ad aliquam naturæ occultam vim referri posse. Si enim liberatio seruorum Dei semper, vel frequenter fieret, non haberent administrationem, ideoq. cessaret ratio miraculi, & ex eo ad multos permanans vtilitas. Nec tam puro, & sincero animo ad fidem amplectandam homines accederent, nec intolerantia omnis generis cruciatum, & acerbissimæ

Miraculosa liberatio seruorum Dei ab imminētibus periculis opus est Dei.

D mortis perpessione tantæ fidei, & gratiæ Christi efficacitas, tanta seruorum eius magnitudo animi, & constātia, tanta diuini nominis gloria eluceret; Id propterea hunc Antistitem, *ab hora tentationis ventura in vniuersum orbem*, seruabit Christus, & quamplurimos alios fideles Asianos ab eadem tribulatione liberare noluit, quemadmodum septem pueros Machabæos de manibus regis Antiochi (vt dicitur 2. Machab. 7.) eripere minime placuit, & tamen tres iuuenes illos ex manibus Nabuchodonosor (vt dicitur Danielis 3.) miraculosè præripuit.

§. 5. Porro animaduertas oportet, Deū *ab hora* illa *tentationis ventura in vniuersum orbem* non tantum hunc liberauisse Pastorem, verum etiam multas oues sibi creditas

E hoc est, multos sibi subditos. Ex quo facilè colligitur quanta vtilitas subditis sit, habere prælatum sanctum, Deoque acceptum, & carum; cuius interuenientibus meritis, Deus, & peruersos subditos ad pœnitentiam faciendam trahat, & afflictos consoletur, ac etiā pios, & caros seruos à persequutoribus liberet, prout nuper dicebamus.

Prelatorum meritis, multa Deus subditis confert beneficia.

PARAPHRASIS

Prima.

par. 1.

Seruasti (ait) verbum patientiæ meæ.

Verbum planè magnæ patientiæ fuit illud, quod Christus Saluator noster pendens in cruce dixit, nimirum: [Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.] ipse nanq. primus contumelias, & flagella sustinēdo præceptum illud pro persequutoribus exorandi adimpleuit : quod quidem ipse met nouus legislator in sua lege noua gratiæ statuit, dum Lucæ 5 dixit : [Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.] Et quia ipse crucifixus est, pro persequutoribus exorando, speciem nobis dedit, formamque perscripsit, quam debeamus æmulari, patientiam istius Antistitis commemorans, qui opprobria diu sustinuit, verbum patientiæ suæ, quam in cruce persequutoribus indulgendo obtinuit, in medium prodijt dicens : [Seruasti verbum patientiæ meæ.] Perinde ac diceret : Passus quippe es ad exemplum meum. Vnde apparet clarè, quod patientiam, qua propter eum patiuntur sancti homines, suam Deus vocat, quoniam ipse eam tribuit, & eius est donum, & nostra etiam est, quia ipsa nos armamur, vt contra sui nominis aduersarios dimicemur.

Dilucidatio textus.

§. 1. *Lucæ 24. Inimicorum dilectio apprime fundatur in Christo. Orare tenemur pro inimicis.*

Patientiam sanctorum, suam appellat Christus.

Variè dispungitur locus iste à Doctoribus, quidam etenim existimant (inter quos est Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 21. in Apoc.) Christū huic Antistiti dixisse: [Seruasti verbum patientiæ meæ] quoniam ipse Christus est patientia nostra, iuxta illud Psal. 70. [Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agētis : quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea à iuuentute mea.] Alij vero putant, Deum patientiam suam vocasse, quam ipse præcepit, & commendauit. Sicuti & legem suam dicere solet, quam ipse tulit, iuxta illud Ps. 77. [Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.] Et Ps. 88. [Si autem dereliquerint filij eius legem meā, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas profanauerint & mandata mea non custodierint, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.] Petrus porro Berchorius Pictauiensis explanans hunc locum aliam adfert expositionem scribens sic : [Et ideo sibi dicitur (nimirum, infirmo, & fragili) quod faciat, quod in se est, & quod seruet verbum, & præceptum Dei, nec deneget per hæresim nomen eius, & sic pro certo Deus seruabit eum ab hora tentationis. &c.] Rupertus etiam Abbas per patientiam exponit dilectionem: sic etenim ait. [Quoniam seruasti dilectionem, sciens, quia ego dilexi te, & ego seruabo te ab hora tētationis &c.] Tandem Franciscus Ribera per patientiā exponit, spem, siue sustinere firmiter in Deo, ita namq. in hunc locum scribit. [Sed melius interpretabimur verbum patientiæ meæ, vt sit sensus : expectasti me, sustinuisti me, & credens me esse veracem, & mercedem tibi redditurum pertulisti omnia. Sic loquitur sepę scriptura, vt Ps. 21. spes mea ab vberibus matris meæ, idest, quē ego spero adiutorē, & remuneratorē meū futurū; & Ps. 70. Eripe me de manu peccatoris, & de manu cōtra legem agentis & iniqui, quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea à iuuentute mea, id est te expecto, & sustineo, scio te mihi præmia pro ijs, quæ patior redditurum, quod clarius dicere solet Propheta, vt Ps. 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.] Sic ille. Omnes hæ sunt plane exactæ & acuratæ expositiones, & nulla textui repugnans, immo mirifinmodū illud explanant.

§. 2. *Doctorum variæ explanationes circa Christi patientiam.*

Patientia Christi qualis sit.

Cæterum expositio Strabi in sua glossa ordinaria, quam etiam tenet Beda, & Haymo, & illam adhuc sequuntur Sanctus Thomas, & Auctor Incognitus in hisce commentarijs, mihi magis arridet, sic enim exponit Strabus, [Seruasti verbū patientiæ s. Præceptū de patiētia quod in me ostendi orans pro persequutoribus.] & ideo illam in prima fronte textus apposui, & quadrat

§. 3. *Patientia Christi verè & propriè quid sit.*

drat cũ Primas. qui vbi nos habemus, [verbum patientiæ meæ,] ipse legit [verbum tolerantiæ meæ,] Quæ enim maior tolerantia vnquam esse potest, quam inter tot tormenta, opprobria, clauos, & irrisiones, exclamare : [Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt?]

§. 4. Appendix. 1.

Illud primò colligere ex hoc loco fas vtiq. est, nimirum, quod ex his verbis sic interpretatis habetur ratio ob quam inimici sint diligendi, putà, quia indulgere inimico, est verbum patientiæ Christi, idest, ex eo dumtaxat, quia Christus hoc ita faciendum præcepit ex cruce.

Appendix. 2. Promissio Dei ad prepositum Philadelphiæ quadrat cum magna Abrahæ promissione.

Secūdò colligimus, eodem fere stylo loquutum fuisse Christum per suum vatem huic Antistiti Philadelphiæ, quo olim ipsemet Deus, per Angelum suum, loquutus fuit Abrahæ, dum illi Gen. 22. dictum fuit; [Per memetipsum iurauit dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli, & veluti arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.] Quæ omnes promissiones diuinæ à Deo Abrahæ factæ, originem planè ducunt ab illa solemni obedientia immolationis dilecti filij Isaac, vt perspicuum euadit ex illis verbis : [Quia fecisti hanc rem,] & rursus: [Quia obedisti voci meæ,] id est, quia prompto animo, alacriq. vultu, & nullatenus toruafacie paratus fuisti immolare filium, quod ego te facere iusseram, ideo benedicam tibi &c. Quamobrem illa repetita dictio [quia,] causalis quippe nota est, & denotat causam meritoriam ex parte Abrahæ. Vnde Cardinalis Caietanus explanans prælibata verba Geneseos, ita scribit : [Et si dispofuerat Deus ab eterno se facturum ea, quæ hic subduntur, attamen quia disposuerat se facturum ea intercedente hoc merito Abrahæ tanquam causa secunda Icciirco dixit: Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi &c.] Hæc Caietanus. Pari etiam modo hoc in loco, quod Christus seruaturus sit hunc Antistitem Phyladelphiæ ab hora tentationis, quę superuentura est vniuerso orbi, originem proculdubio trahit ab eo quod Antistes iste verbum patientiæ tolerantiæq. Christi omnino seruauit, vt satis perspicuum patefacit, ac denotat dictio illa textualis; [Quoniam,] Quemadmodum namque in textu Geneseos citato, ly [quia] causale est in promissionibus Abrahæ factis, sic proculdubio in hoc textu Apocalipseos ly [Quoniam] causale etiam est in hac promissione, huic Antistiti Philadelphiæ facta, in vtroq namq. loco reddit Deus vicem pro vice, hoc est, retributionem, siue recompensationem. Quod plane non solum erga vere diligētes se, videlicet, amicos suos, putà prædestinatos; verum etiã erga inimicos, nimirum, reprobos præstare solet misericors, & iustus Dominus vt apparebit manifestè in die iusti Iudicij finalis, in quo non solum his, qui à dextris erunt, dicet: [Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.] Verumetiam ijs, qui a sinistris : [esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.] Quibus verbis vtrique, putà, bono, & malo viro, vicem pro vice reddet, cum bono causam suæ gloriæ, & malo causam suæ pœnæ, per vtramq. sententiam patefaciet.

Obedientia maxima Abrahæ.

Promissio Christi ad pastorem Ecclesiæ Philadelphiæ vnde originem ducat.

Matth. 25.

In iudicio illo magni Dei vnus quisque recipiet pro vt gessit.

Par. 2.

PARAPHRASIS
Secunda.

Enodatio textus.

§. 1. Dies naturalis quot habet horas.

Et ego seruabo te (inquit) ab hora tentationis. Propriè accipitur hora pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis. Tempus namq. quo sol in reuolutione, siue motu primi mobilis detinetur, diuiditur primo in viginti quatuor partes equales : & huiusmodi appellantur horæ communes siue equinoctiales, & constituūt naturalem diem, quas plane diuersi terrarum habitatores diuersimodè inchoant. Quoniam Hispani à meridie vsq. ad mediam no-

F ctem ponunt duodecim horas, & à media nocte vsq. ad meridiem alias duodecim constituunt horas. Itali vero ab vno occasu solis, vsq. ad alium, viginti quatuor enumerant horas. Quoniam occidente sole desinit vigesima quarta hora, & incipit prima. Boemij insuper ab ortu solis vnius diei vsq. ad ortum solis alterius diei, viginti quatuor statuunt horas, & sic oriente sole vigesima quarta hora desinit apud ipsos & incipit prima. Astrologi præterea ab vtroq. medio die illas incipiunt & finiunt. Et deniq. Ecclesia ab vtraq. media nocte eas enumerat. Secundo diuiditur prefatum tempus, quo sol in motu primi mobilis (vt dixi) detinetur, in viginti quatuor partes inæquales, quæ horæ planetarum nuncupantur ab Astrologis. Quoniam apud ipsos horæ diei cum horis noctis (vt experientia docet) non sunt sēper ęquales in numero verūenimuero qlibet illarum, nimuū, tam æqualium quã in æqualiū pro-

G priè dicitur hora, quoniam est vna ex viginti quatuor partibus temporis, quo sol in reuolutione, siue motu primi mobilis detinetur, quarum vnaquæque verè, & propriè hora nuncupatur. Impropriè vero accipitur hora pro breui tempore, nimirum, cum tempus est propinquum, siue proximum, aut citò venturum, qua ratione dicitur Matth. 25 [Vigilate, quia nescitis diem neq. horam.] & 1 Ioan. 2. [Filioli, nouissima hora est.] Et Ioan. 5. [Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.] Et Paulus in Epistola ad Philemonem; [Forsitam enim ideo discessit ad horam à te, vt æternum illum reciperes :] Quibus locis, tempus breue, siue cito venturum, horam vocant sacræ litteræ, & sic accipitur in præsenti cum dicitur: [Et ego seruabo te ab hora tentationis,] hoc est, in breui, vel cito venturo tempore tentationis, efficiam, vt non vincaris.

Hora propriè accipitur pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis.

Partes Equales temporis Partes in æquales temporis.

Legitimus est sus contextus.

H Verumenimuero siue hora accipiatur verè, & propriè pro vna ex viginti quatuor partibus diei naturalis, siue accipiatur impropriè pro breui tempore, mysteriosa sane est hæc vox, [hora,] quod plane perinde apparere poterit quod in toto sacro eloquio vix alia reperiatur vox, hac mysterijs sacris oppacatior, nec ex qua sacri expositores, tot, tantaq. eliminent arcana, quam ex illa. Quis enim paucis verbis obstrusa illa secreta, quæ omnes tam Græci, quam Latini, Origenes, D. Hieron. D. August. D. Ambros. D. Greg. & alij quã plurimi circa hanc vocem [horam] enarrauere Doctores, explicare valebit? Omnes namq sacri expositores mira scripserunt super hanc vocem [hora,] vt videre planè licet Ioan. 4. in illis verbis : [Nonne duodecim horæ sunt diei?] Et Ioan. 5. [Venit hora, & nunc est, quã do mortui audient vocem filij Dei.] Et Matth. 20. [Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos.] Et paulo post: [Iterum autem exijt circa

I sextam, & nonã horam] Et Ioan. 14. [Sciens Iesus, quia venit hora eius.] Et Ioan. 4. [Hora erat, quasi sexta, venit mulier] Accedit porro ad hæc, quod hora per antonomasiam, pro morte, & passione Christi accipitur ab Euangelistis. Quemadmodum namque nos dum dicimus, Poetam, intelligimus per Antonomasiam Virgilium inter Latinos, aut Homerum inter Græcos, & dum dicimus Ciuitatem intelligimus Romam; & si Philosophum, Aristotelem; Medicum, Galenum; Musicumuè ore proferimus. Orpheum mente concipimus, sic Euangelistæ dum simpliciter dicunt [horam] mortem, & passionem Domini nostri Iesu Christi intelligũt vt patet Matth. 26. [Ecce appropinquauit hora,] Et Marci 14. [Si fieri posset transiret ab eo, hora.] & Ioan. 7. [Non dum venerat hora eius,] & cap. 12. [Venit hora vt clarificetur filius hominis,] & paulo post: [veni in hanc horam.] & mox : [Pater saluifica me

K ex hac hora.] & cap. 13. [sciens, quia venit hora eius.] & cap. 16. [Ecce venit hora, & iam venit.] & cap. 17. Pater venit hora: [In his igitur, & in alijs quamplurimis locis sacri eloquij, hora simpliciter accipitur ab Euangelistis per Antonomasiam pro morte, & passione Domini nostri Iesu Christi. Hæc est proculdubio hora tentationis totius mundi, quoniã si ab exordio mundi incipimus, tota sacra pagina hanc veluti metam scopumuè apprimè annotauit horam. Omnes insuper Docto-

§. 2. Horã vox est satis mysteriosa in sacra scriptura.

Orig. sup. cãt. hom. 2 Cor. Aug. de V. Domini serm. 59. Ambros. sup. Lucam c. 15. Greg. 1. oc re

Hora per Antonomasiam vocatur mors & passio Christi.

Doctores, omnes Prædicatores, & omnes fideles Christiani, hanc miruminmodum dilexerunt horam. Hora plane horarum est hæc. Quoniam si ego mereor, virtute cuius quæso mereor nisi virtute huius horæ? si Sacramenta me adiuuant, virtute cuius rogo me adiuuát, nisi virtute huius horæ? si Baptismus me lauat, virtute cuius puto, me lauat, nisi virtute huius horæ? si pœnitentia me reconciliat, virtute cuius, oro, me reconciliat nisi virtute huius horæ? si satisfacio, virtute cuius rogo nisi virtute huius horæ? si denique ego saluus fio, virtute cuius percōtor, saluus fio, nisi virtute huius horæ.

Hora plenitudinis est mors & passio Christi.

Hora igitur horarum, hora plenitudinis est hæc, quandoquidem in hac hora, Prophetæ, Prophetiç, Psalmi, & alia pleraq. mysteria, quæ de Christo scripta antiquitus erant adimpleta adamussim fuere. Id propterea ipsemet Christus tunc pendens in cruce dixit: [Consummatum est.] Vides igitur quot, quantaq. sub hac voce: [Hora] degunt mysteria?

B

§. 3. Hora tentationis non est hora passionis Christi, sed tentationis nostræ.

Hora, autem quam in textum præmanibus habemus, non est hora sic simpliciter sumpta, sed cum addito, nimirum, hora tentationis, & id propterea non est hora possionis Christi, sed tentationis nostræ. Quamobrē apparet, quod duplex est hora: alia quippe est hora mortis, & passionis Christi, quç simpliciter dicitur hora; & alia est hora tentationis nostræ, quæ hora tentationis appellatur, inter quas duas horas haud exiguum interest mysterium. Quoniam misericordiorem, & propitiorem se ostendit Christus nobiscum in hora tentationis nostræ, quam se ostenderit secum in hora mortis & passionis suæ Quod planè ex eo liquet, quoniam in hora tentationis nostræ se hìc nos liberaturum promittit, dicens: [Seruabo te ab hora tentationis,] at vero hora mortis, & passionis suæ noluit se (cum reuera facilè potuisset) à persecutoribus (talem acerbam & rigurosam mortem in ipsum machinantibus) liberare: Quinimmo illis hilari vultu dixit Lucæ. 22. [Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.] Perinde ac diceret. Nunc non mihi indulgeo, nunc non me à vobis seruo, nunc non intendo iterum in Ægyptum ad euitandā Herodis iram fugere; nunc non curo transiens per medium vestrorum ire; nunc non me abscondam exiens de templo lapides euitando, sed manibus vestris liberè lubens, spontè ac voluntariè hilarescens pro peccatoribus paratus mori me trado: quoniam. [Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum,] Ideo si propter me orta est hæc tempestas (vt sane orta est) accipite me & mittite me in mare passionis amarum. Vides igitur qualiter Christus in hora passionis suæ sibi ipsi nullatenus voluit indulgere, & in hora tentationis nostræ nobis semper piè indulget? Ad hoc ipsum planè spectat eius fatigatio itineris Samariæ, quoniam, vt mulier Samaritana quiesceret, ipse fatigatus fuit ex itinere. Hùc etiam tendit eius ieiuniū in deserto, quia ad hoc, vt nos panē nostrū quotidianum in saturitate comederemus, ipse voluit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto ieiunare. Denique vt nos à tentationibus securi esse possemus, ipse voluit tentari, iuxta illud Matth. 4 [Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur a diabolo.] His igitur de causis ipsemet Christus huic Antistiti dixit: [Et ego seruabo te ab hora tentationis.] Et id propterea nemo te deuincere, aut debellare valebit, ego etenim ero tecum in illa hora qua fiet tentatio, (vt exponit S. Thomas in hisce commentarijs) non vt non tenteris, sed vt non vincaris: [Et saluabo eos (dicitur Oseæ. 1.) in Dño Deo suo, & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.] Quibus verbis docet Dominus, quod licet ipse crebrò per exercitum saluare soleat, tamen modo fine armis & exercitu coacto saluare promittit. Ac si apertius dicat. Soleo concedere victoriam per huiusmodi instrumenta, arcum, gladium, æquos, & æquites, sed nunc nolo per hæc, sed permemetipsum parare victoriam. Et hoc eodem modo promittit nunc se seruaturum hunc Antistitem per semetipsum absq. arcu, gladio, & absq. æquis, & equitibus, dum illi dixit: [Et ego seruabo te ab hora tentationis.] Quod reuera singulare Dei benefitium qroculdubio reputandum venit.

Misericordiorem se ostendit Christus nobiscū quā secum.

Christus hilariter se tradidit ad mortē, & passionem pro nobis.

Ionæ 1.

Præsidium diuinum erga fideles.

Saluari absq. armis, summum Dei donū est.

A Eximia siquidem Dei misericordia est fine militum, & armorum strepitu, & absq. exercitus coactione victoriam adipisci, vel saluari ab inimicis. Ex hoc planè apparet, Christum noluisse hunc Antistitem tentari tentatione fortis incussionis: quia forsitan defecisset. Vnde, & nos hanc tentationem recusamus, cum in oratione Dominica dicimus: [Et ne nos inducas in tentationem.] Quoniam secundum Gregorium, in tentationem inducere, est in tentationis illecebras noxium ire, vel vltra illud, quod possumus resistere, tentari permittere. Cognoscit etenim Deus figmentum nostrum, & id propterea non permittit nos tentari vltra quod possumus sustinere, vt cum tentatione prouentum faciat.

Tentatio fortis incussionis multos prosternit, ac deuincit.

D. Greg.

PARAPHRASIS

Tertia.

Par. 3.

Tentare (ait tandem) habitantes in terra

Non est concors omnium Doctorum exponentium, huius loci enodatio. Quoniam (vt alios omittam) D. Ambros. existimat hìc sermonem fieri de iudicio vniuersali, ita etenim scribit in suis commentarijs. [Hora tentationis, diem iudicij significat: tentationem autem pro manifestatione posuit; quia singulorum facta omnibus manifestabuntur, a qua hora tentationis, nos & omnes electos suos Dominus saluabit.] In hanc eamdem sententiam perstitisse reperio Dionysium Carthusianum.

Dilucidatio textus.

§. 1. Variæ Doctorum circa textum opiniones.

C Porro Arethas, Primasius, Strabus in sua gloss. ord. Beda, Haymo, S. Tho Auctor incognitus & alij multitudine fere infiniti Doctores, putant hìc per tentationem debere intelligi Antichristi persecutionem.

§. 2. Areth. Primas. Haymon.

Rursus per hanc horam tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, quidam putant (inter quos est Dionysius Carthusianus) posse ad literam magis refferri ad huius Episcopi tempus, ita vt de persecutione Christianorum à Romanis Imperatoribus, eorumque satellitibus accipiatur. Iam enim quando Ioannes hæc scripsit, cœperunt hi Ecclesiam generaliter persequi.

§. 3. Dionisius Carthusianus in comment.

Attamen discentiunt inter sese huiusmodi D. D. in hoc, nimirum, quia Strabus in sua glossa ordinaria S. Thom. & Auctor Incognitus asseuerant intelligengendum esse de vniuersali persecuutione, quam Domitianus per vniuersum orbem terrarū in Christiani nominis cultores excitauit. Constat si quidem primam Ecclesiæ Dei persequutionem fuisse sub Nerone: Secundam vero sub Domitiano. Sed horum positio nequit subsistere, eò quòd Ioannes Apostolus, & Euangelista, vt crebrò dicimus, tempore huius maximæ persequutionis, afflictionisq. Domitiani, inferuentis olei dolium Romæ ab eodem Imperatore Domitiano missus extitit, à quo cum illesus exijsset, in Patmos insulam relegatus fuit, vbi relegatus, & exilio traditus, hanc & vidit, & scripsit Apocalypsim. Quare hæc tentatio tunc ventura in vniuersum orbem nequit esse Domitiani persequutio cum hæc iam instaret, & iam diu ita sæuiret vt in parte iam discesserit, & illa esset omnino tunc ventura.

D

§. 4. Strabus S. Th. Doctor Incog in comment.

Iccirco mihi magis arridet aliorum Doctorum opinio, quç asserit hìc sermonem fieri ad litteram de generali tentatione, & afflictione in vniuersam Ecclesiam quæ accidit tempore Traiani, appellata communiter ab historicis, tertia persequutio. Post Domitianum enim, Traianus genere Hispanus, Cognomento Vulpius Crinitus, decimus quartus Romanorum Imperator Ecclesiam Dei adeò persequutus fuit, vt terribili edicto aduersus Christianos promulgato per vniuersum orbē Christianismus maximas perpessus fuerit pressuras. Meminit

E

§. 5. Quarta opinio, & probabilior.

Tertia generalis persecutio Ecclesiæ.

minit huius persequutionis, & edicti Plinius lib. 10. Epist. 101. Eusebius lib. 3. hist. Eccles. cap. 32. Nicephorus lib. 3. cap. 16. & 17. Quę plane sententia, cæteris omnibus probabilior (ad litteram) apparet. Tùm quia hæc persequutio accidit post obitum sancti Apostoli

1. Ratio. & Euangelistæ Ioannis, & probabile est, quod sanctus Euangelista in illo suo exilio, futuram illam fore præuiderit, vt indicare videntur illa verba: [Seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in vniuersum or-

2. Ratio. bem, &c.] Tùm quia Traiani Imperatoris tempore, mortuus fuit Apostolus, & Euangelista Ioannes, & fieri potest quod ante obitum, suum Ecclesiæ Dei præmo-

3. Ratio. neret de futura crudelitate, in eam, per Imperatorem illum suo tempore regnantem. Tùm quia in hac prima reuelatione, quod vni Ecclesiæ dicitur, omnibus dicitur; quare quod hìc vni Episcopo, vel vni Ecclesiæ loquitur, fieri potest, vt vniuersæ Ecclesiæ loquatur; & sic de persequutione Traiani, tunc in breui tempore certo futuram vniuersæ Ecclesiæ rationem reddit. Ne cum extemplo venerit, fideles de vniuersa Ecclesia negligentes oblitos ac incuriosos fortè reperiat. Iacula enim quæ præuidentur minus feriunt.

§. 6. Christus nunquam defuturum se promittit Ecclesiæ suæ. Annotabis tamen primò hìc, Dominum nostrum Iesum Christum Ecclesiæ suæ sanctę etiam promittere, se ei nunquam de futurum suo auxilio in omnibus suis tribulationibus, prǽuidentem eius veram fidem, quæ patienter expectat aduentum eius. Legito de hoc argumento Primasium, & Iacobum Suarez à santa Maria in hisce suis commentarijs; ad quod alludit illud: [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi.]

§. 7. Tempus breue dicitur hora. Secundo annota: [Horam,] hoc in loco non propriè accipi, quinimmo breue tempus, horam appellari; veluti 1. Ioan 2. dicitur: [Filioli nouissima hora est.] Et Epist. ad Philemonem. [Forsitam enim ideo discessit ad horam a te, vt æternum illum reciperes:] & Ioan. 5. [vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius:] In quibus omnibus locis, hora accipitur pro breui tempore. Quadrant dicta cum sancto Thoma, qui hunc locum ita dispungit: [Seruabo te ab hora tentationis, id est, ab ipso exordio, quo incipiet, vel ab hora tentationis, id est, à tentatione in hora, qua fit.] Sic ille.

Annota tertio, quod tentatio hoc in loco vt asserit Haymo, pro deceptionis lapsu accipitur. Nihilominus

§. 8. Tentatio dici potest qualibet persequutio afflictio, & tribulatio. tamen quælibet persequutio, afflictio, tribulatioue appellari potest tentatio, eo quod homo per eam examinatur, & qualis sit noscitur. Sic enim Deus tentat electos, quia per aduersa & aspera, de eorum perfectione accipit experimentum, probationem, seu euidentiam, non vt ipse agnoscat, sed vt alijs ad ædificationem patescat, Iccirco illud: [Seruabo te,] teste D. Thoma in hisce suis commẽtarijs, ideo appositum est, vt significet hoc, nimirum efficiam, non vt non tenteris, sed vt non vincaris. Quare si hæc tentatio accipiatur ex parte diaboli tentantis, erit hoc (vt ait S. Thomas hìc) ad deijciendum Christianos, quorum est aduersarius: Si verò accipiatur ex parte Dei permittentis, erit ad Christianos probandum in fide, & in eadem proficiendum. So-

Tentat Deus multipliciter let namque Deus seruos suos multipliciter tentare. Primò ardua præcipiendo, & sic tentauit Abraham, dũ Gen. 25. dicitur: [Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, tolle filium tuũ, quẽ diligis Isaac:] Secundò tentat magnifica erogando, & sic tentauit populum suum, dum Exod. 16. dicitur. [egrediatur populus, & colligat, quę sufficiat per singulos dies, vt tentẽ eũ:] Tertio tentat aduersa permittendo, & sic tentauit Israelitas per desertum dum Deut. 18. dicitur. [Recordaberis cuncti itineris, per quod induxit te Dominus Deus quadraginta annis per desertum vt affligeret te, atq. tentaret.] Quarto tentat Deus benignè erudiendo, & sic tentauit Christus Philippum, dum Ioan. 6. illi dixit: [vnde, ememus panes, vt manducent hi.] Vnde mox sequitur in textu: [hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.]

F Sed dices, quomodo hic affirmatur, quod Deus tentat seruos suos, cum Iacob. 1. dicatur: [Deus neminem tentat?] Ad hoc dico, quod duplex est tentatio, prima probationis, secunda vero deceptionis. Cum enim quis tentatur vt probetur, & vt eius fides, patientia, humilitas, & alia eius opera bona illuscescant, & alijs innotescant; talis tentatio dicitur probationis. Hinc D. Augustinus ait: [Tentaris vt exercearis, probaris vt qui nesciebaris, a temetipso inueniaris.] Et talis tentatio probationis est à Deo, iuxta illud Deut. 13: [Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non.] Et hanc tentationem petiuit Psalmista, dum Ps. 25. dixit: [Proba me Deus, & tenta me.] Cum vero quis tentatur, vt decipiatur, sic tentatur à concupiscentia sua, & non à Deo, & tunc Deus neminem tentat, vt ait Iacobus. Quoniam Deus intentator malorum est, erit autem tunc talis tentatio vel à carne: §. 9. Difficultas. Soluitur difficultas. Tentatio duplex.

G Quoniam [caro concupiscit (vt dicitur ad Galatas. 5.) aduersus spiritum,] vel à mundo, quoniam. [In mundo (vt dicitur Ioan. 16.) prǽssuram habebitis:] Vel tandem fiet à diabolo, quoniam (Aduersarius vester diabolus (vt dicitur. 1. Pet. 5.) tanquã leo rugiens circuit quærẽs quem deuoret:] Vnde perpulchrè ait Strabus in sua glossa ordinaria super. Ps. 25. quod aliter tentat Deus, aliter homo, & aliter diabolus. Nam Deus tentat salubriter, homo vero bonus tentat vtiliter. At vero diabolus, caro, & homo malus tentant hostiliter. Tentatio deceptionis est ab aliquo animæ hoste.

De Christianis autem qui in hac vniuersali tentatione nullatenus diffecerũt: affirmare planè possumus illud Iacobi. 1: [Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.] §. 10. Encomiũ tentationes vincentium.

H ECCE venio cito: tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam Tex. 15.

COMMENTARIVS.



DE MORTE & electorũ corona, hic est prorsus sermo. Litterã tamen cõtextus primò compingamus, vt sic voti compotes melius euadere queamus. Doctores namq. qui superiorem textum: [Et ego seruabo te ab hora tẽtationis &c.] de persequutione vltima Antichristi, siue de extremo iudicio exoluunt, ex consequenti, necessitate compulsi, hunc alium textum, *venio cito*, *&c.* de propinquitate aduentus Christi ad orbem iudicandum expendunt. Hinc S. Thom. cum glossa ordinaria. & Haymone sic dispungit: [Ecce, quasi dicat in promptu est, venio idest veniam, sed sic loquitur, vt ostendat propinquitatem ad iudicium, vt nos remuneret, cito Haymo, cito fit omne, quod transit, vel hoc dicit, quia mille anni ante oculos Dei, sicut dies vna:] Ita sanctus Thomas. Attamen explanatio hæc, moralis quidem est & nullatenus litteralis, vt ex superioris textus enodatione facilè deducitur. Quamobrẽ præstat proculdubio præfatum textum. *Ecce venio cito*, de istius Antistitis obitu exponere, eò quòd supra illi Dominus pollicitus fuit, se illum à Traiani persequutione superuentura liberaturum: quæ quidem afflictio futura quippe erat ad Christiani nominis cultores, dirè crudeliterque trucidandos. Et cum melius sit mori (vt dicitur 1. Machab. 3.) quam videre mala; vt aliquantulum sanctus Pastor consolaretur; accelerata in breui futura eius morte, adeo illi hic sub his verbis reuelatur: *Ecce venio cito*, quasi dicat: Adueniente iam Traiani crudeli gladio, breuiter ego tecum adero, morte corporali,

Explanatio contextus. §. 11.

I

Explanatio S. Thomæ glos. ord. & Haimonis est moralis.

K

porali, transfaturus te ad patriam, ibiq; te abscondam A in abscondito faciei meæ à conturbatione hominum. Quadrat cum hac expositione nostra Lyranus qui sic expendit: [Ecce venio cito ad te accipiendum,] & Rupertus Abbas, qui sic exoluit: [Ecce venio cito, non longum abest tentationis tempus, a quo te oporteat seruari, immo quasi hora est, quia cito transit, ecce enim venio cito, venio disrumpens vincula tua, vt solutus, & peregrinus à corpore præsens Deo sis, & illa te perfruaris cuius hic pro consolatione intelligentiam habere meruisti] Sic ille. Idem prorsus videntur sentire Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 22. in Apo. & Franciscus Ribera in hisce suis commentarijs. Et ne interim, dum hæc fierent, sanctus pastor, suam à Deo sibi datam gratiam per aliquod lethale scelus fortasse amitteret, protinus illi subiungitur. *Tene quod habes* quasi dicat: Perseuera in fide, & in bonis operibus, vt exoluit Anselmus Laudunensis in sua interlineari Glossa. Vel tene gratiam, & perfectionem (vt exponit Lyranus, & Petrus Berchorius Pictauiensis. Vel *Tene quod habes*, subditos tuos à lupis custodiendo, vt expendit Autor Incognitus. *Vel tene* permitentis custodiam, & vitæ diligentiam perseuerando *quod habes*, scilicet gratiam, & vitæ tuæ merita, vt explanat S Thomas innixus verbis Iob. 27. [Iustificationem meam, quam cœpi tenere.] Nemo namq; sanctorum in hac vita est tam prouectæ virtutis, tamq; palmæ propinquus, vt ea priuari nequeat per aliquod peccatum, vel comissionis, vel omissionis, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. [Qui se existimat stare, videat ne cadat.] Et tandem ne existimaret Pastor iste videndo se ita sanctum, pium, ac iustum, Deoq; charum ac dilectum, manum Domini in sanctitate sua abbreuiatam C fuisse, protinus illi additur, *ne alius accipiat coronam tuam*, quasi dicat, quemadmodum te sanctum, pium, ac iustum, mea gratia, feci, sic in dies alium sanctiorem, ac te iustiorem, eadem mea gratia, facere possum, ideo in humilitate certo pede consistere, ne moto pede corruas, & corruendo coronam tibi præparatam amittas, & alius in locum tuum succedens, illam accipiat. Vel aliter, conserua fortitudinem, & patientiam tuam pergens vt cœpisti, & nullis terroribus persequutionum cedens, ne (si ijs succubueris) alius prote substituatur, qui mercedem, & coronam vitæ æternæ referat, quam tibi paraueram. Vel tandem, fortiter custodi gratiam, & virtutes, quibus vsque modo laborasti in fide, ne, tua desidia amittas illam, (quæ tibi præparata est) *coronam*. Hinc D. Gregorius lib. 22. moral cap. 6. sic D scribit: [Qui ergo æternam vitam quærimus, quid aliud quam quædam itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus; sed quid prodest, quod cœpimus multa, si ea quæ ad perueniendum restant negligantur reliqua? More itaq; victorum nequaquam debemus aspicere, quæ bona, nec dum fecimus, sed eo quæ non iam fecisse gaudemus] Sic ille. Non est plane absolutus debitor, qui multa, sed qui omnia reddit: Nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte stadij currit, si iuxta metas veniens, in hoc quod est reliquum deficit. Semper igitur in melius ambulantes, ne amittamus quæ bona gessimus, perseuerare nos oportet.

Continuatur explanatio contextus.

Vita inmelius cōmutanda per pœnitentiam.

Præsumptio iactantis & arrogantia omnino detestanda.

Patientia continuanda.

Vide Iacobū Suarez à sancta Maria serm. 22. in apo.

Semper festinandum est ad celestem patriam.

Simile.

Simile.

etiam Ambrosio sic legitur [Antequam in morbum incideret mortis suæ diem prædixit.] In vita in super sancti Pauli heremitarū auctoris, sic scribitur [Diluculo Paulus de morte quæ sibi instaret admonens Antonium hortatur vt pallium quod ab Athanasio acceperat ad inuoluendum suum corpus afferret] Porro de eodem sancto Antonio sic inuenimus scriptum [Qui aliquando quintum & centessimum annum agens, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, conuocatis monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate miraculis clarus migrauit in cælum] Et de sancto Augustino ita narrat eius historia [Itaq; cum discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos Dauid qui ad pœnitentiam pertinent in conspectu propositos, profusis lacrymis, legebat.] ô singulare Dei beneficium inter innumera alia eius beneficia merito laudandum, ac prorsus totis viribus ex- B pectandum. Optime proculdubio quotidie canit sancta mater Ecclesia, dicens [Pretiosa in conspectu domini mors santorum eius] vt igitur paratus esset mori Antistes iste sanctus, Dominus ipse diem obitus sui prædixit per hæc verba [Ecce venio cito] quasi dica: Vigila amice quia iacula quę preuidētur minus feriunt, & sciendo me cito venturum, me expecta, & corporis tormenta pro nihilo fac. Veniam etenim cito ad te, transferendo te de via ad patriam, de tribulatione ad gloriam, demerito ad præmium. Quo plane verbo dominus ipse huic Antistiti (& omnibus sanctis suis simul cum illo, dum ipsi à tyrannis & fidei hostibus crudeliter & dirè affliguntur) consolationem haudexiguam omnino infundit, & ad patientiam & laborum tollerantiam, miruminmodum excitat. Nihil etenim iucundius (vt verum fatear) sanctis Dei euenire potest, quam diem obitus sui ex alto scire. Magna proculdubio consolatio nauiganti datur, cum illi post longam multorum dierum nauigationem, breue reliquum iter ad ciuitatem quam petit ab experto nauta prædicitur. Tunc etenim eleuat ad cælum manus, tunc vehementer lętatur, tunc res suas cautè componit, &c. Nauigatio nostra ex hac vita ad patriam, nimis sanè longa est & multorum dierum curriculo implicata, hinc Dauid in dies dicebat [Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c.] vt dùm diuinitus de eius vicinitate præmonimur mirumimodum lætemur.

§. 2. Porro quadrant hec verba [Ecce venio cito] cum illo Iob. 14. [Breues dies hominis sunt,] quoniam vtrobiq: accelleratus aduentus domini, quo nos translaturus est ex hac pręsenti vita ad patriam attingitur. Quæ consideratio breuitatis vitæ sufficere debet vt mala que nos hic præmunt, æquo animo sustineamus, vt illis vitam adipisci possimus æternam. Iccirco D. Chrysostomus hom. 36. ad populum inquit. [Vide quanta Dei clementia mortem tibi redemire posse, non temporalem concessit, nec breuem vitam hanc, sed æternam illam emas, illam tibi vendo futuram non præsentem hanc; Non illudo tibi, hanc si accepisti, nihil accepisti, illam noui quanti sit prætij] Non enim Deus suis, rem tam paucis duraturam diebus, qualis vita præsens est, donare vult, sed æternam præparat eis felicitatem. Hinc de hac præsenti vita dicitur Sap. 2. [& transibit vita nostra tanquam vestigium nubis & sicut nebula dissoluetur que, fugata est à radijs solis & à calore eius aggrauata.]

San. Maximus Episc. hom. 1. de sancto Laurentio.

D. Hieronymus in vitis patrum.

Mors D. August. præscita.

Mors Antistitis Phyladelphiæ præscita.

Comparatio.

E

Par. 1. Enucleatio textus.

P A R A P H R A S I S
Prima.

§. 1. Obitus diem scire quis est pecaliare Dei beneficium.

Ecce (ait) venio cito. Singulare plane Dei beneficium, & satis magna diuina gratia est, diem obitus sui quis diuinitus præscire. Hoc plane magnum Dei donum est, quod sanctis suis dumtaxat ipse misericors pater præstare solet. Hinc Venerabilis Sixtus Sacerdos ac Antistes, morti pro Christo propinquus, sancto Laurentio pro eodem Christo Domino, mortem iussu Dei, prænunciauit dicens [Noli fili mæstus esse, post triduum me sequeris.] De sancto

Par. 2.

P A R A P H R A S I S
Secunda.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Tene quod habes (ait deniq;) vt nemo accipiat coronam tuam. Exhortatio, minauè omnipotentis Dei est hac, ad electos, vt in bono in-

excepto nullatenus deficiant, quinimo constanter perseuerent & intrepidè persistant. Quemadmodum.n. Puero d.cere solet pia mater (cum ipsum vult inducere ad sugendum) tene vbera, ne dem alijs, ita prorsus se habent præfata verba.

Comparatio.

§. 2. Electorum numerus facile cognoscitur. Comparatio.

Verumtamen ex hac mina, numerus electorum facilè dignoscitur. Quemadmodum namq; natura, teste Aristotele 4.lib. phys.cap.6.7.8 & 9.ita vacuum & inane penitus abhorret, vt ne in ea detur, residente corpore aliquo abvno loco, siue aliqua portione alicuius elementi, protinus aliud corpus, vel alia portio alterius elementi eiusdem quantitatis, & magnitudinis id ipsum locum tenere aut occupare euestigio curat. Ad quod plane præstandum, ignem experimur descendere contra suam naturam ad inferiorem locum,& aquam persistulam efusam ascendere sursum, si fistulæ orificium non sit clausum. Pari etiam modo auctor naturæ Deus vacuum ac inane locum electorum in patria ita penitus abhorret, vt sua diuina prouidentia factum sit, vt vno deficiente electo,alius mox in eiusdem locum subrogetur, donec electorum numerus adimpleatur. Hùc sanè tendit illud Isa.46. [Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, vocans ab oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ,& loquutus sum & ad ducam illud, creaui & faciam illud]& illud etiam Iob.34.] Conteret multos innumerabiles & stare faciet alios pro eis] Nec non illud Matth 21. [Ideò dico vobis quia auferetur à vobis Regnum Deì, & dabitur genti facienti fructus eius] Et deniq;illud Apostoli ad Rom.11. [Fracti sunt Rami eius vt ego inserar.] Quamobrem hoc in loco, teste Primasio electos(quos secundum propositum sanctos,Apostolus vocat) stupenda prorsus consideratione cognoscimus. [Quos presciuit(ait)& prædestinauitconformes fieri imagines filij eius]Ostendit enim hoc in loco huic numero nec addi quenquam posse, nec minui, cum sic,istum propriam coronam dicit amittere vt alius percepturus accedat. Vnde intelligitur nec alium posse succedere, si quod ille tenuit,perseueranti fide, custodiat. Sic etiam Iudæorum elatio est frustrata;qui de stirpe Abrahæ gloriabantur, Potens enim est Deus(inquit)de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ vt certa promissio maneret ex munere & gloriatio carnalis vacuaretur ingenere. Hinc Haymo in hunc locum ita habet [Cum certus sit Deo numerus electorum dum remunerationem sibi promissam ob sui perdunt negligentiam, ne locus illorum vacuus remaneat, alij in locum eorum subrogantur. Sicut de Iudæis & gentilibus. Iudæis enim fuit promissa corona quam acceperunt gentes.] Et Rupertus Abbas, sic perdocte ait] Et quidem hoc fieri non potest vt eorum quisquam perdat coronam suam, quos Deus presciuit, & ad coronam prædestinauit,verumtamen & fieri potest & factum est,vt ille coronam perderet quem Deus ad coronam vocauit, vocatione visibili: siue quæ ab hominibus potuit audiri; nam exempli gratia Iudam dominus ad coronam vocauit Apostolicam, quem tamen ad coronam non prædestinauit; quia corona indignum fore præsciuit. Vnde & coronam eius scilicet Apostolatus honorem alius accepit, sicut scriptum est. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter. Nemo ergo quamdiu certat,multum de corona confidat, quia videlicet si omnium præscius Deus caput tuum in fine dignum corona fore scit, tu tamen nescis] ita Rupertus.

Sedes electorum ad implenda.

Iudeis fuit promissa corona quam acceperunt gentes.

§. 3. Iudicij ei oculti diuina dispositio qua alios pro alijs stare facit. Fauores maximi Dei ad populum suũ.

Occultum itaq; iudicium Dei disponit, vt aliquando quod pleriq; tenere videbantur, amittant, & alij quod illi ex demeritis perdiderunt,accipiant. Quamobrem in Angelorum, qui ceciderunt locum, homines substituti sunt. Populum insuper illum antiquum Deus sibi elegerat in peculium de cunctis gentibus, cui mysteria sua reuelauerat, cui legem dederat, cum quo pactum assumendi humanam carnem inierat,quod

F tandem adimplens,venit in mundum; sed mundus eum non cognouit, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, diuina tamen misericordia in eorum locũ gentes subrogauit, in quibus fides sua, indies proficeret. [Vobis (dicitur Act. 13.) oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: Ecce conuertimur ad gentes] Duodecim præterea Apostolos elegerat Dominus, secundum antiquas figuras huius numeri, quorum vnus,nimirum Iudas defecit, & noluit ipsemet dominus Iesus Christus ex hac vita migrare, quin alium ad vitam lucraretur, id propterea latronem conuertit in cruce, & Mathiam postea in locum Iudæ elegi ordinauit. Porro in locum hereticorum & schismaticorum nostri temporis, varias indiarum ac Insularum ex nouo orbe,siue ex quarta mundi (quam Americam vocant) parte, nationes ad fidem & Ecclesiam peruenire intuemur. Fulgebat namq; olim in

Iudæ lapsus reparatur per latronem & Mathiam.

G Gracia & in tota hac nostra Europa,ac etiam in Asia vniuersa,fides Christianaq; religio; at nunc Græciam turcis tributariã, Asiam ab agarenis occupatam, Europam,Fera pessima hæresi deuoratam ex parte magna aspicimus. Proh dolor, Conuerte quæso oculos ad Germaniam, Poloniam, Angliam, & Galliam, & videbis plane qualiter fides orthodoxa, falsis Lutherij, Caluini, Betzæque dogmatibus Ecclipsim passa fuerit in quorum sane locum, Deus optimus maximus, Americam illam (vt dixi) priscis incognitam orbis partem labore & industria hominum (ipso tamen in eis operante) discooperiri voluit, vt veritas Euangelij quam Lutherus,Caluinus, Betza,&& alij heratici abiecerunt ibidem prope diem quasi semen fæcundum terræ mandaretur, ex quo sane fides nostra catholica adeò magna suscepit incrementa vt ragiones illæ longinquæ

Greciæ & Asiæ ruina.

Indiarum occidentalium, ad fidé orbe duas conuersio.

H ad fidem conuersæ, reliquas tres orbis partes amplitudine, omniumq; rerum magnitudine aprimè exuperent. Vides igitur occultum Dei iudicium, quo diuina illa sapientia, alios pro alijs stare faciat? Dicat igitur Apostolus (& merito sanè,)ò altitudo sapientiæ & scientiæ Dei quam imcomprahensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Quamobrem nequis nostrum retrogrediendo à semita virtutis incœpta præmissa corona indignus reputetur, exclamat noster Archipropheta, dicens [Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam] eò quod sicuti Deus noster prope diem punctualiter misericordia,ita prorsus punctualiter iustitia vtitur.

Fidei extensio maxima apud occidétalem Indiã.

Appendix 1.

Præmoneo tamen primò, quòd cum certus sit numerus saluandorum, si vnus iustus ceciderit aut pe-

Vnus loco alterius subrogatur.

I rierit, alius in gradũ eius seu locum succedit. De quare Lyranus in textu, exemplum adducit, dicens [Cadentibus enim aliquibus a Iustitia in præsenti, alij eis subrogantur sicut patet in legenda quadraginta martyrum, quia vno ex eis cadente, clauicularius sub rogatus fuit & eiuscoronam accepit] Sic ille. Quamuis enim nec prædestinatus possit corona priuari, nec præscitus eam sortiri in sensu composito, putà vt talis & per comparationem ad prouidentiam Dei: tamen vtrique, putà, prædestinato & præscito manet liberum arbitrium & ob hoc ille potest damnari, & iste saluari, insensu diuiso. Legito de hoc Angelicum Doctorem, p. p. q. 23. art. 6. quærentem an reuera sit prædestinatio, aurea plane verba ibi proponit, & præcipuè in solutione ad 1. vbi sic habet. Corona dicitur esse alicuius dupliciter vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam

Prædestinatus an possit reprobari.

K amittit, alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur quodamodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens; Alius autem illam coronam amissam accipit in quantum loco eius subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere quin alios erigat, &c.] In eadem met verba omnino prorumpit hic idem Angelicus Doctor in hisce suis commentarijs sic scribens.

De

De prædestinato est loqui dupliciter, aut secundum se & absolutè, aut in respectu ad prædestinationem. Primò modo loquendo, potest homo qui est prædestinatus peccare finaliter & coronam perdere, & sic damnatur vt patet, quia liberum arbitrium habet non confirmatum quo potest velle malum & manere finaliter in eo Secundo modo loquendo, non potest, quia non potest fieri vt hæc duo simul sint, scilicet, quod ille sit prædestinatus & damnetur. Secundum primum modum, loquitur dominus, in hoc verbo [tene, &c.] loquitur enim secundum illud quod est exparte hominis qui quantumcumq; sit prædestinatus oportet quod perindustriam liberi arbitrij se disponat ad coronam alioquin non est prædestinatus nec saluabitur. Deus enim prædestinans, exigit conatum liberi arbitrij sicut supra premisserat illi Episcopo vt illum conseruaret, & tamen post persuadet ei constantiam ne succumbat: Quia Deus hominem hoc modo conseruaret, scilicet si homo diuinæ gratiæ cooperaretur, similiter est in opposito. Si autem non perseueraret finaliter eo ipso habetur quod non est prædestinatus] Hæc Sanctus Thomas.

Appendix. 2. Prædestinatorum corona qualis.

Rursus præmoneo secundò, prædestinatum accipere coronam ab alio, non eamdem numero, sed consimilem in gradu.

Appendix. 3. Episcopus phyladelphiæ creditur prædestinatus.

Tertio Præmoneo, Episcopum hunc Philadelphiæ videri á multis prædestinatum fuisse, quoniam multum commendatur á domino & in nullo arguitur, vnum vtique est, quod si illud verbum [tene, &c] accipiatur generaliter, tanquam monitio facta hominibus singulis, potest intelligi tam de prescito iusto quam de prædestinato. Quoniam negandum non est præscitum quantum admeritum pro statu præsentis iustitiæ coronam habere. Quia si tunc decederet saluaretur, licet nonquantum ad finalem statum (vt prodit hoc in loco S.Thomas) quia non perseuerabit. Veruntamen non hoc impedit, quin ex stylo loquendi colligamus, hunc Antistitem prædestinatum fuisse, quum in nullo reprehendatur in tota hac Epistola, illi diuinitus consecrata. Neque ob hoc negamus difficultatem, prædestinatos & reprobos, siue præscitos cognoscendi in præsenti statu, cum scriptum sane sit [Nescit homo an odio vel amore dignus sit] Quibus verbis proculdubio pendet omnimo ex mera dei voluntate & reuelatione certitudo prædestinationis alicuius, vt nuper retulimus.

Prædestinationis incertitudo.

Appendix. 4.

Quarto præmoneo, gratiam amitti posse pro peccato contra Deum, vel comissionis vel omissionis. Quod planũ fit. Tum ex hoc loco [tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuã] Tum ex Apostolo. 2.Cor. 11. dicente [Timeo ne sicut serpens seduxit astutia sua ita corrumpantur sensus vestri et excidant á simplicitate quæ est in Christo] Tum ex testimonio sanctorum Patrum, quoniam D. Gregorius in illa verba Iob. 41. de Behemot: [Sternet sibi aurum quasi lutum] ita scribit [Quia enim multos Leuiathan iste qui intra sanctam Ecclesiam fulgore iustitiæ resplendere videbantur, tunc vel terrenarum rerum concupiscentiam vel errantis doctrinæ contagio, vel carnalibus sibi voluptatis subijcit, aurum sibi proculdubio quasi lutumsternit] & D. Augustinus, libro de bono perseuerantiæ cap. 8. explanans illa verba 1. Ioan. 2. [Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis] sic ait [Non ne vtriq; vocati fuerant, & vocantem sequti vtriq; ex impijs iustificati & per lauacrum regenerationis vtriq; renouati ? vera sunt hæc. Secundum hæc omnia ex nobis erant, veruntamen secundum aliam quandam discretionem, non erant ex nobis, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante mundi constitutionem] Quo loco docet Egregius Augustinus, posse hominem quandiu viuit, in gratia esse, quam amittit foras ægrediendo, vel per hæresim, vel per peccatum. Primo modo fidem amittit et gratiam, secundo vero gratiam, licet fides remaneat quæ per se non sufficit vt aliquem ad gloriam perducat æternam.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Que omnia pereleganter confirmat ex hoc loco D. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ scribens sic] Quandiu Salomon in vijs domini ambulauit tandiu gratiam Dei obtinuit, Postquam dereliquit domini viam, perdidit & gratiam, & ideo scriptum est, tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam, quod vtique dominus non minaretur auferri posse coronam iustitiæ, nisi quia resedente iustitia, recedat necesse est & corona] Hæc D. Cyprianus. Perquæ verba clare patefacit, neminem quandiu viuit adeò in Dei gratia confirmatum esse quod nequeat in profundissima labi vitia & á vero vitæ & perfectionis tramite retrocedere, & condemnari.

Appendix. 5. Gloria quomodo potest amitti a nobis.

Rogabis postremo dicens, si corona ista gloria etiam est, vt nuper retulimus, quam Deus suis donare disponit, quomodo eam amittere potest qui ad eam prædestinatus est ? Dico cum S. Thom, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter, vno modo ex prædestinatione diuina, & sic nullus coronam suam amittit, alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quoddamodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale, & alius illam amissam accipit, in quantum loco eius subrogatur.



Vi vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo & nomen meum nouum. Tex. 16.

COMMENTARIVS.

---

explanatio contextus. §. 1.



LOQVIO peculiari ad Antistitem iam peracto, ad reliquos d. Ecclesiæ (vt demore habet) nunc generaliter sermonem dirigit Euangelij aquila, pro missionis (vti semper solet) tangendo.

§. 2. Diuersitas opinionum sãctorum patrũ ac catholicorum doctorũ circa hunc textum. 1. Sententia.

Veruntamen uero hic haud exigua inter expositores oritur controuersia, Etenim D. Augustinus Primasius, Strabus, Laudunensis, Lyranus, S.Thomas, Haymo, Rupertus Abbas, Beda, Arethas, Anselmus, Auctor incognitus, & Iacobus Suarez á sancta Maria, in hisce suis commentariis moti ex ly *columna* de promissione mercedeq; huius vitæ, ac etiam de sanctis, ac iustis hominibus in via (qui Ecclesiam Dei doctrinâ sua, sustentare videntur) textum hunc ita exoluunt vt vllo modo de promissione, mercedeq; vitæ eternæ: siue de Ecclesia triumphantè aut de beatis in patria intelligi queat, aperiè affirment. Quoniam beati in patria (vt inquiunt ipsi) columnæ non dicuntur, eò quod ibi nihil sustentant, nec minus ibi aliquis est infirmus, qui ab alio sustineri confirmari vè indigeat.

Motiuum vnius opinionis.

§. 3. 2. sententia. D. Ambrosius Berengaudus Franciscus Ribera. Motiuum alterius opinionis.

At vero D. Ambrosius, Berengandus, Franciscus Ribera, & pleriq; alij exponentes motiuum capientes ex ly *foras* de solo præmio æterno, & de Ecclesia triumphanti, ac etiam de Beatis in Patria, prefatum textum sic expendunt, vt de premio terreno, mercedeuè huius vitæ, siue de Ecclesia militanti, nullatenus intelligi posse, asseuerent. Quoniam qui illuc semel ingrediuntur, foras non egrediuntur amplius, & pleriq; in Ecclesia militante fuerunt columnæ, qui tamen postea, (vti dicunt isti) foras vltimo egressi fuere, vt de Iuda, Apostolo, & de Origene famosissimo doctore patet. Quã obrẽ Ambrosius super hũc locum sic scribit. [Sed videtur propter hoc quod sequitur, & foras nõ egredietur

amplius, non ad præsentem Ecclesiam sed ad cælestem pertinere hanc sententiam, nam multi fuerunt qui columnæ Ecclesiæ dicebantur sed propter prauam doctrinam eorum ab ea exierunt, sicut fuit Origenes & multi alij,] ita D.Ambrosius.

§. 4. Mediam opinionem tenet auctor duas oppositas ex diametro sententias cōciliando.

Ceterum ego (vt hic verum aperte fatear) pace horum tantorum doctorum de vtraq; Ecclesia militanti, nimirum,ac triumphanti, simul & absq; errore aliquo, textum istum aptè comodeq; accipi posse existimo,In qua quidem sententia solitarius passer minime reperiar: Nam pleriq; alij interpræres (inter quos est Dionysius Carthusianus in hisce suis commentariis: & Petrus Berchorius lib. 34. super Apocalipsim) de paradiso & de Ecclesia simul illum enodant.

§. 5. Primum fundamentum.

Præmitto tamen primò quod *Columna* duas (inter alias) obtinet proprietates, quarum vna est, vt sit firma, altera vero vt sit pulchra; Firma quidem vt pondus edificij sustinere queat. Icciřco ex lapide marmoreo fieri solent optimę columnæ,iuxta illud Hest.1. [Columnis marmoreis fulciebatur] Et illud etiam Cant. 5. [Crura eius columnæ marmoreæ] Vel ex ligno Cypresino vt ait Plinius, Nam hæ ita sunt constantes & firmæ vt numquam cædant oneribus, nec quocunq; pondere flectantur. Quamobrem Exod.36. Dominus præcepit fieri columnas de lignis Sethim. Pulchra vero oportet sit columna ob decus & formositatem edificij. Hinc Eccles. 26. dicitur [Columnæ aureæ super basses argenteas.] Aurum autem & argentum, metalla quidem sunt que summè fulgent, ac lucent. Icciřco Dominus ad ostendendam formositatem operis sui præcepit Exod. 36. vt columnæ quæ portabant tentorium, auro operirentur: & Exod. 38. vt columnæ Atrij, argento vestirentur. Has duas proprietates columnæ tangunt D.Gregorius lib. 17. mor. cap.14.asserens columnas vtilitati & decori in seruire, & Primasius lib.1. Apo.cap.3 dicens [Columnas in fabricis & munimini congruere & decori] Et iuxta has duas columnæ proprietates fas est proculdubio vnicuiq; hic loqui de columna:illas diuisim, vel coniunctim accipiendo;

Columna debet esse pulchra & cur.

§. 6. Secundum fundamentum.

Præmitto secundò quod ly *foras* idem est quod extra. Signat namq; exteriorem partem rei vel loci.Denotat enim foras exclusionem à loco,vel extra locum emissionem,vel extrinsecam rei dimensionem, vel forinsecam peregrinationem;Ideo Gen.27.dicitur:[Egrediamur foras] & Matth.5. [Ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras & conculcetur, &c.] Et Ioan.6. [Mittetur foras sicut palmes.]

§. 7. Textum fundamentum.

Præmitto tandem quod aduerbium *Amplius* accipitur in sacra pagina dupliciter, nimirum,nulla antecedente vel subsequente negatione, & sic vel significat augmentum operis,iuxta illud Ps.50 [Amplius laua me ab iniquitate mea]vbi ly[amplius]idem est quod aduch,vel significat augmentum muneris iuxta illud Aggei.1. [Respexistis ad amplius & ecce factum est minus] vbi ly [amplius] idem est quod maius. Secundo accipitur [amplius] aliqua antecedente vel subsequente negatione: & sic significat augmentum temporis vel loci iuxta illud Matth.22. [neque ausus fuit ex illa die, eum quisquam amplius interrogare] Et Act. 20.] Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam] Et Thobiæ 3. [Amplius ex te non videamus filium super terram interfectrix virorum tuorum] Vbi ly[amplius] idem est quod de cætero. Et perpende attente, quod cum antecedente vel subsequente negatione, semper respicit futurum tempus: & hoc dupliciter. Quoniam aliquando respicit futurum tempus tollens omnino præteritum; aliquando vero respicit futurum tempus tollens de præterito id quod fuit. Vel id quod ante esse potuit, vel statum rei quem ante habebat,vt sane apparet in his auctoritatibus sacræ Scripturæ Act.

Amplius cum negatione respicit tempus futurum dupliciter.

F 13. [Quod autem suscitauit eum à mortuis amplius iam non recursurum in corruptionem] & Ierem. 22. [Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ, qui egressus est de loco isto non reuertetur hùc amplius sed in loco ad quem transtuli eum ibi moritur] Et Thobiæ 3.[Amplius non videamus ex te filium, &c.] Quę auctoritates, dupliciter accipi possunt obly [amplius[Cum illâ antecedente, vel subsequente negatione.Primò recipiendo ita tempus futurum,vt præteritum tempus prorsus auferamus. Quoniam corpus Christi (de quo est sermo in prima auctoritate act) nunquam fuit corruptum necSellum(de quo est sermo in auctoritate Ieremiæ) numquam prius captiuus ductus fuerat, neque ex Iudea exierat nec minus Sara (de qua est sermo in tertia auctoritate Thobiæ) numquam antea peperit, erat enim tunc virgo. Eodem fere stylo loqui solemus de illo qui simul exiit, & iterum non reddit dicẽdo [Non est reuersus amplius]Dicimus etiam qui ingressus fuerit in infernum vel in calum, non egredietur amplius, sic enim loquitur aduerbum ampl.us cum illa antecedente vel subsequente negatione, ita respicit futurum tempus, vt præteritum penitus tollat. Secundò respiciendo ita futurum tempus vt de præterito tollat id quod fuit, aut quod ante esse potuit, aut statum rei quem ante habebat, Potuit siquidem Sellum in illo loco ante fuisse,potuit pręterea ante corpus Christi(si Deus non seruaret) corrumpi, potuit tandem Sara filios peperisse ante,& illud aduerbium[amplius]cum illa negatione ita respicit futurum tempus & recindat de præterito id quod ante esse potuit, & sic quod ante possibile erat, nunc de cętero redditur impossibile per illud aduerbium amplius cum sua anteced nte vel subsequente negatione; His prælibatis fundamentis venio modo ad rem.

Amplius cum negatione reddit duplicem sensum in sacra pagina.

§. 8. Prima pars sententiæ auctoris.

Prima itaq; sententia quę est Augustini, Primasij & ceterorum, accipit, ly *columnam* in vtraq; proprietate sua fulciendi, & decorandi ædificium, & sic iustos ac sanctos in via ob suam doctrinam militantis Ecclesiæ columnas hic vocat. Quo plane nomine,pij viri nuncupari solent in sacra pagina, nam illud Cant. 3. [Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas] Theodoretus de sanctis Apostolis exoluit,quos (inquit) Christus Rex sibi ædificauit ex lignis Libani, idest, scientia sanctarum scripturarum quæ Ferculum dicuntur, siquidem per fidem in ipsis portatur per vniuersum orbem & columnæ quę eamdem fidem verbo & exemplo sustentant. Illud porro Prou. 9. [Sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas Septem] Strabus in sua Glossa ordinaria de Ecclesia militanti, de eiusdem doctoribus exponit dicens [Sapientiæ domus est Ecclesia Christi, columnæ doctores sanctæ Ecclesiæ septiformispiritu pleni quales fuerunt Iacobus,Cephas,& Ioannes,quos sapientia excidit quia ab amore sæculi disiunctos ad portandam Ecclesiæ fabricam erexit] Sic ille. Accedit præterea ad hæc, quod Apostolus, expressis verbis, Iacobum,Cepham, & Ioannem, columnas appellat dicens ad Gal. 2. [Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi Iacobus Cephas & Ioannes qui videbantur columnæ esse dextras dederunt mihi & Bernabæ societatis]Dicuntur deniq; iusti,sancti in via,prælati,Heroes, magnates & alij pij homines,columnæ,hoc est, firmamentum, eo quod columna, culmina sustinet vt liquet ex primo fundamento, Est etenim columna stips ad sustinendum pondus ædificij constitutus, constat siquidem vno scapo,idest,lapide ob longo perpetuo ad sustentandum ædificium erecto, & icciřco iustos, sanctos ac Ecclesiæ prælatos, & etiam quoscunq; iudices magnatesq;qui pondus negociorum Ecclesiæ vel communitatis habent firmiter sustinere designat. Quemadmodum namq; columna sustinet ædificium ne cadat, & est media inter solum & tectum, sic isti negotia fidei, Ecclesiæ, religionis vel reipublicæ susti-

1. Ratio.

2. Ratio.

Strabus in prouerbia Salomonis.

3. Ratio.

4. Ratio.

Columna quid sit.

Simile.

sustinent & prohibent ne corruat seu cadat, medij A sunt inter inferius & superius, nimirum inter Deum, & populum.

§. 9. Explicatur prima pars sententiæ Auctoris.

His igitur de causis Deus ore Archipropherico vincentibus, se facturum columnas templi sui hic spondet dicens, *qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei* hoc est, qui tentationes vitiorum, mundi, Dæmonis, carnisq; ac sanguinis oblectamenta, nec non aduersa tribulationum superauerit, hunc columnam nimirum fortem, potentemq; in fide non solum pro se, sed etiam pro alijs confortandis & sustentandis faciam. Ponam itaq; illum firmamentum Ecclesiæ meæ militantis, nimirum, medium eum faciam inter me & populum, cuius planè erit curâ vineæ meæ veluti pondus diei & estus perpetuo portare, verbo & exemplo, B vt ait Glossa ordinaria cæteros fideles confirmans & conseruans. Ecce qualiter venerandi sunt viri spirituales, quia per eos dominus alios sustentat. Hinc D. Gregorius sic eleganter scribit. [Quisquis in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur, vt in hoc templo quod est Ecclesia positus, & vtilitati sit & decori.] Cum quo quadrat plane Primasius super hunc locum sic scribens [Columna in fabricis & munimini congruit & decori, sic & mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis portant officio charitatis] Sic ille. Hoc planè obumbratum fuit in antiquo illo tabernaculo quod huiusce Ecclesiæ militantis quæ per orbem vagatur, figura quidem est. In quo siquidem tabernaculo columnas argenteas factas ex Dei mandato sacra pagina nos docet Exod. 27. sub hijs verbis [& columnas viginti cum basis totidē æneis, quæ capita cum cæ- C laturis suis habebunt argentea.] Quod procul dubio Ecclesiam militantem, templumq; Dei Apostolis iustis, alijsq. pijs viris ob suam firmitatem veritatisq; prædicationem prope diem debere fulciri, sustentariq; indicat.

Nota bene. S. Thom. cap. 3. in Apo.

Textus sequētia, & copulatiuo iuxta primam partem sententiæ Auctoris.

§. 10. Perseuerandi in hac domum Ecclesiæ promittit hoc loco Deus.

Et vt clare appareat, Deum præfatis iustis & sanctis in via suum aliquando efficax præbere auxilium quo perseuerantur in bonis operibus semper se habebant confirmati in gratia, ita vt ab illo statu numquam per lethale crimen corruāt, mox subiungit *& foras non egredietur amplius*, Prosequitur namq; suam inceptam methaphoram de columna, quę semel in fabricam templi ingressa, ita semper edificio incepto deseruit vt nunquam à templo egrediatur, quinimo fixa firmiter & immobiliter in ipso semper permanet suum explens officium fulciendi templi cacumen. Pari etiam mo- D do sunt pleriq; iusti, pij, ac sancti viri, qui semel in statum gratiæ per Dei misericordiam ingressi, ab eodem statu numquam cadunt. Quoniam peccatum aliquod mortale in posterum nullatenus perpetrarunt, quinimo fixi firmiter ac immobiliter in ipso gratiæ statu semper ita permanserunt, vt vsq, ad mortem in charitate Deo, Ecclesiæ suæ militanti deseruirent, vt apparet de D. Augustino, D. Gregorio, D. Hieronymo, D. Ambrosio, de Apostolo Paulo, de Maria Magdalena, & de alijs finaliter prædestinatis, qui à statu gratiæ incepto semel, numquam egressi de cætero fuerunt, quinimo in illo immobiliter ac firmiter, permanentes finaliter discesserunt è vita. Hinc Petrus Berchorius super hunc locum sic eleganter scripsit [Et foras non egredietur amplius, ad literam in Ecclesia fit quod illi qui peccata vincunt columnæ stabiles viri fiunt, & interim vincere assuescunt, ita quod de templo idest de E statu gratiæ non ex tunc amplius recedunt seu cadunt] Tum etiam Primasius secutus Glossam ordinariam, in hæc verba irruit. [Et foris inquit non exiet amplius, exierat iunior filius, idest gentium populus, sed illius vituli saginati morte, idest, Christi cruore reconciliatus atq, redemptus, foras vltro non exit, quippe quem introduxit rex in cubiculum suum, & quanticunq; aut schismatum, aut persecutionum arietibus quatiatur non mouetur, firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sunt eius] Sic ille. Et sanctus Thomas ita habet. [Et foras non egredietur amplius scilicet ab Ecclesia siue à statu gratiæ per mortale peccatum, hæc autem est gratia magna, Psal. susceptor meus non mouebor amplius] Hæc sanctus Thomas.

Comparatio.

Petrus Berchorius in reductorio morali super totam Bibliā lib. 14. sup. apoc.

§. 11.

Sunt plane pleriq; iusti, pij ac sancti homines in hac vita, qui licet elapsis temporibus sceleribus quamplurimis passim irretiti fuere, tamen cum Deus sua gratia, illis semel ex professo aperuerit sensum, viam veritatis & gloriæ eternæ patefaciens, ita se Deo toto corde, & pura mente semel abdicarunt, vt eos neque pecuniæ, neque mulieres, neque honores, neq; diuitiæ, neque illecebrarum, ac voluptatum ictus, aut persecutorum, siue hæreticorum casus, à sucepto veritatis & virtutis tramite dimouere vnquam possint. Quinimo in eorum ore semper inuenies illud sponsę Cant. 3. [Inueni quem diligit anima mea tenui eum, nec dimitam] & sic vsque in finem in bonum perseuerant, non se conformando iterum hominibus sæculi, nec minus secularibus negocijs se implicando, aut iniqua aliquando exempla, de cætero præstando. Et hi (vt dixi) sunt finaliter prædestinati, ex quibus plerosq; ad pastorale officium suæ Ecclesiæ sæpe sæpius euehit Deus, qui vt columnæ immobiles & firmæ in Ecclesia & templo Dei, vsque in finem semper permanent, de quorum finali perseuerantia in bonum sic scribit Beatus Augustinus [Asserimus donum Dei esse perseuerantiam qua vsq; in finem perseuerat in Christo; finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur] Hæc Augustinus. Ecce igitur qualiter Dominus his verbis, *& amplius non egredietur foras*: donum perseuerandi in fide Ecclesiæ suæ promittit. Quicunq; igitur carnem domauerit, qui concupiscentias superauerit, qui sui ipsius victor extiterit, hic erit columna perseuerans in Dei Ecclesia, à qua nuiquam reicitur; non patiar eum, ait Glossa interlinearis, amplius discedere.

Iustorum firmitas & constantia.

Sanctos viros elegit Deus in pastores.

§. 12.

Et quia in operibus in quibus miruminmodum gloriamur, ac etiam in rebus pretiosis quas semper volumus possidere, nomina maiorum nostrorum ac etiam nostra, super scribere solemus, vt tale opus illis nominibus, æternæ memoriæ mandetur, vt plane fecerunt filij Israel, de quibus Psalm. 48. dicit: [Tabernacula eorum in progenie & progenie vocauerunt, nomina sua in terris suis.] Idest, terras suas suo nomine insignierunt: Ideo Christus in quantum homo tria nomina promittit, se scripturum super illum qui sic victor extiterit. Quamobrem in textu dicitur *& scribam super eum*: quasi dicat (vt ait interlinearis) scribam super eum, plusquam mens hominis capiat. Et primum insinuans nomen, ait *Nomen Dei mei*. Et secundum attingens nomen, dicit *Et nomen ciuitatis Dei mei noua Ierusalem, quæ descendit de cælo à Deo meo*. Demum; tertium ostendens nomen inquit, *& nomen meum nouum* Hæc sunt tria nomina, quibus Deus virum, pium fidelem, ac victorem, qui in omnibus tentamentis superatis, firmiter credit ea quæ ad diuinam pertinent essentiam & ad fidem totius Ecclesiæ, simul, que ad omnia mysteria humanitatis Christi insignire semper solet: Quoniam olim, Christiani in primitiua Ecclesia secundum hanc triplicem fidei professionem triplex obtinuere nomen. Primo namq; vocati fuerunt sancti, iuxta illud Pauli ad Romanos 1. [omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis] & ad Ephe. 1. [Omnibus sanctis qui sunt Ephesi & fidelibus in Christo Iesu, gratia vobis & pax] & ad Rom. 15. [Proficiscor Ierusalem ministrare sanctis] & 2. Cor. 13. [salutant vos omnes sancti] Id ipsum Lucas ait in actis cap. 9 [factum est autem, vt Petrus dum trāsiret vniuersos deuenirer ad sanctos qui habitabāt Lyddæ] Ecce qualiter Christiani primò sancti appellati fuere. Quod quidem nomē propriū est Dei, quapropter in lamina aurea quæ supra sacerdotis frōtem pendebat in lege veteri Exod 28. scriptū erat [Sanctum Domino] vnde quod nomen Dei propriū erat, hominibus,

Nomen primum Christianorum.

Lamina aurea in fronte Sacerdotis quid significat.

minibus postea tribuitur, dicente Christo hic secundum assumptam naturam *& scribam super eum nomen Dei mei* hoc est, nomen, Patris mei æterni, qui sanctus quidem est, cui Angeli semper acclamant vna voce dicentes [Sanctus, Sanctus, Sanctus,] hoc igitur *Nomen* (patris) *mei*, ait hoc in loco Christus, super gloriosum athletam, nempe, super victorem qui omnia quæ ad diuinâ spectant assentiam, semper fuit professus, scribam. Secundò Christiani vocati fuerunt olim in primitiua Ecclesia, Catholici, quod quidem nomen est *Ciuitatis* Sactæ de cælo discendentis, quæ catholica & vniuersalis sanè est, & sic ab Apostolis antiquitus nuncapata, vt in Apostolorum simbolo patet vbi dicitur: [credo in vnam sanctam Ecclesiam catholicam] à qua planè fideles, & sui veri cultores catholici appellati fuere, vt ab hæreticis distinguerentur, Et hoc proculdubio est nomen quod Christus se scripturum pollicetur super vincentem, dum inquit, *& nomen ciuitatis Dei mei, noua Ierusal m quæ descendit de calo a D eo meo*; hoc est, nomen catholicum, quasi dicat, profitentem intrepidè ea omnia quæ ad fidem totius Ecclesiæ pertinent catholicum ab ecclesia mea catholica appellare eum faciã. Tertio tandem sequaces domini nostri Iesu Christi fuerunt nuncupati Christiani, quod planè nomen, Antiochię primum eis impositum fuisse, Lucas testatur Apostolus, act. 11. dicens: [Ita vt cognominarentur, primum Antiochię discipuli Christiani.] & hoc quidem est nomen nouum quod ipse Christus super victorem se spondet scripturum dum ait, *& nomen meum nouum*: quasi dicat, qui omnia mysteria qua ad humanitatem assumptam attinent confessus intrepidè fuerit, eum Christianum a me ipso nomen accipiendo vocari faciam, sunt etenim Christiani, à Christo vocati quamadmodum Christus, à chrismate regali, nimirum, vnctione; Hęc igitur tria nomina spondet Christus se scripturum super victorem, quemadmodum olim apud Græcos, & Romanos mos erat vt nobilibus qui rempublicam graui aliquo periculo eruerent, statuæ Colossi, atq; arcus triumphales cum inscripsionibus rerum gestarum in foro publicè decernerentur, quo aliorum similia patranda facinora, calcaria admouerentur, & illorum perpetuaretur gloria; vnde tali in veneratione, illæ habebantur statuę, vt crimini læsæ maiestatis redderetur obnoxius, qui eas offenderet, & quadam superstitione, veluti religiosa quædam, eas venerabantur, quod Cicero in verè exemplis probat quam plurimis, sic secundum hunc antiquitatis vsum victori qui terrena contépserit, & quælibet aduersa, forti inuictoq; animo tollerauerit, pro orthodoxa religione pugnando, promittit ipse dominus se eum in gloria quæ nunquam sit defectura collocaturum; Et de vno quoque plane istorum trium nominum sigillatim intelligitur illud Lucæ 6. [Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos & exprobauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis] Quodlibet etenim istorum dictorum trium nominum, tum Iudei, tum gentiles, tum q; cæteri infideles, mirumimmodum parui pendire assuescunt.

Catholici appellantur Christiani.

Christiani dicuntur a Christo.

Simile.

Nomen quod intelligitur quod sit.

Ecce itaq; qualiter pro hac opinione, Augustini, Primasi, Strabi, Laudunensis, Lyrani, S. Thomæ, Ruperti, & aliorum, accipiendum est ly *columnam* in vtraq; sua proprietate, nimirum juxta fortitudinem & pulchritudinem, vt in primo fundamento dictum est, ly *foras* prout denotat exclusionem rei, nimirum gratiæ, & tandem ly *amplius* prout respicit futurum tempus resecando de præterito; vel id quod fuit, vel id quod esse potuit, vel statum rei quod ante habebat. Vnde licet hi iusti homines (quos Christus columnas Ecclesiæ suæ se facturum promittit) quamuis antea essent mali, scelerati, vitijs irretiti, scismatici, Infideles, vel hæretici modo de cætero numqam talia perpetrare attentabunt. Quoniam ly *amplius* cum illa nagatione, ita respicit tempus futurum, vt de preterito tollat id quod ante poterat esse. Quamobrem facit nunc impossibile illud quod antea aliquo mo-

§. 13. Consectariū primum.

F do possibilitate gaudebat. Quod plane tantum verificatur de finaliter prædestinatis, & de confirmatis in gratia de quibus dicitur Psal. [ego confirmaui columnas eius.]

§. 14. Consectariū secundum.

Et per hoc patet solutio ad illud quod aduersa pars in sui fauorem adfert de Apostolo Iuda & de doctore Origene. Quoniam hi & alij his similes nec fuerunt finaliter prædestinati nec minus in gratia confirmati quamobrem licet instatu gratiæ aliquando steterint, foras tamen vltimo emissi fuerunt. Contrarium tamen est definaliter predestinatis quorum nullus vnquam periit, dicente Christo [& nemo rapiet eas de manu mea] & iterum [non perdidi ex eis quemquam] & licet pro aliquo tempore aliquis eorum, in mortali viuendo carne malus extiterit, tamen veritate tandem cognita, à vero rationis & virtutis,
G tramite de cætero vnquam deuiauit vt aparet in Paulo, Matthæo, Magdalena, Dima Latrone, Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, & reliquis qui ita columnæ militantis Ecclesiæ semel facti fuere, vt foras amplius nullatenus egrederentur.

§. 15. Secūda pars sententiæ an stetis.

Altera Porro interpretatio D. Ambrosij Berengandi, Riberæ & aliorum, proprietatem fulciendi siue sustentandi in columna cælat & omnino abscondit & tantum in illa proprietatem pulchritudinis & formositatis considerat. Quas quidem duas columnæ proprietates in primo nostro fundamento explicuimus.

§. 16. Nota bene pro hac sententia inducenda.

Et pro hac opinione faciunt illæ duæ calumnæ de quibus est mentio 3 Reg. 7. & Ieremiæ 52. & tandem 2. parip. 3. sub his verbis [Antefores etiam
H templi duas columnas (fecit Salomon) quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis, &c.] Quoniam hæ duæ columnæ, vt tenent Strabus in sua glossa ordinaria & Alphonsus Tostatus, non erant in porticu templi, vt aliquod pondus sustentarent, sed dumtaxat, vt suo decore, pulchritudine ac formositate ingressum templi, Israelitis ornarent. Et patet sane, Tum quia cum porticus templi esset in qua Israelitæ deambulabant, anteportas templi coloquentes de his quæ ad legem pertinebant, debebat esse ibi aliqua pulchritudo, qua mirarentur Israelitæ, & sic portæ templi factæ fuerunt formosæ & valde pulchræ scilicet opertæ laminis aureis. Tum quia nihil legitur in templo ad quod proficerent istæ duæ columnæ, & tamen quia si ad aliquod pondus sustinendum fuissent factæ, diceretur plane quod esset illud, & legeretur proculdubio de illo sicut legitur tam
I diligenter scripta fabricatio ipsarum columnarum; Tum quia facilè colligitur, quod essent tantum ad pulchritudinem, ex ipsa magna pulchritudine columnarum, quæ tam diligenter scribitur, in quo aparet quod finis earum solum erat iste, nimirum vt pulchritudinem ostenderent. Tum etiam patet quia si istæ columnæ essent ad sustentandum tectum porticus, necesse erat quod esset altitudo columnarum tanta sicut ipsius porticus à pauimento, & tamen altitudo porticus erat cubitorum centum, vt dicitur 2. paralip. 3. & altitudo columnarum erat solum triginta quinq; cubitorum vt ibidem dicitur; Igitur non pertinebant vsq, ad tectum ad sustentandum illud. Tum porro patet quia si istæ columnæ essent ad sustentandum pondus, extremitates earum superiores
K essent planæ, sicut patet de capitibus omnium columnarum, ad hoc quod bene coaptetur pondus columnæ, & tamen istæ columnæ habebant extremitates acutas, quia terminabantur in flore lilij vt potet 3. Reg. 7. & tamen super florem lilij non acutum, non bene sedet aliquod pondus sed ad solam pulchritudinē. Tum deniq; probatur quia secundum quod comuniter tenetur istę columnæ non erãt solidæ, sed vacuæ, quia alias tantum pondus non posset moueri de vno loco ad alterum, & tamen ad sustentandum pondus non conuenit

Strabus in sua glossa ord. sup. lib. 2 Paralip. 3. Abulensis in lib. 2 Paralip. cap. 3 q. 44.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.* *4. Ratio.* *5. Ratio.* *6. Ratio.*

uenit columna vacua, sed solida, ideo non erant istæ columnæ ad sustentandum tectum siue aliquod aliud pondus, sed ad solam pulchritudinem ostendendam. Ad rem modo.

§. 18. Enodatur cõtextus iuxta mentem auctoris. Nota bene.

Cum itaque in cælo nullus sit infirmus, nec aliquis qui ab aliquo sustineri fulciriuè indigeat, vt fides Catholica docet: Et insuper beati omnes in patria pulchri, formosi, ac gloria summè redundantes sint, oportet proculdubio, vt hæc opinio, officium sustentandi in columna prætermittat, & solam pulchritudinem siue formositatem in illa consideret. Ait igitur Archipropheta: ***Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.*** Quibus verbis mercedem vitæ æternæ victoribus paratam attingere incipit. Et sic est sensus. Ille qui gloriosus athleta, & victor extiterit in terris, beatus, ac maximus in cælo erit; Nam in domo patris mei mansiones multæ sunt. Et cum de beatis intelligatur illud: [Fulgebunt iusti sicut sol.] qui vicerit, miro inter alios (non ob gloriam substantialem, in qua omnes sunt æquales, sed ob gloriam accidentalem, in qua inæquales plerique illic reperientur) splendore fulgebit multis, ac magnis donis ornatus conspicietur, & tantæ pulchritudinis erit; vt pulchram illius triumphantis Ecclesiæ, columnam eum faciam: ita & cælo ipsi, ac cælitibus, multum ornamenti afferre videatur, & à reliquis beatis, quasi pulchra elegans, & speciosa, columna veri templi Salomonis apprimè honoretur. Vera namque columna fuit dum vixit, qui labentes confirmauit, & lapsuros substinuit, atque ideo in cælo vt multarum animarum conseruator, & multorum triumphorum auctor honorabitur: [Iuxta illud nimis honorati sunt amici tui Deus.] Et vt apertè intelligatur beatus in patria securè possidere gloriam, coronamque incorruptibilem firmiter, & æternaliter vtique obtinere; mox subiungit: ***Et foras non egredietur amplius,*** vbi ly, ***amplius***, ita respicit tempus futurum (quemadmodum nuper dicebamus in nostro tertio fundamento) vt præteritum tempus prorsus auferat. Ex quo namque quis in cælum ingressus semel fuit, nunquam ab illo exiuit. Quamobrem hic, semel ingressus in cælum, dicitur non exiturus amplius, quia de cætero iam non est rediturus ad statum quem habebat cum nondum erat beatus, iuxta illud: [Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: quoniam priora transierunt.] & paulo post: [Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol neque vllus æstus.] Quamobrem diuiti Epuloni petenti [Mitte Lazarum vt intingat extremũ digiti, &c.] responsum fuit: [Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur tu vero cruciaris, & in his omnibus inter vos & nos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.] Ex quo plane impossibili trãsitu ab vno statu ad alium, diuina iustitia firmato, colligitur apertè, quod semel ingressus in cælum; ***Foras non egredietur amplius.*** Quoniam si ex sinu Abrahæ foras nulli egredi licebat, à fortiori ex beatitudine vera, & perfecta, ac æterna nulli foras egredi fas vnquam erit. Et vt nos mortales, qui in terris nunc vitam agimus, clarè videamus, quam bonus est Israel, Deus his qui recto sunt corde, & pro illo intrepidè, in hostiles nequitias irruamus, supernam patriam semper anhelantes, promittit beatis in patria, tria honorifica nomina, se super illos scripturum. Primum: ***Nomen Dei***, eò quod beatus semper Deo fruiturus, eiusque totus futurus, & ab eo totus possidendus est, & in eo Deus peculiariter gloriabitur tamquam in seruo, ac milite forti, & fideli, quẽ semper suum agnosci, & dici velet, ideo ait: ***Et scribam super eum nomen Dei mei,*** hoc est, quod Deus in gloria cælesti gloriabitur in eo, tamquam in viro forti, ac milite strenuo, qui pro eius honore bellum fortiter gessit, iuxta illud Isa. 49 [In Pharetra (hoc est gloria) sua abscondit me, & dixit mihi seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor,] Et quia iste talis beatus, (qui in terris extitit victor)

Ioan. 14.

Beati quomodo æquales, & inæquales sint in patria.

Beatus pulchra cælesti aliis columna dicitur.

Textus sequẽtia, & copulatio.

Diuitis Epulonis petitio non exaudita.

Lucæ 16.

Nomina tria spondet Deus beatis.

Primum nomen beatorum in cælo.

A verus, & germanus, perpetuusque cæli ciuis semper diceretur, secundum nomen quod super illum scripturus est mox subiungit, dicens: ***Et nomen ciuitatis Dei mei noua Ierusalem.*** hoc est, erit perpetuus patriæ cælestis ciuis, talisque semper dicetur. Quod plane nomen quamuis omnibus beatis conueniat iuxta illud Apostoli: [Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei] tamen peculiariter huiusmodi victoribus, de quibus nunc agimus adaptatur, eo quod speciali amoris prærogatiua eos prosequitur Deus, ac proinde peculiariter gaudebit, eos à se electos, & præmiis cælestibus honoratos fuisse. Causam autem huiusce rei assignamus, nimirum, quia non solum ipsi ardenter Deum coluerint, verumenimuero dum in terris vitam agebant quasi columnæ aliorum infirmitatem sustinuerit, & exemplo suo validè confirmauerint. Et quia præterea noua Ierusalem, id est,

B patria cælestis, & beatorum domicilium, ac requies, ante Christi aduentum visa non fuit, sed in cælo latebat, & in lege, & in prophetis, temporalia tantum bona magna ex parte hominibus promittebantur: at vero in aduentu Christi auditæ plane fuerunt regni cælorum promissiones quamplurimæ iuxta illud Luc. 6: [Beati pauperes quoniam ipsorum est regnum cælorum.] & Matth. 11. [A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiũt illud.] & Lucæ 17. [Ecce regnum Dei intra vos est.] vbi ly [regnum cælorum] pro Ecclesia triumphanti, nimirum, pro cælesti Ierusalem accipitur; ideo protinus addit: ***Quæ descendit de cælo à Deo meo***, id est, cuius felicitas gloria, & æternitas (nimirum cælestis illius Ierusalem supernæ ciuitatis beatorum) à tempore Christi dumtaxat vsque nunc prædicatur, & hominibus innotescit, ac etiam ipsi ad eam vocati sunt: quoniam

C euangelica prædicatio sic exorta fuit: [Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum.] Et quia hoc in dies magis ac magis hominibus prædicatur, ideo descẽdere in terras, quasi à Deo missa per Apostolorum (quos misit Deus) & eorum successorum prædicatorum acclamationes & voces dicitur. Ab illo namque tempore vsque modo, gaudia cælestis patriæ, spes, fides, copiaque bonorum cælestium, sic descendere in corda hominum omnium nationum intuimur, quemadmodum descendit imber de cælo, & inebriat terram, & germinare eam facit. Ad voces namque concionatorum, cælestia gaudia in hominum corda prope diem descendunt, sicut stillicidia stillantia super terram, & sic apud homines in dies oritur iustitia, & abũdantia pacis donec impleatur numerus fratrum nostrorum.

D Et ex his passim habes quod cũ in textu dicitur: ***Ciuitatis noua Ierusalem, quæ descendit, &c.*** Non est sermo de ciuibus; quoniam hi cum sint beati ab illa beatitudine separari nequeunt, vt dicãtur descendere in terras, eò quod amplius non egredientur foras: Sed tantum est sermo de vrbe ipsa nempe de bonis, & gaudiis illius cælestis beatitudinis, quæ cum propediem per confessorum & prædicatorum voces hominibus communicantur, de cælo descendere meritò dicuntur. Cæterum ista infra in cap. 21. Deo dante, diffusè apparebunt.

Et denique cum æternus Deus, æternique Patris filius in tempore factus sit homo, illique nomen impositum fuerit [Iesus] iuxta illud Luc. 1. [Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.] Quod plane nomen Iesus, nomen Dei nouum dicitur, eo quod cætera eius no-

E mina, quæ illi, vt Deo conueniunt, vetera vtique sunt, & ab æterno conueniunt, vel ab initio creaturæ, vt Dominus, creator, &c. at vero hoc nomen Iesus, quod filio Dei datur, in quantum homo in tempore, nimirum, ex quo factus est homo illi competit, & ex consequenti: ***Nomen meum nouum***, ab illo nuncupatur. Quod proculdubio venerabile summè est, & in beatis dicitur scribi, quoniam particulariter eius salutis participes facti sunt, quos ipse coram Deo confitetur, & coram

Nomen secũdum beatorũ in cælesti patria.

Ierusalẽ cælestis patria ante aduentũ Christi latebat.

Ierusalẽ cælestis, regnũ cælorum appellatur.

Comparatio.

Prædicationis Euang. lii ex fructus.

Solutio ad obiectionem quæ contra hanc explanationem fieri ab aduersariis solet.

Textus sequentia, & copulatio. Iesus nomen nouum.

Nomina antiqua Dei.

Iesus cur nomen nouum Dei.

Ange-

Angelis sanctis ea de re confestim in textu inter alia nomina subiungitur: *Et nomen meum nouum*, id est, duobus prateritis beatorum nominibus, tertium peculiare nouum addam meum proprium nomen. Vel per *Nouum meum nomen*, intelligi potest nomen filiorum Dei, vt expendunt D. Ambrosius, & D. Dionysius Carthusianus, ita vt sit sensus, vocabitur etiam filius Dei (ille qui vicerit) sicut & ego filius Dei sum.

Nomẽ tertiũ beatorum in patria.

§. 7. Corollarium primum Ecclesiæ militãtis Antistites, Prædicatores, & Doctores q quid designantur.

Iam colligito primo per templum, iuxta primam sententiam D. Augustini Ecclesiam militantem designari: per columnas autem quæ substentant templum, Antistites, Prædicatores, & Doctores. Quo plane sensu Petrus Apostolus, Paulus, & Iacobus columnæ Ecclesiæ, appellantur, eo quod super ipsos ædificata est Ecclesia quemadmodum Dominus dixit Petro: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Quibus Dominus dedit donum perseuerandi in bono incepto, quo ita in posterum perseuerarunt, vt amplius, foras, id est, ab Ecclesiastica vnitate, ac indiuidua charitate nullatenus fuerunt egressi. Quod plane donum perseuerandi non datur ex meritis, sed ex gratia, & quamuis omnes iusti perseuerare possint si velint, tamen ij dumtaxat perseuerant, qui habent hoc donum perseuerandi vsque in finem. Idcirco Apostolis Dominus dixit Ioan. 15. [Ego posui vos vt eatis, & fructũ afferatis, & fructus vester maneat.] Quod perinde est ac si dixisset, ego dabo vobis bene operari, & perseuerare in bono opere vsque in finem: hinc etiam superius dixerat: [Si hæc feceritis beati eritis, si feceritis ea,] & hoc ipsum declarans adiungit mox: [Non de omnibus vobis dico, scio quos elegerim.] Quibus verbis satis declarat, non omnibus dari, vt perseueranter faciant, sed solum electis, de quibus hic dicitur: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei.* Vbi non de quacumque columna est sermo, sed de illis dumtaxat, de quibus Psalmographus ait: [Ego cõfirmaui columnas eius.] Hinc de Lucia virgine canit Ecclesia.] Columna es immobilis Lucia sponsa Christi, quia omnis plebs te expectat vt accipias coronam vitæ.] Et D. Hieronymus, & Amphilogius, sanctum Basilium Ecclesiæ prædicatorem, solidamque orthodoxorum dogmatum columnam appellant; Et quamuis ij sint ignobiles, & de infima plebe, ac pauperes, fideles tamen columnæ Ecclesiæ Dei nuncupantur super Bases Apostolorum, & Prophetarum fundatæ, quos voluit Christus sic pauperes eligere, vt ostenderet mundo non sua natura eam vim adeptos fuisse, sed gratia diuinæ electionis. Quamobrem D. Hieronymus super Psalm. 5. vbi Dauid dicit: [Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.] Ipse legit sic, [Domini sunt pauperes, & afflicti terræ, & posuit super eos orbem.] Ex quo verbo planè infertur, quod quemadmodum columnæ portant, ac sustentant ædificium, & cardines orbem, ita Antistites, Prædicatores, Doctores, & Prælati peccata populi sibi crediti, & gregis sibi commissi portare, & sustentare tenentur, & debent, alioquin eis columnæ analogia nullatenus quadrat.

Perseuerãdi donum solis electis datur.

Luciæ virginis laus.

D. Basilij laus.

Pauperes sũt cardines cæli, qui portãt orbem.

§. 8. Corollarium secundum.

Secundo colligito per templum, iuxta secundam sententiam D. Ambrosij cælestem habitationem, putà Ecclesiam triumphantem indicari, per columnam vero vnumquemque electum designari, qui postquam vicit (in terris vitam agens) omnia tentamenta diabolica, omnesque carnales voluptates, colomna in templo Dei efficitur, hoc est in cælesti beatitudine; & sicut columna in loco, in quo statuitur firmissimam stabilitatem à creatore consequitur, vt numquam ab ea deuellatur, quemadmodum auulsus est diabolus, qui de cælesti beatitudine superbiendo cecidit. Et ne equiuoceris in hac sententia, existimans per illa verba: *Ierusalem, quæ descendit de cælo*, hanc opinionem non posse tueri, eo quod Ierusalem cælestis patria est quæ non ex lapidibus, sed ex sanctis hominibus, quotidie ædificatur, qui ex illa ad terram nullatenus descendunt. Præter id quod in explicatione huius secundæ sententiæ dixi, appono tibi hic dubium à D. Ambrosio

Beatus numquam amittit suam beatitudinem.

D. Ambr. in commen.

F in hisce suis commentarijs per hæc verba diuentilatũ: [Sed mirum, cur Ierusalem de cælestis descendisse dicitur, cum sciamus electos omnes a terris ad cælos cõscendere quotidie, non de cælestibus ad terrena relabi, sed Domino de cęlis ad redemptionem generis humani descendente simul etiam sancti descenderunt, qui iam per prædestinationis gratiam illi coniuncti erant, quos per misericordiam suam redimere veniebat.] Ita D. Ambrosius.



Tertio, & postremo collige secundum assumptam naturam hic alloquutum fuisse Christum, illis verbis, *Dei mei*, iuxta quam Patrem æternum crebrò in Euangelio Deum suum nuncupat in quantum homo, vt perspicuum euadit ex illo Ioan. cap. 10. [Ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.] §. 9.

G



Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesijs. Tex. 17.

COMMENTARIVS.

Ad nos omnes fideles de vniuersali Ecclesia hìc alloquitur Dei Archipropheta: quemadmodum Christus Saluatorr noster, Regulo in persona omnium Hebræorum tam præsentium, quam absentium Ioan. 4. dixit: [Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis,] Supra namque Christus vni dumtaxat colloquebatur Regulo petenti, ac roganti, vt descenderet, & sanaret filium eius, & in his verbis: [Nisi signa, & prodigia videritis non creditis,] ad omnes Hebræos Christus sermonem suum (vel vt melius dicam correptionem) dirigit; pari etiam modo hoc in loco Aquila Euangelij dum vni dumtaxat loqueretur Episcopo istius Ecclesiæ, ad omnes de vniuersali Ecclesia sermonem suum dirigit, dicens: *Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.* Videamus igitur quid sibi vult Dominus in illa generali correctione: [Nisi signa, & prodigia videritis,] & tunc clarè apparebit quid indicare intendat Dei vates in ista generali admonestatione: *Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs.*

H

Explanatio contextus.

§. 1. Transitus vsitatus in sacro eloquio, quo ex particularibus ad generalia deuenitur.

Regulus cur reprehenditur à Xpo.

I

Ad intelligenda igitur illa verba Christi, Regulo dicta: [nisi signa, &c.] est primo animaduertendum, quod miraculum siue signum, est confirmatio sermonis Dei, quemadmodum sigillum, & subscriptio est confirmatio alicuius doctrinę, siue verbi voluntatisque alicuius, quamobrem regale sigillum, voluntatem Regis confirmat, & Principum subscriptio, firmatio, siue signatio eorumdem corroborat verba, statuta, ac pręcepta. Hoc supposito dicimus, quod in sacra pagina, duplex modus credendi inter Hebræos reperitur. Quidam etenim eorum nullo præcedente miraculo nudis, ac solis verbis Dei crediderunt, veluti Abraham, qui ad solam vocem Domini dicentis: [Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi] mox obediuit, hinc absque aliquo signo sequitur in textu: [Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus.] Et iste fuit primus modus credendi Hebræorum; alius autem credendi modus est mediantibus signis ad verborum, & voluntatis Dei confirmationem. Pascebat siquidem Moyses oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian, & cum minasset gregem ad interiora deserti apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & dixit

§. 2. Miraculum est confirmatio sermonis Dei. Simile.

Gen. 12.

K

Exod. 3.

dixit illi Dominus: [Veni mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto.] & post aliqua colloquia, ait Moyses ad Dominum: [Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus:] Et tunc Dominus ad confirmationem sermonis sui aliqua patrauit miracula dicens Moysi: [Quid est, quod tenes in manu tua?] Respondit, [virgam,] dixitque Dominus: [proijce eam in terrã.] & mox sequitur [proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.] Dixitque Dominus, Extende manum tuam, & apprehende caudam eius, Extendit, & tenuit, versaque est in virgam: Dixitque ei Dominus rursum. Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cum misisset in sinu protulit leprosa instar niuis. Retrahe ait manum tuam, in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.] Et ex tunc dedit Dominus Moysi donum miracula faciendi, quibus Hebræi ita crediderunt Deo, vt cum alibi alia similia retardarentur miracula dicerent: [Signa nostra non vidimus iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.] Hinc Dominus Iesus Christus arguens Regulum, simul ad reliquos omnes Hebræos qui prædicationi suæ interfuerant, sermonem suum dirigit dicens: [Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis,] quasi dicat, iam transijt planè tempus credendi absque miraculis, iam siquidem abijt, & præterijt Abraham pater vester, qui absque signis Deo credebat, vos attamen nimia atrita fronte estis, & dura ceruice, nimis estis duri, ac increduli, eò quod: [Nisi signa, & prodigia videritis non creditis.]

Exod. 4.

§. 3. Sermo communis ad omnes Ecclesias

Eodẽ planè modo loquens Archipropheta ad hunc Episcopum huius Ecclesiæ ad reliquos omnes fideles Christianos de vniuersali Ecclesia sermonem suum dirigit dicens: *Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs*. Perinde sanè ac diceret, veniet tempus quando fideles erunt ita duritiæ, & incorrigibilitati dediti, vt veluti Hebræi non credebant, nisi signa, & prodigia viderent, sic Christiani non obedient Deo, Regique, & Dominis suis maioribus, ac Prælatis, nisi verbera, & multationes appropinquare videant. Et nunc planè est tempus istud. Reperies siquidem nunc quosdam qui ad simplex verbum, aut præceptum Regis, Proregis, Principis, aut prælati sui obedire nullatenus curent, donec ipsum Regem, Principem, aut prælatum ira in eos excandescentem, illisque carceres, catenas, ergastulaque minantem intueantur. Alios etiam inuenies, qui dicente Domino: [Diligite inimicos vestros.] nolunt eos diligere, nec minus illis indulgere per totum tempus vitæ suæ, nec per præceptũ confessarij, nec per verbum prædicationis, neque per correptionem superioris, donec Dominus illis mortẽ immittat, & tunc videntes se in lecto febribus, doloribusq; vndequaq; circumdatos, mortique propinquos, diligunt inimicos suos, indulgendo illis, veniamque ab illis postulando. Reperies insuper mille vsurarios, fornicarios, latrones, &c. qui nolunt à sceleribus, vitijsque suis resilire, donec flagellum Dei in se propinquum intueantur, ò homines duri, ò gens absque consilio: [Nisi signa, & prodigia videritis non creditis.] credite, credite: *Qui habet aurem* (dicit Propheta ad omnes fideles de Ecclesia) *audiat quid Spiritus dicat Ecclesijs*.

Tempus inobedientiæ est tempus præsens.

§. 4. Exemplum optimum inducẽs ad pœnitendum.

Demus per hypotesim rogo, vt hic sint duo, quorum vnus sit actualiter lethali crimine irretitus, & à virtutibus omnibus separatus; alius vero sit Dei gratia repletus, & cilicio ieiunijs, orationibus, & alijs pijs operibus prope diem deditus; Et illi duo videant modo duas animas quarum vna sit igne æterno circumdata, alia vero gloria, claritate, ac splendore circũamicta; Et ille qui vitijs est irretitus dicat animæ illi ignitæ; dic anima cur ita ardes? Respondeatque ei anima quia ego dum viuebam corpori coniuncta, numquam confiteri volui peccatum meum, nec concubinam ex proposito relinquere, nec minus pœnitentiam sectari, ideo iusto Deo iudicio damnata sum, & igni æterno tradita; nonnè peccator ille dicet, ego quoque sum in eodem peccato, & per consequens eadem pœna me Deus multabit, & tunc timens relinquet concubinã, & alia scelera? Ita plane, nisi omnino demens sit: Et si ille qui est in gratia, dicat animæ illi lumine gloriæ fulgenti, ò anima sancta, dic quare Deus te ita præmiauit? Respondeat insuper anima illa: quia ego dum viuebam corpori vnita, cilicio, orationi, ieiunio, & alijs quamplurimis pijs operibus prorsus dedita, & assueta fui, ideo Deus his gaudijs me summè affecit. Nonne tunc homo ille magis proposito sancto suo adhærebit dicens, & ego quoque cilicio, ieiunio inseruio, & per consequens Deus me eadem gloria cumulabit? Vtique sanè. Dico igitur modo, si hoc ita prorsus eueniet ob illud miraculum videndi præfatas animas, quare modo ad vocem prædicatorum, & confessariorum, hic concubinam, & alia scelera, non procul pellit à se, & ille alter suis pijs operibus non firmiter & immobiliter adhæret? [Nisi signa, & prodigia videritis non creditis.] Audite audite ò fideles Christiani nostrum vatem dicentem: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs.*

§. 5. Prædicatores viui, & non mortui audiendi sunt.

Dictis planè quadrat illud Lucæ 16. [Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.] Credite igitur, ò fideles, quid Spiritus sanctus per ora concionatorum, & confessariorum vobis in dies annunciat: Non enim sunt illi, qui loquuntur, sed Spiritus sanctus, qui in illis loquitur. Hinc Euangelicus vates Isaias in c 8 præcipit ne mortuos vocemus, sed sacræ credamus scripturæ dicens: [Numquid non populus à Deo suo requirit visionem? Pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.] Quo loco Dei vates quosdam incredulos Hebræos ac idololatras reprehendit, conspirantes, ac suadentes populum, ac humilem plebem, vt in rebus arduis, maleficos, & incantatores consulerent, quos Pythones, ex Appollo Pythio, Græci vocant, Hebræi vero, [derasim,] eo quod super sepulchra dormientes, putabant mortuorum vmbras, eos docere rerum euentus. Vnde responsa suarum incantationum submissa voce, & stridentibus dentibus dabant, veluti incantatores, & ij qui alios decipere volunt assuescunt. Et hoc est illud quod paulo supra indicauit vates Dei dicens: [Qui strident in incantationibus suis.] Vnde protinus monet populum ne eos audiat, quinimmo illis intrepide respondeat per hæc verba: [Nunquid non populus à Deo suo requirit visionem? ad legem magis, &c.] Non vult itaque Deus viuus, de quo dicitur: [Regi sæculorum immortali, & inuisibili.] & iterum, [Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum:] Prædicatores mortuos populo suo concedere, quoniam stultũ omnino est viuorum negotia cum mortuis consulere, vt indicat illud: [Pro viuis à mortuis?] Viuens igitur, *Qui habet* audiendi *aurem*, hic *audiat quid Spiritus*, viuus *dicat Ecclesijs*, & sic ad Pythones, diuinos, Magos, Ariolos, & Incantatores nec minus ad concionatores mortuos nullatenus declinabunt.

Pythonibus non credendum.

Prædicatores mortuos nõ vult Deus populo suo concedere.

Tex. 18. Inscriptio literarum ad Angelũ Laodicensem.

ET Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1.



QVI nauali prælio dimicaturi sunt, ante in portu, & tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus, & vncos præparant, dispositumque per tabulata, militem pendenti gradu, & labente vestigio, stare firmiter

miter assuescant, vt quod in simulachro pugnæ didicerint in vero certamine, non pertimescant: Ita planè & Iesus Christus (cuius totum hoc reuelationum opus est) antea in primo capite, veluti in portu, & tranquillo mari, septem (quasi se exercens ad prælium) proposuit minoris Asiæ Ecclesias, purà, Ephesinam, Smyrnensem, Pergamensem, Thyatirensem, Sardicensem, Phyladelphiensem, & laodicensem: Septem porro disposuit earumdem Ecclesiarum Antistites, per septem designatos stellas, aduersus quos strenuè litteris increpatorijs, Epistolisque redargutorijs dimicaturus erat: Ac denique septem illic Epithera, attributaue præmisit, quorum vnumquodque, vnicuique eorum ad aptàdum vtique erat: Paulo vero post in secundo, & tertio hoc capite (quasi iam ipsum aggrediens certamen) per hasce omnes septem Ecclesias, iam minis, iam increpationibus, iam laudibus, iam vero diuinis promissis, apprime percurrit, diligenterque diuagauit: Nunc iam tandem in calce huiusmet tertij capitis postremam Laodiciæ Ecclesiæ increpatoriam parat Epistolam, dicens: *Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe*, vt sic, hanc primam de militante Ecclesia, eadem seruata methodo, persolueret reuelationem, à principijs nullatenus dissentiendo, immo extrema primis coniungendo. Peruenit itaque noster mellifluus Archipropheta Ioannes hac postrema sua Epistola, ad felicem finem completè imponendum huic primæ visioni de septem Ecclesijs Asiæ in Insula Pathmos sibi diuinitus factæ, dicendo sic: *Hæc dicit testis fidelis, & verus qui est principium creaturæ Dei.* Idcirco superest ex consequenti, vt & nos etiam his laboribus nostris diu desideratum imponamus exitum, & quod erat officium nostrum huiusce suscepti primi tomi (quamuis rudibus penè verbis, prout ingenij nostri mediocritas, imbecillitasq; fert) omnino compleatur, vt sic ad has reliquas, quæ supersunt reuelationes, auspice Christo, qui maximam linguę meæ ad tam diuinum præstandum opus, rubiginem absterget) nostram dirigamus nauigationem. Cymba namque exigua (pro nunc) æstuosum mare sulcantes eò quippe, Deo dante, ventum iam est, quò ab initio proram direximus: interim vero ea quæ imminet in calce huius capitis enodanda aggredimur.

Comparatio.

Primà visio Apocalyp. breuiter describitur.

PARAPHRASIS

Prima.

Par. 1.

Et Angelo (ait) Laodiciæ Ecclesiæ scribe.

Enodatio textus.

§. 1. Tepor ani dam Episcopi Laodiciæ obrepsit.

Laodicensem hunc Antistitem, tepore segnitieque, arguit Christus per suum vatem, eo quod pro tunc omni prorsus virtute (quod nullatenus accidit in cæteris suis coepiscopis) orbabatur. Cæteri namque sex Episcopi quamuis in plerisque à vero rationis tramite exorbitauerint, tamen aliquid virtutis, & laude dignū retinuere. Licet enim Episcopus Ephesinus primam amiserit charitatem, tamen laborem pro fide, & patientiam pro Christo retinuit, quam laudauit Dominus. Episcopus porro Smyrnensis, quamuis à Iudæis blasphemaretur, tamen paupertatem colebat, quam magnificauit Dominus. Præterea, Episcopus Pergamensis, & si in diœcesi sua doctrinam Balaam, & scandalum coram filijs Israel permitteret, tamen fidem ipse nullatenus negauit, quod plane fuit laude dignum. Et sic de reliquis illarum Ecclesiarum Asiæ coepiscopis. Ast, Antistes iste Laodicensis ita prorsus fo ab omni virtute deuiauit vt nihil in eo (pro tunc) laude dignum inueniatur. Et nihilominus eum ad veram pœnitentiam inuitat Dominus noster Iesus Christus, illi hoc in loco scribens:

Episcopus Laodiciæ omni virtute carebat.

§. 2. Christus dicitur leo, & agnus diuersimode.

Duo nomina (inter alia penè infinita) Sacræ litteræ dant Christo. Vnum quippe est [Leo] alterum vero [Agnus.] De primo siquidem extat mentio Gen. 49. sub his verbis: [Catulus leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo.] Quam plane victoriam leonis omnium animalium regis, noster diuinus vates adaptat Christo ab inferis resurgenti, dum Apoc. 5. ait: [Vicit leo de tribu Iuda.] Secundi insuper nominis meminit Ioannes Baptista dicens de Christo: [Ecce Agnus Dei.] Idcirco agnus ille legalis, qui à Iudæis (vt habetur Exod. 12. & Leuit. 1. immolabatur; Christum Saluatorem nostrum præfigurabat. Est itaque Christus leo & agnus, ferox leo malis, mansuetus autem agnus bonis; terribilis leo aduersus synagogam satanæ, humilis vero agnus in fauorem suæ Ecclesiæ, leo peccatoribus obduratis, agnus verò peccatoribus contritis, furibundus tandem leo præscitis, & reprobis qui non curant nisi de mundanis rebus, & de ijs, quæ carni, & sanguini deseruire possunt, & misericors agnus prædestinatis, qui supernorum desiderio semper ardent. De primo nomine leonino intelliguntur illa verba, quæ de Deo protulit Dauid antequam nostram assumeret carnem: [Deus vltionum, Deus vltionum,] de secundo vero nomine agnino, accipienda sane sunt illa verba, quæ de filio Dei, postquam carne inductus est nostra, alloquutus fuit Apostolus dum ad Tit. 2. dixit: [Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei,] Hoc igitur loco Christus Dominus leonis feritate demissa, & agni mansuetudine amplexa, hunc Antistitem Laodicensem veluti Matthæum, Magdalenam, Dimam latronem, Samaritanam mulierem, & Zacheum ad se misericorditer vocat, ad illum scribens hanc epistolam per suum Archiprophetam, vtpotè qua oculos aperiret, aurésque arrigeret, vt sic tepore & segnitie depressa ad diuinum illum ignem appropinquare festinaret citò, de quo ait Dominus: [Ignem veni mittere in terram.] hoc est, charitatem, de qua ait Apostolus 1. Cor. 13. [Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans:] Charitas siquidem ignis est iuxta illud Leuit. 6. [Ignis semper ardebit in altari.] Vt igitur Antistes iste Laodicensis ad mentis sanitatem rediret, & ex tepido calidus fieret, calidus (inquam) diuino calore, Christus Dominus eum, hac Epistola, sub alas suas congregat, vt illum foueat, & calefaciat vt gallina illa de qua Matth. 23. dicitur: [Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.] Quare eum ad veram pœnitentiam vehementer exhortatur Archipropheta, eidem resipiscenti misericordiam pollicendo, & victoriæ amplissimam pœnitenti promittendo mercedem, quoniam gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.

Agnus nuncupatur Xps Ioan. 1. Christus leo, & misericors.

Peccatores ad se Xps vocat.

Ignis est charitas.

Comparatio.

Peccatores vocantur ad pœnitentiã

DISPVT. VI.

In Cap. III. Apocalypseos, de Episcopatu, & Ecclesia Laodicensi.

Vnica dumtaxat Quæstione contenta super illa verba: *Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe.*

Prologus disputationis.



QVOS intuendis orthodoxis dogmatibus progressus olim (in Ecclesiæ Dei primordijs) fecerit hæc Laodicensium Ecclesia, ex verbis Apostoli, perspicuũ omnino euadit, qui ad coll. 4. ita scribit: [Testimonium perhibeo illi, qui habet multum laborem pro vobis, & pro his qui sunt Laodiciæ.] & paulo post: [Salutate fratres qui sunt Laodiciæ, & Nympham, & quæ in domo

Ecclesiæ Laodicensis encomium Apostolicum.

domo eius eſt Eccleſiam.] & mox. [Et cum lecta fuerit apud vos, Epiſtola hæc facite vt in Laodicenſium Eccleſia legatur, & ea quæ Laodicenſium eſt, vobis legatur.] Morico igitur alijs coepiſcopis harum ſeptem Eccleſiarum minoris Aſiæ indagatis, & inuentis huius etiam Eccleſiæ Laodicenſis Epiſcopi, nomen, & perſona inueſtiganda hic etiam duximus, vt ſic vnicuique Eccleſiæ ex his ſeptem, demus quod ſuum eſt, & iuſtitia diſtributiua poſtulat.

Quæſtio vnica.

An beatus Sagar fuerit Antiſtes Eccleſiæ Laodicenſium tempore quo hæc ſcripta fuerunt à beato Ioanne?

Epiſcopus primus Laodicenſis Eccleſiæ fuit Sagar martyr.



SANCTVM martyrem Sagarem nomine, dum hæc ſcribebantur à Ioanne, Laodicẽſi Eccleſiæ præfuiſſe, conſtat in hiſtoria Eccl. lib. 5. c. 24. Vbi Euſebius Epiſcopos Aſiæ recenſens (qui in primitiua Eccleſia quamdam aut modicam ob motam de ſalutari feſto Paſchatis quarta decima luna, qua Iudæi agnum immolare præceptum erat nullatenus obſeruandam quæſtionem profligarunt) Sagarem Laodicenſem Epiſcopum commemorat per hæc verba: [Quid attinet dicere de Sagare Epiſcopo, & martyre qui Laodiciæ obdormiuit?] Idem docent Beda, Vſuardus, Ado, & plerique alij grauiſſimi rerum Eccleſiaſticarum adſtipulatores. Et quod præcipium eſt in Martyrologio Romano iuſſu Greg. 13. edito, hæc verba, die 6. Octobris reperiuntur: [Laodiciæ beati Sagaris Epiſcopi & martyris, qui fuit vnus de antiquis Pauli Apoſtoli diſcipulis.] Quibus verbis, ſancta mater Eccleſia, Sagarem, & Epiſcopum Laodiciæ, & martyrem ibi quieſcentem appellat. Quoniam vbi illi antiqui perilluſtres viri, ac fidei noſtræ fundamenta erant paſtores & Epiſcopi, ibi pro Chriſto mortem ſubibant. Idem omnino docet Petrus Aureolus in ſua cõpendiaria explanatione in ſacram Scripturã, & in Apocalypſim.

Lyranus in commẽt.

Lyranus verò præmiſſis videtur obuiare, dum in hunc locum ita ſcribit: [Hæc eſt ſeptima pars principalis in qua ſcribit Epiſcopo Laodicenſi, quem aliqui expoſitores aſſerunt fuiſſe ſanctum Sagarem, hoc allegantes ex 5. libro Eccleſ. hiſt. cap. 23. ſed ſalua eorum reuerentia, non nominatur ibi Epiſcopus, ſed ſacerdos, & martyr, & ibi dicitur quod Laodiciæ requieſcit: plures autem alij ibidem nominati ſub nomine Epiſcopi exprimuntur. Dato tamen quod fuerit Laodiciæ Epiſcopus non habetur propter hoc propoſitum; ſed magis, vt videtur, oppoſitum; Nam illud quod ſequitur intextu; quia tepidus, & non calidus, nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo, non videtur conuenienter ſibi applicari, quia ex feruore charitatis obtinuit palmam martyrij, nec etiã populo ſibi ſubiecto, rationibus prædictis in cõſimilibus articulis: Ideo ſaluo meliori iudicio dico quod fuit alius minoris perfectionis exiſtens. Tunc enim vt prædictum eſt, ſancti Epiſcopi frequenter occidebantur, vel in exilium mittebantur, & ſuccedebant eis alij minus deuoti.] Ita Lyranus. Quem ſequuti poſtea fuerunt plerique inter quos eſt Iacobus Suarez à ſancta Maria, ſerm. 23. in Apocalyp. Quibus omnibus dico, quod ſi diſtinxiſſent tempora, proculdubio concordaſſent iura. Certum quippe eſt Sagarem paſſum fuiſſe tempore Marci Aurelij, & Lucij Veri fratrum Imperatorum ſub Seruilio Aſiæ Proconſule, vt produnt Nicephorus hiſt. lib. 4. cap. 10. & 37. Euſebius hiſt. lib. 4. cap. 25. Meliton. lib. ad Antonium, Polycrates lib. 3. cap. 23. & Baronius in annot. Martyrologij Romani die 6. Octobris Qui omnes tenent Sagarem ſub Seruilio Paulo Procõſule Aſiæ martyrium pertuliſſe Laodiciæ, pro ibi profliganda, ac deſtruenda magna quæſtione de ſabbato ſuborta aduerſus Chriſtiana dogmata. Conſtat inſuper ex altera parte, Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam, hanc reuelationem à Deo obtinuiſſe temporibus Domitiani Imperatoris in inſula Patmos, vt narrant D. Hieronymus in cathalogo ſcript. Eccleſiaſticorum Zonoras lib. 2. Annalium, Irenæus lib. 5. Dionyſius Carthuſianus in proœmio Apoc. Cæſar Baronius tom. 1. Annal. Eccleſ. & nos etiam id probauimus abunde ſupra cap. 1. text. 9. par. 4. diſp. 20. q. 5. & 6. At Domitianus Romanorum Imperator deſinit regnare anno XCVII. à natiuitate Chriſti, teſte Borgomenſe in ſupplemento Chronicarum lib. 8. & Fara de rebus Sardoïs lib. 1. Quoniam eo anno poſt mortem Domitiani cœpit imperare Nerua, Marcus autẽ Aurelius, Antoninus & Lucius Antonius Verus fratres, Romani Imperatores cœperunt imperare anno à natiuitate Xpi CLXII. quoniam eo anno per mortem Seueri Imperium obtinuerunt, vt produnt Philippus Borgomenſis, & Ioannes Franciſcus Fara locis citatis: igitur optime calculatis annis, ſequitur quod à tempore reuelationis Ioannis (quãdo hæc omnia ſcripta fuere in inſula Patmos) vſque ad obitum Sagaris Epiſcopi & martyris ſexaginta & quinque fluxiſſe annos, in quibus plane poterat Sagar Epiſcopus ex tepiditate, qua fuit diuinitus reprehenſus, ad calidum gradum charitatis optimè peruenire, palmamque martyrij (poſt illam diuinam redargutionem) feliciter obtinere.

Refellitur Lyranus cum ſequacibus primo.

Ioannes quo tempore habuit hanc reuelationem.

Domitianus quo tempore deſinit regnare.

Nerua quo tempore ad imperiũ peruenit.

Secundo impugnatur Lyranus.

Neque hoc negaturos fore puto Lyranum, & eius ſequaces, ſi tempore reprehenſionis, & martyrij Sagaris computare curauiſſent. Nullatenus enim negandum venit eos qui modo ſanctitatis, & martyrij corona feliciter in patria gaudent, aliquando in terris viuentes vitijs, obliuionibus, ac pluribus defectibus irretitos extitiſſe. Quoniam hoc ipſum perſpicuum omnino euadit in Magdalena, Paulo, Dama, ac etiam in omnibus Apoſtolis.

Arguitur tertio contra Lyranum.

Sagar martyr quot annis vixit.

Neque porro putandum eſt, illam minam diuinam: [Vtinam calidus, vel frigidus eſſes, &c.] Vacuam extitiſſe in Angelo iſto Laodiciæ, & præcipuè cum Angelus iſte (quem Sagarem nos appellamus) ſexaginta quinque ſuperuixerit annis. Accedit quod Lyranus cum ſuis ſequacibus litteraturam Euſebij apertè contradicere attentat. Quoniam Euſebius eodem in loco, quem ipſi citant, nimirum, lib. 5. cap. 24. ſic clarè ſcribit: [Quod attinet dicere de Sagare Epiſcopo, & martyre, qui Laodiciæ obdormiuit?] Cum igitur hic expreſsè Euſebius Sagarem Epiſcopum appellet, non eſt cur dicant aduerſarij, Sagarem ſacerdotem dumtaxat ab Euſebio ibi appellari, niſi & veritatem, & litteraturam Euſebij ibi velint à parte, & pertinaciter deſtruere, & funditus euertere vel ſubmergere. Accedit quod id expreſsè fatetur de Sagare Cardinalis Baronius 2. tom. Annal. in anno Domini CLXXII. Denique refellitur Lyranus, eò quòd ſacerdos, & Epiſcopus olim (& præcipuè in primitiua Eccleſia.) eodem nomine interdum appellabantur. Quamobrẽ Eccleſia canit de B. Donato Epiſcopo; Deus tuorum gloria ſacerdotum, & Epiſcopi Donati, &c.]

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Enodatio textus. §. 1.

Hæc dicit (ait) Amen. Quid hoc in loco ſignificet dictio [Amen,] ſequentia verba, [teſtis fidelis & verus,] declarant, id eſt, Chriſtus, qui eſt verus & veritas, teſtiſque Dei patris, & actuum humanorum, qui plane

Ioan.14.

Filius Dei proprio nomine vocatur Amen.

plane de se ipso dixit: [Ego sum via veritas, & vita.] Quapropter in sacro eloquio crebrò nuncupatur, [fidelis,] hoc est, qui promissa semper adimplet. Quinimmo peculiari nomine [Amen,] appellatur. In quo plane nomine, omne id quod est veraciter agere, tractareve, & promissa adimplere apprimè continetur. Quoniam dictio [Amen] deducitur à verbo [aman, quod significat in promissis confidere, & eisdem certus, & securus quis esse. Ex quo eodé verbo procedit dictio [Emeth,] quæ significat veritatem, & continetur in illis verbis, Psalm.44. [Propter veritatem, & mansuetudinem, &c.] Quamobrē [Amen,] idem est quod firmitas, & promissorum adimpletio.

§. 2.

At vero noster vulgatus crebrò pro [Amen,] vertit, [fiat,] vt passim apparet in psalmis, & aliquando illam relinquit in proprio idiomate Hebræo, tùm vt aliquid illius linguæ sanctæ in nostra Latina versione remaneret, vt prodit D. Hieronym. tùm vt apertè intelligatur, quod ex Hebræo in Latinum ista dictio [amen,] nequit secundum suam propriam, & peculiarē significationem verti, vt rectè annotauit D. Basilius de illa altera dictione Hebræa [Adonai,] tùm postremo, vt clarè intelligatur, qualiter Deus aliquando se appellat hoc nomine, [Amen,] eo quod illi postquam homo factus est, apprimè quadrat, cum promissa iam adimpleuerit. Promisit siquidem olim Abrahæ, & Dauidi, se carnem nostram mortalem assumpturum, quod plane in plenitudine temporis iam adimpleuit, dum in virginali vtero Mariæ sacratissimæ, Verbum caro factū fuit. Eadem prorsus appellatione, [Amen,] Deum vocat Isaias, dum in cap.65. de illo ait: [In quo, qui benedictus est super terram benedicetur in Deo Amen, & qui iurabit in terra, iurabit in Deo Amen,] hoc est, in Christo Domino nostro, qui Deus Amen appellatur, eo quod simul Deus, & homo sit, quandoquidē vt Deus olim promisit, & vt Deus homo promissa in tempore omnino adimpleuit. Erit itaque Christus Deus Amen, hoc est, Deus fidelis, quoniam de eo scriptum est: [Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.] Et iterū: [Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, vt &c.

D. Hier. ad Marcel.

D. Basilius 2. contra Eunom.

Xps Deus fidelis.

§. 3.

Amen quot modis accipiatur in sacro eloquio.

Porro [Amen] quadrupliciter accipitur in sacra pagina. Primò siquidem prout significat idem quod [fiat;] Quo plane sensu, Moyse enarrante mandata Dei Deut.27. & 2.Paral.16.) populus respódebat, [Amen,] id est, [fiat,] vt sic, sacerdotibus orantibus, eorum intētio, & populi sana deuotio concordaret in precibus. Idcirco sancta mater Ecclesia in fine cuiuslibet orationis, hac voce, [Amen,] vtitur pro [fiat,] Secūdò accipitur aduerbialiter, nimirum, pro eo quod est, [Vere] qua ratione capitur affirmatiuè. Quo plane sensu accipitur quoties Christus in Euangelio aliquid affirmat, vt est illud Lucæ 7. [Amen amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel,] & Matt.19. [Amen dico vobis, diues difficilè intrabit in regnum cælorum.] & rursus cap. 18. [Amen dico vobis nisi conuersi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum.] & Ioan.6. [Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.] Et alibi millies. Vbi passim nota, quod olim quando Deus aliquid affirmare intendebat in veteri Testamento, illud hoc præstebat stylo & verbo: [Viuo ego dicit Dominus.] At vero nunc in nouo Testamento intendens aliquid affirmare, his dumtaxat præstat verbis: [Amen dico vobis, &c.] Quod plane teste D. Hieronymo in cap.4. Ieremiæ) ideo fit, quia antiquitus id dicebat in condemnationem Deorum mortuorum, vti erant idola gentium, per quæ iurabant idololatræ: At vero nunc, cessante Idololatria, præsentia & aduentu filij Dei, amplius iurare per Deum viuū nullatenus oportet, cum id certissimum ex fide habeamus. Idcirco sufficit, vt ipse asserat tantum affirmatiuè se hoc dicere. Etenim iuramentum secundum Damascenum lib.1. cap. 14. significat immutabilitatem consilij Dei, eo quod apud nos contractus, qui inuicem sunt, ipso iuramento rati sunt, & habent firmitatem.

Amen idem est quod verè.

Deus aliter affirmabat in veteri Testamento quam affirmet in nouo.

Iuramentum quid significet.

F iurat enim Deus propter hominis incredulitatem, teste D. Basilio, homilia 1. de pœnit. vt iuramento eos certiores reddat. Ideo Christus veniens in mundum, & deprauatum animum hominis inueniens, ad confirmandū id quod dicebat visus fuit affirmatiuè hac voce, [Amē] Præterea, tertio accipitur, [Amen,] pro veritate, & existentia, sine aliqua fictione, patet Ioan.8. quando Christus Pharisæis dixit: [Amen amen dico vobis, priusquā Abraham fieret ego sum.] Quarto, & postremo, sumitur, [Amen] nominaliter, & tunc significat verum, vt hic: & in hoc sensu, illa posteriora verba textus, putà [Testis fidelis,] declaratoria quippè sunt illius primæ vocis Hebraicæ [Amen.] Quadrat hæc nostra enodatio cum Laudunense in sua interlineari, Lyrano, S. Thoma, Ruperto, & (vt vnico Verbo dicam) omnium interpretum turbam sequitur.

Amen accipitur pro veritate.

G

PARAPHRASIS Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Qui est (dicit tandem) principium creaturæ Dei. Nec vna & eadem (apud expositores) est huius loci enodatio Nos vero, quid firmius ac verius hic tenendum sit, qua potuerimus cura patefacere curabimus; Intelligimus namque primò per [Principium creaturæ Dei filium Dei viui; nimirum verbū diuinum. Verbum quippè diuinum causa est omnium creaturarum & exemplar per quod facta sunt omnia. [Verbo Domini (dicitur Psal.23.) cęli firmati sunt.] & Ioan.1 [Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil.] & ad Col. 1. [In ipso (id est, in verbo Dei) omnia condita sunt, siue quæ in cælis, siue quæ in terra, siue visibilia, siue inuisibilia.] Quamobrem illud Gen. 1. [In princeio creauit Deus cælum, & terram.] D. Augustinus lib.12. confess. & in imperfecto super Genes. de filio Dei dispungit, intelligens per principium, filium Dei, qui est sapientia patris, ita vt sit sensus: [In principio creauit Deus cælum, & terram,] id est: [In sapientia creauit Deus calum & terram.] Hæc autem diuina sapientia est verbum diuinum, per quod omnia sunt creata, iuxta illud, Psal.53. [Omnia in sapientia fecisti.] Quamobrem illic, nimirum, Gen.1. nomine principij, intelligendus est filius Dei (quamuis præfatus locus Genesis alias per multas aliorum sanctorum Patrum obtineat expositiones, non pauci momenti) nimirum, verbum diuinum, & sapientia increata. Vnde ipsemet Christus Dominus, quatenus filius Dei est, se principiū vocat, dicendo de se ipso in Euangelio Ioan. 8. [Principium, qui & loquor vobis.] & in Apoc. cap.1. & vlt. [Ego sum Alpha, & omega, principium, & finis.] Ac proinde etiam ex consequenti, nomine principij filium Dei intelligimus, ita vt sit sensus: [Hæc dicit Amen testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei, id est. Hæc dicit Christus, qui est filius Dei, per quem facta sunt omnia. Sequuntur hanc primam nostram expositionem Arethas, Anselmus, Laudunensis, Lyranus. S. Thom. Auctor incognitus, Dionysius Carthusianus, Franciscus Ribera, Blasius Viegas, Iacobus Suarez à sancta Maria, & alij plerique expositores in hisce suis commentarijs.

Prima enodatio.

Creaturæ Dei principium est filius Dei

H

Creatura accipitur pro omni re creata cuius principium existit Christus.

I

Omnium sensus textus

Pro hac autem nostra opinione, animaduertas primò oportet, quod non semper in sacro eloquio, nomine principij venit intelligendus filius Dei; nam sic sequeretur, vt in Psal.109. quando dicitur: [Tecum principium, in die virtutis tuæ.] & Ioan.1. quando dicitur: [In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum] intelligendum esse Verbum diuinum, quod est falsum, cum in his auctoritatibus nomine principij sit intelligendus Pater æternus, qui est principium totius diuinitatis. Intelligitur ergo in sacra pagina, nomine principij, filius Dei quando agitur adextra, & non quando agitur ad intra. Quia cum filius sit sapientia patris, & pater operetur adextra

Principium ad intra est pater, principium ad extra est filius

K

tra per suam sapientiam, sapientia ex consequenti diuina, nimirum filius Dei, siue Verbum diuinum, ad extra, erit principium creaturarum.

Verbum diuinum in creatione cæli, & terræ obtinuit locum instrumenti patris æterni.

Secundo animaduerte, Patrem per filium creasse omnia, sicut dicimus quod faber operatur per malleũ, siue per martellum; vnde illa verba Gen. 1. [In principio creauit Deus cælum, & terram.] Sic explanant Doctores: [In principio,] id est in filio, quia filius est sapientia, vel ars patris, per quem cuncta creauit, & fecit, & ita accipiunt [in,] loco [per,] sicut dicimus quod faber operatur in martello, id est per martellum, siue per malliolum. Quamobrem exemplum de martello, siue malleo, accipiendum in creatione venit cum grano salis; Quoniam martellum, siue malleus, & quodlibet aliud instrumentum semper habet inæqualem potentiam cum causa præcipua, & est insuper illa posterior: at Verbum diuinum æqualis potentiæ est, & naturæ cum patre, æterno, quo nullatenus est posterior, sicut nec radius solis posterior sole, nec splendor igne. Idcirco adiectũ exemplum à Doctoribus de malliolo, siue instrumento in rerum creatione, licet in aliquo quadret, non tamen in omnibus.

§. 2. Secunda explanatio. Humanitas Xpi principiũ creaturæ Dei

Porro per [Principium creaturæ Dei,] possumus intelligere illam sanctam humanitatem, quam filius Dei in vtero Virginis in plenitudine temporis assumpsit. Quæ plane, principium, (id est primogenita) creaturæ Dei dicitur, non quod ipsa de facto primo creata fuerit, sed quod propter eam, omnia creauerit Deus, ita vt quando Deus voluit se creaturis communicare, voluerit, prima intentione, & prima voluntate mysterium incarnationis, & Christum Dominum, Deum simul & hominem, vt esset caput & finis omnium diuinorum operum. Hinc est, quod Primasius in hisce commentarijs sic scribat: [Initium quippe creaturæ Dei, Christum Dominum propter incarnationis mysterium cõuenienter decet intelligi, ex cuius persona scriptum legimus; Dominus creauit me in initio viarum suarũ, & Apostolus, habentes fiduciam in in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum, &c.] Sic ille. Quadrat hæc nostra, & Primasij explanatio cum Galatino, qui lib. 8. de arcanis, asserit esse communem traditionem Hebræorũ, Deum propter amorem Messiæ, omnia creasse, & propterea vocari germen, & vocari fructum terræ, quia sicuti hæc sunt quasi finis, & pulchritudo arboris, ita Messias totius vniuersi. Quapropter Rupertus Abbas lib. 3. de gloria, & honore filij hominis in Matth. & lib. 13. de gloria sanctissimæ Trinitatis, & processione Spiritus sancti, cap. 20. sic scribit: [Religiosè dicendum, reuerenterque est audiendum, quia propter hunc hominem, gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.] & dudum: [Rectius dicitur non hominem propter Angelos, sed propter quẽdam hominem, Angelos quoque factos esse, & cætera omnia.] Hinc est, quod D. Paulus ad Col. 1. loquens de Christo, promiscuè lquitur, & vt Deum vocat illum [Imaginem Dei inuisibilis] vt hominem vero [Primogenitum omnis creaturæ.] Vbi Christus dicitur primogenitus, non tempore, sed honore, & subiungens rationem Apostolus, propter quam Christus, vt homo est primogenitus omnis creaturæ ait: [Quoniam in ipso condita sunt vniuersa; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ.] & denique concludit: Vt sit sic omnibus primatum tenens.] Adduci etiam potest pro confirmatione huius nostræ secundæ explanationis illud Ecclesi. 24. Ab initio & ante sæcula creata sum.] & illud Prouer. 8. [Dominus possedit me in initio varum suarum, antequam quidquam faceret, à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.] Quæ plane verba, de illa sancta humanitate assumpta, omnis sancti Patres, tam Græci, quam Latini exoluunt: Et licet nostra vulgata, non legat: [Dominus creauit me,] vt legit Primasius hic, sed dicat: [Dominus possedit me.] tamen D. Hieronymus in epistola 139. ad Cyprian in tom. 3. docet proprius ex Hebræo verti, [creauit,] quam [possedit,] & idem affirmat lib. 2. in Michæã, in principio, & super ad Ephes. 2. Hinc plane est quod Cyrillus Alexandrinus lib. Thesau. cap. 4. sic scribat dicens: [Quærendum est, quis est, qui dixit, Dominus creauit me,] & respondet, [Christus iam homo factus.] Quadrat hæc nostra secunda expositio, cum omnibus illis Doctoribus, qui in 3. sententiarum dist. 7. cum Scoto, & Alberto, & cum Alexandro Alense 3. p. q. 2. membr. 13. asseuerant Christum Dominum fuisse prædestinatum, seu electum ante præscientia originalis peccati, atque adeò voluntatem incarnationis ante cessisse voluntatem permittendi peccatum Adæ. Quam quidem etiam sententiam tuetur Franciscus Suarez in suis commentarijs ad 3. p. D. Thomæ disp. 5. sect. 2. conclus. 1. Est igitur illa sancta humanitas assumpta, Principium creaturæ Dei, id est, primogenita creaturarum non plane tempore, sed honore, & dignitate, vt prodit Dionysius Carthusianus hoc in loco, siue primaria intentione, siue prima voluntate, iuxta illud: [Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.] Quamobrem erit sensus: [Hæc dicit Amen, qui est principium creaturæ Dei,] id est: [Hæc dicit Christus, qui in quantum homo est primogenitus omnium creaturarum, non tempore, sed honore, & proculdubio ex hac nostra explanatione parere etiam potest solutio aduersus Arianos qui ineptè intelligentes præfata loca, nimirum, [Ab initio, & ante sæcula creata sum.] & [Dominus possedit me in initio viarum suarum.] & [Ante omnes colles ego parturiebar, &c.] asseuerabant filium Dei esse creaturam. Prælibata itaque loca, & alia his similia dicta quippe sunt non secundũ diuinitatem, sed secundum humanitatem, vel secundũ formam serui; secundum quam interdum creatura dicitur iuxta illud ad Ephes. 4. [Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.] & ad Heb. 4. [Qui fidelis est ei, qui creauit illum.] Hunc etiam Arianorum errorem: D. August. tract. 2. in Ioannem aliter dissoluit dicens: [Deus erat verbum. Exeat nunc, nescio quis infidelis Arianus, & dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri vt verbum Dei factum sit, quando Deus per verbum fecit omnia? Si & verbum Dei factum est, per quod aliud verbum factum est? Si hoc dicis quia hoc est Verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum dico ego vnicum filium Dei, Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia, &c.]

Primasius in comm.

Prou. 8. Ad Heb.

Angeli, & omnes creaturæ creatæ propter Xpm.

Lectio Vulgata. Lectio Primasij. Lectio Hiero.

Dionysius Carthus. in comment.

§. 3. Tertia explanatio. Creatura accipitur pro solo homine, non qualem cum Deus in principio creauit, sed qualem cum Xps per mortem suam recreauit.

Tertio denique hæc verba: [Principium creaturæ Dei,] accipi, & intelligi possunt de recreatione, siue renouatione per Christum. Ipse namque Christus initium, ac principium est noua creaturæ, nempe hominis, accipiendo hominem non qualem cum Deus in principio creauit, sed qualem cum Christus per mortem suam recreauit. Quemadmodum a D. Iacobo cap. 1 accipitur dum dicitur: [Voluntariè genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.] & a D. Paulo ad Gal. 6. [In Christo Iesu, nec circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.] Et in hoc sensu Christus, hoc in loco, dicitur principium creaturæ Dei. Hinc Rupertus Abbas super hunc locum eleganter sic scribit: [Quo itidẽ inde pertinuit, vt adderet quod est principium creaturæ Dei? Vtique nouus homo siue regeneratio, & creatio hominis bene operando in nouitate vitæ ambulantis.] & paulo post: [Ipse est creatura de qua alibi dicit, nam expectatio creaturæ, reuelationẽ filiorũ Dei expectat. Vanitati n. creatura subiecta est nõ volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, qa & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Quo ergo pertinuit, vt diceret Angelo huic, de isto teste fideli & vero, quod ipse sit principium creaturæ Dei, nisi vt sciret totam recreationẽ sui, & quidquid sanctæ nouitatis habebat, vel habere sibi videbatur, non sibi attribuere, sed illi

Rupe. abb. in commen.

Ille nãq; homo nouus, & sanctæ nouitatis est princeps, & ab ipso principium, & finis, siue cõsummatio huius creationis est, qua nunc viuimus, qua de morte ad vitã transiuimus, qua de filijs iræ in filios gratiæ translati sumus, & ab operibus mortuis emundati Deo viuenti seruiuimus.] Sic ille. Et ex hac nostra tertia expositione intelliguntur apprimè per multæ auctoritates noui Testamenti, in quibus more Hebræorum ponitur creatura, pro re creata, id est, pro homine reparato, & renouato per gratiam Christi, vt videre est Matth. 14. [Ite in vniuersum mundũ, & prędicate Euangelium omni creaturæ.] 2. Cor. 5. [Si qua ergo in Christo noua creatura vetera transierunt: Ecce facta sunt omnia noua.] Ephes. 2. [Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.] Col. 3. [Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creauit illum.] Sunt, & alia pleraque testimonia, in quibus omnibus accipitur creatura pro homine, non qualis esset natura sua, sed ita esset creatus, nec qualis per peccatum factus est, sed qualis renouatus est per gratiam Christi. Quam quidem renouationem, siue regenerationem nullatenus pro tunc callebat Nicodemus, dum sibi dicenti Christo: [Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest introire in regnum Dei.] respondit: [Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?] Ideo Christus illi dixit Ioan. 3. [Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est.] Id circo etiã Apost. 1. Cor. 15. sic ait: [Qualis terrenus, tales terreni, & qualis cælestis tales & cælestes.] Est igitur Xp̃s iuxta hanc nostram explanationem, Princeps, & auctor totius santitatis, renouationis, regenerationis, & reperationis nostræ, per quem, & ad cuius similitudinem omnes renouamur. Quapropter euangelicus vates Isaias de illo ait cap. 9. [Vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis.] Sed quid est illud: [Pater futuri sæculi?] Nihil aliud profecto, nisi id quod hic dicitur: [Principium creaturæ Dei.] Princeps, nimirum, & auctor nouæ creaturæ, hoc est, noui sæculi, noui hominis per suam gratiam reparati. Profitentur hanc nostram tertiam interpraetationem Rupertus Abbas, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à sancta Maria, & alij plerique expositores in hisce cõmentarijs. Et hanc renouationem spiritus amantes oportet, vt non sint, sicut coluber, qui quamuis pelliculam tenuem mutet, & deponat, venenum tamen non relinquit; oportet etenim, vt noua creatura fiamus, venenum, hoc est, iram, indignationem, malitiam, & cætera vitia deponere, iuxta illud Apostoli Col. 3. [Nunc autem deponite, & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam; turpem sermonem de ore vestro.]

Creaturã ponunt Hebræi pro homine reparato.

Ioan. 3.

Pater futuri sæculi est idẽ quod principium creaturæ Dei.

Simile.

Renouatio spiritus.

Tex. 19.


SCio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

COMMENTARIVS.


MINAS iam (vt de more habet) hic infert Deus huic Antistiti Laodiciæ Ecclesiæ per hanc metaphoram à comedentibus depromptam, qua tepidum cito è ventriculo per os euomendum mirum in modũ abhorret. Alludit enim hoc in loco Arhipropheta, ad operationem stomachi, qui calida, vel frigida conseruat propter conseruationem caloris naturalis, & humidi radicalis, ea autem quæ tepida sunt ad nauseam, & vomitum prouocare solent, vt apparet in aqua tepida, si à ieiuno stomacho sumatur. Quid vero per tepidũ, calidum, & frigidum, certò intelligendum veniat; non satis liquet apud sanctos Patres. Quadripartitam enimuero proponam, ad hoc, eorumdẽ enodatiõnẽ cõtextui, & rationi satis affinem, & nimis germanam.

Explanatio contextus.

§. 1. Metaphora à comedentibus deprompta.

F

Præmoneo tamen primò. Hæc tria nomina, videlicet, frigidum, calidum, & tepidum, physicè esse auscultationis. De illis etenim agit Phylosophus 2. lib. de ortu cap. 2. probans has quatuor qualitates, putà caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, & primas esse, & elementorum formas, non pro ut ipsa elementa, tales res sunt, sed potius vt ad inuicem agunt & patiuntur, mixtionique inseruiunt. Tepidum tamen dicitur medium inter calidum & frigidum, & hoc vel quia tepiditas est forma media inter calorem, & frigiditatem quemadmodum rubedo, pallor, seu virilitas inter albedinem, & nigredinem, quæ plane formæ mediæ appellantur à Physico, & Metaphysico, non quod habeant in se actu, & formaliter aliquem gradum qualitatum contrariarum, sed quia virtualiter cõtinent gradus remissos eorum, putà in rubore siue in pallore, aut in viriditate, seu in quocumque alio colore medio est aliquis gradus albedinis, & aliquis nigredinis virtualiter tantum, & nullo modo realiter, eo quod impossibile est formam mediam componi extremis, reali & vera compositione, vt rectè probat cum Auerroe, & sancto Thoma, Paulus Soncinas lib. 10. metaph. q. 21. Vel quia licet tepiditas non sit forma media inter calorem, & frigiditatem, est tamen calor remissus (vt sane melius tenet ipsemet Paulus Soncinas lib. 10. metaph. q. 21. ad 2.) citra dimidium gradum latitudinis caloris, non sufficiens in tali remissione dominare subiectum suum esse calidum, sed tepidum.

§. 2. 1. fundam.

Tepiditas est mediũ inter calidum, & frigidum.

G

H

Et si illi obijcias impossibile est quod tepiditas per illud habeat rationem caloris, per quod contrariatur calori, quia non potest idem conuenire cum aliquo realiter, & ei opponi: Sed tepiditas conuenit cum calore, & opponitur ei, quia vt dicit Phylosophus 5. physicorum, medium comparatum vni extremo habet rationem alterius extremi, & e contra: & sic tepiditas comparata calori opponitur ei, & comparata frigori, conuenit cum calore: Ergo in tepiditate sunt duæ formæ. Soluit ipse argumentum dicendo quod impossibile est quod aliquid conueniat cum aliquo realiter, & opponatur ei simpliciter, & absolute, non tamen esse impossibile quod aliquid conueniat cum aliquo realiter, & opponatur ei secundum quid & comparatiuè. Cuius ratio est, quia per eamdem realitatem potest aliquid magis conuenire extremis contrarijs, quam conueniant ipsa extrema inter se. Et ideo per illam realitatem posse conuenire cum aliquo extremorum, & contrariari eidem quodam modo etiam relatiuè, pro vt habet rationem alterius extremi, & secundum quod virtualiter plus continet vnum extremum quam alterum. Verumtamen (quidquid de hoc sit) tepiditas siue tepidum dicit motum à calido ad frigidum. Et inter calescere, & frigescere est in medio pendens.

Obiectio circa tepiditatẽ

Solutio circa tepiditatem.

I

Præmoneo secundo charitatem duo significare nimirum amorem ipsum, & formam amandi, quæ virtus theologalis est infusa. Hinc plane est quod frigescere potest charitas, hoc est, amor erga Deum, & sic intelligitur illud Matth. 24. [Et quoniam abundauit iniquitas refrigescet charitas multorum.] Sed charitas quæ est amoris huius forma nullatenus compatitur se frigescere, si est, quoniam operatur magna, si est. Quãobrem hanc ipsam charitatem frigefieri, & ipsam desinere, est animum charitatem oppressionibus, seu timoribus succũbere, & charitatẽ perdere, nõ ex quibuscumque causis, sed ex abundanti iniquitate. Enimuero de diminutione, amissione, vel annihilatione charitatis & gratiæ supra abunde egimus in cap. 2. tex. 3. disp. 5. q. 1. 2. 3. &c. Ibi enim definitum reliquimus mortale peccatum totam excludere charitatem, & gratiam secundum omnes suos gradus. Peccatum vero veniale tantum diminuere de feruore charitatis, & per consequens

§. 3. 2. fundam. Charitatis gemina acceptio.

K

Charitas frigescere quid sit.

Charitas tepere quid sit. quens simul stare posse veniale cum charitate, & gratia. Vnde tepescet charitas per venialia, frigescet vero per mortalia. Quamobrem quando iniquitas superabundat, tunc frigescit charitas, eo quod superabundans iniquitas & eximia peccatorum multitudo ligat (vt ita loquar) Dei manus, ne charitatem multis largiatur, etsi largitur non feruescentem elargiatur. Quemadmodum enim abundantia bonorum operum Deum mouet, vt larga manus opus effundat suas, haùd secus plane abundantia iniquitatis eum veluti cogit, vt manus contrahat suas. De tepore autem charitatis loquuntur crebrò sancti Patres tam Græci, quam Latini, inter quos est D. Leo Papa qui sermo. 1. de Ascensione Domini in hæc irruit verba: [Fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non teperet.] De eiusdem vero charitatis frigore verba faciunt communiter, D.D. super illud Matth. 24. [Refrigescet charitas multorum.] De qua etiã re nos supra cap. 2. tex. 3. disp. 5. abundè egimus.

Peccata ligãt manus Dei.

§. 3. Calida, frigida, & tepida qualiter se habeant ad vomitum. Præmoneo tertio, & postremo, hæc tria, nimirum, calida, frigida, & tepida, sic se habere ad ventriculum circa vomitum, vt calida ad ipsum ventriculum se habeant corroboratiuè, fouent enim & confortant illum, vt prodit acutissimus, simulque eruditissimus medicus Michael Villanouano serm. 5. de Syruporum vario vsu. Frigida vero illum restringunt, & roborant vt habetur ex Hyppocrate lib. 1. de ratione victus in morbis acutis, com. 43. Et tandem tepida illum laxant, eo quod tepida ventriculi robur dissoluunt, vt prodit Galenus lib. 7. Methodi medendi, & Michael Villanouano serm. 5. de Syruporum vario vsu, quo loco testatur Villanouanus quod prouocaturus vomitum tepidis vtitur. Vomitus autem ex communi medicorum omnium consensu ita definitur. [Motus deprauatus ventriculi, quo conatur expellere quod sibi noxium est.]

§. 4. Prima explanatio. Charitatis tepor. Iam primo explanatur locus iste, accipiendo Antistitem hunc tepidum in charitate, ita vt in illo charitatis, & gratiæ diminutio facta fuerit absque eius perditione, iuxta quem sensum fuerat planè Pastor iste à principio suæ conuersionis feruens, & ardens in charitate, & gratia, bona & optima in Deum & proximum præstando opera, à quibus postea resiliuit, charitatis & gratiæ ardore in eo ita tepescente, vt iam non esset tam promptus ad prælibata opera bona sicut erat prius. Quemadmodum enim habens paruam charitatem, diuina auxiliante ope, potest proficere in feruore & ardore ad maiorem habendam charitatem, ita planè habens charitatem magnam, aut mediocrem, dæmone instigante, potest deficere à feruore, & ad malum trahi, & sic ardor, feruorque eius tepescit. Sicuti parua scintilla magnum potest excitare incendium, & è conuerso magnum incendium in paruam potest redigi scintillam. Qua plane de causa appellatus fuit Præsul iste tepidus, id est habens paruam charitatem. Quem communiter respicit Deus ob quamdam falsam eius securitatem, eò quòd tepidus in charitate & gratia, vel habens paruam gratiam & charitatem crebrò ac frequenter se iustum indicat respectu illorum, qui clarè, & apertè mali sunt, nullam omnino habentes charitatem, & tamen malus ipse est tam in se quam respectu bonorum. In se quidem ob illam securitatem quæ communiter & fallit, & decipit; respectu vero bonorum, quoniã longe ab eis est. Quãobrem huic Antistiti tepido vel paruam habenti charitatem, hic dicitur à Deo: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus*, Frigidus non erat, quoniã quãuis opera fidei minimè haberet sola fide se iustum existimabat. Calidus non erat, quia charitas, & gratia illi magna ex parte deerat. Et quia Deus simulationem aliquam nullatenus amat, quimmo vnum quodque ens prout in se est maximè cognoscit, & vult reputari, & teneri, ideo mox additur: *Vtinam frigidus esses aut calidus*, hoc est. Vtinam in altero extremorum, nimirum vel totaliter sine gratia & charitate, degens adhuc in peccatis, vel feruens calore charitatis & gratiæ existens. Aut (vt aliter dicam) vtinam aut charitate feruens aut te peccatorem, sicuti es existimares, vt per timorem ignis æterni, & pœnitentiam ad bona opera agenda impelleres: *Sed quia tepidus es*, id est, quia paruam habes charitatem: *Incipiam te euomere ex ore meo*, hoc est, auferam à te istam paruam charitatem, & gratiam quæ ex diminutione (per venialia) illius magnæ feruentisque charitatis & gratiæ adhuc in te remansit, quemadmodum à seruo nequam pecunia, quam in terram desoderat, vt dicitur Matth. 25. aufertur. Hoc modo Iudas tandem amisit residuum charitatis & gratiæ, quam in exordio suæ conuersionis abundanter acceperat. Amissa autem gratia quantum malorum sequatur, in Iuda clarè intuimur, cum de illo scriptum sit: [Melius esset si natus non fuisset homo ille] Nihil enim contemptibilius homine à quo se auertit Deus, quoniam huic euenit illud: [Canis reuersus ad vomitum, & Sus lota in volutabro luti.] Quamobrem illa verba: [Melius esset si natus non fuisset homo ille,] sic sonare videntur. Melius esset, viam veritatis numquam agnouisse, quam post agnitam retrorsum conuerti. Vel: *Incipiam te euomere ex ore meo*, id est, seiungam te, vt cum me nihil commune obtinere valeas, quemadmodum à Christo dictum fuit Petro: [Si non lauero te non habebis partem mecum.] Quo quid grauius comminari vnquam potuit? Hinc Petrus mirumin modum perterritus mox in hæc verba prorupit: [Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.] Dicitur itaq; *Incipiam te euomere ex ore meo*, eo quod nos in os Domini tunc ingredimur, quando per baptismum, à vitijs omnibus emundati, membra eius efficimur, ex quo fit, quod si fidem (quæ per charitatẽ operatur, & quam in baptismate promisimus) à charitate tepescentes operari neglexerimus, ab ore Domini, hoc est, à consortio Dominico veluti quoddam nociuum, fastidiosum, fœdumque reijcimur. Quapropter metaphora ista cum illa parabola congruit, in qua Saluator ait: [Omnẽ palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.] Hùc planè pertinet ficus illa sterilis à Domino Lucæ 13. maledicta, illa etiam quam Paterfamilias singulis annis visitans, & semper infructuosam inueniens tandem excindi iussit dicens: [Succide illam vt quid etiam terram occupat?] Vnde, & Paulus ad Heb. cap. 6. ait: [Terra quæ sæpe imbrem suscipit, & tamen spinas germinat maledictioni proxima est.] Et hoc est quod hic dicitur metaphoricè: *Incipiã te euomere ex ore meo.* A qua enim tepida si hausta fuerit fastidium in stomacho generat, ideoque ex eo facile reijcitur per vomitum (vt nuper in tertio fundamento retulimus) quare Christum euomere ex ore suo tepidum in charitate, nihil aliud erit quam Christum auferre à viro fideli otioso illum paruum charitatis, & gratiæ feruorem qui ex diminutione (per venialia) illius magnæ feruentisque charitatis, & gratiæ suæ cõuersionis adhuc in eo remansit. Quo plane sensu, tepidus idem prorsus erit quod otiosus, eò quòd tepidus fidelis is dicitur, iuxta hanc enodationem, qui cum Dei gratiam, & charitatem adhuc habeat, segnis tamen est. & remissus ad opera fidei gratiæ, & charitatis nimirum, ad bona opera præstanda.

Comparatio.

Tepidus semper malus.

Desiderium Dei erga peccatores.

Iudæ perditio.

Matth. 26.

Euomi ex ore Christi est nihil commune habere cum Christo. Ioan. 13.

Ioan. 15.

Terra maledicta spinas germinat.

Aqua tepida prouocat vomitum.

§. 5. Vomitus minatus. Sed cur dicit: *Incipiam te euomere*, & non dicit, [Euomam te ex ore meo?] vt intelligatur apertè hoc per comminationẽ dictum fuisse prout in exordio textus indicauimus. Verba namque ista: *Incipiam te euomere ex ore meo*, apud Græcos codices, ita scribuntur: [Futurum est vt euomam te ex ore meo.] Perinde, ac diceret. Non statim euomam, sed postea, iam enim mihi nauseam moues, & vomitum prouocas, cito nisi calidus fias èuomeris. Quoniã cibi nauseã facientes aliquando calore concoquuntur, quod nisi fiat retineri nullatenus queunt: Ita tu, nisi charitate calescas, euomeris. Ex quo plane sensu clarè deducitur, Deum huic Antistiti tepido in charitate, minas per hæc verba inferre. Vnde D. Ambrosius sermo. 2. in Psal. 118. ita scribit: [Quanta autem fidei, & iustitiæ gratia est, vt in ore sit qui fidẽ tenet, & opera exercet iustitiæ, & quantum amittit, quem euomerit ex ore suo

Cibi nauseã causantes aliquando calore coquuntur.

Sss 2 Do-

Dominus Iesus,& ex suis visceribus eiecerit? Quam pius tamen, qui & iustos in ore suo tenet,& iustos non ante euomit, quam denunciet euomendos, vt vel huiusmodi, amonitione conuersi dignum aliquid efficiat, quo non vomantur.] Ita D. Ambrosius. Et Cassianus colat.4.cap.19.in hæc verba prorumpit: [Nec immerito eos Dominus quos iam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos, cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronuntiat.] Dicit hoc Cassianus,quoniam ea quæ euomuntur vexant proculdubio vomentem.Per quod datur intelligi,quod quando Deus euomit iustum tepidum in charitate, permittendo vt ruat & incidat in mortale peccatum,tunc temporis talem vomitum multum vexare ipsummet Deum vomentem. Quinimmo si talis mortaliter peccans diu perseuerat in illo læthali crimine, vitam impœnitens terminando, miruminmodum dolet tunc Deus, quod ille homo in æternum pereat, per æternam damnationé.Vnde cũ Rege Dauid tactus dolore cordis quasi ex clamat super tali peccatore dicens: [Filij mi Abſalon. Abſalon filij mi,quis mihi det vt ego moriar pro te Abſalon filij mi, filij mi Abſalon.] Et tunc temporis peccatori sic euomito ex ore Dei, quadrant conditiones cibi euomiti,qui numquam iterum in corpus recipitur.Quod si tali peccatori locus resipiscentiæ,& pœnitentiæ concedatur, non illi conuenit talis conditio cibi euomiti: Quoniam cibus semel euomitus non iterum recipitur in corpore: At vero si talis peccator semel euomitus ex ore Christi, iterum resipiscat agendo pœnitentiam de sua iniquitate, iterum proculdubio Christo incorporatur.Quoniam scriptum est: [In quacumque hora peccator ingemuerit amplius non recordabor] Mina itaque est ista[Incipiã te euomere ex ore meo.] Perinde plane ac tepido iusto dicat Deus, iam nauseam sentio,continuo pectoris conuulsio consequetur(quæ initium vomitus est)& euomeris ex cõsortio meo diuino,putà à mea gratia, & à conturbernio Sanctorum,nisi cito te corrigas. Quæ quidem mina ideo facta quippe est, vt ne tepidus iste per venialia ad maiora labatur, descendens & ruens ex venialibus ad mortalia, eo quod Richardus de sancto Victore in hunc locum ita scribit: [Qui per teporem resoluitur non subito a gratia deseritur,vt statim ad mala præcipitet,sed primum minima deinde maiora contemnens gradatim à summis descendit atque ad ima ruit.] Hæc Richardus.

Peccator aliquando obijt impœnitens.

Damnato si deit idem cõuenit quod cito euomito.

Locus pœnitentiæ numquam negatur mortalibus.

§. 6.
Frigidi sunt fideles mortaliter peccantes.

Explanatio itaque ista, per frigidum, accipit fidelem in læthali crimine degentem,puta Christianum cum fide informi.Per calidum vero expendit fidelem nimia pollentem charitate, nimirum Christianũ iustum, piũ, ac sanctum,Deoq; charum, & gratum. Et tandem per tepidum intelligit fidelem in venialibus plerisq; omnino constitutum, videlicet,Christianum cum fide formata, id est, cum charitate, quæ est forma fidei & virtutum omnium, sed non cum ipsa in suo feruore, & supremo gradu,sed in sua declinatione, & iam in vltimo dumtaxat gradu. Quamobrem hæc prima explanatio, omnia de fidelibus interpretatur.

§. 7.
Difficultates quædam circa hanc primam contextus explanationem.
1.Difficultas

Cæterum prout sic, inter frigidum & tepidum pleræque suboriunur difficultates. Quæri etenim potest primò, cum esse frigidum sit esse in peccato mortali cur optatur, vt qui tepidus est per venialia in maiora peccara,nimirum,mortalia labatur,& frigidus fiat?Gemina est ad hoc solutio. Prima quidem asserendo cum S.Thom.& gloss.ordinaria, quod in frigido homine per mortale,duo reperiuntur, nimirum,ipsa frigiditas mentis,putà,læthalis macula,quæ est in anima, & materia dispositionis,videlicet,quia quamuis sit frigidus, tamen cùm non sentiat aliud in se vnde confidat,& vlterius videt mala sua,ex hoc potest facilius disponi ad bonum. Loquitur ergo hoc in loco Dominus de frigido non quantum ad culpam,aut maculam siue frigiditatem, sed quantum ad dispositionis maiorem facilitatem.Quamobrem non optat,eum frigidum simpliciter, sed talem, de quo maior spes habetur.Secunda vero tenendo, quod id quod in nobis videtur incommodum in Deo nihil incommodi est, quemadmodum nos alicui præcipere, vt vxoré fornicationis accipiat,in commodum maximum apparet, at vero Deus alicui hoc iubere nullatenus in commodum videtur, vt liquet in propheta Osea,cui dixit Dominus: [Vade & sume tibi vxorem fornicationis Deus autem est qui hoc in loco per Ioannem loquitur,qui quod permittit velle,potest permittere, & sic nihil incommodi est in Deo, quod in nobis incommodum fortasse videtur maximũ.

Sol. 1.

Osee 1.

F

Quæri præterea potest secundo cum esse in mortali peccato sit maius malum quam esse in venialibus, cur quæso hic optatur esse frigidum, & execratur esse tepidum? Hanc difficultatem alij alijs proponunt verbis dicentes,cum esse frigidum sit maius malum quam tepidum quare ait,vtinam calidus esses, aut frigidus, & non tepidus?Item sicut album, & nigrum sunt contraria immediata, & sicut album est inpermixtius nigro, sic calidum,& frigidum; sed frigidum est inpermixtius calido,& calidum est bonum:ergo frigidum est minus bonum. Item tepidum appropinquat plus ad bonum, putà,ad calorem charitatis quam frigidum, ergo tepidum est plus eligendum.Et postremo,tepor maiorem habet propinquitatem ad calorem, quam frigus, ergo non bene optatur in textu. Qui omnes tituli sub nostro plane cõtinentur. Cui satisfacimus dicendo quod exhortatio duplex est, vna quidem simpliciter, & absoluta quæ est respectu maioris boni;Alia vero est cõditionalis respectu mali vitandi, vt quando quis optat proijcere merces in mari ne submergatur. Et sic est optatio ista.Quoniam in tepido duo quidem sunt, putà,modicum quid caloris spiritualis, & occupatio indispositionis.Quoniam cum tepidus se conuertum iam videt: confidit per illa bona opera quæ antea in conuersione sua iam egit(quamuis modo sit in venialibus constitutus)se saluari, & sic ex illa confidentia difficilè se ipsum corrigit degens in magno periculo perdédi charitaté,sine qua nequit saluari.Quamobrem propter huiusmodi periculum vitandum,optatur hoc in loco tepidum fieri frigidum,quia vt supra scribit Laudunensis,spes est de frigidis maior. Quoniam quamuis fidelis qui est in venialibus constitutus, in quantum habet aliquid charitatis,magis propinquat calori, nimirum charitati, quam fidelis degens in mortali: tamen ratione cõfidentiæ annexa minus propinquat, eò quod degens in mortali crimine non sentit aliquid in se vnde confidat:& vlterius videt sua mala,ex quo potest facilis disponi ad bonum,& relinquere mala.Quoniam plerique sunt frigidi, & multis criminibus, vitijsque læthalibus obnoxij, quorum corda plerumque Spiritus sanctus tangit,ita quod inflammati feruentiores inueniuntur, & efficiuntur: quod quanto peccatores se fuisse recordantur eò amplius diligunt liberatorem,vt patet de Magdalena D.Petro,D.Matthæo,& de Apostolo Paulo.Et sunt alij qui à crimine se custodiunt læthali,sed ad bona non assurgunt,quinimmo ad venialia pleraque se conuertunt. Et licet multa venialia nequeant vnum integraliter constituere mortale,vt dispungit Angelicus Doctor p.2.q.88.art.4.tamen & disponunt ad mortale, vt ipsemet sanctus Doctor exoluit p.2. q.88.art.3. & diminuunt charitatem, vt supra nos retulimus in secundo fundamento, & isti dicuntur,hoc in loco,tepidi. Et quoniam tales, qui dicuntur sic frigidi,& liberius arguuntur de peccatis,& facilius conuertuntur ad pœnitentiam, feruentiusque postea pœnitent,ortum habet, quod hoc loco optetur magis esse frigidum quam esse tepidum.

§. 8.
2 Difficultas

G

Varij tituli huius difficultatis.

Sol. 3.

Tepidus habet duo.

H

Gloss.interl. in hunc locum.

I

Conuersio peccatorum.

Venialia per se numquam mortalia fiũt

Quæri porro potest tertio, cur desideretur esse frigidũ, hoc est esse in lethali crimine, cum sint plerique frigidi,qui numquam veniunt ad salubrem calorem,id est cum sint multi existentes in peccato mortali, qui numquam ab illo resiliunt per pœnitentiã:Dico huiusmodi desiderium,non intelligi vniuersaliter,quinimmo specialiter,nimirum,pro multis, vt ait S.Thom.in hisce suis commentarijs. Sunt etenim plerique de quibus non est spes pœnitentiæ ob suam indurationem, vt videre est in Iuda proditore, Esau Caim, & Pharaone. Sunt

K

§. 9.
Difficultas tertia.
Esse in peccato mortali cur desideretur.

Peccantiũ gemina acceptio.

Sol. 2.

Sunt & alij existentes in mortali, de quibus est maxima pœnitentiæ spes, vt videre est in Magdalena, Dauide, D. Petro, & alijs finaliter prædestinatis, qui dum secundum præsentem iustitiam læthali tenerentur crimine, maxima spes erat quod ab illo læthali crimine resurgerent per pœnitentiam, & fierent sanctiores, & iustiores, vt de facto accidit.

§. 10. Difficultas 4. Esse calidum hunc Antistitem cur primo non desiderauit Deus

Quæri rursus potest quarto, cur Deus optaret directè Antistitem hunc calidum cur non prius dixit, quod magis optabat, nimirum, vtinam calidus esset aut frigidus? Dico hoc nullatenus absque causa factum fuisse. Erat siquidem Antistes iste Laodiciæ multo viciniore frigori quam calori, nimirum, talis erat in vltimo gradu charitatis degens, per venialia, vt ad perfectum calorem, putà ad supremum gradum charitatis, absque magno labore trãsire nullatenus posset. Ad frigus autẽ peccatorum mortalium citiùs, & faciliùs transire quiuerat. Quare primo loco indicauit, id quod erat facilius, & ad eius (cui loquebatur) voluntatem, & ingenium accomodatius. Accedit quod in sacro eloquio, prius poni solent ea quæ ad finis consecutionem faciunt, quam ipsum finem, quamuis ipse finis magis desideretur. Hinc Deut. 41. dicitur: [Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.] & Isa. cap. 64. [Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.] Quibus locis id quod miruminmodum & apprimè optatur vltimo ponitur loco. Ita etiam hic, quia frigidus futurus erat Antistes iste, vt postea calidus esset, prius dixit: [Vtinam frigidus esses,] quasi dicat. Vtinam iam frigidus factus esses, cum futurus frigidus sis, vt sic citius ad calorem per magnam pœnitentiam iam peruenires, vt tandem video te certe peruenturum. Intuitus enim fuit Deus per suam æternam præscientiam (secundũ quam nihil eum latet futurũ, præteritũ, & præsens: immo omnia nuda sunt oculis eius, vt a[illegible] post. ad Heb. 3.) hunc Antistitem tepidũ commissurũ esse primo aliqua læthalia crimina, cadendo ex venialibus ad mortalia, ex quibus postea resiliret, magnam agendo pœnitentiam; id propterea nunc per hæc verba: [Vtinam iam frigidus esses,] desiderare videtur, iam præterijsse difficilem transitum peccati mortalis huius Antistitis, in quo poterat (per suum liberum arbitrium) diu permanere. Vel in illo vitam cum morte commutare, quoniam nescit homo finem suum (vt ait Sapiens Eccles. 13.) Vnde sicut aues comprehenduntur laqueo, & sicut pisces amo, ita potest comprehendi peccator in ipsomet actu frigiditatis, putà peccati mortalis, & sic in æternum damnari. Quamobrem cum Deus nunquam nostrum cogat liberum arbitrium, immo semper hominem in manu consilij sui liberè relinquat, optat nunc, difficilem exitum peccatoris à suo læthali crimine, in quod ipse scit hominem casurum; Ideo prælibata verba: [Vtinam frigidus esses, aut calidus;] ita sonare videntur: Vtinam ex tepiditate tua iam ad frigiditatẽ ventum esset, vt sic citius ad pristinum redires charitatis, & gratiæ calorem, per veram pœnitentiam. Ecce quam difficilis transitus sit iustum cadendo à gratia, & charitate, transire per læthale crimen, & iterum redire ad gratiam, & charitatem pristinam, vt fecit D. Petrus qui primo amicus Christi fuit, postea vero eum ter negauit, & tandem iterum redijt ad suam pristinã Christi amicitiam, postquam fleuit amarè. Si enim Petrus negando Christum, in illo actu, vel finaliter perseuerarer, vel obiret impœnitens, certè perisset æternaliter. Hinc asserere possumus Petrum cito exire ab actu negationis maxime desiderasse Christum, dum Lucæ 22. dicitur: [Et conuersus Dominus respexit Petrum.] illud enim, [respexit,] indicat prælibatum desiderium Christi: merito igitur optat hic Deus transitũ iusti ex peccato ad gratiam, id est, quod iustus dum cadit, cito ad suam pristinam redeat gratiam, & charitatem. Sunt. n. quidam transitus, quos iusti debent transire: [Tragos amargos que los justos han de passar pecando mortalmente, vadeando el dificil rio del pecado mortal.] Vt postea ad maiorem resurgant gratiam, & charitatem.

Transitus à venialibus ad mortalia facilis.

Prius proponuntur media ad finem quam finis ipse.

Homo dum peccat in quo magno versetur periculo.

Peccantis hominis tres status.

A Quæri quinto, & postremo potest, quomodo intelligenda veniant illa verba: [Quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo,] iuxta hanc explanationem? Dico, quod iustus tũc euomitur ex ore Christi quando ruens ex venialibus ad mortalia, amittit gratiam, & charitatem, tunc enim, & euomitur à gratia, & charitate, & etiam separatur, & veluti euomitur à consortio iustorum, qui per gratiam, & charitatem vniti sunt cum Christo.

§. 11. Difficultas 5. Iustus quando euomitur ex ore Christi.

Stant pro hac explanatione prima D. Ambrosius, D. Thomas, Richardus de sancto Victore, Anselmus, Rupertus Abbas in hisce suis commentarijs. Cassianus collatione 4. cap. 19. & D. Gregorius lib. 34 moralium c. 2. Franciscus Ribera, & omnes ij qui per frigidum intelligunt hominem fidelem in læthali existentem B crimine.

§. 12. Auctores huius primæ sententiæ.

Secunda explanatio totum hoc accipit de fide, ita vt per frigidum, infidelem; per calidum, fidelem; per tepidum vero titubantem in fide intelligat. Huncq; tepidum in fide appellat hypocritam, puta simulatum Christianum, habentem apparentiam, & non existentiam circa fidei dogmata; fuerunt siquidem in primitiua Ecclesia plerique post suam conuersionem cadentes à fide, ob varias tyrannorum persecutiones. Suborta namq; fuit in illo tempore tanta credentium afflictio, vt multi eorum abijcerent fidem, aut saltem fidei professione, & aliam profiterentur doctrinam, dummodo minimè cogerentur mala illa sustinere, quo planè sensu accipienda veniunt verba illa Christi, Matth. 24. [Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.] Quoniam qui in primitiua Ecclesia credebant in Christum, venientes ex iudaismo, vel ex gentilitate C ad Christianismum erant in charitate, & fide. Nam sanctum accipiendo baptismum, fidem, vnà cum charitate receperunt, in quo diu permanserunt, quia ex eo quod Christum diligebant, volebant manere in sua doctrina, quamuis eius obseruatio difficilis esset. Istorum autem charitas refriguit, quando timentes tormenta, & alia mala cessabant à fidei professione. Qui plane nullatenus caderent, à fidei professione, nisi propter persecutionum magnitudinem. Quoniam si nemo persequeretur, nemo caderet, quamuis persecutio, leuis esset, pauci, aut nulli caderent; verumtamen quia grauis erat persequutio plerique cadebant à fide. Ad quorum plane numerum iam tendebat Episcopus iste Laodiciæ Ecclesiæ. Post suam enim conuersionem ob varias illius tẽporis persequutiones animum iam in fide fluctuantem, veluti arundinem vento, hùc, & illùc agi D tatam, obtinebat, quoniam dum animus est in dubio, paulo momento, hùc, & illùc impellitur. Vnde erat iam ferè cadens omnino ab orthodoxæ fidei dogmatibus. Quamobrem illi hoc in loco ait Dominus: *Scio opera sua:* apertissima cognitione, eo quod nihil me latet, hinc & dico: *Quia neque frigidus es*, per apertam infidelitatem, *neque calidus* per feruidam, ardentemuè charitatem, *Vtinam frigidus esses*, hoc est aperte malus, videlicet totaliter sine notitia Dei, vt Ethnicus, siue infidelis. Tunc enim minus esset tuum peccatum, eo quod seruus sciens voluntatem Domini sui, nec implens, grauius peccat. Facilius quoq; tunc conuerteteris ad feruorem amoris, quia audito Dei verbo te peccatorem apertum perpenderes, nec te aliquid reputares, sed accusares, sicque vbi abundauit culpa, abundaret & gratia, *vel calidus*, id est aperte bonus, scilicet feruens, aut ardens amore, fide, & charitate: *Sed quia tepidus es*, nimirum simulatus in fide, habens apparentiam E & non existentiam, velut hypocrita: *Nec frigidus nec calidus*, quantum ad rei euidentiam: *Incipiam te euomere ex ore meo*, per æquitatis sententiam. Hoc est incipiam te mea sententia reprobare à fidelium numero, mediante excommunicatione segregando, vel ab officio tuo prorsus deponendo.

§. 13. Secunda explanatio. Fidei tepor.

Primitiuæ Ecclesiæ persecutio.

Animus dubius agitatur multipliciter.

Frigidi sunt infideles.

Calidi sunt fideles.

Collige primo ex hac 2. explanatione de his tepidis in fide, expedi maximè posse illud Eliæ 3. Reg. 18. [Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dñs est Deus, sequimini eum

§. 14. Appendix. 1. Claudicare in duas partes nullatenus oportet.

in cū. Si autē Baal sequimini illū.] Qui locus in Hebręo sic legitur: [Vsquequo transitis super duas cogitationes.] Israelitæ.n.non omnino colebant Dñm recedendo à Baal, nec etiam omnino colebant Baal recedentes à Domino, sed aliquando offerebant sacrificium Deo vero, & aliquando Baal. Quamobrem locus iste, teste Abulense, hunc reddit sensum. Non est bonū nunc declinare in vnam partem, & nunc in aliam: quandoquidem aliquando cogitatis quod est bonum colere Baal, & aliquando quod est bonum colere Deum, enimuero istud non conuenit, quia debetis firmari in aliqua sententia, quam firmiter oportet teneatis: Si enim Dominus est Deus sequimini illum, si autem Baal, sequimini illum: Scilicet oportet vos determinari ad colendum Deum, quia vere Deus est, & non potest esse quod Dominus sit Deus & Baal sit Deus, sed necesse est, alterum eorum solum esse Deum, ideo sequimini Baal, si Deus est, vel sequimini Dominum, si Deus est.

§. 15. Appendix 2.

Collige secundò, tepidum in fide, putà, fidelem Christianum circa orthodoxæ fidei dogmata vacillantem, meliorem esse (absolute loquendo) frigido, nimirum, infideli. Quoniam quamuis Christianus vacillet, tamen fidem habet, qua æterna præmia, & supplicia cognoscit, sacramenta, Ecclesiæque sacrificia, concilia, & multa alia huiusmodi adiumenta obtinet, quibus caret infidelis, quamobrem absolute loquendo, status tepidorū fidelium melior (hoc est, minus malus) est frigidorum infidelium statu. Qui nihilominus tamen, ratione periculi & damni emergentis optatur respectiuè, nimirum, quia minus periculosus est. Etenim frigidus infidelis, frigidum se esse cognoscit, & damnationem suam (nisi conuertatur) minimè ignorat, tepidus vero fidelis, se iustum esse putat, & nihil metuit, & ideo de vitæ mutatio ne non cogitat, ideo eodem genere peccati grauius peccat quam frigidus infidelis, obueritatis notitiam, & ampliora à Deo accepta beneficia, secundum illud ad Heb. 10. [Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ cōtumeliam fecerit,] & 2. Petri 2. [Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti.] Tolerabiliorem itaque causam habet frigidus infidelis, quam tepidus in fide. Quoniam frigidus infidelis puta Ethenicus, dicere potest, non cognoui legem, non audiui prophetas, nec minus dogmata fidei salutaui. Quamobrem, neuter (puta, frigidus infidelis, & tepidus in fide) excusatur, cæterum plus deliquit qui negauit ꝙ legerat, audierat, & crediderat, quam qui opera non fecit, quæ facienda non nouerat. Hinc D. Gregorius p. 3. Pastoralis admonit. 35. ita scribit: [Admonendi sunt, vt perpendant quod tolerabilius esse potuisset, rectam viam non arripere, quam post arreptam post tergum redire.] Hæc D. Gregorius. Ex quibus omnibus concluditur, frigidum infidelem minus malum censeri tepido in fide, nimirū, fideli, tepidè & remissè viuente, fidemque mortuam, putà infidelitatis vento hùc & illùc agitatam habente. Hinc Arethas dixit quod ijs qui nondum Spiritus sancti gratiam accepit per Baptismum in spe versatur quod aliquando ea quæ sibi salutaria sunt accipiet. At tepidus in fide, & hoc caret feruore, & hoc omnino priuatur bono, putà, quod quandoque baptizandus sit. Quoniam baptizatus nequit rebaptizari. Non igitur hoc in loco optatur status frigidorum infidelium, eo quod tepidus in fide semper peior sit frigido infideli, aut grauius peccet: sed quod tepidus in fide in maiori versetur periculo, & longius absit à salute dum se sanum saluumque esse existimat. Non enim medicinæ opem quærit, nisi qui se ægrum esse cognoscit. Quamobrē nō optatur frigidum esse simpliciter, sed talem de quo maior habetur spes vt indicat Strab. in comment.

Tepidus in fide peior, ac deterior est frigido infideli propter grauius periculum.

Infidelium excusatio aperta corā Deo.

Arethas in comm.

Christianus nequit rebaptizari.

Gloss. ordin.

§ 16. 2. Append. 2.

Collige tertio, frigidum infidelem duplicem esse, Quidam enim est infidelis qui fidem omnino ignorat,

F Ecclesiam Dei nescit, Christumque eius sponsum vmquam agnouit, vt Ethenicus, & Iudæus: Alius vero est infidelis qui primo conuersus fuit veniens ex gentilitate, vel ex Iudaismo ad fidem Christi; à qua postea ruit per infidelitatem, dimittendo Christianismum, & ad gentilitatem, vel Iudaismum iterum se conuertendo tamquam canis ad vomitum. Et in vtroque infideli reperiri potest vnum ex duobus, nimirum, vel spes salutis, vel desperatio. Fieri enim potest vt infidelis cognoscat damnationem suam, & conscientiæ stimulis admoneatur, & conuertatur de via sua mala. Quod plane magis propriè conuenit secundo infideli, nimirum, illi, qui fidelis aliquando fuit, & postea in infidelitatem lapsus est. Is etenim facilius recordari potest, eorum quæ prius credidit, & firmissima aliquando habuit, & hac recordatione commoueri facilè ad pœnitentiam. Rursus fieri etiam potest, vt in vtroque
G infideli reperiatur obduratio inducēs ad disperationē salutis iuxta illud D. Gregorij 3. p. past. admonit 35. [Frigidus vero est qui consummanda nec inchoat. Et sicut à frigore per teporem transitur ad calorem, ita à calore quoque per teporem redditur ad frigus. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione.] Potest itaque in vtroque infideli reperiri vnum ex duobus, puta, vel spes salutis, nimirum quod conuertetur de via sua praua, vel desperatio, nempe difficultas de sua conuersione, videlicet quod numquam conuertetur. Et de his vltimis frigidis infidelibus nullatenus est sermo in contextu, sed dumtaxat de primis in quibus est spes conuersionis, vt indicat Strabus in sua Glossa ordinaria, & Laudunensis in sua interlineari. Vterque tamen infidelis est extra stomachum seu ventriculum Christi, nimirum
H extra Ecclesiā Dei, cuius nullatenus membra aut partes recensentur. Quoniam cum Ecclesia sit collectio fidelium, & præterea fides (& nullo modo character) constituat simpliciter, & absolutè partes Ecclesiæ, & membra Christi prout nos supra cap. 1. textu 4. disp. 10. retulimus, sequitur apertè, nullum infidelem esse simpliciter, & absolute loquendo, partem Ecclesiæ, aut membrum Christi. Et per consequens infideles nullatenus sunt intra stomachū, aut ventriculum Christi. Nec ex vi contextus (iuxta hanc secundam nostram explanationem) contrarium concludi aut deduci potest. Quoniam quamuis aqua frigida exhausta maneat diu in stomacho, & ventriculo, tamen non est necesse, vt metaphora quadret in omnibus, vt prodit Angelicus Doctor p. p. q. 1. art 9. Vti enim metaphoris, teste Caietano, est vti locutionibus quæ non verificantur de his, de quibus dicuntur, secundum propriā significationem, sed secundum aliquam similitudinem, ad
I propria significata. Sufficit igitur ad perfectam huius metaphoræ rationem, quod calidum & tepidum intrando per os, sint diu & maneant in ventriculo, seu stomacho, & quod tepidum prout sic prouocet ad vomitum. Quare quamuis aqua frigida, vel aliquod aliud frigidum exhaustum siue propinatum possit diu manere intra ventriculum, & stomachum, tamen cum frigidus hic metaphoricè significet infidelem, nullatenus venit accipiendus frigidus, nisi prout est extra ventriculum, seu extra stomachum. Quoniam infidelis (quem frigidus metaphoricè indicat) non est Ecclesiæ pars, nec minus Christi membrum. Desideratur itaq, esse frigidum, non ex eo quod id quod frigidum est transiendo per os maneat diu in stomacho seu ventri-
K culo, sed ex eo quod id quod extra ventriculum ex sua natura est frigidum, si comedatur aut bibatur, intrando per os fiat facilè & cito ex frigido calidum intra ipsum ventriculum vi caloris naturalis conuertentis cibos in substantiam alimenti, vt communiter dicūt Physici, & Medici, & sic (vt ratione metaphoræ huius directè attingamus) frigidus infidelis qui naturaliter est extra Ecclesiam, potest facilè & cito ex frigore infidelitatis, ad summum fidelitatis calorem transire vi gratiæ & charitatis quæ animas hominum (Deo ex alto dante) summè inflammare prope diem solet, vt experimur in Saulo, qui ex Saulo factus fuit Paulus, & ele-

Spes est aliquando de infidelibus quod veniant ad fidem.

Infidelis degit extra Ecclesiam Dei.

Soluitur obiectio quæ ex contextu pollulare potest.

Desideriumq Dei circa frigidum infidelem explanatur.

Explicatur metaphora de frigido in fidelib.

electionis vas, portans nomē Christi corā Regibus, &c.

§. 17. 4. Appendix.

Collige quarto, calidos, nimirum, fideles esse incorporatos Christo per fidem, à quo reiiciuntur, dum in infidelitate labuntur. Quæ plane repulsio fit vel per ipsammet infidelitatem, vel per excomunicationem vel per depositionem ab officio, vel aliàs. Quæ omnia & singula indicat illud *incipiam te euomere ex ore meo* Super quæ verba sic scribit S. Thomas [Dominus hominem incorrigibilem magis ac magis deserit & abiicit à se, & à collegio Ecclesiæ, cuius suffragia non sunt ei salubria. Et quandoque hoc exterius aperte fit per excomunicationem vt tangit glossa: Debet autem excommunicatio fieri vix & cum difficultate, sicut vomitus difficultatem habet] Ita D. Thomas. Quam etiam difficultatem attingit Doctor Incognitus, scribens super hanc methaphoram sic] Quod per vomitum eiicitur in principio concutit totum hominem, & commouet omnia membra & dissolutionem facit capitis. Item non resumitur, sed tanquam abominabile eiicitur. Vult ergo dicere, quod iste Episcopus est dignus vomitu per depositionem ab officio exquo est in scandalum communi populo sine aliqua spe resurgendi, quia Christus est caput suum, quod quantum in se est grauiter perturbauit. Non curat de tali vicario, primo abominatur talem ideo eiicit de suo collegio] Et paulo post hæc [Dicit incipiam te euomere ex ore meo, idest, de sanctorum collegio. Et est notandum, quod sicut in vomitu est exclusio cum difficultate & dolore, ita in damnatione malorum est expulsio cum anxietate & merore. Item sicut vomitus fit causa medicinæ ad corporis sanitatem, sed inuitè quodam modo & coactè, sic excommunicatio debet dari non ad vindictam sed potius ad sanitatem, idest, ad emendam. Item sicut vomitus quando nimius est & continuus mortem induit & non salutem: sic nunquam sine magna & euidenti necessitate debet vniuersitas interdici:] Hæc Auctor Incognitus. Que omnia ex glossa ordinaria & interlineari de prompta quidem fuere. Ex quibus omnibus liquet quod non facilè quis per excommunicationem euomitur aut proiicitur ex Christi ventriculo, nimirum, ex fidelium comunione & consortio.

Vomitus dolorem incutit.

Tepidis in fide non facilè excomunicandi.

§. 18. 5. Appendix.

Collige quinto & postremo, per hunc tepidum in fide, nimirum, fidelem vacillantem circa orthodoxæ fidei dogmata, posse intelligi Hypocritam; qui iuxta Glossam ordinariam, neque omnino fidem ignorat, neque apertè negat acceptam, quæ plane obseruatio consana videtur D. Gregorio qui lib. 34. moralium cap. 2. per tepidum intelligit eum qui cum gratia careat per hypocrisim, se probum simulat, & de exterioribus operibus, quibus tantum vacat, ita gloriatur, vt ea sibi putet ad salutem sufficere in eisq; veram sanctitatem col locatam existimat, qui quamuis profligatus sit & perditus, suum tamen agnoscit periculum, etiam si libidini inseruiat, conuersionem suam in aliud tempus riicit: & huic conuenit vt ab imis visceribus Christi omnino euomatur. Sunt Porro & Alij tepidi in fide, qui plane fideles cum sint, putant solam fidem sufficere ad salutem, & bona opera nullatenus esse necessaria. Hùc pertinet illa moralitas Lyrani, de acidioso, qui ingressus religionem ex hoc reputat se saluandum sicut ille Episcopus laodicensis dicebat fidem sine operebus sufficere ad salutem, & sic nec frigus timoris, nec calor charitatis eum excitant ad bonum opus, propter quod abominabilis est Deo & Angelis eius, & per consequens de consortio sanctorum euomendus. Non erit nefas annotare hìc circa hunc tepidum in fide, non dictum fuisse à Deo [Euomam te ex ore meo] sed tantum *incipiam te euomere*, quoniam Deus in hac vita neminem euomit, nimirum, neminem ita deserit, vt necessarijs ad salutem eum destituat auxilijs, sed aliquem ita tipidum in fide incipit euomere, eo quod ille pæcularia quedam minime elargitur gratiæ adiumenta, ac prisidia & dum hæc aguntur dicitur Deus vomitum inchoare, quoniam quemadmodum in vomitu totum conturbatur corpus, eò quod ipse vomitus cum quodam naturæ contingit horrore, ita Deus dum aliquem tepidum in fide à se repellit, & reijcit, incipere vomitum dicitur, quoniam tunc Deus eiusq; diuina bonitas reiciendo à se hominem quodam modo conturbatur, & dolet. Quonim punire alienum est ab ipso Deo, iuxta illud Esai. 28. [vt faciat opus suum, alienum est opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo] Iccirco dolet Deus cum à se reiicit aliquem.

Hypocrita est tepidus in fide.

Hypocrita euomendus venit ab ore Christi.

Deus nunquā priuat in hac vita peccatores adiumentis & præsidijs gratiæ.

Vomitum inchoare Deum quid sit.

§. 19. Auctores qui hanc secundā explanationē profitentur.

In hac sententia perstitisse reperio Aretham, Bedam, Richardum de sancto Victore, doctorem Incognitum, Dionysium Carthusianum, Victorinum, Ansbertum, Haymonem in hisce suis commentarijs, & omnes illos D D. qui perfrigidum expendunt in fidelem, vt plane facit D. Gregor. in 3. par. Pastoralis admonit. 33. D. Thom. q. 3. de malo, art. 13. & D. Ambro. sermo. 2. in Psal. 118. vbi super illa verba [Ne repellas me à manda tis tuis] in hæc prorumpit verba [Frigidus est qui fidem nescit, calidus est qui spiritus sancti feruore succensus est]

§. 20. Tertia explanatio.

Subiungunt alij tertiā enodationem qua hanc metaphoram exoluunt de diuite sterili & inutili ad elemosynas Christi pauperibus elargiendas. Hinc Aug. ita hic scribit [Neque frigidus es neque feruens, idest in vtilis es, Potest enim & super diuitum, sterilium per sona accipi qui habent facultates & non inde faciunt misericordias. Pauperes non sunt qui habent facultates, diuites non sunt qui ex diuitiis non operantur] & Primasius etiam sic eleganter scribit [Potest hic quorundam nobilium sæculi persona cognosci, quos ideo nec calidos dicit esse, nec frigidos, sed potius tepidos: quia cum taleis copia diuitiarum multa circum fluat, operibus tamen pietatis inueniuntur steriles nec ad opera bona vllo miserationum accenduntur intuitu. Ideo & Pauperes tanquam frigidi esse negantur, & feruidi, quia & diuitiis non abundant, quibus tepidi vtendo torpescunt, & eas indigentibus non communicando, iustè bonorum operum notantur carere feruore] Hęc Primasius.

Diues in vtilis ad elemosynas pauperibus erogandas tepidus dicitur.

§. 21. Quar. explan.

Quarta & postrema explanatio est Ioachimi Abbatis, qui hic per calidū intelligit eum qui gaudet indomino per misericordiam eius; per frigidum vero expendit eum qui tristatur in se pro peccatis suis, & tandem per tepidum exoluit eum qui nec tristis per pœnitentiam, nec lætus est in obsequium Dei.

§. 22. Explanationalia huius contextus.

Ecce quatuor præcipuæ explanationes quas in enodatione huius contextus adducere promissi. Omnes quidem sunt exactæ & contextui satis affines & germanæ quam volueris absq; errore sequi poteris. Repeniuntur etiam aliæ pleræque interpretationes. Non nulli enim perfrigidum, eum qui est apertè remissus: per calidum eum qui est aperte crudulis, quia zelo non feruens: Pertepidum vero eum qui est remissus latenter, crudelis apparenter intelligunt qui potest multum nocere. Alij dicunt personam illorum hic posse significari apud quos intra cubiculum scripturæ tractantur, foris autem verum fideles sint ignorantur & fiducialiter ac tutè præsumentes inueniuntur operibus vacui. Ideoq; neque frigidos neque feruentes illos esse dicit, idest, neq; incredulos, neque fideles. Et quia huius modi tepiditate vtrique sui nauseam faciunt, asserunt Deum hoc in loco dixisse, vomam te de ore meo. Alij Porro ad de uotos & indeuotos totum hoc referunt, dicentes quod multi sunt qui pro certo non sunt calidi per feruorem deuotionis, nec frigidi per feruorem diuini timoris, & subiectionis; sed sunt medij quia tepidi & indeuoti, quia nec per feruorem Deum perfectè diligūt, nec per timorē ei obediunt perfectè, sed sub Dei misericordia confidentes tepidi & medij sic incedunt. Et ideo tales negligentes & tepidi ab ore Dei sæpè euomūtur, idest à statu gratiæ & veritatis cadere permittuntur. Et Postremo.

5. Explanatio.

6. Explanatio

7. Explanatio.

Calor charitatis, frigus vero peccati simbolum.

stremo, quidam Neotericus doctor putat hanc metaphoram illustriorem reddi, si animaduertamus, calorem charitatis, frigus vero, peccati, Symbolum esse. Idque probat ex eo quod in sacris literis, Auster, qui est ventus calidus, in bonam partem: Aquilo vero, qui est ventus frigidus in malam partem accipi vt probat D. Augustinus Epist. 120. quæ est ad Honoratum de gratia noui testamenti, ex illis verbis Cant. 4. [Surge Aquilo & veni Auster persla hortum meum & fluent aromata illius.] Vbi ly [surge Aquilo [idem est quod, discede & abi Aquilo, quo discedente, Auster ad perflandum hortum prouocatur, hoc est, spiritus gratiæ flans de meridie vbi spiritus cubat, Cant 1. veluti à parte feruida & luminosa, vt fluant, & latè spargantur odores arborum & florum suauissimi. Probat insuper hic auctor, Austrũ accipi in bonam partẽ ex illo Abacuch 3. [Deus ab Austro veniet] hoc est, de Bethlehem (vt vertit D. Hieronymus) quæ ad Austrum sita est. Quoniam Iudæa respectu ceterarum partium terræ promissionis ad Austrum est. Et ipsa Bethlehem, comparatione Hierusalem est Australis. Hanc eamdem enodationem produ͂t Theophilactus, Euthymius, Theodoretus & Ioannes Maxentius lib. 1 dialogorum contra Nestorianos, & refertur 5. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum. Aquilonem vero in malam accipi partem comprobat ex illo Hieremiæ 1. [Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes cognationes regnorum Aquilonis,] & etiam ex illo Isai. 14. [Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis] nimirum, vt torporis frigore gentium corda constringeret, quemadmodum, exponit D. Gregorius super illa verba Iob. 26. [qui extendit Aquilonem super vacuum.]

Bethlehem australis comparatione Ierusalem.

Lucifer sedem ad Aquilonẽ cur delegerit.

Tex. 20.



Quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus.

§. 1. Tepidorum cõsuetudo.



Arrogantia, iactantiaq; hic & accusatur & arguitur Pastor iste Laodiciensis, vt ex ipsa contextus serie perspicuum, clarè euadit. Verumenim vero in quo consistat eius arrogantia apud explanatores non satis liquet. Cũ enim quatuor sint bonorum genera, nimirũ, fortunæ, putà honores, opes, diuitiæ, & alia his similia bona, quæ veluti volubilis rota hùc & illùc impelluntur & absq; stabilitate aliqua circumferuntur: Naturæ videlicet, ingenium, iudicium, vires, pulchritudo, & reliquæ naturæ dotes, quibus homines naturaliter pollent: Animæ, veluti, scientiæ, artes, sapientiæ, & reliqui habitus practicè & speculatiuè acquisiti: Et tandem bona gratiæ, putà dona spiritus sancti, ac virtutes infusæ, quæ solis baptizatis conceduntur, hinc factum est vt quidam explanantium (inter quos est Arethas) Antistitẽ hùc de terrenis diuitiis hìc gloriari existimẽt. Alij vero ad naturales diuitias arrogantiam huius pastoris referant; At D. Ambrosius, Strabus, Laudunensis, D. Thom. ad Dionysius Carthusianus & alij grauissimi adstipulatores, de virtutibus, meritis, & reliquis bonis spiritualibus, totum hoc exoluunt. Quę planè sententia mihi magis arridet. Quoniam hi qui spiritualiter sunt tepidi, nimirum, indeuoti pigres, segnes, otiosi, & omnino negligentes, solent præcipuè a statu gratiæ, & veritatis, Deo permittente, cadere, & ab ore Dei (veluti alter Ionas de ventre piscis) euomi. Cum enim hi nec per feruorem Deum perfectè diligant, nec minus per timorem ei perfectè obediant quinimmo sub Dei misericordia, plusquam fas sit, & oporteat, confidant, illos

Bonorum quatuor genera.

Hypocrita putat se iustum cum sit iniustus.

F Deus ob eorum superbiam (sicuti satan) ex alto ruere prope diem permittit. Et tunc frequenter accidit, quod hi fiant, præsumptuosi, & de proprijs meritis confidentes, & quod etiam credant se diuites in virtutibus esse, & nullius auxilio & ope indigere, aut in aliquo egere, cum alioquin (iuxta rei veritatem loquendo) spiritualibus gratiis sint omnino nudi, & virtutibus miseri, ac prorsus pauperes, quo ad Deum, ignorantes, & cæci qui minime vident, nec in aliquo aduertunt, illa quæ & videre & animaduertere tenentur, nimirum mortem, infernum, Paradisum, carnem, dæmonem, mundum, & peccatum, inanem autem nostri gloriam appellamus gloriationem illam, qua nos ipsos supra modum, & meritum æstimamus, taciteq; nobis applaudimus, de quorũ plane numero erat Antistes iste Laodiciensis, iustum se putando, & falso de meritis se iactando. Quamobrem meruit à domino hìc increpari per sequentia verba.

Timenda ac semper intimãda quæ sunt

Conclusio textus ad præcedentia.

G *Quia dicis*, per inde ac diceret, merito incipiam te euomere quia iactanter ais *quod diues sum & locupletatus* per opera meritoria copiosa, *Et nullius egeo*, hoc est, in omni bono habeo sufficientiam, vnde aliorum oratio seu doctrina mihi necessaria nullatenus est ad salutem. Et vt eius superba arrogantia, magis ac magis appareret, incipit eum increpare, ac vituperare dicendo: *Et nescis* idest, non attendis, vel scire non vis. Quasi dicat ignorantiam habes affectatam, quam in te omnino inexcusabilem iudico. Hinc defectuosus apud me omnino reputaris. Quod plane in primis probo *Quia tues miser* per ignorantiam qua deciperis, dũ te putas in hac tepiditate tua, sine bonis operibus saluari per fidem mortuam. Et ad aggrauandum subiungit *& miserabilis*, perinde ac diceret; In tantum es miser quod misericordia de te potest haberi. Sed adhuc grauius est, quod hanc tuam miseriam omnino nescias. Et H secundum id ipsum probo. Quia non tantum es miser, & miserabilis. Verum etiam *& pauper*, hoc est, donis gratiæ spoliatus, *& cæcus*, idest vitiis excæcatus, sapientiam nullatenus habendo *& nudus* imeritis & bonis operibus, ac virtuosis habitibus, vel nudus vestibus innocentiæ.

Hùc tendit illa diuina redargutio qua Deus peccatori ait: [Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam] ac etiam illa altera Paulina ad Timotheum exhortatio [Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt.] Non enim sanam doctrinam sustinẽt hypocritæ arrogantes Iccirco D. Gregorius lib. 4. moral cap. 2. hunc locum per hæc verba explanat: [Diuitem se asserit, qui per arrogantiã extollitur, sed pauper, cæcus, & nudus, arguitur. Pau-I per, quia virtutum diuitias non habet, cæcus, quia nec paupertatem quam patitur videt, nudus, quia primam stolam amisit, sed peius est, quia, nec se perdidisse cognoscit, & iterum [Reprobi diuitiis replentur, virtutes diuitiis vacuantur dum ruinæ suæ damna non considerant esse se à bonis actibus inopes non agnoscunt.] Hęc D. Gregorius. Hùc etiam plane attinere potest illud Osee 4. [spiritus fornicationis decepit eos] vbi per spiritũ fornicationis hypocrisim, arrogantiam, ac etiã sui ipsius amorem, quo quis delectatur in donis, quæ possidet qua sibi ea attribuens, intelligere possumus. Quæ planè plerosq; corruere fecerunt. Quamobrem D. Bernardus admonens ne aliquis operum suorum, virtutem sibi ipsi, & nullatenus Deo altissimo, tribuere audeat, sermone 23. in cantica, ita scribit: [Origo fontium & fluuiorum omnium mare est: virtutum & scientiarum dominus Iesus Christus. Quis enim dominus virtutum nisi K ipse est Rex gloriæ?] Et paulo post. [Quid casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne riuuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum secretis subterra eisq; recursibus in cessanter æquora repetunt: vt inde rursus ad visus vsusq; nostros iugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales riui vt arua, mentium rigare non desinant: proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur, ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum: vt iterum

§. 2. Redargutio Dei in peccatores. Psal. 49.

Confidens de se, & sibi ipsi virtutem suorum bonorum operum tribuens sæpe corruet.

rum

rum fluant remittatur ad suum principium cæleste per fluuium: quo vberius terræ refundatur, &c.] Hæc Di. Bernardus: [De quo plane argumento accipi etiam possunt verba illa Iob. 9. Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas magna & negatio contra Deum altissimum.] Manum enim osculatur, qui sibi virtutem operum suorum arroganter tribuit, & quasi altissimum negat minimè dignoscens se tales ab eo accepisse gratias.

Manum suam quis osculari indicat arrogantiam.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus. §. 1.

Dicis (ait) quod diues sũ & locupletatus. Dictio [Quod] redundat more Hæbreorum, cum aliquid dici incipit, vt quia, & quoniam, & similes dictiones.

§. 2. Diuitiarum duplex genus.

Vtramq; tamen diuitiam, spiritualem, putà, & corporalem funditus euertit arrogantia. Diuitiarum siquidem in sacro eloquio gemina est acceptio. Quandoq; namque diuitiæ bonorum temporalium facultates significant: quandoq; vero diuitiæ idè sunt, quod gratiæ & virtutes, quæ hominem faciunt simpliciter diuitem & fæcundum, iuxta illud Prouerb. 13. [Redemptio animæ viri diuitiæ suæ] & cap. 10. [Benedictio domini diuites facit] Benedictione namq; domini diues & locuples fit quislibet virtuosus homo, veluti Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, Iob, Apostoli, & omnes pij & sancti viri de quibus expendi potest illud 2. Paral 32. [Fuit Ezequias diues & inclytus valde, & thesauros plurimos congregauit, auri & argenti & lapidis prætiosi & aromatum,] hoc est, virtutum, & gratiarum. Quemadmodum enim aurum facit homines temporaliter diuites, sic benedictio diuinę gratiæ ipsos facit spiritualiter locupletes. Et sicut per aurum, multæ aliæ diuitiæ acquiruntur, ita per diuinam gratiam virtutes plurimæ generantur. Cæterum vtramq; diuitiam (vt dixi) arrogantia omnino destruit. Quod libet enim ens in quantum ens, bonum est, iuxta illud Gen. 1. [Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona] ex quo infert Apostolus, omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil reiiciendum in ea reperiri: Atamen si res considerentur quatenus homines ipsis bene vel male vtuntur, dicuntur moraliter bonæ vel malæ, quia prout sic possessores suos ad bonum vel malum deducunt finem, eò quod ipsi eis nesciunt vel sciunt vti. Et sic est de vtraque diuitia, spirituali videlicet, & corporali; quæ si ambæ secundum se considerentur malæ nullatenus sunt, quinimo bonę transcendentaliter, ob rationem assignatam. Si vero considerentur quatenus homines, ipsis diuitiis, tam spiritualibus quam corporalibus, bene vel male vtuntur, possunt (imo de facto fiunt) per arrogantiam fieri malæ & detestabiles. Quo plane sensu exolui potest illud [Diuitiæ si affluant nolite cor apponere] & illud [Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas] Hinc diues ille, qui vt dicitur Lucæ 16. Induebatur purpura & bysso, ob malum diuitiarum vsum, meruit in inferno sepeliri. Et ille alter qui arroganter sibi ipsi (prout habetur Lucę 12.) dicebat: [Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos;] & dixit: [Hoc faciam destruam horrea mea & maiora faciam, &c.] Et post pauca [Anima, habes multa bona posita, in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare] mox meruit ex alto audire calor: [Stulte, hac nocte, animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?] En qualiter arrogantia, ac superba iactantia, vtramq; diuitiam, scilicet, tam corporalem quam spiritualem, funditus euertat. Quod autem in vtraq; diuitia, putà, spirituali & corporali, arrogantia siue iactantia, aut inanis gloria sedem obtinere queat, docet D. Augustinus de Verb. Domini scribens sic: [Animaduertendum est non solum rerum corporearum, nitore atq; pompa sed etiam in ipsis sordibus lutosis esse posse iactantiam, & eò periculosiorem quo sub specie seruitutis Dei] Quamobrem qui se arroganter iactant, & dilatant, diabolum specialiter imitantur, qui dixit domino, vt habetur Matth. 4. Omnia regna mundi sua esse, & cui ipse voluisset, posse illa elargiri & concedere: similesq; fiunt Pilato dicenti, Christo Ioan. 19. [Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?] Et contra hos arrogantes, inducit Christus, Lucæ 18. exemplum illius Pharisei dicentis: [Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic Publicanus.] Hinc probatissimi, sapientissimiq; morum scriptores; per formicæ Hieroglyphicum, inanem gloriam, gloriationem, atq; arrogantiam optimè exprest ferunt. Quamuis etenim formicarum prouidentia, vnicuique innotescat (notum siquidem est omnibus formicas memores hiemis, cibaria comparare & recondere, ac cellas promptuarias facere, semina interim ne nascantur morsu secare, abrosam que condere ne rursus in fruges exire queant è terra, atque in vtilia, inde sibi ad vsum alimenti fiant, qua de causa sacræ literæ pigros, desidesq; homines ad hortantur, & admonent, vt ad formicam se conferant, atque illa prudentiores fieri contendant: Et Salomon formicam, nimirum, terræ Animal, sapientiorem sapientibus asseuerat, propterea quod sibi præparat, in messe cibum) nihilominus tamen formica in cauernis sese libenter continet quouis tempore, nec nisi necessitatis causa prodit in propatulum, cum videlicet aut venatum, aut speculatum, aut prædatum properat, tunc enim non solum in estate verum etiam in hyeme plurimæ earum à suis exeunt cauernis & fructibus insidiantur, per inde, ac insidiosa pestis: Haud secus plane inanis gloria, latet, plurimum in abditis animi recessibus, cogitationisq; delitiis pascitur & educatur, & quidquid prçclare egerimus & quascunq; adoreas exquisiuerimus laudes, omnino labefactare, furtim aggreditur. Quamobrem habet inanis gloria cum formica simillimum quod formica in opes iam paratas, inanis vero gloria in virtutes, & partam iam existimationem semper populabunda se exhibet. Estote rogo attentissimi. Fecimus quid in bello fortiter: forte & corona donati sumus, surripit hæc clanculum & folia decerpit singula gloriatiodum nostra nos facinora narramus, & gloriosum militem, vt in comædiarum fabulis est, immitamur: Prudenter aliquid cauimus, id quidquid est inanis gloria viciat, & gloriando mutat in imprudentiam: Beneficio aliquem affecimus, destruit illud gloriatio; efficitque vt de quo benemeriti fuerimus, maleficiose à nobis affectum putet, operamque ita & oleum perdamus. Plurimum temporis in ieiuniis, in vigiliis, in orationibus, in continentia; in animi corporisq; moderatione, sine vlla mentis auersione consumpsimus, aduenit inanis gloria, quę fructum omnem, quem per labores tot collegeramus, rapidissimè depopuletur. Ingeniosè, doctè, & accuratę aliquid conscripsimus, sed dum nos ipsi illud efferimus, & aut nostros non apparere labores ingemiscimus, inanis gloria statim ea obscurat, quæ alioquin futura erant illustria. Insidiosa planè pestis est inanis gloria. Quam quidem in hoc Antistite tam circa corporales, quam circa spirituales diuitias omnino patefaciunt illa verba: [Dicis quod diues sum & locupletatus] Dictio enim illa [dicis] quadrat cum arrogante Nabuchodonosor de quo Esai. 14. habetur: [Dicebas in corde tuo in cælum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo] Merito quidem de hoc arrogante Antiste exolui potest illud Esai. 16. [Audiuimus superbiam Moab superbus est valde, superbia eius, & arrogantia eius plusquam fortitudo eius.]

Comparatio.

Diuitias arrogantia deuorat.

Malæ qua ratione fiant res.

Psal. 61.

Prou. 16.

Diuitiarum vanitas arrogantia & iactantia.

Arrogantes imitatores sunt diaboli.

Pierius lib. 5. Hieroglyph.

Formica dire ptrix fructuū.

Formica & inanis gloria in quo conueniant.

Inanis gloria & arrogantia est veluti pestisque omnia venenose inficit.

Moab Maximus arrogãs.

§. 3.

Nobis tamen danda vtique est opera vt laudabilia facientes, inanem gloriam potius negligamus quam efflagitemus. Solebant namque Ægyptiorum sacerdotes,

Aegyptiorum consuetudo circa formicas, & origanum.

tes, agrorum vastationem, de populationem, & infrequentia facta loca, quæ populosa prius fuerant, performicam vt prodit idem Pierius, & origani fasciculum significare. Origanum enim herba quidem est, vulgo, etiam nota Romæ & alijs Italiæ locis, latinè [Cunila bubula] appellata, quæ loco apposita, qua formicæ meant, medico, vel salis, vel sulfuris, pulusculo simul inspersо, efficit vt iter deserant, visq; relictis cauernis, aliò migrent. Hinc in agricultura præceptum est, origanum siluestre frumenti aceruis circumspargere ne formicæ grana de populentur. Enimvero si astutius, eas tollere quis velit experimento compertum est facilius summoueri posse, si captas aliquas combusseris, & cinerem in cauum inieceris. In agro vero si candefactum ferrum incespitem vbi nidificant impegeris. Quemadmodum itaque his omnibus formicæ procul fuganțur, ità omnis nostra inanis gloria, origano passionis Christi domini ex qua fit fasciculus ille myrrhæ de quo dicitur [Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,] sale spiritualis sapientiæ cinere insuper miseriæ nostræ, quia homo puluis est, & in puluerem reuertetur, & tandem ferro ignito clauorum Christi, & aliò migrabit, cordis nostri cauernam in tactam relinquando, & omnino peribit.

Origanum. Idê est quod cunicula bubula.

Formicarum extirpatio & mors.

Comparatio.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 2.

Dilucidatio textus.

§. 1. Cognitio propria.

Et nescis (ait) quia tu es miser. Non est maior miseria quam ignorare seipsum. Quamuis enim noueris omnia mysteria, latitudinem terræ, altitudinem cęli, profundum maris, si te nescieris, similis eris ædificanti, sine fundamento, ruinam non structuram quærenti. Nulla scientia difficilior, nulla Philosophia obscurior, ex eruditorum omnium sententia reperiri potest, quam sui ipsius cognitio. Hæc etenim altissima philosophia est, in tantum, quod antiqui, illam vocem [Nosce teipsum] de cælo descendisse crediderint, vt prodit Helinandus eruditissimus vir. Quo loquendi tropo significare volebant veteres illi Phylosophi, hanc Philosophiam adeò summam esse, vt cælum dumtaxat illam docere possit. Hinc plane est, quod in Apollinis delphici templo in ipsis Ianuis sententiam hanc: [Nosce teipsum.] aureis literis descriptam fuisse reperimus. Erat enim Apollo Deus sapientiæ. Quo facto vnum è duobus indicabant, vel quod seipsum cognoscere, soli Deo conceditur: vel saltem quod in hoc summa sapientia consistit. Sunt namque in hoc oculi mentis, corporeis oculis per similes, eò quod Quemadmodum isti cætera obiecta cum intueantur, & speculentur seipsos intueri nequeunt, sic oculi mentis, puta, intellectus noster, cum omnia cognoscat, se ipsum minimè cognoscit. Percipit enim alienos defectus, & de alienorum culpis, strenuè diiudicat, proprias vero ac domesticas miserias diiudicare & intueri nescit. Videmus enim Adamum primum nostrum parentem, omnibus rebus nomina imposuisse, quæ earum naturis & proprietatibus conuenirent iuxta illud Gen. 2. [Omne quod vocauit Adam id ipsum est nomen eius,] ex quo sancti Patres, tam græci quam latini (inter quod est D. Augustinus; D. Basilius & sanctus Thomas in 2. senten.) intulerunt, Adamum habuisse scientiam infusam, & cognitionem omnium rerum naturalium, alioquin quomodo potuisset omnibus rebus nomina, suis naturis & scientijs conuenientia imponere, nisi cognitionem earum haberet, cum nomen, quiditatem & essentiam rei, vel saltem aliquam eius proprietatem explicet? At licet omnibus rebus nomina inuenerit, sibi ipsi vllum nomen imposuit. Quod & D. Basilius annotauit: quoniam [Adam] non est nomen proprium, sed appellatiuum & commune. Quemadmodum enim homo dicitur ab humo, sic

Apollo deus sapientiæ.

Comparatio.

Adam nomina omnibus imposuit rebus sed non sibi.

F [Adam] a verbo [Adamath] quod terram argillosam & rubram significat. In quo videtur voluisse innuere, quod quamuis omnium rerum, & scientiarum naturalium notitiam & cognitionem habuerit, tamen seipsum nullatenus agnoscebat.

Adam nomen a quo deriuetur.

Fuit huius Philosophiæ minimè ignarus Agathocles Siciliæ Rex, qui vt prodit Marc. Cocus, lib. 4. Epigram. 25. teste Holcoth super Sapien, lectione 83. nunquam permisit in vasis aureis, aut argenteis, sed luteis sibi ministrare. Interrogatus autem quam ob causam hoc fecisset, respondit. Quod quamuis tunc esset Rex, fuit tamen filius cuiusdam figuli, & ne sui generis obliuis ceretur in luteis vasis seruiri sibi præceperat, prout sequentia narrant carmina.

§. 2. Cognitio propria labilis & difficilis.

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem:
Atq; Abacum Samio sæpe onerasse luto.

G Intelligebat namq; prudens hic Rex quam labilis & difficilis est sui memoria & cognitio, & quod homo natura sua obliuiosus, monitore aliquo indiget, vt sui ipsius minimè obliuiscatur.

Non cognoscere autem seipsum, superbiæ indicium vtique est. Superbus enim intellectus, ex eo ipso quod se ipsum minimè agnoscat adeò expers esse conuincitur, vt de illo optimè expendi possit illud Psalmistæ [Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus] quia si se cognosceret, & propriam vtilitatem aspiceret, non vtique superbiret, cum tot habeat inse humilitatis stimulos, nam quid superbit terra & cinis? Ideo Deus hominem de limo terræ formauit vt terra ipsa in qua constitutus est, quæ inter omnia elementa infimum locum tenet, & ab omnium pedibus

§. 3. Cognitio sui vtilis.

H conculcatur suę vilitatis illum admoneret. Et ad hunc sensum possumus intelligere illud Sapient. 9.] Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio de primit sensum multa agitantem] sic primit quidem corpus hoc terreum, & vile domicilium animam nostram, quam aggrauat, ne cogitationibus variis in superbiam elata contra Deum creatorem suum vexillum conetur erigere. Quare Propheta Regius dicebat: [Non apponat vltra magnificare se homo super terram,] cuius loco D. Hieronymus ex Hebræo vertit [Non apponat vltra magnificare se homo de terra,] Elegans quidem ratio, ac si diceret: Quid se magnificat, aut quid se iactat homo de terra? Quid de se ipso præsumit terrenus homo? Si enim homo esset de cælo, si ex aliqua cælesti materia constitutus, si purus esset spiritus, & ab omni carne alienus non mirum, At cum sit ex terra compositus, & in

Corpus deprimit animam.

Psalm.

Homo de terra cur se iactat?

I terram cito resoluendus, non est cur se ipsum tanti faciat. Hac vna consideratione sapientissimus ille Salomon effrænes arrogantiæ spiritus (si quos habebat) corrigere frequenter conabatur. [Sum & ego (dicebat) mortalis homo similis omnibus ex genere terreno; Illius qui prior factus est.] Ac si diceret; Abite retro cogitationes superbæ, quæ cor meum dicipere & expugnare intenditis, suadentes, quod diadema Regni & diuitiarum gloria, me in aliquem alium magnum transformauerint, nihil vobis proderit deceptio & adulatio vestra; terra enim hæc ex qua constitutus sum, eruditio mea erit: Ipsa ad aurem mihi loquitur, & protestatur, quod neque generis prosapia, neque claritas regia, neque pretiosa purpura, neque diuitiarum abundantia aut sapientię gloria, meam na-

Terra erat Salomonis eruditio & doctrina.

K turam commutarunt, aut dissimilem alijs mortalibus fecerunt: quare non est cur de his omnibus superbire debeam. Inuehitur Propheta Euangelicus Isaias in Gentiles, eorum Idololatriã confutando cap. 44. eosque stultitia conuincit, eò quod Idola lignea, aut lapidea adorarent, ac si in eis deitas aliqua contineretur, & inquit [Artifex lignarius succidit cedros, &c.] Argumentum eius quod per totum caput prosiquiturin hoc consistit, quod cum Artifex ex aliqua arbore quam succidit, medietatẽ in ignem proiecerit, & in cineres conuersa fuerit, ex alia medietate in runcina; & in circino idolum format,

Argumentum Salomonis contra gentiũ Idololatriam.

format,& erigit,& statim genuflexus,quasi Deum adorat & subdit:[Pars eius cinis est & cor insipiens adorauit illum,] ac si diceret,hanc summam insipientiam, & stultitiam esse. Idem argumentum contra homines superbos & elatos,qui se Deos existimant,ceterisq; hominibus longo interuallo anteferri,possumus nunc efformare. Dic mihi superbe, qui quasi Deus esses, reliquos te inferiores esse putas ; nonne omnes ex eodem luto formati sumus? non ne ex eadem radice & trunco procedimus? nonne sumus omnes eiusdem arboris prædicamentalis propagines? si ergo alias medietates combussit ignis, si omnes mundi Principes & Monarchę in cineres collapsi sunt, quid aliud de teerit iudicandum? resolueris quidem sicut & illi in cinerem & vilissimum puluerem; quomodo ergo tam stultus es & insipiens vt quasi Deus esses,te ipsum adores? Idololatra tui ipsius es, & hominem te esse, non cognoscis. Hinc est quod Ecclesia sancta, quæ semper salutis nostræ curam gerit, per singulos annos in die Cinerum considerationem hanc ad nostram reuocet memoriam, vt omnem à nobis, superbiæ & arrogantiæ existimationem faustum propellat [Memento (inquit) homo quia puluis es,& in puluerem reuerteris.] Quasi diceret,memento homo quod homo sis, & cito in cinerem redingendus, & noli superbire, aut supra te ipsum efferri. Philippus Macedo,magni Alexandri pater,referente Plutarcho,puerum habebat,qui quotidie illum admoneret,& ei ad memoriam reduceret se hominem esse;Dum enim erat in conuiuijs, spectaculis,aut publicis lætitijs,apparebat coram Rege, & genuflexus, capiteq; detecto, alta voce dicebat: [Memento Rex quod homo sis,] ad quem Rex conuersus illum dimittebat,sed multo magis conuersus ad se ipsum, dicebat: Homo sum, & quidem homo mortalis. Heu me miserum homo sum,& cito in cinerem resoluendus,vt quid ergo superbiam, & iactabundus in aliquo gloriabor? Illustre quidem Pagani exemplum, & dignum quod nos orthodoxæ fidei professores, quotidie imitemur. Heu me domine, quia homo sum; quod si homo,quomodo ac si bellua essem vitam transigo? sum mortalis, quare in me vitia non moriuntur? sum breuissimo temporis interuallo finiendus,quomodo in me mores peruersi non finiuntur? si cinis sum humilitatem referens, quomodo consideratione hac non humilior? Aduertit D.Augustinus super Gen. quod mulier quam ante peccatum Deus virago vocauerat, eò quod ex viro sumpta esset,post peccatum Eua appellata fuit,eò quod futura esset mater omnium viuentium. Mirabile quidem videtur,quod postquam per transgressionem, sententiam mortis incurrerit, nomen vitæ illi imponatur: Si enim ante quam morti damnata esset,simul cum omnibus suis posteris nomen Euæ illi tribueretur, nemini absonum videretur: at post latam mortis sententiam, cui non videbitur à ratione alienum? Respondet Doctor sanctus,quod post sententiam mortis nomen vitæ illi imponitur, eò quod mortalis effecta, & peccati miserijs damnata, omnis superbia & omnis occasio ab ea ablata est;Mors corporis à morte animæ,quæ per superbiam incurritur,eam præseruauit,& ideo rectè post mortem contractam, nomen vitæ illi imponitur. Post peccatum etiam aperti sunt oculi amborum & cognouerunt se esse nudos: viderunt enim nuditatem suam cõfusibilem,quæ fuit illis humilitatis occasio. Humilis, oculos habet apertos ad suamvilitatem cognoscendam, quam superbus tanquam cæcus non intuetur, & ideo intellectu carere dicitur.

Superbi inerepantur.

Homines omnes corruptibiles.

Homo superbus, hominem se esse minime agnoscit.

Exemplũ maximum miseriæ humanæ.

Mulier cur ante peccatum virago appellata fuerit.

§. 4.

Cognitio peccati initium salutis.

Illud porro nullatenus est hìc prætermittendum, vt potè notitiam peccati initium esse salutis. Vnde Seneca in Epist. 28. ita habet: [Initium salutis est notitia peccati. Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. ideo quantum potes te ipsum argue,inquirere in te,accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, nouissimè, deprecatoris.] Hinc in Canticis cap. 1. sponsæ dicitur: [Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post greges sodalium tuorum.] Quod si pulcherrima sponsæ, quæ

A soli & lunæ comparatur,hæc verba dicuntur: quid nobis,qui tot vitijs fœdati, tot maculis culparum coinquinati sumus, dicetur? vtique si ignoramus nos, & proprias culpas minime agnoscimus, vt eas sacerdoti confiteamur bene egredi possumus. Egredi inquam à cæli cohabitatione, à Angelorum participatione,à clara Dei visione, & post vestigia sodalium nostrorum dæmonum abire, qui peccatum suum cognoscere,aut confiteri nesciunt. Quamobrem Dauid Psal. 50. ita exclamat: [Iniquitatem meam ego cognosco,] Ad quod plane alludit D.Bernardus in suis meditationibus dicens: [Multa multi, sciunt & seipsos nesciunt; quærunt Deum per exteriora, relinquentes sua interiora, quibus interior est Deus: cum tamen ista scientia maior sit, & super omnes alias, quia nul-
B lus quantumcumq; literatus, est vere sapiens, qui currit ad infernum] Et alibi: [Stude cognoscere teipsum,quia multo melior,& laudabilior eris, si teipsum agnoscas, & in libro conscientiæ tuæ studeas, quam si tę neglecto cognosceris cursus siderum, fundamenta terrarum, vires herbarum,complexiones hominum. Et ratio est, quia ex horum cognitione, plerumque superbit homo & inflãmatur eius animus; At ex sui cognitione humiliatur, propria peccata & delicta agnoscens, & ad eorum confessionem inclinatur. Iccirco sanctus Ioannes Chrysostomus in quodam sermone ait: [Quando accubueris super stratum tuum neminem infectum patieris, ante quam veniet tibi somnus profer in medio codicem scilicet conscientiam tuam & reminiscere peccata tua. Siquid in verbo, aut in facto, vel in cogitatione peccasti,] & rectè quidem. Quoniam somnium nar-
C rare vigilantis est, & vitia sua confiteri, sanitatis inditium est. Nam quemadmodum dum infirmus propriam infirmitatem non cognoscit, medelam & medicum contemnit,sic dum peccator, suorum peccatorum ignarus est, spiritualem salutem omnino paruipendit. Hinc proculdubio est quod nihil tanta solicitudine & studio à peccatoribus Deus exigit, quam proprij peccati cognitionem, vt cognito eo, statim illud confiteamur, & veniam simul, & misericordiam consequamur. Peccante enim nostro primo parente Adamo, statim Deus cum illo sermonem habuit dicens: [Adam vbi es?] vt sic peccatum quod obliuioni mandauerat, ad memoriam ipsius reuocaret. Ad hoc etiam Nathan Propheta missus fuerat ad Dauid, vt adulterium & homicidium, iam oblitum, parabola illa ad memoriam reuocaret. Quod & factum fuit. Quoniam audita parabola cum sua prophetica
D explanatione, mox velut in fulgidissimo speculo sceleris sui grauitatem cognoscere exclamauit: [Peccaui Domino,] cui statim Propheta respondit: [Dominus quoq; transtulit peccatum tuum,] Quamobrem Psalm. 49. peccatori dixit Deus: [Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, &c.] Et quod deterius est, hæc & alia scelera tua minimè consideras. [Arguam te & statuam contra faciem tuam] Vbi aliqui legunt [& statuam contra faciem tuam peccata tua] & D. Hieronymus ex Hebræo, sic vertit [& proponam te ante oculos tuos] cui consonat lectio D. Augustini, quæ sic habet:[Constituam te ante oculos tuos,] & rectè quidem, Quoniam peccator seipsum non videt, sed oculos auersos à se habet. Quare necesse est illud, quasi tertia & distincta esset persona,ante seipsum constituere, vt se aspiciat, & defor-
E mitatem suam agnoscat, vnde D. Augustinus in hunc ipsum locum Psalm. 49. sic scribit: [Quid tibi faciam arguendo te? modo te non vides, faciam vt videas te. Quia si videris te & displiceres tibi,placeres mihi,quia vero te non vides placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi;mihi cum iudicaberis, tibi cum ardebis.] Et paulo post [Statuam te(inquit) ante faciem tuam. Modo ergo tu fac quisquis talis es,quod tibi minatur facere Deus,tolle te à tergo tuo,vbi te videre non vis, dissimulans à factis tuis & constitue te,ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex,torqueat te timor,

Culpas suas ignorans culpabilis.

Cognitionis propriæ vtilitas.

Comparatio.

Sermocinatio Dei ad obliuiosos peccatores.

Explanatur optime locus psalmographi.

Aureum dictum D.Aug.

erum-

erumpat à te confessio, & dic Deo tuo. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper] Hæc D. Augustinus. Quamobrem huic Antistiti se ipsum, & etiam peccatum suum omnino ignoranti, hoc in loco ait Dominus : [Nescis quia tu es miser & miserabilis] Perinde ac diceret. Ignorando te ipsum, & peccatum tuum nullatenus cognoscendo, nescis, hoc est, prorsus ignoras quia tu infelix omnino sis, & ærumnosus, & nullatenus diues, sed laboribus plerisque vexatus, eò quod vitia tibi dominantur & te mirum in modum vexant, ac adeò persequuntur, vt omnium animos, commiseratio tui facile obrepere queat.

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3.

Dilucidatio textus.

§. 1.

Virtutum infusarum defectus ex quo prouenit. Heretici sunt miseri & miserabiles, pauperes, cæci, & nudi.

Miser (ait) & miserabilis & pauper & cæcus & nudus. Fides non deficeret, spes minimè fluctuaret, & charitas nullatenus teperet : si nos per magna nostra scelera, ac vitia messem, & miserabiles, & pauperes, & cæci, ac spiritualiter nudi, minimè redigeremus. Sanctus autem Ambrosius, & D. Thom. in hisce suis commentarijs arbitrantur, miseriam, miserabilitatem, paupertatem, cæcitatem, & nuditatem huiusce Pastoris, in hoc dumtaxat consistere, quia videlicet existimabat, se salutem æternam, sola fide posse adquirere. Quod plane hoc nostro sæculo pro hæresi aperta & manifesta omnino reputatur. Verba autem D. Ambrosij tenoris sunt sequentis [Diues & locupletatus rectè dicitur, qui omnibus virtutibus plenus vsq; ad culmen perfectionis exercuit. Iste autem præsul Ecclesiæ laodiciæ propter solam fidem, omnibus virtutibus diuitem se & locupletē æstimabat, vt nihil se ad salutem æternam acquirendam aliud agere, non recogitans illud quod dicit Apostolus, quia fides sine operibus mortua est] Sic ille. Cui plane suffragatur venerabilis Beda ita scribens [Sola fide contentus iustitiæ, tibi frustra diuitias vsurpas, &c.] Verbis igitur huius textus heretici huius nostræ tempestatis bona abolentes opera, tanquam ad salutem æternam acquirendam minimè necessaria, cautè redarguuntur, a domino, vt non sibi de cætero veluti hucusque, sola fide blandiantur, sub falso diuitum, ac potentū nomine, cum eorum miseria, miserabilitas, egestas, cæcitas, & nuditas, hic à domino dirè increpetur.

§. 2.

Præsul laodicenus ob tria erat miser & miserabilis.

Ex dictis facilè liquet Antistitem laodicenum propter tria, vt potè, paupertatem, cæcitatem, & nuditatem, esse miserum, & ac miserabilem. Fortasse namq; Pastor iste præsumptione sui Episcopalis status, maiorem sibi sanctitatem arrogauit, aut tribuit quam par esset, ac deceret, & sic deinceps decidens à se ipso insuperbiam & alia pleraq; scelera, miserabiliter dilapsus fuit. Quoniam teste Apostolo 1 Cor. 1. non qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Quare tota aberrant via, qui per dignitatem maximam quam acceperunt, gratiam conseruare nequeunt, sibi quæ Dei sunt appropiantes & tribuentes. Ex quo plane ridiculi omnino rediguntur ac prorsus reputantur, & merito. Quoniam si nobis rediculi videtur pueri, qui de noua veste aut aliqua simili re gloriantur, quanto magis Angelis & pijs hominibus omnino ridiculi apparebunt illi qui gratiam cælitus datam sibi arroganter tribuunt ? Hos itaq; arrogantes Dominus dum quod eis elargitus fuit, ab eis demmet aufert, pauperes, cæcos, miseros, ac miserabiles, nudos etiam, & omnino spoliatos spiritualiter dereliquit Et sic in eis tātummodo remanet illa presumptio & arrogantia, qua omne opus bonum, vt nuper protulimus funditus vitiatur. Hinc D. Augustinus in Soliloquis agens de diuina gratia affirmans hominem sine illa nihil posse, hanc Ar-

Arrogantia quorundam Antistitum.

Comparatio.

E elij prophetæ recitat sententiam dicens [Ostende mihi & confitear tibi paupertatem meam Quoniā dixi quod diues essem, & nullius egerem, & nesciabam, quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser, & miserabilis, credebam enim, me fore aliquid, cum nihil essem, dixi sapiens efficiar, & stultus sum, cogitabam me esse prudentem & deceptus sum. Et video nunc quia donum tuum est, sine quo nihil possumus facere, quia nisi tu domine custodieris ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam] Hæc D. Augustinus.

Humana presumptio destruitur.

§. 3.

Lapsus iustorum deploratur.

Preterea ex vniuersa hac domini sententia colligere vtique possumus, quam miser ac omnino miserabilis sit ille, qui ex alicuius virtutis cacumine ad aliquid dilapsus fuit vitia. Statua illa quam intuitus fuit Nabuchodonosor Rex Babiloniæ; caput ex auro; pectus & brachia ex argento obtinebat, venter & fæmora erant ex
G ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam vero fictilis. Quæ plane illorum vitam significare vtique potest, qui à statua virtutis in maxima scelera ac vitia paulatim prolapsi fuere, quod facile sanè est agnoscere si statuæ initium, media, & finem diligenti inuestigatione consideres. Ex auro etenim incipit, & in testam desinit. Sic etiam sæpe euenit vt is qui in culmine virtutum fuit olim partus, post modum negligens in maxima vitia ac ingentia scelera, sit deiectus, ex capite auro, ad pedes testeos vtique deuenit. Et ita ad pedes testeos, vt modo iam miser ac omnino miserabilis appelletur vt alter Iudas, qui laqueo se miserabiliter suspendit, & suspensus crepuit medius, cuius viscera diffusa vtique fuere, vel vt alter Nabuchodonosor qui ex alto regalis Chaldeorum dignitatis fastigio, ruens in similitudinem bestiæ comedentis fænum miser
H & miserabilis deuenit, cor belluæ loco sui pristini cordis humani accipiens cum bestis & feris in deserto habitando, vt indicant illa verba Danielis 4. [Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.] & paulo post. [Ab hominibus eijcient te & cum bestijs & feris erit habitatio tua, fænum quasi bos comedes,] & mox sequitur in textu: [Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fænum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent & vngues eius quasi auium.] Huius porro iustorum ruinæ & dilapsus, typus etiam est filius ille prodigus, qui ex abundanti domo & opulenta mensa paterna vt prodit D. Lucas cap. 15. ad porcos pascendos miserrimè deuenit, inter siliquas, & alia porcorum edulia ruens quorum eius etiam desiderabat & nemo illi dabat.

Comparatio.

Cor Belluinum datum cuidā barbaro Regi

Filius prodigus ruinæ iustorum figura

I

§. 4.

Idem argumentum, ignis natura nos docet, si eius actiones perfectius considerare voluerimus. Tres enim sunt diuersitates in igne, nimirum calens, feruens, & ardens, sub quibus, tres inueniuntur effectus, calor nimirum, feruor, & ardor, ita vt calor principium sit, feruor medium, ardor finis. Hinc est illud Phylosophi: [Ignis est in fine caliditatis,] per inde ac dicat perfecta vis ignis in fine caloris generatur, nimirum in ardore. Qui plane tres gradus materialis ignis nos docent qualiter spiritualis ignis in nobis operetur. Calor namq; ad illos pertinet qui principium dumtaxat virtutis sunt aggressi, quique inchoantis siue principiantis nuncupantur, qualis Regius psaltes erat dum dicebat [Conculcauit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis,] perin-
K de ac diceret, Cor meum calorem diuini amoris in se habed sed ad huc ad feruorem vsque non peruenit. Et sic secundus gradus est feruor, est enim feruor illorum pars, qui maiores iam progressus habent in virtute & diuino igne cor suum quasi intus ebullire & scaturire sentiunt, de quibus alloquitur Apostolus ad Romanor. 12. dicens: [Spiritu feruentes domino seruientes] quasi dicat, non calore contenti sitis sed magis in dies proficiendo ad feruo-

rem

Primus gradus virtutis est calor.

Psalm. 38.

rem vſque peruenire. Tertius autem gradus ardor eſt A qui iam omnimodam perfectionem (quantum fert mortalitas) deſignat, vt omni ex parte nos diuino amore circumdatos dignoſcamus. De quo planè gradu accipienda vtique veniunt verba Dauidis dicentis: [Et in meditatione mea exardeſcet ignis.] Ac ſi diceret. Amplius adhuc meditor & propono in ſcorde meo ad vltimum ſpiritualis caloris gradum peruenire. Hos tres gradus meditatus fuit Dionyſius in cæleſtibus ſpiritibus, dum in libris de cæleſti Hierarchia inquit [Seraphim, & calidum, & feruidum, & ſuper feruidum habent.] Quos etiam tres gradus antiqui in tribus ſtatibus agnoſcunt, quibus Eccleſia Dei in ſua perfectione conſtitit, ita vt in lege naturæ, nec ad calorem deuenerit, quia nulla ibidem charitatis præcepta diſtincta, nullæ cæremoniæ particulari lege ſcriptæ, & ſic homines ſecundum naturæ inſtinctum Domino inſeruiebant quæ cum corrupta eſſet propter peccatum, quaſi frigida erat, calefecit autem Deus iſtam naturam per legem Moyſaicam, ſacrificia tam particularia inſtituendo, quę dum in igne cremabantur, homines particulari aliqua deuotione interius calefaciebant. Ad hoc ordinauit vt ignis in altari ſuo perpetuo arderet, ſed hoc omnino contentus nos ad altiorem gradum, per filium ſuum aſpirare docuit, qui hunc ignem non in altari lapideo ardere debere docuit, ſed & hominum cordibus. Hinc ipſe Lucæ 12. ait: [Ignem veni mittere in terram.]

Pſ. 38.

B

§. 5. Peccatorum ſtatus quam infelix. Peccatoris prima miſeria paupertas.

Poſtremo ecce tres peccatoris miſeriæ, prima eſt, paupertas, quo nihil miſerius iuxta hominum opinionē, quæ beatum populum dicit, cui diuitiæ temporales ſunt. Quamobrem pauperes homines contemptui habet, vt Ouid. canit. 1.

C

In pretio pretium, nunc eſt, dat cenſus honores
Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.

Peccatoris ſecunda miſeria cæcitas.

Et præcipuè ſi fuerint ſpiritualibus bonis vacui eſt maxima deploranda paupertas. Secunda peccatorum miſeria cęcitas vtiq. eſt quæ fortaſſe non minor eſt, quā paupertas, immo maior fortè apparebit. Nam cæcus neſcit greſſus dirigere quò libuerit, ſi offendiculum eſt in via, neſcit cauere, ſi aliquid vult ſecretè alicui committere citò, id facere non poteſt, quoniam ignorat cūquo loquatur, vel an ipſo ſecreto reuelante, alter ſit præſens, deniq. facilis eſt ad deceptionem, quia ſe ipſum defendere non poteſt. Hinc lamentabatur Tobias in cap. 5. dicens: [Quale mihi gaudium, &c.] Talis eſt per omnia peccator, neſcit enim ille greſſus ſuos dirigere, quoniam ambulat per viam quæ ſibi videtur pulchra, & recta, nouiſſima tamen illius dicūt ad mortem. D Offendicula cauere nequit, quia in vno peccato exiſtens, nequit diu perſiſtere quin offendat in alio, vnde de tali peccatore intelligitur illud Sophoniæ 1. [Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt,] vt cæci quidem quia pedibus ambulantes offendunt, latere ſe credit, ſed videt Deus peccata eius, & iudicat, vident Angeli tam boni, quam mali, illi triſtantes, iſti gaudentes. Deniq. habet omnimodam miſeram cæcitatem de qua Sapient. 2. dicitur: [Malitia eorum excæcauit eos.] Hinc Dominus de Phariſæis dixit Matth. 15. [Cæci ſunt & duces cæcorum:] Eſt tertia peccatoris miſeria, nuditas quę non parua etiam eſt. Nuditas enim expoſita eſt frigori, & ęſtui, cum veſtibus careat, quibus ſe ab vtroq. defendat, talem ſe Adam poſt peccatum cognouit, ideoq. timebat coram Deo apparere propterea namq. dixit: [Timeo eò quod nudus eſſem.] Gen. 3. Vbi timor pro verecundia accipitur. Peccator E ergo omni tentationi expoſitus eſt, vt per carnis concupiſcentiam, ſemper ardeat, & per frigiditatem ſanctarum operationum calore ſe non cooperiat, & veſte nuptiali careat. Talis eſt ergo peccator omni miſeriâ plenus. Quam nuditati Dominus ſe manifeſtaturum minatur per prophetam Nahum. 3. dicens: [Oſtendam in gentibus nuditatem tuam.] Ideſt, manifeſtabo peccata tua, quæ te vera veſte ſpoliauerunt.

Peccatoris tertia miſeria nuditas.

Tex. 21.

SVadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

COMMENTARIVS.

Explanatio contextus. §. 1. Medicus Chriſtus noſtros medetur defectus.



CÆLESTIS medicus ſingulis quibuſq. ſupra recenſitis deffectibus obuiantia nunc adhibet medicamēta. Paſtorem namq. hunc Laodicenum ignauum ſupra appellauit Dominus dum illi dixit [neſcis] cuius planè ignorantiam curare modo intendit ipſemet Dominus, adhibito conſilio emendi, per hæc verba: *Suadeo tibi emere à me*. Perinde ac diceret. Conſilium tibi do. Quoniam ignorans cum ſis tu, ad me (qui ſum magni conſilij Angelus) attinet, tibi conſulere, vt emas à me bonorum omnium fonte & peremni origine, id quo indiges, Et quia poſtea illum miſerum, miſerabilem, ac pauperem nuncupauit, hos defectus & infirmitates humanas mederi deſiderans, oſtendit clarè quid ab eo emere conſuluerit dicens: *Aurum ignitum probatum*. Auro enim miſeri, miſerabiles, & pauperes, fieri ſolent diuites. Idque oſtendit Dominus per ſequentia verba: *vt locuples fias*. Porro contra eius nuditatem apponit indumenta dicens. *Et veſtimentis albis induaris vt non appareat confuſio nuditatis tuæ*. Rurſus contra cæcitatem huiuſce Antiſtitis adhibet ſuaue oculorum medicamentum, dum ait: *Et Collyrio inunge oculos tuos vt videas*. Hue planè ſpectare poſſunt verba illa D. Gregorij hom. 32. in Euangelia: [Nam ſicut arte medicina, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem.] Sic ille.

Conſiliorum bonorum fons & origo Chriſtus. Iſa. 9.

Pauper ad monetur vt emat aurum, quo mirum in modum ditetur.

Collyrium oculorum medicamen.

D. Greg.

§. 2. Dubiolum circa literam textus.

Enim verò vbi noſter vulgatus tranſtulit *aurum ignitum probatum*, in quibuſdam codicibus græcis habetur [aurum ignitum ex igne.] Quamobrem ly: [Ex igne] idem erit quod *igne probatum*. Idcirco illud. *Ignitum probatum*. Idem erit, quod [probatum ex igne] hoc eſt, nunc ex igne extractum, vt puriſſimum eſſe intelligatur, aut certè ita, ac ſi diceretur: *Ignitum*, ideſt, valde purgatum & purum. Pro quo vulgatus tranſtulit ex græco: *Ignitum probatum*. Perinde ac diceret, aurum examinatum igne, quòd planè idem eſſe videtur, quod igne probatum. Circa hoc tamen videndus eſt Franciſcus Ribera in hiſce ſuis commentarijs, quem cautè, & tacitè ſecutus fuit Blaſius Viegas in hunc locum. Probatur autem aurum ad Lydium lapidem, prout prodit Plinius lib. 33. nat. hiſt. cap. 8. per hæc verba: [Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem Coticulam appellant quondam non ſolitus inuenire, niſi in flumine Imolo, vt auctor eſt Theophraſtus, nunc vero paſsim, quem alij Heraclium, alij Lydium vocant, ſunt autem modici quaternas vncias longitudinis, binaq. latitudinis non excedentes. Quod à ſole fuit in his melius quam quod à terra. His Coticulis periti, cum è rena, vt lima rapuerint, experimentum, protinus dicunt quantum auri ſit in ea, quantum argenti, vel æris ſcrupulari differentia mirabili ratione, non fallente.] Ita Plinius de probatione auri. Eſt autem Lycius lapis ille lapillus appella-

Auri probatio per lydiū lapidem.

Lapis lydius quid.

Lapis quo fit experiméntum auri. pellatus supra à Plinio Coticula, hoc est, lapis quo fit auri vel argenti experimentum, qui apud Latinos alio nomine Index, vel Heraclius lapis nuncupatur, quem Hispani [Piedra de toque] appellant, cuius attritu aurum proditur cuiusmodi fit. Reperitur autem lapillus iste in Lydia minoris Asiæ regione.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. 1.

Dilucidatio textus. §. 1. 1. sententia. Aurum (ait) ignitum probatum. Plures sunt huius loci enodationes, quarum prima est D. Ambrosij, Primasij, Ioachimi Abbatis, D. Augustini, Tyconij, Lyrani, D. Thomæ, Dionysij Carthusiani, & aliorum Doctorum in hisce suis commentarijs, ac etiam D. Gregorij lib. 4. moralium cap. 34. qui omnes per aurum ignitum & probatum intelligunt sapientiam ignitam per charitatem, idque D. Ambrosius (tanquam primus huius explanationis auctor, eleganter per hæc verba docet: [Per aurum sapientia intelligitur, sicut scriptum est thesaurus desiderabilis, requiescit in ore sapientis, quod probatum dicitur, quia probatos & perfectos reddit omnes, quos possidet, ignitum vero ideo dicitur, quia eorum mentes in quibus habitat in amore Dei, atque proximi accendit, quia vera sapientia ex diuinis scripturis acrescit, Psalmista manifestat cum dicit, eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, eloquia Domini eloquia casta sunt, quia castas mentes à vitijs reddunt.] Et mox quamdam per pulchram mouet difficultatem dicendo: [Sed cum nihil purgari possit nisi quod sordidum est, quærendum nobis est, quomodo eloquia Domini purgari dicantur, in quibus nihil sordidum esse potest? Eloquia ergo Domini, sicut argentum igne examinatum esse dicuntur, quia mentes fidelium, aliquando igne charitatis ab omnibus sordibus examinant, quod autem ait probatum terræ, in Hebræo habet [separatum à terra.] Quod etiam septuplum purgatum dicitur, propter septem purgationes, quas diuina scriptura in se continet, septem videlicet virtutes, quibus omnia vitia purgantur quemadmodum gulę vitium, purgatur per abstinentiam, superbia per humilitatem, libido per pudicitiam, odium, auaritia, inuidia, & multa alia per charitatem. Similiter, & cętera vitia habent hostes suos, à quibus, aut vincuntur, aut vincunt.] Hucusq. D. Ambrosius. Quod autem sapientia rectè dicatur aurum (præter ea quæ cum D. Ambrosio dicta fuere) ex eo dumtaxat apparet, quod ipsa pauperes longè ditiores facit quam ipsum materiale aurum, Vnde de illa Salomon, Sap. 7. ait: [Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius &c.] Et post pauca: [Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa &c.] Et Prouerb. 21. [Thesaurus desiderabilis in ore sapientis.] Quamobrem sapientia primum locum inter Spiritus sancti dona obtinet, ex quo planè saporosa, & affectuosa est diuinorum cognitio. Et idcirco in præsenti ignita vocatur & probata, quoniam eos à quibus habetur, amorosos, & Deo acceptos constituit.

Aurum ignitum est sapientia cum charitate coniuncta.

Sapiétia quo modo probetur.

difficultas optima. D. Ambros. Nota bene aureum dictū D. Ambros. de sapientia.

§. 2. Difficultas quomodo ematur sapientia. Enimuero cum de sapientia scriptum sit Iob. 28. [Non dabitur pro ea aurum obrizum, & nescit homo pretium eius.] Et Prouerb. 3. [Pretiosior est sapientia cunctis operibus, & omnia, quæ desiderantur huic non valent comparari.] Cum igitur de sapientia talia contestentur Dei vates, qui potest emi?

Sol. 1. Ad quod planè liquet solutio ex eo quod non temporali re emitur, sed bonis operibus, nimirum, misericordiæ actibus, pœnitentiæ studijs, omnium terrenorum contemptu, continuis precibus; iuxta illud Salomonis 3 Reg. 3. [Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid Patre meo, ego autem sum puer paruulus & ignorans egressum, &c.] Quibus, precibus meruit Salomon audire à Deo.] Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi Dies multos nec diuitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, &c.]

Sapientiam precibus acquisiuit Salomon.

Sol. 2. Emitur etiam quodam carissimo numo, vt potè te ipso, scilicet tuæ propriæ voluntatis abnegatione, spontanea etiam paupertate, iuxta illud [Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veniens sequere me, & habebis thesaurum in cælo.] Ad quæ omnia alludit propheticus sermo ille Isaiæ 55. [Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.]

Sol. 3. D. Amb. in commens. Aliam adhuc responsionem affert, primus auctor, & magister huius explanationis D. Ambrosius per hæc verba: [Quærendum nobis est, quo pretio sapientia ematur cum Iob dicat, non dabitur aurum obrizum, idest, purum pro ea, nec aliudquid quod inter homines pretiosius habetur; sed quo pretio ematur, ipse beatus Iob manifestat dum dicit. Timor Domini ipsa est sapientia & recedere à malo intelligentia, non quod illi qui timet perfectus sit in sapientia, cum Apostolus dicat qui autem timet non est perfectus in charitate, sed quod sapientiam iam possidere incipit, qui per ea pretium dare inchoat. Pretium autem eius est timor Domini abrenuntiatio vitiorum, pœnitentia, lacrymæ, opera misericordiæ, & ideo non inconuenienter sequitur, vt locuples fias, quia sine hoc pretio, ad locupletationem virtutum, quæ est sapientia, nemo peruenire potest:] Hæc D. Ambros. Cuius planè solutio mirum inmodum mihi sanè arridet: quoniam Episcopus iste ignauia, ac ignorantia ex arrogantia suborta, reprehensus fuit prout ex superioribus liquet. Quæ planè ignorantia, sapientia retunditur, ac prorsus deuincitur & præcipuè si fuerit igne charitatis ignita, conflata, & probata, qualis est sapientia reuelata, nimirum, sacra doctrina, vt produnt, D. D. cum sancto Thoma p.p. quæst. 1. art. 6. in cuius vtroque testamento variæ ac pœnæ innumeræ reperiuntur auctoritates concludentes fidem sine operibus mortuam esse, cuius oppositum Antistes iste Laodicensus malè asseuerabat. Ob hoc optimè suadetur, vt sapientiam reuelatam diligenter studeat, iuxta illud: [Scrutamini scripturas, quia ipsæ testimonium perhibent de me.] Scriptum siquidem est de operum bonorum necessitate ad Galat. 6. [Dum tempus habemus operemur bonum.] ad Rom. 12. [Abijciamur opera tenebrarum, & induamur arma lucis.] Sap. 10. [Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.] Matth. 16. [Reddet Deus vnicuique secundum opera sua.] Philipp. 2. [Cum metu, & timore salutem vestram operamini.] Matth. 19. [Si vis ad vitam ingredi serua mandata.] 2. Pet. 1. [Satagite vt per bona opera vestra, certam faciatis vocationem vestram.] Et tandem Iacob. 2. [Quid prodest fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides saluare eum?] Et paulo post hæc [Tu fidem habes & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.]

Ignorantia retunditur sapientia. Sacra doctrina sapientia reuelata.

Fides sine operibus mortua est.

Opera bona ad salutem æternam necessaria.

§. 3. 2. Sententia. Aurum ignitum charitas. Porro venerabilis Beda, Richardus de sancto victore, D. Thomas, Hugo Cardinalis, Rupertus Abbas, Ansbertus, Dionysius Carthusianus, Doctor Incognitus, Franciscus Ribera, Iacobus Suarez à sancta Maria, & Blasius Viegas in hisce suis commentarijs; putant per aurum ignitum, & probatum intelligendam esse charitatem. Quorum plane opinionem nullatenus abhorreo, immo libenter amplector: quoniam charitas sic inter cæteras virtutes rubet, fulget, perornatq. mentis thalamum, vt quemadmodum aurum reliqua metalla, sic charitas reliquas virtutes, mirumimmodum decoret. Et insuper quemadmodum

Comparatio.

aurum

aurum omnia metalla superat in valore ita charitas omnes virtutes excedit in rigore, iuxta illud 1. Cor. 3. [Maior autem horum est Charitas.]

§. 4.
Charitas obtinet proprietates ignis. ignis proprietates. Charitas omnia peruadit.

Hęc explanatio illustrior redditur ex proprietatibus ignis, quas affert Dionysius Areopagita in cælesti Hierarchia cap. 15 quæ omnes & singulæ charitati maximè quadrant. Quemadmodum enim ignis per omnia absque sui admixtione peruadit, & ab omnibus prorsus excipitur, ita charitas omnia pertransijt, iuxta illud. 1. Cor. 13: [Charitas omnia sufert &c.] Præterea ignis in materia, in quam vim suam immittit lucidissimus aspectui patet: & sic charitas in bonis operibus cernitur. Rursus ignis ea quæ incendit in suum traducit officium, & omnibus ad se accedentibus sui consortium impertit, sic charitas omnium virtutũ actus, immo & eos qui natura sua indifferentes appellantur, si eos informet, igneos reddit ac meritorios. Insuper ignis superiora semper petit, & in cacumen tendit celeriter ac sublimiter nullaque vi, vt inferiora petat adigi potest, quod planè optimè charitati quadrat. Postremo ignis cum omnibus participationem sui locupletissimam elargiatur, ipse tamen nunquam minuitur; quinimmo sẽper augescit. Sunt & aliæ permultæ ignis & charitatis conditiones, quas qui voluerit ad longum scire, Dionysium Areopagitam loco citato diligẽter legat ac etiam Georgium Venetum in Cant. to. 8. cap. 1. vbi reperiet aurum cor lętificare, vicera sanare, melancholicis lætitiam conferre, & igne exustum nunquam consumi, imo purissimum reddi. Quæ omnes auri conditiones charitatis apprimè conueniunt. & sic rectè ac satis per bellè, charitas, aurum ignitum ac probatum appellatur. Quoniam præter condiciones hasce auri propositas, habet aurum hoc peculiare, nimirum, quod sit suaptè natura constantissimum, & intenuissimas bracteas extensum minimè frangatur. Estque quadam cessione tenacissimum, cedit namque percutienti & plicanti, non autem cedit consumptori, non rubigini, nec erugini, nec alicui liquori, qui eius bonitatem, aut pondus diminuat, nec vsu deteritur, quinimo (vt nuper retulimus) igne exustum & ictibus mallei sæpius percussum nunquam consumitur, imo purissimũ redditur. Quæ omnia & singula charitati opprimè adaptantur. Charitas, enim omnibus supereminet virtutibus, nec corrumpitur, sed per tribulationes purior redditur, & cessantibus reliquis virtutibus, ipsa permanet. Vnde & aurum purum dicitur charitas patriæ, quæ est fundamentum illius ciuitatis cælestis vt produnt D. Greg. lib. 18 moral. cap. 30. Hilarius super Ps. 67. & Richardus de sancto victore de somnio Nabuc 13.

Charitas cernitur in operibus.

Georg. Venetus in cant.

Auri plerɑq. conditiones.

Auri natura.

Charitas aurum probatũ.

§. 5.
Difficultas charitas quomodo ematur

1. Solutio.

Difficultas tamen stat in hoc, nimirum quomodo charitas ematur cum prima gratia, atque adeò prima charitas sub nostrum meritum nullatenus cadat? Dionysius Carthusianus huic difficultati satisfacit dicens quod charitas & gratia emi asseritur, non quod aliquis in peccato mortali existens, eas de congruo quando se ad eas habilitat & disponit faciens quod in se est iuxta illud Apost. Roman. 11. [Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.]

2. Sol.

Emere accipitur largè.

D. Thomas in hisce suis commentarijs, præmissis aliter satisfacit dicens quod non accipitur hic verbum emptionis propriè, sed largè, quia propriè illa bona præmissa emi non possunt, nec primam gratiam potest aliquis mereri, alioquin gratia iam non esset gratia. Sed per hoc ostenditur, quod magna oportet facere, loquitur ergo sic Dominus, vt magis ad industriam liberi arbirij excitet hominem, per quam disponatur ad sapientiam, siue charitatem siue ipsum Christum, qui est thesaurus iustorum, & si se disponit, ita sibi datur, ac si emisset, iuxta illum loquendi stylum, Prouerbiorum 27. [Virtutem eme, & noli vendere sapientiam.] Quam plane solutionem (retento nomine D. Tho) sequutus fuit Franciscus Ribera in hisce suis commentarijs cap. 3. vers. 64.

Homo tenetur multa præstare, vt gratiã imperet.

3. Sol.

Porro Lyranus aliam adfert solutionem, dicens quod gratia vno modo accipitur pro habitu animam gratam faciente Deo: alio modo pro motione diuina, quæ mouet animam ad bonum supernaturale, sicut motione generali mouet omnia ad bona sibi connaturalia: similiter meritum, dupliciter accipitur, vno modo pro merito condigni, alio modo pro merito congrui. Si autem accipiatur gratia primo modo, & omnino prima, sic non cadit sub merito condigni, & sic intelligitur illud Apostol. ad Roman. 11. Si autem gratia iam non est ex operibus, alioquin gratia, iam non est gratia, tamen habens gratiam primam ex operibus meretur de condigno eius augmentationem. Prima tamen gratia bene cadit sub merito congrui quia si homo facit quod in se est, se disponendo ad gratiam congruum est, quod Deus illi infundat eam. Si autem accipiatur gratia secundo modo, sic non cadit sub merito, sed præcedit omnem meritum condigni, & congrui, talis enim influxus diuinus communiter fit omnibus hominibus quandiu sunt in vita præsenti, sed aliquando sequuntur hunc influxum per conatum liberi arbitrij, se disponentes ad supernaturale bonum, & sic merentur de congruo, gratiam habitualem sibi infundi à Deo, & per eam eius augmentationem de condigno. Alij verò non sequuntur propter quod demerentur sibi ipsis relinqui & vlterius in peccata labi per defectibilitatem, hoc est, malum vsum liberi arbitrij, Cæterum hæc solutio deprompta est ex doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 113. art. 3. & 4.

Gratiæ, & meriti acceptio duplex.

4. Sol.
D. Ambr.

Præterea D. Ambrosius lib. de Ioseph Patriarcha cap. 7. tractans illud Isaiæ 55. [Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.] Aliam docet solutionem, ita namque illic scribit: [Neque enim pretium quæsiuit à nobis, qui pro nobis sanguinis sui pretium soluit.] Ex quibus verbis infertur, vtrumque verum esse, vt potè, dari gratis primam gratiam & simul emi, quoniam si respiciamus ad nostra merita (quæ nulla sunt) gratis confertur, iuxta illud Apoc. 21. [Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.] Si autem sermo noster ad merita Christi se conuertat (qui nobis ipsam primam gratiam de iustitia meruit) verè eam Christus nobis conferendam emit, iuxta illud 1. Corinth. 6. [Empti estis pretio magno.] Et cap. 7. [Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.] Et per hoc remanet aperta alia solutio ad propositam difficultatem. Quæ planè solutio alludit ad illud Apost. ad Rom. 3. [Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.] Quo loco, ly [gratis] sine vllis præcedentibus meritis, per baptismum iustificationem indicat. Et ly [redemptionem] merita Christi per quæ de captiuitate peccati redempti fuimus, planè demonstrat, vt rectè expendit Primasius, & etiam Cornelius, Mussius Episcopus Bituntinus in Epistolas Pauli, qui super hunc locum ad Romanos ita eleganter, & satis perdoctè scribit: [Sed hic considerandum est, quod hæc duo pugnare videntur. Primum iustificamur gratis, secundum iustificamur merito redemptionis Iesu Christi. Pugnat gratuita gratia cum hoc merito. Si enim per redemptionem quæ est in Christo Iesu iustificamur, ergo non gratis, & si gratis, ergo non per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Redemptio namque meritum sonat, quare excludit gratiam. Nonne ita est? Nequaquam. Quia quod Christus Iesus redemerit nos, promerueritque nobis tot & tanta, gratia meracissima fuit, quoniã humanitas illa gratis vnita est verbo citra omne meritũ. Qua vnione factum est, vt nobis omnes gratias meruerit. Si itaq. initiũ spectes, iustificamur merè gratis. Quoniã gratis cõditus est Christus, Dei & hominis filius. Cuius merito

Primasius in Epist. Pauli ad Romanos

Cornelius, Mussus in c. 3. ad Rom.

credentes dignum est vt Iustificemur. Huc tendit Apostolus, vt omnia merita nostra excludat, vnicè Christi meritum simul atque donum amplectamus.] sic ille. Et ex hac doctrina soluitur illud Isaiæ, quod nuper citauimus, nimirum: [Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite, venite emite absque vlla commutatione vinum & lac.]

Difficultas.

Gratiæ collatio respectu nostri donatio at vero respectu Christi emptio.

. Quomodo (fortè quæres) si ad emendum homines inuitantur, sine pretio admittuntur? Et qui fieri potest, vt gratuita & liberalis donatio, quæ fit, sine prætio & commutatione perficitur, emptio nuncupari potest? Ad quod plane liquet solutio asserendo ex dictis quod sine argento nostro gratiam emimus, quæ tamen ex argento Christi, id est meritorum eius infinito pretio confertur.

Solutio.

Itaque comparatione nostri liberalis est donatio, comparatione vero Christi vera est emptio.

§. 7.
3. Opinio.

Porro possunt hæc verba intelligi de ea charitate, gratiæ coniuncta, quam Antistes iste amiserat, ita vt intelligamus eam emere, nihil aliud esse, quam ipsam recuperare. Quoniam dum homo ex peccato in se reuertitur & ad gratiam Dei aspicit, non solum illam Deus ei communicat, sed etiam omnium bonorum operum merita, quæ per peccatum amiserat, ei restituuntur. Sicut enim in anno quinquagessimo, qui Iubilei in antiqua lege dicebatur, omnis possessio quæ vendita fuerat remisso debito, ad Dominum reuertebatur, & ad possessorem pristinum, sic in pœnitentiæ dolore, ea opera, quorum fructus per peccata alienati fuerunt & venditi, pro delectatione carnis, restituuntur nobis. Et fortasse hoc significare voluit Christus saluator noster

Matth. 3.
Pœnitentia comparatur anno Iubilei.

dicens: [Agite pœnitentiam appropinquauit enim regnum cælorum.] Quasi diceret: Possessio vestra & hæreditas erat cælorum regnum, hoc amisistis in delectatione Adami primi parentis, qui amore proprio delectatus creatori non obediuit, emite modo, hoc est redimite hanc possessionem per pœnitentiam, quę est verus Iubileus. Ideoque remissio cunctis gentibus vocatur. Vtriusque autem tam amissionis, quam remissionis, præclara in sacris litteris sunt documenta, de primo

Ezechiel 18.

namq. dicit Ezechiel: [Si autem auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet impius numquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur:] Vbi iustitiæ nomen, pro virtuosa posuit

Matth. 5.

actione. Vt est illud. [Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.] Idest opera vestra iusta.

Heb. 11.

& iterum Paulus: [Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.] Hoc est cum fide quam habebant sancta, & iusta opera exhibuerunt, & vtroque mediante obtinuerunt promissa Dei. Harum ergo sanctarum operationum non recordatur Deus, dum quis peccat, quia iam tunc iustus non est, immo iniustus. Sed ipso reuertente, ad pœnitentiam omnia ista antiqua merita iterum obtinet.

Ioelis 2.
Animalia quatuor peccatoris ruinā demonstrantia.

Hoc est secundum quod Dominus per Ioelis prophetæ os promittit: [Reddam (inquit) vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca.] Ista sunt animalia, quæ possessionem nostram hæreditatemque consumunt. Per quæ quatuor animalia D. Hieronymus, quatuor animi perturbationes intelligit, à quibus animarum vtiles fructus deuorantur, duæ præsentes, videlicet lætitia & tristitia sibi contrariæ, duæ futuræ contra se inuicem pugnantes, spes scilicet & metus. His quatuor possessionibus, quasi quatuor rotis, omnis vitæ nostræ decursus voluitur. Aut enim tristes sumus & mœrore conficimur, aut è contra gaudemus gestimusque lætitia, & bona nostra moderanter ferre nõ possumus. Vir autem iustus, & fortis nec aduersis deijcitur nec prosperis eleuatur, sed vbique modum tenet. Sunt aliæ, quæ ex futuris commouent, metus scilicet, & spes, aut enim aduersa timemus, aut prospera præstolamus.

Iustorum fortitudo.

Hæc dum supra modum exultare faciunt: & illa, plus quam decet, nos

F timidos reddunt, nostræ mentis statum euertunt, sed fortasse melius, per hæc quatuor animalia quatuor vitia capitalia intelliguntur, quo omnium aliorum quasi principes sunt, qualia sunt luxuria, superbia, gula, & auaritia. Primũ docuit natura corrupta, secundũ lucifer inuenit, tertiũ parẽtes nostros perdidit, Adam scilicet, & Euam, quarti tyranni & potentes in mundo, qui à Caino originem trahunt, auctores sunt.

Luxuriosus significatur per erucam.

Primum significatur in eruca, quæ toto corpore repens, nihil nisi carnale sapit, & in ipsis carnalibus delectationibus luxuriosus viuit inuolutus: locusta superbiæ symbolum est quod animal pedibus ambulare nescit, & cum alas non habeat volitare nititur. Quapropter inanes saltus facit, talis lucifer, qui in gradu suo ambulare nolens, similitudinem Dei, hoc est, æqualitatem, quam sibi non conueniebat, quasi saltitando ambijt, vnde & miserabiliter corruit, talis est omnis superbus, qui vir-

G tutibus quæ illum in altum subleuent, carens, nititur ambulare in magnis, & omnibus sese anteponere.

Gulosus indicatur per Bruchum.

Bruchus optimè gulam representat. Est enim parco corpore, sed tanto vẽtre, vt nihil ferme in eo nisi ventrem videas: ideoque magnæ veracitatis. Sic prima nostra parens Eua, quasi ad nihil aliud creata fuisset, primum quem concepit, discursum de prohibitione vel concessione esus fuit. Tales & illi quorum venter Deus est, qui pecorum modo soli nati sunt, vt manducent, nec vt viuant manducant. Erugo prorsus, quæ metalla depascit, & consumit merito auaritiam significat, si quidem in illis versatur, quæ erugo, & tinea demolitur. Quatuor ergo hæc animalia, omnes terræ fructus comedunt, & quatuor vitia, quæ representant omnes nostras bonas actiones consumunt, ita vt vbi primum ea amplectimur, statim omni merito priuemur. Si quis tamen male, actorum pœnituerit,

H omnia bona, quæ propter ista peccata amiserat, iterum obtinet, iterumque ei redduntur: [Reddam tibi annos antiquos.] Hoc est ergo quod huic dicitur Episcopo habebas antea ignitam charitatem per gratiam, & feruorem ad opera sancta. Vbi eam deseruisti amisisti omnium meritum. Ego autem accepi tanquam meam, si quidem ex gratia quam tibi præbui ea operatus fuisti. Si iterum vis eam habere eme à me, hoc est dispone te, & gratiam iterum conferam, qua mediante, præteritam charitatem igne inflammata in amorem Dei, & proximi, quaque armatus inimicis tuæ salutis te opponas, tibi restituam, & tunc ditaberis in paupertate tua.

§. 8.
4. Explanatio
Christus aurum ignitum

Alij grauissimi adstipulatores, per aurum ignitum & probatum intelligunt ipsummet Christum ignitum, hoc est, igne passionis assum, vel per effectum, quia

I alios ignit iuxta illud Lucæ 12. [Ignem veni mittere in terram.] Probatum, quoniam nihil est in eo nisi purissimum, quod probatum est in fornace passionis, secundum quod de illo scriptum est Ps. 16 [igne me examinasti.]

Christus ignitus, & assus in passione.

Ad quam planc enodationem pertinere vtique potest illud Thren. 4. [Quomodo obscuratū est aurum mutatus est color optimus.] Quod autem Christus fuerit igne passionis assus, patet in illa figura agni paschalis de cuius carnibus dicitur Exod. 12. [Et edent carnes nocte assas igne.]

Passionis Christi typus.

Glossa inter.

Hinc Laudunensis ad hæc verba: [Emere aurum ignitum.] Ita superscripsit: [Me ipsum in igne positum.] Et rectè quidem aurum ignitum emptum in passione appellatur Christus. Quoniam quamuis Pater æternus illum liberum, & gratis tradiderit mundo, iuxta illud Ioan. 3. [Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret:] Tamen hebræi tem-

K pore passionis illum à Iuda proditore emerunt triginta argenteis, eo quod Iuda dicente: [Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam] Mox de hebræis sequitur in textu: [At ipsi spoponderunt ei triginta argenteos.] Quod fuit pretium appretiati.

Christū emerunt Iudæi in passione.

Comparati…

Sicut si Princeps aut Heros aliquis tibi quampiam adscriberet Epistolam liberam, & ab omni onere alienam & omnino exẽptam, cuius tabellarius eam tibi minimè tradere vellet, absq. aliqua mercede pro vectura, quam te clar-

te elargiente. Quamuis non ab illo prencipe, respectu cuius gratis mittitur, tamen respectu tabellarij, nummos pro ea accipientis, epistolam aliquo modo emisti.

§. 9. Quinta sententia. Martyrium aurum ignitum. D. Aug. hom. 3. super Apo.

Magnus sanctus Pater noster Augustinus, per aurum ignitum, & probatum exoluit martyrium. Iccirco explanans hunc Apo. locum, in hæc verba prorumpit: [Consilium tibi do, vt emas aurum tibi ignitum id est, probatum, vt locuples fias, vt elemosynas faciendo, & actibus bonis insistendo ipse efficiaris aurum, id est, à Deo accipias intellectum, vt per bonam conuersationem merearis martyrium. Ita D. Augustinus. Quod autem gloriosissimi mortyres appellari queant aurum ignitum & probatum, fulciri potest. Tū ex illo Sap 3: [tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus & quasi Holocausta accepit eos in æternum.] Tùm quia martyres Christi per martyrium, ad tribulationes, labores, ac tentationes tanquā ad lydum lapidem probantur, semper in martyrio, patientientiam siue tollerantiam, ostendentes ita vt illi dicere queant cum Apostolo ad Rom.5: [Gloriamur in tribulationibus scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis [Quo loco Apostolus ex eò quòd vera Dei dilectio diffusa sit in cordibus martyrum, argumentatur [Patientiam] idest laborum perpessionem [probationem] operari, quia nimirum patientia in martyrio, tamquam lapis lydius non solum venam dilectionis Dei indicat sed scrupulari differentia quantū dilectionis Dei intersit, perspicuum reddit. Tum tertio & postremo quia corpora gloriosissima martyrum figurari queunt in illo candelabro aureo quod ex præcepto Domini Exod.26 Moyses in tabernaculo collocauit non fusile, sed ductile, hoc est, malleorum ictibus fabricatum, ac igne probatum, quod planè martyribus apprimè conuenit. De quibus etiam tamquam de auro martyrij igne probato expendi quidem potest illud 1. Pet. 1. [Vt probatio vestræ fidei multo prætiosior auro, quod per ignem probatur,] quoniam verus Christi martyr nunquam deficit, dum martyrio, & tribulationibus probatur: quinimmo omnem ignem, tribulationem, tentationem, ac persecutionem egregiè sustinet quia ea charitate & Christi dilectione armatus vtique est, de qua Cant.3 dicitur [Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruēt illam.] Et 1.Cor.13. [Charitas omnia suffert.] In cuius loci enodatione, quidam sumunt translationem à lignis, impositum onus sustinentibus, potissimum vero à palma, quæ non succumbit oneri, sed potius instar fornicis erigitur, quod planè apprimè in martyribus prælucet. Hinc Theodoretus serm. 19. de græcarum, affect. curatione, dicit quod martyrum interfectores, similes sunt his, qui flammam quidem extinguere petunt, oleum pro aqua instillantes ardentiorem illam efficiunt, & sicut ignis rubrum ardebat, & non consumebat. Ex quibus omnibus liquet quod hæc metaphora auri adaptari vtiq. potest martyribus. Aurum namq. (sicuti nuper retulimus) vt purissimum sit, & nihil habeat, aut terræ aut inferioris metalli admixum multo igne probatur atque purgatur, quod planè martyribus apprimè quadrat, vt omnis hypocrisis in illis euitetur. Vnde & illis Lucæ 11. ait Christus: [Attendite à fermento Pharisæorum quod est Hypocrisis.] Perinde ac diceret: Date operam vt in martyrio vestro hypocrisim euitetis, vt hoc euitantes in illo martyrio aurum purum, igne purgatum, fiatis, ne contrarium operantes Satanas à vobis per hypocrisim, meritum & martyrij valorem funditus tollat.

2. Ratio. martyres fuerunt Holocausta. 3. Ratio.

Martyrum patientia. 3. Ratio.

Græcorum lectio.

Martyres fūt velutī palma

Theodoretus

Martyres fūt veluti flama ignis olio instillata. Comparatio

Martyrum & hypocritarū discrimen.

§. 10. 6. Aenodatio

Petrus Berchorius in comment.

Sextam & Postremam enodationem affert Petrus Berchorius Pictauiensis in suo morali reductorio super totam Bibliam lib. 34. cap.3. putans per aurum ignitum & probatum intelligendam esse discretionem vel valorem Sanctitatis & perfectionis, quæ sunt ignita per charitatem, probata per tribulationem, in cuius emptione locuples in donis & gratijs fieri potest indeuotus, negligens, præsumptuosus, ac de proprijs meritis confidens.

§. 11. Corollarium.

Omnes sunt validissimæ & exactæ explanationes & sustentabiles absque errore. Verumenimuero quicquid sit de auri igniti & probati explanatione, fatendum quidem, est ly [Emere] negotiationem importare non qualencunque sed optimam, & licitam, ab vsura & simonia prorsus alienam, de qua intelligendum vtique venit illud Matth.13: [Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna prætiosa margarita abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.] & illud Lucæ 19. [Negotiamini dum venio.] Quomobrem mercatorum ac negotiantium more hic omnino incedit Christus. Solent namque mercatores, transeuntibus suadere, eosque diligenter inuitare, & exhortari, vt suas emant merces vnde eisdem prope modum acclamant dicentes. Accedite ad nos, carius enim alibi emetis. Ita planè cælestis mercator Christus, per hæc verba: [Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum] videtur mercatorum stylum omnino sequi, vt omnes operibus bonis, gratiam, charitatem, gloriamq. suam à se (quinimmo & seipsum qui in patria obiectum beatitudinis nostræ vtiq. est) emant inuitando.

Christus velut mercator.

Mercatorum natura.

PARAPHRASIS
Secunda.

Par. 2.

§. 1. Locupletatio diuina cito fit.

Vt locuples (ait) fias. Ex hoc testimonio apparet, quam facilè sit Domino pauperem, diuitem cito redigere. Quamobrem Eccles. 11. dicitur: [Facilè est in oculis Domini subito honestare pauperem.] Non solum illustrans ferendo ad gloriam, vt expendunt Laudunensis, & Lyranus: verum etiam illum bonis temporalibus mirum in modum augendo. Cuius rei extat loculentissimum exemplum in persona Iob. de de quo in cap. 1. dicitur: [Nudus egressum sum, &c.] Et cad. 2. [Satan percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem eius qui testa Saniem radebat, sedens in starquilinio.] Quæ omnia clare eius indicant paupertatem. Et statim in cap. 42. de illo concluditur: [Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia.] Modum autem, quo ditescit Iob subiungit Sacer textus per hæc verba: [Et dederunt ei vnusquisque ouem vnam & inaurem auream vnam.] Et mox pauper Iob factus ex templò fuit diues, ac lupletatus, vt indicant manifestè sequentia verba: [Dominus autem benedixit nouissimis Iob megis quam principio eius. Et facta sunt ei quatordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ.] Ad quam planè locupletationem, diuitiam, & animalium multitudinem ex vna solummodo oue, & vna dumtaxat in aure aurea vniuscuiusque fratris sui, sororisque suæ constat sanctum virum diuinitus peruenisse. Et ex hoc clarè liquet facilè esse Domino pauperem, diuitem ac locupletem aliquando cito reddere.

Paupertas Iobi.

§. 2. D. Amb. in comment. Diues spiritualis.

Demum iuxta D. Ambrosij doctrinam, diues, & locuples (loquendo spiritualiter) ille dicitur, qui omnibus virtutibus plenus, vsque ad culmen perfectionis se exercendo peruenit.

PARAPHRASIS
Tertia.

Par. 3.

Eliminatio textus.

§. 1. Romanorum mos.

Et vestimentis albis (ait) induearis. Alexander lib. 4. genialium dierum cap. 3. narrat Romanorum antiquam extitisse consuetudinem qua, qui publicos honores, & magistratus ambiebant: in veste candida sine toga in campum martium descendebant, vbi comitia fiebant, indeq. candidati appellabantur. Ad quē planè romanorum morem hic allusisse Dei vatem perspicuum est, si hoc testimonium Ioannis secundum litteram accipiamus. Quod sanè ideo attingit, vt sic ad hunc spiritualem facilè deueniretur sensum, nimirum, vt virtutes appeterentur, quibus induti supremum G beatitudinis honorem homines peterent, veluti in câpum martium candidati Romani. Quoniam virtutes, bona opera, & dona spiritualia (quæ charitatem, & sapientiam comitantur) vestimenta alba iure optimo appellantur, eò quòd, & pulchra sint, & animam illustrent, eâq. lætificent, & cælestis lætitiæ futuræ probabilia (& fortè aliquando infallibilia) signa vtique existant, iuxta illud Col. 3. [Induite vos ergo sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.] Verum tamen de his albis indumentis nuper in hoc eodem tertio cap. abundè actum quippe fuit.

§. 2. Primasius in comment.

Passim tamen annota quod Primasius non multum mihi placet dum in hunc locum ita scribit: [Ille autem vestimentis albis induitur qui baptismate Christi vestitur & ea fide pollet, quæ per dilectionem operatur] Sequeretur namq. ex hoc Episcopum hunc baptizatum tunc minimè fuisse, quod asserere inconueniens iudicatur. Nisi dicamus, Primasium coniunctim locutum fuisse ita vt diceret: [Ille autem vestimentis albis induitur, qui simul & baptismate Christi vestitur & ea fide pollet quæ per dilectionem operatur:] Dictum siquidem fuit Antistitem hunc fide formata ab errasse.

PARAPHRASIS
Quarta.

Par. 4.

Dilucidatio textus.

§. 1. Germanus sensus.

Vt non appareat (ait) confusio nuditatis tuæ. I Præteritorum ratio vtique est, vt clarè patefacit, ly [vt] Quamobrem horum verborum talis sensus esse potest. Sic induaris vt non appareat confusio nuditatis tuæ, in die apparitionis extremæ, quando omnia omnibus nuda erunt, & remanebunt mali, & hypocritę confusione & pudore repleti. & omnium irrisioni prorsus expositi iuxta illud Naum. 3. [Ostendam gentibus nuditatem tuam.] Quod planè tunc inhonestum, ac omnino turpissimum erit. Si enim de corporis nudiate coram hominibus verecundamur potissimè propter inhonestiora corporis membra, vt videre licet in nostris primis parētibus de quibus Gen. 3. dicitur [Cunq. cognouissent se esse nudos (in signum erubescentiæ) consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata] & paulo post hæc; [Timui eò quòd nudus essem & abscondi me.] Ac etiam filius Noe, Sem, & Iaphet, qui vt legitur Gen. 9. Videntes verenda patris esse nudata, pallium imposuerunt humeris suis, & in- K cedentes retrorsus, operuerunt verenda patris sui, faciesq. eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt, incomparabiliter plus erubescere nos oportet coram Deo & Angelis eius de animæ nuditate, deformitate, ac sordidatione, quæ fieri planè solet per læthale crimen. Quapropter melius est, nunc erubescere coram paucis, vel saltim coram vno, quam in iudicio coram omnibus. Quòd planè præstare quis fa-

Nuditas primorū parentum.

Nuditas Noe

F cilè poterit per sacramentalem confessionem coram suo confessario. Hæc enim est vera erubescentia salutaris, qua diuinæ puritatis aspectui erubescimus maculati & sordidi apparere. Hanc verecundiam habuit Magdalena cum erubesceret in facie Christi apparere: quamobrem stabat retro secus pedes Domini. Hanc etiam obtinuit Publicanus, cum nec oculos suos ad cælum leuare audebat quinimo confusione repletus exclamabat dicens: [Deus propitius esto mihi peccatori.] Hanc deniq. sequuta fuit Susanna, dum tacebet in periculis, & grauius verecundiæ, quam vitæ damnum putabat. Quod autem in confessione oporteat sit peccatorum confusio, & erubescentia, ac verecundia, docent D.D. in 4. sent. vnde D. Ambros. loquente de Abel, & Caim, ait: [Erubescere debemus, & condemnare peccatum & non defendere, quoniam pudore, culpa minuitur, defensione cumulatur:] Et in hisce suis commentarijs in hac verba prorumpit. [Confusio nuditatis illa est de qua dicit Psalmista, ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Hanc autem confusionem nuditatis bonis operibus operire debemus, nam quanuis iste Episcopus fidem haberet, nudus tamen dicitur, eò quòd, ab operibus fidei vacaret.] Hæc D. Ambros. Nolentes autem erubescere coram confessario, sua minutim explicando scelera, ac crimina lathalia, merito à Domino demoniaci, surdi, & muti nuncupantur, dum dicitur Lucæ 11. [Erat Iesus eijciens demonium, & illud erat mutum.]

Pudor peccatoris pœnitentis.

Erubescentia in confessione necessaria.

D. Amb. in comment.

PARAPHRASIS
H Quinta.

Par. 5.

Enodatio textus.

§. 1. Oculorum dolor maximus inter dolores

Collyrium quomodo appellant Arabes.

Collyrio (ait tandem) inunge oculos tuos vt videas. Oculorū dolor omnium maximè excruciat, cuius suauè ac omnino efficax medicamentū, præsentissimumq. remedium est Collyrium, vt communiter produnt medici. Quoniam Collyria (vt tenent Alexander Trallianus lib. 2. cap. 1. & Guilelmus Rondolentius in sua practica lib. posteriori de medicamentis externis) sunt medicamenta oculorū tenuissimè trita, & læuigata, ab Arabibus [Alcohol] dicta. Hinc fit vt cum exactè leuigare vellint medici, dicant, fiant Collyria, aut trituretur, vt Alcohol.

§. 2. Collyriorum variæ formæ.

Collyriorum duplex acceptio.

Collyria arida insufflantur.

Collyrium sedat oculorū dolores.

Verumenimuero apud ipsos medicos Collyriorum variæ fiunt formæ: quædam enim arida, quædam liquida, nonnulla mellis consistentiam habent. Materia ex quibus componuntur sunt succi, liquores, flores, semina herbarum metallica, & pleraq. alia. Angulis oculorum affectus perscribi possunt liquida: pupillæ, quæ melis consistentiam habent, vt penicillo palpebris applicentur. Arida verò insufflantur vel inter palpebras ponuntur. Vtuntur his medici in omnibus morbis oculorum, qui cum varij sint, varia Collyria fieri necesse est inter ipsos medicos. Quamobrem Dei vates huic Angelo Laodiceno, cæcitati laboranti benignè consulens, monet vt Collyrio, quod est præsentissimum ophthalmiæ medicamentum oculos inungat suos vt videat: quoniam cæcum illum esse dudum dixerat. Dictio autem [inunge] de Collyrio liquido hic sermonem esse clarè demonstrat. Quoniam arida Collyria non vnguntur: quinimmo insufflantur, vel (vt dixi) inter palpebras ponuntur. At verò Collyria liquida, penicillo palpebris applicātur, & sic his oculos inungimus, vt ita illis melius refrigerentur partes angulorum oculorum. Quid tamen D. D. Theologi per [Collyrium] hoc in loco intelligant, diligenter disquirendum meritò duximus.

Collyrium quid significet.

§. 3. Sententia D. Amb. in comment.

D. Ambrosius per: [Collyrium.] Pœnitentiam intelligit. Quamobrem in hisce suis commentarijs sic scribit [Per collyrium quod caliginem ab oculis detergit lacry-

chrimasque educit, pœnitentiam atque compunctionē cordis debemus intelligere, ipsa est namque, quæ ab oculos mentis caliginem cæcitatis detergit, atque ad videndum, quæ sit retributio iustoru n, pœna peccatorū acuit.] Ita D. Amb. Cuius explanationi se subscribunt Richardus de sancto victore, Auctor Incognitus & Dionysius Carthusianus qui sic scribit: [Per Collyrium quod de terra nascitur, quo oculus primò turbatur deinde à noxio humore purgatur, sicque clarioris visus efficitur cordis contritio seu compunctio designatur, quę primo per dolorem de peccatis mentem amaricat: a vitiorum squalore eum mundat, lacrymas elicit, illuminationem procurat. Hoc collyrio oculi cordis vnguntur, dum in Deo vero compungimur, sicque videmus in lumine gratiæ, & defectus nostros cognoscimus, Deum perpendimus; quicquid salus nostra requirit consideramus.] Ac etiam D. Thomas hunc locum ita explanans: [Collyrio, id est, compunctione, quia Collyrium primo turbat oculum, & humorem malum fluere facit, vt post clarum reddat; similiter & contritio prius turbat animum per dolorem, & sic euacuat humorem peccati, cuius signum aliquando est resolutio in lacrymas & sic interni oculi clarescunt Eccles. 38. vnguentarius facit pigmenta &c.] Ita D. Thomas. Ex qua enodatione clare colligitur, quod quemadmodum collyrium, per effusionem lacrymarum, oculos carnis: ita amaritudo pœnitentiæ, per compunctionem ac contritionem, sensus cordis & mentis mirum in modum clarificat. Hoc Collyrio pœnitentię vnxit oculos suos Regius vates dum dixit: [Peccaui Domino.] Dimas latro dum pendens in cruce exclamauit: [Memento mei dum veneris in regnum tuum:] Publicanus etiam dicens. [Deus propitius esto mihi peccatori.] Et tandem mulier illa peccatrix dum: [Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis, &c.] Omnes etenim hi peccatores ita pœnitentiæ Collyrio vncti fuere, vt dicere queant cum cæco illo illuminato à Domino: [Lutum posuit mihi super oculos & laui & video.] Hoc itidem sancto pœnitētiæ Collyrio, & tu peccator propè diem oculos tuos inungito, & videbis scelera tua: quoniam ea modo nullatenus vides, cæcitate prorsus laboras.

Collyrium est contritio. D. Tho. in cōment. Comparatio. 2. Reg. 12. Lucæ. 23. Lucæ. 7. Ioan. 9.

§. 4. Secunda opinio. D. Greg.

D. Gregorius p. p. pastoralis curæ cap. 11. per: [Collyrium] diuinorum eloquiorum contemplationem cum operatione coniunctam exoluit, quamobrem illic in hæc prorumpit verba: [Collyrio oculos, vt videamus iniungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine, bonæ operationis adiuuamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lumen videre non finitur, quia arrogantia sapientiæ, vel iustitiæ cæcatur, pupilla namq. oculi nigra videt, Albuginem tollerans nihil videt, quia videlicet sensus humanæ cogitationis si peccatorem se intelligit, cogitationem intimæ claritatis apprædendit, si autem candore iustitiæ sibi, vel sapientiæ tribuit, à luce supernæ cogitationis se excludit, iuxta illud, ad Rom. 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.] Hæc D. Greg. Sequuntur hanc sententiam Beda, Richardus de sancto victore: Hugo Cardinalis, Dionisius Carthusianus, Pannonius in hisce suis commentarijs, & Primasius, qui in hunc locum ita scribit: [Cū autem Collyrio oculos dicit vngendos, inclinandum cor ad diuina testimonia monet. Præceptum enim domini lucidum illuminans oculos.] Ita Primasius. Atque ob hanc causam Psalmista dixit: [Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.]

§. 5. Præcepta diuina Collyria. S. Thom.

Ex cuius verbis suboritur alia pæculiaris horum verborum enodatio qua per: [Collyrium] diuinum expenditur præceptum. Tenent hanc explanationem in hisce huius commentarijs D. Thomas sic scribens: [Collyrio, id est, diuinis præceptis in vnge oculos tuos internos vt videas, cum sis cœcus, Collyrium est remedium medicabile pro oculis, tale est præceptum, deinde ad clarificandum oculos amoris respectu boni, qui est quasi oculus dexter, & timoris respectu mali, qui est quasi oculus sinister. ps. 18. Præceptum Domini

A lucidum illuminans oculos:] & Ambrosius Ansbertus, qui ita hunc interpretatur locum: [Adhibe diuina præcepta, ad mentem cæcam, quatenus virtutum nuditatem quam pateris videas, nisi enim quoddam essent Collyrium diuina mandata, non diceret Regius Vates Psalm. 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Cum itaq. superna aspiratione, qualibet per singulas scripturarum paginas, quid Dominus iusserit legendo vel audiendo ad mentem reuocat, videt nimirum, vel quantum ex virtutibus habet, vel certe, si nihil habet.] Hæc Ansbertus. Qui omnes, eam acceperunt ex Strabo in sua ordinaria glossa. Optima sanè explanatio, & à superiori non multum distincta, ad quam planè alludere potest illud Deut. 6. [Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ atq. iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester vt docerem vos, & faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam vt timeas

Strabus in sua glossa ordinaria.

B Dominum Deum tuum, & custodias &c.] Et paulo post hæc: [Ligabis ea quasi signum in manu tua, erunt que & mouebuntur inter oculos tuos.] Quæ planè verba pleriq. interpretes ex fonte Hebræa ita transferunt. [Ligabis ea in manu tua, & erunt quasi specilla ante oculos tuos.] Et reuera diuina præcepta meritò specilla, quæ hispani [antojos] dicunt, appellantur: quoniam quemadmodum per specilla colores obiectos potentiæ visiuæ intuimur clare, ita per præcepta dominica clarè & manifestè conspicimus quantum Deo debeamus, & quantus sit noster in virtute progressus. Ad quod planè allusisse videtur Psalmographum dum Psal. 118. dixit: [Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis,] Iuxta quam enodationem, admonitio ista: [Collyrio vnge oculos tuos vt videas:] Ita sonabit. Abijce nimium tui & terrenarum rerum amorem, qui te ex-
C cæcat & prospice mādata Dei vt videas quanta futura sint gaudia bononorum, quantaq. malorum supplicia.

Dionysius Carthusianus in hisce suis commentarijs aliam specialem huius testimonij Ioannis affert dilucidationē, qua per. [Collyrium.] Dominicę passionis memoriam expendit. Quam, retento Carthusiani nomine, sequutus est Blasius viegas, eam in hisce suis commentarijs cap. 3. sect. 4. num. 4. dignitate omnes alias expositiones huius loci antecellere existimando, illamq, illustriorem reddit afferens ex Francisco vallesio, lib. suo de sancta Philosophia cap. 42. ad abstergendas inueteratas oculorum albugines nihil magis à medicis celebrari quam fel. præcipuè vero cuiusdam piscis, qui Gallionymus dicitur, idest, pulchri nominis. Quod etiā Galenus lib. 10: de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 12. Plinius lib. 32. hist. nat cap. 7. & Æ-
D lianus lib. 13. cap. 4. ex Aristotelis sententia. Ex quo (inquit ipse) verisimile esse, arbitratum fuisse Vallesium, piscum illum quem à Tigri flumine Tobias extraxit fuisse hunc Callionymum cuius fel præcipuum est oculorum medicamentum Vnde Viegas in fauorem Vallesij in hæc prorūpit verba: [Quanquam hunc Tobiæ piscē, Beda in sua allegorica expositione libri Tobię interpretetur, dæmonem, quem Christus in cruce cæpit traxit, & exenterauit, idest, nequitiam eius fidelibus aperuit, & quasi arcana insidiarum euisceranit, tres etiam eius partes reseruauit, nimirum, cor, fel, & Iecur. Cor quidem, quia caliditatem eius sacræ scripturæ mo numentis inuoluit; fel quia quanto malitiæ furore contra genus humanum sæuiret, propter cautelæ studium scribi voluit. Iecur deniq. reposuit, quia malignam consiliorum eius aduersum nos concoctionē declarauit. Ferunt enim calore iecoris, occulta cibi ex
E coqui. Nihilominus alij eum piscem Christum misticè accipiunt, quasi Callionymus fuit, vt vult valesius, rectè ea etiam ratione Christum exprimit. Qui pulcherrimo Iesu nomine appellatur. Iuxta quam sententiam ita mysterium possumus exponere, piscis Christus est, cor dilectionis inmensitas, Iecur amoris perfecta decoctio, fel passionis amaritodo, in felle illo significata, quod ipsi propinatum fuit Matth. 27. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, de quo idem multo

Quarta opinio. Collyrium significat passionem Christi. Tob. 6. Blasius Viegas in com. Tobiæ piscis qui fuerit.

multo ante per Regium vatem fuerat conquestus Psal. 68.dederunt in escam meam fel,Fel ergo, & cor piscis ac iecur sibi cum Tobia reponunt, qui dilectionis qua Christus dilexit nos, & amaritudinis,quam in passione sustinuit,recordantur,iuxta illud Threnorum 3.Recordare paupertatis, & transgressionis meæ absynthi, & fellis: quo fiet, vt sicut Thobias senior felle piscis ad oculos adhibito,aspectum recuperauit, ita nos recordatione passionis Christi,tanquam collyrio videamus, & gratiam consequamur, quod significauit idem Propheta statim subiungens memoria memor ero,& tabescet in me anima mea,hæc recolens in corde meo,in Deo sperabo. Et Paulus ad Hebræos 12.recogitate (inquit) eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt nefatigemini, animis vestris deficientes.] Hæc Viegas. Quæ omnia planè,& singula mihi miruminmodum placent. Iccirco dictis addo suis,impossibile omnino esse intueri atrocem Christi passionem, illamque ad memoriam reuocare,& non in lacrymas prorumpere, eiusque dolore affici. Quamobrem sponsa Cant. 5. aiebat: [Talis est dilectus meus & ipse est amicus meus,] Vbi alia translatio ita habet [& ipse est afflictio mea.] Qui enim inter gaudia huius sæculi,passionis Christi recordatur, mox exclamat cum Iob: [Conuersa est cythara mea in luctum,& organum meum in voces flentium.] Ideo Redemptor noster gaudium, & lætitiam Apostolorum de sua transfiguratione,memoria suæ passionis compescuit adducens illic Moysen & Eliam loquentes cum eo de excessu (hoc est de morte sua) quem completurus erat in Ierusalem. Quod planè ideo præstitit Dominus,vt clarè discerent homines gaudia huius sæculi semper adiuncta esse plerisq. incomodis, iuxta illud Eccles. 9. [Extrema gaudij luctus occupat. Vnde quidam cecinit Poeta.

Thren. 3. 19.

Recordatio passionis Christi illuminat intellectum.

ad heb. 12.3.

Passio Christi nequit absq. lacrymis cõtemplari.

Gaudia terrena semper in fine amara.

Dulcia sic tristi semper sunt mixta sapore
Tincta voluptatis gaudia felle nocent.

Et quamuis memoria passionis Christi sit amara vt fel,nihilominus tamen est etiam dulcis, vt mel, ita vt de illa intelligi valeat illud Ecclesiastici 49. [In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini,] est enim memoria passionis Christi super mel dulcis in omni ore, & quasi musica in conuiuijs. Quoniam lingua humana minimè reperitur quæ narrare queat,quantam dulcedinem memoria passionis Christi,mentibus nostris refundat. Quoniam oblatus est ex amore nostro, vt ipsemet Christus indicat Cant. 4. loquens in persona sponsi ad suam sponsam (nimirum ad animas nostras) sic: [Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum,& in vno crine colli tui: [Quo loco,mirum planè videtur quod cum tot vulnera illata fuerint Christo in passione sua,solius vulneris in corde accepti mentionem fecerit. Non ne Domine in pectore & capite, in pedibus,& manibus,& in toto corpore vulneratus es? Maximè quidem. [Vulneratus est propter iniquitates nostras (dicitur Isai, 53. attritus est propter scelera nostra.] Et Hiere.7. [A planta pedis vsq. ad verticem capitis non est in eo sanitas.] Quare ergo,Domine,solum cordis vulnus ostendis,& de illo dumtaxat doles,& lamentaris?Nimirum quia omnia alia vulnera ab illo intus existente promanarunt, nullum plane exterius vulnus recepisset in corpore, nisi prius intus in corde esset amore vulneratus nostro Quamobrem,nisi sponsa (nimirum anima nostra) cor amore nostro vulnerasset, milites nullatenùs occidissent corpus. Prius ergo amore quam gladio occisus fuit. Amor namq. noster primus deicida fuit qui. cor eius transuerberauit, quod planè indicant manifestè illa verba sponsi: [In vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.] Perinde ac diceret. Oculi, & capilli amoris tui fuerunt,sponsa mea,arma quibus cor meum vulnerasti,& mihi mortem dedisti. Verumtamen quis est,qui ignoret,oculos & capillos amoris esse in-

Passio Christi dulcis.

Cor Christi vulneratum in passione ex amore nostro.

Christus prius amore quam gladio occisus.

Amor primus deicida.

Oculi & capilli mulieris arma sūt vulnerandi corda.

F strumenta,& arma,quibus magnas victorias,& magnificos triumphos solet cõsequi?Dicere igitur quod oculis,& crinibus sponsæ vulneratus fuit Christus sponsus noster,est palam fateri quod amor,quo humanam diligebat naturam,in causa fuit quod ipse libens, & gaudens sese morti propter illius amorem, & redemptionem offerret. Est igitur memoria passionis Christi amarum simul & dulce collyrium, quo oculi nostri in hoc sæculo frequenter vngendi sunt. Et non mirum, si in hoc sæculo frequenter iteranda est & memoriæ mandanda passio Christi,cum in cælesti illa suprema Ierusalem,vbi non est nisi summa requies,& immarcessibile gaudium, nihilq. funestum, tristeuè reperitur, sit sanguis, & passionis Christi diurna ordinariaq. recordatio: Quoniam Apoc. 5. memoriæ traditum est, vidisse Ioannem nostrum Deum super thronum per lucidum sedentem quem circumsteterunt, viginti quatuor
G seniores circumamicti vestimentis albis & in capitibus eorum coronæ aureæ, coram throno iacebat agnus tanquam occisus sanguine fluens. Et licet spectaculum hoc prima facie triste videretur verumtamen tanta omnes afficiebantur lætitia, quod dulcis de ore omnium musica resonabat. Quoniam seniores & quatuor animalia, arreptis cytharis, decantabant canticum nouum dicentes: [Dignus est Domine accipere librum,& soluere signacula eius,quoniam occisus est, & redemisti nos Deo in sanguine tuo: [Porro Angelorum multitudo,qui erant in circuitu throni,acceptis musicis instrumentis decantabant dicentes hilari,& iucunda voce: [Dignus est agnus,qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem,& honorem, & gloriam, & benedictionem.] En vides memoriam passionis Christi amarum simul & dulce collyrium esse,quo non solum homines
H verum etiam beati & Angeli in patria oculos in dies diligenter inungunt suos? Quamobrem Christus Dominus de passione sua crebrò in suo Euang. sermonem habuit huberrimum, vt videre licet Matth. 5. dum dixit; [Ecce ascendimus Hierosolymam,& filius hominis tradetur &c.] Et Matth.20. [Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.] De quo planè argumento, legito, Abulensem qui tenet Christum quater de passione sua, cum discipulis,verbis expressis egisse.

Passio Christi dulce & amarum Collyrium.

Angelorum nouum canticum.

Tostatus in Matthæum.

Strabus S. Thomas, Nicolaus delyra & alij plerique expositores,putant [per collyrium] intelligendam esse gratiam spiritus sancti, quæ illuminat oculos mentis. Duo enim oculi animæ sunt intellectus,& affectus,qui vngẽdi sunt diuinæ gratiæ collyrio. Et subiũgit Lyran. quod hic dicitur [inunge] eò quòd licet gratia sit à
I solo Deo data, tamen in potestate hominis est vt sibi detur,quia potest se ad eam disponere.

§. 7. Quinta explanatio. Collyrium significat Spiritus sancti gratiam.

Rupertus Abbas in hisce suis commentarijs [per collyrium] humilitatem intellegit,quæ ex cognitione propriæ vilitatis oritur. Quamobrem ita scribit;[Collyrio in vnge oculos tuos vt videas, id est,cor tuum verâ humilitate purifica, vt per paupertatem tuam videas verasque diuitias bonitatis Dei agnoscas:] Hæc Rupertus quam planè enodationem ipse accepit à B. Gregorio 1.past.11. illamq. etiam affert Hieronymus Lauretus in sua allegoriarum Sylua, tom. 1. dict. collyrium.

§. 8. Sexta enodatio. Rupertus Abbas. Collyrium humilitatem designat.

Antequam hinc discedam, superioribus aliam non minus per illustrem ac satis elegantem addam postremam explanationem, qua per [collyrium] quod ali-
K quãtulum amarum est, tribulationum persecutionũ,ac calamitatum amaritudinem intelligo. Affligebatur si quidem Antistes iste Laodicenus communi tribulatione,qua tota tunc Asia eiusdem Ecclesiæ omnino, præmebantur, cæterum quia ipse inimicorum ac tyrannorum iniurias egrè ferebat exortatur hic per hęc verba (Collyrio inunge oculos tuos) vt patienter eas tolleret,vt sic illas cum suæ animæ fructu, & merito patiatur, vt clarè indicat sequens illa dictio [vt videas]

§. 9. Septima explanatio. Tribulatio est Collyriũ.

videas,] hoc est, vt meritum ex ipsa tribulatione reportare valeas, vel vt oculi interni ac spirituales animæ tuæ, sic omnino purgentur, vt cęlestia quæant optimè intueri arcana, iuxta illud Ieremiæ Threnorum 1. [De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.] Quo loco per [ignem] persecutionis tribulationis, calamitatisq. flammam intelligimus, quæ aliquando est [de excelso] hoc est, permissiue à Deo, vt illa, viam veritatis deserentes apprimè erudiantur, & citò ad illum redire cogantur, iuxta illud Psalmistæ: [Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.] & iterum [Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur.] Ad quod alludit Isa. in cap. 28. dicens; [Vexatio dabit intellectum.] Ex quibus omnibus locis concluditur, quod plures peccatores ad Deum conuertunt aduersa, quam prospera. Narrat Pomponius Mela quemdam fontem esse in Sicilia, proprio nomine [solis fontem] appellatum, mirabilem proprietatem habentem: nimirum quod in feruore diei frigidissimus existit, media vero nocte calore flagrat & mirabiliter feruet: cui planè fonti similes videntur nonnulli, qui tempore prosperitatis frigidi sunt: at media aduersitatis nocte ingruente (vt potè quando laboribus, vexantur) tunc Deum inquirunt. Et proinde solet Deus hos peccatores tribulationibus, laboribus, persecutionibus, & calamitatibus plerisque diuexare, vt ad eum conuertantur. Quamobrem mala quæ hic nos pręmunt, ad Deum nos ire compellunt. Hinc Dauid Psal. 31. exclamat ad Deum: [In chamo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.] Super quæ verba ita scribit B. Gregorius: [Plerumque qui præcepta Dei aure cordis, audire renuunt, persequutionum verberibus admonentur, vt ad virtutis amorem, pœnarum dolores pertrahant, quos æternæ vitæ præmia non inuitant. De quibus nimirum scriptum est, sola vexatio dat intellectum. Semper enim amator præsentis sæculi ita ab eodem quem diligit mundo despicitur, & impugnatur, vt cum eo nequaquam currere valeat, sed fractus aduersitate torpescat; quod profectò dispensatione diuinæ miserationis agitur, quia in hoc mundo despectus tanto celerius trahitur ad Deum, quanto nihil habet in sæculo vbi delectetur.] Hæc D. Gregorius. Attamen quicquid sit de hoc, asserendum est per illa verba: [In chamo, & fræno, &c.] Regius vates indicare peccatoribus quod sicut eques, equum cui insidet (cum à recta via declinare conspicit) fræno & calcaribus frænat, & percutit, vt recto itinere gradiatur: perinde Deus qui supra vnumquenque nostrum insidet, animarum nostrarum curam, & rationem habet, iuxta illud Abacuc 3. [Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.] (Ad hoc enim prosilit, insidet, & super nos ascendit, vt saluemur) cum quemquam nostrum deuiare conspicit fręno & chamo duræ correctionis reducit, ne per varia voluptatum, & vitiorum præcipitia pergentes ad mortem sempiternam perueniamus. Quid namq. aliud erat Pharao contra quem Ezechiel vaticinatur cap. 29. nisi effrænis equus qui per idololatriam à recta via declinabat? Quem Propheta, Dei nomine alloquitur dicens: [Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis meus est fluuius & ego feci, &c. Ego ponam frænum in maxillis tuis.] Quid autem hoc loquendi tropo, & schemate, significare intenderit, statim declarat dicens: [Ecce ego adducam super te gladium.] itaque frænum Dei, quo peccatores compescere, & frænare solet, gladius tribulationis & persecutionis est. Hoc enim fræno peccatorum indomitam ferocitatem solet coercere. Quid etiam Sennacheribum Syrorum regem, nisi præcipitem equum, & ferocissimam bestiam appellem: Qui magno impetu, & furore ad debellandum populum Dei, & funditus destruendum venerat, cui Isaias cap. 37. minatur dicens: [Ponam ergo circulum in naribus tuis & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam per quam venisti.] Frænum autem quod imposuit in labiis eius ad reducendum illum, fuit percussio exercitus eius per Angelum facta. Occidit namq. Angelus vna nocte (vt habetur Isa 37. [Centum octogintaqu nque millia hominum.] Qui cum mili um suorum stragem videret egressus est, & abijt, & reuersus est. Itaque nullum genus fræni durius esse potest, ad frænandam peccatoris superbiā, & audaciam, quam persecutio, tribulatio, & laborum perpessio. Et sicut fræno, & onere domantur bestiæ, haud secus Deus indomitum peccatorem quandoque domesticare solet fræno, & onere persecutionum temporalium. Hinc Archipropheta huic Antistiti ait. [Collyrio (tribulationis) inunge oculos tuos, vt videas.] Homines namq. videbis Dei ita oblitos, & in delitijs, & voluptatibus vitam suam ita degentes, vt eos neque sermones, neque conuersatio gloriæ, purgatorij, inferniuè, neque amicorum consilia conuertere, neque internæ sancti spiritus inspirationes à via sua mala auocare queunt. Ast, immittit illis Deus tribulationem, persecutionem, infirmitatemuè qua salutem ab eo & omne robur corporis auferat, siue corporalis substantiæ, iacturam incurrens, ad extremam paupertatem deuenit, & è uestigio ad Deum illum intueberis conuerti, peccatorum pœnitentiam agēdo, & veniam à Deo suppliciter petendo. Quamobrem ille, qui prius effrænis erat, & indomitus, iam supplex & humilis, omni feritate deposita, quasi agnus mansuetus per viam mandatorum Dei deinceps incedit. Collyrio igitur tribulationis, & persecutionis præcipitur à Deo, vt Antistes iste Laodicenus, suos inungat oculos, vt videat, quod alijs verbis explicuit Psalmographus dicens: [Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & postea accellerauerunt.] Et iterum: [Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine] Tūc si quidem peccatoris facies ignomina impletur quando laboribus vexatur, quando tribulationibus concutitur, & infirmitatibus conteritur.

[Margin notes: Ignis persecutionem indicat. — Ps. 31. — Ps. 77. — Peccatorum conuersio per tribulationē. — Comparatio. Fons solis in Sicilia. — labores ad Deum ire compellunt. — D. Gregorius in Ps. 31. — Comparatio. — Deus curam obtinet animarum nostrarum. — Peccator equus effrenis. — Peccatores præcipites equi. — 4. Reg. 19. — Peccatorum error. — Peccatorum peculiaris conuersio, per tribulationes]

EGO quos amo, arguo, & castigo. Tex. 22.

COMMENTARIVS.

VNAQVAEQVE scientia sua vniuersalia obtinet prima principia, quæ demonstrationibus probari nequeunt, eò quòd naturali lumine cognita vtique sunt; Ideoq. probatione nullatenus indigent, vt prodit Philosophus, & ob hoc nostra viatorum theologia, quæ apud S. Tho. sacra nuncupatur doctrina, & iure optimo sciētiarum scientia appellatur, sua habet prima principia, quæ ab omnibus viam cæli ingredientibus, tanquam firmissima, & certa præsupponi debent. Quorum ex illis vnum quippe est, nimirum, quod iusti in hac vita, tribulationibus & angustijs vexari debent, vt ad vitæ æternæ præmium securè peruenire queant, & compellantur. Quamobrem Apostolus 2. Timoth. 3. in hæc prorumpit verba: [Omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patientur.] Iccirco Dei vates electis hoc in loco ex parte Dei acclamat. *Ego quos amo, arguo, & castigo*; Perinde ac diceret. Amicos quos ego dulcedine prædestinationis ardenter diligo, redarguo verbis, & flagellis propè diem castigo.

Optimè autem Archipropheta post tribulationis, & persecutionis amarum collyrium, subtexuit: *Ego quos amo, & arguo, & castigo*. Quoniam pastor iste ingruente persecutione, cœpit de Christi promissionibus nonnihil ambigere, vnde & segnis, & remissus redactus

[Margin notes: Enodatio cōtextus. — §. 1. Scientiarum prima principia. — §. 2. Tribulationes & flagella pignora sunt amoris Dei.]

dictus fuit, quamobrem, vt illum ad pœnitētiam redire compelleret Deus, decuit docere hic persecutiones, tribulationes, flagella, & castigationes eius in hoc sæculo, vera amoris, & dilectionis suæ pignora esse, quibus ipsos suos exercet electos, & eos quos amat, vt sic puriores, ac omnino meliores in dies euadant, ob hoc Apostolus ad Heb. 12. ait: [Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.] Et D. Aug. lib. de verbis Apostoli ita scribit; [Melius est vt flagellet te, & recipiat te, quam vt parcat tibi, & deserat te.] Hæc Augustinus. F

§. 3. Si bonos flagellat Deus multo magis malos. Lucæ 23. — Discant ex hoc loco mali pœnitentiam amplecti: si enim Deus quos amat & redarguit, & castigat, quanto magis quos non amat, vt potè malos quos odio habet, & redarguet, & castigabit? Audiant porro mali Dominum alibi dicentem: [Si in ligno viridi hæc fiunt, in sicco quid fiet?] Ideo Dionysius Carthusianus in hunc locum ita scribit: [Cum ergo hos (puta electos, & bonos) taliter tractemus, quanto magis tu imperfectus debes hæc cum gratiarum actione gaudenter recipere tanquam animæ medicinam.] Eccl. 10.

§. 4. Amore plusquam materno electos ac iustos diligit Deus. — Porro dictio illa, *Quos amo*, nullatenus est prætermittenda, Amorem namque plusquam maternum, quos Deus electos ac iustos suos prosequitur demonstrat. Idque manifestè indicat Deus ipse per vatem suũ Isaiam in cap. 49. dicens: [Numquid obliuisci potest mater infantem suum, ita vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego autem non obliuiscar tui.] Quod etiam corroborat per Oseam cap. 9. dicens: [Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorũ.] Optima quidem metaphora. Quid enim iucundius, pretiosiusue esse solet viatori famelico, iter suum per desertum agenti, vbi refectio aliqua minimè speratur, quam inuenire ibi sapidas ac dulces vuas, vel in aliqua ficulnea ficus præcoces ad edendum, quibus possit aliquantulum fami suæ subuenire ac succurrere? Fames quam Deus patitur, iustorum ingens quippe est, quoniam (rari eum sint in orbe) eos summo appetit desiderio. Quamobrem sicut in deserto est penuria rerum omnium, vixque fructum suauem reperies, sic inquit Deus sibi contigisse, quod & apud Michęam in cap. 7. testatur dicens: [Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, & non est botrus ad comedendum, præco quas ficus desiderauit anima mea. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.] Quibus in locis per [vuas, ficus, & botros,] iustos, & electos intelligit Deus, qui respectu peccatorum sunt paucissimi. Vult ergo Dominus in his locis sacræ paginæ indicare, quod iusti, & electi illius populi Israelitici fuerunt sibi valde grati, quasi qui reperiret in deserto, vuas dulces, maturasq. ficus. Quid enim dulcius excogitari potest, aut quid iucundius, quam in deserto huius mundi, vbi nihil aliud quam culparum spinæ, & peccatorum tribulos ac ramnos, animam pũgentes reperiri solent, & produci, iustorum, ac electorum animas adinuenire fructibus cælestibus imbutas, ac omnino onustas? Hæ nimirum sunt Domini delitiæ iuxta illud: [Delitiæ meæ esse cum filijs hominum,] vt potè cum animabus iustis ac pijs viris. His enim Deus summopere delectatur. Quamobrem, si illos aliquando persecutionibus, contumelijs, opprobrijs, flagellis, tribulationibusq. afficit: odio, indignationi vè ad scribendum nullatenus est, quinimmo beneuolentiæ dilectioni, & amori totum hoc omnino tribuendum venit, vt præfata innuunt verba Archiprophetæ in persona Dei hic dicentis: *Ego quos amo & arguo, & castigo.*

Fames Dei. — Hieronymus Guadalupensis in cap. 9 Oseę. — Iusti & electi Deo maximè grati. — Delitiæ Dei sunt iustorum animæ.

Conceptus prædicabiles in textum.



DOCTOR egregius, ac Ecclesiæ sanctæ lumen Augustinus explanãs illa verba Ps. 73. [Et dixerunt quomodo scit Deus & si est scientia in excelso,] attingit præclaram illam, & satis difficilem quæstionem quæ D.D. omnes prorsus diuexare solet, nimirum, quare Deus, illos, quos ad vitam æternam præordinauit, & de quorum amicitia gloriatur, tot laboribus & tribulationibus in hoc sæculo coneuti, & torqueri sinat? Et quamuis hanc difficultatem ibi minimè explicet, illam tamen lib. 1. G de ciuitate Dei cap. 19. eliminare videtur, Romanis respondens murmurationibus, quod post acceptam fidem laboribus, & ærumnis vexarentur. Assignatque ibi duas rationes laborum, quos Deus suis immittit, nimirum, probationem virtutis, & emendationem eorum. Nihilominus dicimus quod Deus quinq. de causis homines redarguit, flagellat, corripit, & castigat. Quoniam aliquos affligit Deus ad bonum, & coronæ augmentationem, ac probationem, sic flagellauit Iob, vt ipse indicauit cap. 32. dum dixit: [Probauit me Dominus, quasi aurum quod per ignem transit,] & Tobiam vt demonstrat illud cap. 12. [Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tribulatio probaret te.] Alios etiam arguit Deus ad humilitatis conseruationem, vt potè propter virtutem, spiritualiumque donorum custodiam, ne in superbiam eleuentur, quemadmodum intuemur in Paulo, qui 2. Cor. 12. dixit: [Ne magnitudo reuelationem extollat me, datus est mihi stimulus H carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.] Porro, nonnullos adhuc multat Deus, vt virtus diuina in illis manifestetur, sic afflixit Lazarum, iuxta illud Ioan. 11. [Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.] Ac etiam cæcum illum à natiuitate, de quo dicitur Ioan. 9. [Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.] Quo etiam respectu, plerią. sancti propè diem affliguntur. Quosdam insuper corripit Deus, propter peccatum, vnde discipuli dixerunt Ioan. 9. [Magister quis peccauit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?] Sic etiam afflixit Paralyticum Ioan. 5. & Mariam sororem Moysi, Num. 12. vt ita per pœnam expiarentur. Et dum Deus in flagellis hunc habet respectum, & motiuum nullum est adeò ingens supplicium, quo me- I rito affligimur (quamuis non vt nostra requirunt scelera, iuxta illud Psal. 129. [Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?] Punit enim Deus citra condignum, vt dicunt Theologi.) Rursus alios affligit ad infernalis punitionis inchoationem, nimirum, vt futura & æterna inferni pœna, quodammodo incipiat in hoc sæculo, quemadmodum punitos ab ipso intuemur Anthiochum 2. Machab. 9. & Herodem in nouo Testamento. Vnde adest versus, *Iob probat: inclinat Paulum, sese manifestat in cæco, purgat Mariam punit Herodem.* Concinit nobiscum Adrianus, qui in 4. sent. quæst. 3. de sacramento pœnitentiæ ita scribit: [Quibusdam adhibet suam gratiam ad tempus: quos postea repellit, & de manu sua proijcit, Ierem. 6. Erudire Hierusalem: Ne forte recedat anima mea à te: ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem, Hierony. Per hoc discimus quod flagellat Deus omnem K filium quem recipit: & idcirco plagis atq. tormentis eruditur Ierusalem, vt corrigatur, & non recedat anima Dei ab ea, & redigatur in solitudinem. Si quando igitur crebris angustijs subiacemus: recordemur in consolationem nostri istius versiculi. Per omne flagellum, & dolorem erudire Ierusalem. Hinc 2. Machab. 6. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia prospere agere: sed statim vltionis remedium adhibere magni beneficij indicium est. Eos autem

Conceptus. 1. quod Deus habet aliqua motiua ob quę iustos redarguit & affligit in præsenti vita. — D. Aug. Ps. 73. — D. Aug. lib. 1 de Ciu. Dei. cap. 19. — Respectus quinque propter quos homines mulctat Deus. — Adrianus in 4. sent. q. 3.

tem qui inter flagella faciem indurant,& de lima rubiginem contrahunt: tandem proijcit & ſuo tractu indignos repellit eodem 6.cap. Hierem. fruſtra conflauit conflator:malitiæ enim eorum non ſunt conſumptę:argentum reprobum vocate eos,quoniam Dominus proiecit eos. Item concedit Deus hominibus certum tempus ad pęnitentiam:quod contemnentibus,& conceſſo tempore abutentibus breuiat: vt voluit Hieron. lib. Hebraicarum quæſtionum tractans illud Gen.6. non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis in æternum,quia caro ſunt:ſed erunt dies eorum anni centum & 20. Porro inquit, ne videretur in eo eſſe crudelis quod peccantibus pœnitentiæ locum non dediſſet:adiecit: ſed erunt dies &c. hoc eſt habebunt centum & 20.annos ad pœnitendum. Non igitur humana vita vt multi errant in centum viginti annos contracta eſt,ſed generationi illi centum viginti anni, ad pœnitentiam dati ſunt: quia vero pœnitentiam agere contempſe- B runt:noluit Deus tempus expectare decretum, ſed 20. annorum ſpatijs amputatis, induxit diluuium anno centeſſimo agendæ pęnitentiæ deſtinato. Item quia vinea ſpectata vt faceret vuas fecit labruſcas:dedit eam in conculcationem, abſtulit ſepem &c. Iſaiæ. 5. & Matth.21. Quia non reddiderunt fructum debitum:Propterea inquit,ſaluator auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Item Auguſt. Hac animaduerſione percutitur peccator: vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei. hoc eſt offendiculum coram peccante ponere gratiam excitationis,ad conuerſionem nolle adhibere. Exech. 3. ſi iuſtus conuerſus à iuſtitia ſua,fecerit iniquitatem:ponam offendiculum coram eo.]Hæc Adrianus.

Nota bene ſi aliem impœnitentiam in duratorum.

Conceptus.2. quod iuſtos immittit Deus in fornace tribulationis vt probet illos.

C EGREGIVS ſapientiſſimuſque Salomon explicans qualiter Deus,ſuos aliquando affligat electos ait, Sap.23. [tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus & quaſi holocauſta accepit eos.]Probatur ſi quidem, auri veritas, falſitasuè in fornace,vbi apparet verum, ſincerumuè, an adulterinum ſit: Et ibi ab omni terrę contagione expurgatur,vt vas exeo efformari queat: Haud ſecus Deus ſuos electos ac iuſtos in fornace tribulationis, perſecutionis, calamitatiſuè detrudit,vt reliquis eorum ſanctitas ac puritas omnino innoteſcat, & ſi quid terrenum, aut minus cæleſte obtinêt, quod purificari oporteat ibi omnino depurgetur. Ea enim eſt auri natura,auctore Plin.l.33.hiſt.nat. cap.3.vt nihil eius igne depereat,tutò etiam in incen- D dijs durante materia,quinimo quo ſepius arſit ad bonitatem proficiat. In quo planè ſanctitas vera,à ſimulata virtute hypocritarum longe diſſidet, quemadmodum & verum aurum in eo diſtinguitur ab alchimico, quod Alchimicum,nõ ita malleorum ictus ſicut verum ſuſtineat,vnde Paulus.2.cor.6.poſt quam fideles ad labores conſtanter patienterque tolerandos eſſet ad hortatus per illa verba:[In omnibus exhibeamus &c] neceſſario ſubiungendum exiſtimauit: [In charitate non ficta] hoc eſt,in ſanctitate non hypocrita, vt inuenerēt ſanctitatem eſſe aurum, quæ niſi vera ſit, tribulationum & laborum ictus minimè ſuſtinere poterit, quin ſtatim frangatur, quemadmodum aurum, alchimicum malleorum ictu cito frangitur. Quamobrem recte dicit ſapiens, quod Dominus tanquam aurum in fornace probat electos ſuos. Porro accipit eos Dominus (vt ait ipſemet ſapiens)quaſi holocauſta.Quoniam quemadmodum holocauſtum totum igne conſumaba- E tur, ſic iuſti igne charitatis non fictæ omnino incenſi in tribulatione, Deo quaſi acceptabile ſacrificium offeruntur, Quamobrem idem ſapiens eadem fere metaphora vſus eſt Eccles.22.dicens:[vas figuli probat fornax,& homines iuſtos tentatio tribulationis.]Illa etenim vaſa quæ bona & probata ſunt minimè confringuntur,ſed potius ſolidantur, & immenſa regis apponuntur: at vero quæ reprobata ſunt crepant & diſſi-

Iuſti expurgantur in tribulatione.

Plinius.

auro comparatur ſanctitas ac puritas Iuſtorum

Aurum ſanctitatis hypochriticum.

Sanctitas vera aurum.

Aurum Alchimicum.

Iuſti veluti holocauſta.

Comparatio.

A pantur. Perinde Deus illos quos ad vitam eternam præ ordinatos habet,in fornace tribulationis calamitatiſque ſolet examinare, quoniam ſunt vaſa gloriæ, quæ ad menſam ſupremi illius Regis cui titulus eſt: [Rex regnum & Dominus Dominantium.] apponũtur. Inter alia magnifica, quæ de illo admirabili Salomonis templo recitantur, hoc vnum notatu dignum micat,nimirum:[Domus autem cum ędificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt &c. malleus & ſecuris & omne ferramẽtum non ſunt audita,in domo cum ædificaretur.] Quo loco, omnes expoſitores videntur ambigere,qui hoc poſſibile vnquam fuerit, vt potè, quod ictus mallei ſecuris aut alterius inſtrumenti ibi minimè inſonuerit. Et dicunt, vel quod lapides dolebantur ſanguine cuiuſdam vermiculi, virtutem ad hoc obtinentis,vt ſine aliquo notabili crepitu ſcinderentur vel quod iam ſciſſi erant & dolati, & perpoliti, ante- B quam ad templum perducerentur. Quamobrem lapidem prius dolatum, & interſciſſum ac perpolitum accipiebat artifex & nimio ſcilentio illum in ſuo collocabat loco, accipiebat inſuper trabem & tabulam iam fabre factam,ſuiſque aptabat locis, & ſic in ædificatione illius machinæ mallei, aut ſecuris ictus aliquis minimè fuit auditus: Haud ſecus plane contingit in ædificatione illius ſupremæ Ieruſalem. Ibi enim nullus malleus aut ſecuris inſonabit nullus etenim in patria cæleſti futurus eſt laborum calamitatum vè fragor & ſtrepitus iuxta illud: [Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius neque luctus neque clamor,ſed nec vllus dolor, quoniam priora tranſierunt.]Non erit ibi malleus Tyranni, neque ſecuris perſecutoris, neque ſtrepitus laboris calamitatiſuè audietur quia hæc omnia iam tranſierunt. Iam enim lapides dolati ſunt,& ſecti,iam C in hoc mundo, Iuſti, Sancti, ac ſerui Dei tribulationibus, perſecutionibus, & doloribus vexati fuere. Iam ſanguine non hirci alicuius, aut tauri, ſed agni illius ab origine mundi occiſi,ſunt perfuſi. Quare nihil aliud fiet quam lapides per manus artificis diſponi,& ſuis quoq. locis aptari. Itaque oportet, vt quicunque ad hoc ædificium pertinet, prius in hac vita,tribulationibus, perſecutionibus, afflictionibus,flagellis,& redargutionibus, omnino vexetur, & affligatur. Hinc Dominus,hoc in loco,electis ſuis ait: [Ego quos amo,& arguo, & caſtigo.] Et paſs.m annotatum, quod nihil magis iram Dei ſignificat, quam cum Deus peccatorem in peccatis ſuis relinquit,nec eum admonet,vel per ſuos prophetas, vel per flagella, vt vitam in melius commutet & reſipiſcat. Quod Dominus ſynagogæ minatur,per Ezechielem dicens: [Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à D te,& quieſcam,nec iraſcar amplius, eò quòd non fueris recordata dierum adoloſcentiæ tuæ, & prouocaſti me,in omnibus his, quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci iuxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis.] Quod & alibi per Oſeam etiam dicebat: [Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint adulteræ.] Olim in lege Deus inſtituerat, vt ſi in puella non fuiſſet inuenta virginitas, eijcerent eam extra fores domus patris ſui,& lapidibus eã obruerẽt viri ciuitatis illius & moreretur,quoniam fecerat nefas in Iſrael. Ad hanc ergo legem alludens ait:Non puniam filias veſtras adulteras,quæ per idololatriam aberrauerunt, iuxta leges à me ſancitas, & ſine punitione vindictæ viuere permittam, vt maiorem indignationem meam ſignificem. Quemadmodum enim Medicus deſperans ſalutem ægroti, quod multis vulneribus ſit confoſſus, negligit E apponere medicamenta, ſic Deus cum hominem, vel regnum cernit tantis peccatis refertum veluti infirmum iam iam animam exhalaturum, & moriturum relinquit, & remedia adhibere negligit. Hinc per Iſaiam dicit: [Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate,ſemini nequam,filijs ſceleratis:dereliquerunt Dominum,blaſphemauerunt ſanctum Iſrael,ab alienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem?] Quid rogo eſt illud: [Super quo

3.Reg.6.

Templi Salomonis ædificatio notabilis.

Reſponſio quorumdam rabinorum hebræorum.

Iuſtorum ſtatus quietus in patria.

Iuſtorum ſtatus tribulationis & probationis in via.

Ira Dei eſt non redargue re peccatorē.

Exech.16.

Oſee.4.

Deut.22.

Virginitas dilecta a Deo.

Virginitatem perdere nefas in Iſrael.

Comparatio.

Iſaia.1.

per quo

per quo percutiam vltra?] nisi non inuenio, quam plagis vestris adhibere possim medicinam. Maximum certè malum, Grandis offensa est (ait Hieronymus in 4. Osee) post quam peccaueris, iram Domini non mereri: Non quod Dominus impios non percutiat & flagellet, sed quod flagellationes impiorum sint ad omnimodam eorum perditionem, & destructionem. Quemadmodum dicit per Ieremiam. [Plaga (inquit) inimici percussi te, castigatione crudeli, insanabilis est dolor tuus.] Sicut in Antiocho, Herode, Dathan, Core, Abiron & alijs cernimus, quos scriptura commemorat qui simul cum flagellatione Dei miserabiliter vitam finierunt: è côtra vero boni si à Domino flagellantur, est vt resipiscât & pœniteantur. Quod Paulus dicebat: [Cum iudicamur à Domino corripimur vt non cum hoc mûdo dânemur.] Vbi iudicare accepitur pro eo quod est punire, quod ex antecedentibus constat. Hinc Deo Ieremias dicebat: [Corripe me Domine in iudicio & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.] Correptionem Domini optat, qua filios corripit, quam & Dauidi promittebat pro filijs suis: [Visitabo (inquit) in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.] Hoc est, castigabo vt pater eos ad emendationem prouocans, sicut facio erga omnem filium quem diligo.

Impiorum flagellationes ad quid. — *Bonorum flagellationes ad quid.* — *1. Cor. 11.* — *Iudicare pro punire. Ieremi. 10.* — *Ps. 88.* — *Bonos castigat Deus vt pater.*


OQVENS Propheta Zacharias in persona Dei, de regimine, quo Deus vniuersum mundum gubernat, ait in cap. 11. [Et assumpsi mihi duas virgas alteram vocaui funiculum, alteram vero decorê, & paui gregê.] Quo loco apparet, Deum duas obtinere virgas, quibus vniuersum hominum genus torquet & castigat. Sed ad quid Domine vnam virgam vocas funiculum, alteram vero decorem appellas? Estote quæso attentissimi. Virga qua Deus nunc in hoc sæculo reprobos castigat & flagellat, funiculus vtique est. Quæ plane funiculus dicitur, quia Deus semper castigat citra condignum. At vero virga, qua electos flagellat & castigat decor appellatur, quia ad eorum decorem ordinatur. Sicuti cum quis pallium suum virga percutit, vt ab eo puluerem excutiat. Quamobrem Psalmographus Ps. 17. dicebat: [Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.] Quo loco: [Disciplina.] Pro tribulatione accipitur quæ dicitur à displicendo: quoniam aduersa, sensualitati displicent. Disciplina ergo corripit in finem, quoniam iustorum, qui aliquando, à recto iustitiæ tramine deuiarunt, in finem suum vltimum dirigit. Ad quod planè illudit illud Ps. 2. [Appræhendite disciplinam ne quando irascatur Dominus & pereatis de via iusta.] Et illud ad Heb. 10. [Noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum à Deo argueris, quem enim diligit Deus castigat] Et huius ratio, assignari vtique potest: quoniam aduersa magis conseruant hominem in statu gratiæ, quam prospera. Ideirco dicitur de pœnitentia dist. 2. art. 6. quod aduersitas bonorum, non est signum reprobationis ipsorum, sed magis virtutis. Quamobrem hic subtexere possumus, prosperitatem malorum, potius esse signum reprobationis ipsorum, quia in labore hominum sunt & cum iustis (vt indicat Regius Psaltes) non flagellantur. Hoc perspicuum euadit apud D. Gregorium lib. 21. moralium cap. 4. ita scribentem: [Nunc etenim flagellatur iustus, & verbere disciplinæ corrigitur quia ad æterna hæreditatis patrimonium præparatur in voluptatibus relaxatur iniustus, quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto æterna denegantur. Iniustus ad æternam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactandi sunt in liberis pascuis relinquuntur, & è contra iustus à delectationis transitoriæ iucunditate arcetur, quia nimirum ad laboris vsum vitulus vitæ deputatus, subiugo retinetur. Electis in hac vita terrena, quia & ægris, quibus spes viuendi est, nequaquam à medio cuncta quæ appetunt conceduntur, dantur autem reprobis bona quæ in hac vita appetunt: quia & desperatis ægris omnia quæ desiderant non negantur.] Hæc D. Gregor. Sed aduertendum, quod loco illorum verborum: [Apprêhendite disciplinam] In Hebræo habetur: [Adorate purè,] & sic transtulit Beatus Hieronymus. Et inquit Lyra quod in antiquis Hebræorum translationibus dicitur: [Osculamini filium] Quasi diceret. Facite Christo debitum fidelitatis homagium (de eius quippe regno in illo agit Psalmo.) Quæ quidem rectè inter se cohærent, quia ille verè, & purè Deum adorat, ille filium, exosculatur, & ei debitum Dominij sui homagium præstat, qui appræhendit disciplinam, & labores, & dolores à Deo missos, æquo animo, placidoque vultu recipit, illi pro tam ingenti beneficio manus exosculando, quod signum filiationis, & fidelitatis est. Dicit Magister de proprietatibus rerum lib. 10. & habetur à Macrobrio l.b. suo 1. de lapidibus, quod est quidam lapis dictus Adamas, vel magnes per lucidus admodum chrystali, qui quidem talem habet proprietatem, quod si capiti mulieris dormientis supponatur, scire poterit maritus si sit casta, vel adultera, quia si casta fuerit, vi lapidis cogitur in dormiendo, vt virum suum subito amplexetur, si vero adultera, quasi cum quodam impetu à marito resilit, & tanquam tanti lapidis indigna, à lecto cadit. Volens Deus experiri quænam anima sit eius vera sponsa & fidelis, quæ vero infida, & adultera, lapidem pretiosum duræ, & asperæ correctionis, & disciplinæ, super capita hominum tam iustorum, quam iniustorum cadere permittit: laborum lapides in illos immittendo, ex quo fit quod adulteriæ animæ his lapidibus magis à Deo sponso suo auertuntur & alienantur, sed anima fidelis Deo chara, & deuota statim Deum suum amplectitur & osculatur, libenti animo de manu illius labores recipiendo. Hoc igitur in causa est, quod permittit Deus suos tribulari, quantumuis eos diligat, & non permittit virtutem illorum inexercitatam marcescere.

Conceptus. 1. quod Deus castigat & flagelat iustos in præsenti sæculo, vt corrigantur & emendentur. — *Virga duplex in Deo.* — *Comparatio.* — *Aduersa hominem in statu gratiæ magis conseruant quam prospera.* — *D. Greg. lib. 21. moral.* — *Tribulatio & afflictio disciplina iustorum.* — *Hieronim. Lyranus.* — *Mag. de propriet. rerum & Mac. Magnes siue Adamas.* — *Adultera quo modo probatur.* — *Pulchrè dictum contra adulteros spirituales.*


Emulare ergo & pœnitentiam age. Text. 23.

COMMENTARIVS.


VEM dudum tepidum nuncupauit eumdem modo ad potiora perfectioraque opera, simulque ad pœnitentiam inuitat. Quoniam homo contrarius est Angelo. Eo quod Angelo ad gloriam æternam acquirendam vnica dumtaxat via concessa vtique fuit, vt potè via innocentiæ; At vero homini gemina ad id gaudet via, nimirum via innocentiæ, & via pœnitentiæ, iuxta illud: [Vniuersæ viæ Domini (id est, per quas peruenit homo ad beatitudinem æternam.) misericordia, & veritas.] Veritas vitæ, quo ad ignorantiam: & misericordia, quo ad pœnitentiæ viam. Et ob hoc tepidus iste ad perfecta, & potiora opera, & ad pœnitentiam per hæc verba: *Aemulare ergo, & pœnitentiam age*, vocatur à Deo.

Enodatio contextus. §. 1. Hominum & angelorum discrimen.

Primasius non transtulit: *Aemulare*: sed [crede.] Quamobrem sic legit: [Crede ergo, & age pœnitentiam.] Arethas vero *Aemulare*, exponit [Potiora

§. 2. Doctorum trãslationes diuersæ.

tiora ſtudia ſectare] D. Ambroſius *Aemulare*, exponit [Viros bonos imitare,] ſicque in hiſce ſuis commentarijs ſcribit: [Aemulare bonos & pœnitentiam age, eò quod bonis operibus vſq; modo torpueris,] Cui explanationi ſe ſubſcribunt. Beda, S. Thomas, Dionyſius Carthuſianus, & Lyranus, quorum plane enodatio multum veritatis quidem continet. Verumtamen in textu minimè explicatur quid æmulari debeat, certum autem eſt: [Emulari] idem eſſe quod [Stude imitari bonos.]

§. 3. *Aemulari bifariè accipitur.*

Gemina tamen eſt æmulationis acceptio. Quædam namque eſt æmulatio mala, de qua intelligendum venit illud ad Rom. 14. [Non in contentione, & æmulatione] & illud ad Gal. 1. [Abundantius æmulator exiſtens paternarum traditionum, ad quam etiam pertinet illud Pſalmiſtæ [Noli æmulari in malignantibus. Alia vero eſt æmulatio bona, & de hac intelligitur illud 2. Cor. 10. [Æmulor enim vos Dei æmulatione,] & 1. Pet. 2. [Quid eſt quod vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis] & ad Gal. 4. [Æmulamini in bona ſemper] & tandem illud 1. Cor. 12. [Æmulamini chariſmata meliora.] In prima autem ſignificatione [æmulor] Idem eſt quod inuidere. Et æmulus dicitur, inuidus. In ſecunda vero: [Æmulare] idem eſt quod zelare, ſiue ſtudere imitari, & ſic æmulus idem prorſus eſt quod zelator, vel imitator bonorum operum, qua ratione, capitur hoc in loco verbum, [æmulor.]

§. 4. *Aemulare accipitur abſq; accuſatiuo & etiam cum illo.*

Annotabis porro [æmulor] aliquando accipi in ſacro eloquio cum acuſatiuo poſt ſe & tunc ſignificat: [Sequi ardenter] vel cum zelo amare vt indicant illa verba 1. Cor. 12. [Æmulamini ſpiritualia] Alido vero ponitur ſine aceuſatiuo poſt ſe, & tunc indicat [Zelum aſſumere] vel [zelo commoueri] vt liquet in illis verbis Moyſi ad Ioſue num. 11. [Quid æmularis pro me?] Super quæ verba ita ſcribit Toſtatus; [ideſt Moyſes dixit ad Ioſue. Quare tu inuides illis vel piget te de eorum prophetia propter me? quia in hoc non iuſtè me amas. Ego enim vellem quod omnis populus haberet ſpiritum Dei ad prophetandum:] Hæc Toſtatus. Ex cuius enodatione conſtat Ioſue zelum aſſumpſiſſe, vel zelo commotum fuiſſe in fauorem Moyſi contra Prophetantes. Quo plane ſenſu accipitur illud Eliæ 3. Reg. 19. [Zelo zelatus ſum pro domino Deo exercituum.] Elias enim zelum aſſumpſit vel zelo commotus fuit in fauorem Dei. Vtroque ſenſu accipi poteſt hoc in loco, *amulare* quoniam & acuſatiuum collocant poſt ſe expoſitores, vertendo [æmulare, ideſt, viros bonos imitare,] & intranſitiuè, hoc eſt, abſque acuſatiuo poſt ſe, vt hic ponitur a noſtro interpræte. Et quanquam Franciſcus Ribera hanc ſolam poſtremam partem amplexus fuerit, nihil obſtat, quod prima vera non ſit, ob noſtram aſſignatum rationem.

Ioſue motus eſt zelo contra prophetantes.

§. 5. *Ad pœnalitates Euangelicas & ad veram pœnitentiam vocatur Pręſul laodicenſis.*

Poſt quam autem noſter Archipropheta dixit: *amulare*, protinus ſubtexuit; *& age pœnitentiam*, vt intelligatur, hunc Antiſtitem ſimul vocari hic ad Euangelicas pœnalitates, & ad verã pœnitentiam eò quod pœnalitates Euangelicæ abſque vera pœnitentia nihil proſunt. Per illã enim prçmiam dictionem, *amulare* vocatur ad opera pœnalia, vt pote ad ieiunia, diſciplinas, elemoſinas, orationes, flagella, & reliquia exteriora, & aſpera, quę inter fideles, pœnalitates Euangelicæ, & bona opera nuncupantur. Quamobrem, *amulare* idem eſt (vt nuper retulimus) quod bonos ſequi, Sequũtur autem boni, ieiunando, orando, & alia eorum opera bona imitando. Per ſequentẽ vero particulam, nimirũ, *age pœnitentiam* inuitatur ad veram pœnitentiam, puta, ad contritionem, oris confeſſionem, & operis ſatiſfactionem. Pœnitentia autem vera, has tres importat partes, vt dicunt Theologi cum Magiſtro in. 4. lib. ſent. Et quia opera pœnalia, vt pote ieiunia, elemoſinæ diſciplinæ, &c. nihil nobis proſunt abſque hac vera pœnitentia, ideo poſt quam dixit, *amulare* mox ſubiungit *& age pœnitentiam*. Quod autem prælibata opera pœ**A**nalia nihil proſſint abſque vera pœnitentia, docent. D. D. in 4. ſent. cum Magiſtro. Idque clare etiam probat locus ille Iſaię 58. vbi cum Iudæi quærerent ac dicerent Deo: [Quare ieiunauimus & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras & neſciſti?] reſpondit mox Deus illis dicens: [Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis] & poſt pauca ſubdit [Numquid tale eſt ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animã ſuam? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere?] Quibus verbis, Deus omnem corporis afflictionem, quam animæ virtus, minimè commitatur, inutilem eſſe oſtendit ad veniam. Ad quid enim inquit veſtra ieiunia, orationes, & elemoſinæ, ſi ad huc in veſtra deprauata volnntate perſiſtitis? Liquet igitur ex his, quod omnes pœnalitates exteriores ſine interiori reſeipiſcentia ad culpam remittendam non **B** ſufficiunt. Quare vera pœnitentia, quę delicta delere, ac condonare poteſt; eſt animæ dolor interior, & vitæ ante actæ tædium. Medicina namque in loco vulneris apponi oportet, anima autem eſt locus, in quo vulnera exiſtunt, vt indicauit dominus per illa verba Matth. 15. [De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia adulteria fornicationes, furta, blaſphemiæ, falſa teſtimonia] igitur medicina adhibenda erit animæ. Quorſum ergo corpus flagellatur, ieiunio & pœnitentia affligitur, ſi vulnus in corde latens de relinquitur, neque illi contritionis, oriſq; confeſſionis, ac operis ſatiſfactionis medela applicantur? Quamobrem cum exterior pœnitentia, ſine interiori, nullius ſit valoris, ideo poſt quam dictum fuit huic Antiſtiti, *amulare* per opera exteriora, hoc eſt, per afflictiones corporales, & pœ**C**nalitates exteriores: mox additur illi, *& age pœnitentiam* per opera interiora, nimirum, per contritionem, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem.

Pœnalitates Euangelicæ nihil proſunt abſq; vera pœnitentia.

Anima locus eſt in quo exiſtunt ſpiritualia vulnera, ſcilicet peccata.

Conceptus prædicabiles in textum.

Concept. 1. Quod pœnitentia tantam habeat virtutem quod illam amplectẽtes beatificet.



OST quam ſapiens Salomon, Eccleſiaſt. 9. præconium illud intonuit generale [Nemo eſt qui ſemper viuat, & huius rei habeat fiduciam:] quibus verbis manifeſtè indicauit, nullum mortalium viuentium poſſe mortis ſententiam euadere, mox ſubiungit: [Melior eſt canis viuus, leone mortuo.] Sed quid quæſo, ſapiens, commune habet canis viuus & leo mortuus, cum hoc quod eſt neminem poſſe mortis ſententiam euadere? Magnum ſane myſterium, quo virtus pœnitentiæ patefit. Laudunenſis per canem viuum, intelligit gentilem qui Deo viuit, per leonem vero mortuum, intelligit Iudæum incredulum & ſuperbum. Aut vero D. Hieronymus & Lyranus (& melius quidem) per canem mordacem & leonem voracem, expendunt homines malos, ſecundum tamen magis & minus, ſicut leo eſt cane **E** magis nociuus. Quamobrem dicunt, Salomonem hoc in loco, metaphoricè loqui quemadmodum etiam communi ſermone homo iracundus dicitur canis, & ſic affirmant horum verborum hũnc eſſe verum ſenſum, putã, quod peccator viuus melioris conditionis eſt quam mortuus, & ſubditur ratio in textu: [Viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui vero nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem,] Ex qua plane conſideratione (inquit Lyranus) poſſunt viuentes à malis pœnitere, & ad bonum reuerti: mortui autem (quamuis ſciant multa alia) non habent vnde poſſint ad bonum reuerti. Ob hoc, aſſeuerare etiam poſſumus (loquendo de ſtatus mutatione, & de vitæ ſpiritualis meritorũ augmento) meliorem

Leo mortuus ſignificat Iudæum.

Vuu   eſſe

Canis viuus significat peccatorem viuu & leo mortuus iustum defunctum. Peccator in via fieri potest iustus & sanctus.

esse peccatorem viuum, iusto defuncto; quoniam peccator viuus potest per pœnitentiam ad maiorem sanctitatis apicem conscendere, quam iustus mortuus, iam ascenderit. Estote queso attentissimi, leo mortuus erat Saulus in terra, & in vitæ suæ curriculo, canis viuus factus est, melior leone mortuo: quoniam sanctior est Paulus Stephano. Leo mortuus erat Antonius Abbas in cælo, eremiticæ vitæ factus Princeps & Choriphæus, canis vero viuus fuit Augustinus in terra, cæterum postea canis viuus redactus est melior leone mortuo. Quoniã nũc August. Doctor Ecclesię Dei appellatur, quod Abbati Antonio minime accidit. Postremo leones mortui erant Innocentes Martyres in cælo, martyrum flores, & primitiæ iure optimo nuncupati, Canes vero viui erant in terra Magdalena, Latro, & Petrus pœnitentia ducti, Innocentes illos Martires mirum in modum exu- G perarunt omnes. Vides ne ingentem pœnitentiæ virtutem? De illa proculdubio affirmare vtiq; possumus illud Maronis. [Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet] Obtinet siquidem pœnitentia cum deo Imperium in hoc diuisum, nimirum quod tanta est eius virtus, vt quemadmodum Deus homines beatificat in cœlo, sic ipsa eosdem beatificet in terra. Quoniam solus Deus beatificat in cœlo iustos, & sola pœnitentia beatificat in terra peccatores: eoquod peccatores qui post lapsum resipiscunt per pœnitentiam, beati in terra nuncupantur, dicente Psalmista: [Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.] Quibus verbis concluditur, pœnitentiam beatos facere in terra homines, quemadmodum eosdem Deus in cœlo beatos facit. Ex quo elicitur, geminam esse beatitudinis H acceptionem, Dei nimirum, & pœnitentiæ. Quæ plane duæ beatitudines in hoc distinguuntur, videlicet, quia beatitudo, qua Deus homines beatificat in cælo est in re, vel (vt alij dicunt) in possessione, beatitudo vero qua pœnitentia in terra eosdem homines beatos facit, est in spe. Illa in patria, hec in via, Illa secura, hæc in dubio. Nihilominus tamen ille qui veram suorum peccatorum pœnitentiam in terra peragit, iam beatitudinis viam ingressus est: quare in spe beatus nuncupatur. Id que declarat quidem auctor hoc apposito exemplo. Contingit aliquem Episcopum iam designatum, sed minime adhùc consecratum esse, qui tamen Episcopus dicitur, quemadmodum ille, qui iam consecratione gaudet, & eadem illi impenditur reuerentia, non tamen reditibus sui Episcopatus adhùc fruitur quousque ad consecrationem perueniat & Episcopatus sui possessionem accipiat. Perinde plane iustos in patria, & pœnitentibus in via, vtriq; est beatitudo, & ambo beati appellantur, quamuis alter consecratus sit, alter vero minime, vnus reditibus gloriæ & cæli stipendijs gaudet, alter vero in posterum se gaudere speret. Quemobrem huic Antistiti dicitur: [Æmulare, & age pœnitentiam] vt beatus sias hic in spe, & illic in re. En plane quam merito Deus hunc Episcopum, quem supra tepidum nuncupauit, nunc ad æmulationem prouocet, vt per pœnitentiam veram resipiscat & beatus euadat, quoniam æmulatio bona omnino inflammat, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 12. [Æmulamini charismata meliora.]

Innocentes leones mortui.

Pœnitentia maxima vis.

Beatitudo duplex.

Didacus de la Vega in Ps. 2. pœnitentiale conc. 2. fol. 73.

Comparatio. Episcopo non consecrato honor exhibitur.

Tex. 14.

Ecce sto ad ostium, & pulso, siquis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.

Explanatio contextus. §. 1.

COMMENTARIVS.

Eregrinum, & hospitem nostrum, fores ostij nostri plaudentem, hic adamussim se ostendit Christus. Qua plane hospitis metaphora vsus etiam fuit Ioan. 14. dum dixit:

F [Siquis diligit me, sermonem meum seruabit & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus] & etiam Lucæ. 11. dum inquit: [Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c.] Vtrobique namque peregrinum & hospitem nostrum se finxit Christus Redemptor noster, ostium nostrum noctu pulsans vt intrò, vt pote, in visceribus domus conscientiæ nostræ, recipiatur, vt plane receptus ab illa sancta muliere fuit de qua, Lucæ 8. dicitur: [Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quedam Martha nomine excepit illum in domum suam.] Haùd secus etiam modo hic se fingit Dominus, fores clausas huius Antistitis noctè pulsare perseueranter vt ille, audito illud [Attolite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,] mox è somno suo consurgens dicat reuertens in se, vt alter prodigus: [Quis est iste Rex gloriæ,] & si non citò, saltem serò illi aperiat, cumq; recipiat in domum suam, illicq; fiat timpanizatio, & tripudium, & audiatur illa vox: [Gaudere oportebat, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.] Vnde vt aperte sciatur imbecillitas nostræ naturæ vulneratæ per peccatum, qua nemo ab ipso peccato consurgere, neque bonum aliquod morale, & super naturale velle absque Dei gratia, auxilio & ope potest. Iccirco, ait *Sto ad ostium & pulso*, vt inde intelligatur, ipsum semper nos præuenire, & suam porrigere manum. Quod si peccator contemnat, nolens suum ostium, nimirum, suam voluntatem aperire, mox recedit, auxilium retrahendo, & sic obduratus peccator manet in iniquitate sua. Et vt pro certo habeant, per illam pulsationem, Deum corda nostra per influxum sua gratia, vel per exteriores voces prædicatorum, confessariorum, & aliorum piorum virorum, sollicitare dumtaxat, & nullatenus cogere, mox subiungit *Siquis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam intrabo ad illum*, vt inde discant hæretici, quam libera nostra maneat voluntas, quam liberè vtrumque possumus, nimirum, aperire, vel non aperire: quoniam cum Dei gratia, nostra debet cooperari voluntas. Et vt etiam nos discamus, Deum mirum in modum gaudere, & exultare de conuersione peccatoris, qui imo in cælo coram Angelis Dei gaudium magnum esse super vno peccatore pœnitentiam agente, mox subtexuit lætitiæ haùd exigũ signum, dicens: *Et cœnabo cum illo & ipse mecum*, In cœna namq; & in conuiuijs, gaudium I esse solet maximum, ac timpanizatio, & citharizatio, nec non & tripudium, præcipuè si talis cœna, vel conuiuium fiat nuptiarum tempore.

Peregrinum & hospitem nostrum fingit Christus.

Respondit ali quando peccator Deo.

Naturæ nostræ imbecillitas.

Hæreticorum error impugnatur.

Gaudium in cœna & conuiuijs.

§. 2. Potest etiam ista ostij pulsatio dominica, cum nostro doctissimo Magistro Francisco Zumel tom. 3. de Auxilijs, disp. 4. Sect. 1. intelligi de auxilio Dei efficaci supposito sufficienti. Quoniam vel ille ad cuius cor dominus pulsat, dum hic ait. *Ego sto ad ostium & pulso, siquis aperuerit mihi intrabo ad illum*, habet sufficiens auxilium aperiendi ostium, vel non habet: Si habet, habemus intentum, si vero non habet sufficiens auxilium quæro cur dominus pulset? Ignorat forte eos minimè posse aperire? aut fortè non esset stultus, qui pulsaret ostium alicuius, si certo sciret neminem esse intus, qui posset aperire? Cum igitur Deus pulset corda hominum, vt homines aperiant ea, sequitur eis dare auxilium sufficiẽs: cum tamen non omnes aperiant sequitur nõ omnibus dare efficax gratia. Opitulatur huic nostrę sententiæ illud Isai. 65. [Expandi manus meas tota die ad populum non credentem,] & illud Matth. 23. [Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?] & illud Ioan. 15. [Si non venissem & locutus eis fuissem, &c.] ac etiam illud Act. 7. [vos semper spiritui sancto restitistis] De quibus omnibus efformatur querella, eo quod acceperint gratiam sufficientem qua velle possent id quod Deus volebat, & tamen noluerunt, vel restiterunt illi, qui tamen non habuerunt gratiam efficacem. Si enim illam obtinerent, voluissent sine dubio aperire, hoc est, credere quem habuerunt

runt sufficientem gratiam necessariam qua velle possint, aliàs Christus non diceret Ierusalem, volui congregare filios tuos, & noluisti vt habetur Matth. 23.

§. 3. Iustificationē nostram diligenter procurat Deus.

Per hanc igitur metaphoram desumptam ab eo qui noctu è longinquo accedit ad domum amici sui, eum & ad hospitium, & ad cœnam benignè recipientis, ostendit dominus qualiter ipse misericordia motus nostram propediem diligenter procuret, iustificationem stando ad cordis nostri ostium, nimirum, ad nostrum liberum arbitrium & voluntatem, illam interna motione vt potè per appulsum & afflatum Spiritus sancti vel externa vocatione, videlicet, per prædicatorum, & confessariorum exhortationes crebrò ac frequenter pulsando, vt nos illam (remotis procul impedimentis omnibus) aperientes, eum in animam nostram recipiamus. Quare D. Ambros. hunc locum ita per eleganter explanat: [Pulsat dominus (inquit) ad ostium nostrum, cum per scripturam diuinam quotidie nos admonet, vt vitia relinquentes ad bona opera agenda conuertamur. Vocem eius audiuimus & Ianuam aperimus, cum mandata eius tota mentis intentione suscipimus. Ad nos vero intrat cum de nostris profectibus gaudet. Cœnamus nos cum illo cum de spe cælestis gloriæ exultamus.] Hæc D. Ambros: Quadrat explanatio cum Primasio S. Thom. Lyrano, & Dionysio Carthusiano, qui omnes per ostium cordis nostri liberum arbitrium, & voluntatem expendunt. Hoc enim est ostium illud ciuitatis vbi timpanizabat, vel impingebat Rex Dauid 1. Reg. 21. [In libero enim arbitrio nostro, seu potius in mente, corde, & voluntate timpanizat, hoc est, pulsat Christus per Angelicam inspirationem, per motionem internam & externam ad virtutes & ad bonum supernaturale apprimè excitandos Hanc eamdem ænodationem amplexi fuere D. Aug. Psal. 33. Clemens Alexandrinus ad hor. ad gentes, D. Hieronymus super cap. 3. Nahum, & noster Reuerendissimus magister Zumel in suo aureo opere de Auxilijs: tom. 3. disp. 2. & tom. 2. discurs. 5. conclus. 6.

Vocat nos Deus dupliciter.

PARAPHRASIS
Prima.

Par. I.

Dilucidatio textus.

§. 1. Custodia erga nos.

Sto (ait) ad ostium & pulso. Duplex Dei officium & munus erga homines, his verbis attingitur. Primum quidem est, custodire ostium cordis nostri [Nisi dominus (inquit Psalmista) custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam,] Secundum insuper est pulsare, hoc est, vocare. Ceterum relicto alibi custodiæ officio, ad vocationis munus sermo nunc dirigatur noster.

§. 2. Vocatio Dei duplex.

Hæc itaq; diuina pulsatio ad ostium cordis nostri, puta ad fores nostri liberi arbitrij & voluntatis Dei inculcat temporalem vocationem. Gemina siquidem est diuina vocatio. Altera æterna, de qua Apost ad Rom. 4. ait: [Vocat ea quæ sunt tanquam ea quæ non sunt,] & cap. 8. [Quos prædestinauit, hos & vocauit, &c.] Non dum enim natos vocat Deus, sicut & prænoscit, & prædestinat, & iustificat, & magnificat. Vnde est illud, Ierem. 1. [Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te,] Est & altera vocatio temporalis, qua eosdem qui ab æterno vocati & electi fuere, ante quam, nati essent, in tempore demum, vel signo vel voce, vel inspiratione, ad id numeris inuitantur, quo digni habiti sunt. Qualis est illa vocatio, Simonis, & Andreæ, quos vocauit dominus à mare Matth. 4. dicens: [Venite post me faciam vos piscatores hominum,] & illa Matthei sedentis in telonio: [Sequere me] & illa etiam Pauli [Saule Saule quid me persequeris,] Et tandem illa generalis vocatio, qua omnibus loquitur Christus dicens: [Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati istis, & ego reficiam vos] Proculdubio igitur tenendum est, Pulsare, æternalem, simul & temporalem importare vocationē. Quos enim vocauit ab æterno de mundo antequam nati essent, eosdem nunc iterū a mundo vocat, postquā nati fuere. Hanc itaq; duplicem vocationē eternalē, scilicet, & tēporalem hæc Dei pulsatio importat.

Vocatio temporalis.

Vocatio generalis.

§. 3. Vocatio temporalis duplex.

Rursus temporalis vocatio, seu pulsatio subdiuiditur in interiorem & exteriorem. Dupliciter namque, nunc putà, in tempore, videlicet, per temporalem vocationē, Deus vocat pulsat ad hominem, idest, inuitat hominem intrinsecus scilicet, vbi nullus hominum videt, ni si qui vocatur, & extrinsecus, per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, vel etiam, per beneficia & flagella, idque adamussim docet Dionisius Carthusianus in hunc locum per hæc verba [Et pulso per sacram scripturam hortando, per vicarios meos loquendo, per Angelicam inspirationem, per motionem internam, qua moueo mentem ad supernaturale bonum, per beneficiorum collationem, per aduersitatum exercitationem, His siquidē, modis Deus omnipotens cordis nostri pulsat quotidie ianuam.] Hæc Carthus. Et S. Tho. in hunc ipsum locum ita scribit] Et pulso per excitationem, scilicet, terrendo per considerationem pœnæ vel immittē do dolorem de peccatis vel desiderium gloriæ, vel vocando per prædicatores] Ita D. Thomas. De vtraque autem temporali vocatione explanari etiā potest illud Matth. 21. [Cum autem tēpus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperēt fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alios ceciderunt, alium occiderunt, aliumvero lapidauerunt] Vinea enim anima nostra est, serui autem quos pater familias misit ad fructus repertandos, vocationes sunt diuinæ, tam internæ quam externæ, quas Deus pater ad animā nostram prope diem transmittit, quas nos aliquando & procul pellimus, & suffocamus. Inter has duas tempora les vocationes seu pulsationes, fas est animadaertere, externas parum prodesse, nisi Deus loquatur ad cor, non modo docendo interius quid agēdum sit, sed & instillando vim qua agi possit, & qua agatur, ipse enim (teste Apostolo ad Philip. 2.) operatur velle, & perficere. Huc tēdit illud Act. 16. [Aperuit Dominus cor Lidiæ purpurariæ, vt audiret ea, quæ dicebantur à Paulo] hoc est, illud suaueSusurrium de quo Iob. 33 dicitur [Porro dictum est adme verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas Susurri eius,] Hic est ille tactus cordis de quo 1. Reg. 10. dicitur: [Abijt cum Saule pars exercitus quorumDominus tetigerat corda.] Hæc est illa manus de qua Ps. 134 dicitur: [Emitte manum tuam de alto]. Hæc denique est illa vox de qua Iob. 14. habetur: [Vocabis me, & ego respondebo tibi]. Parum itaque prosunt vocationes externæ, nisi Deus loquatur ad cor. Quod plane in cassum nullatenus asseritur. Quoniam si vocationes externæ satis essent, possent proculdubio prçcones Euangelici, nimirum, prædicatores sibi multum arrogare cum eorum vocibus sonantibus, pia corda tanguntur. At Paulus 1. Cor. 3. clamat: [Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Ego plantauit Apollo rigauit] tota Igitur vis, à diuina est vocatione interiore, nam vanum namq; prædicatoris tuba sonat exterius, nisi diuinus spiritus insusurret interius. Quinimmo intrepide dicere queo, quod nemo ad Deum vadit nisi à Deo vocatus interius, iuxta illud Ioan. 6. [Nemo venit ad me, nisi pater meus, qui misit me traxerit eum] propter quod præcatur sponsa Cant. 1. [trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum] tanquam certa se minimè posse currere nisi trahatur.

Vinea dominica quæ sit.

Vocatio temporalis externa nihil prodest absq; interna.

Cor nostrum quando aperit Deus.

Nota bene aureum dictum.

§. 4. Deus in vocatione nostra temporali priorem semper tenet locum.

Porro in hac vocatione, seu pulsatione temporali tā interiore quam exteriore Deus priorem locum semper obtinet. Prius nāq; excitat Deus nostrū liberum arbitriū ad opera saluti conducētia, quam volūtas nostra in illa prodeat. Ideirco in cōuersione Samaritanæ primo dicitur [Venit Iesus in Ciuitatē Samariç] & postea subditur [Venit mulier haurire aquā] & etiam in conuersione

Chananeæ prius dicitur: [Egressus Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis,] & post modum subiungitur: [Et ecce mulier Chananea, &c.]& similia habentur in alijs peccatorum conuersionibus, inquibus omnibus primas semper tenet Deus. Citius enim anteit, præcellit,& precurrit Christus ad destinatum conuersionis locum: vt inde plane colligatur,Deum nulla tenus præueniri à nostro libero arbitrio, quinimo ipsum nostrum liberum arbitrium per excitantem & mouentem gratiam præueniri. Atq; adeo initium iustificationis non à nobis sed à Deo esse,vt ostendit Apostolus ad Rom. 3. dicens: [Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu] Quo loco cum audis: [Iustificati gratis gratia Dei] misericordiam agnosce: [cum vero audis] per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: [Iustitiam,] Quamobrem iustificamur & ex iustitia, & ex misericordia. Et quamuis iustificatio minimè fiat sine fide, tamen quia & ex gratia processit Christi passio atq; fides,gratiæ donum est,ideo in iustificatione primum locum tenet gratia. Hinc iustificatio semper attribuitur gratiæ. Huc pertinet illud: [Misericordia eius præueniet me] & illud sponsi Cant. 5. [Aperi mihi soror mea, amica mea columba mea] & cap. 6. [Vox dilecti mei pulsantis] Quare dominus ipse hoc in loco iure optimo ait [Sto ad ostium & pulso] Si enim Deus stat ad ostium nostræ libertatis, & pulsat,planum proculdubio fit, non prius ostium per consensum aperiri quam Deus ipse pulset. Vnde est illud 1. Ioan. 4. [Non quasi nos dilexerimus Deum,sed quia ipse prior dilexit nos.] De qua re validissimum extat testimonium apud S.Thom.p.2. q.109. art.3. dispungentem de gratia præueniente,& q.113. disserentem de iustificatione. Id que perspicuum euadit ex Concil. Arausicano 2. ita in canone 3. definiente: [Si quis per inuocationem humanam, gratiam Dei dicit posse conferre, non autem ipsam gratiam facere vt inuocatur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus,palam apparui his, qui me non interrogabant] & ex Concil. Trident. sess. 6. cap.5.per hæc verba: [Declarat præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Deo, per Christum Iesum, præueniente gratia sumendum esse, hoc est,ab eius vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur.] Ad hanc tandem veritatem corroborandam, adiuuant miruminmodum illa verba Christi domini Ioan. 15. [Sine me nihil potestis facere] & illa etiam paulina sententia: [Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.] Ac etiam illud Ioan. 6. [Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.] Quibus verbis apertè monemur quod solus Deus perfectè trahere potest, & efficaciter, quia solus potest spiritum dare, & cor lapideum auferre. Potuit quidem Moyses externe docere & monere, potuit & suis Spiritum sanctum optare, & precari: sed spiritum eis dare non potuit: possunt insuper Apostoli plantare & rigare,solus autem Deus incrementum dat. Monemur igitur, vt semper oremus, & nunquam deficiamus, quia sine Deo nihil possumus facere. Vnde Apostoli: [Domine (inquiunt) adauge nobis fidem] & sponsa: [Trahe me post te,] & Dauid: [Deduc me in via tua,] Ex quibus omnibus aperte concluditur, quod Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.

Primas tenet Deus in conuersione peccatoris.

Iustificationis initium à Deo est.

Iustificatio est gratiæ donum.

Iustificationis exordium in adultis sumendum est à gratia præueniente.

Ioannes Ferus in Ioannem.

Psalm. 85.

Collige primò ex hucusque dictis, quam per pulchra methaphora vsus sit noster vates, ad ostendendam Dei curam & vigilantiam circa nostram operandam salutem, & quomodo misericordia sua semper nos preueniat Deus. Nequit plane aliquis vel vnum passum in sua iustificatione dare, quin Deus eum præueniat. Reperit namq; peccator iustificatus eum expectantem & ad fores Domus suæ assidentem & pulsantem: inquo ingens desiderium nostræ salutis apprimè ostenditur. Iccirco loquens Salomon de sapientia increata inquit cap 6. [Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit,assidentem enim illam fori-

Corollarium primum.

F bus domus suæ inueniet,] vbi nota illud [De luce] quadrat enim hoc cum illo Osee in cap.6. [Quasi diluculum erit præparatus occursus eius, & veniet quasi imber matutinus & Serotinus,] Venit quidem Deus ad vocandum nos quasi diluculum,iuxta illud. [Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam] Quoniam ab ineunte ætate, ab incunabulis (vt aiunt) sua misericordia nos vocat, & ad fores domus nostræ pulsat, vt præstitit cum Samuele, Baptista,& Heremia. Venit itaque quasi imber matutinus & Serotinus,quorum primus ad seminandum est necessarius, secundus vero ad germinandum. Est namque Deus imber matutinus & Serotinus, quia sine illo nihil possumus neque alicuius boni cogitationem in corde nostro seminare,neque illius fructum meritorium colligere.

Imber matutinus & Serotinus Deus.

Collige secundò & Postremo, Deum nunquam habitaculum mentis nostræ ingredi, ostio non pulsato, G prius enim fores pulsat inspirationibus, vocationibus, & alijs gratuitis auxilijs, quam ingrediatur intus. Ideo languido prius dixit: [Vis sanus fieri?]

Secundum corollarium.

Ioan. 5.

Conceptus prædicabiles in textum.



ONTRARIVS omnino apparet locus iste Apocalypseos: [Sto ad ostium & pulso] verbis Christi dicentis Matth. 20. [Simile est regnum cælorum homini patri familias, qui exit primò mane conducere operarios in vineam suam,] Si enim Deus semper stat ad H ostium & pulsat,hoc est vocat, qui rogo subsistere potest, quod aliqui vocentur, primo mane, alij hora tertia, & ita de alijs? & vice versa si aliqui homines vocantur primo mane, alij hora tertia, & ita de alijs, quomodo Deus semper pulsat vocando? Decisio huius dubij ex eo patebit, quod duplex est pulsatio (vt prodit Abulensis) quædam enim est pulsatio leuis, qua Deus semper animum pulsat: alia vero efficax, qua tunc pulsat quando vult. Inter quas duas pulsationes hoc plane grassatur discrimen, nimirum,quod quando Deus efficaciter pulsat,semper mouetur homo ad Deum: Secus autem se habet in leui pulsatione, qua non semper mouetur homo ad Deum. In parabola autem illa vineæ sermo est de pulsatione siue vocatione efficaci,& quia ista non fit semper, quinimo circa quosdam fit in flore iuuentutis, circa alios in virili ætate,& circa quosdam in senectute ideo distincta I est per horas in illa parabola, puta, per primum mane,per horam tertiam, sextam, & nonam. Per quas quidem horas, ætates omnes vitæ nostræ prorsus inculcantur. In hac vero metaphora Apocalypseos qua Deus hospitem se fingit pulsantem ad fores nostræ mentis, & voluntatis, sermo vtique est de pulsatione leui quæ fit semper & omni tempore, & nullatenus distinguit horas, quamuis homo pulsatus aut vocatus non respondeat omni tempore, sed aliquando citius,aliquando vero tardius,& aliquando numquam, vt patet in plerisq; reprobis. Hæc porro gemina pulsatio, vt pote efficax & leuis,respondet mirum in modum illi Euangelicæ cænæ de qua Matth. 22. dicitur: [Homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos, &c.] Ad quam plane quemadmodum K nemo non vocatus accessit, ita neque omnes qui vocati fuerunt, venerunt. Plerique namq; venire respuerunt. Qui ergo vocati venerunt, pulsatione efficaci vocati fuerunt, qui vero vocati venire respuerunt, pulsatione leui vocati vtique extitere eo quod vocantem contempserunt. Rursus de efficaci pulsatione accipitur illud ad Roman. 8. [Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti] de pulsatione vero leui accipitur illud: [Vocaui vos & renuistis,ego quoque in interitu vestro ridebo]

Concept. 1. de gemina pulsatione diuina.

Tostatus in cap.20. Matth. tom.5.q.6.

Cena Euangelicæ consulitur in duplici cõsideratione versantur.

debo] Quoniam vocati venire neglexerunt tanquam gratiæ ingrati, iusto supplicio puniuntur. Hic plane alludere verba domini Ioan. 10. [Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me,] ex quibus verbis elicitur quod qui secundum diuinum propositum vocantur, ad extremum, vocem domini audiunt, & ipsi ab eo exaudiuntur vt aparet in Petro, quem flentem amarè respexit Christus, & in Magdalena, & Latrone, quos penitentia ductos beatificauit dominus. Ex quo colligito, quod illi quos damnandos præsciuit Deus iusto iudicio, vel ad extremum non vocantur, vel vocati sponte sua resiliunt, Deo id permittente, qui sicut non est mali auctor, ita iustus vltor est.

Concept. 2. quod Deus ad ostia nostra varijs pulsat modis.

DOctor Igcognitus in hisce suis cõmentariis introducit quemdã antiquum auctorem, nomen [Helinandum,] ita scribentẽ: [Deus pulsat pluribus modis scilicet beneficijs, flagellis, punitionibus, minis, exhortationibus, miraculis] Et optimè quidem. His enim vijs pulsat Deus ad pœnitentiã. Quãobrem illud Cant. 1. [Vox dilecti mei pulsantis] sic transfert Lyranus: [Pulsantis me ad pœnitentiam] iuxtam quam loquendi phrasim, Deus erit pœnitentiæ pulsator. Qui plane loquendi stylus Deo mirum in modum conuenit. Pulsauit enim Deus ostium Salomonis, beneficijs, vt indicant illa verba 3. Reg 3.

Pœnitentiæ pulsator Deus.

[Dixit Dominus Salomoni, quia postulasti verbum hoc & non petisti tibi dies multos, nec diuitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc que non postulasti dedi tibi diuitias, scilicet, & gloriam vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus] Pulsauit ostium Dauid, mille flagellis, vt ipse met palàm fecit dicens: [Et fui flagellatus tota die & castigatio mea in matutinis.] Porro ostium Pharaonis, infinitis pulsauit Deus punitionibus, id que clarè ostendunt illa verba Exod. 3. [Extendamq; manum meam & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus sum in medio eorum] Item ostium Israelitarum, minis pulsauit Deus, vt demonstrat illa cælestis Ieremiæ visio, qua dicit Dei vates: [Virgam vigilantem ego video] & paulo post: [Ollam succensam ego video.] Rursus ostium Ierosolimitarum exhortationibus pulsauit Deus, vt patefaciunt illa verba domini, Math. 23. [Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pulos suos sub alas, & noluisti?] Postremo ostium Apostolorum, infinitis pulsauit Christus miraculis, vt adamussim patefaciunt illa verba Ioan. 2. [Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius] Quibus omnibus pulsationibus in dies etiam nos ad pœnitentiam pulsat, quinimò ipse egregio encomio amoris, animas nostras propè diem pulsat ac solicitat dicens eis illud Cant. 5. [Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium] Quo plane dilectionis Epithalamio, diligentiam indicat sponsus, qua animam nostram quærit Deus, quæ tam ingens vique est, vt eum & nocte ambulare, & capite discooperto incedere cogit. Sed quid sponsa respondeat audiamus: [Expoliaui me (inquit) tunica mea, quomodo induar illam, laui pedes meos quomodo inquinabo illos?] Quæ plane verba Theodoretus ad pigritiam animæ refert, quæ Deo vocanti ipsam, non assentiur, sed delecta in delitijs, surgere non vult, vt ostium aperiat pulsanti, talis negligentia nostra. Qui per fenestram, quæ in via aguntur respicit, si a tergo Dominus portam habet, sæpius euenit, vt vocantis vocem non audiat, viæ strepitu impeditus: sic qui omnes sensus nostros terrenis rebus occupamus, Deum post

Pulsauit Deus ostium Dauid.

Pulsauit Deus ostium Pharaonis.

Amoris signa.

A tergo vocantem non audimus. Iccirco Euangelicus vates Isaias in cap. 45. acclamat: [Redite præuaricatores ad cor,] idest, ad vos ipsos, reiecto omni, qui à foris est, strepitu, vt Deum audiatis pulsantem, & intra vos ipsos introducatis, qui se hospitem nostrum prabet. Quamobrem pulsare Deum ostium nostrum, nihil aliud proculdubio erit, quam, ipse petere, vt benignè à nobis admittatur. Iccirco quidam ex recensioribus in hunc locum: [Sto ad ostium, &c.] ita optimè scribit: [Ne forte desperaret Episcopus, Christum sibi propitium futurum aut se ad priorem statum redire posse quoniam dixerat sed quia tepidus & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo; Ac si diceret. Etiam si a te exclusus, ad te iterum salutis tuæ studio redeo, & quasi hospes

Franciscus Ribera in commen.

B ostium tuum pulso, vt mihi aperias, & me in animam tuam recipias,] Sic ille. Ex quibus verbis, alius recensior auctor ansam arripuit affirmandi Deum hoc in loco dixisse, se ad ostium stare, & pulsare, vt sic intelligeret Episcopus quod licet dixerit: [Incipiam te euomere ex ore meo,] magis dictum fuisse, vt eum ad pœnitentiam incitaret, quam vt ad desperationem induceret.

Iacobus Suarez à sancta Maria serm. 23 in Apoc. fol. 335.

Concep. 3. Quod Deus quatenus finis naturalis, ratione poterit cognosci, non quatenus super naturalis.

EX hoc loco Apocalypseos possunt plane reconciliari duo loca, quę à prima fronte videntur ex diametro opposita. Dauid etenim loquens de Deo ait: [Quo ibo à spiritu tuo, & quo a facie tua fugiã? si ascẽdero in calũ tu illic es, si discendero in infernũ ades, &c.] Quibus verbis ostẽdit sanctus vates quod nuquã a Deo quis fugere potest

C nec ratione altitudinis loci, vel profunditatis, nec minus ratione latitudinis vel velocitatis At. S. Iob è contra in cap. 23. exclamat: [Si ad orientem iero, non apparet, si ad occidentem non intelligam eum. Si ad sinistram quid agam? non apprehendam eum, si me vertam ad dexteram, non videbo illum.] Perinde ac diceret sanctus vir. Quo me vertam vt Deum inuenire possim? Quoniam si ad orientem pergo ad pulchritudinem solis contemplandam non apparet, quia infinitus cum sit, non potest finito lumine sufficienter cognosci. Si ad occidentem iero ad planetarum motus considerandos. Vel si forte ad dexteram vel sinistram, vbi duo poli & maior luminis multitudo viget, etiam harum perfectionum ratione habita, sufficien em Dei cognitionem obtinere nequeo, Vestigia quidem eius secutus est pes meus, verum illum apprahendere, aut perfectè cognoscere non potui.

D Sed quid ais sanctus Iob, quod neque ad orientem, neque ad occidentem, neque ad dexteram neque ad sinistram Deum inuenire poteris? Miror tale verbum ab ore tam summi Philosophi, theologi & vatis Dei egressum fuisse. Nonne vides, ò vir Dei apertam & manifestam repugnantiam & contradictionem inter te, & Psalmistam loco citato? Estote ergo attentissimi. Duobus namque modis Deum possumus cognoscere. Primò siquidem quatenus causa est & finis naturalis omnium rerum, nimirum, quatenus primum est productorum principium, summumq; bonum, & prima pulchritudo, a qua omnia suum esse, suamque pulchritudinem, participatam habent. Secundo vero modo, Deum cognoscimus quatenus finis super naturalis est & cælestium bonorum auctor et in quantum videlicet remunerator operum nostrorum est, & calestis gloriæ largitor. Primum itaque cognosci potest naturali lumine, puta per creaturas, iuxta

Conciliantur Dauid & Iob.

E illud ad Roman. 1. [Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas,] & sic venit intelligendus psalmista. At vero secundum nequit cognosci, nisi lumine fidei, & sic intelligendus est sanctus Iob, quo plane sensu impossibile est Deum inuenire, aut cognosci, nisi prius ipse se manifestet, hoc est, nisi prius ipse fores nostræ voluntatis, sua preueniente gratia, pulset. Hac de causa totus meus Christus, & Redemptor, ad totum me miserum,

Deus per creaturas quomodo cognosci nequeat.

de miserabilem peccatorem prope diem fortiter pulsat: Caput enim Christi pulsat ad caput meum, vt ob illius crudeles spinas meas iniquas dimittat cogitationes. Oculi Christi ad oculos meos pulsant, vt relinquant vanitatem. Manus Christi ad manus meas pulsant, ne tangant aliena. Os Christi ad os meum pulsat, ne aduersus proximum vnquam aperiatur. Lingua Christi ad linguam meam pulsat, ne fit dolosa. Aures Christi, ad aures pulsant meas, ne aliorum vitam, acta, & mores malos exaudiant. Pectus Christi ad pectum meum pulsat, ne vitijs delectetur mundanis. Cor Christi ad cor meum pulsat, vt illud ei præbeam. Pedes Christi ad pedes meos pulsant, ne currant ad malum. Carnes denique Christi ad carnes meas pulsant, ne carnalibus perfruantur delectamentis, imo crudeliter flagellentur, macerentur, ac ieiunijs, cilicijs, vigilijs, alijsq; asperitatibus euangelicis in dies multentur, pro eo qui passus est pro me.

Oculi Christi pulsant oculos nostros.

Os Christi pulsat os nostrum.

Aures Christi pulsant aures nostras.

Pedes Christi pulsant pedes nostros.

DISPVT. VII.

In Cap. III. Apocalypseos de diuinis auxilijs.

In septem quæstiones distributa super illa verba: *Sto ad ostium & pulso.*

Prologus disputationis.



NATVRAM nostram vulneratam ac corruptam diuino indigere auxilio & ope docuit admirabili stylo Angelicus doctor in suo aureo opere de gratia, quod in fine 1. 2. diuinitus inseruit, & cum in illa corruptione sua semper polleat libertate nequit ipsa velle, vel operari aliquod super naturale bonum aut ad illud moueri, nisi ipsius liberum arbitrium pulsetur à Deo qui semper & ad ostium nostrum (vt hic dicitur) stat & illud pulsat. Et quamuis hæc diuina pulsatio ad gratiam praeuenientem directè pertineat, vt supra protulimus, tamen de illa sub auxiliorum diuinorum nomine, aliquas astruere quæstiones, operam hic nauamus, eò quod grauis illa materia & disputatio de gratia praeueniente Theologis tam necessaria ad enodandam prædestinationem, iustificationem, pœnitentiam, & his similia, iam non sub proprio nomine gratiæ praeuenientis, quinimo sub diuinorum auxiliorum nomine a neotericis exagitatur, & indagatur. De qua plane re agunt noster Reuerendissimus Magister Franciscus Zumel in 3. tom. de Auxilijs, Didacus Aluarez Archiepiscopus Tranensis in 11. lib. de Auxilijs. Robertus Bellarminus cont. 3. lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 12. Ludouicus Molina, in Concordia q. 14. art. 13. disp. 38. Franciscus Suarez lib. 3. de Auxilijs capit. 6. & Gabriel Vasquez p.p. q. 23. disp. 88. cap. 11.

(∴)

Quæstio I.

Vtrum auxilium diuinum differat à concursu generali?



NEMO est inter Theologos qui de hac differentia ambigat. Duobus enim modis concurrit Deus cum omnibus creaturis. Primò siquidem vt causa naturalis, quo plane pacto concurrit cum igne ad calefaciendum, cum aqua ad refrigerandum, &c qui plane concursus, quoniam debitus est, & nemini denegatur appellatur naturalis. Secundò vero modo concurrit Deus cum creatura rationali ad finem & actionem supernaturalem, vt ad credendum, diligendum Deum, resurgendum à peccato, ad acquirendam beatitudinem, & reliqua. Qui plane concursus nuncupatur à Theologis auxilium supernaturale, & speciale vt rectè prodit Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 2.

1. Conclusio. Auxilium diuinum distinguitur à concursu generali.

Auxilium diuinum quid sit.

Animaduertas tamen hic oportet, motionem illam diuinam generalem (quam prouidentiam vel concursum generalem alij appellant) non deberi personę, sed naturæ, auxilium vero diuinum, siue concursum specialem, neque naturæ, neque personæ deberi.

Appendix.

Quæstio II.

Vtrum auxilium diuinum speciale rectè diuidatur in auxilium sufficiens & auxilium efficax?

CONCLVSIO est affirmatiua, & communis omnium Theologorum patrum. Quoniam omnes illi tam Græci quam Latini, auxilio sufficienti, & auxilio efficaci crebrò vtuntur, loquendo de animarum nostrarum salute. Appellamus tamen auxilium sufficiens illud, quo si homo vult potest ad Deum venire, efficax vero illud dicimus, quo de facto venit, libera tamen manente nostra voluntate. Auxilium tamen sufficiens (nimirum, prædicationes, inspirationes sanctæ, admonitiones amicorum, timor gehennæ, spes regni cælestis, tribulationes, miracula, exempla aliorum, & alia pleraque his similia Dei auxilia antecedentia, & præuenientia ad ipsum actum pœnitentiæ) aliquando redditur inefficax, quoniam illo à Deo peccatoribus elargito adhuc illi attrita fronte & obfirmato animo in suis peccatis perseuerant, & in simili euentu, illa diuina auxilia sufficientia posita, redduntur inefficacia, vt videre est in illis de quibus ad Roman. 10. dicitur: [Non omnes obediunt Euangelio, Isaias enim ait, domine quis credit auditui nostro,] & in illis qui dicuntur obdurare corda sua Psalm. 57. ac etiam in illis quod diuinus Citharœdus admonet Psal. 94. [Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.] Quod autem auxilium sufficiens reddatur in aliquibus inefficax, nullatenus est ex parte Dei, quinimo ex parte nostra, ex eo scilicet, quod non cooperemus bene cum illo. Hinc est illud [Peccatum ex te, auxilium ex me.] Hæc sunt certa apud omnes Theologos, & nequeunt aliquo modo à catholico negari, aut aliquo modo infringi.

Conclus. 1.

Auxilium speciale diuiditur in auxiliũ sufficiens & auxilium efficax.

Nota circa auxilium inefficax.

Osee 13.

Quæstio III.

Vtrum auxilium efficax adæquatè inducat humanam voluntatem vt consentiat actu?

Errores hæretic. circa gratiam, & liberũ arbitrium.



RO decisione huius difficultatis, quæ maxima quidẽ est inter Theologos huius nostri sæculi disputãdo de gratia efficaci, præmoneo primò, circa gratiam, & liberum arbitrium, olim duos extitisse hæreticorum errores. Primus fuit Pelagij affirmantis solam legem, & doctrinam externam docentem quid faciendum, sufficere ad actus salutis absque aliqua gratia interna, & supernaturali in intellectu, & voluntate, & dari ad summam gratiam iustificantem, ad solam remissionem peccatorum, non ad iuuandum liberum arbitrium, darique propter meritum actionum, quas arbitrium ex se solo exercuit. Hũc errorem correxerunt semiPelagiani addendo gratiam esse necessariam ad omnes actus salutis, præterquam ad primum actum fidei, quem affirmabant à solo arbitrio elici, & sic esse meritorium præuenientis gratiæ, quæ dabatur postea ad actus sequentes, & ad rationem quare huic & non illi gratiã dat, & hunc, non illum prædestinet Deus. Secundus error fuit Lutheri, qui adeò magnificauit gratiam, vt nihil libero arbitrio relinquerit, affirmando gratiam esse solam causam actus boni, & voluntatem, nec efficaciter quidem concurrere, sed mere passiuè in se recipiendo actum gratiæ, vel causatum à gratia, & esse quoddam inane instrumentum quod ex se nullum habet motum, sed mouetur ab agente, quò ipse vult. Hoc Lutheri delirium animaduertens Caluinus concessit gratiam non ita mouere liberum arbitrium, vt illa sola sit causa actus boni, id propterea admisit liberum arbitrium concurrere cum gratia effectiuè ad hunc actum, affirmando gratiam diuinam vnà cum libero arbitrio, concurrente Deo, esse efficacem, ita vt voluntas resistere nequeat, immo si simul ponatur, opus esse vt voluntas exerceat actum, ad quem per gratiam mouetur efficaciter, quoniam secundum ipsum, gratia est talis, vt voluntas resistere non possit, & per consequẽs affirmat, quod per gratiam aufertur arbitrij libertas non autem efficacia, vt volebat Lutherus. Nostrates tamen Catholici Doctores Theologi medium inter hos errores catholicè tenentes, gratiam efficacem cũ libero arbitrio conciliare nituntur, & quamuis inter sese in multis conueniant, in explicanda tamen gratiæ efficacis natura in duas abiere sententias, quas hic qua potuero diligentia summatim proponam, vt quiuis meliorem pro se eligat.

1. Opinio de auxilio efficaci.

Prima itaq; Catholicorũ Theologorũ sententia (quæ mihi magis sane arridet) ponit immediatum diuinum illius superioris diuisionis gratiam, siue auxilium, præueniens. Quamobrem iuxta hos Theologos auxilium efficax (in rigore loquendo) adhuc est præueniens liberam cooperationem arbitrij, quam physicè, & efficienter prædeterminat ad liberum consensum. Vnde gratiam efficacem constituunt in quadam qualitate supernaturali à Deo immissa in voluntate, quæ ita illã determinat ad actum, antequam ipsa se determinet, vt impossibile sit gratiam illam poni in voluntate, & effectum liberum non sequi in quolibet actu supernaturali. Quamobrem auxilium sufficiens, & auxilium efficax, non solum distinguuntur inter sese in genere beneficij, vel in genere doni, vt gladius datus alicui

A tempore pacis, & tempore belli, verumetiam distinguuntur per aliquod sibi intrinsecum, eo quod auxiliũ efficax secundum se, & vt venit à Deo, obtinet saltem intentionaliter aliquam realem virtutem sibi intrinsecam, quam non habet auxilium quod est tantum efficax. Istud probo in conuersione Pauli, Mariæ Magdalenæ, Dimæ latroni, & aliorum, quorum conuersio est omnino miraculosa in sacra pagina. Ad hoc enim vt Paulus ad illam vocem Dei: [Saule Saule quid me persequeris?] caderet in terram dicens: [Domine quid me vis facere?] plus requirebatur quam sufficiens gratia: Hoc autem plus nequit esse aliud, quam auxilium efficax, quod Adrianus in 4. sent. de sacramẽto pœnitentiæ q. 3. & Soto in 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 1 gratiam superabundantem, vel aliquid plusquam diuinam assistentiam appellant, ad hoc vt distinguatur à gratia sufficienti, vel à diuina assistentia: Abulensis B vero cap. 19. Matth. q. 182. innixus doctrinæ D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 5. auxilium actuale illud vocat, vt distinguatur ab habituali, vt si quis moueret sapientem ad sapienter loqui, vel agere, aliud tunc plane esset illud per quod sapiens redderetur, putà, habitus sapientiæ; & aliud per quod sapienter moueretur, scilicet, impulsus, vel excitatio exterior facta; primum pertinet ad aliquid habituale, nimirũ, (vt dixi) ad habitũ sapientiæ secundũ vero ad aliquid actuale externũ: Sic aliud est hominem eleuari ad bene agendum, quod fit per auxilium sufficiens, & aliud est determinari iam ad bene agendum, quod fit per axilium efficax quod ipse appellat actuale. Igitur, &c. Ex quibus omnibus dicimus cũ nostro Reuerendiss. Magistro Zumel, quod auxiliũ sufficiens constituit in suo genere potentiam in actu primo supernaturali respectu finis ad quem ordinatur, sed non constituit eam in vltima actualitate, neque C in actu primo omnino adæquato, & completo: At vero auxilium efficax diuinæ gratiæ peculiarem vim & efficaciam habet adæquatè ad inducendam humanam voluntatem, vt consentiat actu, & re ipsa, liberè cooperante ipsa voluntate. Vnde Deus per illud auxilium efficax præmouet, & determinat in genere causæ efficientis propriè imprimendo voluntati formam, physicè eam prædeterminantem ita efficaciter, vt impossibile sit, vt illa posita, effectum liberè non sequi, & sic remanet ipsa voluntas in esse passiuo libero, & spontaneo. Per quæ omnia patet responsio affirmatiuè ad titulum quæstionis.

Act. 9.

Mag. Zumel tom. 1. de auxilis disp. 2. conc. 3.

Secunda opinio de auxilio efficaci.

Secunda opinio Catholicorum constituit auxilium efficax in gratia præueniente à Deo posita in voluntate, & in intellectu, & in vtriusque potentiæ excitatione, quæ gratia vt sit efficax præter eam supernatura- D lem quam à Deo accipit, necessario requiritur, vt tribuatur in illis circumstantijs, in quibus Deus præcognouit ita aptari voluntati, vt si per gratiam voluntas præmulceretur sit infallibiliter datura consensum. Et hanc gratiam, vocationem congruam appellant. Præter ergo gratiam præuenientem necessariam, dicunt gratiam adiuuantem dari, quæ vnà cum libero arbitrio, vt causa magis principalis, piam actionem eliciat. Et hoc ratiocinandi modo satis abesse credunt isti Doctores ab erroribus Lutheri, & Caluini, dum nullam admittunt gratiam tam efficacem, cui voluntas si vult dissentire non valeat. Existimant præterea sufficienter reddere rationem gratuitæ prædestinationis, affirmando, Deum præuidere varia media, quibus infallibiliter perducit ad gloriam, quæ plane media non prædeterminant physicè, sed moraliter voluntatem, & talia sunt, vt ipsis positis, possit effectus non sequi. Et sic E non fundant prædestinationis infallibilitatem in natura mediorum, quæ ad consequutionem finis exhibentur, quoniam cum ipsa non prædeterminent physicè, sed moraliter, & talia sint, vt ipsis positis possit effectus nõ sequi, & quãdo causa est huiusmodi naturæ, vt eã posita possit sequi, & nõ sequi effectus, infallibilitas in ea esse minimè potest: & sic per consequens ponunt causam infallibilitatis prædestinationis scientiam Dei. Quoniã licet auxilia sint huius naturæ, vt possit voluntas consen-

sent-

entire,& diſſentire,tamen cum Dei ſcientia falli non poſſit,præcognouit voluntatem eſſe conſenſuram, & ſic infallibilitatem fundane in diuina præſcientia,& nó in aliquibus medijs. Suſtentabilis plane eſt hæc ſententia,ſed prior magis mihi arridet.

Quæſtio IV.

Vtrum auxilium ſpeciale Dei neceſſarium ſit ad conuerſionem?

6. Conclus. Auxiliú ſpeciale Dei requiritur neceſſario in conuerſione peccatoris. 1. Ratio.

CONCLVSIO eſt affirmatiua & de fide,probaturq; primò ex illo Ioan. 6. [Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus qui miſit me traxerit eum.] Qui locus directè de auxilio Dei ſpeciali intelligendus venit, alioquin nullam haberet energiam. Quoniam ſine auxilio generali, neque folia arboris mouentur: quare nihil egregium de iuſtificatione dixiſſet. Perſpicua itidem ſit concluſio ex illo Apoſt. 2. Cor. 3. [Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.] Hûc alludit illud Ierem. 18. [Conuerte me Domine, & conuertar.] & Thren. 5. [Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.] & Oſeę 13. [Perditio tua Iſrael ex te, tantummodo ex me auxilium tuum.] & ad Philip. 1. [Ipſe qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque ad diem Chriſti.]

2. Ratio.

3. Ratio. Tertio patet ex D. Thom. qui in p. 2. q. 112. diſputans an requiratur aliqua præparatio, & diſpoſitio ad gratiam, ex parte hominis ita ſcribit: [Gratia dicitur dupliciter. Quandoquidem ipſum habituale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei mouentis animam ad bonum. Primò igitur modo accipiendo gratiam præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma poteſt eſſe, niſi in materia diſpoſita, ſed ſi loquamur de gratia ſecundum quod ſignificat auxilium Dei mouentis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præueniens diuinum auxilium, ſed potius quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum. Et ſecundum hoc ipſe bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparat ſe ad donum gratiæ ſuſcipiendum eſt actus liberi arbitrij moti à Deo, &c.] Hæc ſanctus Thomas. Et idem videtur aſſerere q. 113. diſputans de iuſtificatione quæ nequit eſſe abſque auxilio ſpeciali Dei.

4. Ratio. Quarto probatur ex D. Auguſtino qui lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. aſſerit quod niſi donum Dei eſſet noſtra conuerſio, non ei diceretur Domine Deus virtutum conuerte nos. Id etiam Paulus Rom. 9. docet comparans hominem ſecundum vires naturales luto figuli, quod non ſolum efformatur, ſed molleſit: præparaturq; vt formam recipiat.

5. Ratio. Accedit poſtremo, quod noſtra conuerſio in Deum, & iuſtificatio, opus eſt ſupernaturale; quod ſemper gratiæ attribuitur: Quod nullatenus eſſet niſi auxilium ſpeciale Dei neceſſarium eſſet ad conuerſionem noſtram in Deum.

Nota bene. Pellagianorum errores tres.

Hæc concluſio, hîc, & appoſita, & probata vtique eſt aduerſus Pelagianos, qui olim (vt ſupra iam inſinuaui) contra nos, hos aſſeuerabant errores, nimirum; hominem naſci ſine peccato originali; hominem ex proprijs actibus gratiam Dei mereri, hominem poſſe ſine auxilio Dei ſpeciali bonum facere ex ſe ipſo, & totam legem Dei implere. Quæ omnia ex dictis in hac concluſione omnino ruunt.

Controuerſia maxima in-

Inueoir tamen inter Catholicos, circa neceſſitatem huius auxilij ſpecialis, & motus Dei præuenientis,

F Scotum, & Sotum tamquam duos validiſſimos arietes intrepidè inter ſeſe arietare. Scotus enim in 4. ſent. diſt. 14. q. 2. art. 2. ita ſcribit: [Peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia Dei conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuũ Dei, & vt legem diuinam, & vt auerſiuum à Deo, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionẽ gratiæ, & ille dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſiue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis.] Et ſubdit inferius: [Quod ſi illa attritio ſit perfecte circunſtantionata in genere moris videtur omnino diſpoſitio ſufficiens ad iuſtitiam, aliàs difficile (inquit) eſſet ſaluare, quod apud Deum non eſt acceptio perſonarum. Quare ille (inquit) actus attritionis immutatus, dum confunditur gratia, fit contritio.] Hæc Scotus.

Inter Scotum, & Sotum circa neceſſitatem auxilij ſpecialis.

Scotus tollit auxilium ſpeciale in conuerſione, cuius loco ponit meritum de congruo.

G Contra quem, Soto in 4 ſent. diſt. 14. q. 2. art. 5. ita intrepidè inſurgit dicens: [In quibus quidem verbis, tria ſunt, quæ cenſura indigent. Primum quod obiectum attritionis poteſt offenſam Dei, contra quod diſt. 17. q. 2. diſputabimus, nam illud eſt proprium obiectum contritionis: attritio vero ſolum eſt propter pœnas. Secundum eſt quod actus naturales ponit eſſe meritorios gratiæ de congruo, & eos (quod peius eſt) ſufficere aſſerit, vt diſpoſitionem ad iuſtitiam coram Deo. Quod forte peiori cenſura quam malè ſonantis dignum eſt, tametſi menti Catholici viri, quam ſanam eſſe non dubito, nullam ſiniſtram notam inuſerim: præter quam quod Durandum habet, & nominales nullos in ſua opinione conſortes. De qua ideo re in Concilio Tridentino multis diebus litigatum fuit, vbi meam rogatus ſententiam lib. 2 de natura, & gratia cap. 3. & 4. ſcripſi.] Ita Sotus in Scotum.

Soto in conuerſione tollit meritum de congruo, & eius loco ponit auxiliũ Dei ſpeciale

H Et paulo infra conatur Soto induere Scotum in erroris Pelagiani definitionem, dum ſic ſcribit: [Hæc erat litis conteſtatio inter catholicos & Pelagianos, quod Pelagius dicebat ex naturalibus noſtris viribus poſſe nos iuſtificari. Sed ait Scotus, & eius ſequaces, quod quamuis diſpoſitio illa naturalis noſtra, ſit ſufficiens ad iuſtitiam, tamen Deus infundit gratiam. Sed tamen profectò reſponſio non facit ſatis, nam litigium cum Pelagio non erat de qualitate illa, quæ eſt gratia, per quam formaliter iuſtificamur: quoniam vſque ad Concilium Vienenſe, multo poſt tempore, nulla fuit mentio habita de illa infuſione qualitatis, neque vero Pelagius negaret illam qualitatem infundi a Deo, ſed quæſtio erat de cauſa efficienti per quam conuertimur.]

Argumenta Soti in Scotum aduerſus meritum de congruo, in conuerſione noſtra.

Poſt hæc inſurgit Soto in Scotum quibuſdam reſponſionibus D. Auguſt. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. & Tridentina Synodo in cap. 5. ſeſſ. 6. ſtatuente exordium

I iuſtificationis in adultis, à preueniente gratia ſumendum eſſe. Et tandem ſubiungit rationes de merito pro vt ſancitum fuit in Concilio Auraſicano 2. cap. 18. & illud etiam de merito de congruo, quod per aliquot dies diſputatum fuit in Concilio Tridentino, & alia multa, quæ patres in Concilio Paleſtino, Mileuitano, & Arauſicano decreuerunt, omne nomen meriti de congruo ante gratiam prorſus exhorrentes. Et tandem ſoluit D. Thom. dum p. 2. q. 114. art. 3. agit de merito de congruo dicens ſanctum Thomam agnouiſſe meritum de congruo, non quod congruitatem poneret in merito, ſed in Deo, cui recompenſatio congruit.

S. Tho quomodo intelligendus circa meritum de congruo.

K Durandus demum in 2. ſent. diſt. 29. q. diſputans, an ſine dono ſupernaturali, & motione ſpeciali Spiritus ſancti, homo poſſit ſe ad gratiam præparare; venit attentè legendus in num. 5. 6. & 7.

Quæstio V.

Vtrum auxilium speciale quo ad sufficientem gratiam, seu quoad diuinam assistentiam Deus omnibus concedat, & nulli hominum deneget, quo mediante possit quis ad gratiam & pœnitentiam, & ad gloriam peruenire?

1. conclus. Media necessaria ad cõsequutionem gloriæ Deus concedit omnibus hominibus.



PRO decisione est prima conclusio. Deus tribuit omnibus hominibus in hac vita existentibus media necessaria ad consequutionem gloriæ. Hæc est communis omniũ Theologorum in 1. sent. dist. 40. & 41. & recensiorum in materia de prædestinatione, Adriani etiam in 4 q. 1. de pœnitentia. Soti dist. 15. q. 1. art. 1. & latius p. de natura & gratia cap. 18. & Andreæ à Vega lib. 13. in Concil. Triden. cap. 12 & 11. Probatur tamen. Tum quia sanctus Thomas 3. p. q. 86. art. 1. asserit oppositam sententiam esse erroneã, quia ex ea sequitur, vel quod malitia peccati superet misericordiam Dei, vel quod gratia Dei sit insufficiens, vel quod tollat liberum arbitrium. Quoniam si homo propter sua peccata derelinquitur in hac vita sine remedio, malitia peccati vinceret misericordiam Dei, si autem Deus ex sua misericordia dat gratiam peccatori vt conuertatur, & idem non potest conuerti cum illa, aut gratia Dei est in sufficiens si illa in potentia prouenit ex gratia, aut ablatum est liberum arbitrium. si prouenit ex gratia, aut ablatum est liberum arbitrium, si prouenit ex parte ipsius. Tum insuper liquet conclusio ex omnibus locis sacræ Scripturæ, in quibus pœnitentibus promittit Deus veniam peccatorum, vt Ezechielis 18. Zachariæ 1. Ioelis 2. & ex illis in quibus dicitur Deũ nolle mortem peccatoris, vt 2. Reg. 14. & 2. Petr. 3. vbi sic legitur: [Deus patienter agit proter vos, nolles aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.] Ad quod alludit illud Isa. 49. [Dixit Sion dereliquit me Dominus, oblitus est mei, numquid obliuisci potest mulier infantem suum & non misereri filij vteri sui, & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.] Vnde Christus Math. 11. omnes vocat dicens: [Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.] & Apocalyp. cap. 3. Deus dicit: [Sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi.] Vbi per hoc quod dicit [sto ad ostium,] significat vocationem ex parte intellectus, & instructionem aut doctrinam. Et per hoc quod dicit [pulso] significat inspirationẽ ex parte voluntatis quibus correspondent duo effectus in anima, scilicet, audire, & aperire. Huc etiam pertinet illud Pauli ad Rom. 2. [Benignitas Dei ad pœnitentiam te deducit, tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram, & indignationem in die iræ.] Quæ verba explicans D. Gregorius hom. 11. in Ezechielem, inquit de benignitate expectantis Dei irã sibi thesaurizat reprobus, quia dum ad pœnitentiam accipitur, ad peccandum ipsum medium gratiæ vertit, iuxta illud Iob. 26. [Dedit ei locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo ad superbiam.] Idem docet lib. 17. moral. cap. 14. & Chrysostomus hom. 24. & 27. Math. eleganter hoc explicat exemplo illius arboris quamdiu expectauit agricola, vt faceret fructus, & coluit illam quousque succidit eam, & misit in ignem, sic enim Deus per totam vitam expectat reprobos, & co-

2. Ratio

3. Ratio.

D. Greg. in Ezech. & in Iob.

A lit animas illorum per vocationes, & inspirationes quousque succedat vsque ad mortem, & hom. 1. de Lazaro explicat hoc ipsum exemplo Iudæ traditoris qui quamuis induratus esset, & sciret Christus eum non esse conuersurum, nihilominus opere, & verbis illum conabatur emolire lauando pedes, & dicẽdo: [Iuda osculo tradis filium hominis?] Id ipsum docet D. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum versus finem, & epist. ad Demetriadem, & versus finem, vbi tenet huiusmodi media necessaria tribui omnibus à Deo ex hac intentione vt saluentur. Quod etiam per eleganter docet D. Ambrosius lib. 2. de vocatione gentium præsertim c. 3. vbi ex professo intendit probare hanc veritatẽ & inquit. Manifestauerunt diuinorum eloquiorũ multæ auctoritates, & continuę omnium sæculorum experientia docuerant, iuxta Dei misericordiam, misericordemque iustitiã, neq; alicui corporibus hominũ alendis, neq; docẽdis eorũ mẽtibus vocandisq; defuisse, semper enim pluit super bonos, & malos, sẽper solẽ suum oriri facit super iustos & iniustos. Quamobrem in Concilio Lateran. sub Innoc. 3. c. Firmiter, fere in vltimis verbis dicitur per pœnitentiam posse peccatorem in hac vita conuerti. Tum præterea probatur conclusio quoniam asserere Deũ obligare ad impossibile est damnatũ in Concilio Tridentino sess. 6. c. 11. At si in aliquo casu Deus obligaret ad exercendum aliquem actũ, & non vellet dare auxilium requisitum ex parte principij ad exercendum illum actum, obligaret ad impossibile. Ergo etiam est damnatum dicere, Deum nolle dare, aut non dare huiusmodi auxilium. Maior est certa secundum fidem, quoniam Concilium dicit illam propositionem esse damnatam à patribus. Minor vero probatur. C Quoniã doctrinæ concilij, iste videtur esse sensus. Ideo Deus non iubet impossibilia quia iubet facere quod possis proprijs viribus, vel cum iubet facere quod nõ possis dat & petere vnde possis, aut vires quibus possis, & adiuuat vt possis; hoc est, respondet tua petitioni cõcedendo has vires. Ergo iuxta rationem hanc, si Deus non tribueret has vires, aut nõ voluisset dare illas, obligaret ad impossibile quia impossibile est habere eas, nisi Deo tribuente, & volente eas dare. Probatur insuper eadem minor. Quia sicut possibile per Christum ad aliquod principium actiuum appellatur id ad quod tale principium habet, aut potest habere vires sufficiẽtes, ita impossibile per Christum ad idem principium appellabitur illud ad quod idem principium neq; habet neq; habere potest vires sufficientes. Sed in casu de quo loquimur, potentia quæ est principium effectiuum actus requisiti ad præcepti adimplerionem, nec habet nec potest habere vires sufficientes ad exercitium talis actus, quia non est possibile poni volitionem, quæ ad hoc requiritur ex parte Dei, si supponamus Deum nolle dare talia auxilia. Ergo exercitiũ dicetur impossibile principium huiusmodi potentiæ. Et idem argumentum potest fieri de auxilio requisito ad resurgendum à peccato, pro quocumque tempore, quoniam in quocumque tempore est peccatori potentialis actus pœnitentiæ, vt supponendum est nunc ex materia de pœnitentia quam supra iam attigimus. Tum quarto probatur conclusio, quia si esset aliquis peccator in hac vita derelictus à Deo ita vt esset destitutus omni auxilio gratiæ, etiam sufficienti, sequeretur illum posse desperare, & quod desperatio in illo non esset peccatum, quia sine gratia Dei non potest conuerti, & gratia illi non datur. Hoc autem est maximum absurdum: Nam semper vitio imputatur.] Cain qui desperauerit, & dixerit Gen. 4. [Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.] Igitur neque sufficit dicere, semper esse peccatum, desperare, quia ignorat aliquis, quod derelictus sit à Deo. Quoniam contra hoc est quod desperatio est intrinsecè mala, neque dependet quantum ad eius malitiam ex hoc, quod aliquis sciat aut ignoret an derelictus sit à Deo. Vnde Niniuitæ audita prædicatione Ionæ, quod Niniue esset subuertenda non desperauerunt sed pœnitentiam egerunt, quare Augustinus de pœnitentiæ medicina c. 5. ait potius euacuata est comminatio prophetiæ, quam humi-

3. Ratio. Conc. Trid. sess 6 decret. iustifi c. 11.

4. Ratio.

Desperatio semper est peccatum.

Desperatio est intrinsecè mala.

humiliatio pœnitentiæ. Legito Chrysostomum hom. 4. ad populum Antiochenum, qui hanc rationem latè prosequitur. Tum quinto, & postremo probatur conclusio. Quoniam homo quàdiu est in hac vita, est viator. De ratione autem viæ, vt sic, est quod sit tendentia ad patriam. Ergo cum in hac vita, tendamus ad patriã, sequitur quod quamdiu sumus in illa non simus destituti omnibus medijs necessarijs, quibus possimus tendere.

5. Ratio.

Obiectio. Sed objicies, potest dari viator confirmatus in gratia, qui non potest peccare, ergo poterit dari homo destitutus omnibus medijs necessarijs qui non poterit egredi à peccato.

Solutio. Respondetur quod si loquamur de potentia absoluta, sine dubio concedendum est totum, at vero loquẽdo de potentia ordinaria, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Et ratio discriminis est, nam ille qui est confirmatus in gratia per hoc quod habeat illam gratiam qua non possit peccare non impeditur à ratione viatoris, seu tendentis in patriam, præsertim cum etiam possit mereri, quod est proprium viatoris: at vero qui destitutus esset medijs necessarijs ad bene operandum, & resurgendum a peccato non esset propriè viator, quia peccatum potius impedit rationem viæ, & tendentiæ in patriam. Quare inter viatores congruum fuit, vt Deus aliquos confirmaret in gratia, sed non fuit decens quod alios destitueric aut derelinqueret sine gratia necessaria qua in patria tendere possent.

2. conclus. Auxilium sufficiens quoad sufficientem gratiam semper conceditur.

Secunda conclusio, Auxilium sufficiens, quo mediante possit homo à peccato resurgere, & ad gratiã, & ad gloriam peruenire: nulli hominum Deus denegat. Hæc oritur, ex superiori, & videtur de fide, aut saltem absq; graui nota nequit negari. Probatur tamen. Tum quia 1. Timoth. 2. dicitur: [Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.] & Sap. 11. [Diligis omnia quæ sunt & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.] & Isa. 49 [Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ] & tandem hic dicitur: [Sto ad ostiũ, & pulso.] Igitur omnibus concedit, & nulli hominum denegat auxilium sufficiens, quo mediante possit quis à peccato resurgere, & ad gratiam & gloriam, mediante pœnitentia peruenire. Tum liquet conclusio ex dictis sanctorum Patrum. Quoniam D. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 11. explanans illud: [Et mundus eum non cognouit.] hanc efformat difficultatem: [Si illuminat omnem hominem, quomodo mundus eum non cognouit?] Et ipse sibimet respondet dicens: [Lumen cecidit super omnes, sed aliqui clauserunt oculos, diligentes magis tenebras, quam lucem.] Ex quibus Cyrilli verbis, illud: [Lumen cecidit super omnes.] ad nostrum protendit sensum. Quem etiam probat explanatio D. Chrysostomi, quæ talis est: [Quantum ad se ipsum pertineat illuminare omnem hominem venientem in hũc mundum, sed quidam oculos mentis claudentes voluerunt huius luminis radios videre.] Porro Damascenus lib. 2. de fide c. 29. ita habet: [Voluntate antecedente, id est, quantum in se est, Deus vult omnes homines saluos fieri, & præsto est per auxilium suũ omnibus subuenire.] & idem videtur asserere D. Hier. in cap. 18. Ezech. D. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, & D. Ambros. lib. 2. de vocatione gentium c. 3. Tũ insuper quia Christus pro omnibus mortuus est, & nullo dempto omnibus meruit, quantum ad sufficientiam vitam æternam. Igitur meruit media quibus sufficienter homines illam consequerentur. Sed sic est quod inter hæc media, est huiusmodi auxilium sufficiens. Igitur illud omnibus præstat, & nemini illud negat. Tum porro, quia Deus omnibus hominibus imposuit obligationem seruandi præcepta decalogi, per quæ vitam æternam consequimur: At, qui præcipit finem, vt est commune

1. Ratio.

2. Ratio. D. Cyrill. in Ioan.

3. Ratio.

4. Ratio.

F axioma Theologorum, & Philosophorum, dat consequenter necessaria ad ipsum finem, alioquin iniquissima esset obligatio, nimirum, ad impossibile obligans, Igitur, cum auxilium sufficiens sit maximè necessariũ ad illa seruanda præcepta, omnibus elargitur, & nemini illud denegat: Tum præterea probatur conclusio ex D. Aug. contra Faustum in lib. de gratia & libero arbitrio. Iudicium Dei est de omnibus actibus singulorum hominum, cum Deus debeat iudicare, & discernere facta omnium, iuxta illud Psalmistæ: [Scrutans corda & renes Deus.] & Act. 1. [Tu Domine qui corda nosti omnium.] Igitur omnibus dat auxilium sufficiens ad bene operandum, non enim in iudicium venit, quod homo non potest operari, & cum discussio generalis esse debeat, auxilium quoque sufficiens omnibus generaliter communicari debet. Tum sexto, & postremo liquet conclusio ex sacræ Scripturæ exhortationibus, G & vocationibus, quæ generales quidẽ sunt ad omnes se protendentes, quibus omnes exhortantur ad bonũ, & admonentur declinare à malo, omnes insuper vocantur ad pœnitentiam, & inuitantur ad salutem, & gloriam sempiternam, vt liquet ex illa generali exhortatione Matth. 13. & etiam ex alijs plerisque quæ passim habentur in sacro eloquio.] Quibus plane denotat Deus se stare semper ad ostium nostrum, & intimam cordis nostri ianuam pulsare.

5. Ratio. D. Aug. contra Faustum.

6. Ratio.

Quæstio VI.

H Vtrum auxilium speciale quo ad abundantem gratiam, seu quo ad aliquid plusquam diuinam assistentiã, Deus alicui deneget?

1. conclus. Auxilium sufficies quoad abundantem gratiam alicui denegatur.



PRO decisione est vnica dumtaxat conclusio affirmatiua, quam tenent Adrianus in 4. sent. quæst. 3. de sacramento pœnitentiæ, & Soto in 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 1. qui loquens ibi de hoc præallegato auxilio ita scribit: [Et hoc non semper Deus illis offert, sed est quasi miraculum, vt resipiscant, vt vt apparet in Pharaone, & in Babylonicis de quibus legitur Ierem. 51. Curauimus Babylonem, & non est I curata derelinquamus eam, quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius, & in hoc sensu dicuntur excæcati non posse credere. At vero nequeunt culpam in Deum reijcere, quod sufficienter, quantum est de se, illis auxiliatur, sed in se ipsos, qui tam difficilem salutem suam fecerunt, vt semper stet sententia Osee. Perditio tua Israel, id est, tu es illius causa.] Hæc Soto. Probatur tamen conclusio hac vnica dumtaxat ratione. Quemadmodum olim Saulus, Dimas latro, ac Maria Magdalena, erant vitijs, & cæcitate irretiti, sic etiã Pharao, Antiochus, & Nabuchodonosor: At licet omnes hi, auxilium speciale quoad sufficientem gratiam obtinuerint, vt liquet ex anteriori quæstione, tamen Antiochus, & Pharao ad viam veritatis minimè deuenerunt, vt de Saulo, & Dima legimus: Igitur signum est Saulo, Dimæ, & Magdalenæ, aliquid plusquam sufficientem gratiam elargitum fuisse Deum, quam K illis alijs nullatenus dedit, hoc autem appellamus, auxilium speciale quoad abundantem gratiam, igitur, &c. Enimuero hæc difficultas sequenti quæstione clarior fiet omnino.



Quæst.

Quæstio VII.

Vtrum auxilium efficax quo de facto ad Deum mouemur, relinquimus peccatum, & conuertimur, Deus semper det cuicumque homini?

1. conclus. Auxilium efficax quo de facto homo ad Deum cōuertitur non semper Deus dat cuicunque homini. 1. Ratio.



TALE auxilium efficax Deum non semper concedere probo. Tū quia in plerisque locis sacræ paginæ inuenimus homines obcæcari, obdurari, deseri; & relinqui in suo reprobo sensu, vnde adest illud, Sap. 2. [Excæcauit illos malitia eorū.] & Isa. 6. [Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude ne forte videant oculis suis.] & Sophō. 1. [Ambulabunt vt cæci quod Domino peccauerunt,] & tandem ad Rom. 1. [Obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.] Hoc autem nullatenus esset, nisi quia Deus illis hoc efficax auxilium denegat: Ergo, &c. Et quamuis Deus id directè minimè faciat, vt in primo cap. huius operis tex. 1. par. 7. disp. 4. & alibi etiam abundè retulimus, tamen cum homines auxilium sufficiens semper recipiant, nec ob id conuertantur, quinimmo in suis perseuerent iniquitatibus, fit vt maiores euadant peccatores, & sic dicitur Deus indirectè, seu occasionaliter indurare hominum corda. Tum quia multis infidelium nationibus Deus denegat prædicationes, reuelationes sanctas, miracula, exempla sanctorum, & similia, ob turpissima eorum scelera, & crimina contra vtramque legem cōmissa. Porro plerisque Prouincijs, & regnis donum fidei subtrahit, permittendo illos cadere in varios fidei errores. Quamobrem D. Gregorius affirmat spiritum Domini prohibuisse prædicare Euangelium in Asia, quia nec dum ad vitam separari merebantur. Ad quæ omnia alludit illud Act. 4. [Oportebat primum loqui vobis verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit Dominus.] Tum quia in sacra pagina plerosque inuenimus viros omni auxilio diuino orbatos, & omnino destitutos, qui nullatenus resipiscere queunt ex duplici capite, nimirum, ob eorum duritiam, & ex eo quod Deus illos ob illam duritiem deserat. De primo quidem intelligitur illud Ierem. 13. [Si potest Æthiops mutare pellem suam, & Pardus variatates suas, ita & vos poteritis benefacere cum didiceritis mala,] & illud eiusdem Vatis in cap. 3. [Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere:] ac etiam illud Prouer. 18. [Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.] De secundo vero capite explanatur illud Eccles. 7. [Nemo potest corrigere quem ille despexerit.] & Iob. 21. [Si destruxerit nemo est qui ædificet si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.] Quibus locis, despectio, destructio, & inclusio diuina, nihil aliud esse potest, quam substractio auxilij efficacis, & suæ manutenentiæ, vt optimè explanat D Gregor. lib. 11. moralium c. 5. Et subiungit S. Doctor hæc verba de Caini duritie: [Cain diuina voce admonere potuit, sed mutari non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus Deus cor reliquerat, cui finis ad testimonium verba faciebat.] Hæc D. Greg.

Obdurat Deus aliquos negando illis auxilium efficax.

2. Ratio.

3. Ratio. Deus negat multis regnis prædicationes reuelationes, & miracula.

4. Ratio.

Append. 1. Ex hac quæstione primò collige, gratiam antecedentem, puta prædicationes, inspirationes sanctas, admonitiones seruorum Dei, parentum, amicorum, timor gehennæ, spes regni cælestis, tribulationes, miracula, exempla aliorum, & similia, quibus communiter trahit Deus & allicit misericorditer peccatores ad pœnitentiam, aliquando reddi in efficacia, ob hominum obcæcationem & duritiem. Idcirco auxilium speciale quo ad sufficientem gratiam, seu quoad diuinam assistentiam, non semper habet suum effectum, quinimmo redditur inefficax.

Auxiliū sufficiens non semper habet suū effectum.

Append. 2. Auxilium efficax quibus negatur, & quibus elargitur. Adrianus in 4. sent.

Secundò annotanda venit doctrina Adriani in 4. q. 3. de sacramento pœnitentiæ, quo loco agens de hoc efficaci auxilio, ita scribit satis per eleganter: [Suppono quod non omnibus Deus hanc excitationis gratiam impendere, seu impartiri curat, sed quosdam despicit, & quasi pro derelicto habens à se repellit, Eccles. 7. Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit, & Ioan. c. 6. Nolite murmurare adinuicem. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum. August. quoq; dicit. Scio quare esuritis sic, vt istum panem non intelligatis neque quæratis, nemo potest venire ad me nisi, &c. Magna gratiæ commendatio, nemo venit nisi tractus, quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & non illum, noli iudicare velle, si non vis errare. Semel accipe & intellige, si non traheris, ora vt traharis. Item matth. cap. 11. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te: olim in cilicio & cinere egissent pœnitentiam. Et tu Capharnaum, &c. Hieronym. Quærat prudens lector, & dicat. Si Tyrus, & Sidon, & Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Saluatoris, signorumq; miracula: non sunt in culpa, quia non crediderunt: sed vitium silentij in eo est qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. Ad quod facilis & aperta responsio est, ignorare nos iudicia Dei, & singularum dispositionum eius sacramenta nescire. Propositum fuerat Domino Iudeæ fines non excedere, ne iustam Pharisæis, & Sacerdotibus persecutionis occasionem daret, Vnde & Apostolis an te passionem præcepit, in viam gentium ne abieritis &c. Item August. lib. de perseuerantia ex verbo Saluatoris in ducto infert. Ex quo apparet quosdam habere in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel signa conspiciant, & tamen si Dei altiori iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinationis descreti: nec ipsa eis debentur, vel dicta diuina vel facta: per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent. In eadem perditionis mala relicti sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit euangelium dicens. Cum autem tanta signa fecisset coram eis non potuerunt credere, quia dixit Isaias excæcaui oculos eorum, & induraui cor eorum. Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, qui credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent. Sed nec illis profuit, quod poterant credere: quia prædestinati non erant, nec istis obfuisset, quod non poterant credere, si prædistinati essent, vt eos cæcos Dominus illuminaret: & induratis cor lapideum vellet auferre. Vnde peccatori si gratiam infundit, aut præstat, misericordiam exhibet, si neget siue noluerit, iustitiæ est: & non potest argui iniquitatis. Ad Rom. Cuius vult miseretur: & quem vult indurat. Et hinc gloss. eo cap. quibusdam gratiam non apponit, cum alijs infert, quasi coactis vt de Paulo & Pharaone, iuxta deductione Ambrosij constat. Et in omnibus his exclamandum est cum Paulo, ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. Et quod ratio specialis, quare Deus sic faciat, á nobis assignari non potest: Sicut nec eius, quare aliquos in matura morte præuenit ne peccent: alios non, Sapient. 4. raptus est ne malitia immutaret sensum

sensum eius: aut fictio deciperet animam illius.] F
Hucusque Adrianus.

Appendix 3. Peccator quare difficile resurgit à peccato.

Tertio aduertas oportet, hanc impossibilitatem resurgendi à peccato, quam quarta ratione attigimus, minimè oriri ex eo quod homo nequeat, Dei gratia interueniente, conuerti: quinimmo ex deprauata peccandi consuetudine, iuxta illud Prou. 22. [Prouerbium est, adolescens, iuxta viam suam (adde peccandi) etiam cum senuerit, non recedet ab ea:] Voluntas quidem libera est, enimuero habitu malo allicitur, immo trahitur homo indeterius, & in profundam peccatorum foueam deuenit, ita vt suam contemnat salutem, veluti ille Pharao obduratus Rex Ægyptij, qui obstinata voluntate suffocatus est. Hos ergo Dominus adiuuare non potest, non quia non possit, cum absolute possit & velit, sed quia ipsi indignos se præbent Dei adiutorio, & Dominus in pœnam, iustitia G eius sic exigente & volente, respondit illud Ierem. 51. [Curauimus Babylonem (videlicet per monitiones, instigationes, conscientiæque stimulos) & non est sanata, derelinquamus eam, quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius.] Et mox Domino recedente, & abeunte, relinquitur, anima peccatrix, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium, in Cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur; & fit cubile draconum, serpentiumque inferni.

Impossibile nihil apud Deum.

Appendix 4. Auxiliû Dei speciale habet duos gradus.

Quarto & postremo annota, de hoc auxilio efficaci loquutum fuisse Sotum, dum in 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 1. ponit duos gradus in auxilio speciali, asserit enim dari auxilium ordinarium in tanta mensura, quæ vnicuique sufficiat per se vt resurgat, & hoc cuicumque homini, etiam flagitiosissimo, Deum non denegare, iuxta illud quod in hoc 3. cap. Apoc. dicitur: [Sto ad ostium, & pulso.] Aliud porro tenet esse excellentius auxilium, quo homines in profundum peccatorum collapsi indigent reipsa, vt resurgant, quod Deus non semper offert, & culpæ illorum ait imputandum esse, qui in tam difficilem statum suæ salutis se constituerunt. Primum igitur gradum huius auxilij ordinarij, vel specialis, appellamus nos auxilium sufficiens, secundum vero auxilium efficax, dicimus quod non omnibus elargitur, neque offertur, vt nuper retulimus.

H

Quæstio VIII.

Vtrum cum Deus negat auxilium efficax, neget ex consequenti auxilium sufficiens?

1. conclus. Auxilium sufficiens minimè negatur dum efficax negatur.



ONCLVSIO est negatiua, & probatur ex illo Ierem. 51. [Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.] Vbi illud [curauimus,] auxilium sufficiens importat: illud vero [derelinquamus eam,] auxilium efficax denotat: Igitur cum Deus substrahit auxilium efficax, non necessario substrahit, & sufficiens, quoniam illud semper est paratum per continuam pulsationem diuinam, ad fores nostras, quod si redditur inefficax, non proinde tollitur.

Quæstio IX.

Vtrum homo possit resistere auxilio sufficienti?

Auxilio sufficienti resistere potest homo.



ARS affirmatiua fit perspicua ex superioribus. Et insuper probatur ex illo Matth. 11. [Væ tibi Corozain. Væ tibi Bethsaida, quia si factæ essent in Tyro, & Sydone virtutes, quæ factæ sunt in te, vtique pœnitentiam egissent in sacco, & cilicio.] Igitur hi auxilio sufficienti, resistendo, se opposuerunt. Accedit historia Ionæ, qui à facie Domini fugit.

Quæstio X.

Vtrum homo possit resistere auxilio efficaci?

Auxilio efficaci nequit homo resistere.



OTEST quidem (quidquid dicat maledictus Caluinus lib. 2. inst. c. 3. § 11.) verumtamen de facto non resistit, vt liquet in Petro, qui postquã auxilio efficaci fultus extitit, bis intentauit resistere, semel, nimirum in pedum lotione dum dixit: [Non lauabis mihi pedes in æternum.] & semel in passione, dum amicitiam Christi ter denegauit. Cæterum de facto minimè resistit cum statim diceret: [Non tantum pedes meos, sed & manus & caput.] & in passione fleuerit amare. Idem probat illud Pauli Act. 9. [Domine quid me vis facere.] Quod etiam confirmare videtur illud Lucæ 14. [Compelle hûc intrare.] Quibus plane verbis, modum quodammodo violentum conuertendi impios significat Euangelista, non quod compellatur voluntas, vt expendit Caietanus, sed quod mutantia voluntatem talia sint, vt compellatur quis mutare voluntatem liberè.

Ioan. 13. Luca 22.

I Legito circa hanc difficultatem Conc. Trid. sess. 6. de iustif. can. 4. Et addo quod quãuis fieri nequeant quod hæc duo simul sint vera, nimirum, quod liberum arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad piè operandum, & non operetur; nihilominus tamen hæc duo esse cõpossibilia, quod scilicet liberum arbitrium efficaciter moueatur à Deo ad pios actus, & possit eosdem actus non operari si velit. Quamobrem voluntas in suis operibus semper manet libera quidquid dicãt Caluinistæ.

Nota bene libertatem nostri liberi arbitrij.

Par. 2.

PARAPHRASIS Secunda.

Eliminatio textus.

§. 1. Motus tria requirit.

K Si quis (ait) audierit vocem meam & aperuerit ianuam intrabo ad illum. Quemadmodum in quolibet motu tria reperiuntur, vt potè actio mouentis, motus mobilis, consummatioq; motus per acquisitionem termini, ita in iustificatione adultorum tria inueniuntur, quorũ primum est motio mouentis Dei. s. gratiæ infusio, qua euertit ad se impiũ auersũ ab eo, de qua plane motione diuina accipiuntur priora verba: [Ecce sto ad ostium & pulso.] Secũdum vero est motus mobilis. s. liberi arbitrij pulsati à Deo, qui geminus vtique est, nimirum, conuersio ad Deum per fi-

In iustificatione reperiuntur tria.

per fidem, & detestatio peccati, quæ quidem duo sunt in eodem instanti temporis. Et de hoc duplici motu liberi arbitrij pulsati à Deo, hic fit mentio per hæc verba: [Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam.] nimirum per fidem, & detestationem peccati. Tertium, & postremum est consumatio motus, hoc est termini acquisitio, putà remissio culpæ: In hoc enim iustificatio adulti consumatur. Remissio namque peccatorum est finis in iustificatione impij, iuxta illud Isaiæ 27. [Iste est omnis fructus, vt auferatur peccatum.] Et de hac remissione culpæ intelliguntur illa postrema verba textus: [Intrabo ad illum.] Tunc enim ad nos intrat Deus cum nostra delet delicta. Et obiter annota, quod motus isti liberi arbitrij pulsati à Deo, non sunt merè passiui sicut cum aqua calefit, vel cum lignum comburitur, quoniam ibi in patiendo, nulla datur libertas, & per consequens nullum meritum. Quare dicti motus liberi arbitrij pulsati a Deo erunt actiui. Vnde liberum arbitrium, pulsatum, siue motum à Deo, seipsum mouet, illis duobus motibus, fidei, nimirum, & detestationis peccati. Ex quo sequitur vt Deus culpā remittat, sicq. iustificetur homo corā Deo.

Notā bene circa duplicem motum liberi arbitrij.

Helynandus, teste auctore Incognito, illa verba: [Intrabo ad illum,] ita per illustrat [intrabo (inquit) ad illum sicut rex in palatium, sicut Pontifex in templum, sicut sponsa in thalamum.] Quibus verbis, per illam postremam similitudinem, nimirum: [Sicut sponsa in thalamum] demonstrat iste antiquus auctor, matrimonium quoddam spirituale in iustificatione impij contrahi inter Deum & hominem. Idque verum esse apertè ostendit Vates Osseas in cap. 2. dicens: [Sponsabo te mihi in iustitia.] Quamobrem quemadmodum in matrimonio carnali requiritur, mutuus consensus vtriusque coniugum, perinde etiam (& multo fortius) in iustificatione impij. Hinc super illud 3. Reg. 3. [Postula quod vis.] Dicit Glossa [Gratia Dei liberum requirit arbitrium.] Quo loco sermo vtique est de gratia iustificante, vel gratum faciente, quæ est à tribus (sed aliter atque aliter) est enim à Deo efficiente, a gratia gratis data liberum arbitrium pulsante vel excitante & mouente, & à libero arbitrio consentiente. Quamuis etiam liberum arbitriū nequeat gratiam efficere in homine, potest tamē se ad hoc habilitare, & præparare vt habeat (& hoc est quod nuper retulimus, nimirum, actus liberi arbitrij non esse passiui, sed actiui) quemadmodum aliquis nequit illuminare domum, potest tamen fenestram aperire, quo facto, sol intrat, & domum illuminat. Notabis tamen quod id quod dico de libero arbitrio consentiente, intelligo de adultis dumtaxat: quoniam in paruulis sufficit fides parentum, sacramentum Ecclesiæ, & meritum Christi, & excusat eos impotentia. In solis igitur adultis requiritur mutuus consensus, quemadmodum etiam in matrimonio carnali inter coniuges. Quem planè assensum ex parte nostra, indicat noster Archipropheta, per hæc verba; [Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam. Quo loco manifestè indicat Dei vates posse nostrum liberum arbitrium à Deo pulsatum, motum, & excitatum diuinæ vocationi adhuc nullatenus respondere, & ostium Deo pulsanti haudquaquam aperire, & occlusum tenere. Et vice versa, posse etiam Deo pulsanti & vocanti respondere, & aperire, id est, posse illam gratiam præuenientem, & excitantem, de qua diserit sanctus Thomas p. 2. quæst. 111. art. 3. & de qua dudum nos [Pulsationis] appellatione dispungimus pro sua libertate vel admittere, vel reiicere, deprompta metaphorica similitudine ab eo, qui clauso ostio domi reclusus moratur, qui interdum pulsanti aperit interdum vero dissimulat nolens, adaperire. Qua planè similitudine vsa fuit sponsa, dum Cant. 5. dixit: [Pessulum, ostij mei aperui dilecto meo.] Quo loco per Pessulum, intelligitur omne illud obstaculum, quod voluntatis assensum remoratur.

§. 2. Exornatio textus. Helynandus in comment. Matrimoniū spirituale in iustificatione

Fides parentum & Sacramentum sufficit ad iustificationem paruulorum.

Hominis libertas.

§. 3. Ex hoc loco, discant hæretici, quod licet Deus pulset corda nostra, tamen ea nullatenus cogit, quinimo libera manet nostra voluntas ad vtrumque, nimirum ad aperiendum, & non ad aperiendum vt clarè demonstrant prælibata verba Dei: [Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam.] Ratio autem huius libertatis in hoc planè stat, quia cum diuina gratia nostra debet cooperari voluntas: quemadmodum Dominus per Prophetam Amos indicauit, dum in cap. 5. dixit: [Quærite bonitatem & non malitiam, & viuetis.] Et per Moysen, Num. 14. [Amalech & Chananæus ante vos sunt quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquiescere Domino.] Et etiam per Ieremiam, in cap. 7. [Hæc gens non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recipit disciplinam, ideo proiecta est à Domino.] Et iterum per eundem Prophetam: [Quia (inquit:) Induerastis cor vestrum, & noluistis obedire Domino hæc omnia mala euenerunt vobis.] Quod etiam Dominus ad Ierosolymitanum populum clamauit dicens: [Quoties volui congregare filios tuos & noluisti?] Super quæ verba Iræneus lib. 4. cap. 71. sic scribit: [Illud quod ait quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? hominis veterem legis libertatem manifestauit: Quia liberum eum fecit Deus ab initio.] Quod non ideo dixit, quia post peccatum Adæ amiserit homo eam libertatem, vt Caluinus vult impiè & blasphematoriè, quoniam Dominus ad Ierusalem loquebatur post peccatum Adę ante tot sęcula perpetratum. Et Iręneus ad idem explicat, ideo enim in fine capitis exponens ea, quæ dixerat ait: [Qui operatur bonum gloriam, & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Hi autem qui illud non operantur iudicium iustum recipient Dei. Quoniam non sunt operati bonum cum possent operari illud.] Hæc Iræneus.

Corda nostra minime cogit Deus.

Libertatis nostri liberi arbitrij ratio.

Ierem. 7.

Matth. 23.

Conceptus Prædicabiles in textum.



SVNT plane qui aperiant, & qui etiam aperire nolant. Quod plane D. August. lib. de predest. & gratia cap. 15. illustrat exemplo duorum regum, puta Pharaonis, & Nabuchodonosor dicens: [Quantum ad naturam ambo homines, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad culpam ambo Dei populum possidentes, & opprimentes, quantum ad pœnam ambo clementer flagellis Dei admoniti. Quid est quod tam vtriusque fines fecit esse diuersos? Nisi quod vnus Dei manum sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.] Ita D. August. En igitur volentes cum Nabuchodonosor, alij vero nolentes cum Pharaone, Deo pulsanti adaperire. Dicamus itaque primo de aperientibus. Quidam enim aperiunt in adoloscentia, quidam in iuuentute, quidam vero in senectute, & vtrisque haud exigua est apostrophe in sacro eloquio. Nam de adoloscentibus intelligitur illud Thren. 3. [Bonum erit viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.] De iuuenibus vero expenditur illud Ecclesiast. 11. [Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.] Et tandem de senibus explanatur illud Sap. 4. [Senectus enim venerabilis est, non diuturna neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.] En vides varias laudes, & encomnia eorum, qui aliquando, puta, vel in adoloscentia, vel in virili ætate, vel saltem in senectute aperierunt Deo pulsanti, quorum omnium plane laus proculdubio est infinita. At ex aduerso sunt quidam tam obdurati, vitijsq. omnino irretiti, qui neq. in adoloscentia, neq. in iuuentute neque in senectute, pulsanti Deo vnquam ad aperi-

Conceptus 1. Quod pulsanti Deo quidā aperiunt quidam vero minimè.

Aperientes Deo pulsanti similes sunt Nabuchodonosor.

Aperire nolētes Deo pulsanti similes sunt Pharaoni.

aperire voluerũt. Hi sunt illi senes de quibus ait Isaias in cap.65.[Puer centum annorum morietur,& peccator centum annorum maledictus erit.] Sed quomodo omnis querela in senes retorquetur? Iuste quidem. Quoniam adolescentes Deo pulsanti minimè aperientes (quamuis aliàs reprehensione digni sint) adolescentia aliquantulum excusat, viri porro Deo vocanti adhuc minime obtemperantes excusari etiam queunt dicentes, se futuro tempore, puta in residuo suorum annorum illi fore aperituros. Quæ plane excusatio aliquam præsegerit apparentiam. At vero senex qui neque in adolescentia, neque in iuuentute, neque in virili ætate, nec minus in senectute, Deo semper ostium suum pulsanti vnquam aperuit, quid quærit? quid spectat? quam excusationem obtinebit? nullam profecto. Quid rogo dicendum superest de arbore, quæ post multos flores, nullum producit fructum? nihil aliud sane nisi quod succindatur,& in ignem mittatur. Sic planè erit de sene infructuoso qui post tot prædicationes, vocationes, exempla sancta, pulsationesque diuinas illi misericorditer exhibitas in toto suæ vitæ curriculo, adhuc in senectute non vult Deo pulsanti adaperire. Vah maledictus puer centum annorum & bene puer maledictus. Nonne maledictus, cum puer sit in mente, magnus vero in ætate? pedem iam habeat supra cymbam Charontis, cor vero in mundo fixum? corpus siccum veluti radices, quæ non habent humorem, cogitationes vero floridas ac omnino virides? mortem in ianuis, & animam in tenebris peccatorum? iuste quidem maledictus puer appellatur senex malus & infructuosus. D. Cyprianus lib. de duodecim Abusionibus, senem infructuosum & adhuc Deo pulsanti aperire nolentem inter abusiones mundi commemorat dicens: [Secundus gradus abusionis, est senex absque religione & sanctimonia.] & merito quidem, eo quod in senibus quò magis corporeę deficiunt vires, eo amplius spirituales augeri, renouari, crescere atque corroborari deberent. Salomon non solum abusionem, verum etiam monstruositatem,& præter naturæ ordinem hoc iudicat. Vnde Eccles.25.ait:[Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum, Pauperem superbum, diuitem mendacem, senem fatuum & insensatum.] Alia translatio habet:[Adulterum.] Quo loco nimio tædio aggrauatur sapiens Salomon ex hijs vitijs eo quod sint absque occasione aliqua. Pauper enim superbiendi occasionem minimè habet, sicut diues qui epulatur quotidie splendide,& pretiosis induitur vestibus, & ab omnibus adoratur; Diues etiam mentiendi occasionem nullatenus habet, quemadmodum pauper, officialis, siue artifex. Qui vt de labore manuum suarum comedat crebro oportet mentiri fraudans promisso Dominos operis manuum suarum per hæc verba: [Cras perficiam opus.] Et sic crastinat per aliquod tempus. Hanc inquit Salomon mentiendi occasionem non habet Diues. Sic senex luxui,& voluptati deditus, magna quidem reprehensione dignus est, quia potius ex praua consuetudine, quam ex occasione peccat. Clare ostendit hoc idem sapiens Prou.22.dicens: [Prouerbium est, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.] Et Iob in cap.20. [Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in puluerem dormient.] Peccant igitur senes non ex occasione, sed ex mala consuetudine: Quoniam vt dicunt Hispani:[Communmente el mal potro sale mal cauallo.] Et sic vitia adolescentiæ suæ, difficile dimittit equus. Vnde, quamuis ex occasione minime claudicet, ex praua tamen consuetudine facile ruit. Delusit Alciatus horum senum stultitiam, sub quodam emblemate, fingit enim mortem & amorem in quodam diuersorio nocte vna quieuisse,& simul asserbasse, alterumque alterius arma, arcum, & spicula mane sumpsisse, cumque officio ex munere intenderent, cum amor iuuenes iacularet, Pharetra fallente, statim eos occidebat: Mors vero, senem inuenit quemdam morti iam vicinum qui pedem alterum supra cymbam Charontis obtinebat, quem cum aurata amoris sagitta vulnerasset, amare cœpit, & iuuenescere, capitique suo sertum florum imponere, quod Poeta per hæc exprimit carmina.

Iuuenes impœnitentes aliquam habent excusationem.

Tres species malorum.

Pauper superbus non debet esse.

Diues non debet mentiri.

Senex luxuriosus valde reprehensibilis

Amor,& mors in quodam diuersorio.

Senex sagitta amoris vulneratus iuuenescit.

Hinc iuuenes occidit amor fallente pharetra.
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.

Optime ergo testante Iob, de prauo diximus sene:[Ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ suæ.] est etenim vitium in senibus quasi febris physica ossibus inclusa, quæ magna cum difficultate curatur, & vsque ad sepulchrum ægrotum concomitari solet, vt indicat illud: [Cum ipso in puluere dormient.] eo quod senex, cum ad illam ætatem peruenit, nihil aliud est quam puluis & cinis fere extinctus, in quo dormiunt vitia, quoniam nunquam ad pœnitentiam illum excitant. De conuersione Ephraim aiebat Oseas in cap.7. [Factus est Ephraim quasi subcinericius panis, qui non reuersatur, sed & cani effusi sunt super eum.] Perinde ac dicat, iam de Ephraim actum est, nulla spes salutis suæ habetur, quia factus est quasi subcinericius panis, qui non reuersatur, nec vsui hominum est aptus, sed puluere cinerum & carbonibus (en el rescoldo, vt dicunt Hispani) conspurcatur, quare in sterquilinum proijcitur. Sic Ephraim (inquit Dei vates) idololatriæ & vitijs assuetus, neque per pœnitentiam ad Deum conuersus, non nisi ad interitum & supplicium est aptus, & idem omnino dicendum puto de malorum senum conuersione, de quibus etiam exoluo illud Ierem.13.[Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, ita & vos poteritis esse boni cum didiceritis malum.]

Comparatio.

Induratio peccatoris.

Senex impœnitens Aethiopi similis.



SVPPLICIA haud exigua nolentibus Deo pulsanti adaperire opposita vtique ab ipsomet Deo reperio. Inter quæ maximum & præcipuum obcæcatio, & obduratio merito recensetur. Vnde est illud verbum Dei ad Pharaonem Exod.4.[Ego indurabo cor eius.] & illud ad Rom.9.[Quem vult indurat] Et illud Deut.2.[Indurauerat Dominus spiritum eius & obfirmauerat cor illius.] Et illud etiam Isa.5:[Auferam sepem eius & erit in direptionem.] Et tandem illud Ierem.6. [Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te,& ponam te desertam, & inhabitabilem.] Sunt & aliæ pene infinitæ auctoritates in sacro eloquio hoc ipsum concludentes. Illa tamen Psalmistæ nullatenus est reticenda, ait enim Psalm.94. [Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.] Quærunt quidam D. D. Theologi cur Malcho in horto nocte passionis Domini abscissa fuerit auris? Quibus ego dicerem, hoc ideo euenisse, quia audiens verbum illud validum: [Ego sum.] quando omnes in terram ceciderunt non est conuersus. In quo vno Malcho præfigurabatur aurem rebellis synagogæ resecandam fore, eo quod verbis Dei pulsantis obtemperare noluit. Ex quo rebellis synagoga obdurationi tradenda erat. Caueamus igitur nos ne simili multemur supplicio & cruciatu. Contingere namque solet aliquando quod aliquis fores alicuius domus pulsat & cum intus saltando, vel voluptate captanda sint præoccupati, etiam si semel atque iterum ianuam pullet, respondere nolunt, aut ianuam aperire. Tunc ille tædio, & ira affectus (vt cum velint exire non possint) pessulo exterius ianuam recludens ait: [Ay estareys aunque os pese, pues no aueys querido abrir.] Perinde plane Deus modo pulsat prope diem ianuam nostram [Ecce] inquit [Sto ad ostium, & pulso.] Si quis aperierit mihi ianuam intrabo

Conceptus 22. Quod obduratio sit præcipuum supplicium, & cruciatus peccatoris.

Auricula Malchi cur abscissa in horto.

Comparatio.

intrabo ad eum.] Quod ſi aures noſtras obturauerimus & clamoribus, pulſationibus, ac vocibus ſuis, minimè reſponderimus: quid quæſo ſperandum reſtat? Nihil aliud reuera, niſi quod per obſtinationem & obcæcationem, corda exterius recludat ipſe Deus, non quidem poſitiuè, ſed negatiuè, ſubſtrahendo ſcilicet auxilium efficax, quo ſubſtracto, de peccatis, & ſceleribus noſtris exire nequaquam valeamus. Igitur nolite obdurare corda veſtra, quinimmo vocem eius audite, & cum ſponſa, Cant. 5. dicite: [Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt.] Hoc eſt illud quod Dominus aduerſus Phariſæos dixit: [Qui ex Deo eſt verba Dei audit.] Et iterum: [Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnoſco eas, & vitam æternam do eis.]

Concep. 3. quod voluntariè tenemur bona opera præſtare. Voluntatis noſtræ typus.

APERIMVS Deo pulſanti, cum voluntariè bona amplectimur opera. Dicã igitur primo de actu voluntatis noſtræ & poſtea de bonis operibus. Actus itaq. voluntatis noſtrę in paruulo Samuele adamuſſim præfiguratus extitit. Narratur ſiquidem 1. Reg. 3. quod puer Samuel miniſtraret Sacerdoti Heli in domo Dei, & dũ puer in lectulo dormiret, audiuit vocem de cælo, eum vocantem proprio nomine. Qui expergefactus è ſomno accurrit ad Heli exiſtimans ab illo vocatum fuiſſe. Heli autem dimiſſit eum dicens: [Non vocaui te reuertere, & dormi.] Enimuero cum Dominus, ſecundo & tertio Samuelem vocaſſet, cucurriſſetq. ad Heli, intellexit Heli vocationem illam eſſe à Deo, dixitque puero: [Vade & dormi, & ſi deinceps vocauerit te, dices, loquere Domine, quia audit ſeruus tuus] En proculdubio diſcurſus noſtræ voluntatis, in paruulo iſto perpulchrè depictus. Crebrò etenim oſtium noſtrum pulſat Deus, hoc eſt, ſæpe nos vocat Deus, & nos accurrimus ad mundum, dæmonem, & carnem, qui nobis reſpondent: [Reuertere, & dormi] hoc eſt, itera vitia, & cum illis dormi ſecurè. Quod cum crebrò faciamus, ob continuas Dei pulſationes, aliquando (licet ſero) accurrimus ad Deum dicentes: [Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.] Quod planè fit dum vocem Domini voluntarie in mentibus admittimus noſtris voluntariè nos Deo ſacrificantes per bona opera pœnalia noſtra. Dicamus iam modo de ipſis bonis operibus. De quibus locuturus, mox venit in mentem illud Cant. 4. [Sicut fragmen mali punici, ſic genæ tuæ.] Quo loco ſponſus pulchritudinem ſponſæ ſuæ depingens, genas ſponſæ (in quibus mulierum pulchritudo maximè viget) non ſine magna dicendi proprietate malo punico aſſimilat. Proprium ac peculiare quidem eſt mali punici exterius in cortice amarum aſperum ac durum eſſe, interius vero haud exiguam, immo ſummam ac maximam præſegerere dulcedinem, obtinet inſuper magnam granorum multitudinem, miro artificio diſpoſitam, & ipſa quidem grana, tanquam ſi prætioſi eſſent lapides ſic ſe viſui repreſentat, quapropter inter alios fructus, hunc, natura, quaſi omnes alios, præſtantia & pulchritudine ſuperantem corona donauit. Aſsimilatur igitur ſponſa huic arbori, ob eius labores, & amaritudines. Quamuis namque Eccleſia interius maxima dulcedine, & & conſolatione gaudeat propter ſpem regni cæleſtis, tamen exterius labores, amaritudines, perſecutiones & aſperitates innumeras quotidie à perſecutoribus patitur. Et quemadmodum (vt ad rem deueniamus) ipſum malum punicum multis conſtat granis, ita Eccleſia Dei multitudine bonorum operum & meritorum miruminmodum abundat, & ideo illi corona confertur, quæ non niſi bonis operibus debetur, iuxta illud Eccleſ. 1. [Non coronabitur niſi qui legitimè certauit.] Ecce qualiter bona opera noſtra per mala punica in ſacro eloquio intelligantur. Et vt apertè diſcamus, illa neceſſaria eſſe ad ſalutem, ſponſus de vineæ ſuæ fructu ſolicitus multoties malorum punicorum mentionem facit, vt videre eſt Cant. 6. & 7. dum dicitur: [Deſcendi in hortum nucum, vt viderem ſi floruiſſet vinea, ſi germinaſſent mala punica.] Tunc itaq. Deo pulſanti aperimus, & eius vocem exaudimus, dum voluntariè opera bona amplectimur, vt illis, in cælo coronam auream reportemus. Quò pertinere vtique poteſt illud 2. Petri 1. [Satagite, & per bona opera certam faciatis vocationem, & electionem veſtram.] Ad bonum autem opus ſpectat, vt toto corde fiat cum Deus dicat: [Fili præbe mihi cor tuum.]

Vocat nos Deus multoties.

Peccantium lapſus.

Peccantium illuminatio.

Mulierum pulchritudo vbi viget.

Mali punici natura.

Eccleſia cur malo punico comparetur.

Bona opera coronam poſtulant.

Bona opera neceſſaria ad ſalutem.

Bona opera debent fieri ex corde.

DISPVT. VIII.

In Cap. III. Apocalypſeos de Aſſenſu, & pia affectione circa credibilia, pœnitentiam, & gloriam acquirendam.

In duas quæſtiones diſtributa ſuper illa verba: *Si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam intrabo ad illum.*

Prologus diſputationis.

POSTQVAM in anteriori diſputatione; de diuino diſputauimus auxilio, ſupereſt planè, nunc de aſſenſu & pia affectione circa credibilia ſermonem habere. Quoniam in concilio Tridentino ſeſſ. 6. primo erectus fuit hic tertius canon] Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.] Poſtquem è ueſtigio ſubtexuerunt ſancti patres quartum canonem tenoris ſequentis: [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam diſponat ac præparet, neque poſſe diſcentire, ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſsiuè ſe habere anathema ſit.] Vbi tertius, canon noſtram ſuperiorem reſpicit paraphraſim: [Ego ſto ad oſtium, & pulſo.] Quamobrem ibi ſub auxiliorum nomine de gratia præueniente diſputatum fuit. Quartus vero canon hanc aliam directè reſpicit paraphraſim [Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam intrabo ad illum.] Quo circa hic de aſſenſu, & pia affectione circa credibilia, pœnitentiam, & gloriam acquirendam meritò diſputare decreuimus.

Conc. trident ſeſſ. 6.

Can. 3.

Can 4.

Quæſtio I.

Vtrum pia affectio ad credendum, pœnitendum, & gloriam conſequendam requiratur ex parte voluntatis.

PICVS Mirandulanus in ſua Apologia q. 8. Occamus in ſuis quolibetis, Olcoth. in 1. ſent. q. 1. Franciſcus de la Marchia, & plerique Pariſienſes, vt prodit Petrus

Intellectum noſtrum poſſe cogi quidam putarunt.

Garcia in apologia ædita contra Picum Mirandulanum, aduersus octauam suam conclusionem, existimât posse intellectum nostrum cogi ad assensum articulorum fidei, aut propter miracula aut propter testimonia, & rationes suadentes, ita vt velit nolit, voluntas non possit intellectus non assentiri. Idque conantur probare. Tum quia si voluntas esset requisita ad credendum, ex eo esset quia moueret intellectum ad credendum: Atqui non mouet, quoniam voluntas est potentia indifferens, vt moueat intellectum ad credendum, vel non credendum: Quia pro voluntate volumus credere aliquando, aliquando vero non, Igitur, &c. Tum quia articuli fidei sunt euidenter credibiles, Igitur velit nolit, voluntas intellectus assentietur illis, quemadmodum velit nolit assentitur principijs & cõclusionibus euidentibus. Tum quia illud requiritur ad fidem, quo respondemus catholici interroganti, cur credamus: At si quis interroget catholicum, cur credat articulis fidei? Respondebit quia sunt reuelati à prima veritate, & prædicti olim à Prophetis, varijsq; miraculis confirmati, non autem respondebimus, nos credere quia volumus, Igitur non requiritur voluntas ad credendum. Tum quia dæmones credunt iuxta illud Iacobi 2. [dæmones credũt & contremiscunt.] Sed dæmones nullam habent piam affectionem ex parte voluntatis, Igitur ad fidem non requiritur pia affectio. Tum quia nulla creatura resistit diuinæ voluntati, iuxta illud Gen. 50. [Num Dei possumus resistere voluntati?] igitur positis miraculis velit nolit creatura debet credere. Tum demum quia Apost. ad Rom. 9. ait [Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei] igitur ad credendum minimè requiritur voluntas credentis.

1. Argumen. 2. Argumen. 3. Argumen. 4. Argumen. 5. Argumen. 6. Argumen.

1. Conclusio. Pia affectio voluntatis necessaria est ad credendũ.

Pro decisione tamen sit prima conclusio. Ad credendum mysteria nostræ fidei, & gratiæ requiritur pia affectio voluntatis, ita vt nisi accesserit consensus voluntatis, impossibile sit intellectum credere articulos nostræ fidei. Hæc est adeò certa, vt nequeat absque temeritate negari. Definita siquidẽ est contra Lutherum aliosque hæreticos in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. vt patet ex vltimis verbis cap. firmiter de summa Trinitate, & fide catholica. In concilio Arausicano cap. 5. vbi dicitur, quod credere est in nobis per inspirationem Spiritus sancti corrigentis voluntatem ab infidelitate ad fidelitatẽ, ab impietate ad pietatem, in Conc. etiã Tolet. cap. 55. vbi agendo de conuersione Iudæorum dicitur nullam vim esse eis inferendam, vt recipiant fidem, quia credere voluntatis est, Et demum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. quo loco docetur initium nostræ iustificationis esse à Deo excitante gratia, nam ex auditu fidem concipientes liberè ferimur in Deum. Hanc eamdem sententiam, intrepidè tenent omnes doctores scholastici asserentes fidem esse liberam, D. August. serm. 5. in Ioan. Hugo de sancto Victore p. 6. cap. 7. Cyrillus in illis verbis Ioan. 12. [Propterea non poterant credere] vbi querens quare non poterant credere? adhibet responsionem quia nolebant. D. Chrysostomus in eadem verba Ioannis. Andreas a Vega lib. 6. in conc. Tridenti. cap. 14. Et Petrus Garcia in Apologia contra Picum Mirandulanum, loco supra citato. Illamq; probo, quia ad Rom. 10. dicitur. [Corde creditur ad iustitiam,] quo, loco nomine cordis intelligitur etiam voluntas, vt D. Thomas & pleriq; sancti patres interpretantur, vnde sensus erit: voluntariè credimus ad iustitiam. Secundò probatur ex August. qui tract. 26. in Ioan. ait, potest quis in Ecclesiam intrare nolens, aut accedere ad altare, credere autẽ non nisi volens. Tertio, quia credere est actus creaturæ rationalis: At actus creaturę rationalis est liber, cũ homo libero arbitrio præditus sit, ad suas actiones liberè exercẽdas. Igitur quamuis miracula proposita sint euidentia, tam in communi, quam in particulari, adhuc ad credendum requiritur voluntas, & assensus credentis. Accedit quod Deus cum causis contingentibus, contingenter, & cum liberis liberè, & cum necessarijs necessariè concurrit: At creatura rationalis est libera: Igitur cum credit, liberè debet credere. Quarto, quia si ad credendum tantum sufficerent miracula, prædicationes, & rationes euidenter concludentes, & non requireretur pia affectio voluntatis; quæro quænam sit causa ob quam cum Prophetæ, quinimo & ipse Christus, & eius Apostoli; tot patrarent miracula coram iudæis, non omnes crediderint, quinimo quidam credebant, quidam vero non, iuxta illud Ioan. 15. [Cum tot signa fecisset in eis non credebant.] & Act. 13. dicitur ad prædicationem Pauli non credidisse omnes, sed quot quot præordinati erant ad vitam æternam. Pro quo facit etiam illud Isaiæ [Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi,] quod dominus clarius ostendit Matth. 2 dicens [Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?] Igitur ad credendum requiritur pia affectio voluntatis. Alioquin positis miraculis & alijs requisitis omnes necessario crederent, cuius contrarium experimur, quibusdam credentibus, quibusdam vero non credẽtibus. Quinto, quoniam credere est actus meritorius, quemadmodum sunt meritorij actus aliarum virtutum informati gratia: At omne opus meritorium requirit consensum ex parte voluntatis, nam est liberum iuxta illud [Voluntariè sacrificabo tibi,] Igitur ad credendum requiritur pia voluntatis affectio, Minor est euidens, Maior vero probatur ex illo Gen. 15. de Abraham, de quo dicitur: [Credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad iustitiam] & ad Rom. 4. [Credenti in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam.] Ergo credere est actus meritorius. Sexto, quia in sacro eloquio datur præceptum de credendo. Quoniam Marci vltimo dicitur: [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit,] & ad Heb. 11. [Accedentem ad Deum oportet credere quia est,] Addo, quod si non esset præceptum de credendo, infideles non credendo, minimè peccarent, quod est falsissimum, quare credere cadit sub præcepto: At præcepta tantum dantur de his quæ sunt constituta in nostra voluntate. Igitur, &c. Septimo & postremo probatur conclusio, quia nemo est fidelium (vt ait Andreas à Vega) qui non experiatur ita liberè se credere, & in potestate sua habere, vt non credat, ac in potestate sua habet facere vel non facere, alia quæ manifesto experimur nostræ subesse potestati: fides enim est argumentum non apparentium, vt ait Apost Heb. 11. & nulla ratio naturalis conuincit intellectũ nostrum, vt supernaturalibus & occultissimis mysterijs cedamus, Sponte igitur nostra subijciamus illum oportet & captiuemus eundem in obsequium fidei.

Conc. Later. Conc. Arausi. Conc. Toleta. Conc. Tride. Fides libera. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. Actus creaturæ rationalis liber oportet sit. 4. Ratio. Hebrei quare positis miraculi non credunt. 5. Ratio. 6. Ratio. Credere est in precepto. 7. Ratio.

2. Conclusio. Credere fide humana requirit suasionem.

Secunda conclusio. Ad credendum fide humana & acquisita, præter piam voluntatis affectionem, præ requiritur aliqua suasio, quæ inclinet intellectum, vel per prędicationẽ vel per signa & miracula, vel per alias huiuscemodi rationes, Probatur. Quoniã assensus fidei est multo firmior quã assensus opinionis, eo quod opinio non excludit omnem dubitationẽ, veluti fides quæ nullam secũ patitur: At in opinione præter electionem voluntatis, requiruntur rationes probabiles quæ faciãt fidem. Et obid experimur, nos nullatenus assentiri opinionibus nisi aduenerint rationes probabiles, Igitur in fide, præter piam voluntatis affectionẽ; erũt necessariæ aliquæ persuasiones. Quoniã sivbi minus videtur in esse inest, vbi magis videbitur inesse magis inerit. Addo quod ad hoc vt nos credamus alicui veritati, prius debemus intelligere illud esse credibile. Queãdmodũ si ego credo Petrum esse bonum, prius debeo intelligere hoc esse credibile, at aliquid esse credibile nõ depẽdet à voluntate, quinimo à rationibus, testimonijs, miraculis, & alijs huiusmodi, Igitur conclusio est vera & certa.

Credibile à quo dependeat.

3. Conclusio.

Tertia conclusio, Ad credendum fide infusa non est necessaria aliqua suasio exterior. Hæc est Paludani in 3. sent.

Pia affectio requiritur ad credendum fide infusa.

sent. dist. 25. q. 2. & Petri Garcia, in sua Apologia contra Picum Mirandulanum, loco supra citato.

Explicatur tamen primò conclusio. Cum enim fides testante Apostolo ad Rom. 10. fit per auditum, oportet quod credens habeat habitum fidei, qui illuminet eius intellectum, & quod ei proponantur, & explicentur credibilia, quibus propositis & explicatis credibilibus dicimus sufficere lumen fidei infusæ ad inclinandam mentem: quemadmodum ad hoc vt quis intelligat, omne totum maius esse sua parte, sufficit vt explicentur illi termini & voces, quid sit totum, & quid pars, quibus explicatis, lumen intellectus inclinat sufficienter mentem ad assensum illius propositionis. Quare sensus huius conclusionis idem est ac si diceremus, præter propositionem aut declarationem articulorum, nullam aliam suasionem, vel argumentum faciens fidem opus esse ad credendum fide infusa, sed sufficere dumtaxat ad credendum ex parte intellectus habitum fidei, qui lumine suo sufficienter inclinat intellectum ad credebilia, & ex parte voluntatis, piam affectionem. Nunc verò probatur intentum, hac vnica ratione. Quia qualibet virtus moralis infusa absque alterius ope inclinat sufficienter appetitum ad resistendum contrario vitio, & ad consequendos actus illius virtutis: Quemadmodum castitas infusa, est sufficiens & inclinat appetitum ad resistendum omnibus tentationibus, & ad castè viuendum: Igitur fides cum sit habitus intellectualis infusus, sufficiens erit absque alterius ope, & ad resistendum omnibus tentationibus fidei, & ad inclinandum intellectum ad assensum veritatum credibilium. Consequentia probatur. Quoniam eamdem rationem habent habitus infusi intellectuales ad intellectum, quam habent habitus infusi morales ad appetitum.

Virtutis moralis infusæ vis. *Castitas infusa & eius vis.*

Appendix. Solutio ad argumenta in oppositum. Sol. ad. 1.

Collige ex hucusque dictis quod ad credendum tam fide acquisita, quam fide infusa semper requiritur pia affectio voluntatis. Illud autem de voluntatis indifferentia nihil agit contra nos. Quoniam quamuis ipsa proinnata libertate possit mouere, & non mouere, nihilominus, si adsint testimonia & suasiones quæ faciant fidem inclinabit ad vnam partem contradictionis, nimirum, ad credendum res fidei.

Sol ad. 2.

Nec minus obstat illud de euidenti credibilitate articulorum, quia in articulis est credibilitas, & veritas. Vnde si loquamur de credibilitate, mysteria nostræ fidei sunt ita euidenter credibilia vt non requirant piam affectionem, sed velit nolit intellectus cogitur assentiri credibilitati, si vero loquamur de veritate articulorum, ista in vnoquoque illorum est adeò obscura vt nequeat per se conuincere intellectum, & sic requiritur pia affectio ex parte voluntatis, quoniam cum illa obscura veritas non possit conuincere intellectum, eget voluntate determinante. Quamobrem licet in nobis non sit libertas, saltem secundum specificam rationem ad credibilitatem articulorum, est tamen ad veritatem eorum. Animaduerte passim, quod esse credibile, nascitur ex testimonio proferentis, eò quod proponat euidentia testimonia, esse autem verum oritur ex eo quod res ita sit in se a parte rei. Quamobrem cum articuli nostræ fidei sint propositi, tam euidentibus miraculis, erunt credibiles euidenter sine pia affectione. Enimuero quia idem articuli nostræ fidei sunt secundum suum esse à parte rei obscuri, & reuelati, ad hoc vt illis assentiamur esse veros, requiritur pia affectio. Et adhuc animaduertas oportet, quod aliquid potest esse credibile ex testimonio proferentis, quod tamen à parte rei possit esse falsum, vt apparet in eo qui accusatus de aliquo crimine, coram aliquo iudice, ore proprio illud negat, cuius contrarium homines fide digni incunctanter, & abundè testantur. Istud sit iudici euidenter credibile, atque ita fert sententiam contra illum hominem accusatum, & non tamen est euidenter verum, quia fortè illi omnes testes mentiuntur.

Articuli nostræ fidei habent duo, credibilitatem, videlicet & Veritatem. *Credibile ex quo nascatur.* *Verum à quo habeat esse.* *Articuli nostræ fidei euidenter credibiles.* *Articuli nostræ fidei obscuri.*

Sol. ad. 3.

Ad illud vero de interrogatione dicimus particulam illam [cur] tantum quærere causam, vnde respondere debet fidelis per causam formalem, nimirum, quia mysteria nostræ fidei sunt reuelata à prima veritate, enimuero præter rationem formalem credendi, requiritur omnino pia affectio voluntatis, quam non reddimus interroganti, quia non est causa.

Sol. ad. 4. Demones nō habent verā fidem.

Porro illud de dæmonibus minimè subsistit, quoniam in illis non est vera fides, quæ est donum Dei, sed quādam coactā fidē, ex euidentia miraculorum vt prodit S. Thom. 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 2. at nostra fides est donum Dei, quamobrem ad hanc requiritur pia affectio, & non ad illam dæmonis.

Sol. ad. 5.

Ad quintum dicimus quod voluntati consequenti, nimirum, efficaci Dei, nulla creatura resistit, at vero voluntati antecedenti, qua vult omnes homines saluos fieri, resistunt plane creaturæ rationales, vt in præcedenti disputatione retulimus.

Sol. ad. 6.

Vltimum argumentum nullatenus tenet eò quòd ibi Apostolus non loquitur de fide, sed dæ æterna Dei prædestinatione, & ex hucusque dictis relinquitur apertum, quod tam ad credendum, quam ad pœnitendum, & ad beatitudinem æternam consequendam semper prærequiritur pia affectio ex parte voluntatis.

Quæstio II.

Vtrum homo sine Dei auxilio speciali possit assentiri veritatibus fidei?



Exclusimus supra, ad hoc, auxilia, ac patrocinia humana, & naturalia, dum in 3. conclusione asseruimus ad credendum fide infusa, non esse necessariam aliquam suasionem exteriorem, aut aliquod argumentum faciens fidem: nunc vero iugiter examinandum duximus, an etiam, ad hoc, excludendum etiam sit supranaturale auxilium, nimirum, diuinam gratiam. Animaduertas tamen primò oportet, nos modo minimè dubitare: Vtrum homo absque supranaturali auxilio, & diuina gratia possit assequi fidei veritates. Hoc enim certum est, esse impossibile. Quoniam mysteria fidei superant nostrum captum, & intellectum, & sic credere est donum Dei. Sed quæstio dumtaxat est vtrum supposita Dei reuelatione, possit homo assentiri rebus fidei absque eo quod adiuuetur illius potentia, gratia, & auxilio Dei.

Credere an possimus quin voluntas adiuuetur Dei auxilio speciali. Fundamentum. *Sensus conclusionis.*

Partem affirmantem asseuerant Durandus in 2. distinct. 28. quæst. 1. Scotus distinct. 23. quæst. 1. Caietanus p. 2. quæst. 109. art. 4. Gabriel distinct. 13. quæst. 2. conclus. 2. Almaynus quæst. 3. conclus. 4. Capræolus in 3. distinct. 24. quæst. 1. & 4. Scoti, contra secundam conclusionem. Paludanus in 4. distinct. 25. quæst. 1. 4. Soto lib. 2. de natura, & gratia, cap. 8. Miranda in summa conciliorum, post cap. 7. Concilij Arausicani, & D. Thom. 2. 2 quæst. 5. art. 3. in corpore & ad. 1. hanc sententiam minimè abhorret, ij omnes affirmant posse hominem assentiri doctrinæ quam tradit Ecclesia per fidem humanam, non assensu euidenti sed opinatiuè.

Pro decisione tamen sit prima conclusio. Benè potest

Credere possumus rebus fidei absque speciali gratia actu mere naturali.

1. Ratio.

homo viribus liberi arbitrij cum solo auxilio, & concursu generali assentiri omnibus rebus fidei actu mere naturali. Probatur. Tum quia quotiescunque nobis res aliqua proponitur credibilis confirmata auctoritate dicentis, & alijs efficacissimis rationibus, in facultate liberi arbitrij est illum credere, vel non: At res fidei sunt huiusmodi. Quoniam varijs miraculis, vaticinijs Prophetarum, & sanguine Martyrum confirmantur, quæ efficiunt testimonia Domini nimis credibilia. Igitur possumus illis assentiri actu mere naturali sine auxilio speciali.

2. Ratio.

Tum quia si aliquis hæreticus persuaderet alicui infideli vt suam sectam amplecteretur, & proponat illi omnes articulos fidei, vno dempto, insuper addat alia suæ sectæ præcepta difficiliora, quam res nostræ fidei, ille infidelis absque vllo dubio, & certo, omnibus credit, & tamen sine concursu speciali. Igitur, &c.

3. Ratio.

Tum præterea constituamus hæreticum qui credat omnes articulos fidei, erret tamen dumtaxat circa vnum, hic certè non habebit fidem diuinam, sed humanam & omnibus rebus fidei assentitur assensu naturali sine auxilio speciali & sine fide.

4. Ratio.

Tum quia Iudæi nunc assentiuntur omnibus rebus fidei, quas maiores illorum ante Christi aduentum credebant, & id faciunt absque auxilio speciali. Igitur, &c.

5. Ratio.

Tum quia dæmones credunt fidem, & legem nostram sanctam esse: Sed sic est quod actus dæmonum sint naturales & absq. aliquo auxilio speciali. Ergo &c.

6. Ratio.

Tùm tandem quia Ioan. 5. dicitur: [Opera quę ego facio ipsa testimonium perhibent de me.] Et cap. 10. [Si mihi non vultis credere, operibus credite.] Et cap. 15. [Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, excusationem haberent de peccato suo, nunc autem excusationem non habent.] Igitur qui miracula Christi viderunt, potuerunt illis credere assensu naturali absque auxilio speciali.

2. Conclusio. Credere rebus fidei assensu firmo sicut oportet nemo potest absque gratia & speciali Dei auxilio.

1. Ratio.

Secunda conclusio, credere omnes articulos fidei assensu firmo, & certo, sicut oportet, nimirum, eo modo, quo credit sancta mater Ecclesia, ob id solum, quia veritas prima reuelauit, quatenus fides est radix iustificationis, nemo potest absque gratia, & speciali auxilio. Hanc fatentur omnes Catholici, & contrarium asserere est Pelagianum, quod sic probo. Quoniam D. Augustinus varijs in locis & potissimum in lib. de natura, & gratia contra Pelagium cap. 3. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. & 19. & lib. 4. cap 5. lib. etiam de gratia & libero arbitrio cap. 6. & 14. & lib. 1. retractationum c. 23. id apertè docet.

2. Ratio.

Tum probatur conclusio, quia ad Philip. 2. dicitur: [Vobis donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.] Vbi vtrumque asseritur esse donum Dei, nimirum pati pro Christo, & credere in Christum. Ad hoc etiam spectat illud 1. Cor. 7. [Misericordiam consequutus sum à Domino vt sim fidelis.] Et illud etiam Ioan. 6. [Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.] Vbi venire ad Christum nihil aliud est quam fidem adhibere suæ doctrinæ. Et tandem fauet huic conclusioni illud Ioan. 12. [Cum autem multa signa fecisset Iesus non credebant in eum.] Huius rei rationem reddens Euangelista subiungit: [Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & nõ intelligant corde & conuertantur & sanem eos:] Excæcare autem cor nihil aliud est, quam non illuminare. Igitur absq. speciali Dei illuminatione & inspiratione non possumus credere.

3 Concl. Credere rebus fidei non possumus absque Dei gratia tam ex parte intellectus quam ex parte voluntatis.

1. Ratio.

Tertia conclusio, ad credendum non solum requiritur gratia, & auxilio Dei speciali, ex parte intellectus, verum etiam ex parte voluntatis. Hæc conclusio est certissima, & probatur. Tum ex illo Matth. 16. [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis.] Reuelare autem nihil aliud est quã illustrare intellectũ, Igitur ex parte intellectus gratia requiritur ad credendum. De voluntate vero probatur, quia Act. 19. dicitur de quadam

F muliere purpuraria, quod Dominus aperuit illius cor, & de his qui non crediderunt dicitur Ioan. 12. quod Dominus excæcauit corda illorum: At in sacro eloquio nomine cordis semper intelligitur voluntas, igitur necessaria est gratia & auxilium Dei speciale ad eleuandam voluntatem ad credendum.

2. Ratio.

Tum quia in Concilio Arausicano can. 5. 6. & 7. hæc veritas diffinita est per hæc verba: [Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis effectum, &c. Non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram, &c. Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur.] Et iterum can. 7. [Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet, id est, euangelizanti doctrinæ consentire posse confirmat absque illuminatione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu.] Hucusque Concilium: At inspiratio pertinet ad voluntatem, illuminatio vero ad intellectum, igitur ex parte

G vtriusque potentiæ est necessarium diuinum auxilium speciale.

3. Ratio.

Tum quia assentire à sensu firmissimo rebus quarum causam veritatis assequi non possumus per vires nostras est actus excedens facultatem nostri intellectus, & proinde supernaturalis: At res fidei sunt huiusmodi. Igitur nulla ratione illis possumus assentiri, nisi lumine gratiæ, & auxilij specialis, intellectus & voluntas illustrentur.

4. Ratio.

Tùm quia quotiescunque alicuius actus virtutis procedit a duabus potentijs necesse est vtramque potentiam esse perfectam, vt tenet S. Tho. 1. 2. q. 4. art. 2. At fides est virtus procedens à duobus principijs actiuis, voluntate scilicet, & intellectu, credere enim est actus liber, & voluntarius, ad credendum enim requiritur voluntas piè affecta erga res fidei, vt nuper retulimus. Igitur vtraque potentia debet esse perfecta per illustrationem diuinæ gratiæ,

H & auxilij specialis.

5. Ratio.

Tum quinto, & postremo, quia illa pia affectio voluntatis, & volitio efficax ad credendum, quæ requiritur in actu fidei, est actus supernaturalis procedens ex appetitu gloriæ æternæ. Igitur nullo modo poterit haberi absq. auxilio speciali.

PARAPHRASIS Secunda.

Par. 3.

Et cœnabo (ait tandem) cum illo & ipse mecum.

Dilucidatio textus.

§ I. Varietas pulchra & alliciens animos.

Septimum iam & postremum harum septem Ecclesiarum Asiæ præmium, sub cœnæ nomine variat noster vates. Et merito sane. Quoniam varietas attrahit ac miruminmodum humanos allicit animos,

I dicente Quintiliano lib. 1. institutionum rhethoricarum cap. 9. [Gaudent res varietate.] & cap. 12. [Reficit animos varietas.] Pulchre sane dictum, quoniam varietas

Varietatis vis.

non tantum Deo & naturæ, verum etiam hominibus miruminmodum placet. Videmus enim non tantum vnum Angelum creatum, sed varios, non vnum solum orbem sed varios, non vnam dumtaxat stellam, sed varias, non vnum tantum elementum, sed varia, non vnum hominem sed varios, non vnum animal irrationale sed varia, non vnum arborem sed varias, non solum vnam plantam sed varias, non tantum vnum florem sed varios.

Varietatum multitudo.

Varios insuper pisces, varias aues, varios montes, varia flumina videmus, à Deo & à natura producta, Ob quam planè rerum varietatatem, quidam Auctor Italus sua vernacula lingua ait: [E per tal variar natura è bella.] Et quidam alius auctor Hispanus loquens de varietate, tuamet materna lingua ait: [La variedad repasta los animos, saborea el gusto, y despierta el appetito, y tiene vna cierta propriedad que entre-

Ludouicus Ariostus.

K tiene à los oyentes, y haze oyr con grande atencion loque se les dize.] Hinc experientia ipsa docet quod homo qui semper vtitur eodem stylo, eodem verbo, eodem cibo fit proculdubio molestus, quoniam eadem res multoties repetita (quamuis alioquin optima sit ac pulchra) abhorretur & vilescit, vt videre est in illo diurno cibo, de quo filij Israel dixerunt: [anima nostra nau-

Exod. 16. nu. 11.

nauseat super cibo isto leuissimo :]Et è contra, experimur hominem varios stylos, varia verba, varios cibos, variasque inuentiones quærentem gratissimum proculdubio esse. Varietate adhuc valde delectatur Ecclesia cum de illa regius Psaltes Israel dicat: [Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.] Et sponsus Cant. 1: [Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.] Quo loco adducitur aurum & argentum à sponso ad maiorem pulchritudinem collo, auribus, & manibus sponsæ ratione varietatis illorum duorum metallorum, vtpotè auri, & argenti, quæ quidem duo metalla coniuncta, & coadunata in aliquo opere, & varietatem, & nimiam pulchritudinem demonstrant, ac prædicant. Hinc planè est quod Christus Dominus (vt prodit D. Hieronymus in Epist. ad Damasum de filio prodigo) in Euangelio crebro varietate vtatur, iam Pastorem, iam Regem, iam Patremfamilias, iam lucem, iam sponsum se appellando. Quamobrem noster vates merito hoc vltimum præmium harum Ecclesiarum Asiæ, sub cœnæ nomine variat.

§. 2. Beatitudinis geminæ acceptio. Beatitudo æterna plura nomina tropice in sacra pagina obtinet.

Sermo tamen hic directè est de vtraque beatitudine in re nimirum, & in spe. Dicamus tamen primò de beatitudine in re quæ plane sub cœnæ appellatione hic merito designatur. Solet namque cælestis beatitudo plerisque nominibus in sacro eloquio gaudere. Quoniam Christus illam regnum appellauit, dum dixit Ioan. 18. [Regnum meum non est de hoc mundo.] Et iterum Paradisum eam dixit, iuxta illud Lucæ 23. [Hodie mecum eris in Paradiso.] Paulus brauium illam nominat dicens 1. Corinth. 6. [Omnes quidem currunt sed vnus accipit brauium.] Ioannes ciuitatem eamdem vocat dicens Apocalyp. 21. [Vidi ciuitatem, &c.] Dauid quandoque atrium illam vocat dicens Psalm. 83. [Concupiscit anima mea in atria Domini.] Quandoque flumen secundum illud Psalm. 45. [Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.] Quandoque montem vt indicat Psalm. 14. [Domine quis requiescet in monte sancto tuo?] Quandoque pacem dum Psalm. 4. ait: [In pace in idipsum dormiam, & requiescam.] Quandoque torrentem voluptatis, secundum illud Psalm. 35. [Torrente voluptatis suæ potabit eos Dominus.] Quandoque tandem tabernaculum eam appellat dicens Psal. 83. [Quam dilecta tabernacula tua Domine:] Porro beatitudo cælestis ab Isaia nuncupatur, futurum sæculum, dum in cap. 9. ait: [Pater futuri sæculi, princeps pacis.] A Salomone hortus dicitur in cap. 5. Cant. [Veni in hortum meum soror mea]& alibi, cællarium: [Introduxit me Rex in cellaria sua.] Et Sapient. 18. Lux [Sanctis tuis magna erit lux.] Et Cant. 9. Vinea: [Vinea mea coram me est.] Appellatur insuper claritas ab Apostolo ad Philip. cap. 3. [Configuratum corpori claritatis suæ.] Corona à Salomone Cant. 4. [Veni de Lybano, & coronaberis.] Gaudium à D. Matthæo cap. 25. [Intra in gaudium Domini tui.] Gratia a D. Paulo ad Rom. 6. [Gratia Dei vita æterna.] Gloria a D. Petro cap. 5. prioris Epist. [Qui vocauit nos in æternam suam gloriam.] Libertas ab Apostolo ad Rom. 8. [Transtulit nos in libertatem gloriæ filiorum Dei.] Merces ab eodem D. Matth. cap. 20. [Voca operarios & redde illis mercedem.] Nuptiæ a D. Ioane Apo. 19 [Venerunt nuptiæ agni.] Terra viuentium à Dauid Psal. 141. [Portio mea in terra viuentium.] Domus à Christo Domino Ioan. 14. [In Domo patris mei mansiones multæ sunt.] Vita æterna ab eodem D Ioanne cap. 17. [Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum.] Enimuero præter hæc illustria nomina quibus beatitudo cælestis tropice exprimitur. Cœna quoque nuncupatur, iuxta illud Lucæ 14. [Homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos.] Quod communiter expendunt D. D. Theologi de æterna beatitudine, & quadrat etiam explanatio cum illo Lucæ 22. [Ego disposui vobis mensam, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.] De hac igitur beatitudine in re potest esse hic tropice mentio sub nomine cœnæ quommodo cum S. Thom. in hisce suis commentarijs ita legamus, cœnabo cum illo in via, & ipse mecum in patria, scriptum siquidem est Lucæ 12. [Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

Cœna gloriæ quæ fit in palatio cælesti.

S. Tho. in comment.

§. 3. Cœna gratiæ quæ fit in thalamo conscientiæ.

Porro cœnare de beatitudine in spe exolui etiam potest, nimirum de gaudio interiori, quod habet homo in via de cælestis gloriæ pollicitatione, & promisso, lætando (vt ait Carthusianus) per spem, quæ plane iucunda & læta cœna fit per veram fidem in secreto cordis per gratiæ infusionem, vt superscribit Laudunensis. Per quam quidem gratiæ infusionem, Deus in tali homine delectatur, vt ait Lyranus, & ipse homo in Deo. Quid, quod, & Angeli exultant in cælo, iuxta illud Lucæ 6. [Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.] In iustificatione itaque nostra delectatur Deus, fide & opere nostro, & nos etiam lætamur de diuino auxilio. Quod planè gaudium fit in nobis (vt superscribit Laudunensis) per bonæ conscientiæ iucunditatem. Huc pertinet illud, Psalmistæ: [Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi (in via) in domū Domini ibimus.] Hinc S. Tho. in hisce suis comment. in hunc locum ita scribit: (Iustus bene operans comedit, quia in operando lætatur, & Dominus conuiuatur cum eo quando delectatur in eius meritis.]Et Carthusianus: [Et in isto ineffabiliter commendatur nobis clementia, charitas, atque dignatio Dei nostri, ad nos tantillos vermiculos. Hinc etiam contestatur dicens, delitiæ meæ esse cum filijs hominum, & iterum lætabor super eis cum benefecero eis. Tantum igitur pulsatorem non repellamus, cum tanto hospite cœnare quotidie properemus, quicquid eius introitum impendit, quicquid vultum ipsius offenditur vitemus.]Hæc Cartusianus.

Delectatur Deus in iustificatione nostra & nos etiam cum Deo.

Hierem. 32.

Deus pascitur nostris bonis operibus

Haud exiguum nobis ex hoc loco datur dogma, quod scilicet Dominus, nostris bonis operibus, mirumimmodum pascitur. Iccirco D. Bernadus in Cant. sic ait de Deo: [Cibus eius pœnitentia mea, cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse.] sic ille Huc plane spectat illud Christi. Ioan. 4. [Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.] Ex quo planè loco perspicuum proculdubio fit, quod Deus delinquentium gemitus esurit, & peccatorum lacrymas sitit.

§. 4. Dionys. Carthu. in comment.

Verumenimuero loquens de infusione gratiæ, cur potius dixit Deus: [Cœnabo cum illo,] quam [Prandebo?] Respondeo, ad hoc vt innuat & prædemonstret se velle pernoctare nobiscum atq. in thalamo mentis quiescere vt in pace in idipsum dormiamus vt requiescamus. Sic cœnat cum Christo, atque in eius castis quiescit amplexibus, qui corde deuoto pergit; ad stratum & in meditationibus sanctis obdormit talis non timet à timore nocturno, sed de mentis securitate reficitur; secura enim mens quasi, iuge conuiuium. Huc plane illudunt illa verba Christi Ioannis. 14. [Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mensionem apud eum faciemus.]

Prouerb. 15.

§. 5. Spes excitat ad laborem.

Spe igitur infusionis gratiæ, & iustificationis nostrę excitat nos Deus per hæc verba: [Cœnabo cum illo & ipse mecum.] ad laborem naturæ nostræ calcaria addens. Narratur de magno illo Alexandro quod cum suos ad bellum, & ad labores perferendos animare, excitareque voluisset milites, solitum fuisse vltra triumphi gloriam, magnifica & pretiosa spolia, qua de inimicis suis reportaturi essent, ob oculos illis apponere, intendendo eis præsignificare, quod premij consideratio, laborem contemnere facit

Perin-

Perinde Deus inbecillitatem naturæ nostræ apprimè cognoscens, quæ non nisi proposito sibi præmio & mercede, ad operandum mouetur; solet nos ex consideratione suæ retributionis ad viam virtutis sectandam inducere. Quamobrem Abrahæ peregrinationem longissimam præcipiendo, Gen. 15. dixit: [Ego sum Protector tuus Abraham, & merces tua magna nimis.] Et Racheli filios suos ploranti Hierem. 31. dictum vtique fuit ex cęlo: [Quiescat vox tua à ploratu & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo.] Hius rei plane erat imago Cherubinus ille, quem Ezechiel vidit, dum in cap. 10. ait: [Et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.] Opera enim nostra bona significata per manus inniti debent pennis spei diuinæ retributionis. Quemadmodum namque malum granatum decoris repletum granis ardentissimis in illud solis reuerberantibus radijs medium aperitur, illaque rubicunda grana demonstrat, ita iustus ardentissima cælestis ac diuinæ retributionis speradiatus, viscera sua aperit exterioribusque operibus, interiores virtutes, inflammatissimamque charitatem apertè manifestat: Vnde sicut inter omnes fructus, malum granatum corona insignitum vtique est, ita plane ille coronabitur, qui diuinæ retributionis spe omnino fulgebit. Ob hanc diuinæ retributionis spem asserere possumus dixisse sponsam Can. 8. [Introducam te in domum &c. & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.] Vbi per vinum conditum intelligi potest diuina retributio, quæ placet nobis, sicut viuum bibentibus ipsum; per mustum vero malorum granatorum potest intelligi ipsorum bonorum operum meritum quod speramus, quæ quidem spes coronata erit vt solet esse malum granatum. Et forte hoc Moyses significare voluit instituens in cap. 28. Exod. vt in fimbrijs sacerdotalis indumenti, quando sancta sanctorum ingredi debebat, tintinnabula & malagranata esse. Quoniam talis in vltimo vitæ curriculo reperiri oportet quisquis cælestes ianuas ingredi conatur, vt spe cælestis retributionis, ex cælestis tintinnabuli, puta, diuini verbi prædicatione exorta, opera tanquam fructus malorum granatorum, ex tali spe emanantia coram Deo repræsentet. Hinc Regius Vates magna voce lætus exclamat Ps. 118: [Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.] Quo loco, illud: [Propter retributionem.] ita sonare videtur, nimirum, vt quasi malum granatum in terris: sic & ego in cælis aurea coroner corona. Enimuero illud: [Inclinaui.] Notandum venit. Inclinare namque proprium est stateræ. Statera etenim, cum æqua sit, & ad vtramlibet partē indifferens, ad eā vtriq. inclinatur, vbi pondus aliquod proijcitur. Perinde plane cor nostrum veluti indifferens: statera est, vel ad Deum, vel ad mundum, vel ad virtutem, vel ad vitia, si autem illud pondus gloriæ & æternæ retributionis in considerationes bilancia & statera apponatur, mox ad iustificationes Dei, & legem eius seruandam inclinatur. Quamobrem hoc in loco Christus, vt spe cælestis retributionis ad opera bona præstanda nos excitaret ait: [Cœnabo cum illo, & ipse mecum.] Hoc est ad inuicem lætabimur, veluti sponsus & sponsa in thalamo. Hoc ipsum planè respiciebat Deus dum per vatem suum Oseam in cap. 10. de Ephraim dixit: [Ephraim vitula docta diligere trituram & ego transiui super pulchritudinem colli eius.] Quo loco testante Hieronymo Guadalupense, consuetudo terræ promissionis tangitur, vbi vitulæ cum cæteris animalibus fruges terræ consueuerunt, cum autem labore fatigantur, solēt prodire ab area, iterum autem diligentes aream eò quòd fruges in ea commedant, iuxta illud Deut. 25. [Non alligabis os boui trituranti] spontè ad aream redeunt. Dicit igitur, Ephraim similis est vaccæ, vel vitulæ, quia non solum didicit, verumetiam annua consuetudine, cæpit amare quod docta est, licet trituratio laborem inferat. Sic & populus hic: (Ait Dominus,) quasi vitula est diligens trituram, & non solum diligens verumetiam ex longa consuetudine cæpit amare quod docta est, hoc est, non nisi proposito sibi præmio aliquid operatur, sed ego transiui super pulchritudinem colli eius, idest, cum illo condescendi: [Ho dissimulado con el, y le he traydo la mano por el cerro.] Proponendo illi mercedem, vt ad me conuertatur, & idololatriam relinquat. Pari etiam modo hoc in loco Deus pigritiæ nostræ calcaria adhibet, magna nobis promittendo præmia per hæc verba: [Et cœnabo cum illo, & ipse mecum.] Ita vt ad inuicem magna perfruamur lætitia.

Promissiones diuinæ.

Comparatio.

Iustus malo granato comparatur.

Meritum nostrorum bonorum significatum per mustum malorum granatorum.

Inclinare qd significet.

Statera natura.

Præmium calcaria addit.

Boues & vitulæ sponte, ad aream in veteri lege pergebant quia ibi laboris sui fructum participabant.

§. 6.

Cœna Eucharistiæ, quæ fit in thalamo Ecclesiæ. Doctor Incognitus in cœnam.

Auctor Incognitus textum hunc de sacra Eucharistia explanat. Ideo postquam recensuit triplicē cœnā nempe, gratiæ quæ fit in thalamo conscientiæ, Eucharistiæ quæ fit in thalamo Ecclesiæ, & gloriæ quæ fit in palatio cælestis curiæ, statim sic scribit: [Hanc igitur cœnam Christus instituit In signum suæ liberalitatis quia a grandi persona, ex grandi amicitia, grandi familia; Vnde versus, Rex sedet in cœna cinctus turba duodena. Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus. Hanc autem instituit in signum suæ altissimæ potestatis, quia hæc est supra apprehensionem sensibilem, supra inuestigationem imaginariam, supra considerationem intellectualem, seu operationem naturalem, quod operatus est in ista cœna sacratissima, quod subsistant accidentia sine subiecto & apprehendantur hoc supra apprehensionem sensitiuam, quod vere idem corpus simul sit in diuersis locis, hoc est, supra inuestigationem imaginariam: quod verè tantum corpus sub tam modica specie contineatur non circumscriptum vel arctatum, hoc est, supra considerationem intellectiuam: quod autem totus panis conuertatur in totum corpus Christi, & tamen non est ibi generatio, nec alteratio: sola trans substantiatio: hoc est, supra operationem naturalem. Vnde in Ps. Memoriam fecit mirabilium suorū escam dedit timentibus se. Hoc enim est mirabilius memoriale mirabilium Dei, in quo terrena cælestibus vna, summis visibilia inuisibilibus coniunguntur. Hanc tertio cœnam Christus instituit vt habeat fidelis animæ signum rememoratiuum dominicæ passionis propter memoriæ labilitatem. viaticum humanæ defectionis propter naturæ debilitatem, vinculum vnitiuum humanæ affectionis propter voluntatum diuersitatem, sacrificium remediatiuum humanæ transgressionis propter culpę prauitatē.] Hæc Incognitus. Mensa itaq. sancti altaris vocatur cœna. Et merito planè. Solet namque Paterfamilias aliquod optimum edulium pretiosumque cibum. (Quod Hispani [bocadillo] appellant) ex prandio ad cœnam reseruare. Perinde Christus qui vniuersum regit orbem, corpus & sanguinem suum pretiosum nobis in illa sua vltima cœna, exhibendum reseruauit, vt sic ex maxima illius cibi, & potus suauitate magnifica, illa sua vltima redderetur cœna: vt inde illud Psalm. 3. in hac cœna verificetur: [Verbum Domini in magnificentia.] Ex verbo namque Christi dicentis: [Hoc est corpus meum] facta quidem fuit magnifica illa vltima sua cœna. Multa quidem ac varia sunt opera Dei, vt potè creatio, gubernatio, prouidencia, liberatio populi Israel de Ægypto, diuisio maris rubri, & reliqua. Attamen hæc omnia magnifica nequeunt appellari opera, sed solum hoc diuinum opus vltimæ cœnæ (accipiendo vocabulum magnificentiæ in suo vigore, vt de magnificentia dispungit Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 134. art. 1. & 2.) magnificum vtique nuncupari potest. Perspicuum ac planum quidem fit, Regem opus magnificum, minimè fecisse, dragmam vnam, pauperi eleemosynam ab eo petenti, elargiendo. Quoniam multa alia potest Rex elargiri, fecisset tamen Rex opus magnificum, si omne quod potest, elargitus tali pauperi fuisset. Non secus planè, opera diuina iam dicta nequeunt magnifica nuncupari, eò quòd maiora horum facere poterat, quinimmo, & meliora, loquendo de bonitate quæ est extra essentiam rei, vt prodit noster sanctus Thom. 1. p. quæst. 25. art. 6. verumtamen opus vltimæ cœnæ iure optimo magnificum appello: quoniam in illo, & cum illo quicquid

Eucharistiæ cœna tribus de causis instituta a Christo Domino.

Causa prima est liberalitas Christi.

Causa secunda est potestas Christi.

Causa tertia, vt memoriā passionis Christi semper habeamus.

Cœna sancti altaris magnifica.

Magnificentia Christi in Eucharistia.

quid nobis dare poterat noster rex gloriæ Christus, omne illud profectò nobis libenter, ac omnino abundanter elargitus fuit, seipsum nobis in perpetuam passionis suæ memoriam dando. De hoc plane magnifico opere vltimæ cœnæ exolui potest illud Psalmistæ: [Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.] Doctor enim Incognitus de ineffabili sacramento Eucharistiæ vaticinium hoc interpretatus vtique fuit. Et rectè quidem. Quoniam nullum aliud sacramentum est, in quo salutare Dei, quod est Christus, quasi digito demonstrari possit. Continetur enim ibi verum corpus & sanguis Christi, secundum veram, & corporalem præsentiam, sub panis, & vini speciebus, & ob id subtexuit Dei vates. [Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.] Appellatur Itaq. hoc magnificum opus vltimæ cœnæ, sacrificium laudis, & honoris etiam, quoniam de illo etiam expendi etiam potest illud Isa. 46. [Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam.] Quē locū Procopius, D. Cyrillus, & Eusebius Cæsariensis de Saluatore nostro interpretantur, qui homo factus, gloriam suam in ciuitate Ierosolymitana manifestauit. Sed dices in quo quæso gloria Saluatoris Ierosolymis manifestata fuit? Dico Christum Iesum gloriam suam, mortem, & passionem suam appellasse, quæ omni ignominia, & dedecore repleta fuit. Quoniam licet mors Christi ex parte accidentium eum plena fuerit ignominia: verumtamen ex parte ipsius Dei morientis in magnam gloriam, & honorem ordinata extitit, eo quod mortem nostram moriendo destruxit, & per crucis vexillum de inimicis gloriosum reportauit triumphum. Crux namque quæ olim ludibrij & inhonoris fuerat signum, Christo moriente, gloriæ instrumentum vtique facta est. Hanc ob causam morti iam propinquus, hoc insigne, & magnificum opus, ac venerabile sacramentum instituit in vltima cœna, quod mortis, & passionis suæ peremne esset memoriale, itaut quod prius ignominia reputabatur, modo ad honorem, & gloriam iure optimo cedat? Hùc planè alludunt verba illa Christi Lucæ 22. [Hoc facite in meam commemorationem.] Et illud etiam Apostoli 1. Cor. 11. [Quotiescunq. manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat.] Perinde ac dicat. Annunciabitis modo ad gloriam quod prius fuerat ad contumeliam, vt sic redundet iam ad gloriam, & honorem, quod passus fuerat ad dolorem. Quamobrem iure optimo dicetur hoc opus vltimæ cœnæ opus magnificum, & sacrificium laudis, & honoris. Quoniam laus, & honor qui in passione sua Christo fuit sublatus, in hoc magnifico opere, & insigne sacrificio laudis illi omnino restituitur. Accidit aliquando aliquem de falso crimine coram iudice accusari, & ab ipso iudice condemnari, quod si postea de eius ignorantia cōstiterit, statuit ac disponit leges quod honor ablatus illi publicè restituatur, & tunc quidem per publicas vias & plateas cum summa omnium lætitia & gaudio, ac etiam omnium acclamatione deportatur, vt publicitas quæ antea fuerat in opprobrium, modo ad gloriam & honorem omnino vergat. Damnatus quidem fuit Christus in passione sua sanctissima tanquam reus mortis, & crucis affectus ignominia, & per vias publicas Ierusalem ad Golgotha, nimirum, Caluariæ locum deportatus: Verumtamen supplicium hoc iniustum quippe fuit, quoniam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde Isaias in cap. 53. de illo dixit: [Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.] Quamobrem condecens maximè fuit aliquod institui insigne, & magnificum opus, & honoris ac laudis sacrificium in illa vltima cœna, in quo honoris ablati in passione ei integra fieret restitutio; quapropter quemadmodum tunc per vias, & plateas publicas inhonestè fuit deportatus, ita & nunc cum summa omnium lætitia, ac populi christiani frequentia, in festo corporis Christi, per vias, vicos, & plateas (Ecclesia Dei sic iure optimo iubente) honorificè deportatur. Ecce igitur qualiter, & magnificum

Ps. 49. Eucharistiæ sacramētum.

Sacrificium laudis mensa Eucharistica.

Eucharistia quare opus magnificum & sacrificiū laudis, & honoris nuncupetur.

Comparatio.

Corpus Christi cur deffeatur publica processione.

A opus, & honoris, laudisque sacrificium Eucharistia meritò nuncupetur.

Illud porro disquirendum est. Cur scilicet mensa sancti altaris potius cœna dicatur quam prandium? Pro huius rei decisione adest ratio D. Cyrilli, quæ asserit, Christum in illa parabola Lucæ 14. [Homo quidam fecit cœnam magnam.] mensam Eucharisticam, cœnam appellasse, eò quòd pater cælestis dedit pro nobis in mortem filium suum, qui dedit nobis propriū corpus suum comedere, vnde & in vespere agnus immolabatur iuxta legem Mosaycam. Et sic meritò cœna dictum fuisse, paratum in Christo nobis conuiuium. Accedit quod cœna communiter noctu fit. Vnde in illa, duo quidem reperiuntur, vt pote lux & tenebra. Cænat Princeps, & accenduntur candelæ, & si quæras à seruis suis cur illæ accenduntur can-
B delæ? Mox respondebunt, quia nox est, & ex se adsunt tenebræ. Quamobrem ob illam noctis obscuritatem necessaria est tunc lux. Quare in cœnā communiter est tenebra, & lux. Perinde planè in mensa Eucharistica sunt hęc duo, nimirum tenebra, & lux. Ex eo enim quod illic sit Deus abiconditus sub illis accidentibus panis & vini, adsunt illic tenebræ. In tenebris enim nihil videmus, & sic illic corpus Christi à nobis nullatenus videtur corporeis oculis. Credimus namque quod non videmus, eò quòd fides est credere quod non vides, vel vt Apostolus ait: [Fides est argumentum non apparentium.] Vnde ex hac parte asserere possumus in mensa Eucharistica esse tenebram noctis, hoc est, obscuritatem fidei annexā. Ex eo insuper quod corporeis oculis accidentia illa panis, & vini illic intueamur (patent enim oculis nostris quantitas, & qualitates hostiæ, & vini post consecrationem) asseuerare pos-
C sumus illic esse lucem. Quoniam illa accidentia panis, & vini visibilia quidem sunt veluti luces. Solet enim Deus ad confirmationem nostræ fidei, se sub visibilibus rebus omnino abscondere. Quamobrem in Sacramento baptismi sub materia aquæ se abscondit, nam Christus est qui baptizat. In sacramento cōfessionis sub illa visibili materia, & forma, ac etiā manuū impositione se abscondit, quoniam Christus est qui peccata dimittit. Et idem dicendum est de Sacramento matrimonij, & de Extrema vnctione. Quare sibi etiam placuit se sub illis visibilibus accidentibus panis & vini in mensa altaris abscondere. Cum igitur in mēsa Eucharistica sit obscuritas & lux, meritò cœna nuncupatur. Ad hanc lucem, & tenebram huius regiæ cœnæ spectat proculdubio illud Isaac Gen. 27. [Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.] Sub tenebra enim nimirum sub obscuritate fidei vox Iacob illic est,
D cæterum sub luce manus Esau apparent. Verus namque Iacob Christus Redemptor noster ibi adest, & sub alienis vestibus panis & vini latitat. Quoniam si ad vestimenta, putà, ad accidentia quæ ibi clarè, & lucenter apparent aspicias, panis & vinum tibi videbuntur. Quoniam sensus, panem & vinum se tangere, & intueri credunt. Attamen si ad vocem, nimirum ad id quod ibi est absconditum attenderis, Iacob esse deprehendes. Quoniam summa veritas ait: [Hoc est corpus meum] & iterum [Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.] In hac planè cœna, locum habent verba illa Apostoli 2. Cor. 10. [In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.] Et rectè quidem circa lucē & tenebram huius vltimæ cęnæ vsus fuit Apostolus verbo [captiuare.] Quoniam circa mysterium huius Sacramenti cum moriantur & deficiant sensus, intellectes tamen nullatenus decipitur, aut moritur, sed
E captiuus dumtaxat reducitur. Accidit crebrò in accerrimo ac strenuo bello milites, duces, equites, reliquāq. multitudinem, morte opprimi, & succumbi: Regem verò minimè in illo mori, quinimmo captiuari, & compedibus alligatum, ac manicis ferreis detentum ad triumphum reseruari. Perinde sane in hac cœna, graue bellum ingruitur inter fidem, & humanum intellectum circa hoc mysterium sacrosanctum. Fides namque affirmat non esse panem, aut vinum, quod sub specie-

§. 7. Mensa sancti altaris cur cœna, & non prandium dicatur. Cyrillus in cap. 14. Lucæ.

Comparatio.

Tenebræ in sacramento altaris.

Accidentia in sacramento altaris videntur.

Tenebra, & lux in benedictione Iacob.

Rex captiuus reseruatur ad triumphum.

speciebus latitat & manet, sed veram Christi carnem, & prætiosum eius sanguinem. Intellectus vero contradicendo facit oppositũ, opitulatur ei sensuum multitudo, & super hoc inter fidem & rationem haud exigua est controuersia, digladiatio, & dissentio, ac Bellum, fides tamen ouans, hoc est, triumphanter vincit, & humana ratio manet victa, sensusq. pereunt & deficiunt: [Muera toda la chusma y canalla delos sentidos.] intellectus vero qui est rex alligatur, sed non moritur. Quoniam ad fidei triumphum captiuus detinetur & reseruatur, & hoc est, intellectum in obsequiũ Christi captiuare. Quoniam mysterium hoc ratione humana compræhendi nequit, sed fide firmiter & intrepidè (vt dicunt Hispani: [Apies iuntillas]) profitemur iuxta illud quod cum S. Tho. canit Ecclesia.

Fidei triumphus.

Quod non capis quod non vides
Animosa firmat fides
Preter rerum ordinem
Sub diuersis specibus
Signis tantum & non rebus
Latent res eximiæ
Caro cibus sanguis potus
Manet Christus *tamen totus*
Sub vtraque specie

§. 5. Ecclesia militans est visibilis.

Reliquum tamen est, vt ex his visibilibus accedentibus, sub quibus prædiximus corpus Christi latere in hac regia cœna & mensa Eucharistica colligamus, Lutherum asseuerantem Ecclesiam omnino esse inuisibilem prorsus falli & decipi. Quoniam in Ecclesia militante adsunt altaria visibilia, sacramenta visibilia; H imagines omnium sanctorum visibiles, sarcerdores visibiles, cæremoniæ visibiles & reliqua vt supra nos in cap. 1. Tex. 4. disp. 10. (dum de Ecclesia Dei egregie & luculenter pertractaremus) aduersus ipsum, suosque sequaces (qui adhuc hoc nostro sæculo Ecclesiam catholicam esse latentem, inuisibilem & soli Deo cognitam existimant) adamussim probauimus. Quæ plane omnia visibilia, & pracipuè sanctorum miracula quę oculis nostris prope diem patent, reddunt proculdubio mysteria gratiæ & fidei euidenter credibilia vt probant Iustinus Martyr in Apologia pro Christianis, Tertulianus in Apolog. contra gentes D. Chrysost. in oratione, contra Iudæos, D. Augustinus in lib. de ciuitate Dei, tomo. 5. & lib de vtilitate credendi ad Honoratum, tom. 3. D. Tho. p. contra gentes per varia capita, maximè vero cap. 6. Scotus q. 2. prologi. Hieronymus Sauanarola in lib. de triumpho Crucis, Ludouicus Viues in libris de vera religione, D. Antoninus. 4. parte theologali, tit. 8. c. 1. §. 2. Medina in præfactione. 3. p. & alij pleriq. D. D. Theologi disputantes contra Iudæos, Lutherum, aliosque paganos & heræticos sanctissimæ Crucis & Ecclesiæ Christi vafros hostes. I

Hęreticorum lapsus circa Ecclesiã militantem.

Mysteria fidei & gratiæ sunt euidenter credibilia

§. 6. Eucharistia requirit munditiam cordis & animæ.

Demum animaduertas maximè oportet, quod ad hoc vt tu in mensa Eucharistica cœnes cum Christo, antequam ad tale iuge conuiuium accedas, emundandum primo vtique est mentis tuæ cœnaculum, iuxta illud Iob: [Antequam comedam suspiro] & illud Apostoli: [Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat & de calice bibat.] Super quæ Apostolica verba sic scribit Primasius: [Si in linteo aut in vase polluto non potest mitti, & hæc vnusquisque non audit, quanto magis non debet accipi corde polluto, quam immunditiam Deus super omnia execratur & quæ sola K iniuria corpori eius efficitur. Nam & Ioseph ille Iustus sindone munda inuolutum & in sepulchro nouo corpus Domini sepeliuit.] Sic ille. Huc proculdubio spectat illud Salomonis Prou. 23. [Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.] Perinde ac diceret. Si conuiua sederis, aliquando cum rege ad mensam, ne sis tam mentis hebes,

F incuriosus, & vęcors vt solum ad implendum ventrem & ad satiandum appetitum attendas. Quinimo considera diligenter epularum pretium, regis magnificentiam, ministrantium ordinem (vt altera Regina Sabba) musicorum consentum, & vasorum diuersi generis apparatum regium, vt ex his omnibus incalescat animus & singuli sensus capiant voluptatem. Verum enimuero quanuis his omnibus impleueris pertimescas semper oportet: quinimo gladium gutturi tuo statue. Quoniam solet aliquando regali mensę & conuiuio mors intercedere & venenum propinari, ita prorsus in hac cœna & mensa Eucharistia: quoniam testante Apostolo: [Qui manducat & bibit indignè, iudicum sibi manducat & bibit.] Quo loco idem Primasius sic habet: [Dupliciter reus est qui indignus accedit & pro peccato, & pro vsurpatione.] Et plane ita omnino esse exemplo Iudæ corroborari potest, de quo dicitur G Ioan. 13. quod cœna facta; diabolus intrauit in cor eius & paulo post: [Et post bucellam intrauit in eum Satanas.]

Diligentia communicantium.

Eucharistiam indigne sumere est vsurpatio.

QVI Vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius. Tex. 25:

COMMENTARIVS.

H AMPLECTOR hic libenter communiorem sententiam, & tutiorem explanationem quæ est D. Ambrosij, Haymonis, Primasij, Strabi, Laudunensis, Carthusiani, & Incogniti in hisce suis commentarijs. Qui plane omnes accipientes thronum non pro sede aut cathedra siue tribunal in quo aliqui sidere solent, sed pro iudiciaria potestate asserunt Christum hoc in loco vincentibus (nimirum gloriosis Athletis, qui hostes, videlicet, mundum, dæmonem, & carnem, strenuè debellarunt ac omnino profligarunt) iudicandi potestatem repromittere, eosdem secum consessores conparticipesque suæ potestatis atque iudicij in extremo tempore faciendo. Iuxta quam enodationem dico quod præsens contextus ita compingendus vtique venit *Qui vicerit* sicut & ego vici *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius* Perinde ac diceret. Qui concupiscentiam, & carnis illecebras, demonisque ac mundi insultus omnino profligauerit: (Ita vt, his iam debellatis fusisque omnino hostibus, palmam reportandi condignus repertus fuerit) propter victoriam ouans dignitatem recipiet sedendi mecum, id est, vnà mecum iudicandi, quemadmodum & ego ob victoriam qua vici mundum sedeo in throno patris mei id est, iudicare dignoscor cum patre.

Enodatio contextus. §. 1.

Textus compositio.

Quæ plane bina comparatio respectu Christi accipienda vtique venit quantum ad humanitatem eius sanctissimam iuxta quam Christus in sua acerba passione, & mundum & Iudæos & diabolum prorsus deuicit vt ipsemet fatetur Ioan. 17. dicens: [Confidite ego vici mundum.] Quinimo ipse per passionem suam, aduersarium nostrum diabolum fortem & circumquaque armatum omnino ligauit, vasa eius intrepide diripuit, mundi gloriam funditus strauit, hostesque suos Iudæos induratos & ob cæcatos prorsus deiecit iuxta illud Lucæ. 11. [Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa ar-

§. 2. Christus vincit secundum humanitatē.

Demon prostratus à Christo.

sa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.] Vicit itaque Christus in sua dolorosa passione. De qua plane, victoria & triumpho extat illud elogium: [Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid.] Ob quam passionis, & diræ mortis tolerantiam accepit ipse Christus à patre Æterno iudicandi potestatem, dicente Apostolo. [Humiliauit semetipsum factus obediens vsq. ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur:] Quod & ipsemet Christus iua iam peracta passione, resurgens ex mortuis patefecit dicens: [Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.] In qua omnimoda potestate includitur etiam iudicandi facultas, iuxta illud: [Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.] & iterum: [Pater omne iudicium dedit filio.] Ad quod vtique alludit Psalmographus dicens: [Deus iudicium tuum regi da.] Non quod triumphante resurrectione, talem nouiter acceperit Redemptor noster potestatem (illam namque à primo suæ conceptionis instanti abundè obtinuit) sed quod tunc eius omnimodam manifestationem ipse vtiq. meruit. Quoniam per victoriam, admirabileq. passionis suæ triumphum, meruit Christus suorum donorum (quæ à primo suæ conceptionis instanti obtinuit) manifestationem, tanquam primam, post passionis suæ certamina, palmam, & in sacro eloquio r. s tunc fieri dicuntur (vt primo capite abunde retulimus) dum innotescunt. In quo quippe sensu dicimus Christum mereri in sua resurrectione hanc iudicandi potestatem, hoc est, eius manifestationem, sicut & corporis glorificationem, & exaltationem super omnes cælos.

Potestas Christi post resurrectionem.

Iudicandi potestas in Christo homine.

§. 3.

Iudicare quomodo conueniat toti trinitati.

Iudicare iurisdictione delegata est proprium humanitati Christi.

Et ne æquiuoceris in hac iudicandi iurisdictione Christi animaduertas hic fas sanè est, quod iudicare auctoritatiuè vel secundum authoritatem primariam competit toti trinitati, & per consequens vnicuique personæ diuinæ: Iudicare vero iurisdictione delegata est peculiare & proprium humanitati Christi, vt nos supra in cap. 1. text. 5. Paraphr. 4. Disput. 12. quæst. 1. & 2. iugiter retulimus. Quamobrem humanitas Christi ab ipsa persona diuina verbi Dei, (cui hypostaticè est vnita) iurisdictionem delegatam iudicandi accepit. Iccirco Christus in quantum homo iurisdictionem delegatam habet iudicandi. Quam ob causam hoc quod in contextu habetur aut dicitur, nimirum, ***Sedi cum patre meo in throno eius*** secundum humanitatem (vt dixi) intelligendum vtique venit, iuxta quam humanitatem, delegatam (vt dudum dicebamus) iudicandi facultatem & copiam à patre æterno accepit. Quamobrem illud quod authoritatiuè competit Deo, iurisdictione delegata conuenit humanitati. Quoniam quemadmodum Christus licet in quantum Deus sit per naturam patri æqualis, veruntamen in quantum homo, est illo minor, iuxta illud Symboli Athanasij: [Minor patre secundum humanitatem.] Perinde etiam, quamuis ipsemet Christus in quantum Deus æqualem iudicandi potestatem obtineat cum patre, puta authoritatem primariam: attamen in quantum homo, eam inæqualem obtinet; eò quòd illa est primaria, quæ solis tribus diuinis personis dumtaxat competit, ista vero est delegata. Verum enimuero quamuis ista potentia iudicandi sit delegata, est tamen naturalis, conuenit enim Christo per naturam. Vnde per hæc verba ***dabo sedere mecum, &c.*** Christus (de cuius plenitudine omnes accepimus) repromittit nobis per gratiam illud quod ei competit per naturam, vt egregiè, & simul perdoctè explanat hoc loco D. Ambrosius per hæc verba: [Vicit Christus diabolum, vincunt, & sancti eius, sed Christus per semetipsum, sancti vero eius non per semetipsos, sed per ipsum, dedit pater filio potestatem, secundum quod homo est, vt sedeat in throno eius, dedit & filius potestatem suis, vt sedeant & ipsi in throno eius. Christus ad dexteram Dei sedet sicut dicit Psalmista, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quia æqualis est patri. Sancti autem non ad dexteram filij, sed in sedibus suis, sicut dicit Dominus in Euangelio, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Ipsi enim non naturaliter vt Christus, sed per adoptionem sunt filij, ideo diuersas sedes sortiuntur secundum meritorum diuersitatem.] Hæc D. Ambrosius. Huic etiam explanationi se subscribit D. Gregorius per hæc verba: [Nobis in throno filij sedere est ex eiusdem filij Dei potestate iudicare, quia enim iudicij principatum ex eius virtute suscepimus, velut in eius throno residemus.] Quadrat hæc enodatio ly [throni] cum ijs quæ supra in cap. 1. text. 5. Paraph. 5. dispungentes illa verba: [Et à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt.] diximus. Ibi enim argutum fuit [thronum] non sedem, quinimo iudiciariam potestatem filij Dei præsignificare, & idem prorsus hic etiam approbamus, quoniam hæc communior & tutior (vt dixi) explanatio est ly [throni] in hac prima visione.

Christus quomodo minor patre, & quomodo patri æqualis.

Iudicandi potentia delegata Christi, est illi naturalis.

D. Ambrosius in comm.

§. 4.

Iusti sedebũt cum Christo veluti assessores in extremo iudicio.

Nihilominus probabilem etiam reputo aliam opinionem affirmantem hic sermonem esse de throno regnandi cum Christo, ita vt hæc promissio referatur generaliter ad omnes iustos qui regni cælestis participes erunt corregnantes cum Christo in æterna beatitudine iuxta illud: [Et regnabunt cum eo.] Quam planè opinionem amplexi fuere Lyranus, Carthusianus, Franciscus Ribera, & Iacobus Suarez à sancta Maria in hisce suis commentarijs. Cui opinioni etiam se subscripsit Soto in 4. sent. distinct. 47. q. 1. art. 2. scribens sic [Conclusio nostra alium asserit iudicandi modum, quo Christus non iustis vniuersis, sed peculiariter Apostolis, qui relinquentes omnia secuti sunt eum, pollicitus est, de quibus legitur Isaiæ cap. 3. Dominus ad iudicandum venit cum senioribus populi sui. & Prouerb. 31. ait Salomon de Ecclesia sponso, nobilis in portis vir eius quando sederit cum Senatoribus terræ, & Iob. 3. & 6. non saluat impios & pauperibus iudicium tribuit, & Apoc. 3. Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius. Quamuis hoc ad vniuersos iustos referri videatur qui sedebunt in throno cum Christo, non in throno iudicandi, sed regnandi.] Hæc Soto. Iuxta hanc secundam explanationem (quam etiam iudico probabilem) ly [thronus] accipitur pro sede, vel quiete, vel cælo empyreo. Dixerat enim Christus viuens in terris; [Ego vitam æternam do eis.] Et iterum: [Vado parare vobis locum.] Et rursus: [Veniam & assumam vos ad me ipsum, & vbi ego sum, & vos sitis.] Et Ioan. 17. [Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, illic sint mecum.] Et cum modo Christus sit in cœlo empyreo ouans tenendo Dei dexteram, iuxta illud Marc. 16. [Et Dominus quidem Iesus post quam locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei] probabile vtique est, hic per ly [thronum] sedem vel cœlum empyreum intelligi, iuxta illud Isa. 67. [Cœlum sedes mea] & Matth. 5. [Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est. Porro probabilitatem huius opinionis corroborare possumus hoc vnico argumento ex ipsa serie contextus, puta ex ly [*sedi*] deprompto. Christum iudicare est quid futurum, Christum vero regnare est quid præteritum, quoniam regnauit à ligno, & quamuis fides doceat, nunc etiam Christum regnare, & regnaturum etiam forè in æternum, tamen à ligno incepit regnare. Qui plane actus incipiendi regnare, iam est præteritus, vt liquet: At in contextu non dicit Christus [sedebo] de futuro, sed *sedi* de præterito, Igitur signum est, in textu nullatenus esse sermonem de futura sessione ad iudicandum, sed de præterita sessione qua cum patre sedit in cœlis regnans ab eo die quo in cœlum ascendit. Quia tamen priorem explanationem probabiliorem & tutiorem iudicamus, hoc argumentum dissoluere oportet. Cuius planè solutio stat in hoc, nimirum, quia in Christi iurisdictione delegata iudicandi, tria includuntur, vt potè potestas, manifestatio eius, & actus tali potentiæ annexus. Ex quibus

Ioan. 14.

Regnare quãdo incepit Christus.

Argumentum validissimum in confirmatione huius sententiæ.

Soluitur argumentum.

quibus duo priora iam habet Christus. Quoniam primum, scilicet, potentiam, à primo instanti incarnationis; secundum verò, puta, manifestationem talis potentiæ, in resurrectione, obtinuit: tertium vero nimirum, actum iudicandi (quem Theologi vocant iudicium disceptationis & prolationis sententiæ, iuxta illud Ioel 3. [Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis] Et illud Matth. 24. [Ite maledicti, &c.] & [venite benedicti, &c.]) adhuc non habet Christus, nam aduch non iudicauit Christus, iudicio vniuersali, sed iudicaturus est, vt fides docet. Quamobrem adhuc non habet actum illi potentiæ manifestatæ annexum. Cum igitur in textu ait Christus *sedi* loquitur de duobus primis, nimirum, de sua potentia, & de eius manifestatione, & sic per illam cōparatiuam *sicuti ego vici, & sedi* pro mittit Christus se daturum vincentibus potestatem iudicandi cum eo, & manifestationem talis potentiæ.

Iudicandi potestatem quādo accipient sancti.

In extremo namque tempore corporibus sanctorum resurgentibus, accipient sancti Dei potestatem iudicandi, & tales tunc cognoscentur ab omnibus iudicandis. Et hoc est illud *vici* & *sedi* de præterito in Christo. Quamobrem quod iam est præteritum in Christo, futurum quippe est in sanctis suis. Quoniam damnati adhuc nesciunt, sanctos Dei habere iudicandi potestatem, nec minus ipsos per eos iudicari, scient tamen apertè & clarè cum resurgent in extremo tempore, videntes sanctos Dei assessores Christi. Iccirco respectu sanctorum vincentium carnis spurcitias, dixit *dabo* de futuro, & respectu sui ipsius, ait *vici* & *sedi* de præterito. Et cum hoc sit vltimum electorum accidentale præmium, iustè illud, hoc vltimo loco, sanctis suis, per hæc postrema verba huius primæ visionis (in qua tot sunt vincentium promissiones) reseruauit Dominus & Saluator noster Christus filius Dei.

§. 5.
Iusti debent bellum gerere contra carnalia desideria.
Rom. 8.
Galath. 5.

Et postremo loco annota, quod per illa verba. *Qui viceris* significatur spirituale bellum. Quamobrem illa sic sonare videntur. Qui vicerit, hoc est, quicunque carnem domauerit, quicumque concupiscentias superauerit, quicumque sui ipsius victor extiterit, hic erit assessor meus in iudicio. Quo documento erudimur, carnem subijciendam esse rationi, si iustificari volumus. Quod in figura filijs Israel Dominus insinuauit loquens de terra promissionis Deut. 11. per hæc verba: [Terra ad quam ingredieris possidendam non est sicut terra Ægypti de qua existi, &c. sed montuosa &c. & oculi illius in ea sunt à principio anni, vsque ad finem eius.] Terra promissionis quæ iusto in hac vita possidenda promittitur, anima eius est de qua

Matth. 5.

dicitur: [Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.] Quæ verba alibi ipsa veritas exponens in patientia (inquit) vestra possidebitis animas vestras.]

Lucæ 21.
Matth. 16.

Hæc autem possessio quanti sit æstimanda, ipse idem Saluator docuit dicens: [Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.] Ab hac terra peregrinantur omnes qui carnis illecebras sectantur & æternæ patriæ fœlicitatem non dum intelligunt, hi enim non in anima sua, sed in carne habitant. Qui autem è contra carnis delitias fugiunt ab illis omnino se sua trahunt, in anima sua habitant, de quibus dictum est: [Vos in carne non estis sed in spiritu.]

Rom. 8.

Terra ergo ad quam possidendam Deus nos introducit, non est sicut terra Aegypti, carnis habitatio per terram Aegypti præfiguratur, sicut habitatio animæ per terram promissionis.

Terreni terrena possidēt

In terra Aegypti in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ. Qui enim talem inhabitant terram, & de carne viuunt terrenis tantum gaudijs irrigantur, terrena solummodo sapiunt, nec nisi de terrena voluptate consolationem accipiunt, nunquam cælesti pluuia recreantur: & ideo non nisi terrenos fructus, hoc est, corruptionem metunt. Terra promissionis non est sicut terra Aegypti, quoniam illa de cœlo expectat pluuiam. Iustus enim qui carnis illecebras spernit, qui à mundi voluptatibus recedit, nul-

F

lam ex hoc mundo quærit consolationem, sed cum Propheta clamat: [Renuit consolari anima mea, memor fuit Dei & delectatus sum.]

Psal. 76.

Quia omnem consolationem suam a Deo expectat. Hæc terra montuosa est, quia anima iusti aliquando ad ima se deijcit & recordatione suorum peccatorum plorans aliquando in altum se tollit præ desiderio cælestis patriæ suspirans, & sic: [Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.]

Psal. 83.

Vt aliquando à creaturis ad Deum ascendat, aliquando à Deo ad proximorum curam descendat. Vnde autem hæc terra hanc consolationem, & hos fructus habeat, apertè declaratur per id quod subditur: [Quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni vsque ad finem eius.]

Iustos semper visitat Deus.
Iob. 10.

Vt cum Iob dicere possit: [Visitatio tua custodiuit spiritum meum.] Quia ex eò quòd Dominus eam aspicit, quod visitat,

G

donum dat perseuerandi in bonitate vsque dum sedeat in throno vt cum eo simul iudicet nationes. Duplex in lege illa veteri erat altare, alterum intus in oraculo, alterum vero foris. In isto carnes mactabantur, in illo thus offerebatur, quod planè victoribus maximè quadrat, in quibus duplicia sunt altaria,

Iustorum gemina consideratio.

alterum in corpore, quod tortoribus, & persecutoribus pro Christo offertur. Alterum in anima in quo suaue incensum Deo offertur, cum mortificatis, interioribus appetitibus carnem domamus, & demonem, & sanguinem superamus. Huius autem belli, seu victoriæ spiritualis arma nostra, patientia vtique est;

Vincimus per patientiam.

vincere namque semper inuoluit explicitè (vel saltem implicitè) patientiam, quæ donum Dei est, cum ipse solus, vt tentationes vincamus, eam nobis elargiri soleat, qua & nos armamur, vt contra sui nominis aduersarios strenuè dimicemus.

Patientia armantur iusti, & ad quid?

Iccirco illam

H

possidentibus præmium repromittit, testante Apostolo, ad Rom. 2. per hæc verba: [Reddet vnicuique secundum opera eius] Ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem & in corruptionem quærunt, vitam æternam.

Patientia radix meriti.
Heb. 10.

Vbi notanda est phrasis, & modus loquendi Apostoli, quia non dixit per bonum opus; sed per patientiam boni operis, vt significaret patientiam radicem esse meriti. Quod etiam ad Hebræos 10. indicauit dicens: [Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem.] Quoniam quemadmodum absque pane, nullo cibo consueuerunt homines vti, cum quo omnia sunt salubria, sic absque patientia nulla virtus suas actiones promere potest, cum qua vnita perfectum se exhibet. Hoc ipsum indicauit D. Iacobus, dum in cap. 1. ait. [Patientia opus perfectum habet.] Vel vt ex Græ-

I

co legitur: [habeat] & sequitur: [vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes.] Et reuera nihil est quod maiorem de diabolo reportet victoriam, quam patientia, vt in Iob videre licet.

K



DISPVT. IX, & Postrema.

In Cap. III. Apocalypseos, de Sanctis, & Beatis electis qui sessuri sunt cum Christo in extremo iudicio, & vnà cum eo omnes iudicandos iudicabunt.

In sex Quæstiones contenta super illa verba: *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.*

Prologus disputationis.

DIXIMVS in superioribus Christum iudicaturum in extremo tempore, & non solum secundum diuinitatem habere potestatem primariam iudicandi verum etiam secundum humanitatem potestatem delegatam, siue secundariā & quasi ex commissione Dei datā obtinere. Hoc igitur loco explananda quippe est Sanctorum facultas, qui vnà cum Christo tunc in illo futuro vniuersali iudicio iudicabunt, de qua re sermonem habent D.D. Theologi cum Magistro in 4. sent. dist. 47. & 48. Richardus p.p. in tract. de iudiciaria potestate. Auctor operis imperfecti hom. 33. in Matth. Theophilus in cap. 19. Matth. Euthymius in 14. Matth. Theodoretus in epist. 1. Cor. 6. D. August. lib. 20. de ciuitate Dei c. 5. Beda in hom. in natali S. Benedicti. S. Antoninus 4. p. tit. 14. c. 11. §. 6. Abulensis in c. 1. Matth. q. 205. & D. Gregorius lib. 10. moral. c. 17.

Quæstio I.

Vtrum Christo iudici aliqui Sanctorum sint assessuri Iudices?

1. conclus. Sancti iudices cum Xpo.



PRIMA conclusio est affirmatiua, & de fide. Probaturq; ex multis locis sacræ paginæ. Quoniam Matth cap. 19. ait Dominus Apostolis suis: [Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.] & Lucæ 22. [Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.] & Apostolus 1. Cor. 6. ait: [An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt, & si in vobis iudicabitur mundus indigni estis, qui de minimis iudicetur, nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia?] & Isa. 3. [Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui.] & Sap. 3. [Fulgebunt iusti tamquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.] Quare certum & de fide erit sanctos esse sessuros, & iudicaturos cum Christo in futuro illo vniuersali iudicio.

Quæstio II.

Vtrum Sancti æquali potestate, & ex æquo tunc iudicent cum Christo?

Qualis futura sit potestas vel auctoritas sanctorum in iudicando, neque sciri, nisi diuina reuelatione mediante.



MIHI verba hic facturo de potestate & auctoritate Sanctorum qui iudicaturi sunt cum Christo, venit plane in mentem illud Magistri in 4 sent. dist. 47. ita scribentis: [Si quæratur quæ erit eorum scilicet sanctorum potestas vel auctoritas in iudicando, puto non ante sciri quam videatur, nisi diuina reuelatione quis didicerit.] Hæc Magister. Nihilominus sancti Patres, & Doctores pro modulo suo aliqua nobis proponunt de hac Sanctorum auctoritate in iudicio. Sanctus Thomas in hisce suis commentarijs pertractat prælibatam difficultatem, ad quam negatiuè respondet per hæc verba: [Non intelligitur quod ex æquo iudicent vel quod sit eadem potestas, sed notatur communicatio iudiciariæ potestatis, quæ in viris perfectis minor erit quam in Christo, quorum potestatis origo erit potestas ipsius Christi. Vnde cum dicitur, dabo ei sedere mecum in throno meo, notatur & communicatio, & carnalitas per hoc quod dicitur in throno mecum, vnde super hunc locum dicit Gregorius, nobis in throno filij sedere est. Ex eiusdem filij potestate iudicare. Quia enim iudicij principatum ex eius virtute suscepimus, velut in eius throno residemus.]

S. Thom. in comment.

Et idem videtur asserere in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. quæstiuncula p. vbi postquam explicauit quatuor modos iudicandi, nimirum causaliter, interpretatiuè, per similitudinem, quantum scilicet aliquis sedet in loco eminenti, sicut iudex, quo sensu assessores iudicare dicuntur, & sicut liber in quo continetur lex, mox in hæc verba prorumpit: [Sed quia iudicare importat actionem in alium procedentem, ideo propriè loquendo iudicare dicitur, qui sententiam loquendo in alterum fert, sed hoc dupliciter contingit, vno modo ex propria auctoritate, & hoc est illius propriè qui habet in alios dominium, & potestatem, cuius regimini subduntur, qui iudicantur. Vnde eius est in eo ius ferre, & sic iudicare solius Dei est. Alio modo iudicare est sententiam alterius auctoritate latam in aliorum notitiam ducere, quod est sententiam latam pronunciare, & hoc modo perfecti viri iudicabunt, quia alios ducent in cognitionem diuinæ iustitiæ, vt sciant quid eis iustè pro meritis debeatur, vt ipsa reuelatio iustitiæ iudicium dicatur, vnde dicit Richardus de sancto Victore, iudices coram iudicandis decretorum suorum libros aperire est ad cordium suorum inspectionem inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad iudicium pertinent reuelare.] Hucusque sanctus Thomas. Hæc verba D. Thomæ in 4. fusiùs & longa plane verborum intercapedine explicant Soto in 4 sent. dist. 47. q. 1. art. 2. & Franciscus Suarez in suis commentarijs 3. p. D. Thom. tom. 2 q. 59. art. 6. disput. 57. sect. 4. Quare concludimus sanctos

non æquè iudicare cum Christo cui iudicium attribuatur sanctis secundum quamdam participationem alicuius honoris, & secundum quamdam participationē actionis iudiciariæ originem ducentis à potestate Christi delegata. Quam de plenitudine eius accip ent sancti. Accedit quod illa erit capitis, hæc vero membrorum facultas.

Quæstio III.

Vtrum sancti non solum concurrant ad prolationem sententiæ verū etiam ad desceptationem?

Sancti, & iusti concurrēt ad prolationem sententię, & ad disceptationem in iudicio.



RATIO dubitandi oritur ex eo quod in iudicio illo finali, duo sunt futuri actus, nimirum, actus desceptationis, de quo intelligitur illud Ioel 3. [Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.] Et actus prolationis sententiæ, de quo extat mentio Matth. 25. [Venite benedicti patris mei, &c.] & [Discedite à me maledicti, &c.] Cum itaque in iudicio finali sint hi duo actus dubitatur an in vtroque, an in altero eorum duntaxat Sanctorum facultas ad iudicandū cū Christo consistat.

1. conclus. Sancti in iudicio sententiam promulgabunt.

Prima conclusio. Sanctos habere participationem cum Christo in actu prolationis sententiæ, certum & indubitatum est. Hæc est D. Thom. Richardi de sancto Victore, Soti, & omnium Theologorum in 4. sent. qui omnes concorditer tenent, sanctos sententiam authoritate Christi latam in notitiam iudicandorum proferre. Quod dicunt esse quasi illam pronunciare (siue illa sit locutio vocalis, aut mentalis) & docere eos quod cuique iustitia Dei, pro suis meritis retribuat.

2. conclus. Sancti interuenient ad disceptationē. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

Secunda conclusio. Probabile est sanctos habere participationem cum Christo in actu disceptationis. Corroboratur: Tum quia iste actus est minus principalis. Tum quia disceptationis antecedet sententiæ prolationem. Tum postremo quia quando duo actus sunt subordinati, probabile est eum qui ad vltimum concurrit, ad primum etiam conuenisse, ob illam maximam Aristotelicam: [Quod est causa causæ est etiam causa causati.] Sed sic est quod desceptatio, & sententiæ prolatio sunt actus subordinati. Primo enim iudex arguit reum, & eius cognoscit causam, & postea secundum allata, & probata iudicat proferendo sententiam. Igitur cum sancti concurrant certè ad prolationem sententiæ, probabile etiam erit concurrere ad actum priorem, arguendo, & conuincendo reos simul cum eisdem disceptando coram Christo iudice. Quare concurrent Sancti ad vtrumque actum iudicij vna cum Christo, quorum vnum est certum, alterum vero probabile.

Quæstio IV.

Vtrum omnes sancti sint iudicaturi cum Christo?

1. conclus. Priuilegium Apostolorum de iudicando.



PRIMA assertio De fide est Apostolos iudicaturos esse cum Christo. Probatur ex eo dumtaxat quia ipsis facta est à Christo iudice immediate repromissio. Sic enim legitur

F Matth. cap. 19. [Sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.] & Lucæ 22. Et sedeatis super thronos duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.] — simul cum Christo.

2. conclus. Virgo Maria iudicabit cū Christo in iudicio.

Secunda assertio. Beatæ Virgini Mariæ debetur thronus siue sedes in iudicio. Probatur quia sedes pertinet ad honorem, & datur in iudicio propter magnitudinem meritorum, quæ plane merita fuerunt in Virgine maiora quàm in omnibus Apostolis. Et si quæras, quare loco citato, scilicet Matth. cap. 19. Beata Virgini non assignata fuerit à Christo sedes siue thronus ad iudicandum? Adsunt plane quatuor validissimæ rationes quas affert Tostatus in cap. 19. Matth. tom. 5. quæst. 200.

3. conclus. Iudicādi potestas competit voluntariæ paupertati.

G Tertia assertio. Probabile valde est viros Apostolicos, vt potè religiosos (qui vitam Apostolicam, rerum omnium renunciatione facta seruauerunt) nationes omnes iudicare simul cum Christo, & Apostolis. Hæc est D. Thom. in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. quæstiuncula 1. & opusculo 19. cap. 6. & 7. & eam cum illo communiter tenent D.D. Theologi; Paludanus, Dominicus de Soto in 4. Antoninus 4. p. tit. 14. cap. 11. §. 6. Tostatus in cap. 19 Matth. tom. 5 q. 205. Franciscus Suarez in 3. p. D. Tho. q. 59. art. 6. disp. 47. sect. 4 Iosephus Angles p. 2. flor. Theolog q. de vniuersali iudicio art. 1 conclus. 2 Illamque olim tenuerunt sancti Patres D. Augustinus epist 89. D. Gregorius lib. 10 moral. cap. 17. D. Hieronymus epist. 28. Beda hom. in natali S. Benedicti, & Anselmus epist. 10. Probaturque assertio Primo ratione

H congruitatis. Quoniam voluntaria paupertas est eorum qui omnia quæ in mundo sunt contempsit, soli Christo inhærent, & ideo non est in eis aliquod eorum iudicium à iustitia deflectat. Quamobrem idonei ad iudicandum ex hoc redduntur quasi veritatem iustitiæ præ omnibus diligentes. Secundo per modum meriti, quoniam humilitati quadrat exaltatio, vt Dominus, dixit Lucæ 14. & inter omnia alia quæ in terris hominem humilem, & despectum reddunt, præcipuum est paupertas. Quare excellentia iudiciariæ potestatis his pauperibus promittitur, vt sic qui se humiliat exaltetur. Tertio ratione dispositionis. Quoniam paupertas disponit ad prædictum modum iudicandi. Quarto probatur ex illo Iob 36. [Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.] Quinto, & postremo probatur quia ratio fere est euidens, dixerat enim Petrus [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Cui Christus protinus respondit: [Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.] At viri religiosi voto se obligantes, relictis omnibus ad imitationem Apostolorum, secuti sunt Christum. Igitur iudicabunt cum ipso, & cum Apostolis eius in regeneratione.

1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio. 4. Ratio.

I

4. assertio. Confessores assessores in iudicio. 1. Ratio.

Quarta assertio. Inter hos viros Apostolicos, ego maxime probabile existimo, vitæ exactæ probatæ confessarios reperiri debere. Idque probo. Quoniam in illo extremo iudicio reddenda vtique est ratio coram Deo de pœnitentijs impositis in confessionibus, vt potè de ieiunijs, abstinentijs, cilicijs, iuramentis, promissionibus, eleemosynis, restitutionibus, orationibus, & reliqua. At de his omnibus, & singulis, nemo Sanctorum, tales impœnitentes interrogare melius poterit quam perfectus ac vita probatæ confessarius quærendo ab eisdem causam impœnitentiæ, numirum, propter quid prælibatas ipsius iniunctas pœnitentias in suis confessionibus, postea minimè adimpleuerint. Igitur probabile est præfatos optimos, & perfectos cōfessarios in iudicio sedem, & thronum obtinere. Idem prorsus puto de sanctis concionatoribus optimè, & spiritualiter semen Dei seminantibus. Quos exaudire plerique noluerunt, nec minus eorum sancta consilia executioni mandare nullatenus curarunt.

K Predicatores assessores in iudicio.

Quinta & postrema assertio: Probabile etiam est aliquos

5. Ratio.

aliquos ex sanctis Patribus antiquæ legis iudicare rationem cum Apostolis. Hæc est Dominici de Soto in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. & probatur. Tum quia Religiosi, qui modo in Ecclesia Dei voluntariæ paupertati voto se constringunt originem trahunt non solum ab Apostolis, verum etiam à sanctis Patribus veteris Testamenti. Quoniam Religionum primordia, & fontalem originem à patribus veteris Testamenti esse produnt, Platina, Onufrius, Iosephus lib. 3. de bello Iudaico, Calenus lib. de origine Monachorum cap. 5. Dionysius in sua Hierarch. Eccles. cap. 6. Cyprianus, & Tertullianus in lib. de Vel. Virginibus. Cassianus coll. 18. & de instit. Monachorum lib. 2. cap. 5. Philon, de vita contempl. Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 3. Hieronymus Romanus lib. 6. Reip. Christ. cap. 1. D. Basilius lib. 1. c. 2. Franciscus ab Osuna 1. p. Alphabeti spiritualis tract. 21. cap 4. Gundisaluus Illescas tract. 1. c. 28. Tritemius, Tapia, Pantinus, Paulus de Morigia, & Gabriel Toro in suo thesauro cap. 15. & quamuis quidam illorum teneant monasteria, & religiones inchoasse a Nazarenis, cuius opinionis patronos inuenio excitatos plerosque, quos pro se adducit Coria Manual. lib. 1. cap. 8. & lib. 4. cap. 2. Quidam vero asseuerent monasteria ii cepisse Machabæorum tempore cuius opinionis auctores ex præallegatis adducunt pro se Gabriel Toro cap. 15. & Arias Aprou ipiriti p. p. tract. 4. cap. 25. et ... illam virginum ad Oniam summum Pontificem lamentationem, cuius extat mentio 2. Machab. 3. Quidam demum pro aris, & focis tueantur fontalem originem omnium religionum fuisse Eliam Prophetam, pro quo tuenda sententia facit illud D. Hieronymi ad Paulin.: [Quantum attinet ad auctoritatem veterum scripturarum monastici propositi Princeps fuit Elias, & discipuli eius, qui relictis vrbibus sibi casulas circa Iordanis fluenta in deserto construxerunt.] ac etiam illud Cassiani lib. 1. cap. 2. itaque Monachum, & militem Christi accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento professionis huius fundauere primordia Eliam scilicet, & Eliseum diuinarum auctoritate monstratur. Et tandem illud Ioan. Patriarch. cap. 2. [Hic propheta Dei Elias Monachorum princeps primus extitit, a quo sancta eorum primæua institutio sumpsit exordium.] Tamen omnes vnanimiter absque tergiuersatione aliqua quadrant in hoc, nimirum, quod prima ua institutio, primordia, ac fontalis origo omnium religionum non tantum sit ab Apostolis, & ab eorum successoribus Antonio, Hilarione, Dionysio monacho, Paulino, Benedicto, Bruno, Augustino, Dominico, Francisco, &c. Verum etiam à sanctis Patribus veteris Testamenti. Quare cum probabile diximus cum D. Thoma, alijsque plerisque Doctoribus eos qui in nouo Testamento voluntariæ paupertati voto se astringunt in religione, sedem, & thronum habere cum Apostolis in iudicio, probabile etiam erit eos qui monachalem vitam in veteri Testamento peragerunt, sedem, & thronum etiam obtinere debere in iudicio cum Apostolis. Tum quia in veteri Testamento fuerunt plerique, qui vitam sic instituebant, vt omnia prorsus, abijcientes solitariam vitam monachali similem ducebant, vt Essenorum collegium, qui, vt refert Iosephus, Eremum colebant, in quo fuit Ioannes Baptista, & Prophetæ, atque alij, de quibus ait ad Hebræos Paulus, quod erant in solitudinibus errantes in montibus, & in cauernis terræ melotis induti, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In quibus licet non esset votum paupertatis, tamen erat voluntaria paupertas, & sic probabile est quod iudicabunt cum Apostolis.

Elias fontalis origo omnium religionum. D. Hieron. ad Paul. num. presbyterum

Tritenius c. 2.

Vualdensis tract. lib. 3. cap. 4. art. 1. Cassianus lib. 1. cap. 2.

Hier. Roma. lib. 6. Reip. cap. 1.

3. Ratio.

Obiectio.

Sed dices cum Christus in regeneratione sederit ad iudicandum, non erunt nisi duodecim sedes, vt perspicum, & planum fit, ex illis verbis Matth. 19. [Super sedes duodecim.] At isti qui vitam Apostolicam agunt sunt fere infiniti. Igitur pro omnibus his non erunt sedes in iudicio.

Solutio. Mag. in 4. sen ten. dist. 47.

Magister in 4. sent. dist. 47. ad hoc respondet sic: [Nec est putandum quod duodecim Apostolis tantum hoc promiserit Christus. Vbi enim sedebit Paulus qui plus omnibus laborauit, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Per duodecim ergo sedes perfectio tribunalis, id est vniuersitas iudicantium intelligitur, id est omnes perfecti qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Per duodecim tribus vniuersitas iudicandorum. Iudicabunt vero eos sancti non modo cooperatione sed etiam authoritate, & potestate, vnde gladij ancipites in manibus eorum, id est sententia de bonis, & malis in potestate eorum.] Hæc Magister. Cui adhæret S. Tho. in hisce suis commentarijs, dicens: [Per numerum duodenarium intelligitur vniuersitas eorum qui iudicabunt sicut dicit Gregorius, & Augustinus.] & in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad 1. dicens cum Augustino 20. de ciuitate Dei: [Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait duodecim solum homines cum illis iudicaturos putare debemus, alioquin quoniam in locum Iudæ traditoris Apostolum Matthiam legimus ordinatum, Paulus qui plus alijs laborauit vbi ad iudicandum sedeat non habebit. Vnde duodenario numero significata est vniuersitas iudicantium multitudo propter duas partes septennarij, scilicet tria, & quatuor, quia in se ducta duodenarium faciunt, septennarius autem est numerus perfectionis, &c.] Richardus de sancto Victore tract. de potest. iudic. D. Augustinus lib. 20. de ciuita. Dei cap. 5. Beda hom. in natali sancti Benedicti, & Abulensis cap. 19. Matth. q. 205. affirmant ibi positum fuisse à Christo numerum duodenarium pro indefinito.

S. Tho. in 4. sent.

sol. 2.

Numerus duodenarius positus pro indefinito.

Quæstio V.

Vtrum sola professio voluntariæ paupertatis sufficiat ad hanc iudiciariam potestatem obtinendam cum Apostolis?

SOTO in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. postquam ab hoc accidentali præmio exclusit communem paupertatem (qua sæpe solet esse coacta, & illa non nominatur status paupertatis, qua nuis si æquo animo toleretur, suo non careat egregio merito) videtur sentire paupertatem voluntariam publico voto in ingressu religionis profitentes, habere hoc honorificum iudicandi munus cum Apostolis, quasi soli statui, & professioni paupertatis hoc accidentale præmium fuerit concessum.

Quanta, & qualis debet esse paupertas quæ habet annexum iudicandi cum Apostolis priuilegium. Sot. in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2.

At D. Augustinus, D. Hieronymus & D. Gregorius, ac etiam alij sancti Patres, qui hanc sententiam docuerunt, videntur sentire hoc priuilegium, & prærogatiuam minime fuisse promissam soli statui, & professioni perfectionis, sed obseruationi, non cuicunque, sed exactæ, & singulari talis status, & professionis. Intelligentes paupertatem voto firmatam, non esse propriam causam huius priuilegij sed quasi principium, & dispositionem ad perfectionem vitæ, seu perfectam Christi imitationem, quæ est propria, & directa causa huius prærogatiuæ, & priuilegij. Idcirco Tostatus in cap. 19. Matth. q. 205. Postquam cum S. Tho. in 4. sent. probauit non omnibus electis, sed dumtaxat statui voluntariæ paupertatis potestatem iudicandi cum Apostolis competere propter tria mox in hæc verba irruit: [Et ob hoc est quod non quibuscumque pauperibus etiam voluntarijs, potestas ista repromittitur, sed illis solis qui relinquentes omnia sequuntur Christum secundum totam vitæ perfectionem, & ideo quando dicitur quod paupertati voluntariæ competit potestas iudiciaria, non est sensus, quod habenti eam solam detur

Abulen. tom. 5. in Matth. c. 19. q. 205.

tur ista potestas, sed habenti vitæ totalem perfectionē, cuius perfectionis principium in via incipiendi est vēdere omnia & dare pauperibus, & deinde sequuntur virtutes, multæ clarissimæ, per quas homo imitatur Christum perfectè, sequendo cum illo modo quo permittit humana fragilitas, sicut ipse dixit supra in littera, si vis esse perfectus vade & vende omnia quæ habes & sequere me. Et ita si quis totam causam quare datur potestas iudiciaria exprimere velit, non debets dicere, quod est paupertas voluntaria, sed quod est perfecta vita, vel quod est perfectæ vitæ imitatio, cuius principium quantum ad viam generationis est paupertas voluntaria, sed non dicit ipsa maximam perfectionem pro qua detur ista; nestas cum qualibet aliæ sequentia sint excellentiora.] Hucusque Abulensis. Quæ omnia vera vtique sunt, nec ego puto, Sotum loquutum fuisse præter mentem Augustini, & aliorum patrum (vt male putat aduersus illum Franciscus Suarez in suis commentarijs in 3. p. D. Thom. q. 59. disp. 57. sect. 4.) Quamuis enim Soto loco citato videatur sentire soli statui, & professioni paupertatis competere hoc honorificum iudicandi munus cum Apostolis, non tamen intelligit conuenire omni de illo statu, sed soli statui, non tamen omni, sed perfectis de tali statu. Non enim est credibile tantum Doctorem existimasse quemlibet de paupertatis statu iudicaturū fore cum Apostolis, præcipuè cum ipse ibi sententiam illam Saluatoris: [Omnis qui reliquerit, domum aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meum.] eleganter sic exoluat: [Quasi dicat propter singularia merita, peculiaria recipiet vnusquisque præmia, sed propter omnimodam omnium bonorum obiectionem, vt liber se homo totum obsequio meo tradat iudex erit.] Quis quæso vmquam dicet, Sotum scribentem hæc verba [Sed propter omnimodam omnium bonorum obiectionem, &c.] nullatenus intellexisse virum perfectum, plenumque virtutibus in paupertatis voluntariæ statu, & professione?

Vindicatur Dominicus de Soto à calumnia quam ei imponit Suarez.

Soto.

Quæstio VI.

An hoc priuilegium de iudicando sit datum, concessumvè alijs, ab Apostolis, & à viris Apostolicis?

Sancti omnes canonizati sint ne iudices futuri in iudicio.



INVALVIT olim opinio apud quosdam Doctores (quamuis pro hac sententia nullum patronum, aut defensorem inueniam) omnes sanctos in Ecclesia canonizatos, nimirum, omnes illos, qui in cathalogum Sanctorumq; canonem relati sunt, hac dignitate iudicandi cum Apostolis pręppollere, eò quod Ecclesiæ testimonio iam iudicati sunt. Vnde cum illi Ecclesiæ testimonio iam iudicati sint equum est (dicunt isti doctores) vt ipsi alios iudicent. Sotus in 4. dist. 47. q. 1. a. 3. hanc sententiam tribuit Tostato in c. 5. super Matth. q. 314. Ast, ego nec ibi, nec minus per omnes quæstiones cap. 19. inchoando à quæstione 185. vsque ad quęstionem 206. in quibus de his qui cum Christo iudicaturi sunt apprimè differit Abulensis, talia ipsum aliquo modo asseruisse reperio. Cuiuscumque tamen hæc sententia sit, illam errore scatentem reputo, & tamqnam falsam iudico abolendam: quoniam Euangelio non est consona ex quo Christus non nisi illis qui reliquerunt omnia hanc dignitatem fuit pollicitus. Porro inter Sanctos canonizatos adsunt pleræque mulieres, & mulieribus (vna dempta Virgine gloriosa) non est concedenda iudiciaria potestas. Tum quia hoc

1. argum.

2. argum.

3. argum.

F priuilegium elargitus est Christus (his quibus concessit) per merita, & perfectionem: At plerique sunt sancti qui adhuc in Ecclesia non sunt canonizati, qui maiori merito, ac perfectione fortasse pollent, quam illi qui iam sunt canonizati, & in cathalogo Sanctorum iam continentur. Quoniam tam in statu quam in vita perfectiores fuerunt, vt liquet de Paulo Eremitarum patre, Honufrio & de reliquis (quos affert D. Hieronymus in vitis patrum) respectu sanctorum innocentium, & aliorum, qui per vnum dumtaxat martyrij actum, & beatitudinem, adepti fuere, & in cathalogo Sanctorum continentur. Igitur si soli canonizati iudicarent, illi qui tot meritis & perfectionibus pollent cum non sint canonizati, non iudicabunt quod repugnat opinioni D. Thom. & omnium Sanctorum Patrum affirmantium, vt dudum dicebamus professores voluntariæ paupertatis pro Christo, debere G cum ipso, & Apostolis iudicare. Concludit argumentum, nisi dicas vtrosque iudicare. Quod plane probabilitate caret, nisi ad professores voluntariè paupertatis iam canonizatos te conuertas. Accedit quod canonizatio quamuis supponat veram sanctitatem, & perfectionem, in canonizatis, non tamen supponit canonizatum iudicem fore in iudicio nec minus constituit eum dignum potestate iudiciaria, patet eo quod negantes primum debent reputari heretici, non autem negantes secundum.

Sancti alije sanctis sanctiores.

Sancti etiam non canonizati erunt assessores in iudicio.

Nec minus Angelis hoc priuilegium, ac prærogatiuam iudicandi vt assessores promissum fuit, vt tenet Angelicus Doctor in 4. sent. & omnes Theologi cum Magistro ibidem Abulensis in cap. 19. Matth. & Franciscus Suarez in suis commentarijs in 3. p. S. Thom. q. 59. art. 6. disp. 57. sect. 4. Et probatur. Tum quia H hi qui iudicaturi sunt cum Christo sessuri sunt cum illo, at Angeli erunt ministri in illo iudicio: Ergo non erunt sessuri, vt assessores. Tum quia extremum iudicium fiet per humanam naturam (hr sti, vt homines sensibiles habeant iudicem visibilem sensibilem, at Angeli non sunt sensibiles, nec visibiles: Ergo cum iudicati, & iudicandi omnes in illo iudicio debeant visibilitate, & sensibilitate præpollere, nequibunt tunc Angeli esse iudices, & assessores. Sed de hac re lege Sotum in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 3. ac etiam Abulensem.

Angeli in iudicio non erunt assessores.

1. Ratio.

2. Ratio.



I  VI habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesijs. Tex. 26.

COMMENTARIVS.

SEPTIES iam sulcauimus in hac prima visione de Ecclesia Axioma istud: *Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesijs*, semel etenim in vnaquaque ex his septem Ecclesijs Asiæ repetitum vtique fuit. Et idem protius videtur sonare, quod K illud Ezechielis cap. 3. [Qui audit audiat] Perinde ac dicatur. Audiant qui voluerint, qui autem audire recusauerint, non audiant.

Explanatio contextus. §. 1.

Et quia cum gregis Dominici pastoribus in hisce quæ hucusque scripta à nobis fuere, crebrò, sermonem habuimus, ideo in calce huius primæ visionis de Ecclesia ad eosdem Antistites Præsules, & Pastores eius-

§. 2. Exhortatio ad antistites & Pastores Ecclesiæ.

eiusdem Ecclesiæ Dei, hæc postrema nostra meritò se dirigunt verba, illos ad sedulam eiusdem gregis Dominici, eisdem commissi, exhortando curam, per illa, Apostolica verba: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discensionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis exurgent viri loquentes peruersa vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.] & iterum; [Si quis Episcopatum desiderat bonum opus desiderat.] Nolo hic plurimorum à merito tanti gradus distantiam pandere. Id enim colligi facilè potest, ab his quæ in vero Episcopo, iuxta Apostolicam doctrinam requiruntur, nimirum, vt sit Episcopus irreprehensibilis, sicut decet Dei despensatorem, vt sit sobrius, prudens, pudicus hornatus, hospitalis, iustitia & æquitate ac sanctitate præditus, non neophytus, sed qui testimonium bonum habeat, ab his qui foris sunt, verbi doctor & virtutum amator, tenax sermonis fidelis, & potens exhortari in doctrina sana. Omitto igitur hæc omnia quæ supra acriori indagine enodauimus. Sed tantum quæro, ad quid Apostole Dei tot ac tanta inclyta merita in pastore euangelico prærequirantur? Ad nihil aliud mehercle nisi vt grex Dominicus melius ac tutius per eosdem Euangelicos pastores hubertim pascatur in Domino Iesu, qui est verè pastor bonus, & prauis pastoribus, videlicet mercenarijs ad quos nihil attinet de ouibus, tactus dolore cordis, ait: [Audite (pastores mali) Verbum Domini, viuo ego dicit Dominus quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum) sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant propterea pastores audite Verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de manu eorum, & non erit vltra eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas.] Idcirco Pastores euangelici, gregem Dominicum pascentes, audite verba Domini de cælo vobis iam septimo, in hac prima visione tonantis: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesijs*, & corda vestra obdurare nolite.

Act. 20

1. Tim. 3.

Episcopalis status perfectio.

Ezech. 34

Finis Primæ reuelationis Ecclesiæ Dei,

Cui, tamquam firmæ Columnæ veritatis subiecta in æternum permaneant hucusque dicta. Quæ, Deo comite, completa fuere, quinto decimo Kal. Augusti, die sabbati, anno 1609. In regio monasterio Sanctæ Mariæ de Bono aere, regalis ordinis Redemptorum, Ciuitatis Calaris, Regni Sardiniæ.



INDEX ALPHABETICVS OMNIVM MEMORABILIVM AC PRAECIPVARVM RERVM,

Quæ in hoc primo tomo Commentariorum Magiſtri Fratris Antiochi Brondo Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptorum in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ Domini continentur.

B

C

D

Desertum

Ecclesia

Exnor-

Legens

Petrus Holascus Pezza natione Lardus

87

Perru